
BIBLIOTECA DEL DUQUE DE OSUNA





SANCTI HILARII PICTAVORUM EPISCOPI OPERA

AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICANOS, ROMANOS, Belgicos, necnon ad veteres editiones castigata; aliquot aucta Opusculis, præviis in locos difficiles disputationibus, Præfationibus, Admonitionibus, Notis, novâ S. Confessoris vitâ, & copiosissimis Scripturarum, Rerum, Glossarum Indicibus locupletata & illustrata,

STUDIO ET LABORE MONACHORUM
Ordinis S. Benedicti, è Congregatione S. Mauri.




PARISIIS


Excudebat FRANCISCUS MUGUET Regis, Cleri Gallicani & illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis typographus.

MDCXCIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



EMINENTISSIMO DOMINO
D. CÆSARI ESTRÆO
S. R. E. CARDINALI.



NTER præcipuos studiorum nostrorum, immo & totius Congregationis nostræ patronos ac fautores, cùm te jam dudum in primis suspiciamus, EMINENTISSIME DOMINE; *nemini mirum videri debet, quòd S. Hilarii Opera, quæ novis recognita curis, & pro modulo à nobis illustrata in lucem denuo prodeunt, Eminentiæ tuæ nuncupemus & offeramus. Nam post tot honorifica testimonia, quibus non modò universum cœtum nostrum, verùm etiam quorumdam è sodalibus nostris, tum in sanctorum Patrum scriptis recensendis, tum in eruendis venerandæ antiquitatis monumentis labores summis Pontificibus, sacro Collegio, totique Romanæ curiæ approbare dignatus es; sanè committendum non erat, ut tam propensa in nos benevolentia & humanitas debitâ grati animi testificatione fraudaretur. Quod repugnante æquitate ne eveniret, nihil opportu-*

nius aptiuſque nobis ſuccurrere poterat, quàm nova hæc Magni Hilarii Operum editio, quæ, ſi quidem præſentium ac futurorum hominum oculis indigna non erit, beneficentiam iſtam reddet immortalem.

Neque verò tam bonum & idoneum pro nobis vadem, uti ſperamus, recuſare volueris, EMINENTISSIME DOMINE, *utpote qui & ſolvendo non impar ſit, & futurus debitor minimè moroſus & ingratus, qualem certè vel optare potuiſſes. Si enim generis claritatem quæris, eximius ipſe inclytæ gentis Eſtrææ ſplendor: fuit ille, quod ex Fortunato* Fortunat. lib. 1. vit. S. Hilarii. *diſcimus,* inter Gallicanas familias lampade nobilitatis non obſcurus. *Si candorem, ſi generoſum pectus, quæ ſunt animi tui dotes, amas: idem erat* gratiâ generoſitatis & nitore pectoris ornatus. *At fortaſſe eloquentiam, vir ipſe eloquentiſſimus, ulteriùs cupis:* Hier. præf. in lib. 2. Comm. ad Gal. Rhodanum eloquentiæ *eum vocat Hieronymus. Placet libertas dicendi, qualem in Romanis illis comitiis ſæpius exhibuiſti? Nemo Hilario in dicendo liberior aut conſtantior, vel Conſtantio Auguſto teſte. Denique ſi fidei catholicæ amorem ardentiſſimum probas, ut certè probare te demonſtrant, quæ ad detegendam & in ipſomet ortu ſuo configendam nefariam hæreſim cum Eminentiſſimis Collegis tuis nuper præſtitiſti: fuit Hilarius religionis columna, quæ nutantem fulſit Eccleſiam, ejuſdemque beneficio* Gallia monſtra non habuit, hæreſis periculo ab ipſo liberata: *qui* permenſus eſt orbem terrarum malo perfidiæ infectum, ut cunctos ad emendationem & pænitentiam revocaret. *Unde ab eo quæſitum in Concilio Seleucienſi,* quæ eſſet Gallorum fides, *ibique* in ſpectaculum mundi productus eſt: *Tu verò in Europæ theatrum identidem productus, Gallicanæ Eccleſiæ fidem ac Regni jura, primùm quidem in proluſionibus iſtis publicis, quibus ad lauream doctoralem te diſponebas, quam edito ſingulari eruditionis*

ſpecimine, anno ætatis vigeſimo primo nondum abſoluto, ſummo omnium plauſu aſſecutus es; deinde in variis actionibus tanto ſtudio, tanta felicitate ac dexteritate aſſeruiſti, ut nulla vel repentina occaſio te umquam imparatum invenerit, nulla, quantumvis difficilis & ardua, turbatum te & anxium effecerit.

Iam verò quantâ reverentiâ Magnum Gallicanæ eccleſiæ Præſulem, pervigilem atque indefeſſum domus Dei ſpeculatorem ſuſpicies, cùm tu ipſe eccleſiæ Laudunenſi, meritorum magis quàm ætatis habita ratione, nominante Rege præfectus, aſſiduus in luſtrationibus parochiarum, ſedulus in celebrandis ordinationibus, frequens in adminiſtrando populis tuis Confirmationis ſacramento, quorum numerum pæne incredibilem ſacra unctione tinxiſti, quibus ſenectus & invaletudo deceſſoris tui hoc beneficium negaverant; imperatis per univerſam diœceſim de rerum eccleſiaſticarum uſu atque doctrina certo tempore recurrentibus colloquiis, Clero ad exactiorem diſciplinam revocando, erecto à fundamentis ſeminario, fundato in commodum egenorum utriuſque ſexus, puerorum, ſenum, invalidorum, tam urbis, quàm univerſæ diœceſis xenodochio, monitis, adhortationibus, edictis abundè oſtenderis, quid deceat miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, quos Spiritus-ſanctus poſuit epiſcopos regere Eccleſiam Dei? Cùm autem Romam evocatus, ac ſacro Cardinalium cœtui adſcriptus, Eccleſiæ & regni negotia per plures annos ſuſtineres; ne tot rectè inſtituta in diœceſi Laudunenſi longiori abſentia detererentur, annuente Rege, ex tua gente tibi ſucceſſorem delegiſti, qui quæ à te optimè præſtita ac ſtabilita fuerant, non modò ſervare, ſed & conſummare poſſet, conſiliorum tuorum non ſolùm particeps, ſed æmulus. qua in re nequaquam te divina bonitas deſtituit, aut fefellit eventus. Ad hæc cùm jam plurimas Galliarum diœceſes exortæ diſſenſiones invaſiſſent, & ipſimet epiſcopi in adverſas partes diſtrahendi viderentur; à ſtudio partium alienus, veritatis & ſubjectionis amans,

ea æquitate, eâ prudentiâ ecclesiæ Laudunensi prospexisti, ut pacata semper & ab his procellis libera tutaque exstiterit. Nec privatæ tantùm ecclesiæ tuæ tranquillitati studuisti: verùm dum de componendo tanto negotio, sedandisque contentionibus, quæ in apertam discordiam erumpere potuissent, ageretur; accersitus à Rege, Pontifici gratus, nemini suspectus, quis nescit quàm egregiè, quàm feliciter laborasti in restituenda Ecclesiæ Gallicanæ pace, quæ viget adhuc, & tam altas radices egit, ut victuram semper, duraturamque speremus?

Et quid mirum, si tanta facilitate res maximas fidei tuæ commissas geris, qui ab illustrissimo Parente, in Romana legatione res Gallicas fortiter agente, fueris ad difficiliora negotia sermonibus & exemplis pænè adhuc puer informatus? Scilicet quòd ex summo genere, pacis bellique muneribus clarissimo, ortus es, & quòd in urbe Roma educatus, hæc te & ad purpuram, & ad magna quæque gerenda natum portendebant.

Quàm non vanum omen fuerit, testantur variæ, quas in Germania, Lusitania atque Italia, præsertim verò in ipsa urbe Roma gessisti legationes. quibus tantâ diligentiâ perfunctus es solus, ut nulli umquam negotio defueris; tanta religione ac caritate cum aliis, ut laudis æmulatione ne latum quidem unguem ab officii sedulitate deflexeris. Sed, quod in ecclesiastico viro summopere laudandum est, gravissimis licèt immersus negotiis, amorem quem in litteras & in litteratos juvenis conceperas, ætate progrediente non minore studio retinuisti; & sicut illas neglexisti numquam, ita hos singulari semper benevolentia es complexus.

Quid dicam regias affinitates, quas dum Regni commodis inservis, Estræ genti tot olim titulis decoratæ adjunxisti? Verùm ad laudum tuarum cumulum sufficit Regis omnium maximi tam benignè, tam strenuè, tam constanter impensum pro obtinenda tibi purpura patrocinium: cujus adeo excelsum & honorificum de te judicium, purpuræ ipsi non impar, insigni fidei & subjectionis

exemplo confirmasti, cùm oblatam dignitatem ea conditione quæ mandatis regiis minùs consona videbatur, pari constantia recusasti. Non ignota loquimur. Vivunt adhuc tam splendidi facinoris præclari testes, ejusque memoria vigebit semper apud posteros. Non miramur itaque si te factorum gloria ubique sequitur, quæ utinam sic ad posteros pertingat, ut inscribatur æternæ illi memoriæ, cui nihil perit: quemadmodum Hilarii fama, non contenta Galliæ terminis, exteras etiam nationes, immo & cælos ipsos implevit, meritorum gratia percurrente, idque efficiente, ut in utroque orbe sanctissimi Pontificis gloria militaret.

Dum in hæc vota desinimus, modestiæ consulimus tuæ, EMINENTISSIME ECCLESIAE PRINCEPS, *quæ nec se immodicis patitur onerari præconiis, nec cum Magno Hilario conferri. In eo siquidem multa suspicis imitatione, immo & admiratione digna, Zelum pro catholica veritate & pro justitia intrepidum, fortes pro religione apologias, diuturnum exsilium, aliaque præclara facta, quæ gloriosum Christi Confessoris titulum ipsi compararunt: quod unum sanè quibusvis elogiis illustrius meritò existimas.*

Tanti Doctoris ac Pontificis Opera tuis auspiciis, VIR EMINENTISSIME, *dum committimus, non Hilario ipsi, sed nobis, studiisque nostris patrocinium ex te conquirimus: quod cùm antehac immeritis præstiteris, in posterum, uti ex tua benignitate sperare licet, Hilario suffragante non denegabis. Nos verò gratias tibi habebimus immortales, quòd tam facilè te exorari patiaris; gratiam singularem Hilario, cujus beneficio effectum est, ne simus ingrati: eritque hæc ejus Operum editio perenne observantiæ in te nostræ, adeoque grati animi monumentum. Ita vovent*

EMINENTIÆ TUÆ

Addictissimi & obsequentissimi
MONACHI BENEDICTINI
Congregationis S. MAURI.

ELENCHUS EORUM QUÆ IN HOC VOLUMINE continentur.

Præfatio generalis, in qua difficiles Hilarii ſententiæ diffusè explicantur.

§. I. *De conceptione Chriſti,* pag. XIV.
§. II. *De naturali hominum unitate cum Chriſto & cum Deo Patre,* XXIII.
§. III. *De paſſione Chriſti,* XXX.
§. IV. *De morte Chriſti,* XLVIII.
§. V. *De gloria Chriſti & hominum poſt reſurrectionem,* LIV.
§. VI. *De regno Chriſti à regno Dei Patris diſtincto,* LXI.
§. VII. *De judicio noviſſimo,* LXIX.
§. VIII. *De igne judicii,* LXXII.
§. IX. *De rerum ſpiritalium natura, & de gratia,* LXXV.
Vita S. Hilarii ex ipſius potiſſimùm ſcriptis collecta, LXXXIII.
Vita ejuſdem ex Hieronymo de Script. eccl. CXXXVI.
Vitæ ejuſdem auctore Fortunato libri duo, ibid.
Petri Damiani Sermo de tranſlatione ſancti Hilarii, CXXXIX.

SANCTI HILARII OPERA.

Commentarii in Pſalmos, 1.
Commentarii in Matthæum, 609.
Libri XII. de Trinitate, 765.
Liber de Synodis, ſeu de fide Orientalium, 1149.
Reſponſa apologetica ad reprehenſores ſuperioris libri, 1205.
Epiſtola ad Abram, 1209.
Hymnus matutinus ad eamdem, 1213.
Liber I. ad Conſtantium, 1217.
Liber alter ad eumdem, 1225.
Liber contra Conſtantium, 1237.
Liber contra Auxentium, 1263.
Fragmenta libri, in quo hiſtoria Ariminenſis & Seleucienſis ſynodi continebatur, 1279.
Fragmenta ex aliis Operibus, 1365.

APPENDIX.

Carmen in Geneſim, 1369.
Liber de Patris & Filii unitate, 1373.
Liber de eſſentia Patris & Filii, 1375.
Fides Alcuini ſub nomine Hilarii græcè verſa, 1377.
Nicolai Fabri præfatio in Hilarii Fragmenta, 1379.
Syllabus mſſ. ad quos recognita ſunt Hilarii Opera, 1399.
Index triplex ſcil. locorum Scripturæ, tum rerum & ſententiarum, poſtremò gloſſarum.

Epiſtolas duas ad Auguſtinum edit. anni 1544. adjectas commodiùs legere eſt apud eumdem Auguſtinum epiſt. novæ editionis 156. & 226.

PRÆFATIO



PRÆFATIO GENERALIS.



ECCLESIAM sincere diligere, & inclytum illius defensorem Hilarium summâ observantiâ non colere difficillimum est. Dum viveret, nescio quas gravitatis simul & benignitatis notas præ se ferebat, ut cùm catholicorum dux, hæreticorumque terror esset, utrorumque tamen non admirationem solùm, sed & reverentiam sibi conciliarit. Eum quidem nonnulli per fraudem oppugnare, at coràm illi resistere nemo umquam ausus est. Illorum dolis ab Occidente divulsus, non tam huic parti ereptus visus est, quàm Orienti datus, ut nulla pars Orbis illius lumine non frueretur. Tum enim Occidentis ecclesiæ consilia ipsius exquirere non desierunt, ut eorum sapientiâ regerentur, & ipsi morem gerere Orientis episcopi paulatim assueverunt. Quocirca tenebricosa hæresis, quæ in iis regionibus principatum tenebat, tanti sideris accessum sustinere diutiùs non valens, sibique aut cedendum, aut Hilarium è finibus illis exturbandum esse prospiciens, cum novo splendore Galliis reddidit, cujus lucem exstinguere se posse arbitrabatur. Inculpatum virum, in quem adversarii, calumniandi arte pollentes, non potuerunt tunc quidquam excogitare criminis, quo ipsum perderent! Felix culpa unica ei objecta, quòd hæresis eo præsente nulla pace frui nihilque moliri sineretur! Et verò reditu ipsius in nihilum cessit, quidquid antè in Italia, Illyrico, Galliâ tentaverat: & *apud omnes constitit, unius Hilarii beneficio nostras* (nominatim) *Gallias à piaculo hæresis liberatas.* *Sulpic. Sev. lib. 2. hist. sacr.*

2. Hæc & alia fortissimi Confessoris gesta qui probè consideraverit, facilè assentietur eum Ecclesiæ datum, ne portæ inferni adversùs illam prævalerent: neque inficias ibit, summa cum veneratione à catholicis excipiendam esse doctrinam ejus, qui hæreticis adeo reformidandus fuerit. Jam verò ut in eam quisque commodiùs utiliúsque incumberet, opellam nostram, quam in aliorum Patrum editione nonnulli favore assensuque suo sese approbare testati sunt, ad scripta ipsius recognoscenda non recusavimus. Et certè hoc ei officium plurimis nos titulis debere confitemur. Cùm enim eum cum omnibus Ecclesiæ alumnis veneremur ut patrem ac magistrum, & nominatim cum Gallis ut Galliarum nostrarum decus & ornamentum amplexemur; eo tamen nomine nobis singulariter carus esse debet, quòd prima in Galliis jecerit monasteriorum fundamenta. Demum si non quod nostra, sed quod Ecclesiæ refert, respiciamus; quis neget tanto pluris ejus interesse, ut pura ac sincera habeat Hilarii scripta, quanto majoris sunt ad fidem illius adstruendam auctoritatis? Nam cùm Ecclesia fidem suam à Christo & Apostolis teneat, illi eo graviores sunt testes, quo apostolicis temporibus viciniores. Neque multos è latinis Patribus recensere est, qui ætate Hilarium præcedant. Nam post Tertullianum, Lactantium atque Cyprianum, vix unum reperias alicujus nominis eo antiquiorem. Ille verò tot fere præcones habet, quot nobis post ipsum præstitit Deus fidei Doctores.

August. lib. 1. cont. Julian. c. 3. lib. 2. c. 7. & lib. 6. de Trin. c. 10. * Lib. 7. de Inc. c. 2. Lib. 10. c. 5. Lib. 1. c. 4. Lib. contra Mocianum.

3. Primùm à toto Concilio Parisiensi *fidelis Dominici nominis prædicator* cognominatus, subinde ab Augustino audiit *Ecclesiæ catholicæ adversùs hæreticos acerrimus defensor, catholicus & insignis Ecclesiæ catholicæ Doctor, & non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum & in assertione fidei vir.* Tum à Cassiano * laudatus est ut *Magister Ecclesiarum*, & à Facundo Hermian. nunc ut *Arianorum potentissimus atque acerrimus expugnator*, nunc ut *doctissimus antistes & fortissimus Confessor.* Sed elogia cetera superat illud, quo eum Facundus idem vocat *prudentem ac moderatum Ecclesiæ gubernatorem*: quasi qui non unius, sed totius Ecclesiæ suscepisset prudenterque moderatus esset gubernaculum. Apud Hieronymum autem, ut ceteros interim sileamus, quantæ auctoritatis fuit? Ille se satis purgatum putat, ubi ostenderit sibi præluxisse Hilarii exemplum. *Si hoc crimen est*, inquit epist. 75. *arguatur & Confessor Hilarius*: & epist. 62. *Hoc non solus ego feci, sed & Confessor Hilarius*: ac demum epist. 101. cùm ipsi suppeteret unde se multorum exemplo tueretur, unum hoc protulit, *Sufficit in præsenti nominasse Hilarium Confessorem.*

4. Ipsi etiam Græci, in laudandis Latinis quamvis parcissimi, ab illius tamen laude minimè abstinuerunt. Eum cùm ob sanctitatem vitæ, tum ob doctrinæ atque eloquentiæ præstantiam egregiè commendant Socrates lib. 3. c. 10. Sozomenus lib. 3. cap. 14. & 15. necnon lib. 5. c. 13. Nicæphorus Callixti lib. 10. c. 17. Ipsius etiam testimoniis dicta sua firmant Theodoretus Dial. 2. Ephræm Theopolit. apud Photium p. 807. ubi *Gabalitarum episcopus* falsò nuncupatur. Quin & Chalcedonense Concilium non modò act. 1. pag. 310. & act. 2. pag. 340. inter eos illum recenset, ex quorum doctrina exponendum esset fidei de Incarnationis mysterio decretum: sed & act. 2. p. 357. primo loco ponit quæ ex scriptis illius excerpta sunt. Nunc quid in illorum variis editionibus præstitum sit videamus.

I. *De variis Operum S. Hilarii editionibus.*

5. Ex Roberti Fortunati Macloviensis ad Badii editionem præfatione accipimus, libros de Trinitate, ad Constantium, contra Constantium, contra Auxentium & de Synodis, primùm Georgii Cribelli presbyteri operâ in lucem prodiisse; tum Commentarios in Psalmorum explanationem à Johanne Solido Cracovio, adhortante Jacobo Fabro Stapulensi, è situ & squallore fuisse redemtos; ac tandem anno 1510. Badium Ascensium, cùm à Guillelmo Parvo Regiæ confessionis auditore Tractatus in Matthæum unà cum epistolâ ad Apram è sancti Benigni Divionensis cœnobio erutos accepisset, eosdem cum prædictis Hilarii Operibus prelo suo Parisiis subjecisse ac divulgasse. Optandum fuerat, ut quemadmodum à suppositititiis pura, ita & à mendis innumeris castigata prodiisset hæc editio.

Editio anni 1510.

6. Tredecim pòst annis Erasmus ad libros potissimùm de Trinitate castigandos animum appulit: Tractatus alios ut plurimùm aut neglexit prorsus, aut propter veterum codicum penuriam emendare non valuit; laudem tamen suo ex labore relaturus, si se à declamatoria præfatione abstinuisset, quæ & sacræ Inquisitioni Romanæ, & Parisiensi * Theologiæ Facultati censuris digna meritò visa est. In hac quippe, ut Gillotii verbis utamur, *vanissimis contumeliosisque digressionibus, quas gratiosis excusationibus involvit*, plurima Hilarii dicta gestaque sinistram in partem sic interpretatur, ut videatur ex liberiori quadam carpendi sanctum virum licentia gloriam sibi facere voluisse. Modò enim Arianos excusat, quò pium Præsulem acriùs mordeat: modò quæ virtutem in eo spirant, vitio tribuit. Ubi ille summæ moderationis suæ fidem hinc facere conatur, quòd per totum exsilii tempus nihil contra Arianas partes famosum aut scripserit aut dixerit; eam etiam fingit Erasmus tam diuturni silentii causam, *quòd in tanto mundi dissidio nonnihil ambigeret illius animus quæ vera fides esset.* Quasi verò de fide vel minimùm dubitasse credendus sit, qui se pro ipsa tuenda commori posse,

* Recensetur inter libros censurâ notatos ab anno 1544. ad an. 1556.

Lib. 6. de Trin. n. 21.

nec ab ea posse ulla ratione divelli & dixit, & verè se dixisse tam longo tamque diuturno exsilio ac multis aliis præclarè gestis evidentissimè comprobavit. Quid illud, quòd cùm solâ Christi causâ, ut silentium rumperet, permotum se testatur Hilarius, Erasmus vult hoc factum esse exsilii impatientiâ? His aliisque indicavit, numquam sibi satis notum fuisse fortissimi Confessoris animum, seque illius Opera, in quibus intrepidam fidei suæ constantiam ubique graphicè consignavit, festinanti animo attigisse. Hinc non satis accuratus lectionum delectus, sæpe etiam neglectus. Hinc præpropera illius de Doctoris nostri scriptis, doctrina, gestis, moribus, & plerumque falsa judicia. Hominis multis occupati lubenter excusamus lapsus, ultro etiam silentio premeremus, nisi natæ inde quædam opiniones Hilario contumeliosæ plurimorum animis altiùs insedissent. Quamquam nemo eum facilè excusatum habeat, quòd in dicenda de rebus gravissimis sententia tam facilis tamque præceps fuerit. Quis enim eum non damnet, quòd quidquid Hieronymus contra Hilarium diaconum Luciferianum scribit, ad Hilarium Pictavensem episcopum referat, licèt postmodum fateatur se incertum esse, an adversùs ipsum Hieronymi dicta intelligenda sint? Ut enim mittamus quòd non admodum abstrusa erat hujus rei perceptio, certè ab incerto in Catholicum Ecclesiæ Doctorem ac defensorem præfractæ hæresis suspicio nullo pacto injicienda erat. Hanc Erasmi editionem anno 1523. Basileæ typis suis adornavit Frobenius: apud quem, adjecto *de Patris & Filii unitate* pseudo-Tractatu, anno 1535. recusa est.

in Constant. n. 2. & 5.

an. 1523.

an. 1535.

7. Erasmi tamen laborem plurimùm laudavit Ludovicus Miræus, ipse diligentiâ vicit. Nam scriptis exemplaribus accuratè collatis, quidquid in eis à Frobeniana editione diversum nactus est, non minore cura notavit. Plurimos codices *miræ antiquitatis* se contulisse testatur, unos nominat Victorinos, qui certè antiquitatis titulo à multis longè superantur. Ex eadem S. Victoris bibliotheca eruit librum de essentia Patris & Filii, duas ad Augustinum epistolas, ac Metrum in Genesim: quæ cum genuinis Hilarii Operibus an. 1544. Parisiis apud viduam Carolam Guillar excudi curavit. an. 1544.

8. Hæc Miræi editio omnium, quæ antè & pòst prodiere, licèt nostro judicio castigatior, ita tamen rara est, ut lustratis pluribus Parisinis bibliothecis, eam detegere nos posse jam desperaremus, cùm in magno Carmelitarum Conventu offendimus. Et eâ quidem neglectâ, immo nec memoratâ, Hilarii lucubrationes, quales ab Erasmo prodierant, tertiò Basileæ apud Frobenium anno 1550. vulgatæ sunt *vigilantissimè & ad plura exemplaria per D. Martinum Lypsium collata & recognita*. Neque neganda est in mendis typicis emaculandis Lypsii vigilantia: sed in conquirendis ac recensendis mss. curam posuisse videtur longè minorem, quàm in excogitandis conjecturis, in quibus non semper, immo raro felix fuit. an. 1550.

9. Nemini hactenus venerat in mentem, ut vitam Hilarii Operibus ipsius præmitteret. Primus hoc opus suscepit Johannes Jac. Grinæus, quod anno 1570. Eusebio Episcopio Basileæ in fronte lucubrationum sancti Doctoris edendum tradidit. At quàm jejuna, arida, imperfecta ac falsa est illius narratio! Tempora vix usquam rectè assignat, plurima omittit Hilarii gesta, falsa aliunde adsciscit, & in nascentis hæreseos gratiam aliquot adjungit fabellas valde pueriles. Hæc porro vita ex iis potissimùm conflata est, quæ adversùs Hilarium diaconum baptisma hæreticorum non recipientem Hieronymus dialogo contra Lucifer. scripsit. Animadvertit quidem Grinæus objectari sibi posse, eum ibi ab Hieronymo Hilarium notari, qui in diaconi munere defunctus ad episcopatum numquam pervenerit: sed brevis ei succurrit expeditaque responsio, mendum in Hieronymi libros irrepsisse. Non levioris momenti est, quod in eadem vita asserit, *quosdam ex D. Hilarii collegio sodales, sive Canonicos quos vocant, exstitisse qui dicerent, licere ipsis honorabile conjugium contrahere ex instituto Hilarii, qui legem de cœlibatu* an. 1570.

suis minimè scripsisset, (tam gravis assertionis audi lepidam probationem,) *ut mihi narravit vir clarissimus Gasparus Hervagius J. V. consultissimus & amicus meus.* Quibus ineptiis confutandis, aliisque referendis supersedemus.

an. 1572. 10. Ut primùm hujusmodi vitam, eique adhærentem Erasmi præfationem perlegit Gillotius, utrumque Opus, ut sanctissimo Præsuli contumeliosum, ac pietati catholicæ valde noxium, à Christianis lectoribus abjiciendum judicavit. Ipse melioris voti compos Commentationem eis substituit, in qua primùm veniunt quæ ad Hilarii historiam spectant, ex illius aliorumque veterum scriptis collecta; tum de ipsius stilo & scriptis disserit; ac postremò locos suspectos notat, & quantum potest benignè interpretatur: Opus pro illa ætate exquisitum & laude dignum, quamvis permulta in eo reperire sit, quæ historiæ jam limatiori atque accuratiori assuefactos nonnihil offendant. Commentationi huic Hilarii aliquot elogia, ac vitam per Hieronymum ex lib. de Script. eccl. per Fortunatum & Gregorium Turon. necnon Petri Damiani de translatione S. Hilarii Sermonem adjecit: libros autem de essentia, ac de unitate Patris & Filii, centonibus dumtaxat ex quibus constant notatis, suppressit. Ac demum in indicandis plerisque Scripturarum locis suam probavit diligentiam: at illibatum prorsus reliquit Hilarii textum, in quem etiam incuriâ Nivellii, qui hanc editionem an. 1572. typis elegantibus sed manu minùs accurata adornavit, menda irrepserunt non pauca.

an. 1605. 11. Tandem ut puriora & limpidiora Rhodani hujus latinæ eloquentiæ fluenta laberentur, anno 1605. animum adjecere typographi Parisienses; à quibus quid eo in negotio præstitum sit, nunc audiamus. *Primùm, inquiunt, ab eo qui prælegere preloque adornare libros excudendos solet, Hilarii Opera curavimus cum optimis quibusque mss. codicibus conferri: quos benignè nobis ac liberaliter locupletissimis suis bibliothecis viri clarissimi atque eruditissimi suppeditarunt, ad libros de Trinitate Nicolaus Faber, ad Tractatus in Psalmos Jacobus Bongarsius, ad Commentarios in Matthæum recensendos Paulus Petaveus Senator Parisiensis. Deinde verò cùm adscriptis ad oram marginis variis lectionibus suam nobis operam vir quidam doctissimus non denegasset, ut earum delectu habito, quæ jam receptis præferendæ viderentur, reliquas expungeret; visum est etiam ab altero impetrandum, ut eas, quæ in superioribus editionibus toleratæ fuerant, sub libri calcem colligeret: ne fortè à te illæ quoque desiderarentur, sive quòd earum verbis alibi citata testimonia quædam possent occurrere, sive quòd utrùm his novis posthabendæ fuerint, judicio tuo velles expendi. Adjecimus præterea Fragmenta ex Opere historico, quæ an.* 1598. (apud Ambrosium Drouar Nicolai Fabri operâ) *v. c. P. Pithœus publici juris fecit, & exscriptos ex iisdem mss. libris Tractatus in Psalmos* 13. 14. 149. & 150.

12. Post tot tamque variorum hominum in hac editione impensos labores, non multo tamen puriora prodierunt disertissimi Doctoris scripta. Qui enim variis lectionibus seligendis operam suam commodavit, sive judicii fuerit non admodum exquisiti, sive, ut sæpe fit in iis quæ alieno nomine laborantur, hoc perfunctoriè obierit; sæpe numero mutavit quæ retinenda fuerant, & contrà quæ fuissent mutanda retinuit. Hinc qui in editione anni 1631. variantes lectiones, quæ primùm ad calcem conjectæ fuerant, propriis locis aptavit atque ad marginem adscripsit, eas revocavit non semel, quæ in prioribus editionibus obtinuerant. Sed & Parisienses typographi, qui quod artis suæ non erat aliunde mendicarunt, ita neglexerunt quod erat industriæ suæ, ut eorum editioni, præ multitudine mendorum, facilè anteferendæ videantur Basileenses. Illa Coloniæ Agrippinæ
an. 1617. 1631. & 1652. an. 1617. ac rursum Parisiis an. 1631. & 1652. recusa est.

13. Vel ex hac simplici expositione liquet, nihil umquam in edendis Hilarii scriptis præstitum fuisse, quod omnibus numeris suis absolutum esset. Badii namque editio mendis scatet innumeris. Erasmus præter libros de Trinitate vix alios ad mss. fidem recognovit, & eos quidem non magno examine adhibito correxit. Eo diligentior Miræus nec magnam mss. copiam nec in omnes Hilarii Tractatus habuit,

habuit, & plusculum credidit præcessoris sui ingenio & conjecturis. Novas deinde dum ex proprio excogitat Martinus Lypsius, singulos Hilarii libros pluribus in locis contaminat, quàm castigat. Hunc tamen maximè secuti sunt, qui Parisiensibus typographis operam suam contulerunt: post quos easdem lucubrationes nemo amplius limandas suscepit.

II. *De codicibus mss.*

14. Non ab eo solùm tempore, ex quo excogitata est ars typographica, sed & superioribus sæculis identidem exstiterunt, qui in recognoscendis Hilarii Operibus industriam suam probarent. Ob reconditiores autem illius sensus effectum est, ut interdum viri illi substituerent proprios, verbis obscuris, quæ non satis assequebantur, alia superaddentes planiora, quæ deinde in exemplis recentioribus sola obtinere consueverunt. Hujus rei exemplum suppeditat codex olim Floriacensis, nunc Colbertinæ bibliothecæ not. 1194. ex antiquissimo Carnutensis ecclesiæ ms. ab annis circiter 700. descriptus, in quo eæ tantùm visuntur lectiones, quæ in Carnutensi secundis curis adtextæ sunt, quamvis primæ ut plurimùm sint meliores. Studiosorum opera magis comparet in exemplari olim Aquisgranensis, pòst Corbeiensis, nunc Germanensis bibliothecæ: ex quo cùm plura postmodum descripta sint exempla, priores lectiones ubique posthabitæ sunt, immo locum cesserunt secundis. Quocirca non ex uno alterove codice, si præsertim recentiores fuerint, sincera exprimi potuerunt Hilarii scripta.

15. Nullus desiderari posse videtur antiquior, quàm qui in archivo Vaticanæ ecclesiæ asservatur. Nam ut Mabillonii nostri lib. de re Diplomatica tab. 6. verba hîc adscribamus [scriptus est codex, si priora folia recentioris scripturæ excipias, sub finem sæculi quarti, aut ineunte quinto, ut intelligitur ex adjuncta * inscriptione cujusdam studiosi, quam sic reddo: *Contuli in nomine Domini Jesu Christi aput Kasulis constitutus anno quarto-decimo Trasamundi regis.* Qui catalogum archivi prædicti ordinavit, pro *aput Kasulis*, legit *Putzalis: quod est in Africa*, inquit, *in regione Numidiæ seu Barbariæ. Vulgò appellatur Putrazzio, situm inter Tunetum & arcem Goletæ.* Si rectè apices codicis assequor, non dubito esse legendum, *apud Kasulis*, quæ urbs erat provinciæ Bisacenæ, Antonio *Casula* dicta: cujus episcopus Quintianus legitur in Notitia Africæ, *Quintianus Casulis-carianensis.* Facilis quippe est *d* in *t* permutatio, qualis est in vocibus *haut*, *set*, aliisque similibus, quæ in mss. codicibus non raro occurrit. Holstenius ad oram hujusce adnotationis manu sua scripsit, annum quartum-decimum Trasamundi regis convenire anno Christi DX.] hactenus Mabillonius. Sed in antiquo codice non negandum est menda esse antiqua, quæ quod Hieronymus epist. 28. ad Lucinium monet, in mentem revocant: *Opuscula mea ad describendum hominibus tuis dedi, & descripta vidi in chartaceis codicibus, ac frequenter monui ut conferrent diligentiùs & emendarent. Ego enim tanta volumina præ frequentia commeantium & peregrinorum turbis relegere non potui. Unde si paragrammata repereris, vel minùs aliqua descripta sunt, quæ sensum legentis impediant; non mihi debes imputare, sed tuis, & imperitiæ notariorum, librariorumque incuriæ: qui scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt; & dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos.* Eam ob rem codicis hujus antiquitati nihil inconsultè tribuimus, ea tantum ei concessa veneratione, ut lectiones propè omnes, in quibus à ceteris discrepet, diligenter annotaremus. Has à Johanne Baptista Bandinio Vaticanæ basilicæ Canonico, cùm novam Hilarii editionem pararet, collectas, nobis descripserunt Fratres nostri qui Romæ versantur, & nonnulla Opera per se accuratè recognoscentes laudati Canonici diligentiam probaverunt.

* ad calcem libri in Constantium.

Codex ante annum 510. scriptus.

16. Post codicem sancti Petri antiquitate secundus est, sed propter sinceritatem facilè primus, olim abbatiæ sancti Dionysii juxta Parisios, nunc

Colbertinæ bibliothecæ mſ. 825. quem cum aliis bene multis humaniſſimè nobis ſuppeditavit numquam ſatis pro ſua comitate laudandus Stephanus Baluzius eidem bibliothecæ præfectus. Porro quamvis non careat hic codex mendis, quæ imperitis exſcriptoribus non rarò accidunt; nullum tamen habet, quod à ſciolis immiſſum ſuſpiceris. Hoc in eo mſ. notatu dignum, quòd cùm ad calcem cujuſque libri ſubjiciatur Hilarii nomen, nuſquam occurrat niſi nudum & honorifico quolibet titulo deſtitutum, v. g. *Explicit Hilari liber primus*, *Explicit Hilari liber ſecundus*, nuſquam *ſancti:* quo tamen titulo cùm ab Hieronymo, Auguſtino & aliis, tum in laudato Vaticanæ baſilicæ exemplari inſignitur. Quod argumento eſt, eum vel ex ipſo Hilarii autographo, vel ex alio exemplari, quod Hilario adhuc ſuperſtite ſcriptum fuerit, ſumma fide fuiſſe exſcriptum.

17. Longum eſſet, forſitan & ſupervacaneum, de ceteris mſſ. ſingillatim diſſerere. Hoc certè aſſerere liceat, nihil nos non egiſſe, quo plures ac præſtantiores compararemus; neque etiam labori pepercíſſe vel tempori, ut quid in iis, quid in vulgatis præponderaret, dijudicaremus. Et ad libros quidem de Trinitate nihil nobis amplius deſiderandum videri, confirmavit codex inſignis eccleſiæ S. Martini Turonenſis ab annis circiter mille deſcriptus: ex quo cùm variæ lectiones, libris illis jam paratis & caſtigatis ſed nondum prelo ſubjectis, miſſæ eſſent, ne una quidem inventa eſt priùs vulgatis præferenda, quam non jam ex aliis revocaſſemus.

18. Quanto autem ſtudio mſſ. copiam ubique conquiſierimus, teſtes ſunt Germani, Britanni atque Itali, quorum operâ exterarum illarum regionum bibliothecas luſtravimus. Quod nobis cenſuimus præſtandum, non tantùm ut edita Hilarii ſcripta priſtinæ integritati ſuæ reſtituere, ſed & è latebris eruere nondum edita valeremus. Latere enim multa certiſſimum eſt. Et pſalmos quidem ſi non omnes, certè multo plures, quàm quorum Tractatus exſtant, enarratos ab eo fuiſſe ſpeciali in eoſdem Tractatus præfatione evincetur. Caſſianus præterea & Alcuinus procemium ipſius laudant in Matthæi Commentarium. Et ab Hieronymo in ſerie Operum Hilarii recenſentur *liber ad præfectum Saluſtium, ſive contra Dioſcorum*, *liber hymnorum*, *& myſteriorum alius*, *liber adversùs Urſacium & Valentem*, *Tractatus in Job*, *quos de græco Origenis ad ſenſum tranſtulit*, *epiſtolæ ad diverſos*, &, ut à nonnullis audierat, *in Cantica Canticorum.* Libri adversùs Urſacium & Valentem ſuperſunt tantùm fragmenta: ceterorum nihil, aut propè nihil. Sed de ſingulis nonnulla obſervare juverit, quò valeat quiſque vel oblata dignoſcere, vel reſpuere falſo Hilarii nomine perſonata.

III. *De Hilarii Operibus quæ exciderunt.*

Liber contra Dioſcorum

19. Qualis Hilarii ad Saluſtium liber, cujuſve conditionis Dioſcorus fuerit, Hieronymus epiſt. 84. ad Magnum explicat his verbis: *Brevi libello, quem ſcripſit contra Dioſcorum medicum, quid in litteris poſſet oſtendit.* Quibus ſi addideris quod de Saluſtio narrat Theodoretus lib. 3. hiſt. eccl. c. 11. eum, ethnicum licèt, Julianum tamen à cruciandis Chriſtianis quantum in ſe erat deterruiſſe, ac tandem hoc ei arte & induſtriâ perſuaſiſſe, quod primùm verbis non valuerat; facilè aſſentieris, hunc librum minimè inſcribendum eſſe *adversùs Saluſtium*, ut in vulgatis Hieronymi obtinet, ſed, ut in exemplari Corbeienſi litteris Merovingicis ſcripto, *ad Saluſtium;* ad quem ut naturâ mitem & humanum confugerit Hilarius adversùs nequitiam Dioſcori, qui forſitan crudelior Juliani juſſa propenſiùs exſequeretur. Hinc quoque conficitur, eumdem libellum Juliano rerum potiente ſcriptum eſſe.

Hymnorum liber.

20. Illius autem Hymni qua de re tractaverint, breviter perſtringit Concilium Toletanum 17. can. 13. ubi ait, *Nonnulli hymni humano ſtudio in laudem Dei, atque Apoſtolorum & Martyrum triumphos compoſiti eſſe noſcuntur, ſicut hi quos*

beatissimi Doctores HILARIUS *atque Ambrosius ediderunt.* De iisdem Hieronymus præfat. in lib. 2. Comm. ad Gal. hoc unum indicat, quòd *Hilarius latinæ eloquentiæ Rhodanus, Gallus ipse, & Pictavis genitus, in hymnorum carmine Gallos indociles vocet.* Sed cùm Isidorus Hispal. lib. 1. Off. eccl. c. 6. hoc ei laudis tribuit, quòd *hymnorum carmine claruit primus*, in unos Latinos respexisse intelligendus est. Nam & in hoc genere longè ante Hilarium claruerunt Ascetæ illi, de quibus Eusebius lib. 2. hist. c. 17. hæc ex Philone describit: *Non solùm contemplationi vacant; sed etiam cantica hymnosque ad laudem Dei componunt omni metrorum ac modulationum genere.* Arianis quoque ab ipso ortu suo sollemnem fuisse hymnorum cantum testis est percelebris illa Arii Thalia, in qua Athanasius Or. 1. cont. Arian. pag. 310. Arium perversa sua commenta inseruisse memorat. Magistrum imitati discipuli hymnos aptè ad suam hæresim compositos alternatim cecinerunt. Quod cùm Arcadio Imperatore, Gainæ potentiâ freti, publicè ac summa cum licentia præstarent; veritus Chrysostomus, ne quis ex simplicioribus, hujusmodi canticis, ab Ecclesia abstraheretur, quosdam ex catholica plebe eis opposuit, qui majore cum pompa & apparatu hymnos decantando Arianorum studium superarent. Socratis ac Sozomeni, à quibus hæc accepimus, si expendantur verba; publicarum supplicationum seu processionum consuetudo, in festis ac Dominicis diebus usitata, hinc nata esse facilè existimabitur. Quamquam hujusmodi ritum jam veterem appellat Ambrosius epist. nunc 40. ad Theodos. n. 16. ubi Monachis à Valentinianis prohibitum esse memorat *iter, quo psalmos canentes ex consuetudine usuque veteri pergebant ad celebritatem Machabæorum Martyrum.* His obiter observatis, ut ad Hilarium revertamur, fortè etiam ipse inter Arianos relegatus, cùm hymnorum usum, quo illi ad hæresim suam insinuandam abutebantur, ad veram fidem ac pietatem animis fidelium injiciendam & fovendam commodissimum judicaret, ad hymnos scribendos animum adjecit.

An Hilarius hymnos primus scripserit.

Socrat. lib. 6 c. 8. & Sozom. lib. 8. c. 8.

Supplicationum publicarum festivis diebus origo.

21. Eorum saltem nonnullos in ecclesiastica Officia susceptos esse valde probabile est. Erasmus hymnos de S. Johanne Baptista & de Cruce Hilarii esse conjectat: sed hujus conjecturæ suæ nullam affert probationem, & hymnos de Cruce nominatim constat esse Fortunati. Hymnum *Gloria in excelsis* ab illo auctum & consummatum esse tradunt Alcuinus vulgatus lib. de div. Off. c. 40. Remigius Autiss. lib. 1. de celebr. Missæ, Hugo Vict. lib. 2. de Sacram. p. 9. c. 9. & Honorius Augustodun. lib. 1. de gemma animæ c. 87. idque à pluribus ita existimari fatetur Innocentius III. lib. 2. myst. Missæ c. 20. quamvis ipse Telesphoro hanc gloriam tribuat. Et quidem ut hymnus angelicus in missa caneretur, à Telesphoro Papa institutum esse scripserunt Anastasius Biblioth. in ejus vita; Valafridus Strabo de rebus eccl. c. 22. Amalarius Fortunatus l. 3. de. Off. eccl. c. 8. & vulgatus Alcuinus de div. Off. c. 39. Sed cum præcedentibus absque negotio ea ratione conciliari queunt, ut Telesphorus quidem verba Angelorum in missa cani instituerit, quomodo re vera in Liturgia S. Jacobi ter dicuntur; sed reliqua auctorem habuerint Hilarium. Neque contra priorem opinionem quidquam conficitur, aut ex libro Athanasii de Virginitate, in quo hymnus hic integer memoratur, aut ex lib. 7. Constit. Apost. c. 47. ubi exstat ex solido descriptus. Hunc enim constat pluribus postmodum auctum esse, illum autem Athanasii esse minimè liquet. Sed neque adest auctoritas satis antiqua, qua Hilario eum hymnum adscribamus, quem Concilium Toletanum IV. can. 13. indefinitè tradit ab ecclesiasticis auctoribus esse compositum. Ejusdem hymni, non autem auctoris, mentio habetur in Regula S. Cæsarii Arelat. c. 21.

Hilarius hymni *Gloria in excelsis* auctor apud nonnullos habetur.

22. De auctore hymni *Te Deum* non minùs diversæ sunt sententiæ. Qui illum ab aliquo S. P. N. Benedicti discipulo compositum existimavit, quia in illius Regula c. 9. præceptum est ut singulis Dominicis cantetur, refutatur ex Cæsarii Benedicto æqualis, immo etiam paulo superioris, Regula, in qua idem hymnus cap. 21. memoratur. Quæ autem Ambrosium & Augustinum auctores illius facit vulgi

Hymnum *Te Deum* ei adscribit Abbo.

opinio, ſolo nititur pſeudo-Dacii Chronico lib. 1. c. 10. Eumdem in mſ. ante annos 400. exarato vidimus uni Ambroſio adſcriptum, Smaragdo in Regulam Bened. c. 11. ſuffragante, ubi hymnum eum vocat Ambroſianum. At Abbo Floriacenſis epiſtolâ in mſ. Pithœano relictâ, in qua nonnullas explicat grammaticæ regulas, rem veluti notam & conſtantem ponit illius parentem eſſe Hilarium noſtrum. *In Dei palinodia*, inquit, *quam compoſuit Hilarius Pictavenſis epiſcopus, non juxta quorumdam imperitorum errorem* SUSCEPISTI, *ſed potiùs* SUSCEPTURUS *legendum:* TU AD LIBERANDUM SUSCEPTURUS HOMINEM &c.

Liber myſteriorum. 23. Ex libro myſteriorum nihil nobis ſupereſt niſi titulus ab Hieronymo indicatus. Quamquam quod de hymnis diximus, id de hoc libro æquè conjectare licet, eum Officiis eccleſiaſticis immixtum eſſe. Uſu enim venit, ut cùm in dies augeantur eccleſiaſticorum Officiorum ſollemnia, illius nomen diu retinere nequeant, à quo ordinata ſint; ſed Eccleſiæ, quæ pro temporibus ac locis per ſuos ſingula diſponit, temperat, perficit, propria evadant. Hujus rei celebre exemplum præſtat Gregorii Sacramentarium, quod in uſus ſuos ita accommodarunt ſingulæ eccleſiæ, ut vix unum reperias exemplar, quod Gregorio adſcribere ex ſolido valeas.

Epiſtolæ Hilarii. 24. Epiſtolas Hilarii in unum quoddam volumen collectas fuiſſe ſonant verba Sulpicii Severi, dum lib. 2. Oſium centenario majorem lapſum eſſe teſtatus, ſubjicit, *ut ſanctus Hilarius in epiſtolis refert.* Nonnulla adhuc in Operibus illius remanent veſtigia, ex quibus deprehendere eſt quando, ad quos, quibus de rebus ſcripſerit. Qui illum decreti anno 355. editi auctorem eſſe conceſſerit, quo ſe cum Gallicanis epiſcopis à Saturnini, Urſacii & Valentis communione ſeparavit, uti lib. in Conſtantium n. 2. declarat, non inficias ierit eumdem ſtatim ſanctis Confeſſoribus hoc ſuum decretum ſignificaſſe, quod eorum auctoritate confirmandum dereliquerat. Apertiùs lib. de Synodis n. 1. memorat, ſe ex eo tempore, quo in exſilium pulſus eſt, de diverſis Romanarum provinciarum urbibus plures miſiſſe litteras, quibus Occidentales de Orientalium eccleſiarum ſtatu, & de progreſſu Arianæ hæreſeos certiores faciebat. Eiſdem, uti Concilium Pariſienſe Fragm. 11. n. 4. teſtatur, anno 360. ineunte nuntiavit, quî Orientales cum legatis Arimino Conſtantinopolim reverſis ſe geſſiſſent. Ex qua qualicumque notitia concludi meritò poteſt, eum toties catholicis ſcripſiſſe, quoties aliquid accidit, quod ut Eccleſiæ notum eſſet, intereſſe judicarit. Catholicæ ſunt enim & catholicis ac totis Eccleſiis, non privatis perſonis inſcriptæ pleræque Hilarii epiſtolæ. Libros quidem appellare placuit illius cùm de Synodis ac fide Orientalium, tum contra Conſtantium, necnon contra Auxentium Opera; ſed propriè tamen epiſtolæ ſunt ad Eccleſias miſſæ. Ita & cùm diverſas de diverſis provinciarum Romanarum partibus ſe ſcripſiſſe dicat; nullius tamen audis nomen epi- *Lib. de Synod. n. 1.* ſcopi, ad quem privatim litteras ſuas miſerit. Totum quoque Concilium Pariſienſe, non ſingularis epiſcopus, ſibi ab illo nuntiatum eſſe reſcribit, quid cum Orientalibus ageretur. Non eſt tamen negandum quod ſuperius ab Hieronymo audiimus, eum etiam ad diverſos ſcripſiſſe. Et certè libri de Synodis Apologiam, è mſſ. nunc primùm erutam, non ſine epiſtola ad Luciferum Calaritanum miſſam eſſe probabile eſt. Niſi fortè in ea figuratus ſit ſermo ſemel atque iterum ad Luciferum converſus.

Ejus in Job Tractatus. 25. His omnibus Operibus celebriores ſunt Tractatus in Job, Auguſtini & Hieronymi teſtimoniis toties commendati. Illos deſiderio conquiſivimus eo majori, quo facilius eſt eorum veritatem vel ex Auguſtini loco lib. 2. contra Julian. c. 8. dijudicare. Ex hac unâ nota reprobatur eorum opinio, quos Poſſevinus in Apparatu ſacro ad verbum *Hilarius* obſervat dubitaſſe, num illius ſint tres libri in Job apud Origenem vulgati cum præfatione cujus initium, *Peritorum mos eſt medicorum.* Quamvis enim in mſ. monaſterii Padolironenſis inſcribantur libri

quos

Aliquot in Job lucubrationes Hilario adscriptæ.

quos de græco in latinum Hilarius episcopus vertit; in eis tamen non occurrunt verba ab Augustino ex Hilarii in Job Tractatibus allata. Sed neque ii libri, ut Mabillonius in Itin. Ital. p. 208. admonuit, tanti Doctoris venam aut genium sapiunt. Longè minùs consentiunt cum illius fide. Eorum enim auctorem Ario adhæsisse, vir illustriss. Daniel Huetius in Append. lib. 3. Origenian. n. 2. hinc probat, quòd in eis homousion rejiciatur, ac laudibus celebretur Lucianus, cujus se discipulos esse primi Ariani gloriabantur. Unde Arius ipse apud Theodoretum lib. 1. hist. eccl. c. 5. ad Eusebium Nicomediensem scribens, *Collucianistam* eum vocat. Fortè etiam Licinianus (, qui *Carthaginis Spatariæ* episcopus ab Isidoro de Script. eccl. appellatur,) falsa inscriptione deceptus fuerat, cùm ad Gregorium Papam * scribit: *Habemus sanè libellos sex sancti Hilarii episcopi Pictavensis, quos de græco Origenis in latinum vertit. Sed non omnia secundùm ordinem libri sancti Job exposuit.* si quidem Hieronymus nusquam *Hilarii in Job libellos* commemorat, sed lib. de Script. eccl. *Tractatus in Job*, Apologiâ autem adversùs Rufinum, epist. 101. ad Pammachium, & alibi *homilias in Job*; quo etiam nomine citantur ab Augustino contra Julianum. Alia sese offert de sinceritate libellorum eorum, quos Licinianus habuit, dubitandi ratio: sed eam infrà commodiùs expendemus. Hoc Hilarii Opus ad exsilium ipsius referre licet. Exsuli enim convenientissima erat libri hujus tractatio, in quo nobis rarissimum patientiæ exemplum Deus exposuit.

* Spicileg. T. 7. p. 369

Hilario non est adscribendus liber ad Fortunatum de exhortatione martyrii.

26. Aliud Hilarii Opus notatur in vulgata Hieronymi epistola 50. ad Pammachium, ubi, recensitis Patribus qui de numero impari tractaverunt, subjicitur, *Quorum Hilarius de Septenario, id est, impari numero disserens, quæ & quanta dixerit, ad Fortunatum liber illius testimonio est.* Cypriani ad Fortunatum de exhortatione martyrii librum cap. 11. hoc loco ab Hieronymo indicari non dubium est: quem propterea Marianus Hilario adjudicandum omnino arbitratur, sed frustra. Nam non modò libri illius stilus Cypriani genio longè magis consentaneus est quàm Hilarii; sed & pluribus optimæ notæ mss. ad prædictum Hieronymi locum exactis, ne in uno quidem occurrit *quorum Hilarius*, sed in omnibus magno consensu *quorum Cyprianus.* Quod verò Marianus asserit, Hilario amicum fuisse Fortunatum, haud facilè approbaret: sed si approbaret, quid quæso inde conficeretur?

An Hilarius in epistolas Pauli scripserit.

27. Probabilior esset ambigendi ratio, an Hilarius in epistolas Pauli scripserit. Nam Concilium Hispalense II. can. 12. illius ex epistolæ ad Timotheum explicatione verba sic laudat: *Sanctus ergo Hilarius* IN EXPLICATIONE EPISTOLÆ AD TIMOTHEUM *sic loquitur: Nam & cùm dicit Scriptura* &c. Nostrum porro Hilarium omnino sapit fragmentum illud, quod cum aliis ad calcem Operum illius edendum curabimus. Alium quoque sancti Hilarii nomine locum Augustinus lib. 4. contra duas epist. Pelag. c. 4. affert, quo Pauli verba Rom. 5. 12. explicantur: *Sic sanctus Hilarius intellexit, In quo omnes peccaverunt. Ait enim in quo, id est, in Adam omnes peccaverunt* Quæ verba quia occurrunt in Commentariis Ambrosii nomine vulgatis, qui ab Hilarii nostri stilo longè abhorrent; multi existimant Augustinum Hilarii nomine deceptum, eosque Commentarios Hilario diacono Luciferani schismatis fautori esse adscribendos. Sed hi non facilè se expediunt, cùm eorum auctorem Romano Pontifici communione conjunctum esse, & errores refutasse rebaptizantium, Hilarium verò diaconum, Hieronymi dial. contra Lucif. testimonio, in errore & schismate perseverasse objicitur. Sed deceptus sit Augustinus, necne; neque ex ipsius, neque ex Hispalensis Concilii testimonio necessariò concluditur, Hilarium in Pauli epistolas edidisse Commentarios; sed tantùm in Operibus, quorum jacturam novimus ac dolemus, quosdam ex eis locos exposuisse. Quamquam Hispalensis Concilii verba aliud quid sonare fatendum est.

Opuscula alia in mss. Hilarii nomine falsò prænotata.

28. Hæc de perditis Hilarii Operibus duximus praeloquenda, tum ut ad ea quæritanda quisque excitetur, tum ut discat non omni titulo credere. Exstat in mss.

Colbertino 5079. Sermo inscriptus, *S. Hilarii Pictavensis de arbore in qua erat notitia sciendi boni & mali*, Hilarianum nihil habens præter nomen titulo prænotatum. Neque magis cum illius locutione consentit homilia in initium Matthæi ipsi in Vaticano ms. 1267. adscripta cum hoc initio, *Satis anxiè, satisque trepidanter, cur sanctissimus Matthæus tali usus sit principio, exponere aggredior:* quæque clauditur his verbis, *Quatenus autem excitata sit hæc generatio per Apostolos, satis ut opinor in quæstione generationum discussum est & ostensum.* Non repetimus quod de libris in Job eidem perperam inscriptis observatum est.

Cur alia genuina exciderint.

29. Quî tot tanti viri Opera perierint, si quis miretur; præter communem temporis omnia conterentis atque consumentis rationem, in mentem veniunt & aliæ duæ. prima quidem, quòd Origenis, cujus odiosum nomen fuit ac doctrina damnata, & imitator audierit & interpres. Neque alia videtur causa, cur plures Psalmorum Tractatus interciderint, ceterorum rara inveniantur exemplaria, & homiliarum in Job nulla. Certè cùm hoc ipsius Opus apud se esse existimaret Licinianus, quàm non magni, & cur non magni penderet, declarat his verbis: *Satis miror hominem doctissimum & sanctum, ut de stellis Origenis nænias transferret.* Nimirum non attenderunt boni illi viri, quod de Hilarii in Origene imitando religione Hieronymus passim, sed conceptis verbis epist. 62. ad Theophilum ait, *Noxia quæque detruncans, utilia transtulit.* Quocirca quod de Hieronymo ipso Rufinus in libros Periarchon asserit, *Cùm aliquanta offendicula inveniantur in græco (Origenis,) ita elimavit omnia atque purgavit, ut nihil in illis, quod à fide nostra discrepet, latinus lector inveniat;* id ipsum commodè dixeris de Hilario: præsertim cùm Hieronymus in hac interpretandi ratione illius se imitatorem ubique profiteatur. *Hoc non solus ego feci*, inquit epist. 62. *sed & Confessor Hilarius fecit.* Ita autem persuasum ei erat, illius scripta ab Origenis erratis esse, pura, ut cùm epist. 7. ad Lætam sanctos Patres à filia ipsius sic legi jubeat, *ut magis judicet quàm sequatur;* excipiat tamen Hilarii libros, quos *inoffenso decurrat pede.* Eos verò potissimùm ab iis, quæ de stellis somniaverat Origenes, purgatos esse planè conficitur ex epistola Hieronymi 75. in qua ubi defendit se, ad imitationem eorum quæ Hilarius homiliis in Job gesserat, transtulisse quæ bona sunt, & mala vel amputasse vel correxisse vel tacuisse; Vigilantio statim exprobrat, quòd Origenis in Job Tractatus descriptos habeat, *in quibus contra diabolum & de stellis cæloque disputans, quædam locutus est quæ Ecclesia non recipit.* Hinc non frustra monuimus num. 25. maximè ambiguum esse, an Licinianus in genuinum Hilarii in Job Opus inciderit. Quatenus autem Origenis imitator fuerit, commodiùs in fronte Tractatuum ipsius in Psalmos exponemus.

1ª. conjectura, quòd Origenis imitator audierit.

Quatenus Origenem imitatus sit.

Opinionem illius de stellis non secutus est.

Obscuritas Operum Hilarii neglectum peperit.

30. Altera ratio, cur non eo quo meruerant studio excepta conservataque sint Hilarii scripta, ex eorum obscuritate peti potest, quæ nonnullam incautis aliquando præ se ferat erroris speciem. Profectò si multos offendissent Johannis cujusdam similes; nihil eorum ad nos pervenisset, nisi nudi tituli, aut certè fragmenta, quæ Hieronymi, Augustini, Leones, Theodoreti, Concilia Chalcedonense, Hispalense &c. nobis transmiserunt. Johannis hujus apud Philippum bonæ Spei Ordinis Præmonstratensis Abbatem pag. 94. de libris Hilarii de Trinitate verba ea sunt: *Etsi in multis bene sentit de consubstantialitate & personarum discretione; quoniam nulla falsa est doctrina, quæ non aliqua vera intermisceat: tamen in pluribus scrupulosissimè disputat, in quibusdam etiam errorem pertinaciter prædicat; ut meritò propter hoc ab his qui ruminant prorsus respuendus sit.* Tum pag. 95. illius in Matthæum Commentarios non minori contemtu respuit: *Abundant enim*, inquit, *simplices libri; ut jure scrupulosi propter offensam debeant evitari.* Quod si valeret, de magna sacrarum litterar[u]m parte prorsus actum esset.

Qua ratione legenda sin[t]

31. Neque verò hominis quamvis amici iniquam adeo sententiam probare umquam potuit Abba[s] æquior longè atque sapientior. *Numquid*, ait epist. 6. *etiam debent, quæ scrupulosa & subtilia sunt, evitari; vel fortè lecta, & non intellecta,*

inconsulto judicio reprobari, eisque pro vitio ipsa scrupulositas & subtilitas imputari; & non inde multo potiùs multoque reverentiùs honorari? Ipse epist. 5. ingenuè confessus sese in iis libris quamplura invenisse, quæ non caperet *vel ob obscuritatem sermonis, vel ob mendositatem codicis*; ac rursum in alia incidisse, *quæ propter sui aliquantulam novitatem non satis placuerunt*: primùm à sententia ferenda sese sustinuit, *ne*, inquit, *temere damnans ea in quibus cæcitas mea offendit, jure perdam cetera quæ meus intellectus utcumque comprehendit*: tum quæ percipere primùm non valuerat, attentiori lectione se assecutum esse declarat in hunc modum: *Ea ipsa igitur diligentiùs relegens, tandem mihi visus sum invenire, cujusmodi sensum videretur illorum obscuritas operire.* Si eo animo, quo laudatus ille Philippus, Hilarium legissent Centuriatores, Erasmus, Scultetus, eorumque similes; eadem ratione dubio procul evanuissent errores ac nævi, quos in illo deprehendisse sibi videbantur. Nos verò quàm circumspectè singula omnia illius dicta expenderimus, quidve præstiterimus lectoris sublevandi gratiâ, nunc est aperiendum, postquàm de obscuritatis illius causis nonnihil disseruerimus.

IV. *Unde obscurus sit Hilarii sermo. Quid in hac editione præstitum.*

32. Hilariani sermonis obscuritas non uno ex capite ortum habet. Eam Hieronymus Gallicano genio videtur adscribere. Quamvis enim epist. 4. ad Rusticum Gallorum sermoni *ubertatem* tribuat ac *nitorem*: de eorum tamen, ac nominatim Hilarii stilo scribit epist. 13. ad Paulinum, *Sanctus Hilarius Gallicano attollitur cothurno: & cùm Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, & à lectione simpliciorum fratrum procul est.* Etsi periodi longæ, densæ tamen sunt sententiæ, frequentes eclipses, & ubi vox aliqua duabus phrasibus repetenda esset, ea inter utramque ita collocatur, ut respondeat utrique. Sic ingenium facile ac fecundum festinat parere, quod ubertim animo concepit. Lectori etiam interdum incommodæ sunt nonnullæ verborum metatheses, dum quæ ex natura sermonis cohærere proximis verbis deberent, ad eas, quæ longiùs distant, sæpe sint referenda. Rariùs, sed tamen nonnumquam negliguntur grammaticæ leges. Obscuritas ex genii Gallicani sublimitate,

33. Obscuritatem quoque parit rerum, de quibus Hilarius disserit, sublimitas. Fere enim totus est aut in reconditioribus Scripturarum sensibus eruendis, aut in asserenda Patris & Filii tum consubstantialitate, tum discretione: quo nihil abstrusius, sublimius nihil cogitari potest. ex sublimitate materiæ,

34. His accedit quòd in iis, quæ tractat, Latinorum nemo quem imitaretur ei præiverit. Ex omnium quippe consensu gladium adversùs Arianos strinxit Latinorum primus, immo bellum eis primus indixit: ut meritò Hieronymus adversus Rufin. lib. 2. eum appellarit *contra Arianos latini sermonis tubam.* Primùm etiam ex Latinis hymnorum scriptorem eum fuisse, suprà ex Isidoro probatum est. Eos quoque Scripturæ libros, quos exponendos suscepit, à nullo ante ipsum Latino, saltem quod sciret, explanatos esse hoc indicio est, quòd Matthæum explicans, Orationem Dominicam quia à Tertulliano & Cypriano expositam rescisset, consultò prætererit. Demum sub finem libri de Synodis non sine modesta quadam præfatione fatetur, se in eo Opere locutum esse *de rebus absconditis & usque ad hanc ætatem suam intentatis & tacitis.* Jam verò cùm ad res divinas, de quibus loquendum ei erat, nondum satis accommodatæ essent latinæ voces, in idoneis quæritandis tanto magis laboravit, quanto latina lingua angustior & minùs copiosa erat quàm græca. Hinc enim frequentem tunc temporis fuisse jurgiorum causam Gregorius Naz. Or. 21. n. 46. tradit διὰ στενότητα τῆς παρὰ τοῖς Ἰταλοῖς γλώττης καὶ ὀνομάτων πενίαν. quam Latinorum primus attigerit.

35. Gregorius idem Or. 26. n. 2. notat triplex imminere de Deo loquentibus periculum, in mente scilicet, in sermone, in auditu. *Nam & res divinas*, inquit, *mente consequi arduum, & verbis explicare perdifficile, & purgatas aures nancisci* Triplici ex causa timuit de Deo differere.

majoris laboris & difficultatis. Triplex illud periculum sensit ac timuit Hilarius. Unde lib. 2. n. 2. vicem suam dolet, quòd *hæreticorum blasphemantium vitio illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcessa præsumere* compellatur: *ut quæ contineri religione mentium oportuissent, in periculum humani eloquii proferantur.* Tum verò num 5. animi sensa propria explicare non valentis æstum & anxietatem declarat his verbis: *Mihi certè his respondenti in curis æstus est, in sensu labes est, in intelligentia stupor est; in sermone autem non jam infirmitatem, sed silentium confitebor: cùm,* inquit lib. de Synod. n. 5. *difficillimum sit, sensum ipsum propriæ meæ fidei secundùm intelligentiæ interioris affectum loquendo proferre.* Demum ab auditu sibi timet, dum libri ejusdem num. 65. ait: *Mementote, non sensum mihi deesse, sed verba: arguam fortè in eo naturam meam, non tamen arguam voluntatem; & ignosco naturæ, si loqui de Deo quod vult non potest.* Conscius enim sibi, quòd in rebus divinis * *verborum adhuc significatio angustior quàm intelligentia sit,* tanto magis formidabat ne aures offenderet, quanto minùs tum de vi cujusque vocis inter homines convenerat; cùm plerumque, ut loquitur ipse lib. de Synod. n. 8. *ignorata verborum opinione* plurimùm inter se digladiarentur. Quippe, inquit Gregorius Naz. Or. 21. n. 97. *cùm exigua res quotidie accederet, quæ molestiam afferret; eò tandem res adducta est, ut periculum esset ne orbis terrarum fines unà cum syllabis abrumperentur.*

* *lib. 11. de Trin. n. 44.*

Quàm considerate locutus sit.

36. Quocirca verba de Deo facturus, ut sibi rectè sentiendi ac loquendi difficultas complanaretur, ipsius opem supplex implorabat. *Exposui, Carissimi,* inquit lib. de Synod. n. 65. *quantum humani consuetudo patiebatur, & Dominus mihi* SEMPER *ut ipse scit* A ME ORATUS *indulsit, communis fidei conscientiam.* Ita etiam quò faciliùs cogitata ipsius ab aliis perciperentur, ea variis modis explanabat: ut si cui una ratione obscura essent, ea alterâ fierent apertiora. Quam ob rem eloquentiæ suæ vires exserens, de Deo quàm altè sentiret, insignibus speciminibus sæpe numero comprobavit. *Non enim,* inquit ibid. n. 62. *infinitus & immensus Deus brevibus humani sermonis eloquiis intelligi potuit, vel defendi: fallit enim plerumque audientes & docentes brevitas sermonum.* Cùm igitur Hilarius, veritus ne falleret brevitate, sermonis copiam sectatus esset; lectorem jure ac meritò admonet lib. de Synod. n. 6. ne de se *ante sermonis consummationem per litterarum exordia existimet judicandum.*

Quædam in Hilarii lectione observanda.

37. Quam precem cùm num. 66. repetat, rursumque inculcet Fragm. 1. n. 7. nemo negaverit ei concedendum, quod in aliorum Patrum lectione etiam observandum Eulogius Alexandrinus apud Photium cod. 215. præcipit: *Oportet igitur sanctorum, qui certis temporibus Ecclesiæ Doctores exstiterunt, doctrinam integre perlegere, & non ex parte illorum proferre sententias, indeque de tota eorum mente non sine periculo conjecturam facere.. quando quidem ex uno aliquo dicto, sive epistola, sive lucubratione, tota scriptoris pietas ostendi non potest.* Præterea verba illius non semper ad nostros loquendi modos sunt exigenda. Eorum enim plurimi, quos postea, Augustino præsertim Doctore, invexit usus aut comprobavit; Hilarii ævo aut inauditi erant, aut nondum satis recepti: ut meritò dixerit cum Ambrosio epist. 48. ad Sabin. num. 4. *Verbum si offendero, virtutem professionis interrogato. Si,* inquit idem num. 6. *verba movent, non præjudicant fidei. Etenim sermonem mens non dubia obumbrat, & defendit à lapsu.* Ita fiet, ut neminem offendat *personæ* vox eo sensu accepta, quo nunc *naturæ* vocabulum; aut cùm *uti Deo* pro *frui Deo* occurret; & alia hujusmodi quæ recensere longum esset. Postremò quia in Latinis non habuit quos in rebus à se tractandis imitaretur; ad mentem Græcorum, quorum ei lectio familiaris erat, multa eum expressisse advertendum est. Ex qua, sicut & ex superiori observatione conficitur, illius sermonem cum Græcis, aut certè Latinis Patribus qui eum præcesserunt, non cum iis qui eum secuti sunt, esse comparandum. Quod si præstitissent, qui plures in eo opiniones ac dicendi modos singulares notarunt, in nullo fere eum singulariter aut sensisse aut locutum esse deprehendissent.

38. Quanto

38. Quanto difficiliora hactenus judicata ſunt Hilarii ſcripta, tanto operoſiùs enitendum duximus, ut ea difficultas ſublevaretur. Hujus rei gratiâ ſingulas ſingulis Operibus præmiſimus Admonitiones aut præfationes, in quibus quidquid ad Operis occaſionem, tempus, ſcopum, veritatem & alia id genus ſpectat, pro noſtra virili parte explicuimus. His interdum ſubnexa eſt totius Operis ſynopſis: quod præſertim ad libros de Trinitate viſum eſt quodam modo neceſſarium. Tum ut lector in aſſequendis Hilarii ſenſis minùs laboraret, præcipua ipſius argumenta, quantum per oram libri licuit, brevibus ſummariis comprehendere curavimus. Ut autem haberet, ubi periodorum longitudine fatigatus requieſceret, Tractatus ſinguli varios in numeros ſunt diſtincti. Ea quoque ratione citationum commoditati conſultum eſt, ne paucos verſus recognoſcere volentibus toti libri eſſent pervolvendi.

39. Sed in redintegrando textu, ex cujus depravatione obſcuritas ut plurimùm creabatur, noſtra potiſſimùm cura ac ſtudium fuit. Et ſi autem quàm plurima, nihil tamen niſi prævia diligenti ac moroſa conſideratione immutatum. Qua in re maximè ſpectavimus ſcriptorum codicum in unam lectionem conſpirantium antiquitatem, ſinceritatem, multitudinem, ſi præſertim aliàs in mendoſis locis diſſiderent. Nam conciliare ſolet veritas, quos falſitas diſſidentes facit. Sicut autem mſſ. antiquitatem ex ſcriptura & charactere perſpeximus, ita ex conſtantia quadam in retinendis iis loquendi modis, qui in aliis exemplaribus ob ſingularitatem ſæpe mutati ſunt, eorum probavimus ſinceritatem. Ad horum veritatem ita ſcrupuloſè expreſſimus omnia, ut ex iis etiam verborum ordinem revocaverimus. Si quid verò caſtigatum quod non oportebat, nihil tamen ereptum lectori: qui ad oram libri, quidquid in prioribus editionibus, quidquid in mſſ. occurrit, quod alicujus momenti ſit, pro libito ſeligendum inveniet.

40. Importunæ quidem ſunt, & ab auctore intentionem lectoris nonnihil abducunt notulæ frequentes. Sed plerique reſcire cupiunt, quo jure quave auctoritate mutatum ſit, quod priùs obtinebat: & nullus eſt, cui ſi placeant ſola auctoris verba, notas ſeorſim ab iis poſitas non ſit liberum præterire. Ita etiam ubi quædam notata ſunt, quæ minoris momenti videbuntur; hoc paucis præſtitum eſt, & in eorum gratiam, qui in Doctore Eccleſiæ antiquo ac difficili, & de re in qua ex verbis inordinatè prolatis ſæpe incurritur hæreſis tractanti, nihil negligendum ducunt. In aliis majoris momenti locis mutationes factas non ſola mſſ. auctoritate, ſed & quàm paucioribus verbis licuit, ratione eſt demonſtratum. Quod faciendum præſertim cenſuimus, quoties qui Hilarium antea recognoverunt, à vero illius ſenſu aberrantes, falſas ſubſtituerunt lectiones, quæ quamdam veritatis ſpeciem præ ſe ferrent. Iiſdem notis illuſtrantur & explicantur locutiones inuſitatæ, implexæ phraſes, ſententiæ ſingulares. Hilarii enim ſcripta non tantùm à mendis pura & integra, ſed & lectu faciliora exhibere fuit animus: & locorum nonnullorum ſenſum non ſine labore aſſecuti, noſtri officii exiſtimavimus eſſe, ut aliis hic labor levaretur. Eamdem ob cauſam ex eruditorum operibus eligere non gravati ſumus, ſi quid ad geſtorum, quæ Hilarius attingit, notitiam faciliorem conduceret. Denique quæ in eo pugnantia, quæ ſuſpecta videbantur, componere & ab omni errore vindicare ſtuduimus, non vanis aut aliunde accerſitis rationibus, ſed ex ipſiuſmet verbis. Illos enim locos, aut ex adjunctis expendentes, aut comparantes cum clarioribus, deprehendimus quàm jure Hilarius, de locutione non ita, ut de fide ſua ſecurus, monuerit atque enixè rogaverit, ne de ipſo ante abſolutum ſermonem judicaretur. Quoſdam ex illis celebriores atque difficiliores ab ipſo exordio tractare juverit: quò cùm commodiùs quàm in oram conferre liceat, quidquid in unam eamdemque rem diverſis locis dixerit; ex mutua plurium locorum collatione vera illius ſententia manifeſtiùs apparebit. Et certè viſum eſt expedire, ut tanti viri ſcripta non priùs offerrentur, quàm præcipuæ ſuſpicionum nebulæ prorſus fuiſſent diſſipatæ. In his diſputationibus aliorum etiam

Patrum dicta interdum adteximus: quò Hilarius non modò secum, sed & cum veteribus consentire demonstretur. A mysteriis Christi exordium fiat, quorum primum sese offert ipsius de sacra Virgine conceptio, de qua nonnulla receptæ Ecclesiæ fidei adversa scripsisse arguitur.

§. I.

De Conceptione Christi sana sancti Hilarii fides demonstratur.

Quibus visus sit Hilarius Christi corpus ex Maria non sumtum sensisse.

41. PRæpositus Johannes apud Philippum bonæ-Spei abbatem repetitis epistolis contendit, Hilarium in lib. 10. de Trinit. asserere, *Dominum nostrum corporis initium non accepisse ex Maria, sed quasi ex Spiritu-sancto: cùm è contrà*, inquit, *Ecclesia catholica teneat, quia in illa conceptione Domini Jesu Spiritus sanctus non fuerit causa materialis, sed efficiens; caro autem sacræ Virginis fuerit causa materialis.* Quocirca, si non fallitur Johannes, duplex Hilarii in explicanda Christi conceptione error fuit: unus, quòd Mariam carnis illius causam materialem negaverit exstitisse; alter quòd Christum ex Spiritus-sancti substantia carnem suam sumsisse crediderit. Ex quo sequitur, ut in absurdam illam opinionem abierit, quæ aliquandiu inter Corinthios pervagata, Athanasii ad Epictetum epistolâ acriter exagitata est, qua nimirum carnem Christi divinæ naturæ consubstantialem esse disputabant.

42. Levioris fortè momenti videretur illa Johannis censura, utpote hominis *multis occupati*, & cui cùm *vix spatium cogitandi, nedum scribendi* suppeteret, deerat unde sententiam satis gravem dixisse judicaretur. Verùm hanc falsam aut temerariam quis sibi persuadeat, cùm in Erasmi præfatione legerit, *Libro tertio, sed magis libro decimo, sic loquitur de corpore Christi, ut sentire videatur, Mariam virginem, præter concipiendi, gestandi & pariendi ministerium, nihil addidisse de suo;* præsertim suffragante Sculteto ac dicente, *Sentire videtur, Christum non accepisse carnem à beata Virgine?* non enim hic Hilarii scripta aut ex parte aut celeriter percurrisse existimatur.

Scultet. p. 411.

Quàm gravis sit hic error.

43. Audiet igitur catholicus Præsul impietatis ejus auctor, quam ubi ab Eutychete prædicari resciit S. Leo, ut veritatis omnium nostrorum mysteriorum peremtricem exhorruit. Si enim sensit Hilarius, *Christum non accepisse carnem à beata Virgine;* nihil novi docuit Eutyches cùm dixit, *Corpus Domini, quod ex Maria factum est, non esse nostræ substantiæ, neque humanæ conspersionis; sed humanum quidem illud vocari, non tamen nobis consubstantiale, neque genitricis ejus secundùm carnem.* Hanc tamen doctrinam Flavianus apud Leonem editionis novæ pag. 474. veluti novam & impiam denuntiat. Leo ipse ad Julianum Coensem epist. aliàs 11. nunc 25. non modò significat, Eutychen *Unigenitum Dei filium sic de utero B. Virginis prædicare natum, ut humani quidem corporis speciem gesserit, sed humanæ carnis veritas Verbo unita non fuerit;* sed & hanc sententiam prodigium appellat falsitatis, unde innumera opinionum monstra nascantur, ac restaurentur errores Valentini, Manichæi, Apollinaris, quorum nullus in Christo humanæ carnis credidit veritatem. Qua uique non receptâ, fides nostra de unigeniti Dei passione, morte, resurrectione &c. abnuitur. Non immeritò itaque eidem Papæ absurda adeo visa est hæc opinio, ut epist. aliàs 13. nunc 27. ad Pulcheriam c. 4. scribat, eam nonnisi imperitiæ partum esse potuisse, longéque ab ea Eutychen futurum fuisse alienum, *si Symboli plenitudinem puro & simplici voluisset corde concipere. Non enim*, inquit paulo superiùs, *de portiuncula fidei nostræ, quæ minùs lucidè declarata sit, quæritur: sed hoc stultissima resultatio audet incessere, quod Dominus noster in Ecclesia neminem sexus utriusque voluit ignorare.*

Non sine temeritate in Hilariũ injecta fuit ejus suspicio.

44. Ex his aliisque Leonis verbis, quibus Eutychianæ impietatis stoliditatem frequens arguit, satis apparet temeritas eorum, qui doctrinæ tam insulsæ suspicionem in sanctissimum & non imperitum Ecclesiæ Doctorem injicere non timuerunt.

Huic in Hilarium contumeliæ locum nullum permiserat Chalcedonense Concilium, cùm act. 1. illum cum paucis aliis Patribus recensuit, ex quorum doctrina condendum esset fidei adversùs Eutychen de Incarnationis mysterio decretum. Sed & postea Philippus bonæ-Spei Ordinis Præmonstratensis abbas sancto Confessori ab amico illatam injuriam tribus epistolis ita propulsavit, ut ille confiteri tandem sit coactus, hæc Hilarii lib. 10. de Trin. n. 17. *Hominem enim dicens* (Apostolus) *nativitatem ex Virgine docuit, quæ officio usa materno, sexus sui naturam in conceptu & partu hominis exsecuta est*, in eum, qui Christum ex Maria corporis initium accepisse negaret, minimè quadrare. Ea tamen est vis præjudicatæ opinionis, ea hominum philautia, ut Johannes Hilarium pugnantia, quàm se temeraria locutum, respondere maluerit.

§. I. DE CONCEPTIONE CHRISTI.

epist. 5. 6. & 7.

45. Itaque cùm apud æquiores uno alterove testimonio, quo Hilarius Christum ex Mariæ Virginis carne suam sumsisse dilucidè planéque doceat, in promtu esset fidem illius ab omni suspicione vindicare: pluribus tamen hoc præstandum duximus, tum ut magis perspicuum sit quàm constans fuerit illius doctrina; tum ut ab hoc initio intelligat quisque, quanti faciendum sit eorum judicium, qui in Hilario nævos numerant potiùs, quàm probant. Neque satis erit ipsius de conceptione Christi fidem sanam & orthodoxam demonstrare: insuper & unde Johanni ex Spiritu-sancto velut ex causa materiali carnem Christi conceptam opinari, & unde eam ex Mariæ carne assumtam negare cùm eidem Johanni, tum Erasmo & Sculteto visus sit, aperiendum erit & explanandum.

Quibus modis depellenda sit.

I. *Carnem Christi ex Mariæ carne susceptam passim Hilarius docuit.*

46. Hæreticos, qui carnem Christi ex Maria conceptam negarunt, simul omnes repellit uno Tractatu Psal. 138. cùm non tantùm ait num. 2. *Quæcumque homini illi, quem* EX UTERO *sanctæ Virginis assumsit, & in quo se nasci hominem qui Deus erat voluit, apta & congrua esse videbuntur, cum debita cælesti* (hoc est divinæ) *naturæ suæ dignitate tractentur*: sed & addit num. 3. *Non alienæ aut simulatæ naturæ hominem assumsit.* Illi quippe aut Christum carnis speciem, non veritatem gestasse, aut corpus ipsius de cælo esse advectum, aut certè illud per Mariam potiùs transisse, quàm ex ea acceptum esse volunt. At verò primæ sententiæ repugnat, quòd caro Christi *non simulatæ naturæ*; alteri, quòd *non alienæ*; postremæ, quòd *in utero & ex utero sanctæ Virginis assumta* affirmatur.

Hilarius asserit Christum ex utero S. Virginis verum hominem natum.

47. Sed ex libro 10. de Trinitate, unde præsertim ortæ dicuntur suspiciones, eas amovere juverit. Quid autem sibi vult illud num. 17. *Quæ* (B. Virgo) *officio usa materno sexus sui naturam in conceptu & partu hominis exsecuta est*, nisi beatam Virginem in conceptu corporis Christi de carne sua suppeditasse, quod suppeditare solent aliæ matres? Hoc ipsum num. 15. disertiùs eloquitur, ubi in conceptu Christi Verbum quidem, quod *Spiritûs* vocabulo intelligendum mox ostendemus, per virtutem suam supplevisse officium viri, sed Virginem nihilo minùs matris munus implevisse declarat his verbis: *Virgo enim non nisi ex suo sancto Spiritu genuit quod genuit: & quamvis tantum ad nativitatem carnis* EX SE DARET, *quantum ex se feminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent, non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam.* Quid est *ex se daret*, nisi ex sua carne? Hinc & mox subjicit, *Tenuit in hominis nativitate quod matris est*: & paulo antè legere est, *Quòd si assumta per se sibi* EX VIRGINE *carne* &c. necnon cap. 16. in Matth. n. 8. *Humanæ salutis causâ Christus in corpore est quod assumsit ex homine.*

in cujus conceptu illa sexus sui naturam exsecuta sit,

& ex se Christo dederit, quantum dare solent aliæ feminæ.

48. Eam ob causam Christi corpus modò *assumtam ex Virgine carnem*, modò *nostræ carnis* aut *nostri corporis carnem* nuncupare solet: ut cùm in Psal. 65. n. 12. ait, *In æternam gloriam ejus* ASSUMTÆ EX VIRGINE CARNIS *natura transfertur*: & lib. 1. de Trin. n. 11. *Ac ne Verbum caro factum aut aliud esset quàm Deus*

Prædicat carnem Christi ex Virgine assumtam.

§. I. DE CONCEPTIONE CHRISTI.

Verbum, *aut non* NOSTRI CORPORIS CARO *esset*, *habitavit in nobis* (quasi in nostris:) *ut dum habitat*, *non aliud quàm Deus maneret*; *dum autem habitat in nobis*, *non aliud quàm* NOSTRÆ CARNIS *Deus caro factus esset*: *quia* inquit lib. 11. n. 16. *per id quòd in nobis habitat Verbum caro factum*, *Deus est in nostri corporis veritate.*

49. Qui plura volet, audiat lib. 9. num. 7. dicentem, CORPORIS NOSTRI *natus homo*, *secundùm consuetudinem naturæ nostræ locutus est*: & in Psal. 118. lit. 14. n. 8. *Unigenitus igitur Dei filius* NATURÆ NOSTRÆ SIBI EX VIRGINE CORPUS *assumens* &c. Cúmque rursum in Psal. 68. n. 13. legerit, Christum *in sanguine corporis nostri* omnia reconciliasse; fateatur necesse est, Hilarium vix potuisse planiùs se ab iis alienum ostendere, qui Christum ex Maria nihil accepisse sentirent.

Christi caro procreata ex Ruth, David, Juda, & Adam.

50. Neque verò tantùm ex Maria, sed ex Mariæ parentibus carnem Christi procreatam asseruit: adeo ut Christus in Psal 67. n. 28. *de Judæ frutice futurus*, & in Psal. 68. n. 19. *ex utero David* prædicetur. Unde in Psal. 118. lit. 5. n. 5. David commendat, uti *dignum cujus filius Jesus Christus esset*. Et cùm in Psal. 131. n. 2. ut & alibi, Christum se nomine *David* sæpe significare doceat, hanc unam reddit causam, quòd ex ipsius genere natus sit: *Qui*, inquit, *nomen parentis secundùm originem carnis accepit*, *nomen sumens ejus cujus ex genere sumebat & corpus.* Immo scribit ex ipsa gente Moab per Ruth Salvatoris nostri carnem acceptam; ideoque cruditatem atque impuritatem illius, priùs quàm assumeretur, per varias generationes, veluti per ollam, decoctam fuisse atque mundatam. *Quia*, infit in Psal. 59. n. 11. *non solùm ex hac generatione sanctorum*, *sed etiam ex peccatorum origine huic Dei Sancto carnis nostræ ineunda esset susceptio*, *quia in similitudinem carnis peccati Deus filium suum misit*, *idcirco Moab olla spei ejus est.* Tum memorata gentis Moab maledictione, ejusque per varias generationes purgatione, subjicit: *Sanctusque hic ex Juda & Moab originem sumens*, *decoctâ tamquam per ollam carnis cruditate*, *in speciem cibi significatur æterni*, *cùm caro ejus verè cibus vitæ sit.* Quî autem Sanctus Dei Dominus noster ex Juda & Moab sumit originem, si ex Maria nihil acceperit? Altiùs etiam in Psal. 68. Christi ortum ducit Hilarius. Nam & num. 23. *naturam corporis primi Adam* ab eo assumtam affirmat: & num. 10. homines vocat ipsius *secundùm carnem consanguineos*.

51. Adeo sensit Hilarius carnem Christi ex Adam ac posteris peccatoribus propagatam, ut eam & *carnem peccati*, & *peccatum* vocitare non dubitet. *Carnem enim peccati*, inquit lib. 1. de Trin. n. 13. *recepit*, *ut assumtione carnis nostræ delicta donaret*, *dum ejus fit particeps assumtione*, *non crimine*. Et alii quidem Patres Christum peccatum factum esse sic interpretantur, quòd factus sit hostia pro peccato. At ille Christi corpus *peccati nostri corpus* & *peccatum* non tam inde dici intellexit, quòd immolatum sit pro peccato, quàm quia ex peccatoribus est procreatum. Eam ob causam lib. 9. de Trin. n. 13. in illud Pauli, *Quòd enim mortuus est peccato*, subjicit, *mortem peccato*, *id est*, *corpori nostro adscribens*: & paulo pòst, *Qui peccati nostri corpus assumens*, *totus jam Deo vivit*. Eodem respectu dixit Tertullianus, *Defendimus autem non carnem peccati evacuatam esse in Christo*, *sed peccatum carnis*; *non materiam*, *sed naturam*; *non substantiam*, *sed culpam*. Sic & Gregorius Naz. Or. 51. n. 18. auctor est, quòd à Christo assumta sit *caro damnata*. Nec secum pugnat Hilarius, cùm de eadem Christi carne lib. 10. de Trin. n. 25. dicit, *Neque caro illa caro peccati*, *sed similitudo carnis peccati*: quam enim hîc carnem peccati negat, ut ostendat à dominantibus carnis nostræ vitiis immunem, illic sanè & rectè affirmat, ut carnis ab hominibus acceptæ probet veritatem.

lib. de carne Christi n. 16.

Hilarius carnem Christo esse vult ex matre acceptam, ut filio hominis,

52. Si ad argumenta veniamus, quibus sancti Patres carnis nostræ veritatem in Christo exstitisse approbarunt, eadem ab Hilario non minùs dilucidè illustrata fuisse convincemur. Eo præsertim adversùs hæreticos nititur Irenæus lib. 3. c. 32. quòd Christus verè cognominari filius hominis non potuerit, nisi ab homine verè acceperit substantiam corporis. *Si*, inquit, *non accepit ab homine substantiam carnis,*

carnis, neque homo factus est, neque filius hominis. Idem argumentum adversùs Eutychen urget Ferrandus diaconus epist. ad Anatolium. At verò Hilarius nihil frequentius inculcat, quàm ut Christum & filium Dei & filium hominis esse meminerimus. Unum è sexcentis locum seligimus de libro decimo petitum, qui unus idoneus erat omnes suspicionum nebulas eo ex libro conceptas dimovere. Sic porro habet num. 15. *Quomodo filius Dei hominis filius erit natus, vel manens in Dei forma formam servi acceperit, si non potente Verbo Deo ex se & carnem intra virginem assumere, & carni animam tribuere, homo Christus Jesus ad redemtionem animæ nostræ & corporis nostri perfectus est natus; & corpus quidem ita assumserit, ut id* EX VIRGINE CONCEPTUM *formam eum servi esse effecerit*, &c. Hoc quippe loco contendit, Christum falsò filium hominis nuncupandum iri, primò nisi *homo perfectus* sit, ex anima scilicet & corpore nostro; deinde nisi hoc non ex quavis assumtione, sed ex nativitate obtineat ut perfectus homo *natus sit*; ac demum quasi hoc dixisse non sufficeret, vult corpus ita ab eo assumtum esse, *ut id ex Virgine conceptum sit.*

§. I. DE CONCEPTIONE CHRISTI.

53. Præterea cùm Christum asserens perfectum hominem natum esse, adjicit *ad redemtionem animæ nostræ & corporis nostri*; alteram attingit rationem, qua vulgò utuntur Patres adversùs hæreticos, qui Christo negarunt humanæ naturæ integritatem. *Nam*, ut ait Gregorius Naz. Or. 51. n. 13. *quod assumtum non est, curationis est expers: quod autem Deo unitum est, hoc quoque salutem consequitur. Si dimidia tantùm ex parte Adamus lapsus sit, dimidiatum quoque sit quod assumtum est & salutem consequitur.* Sic Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum c. 13. *Quòd si totus* (homo) *tenebatur captivitatis vinculo, totus eguit Liberatoris auxilio. Si autem totum debuit liberare pietas, totum debuit suscipere majestas.* Neque, puto, sine causa rursum Hilarius in Matth. cap. 10. n. 18. Christum non simpliciter hominis redemtorem nuncupat, sed *corporis & animæ redemtorem.*

ut animæ & corporis nostri redemtori,

54. Haud absimili ratione adversùs Apellem, qui corpus Domini ex siderea materia, non ex materna substantia constare contendebat, Tertullianus de resurrect. carnis n. 2. concludit, vanam esse spem resurrectionis, si Dominus matris substantiam non accepit. *Sequitur* enim, inquit, *ut salutem ejus substantiæ excludant, cujus Christum consortem negant.* Quò spectat illud Irenæi lib. 5. c. 1. *Vani igitur, qui à Valentino sunt hoc dogmatizantes (Christum nihil ex Maria accepisse,) uti excludant salutem carnis.* At verò Hilarius, ob illud Christi nobiscum consortium, nobis resurrectionem non tantùm sperandam, sed jam aliqua ratione indultam esse confirmat; ut carnem nostram jam in eo excitatam contemplemur, *in quo*, inquit in Psal. 124. n. 4. *nosmetipsos per assumtionem carnis nostræ corporisque speculamur. In eo enim sumus resurrectionem nostram resurrectione nostri in eo corporis speculantes.*

ut auctori nostræ resurrectionis,

55. Redire placet ad epistolam 25. Leonis jam superiùs laudatam? Illic porro Eutyches Christum mediatorem negare sic arguitur, quasi hoc ei auferat nomen, quisquis ipsi matris substantiam denegat. Ita & Fulgentius lib. 1. ad Trasim. c. 15. docet Christum Dei hominumque Mediatorem in cassum cognominari, nisi in se ut totum verumque Deum de Deo natum, ita totum verumque de homine natum hominem contineat. Eamdem quoque Christi nuncupationem cùm sæpius explicet Hilarius, numquam aliter explicat, quàm quòd & ex nobis carnem, & ex Deo habens divinitatem, Deum hominemque in se uno conjungat. Unde in Psal. 67. n. 37. intuens in illud Christi mediatoris officium, nos in unitatem Paternæ majestatis assumendos prædicat, *dum* nimirum *& in eo per naturam Pater est, & ille rursum per societatem carnis in nobis est.*

ut inter Deum & homines Mediatori.

Vide lib. 11. de Trin. n. 40.

56. Multa alia argumenta suppeditat liber de Trinitate decimus, in quo cùm Hilarius à num 16. ac deinceps datâ operâ refellat hæreticos, qui aut humanam Christi naturam ante quàm assumeretur præexstitisse, aut corpus ejus de cælis advectum esse asserebant, ad verba symboli, *Qui conceptus est de Spiritu-Sancto & natus ex Maria virgine*, fidem suam constanter exigit. Juxta quæ totam disputationem

Verba sua de Christi conceptione ad Symboli apostolici normam exigit.

§. I. DE CONCEPTIONE CHRISTI.

concludit in hunc modum: *Genuit etenim* (Virgo) EX SE *corpus; ſed quod conceptum eſſet ex* SPIRITU*; habens, quidem in ſe ſui corporis veritatem, ſed non habens naturæ infirmitatem.* Quæ cùm ita ſint, nemo non mirabitur, quî nonnullis viſus ſit ſentire, *Chriſtum non accepiſſe carnem à beata Virgine.* Unde hoc illis in mentem venerit, nunc expendendum.

II. *Spiritus ſancti vocabulo quid dixerit Hilarius à cenſoribus ſuis non intellectus eſt.*

Unde Johannes Hilarii ſententiam non ſit aſſecutus.

57. Hinc profectò Johanni errandi nata eſt occaſio, quòd cùm lib. 10. de Trin. aliiſque locis corpus Chriſti à Spiritu ſancto non modò formatum, ſed etiam aſſumtum legeret; Spiritus ſancti nomine, more noſtro, tertiam ſanctiſſimæ Trinitatis perſonam ſignificari exiſtimarit, cùm intelligeret Hilarius ſecundam. Certè his lib. 2. n. 27. verbis, *Spiritus ſanctus de ſuper veniens .. naturæ ſe humanæ carnis immiſcuit*, non ſentit, ut Johannes animo ſibi finxit, Spiritum-ſanctum carnis à Verbo aſſumtæ fuiſſe cauſam materialem, ſed Verbum ipſum ſibi naturam humanam intimè conjunxiſſe. Hæc enim Angeli ad B. Virginem verba, *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*, perinde ei ſunt ac, Verbum & Sapientia Patris deſcendet in te, & ex te corpus ſibi coaptabit.

Spiritum-ſanctum in Virginem ſupervenientem antiqui intellexere Filium.

58. Neque inaudita aut ei ſingularis videri debet hæc interpretatio. Eadem quippe Angeli verba non alio modo interpretatur Tertullianus contra Praxeam n. 26. Nec aliò ſpectat illud ejuſdem lib. de carne Chriſti n. 18. *Sic denique homo cum Deo, dum caro hominis cum Spiritu Dei.* Ea ipſa loquendi ratione Lactantius lib. 4. c. 12. Verbi in uterum Virginis deſcenſum enuntiat, cùm ait, *Deſcendens itaque de cælo ſanctus ille Spiritus, ſanctam Virginem, cujus utero ſe inſinuaret, elegit.* His adjungere licet Paſtorem lib. 3. ſimilit. 5. ubi hæc de corpore Chriſti habet; *Hoc ergo corpus, in quod inductus eſt Spiritus ſanctus*: maximè cùm ibidem paulo antè præmiſerit, *Filius autem Spiritus ſanctus eſt.* Neque aliter intelligendum videbitur illud Irenæi lib. 5. c. 1. *Spiritus ſanctus advenit in Mariam*, ubi expenſum fuerit quod proximè ſubjicit, *Verbum Patris & Spiritus Dei adunitus antiquæ ſubſtantiæ plaſmationis Adæ viventem & perfectum effecit hominem.* Apertior eſt Juſtini ſententia Apolog. 2. ubi primùm Filium vim ac virtutem Dei eſſe declarat his verbis, *Prima autem vis ac virtus ſecundùm Deum omnium parentem ac Dominum Filius etiam Verbum eſt, quod quodam modo caro factum homo factus eſt*: quibus poſt pauca ſubnectit, *Dei vis ad Virginem adveniens ei obumbravit, fecitque ut Virgo gravida eſſet*: demum utramque propoſitionem conjungens concludit, *Spiritum ergo vimque Dei nefas eſt aliud intelligi* (Lucæ 1. 35.) *niſi Verbum, quod etiam primigenium eſt, ſicuti Moyſes propheta quem diximus indicavit: atque hic ſuo ad Virginem adventu & adumbratione, non concubitu, ſed vi eam gravidam effecit.*

Cypriani ſententia expenditur.

59. Quid de Cypriano ſentiemus? Modò quidem lib. de Idol. vanit. legere eſt, *Hic in Virginem illabitur, carnem Spiritu-ſancto cooperante induitur*: ſed horum loco antiquus optimæ notæ codex Germanenſis præ ſe fert, *Hic in Virgine labitur, carne Spiritus ſanctus induitur*, eamque lectionem ſe in quator mſſ. nactum eſſe Pamelius teſtatur. Quæ ſanè corruptionis eo minùs ſuſpecta eſt, quo magis ab uſitato noſtro loquendi more aliena. Cypriani verbis ita emendatis ſuffragatur antiquus auctor, quem ab Auguſtino epiſt. 148. n. 10. Gregorii ſancti epiſcopi Orientalis nomine laudari valde probabile eſt. Hic porro apud Ambroſium in append. Tom. 2. novæ edit. p. 354. habet: *Cùm illapſus eſt in Mariam, cùm Virginis uterum opplevit, aliud utique ex illa, quàm quod venerat, natum eſt.* Planiùs autem pag. 356. c. *Spiritus Dei veniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit te. Propterea quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Vides ergo ipſum Spiritum, id eſt filium Dei, veniſſe ad Virginem, & inde Dei & hominis filium proceſſiſſe.*

Athanaſius ab antiquis non videtur alienus.

60. Si Athanaſium in eadem verba evangelica eodem ſenſu accepta reſpexiſſe intelligas, haud difficulter aſſequaris cur lib. de Incarn. p. 72. dicat, *Ideoque cùm*

primùm ad nos accederet, EX VIRGINE SIBI IPSI CORPUS FORMAVIT: *ut nobis non tenue argumentum suæ divinitatis exhiberet, eum, qui hoc sibi corpus formaverat, aliorum quoque conditorem & formatorem esse.* Nam cùm Patres à nobis prænominati verbis Angeli ad Virginem declarari existiment primum filii Dei ad nos adventum, ut in Virgine & ex Virgine corpus sibi formaret; hinc rectè colligitur, eum corporum nostrorum conditorem ac proinde Deum esse, quem Evangelia nobis significant proprii corporis sui formatorem. Sin aliò respexit; unde quæso ei constitit, filium Dei, cùm ad nos primùm accessit, corpus sibi formasse; ut exinde eum cetera corpora pariter condidisse ac Deum esse conficeret? Certè Athanasius Verbum aliquando in Scripturis Spiritus sancti vocabulo significari non dubitavit: cùm epist. 4. ad Serap. Tom. 1. p. 970. blasphemiam in Spiritum sanctum eam esse interpretetur, quæ Christi neget divinitatem. §. I. DE CONCEPTIONE CHRISTI.

61. His accedit Rufinus in expositione Symboli: qui licèt priora hæc verba, *Spiritus-sanctus superveniet in te*, de tertia sanctæ Trinitatis persona dicta esse nostro more intelligat, subsequentibus tamen Filium indicari arbitratur. *Quæ est autem*, inquit, *Virtus Altissimi, nisi ipse Christus, qui est Dei virtus & Dei sapientia?* Maximinus quoque teste Augustino, quamvis dissentiente, priora illa verba ad Spiritum-sanctum, ad Verbum autem postrema referebat. *Asserere*, ait Augustinus lib. 2. contra eumdem Maximinum c. 17. n. 2. *conabaris, Spiritum-sanctum præcessisse, ut mundaret & sanctificaret virginem Mariam, ac deinde veniret Virtus Altissimi, hoc est Sapientia Dei, quod est Christus; & ipsa, sicut scriptum est, ædificaret sibi domum, hoc est, ipsa sibi crearet carnem, non Spiritus-sanctus.* Nonnulli tantùm virtutem Virgini obumbrantem interpretati sunt Filiū.

62. Si quæras unde Hilarius cum antiquis Patribus in eum intelligendi modum conspirarit; non deerit responsio. Ac primò quidem nemo in veterum lectione versatus inficias ierit, *Spiritûs* aut *Spiritus sancti* vocabulum apud eos non singulare esse unius personæ nomen, sed commune totius naturæ divinæ, quod Patri, Filio ac Spiritui-sancto indifferenter ab illis attribuatur? Hujus rei passim occurrunt exempla in epistola Barnabæ c. 9. apud Pastorem lib. 3. Simil. 5. apud Irenæum lib. 5. c. 1. Hanc vocem Theophilus Antioch. ad Autolic. veluti Filii propriam recenset in hunc modum: *Verbum operum suorum administrum* (Pater) *adhibuit, ac per ipsum universa molitus est. Hoc appellatur principium, quoniam principatum ac dominationem habet in omnia quæ per ipsum fabricata sunt. Hoc igitur cùm sit* SPIRITUS DEI, *& principium, & sapientia, &* VIRTUS ALTISSIMI, *labebatur in prophetas.* Vox eadem naturam divinam sonat in his Athenagoræ pag. 10. *Cùm Pater & Filius unum sint, ita ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio unitate & potentiâ* SPIRITÛS: vel cùm Tertullianus contra Praxeam n. 27. ait, *Dicentes Filium carnem esse, id est hominem, id est Jesum; Patrem autem* SPIRITUM, *id est Deum.* Eodem intellectu loquitur Clemens epist. 2. c. 9. *Jesus Christus Dominus noster, qui nos servavit, cùm primùm esset* SPIRITUS, *caro factus est.* Quò spectat illud Augustini epist. 140. ad Honoratum n. 11. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: reddite vicem, & efficimini spiritus, & habitate in illo.* Antiquis Spiritus nomen naturam divinam sonat, singulisque personis commune est.

63. Longè magis ad rem nostram facit hæc Athanasii regula: *In evangelico sermone, ut sæpe memini, cùm diceret* (Christus) *se filium hominis esse, eo ipso humanitatem suam præ se fert; quemadmodum ubi de* SPIRITU *mentionem facit, suum ille Spiritum sanctum esse declarat in quo omnia faciebat. Spiritus enim est*, inquit lib. de Incarn. Christi, *Verbum Deus.* Sic qui apud eumdem auctor est lib. de communi essentia Patris & Filii & Spiritus-sancti: *Deitatem ergo Verbi ipse Christus* SPIRITUM SANCTUM *appellat, & vicissim humanitatem suam filium hominis appellavit.* Hinc Gregorius Nazianz. Or. 42. n. 19. Christum exsistere docet *unum ex duobus contrariis, carne nimirum &* SPIRITU, *quorum alterum deitatem dedit, alterum accepit.* Habes & in Commentario olim Ambrosio adscripto in Rom. 1. 3. *Eum, qui erat Dei filius secundùm* SPIRITUM SANCTUM, *id est secundùm Deum, quia Deus spiritus est, & sine dubio sanctus est, factum dicit juxta carnem Dei filium ex semine* *epist. ad Serap. p. 980.* *Tom. 1. p. 237.*

§. I. DE CONCEPTIONE CHRISTI.

in append. Tom. 2. p. 55.

David. & in Tractatu de fide orthodoxa apud eumdem Ambrosium, *Cùm hominem induere dignatus est Christus, non labem æternitati intulit, ut* SPIRITUM *in carnem mutaret.* Ad Hilarium nostrum ut redeamus, mittimus quòd cùm nos in Christo Deum & hominem, ille Spiritum & hominem distinguere soleat: *ut manens*, inquit lib. 9. de Trin. n. 14. *Spiritus Christus, idem Christus homo esset.* Sed tacendum non est, quòd ipse datâ operâ lib. 8. n. 25. exemplis è Scriptura adductis demonstrat, *Spiritus* vocem Patri, Filio & Spiritui-sancto esse communem. Unde apparet, cur illa tam ipsi quàm ceteris Patribus ad divinitatem significandam familiaris fuerit.

Unde Spiritum sanctum supervenientem in Virginem Verbum intellexerint.

64. Quod cùm ita esset, cui ex tribus personis aptiùs congrueret illud Angeli, *Spiritus sanctus superveniet in te*, ex adjunctis dijudicandum fuit. Subjunxit verò Angelus, *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*: unde facilè oborta est cogitatio, totum illius de Dei filio esse sermonem. Nam & Filium Dei virtutem Apostolus 1. Cor. 1. 24. cognominat, & ei Altissimi virtutem esse proprium videtur, per quem Pater, qui Altissimus est, universa condidit.

Leo epist. 24. c. 2.

in Psal. 138. n. 15.

65. Intellectum hunc non mediocriter confirmabat prophetia Salomonis Prov. 9. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum*: quam cùm de Verbi corporatione vulgò interpretentur Patres, unum illud proferre satis erit è celebri Leonis ad Flavianum epistola, *Ædificante sibi Sapientia domum Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, hoc est, in ea carne quam assumsit in homine.* Hilarius verò prophetiæ hujus auctoritate convictus adeo fuit, Filium ipsum sibi corpus formasse atque coaptasse, ut propter eam ambigere se dicat, an Christus secundùm formam servi formatus à Patre dici possit. *Et nescio, an quòd formatus in forma servi est, referri possit ad Patrem, ut formatus ab ipso sit: Sapientia enim ipsa ædificavit sibi domum, ut habitaret in nobis.* Non sic tamen intelligenda est hæc illius dubitatio, quasi Christi corpus Patris ac Spiritus-sancti opus esse non sentiat; sed quòd illud à Filio propria quadam ratione, quæ in Patrem aut Spiritum-sanctum non conveniat, conditum ac formatum esse opinetur: eum omnino ad modum, quo Sapientiæ cognomen uni Filio attribuimus, licèt unam esse credamus Patris, Filii & Spiritus-sancti sapientiam. Aliàs enim omne Filii opus opus Patris esse tanto fidei studio propugnat, ut eum inseparabilia Trinitatis opera credidisse nullum dubium sit.

Spiritûs & Verbi vocabula Hilario synonyma esse.

66. At quovis loco permotus sit Hilarius, ut Spiritum in Virginem supervenientem Filium intelligeret; constat certè, ei conceptionem Christi ex Virgine tractanti synonymas fuisse *Spiritus* ac *Verbi* voces. Quod si quis per se experiri volet, conferat vicinos unius ejusdemque libri 10. locos: & ubi num. 15. legerit, Christo *omnis causa nascendi invecta* PER SPIRITUM; quid hoc sibi velit declarabit illud num. 16. *Caro non aliunde originem sumserat quàm* EX VERBO. Rursum si moveatur quòd ibid. habet, *Virgo enim non nisi ex suo sancto Spiritu genuit quod genuit*, & quòd num. 17. asserat filii hominis *originem ex supervenientis in Virginem sancti Spiritûs aditu*; scrupulum levabit num. 18. ubi de Christo affirmat, *Ipse enim corporis sui origo est*, utpote, inquit, *in formam corporis nostri virtutis suæ potestate subsistens*; vel cùm post pauca prædicat, nostris eum carere vitiis *per virtutem profectæ* EX SE *originis.*

Philippi ad Johannis objecta responsum.

67. Neque hîc silendum est Philippi ad Johannem responsum. Cùm enim in illis Hilarii lib. 2. de Trin. *Spiritus sanctus ... naturæ se humanæ carnis immiscuit*, hic blasphemiam cogitaret; prudenter epist. 5. respondit Abbas longè sapientior: *Cùm ergo dicitur vel Virgo de Spiritu concepisse, vel Christus carnis originem accepisse, non intelligitur quòd divina substantia in carnem transierit, vel conceptionis hujus causa materialis exstiterit; sed adventus ejus in Virginem & mira operatio designatur, per quam Virgo generat, & Christus generatur.* Rectè quidem ille; si tamen in his, *adventus ejus in Virginem*, Verbi, & non Spiritus-sancti adventum intellexit.

Frustra heterodoxus jactitat Filium & Spiritum sanctum ab antiquis confundi.

68. In enucleanda *Spiritus sancti* voce fortè jam longiùs oratio processit. Sed cùm heterodoxus nostra ætate celebratissimus, primos Ecclesiæ Patres in multis errasse,

erraſſe, ac nominatim Filium & Spiritum-ſanctum ſolere confundere aſſeruerit; noſtris obſervationibus nonnihil neceſſariò adjiciendum eſt, ne quis iis confirmari putet tam imprudentem illius aſſertionem. Aliud certè eſt, primos Patres ad enuntiandam ſecundam ac tertiam Trinitatis perſonam eo vocabulo indifferenter uti, quod temporis proceſſu tertiæ proprium factum eſt: aliud, eos perſonales utriuſque proprietates confundere. Decurſis quidem aliquot ſæculis tertiæ perſonæ proprium habitum eſt *Spiritus ſancti* vocabulum, quod primis audierat toti Trinitati commune: at nuſquam apud Patres reperire eſt confuſas & non diſtinctas Filii & Spiritus-ſancti perſonas; ut verbi gratiâ illud Evangelii, *in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti* interpretantes, Filium & Spiritum-ſanctum confuderint, nec ſubſiſtendi ratione diſtinxerint. Quòd autem hæc *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*, & alia hujuſmodi, quæ nunc ad Spiritum-ſanctum referuntur, retulerint ad Filium; citra errorem & abſque ullo fidei periculo factum eſt. Iis enim verbis aut perſona quæ corpus à Verbo aſſumtum condidit, aut quæ illud aſſumſit, ſignificatur: ſi quæ condidit, integra erit fides ad quamlibet referantur; ſin autem quæ aſſumſit, ad Hilarii aliorumque Patrum interpretationem erit redeundum. Itaque abſque ulla divinarum perſonarum confuſione dixit Hilarius, DEI SPIRITUM, *Dei virtutem, Dei ſapientiam, Dei filium & unigenitum Deum, ad remiſſionem peccati condemnationemque peccati legis, hominem natum eſſe*: cùm variis illis cognominibus unicum Dei filium intellexerit. Submoto igitur hoc ſcrupulo, qui Johanni ſcandalo maximo fuerat, quid alios etiam moverit, ut Hilarium ſenſiſſe dicerent, Chriſtum ex Maria nihil accepiſſe, paucis expediamus.

§. I. DE CONCEPTIONE CHRISTI.

in Pſal. 61. n. 2.

III. *Aliquot loci, in quibus Hilarius Chriſti carnem ex matre ſumtam negare viſus eſt, explanantur.*

69. Cùm nulla eſſet de Chriſti ex carne Virginis generatione controverſia; non multùm laboravit Hilarius, ut eam comprobaret. Immo cùm hanc ultro concederent adverſarii, atque ex ejus humilitate Chriſti divinitatem extenuare & infirmare contenderent; hoc ei maximè enitendum erat, ut in Chriſto, præter humanam naturam, etiam divinam eſſe demonſtraret; argumentumque dilueret, quod ex humili illius de Maria generatione conficiebatur. Quod ut præſtet, oſtendit Mariam virginem nequaquam virtute naturali, ſed præter legem communem, Chriſtum peperiſſe; ſanctum verò Spiritum, hoc eſt ipſummet Dei filium, in eam ſupervenientem, divina virtute ſua corpus ſuum ex virginis carne efformaſſe atque aſſumſiſſe.

Hilario refellendum erat argumentum ex humilitate carnis aſſumtæ petitum.

70. Qui hæc obſervaverit, illud libri 10. n. 16. quod Johannem tantopere commovit, *Non enim* (Eraſmus obnitentibus mſſ. addidit *ex ſe*) *corpori Maria originem dedit*, nullo negotio percipiet ita dictum, quòd videlicet Maria corpori Chriſti originem atque principium naturali ſua virtute non dederit: *ut quia*, inquit Leo laudatâ ad Flavianum epiſtolâ c. 2. *conceptus Virginis divini fuerit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti.* Nec cum Johanne Hilarium ſecum pugnantem cenſebit, ſed in conceptione Chriſti quid Dei, quid matris ſit accuratè diſtinguentem ſuſpiciet, cùm poſt allata verba, *Non enim Maria corpori originem dedit*, continuò legerit, *licèt ad incrementa partumque corporis omne quod ſexus ſui eſt præſtiterit.* Aut ſi hæc pugnant; pugnet & illud Leonis mox memorato loco, ubi ipſam Hilarii ſententiam aliis dumtaxat verbis videtur exprimere, *Fecunditatem enim Virgini Spiritus-ſanctus dedit, veritas autem corporis ſumta de corpore eſt*; pugnet & quod Gregorius Naz. Or. 36. n. 93. ſcribit, Mariam eſſe Chriſti matrem *juxta legem & non juxta legem generationis*, νόμῳ καὶ οὐ νόμῳ γεννήσεως; vel quod epiſt. 1. ad Cledonium defendit, Chriſtum ſcilicet in Maria *divino modo, quia abſque viri opera, & humano, quia procreationis lege, formatum eſſe*; ſecum denique pugnet hæc de mirabili ejuſdem Virginis conceptione Tertulliani ſententia, *Peperit, & non peperit: peperit enim, quæ ex ſua*

Recta fide dixit, Mariam Chriſti corpori originem non dediſſe.

lib. de carne Chriſti n. 23.

§. I. DE CONCEPTIONE CHRISTI.

carne, *& non peperit, quæ non ex viri semine*, sed ex Verbi virtute. Certè cùm in Virgine numquam conceptum fuisset Christi corpus, nisi superveniens in eam Spiritus fecunditatem ei præstitisset; non ipsa Virgo, sed Spiritus dicendus est corpori Christi originem præbuisse. Rectè igitur dixit Hilarius num. 16. *Non enim corpori Maria originem præbuit:* nec minùs verè num. 18. subjecit, *Ipse enim corporis sui origo est.*

71. Ut probet Scultetus, videri Hilarium Christi ex Maria carnem negasse, hunc unum ex lib. 10. allegat locum, *Hominis habitus est, origo non hominis:* quem in toto libro frustra quæsivimus. Verba tamen modò explicata num. 16. *Non enim Maria corpori originem dedit*, eum indicare voluisse suspicamur: quibus connexuerit hæc num. 25. *Non fuit habitus ille tamquam hominis, sed ut hominis.. dum & habitus carnis in nativitatis est veritate.* Ut igitur nihil novi affert, ita nihil novi hinc à nobis desideratur. Tantùm notanda hominis in verbis Patrum referendis fides, & quædam ad labefactandam eorum fidei famam propensio. Nam in solo numero 25. unde adsuit verba, *Hominis habitus est*, Hilarius Christum ob veram ex homine nativitatem verum hominem esse ter diversis modis repetit: & hoc ipsum in numero subsequenti non semel inculcat. At verò nativitatem eam veram non esse, quæ propriam ejus ex quo ortum habet substantiam non acceperit, quanto studio ubique defendit?

Christi cōceptio spiritalis est, quia virtute Spiritûs.

72. Ab illo autem divino Spiritu, cujus virtute Virgo concepit, Hilarius lib. 10. n. 35. conceptionem Christi spiritalem cognominat: *dum & corpus illud corporis veritas est, quod generatur ex Virgine; & extra corporis nostri infirmitatem est, quod spiritalis conceptionis sumsit exordium.* Eamdem ob causam caro Christi à Tertulliano * *spiritalis* nuncupatur: & ipsissimet *conceptionis spiritalis* vocabulis Leo Papa Serm. 5. de Nat. Dom. c. 5. utitur.

* *l. de carne Christi n. 19.*

Cæleste est corpus, quia à Virtute cælesti formatū & assumtum.

73. Idem Christi corpus *cæleste* vocant alii *propter cælestem unionem, commixtis videlicet ut naturis, ita etiam nominibus, atque ob artissimam conjunctionem inter se vicissim commeantibus*, ut loquitur Gregorius Naz. Or. 51. n. 12. concinente Augustino *, cujus verba sic describit S. Leo epist. ad Flavian. c. 5. *Propter hanc unitatem personæ in utraque natura intelligendam, & filius hominis legitur descendisse de cælo, cùm filius Dei carnem de ea virgine de qua est natus assumserit.* At Hilarius denominationis hujus rationem ex eo maximè explicat, quòd sacrum illud corpus Verbi opus sit de cælo descendentis. *Caro illa*, inquit lib. 10. n. 23. *id est, panis ille de cælis est.* & num. 18. *ut per hoc, quòd descendens de cælis panis est, non ex humana conceptione,* (sed de Spiritu è cælis superveniente,) *origo esse corporis existimaretur; dum cæleste esse corpus ostenditur.* Quamquam cùm inter conditionem corporis, & ejus assumtionem nullum intervallum constituat, sed unum & idem esse innuat momentum quo *Spiritus sanctus de super veniens Virginis interiora sanctificavit*, & quo *naturæ se humanæ carnis admiscuit, & id, quod alienum à se erat, vi sua ac potestate præsumsit;* ipsius interpretatio non multùm abest ab explicatione ceterorum: insuper & confirmat, quod communi fide receptum, Leo in eadem epistola Augustinum ex eodem loco rursum imitatus sic enuntiat: *Natura nostra non sic assumta est, ut priùs creata, pòst assumeretur, sed ut ipsa assumtione crearetur.*

* *lib. contra Serm. Arianorum c. 8.*

lib. 2. de Trin. n. 26.

Caruit elementorum nostrorum pudore, quia de virgine sine viro.

74. Erasmum præterea movit illud lib. 3. n. 19. *Et certè non suscepit* (Maria) *quod edidit, sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit.* Nullus enim in toto libro tertio alius locus est, qui suspicioni ipsius faveat. At verò si obscura sunt postrema verba, lucem præferunt prima. Si enim Maria aliunde *non suscepit quod edidit*, necesse est ut propriam ipsa substantiam subministraverit. Quid est igitur elementorum nostrorum pudor, sine quo carnem Christi provexit? Hoc ipsum, quod Gregorius Naz. Or. 35. n. 26. in communi hominum generatione dictu pudendum significat, cùm ait, *Haud magna esset hæc generatio* (Verbi,) *si à te percipi posset; quippe qui nec tuam quidem noris, aut certè exigua quadam ex parte perceperis, quantumque te dicere pudeat.* Nec aliud sibi vult apud Hilarium, carnem Christi *sine elementorum nostrorum pudore* provectam esse, quàm quod apud Leonem Serm.

5. de Nat. Dom. c. 4. *conceptui spiritali nulla fuisse terreni seminis mixta contagia.* Mentem ipse suam absque ullâ ambiguitate aperit lib. 12. de Trin. n. 50. ubi quæstione instituta cur Christum factum ex muliere Apostolus dixerit, acutè respondet, eum *non extra rationem* FACTUM DE MULIERE *locutum esse, quem* NATUM *sciebat, frequenterque dixisset: ut & nativitas veritatem generationis ostenderet, & factura* UNIUS EX UNO NATIVITATEM *protestaretur; quia humanæ permixtionis conceptum facturæ nomen excluderet, cùm factus esse* EX VIRGINE *disceretur, qui* NATUS *magis esse non ambigebatur.* Qua, quæso, ratione planiùs potuit Christi ex virgine singularis conceptionis modus ita explicari, ut & ipsius ex vera matre vera nativitas assereretur? Cui non perspicuum est, Hilarium, dum libro 3. elementorum nostrorum pudorem à conceptione Christi removet, non maternæ carnis substantiam, sed tantùm *humanæ permixtionis conceptum* negare, & adstruere *unius ex uno nativitatem?*

§. I. DE CONCEPTIONE CHRISTI.

75. Igitur id ei omnino sunt *elementa nostra*, quod initia nostra: neque his verbis tam rei conceptæ substantiam, quàm modum quo concipitur explicat. Quod illustrat numerus 35. lib. 6. de Trin. ubi ineffabilem æternæ generationis modum non ad nostram nascendi rationem cogitandum esse sic admonemur: *Non enim per consuetudinem humani partus Deus ex Deo nascitur, neque* PER ELEMENTA *originis nostræ ut homo ex homine propellitur.* Hinc & id diluitur, quod Johannes, ut ex epistola Hunaldi apud laudatum Philippum pag. 97. apparet, ex lib. 10. de Trin. n. 35. objiciebat: *Quia quamvis forma nostri corporis esset in Domino, non tamen in vitiosæ infirmitatis nostræ esset corpore, qui non esset in origine, quod ex conceptu Spiritus sancti Virgo progenuit: quod licèt* SEXUS SUI OFFICIO GENUERIT, *tamen non terrenæ conceptionis genuit elementis.* GENUIT *etenim* EX SE *corpus, sed quod conceptum esset ex Spiritu; habens quidem in se sui corporis veritatem, sed non habens naturæ infirmitatem: dum & corpus illud corporis veritas est, quod generatur* EX VIRGINE; *& extra corporis nostri infirmitatem est, quod spiritalis conceptionis sumsit exordium.* Nemo fortè non mirabitur imprudentiam, ne iniquitatem dicam, censorum Hilarii; qui ne unum quidem locum reprehendere valuerunt, in quo non disertis verbis assereret aliud, quàm quod eum opinari voluerunt. Quid enim magis iniquum, ut altiùs dicta non repetamus, quàm carpere quod postremo loco dicitur, *Non terrenæ conceptionis genuit elementis*; nec curare, aut non attendere quæ proximè præcedunt, *quod sexus sui officio genuerit*, aut quæ statim subjunguntur, *Genuit etenim ex se corpus?* At eamdem iniquitatem longè antea passus est Cyrillus. Quippe epist. ad Johannem pag. 106. tom. 5. queritur, se ab adversariis insimulatum, quasi *sanctum Christi corpus non ex sancta Virgine sumtum* diceret: *cùm*, inquit, *intelligere oportuisset, universum fere certamen pro fide à nobis esse susceptum, quòd sanctam Virginem Dei genitricem esse constanter affirmamus. At si sanctum corpus nostri omnium Salvatoris Christi non ex Virgine natum, sed è cælo allatum asserimus; quomodo illam Dei genitricem esse intelligemus?*

Elementis non tam substantia significatur, quàm concipiendi modus.

§. II.

De naturali hominum unitate cum Christo, eoque mediante cum Patre: ubi & vera Hilarii de Eucharistiæ sacramento fides à falsis Sculteti interpretationibus vindicatur.

76. INTER sententias Hilarii sibi suspectas Erasmus in præfatione sua recenset, quòd *cùm aliàs, tum in libro de Trinitate octavo, magna contentione defendit, nos quoque cum Patre & Filio unum esse naturâ, non adoptione, neque consensu.* Qua in censura dupliciter potissimùm peccat, primò quòd non attendens quid Hilarius *naturâ unum* definiat, de his vocabulis ex nostro usu dijudicet: deinde quòd qua ratione cum Patre, qua cum Filio nos naturâ unum senserit, non distinguat. Sed cùm Hilarius nos cum Filio naturâ unum eo maximè probet, quòd ipsammet car-

Erasmi censura super instituta quæstione expenditur.

nis nostræ naturam assumserit; quî hæc illius sententia Erasmo perspecta esse potuit, cui visus est carnis nostræ substantiam Christo denegare? Hinc nemo non videt, quàm cum superiore connexa sit hæc disputatio. Quàm autem sit necessaria, hinc probatur, quòd qui ignoraverit Hilarii ea de re sententiam, toto libro 8. de Trinit. aliisque passim locis plurimùm laboret necesse est. Hunc autem laborem nonnullis levare non illibenter suscipimus.

Quid Hilarius unũ naturâ vocet.

77. Primùm igitur observare juverit, Hilarium non una ratione nos cum Patre & Filio, sed proximè cum Filio, eoque tantùm mediante cum Patre naturâ unum dicere. quod ex sequentibus perspicuum fiet. Deinde cùm ex hominum arbitrio pendeant nominum definitiones, quî *unum natura* definiat attendendum est. Hæc autem vocabula latiùs apud eum quàm apud nos patere hinc manifestum est, quòd lib. 8. num. 9. generatim dicat: *Qui per rem eamdem unum sunt, naturâ unum sunt, non tantùm voluntate.* Ex quo concludit num. 7. fideles, qui per fidem quæ una est unum sunt, non solo consensu unum esse. *Si ergo*, inquit, *per fidem, id est, per fidei unius naturam unum omnes erant; quomodo non naturalem in his intelligis unitatem, qui per naturam unius fidei unum sunt?* Rursum naturalem eorumdem unitatem num. 8. confirmat, quòd his unum Christum indutis baptisma sit unum. *Quod unum sunt in tanta gentium, conditionum, sexuum diversitate, numquid ex assensu voluntatis est, aut ex sacramenti unitate; quia his & baptisma sit unum, & unum Christum induti omnes sunt?* Sic num. 9. & rigantem & plantantem ex eo unum esse concludit, *quia ipsi in uno baptismo renati, una unius regenerantis baptismi dispensatio sint*; & paulò pòst, *quia & ipsa res eadem effecti sunt, ut ejusdem rei & efficientiæ sint ministri:* quasi diceret, Ideo unum sunt qui rigat & qui plantat, quia ad unum effectum, ad unum scilicet baptisma conferendum, unum instrumentum sunt. Demum num. 12. naturâ eos unum esse innuit, qui honore uno potiuntur, quia *honor naturæ aut species* sit *aut dignitas.* Sed in quo nos cum Christo naturâ unum voluerit, propiùs dispiciamus.

An ad Spiritum, an ad corpus Christi ratione habita, nos cum eo naturâ unum dixerit.

78. Vir non minùs ob acumen ingenii quàm ob pietatem suspiciendus, nexum illum naturalem, quo nos Hilarius cum Christo devinciri vult, intelligendum putat Spiritum Dei, qui Christianarum animarum velut anima sit, vitam eis tribuens ac motum; ut fideles omnes à beato Petro *unanimes* non immeritò sint appellati. Hinc quippe fit, ut quemadmodum singula cujusque hominis membra cum anima ad conficiendum unum corpus, ita singuli fideles cum Spiritu Christi ad componendum unum Christi corpus, quod est Ecclesia, naturali nexu devinciantur. Cui interpretationi favet, quod proximè ex lib. 8. de Trin. relatum est, omnes in quantalibet diversitate naturâ unum esse, *quia unum Christum induti omnes sunt.* Neque alio sensu Gregorius Naz. Or. 26. n. 17. cùm præmisisset, alios in Ecclesia esse qui dominentur & præsint, alios qui pareant ac regantur; subjicit, *Fiunt tamen utrique unum in unum Christum ab eodem Spiritu constricti & compacti:* ἀμφότερα ἓν εἰς ἕνα Χριστὸν ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ συναρμολογούμενα καὶ συντιθέμενα πνεύματος. Quò spectat illud Augustini Serm. 268. n. 2. *Quod est spiritus noster, id est anima nostra, ad membra nostra, hoc Spiritus-sanctus ad membra Christi, ad corpus Christi, quod est Ecclesia.* & Serm. 267. n. 4. *Hoc agit Spiritus-sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis.*

Triplex hominum unitas cum Christi corpore.

79. Minùs tamen ad Spiritum, quàm ad corpus Christi rationem habet Hilarius, cùm naturalem illam hominum cum Christo unitatem considerat. Ac sicut triplex quodam modo Christi corpus est, naturale videlicet, quod sumsit ex Virgine; sacramentale, quod nobis in Eucharistia reliquit; & gloriosum, quod in cælum revexit: ita ex triplici illo capite nos cum Christo naturâ unum esse ostendit, dum & ille naturam nostram assumit in Incarnatione, & nos veram illius carnem recipimus in sacramento Eucharistiæ, ac demum eamdem, quam à Patre accepit, gloriam nobis retribuit in corporum reparatione. De triplici illa unitate singillatim agendum.

I. *Unitas*

§. II. DE CHRISTI HOMINUMQUE UNITATE.

I. *Unitas hominum cum Christo ob naturam illorum ab eo aßumtam.*

Antiquorum opinio de societate hominum cum ceteris ejusdem naturæ consortibus.

80. Philosophi veteres, Tullio teste lib. 1. Quæst. Acad. *hominem esse censebant, quasi partem quamdam civitatis & universi generis humani, eumque eße conjunctum cum hominibus humana quadam societate.* Haud procul ab hac eorum sententia abest Hilarius, cùm in Psal. 54. n. 9. de Christi corporatione ait, *Universitatis nostræ caro est factus:* & in Psal. 51. n. 16. *Ut & filius hominis eßet filius Dei, naturam in se universæ carnis aßumsit, per quam effectus vera vitis, genus in se universæ propaginis tenet:* & num. 17. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, naturam scilicet in se totius humani generis assumens.* Pluribus aliis locis idipsum significat: sed luculentum est illud cap. 4. in Matth. n. 12. ubi civitatem supra montem positam, carnem à Filio Dei assumtam interpretatur in hunc modum: *Civitatem carnem quam assumserat nuncupat: quia ut civitas ex varietate ac multitudine consistit habitantium; ita in eo, per naturam suscepti corporis, quædam universi generis humani congregatio continetur. Atque ita & ille ex nostra in se congregatione fit civitas, & nos per consortium carnis suæ sumus civitatis habitatio.* Haud absimili ratione Gregorius Nyss. initio Tom. 2. in 1. Cor. 15. 8. de Christo loquitur: *Corpus ejus omnis est natura humana, cui est admixtus.* Ita & Cyprianus in Dominic. Orat. de eodem Domino nostro dicit, *Ipse in uno omnes portavit: secum*, inquit Augustinus in Ps. 85. n. 1. *nos faciens unum hominem, caput & corpus.* Quibus planè consentit Athanasius Or. 4. cont. Ar. ubi hæc Christi verba, *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te*, sic interpretatur: *Uti tamquam* OMNES A ME GESTATI, *omnes unum sint corpus, & unus spiritus, & in virum perfectum occurrant.* Quid aliud sibi vult quod ait Cyrillus Alexand. Dial. 1. p. 407. *nos quotquot homines sumus, naturali vinculo in identitatem esse constrictos?* Leonem quoque, Ambrosium ac vulgatum Titum Bostrensem eadem loquendi ratione usos esse ostendemus lib. 2. de Trin. p. 800. not. g.

An universalem generis humani naturam à Christo assumtam senserint.

81. Ob has locutiones videri possent sancti illi Patres existimasse, non singularem, sed universam generis humani naturam à Christo fuisse assumtam. Hoc tamen potiùs senserint, eum naturæ unius ac singularis susceptione universam in ea tenuisse. Non obscura est ea de re Hilarii sententia, cùm lib. 2. de Trin. n. 25. ait, *Nos eguimus ut Deus caro fieret, id est, assumtione* CARNIS UNIUS *interna universæ carnis incoleret.* Neque verò hoc uni Christo privilegium tribuit, ut in eo omnes exsistant. Idipsum & de Adam & de Abraham affirmat: de Adam quidem cap. 8. in Matth. n. 5. *In Adam uno peccata universis gentibus remittuntur:* de Abraham verò cap. 18. n. 6. *In uno enim Abraham omnes sumus, & per nos, qui unum omnes sumus, cælestis gloriæ numerus explendus est.* Ex quo perspicuum est, eos omnes, qui naturæ humanæ consortes sunt, Hilarii aliorumque Patrum sententiâ, naturali unitate esse conjunctos. Et uniuntur quidem in illa massa, ex qua omnes omnino originem habent, & ex qua Christus ipse carnis suæ substantiam sumere non recusavit.

82. Non aliud sibi vult Præsul noster, cùm lib. 8. ad hæreticos, qui nullam nobis cum Christo nisi consensûs unitatem recipiebant, sermonem sic convertit num. 13. *Interrogo utrúmne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit:* ac deinde prosequitur, *Si enim verè Verbum caro factum est... quomodo non naturaliter manere in nobis credendus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumsit?* Juxta hæc Ambrosius lib. 4. de fide c. 10. *Sicut unitatem fateor esse vitæ cælestis in Patre & Filio per divinæ unitatem substantiæ; ita, vel divinæ naturæ vel Dominicæ incarnationis excepto privilegio, societatem nobiscum vitæ spiritalis in Filio esse profiteor per humanæ unitatem naturæ: Qualis enim cælestis, tales & cælestes. Denique sicut in illo sedemus ad dexteram Patris, non quia cum ipso sedeamus, sed quia sedemus in Christi corpore; sicut, inquam, sedemus in Christo per corporis unitatem, ita & in Christo vivimus per corporis unitatem.* Vide ejusdem epistolam 76. ad Irenæum n. 8.

83. Ob naturalem illam humani generis cum carne à Christo assumta unitatem

§. II. DE CHRISTI HOMINUMQUE UNITATE.

Hilarius in Psal. 51. n. 16. & 17. docet, toti humanæ naturæ factum esse jus ad regnum Dei; à quo nemo cadat, nisi aut per infidelitatem aut per sterilitatem à Christo, in quo jam velut insitus est, eradicetur, *non prohibitus umquam inesse, quia per naturæ assumtionem incola sit receptus, sed ob infidelitatis crimen naturæ consortio indignus exsistens.* Sic & in Psal. 143. n. 18. salutem carnis suæ in contemplatione resurrectionis Christi gentes jam intueri scribit. *In eo enim*, inquit in Psal. 124. n. 4. *sumus, resurrectionem nostram resurrectione nostri in eo corporis speculantes.* Ex quibus confirmatur, quod superiori disputatione satis superque demonstratum putamus, quàm non negarit Hilarius Christum ex Mariæ substantia carnem assumsisse: cùm homines Christo naturâ unitos ideo affirmarit, quòd eam ipsam susceperit carnis naturam atque substantiam, qua constamus. Cùm autem naturalis hujus unitatis gloriam nulli homini neget; patet quod diximus, minùs eum ad Spiritum Christi, quo soli fideles ac boni cum Deo uniuntur, quàm ad corpus illius respexisse.

II. *Hominum cum Christo unitas ob carnem illius in Eucharistia perceptam.*

84. Alter ejusdem unitatis explicandæ modus petitur ex communione carnis Christi, quam in Eucharistiæ sacramento percipimus. Neque hoc alterum argumentum à priore separat Hilarius: sed utroque in unum composito, nostram cum Christo naturalem unitatem sic declarat: *Si enim verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis, sub sacramento communicandæ carnis, admiscuit?* (*lib. 8. n. 13*)

Scultetus Hilarium pravè interpretatur.

85. Mirum quantum se torqueat Scultetus in analysi hujus loci, ut propositi argumenti vim elidat. Nam quæ de communicatione carnis Christi in Eucharistiæ sacramento perspicua sunt, dum detorquere conatur ad gloriæ ipsius consortium, ita intricatus est illius sermo, ut vel ex perplexa illa dicendi ratione appareat interpretationis falsitas: sic enim verba allata explicat. [Natura humana in Christo » divinitati juncta est hac ratione summè mystica, ut ipsa Christi caro nobis quoque » communicetur, id est, ut naturâ unum simus cum illa, participes immortalitatis & » gloriæ resurrectionis qua illa fruitur. Hoc sibi volunt verba Hilarii: cùm ait, *Na-* » *turam nostræ carnis ad naturam æternitatis admiscuit;* addit, *sub sacramento nobis com-* » *municatæ carnis.* ubi non de symbolo cœnæ loquitur; aliter enim vocabulo *sacra-* » *menti* utitur Hilarius: sed docet humilitate Filii Dei assumentis carnem nostram » commendari nobis sacramentum, id est, arcanum illud, quòd & naturam suam » nobis communicarit, ut immortales etiam nos efficiamur.]

Refellitur.

86. Plura adversùs tortuosam hanc, infidelem & ineptam interpretationem retorquere in promtu est. Ac primò quidem nullum in exposito loco *de Filii humilitate* verbum reperit. Deinde verbum *communicatæ* loco *communicandæ* substituit contra fidem omnium codicum sive scriptorum, sive excusorum. Sed & qua fronte negat Hilarium de Eucharistia locutum esse, quia ille *sacramenti* voce, non id quod vulgò solet, sed arcanum quid significet? Nonne initio lib. 2. baptismus *sacramentum salutis humanæ* appellatur? An in hoc ipso lib. 8. *sacramenti* vox aliud sonat quàm apud nos, ubi ait, *Quòd unum sunt in tanta gentium, sexuum diversitate, numquid ex assensu voluntatis est, aut* EX SACRAMENTI *unitate, quia his & baptisma sit unum?* Quid verò, secundùm Scultetum, sibi volet illud num. 15. Christum, cùm ipsius sanguinem bibimus & manducavimus carnem, *in nobis per* SACRAMENTORUM *inesse mysterium*, nisi Christum in nobis inesse per mysteriorum mysterium? Ac ne plura huc congeramus, consulat Scultetus Tract. Psal. 131. n. 23. audiatque ibi cælestem Jerusalem definiri *concordem fidelium cœtum, & sanctificatas* SACRAMENTIS *Ecclesiæ animas.*

Sacramenti vox nostro loquendi modo Hilario usitata.

87. Præterea ludit & illudit Scultetus in verbo *æternitatis*. Nam cùm æternitatem natura divina sola proprio sibi jure vindicet, uti cap. 23. in Matth. n. 5. docetur; hanc ab Hilario *æternam* vel *æternitatem* simpliciter appellari aut non advertit, aut dissimulavit. Certè cùm adversùs hæreticos, qui mæstitudinem in Deum propter se cadere posse asserebant, cap. 31. in Matth. n. 2. ait, *Ac si æternitas naturam fragilitatis acceperit*; & postea, *ac sic æternitas demutata in metum* &c. an aliud sonat *æternitas*, quàm quod *divinitas*? Quis etiam neget, his Fragmenti II. n. 32. verbis, *Idcirco immutabilis & inconvertibilis filius Dei, ut in assumtione hominis corruptioni potiùs gloriam intulerit, quàm labem* ÆTERNITATI; divinitatem *æternitatis* vocabulo enuntiatam esse? nihil enim his fere aliud significatur, quàm quod illis lib. 9. de Trin. n. 4. *Contumeliæ suæ voluntas, nostra provectio est; dum nec amittit ille quòd Deus est, & homini acquirit ut Deus sit*, Verbo scilicet assumtione carnis nostræ nihil periisse, nobis autem plurimum gloriæ accessisse. Quod illustrant hæc antiqui auctoris verba lib. de fide orthodoxa apud Ambrosium in append. tom. 2. c. 8. *Cùm hominem induere dignatus est, non labem æternitati intulit, ut Spiritum in carnem mutaret* &c. Cùm igitur Hilarius divinam naturam verbo *æternitatis* significare soleat; dum loco laudato lib. 8. ait, *Naturam carnis suæ ad naturam æternitatis admiscuit*, simplex ac germanus sensus est: Non nudam & à Verbo absolutam carnis suæ naturam sub sacramento Eucharistiæ reliquit, sed divinitati suæ admixtam atque conjunctam, ut communicando carnem divinitatis suæ consortes nos efficeret.

§ II. DE CHRISTI HOMINUMQUE UNITATE. *Æternitatis voce divinitas significatur.*

88. His verbis ita intellectis, plana est Hilarii demonstratio. Si enim verè nobis præstatur natura carnis Christi, substantialiter unita Verbo, quod cum Patre naturâ unum est; sequitur ut nos cum Christo, eoque mediante cum Patre naturaliter unum simus: quod probandum susceperat. Unde duæ illæ superiùs allatæ propositiones, *Si verè nos Verbum carnem cibo dominico sumimus*, &, *Si naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento communicandæ carnis admiscuit*, hoc tantùm differunt, quòd prima sacramenti Eucharistici naturam simul & perceptionem sonet, altera verò naturam dumtaxat & institutionem. Intellectum eumdem confirmat quod conclusionis in modum subjicit: *Si verè igitur carnem corporis nostri Christus assumsit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus* (hoc est, *Deus*) *est, nosque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus; (& per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis:) quomodo voluntatis unitas asseritur; cùm naturalis per sacramentum proprietas, perfectæ sacramentum sit unitatis?* Quid enim hoc sibi vult, nisi quòd cùm illius, qui verè Deus est, veram carnem sumimus, habemus unde cum Patre copulemur: quia per veram Christi carnem nobis impertitam in eo sumus, qui per naturam divinitatis in Deo Patre sit. Sicque *naturalis per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum est unitatis*: hoc est, propria carnis Christi natura, per sacramentum Eucharistiæ nobis præstita, vinculum est perfectæ inter nos, Christum ac Patrem unitatis.

In Eucharistia est caro Christi divinitati conjuncta.

89. Frustra igitur tergiversatus est Scultetus: frustra eum sermonem, in quo se Hilarius de nostra cum Deo per Eucharistiam communione loqui, tot tamque diversis modis declarat, *non de symbolo cœnæ*, sed de quodam gloriæ consortio dictum esse contendit. Neque verò in coacta illa interpretatione constare ipse sibi potuit. Ubi enim locum attigit proximè allatum, *Nosque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus*; concedit tandem etiam superiorem, *Verè nos Verbum carnem cibo dominico sumimus*, dictum esse de sacramento cœnæ. In hoc enim altero se habere putat unde fucum ac fumum faciat, quia in eo adjectum reperit *sub mysterio*. Quasi verò nudam & crudam Christi carnem, & non sub mysticis speciebus velatam in hoc sacramento nos accipere Ecclesia umquam docuerit aut crediderit. Sed si placet in uno loco *sub mysterio*; placeat in utroque *verè carnem sumimus*: placeat in primo *verè Verbum carnem sumimus*, hoc est eam ipsam carnem, quam Verbum ex Maria jam sibi inseparabilem assumsit. Certè qui totum Hilarii locum expendet, illum credidisse non inficias ierit, nos in Eucharistiæ perceptione Christi carnem tam verè

Carnis Christi veritatem in hoc sacramento sumimus.

§. II. DE CHRISTI HOMINUMQUE UNITATE. ſumere, quàm verè in temporaria generatione ſua aſſumſit ille noſtram, & quàm verè in æterna accepit ſubſtantiam Patris.

Hujus beneficio Chriſtum habemus in nobis *carnaliter* manentem. *lib. 8. n. 16.*

90. Immo cùm hoc poſtremum, de quo litigabant Ariani, perſuadere conetur ex ea ratione, qua carnem Chriſti in hoc ſacramento accipimus; apud illos in confeſſo fuerit neceſſe eſt, nos in Euchariſtia percipienda veram carnis Chriſti naturam percipere. Quippe ex evangelicis hiſce verbis, *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo per Patrem; & qui manducaverit carnem meam, & ipſe vivet per me*, concludit, *Vivit ergo per Patrem; & quo modo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus vivimus.* Poſtea inſtat: *Si ergo nos naturaliter ſecundùm carnem per eum vivimus, id eſt*, NATURAM CARNIS SUÆ *adepti; quomodo non naturaliter ſecundùm Spiritum* (id eſt, ſecundùm divinitatem) *in ſe Patrem habeat, cùm vivat ipſe per Patrem.* Tum proſequitur: *Per Patrem autem vivit, dum nativitas non alienam ei intulit diverſamque naturam* &c. Quod ex inſtituta comparatione nequaquam conficeretur, ſi carnis Chriſti ſolam figuram, vel etiam diverſam & alienam ſubſtantiam acciperemus. Sed de noſtro cur hîc quidquam adjiciamus; cùm quid Hilarius intelligat, *Naturaliter ſecundùm carnem per eum vivimus*, continuò interpretetur, *id eſt, naturam carnis ſuæ adepti?* An ullus hîc figuræ intelligendæ locus? Quæ porro figuræ carnis cum *carnis natura* conſenſio?

91. At ſi cui necdum ſatis probata perſpectaque fuerit Hilarii ſententia; expendat & illud ejuſdem loci, *Hæc ergo vitæ noſtræ cauſa eſt, quòd* IN NOBIS CARNALIBUS *manentem* PER CARNEM *Chriſtum habeamus: victuris nobis per eum ea conditione, qua vivit ille per Patrem.* Quæ eſt enim ea conditio, qua Filius per Patrem vivat? Nulla profectò alia, niſi quòd veram & non figuratam accipiat ipſius ſubſtantiam. Aut igitur vera Chriſti caro in Euchariſtiæ ſacramento accepta nobis per eum vivendi cauſa futura eſt, aut non victuri ſumus ea conditione, qua vivit ille per Patrem. Deinde ſpiritalem dumtaxat manducationem quis hîc cogitet, ubi *in nobis carnalibus manentem per carnem Chriſtum habemus?* Quid eſt *per carnem*, niſi non modò ſecundùm ſpiritum, ſed & ſecundùm ipſammet carnis ſubſtantiam, ſeu non ſpiritaliter tantùm, ſed & carnaliter? Neque verò hoc ipſum vocabulum prætermiſit. Nam hæreticos, qui nullam nobis cum Patre & Filio naturalem unitatem concedebant, cùm ſugillaſſet his verbis, *Quaſi nulla per ſacramentum carnis & ſanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur;* confirmat ſubinde, veram ac naturalem unitatem *per manentem in nobis carnaliter Filium* in hoc ſacramento indulgeri.

Chriſti caro in Euchariſtia præſens ante uſum. *num. 14.*

92. Hanc autem carnalem, ut ita dicam, Chriſti præſentiam non in nobis tantùm, ſeu non in ſolo uſu ponit Hilarius: ſi quidem abſolutè & ante omnem uſum carnis & ſanguinis veritatem ſic aſſerit; *De veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus; nunc enim & Domini profeſſione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis:* ac deinde ſacramenti hujus uſum & effectum declarat his verbis, *Et hæc hauſta atque accepta id efficiunt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit.* Præterea non eſſe ambigendum dicit de veritate carnis & ſanguinis, poſt quàm Chriſtus profeſſione ſua hoc teſtatum fecit: atqui ante uſum Chriſtus profeſſus eſt, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* Quid? cùm ſuperiùs memorat à Chriſto naturam carnis ſuæ ad naturam divinitatis *ſub ſacramento communicandæ carnis* admixtam; nonne ſatis indicat & carnis & divinitatis, etiam ante quàm communicatur caro, & dum adhuc eſt *communicanda*, adeſſe præſentiam? Legit quidem ibi Scultetus *ſub ſacramento communicatæ carnis*, ſed mala fide, uti jam monuimus. Denique hoc ipſum confirmari poteſt ex verbis lib. in Conſtant. n. 11. ubi deplorans Hilarius quæ ab impiis Conſtantii ſatellitibus Toloſæ geſta fuerant, ait: *Diacones plumbo eliſi, & in ipſum, ut ſanctiſſimi mecum intelligunt, in ipſum Chriſtum manus miſſæ.* Ut enim his verbis, *in ipſum Chriſtum*, Euchariſtiam intelligamus, facit intercedens admonitiuncula, *ut ſanctiſſimi mecum intelligunt:* quæ quidem hîc perinde eſt, atque aliis Patribus, quoties de hoc Sacramento ad cautelam paulo obſcuriùs

obscuriùs loquuntur, usitata formula *Norunt fideles*. Eucharistia igitur ipse est Christus: Christus autem ita, ut impiorum manus in eum potuerint mitti, ac missæ re ipsa fuerint. Porro non missæ fuerunt in Sacramenti usu: relinquitur itaque ut etiam ante usum Christus in illo fuerit. § II. DE CHRISTI HOMINUMQUE UNITATE.

93. Vidit quidem Hilarius, huic nostræ de veritate carnis Christi in Eucharistia fidei sensus humanamque sapientiam repugnare. Verùm iis quantumvis obstrepentibus sapienter occurrit ac silentium prorsus indicit his verbis: *Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum: neque per violentam atque imprudentem prædicationem, cælestium dictorum sanitati extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus* &c. Legimus autem Christum nobis corpus suum tradidisse. Non est igitur audiendum quidquid reclamet infirma hominum ratio. *Nunc enim ipsius Domini professione & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est.* At quomodo unum & idem corpus potest esse simul in tot tamque dissitis locis? Respondet tibi Hilarius: Quod Christus affirmavit, *anne hoc veritas non est? Contingat planè his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum denegant*, hoc est, qui Christum negant esse omnipotentem, aut præstare posse, quod præstare se dicit. Hoc tutum est ipsius in rebus creditu difficilibus confugium. Quamvis non assequatur quomodo Filius ex Patris substantia genitus sit, quî januis clausis ad discipulos ingressus sit Christus, aut qua ratione veram nobis carnem suam sub mysticis speciebus porrigat; numquam tamen vel minimùm de dictis Domini dubitat, quem certò scit plura posse, quàm valeat humana ratio comprehendere. Hujus fidei suæ exemplum denuo præbet, cùm alium à duobus præcedentibus explicat nostræ unitatis modum: qui nunc paucis est perstringendus. Antè tamen non videtur silendum, etiam Cyrillum Alexandr. dial. 1. p. 407. exemplo Eucharistiæ uti, ut eos refellat qui non aliam inter nos putant nisi voluntatis consensionem. *Concorporei enim*, inquit, *facti sumus in Christo*, UNA CARNE PASTI, *& uno Spiritu obsignati: & cùm Christus sit indivisibilis, (neutiquam enim divisus est,) unum omnes sumus in ipso. Ideoque ad Patrem dicebat, Ut unum sint, sicut & nos unum sumus. Vide enim ut in Christo & sancto Spiritu omnes unum sumus tum secundùm corpus, tum secundùm spiritum.*

Objecta adversùs Christi præsentiam quî diluat Hilarius.

lib. 8. n. 14.

ibidem.

III. *Unitas Christi & hominum. Quî Christus nos cum Patre unum esse efficiat.*

94. Tertius unitatis modus, quem Hilarius primum tractat, futuram spectat vitam. Quam enim unitatem suis precatur Christus his verbis, *Ut sint unum, sicut nos unum sumus*, intelligendam putat ex his subsequentibus, *Et ego honorem, quem dedisti mihi, do eis*: ut tum futuri sint unum, cùm gloriæ illius, quam à Patre accepit, participes efficientur. *Omnes*, inquit lib. 8. n. 12. *qui credituri in eum sunt, unum cum Patre & Filio erunt. Et quomodo erunt, mox docemur: Et ego honorem, quem dedisti mihi, dedi eis. Et nunc interrogo, utrùm id ipsum sit honor, quod voluntas; cùm voluntas motus mentis sit, at verò honor naturæ aut species aut dignitas.* Ex quo postea concludit: *Jam igitur unum sunt omnes* (Pater, Filius, fideles,) *in honore: quia non alius, quàm qui* (à Patre) *acceptus est, honor datus est* (à Filio fidelibus:) *neque ob aliud datus est, quàm ut unum omnes essent.* Unde fit ut *credentes omnes honor Filii ad unitatem Paterni honoris assumat.* Quamvis autem de hac unitate sibi à Christo promissa certum se dicat per fidem; ipsius tamen rationem nondum se probè scire fatetur ibidem subjiciens, *Fidem teneo, atque causam unitatis accipio: sed nondum apprehendo rationem, quomodo datus honor unum omnes esse perficiat.*

Tertius unitatis nostræ cum Christo modus, gloria communis.

95. Triplicem illum unitatis modum paucis complectitur num. 16. ubi & causam exponit, ob quam ea de re disputarit. *Hæc autem idcirco à nobis commemorata sunt: quia voluntatis tantùm inter Patrem & Filium unitatem mentientes, unitatis nostræ ad Deum utebantur exemplo:* (en causa:) *tamquam nobis ad Filium, & per Filium ad Patrem, obsequio tantùm ac voluntate religionis unitis, nulla per sacramentum carnis & sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur; cùm & per honorem nobis datum*

Triplex illa explicandæ unitatis ratio vacat suspicione.

§. II. DE CHRISTI HOMINUMQUE UNITATE. *Filii*, (hic est primus gradus unitionis cum Christo, gloria communis,) *& per manentem in nobis carnaliter Filium*, (secundus, caro illius nobis in Eucharistia data,) *& in eo nobis corporaliter & inseparabiliter unitis*, (tertius, caro nostra ab eo assumta & numquam dimissa,) *mysterium veræ ac naturalis unitatis sit prædicandum*. Hac nostra cum Christo naturæ unitate ita explicata, non erat unde Erasmo oboriretur ulla errati suspicio.

Cum Patre unum non dicimur ea ratione, qua cum Christo.

96. Sed neque magis suspectum est, quòd nos etiam cum Patre naturâ unum asserit. Non enim hoc probat, nisi Christo intercedente ac fungente Mediatoris officio. Nam cùm carnis Christi & nostræ sit una substantia, Verbi autem carnem nostram habentis & Patris una natura; fit ut conjuncti naturaliter cum Christo, cum Patre pariter conjungamur, cum quo ille naturaliter conjunctus est. *Ita enim*, inquit num. 13. *omnes unum sumus, quia & in Christo Pater, & Christus in nobis*. Luculentiùs autem num. 15. sententiam suam sic explicat: *Si voluntatis tantùm unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit* (Johan. 14. 19.) *nisi ut cùm ille in Patre per naturam divinitatis esset; nos contrà in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rursum in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur: ac sic perfecta per Mediatorem unitas doceretur, cùm nobis in se manentibus ipse maneret in Patre, & in Patre manens maneret in nobis; & ita ad unitatem Patris proficeremus, cùm qui in eo naturaliter secundùm nativitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente?*

97. In hac hominum cum Deo unitate commendanda cum Hilario consentiunt & alii Patres, Gregorius Nyss. de verbis 1. Cor. 15. 8. Tom. 2. ubi dicit, *Ex omni autem humana natura, cui admixta fuit divinitas, veluti primitiæ conspersionis is qui in Christo est homo constitit, per quem divinitati universa adnata & admixta sunt*: tum Mediatoris officium ea ratione à Christo impleri docet, *quòd omnes sibi univerit*. Præclara sunt hæc Paulini Nolani epist. aliàs 33. verba: *Per Christum Deo juncti & insiti sumus, ut Dei arrhabonem teneamus in terra nostra Spiritum sanctum quem dedit nobis, & nostri pignus habeamus in Deo carnem Christi: quia intervallum istud immensum, quo à divinis mortalia disparantur, medio & inter utraque communi interventu suo, velut quodam ut sic dixerim ponte, continuat; ut ejus tramite terrena cælestibus conferantur*. Quærit Cyrillus Alexandrinus dial. de Trinit. *An eam solam ob causam Unigenitus Mediator esse censebitur, quòd peccatum, quod nos à Dei caritate & consortio arcebat, procul repulit*. respondetque, *aliam præterea ei rationem arcanam & mysticam ad mediationis nomen & rem suppetere*. Quod mysterium sic postea exponit: *Mediator igitur hoc pacto etiam censetur esse, ea, quæ naturâ multùm dissita & immensò disjunguntur intervallo, deitatem nimirum & humanitatem, conjuncta & unita ostendens in se ipso, & nos per se ipsum Deo & Patri conjungens. Ejusdem enim est cum Deo naturæ; quia ex ipso est & in ipso: & ejusdem quoque nobiscum est naturæ; nam ex nobis etiam est & in nobis*.

§. III.

An Hilarius Christum esuriendi, timendi, dolendi, aliisque humanis affectibus obnoxium negarit.

98. QUID Hilarius de Christi passione senserit, celebris adeo in dies evadit controversia, ut hanc nobis illibatam præterire nullo pacto liceat. In hac porro causa nec illi defuere olim, neque etiamnum desunt & accusatores, & patroni: quorum alii eum affirmant sensisse Christum omnino tristitiæ, metûs, doloris, aliarumque hujusmodi affectionum expertem, alii negant.

I. *Præcipui Hilarii in hac causa reprehensores, ac defensores.*

Hilarium errasse sensisse Claudianus,

99. Primus inter veteres Claudianus Mamertus lib. 2. de statu animæ c. 9. in Hilarii scriptis duo ut veris adversa animadvertit: *unum, quòd nihil incorporeum*

creatum dixit; aliud, quòd nihil doloris Christum in passione sensisse (supple *dixit.*) additque: *Cujus si vera passio non fuit, redemtio quoque nostra vera esse non potuit.* Reprehensionis hujus primæ parti suus infrà erit locus: postremam expendere nunc sufficiat. §. III. DE PASSIONE CHRISTI.

100. Multis pòst sæculis Berengarius, veritus haud dubiè ne suum ipsius de Eucharistia commentum Hilarianæ auctoritatis pondere opprimeretur, eam ut declinaret, tanti viri famam labefactare conatus est, ac nequiter, Lanfranco teste epist. 50. divulgare, quòd *in tractatu fidei perversa senserit, & in libro de divina Trinitate improbabiles sententias de Domino Jesu Christo protulerit.* Non ita multo pòst idem ille Johannes, qui Hilarium de conceptione Christi malè sensisse pertinaciter voluit, epistolis iisdem non minùs præfractè contendit, ipsius de passione Christi opinionem à recta fide abhorrere. Ea quoque in re Baronius ad annum 563. n. 4. minùs circumspectè, quàm solet, de Hilario loquitur, cùm scribit eum ab Aphthardocitis instauratum esse errorem, qui in Hilario jam damnatus fuerat; ac præter Claudiani Mamerti judicium, nullam affert damnationis hujus auctoritatem. Neque illi in hac causa parcunt Erasmus atque Scultetus. Plures alii etsi non apertè sanctum Præsulem damnant, eum tamen aut frigidè defendunt, aut in eorum propendent sententiam, qui illum errasse opinantur. Mediam nonnulli sententiam ineunt, qui cùm confiteantur eum libris de Trinitate prava & à recta fide aliena docuisse, hoc erratum posterioribus scriptis ab ipso castigatum ac retractatum esse existimant. Berengarius, Johannes, Baronius. Errorem ab illo retractatum alii dixerunt.

101. Non minùs celebres fuere, qui venerandi Doctoris fidem adversùs reprehensores vindicarunt. Ac primò quidem uni Claudiano Mamerto opponere licet quotquot Ecclesiæ Patres Hilarium laudarunt. Hoc jam eleganter præstitit Lanfrancus epist. 50. ubi Berengarii censuram eo maximè argumento repellit, quòd *quisquis Hilario alicujus hæreseos notam imponit, multos orthodoxos principes, qui magnis eum laudibus extulerunt, ejusdem erroris maculâ involvit.* Ut enim postea subjicit, *Gelasius Papa in decretis suis libros ejus inter catholicas scripturas enumerat... ejus auctoritas in sacris Canonibus * decentissimè memoratur, recipitur, & laudatur: sanctus Augustinus in libro* (6. c. 10.) *de Trinitate excellenti eum laude extollit... B. Hieronymus * quantis eum omnesque libros ejus in quibusdam suis præconiis effert, epistolari brevitate comprehendi non potest: ceteri sacræ religionis Doctores, quicumque de eo aliquid locuti sunt, ab horum sententia in hac parte non dissenserunt.* Tum iis, qui in lectione sanctorum Patrum sententias difficiles offensuri essent, egregiam hanc regulam proponit: *Tutius igitur est lectori in difficillimis sanctorum Patrum sententiis, quas ingenii sui imbecillitas capere non potest, interrogato quod nescit, dicere se nescire, quàm pertinaci arrogantia, & arroganti pertinacia, non sine sua & aliorum pernicie fidei contraria definire; præsertim si talis persona sit, quæ vel scientiâ litterarum, vel probitate morum, vel potiùs utraque parte, auctoritatis pondus præ se gerere videatur.* Defenderunt eum Lanfrancus, * puta in Concil. Chalcedon. act. 2. Tolet IV. c. 10. Hispal. II. c. 12. &c. * V. epist. 7. ad Latam.

102. Similem superiùs à Philippo abbate audivimus: quam ipse secutus, non eam esse Hilarii doctrinam, quam illi affingebat Præpositus Johannes, tribus epistolis constanter propugnavit. Sed cùm Præpositus pertinaciter repugnaret, motæ litis arbiter quæsitus est Hunaldus: qui quidem utrumque ita conatus est conciliare, ut Hilarii fidem suspectam haberi nullo pacto permiserit. Hæc Hunaldi sententia cum tribus Johannis epistolis exstat ad calcem epistolarum Philippi abbatis. Philippus abbas,

103. Non longè postea sancti Thomas 3. p. q. 15. a. 5. & 6. ac Bonaventura 3. Sent. dist. 16. Magistrum imitati, pariter operam navarunt, ut catholici Præsulis dicta catholicè intelligerentur; diluerunt objecta, & quæ nonnullam erroris speciem præ se ferre videbantur, sanæ fidei reddiderunt. Prolixitatis vitandæ gratiâ referre supersedemus, quæ in hac causa eruditi illi viri Lanfrancus, Philippus, Lombardus, Thomas, Bonaventura aliique plurimi adversariis responderint, ut ex ipsis Hilarii dictis genuinos illius sensus exploremus. Quod sanè nec paucis expediri poterit: quamvis præconcepta multorum opinio everti aut saltem debilitari valeat, ubi eis demonstratum fuerit quod sequenti propositione aggredimur. Petrus Lombardus, sancti Thomas ac Bonaventura.

§. III. de Passione Christi.

II. *Quàm multa Hilarius docuerit objecto sibi errori adversa.*

Christo attribuit omnia quæ homines pati possunt,

104. Hoc in eum querelarum caput est, quòd timorem, tristitiam aliasque ejusmodi affectiones, ac præsertim dolorem in Christum nequaquam cecidisse existimarit. Quid autem errori huic tam adversum tamque contrarium, quàm ut omnes nostræ affectiones atque infirmitates à Christo susceptæ prædicentur? Atqui in Psal. 53. n. 4. docet Christum ita orationem temperasse, *ut qui* OMNIA SECUNDÙM HOMINEM PASSUS EST, *omnia secundùm hominem & loquatur; & quorum infirmitates portavit, eorum ad Deum deprecetur eloquio.* Quid est *omnia secundùm hominem passus est*, nisi omnia quæ homines pati solent? Sæpe enim apud eum particulæ *secundùm* ea vis est, ut idem sonet quod *more*; nec dubium sit, quin hîc *secundùm hominem* perinde accipiendum sit, ac more ceterorum hominum. Dictum ipse suum num. 7. sic enucleatiùs exponit: *Ut absolutissimum nobis humanæ humilitatis esset exemplum*, OMNIA QUÆ HOMINUM SUNT *& oravit, & passus est. Et ex communi nostra infirmitate salutem sibi est deprecatus à Patre; ut nativitatem* (id est naturam) *nostram cum ipsis infirmitatis nostræ iniisse intelligeretur officiis. Hinc illud est, quòd esurivit, sitivit, dormivit, lassatus fuit, impiorum cœtus fugit, mæstus fuit, & flevit, & passus, & mortuus est.* An hæc omnia, quæ sine aliquo doloris sensu aut animæ cruciatu nemo experitur, Christum aliter expertum esse intellexit? Falsò igitur asseruerit, *omnia quæ hominum sunt* passum eum esse. Deinde si famem, sitim, lassitudinem, fletum solius carnis dixeris, non animæ esse passionem, num etiam mæstitiam? At verò hanc num. 8. non in carne, sed in anima Christi positam se intelligere declarat his verbis, *Potentes animam ejus exquirunt, quæ frequenter in Evangeliis tristis & mæsta est.*

ac nominatim esuriem, mæstitiam, sitim &c.

105. Neque quisquam inficias ierit, anxietatem animæ esse propriam affectionem. Ab Hilario tamen in Psal. 139. n. 2. Christus prædicatur *ex infirmitate corporis anxius:* & hoc quidem, uti declarat in Psal. 141. n. 1. *non ob naturalem* (Verbo) *quasi passionis metum, sed* AFFECTUM *hominis quem gerebat ostendens... ut ipse non simulatus, sed verus homo posset intelligi.* Ex quo id etiam conficitur, verum & non simulatum fuisse illum Christi metum, quem, ut verus & non simulatus homo posset intelligi, susceperit. Cur autem naturalis negetur, dicetur infrà copiosè. Eumdem humanæ mentis affectum de Christo planiùs affirmat in Psal. 139. n. 11. ubi cùm quæsisset, unde unius ejusdemque Christi oratio sit cum trepidatione simul & securitate; reponit, *Hoc autem ab eo dici ex ratione poterit, qui gerens hominis Deique naturam, habeat & ex hominis infirmitate* TREPIDATIONIS AFFECTUM, *& ex conscientia divinitatis fiduciam securitatis.* His accedit illud Tract. Psal. 54. n. 6. *Et hæc quidem in eum omnia, quæ nostræ necessitatis sunt, irruerunt; sed ab eo naturæ suæ virtute suscepta sunt, dum mortem nostram potens non mori, etiam* TIMOREM IN SE MORTIS *ingruentem non renuit.* Multa hic locus continet notatu digna. Primò enim hæc dixit Hilarius ad enarranda psalmi verba, *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me, timor & tremor venit super me*, quæ de Christo interpretari non dubitat. Deinde quasi non satis sit cordis turbationem, timorem ac tremorem Christo attribuisse; etiam generatim de eo pronuntiat, *Pati omnia in se ipso constituit*; & mox, *Omnibus quæ infirma sunt perfunctus*; & continuò, *Universa quæ mortis nostræ sunt ac timoris pertulit.* Tum attingit causam cur omnia passus sit, quòd nimirum non propter se hæc pertulerit, sed ut *humanæ salutis sacramenta perficeret.* Pòst rationem, qua sit passus, sic explicat, 1°. ut cùm *difficillimum hominis infirmitati sit, intra se ipsum perturbationes mentis commotionesque cohibere, ut non erumpant*, Christus eas intra se cohibuerit, ac proinde dominus earum fuerit; 2°. ut quia *divinitatis suæ non est abolita natura, omnibus quæ infirma sunt salvâ majestatis suæ dignitate perfunctus sit*; ex quo sequitur postremò, ut *universa quæ* in assumta carne *pertulit*, in Dei assumentis personam *inciderent potiùs, quàm inessent* in propria illius

anxietatem & timorem.

illius natura. In quibus summatim habetur propè tota Hilarii de passione Christi doctrina, à catholica fide nihil dissonans.

§. III. DE PASSIONE CHRISTI. Christum doluisse profitetur.

106. Fortè adhuc de dolore Christi, unde major est controversia, perspicuam exspectas sententiam. Habes in Psal. 68. n. 23. & perspicuam & disertam: *Percussus ergo est Dominus peccata nostra suscipiens & pro nobis dolens.* & paulo pòst: *Hunc igitur ita à Deo percussum persecuti sunt, super* DOLOREM VULNERUM, DOLOREM *persecutionis hujus addentes. Pro nobis enim secundùm prophetam dolet.* Rursum altera non minùs evidens occurret num. 25. ubi Hilarius primùm asserit, Verbi assumentis naturam formæ servilis assumtione abolitam non esse; adeo ut *quod assumtum est, non proprietas interior sit, sed exterior accessio.* Tum hoc dictum suum confirmat ex verbis psalmi, *Pauper & dolens sum ego, & salus vultus tui, Deus, suscepit me:* quæ quidem sic enarrat, *Pauper est, qui secundùm Apostolum, cùm esset omnium dives, se ipsum ut nos ditesceremus paupertavit:* DOLENS EST, *qui secundùm prophetam pro nobis dolet. Sed hunc pauperem ac* DOLENTEM *salus ea, quæ vultus Dei est, suscepit.* Paucis subinde explicat, quomodo qui imago, vultus ac forma Dei est, homini illi pauperi ac dolenti, quem assumsit, salutem in se impertierit. Agnoscit itaque laudatis psalmi verbis duplicem Christi naturam significari, divinamque adeo non defecisse, ut humanæ salutem & gloriam præstiterit, & id quidem post quàm paupertatem ac dolorem experta est.

107. Neque hìc omittendum, quod enarrans Psal. 57. n. 5. habet: *Peccatorum autem vim &* DOLOREM *significari meminimus in spina, cùm dicitur, In ærumnam incidi, dum configitur spina: quia usque ad mortem humiliatus* (Christus,) *de peccato condemnavit peccatum in carne, velut cùm spina configitur.* Cùm enim in spina dolorem asserat significari, & unicum de Christi passione testimonium in hujus rei probationem afferre satis habeat; palam facit se ne quidem ambigere, quin Christus in passione non sine doloris sensu fuerit. Certè si Christum sensit doloris expertem; aut ad Christum referre non debuit, *In ærumnam incidi, dum configitur spina*, aut frustra eo loco commotus est, ut peccatorum vim & dolorem in spina significari admoneret. Sed quàm à Christo dolorem non removerit, rursum fidem faciunt hæc Tract. Ps. 68. n. 1. *Universarum itaque humanarum passionum sorte perfunctus, secundùm susceptas infirmitates nostras loquitur: &* DOLET *ipse quidem extra necessitatem & timoris positus & doloris; sed his se tamen quæ suscepit accommodans: ut qui carnis nostræ homo natus esset, & dolorum nostrorum querelis & infirmitatis precatione loqueretur.*

Aliis puri videntur Tractatus in Psal. secus libri de Trinit.

108. Cùm tot locis evidens sit, Hilarium Christo claris ac disertis verbis attribuisse famem, sitim, mærorem atque tristitiam, trepidationis affectum, timorem mortis, dolorem, omnes denique humanæ infirmitatis affectiones ac passiones: cur hæc ei negare à nonnullis existimatus est? cur de illius opinione anceps etiamnum est plurimorum sententia? Testis est S. Bonaventura lib. 3. Sent. dist. 16. q. 1. a. 1. quosdam dicere, eum priorem suam sententiam retractasse, seseque audiisse nominatim *Parisiensem episcopum* * *referre, se librum illius retractationis vidisse & perlegisse.* Hunc porro retractationis librum Dionysius Petavius lib. 10. de Incarn. c. 5. suspicatur ipsius esse in Psalmos Commentarium. Fatetur enim, in eo ac præsertim Tract. Psal. 68. multa esse ei errori contraria: à quo aliàs, maximéque libris de Trinitate, purgari eum non posse arbitratur. Maneat interim, Hilarium Commentario in Psalmos, quem libris de Trinitate posteriorem confitemur ac demonstraturi sumus, non modò non sensisse Christum tristitiæ, metûs ac doloris expertem, sed huic etiam errori multa contraria docuisse: num verò eidem opinioni æquè contraria libris de Trinitate tradiderit, nunc exquiramus.

* Guillelmum.

III. *In libris Hilarii de Trinitate multa sunt Christi indolentiæ contraria.*

Libri X. initium habet multa difficilia.

109. Inficiandum non est iis, qui Christi indolentiam ab Hilario propugnatam

§ III. DE PASSIONE CHRISTI.

volunt, in libro 10. adesse plurima, quæ ipsorum opinioni faveant. Quid enim aliud sonare videatur hoc num. 23. quod in Christum quamvis ictus aut vulnus inciderent, *afferrent hæc quidem impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent?* Id porro cùm illustratur similitudine teli in aquam aut ignem aut aërem immissi, quod quamvis à natura habeat ut & foret & pungat & vulneret, nec forat tamen nec pungit nec vulnerat, quia de natura non sit aut aquæ forari, aut aëris pungi, aut ignis vulnerari; præconcepta ex prioribus verbis opinio mirum in modum confirmatur. Aliter autem sentientibus non levius negotium facessit illud num. 15. quo negatur Christus *dolorem corporis nostri* sensisse, quia non humano more, sed ex virtute Spiritus sancti & Virgine conceptus ac natus sit: adeo ut verè quidem in forma servi exstiterit ob carnem ex Virgine assumtam, sed ob spiritalem conceptionem * *à peccatis & vitiis humani corporis liber* fuerit.

* num. 25.

Finis lib. ix. suspicioni aditum aliàs præcludebat.

110. Et quidem delibatis prioribus hujus libri paginis ab ipso sanctum virum vindicandi proposito pæne absterriti sumus, satius ducentes cedere, quàm apertæ contradicere veritati. At cùm assensum, ipsius præcepto admoniti, ad finem usque libri sustinuissemus, ex dictis posterioribus affulsit lux, qua priorum caligo depelleretur. Quamquam neque de ipso libri 10. initio malè existimandi locus ullus fuerat, si indubitata fuissent postrema hæc libri 9. verba: *Sicuti neque cùm secundùm hominem aut flet, aut dormit, aut tristis est; Deus obnoxius esse aut lacrymis, aut timori, aut somno est confitendus; sed salvâ Unigeniti in se veritate, secundùm carnis infirmitatem, fletum, somnum, sitim, lassitudinem, metum* (supple *passus esse:*) *pari necesse est secundùm hominem naturâ, diei atque horæ professus esse intelligatur inscientiam.* In his enim veluti certum & quod extra controversiam sit ponitur, Christum ut hominem expertum esse metum, tristitiam &c. quamvis ea ut Deus nescierit: unde hoc quod obscurius esset conficitur, eum pari ratione ut hominem professum esse se nescire diem judicii, quamvis eam non ignoraverit ut Deus. Quo posito, catholica fides adstruitur, ac præcluditur omnis de libro subsequente malè judicandi occasio. At verò hæc Hilarii esse nemo hactenus dubitavit: nulli igitur idonea fuit causa de fidei illius sinceritate dubitandi. Sed hanc nunc ex certioribus demonstremus.

In Christo fames, sitis, animæ turbatio &c.

111. Primum occurrit illud lib. 3. n. 10. *A cunis & infantia usque ad consummatum venerat virum: per somnum, famem, sitim, lassitudinem, lacrymas hominem egerat,* &c. Deinde lib. 6. n. 25. Christum corpoream humilitatem suam non solùm non siluisse, sed & sæpe numero declarasse cùm Hilarius multis exemplis probet, hoc etiam refert illius dictum, *Nunc anima mea turbata est.* Sensit igitur animam Christi turbari potuisse, ac re ipsa fuisse turbatam: adeoque passionis motum in animam illius æquè ac in carnem incidere potuisse.

tristitia, anxietas, fletus & dolor.

112. Quòd autem libro decimo in eadem prorsus sententia steterit, vel ex num. 24. & 66. manifestum est. Ac tristitiam quidem à Christo susceptam esse frequens in eo docet. *Qui ergo*, inquit num. 36. *non propter mortem, sed usque ad mortem* TRISTIS *est, quærendum est unde sit tristis.* Et mox: *Adeo autem non propter mortem suscepta* TRISTITIA *est, ut sit destituta per mortem:* quod & repetit num. 39. Sic num. 63. docet, *Christum non sibi flere, sed nobis; ut assumti hominis veritatem ipse quoque affectus humanæ consuetudinis susceptus protestaretur.* Si plura cupis, habes num. 42. *Nec propter mortem timet, qui usque ad mortem anxius est:* num 54. *Vagit infans:* num. 55. *Verè Jesum Christum flesse non dubium:* num. 56. *qui & flevit & doluit.* Hoc autem eo magis notandum, quòd eo loci verum Christi fletum, proindeque verum dolorem propugnet. Denique num. 67. generatim audies, *Passus quidem est unigenitus Deus quæ homines pati possunt.*

Omnia infirma Christus ut homo patitur, dum ea ut Deus nescit.

113. Neque etiam quatenus à Christo arceret timorem, tristitiam, dolorem, ambigi permisit, cùm num. 48. iis quæ ad humanam ipsius naturam, & quæ ad divinam pertinerent, diffusè enumeratis, concludit eum *secundùm hominem pro nobis infirma omnia pati, sed secundùm Deum in his omnibus triumphare.* Ea ipsa distinctione rursum utens num. 62. ait: *Habes in conquerente ad mortem se relictum esse, quia homo est: habes eum, qui moritur, profitentem se in paradiso regnare, quia Deus est.*

114. Sensim sine sensu labitur & ruit conjectura eorum, qui Hilarium ab infirmitatis nostræ affectionibus divinam humanamque Christi naturam eximere, eo argumento confirmare se putant, quòd cùm adhibita duplicis hujus naturæ distinctione ab objectis sese expedire facilè potuisset, aliam tamen viam inierit, & ad alia confugerit responsionum præsidia. Certè distinctionis hujus quàm non negligens fuerit, rursum testis erit Tractatus psalmi 55. n. 2. ubi sermonem ita sibi temperandum proponit, *ut quia* (Christus) *infirmitates omnium portavit, & peccatorum nostrorum frequenter & voce sit usus & lacrymis; extra contumeliam Dei sit & affectus & sermo qui hominis est.* Ibi quippe in Christo secernuntur Deus & homo: & cùm in homine hominis infirmi non tantùm *sermo*, sed & *affectus* fuisse concedatur, hoc *extra contumeliam Dei* intelligendum esse admonemur. Ita & Commentariis in Matthæum, quos ante libros de Trinitate scriptos esse propè certum est, in Christo carnis infirmitatem à Verbi virtute distinguit: sicque veram illius esuritionem fuisse concedit secundùm infirmitatem carnis, ut non obrepserit illa, nisi quantum Verbi virtus voluerit ac permiserit. *Igitur*, inquit cap. 3. n. 2. *cùm esuriit Dominus, non inediæ subrepsit operatio, sed Virtus illa quadraginta dierum non mota jejunio, naturæ suæ hominem dereliquit. Non enim erat à Deo diabolus, sed à carne vincendus: quam utique tentare non ausus fuisset, nisi in ea per esuritionis infirmitatem quæ sunt hominis recognovisset.* Et num. 3. *Eam ergo in tentando conditionem operis proposuit, per quam & in Deo, ex demutatione lapidum in panes, virtutem potestatis agnosceret; & in homine, oblectamento cibi, patientiam esuritionis illuderet.* Adeo novit in Christo distinguere quæ Dei quæque hominis sunt, ut cùm in ipso adstruat virtutem, quæ famem arcere valeat; ultro etiam confiteatur infirmitatem, quæ esuritioni permissa sit ita veræ, ut propter hanc ei *patientiæ* meritum attribuat.

§. III. DE PASSIONE CHRISTI.

115. Sed & cùm Hilarius passim ac nominatim lib. 11. n. 6. observet hunc errorum omnium, quos refutandos suscepit, fontem esse, quòd adversarii *dispensationem assumti corporis rapiunt ad contumeliam divinitatis, & impietatis causas arripiunt de salutis nostræ sacramento*; atque cum illis ita agendum, ut distinctis iis quæ Dei essent, *& quæ essent temporum ac mysteriorum, nec contumeliam divinitas susciperet, nec dispensatio afferret errorem*; eaque ratione omnia eorum objecta dilui, seque superioribus libris diluisse admoneat: mirari satis non possumus unde hanc respondendi rationem dictus sit neglexisse. An quòd ei uni non hæret, aut saltem illam non satis frequens inculcat? At Arianis Christi divinitatem ob ea quæ passus est negantibus, num fecisset satis, si hæc in humanam, non in divinam illius naturam cecidisse dumtaxat respondisset? annon visus esset principium, ut loquuntur, petere? Non tantùm dicendum, sed & demonstrandum ei erat, præter naturam infirmam nostræque similem, aliam in Christo esse longè potiorem, infirmitatis prorsus nesciam, incorruptibilem, immutabilem, cujus potestati nihil non cederet. Hoc tum opus, hic labor erat. Is etiam est totius libri 10. scopus, ex cujus potissimùm cognitione pendet intelligentia eorum, ob quæ catholicus Præsul in erroris suspicionem venit. Ut autem manifestior fiat, de hæreticis illis, qui passam esse volunt Christi divinitatem, quosque ideo Theopaschitas vocant, nonnihil hîc necessariò præloquendum.

Cur præter hanc naturarum distinctionem alias Hilarius quæritarit adversariis satisfaciendi rationes.

IV. *De hæresi quæ Christi divinitatem passam esse asserebat.*

116. Post Philastrium Brixiensem Augustinus ad Quodvultdeum hæres. 73. quamdam hæresim tacitis illius auctoribus commemorat, quæ *in Christo divinitatem doluisse, cùm figeretur caro ejus in cruce, asserebat.* Hanc Romanum Concilium sub Damaso epist. ad Paulinum Antioch. apud Theodoret. lib. 5. hist. eccl. c. 11. configit his verbis: *Si quis dixerit in crucis passione dolorem sustinuisse Filium divinitate ipsa, & non carne animaque rationali quam assumsit in forma servi, ut Scriptura sacra loquitur, anathema.* Hinc fortè mos antiquus obtinuit, ut episcopus ordinandus interrogaretur,

Varia hujus hæresis mentio.

§. III. DE PASSIONE CHRISTI. *Credis filium Dei impassibilem & immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis & pro salute nostra passum vera carnis passione?* Certè Pelagius apud Augustinum Append. Serm. 236. n. 5. in confessione fidei ad Apostolicam sedem missa eumdem errorem verbis conceptis damnat.

Apollinarius ejus suspectus non sibi constat.

117. Apollinarium hæresis hujus assertorem fuisse tradit Gregorius Nazianz. Or. 46. testaturque sibi in manibus exstare libellum ipsius, in quo *ipsum unigenitum Deum omnium judicem, vitæ auctorem, mortis exstinctorem, mortalem esse docet ac probare nititur, propriaque sua divinitate passum esse, atque in triduana illa corporis morte divinitatem quoque simul cum corpore mortuam fuisse, sicque rursus Patris operâ à morte ad vitam revocatam.* Gregorio planè suffragatur Leo Papa epist. aliàs 73. nunc 97. c. 2. Ab ea tamen apud Leontium adversùs fraudes Apollinarist. sese alienum probat Apollinarius, ubi ei anathema dicit, *qui non dicit carnem* (Christi) *ex Maria, & qui dicit eam carnem esse naturæ non creatæ & homousion Deo, immo & qui dicit divinitatem esse passibilem, & ex ipsa esse passiones animæ*: vel cùm epistolam Athanasii ad Epictetum ad eumdem errorem comprimendum scriptam suo calculo sic comprobat: *Epistolam verò domini mei Corinthum missam vehementer approbavimus: eorum autem, qui dicunt carnem Deo consubstantialem magnam insaniam damnavimus.* Quamquam hæ videri possunt aut falsæ, aut potiùs hæretici inconstantis epistolæ. Neque enim Apollinarium ejusque discipulos sibi constitisse Gregorius Nazianz. monet: ac sub finem Or. 52. demonstrat, eos modò diversas Christi naturas distinguere, modò nolle distingui. Similem in Apollinarii doctrina inconstantiam notat Theodoretus lib. 5. hist. eccl. c. 3. citatus à Liberato c. 3.

ejus auctor primus non fuit.

118. Quamvis autem Apollinarius ægre admodum à prava Theopaschitarum opinione purgetur, primum tamen illius auctorem eum non fuisse fidem faciunt Concilii Sirmiensis anni 351. canones 11. & 12. *Si quis Verbum in carnem translatum putet, vel demutationem sustinuisse accipiendo carnem, anathema sit. Si quis unicum Dei filium crucifixum audiens, dealitatem ejus corruptionem vel passibilitatem* (πάθος) *aut demutationem vel interfectionem sustinuisse dicat, anathema sit.* Non enim ante annum 360. hæreticus audire cœpit Apollinarius.

Prædictæ hæresis assertor est Potamius cum insignibus Arianis.

119. Et verò qui contra illum scripserunt, Liberatus cap. 3. Gregorius Naz. Or. 51. Athanasius sub finem lib. de salutari adventu J. C. eum non ut commenti hujus parentem, sed ut imitatorem Arianorum tradidere. Et ex verbis quidem Phœbadii Agennensis apparet, Potamium blasphemiæ ejusdem fuisse doctorem. Item si epistolæ synodi Sardicensis, ea parte qua apud Theodoretum prolixior est, habenda fides; abdicati sunt Ursacius & Valens, quòd *Verbum & Spiritum crucifixum, vulneratum, & mortuum esse, & resurrexisse* asseruerint. Eusebium quoque Pamphili Theopaschitarum vesaniâ imbutum esse scribit Baronius ad an. 324. n. 109. & 110. At quod ad hujus rei probationem ex ipsius ad Constantiam epistola affert, nihil evincit. Immo aliud eum sensisse, ex libro ejusdem 4. Dem. Evang. c. 13. commodiùs confeceris. Neque verò hic error erat omnium qui Ario favebant communis, sed insignium quorumdam Arianorum, & maximè Anomœorum proprius.

Ut hoc faciliùs tuerentur, dicebant Verbum vices animæ supplevisse.

120. Perfidi illi Christi hostes ut pravam illam doctrinam faciliùs tuerentur, commenti sunt corpus solum sine anima à Verbo assumtum esse. Quòd enim hoc commentum Apollinarius non finxerit primus, sed ab Arianis acceperit, testis est Theodoretus sub Dialogi 2. initium, ubi ait, *Arius & Eunomius creatam volunt Unigeniti divinitatem: solum corpus assumsisse dicunt.* Neque Augustinum fugit hæc Arianorum opinio, quam aliis minùs notam existimavit: sic porro habet lib. de hæres. c. 19. *In eo autem, quòd Christum sine anima carnem accepisse arbitrantur Ariani, minùs noti sunt, nec adversùs eos ab aliquo inveni de hac re fuisse certatum. Sed hoc verum esse & Epiphanius* * *non tacuit, & ego ex eorum quibusdam scriptis & collocutionibus certissimè comperi.* Nihilo tamen minùs hoc alii plures comperere. Athanasius hanc eorum sententiam sub initium libri de salutari adventu apertè sic prodit: *Arius carnem solam ad occultationem deitatis confitetur: & pro nostro interiori homine, id est anima,*

* *hær. 69. n. 49. & 50. & in Ancorato. n. 33.*

anima, Verbum dicit in carne fuisse, passionisque sensum & ab inferis resurrectionem divinitati audens adscribere. Ea quoque in re Eustathio Antiocheno, Gregorio Nazianz. Phœbadio probè noti fuere Ariani. §. III. DE PASSIONE CHRISTI.

121. Hi ab Apollinaristis hoc tantùm dissidebant, quòd primarium apud Apollinaristas decretum esset, Verbum sine anima corpus assumsisse; Ariani verò id ipsum tantùm secundariò docerent, ut palmaris eorum sententia de infirma Verbi divinitate obtineret. Discrimen hoc inter utrosque nonnihil tangit Athanasius sub finem lib. de salutari adventu J. C. ubi eos, qui Verbum vices animæ supplevisse sentiebant, refellens ait: *Ita futurum est, ut vulneratio corporis passio ipsius Verbi habeatur. Hinc enim proficiscitur, quòd Deum passum esse asseveratis. Congrua vox, & quæ optimè vos deceat, & quæ cum Arianis pulcherrimè convenerit. Idem enim ipsi in suis dogmatibus statuunt.* Sed Arianorum in asserenda corporis inanimi susceptione consilium Eustathius Antiochenus apud Theodoretum dial. 3. planiùs retegit, dum quærit, *Cur magni faciunt ostendere Christum corpus inanimum suscepisse?* ac respondet, ut si possint id aliquibus persuadere, *tunc affectionum mutationes divino ipsius Spiritui tribuentes, faciliùs persuadeant, ex immutabili natura genitum non esse quod mutabile est.* Sic Gregorius Naz. Or. 51. n. 13. testatur, Christum ab illis inanimatum hominem prædicari, *ut passionem divinitati tribuant, tamquam videlicet quod movet, idem quoque patiatur.* Et Leontius de Sectis act. 3. *Idcirco Arianum dogma Christi corpus inanimum esse tradebat, ut humiles hujusmodi voces Christo non ut homini attribueremus, sed ut Dei filio; deque ipsius sententia Filius Patre minor deprehenderetur.* Eòdem spectant quæ Phœbadius Agenn. Hilario æqualis de epistola ab Oriente & Occidente, (sive ut conjectura est, ad Orientem ex Occidente) transmissa habet: *Unus vestrûm asserit, carne & Spiritu Christi coagulatis per sanguinem Mariæ, & in unum corpus redactis, passibilem Deum factum.* Neque enim necesse est moneamus, *Spiritûs* nomine hîc veterum more naturam divinam intelligi. Quòd autem hæc non unius, sed plurium sententia sit, subinde significat his verbis: *Vos quidquid de homine ejus dictum est, Deo applicatis: ut Deus ipse hominis imbecillitate societur*, fortè *saucietur*. Hi Deum more animæ ac vice animæ cum carne ex Maria accepta conjunctum sentientes, sic eum passibilem factum cogitare potuerunt, quomodo anima, in quam ex se corporibus nulla potestas est, ex carnis societate passioni fit obnoxia. Sed maneat Arianos sensisse, quòd *Deus Verbum*, ut loquitur Hilarius lib. 10. de Trin. n. 50. *in animam defecerit*; hocque eos ideo sensisse, ut Christum secundùm naturam divinam esuritioni, timori, tristitiæ, dolori subjicerent.

122. Quod licèt jam satis superque constet, hujus tamen rei veritatem ex schismaticorum quorumdam adversùs Cyrillum contumeliosè debacchantium * juverit illustrare mendaciis. Paulo quidem longius est eorum testimonium: sed ad rem multùm facit. *Docet*, aiunt de Cyrillo, *divinitatem unigeniti filii Dei passam esse, non autem humanitatem: cùm divinitas inhabitans passiones corporis quasi proprii sibi attribuerit, & tamen in propria natura nihil ipsa pateretur. Addit præterea, ex divinitate & humanitate unam factam esse naturam... Ad hæc eos exsecratur, qui evangelicas apostolicasque voces de Christo Domino distinguunt, ut humiles quidem ad humanitatem, divinas verò ad Christi divinitatem referant. Quod Ariani & Eunomiani sentientes, humilesque dispensationis voces ad divinitatem referentes, Deum Verbum creaturam & facturam, alteriusque substantiæ & Patri inæqualem esse affirmare non dubitarunt. Quæ verò blasphemia ex hisce principiis consequatur, quivis facilè intelligit. Nam & naturarum inducitur confusio, & Deo Verbo attribuitur illud, Deus Deus meus ut quid dereliquisti me? & illud, Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: rursum fames, sitis, angelica confortatio &c. Quæ perspicuè cum Arii & Eunomii impietate congruere facilè quis viderit.* His ita præmissis, quid Hilarius libro 10. de Trinit. sibi proponat quæve ei sententia sit, faciliùs deprehendetur.

* epist. ad Rufum T. 3. Côcil. Labb. p. 739.

§. III. DE PASSIONE CHRISTI.

V. *Hilarius de Christi tristitia, metu, dolore &c. contra hæreticos qui ea Verbo tribuebant, disputat. Quî eis resistat.*

Contra quos disputet cap. 31. in Matth. & lib. 10. de Trinit.

123. In duobus præcipuè locis Hilarius metum, dolorem, tristitiam, aliasque humanæ infirmitatis affectiones removere à Christo videtur, in Matthæum videlicet cap. 31. & libro de Trinitate decimo. At utrobique contra hæreticos, qui hæc ad ipsius divinitatem referebant, eum confligere minimè obscurum est. Quippe in Matthæum statim ab initio cap. 31. declarat, sibi cum iis rem esse, quorum *ea opinio est, quòd cadere propter se mæstitudo in Deum potuerit, eumque futuræ passionis metus fregerit, quia dixerit, Tristis est* &c. *qui*que *volunt ex infirmitate corporis ærumnam Spiritui adhærere.* Neque adversarios alios toto libro 10. de Trinitate sibi debellandos proponit. Nam cùm doctrinam toti sectæ communem superioribus libris expugnasset, jam in hoc aggreditur non quod Ariani omnes, sed quod plerique eorum in Christum magis impii defendebant: quorum argumenta priùs quàm sibi opponat, sic num. 9. exponit placita: *Volunt enim plerique eorum non in natura eum impassibilis Dei fuisse; ut qui timuit & doluit, non fuerit in ea potestatis securitate quæ non timet, vel in ea Spiritûs incorruptione quæ non dolet, sed inferioris à Deo patre naturæ, & humanæ passionis trepidaverit metu, & ad corporalis pœnæ congemuerit atrocitatem.* Tum eorum subnectit objecta, quæ libro toti materiam præbent. Atqui hæreticos hujusmodi oppugnare, Christum secundùm humanam naturam passum fuisse propugnare est. *Cùm enim*, inquit Gregorius Nyss. Or. 5. contra Eunom. relatus à Theodoreto dial. 3. *duplex & ambigua sit opinio, divinitasne, an humanitas passa sit; unius rejectio, alterius erit confirmatio.*

Ex scopo ostenditur orthodoxam fidem tueri.

Infirmitates nostras ab una divinitate removet. *cap. 31. in Matth. n. 2.*

124. Hilarium autem ab una Christi divinitate nostras infirmitates rejecisse inde perspicuum est, quòd ubi dixit hæreticos velle ex assumtione corporis ærumnam adhærere divinitati, eos sugillat his verbis: *Ac si Virtutem illam incorruptæ substantiæ imbecillitatis suæ sorte assumtio carnis infecerit, & Æternitas naturam fragilitatis acceperit. Quæ si ad metum tristis est, si ad dolorem infirma, si ad mortem trepida, jam & corruptioni subdita erit.* Tum Deum corruptionis aut demutationis prorsus expertem esse ostendit: at de homine nihil omnino cogitat. Immo se eamdem humanæ Christi naturæ prærogativam tribuere nolle satis indicat, dum hanc Arianorum doctrinam fatetur ei opinioni consentaneam esse, qua filium Dei creatum & non æternum credunt. *Sed eorum*, inquit, *omnis hic sensus est, ut opinentur metum mortis in Dei filium incidisse, qui asserunt non de æternitate esse prolatum, neque de infinitate paternæ substantiæ exstitisse, sed ex nullo per eum qui eum creavit effectum; ut assumtus ex nihilo sit, & cœptus ex opere, & confirmatus in tempore: & ideo in eo doloris anxietas, ideo Spiritûs passio cum corporis passione.* Unde sicut illi creatam sibi finxerant Unigeniti divinitatem, eam consequenter passam & crucifixam adstruebant; ita ipse ubi eam increatam demonstravit & æternam, longè efficaciùs concludit, *Mori igitur nihil in Deo potuit, neque* EX SE *metus Deo ullus est.* Cur, quæso, addidit *ex se:* nisi quia ex parte hominis, cui Deus in Christo conjunctus est, & metum & mortem Deo esse potuisse non ambigeret?

num. 3.

His obnoxiam fuisse Christi humanitatem pro certo ponit. *num. 4.*

125. Adeo non ambigebat, ac rem Scripturis ita constantem & evidentem existimabat, ut huic probandæ non immoratus, statim ad hujusmodi affectionum causas explorandas prosilierit; sic enim prosequitur: *Quia mæstum fuisse Dominum legimus, causas mæstitudinis reperiamus.* Quibus perquisitis subjicit: *Tristis ergo est usque ad mortem. Non itaque mors, sed tempus mortis in metu est.* Rei autem, quæ non est, causæ à nemine sano requiruntur. De Commentario in Matthæum hæc pauca sufficiant.

Hoc demonstratur ex libris de Trinitate. * *lib. 1. n. 31. & 32.*

126. Quòd verò in unos illos divinitatis Verbi temeratores intendatur decimus de Trinitate liber, præter ea quæ diximus, Hilarius ipse in hujus libri argumento initio Operis sui præposito satis declarat * in hunc modum: *Quia ex passionis* (Christi)

genere & professione quædam, per stultæ intelligentiæ sensum, ad contumeliam divinæ in Domino Jesu Christo naturæ virtutisque rapuerunt; ea ipsa demonstranda fuerunt ab his impiissimè intellecta. Hic igitur unus est libri 10. scopus, ut hæretici, qui Christi in passione suâ gesta dictaque ad divinæ ipsius naturæ contumeliam rapuerunt, convincantur ea impiissimè intellexisse. Quatenus autem ea impiissimè intellexerint, apertiùs subinde significat: quòd nimirum *divinæ professionis naturæque immemores, ad argumentum impietatis suæ, dispensationis gesta & dicta tenuerunt.* quæ verba si cui ambigua sunt, conferat cum his lib. 9. num. 5. *Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes hæreticis occasio est, ut quæ ab eo* SECUNDÙM HOMINEM *dicta sunt, dicta esse* SECUNDÙM NATURÆ DIVINÆ INFIRMITATEM *mentiantur.* Unde hoc confici potest argumentum: Profitetur Hilarius se libro 10. cum hæreticis disputaturum, qui quæ dispensationis dicta gestaque sint, in Deum cadere velint; atqui hæretici, cum quibus ei disceptatio est, rapiunt quidquid de Christi timore, tristitia, dolore est scriptum, ut eum infirmum Deum ostendant: concedit igitur ea omnia, quæ de Christi timore, tristitia, dolore scripta sunt, dispensationis dicta gestaque esse, hoc est, in hominem à Verbo assumtum cadere. Sed ad librum ipsum veniamus. §. III. DE PASSIONE CHRISTI.

127. Quemadmodum Hilarius in eo à prædictis hæreticis mentis aciem non deflectit; ita neque debet lector ab eorum sententiis animum avertere. Variæ quidem sunt, sed quæ ad duas commodè revocentur. Verbum enim alii ita cum carne confundunt, ut ex eorum sententia * *de se defecerit Deus Verbum, dum corpus officio animæ vivificat;* alii ita ab homine dividunt, ut sicut * *in prophetis Spiritus prophetiæ, ita in Jesu Verbum Dei fuerit.* Hæreticos oppugnat Christum confundentes aut dividentes. * num. 50. * num. 21.

128. Qui in hæc attenderit, non laborabit in plurimis locis, in quibus sæpe negare videtur Hilarius, quod demonstrare dumtaxat vult ex adversariorum placitis explicari nullo pacto posse. Neque latebit, cur v. g. num. 10. priùs quàm objecta diluat, adversarios aggrediatur his verbis: *Et interrogo eos, qui hoc ita existimant, an ratione subsistat, ut mori timuerit, qui omnem ab Apostolis terrorem mortis apellens ad gloriam eos sit martyrii adhortatus. . . tum deinde quem dolorem mortis timeret, potestatis suæ libertate moriturus?* Hoc enim argumenti genere, quod in eo libro frequens est, veluti gladio ancipiti fodiuntur sententiarum etiamsi adversarum patroni: cùm neutris succurrat, unde Christi virtutem simul cum infirmitate componant. Certè dum num. 55. & 56. hæreticos illos hac ratione persequitur; ipsum fletûs Christi veritatem prorsus respuisse crederes, nisi & ad calcem num. 55. adjecisset, *Et tamen verè Jesum Christum flesse non dubium est,* & num. 56. sic clausisset; *Non est vivificaturi flere, nec glorificandi dolere: & tamen vivificat, qui &* FLEVIT, *&* DOLUIT. Argumentis utitur, unde in sua opinione se non valeant extricare.

129. Illa autem argumentandi ratione eo usus est libentiùs, quo magis idonea erat ad arrogantiam eorum retundendam, qui omnia se Christi mysteria comprehendere jactitantes, ea pro libito definiebant. Quod enim Athanasius in exitu libri de salutari adventu J. C. obscuriùs dicit, *Stolidi, qui divinitati ejus passionem adscribunt, aut humanitati ejus fidem non habent, aut qui unum in duo separant, aut qui carnis ejus dimensionem conantur facere, &* QUANTUM *&* QUOMODO *præter sacras Scripturas definiunt;* illustratur ex hoc Hilarii libro decimo, cujus postrema pars tota in iis coercendis occupatur, qui aliam sibi de Christo scientiam usurpant, quàm quæ Scripturis revelata est. ut eorum jactantiam retundat.

130. Neque tantùm os iniqua loquentium obstruere contentus, post quàm illos quæstione num. 10. proposita nonnihil torsit, ad ipsorum opiniones funditus evertendas convertitur, jactatque fundamenta, quibus veritas adstruatur. Quippe continuò singularem Christi ortum conceptumque considerans, ipsum verum Deum hominemque perfectum ostendit, naturis ita distinctis, ut Verbi virtus ac natura à se non defecerit; ita unitis, ut non sit alius filius Dei, alius hominis filius. Quorsum, quæso, ad removendam à Christo passionum nostrarum ignominiam, naturarum in eo distinctio conjunctioque asseratur? Ne nobis excidat, illum eis resistere hæreticis, quos Phœbadius alloquens ait, *Non distinguentes Dominicæ potentiæ* Tum naturas in uno Christo distinctas conjunctasque ostendit: cur.

§. III. DE PASSIONE CHRISTI.

duplicem statum in sua unumquemque proprietate distantem, quidquid de homine ipsius dictum est, Deo applicatis, ut ipse Deus homini imbecillitate societur. Et idcirco duplicem hunc statum non conjunctum, sed confusum vultis videri: & aliquanto pòst, *Non ergo fit Spiritus caro, nec caro Spiritus, quod isti volunt egregii doctores, ut factus sit scilicet Dominus & Deus noster ex hac substantiarum permixtione passibilis*: quorum patronus apud Theodoretum dialogi 3. initio primùm affirmat, *Christus ideo carnem assumsit, ut id quod erat impatibile passionem sustineret*; ac deinde ab Orthodoxo interrogatus, *Cujus existimanda est lassitudo? divinitatis, an corporis?* respondet, *Non audeo unita dividere. Orthodoxus: Divinæ igitur, ut apparet, naturæ lassitudinem tribuis. Eranistes: Sic mihi videtur.* Hæc quippe non oblitus, facilè deprehendet, naturarum in uno Christo distinctionem conjunctionemque eam tantùm ob causam ab Hilario tam operosè explicari, ut hinc rationem reddat, cur Deo impatibili attribuantur passiones, quæ in unam hominis naturam propriè cadant. Dum igitur Christum Deum ex passionibus corporis nullum doloris sensum percepisse adversùs hæreticos illos propugnat, perinde est ac si diceret: Vos Christum ea naturæ proprietate destituitis quæ pati nesciat, quia Verbum vel confunditis cum carne, vel ab ea separatis: sed falsa est vestra opinio. etsi enim cum corpore ita conjunctum est, ut ei attribuantur passiones hominis, & propter hoc putetur dolere; adeo tamen inconfusum perseverat, ut cùm corpus eas excipiat passiones, ex quibus per se sequatur dolor, eo in propriam ipsius naturam effectu careant. Hæc explicatio, quam nunc argumento probabili præstamus, sed ex postremis libri paginis certa ratione licebit demonstrare, toto libro intelligendo non parùm conducet.

Dominantes tantùm perturbationes ab humana Christi natura rejicit.

131. Negotium tamen facessit, quòd eo loci de singulari Christi conceptione ita disserit, ut non divinam tantùm unigeniti Dei naturam, sed & corpus ipsius à communi passionum nostrarum lege eximere videatur. Et his quidem primùm adeo sumus commoti, ut ab eo vindicando nos pæne absterritos jam fassi simus. Verùm hæreticorum contra quos congreditur sententias relegentes, deprehendimus Christum ab iis prædicari * merum hominem, qui * *quia & corpus & anima Adæ in peccato fuit, carnem quoque Adæ atque animam acceperit*, & * *in cujus animam* DOMINANS *metus tristitiæ imminentis inciderit*, &c. Nec deinceps latuit, quàm salva & integra fide suum etiam corpori Christi privilegium tueatur.

* num. 21. & 51.
* num. 20.
* lib. 1. n. 31.

132. Cùm enim tantùm ob originis peccatum metus, tristitia, dolor nostri dominentur; Christum etiam secundùm hominem dominantibus illis perturbationibus obnoxium non fuisse rectè defendit, quem ex conceptionis modo demonstrat ab originis nostræ vitiis absolutum. Hinc quod ait num. 27. *An in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina conciderunt?* intelleximus ex proximè subnexis, *Quam igitur infirmitatem* DOMINATAM *hujus corpori credis, cujus tantam habuit natura virtutem?* ut non omnem à Christi corpore infirmitatem removerit, (aliàs pugnaret ipse secum,) sed tantùm dominantem.

133. Eodem spectat illud num. 24. *Assumta caro, id est totus homo, passionum est permissa naturis; nec tamen ita* permissa, *ut passionum conficeretur injuriis*: quasi diceret, Assumtus homo tum secundùm corpus, tum secundùm animam passionibus nostris permissus est quatenus naturales sunt, non quatenus injuriosæ atque contumeliosæ. Porro homini naturale est, ut cùm patitur corpus, anima motu aliquo moneatur: at quòd motum illum, quoties vult, comprimere non valeat, injuriosum ei, utpote peccati pœna, atque contumeliosum est. Eo pacto licuit num. 15. negare quòd Christus *senserit dolorem corporis nostri*; ac num. 47. dicere, *Et pro nobis dolet, & non doloris nostri dolet sensu.* Noster quippe dolor necessariò nos pungit, nobisque invitis & reluctantibus dominatur; ipsius verò voluntarius omnino fuit ac sponte assumtus. Oblatus enim quando voluit, ut pro potestate animam posuit, ita & assumsit dolorem. Immo si vera est Augustini definitio, qui sponte patitur, dolere negandus est. *Dolor* enim *carnis*, uti definit lib. 14. de civit. Dei c. 15. *tantummodo offensio est animæ ex carne, & quædam ab ejus passione dissensio: sicut animæ dolor,*

quæ

quæ tristitia nuncupatur, dissensio est ab his rebus quæ nobis nolentibus accidunt. His ita intellectis, nulla errati vel levis suspicio remanebit in iis, quæ Hilarius in commendanda singulari Christi conceptione edisserit. Inde enim meritò probat, Deum hominem assumsisse, & assumendo à se non defecisse; ac proinde esse aliquid in Christo, quod expers sit infirmitatis nostræ. Neque minùs congruenter fidei nostræ demonstrat, Christum etiam secundùm hominem, cùm ex Verbi virtute & non nostro concipiendi modo originem habeat, passionibus nostris obnoxium non fuisse, quamvis eis se sponte permiserit.

§ III. DE PASSIONE CHRISTI.

134. In hoc potissimùm de singulari Christi conceptione argumento versatur usque ad num. 26. Tum redit ratio, qua primùm usus est, quæque in toto libro principatum obtinet: qua nimirum hæreticis aut nullam aut exinanitam esse Christi divinitatem affirmantibus ostendit, in omnibus ipsius gestis ac dictis, etiam quibus hominem se & infirmum significat, quamdam aliam internosci naturam, quæ omnem à se infirmitatem depellere, & nullam non valeat exserere virtutem. Ut enim observat, dum nascitur, ortum ducit ex virgine & Spiritu-sancto; dum esurit, solo jussu arefacit arborem; flumina ex se præbet aquæ vivæ, etiam dum sitit; corpus gerit, & calcat undas; flet, & tamen gaudet de Lazari morte; moritur, at nemo ei aufert animam, sed ipse tradit, ejusque resumendæ potestatem habet. Alia hujusmodi passim dispersa legere est: ex quibus hîc seligimus, quæ num. 67. pressiùs & conclusionis in modum sic habet: *Natus ex Virgine Christus est; sed secundùm Scripturas conceptus de Spiritu-sancto est. Flevit Christus; sed secundùm Scripturas, ut in eo quod flevit, gratulatus sit. Et esurivit Christus; sed secundùm Scripturas sine cibo in non habentem fructus arborem Deus operatus est. Passus Christus est; sed secundùm Scripturas tunc à dextris Virtutis sessurus est. Derelinqui se ad mortem questus est; sed secundùm Scripturas tunc confessorem suum secum in regno paradisi recepit. Mortuus est; sed secundùm Scripturas resurgens à dextris Domini Dominus assedit.*

Aliam ab infirma in Christo naturam esse probat.

Vide similia apud Gregoriũ Naz. Or. 35. pag. 575.

135. His autem in locis sic verba sua format, ut cùm eas in Christo infirmitates & affectiones neget, quæ hominem dedeceant Deo substantialiter sociatum, earum tamen in eo veritatem fuisse sæpius confirmet: adeo ut prædicti numeri 67. hoc sit exordium, *Passus quidem est unigenitus Deus quæ homines pati possunt.* Quod rursum evidens est ex iis quæ num. 55. & 56. de Christi fletu habet. Sæpe etiam ex adjunctis intelligitur, eum ab una illa natura, cujus virtus prorsus divina est, omnem infirmitatis notam removere: ut v. g. cùm ait num. 34. *Non habet hunc metus corporalis, penetrantem quidem inferos, sed ubique naturæ virtute distentum:* & num. 44. *Non est itaque in ea natura, quæ supra hominem est, humanæ trepidationis anxietas.*

Ex adjunctis indicat se illâ unam ab infirmitate eximere.

136. Verùm ex iis locis, in quibus tristitiæ, timoris, ac doloris Christi causas aut exquirit aut explicat, longè certiùs persuademur, eum ab humana Mediatoris ac Redemtoris nostri natura harum affectionum dedecus tantùm, non veritatem auferre. In hoc porro situm erat illud dedecus, ut aut propter se doleret, aut dolore dominante conficeretur. Sanè, ut jam observatum, procul abest quis ut tristem aut dolentem neget, de quo quærit unde tristis sit aut unde doleat. Ne verò singularis videretur hæc illius in hisce causis explicandis sententia; huc referenda essent verba Ambrosii tum lib. 10. in Luc. n. 57. & 61. tum lib. 2. de fide c. 7. n. 54. Augustini in Psal. 40. n. 6. Hieronymi in Matthæum c. 26. à Beda in eumdem locum exscripti. Sed quod Augustinus loco memorato habet, conferat cui libuerit cum libro Hilarii 10. n. 10. verba autem Ambrosii, Hieronymi, Bedæ cum num. 37. ejusdem libri, necnon cum cap. 31. in Matth. Interim ad finem dicti libri 10. expendendum properemus.

Ab humana tantùm removet passionum nostrarum dedecus.

137. Tandem ubi hæreticis in unam Christi infirmitatem respicientibus, multimodam illius virtutem objecit, eosque convicit, nihil in sua ipsorum fide suppetere, unde in dictis gestisque tam diversis se extricent; expeditam eis viam aperit in Ecclesiæ fide, quæ cùm distinctas in una Christi persona naturas confiteatur, in componenda rerum tam contrariarum pugna non laborat. *Unus enim*, inquit

Distinctione naturarum pugnantia in Christo componi ostendit.

§ III. DE PASSIONE CHRISTI. num 62. *atque idem est Dominus Jesus Christus Verbum caro factum, se ipsum per hæc universa significans: qui dum ad mortem derelinqui se significat, homo est; dum verò homo est, in paradiso Deus regnet* &c. Et in exitu ejusdem numeri: *Habemus in sacramento filii hominis & filii Dei & mori regnantem, & regnare morientem.* Et deinceps ad finem usque totus est in commendanda & exponenda hac Ecclesiæ fide. Unde liquet quorsum primis libri sui paginis hæreticos adorsus sit, qui naturas Christi aut confundebant, aut dividebant: scilicet ut convulsis eorum præsidiis, fundamenta jaceret catholicæ fidei, qua cùm Deus ob conjunctionem cum homine verè passus & crucifixus dicatur, passus tamen creditur salvâ & integrâ divinitatis suæ naturâ. Hinc doctrina illius sanæ & orthodoxæ fidei prorsus consentanea approbatur. Quod ut planius fiat, vocabulorum nonnullorum vis est expendenda.

VI. *Quid Hilario sit passio seu pati, quid Christus, quid Christi natura aut virtus.*

Passum Verbum fatetur, negat passibile.

138. Non ambiguè explicat ipse libro de Synodis num. 49. quid passionis nomine sibi velit, dum ad Sirmiensis Concilii canonem XII. subjicit: *Absolutè ostenditur, cur Verbum, licèt caro factum sit, non tamen translatum fuerit in carnem. Cùm enim hæc passionum genera infirmitatem carnis afficiant, Deus tamen Verbum caro factus non potuit à se demutabilis esse patiendo. Non enim idipsum est pati, & demutari: quia omnem carnem passio cujusque generis demutet sensu, dolore, tolerantiâ. Verbum autem quod caro factum est, licèt se passioni subdiderit, non tamen demutatum est passibilitate patiendi. Nam pati potuit, & passibile esse non potuit: quia passibilitas naturæ infirmis significatio est; passio autem est eorum quæ sint illata perpessio: quæ quia indemutabilis Deus est, cùm tamen Verbum caro factum sit, habuerunt in eo passionis materiam sine passibilitatis infirmitate. Manet itaque indemutabilis etiam in passione natura: quia auctori suo indifferens ex impassibilis essentiæ nata substantiâ est.*

139. An hîc Verbum pati potuisse confessus, passibile non fuisse congruenter dixerit, non est institutæ quæstionis. Fortè ad hunc loquendi modum coactus est, quò omnem hæreticis aditum præcluderet, qui Verbum assumtione carnis in propria substantia sua patibile factum esse sentiebant. At verò cùm ex arbitrio pendeant nominum definitiones, nihil est discriminis, ubi singula distinctè explicata sunt. Neque obscurum est, passionem id ab eo vocari, quod Verbum denominet passum; passibilitatem verò, quod ipsammet Verbi naturam afficiat ac demutet. Quo posito, Verbum ex passione carnis patibile nequaquam fuisse rectè negat. At hoc impassibilitatis privilegium uni Verbo se vindicare satis significat, dum illud ipsi ea una ratione tuetur, quòd natura illius indemutabilis sit. Immo cùm concedit, *quia omnem carnem passio cujusque generis demutet sensu, dolore, tolerantiâ*, fateturque Verbum, quòd caro factum est, se subdidisse passioni; fatetur Christum, secundùm assumtum hominem, demutatum esse *sensu, dolore, tolerantiâ.* Sicut enim Verbum carnem factum cùm dicit, totum hominem à Verbo assumtum intelligit; ita intelligit totum hominem à Verbo subditum esse passioni, cùm Verbum carnem factum dicit sese passioni subdidisse. *Assumta caro*, inquit lib. 10. de Trin. n. 24. *id est totus homo, passionum est permissa naturis.*

Vocem Christi ad naturam Verbi referre solet.

140. Si attenderis deinde quid *Christus* apud Hilarium sonet, eum hoc vocabulo simpliciter posito solam Verbi naturam intelligere ac significare solere animadvertes. Hujus rei perspicuum est exemplum in his lib. 9. de Trin. n. 14. *Evacuatio eò proficit, ut proficiat forma servi, non ut Christus, qui in forma Dei erat,* CHRISTUS *esse non maneat; cùm formam servi non nisi* CHRISTUS *acceperit.* Plura huc referre esset supervacaneum, cùm quisque hoc per se præstare jam monitus valeat.

141. Hac loquendi ratione ideo forsitan usus est, quòd *Christus* personæ nomen est, neque alia in eo persona est nisi Verbi. Vel etiam ad tuendam Christi divinitatem totus intentus, nihil in eo intueri solebat libentiùs, quàm quod in ipso divinum est. Unde dulce *Christi* nomen Deum ipsi sapiebat, Deum resonabat. Qua

in opinione non mediocriter confirmamur his ejusdem libri n. 5. verbis: *Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundùm hominem dicta sunt, dicta esse secundùm naturæ divinæ infirmitatem mentiantur: & quia unus atque idem est loquens omnia quæ loquatur,* DE SE IPSO *eum locutum esse contendant.* Cur, quæso, ea quæ à Christo secundùm hominem à se assumtum dicta sunt, ab eo dicta esse *de se ipso* neget? Non ideo sanè quia Verbi hominisque assumti non unam personam sentiat, cùm hinc ab hæreticis fallendi ansam arripi conqueratur: sed potiùs quia assumtum, ac proinde velut adventitium & extraneum, in Christo spectet, quidquid in eum non convenit ut Verbum ac Deus est. In hoc loquendi modo Ambrosium consentientem habet. Quippe in Lucam lib. 10. n. 61. hæc Christi verba, *Tristis est anima mea*, &, *Turbata est anima mea*, perpendens ait: *Non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur. Anima enim passionibus obnoxia, divinitas libera. Denique Spiritus promtus, caro autem infirma. Tristis autem est, non* IPSE, *sed anima.* Cum utroque facit Augustinus cùm pluribus locis, tum maximè in Psal. 37. n. 11. ubi habet: *Non enim* SE IPSE *Christus demonstravit in terra, sed demonstravit carnem suam.* Ita Justinus apologiæ 1. initio Christi & Jesu nomina distinguenda esse, & hoc ad carnem, illud verò ad divinitatem referendum tradit: *Filius Dei*, inquit, *qui solus propriè dicitur filius*, CHRISTUS *quidem ex eo, quòd per illum Deus omnia conformaverit atque ornaverit appellatur.* ... JESUS *verò & hominis & Servatoris nomen & designationem habet.* §. III. DE PASSIONE CHRISTI.

142. Ex hac observatione sequitur, ut quod Hilarius de Christo simpliciter affirmat vel negat, ad divinam ipsius naturam ut plurimùm referendum sit. Si autem huic quod de passionis vocabulo proximè observatum est adjunxeris; haud ægre audies Christum habuisse corpus ad patiendum, ac passum esse, sed naturam non habuisse ad dolendum. His enim verbis nihil tibi occurret aliud, nisi Verbum in Christo capax quidem esse passionis, si quidem carnem patibilem assumsit; sed non capax esse doloris, cùm in naturam ejus nequaquam cadat demutatio.

143. Interdum etiam reminisci juverit, solo carnis vel corporis nomine totam naturam humanam, divinam verò spiritûs aut æternitatis vocabulis sæpe significari.

144. Longè majoris momenti est vocis *naturæ* notitia. Hujus intelligentiam ad assequenda Hilarii dicta necessariam esse advertit Hunaldus apud Philippum bonæ Spei abbatem, sed ipse non satis perspectam habuit. Porro naturam Christi dispensationi & assumtæ infirmitati, sicut naturalia illius attributa assumtis, ab Hilario constanter opponi pluribus exemplis liquet. Hinc lib. 9. n. 33. omnia Christi prænomina & cognomina in *naturalia* & *assumta* partitur. Et lib. 10. defendens Christum in forma Dei simul & in forma servi esse, quo discrimine utramque illam formam in se contineat, sic aperit num. 22. *In forma enim servi est, qui & in forma Dei est: & cùm hoc* NATURÆ, *illud verò* DISPENSATIONIS *sit* &c. Rursum num. 65. *Habens in se uno eodemque, per* DISPENSATIONEM *atque* NATURAM, *in Dei forma & in forma servi* &c. num. 66. *Qui cùm* EX DISPENSATIONE *homo esset, maneret tamen* EX NATURA *Deus:* & mox, *ut cùm infirmitas esset ex forma servi, &* NATURA *maneret ex forma Dei.* Naturale Christo vocat, quod in eo divinum est; at quod humanum, spectat ut accessionem ad naturam.

145. Hæc si observasset Erasmus, cùm in Psal. 68. offendit num. 9. *Non fuit ergo in unigenito Deo* NATURALIS *infirmitas, sed* ASSUMTA; & num. 18. *Cunctæ nostræ, quæ in eo fuerunt, infirmitates non* NATURALES *sunt, sed* ASSUMTÆ: minimè reclamasset, *Quomodo non naturales ei qui naturam assumsit?* Intellexisset quippe eas non homini assumto, sed Verbo assumenti negari naturales; ideoque vocari assumtas, quia eas, naturam carnis assumendo, in se assumserit, à quibus antea ex natura sua alienus erat. Ut enim ait Augustinus in Psal. 93. n. 19. Deus unigenitus *tristitiam sic assumsit, quomodo carnem.* Atqui, ut loquitur Hilarius noster in Psal. 68. n. 9. *alienum à natura sua corpus assumsit.* Unde & in epistola Dionysio Alexandrino adscripta T. 1. Concil. p. 854. Christus non naturâ homo, sed naturâ Deus, οὐ φύσει ἄνθρωπος, ἀλλὰ

§. III. DE PASSIONE CHRISTI.

φύσει θεὸς asseritur : & Cyrillus lib. 11. in Johan. cap. 12. naturam humanam ad Deum Verbum σχετικῶς, non φυσικῶς adscendisse docet; quia nimirum ex se & ex suapte conditione non habeat, ut cum Deo unum sit. Tristitia igitur aliæque infirmitates nostræ à natura Christi alienæ fuerunt, & consequenter ei non naturales. Non naturales inquam, non naturæ mortali, sed naturæ à qua ei virtus fuit resurgendi. Quod Hilarius in Psal. 53. n. 7. declarat, ubi cùm præmisisset, *Omnia, quæ hominum sunt, & oravit & passus est... hinc est quòd esurivit, sitivit* &c. subjicit, *Et ut his omnibus* NON NATURA, SED EX ASSUMTIONE *subjectus esse posset intelligi, perfunctus his omnibus resurrexit.*

146. Neque obscurum est, cur ea usus sit loquendi ratione. Quod enim superiùs de vi vocis *Christi* est observatum, longè hîc majorem locum habet. Et quidem cùm una in Christo Verbi persona sit, cujus propria natura divina est, cuique humana, quamvis per conjunctionem substantialem, tamen per voluntariam assumtionem accessit; cur hanc non liceat velut extraneam respicere? Si autem Christo velut quid extraneum est assumtus homo; pariter extraneum ei erit quidquid in hominem assumtum conveniet. Quocirca cùm in Psal. 139. n. 2. dicat, *Quòd enim Deus est, naturæ suæ est, quòd autem homo fuit, naturæ nostræ assumtio est;* cúmque in Psal. 68. n. 25. hoc dictum, quòd *neque formæ servilis assumtio tamquam genuinæ originis conditionisque natura est*, ea ratione probet, quia *id, quod assumtum est, non proprietas interior sit, sed exterior accessio:* consentanea sibi loquitur lib. 9. de Trin. n. 7. cùm res hominis assumti *res naturæ nostræ*, res autem divinas *naturæ suæ* vocat in hunc modum : *Homo natus secundùm consuetudinem naturæ nostræ locutus est. Nam tametsi in partu & passione & morte* NATURÆ NOSTRÆ *res peregerit; res tamen ipsas omnes virtute* NATURÆ SUÆ *gessit, dum sibi ipse origo nascendi est, dum pati vult quod eum pati non licet, dum moritur qui vivit.*

147. Jam itaque perspicuum est, quî salva fide dixerit in Psal. 138. n. 3. *Assumtio autem infirmitatis non fecit infirmum; quia aliud est naturam esse, aliud assumsisse naturam: & extra generis necessitatem voluntatis accessio est.* Neque magis suspectum est illud Tract. Psal. 54. n. 6. *Universa, quæ mortis nostræ sunt ac timoris, ita pertulit, ut in eum inciderent hæc potiùs, quàm inessent, dum infirmitas nostra magis est, quàm naturalis in Deo est.* Incidunt quippe infirmitates nostræ in personam divinam, cui attribuuntur; sed in propria illius natura non insunt : dum illis ea subjacet natura, quæ de nobis assumta est. Faciliùs quoque jam assentietur quisque, Hilarium in iis locis, in quibus Christum omnino à nostris infirmitatibus eximere videbatur, tantùm naturam illius propriam, non eam quàm à nobis suscepit, ab iis vindicare. Quod ut magis ac magis exploratum sit, quæ ab eo *virtutis* vocabulo vis attribuatur, nunc considerandum.

Virtutis vocabulo Christi divinitatem ubique intelligit.

148. Nihil apud veteres usitatius esse, quàm ut virtutis voce Christi divinitatem enuntient, vel ea sola testimonia, quæ ex ipsis Theodoretus ad calcem dialogi 3. adversùs Theopaschitas collegit, amplam fidem faciunt. Quibus addimus unum illud Ambrosii lib. 2. de fide c. 7. n. 56. Christus *ut homo turbatur: non turbatur ejus virtus, non turbatur ejus divinitas; sed turbatur anima, turbatur secundùm humanæ fragilitatis assumtionem.* Ad Hilarium verò quod attinet, quamvis hac voce, cùm de Christo ei sermo est, sæpius utatur, non occurrit tamen animo, utrùm eam usquam non ad divinitatem ipsius referat. Hanc eo vocabulo perspicuè significat in Psal. 2. n. 25. dum ait, *Non idcirco non Dei filius, quia & hominis est filius. Non enim cum divinitatis decessione fit humilitatis accessio : nec per consortium infirmitatis contumeliam* VIRTUS *excepit; quippe cùm infirmitas honore sit donata* VIRTUTIS. Nec minùs clarè cap. 9. in Matth. n. 7. habes : *Assumtio corporis non naturam* VIRTUTIS *inclusit : sed ad redemtionem suam, fragilitatem corporis* VIRTUS *assumsit.* Huic loco similis est alter Tract. Psal. 143. n. 7. quo Verbi exinanitio sic exponitur : *Neque* VIRTUS *in humilitatem sese licèt cohibens defecit ex sese, & humilitas cohibitâ in sese Virtute suscepta, cùm quod non erat esse cœpit, profectum ejus quæ à se non defecerat Virtutis accepit.* Ita lib.

lib. 10. de Trin. n. 16. *Verbi virtus, non corporalibus modis manens, nec deerat unde descenderat.* Sed ad rem nostram propiùs pertinet, quòd ibid. n. 66. enarrans illud Pauli, *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*, virtutem Christi divinam naturam, infirmitatem verò humanam ejusdem naturam interpretatur in hunc modum: *Eumdem ex infirmitate crucifixum ait* (Paulus,) *qui ex virtute Dei viveret: ut cùm infirmitas esset ex forma servi, & natura maneret ex Dei forma, non ambiguum esset in quo sacramento* (id est, in qua natura) *& passus esset, & viveret; ut cùm in eodem esset &* INFIRMITAS *ad passionem, & ad vitam Dei* VIRTUS, *non alius ac divisus à se esset, qui & pateretur & viveret.* Quæ cùm ita sint, quid vetat, quo minùs in his lib. 10. n. 48. *Succumbere ergo tibi videtur* VIRTUS *ista vulneris clavo, & ad ictum compungendi exterrita demutasse se in naturam dolendi*, solam Verbi naturam à dolore eximi intelligamus? Immo quis ea verba aliter intelligenda censeat?

§ III. DE PASSIONE CHRISTI.

149. Neque solùm vox *virtus*, aut *virtus Dei*, sed etiam *virtus corporis* apud Hilarium ad Verbi naturam attinet; adeo ut libris de Trinit. *virtus corporis* perinde ei sit, ac in Matth. c. 9. n. 7. *potestas intra corpus manens*, aut cap. 8. n. 7. *ipse in corpore positus.* Certè Verbum homini conjunctum virtutem corporis nuncupare ei licuit: tum quia assumta caro ex ipsius præsentia ac societate mutuata est quidquid potentiæ obtinuit, tum quia specialiter sensit, uti §. 1. fusè demonstratum est, ex Verbi virtute conceptum esse corpus, quod ex Virgine suscepit. *Virtus corporis non aliud sonat.*

150. Accepta hac notione, tota dirimitur controversia, quæ maxima nata est ex verbis lib. 10. n. 23. *Passus quidem est Dominus Jesus Christus, dum cæditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur: sed in corpus Domini irruens passio nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exseruit, dum & pœnali ministerio desævit, &* VIRTUS CORPORIS *sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit.* Si enim ibi *virtus corporis* intelligitur Verbum quod corpus assumsit, hæc sibi volent, passionem scilicet, qua cæsus est Christus, & veram fuisse, & non veram: veram quidem in corpus ipsius, seu in hominem ab eo assumtum, quem proinde demutarit *dolore, sensu, tolerantia*, uti jam num. 139. observatum; non veram autem in Verbum carni conjunctum, in quod mox dicto demutationis effectu caruerit. Nulla igitur hinc disceptandi causa, cùm nemo catholicus ambigat, quin filius Dei, post quàm factus est filius hominis, sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis exceperit, hoc est, dictus sit pati, quod in carne absque ulla sui demutatione perpessus sit. *Hinc locus, qui difficillimus antea visus est, explicatur.*

151. At quòd allato loco *virtus corporis* Verbum intelligatur, non ambiget, qui cum eo contulerit hoc Tract. Psal. 54. n. 6. *Et hæc quidem in eum omnia, quæ nostræ necessitatis sunt, irruerunt; sed ab eo* NATURÆ SUÆ VIRTUTE *suscepta sunt, dum mortem nostram, potens non mori, etiam* TIMOREM *in se mortis ingruentem non renuit:* vel illud lib. 10. de Trin. n. 47. *Passus igitur unigenitus Deus est omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates, sed passus* VIRTUTE NATURÆ SUÆ, *ut & virtute naturæ suæ natus est: neque enim cùm natus sit, non tenuit omnipotentiæ suæ in nativitate naturam.* & post pauca, pro *virtute naturæ suæ*, ait *virtute corporis sui*, puta, *Secundùm quod ita ex infirmitate corporis nostri passus in corpore est, ut passiones corporis nostri,* CORPORIS SUI VIRTUTE *susciperet.* Quod in Psal. 141. n. 8. breviùs ac clariùs sic elocutus est: *Licèt se passioni daret, non tamen* VIRTUS ÆTERNA *dolorem passionis exciperet.* Unde liquet, Virtutem corporis, Virtutem naturæ suæ, & Virtutem æternam Hilario synonyma fuisse, iisque significari Verbum, à quo homo cum iis quæ hominis sunt, absque ulla sui demutatione, susceptus est.

152. Verbum quoque carnem factum *virtutem corporis* & *virtutem in corpore* ab Hippolyto appellatum esse apud Theodoretum ad calcem dialogi *Impatibilis* legimus: *Corpus*, inquit, *quamvis humano more mortuum, magnam in se vitæ Virtutem habet. Quæ enim ex mortuis corporibus non profluunt, ex illo manarunt, sanguis & aqua: ut sciremus quantum ad vitam valeat* VIRTUS *quæ in corpore habitavit.* Item ait: *Non confringitur os sancti agni, ostendente figura passionem non attingere* VIRTUTEM. *Corporis enim virtus sunt ossa:* & ideo Verbum adumbrant, quod assumti corporis virtus est.

m

§. III. DE PASSIONE CHRISTI.

153. Sed ad superiorem libri 10. de Trinit. locum illustrandum nullus aptior est, quàm qui in Psal. 53. num. 12. habetur. Ex hoc enim evidenter patebit, quàm in illo *virtus corporis* perinde Hilario fuerit atque *natura divinitatis*. Nec ingratum erit ab ipsomet audire, non quid recens de Domini passione senserit, sed quid de ea *semper* prædicarit; ut illuc provocentur, qui eum libris de Trinitate errasse, sed postmodum Tractatibus in Psalmos errorem retractasse sentiunt. Porro in eo loco brevem totius doctrinæ suæ de Christi passione summam sic complexus est: *Quòd autem* (spectat) *& in crucem actum unigenitum Dei filium, & morte damnatum eum, qui nativitate, quæ sibi ex æterno patre est naturalis, æternus sit; frequenter immo* SEMPER *prædicamus, non ex naturæ necessitate potiùs, quàm ex sacramento humanæ salutis passioni fuisse subditum, & voluisse se magis passioni subjici, quàm coactum. Et quamquam passio illa non fuerit conditionis & generis, quia indemutabilem* DEI NATURAM *nulla vis injuriosæ perturbationis offenderet: tamen suscepta voluntariè est, officio quidem ipsa satisfactura pœnali, non tamen pœnæ sensu læsura patientem: non quòd illa lædendi non habuerit pro ipsa passionis qualitate naturam; sed quòd dolorem* DIVINITATIS NATURA *non sentit. Passus ergo est Deus; quia se subjecit voluntarius passioni: sed suscipiens naturales ingruentium in se passionum (quibus dolorem patientibus necesse est inferri) virtutes, ipse tamen à naturæ suæ virtute non excidit ut doleret.* Jam verò hæc confer cum verbis num. 23. lib. 10. de Trin. quæ hactenus multis difficilia, pluribus autem suspecta visa sunt: nec ulla occurret nisi in verborum sonis discrepantia. In uno si quidem loco Christus dicitur *passus*, in altero *passioni subditus;* in hoc *cum pœnali officio*, in illo cum *pœnali ministerio*, in utroque *sine pœnæ sensu*, in utroque ipsi passionis qualitati non negatâ lædendi naturâ: in utroque etiam statim subjicitur ratio cur hæc naturali effectu destituta sit, libro quidem de Trinit. obscuriùs, quòd *Virtus corporis vim pœnæ in se desævientis excepit;* manifestiùs autem in Psalmos, *quòd dolorem divinitatis natura non sentit*, & quòd *passus Deus à naturæ suæ virtute non excidit ut doleret.* Sed hinc discutitur caligo, quæ illinc inducebatur.

154. Aptissimè deinde virtus illa Verbi, qua carnis passiones absque ulla sui demutatione excepit, teli in aquam aut ignem aut aërem immissi comparatione illustratur. Quemadmodum enim telum, cùm ex natura sua pungere, forare, vulnerare idoneum sit, his tamen effectibus in hæc elementa immissum caret, quia illa eos in se minimè recipiant: sic & quia in divina natura nullus patet dolori locus, in Christi divinitatem ad irritum cadit passio, per se inferendo dolori nata.

155. Aliis etiam similitudinibus eamdem fidei nostræ veritatem explicant & confirmant alii Hilario nostro æquales aut etiam superiores. Solis similitudine utitur Eustathius Antiochenus apud Theodoretum dial. 3. *Si autem*, inquit, *sol, cujus corpus cerni & sensu percipi potest, tot tantasque ubique terrarum ferens contumelias, non mutat ordinem, nec ictum ullum parvum magnumve sentit: incorpoream existimamus pollui Sapientiam, & mutare naturam, si ejus templum cruci affigatur, aut destructionem sustineat, aut vulnera excipiat, aut corruptionem admittat? Sed templum quidem patitur: labis autem expers substantia omni ex parte impollutam retinet dignitatem.* Eamdem comparationem ob eamdem causam adhibet Eusebius Pamphili lib. 4. Dem. Evang. c. 13. Se quoque hac in parte Arianis non sociatum esse ostendit Eusebius Emesenus, cùm in laudato Theodoreti Opere ait, *Si dixero camelum volare, vos protinus absurdum dicitis; quia naturæ non convenit: & rectè facitis. Si dixero homines in mari habitare, non toleratis: & rectè facitis; natura enim non patitur. Ita si dixero quòd illa Potentia, quæ est ante sæcula, & naturâ suâ incorporea, & dignitate impatibilis, & apud Patrem, & ad dexteram & in gloria; si dixero naturam illam incorpoream pati, nonne aures vestras obturatis?* &c. His perspectis, cui jam persuasum non erit, Hilarium in unos respexisse Theopaschitas, & unam Verbi naturam à dolore immunem demonstrare voluisse, cùm lib. 10. teli comparationem instituit? Si quod aliud privilegium in eodem loco aliisve carni assumtæ attribuere videatur; eò redit, ut hoc tantùm velit quod in memorato Tractatu Psal. 53. n. 12. docet, Christum scilicet etiam secundùm

carnem *voluisse se magis passioni subjici, quàm coactum.* Nulli itaque ambiguum esse jam debet, quin & de Hilario vera sit hæc Theodoreti ex Gregorio Nyss. descripta sententia: *Cùm duplex & ambigua sit opinio, divinitasne, an humanitas passa sit, unius rejectio erit alterius confirmatio.* Sed ut argumenta, quibus hoc demonstratum est, recolere quisque faciliùs valeat; præcipua paucis sunt perstringenda. §. III. DE PASSIONE CHRISTI.

VII. *Synopsis argumentorum, quibus Hilarius de passione Christi rectè sensisse approbatur.*

156. Primò ante Claudianum Mamertum nullus, post hunc primus Berengarius eum reprehendit quòd passionum Christi veritatem negaret. Contrà à nominatissimis quibusque Doctoribus sacrisque Conciliis ut venerandus & catholicus Doctor & acerrimus fidei defensor semper audiit. At si in ea fuisset sententia ita singulari, ut nullum ejus vestigium in ætatis illius scriptoribus deprehendere sit, immo quæ fidei omnium consensu receptæ repugnet; tot eum laudibus minimè celebrassent. Longè minùs ei pepercissent hæretici, qui cùm adversantes sibi catholicos alios confictis hæresibus calumniisque infamare pro nihilo ducerent, ipsius tamen integritatem auctoritatemque semper summopere reformidarunt.

Deinde Aphthardocitis, qui Justiniano regnante ac favente errorem Hilario à nonnullis adscriptum defendebant, numquam venit in mentem, ut sententiam suam tanti viri nomine munirent, cujus jam pridem apud Græcos celebria erant scripta.

3°. Huic errori re vera minimè favet, quod ait lib. 10. n. 24. *Assumta caro, id est totus homo, pasionum naturis permissa est.*

4°. Eidem passim adversatur, qui non solùm constanter docet Christum gessisse, dixisse ac passum esse quæcumque hominum sunt; sed & eum sitim, esuriem, tristitiam ac timorem suscepisse, necnon anxium & turbatum fuisse, flevisse ac doluisse, variis in locis confitetur.

5°. Omnes illas hominum affectiones verè à Christo susceptas esse adeo persuasum ei erat, ut in earum causis explicandis studium & operam collocarit, probaritque illum eas non suâ, sed nostrâ causâ, & ut hæreticos carnis ab ipso assumtæ veritatem negantes mendacii convinceret, perpessum esse.

6°. Cùm lib. 1. de Trinit. n. 32. declaret, se librum decimum instituisse adversùs hæreticos, *qui divinæ professionis naturæque immemores, ad impietatis suæ argumentum dispensationis gesta dictaque tenuerunt*, hoc est, ut planiùs loquitur lib. 9. n. 5. qui *quæ ab eo* (Christo) *secundùm hominem dicta sunt, dicta esse secundùm naturæ divinæ infirmitatem mentiuntur:* contuendum est quænam illa sint, quæ lib. 10. adversùs Christi divinitatem hæretici objiciant. Atqui quæ de Christi tristitia, timore, dolore sunt dicta, objiciunt. Ultro igitur concedit Hilarius, ea de ipso secundùm hominem verè dicta esse.

7°. Ne hanc ignoremus instituti sui rationem, libri 11. initio *, pro more suo memorans quid superiore confecerit, confirmat sese in decimo adversùs hæreticos disputasse, qui *dispensationem assumti corporis rapiunt ad contumeliam divinitatis; & impietatis causas arripiunt de salutis nostræ sacramento: qui si apostolicæ fidei tenaces essent, intelligerent eum, qui in forma Dei esset, assumsisse formam servi, neque formam servi assumerent ad formæ Dei dehonestatem.* Hæc igitur una ei de hæreticis querela est, non quòd infirmitates nostras Christo attribuant, sed quòd formam Dei & formam servi distinguere nescientes, quæ assumti hominis sunt ad formam Dei referant. In libro autem decimo ad contumeliam divinitatis rapiunt quidquid de Christi tristitia, dolore, timore scriptum est. Ea ergo, ex Hilarii sententia, assumti corporis fuerunt.

* num. 6.

8°. Si expendantur hæreticorum, quos lib. 10. refellit, sententiæ, quî nimirum Christum dividerent, aut cum carne Verbum confunderent; si rursum attendatur quorsum institutæ tot quæstiones, & cur naturarum in uno eodemque Christo distinctio tam operosè inculcata: non latebit, omnia prudentissimi Doctoris argu-

§ III. DE PASSIONE CHRISTI. menta eò spectare, ut multis hæreticos convincat, diversa Christi gesta dictaque ex sua ipsorum opinione explicari omnino non posse, convictosque sensim perducat ad Ecclesiæ fidem, quæ unam Christi personam duasque naturas confitens, habet unde in uno eodemque virtutis simul & infirmitatis evidentia signa componat. Scopum hunc sibi in superioribus fuisse num. 60. ac deinceps apertè significat.

* in Psal. 54. n. 6.

157. Hanc itaque Ecclesiæ fidem, qua Christus * *omnibus quæ infirma sunt salvâ Majestatis suæ dignitate perfunctus* creditur, unicè propugnat, dum acriter persequitur hæresim, quæ ex doloribus carnis assumtæ infirmitatem Dei assumentis adstruebat. Hanc non semel notat prænuntiatam Esaiæ verbis, *Pro nobis dolet, & nos existimavimus eum in doloribus esse:* quasi diceret, Pro nobis dolet secundùm naturam à nobis in tempore assumtam, & nos existimavimus eum secundùm potiorem sui naturam, quam ante tempora obtinet, in doloribus esse. Non aliud sonat illud Tract. Psal. 68. n. 23. *Hunc igitur ita à Deo percussum persecuti sunt, super* DOLOREM *vulnerum* DOLOREM *persecutionis hujus addentes. Pro nobis enim secundùm prophetam dolet, & idcirco est esse in doloribus æstimatus.* Ex quo commodè intelligitur hoc lib. 10. de Trin. n. 46. *Fallitur ergo humanæ æstimationis opinio, putans eum dolere quod patitur.* Quod illustratur ex Tract. Psal. 138. n. 3. ubi præmissis verbis Esaiæ, *Infirmitates nostras portavit,* proximè subjicit: *Et ne quid in impassibilem atque indemutabilem divinitatem infirmitatis incidere existimaretur; adjecit* (Esaias,) *Et nos putabamus eum in doloribus esse. Suscepit ergo infirmitates, quia homo nascitur; & putatur dolere, quia patitur: caret verò doloribus ipse, quia Deus est.* Cui enim Hilarius hîc non videatur priora Esaiæ verba, *Pro nobis dolet* &c. de Christi carne dici concedere; tantùmque contendere, quòd subnexis præmonstrata sit perversa eorum argutandi ratio, qui assumtæ carnis infirmitates in Verbi assumentis divinitatem rejicerent? Eorumdem sophismata rursum in Psal. 68. n. 12. sic notat: Christus *flet interdum, & ingemiscit, & tristis est* (secundùm humanam naturam:) *& id ipsum ad infirmitatis tribuitur exemplum* contra divinam.

158. Quia vero ii ipsi perturbationes humanas in Christum non secus ac in nos incidisse, ejusque *dominatas* esse jactitabant; ostendendum ei fuit, Christum eis ex se minimè obnoxium fuisse, ac susceptarum infirmitatum semper exstitisse dominum. Primum præstat fusè exposita originis illius sanctitate: alterum autem ex virtute gestorum demonstrat; quippe quibus Christus omnem à se infirmitatem arcere se potuisse non obscurè significarit.

159. Itaque ut tam longam disputationem paucis comprehendamus, Hilarius contra hæreticos disputans, qui unam Christi ceterorumque hominum in passione conditionem fuisse sentiebant, infirmitates illius à nostris quadruplici ratione differre ostendit. Nostræ quippe cùm sint coactæ, ex merito nostro nos afficiant, nostri dominentur, nec quidquam in nobis sit, quod non eis subjaceat; demonstrat infirmitates Christi esse voluntarias, & propter nos non propter se ab eo susceptas, ad nutum illius voluntatemque temperatas esse, neque eam naturam quam æterna nativitate habuit, sed eam tantùm quam ex temporaria assumtione suscepit, attingere. Ad hæc quatuor Christi privilegia vindicanda revocatur, quidquid Hilarius de Servatoris nostri passione edisserit.

§. IV.

An Hilarius, moriente Christo, Verbum à carne secessisse senserit.

160. VIX emersimus è salebroso loco, cùm ecce incidimus in alium. Christi enim mysteria prosequentibus proximè post passionem sese offert mors ejus. Multos autem offendit, quod in hæc Christi morituri verba, *Deus Deus meus quare me dereliquisti?* subjecit Hilarius, *Clamor verò ad Deum corporis vox est recedentis à se divinitatis contestata dissidium:* quasi nimirum Verbum, ante quàm moreretur Christus, à corpore quod assumserat discessisse diceret.

cap. 33. in Matth. n. 6.

161. Et

161. Illis resistere primùm nobis non erat animus; cùm salva & integra veritate, à qua recedere numquam tutum est, id fieri non posse videretur. Id tum nobis dumtaxat ducebamus præstandum, ut sententiam illam neque ei singularem, neque cum hæreticis communem fuisse ostenderemus. Deinde verò cetera ipsius Opera relegentibus, constitit eum in priore illa opinione minimè perseverasse, sed oppositam in scriptis posterioribus asseruisse sententiam. Demum ubi ad hanc partem probandam ventum est, tanta animi firmitate contra eos, qui Christum etiam in morte dividebant, visus est decertare, ut cum his eum aliquando consensisse nec levis suspicio relinqueretur. Prælibatam itaque dissertationis nostræ rationem retractare non piguit, aliamque inire: in qua primùm non diffitemur, allata ipsius verba non multùm discrepare à verbis Patrum, quorum aliqui credi vix possunt Verbum à mortuo Christi corpore non sensisse separatum: tum ea ipsa Hilarii verba absque ulla Verbi separatione intelligi commodè posse, ex aliis ipsius loquendi modis ostendimus: postremò ea non solùm posse, sed & debere ita intelligi approbamus selectis nonnullis sententiis, quibus contra Christi divisores vehementer adeo disputat, ut eum illorum debellatorem potiùs existimare deceat, quàm fautorem.

§. IV. DE MORTE CHRISTI.

I. *Qui è veteribus videantur Verbum à carne Christi mortua separatum sensisse. Qua ratione ab hæreticis dissideant.*

162. In primis occurrit quod Epiphanius hær. 69. n. 62. ad prædicta Christi verba, *Deus Deus meus quare me dereliquisti*, respiciens ait, *Cùm illa eadem humanitas cum divinitate conjuncta sic esset, ut una esset utriusque sanctitudo; & in hac illa perfectissimè omnia cognosceret, utpote Deo copulata, & in unam consociata deitatem; videns divinitatem jam in procinctu quodam esse, ut sanctum corpus desereret, ex ipsius hominis Dominici persona, hoc est, humanæ naturæ à Verbo susceptæ, (quippe divinitas omnia quæ ad passionis mysterium attinebant, perficere decreverat, & ad inferos cum anima descendere)... vox ad conjunctam divinitatem illa est edita, Deus Deus meus quare me dereliquisti?* Ita etiam Leporius in libello emendationis * (cui Augustinus aliique episcopi subscripsisse se testantur epist. apud August. 219. n. 13.) profitetur, Christum ideo in cruce clamasse, *Deus Deus meus quare me dereliquisti? ut vere manifestéque filius Dei secundùm carnem se ostenderet moriturum, & velut carnis ipsius voce utens, ponens præteritum pro futuro, quia per mortem crucis necessariò terrenum corpus erat à Deo pro tempore relinquendum, non solùm à Deo, verùm etiam ab anima sua, quæ erat unita cum Deo, hoc ipsum priùs quàm fieret, nobis moriens testaretur.* Et paulo pòst, *Divinitas cum unita sibi anima, non crucifixum hominem reliquit in pœnam, sed exanimem carnem reliquit ad tempus.*

* T. 2. Concil. p. 1678.

163. Cum his facere crederes Athanasium lib. de Incarnatione Christi pag. 75. ubi defendens indecorum fuisse ut vi morbi Christus moreretur, mortem illius eo verbo enuntiat, quod Verbi à corpore secessionem sonet. *Si ejus corpus ægritudine laborasset, & Verbum ab eo dissoluto recessisset* &c. At lib. de salutari adventu J. C. pag. 645. de sententia sua dubitari non permittit, cùm Christi mortem non vult dici *segregationem deitatis, sed corporis mortificationem; ita ut eo tempore divinitas neque corpus in monumento, neque animam in inferno destituerit.* quod & subinde demonstrat. Potiore forsitan jure ad superiorem sententiam retuleris illa Eusebii Cæsar. ad calcem cap. 13. lib. 4. dem. Evang. *Sic sanè etiam mortuum illud Verbi corpus, ubi * exiguum quiddam virtutem Verbi attigit, tum excitatum est illico ac revixit:* quasi nimirum corpus Verbo abscedente mortuum, eodemque redeunte redivivum fuisset.

εἰ μὲν οὖν ἦν πάλιν νοσῆσαι τὸ σῶμα, καὶ ἐπ' ὄψει πάντων διαλυθεὶς ἀπ' αὐτοῦ ὁ λόγος &c.

* tantillùm.

164. Propiùs omnium Hilarii nostri verba imitatur Ambrosius lib. 10. in Luc. n. 127. ubi illud Matthæi, *Clamans voce magna emisit spiritum*, sic interpretatur: *In quo vel professio gloriosa usque ad mortem se pro nostris descendisse peccatis... vel evidens manifestatio contestantis Dei secessionem divinitatis & corporis: sic enim habes,*

§. IV. DE MORTE CHRISTI.

Clamavit Jesus voce magna dicens, Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Clamavit homo separatione divinitatis moriturus. Posterior hæc sententia in expositione Symboli Apostolorum, seu Tractatu de Trin. apud ipsum Ambrosium in append. Tom. 2. edito cap. 13. inserta est.

165. Denique cùm consequens sit, ut Verbum animâ dissolutâ à corpore disjunctum fuerit, si animâ tantùm mediante cum corpore fuerit conjunctum; quotquot huic opinioni favent, illi meritò existimentur suffragari. Unde illud etiam consectarium est, ut si Verbum animâ tantùm mediante cum carne conjunctum absque ulla hæreseos nota docere licuerit, licuerit pariter dicere Verbum animâ recedente à corpore secessisse.

Triplex inter hæreticos & catholicos discrimen.

166. Itaque hæc Christi in cruce morientis verba, *Deus Deus meus quare me dereliquisti*, quamvis nonnullos Patres pariter cum hæreticis de Verbi à carne discessione interpretatos esse quis largiatur; non statim tamen ei concedendum est, unius ejusdemque interpretationis eamdem in utrisque fuisse rationem. Quippe hæretici Verbi divinitatem, quasi infirmam & trepidam ne sibi mors & passio sustinendæ essent, à Christo passuro discessisse somniabant: contra quos Gregorius Nazianz. Or. 36. n. 20. *Neque enim, quod quidam opinantur, ipse vel à Patre, vel à sua divinitate, quasi passionem extimescente, ob idque sese à perpetiente colligente atque contrahente, derelictus est.* Patres verò, qui cum illis consentire videntur, hanc innuunt opinionis suæ rationem, quòd tantam arbitrarentur divinitatis virtutem, ut mortem, quam Christus ad implendam Patris voluntatem subire decreverat, corpori cum ea conjuncto contingere nullo pacto posse existimarent. *Nam cùm divinitas*, inquit loco mox memorato Ambrosius, *mortis libera sit, utique mors esse non poterat, nisi vita discederet; quia vita divinitas est.* Eadem habet auctor expositionis Symboli apud ipsum Ambrosium. Eò revocari potest quod Tertullianus lib. contra Prax. n. 30. cùm dixisset Christum tradendo spiritum obiisse, subjicit, *Spiritu enim manente in carne, caro omnino mori non potest:* si tamen ibi, ut aliàs solet, *Spiritus* nomine divinitatem intellexit, quod non satis liquet. At hinc evidens est, Patres hæreticosque maximè dissidere, cùm hi abjectiùs, illi quodam modo sublimiùs de Christi divinitate sentientes, ejus à corpore mortuo separationem docent.

167. In hoc præterea dissentiunt, quòd hæretici ante Christi mortem, immo etiam ante passionem, catholici verò in ipsa dumtaxat morte Verbum à corpore separatum prædicarint. Unde libellus Leporii suprà monet, in verbis *quare me dereliquisti* positum esse *præteritum pro futuro:* & Epiphanius observat, hanc carnis vocem, non ad separatam, sed *ad conjunctam divinitatem* esse, & *cùm jam in procinctu quodam esset, ut sanctum corpus desereret.* Ex quo maximum illud inter utrosque habetur discrimen, quòd cùm illi merum hominem, isti verum Deum pro nobis passum ac mortuum esse constituant; ab his infinitum, & ab illis finitum ponatur redemtionis nostræ pretium.

168. Postremò Epiphanius, Leporius, aliique catholici asserunt, Verbi cum anima Christi, etiam morte intercedente, conjunctionem illæsam permansisse. *Ad inferos*, inquit Epiphanius hær. 20. n. 2. *cum divinitate sua animaque descendit, captivam ducit captivitatem, ac die tertio cum sanctissimo suo corpore ad vitam excitatur. Quod quidem corpus cum divinitate sua conjunxit, non ampliùs dissolvendum.* At hæretici totum hominem Christum à divinitate desertum ac separatum esse contenderunt. Porro memoratus auctor expositionis Symboli, dum verbis Ambrosii nonnihil adjicit, ad hæreticorum sententiam accedit: sic enim habet cap. 13. *Hæc est beata anima, quæ in cruce ad divinitatem clamavit dicens, Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* &c. Et post pauca subjicit, *Deus ergo, qui Verbum & Spiritus est, qui ubi vult inspirat, carnem sec animam susceptam non deseruit invitus* &c. Neque desunt, qui allatas Patrum sententias ita interpretentur, ut eos ne à mortuo quidem Christi corpore Verbum separatum sensisse defendant. Quorum interpretationi nonnullum fortè robur accedet, ubi enucleata fuerint Hilarii ea de re verba.

§. IV. DE MORTE CHRISTI.

II. *Quî verba Hilarii de Christi derelictione fidei sint consentanea.*

169. Petrus Lombardus lib. 3. Sent. dist. 21. §. 1. ad superiorem Ambrosii locum respondet, hoc eum tantùm voluisse, divinitatem sese à carne separasse subtrahendo protectionem, non solvendo unionem, seu *separasse se foris ut non adesset ad defensionem, sed non defuisse intus ad unionem: si enim*, inquit, *non ibi cohibuisset potentiam, sed exercuisset, non moreretur Christus.* An in Ambrosium quadret hæc interpretatio, nunc nostra non refert: at quo minùs ad Hilarii in Matthæum verba accommodetur, nihil vetat. Nam quòd ibi eam Christi intellexerit derelictionem, quæ necessaria erat ut mori posset; proximè post verba, de quibus controversia est, declarat in hunc modum: *Denique cur relinquatur, exclamat dicens, Deus Deus meus quare me dereliquisti? Sed relinquitur, quia erat etiam morte peragendus.* Quòd autem hæc illæsâ Verbi & carnis substantiali unitione dixerit, illustrare est ex eodem Commentario cap. 3. n. 2. ubi ait, *Cùm esuriit Dominus, non mediæ subrepsit operatio; sed Virtus illa quadraginta dierum non mota jejunio naturæ suæ hominem dereliquit.* Nemo certè suspicetur, Hilarium hanc derelictionem, qua hominem, ut esurire posset, naturæ suæ à Verbo derelictum esse docuit, substantiali separatione factam existimasse: quidni eadem ratione censeatur ejusdem hominis derelictionem, ut mori posset, salva & incolumi substantiali conjunctione prædicare? Huc facit, quòd cùm *Spiritus* nomine divinam naturam propè ubique intelligat, libro tamen 10. de Trin. n. 61. contendat eam his verbis, *Tradidit spiritum*, nullo pacto intelligi posse. *Nam spiritu*, inquit, *frequenter significari animam non ambiguum est vel ex hoc ipso, quòd Jesus moriturus tradidit spiritum.* Quare vel *ex hoc ipso* non ambiguum est, nisi quia non ambiguum censet, solam animam, non etiam divinitatis Verbi substantiam à morientis Christi corpore recessisse?

In Hilarium quadrat ratio qua Lombardus Ambrosium interpretatur.

170. Si cui hoc nondum satis perspicuum, ad objecta verba succurrit & alia responsio: quòd nimirum caro divinitatis à se recedentis ideo contestata sit dissidium, quia quamvis re vera non abscederet, perinde tamen nullum in ipsa ostendebat præsentiæ suæ signum, ac si nullatenus exstaret. Hanc responsionem non de nostro confingimus ipsi, sed ex similibus Hilarii loquendi modis, & ex iis præsertim, quæ de Verbi exinanitione edisserit, accipimus. Cui enim prima ipsius in Psal. 68. n. 4. verba leviter attingenti, non videatur naturam divinam carnis susceptione ita exhaustam asserere, ut propriâ substantiâ omnino careret? Primùm quippe ait, *Haurienda fuit natura cælestis, ut exinaniens se ex Dei forma in formam servi hominisque decideret: & ideo usque ad animam aquæ penetrant, quia ei substantia non sit infixo in limo profundi.* Tum quam illam naturam cælestem hauriendam, quamve substantiam dixerit, quæ post carnis assumtionem *non sit*, statim aperit his verbis: *Non utique substantia ea non erat, quæ assumta habebatur, sed quæ se ipsam inaniens hauserat.* Quid igitur? periitne divina substantia? *Nullo modo*, inquit continuò, *se caruit, qui se ipsum exinanivit evacuans: nec tamen idipsum videbatur exstare, quod jam in aliud se evacuando concesserat.* En igitur mysterium: Verbi exinaniti substantia non ideo non est, quia defecerit; sed quia sic erat, ut non exstare videretur.

Alia ratio intelligendi verba Hilarii.

171. Quorsum autem, quave ratione substantia divina tum non exstare videretur, in Psal. 143. n. 7. sic explicat: *Damnum enim ad detrimentum sui evacuatio formæ Dei nescit, assumtioni potiùs servili formam Dei rursus acquirens. Ita neque Virtus in humilitatem, sese licèt cohibens, defecit ex sese, cùm quod erat est: & humilitas cohibitâ in sese Virtute suscepta, cùm quod non erat esse cœpit, profectum ejus quæ à se non defecerat Virtutis accepit.* Planiùs lib. 11. de Trin. n. 48. *In forma Dei manens formam servi assumsit, non demutatus, sed se ipsum exinaniens, & intra se latens, & intra suam ipse vacuefactus potestatem: dum se usque ad formam temperat habitus humani, ne potentem immensamque naturam assumtæ humilitatis non ferret infirmitas; sed in tantum se virtus incircumscripta moderaretur, in quantum oporteret eam

§. IV. DE MORTE CHRISTI. *uſque ad patientiam connexi ſibi corporis obedire. Quòd autem ſe ipſum intra ſe vacuefaciens continuit* , &c.

172. His poſitis , verba Hilarii in Matth. c. 33. nullo negotio probantur à fide noſtra minimè diſſidere. Qui enim in Chriſto , poſt ſuſceptionem carnis , ſubſtantiam divinitatis ideo non eſſe dixit, quia quamvis integra , ita tamen abſcondita intra ſe latebat , ut non exſtare videretur : cur non exiſtimetur divinitatem Chriſti etiam in morte indiviſam crediſiſſe , ideoque tantùm illam dixiſſe recedere, quòd ea tum ſe intra ſe cohiberet? Certè ut in morte longè magis quàm in formæ ſervilis aſſumtione divinitas latebat, ita longè minùs exſtare videbatur.

Serm. 66. de Paſſ. Dom. 17. c. 2. 173. Ad hanc Hilarii ſententiam illuſtrandam non parum conferent hæc Leonis Papæ : *Tradi Dominum paſſioni , tam fuit paternæ quàm ipſius voluntatis : ut eum non ſolùm Pater deſereret , ſed etiam ipſe ſe quadam ratione deſereret, non trepida diſceſſione , ſed voluntaria ceſſione. Continuit enim ſe ab impiis Crucifixi poteſtas ; & ut diſpoſitione uteretur occulta , uti noluit virtute manifeſta.* Quibus ſi addas quod de ipſo corporationis Chriſti myſterio ſcribit Auguſtinus , *Deus eſt , & fit homo ; ſeponit divinitatem , id eſt , quodam modo ſequeſtrat, hoc eſt , occultat quod ſuum erat , apparet quod acceperat* : nihil erit cur , in Hilariana phraſi , recedentem divinitatem non intelligas divinitatem quæ ſe occultet, quæque poteſtatem contineat, ut homo morte peragatur. (Serm. nunc 77. n. 11.)

174. Præterea divinitas è loco, in quo priùs cogitabatur , diſcedere vulgò dicitur, cùm novo modo , novo ordine in alio manifeſtam ſe facit. Hinc Verbum , cùm carnem ſuſcepit, reliquiſſe cælum , & in terras deſcendiſſe uſitata loquendi ratione dicimus. Eo quoque reſpectu Auguſtinus in Pſal. 44. n. 12. Patrem à Filio dimiſſum docet : *Dimiſit enim* , inquit , *Patrem quodam modo : non omnino dimiſit veluti ad ſeparationem , ſed ad ſuſceptionem humanæ carnis.* Sic & Hilario aſſerere licuit divinitatem Chriſto moriente à carne diſceſſiſſe , non quòd illam omnino dimiſerit veluti ad ſeparationem , ſed ad ſuſceptionem mortis. Et verò receſſit quodam modo Verbum à carne, quam hîc hominum poteſtati dimiſit, dum in inferos cum anima deſcendens, ibi nova potentiæ ac virtutis ſuæ ſigna exhibuit. Denique cùm *diſſidium* diverſitatem tantùm ſonet , non ſeparationem , cúmque Hilarius in Pſal. 68. n. 4. ſcribat, Chriſtum ex duabus conſtare ſubſtantiis *quæ naturâ diſſident* : objecta verba , *Vox eſt carnis recedentis à ſe divinitatis conteſtata diſſidium,* ſic intelligere licet : Vox eſt hominis ſe ſociatum teſtificantis naturæ alteri, quam recedere ideo dicit, ut eam ſignificet à ſe multùm diſſidere, & morte ſua non magis lædendam iri, quàm ſi receſſiſſet.

Objectum alterum. 175. Nec quemquam moveat quod in Pſal. 55. n. 12. ait, *Ipſe huic emortuo & intra ſepulcrum relicto corpori divinæ naturæ ſuæ tribuit conſortium* : quaſi Verbi conſortium corpori morte ſublatum, & reſurrectione reſtitutum diceret. Non enim hîc ſermo eſt de conſortio, quo corpus divinæ naturæ ſubſtantialiter conjungatur , ſed quo ejus gloriæ particeps fiat, qua quamdiu mortale fuit carebat. Hinc quippe Chriſtum ibi commendat, quòd gloriam neque aliunde exſpectet , neque corpori alii, quàm quod mortuum fuerat, exſpectet. *Non extra ſe ſunt*, inquit , *iſta quæ ſperat : nec laudationis vota, quæ reddet, ſunt extrinſecùs capeſſenda. Ipſe enim ſibi reſurrectionis eſt dominus , ipſe huic emortuo & intra ſepulcrum relicto corpori divinæ naturæ ſuæ tribuit conſortium. Neque enim reſurrecturis omnibus ab exteriore materia corpus acquiritur* &c. quanto minùs Chriſto ? Nihil præterea occurrit apud Hilarium, unde Chriſtum in morte diviſiſſe judicetur. Multa contrà ſuppetunt, quibus ab hac opinione ſeſe procul abfuiſſe indicat : quod nobis reſtat conſiderandum.

III. *Hilarius Christum numquam dividendum eſſe acerrimè propugnat.*

Naturam noſtram dicit à Chriſto inſeparabilem. 176. Mittimus [illegible] illud lib. 8. de Trin. n. 8. *Quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam noſtram jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumſit?*

quia

quia forte erunt, qui illud *jam inseparabilem* ad id tempus referri velint quod resurrectionem excepit. Germanior tamen horum verborum sensus est, unigenitum Deum, ex eo tempore quo homo natus est, naturam nostram sibi inseparabilem assumsisse. Ea porro sic intelligenda esse confirmant, quæ lib. 9. n. 7. tradit, Deum scilicet natum esse hominem, ut homo *in æternum* in Deo maneret: maximè cùm mox subjiciat, *Nascitur itaque Deus assumtioni nostræ, dum homo noster in Deo permanet*, hoc est, dum homo ab ipso susceptionis momento in Deo in æternum manet, numquam ab eo separandus. Hanc enim ipse * notat esse vim verbi *permaneo*, ut quod *in perpetuum mansurum est* significet. Præterea in Psal. 131. n. 9. ea ratione enuntiat Christi mortem, ut verba illius Deum tum in corpore manentem sonent; sic enim habet: *Quievit autem ille, cui mors somnus est: & id, quod nobis pœnalis demutatio est, Unigenito & in corpore manenti Deo requies fuit.* Sed non uni voci pertinaciùs insistendum, cùm res eadem totis paginis adstruatur.

§. IV. DE MORTE CHRISTI.

* in Ps. 118. lit. 12. n. 7.

Necnon Deum esse mortuum.

177. Verùm hoc lib. 3. de Trin. n. 15. *Dei filius crucifigitur, sed in cruce hominis mortem Deus vincit; Christus Dei filius moritur, sed omnis caro vivificatur in Christo; Dei filius in inferis est, sed homo refertur ad cælum:* hoc, inquam, non tam leviter transire juverit. Hinc quippe habetur, Verbum à carne non priùs, quàm moreretur Christus, recessisse; (si quidem *filius Dei moritur*;) adeoque infinitum fuisse redemtionis nostræ pretium. In hac porro de Dei morte doctrina Hilarius constans adeo fuit, ut in uno numero 7. lib. 9. primùm dicat, *ut Deus mori vellet*; & mox, *cùm se immortalis Deus intra legem mortis habuisset*; & in exitu, *Deo per carnem moriente.* Id ipsum in Psal. 67. n. 23. non una ratione declarat, atque in primis ait, *Per securitatem æternitatis mors ipsa in Deo moriente fiducia est.* Ipsum etiam *Deum mortuum* Christum vocat lib. 9. de Trin. n. 54. Deinde, ut ad locum allatum redeamus, si *Dei filius in inferis est*, sequitur ut saltem animam Christi morte intercedente à Deo unigenito desertam ac separatam non crediderit. Sed & hinc confici potest, eum ne carnem quidem desertam sensisse, cùm in Matth. dixit, *Vox est carnis* &c. Sicut enim cùm in verba Christi, *Clarifica me*, lib. 3 de Trin. n. 16. ait, *Hæc carnis deprecatio est*; nomine *carnis* totum hominem ac præsertim animam intelligere non dubitatur: ita & cùm ejusdem Domini nostri verba, *Deus meus quare me dereliquisti*, enarraturus subjicit, *Vox est carnis recedentis à se divinitatis contestata dissidium*; eodem *carnis* vocabulo hominem totum, carnem scilicet & animam, non negandus est intelligere. Atqui animam Christi etiam post mortem Verbo conjunctam docuit. Idem igitur sensit & de carne. Sed hoc planiùs approbemus.

Nescit ullā in Christo divisionem.

178. Nullo ex loco fidem illius explorare certiùs valemus, quàm ex quo explicat verba Christi, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* In eo autem explicando totus fere versatur à num. 51. lib. 10. ad 65. Inde igitur genuinæ illius sententiæ exponendæ latissimum nanciscimur campum. Ac primò quidem notatu dignum est, quòd hæreticos prædicta Christi verba sibi objectantes, invidioso nomine appellet *Christum tripertientes in Verbum & animam & corpus*; ipse hujus nominis invidiam non declinaturus, si Christum umquam divisisset. Contrà num 52. fidei Ecclesiæ sese adhærere profitetur, quæ *apostolicis imbuta doctrinis novit in Christo nativitatem, sed ignorat exordium; scit dispensationem, sed nescit divisionem... nec tripertita Christum fide scindit, cujus de super texta vestis inscissa est, ut Jesum Christum & in Verbum & in animam & in corpus incidat.* Quid porro est quòd dicturus, *Scit dispensationem, sed nescit divisionem*, proximè præmittit, *Ecclesiæ fides novit in Christo nativitatem, sed ignorat exordium*; nisi ut significet Ecclesiam non magis nosse in temporaria Christi dispensatione ullum divisionis momentum, quàm in æterna illius generatione ullum exsistendi initium? Tum eosdem Christi divisores acriùs persequens, *Si*, inquit num. 62. *ejusdem vox atque sermo est, se derelictum conquerentis, & se regnare profitentis; qua fidem nostram infidelitatis ratione dividimus, ut non idem in tempore eodem sit mortuus, qui & regnet?* quasi diceret, cur cùm auditis à Christo, *Deus Deus meus quare me dereliquisti*, eum dividitis,

§. IV. DE MORTE CHRISTI.

Divisum negat qui crucifixus, qui sepultus, & qui in cælis est.

ac divinitate asseritis destitutum? nonne ille ipse eodem tempore latroni dixit, *Hodie mecum eris in paradiso?* At dum mortuus jacebat in terris, in paradiso regnare quî potuit, si divisus atque à divinitate desertus tum fuerit?

179. Eum etiam tum divisum non fuisse non semel repetit. Nam post quàm num. 60. monuit distinguendas esse naturas, aliamque sepultam, aliam esse resuscitantem, ac perinde *sepultum non putare, quem resuscitasse intelligas; resuscitasse non ambigere, quem negare non audeas non sepultum:* utramque in uno eodemque Verbo conjunctam mox inculcat. *Non enim*, inquit num. 63. *alius est moriens & regnans, neque alius est commendans spiritum & exspirans, neque non unus est descendens* ad inferos, *& adscendens* ad cælos. Et num. 64. *Numquid divisus est Christus, ut alius sit Jesus crucifixus, alius Christus virtus & sapientia Dei?* Tum initio num. 65. *Aliud Apostolus nescit, neque aliud se scire judicat: nos autem & infirmis ingenii, & infirmioris fidei Christum Jesum scindimus, dividimus, duplicamus... Alius enim nobis Christus crucifixus, alius Dei sapientia, alius sepultus.* Et post pauca ex verbis Apostoli, *Qui descendit, ipse est & qui adscendit*, sic eosdem urget Christi divisores: *Numquid descendisse ad inferos corpus quod in sepulcro jacuit dicetur? Si itaque qui descendit, ipse est & qui adscendit, & neque corpus descendisse ad inferos creditur, & resurgens ex mortuis corpus adscendisse in cælos non ambigitur: quæ hîc præter occulti sacramenti & incogniti mundo ac principibus sæculi fides relicta est? ut cùm unus atque idem sit descendens & adscendens, unus quoque nobis Jesus Christus sit, & Dei filius, & hominis filius, & Verbum Deus, & homo caro, & passus, & mortuus, & sepultus, & resurgens, & in cælos receptus, & sedens ad dexteram Dei; habens in se uno eodemque, per dispensationem atque naturam, in Dei forma & in forma servi, sine aliqua sui & partitione quòd homo est, & divisione quòd Deus est.* Si in his omnibus Christus sine divisione: ergo in nullis eorum divisus, nec in passione, nec in morte, nec in sepulcro. Mansit ergo Verbum etiam in sepulcro cum carne conjunctum. Plura hujusmodi eodem libro continentur: sed locum indicasse sufficiat, ex eoque pauca hæc specimina in medium protulisse. Unum his adjicimus locum ex lib. 9. quem in hac disputatione præterire non licet. Nullus enim Patrum est, qui argumentum præcipuum, quo Verbum à sepulta Christi carne non divisum propugnant, disertiùs prosequatur, quàm eo loco Hilarius. Ideo quippe, Paulino Aquileiensi auctore, *Christus Jesus & passus & mortuus & sepultus & resurrexisse secundùm Scripturas Dei filius declaratur;* quia à carne *numquam post assumtionis sacramentum impassibilis & indemutabilis separata divinitas prædicatur.* Gregorius quoque Nyss. epist. ad Eustathiam & Ambrosiam, ubi Christi divinitatem simul in paradiso cum anima & cum corpore in sepulcro exstitisse asseruit, hoc dictum suum sic confirmat: *Propterea corpus ipsum* DOMINUS *appellatur ob inhærentem* (seu *insidentem*) *ipsi divinitatem.* Non alia ratione Ferrandus diac. epist. ad Severum n. 8. primò ponit: *Totus Christus apud inferos fuit secundùm animam rationalem, sed non totum; quia caro ibi non fuit, cum qua est totum. Totus Christus in sepulcro fuit secundùm carnem, sed non totum; quia anima ibi non fuit, cum qua est totum. Verbum tamen Dei & cum anima sua apud inferos, & cum carne sua in sepulcro fuit.* Et quia Verbum cum anima apud inferos, & cum carne in sepulcro fuit, subinde declarat consequens esse, ut totus Christus apud inferos & totus in sepulcro rectè dicatur, ob unitatem scilicet personæ Verbi, animæ rationalis, & carnis. Similis est Augustini sententia Tract. 69. in Johan. n. 3. Uno verbo illi maximè ex Symbolo fidei, qua carnem mortuam, sepultam, & excitatam, Christum mortuum, sepultum, & à morte ad vitam venisse confitemur, Verbum in morte Christi à carne non divisum esse propugnant. Verùm quî Hilarius hoc ipsum constanter adstruat, audiamus.

lib. I. contra Felicem apud Alcuin pag. 1785.

180. Primùm ad hæreticum conversus, *Quæro à te*, inquit num. 11. *quis sit carne se spolians, & quæ sit caro spoliata?* Mox instat: *Si enim non idem est Christus mortuus, qui est caro spoliata; carnis spoliatæ nomen ostende: & rursus naturam ejus, qui se carne spoliavit, expone. Eumdem enim esse invenio Deum Christum à mortuis excitatum, qui carne se spo-*

liavit, & rursum spoliatam carnem Christum esse à mortuis excitatum. Ac tandem quæsitis ipse satisfacit in hunc modum: *Spoliata enim caro Christus est mortuus: & rursus Christum à mortuis excitans, idem Christus est carne se spolians. Naturam Dei in virtute resurrectionis intellige: dispensationem hominis in morte cognosce. Et cùm sint utraque suis gesta naturis, unum tamen Christum Jesum eum memento esse, qui utrumque est.* Si unus utrumque; etiam in morte indivisus est: neque in morte est indivisus, nisi ob insidentem carni spoliatæ divinitatem. Rursum caro spoliata & carnem excitans non unus & idem est, nisi caro spoliata sic totus Christus sit, ut carnem excitans totus est Christus. Totus autem non est, si à carne spoliata Verbum abest. Sed quid Hilarii verbis admiscemus peregrina? Ipsa per se plana sunt atque perspicua: Christum quippe in diversis naturis diversa gessisse agnoscens, eum tamen in diversis illis gestis nusquam non unum & eumdem fuisse constantissima fide profitetur, ejusque ut ante mortem, ita & in morte, & post mortem nescit omnino divisionem. Neque enim quemquam putamus fore, qui, cùm superiùs moriens Christus *carne se spolians* ab Hilario dicatur, hoc ideo ab illo dici existimet, quòd Verbum carnem exuisse & ab ea secessisse crediderit. Nam propter unitatem personæ rectè dicitur Christus sese carne spoliare, qua solam animam spoliat; sicut animam dicitur ponere, cùm corpus dumtaxat ab illa separat. § IV. DE MORTE CHRISTI.

181. Quæ cùm ita sint, Hilarius non infimum inter eos locum meretur, qui Verbum à carne, quam assumsit, numquam separatum fuisse docuerunt. Quod subinde magno consensu nobis tradiderunt sancti Patres, ac nominatim Athanasius sub finem libri de salutari adventu J. C. Gregorius Nyss. epist. ad Eustath. & Ambros. necnon Or. 1. contra Eunom. Leo Papa Serm. 65. c. 7. & 66. c. 1. Theodoretus lib. 5. hæret. fab. c. 15. Fulgentius lib. 3. ad Trasim. c. 16. Ferrandus diac. & Paulinus Aquileiensis locis memoratis, Johannes Damascenus lib. 3. c. 27. Oecumenius in Coloss. 2. Alcuinus lib. 3. de Trin. c. 16. Bernardus lib. 5. de consideratione c. 9.

§. V.

De gloria Christi hominumve aliorum post resurrectionem singulares locutiones explicantur.

182. CHRISTI passionem excipit gloria, quam à mortuis excitatus homini suo impertiit. Ac licèt neminem sciamus, qui quod de Christi gloria scripsit Hilarius, nominatim reprehenderit; rem tamen lectori non ingratam nos facturos speramus, si in his præludiis pro nostro modulo illius ea de re sententiam explicemus, quam ad scripta ipsius accedenti probè perspectam esse plurimi interest. Namque ut plurimùm aut decertat contra Arianos, aut adversùs fraudulentas illorum artes catholicos munire nititur. Cùm autem illi ad deprimendam Christi gloriam infirma ipsius dicta gestaque solerent objicere; nihil contra studioso Christi defensori sollemnius fuit, quàm ut ad relevandum Domini sui nomen de gloria ac potentia illius dissereret. Cæspitabit igitur singulis fere paginis, cui obscuri erunt illius de gloria Christi loquendi modi. Sæpe enim inusitatis utitur. Et eos quidem hactenus intellectos non fuisse hoc persuadet, quòd qui Hilarii Opera non modò in novissimis sæculis, sed & ante annos 800. recognovere, eos potissimùm corruperint locos, in quibus ille de Christi gloria uberiùs ac magnificentiùs loquitur. Alii verò scrupulosiores è regione locorum illorum, quos temerare non ausi sunt, ad oram mss. annotarunt, *Cautè lege.* Hilarii de gloria Christi sententiam non ignorare interest.

183. Certè si solos attendas sonos verborum, iis quæ lib. 9. de Trin. n. 38. offendes, significari existimabis humanam Christi naturam ita in divinam transiisse, ut genus mutarit, & hinc una evaserit Dei & assumti hominis natura. Idem sapiet, quod cap. 27. in Matth. n. 4. prædicat Deum & hominem in Christo *jam ambo unum.* Aliis obscurum erit quod in Psal. 143. n. 7. & fragmento 6. pag. 1367. In illius loquendi modis quædam erroris species.

§. V. DE GLORIFICATIONE CHRISTI.

docet, servili Christi formæ per gloriam id acquisitum, ut forma Dei esset, & servilis forma esse desineret: vel quod lib. 3. de Trin. n. 16. scribit: *Filius nunc caro factus orabat, ut hoc Patri caro inciperet esse quod Verbum.* Neque his absona sunt isthæc Tract. Psal. 54. n. 7. *Evolare autem ut columba festinat, id est, in spiritalem redire naturam:* & mox, *Hoc quod nobis est mortale susceperat, ut caro factus in Spiritum evolaret.* Cui etiam non inusitatum videbitur illud Tract. Psal. 68. n. 25. *Dominus Jesus in gloria Dei patris est, id est, susceptus homo in naturam divinitatis acceptus?* Quid hoc lib. 11. de Trin. n. 40. Deum esse omnia in omnibus, *naturæ assumti corporis nostri naturâ Paternæ divinitatis invectâ... ne ex parte Deus sit, sed totus Deus... nulla ex parte terreni in eo corporis residente natura; ut antè in se duos continens, nunc Deus tantùm sit: dum homo & Deus*, uti declarat num. 41. *jam Deus totum est. In se enim*, infit num. 42. *eum Deus glorificavit, id est, in ea natura qua Deus est quod est: ut sit Deus omnia in omnibus, toto jam in Deum ex ea qua homo est dispensatione mansuro.* Unde cùm lib. 9. n. 6. & in Psal. 138. n. 19. triplicem Christi statum distinguat, *ante hominem* scilicet, *in homine*, & *post hominem*, hoc est, ante quàm susceperit carnem, quando mortalem gessit, & post quàm exuit mortalitatem; eum in medio dumtaxat statu Deum & hominem confitetur, at in postremo ut in primo prædicat tantùm Deum.

Sic hominis adstruit divinitatē, ut veritatem corporis destruere videatur.

184. Hæc & similia Hilarii dicta facilè sibi Apelles vindicabit, qui volebat, Tertulliano teste lib. de Præscript. n. 51. Christum *in resurrectione singulis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutuata fuissent, in adscensu reddidisse; & sic dispersis quibusque corporis sui partibus in cælo spiritum tantùm reddidisse.* Hinc duas Christi naturas, etsi non post primam carnis susceptionem, certè post resurrectionem confudisse videbitur; adeoque quædam Eutychiani commenti jecisse semina, nec alienus esse ab errore, quem Augustinus epist. 187. n. 10. cavendum monet, *ne* videlicet *ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis destruamus*; quemque ut ipse caveat, præmittit, *Quemadmodum ire visus est in cælum, id est, in eadem carnis forma atque substantia: cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit.* Cùm etiam Hieronymus procem. in lib. 18. Comm. Esaiæ professus, *Corpora incorrupta & immortalia resurrectura confiteor*, adjiciat, *ut mutent gloriam non substantiam;* conjectura non levis est tunc temporis fuisse, qui humanæ naturæ veritatem per resurrectionis gloriam aboleri prædicarent. Hujus erroris suspicionem Hilario haud difficulter conflabit, qui rursum hanc subjectionis Christi definitionem ex lib 11. de Trin. n. 35. ab adjunctis divulsam adducet: *Subjectio etiam ea est, quæ est ex natura in naturam concessio; dum à se quod est desinens, ei subjicitur cujus concedit in formam.* Immo qui hanc audierit, propè non ambiget eam ab Augustino cap. 37. contra Serm. Arian. notari, ubi ait, *Quamvis non defuerint, qui illam tum Filii subjectionem ipsius humanæ formæ in divinam substantiam commutationem intelligendam putaverint: tamquam hoc rei cuique subjiciatur, quod in eam vertitur & mutatur.*

Corporis immortalitate donati veritatem luculenter prædicat.

185. Verùm concidet simul omnis suspicio, ubi eum carnis gloriam, illæsa ipsius veritate, prædicare ostenderimus. Et ut à subjectione exordium fiat, enarrat lib. 11. duplicem esse, primam *obedientiæ & fidei*, alteram *vel concessionis vel demutationis.* Tum hanc num. 35. sic definit, *Est ex natura in naturam concessio, dum à se secundùm quod est desinens, ei subjicitur cujus concedit in formam;* ut ad cautelam tamen protinus adjungat, *Desinit autem*, NON UT NON SIT, *sed ut proficiat; fitque ex demutatione subditus, in speciem suscepti alterius generis transeundo.* Ita ubi loco jam relato ex num. 40. asseruit, *Non alia subjectionis causa est, quàm ut omnia in omnibus Deus sit, nulla ex parte terreni in eo corporis residente naturâ, ut antè in se duos continens, nunc Deus tantùm sit;* pravam intelligentiam ex prioribus illis verbis nascentem enecat his posterioribus, *non abjecto corpore, sed ex subjectione translato; neque per defectionem abolito, sed ex clarificatione mutato... Subjectus verò ob id, non ut non sit, sed ut omnia in omnibus Deus sit; habens in sacramento subjectionis esse ac manere quod non est, non habens in defectione ita se carere, ne non sit.* Sanè in his Hilarius non minùs circumspectè, quàm Hieronymus atque Augustinus, cavit, ne de carnis

Christi

Christi gloria differens, corporis veritatem destruere videretur.

186. Rursum hanc opinionem procul à se removet, cùm à Christo ipsummet corpus, quod de Virgine susceperat, resumtum esse, & in illo portionem nostræ carnis, immo nostri corporis resurrectionem conspicabilem fieri asserit. Porro in Psal. 124. n. 4. dicit Christum per gloriam factum esse montem, *in quo nosmetipsos per assumtionem carnis nostræ corporisque speculamur. In eo enim sumus, resurrectionem nostram resurrectione nostri in eo corporis contemplantes.* Et quamvis planum sit ideo nos dici nunc in Christo esse, quia quam ex nobis in Virgine accepit carnem, eam in cælum transtulit: hoc tamen apertiùs in Psal. 65. n. 12. sic enuntiat: *In æternam gloriam ejus assumtæ ex Virgine carnis natura transfertur.* Nec aliud sonat illud cap. 3. in Matth. n. 2. *Exspectatum Deo patri munus hominem, quem assumserat,* (in cælum) *reportavit.* aut quod cap. 4. n. 14. scribit, Christum *in vitam ex morte redeuntem, consociatam Spiritûs & substantiæ suæ æternitati materiem ad cælum assumti corporis retulisse.* Nihil amplius ad adstruendam gloriosæ carnis Christi veritatem ab Hilario videtur desiderandum, à quo Christum non modò *hominem quem assumserat*, sed & *assumtæ ex Virgine carnis naturam*, neque solùm *naturam*, sed & *materiem assumti corporis*, & *nostram* omnium *carnem* in cælum retulisse proximè audivimus.

§. V. DE GLORIFICATIONE CHRISTI.

187. His addimus unum illud lib. 3. de Trin. n. 20. *Dominus Thomæ fidem propositis conditionibus confirmaturus assistit, palpandi corporis & contrectandi vulneris obtulit facultatem: & utique qui compunctus recognoscendus est, necesse est corpus in quo est compunctus attulerit.* & mox: *Stetit namque corporeus, non simulatus aut fallax.* Atqui in eo corpore, in quo Thomæ visus est, sedet gloriosus ad dexteram Dei: uti non obscurè declaratur his ejusdem libri verbis, *Hæc carnis deprecatio est, in qua eum judicii die compunctum & de cruce recognitum universi videbunt, in qua præfiguratus in monte est, in qua elevatus ad cælos est, in qua Deo assedit à dextris, in qua visus à Paulo est, in qua honorificatus ab Stephano est.* Immo hîc apertè traditur, Christum in ea ipsa carne assidere, in qua transfiguratus in monte est, & in qua ante mortem ad Patrem clamavit, *Clarifica me.* Tam veram igitur Christi carnem Hilarius sensit post perceptam gloriam, quàm ante mortem. num. 16.

188. Non minùs luculenter mentem suam aperuit de veritate corporum, quæ ceteris hominibus per resurrectionem restituenda sunt. Namque in Psal. 55. n. 12. primùm de Christo præfatus, *Ipse sibi resurrectionis est dominus, ipse huic emortuo & intra sepulcrum relicto corpori divinæ naturæ suæ tribuit consortium*, deinde de universa hominum resurrectione sermonem sic prosequitur: *Neque enim resurrecturis omnibus ab exteriore materia corpus acquiritur, neque peregrinæ originis externarumque caussarum natura redhibetur; sed idipsum in profectum æternæ claritatis emergit, fitque in eo demutatione potiùs, quàm creatione, quòd novum sit.* Apertum est & hoc Tract. Psal. 2. n. 41. *Confracta reparabit, non ex alia aliqua, sed ex veteri atque ipsa originis suæ materie speciem illis complaciti sibi decoris impertiens: ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio non interitu naturam perimat, sed qualitatis conditione demutet. Non enim aliud corpus, quamvis in aliud resurget... Fit ergo demutatio, sed non affertur abolitio. Et cùm id quod fuit, in id quod non fuit surgit, non amisit originem, sed profecit ad honorem.* Neque prætereundum est quod in Psal. 67. n. 35. habet: *Numquid alia vox potest major esse virtutis, quàm dissolutorum corporum pulverem in formam cogere soliditatemque membrorum, & vitam rursum in homines animasque revocare, & corruptionem naturæ imbecillis naturæ cælestis incorruptione mutare? Hæc humanæ spei vera & perfecta constantia est.* In his Hilarius suspectas Origenis de nostra resurrectione sententias non minùs prudenter cavet, quàm in superioribus Apellis ejusque similium de gloria Christi errores.

189. Quid igitur sibi vult tam magnificis de corporum gloria loquendi modis? Nihil nostrâ sententiâ aliud, quàm quod vulgò de eadem sentitur. Primò enim conceptis verbis docet, *idipsum corpus ex veteri atque ipsa originis suæ materie*, immo *ipsum dissoluti corporis pulverem in formam soliditatemque membrorum* reformandum

In quibus Hilarius corporum gloriam ponat.

P

§ V. DE GLORIFICATIONE CHRISTI.

esse; adeo ut *demutatione* potiùs quàm *creatione* novum fiat: novum, inquam, nova *qualitatis conditione*, non naturæ interitu aut abolitione. Restat igitur inquirendum, in quo constituat hanc demutationem, ex qua nova illa ac præclara conditio consequatur. Hanc in Psal. 1. n. 13. enarrat tum futuram, *cùm incorruptio corruptionem, & æternitas infirmitatem, & forma Dei formam terrenæ carnis absorpserit:* seu ut in Psal. 55. n. 12. habet, *tum cùm infirmitas corporum detrahetur, id est, lapsus & lacrymæ, tum cùm corruptionem incorruptio devorabit, tum cùm mortem potestas immortalis absorbebit, tum cùm sit Deus omnia in omnibus, tum cùm lumen viventium sit in eodem viventium lumine Deo ipse* (homo) *placiturus.* Quidquid etiam aliàs de beatorum corporum gloria edisserit, ad eas præsertim dotes revocatur, immortalitatem scilicet, incorruptionem, & claritatis ac luminis speciem. Quibus donati, ut loquitur Tertullianus Apologet. n. 48. *erimus iidem qui nunc, & non alii, quamvis superinduti substantiâ propriâ æternitatis.* Cùm autem hæ dotes à corporis natura alienæ sint, ac naturæ spiritûs magis consentaneæ, easque sola Dei natura proprio ac summo jure possideat; corpus illis circumvestitum non malè affirmatur in naturam spiritûs, immo in formam ac naturam Dei transisse, nulla ampliùs in eo residente corporis natura, hoc est, nullis omnino vitiis aut operibus *, quæ terreni corporis naturam consequuntur, residentibus.

* V. Tertullian. lib. 5. contra Marcion. n. 10.

Qui hominem per gloriam Deum fieri intelligat.

190. Beata hæc corporum demutatio ex divinæ naturæ consortio obtingit. Si enim ubi duæ naturæ conjunguntur, cedat necesse est minor majori, potentiori infirmior, & obscurior clariori; quanto magis necesse est naturæ Dei cedat consociata natura hominis? An formæ Domini forma servi, corruptio incorruptioni, aut vitæ valet resistere mortalitas? Vincit semper fortior debiliorem. Verbum quidem, etiam ante resurrectionem, humanam sibi conjunxit naturam, neque hanc tamen ei gloriam impertiit: at hoc mirabile fuit benignitatis ipsius consilium. Quod cùm decrevisset, virtutem naturæ suæ, uti notat *Hilarius, ita intra se cohibere opus habuit, ut ei *in limo carnis infixo nec divinitatis substantia esse videretur. Verùm Dominus ac Redemtor noster, peractis dispensationis suæ mysteriis, tunc primùm *ipse in profectum æternæ claritatis emortuo & intra sepulcrum relicto corpori divinæ naturæ tribuit consortium*, hoc est, divinum splendorem suum non ampliùs intra se cohibens, ejus etiam assumtum hominem participem fecit: sicque *consociatam Spiritus* (seu divinitatis) *& substantiæ suæ æternitati materiem assumti corporis in cælum retulit.* Continuò, ut loquitur Hilarius fragmento 6. p. 1367. *homo factus est Deus. Superavit enim magnitudo Domini parvitatem servilis formæ; ita ut ipsa servilis forma cessaret esse servilis per eum Dominum qui eam assumsit.* Quî *homo factus Deus* intelligitur? Eo prorsus modo, quo Verbum dicitur *caro factum.* Sicut enim Verbum caro factum est, cùm intra carnis humilitatem Verbi gloria delituit; ita & homo factus est Deus, cùm intra Verbi gloriam abscondita est carnis humanæ humilitas. Quamquam non desunt, qui proxima Hilarii verba ad primam carnis mortalis susceptionem referant, iisque putent rationem reddi cur propria humanæ Christi naturæ persona defuerit. At hoc illis quis concedat? Non enim ibi servili formæ deesse personam, sed ipsam formam cessare servilem esse prædicatur. Sed & qui Christum carnis mortalis susceptione *totum in forma servi** dixit, quia nimirum formâ Dei exinanitâ non extare videretur nisi forma servi; procul aberat ut formam ipsius servilem tunc temporis cessasse servilem esse assereret.

* in Psal. 143. n. 7.
* in Psal. 68. n. 4. in Psal. 55. n. 12.
* in Psal. 143. n. 10.

Aliæ loquendi rationes explicantur.

191. Ea ipsa ratione, qua Christus *totus in forma servi* dicitur, dum in assumto homine Deus est absconditus, dicitur *& totus Deus*, cùm assumtus homo assumentis Dei luce & gloriâ infusus ac circumfusus fuit. Quamquam in utroque illo statu hoc discrimen intercedit, quòd Deus absconditus in homine immutatus mansit in virtute naturæ suæ, seseque interdum per operum magnificentiam manifestum fecit: at verò homo intra Deum absconditus non manet in naturæ suæ infirmitate, sed in æternitatem, incorruptionem & gloriam, quæ naturæ divinæ propria sunt, feliciter commigrat. Hinc intelligitur, quî Deus, cùm per resurrectionis gloriam om-

nia in omnibus futurus sit, *nulla ex parte* in eis *residente terreni corporis natura*, sed ejus loco *naturâ Paternæ divinitatis invectâ*, id tamen futurus sit *non abjecto corpore, aut per defectionem abolito*, sed retentâ *veteri atque ipsa originis suæ materiâ*. Nec difficiliùs percipitur, quî lib. de Synod. n. 48. dicatur caro assumta etiam ante resurrectionem incœpisse esse quod Verbum; si quidem, ut ibi declaratur, jam tum habuit ut id operaretur quod Verbi est. Nec lateret illud Tract. Psal. 143. n. 7. *Ipsi habitui servili id donatur, ut quod erat* (Deus Verbum,) *esset, in forma scilicet Dei esset*; etiamsi idipsum in Psal. 141. n. 8. non haberemus apertioribus verbis sic explicatum: *Hæc ei à Deo retributio est, ut ei corpori quod assumsit, Paternæ gloriæ donetur æternitas.* Cui etiam deinceps obscurum erit quod legit, Christum ante resurrectionem *duos* intra se continere, nunc verò Deum tantùm esse? Quis enim non statim advertet *duos* vocari diversas naturas naturalibus proprietatibus suis affectas? Nec majore negotio intelligetur Christus per gloriam in naturæ Paternæ rediisse unitatem, *cujus offensionem dispensationis novitas intulerat.* Quippe unitatem offendit omne dissidium. Christus autem, cujus una erat cum Patre naturalis conditio, una beatitudo, utpote qui unà cum eo impassibilis, omnipotens, æternus, semper in splendore, semper in gloria & claritate; cœpit ab illo dissidere, cùm carnis nostræ infirmitates assumens, factus est infirmus, passibilis, mortalis, atque despectus. Contrà in unitatem pristinam secundùm assumtum hominem rediisse dicitur, cùm exuta mortalitate, susceptâque Dei gloriâ desiit esse infirmus, passibilis, aliisque humanæ naturæ conditionibus obnoxius. Ex quo sequitur, ut tunc tantùm Deus & homo fuerit, cùm naturales Dei hominisque proprietates in se conjunctas habuit: id quod ita dictum, non quia ipsi post perceptam resurrectionis gloriam desierit esse substantia hominis; sed quia homo reputatur Deus, cùm abjecta infirmitate atque obscuritate quæ naturam ipsius consequitur, gloria quæ Dei propria est ei obtigerit. Nam naturæ sicut & formæ Dei nomine Hilarius naturalem Dei gloriam, quam interdum etiam *formam gloriæ*, & *habitum naturæ potioris* absque ulla ambiguitate nuncupat, quoties de gloria ei sermo est intelligit.

§. V. DE GLORIFICATIONE CHRISTI.

Lib. 9. de Trin. n. 39. & lib. 11. n. 43.

192. Verbis illius sic illustratis, explanari commodiùs jam possunt obscuriora veterum dicta, maximéque Gregorii Nyss. Tom. 2. pag. 17. & Or. 4. contra Eunom. p. 584. aliisque locis, in quibus sic adstruit assumti hominis divinitatem, ut veritatem corporis nonnihil concutere videatur. Neque verò Hilario uni singulares sunt memorati loquendi modi. Dixit & Ambrosius lib. 1. de Virgin. c. 3. *Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus*: & lib. de fide resurrect. n. 91. *Tunc* (ante resurrectionem) *secundùm carnem homo, nunc per omnia Deus; nunc enim secundùm carnem jam non novimus Christum.* Quid illud Augustini in Psal. 35. n. 14. de ipsa etiam anima nostra: *Cùm accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodam modo mens humana, & fit divina?* Hoc ipsum egregiè illustrat Bernardus lib. de diligendo Deo c. 10. Ibi enim prælocutus de perfecta caritate, quam in solis Beatis perfectam esse postea declarat, virtutem illius ac naturam exponit in hunc modum: *Sic affici*, DEIFICARI *est. Quomodo stilla aquæ modicæ multo infusa vino deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit & colorem; & quomodo ferrum ignitum & candens igni simillimum fit, pristinâ propriâque formâ exutum; & quomodo solis luce perfusus aër in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quàm ipsum lumen esse videatur: sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluptatem. Alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus*, SI IN HOMINE DE HOMINE QUIDQUAM SUPERERIT? *Manebit substantia, sed in alia forma, alia gloria, aliaque potentia.* Eamdem hominis, ut ita dicam, deificationem Maximus Martyr cap. 26. de Theologicis capit. 20. divinis verbis sic expressit: *Naturam communicata sibi cognitione vacuatam homo factum Dei Verbum cognitione rursus implevit; & hanc ad immutabilitatem corroborans, non naturâ, sed qualitate divinam effecit, perpetuò illam proprio signans spiritu, ac tamquam aquam vini qualitate ad vim ac firmitatem temperans. Nam ideo re vera factus est homo,*

Hæ aliis Patribus fuerant usitatæ.

§ V. DE GLORIFICATIONE CHRISTI.

ut gratiâ nos constituat deos. Neque ignorari voluit Hilarius qua ratione corpori nostro, salva ipsius naturæ veritate, naturam divinitatis invehendam diceret. Quippe in Psal. 118. lit. 17. n. 12. mentem suam explicat his verbis: *Faciem Domini ad illuminationem suam Propheta orat. Ex majestate enim & vultu videntis nos Dei lumen accipimus, & deflexus in nos misericordiæ suæ vultus ad gratiam spiritalis virtutis irradiat. Vel certè cùm judicii die aderit, cùm visibilis in gloria paternæ majestatis assistet; tunc nos faciei suæ lumine illuminabit. Ut enim quædam metalla atque gemmæ* NATURÆ SUÆ *fulgorem in ea, quæ sibi proxima sunt, refundunt, & æmulantem speciem ex vicina sui specie præstant; & ut Moyses ex contemplatione gloriæ Dei lumen accepit, ita ut honorem gloriæ suæ contemplari populus non posset: sic & Propheta servum se Dei confitens illuminari precatur, & conformis, secundùm Apostolum, effici gloriæ Dei.*

Synopsis doctrinæ Hilarii de Christi hominumque gloria. *in Psal. 2. n. 27.* *in Psal. 54. n. 7.* *lib. 11. de Trin. n. 41.*

193. Hæc qui perpenderit, nullum patietur scandalum, cùm apud Hilarium variis in locis leget, Christum secundùm assumtum hominem in forma, in natura, in genere naturæ, in unitate naturæ Dei per gloriam exsistere, ut in ipso Deus & homo *jam ambo unum sint*; vel quod idem est, eum per resurrectionis gloriam *nasci ad id quod ante tempora erat, sed quod in tempore totum non erat*, item, *gigni ad id quod suum fuit, gigni ad perfectum Dei filium*, & *pennas suas sumere, in Spiritum evolare, in spiritalem redire naturam, totum Deum fieri.* Hæc enim omnia cùm tantùm sonent plenam atque perfectam, quantum homini licet, cum Deo consensionem; illibatâ humanæ naturæ veritate ab eo dicta sunt. Hanc autem consensionem in eo præsertim constituit, ut corruptionis, mortalitatis & infirmitatis loco succedant incorruptio, immortalitas, virtus ac splendor æternæ claritatis; divinæ prorsus, non humanæ naturæ proprietates. Quas ut obtinet quisque ex naturæ divinæ consortio, ita etiam obtinuisset Christus homo statim ut à Verbo assumtus est, nisi Verbum naturæ suæ virtutem ob dispensationis mysterium cohibuisset. Sed hoc expleto, laxata (ut ita dicam) naturæ divinæ virtus humanam longè inferiorem ita superavit, ut penitus intra ipsam absorpta, hoc est, prædictis proprietatibus divinis circumvestita, nihil præ se nisi divinum tulerit. Tum ceteri homines, cùm propter societatem carnis cum Christo conjuncti sint, ab eo in se ipsos circumfluentes excipient divinas illas qualitates: quibus efficietur, ut & ipsi gloriæ Christi conformes fiant, & sic Deus sit omnia in omnibus. Hæc tota est Hilarii de gloria Christi hominumque doctrina, catholicæ fidei nihil repugnans, etsi singularibus loquendi modis enuntiata.

Ad verba Scripturæ, sua expressit.

194. Quamquam non obscurè significat, sese ad hos loquendi modos Scripturarum auctoritate impulsum, ac præsertim cùm verbis Johan. 13. 32. *Deus honorificavit eum in se*, tum his Phil. 2. 11. *Dominus Jesus in gloria Dei patris*, ex quibus lib. 9. de Trin. n. 42. hoc conficit argumentum: *Quem enim in sese Pater glorificavit, in ejus gloria confitendus est: & qui in Patris gloria confitendus est, & quem in se Pater glorificavit, in his sine dubio intelligendus est esse, quibus Pater est; cùm & in se eum glorificaverit, & in gloria ejus sit confitendus. Non enim hîc tantummodo in gloria Dei est, sed in gloria Dei patris est; neque glorificavit gloriâ exteriore, sed glorificavit* IN SESE. *In eam eum quæ sua est gloriam resumendo, & eam gloriam quam apud eum habuit, eum & apud se glorificat & in se se.* Et quasi vim hujus sententiæ, *Deus honorificavit eum in se*, nondum satis expressisset, hanc rursum num. 42. sic explicat: *In se enim Deus glorificavit, id est, in ea natura qua Deus est quod est, ut sit Deus omnia in omnibus.* Similia sunt quæ ex aliis Johan. 17. 3. verbis deducit in eodem lib. n. 39. ubi ait, *Glorifica verò me apud te, non idem est quod Glorifica me. Non enim semetipsum glorificari tantùm ita, ut sibi aliquid sit proprium gloriæ, rogat; sed apud semetipsum Patrem glorificari ab eo precatur*, &c. Ex aliis verbis Pauli, v. g. *Resurget corpus spiritale, Absorpta est mors, ut sit Deus omnia in omnibus*, & similibus expressæ sunt Hilarii de gloria Christi hominumve locutiones.

§. VI.

§. VI.

§. VI. DE CHRISTI AC DEI REGNIS.

De regno Christi à regno Dei Patris distincto.

195. CUM ad gloriam Christi pertineat regnum ipsius, sicque de eo loquatur Hilarius, ut difficultates non desint; imperfecta meritò videretur superior disputatio, nisi eas consequenter in his præludiis complanare aut saltem præmonstrare conaremur. Porro Christum, pro duplici natura, duplici etiam ratione regnantem considerat. Et de divina quidem ipsius natura ubi dixit in Psal. 65. n. 12. *Illa ut semper est dominans, ita & dominabitur semper;* num. 13. de humana subjicit, *Unigenitus Dei filius etsi regnavit semper, non tamen semper regnavit in corpore.* Neque de hoc sempiterno Christi regno ulla est disceptandi causa. Ubi enim Hilarius unam Dei unigeniti cum Patre gloriam, virtutem, potestatem ac naturam esse demonstrat, nullum in utriusque regno discrimen ponendum esse pro certo constituit. Instituta igitur quæstio tota est de regno, quod Christo homini in tempore obvenit. Ut autem dignoscatur quando in Scripturis de temporario Christi regno sermo sit; hanc in eodem Tractatu tradit regulam; *Ubi designati & tamquam demonstrati sæculi dominatio continetur, tempus illud ostenditur, quo glorificato in gloriam Dei corpori & nomen Dei donatur & regnum.* Unde intelligere est, Christum in corpore regnare tum cœpisse, cùm in corpore gloriam accepit. De hoc Christi regno tria præsertim quærenda: primò quomodo illud Hilarius à regno Dei distinguat: deinde quî Millenariorum aliorumque eis affinium non faveat errori: postremò qua in re velit cùm Dei tum Christi regna sita esse. Unde eum à recepta Ecclesiæ fide de sanctorum hinc migrantium beatitudine non alienum esse conficietur.

Regnum Christi aliud æternū est, aliud temporarium.

I. *Quomodo Hilarius regnum Christi à regno Dei distinguat.*

196. Utrumque illud regnum discernere videtur temporibus, locis, nominibus, ac beatitudinis gradu. Et Christi quidem regno non aliud attribuit tempus, quàm quod à morte cujusque justi ad diem judicii excurrit. Inde autem incipit regnum Dei justis concedere. Itaque regnum Christi est in animas justorum corporibus solutas, regnum verò Dei in eosdem justos resurrectionis gloriâ donatos. His, ut in Psal. 148. n. 7. declarat, *non in hoc sæculo, neque in aëre, sed in superioribus locis sedes beati illius regni est constituta.* At regno Christi (puto quia solis animabus constat, quibus non congruat locus corporeus) corporeum locum non ita disertè adscribit. Nisi fortè verbis Tract. Psal. 120. n. 16. quibus Sancti regno Christi gaudentes traduntur *in sinu interim Abrahæ collocati, quò adire impios interjectum chaos inhibet,* corporeum locum intelligendum sentiamus. Longè magis animas corporum expertes is decet, in quo aliàs situm esse docet Domini regnum: ut pax & unanimitas sanctorum sit locus, in quo feliciter requiescant. *Quia*, inquit in Psal. 147. n. 2. *Domini nostri regnum in pace & unanimitate Sanctorum est, (Et factus est in pace locus ejus;) conventus ille beatorum, qui Dei* (rectiùs *Domini*) *regnum est, Jerusalem tamquam civitas pacis est dictus.* Neque negaverit quisquam hæc ad regnum Christi referenda esse, cùm de ea Jerusalem sint dicta, quæ per resurrectionem nondum consummata sit, de qua nimirum proximè subjicitur, *Civitatem verò hanc vivis, ut ait Apostolus, lapidibus exstructam Sanctorum cœtus conformis gloriæ Dei ex resurrectione consummat.*

Utriusque regni tempus, locus,

197. Quod ad nomina attinet, regnum Dei patris à Filii regno duobus præsertim adjunctis distinguit; aut enim illud *cæleste* regnum, cùm situm ipsius respicit, aut cùm ævum, *æternum* cognominat. Quippe quod in Psal. 144. n. 16. & in Psal. 148. n. 8. *regnum æternum*, in Psal. 120. n. 16. *regnum cæleste, regnum cælorum, æternum & beatum regnum*, & prologo in Psalterium n. 11. *sanctæ civitatis & cælestis Jerusalem tempora* nuncupari audis, ad unum Dei regnum haud dubiè pertinet. Regnum autem

nomina diversa.

§. VI. DE CHRISTI AC DEI REGNIS.

Christi quamvis pluribus ac magnificis titulis appellet, nusquam tamen cæleste aut æternum. quod quatenus non dicat, inferiùs explicabimus.

198. Quamquam hoc etsi nusquam regnum æternum, tamen in Psal. 57. n. 6. *requiem æternam* vocat. *Inter hæc*, inquit, *justi cujusque, tamquam Lazari in Abrahæ sinu requiescentis, lætitia monstratur... Lætitia justi est, cùm viderit vindictam; quia, peccatoribus puniendis, deductum se per Angelos in* ÆTERNAM REQUIEM *lætatur.* Et hanc quidem requiem *in Dei susceptione* sitam se sentire in Psal. 53. n. 10. sic significat: *Habeat itaque hanc innocens religio fiduciam, ut... si quando injustæ mortis vis afferatur, excedentem habitaculo corporis animam sciat* IN DEI SUSCEPTIONE *requiescere.* Ibi tamen mallemus *in susceptione Domini*; ut *susceptio Domini* id esset, quod *custodia Domini* in his Tract. Psal. 120. n. 16. *Exeuntes autem de corpore ad introitum regni cælestis* PER CUSTODIAM DOMINI *fideles reservabuntur, in sinu scilicet interim Abrahæ collocati.*

Quid sit regnum Filii.

199. Ex duobus superioribus locis definire sic liceret illud Filii regnum; Requies est æterna animæ justæ, quæ excedens habitaculo corporis, in susceptione Domini requiescat: aut ex postremo, Sinus est Abrahæ, in quo fideles ad introitum regni cælestis per custodiam Domini reservantur. Regnum idem jam ex Tract. Psal. 147. n. 2. vocari audivimus *conventum beatorum*, *Sanctorum cætum*, *civitatem vivis lapidibus exstructam*, quæ, quia civitas est pacis, *Jerusalem* dicta sit. Rursum in Psal. 2. n. 48. *sedes beatorum*, in Psal. 148. n. 8. *sanctæ Jerusalem regnum beatum*, & in Psal. 141. n. 5. (nisi fortè alium senserit Hiliarius locum latroni, alium ceteris justis concessum,) *terra viventium*, *paradisi incolatus*, *&* *regnum hereditatis Christi* cognominatur.

An diversus in utroque regno beatitudinis gradus.

200. Hinc non obscurum est, eum huic Christi regno non requiem tantùm, sed & beatitudinem, lætitiam, gloriam & honorem attribuere. Quod in Psal. 118. lit. 18. n. 10. confirmat, ubi de Lazari beato excessu hæc habet: *Abrahæ sinu continetur, & miseriam vitæ laboriosæ, beatæ quietis honore demutat.* Hujus tamen felicitatem regni Dei beatitudini coæquare non videtur. Nam cùm prologo in Psalterium n. 11. triplicem gradum ad salutem distinguat; regno Christi non dat nisi secundum, & regno Dei supremum reservat. *Cùm enim primus gradus sit ad salutem in novum hominem post peccatorum remissionem renasci; sitque post pænitentiæ confessionem regnum illud Domini in sanctæ illius civitatis Jerusalem tempora reservatum; & postea consummatâ in nos cælesti gloriâ in Dei patris regnum per regnum Filii proficiamus* &c. Rursum in Psal. 62. n. 7. triplicem memorans vitam, in sæculo nimirum, in Abrahæ sinu, & in cælo; hanc, quam misericordiam vocat, quia per misericordiam Dei præparatur, duabus aliis meliorem asserit: *Est enim vita post vitam, qua in Abrahæ sinibus vivendum est, in qua Dei nomen pauperis quiete benedicitur, secundùm illud Prophetæ, Non mortui laudabunt te Domine, sed nos qui vivimus, benedicimus Dominum. Super has igitur vitas misericordia ea est, quæ quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, his qui Dominum diligunt præparavit.*

201. Itaque Hilarius videri aliquo modo potest regnum Christi sic spectasse veluti medium quemdam statum, miseriarum quas hîc patimur expertem, sed nondum ejus consortem felicitatis, quæ nobis in cælis promissa est. Quocirca in Psal. 119. num. 1. nobis de morte nostrorum non dolendum esse hinc probat, quòd *nostrorum abscessio spei communis sit accelerata properatio*; & num. 11. docet, Christi jussu *accelerationem regni cælestis orandam* esse, cùm ab eo præcipiamur ut dicamus, *Adveniat regnum tuum*: quasi spe nostra non simus potituri, nisi cùm consummatis omnibus sanctis regnum Patris adveniet. Cùm tamen utrumque illum locum maximè confirmet verbis Pauli, quibus dissolutionem corporis sui & Christi consortium concupiscit; nihil inde conficitur, ut regni Christi & regni Dei diversa beatitudo demonstretur.

202. Id fortè comprobabit efficaciùs, quod in Psal. 148. n. 8. de Christi regno ait, *Illud sanctorum est regnum, per quod regnante Domino ad beatum regnum Dei patris adscendent*: & mox, *Illis proprius hic hymnus est, qui per hoc sanctæ Jerusalem re-*

gnum beatum æterno regno proximi, post regnum Domini Jesu Christi, in regnum Dei patris Domino congregante transibunt: & ad calcem, *Hic ergo populus est propinquans, regno Dei patris per regnum filii Dei proximus. Regnat itaque Dominus, traditurus Deo patri regnum; non regni potestate cariturus, sed nos, qui regnum ejus sumus, Deo patri traditurus in regnum. Regni traditio, nostra provectio est; ut qui in regno Filii erimus, in regno quoque simus & Patris: digni per id regno Patris, quia digni regno erimus & Filii; proximi tum Patris regno, cum Filii erimus in regno.* Quis enim eos in eodem beatitudinis gradu constituat, qui Deo propinquant, & qui ad eum pervenerunt; qui regno æterno proximi, & qui illud sunt consecuti, quibus nonnihil superest adscendendum, & qui summum beatitudinis apicem obtinuerunt? Sed in quo sita sit illa diversitas priùs quàm penitiùs investigemus, removendæ sunt nonnullæ suspiciones, quæ è verbis superioribus oriuntur.

§ VI. DE CHRISTI AC DEI REGNIS.

II. *Hilarius à Millenariorum aliorumque eis affinium errore vindicatur.*

203. Cavendum in primis, ne cùm Hilarius docet per regnum Filii ad regnum Patris perveniri, id eo intellectu dixisse existimetur, quo asserit Irenæus lib. 5. cap. 32. Christi regnum *esse principium incorruptelæ, per quod regnum, qui digni fuerint, paulatim assuescunt capere Deum.* Hoc quippe dixit Irenæus Papiæ ejusque sequacium Chiliastarum errore imbutus: à quo sanè procul est Hilarii sententia. Ille enim Domini regnum in spiritalibus deliciis constituit, puta in pace & unanimitate sanctorum, in Christi consortio & benedictione Dei; isti in terris ac voluptatibus terrenis: ut meritò Augustinus lib. 20. de Civ. Dei c. 21. n. 2. *carnales illos mille annos* vocet, qui in carnalium rerum affluentia ponuntur. Deinde apud istos regnum Christi non adeunt Sancti nisi post resurrectionem universam; apud illum autem eo gaudet justus quisque statim post mortem. Præterea ejus opinionis, qua sanctos in regno Christi detineri dicunt, donec paulatim assuescant capere Deum, nulla est apud Hilarium vel tenuis umbra. Postremò Chiliastæ sic cognominati sunt, quòd mille annorum curriculo regnum Domini in terris disterminarent: quod Hilarius nullo certo locorum aut temporum spatio definit, sed indefinitè ad judicium usque protendit.

Non unum est in Hilarii & Millenariorum sententia discrimen.

204. Neque verò in his Tract. Psal. 120. n. 16. *Exeuntes autem de corpore ad introitum regni cælestis per custodiam Domini reservabuntur*, id existimandus est sentire, quod Lactantius lib. 7. c. 21. ubi habet, *Nec tamen quisquam putet animas post mortem protinus judicari. Omnes in una custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen.* Etsi enim in una *custodiæ* voce cum illo consentiat, in ea tamen intelligenda longè dissidet: cùm *custodia* apud Lactantium locum quemdam clauso carceri similem sonet, apud Hilarium autem protectionem Domini, ex cujus societate Sancti ab omni malo protegantur. Unde in Psal. 119. n. 1. docet, nihil nobis à sæculi violentia timendum, *cùm Christi consortium mors acquirat.* Sed & uterque hoc maximè discrepat, quòd cùm Lactantio in una custodia detineantur animæ omnes, justæ & injustæ, & quidem nullo prævio judicio; Hilario in custodia Domini reserventur unæ animæ fideles atque justæ, &, ut in Psal. 57. n. 7. innuit, præmisso antea judicio.

Custodiæ nomine Hilarius diversa à Lactantio intelligit.

205. Lactantii opinioni affinis est Tertulliani sententia, qua licèt Martyribus paradisum concedat, reliquas tamen animas *in recessu intimo & in ipsa terra operto & intra ipsam clauso* in diem Domini detinet. Sed hanc distinctionem ignorat Hilarius, qui non Martyres solos, sed justos omnes, non in subterranea inferorum obscuritate, sed in beatæ quietis honore, Christi consortes facit.

Sanctos & Martyres loco non separat. *Tertull. lib. de anima n. 55.*

206. Sed ne Vigilantio quidem suffragatur, quem Hieronymus ubi memoravit sentire, *vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum vel Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis & ubi voluerint esse præsentes*, eum subinde sugillat his verbis: *Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, ut non inter ho-*

Preces coram eorum tumulis approbat. *Hieron. cōt. Vigilant.*

§. VI. DE CHRISTI AC DEI REGNIS.

micidas teterrimo carcere, sed in libera custodia, in fortunatorum insulis & campis Elysiis recludantur. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula injicies, ut usque ad diem judicii teneantur custodiâ, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est, Sequuntur Agnum quocumque ierit? Si Agnus ubique; ergo & hi, qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt. Et cùm diabolus & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia ubique præsentes sint: Martyres post effusionem sanguinis sui arcâ operientur inclusi, & inde exire non poterunt? Et verò Hilarium cum Hieronymo potiùs facere quis neget? Cum eo quippe Sanctos non solùm Christi comites esse asserit, sed & in Psal. 124. n. 5. prædicat eosdem nostri esse tutores atque custodes. Immo lib. 11. de Trin. n. 3. inter testimonia divinitatis Christi illud non silet, quòd *hunc Apostolorum & Martyrum per virtutum operationes resonant sepulcra.* Quænam autem Sanctorum tumulis ederentur virtutum operationes, lib. in Constantium n. 8. sic explicat: *Sanctus ubique beatorum Martyrum sanguis exceptus est, & veneranda ossa quotidie testimonio sunt: dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur,* &c. ut non dubium sit, quin preces nostras coram Sanctorum tumulis fusas approbarit, senseritque eos illas posse percipere, iisque perceptis ea, quibus indigemus, pro sua pietate apud Dominum nobis impetrare.

Quî nec secum pugnet nec Marcello faveat.

207. In quo igitur regnum Filii à regno Patris discernit? Aut quomodo ei saltem errori non favet, ob quem Marcellus olim damnatus ac depositus fuit; cùm Christo, non secus ac ille, regnandi finem præscribere videatur? Quî etiam sibi ipse constat, cùm in Psal. 65. n. 13. docet, Christum sæculo dominaturum, *cùm evacuaverit omnem principatum & potestatem*, quod non fiet nisi extremo judicio; post quàm in Psal. 60. n. 5. tradidit, eum regnaturum esse donec ponat inimicos suos sub pedibus suis, *ut tempus illud, quo eum regnare donec ponat inimicos suos sub pedibus suis oportet, à generatione usque in generationem sit comprehensum*, hoc est, ut ibidem exponit, à tempore mortalitatis nostræ ad illud, quo immortalia corpora recepturi, in æternam vitam regenerandi sumus? Quî in uno loco judicium novissimum regni Christi initium, in altero finis sine pugna intelligitur?

208. Nec pugnat ille secum, nec Marcelli errori favet. Nam ut alibi passim, ita & in ipsummet Psalmum 65. num. 13. Christum etiam modò regnare conceptis verbis profitetur. Neque docet eum à judicio regnaturum simpliciter, sed regnaturum solum; ut regnum ipsius, quod modò princeps mundi hujus nonnihil perturbat, tunc integrum & absolutum futurum sit, & à nulla adversa potestate distrahendum. *Tunc*, inquit, SOLUS *in virtute sua sæculo dominabitur. Nunc enim quamvis regnet, tamen princeps hujus sæculi petiit ut modo tritici Apostolos cerneret; & sunt spiritales nequitiæ, adversùm quas spiritalibus nos armis beatus Paulus instruxit.* Hinc satis significat, se non intra tempus, quod ad judicium excurrit, regnum Christi coartare. Sed & in Psal. 60. ubi dixit, *In æterno regno consedentem oportet regnare donec ponat inimicos suos sub pedibus suis*, prudenter cavens ne cum Marcello regni finem asserere existimetur; adjecit, *non ut rex ipse tum non sit: sed cùm tradiderit regnum Deo patri, conregnabit his ipse qui reges sunt.* Ita dum expendimus quid sit regnum Deo tradi, & quo modo Christus regno non cedat quod Patri tradiderit, sensim sine sensu discimus quid sit regnum Dei: qua parte distinctè perceptâ, minùs erit abstrusum quid Hilarius de Christi regno sentiat.

III. *In quo Hilarius situm velit regnum Dei, in quo regnum Christi.*

Regnum Dei quid sit.

209. *Regnum Dei est*, ut ipse definit in Psal. 2. n. 42. *ubi peccatum vincitur, ubi mors perimitur, ubi non regnat hostis.* Mors autem non perimitur nisi per gloriosam resurrectionem, secundùm illud Augustini Serm. 233. n. 5. *Morietur & in nobis mors: sed quando? In fine sæculi, in resurrectione mortuorum.* Unde & Hilarius paulo post allata verba subjicit, *Hoc nobis erit regnum Dei, cùm omnibus vitiorum nostrorum aculeis contusis labes erit corporeæ infirmitatis absorpta.* Dei igitur regnum gloria est

est corporis, cui mors non amplius dominatura sit, sed beata & æterna vita: adeo ut Christum Deo patri regnum tradere nihil aliud sit, quàm gloriæ corporis sui nos conformes efficere. Nec latet cur hoc regnum Dei vocet, curve dicat ei à Christo tradi. Nam cùm æternitas Dei propria sit, ejus proprietati nos subjicit Christus, cùm æternos efficit. Hoc sensu explicans Hilarius traditionem regni, eâ nihil Christo demi, sed nobis multùm acquiri non immeritò testatur in his lib. 11. de Trin. n. 39. *Tradet ergo regnum Deo patri: non ita, tamquam tradens potestate concedat, sed quòd nos conformes gloriæ corporis sui facti regnum Dei erimus. Non enim ait, Tradet suum regnum; sed, Tradet regnum, effectos nos per glorificationem corporis sui regnum Deo traditurus.* Quibus similia sunt isthæc Tract. Psal. 148. n. 8. jam superiùs relata: *Regnat itaque Dominus traditurus Deo patri regnum: non regni potestate cariturus, sed nos, qui regnum ejus sumus, Deo patri traditurus in regnum. Regni traditio nostra provectio est.* Enimvero si regnum Deo tum trademur, cùm gloriæ corporis Christi efficiemur conformes; traditione illa multum accedet nobis, sed Christi regno nihil detrahetur: immo cùm hanc gloriam ab eo simus mutuaturi, ei tum longè absolutiùs subjiciemur. Apertiùs & hoc approbari sic potest: Christus nos regnum tradit, cùm reges efficit; reges autem efficit, cùm Dei, qui maximus est rex, heredes; heredes autem Dei nos constituit, cùm sui coheredes. Neque hæc nostra sunt, sed Hilarii ipsius in Psal. 2. n. 43. sic sententiam suam explicantis: *Qui heredes Dei patris, coheredes autem Domini nostri Jesu Christi erunt, per id quòd æterno Regi coheredes sunt, id necesse est consequantur ut reges sint.* Atqui Christo de hereditate & gloria ipsius nihil tum peribit: nihil igitur & de regno; sed, ut loquitur in Psal. 60. n. 5. *conregnabit his ipse qui reges sunt*, cum hac scilicet speciali gloria, quòd hi ab ipso habeant ut reges sint. Et tunc *quemadmodum ipse regnans in gloria corporis subjicienti sibi universa subdetur; ita nos gloriæ regnantis corporis sui subdemur: ut in ea simus claritate, qua regnat in corpore; quia corpori ejus conformes erimus.*

§. VI. DE CHRISTI AC DEI REGNIS.

Quomodo ejus traditione nihil Christo detrahatur.

Lib. 11. de Trin. n. 36.

210. Itaque cùm Hilarius à Millenariorum opinione longè sit alienus, cúmque regnum Dei, quod sanctis tantùm post resurrectionem concedit, gloriam intelligat corporis; nihil vetat quo minùs sensisse existimetur, æternam beatitudinem ipsumque Dei conspectum sanctis statim à morte indulgeri. Neque aliud conficitur ex eo quod ait lib. 11. de Trin. n. 39. *Tradet autem Deo patri regnum, & tunc quos regnum Deo tradiderit, Deum videbunt.* Inde enim non magis sequitur ut non antea viderint, quàm cùm in Psal. 65. n. 13. docet, Christum tunc sæculo dominaturum cùm evacuaverit omnem principatum, non sequitur ut non antè dominatus sit. Idem dicendum de his Tract. Psal. 62. n. 3. *Hoc animæ desiderium, hæc sitis spei ejus est, ut Dei sibi proveniat adspectus, ut quàm primùm raptus in nubibus, Deo Christo obviàm elevatus appareat.* Immo ut hinc concludatur, verbis *ut Dei sibi proveniat adspectus*, judicii diem notari velut quo optatus sanctis Dei intuitus obveniat; priùs impetrandum est, hæc ad idem tempus pertinere, ad quod subsequentia, ut *quàm primùm raptus in nubibus* &c. Sed & hoc obtento, consignatam habebis diem valde in Scripturis testatam, qua Dei conspectus universo justorum cœtui concedendus sit: at hanc beatitudinem sanctis singulis quotidie à nobis migrantibus negari indidem non habebis. aut certè qui iniqua agentes ad novissimum judicium appellat, pari jure credendus sit criminum vindictam ad illum diem prorogatam arbitrari. Si verò verborum superiorum ordine rerum ordo significetur; sanctis antè Dei provenit adspectus, quàm Christo ad judicium venienti obviàm eant: adeoque ante judicium & in regno Christi faciem Dei contemplantur. Sed de illo Christi regno si quid expiscari distinctius liceat, indagemus.

An sancti, ex Hilarii sententia, Deum ante judicium videant.

211. Occurrit 1°. in Psal. 2. n. 42. *Christus regnat in nobis, cùm per eum ipsi dominorum in nos jure regnamus.* Quod licèt generalius dictum, & ad eos coaptari posse videatur, qui adhuc in carne degant; quamdiu tamen nobis est non modò adversùs spiritales nequitias, sed & adversùs carnem & sanguinem assidua colluctatio, quis nos pleno & absoluto dominorum in nos jure regnare concedat? Qua-

Christi regnum est sanctorum in corpore Christi requies.

§. VI. DE CHRISTI AC DEI REGNIS.

tenus autem hoc justi per Christum obtineant, necdum exploratum.

212. Liquidius nonnihil præ se fert Tractatus Psal. 119. n. 1. ubi Hilarius nixus Apostoli verbis, *Cupio dissolvi & esse cum Christo*, disertis verbis eloquitur, quòd justis *consortium Christi mors acquirat.* Neque aliunde quærendum putamus, cur regnum Christi nuncupet tempus illud quod justorum mortem excipit, quàm ex illo Christi consortio quod Apostolus dissoluto corpore sibi sperat. Ipsum etiam modum, quo justos carne exutos intelligat cum Christo habitare, in Psal. 91. n. 9. aliis ejusdem Apostoli verbis sic explicat: *Oportet autem cognosci quidem quomodo in requiem, quam impii non adibunt, pii & Deo subjecti poterunt introire: necesse est enim spem, quæ malis negata est, bonis relinqui. Sed si Christus Dei requies est, ergo hi, qui in Christo erunt, erunt in Dei requie. In Christo velle esse se Apostolus clamat, dicens, Sequor autem, si apprehendam in quo & apprehensus sum* &c. & mox concludit, *Ergo per conjunctionem carnis assumtæ sumus in Christo*; nos quidem interim fide, sancti autem, ut ita dicam, re. *Omnes enim*, inquit & in Psal. 13. n. 4. *currimus apprehendere in quo apprehensi sumus à Christo, id est, inveniri in ejus corpore quod ex nobis ipse præsumsit, in quo ante constitutionem mundi à Patre sumus electi, in quo reconciliati ex inimicis, & acquisiti sumus ex perditis, in quo Apostolus cum damno universorum optat inveniri dicens, Et omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo.*

213. Quid, quæso, hæc sibi volunt? Nisi nostra nos fallit opinio, Hilarius Pauli verba, *Cupio dissolvi & esse cum Christo*, ex istis ejusdem Apostoli, *Sequor autem si apprehendam in quo & apprehensus sum*, interpretatus, sensit sanctos, carne deposita, carni quam Christus ex nobis assumsit conjungi, in eaque requiescere donec proprium corpus recipiant: & hanc sanctorum in corpore Christi requiem, regnum Christi nuncupavit. Intellectum hunc confirmat quod in verba Psal. 14. *Quis requiescet in monte sancto tuo*, sic edisserit n. 5. *Quid sublimius Christo? quidve excelsius Deo nostro? Mons autem ejus est illud, quod ex homine corpus assumsit, in quo nunc habitat & sublimis & excelsus super omnem principatum & potestatem & omne nomen.* Et post pauca: *Si ergo requiei nostræ spes omnis est in Christi corpore, & cùm in monte sit quiescendum; montem non aliud possumus intelligere, quàm corpus quod suscepit ex nobis. Ad illud enim post habitationem Ecclesiæ scanditur, in illo in Domini sublimitate requiescitur, in illo cum Angelorum choris, cùm & nos simus Dei civitas, sociabimur.* Illud quippe *quò post habitationem Ecclesiæ scanditur*, nihil aliud intelligere est, quàm quò proximè post mortem migrant, qui in Ecclesiæ sinu & caritate obierint. Quam gratiam nobis precantur postrema hæc ejusdem Tractatus verba: *Habitantes in Ecclesia, tandem in gloria corporis Christi quiescamus.*

Qui Hilario assumti à Christo, qui ei obviàm in nubibus rapti.

214. Huc referri potest quod cap. 4. in Matth. n. 3. habet: *Beati mites; quoniam ipsi hereditabunt terram. Mitibus terræ hereditatem pollicetur, id est, ejus corporis, quod ipse Dominus assumsit, habitaculum.* Neque jam obscurum esse debet, quod in Psal. 62. n. 4. memoratis nonnullis sancti viri virtutibus adjicit, *Non nisi per hæc probati* (qui fuerint,) *vel assumti habebuntur à Christo, vel ei obviàm rapientur in nubibus.* Eorum enim, qui probatæ vitæ fuerint, pro diverso tempore quo hinc excesserint, merces diversa ratione enuntiatur: ut si imminente judicio obierint, cum propriis corporibus obviàm Christo in nubibus rapiantur; si antè, à Christo assumti in ejus corpore requiescant. Aut certè (quod eòdem redit,) sanctorum eorumdem duplex status distinguitur, ut primùm post hanc vitam habeantur à Christo assumti & in ejus corpore requiescant; ac demum judicii die, propriis corporibus receptis, obviàm Christo in nubibus rapiantur. Eodem sensu in eodem loco pro diverso illo statu sancti dicuntur *apparentes Filio, vel suscepti à Filio*: putà apparentes Filio, dum ei obviàm in nubibus rapiuntur; suscepti autem à Filio, dum in ipsius corpore requiescunt. Hinc in memoriam revocatur, quod suprà ex Tract. Psal. 53. n. 10. audivimus, *excedentem è corporis habitaculo animam in susceptione Dei* (vel *Domini*) *requiescere*, hoc est, à Filio susceptam esse, donec recepto corpore in nubibus ei obvia appareat.

215. Hilarius quidem in Psal. 61. n. 5. necnon in Psal. 58. n. 6. & alibi in unum respiciens jus, quod à Christo, ex susceptione carnis nostræ, universis hominibus factum est, ut in glorioso ejusdem corpore habitarent, generatim ait, homines in Christo coexcitatos & à dextris Dei in cælestibus collocatos esse. At habitationis hujus gloriam eis solis, qui in Christi fide ac dilectione ad mortem usque perseverantes, ab indulto jure non ceciderint, obtingere haud ambiguè in Psal. 51. n. 17. declarat his verbis: *Qui enim non manebit in Christo, regni Christi incola non erit. Non erit autem, non quòd sibi non patuerit incolatus; universis enim patet ut consortes sint corporis Dei atque regni; quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, naturam scilicet in se totius humani generis assumens* &c. Ex eo quippe loco observare est. 1°. unum Hilario & idem esse, *regni Christi* & *corporis Christi* fieri consortem: deinde hoc ab eo inter homines qui in carne degant, & eos qui corpus exuerint, discrimen statui, quòd illis ad Christi regnum patens aditus, his in eodem jam incolatus concedatur. Ex quo etiam consequitur, eorum maximè, qui ex hac vita migraverint, proprium esse ut in Christi regno habitent; quamvis alii quoque, ob indultum eis jus patentemque aditum, in corpore & perinde in regno Christi esse interdum prædicentur. Quocirca in Psal. 51. n. 19. Judæos, quia à jure illo ceciderunt, & infidelitate sua aditum sibi patentem præcluserunt, *avulsos* vocat non modò *à Christi corpore*, sed & *ex illo beatitudinis regno*. Immo in Psal. 118. lit. 15. n. 12. fideles, qui in peccatis demorantur, à cælo cadere, eòque cæli peccatores esse ubi affirmavit in hunc modum, *Quisquis cæli doctrinæ & spiritalis gratiæ particeps factus, in peccato demorabitur, non terræ peccator est ille, sed cæli:* hanc dicti sui rationem subjicit, *Omnes enim credentes in se Dominus noster Jesus Christus coexcitavit & collocavit in cælestibus: ex quibus qui decidet, tamquam cæli peccator arguitur.* Sicut igitur heredes vocamus filios sive quibus patris obtigerit hereditas, sive quibus tantùm destinata sit; ita & Hilarius in Christi corpore ac regno habitare dixit cùm eos quibus hanc gratiam meruit Christus, tum eos quibus illam concessit. At quantum distat inter hereditatem destinatam, & acquisitam; tantum distare credidit inter homines quibus habitandi in Christi regno potestas facta est, & inter justos quibus *consortium Christi mors acquirat*. §. VI. DE CHRISTI AC DEI REGNIS.

216. An verò sancti illi, quibus nova quadam ratione *consortium Christi mors acquirit*, aliter in Christo habitent, quàm quòd ei per dilectionem cohærentes in beata corporis illius contemplatione conquiescant, donec propriis corporibus receptis gloriæ corporis illius conformes efficiantur, ut non explicat Hilarius, ita nec definire libet. Aliis etiam definiendum permittimus, utrùm eis, præter corporum gloriam, nihil ad beatitudinem deesse senserit. Quamquam quid eis desiderandum, si Deo fruantur? Aut quî eos Deo frui non sensit, quos cum Christo & in Christo esse credidit? Ut enim ratiocinatur Gregorius lib. 4. Dial. c. 2. Veritas per se testatur: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ: quia ubi ipse Redemtor noster est corpore, illuc procul dubio colliguntur justorum animæ. Et Paulus: Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Qui ergo Christum in cælo esse non dubitat, nec Pauli animam in cælo esse negat.* Hoc certè non negarit Hilarius, qui cùm Christum in cælo esse non dubitet, nihilo minùs ibi justos, ubi Christus est, post mortem esse affirmat. *Nam cùm*, inquit lib. 9. de Trin. n. 50. *Pater velit credentes in Filio vitam æternam habere, Filius vult illic ubi ipse sit esse credentes. Nisi fortè cohabitare Christo non sit æternitas.* Si autem Christo cohabitare vita æterna est, æternâ igitur vitâ potiuntur qui cum Christo sunt. Atqui ex sententia Hilarii cum Christo sunt, qui in regno ejus sunt: illi ergo potiuntur vitâ æternâ. Potest & illinc hoc aliud confici argumentum. Qui Christo cohabitant, illic sunt ubi Christus est: atqui Christus est in cælis: in cælis itaque sunt qui Christo cohabitant. Porro qui in regno Christi sunt, Christo cohabitant: illi igitur pariter sunt in cælis. An nihil, præter corporum gloriam, sanctorum beatitudini deesse Hilarius senserit.

217. Præterea eos, qui post hanc vitam Christi consortes fieri merentur, faciem Dei intueri in Psal. 142. n. 9. non obscurè significat his verbis: *Non avertas faciem*

§. VI. DE CHRISTI AC DEI REGNIS.

à me: & similis ero descendentibus in lacum. Lacum pœnalem inferorum locum Scriptura commemorat... Ergo nisi facies Dei, qui utique Christus est, qui imago Dei invisibilis est, unicuique sancto adfuerit; erit illis similis, qui pœnæ inferni deputati è vita hac sine spe quietis excesserint. Unde in Psal. 119. n. 4. Adam jam gloriâ donatum dicere non dubitat: *Adam confessus, veniæ reservatus, glorificatus in Christo est.*

218. Aliunde etiam constat, numquam eam Hilarii sententiam fuisse, ut nulli sancto ante judicium cælum pateret. Hujus hodieque incolas esse, qui in passione Domini resurrexerint, se existimare declarat in Psal. 2. n. 26. Neque eum de Domini sui benignitate tam malè sensisse crediderim, ut cùm in Psal. 67. n. 27. narret eum *Virtutibus cælestibus animisque Sanctorum iter ejus præeuntibus* cælum conscendisse; Christus beatos illos Sanctorum animos itineris sui comites passus, eos secum in patriam cælestem recipere dedignatus sit. Immo etiam post Christi in cælos adscensum, protomartyrem Stephanum eò se recepisse, ac venienti ei à Patre in primoribus cæli occursum esse innuit in Psal. 58. n. 6. ut ibi observabitur not. g. Hanc quoque ceterorum Martyrum spem fuisse, ut mactatis corporibus in cælum evolarent, sic in Psal. 65. n. 23. testificatur: *Per hæc igitur genera pœnarum Martyres in fidei testimonium corpora sua holocausta voverunt: ut in Dei domum, id est,* IN CÆLESTIS DOMICILII HABITATIONEM *consummatis hostiarum suarum sacrificiis introirent.* Certè si, ut ait Ambrosius epist. 29. ad Irenæum n. 8. *ipse est Dominus Jesus summum bonum;* ægre admodum percipi potest, quomodo ii, quibus *consortium Christi mors acquisivit*, non fruantur summo bono, aut non summè felices sint; maximè ex sententia Hilarii superiore §. explicata, qua Christum etiam secundùm hominem totum Deum profitetur. Et verò libro 10. de Trin. n. 34. latronem Christi regni, quod confessus fuerat, sic consortem facit, ut in eo non qualemcumque felicitatem, sed *consummatæ beatitudinis delicias* sit adeptus.

Sanctos jam cælo Deoque frui semper fuisse creditum.

219. Hanc de justorum à nobis migrantium statu disputationem curiosiùs prosecuti, an eis cælum continuò donari firma Ecclesiæ traditione demonstrari posset, inquisivimus. Hinc non modica parata erat dissertatio, in qua primò quid de Martyribus, tum quid de ceteris justis Majores nostri senserint, exponebatur. Sed ne præfatio, quæ modum jam excessit, in immensum crescat, & ne extra Hilarii nostri fines excurrere videamur, eam supprimendam duximus. Si qui tamen de fide, qua cælum à Christo apertum sanctis numquam non patere credimus, adhuc dubitant; ultro hîc expendant ipsi momenta præcipua, quibus eamdem in Ecclesia semper viguisse nobis constitit. Et Martyres quidem cælo gaudere Græci Latinique Patres, si paucos excipias qui Millenariorum errore imbuti sunt, magno consensu docent. Immo fidem nostram jam ævo suo receptam probat Irenæi atque Tertulliani labor, ut eam ex animis fidelium extorqueant. Tum sincera Martyrum acta relegentes, vix unum reperient Justinum, qui non hac spe passus sit, quòd moriens cælum migraret. Hanc fidem, quam conceptis verbis plerique profitentur, sæpe Deus visis certiorem fecit. Adeo verò publica erat, ut Martyres Christi de ea & à judicibus suis interrogatos, & ab ethnicis populis irrisos legamus. Nec leve ejusdem fidei testimonium est pia plebis Christianæ consuetudo, qua ad Martyres festinare solebant, eosque rogare, ut cùm ad Deum in cælum pervenissent, sui apud eum memores esse dignarentur. Quid eos memoremus qui Martyrum acta conscripserunt, cùm illos cælo ac Deo potiri quàm plurimi significent, ne unus quidem neget? Denique fidem eamdem olim in publicis Ecclesiæ precibus consignatam non negabit, qui antiquum Ordinem Romanum, aut Missale Gotthicum lib. 3. de Liturgia Gallic. editum, necnon Sacramentarium Gallicanum, quod è ms. ante annos mille exaratо Tom. 1. Musæi Italici insertum est, aliaque id genus sacræ antiquitatis monumenta consulet. Jam verò cùm cælum non sanguis noster, sed caritas aperiat; eo Martyribus aperto, ceteris quoque justis patere facilè comprobatur: idque re vera Patrum eorumdem auctoritate & iisdem fere argumentis compertum habuimus.

§. VII.

§. VII. DE NOVISSIMO JUDICIO.

§. VII.

De judicio novissimo : an aliquos Hilarius ab eo excluserit.

220. SCRIPSIT non ita pridem vir celeberrimus, Hilarii de judicio novissimo non ferendum esse errorem. Ac licèt in quo situs sit ille error, ibi non declaret, antea tamen satis significat hanc censuram suam in id cadere, quod in Psal. 1. n. 16. ait, *Cùm enim dicit, Qui credit in me, non judicabitur; exemit judicio fideles : & cùm subjecit, Qui autem non credit, jam judicatus est; non admisit ad judicium infideles.* & num. 17. *Sed ademto in credentes non credentesque judicio, causam Dominus judicii & auctores in quos judicari necesse esset adjecit. Sunt enim aliqui inter impios piosque qui medii sint, ex utroque admixti, neutri tamen propriè, quia in idipsum constiterint ex utroque; nec fidei admiscendi, quia sit illis aliquid infidelitatis insertum; nec infidelitati deputandi, quia aliquid habeant & fidei.* & post pauca : *Hi ergo judicabuntur, qui neque ut pii non judicabuntur, neque jam fuerint ut impii judicati.* Quod rursum in Psal. 57. n. 7. explicat. *Hilarius arguitur erroris : unde.*

221. Jam olim monuerat Origenes Tom. 1. edit. Huetii p. 42. nonnullos his verbis 1. Psalmi, *Ideo non resurgent impii in judicium*, adductos esse, ut impiorum judicium negarent. *Hujus loci*, inquit, *auctoritate freti simpliciores quidam ex fidelibus, negant malos resurrectionis compotes futuros, aut Dei judicio dignandos.* Et in hunc quidem scopulum incidisse videtur Lactantius lib. 7. div. instit. c. 20. ubi de judicio extremo scribit : *Nec tamen universi tum à Deo judicabuntur, sed ii tantùm qui sunt in Dei religione versati. Nam qui Deum non agnoverunt, quoniam sententia de his in absolutionem ferri non potest, jam judicati damnatique sunt, sanctis litteris contestantibus, non resurrecturos impios in judicium. Judicabuntur ergo qui Deum scierunt, & facinora eorum, id est, mala opera cum bonis collata ponderabuntur : ut si plura & gravia fuerint bona, justificentur ad vitam beatam; si autem mala superaverint, condemnentur ad pœnam.* An verò in eumdem impegerit Hilarius, nunc expendendum. *Aliqui impios resurrecturos aut judicandos esse non putarunt.*

222. Observandum est 1°. duplex ab Hilario judicium distingui, unum scilicet in consummatione mundi, & alterum post mortem cujusque hominis. Hujus, vel etiam utriusque meminit in Psal. 57. n. 7. ubi hæc Psalmi ejusdem verba, *Utique est Deus judicans eos in terra*, sic enarrat : *Dicens ergo homo, an fructus sit justo, non ambigitur exspectare judicium, justo tamen jam in terris, quia per Angelos in Abrahæ sinum deductus sit, judicato.* Ibi quippe justum jam in terris judicatum hinc probat, quia per Angelos in sinum Abrahæ deductus sit, quod non sine prævio judicio factum est. De altero autem interpretari licet, quod adhuc exspectari prædicat. Neque solùm justum, sed & infidelem ante judicium novissimum judicari in eodem loco subinde affirmat in hunc modum : *Cùm ergo sanctus non judicandus sit, qui in vitam sit transiturus ex morte, & infidelis* JAM JUDICATUS AD POENAM SIT, *intelligitur in eos reliquum esse judicium, qui pro gestorum qualitate inter peccata fidemque medii sint.* Quando autem impius *judicatus ad pœnam sit*, in Psal. 2. n. 48. declarat disertis his verbis : *Non morosa hæc ira est, per quam de justa via pereunt : ne quis sibi interim in pœnæ lucro inter moras judicii blandiatur. In brevi namque exardescit ira. Excipit enim nos statim ultor infernus : & decedentes de corpore, si ita vixerimus, confestim de via recta perimus. Testes nobis evangelicus dives & pauper, quorum unum Angeli in sedibus beatorum & in Abrahæ sinu locaverunt, alium statim pœnæ regio suscepit. Adeo autem statim pœna mortuum excepit, ut etiam fratres ejus adhuc in supernis manerent. Nihil illic dilationis aut moræ est. Judicii enim dies vel beatitudinis retributio est æterna, vel pœnæ : tempus verò mortis habet interim unumquemque suis legibus, dum ad judicium unumquemque aut Abraham reservat, aut pœna.* Hunc locum ex solido describere non piguit, quo confirmetur quod superiori §. diximus, nihil vetare quo minùs Hilarius sanctos ante judicium cælo donatos sensisse existimetur, quamvis in Psal. 120. n. 16. *Cum his non consentit Hilarius.*

§. VII. DE NOVISSIMO JUDICIO

scribat, eos *ad introitum regni cælestis per custodiam Domini reservari.* Impios enim pariter ad judicium reservari docet, quos nihilo minùs inferno ultore interim excipi ac puniri profitetur.

Omnes ante tribunal Christi sistendos docet.

223. Deinde hoc eodem loco instituta quæstio nostra non mediocriter illustratur. Quid enim est, *Interim unumquemque ad judicium aut Abraham reservat, aut pœna?* Nonne hoc unum, & fideles nimirum, qui in Abrahæ sinu locati sunt, & impios, quos infernus ultor suscepit, novissima die de integro coram summo judice sistendos? Immo etiam hoc ipse in Psal. 55. n. 7. planè affirmavit in hunc modum: *Cùm omnis caro redemta in Christo sit ut resurgat, & OMNEM assistere ante tribunal ejus necesse sit; non tamen omnibus gloria & honor est promiscuus resurgendi.* Quocirca lib. 3. de Trin. n. 16. verba Christi, *Clarifica me*, sic exponit: *Hæc carnis deprecatio est, in qua eum JUDICII DIE compunctum & de cruce recognitum universi videbunt.*

Ut justos non excludit, ita neque impios.

224. Sicut igitur ab eo errore, quo simpliciores nonnulli malos resurrectionis compotes futuros negarunt, absolvitur Hilarius, cùm omnem carnem resurrecturam affirmat; ita & cùm omnem ante tribunal Christi sistendam significat, non est implicandus cum iisdem, qui rursum malos Dei judicio non dignandos existimarunt. Quorsum enim omnis caro pro Christi tribunali sistenda, nisi ut ipsius sententiam excipiat? Hoc Hilario ita persuasum, ut de justis & impiis, quos interim ad judicium aut Abraham reservat aut pœna, loco memorato asserat, *Judicii dies beatitudinis retributio est æterna, vel pœnæ.* Quomodo porro pœnæ vel beatitudinis retributio est, nisi per sententiam condemnantis aut remunerantis? Itaque in illa die ut justos ita & iniquos sensit judicandos esse.

225. Præterea si quid ex Tract. 1. Psalmi conficitur, dicendus est non iniquos tantùm, verùm etiam sanctos à novissimo judicio removisse. Atqui liquet eum sanctorum neminem ab extremo judicio existimasse immunem: nam in Psal. 118. lit. 3. n. 12. ne ipsam quidem excipit Dei matrem, quam tamen ceteris hominibus sanctitatis merito præcellentem satis innuit dum ait, *Si in severitatem judicii capax illa Dei Virgo ventura est, desiderare quis audebit à Deo judicari?* Perperam igitur concluditur ex Tractatu 1. Psalmi, Hilarium impios non opinatum esse judicandos. Et verò aliud omnino sonat quod cap. 5. in Matth. n. 12. scribit: *Si gentibus idcirco indulgetur æternitas, ut mox igni judicii destinentur* &c. Dum enim legimus reddendam infidelibus æternam corporum substantiam, non ut continuò ardeant, sed *ut mox destinentur igni*; nondum dictam, sed mox dicendam intelligimus sententiam supremi Judicis: quam insuper notat verbum subsequens, quo eos non simpliciter igni, sed *igni judicii* tradendos esse declaratur. Huc facit, quòd in Psal. 2. n. 44. infideles impœnitentesque Judæos à Ninivitis & regina Austri, generatimque à sanctis criminosos quosque judicandos asserit.

226. Quid igitur sibi vult, quòd eos aliàs judicandos negat? Ut hæc componantur, verbi *judico* duplex vis est distinguenda. Nam cùm actum judicis sonet, spectari tamen potest judex aut ut sententiam dicens, aut ut ea de quibus sententiam dicturus est examinans. Si priore sensu hoc verbum accipias, fatetur Hilarius impios judicandos: si posteriore, negat. Sin hanc distinctionem respueris, eamdem verborum pugnam non modò in diversis locis offendes, sed & in hoc ipso lib. 6. de Trin. n. 1. *Judicaturus ipse de omnibus, & pro majestatis suæ misericordia pœnæ meritum ignoranti moderaturus errori, negantes se non judicabit utique, sed negabit.* Nam, secundùm hæc, *Dominus judicaturus de omnibus*, neque tamen de omnibus est judicaturus, sed *negantes se non judicabit.*

Cur non sint judicandi.

227. Cur autem pios & impios non judicandos priore intellectu dixerit, ipse in Psal. 1. n. 17. declarat: *Quid enim necesse est judicare credentem? Judicium enim ex ambiguis rebus exsistit: & ambiguitate ademta, judicii non desideratur examen. Ex quo ne infideles quidem necesse est judicari; quia ambiguitas quin infideles sint non resedit:* & hoc quidem, inquit ad rem nostram cum Hilario prorsus concinens Paulinus poem. 7.

Quoniam imminentem præferent mortis notam,
Signum salutis non gerentes frontibus.

Quod non ita dictum est, quasi Deo quidquam obscurum sit. Non in Deum, sed in judicandos, aut etiam in eos, qui judicio assistent, cadit illa ambiguitas: ideoque tantùm, ut cum Origene loquamur, fiet illa disquisitio, *ut eorum quæ à nobis acta sunt conscii, cur pœnâ vel honore afficimur, perspectum habeamus.* Neque longa erit. *Volens enim Deus*, ut ibidem docet idem Origenes, *quæcumque totius temporis decursu acta sunt, in omnium memoriam revocare, ut rerum à se bene vel malè gestarum quisque conscius sit, id virtute ineffabili efficiet.* Tum ubi cuique perspecta erunt à se bene vel malè gesta, iniquorum infidelitatem, incuriam & impœnitentiam judicabit condemnabitque collata eis bonorum fides, caritas & pœnitentia. Hac ratione Hilarius in Psal. 2. n. 44. explicat quo pacto bonis ut terræ judices sint concedetur. Qua in re non minùs à Lactantio dissidet, quàm cùm & malos resurrecturos, & in judicium (hoc est, ut judicentur) resurrecturos docet.

§. VII. DE NOVISSIMO JUDICIO.

Orig. edit. Huet. t. I. p. 346.

228. Hanc illius de judicio novissimo doctrinam haud parum illustrat istud Paulini Nol. poem. 7.

Paulini & & Hilarii eadem doctrina.

Idcirco tali dividentur ordine
Hominum per orbem dissipatorum greges,
Ut judicandi non resurgant impii,
Qui denegarunt debitum cultum Deo,
Sed puniendi: nam suum crimen videns
Non indigebit quæstione detegi,
Quoniam imminentem præferent mortis notam
Signum salutis non gerentes frontibus.
Peccator autem, & non impius tamen,
Quæ magna turba est, non resurget gloriæ,
Verùm resurget deputanda examini:
Nec enim sedere cum piis judex potest
Causas suorum redditurus actuum,
Variéque gestis aut probandus, aut reus.

Itaque ut Hilarii de extremo judicio sententiam paucis complectamur, triplex hominum status est distinguendus, justorum scilicet, qui statim à morte sua beatitudine donantur; impiorum, quos ex hac vita excedentes infernus ultor excipit; & eorum, qui inter utrosque medii, sortis suæ incerti ad judicium usque permanent. Assistent omnes pro tribunali Christi, justi quidem & impii, ut eis æterna vel beatitudinis vel pœnæ retributio confirmetur: at de iis, qui in medio statu versantur, propriè erit judicium, cum quæstione nimirum & examine. Hac sententiâ probè intellectâ, explicari commodiùs potest, quod Cæsarius apud Augustinum in Append. Serm. 77. n. 4. habet: *Ad judicium enim non veniunt, nec pagani, nec hæretici, nec Judæi: quia de ipsis scriptum est, Qui non credit, jam judicatus est.* Nec aliud ferè sonat, quod nominatim de hæreticis Firmilianus apud Cyprianum epist. 75. loquitur: *Quos omnes manifestum est à semetipsis damnatos esse, & ante diem judicii inexcusabilem sententiam adversùs semetipsos dixisse.*

229. Ad eamdem opinionem referendum videtur quod ait Cyprianus epist. 52. ad Antonianum: *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire; aliud missum in carcerem non exire inde donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse; aliud denique pendere in diem judicii ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari.* In editis quidem legitur *pendere in die judicii*: sed cùm conjectaremus legendum esse *in diem*, consulto Germanensi optimæ notæ ms. conjectura nostra confirmata est. Adeoque Cyprianus eo loco distinguit eos, qui cùm non sint ita boni, ut coronari statim mereantur, pendent incerti usque in diem judicii, (non ut censet Pamelius, particularis, sed generalis,) donec sententiâ Domini pœnis aut præmiis æternis digni pronuncientur. Sic ad mentem Hilarii nitidè explicantur Cypriani verba, in quibus illustrandis multi eruditi

Cyprianus cum utroque conspirat.

§. VII. DE NOVISSIMO JUDICIO.

desudarunt. Hinc nullum fere dubium, quin ea non satis intellexerint, qui Cyprianum toto loco à nobis allato de solis pænitentibus, quorum statum cum Martyrum conditione conferat, locutum esse volunt. Loquitur quidem de pænitentibus sub primis illis verbis, *Aliud est ad veniam stare:* iisque ostendit longè alio loco eos ab Ecclesia haberi, qui in criminibus, aut qui in sanctitate vitam degerunt; adeoque peccatis per pænitentiam habenas non laxari. Deinceps verò probat non aliter ea in re Ecclesiam se gerere, quàm Dominus ipse post exactam vitam nostram sese erga nos gerit, cùm aliis statim fidei & virtutis mercedem largitur, alios in carcerem mittit donec reddant novissimum quadrantem; alios, qui peccata omnia passione purgarunt, statim coronat, alios, quibus multa restant emundanda, diutino igne purgat & emundat. Hinc non frustra censuit Pamelius cum aliis bene multis, Ecclesiæ de igne purgatorio fidem eo Cypriani loco approbari. Eamdem non minùs confirmant, quæ alii Patres de igne judicii tradiderunt: de quo nobis disserendum.

§. VIII.

De igne judicii.

Quæstiones variæ.

230. EXSISTUNT variæ de igne judicii quæstiones, 1°. an eum Hilarius aliique Patres omnibus omnino subeundum senserint, 2°. unde hoc senserint, 3°. an crediderint sanctos ab eo pœnæ quidquam passuros, 4°. an illum ignem opinati sint alium ab eo fore, quo diabolus cum suis in æternum est cruciandus, postremò an ex eorumdem opinione nemo ante judicium ejus pœnâ affligatur. Singulæ paucis sunt perstringendæ.

Ignem judicii omnibus subeundum docent Patres.

231. Ignem judicii omnibus subeundum se existimare satis indicat Hilarius in Psal. 118. lit. 3. n. 12. ubi ait, *An cùm ex omni otioso verbo rationem simus præstituri, diem judicii concupiscemus, in quo nobis est ille indefessus ignis subeundus, in quo subeunda sunt gravia illa expiandæ à peccatis animæ supplicia? Beatæ Mariæ animam gladius* (flammeus) *pertransibit, ut revelentur multorum cordium cogitationes: si in judicii severitatem capax illa Dei Virgo ventura est, desiderare quis audebit à Deo judicari?* quasi diceret: Si ab hoc igne ne sanctissima quidem Dei mater futura est immunis; quis ab eo se immunem fore præfidat? Cum Hilario consentiunt Origenes homil. 6. in Exod. & in Psal. 36. homil. 3. Lactantius lib. 7. c. 21. Ambrosius in Psal. 118. Serm. 3. n. 14. Paulinus Nol. epist. 28. n. 2. & Poem. 7. Cæsarius Arelat. in appendice Serm. Augustini 104. n. 4. & 8. Eligius Noviom. homil. 8. Ea demum opinio ita apud veteres recepta fuit, ut Ambrosius in Psal. 118. Serm. 20. n. 12. de sancto Johanne evangelista scribat: *De morte ejus aliqui dubitaverunt: de transitu per ignem dubitare non possumus.*

Qua auctoritate nitatur hæc eorum doctrina.

232. Illi in hanc opinionem abiere, adducti tum ex verbis Pauli 1. Cor. 3. 13. *Uniuscujusque opus quale sit ignis probabit*, tum maximè ex loco Gen. 3. 24. in quo Deus, Adam & Eva è paradiso ejectis, in introitu ejus Cherubim cum gladio flammeo collocasse legitur. Unde nemini ad paradisum viam esse arbitrati sunt, nisi per flammeum illum gladium. Hoc certè non obscurè innuit Ambrosius his laudati Sermonis 3. verbis: *Est etiam baptismum in paradisi vestibulo, quod antea non erat; sed postea quàm peccator exclusus est, cœpit esse romphæa ignea quam posuit Deus:* & Serm. 20. in eumdem Psal. 118. n. 14. *Illo igitur igneo gladio iniquitas exuretur.* Quocirca Tertullianus Apologet. n. 47. paradisum definit, *locum amœnitatis recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, maceria quadam igneæ illius zonæ à notitia orbis communis segregatum.* Huc spectat illud ejusdem lib. de Anima n. 55. *Nullis romphæa paradisi janitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint.* Porro Hilarius cùm quod Mariæ prædixit Simeon, *Animam tuam pertransibit gladius*, de flammeo illo gladio pertranseundo interpretaretur; inde, ob præconceptam de ejusdem Virginis præ cunctis hominibus merito ac sanctitate opinionem, non malè conclusit nemini non timendum judicium, ac neminem quantalibet sanctitate præditum à gladii flammei probatione immunem fore.

233. At

233. At sicut omnes igne judicii probandos, ita non omnes ejus vim pariter sensuros esse, magno consensu prædicant: Lactantius lib. 7. c. 21. *Quos autem plena & perfecta justitia incoxerit, ignem illum non sentient:* Origenes hom. 3. in Psal. 36. *Omnes nos ad illum ignem venire necesse est. Etiamsi Paulus sit aliquis vel Petrus, venit tamen ad illum ignem: sed illi tales audiunt, Etiamsi per ignem transeas, flamma non aduret te:* Ambrosius dicto Sermone 20. n. 13. *Qui habuerit hîc caritatis ignem, illic ignem gladii timere non poterit:* & mox de Petro, *Sed ille*, inquit, *examinabitur ut argentum, ego examinabor ut plumbum.* Quippe, ut loquitur Paulinus epist. 28. viros illos Petri similes ignis *ut commendatos suscipiens blando lambet attactu:* &, ut habet Eligius homil. 8. *tanta facultate illi igni prævalebunt, quanta caritate fidei & dilectionis Christi in vita custodierint præcepta.* Apposité itaque à Gregorio Nazianz. sub initium Or. 26. appellatur *ignis ille postremus, quo nostra omnia expendentur, aut purgabuntur:* utpote qui cùm sordes purget, expendat tantùm ac probet sanctitatem. Duplicem illam hujus ignis proprietatem tangit Cæsarius in appendice Sermonum Augustini Ser. 15. n. 4. *Ut ergo*, inquit, *sanctum Jacob Deus noster velut aurum purgatum in judicio præsentaret, priùs ab illo omnes maculas peccatorum abstersit; ut in eo ignis ille arbiter quod exureret invenire non posset:* & Serm. 104. in eadem appendice num. 8. generatim ait: *Aurum, argentum, lapides pretiosos superædificantes, per ignem illum, de quo dicit Apostolus, Quia in igne Domini revelabitur, absque ulla violatione transibunt.* §. VIII. DE IGNE JUDICII. Nihil ab igne passuri sunt, quibus nihil erit purgandum.

234. Si autem absque ulla violatione aut mora ignem hunc transibunt, quibus nihil supererit purgandum; sequitur ut quibus plures abstergendæ erunt peccatorum maculæ, acriùs vim ejus sentiant, aut etiam in eo detineantur diutiùs. Hoc præ ceteris docet Eusebii Gallicani homilia, quam Fausti Regiensis esse opinamur. In ea porro legere est, *Quanta fuerit peccati materia, tanta est pertranseundi mora: quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis disciplina: & quantum stulta iniquitas gesserit, tantum sapiens pœna deseviet.* quæ verba rursum habes descripta in appendice Augustini Serm. 252. n. 3. Diutiùs in eo detinebuntur, in quibus plures erunt peccatorũ reliquiæ. *homil. 3. de Epiphan.*

235. Propter discretionem, qua ignis ille cùm peccata puniat, reveretur sanctitatem, cognominatur à Fausto *flamma rationabilis*, & *sapiens pœna*; à Paulino epist. 28. n. 2. ut & in altera appendicis epistola ad Marcellam, *ignis sapiens*; à Cæsario Arelat. laudato Serm. 15. *ignis arbiter:* quo nomine rursum donatur à Paulino Nol. Poem. 7. Hæc ignis discretio qui designata.

236. Quæ cùm ita sint, ex verbis Hilarii, *Si in judicii severitatem capax illa Dei Virgo ventura est*, adversùs gloriam ac sanctitatem purissimæ Dei genitricis nihil conficitur. Non enim obscurè significat se Scripturæ auctoritate coactum, ut illam in judicio per gladium flammeum pertransituram confiteretur. Ex quo dum concludit, *Desiderare quis audebit à Deo judicari?* innuit neminem beatæ illi Virgini ut sanctitate, ita & privilegiis comparandum esse. At quæ ex lege communi per flammam pertransibit, tanto pertransibit gloriosiùs, quanto magis illæsa pertransibit. Si enim, ut loquitur Faustus homiliâ laudatâ, *illuc justi velut per amœnos gurgites, incendiis naturam suam mutantibus, transmeabunt, & intacta ignibus corpora ipsis honorificanda erunt pœnis, quia non sunt onerata peccatis;* quanto magis hoc de beata Virgine Hilarium sensisse existimandum est? Quòd enim ipse crediderit, hominem ad eam innocentiam pervenire posse, ut ei ab illo igne nihil timendum sit, liquet ex eodem Tractatu lit. 3. n. 13. ubi notans Prophetam non judicium desiderare, sed concupiscere desiderare; desiderii hujus ratio in quo sita sit, sic explicat: *Scilicet ut in tanta innocentia maneat, ut tutò jam & sine metu judicii terrorem desideret.* Hæc observasse interetat, ut piissimus Præsul intemeratæ Virginis honorem illibatum voluisse ostenderetur. Illæsâ Mariæ gloriâ dixit Hilarius eam in judicii severitatem venturam.

237. Minoris momenti est scire, utrùm eodem igne, quo cruciandi sunt reprobi, expiandæ sint peccatorum reliquiæ. Diversum eum fore disertis verbis docet Faustus homiliâ laudatâ. Neque minùs perspicua sunt hæc Ambrosii in Psal. 118. Serm. 3. verba: *Alius est iste ignis, quo exuruntur peccata non voluntaria, sed fortuita,* An eodem igne probãdi sint justi, quo reprobi sunt cruciandi.

§. VIII. DE IGNE JUDICII.

quem paravit servis suis Dominus Jesus, ut eos ab ista commoratione, quæ permixta est mortuis, emundet: alius iste ignis, quem deputavit diabolo & angelis ejus. Unde cùm Hilarius judicii ignem *ignem indefessum* nuncupat, non tam ignis hujus æternitatem spectasse intelligendus est, quàm naturam, qua vis ejus vel longo urendi ministerio minimè debilitatur. Tertullianus verò Apologet. n. 48. de judicio agens *jugis ignis, ignis æterni*, & *jugis judicii* meminit: sed ibi in solos reprobos respicit.

An pœnas expiatorias ante judicium Hilarius crediderit.

238. Restat de expiatoriis pœnis ante judicium quæstio ceteris non levior, quæque ab Augustini ævo suos jam adversarios patiebatur; quibus ille respondet lib. 21. de civit. Dei c. 16. *Quisquis igitur cupit pœnas evadere sempiternas, non solùm baptizetur, verùm etiam justificetur in Christo; ac sic verè transeat à diabolo ad Christum. Purgatorias autem pœnas nullas futuras opinetur, nisi* (proximè) *ante illud ultimum tremendumque judicium.* Ipse autem, cùm hanc eis opinionem liberam utcumque permittat, sese aliter sentire postea non dissimulat. Jam etiam nonnihil confectum est, unde Hilarii ea de re sententia explicetur. Ab eo quippe audivimus, unumquemque statim à morte judicari, ac præter omnino bonos aut omnino malos, quoddam distingui hominum genus inter utrosque medium. Singulis etiam sortem attribuit diversam: ut cùm ex ipsius opinione impios statim excipiat ultor infernus, justis autem consortium Christi mors acquirat, eorum qui medii sunt judicium ad Domini diem reservetur; non quòd ignoret Deus quid mereantur, sed quòd altiori consilio illis non revelandum censeat. Jam verò quis neget vel ex hac Hilarii opinione consequi, ut medius ille status non leves pœnas patiatur? An levis pœna est animæ ad fruendum Deo creatæ, à consortio Christi, quo mediante Deo potimur, retardari? Quid de illa anxietate dicam, qua interim medius ille status cruciatur, donec utrùm amore an odio, pœnis inferni an cæli gaudiis dignus sit, novissimo judicio accipiat?

239. Si præterea perpendatur quod in Psal. 138. n. 22. ait: *Humanæ ista lex est necessitatis, ut consepultis corporibus animæ ad inferos descendant;* conficietur primò, eum ab hac lege immunem sensisse neminem, maximè ubi adjecta fuerint subnexa: *quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit.* Deinde facilè intelligetur, ideo huic legi, quam Christus implevit ut verum hominem sese per omnia demonstraret, ceteros homines ab Hilario dici necessariò obnoxios, quia omnes post mortem per ignem sunt probandi utrùm Christi regno digni sint; quemadmodum omnes omnino in die judicii, corporibus receptis, per ignem sunt transituri, ante quàm ad regnum Dei patris pervehantur. Hoc concesso, non inficiandum est eos, in quibus ignis ille multa concremanda repererit, tam diu in inferis detineri & cruciari, quàm diu purganda eis fuerit aliqua peccatorum macula.

Antiquorum de eadem re sententia.

240. Ne verò cuiquam ab Hilario aliena videatur hæc nostra interpretatio; Origenis, ipsi (ut notum est) familiaris, subjicienda sunt verba, quibus apertè adstruitur, quod apud illum minùs explicatum est. Porro Commentariis in 1. Reg. 18. edit. Huet. pag. 36. tradit hinc longè feliciorem esse nostram, quàm eorum qui ante Christum vixerunt, conditionem, quòd nulli eorum, non Abrahæ, non Patriarchis, non Prophetis datum sit eò ubi lignum vitæ erat prætergredi. *Nos verò,* inquit, *qui in sæculorum consummationem advenimus, habemus quid eximium ultra ceteros. Quid illud est? Si ex hac vita excesserimus boni & probi, non unà nobiscum peccatorum sarcinis conductis, pertransibimus flammeum gladium, nec in locum illum, in quo, qui ante ejus adventum quieverant, Christum exspectabant, deveniemus. Pertransibimus nullo nobis à flammeo illo gladio damno illato. Uniuscujusque verò quale opus sit, ignis ipse probabit. Si alicujus opus combustum fuerit, damnum contrahet, ipse verò salvabitur sic quasi per ignem. Pertransibimus ergo* &c. Quid clarius? Christianis ante judicium concessum est ad paradisum pervenire: eò tamen nemo pervenit nisi per gladium flammeum. Sed per ignem illum alii pertranseunt illæsi, aliis damnum infertur.

241. Piaculares quoque flammas probat Tertullianus ad calcem libri de Anima. Ubi enim ostendit æquum esse, ut cùm anima in bene aut malè actis primas habeat,

prima etiam, nondum recepta carne, aut plectatur aut recreetur; tandem concludit: *In ſumma cùm carcerem illum, quem Evangelium demonſtrat, inferos intelligamus; & noviſſimum quadrantem, modicum quodque delictum morâ reſurrectionis illic luendum interpretemur: nemo dubitabit animam aliquid penſare penes inferos, ſalva reſurrectionis plenitudine per carnem quoque.* Hinc confirmatur quod ſuperiore §. obſervatum eſt in hæc Cypriani verba, *Aliud miſſum in carcerem non exire inde donec ſolvat noviſſimum quadrantem, aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu igne* &c. ea nimirum non de pænitentibus vivis, ſed de fidelibus defunctis, quibus aut nihil, aut aliquid purgandum ſupereſt, dicta eſſe. Aliorum Patrum ea de re ſententias conſultò præterimus. Non enim tam animus eſt Eccleſiæ de purgatoriis pœnis fidem probare, quàm illuſtrare Hilarii ſententiam, eamque huic fidei conſentaneam demonſtrare.

§. IX.

An Hilarium fugerit rerum ſpiritalium notitia. Quid de gratia ſenſerit.

242. JAM notavimus Hilarium à Claudiano Mamerto lib. 3. de ſtatu animæ c. 9. reprehenſum, quòd nihil creatum incorporeum dixiſſet. Cenſuræ huic locum præbuere verba cap. 5. in Matth. n. 8. *Nihil eſt, quod non in ſubſtantia ſua & creatione corporeum ſit: & omnium ſive in cælo ſive in terra, ſive viſibilium ſive inviſibilium elementa formata ſunt. Nam & animarum ſpecies ſive obtinentium corpora, ſive corporibus exſulantium, corpoream tamen naturæ ſuæ ſubſtantiam ſortiuntur; quia omne quod creatum eſt, in aliquo ſit neceſſe eſt.* Et quidem ſi ſoli in Matthæum Commentarii ſupereſſent, facilè daremus illum conſenſiſſe cum Methodio apud Photium in fine cod. 234. Caſſiano Coll. 7. c. 13. Theophilo Alexandrino contra Anthropomorphitas apud Gennadium, ac denique Gennadio apud Auguſtinum de dogmatibus eccleſ. c. 11. qui omnes Deum ſolum incorporeum, ceteras verò naturas corporeas pronuntiant. At cùm aliis in ſcriptis alias à divina naturas ſpiritales diſertis verbis ac pluribus locis adſtruat; iniquum eſt ex uno obſcuro de vera illius ſententia dijudicare. Nihilo tamen minùs vix reperire eſt, qui Claudiani cenſuram emendet, nec Hilarium inter eos recenſeat, qui corpoream hominis animam tradiderunt. Immo non ſatis claram ei fuiſſe rerum ſpiritalium notitiam nuperrimè ſcriptum eſt: recténe, nunc videamus.

Unde putàtus ſit rerum ſpiritalium naturam ignoraſſe.

243. Tres tantùm in rerum natura cognoſcimus ſubſtantias ſpiritales, Deum, Angelos, hominem ſecundùm animam. Et de Deo quidem quantam ſcientiam adeptus ſit, teſtes fere ſunt ſingulæ Operum ipſius paginæ. Quis enim de eo altiùs ſentit, quis loquitur magnificentiùs? Sed & de Angelis tam multa tradit, ut vix etiamnum de iis quidquam ſciatur, quod ille non clarè docuerit. Sive enim eorum naturam, ſive officia, ſive gloriam ſpectemus: quàm perſpicua illius de ſingulis doctrina? Non enim eos tantùm dicit *naturæ* noſtrâ *potioris*, ſed & apertè prædicat * *ſpiritales, incorporales*, & ex natura ſua immortales, quippe qui *ex ea quam adepti ſunt naturæ ſuæ ſorte, ut ſint ſemper accipiant.*

Hilarii de Deo & Angelis non vulgaris ſcientia.

*in Pſal. 129. n. 7. * in Pſal. 137. n. 5. cap. 5. in Matth. n. 11.*

244. Quod ad ipſorum officia attinet, cùm alia erga Deum, alia erga homines obeant; de utroque illo genere multa præclarè ſic ediſſerit, ut ſe eos incorporeos ſenſiſſe palam faciat. Certè licèt quoſdam *tamquam lege proprioris officii* id privilegii obtinere teſtetur, ut throno Dei aſſiſtant; omnes tamen repræſentat velut ex communi conditionis ſuæ ſorte *aſſiſtentes ante claritatem Dei, throno Dei aſſiſtentes, & continuata voce in Dei laudibus permanentes.* Et cùm eos in cælis throno Dei ſemper aſſiſtere, ac beata illius viſione numquam non gaudere, proptereaque *deos in cælo* nuncupari ſentiat; eoſdem tamen ob ea, quæ Deus per illos in terris agit, hîc vocat *æternas beataſque virtutes*, illic *divinorum miniſteriorum auxilia*, iſthic *oculos, aures, manus ac pedes Dei.* Sed ne id in contumeliam Dei cedat, prudens ſubjicit,

Angelos ſpiritales & incorporeos ſenſit.

in Pſal. 118. lit. 6. n. 8. in Pſ. 129. n. 7. in Pſal. 136. n. 11. in Pſal. 132. n. 17. in Pſal. 136. n. 11. in Pſal. 137. n. 5. in Pſal. 129. n. 7.

§. IX. DE ANIMÆ NOSTRÆ NATURA. *Intercessione itaque horum non natura Dei eget, sed infirmitas nostra.* Neque silet quot modis infirmitati nostræ opitulentur; & dum quoddam recenset obsequii genus, seu, ut vocat, *justificationem circa Angelos*, eos propter impensa beneficia nonnullo à nobis cultu honorandos innuit. Sed his non multùm immoramur. Obiter etiam notamus quî gloriam ipsis extra operis mercedem concessam declaret. *Lilia*, inquit, *non laborantia neque nentia significari intelligenda sunt Angelorum cælestium claritates; quibus extra humanæ scientiæ eruditionem suique operis mercedem à Deo gloriæ candor indultus est: ne quid ex proprio labore aut arte existimarentur habuisse.* Jam verò quis consentiat, hanc Hilario aut carnalem aut minùs claram fuisse angelicæ naturæ cognitionem, qua illos in cælo simul & in terra, hominibus opem ferentes assistentesque Deo constituit?

in Psal. 118. lit. 1. n. 12.

c. 5. in Matth. n. 11.

Angelicis ordinibus sæcula non adjecit.

245. De variis Angelorum ordinibus nihil veniret observandum, nisi Cotelerius in lib. 8. Constit. Apost. p. 312. notasset, in his Hilarii lib. 2. de Trin. n. 9. *Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, sæcula non tenent*, sæculorum nomine novum Angelorum ordinem designari. At opinioni illius assentiri prohibemur 1°. quòd cùm Hilarius sæpissime varios Angelorum enumeret ordines, nusquam inter eos sæcula cognominet. Deinde Commentariis in Psalmos sæpe ei enarrandum occurrit sæculi nomen: sed ne in uno quidem loco interpretationem ad Angelos deflectit. Immo in Psal. 65. n. 12. & 13. vim vocis αἰών datâ operâ expendens, hac nescit quidquam nisi determinatum tempus significari. Quod indicio est, eum Græcorum quorumdam æonas aut ignorasse aut respuisse: ut re vera lib. 6. de Trin. n. 9. respuit Valentini æonas, quos ibi *æternitates*, non *sæcula* nuncupat. Postremò sæcula aliàs etiam memorat: sed ne vel semel hoc nomine Angelos intelligit. Nisi fortè cùm in eo ipso lib. 2. n. 13. ait, *Transeuntur tempora, transmittuntur sæcula, tolluntur ætates*; & mox, *Meus autem piscator illitteratus, indoctus, liber à tempore, solutus à sæculis est, vicit omne principium*; & lib. 6. n. 37. *Sacramentum occultum à sæculis per revelationem* (Petrus) *didicit*: sæcula Angelos dixerit, non tempora. Itaque quod à Prophetis simpliciùs, *à sæculo non est auditum*, id allato loco, *sæcula non tenent*, eleganter ab Hilario dici arbitramur.

Pravos angelos corporis expertes credidit.

246. Si à bonis ad pravos angelos veniamus, amplus erit locus suspiciendi quàm multiplex fuerit illius de eorum malitia, potestate, artibus, ac tormentis scientia. An verò natura eorum spiriritalis sit, incertum eum fuisse quis suspicetur; cùm non modò audierit eos passim *spiritales nequitias* nuncupari, sed & in Psal. 118. lit. 1. n. 8. legerit, diabolum *puncto temporis omnem amplitudinem mundi hujus obire*, quò habeat unde nos accuset? Cui enim naturæ tanta pernicitas, nisi spiritali? Quodlibet corpus in partes quas cogitare valeas subtilissimas atque mobilissimas comminue: sanè numquam ei dabis, ut omnem mundi hujus amplitudinem puncto temporis obeat. Hanc tamen Hilarius diabolo concedit potestatem, quamvis ejus vires adventu Domini obtritas & confractas esse fateatur. Sic enim eum post judicium gravioribus suppliciis addicendum docet, *ut* etiam *nunc virtute Dei tactus fumet, licet nondum totus uratur.* Quæ similitudo ducta est ex ligno nondum penitus accenso, in quod ignis suppositus vim suam exserere incipiat, ac fumum jam exprimat.

in Psal. 143. n. 11.

Nihil corporeū sensit, quod corporis expers sciamus.

247. Hæc de angelicis naturis prælibata sufficiant: ex quibus Hilarium non in omnium naturarum spiritalium notitia caligasse non minùs liquet, quàm constat eum præter Deum aliquid incorporeum asseruisse. Si præterea consulantur Tractatus Psal. 52. n. 7. necnon lit. 10. Psal. 118. n. 6. & Psal. 129. n. 4. 5. & 6. ubi humanam animam non modò *spiritalis*, (quod fortè dubium omne non solveret,) sed & *incorporalis* esse naturæ sæpius repetitur; persuasum erit apud omnes, illum nihil sensisse corporeum, quod corpore vacare cognoscamus. Sed hanc illius de animæ nostræ natura sententiam nonnullis argumentis illustrare & confirmare operæ pretium est.

Animam dixit incorpoream,

& naturæ à corporea dissonantis.

248. Ac primò quidem sese offert illud litt. 10. Psal. 118. n. 6. quòd *homo internam & externam in se naturam dissonantem aliam ab alia contineat, & ex duobus generibus*

generibus in unum sit animal rationis particeps constitutus. Quî homo *ex duobus generibus constitutus*, quî *naturam dissonantem aliam ab alia contineat*, si ut corpus, ita animam sortitus est corpoream? Nonne anima, quantumvis subtilis, si tamen corporea cogitetur, unius ejusdemque generis, cujus est corpus, fore dicenda est? Mutabit fortè subtilitas speciem, at eam uni generi partes corporeæ subjicient: adeoque homo non duo in se rerum genera, non naturam aliam ab alia dissonantem continebit. §. IX. DE ANIMÆ NOSTRÆ NATURA.

249. Tantum autem inter utramque illam substantiam discrimen perspexit, ut in Psal. 61. num. 3. innuat, majore miraculo corpus cum anima in homine, quàm hominem cum Deo in Christo copulatum esse; & cùm primum factum sit, ambigendum non esse, quin fieri potuerit alterum. *Quasi*, inquit adversùs philosophos, qui Deo assumti hominis consortium detrahebant, *difficilius Deo sit assumsisse hominem, quàm eum in tanta naturæ ac vitæ suæ ratione formasse.* Quod perinde est ac si diceret: Quid humanæ divinæque naturæ conjunctionem veluti repugnantem respuitis? certè minùs dissident Deus & homo secundùm animam, quàm anima & corpus. Animæ enim & corporis genus est omnino diversum: at verò quamvis infinitis perfectionum gradibus anima à Deo superetur, non diversum tamen utriusque genus est. Potuit autem corpus cum anima conjungi: potest igitur & Deus cum homine. Ut minùs repugnet Deum cum homine, quàm animam cum corpore copulari.

250. Nemini non probabitur hæc interpretatio, maximè ubi in eodem loco legerit, *quòd veluti insitum impressumque omnibus sit, divinam inesse nobis animarum originem opinari; cùm non exiguam in se* CÆLESTIS GENERIS COGNATIONEM *mens ipsa cognoscat.* Verbum enim *cælestis* loco *divini* Hilario usitatum esse pag. 375. not. f. aliquot exemplis ostendetur, sicque hìc usurpari antecedentia satis declarant. At verò nisi anima nostra spiritus sit, sicut Deus est spiritus; quæ in ea divini generis cognatio, quæ affinitas? Unde sicut illam superiùs incorpoream apertè docet, cùm naturâ à corpore dissonantem; ita & nunc cùm divini generis cognatione præditam tradit, spiritalem eam esse non minùs planè significat. Neque enim animabus cælestis generis cognationem divinamque inesse originem ideo dixit, quòd cum Priscillianistis apud Augustinum hær. 70. quamlibet animam opinaretur esse partem Dei, ejusdem naturæ & substantiæ cujus est Deus. Quippe licèt Origenes erroris hujus suspicione laborarit, illum tamen se ea in re minimè secutum esse ostendit, dum non ex substantia, sed * *ex afflatu Dei*, & * *de thesauris potestatis divinæ*, hoc est, ex una Dei omnipotentia, animam ortum habere & *opus Dei* esse testatur. Mittimus & locos, quibus divisionem in Deum ullo pacto cadere negat. Sed si animam ex substantia Dei non credit, non minùs persuasum ei erat illam ex substantia hominis nequaquam posse exsistere. Nam cùm eos, qui Christum ex Virgine carnem simul & animam assumsisse contendebant, vehementer abhorrens ait, *Quasi verò si tantùm ex Virgine assumsisset corpus, assumsisset quoque ex eadem & animam; cùm anima omnis opus Dei sit, carnis verò generatio semper ex carne sit;* ac subinde certò asseverat, Verbum ex se assumsisse animam, *quæ utique numquam ab homine gignentium originibus præbetur:* vix permittit dubitari, quin eam ab homine præberi nullatenus posse censeat. Ex quo evidenter sequitur, ut animam minimè corpoream existimarit. Nam qui corpoream existimat, eam quoque dividi, & ad modum carnis propagari, adeoque à parentibus præberi posse concedat necesse est. Quatenus animæ divini generis cognationem inesse senserit. * cap. 10. in Matth. n. 24. * in Psal. 67. n. 22. l. b. 10. de Trin. n. 20. Ibid. num. 22.

251. Sed quid consectaria sectamur; cùm ipse in Psal. 118. lit. 10. n. 6. suam de animæ simplicitate & cum divina natura cognatione sententiam planè dilucidéque declaret? Ibi quippe Genesis verba, quæ hominis institutionem narrant, acutè expendens, triplicem distinguit Dei operationem; primam, qua animam solo verbo & post habitum quodam modo de ea condenda consilium creaverit; alteram, qua de accepto pulvere formaverit corpus; postremam, qua utrumque copulaverit. De anima verò cùm subjicit, *Primum opus non habet in se assumtæ alterius naturæ originem*, INCORPORALE *est quidquid tum de consilii sententia inchoatur; fit enim ad imaginem Dei:* disertè significat; animam 1°. neque divinæ neque alicujus alterius Animam incorporalem probat, quia ad imaginem Dei fit.

u

§. IX. DE ANIMÆ NOSTRÆ NATURA.

substantiæ partem esse, deinde eam esse incorporalem, demum illam ideo incorporalem credendam esse, quia haud dubiè ad imaginem Dei facta sit. Unde perspicuum est, Hilarium animæ cum divina natura cognationem in hoc præsertim existimasse sitam, quòd illa, sicuti Deus, incorporalis sit. Quod num. 7. confirmat his verbis: *Divinum in eo* (primo opere) *&* INCORPORALE *condendum, quod secundùm imaginem Dei & similitudinem tum fiebat: exemplum scilicet quoddam in nobis imaginis Dei est & similitudinis institutum. Est ergo in hac rationabili &* INCORPORALI *animæ nostræ substantia primum quod ad imaginem Dei factum sit*, &c.

Quomodo ipsa sola, non corpus, ad imaginẽ Dei sit.

252. Uberiùs in Psal. 129. quatenus homo ad imaginem Dei conditus sit explicat. *Ac primùm quidem*, inquit num. 3. *intelligendum est Deum incorporalem esse, neque ex partibus quibusdam atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, consistere. Legimus enim in Evangelio, quoniam Deus spiritus est, invisibilis scilicet & immensa atque intra se manens & æterna natura.* Ubi observare est id Hilario spiritum non esse, quod non sit expers partium. Prosequitur deinde: *Deus autem, qui & ubique & in omnibus est, totus audit, totus videt, totus efficit, totus incedit... Virtus ergo Dei, quæ æqualis & indiscreta est, officiorum ac membrorum habet nomina; ut virtus qua videt oculi sint, virtus qua audit aures sint* &c. Sic porro propugnata simplici, incorporea, spiritalique Dei natura, num. 4. Anthropomorphitis occurrit, qui ob verba Genesis, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, Deum corporeum volunt; quasi homo ad imaginem Dei non esset, si esset Deus incorporeus: respondetque *hominum institutionem naturis duabus contineri, animæ scilicet & corporis, quarum alia spiritalis, alia terrena est*; eos verò non ex utraque illa sui parte obtinere ut ad imaginem Dei sint, aliàs Deum pariter ex anima & corpore compositum cogitandum esse. Tum num. 5. ubi animam interiorem hominem & corpus exteriorem ab Apostolo vocari observavit, illi soli id privilegii attribuit, ut Dei in se imaginem exhibeat. Ac tandem num. 6. in quo ipsa Creatorem suum imitetur, exponit his verbis: *Ergo ad imaginem Dei homo interior effectus est rationabilis, mobilis, movens, citus,* INCORPOREUS, *subtilis, æternus. Quantum in se est, speciem naturæ principalis* (divinæ) *imitatur, dum transcurrit, dum circumvolat, & dicto citiùs nunc ultra Oceanum est, nunc in cælos evolat, nunc in abyssis est, nunc Orientem Occidentemque perlustrat, dum numquam ut non sit aboletur, (natura quidem Dei in his omnibus est,) neque ut alibi adsit, decedit aliunde.*

Animæ perennis mobilitas.

253. In hoc posteriore loco possent fortè isthæc, *mobilis, movens, citus, subtilis*, ad corpoream naturam referri, si sineret intermedia vox *incorporeus*. Neque verò obscurum est animum ideo citum & subtilem dici, quòd *dicto citiùs nunc ultra Oceanum est, nunc in cælos evolat*; sicque evolat, *ut cùm alibi adsit, non decedat aliunde*. Ita etiam respectu voluntatis, quæ lib. 8. de Trin. n. 12. *motus mentis* definitur, commodè intelligitur *movens* & *mobilis* animus. Quamquam neque poterit harum vocum ambiguitate decipi, qui proximè in eodem loco legerit: *Anima humana in hac sensus sui mobilitate ad imaginem Opificis sui facta est: dum naturam Dei mobilitas animæ perennis imitatur,* NIHIL *in se habet* CORPORALE, *nihil terrenum, nihil grave, nihil caducum.* Nam cùm quisque animum, propter voluntatis motum, mobilem dici posse sciat; sic eum præterea hìc cognominari audit propter mobilitatem sensûs. Hæc porro mobilitas cùm actionem, non levitatem animi sonet; ideone *perennis* ab Hilario dicta est, quòd perpetuam esse intelligeret animæ nostræ cogitationem, qua Opificem suum numquam otiosum, numquam non operantem imitetur?

Animam immortalem probat, ut eam ponat partium expertem.

254. Hanc alteram impressæ in animo nostro imaginis Dei notam allato loco memorat, quòd nimirum sit *æternus*. Animæ autem æternitatem atque immortalitatem cùm & fide & ratione sibi compertam testetur; præter sacrarum litterarum auctoritatem, hanc unam dicti sui rationem affert, quòd illam Deus ex mera bonitate sua condiderit, *nec id in bonitatem ejus malitiæ cadat, ut in nobis hoc suum munus quo nascimur interimat. Porro autem*, uti lib. 1. de Trin. n. 9. loquitur, *non esse hoc dignum Deo ratio ipsa suadebat*, scilicet ut quod fecit aboleret, argumentum

in Psal. 118 litt. 14. n. 1.

sanè validum & efficax homini, qui animam incorpoream nullisque partibus constantem pro certo ponat, quique inde eam à nulla vi creata dividi aut interimi, sed ab uno tantùm Deo ut institui, ita & destrui posse conficiat. Secus, immortales quoque bestias esse eodem argumento concluderetur.

§ IX. DE ANIMÆ NOSTRÆ NATURA

255. Adeo autem Hilario persuasum erat, animam simplicem, individuam ac partium expertem esse, ut in Psal. 118. lit. 19. n. 8. & 9. declaraturus quomodo Deus incorporalis *totus ubicumque est & non pro parte usquam est, sed in omnibus omnis est*, velut magis nota magisque familiari utatur comparatione animæ humanæ, quæ in membris omnibus tota, tota adest singulis, iisque præcisis ipsa præcidi nescit. *Ubique est Deus modo animæ corporalis, quæ in membris diffusa, singulis quibusque partibus non abest. Etiamsi privata quædam ei & regia in toto corpore sedes est, tamen in medullis, digitis, artubus infunditur*, &c. Hactenus quidem hoc loco obtinuerat *modo animæ incorporalis*: sed ex mss. præferendum duximus *corporalis*. Neque verò obscurum est cur anima hîc corporalis dicatur. Nam cùm angelos spectare liceat velut animas à corpore liberas, vel certè quæque anima humana aut corpori devincta sit, aut soluta; nec anima corpore soluta, nec angeli idonei essent, qui Dei valde simplicis majestatem ubique præsentem illustrarent. Ad hoc autem percipiendum unicè conducit animæ etsi ex natura simplicis, in singulis tamen corporis sui membris præsentis cognitio. Unde planum est, animam hîc corporalem dici propter habitudinem ad corpus cui unita sit atque sociata.

Quî Deus incorporeus ubique adsit, explicat ex similitudine animæ.

Quo sensu anima sit corporalis.

256. Ita & qui vocis *corpus* multiplicem vim apud antiquos & apud ipsummet Hilarium receptam expendet, verbis ipsius in Matthæum non movebitur, ut eum ibi animarum naturam corpoream sensisse existimet, quas pluribus in locis spiritales, incorporales & partium expertes esse tam disertis verbis asserit. Quàm autem variis modis corporeum quid intelligi queat, ipso capite 5. in Matth. exponetur. Sed quod Hilarius ad calcem lib. 8. de Trin. & initio lib. 9. de corporali in Christo divinitatis habitatione edisserit, non parum conferet ad difficilis hujus loci intelligentiam. Cùm enim ibi corporalem divinitatem interpretetur, quæ una, vera, plena ac tota sit; (*Divinitas*, inquit, *corporalis in Christo est, non ex parte, sed tota; neque portio est, sed plenitudo*:) sic & *corporeum* non pleno, non integro atque perfecto opponere commodè intelligitur, cùm in Matth. ait, *Nihil est quod non in substantia sua & creatione corporeum sit; & omnium, sive in cælo sive in terra, sive visibilium sive invisibilium elementa formata sunt: nam & animarum species, sive obtinentium corpora sive corporibus exsulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur.* Immo mentem suam satis explicat, dum priorem hanc sententiam, *Nihil est quod non corporeum sit*, his aliis verbis repetit, *& omnium elementa formata sunt*: ut illic id *corporeum* sit, quod hîc *formatum*; formatum autem id dicat, quod non est informe & imperfectum. Ex quo conficietur id Hilarium sibi velle, omnia scilicet Dei opera bona esse atque perfecta, & nulli eorum quidquam deesse, quod ad substantiæ integritatem necessarium sit: indeque illum appositè curiositatem eorum retundere, quibus cùm Dei promissis indubitatum esse debuisset, animas cum corporibus in æternum esse victuras, inquirentibus tamen nec assequentibus quomodo victuræ essent, ambigua efficiebantur Dei promissa. Frustra igitur adducitur hic locus, quo corpoream animæ nostræ naturam asseruisse approbetur; cùm in eo nec de ipsa animæ natura sermo sit.

lib. 8. n. 56.

257. Levioris momenti est alterum, quod alii notarunt eum præter communem opinionem sapuisse. Quamvis enim ut volunt, & ut verba ipsius in Psal. 118. lit. 10. & in Psal. 129. sonant, animam primi hominis aliquo ante corpus intervallo conditam crediderit: id tamen de primo homine opinatus est innoxiè, quod de posteris ipsius nec dixit, nec dicere licet; cùm hinc Ecclesiæ de originis peccato fides non parum labefactaretur. In hac verò ipse numquam nutavit. Ac licèt de homine passim, maximéque in Psal. 134. n. 14. magnificè admodum loquatur; ipsum tamen peccato primi hominis à pristino statu suo cecidisse, eoque casu in omne infirmitatum ac miseriarum genus cecidisse nihilo rariùs inculcat.

Animam primi hominis innoxiè dixit ante corpus conditam.

§ IX. DE GRATIA.

Quid de operum meritis senserit.

258. Hinc per se exoritur quæstio ceteris jam absolutis non inferior, quid nimirum Hilarius de gratia senserit. Mera sophismata sunt, nec refutationem merentur, quæ Sculteus pag. 410. reponit, ut ipsius de libero arbitrio, de justificatione & bonorum operum meritis à Bellarmino allata testimonia eludat. Ut enim probet bonorum operum merita interdum ab Hilario excludi; opponit prima ipsius verba cap. 7. in Matth. n. 2. *Salus gentium omnis ex fide est*, ac reticet subnexa, *& in præceptis Domini vita est universorum.* Rursum ovare sibi videtur, quòd cap. 8. n. 6. legat, *remissum* esse à Christo *quod lex laxare non poterat; fides enim* SOLA *justificat.* Quasi verò hoc Hilarius alio sensu dixerit, quàm quo dictum est Rom. 3. 28. *justificari hominem per fidem sine operibus legis* Ubi sanè Paulus, uti Augustinus c. 14. de fide & operibus n. 21. notat, *non hoc agit, ut percepta ac professa fide opera justitiæ contemnantur, sed ut sciat se quisque posse per fidem justificari, etiamsi legis opera non præcesserint.* Quid autem de fide operibus destituta sentiendum sit, Hilarius in Psal. 51. n. 15. luculenter aperit his verbis: *Si quis incredulus nati in corpore Dei fuerit, vel & credens maneat, fructibus tamen fidei suæ careat; eradicabitur aut ob infidelitatem, aut ob sterilitatem fructuum negatorum.* quæ quidem, aliaque hujusmodi plurima qui audierit; Sculteto eum, inconstanti sententia, opera modò commendasse, modò respuisse affirmanti numquam assentietur.

Quid de gratiæ natura ac necessitate. in Psal. 13. n. 3.

259. Non desunt alii, qui illum gratiæ necessitatem ac naturam non satis nosse affirment. Neque his negandum, eum aliquot in locis videri nonnihil tribuere voluntati, quod gratiæ munus esse Ecclesia deinde docuit. Sed & ipsi fateantur necesse est, 1°. generalem humani generis morbum ei minimè latuisse, 2°. neque incompertam ipsi fuisse medici necessitatem, 3°. persuasum ei fuisse & quòd * gratuita sit justificationis gratia, & quòd in justificatis concupiscentia * remaneat, adeo ut in nullo hîc sit * perfecta bonitas, in nullo * perfecta mandatorum custodia, in nullo rectus indeflexusque homo *secundùm primi hominis naturam:* 4°. eum ad vitam æternam consequendam, ad repellendas tentationes, ad tolerantiam malorum, ad præcepta Dei non solùm exsequenda opere, sed & intellectu assequenda, ad intelligendas Scripturas, ad laudandum Deum, ad credendum * & orandum * gratiam homini sensisse necessariam. Deinde si dubitant utrùm probata perspectaque ei fuerit voluntatis nostræ perversitas & infirmitas, audiant in Psal. 118. lit. 10. n. 18. dicentem, *Ut fidem, ita & humilitatem ac modestiam discere à Propheta nos convenit, orante ut sibi immaculatum cor fiat... Hoc igitur immaculatum fieri deprecatur, unde tot tantorumque vitiorum, quasi ex quodam fomite, initia suggeruntur:* & lit. 17. n. 8. *Si nihil impedimenti usquam occurreret, si adversantes sibi non undique adessent, suis ipse viribus in ea quæ agere vellet confirmaretur. Sed ubi insidiæ sunt, ubi bellum est; opus est potioris auxilio, ne in se dominetur omnis injustitia:* legant & his similia lit. 3. n. 6. aliisque locis. Ex quibus planum est, Hilarium non eam tantùm gratiam nobis necessariam existimasse quæ intellectum illustret, sed & quæ adjuvet voluntatem. Unde in Psal. 126. n. 13. voluntatis sibi relictæ infirmitati dolorem scientiâ addi sic explicat: *Cùm enim veritatis cognitio voluntatem nostram ad profectum consequendæ utilitatis instiget, & naturæ consuetudo voluntatem scientem se proficere oportere detineat; profectus scientiæ, profectus doloris est.*

** c. 18. in Matth. n. 10. & cap. 20. n. 7.*
** in Psal. 118. lit. 15. n. 6.*
** in Psal. 52. n. 11.*
** in Psal. 118. lit. 3. n. 6.*
** lib. 8. de Trin. n. 30. & in Psal. 118. lit. 1. n. 12.*
** in Psal. 142. n. 10*

Gratiæ Dei omnia attribui vult.

260. Ii ipsi postea audiant c. 12. in Matth. n. 8. docentem, *Christum invenisse est gratuitum;* & in Psal. 118. lit. 6. n. 4. adversùs humanam insolentiam proponentem ac laudantem Prophetæ exemplum, qui *omnia vult à bonitate Dei in se inchoari;* de quo & num. 2. scribit, *Misericordiam itaque primùm deprecatus est, dehinc salutare. Salus enim nostra ex misericordia Dei est, & bonitatis suæ hoc munus in nobis est: & inde cœpit oratio, unde & salus* INCHOAT *deprecantis.* Tum redeant ad illud Tract. Psal. 51. n. 20. *Stultitiæ atque impietatis extremæ est, non intelligere se sub Deo & ex Deo vivere, sed in his quæ gerit & exspectat, sua magis velle confidere potestate; cùm si quid illud in se sit, ex Deo sit. Ad Deum itaque spes omnis nostra sit, & confessio* (an *confisio?*) *omnis in Deo sit.* Dehinc occurret in Psal. 123. n. 2. *Quis enim*

relictus

relictus est nobis gloriandi locus, recordantibus OMNIA EX DEO ESSE: & mox, *Si non* IN OMNIBUS *opus est Dei misericordiâ; etiam omnia nobis tamquam ex nostro sint gloriemur*: & num. 3. *Ad hunc habitantem in nobis gaudia nostra referamus, huic si quid in nobis est debeamus, à beato Paulo edocti*, NIHIL *nostrum existimandum dicente, Quid enim habes quod non accepisti?* Inde ad Tractatum psalmi 126. progressus, unde bonorum operum initium, unde perseverantia sit, sic disces num. 5. *Bene autem inania humani operis Propheta esse opera prophetavit. Scit inutiles esse humanarum custodiarum vigilias, scit in cassum esse consurgentium matutinas sollicitudines... A Deo ergo domus est ædificanda quæ maneat; quia nisi quæ à Domino ædificata sit, non manebit. A Deo civitas est custodienda, ne pereat; quia nisi à Deo custodita sit civitas, diruetur.* §. IX. DE GRATIA.

252. Plurima identidem recurrent hujusmodi exempla. Nunc quippe homines considerat velut allisos & ad lapsum pronos, quibus novus semper casus, nova peccati plaga semper immineat. Nunc animam, etiam *sancti*, terræ comparat, quæ *sine aqua arida & infecunda est, & irrigari se* SEMPER *imbre pluviæ cælestis exspectat.* Et cùm certò sciret, hominem continuo Dei egere auxilio, hancque spei nostræ doctrinam esse crederet, *ut Deus oratus & misereatur & salvet*: aptissimè concludit in Psal. 63. n. 6. *Vigilandum ergo in oratione Dei est, &* SEMPER *orandum; ut cùm fatigari anima & affligi subrepentium illecebrarum aculeis cœperit, Deus* SEMPER ORATUS *exaudiat*: & in Psal. 144. n. 14. *Totis itaque in Deum allisi & cadentes oculis adspectant; neque quisquam ita de se confidat, ut non semper cadere, semper se vereatur allidi.* Denique ex verbis Tract. Psal. 118. lit. 14. n. 20. *Ne quod à multis dici sæpe solet, rationis aliquam habeat auctoritatem, cùm asserunt proprium Dei munus esse, ut quis in Dei rebus atque operibus versetur, excusantes infidelitatem suam, quòd cessante erga se Dei voluntate maneant infideles*, &c. apparet doctrinam tunc communem fuisse, quæ omnia bona nostra Dei dona esse crederet; hincque infideles plurimos pertinaciæ suæ excusandæ ansam arripuisse, quòd à Deo ut fideles essent necdum essent consecuti. Et eorum quidem improbitatem dum vincere conatur Hilarius, nonnulla habet quæ ad limatioris & accuratioris Theologiæ normam non satis exacta sint. Verùm eo loco similibusque si non tam quid sonent verba illius, quàm quid iis sibi velit attendamus; non latebit eum hoc tantùm cavere, ne cum Manichæis liberum arbitrium destruere existimetur.

in Ps. 144. n. 14.
in Psal. 142. n. 4.
in Psal. 118. lit. 6. n. 4.

253. Sanè in bona voluntate quid à Deo, quid à nobis esset, non satis distinguens, hanc à Deo dari negavit, quatenus hoc donum libertatem tolleret, & inferret necessitatem, uti ipse lib. 8. de Trin. n. 12. declarat his verbis: *Non utique* (dedit Deus voluntatem,) *quæ si data esset, non haberet fides præmium, cùm fidem nobis necessitas affixæ voluntatis inferret.* Sed si in particularibus illis locis, in quibus ad tuendum liberum arbitrium unicè intentus est, nonnihil tribuit voluntati, quod sola non potest sine Dei gratia; ex doctrina, quæ per omnia ipsius scripta diffusa est, constat eum omnem operum gloriam gratiæ Dei adscribendam censuisse, nihilque ei negasse, nisi quod libertatem nostram everteret. Et verò sic ubique loquitur, quasi jam exstitissent gratiæ hostes. Vix enim ullos laudat virtutum actus, quin nos statim infirmitatis nostræ memores esse, & si quid agendum sit, vires à Deo sperare; si quid bene actum, hoc ad ejusdem auxilium referre commoneat.

254. Plura exigeret tanti momenti materia, plura etiam paraveramus: sed lectorem scrupulosis in rebus diutiùs distinuisse metus est. Si quid in his elucidatum, quod antea non satis patebat; gratiam habeat Hilario, cujus ope magis quàm nostri ingenii viribus freti hoc opus suscepimus. Si quem autem offendit prolixitas; ignoscat affectui, quo sanctissimi Confessoris auctoritatem injectis suspicionibus nonnihil imminutam suæ integritati restituere, sicque Operum ejus lectionem omnibus utiliorem præstare conati sumus. Sed sensa explicuisse non sufficiet, nisi exponamus & gesta. Ea quidem propè omnia tum in fronte uniuscu-

§. IX. DE GRATIA.

Quid in sequenti Hilarii vita præstandum.

jusque Operis ad singulas ejus lucubrationes illustrandas, tum in notis ad eas appositis retulimus: verùm omnes particulas recolligere, & ex illis unum quasi corpus concinnare juvat; ut continua serie digesta vitæ ejus narratio sub uno conspectu in hoc limine repræsentetur. Sit licèt rudis delineantis penicillus, lectorum animos excitabit recreabitque materia grandior, rerum gestarum varietas, dictorum denique veritas, quam ex purissimis fontibus, ex Hilario nimirum ipso, & ex probatissimis auctoribus depromemus. Ita verò insignioribus illius factis, quæ sub oculos cadunt, referendis dabimus operam, ut sancti Doctoris animum pro modulo exprimere tentemus, videlicet intaminatos à pueritia mores, in episcopali munere sanctitatem, doctrinam & eruditionem, egregiam in dicendo scribendoque facundiam, zelum pro fide intrepidum, adversùs hæreticos præsertim Arianos divinum propè robur, infractam duris adversisque in rebus patientiam, invictam denique in omnes patientiam, mansuetudinem ac lenitatem, contra quàm nonnullis hactenus, qui Hilarium non penitus norunt, persuasum est. Hanc verò persuasionem, ut obiter id dicamus, satis refellit vel unum Rufini testimonium, apud quem Hilarius audit *vir naturâ lenis & placidus, simulque eruditus, & ad persuadendum commodissimus:* ut qui fidei veritatem non modò eloquentiâ & eruditione animis inspirabat, sed etiam lenitate, mansuetudine, indulgentia & ad aliorum contumaciam accommodata oratione, quæ optima conciliandæ veritatis ratio est, insinuare studebat. Hinc de rigore disciplinæ nonnihil remittebat aliquando, ut ad Ecclesiæ sinum pia quadam facilitate revocaret, quos aut error aut ignorantia seduxerat. Hinc modò homœusion homousio præferebat, modò nefandas Anomœorum blasphemias patienter excipiebat; ut omnes hoc lenimento Christo lucrifaceret. Hæc in antecessum breviter dicta sufficiant, quæ uberiùs, Deo favente, nunc explicanda sunt.





VITA SANCTI HILARII PICTAVENSIS EPISCOPI

EX IPSIUS SCRIPTIS AC VETERUM MONUMENTIS nunc primùm concinnata.

CAPUT I. Hilarii ortus : an ex Christianis parentibus sit.

Aug. lib. 1. contra Jul. c. 3.
Sulpic. sub fin dial. 1.
Hier. præf. in lib. 2. Comm. ad Gal.
Venant. lib. 8 Carm. 1. & lib. 2. c. 16.
p. 2. tit. 11. c. 3.

1.  LARISSIMUM Ecclesiæ sidus Hilarium in Galliis ortum habuisse, nemo umquam negavit. *Quis enim*, inquit Augustinus, *ignorat Hilarium episcopum Gallum?* Et verò ex Aquitania, quam Sulpicius Severus, Ammiano Marcellino lib. 15. c. 11. suffragante, ceteras Galliarum provincias urbanitate tunc superasse significat, eum oriundum esse apud omnes convenit. Neque solùm Gallus, sed & *Pictavis genitus* ab Hieronymo memoratur. Cui cùm prorsus consentiat Venantius Fortunatus, nec repugnet Fortunatus alius, (si tamen alius vitæ Hilarii B scriptor;) ea illi civitati non est facilè imminuenda gloria, qua de tanti viri non modò episcopatu, sed & ortu sese decoratam arbitratur. Eum quidem *Burgensem* vocat S. Antoninus *, Saussaius verò *in pago Claro* natum affirmat: sed recentioribus scriptoribus quis non anteponat Hieronymi atque Venantii auctoritatem?

Cap. 6. annal. Aquit.

2. In quodam ms. non admodum antiquo Cardinalis Ottoboni, pater Hilarii Francarius appellatur. Tradit quoque Bouchetus, tumulum parentum Hilarii 20. annis ante quàm opus suum ederet, hoc est circiter an. 1500. in parochiali æde apud Clissonium C Hilario sacra repertum esse, in quo idem nomen ipsius patri attribuebatur. Sed quidquid sit de parentum nominibus, certè in dubium revocari non potest generis illius claritudo, qui Fortunato teste, apud Gallicanas familias nobilitatis lampade non obscurus, immo magis præ ceteris gratiâ generositatis ornatus fuit.

3. Celebris hîc oritur quæstio, utrùm Christianis parentibus natus sit. Negant plerique, & opinionem suam ipso librorum de Trinitate exordio confirmant, in quo narrare videtur Hilarius, quo pacto D ad Christianæ fidei notitiam pervenerit. Ac primò quidem præmittit, circumspicienti sibi quodnam esset proprium humanæ vitæ ac religiosum officium, unde utilis & optanda vita efficeretur, statim adfuisse otium atque opulentiam; sed hæc se humana felicitate indigna sensisse, quæ à beluinæ oblectationis consuetudine non multùm essent aliena. Tum sibi eorum *num. 2.* sententiam consideranti, qui *bene agere atque intelligere, id demum bene vivere esse opinabantur*, eam etsi minùs ineptam, nondum tamen ad beatè vivendum satis idoneam sibi visam esse declarat: cùm illi beatam vi- E tam intra semetipsos continerent, ipsius verò animus *num. 3.* sese efferret in Deum, *cui se totum ipse deberet, cui famulans nobilitandum se existimabat, ad quem omnem spei suæ opinionem referret, in cujus bonitate inter tantas præsentium negotiorum calamitates tamquam tutissimo sibi portu familiarique requiesceret.* Exinde varias philosophorum de Deo opi- A niones se expendisse ait, nullamque probasse; quia cùm plerique multitudinem colerent, ipse *in Deo nihil nisi æternum potensque esse venerandum, & omnipotentiam æternitatemque non nisi penes unum esse* pro certo haberet. Demum eam, quam anxiè adeo quæritabat, notitiam veluti casu se adeptum esse testatur in hunc modum: *Hæc igitur, multaque alia ejusmodi cum animo reputans, incidi in eos libros, quos à Moyse atque à prophetis scriptos esse Hebræorum religio tradebat.* *num. 4.* Quibus ex libris quantum profecerit, subinde narrat, se nempe admiratum quàm verba Exodi 3. *Ego sum qui sum*, naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone significarent; *num. 5.* ac postea se ex Esai 40. 12. & 66. 1. Deum immensum, ex Psal. 138. 7. ultra rerum intelligentias infinitum, & ex Sap. 13. 5. totius pulcritudinis pulcherrimum didicisse. *Ibid.*

4. His lectis, jam non incertus fluctuabat animus quis colendus esset; fatigabatur tamen partim suo, partim corporis metu: quia ipsi suberat naturalis sensus, *num. 6. & 7.* ut pietatis professionem spes aliqua incorruptæ beatitudinis aleret, quam sancta de Deo opinio & boni mores mererentur. *num. 10.* Sed ex Evangelii Johannis initio mens trepida & anxia plus spei invenit quàm exspectabat: *num. 9.* ex quo primùm ad cognitionem Dei patris imbuitur; deinde quod antea naturali sensu de Creatoris sui æternitate, infinitate & specie opinabatur, proprium esse etiam unigenito Deo accipit; audit postremò, unicuique esse Dei filio potestatem fieri, *num. 11.* ac propterea Verbum carnem factum esse, ut per Deum Verbum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum. Unde cùm tandem concludat: *Hanc itaque divini sacramenti doctrinam mens læta suscepit, in Deum proficiens per carnem, & in novam nativitatem per fidem vocata, & ad cælestem regenerationem obtinendam potestati suæ permissa*: innuere videtur, se in ætate jam provecta, ex Scripturarum lectione, à gentili religione ad Christianam perductum esse.

5. Verumtamen quod Fortunatus de illo scribit, *lib. 1. n. 3.* *A cunabulis tantâ sapientiâ primitiva ejus lactabatur infantia, ut jam tunc potuisset intelligi, Christum in suis causis pro obtinenda victoria necessarium sibi militem jussisse propagari*, hoc potiùs sonat, Hilarium videlicet jam ab infantia Christum induisse, & Christianam doctrinam cum lacte suxisse. Neque his repugnat librorum de Trinitate exordium. Cùm enim in eo selectis Scripturæ testimoniis ostendatur, quanto apud fideles potior sit, quàm apud philosophos, scientia Dei; minùs sapit hominem qui prima fidei suæ tyrocinia narret, quàm doctorem in sacris profanisque litteris versatissimum, qui aut gentilem philosophum, sub typo sui, quibusdam veluti gradibus ad Christianam religionem promovere, aut se ipsum in religione, qua jam

eſſet imbutus, altiori rerum contemplatione magis ac magis confirmare ſtudeat. Sanè tam ſagacis animi vir, qui fortuita ſacrorum librorum lectione abſtruſiſſima quæque Chriſtianæ religionis myſteria per ſe clarè dilucidéque percipere valuerit, de Deo non tunc primùm cœpiſſet magnificè ſentire, cùm ad Exodum perveniſſet. Multa quippe continet Geneſis, quæ majeſtatem Dei atque gloriam mirificè commendant. Antè etiam, quàm attigiſſet Eſaiam, in aliis libris occurriſſent plurima, quæ quam de Deo ex Exodo conceperat opinionem confirmaſſent. Sed nec uſquam Hilarius ſeſe gentilitatis errorem depoſuiſſe meminit. Nam cùm verbis ſuperiùs jam allatis ait, eam ſe alacriter ſuſcepiſſe doctrinam, qua mens *in novam nativitatem vocata, & ad cæleſtem regenerationem obtinendam poteſtati ſuæ permiſſa eſt*, tam exiſtimandus eſt loqui de ſua recenti per baptiſmum regeneratione, quàm gratulari ſe in ea religione inſtitutum, qua nova animi nativitas non interitura, divinaque corporum poſt hanc vitam regeneratio ſperantur; eoque ſe liberatum metu, quo antea ſe fatigatum dixit, ne animus corpuſve interirent.

6. Neque efficaciùs ex antiquis probant, Hilarium in adulta dumtaxat ætate Chriſtianis myſteriis fuiſſe initiatum. Hæc quidem Eſaiæ verba, *Gloria Libani ad te veniet*, ita exponit Hieronymus, ut cum Cypriano, quem idolorum cultui diu mancipatum fuiſſe non inficiandum eſt, Hilarium noſtrum conjungat atque comparet in hunc modum: *Vir ſanctus & eloquentiſſimus martyr Cyprianus, & noſtri temporis confeſſor Hilarius, nonne tibi videntur excelſæ quondam in ſæculo arbores ædificaſſe Eccleſiam Dei?* Sed apertum eſt hoc uno Hilarium & Cyprianum unà conjungi, quòd ambo excelſæ fuerint arbores. At verò Cyprianum, quà gentilem, non excelſam, ſed humi potiùs repentem arborem exſtitiſſe quis neget? Unde nec ab Hieronymo dicuntur *excelſæ quondam in gentilitate arbores*, ſed *in ſæculo*: ut Clero opponatur ſæculum, in quo cùm nobilitate generis, doctrinæ ſplendore, ac ſingulari morum probitate claruiſſent, totam illam gloriam ſuo in Clerum tranſitu ad Eccleſiæ utilitatem, decus & ornamentum tranſtulerint. Neque magis eſt obſcurum, quid Auguſtinus ſibi velit his verbis: *Nonne reſpicimus quanto auro & argento & veſte ſuffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor ſuaviſſimus & martyr beatiſſimus, quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius; & ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci?* Evidens enim eſt, non hîc ſuperſtitioſum cultum Ægypti vocabulo ab eo ſignificari, ſed mundanam doctrinam: qua cùm præſtantes illi viri egregiè exculti ac ditati eſſent, totos illos theſauros, quos ex Ethnicorum lectione decerpſiſſent, poſtmodum in uſus Eccleſiæ converterint. Sed ſi id minùs liqueret; Optato, quem numquam non Chriſtianum legimus, ceteris addito, eos non ſuperſtitione, ſed aliqua alia ratione inter ſe comparari manifeſtum eſſet.

Auguſt. lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 40.

7. An igitur idolorum cultui aliquando deditus fuerit Hilarius, valde incertum eſt: quod ne pro certo haberetur, non litigandi animo, paulo diligentiùs tractandum cenſuimus. Quod enim Vincentius Bellovacenſis ac S. Antoninus ſcribunt, eum *optimum ſemper fuiſſe Chriſtianum*, non minùs eſt probabile, quàm quod vulgò exiſtimant, eum ab incunabulis Chriſti legi non fuiſſe ſubditum.

Vinc. Bell. lib. 14. c. 25. S. Anton. tit. 11. c. 3.

CAPUT II. Hilarii eruditio, fides, & vivendi ratio donec ad clerum adſciſcatur. *Bouchet & du Sauſſay.* Hilarii ingenium.

8. MAGNUS ille Hilarius, quem cum iis, qui in ſæculo ſcientiæ atque inſignium virtutum laude floruerunt, comparandum eſſe Hieronymi & Auguſtini teſtimoniis conſtat, ſi recentioribus quibuſdam habenda fides, primis annis obtuſo fuit ingenio: ſed Romam, atque inde in Græciam profectus, decennali ſtudio aſſiduo, naturalem difficultatem vicit, & raræ ſapientiæ, eruditionis ac eloquentiæ ornamenta conſecutus eſt. Ut ut eſt, uno ore prædicant veteres, & ſcripta ipſius confirmant, illum ingenii non minùs magnitudine præſtitiſſe, quàm acumine. Sanè ad id perſuadendum idonei ſunt uni de Trinitate libri: quorum ſi primus ante ceteros ſcriptus concedatur, (ad quod probandum argumenta non deſunt,) ſtupenda videbitur illius animi amplitudo; quippe qui tam vaſtum Opus vel ab ipſo exordio accuratè adeo complecti, tamque exquiſitè delineare valuerit.

9. An Romæ, an etiam in Græcia ingenium optimarum artium ſtudio excoluerit, non temere aſſeruerim: maximè cùm Hieronymus ſcripto mandaverit, ſtudia tunc in Galliis *florentiſſima* exſtitiſſe. Tantam verò eloquentiâ acquiſivit gloriam, ut ab eodem Hieronymo vir temporibus ſuis diſertiſſimus & eloquentiæ Rhodanus appellari meruerit. Poeticæ quoque dedit operam: eamque artem, quam ad pravos & impuros uſus multi detorquent, ad celebrandas Dei laudes & ad Apoſtolorum geſta Martyrumque certamina decantanda adhibuit. Illum quamdam dumtaxat græcarum litterarum aurulam cepiſſe, & ad obſcuriora Origenis verba intelligenda Heliodori presbyteri operâ uſum eſſe auctor eſt Hieronymus, ſed eo tantùm in loco, in quo non ſatis circumſpectè locutus eſſe meritò judicetur. Ibi enim præ nimio erga Hilarium reverentiæ affectu, cùm reprehendere non auderet, quem erraſſe ſuſpicabatur; priùs de eo excuſando, deque errato in alterum transferendo, quàm de vera illius ſententia expendenda cogitavit. Sed neque ei in Orientem deportato Heliodorum adhæſiſſe, neque illum toto exſilii ſui tempore à ſcriptis Græcorum evolvendis abſtinuiſſe crediderim. Et Hieronymus quidem, ni fallit conjectura, Hilarium in græcis litteris tenuiter verſatum eſſe non aliunde judicavit, quàm ex libro de Synodis, in quo verſiones ipſius nonnihil intricatæ videntur & non ſatis liberæ & expeditæ. Si quid tamen in his vitii eſt, in ætatem, qua ſcripſit, commodè referas. Tunc enim extra interpretandi leges excurrere ſibi videbantur, quoties eumdem verborum ordinem non retinerent. Unde cùm multas Orientalium fidei confeſſionum verſiones circumferri non ignoraret, novam tamen ipſe cudere aggreſſus eſt, *quod illarum ex græco in latinum ad verbum expreſſa tranſlatio afferret plerumque obſcuritatem.* Eum quidem modò vix cogitaveris græcæ litteræ tenaciùs adhærere potuiſſe: ſed hinc concedas neceſſe eſt, illum in eo ſcribendi genere nonnulla ſibi permiſiſſe, quæ majores ipſius ſibi licere non exiſtimabant. Verùm ſi quis linguæ græcæ peritiâ, nemo philoſophiâ eum excelluiſſe negaverit.

Studia. Hier. epiſt. 4. ad Ruſt. — præfat. in lib. 2. Comm. ad Gal. & epiſt. 141. Concil. Tolet. IV. can. 13. — Hier. epiſt. 141. ad Marcellam. — lib. de Synod. n. 9.

10. Ob varias opes, quas ex hac diſciplina in Eccleſiæ utilitatem tranſtulit, non immeritò dixit Auguſtinus, eum multo auro argentoque ſuffarcinatum ex Ægypto ad Eccleſiam tranſiiſſe. Ita verò eas illimes & ab omni fæce purgatas ſcriptis ſuis admiſcuit, ut nihil in eis profanum, nihil offendas ſacerdote non dignum. Sed & ante quàm ad hanc dignitatem promoveretur, non ſola contentus eruditione philoſophica, mores etiam ad perfectas philoſophiæ leges compoſuit. Immo ab infantia, Fortunato ſi credas, divinâ quadam ſapientiâ lactabatur.

Aug. lib. 2. de doctr. Chr. c. 40. — Fortun. lib. 1. n. 3.

11. Vana tamen & ſterilis evaſiſſet multiplex illius ſcientia, niſi eam fides fecundaſſet. Hanc porro eum baptiſmo abundè percepiſſe, ex ſubjectis conſtabit. Sed quandonam hoc ſalutari ſacramento initiatus ſit, incertum. Hoc unum conſtat, baptiſmum ipſius non paucorum annorum intervallo epiſcopatum præceſſiſſe: ſi quidem ipſe ait, *Regeneratus pridem, & in epiſcopatu aliquantiſper manens, fidem Nicænam numquam niſi exſulaturus audivi.* Quo ex loco eorum forſan juvaretur ſententia, qui Hilarium Chriſtianis ortum parentibus negant, niſi apud omnes eſſet in confeſſo, id iis temporibus moris obtinuiſſe, ut in provectam ætatem baptiſmus ſæpe differretur.

Baptiſmus. — lib. de Synod. n. 91.

12. Verùm eo teſtimonio luculenter probat, Nicænum Concilium, quamvis novo *Conſubſtantialis* vocabulo,

cabulo, nihil tamen novum decreviſſe: cùm ipſe ante quàm Nicænum ſymbolum audiſſet, eamdem doctrinam tum ex verbis evangelicis quibus baptiſmus traditur, tum ex Apoſtolorum ſymbolo quod ante baptiſmum diſcitur, ſemper intellexerit credendam, ac *lib. 2. ad Conſt. n. 4. & 7.* firmè crediderit. Quocirca Conſtantio auctor eſt, ut ſi quidem Nicænis decretis ſubſcribere timeat, primam & ſolam evangelicam fidem in baptiſmo confeſſam intellectamque retineat. Et initio lib. 2. de Trin. queritur, quòd cùm Trinitatis myſterium baptiſmi verbis ſatis apertè eſſet declaratum, Ariani » cæleſtium verborum ſimplicitatem pro voluntatis ſuæ » ſenſu, non pro veritatis ipſius abſolutione ſuſcipe» rent, aliter interpretantes, quàm dictorum virtus po» ſtularet. Aliàs eis etiam exprobrat, quòd fidei non adhæreant Apoſtolorum ſymbolo conſignatæ, ſine *Ibid. n. 6.* cujus profeſſione nemo baptiſmum percipit. *Fides*, inquit, *ſcribenda eſt: quaſi in corde non ſit. Regenerati per fidem ad fidem docemur: quaſi regeneratio illa ſine fide ſit. Chriſtum poſt baptiſma diſcimus: quaſi baptiſma aliquod eſſe poſſit ſine Chriſti fide.* *lib. de Synod. n. 63.* Contrà Gallicanis epiſcopis gratulatur, quòd neceſſarium non habuerint epiſcopi legere, quod regenerati neophyti tenerent corde atque crederent. Ipſe verò quàm altè eamdem in regenerationis ſuæ ſacramento imbiberit, variis modis *lib. 6. de Trin. n. 21.* enuntiat. Modò enim ait, *In te ita credidi, per te ita renatus ſum: & exinde tuus ita ſum:* *Ibid.* modò verò, *His immedicabiliter imbutus ſum: & ignoſce omnipotens Deus, quia in* *num. 20.* *his nec emendari poſſum, & commori poſſum:* & paulo antè, *Hæc enim ego ita didici, ita credidi, & ita confirmatæ mentis fide teneo, ne aut poſſim credere aliter, aut velim.* Demum cur aliter credere ac doceri non poſſit, eam ad calcem lib. 2. ad Conſtant. reddit rationem, quòd ea fides & evangelicæ doctrinæ & regenerationis ſuæ ſymbolo conſentanea ſit. Quæ ratio cùm in ceteros fidei noſtræ articulos pariter valeat; nemo jure dubitarit, quin & pari in eorum veritatem perſpicacitate penetrarit, & ad defendendos ſingulos æquali ſemper conſtantia fuerit inſtructus.

Qui philoſophiam fidei ſubjecerit.

13. Tanto fidei lumine per baptiſmum illuſtratus, nullis umquam vanæ philoſophiæ fallaciis in errorem abduci potuit: ſed præcepto parens Apoſtolico, *Videte* *lib. 1. de Trin. n. 13.* *ne quis vos ſpoliet per philoſophiam*, hoc ſe effato adversùs omnia humanæ rationis jacula veluti clypeo munivit: *Reſpuit captioſas & inutiles philoſophiæ quæſtiones fides con-* *Ibidem.* *ſtans, neque humanarum ineptiarum fallaciis ſuccumbens, ſpolium ſe præbet veritas falſitati.* Ut enim in vera philoſophia vidit, *ultra naturæ humanæ intelligentiam à Deo geſta, non ſuccumbunt rurſum naturalibus mentium ſenſibus: quia infinitæ æternitatis operatio infinitam metiendi exigat opinionem.* quæ infinitas cùm deſit humanæ menti, nihil ei ſuppetit, unde divina myſteria aſſequatur. Vidit etiam humanam *lib. 3. n. 24.* rationem, ſi quidem creata eſt, perfectam non poſſe eſſe; adeoque nec comprehendere Creatorem. *Non enim*, inquit, *concipiunt imperfecta perfectum.*

14. Hanc uni fidei gloriam attribuit, ut ad ea cæ- *Ibid. n. 25.* leſti ipſius virtute perveniat homo, ad quæ pertingere propriis viribus non valet. Eamque ob cauſam Chriſtianos, qui fidei intellectum ſubjicere norunt, ſapientibus mundi, à quibus deſipere putantur, multò ſapientiores eſſe hinc demonſtrat, quòd in arcana longè altiora penetrent. De hac illorum ſapiente ſtultitia lib. 5. initio libenter ipſe gloriatur: & meritò quidem, quippe cui ad ſummam ſapientiam hac iter fuit. Quì autem fide naturalem philoſophiam devicerit, operæ pretium eſt vel uno exemplo demonſtra- *Ibid. n. 20.* re. Audit ex Evangelio: Chriſtus poſt reſurrectionem *corporeus, non ſimulatus aut fallax, clauſam domum in qua erant diſcipuli congregati introivit.* Statim ei à philoſophia ſuggeritur, *An conſtructa parietum penetrans & ſolida lignorum, naturam eorum impenetrabilem tranſcurrit?* Cui Hilarius quaſi aſſentiens, *Nihil* equidem, inquit, *cedit ex ſolido, neque per naturam ſuam aliquid tamquam lapſu inſenſibili ligna & lapides admittunt.* Tum illa veluti jam victrix urget: *Dicamus ergo factum non fuiſſe, quia* A *intelligentiam facti non apprehendimus; & ceſſante ſenſu noſtro facti ipſius ceſſet effectus.* Verùm ſapientis ſtultitiæ armis inſtructus Hilarius ſtultam illam ſapientiam calcat, eique victoriâ de qua ſibi jam plaudebat ereptâ, fidenter ſucclamat: *Mihi imperito, & tantùm de omnibus Deo ut ſunt ab eo dicta credenti, rationem iſtius facti* ne repoſcas. *Dominum audio: & quia his credo quæ ſcripta ſunt, ſcio quia adſtitit Dominus clauſa domo in medio diſcipulorum.* Ac poſtmodum omnes, ut vanas inaneſque prudentiæ ſæcularis ratiunculas ſecum deſpiciant, adhortatur his verbis: *Noli negare quòd ſteterit, quia per intelligentiæ infirmitatem conſiſtentis non conſequaris introitum;* B & id quidem maximè, cùm multarum Dei operationum exemplo habueris, unde *crederes Deum efficere poſ-* *num. 18.* *ſe, quorum intelligere efficientiam non poſſis.* Ulteriùs etiam progreditur. Si enim, inquit, hominum *intelligentia* *Ibid.* *ad conſpicabiles res & corporeas coartatur*, quanto magis ad inviſibiles & divinas? Si Chriſti corporei januis clauſis ingreſſum ratione non aſſequimur, quanto minus æternam ipſius ex æterno Patre generationem?

15. Eadem ratione lib. 8. de Trin. n. 14. omnem in Euchariſtiæ ſacramento de carnis ac ſanguinis veritate ambigendi occaſionem præcidit. Sed ex allato C exemplo, quod ex ipſis Hilarii ſententiis ac verbis inter ſe temperatis, numquam tamen alienum in ſenſum detortis illuſtravimus, intelligere eſt quàm cautè fidei ſcopulos declinarit; & quomodo extra metas rationis erumpens, ſtultus ſit factus, ut obſequendo Dei verbis ſapiens evaderet. Utinam ſtulti tam prudentis veſtigia premerent noſtræ hujus ætatis hæretici, nec fidei ſoliditati, quam intemeratam ſervat Eccleſia, inanes quaſdam rationes, ſeu potiùs, ut ita loquar, ſpecioſas hallucinationes anteponerent. Mox ſanè intra Eccleſiæ ſinum, quem miſere diſrumpunt, regrederentur. Eam porro unam ab Hilario improbari prudentiam humanam, quæ fidei D neſciat ſubjici, hîc interim monitum volumus, donec inſequenti capite oſtendamus, quanti fecerit fidem doctam, ſive ſcientiam quæ fidei famuletur.

Hæreticorum conſortia devitat.

16. Summo illo intemeratæ fidei ſervandæ ſtudio impulſus, à catholicæ religionis hoſtibus ſic abhorruit, ut cùm à Judæorum vel hæreticorum convivio abſtinere Fortunatus ſuo etiam ævo difficillimum eſſe teſtetur, ipſi non ſolùm menſa, ſed *neque ſalu-* *Fortun. lib. 1. n. 3.* *tatio fuerit cum his prætereunti communis.* Eam tamen agendi rationem, quam laudabiliter tenuit laicus, poſtea prudens remiſit. Epiſcopus enim factus, ut E hæreticos Chriſto lucrifaceret, nec criminis loco du- *lib. in Cõſt. n. 2.* xit quemquam cum his orare aut colloqui, nec ipſe eorum colloquia recuſavit.

17. Cùm autem non ignoraret fidem mortuam *in Pſal. 51. n. 16.* eſſe, niſi per caritatem operetur, homineſque non ſolùm propter infidelitatem, ſed & propter ſterilitatem à Chriſti corpore eradicandos eſſe: primùm eccleſiaſticis regulis & evangelicis inſtitutis animum informandum tradidit: « tum ſe ipſum propriâ diſcipli- *Fortunat. lib. 1. n. 3.* nâ ita coercuit intonſus, ut irreprehenſibilis in templo Chriſti ſacerdos jam tum præparari videretur; ita ſe variis pietatis operibus exercuit, ut adhuc in laiF cali propoſito pontificis gratiam divino nutu poſſideret. Denique Deum, quo plenus erat, in alios etiam effudit. Nunc enim, Fortunato teſte, alios de *Ibid.* confeſſione ſanctæ Trinitatis informans, nunc alios promiſſione regni cæleſtis invitans, uno verbo omnes de pio religionis opere commonens, non ceſſabat in plebem verba veritatis fructum fidei redundantia ſeminare. »

18. Tanto viro dignam Deus tribuit ſponſam, ex qua filiam unicam nomine Abram procreavit. Illius quippe nomen, genus ac vitæ ſeriem quamG vis nulla nobis monumenta prodiderint; pietatem tamen, & in divinis rebus intelligendis ſagacitatem, necnon in ſectandis evangelicis conſiliis ſtudium Hilarius ipſe ſatis commendavit; cùm filiæ re- *epiſt. ad Abram n. 7.* ſcribens, eamque ſub ænigmatibus & parabolis qui-

busdam ad modestiam ac virginitatem cohortans, jubet eam, si quid per ætatem minùs intelligat, matrem interrogare. Cui enim hæc non sonent piissimam matrem, quæ omni sæculi spe abjecta, in id unum cum conjuge conspirarit, ut Dei cultui & obsequio quod sibi erat carissimum manciparet? Unde adjicit, nihil eam in votis magis habere, quàm ut filiam optimis moribus suis rursum quodam modo generaret, ac Deo pareret.

Cap. III. Episcopatum suscipit: quid de ejus munere sentiat: quî eo fungatur.

Fortunat. lib. I. n. 4.

19. Sic Hilarius connubio junctus, quasi ei non adstrictus vivebat, omni scientiarum genere instructissimus, vitæ probitate purissimus, integritate fidei atque constantiâ insignis, æstuans zelo animarum, omnibus denique dotibus, quas ab episcopo Paulus desiderat, ornatus; cùm *concordante populi voce, aut potiùs Dei Spiritu proclamante, vir olim mysteriis deputatus, aliquando sacris altaribus sacerdos electus est.* Eum in episcopatu Pictavensi Maxentium S. Maximini fratrem excepisse Lupus Ferrariensis scribit in ejusdem Maximini vita: quo anno, nec ille, nec quisquam alius notat. A plurimis quidem existimatur anno dumtaxat 355. episcopatum sumsisse: sed cum iis quæ ante exsilium episcopus egit, non bene consentit hæc opinio. Auctoritas enim, qua anno 355. visus est in Ecclesia pollere, & publica sanctitatis ipsius fama, quæ forsitan longè ante hunc annum, Martinum à Galliæ finibus ad ipsum evocavit, postulant ut aliquot annis antea episcopalem dignitatem sit adeptus. Neque huic rationi adversatur, quod ex libro de Synodis n. 91. afferunt; *Regeneratus pridem, & in episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicænam numquam nisi exsulaturus audivi*: cùm his verbis id unum conficiatur, non tantum temporis ab ordinatione Hilarii, quantum à baptismo, ad exsilium ipsius effluxisse. Certè illud *aliquantisper* ad quinque aut sex annos extendere æquè licet, ac intra unum concludere. Immo quo latiùs patebit hæc particula, eo erit efficacius Hilarii argumentum, ut insinuet Gallorum fidem de Patris & Filii æqualitate non à Nicæna synodo cœpisse. si quidem ea synodus Galliis ita ignota erat, ut ipse pridem regeneratus, inter episcopos etiam aliquandiu sederit, priùs quàm de illa quidquam audiret.

Vide infrà num. 29. & 30.

20. Hoc saltem ex allato loco planum, eum scilicet juxta Apostoli præceptum non neophytum fuisse, cùm à populo Pictavensi in episcopum cooptatus est. Nondum quidem è vivis excesserat illius uxor. Sed ea ætate, quia virgines aut non tanti erant quanti erant necessarii, aut opera virginitati congruentia non habebant, vel non existimabantur habere, sæpe in sacerdotium eligebantur mariti. Quos tamen ea lege ordinatos esse, ut ab operibus nuptiarum deinceps abstinerent, Hieronymo affirmanti negare non ausus est continentiæ quamvis adversarius Jovinianus; adeo ut volens nolens confessus sit, *non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Eumdem Ecclesiæ morem tuentur Siricius Papa epist. ad Himerium Tarrac. c. 7. Innocentius I. epist. ad Victricium c. 10. & Ambrosius lib. 1. Offic. c. 50. n. 257. & epist. 63. ad Vercell. n. 62.

Hieron. lib. 1. cont. Jovinian.

Ibidem.

21. Hac se lege adstringi libenter passus est Hilarius, qui virginitatem & continentiam quanti faceret, aliàs etiam luculenter probavit. Filia namque unica illi erat & maximè cara: cui cùm honestis nuptiis virginitatem præferendam persuasisset, eam præmatura morte sibi præripi maluit cum præclaro hujus virtutis proposito, quàm cum illius periculo diutiùs vivere. Neque repugnantem ea in re expertus est uxorem, quæ casto digna conjuge, pari studio, uti jam notatum, in amorem continentiæ conspirabat. Ridenda hîc potiùs quàm refellenda Grynæi temeritas, qui sola fretus mendacissimi familiaris sui auctoritate, affirmavit sanctum Hilarium Pictavensibus Canonicis nuptias permisisse? Quasi verò Hieronymus rerum Hilarii curiosus indagator & admirator hoc aut ignorare, aut dissimulare potuisset, tamque fidenter adversus Vigilantium dicere, *Orientis Ecclesiæ, Ægypti, & sedis Apostolicæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes.* Certè qui legitimum filiæ conjugium tanto studio dissuasit, non ita comparatus erat, ut nuptias Clericis contra fas & leges Ecclesiæ permitteret. Sed relictis hujusmodi calumniis, veriora sancti Præsulis sensa exploremus.

Fortun. lib. 1. n. 13.

V epist. Hilarii ad Abram n. 7. & Fortunat n. 13.

Grynæi mendaciũ de Canonicis S. Hilarii.

Episcopi officium.

22. De episcopali gradu magnificè admodum sentiebat. Cùmque se apud Imperatorem commendare vellet, hoc ab eo primum Imperator, tamquam quod omni reverentia dignum, audiit: *Episcopus ego sum.* Sic enim episcopum spectabat, velut *perfectum Ecclesiæ principem*, qui *perfectis maximarum virtutum bonis* instrui debeat & ornari. Illi nec vitæ innocentiam sine scientia, nec sine sanctitate multam scientiam sufficere existimabat: quia cùm ad aliorum utilitatem fit institutus; iis non prodest quos docere nesciat; sicut & sterilis est doctrina, à qua dissideat vita. Vult igitur in sacerdote probitas ac scientia sese mutuò fulciant & ornent, *ut & vita ejus ornetur docendo, & doctrina vivendo: cùm & innocens sibi tantùm proficiat, nisi doctus sit; & doctus sine doctrinæ sit auctoritate, nisi innocens sit.* Ab ipsis præsertim episcopis exigit *fidem non nudam atque inopem rationis*, sed quæ adversus hæreticos humanis doctrinis præfidentes *constantem retineat obnitendi securitatem*; quæque sapientiâ sæculi tanto superior sit, quantum res humanas vincunt divinæ; *ut quanta rerum divinarum humanarumque discretio est, tanta ultra terrena studia ratio cælestis excedat*; quæ demum creditos curæ ipsorum populos & ad omne officii Christiani genus *instruere* valeat, & adversùs os loquentium iniqua *obstruere*.

lib. 2. ad Constant. n. 2.

lib. 8. de Trin. n. 1.

lib. 12. de Trin. n. 20. Vide & lib. 8. n. 2.

Eo rite de fungitur Hilarius.

23. Hilario nihil deerat, unde sacerdos utilis fieret, qui cum doctrina non vulgari singularem morum integritatem conjunxerat. Statim igitur ut episcopatûs apice sublimatus est, veritatis cibum, quo antea in secreto cordis pascebatur, plebi suæ dispensare non cessavit: ut de illo, cùm Galliis nostris exsilio ereptus est, dixerit Paulinus,

Dum Pictavorum Doctor floreret in oris,
Indomitis tradens populis præcepta salutis &c.

lib. 1. Carm. de vita S. Martini.

De se ipse narrat Hilarius lib. 1. de Trin. n. 14. *Quod sibi credebat* (animus,) *per ministerium impositi sacerdotii etiam ceteris prædicabat, munus suum ad officium publicæ salutis extendens.* Quo in loco cùm episcopum repentè audis, quem proximè antea sequebaris velut in veræ religionis inquisitione adhuc laborantem; eum in superioribus prima Christianæ vitæ suæ initia descripsisse vix credideris. Hoc obiter notato, quî munus suum ad officium publicæ salutis extendebat, inspiciamus.

Scripturas populo exponit.

24. Ab Evangelio Matthæi exponendo non sine causa videtur docendi exordium fecisse. Quamvis enim omnis Scriptura divinitus inspirata utilis sit ad docendum; quia tamen * in veteri Testamento est occultatio novi, & in novo manifestatio veteris, hujus expositioni utiliùs præmittitur illius explicatio. At verò inter libros novi instrumenti primum locum obtinet Matthæi Evangelium. Hoc porro Hilarius coram populo Pictavensi interpretatus esse, ac deinde conciones suas in publicum emisisse tanto existimatur faciliùs, quòd non singula verba, ut interpretes solent, seorsim expendat; sed, quod magis est concionantis, omittat nonnulla, alia paucis perstringat, & alia copiosiùs tractet. Sed quemadmodum declarat, se ad libros de Trinitate scribendos ea studii atque officii sui permotum esse necessitate, qua ut *Ecclesiæ episcopus evangelicæ prædicationis ministerium* Ecclesiæ se debere sentiebat; ita etiam non dubium est, quin eadem ratione adductus sit, ut privatas conciones in unum Commentariorum corpus redactas publicas faceret: ut nimirum non uni, sed toti Ecclesiæ prodesset. In his non tantam in explicandis litteræ sensibus, quantam in eruendis mysticis operam collocat: vel quia hoc populis ea ætate potissimùm saperet, vel etiam quia id eis magis conduceret. Et verò cùm Scripturæ, quæ variis sunt

* August. de catech. rudibus c. 4.

lib. 6. de Trin. n. 1.

sensibus fetæ, omnium manibus tererentur, & unicuique passim obvii essent litteræ sensus; prudentis ac sollicìti Pastoris erat quosdam aperire reconditiores.

25. Non Matthæi tantùm, sed & Johannis Evangelium magna ex parte exposuit. Cùm enim Johannes Evangelium eo consilio scripserit, ut Christi assereret divinitatem; Hilario in illo abunde succurrit, unde eamdem defenderet. Sensim sine sensu dilapsi sumus ad libros de Trinitate, in quibus ille & populos catholicæ fidei veritate instruendo, & adversùs hæreticorum artes obstruendo, duplex Christiani Doctoris munus absolutè explevit: sed ad alia nos vocat rerum ordo.

CAP. IV. Hilarii à Mediolanensi synodo ad Biterrensem gesta.

26. ARIANA lues, quæ tot in Oriente strages ediderat, in Occidentem pervadere, quàm diu rerum potitus est Constans, omnino non valuit. Nicænum etiam Concilium Hilario ignorare tunc temporis licebat. At Constante mortuo, deletoque * Magnentio, huic quoque Orbis parti pax brevì erepta est. Statim namque Constantius Arelate * se recipiens, Concilium illuc coegit, quo & Arianæ hæresi subscribi præcepit, & Athanasium condemnari. Quibus jussis obtemperare cùm recusasset Paulinus Trevirorum episcopus; ab Arianis episcopis indignus ecclesiâ, dignus exsilio à rege est judicatus. Quid præterea in hac synodo gestum sit, ignoratur. Illius enim acta, quæ Hilarius Ariminensibus præmiserat, magno historiæ damno exciderunt. Sed hæc interim initia fuere malorum, quæ hæresis Ariana Constantii fulta auctoritate, Valente præsertim, Ursacio atque Saturnino agentibus, in Occidentem invexit.

* die 10. aut 11. Augusti an. 353.
* die 10. Octob. ejusdem anni.
Fragm. I. n. 6.

ann. 355.

27. Biennio pòst Constantius Concilio Mediolani habito nullum modum tenuit, ut exstinctionem Nicænæ fidei procuraret, & extorqueret Athanasii condemnationem. Reluctabantur Apostolicæ sedis legati, ac dicebant non licere per Canones absentem inauditum condemnare. Quibus ille, *Mea*, inquit, *voluntas pro Canone sit.* At legati regis sermonem magis horrentes, quàm minas ac supplicia, exsilium suscepere, ne veritatis & innocentiæ causam proderent. Alios quoque eadem involvit sententia. Ceteri autem episcopi vim non vulgarem gravesque contumelias sunt perpessi. Huicne Concilio interfuerit Hilarius, an ab eo absens fuerit; necnon cur eò non convenerit, aut si convenerit, cur in illo mali nihil sit passus, quæri potest, temerarium est definire. Illuc adire noluisse eam ob causam potuit, ob quam Eusebius Vercellensis eò venire primùm recusarat. Forte etiam ei præsenti pepercit Constantius, ne Gallorum animos exasperaret.

Athanas. ad Solit. p. 831.
Idem Apolog. p. 692.

Hilarius spretis privatis cōmodis fidem tueri statuit. Fragm. I. n. 3.

28. Dum ita perturbarentur omnia, & veritas Arianorum dolis obscuraretur; Hilario, sicut & ceteris, facta est potestas, ut floreret in sæculo, otio domestico frueretur, redundaret commodis omnibus, regia etiam gloriaretur familiaritate, & singulis universisque & publicè & privatim in Ecclesiæ dominatu gravis efficeretur; si modò Imperatoris voluntati obsequens, veritatis evangelicæ defensionem desereret. Ipsi etiam succurrebat, unde se apud vulgus ab omni dedecore liberaret, cui facile erat judicii corruptelam excusatione alieni arbitrii defendere, & sub difficultate publicæ intelligentiæ mentiri probitatem, immo cùm ipse fide sua piaculo hæresis teneretur, conscientiæ reatum blandimento ignorantiæ consolari. Verùm inania hæc delusæ mentis solatia per fidem & spem Christi in simplicitate cordis manens caritas non tulit; nec sivit eum injuriarum omnium pro Christi confessione tolerantiam non præferre ambitiosæ in reatûs silentio conscientiæ. In cæli quippe spem assumtus, ac Deo per caritatem insecabili admixtus affectu, nulla terrenorum commodorum cupiditate, nulla vi sæcularium motuum dissolvi potuit ab eo, aut dividi: sed numquam incertus quid deligeret, fortiter dixit, *Nomini Dei ac Domini Jesu Christi adhæreo*, quamvis cum illius confessione mihi ferenda sint omnia mala; *iniquorum societatem & infidelium consortium respuo*, quamvis mihi cùm his bonorum omnium affluentia sit speranda.

Ibid. n. 2. & 3.

Prudens decretum pro Ecclesiæ salute.

29. Hoc animi proposito cùm propriæ conscientiæ fecisset satis, prospiciendum sibi duxit Occidentis incolumitati. Multi enim territi minis, ac fraude dolisque decepti, Arianorum communionem susceperant in Concilio Mediolanensi: metuendumque erat, ne brevì totus orbis Christianus eorum contagione contaminaretur. Cui malo ut occurreret, statim post Eusebii, Luciferi ac Dionysii exsilia, hoc est, post prædictum Concilium, totius mali auctores Saturninum, Valentem & Ursacium à fidelium communione separandos decrevit, indultâ ceteris eorum consortibus resipiscendi facultate. De hoc decreto sic ipse loquitur: *Ego gravissimum fidei periculum longè antea prævidens, post sanctorum virorum exsilia Paulini, Eusebii, Luciferi, Dionysii, à Saturnini & Ursacii & Valentis communione me cum Gallicanis episcopis separavi, indultâ ceteris consortibus eorum resipiscendi facultate; ut nec pacis abesset voluntas, & principalium morborum fœtida & in corruptionem totius corporis membra proficientia desecarentur: si tamen hoc ipsum beatissimis Confessoribus Christi editum decretum tum à nobis manere placuisset.* Decretum hoc, quo cum columbæ simplicitate ac mansuetudine conjungitur prudentia serpentis, cùm sacerdotali sapientia sit omnino dignum, eo etiam placet ampliùs, quò modestia majore sanctis Confessoribus approbandum permittitur. Quàm autem æquum semper visum sit, supervacaneum est singillatim demonstrare. Certè post Ariminense Concilium à variis synodis receptum, & à Liberio Papa confirmatum, numquam nisi à schismaticis reprobatum fuit. Hilarius hujus auctor meritò videri potest ac moderator præcipuus, quamvis hanc gloriam sibi ipse soli non arroget. Neque alia videtur causa, cur in eum nominatim Saturninus tantum odium conceperit, ut non longo pòst intervallo illum Biterras venire cogeret, & inde in Phrygiam confictis calumniis amandaret. Quod si ita est, quis eum inter episcopos à paucis tantùm diebus sedere cœpisse credat, qui quamvis nullâ propriæ sedis prærogativâ conspicuus, tantæ tamen inter Gallicanos episcopos fuit auctoritatis, ut leges ipse conderet, alii libenter sequerentur? Rursum si verba superiora, *Ego gravissimum fidei periculum* LONGE ANTEA *prævidens*, ad id tempus referantur, quo à Saturnini, Valentis & Ursacii communione se separavit; longè antè, quàm hoc præstaret, episcopus fuerit necesse est. Quamquam hæc etiam ita intelligere est, ut gravissimum fidei periculum præviderit, non quidem longè ante quàm à prædictis se separaret, sed longè ante quàm librum, in quo ea enarrat, scriberet. Sic certè ab anno 355. inter episcopos emicuit, ut eum abhinc Galliarum episcopi catholici velut caput ac patrem, hæretici verò ut præcipuum hostem semper respexerint.

lib. in Constant. n. 2.

An illius auctor Hilarius.

Eum ante annum 355. episcopum fuisse quibusdam argumentis illustratur.

Quando Martinus se primùm ad Hilarium receperit.

Sulp. in vita S. Martini.

30. Immo etiam antea, si Sulpicio non neganda fides, tanta fuit Hilarii fama, ut nec Martinum ad Rhenum militantem fugerit, quò minùs eum spiritalis vitæ sibi ducem deligeret. Ea porro Sulpicii verba sunt: "Martinus exinde relictâ militiâ sanctum Hilarium Pictavæ episcopum civitatis, cujus tunc in Dei rebus spectata & cognita fides habebatur, expetivit, & aliquandiu apud eum commoratus est. Tentavit autem idem Hilarius imposito diaconii officio sibi eum artiùs implicare, & ministerio vincire divino: sed cùm sæpissime restitisset, indignum se esse vociferans; intellexit vir altioris ingenii hoc eum modo posse constringi, si id ei officii imponeret, in quo quidam locus injuriæ videretur. Itaque exorcistam eum esse præcepit. Quam ille ordinationem, ne despexisse tamquam humiliorem videretur, non repudiavit. Nec multo pòst admonitus per soporem, ex voluntate sancti Hilarii in Pannoniam profectus est: multisque ab eo adstrictus lacrymis & precibus ut rediret, mæstus abiit, contestatus fratres multa se in hac peregrina-

„ tione passurum. Hinc matrem gentilitatis absolvit A „ errore, patre in malis perseverante. Tum ab Arianis „ multa passus, & ad extremum de civitate exire com- „ pulsus, cùm intra Gallias quoque discessu sancti Hila- „ rii, quem ad exsilium hæreticorum vis coegerat, tur- „ batam Ecclesiam comperisset, Mediolani sibi monaste- „ rium statuit. Certè cùm Hilarius anno 356. relegatus sit, vix artiùs queunt quàm intra unum alterumve annum constringi tot Martini gesta, quæ illius exsilium præcesserint.

31. Sulpicio quidem refragari videntur Fortunatus vitæ Hilarii scriptor, Venantius Fortunatus, B quem ab hoc alterum esse nonnulli volunt, & Gregorius Turonensis. Quippe Fortunatus in vita sancti Hilarii tradit, Martinum post sancti Confessoris ab exsilio reditum exorcistam fuisse constitutum. Venantius autem, ubi sancti Martini precibus ac meritis initam cum barbaris pacem enarravit, illum repræsentat non ad Hilarium convolantem, sed superantem Alpes, & per agrum Mediolanensem in Pannonias properantem. Demum Gregorius Turonensis Martini velut luminis in Gallia recens exorientis tunc primùm meminit, cùm narravit Hilarium ad propria redire permissum. Secum etiam ipse pugnat Sulpicius, C cùm proximè antea scribit, Martinum sub Constantio primùm, ac deinde sub Juliano militasse, neque antè impetrasse missionem, quàm barbarorum legati Julianum apud Vangiones agentem de pace convenissent. Nam quòd Hilarii exsilium ante Juliani in Germaniam adventum contigerit, sequenti capite evidenter demonstrabitur.

lib. 1. hist. Franc. c. 39.

32. Verùm Sulpicii licèt in notis chronologicis consignandis diligentiam desideres, non est tamen cur accuses in rerum gestarum narratione sinceritatem. Nullus etiam ambigendi locus est, quin sincera ac D minimè interpolata ad nos pervenerit illius lucubratio: cùm Paulinus, (qui, ut Gregorius Turon. testis est, acceptis à Perpetuo Turonensi episcopo ejusdem Sulpicii indiculis stricta oratione persecutus est, quod ille soluta exposuerat,) memorata Martini gesta eodem ordine percenseat. Hæc igitur aut falsa omnino sunt, aut id unum falsum, Martinum videlicet sub Juliano militasse. Quis non hoc potiùs concedendum opinetur, quàm alterum? Facilior enim est in unius Imperatoris nomine, quàm in tanta rerum serie lapsus. Neque hujus ævi scriptoribus inusitatum est, ut sub uno Imperatore gesta ad alterum E referant. Et Sulpicio quidem singulare ac novissimum Martini in bello adversùs barbaros factum narraturo eò faciliùs subrepsit Juliani nomen, quò clariora ac præsentiora tum essent illius adversùs Alamannos gesta. Unde non respuimus quod ille ait, Martinum occasione arrepta, qua Imperator donativum erogaret, missionem petiisse. At hæc ad Juliani tempora referenti repugnat Ammianus Marcell. lib. 17. c. 7. repugnat & Julianus ipse apud eumdem Marcellinum lib. 20. c. 9. dum testantur maximum an. 358. exortum esse tumultum, quòd *sudoribus Gallicanis* F *miles exhaustus nec donativum meruit nec stipendium:* eumque tumultum tandem sedatum esse non largitione donativi, *quod Constantius erogari more solito non permittebat*, sed *blanditiarum genere vario*.

lib. 1. de mirac. S. Mart. c. 2.

33. Præterea si Martinus anno Christi 397. & ut auctor est Gregorius, ætatis suæ 81. vivere desiit, si etiam non falsus est Sulpicius, cùm illum anno ætatis suæ quinto-decimo raptum, catenatum, & sacramentis militaribus implicatum esse scripsit; sequitur ut anno Christi 316. natus, & anno ejusdem Domini 331. militiæ adscriptus, antè legitima confecerit sti- G pendia, quàm Julianus Cæsaream adeptus esset dignitatem. Poterat igitur secundùm leges Romanas anno 351. missionem petere. Si autem militiæ emeritæ annis biennium adjicias, quo tribuni sui precibus evictus, solo licèt nomine, militasse dicitur; eum saltem anno 353. militiam dimisisse concedas necesse est. Et

Sulpicius in vita sancti Martini.

sane eum, qui ad militiam per vim raptus, ad aliam vivendi rationem anhelabat, ante emeritæ militiæ annos missionem petiisse longè probabilius est, quàm emeritum in eodem vivendi genere diutiùs perstitisse.

34. Demum qui observarit quanto studio Martinus à sua in Pannoniam peregrinatione Hilarium expetierit, vix ambiguum ei erit quin eumdem Christi Confessorem, ante quàm exsularet, convenerit; & aliquandiu apud eum commoratus, ex ipsius voluntate profectus sit in patriam, aliaque præstiterit, quæ Sulpicius Paulinusque narrant. Quid est enim quòd Pannoniâ expulsus, *Gallica ora petit?* Cur cùm audit Hilarium è Gallia motum, Galliam ulteriùs non cogitat, sed Mediolani monasterium sibi statuit? An quòd eò timeret ire, unde Ariani sanctum virum exturbare potuerant? At in Italia quanto magis ii ipsi poterant, quorum operâ Eusebius Vercellis, Calaris Lucifer, Liberius Româ, immo & Mediolano Dionysius erant expulsi? Cui non credibilius est, eum Hilarii precibus & lacrymis adstrictum, ut ad se post peregrinationem rediret, ipsum unum in Galliis quæritasse, ut fidem suam liberaret? Neque alia animo succurrit causa, cur cùm in Gallinaria insula sedem fixisset, statim tamen ut comperit sancto Præsuli indultam esse redeundi potestatem, non modò Romæ tentarit ei occurrere, sed & ipsum inde jam egressum è vestigiis sit prosecutus, donec ad eum perveniret. Si quid inde conficitur, concedendum est Martinum aliquandiu cum Hilario, ante quàm exsularet, commoratum esse; adeoque non falsa esse omnia quæ Sulpicius de primis Martini annis scribit, ut tamen Juliani loco substituendum sit alterius imperatoris nomen, sub quo ille militarit. Hinc neque quisquam inficiari poterit, quin etiam ante annum 355. magnum jam fuerit Pictavensis episcopi nomen.

Paulinus in vita S. Martini.

Sulpic. p. 296.

35. Eo ipso anno 355. cùm barbari *rupta*, ut loquitur * Imperator, *limitum pace* in Gallias effusi eas fœdè vastarent, cùmque, Victore * teste, timeret Constantius, ne quid tum apud Gallos naturâ præcipites novaretur, nec deessent * susurrones, qui meticulosi principis suspiciones augerent; Hilarius misso Imperatori libello timorem illius ita lenire curavit, ut res Ecclesiæ ea occasione ageret. Exstat etiamnum, etsi fortè non integer, hic libellus, quo cùm Constantium certiorem faciat quieta esse omnia, nec ullam esse seditionis suspicionem; in id tamen potissimùm incumbit, ut ecclesiasticæ fidei ac disciplinæ factam injuriam propulset. In primis enim Imperatorem cùm verbis, tum lacrymis deprecatur, 1°. ne catholicæ ecclesiæ à fratribus gravissimas sustineant persecutiones, 2°. ne à provinciarum rectoribus causæ Clericorum cognoscantur, 3°. ut populi episcopos libere sequantur catholicos, neque per vim cogantur subjici hæreticis, demum ut egregii sacerdotes in desertis aut in exsilio detenti ad suas sedes revocentur. Quæ omnia cùm plurium nomine postulet; conjectura est libellum hunc ab eo ex Gallicanorum episcoporum consensu missum esse, vel etiam, quo majoris esset ponderis, à plurimis esse subscriptum. His precibus eam Baronius ad an. 355. n. 18. legem attribuit, qua cavetur ne episcoporum causæ ab aliis quàm ab episcopis cognoscantur.

** apud Ammian. lib. 15. c. 8.*
** lib. de Cæsarib.*
** Hilarius lib. 1. ad Constant. n. 3.*

36. Hinc Hilarius plura sperare, & Imperatoris benevolentiam colere; hæretici verò magis ac magis timere, ne eorum hæresis, quæ ex decepta Constantii religione unicè pendebat, tanti viri consiliis funditus rueret. Itaque Saturninus Arelatensium episcopus, vir sane pessimus, & ingenio malo pravoque, qui sanis consiliis statutisque salubribus impiissimè contradicebat, eique nequitiâ nihilo inferiores Ursacius & Valens, cùm decreto proximè adversùs se nominatim edito commoti, tum hoc Hilarii libello denuo excitati, eum procul amandandum constituunt. Pessimum hoc consilium Biterrensi conventiculo adoriuntur. Quòd

Caput V. Biterrensi synodo Hilarii gesta & exsiliũ. *Fragm. XI. n. 4. & Sulpic. pag. 262.*

lib. in Constant. n. 2. lib. de Synod. n. 2. & cont. Auxent. n. 7.

Quòd enim tribus illis episcopis auctoribus congregatum sit, satis indicat Hilarius, cùm iis prænominatis, statim declarat, *se per factionem eorum pseudoapostolorum ad Biterrensem synodum compulsum esse.* Quòd autem congregatum sit, ut ipsi perniciem molirentur, exitus demonstravit. Saturninum huic præfuisse, eamque ob causam ab Hilario exsilii sui auctorem non semel appellatum, opinamur. Aderant & ex Gallis aliquot sanæ fidei episcopi, quos rerum ibi à se gestarum lib. de Synod. n. 2. testes appellat. De his gestis unum illud refert, quòd eò compulsus, cognitionem Arianæ hæreseos demonstrandæ obtulit, & ingerendæ patronos palam denuntiavit: sed hi timentes publicæ conscientiæ, audire ab eo ingesta noluerunt. Quænam præterea ibi ab ipso ingesta sint, quave ratione ingesta sint, Fragm. I. n. 5. narrare videtur his verbis: *Raptim enim tunc hæc per nos ingerebantur, corruptio Evangeliorum, depravatio fidei, & simulata Christi nominis blasphema confessio. Et necesse fuit in eo sermone omnia esse præpropera, incomposita, confusa: quia quanto nos impensiore cura audientiam quæreremus, tanto illi pertinaciore studio audientiæ contrairent.* Contrà Saturninus cum suis Athanasii condemnationem flagitabat. Quod enim Arelatensi synodo cœperant, hac Biterrensi ita prosecuti sunt, ut sub uno titulo utramque Sulpicius comprehendendam judicarit. Rursum opponebat Hilarius Sardicensia gesta, & nutantes episcopos iis fere verbis confirmabat, quibus postea quosdam ignavè lapsos increpavit: *Ignorasse vos negabitis Athanasio, cujus damnationem à vobis Valens, Ursacius, Saturninus exigunt, ab Osio, Maximino, Julio redditam communionem?* Sed qui vinci nulla ratione potuit, cedere coactus est calumniis, cùm illuso Juliano Cæsare, & falsis synodi nunciis apud Constantium per impios homines delatus, exsilii sententiam excepit.

Fragm. II. n. 18.

37. Quodnam fuerit crimen cujus reus postulatus est, latet. Sed veritatis inimicis tunc facile fuit, ex turbido Galliarum statu, fidem illius & integritatem suspectam facere: quasi eâ, qua apud Gallos pollebat, auctoritate ad seditionem concitandam abuteretur. Ipse se quodam modo significat insimulatum, quòd *indignum aliquid non modò episcopi sanctitate, sed & laici integritate gessisset.* Certè omnia, quæ in exsilium ipsius procurata sunt, tam apertè falsa erant, ut præsentem eum, cujus ministerio exsulavit, usque ad confessionem falsorum quæ gessit adducere paratus semper fuerit. In promtu enim erant Constantii litteræ, quibus eum circumventum probaret. Aderat & Julianus Cæsar rerum gestarum testis, qui quòd se tam turpiter illudi sit passus, plus in hac exsilii sententia contumeliæ, quàm exsul ipse injuriæ pertulerit.

lib. 2. ad Constant. n. 2. ibid. n. 3.

Biterrensis synodi tempus.

38. Ex hac Hilarii narratione cùm perspicuum sit Julianum, jam Cæsarem renuntiatum, aut Biterris aut non procul fuisse, dum hæc in ea urbe gererentur; haud difficulter deprehendere est hujus Biterrensis synodi tempus. Quippe certis historiæ monumentis constat, Julianum die 8. Idus Nov. Arbetione & Lolliano Coss. id est, anno 355. Cæsarem Mediolani dictum, & inde Calendis Decemb. egressum in Gallias, Viennæ commoratum esse ad mensem Junium anni 356. quo in Germaniam profectus, easdem Galliarum regiones ante annum 360. non repetierit. Ex quibus certò colligere est, Biterrensem conventum anno 356. ante mensem Junium actum esse. Nec ab his abludit computatio, qua Sulpicius exsilii Hilarii annos numerat. Eo enim teste quartum jam exsilii annum agebat, cùm ad Seleuciense Concilium vocatus est. Atqui mense Septembri anni 359. celebratum fuit Seleuciense Concilium. Igitur ante mensem Septembrem anni 356. Hilarius fuit relegatus; quo intervallo antè, ex aliis adjunctis licet dijudicare. Ad hæc Hilarius librum de synodis se scripsisse significat cùm in exsilio *totum jam triennium* exegisset: hunc autem scripsit exeunte anno 358. aut saltem 359. ineunte: & hinc igitur planum est, Hilarii exsilium intra anni 356. initia, proindeque ante Juliani adversùs Germanos expeditionem, contigisse. Quod cùm in dubium revocari nequeat; neque negandum, allatum Sulpicii locum, quo Martinum missione à Juliano impetrata ad Hilarium sese recepisse tradit, nonnulla emendatione indigere.

lib. de Synod. n. 2.

39. At quamvis Arianorum duces cùm apud Julianum, tum apud Constantium prætexuerint relegandi Hilarii causam, eam unam ipsis fuisse, quam ipse lib. de Synodis attingit his verbis, *Coegerunt nos ad voluntatem exsulandi, dum impietatis imponunt necessitatem,* Gallicanos episcopos celare non potuerunt. Quocirca apud eos numquam impetrarunt, ut in locum ejus, cui * fide ac spiritu cohærebant, alius sufficeretur. Unde verè Hilarius apud Constantium sese episcopum dicit, *in omnium Gallicarum ecclesiarum atque episcoporum communione, licèt in exsilio permanentem, & Ecclesiæ adhuc per presbyteros suos communionem distribuentem.* Immo à Saturnino Galli exinde ita abhorruere, ut suam ei communionem constanter negarint, donec tandem post Concilium Ariminense in eadem Biterrensi civitate, *præter hæresis infamiam multis atque infandis criminibus convictus & Ecclesiâ ejectus*, justas injustè in Hilarium latæ sententiæ pœnas dedit.

** lib. de Synod. n. 2. lib. 2. ad Const. n. 1.*

Sulpic. pag. 263.

In quem locum relegatus sit Hilarius.

40. Sanctum Christi Confessorem in Phrygiam deportatum esse, Hieronymi, Sulpicii ac Fortunati testimoniis compertum est: an in ullum certum locum, latet. Scribit ipse modò se *intra decem provincias Asianas* consistere, modò se Gallis *de plurimis Romanarum provinciarum urbibus* significasse quid in Orienteageretur. Ipsi etiam Galli anno 358. ei rescribentes, litterarum suarum lentitudinem de exsilii illius longitudine ac secreto constitisse asseverarunt: & excusationem eorum accepit Hilarius. Unde intelligere est, nullum certum exsilii locum ei constitutum esse. Cum illo pariter in Phrygiam relegatus est Tolosanus antistes Rodanius: qui quantum infirmis proficeret fortium societas, in se expertus est. Nam cùm naturâ esset lenior, nec tam propriis viribus, quàm Hilarii societate non cessisset Arianis, eamdem tamen confessionis gloriam cum illo est partitus. His Biterrensis synodi gestis, quantum ex verbis Hilarii expiscari licuit, delibatis, quæ ipsius in exsilio studia fuerint, exploremus.

Sulpic. pag. 248.

CAP. VI. Hilarii in exsilio studia ac gesta ad finem an. 358.

41. FORTISSIMUS Christi Confessor extra Gallias factus, locum non animum mutavit. Neque enim eum adversarii ipsius vel acerbiorem vel animo magis fractum ac nutantem experti sunt, neque qui aut errore aut timore lapsi erant, elatiorem. Sed ubi in exsilium ejectus est, ita de Christi confessione sibi numquam decedendum decrevit, ut neque honestam aliquam ac probabilem ineundæ unitatis rationem respuendam statueret. Tum hoc etiam sibi proposuit, ut quamvis læsus & gravissimis affectus injuriis, de temporibus tamen minimè quereretur. Id verò constanter adeo præstitit, ut quarto exsilii anno dicere ei licuerit: *Exinde nihil in tempora maledictum, nihil in eam, quæ tum se Christi ecclesiam mentiebatur, nunc autem antichristi est synagoga, famosum aut dignum ipsorum impietate scripsi, aut locutus sum.* Illum quidem ad scribendum sollicitabant, & amplissimam ipsius eloquentiæ materiam ministrabant, quæ ubique terrarum patrabant Ariani facinora: at pluris interesse sentiebat, ut ne vel levissimam impatientis animi suspicionem præberet. Non enim ignorabat, homines asperioribus verbis sanari vulgò non solere; eaque nulli esse usurpanda, nisi cùm cetera, quæ clementia suggerit, tentasset adhibuissetque remedia. Quantâ autem ipse indulgentiâ sit usus, probant quæ tunc temporis permisit. Ea quippe sunt, quæ nisi excusaret legum omnium moderatrix caritas, vix possent à nimia ecclesiasticæ disciplinæ remissione vindicari: Nam criminis loco non duxit, quemcumque catholicum cum Arianis, suspensa licèt sacramentorum commmunione, colloqui, aut in una ecclesia orare,

lib. in Const. n. 2.

lib. 10. de Trin. n. 4.

lib. in Cōst. n. 2.

Ibidem.

Z

» iisque pacem inter salutandum optare: quamvis aliud postularet Concilii Laodicæni 3. canon pluribus aliis confirmatus, *Non oportet cum hæreticis vel schismaticis orare.* Sed severiores illas leges apprime notavit Augustinus in Psal. 100. n. 8. *propter medicinam* esse sancitas. *Propter correptionem aliquam*, inquit, *tenemus nos etiam à fratribus nostris, & non cum eis convivamur, ut corrigantur. Cum extraneis potiùs convivamur, cum paganis, quàm cum his qui nobis hærent, si viderimus eos malè vivere, ut erubescant, & corrigantur.* Ubi igitur Arianorum correptio ex concesso quàm ex negato eis catholicorum commercio promtior sperabatur, hoc illis negare non debuit, qui ecclesiasticarum legum spiritum litteræ præponendum sciebat.

Vide 10. can. Apost. & 2. can. 1. syn. Antioch. & Carthag. IV. can. 70. 72 & 73.

Exsilio suo veritatem manifestã fieri gaudet.

42. Nondum eos hîc appellamus, qui Hilarium naturâ lenem non credunt; quique eum quadam exsilii impatientia, sub specie pietatis, in convicia contra Arianos erupisse suspicantur. Illi illi grave non erat exsilium, quo veritatem, quam unicè deperibat, illustrari perspiceret. Namque intuens in hanc Apostoli prophetiam, *Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt*, non modicè gratulabatur: *quia*, inquit, *iniquitas se per hoc exsilii nostri tempus ostenderit, quo veritatis impatiens sanæ doctrinæ prædicatores, ut secundùm desideria sua coacervet sibi magistros, relegat: exsilio nostro lætantes & gaudentes in Domino constitisse in nobis plenitudinem Apostolicæ prophetiæ.* Rursum sua sorte contentus ac lætus exclamat alio in loco, *Exsulemus semper, dummodo incipiat verum prædicari.* Eo quidem consilio orthodoxæ fidei præcones in remotas regiones ablegant, ut sana doctrina, cujus impatientes sunt, pariter cum eis exsulet: at hoc frustra sperant. *Non enim cum corporibus nostris exsulans vinctum & detentum esse potuit Dei verbum.* Immo ad eorum errores confutandos ac propugnandam fidem majora otia exsilium præbet. Prima illa exsilii sui otia libris de Trinitate conscribendis eum consecrasse nullum fere dubium est. Urgebat enim caritas, ne Christi adversarios de absentia pastorum proficere diutiùs sineret. Incœptum tamen Opus, absoluto tertio libro, aliquandiu intermisit: quàm diu nimirum, ut opinari licet, eum detinuerunt alia majoris momenti negotia. At ubi totum perfecit, non jam timere, ne cum veritatis præconibus vera fides exsularet; sed quòd hæc ipsius amantibus non occulta aut obscura esset, gratulari ac dicere, *Licèt nunc à multis coacervantibus sibi magistros sana doctrina exsulet; non tamen à sanctis* quibusque prædicationis veritas exsulabit: loquemur enim exsules per hos libros, & sermo Dei, qui vinciri non potest, liber excurret.* Librorum illorum utilitatem eleganter exposuit Rufinus his verbis: *Libros de fide nobiliter scriptos edidit, quibus & hæreticorum versutias, & nostrorum deceptiones & malè credulam simplicitatem ita diligenter exposuit, ut & præsentes, &* LONGE POSITOS, QUIBUS IPSE PER SE DISSERERE VIVA VOCE NON POTERAT, *perfectissima instructione corrigeret.*

lib. 10. de Trin. n. 4.

lib. de Synod. n. 78. Libros de Trinitate scribit, ne veritas cum præconibus veritatis exsulet.

Ibid. n. 8.

lib. 10. de Trin. n. 4. * *id est, fidei orthodoxæ amātibus.*

Rufin. lib. 1. c. 31.

43. Si quid autem in his libris asperum, hoc in unos illos cadit numero pauciores, quos ceterorum duces, seductores simplicium, & quadam impietatis voluntate in hæresi obstinatos advertebat. *Interdum enim*, inquit, *indulgentem officiosumque esse, non perfectæ est caritatis.* Ipse verò cùm fidei integritatem perfectè amaret, de iis loqui, qui hæresim omnibus malis artibus propugnabant, non sine horrore potuit. At erga ceteros, quos ignorantia in errore detinebat, misericordiâ potiùs quàm ulla indignatione affectus, omni qua potuit ratione eis succurrere conatus est: & quo magis eos *ad emendationem proclives* speravit, eo etiam propensiore cura ad explicanda eis planiùs fidei nostræ mysteria incubuit. Immo erga omnes eo fuit moderatus, quòd odiosum sectæ Arianæ nomen toto Opere suo siluerit.

Hæresim horrens, lenis est in eos qui errant.

Hilar. lib. 9. de Trin. n. 25.

lib. 6. n. 2. & 15.

44. Inter fructus exsilii ipsius recensere licèt laudatas ab antiquis illius in Job lucubrationes. Nam quamvis quæcumque sacris paginis scripta sunt, ad

Librum Job enarrat.

A nostram consolationem scripta sint; aptior tamen est libri hujus meditatio ad ferendos exsilii labores, & ad constantiam illam obtinendam, qua inter ævi sui præsules maximè enituit.

45. Jam ex quo beatæ vitæ spem concepit, propria incommoda nulla reputare didicerat, certò sciens præsentis vitæ ærumnis ad ea perveniri bona, quorum amore flagrabat; idque rerum præsentium tolerantiam immortalitatis præmium expetentibus esse, quod pueritiæ informandæ litteras, quod ægris medicinam, quod naufragis natatum, quod adolescentibus disciplinam, quod militiam imperaturis.

Quanta patiatur ex tristi Ecclesiæ facie.

B At quanto dolore cruciabatur, cùm quas ubique ederet hæresis Ariana strages, aut intuebatur ipse, aut ex aliis audiebat? Quàm sæpe flevit; cùm earum regionum, in quibus exsulabat, statum contemplabatur ita miserum, ut vel inter episcopos vix occurreret, qui verè Deum cognosceret, & sinceræ fidei nonnulla retineret vestigia? *Nam absque Eleusio*, inquit, *& paucis cum eo, Asianæ decem provinciæ, intra quas consisto, verè Deum nesciunt.* Anxietates haud parum auxit summum Gallorum silentium, quamvis iis quid cum Orientis episcopis fidei
C studiique esset, frequenter de plurimis Romanarum provinciarum urbibus significasset. Tum vereri, *ne in tanto ac tam plurium episcoporum calamitosæ impietatis periculo, taciturnitas eorum de pollutæ atque impiatæ conscientiæ esset desperatione suscepta.* Quod ei tanto luctuosius, quanto Galliam ardentiùs adamabat, non modò ut patriam carissimam sed, ut selectam hereditatis Christi portionem, quæ hactenus propè omnis ab hæresis Arianæ contagione incontaminata permanserat. Stat tamen in fide sua immotus, & omnibus licèt ab ea discedentibus, ipse ne leviter quidem nutat. Neque etiam ira præcipiti in gentiles suos effervescit, quos
D & suspicatur lapsos, & à se frequenter admonitos certò scit ex ignorantia labi non potuisse. Sed memor dominicæ sententiæ, qua post primam atque iteratam conventionem eos, qui etiam sub testimonio Ecclesiæ inobedientes exsisterent, haberi sicut ethnicos publicanosque jussisset, sibi quoque apud eos tacendum constituit, nullam deinceps nisi ex impollutæ conscientiæ testimonio quæritans consolationem. Ad hæc anno 357. cumulus ei doloris accessit, cùm rescivit Osii Cordubensis lapsum, ac blasphemiam Sirmii editam: unde hæresis publica auctoritate prorumpens, jam veluti victrix palam profiteri cœpit,
E quod antea furtim & in angulis mussitabat.

lib. de Synod. n. 63. Ibid. n. 1.

« *Ibid.*

Ibid. n. 2. Ibid. n. 78.

46. Verùm Deus, qui servos suos aliquando probat, numquam tamen diutiùs omni consolatione destituit, haud modicè recreavit Hilarium, cùm anno 358. ineunte ab episcopis Galliarum atque Britanniarum acceptis litteris, didicit eos, negata huc usque Saturnino communione, ipsi fide ac spiritu cohærere; neque solùm non cessisse *Saturnini minis, potestatibus, bellis*, sed & missam è Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem damnasse. Quantâ ex his nuntiis lætitiâ perfusus sit, testis est ipsius liber de Synodis, in quo cùm passim se prodant animi sanctè læ-
F tantis vehementissimi affectus, sæpe tamen ei verba videntur deesse, quibus gaudium pro sensu suo testetur. Gaudium hoc nonnihil temperabant minæ, potestates ac bella, quibus Saturninum adhuc per Gallias grassari audiebat. Iis tamen minùs movebatur, quibus fortiter à fratribus suis resisti certior fiebat. Non enim tam lugendi, quàm gratulandi causæ sunt calamitates, quæ virtute suscipiuntur ac superantur. Ea porro Saturnini bella tum proximè post Biterrense Concilium intentata, tum anno insequenti denuo excitata esse valde probabile est: primùm qui-
G dem, ut qui Hilario auctore communionem ipsi negaverant, eam illo submoto redderent; postea autem, ut missa è Sirmiensi oppido fidei formula ab omnibus susciperetur. Alia præterea ei fuit nominatim in Ecclesiam Tolosanam sæviendi occasio: ut cùm sanctus

Quantum recreetur ex faustioribus Galliarum nuntiis.

Ibid. n. 2.

num. 3.

illius antistes Rodanius exsul in Phrygia vitam finisset, omnem moverit lapidem, quò Arianus in ejus sedem intruderetur. Neque deest conjectura, ad id tempus referendam esse persecutionem, qua, Hilario teste, Tolosæ *clerici fustibus cæsi, diacones plumbo elisi, & in ipsum Christum manus missæ.* Ex earum occasione litterarum, quibus & de Saturnini violentia, & de Gallorum in retinenda fide constantia certior factus est, significarunt nonnulli episcopi, sese ab eo cupere rescire quæ Orientales in fidei professionibus gererent ac gessissent, & quid ipse super omnibus eorum dictis sentiret. Nec alio, uti videtur, tempore ad eum delata est Abræ carissimæ filiæ epistola, qua se miro illius desiderio teneri nuntiabat.

lib. in Constant. n. 11.

lib. de Synod. n. 5.

47. Continuò per Orientem, Hilario haud dubiè monente & instigante, Gallorum imperturbatæ inconcussæque fidei fama percrebuit, eorumque in damnandis hæreticis studium quosdam Orientalium episcoporum serò jam ad aliquem pudorem nutritæ exinde hæreseos auctæque commovit. Hi *exempli* eorum *auctoritate* incitati, paulo ante festum Paschæ anni 358. Ancyram, ubi erant plures jam ad consecrandam ecclesiam congregati, quotquot quàm primùm possunt convenire sibi adjungunt: & ea in odium Sirmiensis proximéque secuti Antiocheni conventus edunt decreta, quæ sine fidei Nicænæ professione tueri nemo rectè valeat. In uno quidem ex posterioribus homousion damnant: sed legati eorum Sirmium statim missi, sive catholicorum gratiam sibi conciliare cuperent, sive hoc decretum adverterent cum superioribus minimè stare posse, illud cum paucis aliis supprimunt, & fidei professionem sic castigatam Imperatori offerunt. Imperator ipse dum hanc legationem honorificè excipit, ac monitus à legatis, dum falsitatem eorum, quorum auctoritate in invidiam deducebatur, adeoque errorem non tam suum, quàm adhortantium agnoscit; sese invidiâ apud Deum liberat atque apud homines. Tum * Valens, Ursacius, Germinius, aliique qui in Potamii & Osii sententiam ita & ipsi * sentientes confirmantesque concesserant, ac fortè fortuna Sirmio nondum recesserant, coacti rationem reddere cur homousion & homœusion Sirmiensi formula rejecissent, nullâ se aliâ excusare valuerunt, nisi quòd his verbis quid significaretur ignorarent. Hac eorum excusatione accepta, compulsi sunt damnare quod antea Sirmii fecerant, & fidei ab Ancyranis legatis propositæ subscribere.

num. 78.

** num. 79. & 81.*
** num. 3.*

num. 63.

48. Laudat Hilarius hanc Orientalium patientiam, *quibus sufficit post blasphemiæ voluntatem, coactæ saltem fidei professio.* Quamvis enim suspecta omnino fit plerorumque subscriptio, ipsi tamen *gratulandum videtur in tanta blasphemantium episcoporum hæretica pertinacia aliquem ex his suscipi pænitentem.* Neque ipsum fugit, eos facilè falsi convinci potuisse: tum quòd aliàs semper fefellissent, tum quòd omni fide esset destituta quæ ab eis obtendebatur ignorantiæ excusatio. Sed vir *naturâ lenis & placidus* non admodum queritur de veniâ faciliùs datâ: *quia religiosum est Deo sua reservare, & ignorationis error humanus est.* Et cùm difficillimum esse dicat, ne nominatim Ursacius & Valens non mentiri existimentur; hoc tam modestè ostendit, ut vel hinc se prodat innata ipsius mansuetudo. *Sed ignoscant*, inquit, *mihi duo episcopi Valens & Ursacius, quòd eos pro ætate atque exercitatione sua ignorasse non credo. Et difficillimum est, ne mentiri existimentur, qui se in alio negotio non possunt nisi mendacio purgare. Sed Dominus hoc magis tribuat, ut nos malè opinemur, quàm illi non ignoraverint.* Quàm non temere de his judicaverit, rei probavit eventus; sicut & quod interdum utile esse sensit, ut hæretici etiam inviti cogantur ad fidei rectæ professionem, confirmavit summa illa constantia, qua tandem Germinius propugnavit, quod Sirmii coactus subscriptione sua ratum fecerat.

num. 69.

Ibid.

Fragm. XIII. & XV.

A 49. Ob hæc Orientalium Ancyræ ac deinde Sirmii gesta, spes Hilario maxima affulsit veritatis in eam orbis partem revocandæ, unde antea propè omnis exsulabat. Jam jam adesse sibi videbatur tempus illud optatum, quo Imperatorem alloqui liceret, ac toto orbe Arianam hæresim fugare. Ipse enim de causæ suæ bonitate securus, sic etiam bene sentiebat de Constantii pietate, ut si ei exponendæ fidei potestas sibi fieret; quem ille hæreticis hactenus præstiterat favorem, deinceps in gratiam catholicorum convertendum esse non ambigeret. Ut igitur votis potiretur; B Orientalium, qui apud Imperatorem præpollebant, benevolentiam sibi necessariam ratus, propensiùs exinde captare eam studuit. Ac licèt hoc se eò faciliùs consecuturum speraret, quò cùm Orientales Arianis acre bellum indixissent, minùs jam abhorrerent à catholicis, hos inter & illos veluti medii; id tamen sibi arte procurandum duxit. Qua autem sit usus, sequentia illius gesta explicabunt.

Vide 3. Responsum apologet.

CAP. VII. Quid Hilarius à fine anni 358. ad Concilium Seleuciense egerit.

Librum de Synodis scribit.

50. LITTERÆ à Gallicanis episcopis Hilario datæ, rescripto ei occasionem præbuerunt, quod vulgò juxta Hieronymum *Liber de Synodis* appellatur. De quo quamvis speciali præfatione agendum, silere C tamen hìc non licet, ne potiori parte careat tam præclaræ vitæ series. Nam quæ in Hilarium cùm naturæ, tum gratiæ bona Deus contulerit, ex nullo alio monumento perspicies evidentiùs. In hoc si quidem emicat sincera in Deum pietas, in Dei Ecclesiæque rebus singularis prudentia, * reverentia in regem, * in patriam amor, pacis studium, humilitas Christiana, zelus secundùm piæ discretionis scientiam temperatus, uno verbo omnes quæ piissimum juxtà atque fortissimum Ecclesiæ Principem decent virtutes.

** num. 78.*
** num. 8.*

in quo Orientales & Occidentales ad pacem mutuam præparat.

51. Maximè ut optatis satisfaceret Gallorum, qui de Orientalium rebus certiores ab eo fieri postularant, D exeunte anno 358. aut anno 359. ineunte hoc Opus suscepit; non sine demissâ sui præfatione, qua grave *onus sibi imperitissimo atque indoctissimo omnium* impositum testatur. Id in eo ab exordio sibi præscripsit, ut quia non ignoraret Gallos Orientalesque mutuis suspicionibus detineri, eas non augeret, sed imminueret, & utrosque ad concordiam in proximè habendis Conciliis firmandam præpararet. Res sanè ardua, & cautè admodum prudenterque tractanda. Ipse hujus difficultatis conscius, non ingenio, non propria sagacitate & industria confisus est; sed ad consequendum quod ex uno Christi amore tentabat, opem divinam E assiduis precibus exoravit, & impetravit. Quippe non sine Dei numine sic sermonem temperavit, ut & sibi conciliaret Orientales, nec justam offensæ causam Gallis relinqueret. Illos porro sic judicavit tractandos, velut qui ex morbo convalescerent, & in quibus ita esset spes perfectæ sanitatis, ut ægritudinis pristinæ reliquiæ non deessent. Fovendi adhuc erant, adjuvandi erant, & ab erroris profundo assurgentibus auxiliaris manus præbenda, ut inde penitus emergerent. Huic illorum infirmitati morem gerere cupiens, eos modò excusat, modò laudibus extollit, & ubique à conviciis se abstinet. Tum ubi benigno ser- F mone animi sui specimen eis præbuit, veritatem ita blandè insinuat, ut hanc non valeant prorsus respuere. Sic enim eis indulget, ut ipsis ad veram fidem nonnihil deesse non dissimulet: sic excusat quòd uni fidei non steterint, ut eos longè beatiores gloriosioresque prædicet, qui perfectam atque apostolicam fidem conscientiæ professione retinentes, conscriptas fides huc usque nesciunt: ita eos laudat quòd hæreticis restiterint, ut neque taceat justæ adhuc reprehensioni esse obnoxios: sic denique eorum homœusion probè intellectum non respuit, (quòd indignum judicet G de verbis litigare, ubi de rebus ipsis consensio est,) ut tamen homousion præferendum & Nicæno Concilio adhærendum esse demonstret. Hoc eis tantùm concedit, ut *ad hujus vocis interpretationem si quid addendum, communiter*, inquit, *consulamus. Potest inter nos*

num. 65.

num. 63.

num. 90.

optimus fidei status condi, ut nec ea quæ bene sunt constituta vexentur, & quæ malè sunt intellecta resecentur.

Offendit libri sui reprehensores.

52. Ea ratione prudentissimè cavit, ne Gallorum aliorumve, quibus ut cara admodum fides Nicæna, ita suspecti valde erant novarum formularum conditores, offensam incurreret. Non omnem tamen vitare potuit. Mox enim ei à nonnullis, nominatimque à Lucifero exprobratum, quòd approbato homœusio, defensores ejus Orientales orthodoxos habuisset, & in laudes eorum ita fuisset effusus, ut turpis adulationis notam declinare nullatenus posset. Id non sine speciali Dei nutu factum putamus: cùm ex Hilarii responsis, quæ è mss. nunc primùm eruimus, illustrentur multa, quæ hactenus non satis manifesta fuerant.

Apologiam illius permodestis verbis instituit. *lib. 1. Dial. c. 5.* *lib de Synod. num 6.*

53. Ac primò quidem hinc certiùs innotescit Hilarii ingenium. *Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat*, inquit Gregorius papa. Neque graviorem contumeliam pati potuit vir recti fideique amantissimus, quàm ut præ adulandi vitio fidem non rectam approbasse insimularetur. At verò Hilarius nedum injuriam injuriis repellit, sed neque etiam queritur de se temere judicatum: quamvis initio Operis sui tam obnixè obtestatus sit, ne quisquam, *non comperta usque ad finem ratione dictorum*, de se judicandum existimaret. Totam autem culpam velut in se suscipiens, quasi obscurior ipsius sermo justæ reprehensioni locum dedisset, se *parum intellectum* respondet (*Respons. 4. apolog.*): idque modestè demonstrat ex dictis suis, quibus ita laudat Orientales, ut *non veram eos fidem, sed spem* dumtaxat *veræ fidei attulisse* prædicet. Non minori cum modestia laudum earum, quas illis tribuit, mysterium aperit, hoc se scilicet præstitisse, primò ut, quod episcopum maximè decet, *procacium conviciorum effugeret fœditatem* (*Respons. 4.*): 2°. *ne in his, quæ possent tamquam excusabilia defendi, videretur calumniari* (*Respons. 5.*); quia religiosum est Deo sua reservare, & ubi non est evidens malitia, de aliis tutiùs bene quàm malè judicatur: 3°. ut blandus allocutionis sermo illos ad ea utiliùs audienda præpararet, in quibus occulta quarumdam expositionum scandala *amariùs atque probrosiùs* proderentur (*Respons. 4.*): postremò ut hoc pacto adjunctâ sibi eorum benevolentiâ, ab Imperatore contra Ursacium & Valentem Orientis Occidentisque perturbatores posset audiri, non secus ac illi auditi jam fuerant adversùs Eudoxium aliosque Anomœorum fautores. Sed quam morum suavitatem spirat illud ad objectum de similitudinis approbatione responsum (*Respons. 6.*)? *Satis absolutè, domine frater Lucifer, cognosci potuit, invitum me homœusii mentionem habere. Sed quia tu similitudinem Filii ad Patrem prædicabas, demonstratio ejus à me fuit exponenda sine vitio.* Tantum Hilario studium pacis fuit, tanta erga Confessores Christi religio, ut ne ab aliquo ex illis dissideret, sese ad eorum etiam haud satis accuratas loquendi rationes accommodarit. Utinam Lucifer ipsius imitator potiùs fuisset, quàm reprehensor. Sanè confessionis gloriam pertinaci schismate non turpasset.

Orientaliũ fidem semper suspectam habuit. *Resp. X. IV. & III.*

54. Habent & in his Responsis scriptores catholici rarum ejus modestiæ exemplum, qua rationem iis reddere teneantur, quibus fortè aliquid ex scriptis suis displicuerit. Ex iisdem quoque tollitur omnis dubitatio, habueritne Hilarius Orientales velut orthodoxos & hæresis minimè suspectos, necne. Planè enim declarat, se suspicionem ab his nullatenus ademisse, nec dixisse veram ab eis fidem allatam. Adjicit præterea, se *similis substantiæ piam intelligentiam* non solùm dixisse, quia esse *& impiam* intelligeret; sed & eam solam esse piam admonuisse, *quæ unitatem substantiæ prædicaret.* Quocirca de illis hoc unum testatur, quòd *eorum aliqui nonnulla* piè verbis præferebant (*lib. in Constant. n. 12.*): at de pio cujusquam sensu nihil asseverat. Eamdem ob causam Gallos in Orientem accitos laudat (*lib. de Synod. n. 8.*), quòd se intra communionem ipsius continentes à ceteris extra Gallias abstinerent: ne videlicet incauta eorum, qui homœusion impiè prædicarent, communione polluerentur. Ipse ne de Basilio quidem, Eleusio, & Eustathio, quos in primis commendat, se sine timore ac suspicione esse significat. *Vereor enim*, inquit ad eos, nondum integram esse ipsorum fidem contestans, *vereor Orientis hæreses in tempora singula pullulantes.* (*num. 90.*) Hos quidem ab Arianis recedere gratulabatur, sed eosdem de fermento veteri aliquid adhuc retinere ingemiscebat. Certè Arianam doctrinam etsi damnabant, non suscipiebant tamen catholicam. Immo cùm decretum adversùs homousion edebant, videbantur Ariani; cùm postea supprimebant, ad catholicos redire velle existimabantur. Ea in causa sic se gessit Hilarius, ut ad ejus exemplum componere se quisque possit, qui offendit hæreticos ad saniorem sententiam revertentes, quos tamen nondum constet ab antiquis erroribus esse alienos. Tum enim prudentis est benignè suscipere ab hæresi deficientes, & ad fidem orthodoxam allicere; sic laudare quod fecerint, ut & intelligant aliquid adhuc sibi deesse; sic apud catholicos, ut ab eis recipiendis minùs abhorreant, efficere, ut nec temere eis credant, nec præcipiti cum ipsis communione in discrimen fidei veniant. Hac agendi ratione Hilarius etsi non omnino consecutus est, proximè tamen pervenit ad id quod expetebat. Exinde enim Orientales benevolentiâ ejus capti, & in horum gratiam flexi sunt Galli. Hinc illi Constantinopoli ab Anomœis iniquè habiti ad Hilarium summa cum fiducia confugerunt, neque eis amicas litteras abnuerunt Galli Parisiis congregati.

Filiæ virginitatem ac vestium modestiam persuadet.

55. Tantis pro Ecclesia curis distentus, ut officiis suis nulla in parte deesset, puellæ ad virtutem instituendæ operam dare non neglexit. Neque curavit tantùm militiæ suæ stipendium Ecclesiæ persolvere, & ad Gallicanos præsules episcopatus sui in Christo vocem destinare; sed & filiæ suæ Abræ caritatis paternæ monimentum transmittere sollicitus fuit. Hujus nuptias, Deo sibi revelante, ut loquitur Fortunatus (*lib. 1. n. 6.*), vel etiam ex uxoris litteris didicerat ambiri ab adolescente genere, formâ, divitiisque admodum spectabili. Ipse verò magnam exsilii sui, & eorum quæ pro Dei confessione passus erat, mercedem fore existimans (*v. epist. ad Abram n. 2.*), si filiæ Christum sponsum accipere mereretur, hanc illi gratiam multis à Deo precibus impetrarat. Primùm igitur ei sponsi hujus tam præclari amorem ingenerare studet, tum ut illo ejusque donis sese dignam efficiat hortatur, in primisque persuadet, ut abjecta omni veste serica, vel infecta, aut auro ornatâ, vanos hujusmodi ornatus sibi offerenti deinceps dicat: *Sufficit mihi lana ovis meæ, sufficit mihi color quem natura attulit, sufficit mihi textus insumtuosus. Non mihi impedimento sint istæ inutiles & sordidæ margaritæ, quæ exspecto aliam pretiosissimam, pulcherrimam & utilissimam.* (*num. 6.*) Is enim in Ecclesia mos antiquus fuit, Cypriani libro de habitu virginum & plurimis Hieronymi epistolis valde testatus, ut sacræ virgines, abjecto vestium cultu, vulgaribus dumtaxat uterentur.

Non vult tamen invitam.

Quamquam cùm non ignoraret pater sapientia non minore quàm pietate præditus, virginitatem suaderi posse, sed ad eam cogi neminem debere; sic filiæ commendat illius decus, ut nullam ipsi necessitatem imponat. Immo cælesti sponso, quem ei cooptarat, non spondet quidquam, donec ipsa se ceteris eum anteferre significarit. Quocirca eam, quibus potest litteris, sibi rescribere jubet, *nullo interrogato* (*num. 7.*); ne fortè si quem interrogasset, rescriptum ad illius magis quàm ad suum arbitrium accommodasse putaretur. Auctor ei tamen est, ut si quid difficultatis patiatur aut in epistola, aut in hymnis quos unà misit, consulat matrem, quæ paribus votis filiæ suæ sanctitatem exoptabat.

CAP. VIII. Qui Hilarius Seleuciæ se gesserit. « Sulpic. Sev. pag. « 254.

56. Dum hæc domesticæ simul & ecclesiasticæ caritatis pignora deportarentur in Gallias, Hilarius quartum jam exsilii annum in Phrygia agens inter reliquos episcopos per vicarium ac præsidem datâ evectionis copiâ Seleuciæ adesse compellitur. Hæc ubi

dixit

dixit Sulpicius, addit Imperatorem de eo nihil specialiter mandasse, sed judices generalem jussionem secutos, qua omnes episcopos ad Concilium cogere jubebantur, hunc quoque inter reliquos volentes miscuisse; idque Dei nutu ita gestum, ut vir divinarum rerum instructissimus, cùm de fide disceptandum erat, interesset. At verò si generalis jussio; cur Lucifer, cur Eusebius Vercellensis non leguntur accersiti? cur unus tot inter exsules Hilarius adesse compellitur? Num id potiùs factum Basilii Ancyrani operâ, (cujus nutu plurima tum gerebantur:) cùm ab eo partes suas non parum adjuvandas speraret, quem proximè laudatorem habuisset. Neque is erat Hilarius, qui multùm repugnaret, cùm illustrandæ ac defendendæ veritatis occasio, quam studiosè quæritabat, per se oblata videretur. Interea verò Deus sanctitatem ipsius illustri signo declaravit.

Fortunat. lib. 1. n. 7.

57. Die enim Dominico castelli cujusdam templum vix erat ingressus, cùm puella gentilis, nomine Florentia, multitudinem populi irrumpens, servum Dei illuc advenisse magna voce testata est. Quæ statim ad pedes ejus provoluta, illumque ut se sacro crucis signo Christo initiaret obtestans, non surrexit donec voti compos fieret. Moxque cum Florentio patre ac totâ familiâ baptizata, sanctum Christi Confessorem Pictavos usque secuta est; eum sibi jam patrem solita dicere, non à quo generata, sed per quem regenerata erat.

Sulpic. pag. 255.

58. Is ubi Seleuciam venit, inquit Sulpicius, magno cum favore exceptus, omnium in se animos & studia converterat. Ac primùm quæsitum ab eo, quæ esset Gallorum fides: quia tum, Arianis prava de iis vulgantibus, suspecti ab Orientalibus habebantur trionymam solitarii Dei unionem secundùm Sabellium credidisse. Sed exposita fide sua juxta ea quæ Nicææ erant à patribus conscripta, Occidentalibus perhibuit testimonium. Ita absolutis omnium animis, intra communionis scientiam necnon etiam in societatem receptus, Concilioque adscitus est.

Hilarius in Constant. n. 12.

59. In eo Concilio non sine ingenti dolore tantum blasphemorum reperit, quantum Constantio placuerat. Ut tamen pluribus prodesset; & dolorem suum dissimulandum, & affabilem omnibus sese exhibendum esse existimavit. Interim quæ uniuscujusque fides, quæ studia essent, diligenter explorabat. Ac primo quidem consessu, qui anno 359. die Septemb. 27. habitus est, cùm tres in partes secessisset Concilium, deprehendit centum & quinque episcopos pro homœusio, pro anomœusio autem decem & novem stare, nec homousion constantissimè defendi nisi ab unis Ægyptiis, à quibus etiam Georgium Alexandrinum excipit. Et fatetur quidem aliquos ex iis, qui homœusion prædicabant, nonnulla piè verbis præferre; at neque hoc de omnibus, de horum etiam sensu incertus, audet affirmare: cùm contrà ab anomœusii defensoribus nihil nisi profanissimum asseri testetur. Quanto autem perculsus horrore est, cùm, eo præsente, publico in conventu recitatæ sunt infandæ Eudoxii blasphemiæ, quibus generationem in Deum cadere nullatenus posse propugnabat? *O miseras*, exclamat, *aures meas, quæ tam funestæ vocis sonum audierunt; hæc de Deo ab homine dici, & de Christo in ecclesia prædicari!* Neque verò hæc patienter ferre potuerunt aures in iis, quæ gloriam Christi spectant, minùs scrupulosæ; sed his recitatis tumultus exortus est, & Concilium in diversa distractum.

num. 13.

Socrat. lib. 2. c. 39.

60. Postridie qui pro homœusio stabant, in ecclesiam quæ Seleuciæ est convenientes, occlusis foribus, perlectâque fidei formulâ quæ Antiochiæ in encæniis edita fuerat, eam subscriptione sua confirmarunt. Nullum dubium est, quin Hilarius unà cum Ægyptiis ab hoc conventu abfuerit, utpote qui privatus erat, & unius dumtaxat factionis. An verò tertio die Concilium sit ingressus, aut certè ex eo non priùs egressus sit, quàm cogente Leona Comite rursum omnes in unum convenirent, plurimi dubitant. Cùm enim narret Socrates, Acacianos primùm ad Concilium venire noluisse, nisi priùs ejicerentur cùm ii qui antea depositi, tum illi qui in præsentia accusati erant; ac tandem iis qui in crimen vocati fuerant egressis, introisse: ex numero eorum, qui egredi coacti sint, Hilarium exstitisse arbitrantur. At verò quis depositum dicat, cujus loco nullus fuerat suffectus? aut quis existimet in præsentia insimulatum, qui *magno cum favore* à Concilio *exceptus, omnium in se animos ac studia converterat*? Sed neque eum ipsis Acacianis invisum facilè approbaveris, quos etiam post hunc consessum constat ipsius expetiisse colloquium, & sua ei secretiora sensa sine fuco aperuisse. Sic ipse narrat quod eo die gestum est.

lib. 2. c. 40.

lib. in Constant. n. 14.

61. *Cùm intellexissent & hi, qui dissimilem Deum dicunt, humanas aures tantæ impietatis verba*, (cujusmodi primo in consessu sub Eudoxii nomine recitata erant,) *non suscepturas esse; rursum hi ipsi* (verba mutantes, non animum; & ideo) *fallaces potiùs, quàm Ecclesiæ episcopi, fidem scribunt* (ac tertio Concilii die per Leonam synodo proponunt, in qua) *homousion, & homœusion, & dissimilitudinem damnant. Quod cùm contrarium ipsis sensu audientium esset: ipse ego quemdam eorum, qui fortè ad me pertentandum accesserat, quasi ignorans rerum gestarum percontatus sum, quid sibi vellet istud, ut qui unam substantiam Filii eße cum Patre damnassent, vel esse similis substantiæ denegassent, dissimilitudinem damnarent. Tunc mihi ait, Christum Deo similem non esse, sed similem Patri esse. Rursus hoc obscurius mihi adhuc videbatur. De quo cùm iterum interrogarem, tunc hæc ita locutus est: Dico eum dissimilem Deo esse, similem Patri posse intelligi; quia Pater voluisset creaturam istiusmodi creare, quæ similia sui vellet, & idcirco similem Patri esse, quia voluntatis esset potiùs filius, quàm divinitatis... Hæc audiens hebui, neque credidi, donec cùm publicè ex consensu omnium eorum profanissimæ hujus similitudinis ratio prædicaretur.* Hæc Hilarii verba si attentiùs perpendantur, primò ex his alterutrum efficitur, ut aut tertio Concilii consessui non interfuerit, aut eum illi interfuisse non existimarit, qui ad animum illius explorandum accesserat. Deinde apparet, eum ex duabus factionibus, in quas præsertim synodus discesserat, nulli apertè favisse. Tum mirari est, quàm benignè eum excipiat, cujus exsecrabatur impietates, quámque sedatè ac sine ulla disceptatione ipsum hæretica sensa sua pandentem audiat; ac denique ubi arcana totius sectæ mysteria solerter expiscatus est, quàm amicè, ea inter se minimè cohærere insinuando, illum ad veritatem reducere conetur. Quid verò de illa animi æquitate ac temperantia dicemus, qua quod ab uno audivit, non statim, ut vulgò fit, toti attribuit sectæ; sed ab omni se assensu sustinet, donec idipsum publicè ex consensu omnium prædicetur? Hanc autem impiam similitudinis Filii cum Patre interpretationem cùm Acacius, tota ipsius factione consentiente, quarto Concilii consessu prædicarit; non sine ratione opineris, Hilarium in eo cum ceteris sedisse. De iis enim, quæ tum gesta sunt, loquitur veluti testis oculatus.

Socrat. lib. 2. c. 40.

62. Postero die Acacianis ad Concilium sæpius accersitis ac venire detrectantibus, hi qui homœusion prædicabant, omnes eos qui maximè sine aliquo impietatis pudore verba superiùs memorata loquebantur, condemnaverunt. In eo numero, inquit Sulpicius, fuere Georgius ab Alexandria, Acacius, Eudoxius, Uranius, Leontius, Theodosius, Evagrius, Theodolus. His Patrophilum adjungit Socrates, aliosque præterea recenset, quos à sua dumtaxat communione removêre. Condemnati advolaverunt ad regem suum: exceptique honorificè, impietates suas quantùm potuerunt ambitione confirmaverunt. Interea ab altera parte, ut erat mandatum, decem deliguntur legati, qui Imperatorem de iis quæ decreverant certiorem facerent. Legatos illos, quos inter Basilius Ancyræ, Eustathius Sebastæ, Silvanus Tarsi, &

Socrat. ibid. Hilar. contra Constant. n. 15.

Sulp. pag. 256.

Socrat. lib. 2. c. 40.

Hilar. contra Constant. n. 15.

Sozomen. lib. 4. c. 23.

Theodoret. lib. 2. c. 27. & Sulpic. p. 256.

Eleusius Cyzici primarii erant, Constantinopolim secutus est noster Hilarius. Illi enim sic affecti tunc videbantur, ut catholici eorum consortium non vitandum existimarent: adeo ut Athanasius ipse libro de Synodis tunc temporis scripto cum illis veluti cum fratribus, non tamquam cum adversariis agendum hoc argumento demonstrarit: *Si Filium tantum* SUBSTANTIA PATRI SIMILEM *dicerent, non continuò assererent* CONSUBSTANTIALEM; *nam stannum argento simile est, & auricalchum vero auro: sed cùm eum adjiciant* NON EX ALIA SUBSTANTIA; *quid his aliud innuunt, nisi ex ipsa esse substantia Patris.* Hinc & Seleuciense Concilium, quòd maximam partem iis constaret, qui cum Basilio, Silvano &c. conspirarent, catholicum apud nonnullos audiit: & etiamnum apud Sulpicium *catholici Concilii* titulo cohonestatur.

63. In tanta rerum perturbatione, Hilarii sollicitudines nonnihil ex profligata Anomœorum perfidia, sed non diu allevatæ sunt. Mox enim Constantinopolim perveniens, rursum summo oppressus dolore ingemuit, quòd ibi *pauci plurium dominati sunt.* Scilicet novemdecim episcopi qui impietatem apertè profitebantur, Imperatoris animum prævertentes, centum & quinque quorum aliqui pietatem saltem verbis præferebant, adeo exstitere superiores, ut eos ipsos sibi vicissim cedere coegerint, à quibus anno superiori ad damnandas impietates suas coacti fuerant. Rebus Ecclesiæ sic pessum euntibus opem suam non denegavit Hilarius: sed afflictos episcopos pro sua humanitate suscipiens, exinde tenebrosa impiorum consilia Occidenti tantâ sapientiâ patefecit, ut propè in nihilum mox cadere cœperint: quod deinceps enarrandum.

Hilar. in Constant. n. 15.

CAP. IX. Quid Hilarius Constantinopoli agat.

Sulpic. pag. 261. Fragm. X. n. 1. Ariminenses legati.

64. CONSTANTINOPOLI tum aderat, nullis certis de se mandatis, opperiens regis voluntatem, si fortè ad exsilium redire juberetur; cùm eò revertêre Ariminensis synodi legati Ursacius, Valens, Magdonius, Megasius, Gaius, Justinus, Optatus, Martialis, aliique duo quorum nomina non occurrunt. Ii ipsi ad Imperatorem jam venerant ab Arianis missi: & cùm Nicææ in Thracia orthodoxorum legatis auctores lapsûs fuissent, redierant Ariminum, ut ceteros patres peregrinationis tædio jam emollitos in suam sententiam pertraherent. Quod ubi per fraudem obtinuere, denuo Constantinopolim properarunt, ut quàm primùm Constantius de rebus à se prospere gestis certior fieret.

Ab Anomœorum societate litteris Orientaliũ frustra deterrentur. Fragm. XI. n. 1.

65. Ignorabant interea Orientales quid Arimini cum Occidentalibus ageretur. Et cùm partes suas eorum consortio adjuvandas iri non dubitarent; mirantur legatos eorum Constantinopolim ingressos sese statim ipsorum adversariis adjungere. Officii tamen sui esse Silvanus ac socii putant, ut manifesta eis faciant Seleuciensis synodi gesta, ne fortè per ignorantiam peccent. Illis igitur significant, se totius Concilii, utpote centum & ampliùs episcoporum, legatos esse; tantas verò eorum, quibus ex synodi mandato renituntur, esse impietates, ut eas cùm audisset Imperator, statim anathematizari graviter commotus præceperit. Quod ita fraudulenter præstitum esse monent, ut Aetio hæresis auctore damnato, in hominem potiùs, quàm in doctrinam, lata sententia videretur: ideoque se ab ingressu ecclesiæ abstinere. Quare eos rogant, ne socii impiorum effecti, hæresim intra Ecclesiam invalescere sinant; sed universa ut geruntur quàm primùm Occidentalibus nuntient. Ariminensis synodi legati sumtis his Orientalium legatorum litteris, quibus subnexæ erant Anomœorum blasphemiæ, ab horum societate minimè recesserunt: sed tantus detectæ fraudulentiæ suæ hypocritas furor subiit, ut periculum depositionis in eum constituerint, qui eas susceperat.

Ibid. n. 2.

Orientales Hilarii operâ Gallos sibi devinciunt.

66. Sua autem sperni monita molestè ferentes Orientales, dolentesque maximè fœdam hæresim Ariminensium legatorum accessione roborari; rem totam cum Hilario communicandam censent, cujus jam experti erant humanitatem, pacis studium, & in rebus Ecclesiæ gerendis industriam, diligentiam atque magnanimitatem. Quocirca datis ad eum litteris, quæ cum Occidentalibus legatis egerant, edocent: simulque mittunt apographa eorum, quibus conati erant illos ab Anomœorum societate deterrere. Alias quoque, uti videtur, ad Galliarum episcopos adjungunt litteras, quibus eos rogent ut prædictos legatos à communione sua removeant. Tunc *fidelis Dominici nominis prædicator Hilarius*, ut loquamur cum Concilio Parisiensi, ex quo totam hanc narrationem mutuamur, omnem eorum exspectationem non explevit tantùm, sed & quodam modo vicit. Dulce enim ei erat in tanta blasphemantium multitudine aliquos reperire Christi defensores: & quamvis nondum satis purgatam judicaret eorum fidem, non desperabat tamen ab omni fæce liberandam, quæ tum hæreticorum insectatione probaretur. Non solùm igitur singula, quæ sibi ab ipsis tradita fuerant, misit in Gallias; sed & apud Gallos eorum in retinendo *usiæ* vocabulo constantiam laudavit; testatusque est quosdam ex iis indignissimè exsulare, & in eorum loca episcopos alios substitutos. Denique se Auxentium, Ursacium, Valentem, Gaium, Magasium & Justinum excommunicatos habere, neque cum iis, qui horum sectarentur errores, pacem umquam habiturum nuntiavit.

Fragm. XI. n. 1.

num. 4.

Parisiensis synodi occasio & acta.

67. Ex his Hilarii nuntiis, quos proximè post quàm plurimi Orientalium à Constantinopolitana synodo è suis sedibus deturbati sunt, ac proinde anno 360. ineunte misit, non minorem fructum percepere Galli, quàm Orientales. Illi enim Parisios statim convenientes, sese Arimini ac Nicææ in Thracia fraudem passos esse deprehenderunt, utpote qui hoc uno prætextu adducti fuerant ad supprimendum *usiæ* vocabulum, quòd ab illo vehementer abhorrerent Orientales, eoque retento nulla cum iis ineundæ pacis spes foret. Tum rescripto *ad Orientales*, hoc est, ad eos qui in Oriente homœusion propugnabant, errorem ultro fatentur suum, seque ab eo cùm ipsorum, tum Hilarii litteris liberatos gratulantur. Læti igitur revocant, quod inviti ac sub falso obtentu abjecerant. Laudantesque Orientales quòd homœusion tueantur, catè innuunt eorum interesse ut homousion defendant, quippe quod ab iis ipsis, à Nicæna videlicet synodo in Oriente habita & ex Orientalibus maximam partem constante, contra Ariomanitarum hæresim inventum sit. Se verò hanc vocem remoto omni hæretico sensu profiteri, verbis ex Hilario pæne conceptis declarant. Abrogant deinde Ariminensis Concilii gesta, ejusque legatos totius fraudis architectos communionis suæ exsortes denuntiant; & hoc quidem, inquiunt, *juxta fratris nostri Hilarii professionem.* Damnant præterea Anomœorum blasphemias, quas Orientales litteris suis subjecerant: eosque negant se in episcoporum numero habituros, qui indignè exsulantium sedibus suffecti sunt. Demum interminantur à sacerdotii gradu dejiciendos esse, quotquot deinceps in Galliis aut contra Deum, aut contra Christi unigeniti Dei majestatem quidpiam doceri permitterent, aut etiam homousion alia quàm exposuerant fide ac significatione profiterentur: ac nominatim Saturninum episcopi nomine indignum renuntiant.

Synodi ejusdem tempus. Ei non interfuit Hilarius, sed moderator tamen ejus fuit.

68. Hac simplici expositione perspicuum fit tempus Concilii Parisiensis, de quo hactenus diversæ & à vero alienæ fuerunt eruditorum sententiæ. Quis enim jam non videat, cum Constantinopolitana synodo, quæ primis anni 360. diebus celebrata est, ita connexam esse hanc Parisiensem, ut non necesse fit, inter utramque plus intercessisse temporis, quàm oportuit, ut nuntio Constantinopoli in Gallias perveniente episcopi in unum convocarentur? Namque Gallis hæc una fuit conveniendi causa, ut Orientalium litteris rescriberent. At verò has ab illis pro-

ximè post Seleuciensem, eamque consecutam Constantinopolit. synodum acceptas fuisse id maximo indicio est, quòd quid Orientalibus in illis synodis fidei studiique fuerit, ibi primùm Galli sese didicisse profiteantur: quos tamen impatientes esse decuit resciendi quid ab illis gestum esset; cùm Orientis Occidentisque concordiam percuperent, ejusque causâ nonnihil à pristino usu remisissent. Non temere igitur eo ipso anno, quo habita est Constantinopolit. synodus, Parisiensem consignaveris. Huic Hilarium interfuisse communis est opinio, sed nullo pacto probabilis. Quippe de illo non velut præsente, sed velut internuntio synodus constanter loquitur. Et officii quidem ipsius fuit, ut quæ Orientales Occidentalibus nuntianda mandassent, ipsis quàm primùm significaret. Neque eum huic officio in re tanti momenti defuisse vel levis suspicio est: cùm etiam non rogatus, pro sua singulari sollicitudine, varia Orientalium studia Gallis diligenter nota facere consuesset. His autem nuntiis acceptis, Galli statim Parisios convenerunt: non exspectato igitur reditu Hilarii, cujus tam citò visendi spes omnis tum sublata videbatur. Quamquam illum Parisiensi synodo non modò interfuisse, sed & præfuisse ea ratione concesserim, quòd in ea nihil non illius nutu atque consilio actum est. Quippe eo veluti facem præferente errorem suum agnovere Galli, & in hæreticos deinceps tanto majores concepere sancti odii flammas, quanto nequiùs se ab illis deceptos adverterunt. Tum fidem suam ad fidem illius composuerunt, & à communione sua removerunt, quos ille removerat; Orientales verò ad illius exemplum ita fraterna complexi sunt caritate, ut & ipsi se homœusion non respuere, sed homousion tamen probè intellectum præferre declararent, & illos ad hanc vocem suscipiendam prudenter invitarent.

ann. 360.

Scrupulus circa tempus hujus synodi levatur. in Constant. n. 25. & 26. lib. 5. hist. c. 1. apud Vales. lib. de Synod. n. 63.

69. Unus adhuc scrupulus restat: quì nimirum Hilarius Orientales legatos eo ipso tempore, quo eos Constantii voluntati ac violentiæ cessisse aliàs scribit, honorificis apud Gallos testimoniis commendarit. Verùm hunc eximit Philostorgius, ubi narrat quòd *cùm in exsilium ducerentur, subscriptiones suas, quibus Ariminensis Concilii fidem confirmaverant, revocarunt: atque hi quidem consubstantialem, illi verò similis substantiæ Filium iterum prædicarunt.* Neque enim mirum est illorum tunc temporis patrocinium ab Hilario susceptum esse, cui jucundius nihil umquam fuit, quàm aliquem ex fragilitate lapsum suscipere pænitentem. Dum eum in Gallias Orientalium mandata mittentem sequimur, Parisios nos deduxit rerum inter se connexarum series. Nonnulla tamen intercessere gesta, quæ Constantinopolim nos revocant, sequenti capite contemplanda.

CAPUT X. Reliqui Hilarii pro Ecclesia labores, dum Constantinopoli versatur.

70. ANOMOEI Ariminensium legatorum societate adjuti nihil non effecere, ut Orientales, per quos revocandæ veræ fidei spes quædam supererat, opprimerent. Nec satis eis fuit, quòd illos pridie Calendas Jan. ad Ariminensis perfidiæ subscriptionem coegissent, sed mox etiam depositos in exsilium eos detruserunt. Tunc Hilarius, uti diximus, illorum suscepit litteras, & in Gallias fideliter transmisit. Sed & cùm optimis sacerdotibus aut metu territis, aut exsilio deductis, perfidiæ paucorum cuncti concederent; ubi extremum fidei animadvertit periculum, ut de fide coram adversariis sibi liceret disceptare, ab Imperatore petiit. Hoc eum tribus libellis poposcisse, post Sulpicium scribit Fortunatus: sed uterque tres libros, quos etiamnum aut in Constantium aut ad Constantium habemus, videtur confudisse.

Sulpic. Sev. p. 261. Libello rogat se de fide audiri.

Se non sui causâ ab exsilii reatu purgat. lib. 2. ad Const. n. 2.

71. Exstat adhuc libellus, quem Constantio Constantinopoli, facta sibi ipsius præsentiæ opportunitate, tradidit. Ab ipsius exordio se iniquâ exsilii sententiâ multatum probat: petitque ut præsentem Saturninum, cujus ministerio exsulabat, usque ad confessionem falsorum quæ gessit adducat. Ad quod sanè patriæ desiderio minùs impulsus fuit, quàm ne exsulis nomine Imperatori suspectus à petitis caderet. Non enim de exsilio multùm angebatur, qui haud sciens an tam jucundum sibi foret ab eo in Domino reverti, quàm securum esset in eo mori, veritatis patrocinium tum fortiter suscipiebat, cùm in exsilium pellerentur illius defensores.

lib. de Synod. n. 92.

72. Neque insolentis animi est quod ait, *Non tam mihi rogo audientiam, quàm tibi atque Ecclesiis Dei;* aut quod hujus dicti sui rationem reddens subjicit, *quia mihi metus est de mundi periculo, de silentii reatu, de judicio Dei; cura autem de spe, de vita, de immortalitate non tam mea, quàm tua, universorumque.* Quippe cùm fides, quæ vitæ æternæ est fundamentum, una sit, nec possit variari; æternæ Imperatoris aliorumque saluti multùm timebat, *quibus facta est fides temporum potiùs quàm Evangeliorum, dum secundùm annos describitur, & secundùm confessionem baptismi non tenetur,* * *& dum plures fides ad id cœperunt esse, ne ulla sit:* ipse autem de fide sua nequaquam erat incertus, qui quam ab Apostolis & Evangeliis in baptismo acceperat, illibatam intemeratamque servabat.

lib. 2. ad Constant. n. 8. & 3. De fide sua certus, de aliorum salute est sollicitus.

Ibid. n. 4.

* Ibid.

73. At verò Imperatorem *fidem tantùm secundùm ea quæ scripta sunt desiderantem*, quàm prudens ita laudat, ut moneat tamen, *neminem hæreticorum esse, qui nunc non secundùm Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur?* Et cùm his verbis tacitè doceat, Scripturarum interpretationem non ex privato cujuslibet sensu, sed ex Ecclesiæ judicio pendere; ideoque fieri ut hæretici, quamvis Scripturarum usurpent jactitentque verba, quia tamen Ecclesiam non audiunt, *Scripturas sine Scripturæ sensu loquantur, & fidem sine fide prætendant:* cavens subinde ne Scripturas ipse videatur defugere, easque hæretici sibi favere glorientur; nihil se non ex iis dicturum pollicetur, & interim præbet specimen dicendorum.

num. 8. Monet non eam fidem semper veram esse, quæ Scripturis niti videatur. num. 9. Ibidem. num. 11.

74. Neque, hæreticorum more, postulat clam ac semotis arbitris audiri, *sed sub publica conscientia, sub synodo dissidenti*, & ut paulò antè habet, *præsente synodo quæ nunc de fide litigat*, hoc est, coram frequenti hominum multitudine, quæ nequitiâ, fallendi arte, principis aulæque gratiâ plurimùm nitebatur. Adeo fidebat causæ! adeo se ad eam defendendam divina quadam sancti Spiritus virtute impulsum atque adjutum sentiebat! Quocirca ut omnia removet quæ petitioni suæ possent obstare; ita & eorum, quæ favere viderentur, nihil omittit: dum Imperatoris arbitrio permittit, quatenus & quomodo jubeat eum loqui, spondetque nihil se dicturum nisi quod proficiat *ad fidem, ad unitatem, ad æternitatem, ad Orientis & Occidentis pacem*, nihil non *cum honore regni ac fidei* regiæ, immo etiam de Saturnino nihil locuturum esse, nisi cùm jussus fuerit? Id verò Ariani, quorum nutu atque arbitrio princeps agebatur, maximopere abnuere. Ii nimirum erant, de quibus Hilarius ipse loquitur lib. 6. de Trin. n. 15. *Cùm facilis sit adversùm stultitiam responsio, emendatio tamen difficilis stultorum est: per quam* (scil. stultitiam) *primùm & ratio intelligentiæ non quæritur, & deinceps ab intelligente intimata non capitur.*

Omnia removet, quæ petitioni obstare videbantur.

num. 3. num. 10. num. 3. Nihil tamen impetrat. Sulpic. Sev. p. 261.

75. Sic & Imperatorem de fide alloquendi, eumque ab errore avocandi spe cecidit, cùm oblata videretur occasio, ad quam ab anno & ampliùs summè semper intentus fuerat. Ipsi enim persuasum erat, promtissimum summis Ecclesiæ malis futurum fuisse remedium, si ab hæresi Constantius retraheretur. Hoc cùm frustra tentasset, ac prospiceret quantam stragem editura esset hæresis, quæ ad Nicænam fidem evertendam Conciliorum Ariminensis ac Seleuciensis auctoritate sese accingeret; conatibus illius ea qua posset ratione occurrere cogitavit. Tum ad hoc consilium suum nihil magis opportunum ratus, quàm ut simplicem synodorum illarum historiam texeret; librum illum suscepit, qui *adversus Valentem & Ursa-*

Alia ratione Occidenti præsertim succurrere cogitat.

sium historiam Ariminensis & Seleuciensis synodi continens ab Hieronymo est inscriptus. Hinc enim efficiendum putabat, *ut unusquisque judicio deinceps proprio consistens, opinionem non sequeretur alienam*; & dum sincera horum Conciliorum gesta quisque haberet, nullus iis facilè crederet, qui illorum tamquam legitima auctoritate gloriarentur.

Fragm. I. n. 7.

Historiam Ariminensis & Seleuciensis synodi Constantinopoli inchoat.

76. Et tempus & locum, quo hoc Opus inchoavit, ipse notat his verbis: *Proferre in conscientiam publicam tento opus grave & multiplex... locorum in quibus gesta res est, nosque agimus, * desperatione peregrinum.* Quæ enim illa loca, in quibus Hilarius post Seleuciense Concilium egit, nisi Orientales regiones, regiaque maximè civitas? Profectò pessima illa res, cui tunc mederi contendit, in ea urbe gesta est, in quam properantes, qui ab Arianis partibus missi sunt legati, omnia conflarunt mala, quæ inde in Ecclesiam defluxerunt. Constantinopoli si quidem structum est consilium, quo catholicis Ariminensis Concilii legatis Nicææ in Thracia primùm diu detentis, ac postea eversis, totum deinde Concilium in Arianorum sententiam adductum est. Ibi legati Seleucienses Imperatoris violentiâ devicti Ariminensi blasphemiæ subscripserunt. Meritò civitas illa desperata, quæ veritatis præcones respuebat, ac sectatores Aetii, infensissimos Christi hostes, in se dominari patiebatur. Desperatæ & pleræque Orientis provinciæ, quibus Arianos episcopos, iis qui melioris spei erant ejectis, Constantinopolitanus conventus præficiebat. His igitur proficere se posse desperans Hilarius, *peregrinum opus* instituit, Occidentis scilicet regionibus, à quibus peregrinabatur, maximè profuturum.

* Legi etiã possct *disparatione*: sicque *peregrinum opus* erit, quia nos ad diversa loca deducet, in quibus habitæ sunt diversæ synodi.

Hoc Opere Arianorum in Occidente dolis occurrere studet.

77. Grave quidem vulnus tum Occidentali etiam Ecclesiæ Ariminensi Concilio inflictum erat: at longè minùs desperata erat salus illius. Nam cùm ei sese palam & apertè ostendere non auderet hæresis, sed pacis & unitatis velo fœditatem suam tegere, ac veram sub speciosis verbis fidem mentiri cogeretur; hanc videbatur repressurus esse, qui nudam detractâ larvâ proderet. Eam ob causam Ariminensis ac Seleuciensis Concilii historiâ Arianæ sectæ in Occidente præsertim gesta comprehendere, & in oculis conspectuque omnium exponere curavit. Ut enim arbor ex fructibus, ita, Domino ipso auctore, latens hæresis ex gestis dignoscitur. Et quidem vel ex solis epistolis aliisque monumentis, ex quibus hoc Opus compactum est, Ariana hæresis prudenti cuique facilè apparet in verbis fraudulenta & mendax, in actis crudelis & inquieta, in fide levis & inconstans, Patribus ac sibi ipsi contraria: iisque notis à fide vera, quæ simplex, pacifica, sibi constans, Patribusque consentanea est, apprime secernitur. Ut autem magis ac magis elucescat utriusque discrimen; Arelatensi synodo, qua reus postulatus est Athanasius, Sardicensem, qua idem absolutus fuerat; Arianis formulis, Nicænam; eaque quæ Arimini sunt decreta, priùs quàm diris Constantii minis flecterentur Patres, iis quæ postmodum ab iisdem metu jam victis per fraudem extorta sunt, opponit. Præterea cùm ex auctorum sectatorumque moribus internoscatur hæresis; hunc librum non imprudenter inscripsit *contra Ursacium & Valentem*, omnium scilicet, quæ Ariana in Occidente patravit, auctores actoresque primarios. Horum porro tam evidentia sunt mendacia, tamque manifesta pravitas atque instabilitas morum; ut doctrina, quæ hujusmodi nitatur fautoribus ac patronis, aut falsa, aut falsitatis suspecta meritò judicetur. Aliam indicat Hilarius ipse in Ariana hæresi falsitatis notam: quia nimirum à Constantii ministris *ita ubique agitur, trepidatur, instatur, ut planè iniquitatem assertionis, obtinendi labor & cura prodiderit.* Libri ad Arianas res elucidandas tam utilis tamque necessarii jacturam satis lugere non valemus; ejusque desiderium augent quæ tandem è Pithœana bibliotheca edita sunt Fragmenta. Ex quibus perspicuum est, eum ita ab Hilario Constantinopoli inchoatum esse, ut tamen deinceps, quoad vixerit, ei singula adjecerit monumenta, quæ ad Arianam historiam pertinerent.

Fragm. I. n. 4.

Libri hujus tantùm supersunt Fragmenta.

78. Opus illud nondum erat absolutum, cùm intermittendum judicavit, ut vehementius aliquod præsentiusque remedium Ecclesiæ laboranti adhiberet. Cùm enim alii Constantii terrerentur edictis ac minis, alii ementita ac falsa ipsius religione detinerentur; ea non potiebantur animi tranquillitate, qua expositam in eo libro rei veritatem perspicerent. Interim, ut Hieronymi verbis utamur, *periclitabatur navicula Apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil supererat spei*, nisi Constantii impietas iis manifesta fieret, qui auctoritate ipsius in errorem abducebantur. Lupus erat adversùs Christi gregem edictis sæviens: sed pacis & unitatis obtentu palliatus, ovis pellem præ se ferebat ac vultum; & sub ementita pietatis imagine non minorem cladem, quàm aperta vi inferebat. Tum vigilantissimus Ecclesiæ pastor officii sui esse duxit, ovinum amovere pallium, ac Domini sui gregi lupum ostendere. Detinebatur tamen aliquantum, cùm Constantio à Deo datam esse respiciebat regiam illam potestatem, cui potissima esset reverentia deferenda. Et hoc quidem respectu quantum retineretur, non solùm persuadent libelli ad Constantium dati, aliique in quibus summa semper cùm religione de eo loquitur, sed & ipsa proximè inchoata Ariminensis synodi historia: in qua regi, quia omne regnum à Deo sit, potissimam reverentiam deferendam esse, conceptis verbis memorat. Tantùm ibi monet, regis potestate aliam esse superiorem, & *non æquanimiter judicium ejus episcopalibus arbitriis admitti, quia Cæsaris Cæsari, Deo autem reddenda quæ Dei sunt.*

Illum intermisit, ut contra Cõstantium scriberet: qua ratione permotus.

Hieron. dial. contra Lucifer.

Fragm. I. n. 5.

79. Evangelicæ huic regulæ obsequendum ratus, Constantii fidem, mores ac gesta, quæ Ecclesiæ interererat nosse, patefacere tandem constituit. Rem tamen, quæ scandalo esset obnoxia, sese aggredi non ignorans, consilii sui rationem statim ab exordio multis probat. Et licèt se ad scribendum nullo humanæ perturbationis vitio incitatum esse nonnullis nondum persuaserit; nobis tamen, post tot probatissima moderationis illius exempla, religio est ei non credere testanti: *Neque injuriam queror, qui dissimulavi recentem. Et qui ne quid ex causa mea loqui existimarer, tantum adhibui ad silentium temporis; nunc mihi non alia ad dicendum causa quàm Christi est: cui & hoc debui, quòd usque nunc tacui; & cui ex reliquo me intelligo debere, ne taceam.* Sicut igitur diuturnum silentium non timidi animi, ita vehemens sermo non tumidi fuit. Una eademque Christi caritas eum & prudenter tacere, & fortiter loqui docuit. In hoc quoque moderatus, quòd ubique ita temperat sermonem, ut non alia quàm quæ à Constantio in Ecclesiam gesta sunt referens, à ceteris illius vitiis notandis sese prorsus abstineat. Sed & martyrium ipse toto animo spirans, aliisque vehementer verbo & exemplo inspirans, Cæsareæ majestati de suo jure nihil ereptum vult, dum ad contemnenda Constantii edicta, quibus parere nefas erat, animos accendit.

num. 3.

num. 11.

80. Demum ad id valet hic liber, ut cùm non deessent, qui Constantii in colendo Christo ejusque Ecclesia tuenda religionem commendarent; catholici eum hæreticum esse, hæresim tueri, hæresim præcipere, hæresim vindicare admoneantur; adeoque persuadeantur sibi ab illo cavendum velut à tyranno tantò periculosiore, quanto majus fidei studium ostentans verbis, eam ex animis avellere cogitaret. Hunc enim librum ad Catholicos, & non ut existimatur vulgò, ad Constantium ipsum destinatum esse planum est ex ipso exordio, in quo Hilarius *Fratres*, non Constantium alloquitur. Fratres illos, Gallicanos episcopos non immeritò intellexeris; ad quos non gravabatur scribere, quoties contingebat aliquid novi, ex cujus ignoratione nonnihil eis extimescebat. Quamquam

non

non negaverim eum etiam eo ipso Opere æternæ Imperatoris saluti consultum voluisse, ac tentasse, an fortè quem Arianorum artibus ac præstigiis veluti fascinatum ac sopitum ad sanam fidem blando sermone excitare nequiverat, ad eam acriore revocaret.

An librum vivo Constantio publicarit.

81. Neque deest conjecturæ locus, eum vel amicorum consilio, vel propria dictante prudentia ac moderatione ad tempus suppressisse hoc Opus, de cujus utilitate non satis sibi constaret; & id quidem maximè, cùm paulo pòst in Gallias redire permissus, id per se præstare longè efficaciùs valuerit, quod per hunc librum proposuerat. Ita cum rerum gestarum veritate componuntur Hieronymi verba, quibus eumdem librum *contra Constantium vitâ functum* inscribit, quamvis eum anno quinto post Mediolanense Concilium anni 355. adeoque Constantio adhuc superstite, scriptum esse Hilarius ipse significet. Si qui autem quo loco scriptus sit non attendentes, vehementioris indolis partum eum esse suspicantur; mirantur alii in eo cum tanta naturæ lenitate tantam fortitudinem, nec ambigunt, quin quidquid vehemens apparet, ex flagranti martyrii studio proficiscatur. Hoc magis persuadent, quæ redux ab exsilio edidit innatæ mansuetudinis exempla.

CAP. XI. Hilarii ab exsilio reditus ac labores ad Gallias ab hæresi purgandas. *Sulpic. Sev. pag.* 261.

82. VARIOS Hilarii conatus ad hæresim in ipsa regia civitate tamquam in suo fonte comprimendam cùm diutiùs ferre non valerent veritatis inimici; Imperatori persuasere, ut *quasi discordiæ seminarium & perturbator Orientis redire ad Gallias juberetur.* Gloriosum sanè hoc illius crimen, quòd iniquos prava sua pace gaudere non sineret, & seminarium quoddam esset, unde excitarentur assiduè, qui cum hæreticis discordarent! Consilii hujus, quo in Gallias dimissus est, Valentem & Ursacium auctores exstitisse testis est Fortunatus. Quòd autem Sulpicius eum *absque exsilii indulgentia* in Gallias dimissum ait, variis eruditorum conjecturis locum præbuit: illum nimirum aut militis alicujus custodiæ creditum, aut Pictavis prohibitum esse egredi, aut aliquam secum ubique tulisse exsilii notam. At quàm liberum ei fuerit quocumque libuerit excurrere, satis probant quæ proxime à suo in Gallia sreditu egit. Sulpicii verba Fortunatum jure dixeris interpretari voluisse, ubi ait Hilarium in Gallias » redire compulsum, exsilium amplius se pati existimas- » se, quòd illic terminum disceptationis non consecu- » tus, Ecclesiæ perturbationem relinqueret. Ideo etiam fortè dictus est absque exsilii indulgentia dimissus, quòd Imperator molestum interpellatorem à se removere cupiens, eum velut indignans in patriam redire jusserit, donec de causa ipsius maturiùs deliberaretur.

Fortunat. lib. 1. *n.* 8.

83. Tum verò Hilarium de prœlio revertentem Galliarum Ecclesia complexa est; non quidem post Constantii obitum, quod sonare videntur Hieronymi in dialogo contra Luciferianos verba; sed, ut in Chronico accuratiùs scribit, postremo ejusdem Imperatoris anno. In illo enim libro communem ecclesiarum ex episcoporum exsulantium reditu lætitiam describens, Hilarium ab iis, quibus Julianus Augusti dignitate auctus reditum ad ecclesias permisit, distinguere non admodum curavit. Quod ea fere ratione fecit, qua Sulpicius aliique sic narrant Paulini, Eusebii, Luciferi, Dionysii, Hilarii, Rodaniique exsilia, ut quamvis tribus diversis Conciliis, uno tamen & eodem ejectos eos crederes. Cum Hieronymi Chronico consentiunt Sulpicius atque Fortunatus; quippe qui Hilarium, post quàm Constantinopoli libellum suum Imperatori obtulisset, ab ipsomet Constantio, non à Juliano, ad ecclesiam suam dimissum fuisse tradunt. Singulis suffragatur Gregorius Turonensis episcopus. Cùm enim eum quarto exsilii sui anno Pictavos reversum memoret, cúmque superiùs certis manifestisque momentis confectum sit, illum sub anni 356. initia relegatum esse; paulo ante annum 361. qui

de gloria Conf. c. 2.

A Constantii postremus fuit, illi ab exsilio redeundi potestas facta sit necesse est.

84. Indultæ ei potestatis hujus fama per Occidentem citò increbuit, & ad Martinum usque pervenit. Ille ex Illyrico primùm ab Arianis, ac deinde è monasterio, quod sibi statuerat Mediolani, ab Auxentio pulsus, in insulam Ligustici maris, quam * Gallinariam vocant, tum sese receperat. Hoc igitur audito festinus tentavit ut optatissimo magistro redeunti Romæ occurreret. At pium pastorem jam Urbi eripuerat ardens revisendi gregis desiderium. Dignum
B etiam erat humili Christi Confessore, ut ocyssimè fugeret plausus & honores, quos ei ingenii, scientiæ, virtutumque splendor, ac tot pro Ecclesia impensi labores illic meritò ei pepererant.

Sulpic. Sev. in vita sancti Martini.

* *Albenga.*

85. Cùm autem circa insulam propinquaret, quæ in nonnullis mss. *Gallinaria*, in aliis *Dives* appellatur, à vicinis monitus eam ob multitudinem serpentum esse inhabitabilem, illuc præcedente crucis auxilio descendit, fixoque ligno serpentibus metam posuit. Hæc insula alia videtur ab ea, quam ex Martini habitatione liquet inhabitabilem non fuisse.

Fortunat. lib. 1. *n.* 10.

86. Quanto cum plausu ac favore Pictavis exceptus
C sit, cogitare facilius est, quàm verbis enarrare. Testis est Fortunatus, eam tum populis ipsius lætitiam exstitisse, quasi patria cum ipso eis reddita esset, qui se sine illo exsules existimabant. Hilarius ipse non modò carissimæ plebis suæ, sed & dilecti discipuli sui Martini conspectu, eodem propè tempore est recreatus. Hic enim Romam profectus, illum ubi jam præteriisse audivit, ita vestigiis persecutus est, ut non multo post ipsum Pictavos perveniret. A quo cùm gratissime susceptus fuisset monasterium, Locogeiacum * dictum, quod primum in Galliis novimus, haud longè ab oppido Pictavensi sibi collocavit.
D Summum hoc in Martino Hilarii desiderium quo magis consideramus, eo persuademur ampliùs cum hoc illi veterem intercessisse necessitudinem; eaque vera esse, quæ de Martino apud Hilarium ante quàm exsularet diversante Sulpicius narrat: ut in eo uno sit lapsus, quòd Juliani nomen alterius Imperatoris loco ei subrepserit.

num. 11.

* vulgò *Ligugé*, quod modò Jesuitæ obtinent.

87. Hilarius ab exsilio redux non solùm sanctitate, sed & miraculis coruscavit. Nam post aliquot dies afflicta mater duplici infantis sui morte, qui cùm absque baptismi regeneratione defunctus esset, *præsen-*
E *tem amiserat lucem, & pœnâ futuri sæculi non carebat*; multis ab Hilario precibus ac lacrymis petiit, ut filium aut sibi aut baptismo redderet. Quibus commotus pius populi pater, spectante plebe, *ad consueta* recurrit orationis *arma*: neque à terra, in quam prostratus jacebat, priùs surrexit, quàm infans à mortuis surrexisset. Notanda sunt hoc in loco Fortunati verba, quibus cùm superiùs dicat, infantem absque baptismi gratia defunctum *pœnâ futuri sæculi non carere*; laudetque insuper Hilarium, quòd hoc prodigio *orcum spoliavit*: suam de infantum hujusmodi pœnis sententiam satis declarat.

Infantem à mortuis excitat. *Fortun. lib.* 1. *n.* 12.

num. 13.

F 88. Scriptor idem non minùs miratur virtutem, qua ille filiæ suæ Abræ mortem impetravit; quàm qua reddidit infanti mortuo vitam. Illam cælo, non sæculo adamans, jam cælesti sponso desponderat, modò & ipsa eum sibi cooptaret. Ubi igitur illam ardenti ejus desiderio teneri cognovit, non conquievit ab oratione, *donec ipsa sine dolore, sine contagio de mundi ludibrio migraret ad Christum.* Vix autem Abram propriis manibus venerandæ tradiderat sepulturæ, cùm ipsius mater cæli cupida ab eodem postulavit, ut & ipsa si mereretur, *erepta de mundi crimine* ad cælestis regni gloriam
G cum filia transmitteretur. Quod assidua ipsius oratione haud multò pòst obtinuit. Sic cùm Hilarii conversatio in cælis esset, illuc festinabat transmittere, quos non in terris nisi propter cælum diligebat. Utramque autem, ut ex Hildeberto Cenomanensi tradit * Bouchetus, in æde sanctis Johanni & Paulo sacra condidit.

Abræ ac matri ipsius mortem à Deo impetrat.

* *Annal. Aquit. l.* 1. *c.* 14.

Gallias ab hæresis piaculo liberat.

89. Sed si magna illa miracula, hoc non minùs stupendum, quòd eum hæreticis fortiter renitentem Deus in sedem suam restituit, quando è suis ejiciebantur, qui illis etiam nonnihil cesserant. Neque id sine speciali Dei in Gallias providentia factum putem. Nam vulnere, quod in Ariminensi Concilio exceperant Galli, nuper missis Orientalium litteris detecto, desiderabatur perita medici manus, quæ illud alligaret quàm primùm, congruisque remediis sanaret. Opportunè tunc venit Hilarius, qui dejectos relevaret, & pro insita sua moderatione turbatos serenaret animos. Nec deerant, qui ferro & abscissione opus esse sentirent: sed ipse oleo & indulgentiâ usus, brevì omnia in pristinum statum reformavit. Fortis itaque & invictus cùm præfractis hæreticis resistendum fuit, & cùm pænitentibus indulgendum facilis & misericors, utrùm animi magnitudine quàm pia quadam commiseratione plus Ecclesiæ contulerit, ægre definias? Fortitudine quidem hæresi in Gallias aditum ante exsilium præcluserat: sed eam, dum exsulat, subdolè introductam, ab exsilio redux tam celeriter expulit mansuetudine, ut in eum ipsum annum 360. quo ab exsilio revertit, dicat Hieronymus in Chronico: *Gallia per Hilarium Ariminensis perfidiæ dolos damnat*. Quod qua ratione factum sit, sic Sulpicius explicat: *Ubi* (Hilarius) *permensus est orbem pæne terrarum malo perfidiæ infectum, dubius animi & magna curarum mole æstuans, cùm plerisque videretur non ineundam cum his communionem, qui Ariminensem synodum recepissent, optimum factu arbitratus revocare multos ad emendationem & pænitentiam, frequentibus intra Gallias Conciliis, atque omnibus fere episcopis de errore profitentibus, apud Ariminum gesta condemnavit, & in statum pristinum Ecclesiarum fidem reformavit*. Ita enim legendum, non autem cum vulgata editione *reformant* & *condemnant*.

Sulpic. c. p. 262.

Saturnini depositio.

90. Propter hæc Hieronymi & Sulpicii verba minùs veri similem videri jam diximus conjecturam eorum, qui Hilarium *absque exsilii indulgentia* dimissum ita intelligi commodè existimant, ut ei Pictavis egredi prohibitum sit. Nam si eo ipso anno 360. Gallia per illum Ariminensis perfidiæ dolos frequentibus Conciliis damnavit; ut Hilarium iis Conciliis interfuisse non negandum est, ita & concedendum eum superstite adhuc Constantio Pictavis egressum esse. At verò in exsequendis regis mandatis, quæ tutâ conscientiâ fas erat, suspecta nobis esse non debet illius religio. Numquam igitur ei interdictum, ne Pictavis egrederetur. Hilarium autem non eam tantùm anni 360. partem, qua Galliis redditus est, sed & annum 361. ac fortè subsequentem ad sarciendas Ariminensis synodi ruinas insumsisse opinanti aderit Sulpicius: qui cùm hoc multis Conciliis factum testetur, unum subinde memorat Biterrense, quo *Saturninus præter hæresis infamiam multis atque infandis criminibus convictus, Ecclesiâ ejectus est. . . Paternus etiam à Petrocoriis æquè vecors, nec detrectans perfidiam profiteri, sacerdotio pulsus: ceteris veniâ datâ*. Enim verò an id sibi auctoritatis sumere ausi essent Galli, ut dum Constantius sectam Arianam totis Imperii viribus tueretur, præcipuum illius fautorem de ecclesia sua ejicerent? Nam cùm Saturninum sic Sulpicius Ecclesiâ ejectum scribat, ut Arianarum *partium vires duce amisso infractæ* fuerint; tunc non tantùm ab ecclesiastica communione, sed ab ipsa etiam Arelatensi sede ejectus fuisse intelligendus est. Eum quippe Parisiense Concilium ab ecclesiastica communione jam bis remotum testatur: & tum nihilo magis fractæ erant partium vires. Unde consequitur, ut non habitum fuerit hoc Biterrense Concilium, nisi cùm vivere Constantius jam desiisset. Hoc si quidem vivo, Saturninum ab ecclesia sua expellere nulla synodorum valuisset auctoritas.

pag. 263.

91. Inter nefanda crimina, quibus convictus est improbus ille hæreticus, non minimum illud fuit, quo Hilarii exsilium procurarat. Tum insonti Christi Confessori locus præstitus est, olim ei à Constantio negatus, sycophantam illum usque ad confessionem falsorum, quæ adversùs se gesserat, adducendi. Ita justo Dei consilio factum est, ut Saturninus meritas depositionis pœnas in ea ipsa civitate daret, in qua iniquam adversùs Hilarium exsilii sententiam per fraudem ac mendacia molitus fuerat. Exinde nomen illius è sacris diptycis expunctum. Saltem in veteri episcoporum Arelatensium elencho, quem ex hujus ecclesiæ diptycis excerptum credunt, non compàret; sicut nec Marciani, qui sæculo superiore Novatiano adhæserat. Saturnini successor vulgò existimatur sanctus Concordius, qui Concilio Valentino an. 394. interfuit.

Analect. tom. 3 pag. 431.

Gall. Christ. tom. 1. pag. 33.

Hilarius Gallias adversùs Arianos semper protexit.

Sulpic. pag. 263.

92. Tandem Arianæ sectæ tenebris Hilarii prudentia ac labore dissipatis, & ejecto duce per quem spiritus mendacii Gallorum plurimos in errorem induxerat, *illud apud omnes constitit, unius Hilarii beneficio Gallias nostras piaculo hæresis liberatas*. Neque tantùm vivus, sed è vivis etiam sublatus patriam gentem ab eadem hæresi protexit. Illius opem etiam duobus pòst sæculis manifesto signo expertus est primus Francorum Christianus rex Chlodoveus. Quippe cùm adversùs Alaricum Arianum Gotthorum regem progrederetur, Pictavis pharum igneam ex basilica S. Hilarii egressam super se advenire conspexit: *scilicet*, inquit Gregorius Turon. *ut lumine beati confessoris Hilarii adjutus, liberiùs hæreticas acies, contra quas sæpe idem sacerdos pro fide conflixerat, debellaret*. Et verò statim voce admonitus, ut facta in illo venerabili loco oratione prœlium committere festinaret, *tanta prosperitate, altero pro se pugnaturo, processit ad bellum, ut intra horam diei tertiam ultra humana vota sortiretur à Domino victoriam*. Insignem hanc victoriam ubi celebravit Fortunatus, declarat hoc se Hilario ipso inspirante sentire, scilicet non minorem illi in requie jam posito esse catholicæ religionis sollicitudinem, quàm olim ei fuit cùm in corpore degeret. Faxit cælum, ut ejusdem meritis ac precibus rediviva pestis Ariana à finibus nostris procul arceatur, & in Francorum cordibus semper vigeat illibata sanctissimæ Trinitatis fides ac veneratio.

Greg. Tur. lib. 2. hist. Franc. c. 37.

Fortunat. lib. 2. vitæ S. Hilar.

Quando & cur contra Dioscorum scripserit.

93. Ad id tempus, quo ad fugandos è Galliis Arianos sanctus Hilarius tam strenuè incumbebat, referendus est illius ad Sallustium Galliarum præfectum contra Dioscorum medicum liber, cujus solus titulus ex Hieronymi lucubrationibus ad nos transmissus est. Cùm enim in eo titulo Sallustius tantùm præfectus, non consul nuncupetur; cùmque aliàs constet, eum anno 361. à Juliano Galliis præfectum, biennio pòst adscitum *in trabea collegium*, hoc est, in consulatu collegam cooptatum esse: hunc librum nec ante annum 361. nec post 363. scriptum esse manifestum est. Huc quoque facit, quòd idem ille Sallustius anno 363. ad expeditionem contra Persas cum Juliano profectus, ac subinde à Valentiniano & Valente præfectus Orientis prætorio, Gallias non repetierit. De hoc præfecto testatur Suidas, eximia eum humanitate fuisse præditum. Eumdem nominatim à Christianis vexandis abhorruisse Rufinus Theodoretusque commonstrant. Unde conjicere est, eum hoc libro conventum, ut Dioscori medici, qui fortè Juliani auctoritate ac nomine in Christianos immodicè sæviebat, violentiam coerceret.

Ammian. lib. 21. c. 8. Idem lib. 23. c.

Idem lib. 26. c. 5.

Rufin. lib. 1. c. 36. Theod. lib. 3 hist. eccl. c. 7.

Cap. XII. de Hilarii in Italia laboribus, & Luciferi schismate.

94. Intra Galliarum fines continere se non valuit Hilarii pro catholica religione studium. His igitur pace reddita, transscendit Alpes, ut Italiæ ac vicinis regionibus, quæ hæresis Arianæ furore atque contagione longè magis depravatæ fuerant, consuleret. Illum Eusebius ab Alexandrino Concilio Vercellas rediens, ac singulas quasque Orientis atque Italiæ ecclesias *abjurata infidelitate ad sanitatem rectæ fidei revocans, in Italia positum hæc eadem erga instaurandas ecclesias fidemque Patrum reparandam reperit molientem*, eique se in idem opus libenter adjunxit. Specialem hanc duorum illorum Confessorum societatem non incommodè credideris circa anni 363. principia initam: maximè cùm

Rufin. lib. 1. hist. eccl. c. 30.

Georgii pseudopatriarchæ Alexandrini mors, quæ post medium annum 362. contigit, præcesserit Alexandrinum Concilium, ex quo Eusebius tunc temporis revertebatur. Quamvis autem testetur Rufinus duos istos viros, velut magnifica lumina, Illyricum Italiamque suo splendore sic radiasse, ut omnes etiam de abditis angulis & abstrusis hæreticorum tenebræ fugarentur; hanc tamen Hilario laudem præcipuam tribuit, quòd cùm esset *naturâ lenis & placidus, simulque eruditus, & ad persuadendum commodissimus, rem diligentiùs & aptiùs procurabat.* Elogium sanè minimè suspectum, quo Gallus episcopo Italo ab Italo presbytero præfertur. Sed si hoc ab eo expressit manifesta veritas, ac recens rerum gestarum memoria; quid est, quòd in primis naturæ ipsius lenitati hanc gloriam adscribit? Profectò nisi in Hilario singulari ratione emicuisset hæc virtus, Rufino satis fuisset majoris hujus ad conciliandos animos facilitatis causam summæ illius eloquentiæ attribuere. An verò Hilarius atque Eusebius in Italia quidquam inconsulto Liberio egerint, non ausim affirmare. Quamquam ex Fragmento XII. evidens est, Liberium eodem reparandæ fidei studio exarsisse. Unde sicut Hilarii atque Eusebii operâ, ita & Liberii nutu congregata esse ultro concesserim, quæ in eodem Fragmento memorantur Italiæ atque Illyrici Concilia, in quibus utriusque gentis episcopi fraudem se Arimini passos esse agnoscentes, infidelitatis consortium abjecerunt.

Ibid. c. 31. » Hilarius cum Eusebio Italiæ ecclesias restaurat. »

an Liberio inconsulto.

à Lucifero non probatur.

95. Sanis sanctorum illorum virorum consiliis Lucifer Calaritanus repugnabat. Hic ab Eusebio, quòd quæ Antiochiæ proximè gesserat non approbasset, nonnihil abalienatus erat. Ipsi etiam, uti superiùs observatum est, jam pridem displicuerat summa Hilarii erga Orientales in libro de Synodis moderatio. Ac licèt eum ex prudentibus illius responsis lenitum crediderim; facilè tamen recruduit offensio, ubi illum cum Eusebio potiùs quàm secum facere intellexit. Sic affectus Lucifer, & natura austeriori in clementiam haud multùm propensus, non damnare non poterat Hilarii in recipiendis iis qui Arimini lapsi fuerant facilitatem. Hinc apud totam Luciferi sectam male audiit, velut qui laudem sibi in Ecclesia partam *interrumperit favens prævaricatoribus, ut non dicamus & hæreticis, in quos eloquentiæ suæ viribus peroraverat.* Contrà apud eos, quos non excœcavit schismatis caligo, gloriam quam pristinis scriptis gestisque meruerat, non tantùm non obscuravit aut interrupit, sed & propemodum cumulavit: dum prælata veritatis luce, & indulgentiæ facilitate oblata, Ecclesiæ reddidit, quos ei hæreticorum fraus ac terror abstulerat.

Marcellin. & Faustin. in libello precum.

96. Durum sanè & à Christiana clementia ac simplicitate alienum videbatur, iis aut non credere, aut indulgentiam negare, *qui sine conscientia hæretici ferebantur, contestabanturque Corpus Domini & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos.* Planum enim erat, eos uno pacis intuitu recepisse Arimini propositam fidem; neque huic illos consensisse, nisi postquàm multis ex catholica conscientia adjectis, vocabuli *consubstantialis* in ea suppressi vim se satis supplevisse existimassent. Unde statim ut fraus in recepta formula latens Hilarii præsertim operâ detecta est; *ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse miratus est,* hoc est, se Arianum publicari & audire obstupuit, cùm Arium Ariique doctrinam non tantùm exsecraretur ex animo, sed etiam se subscriptione sua satis superque damnasse arbitraretur.

Quàm iniqua Luciferi sententia. *Hieron. dial. contra Lucif.*

Ibidem.

97. Inficiandum tamen non est, eos à peccato vix excusari posse, qui Arimini ex infirmitate Nicænum deseruere symbolum, ut novam ab iis formulam reciperent; quorum fides ipsis suspecta meritò esset. Verùm ut non erat id eorum crimen, quod publicâ ac luctuosâ pænitentiâ expiari mereretur; ita nec in eos locum habebant *canones,* Innocentio epist. 6. teste, *apud Nicæam constituti,* qui *pænitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludunt.* Sed etsi pænitentiæ etiam publicæ fuissent obnoxii, horum tamen canonum rigor poterat eis prudenter relaxari. Nam cùm fateatur Augustinus, quòd *clerici vel etiam episcopi post pænitentiam permanere non deberent;* huic tamen Ecclesiæ legi suppendum esse monet, *nisi hoc pacis ipsius compensatione sanaretur. Ut enim,* inquit paulo inferiùs, *constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pænitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ.* Quòd autem aliquando Ecclesia disciplinæ rigorem utiliter remittat, sic illustrat insitionis exemplo: *Cùm enim præcisus ramus inseritur, fit aliud vulnus in arbore, quò possit recipi ut vivat, qui sine vita radicis peribat. Ita ergo & isti cùm ad radicem catholicam veniunt, nec eis quamvis post erroris sui pænitentiam honor clericatûs & episcopatûs aufertur; fit quidem aliquid tamquam in cortice arboris matris contra integritatem severitatis* &c. Demum concludens, *Sic multitudinibus per schismata & hæreses pereuntibus subvenire consuevit* (Ecclesia;) Luciferi lapsum subinde notat, *Hoc displicuit Lucifero, . . & cui displicuit, in tenebras cecidit schismatis amisso lumine caritatis.*

Disciplinæ rigor quando lapsis remittendus.

Augustin. ep. 185. n. 4. num. 45.

num. 44.

num. 47.

98. Casum tanti viri, quem ob singularem constantiam tota meritò suspiciebat Ecclesia, Hilarius haud dubiè graviter indoluit. Quantâ enim illum reverentiâ coluerit, vel hinc manifestum est, quòd similitudinis vocabulo, à quo nonnihil abhorrebat, usus sit, ubi illud ei intellexit usitatum. Nimirum non ignorabat eorum, qui causam eamdem medios inter hostes tuerentur, valde necessariam esse animorum sententiarumque concordiam; hancque facile dissolvi, nisi qui sui magis compotes sunt, morem gerant sociis mentis suæ minùs potentibus. Eo animo etiam postea ab eodem Lucifero ob suum de Synodis librum reprehensus, injurias injuriis non repulit, sed sermonis lenitate ac rationum evidentiâ * vicit. Unde nihil ab Hilario non tentatum opinamur, ut à schismate avocaretur Lucifer, cujus amicitia semper ipsi tam cara fuerat. Et verò credibile-ne est, eum qui nulli pepercit labori, quò lapsos erigeret, quidquam non movisse, ut qui hactenus tam fortiter steterat, non caderet? Sed quod Rufinus Luciferi ipsius casûs data occasione ait, *Temere cœpta corrigi* (tantùm) *spatio solent,* si de aliquo, certè de Lucifero, verè dictum est, utpote viro ejus indolis, quæ facilè flecti non posset.

Luciferi ut amicitiam semper coluit Hilarius, ita lapsum doluit. *Apologet. Respons. 3. & 6.*

* *Responsis ad calcem libri prædicti editis.*

lib. 1. c. 30.

99. Non inanis tamen labor Hilarii fuit: cujus industriæ simul & auctoritati tribuendum videtur, quòd Luciferi schismati pauci adeo adhæserint, ut cum Hilario diacono, Hieronymo teste, tota secta interierit. Neque verò Lucifero facile erat aliis persuadere, eum ex animi remissione, & non ex mera caritate dare lapsis veniam, quem aliàs omnibus in periculis intrepidum & invictum pro gloria Domini stetisse certò sciebant? Immo ubi causa postulabat, quàm non mollis ac remissus fuerit, eo ipso tempore Italia tota conspexit.

Hilarii auctoritas idonea fuit, quæ Luciferi schisma compesceret.

Cap. XIII. Hilarii cũ Auxentio congressus.

100. PARTEM anni 362. totumque 363. Hilarius in Italia egerat, cùm Valentinianus rerum potitus Mediolanum Februarii 26. die an. 364. pervenit. Et cùm de rebus à se pro Ecclesia feliciter gestis meritò potuisset gloriari; nihil dum se fecisse existimabat, quàm diu superesset qui Christi divinitati adversaretur. Procul ab inani gloria, sic contestatur se veram pacem *& amissam quærere, & turbatam componere, & repertam tenere curavisse;* ut continuò subjiciat, *Sed hujus ipsius nos fieri vel participes, vel auctores, nec temporis nostri peccata meruerunt,* quasi voti sui compos nequaquam fuisset. Apud alios constat unius Hilarii beneficio Gallias hæresis piaculo liberatas, ejusdemque præsertim industriâ, suavitate, eloquentiâ Italiæ atque Illyrico prope toti pacem redditam, eóque in Occidente redactam Arii priùs tam amplam hereditatem, ut ad unos Valentem, Ursacium, Germinium, Gaium atque Auxentium tota defluxisset. Hilarius unus non gratulatur, quòd ad tam paucos redacta sit misera illa hereditas; sed quòd non prorsus sit exstincta, nihildum se profecisse arbi-

Hilarius paci studet. *Contra Auxent. n. 1.*

num. 8.

tratur. Vires igitur exserit: sed illi ut ejus eludant A conatus, etiam se tam impii magistri heredes negant. Non enim idem ille satanæ spiritus, à quo pridem Arius excitatus animatusque est, sese in iis palam audet ostendere: sed in angelum lucis transfigurari cogitur, quò faciliùs lateat.

Auxentiū Mediolano expellere ititur.

101. Hujus arte præ omnibus lusit Auxentius, nec tamen Hilarium fallere valuit. Nam quanto magis enitebatur ut virus suum tegeret, tanto ille ampliùs intendebat ut detegeret, & ut ab ipso velut à venenato serpente Mediolanensem civitatem, quæ ob singulare in catholicam fidem studium cara ipsi semper fuerat, liberaret. B Continuò Auxentius sibi malè conscius Valentinianum prævertit, ac verbis sese catholicum mentitus, plebem suam ab Hilario perturbari conquestus est. (num. 7.) Eo audito rex pacis amans, suoque adventu pacem firmare cupiens, haud difficulter inductus est, ut Mediolanensium ecclesiam à nemine perturbari edicto gravi præciperet. (Cum illo congreditur.) Hilarius Ecclesiam hæretico à catholico principe sub unitatis specie ac voluntate credi non sustinens, Valentiniano etiam importuna interpellatione suggessit, *Auxentium blasphemum esse, & omnino hostem Christi habendum, eumque aliter credere, quàm rex ipse aut alii omnes haberent.* His C rex permotus, Auxentium cum Hilario à Quæstore & Magistro audiri præcepit unà considentibus episcopis fere decem, quos inter emicabat Hilarii adjutor ac socius Eusebius Vercellensis. Ille primùm de persona calumniari, ac nolle Hilarium ut episcopum audiri, quem quondam Saturninus damnasset. In promptu ei erat responsio, se numquam ab episcopatu dejectum esse; ac frustra objici exsilium, quò Saturnini operâ fuerat expulsus, cùm id ille iniquè adeo effecisset, ut mendaciorum, quibus ad hoc facinus pervenerat, palam eum convincere sibi licere D à Constantio poposcerit, ac novissimè in Biterrensi Concilio convicerit. Quid verò sit responsum, ad alia properans Hilarius silentio prætereundum duxit. Monet tantùm, tunc ab iis qui audiebant decretum esse, ut de fide potiùs, sicut regi placuerat, agitaretur. Auxentius hìc in arto positus, Christum Deum negare dum timet, eum unius cum Deo patre divinitatis & substantiæ profitetur. Professionem hanc scripto mandari placet; & continuò Hilarius libellum regi per Quæstorem offert, quo quid convenisset contineretur. (Auxentii fallacia.) Exinde Auxentius omnium judicio cogitur quod jam confessus erat palam profiteri, & scripto E consignare. (num. 9.) Ille diu consilia sua versans, sic verba componit, ut regis fidem eludat. Unde demum ab iis, quos versipellis ejus malitia fugiebat, spargitur per populos, Auxentium Christum verum Deum & unius cum Patre divinitatis ac substantiæ scripsisse, neque à fidei per Hilarium expositæ dissidere sententia.

ab Hilario retegitur.

102. Victus videbatur Auxentius: si quidem ex illo conflictu nequiverat evadere, nisi se cum eo consentire finxisset, quem antea hæreticum vocitare consueverat. Hinc adversarii sibi subacti gloria in Hilarium redundabat. At ille Domino suo quàm sibi malens vincere, de victoria gratulari nescit, quæ ipsi nihil F conferret. Veritus itaque ne hostis Christi, quem non mutatum sciebat, piæ plebi cui præpositus erat insidias strueret, reclamavit fingi omnia, fidem denegari, Deum atque homines illudi. Posthabita tamen ipsius admonitione, Valentinianus jussit eum Mediolano cedere, & ad Auxentii communionem accessit.

Gesta cum Auxentio in publicā lucem edit, datque moderationis specimen.

103. Paruit Hilarius regis præcepto: sed neque ecclesiæ Mediolanensi aliisve defuit. Namque editis totius congressus gestis, & patefacta Auxentii fraude, ut ab eo sibi caverent sinceræ fidei amatores effecit. In hoc autem scripto quid magis mirere? summumne G illius in detegendis vaferrimi hæretici dolis ingenii acumen, & in his arguendis fidei constantiam? an in excusando rege prudentiam atque moderationem? Legerat Valentinianus sibi datam ab Auxentio epistolam, qua dum hæreticus ille Hilarium atque Eusebium (num. 13. & 15.) veluti blasphemos traducit, dum concilia impiorum, quibus inclyti illi Christi Confessores injustè damnati fuerant, probat, dum labores eorum ad restaurandas Italiæ ecclesias audiri vult velut schismaticorum opera; dum demum laudat Ariminensis Concilii gesta, ejusque fidei sese adhærere gloriatur, cui non apertè prodit Arianum animum? Nusquam tamen Hilarius regem iniqui judicii reum postulat, quòd se repulso Auxentium receperit mentientem. Recens injuria nihil ab ejus calamo exprimit, in quo debitam regi reverentiam desideres. Semper quippe sui compos nulli se perturbationi permisit, qua regiæ fidei sinceritatem perspectam habere non sineretur. Homo humanus atque amans pacis facilem principi veniam tribuit, qui præ nimia humanitate & uno pacis studio peccarat. Et qui aliàs Orientales episcopos, cùm hæreticis quantumvis probabiliter mentientibus credidissent, ideo laudaverat, quòd *religiosum est Deo sua reservare;* (num. 9.) sententiam hanc non mutavit, cùm hæretico fidem non tam citò haberi ipsius interesset. Quocirca Valentinianum excusandi studiosior, quàm accusandi, sic illum ad Auxentii communionem advenisse significat, ut id ab eo præstitum adjungat *pro fidei sinceritate,* quam hæreticum illum profiteri arbitrabatur. Et ubi declarat Imperatorem circumventum, totam culpam in Auxentium confert, quòd nimirum *lusit ille verbis,* (num. 10.) *quibus possit fallere & electos;* quasi timeret ne aliqua in eum saltem negligentiæ suspicio incideret.

Amore veritatis Auxentii nequitiam duriùs corripit.

104. Non solùm Regi parcit, sed & Comitibus, ceterisque quorum fide Auxentius abusus erat. In unum illum sycophantam stilum acuit. Unus enim idemque veritatis ac sinceritatis amor, qui sine vehementi mendacii odio purissimus esse non potest, illius & in eos qui præ simplicitate decepti fuerant commiserationem, & in eum qui fraudulenter deceperat, indignationem movit. Et verò ubi caritas ardet, concipit flammas: quæ cùm ignorantes illustrent, ac benigno calore foveant frigidos, duros ac pertinaces justo dolore puniunt atque consumunt. Diversos illos ordinatæ caritatis effectus ut olim ostenderat Hilarius, dum resecandos esse decrevit qui errandi (in Constant. n. 2.) aliis auctores essent, indulta ceteris eorum consortibus resipiscendi facultate; ita & nunc ostendit, dum deceptis parcens, unum persequitur mendacii ac fallaciæ auctorem. Ab hujus nequitia ut vehementer abhorrebat, ita etiam nihil omisit, quò alios pariter ab ejus societate deterreret. Nec alia apparet causa, cur acriter adeo in eos invehatur, quos malè parietum amor cepit, quique sub his pacis nomen ingerentes, malè Ecclesiam Dei in parietibus & tectis venerantur; nisi ut hinc omnem cum Auxentio jungendæ communionis occasionem præcidat. Non ignorabat si quidem Valentinianum eo propensiorem fuisse, ut Auxentii fidem ab Ariana alienam judicaret, quòd hæretico huic ecclesias per vim eripere nolens, in eis tamen, quas ille obtinebat, cupiisset innoxiè religionis suæ cultum exercere. Ipse igitur castioris religionis studio accensus, regis scrupulum, aliorumque, qui fortè in eamdem simulationem abierant, levare conatur igneis illis verbis: *Montes mihi & silvæ & lacus & carceres & voragines sunt tutiores: in his enim prophetæ aut manentes aut demersi prophetaverunt;* (contra Auxent. n. 12.) cùm, inquit, non ambiguum sit, intra sacrarum ædium tecta antichristum esse sessurum. Tum ut Auxentii non ampliùs lateat hypocrisis, pastoris instar solliciti, qui lupum adesse vociferatur, dum eum gregi insidiantem perspicit, clamat & ipse Auxentium esse Christi hostem, satanæ angelum, fidei vastatorem, seseque nullis umquam incommodis adducendum fore, ut neque illius neque aliquorum umquam pacem sibi optet, *nisi eorum qui secundùm patrum nostrorum apud Nicæam tractatum, anathematizatis Arianis, Christum Deum verum prædicabunt.* Hæc si quis existimabit paulo vehementiora; quæ adversùs hujusmodi hypocritas Pharisæos mitissimus Dominus emiserit, in memoriam revocet.

revocet. Rurſum ſi quis ambigat, an Spiritu bono incitatus Auxentium cognominare *diabolum* potuerit; recolat quod Paulus Elimæ *Spiritu-ſancto repletus* dixit, *O plene omni dolo & fallacia, fili diaboli.* Et Dominus quidem mendacium hominum eſſe proprium oſtendit, ut ex patre diabolo ſint, quia ille ab initio in veritate non ſtetit, & mendacium ex propriis loquitur. Filios autem patris nomine nuncupare quid vetat? Sanè ſicut Judas, Chriſto ipſo dicente, verè fuit diabolus, *quia per eum animabatur*, inquit noſter Hilarius *; ita & verè diabolus Auxentius, qui illo auctore & impulſore agebatur. Quippe utrique diabolus in cor injecerat, ut Dominum proderet.

Act. 12. 10.

Johan. 8. 44.

* *in Pſal.* 142. *n.* 2.

Ea etiam in re ſibi temperat.

105. Quamquam juſtæ ac ſanctæ adversùs Auxentium indignationi non ita habenas laxat Hilarius, quin quæ ſilenda ſint, prudens reticeat. *Multa*, inquit, *alia proferre Eccleſiæ me pudor inhibet, & committere epiſtolæ Arianorum blaſphemiarum dedecora pertimeſco.* Auxentianæ confeſſionis virus oſtendiſſe ſatis habet: at totum tam peſtiferi myſterii arcanum ipſe potiùs quàm per litteras optat exponere; ut nec eos fugiat quorum intereſt omnes hæreticorum tricas & impietates non ignorare, nec ad eos perveniat quibus expedit fidei ſimplicitate contineri. Sponſa Chriſti Eccleſia caſta & verecunda eſt, & ſponſi ſui contumeliis non poteſt non offendi. Prudentis igitur fuit, pudicis illius auribus parcere; ac nihil ei detegere, niſi quod ſaluti ipſius conduceret.

Hujus laboris fructus.

106. Cùm hoc ſcripto Hilarius occurrere conatus eſſet diſcrimini, quod Eccleſiæ ex Auxentii fraude metuebat; Gallias repetiit, ut de hæreſi Ariana triumphis, ita gaudiis cumulatus, ſi hujus verſipellis hæretici fallaciam Valentiniano perſuadere potuiſſet. Sed ubi hîc perfectum & abſolutum gaudium? In terra damnata verſamur, quæ quamvis in ſudore vultûs exculta, fructus ita edit, ut & ſpinas ac tribulos germinet. Hilarii tamen anxietas hinc aliquantùm levabatur, quòd Auxentius hæreſis ſuæ virus ita tegere cogeretur, ut *ſub antichriſti ſacerdote Chriſti populus non occideret*: ac ſi quando illud cœpiſſet pandere, adeſſet laborum ipſius ſocius & adjutor Euſebius, qui orthodoxi Imperatoris auctoritate ſubnixus jam ipſum comprimeret.

num. 5.

Fabulæ nonnullæ exinde ortæ.

107. Fabulis nonnullis locum præbuit is Hilarii in hoc toto negotio exitus. Quo enim alio nomine appellandum, aut ad quæ Hilarii geſta referendum putes, quod narrat Rufinus, » librum inſtructionis plenissimæ, ab Hilario Pictavenſi ad emendationem eo- » rum qui Ariminenſi perfidiæ ſubſcripſerant conſcrip- » tum, ita ab inimicis illius corruptum eſſe; ut cùm illi » poſtea in Concilio epiſcoporum, ſecundùm ea quæ » in libello ipſius ſe corrupiſſe noverant, hæreticum » eum cœpiſſent vocare, ac prolatus libellus talis inven- » tus eſſet, quem ipſe non agnoſceret, fecerint eum » excommunicatum de Concilii conventione diſcedere. Meritò quidem ad hæc reclamat Hieronymus: Synodus à qua excommunicatus eſt, in qua urbe fuit? Dic » epiſcoporum vocabula, profer ſententias ſubſcriptio- » num, vel diverſitatem, vel conſonantiam. Doce qui » eo anno Conſules fuerint, quis Imperator hanc ſyno- » dum juſſerit congregari: Galliæ-ne tantùm epiſcopi » fuerint, an & Italiæ & Hiſpaniæ: certè ob quam cau- » ſam ſynodus congregata ſit. Nihil horum nominas. Sed ſi librum à Rufino memoratum eum intelligamus, in quo Hilarius hiſtoriam Ariminenſis ac Seleucienſis ſynodi complexus fuerat; item ſi hunc librum jam tunc temporis corruptum ac truncatum exſtitiſſe concedatur: haud difficulter deprehendas, unde Rufinus totam hanc narrationem contexuerit. Nimirum cùm auditu tantùm accepiſſet Hilarium ab Auxentio hæreticum eſſe vocitatum, ac paulo pòſt congreſſu habito ex urbe Mediolano juſſum eſſe egredi; facilè animo finxit, libri illius, quem corruptum audierat, depravationem non in una plurimarum partium truncatione, ſed in erroribus hæreticorum operâ immiſſis ſitam eſſe; ac libri auctorem propter errores illos non ſolùm è

Rufin. de adult. lib. Orig. apud Hieron. t. 9. *p.* 131.

Hieron. l. 2. *Apolog. adverſ. Rufin.*

A civitate, ſed & è conventu expulſum eſſe.

108. Non minùs abſurdum eſt, quod pluribus in mſſ. inter Hilarii miracula recenſetur, illum videlicet aliquando Concilio, cui præerat Leo Papa, interveniſſe; ſed ſede ſibi negata decubuiſſe humi, quæ continuò ita excreverit, ut Leonis ſolium brevì coæquarit. Cui porro non pateat, cùm ex geſtis Hilarii noſtri in congreſſu cum Auxentio, tum maximè ex celebri controverſia, quæ longè poſtea Leonem inter & Hilarium Arelatenſem in cauſa Celidonii interceſſit, conflatam eſſe monſtroſam illam narrationem? Sed his relictis Hilarium in Gallias denuo revertentem

B proſequamur.

CAPUT XIV.

Hilarii acta reliqua & mors.

109. Cùm Hilarium populo ſuo per plures annos identidem ſubtraxiſſent diverſa Eccleſiæ negotia; æquum erat ut ei tandem redderetur: quò ſuavi ipſius recrearetur conſpectu, inſtitueretur doctrinâ, & exemplis ad veram pietatem informaretur. Ipſe etiam pacatos ac tranquillos demum meruerat dies, qui tam diu turbulentos habuerat. Et dignum erat, ut extremis vitæ ſuæ annis frueretur pace, qua ipſius præſertim curis Eccleſia gaudebat. Itaque circa finem anni 364. Italiâ diſcedens, Pictavos ſe recepit. Et quamvis hîc nos acta deficiant; non eſt tamen ambigendum,

C quin aſſiduæ orationi vacando, & populum ſibi creditum Chriſtianis inſtituendo diſciplinis, perfecti paſtoris munia obierit. Immo eum tunc temporis pſalmos expoſuiſſe, hinc neceſſariò quodam modo conficitur, quòd in eorum enarratione libros de Trinitate jam à ſe antea editos notet. Nam poſt editos illos libros nullum fere ei, niſi poſtremis his annis, otium fuit, quo tantum opus perficeret. Eo autem conſilio illum ex omni Scriptura pſalmorum potiſſimùm reconditiores ſenſus explicandos ſuſcepiſſe probabile eſt, quò videlicet ſuaviùs atque utiliùs canerentur.

Pſalmos enarrat.

D Tum enim in eccleſia cui præerat uſitatos fuiſſe pſalmorum cantus, perſuadet cùm hoc Tract. pſal. 118. lit. 5. n. 14. quo Chriſtianos à vanis ſpectaculis ad objecta gratiora ſic revocat; *Niſi fortè obſcœnis illis ſpectaculorum turpium fabulis non amœniùs divina illa humanæ ſpei eloquia cantantur*: tum maximè illud Tract. pſal. 64. n. 12. *Progreſſus Eccleſiæ in matutinorum & veſpertinorum hymnorum delectationes maximum miſericordiæ Dei ſignum eſt. Dies in orationibus Dei inchoatur, dies in hymnis Dei clauditur.*

110. Fortè nonnullis incredibile videbitur, Hilarium poſt ſecundum in Gallias reditum, hoc eſt, poſt multas

E cum Arianis diſputationes frequenteſque pugnas, tractatus quos habemus in pſalmos ſcripſiſſe; cùm in eis ſic juratis illis fidei hoſtibus parcat, ac ſi ne noviſſet quidem. Qui illum Origenis tantùm verba interpretatum eſſe opinantur, hinc ſe facilè expediunt, cùm hæreſes auctoris ſui ævo nondum exortas ab interprete ſileri minimè mirum ſit. Sed huic opinioni cùm multa adverſentur, quæ ſingulari Admonitione commodiùs exponemus; tum illud maximè repugnat, quòd in iiſdem Tractatibus dogma Ariano errori contrarium paſſim ea ratione adſtruatur, quæ Origenis ſtilum minimè ſapiat. Credibilius itaque eſt, eum Arianas im-

F pietates ſilentio præterire, tum quòd ab omni rixa & contentione alienum gereret animum, tum quòd earum recordationem plebi ſuæ non conducere cenſeret.

Hymnorum & myſteriorum libros edit.

111. Ad idem tempus referre licet memoratos ab Hieronymo hymnorum myſteriorumque libros; ut cùm apud Orientales ſollemnem hymnorum cantum alioſque in celebratione myſteriorum pios uſus receptos approbaſſet; hinc poſtmodum reverſus, ad Occidentalis Eccleſiæ ritus ex eorum imitatione augendos aut illuſtrandos animum adjecerit. Ex Hilarii hymnis

G nonnullos in Eccleſia decantari ſolitos fuiſſe tradit Concilium Toletanum IV. anni 633. At verò eum tunc temporis elaboraſſe, ut inchoatam Concilii Ariminenſis ac Seleucienſis ſynodi hiſtoriam auctiorem perfectioremque redderet, & in colligendis actis, quæ ad has ſynodos pertinerent, operam dediſſe manife-

stum est ex postremis Fragmentis. An etiam senex in Cantica Canticorum scripserit, quorum expositione multi postea Operibus suis coronidem posuere, immo an aliquando scripserit, quis affirmet? cùm lucubrationis hujus unus meminerit Hieronymus ex incerto tantùm rumore, cui fidem ipse detrahere nonnihil videtur.

In libris pingendis operam posuit.

112. Pæne è memoria exciderat aliud Hilarii non tacendum opus. Eum enim laborem manuum non neglexisse, sed quod ab ecclesiasticis curis supererat temporis, in pingendis sacris libris consumsisse indicio est S. Perpetui Turonensis episcopi testamentum anno Christi 474. confectum, quo Augustodunensi episcopo Euphronio relinquit Evangeliorum librum, *quem scripsit Hilarius Pictavensis quondam sacerdos.* Hoc sanè opus Hieronymo eò magis probatum, quòd per illud *& manus operetur cibum, & animus lectione saturetur*, Hilario dignissimum fuit: ut scilicet Evangelium, quod corde gestabat, non solùm ore coram audientibus proferret, sed & pio manuum artificio procul transmitteret. Vetus etiamnum in ecclesia S. Gatiani Turonensis asservatur Evangeliorum codex latinus, quem à S. Hilario scriptum putant, atque huic ecclesiæ à S. Perpetuo relictum, cùm Euphronio ipse superstes fuisset. Ex hujus testamenti verbis interpretari licet illud Christiani Druthmari natione Aquitani & Monachi Corbeiensis, qui circa sæculum IX. floruit: *Vidi librum Evangelii græcè scriptum, qui dicebatur sancti Hilarii fuisse, in quo primi erant Mattheus & Johannes, & priùs* (legendum *posteriùs*) *alii*, Marcus scil. & Lucas: ut nimirum *sancti Hilarii* dictus sit hic liber, quia manu ipsius exaratus. In aliis quoque libris ac præsertim synodorum actis describendis idem studium eum impendisse probabile est, ex eoque labore in promtu ei fuisse unde Concilii Ariminensis historiam texeret, ubi id res ecclesiæ postulavit. Quæ autem hactenus, accuratiore quo potuimus modo, è veteribus monumentis eruere & indagare curavimus Hilarii gesta, Fortunatus hac brevi summa complectitur: *Dum superstes fuit in sæculo, aut scripsit ecclesiasticæ fidei documenta, aut pugnando calcavit hæretica crimina, aut petenti tribuit miraculorum suffragia.* Sanctam adeo vitam non potuit nisi mors pretiosa consummare. Nonnulla quæ ad hanc spectant, ad calcem libri 2. vitæ à Fortunato scriptæ è mss. Germanensis & complurium aliorum fide subjiciemus. Extremum diem suum, Hieronymo & Gregorio Turonensi testibus, Pictavis obiit: quo anno, quove die, lis est inter eruditos.

Spicil. to. 5. pag. 106.

Hiero. epist. 4. ad Rustic.

Quo die quove anno Hilarius diem suum obierit.

113. Plerique sentiunt, obitum illius in diem 13. anni 367. incidisse. Et eo quidem die in vulgato Hieronymi martyrologio, ut & à Beda, Floro, aliisque posterioribus notatur *S. Hilarii depositio.* His accedit Calendarium tom. 10. Spicil. è ms. Corbeiensi ann. 900. descriptum, in quo exstat, *Idus Jan. Octabas Epiphaniæ & depositio sancti Clarii episcopi*; nam *Hilarii* vel corruptè *Elarii* loco *Clarii* legendum esse perspicuum est. Absque ullo mendo codex Gellonensi monasterio à Carolo Magno datus habet: *Idus Januarii depositio S. Hilarii episcopi.* Plurimos præterea ac pervetustos consuluimus Sacramentorum, Missarum atque Collectarum libros, in quibus idipsum legere est. Eidem opinioni favet Sulpicius, dum Hilarium *sexto anno post quàm redierat, in patria obiisse* scribit. Sed minùs commodè cum ea componi queunt mox expendenda Hieronymi & Gregorii Turonensis verba. Neque verò Hilarii memoria ita in omnibus veteribus libris ad usum ecclesiasticorum Officiorum consecratis consignatur Idibus Januariis, ut non etiam aliter, puta aut alia Januarii die, aut 26. Junii, aut Calendis Novembribus in iis recolatur. Quod cùm audiunt, qui allatam sententiam tuentur, statim id ortum habere reclamant vel ex variis sancti ipsius corporis translationibus, vel ex recentioribus festorum celebrandorum ritibus, quibus non licet octavam Epiphaniæ illum diem, festumque S. Hilarii, pari sollemnitate simul celebrare. Alium quidem

pag. 264.

usum olim fuisse concedendum est: idque persuadet vel unus codex Sacramentorum Ratoldi abbatis Corbeiensis jussu ante annum 986. exaratus, in quo primùm occurrit titulus, *Idus Januarii Octabas Epiphaniæ & depositio S. Hilarii*: deinde Collectæ de S. Hilario præmittitur Collecta de Epiphania: tum *super oblata*, ordine præpostero, primò celebratur memoria S. Hilarii; cujus unius laudes postea in Præfatione resonant: sequuntur exinde tres de sola Epiphania benedictiones: ac demum *ad complendum* prima oratio rursum est de Epiphania, posterior de S. Hilario. Verùm iis, qui mss. per se consuluerint, non satisfacit hæc responsio. Nam etsi non ita multi, antiquitate tamen nihilo inferiores sunt, nec ad nostros ritus exacti codices, in quibus S. Hilarii festivitas Calendis Novembris recensetur. Hoc die in vetusto exemplari ecclesiæ S. Gatiani Turonensis habentur quinque Missæ, prima de omnibus sanctis, secunda de S. Cæsario, tertia & quarta item de omnibus Sanctis, quinta de S. Hilario, cum hac inscriptione, *Eadem quippe die Sollemnitas S. Hilarii episcopi & confessoris.* Sollemnem aliquam translationem hîc indicari ultro concederemus, nisi in codice regio ab annis circiter 900. scripto & in perantiquo Ebroicensis ecclesiæ Pontificali non simplex sollemnitas, sed *Natale sancti Hilarii* calendis iisdem prænotaretur.

114. Cum postrema hac epocha, si fortè Sulpicium excipias, longè meliùs quàm cum superiore convenit, quidquid veterum monumentis de morte Hilarii mandatum est. Ac primò quidem Gregorii Turon. testimonium est, quòd *quarto Valentiniani & Valentis anno S. Hilarius apud Pictavos plenus sanctitate & fide, multis undique virtutibus editis, migravit ad cælos.* At verò tertio calendas Martii anni 367. initium sumsit quartus Valentiniani & Valentis annus. Ut igitur in hunc non incidunt anni 367. idus Januariæ, ita nec in Hilarii exitum. In utrumque autem apprime quadrant calendæ Novembres. Idipsum prorsus ex Hieronymi chronico conficere est, in quo ad annum 367. ita recensetur Hilarii mors, ut Gratianus ad Imperii culmen evectus priùs memoretur. Nam cùm Gratianus, Idacio teste, nono calendas Septembris anni 367. Imperium adeptus sit: apud Hieronymum aptè dispositus est ordo rerum, si Hilarius calendis Novembris anni 367. ex hac vita migravit; secus, si idibus Januariis. Quid de Hermanno Contracto dicemus? Is quidem dum Hilarii obitum, etsi anno 367. altero tamen, post quàm Imperii consors Gratianus factus est, anno commemorat, pugnantia loquitur: ab explicatis tamen Hieronymi atque Gregorii verbis propiùs recedit. Adsunt præterea historiæ Ariminensis synodi Fragmenta XIV. & XV. in quibus Singidunensis conventiculi epistola 18. Decemb. die anni 366. data ac rescriptum Germinii aliquanto pòst missum continentur. Quis enim hæc è Pannoniis ad Hilarium Pictavis commorantem deferri, & ab eo in Opus suum addi intra idus Januarias potuisse concedat?

115. Has ob causas, qui omnium propè mss. auctoritate permoti, idus Januarias die Hilarii extremo insignitas sentiunt, illum ad annum 368. vixisse existimant. Cum hac opinione apprime conveniunt Gregorii Turon. verba, neque Hieronymi chronicon repugnat. In hoc enim, inquiunt, cùm Hilarii obitus ad ann. 367. novissimum locum obtineat, in initium anni 368. incidet, si hæc nota numeralis 368. uno tantùm versu attollatur. Ad utramlibet opinionem ægriùs accommodari valet quod ait Sulpicius, *Hilarius sexto anno post quàm redierat, in patria obiit.* Nam aut circa finem anni 360. aut circa anni 361. initium eum rediisse propè certum est. At Blondellus aliique, falsa præcedentium editionum lectione decepti, ut Hilarii cum Auxentio conflictum decem annos post Ariminensem synodum habitum perperam sentiunt, ita in annum 371. illius obitum falsò rejiciunt. Hunc cùm terræ motus, quem Nicææ anno 358. contigisse constat, Hieronymi in chronico excipiat; liquet præclarum hoc lumen ante

finem anni 358. orbi nostro ereptum, ut in cælo clarius refulgeret.

CAPUT XV. S. Hilarii miracula, Reliquiæ, discipuli.

116. Non sic cælum petiit Hilarius, ut terras penitus desereret. In his enim opem illius ac virtutem etiam pòst experti sunt plurimi. Tam multa ad illius tumulum patrata sunt miracula, ut Fortunatus ex iis, quæ sua ipsius ætate edita sunt, librum integrum confecerit. Fortunatus idem seu alius libri primi vitæ Hilarii auctor testis est, tumulum ejus in dies ob prodigia, *quæ usque in hodiernum diem*, inquit, *perseverant*, celebriorem fieri. Quod Nicetius Trevirorum episcopus in epistola ad Chlodosuind. confirmat his verbis: *Quid dicam de domino Germano*, Hilario, *vel Lupo episcopis, ubi tanta mirabilia hodie apparent, quantum nec dicere verbis valeo.*

(Præfat. lib. 2. n. 2. — ad calcem lib. 1. — Tom. 5. Concil. pag. 835.)

117. Gregorius Turonensis lib. 1. histor. Franc. c. 39. mortuos ab eo suscitatos tradit, & lib. de gloria Confess. c. 2. satis habens ea in memoriam revocare, quæ libro Fortunati secundo continentur, aliud adjicit, quod Reliquiarum illius ope in Gabalitano territorio factum est. Quamquam suspicio est, ibi Gregorium nominis similitudine deceptum Hilario Pictavensi attribuisse, quod Hilari Gabalitani seu Mimatensis episcopi fuerat. Neque tantùm intra Pictavorum fines, aut in locis in quibus asservarentur Hilarii Reliquiæ, ipsius in edendis prodigiis virtus emicuit: testatur quippe Flodoardus duas Remis in honorem sancti Confessoris ecclesias exstructas, & ambas miraculis illustres exstitisse.

(lib. 4. hist. Rem. c. 48.)

118. Alia variis in mss. occurrunt, nono, uti videtur, sæculo ab incertis auctoribus collecta: quorum fides etsi dubia est in iis quæ à suis temporibus remota sunt, non est tamen spernenda in iis quæ suo ævo contigisse testificantur. Collectionem hujuscemodi complectitur codex Colbertinus 59. in quo primùm legitur fabula de terra subitò excrescente in synodo coram Leone. Tum sequitur miraculum de muliere, quæ ad sancti Hilarii sepulcrum invito conjuge pallium obtulerat. 3°. mulier memoratur alia, quæ toto corpore debilis ad basilicam S. Petri à B. Hilario missa sanatur. Hinc Godam quamdam exhibent cæcam & claudam, quæ Hilarii suffragiis recepta sanitate ad suos redire non valet, & basilicæ ipsius verrendæ se mancipat. Narrant 5°. quo pacto sacris illius exuviis in basilicam S. Petri, nunc S. Genovefæ à Frothaldo abbate delatis, duo serpentes ab absida fugati fuerint, simulque memorant quod ipse vivus in insula Dives patraverat. 6°. nobilis feminæ mentio fit veluti auctoris ævo à dæmone liberatæ. De ea si quidem ait, *quæ etiam usque hodie vivere perhibetur, & ad Sancti luminaria pro suæ animæ corporisque salute votivum munus annuatim videtur exsolvere.* 8°. comparet puer, qui cùm ore aperto intra viscera serpentem admisisset; ductus ad insulam Dives, ubi sub invocatione S. Hilarii constructa erat basilica, curatus est. Narratur denique, quî Hilarius, Leonio præsente, extremum vitæ suæ diem egerit. Duo hæc postrema Vincentius Bellovacensis in historiali Speculo descripsit. Eadem fere aliaque continet ms. codex monasterii Longi-pontis Ordinis Cisterciensis, quæ *ab aliis neglecta vel per inertiam prætermissa* auctor se collegisse perhibet. In his tertium est de Dano, qui baptismum ficte suscepit: ut Ramnulfi Comitis manibus à sacro fonte susceptus, munificis albis potiretur. Mittimus quæ in Ottoboniano ms. exstant, quæve superioribus adjecit Aquitanicorum annalium scriptor Bouchetus, & ex eo Bollandus transtulit. Sed prætermittendum hîc non esset, nisi jam illud tetigissemus, quî Chlodoveus magnus in certamen adversùs Alaricum Gotthorum regem descendens, futuræ victoriæ omen in ecclesia S. Hilarii acceperit, ideoque suis præceperit militibus, ut à regionis illius populatione sese abstinerent, nec quidquam ex civium bonis violenter auferrent.

(Lib. 14. c. 51.)

(Hilarii nomen olim in sacro Missæ Canone recitabatur.)

119. Egregiam inclyti Præsulis sanctitatem, quam tot prodigiis Deus testatam fecit, Ecclesia singulari semper veneratione prosecuta est. Antiqui Sacramento-

A rum libri plerique memoriam illius in sacro venerandi Sacrificii Canone proximè post Martyres recolunt. Tres è Vaticana bibliotheca memorat E. C. Bona, qui sancti Confessoris nomen eo loco præ se ferunt. Quibus consentiunt Corbeiensis codex annorum circiter 700. Remigianus Caroli Magni ævo scriptus, Germanensis olim Gellonensi monasterio ejusdem Caroli dono datus, & alii quàm plurimi, quos enumerare longum esset ac supervacaneum. In ipsa etiam liturgia Mozarabica primum inter Confessores locum obtinet.

(Plurimæ basilicæ in honorem ejus exstructæ.)

120. Præterea ut suam erga eum reverentiam demonstrarent majores nostri, plurimas in honorem ipsius B basilicas ubique construxerunt. Emicuit præ ceteris sancti Aredii Atanensis in agro Lemovicensi Abbatis pietas. qui quod sibi ex nobilium parentum possessione obtigerat, ad sacram ædem sub sancti Hilarii invocatione excitandam magna ex parte contulit, ibique corpus suum sepulturæ mandandum constituit. Tantum autem abbati huic in meritis Hilarii fiduciæ fuit, ut cùm Nectarii Lemovicensis civis prædivitis dolorem levare cuperet, unicum illius filium exanimem ad se afferri, & *ad Reliquias sacratas B. Hilarii antistitis exponi* præceperit, ubi facta oratione mox eum C parenti incolumem reddidit.

(Analect. to. 4. p. 199. & 225. — Pag. 219.)

(Translatio prima ipsius corporis.)

121. Sacrarum illarum Reliquiarum prima ac celebris translatio * temporibus Chlodovei regis ac Fridelini abbatis facta memoratur. Petrus Damiani in anniversaria illius sollemnitate Sermone habito testatur, sanctum corpus in locum qui præparatus ei fuerat, propriis Angelorum manibus fuisse delatum. Idem prodigium legere est in uno Bellovacensis ecclesiæ ms. in quo præterea adjicitur, neminem exinde ausum esse sacrum corpus aut tangere, aut aliò tranferre: eamque ob causam nusquam alibi sacras illius haberi Reliquias, nisi fortè vestes sacerdotales, aut ex tumulo D ejus, qui argento tectus ibidem scribitur, collectum pulverem.

(* *De hac translatione vide annales eccles. C. Cointii ad ann. 538. n. 41. 42. & 43.*)

122. Hæc si vera sunt, saltem non diu obtinuisse videtur scrupulosa illa in sacra Hilarii ossa religio. Ea enim Gregorii Turonensis ævo distracta fuisse, propè persuadet quod ipse narrat, Dei nimirum sacerdotem, cùm quemdam Gabalitani territorii populum à vana circa stagnum superstitione revocare vellet, æde in honorem B. Hilarii *Pictavensis* constructa, in eaque collocatis ejus Reliquiis, populum his verbis adhortatum esse: *Nolite maculare animas vestras in his ritibus vanis;* E *sed potiùs cognoscite* (an colite) *Deum, & amicis ejus venerationem impendite: adorate autem S. Hilarium Dei antistitem, cujus hîc Reliquiæ sunt conditæ; ipse enim potest pro vobis apud Dei misericordiam intercessor exsistere.* Probabile quidem est, ut diximus, Gregorium similitudine nominis deceptum, Hilarii Pictavensis Reliquias falsò existimasse, quæ Hilari Mimatensis fuerint: at quin illas alibi quàm Pictavis haberi potuisse, ac re vera habitas esse senserit, nullus dubitandi locus relictus est. His accedit quod ex B. Aredii vita, Gregorio eodem, si titulo credas, auctore scripta superiùs retulimus. Hinc enim liquet, nonnullas ex B. Hilarii mem- F bris Reliquias apud Lemovicenses fuisse deportatas. Id tamen certiùs asserere esset, nisi ea ætate non tantùm ossa Sanctorum, sed & quæcumque ex locis, in quibus requiescerent, essent desumta, Reliquiarum nomine donata esse constaret. Testis est præterea Bollandus, in Belgii finibus haud procul à Lætiensi monasterio vicum esse vulgò *Wallers*, in quo brachii ejus os thecâ argenteâ inclusum etiamnum asservatur, eóque confluere hominum multitudinem, qui debitam ei reverentiam exhibeant.

(*Lib. de gloria Confess. c. 2.*)

(Translatio altera in basilicam S. Dionysii.)

123. Postmodum S. Hilarii corpus à Dagoberto rege in percelebrem sancti Dionysii basilicam transla- G tum fuisse, tra[?]tio est. quæ licet Carolo Cointio ad ann. 638. n. 6. non videatur certa, nulla tamen evidenti ratione refellitur. Huic quidem opponi potest quod scribit Alcuinus, *Be[?]ius fecunda Pictavia B. Hilarii pontificis Reliquiis exsulta[?], quàm venditionum & emtio-*

(*Homil. in Nat. S. Villibrordi.*)

num altercatione. Si enim Alcuini ævo Pictavorum civitas Hilarii Reliquiis exsultabat, has se Dagoberti beneficio possidere sancti Dionysii cœnobium falsò gloriatur. Verùm æquè reponere licet, hæc illum locutum esse de S. Antistitis cinere ac tumulo, ad quem populi tum confluerent, crebris virtutum signis, quæ Pictavis in dies edebantur, permoti. Ea ipsa quoque ratione commodè intelliguntur Petri Damiani verba, quibus Moysi sepulturâ cum Hilarii translatione comparatâ, quærit cur nesciatur illius tumulus, hujus verò quotidie cum tanta gloria Christianæ devotionis invisatur. Et verò multa etiamnum loca Sanctorum tumulis celebria magno hominum concursu invisuntur, quamvis aliò translata sint eorum corpora. Et ut per multa non excurrat oratio, quis S. Fiacrii opem imploraturus, non eum locum properet tumulo illius & crebris prodigiis clarissimum, quamvis Sancti ejusdem corpus Meldensis ecclesia retineat?

Serm. de Translat. S. Hilarii.

124. Longè minùs movere debet, quod aiunt nonnulli, sancti Confessoris corpus superiore sæculo Pictavis à Calvini sectariis igne consumtum esse. Nam duobus diplomatis an. 1394. datis & apud Bollandum relatis Pictavenses ipsi profitentur, non jam apud se, sed in sancti Dionysii monasterio sacras patroni ac pastoris sui Reliquias asservari.

13. Janv. p. 802.

125. Verùm quid opponet Cointius antiquo Augiensis monasterii monumento circa initia sæculi noni scripto, in quo hujus monasterii cum diversis aliis societates recensentur? In eo quippe legere est, *Ex Cella S. Dionysii, ubi Confessor Christi Hilarus quiescit humatus, Hilduinus abba.* Unde conficitur, tam notum ubique sæculo nono fuisse, quòd sacræ Hilarii exuviæ in asceterio S. Dionysii in Francia requiescerent, ut etiam apud Germanos hac una nota à ceteris ejusdem nominis monasteriis discerneretur. An reponet, non hìc abbatiam S. Dionysii in Francia, sed prioratum ejusdem monasterii in Alsatia indicari? Verùm ex prioribus hujus monumenti verbis, quibus proximè post monasteria *S. Germani* & *S. Michaelis* subjicitur *S. Dionysii*, apparet monasterium Franciæ intelligendum. Neque inde dubitari permittit Hilduini abbatis nomen, anno 814. S. Dionysii in Francia Monachis præfecti. Sed esto, *Cella* hìc sit, quam celebre S. Dionysii monasterium in Alsatia obtinebat, non ipsummet S. Dionysii monasterium. An id sibi volent verba superiùs allata, Hilarum Confessorem in hac Cella quiescere? An potiùs hanc Cellam ad celebre illud S. Dionysii monasterium pertinere, *in quo Confessor Christi Hilarus quiescit humatus?*

Anal. to. 4. p. 644.

126. Responderet fortè, Hilarum Gabalitanum ibi designari, nisi Sancti hujus in laudatum cœnobium translationem recentiorem esse * ipse approbasset. Sed & Hilarium quis audiat *Confessoris Christi* titulo decoratum, nec statim Pictavensem cogitet? Neque facilè mihi persuaserim, tantam olim fuisse Hilari Gabalitani famam, ut à sacris ejus exuviis celeberrimum S. Dionysii monasterium maximè apud Germanos nominatum sit. Hoccine sic effectum putes, ut cùm Hilarum in basilica S. Dionysii requiescere famâ percrebuisset, is statim in dissitis regionibus existimatus sit, qui & ætate & gestis ceteros ejusdem nominis anteiret? At neque id licet opinari, cùm non unius Hilarii, sed utriusque, & Pictavensis scilicet & Gabalitani, Reliquiis S. Dionysii ecclesia sibi gratuletur. Nunc quidem resecatâ litterâ *i* Gabalitanum episcopum *Hilari* nomine ab Hilario Pictavensi discernit: at apud antiquos nulla fereest hæc distinctio, apud quos etiam Pictavensis, in gignendi præsertim casu, *Hilari* nomine constanter donatur. Unde antiquus scriptor apud Photium cùm Hilarii nostri laudet scripta, eum ob nominis similitudinem *Gabalorum episcopum* cognominat. His accedit quòd nondum, ut diximus, in basilicam S. Dionysii delata fuerant S. Hilari Gabalitani sacra ossa, cùm scriptum est vetus illud Augiensis monasterii monumentum. Itaque sæculo nono indubitatum erat, magnum Hilarium in illa requiescere.

** ad ann. 638. n. 12.*

127. Non immeritò igitur Dionysianum cœnobium de tanto thesauro gaudeat, de cujus jactura sicut nihil certum fertur, immo nihil nisi falsum; ita & de eius possessione nullus alius locus gloriatur. Neque hanc rem, puto, in dubium vocasset Cointius, si antiquum Augiensis monasterii monumentum ei videre licuisset. Adeo errori proximus est, qui ad respuendum quod à majoribus acceptum est, levibus quibusque conjecturis inclinatur. Nos illis potiorem habentes fidem, Hilarium Christi Confessorem in monasterio S. Dionysii quiescere credimus, & sacra ejus ossa, quæ catholicis omnibus magno in honore & pretio esse meruerunt, debito cultu veneramur. Sed de his satis: reliquum est ut de sanctis Hilarii discipulis nonnulla delibemus.

128. Inter primos numerant S. Justum, à B. Hilario sacerdotii gradu donatum, & ab eo missum ad Petracorios, ac prope Lemovicos sepultum, cujus memoria Novembris die 25. recolitur. Hilarii vita, quam ab eo scriptam dicunt, & in cimelio magni Hilarii repertam, aut falsa aut certè interpolata est. Quis enim Hilarii discipulum Operis ejus auctorem sibi persuadeat, in quo Hilarii cum Leone papa in synodo Romana altercatio, meraque fabula à nobis jam refutata, occurrit?

S. Justus. Bouchet lib. 1. c. 10.

129. Apud Pictavos prima Februarii die celebris est sollemnitas S. Leonii, Hilarii laborum, ut aiunt, comitis individui, quem in mss. nonnullis legimus à B. Hilario jamjam morituro accersitum, ipsius obitûs testem adstitisse. Nihil præterea de eo succurrit apud antiquos Vincentio Bellovacensi superiores.

Leonius.

130. Gregorius Turonensis Lupianum memorat, ab Hilario institutum & baptizatum: qui mox ut salutari lavacro ablutus est, migraverit ex hac vita, sepultusque in vico Ratiatensi juxta Nannetes miraculis claruerit. In aliquot ecclesiis prima Julii dies S. Lupiano sacra est: & apud Clarum-montem 17. Februarii die recolitur translatio S. Lupiani, ejusdemne, an alterius, incertum. Certè Lupianus nullus in fastis Arvennicis.

Lupianus. De gloria Conf. c. 54.

131. Jam in superioribus actum est de Florentia, quam etsi Pictavenses 1. die Decembris colunt; Ferrarius tamen, auctore Canisio, prima Julii die Florentiam commemorat Hilarii discipulam, quam & in Dania collocat.

Florentia.

132. Florentiæ exemplum imitata videtur insignis illa Triasia, quæ relictis parentibus, opibusque contemtis Hilarium convenisse dicitur, ut vitæ instituendæ formam ab eo exciperet. Pictavis parœcialis basilica nomine illius insignita exstat eo ipso in loco, in quo eam intra cellulam per multos annos ad mortem usque latuisse traditio est. Hanc nonnulli suspicantur reclusam eam esse, cujus cum laude non vulgari meminit Sulpicius, quæ virorum omnium conspectum ita sibi negaverat, ut ne sanctum quidem Martinum officii causâ eam invisere cupientem voluerit admittere.

Triasia. Sulpic. dial. 2. p. 415.

133. At si ex discipulis Hilarii gloria aucta est, quanta ei accessit ex Martini institutione. Per hunc enim in antistites ac monachos innumeros, quorum pia conversatione Gallia deinde decorata est, sanctitatis semina respersit: quæ utinam & hac nostra ætate utriusque Pontificis sanctissimi meritis, patrociniis, & exemplis in Ecclesia præsertim Gallicana ita repullulent ac reflorescant, ut in posterum nec hæreseos monstra admittat, nec sacerdotii dignitatem ac sanctimoniam obscurari aut contaminari patiatur.

Martinus.

VITA

VITA SANCTI HILARII AUCTORE HIERONYMO

Lib. de Script. eccl.

HILARIUS urbis Pictavorum Aquitaniæ episcopus, factione Saturnini Arelatensis episcopi, de synodo Byterrensi Phrygiam relegatus, duodecim adversùs Arianos confecit libros: & alium librum de Synodis, quem ad Galliarum episcopos scripsit: & in Psalmos commentarios, primum videlicet & secundum, & à quinquagesimo-primo usque ad sexagesimum-secundum, & à centesimo-decimo-octavo usque ad extremum: in quo Opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de suo addidit. Est ejus & ad Constantium libellus, quem viventi Constantinopoli porrexerat: & alius in Con- A stantium, quem post mortem ejus scripsit: & liber adversùs Valentem & Ursacium, historiam Ariminensis & Seleuciensis synodi continens: & ad præfectum Sallustium, sive contra Dioscorum: & liber hymnorum, & mysteriorum alius: & commentarii in Matthæum: & Tractatus in Job, quos de græco Origenis ad sensum transtulit: & alius elegans libellus contra Auxentium: & nonnullæ ad diversos epistolæ. Aiunt quidam, scripsisse eum & in Cantica canticorum; sed à nobis hoc Opus ignoratur. Mortuus est Pictavis, Valentiniano & Valente regnantibus.

ADMONITIO IN DUOS LIBROS SUBSEQUENTES.

ETIAMSI *duo de vita Hilarii libri Fortunatum auctorem præ se ferant, Pascentio ambo inscribantur, & ambo eadem præfandi & incipiendi ratione conveniant: an unus tamen utriusque auctor, quisve ille fuerit, non admodum perspicuum est. Ut enim post Hilarium multi leguntur Fortunati: ita & in Annalibus Aquitanicis duo memorantur Pascentii, unus scilicet Hilarii discipulus, & in Pictavensi sede successor; alter, qui ejusdem ecclesiæ regimen S. Radegundis ævo suscepit. Libri primi scriptor Hilario se coævum facere videtur, ubi hoc Opus à se susceptum testatur rogatu Pascentii, quem* sacratissimus Hilarius ab ipsis cunabulis ante sua vestigia quasi peculiarem vernulam familiariter enutrivit: *ac paulo pòst subjicit,* æquabilius fuisse, hæc beato Ambrosio de fratre scribenda mandare. *Verùm, ut optimè observavit Bollandus, sic exponi commodè possunt priora illa verba, ut his Pascentius à puero in ecclesia Pictavensi institutus dicatur; posteriora autem, ut iis desideretur quispiam eloquentiâ Ambrosio similis, qui ut ille fratrem Satyrum, ita & Hilarium dignis laudibus celebret. An verò auctor Ambrosio æqualis de ipso diceret,* cui verba florebant, *aut Hilarium* antiquissimum sacerdotem *cognominaret? an de Concilio Biterrensi, de Saturnino Arelatensi, de congressu cum Auxentio ne verbum quidem facere ei licuisset? Stilum quoque si attendas, sanè quartum sæculum non sapit. In plerisque mss. solus exstat liber primus: & in secundo nulla mentio fit primi, neque in hoc alter promittitur.*

De altero hoc constat, eum scilicet post Chlodovei tempora vivente adhuc Probiano scriptum. Is vulgò creditur Bituricensis episcopus, qui anno 555. Parisiensi Concilio interfuit, & an. 568. juxta Cointium obiit: maximè cùm eo ipso tempore, uti Gregorius Turon. lib. 4. c. 18. scripto mandavit, Pascentius Pictavensi ecclesiæ præfuerit. Unde quod idem Gregorius lib. de gloria Conf. c. 2. ait, Virtutes multas ad sancti Hilarii sepulcrum ostensas narrari, quas liber vitæ ejus continet, *vix ad alterum librum referre licet. Et quia tum Venantius Fortunatus, qui postea Pictavensis episcopus fuit, ex Italia in Gallias venerat; existimat Bollandus cum pluribus aliis, Hilarii vitam duobus libris sequentibus comprehensam ab hoc Fortunato editam esse, ubi eam è veteribus monumentis erutam paululùm expoliisset. Hinc stili à ceteris ejus Operibus diversitatem explicat. Addere potuisset, & proprias quasdam Venantii locutiones in eo Opere indidem deprehendi. At non dissimulavit, Gregorium Turonensem, cùm Venantii sibi familiaris Opera numquam memorare soleat, quin simul & auctorem nominet; hoc tamen, ut vidimus, laudasse, nec nomen auctoris appellasse. Molanus juxta martyrologium ecclesiæ Parisiensis ad 18. Junii diem Fortunati alterius meminit, à quo S. Marcelli Parisiensis episcopi vita rogante S. Germano scripta sit, & cui ipse S. Germanus superstes fuerit; adeoque paulo antiquioris Venantio Fortunato, à quo S. Germani gesta nobis transmissa sunt. Verùm diversus-ne sit, an unus utriusque libri scriptor; isne censendus sit Venantius Fortunatus, an alter paulo superior; parvi refert. Hoc certè negari nequit, posteriorem librum saltem medio sæculo sexto esse conscriptum.*

a

VITA SANCTI HILARII A FORTUNATO [a] SCRIPTA.

b

[b] PRÆFATIO AUCTORIS IN LIBRUM I. B

Domino sancto, & meritis beatissimo patri, Pascentio papæ Fortunatus.

1. RELIGIOSI pectoris, studio sollicitante commonitus, Papa beatissime, divinis in actibus cum sacri conversatione propositi jugiter exercitaris intentus, & intendis exercitandus: ut facilè sit perspicuum, ad culturam ecclesiasticæ disciplinæ & fuisse te genitum, & esse provectum; cùm irrefragabiliter veteris dispositionis catholici dogmatis fundamenta custos observas, & ad ædificationem plebis amantissimæ, velu-

[a] In ms. Colb. *Vita S. Hilarii à servo suo Fortunato presbytero, postea episcopo.*

[b] Præfationis hujus loco in codice Compendiensi ab annis circiter 800. scripto brevior exstat prologus: quem mendosum licèt, hîc adtexere nonnihil juverit. *Prologus ex gestis sancti Hilarii Pictavensis episcopi & confessoris. Idus Januarii.*

Beatissimi Hilarii confessoris vitam vel opera non unius sed multorum relatione comperimus in laudem Domini nostri J. C. memoria traditam, & bellandem Christi eorum opusculis contra Arii perfidiam luculentissimè flore defloratum, & multiplicia in eis ad vera fidei confessionem texere gesta. Hujuscemodi re (f. rei) beatus Hieronymus maximus stipulator enitet. Qualiter vel quomodo in synodo Ariminensi temporibus Constantii principis sub Tauro præfecto miles Christi dimicarit, exsiliumque pertulerit in Phrygia, lustrumque exsulaverit, omnibus rectæ piæque fidei sequacibus notum habetur. Prologum hunc vita excipit Fortunati verbis expressa, iis tamen identidem mutatis,

Auctor est Fortunato ut vitam S. Hilarii scribat.

ti bonus instructor, adjiciendo aliquid, culmen fabricæ continuare festinas, non sine timore divino. Cujus operis amore præventus, me dignatus es perurgere, quò de actibus sacratissimi viri Hilarii confessoris, qui te ab ipsis cunabulis ante sua vestigia, quasi peculiarem vernulam, familiariter enutrivit, ut impensi muneris vel verba [a] rependerem, & si non plenè, vel quadam ex parte complexa perstringerem: quatenus dum gregis auribus vox quodam modo & vita Pastoris antiquissimi resonaret, & ille probaret ministerium, & ipse tuum non celares affectum.

Hoc opus superare vires reponit Fortunatus.

2. Sed cùm mei ingenii brevitatem mensuro, adeo beati Hilarii immensitatem fortem cognosco, ut pænè mihi videatur æquale, tum istud posse dicere, quàm digito cælum tangere: præsertim quòd etiam beati, ut audio, Hieronymi torrens illud eloquium recusaverit attentare, qui huic materiæ se imparem eatenus judicaverit, ut taceret. Ego verò, cui nullius scientiæ irrigua fluenta succurrunt, quem vix stillicidii pauperis attenuata gutta perfundit, nihil proprio de fonte respirans, qua temeritate inter ingentia flumina, Euphratem beati Hilarii, & Nilum Hieronymi, siccos velim cursus extendere, cùm de illo etiam doctissimi viri quidquid dicere potuerunt, minus est quàm meretur? Et cùm virum sanctissimum consultius mihi sit mirari, quàm loqui; æquabilius fuerat hæc beato Ambrosio de fratre scribenda mandare, cui verba virtutibus conjuncta florebant. Tamen etsi cum mea verecundia vobis quidem obedientiam, & illi impendo, de quo non dignè loquor, fortasse injuriam: sed concedi per veniam credimus, quod devotione peccatur. Et ne protracta pagina fastidium potiùs generet, quàm provocet auditorem; nunc de ejus vita proponamus.

LIBER PRIMUS.

S. Hilarii patria, [b] [c] generis splendor,

3. Igitur beatus Hilarius Pictavorum urbis episcopus, [b] regionis Aquitaniæ oriundus fuit: quæ ob Oceano Britannico ferè millibus [c] nonaginta sejungitur: apud Gallicanas verò familias nobilitatis lampade non obscurus, immo magis præ ceteris gratiâ generositatis ornatus, nitore pectoris addito quasi refulgens Lucifer inter astra, processit. Cujus à cunabulis tantâ sapientiâ primitiva lactabatur infantia, ut jam tunc potuisset intelligi Christum in suis causis, pro obtinenda victoria, necessarium sibi jussisse militem propagari. Denique conjugem habens & filiam, ita plenitudine Domini venerabiles animos ecclesiasticæ regulæ tradidit informandos, ut adhuc in laicali proposito constitutus, divino nutu, pontificis gratiam possideret; ita se ipsum propriâ disciplinâ coërcebat [d] intonsus, quasi futuram speciem indicans, ut irreprehensibilis in templo Christi præpararetur sacerdos. Nam quod inter mortales adhuc valde videtur difficile, tam cautum esse quemquam, qui se à Judæis vel hæreticis cibo suspendat: adeo vir sanctissimus hostes catholicæ religionis abhorruit, ut non dicam convivium, sed neque salutatio ei fuerit cum his prætereunti communis. Vitabat hæc Davidico suffultus exemplo, ne cum hæreticis mensam participando, fieret illi in scandalum. O quàm perfectissimum laicum, cujus imitatores ipsi etiam esse desiderant sacerdotes; cui non fuit aliud vivere, nisi Christum cum dilectione timere, & cum timore diligere; cujus sequaces currunt ad gloriam, divertentes ad pœnam; credenti succedunt præmia, recusanti tormenta! Qui omnes de pio religionis opere commonens, nunc alios de confessione inæstimabilis sanctæ Trinitatis informans, nunc reliquos promissione regni cælestis invitans, non cessabat in plebem verba veritatis fructum fidei redundantia seminare.

in conjugio sacerdotales virtutes.

Judæos & hæreticos aversatur.

Psal. 68. 23.

Fidei doctrinâ omnes imbuit.

Episcopus eligitur.

4. Quo cognito de S. Hilario, quoniam tantum lumen, etsi voluisset, latere non potuit, quippe * necessarius, ut alienas tenebras in lucem transferret, concordante favore populi, aut potiùs Dei Spiritu proclamante, vir olim mysteriis deputatus, aliquando sacris altaribus sacerdos electus est. Crescebat in eo quotidie opinio famulatrix virtutum: nec erat fama ejus contenta circumjectas tantùm Gallias illustrare, sed exteras nationes & regiones implebat meritorum gratiâ percurrente: sicque actum est, ut in toto orbe velociter beati pontificis gloria militaret.

** al. necessarium.*

Arianis adversatus, in Phrygiam relegatur.

5. Igitur Constantii Imperatoris tempore, cùm Ariana hæresis, venenata de radice [e] flore toxico pullularet; tunc vir sanctissimus timore nudus, fidei fervore vestitus, quasi signifer belligerator per medias acies inter hostiles fremitus, inter hæreticos gladios se ingerebat intrepidus. Christi caritate securus, nihil de sua morte formidans, illud solum [f] metuens, quod absit, præjudicio religionis, in lato ne viveret. Hinc à Valente & Ursacio episcopis, qui prava credulitate Ecclesiam Dei turbare pertinaciter insistebant, Imperatori persuasum est, ut virum eruditissimum, de quo loquimur, & Dionysium Mediolanensem, & Eusebium Vercellensem exsilio * condemnaret. Nihil enim poterat ante insuperabilem sancti Hilarii facundiam hæreticus obtinere. Sperabat enim hostis fidei, aliquas se nebulas splendori catholico posse prætendere, si retrusus exsilio vir talis à certamine defuisset: quoniam si quis perversus voluit cum illo confligere, ac si mutus & claudus, nec verba poterat proferre, nec responsionibus currere: sed quasi natans in pelago, ante fluctum ejus eloquentiæ mergebatur. Itaque * in Phrygiam Asiæ regionem missus exsilio ad augmentum virtutis, gratias egit Deo: quia quantum pro nomine Christi longiùs discedebat de solo proprio, tantum merebatur fieri vicinior cælo.

** Hoc uno & eodem anno contigit.*

** Vetus codex Colb. in frigida Asiæ regionis.*

Epistola ejus ad filiam, cui virginitatem persuadet.

6. Qui dum ad locum pervenisset optabilem, nobis tacendum non est, quod illi divinitùs concessum est. Nam eo tempore, sancto sibi Spiritu revelante, cognovit quòd beatissimam [g] Abram filiam suam, quam cum matre Pictavis reliquerat, quidam juvenis nobilissimus, prædives, pulcherrimus, conjugii vinculo sibi quæreret adnectendam. Sed ipse interventu orationis assiduæ, cælestem illi sponsum sine contaminatione providerat. Mox opportunitate reperta, manu propria subscriptam [h] filiæ direxit epistolam, sufficienti sale conditam, & velut aromaticis unguentis infusam, quæ tenetur Pictavis pro munere conservata: indicans ei, quòd talem sponsum anxius pater illi providisset, cujus nobilitas cælos ascenderet, pulcritudo rosarum & lilii comparationem præcederet, oculi gemmarum [i] lumen obnubilarent, vestis candorem nivis opprimeret, ornamenta inæstimabili fulgore vernarent, divitiæ intra se regna concluderent: ejus sapientia incomprehensibilis emanaret, dulcedo favi mella postponeret, pudicitia incontaminata persisteret, odor suavitate fragraret, thesauri sine defectione constarent. Addit ergo monitis, ut filia nulli

[a] Aliquot mss. *rependeres*, seu, *rependeris*. Tum, *etsi non plenè, vel ex parte perstringerem.*

[b] In veteri codice Colb. *regione Aquitaniæ*. In solis edit. *regionis Aquitaniæ partibus*. Hîc Pictavensis civitatis jam expressæ videtur auctor vitare voluisse repetitionem.

[c] Gemeticensis codex cum Compend. *octuaginta*.

[d] Ita meliores mss. quo verbo id significatur tempus, quo nondum per tonsuram Clero adjunctus erat Hilarius. In aliis libris, *intentus*.

[e] Quidam mss. *floris toxici*. Magis placeret cum Compend. *dira contagia pullularet*, si & alter suffragaretur.

[f] In vulgatis, *illud solum metuebat, ne præjudicium religioni, quod absit, illatum prævaleret*. Elegantior est lectio, quam exhibemus ex potioribus mss. Horum in uno exstat *illata*, non *in lato*. Mox ex iisdem restituimus, *prava credulitate*; ubi obtinuerat *crudelitate*.

[g] In pluribus mss. constanter scribitur, *Apram*.

[h] Additum hîc erat, *infrà post librum secundum*: quod ex margine irrepsit in textum.

[i] Gillotiana editio, *lumine luminarent*. Compend. mss. *lumina inluminarent*.

a ſe priùs à matre diviſa conjungeret,[a] quàm ut patris exſpectaret pollicitum, & ſponſum pariter cum promiſſione venturum. Quod Abra dulciter excipiens, & quaſi ſponſum futurum in epiſtola patris amplectens, admonitionem ſecuta eſt, nulli in conjugio ſe reſolvens. Sed qualiter ad illum ſponſum pervenerit, locus in ſequenti ſervatur.

Inter eundum Seleuciam, Florentiam baptizat.

7. Interea cùm toto orbe Arianæ hæreſis perverſitas pullularet; dato generaliter Imperatoris edicto, ut omnes Orientales epiſcopi apud Seleuciam Iſauriæ oppidum convenirent, diſceptaturi quid ſentirent de fidei veritate, tunc inter reliquos, quarto jam exſilii anno, de Phrygia ſanctus Hilarius in prædicto loco [b] data ſibi pergendi evectione, ad ſynodum venire compellitur. Qui quoddam caſtellum dum adiſſet, die Dominico ingreſſus eſt templum: moxque Florentia puella gentilis, irrumpens multitudinem populi, voce magna ſervum Dei illuc adveniſſe teſtata eſt: & ad pedes ejus accurrens, non ceſſavit petere, niſi ſignum crucis * ab ipſo ſibi fieri fideliter impetraſſet. Quam Florentius pater ſecutus eſt, & cuncta familia in nomine Domini meruerunt pariter baptizari. Quæ Florentia, relictis parentibus, veſtigiis ejus inhærens, uſque Pictavos perducta eſt: patrem verò ſe habere, non à quo generata eſt, ſed per quem regenerata eſt, prædicabat.

* quo catechumena evaderet.

Seleuciæ ac deinde Conſtantinopoli ab cogeſta.

8. Cùm verò Seleuciam perveniſſet, magno favore à cunctis exceptus eſt, eò quòd divina miſericordia talem virum prudentiſſimum, & ſingulari eruditione compertum, in ſpectaculum mundi produxerit, ubi erat de fide cenſendum. Hinc poſt examinationem agnitis hoſtibus & oppreſſis, decretis in ſcripto conditis, proſpera gerens ſynodi ad Imperatorem dirigitur legatio: cum qua perrexit ſanctus Hilarius, quamvis ei non fuiſſet injunctum, metuens ne adhuc contra religionis dogmata reſpiraret damnata perfidia. Sed differere longum eſt, qualiter in Ariminenſi ſynodo, compoſita [c] mentione aliud ex alio referens, fraus hæretica ſerpentino lapſu ſubrepſerit, & quomodo poſtea legatis Seleucenſibus per Imperatoris iniquitatem ipſa eſt illata calumnia. Quod tamen athleta Chriſti beatus Hilarius agnoſcens, graviter dolet apud Ariminum diaboli prævaluiſſe mendacium, in tantum ut & Orientales partes ſimiliter compoſito pravitatis fuco inficeret. Imperatori autem * tribus libellis oblatis, preces effudit: ut in ejus conſpectu collectis adverſariis eſſet ei contra hæreticos diſceptandi de religione licentia, ne veritatem falſitas obumbraret, ne æquitati iniquitas prævaleret, ne Imperator Deo reſiſteret, [d] ne fidei perfidia rebellaret. Unde Valens & Urſacius conſcientiæ reatu perterriti, quoniam, ſi daretur facultas certandi, mox ſe recognoſcebant Hilarii contentione proſterni: ſollicitant Imperatoris animum, [e] tam maligna parte captivum, ut ipſum Dei virum ad Gallias redire perurgeret, dicentes, illo præſente hæretica non poſſe machinamenta proficere. Quo obtentu, ad Gallias compulſus revertitur, putans amplius ſe pati exſilium, quòd illic perturbationem Eccleſiæ relinquebat, termino diſceptationis non conſecuto. O beatum pontificem, qui in ſummo diſcrimine, inimico etiam ſibi judice, adiit tribunal Imperii, ſine timore tormenti! Verè totis viſceribus diligebat Chriſti regnum, qui non formidabat in principatu Conſtantium. Nam quòd ſe pro Domino ſic ingerebat aperto periculo, optabat martyrium, ſi non defuiſſet percuſſor: & tamen animus ſumſit gloriam, etſi tempus non intulit pœnam. Sed hunc ipſum divino nutu ſervatum teſtificor pro correctione [f] cunctorum. Nam pæne totum mundum gravi errore confuſum, factis ſæpius in Gallia ſynodis, per Hilarium fuiſſe ad viam veritatis adductum, confitetur lingua multorum. Quid autem intereſt, [g] vel ſibi pro æterna vita factum fuiſſe martyrem; vel ampliùs vixiſſe, reliqui ne perirent? Igitur ſanctiſſimam animam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrii non amiſit.

* Sic Sulpic. Sever. l. 2. p. 261.

In Gallias redit.

Martyr ſtudio.

Cunctorum ſaluti ſervatur.

9. Itaque dum regrederetur ad propria, tunc beatus Martinus, æquè meritorum lumine [h] non abſconſus, qui ab eodem S. Hilario exorciſta eſt poſtea conſtitutus, cognito adventu ejus, Romam feſtinanter occurrit. Quem cùm jam præteriſſe cognoſceret, uſque ad Gallias conſecutus eſt. Neque enim Martinus, * qui adhuc catechumenus Chriſtum chlamyde ſua tectum videre meruit, illi devotus occurreret, niſi per omnia myſteriis plenum in eo ſpiritum prævidiſſet. Nec mirum, ſi ille, qui Deum priùs vidit in paupere, poſtea illum habitare cognoſceret in doctore.

Redeuntē proſequitur ſanctus Martinus.

* Ita Sulp. Sev. in vita S. Martini p. 290.

10. Illud etiam nobis non convenit tam nobile præterire miraculum. Nam cùm [i] circa Gallinariam inſulam propinquaret, relatione agnovit vicinorum, ibidem ingentia ſerpentium volumina ſine numero pervagari: & ob hoc quamvis illis hæc inſula videretur vicina, propter inacceſſibilem tamen locum longiùs illis videbatur eſſe, quàm Africa. Quo audito, vir Dei ſentiens ſibi de beſtiali pugna venire victoriam, in nomine Domini, præcedente crucis auxilio, deſcendit in inſulam: eoque viſo, ſerpentes in fugam converſi ſunt, non tolerantes ejus adſpectum. Tunc baculum figens in terram, quaſi metam, quò uſque deberent excurrere, virtutis * potentiâ deſignavit: nec ampliùs libertas eſt illis occupare, quod vetuit, [k] tanquam ſi reliqua pars inſulæ non ſit terra, ſed pelagus; quia dum ſemper illam partem verentur attingere, faciliùs erat illis mare tranſire, [l] quàm vocem. O immutabilem terminum, de ſermone plantatum! Apparet, quantum eſt melior Adam ſecundus antiquo. Ille ſerpenti paruit: iſte ſervos habet qui poſſunt ſerpentibus imperare. Ille per beſtiam de ſede paradiſi projectus eſt: iſte de ſuis cubilibus ſerpentes excluſit. Depoſuit anguis [m] antiqui mendacium, qui didicit implere mandatum. O Hilarii dulcedo, medicamentum & meracum, ante quem ſine mora venena fugata ſunt! Addidit terram

Ex inſulâ Gallinaria ſerpentes fugat.

* In duobus mſſ. potentiam.

a Ita codex Compend. Alii verò, *ut patrem exſpectaret ſibi pollicitum.* Antea in quatuor mſſ. *priùs malè diviſa*, non, *priùs à matre diviſa.*

b Aliquot mſſ. *data vectione*, vel, *evectione.* Sulpicius Sev. *data evectionis copia.* Habetur l. 12. Cod. de curſu publico, *Evectionum copiam, cùm proficiſcendi ad nos neceſſitas fuerit, ſerenitas noſtra largita eſt.*

c Legendum haud dubiè *mentitione.* Hoc enim dictum eſt de mendacio Arianorum, quo vocem ſubſtantiæ ab Orientalibus omnino reſpui impudenter mentiti ſunt. In mſ. Compend. *compoſitum mendacium.*

d In vulgatis, *ne Trinitatis fidei iniquitatis perfidia*: interpolatoris operâ.

e Sic potiores mſſ. Vetuſtior è Colb. *tam maligna re per artem captivum.* Ceteri verò libri, *jam magna ex parte captivum.*

f Editi, *multorum*: renitentibus pleriſque mſſ. quibus ſuffragatur illud Sulpicii pag. 262. *Optimum factu arbitratus revocare cunctos ad pænitentiam, frequentibus intra Gallias Conciliis* &c.

g In vulgatis, *vel ſi.* In pluribus mſſ. *vel ſe.* Magis placet cum potioribus, *vel ſibi*, hoc eſt, quod ſibi uni profuiſſet.

h Antiquior mſ. Colb. *non obſcurus.* Tum Compend. *qui ab Hilario defenſore ſancto exorciſta* &c. omiſſa voce *poſtea*, quam per gloſſema huc irrepſiſſe cenſet Bollandus. Aliàs certè pugnaret hîc Fortunatus cum Sulpicio, qui Martinum ab Hilario, antè quàm exſularet, exorciſtam ordinatum eſſe ſcribit.

i Plures mſſ. *circa Dives Galliarum inſulam*: ſicque Bouchetus legit, ac putat hanc inſulam ad rupes Primalienſes ſitam. Haud procul Rupellâ, uti Bollandus obſervavit, vicum *Yves* & pontem *d'Yves* exhibent tabulæ in Alneſio. Valeſius autem in notit. Gallic. p. 390. 2. notat, inſulam *Divam* proximam eſſe tum oſtio Separis, tum alteri inſulæ, quæ latinè *Oia* vel *Ogia*, vulgò, *l'iſle-Dieu* nuncupatur. Quamvis mſſ. vetuſtiorum auctoritate retineamus, *Gallinariam inſulam*; eam tamen arbitramur aliam fuiſſe ab inſula ejuſdem nominis in mari Tuſco ſita, quam Martinus incoluit. Aliàs Martinus in ea Hilarium exſpectaſſet, nec Romæ tentaſſet ei occurrere, ſi hac illius iter fuiſſet. Falsò etiam inhabitabilis dicitur, quæ à Martino fuiſſet habitata.

k In vulgatis, *& tamquam ſi hæc inſula.* In duobus probæ notæ mſſ. *tamquam pars terræ non ſit terra.* In ceteris, ut in textu.

l Vetuſtior è mſſ. Colb. *quàm huc eſſe.*

m Ita vetus codex Colb. Alii verò, *antiquum mendacium.* Mox aliquot mſſ. *ô Hilarii dulcedo*, ac deinde cum edit. Gil. *medicamentum & meritum.*

hominibus, quia in loco beluæ incola transmigravit. Sed revertamur ad ordinem.

Qui Pictavis exceptus.

11. Cùm de exsilio regressus, introivit Pictavis, summo favore plaudebant omnes pariter, eo quòd ecclesia recepisset pontificem, grex pastorem: & ac si omnes cum ipso tunc redissent ad patriam, ita sine illo se exsules fuisse deflebant.

Infantem sine baptismo defunctum suscitat.

12. Itaque beatum Martinum in vico [a] Locogeiaco nomine dum præcepisset consistere, virtute divina meruit ibi beatus Martinus mortuum suscitare. Deinde post aliquot dies infans quidam sine baptismi regeneratione defunctus est: duplici morte damnatus, præsentem amiserat lucem, & pœnâ futuri sæculi non carebat. Tunc mater exstincti, quæ jam mater non erat dum filium non habebat, provoluta ad pedes sancti Hilarii, præcedentibus lacrymis, nati sui corpus effudit, exclamans, Martinus adhuc incipiens, catechumenum mortuum revocavit; tu pontifex redde, rogo, filium aut mihi aut baptismo: qui populi pater agnosceris, ut ego mater vocer, quæso obtineas. Sic illâ plus lacrymis petente quàm verbis, commotus est pietate vir Dei & spectante populo, [b] ad consueta arma recurrens, in terram prosternitur. Mox paulatim defuncti pallor in ruborem convertitur, frigida membra revocato spiritu intepescunt, oculi apertis palpebrarum januis peregrinum lumen agnoscunt, vox adducto aëre de pectoris domicilio conflata profertur, gressus suis vestigiis redivivus extenditur, in anterioris fundamenti statum tota fabrica renovatur. Quid plura? Tamdiu jacuit sacerdos in pulvere, donec pariter surgerent, senex de oratione, infans de morte. Ecce vita laudabilis, quæ de alterius corpore necem precibus effugavit, spoliavit tartarum spem habens in Christo. Mors ibi jura non tenuit, ubi Hilarius vim orationis ingessit. Sed tanta res non potest nostris verbis plus ornari, quàm ipsius meritis. Nunc verò memorandum est, quod suprà * prætermisimus, qualiter miracula reliqua hoc subjecto miraculo cumulavit.

** In uno mss. præmisimus.*

Abræ filiæ mortem precibus obtinet.

13. Denique cùm beatissimam Abram filiam suam, ad quam de exsilio destinavit epistolam, incolumem invenisset; alloquitur eam, quomodo poterat dulcedo patris & facundia oratoris. Quid dicam? Alloquitur illam Hilarius, cujus eloquentiæ post ipsum comparare aliquem vix audemus, nisi qui fuerit spiritu divino, ut ille, repletus: tentat ejus animum, si vellet attingere sponsum, quem patris gratia * providerat. Tunc libenter desideranterque, ut celeriter ei jungeretur, optabat. Quam voluntatem pius pater agnoscens, intentus orationibus non cessavit, donec sine dolore, sine contagio, se præsente, filia de mundi ludibrio migraret ad Christum: quam propriis manibus, ut decuit, venerandæ tradidit sepulturæ. O

** Mss. prævideret, aut prævideret.*

A funeris gloria, quæ melior habetur quàm vita: quia quod terræ subripuit, in cælum transmisit! Verè, ut ego considero, plus fuit, quàm resuscitari, sic mori. Certa enim salus est, non contaminari peccatis. Quanti cuperent, rebus cum vita traditis, talem transitum comparare, si mercatorem forsitan invenirent? Quid distat inter vivificati infantis, & filiæ mortificatæ mysterium? Illum resuscitavit ad baptismum, hanc [c] prædestinavit ad regnum: nisi quòd in illo adhuc spes peccandi restabat, hæc immaculata finierat. Quod cùm vidisset mater beatæ Abræ, à pontifice postulat,

Idem impetrat & uxori.

B ut & ipsa, si mereretur, erepta de mundi crimine, cum filia præsentaretur ad regnum. Cujus vota considerans, assidua oratione & ipsam ante se transmisit ad gloriam. Quis æstimaturus est, talem virum ita dilexisse Dominum, conjugis & filiæ affectu contemto? Tamen in hoc magis illas amasse cognoscitur, cùm per ipsum lumini perpetuo transferuntur.

Hilarii eruditio.

14. Quis verò abundantiam rigantis ingenii contendat evolvere, aut ejus verba verbis valeat exæquare? [d] Qualiter ille indivisæ Trinitatis libros stilo tumente contexuit, aut scripta Davidici carminis sermone cothurnato per singula reseravit? Quàm fuit in C dissertione providus, in tractatu profundus, per litteraturam eloquens, per virtutem mirabilis, in complexionibus multiplex, in resolutione subtilis, astutus juxta prophetam, immo prudens juxta Domini vocem ut serpens, columbæ simplicis gratiam non amittens. Ipse conditi sal ingenii, fons loquendi, thesaurus scientiæ, lux doctrinæ, defensor Ecclesiæ, hostium oppugnator. Cujus dicta qui legerit, non credet dicere, sed tonare. [e] Hoc fuit ultra hominem sapere, tam cautè de religione censere.

Matth. 10. 16.

15. Sed qui vult ipsum cognoscere, ejus [f] exsilia memoret, merita respiciat, volumina relegat, dicta D perpendat, signa quotidiana percenseat. Qui dum superstes fuit in hoc sæculo, aut scripsit ecclesiasticæ fidei documenta, aut pugnando calcavit hæretica crimina, aut petenti tribuit miraculorum suffragia; quæ volente Domino usque in hodiernum diem ejus orationibus perseverant. Sed mea lingua non sufficit singulatim de sancto-Spiritu, qui per eum & operatus est & locutus, sicut illi dignum est, cuncta proferre.

16. Det mihi pius veniam, quia multa præterii, qui vix pauca conscripsi. [g] Ita beatus Hilarius de præsentis sæculi vita, Valente & Valentiniano regnantibus, cum gloria migravit ad Christum, terra plorante, cælo E gaudente, eodem Jesu Christo præstante qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Sulpicius hujus monasterii situm *non longè ab oppido* esse tradit, sed nomen ejus silet: nec in eo scribendo consentiunt mss. Legere est in vetere Colb. *Locojaco*, in alio non recentiore Casalis Bened. *Locoteiaco*, in Compend. *Locodiaco*, in pluribus aliis, *Legudiaco.* Sic & apud Bollandum hic vicus aliis *Legudiacus*, *Tyacus* & *Goteloicacus* dicitur, & in Breviario Sarum *Lugduniacus.* Ipse præfert cum edit. Gill. *Tegiaco.* Ex duobus prioribus mss. conficimus *Locogeiaco*: adeo ut in primo exciderit littera g. quam antiqui voce non exprimentes, faciliùs etiam in scriptis omittebant. Ex altero autem supplemus litteram *e*, concinente Gallico nomine *Ligugé.* Non displiceret *Legugeiaco.*

[b] Edit. Gil. *ad conversata arma.* quod deinde enuntiatur de defuncto ad vitam revocato, quamdam affinitatem habet cum iis quæ de moribunda sanata edisserit Venantius in vita S. Germani, *ut post funerum pallorem facies in ruborem transiret.*

[c] In ms. Colb. *destinavit*, in Comp. *transmisit.*

[d] Vetustior è mss. Colb. *qualiter ille in divisa* (fortè, *in diversa*) *libros stilo tumente contexuit.* Compendiensis verò, *Qualiter ille libros contra Arii perfidiam promulgavit, quomodo librum Psalmorum per singula cothurnato sermone reservavit* (leg. *reseravit*), *in hymnorum etiam fuerit dissertione*, (ubi mendosè excusum erat, *in discretione*) *paratus.*

[e] In exemplari Compendiensi hîc subjicitur, *Obiit autem præfatus pontifex Hilarius die Iduum Januariarum. Reliquiæ ejus Pictavis sunt conditæ; in quo loco hactenus divina beneficia operantur, ipso præstante, qui vivit* &c.

[f] Apud Gillotium, *auxilia memoret.*

[g] In mss. Ottobon. German. Colb. ac nonnullis aliis diffusior est hic liber in hunc modum: *Ne ergo pagina cum stili rusticitate necnon & loquendi nimietate prolixiùs extensa vilescat, scribendi jam debemus construere metas; est tamen dignum, juveritque hoc unum tantùm referre, quomodo hujus sancti viri anima divini luminis fulgore migravit excepta. Tantum namque lumen Ecclesiæ dum infirmando obscurari cœpisset, venerabilem virum Leonium ejusdem civitatis presbyterum quadam die secretiùs sibi accersiri mandavit. Ei autem idem sacerdos credulus & dilectissimus habebatur. Cúmque imminentibus noctis tenebris eum exire, & si quid foris audiret, sibi renuntiari jussisset: ipse voces tumultuantis adhuc populi civitatis se audisse revertens exposuit. Persistebat itaque vigilans, justique finem exspectans, animum novissimis ejus & carissimis exhortationibus reficiens. Deinde tempesta jam nocte rursus à sancto rogatur exire, quidque auditu percipere posset sibi jacenti ad lectum referre. Qui dum nullius sonitum vel mussitationem se sensisse renuntiat, mox splendor inæstimabilis claritatis, quem Leonius se non potuisse ferre fatebatur, per fenestram à parte altaris ejusdem basilicæ, in qua sanissimus decubabat infirmus ingreditur. Secundùm namque Apostolum infirmatus carne, spiritu potentior erat; cujus anima, non qualiscumque, sed beatissima, corporalibus soluta vinculis egressa eo ipso, ut credimus, divinæ claritatis lumine suscepta, & in paradisi migrando perpetui splendoris amœnitatem intravit. Ibi nunc & semper pretiosi lapidis diademate coronatus in sempiterna cæli arce felici perfusus luce exsultantibus sanctis lætatur. Ita beatus pontifex Hilarius* &c.

IN LIBRUM SECUNDUM FORTUNATI [a] PROLOGUS.

Domino ſancto & meritis beatiſſimo patri, Paſcentio papæ, & in Chriſto florigerâ perenniter caritate vernantibus eccleſiæ Pictavenſis habitatoribus Fortunatus.

Profanis & Chriſtianis alia atque alia ſcriptionis cauſa & merces.

I. CUm veteres infidelium conditores voluminum, eloquentiæ ſuæ pompam cunctis oſtendere, cauſa provocaverit opinionis inflatæ: dum inter regum vota ſeu funera, id eſt, proſpera vel adverſa, confuſo vocis ordine, quodam modo * viſi ſunt cantare pariter & plorare: ut hi qui dixerunt, vel de quibus loquuti ſunt, ſaltem in libris viverent, etſi vacuis actibus inaniter defeciſſent. Cur ergo melioris ſpei ſollicitatus inſtinctu, patiar reticeri de ſummi Confeſſoris viventibus meritis & victoriis, non ſine, quod abſit, vindictæ cæleſtis incurſu; cùm vix debita ſolverem, ſi de beati Hilarii indeficientis lampadis ſplendore, infatigabili voce, die continuata cum nocte pariter decantarem? Qua verò vel irretitus inſcitiâ, vel impulſus offenſâ, in ea voluntate ſub gravi torpore perſiſterem; ut cùm illi decepti plurimo tractatu de reſoluta umbrarum imagine nonnulla conficerent, & in pulverem redacta cadavera falſis quaſi laudibus animarent, ego de ſanctis permanentibus, & quod eſt felicius, in regno Chriſti quotidie florentibus, nihil referrem: præſertim ubi diverſa diverſarum partium videtur eſſe cauſa mercedum: quòd gentiles fructum laboris ſui in inani tantùm favore voluerunt conſiſtere; nos autem oporteat illum in beatorum virorum interceſſione plantare, quibus hîc verba ſi ſolvimus, illic gaudia comparamus?

** al. niſi ſunt.*

Hilarii multa miracula auctori ignota.

2. Idcirco reddat illi mobilis lingua præconium, à quo priùs pectora hunc conceperunt affectum. Nam bonis ejus apertè credetur invideri, ſi quæ de illo cognovimus, ſilentio videantur abſcondi. Meritò itaque cum ceteris & me de ſe loqui compellit, qui etiam mutos ut loquantur abſolvit. Sed quàm plura ſuperſtes in corpore fecerit, vel quanta operatus ſit poſt quàm æternam in requiem plaudentibus de ſe Angelis ad Chriſtum victor de mundi certamine transmigravit, etſi non potui annorum vetuſtate ſubripiente contingere; attamen vel quæ præſenti tempore miracula miſericors præbuit, cupio indigenti memoriæ non fraudare: ut quiſquis hæc fideli, ſicut decet, auditu perceperit, & præterita ſe cognoſcere gaudeat, & ſimilia fieri virtute Confeſſoris in futurum confidat.

LIBER SECUNDUS, *qui eſt de miraculis S. Hilarii.*

Probianus moribundus ſanatur. b

3. IGitur [b] Probianus cùm dubio jam vitæ penderet in fine, & ſpem convaleſcendæ infantiæ mors inv ida parentibus ſubripere feſtinaret, nec parvuli funus acerbum conſiderans, nec deſideria ingemiſcentis ſenectutis ſpectans, avida quidquid invenit extra ſortem cuncta concludens, ſola tamen interceſſione beati Hilarii reſtiterat moribundo ſalutis occaſio. Quem Franco ſuus genitor, & Periculoſa mater, quæ magis converſo nomine, filii periclitabatur in nece, jam quaſi defuncti præmeditantes exſequias, cum ingenti luctu & fletu in Confeſſoris tabernaculum detulerunt. Tunc ſanctus Hilarius ab auctore ſuo ſecretæ artis exhibens medicinam, conſuetus de diſpendio funeris reddere A compendia ſanitatis, ſubitò membrorum fluentem fabricam verbò operante erexit, & in ſtatum priſtinum, tamquam ſi nihil in ea fuiſſet ſolutum, reformavit: moxque parentum lacrymas lætitiæ mole ſupervenienre ſiccavit, gemitus voto ſuccedente præcluſit: ubi jam per dolorem non erat, ſed præ gaudio, quod plorarent. Quas pœnas, quæ tormenta mors ipſa tunc pertulit, quando illud, quod credebat invadere, ſic amiſit? Profectò quando alterum victrix ferire non potuit, ſeſe ipſam victa percuſſit. Qui tamen Probianus poſtea apicem promeruit obtinere [c] pontificis, & uſque in hodiernum diem ad luminaria ſui medici ſingulis annis vitæ debitor tributa perſolvit. B c

Leproſi duo mundantur de pulvere ſepulcri.

4. Illud quoque nobis eſt tam ſingulare miraculum, pro gloria collatoris, ad memoriam populi revocandum. Nam cùm à Cadurcis veniſſent duo homines lepræ maculis immutati, ſpem ſuæ ſalutis in ſancti Hilarii interceſſione fundantes perſiſtebant, & de pulvere, qui ab ejus ſepulcro abſtergebatur, ſua cum aquâ lavantes capita, & membra reliqua perungentes, tam diu ſibi talem curam fideliter impenderunt, donec infirmitatis ipſius ulceroſa varietas de C corpore, quod captivaverat, captiva migraret: ut decepta ſuis ſolatiis colorem, quem invaſerat, inviolatum relinqueret, & quam ſecum attulerat, turpitudinis ſpeciem non teneret. Poſt innumerabilia itaque vulnera, membris omnibus inſtaurata eſt cutis una: vultus ille diuturna deletus * ſorde, ſua cœpit in ambobus repingi imagine, nec agnoſci qualis fuerat per infirmitatem. Per fideliſſimum namque lavacrum pulveris, Pictavis purificus illis inventus eſt Jordanis: & non ipſi ad fluvium, ſed ipſis fluvius hîc occurrit. Ex quo tam prædicabilis patuit miſeratio Confeſſoris, quòd & laborem eis longinqui itineris abſtulit, D & ſalutis vota porrexit. O quàm inæſtimabilium claruerunt documenta virtutum, ubi ſepulcri immunditiæ mundaverunt maculas lepræ! Cujus hoc facere cura potuiſſet artificis, qui de tali pulvere ferret beneficia medicinæ? Ex quibus Caſtorius diaconus & * Criſpus ſubdiaconus inſtitutus, ad ejus obſequium uſque in finem ſuum, per quem ſanati ſunt, adhæſerunt: & merito illius elegerunt ſuſtinere juga Domini, à quo à pœna liberi ſunt effecti.

** Mſ. ſordine.*

** Mſ. Criſpio.*

Manus contracta ſanatur. d e

5. Quædam puella in hanc vitam veniens, dexteram mortuam traxerat naturâ formante, & debilem E manum in ſpeciem [d] glomi collegerant nervorum fila contracta: fluxa ſuo ſtamine digitorum tela [e] marcebat. Tunc occurrens ad beatiſſimi Hilarii ſepulturam, interceſſione ejus vivacibus eſt officiis ordinata: paulatim mobilis vigor articulos ſtupentes & * ungues irrepſit. Poſt longa tempora manus illi tunc nata eſt, cùm ſenſit munera Confeſſoris. Exſtincta manus venit ab utero: viva rediit de Sancti ſepulcro. Ecce quàm larga remuneratoris eſt pietas, ut quæ natura non genuit, hic membra ſuppleret.

** al. unguentes: an, rigentes?*

Cæco viſus redditur.

Vigiliæ.

6. Nec illud quidem præterire convenit, quod cæco felici poſt vota ſucceſſit. Nam cùm ad beati Martini F limina pro recipiendo lumine intentus properaret, in ſancti Hilarii præteriens templum ingreſſus eſt. Quo dum vigilias officio ſolito celebrarent Clerici, mane facto, apertis oculis, ipſe diem cœpit aliis nuntiare, qui hoc ſemper egebat audire. Apud quem una ſemper nox erat, tenebras illi S. Hilarius ea nocte purgavit. Qui numquam viderat ornamenta diei, cœpit illi novus ſol miræ claritatis naſci. Tunc illi fabricata ſunt omnia, quando eorum videre meruit facturam: & ut ita dicam, quodam modo poſt ſe illi mundus eſt natus,

[a] In uno mſ. Colb. additur & hîc, *tunc preſbyteri, poſtea autem Pictavenſis epiſcopi.*

[b] Bouchetus c. 15 & Claudius Robertus hunc aiunt eſſe Probianum ſeu Probatianum epiſcopum Bituricenſem xxiv. qui anno Pelagii Papæ 2. Childeberti 44. Chriſti 555. ſubſcripſit Concilio Pariſienſi II. & biennio poſt præfuit Pariſienſi III. adeoque attigit tempora Venantii Fortunati. BOLLANDUS.

[c] Ottobon. mſ. *pontificatus Bituricenſis*: & mox, *ad limina*; ubi in aliis, *ad luminaria*. Similis eſt locus Venantii Fortunati in vita S. Germani n. 11. ubi de moribunda ſanata ait, *Quæ ſingulis annis vitæ tributum ſolvit pro pretio.*

[d] Ita codex Ottob. In aliis, *ubi.*

[e] Apud Gill. *marcebant.* Huc ſpectat illud Fortunati in vita S. Germani n. 14. *nervorum tela retexitur.*

a cùm factus est agnitus. Cæcus [a] ad beati Martini ecclesiam festinabat accedere, iste eum in suo templo dignatus est illuminare. Quanta micat gratia donatoris, qui prævenit desideria supplicantis?

Chlodoveco promissa lumine ac voce victoria præstatur.

7. Quid etiam dignum referam de tam regali mysterio, quod ab ipso est in regem collatum? Denique Chlodoveus rex dum contra hæreticam gentem pugnaturus, [b] armatas acies commovisset, media nocte meruit de basilica beati Hilarii lumen super se veniens adspicere, admonitus insuper ut festinanter, sed non sine venerabilis loci oratione, adversùs hostes conflictaturus descenderet. Quod ille diligenter observans, & orationi occurrens, tanta prosperitate, altero pro se pugnaturo, processit ad bellum, ut intra horam diei tertiam ultra humana vota sortiretur à Domino victoriam. Ubi multitudo occisorum cadaverum [c] colles ex se visa est erexisse. Ecce terribiliter formidanda prodigia, & delectabiliter amplectenda miracula. Parum illi fuit pro solatio regis, signum luminis ostendere, nisi apertè monita addidisset & vocis. Similis quædam contigit, Israëlitici populi tempore, hujus causa virtutis. Nam ibi columna ignis populum præcesserat, hìc figura lampadis admonebat.

Arianos debellat etiam mortuus.

8. Vellem nosse, quod fuerit tanti ardoris secretum mysterium, tam manifestè prolatum. Sed quantum ipso inspirante videor agnoscere, non tacebo. Nam contra hæreticas acies, sicut olim in corpore, non cessavit spiritu dimicare. [d] Quanta fuit illi semper pro cultu catholicæ religionis aviditas; cùm in requie posito, adhuc sollicitudinis non desit ubertas? Nam qui tunc in synodo ad confundendum hostem verba fidelia protulit, hìc in campo arma tractavit victoriæ.

Mulieri manus aridа redditur sana.

9. Mulier in vico Tonaciaco, dum aquam ad opus suum deportaret die Dominico, (non est meum nosse, quo præventa peccato,) manus ejus adtracta est, venarum arefacto discursu. Tunc revelatione commonita est, ut ad sancti limina, si vellet salva fieri, properaret. Quo illa fidens nuntio, tamquam cum ipso sanitatis suæ præviatore, læta percurrit. Et dum in ecclesia psalleretur, similiter in absolutione, die Dominico, quo præcesserat pœna, secuta sunt gaudia. Ecce consuetudinem patroni singularis amabilem, qui ut inveniat quod præstet, & causas exquirit. O beatum Hilarium omnium corde, ore, voce cantandum: cujus tam larga benignitas est, ut non solùm se alicui non abscondat, sed ultro ingerat! Veniamus ad alios venerandi fructus miraculi.

In una puella plura eduntur miracula.

10. Quædam paralytica, annis adulta puella non merito, sine vitæ vivebat officiis. Cui intra funus exstincti corporis tantùm superstes anima palpitabat, & in toto cadavere lumina quasi sola vigebant, ac velut mortua in se membra vigilantes oculi custodiebant. Non lingua torpens intra palati cameram, * volubilis excurrebat, nec imo ducta de pectore vox collata poterat verba disponere: non manus, cùm soluta languesceret natura, debita servitia dissolvebat: neque pes instabilis membrorum [e] structuram sustentabat: adhuc insuper totius corporis infabricata massa torpebat. Quæ in festivitate B. Hilarii intra basilicam posita, cum ingenti favore spectantibus omnibus est erecta. In unius ergo debilis corpore miracula plura Sanctus complevit. Attenuata genuum vestigia roboravit, linguam rigentem flexibilitati & facilitati vocis aptavit, ad usum lanificii debiles quondam palmas armavit, lineamenta viscerum gratiâ pii muneris ani-

** Ottob. ms. vocabulis.*

A mavit. Aliquando vetus infans in verba prorupit; & quod est conspicuum, voce prima, lactis alimenta quæsivit. Ergo ut tales cibos ante omnia posceret, quid aliud datur intelligi, nisi quando sanata est, tunc priùs credidisse se nasci?

Cera ad Hilarii sepulcrum oblata.

11. Nec illud tam fidele mysterium oblivione noxia subtrahatur. Itaque cùm duo negotiatores ad beati basilicam occurrissent, habentes formam ceræ quasi socialiter in commune; quidam ex his alloquitur alterum, ut eam etsi tam parvam rem, tamen tanto Confessori vel libenter offerrent. Sed in cassum sua verba in animo socii nolentis expendit. Ipse tamen
B cum eodem collega suo in oratione prosternitur, ceramque illam occultè ante tremendi sepulcri cancellos exponit. Moxque ad omnem æqualitatem ceræ ipsius species se divisit, & pars illius fidelis oblatoris accepta, pars altera, videntibus plurimis, volvendo usque ad alios cancellos, nutu divino cum omni contumelia est repulsa: quasi nollet Sanctus invadere, quod alter illi devotus non obtulit: & quoniam semper abhorruit quod ex fide non venit, tam certus in judicio, quàm misericors est in voto. O quàm incorruptibilis arbiter claret! * Castior est iste in examina-
C tione judicii, quàm in electione florum illa, quæ ceram casta producit. Tunc itaque ille qui offerre noluit, admissi criminis se teste confusus, & immensi pudoris reatu perculsus est: vidensque sibi à radice suæ conscientiæ tantæ turpitudinis opprobria pullulasse, & in faciem suam occultæ cognitionis facinora revelata adspexit, consideravit, ingemuit & flevit: ut saltem lacrymarum fonte rigante dilueret, quod corde delinquente fœdavit. Qui postea majora obtulit exactus, ceræ judicio castigante.

Repellitur portio nolentis sponte offerre.

** al. cautior.*

Cereus nocte accendi solitus.

12. Item cùm juxta consuetudinem quadam nocte cereus ibi illuminatus fuisset, casu super sepulcrum
D ejus, qui intercessione sua * mortuos vivificat, ardens corruit: ita ut super mafortem, quo cecidit, sine læsione aliqua perarderet. Nam in quantum fuit cerei longitudo, cera jacens inventa est, papyro consumto: tamquam si confinium cera ipsa fecisset inter ignem & pallium, ut ab ipsa inveniretur defendi, per quam potuisset exuri. Attendite beneficium. Ut obediretur Confessoris præcepto, quam semper scit subdere, [f] hìc ceram ignis expavit, & quam in ardendi auxilium sumserat, ipsa ei visa est repugnare. Sed inter hæc illud admonet potiùs ut dicatur, in virtute Confessoris, quas deducit cera flammas exstinxisse,
E & converso ordine illud à quo vorari potuit, præfocasse. Diversæ species suam visæ sunt naturam mutasse: & ne quid incendia læderent, pallium pro marmore, cera fuit pro flumine. Sed quantum est apud illum cerei lumen exstinguere, qui cæcorum lumen accendit? Aut cùm ad alterius cadaveris sepulturam oculorum ignem redintegrat, quàm facile credimus, de sepulcro proprio ut flammas expellat?

** Abest mortuos à mss.*

In sepulcri pallium cadens, illud non combussit.

13. Vellem adhuc insatiatus sacratissimi viri miracula quasi peculiariter decantare: sed vereor, ne unde meam cupio devotionem ostendere, auditoris animum fastidio nascente videar obturare. Da mihi, pie,
F veniam de textus hujus parvitate, da casui culpam; ne dum hominis cupio vitare fastidia, videar incurrere Confessoris offensam, de quo exigua dicerem, si libros implerem. Sed præsumo plurima de te minùs dicere, ut de te legere populum brevitas plus invitet: auxiliante Domino Deo nostro nunc & semper, Amen.

[a] Nostri mss. *ad fratrem ejus beatum Martinum festinabat.*

[b] Sic mss. At editi, armatas haberet acies. De hoc miraculo legendus Gregorius Turon. lib. 2. c. 43. ubi tradit Chlodoveum quinto ante mortem anno, adeoque Christi 507. cum Alarico Gotthorum rege in campo Vocladiensi, decimo ab urbe Pictavorum milliario dimicasse, ac fuso exercitu regem ipsum suapte manu peremisse.

[c] Edit. Gil. *tanta jacuit in loco, ut collis ipse ob id visus sit se erexisse in altum:* interpolationem sapit. Boll. & ms. Colb. *colles ex se visa sit montium erexisse.* Expeditior visa est lectio Gemeticensis.

[d] Boll. ut & mss. Ottob. ac Colb. hìc adjiciunt, *Ita credebat sibi contra Alaricum Arianum iterum bellandi redire constantiam:* Gemet. *Credebat tum contra Hilarium, Arianum iterum rediisse Constantium.*

[e] Vulgati, *membrorum ruinas sustinebat:* corriguntur ex mss. Ottob. & Colb.

[f] Apud Boll. hìc additur, *& consumere.* At apud Gill. *ut obediret præcepto. Quam semper scit subinde consumere, hic ceram &c.*

DE TRANSLATIONE SANCTI HILARII, Petri Damiani Sermo.

1. GAUDEAMUS & exſultemus, dilectiſſimi, dum ad recolenda beati Hilarii ſublimia merita ſollemniter convenimus. Ipſa quippe nos inſignis vocabuli dignitas provocat, ut mens noſtra ſpiritali lætitiâ affecta, plauſibiliter hilareſcat. Nihilo minùs & hoc dignum eſt, ut dum beati viri tranſlationem colimus, ipſi quoque mentes noſtras à terrenis deſideriis ad cæleſtia transferamus: ut dum glebam corporis ejus, tenuemque pulviſculum tanto præferri apud homines honore conſpicimus, quantum gloriæ pondus in cæleſtibus poſſideat, ubi verus & incomparabilis honor eſt, mens noſtra perpendat. Sed libet jam tranſlationis hujus hiſtoriam ſuccinctè tranſcurrere, ut nulli deinceps de præclara ſollemnitatis hujus origine prorſus expediat dubitare.

Reliquiis honor delatus.

2. Porro autem dum confeſſor Chriſti Fridelinus beati Hilarii monaſterium, quod in Pictavenſi ſuburbio ſitum eſt, laudabiliter regeret, ibique ſanctæ converſationis inſignibus diſciplinis, & præclara morum honeſtate polleret; beatus Hilarius illi per viſionem manifeſtus apparuit, & inter alia nonnulla hoc illi quadam vivacis imperii auctoritate mandavit, ut videlicet ipſe ſimul & Pictavenſis epiſcopus ad regem Francorum, qui tunc rerum moderabatur habenis, incunctanter accederent, & ſumtûs impendia, quibus ampliari & auguſtius fieri monaſterium poſſet, fiducialiter poſtularent. Quibus verbis inſuper addidit, ut inſtaurato noviter monaſterio, locum ſibi ſanctus Abbas congruum provideret, in quo corpus ejus, facta tranſlatione, reconderent. Quos nimirum felicis oraculi legatione perfunctos rex clementer ac benignè ſuſcepit, eiſque magnifica regiæ liberalitatis munera contulit. A fundamentis ergo monaſterium per latomos ac cæmentarios denuo conſtruentes, & pollucibiliter inſtaurantes, miniſtri Domini tam diu cœptis indefeſſi laboribus inſtiterunt, donec non modò ſurgentis ſtructuræ machinam ad conſummationem uſque perducerent, ſed etiam utrimque parietes, hoc eſt, intus & extrinſecùs radiantis Muſivi decore veſtirent. In quo videlicet opere, ubi regii muneris ſumma defecit, Epiſcopus ex eccleſiaſticis facultatibus ſupplere quod deerat non ceſſavit. Tandem itaque monaſterio non modò conſummatæ fabricæ ſtructura perfecto, verùm etiam ſacerdotalis officii benedictionibus dedicato, mox demoliti ſunt tumulum, in quo ſanctum fuerat corpus humatum.

S. Hilarius corpus ſuũ transferri jubet.

3. Conſtituto igitur die, in quo ſancta membra transferrent, præcedente nocte, dum epiſcopus ſimul & abbas in vigiliis & orationibus pernoctarent, repentè conſpiciunt, quòd beati Angeli de tumulo, qui jam terebratus fuerat, ſanctum corpus educunt, & in locum, qui ſibi præparatus fuerat, propriis manibus inferunt. His itaque peractis, beatus Hilarius ſanctum Fridelinum per viſionem admonuit, ut Scotigenam quemdam ſibi cognatione propinquum, in cœnobii regimine ſubſtitueret, ipſe verò ad Gallinariam inſulam in honorem ejuſdem beati Hilarii ædificaturus eccleſiam properaret. Qui beati ſacerdotis imperio mox humiliter paruit, & non ſolum illud, quod juſſum fuerat, ſed & alia quatuor monaſteria in ejus honorem conſtruxit. Quamquam beati Fridelini vita, in qua hæc referri perhibetur hiſtoria, in manus noſtras nequaquam devenerit. Sed quod hîc ſcriptum eſt, indicio fraternæ relationis innotuit. Hæc igitur hujus ſacræ ſollemnitatis eſt cauſa. Hæc veneranda celebritatis hodiernæ materia, ut in tranſlatione ſacri corporis meritò gaudeat plebs devota fidelium, cui dependit exſequias exercitus Angelorum.

Angelorum miniſterio corpus transfertur.

4. Porro autem ex occaſione venerandæ tranſlationis hujus, & cetera beati viri geſta nobis in memoriam redeunt: ut quæ longis antè temporibus ſunt peracta, noſtris nunc reducta conſpectibus quodam modo recentia videantur & nova. Mox enim ut diſputare de venerabilis viri geſtis incipimus, protinus occurrit memoriæ, quàm impenetrabilis Eccleſiæ murus hæreticorum telis obſtiterit, quàm inſuperabilis prœliator perverſum Arianorum dogma gratiâ catholicæ veritatis obtriverit. Nec illud vacat, quòd cùm adversùs hæreticorum perfidiam pugnaturus, Seleuciam Iſauriæ oppidum peteret, puella gentilis divinitus edocta, tanti ſacerdotis denuntiavit adventum: atque ideo cum patre Florentio, totaque familia divini baptiſmatis meruit ſuſcipere ſacramentum. Nec illud excidit inſigne miraculum, quòd in Gallinaria inſula immanium ſerpentium venenata rabies virtutem tam præclari Pontificis ferre non potuit; ſed tamquam fulmineo fragore perterrita, vilis etiam baculi metam, quam ipſe præfixerat, tranſſcendere non præſumſit. Sed & illud memoriæ conſequenter occurrit, quòd idem egregius pontifex puerum ſine gratia regenerationis exſtinctum, non modò matri reſuſcitatum & incolumem reddidit, ſed & veræ fidei rudimentis inſtructum ſanctæ Eccleſiæ filiis aggregavit. Hæc igitur, & alia multa virtutum ejus inſignia nobis ex occaſione venerandæ hujus tranſlationis occurrunt, quæ nos ad amorem Dei, & devotionem præclari hujus ſacerdotis accendunt. Planè cùm multorum tranſlationes juſtorum ſancta veneretur Eccleſia, quæ diligentiâ procuratæ ſunt hominum; quanto devotionis ſtudio hæc eſt ſollemniter recolenda, quæ facta eſt manibus Angelorum?

Quæ vivus Hilarius miracula patrarit.

5. Sed quid eſt, quòd Moyſi corpus ipſe per ſe Dominus ſepelivit, & tamen ſepulcrum ejus hominibus innoteſcere noluit; beati verò Hilarii corpus non modò coram hominibus per Angelos tranſtulit, ſed & tanti honoris gloriam & totius Eccleſiæ reverentiam ſublimavit? De Moyſe quippe ſcriptum eſt: *Mortuus eſt ibi Moyſes ſervus Domini in terra Moab, jubente Domino, & ſepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognovit homo ſepulcrum ejus uſque in præſentem diem.* Quid eſt ergo, quòd ille neſcitur, iſte verò quotidie cum tanta gloria Chriſtianæ devotionis inviſitur? Quid eſt, inquam, quòd Moyſes ab hominum notitia removetur, niſi ut tollatur occaſio, ne qui tam Deo carus & familiaris exſtitiſſe cognoſcitur, divinus honor illi ab Iſraeliticæ plebis perfidiâ præbeatur? Reliquorum verò Sanctorum corpora non celantur: ut dum Chriſtianæ devotionis frequentantur acceſſu, & per illos fiant rutilantia ſigna virtutum, & iſtis accreſcat felicium cumulus meritorum. Præterea nonnulli fideles idcirco poſt mortem tumulis editioribus includuntur, ut ſui memoriam viventibus ingerant, quatenus eis impendere pietatis officia non omittant. Hinc eſt, quòd ſepultura vocatur ex more memoria: ſcilicet ut per eam memorentur vivi, & percipiant refrigerium mortui.

Cur corpus Moyſi abſconditum, aliorum v[...] honoratum.

Deut. 34. 5. & 6.

6. Sed quid eſt, quòd nonnulli Sanctorum tantopere ſtuduerunt ſuis providere ſepulcra corporibus? Abraham nempe quadringentis argenti ſiclis à filiis Heth ſpeluncam duplicem comparat. Jacob & Joſeph ad eamdem ſpeluncam totum jam animi deſiderium tendunt, & corpora ſua poſt obitum illò perferenda depoſcunt. Quid ergo eſt, quòd ſancti Patriarchæ, qui ſe pulverem & cinerem eſſe perſpicuè perhibent, qui certe corpora & corporalia quæque cæleſtium contemplatione deſpiciunt, in Chananæorum terra corpora ſua quieſcere tanto deſiderio concupiſcunt? Cur illum præ ceteris mundi partibus quieti ſuæ prævident locum, niſi quòd humanæ ſalutis auctorem illic noverant de ſuo ſemine naſciturum? Hinc eſt, quòd Jacob filium ſuum Joſeph obſecrat, dicens: *Si inveni gratiam in conſpectu tuo, pone manum ſub femore meo, & facies mihi miſericordiam & veritatem, ut non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de hac terra, condaſque in ſepulcro majorum.* Cur autem ad confir-

Unde ſanctis tanta ſepulturæ ſuæ cura.

Gen. 23. 16.

Gen. 47. 29. & 30.

mandæ sponsionis indicium, Jacob manum filii supponi suis femoribus petiit, nisi quia illum, qui summa veritas est, de proprio semine propagandum esse cognovit? Illis igitur terræ finibus beati viri jam medullitus agglifcebant, quam per spiritum jam cernebant Salvatoris vestigiis atteri, quam in interioribus oculis jam videbant pretioso Dominici corporis sanguine purpurari: ut illic eorum corpora suam exspectarent resurrectionem, ubi resurrecturum esse cognoscebant ipsum beatæ resurrectionis auctorem.

Corpus Christi, terra repromissionis.

7. Ad hunc & nos, dilectissimi, perspicuam nostræ mentis aciem dirigamus. Ad hunc dum pedum progressione non possumus, æstuantis desiderii festinatione tendamus: & dum sanctorum quorumlibet Reliquiis dignæ devotionis reverentiam exhibemus, ad illud unum & singulare corpus nostræ mentis dirigamus obtutum, quod in paternæ majestatis gloria credimus ineffabiliter sublimatum. Illa nimirum est A terra, cui tunc beati Patriarchæ atque Prophetæ suspirabant, lacte scilicet & melle mananti. Lac si quidem de carnis uberibus profluit, mel verò de superioribus venit. Et quia substantia Dominici corporis ex Virginis visceribus prodiit, divinitas autem ex paterna majestate descendit; rectè corpus Salvatoris terra dicitur repromissionis. Quæ nimirum terra lacte simul & melle fluere dicitur, quia in Redemtoris nostri corpore & substantia verè & dulcedo est ineffabilis deitatis. In ipso enim, sicut Apostolus ait, habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. & alibi: *Deus erat in Christo reconcilians mundum sibi.* Ad B hanc viventium terram ille nos dignetur inducere, qui terræ nostræ mortalia non dedignatus est tolerare: quatenus sic ibi lacte & melle vescamur, ut Salvatoris nostri præsentiâ, & melliflua divinitatis ejus dulcedine satiemur, qui cum Deo Patre & Spiritu-sancto vivit, & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Colos. 2. 9. *2. Cor. 5. 19.*

SELECTA VETERUM TESTIMONIA de sancto Hilario.

Hieronymi ex epistola 6. ad Florentium.

INterpretationem quoque psalmorum Davidicorum & prolixum valde librum de Synodis sancti Hilarii, quem ei apud Treviros manu mea ipse descripseram, æquè ut mihi transferas peto.

Ejusdem ex epistola 7. ad Lætam.

Athanasii epistolas, & Hilarii libros inoffenso decurrat pede: illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillet. Ceteros sic legat, ut magis judicet, quàm sequatur.

Ejusdem ex epist. 13. ad Paulinum.

Sanctus Hilarius Gallicano cothurno attollitur: & cùm Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, & à lectione fratrum simpliciorum procul est.

Ejusdem ex Apologia adversùs Rufinum.

Si auctoritatem suo Operi præstruebat, volens quos sequeretur ostendere; habuit in promtu Hilarium confessorem, qui quadraginta ferme millia versuum Origenis in Job & psalmos transtulit.

Ejusdem ex epist. 83. ad Magnum.

Hilarius meorum confessor temporum & episcopus duodecim Quintiliani libros & stilo imitatus est, & numero: brevique libello, quem scripsit contra Dioscorum medicum, quid in litteris posset ostendit.

Ejusdem ex epist. 89. ad Augustinum.

Apud Latinos autem Hilarius Pictavensis & Eusebius Vercellensis episcopus Origenem & Eusebium transtulerunt.

Ejusdem ex epist. 141. ad Marcellam.

Miror te in Hilarii commentariis non legisse, excussorum filios, credentium populos interpretari... Quid igitur faciam? Tantum virum & temporibus suis disertissimum reprehendere non audeo, qui & confessionis suæ merito, & vitæ industriâ, & eloquentiæ claritate, ubicumque Romanum nomen est, prædicatur *&c.*

Ejusdem ex epist. 147. ad Amandum.

Miror te hoc à me quærere voluisse, cùm sanctus Hilarius Pictavensis episcopus undecimum librum contra Arianos hac quæstione & solutione compleverit.

C *Ejusdem præfat. in lib. 8. Comment. in Esaiam.*

Si flumen eloquentiæ & concinnas declamationes desiderant; legant Tullium, Gallionem, Gabinianum; &, ut ad nostros veniam, Tertullianum, Cyprianum Minutium, Arnobium, Lactantium, Hilarium.

Ejusdem præfat. in 2. lib. Comment. ad Galatas.

Hilarius latinæ eloquentiæ Rhodanus, Gallus ipse & Pictavis genitus, in Hymnorum carmine, Gallos indociles vocat.

D *Rufini de adulteratione librorum Origenis.*

Hilarius Pictavensis episcopus confessor fidei catholicæ fuit. Hic cùm ad emendationem eorum, qui Ariminensi perfidiæ subscripserant, librum instructionis plenissimæ conscripsisset, *&c.*

Aliud ejusdem testimonium vide suprà pag. cxv. a. b.

Augustini lib. 6. de Trinit. cap. 10.

Quidam cùm vellet brevissimè singularum in Trinitate personarum insinuare propria, *Æternitas*, inquit, *in Patre, species in imagine, usus in munere.* Et quia E non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum & assertione fidei vir exstitit, Hilarius enim hoc in libris suis posuit, horum verborum, id est patris & imaginis & muneris & æternitatis & speciei & usus abditam scrutatus intelligentiam *&c.*

Ejusdem lib. 1. contra Julianum. c. 3.

Audi adhuc quod te possit ampliùs commovere atque turbare, & utinam in melius commutare. Ecclesiæ catholicæ adversùs hæreticos acerrimum defensorem venerandum quis ignoret Hilarium episcopum F Gallum? Qui cùm de Christi carne ageret, attende quid dixerit.

Et lib. 2. cap. 8. n. 26. 27. & 28.

Audi & beatissimum Hilarium ubi speret hominis perfectionem ... In quadam verò homilia de libro sancti Job attende quid dicat.... In expositione autem primi psalmi idem doctor non dubitat dicere... Catholicus loquitur, insignis Ecclesiarum doctor loquitur, Hilarius loquitur.

G *Cassiani lib. 7. de Incarn. cap. 24. cujus verba exscripserunt Alcuinus lib. 4. contra Felicem, & Ratramnus Spicil. tom. 1. p. 335.*

Hilarius vir virtutum omnium atque ornamentorum;

A rum; & sicut vitâ, ita eloquentiâ insignis: qui & magister Ecclesiarum & sacerdos, non per sua tantùm merita, sed etiam per profectus crevit aliorum: & inter procellas persecutionum ita immobilis perstitit, ut per invictæ fidei fortitudinem etiam Confessoris ceperit dignitatem, in libro fidei primo testatur *&c.*

Vincentii Lirinensis in Commonitorio.

Tertullianus catholici dogmatis, id est, universalis ac vetustæ fidei parum tenax, ac disertior multo quàm felicior, mutatâ deinceps sententiâ fecit ad extremum, quod de eo beatus Confessor Hilarius quo- *In Matt. c. 5. n. 1.*
B dam loco scribit: *Sequenti*: inquit, *errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.*

Facundi Hermianensis lib. 1. cap. 4.

Si igitur, Hilario quoque, doctissimo antistite & fortissimo confessore *&c.*

Ejusdem libro 10. cap. 7.

Beatus Hilarius, Arianorum potentissimus atque acerrimus expugnator, & constantissimus fidei Christianæ confessor in epistola, quam de exsilio scripsit
C episcopis Germaniæ primæ & Germaniæ secundæ & primæ Belgicæ *&c.*

Ejusdem lib. contra Mocianum.

Reprehendere audeat Hilarium prudentem ac moderatum gubernatorem Ecclesiæ.

Cassiodori lib. de instit. divin. litt. cap. 17. & 18.

Tunc in illo choro sanctissimo Patrum tibi eum eligere poteris, cum quo suavissimè colloquaris. Difficile dictu est quàm frequenti occasione repertâ Scripturas sanctas locis aptissimis potentes aperiant; ut
D subitò transiens discas, quod te negligenter præteriisse cognoscis. Testes sunt doctissimi viri diversa laude præcipui, quibus, velut stellis micantibus cælum, fulget Ecclesia: inter quos sanctus Hilarius Pictavensis urbis episcopus nimia profunditate subtilis & cautissimus disputator incedit, altasque divinarum Scripturarum abyssos in medium reverenter adducens facit.

Venantii Fortunati lib. 1. de vita S. Martini.

Et quia summus apex fidei, virtutis, honoris,
Hilarius famæ radios jaculabat in orbem,
E Rite * sacerdotii penetralia jura gubernans ** Editi, sacerdotis.*
Buccina terribilis, tuba legis, præco tonantis,
Pulcrior electro, ter cocto ardentior auro,
Largior Eridano, Rhodano torrentior amplo,
Uberior Nilo, generoso sparsior Histro,
Cordis inundantis docilis ructare fluenta,
Fontibus ingenii * sitientia pectora rorans, ** Ed. sitientibus.*
Mens * evangelici bis bini plena libelli, *Ed. Evangelii.*
Quatuor ore suo manans nova flumina mundo,
Ornatum Ecclesiæ, pollens diadema coruscum
In membris Christi capitis velut infula fulgens,
Pectore belligerans, adamantinus arte topazos,
F Ad virtutis opus mens inconcussa palæstris,
Gemmifer eloquiis, radiantior ore lapillis,
Doctor apostolicus vacuans ratione sophistas,
Dogmate, luce, fide, informans virtute sequaces.
Hostibus hic quoniam gravis insuperabilis esset;
Ducitur exsilio, * qua longa Seleucia tendit. ** Ed. quia longa silentia.*
Regis & auxilio petit * hinc sua præmia miles, ** Ed. hic.*
Cujus in abscessu errori vaga Gallia cedit,
Et regio titubat tanta se turre movente.
Hoc ubi præpropere Martinus comperit, inde
Constituit cellam sub vertice Mediolani *&c.*

Ex veteri inscriptione.

G Hilarius cubat hac Pictavus episcopus urna,
Defensor nostræ terrificus fidei.
Istius adspectum serpentes ferre nequibant:
Nescio quæ in vultu spicula Sanctus habet.

Alcuini Poem. 63.

Hoc altare pater præsul Hilarius ornat,
Notus in orbe procul, doctor ubique pius.
Hac magis victor meritis memoratur in ara,
Indita præclarus miles in arma potens.

Hincmari de prædest. c. 3.

Sanctus Leo ad Chalcedonense Concilium confirmandum ejusdem B. Hilarii testimonia inter catholicorum Doctorum exempla etiam prima connumerat: & B. Gelasius eum sicut & S. Augustinum & Cyprianum atque Leonem sive Hieronymum, receptissimum in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum atque illustrium computat. Sed & de eo, ut notum est, à notissimo dicitur, Hilarius episcopus Romanorum lucifer, Ecclesiarum lucerna & pretiosa lampas, pulcro aureoque ore loquitur universa.

Et cap. 25.

Beatus Hilarius doctor catholicus, qui propter excellentem doctrinam Romanorum lucifer appellatur.

Lanfranci testimonium vide sis suprà pag. xxxj.

Fulberti Carnot. epist. 21. ad Abbonem.

Tu quoque dereliquisti nos sancte pater Hilari, qui olim unitatem Ecclesiæ Spiritus-sancti gladio tuebaris.

Ex Sacramentario biblioth. reg. 3865. in quo Nicænum Symbolum sine additione filioque *exstat*, Kal. Novemb. Natale sancti Hilarii.

Adorabilem *, populi, beatissimi Helarii anteſtitis festivitatem sollemniter recurrentem, cujus lingua in sæculo pro sanctæ Trinitatis æqualitate sic tonuit, ut hujus mundi principem miles Christi prosterneret, & in cælestis Regis aula victor intraret, Dominum votis uberioribus deprecemur; ut qui eum inter diversas acies ita fecit esse sollicitum, ut redderet inter bella securum, nobis concedere dignetur, ut quod in ejus honore deposcimus, eo suffragante consequi mereamur.

** f. adorabile... festi vitate.. recurrente. Idem elogium iisdem Cal. in ms. S. Gatiani exstat in modum orationis Deo fusa.*

Ex eodem codice regio, necnon ex ms. Missali Ratoldi & Colb. 1927. in Præfatione Missæ.

Verè dignum & justum est gratias agere, vota solvere, munera consecrare, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui beatum Hilarium confessorem tuum prælegisti tibi sacratæ confessionis tuæ antistitem, ingenti lumine coruscantem, MORUM LENITATE pollentem, fidei fervore flagrantem, eloquii fonte torrentem: cui quæ sit gloriatio (*Reg. ms.* glorificatio,) ostendit concursus ad tumulum, purificatio incursorum, medela languentium, mirandarum signa virtutum. Qui etsi hîc naturâ fecit finem per transitum, illic vivunt Pontificis merita post sepulcrum, ubi præsentia Salvatoris est J. C. Domini nostri: per quem *&c.*

Ex ms. Missali S. Gatiani Turon.

Verè dignum & justum est, æterne Deus, qui B. Hilarium confessorem tuum & scientiæ documentis replesti, & virtutum ornamentis ditasti: quem ita multimodo pietatis imbuisti, ut ipse tibi & ara & sacrificium & sacerdos esset & templum per Christum *&c.*

Ex Benigniano Missali ms. necnon Noviom. Corb. Colb. Reg. &c.

Deus, cujus miseratione delinquentes mutantur ad veniam, justi transferuntur ad palmam, qui infusus in corde B. Hilarii antistitis, quasi de tuo templo fidei responsa dedisti, concede propitius, ut qui tunc inclytum Confessorem tuum fecisti Cæsarem non timere, ejus intercessione ab spirituali hoste plebem protegas obsecrantem, ut cujus sollemnitate tripudiat, ejus sit fida prece defensa.

ff

Ex iisdem mss. super Oblata.

Universitatis conditor, & humani generis reformator, annue quæsumus omnipotens Deus precibus nostris, ut qui miramur in Doctore quod colimus, mereamur in munere quod placeamus: & sicut B. Hilario confessore tuo atque pontifice dedisti, da Ecclesiæ tuæ concordiam, memoriam gloriosam; eo obtinente, ut sacrificium nostrum ejus meritis tibi efficiatur acceptum: (*vel ut in ms. Remensis ecclesiæ*) ut sicut B. Hilarii confessoris tui atque pontificis meritis dedisti Ecclesiæ tuæ concordiam, memoriamque gloriosam, da ut sacrificium *&c.*

Ex ms. Missali S. Gatiani Turon. Collecta.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut excellentiam verbi tui, quam B. Hilarius confessor gloriosus asseruit, & convenienter intelligere valeamus, & veraciter confiteri.

Ex Pontificali Ebroicensis ecclesiæ, Bened.

Deus fundator fidei, indultor sacerdotii, congregatio plebis, sanctificatio confessoris, qui beatum Hilarium * ab hac armasti virtute, ut tibi militaret in fide, concede huic familiæ pro se hunc intercessorem esse, quem votis colit pontificem in fide. Amen Sit apud te pro nobis exorator, qui tunc contra hæreticos pro te adstitit assertor: ut te retribuente populus crescat innumerus, quod sudavit in fide sacerdos. Ille vos benedicat. Amen. Quod ipse. Amen.

* *forte*, ad hoc.

ADMONITIO

IN COMMENTARIUM SUBSEQUENTEM.

Cur hi Cōmentarii 1°. loco positi.

I. *Scripturis sacris ea debetur à nobis reverentia, ut Opera, quæ eas spectant, aliis præponenda existimemus. Quocirca servato rerum potiùs quàm temporum ordine, Psalmorum expositiones primo loco ponimus: & eo quidem libentiùs, quòd sic ordinatæ, totum lecturis Hilarium subsidio non mediocri futuræ sunt. Cùm enim difficiles ipsius sententiæ in his aut enuntientur planiùs, aut apertioribus intermisceantur; speramus fore ut sine fastidio lectæ faciliùs subinde percipiantur, & ad obscuriores de Trinitate libros intelligendos paratior inde pergat lectoris animus atque instructior.*

Quando scripti.

II. *His libris posteriores esse illas expositiones, perspicuum est ex Tractatu psalmi 67. n. 15. ubi relatis Photini, Sabellii, & Arii commentis, subjicit Hilarius,* Quibus, ut spero, aliis locis uberiùs copiosiúsque responsum est. *Libros enim de Trinitate hîc indicari quis neget? Ita & in Psal. 53. n. 8. Apollinarii errorem, quo carnem à Christo sine anima susceptam commentus est, circumspectè adeo cavet, ut hujus hæresim jam tum non latuisse palam fiat. Numquam autem Apollinarius ante annum 360. hæresis suspectus audiit. Inficiandum tamen non est, commentum idem antè ab Arianis excogitatum esse, quàm illud Apollinarius defenderet. Verùm hos Commentarios post annum 360. scriptos esse sic conficimus. Primò libris de Trinitate sunt posteriores: adeoque ante Hilarii exsilium non sunt editi. Deinde maximum in illis est Ariani nominis silentium, nulla adversùs hanc sectam disputatio, nulla controversia: unde colligere est, eum Catholicis illos scripsisse, non Arianis; ac proinde cùm suis redditus esset prorsus catholicis, non cùm exsul inter Asianos degeret omnes ferme Arianos. Postremò cùm à suo in Gallias reditu ad conflictum cum Auxentio, hoc, est ab ann. 360. ad 364. nullum ei fere otium fuerit; superest ut postremis ætatis suæ annis, quos in ecclesia sua pacatiores habuit, egregium hoc Opus prosecutus sit. Et certè non doctorem novitium, sed instructissimum senem spirat, in iis tractandis atque explicandis, quæ corporationis Christi fidem spectant, apprime versatum.*

Ab antiquis sunt laudati.

III. *Operis hujus non solùm meminit Cassiodorus præfat. in Psalterium c. 12. sed & ejus prologum in expositione psalmi 6. nominatim laudat. Laudat & Tractatum psalmi 57. auctor Commentarii in psalmos Hieronymi nomine vulgati. Hieronymus ipse epist. 142. ad Marcellam expositiones psalmorum 126. & 127. ut indubitatos Hilarii fetus commemorat. Ipsius quoque auctoritate defensam volens Augustinus Ecclesiæ adversùs Pelagianos causam, varia ex variis Tractatibus, nimirum in psalmos 1. 51. 118. lit. 3. lit. 15. lit. 22. adducit testimonia, quæ & suis locis annotare non piguit. Hunc imitatus Hincmarus, plurima ex quatordecim diversis Tractatibus excerpta in unum caput 25. lib. de Prædest. congerit.*

An omnes psalmi ab Hilario sint expositi.

IV. *An Hilarius psalmos omnes exposuerit, quæri potest. Aliquos dumtaxat ab eo tractatos esse Cassiodorus lib. de institut. div. litt. significat. Hieronymus cùm librum de scri-*

ptoribus ecclesiasticis edidit, viderat tantùm Tractatus in psalmos 1. *&* 2. *&* *à* 51. *ad* 62. *&* *à* 118. *ad extremum. His in Regio ac nonnullis veteribus mss. alii septem adjiciuntur, (puta à psalmo* 62. *ad* 69.*) de quorum veritate nemini umquam dubitare licuit. Tanta enimvero est eorum cum ceteris consensio, tanta connexio, ut sese unius parentis esse apertè prodant. Certè in psal.* 65. *n.* 1. *quod prologo num.* 20. *tractatam, & in psal.* 67. *n.* 15. *quod libris de Trinitate uberiùs copiosiúsque disputatum, & quod in enarrando psalmo* 59. *n.* 2. *expositum fuerat, in psal.* 68. *n.* 1. *in memoriam revocatur. Præterea nostri hujus sæculi initio Tractatus in psalmos* 13. *&* 14. *ex antiquo S. Maximini Miciacensis codice in lucem editi sunt. Nec desunt, Sixto Senensi teste, qui in totum Psalterii corpus Tractatus ab Hilario scriptos esse, idque Opus integrum in Hispania exstare asserant. An ibi exstet, necne, fides sit penes auctores: at multa suppetunt argumenta, quibus psalmos omnes ab eo enarratos esse approbetur.*

V. *Primò quidem in psal.* 142. *n.* 2. *manifestè indicat, se de tertio Tractatum habuisse. Idipsum de trigesimo-septimo in psal.* 69. *n.* 1. *etsi paulo obscuriùs significat. De quadragesimo autem quarto perspicua sunt illius verba in psal.* 59. *n.* 2. *Ita & ex verbis ipsius in psal.* 149. *n.* 2. *vix ambigi queat, quin psalmos* 95. *&* 97. *enarraverit. Demum in psal.* 150. *n.* 1. *declarat se & quinquagesimum & centesimum explicasse. Ex quibus conficitur, ab Hilario expositos esse psalmos* 3. 37. 44. 50. 95. 97. *&* 100. *quamvis modò in eos nihil habeamus. Sanè vix ulla succurrit ratio, cur non totum Psalterium commentatus esse existimetur, qui tot tamque à se dissitos psalmos enarravit, nulla umquam præmissa admonitione, cur unum potiùs quàm alterum tractet.*

VI. *Nec multo levius argumentum suppeditant ii loci, in quibus se de rebus nonnullis frequenter egisse commemorat, quarum mentio in superioribus Tractatibus, qui modò exstant, nulla occurrit. Namque quòd* Jesus salutaris est, *se sæpe dixisse in psal.* 52. *n.* 18. *recolit: rem tamen inauditam, nisi in ea Tractatus psalmi* 13. *parte, quæ nunc primùm in lucem prodit. Rursum in psal.* 54. *n.* 2. *profitetur, se frequenter admonuisse, ut in psalmorum cognitione sensum nostrum ita temperaremus, ut Christum Deum simul & hominem meminissemus: quamvis monitum hoc nusquam antea auditum. Et ut plura exempla in unum conferamus, in psalmum* 57. *n.* 4. *de peccatorum dentibus & molis leonum frequentem sibi fuisse sermonem; & paulo pòst, judicii Dei severitatem in arca Dei significari sese frequenter ostendisse; item in psalmum* 60. *n.* 4. *superioribus psalmis tractatum esse de protectione misericordiæ sub alarum velamento significatâ; ac demum in psal.* 62. *n.* 7. *in elevatione manuum non habitum orandi, sed excelsi operis indicium significari, se frequenter docuisse commemorat. At verò in superioribus de peccatorum dentibus tantùm semel tractatum, neque sæpius alarum significatio explicatur; si tamen explicatum dici queat, quod de hac re delibat in psal.* 56. *n.* 4. *at de ceteris altum prorsus silentium. Sed hoc silentium clamat, multos Hilarii in psalmos Tractatus aut adhuc latere, aut etiam periisse.*

VII. *Horum desiderio olim tenebatur Thomas * Sarazanensis. Quocirca epistolâ nondum editâ Nicolao Nicoli scribens*, In Pomposiano, *inquit*, monasterio, quod est inter confinia agri Ravennatis & Ferrariensis inveni Hilarium Pictavensem super aliquot psalmos. Res equidem tum gravitate sententiarum, tum propter dicendi genus elegantissima. Credo apud te haberi. Optassem tamen illud volumen cum tuo discurrisse, vidisseque si plura in altero contineantur. *Eodem desiderio flagrantes transmarinas atque transalpinas bibliothecas, etsi parvo, non tamen nullo fructu perlustravimus. Quamvis enim rara admodum sint lucubrationis hujus mss. exemplaria; è Vaticana tamen bibliotheca eruere datum est, quæ hactenus in psalmos* 9. 13. *&* 91. *latuerant. Unde & conjectura nostra, omnes videlicet psalmos ab Hilario expositos esse, magis ac magis confirmatur. Eidem favet Fortunatus, dum de ipso ait **, Scripta Davidici carminis (*expressiùs ms. Compend.* librum psalmorum) sermone cothurnato per singula reseravit.

* Hic florebat sæculo XV.

Quid de novo inventum.

* *lib.* 1. *n.* 11.

VIII. *In his exponendis duo pariter cavit extrema. Neque enim eos probavit, qui in psalmis aut nihil præter litteram sapiunt, aut nihil non ad Christum referri volunt. Laudat*

Interpretandi ratio.

quidem in his propoſiti pietatem: ſed ut in eo permaneatur, veritati vim ſæpe faciendam agnoſcit; cùm in pſalmis quandoque fides & vocatio gentium nuntietur, quandoque Judaici populi aut arguantur peccata, aut prædicetur vindicta; modò etiam ad timorem, modò ad laudem & confeſſionem Dei erudiamur. Cùm autem hæc, quæ aliud à Chriſto repræſentant, diligenter diſcernenda eſſe doceat; tum etiam in iis, quæ ad ipſum attinent, monet attendendum eſſe, quid de divinitatis Chriſti nativitate, quæ ei à Patre eſt, fuerit prophetatum, quando ejus hominis quem aſſumſit perſona tractetur, ubi operatio, paſſio & reſurrectio prædicetur. *Non diffitetur tamen, omnia pſalmorum verba in id unum comparata eſſe, ut Chriſto formemur, proficiamus, acquiramur; atque eatenus ſingula ad Chriſtum referri. Hoc etiam modo quæcumque in pſalmis ſcripta ſunt, ad Chriſtum pertinere concedit, quòd tametſi plura ad perſonam Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, generationis primæ & generationis ſequentis, (hoc eſt, Synagogæ & Eccleſiæ,) referenda ſint: omnia tamen de Chriſto ſunt; quia omnis pſalmorum doctrina hoc præſtet, ut ipſe noſcatur, in quo & per quem omnia ſunt. At verò iis, qui litteram amant, nequaquam negat, etiam dum videtur negare, rerum quæ pſalmis enuntiantur veritatem: ſed tantùm in hac ſimplici intelligentia non hærendum eſſe paſſim contendit.*

v Tract. pſal. 63. n. 2. & pſal. 138. n. 1.

in pſal. 63. n. 3.

in pſal. 138. n. 1.

Nihil in pſalmis niſi propheticum.

IX. *Nimirum Apoſtoli doctrinam, qua antiquis omnia in figura contigiſſe tradidit, cùm altè animo imbibiſſet; non ambigebat prorſus, quin quæ in lege ſcripta geſtave ſunt, evangelicorum temporum fuerint adumbrationes. Hoc ſe præſertim de pſalmis ſentire ſic in pſal.* 142. *n.* 1. *declarat:* Nihil in pſalmis niſi propheticum cognoſcimus. *Horum proinde auctorem, quem & propter prophetiæ certitudinem obſervat frequenter gerenda quaſi jam geſta eſſent commemorare, ſimplici* Prophetæ *nomine per antonomaſiam quamdam nuncupare ſolet. Eum etiam aliàs* evangelicum virum *vocat; non modò quòd evangelica ſtudiosè obſervarit præcepta, ſed & quòd quæ evangelicis temporibus eventura eſſent, dicta illius atque geſta prophetiæ fuerint. Sic porro in prologo tradit, pſalmorum librum non ab uno ſcriptum eſſe; ut tamen in pſal.* 150. *n.* 1. *(vincente ni fallor conſuetudine, qua uni David adſcribebatur,) illum velut unius prophetæ Opus conſideret.* Cùm ergo, *inquit*, ultra litteræ opinionem celſioris intelligentiæ ſenſu volumen digeſtum ſit; oportuit idipſum digno fine concludi, ut ſecundùm glorioſam ſpei noſtræ perfectionem liber quoque TANTI PROPHETÆ conſummatus exſiſteret. *Immo in iis etiam pſalmis, qui ſecundùm regulas ab ipſo poſitas auctorem alium præ ſe ferunt, ipſum interdum* * *David ſpectat velut in eis loquentem. Perſuaſum autem habens, magnum illum regem* omnia Domini dicta atque geſta & ſervi fide, & prophetæ exemplo præfiguraſſe, *illum inter & Chriſtum ſæpe ſermonem ita temperat, ut quod concedit & enarrat in David verè geſtum*, quò per actionem Prophetæ ſenſus ac ſermo noteſceret prophetiæ, *ad myſteriorum Chriſti intelligentiam referri velit:* cùm, *inquit*, Propheta non tam ſpiritu, quàm paſſionibus prophetarit.

* *Vide Tract. pſal. 126. n. 15. in pſal. 141. n. 3.*

Notis quibuſdam admonemur altiorem litterâ ſenſum exquirere.

in pſal. 131. n. 10.

X. *Neque eum fugit, duplicem illam unius ejuſdem dicti intelligendi rationem non omnibus arriſuram; nec defuturos eſſe, qui ipſum* fortè per multiplicem humani ingenii intelligentiam vim veritati afferre arbitrarentur; ut quod ex David perſona dictum ſit, id ad Dominum Salvatoremque noſtrum multimodis tranſlationum ſubtilitatibus transferret. *Sed his occurrens, oſtendit non ſine Dei nutu factum, ut cùm Chriſtus in pſalmis prophetetur, in iiſque, qui de ſe ſunt, multa eloquatur ut homo, quæ ad ceteros homines accommodari poſſent; his tamen verba quædam intermiſceret, quæ nulli, niſi qui divinâ gauderet naturâ, convenirent.* Numquam verò, *inquit in pſal.* 141. *n.* 3. pſalmorum prophetia, quotienſcumque ex perſona Domini profertur, non aliquid peculiare ejus, quod alii commune cum eo eſſe non poſſit, adjecit. *Neque ſolùm cùm Chriſtus, ſed & cùm aliæ res in pſalmis præcinuntur, quaſdam in eis obſervat eſſe notas, quibus alium ſenſum, quàm qui primò obvius eſt, inquirendum admoneamur. Unde Tractatum pſalmi* 125. *præclaris his verbis auſpicatur:* Niſi eſſent in pſalmis quædam tales prophetiæ, ut in res atque homines eorum temporum, quibus ſcripta ſunt, non convenirent; profectò auderent multi nihil in pſalmis ſpiritaliter dictum exiſtimare; putarentque nos commentitias aſſertiones, & ementitias interpretationes inquirere,

inquirere, quibus videremur altius nescio quid ac profundius ceterorum sensu intellexisse: perinde quasi nos sensui nostro ea quæ scripta sunt coaptemus, & non magis ex his, quæ scripta sunt, sensum diligentis & sollicitæ intelligentiæ consequamur. *Quò spectat illud Augustini in psal.* 103. *Ser.* 1. *n.* 18. Quare quædam in rebus visibilibus quasi absurda miscet Spiritus-sanctus, nisi ut ex eo quod non possumus accipere ad litteram, cogat nos ista spiritaliter quærere?

XI. *Hac opinione imbutus Hilarius, sustinere non valet eos, qui præ nimio litteræ amore virtutem verborum non intelligentes*, nec Prophetæ spiritum sentientes, psalmos terreno ingenio intelligendos putant. *Hos & nobis obscuritatem & prophetis injuriam facere queritur his verbis*: Faciunt nobis plerique obscuritatem, volentes Scripturas solo aurium judicio æstimare, & non aliud in his æstimare, quàm quod sub singulis rerum quarumque vocabulis audiatur. Quod cùm volunt, neque prophetas non dico cælestia, sed nec terrena quidem rationabiliter dixisse constituunt. *At si qui spiritalia sectantes ab ipso dissentiant, tam modestè eos suo ipsorum judicio permittit; ut cùm in nimios litteræ veneratores declamitat, hoc eum non proprii sensus, sed unius fidei ac veritatis amore facere non ambigamus. Et verò cùm maximum fidei nostræ argumentum sit prophetia, nec ullâ plures fidei nostræ veritates confirmentur, quàm psalmis; his nihil propheticum contineri æquo animo audire nequiit, cui asserendæ ac propagandæ fidei summum semper studium fuit.*

Quemque suo sēsu abundare permittit. *in psal.* 120. *n.* 13 *in psal.* 124. *n.* 1. *V. Tract. psal.* 120. *n.* 1. & *psal.* 138. *n.* 39.

XII. *Ipse ad enucleandum sub litteræ cortice latentem sensum, non tam proprii ingenii viribus, quàm oratione fretus animum appulit. Cùm enim non ignoraret, humanum ingenium ad ea intelligenda non sufficere, quæ tot ac tantis temporibus abstrusa, tantis humani generis obscura ætatibus, in quibus intelligendis frustra reges laboraverint, ipsi doctores & magistri erraverint; illa tamen ope orationis Christianis pandi & aperiri non dubitabat. Unde & concludit*: Non ergo ex nobis est quòd intelligimus, sed ex eo qui quæ ignorabilia erant fecit intelligi. Itaque ab eo speranda intelligentia est, qui & pulsantibus aperiet, & quærentibus demonstrabit, & petentibus non negabit. *Hanc intelligentiam sibi non negatam, modesta ista confessione testificatur*: Nos uniuscujusque sensui non contraimus. Quid autem secundùm donum gratiæ spiritalis sensérimus, sine cujusquam contumelia tractabimus. *Quibus similia sunt isthæc*: Judicio eorum, (*quos nimirum non probat*,) nihil decerpimus. Neque enim sensum intelligentiæ hujus arguimus, uniuscujusque arbitrio relinquentes, quid ex his quæ aut legerint, aut intellexerint, sequi magis velint. Nos tamen non potuimus sermonem nostrum nisi his quæ intelligebamus aptare.

Scripturarum intelligentiam orationi concedi. *in psal.* 125. *n.* 2. *in psal.* 138. *n.* 39. *in psal.* 120. *n.* 1.

XIII. *In hoc labore etsi Origenis lucubrationibus adjutus, earum tamen exscriptor aut interpres non fuit. Aliud enim est imitari, aliud interpretari aut exscribere. Nec interpretis officio fungitur, qui alia addit, resecat alia, & cetera proprium in stilum convertit. At verò Hilarius, ut Hieronymus lib. de Script. eccl. auctor est*, in hoc Opere Origenem imitatus, nonnulla etiam de suo addidit; *&, ut idem habet ad Theophilum epist.* 62. Noxia quæque detruncans, utilia transtulit: *quo autem pacto hæc transtulerit, Doctoris ejusdem testimonio comprobatur. Sicubi enim arguitur, quòd Origenis libros ita exponat*, ut in stilo proprio placens pater verbi sit potiùs quàm interpres; *nulla ei sollemnior est defensio, quàm ut Hilarii ea in re imitatorem sese fuisse respondeat.* Nec disertiores, *inquit ad Pammachium & Oceanum epist.* 65. sumus Hilario, nec fideliores Victorino, qui ejus (*Origenis*) Tractatus, non ut interpretes, sed ut auctores proprii operis transtulerunt: *& epist.* 101. *ad Pamachium*: Sufficit in præsenti nominasse Hilarium Confessorem, qui homilias in Job, & in Psalmos Tractatus plurimos in latinum vertit è græco: nec assedit litteræ dormitanti, & putida rusticorum interpretatione se torsit; sed quasi captivos sensus in suam linguam victoris jure transposuit. *Idipsum reponit epist. 62. ad Theophilum.*

Origenis imitator, non interpres fuit. *apud Hieron. epist.* 6.

XIV. *Pluribus aliis argumentis confirmamur, Hilarium Origeni non debere omnia, quæ in his Tractatibus edisserit. Primò quidem negari nequit, quin latinum codicem exponendum susceperit; ac proinde quædam ei fuerint explicanda, quæ Origenes non attigit. Deinde cùm Origenes, Ambrosio * teste, prætulerit* distillaverit, *ubi noster Hilarius*

* *Serm.* 4. *in psal.* 118.

magis probat dormitavit; liquet hunc ab illo in ambiguis Scripturæ vocibus transferendis discessisse. Ex quo necesse est, ut nec in iisdem explicandis cum ipso convenerit. 3°. in voce diapsalma intelligenda alia est Origenis apud Hieronymum epist. 138. ad Marcellam, & alia Hilarii prologo in psalmos sententia. 4°. quæ Hilarius de Christi dignitate, virtute, æternitate, dispensatione passim disserit, ea illum ab Origene mutuatum esse quis sibi persuadeat? 5°. de resurrectione, de pœnis æternis &c. plura habet à doctrina Origenis prorsus aliena. 6°. cùm Origenis in litteram Phe psalmi 118. necnon in psalmum 126. expositiones jam Pamphili ævo excidisse hinc Hieronymus* approbet, quòd illas Martyr idem in indice non recensuerit; hos tamen Hilarii Tractatus non advertimus aut aliis inferiores, aut stilo ab iis vel tenuiter discrepantes. 6°. quædam etiamnum supersunt Origenis in 1. psalmum fragmenta, quæ cum Hilarii in eumdem psalmum enarratione nullam omnino habent affinitatem. Tria quidem ex illis propiùs est imitatus, quæ ut conferre quisque posset, infrà edidimus, primum scilicet pag. 3. not. g, alterum pag. 8. not. i, postremum pag. 14. not. e: sed ex hoc præsertim apparet, illum ex Origene commodatas sententias ita temperasse, ut eas sibi quasi proprias vindicare jure potuerit. Denique cùm præfatione in 1. psalmum testatur, Multos vel præsenti sermone vel ex litteris ac scriptis eorum comperi ita sensisse: sed id nec modo nec ratione docuere &c. satis significat sese in obscuris textus sacri locis non unius Origenis, sed & plurimorum aliorum pervolvisse scripta, immo etiam familiares suos consuluisse, nihilque à quoquam nisi priùs expensum ac probatum recepisse.

* epist. 142. ad Marcellam.

Quatenus usus sit Heliodori operâ. epist. 142. ad Marcellam.

XV. Ex iis, quibus Hilarius familiariter utebatur, quosque præsenti sermone consulebat, Heliodorum presbyterum nominatim memorat Hieronymus, ea in re testis idoneus. At eidem subinde Hilarium quamdam tantùm græcarum litterarum aurulam cepisse, ideoque ab hoc Heliodoro, quæ ex Origenis dictis intelligere per se non poterat, quærere solitum, ac bis deceptum esse affirmanti, fidem negat Erasmus; præsertim, inquit, cùm id quod affert, nihil aliud quàm divinatio sit. Ut enim obiter patrocinemur Hilario, mihi non fit veri simile, virum tantum usque adeo fuisse credulum, ut in enarrandis divinis litteris totus pependerit ex alieno judicio: nec adeo rudem græcæ litteraturæ, ut non potuerit ipse sensum deprehendere, præsertim in Origene; cujus sermo mirè perspicuus est. Et verò de hac Origeniani sermonis perspicuitate quamvis nuper nonnemo convenire noluerit; ægre tamen quis animum inducat, Hilarium, maximè post reditum ab exsilio, ita in lingua græca tyronem fuisse, ut ad Origenis verba intelligenda, & ea quâ observatum est ratione imitanda, alieno subsidio indigeret. Nec negari ferme potest, Hieronymum in hoc loco merâ conjecturâ locutum esse: & id quidem, cùm eum urgeret furtivis operis celeriter rescribendi necessitas, ac rei veritatem attentiùs perpendere gravis stomachi dolor non sineret. Unde non mirum est quædam ab eo dicta esse quæ non satis cohæreant. At lapsum, si quis est, excusat, quem sola invexit in sanctum virum pietas ac reverentia.

Codices sacri textus græcos & latinos adhibuit. * Prolog. n. 2. & in psal. 118. lit. 8. n. 1.

XVI. Præterea Hilarium ex Origenianis interpretationibus non pependisse probant sacri textus codices latini atque græci, quos ad faciliorem psalmorum intelligentiam consequendam sese consuluisse non semel * testificatur. E græcis duas lectiones in psal. 65. n. 25. laudat, quarum altera nusquam alibi nobis occurrit. Latinum sequi solet, usu, uti probabile est, tunc receptum. Hunc litteræ paulo tenaciorem esse sæpe admonet, interpretesque illius dum collationem ordinemque verborum demutare ac temperare non audent, minùs dilucidè proprietatem declarasse dictorum. Codicis hujus Psalterium aliud ab eo esse, quod Gallicanum vocant, minimè mirum est; cùm hoc ipsum sit quod Hieronymus postmodum emendavit. Illi autem non ita scrupulosè adhæret, ut in una eademque lectione repetenda semper constans sit. Sæpe enim verbis utitur Vulgatæ nostræ, dum versum enarrandum repetit; licèt lectionem primò proposuerit ab eadem dissonantem. Immo textum aliquando præmittit aliter quàm nunc habemus, sed hunc postea sic explicat, ac si id tantùm legisset, quod modò apud nos obtinet. Præmittit quippe in psal. 123. Forsitan pertransisset anima nostra aquam immensam: quod subinde sic exponit, ac si intolerabilem, & non immensam legisset.

in psal. 67. n. 21. & 12.

Vulgatæ nostræ quædam lectiones ei ignotæ.

XVII. Videri hi[illegible] posset familiaris Hilario fuisse Vulgata nostra. Ignotæ tamen ei fuerunt plures lectione[illegible], quæ modò in illa exstant. Satis enim apertè in psal. 65. n. 18. de-

clarat, nullam à se perspectam esse versionem latinam, quæ in ejusdem psalmi versu 8. exhiberet, Auditam facite vocem laudis ejus. *Rursum in psal. 118. lit. 10. n. 3. dum monet, in aliis codicibus, post verba* Manus tuæ fecerunt me, *scriptum esse* & præparaverunt me, *in aliis* & finxerunt me, *nec addit in aliis circumferri* & plasmaverunt me; *sese nullum scisse in quo id exstaret, hoc silentio non obscurè significat. Præterea codices latinos ei latuisse, quibus cùm psal. 118. 89.* In æternum Domine, *& non* in sæculum Domine, *tum psal.* 120. 5. super manum dexteram tuam, *& non* super manum dexteræ tuæ *translatum esset, ex eorumdem versuum tractatione perspicuum est. Demum in psal.* 145. *n.* 5. *legens*, Dominus sapientificat cæcos, *num rectè subjiceret*, Si de corporalibus donis Propheta loqueretur, commemoraret potiùs cæcis lumen indultum; *si ibi in aliquo codice reperisset*, Dominus illuminat cæcos? *Verùm hæc & alia spectare licet velut exempla eorum, quæ postea Hieronymus in Itala versione correxit.*

XVIII. *Ad varias illas variorum codicum versiones narrationem suam aliquando accommodat, uti fidem facit Tractatus psalmi* 119. *ubi promiscuè legere est* cum tabernaculis Cedar, cum habitationibus Cedar, *&* cum habitantibus Cedar. *At ex discrepantibus versionibus quoties aliqua seligenda est, Septuaginta seniorum translationem præfert: quæ tantæ apud eum auctoritatis est, ut nec tutum esse existimet ab ea discedere. Tantum autem illi tribuit, primò quia* legitima *est, hoc est sub lege & à Judæis legi adstrictis longè ante Christum edita, adeoque minime suspecta: deinde quia licèt sub lege facta, est tamen* spiritalis, *id est, litteræ hebrææ, quæ valde ambigua est, non adhæret serviliter, sed spiritum in ea latentem verbis haud dubiis retegit & exprimit; quo maximè nomine in psal.* 59. *n.* 1. *Aquilæ nihil præter litteram sapientis translationem huic postponit: postremò quia spiritalis ille sensus non humano ingenio excogitatus fuit, sed à Moyse ex traditione acceptus. Arbitratur enim Moysen, ne quis hebraicæ linguæ ambiguitate deciperetur, selegisse* LXX. *seniores, qui germani Scripturæ sensus & custodes forent & testes, quorum successores exstiterint Septuaginta, qui Scripturas primùm græcè reddiderunt. Ad ejusdem editionis commendationem addit Augustinus*, Septuaginta eo Spiritu interpretatos, quo & illa quæ interpretabantur dicta fuerant.

Editio LXX. Interpretũ summæ apud eum auctoritatis fuit.

V. lit. 5. psal. 118. n. 13. in psal. 2. n. 3. & in psal. 59. n. 1.

August. lib. 2. de consensu Evãg. c. 66.

XIX. *Quanti etiam fecerit psalmorum librum apud Græcos secundùm Hebræos emendatum, initio litt.* 8. *psal.* 118. *testatum reliquit: ubi à præconcepta sententia, quam latini codices confirmabant ac nonnulli græci, ob unam illius auctoritatem discedit. In ejusdem libri commendatione, ut in totius psalmi* 118. *explanatione, consentit Ambrosius in eumdem locum. Utriusque verba ad illud Luciani martyris Opus commodè referres, de quo Euthymius testatur:* Omnibus editionibus visis, & cum hebraica veritate diligentissimè collatis, propriam editionem nihil mancum, nihil habentem superfluum Christianis tradidit. *Verùm his obnititur Hieronymi auctoritas scribentis:* Prætermitto eos codices, quos à Luciano & Hesychio nuncupatos, paucorum hominum asserit perversa contentio. *Quî enim* paucorum hominum; *si non modò apud Græcos, sed & apud Gallos & Italos asserantur? Major etiam erat in Hilarium Hieronymi reverentia, quàm ut opinionem, à qua ille staret, perversæ contentionis nomine notaret. Præterea totam Scripturam recognovit Lucianus, cùm solum psalmorum librum Hilarius atque Ambrosius commemorent.*

Græcus liber secundùm Hebræos emendatus.

Euthym. præf. in psalm.

Hieron. præf. in 4. Evang.

XX. *Ille cùm ex hoc loco, quo librum* secundùm Hebræos *emendatum tanti ducit, tum ex altero*, quo Græcis codicibus, quia* ex hebræo fonte proximi sunt, *aliquanto plus quàm latinis auctoritatis esse innuit, suam de hebræo textu sententiam manifestam facit. Neque verò textus hujus sinceritatem arguit, sed tantùm ab ejus ambiguitate sibi cavendum monet. Immo si verba illius in psal. 2. n. 3. assequimur, libri hebræi simul cùm iis, quos Septuaginta translatores ediderant, post resurrectionem Domini collati sunt: & cùm fideliter consonantes comperti essent, utrisque* indissolubilis constituta est privilegio doctrinæ & ætatis auctoritas. *Certè cùm ibidem fatetur, Hebræis non necessarias fuisse Seniorum septuaginta translationes, cúmque num. 4. Paulo Hebræo apud Hebræos hebræo textu uti licuisse ostendit; apertè indicat sese hunc corruptum nequaquam suspicari.*

Hebræi textus auctoritas.

* *in psal. 65. n. 3.*

XXI. *Quid de illis psalmis dicemus, qui singulis Tractatibus integri præfiguntur? Hi editione Parisiensi anni* 1605. *primùm vulgati sunt ex antiquo codice aliàs S. Maximini Miciacensis, postea reginæ Suecorum Christinæ, ac tandem Vaticanæ bibliothecæ, cujus ad*

Psalmi initio Tractatuum Hilarii Operi sunt adjecti.

calcem hæc epocha atque imprecatio annotatur: Hic eſt liber S. Maximini Miciacenſis monaſterii, quem Petrus abbas ſcribi juſſit, & Pilio * labore providit atque diſtinxit, & die Cœnæ Domini ſuper ſacrum altare S. Stephani Deo & S. Maximino habendum obtulit ſub hujuſmodi voto; ut quiſquis hunc inde aliquando ingenio non redditurus abſtulerit, cum Juda proditore, Anna & Caypha atque Pilato damnationem accipiat. Amen. *Pſalmos eoſdem præ ſe ferunt Vaticani minoris antiquitatis codices. At in reliquis cùm ſcriptis, tum editis neutiquam exſtant. Alienum opus produnt textus pſalmi* 119. *ante præfationem in Cantica graduum, necnon primum pſalmi* 118. *Octonarium ante præfationem in totum pſalmum, inconcinno prorſus loco ordinata. Verùm ſinguli pſalmi ab eo textu, quem in enarrationibus ſuis ſequitur Hilarius, tot locis diſſident, ut hos illius eſſe nemini perſuaſeris. Hunc itaque textum, ut aliunde adſcitum, rejiciendum eſſe, aut certè ad verſionem Hilario uſitatam caſtigandum primò cenſebamus. At cùm à Vulgata non minùs, quàm ab Hilariano Pſalterio diſſentiat; ſic eam verſionem, quæ ex mſſ. antiquitate auctoritatem obtinet, conſervandam duximus, ut lectionibus quibus Hilarius ab ea diſcrepat ad marginem adſcriptis, nemo illam pro Hilariana uſurpet.*

*id eſt, Neſtorio.

An ad populum ſint habiti.

XXII. *In mſſ. Regio & Turonenſi, in quibus nuſquam exſtat pſalmus integer ipſius expoſitioni prævius, unaquæque enarratio vel ſimpliciter* Pſalmus, *vel* Tractatus pſalmi *inſcribitur. Hoc* Tractatus *titulo ſingulas ab ipſomet Hilario inſignitas fuiſſe, ex verbis ipſius in pſal.* 130. *n.* 1. *&* in pſal. 135. *n.* 12. *&* 14. *planum eſt. An verò illi Tractatus ad populum habiti fuerint, meritò quis quæſierit. Vix enim credere eſt, tam doctum tamque diſertum Præſulem, qui etiam laicus* non ceſſabat verba veritatis fructum redundantia ſeminare, *præcipuum Paſtorum munus neglexiſſe. Neque minùs incredibile eſt hæc cùm ille ſtrenuè implevisſet, nullam omnino ipſius concionem non modò ad noſtram, ſed nec ad Hieronymi notitiam perveniſſe. Sanè finis in plurimis Tractatibus exhortatorius, in omnibus aut propè omnibus adhibita ad clauſulam doxologia, hæc nominatim verba Tractatûs pſal.* 138. *n.* 15. Hinc nec temporis, *(non* loci,*)* nec quæſtionis eſt ampliùs loqui, *tota denique dicendi ratio Concionem nonnihil redolent. Non audemus tamen Sermones aſſerere aut appellare, qui ab Hieronymo* Commentarii, *& ab Auguſtino* expoſitiones *nuncupantur. Quamvis enim hic lib.* 2. *contra Julian. c.* 7. *cùm quædam ex litt.* 13. *pſal.* 118. *laudaſſet, alia ſubinde ex litt.* 15. *ſic commemoret,* Rurſus in eodem ſermone; *non eumdem tamen ejuſdem litteræ Tractatum, ſed totam pſalmi* 118. *expoſitionem* Sermonis *nuncupatione ibi deſignari manifeſtum eſt. Et verò præfationes non in exordio tantùm, verùm etiam ante pſalmum* 118. *necnon ante Cantica graduum, Commentarios edentis magis ſunt, quàm Sermones pronuntiantis. Sed & cùm ceteri Patres in ſuis Sermonibus blando* fratrum *aliove nomine compellare ſoleant auditores; nuſquam Hilarius in his Tractatibus* Fratres *appellat, nuſquam ad auditores orationem nominatim convertit.*

Fortunat. l. 1. n. 3.

Exiſtimari poſſunt primùm ad populum habiti, ac deinde in Commentarios redacti.

XXIII. *Quamquam rationibus ſuperiùs allatis facilè inducimur, ut hos Tractatus primùm apud populum recitatos, ac deinde nonnullis mutatis in unum Commentariorum volumen collectos atque editos fuiſſe opinemur. Huic opinioni favet, quòd apud Zenonem Veron. ex Tractatibus, quos ei falsò attributos eſſe in pſal.* 126. *demonſtrabimus, in unum pſalmum* 130. *duo occurrunt, unus ſcilicet, ut apud Hilarium eſt, in modum Commentarii; alter verò, perpaucis mutatis, Sermonis in morem ad* Fratres *habitus. Ex quo dijudicare licet quales ille ad plebem ſuam Tractatus dixerit, qualeſve poſtmodum in Commentarios redegerit. Nihil enim eſt, unde diverſam hanc unius ejuſdemque rei dicendæ formam aut ad diverſos referamus, aut ex uno aliter explicemus. Apud eumdem Zenonem Sermo de judicio, qui* de pſalmo centeſimo *inſcribitur, ita totus eſt ad mentem Hilarii* * *compoſitus, ut hunc illi cum aliis ſubreptum ſuſpicemur. Sed & apud ipſummet Hilarium hoc Tractatûs pſalmi* 14. *exordium,* Pſalmus qui lectus eſt, inſcribitur pſalmus David; *necnon illud num.* 2. *in pſal.* 13. Qui lectus eſt pſalmus, in finem inſcribitur, *quid aliud ſonant, niſi prædictos pſalmos ſtatim poſt eorum lectionem in eccleſia coram populo fuiſſe expoſitos? De Operis hujus utilitate unum hoc in ſumma monemus, ſanctum Doctorem in eo fere complexum eſſe quidquid de præcipuis fidei noſtræ dogmatîs ſentiat.*

* Confer cum hoc Sermone dicta ejus in pſal. 1. n. 15. &c.

SANCTI



SANCTI HILARII
PICTAVENSIS EPISCOPI
TRACTATUS SUPER PSALMOS.

a
[a] IN LIBRUM PSALMORUM.
PROLOGUS.

b Pſalmorum liber unus, non quinque: neque illi ſolius David.



ARIAS [b] eſſe plurimorum de pſalmorum libro opiniones, ex libris ipſis quos ſcriptos reliquere, compertum habemus. Nam aliqui Hebræorum eos in quinque libros diviſos volunt eſſe: ut ſit uſque in quadrageſimum pſalmum liber primus, & à quadrageſimo uſque in ſeptuageſimum-primum liber ſecundus, & ab eo uſque in octogeſimum-octavum liber tertius, & uſque in centeſimum-quintum liber quartus; (c [c] ob quod hi omnes pſalmi in conſummatione ſua habeant, *fiat, fiat:*) concludatur deinde in centeſimo-quinquageſimo pſalmo liber quintus. Alii verò d [d] ita inſcribendos pſalmos exiſtimaverunt; *Pſalmi David:* quo titulo intelligi volunt, eos A omnes à David fuiſſe conſcriptos. Sed nos ſecundùm apoſtolicam auctoritatem, *Librum pſalmorum* & [e] nuncupamus, & ſcribimus. Ita c enim in Actis Apoſtolorum dictum meminimus: Scriptum eſt enim in libro pſalmorum, Fiat domus ejus deſerta, & epiſcopatum ejus accipiat *Act. 1. 20.* alter. Ergo neque ſecundùm quoſdam Hebræos quinque libri, neque ſecundùm plurimorum ſimplicitatem *Pſalmi David* dicendi ſunt: ſed ſecundùm apoſtolicam auctoritatem *Liber pſal-* B *morum* eſſe noſcendus eſt.

2. Sunt autem plures eorumdem pſalmorum ſcriptores. Nam in aliquibus *David* auctor præſcribitur, in aliquibus *Salomon*, in aliquibus *Aſaph*, in aliquibus *Idithum*, in aliquibus [f] *filiorum Chore*, in aliquo *Moyſi.* [g] Ex quo abſurdum eſt pſalmos David cognominare: cùm tot auctores eorum ipſis inſcriptionum titulis

Eorũ ſunt, quorum nomen præferunt.

f g

[a] Mſ. codex Miciacenſis hoc uno inſignitur titulo, quem univerſo operi convenientem, favente regio exemplari præmittimus, *Tractatus ſancti Hilarii Pictavenſis Epiſcopi ſuper Pſalmos.* Prologus autem, qui in vulgatis *in Pſalmorum explanationem*, non ineptè ex mſ. Telleriano inſcribitur, *in Pſalmorum librum:* non enim Pſalmorum explanationem tam ſpectat, quàm ipſummet Pſalterium, quod Hilario *Pſalmorum librum* mox placet nominari.

[b] Tellerianus codex, *Varias in libro Pſalmorum opiniones eſſe ex ipſis libris quos diverſi tractatores ſcriptos reliquerunt compertum habemus*, non alio ſenſu. Sed & hîc aliiſque ſubinde locis interpolatum hunc codicem jure quis ſuſpicetur.

[c] Alter è mſſ. Vaticanis, *ob hoc quòd hi omnes.* Hujus verò momenti levitatem videſis apud Hieronymum præf. in Pſalterium ex Hebræo tranſlatum.

[d] Pariſienſis editio an. 1605. adornata, *ita ſcribendos.* Porro David tamquam auctori totum Pſalterium tribui permittit Auguſtinus in Pſal. 9. n. 35. Immo. l. 7. de Civ. Dei, c. 14. longè credibilius putat, pſalmos omnes ab eo prodiiſſe. Indubitanter ei aſſeruntur apud Ruffinum præfat. in Pſalmos. *Ad ſolum quoque prophetam David pertinere, certis declarari indiciis*, affirmat Caſſiodorus præfat. in eoſdem Pſalmos. Eamdem ſententiam ei, quam tuetur noſter Hilarius, præponit Euthymius præfat. in Pſalmos.

[e] Mſ. Tell. *& nunc cantamus & ſcribimus:* non placet. Hilarii auctoritate ac rationibus adductus Caſſiodorus præfat. in Pſalt. cap. 12. unum Pſalmorum librum eſſe definit. Sed mirum eſt quòd ibidem pſalmorum in quinque libros diviſionem Hieronymo tribuat, quam ille præfat in Pſalter. prorſus reſpuit. Diviſionis hujus rationem ſibi incompertam fatetur Auguſtinus in Pſal. 150. n. 2. & Scripturæ canonicæ auctoritati mavult ſubſcribere. Eidem ſubſcribit apud Ruffinum auctor præfat. in Pſalmos.

[f] Alter è mſſ. Vatic. *in aliquibus filii Chore, in aliquo Moyſes.* Moyſi autem nomen prænotatur Pſalmo 89. Hujus tamen auctorem eſſe Moyſen non conſentit Auguſtinus in eumdem Pſalmum n. 2. cui magis placet ut totum Pſalterium David tribuatur. Contrà Hieronymus epiſt. ad Cyprianum non ſolùm hujus, ſed & ſubſequentium auctorem ſcribit Moyſen, *qui non ſolùm*, inquit, *nobis quinque reliq[...] libros, Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros & Deuteronomium, ſed undecim quoque Pſalmos ab 89. uſque ad 99.*

[g] Mſ. Mic. *ſiquidem abſurdum.* Tum cum Par. ſubjicit, *Pſalmos David dicere vel nominare, cùm ibi auctores eorum ipſis inſcriptionum titulis commendentur.* In aliis verò libris ut in textu, niſi quòd in Tell. *credantur*, pro *edantur.*

edantur. Et *Liber psalmorum* rectiùs esse dice- A tur, diversis in unum volumen [a] prophetiis diversorum & auctorum & temporum congregatis. Visum autem aliquibus est, Jeremiæ, & Aggæi, & Zachariæ quorumdam psalmorum superscriptionibus nomina prænotare: cùm horum nihil in authenticis Septuaginta translatorum libris ita editum reperiatur: adeo ut etiam in plurimis latinis & græcis codicibus, sine horum nominibus simplices tantùm psalmorum tituli præferantur. B

Qui sine nomine, pertinent ad eum qui Psalmi superioris auctor inscribitur.

3. De his autem qui sine diversorum auctorum nominibus sub diversis superscriptionibus habentur; [b] antiquorum virorum ista traditio est, quòd ex eo psalmo, cujus auctor in superscriptione præponitur, qui deinceps sine auctorum superscriptione succedunt, ejus esse existimandi sunt, qui anterioris psalmi auctor inscribitur, usque in eum psalmum, in quo nomen alterius auctoris præferatur: ut si psalmi alicujus superscriptio talis sit, *Psalmus David*; ceteri qui sine titulo consequantur, David esse C credantur, donec prophetæ alterius nomen in superscriptione ponatur; & ex eo usque in alterum prophetam, qui sine inscriptione [c] medii sunt, ejus sint qui in anterioris psalmi superscriptione auctor cœptus sit anteferri.

Quòd non repugnet in psalmo Moysi Samuelem nominari.

4. Quòd si fortè aliquis per id intelligentiæ huic fidem detrahet, quòd in his psalmis, qui eum psalmum, cui Moyses auctor prælatus est, subsequuntur, scriptum sit, id est, in nonage- D simo-octavo, *Moyses & Aaron in sacerdotes ejus, & Samuel inter eos invocantes nomen ejus*, non posse à Moyse eum prophetatum videri, cùm Samuel nomen, qui tanto postea, quàm Moyses, natus est, exstet in psalmo: meminerit, nulli mirum aut difficile videri oportere, ut tantus propheta tanti prophetæ, postea licèt futuri, nomen ediderit: cùm in Regnorum libris Josiæ regis nomen sit, antè quàm nascatur, prophetatum, prophetâ dicente, Alta- E

3. Reg. 13. 2.

rium, altarium, hæc dicit Dominus, Ecce filius nascetur David, Josias nomen ejus: per quod non incredibile esse oportere, ut Samuel à Moyse [d] prædictus sit: maximè cùm secundùm Jeremiam dicentem, Nec si stet Moyses

Jerem. 15. 1.

& Samuel, [e] Moysi connominatus & coæquatus sit ex merito sanctitatis. Quæ traditio ab Esdra, quantum creditur, psalmos post captivitatem in unum librum colligente profecta, si falsa aut improbabilis existimabitur; ab his qui contradicent, auctores horum psalmorum demonstrari necesse est. Absolutum enim est, non potuisse eos nisi prophetis prophetantibus prophetari.

Esdræ traditio de Psalmorum auctoribus.

Psalmi canunt evangelicam historiam.

5. Non est verò ambigendum, ea quæ in psalmis dicta sunt, secundùm evangelicam prædicationem intelligi oportere: ut ex quacumque licet persona prophetiæ Spiritus sit loquutus, [f] sit tamen totum illud ad cognitionem adventûs Domini nostri Jesu Christi, & corporationis, & passionis, & regni, & ad resurrectionis nostræ gloriam virtutemque referatur. Sunt autem omnes prophetiæ ad mundialem sensum & prudentiam sæculi clausæ atque obsignatæ, secundùm illud Esaiæ, [g] Et erunt vobis omnia verba hæc, tamquam eloquia libri hujus signati. Quod si quidem homini scienti litteras, dicetur, Lege ista, dicet, Non possum legere; signatum est enim. Et si dabitur liber hic in manus hominis nescientis litteras, & dicetur ei, Lege hunc; respondebit, Nescio litteras. Imperitia legendi & intelligendi librum prophetiæ sub persona utriusque hominis monstrata est, cùm intelligentia docti ad legendum, signaculum clausi mysterii non adeuntis, illius indocti ignorationi per communem utriusque intelligendi inopiam comparatur. Sunt enim universa allegoricis & typicis contexta virtutibus: per quæ omnia unigeniti Dei filii in corpore & gignendi, & patiendi, & moriendi, & resurgendi, & in æternum cum conglorificatis sibi qui in eum crediderint regnandi, & ceteros judicandi sacramenta panduntur. Et quia Scribæ & Pharisæi Dei filium natum in corpore non recipientes, omnibus propheticæ intelligentiæ aditum denegarent, sub denuntiatione pœnæ ita à Domino arguuntur: Væ vobis legis doctores, qui abstulistis clavem scientiæ: ipsi non introitis, & introeuntes non sinitis introire. Negantes enim Christum, cujus adventus opus est prophetarum, clavem scientiæ abstulerunt:

Prophetiæ Christum nescientibus clausæ sunt & signatæ.

Esaia 29. 11. & 12.

Quid tractent.

Luc. 11. 52.

[a] Excusi, *Prophetis*: emendantur ex mss.

[b] In ms. Mic. *antiqua Latinorum ista traditio est*. Hujus verò traditionis auctor declaratur Esdras in fine num. 4.

[c] Duo mss. *editi sunt*.

[d] Ita in mss. rectiùs quàm in vulgatis, *prædicatus sit*.

[e] In uno ms. Vatic. hîc repetita voce, *Samuel*, tollitur sensûs ambiguitas.

[f] Solus ms. Tell. *sit locutus tamen*. At in editionibus Badii Ascensii, Erasmi, & Lipsii desideratur hîc verbum *sit*, & mox particula *ad*, ante *resurrectionis*, quam & omittit Parisiensis.

[g] Tellerianus codex juxta Vulgatam, *& erit vobis visio omnium* (Vulgatæ deinceps consentiunt & LXX.) *tamquam eloquia libri signati, quem cùm dederint scienti litteras, & dicent, Lege istum, respondebit, Non possum legere; signatus est enim*, &c. Videsis Tract. lit. 17: Ps. 118. n. 4. Cum iis quæ hoc numero subsequentique continentur, affinitatem habet Fragmentum Origenis è Tomo 1. in Psalmum primum, relatum T. 1. græcorum Origenis Operum V. C. P. Danielis Huetii operâ excusorum pag. 37. Illud itaque hîc describendum duximus, quò Hilariana cum Origenianis conferendo, faciliùs possit quisque quid ex his in illa translatum sit perspicere. [Clausas obsignatasque Scripturas esse sacras, divina testantur oracula, idque Davidis clave, ac forsitan & sigillo, de quo scriptum est: Figura sigilli sanctitas Domino. Quod de virtute Dei, qui ea largitus est, intelligi debet, quæ videlicet per sigillum adumbratur. Etenim clausas atque obsignatas esse Scripturas Johannes in Apocalypsi declarat his verbis: & Angelo Ecclesiæ quæ Philadelphiæ est scribe, Hæc dicit sanctus verus, qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudet, & claudit & nemo aperiet, Novi opera tua, posui fores coram te apertas, quas nemo claudere potest. Deinde paulò pòst: Et vidi ad dexteram sedentis in throno librum scriptum intus & à tergo, obsignatum signaculis septem: & vidi Angelum proclamantem voce magna, Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus? Et nemo poterat in cælo neque in terra neque subter terram aperire librum, neque adspicere illum. Et flebam, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, neque adspicere illum. Et unus de senioribus dixit mihi, Noli flere, ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum & septem signacula ejus. De sola verò obsignatione ita loquitur Esaias: Et erunt vobis verba hæc omnia sicut sermones libri hujus obsignati, quem si dederint homini scienti litteras dicentes, Lege ista; & respondebit, Non possum legere; est enim obsignatus. Et dabitur liber hic in manus hominis nescientis litteras, & dicet, Nescio litteras. Hæc enim non ad Apocalypsim solùm Johannis aut Esaiæ vaticinia pertinere putandum est, sed de universa Scriptura sacra penitus accipienda sunt. Quod sanè apud illos in confesso est, qui divinarum litterarum notitiam vel mediocriter assecuti sunt: quæ quidem ænigmatum involucris ac parabolis, tenebrosisque sermonibus, ac diversis aliis obscuritatis generibus, quæ hominis ingenio difficilè comprehenduntur, refertæ sunt. Quod & Salvator ostendere volens, clavem apud Scribas & Pharisæos esse dixit, qui ut viam ad aperiendum invenirent, minimè contenderent: &, Væ vobis, inquit, legisperitis, quoniam tulistis clavem scientiæ, neque ipsi intrastis, & intrantes non permittitis ingredi.] Hactenus Origenes.

quia cognitionem legis, quæ adventum Domini corporeum prædicavit, fides corporei adventus abnegata præcludit.

Psalmorum clavis, Christi fides.

6. Et hoc quidem ex omni Scripturarum propheticarum genere dictum esse intelligendum est: ut nisi in adventum Domini ex virgine in hominem procreandi intellectæ & recognitæ fuerint, [a] intelligentiæ earum vis obsignata habeatur & clausa. Tamen nequaquam psalmorum librum nisi per fidem adventûs ejus posse intelligi, ita beati Johannis Apocalypsi docemur: Et angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe, » Hæc dicit sanctus & verus, qui habet [b] clavem » David, qui aperit, & nemo claudet; qui clau» dit, & nemo aperiet. Clavem igitur David habet; quia ipse [c] per hæc septem quædam signacula, [d] quæ de corporalitate ejus, & passione, & morte, & resurrectione, & gloria, & regno, & judicio David de eo in psalmis prophetat, absolvit: aperiens quod nemo claudet, & claudens quod nemo aperiet: quia per hanc quæ in illo expleta est prophetiam, aperiet quod nemo præcludet; & contrà expletæ in eo prophetiæ fide abnegatâ, claudet quod nemo possit aperire. Nullus enim nisi ille, in quo hæc prophetata sunt & expleta, clavem intelligentiæ hujus impertiet. Denique id ipsum consequenter docuit dicens, Et vidi super dex» teram sedentis in throno librum scriptum de » intus & de foris, signatum signaculis septem: » & vidi alterum angelum validum, prædicantem » voce magna, Quis est dignus aperire librum, » & solvere signacula ejus? Et nemo potuit, ne» que in cælo, neque in terra, neque infra ter» ram, aperire librum, neque videre ipsum. Et » flebam, quia nemo dignus repertus esset ape» rire librum, neque videre ipsum. Et unus de » senioribus ait mihi, Noli flere, ecce vicit leo » de tribu Juda, radix David, aperire librum, & » septem signacula ejus. Liber iste & præterita & futura in his quæ intus & foris scripta erant continens, à nemine dignus est aperiri: & Apostolo fletus ob desiderium intelligentiæ, & dolorem difficultatis exoritur. Sed vicit leo de tribu Juda, & radix David, librum & signacula ejus aperire: quia solus septem illa quæ superiùs docuimus signacula, quibus liber clausus est, per sacramentum corporationis suæ & divinitatis absolvit. Id ipsum autem Dominus post resurrectionem testatus est, dicens, Quo» niam oportet impleri omnia, quæ scripta sunt » in lege Moysi & in prophetis & in psalmis de me. Per hæc ergo omnis prophetiæ liber & signatus & clausus est: quia creditis his quæ impleta per eum sunt, cuncta illa quæ signata & clausa sunt, & aperientur & absolventur.

Apoc. 3. 7. — Signacula septem. — Apoc. 5. 1. &c. — Luc 24. 44.

7. Et quamquam omnia à divino Spiritu per A David dicta esse, ipsâ Domini professione noscamus: tamen etiam id ipsum prophetiæ hujus species docet, supernæ & cælestis in eo doctrinam scientiæ exstitisse. Eo enim organo prophetatum est, græcè Psalterio, hebraicè Nabla nuncupato, quod unum omnium musicorum organorum rectissimum est, nihil in se vel perversum continens, vel obliquum, neque quod ex inferioribus locis in sonum concentus musici commovetur: sed in formam B Dominici corporis constitutum organum, sine ullo inflexu deflexuve directum est; organum ex supernis commotum & impulsum, & in cantionem supernæ & cælestis institutionis animatum, non humili & terreno spiritu, ut cetera terræ organa, personum. Non enim ille humilia atque terrena in ipso corporis sui organo prædicavit, sicut ipse testatus est: Qui est de terra, de terra est, & de terra lo« quitur: qui autem de cælo venit, quæ vidit C « & audivit, testatur. Per hunc ergo supernum Spiritum Deus cantatur in psalmis, in formam Dominici corporis, in quo cælestis Spiritus est loquutus; formâ quoque terreni hujus & musici & ex supernis concinentis organi comparatâ.

Psalterium speciem præ se fert corporis Christi. — Iohan. 3. 31.

8. Non est autem ignorandum, indiscretum apud Hebræos numerum esse psalmorum, sed sine ordinis annotatione esse conscriptos. Non enim illic primus aut secundus aut tertius aut D quinquagesimus aut centesimus prænotatur: sed [e] sine discrimine aliquo ordinis numerique permixti sunt. Esdras enim, ut antiquæ traditiones ferunt, incompositos eos, & pro auctorum ac temporum diversitate dispersos, in volumen unum collegit & retulit. Sed Septuaginta seniores, secundùm Moysi traditionem [f] ad custodiendam legis doctrinam in synagoga manentes, [g] postea quàm illis à rege Ptolemæo transferendæ ex hebræo in græcum E sermonem totius legis cura mandata est, spiritali & cælesti scientiâ virtutes psalmorum intelligentes, in numerum eos atque ordinem redegerunt, singulis quibusque numeris pro efficientia sua [h] & absolutione perfectis perfectorum & efficientium psalmorum ordinem deputantes.

Psalmi apud Hebræos indiscreti, ab Esdra in unum collecti, à LXX. in numerum & ordinem redacti,

9. Et quamquam id ipsum ex singulorum psalmorum virtutibus intelligi possit: tamen absolutissimè in gestorum & temporum histo F ria docemur, psalmorum scilicet [i] collocationes secundùm perfectorum numerorum esse efficientiam ordinatas. Psalmus enim tertius secundùm historiam quinquagesimo psalmo posterior est: inscriptio namque utriusque multo intervallo temporis ætatisque diversa est. Nam ille quæ [k] sub Uria & David sunt gesta, complectitur: ille autem fugam Da-

temporum ordinem non servarunt, sed rerum.

[a] Duo mss. Vatic. *intelligentiarum vis.* Alius, *intelligentia earum sine vis.* Huic consentit Tell. in quo mox, *Tamen piè nequaquam.*
[b] Vulgati, *claves*; diffidentibus mss. & sacro textu.
[c] Ita in mss. rectiùs quàm in vulgatis, *per hæc vi quadam.*
[d] Ms. Tell. hîc omisso *quæ*, mox loco *prophetat*, præfert *prophetiam.*
[e] Editi, *sine præscriptione aliqua*: emendantur auctoritate mss. Porro circa Psalmorum collectionem, duplicem notat Euthymius opinionem. *Sunt*, inquit præfat. in Psal. *qui Esdram, & alii qui Ezechiam dicant Psalmos in unum collegisse.*

[f] Duo mss. Vatic. *ad custodiam legis & doctrinæ.* Alius, *ad custodiam legis & doctrinam.* Nil immutandum liquet ex Psal. 2. num. 2. ubi hæc fusiùs narrantur.
[g] Unus & alter è Mss. Vatic. *postea quàm à rege Antiocho*, diffidentibus aliis libris. Hic & infrà in Psal. 118. lit. 16. num. 16. sub Ptolemæo, non sub Antiocho refertur LXX. Interpretum historia.
[h] Par. *in absolutione*, quod Lipsius perperam adscripserat.
[i] Excusi, *collationes*: castigantur ex mss. Quamquam vocabulum *collatio* eodem sensu occurrit lib. de Synod. n. 9.
[k] In ms. Tell. *sub Uria à David.*

vid, Abeſſalon filio ſuo [a] eum perſequente, A ſignificat: & tamen virtus ac ſacramentum numeri perficit, hunc & illum ſic pro competentibus & ſibi congruis numeris collocari.

Quinquageſimi numeri myſterium.

10. Inſcriptio verò quinquageſimi pſalmi, ſecundùm hiſtoriam, quinquageſimi & primi pſalmi inſcriptione poſterior eſt. Sed quinquageſimi numeri virtus & perfectio * exigebat, & Doec Idumæi impænitens in David odium poſtulabat, anteriorem poſtponi, & poſteriorem anteferri: ut remiſſio peccatorum in nu- B mero quinquageſimo collocaretur, & pœna perfidiæ numerum conſtitutæ remiſſionis excedens careret veniâ, cùm & tempus & numerum pænitentiæ perdidiſſet. Nam cùm in quinquageſimo, in quo eſt ſabbata ſabbatorum, ſecundùm Jubilei anni præformationem, peccatorum remiſſio ſit conſtituta: competenter hic pſalmus, in quo pænitentiâ antelatâ peccatorum remiſſio poſtulatur, in ordine eſt hujus numeri collocatus.

* *Hæc citantur in Pſalm. 51. n. 2.*

Trina Pſalmorum Quinquagenaria quid deſignet.

11. Tribus verò quinquageſimis pſalmorum liber continetur: & hoc ex ratione ac numero beatæ illius noſtræ exſpectationis exſiſtit. Namque qui & primæ quinquageſimæ, & ſecundæ deinde quinquageſimæ [b] pſalmum, & tertiæ rurſum quinquageſimæ, in qua finis eſt libri, conſummationem diligenter advertat: providentiam diſpoſitorum in hunc ordinem pſalmorum cum diſpenſatione ſalutis noſtræ intelliget convenire. Cùm enim primus gradus ſit D ad ſalutem, in novum hominem poſt peccatorum remiſſionem renaſci, ſitque poſt pænitentiæ confeſſionem regnum illud Domini in ſanctæ illius civitatis & cæleſtis Jeruſalem tempora reſervatum, & poſtea conſummatâ in nos cæleſti gloriâ in Dei Patris regnum per regnum Filii proficiamus, in quo debitas Deo laudes univerſitas ſpirituum prædicabit: facilè intelligimus in ſingulis pſalmorum virtutibus ſub [c] quinquagenariæ numero collocatis ſa- E cramentum diſpenſationis hujus quinquagenariæ contineri.

Sabbata ſabbatorum quinquageſima.

12. Eſſe autem hæc *ſabbata ſabbatorum*, ſeptenarius numerus per ſeptem in ſeptuplum connumeratus oſtendit: quem tamen ogdoas, quia dies eadem prima quæ octava, ſecundùm evangelicam plenitudinem in ultimo ſabbato adjecta conſummat. Et hæc quidem ſabbata ſabbatorum eâ ab Apoſtolis [d] religione celebrata ſunt, ut his quinquageſimæ diebus nullus neque in terram ſtrato corpore adoraret, neque jejunio feſtivitatem ſpiritalis hujus beatitudinis impediret: quod id ipſum extrinſecùs etiam in diebus dominicis eſt conſtitutum, qui ultra ſabbati numerum [e] per plenitudinem evangelicæ prædicationis accedunt. Namque cùm in ſeptimo die ſabbati ſit & nomen & obſervantia conſtituta: tamen nos in octava die, quæ & ipſa prima eſt, perfecti ſabbati feſtivitate lætamur.

Quo cultu ab Apoſtolis celebrata.

Dominica ſabbatum perfectum.

Ogdoadis perfectio.

13. Et dignum eſt hanc ogdoadis perfectam ſacramentis cæleſtibus virtutem, in eo pſalmo qui octavo in numero diſpoſitus eſt, [f] contueri, cui *pro torcularibus* titulus adjectus eſt, vaſculis in novos fructus præparatis, & ad ferventis [g] muſti calorem continendum innovatis. Et C numerus iſte, ad percipiendos fructus evangelicos, caducis his corporum noſtrorum vaſculis reformatis, ſecundùm ogdoadem eſt evangelicam deſtinatus. Et hoc pſalmi iſtius textus & ſermo teſtatur. Ogdoadis quoque iſtius virtus, etiam in virtute ſexti pſalmi & numeri, quo *pro octavo* oratio eſt, continetur: & hoc numeri ratio perficit, ut & in ſexto pro octavo eſſet oratio, & in octavo titulus *pro torcularibus* adderetur. Tribus autem in numeris hæc torcularium ſuperſcriptio reperitur. Nam & octavus & octogeſimus & octogeſimus-tertius pſalmus hunc habent titulum: ut in numeris perfectis perfectæ hujus beatitudinis ordo conſiſteret; ita tamen, ut ſimplicem ogdoadem, & ogdoadis decadem, ſacramentum triadis (quæ à noſtris Trinitas eſt nuncupata) [h] concluderet.

Trias.

Pſalmus CXVIII.

14. Et hanc quidem ogdoadis perfectionem, etiam in centeſimo atque decimo octavo pſalmo cognoſcere poſſumus. Namque in octonum numerum per octonos verſus ſecundùm Hebræos ſingularum litterarum initia collecta ſunt: ſed & ipſa virtus pſalmi ſacramentum ogdoadis edocet. Sunt autem in eo ogdoades viginti duæ. Nam octoni verſus ſingularum litterarum initiis deputantur: [i] & hoc ea ratione

[a] Pro *olim*, ſubſtituimus *eum* ex codice Tell. ex quo mox particulam *tamen*, & paulò pòſt *ſic* huc revocavimus. *Abeſſalon* autem, non Abſalon ſcribimus, conſentientibus cum græco manuſcriptis.

[b] Abeſt *pſalmum* à mſ. Tell. In Vatic. autem ante vocem *pſalmum*, legitur *centeſimum*: mallemus *poſtremum*. Porro hac triplici quinquageſimâ triplex ſecundùm Hilarium adumbratur vita juſtorum: prima in mortali corpore, altera in regno Chriſti exuto corpore, poſtrema in regno Dei Patris reſumto corpore. Triplicis hujus vitæ rurſum meminit in Pſal. 62. n. 7. Quemadmodum autem in Pſal. 118. lit. 12. n. 14. docet eos, qui in regno Chriſti ſunt, ex hoc regno in regnum Patris transferri; ita & hîc innuere videtur, in tempora cæleſtis Jeruſalem reſervatos eſſe; proindeque nondum in ea eſſe. V. Præfat. §. 6.

[c] In mſ. Tell. *quinquagenario.*

[d] Tellerianus codex, *è regione:* mendosè. Notanda ſunt verba Hilarii docentis feſtivitatem prædictis obſervantiis impediri. Hoc etiam *nefas* vocat Tertullianus de Corona n. 3. *Die Dominico*, inquit, *jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare: eadem immunitate à die Paſcha in Pentecoſten uſque gaudemus:* ubi & hunc morem traditioni acceptum refert. Sic Hieronymus epiſt. 54. ad Marcellam contra Montanum negans tres in anno Quadrageſimas neceſſitate obſervandas, concedit ſubinde per totum annum licere jejunare, *exceptâ* tamen *Pentecoſte*, hoc eſt, quinquageſima poſt Paſcha.

[e] In MS. Tell. *juxta*, non *per*; nec malè; ſic enim paulò antè, *ſecundùm evangelicam plenitudinem.*

[f] In duobus mſſ. *contineri.*

[g] Ita mſ. Vatic. cum Tel. Alii verò libri, *muſti liquorem.*

[h] Mſ. Tel. hîc, *in ſe contineret*, & è regione ad marginem, *decies octo tribus additis octoginta tres faciunt, & ſignificant perfectam beatitudinem à ſancta Trinitate, quæ unus Deus eſt, fidelibus dandam.*

[i] Fragmentum Origenis in 1. Pſalmum, quod in editione prædicta p. 41. inſertum eſt, alterum exemplum ſuppeditat eorum quæ ex Origene mutuatus eſt noſter Hilarius. Ille autem hæc ibi habet: [Neque ignorandum eſt, veteris Teſtamenti libros, ut Hebræi tradunt, viginti & duo, quibus æqualis eſt numerus elementorum Hebræorum, non abs re eſſe. Ut enim duæ & viginti litteræ introductio ad ſapientiam & divinam doctrinam his formis impreſſam hominibus eſſe videntur; ſic ad ſapientiam Dei & rerum notitiam fundamentum ſunt atque introductio libri Scripturæ duo & viginti.] Tum attexitur ſeries librorum veteris Teſtamenti eo ordine quo hîc recenſentur, addito unicuique libro eo nomine quo apud Hebræos inſignitur cum nominis ejuſdem interpretatione: *Sunt autem viginti duo libri juxta Hebræos hi: primus qui à nobis Geneſis dicitur, ab Hebræis autem ex ipſius libri initio deſumta appellatione vocatur Breſith, quod idem eſt ac in principio. Exodus deinde, Hebræis Velleſmoth, id eſt, hæc ſunt nomina. Tertiò Leviticus*, &c.

efficitur, ut quia psalmus iste perfectum virum A secundùm doctrinam evangelicam consummat, per omnes viginti & duas Hebræi sermonis litteras, sub sacramento ogdoadis erudiremur.

Testamenti veteris libri 22. aut 24.

15. Et ea causa est, ut in viginti duos libros [a] lex Testamenti veteris deputetur: ut cum litterarum numero convenirent. Qui ita secundùm traditiones veterum deputantur, ut Moysi sint libri quinque, Jesu Nave sextus, Judicum & Ruth septimus, primus & secundus Regnorum in octavum, tertius & quartus in nonum, B Paralipomenon duo in decimum sint, [b] sermones dierum Esdræ in undecimum, liber Psalmorum in duodecimum, Salomonis Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum in tertium-decimum, & quartum-decimum, & quintum-decimum, duodecim [c] autem Prophetæ in sextum-decimum, Esaias deinde & Jeremias cum lamentatione & epistola, sed & Daniel, & Ezechiel, & Job, & Hester, viginti & duûm librorum numerum consumment. [d] Quibusdam C autem visum est, additis Tobia & Judith, viginti quatuor libros secundùm numerum Græcarum litterarum connumerare, Romanâ quoque linguâ mediâ inter Hebræos Græcosque collectâ. Quia his maximè tribus linguis sacramentum voluntatis Dei, & beati regni exspectatio prædicatur: ex quo illud Pilati fuit, ut in his tribus linguis regem Judæorum Dominum Jesum Christum esse præscriberet. Nam quamvis multæ barbaræ gentes Dei cognitio- D nem secundùm Apostolorum prædicationem, & manentium hodie illic ecclesiarum fidem adeptæ sint: tamen specialiter evangelica doctrina in Romani Imperii, sub quo Hebræi & Græci continentur, sede consistit.

Tres linguæ præcipuæ.

Johan. 19. 20.

Cantica 15. graduum.

16. Consequens autem est, secundùm octonarium hunc viginti & duarum ogdoadum numerum, eum qui subjectus est, in quindecim canticis graduum psalmorum numerum [e] contueri. Post perfectam enim illam præcedentium ogdoadum doctrinam, hoc canticum graduum [f] in quindecim psalmos ex duobus perfectis numeris oportuit convenire, hebdomade scilicet & ogdoade, id est, septimo & octavo numero. Nam per observantiam legis, quæ in hebdomade est constituta, & evangelicum profectum, qui ogdoadis & præsenti religione & [g] sperata exspectatione perficitur, isto cantico graduum in cælestia & æterna conscenditur. Nam & in templo per hunc numerum graduum principes sacerdotum in sanctorum sancta conscendebant: ut quia neque [h] hebdomada legis sine Evangeliorum ogdoade, neque ogdoas Evangeliorum sine legis hebdomade virum posset præstare perfectum, [i] quò usque illa perfectè credidisset; in his perfectis & beatis sanctis sanctorum perfectus in hoc utroque, qui in quindecim graduum cantico est, hebdomadis & ogdoadis numero locaretur.

Citantur hæc infrà in Psal. 119. num. 6.

Tituli psalmorum varii.

17. Quamquam verò hæc à nobis secundùm numeros in legis observatione [k] completos, & in sacramento evangelico distributos ita dicta sunt: tamen absolutiùs uniuscujusque numeri virtutem ex superscriptionibus psalmorum & dictorum ipsorum intelligentiâ consequemur. [l] Sunt autem superscriptionum omnium tituli diversi. Nam præter eos qui auctorum suorum nominibus, aut causarum aut temporum significationibus prænotantur, sunt alii quibus titulus *in finem* est; alii quibus tantùm *psalmus cantici*, vel *canticum psalmi*: & necesse est di-

[a] Tellerianus codex, *Lex & vetus Testamentum.* Falluntur plerique ex hoc loco, existimantes Hilarium nullos alios libros, quàm qui hîc recensentur, pro canonicis habuisse. Ac primò quidem librum Judith ut librum Legis commemorat in Psal. 125. n. 5. Tobiæ quoque liber occurrit citatus in Psal. 118. lit. 2. n. 6. & in Psal. 129. n. 7. Præterea Sapientiam Salomoni tribuit Tract. Psal. 127. n. 8. Immo l. 1. de Trin. n. 7. & in Psal. 118. litt. 2. n. 8. necnon in Psal. 135. n. 11. ex eadem profert testimonia tamquam à Propheta. Propheticum igitur hunc librum agnovit. Idem dicendum de libro Ecclesiastici, quem Salomoni & adscribit ipse in Psal. 66. n. 9. & à Latinis vulgò adscribi testatur in Psal. 140. n. 4. Denique Prophetiam Baruch Jeremiæ nomine citat in Psal. 68. n. 19. & circa finem libri 4. de Trinit. Neque locum ex historia Susannæ Dan. 13. 4. ab Arianis tamquam ex Scriptura allatum lib. 4. de Trinit. n. 8. respuit. Immo n. 7. illud aliaque testimonia ibidem adducta ex divinis voluminibus agnoscit. Horum itaque librorum canonem hîc recenset juxta Hebræos, non juxta usum Ecclesiæ suis temporibus receptum. Hoc & clariùs significat Origenes loco jam laudato, ubi illorum catalogum sic auspicatur: *Sunt autem viginti duo libri juxta Hebræos hi*, &c. Neque reponi potest, alios quidem libros ab iis qui in Hebræorum Canonem recepti sunt, Hilarium approbasse, sed tamquam hagiographos, & non veluti canonicos. Si enim eos ita spectasset, neque libro Judith *Legis* nomen & auctoritatem, neque Sapientiæ Salomonis *Prophetiæ* titulum tribuisset. Atque ut de Scripturis novi Testamenti nonnihil dicamus, Epistolam ad Hebræos ab Hilario passim citari, & nomine quidem Apostoli in Psal. 14. n. 5. & 53. n. 12. & in Psal. 118. litt. 8. n. 16. necnon lib. 4. de Trin. n. 11. etiam ab Arianis ipsis commemorari observamus. Item Apocalypsim suprà num. 6. & alibi beato Johanni attribuit, & quidem ei ipsi, qui Evangelium conscripsit: ut prudenti colligere licet ex elogio quo eum commendat l. 6. de Trinit. n. 16. & 39. Demum secundam Petri epistolam ejusdem Apostoli nomine expressè citat lib. 1. de Trin. n. 18.

[b] Apud Origenem: παραλειπομένων πρώτη, δευτέρα ἐν ἑνί, Διβρὴ ἀϊαμὶμ, ὅπερ ἐστὶ, λόγοι ἡμερῶν· Ἔσδρας πρῶτος καὶ δεύτερος, &c. An exinde noster Hilarius verba, λόγοι ἡμερῶν, quæ ad Διβρὴ ἀϊαμὶμ interpretandum ab Origene referuntur, Esdræ malè coaptavit?

[c] Additur hîc in ms. Tell: *omnes*: an pro, *minores*? horum nulla mentio in prædictis Origenianis exemplaribus: manifesto librariorum lapsu. Cùm enim ibi primùm 22. libri juxta Hebræos asserantur, deinde 21. dumtaxat recensentur.

[d] Apud Origenem nihil exstat de Tobia & Judith: sed eorum loco subjicitur, *Extra horum censum sunt libri Machabæorum.* Ex his libris nonnulla etiam affert Hilarius in Psal. 123. n. 3. & 134. n. 24. plura autem lib. in Constantium. n. 6.

[e] Unus è mss. Vatic. *contineri.*

[f] Excusi, *in 15. Psalmis & duobus*: castigantur ope mss.

[g] Inconcinnè in ms. Tell. *& sacrata.*

[h] Sic ms. Tell. Editi verò, *hebdomadas*; non displiceret hebdomas.

[i] Ita faventibus mss. Vaticanis Tellerianus codex, nisi quòd in hoc, *quò usque ille*, non *illa*. In Vulgatis autem, *Quisquis illa perfectè credidisset, in his perfectis & beatis sanctis sanctorum perfectum hunc virum, qui in 15. graduum cantico est, numerum locaret.*

[k] In tribus mss. Vatic. *complacitos.*

[l] Quæ abhinc supersunt usque ad Prologi hujus finem, primam partem Præfationis Commentariorum in Psalmos, qui Ruffini Aquileiensis nomine sunt vulgati, conficiunt. Neque hinc dubitandi relictus est locus an vel totus hic Prologus, vel saltem hæc postrema pars genuinus sit Hilarii fetus: cùm ob summam hujus partis cum superiore, immo & cum subsequente Psalmorum explanatione connexionem, tum quòd hæc ipsa pars posterior disertè in Psal. 65. n. 1. ab ipsomet Hilario citetur, sicut & prima à Cassiodoro. Contrà totus ille Ruffini Commentarius non leves habet suppositionis notas. 1°. quidem tam prolixum excerptum tacito Hilarii nomine. 2°. quòd eidem excerpto, ex quo ad Psalmorum explanationem accedendum esset, inconcinnè adsuuntur multa alia de nominibus, divisione, scriptoribus, & materia libri Psalmorum. 3°. quòd ex selectis Augustini sententiis magna ex parte constat iste Commentarius; cùm Ruffino longè familiarior esset Origenes, quàm Augustinus. Demum hæc sub finem Præfationis verba, *Quæritur à quibusdam, cui parti philosophiæ supponitur* (liber Psalmorum). *Quibus respondendum est, Secundùm quod agit de moribus, Ethicæ; secundùm quod tractat de natura, Physicæ potest supponi*: & alia hujusmodi auctorem sapiunt Ruffino longè recentiorem. Hæc interim, aliis penitiùs dispicienda, prælibasse sufficiat. Addimus tamen hos Commentarios lectu esse dignissimos, & optimo compendiosarum sententiarum delectu refertos. Eorumdem Commentariorum exemplar ante annos 400. exaratum, anonymum exstat in bibliotheca nostra Germanensi.

versas causas diversarum superscriptionum exstitisse. Non enim sine causa, tantâ rerum diversitate hic titulorum ordo convertitur, ut nunc *in finem*, nunc *psalmus*, nunc *canticum*, nunc *canticum psalmi*, nunc *psalmus cantici*, ad distinctionem psalmi [a] qui subjaceat præferatur. Et quamquam in singulis quibusque psalmis singularum quarumque inscriptionum causas præstare nitamur: tamen ad compendium studiosæ intelligentiæ, in brevi sermunculo virtutem superscriptionum omnium coartamus.

In finem quid.

18. Finis est, cujus causâ cetera sunt; ipse autem nulli alii causam suam præstat. Ob finem enim omnia, nihil verò aliud post finem. Namque ad finem tenditur, sed in fine desinitur. Ita finis & anteriorum perfectio est, [b] & se in nihil aliud protendens, propria in semet sui ipse possessio est. Psalmi igitur qui inscribuntur *in finem*, [c] ita intelligendi sunt, ut ex perfectis atque absolutis bonorum æternorum doctrinis & speciebus exsistant: quia ad ea quæ in his dicuntur, fidei se nostræ cursus extendat, & in his nullo ulteriore [d] tendens procursu, ipso suo optatæ & adeptæ beatitudinis fine requiescat.

Artis musicæ quatuor genera.

19. In musicis verò artibus [e] hæ sunt officiorum & generum varietates. *Psalmus* est, cùm cessante voce pulsus tantùm organi concinentis auditur. *Canticum* est, cùm cantantium chorus libertate sua utens, neque in consonum organi adstrictus obsequium, hymno canoræ tantùm vocis exsultat. *Canticum* autem *psalmi* est, [f] cùm organo præcinente subsequens & æmula organi vox chori cantantis auditur, modum psalterii modulis vocis imitata. *Psalmus* verò *cantici* est, cùm choro antè cantante, humanæ cantationis hymno ars organi consonantis aptatur, vocisque modulis præcinentis pari psalterium suavitate modulatur. His ergo quatuor musicæ artis generibus, competentes singulis quibusque psalmis superscriptiones sunt coaptatæ. Ex virtutibus autem psalmorum, & ex ipsis doctrinæ musicæ diversitatibus causa uniuscujusque superscriptionis ostenditur.

Quid singula psalmis prænotata indicent.

20. In eo enim psalmo, in quo tantùm *Psalmus* inscribitur, fidelium operum & religiosorum gestorum aut doctrina aut confessio continetur: cùm propheta commemorando quæ egerit, ad doctrinam nos gestorum similium instituit, motu corporei organi nostri ad pios officiorum usus temperato. At verò cùm *Canticum* tantùm in titulo præponitur; scientia in eo spiritalis, & intelligentia cælestis [g] arcani, quam quis per cognitionem sapientiæ consequitur, exsistit: cùm non commemoratis fidei operibus, solam doctrinam perfectæ de Deo cognitionis ostendit. Non enim statim omnis scientia in bono opere est; neque rursum omne opus bonum veram scientiam consequitur. Ob quod est & illud, quod in tertio superscriptionum genere est, *Canticum psalmi*, cùm bonorum operum efficientiæ, scientiæ doctrina conjungitur. Priùs enim in bonis operibus vivendum est: ut perfecta possit ea quæ deinceps succedit, divini sacramenti esse cognitio, secundùm id quod dictum est, Desiderasti sapientiam? Serva mandata, & Dominus præstabit tibi eamdem. Præstat ergo Dominus sapientiam his, qui per meritum bonorum operum gratiam intelligentiæ consequuntur. Ex his ergo operum doctrinæque studiis, psalmi illius qui *Canticum psalmi* superscribitur, erit causa noscenda. Ubi autem est *Psalmus cantici*, illic per cognitionis scientiam usus boni operis tractatur: cùm quando [h] desiderabilem nobis fidelium gestorum efficientiam præstet anterior de Deo adepta cognitio.

Citantur hæc in Psal. 65. n. 1. — *Eccli. 1. 33.*

Recapitulatio.

21. Hæc igitur musicæ artis quadrifaria diversitas, psalmorum est diversitati coaptata: ut *Psalmus* per organi corporei motum in commemoratione gestorum sit. *Canticum* verò per sapientiæ cognitionem habet in se doctrinæ scientiam. *Canticum* verò *psalmi* est, cùm præeunte gestorum merito cognitio scientiæ præstatur. *Psalmus* deinde *cantici* est, cùm per adeptæ scientiæ cognitionem fidelium gestorum opus inchoatur & geritur. Per has ergo superscriptionum proprietates intelligentiam psalmorum quærere oportebit: quia unicuique generi prophetiæ, in proprietate titulorum, unumquodque genus musicæ comparationis aptatum est. Eos verò qui sine inscriptione ulla significationis alicujus habentur, ut est primus vel secundus, & ceteri complures alii, intelligendum est ex doctrina Spiritus-sancti ad spiritalem cognitionem generalis scientiæ fuisse cantatos: ut unusquisque ex his, secundùm fidei suæ sinceritatem, rationem intelligentiæ spiritalis expeteret.

Inscriptionis absentia quid significetur.

Superscriptiones aliæ.

22. Aliæ verò superscriptiones, quæ aut res gestas secundùm historiam significant, aut tempora aut dies aut aliud aliquid complexæ sunt, vel ex interpretatione nominum, vel ex comparatione gestorum, vel ex consimilium specie, ex quibus rebus psalmus consistat ostendunt: ut sicubi est *pro die sabbati*, aut *pro occultis filii*, aut *pro die octava*; per corporalem superscriptionum significationem spiritalis psalmi intelligatur editio: vel cùm *illius David*, vel *illi David*, vel *Abessalon*, vel *Saül*, vel *Doec* in titulo sub gestorum historia prænotatur; in eo vel per pronominum qualitates, ut *illi*, vel *illius David*, aut per nominum virtutes, ut est in *Abessalon*, & *Saül*, & *Doec*, prophetiam quæ in psalmo sit, consequamur.

[a] Vulgati; *quæ subjaceat:* mendosè.
[b] Hunc locum in vulgatis depravatum restaurant mss.
[c] In excusis, *tituli:* hujus vocis loco concinniùs exhibent mss. particulam *ita*.
[d] Verbum *tendens*, quod in vulgatis deerat, restituimus auctoritate mss.
[e] Apud Ruffinum & in ms. Tell. *Hæc sunt officiorum genera & varietates.*
[f] Perversè apud Ruffinum huic descriptioni præfigitur, *Psalmus autem cantici*, & subsequenti, *Canticum verò psalmi.*
[g] In ms. Tell. & apud Ruffin. *Intelligentia cælestis intelligitur*, omisso deinde *exsistit.*
[h] Editi, *cùm desideratam*, refragantibus mss. Particulam autem *cùm quando*, passim ab editoribus decurtatam, suis locis redintegravimus juxta fidem mss.

Diapsalma quid.

23. In [a] *diapsalma* verò, quod interjectum plurimis psalmis est, cognoscendum est demutationem aut personæ aut sensûs sub conversione [b] modi musici inchoari: ut sicubi diapsalma intercesserit, aut aliquid aliud dici, aut etiam ab altero dici, aut in altero artis musicæ modulo cantari intelligendum sit. De personis ac sensibus, ubi diapsalma intercedere reperiemus, rationem afferre tentabimus. Ceterùm [c] modi musici disciplinam conservare translatio Græca & Latina non potuit. Hæc autem in compendiosam brevitatem [d] festinus ad ipsam psalmorum expositionem sermo collegit.

Carmen.

Clavis psalmorum.

24. Est autem [e] diligens perpensumque judicium expositioni psalmi uniuscujusque præstandum: ut cognoscatur qua unusquisque eorum clave intelligentiæ aperiendus sit. Nam liber omnis similis est urbi pulcræ atque magnæ, cui ædes complures diversæque sint, quarum fores propriis clavibus diversisque claudantur: quæ cùm unum in locum congestæ permixtæque sint, volenti unamquamque ædem aperire, maximam ignaro afferant difficultatem, ut clavem uniuscujusque ædis inveniat: sitque aut familiaris scientiæ, cognitam clavem citò ex copia illa congestæ in unum varietatis eligere; aut ingentis laboris, aptam & congruam clavem aperiendi uniuscujusque aditûs invenire: quia ratio & qualitas non sinat, non suas claves claustris disparibus coaptare. Itaque secundùm Dei misericordiam aperiendi uniuscujusque psalmi clavem reperturi, hujus ipsius primi psalmi aditum propria sua & congrua clave pandamus.

PSALMUS PRIMUS.

*Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini [f] fuit voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. * Et folium ejus non defluet: & omnia quæcumque faciet * bene dirigentur. Non sic impii non sic, sed tamquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ. Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum. * Quoniam scit Dominus viam justorum, & * iter impiorum peribit.*

* Hilarius infrà, *folium autem ligni hujus non.*
* Mss. Vatic. *prosperabuntur.*
* Hil. *quia cognoscit.*
* Hil. *via.*

CLAVIS SIVE INTROITUS IN PRIMUM PSALMUM.

Quis ad quem loquatur in Psalmis spectãdum.

PRINCIPALIS hæc in psalmis intelligentia est, ex cujus persona, vel in quem ea quæ dicta sint intelligi [g] oporteant, posse discernere. Non enim uniformis & indiscreta est eorum constitutio, ut non & auctores habeant, & genera diversa. Invenimus enim in his frequenter personam Dei patris solere proponi, ut in octogesimo-octavo psalmo, cùm dicitur, Exaltavi electum de plebe mea. Inveni David servum meum, in oleo sancto meo unxi eum. Ipse invocabit me Pater meus es tu, & susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam eum, excelsum super reges terræ. Personam verò Filii in plurimis ferè introduci: ut in decimo-septimo psalmo, Populus quem non cognovi, servivit mihi; & in vicesimo-primo, Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Nunc autem hunc primum psalmum vel ex persona Patris, vel ex persona Filii non posse intelligi, res ipsa absolutè docet, cùm in eo ait: *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* In eo enim psalmo, in quo personam Patris designari meminimus, propria ei & apta memorantur, cùm dicitur, Ipse invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ. Et in eo in quo Filius loqui docetur, ipse se ex his quæ commemorat, dictorum suorum profitetur auctorem, dicens, Populus quem non cognovi, servivit mihi.

Pater in multis loquitur. *Psal.* 88. 21. &c.

In pluribus loquitur Filius. *Psal.* 17. 45. *Psal.* [illegible]

In hoc neuter.

Psal. 21. 27.

Psal. 17. 45.

---

[a] Vaticanus codex, *in diapsalmo.* De hujus vocis significatione non convenit inter veteres. In Hilarii sententiam post Augustinum in Psal. 4. n. 4. abit Cassiodorus præfat. in Psalt. c. 11. Hieronymi sententiæ quamvis oppositæ non ignarus. Hic de eadem voce à Marcella quæsitus epist. 138. *Quidam*, inquit, *diapsalma commutationem metri esse dixerunt, alii pausam Spiritus-sancti, nonnulli alterius sensus exordium, sunt qui rithmi distinctionem &c. . . cujusdam musicæ varietatis.* Ita ferè explicat Euthymius Præf. in Psalt. *Diapsalma*, inquit, *mutationem sententiæ, aut cantûs significat, aut pausam seu interjectionem quamdam pulsationis, vel fulgorem atque illuminationem divini Spiritus quæ tum canentibus apparebat; scribebantur enim omnia hæc ab eis diligenter.* Horum sententiam nullam Hieronymus probat: maximè quia hæc vox etiam in Psalmorum fine nonnumquam occurrit, & contrà in aliquot Psalmis plurimorum versuum penitus non invenitur. Observat autem post Origenem, cujus hac in re peritiam laudat, ubi Theodotion, Symmachus & Septuaginta transtulere, *diapsalma*, ab Aquila *semper* fuisse translatum. Quare mavult *hoc verbum superiora pariter inferioraque connectere, aut certè docere sempiterna esse quæ dicta sunt.* Hoc uno exemplo probare est quod jam observavimus, Hilarium Origenis minimè fuisse pedissequum.

[b] Ms. Tell. ut apud Ruffinum, *metri musici.*

[c] Par. post Lipsium, *modum musicæ disciplinæ*, malè & præter fidem mss.

[d] Apud Ruffinum & in ms. Tell. *dicta sufficiant, nunc festinemus ad ipsam Psalmorum expositionem stilum convertere. Est autem*, &c. Qui hunc Ruffini Commentarium compilavit, hîc sibi non satis cavit, quatenus cum Hilario loquens fingit se ad Psalmorum expositionem festinare, antè tamen quàm ad eam accedat, multis aliis immoratur. Hinc itaque suprà secundam deprehendimus suppositionis notam.

[e] Apud prædictum Origenem ab Huetio vulgatum T. 1. pag. 39. tertium hîc se offert specimen eorum quæ Hilarius ex Origene in Psalmos videtur imitatus. [Psalmorum interpretationem inchoaturi præclarissimum documentum nobis ab Hebræo de Scriptura traditum proponemus. Dicebat enim ille, similem esse universam Scripturam divinitus afflatam, propter obscuritatem quæ in ea est, multis domiciliis uno ædificio conclusis; unicuique domicilio appositam clavim non ipsi convenientem, sicque dissipatas esse claves per domicilia non respondentes singulas iis domiciliis quibus appositæ sunt: opus verò longè difficillimum esse invenire claves, & eas cellis aptare quas aperire possunt: itaque etiam Scripturas abstrusas quidem illas intelligi, non aliunde sumtis quàm ab ipsis invicem argumentis intelligentiæ, quæ in se habent dispersam exponendi rationem.]

[f] In duobus mss. hîc juxta Vulgatam omittitur *fuit*; quod tamen verbum deinceps constanter retinent juxta Græcum. Lectiones quas inter enarrandum Psalmum sequi solet Hilarius, deinceps ad marginem adscribemus.

[g] Pro *oporteat*, restituimus auctoritate mss. hîc *oporteant*; quomodo & l. 2. de Trin. n. 2. *oporteissent.*

Dum enim & Pater dicit, Invocabit me; & Filius ait, Populus servivit mihi: ipsos se esse, qui de se loquantur, ostendunt. At verò nunc cùm dicitur, *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus*; nulla Domini persona de se loquentis ostenditur, [a] sed alterius potiùs, beatitudinem ejus videlicet viri cujus in lege Domini voluntas sit, prædicantis. Persona itaque Prophetæ, cujus ore Spiritus-sanctus loquitur, nunc esse noscenda est, officio oris ejus ad cognitionem nos sacramenti [b] spiritalis erudiens.

Sed ipse Psalmista.

De quo loquatur.

2. Et cùm hæc loquatur, quærendum est de quo viro eum loqui intelligere debeamus. Ait enim, *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet: & omnia quæcumque faciet, bene dirigentur.* Multos vel præsenti sermone vel ex litteris ac scriptis eorum comperi ita [c] sensisse de psalmo hoc, quòd significari in eo Dominus noster Jesus Christus atque intelligi debeat, cujus beatitudo in his quæ subjecta sunt prædicetur. Sed id nec modo, nec ratione docuere; bonæ quidem opinionis affectu, quia omnis ad eum prophetia est referenda psalmorum: sed ubi & quando ad eum prophetiæ ipsius sermo se referat, rationabilis scientiæ discernendum est veritate.

Multi de Christo dictum intelligunt hunc Psalmum.

Filio Dei Deo non convenit.

3. Ea autem quæ in exordio psalmi posita sunt, minimè personæ ejus dignitatique conveniunt: & incautam hanc ita prædicandi facilitatem illa ipsa coarguunt, quæ continentur in psalmo. Cùm enim dicitur, *Et in lege Domini fuit voluntas ejus*, cùm lex per Dei filium lata sit, quomodo ad eum ob id beatitudo refertur, quia voluntas ejus in lege Domini fuerit, cùm dominus ipse sit legis? Quòd autem lex ejus sit, in psalmo septuagesimo-septimo ipse testatus est, cùm ait, Attendite popule meus in legem meam, inclinate aures vestras in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum. Et hæc Matthæus evangelista ab eo ipso dicta esse confirmat, dicens, Ideo in parabolis loquebatur, ut impleretur quod dictum est, Aperiam in parabolis os meum. Prophetiam ergo [d] suam rebus Dominus explevit. Nam in his in quibus locuturum se spoponderat, parabolis est locutus. Id autem quod ait, *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum*, (in quo comparativè beatitudinis profectus ostenditur;) quomodo personæ ejus poterit coaptari, ut sit Dei filio plantatum lignum beatius, ob quod beatus sit, quia aliquando similitudinem ejus [e] profectu beatitudinis consequatur? Dehinc cùm secundùm Sapientiam & Apostolum, & ante sæcula, & ante tempora æterna sit, & promogenitus omnis creaturæ sit, & in ipso, & per ipsum creata sint omnia: quomodo his rebus cùm fiet similis, beatus est, quæ ab ipso sunt instituta? Cùm neque creatoris virtus ad beatitudinis suæ perfectionem comparatione egeat creaturæ, neque primogeniti antiquitas, in eo quod erit tamquam lignum, tempus præposteræ comparationis admittat. Id enim quod erit [f] per exspectandum adhuc tempus, non potest videri ut aut fuerit, aut jam sit in rerum natura. Quidquid autem jam est, non eget dilatione temporis, [g] ut ad id quod erit inchoetur: quia antiquitate exordii sui esse jam permanet.

Psal. 77. 1. & 2.

Matth. 13. 34. & 35.

Prov. 8. 23.

Tit. 1. 2.

Coloss. 1. 15. & 16.

Cui conveniat.

4. Itaque quia hæc à divinitate unigeniti filii Dei Domini nostri Jesu Christi intelliguntur aliena: vir ille hic à Propheta beatus prædicari opinandus est, qui se ei corpori quod Dominus assumsit, id est, in quo homo natus est, conformem studio æquitatis, & totius justitiæ perfectione præstiterit. Et sanè id ita intelligi oportere, [h] plenior psalmi expositio monstrabit.

Quàm multa in hoc psalmo documenta.

5. Speciosissimum autem hoc & dignissimum incipiendorum psalmorum sanctus Spiritus sumsit exordium, ut humanam infirmitatem per spem beatitudinis ad innocens religionis studium adhortaretur, ut sacramentum Dei corporati doceret, ut communionem gloriæ cælestis polliceretur, ut pœnam judicii denuntiaret, ut differentiam resurrectionis ostenderet, ut providentiam Dei in retributione monstraret. Perfecta scilicet consummataque ratione tantæ [i] prophetiæ ordinem inchoavit: ut hominum imbecillitatem ad fidei studium beati viri spes illiceret, spei beatitudinem comparata [k] ligni beatitudo sponderet, insolentem impietatem intra metum denuntiata impiis severitas coerceret, meriti differentiam in consiliis sanctorum conditionis ordo distingueret, Dei magnificentiam in cognoscendis justorum viis æquitas constituta monstraret. Nunc & res ipsas & eorum verba tractemus.

TRACTATUS PSALMI I.

BEATUS *vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* * *Sed in* ✝. 1 ✝. 2

[a] Bad. & Er. *sed alterius potiùs beati, ejus* &c. omisso deinde *prædicantis*. Lips. *sed alterius potiùs beatitudinem ejus . . . prædicat.* Par. *sed alterius potiùs beatitudine . . . . prædicatur.* Veram lectionem suppeditat ms. Vatic. ubi post *sed alterius*, facilè subauditur vox *persona*.

[b] In uno codice Vatic. *spiritalem*: in altero, *sacramentis spiritalibus erudiens. Et quia infusus huic Prophetæ Spiritus-sanctus hæc loquitur, quærendum est*, &c.

[c] Ita sentit Origenes apud Corderium in Catena Patr. Græc. De Christo quà homine explicant cum Augustino Commentarii Hieronymo adscripti, necnon qui Ruffini nomen præ se ferunt.

[d] Abest *suam* ab uno ms.

[e] In mss. *profectus*.

[f] In uno ms. abest *per*, cujus loco alter habet *post*. Mox tres mss. pro, *in rerum natura*, exhibent *habere natura*.

[g] Ita unus ex Vaticanis mss. At Bad. Er. & Lips. *ut ad aliquid inchoetur*. His consentit & Par. nisi quòd omittit particulam *ad*.

[h] In Vulgatis, *pleniùs*.

[i] Editi, excepto Par. necnon duo mss. *providentiæ ordinem*: malè; hîc enim à suo exordio commendatur Psalmorum liber prophetiæ titulo insignitus.

[k] In Vulgatis *ligni similitudo*. Magis placet cum ms. Vatic. *ligni beatitudo*.

lege

Beato viro quintuplex observãtia.

lege Domini fuit voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Quinque generum observantiam beato viro subesse Propheta commemorat: primam in impiorum consilio [a] non eundi, alteram in peccatorum via non consistendi, tertiam in cathedra pestilentiæ non sedendi, tum deinde voluntatis in lege Domini ponendæ, postremò in ea die noctuque meditandi. Ergo necesse est differre impium à peccatore, peccatorem à pestilente; maximè cùm sit impiis consilium, peccatori via, cathedra pestilenti: dehinc cùm in consilio impiorum eatur potiùs quàm stetur, in via verò peccatoris stetur magis quàm eatur. Quarum rerum causas ut intelligere possimus, discernendum est quantum differat peccator ab impio: ut per id intelligi possit, cur peccatori via, & impio consilium deputetur: dehinc cur & in via standum, & in consilio eundum sit; cùm humana consuetudo, & in consilio standum, & [b] in via eundum esse decernat. Non omnis qui peccator est, & * impius est: impius autem non potest non esse peccator. Et sumamus ex usu conscientiæ communis exemplum. Patres suos amare possunt filii, licèt ebriosi sint & lascivi & prodigi: & inter hæc vitia carent impietate, qui non carent crimine. Impii verò, licèt in præcipuis sint continentiæ frugalitatisque virtutibus, omne tamen quodcumque aliud extra impietatem erit crimen, in contumelia parentis excedunt.

Impii & peccatoris discrimen.

* etiam.

Impii Athei.

2. Igitur secundùm hoc propositum exemplum, impium discerni à peccatore non dubium est. Et impios quidem eos esse natura ipsa judicii communis ostendit, qui cognitionem Dei expetere fastidiunt, qui nullum esse mundi creatorem irreligiosa opinione præsumunt, qui mundum in hunc habitum ornatumque fortuitis motibus constitisse commemorant, qui ne quod judicium Creatori suo ob vitam rectè criminoséve gestam relinquant, volunt ex naturæ necessitate se nasci, & ex eadem rursum necessitate dissolvi. Horum igitur omne consilium fluctuans, incertum ac vagum est, & in eisdem ac per eadem [c] sine ulla consistendi statione defertur: non enim tenet modum definitionis alicujus. Creatorem mundi disputatio docere ausa non est. Cùm enim quæras, cur mundus, & quando, & in quantum? & utrùm mundus homini, an homo mundo? & mors ob quid, vel quò usque, vel qualis? circa hæc impietatis suæ consilia agitur semper, [d] & vadit, loco consistendi in his consiliis non reperto.

Hi consilio non stant.

Neque stãt hæretici.

3. Sunt & alia consilia impiorum, eorum scilicet qui in hæresim delapsi, nec novi nec veteris Testamenti legibus continentur. Quorum [e] sermo in orbem semper & circulum erroris inflexus, nihil tenens, & in nullo consistens, indefinitæ sententiæ cursu recursuque jactatur. Quorum impietatis est, Deum non ex Dei ipsius professione, sed ex arbitrii sui voluntate metiri; ignorantes non minoris impietatis esse, Deum fingere, quàm negare, à quibus cùm requiras, quo spei ac fidei suæ fine sic sentiant? confunduntur, perturbantur, dissimulant, circumerrant, & finem ipsum ejus, de qua quæritur, disputationis evitant. Beatus ergo vir est, qui in hoc impiorum consilio non abiit, id est, qui ipsam illam in hoc consilio eundi non admiserit voluntatem: quia quæ impia sunt, vel cogitasse jam crimen sit.

Via peccatorum in qua non standum. *Locus ab August. l. 2. contra Julian. c. 7. laudatus.*

4. Sequens autem est, ut qui in impiorum consilio non abiit, in peccatorum quoque via non stet. Plures enim sunt, qui cùm per confessionem Dei ab impietate discreti sint, non tamen à peccato per id liberi sint; in Ecclesia quidem manentes, sed Ecclesiæ disciplinam non tenentes: ut avari, ebriosi, tumultuosi, procaces, superbi, simulatores, mendaces, rapaces. Et ad hæc quidem nos vitia, naturæ nostræ propellit instinctus: sed ut utile est, nos à via hac [f] ad quam ferimur abscedere, sic neque consistere illic, adhibito decedendi ex ea non moroso recursu. Et idcirco beatus vir est, qui in via peccatorum non stetit, naturâ quidem in viam hanc deferente, sed ex via hac fidei religione referente.

Cathedra pestilentiæ.

5. Tertius quoque hic obtinendæ beatitudinis ordo est, in cathedra pestilentiæ non sedere. Sederunt in cathedra Moysi Pharisæi docentes, sedit & Pilatus in tribunali: cujus itaque cathedræ sessionem existimabimus pestilentem? Non utique Moysi, Domino sedentes potiùs quàm sessionem cathedræ improbante, cùm dicit, « Super cathedram, inquit, Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: « quæcumque dixerint vobis facite, quæ autem « faciunt facere nolite. Cathedræ hujus sessio pestilens non est, cujus obedientia dominicâ auctoritate præcipitur. Illa ergo erit pestilens, cujus contagium Pilatus manus abluendo devitat. Multos enim etiam in metu Dei constitutos, sæcularium tamen honorum ambitio

Matth. 23. 2.

Forensia officia quã periculosa.

[a] Unus è mss. Vatic. *non eundum*, ac deinceps, *non consistendum, non sedendum, non meditandum.* Hîc autem atque in sequentibus editi constanter præferunt, *in consilium impiorum*, dissidente sacro textu tum græco, tum latino, & vix uno in loco consentientibus mss. cùm etiam *in consilio* requirat Hilarii interpretatio, qua vult impios numquam stare, sed consiliis semel arreptis brevi ulteriùs ire, *loco consistendi in his consiliis numquam reperto*, inquit ad calcem num. 2.

[b] Hinc confirmatur lectio *in consilio*, quam præferimus vulgatæ *in consilium.* Quod de peccatoris atque impii discrimine subjicit Hilarius, eadem ferè ratione exprimitur apud Hieronymum l. 1. adversùs Pelag. ubi impius definitur, qui aut fidem numquam habuit, aut per hæresim amisit: *Impietas enim propriè ad eos pertinet, qui notitiam Dei non habent, aut cognitam transgressione mutarunt.*

[c] Unus è Vatic. mss. *nulla consistendi ratione difertur:* & paulò antè cum Bad. *ac vacuum est*, non *ac vagum est.*

[d] Ita mss. & editiones antiquiores. At apud Par. *& evadit*, quæ lectio potest ferri, ut id significetur quod inferiùs, *& finem ipsum ejus de qua quæritur disputationis evitant.* Verbo tamen *eundi*, cui respondet hoc *vadit*, non *abeundi*, constanter suprà usus est Hilarius: qui tamen infrà semel habet, *non abiit.*

[e] Hoc maximè convenit Arianis, de quibus lib. 2. ad Constant. n. 4. *orbem æternum erroris & redeuntis in se certaminis circumtulerunt.* Videsis [illegible]iqua hujus libri, & lib. in Constant. n. 23.

[f] Editi, *qua ferimur.* Unus è Vatic. mss. *cùm referimus:* alter, *qua deferimur.* Reponimus cum tertio iis antiquiore, *ad quam ferimur*, scil. naturæ nostræ instinctu.

B

corrumpit : & volunt [a] Ecclesiæ legibus subditi, fori legibus judicare. Sed quamquam ad ipsa officia quæ agunt, ferant secum religiosam voluntatem, benevolos sese continentesque præstando : tamen necesse est eorum, in quibus diversabuntur, negotiorum quodam pestilenti contagio polluantur. PUBLICARUM enim causarum ordo manere eos volentes etiam in ecclesiasticæ legis sanctitate non patitur. Et quamvis religiosi propositi tenaces sint: tamen per necessitatem sedis obtentæ, tum B ad contumeliam, tum ad injuriam, tum ad pœnam [b] cunctante licèt voluntate coguntur. Facit eos necessitas necessitatis ipsius esse participes, cùm tamquam lue morbida imbuuntur. Et idcirco hanc eorum cathedram, cathedram pestilentiæ Propheta cognominat, quia contagione sua [c] etiam voluntatem religiosæ mentis inficiat.

Dei legi non timore sed voluntate parendum.

6. Sed beatitudinem viri nondum, vel in impiorum consilio non isse, vel in peccato- C rum via non stetisse, vel in pestilentiæ cathedra non sedisse, consummat. Possunt enim hæc & in sæculari viro reperiri : ut unum Deum esse creatorem mundi opinetur, ut à peccatis se per studium modestæ innocentiæ refrenet, ut honorum dignitatibus privatæ & tranquillæ vitæ otium anteponat. Sed perfectum nunc Deo virum Propheta conformans, & quem in magnis æternæ beatitudinis constituat exemplis, non communibus eum ad id D docet usurum esse [d] virtutibus, sed his consummandum esse, ut beatus sit, quæ sequuntur,
℣. 2. *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus.* [e] Abstentio superiorum inutilis est, nisi in consequentia adhibeatur intentio : scilicet ut in lege Domini voluntas sit. Non exspectat Propheta ut metus sit. Plures intra legem metus cohibet, paucos verò voluntas constituit in lege: quia timoris est, non audere timenda negligere; perfectæ verò religionis est, præscriptis E velle parere. Et idcirco BEATUS ille est, cujus in Dei lege non timor est, sed voluntas.

Lex Dei nocte ac die meditanda.

7. Sed deest interdum & aliquid voluntati: & perfectam beatitudinem solum velle non obtinet, nisi voluntatem sequatur operatio. Sequitur namque : *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Beatum hunc virum continua legis meditatio & indefessa consummat. Sed fortè id humanæ infirmitatis natura non pa- F titur, per quam quiescendum, dormiendum, cibo vacandum est; ob quæ à spe consequen- A dæ beatitudinis etiam necessitate naturalium decidamus, cùm aliquando à meditatione diurna atque nocturna, negotii corporalis intercessione sit desinendum. Simile quoque huic dicto Apostoli dictum est, Sine intermissione [f] orantes. (1. Thess. 5. 17.) Quasi verò non occupanda in res suas naturæ nostræ necessitas possit sine interpellatione temporis semper orare. (Qui id possit fieri.) Meditatio itaque legis non solùm in verbis [g] legendis est, sed & in operis religione; ne- B que ut libros tantùm & Scripturas recenseamus, sed ut ea quæ in Scripturis ac libris continentur, gestis rebusque meditemur, & diurna nocturnaque opera [h] legem semper exerceant: ut illud Apostoli est, Omnia quæcumque facitis, in gloriam Dei facite, sive cùm manducatis, sive cùm bibitis, sive cùm aliud agitis. (1. Cor. 10. 31.) Per hoc enim efficitur, ut sine intermissione oremus : cùm per opera Deo placita, & in gloriam ejus semper exercita, C SANCTI CUJUSQUE viri vita omnis oratio fit: ac sic secundùm legem noctu dieque vivendo, vita ipsa nocturna legis erit & diurna meditatio.

8. Sed consummata viri hujus beatitudine, qui impiorum consiliis, & peccatorum viis, & pestilentiæ cathedrâ se abstinens, Dei legem volens die & nocte meditetur; docendum est quantus ei fructus acquisitæ hujus beatitudinis sit futurus. Velle enim beatum esse, ex D beatitudinis ipsius exspectatione proficiscitur. Sequitur namque, *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est juxta decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet.* ℣. 3. Ridiculum hoc fortè & ineptum comparatæ beatitudinis credetur exemplum: in quo ligni plantatio, decursus aquarum, fructuum datio, suum tempus, & folium non defluens prædicatur. Hæc quidem secundùm homines sæculi nulla fortè existima- E buntur. Sed videamus secundùm propheticam doctrinam, quanta in his ipsis rebus ac verbis comparatæ beatitudinis gloria collocetur.

9. In libro Genesis, ubi plantatum à Deo paradisum legislator ostendit, omne quoque lignum specie pulcrum & [i] ad esum bonum productum esse monstravit; esse quoque & in medio paradiso lignum vitæ, & lignum sciendi boni & mali exposuit; irrigari deinde F paradisum flumine, quod postea in quatuor principia divisum sit. Quod autem esset hoc lignum vitæ, propheta Salomon docuit, di- (Gen. 2. 9. & 10. Lignum, Christus.)

[a] *Ecclesiæ legibus subditi* ii hîc intelliguntur, qui suprà num. 4. *in Ecclesia quidem manentes, sed Ecclesiæ disciplinam non tenentes*, omnes nimirum Christiani : & infrà, *in ecclesiasticæ legis sanctitate*, perinde est atque in evangelicæ legis sanctitate. Unde n. 6. *Sæcularis vir* appellatur, nondum inter Ecclesiæ membra per baptismum computatus. quod observasse juvat, ne quis hæc ad Ecclesiasticos dumtaxat, non etiam ad sæculares judices pertinere existimet. Quocirca non placet Erasmi ad marginem nota, *Sæcularia negotia periculosa clericis & bonis*; quasi clerici nominatim expressi essent.

[b] In uno ms. *cum tanta licet voluntate.* In alio, *cunctata licet voluntate concurrunt.* Mox deerat in editis vox *necessitas*, quam restituimus ex mss.

[c] Addimus *etiam* ex mss. in quibus paulò antè, *qua*, non *quia*.

[d] In uno ms. *suffragiis.*

[e] Apud Par. *abstinentia*; verbum minùs quidem durum, sed ab Hilarii mente alienum.

[f] Unus codex Vatic. juxta nostra sacri textus exemplaria, *orate.* Tum apud Bad. Er. & Lips. *quasi verò non recuperando vires suas.*

[g] Bad. Er. cum Mic. ms. *legendi est.* Lips. & Par. cum aliis mss. *legentis est.* Ex utraque lectione conficimus *legendis est*; quod sensus requirit.

[h] Prima editio Par. *per legem semper exerceamur.* Postrema expuncto *per* retinuit *exerceamur.* Prior Lipsius pro *exerceant* reposuerat *exerceamus*, renitentibus Bad. Er. & mss.

[i] In vulgatis *ad usum.* Meliùs in uno cod. Vat. *ad esum*, favente Genesi, in qua *ad vescendum* bonum dicitur, non *ad utendum.*

cens [a] de adoratione sapientiæ: Lignum vitæ est omnibus qui complectuntur eam, & qui incumbunt in eam sicut in Domino. Lignum ergo hoc vivens est: neque solùm vivens, sed etiam rationale; rationale autem in tantum, ut fructus det; det verò non confusè, non importunè, sed *tempore suo*. Et plantatum hoc lignum est *juxta decursus aquarum*, in possessione scilicet regni Dei, id est, in paradiso, & unde flumen exiens in quatuor principia dividitur. Non enim ait, Post decursus aquarum, sed *juxta decursus aquarum*, unde primum decursum aquarum divisiones sortiuntur. Illic enim plantatum hoc lignum est, quò latronem illum, se Dominum confitentem, Dominus qui Sapientia est introduxit, dicens, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Et quia sapientiam, qui Christus est, lignum vitæ cognominari de sacramento futuræ corporationis & passionis, prophetica auctoritate docuimus: etiam ex Evangeliis intelligentiæ hujus est proprietas adstruenda. Dominus namque ipse se arbori comparavit, cùm in Beelzebub dæmonia eum Judæi ejicere dixissent: Aut facite, inquit, arborem bonam & fructus ejus bonos, aut facite arborem malam, & fructus ejus malos; ex fructu enim arbor cognoscitur. Quia cùm fructus esset optimus, dæmonia ejicere; Beelzebub eum, cujus fructus pessimi sunt, esse dicebant. Hujus quoque beati ligni non dedignatus est [b] in se docere virtutem, cùm pergens ad crucem ait, Quia si in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? per humidi ligni exemplum, nihil in se ariditati mortis obnoxium esse significans.

[a] Prov. 3. 18. — Luc. 23. 43. — Matth. 12. 24. — Ibid. 33. — [b] Luc. 23. 31.

Christo similis vir beatus.

10. Huic itaque ligno beatus ille vir similis fiet; cùm, translati latronis in paradisum modo, secundùm decursus aquarum & ipse plantetur: & fiet beata illa, & non eradicanda novella plantatio, quam in Evangeliis Dominus significat, cùm de aliena plantatione conqueritur, dicens, Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cælestis, eradicabitur. Hoc ergo lignum dabit fructus suos. Ubicumque autem de fructibus arborum aliquid divinus sermo significat, facere potiùs eas fructus, quàm dare memorat, cùm ait, Non potest arbor bona fructus malos facere; & cùm secundùm Esaiam querela de vinea est, Exspectavi, inquit, ut faceret uvas, fecit autem spinas. Lignum ergo hoc dabit fructus suos, arbitrio dandi & ratione [c] moderatum. Nam *in tempore suo* dabit. Et quo tandem tempore? Nempe eo de quo beatus Apostolus ait, [d] ut notum faceret vobis sacramentum voluntatis suæ, secundùm beneplacitum quod proposuit in ipso, in dispensationem plenitudinis temporum. Hoc ergo dispensationis est tempus, quo & accipiendi & dandi opportunitas temperatur, cùm suum erit tempus, ut accipiant quibus dabit. Temporis autem mora in plenitudine temporum pendet. Dispensatio enim dandi fructus, plenitudini temporum reservatur. Et qui tandem hic dispensandus erit fructus? Nempe ille de quo idem Apostolus meminit, dicens, Et transformabit, inquit, corpus humilitatis nostræ [e] conformatum corpori claritatis suæ. Hos ergo nobis fructus suos dabit, quos jam in eo quem sibi assumsit, & qui [f] significatur in ligno, homine perfecit, quem in immortalitatis suæ naturam absorpta mortalitate transfudit. Erit ergo ut hoc lignum beatus ille vir, cùm quando ipse in gloria Dei Domino suo conformis adstiterit.

Lignum rationale est; ideo dat, non solùm facit, fructus. — Matth. 15. 13. — Matth. 7. 18. — Esa. 5. 2. — *Tempus fructuum, gloriæ tempus.* — [d] Ephes. 1. 9. — Philipp. 3. 21. [e] — [f]

11. *Folium* autem ligni *hujus non defluet*. Nec mirum si folia ejus non defluunt, cujus fructus dabuntur potiùs, quàm decident, non maturitate depulsi, non vi exteriore decussi, sed rationalis officii dispensatione [g] demessi. Et quid in foliis significet, ex comparatione rerum corporalium absolutum est. Namque hanc esse naturam foliorum contuemur, ut ad custodiam fructuum fructibus ipsis circumjecta prorumpant; ut quodam vallo tenera pomorum initia communiant. Doctrina ergo verborum Dei, quæ promissos nobis fructus convestit, significatur in foliis. His enim verbis spes nostræ inumbrantur: horum inter has sæculi tempestates munimine conteguntur. Non defluent igitur hæc folia, id est Dei verba; quia per Dominum dictum est, Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Nihil enim ex his quæ à Deo dicta sunt, dilabetur aut decidet.

Folia Dei verba. — [g] — V. [illegible] *in hunc locum.* — Matth. 24. 35.

12. Quòd autem hæc folia ligni hujus non inutilia sint, sed salutaria gentibus, sanctus Johannes in Apocalypsi testatur, dicens, Et ostendit mihi flumen [h] aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, exiens de throno Dei & agni, in medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis arborem vitæ, quæ facit fructum duodecies, singulis mensibus reddens fructum suum, & folia arboris illius sunt ad sanitatem gentium. * Cæleste sacramentum ita per corporales species exponitur, ut rationem spiritalem corporalia ipsa quamquam implere

Horum foliorum utilitas. — [h] Apoc. 22. 1. — * *id est, spiritale.*

[a] Ex Vatic. mss. unus *de Sapientia*; alter *de adoratione sapientiæ*. Fortè leg. *de honoratione*; maximè cùm in græco paulò antè de Sapientia dicatur, πᾶν ἢ τίμιον οὐκ ἄξιον αὐτῆς ἐστι. Mox in uno ms. desideratur, *sicut in Domino*, quæ verba sunt LXX. Obiter observamus Salomonem Hilario hîc atque alibi dici *prophetam*; ut futilis ac vana sit Eusebii Cæsar. l. 1. adversùs Marcellum c. 2. reprehensio, qua hunc sugillat quòd ipsum Salomonem *Prophetam*, Proverbia *prophetias* dixerit: cùm tamen, inquit, donum acceperit *sapientiæ*, non *prophetiæ*; nec vitam instituerit propheticam, qua Prophetas legimus *circumiisse melotis amictos & hœdinis pellibus, egenos, oppressos, angustiatos*. Quod si valeret, ipsi etiam Psalmistæ *Prophetæ* nomen esset abrogandum.

[b] In uno codice Vatic. *non dedignatus est comparationem cùm pergens*, &c.

[c] Hoc est quod dicebat n. 9. *lignum vivens, nec solùm vivens, sed & rationale; rationale autem in tantum, ut fructus det:* ubi in hoc dandi arbitrio rationalem naturam maximè constituit.

[d] Bad & Er. *notum facere vobis*. Excusi alii, *notum vobis facio*. Alter è Vatic. mss. *notum voluit vobis facere*. Alium Vaticanum melioris notæ sequimur sacro textui magis consentientem.

[e] Et hîc sibi non consentiunt mss. Vatic. In alio enim, *transformatum*, &c. in altero, *conforme corpori gloriæ suæ*, in tertio, *conformatum corpori gloriæ suæ*. V. lib. 11. de Trin. n. 35. ex quo aliisque pluribus locis liquet Hilarium eadem Scripturæ loca non eodem semper modo referre.

[f] Lips. & Par. *significantur*: corruptè.

[g] In vulgatis, *dimensi*. In duobus mss. Vatic. *demensi*: ex quibus restituendum [illegible]imus, *demessi*.

[h] Editi, *aquæ vivæ*, dissidentibus mss. & sacro textu.

non possint, tamen [a] ad corpora non mutilent. Convenerat enim dixisse, ex utraque parte fluminis demonstrati arbores esse, non arborem. Sed quia vitæ arbor ubique in sacramento baptismi una est, undique [b] ad se venientibus apostolicæ prædicationis fructus subministrans; ideo ex utraque parte fluminis una vitæ arbor assistit. Unus enim agnus est in throno Dei visus, & unum flumen, & vitæ arbor una: quæ omnia in se complectuntur mysteria corporationis, baptismi, passionis, cujus folia, id est, prædicationis verba salutem gentibus per doctrinam eloquii non decidentis impertiunt.

Gloriæ æternæ dotes.

13. *Et omnia*, inquit, *quæcumque faciet*, [c] *bene dirigentur.* Jam non, sicut in Adam, donum ejus & statuta perturbabuntur: quia ille constitutæ immortalitatis beatitudinem peccato transgressæ legis amisit, sed per redemtionem ligni vitæ, id est, dominica passione, cùm ipsi ligno vitæ similes erimus, jam quidquid in nobis fiet, æternum est; æternum autem cum beatitudinis sensu. Prosperè dirigentur autem omnia illa quæ fient; non demutatione incerta, non in natura infirma, cùm incorruptio corruptionem, & æternitas infirmitatem, & forma Dei formam terrenæ carnis absorpserit. Huic igitur plantato ligno, in tempore suo hos fructus suos danti, beatus ille vir erit similis, ipse quoque in paradiso plantatus; ut plantatio Dei non eradicanda permaneat, in quo omnia à Deo facta prosperè dirigentur, nullâ deinceps demutatione vel infirmitatis nostræ eradicanda, vel temporis.

Impiorum post judicium quale corpus.

14. Demonstrata autem perfecta hujus viri beatitudine, consequens erat quæ impios pœna maneret, ostendere. Sequitur namque: ỷ. 4. *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ.* Non est impiis comparativæ hujus beatitudinis spes relicta, sed [d] vagum os, obtritum, ventilatum, dispersum & inquietum manet, ut ex illa corporalis soliditatis firmitate decussi, ludibrio pulveris differantur in pœnam: non in nihilum dissoluti, ut sit in his materies pœnæ; sed in inane ac leve aridumque protriti, ut ludibriosâ pœnæ mobilitate jactentur. Cujus pœnæ & loco altero idem Propheta meminit, dicens, Comminuam eos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo illos. (Psal. 17. 43.) Comparatio itaque ut beatitudinis, ita & pœnæ est constituta. Quomodo enim nullus labor est vento pulverem dissipare, & quomodo lutum in plateis ingredientes se propè calcasse non sentiunt: ita pœnæ illi inferni facile est impios delere atque dispergere, quos peccatorum ratio & in lutum solverit, & comminuerit in pulverem, non relictâ neque substantiâ firmitatis, cùm pulvis & lutum sint; & per id quòd pulvis & lutum sunt, in naturam tantùm pœnalis substantiæ reservati.

Impii resurgent, sed non in judicium.

15. Et quia per hanc demutationem obtritæ in pulverem firmitatis, non erunt ejus boni participes, quod beato viro ex fructu ligni dabitur in tempore; ideo consequenter adjecit, *Propterea non resurgent impii in judicium.* ỷ. 5. Non abolitio his, qui utique pulvis erunt, per id quod non resurgunt denuntiatur; sed resurrectio his in judicium denegatur. Non enim per id quod non erunt, sensu pœnæ carebunt: quia lucri pœnam faciet, quod non subsistet ad pœnam. Subsistent autem, [e] quia erunt pulvis. Pulverem verò effici vel ariditate, vel attritu, non est subsistendi amisisse naturam, sed in naturam alteram substitisse. Per id autem, quòd in judicium non resurgent, absolutum est non resurgendi eos caruisse naturâ, sed resurgendi in judicium perdidisse ordinem. Qui autem resurrectionis & judicii ordo intelligendus sit, Dominus in Evangeliis ostendit dicens, Qui credit in me, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est. Hoc est autem judicium, quia lux venit in hunc mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lumen. (Johan. 3. 18. & 19.)

Si neque fideles, neque infideles, qui igitur judicandi.

16. Negligentiam audientium, & incuriosam legentium facilitatem dicti dominici sermo perturbat. Cùm enim dicit, Qui credit in me, non judicabitur; exemit judicio fideles: & cùm subjecit, Qui autem non credit, jam judicatus est; non admisit ad judicium infideles. Ergo si credentes exemit, & repulit infideles, nec in hos nec in illos judicii sorte permissa; quomodo convenire sibi in hoc, quod tertium ait, existimabitur: Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem? (Ibid. 19.) Non enim potest [f] locus relictus esse judicio; cùm neque infideles, neque fideles sint judicandi. Et hæc quidem ita esse auditoribus negligentibus & lectoribus incuriosis videbuntur: ceterùm in se virtus ipsa verborum proprietatem dicti & intelligentiam continet.

Qui scil. inter pios impiosque medii.

17. Qui credit, inquit, non judicabitur. Quid enim necesse est judicare credentem? Judicium enim ex ambiguis rebus exsistit: &

[a] Erasmus ex conjectura ad marginem adscripsit, *ad comparationem non inutilia sint*: quod à Lipsio arreptum deinceps obtinuit, citra Hilarii sententiam; qua vult, quantum assequimur, spiritalia in Scripturis ita corporalibus adumbrari, ut hæc ad corpora nonnisi ineptè referri queant; quia nimirum aliquid desit, quod necessarium sit ut corporibus verè aptari possint. Hoc confirmare licet ex capite 21. in Matth. n. 13. ubi monet S. Doctor rerum sensibilium atque præsentium rationi aliquid interdum ea conditione deesse, ut nos ad rerum spiritalium ac futurarum intelligentiam sine ullo earum damno promoveant. Quocirca, mutilam licèt, lectionem ms. Miciacensis præferimus, faventibus tribus Vatic. in quibus *ad corporata non mutilentur*, ut & apud Bad. & in Erasmi textu *ac corporata non mutilent*. Si quid de nostro liceret adjicere, sic restitueremus: *tamen, ut ad corpora, non mutila sint*, seu, *tamen relatè ad corpora ita mutila sint, ut relatè ad spiritalia non sint mutila*: Porro *mutilare* Donato, id est quod *detrahere aliquid sine quo res esse non possit*. Et Tullio in Orat. *mutila* & *hiantia* synonyma sunt.

[b] In uno ms. Vatic. *ex se viventibus*.

[c] In mss. *prosperabuntur*; quod & infrà habet Miciacensis codex pro *prosperè dirigentur*.

[d] Bad. Er. Lips. cum ms. Mic. *vagum eos*: malè. Beatorum ossa seu corpora cum ossibus impiorum hîc comparantur.

[e] Editi, *qui erunt*. Expressiùs duo mss. *quia erunt*. Paulò antè *lucri pœnam faciet*, perinde est ac, *lucrifaciet pœnam*; seu evadet pœnam, quo eodem sensu Plinius dixit, *lucrifacere injuriam*.

[f] Apud Par. *videri locus esse judicio*. In aliis editis, *videri locus esse relictus judicio*. Quæ de judicio Hilarii sententia sit, disputatum est in Præfatione.

ambiguitate ademta, judicii non desideratur A examen. Ex quo ne infideles quidem necesse est judicari; quia ambiguitas * quin infideles sint, non resedit. Sed ademto in credentes non credentesque judicio, causam Dominus judicii & auctores in quos judicari necesse esset adjecit. Sunt enim aliqui inter impios piosque qui medii sint, ex utroque admixti, neutri tamen propriè, quia in id ipsum constiterint ex utroque: nec fidei admiscendi, quia sit illis aliquid [a] infidelitatis B insertum; nec infidelitati deputandi, quia aliquid habeant & fidei. Plures namque Dei metus in Ecclesia continet: sed eosdem tamen ad sæcularia vitia sæculi blandimenta sollicitant. Orant, quia timent: peccant, quia volunt. Christianos se nuncupant, quia bona est spes æternitatis: gentilia agunt, quia blanda præsentia sunt. Impii non manent, quia his Dei nomen in honore est: pii non sunt, quia quæ pietati sunt aliena sectantur. Et ne- C cesse est ea magis diligant, per quæ id quod se nuncupant esse non possunt; secundùm nuncupationis voluntatem, operum voluntate potiore. Et idcirco Dominus postea quàm credentes non judicandos, & non credentes jam judicatos esse dixerat, addidit, Hoc est „ autem judicium, quia lux venit in mundum, „ & dilexerunt homines magis tenebras quàm lumen. In eos ergo judicium est, quod jam & in incredulos actum est, & in credentes D non necessarium est: quia magis tenebras quàm lumen dilexerint; non quòd non dilexerint & lumen, sed quòd dilectio illis fuerit magis propensa tenebrarum. Præferri enim solet dilectioni ex comparatione dilectio: & hinc judicium est, quia cùm dilexerint Christum, magis tamen tenebras dilexerunt. Hi ergo judicabuntur, qui neque ut pii non judicabuntur, neque jam fuerint ut impii judicati, in quos ex prælata potiùs dilectione ju- E dicium.

* Aliàs cùm.

a Quales illi.

Ibid. 19.

Cur judicabuntur.

18. Hujus quidem evangelicæ dispositionis tenuit & Propheta rationem, dicens, *Propterea non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum.* Impiis judicium, quia jam judicati sunt, non relinquit: peccatoribus autem, quos superiori sermone discerni ab impiis docuimus, consilium justorum, quia judicandi sint, denegavit. Illos enim præjudicatos impietas facit, hos verò peccatum F detinet judicandos. Itaque neque impietas, quæ jam judicata est, peccatorum est permissa judicio: neque peccatores qui judicandi sunt, justorum qui non judicabuntur, meriti sunt digni esse consilio.

Impii non judicabuntur, sed peccatores.

ỳ. 6. 19. Et hujus differentiæ hinc ordo proficiscitur: *Quia cognoscit*, inquit, *Dominus viam justorum, & via impiorum peribit.* Consilium justorum peccatores idcirco non adeunt, quia viam justorum Dominus cognoscit. Cognoscit G autem non ignorationis [b] scientiâ, sed dignatione noscendi. Neque enim hæc in Deo passionum humanarum demutatio est, ut aliquid aut cognoscat, aut nesciat. Beatus apostolus Paulus qua ratione à Deo cognosceremur exposuit, dicens, Si quis est in vobis propheta aut spiritalis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt: si quis autem non cognoscit, non cognoscetur. Eos ergo cognosci à Deo ostendit, qui quæ Dei sunt cognoverint: tum cognoscendi, cùm cognoverint; dignationem scilicet cognitionis per meritum religionis cognitæ consequentes: ut quod cognoscitur, non ignorantis profectus intelligatur esse, sed cogniti. Absolutè autem Dominus ostendit in Adam atque Abraham peccatores se ignorare, cognoscere autem fideles. Namque Adæ post peccatum dictum est, Ubi es Adam? non quòd Deus, quem adhuc in paradiso habebat, in paradiso esse nesciret; sed quòd dum ubi sit interrogatur, indignus cognitione Dei per id quòd peccavit, ostenditur. Abraham autem diu ignoratus, scilicet ad quem septuagenarium Dei jam fuit sermo, cùm se per oblationem Isaac fidelem Domino probasset, tali in divinam familiaritatem dignatione suscipitur: Nunc cognovi quia times Dominum Deum tuum, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Non ignorabat utique Abrahæ fidem, quam ei de generando Isaac credenti & ad justitiam deputaverat: sed quia magnum timoris sui dederat filium offerendo documentum, nunc cognoscitur, nunc probatur, nunc dignus est qui non ignoretur. Sic itaque Deus & agnoscit, & nescit; cùm Adam peccator nescitur, & Abraham fidelis agnoscitur, dignus scilicet qui à Deo nihil utique ignorante noscatur. Cognita ergo est Deo justorum non judicandorum via: & idcirco peccatores qui judicandi sunt, ab eorum consilio submoventur. Impii autem in judicium non resurgent, cùm deperditâ eorum viâ, jam fuerint judicati per eum, qui ait, Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Quomodo Deus cognoscat, aut ignoret. b

1. Cor. 14. 38. & 39.

Genes. 3. 9.

Gen. 22. 12.

Johan. 5. 22.

PSALMUS II.

Sine titulo apud Hebræos.

*QUARE fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversùs Dominum & adversùs Christum ejus. Disrumpamus vincula eorum, & abjiciamus à nobis jugum ipsorum. Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in * furore con-*

* Hilarius, indignatione sua.

[a] Lips. & Par. *infirmitatis*, repugnantibus aliis libris.
[b] Seu, quæ ignorationem præcessisse ponat. V. lib. 9. de Trin. num. 61.

*turbabit eos. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. * Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos. Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam: ne fortè irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Cùm exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.*

* Hil. *annuntians.*

* Hilarius, *Posce.*

TRACTATUS PSALMI II.

Psalmus hic an pars primi. a

PLURES nostrûm ambiguos facit apostolica auctoritas, utrùm psalmum hunc cohærentem primo, & veluti primi [a] extimum putent esse: an verò subjacentem & secundum potiùs connumerent. Namque in Actis Apostolorum primum hunc haberi atque esse, sub oratione beati Pauli ita docemur: Nosque vobis evangelizamus eam quæ ad patres facta est repromissio: hanc » Deus explevit filiis vestris, suscitans Dominum nostrum Jesum, sicut in psalmo [b] primo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te, cùm suscitavit eum à mortuis ampliùs non regressurum in interitum. Ob hanc ergo apostolicam auctoritatem errore scribentium fieri creditur, ut in ordine secundus psalmus iste numeretur, cùm primus esse ipso Doctore gentium testante noscatur. Cognoscenda itaque ea ratio est, cur & à nobis secundus esse intelligendus sit, & ab Apostolo esse primus ostensus sit.

Act. 13. 32. *&c.*

2. Mediis namque legis temporibus, * priùs quàm unigenitus Dei Filius, ante sæcula manens Deus Verbum, homo nasceretur, poscente rege Ptolemæo septuaginta seniores libros veteris Testamenti ex hebræis litteris in græcas transtulerunt. Erat autem jam à Moyse antea institutum, in synagoga omni septuaginta esse doctores. Nam idem Moyses, quamvis [c] veteris Testamenti verba in litteris condidisset, tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimaverat. Cujus doctrinæ etiam Dominus in Evangeliis meminit, dicens, Super cathedram Moysi, inquit, sederunt « Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque « dixerint vobis, servate & facite; secundùm « verò facta eorum nolite facere. Doctrina ergo horum [d] mansit in posterum, quæ ab ipso scriptore legis accepta, in hoc seniorum & numero & officio conservata est. Hi itaque seniores libros hos transferentes, & spiritalem secundùm Moysi traditionem occultarum cognitionum scientiam adepti, ambigua linguæ hebraïcæ dicta & varia quædam ex se nuntiantia, secundùm virtutes rerum certis & propriis verborum significationibus transtulerunt, [e] doctrinæ scientiâ multimodam illam sermonum intelligentiam temperantes. Et ex eo fit, qui postea transtulerunt, diversis modis interpretantes, magnum gentibus attulerint errorem: dum occultæ illius & à Moyse profectæ traditionis ignari, ea quæ ambiguè linguâ hebræâ commemorata sunt, incerti suis ipsi judiciis ediderunt. Ambiguitatis autem linguæ hebraïcæ unum afferemus exemplum, ex quo cetera istiusmodi esse, atque ita ut sunt, intelligantur. *Bresith* verbum hebraïcum est. Id tres significantias in se habet, id est, *in principio*, & *in capite*, & [f] *in filio*. Sed translatores septuaginta *in principio* ediderunt, ceteris diversè transferentibus: & secundùm hanc ambiguitatem hæc ab illis in omni translatione est facta confusio.

* Annos circiter 300. ante Christum.

Traditio secretiorum Legis per LXX. seniores.

Matth. 23. 2.

Traditionis hujus conscii LXX. editores.

Interpretes illius ignari in multis errarunt.

Hebraïca lingua ambigua.

Bresith.

3. Sed perfecta horum septuaginta inter-

[a] Ita mss. potiores. At editi, *extremum.* Georgius, qui & quandoque Gennadius appellatur, apud Corderium in Catena Patr. Græc. *Duo*, inquit, *nacti exemplaria hebraica, in altero quidem reperimus hoc esse secundi psalmi principium; in altero verò hoc esse conjunctum cum primo. Ceterùm haud ignorandum est, in nullo hebraico exemplari Psalmorum numerum adjunctum esse.* Paraphrastes verò apud eumdem Corderium: *Sciendum apud Hebræos primum & secundum psalmum non esse distinctos, sed conjunctos.* Huic consentit vulgatus Hieronymus in Psal. 1. Sic utrumque una serie, velut unum Psalmum, describit atque inserit Justinus Martyr in Apologia 2. Qui nunc secundus est, Psalmus primus appellatur à Petiliano apud August. l. 2. c. 92. n. 202.

[b] In nonnullis exemplaribus græcis legere est τῷ πρώτῳ, in aliis τῷ δευτέρῳ. Legêre τῷ πρώτῳ post Hilarium vulgatus Hieronymus in 1. Psalmum, Oecumenius in Acta, Beda, &c.

[c] Ms. Mic. *Verba Testamenti in litteras condidisset.*

[d] Verbum *mansit* à Lipsio expunctum, restituimus ex Bad. Er. & mss.

[e] In uno ms. *doctrinæ scientiam multimodâ illâ sermonum intelligentiâ temperantes:* minùs eleganter. Huc spectat illud in Psal. 142. n. 1. *Eis autem legis ac Prophetarum scientia ultra præscriptum & ambiguitatem litteræ fuit.* Hanc ipsorum scientiam, quam noster Hilarius traditioni, alii prophetico Spiritui tribuunt: ut dicere non dubitet Augustinus lib. 2. de consensu Evang. c. 66. *Septuaginta eo Spiritu interpretatos, quo illa quæ interpretabantur dicta fuerant;* & quidem ut habet Quæst. 169. in Gen. *non interpretationis servitute, sed prophetiæ auctoritate. Meritò enim,* inquit, l. 15. de Civ. Dei c. 23. n. 3. *creduntur* LXX. *interpretes accepisse propheticum Spiritum, ut si quid ejus auctoritate mutarent, atque aliter quàm erat quod interpretabantur dicerent, neque hoc divinitus dictum esse dubitaretur.* His suffragatur etiam Hieronymus, à quo præfat. in lib. Paralip. iidem asseruntur *Spiritu-sancto pleni.*

[f] Hunc Hilarii locum notasse videtur Hieronymus Quæst. hebr. in Genesim dicens, *Plerique existimant, sicut in altercatione Jasonis & Papisci scriptum est, & Tertullianus in lib. contra Praxeam disputat, necnon Hilarius in expositione cujusdam Psalmi affirmat, in hebræo haberi,* IN FILIO *fecit Deus cælum & terram: quod falsum esse ipsius rei veritas comprobat: nam &* LXX. *interpretes & Symmachus & Theodotion, in principio, transtulerunt, & in hebræo scriptum est, Beresith, quod Aquila interpretatur, in capitulo, & non Beben, quod interpretatur, in Filio. Magis itaque secundùm sensum, quàm secundùm verbi translationem, de Christo est.* Ita tamen in hebræo haberi, *in Filio*, affirmat Hilarius, ut huic interpretationi neque adhæreat ipse, neque adhærendum putet. De Tertulliano obiter observamus, eam in ipsius libro contra Praxeam nusquam reperiri, sed hoc dumtaxat num. 5. de Praxeæ sectariis, *Aiunt quidem & Genesim in hebræo ita incipere: In principio Deus fecit sibi Filium: hoc ut firmum non sit, alia me argumenta deducunt.* Quamquam hunc Tertulliani locum ex Hieronymo emendandum esse facilè concedamus. Ipse verò Tertullianus legere solet, *in primordio;* & l. cont. Hermogen. n. 20. juxta vim vocis græcæ permittit ut legatur, *in principatu & potestate.*

LXX. interpretum auctoritas.

pretum [a] auctoritas manet. Primùm, quòd ante adventum corporalem Domini transtulerunt, nec adulatio interpretandi adhibita tempori arguitur, tantò anteriore interpretationis ætate: dehinc quòd illi ipsi principes doctoresque synagogæ, & præter scientiam legis per Moysen quoque doctrina secretiori perfecti, non potuerunt non probabiles esse arbitri interpretandi, qui certissimi & gravissimi erant auctores docendi. Hi ergo psalmos inter ceteros libros transferentes, & in numerum redegerunt, & in ordinem collocaverunt, & diapsalmis distinxerunt, qui omnes secundùm Hebræos confusi & habebantur & habentur. Horum igitur translationes Hebræis tum linguâ tantùm suâ utentibus non erant necessariæ. [b] Ipsis tamen omnibus diligenti & religiosa custodia observatis, quibus postea quàm Dominus legem omnem sacramento & corporationis suæ & passionis & resurrectionis impleverat, cum his libris quos regi iidem translatores ediderant collatis, & fideliter consonantibus [c] compertis, indissolubilis constituta est privilegio doctrinæ & ætatis auctoritas.

Quid in psalmis præstiterint.

Cur Paulus primum hunc appellarit.

4. Beatus ergo apostolus Paulus, secundùm professionem suam Hebræus ex Hebræis, etiam secundùm hebraïcam cognitionem & fidem psalmum hunc primum esse dixit, translatorum distinctione non usus: cui maximum hoc prædicandi ad synagogæ principes studium erat, ut Dominum nostrum Jesum Christum Dei filium, natum, passum, resurgentem, regnare in æternum ex doctrina legis ostenderet. Tenuit itaque hunc modum, ut Hebræus ipse & Hebræis prædicans Hebræorum consuetudine uteretur. Sed nobis translatorum utendum auctoritate est, legem non ambiguitate litteræ, sed doctrinæ scientiâ transferendo.

Quos, quando, quatenus spectet hic psalmus.

5. Præstat autem nunc absolutissimam intelligentiam personæ, temporis, causæ, apostolica auctoritas. Nam quid in libro Actorum suorum de hoc eodem psalmo iidem Apostoli senserint, verbis ipsorum loquemur. Scriptum namque est: Et ipsis dicentibus, Domine, tu es qui fecisti cælum & terram & mare & omnia quæ in illis sunt, qui per os patris nostri David sancti pueri tui dixisti, *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? * Adstiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversùs Dominum & adversùs Christum ejus.* Convenerunt enim in veritate in civitate ista adversùs sanctum tuum * filium Jesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, & populus Israël, facere quanta manus tua & consilium præscripsit fieri. Et nunc Domine respice in minas illorum, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum. Non ergo ambiguum est, quid tantò anteriore tempore prophetiæ psalmus ostenderit. Nam * permixti tum sibi in Herode atque Pilato gentes frementes & populi vana meditantes, in unum cum ipsis suis principibus & regibus adstiterunt. Communi enim & [d] prætoris & tetrarchæ judicio in Dominum confirmata damnationis est passio.

*Act. 4. 24. &c. — ℣. 1. — ℣. 2. — * παῖδα. — * Al. permixtim.*

Gentes frementes.

6. Et quidem diligenter secundùm propheticam scientiam, unicuique generi & nomini singulorum quorumque verborum est proprietas coaptata: ut gentes fremuerint, imperito scilicet motu inconditoque commotæ, Dei filium in corpore cernentes & odientes. Quæ usque adeo fremuerunt, ut coronâ spineâ compunxerint, veste regia indutum salutatione atque honore regis illuserint, arundine caput contuderint, aceto ac felle potaverint, lanceâ latus foderint. Cohors enim militum Pilato subditorum ex fremitu iræ intemperantis hæc gessit.

Populi vana meditantes.

7. *Populi* autem *inania meditati sunt*: id est, inani in doctrinis Dei meditatione versati, eum per meditationem legis non intellexerunt, qui prædicabatur in lege. Jam enim tum non tantùm ex illa secundùm carnem Abrahæ generatione synagogæ populus abundabat: sed ex multis populis, in uno Israël populi nomine, multorum populorum diversitas continebatur. Et hoc in Actorum libro ita scribitur: Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri timentes Dominum, ab omni gente quæ sub cælo est. Populi itaque isti meditati sunt inania, ex multis populis in unum populum congregati.

Act. 2. 5.

Reges adstantes.

8. Reges quoque adstiterunt, Pilatus scilicet & Herodes, in quibus reges terræ intelliguntur: & uterque pro legum quibus præerant necessitate, præsentiæ suæ adhibuit officium. Qui autem impio irreligiosoque consilio multis conventibus adversùs Dominum tractabant, hi principes conveniunt in unum: frequenter scilicet in domum Caiphæ omni-

[a] E regione vocabuli hujus Erasmus adscripsit: *Aliter sentit Hieronymus*. Ex ipsa tamen Hieronymi confessione epist. 101. ad Pammach. editio LXX. *vires obtinuit in Ecclesiis, vel quia prima & ante Christi adventum, vel quia ab Apostolis usurpata.* Ejus quoque auctoritatem plurimùm commendat Irenæus lib. 3. c. 24. quòd prodierit *ab ipsis Judæis multùm ante tempora adventûs Domini nostri, ut nulla relinquatur suspicio ne morem nobis gerentes Judæi hæc ita interpretati sint.* Hanc pariter plurimi facit Chrysostomus hom. 5. in Matth. quòd tot ac pariter ad interpretandum ante Dominici adventus tempora accedentes ab omni suspicione vindicentur. Et ut Hieronymi verbis notulam hanc claudamus, non aliò sanè respexerit, cùm præfat. in 4. Evangelia ait, *Post Septuaginta nihil in sacris litteris potest immutari vel perverti, quin eorum translatione omnis fraus & dolus patefiat.*

[b] Non satis prudenter rursùm hîc Erasmus; *Fabula de cellulis Septuaginta*: cùm nullum fiat verbum de cellulis. Verùm etiamsi hîc nonnihil desit, quod ex penuria mss. resarcire nobis non licuit: ex subjectis tamen evidenter colligitur, hæc de sacris litteris interpretanda esse, quæ ante Christi dispensationem scriptæ, diligenti deinde ac religiosa custodia conservatæ, & post ejusdem resurrectionem cum LXX. interpretum editione collatæ fuerint, eisque consonantes repertæ. Quem porro intelligemus textum illum cum editione LXX. collatum, nisi hebraicum? maximè cùm hoc Hilarius adnitatur ostendere, Paulo apud Gentiles suos licuisse Scripturam juxta hebræum textum laudare, etiamsi ipse ceterique Apostoli aliàs juxta editionem LXX. eam in medium proferre soleant. Unde hic locus maximè favet hebraico textui, cui unà cum editione LXX. propter prærogativam doctrinæ & ætatis concedit Hilarius indissolubilem auctoritatem.

[c] Lips. & Par. *consonare*: renitentibus Bad. Er. & mss. Si autem, ut superiori nota ostendimus, de hebræo textu atque LXX. sermo est; intelligenda est hæc consensio in præcipuis fidei nostræ mysteriis. In aliis enim minoris momenti rebus textum utrumque inter se distare, ex fide eorum qui hebræam linguam callerent, c[illegible]rvat Augustinus Quæst. 169. in Gen. ac l. 2. de Consensu Evang. c. 66. & nemo est qui neget.

[d] Lips. & Par. hîc & deinceps, *præsidis*. Antiquam lectionem *prætoris* revocamus ex Bad. & mss.

bus sacerdotum principibus congregatis. Denique *reges terræ* cognominati sunt Herodes tetrarcha & Pilatus prætor: quia jure terreni imperii adstiterunt. Ceteri autem qui in unum convenerunt, neque reges terræ sunt, neque principes sacerdotum: quia nec jus regni sui prætori Romano & tetrarchæ obtinebant subditi, neque ultrà jam principes sacerdotum cognominari merebantur, quia impii in Deum ac dominum ipsius sacerdotii exstitissent.

In unum coeuntes.

Superiora Pater, subsequentia proferunt Apostoli.

9. Et quia non ambiguum est, ex persona Dei patris secundùm apostolicam auctoritatem psalmum cœptum esse; quippe cùm dixerint, Qui per os patris nostri David sancti pueri tui dixisti: idcirco ad intelligendam personæ demutationem ab interpretantibus interjectum *diapsalma* est, licèt in libris Hebræorum non contineretur. Persona ergo quæ demutatur, Apostolorum esse intelligenda est, dicentium, *Disrumpamus vincula eorum, & abjiciamus à nobis jugum ipsorum.* Detestari eos necesse est quod arguunt. Horum ergo qui & fremuerunt, & inania meditati sunt, vincula disrumpunt, & jugum abjiciunt. Et non ambiguum est, quin differat jugum abjicere, & vincula rumpere; quod utrumque utrique superiùs memorato & generi & nomini convenit: ut vincula quidem gentium rumpant, jugum autem populorum abjiciant: quia gentes peccatorum suorum vinculis colligantur, à quibus absolvere se per infidelitatem non possunt, secundùm id quod dictum est, Fasciis peccatorum suorum constrictus est peccator. Judæi verò jugo legis onerantur, quod à se Apostoli abjiciunt, beato Petro dicente, Nunc verò quid tentatis Dominum, ponere supra collum discipulorum jugum, quod neque patres nostri, neque nos potuimus portare? Hoc ergo populorum jugum à se abjiciunt, quia subditi ei fuerunt: vincula autem non sibi, sed gentibus disrumpunt. Et ita utriusque sermonis ratio servata est. Ubi vincula disrumpuntur, nullam personæ suæ significantiam addunt: ubi verò abjiciunt jugum, illic dicendo, *Abjiciamus à nobis*, non de aliis quàm de semetipsis locuti intelliguntur: ut gravi isto & intolerabili abjecto, suavi illi & levi ad quod invitati sunt, evangelicæ sanctificationis se jugo subderent; gentium autem vincula per libertatem prædicationis abrumperent, secundùm illud quod in ejusdem psalmi commemoratione dixerunt: Et nunc Domine respice in minas illorum, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum. Hæ enim apostolicæ doctrinæ omnium infidelitatum & peccatorum laqueos abrumpunt.

℣. 3.

Gentium vincula rumpunt, Legis exuunt jugum.

Prov. 5. 22.

Act. 15. 10.

Act. 4. 29.

Filii contemtus, contemtus Patris.

10. Et quia superiùs duplex persona servata est, cùm ait, *adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus*: gemina quoque nunc ridentis, & subsannantis significatio consecuta est. Non enim discernitur contumelia alterius ab altero, neque discretus honor est religionis ad utrumque. [a] Qui enim per genuinam patris & filii secundùm se legitimamque naturam in gloria divinitatis unum sunt, unum etiam sunt vel in contemtûs injuria, vel in honoris reverentia; & alter in altero aut honorificatur, aut spernitur. Atque id ipsum Dominus testatus est dicens, sicut Pater suscitat mortuos & vivificat; sic & Filius quos vult vivificat. Nec enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Non distinguitur honor, non discernitur contumelia: æqua in utrumque religio exspectatur, & injuria unius, contemtus utriusque est. Ita cùm in uno uterque spernatur; qui unum sunt in divinitate ambo per gloriam, unum quoque sunt in religione ambo per honorem. [b] Et hinc qui *adversùs Dominum* convenerunt, convenerunt quoque *adversùs Christum ejus*: & quos in cælo habitans irridet, hos & Dominus subsannat.

Johan. 5. 21. &c.

11. Non quòd non & Dominus esset semper in cælo, quippe qui de se ipse testatus sit; Nemo adscendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Non abest ergo à cælo, quia cùm de cælo descenderit, filius hominis manens atque loquens; est tamen, cùm hæc loqueretur, [c] in cælo. Descenderat quidem filius hominis, sed per naturæ virtutem non aberat filius Dei unde descenderat, neque se ex eo quod antè erat, tum cùm homo est natus, [d] absumserat; neque factus filius hominis, filius Dei esse defecerat. Sed adeo filius hominis, filius Dei est, ut descendens de cælo [e] filius Dei esset, & per virtutem suæ substantiæ idem filius hominis esset in cælo.

Qui Filius cælo non relicto descendit.

Johan. 3. 13. V. lib. X. de Trin. n. 16.

12. Sed volens Propheta sub personæ distinctione significare Patrem, qui filio suo etiam in filio hominis consistente in terris, in illa æterna sua sede ac beata maneret, & sine [f] descensionis alicujus dispensatione requiesceret, ait, *Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos*: ut per eum qui irridet habitans in cælo, intelligeretur & Dominus qui subsannaret è cælo. Non differt autem subsannare & irridere: utrumque enim secundùm voluntatis affectum officio oris efficitur. Namque secundùm intelligentiam nostram per corporales species divinarum rerum sensus exponitur: ut subsannatio & risus in eludendis his, qui adversùs Dominum & adversùs Christum ejus convenerant, nominaretur; non quòd in incorporalem Deum aut resolutio aut obductio oris incideret, sed ut ex

Patris & Filii distinctio.

℣. 4.

Irridere & subsannare non differt.

Quid contemniat Deo.

[a] Apud Lips. & Par. *ut enim.* Tum apud Bad. & Er. *per geminam.*

[b] Mic. ms. *ut nunc qui.*

[c] Lips. & Par. *de cælo descenderat.* Rectiùs Bad. Er. & mss. *in cælo*: allusio enim est ad id, *filius hominis qui est in cælo.* Interpunctio loci hujus in priùs vulgatis est prorsus perturbata & confusa.

[d] Par. *assumserat*: mendosè. Mox pro *defecerat*, solus Lipsius habet *desierat.*

[e] In codice Miciacensi, *Filius Dei per virtutis suæ substantiam,* &c. Hoc loco probatur quod in Præfatione asseruimus, voces *virtutis & naturæ*, apud Hilarium, ubi de Christo agitur, ad divinitatem illius referri; nec scimus an usquam aliò referatur *virtus naturæ.*

[f] Ms. Mic. *discretionis*: malè. Innuitur enim Pater eò in cælis requiescere, quòd in terras non descenderit; non descendisse autem, quòd nulla in terris dispensatione functus sit.

naturæ

a naturæ nostræ consuetudine nosceremus [a] quali in impios esset judicio divinæ voluntatis illusum. Subsannati ergo & irrisi sunt. Nam qui testes falsos concinnaverant, qui proditionem mercati erant, qui super se ac filios suos sanguinem ejus receperant, qui Crucifige clamaverant, qui descende de cruce si filius Dei es dixerant, qui sepulcrum obsignaverant, qui resurrectionis silentium à militibus & famam furati corporis emerant, perdiderunt tantum impietatis suæ laborem. Deus est quem cruci affixerant: æternus est cujus sepulcrum obsignaverant. Irridetur impietas, dum ad illicita nititur, dum inconcessa expetit, dum quod obtinuisse se sperat amittit, dum Deum esse quem tamquam hominem condemnat agnoscit.

℣. 5. 13. Ob quod competenter hoc sequitur, *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in indignatione sua conturbabit eos.* Postea enim quàm resurgente à mortuis Dei filio, in quem mors per speciem corporis quod assumsit inciderat, temeritas infructuosæ impietatis irrisa est: Deus ad eos quos subsannaverat loquitur, eosque in indignatione conturbat. Ac priùs quàm quis iste iræ sermo, & quæ hæc indignationis perturbatio sit ostendamus, admoneri legentes atque audientes oportet, ne aliquas demutationes passionum perturbationesque motuum cadere in Deum credant. Nihil enim in æternam illam & perfectam naturam novum incidit: neque qui ita est, ut qualis est, talis & semper sit, ne aliquando non idem sit, potest effici aliquid aliud esse, quàm semper est. Terrenæ istud imperfectæque causæ habent generis, ut demutabiles fiant conversione naturæ, cùm lætitiam mæror, placabilitatem ira, benevolentiam offensa, æquanimitatem invidia, & securitatem sollicitudo perturbat: sumusque per hæc aliud aliquando quàm fuimus, cùm eam quæ præsens sit, mentis affectionem subrepens per inconstantiam infirmitatemque nostram motus appetitionis alterius inquietet; & ex eo quod fuimus, in id quod sumus conversio nos repentina demutet. Deus autem beatus atque perfectus profectu non eget, cui nihil deest: demutatione non novus est, qui origine caret. IPSE EST, qui quod est non aliunde est: in sese est, secum est, ad se est, suus sibi est, & ipse sibi omnia est, carens omni demutatione novitatis, qui nihil aliud quod in se posset incidere, per id quod ipse sibi totum totus est, [b] reliquit.

Perturbationes in Deum non cadunt.

b 14. Ex hujus igitur optima ac benevola beatitudine, per Dominum nostrum Jesum Christum [c] profectæ omnes sunt cælestium & invisibilium creationes, spiritalium & corporalium constitutiones; non ut profectum sibi aliquem ex his, quibus originem impertiebat, acquireret. Neque enim quisquam eo indiget, quod ex se tribuit; aut per id proficit, cui ad id quod est auctor est. Exteriora autem sunt, quæ afferunt profectum; quia ea quæ inopiæ medentur, aliena sunt. Deus igitur, ex quo omnia sunt, nullo eorum indiget; quibus id quod sunt esse largitus est: omnia verò ad profectum eorum quæ gignerentur creavit. Et quia longus erit sermo, si etiam de cælestibus & invisibilibus inchoetur; ex nobis ipsis, ad quos prophetia psalmi est, tractemus.

Deus nullius egens cur creata condiderit.

c

B 15. Hominem, non quòd officio ejus in aliquo eguerit, instituit; sed quia bonus est, participem beatitudinis suæ condidit, & rationale animal in usum largiendæ suæ æternitatis vitâ sensûque perfecit: & hoc ex ipsius dictis absolutè intelligitur. Ait enim: Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus poscit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in omnibus viis ejus, & diligas eum, & servias Domino Deo tuo ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua,
C & custodias præcepta Domini Dei, & justificationes ejus, quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi? Nullum à nobis, nisi innocentiæ & religionis & fidei obsequium Deus postulat. Amari se à nobis exigit, non utique amoris in se nostri fructum aliquem sui causâ ipse percipiens, sed amore ipso nobis potiùs, qui eum amabimus, profuturo. Nam AMARI SE, sibique nos obsequi, idcirco ut nobis bene sit, expetit, ut digni beatitudinis suæ ac
D bonitatis suæ munere per meritum amoris sui & obsequii judicemur. Bonitatis autem usus, ut splendor solis, ut lumen ignis, ut odor succi, non præbenti proficit, sed utenti. Quod ergo sumus, profectus noster est potiùs, quàm ejus, qui nos in id quod sumus instituit: quia Deus bonorum eorum quæ in se sunt æterna non * invidens, in sensum nos atque usum beatæ suæ bonitatis assumit.

Quidquid ab homine petit, non sibi prodest, sed homini.

Deut. 10. 12. & 13.

* seu, invidus.

E 16. Sed qui perfectus ac bonus est, bonitate in nos ac beatitudine sua non sine ratione ac modo usus est. Nam unicuique nostrûm libertatem vitæ sensûsque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens, ut unumquemque ex natura bonum malumve esse lex cogeret: sed qui nos per benevolentiam utendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id per meritum vitæ innocentis honestæque constituit. Quid autem honoris ac præmii bonitatis necessitas mereretur, cùm malos nos esse
F vis quædam nobis conserta non sineret? Voluntati ergo permissa bonitas est: ut præmium sibi voluntas bonitatis acquireret; & esset nobis æternæ hujus beatitudinis profectus atque usus ex merito, non necessitas indiscreta per legem. Et quamquam nos ad voluntatem bonitatis, id est, ad bene honestéque vivendum per spem promerendæ & utendæ suæ bonitatis illiceret, pœnam tamen devitatæ & contemtæ bonitatis adjecit: ut cùm libertatem nobis voluntatis ab bonitatem promerendam reli-

Ad merendam beatitudinem eum condidit, adeóque liberum.

Pœnis eum à malo deterruit.

[a] Editi, *quale in impios esset judicium divinæ voluntatis*, omisso apud Bad. & Er. & Lipf. verbo *illusum*, vel ut in mss. *inlusum*, ex quo apud Par. *inclusum* mendosè confectum erat. Emendantur ex mss. nec spernendâ Vaticani codicis lectio, *quali impius esset judicio divinæ voluntatis illusus*.

[b] In duobus mss. Vaticanis, *non reliquit*, abundare videtur particula *non*. Fortè tamen sic scripsit Hilarius, ut sit hellenismus ei non insuetus.

[c] Editi, *perfectæ*. Rectiùs mss. *profectæ*.

quisset, quia meritum naturæ necessitas non A haberet, libertatem ipsam quotidie propositus è contrario pœnæ terror argueret. Atque ita & per rationem æqui atque justi ad meritum præmii permissa libertas est, & per bonitatem Dei vis libertatis metu [a] constitutionis artata est: ut bene velle meriti spes moneret, malum nolle propositæ ultionis pœna suaderet.

Ira Dei, pœna peccati.

17. Itaque his, quibus ex voluntatis libertate malitia magis placuit, ULTIO CONSTI- B TUTA ira esse Dei creditur: non quia indemutabilis illa Dei & quieta natura motu impetûs turbidi incalescat, sed quòd ille, [b] qui per constitutionem pœnæ maneat in pœna, sentiat sibi auctorem hujus constitutionis iratum. Pœna enim patientis, ira esse creditur decernentis. Atque ita irascitur Deus, cùm per pœnæ dolorem iram decreti in se sentiant esse *puniti: quæ non per demutationem naturæ in iram ex placabilitate commota est, sed ex C constitutione pœnæ ira fit puniendis. Hanc autem pœnæ constitutionem, iram nuncupari atque esse, Johannes in Evangelio ostendit, dicens, Natio viperarum, quis monstravit vobis fugere à futura ira? Cùm enim debitum illis esset, ob impietatem suam, pœnæ constitutione puniri, iram tamen hanc futuram pænitentiæ confessione fugiebant. Apostolus quoque iræ hujus ita meminit, dicens: Quia si cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro D nobis mortuus est; multo magis justificati nunc per sanguinem ejus, liberabimur ab ira per illum: iram videlicet pœnam manentis constitutionis ostendens.

** hoc est, qui puniuntur.* — *Matth. 3.7.* — *Rom. 5. 10.*

Ira Dei non ex motu repentino.

18. Non itaque ad demutationem Deus mobilis est, neque ad aliud ex alio transferendus: cùm certæ ipse constantisque naturæ sit, maneatque ut est, quippe qui dixerit, Ego sum qui sum, & non demutor. Beata illa & perfecta æternaque virtutis bonitas non pati- E tur conversionem: nec demutatur ex alio in aliud motu accidentis instinctûs. Et hoc idem hic sancto Spiritu loquens Propheta testatur, dicens, Deus judex justus, fortis & magnanimus, numquid irascetur per singulos dies? Nisi conversi fueritis, gladium suum [c] vibravit, & arcum suum tetendit, & paravit illum: & in eo paravit vasa mortis: sagittas suas arsuris operatus est. Non ergo ad iram magnanimus demutatur; sed potens judex pœnam decre- F vit ad culpam. Nam non convertentibus gladium vibravit, & arcum tetendit, & in eo paravit vasa mortis, & sagittas suas arsuris operatus est. Operatus autem est non ad motum repentinæ iræ, quæ per cupiditatem ulciscendi subitò accensa sit; sed operatus arsuris est, qui per impænitentem voluntatem ipsi se constituent urendos. Et his qui non converterentur, gladius vibratus est, non ex demutatione iræ promendus ad singulos; (neque enim qui magnanimus est, per dies singulos irascitur,) sed quia judicium decrevit, gladius ejus ex pœnæ constitutione jam promtus est. Ipsa autem pœnalis judicii spiritalia ministeria in gladio, arcu, sagittisque memorantur, quia præparata habentur arsuris. Non ex motu iræ temporariæ præparantur, sed ea ex decreti constitutione, temperatissimâ Deus bonitatis suæ æquabilitate moderatus est: non occultam scilicet constitutionis ipsius hujus severitatem & incognitam relinquendo, terroremque ejus denuntiationibus præmonendo, & ipsam illam, constitutam licèt, [d] longa tamen ad peccati pænitentiam dilatione remorando.

Malac. 3.6. — *Psal. 7. 12. &c.*

Ut loquatur in ira Deus.

19. Atque ideo postea quàm fremuerunt gentes, & adstiterunt reges, postea quàm inania meditantes populi in unum convenerunt adversùs Dominum Christumque ejus, & postea quàm irrisi subsannatique sunt; subjectum est, *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in indignatione sua conturbabit eos.* Qualiter autem loqui semper in ira sua Dominus solitus sit, unum propheticæ doctrinæ gravissimum & maximum afferemus exemplum, Esaia dicente, Audite verbum Domini principes Sodomorum, attendite verbum Domini populus Gomorrhæ. Quò mihi multitudinem hostiarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem agnorum, & sanguinem taurorum & hircorum nolo; nec si veniatis apparere in conspectu meo, (quis enim exquisivit hæc de manibus vestris?) calcare aulam meam non apponetis. Si afferatis similaginem, vanum est: thymiama abominatio est mihi. Neomenias & sabbata vestra & diem magnum non sustineo. Jejunia & ferias & neomenias vestras & festivitates odit anima mea. Facti enim mihi estis in abundantiam, jam non sustineo peccata vestra. [e] Cùm extenditis manus, avertam oculos meos à vobis: & si multiplicetis precem, non exaudiam vos: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Et hæc quidem atrocia & plena iræ, principes Sodomorum generosam Abrahæ familiam nuncupari, populum Gomorrhæ electum in hereditatem Israël dici, improbabiles esse hostias, abominabiles sollemnitates, [f] pertæsa jejunia. Avertendi ab conspectu adeuntium oculi, obstruendæ ab auditu precantium aures, quia manus sanguine plenæ sunt: quid hac comminatione gravius est? quid his minis severius? Sed videamus qualiter in ira sua Deus loquatur.

Esa. 1. 10. &c.

Ut dura Dei verba benignitate nunc plena

20. Sequitur enim, (postea quàm dictum est, Manus vestræ sanguine plenæ sunt,) La-

[a] Legendum putabamus, *constitutæ ultionis*: at post *constitutionis*, tantùm subaudienda vox *pœnæ*. Aliter mſ. Mic. *jus libertatis metu constitutionis artatum est: ut bene velle merentis spes.*

[b] Apud Par. desideratur *qui*. Mox apud Bad. & Er. *maneat in pœnam*. Totum hoc à Lipsio sic depravatum: *quem per constitutionem pœna maneat, pœna sentiat,* &c. Juxta Hilarium Augustinus epist. 190. n. 10. iram Dei definit, *justam fixamque vindictam*, & Commentarius Ruffino adscriptus, *vim qua justissimè judicat.*

[c] Sic legendum constat ex subjectis, non *vibrabit*, ut in vulgatis.

[d] In uno mſ. *longanimitatem ad*, &c. corruptè. Porro ex hac pœnæ dilatione Deus in puniendo & misericors & justus ostenditur in Psal. 144. n. 9. ut pote *tenens justitiam in pœna, post misericordiam non proficiente patientiâ; habens misericordiam in pœna, post patientiam exserendo justitiam.*

[e] Ita mſſ. At Bad. Er. & Lipſ. *& si extendatis.* Græc. ὅταν ἐκτείνητε.

[f] In uno mſ. *spreta jejunia.*

Ibid. 16. &c. vamini, mundi estote, auferte nequitias ab animis vestris, à conspectu oculorum meorum. Discite bonum facere, exquirite judicium, liberate injuriam accipientem, judicate orphano, & justificate viduam: & venite, arguamur, dicit Dominus. Et si fuerint delicta vestra ut phoenicium, ut nivem dealbabo: si autem fuerint ut coccum, ut lanam candidam efficiam. Et si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis: quod si nolueritis, neque audiveritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum est. Sequitur terrorem benignitas: & quibus jam ultio criminis debita est, his adhuc superest pænitentis conscientiæ beata confessio. Non enim statim Deus in ira sua perimit, sed loquitur: & dissimulatâ adhuc pœnâ tantùm in indignatione perturbat. Qui enim ut coccum & phoenicium erant, redundanti in manus sanguine decolores, in nivem albescent, eruntque veste beati velleris candidati. Et hæc quidem ex auctoritate Testamenti veteris præsumta sint: videamus an etiam in novo Dei ira talis esse intelligatur, ut salvet.

21. Namque Johannes eos, quos esse nationem viperarum ob malitiam paternæ in se impietatis exprobrat, ita ad salutem monet: Facite dignum fructum pænitentiæ. (Matth. 3. 9.) Et rursum ipse Dominus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. (Matth. 11. 28.) Frementibus autem adversùs se, & non tantùm in passione, sed etiam post passionem, non dico in unum convenientibus, sed persecutionem Ecclesiæ, Apostolorum fugam, cædem Martyrum spirantibus, Deus sic loquitur iratus: Saule, Saule, quid me persequeris? (Act. 9. 4. &c.) Ait autem, Qui es Domine? Dominus verò, Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. At ille tremens & pavens in eo quod sibi acciderat, dixit, Domine, quid me vis facere? Sic loquitur iratus, sic in indignatione conturbat: cum quibus ob meritum impietatis pœna decreta est, ipsis per admonitionem desinendi, metus & terror affertur.

(Quò salubriter conturbet.) 22. Sed ne ipsam quidem principalem & maximam loquendi in ira & in indignatione conturbandi prædicationem prætermisit Propheta. Namque post id quod ait, *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos*: ut ostenderet qui ille iræ sermo esset, & quæ ex eo conturbatio gigneretur; adjecit, (℣. 6.) *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, annuntians præceptum ejus.* (℣. 7.) * *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* (℣. 8.) * *Posce à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* (℣. 9.) * *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.* Iratus loquens atque in indignatione perturbans, & irascen-

A di modum temperat & loquendi. Nam neque iram dissimulat potestate prælata, neque à bonitate sua excedit terrore præmisso; [a] ut ab impietate nos metus ejus, cujus potestatem demonstrat, revocaret. Conturbantur ergo frementes & vana meditantes, cùm regem sciunt, cùm filium Dei audiunt, cùm possessorem eum finium terræ, & heredem esse gentium discunt, cùm regendi jus in virga ferrea ejus esse cognoscunt, cùm modo ac facilitate B vasis figuli comminuendos populos intelligunt. Sic loquitur iratus, sic conturbat indignans; non puniens admissam impietatem, sed impænitentem ad pænitentiæ confessionem commemoratæ potestatis terrore perturbans.

(Superiora de Christo dicta esse.) 23. Quamquam verò per spiritum prophetiæ, pro gerendis gesta memorantis, (quia solitus sit per non ambiguam providentiam gerendorum Deus futura pro præteritis significare) absolutè intelligi possit, omnia hæc ex C persona unigeniti filii Dei Domini nostri Jesu Christi dicta esse; & infidelitas maxima sit, trepidum ad hæc sensum ambiguæ opinionis afferre: tamen etiam evangelicis atque apostolicis doctrinis ostendendum est, nihil eorum Prophetam, quæ gerenda prædicandaque essent, non antea prophetasse; maximè cùm non exiguus ignorantibus atque simplicibus error oriatur in eo quod dictum est, *Ego* [b] *hodie genui te.* (An genito ante tempora conveniat, in die esse genitum.) Cùm enim ante tempora unige- D nitus Dei filius maneat; nec conveniens, nec consonans esse intelligitur, ut in die genitus sit, cùm dies omnis in tempore sit. (Tempus.) Tempora enim, secundùm præscriptam nobis à Moyse cognitionem, in hunc suum motum atque cursum ab origine sæculi & constitutione dimensa sunt, cùm per momenta & horas & menses & annum revolubili in se successione discreta sunt: institutumque est tempus ex tempore, quia omnia tempora mutua temporum E substitutio & gignit & terminat. Atque ob id dies in tempore est: per quem tempus universum & inchoatum desinit, & desinens inchoatur. Unigenitus verò Dei filius, ut Deus Verbum est, ita & Deus erat Verbum; non cum temporibus est, sed ante tempora; non in aliquo, sed ante omnia est. Erat enim cùm tempora facta sunt, quippe qui ea fecerit. Erat ergo semper. Non enim est diffinitus in tempore, non subjectus in numerum; sed per F quem est eorum omnium, quæ & sunt & esse dici possunt, origo: ipse ille ex infinitæ æternitatis suæ ortu, ut ab æterno genitus, esse persistit. Ut igitur dicti prophetici, quo ait: *Ego hodie genui te*, ratio possit intelligi, adhibenda nobis est evangelica & apostolica atque prophetica auctoritas: ut vel Prophetam de Apostolo, vel Apostolum de Propheta intelligamus. Tenendus autem idem evangelico-

[a] Editi, *ut ad pietatem.* Tum Bad. Er. & Lips. *nos metus ejus cujus potestas esset demonstrata.* Concinniùs mss. *ut ab impietate*, &c. cùm etiam ex Hilario suprà in Ps. 1. n. 6. timori non tam conveniat animum ad pietatem ferre, quàm referre ab impietate.

[b] Hæc verba de temporaria Christi nativitate cum Hilario interpretantur vulgatus Hieronymus, Euthymius, Theodoretus, qui & neminem se aliter sentientem vidisse satis innuit, ubi ait, *Hanc vocem nemo qui Spiritus-sancti doctrina credat, divinitati Domini Christi applicabit.* Ruffini tamen Commentarius ex Augustino, HODIE, inquit, *quia præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum nec futurum est, sed præsens, divinitus accipitur.* Cui interpretationi fa[illegible] Paulus Hebr. 1. Suam autem sumit Hilarius noster ex Acti[illegible]

rum dictorum ordo, qui psalmi est.

Christum regem esse.

24. Nam id primum est, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Et nescio cui Christum regem esse ambigere sit tutum, latrone hoc [a] ipso in crucis passione confitente, Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum. Sed non sufficit confessio latronis, regem esse profitentis. Testantur etiam adoraturi Magi, cùm interrogant, Ubi est qui natus est rex Judæorum? Testatur & Pilatus interrogans, Tu es rex Judæorum? Profitetur & Dominus respondens, Tu dixisti. Non negat interrogatus, nec gloriatur humiliandus ad mortem. Cùm non sit nisi ex responsione confessio; ita neque se protulit professionis auctorem, neque [b] interroganti cognitionis veritatem invidit.

Luc. 23 42. *Matth.* 2. 2. *Matth.* 27. 11. *Ibidem.*

Filium Dei esse.

25. Sed non sufficit respondisse quòd rex sit: audiamus etiam illud, & qui sit iste qui rex est. Princeps namque sacerdotum etiam cum sacramento interrogat, dicens, Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei. Et dicit illis Jesus, Tu dixisti. Interrogatio nunc quoque non improbatur, sed & jactantia & gloriatio spontaneæ professionis effugitur; quæsita tamen veritas non negatur. Ac sic verecundia humilitatis & veritatis confessio temperantur, ut sit & in responsione officium, & in interrogatione cognitio. Sed exspectandum est, qui tandem sit responsionis hujus profectus, quòd Christus filius Dei est, nempe quod sequitur ad id quod dictum est, Tu dixisti: Verùm dico vobis, à modò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Qui filius hominis est, idem & filius Dei est: natura generositatis in filii hominis assumtione non deperit. Nam non idcirco non Dei filius, quia & hominis est filius. [c] Non enim

Matth. 26. 63. *Ibid.* 64.

Deum & hominem.

A cum divinitatis decessione fit humilitatis accessio: nec per consortium infirmitatis contumeliam virtus excepit; quippe cùm infirmitas honore sit donata virtutis. Nam hominis filius à dextris Dei assidet, veniens cum cæli nubibus contuendus. Quo dicto prophetia consummatur illa quæ dixit, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Psal. 109. 1.

Regem cæli esse.

B 26. Hic ergo rex super Sion montem sanctum Dei constitutus est præceptum Domini annuntians: non super illum utique * perditæ civitatis montem, comploratæ scilicet & homicidæ & parricidæ Jerusalem: sed Jerusalem ejus quæ in cælis est, quæ mater est nostra, quæ civitas regis magni est, cujus, [d] ut existimo, hodieque incolæ sunt in passione Domini resurgentes. Dei itaque præceptum hic rex constitutus annuntiat: ut venturum eum C cum cæli nubibus meminissent, adversùs quem fremerent & convenirent, ut per cognitionem divini adventus conturbati super contumelia illusæ humilitatis corporeæ pœniterent.

* al. terrenæ.

Matth. 27. 52.

Quid annuntiet.

Temporaria Christi per carnis gloriam nativitas.

27. Tenet autem ordinem prophetiæ evangelica doctrina. Nam in eo ipso dicti utriusque ratio continetur, hujus scilicet dicti, *Ego constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, annuntians præceptum ejus. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui* D *te.* Cùm enim ait, A modò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei; tempus quo filius hominis, qui & Christus & Dei [e] filius est, consessu Dei dignandus esset ostendit: ut [f] quia antea Dei filius, tum quoque & hominis filius esset; [g] & id quod tum filius hominis est, ad perfectum Dei filium, id est, ad resumendam indulgendamque corpori æternitatis suæ gloriam, per resurrectio-

℣. 6.

Matth. 26. 64.

[a] Aut lege *ipsum*, aut cetera sic intellige; *latrone ipso in crucis passione hoc confitente.*

[b] Bad. Er. Lips. *interrogatæ.* Tum unus ms. *cognitionem veritatis.*

[c] In antiquioribus edit. *non enim divinitatis fit decessio cum humilitatis accessione.* Vides hìc *virtutis* vocabulum ad divinitatem referri.

[d] Hæc spectant resurrectionem corporum quæ proximè post Christi passionem Jerosolymis visa sunt: qua de re non una est veterum sententia. Athanasius Orat. 3. cont. Arianos p. 386. consentit Christum *non solùm resurrexisse, sed & veteres mortuos è monumentis excitasse:* an verò resurrectione æterna, an temporaria, tacet. Epiphanius autem etsi Hær. 64. n. 65. eos solos respiciens, qui vitæ redditi sunt rursum inter homines versaturi, fatetur Christum ideo primitias dormientium dici, quia qui ante eum surrexerint, denuo mortui sunt: tamen Hær. 75. n. 7. verba ipsius attendentibus prædicat eos qui in Christi passione à mortuis excitati fuerint, in thalamum cum eo ingressos, & nullas in terris habere corporis reliquias; sed terrenam Jerusalem primùm ingressos, postmodum cum Salvatore in cælum adscendente fuisse evectos: in quam opinionem hìc propendet Hilarius, eique favent cùm Ruffinus in expositione Symboli, tum qui apud Tertullianum, ipsis minimè assentientem, Patriarchas & Prophetas in paradisum migrasse volunt, velut *appendices Dominicæ resurrectionis.* Eidem sententiæ suffragari videtur Hieronymus epist. 3. dicens, *Post Christum latro in paradiso. Et idcirco in resurrectione ejus multa dormientium corpora surrexerunt, visaque sunt in cælesti Jerusalem.* Quamvis epistolâ 17. Paulæ & Eustochii nomine inscriptâ aliter sentiatur: *Nec statim,* ut ibi habetur, *Jerosolyma cælestis, sicut plerique ridiculè arbitrantur, in hoc loco intelligitur; cùm signum nullum esse potuerit apud homines Domini resurgentis, si corpora Sanctorum in cælesti Jerusalem visa sunt.* Hujus opinionis assertores notans Augustinus epist. 164. n. 9. *Scio*, inquit, *quibusdam videri, morte Domini Christi jam talem resurrectionem præstitam justis, qualis nobis in fine promittitur.* At ille ab eis discedens [illegible]dit: *Qui utique si non iterum repositis corporibus dormierunt, videndum est quemadmodum intelligatur Christus primogenitus à mortuis, si eum in illa resurrectione præcesserunt.* Præterea, *durum videtur ut David non fuerit in illa resurrectione justorum, si eis jam æterna donata est,* &c. cùm tamen nondum resurrexisse eum testetur Petrus Act. 2. 29. Demum, *Periclitabitur etiam illud quod ad Hebræos de antiquis justis dicitur, Quia pro nobis meliora providerunt, ne sine nobis perfecti perficerentur.* Auctor Quæstionum apud Justinum Resp. ad Quæst. 85. mediam quamdam tenet viam: ac 1°. quidem concedit eorum de quibus hìc sermo est, veram fuisse resurrectionem. Fatetur etiam eos mortem denuo non oppetiisse, sed in immortalitate manere. Negat verò eos conformes corpori claritatis Christi, aut in regno cælesti esse, sed Enoch & Eliæ similes mutabilitatem futuram exspectare. *Nulliusdum enim*, inquit, *ad immortalem & incorruptibilem vitam facta est resurrectio, præterquam Jesu Christi. Quocirca & primogenitus mortuorum, & primitiæ dormientium est renuntiatus.*

[e] Ita emendamus; cùm priùs legeretur, *filius & consessu:* in mss. enim frequens est mutatio verbi *est* in particulam *&*. Mox apud Bad. ut in ms. Mic. *dignus*, non *dignandus*.

[f] Et hìc reposuimus *quia*, pro *qui:* cùm littera *a* propter similem litteram sequentem facilè exciderit scribenti.

[g] Et isthic ut mens Hilarii redderetur, substituendum fuit *&* (quod hìc perinde valet ac *etiam*) pro *ut.* qua mutatione nihil esse in veteribus libris frequentius, norunt qui in iis evolvendis sunt exercitati. Sic loca in quibus Hilarius de Christi post resurrectionem gloria disserit, ut plurimùm sunt depravata: quod argumento est, ipsius sententiam singulari quadam ratione expressam numquam satis fuisse intellectam. Quæ causa nos permovit ut eam copiosè in Præfat. §. 5. explicaremus. Hìc autem lectorem admonere sufficiat, quid sit Christum *ad perfectum Dei Filium gigni*, id scil. quod lib. 11. de Trin. n. 41. *totum Deum fieri:* non quòd Christus per gloriam homo aut filius hominis esse desinat, sed quòd desinat esse infirmus, mortalis, &c. in Verbi ac Dei immortalitatem, incorruptionem, potentiamque transiens. Videsis Tract. Psal. 143. n. 7. vel etiam memoratum Præfationis locum.

nis potentiam gigneretur : quam gloriam à Patre corporeus reposcebat. Qui enim in forma Dei erat, formam servi acceperat. Et acceptæ huic formæ servi, gloriam Dei in qua

Johan. 17. 5.

mansit postulat, dicens, Pater glorifica me apud te ipsum ea claritate, quam habui priùs quàm mundus esset apud te. Non nova quærit, non aliena desiderat, esse talis qualis fuerat postulat : sed precatur id se quod antea erat esse, gigni scilicet ad id quod suum fuit. Non erat autem idipsum tunc totus [a], quod ut fieret precabatur : fieri autem totus non aliud quàm quod fuerat postulabat. Sed cùm fit [b] quod fuit, & quod non erat est futurus : ad id quod fuerat, id quod totum non erat, [c] quodam novi ortus nascebatur exordio. Ergo hic resurrectionis suæ ad assumendam gloriam dies est, per quam ad id nascitur, quod ante tempora erat. Sed nascens ad id quod ante tempora fuit, id tamen in tempore nascitur esse quod non erat. Atque ideo filius hominis à modò assidens virtutis dextris est videndus, quia natura carnis post resurrectionem glorificata, ad profectum ejus, quam antea habuerat, claritatis provehebatur : cùm hominis filius confessurus Patri, & in immortalitatem corruptione carnis absorptâ, & in viventem tunc & non moriturum ampliùs Dei filium nasceretur.

Qui æterna nativitate primogenitus omnis creaturæ, temporariâ fit primogenitus ex mortuis.

28. Tenuit autem beatus Apostolus novam hanc in eo temporariæ hujus nativitatis discretam, ab ea quæ ante tempora est [d] generatione, & subdivisam significationem. Nam cùm de beata illa & nullis circumscripta temporibus nativitate dixisset, Primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso creata sunt omnia in cælis & in terra, visibilia & invisibilia : primogenitum quoque etiam ex mortuis in resurrectione commemorat, dicens postea, Primogenitus ex mortuis, ut fieret ipse in omnibus primatum habens. Nascitur enim ad id quod non erat, cùm tamen id fieret quod fuisset. Est enim primogenitus ex mortuis, qui erat primogenitus creaturæ : idcirco primogenitus ex mortuis, ut maneret primogenitus creaturæ. Idem enim est primogenitus ex mortuis, qui erat primogenitus creaturæ.

Coloss. 1. 15. & 16.

Ibid. 18.

Quî in aliud simul & in idipsum renascatur.

29. [e] Non nunc aliud est atque antea fuit, quamvis etiam aliud ipse fuerit ex alio : sed id quod ex alio etiam aliud fuit, in idipsum tamen unde antea exstitit, aliud est renatum. Nam qui natus ex virgine homo est, erat & tum [f] filius Dei : sed qui filius hominis est, idem erat & Dei filius. Natus [g] autem rursum ex baptismo, & tum Dei filius : ut & in idipsum, & in aliud nasceretur. Scriptum est autem cùm adscendisset ex aqua, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sed secundùm generationem hominis renascentis, tum quoque ipse Deo renascebatur in filium [h] perfectum, ut hominis filio, ita & Dei filio in baptismate comparato.

Ad resurrectionem pertinent hæc, *hodie genui te.*

30. Sed id quod nunc in psalmo est, *Filius meus es tu, ego hodie genui te :* non ad virginis partum, neque ad lavacri generationem, sed ad primogenitum ex mortuis pertinere apostolica auctoritas est. Namque in libro Actuum Apostolorum ita dictum est : Nosque vobis evangelizamus eam quæ ad patres facta est repromissio. Hanc Deus explevit filiis nostris, suscitans Dominum nostrum Jesum, sicut & in psalmo primo scriptum est, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, cùm suscitavit eum à mortuis, ampliùs non regressurum in interitum. Vox ergo hæc Dei patris secundùm Apostolum in die resurrectionis exstitit : & videamus an idipsum & Evangelistæ doceant. Namque Dominus resurgens tali ad Apostolos usus est voce : Data est mihi potestas omnis in cælo & in terra. Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Resurgens enim, in cælo & in terra jus omne sortitus est. In eo autem quod ait, data est, poposcisse id quod accepit ostendit.

Act. 13. 32. &c.

Matth. 28. 18.

Gentes, hereditas Christi. ℣. 8.

31. Sequitur enim : *Posce à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Accepit ergo hereditatem gen-

[a] Quia secundùm carnem infirmus erat, humilis, & expers gloriæ : atque ita verbum *totus* hîc ad naturas refertur, ut *sit totus Filius Dei Verbum & homo, atque ut expressiùs dicam, Verbum, anima & caro.* Verba ea sunt Augustini Serm. 214. n. 7. Quamquam Ferrandus epist. ad Sever. n. 8. verbum *totus* ad personam, & *totum* refert ad naturas. Unde ait, *Totus Christus apud inferos fuit secundùm animam rationalem, sed non totum*, &c. At ab Hilario *totus* ac *totum* ad idipsum promiscuè referri suadent quæ præ manibus sunt. Rursum *totus* naturas respicit lib. 9. de Trin. n. 38. ubi ait, *totus nunc Filius, homo scilicet & Deus :* spectat verò personam lib. 10. n. 28. ubi Filium Dei ac filium hominis ideo unum & eumdem esse docet, *quia totus hominis filius totus Dei filius sit.*

[b] Puta, gloriosus secundùm carnem, *quod fuit* ante sæcula quà Verbum est. Propter unitatem personæ Christus prædicatur gloriam semper habuisse, & gloriâ tempore dispensationis caruisse, eam verò recipiendo & id fuisse quod non erat, & id quod erat.

[c] Editi, *quodam novo ortu nascebatur. Exordio ergo :* castigantur ex scriptis.

[d] In vulgatis, *generationem :* redundat littera *m.* Totum illud sic clariùs construere est : Tenuit autem in eo B. Apostolus novam hanc significationem temporariæ hujus nativitatis discretam & subdivisam ab ea generatione quæ ante tempora est.

[e] *Non nunc aliud est, quàm antea fuit ;* quia idem Verbum in ea gloria, quam semper habuit nec umquam dimisit, perseverat. *Aliud* tamen *ex alio*, nempe ex forma servi quæ priùs abjecta & in ignominia, nunc demum exaltata est & in gloria ; in gloria autem, quam Verbum antea semper habuit, & dispensationis tempore sub carnis involucris quodam modo occultavit ; adeoque *in idipsum est renatum*, hoc est, in eamdem gloriam, in quâ jam persona Verbi exsistebat.

[f] Scilicet ante quàm nasceretur ; qui subinde nova nativitate filio hominis dedit, ut ob unitatem personæ esset Filius Dei.

[g] Hoc est, natus autem rursum est ex baptismo etiam qui tum Dei Filius exsistebat : *ut & in idipsum nasceretur* ; quia naturâ erat filius : *& in aliud* ; quia in baptismo id declaratus est esse, quod nondum erat declaratus. Post hæc oritur quæstio non facilè solvenda, num in aliquo Matthæi exemplari legerit Hilarius Christo post baptismum dictum esse, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Non enim hîc tantùm, sed & lib. 8. de Trinit. n. 25. immo in ipsomet Matthæi Commentario c. 2. n. 6. idipsum legit : cùm tamen lib. 6. de Trin. n. 23. & in Psal. 138. n. 6. nostris jam exemplaribus consentiens legat, *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui.* Neque verò prior lectio memoriæ lapsui attribui potest : cùm eamdem exhibeat Justinus martyr dial. cum Tryph. p. 331. *Postquam namque*, inquit, *Christus ex amne Jordane adscendit, voce de eo edita, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, &c.

[h] Editi, *in filium, profecto.* Rectiùs mss. *in filium perfectum ;* eo loquendi modo, quo n. 27. filius hominis dictus est per gloriam *ad perfectum Dei Filium* gigni : ut quemadmodum ante sæcula exsistens per nativitatem ex Virgine de novo sibi comparavit ut esset filius hominis, ita factus homo per generationem baptismi sibi compararit ut esset seu potiùs declararetur Filius Dei. Si cui inde suspicio oboriatur, ne fortè senserit Hilarius Christum regeneratione eguisse, legat quod habet in Matth. c. 3. n. 5. & lib. 10. de Trin. n. 25.

tium quam popoſcit. Popoſcit enim cùm ait, A Pater, venit hora, honorifica filium tuum, ut filius tuus honorificet te. Sicut dediſti illi poteſtatem omnis carnis, ut omne quod dediſti illi, det illi vitam æternam. Et rurſum: Non pro his rogo tantùm, ſed & pro illis qui credituri ſunt per verbum eorum in me. Hæc ergo hereditas ejus, ut omni carni det vitam æternam, ut omnes gentes baptizatæ atque doctæ regenerentur in vitam: non jam ſecundùm illam divinam Moyſi cantionem angelorum dominatui [a] deditæ, neque ſecundùm eorumdem numerum diviſæ; ſed in dominicam familiam ſuſceptæ, & in domeſticos Dei deputatæ; & ex injuſto [b] atque peccatore & perverſo jure dominantium, in regnum æternum divinumque tranſlatæ. Neque enim adhuc tantùm portio Domini Iſraël, neque funiculus hereditatis ejus Jacob: ſed gentes omnes, ſecundùm numerum angelorum antè diviſæ, nunc jam unius atque unus omnis hæc gentium univerſitas Dei populus eſt: & æterna hæc omnium ex mortuis reſurgentium, primogeniti hujus ex mortuis æterni heredis hereditas eſt.

(Johan. 17. 1. & 2. — Ibid. 20. — Deut. 32. 8. — Ibid. 9.)

32. In eo autem quod ſubjectum eſt, *Et poſſeſſionem tuam terminos terræ*; non eſt exiſtimandum quòd idipſum repetitus ſermo ſignificet, tamquam illi ſola gentium terras inhabitantium donata poſſeſſio ſit. Non enim ait, *Et poſſeſſionem tuam* uſque terminos terræ: ſed *terminos terræ*. Ab eo autem quod terminatur, D id quod terminat differt. Neque idipſum eſt, finitum eſſe, atque finire. Neque unum eſt, modum ſumere, atque moderari: quorum aliud interiùs modum accipit, aliud exteriùs quodam ambitu ſuo objectuque moderatur. Non enim ita in profundum demerſa eſt terra, aut in latitudinem extenſa, aut prolata in altum eſt, ut non undique ſecus aut circumfuſæ aut ſubjacentis ſibi naturæ contineatur objectu. Hanc enim infernæ vaſtitudinis demerſa [c] & immenſa abyſſus ſuſtentat: hanc circumfuſi & ſuperni aëris ſpiritus inumbrat atque ambit. Quòd autem ſubjectâ ſibi abyſſo ſuſpenſa ſit, Propheta teſtatur dicens, Ipſe ſuper maria fundavit eam, & ſuper flumina præparavit illam. Et rurſum, Qui firmavit terram ſuper aquas. Et hanc immenſam atque infinitam vaſtitatem abyſſum Scriptura ſolita eſt nuncupare, cùm [d] Jona intra cetum orante dicitur, Abyſſus multa circumfudit me. Atque hæc quidem infinita immenſitas, quæ ſecundùm verbi proprietatem in abyſſo ſignificari intelligitur, ſpiritali & divinæ ſubſtantiæ eſt circumſcripta virtute, ſecundùm illud Apoſtoli, Quoniam omnia in ipſo & per ipſum, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Eſſe autem hujus infernæ regionis vaſtæque abyſſi incolas plures, beati Johannis Apocalypſi docemur: cùm nullus, neque in B cælo, neque ſupra terram, neque infra terram obſignatum librum dignus eſt repertus aperire. Non utique de mortuis & in terram ſepultis ſignificare intelligitur: cùm ad tertii incolatus demonſtrationem, non qui intra terram, ſed qui infra terram; neque qui mortui ſunt, ſed qui vivunt, [e] ullum in ſe reſignandi libri habuerint auctorem. Cùm ergo poſſeſſio terræ finium Domino donatur, non tam terra donatur, quàm ea quibus terra finitur. C Terræ enim terminos, quibus terra ipſa determinatur, accepit.

(Non ſola terra illius ditioni data. — Terra finita eſt. — Subjecta ei abyſſus. — Pſal. 23. 2. — Pſ. 135. 6. — Jonæ 2. 6. — Rom. 11. 36. — In ea abyſſo plures incolæ. — Apoc. 5. 3. & 4.)

33. Cujus rei ſacramentum omne beatus apoſtolus Paulus, (quippe cujus ore Chriſtus de ſe eſt locutus,) expoſuit dicens, Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam exiſtimavit ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſe exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudine hominis conſtitutus, & habitu repertus ut homo: humiliavit ſe factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria Dei patris. In forma itaque Dei manens, formam ſervi accepit, ſcilicet ex Deo homo natus. Et poſt mortem crucis in nomen quod eſt ſuper omne nomen exaltatur: in Deum namque, quia E nullum ultra Deum nomen eſt, provehitur; eique hoc petenti, id eſt, ut eſſet quod fuerat antè, donatur. Formam enim ſervi in forma Dei manens ſumſerat. Accepit deinde poſſeſſionem finium terræ, id eſt, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in gloria Dei patris. Non terrena ſola, ſed ſuperna etiam infernaque donantur, & ea quibus terra con-

(Quid Chriſto donatum, ex Apoſtolo exponitur. — 2. Cor. 13. 3. — Philip. 2. 6. &c.)

[a] Lipſ. & Par. *dedicatæ*; corruptè. Hæc de gentium diviſione ſecundùm numerum Angelorum opinio nititur his apud LXX. verbis: ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ. Nec fuit Hilario ſingularis. Sic quippe legit Origenes Homil. 11. in Num. *Statuit fines gentium ſecundùm numerum angelorum Dei: & unaquæque gens ſub illo angelo facta eſt, una autem & electa gens Iſrael portio Domini fuit.* Hinc Euſebius l. 4. Dem. evan. c. 7. docet gentes angelorum præfecturæ ac tutelæ fuiſſe commiſſas; Jacob autem, ſeu eorum genus qui Deum colerent, Chriſto Dei Verbo. Eò reſpicit Auguſtinus Ser. 1. in Pſal. 88. n. 3. dicens, *Non clauſit Deus fontem bonitatis ſuæ etiam in alienigenas gentes, quas ſub angelis conſtituerat portionem ſibi faciens populum Iſrael.* Huc ſpectat illud Hieronymi in Mich. 6. 2. *In judicio vel ad angelos crimen referetur, ſi non egerint cuncta quæ ad ſuum officium pertinebant; vel ad populum, ſi illis univerſa facientibus, ipſi audire contemſerint.* Unde & Chryſoſtomus in Coloſſ. Hom. 3. *Primùm ſecundùm numerum gentium erant angeli, nunc autem non ſecundùm numerum gentium, ſed ſecundùm numerum fidelium.* Et hæc quidem huc conferenda duximus, quia ad eumdem Deuteronomii locum ſæpe alludit Hilarius.

[b] Apud Par. *ex injuſto peccatore*, &c. In editionibus aliis, *ex injuſto & perverſo jure.* Hujus loci intelligentiæ lucem præſtant mox allati Patres, ac præterea Ruffinus in expoſit. Symboli. *Ab initio*, inquit, *Deus cùm feciſſet mundum, præfecit ei & præpoſuit quaſdam virtutum cæleſtium poteſtates, quibus regeretur & diſpenſaretur mortalium genus. Quod ita factum indicat Moyſes in Deuteronomii loco* mox memorato de angelorum numero, *Sed & horum nonnulli . . . datam ſibi à Deo poteſtatem non his quibus acceperunt legibus temperaverunt, nec humanum genus divinis obedire præceptis, ſed ſuis parere prævaricationibus docuerunt: & hinc adversùs nos chirographa ſcripta ſunt . . . Per iſtud ergo unuſquiſque chirographum illis rectoribus peſſimis tenebatur, quod Chriſtus detraxit adveniens; & hac eas poteſtate denudavit*, &c. V. Tract. Pſal. 61. n. 2.

[c] Mſ. Mic. *& immerſa.*

[d] Edit. Par. *Jonæ intra cetum oranti.* Antiquam lectionem revocamus, quæ eſt & mſſ.

[e] Bad. & Er. cum duobus mſſ. Vat. *illum.* Lipſ. & Par. *nullum.* Reſtituimus *ullum* ex alio Vaticano codice melioris notæ.

cluditur. Et in gloria Dei patris hodie genitus nascitur, id est, [a] in manentem antea Dei formam per præmium mortis formæ servilis assumtio honestatur. Fitque sub tempore nova, nec tamen inusitata nativitas: cùm ad resumendam gloriam Dei patris, qui ex forma Dei forma servi erat repertus, primogenitus ex mortuis nasceretur. A

℣. 9.

An virgâ ferreâ regere non adversetur Dei bonitati.

34. Sequitur deinde: *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.* Multis autem malè opinantibus, aut virtutem & proprietatem dictorum divinorum ignorantibus, adversa hæc esse bonitati Dei videntur: ut gentes quas filius Dei in possessionem poposcit, & in hereditatem accepit, terrore virgæ ferreæ regat, & modo vasis figuli confringat. Neque enim boni cujusquam est, dare & accipere perdenda. Et qui magis vult peccatorum pænitentiam quàm mortem, non existimatur secundùm * professionem naturæ suæ esse facturus, si virgâ ferreâ confringat, quos dari sibi in hereditatem poposcit. B C

Ezech. 18. 32.

** al. promissionem.*

Reges hîc loci nil dicit durum.

35. Et primùm ne quis temerariæ huic & impiæ præsumtioni locus pateat; proprietates ipsæ verborum in romanam linguam translatorum cognoscendæ sunt. Namque id quod nobiscum est, *Reges eos in virga ferrea*, quamquam ipsum *reges* non tyrannicum neque injustum sit, sed ex æquitatis ac moderationis arbitrio regimen rationale demonstret: tamen [b] molliorem adhuc regentis affectum proprietas græca significat. Quod enim nobiscum est, *reges eos*, cum illis est ποιμανεῖς αὐτοὺς, id est, pastoraliter reges: regendi scilicet eos curam affectu pastoris habiturus. Ipse est enim pastor bonus, cujus nos oves sumus, pro quibus animam suam posuit. Ne autem jus tyrannicum significari arbitremur in virga; quæ in virgæ nuncupatione proprietas sit, ex novo & veteri Testamento noscendum est. D

Joan. 10. 11.

Virga in novo Testamento Dei doctrina.

1. Cor. 4. 21.

36. Beatus Paulus ad Corinthios scribens, quos tum ex multis peccatis ad pænitentiam moderata atque utili adhortatione revocabat, ait, Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate & spiritu mansuetudinis? Numquid Paulo jus prætorium erat, ut in virga comminaretur, & cum officio lictoris ad ecclesiam Christi adesset? Non utique ita opinandum est. Sed quia omnis Dei sermo, quo ex errore in veritatem [c] Dei retrahimur, quo per comminationem terroremque judicii ad innocentis & sanctæ vitæ viam regimur, virga est nuncupatus, per quam intra disciplinam divini metus cohibiti, moderati [d] ac providentis rectoris monitu coercemur: beatus E F

Apostolus conditionem eligendi adventus sui his quos monebat adjecit, utrùm mallent eum in severitate doctrinæ atque objurgationis adesse, an in spiritu lenitatis. Quod utrumque secundùm modestiæ tenorem erat necessarium, ut obedientibus lenior, insolentibus verò severior adveniret. Et hoc quidem ex novi Testamenti auctoritate præsumtum est.

Ita & in veteri.

37. Hanc autem verbi doctrinam virgam nuncupari ex veteri ita cognitum est; cùm dicitur, Virga directionis, virga regni tui. [e] Quia hæc eadem est virgæ directio, qua per doctrinam in æquam viam utilemque dirigimur: & quæ virga regni est, necesse est ipsa illa doctrina sit regni. Ipsum autem Dominum nostrum ob doctrinæ suæ utilem ac moderatam prædicationem virgam nuncupatum ita accepimus dicente Esaia: Exiet, inquit, virga de radice Jesse. Ac ne tyrannicam in eo severitatem per virgæ nuncupationem auderet quisquam opinari; continuò propheticus sermo subjecit, Et flos de radice ejus adscendet, & requiescet super eum spiritus Domini: ut virgæ severitatem floris suavitas temperaret, cùm unicuique nostrûm doctrinæ terror regimen perfectæ beatitudinis admoveret. In hac ergo virga reget datas sibi gentes: non corruptibili, non caduca, [f] non fragili, sed ferrea, id est, validissima, & pro naturæ suæ soliditate firmissima.

Psal. 44. 7.

Christus virga simul & flos.

Esa. 11. 1.

Ibidem.

Confringit sibi datos, ut reformet.

38. Hac ergo virga ferrea ut reget, ita confringet & conteret. Nam magis hoc secundùm Septuaginta translatores græcitatis proprietas enuntiat. Ita enim scriptum est, Ὡς σκεύη κεραμέως συντρίψεις αὐτούς. Sed sive conterat, sive confringat, non idcirco existimandus est hereditatem poscere, ut eam ad perdendum atque abolendum confringat & conterat: quippe cui cor contribulatum sacrificium sit optimum. Contritio ergo illa sive confractio est, quæ in nobis corporeas voluptates & sæcularium vitiorum incentiva comminuit, dignosque nos dignatione Domini præstabit, secundùm dictum Prophetæ, Cor contribulatum & humiliatum Deus non spernet. Comparata autem vasis figuli confractio, quantam absolutionem intelligentiæ hujus impertitur? Non enim sine causa quos in hereditatem poposcit, virgâ ferreâ regens tamquam vas figuli confringet: nisi quòd comparationis exemplo fragmenti istiusmodi damnum proficere in restaurationem ejusdem vasis ostendit.

Ps. 50. 19.

39. Qualis autem à Deo secundùm vas figuli nostra confractio sit, idem docuit per

[a] Apud Par. deerat particula *in*. Tum ut in aliis edit. legebatur, *manente ante Dei forma*. Clariùs Hilarii mentem exprimit mſ. Mic. quem sequimur. Mox Bad. Er. & duo mss. *adhonestatur*, non *honestatur*. Hunc Hilarii locum censoriâ virgulâ notans Erasmus, *Subolet*, inquit, *Origeniacum quiddam*. At cùm hic Commentarius in ipsius editione postremum locum teneat, atque in aliis libris eamdem sententiam sanctus Doctor exponat; cur censuram tam diu distulit Erasmus? Quod sanè argumento est, eum ex præjudicatæ mentis affectu, non ex rerum consideratione sua judicia promsisse. Hîc porro exponitur Christi glorificatio, quæ nova nativitas prædicatur relatè ad hominem, relatè autem ad Verbum nec nova, nec inusitata.

[b] In uno codice Vaticano, *meliorem*.

[c] Abest *Dei* à duobus mss.

[d] Par. post Lipsium, *ac prudentis*. Rectiùs in aliis libris, *ac providentis*, id est, prospicientis atque consulentis.

[e] Lipsio magis placuerat, *quia hæc quidem est*: nec nobis displiceret, si faverent scripti. Tum idem reposuerat, *virga directionis*, quod & Par. arripuit, renitentibus veteribus libris. Mox in his verbis, *& quæ virga*, particula *&*, ut sæpe aliàs, accipitur pro *etiam*.

[f] Unus è mss. Vatic. *non facili*. Ad Hilarii mentem vulgatus Ruffinus: *Virga ferrea accipitur inflexibilis justitia: quæ ideo virga, quia recta; ideo ferrea, quia dura: recta bonis, dura malis; blanda justis, aspera perversis.*

Jer. 18. 1. *&c.* Jeremiam prophetam, dicens, Surge, & » descende in domum figuli; & ibi audies verba » mea. Et descendi in domum figuli: & ecce » ipse faciebat opus super lapides. Et cecidit » vas quod faciebat in manibus ejus: & iterum » ipse fecit vas aliud secundùm quod placuit in » conspectu ejus ut faceret. Et factum est ver» bum Domini ad me dicens, Si secundùm fi» gulum hunc non possum facere vos domus » Israël? Ecce sicut lutum figuli vos estis in » manibus meis. In summa loquar super gen» tem aut super regnum, ut feriam eos & per» dam: & si conversa fuerit gens illa à malis » suis, pænitebo de malis quæ [a] cogitabam fa» cere illis. Et in summa, loquar super gen» tem & regnum, [b] ut reædificem & plantem. » Et facient mala ante me, ut ne audiant vo» cem meam; & pænitebo de bonis quæ locu» tus sum facere illis. Sic petitas atque obten-

Quid in eis confringat.

tas hereditatis suæ gentes Deus confringet & conteret, ut reformet. Confringit enim Deus in omnibus omnes inexplebiles cupiditates, & illecebrosas lascivias, & ferventes iras, & inanes superstitiones, & tumentes fastus, & impias opiniones.

Quî reformet.

Reformat autem nos ad rationabilem vitæ usum contemtu pecuniæ, luxûs pudore, iræ moderatione, veri scientiâ, communione vivendi, religionis officiis: cùm per doctrinæ regimen terroremque judicii in has virtutes post vitia illa reviviscimus. Non enim ait, Tamquam vas [c] figulum confringes eos, ne per testæ fragmentum irreformabile vas posset intelligi: sed ait, *vas figuli*, quod in ipsa artificis molitione vas fieret, ut secundùm prælatum exemplum promta esset confracti ejusdem vasis ex artificis voluntate reparatio.

Ut figulo vas, ita pænitentes Deo facile est reparare.

40. Sed hoc irrationabilis materiæ vas etiam sub alia intelligentia ad rationem humanæ voluntatis aptatum est: homines quidem per hæc vitia sua cadere; sed si in his pæniterent, id est, si ab his desinerent, se quoque Deus in his quæ ad pœnam casus hujus constituerit, pænitere. non quòd hic motus mentis secundùm humanam naturam in Deum caderet: sed quia [d] homini gestorum pænitentia modus est gerendorum. Pænitentiam quoque suam Deus memorat ad pœnam: quia puniri desinerent, qui esse impii destitissent. Ut ergo figulo promtum est, amissum vas ad eamdem, vel quam volet, speciem reformare: ita Deo facile est, post vitiorum casus volentes se erigi, per doctrinæ suæ institutionem ad pietatem ex impietate reparare.

41. Sed & illa *tamquam vas figuli* non ignoranda confractio est, tum cùm his corporibus dissolutis, & casu mortis confractis, pro voluntate artificis restauratio afferetur.

Resurrectioni & spiritali & corporali prædicta aptantur.

Quod utrumque propheticus sermo significasse eodem dicto videtur. Nam cùm pænitentiam utilem in his quæ antea agebantur ostendit; præsentis hujus vitæ & corporalis ex vitiis in virtutes novam quasi instaurationem docet esse oportere, irâ in eos Dei sicuti criminum voluntate cessante. Et quamquam id ex figuli comparatione protulerit: tamen cùm de eodem figulo ait, Et ipse fecit vas aliud secundùm quod placuit in conspectu ejus; *Jerem.* 1. 4. significari etiam intelligitur illa, quæ secundùm Dei voluntatem resurgentium corporum instauratio est futura. Prout enim ei placet, & in conspectu ejus dignum est, confracta reparabit, non ex alia aliqua, sed ex veteri atque ipsa originis suæ materie speciem illis complaciti sibi decoris impertiens:

Resurget idem corpus.

ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio, non interitu naturam perimat, [e] sed qualitatis conditione demutet. Non enim aliud corpus, quamvis in aliud resurget, Apostolo dicente, *1. Cor.* 15. 42. *&c.* Seminatur in corruptela, resurget in incorruptione; seminatur in ignominia, resurget in gloria; « seminatur in infirmitate, resurget in virtute; « seminatur corpus animale, resurget spiritale. « Fit ergo demutatio, sed non affertur abolitio. Et cùm id quod fuit, in id quod non fuit surgit; non amisit originem, sed profecit ad honorem. Confringi itaque nos tamquam vas figuli, vel nunc, vel tunc gaudeamus: ut & nunc, modo figuli vasis, commortui & *Rom.* 6. 4. consepulti Domino in baptismate in novitate [f] vitæ ambulemus, & in novum Christi hominem deposito vetere renascamur; & tunc *Coloss.* 2. 9. *& 10.* per hunc novæ nativitatis profectum, in beatam illam ac Deo placentem iteratæ reparationis nostræ speciem reformemur.

Reges ad intelligentiam excitantur.

42. Cujus boni non ignarus Propheta, post hæc hortatur & dicit, *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* ℣. 10. * *Servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore.* ℣. 11. * *Apprehendite disciplinam, ne fortè irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* ℣. 12. * *Cùm exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eum.* ℣. 13. Doctrinæ hic ordo utilissimus est, ut eorum, in quæ nos adhortatur, beatitudinem cognitam præstet: quia difficile sit animum ac spem ad ignorata protendere. Volens igitur Propheta ad eorum nos, quæ superiùs commemoraverat, intelligentiam cohortari, in-

[a] In mſ. Mic. *cogitabo.* In Vulgata, *cogitavi*, juxta græc. ἐλογισάμην.

[b] Unus codex Vatic. *ut virga ædificem*: quam lectionem non permittit sacer textus.

[c] Apud Bad. & Er. *figulus.* quæ vox deinde in aliis editionibus expuncta est. Restituimus ex Vaticano codice *figulum*, licèt mallemus *figlinum*. *Figulum* autem *vas* dicit jam in testam obduratum; at *vas figuli*, vas adhuc molle & in ipsius artificis manibus. Hinc apud Hieronymum hoc loco, *Vas figuli antequàm in testam obduratum fuerit, si dissipetur, reformabile est... Si autem semel testa fracta fuerit, nequaquam in integrum compingi potest.*

[d] In priùs excusis, *hominis.* Magis placuit cum mſ. Mic. *homini*: referturque ad *gerendorum*: ut scilicet pænitentia sit modus eorum quæ homini sunt gerenda seu retribuenda. Deinde *pænitentiam ad pœnam*, id est, pœnæ, quam Deus in peccatores decreverat, revocationem.

[e] Par. *qualitatis conditionem.* Editiones aliæ cum duobus mſſ. Vatic. *qualitatem conditione.* Verior videtur alterius melioris notæ Vaticani mſ. *qualitatis conditione demutet*, subaud. naturam. Hîc observare est quàm cautè declinet Hilarius errorem circa resurrectionem Origeni à plurimis sanctis Patribus tributum, quos inter Epiphanius ep. apud Hieron. 60. ad Johan. Jerosol. ait, *Quis autem patienter ferat Origenem lubricis argumentationibus resurrectionem carnis hujus negantem, sicut declarat manifestissimè in volumine explanationum primi psalmi, & in aliis multis locis.*

[f] Lipſ. expunxit voces *vitæ* & *Christi*: quas ex Bad. Er. & mſſ. restituimus.

telligentiæ ipsius honorem antè memoravit, dicens, *Et nunc reges intelligite*, eos scilicet qui intellecturi essent, reges esse demonstrans. Sed quærendum est, quos reges ad intelligentiam propheticæ hujus adhortationis admoneat: ne quisquam fortè eos significari intelligat, quorum nunc in corpora humana, & in bellorum ministeria, & in metum gentium regnum est. Non sunt autem hi æterni & beati apud Deum reges: quippe cùm [a] ipsi jam à mandatis Dei excidant, & diabolo in regnum sint deputati, dicente eodem cùm Dominum tentaret, Et duxit illum diabolus in montem » altissimum, & ostendit illi omnia regna orbis » terræ in momento temporis: & ait ad» illum diabolus, Tibi dabo potestatem hanc » & gloriam eorum, quia mihi tradita sunt. ALIOS autem nobis REGES Evangelia demonstrant, scilicet in quos appropinquavit regnum Dei, & eos qui regnans in se peccatum devicerint, qui sui ipsius corporis reges sunt, dominatui suo universa vitiorum incentiva subdentes: HOC enim IN NOBIS EST REGNUM DEI. Sic iterum Christus regnat in nobis, [b] cùm per eum ipsi dominorum in nos jure regnamus: secundùm quod dictum est, Non venit regnum Dei » cum observatione: neque dicent, Ecce hîc » & ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. Hujus regni beatus Apostolus meminit Corinthiis scribens, Jam sine nobis regnatis; » & utinam regnetis, ut & nos [c] vobis conregnemus. Hoc itaque REGNUM DEI est, ubi peccatum vincitur, ubi mors perimitur, ubi non regnat hostis. Mors enim regnavit ab Adam usque ad Moysen. Et Apostolus ait, Jam non regnet peccatum in vobis. Per hoc regnum Dei regno peccati dissoluto, ipsisque jam nobis regibus regno adversante subverso, hoc nobis erit regnum Dei, cùm omnibus vitiorum nostrorum aculeis contusis, labes erit corporeæ infirmitatis absorpta.

Non qui terris,

Luc. 4. 5. & 6.

Sed qui cupiditatibus dominantur.

Luc. 17. 20. & 21.

1. Cor. 4. 8.

Rom. 5. 14.

Rom. 6. 12.

Quid intellecturi.

43. Hos itaque reges Propheta ad intelligendum cohortatur: ut sciant, adversùs Dominum & Christum ejus fremuisse reges, & populos vana meditatos: intelligant quoque irridentem è cælis, & in ira loquentem, & super Sion montem sanctum regem constitutum, præcepta Dei patris annuntiantem: cognoscantque eum qui sit genitus in filium; tempus quoque illud, quo qui tempora fecit, sit in tempore genitus. Intelligant in quo hereditatem gentium, & possessionem terræ finium postulavit: non ignorent etiam quæ hæc virga sit ferrea, qua regens eos, modo vasis figuli confringat. Hæc enim intelligentes, sacramentum omne divinæ voluntatis agnoscent: & cùm per obedientiam præceptorum heredes Dei Patris, coheredes autem Domini nostri Jesu Christi erunt; per id quòd æterno regi coheredes sunt, id necesse est consequantur ut reges sint.

44. Testantibus itaque Evangeliis atque Apostolo de regibus, sequens est ut cognoscamus qui sint judices terræ, quosque ut reges oporteat erudiri: maximè cùm reges nudo tantùm nomine sine regni alicujus designatione cognominet, ut eos suos atque in se esse reges doceret; judices autem terræ dicat. Differre verò judicem, & regem, ipso usu terrenæ consuetudinis cognoscimus: quia non idem sit regnare, quod judicare; quia regnum dominatio sit, judicium verò sit modus æquitatis. Sancti ergo quique intelligendi sunt esse judices terræ, quorum vita atque fides, infidelium iniquorumque [d] judicium sit. Et hoc Dominus in Evangeliis ostendit dicens, Viri Ninivitæ surgent in judicio, & judicabunt generationem hanc: quia pænitentiam egerunt in prædicatione Jonæ; & « ecce major quàm Jona hic. Regina Austri « surget in judicio, & judicabit generationem « hanc: quia venit ab ultimis partibus terræ « obaudire sapientiam Salomonis; & ecce ma« jor hic Salomone. Tales erunt judices terræ, « quorum [e] comparatio fidei ac timoris, impænitentes impiosque condemnet. Si enim pænitentia Ninivitarum ex Jonæ prædicatione suscepta, fructum adepta est pænitendi; necesse est obediens eorum pænitentia insolentem horum impænitentiam judicet. Aut regina Austri ex ultimis partibus terræ desideratam Salomonis sapientiam audiens, nonne infidelitatem & incuriam [f] præsentium auditione peregrinâ damnabit? cùm tamen inobedientiæ atque inaudientiæ judicium differens à Salomone atque Jona Christus auctor accumulet. Absolutè autem hos esse judices terræ Apostolus demonstrat dicens, An nescitis, quia sancti mundum judicabunt, & in vobis judicabitur mundus? cùm per meritum adeptæ beatitudinis, criminosorum vitam sanctitas comparata condemnet.

Judices terræ sancti quorum vita impios damnat.

Regis & judicis discrimen.

Matth. 12. 41. & 42.

1. Cor. 6. 2.

45. Intelligentiæ autem hujus atque eruditionis opus continuò Propheta subjecit, dicens, *Servite Domino in timore, & exsultate ei*

Ut timor, lætitia, tremor animum servi Dei temperent. ℣. 11.

[a] In uno codice Vaticano, *cùm ipsi si à mandatis Dei excidant*: lectio minùs dura, sed qua quid amplius innuit allatum in hujus probationem Scripturæ testimonium. Neque tamen credendus est Hilarius de omnibus omnino regibus ita sensisse: sed cùm de plerisque hoc sentiret, perinde locutus est, quasi de omnibus; quia ut ipse ait in Psal. 58. n. 9. *Universitas reputatur in plurimis.* Et paulo pòst, *Cùm pauci ex omnibus gentibus sint fideles, non per paucos efficitur ne non omnes sint infideles.* Ita sanè quia pauci reges diaboli regno sunt subtracti, (quos inter David non numerare nefas) per paucos non efficitur quo minùs omnes ei sint traditi: atque ita ex suismet sententiis liberatur à nævo, quem hîc loci reprehendit Scultetus.

[b] Lips. *cùm per eorum ipsi dominium, dominorum*, &c. corruptè. Nam τὸ *eum* ad Christum refertur. Ad quæ appositè Augustinus ac post eum vulgatus Ruffinus: *Nunc intelligite jam reges, id est, valentes regere quidquid vobis servile ac bestiale est, castigantes vestra corpora & servituti subjicientes. Qui cælesti regi serviunt, reges procul dubio sunt.*

[c] Sic Par. cum mss. juxta græc. ὑμῖν συμβασιλεύσωμεθα. Editiones verò aliæ, *vobiscum regnemus.* At in Psal. 60. n. 5. editi ac scripti, *& utinam regnaretis, ut & nos vobiscum conregnaremus.* Jam præmonuimus, Hilarium non una ratione eadem Scripturæ loca referre.

[d] Editi, *judicii vice sit*; refragantibus mss.

[e] Apud Par. *comparatione.* Deinde in duobus mss. *fides & timor*, & in uno, *ac mors.* Sensus per se ita clarus est; *quorum fidei ac timoris comparatio*, &c.

[f] Hoc est, eorum qui veram sapientiam Christum præsentes audierunt. Tum auditioni peregrina opponitur auditioni præsenti. Nisi fortè *peregrina* dicatur, ob quam peregrinatio suscepta est;

cum tremore. Non securum patitur aut negligens servitium : vult in omni servitutis officio admisceri timorem. Ut enim metuentes servi diligentiùs dominis carnalibus serviunt, cùm voluntatem sollertioris obsequii metus obsequelæ admixtus eliciat : ita & Deo servientes, si timeant per imminentem timorem, non negligentes in ea erunt quam susceperint servitutem. Ac ne tyrannici terroris hic metus esse fidelium crederetur ; ad id quod dixerat, *Servite Domino in timore*, adjecit, *& exsultate ei* : ut metum servitutis, gaudii exsultatio temperaret, cùm ipse timor causam lætitiæ per conscientiam servitii fidelis afferret. Porro autem ne libertas gaudii fines congruæ moderationis excederet ; ita subdidit, *Exsultate in tremore* ; quia periculosa ad oblivionem timoris esset libera à tremore lætitia. Atque ita hæc prophetici eloquii ratio servata est, ut servitutem timor detineret, timorem exsultatio moderaretur, & exsultationem tremor consequens contineret.

Fervor sit in Dei servitio.

46. Hujus autem servitii & timorem exsultantem, & exsultationem trementem, docuit in eo quod sequitur consistere, dicens, *Apprehendite disciplinam.* Virtute verbi significationem impatientis & velut præproperæ ad id voluntatis ostendit, non tam expetendam, quàm apprehendendam potiùs disciplinam docens : [a] non tepore fidei in hujus obedientiæ observatione contentus, sed ardorem spiritûs in apprehendendi aviditate desiderans. Sic in rapiendo regno cælorum raptore Dominus delectatus ait, A diebus autem Johannis regnum cælorum vim patitur, & vim facientes diripiunt illud : quia cùm regni cælestis possessio Israeli prædicaretur, fides tamen gentium possessionem hanc [b] sibi Israel diffidente præriperet.

Matth. 11. 12.

Pauli exemplum. Philip. 3. 12.

47. Sic & beatus Paulus currit, ut apprehendat, dicens, Sequor autem ut apprehendam, in quo & apprehensus sum. Non lento gradu properat, neque otioso sequitur procursu ; apprehensurus enim sequitur. Et satis quidem dixisse videretur, si consecuturus sequeretur : sed vim & ipse afferre optat, & apprehendere properat, & modo * exempli corporalis invadere. Scit autem se eo ipso jam esse, quod apprehendere properat, apprehensum. Si enim nos per corporalem naturam Deus naturæ suæ [c] diffidentis homo genitus apprehendit, factus ipse quod sumus ; nostrum est ad apprehendendum nunc id quod est ipse contendere, ut in eam gloriam, in quam naturam corporeæ hujus corruptionis eximit, festinatio nostra se misceat : atque ita apprehendemus id in quo fuimus apprehensi, si naturam Dei consequamur, Deo antè naturam hominum consequente. Apprehendenda itaque disciplina, & invadenda est quodam amplexu & in vinculo corporali : ne elabatur aut excidat.

* f. amplexus.

Deus qui hominem apprehendit, vicissim apprehendendus.

48. Causam autem diligentis hujus complexus ac vinculi Propheta subjecit, dicens, *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* * *Cùm exarserit in brevi ira ejus.* Adest enim pœnæ dies, qui in exardescente ira Domini significari intelligitur : in quo si non apprehensam à nobis disciplinam tenebimus, perditi de via justa erimus. Unicuique enim rei perit, quidquid aufertur : & quod deest, ei cui deest jam videtur amissum. Nam tametsi per naturam suam maneat, ei tamen cui abest non manet. Et idcirco de via justa impii pereunt, quia in ea non erunt. Pereunt autem de via justa, *cùm exarserit in brevi ira ejus.* [d] Non morosa hæc ira est, per quam de justa via pereunt : ne quis sibi interim in pœnæ lucro inter moras judicii blandiatur. In brevi namque exardescit ira. Excipit enim nos statim ultor infernus : & decedentes de corpore, si ita vixerimus, confestim de via recta perimus. Testes nobis evangelicus dives & pauper : quorum unum Angeli in sedibus beatorum & in Abrahæ sinu locaverunt, alium statim pœnæ regio suscepit. Adeo autem statim pœna [e] mortuum excepit, ut etiam fratres ejus adhuc in supernis manerent. Nihil illic dilationis aut moræ est. Judicii enim dies vel beatitudinis retributio est æterna, vel pœnæ. Tempus verò mortis habet interim unumquemque suis legibus, dum ad judicium unumquemque aut Abraham reservat, aut pœna.

℣. 12. ℣. 13. Qui pereant de via justa ab D. alieni.


Impii statim à morte pœnas inferni luunt.

Lucæ 16.

49. Et idcirco copiosum hunc sacramentis cælestibus psalmum sic Propheta conclusit : *Beati omnes qui confidunt in eum.* Non trepidam spem neque ambiguam perfectio beatitudinis exigit. Confidentiâ ad id opus est, firmæ opinionis scilicet, & indemutabili voluntate : quia plus sit confidere, quàm sperare. Confidendum ergo est, ne nos à via recta exardescens brevi ira Dei deperdat. Fidelis enim est qui ait, Qui credit in me non judicabitur, sed transiet de morte ad vitam, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Fiducia in Deum opus.

Johan. 5.



[a] Excusi, *non tempore fidei* : castigantur ex ms. Vaticano.

[b] Ita ms. Mic. In aliis verò libris, *sibi Israeli diffidenti* : ubi τὸ *sibi* ad Dominum refertur, cui Israel diffidat seu non credat, & è cujus manu regnum gentes præripiant.

[c] Editi excepto Par. *diffidentes* : depravatè. Nec meliùs Par. *discidentes.* Non displiceret tamen *dissidentes.* Ex mss. restituimus, *dissidentis*, hoc nimirum sensu : Si nos qui per corporalem naturam naturæ sumus dissidentis cum divina ; (*Sua* enim est in tertio casu) Deus homo genitus apprehendit, &c. Ad hoc autem apprehendit, inquit, juxta Hilarium Gregorius Nazianz. Or. 35. n. 88. *ut ipse quoque tantum Deus efficiar, quantum ille homo.*

[d] Editio Par. *Non mora*, mendosè. Hîc nonnullorum veterum refellitur opinio, quos inter Lactantius lib. 7. div. Instit. c. 21. *Nec tamen quisquam putet, animas post mortem protinus judicari : omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen.* Vide Præfat.

[e] Subaudiendum hîc, vel etiam exprimendum *inferni* vocabulum, cujus respectu deinde in terris degentes fratres *in supernis* manere dicuntur. De inferorum regione sic Tertullianus, *Nobis inferi*, inquit de anima n. 55. *in fossa terræ & in alto vastitas, & in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas.* Et mox rursum eos collocat *in recessu intimo & interno, & in ipsa terra operto, & intra ipsam clauso, & inferioribus adhuc abyssis superstructo.*

TRACTATUS

De titulo Psalmi IX.

In finem pro occultis [a] *Psalmus David.*

Nunc primùm prodit ex codice Vaticano not. 251. ab annis circiter 500. scripto, in quo post expositionem II. psalmi subjicitur, Explicit psalmus II. Incipit de titulo IX. psalmi feliciter. *Nullas falsitatis, veritatis autem plurimas habet notas. Non leves sunt 1°. familiares Hilario & amicæ voces,* absolutio, absoluta intelligentia, *&c. 2°. explicatio verbi* finis *cum iis quæ tum Prologo n. 18 tum lib. 11. de Trin. n. 28. de eodem habentur consentiens, 3°. peculiaris quædam Christi ex Virgine nativitatis exprimendæ ratio, 4°. doctrina de aditu ad regnum Dei Patris per regnum Christi. Demum Prologo n. 17. pollicetur se in singulis psalmis inscriptionum singularum causas præstiturum, & hoc, inquit num. 22. quia* ex quibus rebus psalmus consistat ostendunt. *Hîc præsertim exsequitur quod spopondit, docens num. 2. titulum ad hoc adscriptum,* ut ex quibus psalmus ipse consisteret nosceretur. *Exoptandum esset, ut castigatius hoc opusculum unà cum totius psalmi expositione, quam ei Hilarius subjecisse credendus est, ad nos pervenisset.*

Psalmi alii faciles, alii captu difficiles.

1. QUORUMDAM psalmorum absoluta intelligentia est; quorumdam obscurior sensus est; diversitatem utique affert diversitas prophetiæ. Per multa namque & varia genera sermonis ad agnitionem Dei hominem Spiritus-sanctus instituit, nunc sacramentorum occulta per naturas & comparationem hominum comprehendens, nunc fidei simplicitatem verborum absolutione commendans, nunc vitæ ordinem præceptorum veritate confirmans, nunc quid providendum sit & cavendum per personam prophetæ qui psalmum scribat ostendens: ut per hanc multiplicem & divitem copiam doctrinæ, per quasdam partes & incrementa discendi, totius intelligentiæ ædificatio comparetur. Et erit nobis psalmus positus in exemplum, cujus superscriptio talis est: *In finem pro occulta filii psalmus David.* Itaque per naturam eorum, quæ & occulta & in finem sunt, quærenda est psalmi intelligentia.

Titulus index eorum quæ tractantur.

2. Psalmus inscriptus non est, *In finem pro occulta filii*, nisi tantùm in id, ut ex quibus psalmus ipse consisteret, nosceretur. Omnia autem, quæ ad titulum sermonis adduntur, ex quibus sermo fit initus, testantur. Non enim convenit, ut in sermone aliud sit, aliud in titulo; quia titulus velut index eorum est, de quibus scribitur.

In finem quid.

Verbi igitur ejus, quod *in fine* dicitur, ratio est intelligenda. In fine est ultra quod nihil est, in fine est quod præsens tempus excedit; quia finis ex omnibus, non ex fine omnia: desinunt enim in eo cuncta, &

A est quoddam rei actæ dictæve postremum: & nisi in ea totius universitatis postremitas erit, non erit finis; quia necesse est non esse ultimum, quod ultra se habeat aliquid postremum. Ex quo intelligendum quotiens * qui titulos habent *in fine*, non præsentia in his, sed ultima contineri.

* *f.* Psalmi tit.

Occulta quæ.

Occulta autem sunt, quæ abscondita & latentia sunt, quæque reconditis & inaccessibilibus & imperspicabilibus occulantur, [b] in quo ei tantùm qui con- B diderit comperta, aut nisi cum aliquibus cognoscenda protulerint. Ergo psalmus inscribitur *in finem pro occultis.* Et quia ex natura rerum quid intelligentiæ in nominibus finis occultorumque sit, [c] & deinde res ipsas quæ in fine atque occultis sint, convenit explicari.

3. Et de his quidem testis est nobis beatus Apostolus, ita dicens: Prout legentes potestis intelligere intellectum meum in sacramento Christi, quod aliis temporibus non est C cognitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est. *Ephes. 3. 4. & 5.* Et rursùm, Mihi minimo omnium sanctorum hæc gratia data est in gentibus, evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare quæ sit distributio sacramenti ejus, quod absconditum est à sæculis in Deo. *Ibid. 8. & 9.* Hoc est ergo occultum, de quo & Dominus ait, Non est absconsum quod non cognoscatur, neque opertum quod non revelabitur. *Matth. 10. 26.*

Quæ occulta contineat hic psalmus.

Sed psalmus *occulta* continet, non occultum. D Rectè ita: nam consequentia docent plura fuisse, non unum. Est enim occultum, Deum salutis humanæ causâ, non in cælesti gloria & claritate nominis sui adfuisse, sed formam humani corporis induisse. Est & occultum, naturam in eo carnis humanæ, non ex communi originis genere induisse, sed exstitisse ex virgine, & editam [d] virgine fuisse, & absque nascendi initio procreatam. Est occultum, eum qui mortuus sit ex morte vixisse, E gloriam immortalitatis ex corpore resumentem. Sed non is quidem finis est.

Quem finem significet.

4. Finem autem, non velut quemdam rerum occasum, sed decurrentium modum, consummationemque significat; neque ut in abolitionem desinatur, sed ut in quemdam manendi terminum, ea de quibus agitur collocentur. Quis ergo hic finis sit, [e] item quæ rerum omnium absoluta perfectio, & quàm absconsa sit, beatus Apostolus ad Corinthios F ita loquitur: Quomodo enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificantur. Unusquisque autem suo ordine: primitiæ Christus, deinde qui sunt Christi, qui in adventu ejus [f] crediderunt; deinde finis cùm tradiderit regnum Deo patri, cùm evacuaverit omnem principatum & potestatem. Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis. Deus enim omnia *1. Cor. 15. 22. &c.*

[a] Desideratur vox *filii*, quæ infrà exprimitur: ubi semel atque iterum legere est *pro occulta*. Græc. ὑπὲρ τῶν κρυφίων τοῦ υἱοῦ.

[b] Aut hîc aliquid deest, aut legendum *quod ei*, non *in quo ei*.

[c] Mallemus *edidimus*, pro *& deinde*.

[d] Fortè *ex Virgine fuisse & absque nostro nascendi initio* &c. Sic lib. 10. de Trin. n. 15. prædicatur Christus *per initia corporis atque anima nostra* non vixisse in corpore: quia nimirum ceteri homines ex viro & femina, ille ex Spiritu-sancto & Virgine originem habuit. Vide plura loco laudato de Trin.

[e] Ita emendamus, cùm in exemplari exstet, *idem qui rerum omnium* &c.

[f] Ad lib. 11. de Trin. n. 22. observabimus verbum *crediderunt*, ab antiquioribus lib[illegible] abesse juxta græcum.

„ subjecit sub pedibus ejus. Novissima inimica A „ devicta est in eo mors. Cùm verò dixerit, „ Omnia subjecta sunt ei, absque eo qui sub- „ jecit illi omnia, [a] tunc ipse subjectus erit illi, „ qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Hic igitur est finis * occultis, mortuorum resurrectio, sanctorum glorificatio, malitiæ * damnantis abolitio, mortis interitus; & per hoc Christi regnum, Patris quoque Dei & regnum. His enim gestis, post quàm Filio erunt à Patre universa subjecta, B non ut per subjectionem regni adimatur æternitas; sed ut nos clarificatos, & immortalitate coopertos, & in corporis sui gloria * confirmatos, in regnum Patris inducat, jam cohereditate sua dignos, jam in familiam patris assumtos, jam bonorum ejus gloriæque participes, ut Patri conregnet in nobis, sitque Deus omnia in omnibus, cùm [b] subjectionem obedientiæ, in divinam naturam humanæ assumtionis absorbeatur infirmitas. Æterna hæc C igitur per Filium laus patri Deo debita est, * suscitatis in omnibus qui ab Adam usque ad regni tempus per fidem vixerunt, & cælesti habitu * à corpore transfiguratis, & iniquitate malitiæ omnis ablatâ, & diabolo in pœnam æterni ignis addicto, & de memoria hominum nomine ejus exemto; hæc in psalmo occulta cantantur, hæc consummato fine celebrantur. Et quia Filius futurorum omnium conscius est, hæc tamquam jam perfecta lau- D dantur, quia in eo, & apud eum, & per eum omnia sunt: ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

* *f.* pro occultis *vel* occultus.
* *f.* dominantis.
V. l. 11. *de Trin. n.* 35. & 36.
* *f.* conformatos.
* *f.* subjectis sibi omnibus.
* *f.* ac corpore.

PSALMUS XIII.

*DIXIT insipiens in corde suo, Non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles E facti sunt in * voluntatibus suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Dominus de cælo prospexit super filios hominum: ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis F eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum. Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant G plebem meam sicut escam panis? Dominum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Quoniam Deus in generatione justa est: consilium inopis confudistis: quoniam Dominus spes ejus est. Quis dabit ex Sion salutare Israel? Cùm averterit Dominus captivitatem plebis suæ, * exsultabit Jacob, & lætabitur Israel.*

* Hilarius in Psal. 52. n. 3. *adinventionibus.*
* *Hil. lætetur Jacob, & exsultabit Israel.*

TRACTATUS PSALMI.

In editione Parisiensi anni 1605. ex codice S. Maximini Miciacensis primùm vulgatus est hic Tractatus priore sua parte, à numero videlicet primo ad tertium usque, truncatus. Integer modò exhibetur ex memorato codice Vaticano, in quo ad calcem opusculi superioris subnectitur, Explicit de titulo psalmi noni. Incipit psalmus XIII. Lege feliciter. Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus, & reliqua. In multis nos erudiens, *&c. Verba, doctrina, interpretandi ratio Hilarii venam & genium redolent. Longæ quippe periodi, totius psalmi argumenta per repetitam particulam* ubi *perstringendi modus, qua ratione omnes Ancyranæ synodi definitiones lib. de Synod. n.* 27. *perstringuntur, necnon hæc num.* 3. in singulis verbis singulæ virtutes sunt explicandæ, *& alia quæ in notulis indicamus ei conveniunt quàm maximè. Quamquam concionem proximè post psalmi lectionem habitam iste ac subsequens Tractatus magis sapiunt quàm reliqui.*

DIXIT *insipiens in corde suo, Non est Deus*, & reliqua. In multis nos erudiens Apostolus, etiam inde docet cum omni reverentia verbum Dei esse tractandum, dicens, Qui loquitur, tamquam eloquia Dei. Non enim secundùm sermonis nostri usum, promiscuam in his esse oportet facilitatem; sed loquentibus nobis ea quæ didicimus & legimus, per sollicitudinem sermocinandi honor est reddendus auctori. Et exemplum nobis cælestis doctrinæ præstat humani officii consuetudo. Si enim quis verba regis interpretans, & præcepta ejus in aurem populi deducens, curat diligenter & cautè per officii reverentiam regis satisfacere dignitati, ut cum honore ac religione omnia & relegantur & audiantur: quanto magis convenit Dei eloquia ad cognitionem humanam retractantes, dignos nos hoc officio præstare? Sumus enim quoddam sancti Spiritus organum, per quod vocis varietas, & doctrinæ diversitas audienda est. Vigilandum ergo & curandum est, ut nihil humile dicamus, metuentes hujus sententiæ legem, Maledictus omnis faciens opera Dei negligenter: proposito contrà præmio curæ & diligentiæ eorum, qui cum reverentia ac metu sanctas Scripturas sibi tamquam Dei verba commendent, & cum debita dignitate ea insinuent mentibus audientium, Domino dicente, Et super quem adspiciam, nisi super humilem & mitem & trementem verba mea? „ Oportet igitur & prædicantes existimare non hominibus se loqui, & audientes scire non hominum sibi verba proferri; sed esse Dei

Verbum Dei quàm reverenter tractari debeat, aut audiri.
1. *Pet.* 4. 11.
Jerem. 48. 10.
Esai. 66. 2.

[a] Quomodo lib. 1. & 11. de Trinit. in omnibus aut propè omnibus mss. ita hîc quoque abest, *Cùm autem subjecta ei fuerint omnia.*

[b] Fortè, *per subjectionem*, quæ ideo *obedientiæ*, quia tunc remota omni cupiditate, spiritus & caro Deo omni obedientia suberunt.

voces, Dei constituta, Dei leges, & reverentiam maximam utriusque officio convenire. Maximi enim periculi res est, de thesauris Dei, de sacramentis reconditis, de testamento æterno aliquid aut supervacuum proferre, aut negligenter audire. Consignanda sunt omnia animis, commendanda sensibus; quia nihil est verborum Dei, quod non sit implendum; & omne quod dictum est, habet quamdam jam efficiendi necessitatem; quia Dei verba decreta sunt.

* Hoc concionem sonat.

2. Qui lectus est * psalmus, *in finem* inscribitur. Si omnes ita inscriberentur, nihil esset difficultatis; excluderet enim omnem generalitas quæstionem. Sed cùm alius aliam habeat inscriptionem, ex causis diversis tantùm necesse est diversitates inscriptionum exstitisse.

Psalmi argumentum.

Duplex autem in his qui *in fine* superscripti sunt intelligentia est: aut enim ea quæ in consummatione erunt continebunt, aut eorum quæ in toto psalmo erunt dicta, absolutionem psalmi finis impertiet. Sunt autem in psalmo omnia aspera, horrenda, pertæsa, blasphemiis plena, repleta sceleribus, querimoniis gravia. Non est confessio in Deum, non lætitia in gaudiis, non in choris canticum; sed accusatio in profanos, sed querela in contumaces, sed dolor in afflictos. Ait enim, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in voluntatibus suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, & reliqua. Sequitur in fine, *Quis dabit ex Sion salutare Israel? Dum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, lætetur Iacob, & exsultet Israel.*

℣. 1. ℣. 7.

Mundo perdito medicus exquiritur. * f. si quis.

3. Ut enim * quis pestilentem urbem ingressus, omnes omnino inhabitantes morbo dissolutos, & febribus æstuantes, & diverso ægritudinum genere confectos contemplatus sit; & nullum illic medicum inveniens ingemiscat, & nihil auxilii, nihil remedii adesse tantis malis doleat, & desævire magis membrorum pestem quotidie sentiat, sciatque medicum in longinquo positum mederi posse si adesset; [a] quod solum superest, dolore desperationis exclamet, dicens, Quis est qui eum præsentem efficeret, & salutare ejus afferret? omnem scilicet sollicitudinem ad vota convertens: pari modo Spiritus-sanctus cernens errorem generis humani, cernens mala sæculi hujus ingravescentia, & morbum immedicabili morte grassantem, ubi Deus negatur à stulto, ubi abominandis voluptatum fallaciis corrupti sunt cuncti, ubi nullus bonum volens sit, ubi eorum guttura innocentium sint sepulcra, ubi [b] linguâ usi sint in officium fraudulentiæ, ubi venenum aspidum labiis eorum verbisque suffusum sit, ubi os amaritudine & maledictione

A sit plenum, ubi velox pedum eorum ad effundendum sanguinem cursus sit; & per hæc non agnoscentibus viam pacis, in omnibus vitæ eorum viis infelicitas ingravescat: ubi in Deum nulla reverentia est, ubi devastatio plebis Dei persecutoribus tamquam cibus panis sit, & innocentium mortes, damna, supplicia fiet satietas iniquorum: ubi Deus non invocatur, & trepidatur in nullis; creaturam in idolis omisso Creatore reverentes: ubi Deus in ge-

B neratione justa desperatur habitare, & consilium inopis confunditur, & spes patientiæ ejus illuditur: his igitur ita grassantibus malis, & toto orbe dominantibus, conscius Spiritus-sanctus ejus qui solus opem ferre possit, exclamat, *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Non enim Moyses dederat, non Elias, non Esaias, non Prophetæ: omnia Legis opera adversùs tantam morborum pestem infirmabantur. Opus erat medico, qui unâ atque

V. infrà Tract. Psal. 52. n. 20.

Qualis medicus.

C eadem auxilii sui ope universa curaret, & tot ac varios in toto orbe languores, non arte, non opere, (quia quando opus & ars singulis adhibita profuisset?) sed [c] verbi potestate sanaret. Hunc requirit Spiritus, hunc exspectat, ad cujus adventum febris quiesceret, cæcitas desineret, paralysis non esset, mors non occuparet; hunc exspectat, hunc proclamat, hunc orat, *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Sed in singulis verbis singulæ virtutes

D sunt explicandæ.

Sion Christi corpus. Hebr. 12. 22. Philip. 3. 12.

4. Sion quæ sit, Apostolus docet cùm dicit, Accedamus ad Sion montem, ad sanctam Jerusalem civitatem; omnes enim currimus apprehendere, in quo apprehensi sumus à Christo, id est, inveniri in ejus corpore, quod ex nobis ipse præsumsit, in quo ante constitutionem mundi à Patre sumus electi, in quo reconciliati ex inimicis, & acquisiti sumus ex perditis, in quo Apostolus cum damno uni-

E versorum optat inveniri dicens, Et omnia arbitror stercora, ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo. Ergo quia non nisi ex assumtione carnis nostræ hi morbi essent nostri corporis auferendi, & ex assumtione carnis salutiferæ [d] omnis in Domino est: idcirco ita ait, *Quis dabit ex Sion salutare Israel?*

Philip. 3. 8.

Salutare nomen Christi gentibus promissi.

5. Sed in eo quod salutare est, virtus est nominis. Non nos aptamus aut fingimus: sed in veteris Testamenti libris *salutare* Dominum

F Deum nostrum nuncupari docemur, & propriè hoc nomen per pollicitationem gentibus semper indultum est. Ait enim Esaias, Revelavit Dominus brachium suum sanctum in conspectu omnium gentium, & cognoscent omnes fines terræ salutare Dei nostri. Omnibus igitur gentibus revelatum est, & ab omnibus cognitum est. Et rursus in psalmis Spiritus-

Esa. 52. 10.

[a] Par. ex ms. Mic. *quod solum potest, dolorum desperatione,* &c. Concinnior visa est lectio ms. Vatic.

[b] Vaticanus codex, *ubi linguosi sunt.* Ex hoc ms. mox vocem *aspidum* restituimus.

[c] Non hîc solam externam doctrinæ ac prædicationis verbi Dei gratiam ad sanandos hominum languores & morbos cum Pelagio requirit Hilarius; aliàs falsò eam à Moyse, Elia, Esaia & Prophetis datam negasset: sed internam vult, & eam quidem quæ salva hominis libertate tam efficaciter animæ morbos curaret, quàm curavit Christus varios corporum languores.

[d] Subauditur, *caro* vel *homo.* Hinc l. 2. de Trinit. n. 23. prædicatur Christus *assumtione carnis unius interna universæ carnis incolere.* & in Psal. 51. n. 15. *naturam in se universæ carnis, naturam scilicet in se totius humani generis* assumsisse, & in Psal. 54. n. 9. *universitati nostra caro factus.* Porro ut hîc, ita in Psal. 147. n. 1. Sion interpretatur Hilarius corpus Christi.

Psal. 97. 1. & 2. sanctus exclamat, Cantate Domino canticum A novum, quia mirabilia fecit. a Ostendit Dominus salutare suum, in conspectu gentium Psal. 95. 3. revelavit justitiam suam. Et rursum, Annuntiate in gentibus gloriam ejus, & in omnibus Psal. 84. 8. populis salutare ejus. Et rursum, Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Cujus spei desiderium Dominus in Evangelio ostendit, dicens, Multi Prophetæ & justi cupierunt videre quæ vos videtis, & audire quæ auditis. Matth. 13. 17. Hoc salutare B Simeon exspectavit diu, & cùm in manibus accepisset, agnovit, & inter vagitus infantiæ & cunarum sordes per fidem Deum vidit. In talibus & agnoscens adoravit, dicens, Nunc dimitte servum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace: quoniam viderunt oculi mei salutare tuum, quod præparasti in conspectu universorum populorum, lumen in revelatione gentium. Luc. 2. 29. &c. Ergo hoc salutare gentium annuntiatur, non carnali Israel, qui b in C monte Dominum majestatis exspectavit, vidit, audivit; qui in prophetis lapidavit, cecidit, secuit & occidit. Sed sermo iste omnis ad gentes est, & gentium c salutaris est.

6. Ita ait: *Dum avertit Dominus captivitatem plebis suæ.* Captivitas propriè gentium est, qui in corde suo d dixerant, *Non est Deus*, qui trepidaverant ubi non erat timor, qui spem inopis confuderant & illuserant, quia e Dominus spes ejus est; qui in generatione D justa Dominum habitaturum negaverant, capti religionibus dæmonum, superstitionibus temporum, officiis creaturæ. Hæc captivitas f apellitur, hoc servitium adimitur. Sed Israel Israël quis. erit ille qui credit, Israel erit ille qui Deum oculis cordis adspiciet: quia Israel Deum videns est, qui post captivitatem aversam hoc Dei salutare cognoscit. Lætatur Jacob, lætatur & Israel captivitate aversa, libertate concessa, Deo contemplato, Abraham & Jacob E patribus per adoptionem familiæ nuncupatis. In his ergo lætemur, & in his exsultemus, scientes per nostram redemtionem ob unius Luc. 15. 7. pænitentis salutem esse in cælis gaudia Angelorum: & cùm cælestis lætitia pro nobis sit, oportet in Christo gaudia nostra esse perpetua, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

F

PSALMUS XIV.

DOMINE, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam; qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversùs proximos suos. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat.* *Hil. magnificat. *Qui jurat proximo suo, & non decipit: qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentes non accepit.* B *Qui facit hæc, non movebitur in æternum.*

TRACTATUS PSALMI.

Tractatum hunc percurrentibus non satis primùm apparebat, unde illum Hilario certò assereremus. Immo ut ei abjudicaremus, multùm propendebat animus. Et quidem stilus illius nonnihil est planior quàm solet. Videbatur quoque invictissimum fidei ac veritatis defensorem dedecere, mendacii officiosi fuisse prædicatorem: præsertim cùm Augustinus C *epist. 180. n. 3. librum ipsius 9. de Trinit. ab hujusmodi suspicione vindicasset. Totum tamen tertiò ac quartò perlustrantibus non defuerunt notæ unde illius auctor internosceretur. Ac primò quidem occurrerunt voces ei familiares, puta* sacramentum, *&* virtus contuenda verborum *n. 2.* virtus æternitatis *n. 5. Deinde quod in eodem num. 5. habetur de Christi corpore, affine est innumeris propè Hilarii locis: quod verò n. 11. de fiducia sui & insolentia, rursum in Psal. 52. n. 15. delibatur. Multa alia hujusmodi facilius est dispicientibus advertere, quàm aliis demonstrare. Itaque cùm etiam ei adscribatur non* D *solùm à Miciacensi codice, sed & à Vaticano; non est ulla ratio satis valida, ut ei abrogetur. Neque enim mirum, quòd psalmi, in quo, ut in exordio dicitur,* non prophetia est, non obscuritas, *minùs intricata, minùs obscura sit expositio. Neque magis est stupendum, quòd Hilarius Origenem, cui cum pluribus aliis mendacium officiosum non videbatur illicitum, legens ac nonnumquam excerpens re non multùm discussa in illius abierit sententiam, quæ suæ ipsius indoli in beneficentiam propensissimæ plurimùm faveret. Sed & si mendacium officiosum caritatis specie Hilario nostro imposuit, cùm mendacium per se malum nullo obtentu queat approbari, ut optimè &* E *fusè Augustinus lib. contra mendacium demonstravit: multa & præclara complectitur iste Tractatus ad mores optimos spectantia præcepta adversùs arrogantiam, usuram, de usu munerum & alia Hilario dignissima. In his non est tacendum, quòd quàm libera, quàm constans, quàm, ut ita dicamus, superba adversùs potentes ac principes iniqua jubentes debeat esse Christiana humilitas, ut gestis ostendit, ita etiam hîc num. 12. & scriptis commendavit.*

1. PSALMUS qui lectus est, inscribitur *psalmus David*; quia per eum Spiritus-sanctus hæc locutus est. Psalmi … pus. F Et rectè ita competit psalmo; nihil enim in tempus alterum destinatur, nihil ex occultis profertur, sed omne opus ejus in præsens est. Denique ita incipit: *Domine, quis habitabit in tabernaculo* ℣. 1. *tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Oratio est simplex Dominum precantis, & g optantis ab eo noscere, qui mores, quod studium, quæ voluntas sit cohabitaturi cum

a Ex mss. Vatic. verbum *ostendit* priùs omissum revocamus.

b Par. *in morte.* At Vaticanus codex *in monte.* Respicitur tempus quo Israeliticus populus legem accepit, non quo Dominum crucifixit. Mox *exspectavit* videtur antiquo more scriptum pro *spectavit.*

c Postrema editione Par. repositum est *salutare*, renitentibus mss. Habemus in Psal. 66. n. 4. *Jesum salutarem dici, ipse ille proprietatis sermo est.* Alibi hujus vocis idem usus est.

d Ita ms. Vatic. At Par. *induxerant.*

e Apud Par. *quia à Domino spes ejus*, mox omisso *justa.*

f Olim apud Par. & in ms. Mic. à prima manu, *appellatur*, deinde *pellitur.* At rectiùs in eodem ms. restitutum est *apellitur*, verbum Hilario sollemne.

g Apud Par. *& orantis*, & mox, *qui habitaturi.* Sequimur ms. Vatic.

Deo, & in excelsis ejus & cælestibus quieturi. Non est enim humilis cujusdam animi nec mediocris operis admisceri [a] Deo, mereri ejusdem domicilii communionem. Ergo de quibus quæritur, statim respondetur: ut quia arduum est atque difficile hæc obtinere, quibus modis id consequendum sit intelligatur.

Præcepta continet paucis multa & præclara. ℣. 2.

2. Dicit enim ad id quod quæsitum est, *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam*, & cetera [b] psalmo consequentia. Talibus præceptis formatur, talibus monitis instruitur, B cui ad Deum iter est, cui ad sublimitatem ejus adscensus est, cui in æternis ejus est requies. Præceptum autem omne brevitate collectum est, ut memoriæ mandetur, ut hæreat animo, ut foris ac domi, publicè privatéque, die ac nocte retineatur, obtemperetur, instetur. Est enim hæc brevitas locuples & infinita, & ex omnibus veteris ac novi Testamenti præceptis institutisque decerpta, infantibus, feminis, viris, senibus aptissima. Atque C ut brevitatis ipsius commendabilior esse possit opulentia, quid in singulis verbis sacramenti sit [c] prosequimur. Non est hîc prophetia, non obscuritas, non exemplum. Vox interrogantis est, bonitas respondentis, [d] confirmatio audientis. Sed in his virtus est contuenda verborum. Distinxit enim ita, habitationem in tabernaculo, requiem in monte: & prior est habitatio in tabernaculo, posterior requies in monte. Ut ergo habitationis & requiei di- D stantia intelligatur, montis & tabernaculi proprietas explicanda est.

Tabernacula instituta à Moyse,

3. Et tabernacula quæ priùs fuisse legimus, fuerunt levia, caduca, arescentia, ad tempus ex frondibus tecta, qualia interdum à nobis effici solent vitandi æstûs causâ, ut infra umbram eorum ardorem solis æstumque vitemus. Istiusmodi enim tabernacula populo sunt per Moysen instituta. Sed hæc arefacta sunt & dissoluta. Erant enim imaginaria, [e] & facta E ad exemplum. Ait enim ita Deus Moysi: Vide ut facias omnia secundùm speciem, quam ostendi tibi in monte. David quoque templum ædificare optans, tabernaculum [f] cognominavit, sicuti ait, Non dabo somnum oculis meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Sed & [g] Moyses & Salomon tabernaculum condidit; & deinceps Apostoli plurima tabernacula condiderunt, & per omnes orbis terrarum partes, quæcumque adiri [h] possunt, quin etiam in Oceani insulis habitationes Deo plurimas paraverunt. De quorum gloria testatur Spiritus-sanctus, Quàm amabilia sunt tabernacula tua, Deus virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Non ergo unum tabernaculum, vel per Moysen frondeum, vel per David exoptatum, vel per Salomonem omnibus humanis operibus ordinatum, Propheta desiderat; sed multa & innumerabilia: quia etsi in orbe Ecclesia una sit, tamen unaquæque urbs ecclesiam suam obtinet; & una in omnibus est, cùm tamen plures sint, quia una habetur in pluribus.

Exodi 25. 40. — *à Salomone,* — *Psal. 131. 4. & 5.* — *ab Apostolis.* — *Psal. 83. 2. & 3.* — *Ecclesia in multis una.*

Templorum jugis habitatio quàm felix.

4. Primus itaque & maximus gradus est ad cælestia adscendentibus, habitare in hoc tabernaculo, & illic noctibus diebúsque vitam ævi totius agere, amotum à sæculi curis, & negotia mundi hujus relinquentem, sicut plures sanctorum numquam à tabernaculo recesserunt: ut de Jesu Nave scriptum est, Et Jesus juvenis non egrediebatur tabernaculum; & Anna Prophetes non discedebat à templo, jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte. Post quæ in monte Domini quiescendum est: hinc enim proficiscentibus eò iter est, & [i] non nisi per hanc habitationem iter ullum est. Ergo quærendum priùs de habitatione tabernaculi fuit; quia ex eo in montem esset adscensus, deinde * habitatio est temporis & laboris. Quies verò non interpellatur extrinsecùs, sed otium est juge, perpetuum, molestiâ carens, quod in statu suo maneat: ceterùm si inquietudo se misceat, otii & naturam & nomen amisit.

Luc. 2. 37. — *Ad cælum non itur nisi ab ecclesia.* — * *subaud. quia.*

Mons in quo quies, corpus Christi.

5. Sed mons Domini nullus in terra est: omnis enim terra jam pridem per vitia hominum maledictionibus * noxia est. Nam & in Adæ operibus, & in Abel sanguine meruit offensam, & sub Noë habitantium peccatis fuit plena, & nunc quoque edita & excelsa quæque montium fanis, templis sacrisque maculantur. Ergo non in [k] his talibus exspectandus hic mons est. Sed ut editissimæ humi partes montes nuncupantur, ita necesse est in his quæ cælestia sunt maxima atque sublimia sub montis nomine opinari. Et quid sublimius Christo? [l] quidve excelsius Deo nostro? Mons autem ejus est illud quod ex homine corpus

* *an obnoxia?*

[a] Restituimus *Deo*, ex mss. Vatic. in quo deinde, *misceri ejusdem domicilii communione*; & paulò antè, *cujusdam nominis*, loco *cujusdam animi*.

[b] Ita ms. Vatic. cùm antea legeretur *psalmi consequentis*.

[c] Apud Par. *prosequitur*. Reponimus ex ms. Vatic. *prosequimur*, ex quo superiùs adjecimus vocem *ipsius*.

[d] Vaticanus codex, *conformatio*. Hujus auctoritate mox substituimus *contuenda*, cùm obtinuisset *conjicienda*.

[e] Vatic. ms. *& effecta de exemplo*.

[f] Par. *cognominavit fœdus. Non dabo* &c. castigatur ope ms. Vatic.

[g] Vaticanus codex, *Sed & Moysi & Salomoni tabernaculum condidit, sed deinceps*, omisso *apostoli*; qua voce expuncta, legendum deinde *plurimi*, non *plurima*. Nil tamen immutandum. His simile est illud Tertulliani l. de Præscript. c. 20. *Statim igitur*, inquit, *Apostoli .... primò per Judæam contestata fide in Jesum C. & ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, & proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ ceteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur ut ecclesiæ fiant; ac per hoc & ipsæ apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot & tantæ ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes... Sic omnes prima & apostolicæ, dum unà omnes probant unitatem.* Sic de unitate Ecclesiæ Cyprianus: *Ecclesia una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen unum.* & epist. 52. *Una ecclesia; una per totum mundum in multa membra divisa.*

[h] Ita ms. Vat. concinniùs quàm apud Par. *potest, Quin etiam ex Oceani insulis.* Si cui scrupulus hæserit an Hilarii ætate in Oceani insulis ecclesiæ fuerint, ipsius librum de Synodis adeat *Britanniarum* episcopis unà cum aliis inscriptum.

[i] Ut enim ait Cyprian. de unit. Eccl. *Si potuit evadere qui extra arcam Noe fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit evadit*, &c.

[k] Sic ms. Vatic. At apud Par. *non in ista tibi exspectandus*, &c. Ubi *exspectandus*, id est, *spectandus*. Ex proximè dictis liquet hoc opus scriptum cùm ferveret idolorum cultus.

[l] Hæc verba, *quidve excelsius Deo nostro*, cùm priùs deessent, huc revocamus ex ms. Vatic.

v. Tract. Pſal. 13. *n.* 4.

aſſumſit, in quo nunc habitat & ſublimis & A excelſus ſuper omnem principatum & poteſtatem & omne nomen. Super hunc montem ædificata eſt civitas, quæ non poſſit abſcondi:

1. *Cor.* 3. 11.

quia ſicut ait Apoſtolus, Non eſt aliud fundamentum, niſi Chriſtus. Ergo quia qui Chriſti ſunt, in Chriſti corpore ante conſtitutionem mundi electi ſunt, & [a] Eccleſia corpus eſt Chriſti, & fundamentum ædificationis noſtræ Chriſtus eſt, & civitas ſuper montem ædificata: hic ille mons eſt, in quo quæ- B ritur quis poſſit eſſe requieſcens. In alio quidem pſalmo de hoc eodem monte ſic legimus:

Pſal. 23. 3.

Quis adſcendet montem Domini, aut quis

Eſai. 2. 2. & 3.

ſtabit in loco ſancto ejus? Et Eſaias nobis erit
» teſtis: Et erit in noviſſimis diebus manifeſtus
» mons domus Domini, & dicent, Venite ad-
» ſcendamus in montem Domini, in ædem Dei

Hebr. 12. 22.

Jacob. Et rurſum Paulus: Vos acceſſiſtis ad Sion montem, & ad civitatem Dei viventis Jeruſalem. Si ergo requiei noſtræ ſpes omnis C eſt in Chriſti corpore, & cùm in monte ſit quieſcendum; montem non aliud poſſumus intelligere, quàm corpus quod ſuſcepit ex nobis, ante quod Deus erat, [b] & in quo Deus eſt,

* *f.* transfigurabit.

& per quod * transfiguravit corpus humilitatis noſtræ conformatum corpori gloriæ ſuæ; ſi tamen & nos vitia corporis noſtri cruci ejus confixerimus, ut in ejus corpore reſurgamus. Ad illud enim poſt habitationem Eccleſiæ ſcanditur, in illo in Domini ſublimitate D requieſcitur, in illo cum Angelorum choris, cùm & nos ſimus Dei civitas, ſociabimur. Quieſcitur autem, quia nullus ſit [c] ex infirmitatibus dolor, nullus ex inopia metus; ſed omnibus firmitate ſua per virtutem æternitatis utentibus, in his ſit extra quæ nihil indigeant quieſcendum.

Vitia cavere.

6. Ergo ad id quod quæſitum eſt, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* reſpondit

℣. 2.

Spiritus-ſanctus per Prophetam, *Qui ingreditur* E *ſine macula, & operatur juſtitiam.* Igitur impollutus ingrediens, & extra omnem peccati labem vivens, hîc eſſe reſponſus eſt, cui poſt baptiſmi lavacrum nullæ adhæſerint ſordes, ſed ſit immaculatus & nitidus, ſitque ei non corpus ſtupris contaminatum, non oculi ſpectaculis theatralibus ſordidi, non mens vino ebria, non pecuniæ vita ancilla. Magnum eſt igitur his abſtinere; ſed non in his ſtatim confecti itineris eſt requies: cœpta enim in his F

Virtutes ſectari.

via eſt, non peracta. Nam ſequitur: *Et operatur juſtitiam.* Bonum non tam cogitandum eſt, quàm exſequendum: & benevolentia non ineunda eſt, ſed explenda. JUSTITIAM enim velle, hic erit fructus ut fiat. Et quidem in his utilis eſt ad Dominum curſus: verùm plura ſunt reliqua.

℣. 3.

7. Reſtat enim: *Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam. Qui loquitur veritatem in* A *corde ſuo.* Superiora illa, licèt magna atque præclara ſint, ſolent tamen cum gentibus eſſe communia, ut vitium caveant, ut famam bonitatis acquirant. Sed hæc animalium, non ſpiritalium virtus eſt. Apoſtolus enim & carnalem hominem poſuit, & animalem, & ſpiritalem: carnalem, belluæ modo divina & humana negligentem, cujus vita corporis famula ſit, negotioſa cibo, ſomno, libidine. Animalis autem, qui ex judicio ſenſus humani B quid decens honeſtumque ſit ſentiat, atque ab omnibus vitiis animo ſuo auctore ſe referat, ſuo proprio ſenſu utilia & honeſta dijudicans; ut pecuniam ſpernat, ut jejuniis parcus ſit, ut ambitione careat, ut voluptatibus reſiſtat, ut bonitate venerabilis ſit. Sed præſens in his tantùm & inter homines homini erit uſus. De quibus ait gentium Doctor: Secundùm doctrinas & præcepta hominum,

Carnalis homo.

Animalis.

Coloſſ. 2. 22. & 23.

« quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ
C « in ſuperſtitione & humilitate ſenſûs, ad non
« parcendum corpori non in aliquo honore, ut
ad ſaturitatem carnis. Spiritalis autem eſt, cui ſuperiora illa ad Dominum ſtudia ſint, & hoc quod agit, per ſcientiam Dei agat, intelligens & cognoſcens quæ ſit voluntas ejus, arcanum ſecreti conſilii & abſconditi à temporibus ſæculi per revelationem ac donum Spiritus-ſancti intelligens, & ſciens quæ ratio ſit à Deo carnis aſſumtæ, qui crucis triumphus, D quæ mortis poteſtas, quæ in virtute reſurrectionis operatio. Hæc, ut idem Apoſtolus docet, animalis homo non percipit, quæ ſunt

Spiritalis.

1. *Cor.* 2. 14. & 15.

« Spiritus Dei; ſtultitia eſt enim illi: nec po-
« teſt intelligere, quoniam ſpiritaliter interro-
« gatur. Qui autem ſpiritalis eſt, judicat om-
« nia, ipſe verò à nemine judicatur.

Sine fide ſterilia opera.

8. Conſcius ergo Spiritus-ſanctus, ea quæ ſuperiora ſunt in vitæ innocentia & in operibus juſtitiæ, & gentibus & hæreticis eſſe E communia. Namque plures eorum & jejuniis corpora [d] defatigant, & continentiam patrimoniorum largitione teſtantur, & pudicitiam virginitate conſummant. Sed quia abundatura hæc & multa iſtiuſmodi in ipſis eſſent, Dominus ad diſcipulos ſic locutus eſt:

Luc. 18.

« Amen dico vobis, cùm venerit filius hominis, puta-
« tis inveniet fidem ſuper terram? Sciebat & virginitatem & continentiam & jejunia eſſe curanda; & quia hæc non proficiunt ad ſan- F ctitatem, niſi expleantur in Chriſto, id eſt, cum Chriſti veritate conſentiant; ad id quod ſuperiùs dixerat, Propheta ſubjecit, *Et loquitur veritatem in corde ſuo,* ſuperiora illa inutilia demonſtrans, niſi in confeſſionis veritate ſuſcepta ſint. Et in his quidem conſcendentibus ad requiem montis Domini gradus celſus eſt, in innocentia videlicet, & in operibus, & in confeſſione: ſed licèt provecti per plura ſimus, adhuc tamen [e] alta ſunt reliqua.

[a] Par. *Eccleſia corpus eſt Chriſtus:* repugnantibus mſſ. Rurſum infrà Tract. Pſal. 51. n. 4. habetur: *Eccleſia quæ corpus eſt Chriſti.*

[b] Hæc verba, *& in quo Deus eſt &,* apud Par. omiſſa ſupplemus ope mſ. Vatic.

[c] Sic mſ. Vatic. rectiùs quàm apud Par. *ex impietate dolor,* omiſſo deinde *nullus.*

[d] In mſ. Vaticano *deificant.*

[e] Apud Par. primò mendosè *adjicies,* deinde *alia ſunt.* Reponimus ex mſ. Vatic. *alta ſunt,* quamvis etiam legi queat, *alia ſunt.*

9. Solent

Fidei veritatem ore & opere proferre.

9. Solent enim plures gloriosam intelligentiæ verborum speciem præferre, & voluntatis ac judicii decus etiam verborum honestate mentiri; cùm de Deo bene sentiant & loquantur, verbis autem ac sensui suo gestis atque operibus mentiantur. Hi sunt, qui quæ loquuntur oderunt, & his quæ prædicant ipsis rebus inimici sunt. Ergo ad veritatem cordis adjunxit dicens, *Qui non egit dolum in lingua sua*; ut veritatem quam sentit, non fallat in verbis; ut catholicæ doctrinæ professionem, & ita sentiendi ac prædicandi judicium etiam operatio consequatur: quia secundùm Apostoli testimonium, ut in corde creditur, ita in ore confessio fit ad salutem. Ergo ut sit in Dei requiem [a] dignus adscensus, in verborum ac linguæ veritate vivendum est: ut per operationum fidem sensus nostri verba non falsa sint. (Rom. 10. 10.)

Mendacium officiosum.

10. Sed artum hoc, & per sæculi nequitias & vitia difficile iter [b] est. Est enim necessarium plerumque mendacium, & nonnumquam falsitas utilis est, cùm aut percussuro de latente mentimur, aut testimonium pro periclitante frustramur, aut fallimus de difficultate curationis ægrotum; & oportet secundùm Apostoli doctrinam sermonem nostrum sale esse conditum. Idcirco nunc Spiritus-sanctus falsitatis affectum mendacii conditionibus temperavit [c] dicens, *Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum*; ut crimen mendacii in incommodo haberetur alieno. (Coloss. 4. 6.)

11. Sed licèt quæ superiùs diximus expleantur, & ingrediatur innocens, opereturque justitiam, veritatem corde complectens, se ipsum in his quæ locutus fuerat non fallens, malum proximo non inferens; perfectus tamen in his non erit. Est adhuc aliquid in nobis edomandum, exspuendum, perimendum: & quid illud sit, idem qui per * superiorem confirmat Prophetam dicens, *Et opprobrium non accepit adversùm proximos suos*. Insolentiæ scilicet & fiduciæ vitia depellit, & commune illud superbiæ malum tollit. Quid enim tam inane, tam miserum, quàm homo homini superbiens, quàm de se aliquid fidens? Nonne videmus plures per opum insolentiam, cùm exprobrassent inopum egestatem, amissis omnibus egere; & aliorum miseriam fastidientes, rursum eguisse miserantum? plures etiam per præsumtionem vitæ diu [d] innocentis ad crimina devolutos, & cùm delicta aliis exprobrarent, ipsos vix ad pænitentiæ veniam pertinere? Non est igitur opprobrium adversùs proximos ineundum: sed si quid in iis incuriosum, si quid petulans, si quid negligens, si quid incontinens deprehenditur, sine exprobrationis amaritudine, [e] blandimento emendationis est corrigendum. Hoc humilitas, [f] hoc sui per metum diffidentia, quæ validissima fiduciæ custos est, curat, ne sit admonitio contumelia, ne sit emendatio opprobrium, ne sit doctrina convicium. Sic fiduciam [g] orantis Pharisæi Dominus in Evangeliis damnavit, tum cùm in medio consistens ita sermocinaretur: Gratias tibi ago Domine, quòd non sum sicut ceteri homines, adulteri, avari, sicut & hic publicanus. Erat autem publicanus in secreto orans, Domine miserere mei peccatoris. Huic orationi ejus Scriptura subjecit, Quia magis justificatus egressus est publicanus quàm Pharisæus. Misericordiam Dei peccati confessione promeruit publicanus: Pharisæus verò honorem eorum quæ de se proferebat, per insolentiam opprobrii amisit. (Luca 18. 11. & 13.) (Ibid. 14.)

(* f. superiora confirmat Propheta. Insolentem in alios, aut sibi fidentem non esse.)

12. Sed fortè jam dignum se quis, si hæc universa adeptus sit, promissionibus Dei credit; cùm se post innocentiam, post bonitatem, [h] post prudentiæ modum, etiam humilitate moderatus sit. Sed plura adhuc restant. Nam ut significavit in eo mendacio esse peccatum, si alteri malum mentientis falsitas compararet; ita nunc ubi opprobria adversùs proximos non sumenda decernit, habendam tamen rationem ipsius humilitatis adjecit. Quæ autem hæc ratio sit, cohæret in versu, *Et opprobrium non accepit adversùs proximos suos.* * *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* Non oportet humilitatem carere constantiâ, & libertas Dei à nobis in ea quam omnibus debemus servitute * retinenda est, ne ad potentium impetus terreamur, ne ad malevolorum arbitria cedamus. Interdum enim etiam regibus iniqua poscentibus turpi adulatione famulamur, & vitiis alienis conscientiæ nostræ infirmitate blandimur. Ergo si jam in professionem iniquitatis abruperit, ut in versu explicatur, *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus*; oportet istiusmodi hominem apud nos non alicujus, sed nullius esse judicii, ut sit nobis [i] nullus, abolitus, interemtus. Spiritalia enim tractantem, & cælestia contuentem decet humanæ nequitiæ despicere momenta, & animo sublimi & excelso [k] istiusmodi malevolentiæ hominem tamquam nullus sit opinari. (Humilitas non careat constantiâ.) (℣. 4.) (* al. retinendum.)

Honor nulli Deum timenti denegandus.

13. Sed magnitudinem fidei nostræ nimiùm fortè erexisse Propheta adversùs iniquos judicabitur. Sed spectandum est quid sequatur: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum magnificat.* Ergo ut sine personæ exceptione nullus nobis qui malignus est debet esse; ita & sine exceptione personæ omnis qui Dominum timeat honorandus est. Non nos moveat innocens

[a] Vaticanus codex post *requiem*, subjicit *hujus*.
[b] Addimus *iter* ex msf. Vatic.
[c] In prima editione Par. ex margine huc irrepserat, *Origenianum*: qua voce carent msf.
[d] Ita emendamus, cùm priùs legeretur *innocentes ad omnia devolutos*.
[e] In prima editione Par. *blandimento enim dictionis*, dissidentibus msf. Paulò antè *si quid negligens* adjecimus ex Vatic.

[f] Par. *hoc super metum*: mendosè.
[g] Ita msf. Vatic. At Par. *errantis*.
[h] Vaticanus codex, *post prudentiam*. Mox apud Par. *moderatum scit*.
[i] Desiderabatur antea *nullus*, quod ex msf. Vatic. supplemus.
[k] Apud Par. *istiusmodi malevolentia tamquam nullius opinari*: qui locus resarcitur ex msf. Vatic.

a pauper, non [a] jejunans anus, non servus fidelis, non confidens in ecclesiæ habitatione peregrinus; sed omnes pari judicio revereamur, ut talis sit in eorum qui timent Dominum magnificatione humilitas, qualis esse debet in nihil æstimandis malevolis libertas. A

Baptismo jurata constanter tenenda.

14. Et quia in regenerationis nostræ nativitate in hæc sacramenta juramus, renuntiantes diabolo, sæculo, peccatis, cùm interrogantibus respondemus; retinendam usque in finem confessionis hujus fidem statuit dicens, B *Qui jurat proximo suo, & non decipit.* Quamvis enim quis in mandatis Dei diu manserit, tamen si aliquando fefellerit, jam non manet cùm fefellit, & justitia anterior in injustitiæ tempore amittitur. In Evangelio, Beati qui manserint usque in finem. Idcirco apud Salomonem omnis laus in exitu canitur: quia in his quæ promissa sunt Deo, non est aliquando fallendum.

Matth. 24. 13.

Eccli. 11. 30.

Usuræ iniquitas.

15. Sed tendit usque ad consummationem C perfectam admonitio cælestis. Nam cui vitium omne detersit, cupiditatem quoque ei, quæ nimiùm nos detinet, pecuniæ avertit dicens, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Fallax hoc beneficium, & humanitas fraudulenta, damnosa hæc benevolentia docetur. Quid enim tam intolerabile, quàm ut indigenti ita beneficium tribuas, ut magis egeat; & miseriam inopis opem laturus accumules? Si Christianus es, [b] quid à Deo præmii exspectas, ipse ab hominibus non beneficia exspectando, sed damna? Si Christianus es, quid [c] otiosam pecuniam tuam in reditum componis, & fratris tui inopiam pro quo Christus mortuus est, thesaurum tuum efficis? Si Christianus es, non quæro ut largiaris, saltem debitum sic reposce, ne spolies; & memento eum à quo usuram repetis, esse inopem & pauperem, propter quem Christus inops voluit esse & pauper. Itaque sive injuriam, sive beneficium cùm pauperi præstas, Christo præstare te nosce; quia propter eum, cùm Deus esset, indigentiam ejus est dignatus & nomen.

℣. 5.

b

c

Munerum usus qui licitus, qui vetitus.

16. Sed ne durus sermo admonitionis istius crederetur, tamquam si penitus sub usurarum nomine habendi curam removisset: non igitur acquirendi sollicitudinem sustulit, quin etiam modestiam accipiendi muneris temperavit, dicens, ad id quod dixerat, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram; Et munera super innocentes non accepit.* Est quædam munerum consuetudo, quæ honorem afferat largienti, ita ut [d] maximi doloris sit oblata contemni, quàm damni donasse quæ sumta sunt. Igitur ea munera quæ in alterius operarentur injuriam inhibuit. Nam si usum munerum omnino abstulisset, satis fuerat dixisse, *Et munera non accepit.* Sed quia simplex donorum usus

d

aut ex hominis, aut etiam ex Dei reverentia venit; ea vetuit munera, quæ integritatem judicii corrumperent, quæ innocentis injuriam emerent, quæ nullum in se caritatis mutuæ officium continerent. Ut enim quæ Deo offerimus, his quidem ille non eget, sed per nos debitæ reverentiæ explentur officio: ita eam in muneribus docet observandam esse rationem, ut ea sumantur à nobis, quæ sint grata & utilia offerentibus, non quæ nos faciant venales, nec insidiosa innocentibus sint, nec munerantibus sumtuosa, officio potiùs quàm cupiditate sumta, honore * ingesta quàm metu, caritate magis suscepta quàm lucro.

* subaud. magis.

17. *Qui facit hæc, non movebitur in æternum.* Per hæc igitur est habitatio in tabernaculo, per hæc requies in monte. Restat ergo præceptorum custodia, & mandatorum opus. Condendus est psalmus in viscera, scribendus in corde, in memoria signandus, & hujus nobiscum noctibus diebusque copiosæ brevitatis thesaurus comparandus: ut acquisita hac in viaticum æternitatis opulentiâ, & habitantes in Ecclesia, tandem in gloria corporis Christi quiescamus.

PSALMUS LI.

D *In finem intellectûs David, cùm venit ad eum Doec Idumæus, & nuntiavit Saüli, Venit David ad domum * Achimelech.*

* Hilarius Abimelech.

*QUID * gloriaris in malitia, * qui potens es in iniquitate? Tota die injustitiam * cogitabit lingua tua: sicut * rasorium acutum fecisti dolum. Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem * magis quàm loqui æquitatem.* E DIAPSALMA. *Dilexisti omnia verba præcipitationis, linguam dolosam. Propterea Deus destruet te in finem, * evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.* DIAPSALMA. *Videbunt justi, & timebunt; & super eum ridebunt, & dicent, Ecce homo qui non posuit* F *Deum adjutorem suum: sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua. Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, & in sæculum sæculi. Confitebor tibi in * sæculum, quia fecisti, & exspectabo nomen tuum: quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.*

* Hil. [illegible] riatur. * Hil. [illegible] tens in [illegible] tate tota [illegible] * cogit[illegible] * Hil. [illegible] vacula [illegible] ta. * Hil. [illegible] quàm [illegible] justitiam * Hil. [illegible] las & [illegible] grat. * Hil. [illegible] culo.

[a] Ita Vaticanus codex: cum mendosè ferretur apud Par. *jejunans sanus.*

[b] Apud Par. *quid ab eo præmium præmii* &c. Restituimus *à Deo*; expunximusque *præmium*, Vaticani [illegible] licis auctoritate.

[c] Adjecimus ex Vatic. ms. *otiosam*, hoc est, sterilem. Mox in eodem ms. *in redditum*: & paulò pòst, quod & nobis probatur, *de thesauro tuo*, non *thesaurum tuum*.

[d] Apud Par. *majoris*; non malè, si suffragarentur mss. Mox in editione prima *quàm donasse*; in postrema, *quàm dona donasse*. Ex codice Vaticano, in quo corruptè, *quadam indonasse*, corrigimus *quàm damni donasse*; maximè cùm ms. Mic. præferat, *quàm damna donasse*.

TRACTATUS PSALMI.

1. SUPERSCRIPTIO ipsa psalmi sollicitam expetendæ intelligentiæ postulat diligentiam. Est enim in exordio ejus statim positum, *In finem intellectûs.* Nam & non sui temporis res psalmus continere ostenditur, cui præscriptio tituli *in finem* est. Et cùm * in fine intelligentia sit, non potest in eo alicujus alterius magis rei intelligentia esse quàm finis. Finis autem est, ut frequenter ostendimus, quo concluduntur omnia, cujus causâ cetera sunt, ad quem universa spei, rerum, negotiorum opera festinant.

* al. in finem.

Finis quid.

Quid spectet hic Psalmus.

2. Intelligentia ergo psalmi in eo consistit, [a] ob quem omnia sunt, extra quem nihil est. Et quis iste sit, superscriptio ipsa quæ continere historiam existimatur ostendit. Est enim talis: *In finem intellectûs illi David.* * *Cùm venit* [b] *Doec Idumæus, & annuntiavit Saüli, & dixit ei, Venit David in domum* [c] *Abimelech.* Atque ut absolutiùs rationem superscriptionis consequi possimus, ipse rerum gestarum ordo subdendus est. Doec præpositus erat mulorum Saül: qui ad Saül ait, Vidi filium Jesse venientem in Noba ad [d] Abimelech filium Achitob. Et [e] interrogavit eum in Domino, & manducare dedit illi, & gladium Goliæ alienigenæ dedit ei. Quibus auditis, rex potestatem Doec sacerdotum [f] & civitatis dedit. Dehinc Scriptura subjecit: Et circumivit, inquit, Doec Idumæus, & tetigit sacerdotes, & mortificavit in die illa octoginta & quinque, omnes ferentes ephod, & Noba civitatem sacerdotum dejecit in ore gladii. Hæc itaque omnis gestorum fides est: ex qua tantum ad psalmi titulum præsumtum est, quantum & sacramento psalmi, & propheticæ satisfaceret doctrinæ. Id enim solum in superscriptione est; *Cùm*, inquit, *venit Doec, & annuntiavit Saül, & dixit, Quia venit David in domum Abimelech.* Et necessariò post quinquagesimum psalmum, (in quo peccatorum remissio secundùm sanctificati hujus, ut in exordio psalmorum * docuimus, numeri virtutem continetur;) psalmus iste tempore anterior, ordine posterior collocatur: ut id quod *in finem intellectûs* præscribitur, perfectis undique & absolutis sacramentorum generibus possit intelligi.

℣. 1. ℣. 2.

1. Reg. 22. 9.

Ibid. 18. & 19.

* Prolog. n. 10.

A 3. Abimelech, interpretatione verbi, fratris mei imperium significat. Quod enim nobiscum fratris mei imperium dicimus, id Hebræi Abimelech nuncupant. Cùm ergo Saüli dicitur, *Venit David in domum Abimelech*; illi inimico David nuntiatur, quòd domum ingressus sit fratris imperii. Domus autem imperii fratris quæ sit, Petrus apostolus docet, dicens, Et vos quasi lapides vivi ædificamini [g] domus spiritalis, ad sacerdotium sanctum. Et infrà, B Vos autem genus electum, regale sacerdotium, genus sanctum, plebs ad possidendum. In hanc igitur spiritalem domum ædificandi in regale genus sumus, si per spiritalem corporum ædificationem conformes Deo facti, genus perfici regale mereamur. Hanc ergo Abimelech domum, id est, domum fraterni regni, David ille verus, sanctus, Rex, justus, oriens ingressus est; factus scilicet nostri corporis homo. Quæ domus fratris mei C regnum est: quia in ejusdem corporis gloria coheredes sumus regni ejus, ipso dicente, Venite benedicti patris mei, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi. Quòd autem fratres ejus sint, quorum domum regiam fuerit ingressus, per Prophetam testatur in psalmo dicens, Annuntiabo nomen tuum fratribus meis, in media ecclesia laudabo te. Concessâ ergo secundùm præcedentem psalmum peccatorum remissione, Verbum D caro factum habitat in nobis, qui & fratres, & domus spiritalis, & regale genus sumus.

Abimelech quid significet.

Quid domus ejus. 1. Pet. 2. 5.

Ibid. 9.

Quis eam ingrediatur.

Matth. 25. 34.

Ps. 21. 23.

4. Populus autem impius & parricidalis & proditor, qui in Doec [h] persona significatur, regi suo inimicus, scilicet David, prodit quòd in domo Abimelech sit. Et hoc fit, cùm Pilato traditur, cùm homo crucifigendus offertur, cùm repudiato rege regem suum Cæsarem * confitetur: prodens quidem eum in do- E mo esse Abimelech, sed non intelligens eum, [i] cùm in domo Abimelech sit, in domo esse imperii fraterni, corpus scilicet, in quo [k] ei sanctorum Ecclesia, quæ corpus est Christi, conformis conregnabit, ingressum, id est, in qua & desideratum sibi cibum sumserit: desiderio enim manducare pascha desideravit; & ex qua Goliæ, id est, diaboli arma sustulerit; fortis enim spolia ipse diripuit: post quod ab hoc eodem Doec, id est, populo proditore Apostoli occisi, ecclesiæ subversæ sunt. Hinc ergo titulus psalmi, *in finem intellectûs*;

Quis prodat ingressum.

* mss. confitentur.

Luc. 22. 15.

Luc. 11. 22.

Qui deinde occisi.

[a] Sola editio Par. *de quo omnia.*

[b] Sic mss. constanter juxta græcum, non *Doech* ut in excusis, aut ut in vulgata *Doeg.*

[c] Lips. & Par. hîc & deinceps constanter juxta Vulgatam, *Achimelech.* Sic & habet Psalterium hebraicum, in quod, inquit apud Hieronymum auctor Commentarii in Psalmos, eo faciliùs obrepsit error, quòd litteræ beth ב & caph כ apud Hebræos modico apice distinguantur. At Bad. Er. & mss. cum laudato auctore necnon Augustino juxta LXX. præferunt, *Abimelech*: de cujus dictionis mysterio fusè disserit Augustinus in hunc Psalm. n. 5.

[d] Monent Augustinus ac vulgatus Hieronymus in hoc libri Regum loco scriptum esse *Achimelech.* At nostri mss. etiam hîc sibi constant, consentiente editione novissima Interpretum LXX. ad plures mss. exactâ, in qua hîc quoque legere est Ἀβιμέλεχ, non Ἀχιμέλεχ.

[e] Ita Bad. Er. & omnes mss. faventibus LXX. ἠρώτα αὐτῷ διὰ τοῦ Θεοῦ. At Lips. & Par. *interrogavit eum in domo.*

[f] Regius ms. *& civitates*: non probatur. Non enim civitates, sed civitatem Noba, quam incolebat Abimelech, cum sacerdotibus à Saül in potestatem Doec traditam Scriptura memorat.

[g] Excusi *in domos spiritales.* At mss. *domus spiritalis*, sacro textui græco & latino consentientes. Mallemus deinde, *ac sacerdotium sanctum.* Infrà num. 20. habetur, *ædificamini domus spiritalis, regnum sacerdotale.* At ista *regnum sacerdotale* non ex eodem contextu, sed ex capitis ejusdem versu 9. adducuntur.

[h] Adjecimus *persona* ex Regio ms. Mox cum eodem magis placuit *inimicus*, quàm cum vulgatis, *inimico.*

[i] Hæc verba, *cùm in domo Abimelech sit*, in priùs vulgatis omissa restituimus ex mss.

[k] Desideratur *ei* apud Bad. & Er. Ejus loco apud Lips. & Par. præferebatur *&*, in Regio autem ms. *est.* Sequimur Vaticanos.

quia in Christo, qui David, oriens, justus, rex & æternus & pastor est, totius spei nostræ consummatio, & legis finis intelligitur esse: qui & secundùm psalmi titulum & ordinem in ea corporis sui domo proditus est, quæ ei fraterni domus esse significatur imperii. A

Christus finis.

a ℣. 3. 5. [a] *Quid gloriatur in malitia, potens iniquitate tota die?* Querela Prophetæ est, gloriari eum [b] in iniquitate tota die, qui in malitia potens sit. Et hæc quidem gloria iniquitatis arguitur. Ceterùm est gloria & expetenda & confitenda, & affectu quodam exsultantis gaudii eloquenda: quod utrumque sub iisdem dictis alius propheta demonstrat, dicens, Non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua, neque dives in divitiis suis: sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Vetitis enim primùm improbabilis gloriæ causis, causam rursum gloriæ competentis ostendit. Quo exemplo beatus Apostolus scit, in nullo sibi, nisi in uno tantùm esse gloriandum, cùm ait, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Non ergo gloria istiusmodi, sed gloria iniquitatis offendit; & ejus iniquitatis, quæ die tota fit. Diem pro ætate vel tempore hominis nuncupari solere meminimus, cùm dicitur, Diem hominis non concupivi: vel rursum cùm Abraham diem Domini desideravit: vel cùm Apostolus satanæ tradit in interitum carnis, ut spiritus salvus sit [c] in die Domini; non hunc diem ortu solis occasuque finitum, sed diem constituti temporis vel ætatis ostendens. Potens ergo in malitia, gloriatur in iniquitate tota die.

Gloria alia bona, alia mala. B Jerem. 9. 23. & 24. Gal. 6. 14. C Dies quid significet. Jer. 17. 16. Johan. 8. 56. 1. Cor. 5. 5. D

6. Sed absolutè intelligitur, in Doec persona rationem querelæ hujus non convenire. Quid enim potentiæ habebat mulorum custos, & jus in animalia vectionis regiæ sortitus, [d] aut tantùm nuntians David domum Abimelech ingressum? Numquid tota die in iniquitate gloriatur? Verùm sub persona ejus, populus cui omnis in iniquitate ætas fuit, cui ex potentatu malitiæ, gloria iniquitatis ipsius abundavit, significari intelligendus est. Potens enim fuit, [e] cùm serviens visitabatur à Domino, cùm propter eum tot plagis percussa est Ægyptus, cùm in trium dierum tenebris tenebras ipsas lumine secum manente non sensit, cùm Ægyptum ipsam argento & omni ornatu despoliatam cladi suæ reliquit, cùm secundùm diei noctisque tempora columnâ nunc nubilâ nunc igneâ usus est, cùm rubrum mare [f] pede transivit, cùm Angelorum cibo vixit, cùm majestatem descendentis ad montem Dei vidit, cùm vocem [g] de igne loquentis audivit, cùm regna multa bellis gravibus evertit, cùm Jordanem refluentem ut sibi areret spectavit, cùm prophetas habuit, cùm sacerdotibus ad emundationem peccatorum & redemtionem animæ suæ usus est, cùm obtinere regnum suum meruit. Sed in his omnibus cùm potens esset, tamen in malitia sua potens semper fuit, cùm cepas & allia Ægypti & cùm carnes desideravit, cùm ob vitiorum consuetudinem servitutem impiam libertati piæ prætulit, cùm vitulum adoravit, * Moysi maledixit, Deum abominatus est, filios suos dæmonum [h] hostias vovit, prophetas occidit, ipsum quoque Deum ac Dominum suum sui causâ natum hominem, proditum [i] prætori in crucem sustulit. Ac sic toto vitæ suæ die in iniquitate glorians, cùm potens esset, potens tamen in malitia esse permansit.

Doec, id est, Judæi semper in iniquitate. * Ms. Reg. Moysen.

7. Post hanc ergo de eo prophetici doloris querelam, jam in ipsum sermo convertitur: *Injustitiam cogitavit lingua tua.* Linguæ humanæ officium est, ut naturali impulsa ratione, motu vario eodemque moderato vocem in verba distinguat: exstetque [k] per eam ex confuso erumpentis spiritûs sono dissonans ad rerum intelligentiam sermo. Et quamvis quidem hic ejus ad id efficiendum rationabilis motus sit; tamen ipsa subdita potiùs esse rationi intelligitur, quàm [l] sensu rationis intelligens. Quod verò caret sensu intelligentiæ, caret & rationis instinctu. Quidquid autem caret rationis instinctu, caret & meditatione consilii. Et quomodo rectè à Propheta dictum intelligitur, linguam injustitiam cogitare, cùm cogitatio ex rationabili sensu animæ viventis ineatur; lingua verò non ad naturam rationis ineundæ, sed ad ministerium naturæ sit rationabilis instituta? Sed dicti hujus perfecti & prophetici auctoritatem & alius propheta demonstrat, dicens, In ore stultorum cor eorum est: quia nihil ex rationis consilio tractantes & cordis meditatione pendentes, temerario tantùm motu linguæ inconsultæ res fortuitas & inconditas eloquantur. Atque ideo in ore stultorum cor eorum est, quia non quod cogitaverint loquentur, sed quod locuti fuerint cogitabunt. Et hoc quidem de lingua stulti. At verò de lingua sapientis ita legimus: [m] Lingua intelligentis meditabitur sapientiam; & rursum, Lingua mea

℣. 4. Linguæ officium. An ei conveniat cogitare. E Eccli. 21. 29. Lingua stulti. Lingua sapientis. Psal. 44. 2.

[a] Par. post Lipsium, *quid gloriaris.* Veriùs antiquiores editiones cum mss. *quid gloriatur*; quomodo legit & Augustinus, qui cum Hilario ἐγκαυχᾶ activè habuit ab ἐγκαυχάω, non ab ἐγκαυχάομαι. Mox Bad. Er. & Lips. *Querelam facit Propheta, gloriari* &c.

[b] Abest *in* constanter à ms. Regio. Tum pro *tota die* vertit Symmachus apud Theodoretum *per singulos dies*, καθ' ἑκάστην ἡμέραν. Cui versioni congruit interpretatio Hilarii, cum quo vulgatus Hieronymus verba *tota die* explicat *omni tempore vitæ.* At apud Augustinum *sine intermissione*, & apud Ruffinum *assiduè* eadem verba exponuntur.

[c] Sic ms. Reg. juxta sacrum textum græc. & lat. At vulgati *in diem.*

[d] In excusis, *ut tantùm.* Magis placet cum ms. Reg. *aut tantùm.*

[e] Antiquiores editiones, *cùm servus visitabatur.* Reg. ms. *serviens cùm visitabatur.*

[f] Lips. & Par. *pedes*: refragantibus aliis libris.

[g] Bad. & Er. *de nube loquentis.* Reg. ms. *Dei loquentis.*

[h] Ms. Reg. necnon Bad. Er. & Hincmarus de Prædest. c. 25. *hostiis.*

[i] Apud Lips. & Par. ut superiùs in Ps. 2. pro *prætori*, substitutum erat, *præsidi*: renitentibus veteribus libris.

[k] In Regio codice, *per eum*: quod ad varium motum potest referri.

[l] Sola editio Par. *sensum rationis*: ac deinde cum ceteris, *intelligens est.*

[m] Miciac. ms. *lingua sapientis.* Alter è Vatic. *in lingua intelligentis meditatur sapientia.* Ex quo Scripturæ loco hæc proferat Hilarius, non liquet. Tantùm occurrit Psal. 36. 30. *Os justi meditabitur sapientiam*: & Prov. 10. 31. *Os justi parturiet sapientiam.*

calamus scribæ velociter scribentis : quia intelligentis lingua ex meditatione sapientiæ sit ; & eadem rursum tamquam calamus scribentis, nihil incompositum, nihil incertum agat : sed his quæ aut cogitata aut lecta fuerint, obtemperans celeriter ex ratione consilii obsecundet.

Lingua malum cogitans novaculæ aptè comparata.

8. Et quia ex ratione naturæ cogitatis potiùs famuletur lingua, quàm cogitet ; hæc lingua quæ injustitiam cogitavit, non naturæ suæ usa esse docetur officiis. Sequitur enim, *Sicut novacula acuta fecisti dolum.* Novacula ad nitorem vultûs acuitur ; ut abradens hirsutam atque horrentem barbam, faciem [a] leviget. Hæc si potiùs vulneret, dolum fecit : quippe cùm præparata ad ornatum, ministerium suum præbuerit ad vulnus. Lingua hæc ergo hujus in malitia potentis iniquitatem cogitans, dolum fecit : id est, quam natura ad eloquendas rationabiles cogitationes consulti cordis præparaverat, ipsa potiùs irrationabiles cogitat iniquitates. Populus enim ille qui in Doec significari intelligendus est, ad magnificandum Dei nomen electus, & ad celebrandas laudes ipsius præparatus, hunc inhonorat, hunc tradit, hunc, quantum in se est, morte crucis perimit : & hoc linguæ suæ novaculâ acutâ, per quam clamavit, Crucifige, crucifige, consummat. Dolum itaque tamquam novacula acuta & iniquitatem cogitans fecit hæc lingua ; & cujusmodi dolum, consequentia docent.

Utrique comparantur Judæi.

℣. 5.

Malitia quę neglectâ bonitate diligitur.

9. Sequitur enim : *Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem super quàm loqui justitiam.* Doli hujus crimen ex comparatione fit gravius, cùm malitia diligitur, bonitate neglectâ ; cùm iniquitas agitur, prætermisso sermone justitiæ. Hunc [b] propensæ malitiæ affectum Dominus in Evangeliis condemnat, dicens, Hoc est autem judicium, quia lux venit in hunc mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lumen. Populus itaque cui ad redemtionem peccatorum Verbum caro factum est, & Deus homo natus est, ut per fidei justificationem maledicto legis liber esset, cùm in transgressione legis mavult servire maledicto, ipsum illum Deum suum tradidit [c] pœnæ, sanguinem ejus, ut prætor esset innocens, in se ipse suscipiens. Et hæc agens, demutat naturæ suæ consuetudinem. Malitiam enim diligit super benignitatem, & ex bonis amorem convertit in pessima. Diligere quoque injustitiam super quàm loqui justitiam maluit.

Johan 3. 19.

Hujus malitiæ rei sunt Judæi.

Judæorum in Christum odium.

10. Tenuit verò secundùm Judaicam consuetudinem, propheticus sermo in ipsa sermonum virtute rationem, cùm ait, *Dilexisti malitiam super benignitatem, injustitiam super quàm loqui justitiam.* Nám ubi ait, *Dilexisti malitiam super benignitatem* ; nihil ultrà quàm dilectionem ipsam ex comparatione condemnat. Ubi verò ait, *Injustitiam super quàm loqui justitiam* ; ibi coarguit non jam prælati amoris affectum, sed ipsum illud odium in loquendo, dicens, *Super quàm loqui justitiam.* Possunt enim & solent Judæi, licèt non ament bonitatem, tamen eam vel loquendo simulare. At verò loqui de Domino nostro Jesu Christo, qui secundùm beatum apostolum Paulum factus est nobis justitia & sanctificatio & redemtio, nullo modo possunt. Non continentur ad aliquam sermonis patientiam, si cùm quando ex propheticis auctoritatibus ostenditur à nobis unigenitus Deus, qui ante sæcula natus est, in homine & passus & crucifixus & mortuus. Tum enim omne de eo eloquium evitant & fugiunt : & si discedendi quóquam locus nullus sit, vi quadam taciti doloris oppressi, aures manibus obstruunt, & auditum ne in se penetret excludunt ; bonitatem quidem tantam non amantes, interdum tamen eam loquentes, ceterùm justitiam nec diligentes, quæ Christus est, nec loquentes.

I. Cor. I. 30.

Diapsalma mutat sensum.

11. Intercessio diapsalmæ, etsi personæ non attulerit conversionem, tamen sensûs fecisse intelligitur demutationem. Nam cùm & ejus cujus antea, & ad eum ad quem antea, sermo sit, idem tamen sermo aliud nunc quàm antè significat. Et quidem superiora querelis gravia fuerunt, adeo ut ex Prophetæ dolore ante quàm edicerentur increpita sint : cùm injustitiam lingua cogitat, cùm tamquam novacula acuta dolum efficit, cùm [d] malitia super bonitatem diligitur, & injustitiæ super justitiæ eloquium est. Propter quæ quædam quasi Prophetæ accusatio apud Deum præmissa est arguentis, cùm dicitur : *Quid gloriatur in malitia, potens iniquitate tota die ?* Et ne inanis querelæ dolor reperiretur, ipsa querelæ causa subjecta est.

Peccato exposito subjicitur pœna.

12. Nunc verò intercedente diapsalmâ, non præcessit querela, sed demonstratâ antè causâ peccati gravissimâ, tum hæc damnationis est subjecta sententia : *Dilexisti omnia verba præcipitationis, [e] linguam dolosam : propterea Deus destruet te in finem, evellat & emigret te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.* Exemplo quo in Genesi dictum legimus his verbis, Quia fecisti hoc, maledictus tu à terra ; & rursum, Quia audisti vocem [f] mulieris tuæ ; sed & ab Apostolo, cùm gravissima humanæ impietatis crimina percensuisset, ita dictum ; Propter hoc tradidit eos in sensum reprobum : ita & nunc, *Dilexisti verba præcipitationis, linguam dolosam ; propterea Deus destruet te in finem.* Verbi virtutem latinus sermo non tenuit. Quæ enim nobiscum *verba præcipitationis* sunt, ea à Græcis ῥήματα

℣. 6.

Gen. 3. 14.

Ibid. 17.

Rom. I. 28.

[a] In mſ. Regio, *levificet* : cui favet Miciac. in quo, *vivificet*.

[b] Sic Regius codex : neque aliter legit Hincmarus de prædest. c. 25. At editi, *propensa in malitiam dilectionis affectum.* Propensa malitia dicitur, quæ præponderet ac præferatur dilectioni Dei. Habes in Psal. I. n. 17. *Non quòd non dilexerint & lumen, sed quòd dilectio illis magis fuerit propensa tenebrarum.*

[c] Apud Bad. *pœnam sanguinem ejus.* Apud Er. Lipſ. & Par. *pœnam sanguinis* ; renitentibus mſſ. & editione Hincmari loco citato.

[d] In Regio mſ. *malitiam super bonitatem diligit.* Mox cum Bad. & Er. *super justitiam.* Mallemus, *super quàm justitia.*

[e] Mſ. Reg. hîc & mox, *lingua dolosa* : non omnino malè ; suspicio enim est sermonem converti ad ipsam linguam dolosam, seu ad stultos linguæ motus non moderantes.

[f] Lipsius reposuerat, *uxoris tuæ*, nulla nixus auctoritate.

καταποντισμοῦ commemorata sunt: quo dicto significatur id quod nobiscum præcipitatio est, cum illis esse demersio in profundum maris. Potest autem nobiscum secundùm generalem sensum præcipitatio, non in mari tantùm, sed ex editis aut ædium aut rupium aut quorumcumque generum locis decidentium casus intelligi. Ergo secundùm demonstratam præcipitationis rationem, quia verba præcipitationis Doec dilexerit, severissimæ damnationi subjectus est.

Infidelis velut naufragus.

13. Omnis etenim anima infidelis, in sæculi hujus tamquam maris profundo naufraga, incerto motu vagoque differtur, & diversarum cupiditatum æstu mobilis fluctuat, [a] potestate diaboli sæculum insolentis illusa, & nulla ad resistendum obnitendumque ei subjectæ soliditatis firmitate consistit: ex quo facile est, incentivis circumagentium cupiditatum pendulam vagamque jactari. Quòd autem sæculi hujus motus atque fluctus undantis maris sit æstibus comparatus, qui dominantis sit diaboli incolatus, secundùm propheticam & allegoricam intelligentiam, psalmus centesimus & tertius sub corporali tamen creaturarum significatione demonstrat: Hoc mare magnum & spatiosum, illic serpentes quorum non est numerus. Animalia pusilla & magna: illic naves pertransibunt. Draco iste quem formasti ad illudendum ei. Et rursum in sexagesimo-octavo psalmo: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Vnigenitus itaque Dei filius, & Dei Verbum, & Deus Verbum, [b] ad eruendos nos ex profundo sæculi hujus naufragio descendit, doctrinæ suæ reti, cui regnum cælorum simile est, hæc universa piscium genera extracturus. Ab impio populo proditur & inhonoratur: seseque [c] populus conformatus, ad illudendum, draconi socium ipse demergit, & in hoc se profundum ad incolatus ejus consortium præcipitat. Sic & incredulus Moysi Ægyptiorum populus præcipitari demergique meruit, & impiam gentem refusi in se maris fluctus absorbuit, præcipitationis verba tum cùm Deo obstitit diligentem.

Sæculum, mare agitatum, diaboli incolatus. — Psal. 103. 25. & 26. — Psal. 68. 3. — Matth. 13. 47.

Judæi avulsi de patria, Johan. 19. 15.

14. Quia ergo Judæus populus incredulus, & regem suum prodens, verba præcipitii dilexit, dicens, Regem non habeo nisi Cæsarem: Deo rege neglecto, ac rege homine confesso, in hoc se sæculi profundum ipse demersit; ideo in finem destruitur (; usque in consummationem enim sæculi regnum destructæ civitatis amisit), & de tabernaculo evulsus & transmigratus est: vagus nunc in toto orbe terrarum, & ubique peregrinus, consummatis omnibus suis in Domini passione peccatis.

de legis ritibus,

15. Quia præcipitationis verba dilexit, tabernaculo illo caret in quo [d] Propheta semper Dei spiritu plenus fuit, in quo sanctarum virtutum tremendæ contemplationes & salutares visiones exstiterunt, in quo hostiarum ad redemtionem animæ utiles oblationes, in quo paschæ agnus in clade Ægypti fidelium custos, & in liminum sanguine potens signum, in quo æmulæ æternorum temporum temporariæ festivitates. Ab hoc itaque tabernaculo evulsi, his spiritalium donorum honoribus carent.

de Christi Dei & hominis corpore, Amos 9. 11. — Johan. 15. 1. &c.

16. Evulsi autem sunt non ex hoc terreno tantùm tabernaculo, sed ex illo de quo dictum est, Elevabo tabernaculum David quod cecidit; sanctum illud scilicet & venerabile nati ex Virgine Dei corpus & templum, in quo qui crediderit, tamquam consors dominicæ carnis habitabit. Omnis autem infidelis à cognatione hac non crediti corporis, id est, Dei tabernaculo evelletur & emigrabitur, spiritalis hujus tabernaculi indignus habitaculo: quod significare Dominus intelligitur, cùm ait, Ego sum vitis vera, vos estis propagines, pater meus agricola est. Omnis propago in me non manens, neque ferens fructum, eradicabitur. Et omnem propaginem in me manentem emundabit pater meus, ut fructum ampliorem ferat. Si qui igitur per fidem corporati Dei manere in natura assumti à Deo corporis merebuntur, hi emundantur in fructus æternos ex se afferendos: quia necesse est, ut naturam veræ vitis propago intra vitem manens teneat. At verò qui incredulus [e] nati in corpore Dei fuerit, vel si & credens maneat, fructibus tamen fidei suæ careat, eradicabitur, aut ob infidelitatem, aut ob inutilitatem fructuum negatorum. Natus enim ex Virgine Dei filius, non tum primùm Dei filius cùm filius hominis, sed in filio Dei etiam filius hominis, ut & filius hominis esset filius Dei, naturam in se universæ carnis assumsit, per quam effectus vera vitis, genus in se universæ propaginis tenet. Si quia ergo propago infidelis aut infructuosa est, eradicandam ipsa se præbet; per naturam quidem manens, sed per infidelitatem aut inutilitatem evellitur. Ex hoc ergo tabernaculo, tamquam ex vera vite, hic impius Doec & evellitur & emigratur, manens per naturam & in tabernaculo & in vite, sed per infidelitatem dignus avelli.

Sic avellitur infidelis aut fidei carens fructibus, — V. lib. 2. de Trin. n. 25.

de Christi regno.

17. Avulsus autem de tabernaculo, eradicabitur & de viventium terra. Qui enim non manebit in Christo, regni Christi incola non erit. Non erit autem, non quòd sibi non patuerit incolatus; (vniversis enim patet, ut

[a] In prima editione Par. ex msf. Mic. *si potestate*, abundat particula *si*, nec habetur in aliis libris. Mox Bad. Er. & Lips. *illisa*, non *illusa*: diffidentibus msf. & verbis Psalmi 103. 26. ad quæ hîc respicitur.

[b] Duo msf. Vatic. *ad erudiendos nos*. Tum Bad. & Er. *ex alto in profundum sæculi naufragium descendit*. Verbum *descendit*, omiserunt subsequentes editiones. Deinde in msf. ut apud Bad. & Er. *rete*, non *reti*.

[c] Ita Regius codex. At in vulgatis, *populo conformato*. Conjiciebamus primùm legendum esse, *conformatus populis*, puta Christus, qui naturæ nostræ particeps in sæculum descendit; maximè cùm in antiquis edit. & msf. subjiceretur, *ad illudendum draconem*. At hanc conformationem de populo Judæo prædicari palam fit ex subjectis.

[d] Par. post Lipsium. *Propheta . . . . . pleni fuerunt*: refragantibus msf. quamvis non alieno sensu. Hîc enim *Propheta* indefinitè accipitur.

[e] Corruptè apud Hincmarum de Prædest. c. 25. *natus*. *Idcirco*, inquit Hilarius lib. de Trin. 9. n. 54. respiciens eumdem evangelicum locum, *manere nos in se per fidem assumti corporis monet*.

consortes sint corporis Dei atque regni; quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, naturam scilicet in se totius humani generis assumens:) sed unusquisque pro merito & evellendum se de tabernaculo, & eradicandum de terra viventium præbet; non prohibitus umquam inesse, [a] quia per naturæ assumtionem incola sit receptus; sed eradicatur ob infidelitatis crimen, naturæ consortio indignus exsistens. Eradicatur ergo de viventium terra, quæ in beata regione sanctis Domino [b] conregnantibus præparatur: cujus ipse in Evangelio meminit, dicens, Beati mansueti, quoniam ipsi hereditabunt terram: & hic idem propheta, Et placebo Domino in regione viventium: à qua proditor populus eradicari meruit, post quàm destructus in finem, à tabernaculo & emigratus est & evulsus.

Matth. 5. 4.
Ps. 114. 9.

Terra viventium: & quòd mortui Deo vivant.

18. Vivorum autem idcirco terra est, quia omnis fidelis in Domino, licèt mortuus sit, Deo tamen vivit; ut dictum est, Ego sum Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob: non est Deus mortuorum, sed vivorum. Et rursum per Jacob, Vivat Ruben, & non moriatur. Et illud, Ismahel hic vivat in conspectu tuo. Sed & illud Apostoli; (si ita tamen legenti videbitur, quia duplicem sensûs significationem habet:) Et nos qui vivimus, qui residui erimus, rapiemur cum nubibus obviàm Domino in aera: & sic semper cum Domino erimus. Interceptio quidem corporum affert temporarium mortis occasum: sed lex constituta moriendi, legem non adimit resurgendi: quia decernenti legem, lex non affert necessitatem: neque sibi Deus jus vivificandi adimit, legem nobis decernendo moriendi. Mors autem in eos tantùm, [c] in quos est decreta, legitima est. Vivunt autem Deo omnes, ex cujus lege sunt mortui. Neque mors, quæ non nisi per legem decernentis invaluit, potest per se [d] in id invalescere, ne per decernentem renovandæ vitæ legem demutabilis sit [e]: cùm decernentis potestas constitutam ab exordio in Adam sub conditione decreti [f] vitæ legem demutaverit lege moriendi. Vivunt itaque sancti quique & [g] fideles Deo. Nam cùm se Deum eorum qui mortui fuerant, id est, Abrahæ & Isaac & Jacob esse dicat; & continuò testetur, non mortuorum se, sed vivorum Deum esse; docet per id eos qui judicio humanæ opinionis mortui existimentur, sibi legem decernenti non mortuos esse, sed vivos.

Matth. 22. 32.
Deut. 33. 6.
Gen. 17. 18.
1. Thess. 4. 14.

19. Intercessio diapsalmæ, etsi non personam, sensum tamen innovavit. Nam post prænuntiatam Doec damnationem, ad quem tamquam ad præsentem fuit sermo, nunc ad alterius expositionis significationem se retulit Propheta: *Videbunt justi, & timebunt, & ridebunt super eum, & dicent, * Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua.* Destructo Doec in finem, & evulso de tabernaculo atque emigrato, & de terra viventium eradicato, sancti quique necesse est metuant: cùm videant tot tantisque divinæ misericordiæ auxiliis populum adjutum atque usum, post ingentem illam & ultra humanas opes gloriosi regni dignitatem, maximum de se ac ultimum humanæ calamitatis exemplum præbuisse. Quis enim memoriâ recenseat antiquas gloriæ ejus & innumeras beatitudines, quas superiùs pro parte memoravimus, cùm post Ægypti funera itineri eorum divisum mare cessit, cùm ardorem diei columna nubis inumbravit, cùm noctis tenebras ignis columna discussit, [h] cùm cibum cælum per angelos præbuit, cùm fontem petra fluxit, cùm Jordanis refluxit, cùm civitas [i] maxima ad solum arcæ testamenti circuitum concidit, cùm sol de cursu suo inhibitus diem distulit, & divinæ legis ordo ex illo elementorum cælestium indefesso imperturbatoque motu ad belli moram restitit: post illam deinde divinæ majestatis & conspectûs & auditûs familiaritatem, consumtos eos bellis, fame emortuos, & antea mortuorum cadaveribus * ad mortem famis pastos, reliquos deinde in servitutem redactos, exsules ubique esse, ubique degeneres, nusquam cognitos, semper novos, & demutatione incolatûs semper ignobiles, semper alienos? Jam si spiritales quis oculos erigat, de quibus Dominus ait, Elevate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt ad messem; tum sciat avulsos esse ex consortio corporis Dei, & ex illo beatitudinis regno, ex illo resurrectionis honore, & esse sine Dei Spiritu, sine intelligentia prophetiæ, constitutosque gehennæ pabulum, quos immortalis vermis exesurus sit, & inexstinguibilis ignis crematurus: quorum sciat legislationem, quorum testamenta, quorum patres, ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus. Quanto ergo has damnationes eorum & præsentis & æternæ calamitatis sancti quique metu contuebuntur; quia punitorum contemplatio sit hoc terribilis exemplo? *Videbunt* ergo *justi, & timebunt:* nihil non sibi metuendum tanta horum calamitate intelligentes. Sed quia justi sunt, licèt timeant de exemplo, tamen de fructu propriæ justitiæ gaudebunt. *Ridebunt* enim *super eum*, ridentes [k] igi-

℣. 8.
℣. 9.
Dei erga Judæos beneficia ac vindicta.
** in obsidione Jerosolymitanâ à Vespasiano facta.*
Johan. 4. 35.
Judæorum ultio justis incutit timorem.
Esai. 66. 24.
Rom. 9. 4. & 5.

[a] Lips. & Par. *qui per naturæ assumtionem.* Rectiùs Bad. Er. & mss. *quia* &c. Idipsum enim hîc repetitur, quod paulò antè, *universis enim patet* &c. *quia verbum caro factum est.*

[b] Apud Hincmarum de Prædest. *congregantibus:* mendosè.

[c] Editi excepto Par. *in quos decreta legitime est.* Reg. ms. *in quos decreta legitima est.* Hoc sibi vult, morti vim nullam inesse, nisi ex lege ac decreto Dei.

[d] Ita mss. At excusi, *in his invalescere.*

[e] In vulgatis hîc adjicitur, *lege vivendi*, quod removimus Regii codicis auctoritate: cùm hæc demutatio satis exprimatur per *legem renovandæ vitæ.* Paulò antè *per decernentem*, perinde est ac, per eum qui decernit.

[f] In mss. *vitam legis:* forsitan veriùs; ut sit tropus Hilario familiaris. Apud Bad. & Er. *vita legis demutaverit legem moriendi.*

[g] Regius codex, *fidi Deo.*

[h] Ita mss. At Bad. & Er. *cùm cæli cibum* &c. Lips. & Par. *cùm cælum cibum Angelorum præbuit.*

[i] Reponimus *maxima*, pro *magna*, ex Regio codice, in quo deinde *circuitu*, non *circuitum:* atque ita erit sensûs, urbem Jericho arcæ circuitu concidisse solo adæquatam.

[k] Abest *igitur* à ms. Regio. De eadem gaudii ac timoris temperatione similia exstant in Psal. 2. n. 45.

tur & timentes, quia Deo subditi sunt, punitorum severitate terribili. Temperat ergo metum risus: dum & metus de exemplo, & risus ex merito est. Moderatur autem rursum metus risum, dum ita gaudebunt in bonis, ne desit terror exempli: quia IMPIÆ ET DIFFIDENTIS de se conscientiæ est, timere sine gaudio; & insolentis naturæ est, sine timore gaudere.

Spes omnis nostra in Deo.

20. Sed qui timentes ridebunt; id quoque adjicient ad hunc moderatum in timore risum, ut dicant, *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.* Stultitiæ atque impietatis extremæ est, non intelligere se sub Deo & ex Deo vivere, sed in his quæ gerit & exspectat, sua magis velle confidere potestate; cùm si quid illud in se sit, ex Deo sit. Ad Deum itaque spes omnis nostra sit, & confessio omnis in Deo sit, exemplo Prophetæ dicentis, Domine adjutor meus, & redemtor meus: & rursum, Levavi oculos meos in montes, unde veniet adjutorium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Metuamus itaque semper, ne quando nos æternus ille ignis exurat, & vermis immortalis absumat; cùm audiamus quid justi timentes ridentesque dicant: *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum.*

Psal. 18. 15. — Psal. 120. 1.

Contra divitum arrogantiam.

21. Divites quosdam insolentes esse præstat opulentia, & MAXIME timorem Dei divitiarum fiducia inanis avertit: stulti, non intelligentes hoc se magis religiosos oportere esse, quòd divites sunt; quia gratiam referre largitori bonorum sibi desiderabilium conveniat: & hoc magis inexcusabilis avaritiæ sit reatus, quia avaritiæ necessitatem non excuset opulentia. Jam verò quàm infelix fiducia est rei inanis: Deum contemnere habendo aurum, quasi aurum non ex Dei sit creaturis; aut aliquem per id, judicio sanæ mentis, beatæ vitæ acquirat profectum, quòd sibi aurum jaceat suffossum; [a] & hinc fiat non generalis animæ & corporis homo, aliusque possit esse quàm natus est; aut cùm vitâ excedat, auro suo sit usurus in morte! Utetur planè, si eo rectè utetur in vita, si esurientem pane suo aluerit, si nudum veste sua texerit, aut ægrum sumtu suo refoverit, aut captivum libertati suæ reddiderit. HÆ SUNT planè ambitiosæ apud Deum humani thesauri legationes, hæc potentia deprecandorum criminum & vera suffragia. Sic auro demutabimur, ut ex terrenis cælestes, & ex mortalibus simus æterni. Hæc infidelis ille populus non cogitans, & Dei mandata contemnens, putansque se per legem, quæ futurorum bonorum umbra est, esse divitem, & adeptis divitiis malè usus, ex viventium terra & tabernaculo eradicatus & emigratus, avulsus est: præpotentem se in vanitatibus credens, in regni scilicet sui gloria, in templi auro, in mandatis hominum, secundùm prophetam dicentem, Sine causa colunt me, docentes doctrinas & præcepta hominum, [b] Dei lege contumeliosa humanæ consuetudinis observatione mutatâ.

Auri pius usus. — Contra Judaicam insolentiam.

Esai. 29. 13. sec. LXX.

22. Propheta autem, quem necesse est justum esse intelligi, aliter de se fiduciâ spei suæ loquitur: *Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum & in sæculum sæculi.* Differt quidem tempore ætas hominum: sed prophetiæ spiritus idem est. Propheta manere se in domo Dei sicut olivam fructiferam dicit, arborem semper virentem, & fructus optimi feracem. Apostolus huic oleæ præfractis ob infidelitatem ramis ejus, fideles gentes ex ignobili oleastro esse insitas prædicat: ut contra naturam generis, naturam radicis acciperent. Sed Propheta in lege licèt manens, evangelicus tamen & propheta simul, & in Lege & in Evangeliis cum fructu suo in domo Dei esse persistit: non perfringendus in ramis, non relinquendus [c] in truncum, non inutilis jam ipse inserendo sibi præbendus oleastro, nec radicis suæ virtutem arbori transfusurus alienæ; sed totus integer ut est fidei apostolicæ prædicator, non ex gentibus radici legis ad fidem evangelicam inserendus, sed etiam in gentium evangelica fide, [d] propriâ radicis suæ ramorumque virtute totus ipse ex legis pingui conscientia fructuosus. Est autem Dei domus, secundùm apostolum Petrum, Ecclesia & omnes fidei evangelicæ sectatores, sicut ait: Ædificamini domus spiritalis, regnum sacerdotale. Et Paulus: Ut scias quemadmodum te oporteat in domo Dei [e] conversari, columna & firmamentum veritatis, quæ est Ecclesia Dei viventis. In hac igitur Dei domo justus & sanctus Propheta, tamquam fructifera oliva consistens, [f] propria sua usus fructuosa pinguique radice, speravit in misericordia Dei; non ad tempus, non in hujus corporalis tantùm vitæ brevi sæculo, sed *in sæculum sæculi.* Extendit enim spes suas ad infinitam perennitatis ætatem, nec concluditur mortis occasu: cùm sciat sibi in Abrahæ sinibus exemplo pauperis Lazari esse vivendum, sciat quoque gloriosæ resurrectionis demutatione coæternum se & conformem Deo esse mansurum: mansurum autem ob id quod sequitur, *Confitebor tibi Domine* [g] *in sæculo, quia tu fecisti: & exspectabo nomen tuum, quoniam bonum ante conspectum sanctorum tuorum.*

ẏ. 9. — Oliva. — Rom. 11. 17. — David sub lege evangelicus. — 1. Pet. 2. 5. & 9. — 1. Tim. 3. 15. — Sperat æterna. — ẏ. 11.

[a] Editi, *& hinc fiant generosioris animæ & corporis, homoque alius* &c. castigantur auctoritate mss. Non est unde quis putet, Hilarium in sententiam abiisse Pytagoreorum, quos Cato apud Tullium ait, *numquam dubitasse quin ex universa mente divina animos delibatos habeamus*; cùm sæpius inculcet simplicem, incompositam & omnis divisionis expertem esse Dei substantiam. Alibi quidem divinam animarum originem asserit, non quia ex Dei substantia, sed quia *omnis anima opus Dei sit*, non hominis, ut habet lib. 10. de Trin. n. 20. Itaque homines generalis animæ & corporis dicit, quia omnes ejusdem generis animam & corpus sortiuntur, corpus ex Adam, animam autem ex Deo. Videsis Tract. Ps. 62. n. 3. & quod de anima disseruimus in Præfat.

[b] Bad. Er. cum ms. Reg. *diligentes.* Rectiùs alii libri, *Dei lege*: respicitur enim hîc ad verba Matth. 15. 6.

[c] Unus codex Vat. cum Reg. *in trunco.*

[d] Regius ms. *propria*: quod idem est.

[e] In Regio ms. *diversari*, uti magno codicum consensu legitur infrà in Psal. 64. n. 6. ubi sequentia Apostoli verba meliori ordine referuntur.

[f] In vulgatis *propriè.* Concinniùs in uno ms. Vat. *propria* scil. *radice*; quod opponitur ramis insitis ex aliena radice viventibus.

[g] Editi hîc & inferiùs, *in sæculum*; tertio autem loco *in sæculo*: quod habet constanter Regius codex favente subjecta enarratione.

Misericordiâ Dei opus est ad beatitudinem merendam.

** Hæc citat Augustinus l. 2. contra Julian. c. 7.*

Psal. 62. 4.

23. Spes in misericordia Dei *in sæculum & in sæculum sæculi* est. * Non enim ipsa illa justitiæ opera sufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiæ voluntate humanarum demutationum & motuum vitia non reputet. Hinc illud Prophetæ dictum est, Melior est misericordia tua super vitam: quia quamvis probabilis per justitiæ operationem vita justorum sit, tamen per misericordiam Dei plus meriti consequetur. Ex hac enim vita in vitam proficit æternam: & operationem justitiæ in tantum misericordia Dei muneratur, ut miserans justitiæ voluntatem, æternitatis quoque suæ justum quemque tribuat esse participem. Idcirco *in sæculum & in sæculum sæculi* misericordiæ spes est: sed confessio tantùm *in sæculo*, non etiam in sæculum sæculi. Non enim confessio peccatorum nisi in hujus sæculi tempore est: dum voluntati suæ unusquisque permissus est, & per vitæ licentiam habet confessionis arbitrium. Decedentes namque de vita simul & de jure decedimus voluntatis. Tunc enim ex merito præteritæ voluntatis lex jam constituta, aut quietis aut pœnæ, excedentium ex corpore suscipit voluntatem. Cujus temporis non jam liberam, sed necessariam voluntatem ostendit Propheta, cùm dicit, Non est mihi in diebus illis voluntas. [a] Cessante enim voluntatis libertate, etiam voluntatis, si qua erit, cessabit effectus. Transire namque ad Abraham volens dives, chao medio non sinitur: cùm tamen per libertatem voluntatis in Abrahæ sinibus esse potuisset. Interclusa est ergo libertas voluntatis, quia confessio nulla est mortuis, secundùm id quod dictum est, In inferno autem quis confitebitur tibi? Sperans ergo Propheta misericordiam *in sæculum & in sæculum sæculi*, confitetur tantùm *in sæculo*: temporaria confessionis officia sæculi tempore gerens, spem verò æternam sæculorum æternitate protendens. Confessionis autem causam addidit dicens, *Quia fecisti*: auctorem scilicet universitatis hujus Dominum esse confessus, [b] nulli alii docens confitendum, quàm qui fecit olivam fructiferam [c] spei misericordiâ in sæculum sæculi.

Merendi post hanc vitam non superest locus.

Luc. 16. 26.

Psal. 6. 6.

Cui confitendum.

B

C

D

E

24. Et quis hic sit qui fecit ista, demonstrat, dicens, *Et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.* Exspectabit ergo Dei nomen cui confitetur, per quem facta sunt omnia, ut ait Paulus: Unus enim Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipso: & unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Hujus ergo nomen exspectat, Jesum scilicet videre, id est, salvatorem suum nosse, Angelo dicente, Et cognominabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum [d] à peccatis. Christum conspicere, ut per professionem generosæ familiæ sit Christianus, exspectat. Bonum autem hoc nomen est, quod Angeli atque Archangeli adorant, quod dæmones tremunt & ferre non possunt, quod ad salutem homines assumunt: quia scriptum est, Et omnis qui invocaverit nomen ejus, hic salvus erit. Exspectat autem non occultè, non trepidus, non solus; sed in conspectu sanctorum ejus, fide scilicet libera [e] testimonium exspectationis suæ vel sub sanctorum cælestium conscientia non recusans, vel, prophetæ exemplo, sanctis omnibus qui in terra sunt in se ipso præbens exspectationis exemplum.

Psalmista Christum videre exspectat.

1. Cor. 8. 6.

Matth. 1. 21.

Christianus est.

Rom. 10. 13.

PSALMUS LII.

* *David in finem pro * Abimelech intellectûs * David.*

** Ab Hilario abest, David.*

** Hil. Maeleth.*

** Hil. illi David.*

** insipiens.*

*DIXIT * stultus in corde suo, Non est Deus. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Deus de cælo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Nonne

---

[a] Non occurrit nobis unde hunc locum eruerit Hilarius; nisi fortè Malach. 1. 10. pro ἐν ὑμῖν, legerit ἐν ἡμέραις. Deinde apud Hincmarum, qui lib. de prædest. c. 25. hunc Hilarii locum cum pluribus aliis descripsit, pro, *Cessante enim voluntatis libertate*, corruptè habetur, *Cessant enim voluntates liberæ.*

[b] Dallæo l. 4. de Confessione c. 33. hoc Hilarii loco, ut confessionem Dei sacerdotibus faciendam explodat, abutenti respondens insignis Ecclesiæ Senonensis Decanus hist. Conf. c. 8. contendit hîc sermonem non esse de confessione peccatorum, sed de confessione laudis. Hujus sententiam egregiè confirmat Miciacensis codex, in quo non *nulli alii*, sed *nulli alium*, hoc est, docens à nemine confitendum ac laudandum alium, quàm Deum qui fecit olivam fructiferam. Eidem etiam favet quod proximè antecedit, *auctorem scilicet hujus universitatis Dominum* (vel ut in msf. Reg. *Deum*) *esse confessus.* Neque minùs favet quod sequitur, cùm fecisse olivam fructiferam laudis potiùs materia sit, quàm luctûs & confessionis peccatorum. Verùm etiam si detur de confessione peccatorum hîc sermonem esse, ut pote cum proximè dictis de ea confessione cui post hanc vitam nullus relictus est locus, apprime cohærentem; nihil tamen inde partes suas juverit Dallæus. Apertum enim est, tum hoc loco, tum pluribus aliis, Hilarium confessionis nomine non eam tantùm pænitentiæ partem intelligere, quæ peccata agnoscat aut declaret, sed totam ipsam pænitentiam, quæ & voluntatem mutare, & peccata ipsa valeat delere. Certè hujusmodi confessio eum unum respicere debet, in quem unum peccatum est, & à quo uno venia speranda. Atqui ut peccatum omne contra Deum, ita omnis venia ex eo est. Hæc sumit ipse Hilarius c. 18. in Matth. n. 10. Ergo, inquit, *venia omnis ex eo est, cùm etiam ea quæ in se sint peccata, post reditum confessionis indulgeat.* At verò licèt veniam omnem ex Deo esse asserat, eam tamen, Apostolorum ministerio obtineri ibidem disertè prædicat: *ut quos*, inquit n. 8, *solverint, confessione videlicet veniæ receperint in salutem, hi apostolicæ conditione sententiæ in cælis quoque soluti sint.* Quidni pari ratione pænitentiæ confessionem, solius quidem Dei intuitu, tamen Apostolis & eorum vicariis Sacerdotibus faciendam affirmet, ut dignam & congruam sententiam dicere valeant. De eadem re rursum agendi se offeret occasio in prædictum ex Matthæi Commentario locum.

[c] In msf. Reg. *spei misericordiam.* Mallemus *spe misericordiæ*, vel, *spe in misericordia*: maximè cùm numerus 21. ab his verbis inchoetur, *Spes in misericordia Dei* &c. nisi sciremus Hilarium hujusmodi tropos amare. Sic suprà n. 17. notavimus in omnibus msf. haberi, *vitam legis*, non *vitæ legem.*

[d] In vulgatis, *à peccatis eorum.* Vox *eorum* constanter abest à castigatioribus msf.

[e] Editi, *testimonio.* Rectius msf. Reg. & Mic. *testimonium*, scilicet non recusans præbere in conspectu sanctorum qui in cælis sunt: vel si sancti intelligantur qui in terra sunt, iis ut propheta præbens exemplum sui. Hinc minùs placet quod apud Bad. Er. & in Reg. msf. *prophetæ exemplo.*

*scient omnes qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum ut cibum panis? Deum non invocaverunt: ibi timuerunt ubi non * erat timor. Quoniam Deus dissipavit ossa hominibus placentium, confusi sunt; quoniam Deus sprevit eos. Quis dabit ex Sion salutare Israel? * In avertendo Dominus captivitatem populi sui, exsultabit Jacob, & lætabitur Israël.*

* Hil. *fuit.*

* Hil. *dum avertit.*

TRACTATUS PSALMI.

Psalmi præsentis & XIII. discrimen.

1. PRÆSENS psalmus tertio-decimo psalmo pænè conveniens est: sed habet in hac ipsa verborum similitudine non exiguum intelligentiæ discrimen. Primùm virtute inscriptionis ipsius. Nam tertius-decimus ita inscribitur, *In finem* [a] *illius David*; quo titulo id significatur, psalmum illum à David prophetatum fuisse: hic verò, *In finem pro* [b] *Maeleth intellectûs illi David.* (℣. 1.) Ubi enim est, *in finem intellectûs*, adhortationis & admonitionis est significatio, qua jubemur secundùm finis cognitionem intelligentiæ nostræ admovere judicium: ut ea in psalmo denuntiari intelligamus, quæ consummabuntur in fine; secundùm illud Apostoli, Dehinc finis, cùm tradiderit regnum Deo patri. Cùm evacuaverit omnem principatum & potestatem & virtutem, tunc & ipse subjicietur subjicienti sibi omnia. Novissima autem inimica evacuabitur mors. Hic ergo finis est, qui intelligitur in psalmo. Illud autem, quod *illi David* psalmus inscribitur, ostenditur omnis de Christo, qui David verus est, prophetari: quia ubi *illius* inscribitur, ibi eum qui dixerit significat; ubi verò *illi* est, ibi eum ad quem dicatur, ostendit.

1. *Cor.* 15. 24. *&c.*

Davidi, inscriptio quid, quid *Davidis.*

Deum esse cuique persuasum est, quod nollent impii.

2. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* Vitii humani est, pudenda eloquia verbis oris non audere committere, sed instinctu nequitiæ interioris urgente, ea intra cor eloqui: dum adversùm publici pudoris necessitatem [c] voluntatis iniquitate luctante, quod pudet dici, non pudet cogitare. Et idcirco stultus in corde suo dicit, *Non est Deus*: quia si vellet verbis oris hoc eloqui, stultus esse, sicuti est, publici assensûs judicio argueretur. Quis enim mundum contuens, Deum esse non sentiat? Sed fit frequenter, ut cùm nos veri necessitas ad confessionem Dei cogat, oblectatio tamen vitiorum Deum nobis non esse persuadeat: & quod contra fidem credimus, id tamen de consilio impii cordis eloquamur. Ex quo illud Dei dictum est per prophetam, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me: quia nolunt credere, quod negare non possunt.

V. infrà in Psal. 65. *n.* 10.

Esai. 29. 13.

Iniquitas negandi Dei causa. ℣. 2.

3. Causam verò hujus stultissimi in corde eloquii ostendit, dicens, *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis.* Iniquum est, quidquid extra legem est. Et legem Dei excedentes, primùm corruptioni subditi sunt, dehinc abominationi: quia iniquitas corruptionem affert, corruptio autem abominationem meretur. Cùm enim quis transgredietur Dei legem, tum Deum negabit: & Deum negare, corruptio est. Dominus enim noster [d] ad depellendam corruptionem Verbum caro factum est. Oportet enim, secundùm Apostolum, corruptionem vestiri incorruptionem. Sed qui iniquus est, & qui Verbum Deum carnem factum esse non credit, & quia Deus non sit loquitur in corde; corruptus & abominabilis permanebit. Tertius-decimus psalmus pro eo quod *abominabiles facti sunt in iniquitate*, ita ait; *Abominabiles facti sunt in adinventionibus suis.* Nec differt sensus [e] & crimen: quia homines ea quæ sibi sunt placita sectantes, divinæ legis constituta transgressi sunt.

1. *Cor.* 15. 53.

Bona in lingua quandoque, vix in factis.

4. Consequitur deinde hæc querela: *Non est qui faciat bonitatem.* Versum hunc, quia inferiùs etiam cum accessione subjectus est, suo loco tractabimus. Qui tamen nunc opportunè & competenter adjectus est, corruptis omnibus & abominatis, neminem in operibus repertum esse bonitatis: quia cùm loqui quæ bona sunt aliquando soleamus, factis tamen ipsis difficilè quæ bona sunt exsequimur.

Dei ad homines varii prospectus. ℣. 3.

5. Ac ne indiligens Dei erga homines voluntas esse existimaretur; adjecit dicens, *Dominus de cælo prospexit super filios hominum,* [f] *ut videret si est intelligens, aut requirens Deum.* Prospectio Domini de cælo frequens fuisse cognoscitur: quotiens peccatis humani generis commotus, salutis nostræ causâ aut Noë ante diluvium eligit, aut Abraham justificat per fidem, aut Isaac sponsionis suæ promittit heredem, aut in Jacob [g] posterioris populi primogenita præfigurat, aut Moysen prophetam & ducem præficit & latorem legis instituit, aut prophetas in omni tempore legis inspirat. Per has igitur virtutis suæ istiusmodi efficientias ad filios hominum prospexit: ut videret si quis esset intelligens & requirens Deum.

Deum exquirentium paucitas, modus exquirendi.

6. Non est autem facile illud, ob quod Deus prospicere dignatur ut videat: magnumque illud est, quod tam studiosè an in aliquo

[a] In Vaticano codice *filio David*; mendosè. Apud LXX. tamen Psalmus XIII. non ὑἱῷ, sed τῷ Δαβὶδ inscribitur.

[b] Editi cum Regio ms. *Abimelech.* Vaticanus codex *Amalech*, quod & legitur bis apud Hieronymum in expositione tituli, quamvis ipse psalmus *Mahalath* apud eumdem inscribatur; quomodo legitur & in edit. Ruffini, cùm in ms. exstet, *Melech.* Reponimus *Maeleth* cum Augustino, Theodoreto, & editione LXX. idque auctoritate ms. Miciacensis, in quo *Meleth*, ex dictantis forsitan & scribentis errore, mutato *ae* in *e*, dum dictans *ae* sic pronuntiarit quasi *æ*, ac sic exceperit scriptor quasi *e*. Sed hæc vox apud Augustinum, Ruffin. Hieron. &c. quamvis variè scribatur, una tamen ratione exponitur *dolens seu parturiens.*

[c] Sola editio Par. *voluptatis*; contra mentem Hilarii innuentis intellectum quidem convictum esse quòd Deus sit, sed repugnare voluntatem iniquam, quæ nollet eum vitiorum suorum esse vindicem.

[d] Editi excepto Par. *ad debellandam.*

[e] *sensus* scil. utriusque Psalmi verborum, & *crimen* variis licèt sonis in utroque expressum.

[f] In priùs excusis deerat, *ut videret.* Exstat in codice Vatic. in sacro textu græco & latino, nec omissum ab Hilario fuisse fidem faciunt postrema hujus numeri verba.

[g] Vaticanus codex, *potioris populi.*

reperiri possit inspicitur. Prospicit enim è cælo Deus, ut videat an se quisquam hominum intelligenter exquirat. Quotum enim quemque hominum invenies, qui secundùm perfectam intelligentiam Deum velit exquirere? qui primùm causas creaturarum, & dehinc constitutionem humani generis pertractans, per rationem intelligentiæ, auctorem ac parentem tantæ universitatis exquirat? dehinc cur mundus, cur homines, cur sæculi tempora; cur patriarcha electus, cur lex constituta, cur propheta præmissus, & in quem profectum causarum omnium origo constiterit? tum præterea [a] quem virtutes cælorum, & angelorum ministeria, & archangelorum potestates, & diaboli regnum, & sancti Spiritus donum, & Deus ex Deo unigenitus Dei filius, profectum nobis ex tam variis officiorum generibus impertiant? Hunc ergo exquirentem se per intelligentiam virum Deus videre prospectat.

Intelligere proprium est hominis. *Deut.* 10. 12.

7. Est enim intelligentiæ non exiguum meritum, Salomone dicente, Intelligentia enim bona omnibus qui inveniunt eam; & rursum per alium prophetam: O Israël, quid Deus exquirit à te, nisi facere judicium, & intelligere justitiam? Proprium enim intelligentia humanæ rationis officium est: & idcirco nobis natura animæ spiritalis inserta est, ut per eam ad intelligentiæ sensum, qui solus rationis est particeps, tenderemus. Sed obruti vitiis, & per oblectamenta corporis naturâ corporeæ gravitatis oppressi, declinamus nos à studio intelligentis exquisitionis.

Peccatum parit affectum declinandi à Deo. ℣. 4.

8. Declinamus autem postea quàm esse inutiles cœpimus: id enim propheticus sermo significat, *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Non cùm declinant, inutiles fiunt; sed cùm inutiles cœperint esse, declinant. Et virtutem dicti facile est ex consuetudine humanæ demutationis intelligi. Namque cùm ex bonis mali esse cœperimus, & ex prudentum familiaritate & publicæ famæ honestate per vitia nos & dedecora secreverimus; effecti per id inutiles, tum omnes probabilium virorum declinamus occursus, sectantes devia, & præsentiam bonorum conscientiæ nostræ pudore vitamus. Denique Adam per peccatum inutilis factus tum Dei declinavit adventum. Vivens autem aliquandiu innocens, & per mandatorum observantiam [b] utilis, familiarem sibi occursum antea Dei, simul atque inutilis cœpit esse, refugit.

Gen. 3. 10.

An bonus nemo, non Abel, non Seth, &c.

9. Non repertis autem Deum intelligenter exquirentibus, & omnibus, simul atque inutiles facti, declinantibus, ex affectûs dolore iteratur querela dicentis, *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Gravis Dei professio est, & indissolubile super humana vitia judicium, cùm bonitatem usque ad unum nemo facit. Et quæritur post hæc, quomodo

A Abel placuerit, Seth probatus sit, Isaac heres sit, [[c] Enoch translatus sit, Noë reservatus sit, Melchisedech sanctificatus sit, Abraham electus sit,] Jacob Israël sit, Job inculpabilis sit, Moyses amicus sit, Aaron christus sit, David secundùm cor Dei sit, Prophetæ spiritales sint, Apostoli cælorum claves sortiti sint, si excepto uno tantùm, bonus nemo sit? Jam verò illud quomodo dictum intelligitur, Bonus homo de bono thesauro profert bona; & illud, Serve bone intra in gaudium Domini tui? Quomodo enim bonus aliquis nuncupabitur, nemine faciente bonitatem?

Matth. 12. 35.

Matth. 25. 21.

In quos cadat, *non est qui faciat bonum.*

10. Ac primùm ne etiam in hos quos superiùs commemoravimus, judicio Dei probatissimos viros, cadere tamquam generalis hujus sententiæ professionem existimemus, superiorum dictorum sensus obsistit. Omnis enim de stultis & corruptis & abominabilibus cœptus est sermo: & Deo prospiciente de cælo, ut videret si quis intelligenter exquirens esset, omnibus post quàm inutiles esse cœperant declinantibus, nemo repertus est bonitatem faciens *usque ad unum*, id est, ex illis qui & stulti & corrupti & abominabiles, & post quàm inutiles facti sunt, declinantes esse cœpissent; sententiâ in eos divini judicii congruente, à quibus cœpit & sermo. Id autem quod ait, *usque ad unum*, non unum excepit ex omnibus; sed omnibus inutilibus & declinantibus, cùm usque ad unum bonitatem nemo faciat, ne unum quidem secrevit ex omnibus. Non enim ait, præter unum, sed *usque ad unum.* Et in eo quod præter unum est, exceptio significatur unius: in eo verò quod *usque ad unum* est, universitas generalis per prospicientis è cælo [d] scientis diligentiam, sub quodam speciali & personali numero continetur.

Bonitas perfecta quæ: & quòd hæc in nemine.

11. Quamquam verò eam esse infirmitatem humanæ naturæ meminerimus, ut ex comparatione divinæ bonitatis bonus nemo sit: sed incomparabilis illa divinitatis exceptio non interclusit bonitatis officium, ut secundùm comparationem humanam inter homines bonus nemo sit. Bonitas namque primùm perfecta est, quæ indemutabilis naturæ virtute consistens, nescit aliquando aliud esse quàm fuerit, nec potest non id esse quod semper est. Humani verò motus ipsâ plerumque mutatione diversi sunt, & terrenæ legis imperfecta natura fit alia, ex alio instinctu se perturbante demutans: & ad id nos diversarum affectionum motus impellit, dum contumeliâ irascimur, dum damno movemur, dum irâ accendimur, dum metu perturbamur, dum amore inflectimur, dum odio impellimur, dum gaudio efferimur, dum dolore stimulamur, dum judicio diffidemus, dum ætate mutamur. His ergo subditi naturæ infirmîs motibus, æquales esse non possumus, dum & G affectu demutabiles sumus & tempore. Et id-

[a] Er. Lips. & Par. *qua virtutes.* Rectiùs Bad. cum mss. *quem*, puta *profectum.*

[b] Apud Par. *sibi utilis.* Abest *sibi* ab editis aliis & ms. Reg. à quo & paulò antè abest *autem.*

[c] Quod uncinis concluditur, omittit ms. Regius. Vaticanus autem præcedentia ve[illegible]a, *Isaac heres sit*, post *Abraham electus sit*, ordine meliori exhib[illegible]

[d] Editi excepto Par. necnon ms. Reg. *scientem diligentiam.*

circo perfecta bonitas in nullo eſt, quia eam naturalium perturbationum incentiva demutent. Sed tamen [a] cùm in bonitatis ſumus vel voluntate vel geſtis, non poſſumus vel tunc non hoc eſſe quod ſumus. Et quamvis imperfecti ad id ſimus, ne ſemper id ſimus: quod tamen ſumus in tempore, licèt per naturæ infirmitatem demutationi bonitatis obnoxiis, non adimitur nobis bonos nos vel tum eſſe cùm ſumus.

Bonus eſt homo dum bene vult aut agit.

12. Bonus autem ſolus per naturam indemutabilem ſuam ſemper Deus, non prædurus hujus demutationis noſtræ arbiter fuit, indulgentiam infirmitati noſtræ, qua non ſemper boni permanemus, ex merito voluntatis impertiens, qua bonos nos eſſe delectat: magiſque his [b] quæ velimus propitiatus eſt, quàm his quæ non poſſumus iratus eſt. Namque cùm Moyſi, fideli utique amico ſuo, & quem in deum Pharaoni conſtituerat, dixiſſet, Quia non glorificaſti me [c] in aquis contradictionis, adſcende in montem, & morere: hunc ſibi poſtea, ſepulturæ ejus loco à nemine cognito, unà cum Elia ab Apoſtolis in monte conſpectum beati & æterni regni ſui conſortem & [d] martyrem reſervavit. Et ne per Aaron & David & [e] Salomonem pluresque alios iſtiuſmodi bonitatis Dei exempla percurram, quibus, increpitis demutationum offenſis, ob fidei tamen meritum adfuit venia proclivis; conſcius Dominus infirmitatis humanæ, cùm Apoſtolis dixiſſet, Omnes vos ſcandalum patiemini in hac nocte: & beato Petro ter, non tam ad denuntiationem [f] damnatæ negationis, ſed quia per timorem carnis demutabilis homo, id quòd negaturus eſſet admonito, & neganti quidem, claves tamen regni cælorum non ademit: quia cùm per trepidationem obrepſiſſet negatio, [g] voluntatis tamen uſque ad martyrium confitendi fides firma non deerat. Et aliud eſt nolle, aliud non poſſe. Territus enim Petrus, etſi per carnis ſenſum reſponſionis non potuit tenere conſtantiam; per fidem tamen animi ſtatim flevit. Et cùm decuſſum ſe ab eo quod volebat agnovit, lacrymarum dolore fidei ſuæ effudit affectum. Et ipſum illud fuit [h] negationis tempus & fletûs, ſcilicet ſecundùm trepidationis demutationem, [i] voluntatis firmitate potiore. Nam mox inconſtantiam trepidationis, conſtans fides flevit, probatiſſimam deinceps apoſtolicæ [k] conſtantiæ firmitatem martyrii confeſſione confirmans. Hæc idcirco in præſenti loco commemoravimus, ne generaliter dictum exiſtimaremus, *Non eſt qui faciat bonitatem, non eſt uſque ad unum*: cùm hi tot [l] & tanti placentes Deo viri, etiamſi per naturæ demutationem de propoſito fidei aliquantulùm decidiſſent, tamen maximis ac pulcherrimis bonitatis operibus [m] gloriam ſint cæleſtis de ſe judicii conſecuti.

Voluntati bonæ indulget Deus lapſus infirmitatis.

Deut. 32. 49.

V. Tract. Pſal. 67. n. 10.

Matth. 26. 31.

Petri lapſus, fides & conſtantia.

13. Atque hanc quidem intelligentiæ noſtræ rationem ea quæ conſequuntur, abſolvunt. *Nonne ſcient omnes qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum ut cibum panis? * Deum non invocaverunt:* [n] *ibi timuerunt ubi non fuit timor. Quoniam Deus diſſipavit oſſa* [o] *hominibus placentium, confuſi ſunt; quoniam Deus ſprevit illos.* Si enim uſque ad unum bonitatem nemo facit; quomodo populus Dei eſt, qui ut cibus panis manducetur ab operantibus iniquitatem? Generalitas ergo ſententiæ [p] amota eſt, cùm à Dei populo, quem in bonitatis operationibus non ambiguum eſt permanere, iniquitatem ſecernuntur operantes. Comedunt itaque operarii iniquitatis populum Dei ut cibum panis, qui ſanctorum injuriis vivunt, quos vexatio prophetarum, & vaſtatio Eccleſiæ, & omnis iniquitatis delectat operatio. Comedunt quoque etiam illi ut cibum panis Dei populum, qui eum obtrectationis morſu, & laniatu invidiæ dilacerant, ſecundùm illud Apoſtoli: Si autem invicem mordetis & comeditis, videte ne conſumamini ab invicem. Sed ſunt comedentes populum Dei ut cibum panis, quibus, ut idem beatus Apoſtolus ait, Deus venter eſt, qui miniſterium deputant ad negotiationem, collationibus ſe plebis & muneribus

℣. 5. *℣. 6.*

Populum Dei comedentium triplex genus.

Gal. 5. 15.

Philip. 3. 19.

[a] Excuſi *cùm boni ſumus*, cetera etiam nonnihil perturbatè exhibebant. Caſtigantur ope mſſ.

[b] Ita ex Regio codice. At in editis, *quæ vellemus*; & mox, *quæ non poſſemus*.

[c] Mic. mſ. *in aquæ contradictionem*. Reg. *in aqua contradictione*.

[d] Id eſt, teſtem. Tum in Regio codice, *reſervabit*. Hîc confirmat Hilarius quod cap. 20. in Matth. tradit, Moyſen poſtremum Chriſti adventum unà cum Elia præventurum.

[e] E regione hujus loci ad oram Regii mſ. annotavit manus antiqua, *Ex fidei merito nactum veniam Salomonem ſcire potes, quiſquis veri quæris rationem.* Hilarii tamen defenſor Philippus bonæ Spei Abbas Tractatum edidit *de damnatione Salomonis*. Verùm quidquid ex Patribus affert ad confirmandam ſententiam ſuam, hoc tantùm ut plurimùm probat, Salomonem à priſtina ſua bonitate excidiſſe, ſed non ſatis evincit eum in peccato impænitentem perſeveraſſe.

[f] In Mic mſ. *damnatæ mutationis*: quod in idem redit. Vult quippe Hilarius lapſum illum, quo Petrus Dominum negando à priſtina bonitate demutatus excidit, æternæ damnationi obnoxium non fuiſſe, quia ſui eum lapſûs citò pænituit. Itaque qui ſcopum ipſius attendet, non eum judicabit à culpa velle Petrum purgare, ſed à bonitate dumtaxat eatenus non excidiſſe, quatenus culpam citò correxit, & in bona voluntate perſeveravit, ſicut & priùs Aaron, David & Salomonem à culpa non exemit. Huc ſpectat illud c. 32. in Matth. *Amariſſimè flevit recolens trepidationis iſtius culpam ſe nec admonitum potuiſſe vitare*. Juxta hæc Petri culpam appellat Auguſt. epiſt. 185. n. 46. mendacem timorem. Ne verò quis Petri reditum per ſolam voluntatem ſine gratiæ ſubſidio hîc prædicari ſuſpicetur; recolat quæ habentur lib. 10. de Trin. n. 41. *Oratur Pater, ut ſalvatos per ſe, nunc in nomine ſuo ſalvet ipſe. Et adeo ſalvat, ut Petri fides pænitentiâ ſubſequente non deficiat, licèt territa.* Non deficit igitur Petri fides, quia Pater ſalvat: en gratiæ virtus. Salvat autem Pater poſt quàm Chriſtus oravit: en meritum.

[g] Ita Reg. & Mic. mſſ. Editi verò *voluntati*: utriuſque lectionis unus ſenſus.

[h] Apud Bad. *negotiationis*, librariorum lapſu. Apud Par. *demutationis*. Reſtituimus *negationis* ex Er. Lipſ. mſ. Regio & tribus Vaticanis: hoc eſt, Petrus pænitentiam diu non diſtulit, ſed idem tempus fuit & negationis & fletûs.

[i] Par. *voluptatis*, Hilarii ſcopum minimè aſſequitur, contendentis Petro ad martyrium uſque confitendi Chriſti non defuiſſe voluntatem, quæ trepidationi ad modicum cedens, ſuperior tandem exſtiterit.

[k] Apud Er. & Bad. deſideratur *conſtantiæ*. Ejus loco in aliis editis vox *fidei* ſubſtituta eſt, ac deinde *firmitate*. Locum hunc reſarcimus ope mſſ.

[l] Bad. Er. & Lipſ. *& placentes*. Vatic. mſ. *& tam placiti*. Regius, *& tam placentes*.

[m] Vaticanus codex, *gloriæ ſint cæleſtis de ſe judicium conſecuti*.

[n] In Vaticano codice, ut in Vulgata, *illic trepidaverunt timore*. In græco, ἐκεῖ ἐφοβήθησαν φόβον. Verior tamen videtur lectio librorum aliorum.

[o] Græcè ἀνθρωπαρέσκων. Regius codex, *hominum placentium*, ſubnexæ expoſitioni non congruit.

[p] Excuſi *admota eſt*: emendantur ex mſſ.

ditando : dum convivia ſub obtentu religionis ſumtuoſa ſectantur, dum apothecas ſuas [a] inutili religioſorum obſequio diſtendunt ; (cùm conſuetudo ab Apoſtolis, neceſſariæ hujus collationis ad diurnam tantùm ſæculo renuntiantium, aut per inopiam indigentium, alimoniam fuerit inſtituta ;) de quibus ſcriptum eſt, Comedentes domos viduarum, & oratione longa orantes. Hi ergo ut cibum panis, Dei populum comedunt, & Dominum non invocaverunt. Stulti enim in corde dixerunt, *Non eſt Deus.* Non invocant ergo quem negant. Vel certè ſi qui in Eccleſia poſiti, Dei plebem obtrectatione, inſectatione & ſumtu comedunt ut cibum panis, etiamſi Dominum invocare ſe credunt, audient dictum in Evangelio fuiſſe, Scimus enim quia peccatores Deus non audit. Hi ergo Dominum non invocaverunt : quia [b] oratio non verborum ſit profeſſio, ſed fidei.

Collationes propter pauperes & ſæculo renuntiantes.

Matth. 23. 14.

Deum non invocant malè agentes.

Johan. 9. 31.

14. Sed qui Deum non invocant, & illud impietati ſuæ addunt, ut timeant non timenda : (illic enim trepidarunt, ubi non erat timor,) ſaxa, metalla, [c] robora, ignem, aquam, æthera, reges mortuos atque morituros, vel cetera religionum ſuperſtitioſa commenta venerantes : & hoc ipſo impio inanium metu, [d] contemtuque neceſſarii timoris ex comparatione condemnandi ; cùm non tam oblíviſci timorem Dei impium ſit, quàm impietate præcellat, timori ejus metum inanium prætuliſſe. Docuit autem Dominus, ſolum in nobis metum eorum quæ verè timenda ſunt oportere eſſe, cùm dicit, Nolite timere eos, qui poſſunt corpus occidere, animam autem non poſſunt occidere. Timete autem magis eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna. Impius ergo timor eſt, cùm quæ non timenda ſunt timentur, & quæ timenda ſunt non timentur. Et plerumque nos tamquam pro debita officii religione piè adulari regibus exiſtimamus, quia in corpus noſtrum ſit his aliquid poteſtatis : quibus nihil ultrà de nobis licet, quàm latroni ; quàm febri, quàm incendio, quàm naufragio, quàm ruinæ. [e] His enim caſibus corporum pro ſumma poteſtate deſæviunt : & propter brevem dolorem [f] libertatem Eccleſiæ, ſpei noſtræ fiduciam, confeſſionem Dei addicimus ; punitorem perditoremque in igne judicii & corporis & animæ noſtræ Deum non timentes, & æternis divinæ ultionis pœnis momentanea atque abolenda ſupplicia præferentes ; dum placere nos ipſis, & in eorum gratia permanere famulatu impio gloriamur.

Timent non timenda.

Matth. 10. 28.

Regibus adulantes.

15. Hoc ipſum decreto graviſſimo ſententia divina condemnat. Namque ad illud quod dixerat, *Nonne ſcient qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum ut cibum panis : Deum non invocaverunt, ibi trepidaverunt ubi non erat timor ;* id ad ſummam cœpti ſermonis adjecit, *Quoniam Deus diſſipavit oſſa hominibus placentium, confuſi ſunt ; quoniam Deus ſprevit illos.* Hi ergo qui operantur iniquitatem, & populum comedunt ut cibum panis, & Deum non invocaverunt, & in non timendis trepidaverunt, nonne cognoſcent, quia oſſa eorum qui hominibus placere velint, Deus [g] diſſipavit? Timuit hujus prophetici dicti ſententiam ſanctus ille gentium doctor, dicens, Ego ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Inutilis eſt humanæ gratiæ & irreligioſa ſectatio. Nam EX DEO MAGIS, quàm in contumeliam Dei, hominibus eſt placendum : ut per divina inſtituta, & probitatem fidelis vitæ innocentiſque placeatur. Ceterùm placere tantùm hominibus velle, Deo eſt diſplicere. Non avocat autem ab hominum gratia Deus juſtorum mentes, & fidelium rationabilem ſanctitatem. Et audiamus eum per Paulum loquentem : Sine offenſione eſtote Judæis & Græcis, & Eccleſiæ Dei, ſicuti & ego [h] omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile ſit, ſed quod multorum eſt, ut ſalventur. Hoc eſt non hominibus, ſed Deo placere, cùm per id quòd Deo placetur, & hominibus ſit placendum. Ex cauſa enim placendi Deo, cauſa etiam hominibus probabilis fit placendi. Ceterùm ſtudium, quod ut hominibus tantùm placeatur impenditur, ad id quod Deo placendum eſt non refertur : quia tantùm eorum cauſâ quibus placetur adhibetur. Non eſt autem majus vinculum hominibus placendi, quàm ut nemo ſui cauſâ [i] velit iis placere quibus placeat : quia quod in profectum propriæ utilitatis efficitur, non poteſt non aliquam interdum offenſionem ex cauſis * accedentibus excitare : cùm quod alii utile eſt, alteri ſæpe fiat incommodum. At verò qui nihil ſui cauſâ velit, & omnia in profectum alienæ [k] utilitatis exerceat, neceſſe eſt ut cauſam ſibi inoffenſæ placabilitatis acquirat ; quia & ex alienis utilitatibus placeat, nec offendat ex propriis. Et hanc ſibi eſſe cauſam probabilem placendi cunctis Apoſtolus docuit, quia utilitatis ſuæ negligens, utilitati ſe dediſſet alienæ.

Gratiam humanam ſectari quando nefas.

Gal. 1. 10.

Hanc ſibi comparat vita proba ;

1. *Cor.* 10. 32. & 33.

& qui non ſui causâ vult aliis placere.

* *al.* accidentibus.

16. Diſſipavit ergo oſſa Deus hominibus

Oſſibus æternitatis ſpes ſignificatur.

[a] Hoc eſt, ex non neceſſaria piorum hominum collatione.

[b] In vulgatis *operatio.* Rectiùs Vaticanus codex, *oratio.* Tum Regius, *non verborum, ſed profeſſione ſit fidei.*

[c] Vaticanus codex, *& arbores.* Nil tamen immutandum ducimus. Druidarum enim religionem forſitan hîc attendit Hilarius. Idem codex ante *ſaxa*, præfixum habet verbum *adorantes.*

[d] Deſideratur *contemptuque* in Regio codice. Timoris Dei contemtus in hoc ponitur, quòd ei inanium timor comparatus præferatur. *Præferri enim ſolet dilectioni ex comparatione dilectio*, uti vidimus in Pſal. 1. n. 17. Præterea hîc τὸ *ex comparatione* poteſt referri ad verbum *condemnandi* : ut qui timori Dei timorem inanium prætulerint, condemnandi ſint ex comparatione eorum qui timori inanium prætulere timorem Dei : quomodo in Pſal. 2. n. 44. habemus, comparatione fidei ac timoris juſtorum, impios impænitenteſque condemnandos. Sic ſolet Hilarius verba in medio collocare, ut & ad ſuperiora & ad ſubſequentia æquè referantur.

[e] Unus è mſſ. Vatic. *His tantùm caſibus.* Alter, *his enim generibus*, & mox, *propter brevem corporis dolorem.*

[f] Regius codex, *libertatem ac deſideria ſpei noſtræ, fiduciæ confeſſione dejicimus.*

[g] Excuſi hîc & inferiùs, *diſſipabit.* At in mſſ. *diſſipavit* : veriùs. Ut enim infrà habet Hilarius n. 17. *tamquam ex præterito pro decreti definitione ſit ſermo* &c.

[h] In excuſis *per omnia in omnibus.* Particulæ *per* & *in* non exſtant in mſ. Regio, neque in græco.

[i] In excuſis, *velit aliquid*, omiſſo *iis placere quibus placeat*, quod reſtituimus ope mſſ. Hîc oſtenditur vinculum, quo omnes ſibi quiſque devinciat.

[k] Sic mſſ. meliùs quàm editi, *voluntatis.*

placentium. Et ossa non hæc corporalia dissipari intelligenda sunt : sed quia spes æternitatis in ossibus significari solet, ex quo dictum est, Hoc nunc os de ossibus meis. [*Genes.* 2. 23.] Quod beatus Apostolus, quia magnum mysterium est, ad Christum & ad Ecclesiam refert, [*Ephes.* 5. 32.] quæ ex Adæ sui æternitate æternitatis substantiam mutuatur. Quod in Domini vulnerato licèt corpore confixoque non frangitur. [*Num.* 9. 12.] Os, inquit, ejus non conteretur : quia cùm fuerit iniquis jus passionis in carnem, [a] in æternam tamen divinitatis & impassibilem naturam nihil licuit passioni. Integram autem & incorruptam spem æternitatis significari in ossibus etiam illic meminimus, ubi dicitur, Custodit Dominus omnia ossa justorum, unum ex his non conteretur [*Psal.* 33. 21.] : quia secundùm demonstratam Ezechieli resurrectionem, [*Ezech.* 37.] sacramentum ejus sub ossium significatione sit revelatum. Ergo ut custodit Deus ossa justorum, ita & hominibus placentium dissipavit : & dissipavit non ita, ut eo quod essent carerent, sed ut per contemtum Dei tamquam deperdita & abjecta vilescerent. [*V. Tract. Psal.* 1. n. 14. & 15.]

[Confusio duplex impiis post judicium.] 17. Id enim sequitur, *Confusi sunt, quia Deus sprevit illos.* Confunditur quisque, & pudore dedecoris sui, & comparatione honoris alieni. Et hîc illud est, quod Apostolus significat dicens, Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. [1. *Cor.* 15. 51.] Sed & propheta & confusionem resurrectionis & honorem discernit, ita dicens : Et resurgent alii quidem in vitam, alii autem in confusionem æternam. [*Dan.* 12. 2.] Confundentur ergo quorum ossa dispersa sunt, quos sprevit Deus, quos tamquam indignos ne conformes essent gloriæ suæ & resurrectionis abjecit. Resurrecturi adeo, ut confundantur : non immutabuntur verò, & ex eo confundentur. Hæc enim resurrectionis statuta conditio est : & idcirco tamquam ex præterito pro decreti definitione fit sermo, quia id ut ita maneat sit statutum.

18. Commemoratis verò humanis & insolentiæ & iniquitatis impietatibus, ut is qui titulo præfertur intellectus in finem possit intelligi : tali Propheta spem beatorum finis ipsius adhortatione confirmat, dicens, [℣. 7.] *Quis dabit ex Sion salutare Israel ? dum avertit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Iacob, & lætabitur Israel.* [Spes, vitæ hujus unum levamen.] Una enim hæc spes reliqua fuit humanæ [b] infirmitati & fidei, per quam inter tantas præsentis vitæ calamitates æternorum bonorum exspectatione requiesceret. Et idcirco certus hujus beatitudinis Propheta, tamquam ex vasto humanarum miseriarum proclamat profundo, dicens, *Quis dabit ex Sion salutare Israel ?* Namque secundùm alium prophetam, Ex Sion exiet lex, & verbum Domini ex Jerusalem. [*Esa.* 2. 3.] [Salutaris est Jesus.] Hoc Verbum Domini caro factum est. Hæc caro & Sion & Jerusalem est, civitas [c] novæ pacis, & speculatorium nostrum. Hinc salutaris, hinc Jesus. Jesus enim, ut [d] sæpe diximus, ipso nomine salutaris est. Lex autem ex Sion non fuit salutaris, opere quidem vivificans, sed non justificans ex fide.

[Datus vero Israel non carnali.] 19. Hic verò exspectatus est salutaris, & datus est Israel : sed non carnali illi Israel. Non enim qui filii carnis, filii Dei sunt, sed filii promissionis deputantur in semen. [*Rom.* 9. 8.] Testatur & Johannes, non esse secundùm carnem Abrahæ filios, cùm & filii viperarum sunt : & potens est Deus Abrahæ filios de lapidibus excitare. [*Matth.* 3. 7. & 9.] Dominus autem ipse docuit, ex fidei operibus proprietatem successionis exsistere, nec secundùm carnis generationem filiorum originem deputari, cùm ait, Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. [*Johan.* 8. 39.] Sed & Daniel presbyteros condemnans, ita dicit : non, Semen Abraham, sed, Semen Chanaan, & non Juda. [*Dan.* 13. 56.] Ezechiel quoque increpitis populi iniquitatibus ait, Pater tuus Chananæus, mater tua Chethæa, radix tua & generatio tua de terra Chanaan. [*Ezech.* 16. 3.] Non est ergo Israel iste ex successione corporea, cui ob infidelitatem origo profanissimi generis deputatur. Neque huic data salus est, qui non suscepit oblatam : sed ei qui aversa captivitate populus Dei factus est.

[Populus captivus, gentes.] 20. Captas autem imperitarum gentium mentes, & impiissimis vitiis ac religionibus subditas, in libertatem fidei & nomen familiæ cælestis absolvit. Qui enim erant dæmonum servitus, facti sunt Dei populus. Et quis hic sit captivitatem avertens, de se ipse testatus est. [*V. Tract. Psal.* 13. n. 5.] Hanc enim non lex, non patriarcha, non propheta, non angelus, non aliqua alia cælestium, vel dominatuum, vel potestatum, [e] vel thronorum, vel virtutum virtus avertit ; [Liberator Christus, & quando.] sed ille qui accepto libro in synagoga cùm ista legisset, [*Luc.* 4. 18. & c.] Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, prædicare captivis remissionem, & cæcis visionem, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum ; fidem & [f] auctoritatem consummatæ significans prophetiæ, ait, Quia hodie impleta est prophetia hæc in auribus vestris. [*Ibid.* 21.] Hoc igitur populi Dei aversa captivitas est, cùm oculi intelligentiâ panduntur, cùm præfracta peccatis corda in requiem relaxantur, cùm annus Domini acceptabilis nuntiatur, quo pænitentiæ nostræ Deo accepta est confessio, cùm nihil præteritorum reputatur ad crimen, cùm nova omnia sunt, nova libertas est, novi filii, & æterna lætitia est.

[Jacob supplantator.] 21. *Exsultabit Iacob, & lætabitur Israel:* idem namque ipse patriarcha utrumque nomen sortitus ex merito est. Nam quia manu calcem fratris continuisset in partu, Jacob nuncupatus est : supplantaturus deinceps &

[a] Regius codex, *in internam*, quod primùm nobis arriserat ; minùs tamen ad rem. Deinde etiam cum aliis mss. habet, *divinitatis*, non ut vulgati, *divinitatem*. Hîc distinctè aperit Hilarius quam Christi naturam velit passione caruisse.
[b] Editi *infirmitatis* : emendantur ex mss.
[c] In uno ms. Vatic. & Mic. *nobis*, non *novæ*.

[d] Dictum est hactenus tantùm semel in Psal. 13. n. 5. Potuit tamen dici in Psal. 9. 11. 12. 19. 20. &c. in quibus occurrit vox *salutaris* : quod argumento est psalmos alios quàm qui hactenus expositi sunt, ab Hilario fuisse tractatos.
[e] Regius ms. *vel thronuum.*
[f] Ita mss. At excusi *auctorem*.

emendo primogenita, & benedictiones occu- A pando. Et interpretationis virtutem Genesis exposuit, Jacob eum, quia supplantator fratris sit, nuncupatum. Per agnitionem autem confessi Dei, tum cùm se ab eo homine, cujus in lucta dominabatur, benedici poposcit, quia Deum, adversùs quem generis sui populus secundùm futuræ passionis sacramentum in lucta carnis invaluit, fidei oculis conspexisset in corpore; Israel, quia Israel Deum videns sit, meruit nominari. Et secundùm B ipsius Genesis prophetiam, in Jacob juniorem populum, qui esset ex gentibus crediturus, significari absolutum est. [a] Hoc ergo *exsultabit Jacob, & lætabitur Israel.* Secundùm Ecclesiæ ordinem hic unus est populus, duplicis & professionis & honoris: neque enim geminatis sententiis idipsum cælestis sermo significat. Sed quia fides prima quo quis invocari super se Dei nomen [b] precatur; fide anteriorem populum supplantat, cùm Judæo in- C fideli fidelem se optat esse gentilis. Hic ergo Jacob est, spe præoccupatæ benedictionis [c] exsultans. Jam verò ubi baptismo renatus, & fide consummatus, Deum intelligentiæ oculis & mente adspexerit; tunc jam Israel lætabitur, quia jam supplantato seniore Deum fide videat, visurus veriore conspectu, secundùm illam beatitudinis sponsionem, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, Domini & Dei nostri Jesu Christi, qui est D benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

(Gen. 27. 36. — Gen. 32. — Fide Deum vidit in corpore. — a Jacob & Israel populus gentium. — b — c — Matth. 5. 8.)

PSALMUS LIII.

d *In finem [d] in hymnis, intellectûs David, cùm venerunt Ziphæi, & dixerunt ad Saül, Nonne ecce David absconditus est apud nos?*

*DEUS in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua judica me. Deus exaudi orationem meam, * auribus percipe verba oris mei: quoniam alieni insurrexerunt super me, & fortes quæsierunt animam meam, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* DIAPSALMA. *Ecce enim Deus adjuvat me, & Dominus susceptor est animæ meæ. * Averte mala inimicis meis, in veritate tua disperde illos. Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est: quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, & super inimicos meos * respexit oculus meus.*

(* al. inaudire. — * Hil. convertit. — * Pat. despexit.)

TRACTATUS PSALMI.

1. SANCTUS & beatus David non ignarus, sed ut propheta, evangelicæ doctrinæ, & in tempore licèt Legis hanc corporalem agens vitam, tamen, quantum in se est, apostolici mandati præcepta consummat, testimonio de se Dei fidem præstans, cùm dictum est, Inveni virum secundùm cor meum David [e] qui filius Jesse est. Non enim inimicos suos bello persequitur, neque insidiantibus sibi decertando armis resistit: sed exemplo Domini, cujus & nomen & lenitatem præfigurabat, proditus orat, periclitans psallit, patiens odia gratulatur; & ideo secundùm Domini cor repertus est. Quia cùm Domino * duodecim millia legionum angelorum possent in tempore passionis assistere: tamen ad omne officium humilitatis explendum, passioni se & [f] infirmitati ipse permisit, orans tantùm, & dicens, Pater commendo in manus tuas spiritum meum. Quo exemplo hic idem, per similitudinem passionum futuræ ejus passionis propheta, non contradicit, non resistit inimicis, malum pro malo ex præcepto evangelico non reddens: sed dominicæ mansuetudinis æmulator, cùm tribulatur, cùm proditur, cùm fugatur, Dominum, cujus tantùm adversùs impios armis utitur, deprecatur.

(David evangelicæ doctrinæ cultor. — Act. 13. 22. — e — Christi æmulator. — Matth. 26. 53. — * V. lib. 10. de Trin. n. 41. & Tract. Psal. 54. n. 6. — f — Luc. 23. 46.)

2. Psalmo autem huic titulus ex historia præscribitur: sed ante historiam, quatenus & quando & in quem ea, quæ sub historia dicuntur, à nobis sint intelligenda, monstrantur. Est enim primùm, *In finem intellectûs illi David.* Tum deinde sequitur: [g] *cùm venerunt Ziphæi, & dixerunt Saül, Nonne ecce* E *David absconsus est nobiscum?* Ergo hoc, quòd à Ziphæis David proditur, in finem est intelligendum. Per quod ostenduntur ea, quæ in præsens tum erga David gerebantur, præformationem in se futuri temporis continere: cùm innocens insectatione vexatur, cùm propheta contumeliis illuditur, cùm Deo placens ad mortem requiritur, cùm rex inimico suo, ut Dominus Herodi atque Pilato, ab his proditur, cum quibus tutus esse debebat. F [h] Psalmus ergo intelligentiæ in finem est, & in David illo intellectus, in quo finis est legis, & qui David habet claves, aditum intelligentiæ [i] tum aperiens, cùm quæ de se à David sunt prophetata consummat.

(Hoc psalmo Christi personam gerit. — ꝟ. 1. — ꝟ. 2. — g — h — i)

3. Ipsa autem secundùm hebræam proprietatem interpretatio nominis affert non exiguum nobis ad intelligendum profectum. Ziphæi namque significantur, quæ nobiscum

(Ziphæi hebraicè oris adspersio.)

---

[a] Excusi *hic ergo.* At mss. Reg. *hoc ergo*, subaud. sibi vult. vel *hoc*, id est ex hoc, seu inde.

[b] Regius cod. *prædicatur, fide anteriore* &c. non placet. Sic tota phrasis videtur intelligenda: sed quia fides prima est, quando quis &c. gentilis fide supplantat anteriorem populum, cùm &c.

[c] Excusi, *insultans*: emendantur ope Regii mss.

[d] Ita Miciacensis codex. At editi, *in carminibus ..... venissent .... dixissent.* Ab aliis legi *in carminibus*, se verò, etsi hanc versionem permittat, *in hymnis* tamen præferre solere, satis declarat Hilarius initio Tract. Psal. 54.

[e] Regius codex, *qui Jesse est*, græcum τοῦ τῦ Ἰεσσαὶ ad litteram reddens.

[f] In mss. Reg. *infirmitati subesse permisit.*

[g] Excusi, *convenerunt*, mendosè.

[h] Editi, *Psalmi ergo intelligentia*, renitentibus mss.

[i] Ita mss. At vulgati, *tum aperit.*

sunt oris adspersiones: hæ ab Hebræis Zi- A
a phæi [a] nuncupantur. Adspersio autem secundùm legem emundatio peccatorum erat, per fidem populum sanguinis adspersione purificans (cujus adspersionis hic idem beatus Da-
b vid ita meminit: [b] Adsperges me hyssopo, &
Ps. 50. 9. mundabor); sacramentum futuræ ex Domini sanguine adspersionis, fide interim legis
c sanguine holocaustomatum [c] repensante. Sed
Judæi ore non fide Deum colentes. hic populus, ut populus Ziphæi, ore potiùs quàm fide adspersus, & emundationem ad- B
spersionis labiis magis quàm corde suscipiens, infidelis in David suum & proditor exstitit,
Esa. 29. 13. quod antè per Prophetam dixerat: Populus hic labiis me honorat, cor autem ejus longè est à me; ad prodendum David ob id pronus, quia cessante fide cordis, omnia per oris fraudulentiam legis sacramenta gessisset.

℣. 3. 4. *Deus in nomine tuo salvum me fac, & in vir-*
℣. 4. *tute tua judica me.* Deus exaudi orationem meam,*
Christus hominibus per omnia congruit. *auribus percipe verba oris mei.* Secundùm de- C
monstratam tituli rationem, passio David prophetæ, Dei ac Domini nostri Jesu Christi passionis exemplum est. Et idcirco oratio quoque ejus, etiam ad intelligentiam orationis ejus, qui Verbum caro factum est, temperatur: ut qui omnia secundùm hominem pas-
* al. eloquatur. sus est, idem omnia secundùm hominem * & loquatur; & quorum infirmitates portavit & peccata suscepit, eorum ad Deum depreceur obsequio. Proprietates autem virtutesque D
verborum, etiam invitis licèt & cunctantibus nobis, intelligentiæ hujus exigunt sensum: ut omnia ex persona ejus dici non ambigamus
Homini suo gloriam reposcit. in psalmo. Ait enim: *Deus in nomine tuo salvum me fac.* In humilitate corporis unigenitus
d Dei filius sub prophetæ [d] sui dictis hæc precatur, qui & gloriam quam ante sæcula habuerat reposcebat. Salvificari se in Dei nomine rogat, in quo est & nuncupatus & natus: ut se in eo corpore, in quo erat natus, E
idipsum quod naturæ anteriori suæ & generi erat proprium, salvum faceret Dei nomen.

Dei scilicet nomen ac virtutem. 5. Et quia omnis hæc ex persona formæ servilis oratio est, cui formæ servili usque ad crucem mortis assumtæ, salutem ejus nominis quod Dei est deprecatur; & salvandus ex Dei nomine id continuò subjecit, *Et in virtute tua judica me.* Namque ob meritum humilitatis, quia se exina-
e nisset formam servi accipiens, formam [e] nunc rursum Dei consortem in ea quam assumserat F
humilitate repetebat; in Dei nomine homine ipso, in quo Deus nasci obedierat, salvato. Et ut hujus nominis, in quo se salvari orabat, honorem non nudæ tantùm nuncupationis doceret esse, judicari se in virtute Dei precatur. Primùm enim ex judicio est, quod meretur: (Factus, inquit, obediens usque ad mortem, Phil. 2. 8. & 9.
mortem autem crucis. Propter quod exaltavit illum Deus, & donavit illi nomen, quod est « super omne nomen:) ut ei nomen quod super « omne nomen est donetur. Tum deinde * hoc * subaud. precatur.
ipsum judicium sit in virtute judicii: quia per virtutem Dei is, qui ex Deo homo mortuus fuerat, idem rursus in Deum ex homine mortuo resurrexit; secundùm illud Apostoli, Cru- 2. Cor. 13. 4.
cifixus ex infirmitate, resurrexit ex virtute; & rursum, Non enim erubesco Evangelium: Rom. 1. 16.
virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Per judicii enim virtutem infirmitas corpo- f
ralis [f] in Dei nomen naturamque salvatur; atque ita ob meritum obedientiæ, in salutem nominis Dei ex judicii virtute provehitur, ut in eo Dei & nomen & virtus sit. Ceterùm Judicari in virtute, filius Christi est.
si ex consuetudine humana sermo iste cœpisset; in misericordia potiùs vel æquitate, quàm in virtute, judicari se Propheta poposcisset. Sed virtutis illic opus fuerat judicio, ubi Dei filio in filium hominis ex partu virginis nato, rursum ipsi hominis filio per judicii virtutem Dei filii & nomen redhibendum esset & virtus.

6. Sequitur dehinc: *Deus exaudi orationem* Orantis hæc fiducia non convenit nisi Christo.
meam, [g] *inaurire verba oris mei.* Promtum Prophetæ fuerat dixisse, Deus exaudi me. Sed g
quia ex persona ejus loquitur, qui solus sci- h
ret orare; idcirco constans postulatio [h] exaudiendæ orationis ostenditur. Paulus beatus neminem hominum, qualiter orare oporteat, scire docet dicens, Quòd enim, quid oremus Rom. 8. 26.
qualiter oporteat, nescimus. Non est ergo infirmitatis humanæ, exaudiri orationem suam postulare: cùm Doctor gentium, post constitutam licèt jam à Domino formam orandi, quid & quatenus oret ignoret. Sed ejus ista fiducia est, qui solus Patrem videt, qui solus Patrem scit, qui solus potest orare per- Luca. 6. 12.
noctans (; secundùm Evangelium enim Dominus pernoctavit orans), qui per speculum verborum formam ipsam occultissimi sacramenti sub communibus verbis, dum oraremus, ostendit. Et qui orationem suam poposcit audiri, ut peculiare hoc fiduciæ suæ doceret esse, subjecit, *Inaurire verba oris mei.* * Et quisquam * Vat. ms. & quisquam.
hoc humanæ fiduciæ esse existimabit, ut verba oris sui velit audiri? An illa quibus motus

[a] Apud Augustinum autem, Hieronymum ac Ruffinum Ziphæi aliter enuntiantur, scil. *florentes.*

[b] Regius codex, *adsperge me.*

[c] Editi excepto Par. *repræsentat:* quod & habet Regius ms. ac deinde, *est & hic populus:* ex quo primùm putabamus restituendum *repræsentante, sed hic populus.* At potior tandem visa est lectio Par. cui favent mss. Vatic. ac Mic. quorum in uno *repensantes*, in altero *repensata.* Nempe hîc docetur Judæos per adspersionem sanguinis taurorum purificatos fuisse, fide supplente efficaciam, quam in se habitura erat dominici sanguinis adspersio. Si cui tamen magis arriserit *repræsentante*, propter verba superiora, *sacramentum futuræ* &c. seligat quod libet. Immo alterutrum intelligentiâ nemo separet.

[d] Abest *sui* à Regio ms. in quo mox *quia gloriam*, non *qui & gloriam.*

[e] Particula *nunc*, apud Lips. & Par. omissa revocatur ex ms. Reg. Hujus loco apud Bad. & Er. mendosè legebatur *non.*

[f] Editi, *in Dei nomine naturaque*, non satis exprimunt mentem Hilarii, Christum per gloriæ divinæ consortium etiam secundùm formam servi in Dei nomen naturamque transiisse significantis, non abolitione naturæ, sed divinæ immortalitatis atque incorruptionis participatione, ut sæpe jam dictum. Hîc obiter observare est, *virtutis* nomine Dei naturam intelligi. Unde quod nunc ait, *in Dei nomen naturamque salvatur*, subinde sic exponit, *ut in eo Dei & nomen & virtus sit.*

[g] Sic ms. Mic. consentientibus infrà Vatic. & Reg. qui hîc habent, *auribus percipe.* At in vulgatis utrobique exstat, *inauri.*

[h] Par. post Lipsium *præstandæ.* Erasmus ad marginem, *impetrandæ:* in textu autem cum Bad. & mss. Reg. ac Mic. *postulandæ*, quantum conjectamus, librariorum lapsu pro *auscultandæ.* Restituimus *exaudiendæ*, Vaticani ms. auctoritate.

animi

animi noſtri & impetus pronuntiamus, tum cùm de ira exardeſcimus, tum cùm de odio obtrectamus, tum cùm de dolore querimur, tum cùm de adulatione blandimur, tum cùm aut pro ſpe lucri aut de veritatis pudore mentimur, aut de contumeliæ offenſione maledicimus? Et quis uſquam vitæ ita emendatæ & patientis ad omnia fuit, ut his humanæ demutationis vitiis non eſſet obnoxius? Solus hoc potuit cum fiducia velle, qui peccatum non fecit, in cujus ore dolus non fuit, qui flagellis dorſum præbuit, maxillas ab alapis non * deflexit, ſputamentorum contumeliam non exprobravit, & in nullo voluntatem ejus, cujus ad hæc voluntati in omnibus volens obediebat, offendit.

* Reg. mſ. deflectit.

Querela Chriſti omnis ex humanæ naturæ affectu eſt.

℣. 5.

7. Cauſam deinde, cur verba ſua audiri oret, adjecit: *Quoniam alieni inſurrexerunt adversùs me, & fortes quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.* Unigenitus Dei filius, Dei Verbum, & Deus Verbum, (cùm utique omnia quæ Pater poſſet, omnia ea & ipſe poſſet, ſicuti ait, Quæcumque enim Pater facit, eadem & Filius facit ſimiliter; [a] ut indiſcreto deitatis naturæque nomine indiſcreta quoque eſſet & virtus) ut abſolutiſſimum nobis humanæ humilitatis eſſet exemplum, omnia quæ hominum ſunt, & oravit, & paſſus eſt. Et ex communi noſtra infirmitate ſalutem ſibi eſt deprecatus à Patre: ut nativitatem noſtram cum ipſis infirmitatis noſtræ [b] iniiſſe intelligeretur officiis. Hinc illud eſt, quòd eſurivit, ſitivit, dormivit, laſſatus fuit, [c] impiorum cœtus fugit, mæſtus fuit, & flevit, & paſſus, & mortuus eſt. Et ut his omnibus non naturâ *, ſed ex aſſumtione * ſubjectus eſſe poſſet intelligi, perfunctus his omnibus reſurrexit. Omnis ergo ejus in pſalmis ex naturæ noſtræ affectu querela eſt. Nec mirum ſi ita nos intelligimus dicta pſalmorum: cùm ipſe Dominus ſecundùm evangelicam fidem paſſionis ſuæ ſacramenta ſcripta eſſe fuerit * teſtatus in pſalmis.

Johan. 5. 19.

* qua Deus eſt,

* qua & homo eſt,

* Luca 24. 44.

Qui alieni.

8. *Alieni* igitur ſuper eum *inſurrexerunt*. Non enim jam filii Abrahæ ſunt, neque filii Dei: ſed natio viperarum, ſed ſervi peccati, ſed ſemen Chanaan, patre Amorrhæo, matre Chethæa, & diabolo patre, filii diabolicæ voluntatis. Quærunt quoque & animam ſuam *fortes*: cùm Herodes principes ſacerdotum ubi naſci habebat Chriſtus interrogat, cùm omnis Synagoga adversùs eum teſtis falſa conjurat. Sed animam hanc [d] humanæ naturæ & infirmitatis eſſe exiſtimantes, *non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum*: quia Deus ex eo quod Deus manebat, uſque ad originem naſcendi ſe hominis humiliaſſet, id eſt, ut hominis filius eſſet, qui erat antea Dei filius. Non enim alius filius Dei, quàm qui filius hominis; & filius hominis non ex parte, [e] ſed natus; formâ enim ſe Dei ex eo quod erat ad id quod non erat, id eſt, ut naſci poſſet, in animam ſuam corpuſque evacuante, (& idcirco & filius Dei & filius hominis, idcirco & Deus & homo, id eſt, Dei filius habitu humanæ originis natus eſt) uſque ad naturam ſcilicet hominis naſcendi, qui totus ex anima & carne formabilis eſt, Dei ſe humiliante ſubſtantiâ. Ob quod cùm inſurgunt adversùm eum alieni, cùm potentes animam ejus exquirunt, quæ frequenter in Evangeliis triſtis & mæſta eſt; Deum ante conſpectum ſuum non propoſuerunt, quia Deus Dei filius, ante ſæcula manens, humanæ naturæ habitu, id eſt, noſtri corporis atque animæ homo ex partu virginis natus eſſet: per operum magnificentiam non intelligentes, quia hominis filius, cujus animam quærebant, ad id quod homo eſſe cœperat, [f] ex Dei filio, quod ſemper manſerat, exſtitiſſet.

Ezech. 16. 3.

Qui fortes.

Matth. 2. 4.

Hi Chriſtum, qui Deus & homo, Deum neſcierunt,

quem prodebant opera.

9. Interventu [g] diapſalmæ, non dicentis, ſed cui dicebatur, demutata perſona eſt. Nunc enim generalis ſermo eſt prophetiæ. Nam poſt eam orationem, quæ ad Deum fuerat, ut fiducia orantis poſſet intelligi, in eo ipſo precationis tempore quod popoſcerat [h] impetrantis, continuò ſubjecit: *Ecce enim Deus adjuvat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.* [i] *Convertit mala inimicis meis.* Effectus proprios propriis reddidit poſtulatis, docens non negligentem orationis noſtræ Deum eſſe, neque irrationabilem præſtationem miſericordiæ ſuæ exiſtimandam, cùm nos ſecundùm quod precaremur audiret. Namque ad id quod ait, *Quoniam alieni inſurrexerunt ſuper me*; proprium illud eſt, *Deus adjuvat me*: ad id autem, *Et fortes quæſierunt animam meam*; in eo exauditæ orationis peculiaris effectus eſt, quod ait, *Et Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ*: ad id verò quod ait, *Et non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum*; hoc competenter adjecit, *Convertit mala inimicis meis.* Deus ergo & adversùs inſurgentes adjuvat, & quæſitam à fortibus animam ſancti ſui ſuſcipit, & non

℣. 6.

Poſtulata impetrat, quæ.

℣. 7.

[a] Miciacenſis codex, *& in indiſcreto*: nec forſitan malè, ſubaudito *cùm* poſt *&*.

[b] Editi cum Regio codice, *ineſſe*: emendantur ex Mic. & Vatic. mſſ.

[c] Vatic. mſ. *in impiorum cœtu fuit.*

[d] Non negat animam Chriſti noſtris aut naturâ aut infirmitate fuiſſe ſimilem, aliàs pugnaret cum proximè dictis num. 7. nec ſtaret quod mox vocat Chriſtum *noſtri corporis atque animæ hominem*: ſed eam ideo negat humanæ eſſe naturæ & infirmitatis, quia ſit divinæ perſonæ, ſeu pertineat ad Filium Dei, qui naturâ Deus & omnipotens eſt. Ex hoc loco lux nonnulla affulget, cujus ope veritas appareat abſtruſiſſimarum quarumdam lib. 10. de Trinitate ſententiarum.

[e] In Regio codice poſt, *ſed natus*, ſecundis curis adjectum eſt *Dei filius, hominique unitus, id eſt, factus eſt filius hominis qui erat.* Abſque hac interpolatione abundè patet mens ſancti Doctoris tres ſimul hæreticos Eutychen, Neſtorium, Apollinarium, quibus Ariani præluſerant, hoc uno loco diſertè prædamnantis.

[f] Illud *ex Dei filio* &c. id eſt, cùm priùs Dei filius exſtitiſſet, quod & ſemper manſit, etiam cùm exinde cœpit eſſe filius hominis. Qua loquendi formula ſibi valde familiari vult Hilarius filium Dei & exſtitiſſe priùs quàm homo fieret, & permanſiſſe pòſt quàm factus eſt.

[g] In Regio codice hîc, *diapſalmi*, aliàs legere eſt *diapſalmæ*.

[h] Bad. & Er. cum mſ. Reg. *impetrato*, unde Lipſius confecit *impetratum*. Malumus cum mſ. Mic. *impetrantis*, quod verbum refertur ad *orantis*.

[i] Editi, *converte ma[illegible]* renitentibus mſſ. ac ſuperioribus dictis, quibus perſonam cui [illegible]s dicebatur, modò demutatam eſſe ſignificatum eſt. In græco ἀποστρέψει, *avertet*.

propoſitus ante oculos, neque ab impiis cogitatus, ad inimicos mala ipſa convertit: ut dum Deum non cogitant, juſti animam quærendo, & adversùm eum inſurgendo, adjuto eo atque ſuſcepto, [a] eum, quem inter iniquitatum opera non cogitabant, ultorem malitiæ ipſius retributione ſentirent. A

Juſti inter calamitates fiducia.

10. Habeat itaque hanc innocens religio fiduciam, ut inter humanas inſectationes & animæ pericula adjutorem ſibi Deum eſſe non ambigat: & ſi quando injuſtæ mortis vis afferatur, excedentem habitaculo corporis animam ſciat in [b] Dei ſuſceptione requieſcere. Habeat ultionis quoque certiſſimam ſecuritatem, cùm mala omnia in eos qui inferant revertantur. Non poteſt iniquitatis argui Deus; nec perfectæ bonitati, malignæ voluntatis inſtinctus ac motus admixtus eſt. B

Mala ut ordinet Deus.

Mala enim non malevolus excitat, ſed ultor retorquet: neque ea ex malitia ſua affert, ſed in merita noſtra convertit. Statuta enim in omnes ſunt, [c] ad ultionum miniſteria, mala iſta cum lege vivendi, juſti [d] id judicii ſevera æquitate moderante. Sed hæc & averſa à juſtis ſunt lege juſtitiæ, & convertuntur in iniquos æquitate judicii. Utrumque juſtum, ut & juſtis ad metum promta ſint [e] nec admixta, quia juſti ſunt; & in injuſtos ad pœnam ſint convertenda, quia meriti ſunt: nec juſtis admixta cùm promta ſint, nec injuſtis defutura quia promta ſunt. C

Quî in veritate diſperditi Judæi.

11. Dehinc rurſum fit ad perſonam Dei, ad quem primùm deprecatio erat cœpta, converſio: *In veritate tua diſperde illos.* Veritas mendacium confutat, & perimitur falſitas veritate. Omnem autem ſuperiorem orationem eſſe ejus hominis, in quo filius Dei natus eſt, docuimus, etiam hoc quoque nunc à Deo patre deprecantis, ut inimicos ſuos in veritate diſperdat. Et quæ ſit veritas, non ambigitur; D

Johan. 14. 6. nempe ille ipſe qui dixit, Ego ſum vita, via, veritas. Diſperduntur ergo in veritate inimici, cùm falſis teſtibus damnationem Chriſto comparantes, reſurrexiſſe eum à mortuis audiunt, & in Dei veritate gloriam ſuam reſumſiſſe cognoſcunt. Nam poſtea ob pœnam Dei in crucem acti, fame & bello abſumti ac E

perditi ſunt: vitæ auctorem morte damnantes, [f] neque Deum in veritate per operum magnificentiam cogitantes. Hos igitur diſperdit Dei veritas, cùm ad reſumendam gloriæ paternæ majeſtatem reſurgens, [g] abſolutæ in ſe divinitatis probaverit veritatem.

De paſſione Chriſti Hilarii ſententia.

12. Quòd autem & in crucem actum unigenitum Dei filium, & morte damnatum eum, qui nativitate, quæ ſibi ex æterno patre eſt naturalis, [h] æternus ſit, frequenter, immo ſemper prædicamus, non ex naturæ neceſſitate potiùs, quàm ex ſacramento humanæ ſalutis paſſioni fuiſſe [i] ſubditum, & voluiſſe ſe magis paſſioni ſubjici, quàm coactum. Et quamquam paſſio illa non fuerit conditionis & generis, quia indemutabilem Dei naturam nulla vis injurioſæ perturbationis offenderet: tamen ſuſcepta voluntariè eſt, officio quidem ipſa ſatisfactura pœnali, non tamen pœnæ ſenſu læſura patientem: non quòd illa lædendi non habuerit pro ipſa paſſionis qualitate naturam; ſed quòd dolorem divinitatis natura non ſentit. Paſſus ergo eſt Deus; quia ſe ſubjecit voluntarius paſſioni: ſed ſuſcipiens [k] naturales ingruentium in ſe paſſionum (quibus dolorem patientibus neceſſe eſt inferri) virtutes, ipſe tamen à naturæ ſuæ virtute non excidit ut doleret.

℣. 8. Chriſti oblationis præ oblationibus legis præſtantia.

13. Sequitur enim: *Voluntariè ſacrificabo tibi.* Legis ſacrificia, quæ in holocauſtomatis & oblationibus hircorum atque taurorum ſunt, non habent in ſe voluntatis profeſſionem: quia maledicti ſententia legem ſit decreta violantibus. Quiſquis enim à ſacrificio deſtitiſſet, ipſe obnoxium ſe efficiebat eſſe maledicto. *Deut. 27. 26.* Neceſſe ergo erat effici quod fiebat: quia ſacrificii negligentiam maledicti non admittebat adjectio. A quo maledicto nos Dominus noſter Jeſus Chriſtus exemit, Apoſtolo dicente, « Chriſtus nos redemit de maledicto « legis, factus pro nobis ipſe maledictum, quia « ſcriptum eſt, Maledictus omnis qui [l] pendet in ligno. *Gal. 3. 13. Deut. 21. 23.* Maledictorum ſe ergo obtulit morti, ut maledictum legis diſſolveret, hoſtiam ſe ipſe Deo patri voluntariè offerendo: ut per hoſtiam voluntariam maledictum, quod ob hoſtiæ neceſſariæ & intermiſſæ reatum erat

[a] In vulgatis, *eo.* Concinniùs in mſſ. *eum*, ſcil. *ultorem.* Deinde in Mic. *malitiæ ex malitiæ ipſius retributione*: non ſpernenda lectio.

[b] Cùm hîc reſpiciatur illud pſalmi, *Dominus ſuſceptor eſt* &c. legendum videtur *Domini*, non *Dei.* Quod & magis congrueret ſollemni Hilarii doctrinæ, qua vult juſtos poſt mortem à Domino ſuſcipi, ut poſt omnium reſurrectionem tradantur Deo. Attamen in Pſal. 1. n. 9. paradiſum, quò latronem alioſque juſtos admittit, ſitum eſſe docet *in poſſeſſione regni Dei.*

[c] Excuſi, *adulationum miniſteria*: emendantur ex Regio codice. Quid deinde ſibi vult, *cum lege vivendi?* An quòd quemadmodum Deus mortem ac mala malis, ita vitam ac præmia bonis decernat? Qua de re fuſiùs agitur in Pſal. 2. n. 16. Sed de lege moriendi & de lege vivendi expreſſiùs diſſeritur in Pſal. 51. n. 18.

[d] Voculam *id* huc revocamus ex Bad. & Regio codice. Tum vulgati excepto Par. *ſecura æquitate moderantur*: corruptè. At in uno codice Vatic. *juſti in judiciis ſevera æquitate moderantes.*

[e] Reg. mſ. *hæc admixta*: mendosè. Mox in vulgatis, *& injuſtis*, non *& in injuſtos.* Quàm utiliter ob oculos juſtorum pœnæ ſtatuantur, habes in Pſal. 2. n. 36. & 37.

[f] Vatic. & Mic. mſſ. *Dei in eo veritatem.*

[g] Sic mſſ. Editi verò, *abſolutam.*

[h] In vulgatis, *naturalis & æternus ſit*, perturbatè. Nitidior eſt lectio mſſ.

[i] Ita Regius codex. In aliis autem, *ſubditus fuiſſe intelligendus eſt, & voluiſſe* &c. gloſſema. Commodiùs poſt *quòd autem*, ſubaudias *ſpectat*: puta, *Quòd autem ſpectat & in crucem actum* &c. *frequenter, immo ſemper prædicamus eum, qui æternus ſit nativitate, quæ* &c. *non ex naturæ neceſſitate* &c.

[k] Regius codex, *naturam.* Tum editi excepto Par. *incongruentium.* Mox etiam Par. *neceſſe eſt eas inferri virtutes.* Expunximus *eas* Regii mſ. auctoritate. Verborum illorum, ad quæ, ut & ad ſuperiora, Hilarius ſuam de Chriſti paſſione ſententiam exigendam eſſe præmonet, hic nativus ordo; *ſuſcipiens naturales ingruentium in ſe paſſionum virtutes, quibus* (ſeu, per quas) *neceſſe eſt inferri dolorem patientibus*, ubi doloris capax natura cum ea conjungitur quæ paſſionem in ſe excipit; *ipſe tamen* ſecundùm divinitatem, licèt carni conjunctus in quam paſſio cadat, *à naturæ ſuæ virtute non excidit ut doleret.* Ratio proximè antè ſubjicitur: *non quòd illa* (paſſio) *lædendi non habuerit pro ipſa paſſionis qualitate naturam, ſed quòd dolorem divinitatis natura non ſentit.* Huc poſſent afferri ſimilitudines lib. 10. de Trin. num. 23. relatæ de telo in aquam aut ignem aut aërem vibrato, cui cùm natum ſit pungere, forare, vulnerare, modò in eam naturam, in quam hujuſmodi affectiones cadant, immittatur; nihil horum præſtat in aquam, ignem aut aërem, ut pote naturæ in quam paſſio quidem cadat, ſed non vulnus &c.

[l] In vulgatis *pependit.* Ex Regio codice, in quo *pendit*, repoſuimus *pendet* juxta ſacrum textum.

additum, solveretur. Cujus sacrificii alio loco meminit in psalmis : Hostiam & oblationem noluisti, perfecisti autem mihi corpus ; Deo patri legis sacrificia respuenti, hostiam placentem suscepti corporis offerendo. Cujus oblationis beatus Apostolus ita meminit : Hoc enim fecit semel se ipsum offerens hostiam Deo ; omnem humani generis salutem oblatione sanctæ hujus & perfectæ hostiæ redemturus. (Ps. 39. 7.) (Hebr. 7. 27.)

(Christus de obtentis à se postulatis gratulatur. ℣. 9.)

14. Ob quæ omnia ita gesta, laudem Deo patri refert : *Confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est ; * quoniam ex omni tribulatione eripuisti me.* [a] Reddit singulis propositionibus proprias absolutiones. Nam in exordio dixerat, *In nomine tuo salvifica me.* Post precum verò satisfactionem, congruam [b] gratulationis esse oportuit professionem, ut ejus nomini confiteretur, in cujus nomine salvari sese fuerat deprecatus : & quia auxilium contra alienos insurgentes in se poposcerat, [c] idipsum adeptum sese fuisse professus, per hoc gaudii exsultationem memoraret, *Quia ex omni tribulatione eripuisti me.* Ad id verò quòd dum fortes quæsierunt animam ejus, Deum non proposuerunt in conspectu suo, præclarè indemutabilis divinitatis suæ docuit æternitatem in eo quod dictum est, *Et super inimicos meos* [d] *respexit oculus meus.* Morte enim non interceptus est unigenitus Dei filius. Ad explendam quidem hominis naturam, etiam morti se, id est, discessioni se tamquam animæ corporisque subjecit, & ad infernas sedes, [e] id quod homini debitum videtur esse, penetravit : sed manet resurgens, & inimicos suos immortali oculo despicit, glorificatus in Deum, & ex hominis filio in Dei filium, [f] ex quo etiam hominis filius esse cœperat, per resurrectionis gloriam jam renatus. Inimicos suos despicit, quibus dixerat, Solvite templum hoc, & post triduum [g] reædificabo illud. Ædificato igitur hoc corporis sui templo, eos qui quæsierant animam suam ex edito videt, & ultra humanæ mortis legem auctores mortis suæ sublimis ipse despectat, mortem perpetiens, sed mori nesciens, Deus homo Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen. (Johan. 2. 19.)



PSALMUS LIV.

*In finem in * carminibus intellectûs David.* (* Hilarius infrà *hymnis.*)

*INAVRIRE Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam : intende mihi, & exaudi me. Contristatus sum in exercitatione mea, * conturbatus sum à voce inimici & à tribulatione peccatoris : quoniam declinaverunt in me * iniquitates, & in ira molesti erant mihi. Cor meum conturbatum est in me : & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor * venerunt super me : & * contexerunt me tenebræ. Et dixi, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ ? & volabo, & requiescam. Ecce elongavi fugiens : & mansi in solitudine.* DIAPSALMA. *Exspectabam * eum qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritûs & tempestate. Præcipita Domine, * divide linguas eorum : quia vidi iniquitatem & contradictionem in civitate. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus * iniquitas, & labor in medio ejus * & injustitia : & non defecit de plateis ejus usura & dolus. Quoniam si inimicus meus * maledixisset mihi, supportassem utique. Et si * is qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, * abscondissem me utique ab eo. Tu verò homo unanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos : in domo Dei * ambulavimus cum consensu. Veniat mors super illos : descendant in infernum viventes : quoniam nequitia in hospitiis eorum, in medio eorum. * Ego autem ad Deum clamavi : & Dominus exaudivit me. Vespere & manè & meridie narrabo & renuntiabo : & exaudiet vocem meam. Liberabit in pace animam meam ab his qui appropiant mihi : quoniam inter multos erant mecum. Et exaudiet me*

(* Hil. &. — * Hil. *iniquitatem.* — * Hil. *venit.* — * *contexit me tenebra.* — * Hil. *salvificantem me à pusillanimitate &* * & — * &. — * Abest infrà & *injustitia.* — * Hil. *improperasset.* — * *odiens me.* — * *abscondere rem.* — * *ingressi sumus cum concordia.* — * *ego ad.*)

[a] Editi, *reddidit in singulis.* Rectiùs mss. *reddit* (nempe in præsenti ac postremo versu) *singulis.*

[b] Par. post Lipsium, *gratulationi* : minùs bene.

[c] Subauditur hîc, *oportuit ut.* Mox editi, *gaudii exsultatione* : castigantur ex scriptis.

[d] Editi, *despexit.* His quidem favent subsequentia Hilarii verba, sed renituntur mss. Alibi etiam memorat Hilarius textum Scripturæ alium à Vulgata nostra, cui tamen deinde inter enarrandum eum congruit.

[e] Regius codex, *in quod.* De hoc debito mentem suam Hilarius sic explicat in Psal. 138. n. 22. *Humana ista lex est necessitatis, ut consepultis corporibus ad inferos animæ descendant : quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit.* Descensum Christi ad inferos continent symbolum Apostolorum quod exponit Ruffinus, formula Arimini ac deinde Nicææ in Thracia exposita, necnon symbola Gallicana Tom. 1. Musæi Italici, magnoque consensu sancti Patres eum è Scripturis asserunt, ut meritò Augustinus epist. 164. n. 9. & 187. n. 5. inter fidei veritates fundatissima auctoritate firmatas illam accenseat. Ipsius hæc verba sunt epist. 164. n. 9. *Secundùm animam eum fuisse apud inferos, apertè Scriptura declarat, & per prophetiam præmissa, & per apostolicum intellectum satis exposita.* Hæc obiter dicta sint adversus eos qui contra magnum veterum consensum Christi ad inferos descensum ac sepulturam confundentes, idipsum esse volunt.

[f] Quid sibi velit *ex quo*, repete ex pag. 98. notâ f. Quid autem sit nova illa Christi per resurrectionis gloriam nativitas copiosè differitur in Psal. 2. n. 17. & seqq.

[g] In Regio ms. *adi[...]bo*; quam lectionem confirmat quod sequitur, *ædificato igitur* &c. non *reædificato.*

Deus, & humiliabit eos, qui est ante sæcula. DIAPSALMA. *Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum: extendit manum suam in retribuendo. Contaminaverunt testamentum ejus, divisi sunt ab ira vultûs ejus, & appropiavit cor ejus. Mollierunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula. Jacta * in Deum cogitatum tuum: & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem justo. Tu verò Deus deduces eos in puteum interitûs. Viri sanguinum & dolositatis non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te *.*

* in Dominum cogitationem tuam.

* Domine.

TRACTATUS PSALMI.

[Psalmus hic de Christo est. ℣. 1.]

1. SUPERSCRIPTIO psalmi sine historia est, tantùm *in finem in hymnis intellectûs* est. Hymnos aliqui translatores nostri carmina nuncupaverunt: plerique autem hymnos ex ipsa græcitatis usurpatione posuerunt. De nomine nihil differt, dummodo res una esse, quæ vel in hymnis vel in carminibus significabitur, intelligatur. Hoc ergo de psalmo sentiendum est, quòd quæ hymno ejus vel carmine continentur, in finem intelligenda sunt: omni intellectu scilicet nostro ad Dominum nostrum Jesum Christum, quem Apostolus finem legis docuit esse, referendo. [Rom. 10. 4.]

[Christus Deus simul & homo.]

2. Frequenter autem admonuimus, eam in psalmorum cognitione sensus nostri temperandam esse rationem, ut eum, de quo & per quem omnis prophetia est, ex Dei filio hominis filium natum meminerimus, [a] & Dei naturam omnibus antè sæculis manentem in naturam hominis esse ex partu virginis genitam: ita ut naturæ posterioris adjectio nullam defectionem naturæ anterioris afferret; neque [b] qui etiam homo esse cœperat, id quod ante hominem manebat, Deus scilicet, esse desineret. Hic ergo assumens carnis nostræ fragilitatem, & manens suus atque noster, ita agit, orat, profitetur, exspectat omnia illa quæ nostra sunt, ut in his admisceat etiam illa quæ sua sunt: loquaturque interdum ex persona hominis, quia & homo & natus & passus & mortuus est; interdum autem omnis ei secundùm Deum sermo sit, quia ex Deo homo, & ex Dei filio hominis filius exstitisset: naturæ scilicet ejus confidentiam non oblitus in verbis, qua * in assumtione licèt hominis non carebat; & ita ex nobis atque ex infirmitate nostra humani sermonis consuetudine usuque loquens, ut ex se atque ex virtute sua quæ Deo sunt propria & digna loqueretur, ut in præsenti psalmo cognosci potest, qui ita cœptus est.

[In psalmis interdum quæ Dei, interdum quæ hominis sunt loquitur.]

* mſ. Reg. quam.

3. *Inaurire Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: * intende mihi, &* ℣. 2. ℣. 3.
exaudi me. Contristatus sum in exercitatione mea,
*& conturbatus sum * à voce inimici & à tribulatione* ℣. 4.
*peccatoris: quoniam declinaverunt in me [c] iniquitatem, & in ira molesti erant mihi. * Cor meum* ℣. 5.
conturbatum est in me, & formido mortis cecidit
*super me. * Timor & tremor venit super me, &* ℣. 6.
*contexit me tenebra. * Et dixi, Quis dabit mihi* ℣. 7.
pennas sicut columbæ? & volabo, & requiescam.
** Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* ℣. 8.

[Orantis hoc psalmo fiducia.]

In exordio psalmi etsi humilitatis voce usus sit, cùm ait, *Inaurire Deus orationem meam:* non tamen sine aliqua propria conscientia altioris fiduciæ intelligitur hæc locutus. Non enim cujuscumque est innocentiæ, id postulare ut orationem suam Deus inauriat. Promtæ namque semper precationi hominum Dei aures sunt: quia qui naturam audiendi humano generi impertit, ipse extra auditûs non potest esse naturam; & qui ubique hunc in nobis sensum auditionis operatur, non potest non ubique in ipso esse quod præstat. Deus itaque ubique & semper audit: sed non omnium [d] meriti est, ut quod audit, & inauriat: auditum quidem ejus orantis voce penetrante, sed dignationem eorum quæ audiantur inauriendi solâ orationis innocentiâ promerente.

[Orationes Deus semper audit, cur non ita exaudit. Ps. 93. 9.]

[Orationum triplex genus.]

4. Triplex autem [e] in exordio oratio precationis est edita. Prima enim ea est, ut inauriatur oratio. Sequens est, ne despiciatur deprecatio. Tertia est, ut intendat sibi, seque exaudiat. Et necesse est discretam esse uniuscujusque generis naturam: ut non idem sit inaurire, & non despicere; rursumque differat ab utroque intendere, & exaudire. Et quia de inaurienda oratione quid intelligi posset ostendimus; quid illud sit, *Ne despexeris deprecationem meam*, tractandum est. Despiciuntur orationes leves, diffidentes, inutiles, sæculi curis anxiæ, & rerum corporalium desideriis implicatæ, bonorum operum fructibus infecundæ. Hæ igitur despicabiles sunt orationes, Dei dignatione non dignæ, de quibus per Esaiam prophetam ait, Et cùm extenderitis manus vestras ad me, avertam oculos meos à vobis. Et causam despiciendæ orationis continuò subjecit, dicens, Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Ubi ergo operatio iniquitatis exstabit, illic despicitur oratio deprecantis. At verò tum in eum qui sperat intenditur, cùm tacitæ spei fides, piæ conscientiæ religione cohibetur. Et est nobis hoc absolutissimum uniuscujusque proprietatis exemplum. Inaurivit Dominus verba Chananææ sæpe clamantis: despexit orationem adolescentis illius, qui ab æternitatis largitore di-

[Orationes despicabiles.]

[Esai 1. 15. Ibidem.]

[Orationis cujusque exempla. Matth. 15. 28. Luc. 12. 13. & 14.]

[a] Regius codex, hîc omissâ particulâ &, mox habet *genitum*, non *genitam*: malè.
[b] In vulgatis, *qui jam homo*. Concinniùs, in mſ. Reg. *qui etiam homo*.

[c] Sic juxta græcum mſ. Regius. Editi verò juxta Vulgatam, *iniquitates*.
[d] Regius mſ. *meritis*: non displiceret præpositâ particulâ *in*.
[e] Idem mſ. *in exordii precationis oratio est edita*.

visionem patrimonii postulabat : intendit autem in eam feminam, quæ fidei silentio salutem sibi etiam à vestis fimbria expetebat.

Luc. 8. 44.

Christi in hoc mundo exercitatio.

5. His ergo totius precationis suæ generibus distinctis, nunc causam ipsam exposuit deprecandi : quia in exercitatione sua conturbaretur *à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.* Et quidem exercitatio numquam nisi ad res utiles salutaresque suscipitur : quas quia in sancto quoque impii ferre non possunt, omnibus eum injuriis afficere, & usque ad formidinem mortis defatigare contendunt. Sed hæc in Domino Jesu Christo exercitatio, nostræ salutis operatio est, quam diversarum sanationum, dehinc passionis ipsius exercitatio provehebat. In hoc quoque se mundo consortio nostræ infirmitatis exercens, (quam exercitationem egressu suo Isaac in campum præfiguravit, cùm invectæ camelo Rebeccæ, tamquam sponsæ ex gentibus exercens se in hoc mundo Christus, occurrit,) *à voce inimici* etiam turbatur, cùm Samaritanus dæmonium habens dicitur, cùm quia se à cruce non eruat, negatur esse ceteris salus. Declinantes in eum iniquitatem falsorum testimoniorum & sententiæ mortis, in ira quoque molesti sunt ei, dum flagellis, dum colaphis, dum alapis desæviunt.

Gen. 24. 63.

Johan. 8. 48.

Patientia.

6. Sed inter hæc habens potestatem [a] duodecim millia legionum cælestium evocare, non ad iram commovetur, neque ad ultionem exacerbatur. Sequitur enim : *Cor meum conturbatum est in me.* Pati omnia in se ipso constituit, dummodo humanæ salutis sacramenta perficeret. Difficillimum autem hominis infirmitati est, intra se ipsum perturbationes mentis commotionesque cohibere, ut non etiam usque ad ipsam vultûs demutationem, tacito licèt motu, significatio anxietatis vel indignationis erumpat. Verùm unigenito Deo, quamvis infirmitas nostra suscepta sit, tamen divinitatis suæ non est [b] abolita natura, ut non his omnibus quæ infirma sunt salvâ majestatis suæ dignitate perfunctus sit, dum universa quæ mortis nostræ sunt ac timoris ita pertulit, ut in eum inciderent hæc potiùs quàm inessent, [c] dum infirmitas nostra magis est, quàm naturalis in Deo est. Denique idipsum sequens sermo connexuit, cùm dicit, *Et formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venit super me, & contexit me tenebra.* Et hæc quidem in eum omnia quæ nostræ necessitatis sunt irruerunt ; sed ab eo naturæ suæ virtute suscepta sunt, dum mortem nostram, potens non mori, etiam [d] timorem in se mortis ingruentem non renuit.

Infirmitas salvâ divinitate.

Pennas non aliunde sumit.

7. Et cùm hæc eadem tamquam in hominem imbecillitati ejus dominatura cecidissent : tamen ut non subjectum se his quæ ingruerent edoceret, subjecit, *Et dixi, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ ? & volabo, & requiescam.* [e] Non infirmus est, cui ad evolandum de contegentibus se tenebris metuque mortis pennæ non aliunde sumendæ sunt. Cùm enim dicit, *Quis dabit mihi ?* non poscentis ab aliquo, sed non aliunde sperantis est. Evolare autem ut columba festinat, id est, in spiritalem redire naturam. Nam & in columbæ specie Spiritus in eum volando requievit, habitatione aliquando in eo homine, qui tum de Jordanis aquis adscendebat, inventâ. Et hæc quidem precationis est causa, quia infirmitate corporis degravatus, hoc quod nobis est mortale susceperat, ut caro factus [f] in spiritum evolaret. Et harum quidem pennarum suarum in psalmo alio ita meminit : Si sumsero pennas meas ante lucem, & habitavero in postremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me. Suas itaque sumet, [g] ut intelligatur eas ex his evacuatus assumere.

Matth. 3. 16.

Ps. 138. 9.

Desertum quò se à requie recipit.

8. Sed sumtis pennis ut volando requiescat, quò sit quieturus ostendit, dicens, *Ecce elongavi fugiens, & mansi* [h] *in deserto.* Ceciderunt quidem super lucem tenebræ, sed tenebræ eam non comprehenderunt. Elongavit enim fugiens, qui ne [i] à contegentibus quidem potuit comprehendi. Fugit ergo etiam eos qui se persequebantur, & ab his longè factus habitat in deserto. Et quod desertum hoc vel quæ solitudo sit (; nam eodem verbo utrumque græcitas elocuta est), & ita alius propheta declarat : Lætare desertum sitiens, exsultet desertum, & floreat tamquam lilium : & floreant & exsultent deserta Jordanis. In-

Esa. 35. 1. &c.

[a] Memoriæ lapsum hîc arguit Erasmus, quia, inquit, c. 22. in Matth. *non habentur nisi duodecim legiones.* At una & constans est in sincerioribus mss. lectio hîc, in Psalmum superiorem n. 1. lib. 10. de Trinit. n. 41. immo & in Matth. ut ipse in vetusto codice se deprehendisse fatetur Erasmus. Sicubi igitur aliter occurrat, hæc diversitas non Hilario, sed notariis aut sciolis est tribuenda.

[b] Excusi, *oblita natura :* emendantur ex mss. Tum Er. Lips. & Par. *ut non in his.* Rectiùs abest *in* à Bad. & mss. ex quibus Regius particulam *non* antiquo more, puncto nimirum subterposito, expunctam habet : quod in eumdem sensum redit.

[c] In Regio codice hisce verbis, *dum infirmitas nostra magis est, quàm naturalis in Deo est*, ea qua modò dicebamus ratione expunctis, superscriptum est, *dum infirmitatis nostra magis est, quod in assumto patitur homine, quàm divina, qua impassibilis est, natura :* ubi Hilarii mentem potiùs expressam habes, quàm verba. Diligenter retinendum, illud dumtaxat apud Hilarium *naturale* esse Christo, quod divinæ illius naturæ convenit, quod autem humanæ, velut alienum ab eo ac tamquam nostrum & *non suum* spectari. Hinc quod nos diceremus, manens Deus & homo, ipse superiùs n. 2. dicit, *manens suus atque noster.* Atque adeo hîc profitetur Christum prout *noster* & homo est, timorem, dolorem, mortem aliasque humanas infirmitates perpessum esse, quas negat expertum esse, prout *suus* ac Deus est.

[d] Ita codex Vatic. Alii verò, *timore in se mortis ingruente.*

[e] In vulgatis, *nam infirmus est :* mendum. Mox apud Er. Lips. & Par. *penna aliunde sumenda sunt*, expuncto *non :* mendum ex mendo. Utrumque corrigunt mss.

[f] Regius codex, *in spiritu.* Veriùs alii, *in spiritum*, quod paulò antè dixerat Hilarius, *in spiritalem redire naturam*, quod alibi dicit, etiam secundùm hominem fieri Deum, alibi in perfectum Dei filium gigni, quandoque redire ad unitatem naturalem Patris quam secundùm hominem amiserat, sæpius eam apud Deum resumere gloriam, quam apud eum habebat priùs quàm mundus esset.

[g] Er. & Lips. *ut non intelligatur :* quod prima edit. Par. bene correctum, pravè in postremam revocatum est renitentibus mss. Deinde ms. Reg. *eas & his.* Ac tum sola editio Par. *evacuatis.* Retinendum *ex his evacuatus*, nimirum ex illa gloria qua suprà homines & Angelos elatus erat Christus, ex qua se evacuans, & ab Angelis paulò minoratus ad homines usque descendit.

[h] Regius ms. *in solitudine :* quam lectionem æquè ac aliam mox probat Hilarius.

[i] In vulgatis, *à gentibus.* In uno è mss. Vatic. *à continentibus.* In altero simul & Reg. *à contingentibus.* Veriùs in tertio necnon & Miciac. *à contegentibus*, tenebris scilicet, de quibus num. 7. jam dictum erat, *Non infirmus est, cui ad evolandum de contegentibus se tenebris &c.*

» valescite manus invalidæ & genua dissoluta: A
» consolamini modici animi, sensu invalescite,
» & nolite timere. Ecce Deus [a] noster judicium
» reddet, ipse veniet & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient, erudietur lingua mutorum. Tunc saliet claudus tamquam cervus. Venerat quidem ad oves perditas domûs Israel; sed ab his fugatus hæc deserta lætificat. In his enim manet, [b] & manet post quàm volando requievit. Est enim Dei requies, quæ impiis denegatur cùm B dicitur, Si intrabunt in requiem meam. Resumta spiritali gloria, unigenitus Deus in his, tamquam in templo digno se, corporibus quæ erant antea deserta requiescit, quia plures jam filii desertæ magis, quàm ejus quæ habet virum.

Ps. 94. 11. — *Esai. 54. 1.*

Litteram solam in psalmis volentes.

9. Non sum autem nescius, plerosque solum verborum sonum & litteram contuentes, nihil de omnibus ferè psalmis [c] congruum personæ Domini nostri Jesu Christi existimare, C putentque totum querelis Prophetæ increpari. Sed nos litem non movemus. Neque enim destruimus, sed adstruimus, addentes potiùs de obscuris intelligentiam, quàm simplicibus detrahentes: quia quæcumque David aut passus aut questus est, etiam passionibus ejus, qui universitatis nostræ caro est factus, impleta sunt. Et, ut arbitror, ea quæ sequuntur intelligentiæ nostræ cursum probabunt.

10. Intercedens verò diapsalma demutavit D & sensum. Nam omnis rursum adversùm eos, de quibus est querela, fit sermo, honore tamen ejus, ad quem omnia est referre solitus, antelato. Sequitur enim: *Exspectabam salvificantem me à pusillanimitate & tempestate.* Non nova hæc ejus exspectatio est: nam & in eo psalmo, quem ex persona ejus esse non dubium est, sic precatus est: [d] Salva me Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam
» meam. Infixus sum in limo profundi, & non E
» est substantia. Veni in altitudinem maris, &
» tempestas demersit me. Ab hac igitur tempestate atque ab hac pusillanimitate (; [e] humiliatus enim erat usque ad mortem crucis) salvari exspectat ab eo ad quem precatus est, dicens, Pater clarifica me apud temetipsum claritate, quam habui apud te priùs quàm mundus esset.

℣. 9. Salutem exspectat Christus. — *Psal. 68. 2. & 3.* — *Johan. 17. 5.*

11. Sed exspectans salvari se, plus jam quàm spem salutis exspectat. Sequitur enim: *Præcipita Domine, & divide linguas eorum.* Proprietatem verbi sive hebraici sive græci latinitas, uti in multis, non elocuta est. Nam id quod *præcipita* dicitur, cum illis καταπόντισον enuntiatum est: quo sermone non ut præcipitentur, sed ut in profundum demergantur oratur. Demergi ergo eos, linguasque eorum dividi rogat. Quorum aliud sub Noë, aliud post A ædificationem turris scimus effectum: cùm illos diluvio submersos consumsit profundum, hos verò linguarum divisio ad causam æternæ [f] inter se concertationis discrevit; ut conspirationem adversùs Deum initam, dum se invicem & nesciunt & metuunt, non tenerent. Non dispar ergo nunc in hos pœna deposcitur, scilicet [g] ut jure gentium, quas in aquis significari meminimus, absumti, & in omnes B linguas cum quibus nunc habitant & quibus loquuntur divisi, amitterent vitæ ac regni sui dignitatem.

℣. 10. Judæi qualiter jam demersi & linguis divisi. — *Gen. 7.* — *Gen. 11. 1.*

12. Ut autem ob vitia civitatis, contradictionemque præceptorum suorum hæc consecutura nosceremus, adjecit, *Quia vidi iniquitatem & contradictionem in civitate. * Die ac nocte circumdabit eam [h] super muros ejus & iniquitas, & labor in medio ejus: * & non deficit de plateis ejus usura & dolus.* Ob hæc igitur C vitia & crimina futuræ captivitatis & dispersionis pœna deposcitur: sed potissima inter crimina sunt iniquitas & contradictio. Nam eum, quem lex & prophetæ nuntiaverant, rejicientes contradictione impia respuerunt. Quæ contradictio nocte & die circumdans muros civitatis ipsius supergressa est, quia & ipsa passionis suæ nocte, cùm se videndum in consessu & à dextris virtutis profiteretur, discissa veste etiam cum blasphemiæ invidia con- D tradixerunt. In muris autem, tuitionem salutis significari meminimus: sicut cùm novæ Jerusalem ædificatio & munitio, id est, constructio & custodia Ecclesiæ cælestis optatur, ita scriptum est: Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, & ædificentur muri «
Jerusalem. Erat ergo tum in eo populo custo- «
dia spiritalis: & dispositæ per angelos legis administratio communiebatur. Sed ubi ipso Mediatore legis rejecto, hos muros & hanc E custodiam circumdans iniquitas supergressa est: tum cœpit majus esse ipsa munitione peccatum, ut iniquitas vinceret [i] custodiæ voluntatem, usurâ & dolo, ceterisque quæ in lege sunt vetita redundantibus.

℣. 11. ℣. 12. Crimina eorum maxime excedentia. — *Matth. 26. 64. & 65.* — *Qui illi muri.* — *Ps. 50. 20.*

13. Et indignitatem tantæ hujus iniquitatis ostendens, subjecit, *Quoniam si inimicus meus improperasset mihi, supportassem utique; & si odiens me super me magna locutus fuisset, abscon-derem me utique ab eo. Tu autem homo unanimis, F dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ingressi sumus cum concordia.* Querela non de passione est, sed de Apostolo proditore. Nam cùm salutem generi humano susceptâ crucis morte donaret, non potest videri sacramentum hoc magnæ pietatis arguere. Nam utique si inimicus esset, querelæ causa non esset: cùm id in se consummare-

Non de passione, sed de proditore queritur Christus: cur non de passione.

[a] Abest *noster* à mss. Reg. hîc & infrà in Psal. 65. n. 11.

[b] In vulgatis, *& mansit*. Rectiùs in mss. *& manet*. Amat Hilarius hujusmodi repetitionem, quoties rei adjunctum vult attentiùs perpendi.

[c] In mss Mic. & Vatic. post *congruum*, additur *aliquid*.

[d] Ita in ms. Reg. ut & infrà suo loco. At in vulgatis, *salvum me fac*.

[e] Reg. codex, *humiliatus temeratusque ad [illegible]ortem.*

[f] In editis, *in se*.

[g] Editi, *ut in morem gentium*: refragantibus mss. quorum in uno legitur, *ut immanitate gentium*; in ceteris, *ut jure gentium*.

[h] Reg. ms. *supra muros ejus & iniquitas & dolor, & non deficiet.*

[i] In vulgatis, *custodis*: Præferimus cum mss. *custodia*. Non enim in superioribus *custos* memoratur, sed *custodia*: quæ cùm spiritalis sit, non caret voluntate, & voluntate bona, cujus tamen bonitas Judæorum malitiâ superanda hîc prædicatur.

tur, quod ad salutem nostram perpeti ipse voluisset. Et sicuti si odiens se locutus super se magna esset, absconsus ab eo fuisset: quia ei non cognitus in homine Deus esset, & ob hoc minus esset criminis nescienti; (Non enim gentes Verbum carnem factum [a] prænuntia sibi lege didicerunt, quod utique his qui sub lege sunt, etiam ipsis gestis ad speciem futuræ veritatis aptatum est, cùm & hominem Abraham adoravit, & Jacob in homine Deum vidit) * portasse se utique hæc opprobria * gentium, quòd cùm esset homo Deum se faceret, quòd dæmonium habens populum seduceret; quia ignorassent hæc omnia in lege, quæ ad Israel lata est, contineri. Verumtamen cùm unanimis & dux & notus hæc faciat: unanimis, cùm electus [b] in Apostolum est; dux, cùm demorante Domino ipse ad prædicationem adventus sui ad castella præmissus est, futuri regni dux ab eo ac princeps est constitutus; notus autem, cùm omnes ingressus ejus egressusque didicisset, cognosceretque in hominis filio & Dei filium, qui & particeps in demutando ex aqua vino, & * dulcificando in populi cibum hordeo exstitisset, convivioque eodem usus esset, secumque Dei domum semper esset ingressus: majorem de se querelam in hoc consortium divini ministerii assumtus exhibuit.

Gentium convicia magis ei ferenda quàm Judæorum. a Gen. 18. 2. Gen. 32. 30. * f. portasset utique. * subaud. in ore. Judas. b * f. multiplicando.

14. Sed quamquam specialia hæc in impietatem ejus dicta essent, tamen pœnæ decretum refertur ad plures. *Veniat mors super eos, & descendant in infernum viventes, quoniam nequitia in hospitiis eorum,* [c] *in medio eorum*, ita super eos morte venturâ, ut ad pœnæ sensum viventes descendant in infernum, cùm *in hospitiis eorum* & *in medio eorum*: id est, totos ipsos intrà extràque nequitiæ opera circumdent.

Iniquorum pœna. ℣. 16. c

15. Verùm ille hæc his agentibus atque meditantibus, ad quem spes & precatio sua esset ostendit, dicens, *Ego ad Deum clamavi, & Dominus exaudivit me.* * *Vespere & manè & meridie narrabo & renuntiabo; & exaudiet vocem meam.* * *Liberabit in pace animam meam ab his qui appropiant mihi, quoniam inter multos erant mecum.* * *Et exaudiet me Deus, & humiliabit eos, qui est ante sæcula.* Clamorem fidelem mox Dominus exaudit, & hanc ipsam exauditi clamoris sui gratulationem vespere & manè & meridie narrabit, diem omnem in his diei partibus per quas dies continetur ostendens. Talis autem temporum ordo non nisi ex prophetica scientia distributus est, ut *vespere & manè & meridie* nuntiet: [d] quia secundùm legem & observantiam legis à vespere dies cœpta, eadem ipsa usque in meridiem deputatur, cùm inchoationem diei non manè lux reddita, sed

℣. 17. ℣. 18. ℣. 19. ℣. 20. Vespere, manè & meridie dies tota: cur primò vespere. d Levit. 23. 32.

vespere nox facta perficiat. Narrat ergo & renuntiat ea quæ psalmo continentur, quòd vocem ejus audiat, & in pace animam suam liberet; (Pacificavit enim omnia in cælo & in terra) & liberet ab appropiantibus sibi. Superior enim querela de proximis, cùm etiam unanimis & dux & notus hæc ageret, cum Apostolis ceteris & ipse electus in Apostolum. Deus ergo qui est ante sæcula, id est, per quem omnia sunt, [e] quia ante omnia sit, exaudiet eum, & humiliabit eos; cùm indigni gloriâ æternæ resurrectionis effecti sint.

Coloss. 1. 20. e

16. Nam interjecto diapsalmâ omnem his ob impœnitentem impietatis professionem spem recidit, dicens, *Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum.* Omnes secundùm Apostolum resurgent, sed non omnes commutabuntur; quia non timuerunt Deum. Fas enim fuerat [f] ignorantes in homine Deum, resurgentem tamen Deum ex mortuis credidisse, patente his etiam post passionis piaculum [g] pænitentiâ & indulgentiâ. Non enim solùm non timuerunt Deum; sed cùm ad retribuendum his manum extendisset, id est, auxilium obtulisset; contaminaverunt testamentum ejus: cùm eum qui testamento legis ad salutem prænuntiatus est, repulerunt. Sequitur enim: *Extendit manum suam in retribuendo. Contaminaverunt testamentum ejus:* * *divisi sunt ab ira vultûs ejus.* Et idcirco demutatio his non relicta est, quia pro peccato semel mortuus est, & resurgens eos tantùm demutatione donavit, qui secum per fidem & commortui sunt & resurgent. Hos autem ab ira vultus sui eversa civitate divisit, partemque eorum cum infidelibus ponens, eos vel dispersit in omnia, vel divisit à sanctis.

Judæorum pœna ob impænitentiam. 1. Cor. 15. 51. f g ℣. 21. ℣. 22.

17. Dehinc de generali querela ad significationem ejus qui ei & dux & unanimis & notus fuerat sermo se retulit: *Et appropiavit cor ejus. Mollierunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Admixtus Apostolis, & curam pauperum agens, maximum scilicet [h] ministerii opus curans, appropiavit cor suum: (ab appropiantibus enim liberari animam suam gratulatus est) non utique ministerio fidei appropians, sed iræ Dei & contaminationi testamenti ejus. Ceterùm ipse blandiloquus, emollito super oleum sermone curam agere se pauperum fallens, etiam tum cùm pretiosi unguenti effuso alabastro conquestus est: tamquam id magis [i] venire in sumtum inopum debuisset. Sed ille occasionem furti de pecuniæ collatione quærebat. Et istiusmodi [k] fortè blandiloquii oleum psalmo alio evitat Propheta, cùm dicit, Oleum peccatoris non impinguet caput meum: quia sub specie boni operis, malitiæ arma commoveat. Sunt autem

Judæ blandiloquium. h Matth. 26. 9. i k Ps. 140. 5. Oleum peccatoris, impietas palliata.

[a] Mic. ms. *prænuntiata.*
[b] Regius codex, *ad apostolatum.*
[c] Quod sequitur, valde perturbatè & confusè exhibent excusi. Sinceriorem lectionem præstamus ex mss.
[d] In excusis particulâ *&* hîc adjectâ, non est unde percipiatur ratio ab Hilario allata, cur à vespere diem Propheta ordiatur.
[e] In ms. Reg. *qui*, non *quia.*

[f] Editi, *ignorasse in homine Deum, si resurgentem tamen Deum ex mortuis credidissent.* Ab his non dissidet ms. Reg. nisi quòd particulam *si* non habet. Castigantur ex mss. Vatic. & Mic.
[g] In uno è mss. Vatic. *pænitentiæ indulgentia.*
[h] Reg. codex, *ministerio.* In uno Vatic. *sancti licet*, pro *scilicet.* Utrumque in antiquis libris una ratione pingitur.
[i] Reg. ms. *veniri.*
[k] Miciac. codex, *furti blandiloqui oleum*: malè.

Ps. 56. 5. etiam in verbis jacula, ficuti dentes fcutum A & fagittæ funt, & lingua machæra acuta eft. Hæc igitur fermonum jacula deteftatur, quæ magis fub blandimento & adulatione nocitura funt.

Curare quid debeamus.

18. Sed inter ifta inimici jacula imperterritus manet, nobifque portum fecuritatis tutumque demonftrat. Sequitur enim: *Jacta in Dominum cogitationem tuam, & ipfe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem jufto.* (℣. 23.) Ademit nobis etiam in Evangeliis Dominus follicitudinis B neceffitatem, dicens, Nolite folliciti effe de craftino; fufficit enim diei malitia fua. (Matth. 6. 34) * Quærite primùm regnum Dei & juftitiam [a] ejus, & omnia præftabuntur vobis: (* Ibid. 33.) omnem fcilicet curam in promerendo Dei regno & juftitia collocandam. Jactanda ergo fuper eum cura eft: ipfe enim enutriet, fecundùm illud, Super aquam refectionis enutrivit me. (Pfal. 22. 2.) Enutriens autem non relinquet in fluctibus iftius fæculi, ficuti enutritus Jacob omnem tempe- C ftatem & odiorum & duræ fervitutis evafit, dicens, Deus qui enutrivit me à juventute mea. (Gen. 48. 15.) Ipfe enim vitæ auctor eft, ipfe cibi largitor, non terreni tantùm, fed etiam fpiritalis.

Puteus vitæ, & puteus mortis.

19. Sed illo fuper aquam refectionis educato, & à procellæ fluctibus liberato, digna impios pœna confequitur, cùm dicit: *Tu verò Deus deduces illos in puteum interitûs. Viri fanguinum & dolofitatis [b] non dimidiabunt dies fuos: ego autem fperabo in te Domine.* (℣. 24.) Eft quidem pu- D teus aquæ vivæ; fed eft & puteus interitûs, fecundùm illud, Non me demergat tempeftas aquæ, neque abforbeat me profundum, neque contineat fuper me puteus os fuum. (Pf. 68. 16.) Non relicto igitur in fluctuationem jufto, illi in puteum interitûs deducentur: cujus os claufum [c] refurgenti ex inferis unigenito Deo effe non potuit. Ceterùm poft paffionem Domini, ftatim eos belli victoria cum excidio civitatis abfumfit: omni promifcua ætate ad E fatisfactionem vincentium interemta, non dimidiatis vitæ diebus juventute proftratâ. Dies autem pleni fanctis & fidelibus refervantur, fecundùm illud, Et dies pleni invenientur his, quorum fpes femper in Domino eft: (Pf. 72. 10.) qui eft benedictus in fæcula fæculorum. Amen.

Judæorum miferia.

PSALMUS LV.

In finem pro populo, qui à fanctis longè factus eft, David in tituli infcriptionem, cùm tenuerunt eum allophyli in Geth.

*MISERERE mei Domine, quoniam conculcavit me homo, tota die pugnans tribulavit me, conculcaverunt me inimici mei tota die. Ab altitudine * diei non timebo: * quoniam multi qui debellabant me, timebant: ego verò in te fperabo. In Domino laudabo fermones meos tota die: in Deo fperabo, non timebo quid faciat mihi caro. Tota die verba mea exfecrabantur: adversùs me omnia confilia eorum in malum. Habitabunt, & abfcondent: ipfi calcaneum meum obfervabunt. Sicut exfpectaverunt animam meam, pro nihilo falvos facies illos, in ira populos * confringes. Deus vitam meam nuntiavi tibi: pofuifti lacrymas meas in confpectu tuo, ficut in promiffione tua. Convertantur inimici mei retrorfum, in quacumque die invocavero te. Ecce cognovi quia Deus meus es tu. * In Domino laudabo fermonem, in Domino fperabo: non timebo, quid faciat mihi homo. In me funt Deus vota * tua, quæ reddam laudationes tibi: quoniam eruifti animam meam de morte, & pedes meos de lapfu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.*

* Hil. dierum.
* Hil. quia multi qui debellant me, timebunt.
* Hil. deduces.
* Hil. addit, & in Deo laudabo verbum.
* Hil. vota quæ reddam laudationis.

TRACTATUS PSALMI.

David passionum Christi prophetia. ℣. 1.

1. MULTA pfalmi fuperfcriptio comprehendit, quæ præter rerum geftarum notionem alterius intelligentiæ intimant fenfum: cùm *pro populo qui à fanctis longè eft* pfalmus eft, cùm *tituli infcriptio* præfertur, cùm poftremò exordium ipfum *in fine* præfcribitur. Si enim eam folam querelam præfens fermo [d] concineret, quòd cùm fugeret ab allophylis, in Geth David teneretur; totum fe circa id tantùm hic iniquitatis increpitæ motus exfereret. At verò cùm hæc ante rei geftæ fignificationem ad imbuendum [e] legentium fenfum dirigendumque prælata fint; fine dubio intelligimus, per rerum geftarum quæ in David gerebantur effectus, imprimi nobis, fecundùm fpiritum prophetiæ, earum rerum quæ fub his præfcriptionibus fignificata funt notionem: ut quòd David F paffus eft, præfiguratio fuerit paffionum Domini noftri Jefu Chrifti: ut quòd *tituli infcriptio* eft, ejus qui moriendo vicerit fignificata videatur æternitas, quia tituli infcriptio, quam [f] ftelographiam fermo græcitatis enuntiat, his maximè, qui probabilem vitam degentes etiam pro falute patriæ mori in bello non timuerunt, ad æternitatis gloriam deferatur. [g] *Populo* autem *qui longè fit factus à*

Stelographia quibus deferebatur.

[a] Abeft *ejus* à mf. Reg. Habemus etiam infrà, *& juftitia collocandam*, fine *ejus*: ubi in Mic. mf. *& juftitiam collocandam.*
[b] Regius codex, *non dimidiaverunt.*
[c] Ita ex mff. At in vulgatis *refurgente*. Tum in Reg. mf. *& ex inferis.*
[d] In vulgatis, *contineret.*

[e] Mic. mf. *legendis.*
[f] In vulgatis, *ftelographia*. In mf. Mic. *ftylographiam*. In ceteris *ftelographiam*. Hæc tumulis confignabatur ex Tract. fubfeq. num. 2.
[g] Lipf. & Par. *populus*: reluctantibus Bad. Er. & mff. Mallemus tamen *pro populo*, ut eft fuprà juxta græc. ὑπὲρ τοῦ λαοῦ.

fanctis,

sanctis, Israël indignus factus sanctificatione gentium longéque ab ea discedens esse noscendus est. Quod autem *in finem* est, proprium ei esse qui finis legis est intelligatur: quod idipsum psalmi fine noscetur, cùm hujus ipsius intelligentiæ nostræ absolutionem [a] is maximè, quo psalmi finis concluditur, sermo declaret.

Psalmus hic de David simul & de Christo tractandus.

2. Per hæc ergo, quæ superscriptioni præter rerum [b] gesta connexa sunt, psalmum etiam ex persona Domini tractabimus, non tamen à prophetæ ipsius dissidentes querelis. Neque eum in his quæ pertulit, non etiam [c] non gemuisse existimandum est: quia idcirco his ipsis quæ spiritalem sensum intimant, rerum gesta connexa sunt, ut per actionem prophetæ sensus ac sermo notesceret prophetiæ; cùm propheta non tam spiritu quàm passionibus prophetarit. Erit ergo sermo inter David ipsum & hominem Jesum Christum temperatus: ut quia infirmitates omnium portavit, & peccatorum nostrorum frequenter & voce sit usus & lacrymis, extra contumeliam Dei sit & affectus & sermo qui hominis est.

℣. 2. ℣. 3. Dies pro ætate. V. Tract. Ps. 51. n. 5.

3. *Miserere mei Domine, quoniam conculcavit me homo, tota die pugnans tribulavit me, * conculcaverunt me inimici mei tota die.* Diem frequenter significari pro ætate cognovimus: ut ubi dies tota est, illic omne vitæ tempus ostensum sit. Neque enim vel David, vel Dominus unius tantùm diei insectatione vexatus est. Sed qui misericordiam Dei postulat, seseque conculcatum esse conqueritur, habet securitatis & virtutis suæ arma, quibus non solùm terrena odia, sed & spiritalium nequitiarum bella sustentat, adversùm quas potiùs, quàm adversùm carnem & sanguinem, pugnam nobis Apostolus docet esse. Ministeriis enim impiorum utuntur [d] ad vexationes tribulationesque sanctorum: cùm eorum corda penetrantes in omnem eos impetum turbulentæ mentis instigant.

Ephes. 6. 12. Impii in pios dæmonum adjumenta. Iniquorum terror. ℣. 4.

4. Hanc igitur supereminentem in hoc sæculo efferentemque se altitudinem Propheta non pertimescens, ait, *Ab altitudine dierum* [e] *non timebo, quia multi qui debellant me timebunt.* Scit æterni judicii diem, novit etiam æternum ignem pœnis æternis præparatum: atque ideo magis illi qui eum debellare tentant timebunt; quia hoc sancto non timente, in eos magis judicii terror incumbit. Pro fiducia verò securitatis suæ subjecit, *Ego verò in te sperabo. In Domino laudabo sermones meos tota die.* Spes omnes in Deo collocat, sermonesque suos toto tempore vitæ suæ laudat. Neque obscurum est quid in loquente se laudet.

℣. 5. Non timet à carne sperans in Deo.

5. Vox enim hæc sancto est digna quæ sequitur, *In Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi caro.* Non hunc frangit sæculi terror, neque conspirantium adversùs se odia perturbant. Spes enim quæ in Deo est, terrores humanorum non pertimescit odiorum. Carnem autem pro significatione hominum, per quam in corpore continentur, frequenter accipimus, vel cùm hic de impiis dicit, Non habitabit spiritus meus in hominibus istis, quoniam caro sunt; vel illud, Videbit omnis caro salutare Dei; vel illud Apostoli, Nonne estis carnales, & secundùm hominem ambulatis? Manet itaque imperterritus sub misericordia Dei: atque ideo in eo sperans, omnes carnis impetus insectationesque non metuit. Sed digna planè etiam hæc unigenito Deo vox est, cui exinanienti se ex Dei forma, virtutem Dei atque naturam servilis forma non abstulit. Factus enim caro Deus, etiam in assumtione carnis Deus esse permansit, utens virtutis suæ sub consortio nostri corporis potestate. Non enim carne est degravatus, ne super undas ambularet, neque non ut usque ad fimbrias vestis virtus divinæ potestatis exiret, neque ut non peccata dimitteret, & sputo suo naturam videndi cæcis ab utero oculis accenderet, & aure productâ de vulnere abcisæ auris vulnus obduceret, neque ut non solida parietum, corpore interlabente, penetraret. Non ergo metuit à carne, vel in Deo sperans Propheta, vel sub assumtione carnis Deus opera divina consummans.

Genes. 6. 3. Luc. 3. 6. 1. Cor. 3. 3. aut carnem assumens Deus. V. lib. 10. de Trin. n. 23.

6. In his etiam quæ consequuntur, rei in eo quoque gestæ significatio continetur. Ait enim, *Tota die verba mea exsecrabantur: adversùs me omnia consilia eorum in malum. * Habitabunt & abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.* Nusquam enim nisi occultis consiliis adversùm eum testimonia falsa, & captiosæ interrogationes sunt comparatæ: in commune habitantes, & consilia malitiæ occulentes. Sed & increpationem verborum ejus, quibus impietatem eorum exprobrare non destitit, non tulerunt: egressus quoque omnes ipsius in calcaneo contuentes, dum in ejus supplantationem fraudulenta conspiratione consentiunt: ob quod eos digna hæc [f] judicis sententia comprehendit.

℣. 6. ℣. 7.

7. Sequitur enim: *Sicut exspectaverunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos, in ira populos deduces.* Novus hic Prophetæ sermo est, ut eos qui exspectant animam suam ad nihilum Deus salvet: & cùm aliud sit in nihilum, aliud salvari, nunc salus quæ in eos fiet in nihilum sit. Est ergo quod salvetur in nihilum? Est planè, quidquid resurrectione concessa demutatione non dignum est. Nam cùm omnis caro redemta in Christo sit ut resurgat, & omnem assistere ante tribunal ejus necesse sit; non tamen omnibus gloria & ho-

℣. 8. Salus ad nihilum, resurrectio impiorum.

[a] Editi, *his maximè*: mendosè.
[b] Vulgati cum Reg. ms. *genera*. Magis placet cum mss. Vatic. & Mic. *gesta*.
[c] Particulam *non*, quamvis abundare videatur, huc revocamus ex mss. estque hellenismus Hilario familiaris.
[d] Mss. *adversùs vexationes*.
[e] Hieronymus epist. ad Suniam & Fretelam contendit additam esse particulam hanc negantem, eamque expungendam esse.
[f] In vulgatis, *judicii*. Præferimus cum ms. Reg. *judicis*, de quo nimirum subjicitur, *pro nihilo salvos facies*. Locum hunc expendendum habent, qui circa judicium erroris non ferendi Hilarium insimulant, quasi malos minimè judicandos esse sensisset. Ut quid enim omnem hominem ante Christi tribunal sistendum esse mox asserit, nisi ut quisque judicis sententiam excipiat?

nor est promiscuus resurgendi. Quibus ergo A tantùm resurrectio, non etiam demutatio est tributa, hi salvantur in nihilum. In ira enim deducentur hi populi, quibus ad pœnæ sensum salus resurrectionis est constituta: à qua ira eripiendos nos Apostolus pollicetur, dicens, Quoniam si cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo magis [a] justificati in sanguine ejus salvabimur per eum ab ira. Pro peccatoribus igitur ad salutem resurrectionis est mortuus, sed sanctificatos in sanguine suo salvabit ab ira. B

Rom. 5. 8. & 9.

Hanc eis meruit Christus.

8. Denique pro nihilo populis salvatis, & in ira deductis, spem vitæ suæ sanctus hic nuntiat, dicens, *Deus, * vitam meam nuntiavi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut in promissione tua.* Dignus promissione Dei est ob constantiam prædicandi, & ob meritum non tacendi; lacrymæ enim suæ, quas vel [b] pro se Propheta, vel pro nobis Dominus profudit, in Dei sunt conspectu, legatione earum C ad obtinenda quæ Deus promisit usurus.

Spes justorum & unde meritum.
ẏ. 9.

9. Sed se [c] gratiam æternæ promissionis initurо, inimici ejus convertentur retrorsum, ut * quod in ira deducerentur ostenderet. Id enim sequitur: [d] *Convertentur inimici mei retrorsum, in quacumque die invocavero te.* Illo Deum invocante, illi eò unde processerint convertentur: deducente eos Dei ira, & resumto ad pœnas corpore puniendos.

Impiorum pœna.
* f. quò.
ẏ. 10.

10. Sed illis ad æternitatem pœnæ in infer- D num post resurrectionem reversis, hic officio gratulationis suæ fungitur, dum ait, *Ecce cognovi quia Deus meus es tu, * & in Deo laudabo verbum.* Hoc ergo verbum suum in Deo laudat, quod Deum suum esse cognovit.

Verbum, Deus.
ẏ. 11

11. Neque id tantùm laudat, sed etiam illud, quòd speravit in eo, non metuens quid homo sibi faciat. Hæc planè digna sanctis omnibus vox est, constantem inter insectationes humanas fidem tenere, & metu ter- E renæ turbulentiæ non moveri, speque certissima quòd aliquid adversùm animæ æternitatem homo effecturus sit non timere: cùm post intercessionem mortis istius, in immortalem gloriam & corruptio & infirmitas nostra mutetur. Atque ob id sermones suos, quibus se sperantem in Domino humanam vim protestatur non metuere, collaudat dicens, *In Domino laudabo sermonem, in Domino sperabo: non timebo quid faciat mihi homo.* Ob hoc ergo F sermonem suum laudat in Domino, quia sperans in eo hominem non timebit.

Vox digna sanctis inter humanas insectationes.

12. Sed ut doceret, idcirco se nihil ab homine pertimescere, quia si quid potestatis suæ exseruisset in corpore, id rursum resurrectionis gloria sine corporum labe redhiberet; subjecit, *In me sunt, Deus,* [e] *vota quæ reddam laudationis tibi: * quoniam eruisti animam meam à morte, & pedes meos de lapsu; ut placeam coram Deo in lumine viventium.* Non extra se sunt ista quæ sperat: nec laudationis vota, quæ [f] reddet, sunt extrinsecùs capessenda. Ipse enim sibi resurrectionis est dominus, ipse huic emortuo & intra sepulcrum relicto corpori divinæ naturæ suæ [g] tribuit consortium. Neque enim resurrecturis omnibus ab exteriore materia corpus acquiritur, neque peregrinæ originis externarumque causarum natura [h] redhibetur: sed idipsum in profectum æternæ claritatis emergit, fitque in eo demutatione potiùs quàm creatione, quòd novum sit. Sunt ergo in se vota quæ reddet, tum cùm infirmitas corporum detrahetur, id est, lapsus & lacrymæ: tum cùm corruptionem incorruptio devorabit, tum cùm mortem potestas immortalis absorbet, tum cùm sit Deus omnia in omnibus, tum cùm lumen viventium sit in eodem viventium lumine Deo ipse placiturus. Nam si sibi in creatione mundi, secundùm Sapientiæ professionem, super filios hominum adgaudebat Pater, longè magis in reconciliatione mundi intelligendus est Patri esse placiturus. Est enim lux vera mundi, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Christus resurrectionis suæ dominus.
ẏ. 12.
ẏ. 13.
Resurget idem corpus.
Quî Deus in suscitatis.
Prov. 8. 31.

PSALMUS LVI.

In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptionem, cùm fugeret David à facie Saül in speluncam.

MISERERE *mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui bene fecit mihi. Misit * me è cælo, & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me. Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: * & eripuit animam meam de medio catulorum leonum; dormivi conturbatus. Filii hominum dentes eorum arma &*

* Ab Hilario abest, & hîc me, præfigitur diapsalma.
* Abest &.

---

[a] Regius codex, *justi*, non *justificati*.
[b] Editi, *per se*. Rectiùs mss. *pro se*. Hîc discrimen inter Christum & prophetam ponitur, quòd hic unde pro se fleret habuit, ille non habuit. Huc spectat illud Cleri Romani apud Cyprianum epist. 31. *Mittant* (lapsi) *legatos pro suis doloribus lacrymas, advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis & pudorem.*
[c] Vaticanus codex, *in gratiam*: & mox cum Reg. *ituro*, non *infturo*.
[d] Bad. Er. Lips. & Reg. ms. *convertantur*.
[e] Sic Regius codex consentiente græco, quod & confirmat subnexa enarratio. At editi, *Vota tua quæ reddam laudationes tibi.*
[f] Editi, *quæ reddenda sunt extrinsecùs.*
[g] Illud iis favere videtur, qui Hilarium sensisse putant, Verbi divinitatem à carne Christi mortua fuisse separatam. At aliò spectant hæc ipsius verba, quibus tantummodo vult, eidem ipsi corpori, quod mortuum intra sepulcrum relictum erat, & non alteri recèns creato, indultam esse resurrectionis gloriam, quam corpus per naturæ divinæ consortium ac participationem de novo obtinet. Hoc igitur uno verbo hîc sibi vult: Ei ipsi corpori quod mortuum erat, idem ipse qui mortuus erat, tribuit gloriam.
[h] Par. ex ms. Mic. *adhibetur*. Editiones aliæ cum ms. Vatic. *recipitur*. Ex mendosa lectione Regii codicis, *redibitur*, constat restituendum esse *redhibetur*. Favetque prædictus ms. Vatic. in quo jam paulò antè pro *redhiberet*, legere est *reciperet*.

*ſagittæ, & lingua eorum machæra acuta. Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua. Laqueos paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foveam, & inciderunt in eam. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & pſalmum dicam tibi. Exſurge gloria mea, exſurge pſalterium * in cithara: exſurgam diluculo. Et confitebor tibi in populis Domine, * pſallam tibi in gentibus: quia magnificata eſt uſque ad cælos miſericordia tua, & veritas tua uſque ad nubes. Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.*

* Hil. & cithara.
* Hil. pſalmum dicam.

TRACTATUS PSALMI.

Pſalmi hujus cum ſuperiore connexio.

1. De ſuperioris pſalmi ſuperſcriptione id tantùm demutatum in conſequenti eſt, quòd ubi *pro populo longè à ſanctis facto* [a] ænigmatum eſt, nunc *ne corrumpas vel diſperdas* præſcribitur: quod uno verbo τὸ μὴ διαφθείρῃς utrumque græcus ſermo complexus eſt. Conſequens enim erat, ut quia corruptio eos qui longè à ſanctis diſcederent manſura eſſet, ne huic ſanctus ſubderetur oraret. Nam in pſalmo alio gratulationem averſæ hujus à ſe corruptionis oſtendit, dicens, Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Neque ambiguum eſt, pſalmum [b] hunc ſecundùm Apoſtolorum profeſſionem ex perſona eſſe Domini intelligendum.

℣. 1. — Pſ. 15. 10.

Tituli expoſitio.

2. Itaque David ad humanæ carnis gloriam reſurrectionis dominicæ tempus exſpectans, nunc & non corrumpi ſe rogat, & averſam à ſe corruptionem in eo, in quo primitiæ reſurrectionis ſunt, [c] prophetæ præſcientiâ gratulatur. Ideo autem *in finem tituli inſcriptio* eſt, quia & glorioſa ad æternitatis honorem vita ſuſcepta, & mors plurimis ſalutaris virorum fortium inſcribatur [d] ſepulturis; & hæc omnia ad eum referri oporteat, qui vel finis eſt legis, vel quem pſalmi ipſius finis oſtendat. Id autem quod in ſpelunca clauſus hæc loquitur, tempus eſt prophetiæ, quo pſalmum intelligitur ſcripſiſſe ipſa illa ſpeluncæ habitatione [e] manſuro in corpore Domini humilitatem prophetans. Ceterùm videri non poteſt, ut qui ob metum erat intra ſpeluncam reconditus, pſalterio & citharâ, ut teſtatur in pſalmo, id eſt, totius artis muſicæ perſtreperet apparatu.

℣. 2. — Miſericordia Dei quibus ſperanda.

3. Cœpit autem ita; *Miſerere mei Deus, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea.* Miſericordiam rogat; quia confidit in Deo, docens ab his miſericordiam Dei ſperandam eſſe qui crederent. Et miſericordiæ Dei quod momentum quive ſit effectus, oſtendit dicens, *Et in umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.* Avibus naturæ eſt infirmitatem pullorum alis inumbrare, eoſque à prætervolantium vi atque improbitate defendere. Quod & in gallinis maximè noſcimus, cùm collectos intra pennas fetus ſuos [f] aut opacant aut tuentur. Quarum conſuetudinem ad exemplum ſollicitudinis ſuæ Dominus commemorat, dicens ad Jeruſalem interfectricem prophetarum, Quotiens volui colligere filios tuos, ſicut gallina quæ congregat pullos ſuos ſub alis ſuis, & noluiſti? Sperat ergo in umbra alarum Dei ſanctus, *donec iniquitas tranſeat*, id eſt, dum aut ſæculi ſcandala, aut iniquitates impiorum, aut terrenæ humilitatis infirmitatem, * dum hanc ipſam quaſi ſpeluncam habitaculi & corporis ſui David qua nunc eſt clauſus, evadit.

quo fructu. — Matth. 23. 37. — quamdiu. — * f. quemadmodum.

℣. 3. — Prophetica ſcientia.

4. Sperans ſub umbra alarum Dei, officio ſpei ſuæ ſemper intentus eſt, dicens, *Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum qui bene fecit mihi.* Clamat fide potiùs quàm voce, qui fugiens & latens clamat. Porro autem non eſt in ſermone ſperantis gratulatio adeptorum: ſed propheticæ ſcientiæ ac fidei eſt, gerendis non aliter gaudere quàm geſtis: & idcirco ad eum qui ſub indemutabili conſtitutione bonitatis jam ſibi bene fecerit, clamat. Et quatenus bene fecerit Dominus, conſequentibus docet, dicens, *Miſit è cælo, & liberavit me, dedit in opprobrium conculcantes me. Miſit Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam, * eripuit animam meam de medio catulorum leonum; dormivi conturbatus.* Dignum fuit, etiamſi nulla demutatio perſonæ eſſet ac ſenſûs, diapſalma intervenire: quia ad intelligentiam dictorum ſenſus eſſet credentium erigendus. Bene fecit Deus ſancto ſuo, mittendo de cælo: ut liberato eo, in opprobrium hi qui eum conculcabant darentur. Et miſit miſericordiam ſuam ac veritatem ad eripiendam

℣. 4. — ℣. 5. — Diapſalma.

[a] Verbum hoc in duo ſic diviſit Lipſius: *ænigma tum.* Deinde Pariſienſis editor illius loco poſuit *enotatum*, renitentibus aliis libris. Ex græco αἰνίσσομαι, ſeu αἰνίττομαι, quod Budæo teſte nonnumquam *do intelligendum*, ſeu *alludo ad aliquid* ſignificat, expreſſum eſt. Ex quo *ænigma* in Iſidori gloſſ. *figura ſive typus ſive ſpecies* definitur. Sic Prudentius docens formam & lineamenta vultûs reſurrectione eſſe reddenda hym. 10. Cat. ℣. 133. ait:

Tu depoſitum tege corpus:
Non immemor illa requiret
Sua munera fictor & auctor,
Propriique ænigmata vultûs.

Ut igitur in Pſal. 9 n. 2. titulus pſalmorum dicitur *index eorum de quibus ſcribitur*, ita etiam appellari poteſt vultus & effigies, proindeque *ænigma* (à quo *ænigmari*) per quod de quo pſalmus ſit agnoſcatur.

[b] Puta XCV. proximè memoratum, & à Petro Act. 2. 27. ex Chriſti perſona intellectum. Ex quo Actorum loco Auguſtinus quoque epiſt. 187. n. 5. Chriſti animæ ad inferos deſcenſum & pſalmis prædictum & apoſtolicâ doctrinâ prædicatum eſſe demonſtrat.

[c] Lipſ. hîc repoſuit *prophetiæ*, loco *prophetæ*: & contrà inferiùs *prophetæ*, loco *prophetiæ*.

[d] Sola editio Par. *ſepulcris.*

[e] Par. poſt Lipſium, *manſuram.* Mallemus *manſuri*, ſi per veteres libros liceret. Quamquam hoc totum ita licet ordinare: *pſalmum intelligitur ſcripſiſſe manſuro in corpore, ipſa illa ſpelunca habitatione Domini humilitatem prophetans.*

[f] Sic mſſ. Reg. & Mic. niſi quòd in hoc, *opacantur.* At in vulgatis, *aut operiant, aut tueantur.*

de catulorum medio animam ipsius, tum cùm A conturbatus dormisset. [a] Si mors significatur in somno, vel cùm dormiturus David cum patribus suis est, vel cùm dormiens Lazarus excitandus est, vel cùm Centurionis illius non est mortua puella sed dormit, vel cùm eos qui dormierunt non præveniemus in resurrectione: si conturbatio dormientis significatio est passionis, cùm dicitur, Nunc anima mea turbata est valde: quam tamen eripi de manu canis ita antea est deprecatus; Libera me B de ore leonis, & de manu canis unicam meam: & non alii canum vel leonum catuli intelligi possunt, quàm qui sunt & natio viperarum, de quorum medio anima eripitur, & eripitur [b] per missam è cælo misericordiam & veritatem; secundùm illud, Misericordia & veritas obviaverunt: & si misericordia & veritas Dominus Jesus Christus est: non ambigitur quin illi in opprobrium [c] dedantur, qui conculcantes Dominum in passione, ista non cre- C dunt; quibus utique opprobrium est, unigeniti Dei adventum & peccatorum indulgentiam perdidisse.

a Mors, somnus.

Dormientis conturbatio, Christi passio.

Johan. 12. 27.

Ps. 21. 22.

Leonum catuli qui.

b *Ps.* 84. 11.

c

5. Et quia huic sanctorum spei vel persequentum odia vel negantum adversatura semper essent; commemoratis humanæ salutis sacramentis, subjecit, *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta.* Vitia motusque animarum sub corporalibus officiis divinus sermo significat: ut in D Deuteronomii cantico, Incrassavit, & calcitravit dilectus, impietatis luxu sub significatione consuetudinis corporalis increpito; vel illud, Qui devorant plebem meam ut cibum panis; vel etiam, Dentes peccatorum contrivisti; nec non & illud Apostoli, Quòd si mordetis invicem, videte ne consumamini ab invicem: ut quod singulis quibusque membris officii actionisque mandatum est, id ad efficientiam mentium animorumque referatur: ut E nunc vel persequentium vel obtrectantium commemoraturus effectus, ait, *Filii hominum, dentes eorum* [d] *scutum & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta*, cùm & consumerent sævitiâ potestatis, & obtrectationum jaculis vulnerarent.

Vitia mentium designantur officiis corporum.

Deut. 32. 15.

Psal. 52. 5.

Psal. 3. 8.

Gal. 5. 15.

d

6. Sed inter hæc [e] quæ scit & exspectat Propheta non tacuit. Deprecatus enim ne corrumperetur, absorbendæ corruptionis istius tempus exoptat, dicens, *Exaltare super cælos* F *Deus, & super omnem terram gloria tua.* Quæ in altum de humilibus efferuntur, ea exaltari videntur: quia per profectum quemdam in id quod sublimius est evadunt. Quod autem super cælos exaltandum est, necesse est ut priùs descenderit ad inferiora de cælis, per quod rursum exaltandum sit super cælos. Quod ipsum Apostolus absolutissimè ita dicit: Qui cùm adscendisset in altitudinem, captivam egit captivitatem, dedit [f] dona hominibus. " Adscendit autem quid est, nisi quia & des- " cendit in inferiora terræ? Qui descendit, ipse " est & qui adscendit super omnes cælos, ut " adimpleret omnia: hinc exaltandi super cælos causam significans exstitisse, quòd descendendi usque in inferiora terræ humilitas esset assumta. Ex voto ergo Propheta prænuntiat exaltari super cælos Deum. Et quia exaltatus super cælos impleturus esset in terris omnia sancti Spiritus sui gloriâ; subjecit, *Et super omnem terram gloria tua:* cùm effusum super omnem carnem Spiritûs donum, gloriam exaltati super cælos Domini protestaretur.

e

℣. 6.

Deus exaltari nequit, nisi priùs descenderit.

Ephes. 4. 8. &c.

f

Spiritus-sancti dono omnis terra Domini gloriâ plena.

7. Omnis autem hic profectus non naturæ divinæ, sed infirmitati hominis optatur: quia se per assumtionem carnis in cælestibus collocandum Propheta non nescit, quippe cùm [g] concorporales & comparticipes effecti simus in Christo Jesu. Et idcirco hæc ad carnis suæ infirmitatem, quæ & in passionibus Domini vexanda, & super cælos esset exaltanda, connexuit, *Laqueos paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foveam, & inciderunt in eam.* Per compassionis fidem [h] etiam se ipso in Domino Propheta patiente, tamquam & ipse sit passus, hæc queritur. Sed in eos qui majestatis Dominum persecuti sunt, cùm in foveam præparatam inciderint, mortis ipsius & sensus refertur & pœna.

Quî gloriam aut passionem Christi suam David dicat.

g

℣. 7.

h

8. Et quia compatiendi & commoriendi fides nos glorificat in Christo; velut in procinctu spei fideique hujus Propheta consistit dicens, *Deus, paratum cor meum: cantabo & psalmum dicam tibi. * Exsurge gloria mea, exsurge psalterium & cithara. Exsurgam diluculo, * & confitebor tibi in populis Domine, psalmum dicam tibi in gentibus.* Interjecto diapsalma hunc ad Deum retulit Propheta sermonem, psalmi interim fide hæc eadem in quæ cor ejus paratum est concinendo: & animi sui & corporis gaudia sub significatione psalterii & citharæ adhortatus, sese ipsum in eo quod cantet psalmumque dicat ostendit. Ait enim, *Exsurge gloria mea, exsurge*

Diapsalma.

℣. 8.

℣. 9.

℣. 10.

David psalterio & citharâ se significat.

[a] Par. *Sic mors.* Editiones aliæ, *sicut mors.* Mox Er. Lips. & Par. *sic conturbatio dormientis.* Utrobique restituimus *si*, pro *sic* vel *sicut*, auctoritate ms. Regii. Est quippe longa periodus, in qua multis conglobatis argumentis hoc tandem concluditur: *non ambigitur quin illi in opprobrium dedantur* &c.

[b] Apud Par. *promissa è cælo misericordia & veritate:* antiqua lectio, quæ & mss. est, non debuit immutari.

[c] Sic ms. Mic. faventibus Bad. Er. & ms. Reg. in quibus exstat *dedentur.* Lipsio magis placuit *dentur:* editori autem Paris. *deducantur.*

[d] Apud Par. hîc restitutum erat *arma:* ubi in libris aliis, ut & in Psal. 54. n. 17. legitur *scutum:* quamvis superiùs præferatur vocabulum, *arma.*

[e] Lips. & Par. *quæ sitit & exspectat;* quod priùs Erasmus de suo invexerat; quem refutant hæc n. 7. *se in cælestibus collocandum Propheta non nescit.* Scit autem per fidem, & exspectat per spem.

[f] Editio Par. ex ms. Mic. *donationes in homine.*

[g] In vulgatis & scriptis exstat quidem *corporales*, non *concorporales:* sed visum est eos corrigendos esse ex similibus locis in Psal. 60. 68. 128. &c. cùm manifestus sit lapsus librariorum, quibus ob præcedentem particulam *cùm* facilè excidit sequens *con.* Simili loquendi ratione Athanasius Or. 2. contra Arian. p. 349. *Neque stupore percellentur* cælestes Virtutes, *videntes nos Christi concorporeos in ipsorum sedes ac regiones induci.* Et Leo serm. 1. de Adscens. Dom. *Quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocavit.*

[h] Hoc est, cùm etiam ipse esset in Domino patiente Propheta patiens.

psalterium & cithara : exsurgam diluculo ; se ipsum scilicet [a] ostendi in psalterio citharâque declarans, cùm ad exsurgendum citharâ psalterioque commonitis, ipse potiùs qui in his significetur exsurgat. Exsurgens autem diluculo, cum gloria sua spei evangelicæ gloriam cantat : congruenti diluculi & orationis tempore & salutis. Nam id sequitur : *Et confitebor tibi in populis Domine, psalmum dicam tibi inter gentes.* Laudaturus in populis & in gentibus Deum, necesse est ut in eo salutem gentium laudet : quia jam non in uno Israël funiculus hereditatis artatus sit, neque Jacob portio, sed terræ plenitudo jam Dei sit ; neque simus jam imago terreni, sed imago cælestis.

℣. 11. — Veritas usque ad nubes quid.

9. Quid autem confitendum in populis, psallendumque inter gentes esset, ostendit : *Quia magnificata est usque ad cælos misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.* Hæc est ergo in populis gentibusque confessio, quia magnificata usque ad cælos sit misericordia, & veritas usque ad nubes. Nam cùm Domino obviàm Sancti rapientur in nubibus, ipso illo nube in resurrectionis corpore [b] elati ; & creatura omnis secundùm Apostolum à corruptione sit liberanda, [c] pacificataque omnia per eum quæ & in cælo sint & in terra : meritò & usque ad nubes veritas * nostra in eo resurrectionis effertur, & magnificatur usque ad cælos misericordia ejus, congemiscentis creaturæ corruptione depulsâ. Sed horum quidem usque ad nubes & usque ad cælos significatur elatio : verùm illi proprium est, cælos transgredi, & omnem sensum existimatæ sublimitatis evadere.

1. *Thess.* 4. 16. — *Rom.* 8. 21. — *Coloss.* 1. 20. — * *f.* nostræ. — Misericordia usque ad cælos, caro corruptionis expers.

℣. 12. — Gloria Dei omnem excecens sensum, qui in terris maneat.

10. Repetitâ itaque spei suæ precatione Propheta sic clausit : *Exaltare cælis Deus, & super omnem terram gloria tua.* Nullus exaltando Deo modus est ; nam super cælos ejus elatio est. Dominus enim creaturarum ultra creaturas intelligendus. Et cùm nobis non aliud sit in cognitione quàm cælum ; ultra omnem sensum est, qui super cælos exaltatus sensum notionis [d] excedit. Misericordia quidem ejus usque in nos redundavit : sed magnificata usque ad cælos in cælestibus mox futuris. Et cùm usque ad nubes veritas ejus elata sit, nobis obviàm in nube rapiendis ; [e] sed cælos omnes tamen confessurus à Dei dextris ipse transscendit, gloriâ quoque ejus in terris, id est, nobiscum mansurâ, cùm dicit, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vitæ usque in consummationem sæculi, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 28. 20.

PSALMUS LVII.

In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptionem.

*SI verè utique justitiam loquimini, * justa judicate filii hominum. Etenim in corde iniquitates operamini, in terra iniquitatem complectuntur manus vestræ. Alienati sunt peccatores ab utero : erraverunt à ventre, locuti sunt falsa. * Indignatio illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, * & veneficii quod medetur à sapiente. Deus contrivit dentes eorum in ore ipsorum : molas leonum confregit Dominus. * Ad nihilum devenient velut aqua decurrens : intendet arcum suum donec infirmentur. Sicut cera liquefacta auferentur : supercecidit ignis, & non viderunt solem. Priùs quàm producat spinas vestras rhamnus : sicut viventes, sic in ira * absorbebit eos. Lætabitur justus cùm viderit vindictam : manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Et dicet, si utique erit fructus justo. Utique est, Deus * judicas eos in terra.*

* Hilarius, *directa.* — * Hil. *furor.* — * Hil. *medicamenti medicati.* — * Hilarius, *spernentur.* — * Hil. *absorbet vos.* — * Hil. *judicans.*

TRACTATUS PSALMI.

Argumentum psalmi.

1. DE superioris psalmi superscriptione, sola deest significatio aliqua gestorum. Nam & *in finem*, & *ne disperdas*, & *tituli inscriptio* est. Neque enim psalmus quidquam per rerum gesta continet prophetiæ ; [f] ut sicut in ceteris, sanctus David & dictis prophetet & gestis : sed increpatio in impios, & denuntiatio judicii Dei in peccatores, & retributio lætitiæ in sanctos, & fructus [g] homini justitiæ continetur. Hic er-

[a] Editi, *ostendit* : castigantur ex mss. Reg.

[b] Editio Par. *elevato.* Aliæ, *ipso illa nube in resurrectionis corporea gloriam elato* : nisi quòd Bad. non habet *gloriam.* Sequimur mss. Reg. Hîc Sancti dicuntur elati in Domino, qui nubes sit ratione corporis suscitati. Nubes autem ideo corpus suscitatum, quia, ut innuitur in Psal. 67. n. 3. nubium ad instar ultra terrenam originem mortalemque degit, per aëra sistitur ac movetur &c.

[c] Sic mss. Reg. non *pacificandaque*, ut in excusis. Sic & vulgatus Hieronymus hîc Hilarium, uti videtur, imitatus habet : *Magnificata est usque ad cælos misericordia tua : mea enim resurrectione pacificata sunt omnia tibi quæ in cælo & quæ in terra sunt.*

[d] Editi excepto Par. necnon mss. Reg. & Vatic. *excludit.* Retinemus ex Par. & mss. Mic. *excedit.* Idem quoque verbum apud Hieronymum ad ℣. 6. exstat, ubi hæc habentur ad imitationem Hilarii expressa : *Nullus est modus exaltationis divinæ. Nos verò nihil aliud de cælis quàm quæ vidimus novimus. Nam cùm ait, super cælos, notitiam excedit humanam. De gloria autem quæ super terram est, illud intelligitur, quod alibi ipse Dominus ait, Ecce ego vobiscum sum, &c.*

[e] Apud Er. Lips. & Par. *scilicet*, loco *sed.* Non debuit immutari antiqua lectio quæ est Bad. & mss.

[f] Particulam *ut* ab Er. expunctam, & deinceps omissam revocamus ex Bad. & mss. Mox restituimus *prophetet*, ubi Reg. mss. & edit. Bad. habent *propheta.* Aliæ autem edit. *prophetat.*

[g] In vulgatis & Reg. mss. *omnis.* In Vatic. *hominis.* Veriùs, ut videtur, in Mic. *homini* scil. justo fructus est justitiæ suæ juxta ℣. 12.

a go finis in psalmo est, hæc [a] depellendæ corruptionis fiducia, hæc ei, qui nos per mortem redemit, tituli inscriptio est. A

2. Et quidem talem psalmus ipse se profert:
℣. 2. *Si verè utique justitiam loquimini, directa judicate filii hominum.*
℣. 3. * *Etenim in corde iniquitates operamini, in terra iniquitatem complectuntur manus vestræ.*
Justitiæ sermo communis, non studium. Justitiæ sermo communis est; sed æqui judicii studium & consuetudo paucorum est. Sed planè tum verè quis loqui justitiam existimandus est, cùm judicium retineat veritatis; B Deo ob id non eloquia humana, sed cordis opera, id est, cogitationum molitiones judicante. Solet autem iniquitas sub publicæ conscientiæ pudore non peragi:
Peccatum cordis. & ideo licèt complexæ manus non sint iniquitatem, tamen iniquitatem Deo cor operatur in terra. Hinc adulterium solo conceptum corde jam crimen est:
Rom. 2. 16. hinc secundùm Pauli Evangelium secreta hominum Deus judicat, voluntates hominum Deo in ipsis humanæ nativitatis
Cor Deo patet. exordiis contuente. C Nam cùm naturæ potentis virtus non tam viscerum fibras, quàm appetitus mentis
b [b] introeat; necesse est non per motus sensuum perspiciendi sumat exordium, sed per naturæ scientiam etiam futuros motus sensuum præsciens apprehendat.

c Præscientia peccati non infert necessitatem. 3. Et idcirco de his, qui [c] complexas manibus iniquitates corde perficiunt, continuò subjecit,
℣. 4. *Alienati sunt peccatores ab utero, erraverunt à ventre, locuti sunt falsa.* D Sic Esaü alienatus ab utero est, cùm major minori serviturus,
d etiam [d] ante quàm exsisteret, nuntiatur,
Contra Manichæos. Deo futuræ non nescio voluntatis, cùm & sermonis falsitas, & vitæ error à ventre est: ipso potiùs hoc sciente, quàm aliquo ad necessitatem genito naturamque peccati. Ac ne vitium referri posset ad originem *;
* uti volunt Manichæi. prædurata in his ad obediendum voluntatis crimen exprobrat, dicens,
℣. 5. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas:* E
℣. 6. * *quæ non exaudiet vocem incantantium,*
e [e] *medicamenti medicati à sapiente.* Non
f excusatur [f] quædam necessitas naturalis in crimine. Nam serpens innocens esse potuisset, cui aures per se ut surdæ sint obstruuntur: vocemque incantantis non audit, cùm medicata medicamina à sapiente non percipit. Neque hîc [g] Marsorum cantus & consopita viperarum sibila memorat, quia hæc eadem majore cum [h] inertia per fidem nominis Dei virtutemque torpescunt: sed illam contumacem atque insolentem antiqui serpentis inobedientiam docet adversùm sanctorum cantus & medicata à sapiente medicamina obsurdescentis; [i] cùm ei quotidie, ne fallat, ne subrepat, ne mordeat, etiam sub divini nominis denuntiatione mandetur, & tamen obstructo desævit auditu; ex quo non obedientes Evangelio, [k] natio viperarum sunt. g Fidei vis contra præstigia. h Surditas maligna. i k

4. Sed quia potestas ejus suorumque conteritur, & omnia in his sævitiæ arma franguntur; hæc subdita sunt, *Deus contrivit dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confregit Dominus.* * *Spernentur velut aqua decurrens: intendet arcum suum donec infirmentur.* * *Sicut cera liquefacta auferentur: supercecidit ignis, & non viderunt solem.* [l] De peccatorum dentibus & molis leonum frequenter nobis fuit sermo, quia in his desævientis malignitatis significatur instinctus. His ergo confractis contritisque, velut decurrens aqua spernentur. Omnis enim superfluentium aquarum cursus est otiosus, cùm unusquisque ex his id tantùm quod sibi utile putet esse derivet, ceteris meatu transcurrente perituris, cùm ad solam sui abolitionem usque ad maria deferantur. [m] Atque hujus quidem in his naturæ atque contemtûs in psalmo alio meminit, cùm dicitur, Effusus sum tamquam aqua, & dispersa sunt ossa mea. Factum est cor meum tamquam cera liquefiens in medio ventris mei. Et multa quidem quæ ex solidis in liquida solvuntur, demutant habitum sine abolitione naturæ, ut ex [n] rigentibus fluant: cera autem solo suscepta igni sic liquescit, ut pereat. Eodem nunc modo creationis utriusque in perdendis peccatoribus posuit exemplum: *Spernentur velut aqua decurrens, intendet arcum suum donec infirmentur: sicut cera liquefacta auferentur.* Primùm ergo spernentur sine consistendi spe & manendi, inutiliter defluentes: dehinc arcus Domini erit donec infirmentur intentus: infirmati autem * liquefacti ceræ modo auferentur. Et in arcu severitatem judicii Dei significari frequenter ostendimus, peccatorum hunc semper pœnis his qui punientur

Impiorum contritio & inanitas. ℣. 7. ℣. 8. ℣. 9. l Peccatorum dentes. m Psal. 21. 15. n * f. liquefactæ. Arcus intentus quid.

[a] Excusi, *depellenda:* castigantur ex mſ. Mic.

[b] Vaticanus codex, *interroget:* vim dictis Hilarii detrahit.

[c] Par. *complexis manibus.*

[d] In uno è mſſ. Vat. *ante quàm exiret.* Deinde in Mic. *nominatur*, non *nuntiatur*. Respicitur illud Pauli Rom. 9. 11. *Cùm enim nondum nati fuissent* &c.

[e] Bad. & Er. post Reg. mſ. *medicamentis medicati.* Lips. & Par. *medicamentis medicatis.* Editio Hincmari, apud quem hic locus laudatur de Prædest. c. 25. *medicamentis medicata.* Vatic. mſ. *medicamenti meditati.* Restituimus ex Mic. *medicamenti medicati*, quomodo legit & Augustinus, juxta castigatiorem LXX. editionem φαρμάκουτε φαρμακευομένου, pro quibus apud Theodoretum exstat φαρμακοῦται φαρμακευομένη: quam lectionem Theodorus apud Corderium in Catena inscitiæ reprehendit. *Hic enim*, inquit, *sensus est: Similes sunt aspidi, quæ neque attendit voci incantantium, neque medicamento quod ab ipsis medicatum est. Medicamentum vocat ipsam incantationem. Atque hoc Symmachus declarat manifestiùs, dicens carmen incantantium.*

[f] Lips. & Par. *quidem*, Er. *quidam:* emendantur ex Bad. & mſſ.

[g] Apud Bad. *morsorum:* mendosè. Nec meliùs in uno mſ. Vat. *sanctorum.* Marsus autem apud Augustinum, Hieronymum ac Ruffinum in hunc locum vocatur, qui aspides incantat, & è tenebrosis cavernis educit ad lumen. De Marsorum gente & hac eorum arte V. Leandr. Albert. descript. Italiæ pag. 225.

[h] Bad. *enertia:* ex quo Erasmus confecit *energia*; quod deinceps etiam apud Hincmarum obtinuit contra fidem mſſ. & Hilarii mentem, qua vult posse quidem aliàs bonam in partem intelligi hanc surditatem, cùm nimirum ob fidei virtutem inaniùs in cor fidelium exseritur ars veneficorum, quàm in obturatas aspidum aures cantus Marsorum; sed hunc sensum modò locum non habere.

[i] Par. ex Mic. mſ. *cui & quotidie.*

[k] Apud Bad. Er. Hincmarum, necnon in mſſ. Vatic. & Reg. *nati viperarum:* quod maximè arrideret, nisi in Psal. 56. n. 4. & in Psal. 59. n. 4. &c. constanter præferretur, *natio:* quod hîc etiam habet Mic. mſ.

[l] In mſ. Mic. *de peccatoribus dentibus.* De his nonnihil habetur Tractatu superiori n. 5. At de molis leonum nihildum occurrit, sicut & de judicii severitate per arcum significata, quod tamen jam frequenter ostensum proximè memorabitur.

[m] In duobus mſſ. Vatic. *aquæ hujus.*

[n] Apud Bad. *agentibus:* quod retinens Erasmus ad marginem adscripsit, *fortè algentibus.* Illo audacior Lipsius substituit *fornacibus:* nec vox illa in posterum mutata est. Veriùs mſſ. *ex rigentibus*, hoc est, cùm priùs essent rigentia & non liquida. Respicitur hîc cera quæ igni admota evanescit, non quæ liquefit in vasis.

intentum. Et sanè intento arcu, igne judicii eos ut liquefactam ceram auferendos sequens sermo declarat: *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Superjectus ergo ignis eos auferet, ne solem justitiæ contemplentur; indigni enim sunt, qui sint coheredes æterni luminis.

[a Impii statim à morte ignis pœnas luunt.] 5. [a] Ac ne id, quòd tamquam cera liquefacta auferentur, igne super eos ne solem videant decidente, abolitionem eorum potiùs quàm pœnam significaret; adjicit, [℣. 10.] *Priùs quàm producat spinas vestras rhamnus, sicut viventes, sic in ira* [b] *absorbet vos.* [b Rhamnus.] Rhamnus sentium genus est, quod plures ex se condensasque spinas modo rubi effert: florescit autem cum ceteris vere confotum. Ergo ante quàm rhamnus peccatorum spinas producat, [c] ut viventes eos ignis in ira absorbet. [c V. Tract. Psal. 1. n. 48.] Neque enim suspenso adhuc judicii tempore quiescere peccatores sine pœna erat dignum: viventes itaque eos, cum pœnæ scilicet sensu, absorbet ignis etiam ante quàm resurgant. Corporum enim resurrectio significatur in rhamno, [d] quæ ipsa in se spinas, quibus compungenda sunt, exhibebunt: [d Corpora excitata quid piis quid impiis præstabunt.] aliis fructus æterni floris habituris, his verò tantùm ad efferendos in se modo rhamnorum spinarum aculeos excitandis. Peccatorum autem vim & dolorem significari meminimus in spina, cùm dicitur, In ærumnam [e] incidi, dum configitur spina: [Psal. 31. 4.] quia usque ad mortem humiliatus de peccato condemnavit peccatum in carne, velut cùm configens spina configitur. Et unusquisque, secundùm Apostolum, sive bona sive mala percipiet in carne: [2. Cor. 5. 10.] cùm ipsam materiam ac sensum, in qua compungatur, habiturus sit peccator. Ante resurrectionem carnis, id est, ante quàm spinas suas rhamnus emittat; vivens absorbetur ad pœnam anima ejus, secundùm divitem evangelicum punienda quæ vivens sit. [Luc. 16. 23.]

6. Sed inter hæc justi cujusque, tamquam Lazari in sinu Abrahæ requiescentis, lætitia monstratur. Sequitur enim: [℣. 11.] *Lætabitur justus cùm viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* [℣. 12.] * *Et dicet, Si utique erit fructus justo? Vtique est Deus judicans eos in terra.* [Manus lotæ in sanguine peccatoris, innocentia.] Lætitia justi est cùm viderit vindictam; quia peccatoribus puniendis, deductum se per Angelos in æternam requiem lætatur: [f] manus suas non peccatorum sanguine abluens; sed cùm peccatores in sanguine sint, quia rei sanguinum sunt, manus ille ab omni reatu sanguinis ablutas continebit. Idipsum psalmo alio testatus est, cùm dicit, Odio habui congregationem malignorum, & cum impiis non sedebo: lavabo inter innocentes manus meas. [Psal. 25. 5. & 6.] Et commemoratis innocentiæ officiis, adjecit, Ne perdas cum impiis [g] animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam. [Ibid. 9.] In peccatorum scilicet sanguine manus ille abluet inter innocentes. Adeo autem hi viri sanguinum sunt, ut omnium ab Abel usque ad Zachariam interfectorum ab his sanguis sit reposcendus, [Matth. 23. 35.] & abluente manus suas Pilato, super se suosque esse justi sanguinem sint professi. [Matth. 27. 24. & 25.]

7. Sed manus suas lavante justo atque lætante, *dicet homo, An fructus erit justo?* Et utique eum esse dicit, quia Deus sit in terra eos judicans. Dicens ergo homo, *an fructus sit justo*, non ambigitur exspectare judicium; justo tamen [h] jam in terris, quia per Angelos in Abrahæ sinum deductus sit, judicato, secundùm illud, Qui credit in me, non judicatur, sed transit de morte in vitam: qui autem non credit, jam judicatus est. [Johan. 3. 18. & 19.] Cùm ergo sanctus non judicandus sit, qui in vitam sit transiturus ex morte, & infidelis jam judicatus ad pœnam sit: intelligitur in eos reliquum esse judicium, [V. Tract. Psal. 1. n. 17.] qui pro gestorum qualitate inter peccata fidemque sint judicandi, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LVIII.

In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptione, quando misit Saül, & custodivit domum ejus, ut interficeret eum.

ERIPE me de inimicis meis, * *& ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum libera me: quia* * *ecce captaverunt animam meam, & inruerunt in me fortes. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine, sine iniquitate cucurri, & direxi. Exsurge in occursum mihi, & vide,* * *& tu Domine Deus vir-*

[* Hil. addit, Deus.]
[* Ab Hilario abest ecce, ac mox &.]
[* abest, &.]

[a] Bad. Er. Lips. ac postrema editio Par. cum ms. Reg. *Tamquam cera autem liquefacta auferentur.* Mox apud Bad. & in ms. Reg. *decedente & ut abolitionem.* In aliis edit. pro *decedente*, positum est *descendente.* Ex his conficiebatur sententia S. Doctoris menti prorsus opposita. Genuinam exhibemus ex Romanis mss. Mic. & Vatic. à quibus tamen an absint particulæ *& ut* ante *abolitionem*, non notarunt qui Romæ prædictis codicibus recognoscendis operam dederunt. Verùm eas aut abesse debere, aut in aliud, v. g. in *velut*, mutandas esse manifestum est. V. Tract. Psal. 1. n. 15.

[b] Lips. & Par. hîc & deinceps *absorbebit:* quibus Bad. & Er. tantùm inferiùs consentiunt. Veriùs, ut ex subnexis liquet, in mss. constanter legitur *absorbet* in præsenti.

[c] Particulam *ut* ex ms. Reg. huc revocamus. Mox in Vatic. *interea* (pro, *in ira*) *absorbet.*

[d] Vaticanus codex, *quando ipsas* Illud *quæ ipsa* refertur ad corpora.

[e] Bad. Er. Lips. & Regius codex, *incidet.* Tum iidem, excepto Lips. *dum confringitur spina.* Frustra hunc unum locum, quem Christi passioni aptat, adduceret Hilarius, ut in spina peccatorum vim & *dolorem* significari probaret, si dolorem in Christum non cecidisse sensisset.

[f] Qui apud Hieronymum auctor enarrationis Psalmorum, sequentia ab Hilario mutuatur cum hac laudis præfatione: *Quia difficilis est hic versiculus ad intelligendum; ipsa verba quæ anteriores tractaverunt educam. Hilarius beatus antistes, &, ut ita dicam, inter procellas mundi magnus sustentator Ecclesiæ, ita de eo dicit:* &c.

[g] In vulgatis hîc additur *Deus:* quæ vox abest à Reg. ms. ut & à græco.

[h] Disertè hîc ait Hilarius justos ante extremum judicium judicari: idque probat ex beata sorte illis jam concessa. Idipsum de iniquis ex allato Johannis loco satis innuit: quod & ipsius in multis imitator vulgatus Hieronymus illustrat in eumdem locum dicens, *illi ante judicium finis in hac terra judicantur, de quibus superiùs diximus, Qui non crediderit, jam judicatus est.*

tutum, Deus Israël. Intende ad visitandas A *omnes gentes: * non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.* DIAPSALMA. *Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes, * circumibunt civitatem. Ecce loquentur in ore suo, & gladius in ore eorum: quoniam quis audivit? Et tu Domine deridebis eos, pro nihilo habebis omnes gentes. Fortitudinem meam ad te* B *custodiam, quia Deus susceptor meus*: Deus meus misericordia ejus præveniet me. Deus * ostendit mihi inter inimicos meos, ne occideris eos: ne quando obliviscantur legis tuæ. Disperge illos in virtute tua, & destrue eos, protector meus Domine. Delicta oris eorum, sermonem labiorum ipsorum; & * comprehendantur in superbia sua. Et* C *de exsecratione & mendacio * convellantur consummatione: in ira consummationis, & non erunt. Et scient quoniam Deus * dominabitur Jacob: & finium terræ.* DIAPSALMA. *Et convertentur in vesperam: & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem. Ipsi dispergentur ad manducandum: si verò non saturabuntur, & murmurabunt.* D *Ego autem cantabo virtuti tuæ, * exaltabo manè misericordiam tuam: quia factus es susceptor meus & refugium meum in die tribulationis meæ. Adjutor meus tibi psallam: quia Deus susceptor meus, Deus meus misericordia mea.*

* *ne.* * *&.* * Hil. addit, *es.* * addit, *meus.* * Hil. *comprehenden-tur.* * *convellentur in consummatione. Consummatio in* * Hil. *Jacob dominatur finium.* * Hil. *exsultabo.*

E

TRACTATUS PSALMI.

Christi passio hoc psalmo prænuntiata. 1. *Reg.* 19. 11.

1. SUPERSCRIPTIO psalmi à superiore non differt: sed psalmus eo differt, quòd quædam ex his quæ in David ipsum gesta sunt præferuntur, cùm Saül misit & custodivit ad interficiendum eum domum ejus. Verùm si ob id dirigenda ad Deum esset oratio; superiora illa, id est, *in finem*, & *ne disperdas vel corrumpas*, & *in tituli inscriptione*, non necesse fuerat anteferri. Hæc autem maximè quamquam spiritali sint distributa ratione, cùm & finis legis sit Christus, & corruptioni subjecta non fuerit ejus æternitas, & gloriosæ mortis ipsius titulus in salute sit gentium: tamen etiam ipsa quæ de gestis ejus præscripta sunt, prophetica esse declarant, cùm passionis dominicæ [a] Propheta non nescius, sub occasione ac tempore eorum quæ perpetiebatur odiorum, & patiendo prophetam se docuerit & loquendo. Tractabimus autem psalmum, ut eorum qui secundùm litteram sapiunt intelligentiam non gravemus: sed & ut quòd à Saül custoditus ad interficiendum est, non minùs ejus sit temporis [b] prophetia, quàm à populo, & in Jerusalem tamquam in domo sua conclusus, & custoditus sit ad mortem. Littera spiritui socianda.

2. *Eripe me de inimicis meis Deus, & ab insurgentibus in me libera me.* ℣. 2. * *Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum libera me.* ℣. 3. Vitiorum humanorum causas profectusque complexus est: ut unde orta est & quò evaderet impietas, nosceremus. Et idcirco iras & simultates & inimicitias Evangelium compressit, (cùm irasci sine causa fratri reatus gehennæ sit, & oblatio muneris nisi post reconciliationem non concessa sit simultatis, & inimicos non solùm diligendos, sed & pro his orandum esse decernit;) quia ex his ad virum sanguinum pervenitur. Nam primùm inimici sunt: dehinc insurgunt in eum cujus inimici sunt: insurgentes autem, iniquitatis operarii sunt: postremò iniquitatis operarii usque ad viros sanguinum profecerunt. Viros autem sanguinum non solùm admissa cædes, sed & [c] cogitata consummat. Iniquitatis progressus. *Matth.* 5. 22. & 23. *Ibid.* 44.

3. Sequitur enim: *Quia captaverunt animam meam, irruerunt in me fortes.* ℣. 4. * *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine, sine iniquitate cucurri, & direxi.* ℣. 5. Captata anima David est, cùm ad interficiendum domo clausus est. Et quamquam erutus de Saül manibus sit: tamen viri sanguinum sunt sanguinem ejus optantes. Sed secundùm psalmi præscriptionem adversùm unum esse precationem convenerat, regem utique hæc [d] volentem. Sed orationi propheticæ fuit sermo moderandus: ut querela referretur ad populum, cùm captant animam fortes irruentes: quippe quos [e] fortis armavit, qui & cor Judæ ad ministerium proditionis ingressus est. Hi ergo fortes captant animam, & ejus animam in quo neque iniquitas neque peccatum est, qui currens sine iniquitate direxit. F Querela David Christo magis congruit.

4. Et nescio si anterior psalmus referri in David [f] ita patitur, quo dicitur, *Ecce iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum* David non sine peccato. *Ps.* 50. 5.

[a] Editio Par. *ut Propheta.*
[b] Ita Par. ex ms. Mic. In aliis autem libris, *propheta quam apostolus.* Neutra lectio integra aut absoluta est: sed nostra facilè resarciri potest, si pro *quàm* ponatur *quo* aut *quando*, ac subinde aut suppleatur aut subintelligatur *Christus.*
[c] Unus è mss. Vatic. *cognita.* Alter, *ad cogitata.* Tertius, *concitata.* Regius, *agitata.* Ac primùm non satis significare videbatur verbum *cogitata*: quia cùm simultatis supremus gradus ponatur esse virum sanguinum; vir sanguinum majore quodam scelere, quàm operarius iniquitatis propter cædem admissam sic nuncupatus, consummari debere videbatur. Sed vir sanguinum Hilario dicitur reus sanguinis propter cædem actu vel affectu perpetratam. Ponitur in supremo iræ gradu, non tamqua[illegible]lius nequitiæ gradus, sed tamquam postremus effectus; sicut *operarium iniquitatis* esse, tantùm denominatio est, quæ sequitur virum in alium insurgentem. Videsis superiorem Tract. n. 6. Itaque non mutamus, *cogitata*, licèt non displiceat *agitata* aut *concitata.* Hîc obiter annotamus in ms. Reg. favente uno Vatic. haberi *cadis*, non *cades.*
[d] Bad. & Er. *volente.* Mss. *rege utique hac volente.* Horum sensus est: in titulo solus Saül memoratur volens occidere David: cur igitur hîc *viri sanguinum*, & non potiùs *vir?*
[e] In mss. *fortes*: lectio non spernenda.
[f] Ita codex Reg. Alii verò *ista patiatur.* Tum ex Vatic. restituimus *quo*, ubi in aliis *quod dicitur.* Horum omnium ea est nativa sedes, ac sensus: *Nescio si anterior psalmus, quo dicitur, Ecce iniquitatem meam ego agnosco* &c. *patitur ita in David* ut in Christum *referri* illud, *Sine iniquitate cucurri* &c.

meum

meum contra me est semper. Non convenit psalmorum ordini tanta diversitas, ut ab eodem dictum esse utrumque intelligendum sit. Sed si quia anterior confessi peccati psalmus posterior in tempore est, videatur David ante peccatum, ut peccati nescius hæc loquutus: meminerimus eum [a] sub eodem peccato de humanæ necessitatis confessione dixisse, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea; secundùm illud, Quis enim gloriabitur castum se habere cor coram Deo, nec si unius diei fuerit infans? manente in nobis etiam secundùm Apostolum & origine & lege peccati. Non ergo conscientiæ humanæ vox ista convenit.

Ibid. 7. — Job. 14. 4. — Rom. 7. 23.

Christus culpæ nescius.

5. Sed videamus ne fortè ejus querelis hic abnegatæ de se iniquitatis competat sermo, qui peccatum non fecit, & in quo inventus dolus non est, qui & dixerit, Ecce veniet princeps mundi, & non inveniet in me quidquam, peccati scilicet in se calumniam non reperiendam; per quod de peccato peccatum condemnaturus esset in carne. Ergo hic intelligendus est conqueri captatam animam suam, & irruisse in se fortes, qui & [b] habuit hanc querelæ securitatem, ut in se neque iniquitatem neque peccatum esse profiteretur, & qui sine iniquitate cucurrisse se dixerit; secundùm illud, [c] Exsultabit ut gigas ad currendam viam, à summo cæli egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus.

Johan. 14. 30. — Psal. 18. 6. & 7.

Precatur sibi remeanti, de cælis occurri.

6. Hic ergo solus currens [d] direxit, qui infirmitatis nostræ humilitate suscepta egressus cælos, regressus ad cælos: qui revehens nos secum, oblaturusque Deo munus precatus sit: *Exsurge in occursum mihi, & vide tu Domine Deus virtutum, Deus Israel. Intende ad visitandas omnes gentes: ne miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.* Exsurgere enim sibi in occursum Deum virtutum ad visitandas omnes gentes precatur: in eo namque [e] coexcitatæ & collocatæ à dextris ejus in cælestibus gentes sunt. Et dignum fuit, reditum ejus ambitione occursûs cælestis ornari; ne ingressuro cælos dignatio paterna [f] de cælo deesset. Neque id mirum: cùm primo nominis sui martyri Stephano velut [g] in primoribus cæli in occursum à Deo patre descensum sit. Visitari itaque [h] in occursu suo omnes gentes precatur, secundùm illud, Neque enim misit Deus filium suum in hunc mundum, ut judicet mundum; sed ut salvus fiat mundus per eum. Descensum namque ejus in carnem, & ex Maria nativitatem, lætantes Angeli & patentes cæli honoraverunt. Non impudens ergo hæc occursus sui oratio est, cui ad salutem gentium, sicuti & psalmo alio & apostolico testimonio continetur, primogenito ex mortuis vox occurrentis hæc fuerit: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hanc itaque occursus sui significationem visitandis [i] in se gentibus deprecatur; non tamen judicii [k] severitate præteritâ, cùm misericordia ab omnibus qui iniquitatem operantur avertitur: omnibus quidem in eo, quia caro factus est, gentibus visitatis; sed æquè [l] omnibus iniqua operantibus judicatis.

℣. 6. — In eo gentes omnes honorantur. — Act. 7. — Johan. 3. 17. — Psal. 2. 7. Act. 13. 33.

7. Interjecto enim [m] diapsalma, quæ in impietatem populi essent mansura declarat. Mox namque & templi desolatio, & civitatis eversio, & ipsos illos captivitas consecuta est. Quin etiam nunc [n] ingressu civitatis ejusdem, edicto Romani regis inhibentur. Et cùm deserta sanctorum sancta, & prophetias silere, & placationum hostias deesse, & dignitatem omnem deformatam ministerii levitici recordantur; conversi nunc, & fame verbi Dei & cibi salutaris affecti, ad solatium præsentium miseriarum circumire sunt soliti ci-

Judæorum miseria. — Jerusalem ingredi vetantur.

[a] Hoc est, adhuc peccato subditum; nisi quis malit, *sub eodem psalmo.*

[b] Verbum *habuit* in priùs vulgatis omissum restituitur ex mss.

[c] Ita ms. Reg. juxta græc. ἀγαλλιάσεται. At excusi, *exultavit.*

[d] Par. *dixerit*: malè. Hîc respiciuntur verba psalmi, *cucurri, & direxi.*

[e] Editi, *quo excitata*: antea apud Lips. & Par. *utique* pro *namque*. Corriguntur ex mss. Quòd omnes gentes prædicat Hilarius unà cum Christo coexcitatas, à Dei dextris collocatas, in eo visitatas &c. ex eo sequitur quòd, ut in Psalm. 51. n. 15. docet, Christus carnem assumens *totius generis humani naturam in se assumsit.*

[f] A Regio ms. & tribus Vaticanis abest *de cælo.*

[g] In ms. Mic. *in prioribus.* In uno Vatic. *uni de primoribus.* Retinemus cum aliis libris, *in primoribus*, hoc est, Pater non descendit quidem per se, sed per primarios cæli incolas. Quid hîc sibi velit Hilarius, intelligere est ex Liturgia Gallicana tomo 1. Musæi Italici è ms. ante annos mille exarato vulgatâ: rebus enim liturgicis ordinandis operam eum dedisse nemo nescit. Sic autem habet collectio missæ de S. Stephano p. 292. *Domine qui ambulanti de virtute in virtutem S. Stephano martyri tuo aperuisti cælos ad gloriam, quos ei aperueras ad meritum sanctitatis, ut confessionis suæ fructum caperet.* Magis ad rem nostram missæ ejusdem Contestatio: *Dum terrena tamen terris membra componit, cælestem spiritum angelicis manibus evexit ad cælum.* Patrem itaque in cæli primoribus descendisse, quid aliud intelligemus, nisi eum sancti Stephani spiritum angelicis manibus cælos evectum excepisse? Nec proinde existimavit Hilarius cælum ad extremum usque judicium nulli patere. Verùm tum illius, tum etiam antiquorum ea de re sententiam alibi forsitan diligentiùs expendemus. Adsunt enim multa, quibus non ita novam esse, ut multi sibi persuadent, fidem in Ecclesia nunc receptam demonstremus.

[h] Sic mss. At editi, *in occursum suum.*

[i] Editi, *à se*: reluctantibus mss. Et mox habetur *in eo ... visitatis*, non *ab eo.*

[k] In priùs vulgatis, *severitatem. Præterita enim misericordia*: lectio perturbata & contrariis sententiis constans. Veram exhibent mss.

[l] Particulam *in* à Lipsio hîc perperam adjectam, ac deinceps retentam, removemus auctoritate veterum librorum.

[m] Editi, *diapsalmate*: renitentibus mss.

[n] In vulgatis, *ingressus.* Rectiùs in mss. *ingressu.* Porro edictum hoc est Hadriani Imp. an. Dom. 137. Pompeiano & Aciliano Coss. datum, post quàm bellum Judaicum quod in Palæstina gerebatur finem accepit: *Ex quo tempore*, inquit Eusebius in Chronico, *introeundi eis Jerosolymam licentia ablata, primùm Dei nutu, sicut Propheta vaticinati sunt, deinde Romanis interdictionibus.* Et l. 4. hist. c. 6. *Aristo Pellæus narrat, universæ genti ex illo tempore prorsus interdictum, ne pedem in agrum Jerosolymitanum aliquando inferrent, & legis decreto institutisque Hadriani (ille planè sic in mandatis dederat) ne vel ex edito loco paternum solum aliquando oculis adspicerent.* Hoc edictum ad Tertulliani tempora perseverasse, testis est ipse Apolog. c. 21. de Judæis referens, *Dispersi, palabundi, & cæli & soli sui extorres* (quæ verba exscribit Cyprian. lib. de Idol. vanit.) *vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.* Rursum contra Jud. c. 13. *Interdictum est, ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Judæorum.* Tum quasdam ea de re referens prophetias, & in iis illud Esaiæ 33. 17. *Oculi vestri videbunt terram de longinquo*, prosequitur: *Quod vobis pro meritis vestris post expugnationem Jerusalem prohibitis ingredi in terram vestram, de longinquo eam oculis tantùm videre permissum est.* Hujus igitur edicti severitas paulatim relaxata est. Nam 1°. nec patrium solum ex edito loco adspicere eis licuit ex Eusebio: deinde Tertulliani ævo licuit quidem adspicere, sed non adire: demum Hilarii nostri temporibus, negato Jerusalem ingressu, permissum est circumjacentes tantùm regiones obire. Dispersionis ejusdem meminit Hieronymus in [illegible]an. 9. & in Jerem. 31.

ỳ. 7. vitatem. Id enim sequitur : *Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes, & circumibunt civitatem.* [a] Famem hujus temporis per prophetam alium denuntians dicit, Amos 8. 11. » Ecce induco famem super terram : non famem » panis, neque sitim aquæ; sed famem verbi, ut » audiatur verbum Dei : impudentiam eorum ac rabiem in nuncupatione canum arguens, secundùm illud, Psal. 21. 22. Libera me de ore leonis, & de manu canis unicam meam. Et hunc quidem habent interioris conscientiæ suæ dolorem, cùm se dispersos, cùm captivos, cùm tributarios congemiscunt, sine templo, sine sacerdote, sine regno : & hoc postea quàm in majestatis Dominum salvatoremque mundi manus impias intulerunt.

Invidentia eorum.

8. Sed ubi de peccato crucifixi unigeniti Dei arguuntur, impii esse non desinunt : & dolore translatæ ad gentes divinæ cognitionis accensi, ore adhuc verbisque desæviunt. ỳ. 8. Sequitur enim : *Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum.*

Gentes omnes, id est pleræque, irridendæ; cur.

9. Sed hanc obtrectandi atque insectandi impietatem, non solùm in his, sed etiam in gentibus, quæ audire detrectant, ita divinus sermo condemnat : *Quoniam quis audivit?* ỳ. 9. * *Et tu Domine deridebis eos, pro nihilo habebis omnes gentes.* Nemine audiente irridentur à Deo; quia ubi dicitur, *quis?* ibi aut rarus significatur, aut nullus : nullus, secundùm illud, Ps. 88. 7. Quis similis tibi in diis Domine? rarus autem, in eo cùm dicitur, Ps. 52. 7. Quis dabit ex Sion salutare Israel? Irridentur igitur non audientes, & in quorum ore labiisque sit gladius : quia in cælis habitans Deus Psal. 2. 4. subsannabit adversùs Deum & Christum ejus reges ac principes congregatos. Gentes etiam omnes spernet, visitatas & non obedientes : quia quamvis ex his sit portio quantulacumque credentium, tamen universitas reputatur in plurimis, secundùm illud Domini dictum, Luc. 18. 8. Numquid cùm venerit filius hominis, inveniet fidem super terram? Non quòd non in aliquibus reperietur, quibus & dicetur, Matth. 25. 34. » Venite benedicti patris mei, possidete præpara- » tum vobis regnum à constitutione mundi : sed cùm pauci ex omnibus gentibus sint fideles, [b] non per paucos efficitur ne non omnes gentes sint infideles. Irridendarum autem gentium ea maximè causa est, quòd dum crucifixum, dum mortuum, dum sepultum stultitiâ prudentiæ sæcularis exprobrant, magnæ pietatis sacramentum non intelligentes, filium Dei resurgentem ex mortuis, & majestatis esse Dominum non credunt.

10. Sed habens ille potestatem animæ ponendæ, & animæ resumendæ, quia hoc mandatum accepit à Patre, Johan. 10. 18. irrisis spretisque gentibus, subjecit, *Fortitudinem meam ad te custodiam,* ỳ. 10. *quia Deus susceptor meus es :* ỳ. 11. * *Deus meus misericordia ejus præveniet me.* ỳ. 12. * *Deus meus ostendit mihi inter inimicos meos.* Fortitudinem suam ad Deum custodiet, animam suam scilicet quam deposuit resumendo; nemo enim aufert eam ab eo; & quia virtus sua & refugium suum sit, in cujus manibus commendaverit spiritum suum. Luc. 23. 46. Cujus misericordia eum præveniet, ut etiam ante resurrectionem Dei filius intelligatur, cùm moriente eo, obscurato sole lux deperit, cùm pendente eo in cruce tremit terra, cùm descendente eo ad inferos, [c] sanctos ejus inferi non tenent, Matth. 27. 52. cùm emittente eo spiritum, velum templi tamquam custodiâ illinc spiritali erumpente discinditur, cùm postremò Centurio proclamat, Verè Dei filius erat iste. Marci 15. 39. Custodita igitur ad Deum fortitudine sua, quia lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt, Johan. 1. 4. & præveniente eum misericordia sua, ostendit ei inter inimicos ejus, quia susceptor ejus esset, cùm id etiam inimici confessione patuisset; verè enim eum Dei filium esse Centurio proclamat. Et hæc quidem tum ita cognita sunt.

Deus Christi in morte susceptor. Ibid.

Judæi sub finem sæculi Christum demum recepturi.

11. Sed quia secundùm illud, Zach. 12. 10. Et videbunt in quem compunxerunt, etiam in futurum inter inimicos ejus ostendet Deus, quòd ejus sit susceptor : quippe cùm secundùm Apostolum introgressa gentium plenitudine, id quod [d] Israel sit reliquum salvabitur; Rom. 11. 25. ut quod scriptum est impleatur, Esa. 59. 20. Veniet ex Sion qui liberabit & avertet impietates ab Jacob. Et « hoc illis à me testamentum, cùm auferam im- « pietates eorum. Ad significationem itaque repositæ hujus misericordiæ speique, subjecit, *Ne occideris eos : ne quando obliviscantur legis tuæ. Disperge illos in virtute tua, & destrue eos, protector meus Domine.* ỳ. 13. * *Delicta oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, &* [e] *comprehendentur in superbia sua, & de exsecratione & mendacio convellentur* ỳ. 14. * *in consummatione. Consummatio in ira consummationis, & non erunt, & scient quoniam Deus Iacob* [f] *dominatur finium terræ.* Inimici quidem propter nos, sed dilecti propter pa- Rom. 11. 28.

[a] Miciacensis codex, *famis hujus tempus.* Tum sola editio Par. *propheta alius.* Post *denuntians* subaud. *Deus*, qui proprio nomine deinde dicat, *Ecce induco* &c.

[b] Particula negans apud Par. malè rejecta revocatur ex aliis libris.

[c] Augustinus peccatores ex inferis eductos fuisse mavult quàm sanctos. *Illud*, inquit lib. 12. de Gen. ad lit. c. 33. n. 63. *me nondum invenisse confiteor, inferos appellatos, ubi justorum animæ requiescunt. Et Christi quidem animam venisse usque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, ut eos solveret à tormentis, quos esse solvendos occultâ nobis suâ justitiâ judicabat,* (& mox, *ea potestate qua Dominus est*) *non immeritò creditur.* In hanc abit sententiam motus verbis Act. 2. 24. quibus Christus prædicatur à Deo suscitatus *solutis doloribus inferni.* Sed si justi dicantur ideo doluisse, quia ardenter exoptabant Christum, quo Salvatore indigebant; præsentiâ ipsius dolores eorum soluti qui [illegible] dicantur? Appositè Origenes in 1. Reg. 28. apud Huetium T. 1. p. 33. Christi in infernum descensûs causam explicans ait : *Internum desiderium, quod non potest ab aliis curari, curat ipse : quod à nemine potuit medicorum sanari, sanatur à Christo Jesu.* Et paulò pòst subjicit : *Neque verò qui Christo indiget, prophetis iisque qui Christi præsentiam & adventum præparant, non indiget.* Tum post nonnulla addit justos in infernum descendisse, *non simpliciter, sed ut sanctos :* & hoc, quia *quamvis eò descendant ubi sunt animæ quæ in infernis; loco quidem inferiùs, at non inferiùs sunt voluntate. Et certò persuasum habeo illos supercælestia prophetasse.* Ita Hilarium illustrat Origenes, quem illi prælusisse non dubium est. Quamquam ex his necdum satis perspicuum est quomodo justos inter & injustos magnum chaos intercesserit, si unus utrosque locus continuerit. Sed & ad illud reponi queat, non ita dissitos fuisse, qui sese mutuò viderint.

[d] Vulgati *de Israel.* At mss. *Israel* in secundo casu, ut est inferiùs vulgatis etiam consentientibus.

[e] Antiquæ edit. cum Reg. ms. juxta græcum, *comprehendantur.*

[f] Sic mss. ut & in græco. At editi, *dominabitur.*

tres; misericordiæ id quod eorum est reliquum reservatur. Dispersi quidem interim circum omnes ferè gentes, sed conspersione eorum [a] sancta æquè radice liberabuntur. Destruentur ergo secundùm prophetiam non occisi, sed dispersi: & destruentur in delictis oris eorum, & sermone labiorum, cùm ex Sion veniat liberator, de quo clamaverunt, Crucifige, crucifige; & cui dixerunt, Nos patrem habemus Abraham; & rursum, Quis tibi dedit hanc potestatem? &, In qua potestate hæc agis? In hac igitur superbia comprehendentur, cùm salvatori suo hæc à se ingesta esse non cognoscant: aversaque impietate de exsecratione ac mendacio avellentur, & hoc in consummatione; quia cùm intraverit gentium plenitudo, tum quod Israel est reliquum salvabitur. *In ira* autem *consummationis non erunt:* quia impietates ex Sion veniens avertet. Non autem non erunt, qui & sunt cognituri, cognoscentque quia Deus Jacob dominetur finium terræ: non jam in funiculo hereditatis & in Jacob portione noscendus; sed *Deus Jacob*, id est, [b] qui in homine Jacob Deus intellectus & visus est, dominator sit terræ finium, quorum & creator est confitendus.

Johan. 19. 6. Johan. 8. 33. Luc. 20. 2. Matth. 21. 23.

Judæorum dispersio.

12. Sed illos interim desolationis ac dispersionis suæ manet pœna. Nam etsi consummationi temporum propter patres & electos hæc dispensatio misericordiæ reservetur: interjecto tamen [c] diapsalma, quid in eos interim repetita significatione constitutum fuerit, ostenditur. Sequitur enim: *Et convertentur in vesperum, & famem patientur ut canes, & circumibunt civitatem.* * *Ipsi dispergentur ad manducandum: si autem non saturabuntur, & murmurabunt.* Amissa civitate, temploque deserto, & secundùm Romani regis edicta circumeuntes tantùm, non etiam ineuntes civitatem, fames eos non hujus panis & cibi, sed oblationum, hostiarum, visionum, quibus omnibus [d] saturabuntur, afficiet: adversùm custodem suum canum improbitate latrantes. *Et dispergentur ad manducandum:* quia per diversa speciem sacerdotii [e] illius legitimi, & holocausti, & circumcisionis imitantur: cùm hæc tantùm non nisi intra Jerosolymam sint legitima constituta. Sed ad manducandum dispersi non saturantur. Non enim [f] nisi sanctis & Deo placitis & loci ipsius ac templi constitutione religiosis sollemnitatibus explebuntur. Sed adhuc *murmurabunt:* ne hac quidem fame festivitatum suarum edomiti, ut secundùm murmur, quo in deserto Deum exacerbaverunt, pænitentiæ quiete resipiscant.

℣. 15. ℣. 16. fames spiritalis. cibi inanes. impænitentia.

Prophetæ in Deo gratulatio. ℣. 17.

13. Sed inter hæc spes omnes suas & gratulationes psalmi fine concludit, dicens, *Ego autem cantabo virtuti tuæ,* [g] *exsultabo manè misericordiam tuam: quia factus es susceptor meus & refugium meum in die tribulationis meæ. Adjutor meus tibi psallam; quia Deus susceptor meus, Deus meus misericordia mea.* Et ista omnia possunt ad prophetæ gratulationem referri; sed neque à Domini sunt confessione diversa. Hæc enim eorum dispersio passionis impietatem est consequuta. Sed quòd in misericordia Dei [h] manè, quia susceptor & refugium ejus factus est, exsultaturus est; videtur id ad resurrectionis tempus esse referendum: quia cùm omni tempore laus Dei cantanda sit à Propheta, resurgenti tamen ex mortuis diluculo, in cælosque rediturο, exsultatio matutinæ gratulationis est propria Domino Jesu Christo, qui est benedictus in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Resurrectioni Christi probè convenit.

PSALMUS LIX.

*In finem, pro his qui * immutabuntur, * in tituli inscriptione, David in doctrinam, cùm succendit Mesopotamiam & Syriam Sobal, & convertit Joab, & percussit in valle Salinarum duodecim millia.*

* Hil. *demutabantur.* * Hil. *tituli inscriptio.*

*DEUS repulisti nos, & destruxisti nos: iratus es**, *& misertus es nobis. Commovisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones ejus, quia * mota est. Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis, dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcûs.* DIAPSALMA. *Ut liberentur dilecti tui, * salvum fac dexterâ tuâ, & exaudi me. Deus loquutus est in sancto suo, Lætabor & partibor Sichimam, & convallem tabernaculorum * dimetibor. Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephræm fortitudo capitis mei, Juda rex meus, Moab olla spei meæ. In Idumæam extendam calciamentum meum: mihi allophyli subditi sunt. Quis deducet me in civitatem circumstantiæ? quis deducet me usque in Idumæam? Nonne tu Deus qui repulisti nos? & non egredieris * Deus in virtutibus nostris. Da nobis auxilium de tribulatione, & vana*

* Hil. *nobis.* * Hil. *commota.* * Hil. *salvâ dexterâ.* * Infrà *dimetiar.* * abest ab Hil. *Deus.*

[a] Vulgati, *sancta atque radice.* Malumus cum ms. Reg. *sancta æquè radice*, hoc est, licèt conspersi propter scelera, liberabuntur tamen ob radicem, quæ semper æquè sancta permanet.

[b] Regius ms. cum duobus Vatic. *quia in homine.* Sensûs integritas postulat, *id est, noscendus quia qui in homine.* Hîc acutè observatur eum qui à Judæis terræ dominator noscendus prædicitur, non simpliciter vocari Deum, sed Deum Jacob, hoc est, Deum corporatum, seu Deum hominem factum, qualis scil. Jacob visus est.

[c] Rursum hîc editi, *diapsalmate:* refragantibus mss.

[d] Apud Bad. *saturabantur.* Non displiceret, *quibus olim saturabantur.* Aut certè leg. *quibus non saturabuntur.*

[e] In uno ms. Vatic. *aliàs legitimi.*

[f] Particulam *nisi* in vulgatis omissam restituimus ex Reg. ms.

[g] Ita ms. Reg. juxta græcum, ubi in vulgatis, *exaltabo.*

[h] Editi, *manet;* emendantur ex ms. Miciacensi.

salus hominis. In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

TRACTATUS PSALMI.

Psalmus non consonat historiæ.

1. MULTA in psalmo antè rerum gesta præscripta sunt, quæ necesse est ad alicujus intelligentiæ significationem his quæ effecta sunt anteferri:
℣. 1. cùm *in finem*, cùm *pro his qui demutabuntur*, cùm [a] *tituli inscriptio*, cùm *in doctrinam David* superscriptio comprehendit. Post quæ gesto-
℣. 2. 2. Reg. 8. rum tempus adscribitur: *Succendit Mesopotamiam & Syriam* [b] *Sobal: & convertit Ioab, & percussit in valle Salinarum duodecim millia.* Quo psalmus [c] omnis ab historia dissentit. Nam cùm Sobal percussus cum Mesopotamia & Syria, quæ ab eodem ad bellum commota & accensa & capta est; hanc maximi belli victoriam ingens gratulationis lætitia consecuta est. Psalmus autem totus tristis & mæstus est: cùm super repulso [d] destructoque populo dolor est, cùm commotæ turbatæque terræ querela est, cùm sanandæ contritionis ejus oratio est. Deinde id quod *in Salinarum valle* memoratum est, neque in historia, [e] neque in aliquorum translatorum intelligentia est. Nam secundùm Aquilam, qui translator legis [f] Judæis post passionem Domini fuit, ita scribitur: *Cùm percussit valles.* Sed hic secundùm litteram scribens, & extra spiritalem intelligentiam [g] manens, belli locum edidit. Translatio autem illa seniorum septuaginta & legitima & spiritalis, ante passionem Domini [h] gestaque suscepta, per nominum naturarumque species nunc quoque, ut in omnibus psalmis, causam sensumque manifestat, in commemoratione gestorum non argumentum psalmi, sed tempus ostendens; ne ob id quod continetur in gestis *, sed ut tum cùm ea gesta sunt, scriptus esse noscatur.

Translatio Aquilæ.

Septuaginta.

* *subaud.* scriptus esse noscatur. Ad quos, ad quid scriptus est psalmus.

2. Sed ante quàm de tempore loquamur prophetiæ, quia multùm ad intelligentiam psalmi proficit scire quando sit scriptus, de A superscriptione tractemus, quæ intelligenda refertur *ad finem* & *his qui immutabuntur*: qui ex impietate scilicet ac vitiis desinentes, ad religionem atque innocentiam transferentur, & ex peccatis Synagogæ, ad Ecclesiæ gratiam demutabuntur: sicut in eo psalmo, qui primus *pro his qui immutabuntur* est scriptus, * ostendimus cùm dicitur, Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui; quoniam B concupivit rex speciem tuam: & rursum in eodem, Pro patribus tuis [i] nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. Filiorum itaque demutatione facta pro patribus, paternam domum obliviscitur, Deo regi magis regina placitura, cujus morte renovatur ad vitam. Et idcirco *tituli inscriptio pro his qui immutabuntur*, adscribitur gloriæ mortis ejus, qui pro omnibus mortuus est, tituli inscriptione testante: & testante *ad doctrinam* C *David*, ut omnes eum David, qui & oriens & justus & rex & æternus est, noverimus; qui inimicas nobis infestasque virtutes cum duce suo peremit, omnibus his qui adversùm nos vitiorum bella accendere erant soliti, exstinctis: non in valle planctûs, neque in valle tabernaculorum, sed *in valle* [k] *salium*; id enim magis quàm *salinarum* græcus sermo declarat: cùm ex se jam non flebiles habitationes, nec lamentanda tabernacula, sed salem potiùs D hæc mundi hujus vallis exhibeat, eos scilicet eorumque similes, quibus dictum est, Vos estis sal terræ, in quibus maximè antiquus ille nosque [l] incendens hostis exstinctus est. Pro his igitur in fine commutandis, & sub testimonio ac tituli inscriptione [m] ad David edocendis psalmus hic scribitur: non alio tempore, quàm cùm Nathan propheta throni æterni regem ex David semine [n] esse nuntiavit. In eo enim tempore hæc, quæ in rebus ge- E stis præscribuntur, effecta sunt, in quo prophetia æterni regis ostensa est. Intelligendus ergo psalmus pro his est qui immutabuntur, in David æternum regem edocendis, & qui pro amissis patribus erunt ex commutatione jam filii. Ita enim cœpit.

** Non exstat hic Tractatus. Psal. 44. 11.*

Ibid. 17.

Matth. 5. 13.

Quo tempore scriptus. 2. Reg. 7. 12. & 13.

3. *Deus repulisti nos, & destruxisti nos: iratus es* [o] *nobis, & misertus es nobis. * Commovisti* ℣. 3. ℣. 4.

[a] Excusi, *in tituli inscriptione*: refragantibus mss.

[b] Vatic. ms. *Jobal.* Reg. *Subab.* Tum Par. *& convertit Jacob.* Deinde Regius codex, *& percussit vallem Salinarum*, juxta novissimam LXX. edit. καὶ ἐπάταξε τὴν φάραγγα τῶν ἁλῶν, quæ tamen 2. Reg. 8. habet ἐν γεβελεμ. Et hîc quoque apud Augustinum, Hieronymum, Theodoretum, Ruffinum exstat *in valle*, quam lectionem mox sequitur noster Hilarius.

[c] Huc revocamus *omnis*, ex ms. Reg.

[d] Mss. *detractoque populo.*

[e] Hieronymus vulgatus observat quæri solere ubi hæc historia scripta sit. Ipse verò respondet eam in libris Regnorum manifestissimè legi, sed quia ibi pro *valle Salinarum*, LXX. *interpretes hebræa verba posuerunt gemelach*, (nunc habetur γεβελεμ;) ab his qui hebræi sermonis notitiam non habent, quid hæc significent ignorari. Hæc porro historia in Vulgata legitur 2. Reg. 8. 13. nisi quòd ibi percussa memorentur non *duodecim*, sed *octo & decem millia*: nec dissident LXX.

[f] In uno ms. Vatic. *Judaica.* In altero, *Judæus*: quæ lectio nobis satis arrisit: cùm Aquila à Christiana ad Judæam religionem deficiens; infensissimi Christianorum hostis Akibæ, ut auctor est Hieronymus in Esaiæ c. 8. discipulus fuerit. Vulgatam tamen lectionem, quæ est mss. Reg. & Mic. nihil mutamus. Et Judæos quidem illius operam tanti fecisse discimus, ut secundam illius versionem, Hieronymo teste in Ezech. c. 3. κατ᾽ ἀκρίβειαν dicerent. Hanc adeo post passionem Christi suscepit, ut ex Epiphanii & Euthymii supputatione 12. Hadriani Imp. anno eam publicarit.

[g] Regius codex, *habens*: non displiceret *abiens*. Quippe ut habet Hieronymus lib. de optimo genere interpret. *Aquila proselytus & contentiosus interpres, qui non solùm verba, sed & etymologias verborum transferre conatus est, jure projicitur à nobis.* Deinde ms. Mic. *belli locum dedit.*

[h] Bad. Er. cum mss. *gestorumque.*

[i] In ms. Reg. *facti sunt*: sicque vertit Symmachus, cujus lectionem probat Eusebius.

[k] Regius ms. *sallium*, & mox *sallem*: græc. τῶν ἁλῶν.

[l] Lips. & Par. *inscendens*: depravatè. Respicitur illud tituli, *cùm succendit.*

[m] Particulam *ad* ex mss. Mic & Reg. huc revocamus. Deinde Bad. Er. & ms. Mic. *edocentis*: favente Regio, in quo *edocentes*: Potest referri *edocentis* ad vocabulum *tituli*: sed altera lectio mox confirmatur.

[n] Abest *esse* à Reg. ms.

[o] Ex Regio codice adjectum est *nobis*.

℣. 5. *terram, & conturbasti eam: sana contritiones ejus,* A
quia commota est. ℣. 6. * *Ostendisti populo tuo dura,*
potasti nos vino compunctionis. * *Dedisti metuen-*
tibus te significationem, ut fugiant à facie arcûs.
Ira misericors. Secundùm communem sæculi sensum iræ mi-
serationique non convenit: neque [a] ipsius
in eosdem uterque hic conveniet affectus, [b] ut
ultionis voluntati voluntas miserationis ad-
patrum in filios. mixta sit. Solis autem hoc patribus piè ira-
scentibus congruit, ut misericors eorum ira
in peccatis sit filiorum, secundùm etiam illud B
1. Cor. 5. 5. beati Pauli, cùm ita satanæ in interitum
carnis tradit, ut spiritus salvus sit in die
Dei in homines. Domini, vindictæ præsentis severitatem ad
salutem spiritûs proficere demonstrans. Æter-
Deut. 32. 39. nus ergo ille cælestis omnibus pater, qui &
dixit, Ego occidam, & ego sanabo, sic repellit
& destruit suos, ut misereatur iratus. Destru-
xit enim Jerusalem templum, [c] sed cælestem
sanctis reddidit civitatem: repulit ab opera-
tionibus legis, sed justificationem fidei justifi- C
cans ex fide impium tribuit: dissolvit terre-
stre regnum, sed reges constituit cælorum.
Ita iram misericordia consequuta est, dum
damno terrenorum præsentium, ingens æter-
norum [d] bonorum retributio repensatur.

Totum genus humanum spectant præmissa psalmi verba. 4. Et hæc quidem non magis ad Israel,
quàm ad universitatem humani generis aptata
sunt: quia ex uno in omnes sententia mortis
& vitæ labor [e] exiit, cùm dictum est, Male-
Rom. 5. 18. Gen. 3. 17. dicta terra in operibus tuis; nunc autem per D
unum in omnes donum vitæ [f] & justificationis
Rom. 5. 18. gratia abundavit: ut quorum terra maledicta
est, horum nunc conformia Deo corpora sint;
& quæ commota metu, & ignoratione turba-
ta, & labore contrita est, & ipso illo lætifi-
cantis vini compuncta potu, nunc susceptæ
significationis secura virtute, futuræ iræ de-
Arcus, pœnæ præparatio. fugiat potestatem. In arcu enim, ut frequen-
V. Tract. Ps. 57. n. 4. ter tractavimus, præparatæ ad pœnam impiis
iræ terror ostenditur, secundùm illud, Num- E
Psal. 7. 12. &c. quid irascetur per singulos dies? [g] Arcum
suum tetendit, & paravit in eo vasa mortis,
Signa Christianorum. sagittas suas arsuris operatus est. Metuentibus
igitur significationem dedit, vel signi in fron-
tibus, vel fidei in cordibus, vel testimonii in
operibus, vel gloriæ in confessionibus, vel vi-
Matth. 3. 7. ctoriæ [h] in martyriis: ut à facie arcûs iræque
fugiatur, ut dictum est, Natio viperarum, quis
monstravit vobis fugere ab ira ventura? Gra-
tulantis igitur humani generis hæc vox est, F
post regnum mortis, post diaboli terrores,
post laborum peccatorumque onera, post in-
felicis lætitiæ dolorem; quia VITIORUM
GAUDIA cùm sint intellecta, compungunt.
In vino etenim secundùm Apostolum lascivia Ephes. 5. 18.
est. Et sicut est vinum cor hominis lætificans, Calix iræ: calix vitæ.
ita & vinum est cor hominis compungens.
Nam & calix iræ est, sicuti & calix vitæ est.

5. Post hæc ergo, & post hoc compunctio-
nis vinum, significatione fugiendi arcûs iræ-
que concessâ, universitas fidelium æternis spe-
bus exsultat. Id enim mox diapsalma inter-
veniente declarat: *Ut liberentur dilecti tui,* ℣. 7.
* *salva dexterâ tuâ, & exaudi me.* Dextera Ps. 117. 16.
Domini fecit virtutem, [i] & à dextera Deo
Virtus Dei coexcitatâ secum humilitatis nostræ
carne consedit. Data ergo significatione fu-
giendi à facie arcûs, liberantur dilecti, & per
Dei dexteram salvantur. Et à qua facie ar-
cûs liberentur salventurque, Apostolus do-
cuit, dicens, Qui liberavit nos de potestate Coloss. 1. 13.
tenebrarum, & transtulit in regnum filii di-
lectionis suæ. Liberandi ergo dilecti salvandi-
que per dexteram Dei sunt.

6. Sed salutis hujus ad fidei firmitatem
noscenda est prophetia. Sequitur enim, *Deus* ℣. 8.
loquutus est in sancto suo, Lætabor & partibor
Sichimam, & convallem tabernaculorum dimetiar.
* *Meus est Galaad, & meus est Manasses, &* ℣. 9.
Ephræm fortitudo capitis mei, Juda rex meus;
* *Moab olla spei meæ. In Idumæam extendam* ℣. 10.
calciamentum meum: mihi allophyli subditi sunt.
In sancto Deus loquutus est, in eo nempe, Sanctus, Christus.
cui etiam dæmones clamant, Scimus quia tu
sanctus Dei es; & de quo Angelus evangelizat, Luc. 4. 34.
Et quod ex te nascetur sanctum, vocabitur
filius Dei. In hoc itaque sancto locutus est, Luc. 1. 35.
cùm dicit, Pater qui in me loquitur, ipse fa-
cit opera sua. Loquutus ergo Deus in san- Johan. 14. 10.
cto, in principio sermonis exsultat. [k] Exsultabit
enim ut gigas ad currendam viam, & exsul- Ps. 18. 6.
tabit in Sichima partienda. [l] Sichima Sama-
ria est, quæ eadem & Sichem est, quam Jacob Samaria fide divisa,
Joseph filio suo [m] sub benedictione spiritûs de- Johan. 4. 5.
putavit. Hæc cùm omnibus antea legis tem-
poribus in impietate mansisset, Evangelium
Domini ex parte suscepit. Nam hodieque pars
ejus irreligiosissimis studiis de studio vetere
detinetur. Illic enim vaccæ adoratæ, illic
mons relicto sacrario electus, illic regnum
[n] adversùm Judam excitatum. Sed eò pri-

[a] Hoc est *ejusdem*. Nam pronomen *ipse* apud Hilarium hanc ut plurimùm habet significationem. Mox in vulgatis, *uterque hic idem*. Expunximus *idem* Regii ms. auctoritate. Et certè uterque ille affectus non idem, sed diversus est.

[b] Editio Par. *ut vitio*. Aliæ *ut ultio*. Tum simul omnes, *voluntati, voluntas miserationi* &c. perturbata oratione, quam nitidam reddunt mss.

[c] Cùm hîc memoret quæ proximè post destructum Jerusalem templum, & cæremonias legis antiquatas bona secuta sunt: nihil aliud significare videtur, nisi cælum sanctis jam tum fuisse apertum. Ad eos tamen quorum corpora post Christi passionem Jerosolymis visa sunt, referre quis posset: sed magis generalis videtur hæc sententia, similibus dictis mox confirmata.

[d] In Vatic. ms. *donorum*, non *bonorum*: quod verbum abest à Regio, in quo mox *apta*, pro *aptata*.

[e] Apud Par. *extat*. Verbum *exiit* pœnam peccati ex uno manantem expressiùs significat.

[f] Conjunctio *&* ex mss. Vaticanis adjicitur. Hæc in aliis libris, ac præterea in ms. Regio verba superiora, *per unum in omnes*, omissa erant.

[g] Removimus hinc, *nisi convertamini*: quod non habent Bad. Er. Lips. & Reg. ms.

[h] Mss. *in martyribus*.

[i] Ita mss. Mic. & Reg. nisi quòd in Reg. *secus* pro *secum*. At vulgati, *& à dextris Dei virtus coexcitata cum humilitatis nostra*, &c. non reddunt mentem Hilarii, cui *virtus Dei* divinitas Verbi, in quam non cadit *coexcitari*. Coexcitatio autem illa nos spectat. Horum omnium hæc nativa sedes: *& Virtus Dei consedit Deo secum coexcitatâ à dextera*, seu per virtutem dexteræ, *humilitatis nostræ carne*.

[k] Editi hîc & mox, *exultavit*: corriguntur ex ms. Reg. in quo deinde *gigans*, non *gigas*.

[l] Regius codex, *Sichima in Samaria est*. Apud Hieronymum hîc, *Quidam Sicemam Samariam putant*.

[m] Ita Reg. ms. At vulgati *sub benedictionis spiritu*.

[n] Vulgati, *adversùm Judæam*. Rectiùs mss. *adversùm Judam*: ex eo enim dissidio Judæ cœpit distinctio.

Johan. 4. *Act.* 8. 5. judicio dividenda. *Luc.* 12. 46. *Matth.* 10. 34.

mùm Dominus accedens, etiam credente Samaritana, & aquæ vivæ potum precante, fidem intulit: mox etiam Apostolis prædicantibus participes sancti Spiritûs facti sunt. Partita ergo Sichima est, cùm fideles ab infidelibus separantur. Et est futuri judicii [a] certa divisio, sicut scriptum est, Veniet Dominus » servi illius in die qua non sperat, & hora » qua ignorat: & dividet eum, partemque ejus » ponet cum hypocritis. Divisa ergo Samaria est, vel judicio, vel fide, secundùm illud, B Non veni pacem mittere in terram, sed divisionem.

Mortalium dimensio.

7. Neque solùm loquens in sancto Deus Sichimam partitus est, sed etiam convallem tabernaculorum dimensus est: hanc siquidem habitationis humanæ [b] demersam humilemque sedem, quam & alio loco ob ægritudines vitæ ac lamentationes calamitatum, vallem planctûs esse commemorat, dicens, [c] Deposuerunt in valle plorationis. Dimensus ergo hanc est, C quia gentium plenitudo exspectatur. Et ubi modus est credentium futurus, illic dimensionis examen est: [d] partem intra Ecclesiam congregandis, parte alia in eadem valle residentibus.

Psal. 83. 7.

Galaad & Manasses.

8. Quisquis autem aliqua metitur, necesse est ut ea quæ sua sunt metiatur. Suus enim est Galaad, & suus est Manasses. Mons iste Phœnicum est, Arabiæ Mesopotamiæque contiguus, ex parte Manassæ in possessionem deputatus: & ideo suus est Manasses, sub Manassis nomine terræ plenitudinem, sicuti & sub Galaad omnem orbem suum esse demonstrans. Sed in his usurpandis nihil præter jus proprietatis ostensum est.

Ephræm typus Ecclesiæ. *Gen.* 48. 13.

9. Ephræm autem assumtio capitis ejus, & Juda rex ejus est. Hæc sanctus loquente in se Deo loquitur, qui & per Jacob Ephræm conversa manuum sanctificatione benedixerit, & regem ex Juda, qui & exspectatio gentium E futurus esset, ostenderit. Assumtio ergo Ephræm est, non etiam* Manasses: cùm Joseph uterque sit filius. Sed cùm in capite significatio contineatur & corporis, secundùm illud, De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput; & omnis sanctus caput est corporis Christi: idcirco assumtio capitis ejus Ephræm est, quia contra generationum ordinem, ad præferendam Ecclesiæ sanctificationem in prælato Ephræm & postposito Manasse, minor majori est antelatus. Assumtio itaque capitis sui [e] est Ephræm, id est, populi quem in Ephræm præfiguravit: vel potiùs Ecclesia in corpus assumitur.

*Aliàs Manassis. *Ps.* 109. 7.

Christus nasciturus de Juda.

10. *Iuda* etiam *rex meus* est, id est, à se dispositus & electus. Non utique vel David [f] ipsi rex Juda est, (cùm ex Juda rex ipse sit primus,) vel loquenti in sancto suo Deo rex est: sed loqui hæc sanctus iste ei in quo Deus loquitur intelligendus est, qui & spiritu Jacob repleverit ad æterni regis istius prophetiam, cùm ait, Non deficiet princeps de Juda, nec « dux de femoribus ejus, donec veniat cui re- « positum est: & ipse est exspectatio gentium.

Gen. 49. 10.

de peccatoribus. *Rom.* 8. 3.

11. Et quia non solùm ex hac generatione sanctorum, sed etiam ex peccatorum origine huic Dei Sancto carnis esset ineunda susceptio; quia in similitudine carnis peccati Deus filium suum misit: idcirco etiam Moab olla spei ejus est. Et hæc quidem Moab generatio secundùm eam quæ in Genesi sententia est, divinæ [g] maledictionis suscepit opprobrium. Sed post decem generationes per gradus successionis sancto digna fit genere: Sanctusque hic ex Juda & ex Moab [h] originem sumens, decoctâ tamquam per ollam carnis cruditate, in speciem cibi significatur æterni, cùm caro ejus verè cibus vitæ sit. Est & olla secundùm D Jeremiam urens peccata atque tollens: sicuti & Dominus ipse mittere ignem venit super terram: & multi secundùm Apostolum tamquam per ignem erunt salvi: cùm defæcatis & perustis vitiis, ut argentum ignitum probabiles judicentur. Hinc ergo Moab spei suæ olla est, cui etiam ex Moab*, crudâ utique atque vitiosâ, jam cælestis illa ad cibum vitæ sanctificatio carnis in spe est.

Deut. 23. 3. Olla spiritalis. *Johan.* 6. 56. *Jerem.* 1. 13. *Luc.* 12. 49. 1. *Cor.* 3. 15. * subaud. carne.

Evangelio imbuendum totum genus humanum. *Rom.* 10. 15.

12. Quin etiam usque in Idumæam calciamentum suum extensurum esse se dicit, scilicet usque ad defectionem Esaü; quia Idumæa Esaü sedes est, & prædicationis apostolicæ dirigat gressus. Speciosi enim pedes evangelizantium sunt: & in calciamento pedes, in pedibus autem gressus ostenditur. Neque solùm in Idumæam cursum prædicationis extendit, sed etiam *allophyli subditi sunt*; secundùm illud, [i] Exaudi orationem, ad te om-

Psal. 64. 3.

[a] In vulgatis *ista divisio*. Præferimus cum Reg. ms. *certa divisio*. De utraque hac divisione Augustinus in hunc versum: *Divisi sunt enim nunc fide, postea dividentur in judicio, oves ad dexteram, hœdi ad sinistram.*

[b] Editi, *dimensam*: emendantur ope mss.

[c] Hunc locum ex Psalmo 87. excerptum esse non dubium est. Ubi tria observanda sunt, 1° quòd legerit Hilarius ἔθεντο in plurali, cùm alii legant ἔθετο, 2°. quòd verbum hoc verterit *deposuerunt*, non *disposuerunt*, 3°. quòd cùm subsequentia, scil. *in valle* &c. apud plerosque alios fixo puncto ab eodem verbo separentur, hîc tamen copulata sint. Quamquam Theodoretus ac nonnulli alii hac interpungendi ratione cum Hilario consentiunt.

[d] In vulgatis *partim*, & mox tantùm apud Lips. & Par. *partim in eadem valle*: dissidentibus mss.

[e] Editi hîc omisso verbo *est* subjiciunt, *Effrem, id est, populus*. Reponimus *populi* addito priùs verbo *est* ex mss.

[f] In excusis *David ipse*: contraria hîc simul exstabant.

[g] In Regio ms. *divina*: & mox, *post gradus successionis*: ubi in vulgatis malè legebatur *susceptionis*. Verùm ubi in Genesi maledictus sit Moab, nobis non occurrit. Præterea Deut. 23. 3. & 2. Esdræ 13. 2. Moabitas neque etiam post decimam generationem intra Ecclesiam Dei admittendos esse legimus. Cum Hilario tamen consentit vulgatus Hieronymus in hunc eumdem locum habens: *Moab in Genesi maledictionis suscepit opprobrium, qui post decem generationes recipitur in Ecclesia.* Immo Ambrosius in Psal. 48. n. 24. tantùm *usque in tertiam & quartam generationem* Moabitas ab Ecclesiæ Domini introitu prohibitos esse commemorat.

[h] Quatenus ex Ruth Moabitide. Hunc locum Paulinus epist. aliàs 3. nunc 23. omnino videtur imitatus his verbis: *Ideo dicit, Moab olla spei meæ, quia non solùm ex Juda, sed ex Moab, hoc est, non solùm de sanctorum, sed de peccatorum origine corpus assumsit, qui decoctâ quasi per ollam carnis nostræ cruditate, sanctificavit in æternum nobis cibum carnem suam; caro enim ejus, ut ipse ait, verè cibus vitæ est.* Clarè adeo hîc Hilarius adstruit Christi carnem non solùm à Maria, sed à Mariæ etiam avis fuisse acceptam, ut vix excusari possit Erasmi suspicio, qua eum veluti contraria sentientem traduxit.

[i] Regius codex, *exaudi Deus*. Deinde vulgati, *orationem meam*. In mss. non exstat *meam*: & in authenticis non exstare, Hilarius ipse observat in Ps. 64. n. 3. *Universitatem* autem *carnis* in eumdem Psal. n. 5. exponit *ex omni hominum genere*.

nis caro veniet : quia Deo dignum sit gentes ei omnes esse subjectas, & universitatem carnis ad confessionem æternæ hujus misericordiæ erudiri.

Judæi primùm destituti, demum recipiendi. Hebr. 12. 23. [a]

13. Sed cognitis his qui immutabuntur secundùm tituli inscriptionem, & doctrinâ ejus qui David est æternus acceptâ, æternam illam primitivorum [a] in cælis Jerusalem & circumstantium Deo sanctorum civitatem ingredi Propheta festinat, ducem qui se eò deducat exspectans. Sequitur enim : *Quis deducet me in civitatem circumstantiæ ? quis deducet me usque in Idumæam ? * Nonne tu Deus qui repulisti nos, & non egredieris in virtutibus nostris ?* Esaü defectio est : & Edom secundùm Genesim deficiens est : & secundùm Apostolum, quod est reliquum Israel, salvandum est. Optans ergo Propheta in civitatem circumstantiæ deduci, scit se antè usque in Idumæam esse venturum, id est, in illam defectionem populi anterioris, [b] qua major serviet minori. Et ultima prædicatio convertet corda patrum ad filios, cùm veniens ex Sion peccata & impietates ab Jacob auferat. Sed hic idem deducet, qui & ob impietatem antè destruxit & repulit : quia captâ Jerusalem, destitutoque regno indignos spretosque deseruit, solitus antè eos spiritalibus auxiliis confovere, & cælesti militia adversùm inimicorum bella tutari. Nunc autem deserente eos custodiâ Spiritus-sancti, nullum in virtutibus eorum, [c] id est, in exercitibus, divinæ propugnationis auxilium est. Et ideo quia destruxit, non egredietur in virtutibus eorum.

(Margin: ℣. 11. ℣. 12. Gen. 25. 30. Rom. 11. 25. Gen. 25. 23. [b] Luc. 1. 17. Deo deserente virtus nulla. [c])

Salus nostra pendet à Deo. ℣. 13. ℣. 14.

14. Sed repositæ spei, quia quod Israel est reliquum salvabit, misericordiam Propheta non tacuit dicens, *Da nobis auxilium de tribulatione, & vana salus hominis. * In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.* Scit vanam salutem esse, quæ ab hominibus speratur : quia & vitæ hujus sine misericordia Dei nullus sit usus, secundùm illud, Melior est misericordia tua super vitam : quia nisi ad profectum æternitatis vita suscepta sit, miseriarum in nobis potiùs erit origo, non vitæ. Auxilium itaque à Deo in tribulationibus sperat, quia hominum salus vana sit. Postulat ergo de tribulatione auxilium, in Deo virtutes concesso auxilio facturus : cùm liberati omnes à lege peccati, in Dei potiùs justificatione maneamus : cùm pugnam non adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs spiritales nequitias & [d] mundipotentes, satanam ipso spiritu oris sui Deo interficiente, peragamus ; cùm non regnet jam in immortali corpore nostro tribulans nos antè peccatum, cùm absorbeatur mors à vita [e] in contentionem victoriæ, per Dominum nostrum

(Margin: Psal. 62. 4. Rom. 6. 22. Ephes. 6. 12. [d] Rom. 6. 12. [e] 1. Cor. 15. 53.)

A Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LX.

In finem Hymnus David.

B *EXAUDI * Domine deprecationem meam, intende * orationem meam. A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum. In petra exaltasti me. * Deduxisti me ; quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula.* DIAPSALMA. *Protegar in velamento alarum tuarum ;* C *quoniam tu Deus exaudisti orationem meam, dedisti hereditatem timentibus nomen tuum. Dies super dies regis adjicies : annos ejus usque in dies generationis & * generationum. Permanet in æternum in conspectu Dei : misericordiam & veritatem ejus quis requiret eorum ? Sic psallam nomini tuo * Deus in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem.* D

(Margin: * Hil. *Deus orationem.* * *precationi meæ.* * Hil. *eduxisti.* * Hil. *generationis.* * abest infrà, *Deus.*)

TRACTATUS PSALMI.

Psalmus est spe æterna gestientis.

1. SIMPLEX est psalmus, æternæ gratulationis continens prophetiam. Nam neque res gestas, neque significationis alicujus [f] cognomenta subscriptio comprehendit. Tantùm *hymnus in finem* est : ut id E quod à Propheta cantatum est, [g] in fine vel psalmi vel temporum explicandum esse noscatur. Oratio autem est justi æterna sperantis, seseque in Christo coexcitatum in cælestibus gratulantis. Cœpit enim ita. [f] ℣. 1. [g]

2. *Exaudi Deus orationem meam, intende precationi meæ. * A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum.* Exaudiri precationem suam sanctus hic postulat, cujus & ea fiducia est, ut in orationem suam velit inten-F di, utrùm sit innocens, casta & fidelis, & ex intimo conscientiæ atque cordis metu profecta : quia secundùm Paulum, & corde credendum, & ore confitendum sit ad salutem. Intendendæ autem orationis hinc precatio est, quòd dum corde anxio est, à terræ finibus clamaverit. Non hic extrema solitudinum aut contigua Oceani incolebat, qui à terræ fini-

(Margin: ℣. 2. ℣. 3. Justi fiducia. Rom. 10. 10. Inde ei est, quòd in carne à carne sit peregrinus.)

---

[a] Editi, *in cælestibus* : dissentiente sacro textu græco & latino unà cum mss.

[b] In ms. Reg. *quia major* : & mox, *convertere*, non *convertet*.

[c] Verba, *id est in exercitibus*, non exstant in ms. Reg. Eodem verbo hebræo & exercitus & virtutes pariter significantur.

[d] Sic mss. juxta græcum, τοὺς κοσμοκράτορας. At editi, *mundi potestates.*

[e] Regius codex, *in contentione victoriæ.* Respicitur hîc locus Pauli, ubi in græco exstat εἰς νῖκος, *in victoriam* : vel secundùm alios, & ipsummet Hilarium lib. 11. de Trin. n. 35. εἰς νῖκος *in contentione.* Hîc verò lectionem utramque simul componit.

[f] Reg. ms. *cognomen.* Bad. Er. & Lips. *significationes alicujus cognomenti.*

[g] Reponimus *in fi[ne]* ex ms. Mic. ubi alii præferebant *in finem.* Regius codex, omiss[a pr]iùs particulâ *ut*, nec habet deinde, *explicandum esse noscatur.*

V. Tr. Psal. 64. n. 10. bus anxio corde clamabat. Sed sciens se in carne quidem quæ terra est degentem, jam 2. Cor. 5. 8. in fine carnis habitare, dum secundùm Apostolum habitans in corpore [a] peregrinatur à Gal. 2. 20. corpore, dum vivens jam non sibi vivit; ne- 2. Cor. 5. 4. que ipse vivit, sed vivit in eo Christus: congemiscens tamen in hoc suo habitaculo, supervestirique festinans, & ideo anxio corde à terræ finibus clamat, quia & necessitatem habeat in carne vivendi, & spem teneat à carnis vitiis desinendi, dicens.

ỷ. 4. Christus spes & fortitudo ejus. 3. *In petra exaltasti me.* [b] *Eduxisti me; * quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* ỷ. 5. ** Habitabo in tabernaculo tuo in sæcula.* Hinc itaque jam sanctus à terræ finibus clamat, 1. Cor. 10. 4. quia exaltatus in petra sit. Petra autem se- Phil. 2. 9. cundùm Apostolum Christus est, quem exaltavit Deus, & donavit illi nomen quod est Ephes. 1. 4. super omne nomen. In quo & elegit nos ante mundi constitutionem in cælestibus. Per eum enim sumus in spem æternitatis deducti, & in hac spe non confundimur; quia ab inimici facie hæc eadem spes nobis fortitudinis turris est facta. Nam cùm in muris sit valida & firma munitio: murorum tamen ipsorum firmitas in turribus omnis est. Et idcirco turris fortitudinis exaltans nos in petra Deus factus est, quia per hanc spem vim diaboli ejusque insidias sustinemus, tutissimâ adversùs eum spiritalesque ejus nequitias fidei munitione consepti: cùm in tabernaculo Dei habitaturi simus in sæcula, sine ullo scilicet ætatis modo in æternum fluentibus sæculis temporibusque mansuri.

Protectio ejus misericordia Dei. 4. Sed quia hæc, quamvis spe reposita [c] jam sanctis sint, tamen adhuc sub dispensatione temporum differantur; [d] qua munitione interim tutus sit, interjecto diapsalma demonstrat, dicens, *Protegar in velamento alarum* ỷ. 6. *tuarum, * quoniam tu Deus exaudisti orationem meam.* Protectionem misericordiæ Dei sub velamento alarum divinus sermo significat: de quo quia superioribus psalmis [e] tractatum est, Hanc meretur oratio. superfluus nunc & otiosus erit sermo. Sed protectionis meritum ex fide orationis indultum Matth. 7. 7. est, secundùm illud, Petite, & dabitur vobis.

5. Quin etiam ad quam spem protectione alarum Dei inumbrandus esset, ostendit dicens, *Dedisti hereditatem* [f] *timentibus nomen* ỷ. 7. *tuum. * Dies super dies regis adjicies, annos ejus* ỷ. 8. *usque in dies generationis & generationis. * Per-* Sancti hereditas. *manet in æternum in conspectu Dei.* Hæc enim hereditas sancti est, vita & incorruptio & regnum & coæterna [g] Deo habitatio. Non Israeli tantùm hæc hereditas scripta est, sed timentibus Dei nomen. Dies enim æterni sunt *regis:* sive quia sancti, qui peccati servi non * V. Tract. Ps. 2. n. 4. erunt, * reges sunt, secundùm illud Aposto- 1. Cor. 4. 8. li, Jam sine nobis regnatis, & utinam regnaretis, ut & nos vobiscum conregnaremus: sive Christus rex regum futurus. quia hic idem etiam rex sit Propheta: sive quia in æterno regno consedentem à dextris 1. Cor. 15. 25. oportet regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis. non ut rex ipse tum non sit: sed cùm tradiderit regnum Deo patri, conregnabit his [h] ipse qui reges sunt. Ex quo mihi videtur hæc nunc ratio servata, ut *usque in dies generationis & generationis* adjicerentur super dies dierum anni ejus; in conspectu autem Dei [i] maneat in æternum: ut tempus illud, quo eum regnare donec ponat inimicos suos sub pedibus suis oportet, à generatione usque in generationem sit comprehensum; quia generationem hanc spiritalis nativitatis generatio ex mortuis consequatur: æternitatis au- post communem resurrectionem. tem suæ exceptio, dùm in æternum in conspectu Dei est, prædicetur. Est autem ipse pri- Coloss. 1. 18. mogenitus ex mortuis. Sed hujus regeneratio- Matth. 19. 28. nis Dominus ad Apostolos ita meminit: Amen dico vobis, quòd vos qui sequuti estis me, in » regeneratione cùm sederit filius hominis in se- » de majestatis suæ, & vos sedebitis super duo- » decim thronos judicantes duodecim tribus Israel. Hujus igitur generationis tempus ostendit, & usque in hanc super dies dierum anni regis augentur. Ceterùm ipse in conspectu Dei [k] manebit æternus, jam omnibus quos redemit in reges cælorum & coheredes æternitatis assumtis, tradens eos regnum Deo Patri.

Beatis nil desiderandum. 6. Et quia comparticipes & concorporales & conformes ejus effecti sint, jam in his nec corruptione nec morte dominante, cùm in omnem plenitudinem Dei repleantur; subjecit spiritus prophetiæ, *Misericordiam & veritatem ejus quis requiret* [l] *eorum?* Non inopes jam misericordiæ veritatisque ejus hæ scilicet generationes erunt, quas in se ex mortuis regenerabit ad vitam, quæque in spe gloriæ Dei manserint: tum cùm in regnum traditæ Deo patri suscipientur in reges, consummatâ in omnes ejus misericordiâ ac veritate, per quem redemtos se gratulentur ad vitam, sitque omnibus accessus ad Patrem. Post quod misericordiæ ac veritatis nihil requiratur à Domino, cùm in Dei plenitudinem impleantur. Simile autem huic Prophetæ dictum est id, quod ad Johan. 16. 22. Apostolos Dominus ita loquutus est: Nunc quidem tristitiam habetis; rursum autem vi-

[a] Pravè apud Par. *peregrinatur à Domino.* Respicitur quippe illud Pauli, *Voluntatem habemus magis peregrinari à corpore.*

[b] Verba *eduxisti me* in vulgatis omissa restituimus ex mss. Legimus in græco ὡδήγησάς με, in Vulgata, *deduxisti me*, juxta quam mox habemus *in spem æternitatis deducti*, non *educti*.

[c] Ita ms. Mic. favente Vaticano, in quo minùs bene, *spes reposita jam sanctis sit.* At in vulgatis, *spe reposita jam sancti sint.*

[d] Particulam *&* præfixam hîc habebant editi renitentibus mss.

[e] De hac significatione hactenus nihil, nisi fortè in Psal. 56. n. 3. idque ita tenuiter, ut vix percipiatur.

[f] Mss. Reg. & Mic. *timentibus te.* Retinemus, *timentibus nomen tuum:* quia huic lectioni congruit subjecta enarratio.

[g] Sic mss. At editi, *cum Deo.*

[h] Vulgati, *ipsis.* Elegantiùs ms. Reg. *ipse.* Quem Marcello tribuit Eusebius de fine regni Christi errorem, Hilarius hîc prudenter cavet.

[i] Editi, *manere in æternum*, vitiosâ prorsus antè & pòst interpunctione. Hilarius verba hæc, *usque in dies generationis & generationis*, interpretatur de regno Christi quod universa resurrectione excipitur; sequentia autem, *Permanet in æternum in conspectu Dei*, ad regnum Dei refert, quod à prædicta omnium resurrectione initium ducit, sed finem nullum habet.

[k] In vulgatis hîc repetitur *ipse*, non in mss. Tum in Reg. *manebit æternus jam in omnibus.*

[l] Reg. ms. *eum:* diffidente græco, ut & subjecta expositione.

debo

» debo vos, & lætabitur cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. In illa die » me non rogabitis quidquam: quia jam gaudium nemo ablaturus [a] ab his sit.

℣. 9. Beatorum opus.

7. In hanc igitur æternitatis spem sese Propheta confirmat, dicens, *Sic psallam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem.* Psallet in sæculum sæculi, & vota de die in diem reddet, nullo temporum fine conclusus, hymnis æternis æternorum votorum gaudia redditurus: cùm absolutâ omni terrenorum corporum infirmitate cælestem atque Angelorum agat vitam, de die in diem vota reddendo; secundùm illud, Vota mea Domino reddam in atriis domûs Domini, in conspectu omnis populi ejus, in medio tui Jerusalem, cælestis utique matris & liberæ per Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 115. 18. & 19.

PSALMUS LXI.

In finem pro Idithum Psalmus David.

*NONNE Deo subdita erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Etenim ipse Deus meus & salutaris meus, * adjutor meus: non movebor ampliùs. Quò usque irruitis in hominem? interficitis universi tamquam parieti inclinato, & maceriæ impulsæ? Verumtamen honorem meum * cogitaverint repellere: cucurri in siti: ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. * Verumtamen Deo subdita * erit anima mea: quoniam ab ipso est patientia mea. Quia ipse * Deus meus & salutaris meus, adjutor meus, non emigrabo. In Deo salutare meum est, & gloria mea, Deus * auxilium meum: spes mea in Deo est. Sperate in eum omnis * conventus plebis, effundite coram eo corda vestra; quia Deus adjutor noster est.* DIAPSALMA. *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris: ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Nolite sperare in iniquitate: & in rapinas nolite concupiscere. Divitiæ si * affluant, nolite cor apponere. Semel loquutus est Deus: duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine mi-*

* Hil. susceptor.
* Infrà, cogitaverunt.
* Hil. hic habet, diapsalma.
* est.
* Hil. est Deus & salvator.
* Hil. auxilii mei.
* Hil. cœtus.
* Hilarius, fluant.

A *sericordia; quia tu reddes * singulis secundùm opera * eorum.*

* Hil. unicuique.
* ejus.

TRACTATUS PSALMI.

1. PROPHETIÆ sermo non nisi ad aliquem profectum audientium scriptus est, ut aut ad scientiam doceat, aut B ad voluntatis innocentiam confirmet: ut nunc hic psalmus [b] *pro Idithum* à David cantatur, in quo ad Dei timorem, ad humanarum sive spiritalium nequitiarum constantem tolerantiam eruditur, & ad contemtum opum, quia avaritia malorum omnium radix est, firmatur. In his enim beatæ æternæque vitæ status certus est, si & pietas in Deum sit, & patientia in adversis, & contemtus opulentiæ. A Dei C itaque confessione cœptus est psalmus.

Prophetiæ scopus.
℣. 1. [b] Quid psalmus iste doceat.

2. *Nonne Deo subdita erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. * Et ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus; non movebor ampliùs.* Confessio Dei communi hominum affectu à Propheta ita cœpta est, ut cùm post multam inscientiæ noctem, post ambiguam humanarum sententiarum incertamque doctrinam, post diversarum religionum variam opinionem, cùm diu erratum quæsitumque de D Deo sit, an unus an plures, & sexûs [c] an unius an duplicis, & potestatis an æqualis an disparis, & ætatis an uniformis an variæ, & naturæ an innascibilis omnium, an aliquorum aliquando [d] generatæ: tum deinde cùm ab aliquibus magna ætate & longo labore certatum sit, aut nullos omnino esse, aut à cura humanæ vitæ abesse: jam porro cùm à plerisque tractatum sit, vel solem astraque cetera deos esse, vel mundum ipsum in æterni-E tatis specie hujus ac mutationum manentem cum omnibus suis quæ ex se efferat Deum esse: jam verò ut plerique ignem, vel aquas, vel spiritum divino nomine atque honore donaverint: alii quoque ligna, lapides, metalla sub specie hominum, volucrum, ferarum adoraverint: postremò cùm jam fessis omnium destitutisque studiis plerique eorum, maximéque * prudentes, unum hoc se scire, id est, nihil horum hominem scire, docuissent: tum F post hanc quasi necessariæ confessionis [e] inscientiam prudens quisque conversus ad Prophetas atque Apostolos, Dei legem omnem sub sacramento æternæ dispositionis perceperit, in qua rationem deductæ in hoc corpus animæ [f] connexæque tractaverit, in qua * divisionem gentium secundùm angelorum nu-

℣. 2.
℣. 3.
Theologia ethnicorum caligans & errans.
c
d
* Socrates apud Cic. l. 4. Acad. quæst.
e
Ex sacris libris quanta lux affulgeat.
f
* Deut. 32. 8. V. Tract. Ps. 2. n. 31.

[a] Primò conjectabamus legendum, *à vobis sit*: sed antiqua lectio retinenda, quia illa non ampliùs Christi, sed interpretis verba sint, verba prophetæ Christi sermone confirmantis.

[b] Sic ms. Reg. At editi, *ad Idithum .... à Dei timore.*

[c] In ms. Reg. & Mic. *aut*, & sic deinceps constanter loco *an*.

[d] Unus è mss. Vat. *generator*; alter, *generatus*; Reg. & Mic. *generatas*. Mox editi, *cum aliquibus*, omisso *ab*.

[e] Sic mss. At editi, *inscitiam*. Mallemus *necessariam inscientiæ confessionem*; sed hujusmodi inversionum exempla jam non semel advertimus. Non modò Socrates apud Tullium generatim confessus est hoc unum se scire quòd nihil sciret; sed Tullius ipse lib. 4. Acad. quæst. speciatim de Dei notitia hanc edit confessionem: *Cogimur dissensione sapientum Dominum ignorare.*

[f] In ms. Reg. *connexa* sine particula *que*. Hoc illud præ se ferre videtur, nos ex Scripturis accipere, quomodo anima in corpus deducta sit, & in quo situm sit illiùs cum corpore vinculum. Re autem vera hoc unum sibi vult Hilarius, animæ corpori connexæ nobis testatam esse in Scripturis æternitatem. *Secundùm enim Evangelium* (Matth. 10. 28.) *homo cum corpore animam non perimit*, inquit tertiùs in Ps. 62. n. 11.

Johan. 14. 30. *Deut. 32. 9.* *Sap. 2. 24.* *Rom. 7. 23.*

merum acceperit, in qua & esse principem A mundi, & *unius electionem gentis audierit, in qua humanæ mortis auctorem non ignoraverit, & habitare * in carne sua peccati legem obnitentem legi mentis suæ senserit & congemuerit; postea quàm Dei Spiritum, Dei Virtutem, Dei Sapientiam, Dei Filium, & [a] unigenitum Deum ad remissionem peccati condemnationemque peccati legis, hominem natum esse cognoverit, qui humanarum passionum sorte perfunctus, ad condemnanda in B se cælestium nequitiarum impia tentamenta sit mortuus, ut æternitatem omnibus, qui per habitantem in carne nostra peccati legem moriebamur, inveheret; ac tum hoc sacramento pietatis accepto, post ignorationis noctem in scientiæ lumine collocatus, ita dicit: *Nonne Deo subdita erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Etenim ipse Deus meus est, salvator meus, susceptor meus: non movebor ampliùs.* Repertâ itaque fidei sede post vagos errores C impietatisque sententiam, [b] quia susceptorem suum salvatoremque cognoverit, ampliùs non movetur. Quid enim ultrà ignorationi anxietatique hominum est relictum, cùm æternitas animæ & corporis, id est, totius hominis prædicetur, cùm assumtio atque susceptio terrenæ nostræ carnis à Deo sub sacramento magnæ hujus pietatis ostensa sit, cùm peccatorum remissio condemnatâ peccati lege sit præstita, cùm homini nostro à dextris Dei con- D fessus in cælis sit?

Per fidem habet unde sedetur animus.

Dei corporationem negantes.

3. Sed hanc humanæ beatitudinis spem gentilium impietatum studia comminuunt, prudentiæ sæcularis inanitate profectum homini ad Deum denegantes, & Deo consortium assumti corporis detrahentes, arbitri moderatoresque divinæ potestatis: quasi difficilius Deo sit assumsisse hominem, [c] quàm eum in tanta naturæ ac vitæ suæ ratione formasse. Hanc itaque impiam eorum obtrectationem Propheta E mox arguit, dicens, *Quò usque irruitis in hominem? interficitis universi, tamquam parieti inclinato, & maceriæ impulsæ?* Impellunt enim hæ ignorantes atque impiæ disputationes hominem ad vitia proclivem, & quassum jam cadentemque demergunt, consiliis adhortationum fallacium noxiarumque perimentes: quasi parva sibi ipsa conciliatrix vitiorum [d] voluntas sit, quam adhuc desperatio judicii æterni retributionisque in usum tantùm præsentium F & corporalium adhortetur.

℣. 4.

Disputationes eorum quàm perniciosæ.

Justitiam sitit David.

4. Sed hunc corporis sui parietem, quem antè libido, ebrietas, avaritia, ira perfoderat; jam in se in domum Dei vivis lapidibus exstructum esse non nescit, & in imaginem Dei creatum esse recolit: certusque conformem se Dei gloriæ præparari, subjecit, *Verumtamen honorem meum cogitaverunt repellere, cucurri* [e] *in siti.* ℣. 5. Illis honorem suum detrahere cogitantibus, ille in siti cucurrit. [f] Est enim sitis bonorum æternorum & spiritalis esuries in sanctis, de qua dictum est, Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam. *Matth. 5. 6.* Cursum ergo justitiæ suæ [g] sitiens tenuit, omnem vitam integram etiam ab ipsa contradicentium sibi obtrectatione conservans. Nam & à Domino suo didicit, ut opera omnia sua etiam gentilis testimonii judicio laudentur, *Ibid. 16.* cùm dicitur, Sic luceant opera vestra coram hominibus, ut magnificent patrem vestrum qui est in cælis. *1. Cor. 10. 33.* Sic & Paulus placens [h] omnia in omnibus, neque Judæis, neque Græcis, neque Ecclesiæ scandalum est; ne habeat adversarius malè de se quid loqui, illo quidem obtrectandi studium voluntatemque retinente, quamvis se ille liberum ab omni obtrectationis occasione præstaret; quod & in hoc sancto in siti currente cognoscimus. Sequitur enim, *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant:* cùm & [i] conservantes honorem suum probabilis vitæ confessione benedicerent, & interioris odii malignitate maledicerent.

Obtrectationi locum non dat.

Patientiam interim commendat.

5. Sed id quod sibi maximè salutare est, sanctus iste etiam diapsalma interveniente congeminat, indefessæ in nobis confessionis perseverantiam oportere esse demonstrans. Sequitur enim; ℣. 6. *Verumtamen Deo subjecta est anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea.* ℣. 7. * *Quia ipse est Deus & salvator meus, adjutor meus, non emigrabo.* ℣. 8. * *In Deo salutare meum, & gloria mea, Deus* [k] *auxilii mei, & spes mea in Deo meo.* Impellant quidem isti inclinatum parietem, maceriamque jam quassam, & benedicente licèt ore, corde maledicant: scit tamen subjectam animam suam Deo esse oportere, quia ab ipso patientia sua sit. Didicit enim ab eo non avertere faciem à sputamentis, nec subtrahere alapis maxillas, nec potandum cum felle acetum renuere, nec post colaphos & flagella maledicere. Ipse enim Deus suus est atque salvator, ipse etiam adjutor, ne de patientiæ hujus perseverantia speique suæ fiducia motus emigret. In eo enim est salus & gloria ejus &

[a] Apud Par. *unigenitum Dei*: minùs bene. Notatu dignum est quòd inter cognomina Verbi carnem assumentis primùm recenseat *Spiritum Dei*, deinde *Dei virtutem*: quia nimirum in his Angeli verbis, *Spiritus sanctus superveniet in te & virtus Altissimi* &c. Verbi personam intellexit.

[b] Reg. ms. *qui susceptorem.*

[c] Difficilior quippe videtur animæ cum corpore, seu incorporei cum corporeo, quàm Dei incorporei cum homine secundùm animam incorporeo conjunctio. Mentem Hilarii illustrat Augustinus l. 10. de Civ. Dei c. 29. *Quid vobis*, inquit adversùs Porphyrium & Platonicos, *incredibile dicitur, cùm Deus dicitur assumsisse humanam animam & corpus? .... Faciliùs quippe in fidem recipiendum est, etsi humanum divino, etsi mutabile immutabili, tamen spiritum spiritui, aut, ut verbis utar quæ in usu habetis, incorporeum incorporeo, quàm corpus incorporeo cohærere*: quod postremum quotidie fit in homine. Na[illegible], inquit epist. aliàs 3. nunc 137. n. 11. *si anima in sua natura* [illegible]*on fallitur; incorpoream se esse comprehendit; multo magis incorporeum est Verbum Dei: ac per hoc Verbi Dei & animæ credibilior debuit esse permixtio, quàm animæ & corporis.* Idipsum non minùs luculenter exponit ipse vel alius Ser. 371. c. 3.

[d] Apud Par. *voluptas sit*: pravè, ut liquet ex sequenti relativo *quam*.

[e] Editi hîc & deinceps, *in sitim*: renitentibus mss. & græco.

[f] Reg. ms. *Etenim sitis bonorum æternorum est spiritalis*, omisso *esuries*.

[g] Vulgati, *sciens*: emendantur ex ms. Vatic.

[h] Editi hîc præferebant particulam *per*: quæ abest à Reg. ms. ut & à græco, & suprà in Psal. 52. n. 16. ubi deinde *omnibus* sine *in*, consentiente græco.

[i] In ms. Mic. *conservant*. Nil immutandum. Hîc indicantur qui probabilis vitæ viros exteriùs laudant, dum interiori odio discerpunt.

[k] Apud Par. *auxilium meum.* Mox reponimus ex Reg. ms. *in Deo meo*, ubi vulgati præferebant *in Deo est*.

spes; qui se coexcitatum sibi, conformem sit A cælesti suæ gloriæ redditurus.

Ad cordis effusionem alios excitat: quid illa sit. ℣. 9.

6. Et quia spei hujus ipse etiam ceteris, ut propheta, sit prædicator; subjecit, *Sperate in eum omnis cœtus plebis, & effundite coram illo corda vestra; quia Deus adjutor noster est.* Nihil occultum, nihil clausum, nihil obligatum sub Dei confessione in corde retinendum est. Effundendus coram eo omnis affectus est: ut nihil de nobismetipsis fiduciæ sit, sed ut per eum, ante quem nos tamquam pro peccato effundimus, adjuvemur. Effundenda autem coram eo corda nostra lacrymis & fletibus sunt; secundùm illud, Fuerunt mihi lacrymæ meæ [a] panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus? hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam; effusionem animæ in lacrymarum profusione esse demonstrans: quia per eas rogandus est, qui est solus fidelis adjutor.

Ps. 41. 4.

Apud vanos nil proficit. ℣. 10.

7. Sed officio suo functus Propheta, admonitionem suam parvi apud impios scit esse momenti: nam continuò diapsalma intercedente subjecit, *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris; ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Vani homines; [b] quia aut ipsi vana sperent, aut in eos sperare sit vanum. Mendaces quoque; quia impietatis suæ sensu aut falluntur, aut fallunt: & in eo mendaces, ut decipiant in stateris, sub justitiæ scilicet nomine injusta peragentes. Nam ubi examen de se moderatæ prudentiæ pollicentur, ibi studia immoderatæ impietatis exercent: errore se ipsos, quem à ceteris depellere se professi sunt, implicantes. Et idcirco *ipsi de vanitate in idipsum*, illò scilicet recidentes, ex quo se excedere gloriantur.

Vani. Mendaces.

Divitiarum cupiditas resecanda. ℣. 11.

8. Sed radix maximè iniquitatum in pecuniæ cupiditate est: quam qui appetit, gravissimæ tempestatis naufragio mergitur. Sequitur enim: *Nolite sperare in iniquitate, & in rapinas nolite concupiscere. Divitiæ* [c] *si fluant, nolite cor apponere.* Magnæ enim in hisce desiderii sui & amoris illecebræ sunt: rapiunt ingenia, mentesque pendulas apprehendunt. Non solùm itaque non concupiscendæ earum rapinæ sunt, verùm ab his voluntas nostra, etiam si præbeantur [d] fluantque, referenda est; ne desideratæ cupitæque dominentur. Non enim hæc spebus nostris bona sunt coæterna, neque nobiscum aut condescendunt in infernum, aut consurgunt de inferno. Fides, pietas, continentia, benignitas expetenda est: & maximè Dei cognitio sectanda est. Ceterùm hæc vana, & per naturam sui ad omnem iniquitatum necessitatem captiosa, vitanda sunt.

Pater & Filius unus Deus. ℣. 12. ℣. 13.

9. Et quod illud magis ad spem æternitatis expetendum esset, Propheta subjecit, dicens, *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, * & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique secundùm opera ejus.* Semel Deo loquente duo audivit: & necesse est ea sibi esse connexa, quæ sub unius sermonis significatione sunt cognita. Ad Deum namque in exordio psalmi [e] propheticam confessionem retulerat, dicens, *Nonne Deo subdita erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.* Depellendus itaque absolutè fuit Judaicæ impietatis furor: ut in Deo patre significari doceretur & Filius, ut nunc in uno etiam alter ostenditur. Eam enim fidem subdendæ Deo animæ suæ esse testatus est; quia ab ipso esset salutare ejus. Et salutarem Jesum esse sæpe tractatum est. Semel autem Deo loquente duo intellecta sunt & audita: sicut illud, Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, in Patre significavit & Filium; [f] uti nunc semel loquente Domino Deo duo hæc audivit, *quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique secundùm opera ejus.* Novit Paulus in uno utrumque, id est, neutrum sine altero confiteri, dicens, Unus Deus est, & unus Dominus: quia & in Deo Dominus, & Deus significetur in Domino. Semel itaque loquente Deo hæc duo audiuntur, *quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Ab ipso enim Salutare ejus est; & Filius omnia accepit à Patre: & idcirco in eo Dei potestas vel accepta vel nata est. Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Retributor ergo uniuscujusque est ille, qui judex est. Sed potestas ejus est, à quo unigenitus Deus est natus in judicem; & potestas ejus à Deo est, qui judicium accepit à Patre: atque ita nec caret potestate qui judex est, nec miseratione qui Deus est. Certè necesse est æterni judicii reus maneat in uno utrumque non confitens, cùm tamen non unus intelligendus sit esse, qui uterque sit, dicens, Pater in me, & ego in Patre, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Johan. 17. 6. *1. Cor. 8. 6.* *Potestas utriusque una.* *Johan. 5. 22.* *Johan. 10. 38.*

PSALMUS LXII.

Psalmus David, cùm esset in desertum Idumææ.

*Deus Deus meus ad te * diluculo vigilo: sitivit in te anima mea, quàm simpliciter caro mea. In * deserto & invio & inaquoso, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Quia melior misericordia tua super vitam, labia mea laudabunt te. * Sic benedicam te in vita mea: in nomine tuo levabo manus meas. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea; & labia exsultationis*

* Hil. *de luce vigilo.*
* al. *terra deserta & invia & inaquosa.*
* Hilarius addit, *Domine.*

[a] Ita juxta græc. Reg. mſ. Editi verò *panes.*
[b] In vulgatis, *vani homines ipsi vana sperant, aut in eo sperare sit vanum:* lectio mutila, quæ resarcitur ope mſſ.
[c] In græco ἐὰν ῥέῃ: quod expressiùs reddit mſ. Reg. *si fluant*, quàm vulgati, *si affluant.*
[d] Ita mſſ. Reg. & Mic. At excusi, *affluantque refrenanda.*
[e] In mſſ. Mic. & Reg. *prophetica confessione.*
[f] Par. *ut in uno sen*[...] &c. Non displiceret, *ita nunc.*

* Hil. *memoratus ſum tui.* * Hil. *meditabar.* * Infrà, *ſperabo.*

*laudabunt nomen tuum. Si * memor fui tui ſupra ſtratum meum, in matutinis * meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus. Et in velamento alarum tuarum * exſultabo: adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua. Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. Rex verò lætabitur in * Domino: * laudabitur omnis qui jurat in eo; quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.*

* Hil. *Deo.* * Hil. *ad.* &c.

TRACTATUS PSALMI.

1.Reg.22.5. David Chriſti typus in deſerto rebus divinis intentus.

1. DAVID in deſerto habitaſſe libro Regnorum continetur: ut qui paſſiones Domini præfigurabat, etiam tum eas cùm deſertum habitat prophetaret, unigenito Deo æque in deſerto moraturo. Sed ut ſancto viro congruum, & tanto prophetâ erat dignum, cùm declinans odia impiorum ſolitudini ſe dediſſet, maximis rerum cæleſtium ſacramentis occupatur, & ab omni humanæ aut impietatis aut ignorationis cœtu remotus, animum ad ea quibus æternitatis cognitio ac meritum acquirebatur intendit. Non occupatus, non impeditus communium rerum ac ſæculi curis, ſed in illo ſolitudinis ſuæ quieto otioſoque ſecreto, cùm nihil in oculos & in mentem offenſionis incurreret, ſolis eſt divinis ſtudiis [a] negotioſus. Et videamus unde pſalmi ſermo ſit cœptus.

℣. 2.

2. *Deus Deus meus ad te* [b] *de luce vigilo.* Huic planè ad gratulationem cognitionemque Dei dies cœpta eſt, cui idipſum orandi ad Deum initium, quod lucis eſt. Deum quidem univerſitatis, ſed tamen per cognitionis ſcientiam Deum ſuum, deprecatur.

℣. 3. Æternitatis ſpes nobis inſita.

3. Oratio autem non tam verborum eſt, quàm affectûs: & idcirco ſubjecit, *Sitivit tibi anima mea,* [c] *quàm ſimpliciter caro mea. * In terra deſerta, & in invia & inaquoſa.* Deo igitur, penes quem fons vitæ eſt, anima ipſius ſitit, deſiderio intenta potandi. Et quidem uniuſcujuſque mens ad cognitionem [d] ſpemque æternitatis naturali quodam fertur inſtinctu: quia veluti inſitum impreſſumque omnibus ſit, divinam ineſſe nobis animarum originem opinari, cùm non exiguam cæleſtis in ſe generis [e] cognationem mens ipſa cognoſcat. Porro autem terrena hæc corpora, quæ ad vitiorum concreta materiam ſunt, dum his quibus quaſi naturaliter delectantur infecta ſunt, deſperant [f] ſe conſequi poſſe conſortium munuſque cæleſte: quaſi non & animæ naturam vitia corporis, quibus [g] oblectatur, inficiant; aut cùm delectatio corporis redundet ad mentem, non & mentem ſecum corpus retrahat ad oblectationis affectum. Neceſſe eſt autem ut in eadem condemnatione ſit voluptatis, quod in eadem eſt voluptate. Sed nos ſpiritalibus doctrinis eruditi, ſcimus & animæ & corpori ſalutem à Deo eſſe datam, ſi modò poſt regenerationis gratiam mentis gaudiis ſenſus corporis imbuatur, id eſt, ſi non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum vixerimus: quia ſpiritûs carniſque opera, ſecundùm Apoſtolum, vitiorum & continentiæ ſtudiis * diſtinguatur. Arduum autem, ſed maximè verum eſt, æternitatem ita corporis ut animæ ſperare. Et ideo ad ſitim animæ Propheta ſubjecit, *Sitivit tibi anima mea, quàm ſimpliciter caro mea,* nihil in ſe ſub infidelitatis ambiguitate retinens incertum: ſed * tam ſimpliciter, quàm anima Deo ſitiens, & caro ſua ſitiat. Sitit enim non corpori, ſed Deo ſitiens. Nam quamvis eum in deſerto & in invio & inaquoſo manentem neceſſitas ipſa naturæ ad ſitim corporis detineret: tamen etiam per has inediæ & ſitis paſſiones ſcit fidem probandam eſſe credentium; ut magis anima Deo, quàm corpori ſitiat, ſitiens & corpori: quia neque fames, neque anguſtiæ, neque ulla genera paſſionum à caritate Dei quæ eſt in Chriſto ſint Apoſtolum ſeparatura. Sitit ergo Deo ſanctus. Et quid ſitiat, pſalmo alio teſtatus eſt, cùm dicit, Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam & parebo ante faciem tuam. Hoc animæ deſiderium, hæc ſitis ſpei ejus eſt, ut Dei ſibi proveniat adſpectus, ut quàm primùm raptus in nubibus, Deo Chriſto obviam elevatus appareat.

Inſitum & animas eſſe à Deo. — Ut animæ, ita carnis erit æternitas. — Rom. 8. 4. — Gal. 5. 19. &c. — * f. diſtinguantur. — Sitis David ſpiritalis. — * ſubaud. profitetur quòd. — Rom. 8. 35. — Videre Deum ſitit. Pſal. 41. 3.

4. Et deſiderii hujus affectum nunc quoque Propheta declarat. Nam poſt ſitis proteſtationem, poſt deſerti & invii & inaquoſi inopiam, quia in his veluti militia & victoria ſit fidei, ſubjecit, *Sic in ſancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam: * quia melior miſericordia tua ſuper vitam.*

Prophetia pro gerendis refert geſta. ℣. 4.

[a] Mſ. Mic. *otio uſus.*

[b] Par. ex mſ. Mic. *diluculo.*

[c] Reg. mſ. hîc & infrà, *quàm multipliciter:* cui verſioni repugnat ſubjecta enarratio. Hilarii interpres pro græco ποσαπλῶς, legerit neceſſe eſt πῶς ἁπλῶς. Deinde editi excepto Par. *in terra deſerta & in invio & inaquoſo.* legit inferiùs Hilarius, *in deſerto & in invio* &c.

[d] Apud Bad. & Er. *ſpem æternitatis.* Exinde vox *ſpem* à Lipſio expuncta manſit. Huic ſubjungimus particulam *que* cum mſſ.

[e] In Reg. mſ. & uno Vatic. *cognitionem.* In quo autem ſit illa in anima divini generis cognatio, diſſeritur in Pſal. 129. Ita autem Deo cognatam prædicat, ut & factam doceat, *cùm omnis anima opus Dei ſit,* inquit lib. 10. de Trin. n. 20. Atque ita nihil ei commune cum errore, cujus ſuſpicione laborat Origenes, quemque Auguſtinus hær. 70. Priſcillianiſtis tribuit, qui volunt animam eſſe partem Dei, ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ cujus eſt Deus. Ipſe potiùs præluſit Auguſtino hanc de animarum origine epiſt. 190. n. 4. tradenti regulam: *ut non eam partem Dei eſſe credamus, ſed creaturam; nec de Deo natam, ſed ab illo factam, atque in ejus genus adoptandam mirabili dignatione, non parili dignitate naturæ.* Hilarii quoque ſententiam illuſtrant hæc Prudentii Apoth. ℣. 829.

Sit res illa Dei, non abnuo; pars tamen illa
Haud quaquam dicenda Dei eſt, quæ tempore cœpit.

Et ℣. 833. *Illa quidem flatus Domini eſt, ſed ſpiritus & vis*
Non eſt plena Dei, tanto moderamine miſſa,
Quanto flans voluit flandi ſervare tenorem.

Quod verò Quintilianus l. 1. c. 1. ait, *Origo animi cæleſtis creditur;* necnon illud Tullii ſub finem lib. 2. de fin. *Doctiſſimi veteres in animis ineſſe quiddam cæleſte & divinum putaverunt,* confirmat quod hîc aſſerit Hilarius hominibus velut inſitum.

[f] In Reg. mſ. *ſi* non *ſe.* Mallemus *hi.* Deinde in eodem mſ. deſideratur *conſequi poſſe.*

[g] Editi, *oblectantur.* Rectiùs mſ. Reg. *oblectatur,* ſcil. anima.

a Ps. 68. 22. Ps. 21. 19.

[a] Prophetiæ scientia est pro gerendis gesta memorare. Et hinc frequens auctoritas est, cùm aceto potaverunt adhuc in passione potandum, cùm disciderunt vestem, quæ discindenda pòst esset. Ut nunc in siti corporis Deo sitiens, ei in Sancto suo talis apparet, in simplicitate carnis, in siti animæ, in oratione diluculi: quia non nisi per hæc probati, vel assumti habebuntur à Christo, vel ei obviàm rapientur in nubibus. Sed in Sancto Dei non aliter apparebunt Deo, quàm secundùm illud, Qui me B vidit, vidit & Patrem; atque illud, Ego & Pater unum sumus. Quia in Filii & natura & nomine, paternæ naturæ ac nominis significatio continetur; apparens Filio, [b] vel susceptus à Filio, Patri apparebit in Filio.

Filio apparens, apparet & Patri. Johan. 14. 9. Johan. 10. 30. — b — Sanctum sitiens, videre Filium cupit. — c — 1. Cor. 1. 24. Phil. 2. 11.

5. Atque ut in sancto appariturus Deo, cujus sancti [c] desiderium, in hac sitis suæ significatione ostenderet; subjecit, *Ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam:* eum videlicet ut videret, qui secundùm Apostolum & Vir- C tus Dei est, & in gloria Dei est: visurus autem non ad aliud, quàm ad consortium æternitatis merendum, & ad regni cælestis æternitatem sortiendam: quia hæc per misericordiam Dei ultra vitæ hujus beatitudinem præparentur.

℣. 4. Vitâ præsente præstat spes futura.

6. Id enim sequitur: *Quia melior est misericordia tua super vitam.* Magnum quidem Dei munus est, quòd venimus in vitam: & ipsâ naturâ duce nasci nos gratulamur. Sed quia D plena omnis anxietatum ac dolorum ætas nostra est, plus in misericordia Dei spei est, quàm in vita: quia hanc mors ex peccati lege consequitur, hæc verò æternitatem ex morte restituit. Sicuti tritici satio ac dissolutio ipsa tritici conservatione præstantior est; hoc enim Deus prout vult vestit in spica: ita magnum misericordiæ Dei munus est, si commortui Christo vivamus in Christo. Nam & ipsa Adæ mors, ne in æternitatis pœna maneret, sub E misericordiæ significatione est constituta: & Apostolus dissolvi se, melius sibi esse decernit. Et propheta gaudium [d] mansuræ se mortis ostendit, dicens, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus; quia [e] per eum cum peccati lege resolutis, demutationis gloriosæ profectu, æternitas animæ corporisque jam sine peccati corpore rependetur.

1. Cor. 15. 37. & 38. — Resurrectio Dei misericordia. — Philipp. 1. 23. — d Ps. 115. 15. — e

7. Certus ergo misericordiæ Dei, quæ supra vitam melior sit, Propheta officium gra- F tulationis exsequitur, dicens, *Labia mea laudabunt te Domine.* * *Sic benedicam te in vita*

℣. 5.

A *mea, & in nomine tuo levabo manus meas.* Et sermone suo & opere laudat Deum atque benedicit: nam in vita sua benedicens, in nomine suo manus suas elevabit. In elevatione manuum non habitum orandi, sed excelsi operis [f] indicium significari frequenter docuimus. In hac igitur vita sua Deum, quia misericordia ejus supra [g] vitas sit melior, laudavit. Est enim & vita post vitam, qua in Abrahæ sinibus vivendum est, in qua Dei nomen pau- B peris quiete benedicitur; secundùm illud Prophetæ, Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum; sed nos qui vivimus, benedicimus Dominum. Super has igitur vitas misericordia ea est, quæ quod oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non adscendit, his qui Dominum diligunt præparavit.

Manuum elevatio opus arduum. — f — g — Vita in Abrahæ sinu. — Psal. 113. 17. & 18. — « — Vita alia beatior. 1. Cor. 2. 9.

8. Hanc igitur laudat atque benedicit, non etiam nunc ab holocaustis pecudum, adipis- C que pinguedine sacrificia legis exspectans, sed in sola animæ confessione benedictionisque laude se ipsum Deo hostiam statuens; secundùm illud, Sacrificium laudis honorificabit me; & illud, Immola Deo sacrificium laudis; & illud, Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis: quia litteræ ac [h] legis allegoricorum præscriptione cessante, Deus vivæ intelligentisque hostiæ sit laudibus honorandus. Subjecit enim, D *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labia exsultationis laudabunt nomen tuum.* Neque illa quasi abominanda condemnat, sed hæc ut magis exspectata confirmans; cùm sicut adipe & pinguedine, quæ sacrificiorum primitiæ habebantur, repleri animam suam exsultationis laude deposcat.

Vivâ & intelligenti hostia colendus Deus. — Ps. 49. 23. — Ibid. 14. — Ps. 50. 18. — h — ℣. 6.

9. Verùm hæc non tam verborum officia quàm mentis sunt, ut sacrificium laudis ex operum sanctitate descendat. Itaque continuò E subjecit: *Si memoratus sum tui supra stratum meum, in matutinis* [i] *meditabar in te.* Meditationem matutinam recordatio nocturna consummat: & idcirco de luce ad Deum vigilat, quia ex strati, id est, ex lectuli puritate, & fiducia & conscientia orationis est matutinæ. Obrepentes itaque sub secreto noctis cogitationes, Dei recordatione compressit: seseque adversùm carnis incentiva luctantem, metus nominis Dei sui juvit. Sequitur enim: *Quia* F *fuisti adjutor meus, & in velamento alarum tuarum sperabo,* Dei se meditatione, per quam sibi adjutor est, protegente. Non enim ei alia

℣. 7. — i — Meditatio Dei nocturna & matutina. — ℣. 8.

[a] Excusi excepto Par. *prophetica scientia est.*

[b] In vulgatis perperam hîc denuo sumitur: *Apparens autem filio.* Notatu dignum est quomodo hîc distinguat Hilarius eos *qui assumti habebuntur à Christo*, & eos *qui ei obviàm rapientur in nubibus.* Hinc enim solvitur ænigma de distinctione regni Christi, & regni Dei: ut primo loco recenseantur beati ante resurrectionem, non regnantes nisi in glorioso Christi corpore, qui idcirco passim prædicantur cum Christo coexcitati & à dexteris Dei collocati, altero autem post resurrectionem jam regnantes in proprio.

[c] Post *desiderium* subaud. *ei inesset*, aut quid simile. Nec displicet cum ms. Reg. *desiderio*, subaud. *sitiret.*

[d] Bad. Er. Lips. & Reg. ms. *mansura sibi mortis.* Unus codex Vatic. *mansurum ex morte.*

[e] Sic ms. Reg. At editi, *per eam.*

[f] Editio Par. *indictum.* Aliæ, *judicium.* In Psalm. 140. habetur, *officium.* Sed hactenus in Tractatibus quos modò habemus, de hujusmodi significatione nihil dictum.

[g] In ms. Reg. etiam hîc *vitam.* Licèt in superioribus Hilarius prætulerit *vitam;* hîc tamen cum græco *vitas* legisse credendus est. Apertè enim triplicem distinguit vitam, primam in sæculo doloribus & anxietatibus plenam n. 6. alteram in sinu Abrahæ quietam & laudibus Dei vacantem, postremam his duabus beatiorem, quæ quod oculus non vidit, &c. percipiat. Hæc *misericordia* nuncupatur; *nec ideo*, ut Augustini epist. 194. n. 19. verbis utamur, *quia non meritis datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur.* Addimus, apud Augustinum lib. 2. cont. Jul. c. 8. n. 29 ubi Hilarii verba ex Tract. Ps. 51. n. 23. laudantur, ex mss. restitutum esse *super vitas.*

[h] Apud Par. *legis allegorica.*

[i] Ita Reg. ms. juxta græcum, ἐμελέτων. Sic quoque deinceps de meditatione sermo est ut de re præterita, non autem futura: ac perinde malè in vulgatis exstabat, *meditabor.*

quàm placendi Deo cura est, cujus tantùm in strato meminit. In eo quoque in matutinis ex nocturna recordatione meditatur, quia adjutor suus est: & sub velamento alarum ejus exsultat, id est, tegmine protegentis est tutus.

℣. 9. — Amore sibi hærent etiam dissiti.

10. Sed horum omnium hinc profectus, hinc causa est, quia sequitur, *Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.* Amoris hæc vis est, ut his quos amamus, etiamsi absentes sint, hæreamus: dùm affectum insitum nequaquam aut locus divellit, aut tempus. Adhæsit ergo Deo Propheta, non blandimentis sæculi, non corporis vitiis amorem suum ab eo caritatemque retrahentibus: quia, secundùm Apostolum, adhærenti Deo unus est spiritus [a]; & Dominus pro discipulis oravit, Pater sicut nos unum sumus, ut & illi unum sint in nobis. Adhærens ergo Deo, susceptus à Dei dextera est: id est, per virtutem Dei, quæ significatur in dextera, ab eo, qui Dei & Virtus & Sapientia & Verbum caro est factus, assumtus est, conformis gloriæ corporis jam futurus.

1. Cor. 6. 17. [a] — Johan. 17. 22.

Justorum securitas.

11. Et qui susceptus est à Dei dextera, metum omnem à se qui ab inimicis suis esse possit abjecit, & fiduciæ suæ non tacuit securitatem, neque justi judicii Dei ignorat severitatem, dicens, *Ipsi autem in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: * tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.* In vanum itaque animam suam quæsierunt. Secundùm enim Evangelium homo cum corpore animam non perimit, & misericordia Dei melior super vitas est, & hic jam susceptus à dextera Dei est. Terræ autem inferiora introibunt, [b] quia chao invio separantur à sanctis: & in manus gladii tradentur; quia secundùm divitem potestas pœnæ, quæ in ore gladii significatur, in impios exseretur. Partes etiam vulpium erunt, fallacium bestiolarum sortem adepturi: quia & Herodes est [c] vulpes, & vineam sponsi exterminant vulpes, & foveam sibi filio hominis caput suum nusquam reclinante in impiorum cordibus condiderunt: & dæmonum in his significatas esse nequitias non dubium est, quibus cum principe eorum præparatus ignis gehennæ est.

℣. 10. — ℣. 11. — Matth. 10. 28. — Iniquorum sors. — Luc. 16. 26. [b] — [c] Luc. 13. 32. Cant. 2. 15. Luc. 9. 58. — Vulpes, dæmones.

12. Sed inter hæc lætitiam ejus, qui ob humanæ salutis gaudium frequenter ad Patrem [d] exsultavit, ostendit: *Rex autem lætabitur in Deo, & laudabitur omnis qui jurat in eo: quoniam obstructum est os loquentium iniqua.* Causam cur rex lætetur significat, quia quisquis in eo jurabit, in Deo sacramenti hujus religione laudabitur: qui sciat scilicet regem Christum Jesum, qui etiam Deum super omnia, qui secundùm Paulum testetur magni Dei salvatoris adventum, qui secundùm Esaiam [e] jurans juravit in Deum verum. *Obstructum* enim *est os loquentium iniqua*; quia prædicetur ex Lege & ex Prophetis, atque ab Apostolo in eo nos ante constitutionem mundi, & elegisse Pater, & benedixisse doceatur, & ipse nos [f] coexcitaverit & collocaverit à dextris Dei in cælestibus, & cùm videbunt eum in majestate sua judicare de vivis & mortuis. Per hæc itaque obstruetur os loquentium iniqua. Ipse enim est rex in æternum, & in nomine Domini Jesu Christi omne genu flectetur, cælestium, terrestrium, & inferorum: & omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris, qui est benedictus in omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. 12. — Christus agnoscendus Deus. — Rom. 9. 5. — Tit. 2. 13. — Esai. 65. 16. [e]

Nec jam fas est negare. — Ephes. 1. 3. & 4. — [f] Ibid. 20. — Phil. 2. 9.

PSALMUS LXIII.

In finem Psalmus David.

*EXAUDI Deus orationem meam cùm * deprecor ad te: à timore inimici eripe animam meam. Protexisti me à conventu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem: * quia exacuerunt ut gladium linguam suam, intenderunt arcum rem amaram: ut sagittent * in occultis immaculatum. Subitò sagittabunt eum, & non timebunt: firmaverunt sibi verbum malum. Disputaverunt ut absconderent laqueos: dixerunt, Quis videbit eos? Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio. Accedet homo * ad cor altum, & exaltabitur Deus. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & nihil habuerunt contra eos linguæ eorum. Conturbati sunt omnes qui videbant eos, & timuit omnis homo. Et annuntiaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt. Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.*

* Hilarius infrà *tribulor.*, omisso *ad te.*
* Hilarius, *qui . . . linguas suas.*
* Infrà, *in obscuro.*
* Hil. *& cor.*

TRACTATUS PSALMI.

Psalmus iste spiritaliter intelligendus.

1. PSALMI superscriptio historiam non continet. Simplex est, & prophetali spiritu editus: tantùm per id quòd *in finem* præscribitur, res non sui temporis quo scriptus est continere testatur. Sed quærendum est, ex qua persona sit dictus, quidve ex se intelligendum enuntiet: nam sine dubio

[a] Vulgati hìc subjiciunt *cum eo:* quod veriùs abest à ms. Reg. ut & à græco Apostoli textu.

[b] Reg. ms. *quæ à chao.*

[c] Reg. ms. hìc & alibi, *vulpis.*

[d] Apud Par. verbum *exsultavit*, in aliis autem edit. verbum *ostendit* desideratur. Sed Erasmus ut sensum perficeret, post verba *sed inter hæc*, adjecit *audi:* renitentibus mss.

[e] Reg. ms. *jurans in Deo.* Magis placeret *jurans in eo* vel *in eum.* Ut hìc, ita lib. 5. de Trin. n. 29. ex his Esaiæ verbis probat Hilarius Christi divinitatem.

[f] Bad. & Er. *exercitaverit*, Lips. & Par. *excitaverit:* corriguntur ex mss.

esse spiritalis est opinandus. Cùm enim ipsi illi psalmi, qui secundùm titulorum inscriptiones res gestas continere creduntur, in plurimis à tituli sui & rerum ac personarum proprietate dissentiant, magisque per editiones nominum atque gestorum, spiritalium operationum significent effectus; quid de eo erit intelligendum, in quo simplex tantùm psalmi *in finem* intelligendi inscriptio continetur; nisi quòd spiritalis in eo doctrinæ forma sit constituta?

Omnia psalmorum dicta ad Christum referentes laudandi, non probandi.

2. Esse autem plures memini, qui omnia quæ in libris psalmorum scripta sunt, ad personam Domini nostri unigeniti filii Dei existiment esse referenda, nihilque in eo aliud, quàm quòd ei sit proprium, contineri. Quæ eorum opinio argui non potest. Omnis enim ex affectu religiosæ mentis hic sensus est: & caret culpâ, propensiore studio omnia ei per quem ipsa omnia sunt coaptare. Quamquam enim idipsum interdum imperitè fiat: tamen per id quòd ad eum cuncta referuntur, necesse est ut ea, quæ ei sunt propria, verè ac fideliter prædicentur. Cavendum autem est, ne dum omnia convenire in eum æqualiter opinamur, per assertionis hujus studiosam intentionem plurimùm & divinitatis suæ dignitati, & corporationis sacramento, & operationum potestati, & passionis virtuti, & resurrectionis gloriæ detrahatur.

Quomodo ad Christum referri rectè queant.

3. Tenendus igitur modus est: & diligenter ac cautè constituendum est, quid de divinitatis suæ nativitate quæ ei à Patre est fuerit prophetatum, quando ejus hominis quem assumsit [a] persona tractetur, ubi operatio, passio, & resurrectio prædicetur: quid verò unicuique tempori congruat, quando fides gentium nuntietur, quando peccata anterioris populi arguantur, quando doctrina timoris Dei & confessionis eruditio ex Prophetæ oratione præstetur. In his enim prophetiæ spiritalis ordo consistit. Et si Dominus prædicatur, profectus scientiæ hujus ad fidem utilis est. Si ad timorem & confessionem ejus docemur; Domino formamur, proficimus, acquirimur, ut per passionem ejus redemti, ita eidem per doctrinæ suæ instituta placituri.

Psalmo præsenti quædam aptari possunt Christo.

4. Esse autem in præsenti psalmo quædam intelligo, quæ ei homini quem Dominus assumsit aptari posse videantur, ubi dicitur, *Perscrutati sunt* [b] *iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio.* Significari enim fortè in eo existimabitur Judæorum conspiratio: cùm testimonia quibus argui posset quæruntur, nec reperiuntur, & omnia scrutantium ingenia deficiunt: dehinc quòd sagittis parvulorum, id est, doctrinis Apostolorum vulnerentur, adversùm quos nullam causam justæ persecutionis invenerint, & ideo defecerint contra ipsos linguæ eorum. Hæc quidem non tamquam improbabilia [c] prætermittimus: sed quædam alia in psalmo sunt, quæ ordinem intelligentiæ hujus impediant. Non longè tamen ab his sermo expositionis nostræ dissentiet.

Est psalmus justi cujusque inter procellas sæculi.

5. Existimamus enim non modò Apostolorum qui primi fuerunt, sed cujusque sancti in Domino sperantis confessionem præsenti psalmo contineri. Inter maximas enim sæculi tempestates, & gravissimas humani generis in Deum impietates sumus constituti: cujus per nos fidelem & veram confessionem nunc philosophia irrideat, nunc hæreticorum furor incurset, nunc avaritiæ studia condemnent, nunc ambitionis favor inquietet. Quibus omnibus dissimulandis, tolerandis, vitandis & coarguendis, mens nostra nisi per Deum erudita non sufficit. Quantis enim & quàm molestis disputationum aculeis Dei providentiam, & principalem atque ininitiabilem in creato ab eo mundo dominatum ejus philosophia impugnat: nunc aquis, nunc terræ, nunc atomis, nunc cælo Dei nomen indulgens? Quàm verò ingenioso calliditatis usu fidei doctrinam hæreticus mentitur? Quanto deinde audientium periculo opum gloriam avarus affirmat? Quanto quoque continentiæ excidio gaudia corporis voluptatum assertor exsequitur? Quàm pestifera autem ambitiosorum in honoris adhortatione facundia est? Quibus omnibus pervigil cura, pernox oratio, & æterna ad Deum confessio repugnabit. Ob hæc igitur fidei nostræ & æternæ salutis excidia, Propheta orare intelligitur in psalmo, ex persona sua quatenus in Deum sperare nos conveniat ostendens.

Tentationes variæ.

℣. 2. Vigilantiâ & assiduâ oratione sunt avertendæ.

6. Ait enim, *Exaudi Deus orationem meam, cùm tribulor: à timore inimici eripe animam meam.* Ingruentibus his quæ superiùs memoravimus, per quæ fides nostra & spes periclitatur, ad eum qui solus mederi his potest refertur oratio. Metus est enim, ne infirmam per naturam & consortium carnis animam, undique subrepentium illecebrarum æstus absorbeat. Adsunt namque quotidie, & pugnant blandimentis fallacibus, quasdam machinas excidii admoventes. Itaque per doctrinam cælestis eruditionis, pervigilem curam fidei impendere admonemur, * timere insidiantem semper hostem, ne incautam securitatem nostram ipse in speculis positus incurset. Vigilandum ergo in oratione Dei est, & semper orandum: ut cùm fatigari anima & affligi subrepentium illecebrarum aculeis cœperit, Deus semper oratus exaudiat, nosque ab his quæ timemus eripiat. Ait enim, *A timore inimici eripe animam meam.* Deus enim non tum tantùm orandus est, cùm quæ timentur ingruerint; sed timenda ea sunt, quæ cùm cœperint adesse dominantur: & semper atque indefessis precibus orandus est, ut nos à timore eorum, quorum dominatum timemus, eripiat. Scriptum est enim in Proverbiis:

* f. & timere.

Etiam antè quàm ingruerint.

[a] Id est, substantia ac natura. Idem ejusdem vocis usus est in his Tract. Psal. 138. n. 5. *Non confundenda autem persona divinitatis & corporis est.* Hilarium autem unicam in Christo personam agnovisse, ita innumeris locis constat, ut illud probare prorsus supervacaneum sit.

[b] Regius codex hîc & infrà n. 9. *in iniquitates*, posteriore loco consentiente etiam Par. cum ms. Mic.

[c] In vulgatis, *præmittimus*. Rectiùs in mss. *prætermittimus*. Quo verbo Hilarius aliam se prædictis interpretandi rationem inire quàm modestè declarat.

Prov. 1. 24. &c.

Cùm vocarem, non exaudistis; & cùm exten- » derem verba, non intendistis: sed inania » fecistis consilia mea, & consiliis meis non in- » tendistis. Et ego perditionem vestram irride- » bo. Erit ergo, cùm invocabitis me, & ego non exaudiam. Propheta ergo, licèt prior * tempore, non tamen eorum quæ postea dicerentur ignarus est: sed impendentibus semper tribulationibus anxius, & ad omnem timorem inimici sollicitus, Deum orat ob ea quæ timet: & ut secum in tribulatione sit, & ut exaudiat, deprecatur. Neque enim Dei misericordiam metus noster, sed fides promeretur: & longæ præparationis [a] documento opus est, ut mereamur audiri. Meminit ergo Propheta ab his se omnibus [b] precatu liberari: & docet orationem suam non ex dominatu eorum quæ timuerit, [c] sed ex metu esse dominatûs.

* puta, Salomone, cujus sunt proximè dicta.

ỹ. 3. 7. Ait enim: *Protexisti me à conventu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem:* ỹ. 4. * *qui exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram,* ỹ. 5. * *ut sagittent in obscuro immaculatum.* Non hîc Propheta arma bellica, nec enses, aut jacula, aut tormenta arcuum pertimescit. Omnis enim [d] ei in lingua timor est: hujus gladios, hujus spicula metuit. Ab his quidem fide sua tutus est; ait enim, *Protexisti me à conventu malignantium:* sed arcus homicidæ linguæ semper intentus est, & acumen gladii in lingua ejus præstò est. Volant autem letales ejus sagittæ, & non ambiguum est quid efficiant: scilicet *ut sagittent in obscuro immaculatum.* Et proprietas verbi intelligenda est. Non sanctum, non fidelem, non justum, sed *immaculatum* sagittant, eum cui per sacramentum Baptismi sordes & maculæ veterum criminum recèns ablutæ sunt, nondum tamen firmatæ fidei, nondum doctrinis spiritalibus eruditum, nondum contra hæc pugnacis linguæ arma certantem, sed simplicem, & ex novæ nativitatis infantia tenerum. Hunc ergo sine metu contradictionis alicujus, intento jam pridem arcu, per rerum ignorantiam in obscuro positum vulnerabunt. ỹ. 6. Ait enim, *Subitò sagittabunt eum, & non timebunt:* naturam simplicem, & [e] immaculati novitate imperitam. Hanc enim fallunt, huic occultos laqueos prætendunt, insidiarum secretis latentibus gloriantes.

Lingua homicida.

Adversùs recèns renatos intenta.

8. Sequitur enim, *Firmaverunt sibi verbum malum, disputaverunt ut absconderent laqueos: dixerunt, Quis videbit eos?* Tempus discernitur, & inferendi vulneris, & consilii firmati. Nam cùm dicitur, *Subitò sagittabunt*, futuri temporis opus docetur: cùm autem, *Firmaverunt verbum malum*, jam ex præterito consilium firmatæ pridem voluntatis ostenditur. Semper enim excidia adversùs fidem præstò sunt, & occultis ac fallentibus insidiis pestiferæ adhortationis doli adjacent, quos à raris quibusque conspici opinantur. Et ideo dictum est: *Absconderunt laqueos, & dixerunt, Quis videbit eos?* Si enim hæreticus pervertere fidem tentet, incredibile est quantis eam dolis subvertere contendat; si spem æternitatis nostræ philosophus impugnet, mirum in modum omne bonum præsentis vitæ ponet in corpore: omni ingenii sui alacritate ea, quibus doctrinæ cælestis institutio subrui possit, uterque scrutantes.

Fidei præstò sunt semper insidiæ.

9. Sed quid ad Deum humana perversitas? quid adversùs opificem operis ingenium? Exquirant licèt omnibus argumentationis suæ quæstiunculis excidium veritatis; deficiet tamen in veritatis destructione falsitatis assertio: atque ideo subsequitur, *Perscrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio.* ỹ. 7. Defectio scrutantium, defectionem supervacuæ contra Deum adhortationis ostendit. Quæ enim non labefactabuntur ingenia, contradictioni veritatis intenta? Rimentur licèt omnia naturalium causarum secreta, pervicacique studiorum suorum vigore ipsa cælestium motuum interna scrutentur: in ipsa tamen operis sui intentione deficient, doctrinis spiritalibus refutati. Qui enim fortuitis motibus agi omnia docent, audient à nobis æternæ virtutis Deum non [f] in fortuitis manere, sed esse mundi creatorem, indefinitæ ut essentiæ, ita & virtutis; ipsum à nemine, sed ex eo omnia, moderantem ea ipsa omnia & continentem. Qui verò prædicabit animæ cum corpore occasum, audiet animam non esse terrenam, sed ex afflatu Dei ortam elementis corporis admisceri; mortem autem non interitum esse, sed discessionem ejus à corpore. Qui autem resurrectionem carnis abnegabit, sciet non difficilem ejus instaurationem futuram ei, cui inchoatio prima sit facilis. Porro qui curam humanæ conversationis Deo auferet, cognoscet æterni regni Deum judicem: neque hominem idcirco tantùm conditum ut esset; (quid enim esse hominem Deo utile fuit?) sed ut in cognitionem Dei editus, profectum sibi ex opificis sui cognitione speraret.

Nil valent contra Deum.

Mundus non ex fortuitis.

Anima immortalis.

Carnis resurrectio.

Deo cura hominis.

10. Jam si fidem hæreticus destruet, Dei filium semper fuisse cognoscet, nullo à Patre intervallo temporis separatum; ipsum esse Verbum, Virtutem, Sapientiam Dei; hunc mundi opificem fuisse, hunc & hominis conditorem; hunc prima mundi crimina diluvio abluisse, hunc Moysi legem dedisse, hunc in prophetis fuisse, & per eos ingentia illa corporationis & passionis suæ sacramenta cecinisse; hunc in corpore resurgentem caducæ carni claritatem spiritalis gloriæ intulisse, & in naturam divinitatis suæ terrenæ corruptionis absorbuisse primordia.

Filii Dei natura & opera.

[a] Reg. ms. *docimento.*

[b] Editi excepto Par. *precantem liberari.* Reg. ms. *peccatis liberari.*

[c] Regius codex, *sed ex merito esse dom[illegible]tûs.* Apud Bad. Er. & Lips. *sed ex merito esse fidei exauditam:* gl[illegible]ema.

[d] Vox *ei*, quæ desiderabatur in vulg. restituitur ope Reg. ms.

[e] In vulgatis, *immaculatam.* At in mss. *immaculati:* hellenismus est, quo neutrum pro substantivo nomine ponitur. Aut post *immaculati*, subauditur *statûs*, vel quid simile.

[f] Reg. ms. caret particulâ *in.*

11. Deficient


Scientiæ divinæ cedit profana.

11. Deficient igitur adversùm iſta ſcrutantes: & per virum doctrinâ Dei eruditum, & in altum humilitatem cordis ſui erigentem, hæc divinæ operationis præconia proferentur: ita vt hæc eminentia Dei, eorum ipſorum qui hæc audiant confeſſione laudetur. Atque ideo ita ſequitur: *Perſcrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Accedet homo* [a] *& cor altum,* * *& exaltabitur Deus.* (℣. 8.) Cognitâ enim ſcrutantium defectione, & accedente homine cordis alti, magnificentia divinæ bonitatis agnoſcitur. Quantus autem fiet doctrinæ ſpiritalis profectus? Nam quis non magnificabit Deum, quem mundi hujus cognoverit conditorem? Quis non metuet, quem judicem ſciet? Quis non renaſci in innocentiam volet, cùm [b] peccati remiſſionem ſacramentum novæ nativitatis indulgeat? Quis non à peccato deſinat jam renatus, & in innocentia velit parvuli permanere, cùm talium ſciat regnum eſſe cælorum? (Matth. 19. 14.) Hæc profeſſio noſtra ſcrutantium ingenia debilitat: hæc doctrinæ noſtræ ſpicula, quæ per regeneratorum exordium ſagittæ ſunt parvulorum, ſtultas diſputationes & ridicula de Deo dogmata vulnerant. His adverſari profanæ linguæ contradictio non poteſt: ad horum omnium [c] diſputationum, & adhortationum noſtrarum fidem, & trepidatio abnuentium & metus eſt audientium.

Fides noſtra terret iniquos, recreat juſtos.

12. Annuntiatis enim operibus Dei, tunc incipient facta ejus intelligi, tunc in his lætabitur juſtus, tunc eum omnes recti corde laudabunt. Et hoc * ipſum pſalmus ita edocet: *Accedet homo & cor altum, & exaltabitur Deus.* (℣. 9.) *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum,* * *&* [d] *nihil habuerunt contra ipſos linguæ eorum.* (℣. 10.) *Conturbati ſunt omnes qui videbant eos,* * *& timuit omnis homo.* (℣. 11.) *Et annuntiaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt.* * *Lætabitur juſtus in Domino, & ſperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.* Adversùs vulnerantes ſagittas parvulorum loqui aliquid adverſantium lingua non habuit. Et qui videbant parvulos ſagittantes, conturbantur & metuunt: cùm ſe [e] in errore ſitos recognoſcunt, cùm diem judicii & retributionem actæ in corpore vitæ agnoſcunt, cùm opera Dei audiunt, & facta ejus intelligunt. In his eſt lætitia ſanctorum, in his ſpes firmiſſima. Ob hæc Deum qui recto corde ſunt laudant, ſcientes eſſe [f] remiſſorem peccatorum, mortis peremtorem, & diaboli debellatorem, judicem ſæculi, æternitatis largitorem, Deum & Dominum noſtrum, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

* mſ. ipſud.



PSALMUS LXIV.

In finem Pſalmus David.

*TE decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Jeruſalem. Exaudi orationem, ad te omnis caro veniet. Verba iniquorum * prævaluerunt ſuper nos, & * impietatibus noſtris tu propitiaberis. Beatus quem elegiſti & aſſumſiſti, * inhabitabit in tabernaculis tuis. Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate. Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longè. Præparans montes in virtute tua accinctus potentiâ, qui conturbas * profundum maris, ſonum fluctuum ejus. Turbabuntur gentes, & timebunt * omnes qui habitant fines à ſignis tuis: exitus matutini & veſpere * delectationis. Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam. Flumen Dei repletum eſt * aquis, paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt præparatio * ejus. Rivos ejus inebria, multiplica generationes ejus: in ſtillicidiis ejus lætabitur * exoriens. Benedices coronam anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate. Pingueſcent fines deſerti, & exſultatione colles accingentur. Induti ſunt arietes ovium, & convalles abundabunt frumento; etenim clamabunt, & hymnum dicent.*

* Hil. infrà, *tibi.*
* Hil. *invaluerunt.*
* *impietates noſtras tu propitiabis.*
* infrà, *ut inhabitet.*
* Hil. *fundum.*
* Hil. *qui inhabitant.*
* Hil. *delectationes.*
* Hilarius, *aqua.*
* Hil. *tua.*
* Hil. *cùm exorietur.*

TRACTATUS PSALMI.

Quid præcinat pſalmus.

1. OPPORTUNE ſuperiorem pſalmum hic qui ſubjacet conſecutus eſt. Eſt autem & ipſe *in finem*: & congregationem gentium, quæ Dominum laudaturæ ſunt, nuntiat. Ipſe hujùs interpretationis noſtræ fidem reddet.

Nil ſine Dei laude inchoandum.

2. In exordio autem ejus, ſecundùm conſuetudinem ſuam, Propheta orationem omnem ad Deum dirigit. OMNIS enim nobis res atque ſermo cum confeſſione Dei ineundus eſt. Sed ſciens Propheta plures [g] pro diverſi-

[a] Ita miſſ. necnon Auguſtinus, Theodoretus & Pſalteria vetera juxta græcum, immo juxta antiqua Vulgatæ exemplaria. Excuſi verò hîc & inferiùs, *ad cor altum.*

[b] Mic. mſ. *peccati remiſſio*, tum Reg. *ſacramento.* Subinde forſitan leg. *indulgeatur.*

[c] Reg. mſ. *diſputationum noſtrarum & trepidatio abnuentium eſt. Annuntiatis enim* &c. Mallemus, *Ad horum omnium diſputationes, adhortationum noſtrarum fides & trepidatio abnuentium* hæreticorum *& metus eſt audientium* gentilium. V. Tract. Pſ. 143. n. 12.

[d] Regius codex, *pro nihilo habuerunt.* Verbum græcum ἐξουθένησαν vertendum potiùs fuerat, *pro nihilo habita ſunt.* Sed receptam lectionem confirmant ſubjecta.

[e] Editi, *in errores iſtos*: emendantur ex mſ. Reg. Recognoſcunt autem; quia *ſplendor doctrinæ Dei condenſam illam & conſpiratam dæmonum virtutem coruſcationis luce diſpergit*, ut explicatur in Pſ. 143. n. 11.

[f] In vulgatis, *re[illegible]ſionem.* Concinniùs in mſ. Reg. *remiſſorem.*

[g] Regius codex, [illegible]*o diverſitate ſtudiorum* &c.

tate rerum ac studiorum in supervacuis de- A morari, specialem & proprium Dei à nobis ℣. 2. honorem requirit, dicens, *Tibi decet hymnus Deus in Sion.* Sion, Ecclesia. Sion mons quidem Jerusalem adjacens est : sed montem hunc ejusque nomen atque etiam urbis ipsius, Ecclesiam quæ corpus est Christi nuncupatam semper acce- Psal. 2. 6. pimus, Domino in psalmis dicente, Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Et ne in regno eum collis hujus constitutum arbitraremur : in Prophetis, B Zach. 9. 9. atque etiam in Evangeliis dictum est, Gaude Matth. 21. 5. valde filia Sion, prædica filia Jerusalem : ecce Gal. 4. 26. rex tuus venit tibi. Et Apostolus, Ea autem * Reg. ms. liberata. quæ sursum est Jerusalem * libera est, quæ est mater nostra. Hymnus ergo hic Deo condecet, qui sit in Sion spiritali & ecclesiastico a cantico innocens, & [a] Dei laudibus dulcis.

Vita austera philosophorum & hæreticorum. 3. Omnia autem superstitionum genera quæ extra religionem Dei sint condemnat. Plures enim sunt in demersissimo erroris profundo lo- C cati, qui doctrinæ suæ perversitatem quadam inanis laboris probitate commendent. Cernimus namque nudis philosophos corporibus al- b gere : ipso etiam conjugiorum usu [b] magistri abstinent : hæretici sicco panis cibo vivunt. Sed qui tandem otiosi hujus propositi profectus est? Totum hoc inane atque ridiculum est, & cum ipsis superstitionis causis miserabile. Deo ergo vovenda sunt contemtus corporis, castitatis custodia, jejunii tolerantia. Atque ideo D Vota extra Ecclesiam inania. ait, *Et tibi reddetur votum in Jerusalem.* Vota enim tantùm ecclesiasticæ religionis utilia sunt. Quæ cùm & dignis Deo cantionibus, & propositæ in Ecclesia observantiæ studio probabuntur, tum digni erimus pro quibus Deum Spiritu non interpellante. sanctus Spiritus interpellet. Idem namque per Prophetam loquitur, & docet. Ipse autem, Rom. 8. 26. secundùm Apostolum, pro nobis inenarrabilibus gemitibus interpellat : atque ideo hîc ℣. 3. ita dictum est : *Exaudi orationem :* non enim E c subsequitur, [c] *meam*; ut dicentis persona possit intelligi. Licèt enim multi tamquam hoc deesset addiderint, non tamen in authenticis exstat. Propheta enim non suo sensu, sed inspiratus hæc loquitur : *Exaudi orationem.*

Caro, omnis homo. 4. Sequitur ut quorum oratio sit exaudienda demonstret. Nec longè exspectationem nostram differt : subjecit enim, *Omnis caro ad te veniet.* Humani generis universitatem Scriptura sub carnis nomine designat : ut in Lege, F Gen. 6. 3. Et dixit Deus, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam caro sunt; & in Ibid. 12. eadem, Quoniam corrupit omnis caro viam Joel. 2. 28. ejus; & in propheta Dominus, Et effundam de spiritu meo super omnem carnem; & in Evangelio, Et Verbum caro factum est, & Johan. 1. 14. inhabitavit in nobis. Errore & delictis est liberandus. Hujus igitur humani generis orationem exaudiet Deus, quod vanis infelicium superstitionum doctrinis tenebatur : cùm præcepta gentilia omnes eos ad studium impietatis imbuerent, Deum in lignis & saxis & metallis prædicando, & mundi opificem, d atque animæ nostræ parentem [d] intra inanimem materiam collocando. Hunc igitur errorem gentes fatentur, quòd eos philosophiæ facundia detinuerit in errore : scientes tandem vetera delicta sua & antiquæ impietatis crimina Deo propitianda esse per Christum. per Christi sanguinem. Ipse enim secundùm Apostolum nostra Rom. 3. 25. placatio est : ait namque, Quem proposuit Deus placationem per fidem in suo sanguine; & iterum, Ipse est placatio pro peccatis no- 1. Johan. 2. 2. stris. Veniet ergo ad eum omnis caro, dicens, ℣. 4. *Verba iniquorum invaluerunt super nos, & impietates nostras tu propitiabis.*

5. Sed qui tandem propitiationis effectus est? Vel quid proderit errorem gentilem reliquisse, & doctrinam impiam sprevisse? Et ℣. 5. idipsum non dissimulavit, dicens, *Beatus quem elegisti & assumsisti, ut inhabitet in tabernaculis tuis.* Qui omnis homo liberandus. Omnis quidem caro veniet, id est, ex omni hominum genere * congregamur : sed * Reg. ms. congregantur. beatus est quisquis fuerit electus. Multi enim secundùm Evangelium vocati sunt, sed pauci Matth. 22. 14. electi. Electi autem sunt nuptiali veste conspicui, puro atque integro novæ nativitatis Electio fit ex merito. corpore splendidi. Itaque non res indiscreti c judicii electio est : sed ex meriti [e] delectu facta discretio est. Beatus ergo quem elegit Deus : beatus ob id, quia electione sit dignus. Scire autem nos convenit, hic beatus in quam rem fuerit electus, scilicet ad id quod sequitur, *Inhabitabit in tabernaculis tuis.* Omnis f perfectio bonorum, [f] inhabitationis cælestis est requies. Multas mansiones Dominus in Johan. 14. 2. cælis esse testatur : sed Patrem orat, ut Apostoli ubi & ipse sit maneant, dicens, Pater Johan. 17. 22. quos mihi dedisti, volo ut ubi ego sum, ibi & illi sint mecum. Ex plurimis ergo mansionibus, Apostolis suis eam quæ sibi est propria communicat. Scit Propheta quanta beatitudo sit in tabernaculis Dei esse, alio loco dicens, Psal. 83. 3. Beati gloria inæquales. Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Sed non ob id bonorum cælestium spes adimitur, si non omnes ad cohabitationem Dei eligentur. Plures enim mansiones diversæ dignitati habitantium præparantur. Sed licèt 1. Cor. 15. 41. diversa sit dignitas; differt enim stella stellæ in gloria : tamen quotquot habitationibus, variis licèt, digni habebuntur, fidei fructum & honorem cælestis gloriæ sortientur.

[a] In Reg. ms. à prima manu, *Deus*; à secunda, *Deo* : malè.

[b] Ms. Reg. *magi abstinent.* An 1°. loco notatur nuditas Gymnosophistarum apud Indos, 2°. continentia Magorum apud Persas celebrium, 3°. Montanistarum xerophagiæ, *quas novum affectati officii nomen & proximum ethnicæ superstitioni* fideles vocant apud Tertull. de jejun. c. 2.

[c] Abest etiam hæc vox à Psalterio quod vertit Hieronymus ex hebræo. Exstat verò in græcis exemplaribus, & apud Augustinum, Theodoretum &c.

[d] Vulgati, *intra inanem materiem collocando. Hinc igitur* &c. Veriùs ms. Reg. *intra inanimem* : ut sit quædam oppositio inter *animæ nostræ parentem* esse, & *intra inanimem materiam* concludi.

[e] Regius codex à prima manu, *dilectu* : à secunda *dilectionis*, malè. Totus ille locus non de electione ac prædestinatione æterna est, sed de temporaria gloriæ æternæ retributione. Hinc *electi* proximè dicti sunt, non qui erunt, sed qui jam *sunt nuptiali veste conspicui* &c. Hinc n. 6. invitamur festinare illuc, ubi sunt *jam ad habitandum electi.* Hanc autem electionem ex meriti delectu fieri nemo nisi hæreticus negaverit. Hunc itaque locum frustra recenset Sculterus inter Hilarii nævos.

[f] Par. *requiei.* Editi alii, *in habitationis cælestis est requie.* Sequimur mss. Tota hæc phrasis claritatis ergo ita est invertenda : *Requies inhabitationis cælestis est perfectio omnis*, seu omnium, *bonorum.*

6. Poſt enim beatitudinem ejus, qui ad habitandum in tabernaculis Dei fuerit electus, hoc ſequitur : *Replebimur in bonis domus tuæ : ſanctum eſt templum tuum, * mirabile in æquitate.* His ergo bonis domûs Dei replebimur; quia in tabernaculis Dei beatus habitabit. Et quidem interim bona domûs quæ ſint poſſumus exiſtimare, Eccleſiæ ſcilicet munera, quæ ei ſecundùm multiplicem fructum Chriſtus indulſit ; quia & ipſa ſecundùm Apoſtolum domus Dei eſt : Ut ſcias, inquit, quemadmodum oporteat te in domo Dei diverſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Hæc ergo habet [a] triceſimum, ſexageſimum, centeſimumque fructum. His ergo bonis domûs Dei fides credentium explebitur, quæ interim donorum diviſionibus adornatur, ſicut ſcriptum eſt : [b] Huic enim datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii fides in eodem Spiritu, alii dona ſanationum, alii genera linguarum, alii [c] interpretatio linguarum. Verùm ſunt & alia plena & perfecta domûs Dei munera, nequaquam [d] naturis carnalium ſenſuum æſtimanda. Novit hæc uſque ad tertium cælum Apoſtolus raptus : & prædicat dicens, Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum. His igitur domûs Dei bonis replebimur. Et meritum percipiendorum horum fructuum docet, dicens, *Sanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.* Omnia namque credentium corpora templum Dei eſſe Apoſtolus docet, dicens, An neſcitis quòd templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis ? Si quis templum Dei corruperit, corrumpet eum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt. Ornandum ergo hoc Dei templum eſt ſanctitate atque juſtitiâ : ut bonis domûs Dei repleatur, ut æquitatis ac fidei operibus mirabile ſit. Domum autem Dei etiam ipſum aſſumtum à Dei filio hominem intelligere erit promtum : quia in eo inhabitet omnis plenitudo divinitatis, & per naturæ proprietatem in eo Pater habitet ; bonis [e] itaque ejus, id eſt, virtutis, gloriæ, æternitatis, unoquoque eo replendo, qui ſe templum Deo ſanctum & mirabile in æquitate ſervaverit. Omnium itaque noſtrûm ſpes iſta eſt, ut bonis domûs Dei repleamur, ut ſanctum & mirabile templum illius ſimus. Beati quidem ſunt, qui jam à Deo ad habitandum in tabernaculis ejus electi ſunt : ſed feſtinare nos in conſortium hujus beatitudinis congruum eſt, operationibus id atque orationibus [f] expetentes.

[Margin: ℣. 6. — Quæ Dei domus, quæ illius bona, quo merito comparantur. — 1. Tim. 3. 15. — 1. Cor. 12. 8. &c. — 1. Cor. 2. 9. — 1. Cor. 3. 16. & 17.]

7. Ob quod ita ſequitur : *Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.* Non competit hæc oratio Judæo. Et quamquam hic liber Legis ſit, prophetia tamen non eſt gentis unius. Spes enim hæc omnium finium terræ eſt : & quacumque ſe habitabilis mundi hujus temperies extendit, omnibus Chriſtus in ſpe eſt. Quinetiam [g] interni atque externi maris inſulæ in hujus nominis virtute requieſcunt. Spes enim omnium finium terræ, & in mari longè eſt. Sed ſpem oportet non ex inani eſſe præſumtam : ne magis ſit incertorum præſumtio, quàm exſpectatio cognitorum.

8. Itaque cur in eo ſpes omnium ſit, in conſequentibus docet, dicens, *Præparans montes in virtute tua accinctus potentiâ, * qui conturbas [h] fundum maris, ſonum fluctuum ejus.* Ad terrenorum montium naturam ſermo iſte non pertinet : firmati enim ſunt, non præparati ; præparatio autem, futuræ operationis eſt cœptum. Dehinc memoratorum montium præparatio in accinctu potentiæ atque virtute eſt : terra autem omnis ex nihilo eſt juſſa ſubſiſtere ; reſque ea potentiæ non eguit accinctu, quæ ex jubendi facilitate pendebat. Utile eſt autem cognoſcere ſicubi in Scripturis montium facta ſit mentio. Ait namque Propheta, Audite populi omnes, & attendat terra, & omnes habitantes in ea. Et erit vobis Dominus Deus in teſtimonium, Dominus de domo ſancta ſua. Propter quod ecce Dominus deſcendet de loco ſuo, deſcendet ſuper excelſa terræ, & conteret montes ſubtus ſe, & valles liqueſcent tamquam cera à facie ignis propter impietatem Jacob. Hæc omnia propter peccata domûs Iſrael. Et rurſum, Et commota eſt & intremuit terra, & fundamenta montium conturbata ſunt & commota ſunt, quoniam iratus eſt his. Adſcendit fumus ab ira ejus, & ignis à facie ejus [i] exardeſcet, carbones accenſi ſunt ab eo. Inclinavit cælum, & deſcendit, & caligo ſub pedibus ejus. Et in conſequentibus eſt, Miſit ſagittas ſuas, & diſperſit eos ; & fulgura multiplicavit, & conturbavit eos. Et in his, quantum lectio docet, deſcenſionem Domini de cælo per Prophetam Spiritus-ſanctus oſtendit, [k] metum terræ, montium trepidationem ; ob id quia his Dominus iratus ſit, fumo de ira ejus exorto, igne deinceps de conſpectu ejus accendendo. In fumo qui adſcendit, præteriti temporis res eſt : in igne autem accendendo, futuri ſignificatio continetur. Dehinc ne quidquam de natura hebeti & immobili dictum exi-

[Margin: A beatitudinis ſpe nulla gens excluſa. — ℣. 7. — ℣. 8. — Montes non terreni hîc ſignificantur. — Mich. 1. 2. &c. — Pſal. 17. 8. &c. — Ibid. 15.]

[a] Mſ. Reg. *tricenum, ſexagenum, centenumque.*

[b] In mſ. Reg. *hinc enim datur aliis ſermo ſapientiæ, aliis ſermo ſcientiæ.*

[c] Editi, *interpretatio ſermonum* : renitentibus mſſ. qui juxta græcum habent hîc, ut lib. 2. de Trin. n. 33. & lib. 8. n. 29. *interpretatio linguarum.*

[d] Apud Par. *in naturis.*

[e] Vocabulum *itaque* in vulgatis omiſſum, reſtituimus ex mſſ.

[f] Par. *conſequentes.*

[g] Reg. mſ. *interni maris*, ſine verbis *atque externi* : quæ ſi ab aliis abeſſent, maris interni inſulas putaremus ad imitationem propheticorum verborum vocari eas quæ longè ſunt intra mare ; de quibus Tract. Pſal. 14. n. 3. *Quin etiam in Oceani inſulis habitationes Deo plurimas paraverunt* Apoſtoli. Sed & *externi inteſtinique maris* meminit Florus l. 4. c. 2. Externum mare Oceanum vocavit Ptolemæus : Plinius autem l. 3. hiſt. nat. c. 3. & l. 5. c. 2. &c. Mediterraneum mare internum dixit.

[h] In vulgatis, *profundum.* Veriùs mſ. Reg. *fundum*, juxta græcum κῦτος ; quomodo legere eſt & apud Auguſtinum & in veteribus pſalteriis.

[i] Editi, *exardeſcit* : quam lectionem videre eſt apud Auguſtinum, in veteribus pſalteriis German. Mediolan. Rom. ſed non patiuntur ſubjecta, *in igne autem accendendo futuri ſignificatio continetur*, quæ neceſſariò poſtulant *exardeſcet*, quod habet mſ. Reg. necnon Theodoretus & vetus pſalterium Carnutenſe.

[k] Vulgati, *motum terræ* : minùs ad mentem Hilarii, non terrenum aliquid ſuperioribus demonſtrari contendentis. Caſtigantur ex mſſ.

ſtimaretur : hos montes ſagittæ miſſæ diſper- A
gunt, & fulgura multiplicata conturbant.

Montes diabolus cum ſuis. 9. Hoc igitur montium nomine omnem ſupereminentem virtutem intelligi oportet : quæ ſe contra Deum exaltans atque efferens, iræ Dei ſubdidit. Hi à Chriſto obtriti. Deſcendens igitur Deus Verbum, aſſumtum ſibi hominem potentiâ accingens, primùm hæc cacumina montium depreſſit, diaboli ſcilicet & ſuorum contumacem excellentiam protrivit, quos per hanc primæ obtritionis poteſtatem, pœnæ æterni judicii B præparavit. Servavit autem hanc eamdem » Propheta rationem, dicens, Adſcendit fumus » ab ira ejus, & ignis à conſpectu ejus ardeſcet. Fumus enim eos interim arſuri ignis involvit : atque ob id in præſenti pſalmo ita ſcriptum eſt : *Præparans montes in virtute tua accinctus potentiâ.* Accinctio potentiæ ei quod indigebat * corpori coaptatur. (* ſubaud. potentiâ.) Non enim Virtus accingitur : ſed in virtute Dei potentiâ homo quem Dominus aſſumſit accingitur. C

ỷ. 8. 10. Contemplandum autem eſt, quid præparationem montium conſequatur. *Qui conturbat fundum maris, ſonum fluctuum ejus.* Mare, ſæculum. Conturbat non mare, ſed *maris fundum* : neque fluctus ejus, ſed *ſonum fluctuum.* Mare autem, ut prophetiæ ſermo edocet, pro ſæculo nuncupatur : ut ait, Eſa. 27. 1. Superinducet Dominus machæram terribilem & magnam, ſuper draconem ſerpentem pravum, & perimet draconem qui in mari eſt. Pſ. 103. 25. Et iterum, Mare hoc ma- D gnum & latum ; ibi requieſcet draco, quem figuraſti ad illudendum ipſum. Vel certè illud abſolutius, Pſal. 68. 3. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Dæmonia maris fundo ſignantur. Montes igitur, id eſt, adverſariæ omnes ſupereminenteſque virtutes pœnæ judicii præparantur : & maris fundamenta turbantur. In harum enim inimicarum virtutum fiducia ſæculum conſiſtebat, & hæc in inviſibilibus ſæculi hujus profundis latebant. Sonus autem fluctuum cum fundo maris E perturbatur. Turbato enim diabolo, omnia terroris ſui miniſteria turbantur : & ipſe, quo gentes pavebant, adverſantium poteſtatum ſonus trepidat. Quid ante Chriſtum præſtabant. Recordemur vatum murmura, & inconditos bacchantium fremitus, & nonnumquam confuſo audientium ſenſu incertum neſcio quid ſimulacrorum æra ſonuiſſe, omnem denique profano cerimoniarum cantu Quid poſt. mundum reſultantem. Nunc verò Domino Chriſto prædicato, ſilere omnia confutata & F trepida, cùm hi templorum & gentium dii virtute fidelium ſubjiciuntur ad pœnam : cùm credentium verbis torquentur, laniantur, uruntur, & inviſibiles nobis atque incomprehenſibiles naturæ verbo continentur, puniuntur, abiguntur, cùm vates ſilent, cùm muta ſunt templa. Per hæc itaque jam judicio præparantur. Et præparatio iſta quid proficit ? [a] profecit namque. *Turbabuntur gentes, * & timebunt* : (a ỷ. 9. Gentium turbatio & timor.) cernentes ſcilicet deos ſuos mutos, & tantùm ad impoſitionem manuum noſtrarum pœnæ ſuæ vocibus ingemiſcentes. Sed poſt turbationem gentium alii timebunt ; timorem enim erit illatura turbatio. Numquid omnes qui & turbabuntur, & timebunt ? Non utique omnes qui & turbabuntur, & timebunt. (Timor non omnium.)

11. Qui ergo timebunt ? Qui inhabitant fines. Non ſubjecit Scriptura, ut aſſolet, fines terræ ; non enim hîc de terræ finibus loquebatur. Dehinc ergo ſermonis ratio non patitur, [b] ut id adjectum exiſtimemus. Ait enim, *Qui inhabitant fines.* Numquid & gentes, quæ intra fines ſunt, non timebunt ; & terrarum tantùm extima Deum metuent, ab ejus metu ceteris quæ in medio habentur alienis ? Finis autem eſt, non res ipſa, ſed rei extimum. Extimum verò eſt, in quo res ipſa deficiet. Qui ergo fines inhabitant ? Scilicet qui in carne poſiti, neque in totum adhuc ſecundùm carnem agunt, neque jam omnino finem peccati per deſinendi à peccatis conſuetudinem tenent ; ſed volentes deſinere, nec penitus deſinentes, & finem etiamnum, id eſt, quamdam proximam defectionem peccati, carnis habitantes, nec à carne abſunt, nec in totum interna carnis exercent. (Timebunt neque prorſus ſectantes, neque dimittentes quæ carnis ſunt.) Apoſtolus autem cùm in corpore ſit, peregrinatur à corpore. (2. Cor. 5. 6.) Apoſtolus cùm in vita ſit, quotidie tamen moritur : vivit autem jam non ipſe, vivit verò in eo Chriſtus. (1. Cor. 15. 31. Gal. 2. 20.) Omnes ille fines ambiguæ voluntatis exceſſit, etiam extra fines corporis peccatique habitat, peregrinando à corpore dum in corpore eſt, & quotidie moriendo [c] dum vivit, & jam non ipſe in ſe vivendo ſed Chriſtus. Ceterùm timentium trepidatio ex ambiguæ habitationis incerto eſt : dum adhuc [d] habitando fines timent, nondum penitus quod jam habitant tranſeundo ; & tamen deſinendi voluntate [e] finem jam habitent deſinendi.

12. Sed videamus, hi qui fines habitant cur timebunt, & unde illis metus ingruat. Neque id occultum eſt : ſequitur namque, *Et timebunt qui inhabitant fines à ſignis tuis.* (Signa Dei miſericordiæ.) Metus ergo omnis à ſignis eſt. Sed quæ hæc erunt

[a] Ita mſſ. At Bad. & Er. *proficit*, Lipſ. & Par. *proficiunt.* De oraculorum ſilentio non tacuit Juvenalis.

Delphis oracula ceſſant,
Et genus humanum damnat caligo futuri,

inquit Satyra 6. Immo Plutarchi liber eſt, cui *cur oracula edi deſierunt* titulum indidit. Sed de dæmonum fidelibus ſubjectione eſt præclarum illud Tertulliani Apologet. n. 23. *Chriſtum timentes in Deo, & Deum in Chriſto, ſubjiciuntur ſervis Dei & Chriſti : ita de contactu, deque afflatu noſtro, contemplatione & repræſentatione illius ignis correpti, etiam de corporibus noſtro imperio excedunt inviti & dolentes, & vobis præſentibus erubeſcentes* &c. Nec minùs diſertè Hilarii dicta confirmant & illuſtrant hæc Cypriani ad Demetrianum : *Pudeat tutelam de iis ſperare quos tu ipſe tueris. O ſi audire eos velles & videre, quando à nobis adjurantur, & torquentur ſpiritalibus flagris, & verberum tormentis de obſeſſis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes & gementes, voce humana & poteſtate divina flagella & verbera ſentientes, venturum judicium confitentur . . . . . Videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas, timeri ab eis quos tu adoras, videbis ſub manu noſtra ſtare vinctos & tremere captivos,* &c. V. lib. in Conſtantium n. 8.

[b] In vulgatis, *ut ita dictum.* Concinniùs in mſ. Reg. *ut id adjectum*, ſcil. *terra* vocabulum.

[c] Editi, *moriendo Deo vivit* : caſtigantur ex mſ. Reg. Idipſum aliis verbis hîc repetitur quod paulò antè : *Cùm in vita ſit, quotidie tamen moritur.*

[d] Regius codex, *habitandi fines* : non probatur. Hinc enim eorum timor, quia etſi in extremis carnis, tamen in ea adhuc habitant, ſeu necdum quæ carnis ſunt non ſapiunt.

[e] Sic mſſ. At editi, *in fine* ; & paulò antè, *quod jam habitatum ſit tranſeundo.*

℣. 10. signa? *Exitus matutini, & vesperæ delectationes.* **Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repletum est aquâ, parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio tua.* Ab his igitur signis metus ortus est. Est enim magnum in singulis quibusque eorum signum. Nam post præparationes montium in accinctu potentiæ, & [a] conturbationem maris fundi & sonitûs fluctuum ejus, [b] progressus Ecclesiæ in matutinorum & vespertinorum hymnorum delectationes maximum misericordiæ Dei signum est. Dies in orationibus Dei inchoatur, dies in hymnis Dei clauditur, secundùm quod dictum est, Suavis ei sit laudatio mea; & rursum, Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Matutinæ & vespertinæ Dei laudes. *Ps. 103. 34.* *Ps. 140. 2.*

Ebrietas & opulentia spiritalis.

13. Succedit igitur & hoc sequens signum: *Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.* Terra hæc qua utimur non locupletatur, sed ex fructuum suorum ubertate locupletat. Non ergo in eam sermo convenit, quæ & locupletandi se caret sensu, & cujus id est ut locupletet officium. Visitavit autem Deus terram, id est, humani generis nativitatem: eaque visitata à Deo multiplicatis gratiarum muneribus ditescit, Apostolo dicente, In omnibus ditati estis in ipso, in omni verbo & scientia. His enim bonis replemur, & sine cessatione potandi quotidie cælestium bonorum munus haurimus, pleni divinis copiis atque ebrii. Locupletatio enim ostensa est esse ea, quæ superiùs nuncupabatur ebrietas.

1. Cor. 1. 5.

14. Et locupletationis atque ebrietatis hujus fructus est contuendus. Et qui hic tandem sit, non tacetur: *Flumen Dei repletum est aquâ, parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio* [c] *tua.* Et de flumine ambigendi locus nullus est. Ait enim Propheta, Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Et ipse Dominus in Evangeliis ait, Qui biberit ex aqua quam ego dedero, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ salientis in vitam æternam. Et iterum, Qui crediderit in me, sicut scriptum est, flumina de ventre ejus exient. Hoc autem dicebat de Spiritu-sancto, quem accepturi erant credentes in eum. Hoc ergo flumen Dei aquâ repletur. Spiritûs enim sancti muneribus inundamur, & in nos ex illo vitæ fonte fluvius Dei aquâ repletus infunditur. Habemus etiam & cibum paratum. Et quis hic cibus est? Ille scilicet [d] in quo ad Dei consortium præparamur, per communionem sancti corporis in communione deinceps sancti corporis collocandi. Id enim præsens psalmus significat, dicens, *Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio tua*: quia cibo illo quamvis in præsens salvamur, tamen in posterum præparamur.

Spiritus-sancti munus. *Ps. 45. 5.* *Johan. 4. 13. & 14.* *Johan. 7. 38. & 39.*

Corporis Christi communio.

15. Servat autem consuetudinem suam Propheta, ut tempora de quibus loquitur distinguat. Superior namque sermo tamquam de præterito fuit: quæ autem adhuc gerenda erant, gerendorum fide & scientiâ tamquam jam gesta memoravit. Ut autem ea omnia futuri temporis doceret esse, ait, *Rivos ejus inebria, multiplica generationes ejus: in stillicidiis ejus lætabitur cùm exorietur.* Omnis hic orantis est sermo, & ut ea quæ commemorata sunt Deus expleat deprecantis. Terra autem visitata, inebriata est: & quomodo nunc rivi ejus inebriantur? Sed meminisse debemus, quòd si quis ex aqua Domini potaverit, flumina de ventre ejus effluent: ergo potatione aquæ opus est, ut flumina fluant. Inebriamur autem ipsi, cùm Spiritum-sanctum qui fluvius est nuncupatus accipimus. Dehinc, quia ex nobis diversi gratiarum rivi emanant, orat Propheta ut hos eosdem Dominus inebriet: ut his inebriatis, & dono divini muneris perfusis, generationes nostræ multiplicentur; terra scilicet bona, secundùm evangelicam comparationem, verbi semen excipiens, fructu tricesimo & sexagesimo & centesimo ditescat. Est autem nobis per sacramentum baptismi renatis maximum gaudium, cùm quædam in nobis Spiritus-sancti initia sentimus, cùm subeat nos sacramentorum intelligentia, prophetiæ scientia, sermo sapientiæ, spei firmitas, sanationum charismata, & in dæmonia subjecta dominatus. Hæc enim tamquam stillicidia nos penetrant, quæ paulatim cœpta fructu multiplici exuberant. In his ergo stillicidiis cùm exorietur terra lætabitur. Sed stillicidia multiplicantur ut rivi sint; rivi autem inebriantur ut flumina sint.

Prædicta spectant futurum. ℣. 11. *Ebrietatis spiritalis causa & effectus.* *Matth. 13. 8.* *Spiritus-sancti initia in renatis.*

16. Consequens autem est, ut omnem exspectationem nostram Propheta confirmet: & doceat quid montium præparatio, fundi maris turbatio, terræ visitatio & ejus inebriatio, & fluminis plenitudo consummationis habitura sint. Docet itaque in his quæ consequuntur, dicens, *Benedices coronam anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate.* **Pinguescent fines deserti, & exsultatione colles* [e] *accingentur.* **Induti sunt arietes ovium, & convalles abundabunt frumento; etenim clamabunt, & hymnum dicent.* Annum benignitatis Dei ex propheticis atque apostolicis doctrinis cognovimus. Dictum enim est ex persona Domini, Spiritus Domini super me, propterea unxit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem, & cæcis visionem, vocare annum Domini acceptum, & diem retributionis: annum æterni & beati illius sæculi sine dubio declarat. Namque bonitatis Domini hic annus est, quo erunt indefessa illa benignæ retributionis tempora auspicanda. Hujus

℣. 12. ℣. 13. ℣. 14. *Annus benignitatis Dei, æterna vita.* *Esa. 61. 1. & 2.*

[a] Par. cum mss. *conturbati maris fundi & sonitu.*

[b] Ms. Reg. *processus Ecclesiæ.* Deinde pro *in matutinum*, restituimus ex conjectura *in matutinorum*, faventibus his apud Hieronymum in eumdem locum: *Matutinis vespertinisque hymnis Ecclesiæ delectatur Deus per animam fidelem, quæ relicto inanium superstitionum ritu eum devotè laudaverit.*

[c] Editi, *sua*: quod & infrà reposuit Lipsius, superiùs retineus *tua.* Hoc constanter habent mss.

[d] In vulgatis *à quo.* Rectiùs in mss. *in quo.* Duplex hîc insinuatur sanctæ Communionis effectus, animæ scil. in præsens salus per exceptionem Salvatoris, in futurum autem gloria & consortium Dei, ad quod præparat hîc consortium corporis sancti.


[e] Excusi *erigentur*: r[illegible]itentibus mss. & græco.

a igitur anni Dei [a] benedicet coronam jucundissimus & suavissimus visitatæ terræ inebriatæque fructus. Hæc enim Christi est, depulsâ corporum nostrorum corruptione & peremtâ mortis potestate, victoria. Hæc corona sanctificatæ terræ nostræ flore benedicta est Dominus sanctorum suorum choro atque ambitu gloriosus. Tunc ubertate campi replebuntur, tunc deserti fines pinguescent, tunc colles
b [b] exsultatione accingentur, tunc arietes ovium induentur. Illud enim retributionis est tempus.

c 17. Sed discrimen [c] ipsius retributionis est
Gloriæ discrimen in Sanctis, contuendum. In campis enim, quorum in cultura usus est, ea quæ sub lege & [d] cultura
d Dei fuerint opera ubertatem consequentur. Ubi autem fines deserti pinguescent, Ecclesiæ quæ deserta diu fuit populus, repromissionis
in Martyribus, bonis opimatur. In collibus verò exsultatione accinctis, gloriosa Martyrum gaudia nuntiantur; hi enim sunt terris ceteris celsiores.
in Ecclesiæ ducibus, Cùm autem arietes ovium induentur, æterna illa & beata Patriarcharum & Prophetarum & Apostolorum, qui duces gregis sancti sunt, vestis ostenditur; de qua ait beatus apostolus Paulus,
1. Cor. 15. 53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem; & iterum,
2. Cor. 5. 4. In quo nolumus dispoliari, sed superindui, ut absorbeatur hoc mortale à vita. Hoc ergo indumento arietes ovium induuntur, & hoc gloriosæ immortalitatis habitu vestiuntur.

18. Sed quamquam diversa retributionum dona monstrata sint, spem tamen præter hæc non exiguam misericordiæ suæ Deus tribuit, dicens per Prophetam, *Et convalles abundabunt*
in iis quorum sanctitas humilior. *frumento*: humiliores scilicet, sed tamen non impiæ fidei atque operis homines, fructum vitæ sortientur. Non enim ubertate replebuntur ut campi, neque ex deserto pinguescent, neque exsultatione accingentur ut montes, neque tamquam arietes ovium induentur, in
e quibus omnibus [e] definitæ gloriæ munus ostenditur: sed frumento abundabunt, vivendi scilicet substantiâ non carebunt, quia per infirmitatem fidei humiles sunt, & editis circum se collibus vallium more depressi.

Prædicta spiritaliter sunt intelligenda. 19. Ac ne propheticus sermo hos campos, hæc deserta, hos colles, hos arietes, hæc convallia, quæ adspectui nostro subjacent, voce & sensu carentia significare existimaretur; adjecit, *Etenim clamabunt, & hymnum dicent*, Dei scilicet laudes ob hæc diversa retributionum præmia indefessis & maximis vocibus concinentes.



PSALMUS LXV.

In finem, Canticum psalmi.

*JUBILATE Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudationi ejus. Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. * Omnes terræ adorent te, & psallant tibi: psalmum dicant nomini tuo.* DIAPSALMA. *Venite & videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum. Qui convertit mare in aridam, in flumine * perambulabunt pede: ibi lætabimur in ipso, qui * dominatur in virtute sua in æternum. Oculi ejus super gentes respiciunt: qui in iram provocant, non exaltentur in se.* DIAPSALMA. *Benedicite gentes Deum nostrum, & obaudite vocem laudis ejus. Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit commoveri pedes meos. Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorsum nostrum: imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem & aquam, & * induxisti nos in refrigerium. Et introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Et locutum est os meum in tribulatione mea. Holocausta medullata offeram tibi * cum incensu arietum, offeram tibi boves cum hircis.* DIAPSALMA. *Venite & audite, & narrabo vobis omnes qui * timent Deum, quanta fecit animæ meæ. Ad ipsum ore meo clamavi, & * exsultavi sub lingua mea. Iniquitatem si conspexi in corde meo, non * exaudiet Deus. Propterea exaudivit * Deus, & intendit voci orationis meæ. Benedictus Deus qui non amovit deprecationem meam, & misericordiam suam à me.*

* Hilarius, omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat.
* Hil. pertransibunt.
* Hil. dominabitur.
* Hil. eduxisti.
* Hil. cum incenso & arietibus.
* Hil. timentis.
* Hil. exultavi.
* Hil. exaudiat.
* Hil. addit me.

[a] In mss. *benedicetur corona*, de qua apud Hieronymum, *Circulum & semper in se currentia anni tempora coronam vocavit.*

[b] Ms. Reg. *exsultanter accingentur.*

[c] In vulgatis *priùs*, loco *ipsius*.

[d] Mic. ms. *ex cultura Dei*. Abstrusam Hilarii mentem perspicuiorem reddunt hæc vulgati Hieronymi: *Campi legis, qui nullum jucunditatis fructum in littera protulerunt, nunc spiritaliter intellecti, fructûs evangelici dogmatis ubertate complentur.*

[e] In vulgatis *indefinitæ*. Magis placet eorum Reg. ms. *definitæ*, hoc est meritis eorum commensuratæ & speciatim significatæ per collium exsultationem, per indumentum arietum &c. Quod de fidelibus, quorum humilior & magis vulgaris est justitia, hîc habet Hilarius, necnon quod suprà ait n. 5. non omnes sanctos ad cohabitationem Dei esse eligendos, dubium moveret an sanctis omnibus cælestem gloriam ac beatitudinem concesserit, nisi eodem num. 5. subjiceret, *Sed licèt diversa sit dignitas . . . tamen quotquot habitationibus, variis licèt, digni habebuntur, fidei fructum & honorem cælestis gloriæ sortientur.* ex quibus liquet *cohabitationem Dei* ibi vocari specialem quemdam gloriæ gradum Apostolis præsertim singulari prærogativa concedendum.

TRACTATUS PSALMI.

℣. 1. 1. SUPERSCRIPTIO psalmi à superiore eo distat, quòd in se habet *Canticum psalmi*, cùm in anteriore *Psalmus cantici* editus sit. Ceterùm æqualiter præscribuntur *in finem*. Itaque secundùm illam, quam * in exordio attulimus de titulorum inscriptione rationem, perspicuum est psalmum hunc ob adepta per meritum boni operis spiritalis doctrinæ instituta cantari: quia quando in superscriptione *Psalmus cantici* est, per cognitionum cælestium prædicationem gesta boni operis continentur in psalmo; cùm autem *Canticum psalmi* est, ex operationis obedientia adeptæ spiritalis scientiæ hymnus ostenditur. Canticum enim vocis officium est: psalmus autem ex coaptatione, quam harmoniam nuncupant, organi comparatur, fitque ex imparibus ac dissimilibus modis artificis ingenio apta & consonans & amœna modulatio. Quo exemplo, variis officii nostri & scientiæ ministeriis, gratum [a] Deo opus & sibi consonans comparamus. Et hujus quidem intelligentiæ ipsi nobis psalmi auctores erunt; cùm quando sit in Psalmo cantici per scientiæ & cognitionis doctrinam boni operis prædicatio, in Cantico verò psalmi per gestorum meritum gratulatio adeptæ scientiæ intelligatur. Ob eam igitur causam in psalmo præsenti, spiritus prophetiæ à gratulationis doctrina cœpit. Psalmum autem ex persona prophetarum consistere, res ipsa & ratio demonstrat.

** in Prologo n. 20.* — *Psalmus cantici.* — *Canticum psalmi.* — *Psalmus est ex Prophetarum persona.*

℣. 2. ℣. 3. 2. *Jubilate Deo omnis terra, * psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudationi ejus. * Dicite Deo, Quàm terribilia opera tua! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Primùm ergo jubilandum Deo præmonet, secundò psallendum nomini ejus, dehinc gloriam dandam laudationi ejus, tum dicendum Deo, *Quàm terribilia opera tua!* postremò id confitendum, *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Sed ut rationem atque ordinem ita dispositi hujus sermonis intelligamus, necessarium est id quod difficultatem affert paucis absolvere.

3. In latinis codicibus ita legimus: *Jubilate Deo omnis terra.* Et quantum ad eloquii nostri consuetudinem pertinet, jubilum pastoralis agrestisque vocis sonum nuncupamus, cùm in solitudinibus aut respondens aut requirens, per significantiam ductæ in longum & expressæ [b] in nisum sonus vocis auditur. In græcis verò libris, qui ex hebræo proximi

Jubilum quid vulgò.

A sunt, non eadem significantia scribitur. Namque ita se habent: ἀλαλάξατε τῷ Θεῷ πᾶσα ἡ γῆ, & cum illis ἀλαλαγμὸς, quem latinè jubilum ponunt, significat vocem exercitûs prœliantis, aut in concursu proterentis hostem, aut successum victoriæ exsultationis voce testantis. Quam rem ubi ita se translationis ratio temperavit, absolutiùs in psalmo altero intelligimus, cùm dicit, Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsulta- *Ps. 46. 2.*
B tionis. Vox autem exsultationis dissentit ab jubilo; sed pro translationis conditione, quia propria exsultantis vocis nuncupatio non reperta est, per id quod jubilum dicitur, vox exsultantis ostenditur.

Secundùm vim vocis græcæ sonus est militaris.

4. Positi igitur in vitæ istius prœliis, & in hoc carnis & sanguinis nostri certamine adversùm diabolum exercitusque ejus armis spiritalibus dimicantes, Deo monemur in voce exsultationis jubilare. Et ne ad inanimem
C hanc terræ molem esset sermo referendus, universitas nostra ex terra in primo Adam parente [c] genitorum sub plurali numero monstratur cùm dicitur, *Jubilate Deo omnis terra.* Simul enim & officium omnium docetur, & origo. Terrendus ergo est confessionis nostræ sermone omnis profanus auditor: & adversùm diabolum armaque ejus orationum nostrarum sonitu certandum est, & belli nostri victoria exsultationis voce monstranda est.
D Audiat orantis populi consistens quis extra ecclesiam vocem, spectet celebres hymnorum sonitus, & inter divinorum quoque sacramentorum officia responsionem devotæ confessionis accipiat. Necesse est terreri omnem adversantem, & bellari adversùs diabolum, vincique resurrectionis fide mortem, tali exsultantis vocis nostræ, ut dictum est, jubilo. Sciat hoc Deo placitum esse, hoc spei nostræ testimonium, publicas victricesque exsulta-
E tionis nostræ voces personare: quarum Propheta non negligens est, loco alio memorans, Circuivi & immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis. Et ne inanem jubilationis hujus doctrinam atque observantiam crederemus, alibi [d] protestatur, Beatus populus, qui scit jubilationem. Necessarium ergo id fidei nostræ est, in cujus scientia beatitudo est. *Psal. 26. 6.* *Ps. 88. 16.*

Eo uti admonemur contra dæmonem certantes. — *Hymnorum celebres soni.*

5. Nam primùm in admonitionum ordine Propheta disposuit, ut jubilet Deo omnis
F terra, secundò ut psalmum dicat nomini ejus. Deo itaque jubilandum est; quia debitum ei à nobis exsultantis vocis officium est. Psallendum autem nomini ejus est; quia ut per organum psalmus est, ita & corporis nostri, quod animæ & affectionis & negotiorum omnium organum est, artificiosis operibus est placendum. Dignè ergo Dei nomine agen-

Corpore etiam Deo placendum.

[a] Regius codex, *Dei opus ... comparemus.*

[b] Apud Bad. *in emensum.* In editionibus aliis, *in immensum.* Verior videtur lectio Reg. ms. *in nisum*, jubili novum adjunctum exprimens. *Jubilum* Augustino enarr. 2. in Ps. 32. n. 8. *sonus quidam est, significans cor parturire, quod dicere non potest.* Idque non solùm prœliantis, sed eorum *qui cantant sive in messe, sive in vinea, sive in aliquo opere ferventi .... impleti tantâ lætitiâ, ut eam verbis explicare non possint, avertunt se à syllabis verborum, & eunt in sonum jubilationis.* Nec longè aliter exponitur jubilum apud Hieronymum in Psal. 32. & Ruffinum in hunc 65. *Ceterùm*, inquit Theodoret. in Ps. 32. *alalagmus est victoriæ clamor, qui contra fugitantes à vincentibus editur.*

[c] Illud *genitorum* refertur ad *nostra*, eamdem vim habens ac *nostrûm.*

[d] Reg. ms. *propheta[illegible]tatur.*

dum est, ut in quantum effici licet, dictis Domini obsecundemus dicentis, Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & magnificent patrem vestrum qui in cælis est. Vitæ enim nostræ honestas ad ejus laudem erit referenda cui vivimus. Denique idipsum ex subjectis docetur. Sequitur enim, *Psallite nomini ejus, date gloriam laudationi ejus:* quia ex organi nostri psalterio, id est, corporis animæ famulantis effectibus, præbetur per nos Deo gloriosa laudatio; cùm gentes opera nostra contuentes, patrem nostrum qui in cælis est magnificent. Et dabitur laudi ejus gloria, si dignè nomini ejus, organi, id est, corporis nostri operatione psallamus.

Matth. 5. 16.

6. Docemur [a] etiam consequentibus monitis ad ordinem obsequelæ, Prophetâ vel Spiritu per Prophetam ita admonente: *Dicite Deo, Quàm terribilia sunt opera tua!* Quis enim non trepidet ad majestatem ejus, qui sæcula instituerit, mundum condiderit, tempora revolubili vicissitudine cursuque dimensus sit, cælum astris ornaverit, terram fructibus repleverit, mare obicibus concluserit, hominem ut his aut uteretur aut dominaretur elegerit? Per hæc enim omnia virtutis ac potestatis ejus æternitas noscitur, Apostolo dicente, Quæ enim invisibilia ejus, à creatura mundi [b] ipsius factis intellecta adspiciuntur, æterna quoque virtus ejus & divinitas. Hæc terribile nomen Conditoris efficiunt: & operum dignitas majestatem ejus qui ea sit operatus ostendit. Horum igitur operum conditor esse Deus & à nobis prædicandus est, & à ceteris confitendus: non hæc omnia esse dii mentienda sunt.

Deus quàm tremendus.

Rom. 1. 20.

7. Alii enim fortuitu hæc exstitisse commemorant, alii æterna mansisse confirmant. Et idcirco mundum ipsum Deum esse contendunt: dum aut suapte cùm voluit potestate constiterit, aut dum initio caret, careat dominantis arbitrio. Alii autem solum cælum, quia igneum sit; alii aëra, quia motu ac natura indissecabili circumferatur; alii aquas, quia indefessæ effluant, Deum nuncupant. Plures terræ metalla, robora, scopulos, herbas, deos adoraverunt. Nonnulli deos esse aut putrefactorum corporum ossa, aut deflagrantium rogorum busta mentiti sunt: horum omnium conditorem Deum nescientes. Et idcirco talem confessionis nostræ ordinem Propheta esse docuit oportere: *Dicite Deo, Quàm terribilia sunt opera tua! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui:* ex multitudine scilicet virtutum Dei, venerationem falsorum in diis nominum mentientes.

Ethnicorum de Deo varii errores.

Unde deos plures finxerint.

8. Sed quia mentiuntur inimici, quid à cunctis fieri oporteat docetur ita: *Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo Altissime.* Mendacio inimicorum in nuncupatis diis demonstrato, salutis nostræ instituta præbentur: ut terrena omnis origo nostra adoret & psallat Altissimo, verum Deum & universorum conditorem relictis impietatum mendaciis recognoscens. ỳ. 4.

Ab iis ad unum revocatur homo.

9. Sensum diapsalma distinxit. Sermo enim ad Deum cum oratione directus, ad homines nunc refertur: quos tamquam longè à cognitione Dei consistentes, Propheta ad proximum advocat, dicens, *Venite, & videte opera Dei.* Docuit autem & Apostolus esse plures longè à Deo positos, quos doctrinæ adhortatio tamquam in vicinia collocaverit, cùm ait, Et cùm venisset, evangelizavit pacem vobis qui longè, & pacem his qui propè. Ex lege enim multi tamquam de propè manentes crediderunt, gentibus longè advocatis.

Qui longè à Deo, advocantur ad contuenda Dei opera. ỳ. 5. Ephes. 2. 17.

10. Prophetica igitur prædicatio omnes ad Dei opera contuenda advocavit: sed non ea opera, quæ cunctorum adspectui subjecta sunt, cæli, aëris, terræ ac maris; (hæc enim omnes contuentur;) sed ea quæ fidelium tantùm studiis comperta sunt, quibusque saluti humanæ cum ingenti admirabilium virtutum terrore consultum est, Pharaone impietatis suæ pœnis in exemplum humani timoris coercito, ut terror damnationis irreligiosorum metu religionem inchoaret; cùm in terræ iter mare aruit, & aquæ in aridam conversæ sunt; cùm Jordanem pedibus populus egressus est, & ingressuro repromissionis terram Israel fluentis stare jussis, reliquus ad gradiendi securitatem fluvii alveus decucurrit. Ad hujus igitur legis & prophetarum Dei opera contuenda Propheta gentes advocat, dicens, *Venite, & videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.* * *Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede.* Ipse enim Deus esse intelligendus est, ex cujus terribilibus consiliis humanæ saluti per hæc opera consultum est: ut opinionem de Deo (quia nemo cælum contuens Deum esse non sentiat [c]) scientia nos & cognitio talium operum de auctore confirmet.

Ea scil. quibus humanæ saluti legis tempore consuluit. ỳ. 6.

11. Verùm hæc quamvis virtutum Dei opera sint, non tamen spei & saluti satisfaciunt universorum. Populo enim tantùm Legis mare in terram demutatum est, ejusque itineri Jordanis aruit. Sed quid hoc ad universæ terræ salutem proficit? Omnibus enim hoc quod *Venite* dictum est, competit; quia de universis præscriptum erat, *Omnis terra adoret te.* Quid ergo mihi ad salutem tantò postea genito Jordanis tum arefactus impertit? Impertit planè. Hujus enim primùm aquis, pecca-

Quæ illa ad omnes pertineant.

Jordanis transitus fit per baptismum.

[a] Ita mss. At excusi *docemur ergo .... ad ordinem obsequelæ prophetalis spiritu* &c.

[b] Excusi excepto Par. *ipsius facta*: Par. *ipsius facti.* Rectiùs mss. *ipsius factis*: nisi quis ex græco τοῖς ποιήμασι malit *ipsis factis.*

[c] Hoc fatetur Tullius l. 2. de nat. Deor. *Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, cùm cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? Quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur idem, sol sit an nullus sit, dubitare possit.* Sic Lactantius l. 1. div. inst. c. 2. *Nemo est enim tam rudis, tam feris moribus, qui non oculos suos in cælum tollens, tametsi nesciat cujus Dei providentiâ regatur id omne quod cernitur, aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantiâ, utilitate, pulcritudine, temperatione.* Hinc Orosius initio lib. 6. hist. *Deum enim quilibet hominum contemnere ad tempus potest, nescire in totum non potest.* Hoc est quod noster dixit Hilarius in Ps. 52. n. 2. Deum posse negari consilio impii cordis, sed contra fidem ac judicium sanæ mentis.

torum

torum ablutio Johanne pænitentiam prædicante donata est : & per quem populo in repromissionis terram iter fuerat, per eum via nobis cælestis regni, & novæ generationis lavacro possessio æternorum corporum inchoatur, aquis ipsis baptismo Domini consecratis. Ob quod ad id quod dictum erat, *Venite, & videte opera Domini, quàm terribilis in consiliis super filios hominum, qui convertit mare in aridam: in flumine pertransibunt pede*, ne ab his quæ gesta sunt antea, spei nostræ esset intercisa securitas, cùm de futuro *transibunt* dixisset; ideo subjectum est, *Ibi lætabimur in ipso.* Per has enim Jordanis aquas, in illa quæ à prophetis promissa sunt terræ bona, gressu abluendorum corporum transitum est atque transitur : & ibi cælestis sacramenti lætamur exordiis. Cujus lætitiæ & tempus & causam alius propheta testatur, dicens, Lætare desertum sitiens, & exsultet desertum, & floreat tamquam lilium, & effloreant & exsultent deserta Jordanis. Invalescite manus invalidæ & genua dissoluta, consolamini modici animi, sensu invalescite, nolite timere. Ecce Deus [a] noster judicium reddet, ipse veniet, & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient, & audietur lingua mutorum. Tunc saliet claudus tamquam cervus. Hoc ergo illud est, quod significatur, *Ibi lætabimur in ipso.* Quæ in adventu Domini & Jordanis baptismo & infirmitatum omnium curatione expleta sunt. Quòd autem, *ibi lætabimur*; ad Jordanem pertinet. Ita enim dictum est : *in flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur.*

Lætitia baptismum consequens.

Esa. 35. 1. &c.

12. Quòd autem *in ipso*, quis iste sit in quo lætabimur in ipso, Propheta subjecit, dicens, *Qui dominabitur in potentia sua in æternum.* Non ambigimus quis iste erit, si dicti hujus evangelici recordemur, Data est mihi [b] omnis potestas in cælo & in terra : euntes nunc docete omnes gentes : & Apostoli dicentis, Propter quod exaltavit eum Deus, & donavit illi nomen quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium & terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris. Et hæc non de divinitatis suæ dicta sunt potestate. Illa enim ut semper est dominans, ita & dominabitur semper : sed in æternam gloriam ejus assumtæ ex Virgine carnis natura transfertur. Jesus enim ejus hominis, qui ex Maria natus est, nuncupatio est : & Jesu nomen, quod super omne nomen, est donatum. Non enim hîc, ut in ceteris, Jesu Christo, sed Jesu tantùm. Ei enim à cælestibus & terrestribus & infernis adorato, & per omnem linguam in Dei patris gloria esse confesso, æterni regni donatur arbitrium. Sed ut in pluribus, nunc quoque latinitas nostra non satis propriè significatio-

Christus nostri dominaturus,

Matth. 28. 18.

Phil. 2. 9. &c.

quatenus homo, qui ut Deus semper regnat.

A nem dicti græci elocuta est. Quod enim nobiscum scribitur, *Qui dominabitur in virtute sua in æternum*, in græcis ita legitur : [c] τῷ δεσπόζοντι ἐν δυναστείᾳ αὐτοῦ τοῦ αἰῶνος. Quod nobiscum *in æternum*, id simplex & in omne tempus sine definitionis alicujus proprietate commune est : quod cum illis τοῦ αἰῶνος, id certi & designati sæculi significationem habet.

13. Unigenitus enim Dei filius etsi regnavit semper, non tamen semper regnavit in B corpore. Ergo ubi designati & tamquam demonstrati sæculi dominatio, per id quod τοῦ αἰῶνος dicitur, virtute verbi ipsius continetur; tempus illud ostenditur, quo glorificato in gloriam Dei corpori & nomen Dei donatur & regnum. Et hujus quidem dominandi sæculi tempus absolutè Apostolus docet, dicens, Cùm evacuaverit omnem principatum & potestatem & virtutem, novissima inimica devincetur mors : tunc solus in virtute sua sæculo domina- C bitur. Nunc enim quamvis regnet, tamen princeps hujus sæculi petiit, ut modo tritici Apostolos cerneret : & sunt spiritales nequitiæ in cælestibus, adversùm quas spiritalibus nos armis beatus Paulus instruxit, adversùs quas militantes nos fidei nostræ Angeli, qui secundùm Evangelia quotidie in cælis Deum patrem vident, prosequuntur, & misericordia Dei protegit.

Quando illud regnum suum obtinebit.

1. Cor. 15. 24.

Luc. 22. 31.

Angeli nostri adjutores.

Matth. 18. 10.

14. Atque ob id consequitur : *Oculi ejus super gentes respiciunt.* Ab omni enim in peccatis D morante, vultus Domini aversus est. Hæc namque indemutabilis Dei significata conversio est : non quòd tamquam per naturam corporalem se quòquam aut avertat, aut referat; sed quòd par atque idem æqualiter semper manens, uniuscujusque auxilio pro meritorum diversitate aut desit, aut adsit. Ex persona enim peccatorum ita scriptum est : Averte faciem tuam à peccatis eorum : & iterum, Quare avertis faciem tuam & dexteram tuam? E & rursum, Avertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus. Ubi autem justorum persona tractatur, hæc dicta sunt : Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum : & iterum, Oculi tui videant æquitates : & deinceps, Designatum est super nos lumen vultus tui Domine. Ergo incorporalis Deus misericordiæ suæ oculis, & tamquam ministerio famulantium Angelorum protegit gentes : & in omnes credentes donum [d] se divinæ misera- F tionis effundit.

Quî Deus oculos aut avertat aut convertat.

Ps. 50. 11.

Ps. 73. 11.

Ps. 29. 8.

Ps. 33. 16.

Ps. 16. 2.

Ps. 4. 7.

15. Hoc Judæi denegant, his operibus Dei infidelis populus contradicit, gloriam sibi in Abraham electi generis usurpans. Et consequentibus istud dictis Propheta demonstrat, ad id quod dixerat, *Oculi ejus super gentes respiciunt*, connectens illud, *Qui in iram provocant, non exaltentur in se.* Hoc quòd in se exaltantur, Dominus in Evangeliis condemnat, dicens, Nolite [e] proferre inter vos, dicentes,

Judæi Deum in iram quî provocent.

Matth. 3. 9.

[a] Abest *noster* à Reg. ms. ut & superiùs in Psal. 54. n. 8.
[b] Apud Bad. Er. Lips. & in Reg. ms. omittitur *omnis*.
[c] Cùm constanter legat Hilarius, *qui dominabitur*, neque moneat verbum græcum à latino differre, legerit necesse est, τῷ δεσπόσοντι.

[d] Addimus *se* ex Reg. ms. Proximè innuit Hilarius, quod in Ps. 129. n. 7. apertiùs exponit, Angelos posse dici membra Dei, quibus nobis prospic[illegible].
[e] In Reg. ms. *pr[illegible]re*: verbum Hilarii scopo satis aptum, sed diffidens à græco λ[illegible].

M

» Patrem habemus Abraham ; potens est enim A
» Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quòd autem in iram provocant, omnifariam prophetæ loquuntur : Esaias,[a] In iracundiam provocastis sanctum Israel : ad Ezechiel quoque Spiritus loquitur, Fili hominis mitto te ego ad domum Israel, qui exacerbaverunt me : & in Psalmis, Exacerbaverunt spiritum ejus ; & rursum, Frequenter liberavi eos, ipsi verò me exacerbaverunt. Omnes ergo operationem & misericordiam Dei in salutem gentium B denegantes, in iram provocant misericordiæ & salutis auctorem : quia in se gloriosi & exaltati, iram ejus qui solus gloriosos potest efficere exacerbant.

Esai. 1. 4. Ezech. 2. 3. Ps. 105. 33. Ibid. 43.

Hactenus propheticus, jam apostolicus est sermo.

16. Interjectio rursum diapsalmi, & sensûs & personæ demutationem docet. Nam sub hac significatione frequenter alterum, nonnumquam utrumque distinguitur. Superior enim sermo ex Prophetæ persona omnis fuit, dicentis, *Venite, & videte opera Dei, quàm terribilis in consiliis super filios hominum* ; sequen- C tem verò apostolicum esse oportebat : ut his invitantibus, istis prædicantibus, eâdem doctrinâ veteris ac novi Testamenti prædicatio contineretur.

Hortatio ad laudem Dei veri. ℣. 8.

17. Horum igitur adhortatio refertur ad gentes, cùm dicitur, *Benedicite gentes Deum nostrum.* Non ex inani *nostrum* Prophetæ sermo subjecit. Non utique illos, quos deos[b] putabatis, heroum nomina, vel elementorum crea- D tiones, vel materiem metallorum ; sed *nostrum*, & eum cujus opera recensentur, qui terribilis in consiliis super filios hominum, qui convertit mare in aridam, qui dominatur in virtute sua in æternum. Hoc enim proprium apostolicæ doctrinæ est, Deum ex Lege ac Prophetis in Evangeliis prædicare.

Deus publicè laudandus.

18. Sed id quod consequitur, *Et obaudite vocem laudis ejus*, intelligentiam confundit. Nam vox laudis, non ejus qui laudatur, sed E ejus qui laudet, auditur. Et quomodo gentes ut vocem laudis obaudiant admonentur ? Verùm & hîc latinitas nostra proprietatem dicti in translatione non reddidit. Nam hoc quod nobiscum scribitur, *& obaudite vocem laudis ejus*, à Græcis ita dictum est : *καὶ*[c] *ἀκουτίσατε τὴν φωνὴν τῆς αἰνέσεως αὐτοῦ*. Quo verbo id significatur, ut obaudiri posse efficiant vocem laudis ejus : quod pleniùs intelliget, qui meminerit Dominum in Evangeliis dixisse, Quod F

Matth. 10. 27.

» dico vobis in tenebris, dicite in lumine : &
» quod in aure auditis, prædicate super tecta. Deus namque constanti & publica prædicatione laudandus est : neque debet in commemorandis virtutibus ejus fides nostra trepidare.

De Apostolorum & Martyrum constantia.

19. Sed quæ tandem vox laudis ejus audiri efficienda est ? Nempe ea quòd credentium animam posuerit in vitam, quòd apostolicæ prædicationi & Martyrum confessioni constantiam[d] & perseverantiam largitus sit confitendi, quorum discursibus orbem terræ quibusdam quasi pedibus cælestis regni prædicatio transcucurrit. In omnem enim terram exiit sonus eorum. Et alibi spiritalis discursûs gloriam clamat Spiritus-sanctus, Quàm speciosi pedes evangelizantium bona, evangelizantium pacem ! Hæc ergo vox laudis Dei prædicantium audienda præconio est, Propheta testante : *Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit commoveri pedes meos.* Non enim humanarum comminationum terriculis à cursu prædicationis suæ Apostoli deflexi sunt : neque firmitas pedum insistentium à fidei gressu commota est, quin semper judicii & regni æterni Dominum prædicarent.

Psal. 18. 5. Rom. 10. 15. ℣. 9.

Quod pluribus convenit, de uno effertur ob unanimitatem. ℣. 10.

20. Locutus autem ex unius persona Spiritus prophetiæ, rem ipsam non uni tantùm nomini competere significat. Nam cùm dixisset, *Et non dedit commoveri pedes meos* ; subjecit, *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Sermo itaque cœptus ex uno refertur ad plures. Est namque unus spiritus, & una credentium fides ; secundùm quod in gestis Apostolorum est, Erat credentium[e] anima & cor unum. Act. 4. 32.
Atque ita cùm ab uno cœptum designatur in plures, unanimitas docetur in pluribus. Sed quæ tandem comparationis similitudo est, examinatos eos igni, sicut examinatur argentum ? Et, ut arbitror, examinandi argenti illa sola ratio est, ut sordes quæ ex prima terræ[f] materie adhæserint decoquantur, ut quæ fraudulenter ex alterius metalli natura admixta fuerint purgentur. Deus itaque credentes in se non tamquam fidei eorum ignarus examinat : sed quia etiam secundùm Apostolum tentatio probationem affert, examinantur credentes non ad cognitionem Dei, sed ad sui probationem : ut igne purgati, & ab admixtione vitiorum carnalium defæcati, splendeant examinatæ innocentiæ claritate.

Examinat Deus ut probet, non ut cognoscat suos. Rom. 5. 4.

Martyrum pœnæ & victoriæ.

21. Tentationum autem genera & diversas Martyrum victorias contuentes, scimus quibus modis anima ponatur in vitam, cujus contemtu desævientibus[g] pœnarum ingeniis, à fidei gressu & testimonio non moventur. Alii enim in vinculis carcerum gloriantur, alii cæsi in verberibus gratulantur, alii potestati irreligiosorum desecanda felicium capitum colla submittunt : plures in exstructos rogos currunt, & trepidantibus pœnæ ministris, ignem saltu devotæ festinationis insiliunt : alii in profundum demergendi, non in aquas necaturas, sed in refrigerium æternæ beatitudi-

[a] Sic mſ. Reg. juxta græc. *παρωργίσατε*. At excusi, *in iracundiam provocasti*. Vulgata nostra, *blasphemaverunt*.
[b] Par. ex mſ. Mic. *perturbatis*.
[c] Er. & Lipſ. *ἀκουστίσατε*. Par. *ἀκουσήσατε*. Restituimus ex Reg. mſ. juxta castigatiora Psalmorum exemplaria græca, *ἀκουτίσατε*, ab *ἀκουτίζω* : quod verbum his duobus, *ἀκουστὴν ποιήσατε*, Symmachus expressit, ac deinde totidem, scil. *auditam facite*, Vulgata nostra reddidit, Hilario quidem non ita, sed certè quantum ad hunc locum jam approbata.
[d] In mſ. Reg. desideratur *& perseverantiam*.
[e] Sic mſſ. constanter juxta græcum, ubi in vulgatis, *anima una & cor unum*.
[f] Mendosè in vulgatis, *materia*.
[g] Id est, pœnis ingeniosè excogitatis. Sic rursum in Psal. 118. lit. 18. n. 9. *Mortes non dico inferantur, sed cum pœnarum ingeniis innoventur.* Eo fere modo Plinius junior in Paneg. *ingenium cœna* vocat cœnam ingeniosè exquisitam.

nis decidunt, toto ipso se corpore Deo hostiam tamquam holocausta præbentes.

Has prævidit David.

22. Percurrit ergo per hæc passionum genera ex persona Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum propheticus sermo, dicens, *Igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum.* ℣. 11. * *Induxisti nos in laqueum*, id est, in custodiæ catenas. *Posuisti tribulationes in dorsum nostrum*, ℣. 12. pœnas scilicet verberum, quibus cum Apostolis Petrus gaudet, & Paulus exsultat. *Imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem & aquam.* Gloriosas videlicet Martyrum mortes commemorat, gladii, ignis, profundi. Sed qui transit per ignem & aquam, non in his aboletur, sed in aliud per illa transducitur. Et quò transducatur Propheta non nescit, dicens, *Et eduxisti nos in refrigerium.* Hujus refrigerii & in loco alio meminit, dicens, Psal. 114. 7. &c. Convertere anima mea in requiem » tuam, quia Dominus benefecit mihi. Eripuit » animam meam de morte, oculos meos de la- » crymis, pedes meos de lapsu. Bene placebo » Domino in regione viventium: animam videlicet suam in requiem beatæ illius resurrectionis hortatus, in qua post mortis istius tempus omni humanarum calamitatum labe detersa, non doletur, non fletur, non peccatur, sed vivitur. In hujus igitur beatitudinis per ignem & aquam refrigerium educti sunt.

Quòd aqua, ignis & refrigerium spiritaliter intelligantur.

23. Et ne aut pertranseuntis aquas natatus, aut transilientis ignem saltus, aut introductio in refrigerium communis alicujus & terreni loci requies significari existimaretur; adjecit, ℣. 13. *Introibo in domum tuam in holocaustis.* Holocausta sunt integra hostiarum corpora: quæ quia tota ad ignem sacrificii deferebantur, holocausta sunt nuncupata. Per hæc igitur genera pœnarum, Martyres in fidei testimonium corpora sua holocausta voverunt: ut in Dei domum, id est, in [a] cælestis domicilii habitationem consummatis hostiarum suarum sacrificiis introirent.

Martyres & se & eos Deo vovent, qui ipsos imitaturi sunt.

24. Sed quid tandem in hac corporum suorum oblatione voverunt? Scilicet ut per hæc martyrii sui exempla gentes ad spem regni æterni erudirent. Qui enim tum Christum prædicabant, non sibi quibus tum erat cognitus, sed nobis qui futuri adhuc eramus, vel quibus tum erat incognitus, prædicabant. Quæ eorum prædicatio [b] omnis posteritatis fidem ad martyrii desiderium accendit. Non enim causâ aliâ prædicabant, nisi ut fidei suæ & martyrii exemplo plures martyres erudirent. Quod Paulus docuit, dicens, Ephes. 3. 1. Ego Paulus vinctus Christi Jesu pro vobis gentibus. Atque ob id in hujus prædicationis fructu Deo se vota reddere confitentur, dicentes, *Reddam tibi vota mea*, * *quæ distinxerunt labia mea.* ℣. 14. *Et locutum est os meum in tribulatione mea*, * *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso & arietibus, offeram tibi boves cum hircis.* ℣. 15. An ignorat Propheta ex persona Dei in Spiritu se locutum, Non accipiam de domo tua vitulos, Psal. 49. 9. neque de gregibus tuis hircos? &, Numquid Ibid. 13. manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? & rursum, Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis? Psal. 50. 18. Cesset igitur opinionis nostræ error, ut hæc vovisse Martyres existimemus. Sed in martyriis posterorum reddunt Deo quæ locuti sunt vota, ipsi quidem se primùm Deo voventes, & se ipsos holocausta præbentes: quia in his domum Dei introibunt, in passionum suarum tribulationibus Pauli voce clamantes, Quis nos separabit à caritate Rom. 8. 35. Dei? tribulatio, an angustia, an persecutio, « an fames, an nuditas, an periculum? &, « Confido quòd neque mors, neque vita, neque Ibid. 38. præsentia, neque futura, neque creatura alia « poterit nos separare à caritate Dei, quæ est « in Christo Jesu. » Hæc ergo in tribulatione [c] primùm beatorum Martyrum vota sunt, quæ in tribulationibus suis loquuntur & spondent: tum deinde, ut ex nobis holocausta medullata consumment. *Medullata* ob id, quia fides animæ & cordis officium est, resque hæc voluntatis internæ est.

Fides animæ & cordis officium.

Cum incenso quoque arietes offeruntur. Quid autem sit incensum, ita hoc eodem psalmorum libro docemur *: Fiat oratio mea tamquam incensum in conspectu tuo; in incenso, orationes intelligendas esse significans.

Incensum. * subaud. cùm ait. Psal. 140. 2.

Qui verò sub arietum nomine ostendantur, anterior psalmus ostendit, cùm ait, Induti sunt arietes ovium: Psal. 64. 14. in his enim tamquam in principibus gregum significat sacerdotes, quos doctrinæ apostolicæ eruditio cum orationum odore (Bonus enim, secundùm Apostolum, in Christo odor sumus) 2. Cor. 2. 15. ad martyrii studium prosequitur.

Arietes.

Non solùm autem arietes cum incenso offeruntur, sed etiam boves offeruntur, id est, contumacis naturæ pecora in culturam Dei mitigantur, in hoc martyrium Christi nominis doctrinis apostolicis edomita.

Boves.

25. In eo autem quod dicitur, *Offeram tibi boves cum hircis*, virtutem verbi ex hebræo in græcum demutati latinus sermo non tenuit. Nam quod nobiscum est, *offeram tibi boves cum hircis*; cum illis ita habetur, [d] ἀνοίσω σοι βόας μετὰ χειμάῤῥων. Χείμαῤῥοι cum Græcis non proprium, sed appellativum nomen hircorum est,

Hirci.

[a] Jam in Psal. 58. n. 6. observavimus innui, cæli ingressum Stephano post mortem patuisse. Idipsum hîc de Martyribus ceteris disertiùs prædicatur. Quid enim *cælestis domicilii habitatio*, nisi cæli possessio? quæ si Martyribus consummatis hostiarum suarum sacrificiis concedatur, necesse est non differatur diu post mortem, per quam vitæ ac corporis sui sacrificia consummant.

[b] Reg. ms. *omnem posteritatis fidem.*

[c] Ita cum ms. Reg. editio Bad. At Er. Lips. & Par. *prima.*

[d] Verba græca in Badii editione omissa Erasmus, cùm sibi deessent horum Tractatuum exemplaria mss. ex vulgatis bibliis græcis utcumque supplevit, ex quibus hîc posuit μετὰ χιμάρων, omisso subsequente vocabulo χίμαῤῥοι. Ex Regii codicis valde deformibus litteris, ut pote exaratis à viro legendi ac scribendi græcè prorsus imperito, totum hunc locum, quoad potest, resarcimus. Ac primùm ex eo, loco χιμάρων, ponimus χειμάῤῥων, à vocabulo χίμαροι seu χίμας *hiems*; maximè cùm subjiciat Hilarius eodem vocabulo torrentes hiemalibus pluviis auctos significari: qui certè χίμαρροι, non χίμαροι enuntiantur. Deinde ex eodem ms. adjicimus χίμαῤῥοι, cui vocabulo aliquot characteres præfiguntur, ex quibus conjectamus, immo propè constat, legendum esse, *ὁ χίμας* [illegible] *μαῤῥοι cum græcis* &c.

& eorum maximè qui in ipso hiemis tempore A editi sint. Et Scriptura hoc in loco tantùm χειμάῤῥȣς nuncupavit; ceteris autem locis τράγȣς, quos nos hircos dicimus, [a] posuit. Confirmat autem spiritalis intelligentiæ sensum aliorum consonans sibi & concors translatio, [b] qui pro χειμάῤῥοις, τράγȣς χȣμείȣς transtulerunt. τράγοι χȣμειοι autem significantur, qui ex ipso tempore editi sunt; χείμαῤῥοι autem, quos hiems genuit: unde & torrentes eodem vocabulo græcitas nuncupat, quos ex nihilo in flu- B vios hiems auxerit.

26. Ergo cùm ait βόας [c] μετὰ χιμάρων, non de pecudibus se loqui propheticus sermo demonstrat, sed in bubus Ecclesiæ se homines ostendere, in χειμάῤῥοις autem, eos quos ipsa persecutionis tempestas [d] in martyrii gloria genuerit. *Martyrum exemplo martyrium subiere fidei ignari.* Scimus enim plures sacramentorum divinorum ignaros, exemplo Martyrum ad martyrium cucurrisse: & extra scientiam fidei antè viventes, facto fidei præsentis edoctos, ipsam C illam consummatæ in martyrio fidei gloriam consecutos. Qualis fuit ille qui Dominum in ipsa sua damnatione confessus est, dicens, Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum. *Luc. 23. 42.* Qui mox tale martyrii hujus à Domino munus accepit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. *Ibid. 43.* Hujus * igitur similes apostolicæ doctrinæ eruditio Deo offert, cum hominibus diuturnæ frugiferæque culturæ, sub ipsa desævientis hiemis [e] tempestate progenitos. Di- D cente autem Deo, *Esa. 1. 11. &c.* Quò mihi multitudinem hostiarum vestrarum? Plenus sum. Holocausta arietum & adipem agnorum & sanguinem taurorum & hircorum nolo. Quis enim hæc exquisivit de manibus vestris? superfluum est existimare, in bubus & hircis tamquam perfecta sollemniorum vota placuisse.

** supple, latronis.*

27. *Diapsalma.* Demutat ut in ceteris interjectio diapsalmæ personam atque sensum, doctrinæ tamen ordine non dissidente. Postea enim quàm E ex persona Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Prophetarum ostenderat, quibus modis anima ejus posita esset in vitam, id est, per passionum pœnas atque mortes, per quas in locum beatitudinis transisset reddens in holocaustis Deo vota: post hunc ergo sermonem, quem omnem ad Deum habuerat, eos nunc quos ad holocaustorum sollemnia erudierat affatur, dicens, ℣. 16. *Venite & audite, & enarrabo vobis omnes qui timetis Deum.* *Piis refert David sibi à Deo indulta,* Advo- F cat non incertos neque ad incerta. Nam qui sint quos advocet, docet, *Omnes qui timetis Deum*: irreligiosis enim neque adeundi, neque audiendi voluntas est. Dehinc quid enarraturus sit significat, *Quanta fecit animæ meæ.* Hanc enim posuit in vitam, hanc in refrigerium induxit, hæc in holocaustis domum Dei introibit.

28. Sed ut hæc animæ fierent, ex causis meruit ut fierent. *quæ oris & cordis clamore meruit.* Quibus verò causis meruit, edicit: ℣. 17. *Ad ipsum clamavi ore meo.* Meruit ergo bona animæ, quia ad eum ore clamavit. Sed clamor oris plerumque mendax est: & non semper verborum sonus affectum mentis enuntiat. Sequi ergo clamorem oris debet & sensus: & secutus est. Nam Propheta connexuit, *Et exaltavi sub lingua mea*: non in lingua, sed *sub lingua*: in occultis scilicet linguæ, & quodam intra se tacitæ voluntatis eloquio. Quod idipsum in Evangeliis Domino placuit dicenti, *Matth. 6. 6.* Intra in cubiculum tuum, & claude ostium tuum, & ora: & pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. Ergo nunc qui ore clamatus est, exaltatur sub lingua Deus.

29. *Meruit & ob cordis puritatem.* Sed qui sub lingua exaltatur, omni cordis puritate venerandus est: nec sufficit non egisse aliquid impium, si mente cogitatur impietas. Ab eo autem qui sub lingua exaltet Deum, hanc impietatis cogitationem abesse oportere Propheta docuit, dicens, ℣. 18. *Injustitiam si conspexi in corde meo, [f] non exaudiat Deus.* ℣. 19. * *Propterea exaudivit me Deus, & intendit voci orationis meæ.* Iniquitatem non modò re non effecit, sed nec corde conspexit. Vel certè iniquitatem non conspexit in corde, nullum scilicet vitium iniquæ suæ voluntatis in corde suo contuens: & ob id dignus audiri. In vitam enim ejus anima posita est, pedesque ejus non commoti sunt, & in refrigerium inductus est, & domum Dei [g] introibit, & quæ distinxerat labiis vota persolvit Deo. Honoris & gloriæ confessione subnixus, ait, ℣. 20. *Benedictus Deus, qui non amovit deprecationem meam, & misericordiam suam à me*, laudem Dei cœptam in exordio psalmi, in fine confessus, cui gloria est in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXVI.

*In finem * hymnus Psalmus cantici David.* ** f. in hymnis.*

DEUS misereatur nobis, & benedicat nos: inluminet vultum suum super nos, & misereatur nobis. DIAPSALMA. *Ut cognoscamus in terra viam tuam,*

[a] In Regio codice hîc latinis litteris verbum *tragos* repetitur, sicut & paulò antè vox χιμάῤῥȣς latinis & græcis characteribus exprimitur.

[b] Editi post Erasmum, *qui pro* χιμάρȣς τράγȣς *transtulerunt.* τράγοι *autem significantur* ..... χίμαροι *autem* &c. restaurantur ex ms. Reg. in quo tamen χȣμείμȣς aut χȣμειάλȣς ac deinde χȣμειμοι potiùs exhibetur quàm χȣμείȣς ac χȣμειοι. Verùm illud constat, vocabulum hoc à verbo χȣμερος, quod est *tempestas*, originem ducere. Hujus porro translationis, cujus hîc Hilarius mentionem facit, vestigia nobis non licuit apud veteres deprehendere.

[c] Verba μετὰ χιμάρων in priùs vulgaris omissa restituimus ex dicto codice Regio, cujus scribendi rationem, etsi superioribus non consentientem, retinemus.

[d] Par. ex ms. Mic. *per martyrii gloriam.* Editiones aliæ, *in martyrii gloriam.* Reponimus ex ms. Reg. *in martyrii gloria*, quamvis ex aliis lectionibus nulla displiceat. Vult Hilarius bobus significari homines in Ecclesiæ sinu natos, χειμάῤῥοις autem eos qui primùm extra Ecclesiam nati, martyrum exemplo fidem amplectentes ac publicè profitentes, martyrii gloriam continuò assequantur.

[e] Apud Par. *potestate.*

[f] Ita cum Theodoreto & LXX. Reg. ms. At vulgati *non exaudiet.*

[g] Excusi hîc, *introivit*: superiùs autem ad calcem n. 27. *domum Dei introibit.* Utroque loco mss. habent, *introibit.* An utroque legendum *introivit*?

in omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exsultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra * *deduces.* DIAPSALMA. *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum. Benedicat nos Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.*

* Hil. diriges.

TRACTATUS PSALMI.

ỷ. 1.

Qui in eo psalmo loquantur.

1. PSALMUS brevis est, & evangelica prædicatione absolutus. Nam & *in finem* est, & *Psalmus cantici* est: per quod confessio per scientiam gerendorum, & per doctrinam proficientia gesta cantantur. Et principium ejus unde oportuit sumtum est. Est autem omnis in eo sermo vel Prophetarum, vel Apostolorum: quorum alii venturum in corpore unigenitum Deum, alii venisse docuerunt, sancto Spiritu illuminati, & honore gloriæ cælestis expleti. Oratio ergo eorum in psalmi exordio esse noscenda est.

ỷ. 2.

Peccatorum remissio est gratuita.

2. *Deus misereatur nobis, & benedicat nos; illuminet vultum suum super nos, & misereatur nobis.* Secundùm doctrinæ ordinem, primùm misericordia Dei poscitur. Ex copia enim bonitatis suæ misericordiam [a] in peccatorum remissione largitur: & peccatorum remissio non probitatis est meritum, sed spontaneæ indulgentiæ voluntas, ex bonitatis divitiis ad miserandi munus exuberans. Ergo qui misericors est, ut benedicat oratur. Et benedictionis quidem fructum jam in exordio formati hominis cognovimus, cùm talis ad Adam tum adhuc peccati nescium sermo est: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & dominamini ejus. Ista quidem quamvis corporaliter tantùm dicta plerique arbitrentur; tamen spiritali doctrina eruditis plus de se virtutis præbuerunt. Hæc enim benedictio [b] non creationis tantùm corporalium successionum Adæ largita est. Quamvis enim fecundæ ejus soboles futuræ essent, tamen terram implere non poterant: quæ pro copia hominum licèt habitetur, non tamen adimpletur. Verùm terram corporis nostri impleri doctrinis spiritalibus voluit, & multiplicari & crescere [c] scientiâ Dei. Per Adam enim atque in ipso Adam, qui primus opus Dei fuerat, oportuerat cognitionem Dei inchoari: sed eo peccatis coinquinato, benedictionis istius fructum Prophe- A tæ sibi atque Apostoli deprecantur. Quem beatus Apostolus consequutus, ita de se gloriatur: Benedictus Deus, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo. Hi ergo crescunt, multiplicantur, replentur, qui in Christo cælestes sunt: & benedicti sunt, qui spiritali benedictione in cælestibus benedicuntur. Et videamus an benedictionis istius fructum præsentis psalmi oratio deprecetur.

Gen. 1. 28.

Benedictio Adæ data non solam spectat propagationem carnalem.

Quamnam sibi rogent Prophetæ & Apostoli.

Ephes. 1. 3.

B 3. Post misericordiam enim & benedictionem id sequitur, *Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nobis.* Benedictione Dei opus est, ut nos vultus ejus illuminet, ut tenebrosa corda nostra cognitionis suæ lumen irradiet, ut majestatis suæ Spiritus [d] lucem obscuratis intelligentiæ nostræ sensibus tribuat; & gloriari deinceps liceat, dicentes, Designatum est super nos lumen vultus tui Domine. Hanc autem illuminationem vultus sui super nos C misericordia ipsius, quæ in peccati * remissione in nobis est cœpta, largitur. In quem autem profectum illuminationem vultûs Dei super se precentur, sermo consequens docet.

Lux nostra Dei munus.

Psal. 4. 7.

Ejus initium.

* Reg. ms. remissionem.

4. DIAPSALMA. *Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.* Interjectio diapsalmi, etsi conversionem personæ [e] non attulit, sensum tamen demutavit. Nunc enim sermo est ad eum qui nunc usque fuerat in votis. Quod autem in latinis libris D ita scribitur, *Ut cognoscamus in terra viam tuam*, in græcis ita est, τοῦ γνῶναι ἐν τῇ γῇ τὴν ὁδόν σου. [f] Inter γνῶναι & *cognoscamus*, id differt, quòd sine personæ definitione est γνῶναι; *cognoscamus* autem, ipsos eos qui hæc loquuntur ostendit. Ergo secundùm veram illam græcitatis translationem, illuminari se Dei vultu ob id deprecantur, ut cognita fiat in terra Dei via, quæ est doctrina vitæ religiosæ. Per eam enim ad Deum pergitur. Religiosæ autem viæ do- E ctrina Christus est, quam se esse in Evangeliis ostendit, dicens, Ego sum veritas, via & vita; & rursùm, Nemo ad Patrem vadit, nisi per me. Et hunc esse viam, ipse ille connexus sibi psalmi sermo testatur. Quæ *in terra*, id est, vel ex terra ortis, vel terram inhabitantibus cognoscibilis, & nota præstanda est. *Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.* [g] Jesum salutarem dici, ipse ille proprietatis sermo loquitur. Nam quod F nobiscum *salutare* est, id apud Hebræum Jesus est. Confirmat autem istud Angelus ad Joseph de Maria loquens, Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum: quia ipse salvum faciet populum suum à peccatis [h]. Jesum itaque ostendit Angelus idcirco, quia salutaris esset populo, nuncupandum. Tantæ

Notitia viæ Dei Gentibus oratur. ỷ. 3.

Via Dei Christus.

Johan. 14. 6.

Ibidem.

Salutaris Jesus est.

Matth. 1. 21.

---

[a] Excusi, *in peccatorum remissionem.*

[b] Reg. ms. *concreationis*, Mic. *congregationes*, loco *non creationis.*

[c] Par. *crescentia Dei*: renitentibus aliis editis & mss.

[d] Editi, *lucem obscuritatis*: emendantur ex Reg. ms.

[e] In vulgatis hîc desideratur particula negans, quæ ab Erasmo ante verbum *demutavit* adjecta, deinceps obtinuit. Ex qua lectione efficiebatur, hîc mutationem esse personæ non sensûs, cùm prædicet Hilarius conversionem esse sensûs non personæ. Nam & ad Deum, ad quem cœpit sermo, deinceps continuatur; & ut ait n. 1. *omnis in eo* psalmo *sermo vel Prophetarum vel Apostolorum* est. Eo autem demutatur sensus, quòd qui priùs sibi, nunc aliis deprecari incipiant, maximè secundùm vim sermonis græci, ex quo mallet Hilarius translatum esse *ut cognita fiat*, quàm *ut cognoscamus*. Veram lectionem exhibuit ms. Reg.

[f] Restituimus ex Reg. ms. *inter* γνῶναι, quod in antè excusis desiderabatur.

[g] Excusi, *Jesum salr[illegible]re ac salutarem dici.*

[h] Iterum hîc in vu[illegible]tis subjicitur *eorum*: quam vocem à sincerioribus mss. abe[illegible] jam observatum est in Ps. 51. n. 24.

ergo prædicationi ſe impares eſſe niſi illuminentur oſtendunt : niſi quodam vultûs Domi-
Matth. 5. 14. Johan. 1. 9. ni ſplendore luceſcant. Sunt enim & ipſi ſecundùm Evangelium lumen mundi (Dominus autem ipſe lux vera eſt) à luce illuminati, ut lumen eſſent Apoſtoli & Prophetæ. Ceterùm ſuperfluum eſt ideo illuminari ſe velle, ut cognoſcant ea de quibus quaſi cognitis prædicabant.

Unde gentibus lætitia.

5. Hanc autem omnem propheticam atque apoſtolicam doctrinam neceſſe eſt confeſſio B populorum, & remiſſorum peccatorum lætitia conſequatur. Neque ſolùm peccatorum remiſſorum : ſed quòd eum, qui peccata remiſerit, æquitatis futurum judicem ſciant, quòd per eum in viam vitæ omnes gentes terram inhabitantes dirigantur, relicto idolorum errore ad cognitionem Dei eruditæ. Idcirco hæc
ỳ. 4. ſequuntur : *Confiteantur tibi populi Deus, confi-*
ỳ. 5. *teantur tibi populi omnes.* * *Lætentur & exſultent*
a *gentes ; quoniam* [a] *judicabis populos in æquitate, &* C
gentes in terra diriges. Cùm confitentur populi, deſignari videntur ex tribubus duodecim vel credentes vel credituri. Cùm confitentur omnes populi, exceptio nulla fit gentium. Cùm lætantur & exſultant gentes, quoniam judicabit populos in æquitate, & gentes in terram diriget, cauſa lætitiæ ex ſpe judicii æterni, & directarum in viam vitæ gentium prædicatur.

6. Interjectio diapſalmi videtur hìc nihil innovaſſe, cùm præſertim ſub iiſdem verbis D
ỳ. 6. ſenſus iteratus ſit : *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.* Sed cùm adjici-
ỳ. 7. tur, *Terra dedit fructum ſuum*, intelligitur non ex nihilo eorumdem verborum facta eſſe repetitio ; ſi tamen idipſum ſub iiſdem verbis ſi-
Confeſſio duplex. gnificatum intelligere debeamus. Invenimus enim confeſſionem duplici ratione tractandam
b eſſe : unam [b] confeſſionem peccatorum, ubi in deſerto Jordanis confitebantur peccata ſua eſſe : aliam laudationis Dei, ubi Dominus lo- E
c quitur ad Patrem, [c] Confiteor tibi Domine
Matth. 11. 25. pater cæli & terræ, quoniam abſcondiſti hæc
» à ſapientibus, & revelaſti ea parvulis. Prima ergo illa & ſuperior confeſſio peccatorum eſſe credenda eſt, maximè quæ prædicationi propheticæ atque apoſtolicæ connectitur : ſequens hæc laudationis Dei intelligenda eſt populorum, deinde omnium, id eſt, gentium univerſarum ; & ob id, quia terra fructum ſuum dederit.

Fructus terræ proprius

7. Sed quærendum eſt quem fructum terra F dederit, ob quem populi omnes Deum laudent. Cauſa quidem Deo debitæ laudationis æterna eſt, quòd corporales hos & nobis neceſſarios fructus terra ſuppeditet : ſed terræ non ſunt. Aut enim noſtri ſunt quibus præbentur, aut Dei ſunt per quem miniſtrantur. Requiramus ergo quos fructus terra & habuerit, & amiſerit. Per id autem quod amiſit, A oſtendemus habuiſſe. Adæ terram meminimus poſt peccatum datarum ſibi benedictionum honore fuiſſe ſpoliatam. Ipſi enim dictum eſt, Quoniam terra es, & in terram ibis. Ergo quia terra eſt, * hac poſt peccatum maledictione damnatur : Maledicta terra in operibus tuis, in doloribus edes eam omnibus diebus « vitæ tuæ, ſpinas & tribulos generabit tibi. « Terræ elementum extra crimen fuit : caret ergo maledictione, quod carebat & crimine. B Verùm hìc Adæ terra, quæ per illecebram cibi erat criminoſa, maledicitur. Hæc ergo ab eo omnibus præſentis vitæ mæroribus conſumitur, & ægritudinum doloribus editur omnibus, in ſpinis & tribulis vitiorum & cupiditatum aculeis compuncta. Omnis ergo terreno Adæ ſimilis, hos maledictos fructus terræ ſuæ reddit. Ceterùm qui jam cæleſti Adæ configuratur, habet innocentem terræ ſuæ fructum, primùm Dei cognitione locupletem ; C dehinc caſtitatis, juſtitiæ, miſericordiæ operibus glorioſum, vetere homine cum vitiis & concupiſcentiis ejus exuto. Ob id ergo Deo eſt reddenda confeſſio, quòd terra fructum ſuum dederit. *Suum* : quia eum Adam cùm habuiſſet, amiſerat. Dedit ergo quod ſuum eſt, id eſt, fructum, qui ei & in cognitione Dei eſt, exhibuit in ipſo illo primùm Domino noſtro, qui terrenum corpus aſſumſit nihil peccans.

per primum Adam amiſſus. Gen. 3. 19. * mſ. Reg. hæc. Ibid. 17. per ſecundum redditus.

D 8. Ob quæ demonſtranda & docenda, rurſum benedictionis Dei munus oratur, cùm dicitur, *Benedicat nos Deus.* Ac ne de incerto & incognito Deo ſperari benedictio exiſtimaretur ; adjectum eſt, *Deus noſter* : Patriarcharum ſcilicet & Prophetarum, & Apoſtolis ipſis tamquam ſucceſſionis hereditate [d] jam proprius : in quibus fructum ſuum dedit terra, continentiæ & fidei & juſtitiæ & miſericordiæ, quin etiam inter ipſos ſæviſſimarum perſecutionum cruciatus atque mortes, ipſo jam E divini nominis devota martyrio.

Deus Patriarcharum qualis hereditate jam noſter. d

9. Repetitur deinde benedictionis oratio, ỳ. 8.
cùm dicitur, *Benedicat nos Deus.* Non ex nihilo iterantur hæc vota : ſed ut per benedictionem Dei augeſcente doctrinâ Deum omnes terræ fines timeant. Ait enim : *Et metuant eum omnes fines terræ.* Metuant ergo omnes fines terræ Deum, ſed Deum noſtrum, ſed Deum benedicentem. Non eſt minimum offi- F cium fidei, metus. Nam inter præcipua ſpiritalium gratiarum dona numeratur, cùm dicitur per Eſaiam, Et [e] replevit eum ſpiritus timoris Dei. Et per Salomonem : Initium ſapientiæ timor Domini eſt. Beatus cui provenerit timere non ex naturæ humanæ trepidatione, ſed ex cognitione rationis. Qui enim ex infirmitate in rebus trepidis metuit, hic in ſecundis rebus rurſum ex naturæ vitio inſoleſcit. At qui ex ſcientia timet, ſemper

Timor Dei. Eſai. 11. 2. e Eccli. 1. 16. Qualis eſſe debeat.

[a] Reg. mſ. *judicas.* Mox juxta græcum *in terra*, non *in terram.* At ſubnexæ enarrationi magis conſentit lectio vulgata.
[b] Bad. Er. Lipſ. & mſ. Reg. *confeſſorum peccatorum.*
[c] Par. ex mſ. Mic. *confitebor*, quod & Regius videtur habuiſſe.
[d] Apud Par. *jam proximis* : malè.
[e] Bad. Er. & Lipſ. *replebit eum* : conſentientibus LXX. ſed diſſidentibus mſſ. Tum editio Par. *ſpiritu timoris Domini.* Quæ deinde ſequitur ſententia Salomonis nomine laudata ; ex ipſo verborum ordine judicatur non ex Prov. 1. 7. ſed ex Eccleſiaſtico eſſe petita. Sed & in Pſal. 140. n. 4. & cap. 7. in Matth. Eccleſiaſtici liber Salomoni nuncupatur.

timet, neque minùs secunda quàm adversa formidat. Sumit igitur originem sapientia ex timore, res utiles atque probabiles exsequendo, quæ propriæ peculiaresque sapientiæ sunt. Hunc ergo Dei timorem omnibus terræ finibus Propheta optat: ut nulla gens terram incolens extra metum ejus sit, Apostolo voti ipsius summam explicante, cùm dicit, Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris; qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Philip. 2. 11.

PSALMUS LXVII.

In finem ipsi David Psalmus cantici.

*EXSURGAT Deus, & dissipentur inimici ejus: & fugiant odientes eum à facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant; sicut liquefit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Et justi lætentur lætitiâ: exsultent in conspectu Dei, epulentur in lætitia. Cantate Deo, psallite nomini ejus, iter facite ei qui adscendit super occasum; Dominus nomen est illi; & exsultate in conspectu ejus. Turbabuntur à facie ejus, patris orphanorum & judicis viduarum. Deus in loco sancto suo: Deus inhabitare facit unimores in domo. Educens vinctos in fortitudine, similiter eos qui * exacerbant, qui inhabitant in sepulcris. Deus dum egredereris coram populo tuo, dum transgredereris in desertum, terra mota est. Etenim cæli distillaverunt à facie Dei, mons Sina à facie Dei Israel. Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ: & infirmata est, tu verò perfecisti eam. Animalia tua habitabunt in ea: parasti * in dulcedinem tuam pauperi Deus. Dominus Deus dabit verbum evangelizantibus virtutibus multis: rex virtutum dilecti: & pulcritudini domûs dividere spolia. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: & posteriora dorsi ejus in viriditate auri. Dum discernit cælestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons uber, mons consecratus, mons pinguis: ut quid * suscipitis montes caseatos? Mons in quo beneplacitum est Deo habitare: in eo etenim Dominus habitabit usque in finem. Currus Dei decem millium multiplex, millia lætantium: Dominus in* A *illis in Sina in sancto, adscendit in altum, cepit captivitatem, dedit dona in hominibus. Etenim non credentes inhabitare * Dominum Deum. Dominus Deus benedictus de die in diem, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Deus noster Deus salvos faciendi: & Domini * Domini exitus mortis. Verumtamen conquassabit capita inimicorum* B *suorum: verticem capilli * deambulant in delictis suis. Dixit Dominus, Ex Basan convertar * in profundum maris: ut intinguatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Visa sunt itinera tua, Deus, itinera Dei mei, regis qui est in sancto. Prævenerunt principes conjuncti psallentibus: in medio ju*C*venum tympanistriarum. In ecclesiis benedicite Dominum Deum de fontibus Israel. Ibi Benjamin junior in pavore, principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephtalim. Manda Deus * virtutis tuæ: confirma Deus quod operatus es in nobis. A templo tuo in Jerusalem, tibi * offerent reges munera. Increpa feras* D *silvæ, concilium taurorum inter vaccas populorum: ut * excludantur hi qui probati sunt argento. Dissipa gentes quæ * bella volunt. Venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo. Regna terræ cantate * Domino, & psallite Domino. Psallite Deo * nostro, qui adscendit super cælum cæli ad Orientem. Ecce* E *dabit vocem suam vocem virtutis: date gloriam Deo. Super Israel magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus. Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus est.*

* al. exacerbabant.

* Hilarius, in dulcedine tua pauperi sine Deus.

* Hil. suscepistis.

* Hil. omittit *Dominum Deum.*

* Hil. non repetit *Domini.*

* infrà, *deambulantium.*

* infrà rursum, *convertar.*

* infrà, *virtuti.*

* Hil. *afferent.*

* Hil. hîc addit *non.*

* Hil. *bellum.*

* infrà, *Deo.*

* infrà abest *nostro.*

F

TRACTATUS PSALMI.

1. PSALMUS non à David, sed *illi David in finem* præscribitur. Deinde non Canticum psalmi, sed *Psalmus* est *cantici*: ut in eo cognitionis & scientiæ propheticæ enuntiatio doceretur. Est autem totus ipse sacramentis Legis Evangeliorumque contextus, magnâque & ex præteritis & ex G futuris allegoricorum dictorum interpretatione confertus: qui & legis latæ in se doctrinam contineat, & assumtæ à Domino carnis afferat notionem, & impietatem populi anterioris exprobret, & futuræ cognitionis nostræ

Psalmus hic totus ex veteris ac novæ legis sacramentis contextus.

fidem nuntiet, & Domini super cælos complectatur adscensum, & futuri regni ejus gloriam comprehendat. Initium autem ex eo sumsit Propheta, in quo salutis nostræ [a] consistit effectus. Cœpit enim ita.

℣. 2. — Optatur resurrectio Christi, — Coloss. 2. 15.

2. *Exsurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant odientes eum à facie ejus.* [b] Sermo votorum est, non ex incerto poscentis, sed ex cognitione scientiâque sperantis. Resurrectionis enim nunc in Deo tempus optatur: cùm de peccato peccatum in carne condemnans, potestates hujus mundi ostentui fecit, cum fiducia [c] triumphatis his in semetipso. Venit enim mundum vincere, & principem mundi cum peccati lege configere, & decretum mortis, peccati remissione delere. Hanc igitur Propheta fugam horum inimicorum ejus exspectat. Neque enim resurgentis ex mortuis occursum ejus potuit hæc [d] odientium eum turba dæmonum ferre; cùm [e] ad primam apostolicæ fidei post subjectas his spiritales nequitias potestatem cecidisse de cælo satanam modo sit fulguris prædicatum, & princeps mundi in passione sit judicatus. Sed fugientes à facie Dei, trepidationem suam quidem dum fugiunt ostendunt; evadere tamen faciem Dei, quamquam fugiant, non possunt. Nam & trepidationem earumdem nequitiarum spiritalium psalmo anteriore declarat, dicens, Misit sagittas suas, & dissipavit eos; & fulgura multiplicavit, & conturbavit eos. Conturbantur itaque, & fugiunt dissipati. Verùm Dei vultûs non effugiunt potestatem, secundùm illud, Adscendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus [f] exardescet, carbones succensi sunt ab eo. Horum itaque inimicorum fugam, hæc & interitûs & judicii [g] pœna consequitur.

(Margin: ac per eam fuga dæmonum. — Luc. 10. 18. — Johan. 12. 31. — Psal. 17. 15. — Pœna dæmonum. — Ibid. 9.)

℣. 3.

3. Et sanè idem nunc qui in anteriore psalmo prophetiæ ordo distinguitur. Sequitur enim, *Sicut deficit fumus, deficiant; sicut liquefit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Fumus cùm emerserit, licèt globosus & crassus, tamen paulatim ita deficit aboleturque, ne exstet; sicut in conspectu ignis cera sic liquescit, ut non sit: fumo quidem in igne per levitatem sui tenuitatemque dilapso, cerâ autem vi & calore ignis absumtâ; quia [h] infirmis ipsa per sese, naturæ potioris diripiatur ardore: quem in modum omnis [i] iniquorum potestas à facie Dei, id est, Dei judicio deliquescit.

Lætitia justorum qualis. — ℣. 4.

4. Et hunc peccatorum à facie Dei interitum, necesse est ut justorum lætitia consequatur. Nam & continuò subjectum est, *Et justi lætentur lætitiâ.* [k] Æqua enim judicii cælestis & justa moderatio est, ut peccatores morte conficere, ita & justos lætitiâ munerari. Idipsum autem ad ostendendum judicii examen est consecutum: *Exsultent in conspectu Dei, epulentur in lætitia.* Mundo enim corde, secundùm evangelicæ benedictionis merita, conspectu Dei digni sunt. Verùm lætari in lætitia significationis est [l] altioris, causam scilicet perfectæ lætitiæ ostendens. Plerique enim in his quæ sibi sunt nocitura lætantur, ut gaudet lascivus in scortis, ut fur lætatur in furtis, ut unumquemque pro vitiis suis ea quæ exercet oblectant. Verùm qui in lætitia lætatur, causam lætitiæ [m] ex ipsius lætitiæ honesta utilique veritate suscipit. Et idcirco ait, *In lætitia lætentur*, quia in conspectu Dei exsultabunt: eam veræ exsultationis docens esse lætitiam, quæ conspectûs Dei jucunditate perfecta sit. Exsultationis autem hujus atque epulantium gaudia, ex quibus est [n] lætitia justorum, sanctus Moyses in divina illa Deuteronomii cantione ita meminit, dicens, Jucundamini cæli simul cum eo, & adorent eum omnes angeli Dei. Jucundamini gentes cum populo ejus, [o] & confortent eos omnes filii Dei. In hac itaque lætitia lætabuntur & justi, cælesti gaudio unanimes, exsultationis divinæ [p] societate lætantes.

(Margin: Matth. 5. 8. — Deut. 32. 43.)

℣. 5. — Hortatio plus valet, si ratio psallendi non silea[tur].

5. Ad cujus nos temporis gratulationem sub fidei evangelicæ confessione nunc Propheta advocat dicens, *Cantate Deo, psallite nomini ejus, iter facite ei qui adscendit super occasum; Dominus nomen est illi: & exsultate in conspectu ejus.* Adhortatio omnis licèt multùm ad quemdam impulsum & voluntatis nostræ proficiat & mentis, cùm ad aliquid optandum agendumque [q] conciliante casu vel illiciente deducimur: tamen si maximè adhortationis ipsius causa proposita sit, jam ratione animus ac viâ tamquam certissimo duce nititur. Ut nunc Propheta nos ad cantandum Deo psallendumque nomini ejus hortatus, ne quid fortè ambiguitatis relinqueret; & cui Deo, & cujus nomini psallendum esset, ostendit: ut jam non adhortatio adhibita, sed cognitio [r] percepta in Dei nos exsultatione & cantico collocaret.

[a] Reg. ms. *constitit.*

[b] Lips. & Par. *Summa votorum est:* refragantibus Bad. Er. & omnibus mss.

[c] Ita mss. hîc, ut & lib. 1. de Trin. n. 13. nec dissidet græcum θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ. Editi verò, *triumphans in semetipso.* Ac deinde Lips. & Par. *Venit enim in mundum*, addito *in.*

[d] Reg. ms. *odio habentium:* ex eodem codice deinde ponimus *ferre*, ubi in vulgatis *perferre.* Sic in Psal. 51. n. 24. Jesu nomen commendatur, *quod dæmones tremunt, & ferre non possunt.*

[e] Editi, *ad primam apostolicæ fidei vocem post subjectas hîc spiritalis nequitiæ potestates excidisse de cælo* &c. reluctantibus mss. & evangelicis dictis. Nempe allusio fit ad potestatem quam Christus mittens LXX. discipulos dedit eis in dæmonia. Videsis Lucæ 10.18.

[f] Reg. ms. *exardescit.* Nil immutandum, ut observatum est in Psal. 64. n. 7.

[g] Editio Par. *pœnam consequitur;* aliæ, *pœnæ consequentur:* emendantur ex mss.

[h] Editi, *infirma.* At mss. *infirmis* in re[cto] casu, subaud. *cera.*

[i] In ms. Mic. *inimicorum:* quod po[ssen]t referri ad superiora, *dissipentur inimici*, nisi propiora essent, *[sic] pereant peccatores.*

[k] Bad. *Et quia enim:* Exinde expuncto *quia* editiones ceteræ, *Etenim:* restaurantur ex mss.

[l] Reg. ms. *interioris:* non malè. Fortè legendum, *ulterioris.*

[m] Bad. *ex ipsis lætitiæ honestamen talique veritate* &c. Quod Erasmus in textu retinens ad marginem adscripsit, *Fortè, ex ipsis honestis mortalique.* Deinde Lipsius substituit, *ex ipsius honesta mentalique.* Veram lectionem exhibent mss.

[n] Ita codex Vatic. Alii verò, *lætitia justo.*

[o] Editi, *& confortentur omnes:* renitentibus mss. quos sequimur. Quamquam Hilarius lib. 4. de Trin. n. 31. locum hunc aliter referat, nimirum, *& honorificent eum omnes Angeli Dei.* In græco LXX. quibus cetera consentit hic locus, habemus, ἐνισχυσάτωσαν αὐτῷ, quomodo legit & Epiphan. hær. 69. n. 60.

[p] Editi, *societatem:* castigantur ex mss.

[q] Par. *conciliante ea.* Ex aliis edit. & ms. Reg. revocamus *conciliante casu:* ut casus opponatur rationi, quæ ut voluntatem moveat, per se majorem vim obtinet, quàm merus casus. Neque tamen priorem lectionem prorsus spernimus.

[r] In vulgatis *præcepta.* Veram lectionem debemus Regio ms.

6. Psallendum

Ratio cur psallendum Domino, illius de morte victoria.

6. Psallendum itaque ei, iterque ejus parandum est, *qui adscendit super occasum.* Occasu autem universa quæ veniunt in vitam intelliguntur aboleri. Abolitio autem omnium occidentium, secundùm humanam communemque opinionem, existimatur in morte. Ei ergo psallendum, ejusque iter nobis est præparandum, [a] qui occasum mortis adscenderit, id est, qui occasum omnem occasu ipso non detentus excesserit. Huic autem nomen est [b] Domino, qui se ex forma Dei exinaniens, & formam servi suscipiens, obedientem se usque ad mortem crucis egit. Propter quod eum exaltavit Deus, nomenque ei super omne nomen donavit, ut in ejus nomine genu cælestia ac terrestria flecterent & inferna: linguaque omnis confiteatur Dominum Jesum in gloria Dei patris. Adscendit ergo super occasum, cui nomen est Domino: idque quo occidunt universa transgrediens, legem mortis ex mortuis æternus egressus est. Huic itaque iter parandum est, secundùm illud, Parate vias Domini, rectas facite semitas ejus. Omnis vallis implebitur, & omnis collis humiliabitur. Parato itinere [c] nostro, id est, vitiorum infidelitatisque nostræ vel compressis tumoribus, vel elevata humilitate terrenæ [d] labis, initurus cum rectis æquitatis vitæque semitis in corda nostra descendet. In hujus itaque conspectu exsultabimus, cui iter [e] exæquatis & insolentiæ tumoribus & libidinum voraginibus sit parandum, & in quo nos resurgentes ex mortuis contuebimur. Super occasum enim nostræ mortis adscendit, [f] qui vitam nobis ex mortuis in se resurgente quæsivit. Hæc illa Apostolorum est lætitia, cùm eum post resurrectionem contemplantes contrectantesque viderunt.

Iter ei ad nos qui paremus. *Luc.* 3. 3.

Orphanorum & viduarum duplex sensus: qui Deus horum pater, illarum judex. ℣. 6.

7. Sed hanc sanctorum lætitiam, trepidatio eorum quos cum mundo vicit insequitur: id enim ait, *Turbabuntur à facie ejus, * patris orphanorum & judicis viduarum.* Causam turbationis hanc docuit etiam, quòd pater orphanorum sit judexque viduarum, (à facie enim patris orphanorum viduarumque judicis fugient,) non relinquens eos orphanos, qui agnoscentes patrem in cælis, diabolo patri renuntiaverint, easque viduas quæ [g] legi mortuæ sponsum sese sequutæ sunt judicans. Viduam enim, quæ à lege sit libera, beatus Paulus transire ad nuptias alterius sine adulterii crimine docuit: idque exemplum omne ad Ecclesiam, quæ legi se mortua Christo postea [h] sociaret, aptavit. Est autem etiam secundùm hujus sæculi sortem sensus aptissimus, ut Deus, qui advocatum nobis à Patre alium dedit, ne orphani essemus in sæculo, orbatorum pater sit judexque viduarum: quia & desolatæ à parentibus misereatur infantiæ, viduarumque quæ in se adquieverint judex sit. Judex autem ideo, quia sub nomine viduarum pleræque non viduæ sunt, vel deliciatæ in Christo nubere volunt, vel fallunt humana judicia: & quia dignitas nominis in conservato proposito sit voluntatis; scrutans corda & renes Deus idcirco sit judex, quia solus earum mentem sensumque dijudicet. Et quidem hæc, ut dixi, secundùm desolationem conditionis humanæ, de orphanis viduisque sint dicta.

Rom. 7. 3. Nuptiæ secundæ. *Johan.* 14. 18. 1. *Tim.* 5. 11.

Tempus gratiæ, ℣. 7.

8. Ceterùm ut ad Ecclesiæ totius demonstrationem hæc ita significata esse possint intelligi, continuò subjecit, *Deus in loco sancto suo, * Deus inhabitare facit [i] unimores in domo, educens vinctos in fortitudine, similiter eos qui exacerbabant, qui inhabitant in sepulcris.* Hic ergo locus Deo sanctus est, ubi sit vidua ex lege, ubi orphanus ex sæculo, ubi unius moris ac voluntatis pacificus unanimisque conventus: (Erat enim secundùm Actus Apostolorum credentium anima & cor unum,) ubi qui vincti sunt, educentur in fortitudine. Ligato enim priùs intra domum suam forti, eos qui peccatis suis vinciebantur absolvit: ut Abrahæ filiam [k] septem & decem annis ligatam, in libertatem verbo virtutis eduxit. Eduxit autem etiam eos qui antè exacerbabant, id est, qui transgressione legis iram in se Dei judicis incitabant, vel adversùm nomen ejus gentili eloquio disserebant, ad doctrinam divinæ cognitionis instituit: ut ex persecutore Paulum gentium Apostolum doctoremque præfecit. Hos itaque exacerbantes, inhabitantes antea in sepulcris, id est, intra corporum suorum emortua domicilia consepultos, in cælestem vitam spiritalemque deduxit. Sunt enim multi in viventibus mortui. Nam & in Evangeliis mortui [l] non putati non differre docentur à mortuis, Domino dicente, Sinite mortuos se-

Act. 4. 32. quâ Deus educit vinctos, *Luc.* 13. 16. exacerbantes, habitantes in sepulcris. *Matth.* 8. 22.

[a] Erasmus hîc perperam adjecit *omnem*, quod deinceps obtinuit: cùm hæc vox non exstet in Bad. aut mss. neque in sacro textu, ex cujus tamen indefinita propositione *adscendit occasum*, elicit sanctus Interpres generalem, *id est omnem occasum.*

[b] Duo mss. hîc & infrà, *Dominus*; sacro textui consentiunt, in quo *Dominus nomen est illi*: sed vulgata lectio elegantior, estque ms. Regii.

[c] Sic ms. Vatic. At Reg. & Mic. *nos.* Editi verò, *in nobis.*

[d] Loco *labis* habet unus codex Vatic. *objectionis*: minùs displiceret *abjectionis.* Tum apud Bad. Er. & Lips. *iturus*, in ms. Reg. *ituros.*

[e] In vulgatis, *ex æquitatis*: omnino malè. Minùs malè in Mic. ms. *ex iniquitatis.* Veriùs Vaticani, *exæquatis.*

[f] Unus codex Vatic. *cùm vitam.* Eo quòd Christus nostræ consors factus est naturæ, quod assumtæ humanitati concessit, nobis quoque concessum esse hîc pro more suo prædicat Hilarius. Quò spectat & illud proximè dictum, *In quo*, scil. resurgente, *nos resurgentes ex mortuis contuebimur.*

[g] In uno ms. Vatic. *lege.* Rectiùs in aliis, *legi*, hoc est, quæ à lege sunt liberæ, seu, quibus lex jam non vivit. Tum verè Bad. Er. & mss. *sponsum sese* (puta Christum) *sequutæ sunt*, nec debuit Lipsius de suo reponere, *sponsum subsecutæ sunt.*

[h] Ita ms. Mic. At unus è Vatic. *quæ lege se mortuam*: alter, *quæ legi se mortuam*: Regius cum vulgatis, *quæ legi sit mortua.* Tum Bad. & Er. *Christo postea se sociari.* Lips. & Par. *Christo postea se sociantem.* Rursum sequimur ms. Mic. consentientibus aliis, nisi quòd *se* præmittunt verbo *sociaret.* Sensus ita perspicuus est: *quæ legi mortua, ut Christo se sociaret aptavit.* Allusio est ad illud Pauli Rom. 7. 4. ubi de vidua à lege viri libera sermone habito subjicit, *Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit* &c.

[i] Ita Par. ex ms. Mic. juxta græcum μονοτρόπους. At in ms. Reg. à prima manu mendosè, *unimoris*, ac subinde secundis curis *unius moris*, quod Bad. Er. & Lips. arripuere. Mox in dicto codice Reg. *qui exacerbant.* Favet verbum sequens, *qui inhabitant*: cùm utrumque in græco eodem modo exprimatur, puta τοὺς παραπικραίνοντας, & τοὺς κατοικοῦντας.

[k] Par. *octo & decem annis*: suffragante sacro textu, sed refragantibus mss.

[l] In uno è mss. Vatic. *computati.* Apud Par. *nuncupati.* Magis placet cum Bad. Er. Lips. altero ms. Vatic. necnon Reg. *non putati*; id est qui vivò non putantur.

1. Tim. 5. 6. pelire mortuos suos : & Apostolus scit quasdam mortuas vivere, id est, dum vivunt esse jam mortuas. Sed [a] hos omnes de sepulcris Dominus qui in filios Dei regenerantur, eduxit.

Deus idem Legis & Evangelii.

9. Verùm hæc qui in nobis Deus super occasum adscendens per virtutem resurrectionis operatus est, idem omnia ad hujus spei nostræ præparationem adumbrata gessit in lege : ut non alius Prophetarum, alius Evangeliorum Deus possit intelligi. Atque ideo erga nos quoque paribus hæc momentis, quibus ex Ægypto populum eduxit, implevit. Nam & patres nostri sub nube fuerunt, & [b] in Moysen in mari baptizati sunt, & in similitudinem cælestis panis manna è cælis decidente saturati sunt, & Christo [c] aquam petrâ præbente potati sunt : quæ quidem in illis salutariter gesta, figuram quoque nostræ in se salutis habuerunt, ut sequens prophetiæ sermo declarat, dicens, *Deus dum* [d] *egredereris coram populo tuo, dum transgredereris* [e] *in desertum, * terra mota est. Etenim cæli distillaverunt* [f] *à facie Dei, mons Sina à facie Dei Israel.* Præisse Deum iter populi sui, dum desertum transgreditur, in columna nubis ignisque cognovimus, & usque ad populi [g] errorem de cælis stillasse manna. Sed cùm superiora omnia, quæ Ecclesiæ propria sunt atque apta, memorasset, scilicet cùm super occasum adscendit Dominus, cùm orphanorum pater est judexque viduarum, cùm in loco sancto suo, id est, in domo [h] congregat unimores, & vinctos in fortitudine & exacerbantes extrahit è sepulcris : hæc tamen coram populo egrediens & in desertum transiens consummare memoratus est, ut nunc ex præterito motam esse terram, distillasse cælos, & hoc à facie Dei Israel in Sina refertur effectum. Hoc ideo, ut cùm illa quæ Legis sunt gessit, in his quoque ea quæ Evangeliorum sunt præformasse sciretur. Egressus enim coram populo suo in desertum transgressus est : [i] in illud videlicet desertum Jordanis, in quo lilia floruerunt, in quo fons aquæ vitalis desolatos & aridos irrigavit. Funiculus namque antè erat hereditatis Jacob : desertæque gentes elementorum subditæ fuerunt potestati. At nunc [k] inspectante eo qui fuit Dei populus, Deus ad ea quæ antè erant desolata transivit ; [l] & jam irrigata ab eo finium deserta pinguescunt. Et hic idem est, qui manna de cælis dedit populo. Si enim lex disposita est per Angelos, panemque Angelorum manducavit homo, cælique stillasse in Sina scribuntur ; profectò ministerium hoc à cælis, id est, ab Angelis expletum esse non dubium est. [m] Estque idem largitor ejus qui de cælis est panis, qui in Sina mannæ fuerat indultor.

Marginalia (left column): 1. Cor. 10. 1. &c. — ℣. 8. — ℣. 9. — Exodi 16. — Unus & idem auctor quæ Evangelii sunt Lege præformavit. — Deut. 32. 9.

Præscientia & prædestinatio Dei. Gal. 1. 15. Rom. 8. 29.

10. Sed transiens ad desertum Deus, id est, ad gentium arida & desolata quondam corda transscendens, felicem illam bonæ voluntatis pluviam segregavit. Segregavit enim ipse ex utero matris Paulum in apostolum : quia quos & præscivit, hos & prædestinavit. Hanc etiam eloquii prædicationisque pluviam, & in psalmo Salomon terræ ad spei securitatem nuntiavit, dicens, Et descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Et aliquibus nubibus ne super vineam pluerent meminimus esse præceptum. Sanctus quoque, Moyses [n] qui sub velamento verborum communium ingentia cælestis spei sacramenta condebat, verba sua excipi ut pluviam imbremque cantavit, pluviam irrigantem deserta & arida & [o] præparatam Dei hereditatem. Atque ideo sequitur, *Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ : & infirmata est, tu verò perfecisti eam. * Animalia tua habitabunt in ea, parasti* [p] *in dulcedine tua pauperi.* Providus enim voluntatum Deus, segregavit voluntariam pluviam [q] præsciendo. Quæ infirmata est, cùm judicium in se mortis habuit Paulus, cùm Petrus scandalo crucis motus est, cùm ter denegat admonitus ne negaret, cùm Apostoli timent, fugiunt, diffidunt. Sed quia in his bonæ voluntatis esset affectus, perfecti ita sunt, ut & fundamenta ecclesiarum fierent & columnæ. Hæc ergo hereditati Dei pluvia segregatur.

Marginalia (right column): Psal. 71. 6. — Esai. 5. 6. — Deut. 32. 2. — ℣. 10. — ℣. 11. — Apostolorum infirmitas manente bona voluntate. 2. Cor. 1. 9. V. Tract. Ps. 51. n. 11.

Hereditas Dei quæ.

11. Quæ autem hereditas sit, non obscurum est, ea scilicet quæ data est poscenti,

[a] Ita duo codices Vatic. Alii verò, *hos homines.*

[b] Regius ms. secundis curis, *à Moyse* ; primis autem, uti videtur, *in Moysen* : quod græco εἰς Μωσῆν consentiens, præferimus vulgatæ lectioni *in Moyse.*

[c] Sic antiquæ edit. cum uno ms. Vat. At Par. *aqua petram præeunte.* Mic. ms. *aquam petra præeunte.* Reg. *aqua petra præeunte.* Quæ lectio aliquantùm placuit, ut non modò petra, sed & aqua dicatur Christus, de quo, teste Apostolo, *omnes eumdem potum spiritalem biberunt.*

[d] Bad. Er. & Reg. ms. *egredieris* ; & mox, *transgredieris.*

[e] Nobilius notis in editionem LXX. monet in plerisque exemplaribus græcis haberi ἐν τῇ ἐρήμῳ. His consonat Regius codex, exhibens *in deserto*, quod est etiam apud Augustinum. At cùm Hilarius hîc, ut solet, desertum interpretetur gentes priùs à Deo desertas, ac præterea doceat à Judæis ad gentes transitum hîc significari, retinendum duximus *in desertum.*

[f] Miciacensis codex, *à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel* : quam lectionem typographorum incuriâ in editionem LXX. irrepsisse conqueritur Nobilius. Similis huic versus 5. exstat lib. Jud. cap. 5.

[g] Ita cum ms. Mic. unus è Vatic. Alii verò libri, *terrorem.*

[h] Bad. Er. & Lips. *congregatos unius moris.* Par. *congregatos congregat*, omisso *unius moris.* Emendantur ex Regio & Vaticanis mss. Quamquam in his exstat *unius moris*, in illo *unimoris.*

[i] Omnes mss. *in illo videlicet deserto.* Mox Regius solus, *desolatis & aridis irrigavit.*

[k] Unus codex Vatic. *peccante eo* : perperam, cùm allusio fiat ad verba psalmi, *dum egredereris coram populo.*

[l] Sic mss. Vatic. favente Regio, in quo, *& jam .... pinguescent.* In vulgatis autem, *ut jam .... pinguescerent.*

[m] Prima editio Par. *& quidem.* ms. Reg. *qui idem.* Vatic. unus, *quia idem.* Hic veri similitudine non caret, præsertim si ante *qui in Sina*, addatur aut subintelligatur verbum *sit*, quod ibi exhibet ms. Mic. in quo paulo antè, *& quidem largitor.* Alter Vatic. glossematîs nonnusquam corruptus præfert, *id est ab Angelis expletum est* ; ac deinde, *non dubium est quin idem largitor ejus.* In hac mss. diversitate sequimur veteres edit. Neque obscura est Hilarii sententia, quam apud Hieronymum auctor Comment. in Psalmos clariùs sic expressit : *Per quem apud Sina huic generationi manna defluxit, ipse Christianæ genti corporis sanguinisque sui manna in Ecclesia subministrat.*

[n] Ita Regius codex, ubi in vulgatis *quæ*, non *qui.*

[o] In uno è mss. Vatic. *præparantem Deo hereditatem* : præter mentem S. Doctoris, *præparatam* intelligentis præscitam ac prædestinatam gentium plebem. Non ita malè Miciacensis codex, *irrigantem desertam & aridam & præparatam Deo hereditatem.*

[p] Editio Par. cum ms. Reg. à secunda manu, *dulcedinem tuam pauperi.* Deinde prædicta editio subnectit *Deus* : quæ vox abest à mss. & LXX. sed versui subsequenti jungitur.

[q] Ex Bad. Er. & mss. revocamus *præsciendo* : cujus loco Lipsius perperam substituerat *perficiendo.*

Psal. 2. 8. cùm dicitur, Posce à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Gentes itaque animan- 1.Cor. 9. 9. tium & pecorum ritu non intelligentes (& ideo cùm cura pecorum Deo nulla sit, hereditas illa in hac segregata voluntaria pluvia [a] est) in ea habitare monstrantur. Sequitur enim, *Animalia tua habitabunt in ea, parasti in dulcedine tua pauperi.* Habitabunt ergo animalia vel in hereditate Dei, vel in pluvia voluntaria: & hæc in dulcedine pauperi vel Psal. 118. 103. hereditas vel pluvia est parata. Eloquia enim Matth. 5. 3. Dei sanctorum faucibus dulcia sunt; &, Beati sunt pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cælorum. Animalia autem cùm essent, facta sunt spiritalia. Hæc ergo omnia in usum hereditatis, vel voluntariæ pluviæ ministerium sunt segregata.

12. Atque ut secundùm præparatam dulcedinem pauperi, vel Ecclesiæ congregatio, quæ hereditas * Deo est, vel apostolicæ prædicationis significatum esse intelligeretur eloquium; subjicit, *Deus Dominus dabit verbum evangelizantibus virtutibus multis: rex virtutum dilecti, & [b] pulcritudini domûs dividere spolia.* Segregatæ itaque pluviæ ad Evangelium irrigandum Dominus dabit verbum, idipsum in sensum nostrum & ora diffundens; secundùm illud, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Sed virtutes multæ evangelizantes sunt, [c] quibus dabit verbum, ut sit in Paulo virtus, in Petro virtus, & in Johanne virtus, & in ceteris virtus, multasque ob id Evangelii prædicandi significet esse virtutes: [d] quibus quamvis Deus & Dominus & rex dabit verbum, virtutes tamen istæ *dilecti* sunt, [e] id est, ejus qui Regi & Domino & Deo sit dilectus. Laboriosiùs autem id & obscuriùs, dum collocationes verborum non demutat, translatio latina declarat: ceterùm absolutiùs totum hoc sermo è græco enuntiatus eloquitur, hunc scilicet Deum & Dominum regem earum quæ dilecti sint esse virtutum: ut *virtutes* ad Apostolos, *dilectus* verò referatur ad Christum, cujus vel in his, vel hi omnes intelligantur esse virtutes. Oportuit autem propter ea quæ sequuntur, licèt in omnibus unus atque idem esset [f] Spiritus, numerosarum tamen virtutum fieri mentionem: quia ad pulcritudinem domûs [g] ipse virtutis spolia divideret. Ad Ecclesiæ enim decus detracta ab his diabolo gentium spolia dividuntur, atque etiam ex his spoliis domûs pulcritudo perficitur, cùm in sacerdotes Dei [h] ad ministerii sanctificationem ab aris templisque dæmonum abstrahuntur, sanctoque Spiritu irrigati, evangelizantes effectæ sunt dilecti [i] esse virtutes.

* al. Dei.

℣. 12.

Apostoli unius Christi virtutes multæ.

Matth. 10. 20.

ἡ βασιλεὺς τῶν δυνάμεων τοῦ ἀγαπητοῦ.

Spolia dividunt ad Ecclesiæ decus.

13. Ad has enim easdem virtutes, quæ ad pulcritudinem domûs vel spolia divident, vel ipsæ sunt spolia, divinus sermo se retulit, dicens, *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in viriditate auri.* Prophetæ vota sunt, quibus manere in mediis cleris hæc ad pulcritudinem domûs divisa spolia exoptat: ut usque ad consummationis suæ diem (quia significari mors soleat in somno) in domûs pulcritudine perseverent. Qui quidem sunt in usum prædicationis, tamquam deargentatæ pennæ columbæ, id est, sancti Spiritus munere ornatuque pretiosi. In his autem quæ post eos sunt, in auri viriditate consistent: ut his post prædicationem Evangelii honor regius & indefessa æternitas ex conscientiæ suæ fructu in auri viriditate reddatur: dum & aurum refertur ad honorem, & viriditate vigor æternus ostenditur. *Posteriora* itaque *dorsi*, quæ *interscaplia* magis græcus sermo significat, id est, quæ bonæ conscientiæ atque honoris posteriora sint tempore, ultra prædicationis hujus honorem sunt honoranda: cùm interim deargentatæ pennæ sub munere sancti Spiritus [k] permanentes, pòst etiam ad conscientiæ suæ fructum auri viriditatem, id est, florem honoris perpetui consequentur.

Hîc Spiritus sancti donis ornati, pòst gloria immortali sunt decorandi.

℣. 14.

τὰ μετάφρενα.

14. Ut autem hæc ad pulcritudinem domûs spolia divisa, quibus ut inter medios cleros dormirent, id est, [l] ut morte tales consummarentur, optatum est, ad principes ecclesiarum, per quos pulcritudo domûs consistit, relatum possit intelligi; continuò subjicit, *Dum discernit cælestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons uber, mons consecratus, mons pinguis.* Dum itaque hos cælestis super eam reges discernet, id est, dum Dominus de cælis descendens, eos qui spolia fuerint, constituit in reges, super eam domum, quæ per eos pulcherrima est, unumquemque disponit; *in Selmon nive dealbabuntur*, in pace scilicet, quia Selmon interpretatio pacis est, gloriam æternitatis accipient. Hic enim Dei mons, in quo pax Dei, nominis ipsius est significata virtute, & uber & consecratus & pinguis est. Reges autem esse eos non obscurum est, de quibus dictum est, Jam sine nobis regnatis, & utinam regnaretis: ut & nos vobiscum conregnaremus. Dominus ergo cælestis (quia qualis cælestis, tales & cælestes) hos in Selmon reges super domum suam, per quos divisis spoliis ornabitur, exal- 1.Cor. 4. 8.

℣. 15.

Reges sunt cum Christo: hos decet pax & candor.

[a] Par. tribus his voculis *est in ea* expunctis, subjicit deinde *habitare monstratur.*

[b] Mss. Reg. & Vatic. *pulcritudine.* Magis nobis probatur *pulcritudini*, hoc est *ad pulcritudinem*, ut exstat infrà.

[c] In vulgatis hîc præfixo puncto repetitur verbum *sunt*: malè & renitentibus mss.

[d] Apud Par. *hæ autem virtutes, quibus* &c.

[e] Mss. Reg. & Mic. *id est ei.* Hîc dicere videtur Hilarius, virtutes esse hominis qui Christo sit dilectus, ac perinde vocem *dilecti* ad Apostolos referri: sed cùm inferiùs ad Christum eam referri asserat, de quo, ut observat vulgatus Hieronymus in eumdem locum, Pater non semel testatus est, *Hic est filius meus dilectus*; superiùs *rex & Dominus* intelligi debet Pater, cujus dilectus est Filius.

[f] In Reg. ms. vox *spiritus* addita est à secunda manu. Ejus loco in duobus Vatic. exstat *Christus*: non malè.

[g] Legendum videtur, *ipsæ virtutes spolia dividerent*, ut innuunt subnexa, *Ad Ecclesiæ enim decus detracta ab his*, puta virtutibus, quibus Apostolos intelligi superiùs dictum est. Hîc in priùs vulgatis legebatur *ab diabolo*, omisso *his*, quod ex Reg. ms. revocamus.

[h] Bad. & Er. *ad mysterii sanctificationem.* Lips. & Par. *ad mysterii significationem.* Emendantur ex mss.

[i] Verbum *esse* desideratur in vulgatis, qui excepto Par. antea habent, *effecti sunt*, non *effectæ sunt.*

[k] Unus è mss. Vatic. *permanentis.* Veriùs alii libri, *permanentes*, scil. virtutes evangelizantes.

[l] Reg. ms. cum altero Vatic. *ut mortales consummarentur.*

Psal. 75. 3. Esai. 1. 18.

batos nive disponet in reges. Factus est enim in pace locus ejus : & phœnicium, secundùm Esaiam, ut nix dealbabitur. Sed reges necesse est, penes quos sit domûs pulcritudo, ultra candorem nivis esse [a] præstari. Lux enim mundi sunt : & quisquis dignus erit cum Domino montem regni cælestis adscendere, super nivem dealbabitur : quia cùm se Apostolis in habitu quo cum sanctis conregnaturus esset ostendit, vestimenta ejus super nivem alba sunt visa. Hic ergo mons, & hoc regnum Deo pacis est.

Matth. 17. 2.

Hæretici pacem mentiuntur. Manichæi. Hebion & Photinus. Ariani. Sabelliani.

15. Sed plerique sunt, qui Ecclesiæ pacem sub hæreticorum consortio mentiuntur, dissolventes novi ac veteris Testamenti connexam sibi conjunctamque rationem : dum plerique alium Evangeliorum, alium Deum Legis effingunt. Nonnulli verò adversùm unigeniti Dei naturam nomenque venientes, ex tempore natum solum hominem confitentur : neque ex forma Dei in formam servi esse deductum, sed ex forma servi tantùm esse cœpisse confingunt. Plures autem non veræ divinitatis Deum, neque ex paternæ majestatis naturæque proprietate subsistere disserunt ; sed externæ substantiæ, Deoque diversæ, quæ in adoptionem filii electa sit, modo creaturarum ex nihilo, quibus nulla origo anterior sit, constiterit. Plures etiam in corpus atque ex se protensum [b] permanantemque patrem loquuntur : ut assumtio illa carnis ex Virgine filii nomen acceperit, non qui antè erat Dei filius, idem hominis filius sit natus in corpore. Et quidem omnia hæc ad speciem humanæ prudentiæ coaptantur, post quàm rationem cælestis sapientiæ non comprehenderunt : quibus, [c] ut spero, aliis locis uberiùs copiosiúsque responsum est.

Hæresis caseo similis. ℣. 17. ὄρη τετυρωμένα.

16. Quia ergo veræ fidei una [d] hæc sedes est Deo quæ sit placita, & hic æterni regni mons unus in pace sit ; de [e] susceptis plurimis arguit nos Propheta, dicens, *Vt quid suscepistis montes caseatos?* Lac cùm corrumpitur, densatur, & ex vitio in coaguli caseique speciem concrescit. Nam utrumque id unus græcitatis sermo complectitur. Ergo sicuti ex natura sua lac ipsum vitio accedente degenerat, & quadam sui corruptione [f] coalescit : ita hæc genera doctrinarum, quæ initia cognitionis ex innoxio sincerique lacte deducant, corrumpuntur in vitia, fiuntque corruptione sui coagulata vel caseata ne lac sint. Quod idipsum loco alio ita meminit : Coagulavit sicut lac cor eorum ; ego verò legem tuam meditatus sum : quia consiliis gestisque impietatis cor infectum, cùm per infantiæ simplicitatem naturam lactis habuisset, vitiorum postea corruptione degenerans, in coagulum densatum esset atque concretum. Referendus ergo ab his omnibus & sensus & studium est : neque quisquam alius magis, quàm hic mons pacis, habitandus est. Nam post exprobrationem caseatorum coagulatorumque montium, continuò subjecit, *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare : in eo* [g] *etenim Dominus habitabit usque in finem* : in eo monte æternæ habitationis sedem Deo ostendens esse complacitam, qui ad sedem pacis esset electus.

Psal. 118. 70.

Legis veteris ac novæ unus auctor, una fides.

17. Sed quia post legis tempora, circumcisionisque præscripta, sacrificiorumque præcepta, [h] per evangelicæ confessionis fidem ab his qui gloriantur in lege, id est, à carnali Israel, quædam per nos videtur pacis Dei facta esse mutatio, cognitionisque alterius, quàm [i] in lege præscripta est, introducta confessio ; cùm nos omnia per Dominum Jesum Christum quæcumque præcepta sunt lege, [k] in spem evangelicam adumbrata esse doceamus, illis contrà Deum patrem secum locutum, ac legem dedisse jactantibus : respondendum est, hac ipsa psalmi prophetiâ per Angelos potiùs legem in manu Mediatoris esse dispositam, neque à nobis quidquam esse mutatum, sed in his manere quæ [l] sola sunt, id est, unam eamdemque sedem Dei pacis incolere : cùm quando eumdem prædicatorem Evangelii Dominum

[a] In vulgatis *præstare*, omisso priùs verbo *esse* : quod immutamus auctoritate mss. Reg. & Mic. Sicque est vertendum : *necesse est præstari reges &c. esse ultra candorem nivis.*

[b] Editi, *permanentemque.* Rectiùs Reg. ms. *permanantemque:* Hìc enim indigitantur Sabelliani, qui suam hæresim exemplo solis ad nos per radios permanantis explicabant. Qua de re commodiùs agendum erit ad lib. 1. de Trin. n. 16.

[c] Id est, *ut confido* : quo sensu verbum *spero* adhibet Innocentius I. epist. 183. apud August. n. 2. His autem hæreticis copiosè respondit Hilarius libris de Trinitate, qui toti sunt adversùs Sabellii, Arii, Hebionis atque Photini necnon & aliorum hæreticorum sectatores, de quibus statim lib. 1. n. 15. toto lib. 3. ac deinceps, uti hìc, frequens conqueritur, quòd potentem Dei naturam naturæ suæ finibus moderantes, intra finem sensus sui infinita concludant.

[d] Editi excepto Par. *una hæc est fides.*

[e] Apud Par. desideratur *susceptis* : cujus loco Lipsius perperam substituerat *suspectis* ; renitentibus aliis libris. Docet Hilarius quòd cùm una fides una in Ecclesia sit, arguat Propheta multas ab hæreticis fides multis in congregationibus seu potiùs ut vocat Augustinus Serm. 71. n. 37. *dispersionibus* susceptas. Lipsio autem hæc errandi causa fuit, quòd mox cum prioribus edit. legeret, *ut quid suspicitis* ; ubi apud Par. ex ms. Mic. *ut quid suscipitis.* At in mss. Reg. & Vatic. *ut quid suscepistis* : quibus consentit Miciacensis in Psal. 143. n. 9.

[f] Editi, *coacescit*, & mox, *sinceroque lacte deducunt* : corriguntur auctoritate mss. Porro *sincerus* ac *sinceris*, quomodo *infirmus* & *infirmis*, Hilarium legisse aliunde etiam liquet.

[g] Deerat apud Bad. Er. & Lips. *etenim* : cujus loco *& eum* apud Par. substitutum erat.

[h] Reg. ms. *per evangelicam.* Magis placeret, *per evangelicæ fidei confessionem*, Hilarium in hujusmodi vocum inversionibus frequentem esse non expertis.

[i] Particula *quæ* hìc in uno codice Vatic. expressa, in aliis subauditur.

[k] Duo mss. *in speciem.* Vocabulum *spei* amat sanctus Doctor ad significandam fidem cui annexa est æternitatis promissio. Hìc præcinit Augustino lib. de Catech. rudibus c. 4. dicenti, *In veteri Testamento est occultatio novi, & in novo Testamento est manifestatio veteris.* Idem Aug. cap. 6. in epist. ad Gal. consentit veterem ac novam Christi esse legem : *Manifestum est*, inquit n. 58. *etiam illam legem Scripturarum, quæ priori populo data est, legem Christi esse, quam venit implere caritate, quæ non implebatur timore. Eadem igitur lex, & idem mandatum, cùm bonis terrenis inhiantes premit servos, Testamentum vetus, cùm in bona æterna flagrantes erigit liberos, Testamentum novum vocatur.* Quæ Augustini verba Hilarii mentem apprime illustrant. Hoc tamen ab eo ille dissentit, quòd apud illum lib. 83. Quæst. 3. idem Deus Pater aut potiùs Deus Trinitas legem Hebræis dederit per Moysen, qui per Filium dedit Evangelium Christianis ; apud hunc autem Filius utramque legem dederit, veterem per Angelos, novam per se ipsum.

[l] Non liquet qua ratione nitatur Erasmi conjectura, pro *sola*, *salem* legendum esse opinantis. Veri est similius post hanc vocem subaudiri *credenda & profitenda.* Vult quippe Hilarius à nobis mutatam non esse fidem veteri Testamento prædicatam, simulque innuit unam ac solam fidem esse, unam domum pacis, unam Dei sedem, unam Ecclesiam in antiquis ante Christum inchoatam, & pòst in nobis perseverantem. Certè ad montem *Selmon* potiùs alludit, quàm ad urbem *Salem.*

Jesum Christum, quem & latorem legis, habeamus. Post unius enim complaciti Deo montis sedem, quam usque in finem cælestis habitabit, ut sedes hæc evangelicæ pacis præformata per Mediatorem legis intelligeretur in lege; continuò subjecit, *Currus Dei decem millium multiplex, millia lætantium: Dominus in illis in Sina in sancto * adscendit in altum, cepit captivitatem, dedit dona [a] in hominibus, etenim non credentes inhabitare* [b].

℣. 18. ℣. 19.

Fidei totius summa.

18. Fidem omnem brevia hæc quidem verba significant, sed quæ virtutibus suis magna & infinita complexa sunt. Hanc autem currûs sive sedis Dei dignitatem, haud dissimiliter Daniel propheta descripsit, dicens, Sedes » ejus flamma ignis ardens, rotas ejus flumen » ingens ducebat ante eum: millia millium ser- » viebant ei, & [c] dena millia denûm millium » adstabant ei. Atque in his quidem, sive sub specie talis ornatus, sive sub significationis exemplo, nobis in curru opinio & sensus comitatûs cælestis affertur: ut sub concordi jugo millibus lætantium obsequelam cælestem intelligamus. Et hoc illæ in Sina ardentes faces, collucentesque ignes, ingravescentiaque tonitrua, & totius Domini adventûs terror ostendit, ministeria scilicet Angelorum, legem in manu Mediatoris disponentium, adstitisse. Hic ergo currus Dei decem millium multiplex est, milliaque lætantium sunt. Et quia Mediator Dei hominumque sit Dominus, in cujus manu per Angelos, ut dictum est, lata lex fuerit; sequens sermo subjecit, *Dominus in illis in Sina*, in illis scilicet lætantibus millibus: currusque numero multiplici decem millium, id est, infinitorum intelligentiâ sub decem millium multiplicatione subjectâ. In his itaque Deus in Sina est.

Sedis Dei decus. Dan. 7. 10. Legis Christus lator.

19. Sed ne fortè Evangelia non supplementa Legis aliquatenus viderentur, qui in illis in Sina est Dominus, hic rursum in sancto adscendit in altum, captivamque cepit captivitatem, in eo scilicet sancto, cujus formam ex forma Dei evacuatus accepit. Quòd autem sanctus sit, cùm plures prophetiæ, tum Gabriel angelus ad Mariam testatur, dicens, Et quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei; & dæmones clamant, Scimus [d] qui sis, sanctus Dei. In sancto ergo adscendit in altum. Et quid illud sit adscendere in altum, sub hujus ipsius dicti significatione Paulus do- cuit, dicens, Adscendit autem [e] quid est, nisi » quia & descendit in inferiora terræ? Qui de- » scendit, ipse est qui a[…]endit super omnes cælos. Adscendens ergo in altum, & sese hominem ex mortuis in cælestibus revehens, accepit eos qui à diabolo erant capti, quos & ad pulcritudinem domûs spolia divisit. Dehinc dona in hominibus accepit, cùm primogenitus ex mortuis de se ipse testatur, dicens, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. [f] Posce à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Accepit ergo dona in hominibus, gentes scilicet in hereditatem: in quibus in sancto in altum primogenitus ex mortuis capta captivitate conscendit. Et quia ultra humanæ spei fidem sit, eum terrenæ carnis corruptionem in cælestem gloriam transtulisse, gentesque impias, & [g] antè vitiorum ac superstitionum furore pervasas, ad cognitionem Dei consortiumque esse deductas: ob hoc in his dona hominibus accepit, qui se cum Deo habitaturos esse non crederent. Atque ita hujus Mediatoris ex lege consummata cognitio est: ut qui in lætantium millibus in Sina fuisset, hic idem in sancto rursum in altum captiva captivitate conscendens, dona nos, qui secum cohabitaturos diffidebamus, acciperet.

Evangelia Legis supplementa. Sanctus, Christus. Luc. 1. 35. Luc. 4. 34. Ephes. 4. 9. Captos à diabolo capit. Gentes ei donantur. Psal. 2. 7. & 8. Præter humanam spem Dei factæ consortes.

20. Post hanc itaque contra spei nostræ diffidentiam acceptorum in hominibus donorum hereditatem, digna hæc ad Deum Prophetæ subjecta confessio est: *Dominus Deus benedictus de die in diem, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.* Benedictus itaque Dominus & Deus est, adscendens in altum, capiens captivitatem, in hominibus dona percipiens, eos scilicet qui inhabitaturos se esse non crederent. Quotidie autem per populi credentis accessionem, benedictionis multiplicatur augeturque confessio, cùm gentiles superstitiones impiæque de diis fabulæ, cùm aræ dæmonum, cùm idolorum inania relinquuntur, & iter omnibus ac profectus dirigitur in salutem. Hic igitur salutarium nostrorum Dominus ac Deus est, cujus de die in diem benedictionum significatur æternitas. In eo enim quod quotidie est, continuatur & semper; cùm tanta ævi protendatur infinitas, quanta & dierum post dies successio consequatur.

Benedicendus in æternum, Deus. ℣. 20. Populus fidelis quotidie augetur.

21. Cautissimè autem semper propheticus sermo, [h] ne qui per gentiles fabulas philosophiæque doctrinam, notionem nostram de divinæ veritatis scientia perturbaret, admonuit: quia variæ eorum impiissimæque sententiæ multa de Deo stultè profanéque complexæ sunt. Nos verò ad cognitionem Dei patris & Dei filii instituti, sacramentum sumus veræ cælestisque prudentiæ, in eo quòd Verbum caro factum est, consequuti. Ipsum enim nobis, quod Judæis scandalum, gentibus verò stultitia est, id est, Dei passio, crux, mors, sepultura, sive per rationem divinæ voluntatis perfecta cælestisque sapientia est, sive per resurrectionis potestatem virtutis æternitas.

Crucis sapientia & virtus. 1. Cor. 1. 23. Ibid. 24.

[a] Abest *in* à Reg. ms. & antiquis editionibus. In expositione autem constanter legitur, non *dedit*, sed *accepit dona in hominibus*. Utramque lectionem in hunc locum probat Augustinus, ut idem Christus quæ dedit ut Deus, in corpore suo quod est Ecclesia acceperit.

[b] Subjungit editio Par. *Dominum Deum*: quæ duæ voces apud LXX. ut in mss. nostris pertinent ad versum subsequentem.

[c] Ita mss. Mic. Reg. & editionis LXX. versio latina. Græcum autem *μύριαι μυριάδες*. At in vulgatis, *deciês centena millia*. Apud Tertullian. cont. Prax. n. 3. *Millies millia ministrabant ei, & millies centena millia apparebant ei.*

[d] Par. *quia sis.*

[e] Editi hîc subjiciunt, *in altum*: renitentibus mss.

[f] Ms. Reg. *postula à me.*

[g] Unus è mss. Vat. hîc præfixum habet verbum *omni*. Mox in omnibus *pervasas*, non ut in vulgatis *perversas*.

[h] Editi, *ne quid*. Concinniùs codex Regius, *ne qui*, hoc est, ne quisquam.

Ad hujus igitur nos Propheta scientiam Dei, qui nobis & passus, & mortuus est, & resurrexit, & Dominus est, instituit dicens, *Deus noster Deus salvos faciendi, &* [a] *Domini exitus mortis* : eum nobis Deum intimans, qui cùm esset Deus, omnia ad salutis nostræ incrementa susceperit. Et idcirco hic Deus *noster* est : quia Deus eorum sit, qui fient salvi. Salvos autem nos per id Deus noster [b] effecit, quòd exitus sit mortis egressus : id enim his verbis, quæ latinè minùs expressè atque absolutè translata sunt, continetur. Admonui enim superiùs, plerumque interpretes cunctos, dum collocationem ordinemque verborum demutare ac temperare non audent, minùs dilucidè proprietatem declarasse dictorum. Verumtamen in his quæ dicta sunt, *Deus noster Deus salvos faciendi, & Domini exitus mortis* ; & salutis nostræ Deus, & exitus ejus ultra exitum mortis ostenditur. Qui mortis [c] exitus *Domini* sint. Omnibus enim qui veniunt in vitam, ingressus [d] in mortem est : sed primogenito ex mortuis [e] tantùm proprius fuit egressus ex morte. Atque ideo proprius exitus mortis est Domini, quia assumtæ ab eo carnis hæc virtus sit, ut naturæ nostræ corruptionem in gloriam cælestem post exitus mortis efferret. Verùm [f] hæc susceptæ mortis ipsius non fuit occultanda vel causa, vel ratio : & quid nobis unigenitus Deus ex forma Dei exinanitus, & formam servi assumens afferret auxilii, oportuit ad fidei nostræ & securitatem & scientiam revelari.

ỳ. 21. — Christus eorum Deus qui fient salvi. — num. 12. — Exitus mortis Domini est proprius. — Cur. — Mortis Christi ratio.

22. Et primùm quidem non alienum à Dei misericordia & bonitate videri potest, ut vitam omnibus in se ipso restitueret ex mortuis : [g] namque qui primùm animam nobis ad flatum respirationemque vivendi, cùm hominem secundùm imaginem sui similitudinemque constituit, [h] de thesauris potestatis suæ divinitatisque diffuderit. Secundùm Apostolum enim ipsius genus sumus : & secundùm eumdem, Omnia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt : scilicet ut *in ipso* habitatio nostra atque incolatûs ostensa sit sedes, dum omnia immensâ virtutis potestate complexus est ; *per ipsum* verò originis inchoatæ opus effectusque monstretur, cùm in nobis id ipsum quod sumus operatus sit ; *ex ipso* autem initia vitæ ad exordia spiritûs indulta notescerent. Non fuit ergo à beneficentia divinæ bonitatis alienum, ut qui ex se ipso nobis, qui ejus genus sumus, vitæ ac spiritûs elementa tribuisset, in se ipso quoque nobis per unigenitum Deum æternitatis nostræ inchoaret exordia : veréque nunc & ex ipso & per ipsum & in ipso maneremus ; cùm [i] quando nos in hac ipsa habitatione ac sede mundi hujus, qui omnia in omnibus est, collocatus, rursum pleniùs jam atque perfectiùs in se ac per se [k] atque ex se initâ carnis nostræ societate post exitus mortis jam collocaret æternos. Hæc quidem ad significationem divinæ bonitatis ita dicta sint.

Æquum fuit ut Deus vitam nobis in se redderet. — Act. 17. 28. — Rom. 11. 36.

23. Sed suscipiendæ ab unigenito Deo carnis, adeundæque mortis, & per Apostolum, & nunc per Prophetam grandior profundiorque ratio tractatur. Ac primùm quid in crucis sacramento atque mortis ab unigenito Deo & Domino majestatis effectum sit, per Apostolum intelligamus : ut duce eo docti, [l] prophetiæ scientiam consequamur. Ait enim ita : Et vos cùm essetis mortui in peccatis & præputio corporis vestri, convivificavit cum illo donans nobis omnia peccata, delens quod adversùm nos fuit chirographum in sententiis, quod erat contrarium nobis, tollens illud de medio, & affigens illud cruci, spolians se carne, & principatus & potestates ostentui fecit, cum fiducia triumphans eos in semetipso. Sacramentum itaque salutis nostræ primùm resurgens ipse ex mortuis, decretumque mortis nostræ quo antè detinebamur absolvens, in se ipso qui ex mortuis æternus jam maneret, implevit. Sed in eo ipso, quòd nobis vitæ auctor in se est, dum per assumtionem corporis homo natus & mortuus, jam rursum æternus ex mortuis est : omnes quoque inimicas virtutes, mundique potestates, principesque aëris hujus ostentui reddidit, id est, vel nostræ spei, vel suæ damnationis fecit ostenta, & ipsos quædam quasi ex diis sæculi portenta constituit : his ipsis in se cum

Hanc ex mortuis resurgens Christus reddidit. — Coloss. 2. 13. &c.

[a] Apud Par. hîc repetitur vox *Domini* : renitentibus aliis libris & græco.

[b] In vulgatis, *efficit*. Magis placet cum ms. Reg. *effecit*, propter subsequens verbum *sit egressus*. Hoc est, quod alibi dicere solet, nos à Christo secum coexcitatos, & ad dexteram Patris collocatos, quatenus nostram in se naturam à mortuis excitavit, & ad dexteram Patris collocavit. Subsequens vox *exitus* est in quarto casu plurali.

[c] Rursum hîc vocabulum *exitus* pluraliter effertur juxta græcum, *κυρίου αἱ διέξοδοι τοῦ θανάτου*.

[d] Mss. Mic. & Reg. *in morte*.

[e] Sic Par. cùm mss. Mic. & Vat. At Bad. & Er. cum Regio codice, *tanto proprior*. Pessimè autem Lipsius *tanto propior* reposuerat.

[f] Particula *hæc*, qua proximè dicta *ut natura nostra* &c. indicantur, in priùs vulgatis omissa restituitur ex ms. uno Vatic. ac Reg. In altero Vat. & Mic. legitur, *verè suscepta*.

[g] Sic Bad. Er. & Reg. ms. At Lips. & Par. *nempe* : eodem sensu. V. Tract. subseq. n. 6. Mox ubi in vulgatis *ac flatum respirationemque*, auctoritate ms. Reg. restituimus *ad flatum* : maximè cùm in Vaticanis exstet *afflatum* ; & rursum paulò inferiùs mss. Reg. & Mic. præ se ferant, *initia vitæ ad exordia spiritûs*, non ut vulgati, *ac exordia*. Ad hujus loci intelligentiam lucem mutuari licet ex Tract. Psal. 118. litt. 10. n. 8. ubi in hominis institutione veluti triplex distinguitur Dei operatio, *cùm sit ad imaginem Dei anima, & formatur è terra corpus, & respiratione spiritûs*, qua utraque substantia connectitur, *in viventem animam commovetur*.

[h] Nihil hîc Hilario cum iis qui apud Augustinum epist. 166. n. 12. volunt animas non subinde creari, *sed ex fonte aliquo sive thesauro quodam quem tunc fecit* (initio conditionis rerum) *eas mittere in corpora*. 1°. enim non ait, miserit, sed, *diffuderit* : 2°. non de thesauro aliquo creato, sed *de* increatis *thesauris potestatis suæ* &c. quod quid est aliud nisi omnipotentiâ suâ creavit ? 3°. quia si ex thesauro aliquo creato missas animas sentiret, frustra contenderet eas priùs intra Deum, & ex Deo nobis tribui ; ille enim thesaurus Deo esset externus. Hinc quoque apparet quatenus intelligat animas genus esse Dei.

[i] Particulam *quando* hîc pro more expunxerat Erasmus. Deinde apud Par. præpositum erat *in* ante *nos*. Horum verborum nonnihil perplexorum nativus is ordo est : *cùm quando qui omnia in omnibus est, in hac ipsa habitatione* &c. *collocatus, nos rursum* &c. *jam collocaret æternos*. Non displicet tamen *in nos*, ceu *in nobis*, hac nimirum intelligentia, ut Christus dum hîc viveret, in nobis seu in nostra natura collocatus, post mortem nos in se collocarit.

[k] Verba *atque ex se*, apud Bad. Er. Lips. & in aliquot mss. omissa, restituimus ex uno codice Vatic. His significare solet Hilarius carnem Christi non ex viro & femina natam, sed à Verbo ipso de Virgine fuisse susceptam. Pro his verbis apud Par. ex ms. Mic. malè repetebatur, *atque in se*. Tum pro *inita*, editi excepto Par. habebant, *in ista* vel *ipsa*.

[l] Ms. Reg. *propheta scientiam*.

Mortis nostræ pœnam in auctores justè retorsit.

fiducia triumphatis; dum & per securitatem æternitatis mors ipsa in Deo moriente fiducia est, & auctores mortis humanæ, dum etiam in se ipso per occupatum à satana cor Judæ auctores sunt mortis, triumphat ex mortuis: ut neque à pœna mortis abessent, cùm se usque ad mortis infirmitatem subjecisset æternus, & omnem pœnam humanæ mortis [a] exciperent ut auctores, cùm in æternitatis Dominum auctores mortis, per id quod Verbum caro factum est, exstitissent. Hæc quidem ita B Apostolus.

Quod modò Paulus, hoc jam David docet. ℣. 22.

24. Sed Propheta brevibus licèt, eamdem intelligentiam verbis significantibus, eadem ista complexus est. Nam ubi Dominum in exitum mortis ostenderat; subjecit, *Verumtamen* [b] *conquassabit capita inimicorum suorum, verticem capilli deambulantium in delictis suis.* Principatus enim ac potestates, in quibus capita inimicorum significantur, fecit ostentui. Hæc igitur in mortis exitu conquassat, quo- C rum spiritalem nequitiam atque naturam, in eo quòd capilli verticem perambulent, docet: dum & tamquam dominantes hominum capitibus insistunt, & tamquam nequitiæ spiritales, sine sensu eorum quibus insistunt, ipsum illum capilli verticem proculcent: quia & ipsa scilicet corpora usque ad animæ mentisque sedem sine sensu adeundi interlabantur & penetrent. Aëris enim hujus sunt potestates: & ideo capilli verticem perambulant, vel insi- D stendi levitate, vel potestate dominandi, & toto in orbe per momenta singula commeantes. Sed hæc in delictis suis peragunt, dum unicuique in eo quod delinquat auctores sunt; secundùm illud Apostoli, Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato condemnavit peccatum in carne: cùm causam in his exordiumque peccati ex eo ipso, quod in carne sua per instinctum proditionis peccant, id est, de peccato carnis, peccatum E in carne condemnat.

Dæmonum natura spiritalis & quàm agilis.

Peccati nobis auctores sunt. Rom. 8. 3.

Lege adumbrantur evangelica gesta.

25. Tenet itaque divinæ dispensationis ordinem propheticus sermo: & Evangeliorum opera adumbrata esse per legem, ipsis illis legis operibus declarat. Multa enim plerumque per hominum proprietates ita expressa atque absoluta sunt, ut non magis gerendis in præsens potiùs quàm in futurum significandis rebus impensa sint: ut nunc post tantas ac tam manifestas evangelicæ spei prædicationes, al- F tius quiddam nobis & ultra aurium sensum affert subjectus ordo dictorum [c]. *Dixit Dominus, Ex Basan convertar, convertar in profundum maris.* Videtur enim hic sermo Domini fuisse, cùm ad dividendum ad iter mare, exserendamque in Pharao iram est conversus. Sed

℣. 23. Conversio ex Basan non congruit tempori legis:

numquid ex Basan conversum eum esse lex docuit? Non utique. Basan verò est civitas hostilis quondam regni, quæ fuit Og regis habitatio: sed interpretatio nominis pudorem confusionemque significat. Potest quidem videri, ut ex pudore populi in Ægypto servientis, cùm depressus [d] à Pharao ipsam illam conservandi educandique generis libertatem perdidisset, in profundum maris, id est; ad liberandi populi sui magnificentiam Deus sit conversus. Sed qui secundùm proximum huic psalmum dixerit, [e] Salva me Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam; infixus sum in limum profundi, & non est substantia; veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me: non ambigendus est post humani corporis pudorem [f] (quia ipsæ illæ corporum atque elementorum nostrorum origines sint pudendæ) in hoc mare, id est, in hanc sæculi tempestatem esse conversus: ut usque ad ultimæ confusionis verecundiam subjectus crucis morti, per eam in se inimicorum capita conquassaret, spiritales scilicet nequitias potestatesque omnes & principatus aëris hujus reddens ostentui triumpharet: cùm eos * æternitati pœnæ, post quàm ipse & passus & mortuus est, destinaret. Ob id ergo conversus in profundum maris intelligendus est, id est, usque ad ultimas descendisse sæculi passiones, ut conculcans capita inimicorum, ultionem divinæ potestatis [g] exsereret.

sed Christo: *Psal. 68. 2. & 3.*

** Reg. ms. æternæ.*

26. Quod ipsum videtur sequens sermo complecti, cùm dicitur, *Ut intinguatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Divinæ autem ultionis ira sub humanæ vindictæ significatur exemplo. Ex Basan enim in profundum maris conversus ob id est, uti pes tinguatur in sanguine: atque ab ipso sanguine qui ex inimicis est, canum quoque lingua tinguatur. Hæc verò accidere solent omnibus bello consumtis, & captivitate deletis, & pro victorum arbitrio atque ultione punitis. Per humanæ itaque, ut dixi, consuetudinis morem, cùm gladius, cùm arcus, cùm sagitta, cùm framea, cùm reliqua pœnarum ac mortium arma memorantur, divinæ severitatis significantur officia. Et hæc quidem Judæis post crucem & mortem Domini omnia acciderunt, cùm à Romanis capti universa suppliciorum ac miseriarum genera perpessi sunt: ut peremtorum sanguine & incedentium pedes tincti sint, & canum lingua satiata sit. Sed id non minùs ad eorum pœnam damnationemque referendum est, qui ostentui redditi cum fiducia triumphantur.

℣. 24. *Divina ultio humanæ exemplo exprimitur.* *Dei in Judæos severitas,* *in dæmones.*

27. Et quia sub his quæ in Judæorum

[a] Editi, *exciperet*: quod ad Christum referri necesse erat. Rectiùs mss. Reg. & Mic. *exciperent*, ii scilicet de quibus antè dictum est, *ut neque à pœna mortis abessent*; & hoc quia mortis humanæ primùm auctores, etiam in æternitatis Dominum, quatenus Verbum caro factum est, mortis auctores exstiterunt.

[b] Regius codex, *conquassavit*: cui lectioni favent subjecta.

[c] Subjiciunt excusi, *vel gestorum*. Mox apud Par. non repetitur, *convertar*: renitentibus mss.

[d] In excusis, *à Pharaone*. Hæc vox in mss. græci ad instar, nusquam fere declinatur.

[e] Ita mss. Editi verò, *Salvum me fac Deus*: & mox, *in limo profundi*.

[f] Cùm his pugnare videntur illa lib. 3. de Trin. n. 19. *Certè non suscepit* Maria *quod edidit, sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit*. Ea verò eodem modo concilianda sunt, quo illa lib. 1. de Trin. n. 13. *Carnem enim peccati recepit*, cum his lib. 10. n. 25. *Neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati*: ut primum dictum sit ad ostendendam carnis nostræ in Christo veritatem, alterum ad removendam ab eo concupiscentiam.

[g] Editi, *exerceret*: [illegible]itentibus mss.

Gentium salus legis temporibus inchoata.

populo temporibus legis expleta sunt, universarum ferè gentium ad speciem futuræ misericordiæ salus est inchoata; ut per id quod tum gestum est, id quoque quod postea gerendum esset doceretur: cùm ipsos illos, in quos illa tum gerebantur, & inumbratio nubis, & iter maris, & mannæ spiritalis cibus, & spiritalis potus ex petra in spe evangelica fideque concluderet: nunc quoque, ut & semper, in his ipsis novi ac veteris Testamenti per Prophetam facta connexio est, cùm
℣. 25. dicit, *Visa sunt itinera tua, Deus, itinera Dei*
℣. 26. *mei, regis qui est in sancto.* * *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvenum tym-*
℣. 27. *panistriarum.* * *In ecclesiis benedicite Dominum*
℣. 28. *Deum de fontibus Israel.* * *Ibi Benjamin junior in*
pavore, principes Iuda duces eorum, principes [a] *Zabulon, principes Nephthalim.* Dei quidem itinera sunt visa, cùm coactis in glaciem aquis, præeunte eo in columna ignis & nubis, iter populo siccatum est, cùm in medio tympanistriarum juvenes psallentes gloriosè glorificatum Dominum cantaverunt. [b] Sed novimus itinera & alia regis *in sancto*, cùm virtutibus [c] cælestibus animisque sanctorum iter ejus præeuntibus, in eo qui primæ sabbati psalmus est cantatur, Tollite portas [d] principis vestri, & elevamini portæ æternales, & introibit » rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus » virtutum ipse est rex gloriæ. Et hæc itaque Dei nostri & regis in sancto itinera sunt visa, cùm ingressum ejus tanta cælestium cœtuum gaudia præeunt.

Itinera Dei sub lege visa, post legem. Psal. 23. 9. & 10.

Prophetia electionis Apostolorum,

28. Sed quia quæ antè præformata in Pharao & in Israel fuerant, in diaboli suorumque clade & populorum omnium salute perfecta sunt; non ad synagogæ confessionem, [e] sed ad Ecclesiæ benedictionem nos cohortatur Propheta, quibus Dei & regis in sancto itinera [f] esse visa firmaret, dicens, *In ecclesiis benedicite* [g] *Dominum Deum de fontibus Israel:* ex initiis scilicet legis atque [h] adumbratione gestorum doctrinam Ecclesiæ defluxisse commemorans. Ac ne quid benedicentibus ecclesiis ambiguitatis exsisteret; quis hic maximus evangelicæ spei prædicator futurus esset, ostendit dicens, *Ibi Benjamin junior in pavore*; in Ecclesiæ scilicet fontibus Benjamin junior in pavore mansurus: post consternationem enim pavoris in Evangelium Christi de tribu Benjamin Paulus electus est, matutino devoratas carnes ad vesperum dividens in salutem. Ceteros quoque principes Juda ne ignorentur ostendit: id est, qui ab eo, qui de Judæ frutice exspectatio gentium futurus erat, eligendi essent, revelans: *Principes* [i] *Zabulon, principes Nephthalim.* Ex his enim, ut Evangelia declarant, Apostolorum est cœpta delectio, hos principes eorum qui in ecclesiis congregarentur ostendens. Nam cùm ex omnibus tribubus, singulis quibusque populis secundùm legem sint principes instituti: nunc tamen ubi evangelicæ dispensationis principes declarabantur, [k] earum tantùm tribuum, ex quibus vocandi essent, commemorata sunt nomina. Orta enim in finibus Zabulon & Nephthalim luce magna post umbram mortis, piscatores ex his sunt hominum constituti. Solum ergo id sub prophetiæ significatione ex illa principum universitate memoratum est, quod ad Evangelii confirmationem ipsis rerum effectibus & Apostolorum electione esset explendum.

Pauli de tribu Benjamin, Gen. 49. 27.

Ibid. 10.

Aliorum de Zabulon & Nephtalim.

Christi adventus exoptatur.

29. Et quia tantæ exspectationis spe detinerentur; (quia non ambiguum est omnes sanctos & prophetas cælesti desiderio evangelicæ beatitudinis tempus optasse, Domino dicente, Amen dico vobis, quia multi prophetæ & justi cupierunt videre quæ vos videtis, & audire quæ vos auditis, [l]) consummari id quod tantopere concupiscit precatur,
℣. 29. dicens: *Manda Deus virtuti tuæ, confirma Deus*
℣. 30. *quod operatus es in nobis.* * *A templo tuo in Ierusalem tibi* [m] *afferent reges munera.* Distinguit intelligentiæ significationem, ne quid confusum ambiguumque subrepat in eo quod ait, *Manda Deus virtuti tuæ:* quod utique contra humanum sensum & usum naturalis consuetudinis est loquutus. Mandare enim quisquam virtuti suæ aliquid non videtur, quia per eam internæ potestatis insit effectus: & cùm omnia virtute fiant, non existimatur virtuti ipsi aliquid mandari solere faciendum. Sed enim Dei virtus Deique sapientia est Dominus Jesus Christus, qui & ponendæ animæ ac resumendæ mandatum accepit à Patre. Idcirco non contra intelligentiæ communis sensum dictum videtur, quod tamen propheticæ scientiæ proprietate memoratum est, ut virtuti suæ mandaret Deus, unigenito scilicet Deo, qui & Dei virtus est. Dehinc quia rerum subitarum in Deum non cadit nova [n] repensque

Matth. 13. 17.

Johan. 10. 18.

Quem jam Deus per decretum erat operatus.

[a] Reg. ms. hîc & infrà, *Diabulon.*

[b] Bad. *sed nominis.* Alii deinceps editi, *sed non minus:* emendantur ex mss.

[c] Apud Par. omittitur *cælestibus.* Ex proximis verbis nihil in mentem aliud venit, nisi animos sanctorum qui ante Christum obdormierant, unà cum Christo cælum ingressos. Atque ita quod sanctus Doctor in Psal. 2. n. 26. quibusdam, corporibus jam receptis, concessum opinatur, hoc etiam non negat sanctorum animis, de quorum corporibus nunc silet.

[d] Miciacensis codex, *principes vestras.*

[e] Verba, *sed ad Ecclesiæ benedictionem*, non exstant in ms. Reg. Horum loco in Miciacensi ms. habetur, *sed ad cælestem benedictionem:* quæ quidem, ut & ea quæ præcedunt, ad superius verbum *perfecta sunt*, non ad subsequens *cohortatur* referenda esse nonnihil suspicati sumus.

[f] Editi cum mss. Vatic. *essent visa*, priùs apud Bad. Er. Lips. & in iisdem mss. præfixâ particulâ *ut* ante *quibus Dei.* Sequimur Regium codicem.

[g] Regius ms. *Dominum de sanctis Israel.* At ex subnexis liquet Hilarium ad fontes alludentem docere doctrinam Ecclesiæ ex legis initiis defluxisse.

[h] Bad. & Er. *adumbrationem.* Lips. & Par. *adumbrationum:* castigant mss.

[i] Et hîc habet ms. Reg. *Diabulon:* inferiùs autem *Ziabulon.*

[k] Ms. Reg. *eorum:* habens etiam paulò antè *tribus*, non *tribubus:* cujusmodi tertium casum pluralem sic expressum exhibent plerique mss. in Matth.

[l] Editi hîc subjiciunt, *non audierunt:* quæ verba expunximus auctoritate ms. Reg. cùm antea non exstet & *non viderunt*, ac sine illis idem locus referatur in Psal. 68. n. 8. sine quibus hîc nitidiùs confirmatur Hilarii sententia.

[m] Par. hîc & infrà, *offerent:* à cujus verbi intelligentia Hilarius non recedit.

[n] Editi, *recensque.* At mss. *repensque*, hoc est, & repentina. Deinde in uno Vatic. *motio*, non *molitio.*

molitio

molitio, cujus scientiam non subterfugiant A quæ gerenda sunt, quia natura ejus universa quæ erunt, virtutis suæ potestate complexa est; id nunc confirmari Propheta postulat, quod jam sit idem Deus operatus in nobis, secundùm illud Apostoli, Benedictus Deus & » pater Domini nostri Jesu Christi, qui bene- » dixit nos in omni benedictione spiritali in cæ- » lestibus: in quo & elegit nos ante mundi » constitutionem, ut essemus sancti & immacu- lati in ipso. Deus itaque, qui secundùm Pro- B phetam fecit quæ ventura sunt, ea quæ jam ante constitutionem mundi [a] per definitionem gerendorum operatus in nobis est, confirmavit in Domino.

Ephes. 1. 3. &c.

Esa. 45. 11. sec. LXX.

Quod templum, qui reges inde munera Deo ferentes.

30. Et quid illud sit, mox continuat ordo dictorum, *A templo tuo in Ierusalem tibi afferent reges munera.* Templum in Jerusalem est, in quo hostiarum legitima offerebantur: nunc autem à templo in Jerusalem à regibus sunt munera afferenda. Quod utique contra loco- C rum significationem rationemque gestorum est: ut illinc quò inferri magis oporteret, id est de templo, offerenda sint munera. Sed quia est cælestis illa nobis mater Jerusalem, & primitivorum conscriptorum, & frequentantium cœtus; omnisque in Christo renatus Dei templum est, maximè in quo non mors magis sit regnatura, sed vita; & qui ipse rex sit ejus, cujus servus fuerat antè, peccati, hostiam se ipsum vivam & rationabi- D lem & placentem Deo offerens: tum ergo ab hoc templo, id est, ab hac sancta corporis sui habitatione, in illo conventu Angelorum frequentantium, id est, in illa cælesti Jerusalem, si qui reges sint, id est, qui peccato ultrà non serviant, offerent se ipsos Deo munus.

Hebr. 12. 22.

Ꝟ. 31.

31. Quod quia carnalis Israel, dum sibi tantùm peculiarem Dei misericordiam usurpat, videtur tamquam soli ei sit proprium defen- E dere; mox Propheta subjecit, *Increpa feras silvæ, concilium taurorum inter vaccas populorum; ut non excludantur hi, qui probati sunt argento: dissipa gentes* [b] *bellum quæ volunt.* Vaccas in Samaria adoratas esse, cognitio ex libris est. Principes verò populi istius, jam non populi sed gregum duces esse propheticus sermo est, cùm dicitur ex Domini persona, Tauri pingues obsederunt me. Feras autem silvæ, nequitiarum spiritalium supra verticem capilli in F peccatis suis deambulantium significatio intelligenda est, secundùm illud, Devastavit eam aper de silva, & singularis ferus depastus est eam. Quo in loco ipsius principis mundi, id est satanæ, & immanitas significatur & virtus. Id ergo nunc poscit Propheta, [c] ut vel in has feras silvarum, vel in hoc concilium taurorum inter populorum increpet vaccas: ne hi qui probati argento sunt, excludantur. Probati autem argento hi sunt, qui secundùm argentum [d] defæcati, & passionum omnium igne decocti, immaculati & sine terrenæ sordis admixtione jam splendent.

b Taurorum concilium.

Psal. 21. 13. Feræ silvæ.

Ps. 79. 14.

Probati argento. d

32. Cùm enim propheticus sermo fidem gentium prædicet, populique hujus exacerbantis improbam voluntatem sæpissime increpet, jamque salus à Deo in omnes per omnesque sit cognita, idque ex scientia dispositionis Dei notum sit: cùm impietate populi [e] exprobrata, sancti quique in spem regni cælestis vocantur: (Non enim Judæorum Deus tantùm est, & non gentium: [f] immo & gentium. Unus enim Deus est, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem) postea ergo quàm increpitis his qui principes Sodomorum, & [g] principes Gomorrhæorum esse meruerunt, tum ad gentes cognitio Dei scientiaque defluxit, & jam [h] non intra errorem neque contradictionem inscientiæ detinentur. Increpitis autem silvarum feris, taurorumque conciliis vaccisque populorum, eos qui adhuc perpetuis adversùm gentium spem ac salutem infidelitatis odiis persistunt decertare, condemnat dicens, *Dissipa gentes bellum quæ volunt.* Pacificavit enim omnia Dominus in cælo & in terra: & secundùm Apostolum, Deus in Christo erat, mundum reconcilians sibi. Earum ergo gentium dissipationem, quæ cælestis pacis fœdus abnuant, magisque dissensionum volent bella, sub diversarum tamen gentium congregatione denuntiat.

Electis Dei scientia & pax optantur.

Rom. 3. 29. & 30.

Coloss. 1. 20. 2. Cor. 5. 19.

33. Nam ad conservationem conjunctionemque totius sensus, increpitis taurorum conciliis ferisque silvarum, gentibusque bellum volentibus dissipatis, ne quid sibi ultra arrogans Israel impiusque præsumeret; subjecit, *Venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus. Deo * regna terræ: cantate Deo, psallite Domino.* Expleta enim hæc eadem sunt, vel Magis ex Oriente venientibus, vel tunc cùm in Apostolos Spiritus-sanctus divisi ignis modo venit. Nam illic ad prædicationis evangelicæ cognitionem etiam ex Ægypto convenisse scribuntur, quibus magnitudinem divini muneris, tamquam legatis, renuntiantibus Ægyptus propè universa est jam fidelis. Æthiopia verò [i] in Candacis eunucho fidei [k] confessione prævenit:

Ꝟ. 32. Ꝟ. 33. Magi.

Ægyptus propè tota fidelis.

[a] In Reg. ms. omittitur *per definitionem gerendorum.*

[b] Par. hîc & infrà, *quæ bella volunt.* In enarratione autem habemus *bella* ad calcem num. 32. & *bellum* sub initium num. 33.

[c] Sic mss. At editi, *ut videlicet has* &c. Mox in uno ms. Vat. *increpatio sit*, pro *increpet.*

[d] In vulgatis, *de peccati.* Rectiùs in mss. *defæcati.* Sic in Psal. 65. n. 20. *Examinantur credentes .... ut igne purgati, & ab admixtione vitiorum carnalium defæcati, splendeant examinatæ innocentiæ claritate.*

[e] Bad. cum Reg. ms. *exprobata.*

[f] Omittitur *immo & gentium* in Reg. ms.

[g] Editi excepto Par. *populus Gomorrhæorum*; Esaiâ, cujus verba 1. 10. hîc respiciuntur, consentiente, sed dissentientibus mss.

[h] Apud Par. desideratur particula negans: & mox loco *inscientiæ*, habetur *inscitiæ*, in aliis autem edit. *in scientia.* Probabiliùs ms Reg. *scientiæ*, cui scil. fiat contradictio. Veriùs tamen unus è Vaticanis, *inscientiæ*: ut ex mentis cæcitate significetur orta esse contradictio. Quo sensu subsequens Tractatus num. 20. eorumdem Judæorum cæcitatem vocat *obcæcati cordis inscientiam.*

[i] Reg. ms. *in Candacis*, omissa voce *eunucho.* Favet Vatic. in quo, *in Candace est fidei confessione præventa.*

[k] Bad. & Er. *confessionem:* tum cum mss. Vat. Reg. & Mic. *prævenit: manu autem sua:* pro quibus Lipsius de suo substituerat, *prævenit manus suas.* Potiùs forsitan esset restituendum suprà, *Æthiopia præveniet manu sua*, quodam modo favente græco, Αἰθιοπία προφθάσει χεῖρα αὐτῆς.

manu autem sua, dum ipse baptismi gratiam A
Act. 8. 36. sibi postulat, dicens, Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? sacramentum ipsum baptismi adeo impatientis desiderii cupiditate præveniens: ut à diacono ministerium apostolici
Baptisma, apostolicum ministerium. officii salutis suæ cupidus exigeret. Et quia exinde per omnes fere gentes prædicatio divinæ cognitionis illuxit; (quia & omnia regna Dominum Christum Deum intellectura
Gentium fides. licèt serò sint, & omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus in gloria Dei patris sit) B consummationem temporis hujus exoptat, dicens, *Deo regna terræ: cantate Deo, psallite Domino.* Omnes scilicet ad canendum Deo ac
* aliàs, salute. psallendum adhortatur, vel quia * salutem omnium prophetica sollicitudine lætatur, vel quia regnis omnibus Deum cognoscentibus regni cælestis succedit æternitas.

34. Atque ut in ceteris solet, nunc quoque [a] cui Deo Dominoque cantandum psal-
℣. 34. lendumque esset, ostendit dicens, *Psallite* C *Deo * qui adscendit super cælum cæli ad Orien-*
Christi divinitas. *tem; ecce dabit vocem suam vocem virtutis.* Competenter nunc adscendentis *super cælum cæli ad Orientem* Dei honor poscitur: ut quia superiùs significata humilitas ejus fuisset, cùm vel super occasum adscendit, vel exitum mortis egreditur; nunc ubi non cælum, sed *cælum cæli* transgressus esse notescitur, divinitatis ac magnificentiæ ejus non ignoraretur æternitas. *Ad Orientem* verò idcirco, quia ipse, secun- D
Luc. 1. 78. dùm prophetam, Oriens ex alto sit: ut regressus eò unde descenderat [b] nosceretur, ipseque sit [c] hominibus in hunc cælestis sedis adscensum rursus auctor oriundi.

Vox virtutis. 35. Nam idipsum sequens sermo significat, cùm dicitur, *Ecce dabit vocem suam vocem vir-*
Matth. 9. 6. *tutis.* In omnibus quidem quæcumque in corpore manens gessit, virtutis vocem dedit;
Johan. 11. 43. cùm paralytico dicit, Surge & ambula; cùm Lazarum vocat è sepulcro; cùm Petro cete- E
Matth. 18. 18. Ligandi ac solvendi potestas. risque Apostolis ait, Quæcumque ligaveritis super terram, ligata erunt & in cælis; & quæcumque solveritis super terram, soluta erunt & in cælis. Vox planè est ista virtutis, humanæ infirmitati tantum posse concedere. Sed
Corporum excitatio. scimus adhuc aliam vocem superesse virtutis, de qua ipse testatus est, dicens, Amen amen
Johan. 5. 25. dico vobis, quoniam venit hora, & nunc est, » in qua audient mortui vocem filii Dei: & » qui audierint, vivent. Numquid alia vox po- F test major esse virtutis, quàm dissolutorum corporum pulverem in formam cogere soliditatemque membrorum, & vitam rursum in homines animasque revocare, & corruptionem naturæ imbecillis naturæ cælestis incorruptione mutare? Hæc humanæ spei vera & perfecta constantia est, hæc divinæ magnificentiæ bonitas absoluta. Ob quod universos ad honorem hujus tantæ virtutis hortatur dicens, *Date honorem Deo:* ut perceptæ immortalitatis laudem ad honorem ejus, qui tanti nobis muneris parens est, referamus.

36. Dehinc ne quid sibi vel carnalis Israel Resurrectio quorum erit gloriosa. vel universitas gentium impiarum ex his pietatis scientiæque Dei meritis præsumeret; à quibus hic honor Deo reddendus esset, ostendit dicens, *Super Israel magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus:* super eum scilicet Israel magnificentiam futuram esse demonstrans, qui jam ex comparatione nubium spiritalis exsisteret, vel qui secundùm Apostolum rapi obviàm 1. Thess. 4. 16. Christo in nubibus mereretur. Et idcirco *virtus ejus in nubibus* est: quia his qui ultra terrenam originem mortalemque degentes, se in sensum cælestem & vitam, ut ita dicam, aëream extulissent, obviámque elati in nubibus adstitissent, his esset proprium virtute Dei magnificentiaque lætari. (Frequenter autem [d] memini his ipsis nubibus, tamquam ratione d Esai. 5. 6. scientiâque perfectis, ne super impiam Israel vineam pluerent, esse præceptum: quia indigni sancto eloquio, quos jam spinæ & tribuli, id est, terrena vitia obsederant exstitissent.) Namque cùm omnibus sit ad novam resurrectionis originem voce virtutis utendum, non universis tamen gloriosus, id est, resurrectionis honor est præparatus, Domino dicente, Johan. 5. 28. & 29. Nolite mirari ista, quoniam venit hora, in qua omnes qui sunt in monumentis audient « vocem ejus: & prodient qui bona gesserunt « in resurrectionem vitæ, qui autem iniqua « gesserunt, in resurrectionem judicii. Et idcirco « super eum Israel magnificentia & virtus Dei est, qui esset in nubibus: quia pro discrimine vitæ innocentis atque impiæ, resurrectionis sit aut in vitam aut in judicium distincta diversitas.

37. Deinde id ipsum sequens sermo designat, dicens, *Mirabilis Deus in sanctis suis.* [e] In eis scilicet mirabilis, quos in vitæ resur- Beatorum cum Deo unitas. rectionem excitabit æternos. Mirabilis autem est, cùm omnem beneficentiæ suæ in eos conferet voluntatem, cùm ipsos intra perfectionem cælestis gloriæ collocabit: sicuti ad Patrem pro his precatus est, dicens, Pater, volo ut Johan. 17. 24. ubi ego sum, & hi mecum sint: vel illud, Ut Ibid. 21. omnes unum sint, * ego in illis, [f] & tu in me. f * Ibid. 21. Mirabilis ergo in sanctis Deus est, quos cùm conformes gloriæ corporis sui fecerit, per se qui mediator est, etiam in unitatem paternæ majestatis assumet; dum & in eo per naturam

[a] Editi, *cum Deo.* Rectiùs ms. Reg. *cui Deo*, hoc est, cui personæ divinæ.

[b] Verbum *Oriens* hîc in vulgatis frustra repetitum expunximus auctoritate ms. Reg.

[c] Duo mss. Vatic. cum Reg. *omnibus*, non *hominibus.*

[d] Mss. *meminit.*

[e] Reg. ms. *in eo*; ac deinde *quòd*, non *quos.* Mox *benivolentia*, loco *beneficentia*, & *conferat* pro *conferet.*

[f] Sic mss. At editi, *& hi in me.* Hîc pars versûs 21. cum parte 24. in unum componitur. Insignis est hic locus, quo Christi cum Patre & nostra cum Deo unitas, maximè post perceptum gloriosi corporis munus, toties apud Hilarium decantata intelligatur. Pater igitur est in Christo homine per naturam divinitatis, quæ ante glorificationem veluti latens & exinanita, per carnis glorificationem clariùs se prodidit; rursum Christus est in nobis per consortium carnis, cui cùm conformes erimus per resurrectionis gloriam, ei etiam, ut Hilarii verbo utamur, concorporabimur; atque ita Christo mediante unum cum Patre erimus. Hujusmodi autem unitatis assertio prorsus caret suspicione, ne corporum suscitatorum veritati quidpiam detrahere videatur, præsertim cùm num. 35. præmissum sit, *dissolutorum corporum pulverem in formam soliditatemque membrorum esse cogendum.*

Pater est, & ille rursum per societatem carnis in nobis est: quos in regnum præparatum illis ante constitutionem mundi obtinendum locaverit, quibus absorpta morte immortalem vitam æternamque reddiderit. (Immortalitas.) Non enim jam incrementis corporum, escarumque alimentis, infirmitatumque casibus vitæ humanæ demutatio laborque tolerabitur: sed æternitas cunctis, quæ naturæ suæ virtute ipsa se continens, id est, quæ se ipsam alat conservetque, [a] donabitur: certique omnes fore se sempiternos, [quòd] non aliunde jam, id est, non extrinsecùs contineantur ad vitam, sed ex Deo, per quem resurrexerint, & immortales maneant & æterni. Et ideo hæc humanæ spei sacramenta tali confessionis fide Propheta conclusit (℣. 36.): *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem* [b] *plebi suæ, benedictus Deus est.* Dat itaque virtutem plebi suæ & fortitudinem Deus, quæ immortalis effecta intra vitam virtutemque contineatur, dispoliatoque corpore superinduta sit honore cælesti: ut omni corruptione & infirmitate depulsa, Deum æternitatis suæ laude benedicat, per unigenitum & primogenitum suum Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXVIII.

In finem pro his qui vel immutabuntur, Psalmus ipsi David.

(*Hilarius, Salva me.) * *SALVUM me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum * in limo profundi,* (* Hil. in limum.) *& non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratìs. Convaluerunt qui persequuntur me inimici mei injustè: quæ non rapui tum exsolvere repetebar. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscon sa. Non confundantur in me qui exspectant te, Domine virtutum: non vereantur super me qui quærunt te, Deus Israel. Quoniam propter te sustinui improperium, operuit reverentia faciem meam. Exter factus sum fratribus meis, & hospes filiis matris meæ: quoniam zelus domus tuæ comedit me, &*

A *opprobria exprobrantium te ceciderunt super me. Et operui in jejunio animam meam, * factum est mihi in opprobrium.* (* &.) *Et posui vestimentum meum saccum, & factus sum illis in parabolam. Adversùm me detrahebant qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum. Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus bene-* B *placiti Deus. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ. Eripe me de luto ut non hæream:* [c] *& de profundo aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque contineat puteus super me os suum. Exaudi me Domine, quoniam suavis est mihi misericordia tua: secundùm multi-* C *tudinem misericordiæ tuæ conspice in me. Ne avertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me. Tu enim scis improperium & confusionem & verecundiam meam, in conspectu tuo sunt omnes tribulantes me: improperium exspectavit cor meum* D *& miseriam. Et sustinui commærentem, & non fuit: & consolantem, & non inveni. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum perpetuò incurva. Effunde super eos iram* E *tuam, & animatio iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet: quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum: & non intrent in justitiam tuam. Deleantur de libro viventium, &* F *cum justis non scribantur. Pauper & dolens sum ego, & salus vultus tui Deus suscepit me. Laudabo nomen * Dei in cantico, & magnificabo eum in laude:* (* tuum cum cantico, magnif.) *& placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem & ungulas. Videant pauperes, & lætentur: quærite Deum, & vivet anima vestra: quoniam exaudivit pauperem Dominus, & vinctos suos non * despexit.* (* sprevit.) *Laudent eum cæli & terra, mare*

[a] Mss. *donetur*: & mox omisso *quod*, subjiciunt *continentur*, non *contineantur*.
[b] Regius codex, *plebi ejus, benedictus es Deus.*

[c] Addit hîc Vat. cod. *libera me ex odientibus me*: quæ verba ab Hilario lecta fuisse liquet ex num. 15. quamvis præter morem versuum singulorum explanationi nusquam expressè præmissa sint.

*& omnia repentia in * eis : quoniam Dominus salvificabit Sion, & ædificabuntur civitates Judæ. Et inhabitabunt in ea, & hereditabunt terram. Et semen servorum ejus * possidebit eam : & qui diligunt nomen ejus, inhabitabunt eam.*

* eo.

* possidebunt.

TRACTATUS PSALMI.

1. TERTIUS hic *pro his qui immutabuntur* est psalmus : qui etsi nihil sub historiæ commemoratione complexus est, ut in quinquagesimo & nono inesse tractavimus, neque ut in quadragesimo quarto aliquid proprium in superscriptione prætulerit, ubi, Pro dilecto canticum prænotatur : in eo tamen quòd non illius David, sed *illi David psalmus in finem* præscribitur ; in illum potiùs David, qui & oriens & justus & finis est legis, convenire intelligenda prophetia est. Per id enim non ab illo, sed [a] in illum psalmus docetur esse cantatus. In his autem *qui immutabuntur*, evangelicæ spei fideles significari * docuimus, qui aut ex legis observatione, aut ex gentili impietate ad cognitionem Dei demutati, tamquam renascentes incorruptæ æternitatis candore [b] florerent ; quod idipsum psalmi fine tractabitur. Non ambigitur autem psalmus ipse sacramentum passionis Domini continere. Nam præter Johannem apostolum, qui in potatione aceti consistere consummationem Scripturarum testatus est, cùm etiam dictum hoc ab eodem sub Apostolorum recordatione præsumtum sit, *Zelus domus tuæ comedit me* ; adimit ambiguitatem, confirmatque omnia ad eum dicta gestaque esse referenda. Universarum itaque humanarum passionum sorte perfunctus, secundùm susceptas infirmitates nostras loquitur : & dolet ipse quidem extra necessitatem & timoris positus & doloris, sed his se tamen quæ suscepit accommodans : ut qui carnis nostræ homo natus esset, [c] & dolorum nostrorum querelis & infirmitatis precatione loqueretur. Cœpit itaque ita.

Psal. 44. 1. Psalmus est de Christo, ℣. 1. — * In Ps. 59. n. 2. — de passione illius. — Johan. 19. 28. — Ibid. 2. 17.

℣. 2. 2. *Salva me Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* ℣. 3. * *Infixus sum* [d] *in limum profundi, & non est substantia.* Vivendi omnibus finem mors in cunctos constituta præscribit. Et quid sibi nunc oratio ista vult, quæ se salvari deprecatur ; cùm lex mortis in omnes sit constituta ? Dehinc nunc orandæ salutis hæc causa est, quia intraverint aquæ usque ad animam ; introeundi autem aquis ad animam hinc facultas sit, quòd infixus sit in limum profundi ; defixi verò in limum profundi nulla substantia sit. Ergo quia nemo nisi quod sperat precatur ; (sperat autem nemo se non mori ;) talis hæc ejus meritò oratio est, [e] qui, moriturus licèt, morte non erat obtinendus. Assumta ergo infirmitas habuit officium deprecandæ salutis, divinitatis verò conscientia spem tenuit salutis in morte sperandæ. Salvari se ergo orat qui & dixerit, Deus Deus meus, quare me dereliquisti ?

Mortis lex in omnes. — Christus ut homo salutem orat. — Matth. 27. 46.

3. Introeuntibus enim aquis usque ad animam, subjectus morti crucis fiebat, cùm passionum universarum impetus usque ad mortem animæ perrumperet. In aquis autem insectationes populi motusque gentium significari solere non dubium est, cùm dicitur, Torrentem pertransivit anima mea ; vel illud, Et pertransivit anima mea aquam immensam. Sunt & aquæ arenosam domum subluentes, eamque in casum ruinamque pellentes. Hæ ergo nunc aquæ usque ad animam intrantes, ad precem eum orandæ salutis coegerunt.

Aquæ quid. — Psal. 123. 5. — Ibidem. — Matth. 7. 27.

4. Verùm ineuntium harum passionum, non aliunde quàm ex assumtione carnis, & virtus est & potestas. Non enim incidere in Deum hic infirmitatum nostrarum terror valebat, aut exserere se nisi in carne corporis nostri, [f] tamquam in subjacente materia, potuerant passiones. Porro autem haurienda fuit natura * cælestis, ut exinaniens se ex Dei forma, in formam servi hominisque decideret. Et ideo usque ad animam aquæ penetrant : quia substantia ei non sit, [g] infixo in limo profundi. Non utique substantia ea non erat quæ assumta habebatur, sed quæ se ipsam inaniens hauserat. Nullo autem modo se caruit, qui se ipsum exinanivit evacuans : nec tamen idipsum videbatur exstare, quod jam in aliud se evacuando concesserat. Non est ergo substantia, per id quòd infixus est in limo profundi. Primus enim homo de terræ limo : & secundus Adam in hujus limi profundum de cælis descendens, se ipsum tamquam ex alto veniens defixit. Evacuans ergo se, quippe cui substantia non erat, non jam usque ad carnis, verùm etiam usque ad mortis profunda descendit, & omnis in eum terror desævientis in nos tempestatis incubuit. Cùm enim se, contra naturæ cælestis terrenæque diversitatem, [h] in hunc limum potestatis suæ virtute defixit ; quia ea quæ naturâ dissident, ad quamdam connexionis suæ soliditatem non

Christo unde mors & passio. — * divina. — Dei exinanitio. — Deus & homo in Christo qua vi uniti.

[a] Mss. *in illo* : superiùs etiam *in fine*, quod propè semper præ se ferunt, non *in finem*.

[b] In ms. Reg. *florent*.

[c] In vulgatis *ex dolorum*. Concinniùs in mss. *&*, pro *etiam*.

[d] Ita Reg. ms. juxta græcum εἰς ἰλὺν : qui tamen cum vulgatis quandoque exhibet *in limo* : quod iis locis à nobis non est immutatum.

[e] Editi, *quæ moriturus*. Rectiùs mss. *qui* scil. obtinendus seu detinendus non erat à morte, cujus victor evasurus erat per vitæ receptionem.

[f] In mss. Vaticanis, *tamquam in subjacentem materiam* : quod non displiceret, si priùs *in carnem*, non *in carne* legeretur. Hoc loco in antiquis editionibus valde depravato, paucis aperit Hilarius de passione Christi quid sentiat, eum videlicet tamquam Deum non habuisse unde pateretur, quod habuerit tantùm ex hominis assumtione.

[g] Regius codex secundis curis, *infixa*, quod & in vulgatis obtinuit, quamvis longè meliùs à prima manu cum ms. Mic. præ se ferat *infixo*, hoc est, ei qui infixus est. Exinde subtiliter exponit noster Interpres de qua Christi natura dicatur, *Non est substantia* : non, inquit, de humana, sed de divina ; non quòd Christus homo factus divinitatis substantiâ umquam caruerit, sed quòd ea ita latuerit, ut non exstare videretur : quæ ipsius verba aliis difficilioribus explicandis lucem afferunt non modicam.

[h] Editi, *in hanc humum*. Clarum est hîc *natura cælestis terrenaque* nomine divinam humanamque designari.

generis ipſius propinquitate conveniunt; ſed [a] potiore vi tamquam confixa ſociantur: tunc & pati cœpit & mori poſſe, per occaſum mortis in inferna deſcendens.

Mortis Chriſti prophetia.

5. Sequitur enim: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Imitator ille & dominicæ mortis & temporis Jonas, mari merſus cetoque ſuſceptus, non tam in mari ſe quàm in inferno poſitum teſtatur: Clamavi in preſſura mea ad Deum meum, & exaudivit de ventre inferorum clamores meos. Et quamvis B eum cetus ad ſpeciem infernæ mortis hauſiſſet, ait, Introivit caput meum in ſciſſuras petrarum, deſcendi in terram cujus [b] ſeræ tenaces & æternæ. Sancto etiam Job poſt illud univerſarum paſſionum glorioſiſſimum bellum, cùm dignus jam eſſet eloquio divino ſcientiâque naturæ, poſt confracti intra ſe maris portas, rugienteſque ejus in matris ſuæ ventre terrores, rurſum quid etiam in mari ſignificaretur, Dominus revelavit, dicens, C Veniſti autem ſuper fontes abyſſi, aut in veſtigiis maris ambulaſti? aperiuntur autem tibi præ timore portæ mortis: in veſtigiis utique maris, tamquam in profundo vel altitudine maris, portas mortis eſſe ſignificans. Nam cùm profunda maris inferiora ſint terræ; neceſſe eſt in profundo maris, id eſt, in inferioribus ſedem mortis oſtendi. Veniens ergo in hoc profundum maris, tempeſtate demerſus eſt, cujus in anteriore pſalmo ita meminit, D dicens, Omnia excelſa tua & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Sed & ille, ut dixi, dominicæ mortis imitator, quem ex tenacibus æterniſque terræ ſeris immaniſſimus ille maris iſtius cetus evomuit, haud diſſimilia conqueſtus eſt. Omnes ſuſpenſiones tuæ & fluctus tui ſuper me [c] tranſibant. Uſque ad mortis igitur veniens profundum, mortis ipſius tempeſtate demerſus eſt, adverſariarumque virtutum depreſſus procellis eſt.

Jonæ 2. 3. — Ibid. 7. — Job. 38. 16. & 17. Mortis ſedem quibus verbis exprimat Scriptura. — Pſal. 41. 8. — Jonæ 2. 4.

Chriſti clamor.

6. Non tamen [d] tacitus eorum, qui ſe ipſos E diabolo præbituri erant velut miniſterii arma peccato, (quippe qui & nonnumquam conſilia [e] initæ mortis ſuæ exprobraverit, & ſtans in templo ſæpe clamaverit, & elevatis ad Deum frequenter oculis intenderit, ut ad unumquodque divinitatis ſuæ opus maximum [f] adſpectarent) intelligitur ad Patrem; ob quod ſequitur, *Laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum ſpero in* F *Deum meum.* Infirmitates noſtras ſuſcipiens, portanſque peccata, uſu & conſuetudine humanæ defatigationis loquutus eſt: [g] namque qui ſe ſomno & laſſitudini ſæpe commiſerit, etiam uſque ad ſitis & eſuritionis neceſſitatem. Fauces itaque ejus raucæ ſunt, oculique defecti. Cauſam verò maximi clamoris & intentionis oculorum hanc eſſe docuit, quia ſperaret in Deum, vel cùm clamat dicens, Qui credit in me, non in me credit, ſed in eum qui me miſit: vel cùm clamaturus Lazarum voce magna, elevatis ſurſum oculis ait, Pater, gratias tibi ago quoniam audiſti me.

℣. 4. — Qua de cauſa. — Johan. 12. 44. — Ibid. 11. 41.

Odientium numerus cur ſupra capillos.

7. Sed illo vel paterni nominis magnificentiam teſtante, vel humanæ ſalutis opùs moliente, odia in eum multiplicantur in caſſum. Sequitur enim: *Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratìs. Convaluerunt qui perſequuntur me inimici mei injuſtè, quæ non rapui tunc exſolvere repetebar.* Numerus odientium ultra capillos capitis eſt multiplex: ſive ob impiorum copioſam multitudinem, ſive quia indigni ſint Dei curâ, (nam Apoſtolorum capillos, quia tanta eorum Deo cura eſt, ſcimus eſſe numeratos,) ſive quia infidelium numerus ultra numerum ſit fidelium. Nam cùm decus capitis in capillis ſit, & Eccleſiæ, quæ corpus eſt Chriſti, in Apoſtolorum decore omnis ornatus eſt. Super hoc capitis ſui decus, odientium eſt multitudo. Oderunt autem eum *gratìs*, id eſt, cauſam odii non habentes. Et convaleſcentes inimici, injuſtè ſunt perſecuti. Non enim peccatum egerat, nec dolum habuerat: & ideo quæ non rapuerat, tunc repetebatur exſolvere. Cùm enim debitor mortis peccatique non eſſet, tamquam peccati & mortis debitor tenebatur, ab his ſcilicet, qui in eo peccati legem quæ in membris noſtris eſt exſerebant. De peccato enim condemnavit peccatum in carne.

℣. 5. — Matth. 10. 30. — Quàm gratìs oderunt. — Rom. 8. 3.

Stultitia Chriſti crux.

8. In quo quia magnum divinæ ſapientiæ explebat conſilium, cruciſque mors in Deo ſtultitia gentibus videbatur, magnaque in eo cæleſtis terrenæque ſpei exſpectatio inerat; ſubjecit, *Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita.* * *Non confundantur in me qui exſpectant te, Domine virtutum: non vereantur ſuper me qui quærunt te, Deus Iſrael.* Inſipientiæ ſuæ Deus conſcius eſt, & delicta ſua abſcondita ab eo non ſunt: pœnas ſcilicet inſipientiæ & delictorum, quas non rapuerat, repetebatur exſolvere. Uſque ad crucis autem ſtultitiam (id eſt, quia ſtultum ſit gentibus peccata noſtra ſic ſuſcipi,) ut peccator & ſtultus gratìs injuſtéque vexatur. Sed quia ſtultitiam atque delicta propter ſapientiam noſtram vitamque ſuſceperat, ut principem ſæculi judicaret, & de peccato condemnaret in carne peccatum: (cùm quando in ſe, in carne ſcilicet corporis ſui, in qua nihil inveniri poterat peccati, ſecundùm quod ait, Ecce veniet princeps mundi, & non inveniet in me quidquam, veniens hic mundi princeps, nihilque inveniens, peccati tamen pœnam, id eſt, jus mortis [h] exſeruit; per

℣. 6. — ℣. 7. — Crucis fructus juſtorum exſpectatio. — Johan. 14. 30.

[a] In vulgatis, *potiore vita, qua* (vel *quàm*) *confixa.* Horum emendationem uni mſ. Vaticano debemus, aliis etiam faventibus.
[b] In antiquis libris ſcribitur conſtanter *ſerra* cum duplici *r.*
[c] Reg. mſ. *tranſiebant*: & mox *maris* (non *mortis*) *ipſius tempeſtate.*
[d] Lipſ. & Par. *coactu eorum.* Er. in margine *fortè actu*, in textu autem cum Bad. & mſſ. Vaticanis, *tactu.* Reg. *taciti.* Reſtituimus ex Mic. *tacitus eorum*, ſcil. *intelligitur ad* (ſeu *apud*) *Patrem.*
[e] Unus codex Vatic. *inita.*
[f] Editi, *aſpectare intelligeretur.* Sequimur Reg. mſ. in quo tamen *adſpectaret*, non *adſpectarent.*
[g] Editi, *nempe qui*, litterâ, non ſenſu à mſſ. diſſidentes. Vide Tractatum ſuperiorem n. 22.
[h] In vulgatis hîc, ut paſſim, pro *exſeruit*, ſubſtitutum erat *exercuit*: quam hujus molitionis ſuæ pœnam ſæculi princeps cum aſſeclis ſuis dederit, habes in ſuperiorem pſalmum n. 23.

quod humanæ mortis auctor, quia in auctorem vitæ peccati nescium mortem molitus sit, judicatur: & hæc sanctorum exspectatio fuit, ut omnis caro redimeretur in Christo, ut in eo æternæ resurrectionis primitiæ exsisterent:) non confundi in se eos rogat qui exspectent Dominum, neque quærentes Deum Israel super se vereri aut pudere: quia suscipiendæ ab eo carnis tempus desideratum sit, secundùm illud, Multi prophetæ & justi cupierunt videre quæ vos videtis, & audire quæ vos auditis. Ne quid ergo in se imbecillum infirmumque maneat deprecatur: ne spem exspectantium infirmitas corporis carnisque confundat. Per eum enim & in eo exspectatio nobis omnis ad Deum est. Veniens ergo in corpus, ne in se sanctorum spes confundatur orat.

Matth. 13. 17.

A, B

Infirmitas Christi est assumta, non naturalis.

9. Quòd autem infirmitates nostras ad salutem generis humani ex paterna voluntate susceperit, quia non voluntatem suam facturus venerit, sed voluntatem ejus qui se miserit Patris; nunc quoque per subjecta declarat, *Quoniam propter te sustinui improperium, operuit reverentia faciem meam.* * *Exter factus sum fratribus meis, & hospes filiis matris meæ:* * *quoniam zelus domus tuæ comedit me.* Non fuit ergo in unigenito Deo naturalis infirmitas, sed assumta: quia [a] propter eum hæc improperia susceperit passionum. Quamquam ne in naturis quidem hominum inest necessitas aliqua peccati; sed ex appetitu voluntatis & oblectatione vitiorum, peccati usus arripitur. Et ideo Dominus non se rapuisse quæ ut solveret repetebatur ostendit: quia ea quæ contra naturam sint desiderata [b] rapiantur, soluturis omnibus quadrantem novissimum talium debitorum: & ob hoc orationis dominicæ præscripto, remitti nobis debita deprecamur. Sustinuit ergo improperium propter Deum, dum alienum à natura sua corpus assumit, dum, secundùm Apostolum, peccati nescium Pater facit esse peccatum, dum fit obediens usque ad mortem crucis, dum ipsi exprobratur quòd ceteros salvans se ipse non salvet, dum contumelias sputorum alaparumque perpetitur.

Johan. 6. 38. ℣. 8. ℣. 9. ℣. 10.

C, D

Peccati necessitas nulli inest.

Matth. 5. 26.

Improperia Christi.

2. Cor. 5. 20. *V. lib. 10. de Trin. n. 46.*

E

Qui diffideat à nobis.

10. Hoc igitur pudore coopertus ob Deum, fit alienus à fratribus suis, & filiis matris suæ hospes efficitur, à vitiis scilicet eorum, qui sibi secundùm carnem consanguinei habebantur, [c] alienus; dum nummulariorum mensas templum ingressus evertit, dum nundinas ovium ac boum prohibet, dum vendentibus columbas cur domum patris sui domum fecerint negotiationis exprobrat. Zelo enim domûs Dei pervasus hæc egit. Est autem hæc amoris pii indignatio, ut eorum quos diligimus contumeliis tamquam zelo effervescente moveamur.

Johan. 2. 15.

F

Zelus ejus,

Hoc enim pollutæ domûs zelo, ut Evangelium (sicut superiùs docui) testatum est, turbam omnem ementium ac vendentium templum ingressus ejecit. Zelo autem Dei etiam usque ad mortis severitatem & finem placuisse, laudabile est.

11. Per hanc igitur exprobratarum his cupiditatum indignationem, omnium in eum maledictorum congesta convicia sunt. Quæcumque autem in impios dirigi solent, hæc in eum opprobria sunt relata: cùm blasphemus, cùm Samaritanus, cùm Beelzebub, cùm dæmonium habens dicitur. Id enim subjecit: *Et opprobria exprobrantium te ceciderunt super me.* Blasphemiæ opprobrium ei potiùs, qui Deo contumeliam exprobret, ingeritur; sicuti dæmonii infamia ei magis, qui à Deo sit alienus, est propria. Quæ cùm omnia ei exprobrata sint propter domûs Dei zelum, eorum qui Deum exprobrant, super eum opprobria congeruntur. Et hujus dicti ad Romanos Apostolus scribens, sub hujus significationis meminit intelligentia.

convicia ipsi coacervavit.

Johan. 8. 48.

Rom. 15. 3.

12. Ipsa etiam jejunii continentia recidit in opprobrium, cùm à diabolo tentatur, cùm in templi pinna locatur, cùm supra montem fertur, cùm postremò ad adorandum satanam totius mundi ambitione tentatur. Flet interdum, & ingemiscit, & tristis est: & id ipsum ad infirmitatis tribuitur exemplum. Omni denique generi hominum & obtrectatio efficitur & canticum. Ipsi enim qui in portis orandi victûs causâ sedeant, obloquuntur & detrahunt: & in eo ebrii psallunt. Hæc autem omnia vel secundùm gestorum fidem, vel secundùm humanæ consuetudinis modum in se ita gesta esse conqueritur. *Et operui in jejunio animam meam, & factum est mihi in opprobrium.* * *Et posui vestimentum meum saccum, & factus sum illis in parabolam.* * *Adversùm me detrahebant qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum.* Fuit itaque jejunium ei in opprobrium: quia per esuriendi opprobrium usque ad adorandi satanæ contumeliam tentatus est. Vestis autem de sacco, habitus est luctûs. Luctûs verò omnis affectus in fletu est. Et cùm Lazarum excitaturus illacrymat, infidelitatem humani generis lugebat: in habitu enim luctûs, flendi significatur [d] affectus. Quòd autem non Lazarum, cujus & morte lætatur, quem & ex mortuis excitaturus erat, fleverit; omnis ipse Evangelii sermo declarat. Sed cùm resurrectionis fidem nullam futuram, in ipso resurrectionis opere flevisset; fletus ejus in parabolam profecit, ut & tum [e] documentum amoris sui in Lazarum flendo dictus sit præbuisse: & à plerisque hodie, quia fleverit, arguatur infirmus. In ebriis au-

Quæque Christi gesta omni hominum genere obtrectantur.

Matth. 4. 1. &c.

℣. 11. ℣. 12. ℣. 13.

Matth. 4.

Lazarum excitaturus quid fleverit.

Johan. 11. 15.

e *V. lib. 10. de Trin. n. 24. & 55.*

[a] In vulgatis, *propter Deum:* At in mss. *propter eum:* referturque ad Patrem, cujus voluntatem facturus venisse Filius mox dicebatur. Jam observatum est in Psal. 54. p. 105. not. c. id ab Hilario negari Christo naturale, quod ei non convenit ut Deus est. Hinc est quod mox ait, *Alienum à natura sua corpus assumit.* Quomodo autem corpus alienum à natura illius est, ita & corporis infirmitas. Ut enim corpus, ita & infirmitas assumta est. *Assumtio autem infirmitatis*, inquit in Psal. 137. n. 3. *non fecit infirmum: quia aliud est naturam esse, aliud est assumsisse naturam.* Præterea naturalem hîc negat, quatenus hoc necessitatem sonat; contenditque infirmitatem à Christo fuisse susceptam voluntaria assumtione, non necessitate naturæ.

[b] Hîc respiciuntur peccata, quæ contra naturam ex inordinato voluntatis appetitu ortum habere proximè dicebantur.

[c] Mss. *alienans.*

[d] Ita mss. At vulgati, *effectus.*

[e] Reg. ms. *docimentum:* quam vocem ita scriptam constanter exhibet.

tem psallentibus, & his qui in porta sederent detrahentibus, omnium etiam infimorum in eum contumeliæ per hanc consuetudinem vulgi docentur. Adeo autem nullum genus hominum de eo tacuisse manifestum est, ut Cleophas ei, qui tamquam rerum ignarus causam sermonis interrogaret, respondisse ita
Luc. 24. 18. scribatur: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in ea in diebus his? Stupor enim est de ignoratione unius, in cognitione universorum.

Christi oratio.

13. Sed inter has omnium de se & obtrectationes & contumelias, humanæ salutis sacramenta peragebat: & salutem à Deo homini quem assumserat deprecatur. Id enim sequitur:
℣. 14. *Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.*
℣. 15. * *Eripe me de luto, uti non hæream, & de profundo aquarum.*
℣. 16. * *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque contineat puteus super me os suum.* Ceteris in contumelias & opprobria ejus intentis, ipse oratione sua totus ad Deum est; susceptas quidem infirmitates nostras in se habens, sed in his quibus afficitur cælestis erga nos misericordiæ munus exsequitur: neque invitus hæc sumens, in multitudine misericordiæ beneplacitum Deo esse tempus ostendit. In hoc ergo beneplacito tempore rogat: quia non ignorat hanc Patris de se prophetiam etiam ab apo-
2. Cor. 6. 2. Esa. 49. 8. stolo Paulo recognitam: Tempore accepto exaudivi te.

14. Omnia quidem Deo pro magnificentia operum intelligenda sunt placere quæ gesta
Genes. 1. 31. sunt: & cùm in Genesi scribitur, Et vidit Deus quia bona sunt, vitium nullum in rerum relinquitur creaturis. [a] Nam etsi quædam humani ingenii corrupta nequitiis sunt, ut ex remediis venena, ut ex ferro ensis, ut ex igni conflagratio, ut ex cibis cruditas, ut ebrietas ex vino, ut postremò partes ipsæ & membra corporum ad naturales utique usus utilesque formatæ, vitiorum se ac criminum ministeria præbuerunt; & cùm Deo cuncta sint placita, beneplacitum tamen tempus hoc est, quo unigenitus Deus in sanguine corporis nostri, tamquam inimica ac diffidentia, reconciliaturus omnia in cælis & in terra Deo esset: cùm multiformis illa Dei Sapientia aliis occulta temporibus, nullisque principibus ac magistratibus sæculi cognita, ad laudem claritatis Dei esset revelanda; cùm coheredes & concorporales & comparticipes Christo gentes fierent; cùm in eo omnes adversæ Deo virtutes dehonestarentur; cùm mors postquàm in Deo esset grassata desineret; cùm lex peccati quæ in carne nostra est tolleretur;

Malum ex se nihil, sed vitio humano. a

Tempus beneplacitum, quid per Christum præstitum mundo.

Coloss. 1. 20. Ephes. 3. 9. & 10. Ibid. 5.

A cùm revelationem filiorum Dei congemiscens omnis creatura speraret; cùm in passione unigeniti Dei omnium ante constitutionem mundi causarum & originum consummaretur effectus, principem sæculi judicando, hominem ex peccati lege redimendo, creaturis à corruptionis vanitate cui servierant liberandis, nequitiis spiritalibus Domini morte damnandis, Deo in omnibus & per omnes æternitatis munere & immortalitatis nostræ claritate Rom. 8. 19.
B laudando. Omnia autem hæc virtus resurrectionis implevit: [b] quia per primitias ex mortuis ab hominum genere morte depulsâ, in auctores mortis æternæ mortis pœna decreta est. In se enim ipso principatus & potestates dehonestatas cum fiducia triumphavit.

15. Et ideo post beneplaciti temporis significationem, omnis tribuendæ veræ salutis oratio est: ut ea ipsa salutis veritas intelligere-
C tur, quæ ex resurrectione speratur. Dehinc qui infixus esset in limo profundi, ut luto non inhæreret rogat; secundùm illud, Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Qui enim de terra est, & in terram ex qua acceptus est revertetur, luto & limo quo infixus est inhærebit, [c] in naturæ suæ, id est, corporis originem dissolutus. Liberari se etiam ex odientibus se deprecatur, & de profundo
D aquarum: quia usque ad animam suam, id est, usque ad passionem insectantium odia proruperint. Veniens quoque in altitudinem maris, ac tempestate demersus, nunc ne demergatur orat: ut superiùs assumtæ infirmitatis nostræ professio sit, cùm se demersum esse profitetur: nunc verò [d] consciæ in se salutis fiducia est, cùm ne se aquæ tempestas demergat precatur. Nam ejusdem naturæ non est, & demersam jam esse, & ne demergatur ora-
E re: sed ejus quæ [e] per corpus licèt mersa, non tamen sit detinenda per spiritum. Et ideo nunc ne absorbeatur profundo, neve super se puteus os suum claudat, precatur. In puteo enim infernæ mortis sedem significari, & psalmus alius testis est, cùm dicitur, Tu verò Domine deduces eos in puteum interitûs; Ps. 54. 24.
demersum hoc profundumque puteorum inferna terræ significari demonstrans. Ne contineat ergo super eum puteus os suum postu-
F lat. Impossibile enim est Deum vitæ, portis inferni detineri.

Christi incorruptio. Psal. 15. 10. c Gen. 3. 19. c

Christi duæ naturæ. d e Puteus, infernus.

16. Ac ne in eo quòd mortem nostræ infirmitatis assumsit, secundùm humanam necessitatem aliquid ex mortis acerbitate [f] mæreret; ideo subjecit, *Exaudi me Domine, quoniam suavis est mihi misericordia tua: secundùm multitudinem misericordiæ tuæ conspice in me.* Hoc
℣. 17.

Christum præter hominem aliquid præ se ferre. f

[a] Editi, *tametsi quædam*: emendantur ex Reg. ms.

[b] Ita mss. Reg. & Mic. In vulgatis autem &, loco *quia*. De hac mortis pœna in auctores nostræ mortis retorta, jam superiùs n. 8. & in Ps. 67. n. 23. tractatum.

[c] Bad. Er. & Lips. cum Reg. ms. *naturæ suæ, id est corporis origine dissolutus.*

[d] Sola editio Par. *conscius*. At Bad. *consciæ se*. Er. & Lips. *conscia suæ salutis*. Familiare autem est Hilario, ut rem cujus quis conscius est, ipse consciam significet. Cujusmodi est illud lib. 7. de Trin. n. 1. *Quamvis consciæ infirmitatis nostræ trepidatione revocemur*. Vide eumdem lib. n. 21.

[e] Ut per *corpus* hominem, ita per *spiritum* Deum more antiquorum hîc intelligi liquet ex postremis hujus numeri verbis.

[f] Editi, *ei ex mortis acerbitate hæreret*. Præferimus cum ms. Mic. *mæreret*, maximè cùm in aliis quoque non exstet *ei*, ac verbum *mæreret*, rectè opponatur verbo *suavis est*, ad quod fit transitus.

enim in multitudine miſericordiæ beneplacitum A eſt tempus, cùm in ſe univerſorum hominum vitam Deus miſerans, ut miſerator Deus vitam eſſet largiturus ex mortuis. [a] Sed quia ſuavem hanc ſibi eſſe Dei miſericordiam teſtabatur, ſuſceptæ tamen infirmitatis noſtræ
℣. 18. ſollicitudinem non relaxat, dicens, *Ne avertas faciem tuam à puero tuo : quoniam tribulor,*
℣. 19. *velociter exaudi me.* * *Intende animæ meæ, & libera eam : propter inimicos meos eripe me.* Omnia ut homo & patitur & loquitur. Nam ex B ſuſceptione carnis & puer eſt, ſecundùm il-
Eſai. 42. 1. lud, Ecce puer meus quem elegi, dilectus
» meus in quo complacuit animæ meæ; & citum auxilium tribulationi ſuæ orat, & intendi in animam ſuam rogat : ut per id quòd in eam intendit Deus, digna ſit liberari. Et hæc
Cùm ſalutem ſibi non ſuâ causâ precatur. quidem, ut homo noſter, obediens uſque ad mortem crucis precatur. Sed cùm eripi ſe propter inimicos ſuos rogat, conſuetudinem humanæ & ſpei [b] & moris excedit. Nemo C enim ſalvus aliquâ magis quàm ſalutis ſuæ causâ vult eſſe : & à malis quis eripi ſe ob id neceſſe eſt, ne malis afficiatur, optabit. At verò nunc eripi ſe non ſuâ causâ, ſed *propter inimicos ſuos* ex his quibus afficitur depoſcit : quia hi inimici dehoneſtandi in ſe patiente, & triumphandi cum fiducia in ſe ex mortuis reſurgente mox eſſent.

Nil ſuâ causâ agit aut patitur. 17. Denique nihil ſe ſuâ causâ agere ac pati conſequentibus docet, dicens, *Tu enim* D
℣. 20. *ſcis improperium & confuſionem & verecundiam*
℣. 21. *meam :* * *in conſpectu tuo ſunt omnes tribulantes me. Improperium exſpectavit cor meum & miſeriam.* Superior non diſpar profeſſio eſt, cùm dicit, *Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſconſa.* Contra humanæ enim opinionis [c] errorem, ſoli Deo aſſumta magis hæc ab eo infirmitas, quàm naturalis
Ad paſſionem anhelat. eſſe, erat nota. Et quia propter inimicos ſuos hæc perpetienda ſibi fuerant, per quæ hu- E manæ ſaluti atque æternitati conſulebat; hujus beneplaciti temporis teſtatur affectum, dicens, *Improperium exſpectavit cor meum & miſeriam;* deſideratas ſibi eſſe hujus temporis
Sacramentum divinæ Communionis. ſignificans paſſiones, ſecundùm illud divinæ Communionis Sacramentum, Deſiderio cupivi hoc [d] manducare : quia in his paſſionis ſuæ
Luc. 22. 15. deſideriis beneplaciti temporis conſiſtebat effectus.

Mærentis ſolatium, fides noſtra. 18. Sed pati ad profectum noſtræ ſalutis ex- F ſpectans, alterius quoque exſpectationis deſiderio detentus eſt. Sequitur enim, *Et ſuſtinui commærentem, & non fuit; & conſolantem, & non inveni.* Commærentis & conſolantis non ſolatium, ſed fidem quærit : ut ſi quis veniens ex lege, & harum omnium paſſionum intelligens prophetiam, ſecum tamquam in

A conſummatione ipſius legis aſſiſteret; ut poſtea Paulus adimplens paſſiones Jeſu Chriſti, & *Coloſſ.* 1. 24.
conſepultus in baptiſmo, Chriſtum finem eſſe ſcit legis. Nam ad conſummationem humanarum paſſionum propheticorumque dictorum, qui [e] geſtorum futurus finis erat, idem eſt & querelarum. Id enim ſequitur, *Et dederunt in* ℣. 22.
eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto. Hæc enim ita, ut ſcripta leguntur, expleta ſunt. Nam & fel ingeſtum ei, & aceto
B potatum Evangelia teſtantur. Oblatum quidem ſecundùm Matthæum fel renuens : ſed *Matth.* 27. 34.
ſecundùm Johannem, ut acetum potaret, ſitivit. Locus autem ipſe his verbis eſt dictus: *Johan.* 19. 28. &c.
Poſt hæc Jeſus ſciens, quoniam omnia conſummata ſunt, ut impleretur Scriptura, ait, «
Sitio : & erat concha poſita aceto plena. «
Spongiam igitur plenam aceto hyſſopo admiſ- «
centes, obtulerunt ori ejus. Cùm ergo acce- «
piſſet Jeſus acetum, dixit, Conſummatum eſt. «
C Venerat ad oves perditas domûs Iſrael, & exſpectans conſolantem commærentemque non habuit : non quòd conſolatione eguit volens pati atque mori, ſed qui ſecum ſuper totius populi impietate mæreret, & qui ſe ipſum ipſâ mærentis ſecum ſalute conſolaretur : ut omnibus tanto ſcelere perfunctis ſolatium in his ſaltem qui ſalvi fierent acciperet, ſecun- *Deut.* 32. 36.
dùm illud, Et in ſervis ſuis conſolabitur : quia non credente Iſrael, gentes [f] in eum eſſent
D credituræ. Verùm prophetice non ſitiſſe ſcribitur, ſed ut implerentur omnia, ſitiſſe ſe dixit : quia cunctæ noſtræ quæ in eo fuerunt infirmitates, [g] non naturales ſunt, ſed aſſumtæ. Dehinc ut ſatisfeciſſe Scripturæ propheticæ noſceretur, potato aceto omnia conſummata eſſe teſtatus eſt : ut plenitudo legis & prophetarum, qui legem & prophetas conſummabat, exſiſteret. Plenitudo legis Chriſtus.

19. Jam verò quia intra conſummationem
E oblati fellis & potandi aceti, conſummanda quoque erat paſſionis totius prophetia; ad ea quæ poſtea impietatem tanti facinoris conſe-
cuta ſunt ſermo ſe retulit, dicens, *Fiat menſa* ℣. 23.
eorum coram ipſis in laqueum, & in captionem, & in retributionem, & in ſcandalum. * *Obſcu-* ℣. 24.
rentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum perpetuò incurva. Eſſe menſam ſacrificiorum, Menſa ſacrificiorum.
ut de lege, quæ in ſe futuri eſt ſpeciem complexa, taceamus, Apoſtolus teſtatus eſt, di-
F cens, Non poteſtis menſæ Domini [h] partici- 1. *Cor.* 10. 21.
pes eſſe, & menſæ dæmoniorum. Sed eſſe menſam ſcientiæ, cùm nonnullis locis cogni- Menſa ſcientiæ.
tum ſit, tum etiam in his ipſis dictis intel- *Rom.* 11. 7. & 8.
ligi oportere, idem beatus Apoſtolus ad Romanos ſcribens interpres eſt : cùm eos obcæcatos eſſe ne quid intelligerent teſtatur. Hæc ergo menſa, unde cibus vitæ ſpiritalis accipitur,

[a] Ita Reg. mſ. ubi in editis, *ſed qui ſuavem.*
[b] Sola editio Par. *& mortis.* Mox in vulg. *alia magis,* loco *aliqua.*
[c] In uno codice Vatic. *terrorem :* malè. Tum *ſoli Deo* refertur ad *erat nota,* non ad *aſſumta.*
[d] Unus è mſſ. Vat. *manducare paſcha,* quomodo legitur in Pſ. 51. n. 4. Hîc pro *paſcha* poteſt ſubintelligi *ſacramentum divinæ communionis.*
[e] Vocabulum *geſtorum* abeſt à Reg. mſ. & ab interpolatore adjectum ſuſpicamur.
[f] Reg. mſ. *ei eſſent crediture. Vera prophetia non* &c.
[g] Eraſmo hîc quærenti, *Quomodo non naturales, qui naturam aſſumſit?* facilis eſt reſponſio : Quia natura aſſumta eſt, etiam cetera, quæ naturam conſequuntur, aſſumta ſunt. Ut enim ait Auguſt. in Pſal. 93. n. 19. *ſic triſtitiam aſſumſit, quomodo carnem,* quam ſcil. non habuit naturâ, ſed diſpenſatione.
[h] Mſ. Reg. *participare.*

coram

coram ipsis in laqueum & in captionem & in A
retributionem & in scandalum facta est: cùm vel
præscripta legis vel prophetarum voces ab Ec-
clesiæ viris ad revelationem divini consilii tra-
ctantur, cùm ad assumendæ carnis fidem uni-
genitus Deus in hominis specie & ab Abra-
a ham [a] adoratus & cum Jacob colluctatus osten-
ditur, cùm ex Juda princeps veniens idem ex-
spectatio gentium nuntiatur, cùm in Abraham
πατριαί. semine omnes patriæ gentium benedicendæ
sunt, cùm ex David utero æterni regni Do- B
Esai. 53. 7. minus prædicatur, cùm, secundùm Esaiam,
Dominus tamquam ovis ad occisionem ductus,
nec maxillas ab alapis nec faciem avertit à
Baruch. 3. 36. &c. sputis, cùm, secundùm Jeremiam, hic Deus
noster est, qui disciplinis omnibus Israel di-
lecto suo traditis, postea in terris visus sit, &
inter homines conversatus sit, cùm denique
de adventu ejus omnium prophetarum dicta
conveniunt. Hæc itaque doctrinæ mensa, vel
hic vitalis cibi sermo, & laqueus & captio & C
retributio & scandalum est; cùm à nobis Deus
Jacob esse, qui ab his sit crucifixus, ostendi-
tur. Hæc enim est retributio tantæ impietatis,
Judæi cæcitate perculsi. ut quod nobis est Dei virtus, his scandalum
sit. Nam cùm illaqueati captique sint scri-
ptis, intelligentiæ tamen carent sensu: &
ideo obscurati sunt oculis *ne videant*, id est,
Matth. 25. 29. ne lumen intelligentiæ contuerentur; (quia
secundùm Evangelium, Omni habenti dabi-
tur; qui autem non habet, etiam quod habet D
Sub onere legis depressi. auferetur ab eo:) indigni videlicet, qui in-
telligentiæ sensum ac lumen acciperent; &
ideo evangelicæ libertatis scientiam non ade-
pti, perpetuò adhuc legis onere deprimuntur,
ut ferant quod sustinere non possunt. Id enim
in incurvando dorso per corporalium operum
speciem significatur.

b 20. Sed hanc eorum obcæcati cordis [b] in-
scientiam alia etiam debitæ ultionis pœna con-
℣. 24. sequitur: *Effunde super eos iram tuam, & ani-*
℣. 25. *matio iræ tuæ comprehendat eos.* * *Fiat habita-* E
tio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non
Ira Dei. *sit qui inhabitet.* In ira Dei pœnæ constitutio-
V. Tract. Ps. 2. n. 16. nem, non motum animi ad ultionis volunta-
tem exardescentis significari sæpe tractavimus:
quam non subitò puniturus intenderet, sed in
* aliàs, pœnam. quam * pœnâ dignus incideret. Mansit autem
hæc à prophetis omnibus huic genti impiæ de-
nuntiata damnatio. Nam eversâ mox ac diru-
tâ civitate deleti sunt, gloriosissimo illo tem- F
pli cultu deleto, ornatuque detracto. Et ideo
c habitatione deserta, in tabernaculis eorum
nullus [c] habitavit.

Judæorum crimen & pœnæ causa. 21. Verùm adhuc, secundùm impietatis in-
crementa, prophetia quoque pœnæ & ultio-
℣. 27. nis extenditur: *Quoniam quem tu percussisti per-*
secuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum ad-
diderunt. * *Appone iniquitatem super iniquitatem* ℣. 28.
ipsorum, & non intrent in justitiam tuam. * *De-* ℣. 29.
leantur de libro viventium, & cum justis non
scribantur. Causam apponendæ iniquitatis su-
per iniquitatem ipsorum, & repellendi eos ne
in justitiam intrarent, & delendis de vi-
ventium libro non scribendisque cum justis
eam esse demonstrans, quòd quem Deus
percusserit, hi persecuti sunt, & super do-
lorem vulnerum suorum addiderunt quod do-
leret.

22. Et fortè non injustè, quem Deus per- An percussus à Deo non injustè percutiatur.
cusserit, persecuti esse videantur. Ac de his,
quæ percussa à Deo sint, quid sentiri oporteat
antè tractandum est: ut quatenus & hæc per-
cussio salutaris, [d] & illa percussi persecutio d
impia sit, possit intelligi. Percussit Dominus Gen. 19. 24.
Sodomam & Gomorrha ultimis sceleribus pol-
lutas & abominatas: & invenio his ad miseri- Percussio Dei misericors.
cordiæ reconciliationem id quòd percussæ sunt
profecisse; cùm tolerabilius his in die judicii Matth. 10. 15.
sit futurum, quàm his civitatibus, in quibus
de Apostolorum pedibus pulvis excussus sit.
Percussam quoque synagogam Dathan & Abi- Num. 16. 32.
ron plagâ dignissimâ cognitum est: sed in
animis eorum ea, quibus maximè peccave-
rant, [e] sanctificata sunt opera. Et ne per sin- e
gula quæ sunt multa discurram, cùm & Apo- 1. Cor. 5. 5.
stolus in interitum carnis ad salutem spiritûs
tradat; Dominus ipse quid percutiens profi-
ciat, ostendit dicens; Videte, videte quia Deut. 32. 39.
ego sum, & non est Deus præter me. Ego in-
terimam, & ego vivificabo; percutiam, &
ego sanabo: ut percutiendi causam proficisci
ex causa sanationis ostenderet.

23. Percussus ergo est Dominus, peccata Percussus à Deo Christus.
nostra suscipiens, & pro nobis dolens: ut in
eo usque ad infirmitatem crucis mortisque per-
cusso, sanitas nobis per resurrectionem ex mor-
tuis redderetur. Percussum autem se ipse te-
status est, commonefaciens discipulos dicti hu-
jus: Percutiam pastorem, & dispergentur oves Matth. 26. 31.
gregis. Sed & Apostolus dicti hujus significa- Zach. 13. 7.
tionem haud dissimiliter confirmat, dicens, Rom. 8. 32.
Qui filio suo dilecto non pepercit. Non pe-
percit itaque dilecto filio suo: quem & colo- Matth. 21. 37.
nis vineæ, non ignarus quòd occisuri eum
essent, destinavit. Non pepercerat autem pri-
mo illi de terræ limo Adæ, quem de paradiso
post culpam, ne lignum vitæ attingens in æter-
nitatem pœnæ maneret, ejecit: ut naturam Cur.
corporis ejus Adam è cælis secundus assu-
mens, parique morte percussus, eam rursus in
vitam æternam jam sine pœnæ æternitate re-
vocaret. Hunc igitur ita à Deo percussum Percutitur & à Judæis.
persecuti sunt, super dolorem vulnerum do-
lorem persecutionis hujus addentes. Pro no- Esai 53. 4.
bis enim secundùm prophetam dolet; & id-

[a] In vulgatis, *adoratur*: mendosè.

[b] Ex codice Mic. præfertur *inscientiam*, ut vox Hilario familiarior, quàm quæ in aliis obtinet, puta *inscitiam*. Sic in Psal. 67. n. 32. legimus *contradictionem inscientiæ*.

[c] In vulgatis, *habitabit*. Concinniùs in mss. *habitavit*.

[d] Editi, *& illa percussio impia sit*. Verior videtur lectio quam damus ex ms. Mic.

[e] Apud Par. *significata sunt*: repugnantibus summo consensu aliis libris. Hîc alluditur ad id Num. 16. 37. ubi de thuribulis Core &c. testatur Deus, *Sanctificata sunt in mortibus peccatorum.* Græc. autem, ὅτι ἡγίασε τὰ πυρεῖα τῶν ἁμαρτωλῶν ἐν ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν. Sic Nadab & Abiu ob idem nefas igne consumtis Levit. 3. 10. ait Dominus, *Sanctificabor in eis qui appropinquant mihi.* Quem locum respiciens Sidonius lib. 8. epist. 14. quod noster Hilarius de Dathan & Abiron innuit, hoc de Nadab & Abiu disertiùs ait, *Quorum quamlibet int[illegible]ntorum credamus absolvendas animas, punitas tamen scimus esse [illegible]sonas.*

circo est esse in doloribus [a] æstimatus. Quòd enim postea nominis sui odium susceperint, quatenus silentium resurrectionis pecuniâ emerint, quibus Apostolos terroribus injuriisque vexaverint, cognitum est. Et quia hæc super dolorem vulnerum addiderunt, apponetur super iniquitatem iniquitas.

Ideo à Dei justitia exclusi,

24. Appositæ autem iniquitatis pœna est, ne intrent in justitiam Dei, id est, ne concorporales & comparticipes Christo fiant, qui nobis secundùm Apostolum justitia & sanctificatio & redemtio à Deo factus est. (1. Cor. 1. 30.) Exclusi verò à justitiæ ingressu, necesse est à libro viventium deleantur. Scripti enim erant in Abrahæ benedictionibus, cujus semen sicut stellæ cæli & sicut arena maris ad oram littoris abundaret. A quo libro cùm omnem populum deleri Moyses metueret, se primum deleri deprecatus est: optans, ut opinor, secundùm Apostolum anathema pro fratribus suis esse. (Exodi 32. 32. Rom. 9. 3.) Et quia super dolorem vulnerum dolorem persecutionis addentes, [b] recursum pænitentiæ perdiderunt, deleti de viventium libro, ne postea quidem scribi cum justis meruerunt: ut intelligi possit alius viventium, alius liber esse justorum. Nec ambiguum est eos in viventium libro esse, qui antea sine ulla Christi cognitione piè in lege versati omnia præscripta legis impleverint: de quibus secundùm legem apostolus Paulus ita docuit; Quia qui fecerit ea, vivet in illis. (Levit. 18. 5. Rom. 10. 5.) Scribuntur autem in libro justorum, quibus justitia Christus est factus. Justus enim ex fide vivit. (Gal. 3. 11. Habacuc 2. 4.) Quo de libro ad Apostolos Dominus ita loquitur, dicens, Gaudete & exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælo. (Luc. 10. 20.) Et idcirco duplex significatio delendorum de libro viventium, & non scribendorum in libro justorum fuit: quia post librum viventium, liber esset reliquus justorum. Apostolis autem hinc magnæ gratulationis causa suggeritur: quia plus sit in libro scriptos esse justorum, quàm de viventium libro non esse deletos. (V. Tractat. Psal. 138. n. 34.)

à libro viventium deleti, nec scripti cum justis.

Liber alius viventium, alius justorum.

Natura in uno Christo duplex.

25. Tenet autem in se eum confessionis modum, quem in nobis esse oportet fidei: ut in eo tam natura hominis quàm natura Dei cognita sit. In forma enim servi veniens, evacuavit se à Dei forma. Nam in forma hominis exsistere, manens [c] in Dei forma quî potuit? Aboleri autem Dei forma, ut tantùm servi esset forma, non potuit. Ipse enim est & se ex forma Dei inaniens, & formam hominis assumens: quia neque evacuatio illa ex Dei forma naturæ * cælestis interitus est, neque formæ servilis assumtio tamquam [d] genuinæ originis conditionisque natura est: cùm id quod assumtum est, non proprietas interior sit, sed exterior accessio: quod ipsum consequentibus docet, dicens, *Pauper & dolens sum ego; & salus vultus tui Deus suscepit me.* (℣. 30.) Pauper est, qui, secundùm Apostolum, cùm esset omnium dives, se ipsum ut nos ditesceremus [e] paupertavit: (2. Cor. 8. 9.) dolens est, qui secundùm prophetam pro nobis dolet. (Esai. 53. 4.) Sed hunc pauperem ac dolentem salus ea, quæ vultûs Dei est, suscepit. Forma & vultus & facies & imago non differunt. Idipsum enim [f] in utro horum significari communis est sensus. Hunc igitur pauperem in salutem vultus Dei, qui forma Dei est, suscepit, id est, assumtum [g] ab se hominem unigenitus Deus, qui imago invisibilis Dei est, in æternitatis suæ vita, quæ in Deo salus esse intelligitur, collocavit. Omnis enim lingua confitebitur, quia Dominus Jesus in gloria Dei patris est, id est, susceptus homo in naturam divinitatis acceptus.

* divinæ.

Humana per gloriam accepta est in divinam.

Sacrificium laudis in Christo.

26. Esse autem in eo finem legis & sacrificium laudis, evangelica confessio est: ita ut hostiarum sanguine [h] & oblatione cessante sacrificium gratiæ laudisque prælatum sit. Hoc enim isto paupere & dolente in salutem vultus Dei formæque suscepto continuatur, & sequitur: *Laudabo nomen tuum cum cantico, magnificabo eum in laude.* (℣. 31.) * *Et placebit Deo super vitulum novellum cornua producentem & ungulas.* (℣. 32.) Hæc itaque laudatio nominis Dei, laudisque ipsius magnificatio, super vitulum novellum placebit. Talis enim antè in lege pro peccato offerebatur; cujus ætatem per tenera ungularum & cornuum incrementa significat. (Levit. 4.) Placebit ergo super vitulum peccati, honor laudis; secundùm illud, Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter in quo ostendam illi salutare Dei. (Ps. 49. 23.) Iter igitur ostendendi salutaris Dei in laudis est sacrificio.

Legis hostiis præfertur.

27. Et ipsum in consequentibus psalmus ostendit. Nam post placituram magnificentiam laudis super vitulum novellum, subjecit,

[a] Bad. Er. Lips. & Reg. ms. *æstimandus*. Magis nobis probatur cum Par. & mss. Vatic. ac Mic. *æstimatus*, consentiente libro 10. de Trin. n. 46. Respiciuntur hæc Esaiæ, *Pro nobis dolet, & nos existimavimus eum in doloribus esse*: ubi priora Esaiæ verba *pro nobis dolet* ad humanam Christi naturam, posteriora autem ad divinam ab Hilario referri manifestius est ex his Tract. Ps. 138. n. 3. *Suscepit ergo infirmitates, quia homo nascitur; & putatur dolere, quia patitur: caret verò doloribus, quia Deus est.* In id fere redit illud hujus Tract. num. 12. *Flet interdum, & ingemiscit, & tristis est: & id ipsum ad infirmitatis tribuitur exemplum*: quod conciliari nequit, nisi à sola divinitatis natura arceatur infirmitas, ac vera humanæ naturæ tristitia attribuatur. Sic in Psal. 53. n. 4. Christus prædicatur *mortem perpetiens, sed mori nesciens.*

[b] In ms. Reg. *cursum.*

[c] In vulgatis, *in Dei forma potuit.* Regii codicis auctoritate particulam *quî* præponimus verbo *potuit.* Et hoc quidem prima specie malè sonare videtur. At collatis aliis locis v. g. lib. 9. de Trin. n. 50. ubi legere est, *Erat enim naturæ proprietas, sed Dei forma jam non erat, quia per ejus exinanitionem servi erat forma suscepta*; & longè antè num. 14. *Cúmque accipere formam servi nisi per evacuationem suam non potuerit qui manebat in Dei forma, non conveniente sibi formæ utriusque concursu*: his, inquam, & aliis inspectis sincerior probatur lectio ms. Reg. Atque ita *Dei forma*, ubi exinaniri prædicatur, non naturam ipsam, sed naturæ divinæ congruentem habitum gloriosum significat; ubi autem deinde docetur aboleri non potuisse, jam non habitum solum indicat, sed ipsammet naturam. Confer superiora num. 4.

[d] Editi, *geminæ originis*: emendantur ex mss. Clariùs hîc apparet ratio, cur suprà negentur naturales Christo infirmitates, quia nimirum pertinent ad formam servilem, quæ ipsa ei ut filio Dei genuina ac naturalis non esse hinc probatur, quia accepta, juxta illud Pauli, *Formam servi accipiens*; adeoque accipienti *exterior accessio est, non interior proprietas*: ubi malè apud Par. *proprietatis.* Demum quid sit *genuinæ originis conditionisque natura*, illustratur ex his Tract. Psal. 53. n. *Quamquam passio illa non fuerit conditionis & generis*, &c.

[e] Par. post Lipsium, *pauperavit*: renitentibus aliis libris.

[f] Editi, *in utroque.* Concinniùs mss. *in utro.*

[g] Huc revocatur *ab se* ex Reg. ms. Ex subjectis verbis, *in æternitatis suæ vita collocavit*, intelligi debent quæ paulò post habentur, *id est, susceptus homo in naturam divinitatis acceptus.*

[h] Ita mss. At editi, *ex oblatione.*

℣. 33. *Videant pauperes & lætentur. Quærite Deum,* A
℣. 34. *& vivet anima vestra : * quoniam exaudivit pauperem Dominus, & vinctos suos non sprevit.* Hoc scilicet tempus lætentur videntes, cujus sacrificium in laude sit : quia illic ostendetur salutare Dei. Et ideo Deus ab his ad vitam
Matth. 10. 28. animæ quæretur. Carnis enim & corporis timeri judicem vetuit : quia animam in gehennam mittere solus potens sit Deus. Quærendi autem Dei ad vitam animæ ea causa est,

Salutis nostræ causa.

a

[a] quia exaudivit Deus pauperem, eum scilicet qui se paupertavit ut nos ditesceremus, B quem in salutem vultus sui suscepit, in quo nobis peccata donavit ; non spernens vinctos suos, sive qui vincti sunt Christi, ut Paulus in vinculis gloriatur, sive quos satanas peccatis vinctos ut armatus & præpotens obtinebat ; secundùm illud, Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Lætentur ergo in his quæ vident pauperes : quia scriptum est, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. C

Vincti.

Ephes. 3. 1.

Luca 11. 21.

Psal. 115. 16. & 17.

Matth. 5. 3.

Creata omnia laudant Deum de salute nostra.

Rom. 8. 19. &c.

28. Et quia, his qui pauperes spiritu sunt in cælorum regno constituti, creatura omnis congemiscens & dolens in gloria filiorum Dei liberanda est, vanitati non sua sponte subjecta ; nunc quoque ob lætantes pauperes vitamque quærentes, exauditumque pauperem, vinctosque non spretos, ipsa illa ad laudem Dei exspectans revelationem pauperum glo-
℣. 35. riæ creatura advocatur : *Laudent eum cæli* D *& terra, mare & omnia repentia* [b] *in eo.* Sub horum elementorum commemoratione creaturarum omnium liberandarum sensum mentemque significans : ut dum cælum & terra & mare dicitur, cognoscantur Domino Jesu Christo cælestia & terrestria & inferna genu flectere. In his enim quæ in mari repunt, (cùm tamen in aquatilibus * natatura magis sit ex natura, quàm reptio,) ea quæ in inferis degunt docentur ; cùm profundum maris sedem intelligamus inferni. E

b

* al. natatus.

29. Causam autem, cur adhuc cælum & terra & mare Deum laudent, ostendit di-
℣. 36. cens, *Quoniam Dominus salvificabit Sion, &*
℣. 37. *ædificabuntur civitates Judæ. Et inhabitabunt in ea, & hereditabunt terram. * Et semen servorum ejus* [c] *possidebunt eam, & qui diligunt nomen ejus inhabitabunt eam.* Laus universa ex rerum admirabilitate proficiscitur. Tunc enim aliquid laude dignum videtur, cùm opus ipsum ita F magnificum atque præclarum est, ut & [d] prudentiam ac virtutem gerentis, & gestorum decus usumque contineat. Quod itaque sensum atque opinionem ingenii communis excellat, id per admirationem sui meretur & laudem. Cælum ergo *, quod tanto ornatu distinctum impletumque est, tantosque motus atque cursus incredibili constantia ac varietate conservat, ut annum inter hiemem caloremque

c

Laudis causa.

d

Cæli laus unde.

* supple, meretur laudem.

æstatis temperatis autumni & veris temporibus moderetur & finiat. Terra autem, quæ supernis inumbrata naturis, vel complexa in sese vel suscepta sinu semina & contineat & alat & fecundet, & secundùm uniuscujusque generis naturam [e] usu ac maturitate consolidet. Mare autem, quod vitæ nostræ modo, nunc hausto spiritu nunc refuso animetur & maneat, motumque in tanta sui varietate rationibus se lunaris incrementi detrimentique moderetur, & profunda infinitaque sui obice mentem humanæ opinionis excedat, ut neque quid extra se, neque quid intra sit sensu persequente capiamus. In his tamen tantis tamque admirabilibus rerum naturarumque virtutibus in Deo hoc, quòd Sion salva sit, civitatesque Judææ ædificandæ sint, cæli, terra, maria laudabunt ? humana utique opera & caduca, & ipso tempore ac vetustate solvenda. Quòd si exstructas eas esse ut sint, laude sit dignum ; nonne magis conservatas esse eas, ne destruerentur, proficeret ad laudem ?

Terræ fecunditas,

e

Maris æstus,

30. Non ergo hæ maximæ utique præstantissimæque rerum omnium, vel magis quibus universæ res contineantur alanturque, naturæ maris, terræ & cæli ad inanium pæne ac levium operum laudem advocantur : id est, quia Sion salvificata sit, exstructæque Judææ civitates, quas post Babyloniorum Antiochique victoriam, bellum quoque Romani regis absumeret. Dehinc ipsam hanc inopem impiamque sententiam, rei quoque communis scientia & ratio condemnat. Nam ob id ædificari civitates Judææ propheticus sermo declarat, ut in ea quæ salva facta sit Sion inhabitet. Et quid hîc secundùm humanas exstructiones civitatumque fabricas intelligentiæ loci est ? cùm neque in ædificandis his laus ulla sit, quæ sint postea destruendæ ; neque ratio & natura patiatur ædificari ob id civitates, ut * inhabitent civitatem.

Non ob Sion aut civitates terrenas ad laudem Dei excitantur omnia.

* ipsæ scil. civitates.

31. Est autem digna planè Deo laus, cæli, terræ ac maris confessione tribuenda, quòd illa filia Sion, quæ invecta in Jerusalem tanto præeuntium sequentiumque comitatu, salva per Deum sit : in quam Angeli concupiscunt, in quam creatura omnis gemens dolensque prospectat, in qua æternitatis nostræ gloriam laudemque speculamur, in qua ædificatæ ecclesiarum civitates manebunt. Sion enim, licèt colliculus templo quod in Jerusalem fuit junctus sit, tamen secundùm interpretationem ex hebræo in latinum græcumque sermonem speculatio dicitur. In hoc ergo corpore Domini, [f] quod resurrexit ex mortuis, quod à dextris virtutis consedit, quod in gloria Dei patris est, spem nostram vitamque speculamur. Et quia revelationem nostræ in eo claritatis & ipsa in eamdem liberanda creatura omnis exspectat ; salutem hujus Sion sub si-

Sion speculatio.

f

Sion corpus Christi gloriosum.

[a] Apud Par. *quia est* : abundat, & abest à mss.
[b] Par. juxta Vulgat. *in eis.* Veriùs alii libri juxta græc. *in eo.*
[c] Sic ms. Reg. juxta græc. κατέξουσιν. At in edit. *possidebit.* Paulò antè etiam cum græco legendum *civitates Judææ*, non *Judæ*, & litteram & propter subsequentem & excidisse, conjectamus ex subjectis.
[d] Par. *providentiam.*

[e] Particula *ac* in Regio codice omissa opinionem ingerit priùs legendum esse *usui*, non *usu*. Verbum autem *consolido* eodem fere modo intelligendum est, quo Tract. Psal. 91. n. 2. *soliditas mundi*, pro eo nimirum quod perfectum & integrum atque ad finem suum perductum [illegible]
[f] Reg. ms. *quo resur[illegible]it ex mortuis, quo &c.*

gnificatione cæli & terræ & maris laudat: quia A
Col. 1. 20. omnia in cælis & in terra pacificata & reconciliata per eam Deo sint, quia in resurrectionis gloriam, cujus spem in ipso ex mortuis resurgente speculamur, peccatum, mors, corruptio à vita & immortalitate devorata sint
Luc. 15. 7. & exhausta. Nam si super unius peccatoris pænitentiam magnum in cælis gaudium est Angelorum; quanto major in totius mundi reconciliatione lætitia sit?

Civitates Judææ, Ecclesia, 32. Et quia *in finem pro his qui immutabuntur* B *est psalmus*: Judææ etiam civitates, ut in Sion inhabitarent, ædificandæ esse laudantur. Et civitates ipsas conventus hominum esse quis dubitet? Ecclesiam verò ex conventu plebium effici notum est. In hac ergo Sion, quæ in se etiam illam primitivorum conscriptorum in cælis complexa sit civitatem, habitatio nostra perficitur, qui ut semen Abrahæ, ita & semen Judæ manemus. Non enim [a] qui in carne
Rom. 2. 28. Judæus, sed qui in spiritu. Ob quod in his nostris conventibus civitates quoque Judæ sumus. C

non Synagoga. 33. Ac ne sibi Israel impius civitatis Judææ gloriam, eo quòd secundùm carnem servorum Dei semen est, vindicaret; eorum hereditatem, eorum habitationem in Sion esse demonstrat, qui nomen Domini diligant; ut pietatis magis sit, non generis electio: quia præstet omnibus caritas Dei, quæ in Christo
Johan. 21. 15. est; & Petrum nihil aliud, quàm utrùm se amaret, interrogat Dominus noster Jesus Christus Dei filius, qui est benedictus in omnia sæcula sæculorum. Amen. D

PSALMUS LXIX.

In finem Psalmus David in rememoratione, eo quòd salvum me fecit Dominus.

*DOMINE Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Confundantur & revereantur, qui quærunt animam meam. Avertantur retrorsum & erubescant, qui * volunt mihi mala. Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge euge. Exsultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, * Domine, & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. Ego verò egenus & pauper sum: Deus * adjuva me. Adjutor meus & liberator meus * esto, Domine, ne tardaveris.*

* Hilarius, *cogitant*.
* Abest infrà, *Domine*.
* Hil. *adjuvat*.
* Hil. *tu Domine*.

TRACTATUS PSALMI.

1. ALIUS hic *in rememoratione* psalmus est: nam trigesimo & septimo eadem inscriptio est. Ex ipsa autem verbi hujus significatione usuque communi, quid *in rememoratione* præscribi intelligendum sit, edocemur. Nam rememorationis precatio ei competit, qui se incidere in oblivionem ejus, à quo vel auxilium vel veniam [b] expetat, pertimescit: & aut sui ad salutem commemorationem fieri desideret, aut eorum ad pœnam, qui sibi semper infesti sunt. Et quidem in [c] anteriore superscriptionis ipsius psalmo de venia & salute tractatum est: qui totus ex persona dolentis Domini pro nobis, portantisque peccata nostra consistit. In hoc verò necessitas poscendæ veniæ non relicta est: quia jam superior & contiguus huic psalmus in salvificatæ Sion, ædificatarumque civitatum Judæ laude conclusus est. Sed est in eo rememoratio in impios ultionis, & retributionis in sanctos. Et quia non illi David, sed *in illum David psalmus in finem* est; secundùm editam in anterioribus ex nominis proprietate rationem, ex persona Domini tractabitur, ut ipso psalmi fine noscetur. ℣. 1. Rememorationis precatio de quibus fiat. Quid petatur hoc psalmo.

2. *Domine Deus in adjutorium meum intende.* Piæ confessionis hæc vox est, adjutorium à Domino & Deo sperare: sed plus hic nunc, quàm in deprecationibus sperandi auxilii solet, sermo significat. Videri enim id potest, [d] qui in adjutorium positus sit super potentem, nunc in adjutorium in quod positus est ut intendatur, orare. Et quis hic sit, non ambigitur ex psalmo in quo inest scriptum: Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea. Inveni David servum E meum. Et ne aliquid in illum David Jesse referri posset; adjecit, Et ego primogenitum ponam eum, excelsum super reges terræ. Ac ne, quòd primogenitus est, ad primitias indulti ei à Deo regni trahi posset; id quod [e] soli Domino Jesu Christo proprium esset ostendit, dicens, Et sedes ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta manet in æternum, & testis in cælo fidelis. ℣. 2. Quòd Christus in eo oret. Ps. 88. 20. Ibid. 28. Ibid. 38.

3. Nunc ergo qui [f] adversùm potentem positus sit adjutor, & qui intendi in adjutorium F suum precatur, pœnam in eos qui sibi adversantur expostulat, dicens, *Confundantur & [g] revereantur, qui quærunt animam meam.* * *Avertantur retrorsum & erubescant, qui cogitant mihi mala. Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge euge.* Ex verbis loquelæ sermonisque nostri divinus sermo pendendus est. Pudor & confusio ex dedecore est, aversio Pœna adversariorum Christi. ℣. 3. ℣. 4.

---

[a] Mss. Reg. Mic. & unus Vatic. *qui in occulto Judæus.* Fortè an *qui in oculo Judæus?* In altero è Vaticanis legitur, *qui in manifesto Judæus: sed qui in occulto.*
[b] Sic mss. At editi, *expectat.*
[c] Nempe trigesimo-septimo, cui, ut paulò antè dicitur, eadem superscriptio est, *in rememoratione*: cui etiam competunt quæ sequuntur, ut *totus* sit *ex persona dolentis Domini pro nobis, portantisque peccata nostra.*
[d] Particulam *ut* hîc in vulgatis abundantem expunximus auctoritate mss.
[e] Abest *soli* à Reg. ms.
[f] Ita cum ms. Reg. antiquæ editiones. At Par. *super potentem.*
[g] Sequens explicatio videtur hîc postulare *revertantur.* Mox apud Par. *qui volunt*, non *qui cogitant.*

ex repulsa est; reditus verò non in alia loca magis, quàm in ea est, unde digressio est. Qui quærunt ergo animam sancti hujus, qui in adjutorium suum orat intendi, primùm confundentur, pòst etiam avertentur, dehinc avertentur non in alia, [a] sed *retrorsum*. Et idem est dictorum ordo, qui & rerum. Confundentur enim ejus animam quærendo, quem cùm peremerint, scient eum vivere: quia Deus vitæ & resurrectionis est dominus. Dehinc postea (1. Cor. 15. 5.) avertentur, ne occurrant cum sanctis obviàm Christo in nubibus [b] rapti. Postremò aversi [c] non in alia quàm retrorsum. Resurgentes enim ex mortuis, rursum ad pœnæ ultionisque judicium in infima terræ unde emerserant revertentur. [d] (1. Cor. 15. 51.) Omnis enim caro resurget, sed non omnis demutabitur: & unumquemque in carne sive bona sive mala, prout gessit, recipere constitutum est. Ergo & quærentes animam [e] justi, & mala cogitantes, & euge euge dicentes, & confundentur & avertentur & revertentur resurrectione confusi, ab occursu repulsi, in inferna revocati. *Euge* [f] *euge* autem irridentium vox est, eorum scilicet qui (Marc. 15. 31.) dixerint, Salvos fecit alios, se ipsum salvum facere non potest.

(Merces quærentium Deum. ℣. 5.)

4. Sed post hanc de impiis precationem, quia rememorationis erat psalmus, pro sanctorum quoque fuit spebus orandum. Sequitur enim: *Exsultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.* Ut confusio & reverentia justi animam quærentibus, ita exsultatio & lætitia quærentibus Deum est: (Dan. 12. 2.) quia secundùm prophetam resurgent alii in confusionem, alii in lætitiam. Et ut retrorsum erubescentes avertentur, qui mala cogitant, qui dicunt euge euge; ita qui salutare Dei diligent, ad confessionem magnificentiæ Dei proficiunt: ut ex gratia indultæ sibi à Deo exsultationis, laudis confessio augeatur. (Deus nullius egens.) Non enim [g] aliquid Deus qui æternus est indiget, aut quidquam in rerum naturis & mentium opinionibus est, quod exspectet. Quod enim incremento demutabile est, id detrimento sæpe demutatur. Deus autem, qui idem origo & causa gignentibus est, ad æternæ beatitudinis naturam sibi ipse sufficiens, nihil extrà quod sibi desit, ne aliunde exspectet, dereliquit. (Qui magnificetur à nobis.) Magnificatur autem per beneficiorum suorum incrementa nobiscum, cùm magnificentia ejus & commodorum nostrorum sensu ac jucunditate, & referendæ gratiæ laude cumuletur. Ergo quotienscumque *magnificetur* dicimus, totiens aut optandi nobis à Deo muneris vota sunt, aut sumti perceptique confessio est, magnificentiæ ejus laude nobiscum per commodorum nostrorum incrementa nascente.

(Quòd Christo, non David conveniat Psalmus. ℣. 6.)

5. Oportuit autem psalmum, qui rememorationis in finem est, digno rememorationis ipsius fine concludi. Sequitur enim: *Ego autem egenus & pauper sum: Deus* [h] *adjuva me. Adjutor meus & liberator meus tu Domine, ne tardaveris.* Neque regis dignitati, neque regni opulentiæ, paupertatis atque inopiæ professio congruit; sed [i] ejus vox est, qui ut nos ditesceremus pauperem se præstitit (2. Cor. 8. 9.); cui ne ad paschæ quidem cœnam nisi quæsita & aliena domus fuerit. [k] Adjuvari se itaque rogat. In forma enim servi obediens usque ad crucis mortem factus est. Citum quoque auxilium, ut liberetur, orat; [l] ne qua rememorationis tarditas sit: qui & ipsas illas passionis moras non ferens, proditori dixerit, Fac quod facis citò (Johan. 13. 27.): [m] dum liberari in se susceptæ carnis infirmitatem maturatæ resurrectionis virtute festinat Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

TRACTATUS

De titulo Psalmi XCI.

Psalmus Cantici in die Sabbati.

Ex bibliotheca Vaticana, in qua hactenus latuerat, prodit in lucem ex eo ipso codice, qui & superiorem Tractatum de titulo Psal. IX. suppeditavit, & Tract. Psalmi XIII. redintegrandi materiam præbuit. Vel ex locutione Operis hujus agnoscere est auctorem. Quem enim alium præter Hilarium animo sistunt hæ voces, cùm quando, dehinc, concorporales, coheredes & comparticipes, genus, sacramentum, incrementa, subsistit ac manet, auctor, indulta æternitas *&c. Huc accedit quòd sicut in Psal. 67. n. 2. dicuntur animæ* de thesauris potestatis *Dei diffusæ; ita hìc n. 4. asseritur Deus* de thesauris in se conditis secundùm arbitrium potestatis æternæ singula quæque *protulisse. Alios hujusmodi locos cum aliis Tractatibus consentientes notulis indicabimus. Præterea num. 2. eâ prorsus methodo, qua in aliis solet, attendit psalmi litteram non sibi cohærere, ut hinc ad intelligentiam spiritalem exquirendam moneamur. Neque hîc omittit, quod valde ipsi sollemne est, ut quoties de sabbato incidit sermo, ad unum & idem Patris ac Filii opus asserendum latiùs excurrat. His aliisque permoti, huic*

[a] Editi excepto Par. *sed in eadem.* Quid sibi velit *non in alia*, explanatur infrà, quia nimirum nec mutabitur eorum caro, neque ipsi migrabunt in cælum, sed ad terram, immo in infima terræ revertentur.

[b] Par. *raptis*: mendosè.

[c] Bad. Er. & Lips. *non ibunt in aliena loca. Surgentes enim impii ex mortuis rursum detrudentur in infima terræ unde emerserant*, omisso deinde verbo *revertentur*. Par. *non in alia quàm retrorsum surgentes, ultionisque judicio in infima terræ* &c. Hunc locum resarcimus ope mss. Vatic. & Reg.

[d] Editi, *Nam ut Apostolus ait, Omnis quidem caro* &c. castigantur Regii codicis auctoritate: cùm Apostoli sententia hîc respiciatur potiùs, quàm reddantur verba, quæ aliter Apostoli nomine referre solet Hilarius.

[e] Abest *justi* à Regio codice. Tum Par. *& malè cogitantes*: quæ verba in edit. aliis desiderantur.

[f] Apud Bad. Er. & Lips. *euge autem justo dixisse constat, qui dixerunt, Salvos fecit*, &c. lectio mutila simul & interpolata.

[g] In vulgatis, *aliquo Deus qui idem atque æternus est.*

[h] Reg. ms. necnon editiones Parisiensi antiquiores, *adjuvat me*: diffidente Vulgata & græco.

[i] Deest in ms. Reg. *ejus vox.*

[k] Apud Par. *adverari se itaque*: mendum. In editionibus aliis, *auxilium pro nobis itaque*: glossema.

[l] Bad. Er. & Lips. *in quo nullius morationis tarditas sit*: castigant mss.

[m] Editi excepto Par. pro *dum liberari*, habent *memorari*; & mox *paterni numinis*, loco *maturatæ resurrectionis*. In his ac superioribus locis videtur editor fugientes litteras ac voces per se ut potuit supplevisse. Veras lectiones substituimus ex mss. nunc primùm addentes ex Vaticano conclusionem *Dominus noster* &c.

Tractatui inter genuinos locum negare nefas ducimus, quamvis librarium, qui in aliis quoque nonnulla resecando aut demutando sibi permisit, neque in hoc sibi temperasse suspicemur. Quidni hujus negligentiâ totius psalmi explanationem, quæ ad calcem promittitur, nobis ereptam doleamus? Hic igitur si cui minùs aliis elaboratus videatur, id vel librarii incuriæ licebit attribuere, vel etiam opinari eum ad nos pervenisse, qualem Hilarius fuderit ex tempore & ex cathedra, non qualem ex secretiori cella politum ediderit. A

Lex fide potiùs quàm effectu profuit.

1. BONUM *est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime*, & reliqua. Post Legis tempora & cognitionem veritatis, convenit corpus ipsum potiùs, quàm umbram corporis contueri. Lex enim eorum, quæ in Domino nostro Jesu Christo implenda erant, speciem complectitur. Non ipsa veritas, sed in ea meditatio veritatis; [a] utilis fide potiùs quàm effectu, imitatione quàm genere. Ea enim, quæ observari præcepta sunt, non virtute efficientiæ ipsius utilia erant, sed observantium fide salutaria, ut sacrificiorum diversitates, & holocaustomatum religiones, & circumcisionis cura, & sabbati otium. Hæc enim omnia & prætermissa culpam [b] habebant, & gesta sub futurorum fide proderant, sicut ait beatus Apostolus: Priùs autem quàm veniret fides, sub lege conclusi custodiebamur in ea fide quæ incipiebat revelari. Itaque lex [c] pædagoga nostra facta est in Christo, uti ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo; omnes enim filii estis fidei. Ergo quotienscumque aliquid ex lege relegitur; in opere præsentium mandatorum, speculum futurorum est contuendum. Et erat quidem congruum de singulis superiùs comprehensis afferre rationem; ut secundùm Apostoli doctrinam universa intelligerentur fide futurorum potiùs quàm virtute ipsius efficientiæ profuisse: tamen in unum congesta omnia audientibus ne non tam cognitionem potiùs quàm onus afferant, unam ex superioribus partem retractemus, & eam scilicet quæ tempori necessaria est, id est, sabbati diei; quia ita psalmus inscribitur, *Psalmus cantici in die sabbati*: ut cùm per Scripturarum cælestium auctoritatem, quæ ratio in sabbati requie contineatur, cognoverimus; parem ceterarum quoque rerum, quæ in lege sunt, efficientiam sentiamus. B C D E

(Margin: Gal. 3. 23. &c.)

Sabbatum Judaicum.

2. Et de otio quidem diei hujus multa præcepta sunt. Nam & in ea Dominus perfectâ mundi hujus [d] soliditate requievit: scriptum est enim, Et requievit Deus in die septima ab omnibus operibus suis quæ inchoavit facere. Et rursum hæc eadem sanctificatur in lege, adeo ut omne opus agi vetitum sit, sicut scribitur in Exodo: In mente habeto diem sabbatorum sanctificare eum: sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; septimo autem die sabbatum Domini Dei tui: non facies in illa F

(Margin: Gen. 2. 2. — Exodi 20. 8. &c.)

die ullum opus. Ergo sabbato & quies Dei est, & hominum otium. Sed quid hoc proficiet ad psalmum, in quo factura Dei gaudium est, & profundæ cogitationes ejus, & exoriendus peccator ut fœnum, & justus ut palma florescens & multiplicandus ut cedrus? Nulla hîc diei septimi requies, nullum humanorum operum otium decantatur. Ergo quia nihil in psalmo de requie hujus sabbati continetur; proprietas requietionis & sabbati, quod in lege præscribitur, requirenda est in psalmis. Legimus itaque de impiis dictum, Sicut juravi in ira mea, si intrabunt in requiem meam. Deus in sacramenti religione confirmat, non adituros requiem suam: non ut opinor hujus sabbati requiem significat, in qua post mundi ædificationem scribitur quievisse. Nam sollemnitatem ac lætitiam diei hujus omnes Judæi in eam gloriantes introeunt, ex quibus necesse est plures in peccatis agere ac vivere: hanc enim diem ad quoddam testimonium dignationis in se Dei honorant. Si hæc ergo Dei est requietionis dies; quod cum venia dictum sit, jam Deus mendax est, cùm in se contumaces, in Filium parricidæ, requiem diei hujus obtineant.

(Margin: Aliud in psalmis continetur. — Ps. 94. 11.)

Operari non cessat Deus.

3. Dehinc cùm omnibus omnino, sine exceptione aliqua, nihil operis agere, sed in otio quiescere jussum sit; quomodo rursum Dominus sabbatum solvit dicens, Nescitis quia sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt? Ergo non hæc quies est sabbati, nec hoc ejus otium est; cùm quando non quiescentes in sabbato maledicti sint....

(Margin: Matth. 12. 5. — Exod. 31. 14.)

. . . .

. . . .

sub Legem firmitatis accipiens. Si sol signaque cetera cursus suos obeunt, & habent ab eo permanendi in his in quibus sunt substantiam, à quo in hos cursus atque in hæc officia composita sunt: si terra fructus suos profert, materiem fecunditatis in dies sumens, per quam ei secundùm temporum vicem quædam fertilitatis natura subjecta est: si quotidie animarum origines & corporum figurationes occultâ & incognitâ nobis divinæ virtutis molitione procedunt: & magnum est muneris tanti dona sentire, cùm tamen eorum institutio nesciatur. Sed hæc etsi opus Dei sunt, verùm in his labor est nullus. Et quamquam habeant ex auctore suo ac donante quòd talia sunt; non tamen eum à quo orta, & per quem quotidie talia sunt, defatigant.

Ut Christus & in Christo Pater quotidie operetur.

4. Et quidem hæc magna Dei opera sunt, cælum continere, solem cum astris ceteris luminare, sementis terræ incrementa sufficere: sed longè his majora opera perfecta sunt. Moyses enim tantùm visibilium rerum creationes enarravit rudibus hominum animis, ea ad cognitionem Dei proferens, quæ possent intel-

[a] Ita legendum putamus, cùm in ms. exstet *& illis fide.* quod legi deerat, fidem suppleviſſe docetur in Psal. 53. n. 3.

[b] *Quisquis enim à sacrificio destitisset, ipse obnoxium se efficiebat esse maledicto*, inquit in Psal. 53. n. 13. ubi non voluntariam fuisse probat legis observantiam, hoc est, non ita liberam, ut sine reatu posset prætermitti.

[c] Sic in Psal. 118. lit. 12. n. 11. *legis justificatio evangelicæ justificationis fideique pædagoga* prædicatur.

[d] Hîc *soliditas* integritatem sonat, ac mundum numeris suis absolutum significat: qua intelligentia habemus in Ps. 68. n. 29. quòd terra suscepta sinu semina *maturitate consolidet.*

ligi & videri : ut per hanc conspicabilium operum magnitudinem, virtus ejus qui operatus est cognosceretur ; ut Creatoris potestas per creaturæ admirationem posset intelligi. Sed Paulus Testamenti [a] interpres, non jam lactis sed panis cibum ingerens, ita de Domino tradidit : (Coloss. 1. 15. &c.) "Qui est imago Dei, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso constituta sunt omnia in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia in ipso & per ipsum facta sunt, & ipse est ante omnes, & omnia ipsi constant." Pertrahit ergo nos Doctor gentium de cognoscibili materia, in invisibilium intelligentiam, & nos ad cognoscendos principatus & potestates & thronos & dominationes de terrenis atque humilibus educit. Verùm hæc ex nutu Dei patris & in cælis & in terra manent atque existunt : & licèt per Filium omnia, tamen à Deo omnia. Ipse est etenim caput & principium universorum, & in ipso universa sunt condita ; licèt postea de thesauris in se conditis, secundùm arbitrium potestatis æternæ, singula quæque protulerit. Verùm cùm in omnibus Christus operetur, ejus tamen opus est qui operatur in Christo ; & ideo, (Johan. 5. 17.) Pater meus, ait, quotidie operatur, & ego operor ; quia opus Patris est, quidquid manente in se Deo patre filius Dei Christus operatur ; atque ita per filium quotidie * omnia, (* f. addendum fiunt.) quia omnia Pater operatur in Filio. Igitur quotidie Christus operatur : &, ut arbitror, animarum initia, configurationes corporum, profectus & incrementum viventium opus ejus ostendunt.

5. (Paralytici curatio sabbato.) Ut autem absolutiùs intelligere possimus quæ operatio Dei sit, & quomodo * operans (* f. operante Patre.) Pater operatur & Filius, originem dicti hujus nosse debemus. Inter ceteras enim curationes, quibus se Dominus in carne hominis Deum docebat, sub visibili materie potestatem invisibilis virtutis ostendens, paralyticum triginta octo annorum in natatoria porticûs Salomonis invenit exspectantem alicujus auxilium, per quem ad motum aquæ per Angelum incitatæ devehi posset. Erat autem hoc & in tempore & in homine virtutis, ut cùm fons piscinæ commotus esset, ille, qui primus aquas esset ingressus, omnem infirmitatem qua afflictaretur evaderet. Erant autem hæc & præsentium effectibus utilia, & futurorum speculo imaginata, cùm angelo ad aquas vocante omnium ægritudinum promta esset abolitio. Hunc ergo paralyticum die sabbati Dominus ubi vidit, verbo curat, (Ibid. 8.) præcepto salutem infirmantis efficiens ; Dicit ergo paralytico, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Jam non so- A lùm sanus paralyticus, sed etiam oneri utilis factus est. Judæi paralyticum violati sabbati arguunt, dicentes, (Ibid. 10.) Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Quibus respondit, "Qui me fecit sanum, ille mihi dixit, Tolle grabatum tuum & ambula ; " eumdem auctorem facti sui proferens, quem salutis ; ut non existimaretur ab eo culpa violati sabbati posse proficisci, cujus in verbo humani corporis instauratio constitisset. Ergo quia paralyticum B Dominus curasset in sabbato, ubi facti veneratio consequi debuisset, illic Judæorum omnium odium commovetur. Quibus Dominus respondit, (Ibid. 17.) Pater meus usque modò operatur, & ego operor.

6. Sed surgit hîc ad violati, ut putabant, sabbati * gravior indignatio, (* adde, reatum. Confer lib. 9. de Trin. n. 43.) quòd patrem suum Deum dixerit, (Ibid. 18.) æqualem se faciens Deo. (Patris & Filii æqualitas.) Sed unde hic Judæis dolor est ? Non enim ita locutus est, Deus pater meus est. Sed vim at- C tulit veritas, & confessionem invitis ratio extorsit ; Deo enim esse æqualem opera loquebantur. Illi irascuntur quod non audiunt, & pati nolunt quod ignorare non possunt ; & hoc in Christo oderunt, quod eos intelligere est necesse. Opus ergo Patris in quo est ? In eo scilicet quod agit filius : ait enim, (Ibid. 19.) Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Non utique virtutem sibi ademit ; sed obsequio, se paterno devinxit D arbitrio. Non enim nudo sermone significat, Non potest Filius facere, sed adjecit, ab se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Ergo quòd facit ille, [b] famulatus est ; quia non à se quidquam, sed id quod viderit, facit ; ministerium veniens [c] de exemplo, non operis, sed voluntatis ; quia opus Patris in voluntate est. Id enim Dominus ait, (Johan. 6. 38.) Non veni voluntatem meam facere, sed ejus qui me misit ; docens non aliud velle se, quàm E quod vellet ille qui eum miserat. Ergo voluntatem Patris Filius tamquam exemplum operationis introspicit ; quia intra paternarum cogitationum providentiam quadam futurarum rerum prædestinatione formantur. Introspicit autem per mutuam caritatem atque naturam : ait enim, (Ibid. 5. 20.) Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit. Ita & huic Dei, ex quo ipse Deus natus est, voluntatem nosse pervium est ; & illi, quòd voluntatis suæ cog- F nitionem filio congenuerit, est benignum.

7. (Sabbato Deus operatur.) Ergo ad sabbati diem, ex quo odium commovebatur, responsum est, Pater meus usque modò operatur, & ego operor. Est ergo opus Dei sabbato ? Est planè : nam nisi esset, cælum dilaberetur, lumen solis occideret, terra non staret, fructuum omnium in-

[a] In mſ. recens manus adjecit *novi*. An non rectiùs adjecisset *veteris* ? Non est prætermittendum quod proximè antè habetur *per creatura admirationem*. Sic enim prædicatur lib. 7. de Trin. n. 5. Sabellium *per gestorum admirationes* Christum Deum agnovisse, & lib. 8. n. 30. *per data unicuique utilitatis admirationes* Spiritûs donum non latere, ac demum lib. in Constant. n. 8. coram venerandis Martyrum ossibus cerni *admirationum opera*.

[b] Filii *famulatus* ac *ministerium* intelligentiâ eâ hîc prædicatur, qua lib. 4. de Trin. n. 16. docetur efficere quod Pater ei jubeat, ratione scil. auctoritatis qua eum gignit. Sic Tertullianus lib. contra Prax. n. 12. Patrem cum Filio & Spiritu-sancto *quasi cum ministris & arbitris* loquentem inducit ac dicentem, *Faciamus hominem* &c. & paulò pòst : *Ceterùm etsi ubique teneo unam substantiam in tribus cohærentibus : tamen alium dicam oportet ex necessitate sensûs eum qui jubet, & eum qui facit.*

[c] Quòd videl. *potestatem efficiendi non per incrementa indultarum ad unumquodque opus virium sumeret, sed de cognitione præsumeret : præsumeret a[illegible]m non de aliquo operis corporalis exemplo, ut aliquid prius Pater f[illegible]ret*, & cetera quæ videsis lib. 7. de Trin. n. 16. Consule & li[illegible] 9. n. 44.

crementa deficerent; vitæ hominum interi- A rent, ſi ſabbati lege virtutum conſtitutio otiaretur. Sed requies nulla eſt, & curſus idem eſt, & ut ſex diebus, ita & ſabbato elementorum omnium continentur officia. Ergo om-

V. lib. 9. de Trin. n. 44.

ni in tempore per hæc Pater operatur; operatur autem in Filio, quia ex eo eſt: & per quem omnia, hæc opus ejus ſunt, [a] qui iſta in ſe operetur operante: & miniſterii opus, in opus refertur auctoris. Itaque Filius in paralytico, ut in ceteris, operatus in ſabbato eſt: B & per Filium opus Patris in ſabbato eſt: atque ita non eſt in die Dei requies, cùm dies Deo nulla ſine opere ſit.

Quies Dei.

8. Quia ergo opera Dei exſtant; [b] quæ ſit ejus quærenda eſt. Dei itaque opus, opus Chriſti eſt: quia ita omnia, quæ Dei ſunt, in eo vera ſunt, ut his Pater quieſcat. Perfectus enim à perfecto eſt, quia, ut Apoſtolus ait, omnia ipſi conſtant. Et ſicut de ſe ipſo teſtatus eſt, Sicut habet Pater vitam in ſe- C metipſo, ita & Filio dedit habere vitam in ſemetipſo; & rurſum Apoſtolus ait, Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Itaque quod in eo eſt, [c] vel quod ipſo, perfectum eſt, neque jam quod ſubſiſtit ac manet, eget atque exſpectat aliunde, ſed caritate Patris atque virtute [d]. Ita & in filio vita eſt, ut licèt ſit natus ex Patre, tamen in ea vita, in qua & Pater vivit, exſiſtat. Nam & in eo univerſorum, quæ deinceps crearen- D tur, principia conſtiterunt; & in eo univerſa contemplans, conſummatis per eum omnibus delectatus eſt: cùm & in Filio creatore quieſceret, & in his quæ digna dilectionis filio eſſent creata gauderet. Hinc illud eſt in Proverbiis, Cùm pararet cælum, aderam illic. Et, Ego eram apud eum diſponens: mihi aggaudebat cùm lætaretur opere perfecto. Hæc requies, in qua lætatur Pater, quam etiam per ſacramenti confirmationem impii non adi- E bunt. Eſt etiam intelligenda Domino Jeſu Chriſto requies eorum quæ inviſibilia ſunt, Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates: hæc enim omnia manent incorrupta, indefeſſa, perpetua. Et idcirco in his requies exiſtimanda eſt, quia indulta æternitate jam in eorum perfectis creationibus quieſcatur.

Coloſſ. 1. 17. Johan. 5. 26. Coloſſ. 2. 9. Prov. 8. 27. Ibid. 30.

Quies juſtorum.

9. Oportet autem cognoſci quidem quomodo in requiem, quam impii non adibunt, pii & Deo ſubjecti poterunt introire: neceſſe F eſt enim ſpem, quæ malis negata eſt, bonis relinqui. Sed ſi Chriſtus Dei requies eſt, ergo hi qui in Chriſto erunt, erunt in Dei requie. In Chriſto autem velle eſſe ſe Apoſtolus clamat, dicens, Sequor autem ſi apprehendam, in quo & apprehenſus ſum: & rurſum, Omnia autem detrimenta eſſe duxi, & arbitror ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam: & rurſum, Benedictus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, in quo elegit nos ante mundi conſtitutionem in ipſo, ut ſimus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate: qui antè prædeſtinavit nos in adoptionem per Chriſtum in ipſo; quia Verbum caro factum eſt; quia cùm aliquando eſſemus alienati & inimici ſenſûs ejus in factis malis, nunc autem reconciliati ſumus corpore carnis ejus. Ergo per conjunctionem carnis aſſumtæ ſumus in Chriſto: & hoc eſt ſacramentum Dei abſconditum à ſæculis & generationibus in Deo, quod nunc revelatum eſt ſanctis ejus, eſſe nos coheredes & concorporales & comparticipes pollicitationis ejus in Chriſto. Patet [e] ergo univerſis aditus in Chriſto per conjunctionem carnis, ſi exuant veterem hominem, & cruci ejus affigant, & ab his, quæ antè geſſerunt, in baptiſmo ejus conſepeliantur ad vitam; & ut in conſortium Chriſti carnis introeant, carnem cum vitiis & concupiſcentiis affigant. Iſtiuſmodi enim corpora configurabit in transformatione corporis ſui, & horum humilitatem in gloriam carnis ſuæ transferet, qui contundentes omnes cupiditatum aculeos, & voluptatum ſordes abluentes per novæ nativitatis ſacramentum, meminerint ſe non ſuam carnem habere, ſed Chriſti.

Philip. 3. 12. Ibid. 8. Epheſ. 1. 3. & 4. Quibus pateat.

Quæ antè paranda.

10. Eſt autem hoc perfectum ſabbatum, hæc vera requies, cui more ſabbati ſæcularis omnia vitæ neceſſaria pridie præparare præcipimur. Judæi enim ſecundùm præceptum legis, die quæ anterior ſabbato erit, omnia quæ ſabbato ſunt neceſſaria parant, [f] & cibus omnis ac potus antè providendus, parandus, recondendus eſt; non intelligentes in eo umbram futuræ veritatis oſtendi. Ut enim ad otium ſabbati obtinendum ſuperioris diei geminanda officia ſunt; (nam & quod ipſi diei & ſabbato neceſſarium ſit, curandum eſt) ita & nobis æterna ſabbata exſpectantibus, quibus illic poſſimus uti, præſentis vitæ negotiis ſunt præparanda; & nunc quidem neceſſaria, ſed requiem ſabbati redemtura. Ut igitur ab hujus ſabbati requie, id eſt, ut ſuperiùs oſtendimus, à conſortio Chriſti Angelorumque, non etiam ſacramento Dei arceamur; operandum & promerendum eſt, & per ſollicitudinem operum anteriorum, æternitatis eſt requies præparanda, orationum vigiliis, lectionum frequentiâ, jejunii voluntate, humilitatis tranquillitate, bonitatis operibus, caſtitatis nitore, virtute patientiæ. Hæc pridie in otium æterni ſabbati ſunt paranda; ut corruptionis noſtræ infirmitate in cæleſtem gloriam transformatâ, nec vitium voluntas, nec ambitio gloriam, nec honorem ſuperbia, nec otium labor, nec cibum corpus, nec ſomnum noctis diei laſſitudo deſideret: ſed ſit nobis æterna lux pervigil, communis

Exodi 16. 23.

[a] Ita emendamus, ubi in mſ. *quia iſta in ſe operetur operantem.*
[b] Aut legendum, *quies ejus quærenda eſt*, aut, *quæ ſit quies ejus quærendum eſt.*
[c] Fortè, *velut in ipſo*, puta Patre: ut [illegible] reſpectus ad ſuperiora, *Sicut habet Pater vitam in ſemetipſo* &c.
[d] Supplendum hîc videtur verbum *eſt*, a[illegible] *ſubſiſtit.*

[e] Similia ſunt hæc Tract. Pſ. 51. n. 17. *Univerſis enim patet, ut conſortes ſint corporis Dei atque regni, quia Verbum caro factum eſt* &c.
[f] Connaturaliùs hîc præmitteretur *non intelligentes in eo umbram futuræ veritatis oſtendi*: ac tum: *ita & cibus nobis ac potus antè providendus* &c.

usus bonorum, cælestis satiatus sermo Dei, * laudum Deo & cum Angelorum choris hymnus æternus. Hoc fidei est præmium, hæc corporeæ resurrectionis est gloria, in qua nihil desiderandum est, quia nullo egendum est; non per invidiam æmulandum, quia in communione vivendum; non aut infirmitate aliqua dolendum, aut ætate crescendum, quia immortalitate durandum est. Sed urendus potiùs diabolus, & malum omne perimendum, & æternitatis nostræ flos obtinendus. Pro hujus igitur sabbati requie Deo patri Filius confitetur. Hoc ex persona ejus in fine cantatur, hoc, sicuti singulorum versuum interpretatione noscemus, acquisita hominum immortalitate celebratur.

* f. canticum Deo.

TRACTATUS PSALMI CXVIII.

PROLOGUS.

Elementa vitæ piæ tradit hic Psalmus.

1. Qui ad doctrinam rationabilis & perfectæ prudentiæ præparantur, ab ipsis statim litterarum elementis docendi sunt: ut perfectam veramque rationem tamquam ab exordio primæ institutionis consequantur. Sciens istud sanctus Paulus apostolus, eam solam veram atque utilis doctrinæ esse prudentiam, quæ ab ætatis initiis atque ab infantiæ ipsius inchoaretur exordiis, hæc ad Timotheum inter magna atque præclara fidei studiique præconia in secunda epistola scribit: Tu verò permane in his quæ didicisti & credidisti, sciens [a] à quo didicisti, & quòd ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possint instruere in salutem. Hoc propter præsentem psalmum ita dictum sit, in quo cùm cognitio veritatis ad eruditionem humanæ ignorantiæ esset edenda, per ipsa litterarum atque elementorum initia doctrinæ ordo est distributus. Secundùm enim Hebræorum litteras in singulis octonis versibus singulæ litteræ præferuntur. Est autem omnis numerus versuum in centum [b] septuaginta-sex versibus. Nam cùm ex viginti-duabus litteris omnis hebræus sermo conveniat, & octonos versus litteræ singulæ explicent; numerus iste versuum octonis partibus multiplicatus expletur. Hanc igitur exstitisse causam existimo, ut per litteras totius istius psalmi ordo decurreret; ut sicut parvuli & imperiti & ad legendum imbuendi hæc primùm, per quæ sibi verba contexta sunt, litterarum elementa cognoscerent; ita & humana ignoratio ad mores, ad disciplinam, ad cognitionem Dei per hunc singularum litterarum octonarium numerum ipsis

2. Tim. 3. 14. & 15.

A velut [c] infantilis doctrinæ initiis erudiretur.

2. Arduum enim & difficillimum homini est, per se ipsum vel per sæculi doctores rationem præceptorum cælestium consequi: nec naturæ nostræ recipit infirmitas, divinis institutis, nisi per ejus gratiam [d] qui hæc ipsa dederit, erudiri. Namque qui simpliciter ea quæ inter manus sibi inciderint legunt, existimant nihil differentiæ in verbis, nihil in nominibus, nihil in rebus exsistere. Sed si
B istud communis colloquii sermo non patitur, ut sub diversis rerum nuncupationibus non diversa significata esse intelligantur; numquid Dei eloquia tam imperita, tam confusa esse credimus, ut aut inopiâ verborum quibus [e] uterentur laboraverint, aut distinctionum genera nescierint?

Gratia Dei doctrinæ percipiendæ necessaria.

3. Plures enim cùm audiunt legem, justificationem, præcepta, testimonia, judicia, quæ omnia Moyses sub diversa uniuscujusque gene-
C ris virtute disposuit, unum atque idem esse existimant: ignorantes aliud legem, aliud justificationem, aliud præceptum, aliud testimonium, aliud esse judicium: quæ multùm à se differre & discrepare, testis nobis est octavus-decimus psalmus, quo continetur proprietas uniuscujusque & nuncupationis & generis. Lex enim Domini immaculata, convertens animas. Testimonium Domini fidele, erudiens parvulos. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.
D Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi. Judicia Domini vera, justificata [f] in ipsum. Sunt ergo distantiæ in singulis quibusque rebus: & prudentis atque intelligentis viri est, in his quæ scripta sunt discernere, ubi lex, ubi præceptum, ubi testimonium, ubi justificationes, ubi judicia constituta sint: ne illa quæ sermo propheticus mirabili uniuscujusque rei proprietate distinxit,
E ea ignorantiæ nostræ infirmitas indoctâ imperitiæ opinione confundat. Itaque per litteras singulas hæc omnia maximus & ultra ceteros copiosissimus psalmus iste discrevit: ut per hæc verborum elementa, credendi & vivendi & erudiendi [g] in Dominum doctrinæ ratio & distinctio doceretur.

Aliud sunt lex, præcepta, judicia, &c.

Psal. 18. 8. &c.

4. Plures autem arbitrantur, simplicitatem fidei ad absolutam æternitatis spem posse sufficere: tamquam [h] innocentia secundùm ju-
F dicium sæculi, doctrinæ cælestis institutis non egeat. Et quia aliter se res habeat, idcirco nunc vivendi in Deo innocenter, & in innocentia religiosè manendi cognitio multa cum copia prophetici sermonis exposita est; quia difficile est quemquam per semetipsum, id est, per sæculi instituta hanc innocentiæ religiosæ cognitionem [i] & verum usum vitæ piæ & innocentis adipisci. Novit etiam infirmam per se

Fides nuda non sufficit, non probitas naturalis.

[a] Editi, *à quibus didicisti*: renitente sacro textu, necnon mss.
[b] Ita mss. quibus re ipsa consentit versuum numerus. Editi verò, *septuaginta octo*.
[c] Bad. Er. & Par. *infantulis*: castigantur à Lips. & mss.
[d] Ita in tribus mss. concinniùs quàm in vulg. *quæ hac ipsi dederit*.
[e] In solis excusis, *iterantur*.
[f] Sic mss. Vatic. & Mic. juxta græc. εἰς τὸ αὐτό. Alii juxta Vulgatam, *in semetipsa*.
[g] Duo mss. Vatic. *in Deum*, deinde cum ceteris, *doctrina ratio* &c. Editi verò, *in Domini doctrina ratio distinctè doceretur*.
[h] Editi, *innocentia secundùm judicium sæculi*, *studium doctrinæ* &c. reluctantibus mss.
[i] In vulgatis, *ad v[...]m*. Mox abest *per se* à ms. Regio ac S. Albini Andegavensi.

esse humanam naturam Apostolus, ad hanc A vivendi scientiam capessendam. (1. Cor. 12. 8.) Nam cùm de charismatum & munerum Dei donis doceret, cùm primùm sermonem sapientiæ prætulisset, statim sermonem scientiæ subjecit. Hoc enim scientiæ post sapientiæ sequens à Deo donum est: quia usus sapientiæ in usu scientiæ perfectus est.

5. Occurrit autem in præsenti psalmo etiam ea nobis difficultas, quòd cùm duos tantùm psalmos acceperimus per litteras hebræas con- B scriptos, id est, [a] centesimum-decimum atque undecimum; ita ut à prima usque vigesimam-secundam litteram secundùm Hebræos versuum numerus conveniret, versusque singuli à singulorum elementorum initiis inchoarentur: in hoc nunc psalmo octonos versus elementa singula obtinerent. (Octonarius numerus quàm absolutus.) Sed cùm omnia vivendi, credendi & placendi Deo præcepta contineantur in psalmo; in eo numero omnia litterarum initia continentur, qui maximè se- C cundùm plenam & religiosam ejusdem numeri virtutem, [b] primus omnium convenientium in se undique partium æqualitate perfectus est. Primùm etenim per duas in se partes ex partibus coæqualis, tum deinde per quatuor æquè partes convenit: [c] ut virtutes psalmorum, qui in hoc numero vel singulari vel multiplicato collocati sunt, doceant numeri hujus esse sanctam & religiosam plenitudinem. Hic autem numerus, etiam in lege sanctus est. Jus- D sum enim est, (Gen. 16. 12.) ut qui natus esset, in octavo signum circumcisionis acciperet. Hæc etiam in circumcisione Domini ratio servata est: (Luc. 2. 21.) & in hoc dierum numero, cùm ipse circumcisione non egeret, oblatus in templo est, ut in corpore ejus humanæ carnis recideretur infirmitas. Hic etiam numerus omnia genera pecudum, ut digna sacrificiis habeantur, emundat; (Exodi 22. 30.) octava enim die jubentur offerri. Et in hoc nu- E mero diluvii diebus (1. Pet. 3. 20.) origo rursum humanæ generationis eligitur. Consummatio igitur nunc doctrinæ & eruditionis nostræ sub perfecti hujus numeri absolutione per singula elementa concluditur: ante quem neque munda Deo hostia fuit, neque in generis familia quis cessante circumcisione susceptus est, & ex quo rursum iterandæ [d] generationis cœpit exordium. Primæ igitur litteræ hi versus sunt [e].



PRIMA LITTERA.

א Aleph.

*BEATI immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Tunc non * confundantur, cùm * perspexero in omnia mandata *. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quòd didici * justitiam tuam. Justificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque nimis.*

(* Hil. confundar. * respicio. * tua. * judicia justitiæ tuæ.)

1. BEATI *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* ℣. 1.
* *Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* ℣. 2.
Dictorum ordo non negligendus est: qui si non diligenter à nobis cognoscitur, ne dispositæ quidem beatitudinis ordinem consequimur. (Luminis consequendi quæ sit præparatio.) Non enim primùm, *Beati scrutantes testimonia Dei*; sed primùm, *Beati immaculati in via.* Prius enim est, confirmatis moribus & [f] in innocentiæ studium ex communi probitatis honestate compositis, viam veritatis ingredi; sequens deinde est, scrutari Dei testimonia, & expurgato emundatoque animo ad investiganda adesse. Ordinis autem hujus & alius propheta non immemor est, dicens, (Oseæ 10. 12.) « Serite in justitia vosmetipsos, & metite vos in fructu vitæ, & illuminate vos « in lumine scientiæ. Non illuminatio primùm, sed satio nostra præcepta est: ut cùm antea nosmetipsos, id est, vitæ nostræ usum in spem fructuum [g] severimus, deinde cùm quæ sata sunt messuerimus, tunc nos lumine scientiæ illuminemus. Tenendus igitur hic ordo est, sationis, messis, & illuminationis. Plures enim nostrûm illuminari se priùs quàm serere ac metere festinant; cùm satio atque messis quædam consequendi luminis præparatio sit.

F 2. Prima igitur hæc beatitudo est, beatos esse qui immaculati in via sint: sed non in via fortuita & in incerta & in erratica, sed in via in qua in lege Domini ambulatur. (Viam Domini non sufficit ire.)

[a] Editi & duo Mss. *centesimum undecimum atque duodecimum.* Veriùs Mic. & Vaticani, CX. *atque* XI. qui duo Psalmi apud Hebræos per singula hemistichia singulis alphabeti litteris distinguuntur, uti etiam observat vulgatus Hieronymus in prædictos Psalmos 110. & 111. cujus hæc in centesimum-decimum verba sunt: *Psalmus iste primus secundùm ordinem scribitur litterarum: licèt multi vigesimum quoque quartum & trigesimum-sextum scriptum putent in hebræo secundùm ordinem litterarum: sed in illis vel desunt aliquæ litteræ, vel supersunt.* V. Ambros. Prol. in Psal. 118. num. 3.

[b] Apud Par. expuncta est vox *primus*, refragantibus aliis editis & scriptis.

[c] Ita Mss. Reg. & Albin. At in vulg[illegible]s & loco *ut*, & mox *docent*, pro *doceant*.

[d] Ms. Mic. cum prima editione Par. *regenerationis.*

[e] Hæc verba in priùs vulgatis statim excipiebat primus dumtaxat versus, *Beati immaculati in via*, ac post *exquirunt eum* subjiciebatur, *Dictorum ordo* &c. ut est infrà, absque ullo titulo, quem supplemus ex mss. Reg. & Albin. in quibus neque hîc, neque deinceps usquam præmittitur octonarius integer. Neque hîc repetendum quod ea de re in Admonitione præfati sumus. Tantùm monemus lectorem, nos primum hunc octonarium apud Par. ex Miciacensi ms. Prologo superiori præpositum, huc tamquam in aptiorem locum retulisse.

[f] Excusi, *in innocentiæ studiis*: emendantur ex mss.

[g] Duo mss. *seruerimus*: mox cum iisdem magis placet *illuminemus*, quàm cum vulgatis, *illuminemur*. Prophetæ quippe verba habent, *illuminate vos*, non *illuminamini*.

Plures etenim utilem & necessariam viam sese ingressos existimant : sed immaculati in via non erunt, quia non in lege Domini ambulant. Sed via hæc non solùm ineunda est, sed etiam [a] pergenda. Nemo enim dum in via est, id ad quod per viam tendit obtinuit; [b] secundùm quod beatus Paulus ait, Non quòd aliquid acceperim, aut jam perfectus sim : sequor autem si apprehendam, in quo & apprehensus sum à Christo. Ergo adhuc ille pergebat : [c] sed pergebat ea quæ retro sunt obliviscens, his autem quæ in priora sunt se extendens. Itaque viam hanc agens beatus est, qui cum oblivione præteritorum in futurorum spem extenditur. Et quæ via sit in qua unusquisque ambulans beatus sit, Dominus docet dicens, Ego sum via. Quisquis igitur in præceptis ejus institerit, hic beatus est : dum vitia carnis coercet, dum animi petulantiam edomat, dum avaritiæ famem vincit, dum terrenorum honorum gloriam evitat. Qui in his ergo manserit, hic est immaculatus in via, & in lege Domini ambulans.

Philip. 3. 12. — Via, Christus. — Johan. 14. 6.

3. Adjectio autem ea, qua dictum est, *in lege Domini*, non est otiosa. Est enim & peccati lex, de qua ait beatus Apostolus, Video aliam legem in membris meis contramilitantem legi mentis meæ, [d] & captivum me ducentem in legem peccati. Ergo quia & lex peccati esset, idcirco lex Domini dicta est. Nisi enim & lex esset exterior, non cum adjectione proprietatis legem Domini propheticus sermo dixisset.

Lex est Dei, & lex peccati. Rom. 7. 23.

4. Sequens deinde versus est primæ litteræ : *Beati qui scrutantur testimonia ejus, & in toto corde exquirunt eum.* In primo versu est, *Qui ambulant in lege Domini* : in secundo, *Qui scrutantur testimonia ejus*; in quarto, quia tertius supplementum dedit secundo, de mandatis ait dicens, *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis* : in quinto de justificatione, *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas* : in sexto rursum de mandatorum effectibus, *Non confundar, cùm respicio in* [e] *omnia mandata tua* : in septimo de judiciis, *Confitebor tibi Domine in directione cordis, in eo quòd didici judicia tua* : in octavo de justificatione, *Justificationes tuas* [f] *custodiam, non me derelinquas usquequaque nimis.* Si ergo aliud lex, aliud præceptum, aliud judicium, aliud justificatio, aliud testimonium; necessarium est ab eo, qui hæc omnia constituit & condidit, intelligentiæ gratiam nos & munus orare. Totum hoc autem in commune lex dicitur. Sed est quiddam in his speciale, quod propriam in se habet legis nuncupationem.

℣. 2. — ℣. 4. — Lex in genere.

5. Quid ergo est lex ? Umbra scilicet, ut Apostolus ait, futurorum : quod de ceteris scriptum nusquam est, scilicet ut futurorum umbra sit aut justificatio, aut testimonia, aut mandata : sed tantùm id legi proprium est, ut Apostolus in plurimis docet, non secundùm litteræ intelligentiam Legem esse tractandam, sed secundùm spiritalem doctrinam futurorum in ea umbram esse noscendam. Ait enim, Non obturabis os bovis triturantis. Et adjecit, Numquid pecudum Deo cura est? An non propter nos dicta scriptaque sunt? Et rursum : Legem legentes non audistis, quòd Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, & unum ex libera? Sed qui ex ancilla, secundùm carnem natus est; qui autem ex libera, secundùm repromissionem. Et quia lex futurorum umbra esset; adjecit, Quæ sunt [g] allegorumena; hæc enim sunt duo Testamenta. Ergo quæcumque doctrinarum spiritalium [h] umbram complexa sunt, hæc lex esse dicenda est; quia lex & spiritalis est, & umbra futurorum.

Lex umbra futurorum. Col. 2. 17. — 1. Cor. 9. 9. — Ibid. 10. — Gal. 4. 21. &c. — Ibid. 24. — Rom. 7. 14.

6. Mandatum autem Domini est, in quo observatio præceptorum & custodia continetur; ut illud, Non occides, non mœchaberis, & cetera horum similia. Et quia hæc simplicia & splendida sunt, nosque in verum lumen per observantiam sui dirigentia; idcirco ita dictum est, Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. De lege autem non convenerat ista dixisse, quæ per umbram futurorum [i] sancta est, & animas per futurorum cognitionem convertens; MANDATUM autem per observantiam sui illuminans.

Mandatum quid. — Exodi 20. 13. — Ps. 18. 9.

7. Ergo quia beati sunt scrutantes testimonia Dei, & aliud legem, aliud mandatum, aliud testimonium esse sicut cetera diximus; quæ hæc Dei sint testimonia, noscendum est. Legis enim totius liber sub testimoniis datus est. Cælum namque & terram Moyses librum Testamenti traditurus in testimonium advocavit. Et sunt plurima in causam testimoniorum constituta, cùm Jacob ait, Testimonium erit vobis collis iste, & testimonium erit lapis iste. Et in Jesu scriptum est, Duodecim lapides efferte, ut sint hi in testimonium filiis vestris. Curato etiam leproso Dominus ait, Offer munus tuum in testimonium, quod constituit Moyses illis. Apostolus plura ad Timotheum per epistolam loquens denuntiat sub testibus, dicens, In conspectu multorum testium denuntio tibi, & in conspectu Dei vivificantis omnia, & Jesu Christi, & electorum Angelorum, ut hæc custodias. Plura igitur & innumerabilia sunt Dei testimonia, quæ si quis scrutari per cognitionem Legis, Prophetarum, Evangeliorum, Apostolorum vellet, in beatitudine permaneret; neque velut vacuo & solitario orbe vivens, sciret se nisi sub teste peccare. Plena

Testimonia Dei quæ & quàm multa. — Gen. 31. 52. — Jos. 4. 5. & 6. — Matth. 8. 4. — 1. Tim. 5. 21.

[a] Sic mss. ubi excusi, *peragenda*. Verbum *ineunda* ingressum viæ, *pergenda* verò progressum & indeficientem in ea perseverantiam declarat.

[b] In vulgatis desideratur hîc, *secundùm quod*, & mox vocabulum *aliquid*, cujus loco apud Bad. Er. & Lips. exstat particula *jam*.

[c] Nunc primùm reperitur, *sed pergebat*, auctoritate mss. Mic. & Vatic.

[d] Reg. ms. *captivam ducentem*. Paulò antè in Mic. *repugnantem*, non *contramilitantem*.

[e] Deerat in vulgatis vox *omnia*, quam consentiente Scriptura habent mss.

[f] Expunximus hîc, *Domine*, auctoritate mss. & Scripturæ.

[g] Verbum *allegorumena* omiserant Bad. Er. & Lips. Hujus loco apud Par. substitutum erat *allegorica*, renitentibus mss.

[h] Ita mss. At excusi, *umbra complexa est*.

[i] Excusi *aucta est* : emendantur ex mss. Respicitur quippe illud Psal. 18. *Lex Domini immaculata*, seu *sancta*.

Angelis plenus omnis mundus. ſunt enim omnia divinis teſtimoniis : & omne A hoc vacuum quod putatur, repletum eſt angelis Dei, nihilque eſt quod non hæc divinorum miniſteriorum frequentia incolat.

Horum præſentia deterrere debet à peccatis. 8. Horum itaque cognitionem per doctrinam quis adeptus, ſcit ſe ſub teſtibus vivere. Et cùm natura humanæ infirmitatis proclivis ad vitia eſt, refugit tamen vel ſub teſte peccare : quod ipſum docet nos communis conſuetudinis ratio. Quis enim furari ſub teſte non metuit? Quis ad ſcelus niſi ſecretum ele- B git? Quis ad adulterium non aut ſolitudinem aut noctem optavit? Et ſi [a] quando incaleſcentibus vitiis jam ad crimen animus promtus eſt, tamen furor inſanientis voluntatis occurſu teſtis coercetur : & in ſeſe abruptam humanæ petulantiæ naturam nonnumquam interceſſio repentina revocavit. Si ergo metus interceſſionis jam præſumtum animo facinus demoratur; quid CHRISTIANUM hominem agere conveniet, ſcientem ſe tot undique ſpirita- C lium virtutum teſtimoniis, non dico operum ſuorum, ſed ipſius tantùm voluntatis obſeſſum? Nonne cùm in aliquam turbidæ affectionis voluntatem infirmitatis noſtræ aculeis commovemur, metuimus adſiſtentes undique nobis choros Angelorum, & plenum miniſteriis cæleſtibus mundum? Si enim Angeli parvulorum patrem noſtrum quotidie vident, qui in cælis eſt : poſſumus teſtimonia eorum metuere, quos & nobiſcum manere, & Deo quotidie D ſcimus adſiſtere. Quinetiam ipſum illum diabolum, per quem ipſa illa vitiorum noſtrorum incentiva præbentur, ſuoſque omnes teſtes metuere debemus, [b] puncto temporis omnem amplitudinem mundi hujus obeuntem : cui dulce eſt peccare nos, ut peccatorum noſtrorum teſtimonio glorietur. Eſt enim ejus hæc propria calliditas, inſtigare ad peccandum, & arguere peccantes. Dictum eſt enim, Aut neſcis [c] quia adeſt diabolus accuſator fra- E trum veſtrorum?

Angeli voluntatis noſtræ teſtes. — Matth. 18. 10. — Diaboli vis & malitia. — Apoc. 12. 10.

Teſtimonia Dei toto corde inquirenda. 9. Et quia eſſent adverſariæ nobis virtutes in teſtimonio cum ceteris permanentes, de ſanctis tantùm Prophetam meminiſſe dignum fuit dicentem, *Beati ſcrutantes teſtimonia ejus :* non aliena ſcilicet, ſed illa quæ Dei ſunt. Non negligentem autem teſtimoniorum Dei oportet eſſe ſcrutationem; ob quod dictum eſt, *In toto corde exquirunt eum.* Non pro parte ſtudium cæleſti doctrinæ adhibendum eſt; ſed F toto corde Dei teſtimonia inquirenda ſunt : ut quia ſunt & alia quæ Dei non ſunt, ea quæ Dei diſcimus eſſe, non avocato in alia negotia corde ſcrutemur.

℣. 3. 10. Succedit deinde hic verſus : *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* In primo verſu ſingulariter via commemoratur, viæ in hoc tertio plures. Ex quo intelligendum eſt, per multas vias ad unam per-

Viæ multæ bonæ & una optima quid.

veniri; in qua quiſque immaculatus ſi ſit, hic beatus eſt. De plurimis autem viis atque unâ Jeremias paria teſtatus eſt, dicens, State in viis, & interrogate vias Domini æternales : & quærite quæ ſit via bona. In plurimis ergo viis ſtandum eſt, & plurimæ interrogandæ ſunt : & hæ quidem plures & Domini ſunt & æternales, & in his cernendum eſt quæ ſit via optima. Viæ plures ſunt, & plura Dei mandata, plures prophetæ per quos omnes in unam viam pergitur : ſed in his operarii iniquitatis non ambulaverunt. Nam ſi in lege manſiſſent, uſque ad optimam illam novi Teſtamenti viam pervenirent. Eſt via per Moyſen, eſt per Jeſum, eſt per David, eſt per Eſaiam, eſt per Jeremiam, eſt per Apoſtolos; & per has omnes ad eum neceſſe eſt pervenire qui dixit, Ego ſum via; &, Nemo vadit ad Patrem, niſi per me. Simile quiddam ſub margaritæ nomine dictum eſſe intelligendum eſt. Multarum enim margaritarum negotiatorem eſſe oportet, ut unam margaritam multi pretii conſequatur. De margaritis cùm fit ſermo, ſufficit ad honorem earum quòd margaritæ ſunt nuncupatæ; una autem illa margarita quæ reperta eſt magni eſſe pretii dicitur : ita & cùm de viis plurimis prophetatur, quòd & Domini & æternales ſint dictum eſt; cùm autem in his viis quæritur quæ ſit utilis via, ea quæ reperta eſt optima prædicatur. Ergo quamvis vel illæ viæ æternales ſint, vel margaritæ ipſo ſuo nomine honorabiles ſint : in multis viis ſtandum eſt, ut bona via reperiatur; & vendendæ omnes margaritæ ſunt, ut ea quæ multi pretii eſt reperta coematur.

Jerem. 6. 16. V. Tract. Pſ. 117. n. 1. — Johan. 14. 6. Ibidem. — Matth. 13. 45. Margarita pretioſa.

11. Dehinc conſequitur hic verſus : *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* Superiùs commemoravimus, aliud ſignificare mandata, aliud legem. Et de lege, quantum arbitror, Apoſtolus nobis teſtis fuit, quia umbra ſit futurorum, in qua ſpecies veritatis tamquam corpus in umbra deſcribitur. Mandatum verò eſt, quod per obſervantiam implendum eſt : ut illud, Non mœchaberis, non occides. Non enim in eo ſpecies futuræ imaginis continetur, ſed præſentem habet operationis effectum. *Tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri valde.* Nihil igitur diſſoluto animo, nihil incurioſo agendum eſt, ſed ſollicitos atque anxios curam mandatorum Dei exſequi nos oportet : ut id quod agimus, in profectum fidei noſtræ, cum reverentia ejus [d] cui agimus, exſequamur. Ceterùm ſi aliquid remiſſa voluntate & occupata in res alias cogitatione egerimus; officia quidem corporis in agendo occupabuntur, ſed devotionis meritum per negligentiam non conſequemur. ℣. 4.

Coloſſ. 2. 17. — Exodi 20. 13. — In Dei opere ne mens ad alia avocetur.

12. *Utinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.* Habemus nunc poſt mandatorum cuſtodiam, etiam juſtificationum obſervantiam. Et mandata jam ſuperiùs, quæ ℣. 5.

[a] Editio Par. *Et ſi quid incaleſcentibus jam ad crimen animis promptum eſt.* Mox in omnibus mſſ. *voluptatis*, non *voluntatis.*

[b] Ita Tertullianus Apologet. n. 22. *Omnis ſpiritus ales. Hoc & Angeli & dæmones. Igitur momento ubique ſunt : totus orbis illis locus unus eſt. Quid ubi geratur, tam facile ſciunt quàm enuntiant : velocitas divinitas creditur.* V. Tract. Pſal. 67. n. 24.

[c] Duo mſſ. *quid eſt diabolus* : cum quibus mox magis placet *& quia eſſent*, quàm cum vulgatis *& quia hæ ſunt.*

[d] Bad. *cujus.* Deinde ab Eraſmo addita vox, *negotium*, in aliis editis retenta eſt : abſque ulla auctoritate mſſ.

Justificationes Dei plures; earum nexus; sine gratia non comparantur.

esse existimaremus, ostendimus. Justificationes autem sunt plures atque diversæ in observandis singulis officiorum generibus temperandæ: ad quorum custodiam, nisi à Deo dirigamur, infirmes [a] per naturam nostram erimus. Adjuvandi igitur per gratiam ejus, dirigendique sumus, ut præceptarum justificationum ordinem consequamur. Est nobis justificatio circa [b] servum distributa, est circa filium, est circa patrem, est circa fratres, est circa fideles viros, est circa Ecclesiæ principes, est circa Angelos, est circa Deum ac Dominum nostrum unigenitum Dei Verbum. In singulis ergo quibusque generibus atque nominibus justificationis ratio servanda est: quia nisi hæc omnia ex comparibus devotæ voluntatis officiis retineantur, [c] justificationem Dei non tenebimus. Religiosus in patrem, si oderit filium, modum justificationis amisit. Religiosus in fratrem, si oderit servum, [d] perdidit justificationis Dei ordinem. Religiosus in Dominum, si oderit sacerdotem, [e] nequaquam justificationis observantiam in religione Dei explevit, odia in ipsa ministeria divinæ justificationis exercens. Jam verò [f] in ipsa fidei veritate, id est, de Dei patris & Domini intelligentia, per quam maximè justificatio nobis erit probata, quantâ opus est nobis Dei gratiâ, ut recta sapiamus, ut ex propheticis atque evangelicis auctoritatibus unum idemque teneamus; ne in uno aut altero opinio nostra & sermo dissideat, [g] sed ad universas Dei justificationes æqua ac pari operum ac doctrinæ observantiâ dirigamur.

℣. 6. Mandata omnia, non ex parte servanda.

13. Quod cùm consequemur, tum dicere id quod consequenti versu continetur licebit: *Tunc non confundar, cùm respicio in omnia mandata tua.* Nisi enim attenti in omnibus mandatis ejus erimus, [h] ac diversabimur, eruntque alia præterita, alia pro voluntate observata; justificationis ordinem non tenebimus. Ceterùm si [i] directis viis nostris erit par in omnibus æqualisque custodia; nullo oblivionis vel negligentiæ pudore confusi, confidenter omnium mandatorum observatione gaudebimus.

℣. 7. Recti cordis cognitæque justitiæ auctor Deus.

14. Sequitur deinde hic septimus versus: *Confitebor tibi in directione cordis, in eo quòd didici judicia justitiæ tuæ. Justificationes tuas custodiam.* Abjicienda ergo est omnis animæ perversitas, & directo atque [k] in nullam aliam partem deflexo corde est confitendum: ne decedat animus in sæculi curam, ne ex illis doctrinæ Dei semitis in devia evagetur. Sed directæ hujus confessionis ea causa est, quæ consequenti versu continetur: *In eo quòd didici judicia justitiæ tuæ.* Primùm igitur oravit, ut ad custodiendas justificationes directæ viæ ipsius fierent. Secundò in nullo confundendum se esse subjecit, cùm in omnia Dei mandata respiceret. Tertiò quoque in directione cordis Deo se confessurum spopondit ob id, quia judicia justitiæ ejus didicisset; per doctrinam scilicet directi cordis cognitæque justitiæ, laudem Deo reddens. Sed justitiæ cognitæ hic fructus est, ut justificationes Dei retineantur: & idcirco subjecit, *Justificationes tuas custodiam.* Qui enim didicisse judicia Dei fructus est, nisi cognitionem nostram justificationum observantia consequatur?

Justitiæ cognitæ fructus. ℣. 8.

Orandus semper Deus, ne in tentatione deserat.

15. Sed meminisse debemus, licèt cognitio præstanda à Deo sit, tamen esse semper orandum, ut his quæ in custodiendis justificationibus suis custodire volumus faveat: scientes quidem frequenter nos ab eo ob tentationes derelinqui, ut per eas fides nostra probabilis fiat. Verumtamen secundùm Prophetam ne nos penitus derelinquat deprecandus est: ait enim, *Non me derelinquas usquequaque nimis.* Quod & in dominicæ orationis ordine continetur, cùm dicitur, Non derelinquas nos [l] in tentatione quam ferre non possimus. Scit Apostolus derelinqui nos ad tentandum: sed novit & mensuram infirmitatis nostræ Deum nosse, dicens, Fidelis est Deus, qui non permittat nos tentari super quàm possumus. Job Deus tentationi permittens, [m] à jure diaboli potestatem animæ ejus excerpsit, & secundùm modum infirmitatis humanæ tentandi jus dereliquit. Infirmitatis suæ igitur Propheta conscius orat, ne valde derelinquatur: ut imbecillitatem ejus, tamquam Petri [n] demergendi fluctibus, Dominus assumat: ut quamquam ad tentandum sese relicturus sit, non tamen *usquequaque* [o] *& valde*, scilicet ne usque ad animæ & fidei periculum derelinquat.

Matth. 6. 13.

1. Cor. 10. 13. Job. 2. 7.

LITTERA II.

ב Beth.

In quo corrigit * *junior viam suam? In custodiendo sermones tuos. In toto corde meo exquisivi te: ne repellas me à mandatis tuis. In corde meo abscondi*

* Hil. *adolescens.*

[a] Regius codex cum Albin. *per naturam erimus. Adjuvandi igitur per gratiam ejusdem sumus.*
[b] Apud Par. *servum hebræum*, abundat vox *hebræum.*
[c] Duo mss. *in justificatione Dei non tenebimur.*
[d] Par. *perdidit justificationes.* Editiones aliæ, *prædictæ justificationis ordinem dereliquit*; quod & habet unus è mss. Vatic. Horum alterum sequimur Regio & Albinensi consentientem.
[e] Sic mss. At excusi, *quam*, loco *nequaquam.*
[f] Excusi, *in ipsam fidei veritatem, id est, Dei patris & Domini intelligentiam.* His præferimus mss.
[g] Editi, *sed universas*; ac deinde *dirigamus*, pro *dirigamur*: castigantur ope mss.
[h] Bad. Er. & Lips. *fuerintque alia præterita.* Par. *ac diversabimus eruntque* &c. Restituimus ex mss. *diversabimur*: quod verbum eamdem vim hîc habet ac frequentativum verbi *diverto*: & ante illud subintelligitur particula *si*; puta *nisi attenti erimus, & si hac illacque divertemus, eruntque* &c.
[i] Tres mss. *indeflexis vitiis.* Fortè pro *indeflexis viis.*
[k] Mss. Reg. & Albin. *in nullam malam partem*: quod satis arrisit.
[l] Sic mss. Editi verò *in tentationem, quam ferre non possumus*: quæ postrema verba ut ad orationem dominicam pertinere credamus, inducimur ex Serm. 84. Appendicis Augustini n. 4. necnon ex lib. apud Ambrosium 5. de Sacram. c. 4. unde prædictus Sermo descriptus est. Utrobique enim eadem verba tamquam ex oratione Domini memorantur.
[m] Duo mss. *ac juri diaboli*: quod ad *permittens* non malè referatur.
[n] Ita mss. Editi verò *demergentis.* Respicitur ad verba Matth. 14. 30. *Et cùm cœpisset mergi* &c.
[o] Addimus *& valde* ex mss.

*eloquia tua : ut non * peccem tibi. Benedictus es Domine : doce me justificationes tuas. In labiis meis * pronuntiabo omnia judicia oris tui. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. In mandatis tuis * me exercebo, & considerabo vias tuas. In justificationibus tuis meditabor *.*

* Hil. *peccarem.* * Hil. *pronuntiavi.* * Hil. *exercebor.* * Exstat infrà totus versus.

1. IN secunda consequentium octo versuum littera ipse sibi Propheta his quibus responsurus sit proposuit, dicens, [a] *In quo corrigit adolescens viam suam ?* Hæc ex proponentis persona dicta sunt. Dehinc nunc tamquam respondentis confessio subditur, *In custodiendo sermones tuos.* Contuendum autem est, secundùm eum quem in exordio habuimus sermonem, vera atque perfecta timoris Dei instituta sub his elementis litterarum contineri, quibus quasi ad usum confessionis Dei per ipsa infantiæ rudimenta formamur. Ergo intelligendus est Propheta non otiosè locutus esse, *In quo corrigit adolescens viam suam ?* [b] Omnem quidem ætatem optabile est ex his corporis sui vitiis ad innocentiæ studium transferri : quia & sera licèt emendatio utilis sit oblivione vitiorum. Sed placiturum Deo virum Propheta [c] conformans, non exspectat post longam ac diuturnam criminum consuetudinem doctrinâ Dei & præceptis timoris institui : sed rudes à peccatis annos, & ætatem adhuc criminum nesciam, vult non modò studiis aliquando innocentiæ, sed etiam ipsa adolescentiæ consuetudine imbui. DIFFICILE est enim ab usitatis desinere, difficile est à familiaribus abstrahi, magnum in se consuetudo habet vinculum : & idcirco optimus ille fuerit cultor, quem non modò delictorum remissio sine crimine constituerit, sed ipsa illa præstiterit vitiorum ignoratio innocentem.

℣. 9. Moribus bonis præstat à puero imbui. Consuetudinis vis.

2. Novit Jeremias propheta ætatis hujus beatitudinem, dicens, Bonum, inquit, est juveni viro, cùm auferet jugum grave in juventute sua : sedebit singulariter, & tacebit. Non exspectat frigescentes senectute annos, nec emortuam jam per ætatem vitiorum consuetudinem. Vult longi prœlii militem : vult eum Christi servum, quem ne ipsa quidem præteritorum criminum recordatio polluat. Nam in his, qui jam provectioris ætatis crediderunt, inest quidem per donum gratiæ præteritorum indulgentia ; sed non abest per conscientiæ naturam gestorum recordatio. Bonum, inquit, juveni [d] auferre jugum grave. ONUS istud [e] rudes ad obediendum anni ægrè ferunt : ceterùm ætas tenera gravis oneris molestiam per virtutis incrementa non sentit. Sed suscepto in juventute onere quid faciet ? Sedebit, inquit, singulariter & tacebit. RARUS iste est, cum quo perfectio timoris Dei per annorum augmenta concrescat : & idcirco singularis sedebit, lascivos adolescentiæ cœtus derelinquens, & ab ipso senum nuper credentium consessu remotus : [f] quia ei non competit dicere, Delicta juventutis meæ Domine ne memineris. Silebit etiam, congruam fidei & juventuti existimans taciturnitatem : non tumultibus negotiorum sæcularium admixtus, sed per modestiam tacens, sola [g] divina sacramentorum cognitione occupatus, & sermones Dei tacita rerum atque operum observatione custodiens.

Thren. 3. 27. Juvenis Deo mancipati prærogativa. Ibid. 28. Cur singularis. Psal. 24. 7. Cur silens.

3. Redit deinde ad personam suam Propheta, ut id, quod superiùs dixerat, significasse de se nosceretur, dicens, *In toto corde meo exquisivi te : ne repellas me à mandatis tuis.* Competere bonitati Dei non videtur, ut à mandatis suis quemquam repellat : sed sermonum adjectio & virtus verborum, quæ ex perfecta cælestis doctrinæ ratione disposita est, nihil dubium, nihil contrarium in se habet. Qui ergo, secundùm prophetam, mavult peccatorum pænitentiam, quàm mortem, numquid existimandus est à mandatis suis quemquam repellere ? Procul sit istud existimare. Sed neque hoc nunc Propheta sentit, maximè qui in toto corde Deum perquisierit.

An repellat Deus quem à mandatis. ℣. 10. Ezech. 18. 23.

4. Sed absolutio difficultatum in his ipsis requirenda est, è quibus videtur exstitere. Propheta enim quid senserit, in promtu est noscere. Legimus scriptum in Jeremia, Maledictus qui facit opera Domini negligenter. Legimus & in Evangeliis scriptum, Omni enim habenti dabitur, & abundabit : & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Ergo habens abundabit ; [h] non habens verò ipso illo quod habet indigebit. Propheta non est obnoxius maledictionis conditioni ; quia non negligenter opera Dei egit, eum toto corde perquirens. Deinde confidenter petit, ne à mandatis Dei repellatur ; quia eum toto corde perquirat. Secundùm Evangelia enim habenti dabitur, & ei qui non habet etiam quod habet auferetur. Deus igitur non auferet nisi non habenti, secundùm quod neque repellet nisi negligentem. Adeo autem bonitate plenus est, ut habentem abundantiâ [i] muneretur : adeo verò non vult quemquam non habere, ut non habenti ipsum quod habet adimat.

Quis in his non fecerit David. Jer. 48. 10. Matth. 25. 29.

5. Neminem igitur nisi obnitentem repellit, neminem nisi negligentem rejicit. Hanc

Quem repellat.

[a] Mss. Reg. & Albin. superiorum loco nil præ se ferunt aliud quàm, *Finit littera I. Incipit Beth littera II.* tum prosequuntur, *In quo corrigit adolescentior viam suam. Hæc* &c.

[b] In vulgatis, *omni quidem ætati* ; mox apud Bad. & Er. *sera scilicet* ; tum apud Par. *emundatio* : refragantibus mss.

[c] In duobus mss. *confirmans.*

[d] Vulgati hîc *ferre*, superiùs autem *cùm fert* ; ubi ex mss. restituimus *cùm auferet*, ut hîc *auferre*. Deinde in codice Mic. *jugum gratiæ* : mendosè. Abest autem vox *gratiæ* à græco & latino textu, nec legit Ambrosius in Psal. 118. Serm. 3. n. 2.

[e] Editi, *maturi ad obediendum.* Ms. Mic. *rudi.* Vatic. *crudi.* Veriùs Reg. & Albin. *rudes.*

[f] Bad. & Er. *quia competit se non dicere* : Lips. & Par. *quia comperit se non dicere* : castigant mss.

[g] Unus è mss. Vatic. *divinorum.*

[h] Hæc verba, *non habens verò ipso illo quod habet indigebit*, absunt à mss. ut & apud Hincmarum, qui in lib. de prædest. cap. 25. hunc Hilarii locum cum ejusdem laude invexit.

[i] In duobus mss. *muneret.*

enim Propheta prætulit causam, cur se non A repelli à mandatis Dei precaretur, quia non ex parte, neque per desidiam Deum, sed toto corde quæsisset: per quod intelligimus eum à mandatis repelli, qui per multam incuriam fuerit indignus admitti: & extra inhibentis invidiam est, quod de culpa proficiscitur non merentis.

ỳ. 11. Secreta Dei quædam revelare piaculum est.

6. Tertius iste secundæ litteræ versus est: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccarem tibi.* Meminimus simile huic dicto legi so- B lere ubi dicitur, Mysterium regis bonum est abscondere. (Tob. 12. 7.) Meminimus & Paulum ad Corinthios adhuc in fide parvulos [a] scribentem, quædam Dei eloquia occuluisse, cùm dicit, Lacte vos potavi, non cibo; nondum enim poteratis, sed neque adhuc potestis. (1. Cor. 3. 2.) Legimus & in Evangelio in agro uberi atque fecundo repertum thesaurum, eumdemque emto agro occultari. (Matth. 13. 44.) Novimus neque margaritas ante porcos projiciendas esse, neque sanctum cani- C bus dare oportere. (Matth. 7. 6.) Ergo intelligimus quædam nos cordis nostri secreto continere, quæ divulgata inexpiabilis peccati culpam comparabunt. Ita enim dixit: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccarem tibi:* quia cùm cetera peccata secundùm differentias rerum aut in nos ipsos aut in alios [b] exsererentur; tamen tum fierent in Deum propria, cùm quæ occultorum cordium essent condenda secreto, hæc in profanæ cognitionis scientiam D proderentur.

Justificationum scientia est Dei munus.

7. Contuendus autem est in quarto hoc, qui consequitur, versu ordo doctrinæ. Primus versus de custodiendis ab adolescente mandatis Dei constitit: sequens, quia in toto corde Deum exquisierit, ne à mandatis Dei repellatur: dehinc quòd sacramenta abscònsa sapientiæ & occulta Dei mysteria mentis suæ secreto continuerit. Quarto nunc id deprecatur, ut justificationes suas eidem ostendat: & de- E precatur confessionis honore prælato, dicens, (ỳ. 12.) *Benedictus es Domine: doce me justificationes tuas.* De justificationibus nonnulla aliqua anteriori sermone * complexi sumus, & superfluum est eadem frequenter iterare. (* ad litt. 1. n. 12.) Maximus igitur ac præcipuus labor est, hanc justificationum Dei scientiam consequi, & humanæ naturæ infirmitas difficulter tot tantarumque rerum cognitionem consequitur: atque ob id ut doceatur orat, quia divinæ bonitatis munus est, F animi humani imperitiam ad congruam atque unicuique generi competentem officiorum observantiam temperare.

8. Succedit deinde etiam de judiciis Dei sermo, quo dicit, *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.* (ỳ. 13.) Quanta rerum, [c] & nuncupationum differentia est.

Judicia Dei inenarrabilia, non judicia oris Dei.

Primùm à juventute mandata Dei custodiuntur, dehinc Deus toto corde inquiritur, tum Dei eloquia occuluntur, & justificationes disci desiderantur, nunc judicia prædicantur. Sed Propheta fortè existimabitur à se excidisse, & vel suorum, vel alienorum dictorum immemor fuisse. In hoc enim psalmorum libro legimus, Judicia tua sicut abyssus multa. (Psal. 35. 7.) Paulus Apostolus ait, Inscrutabilia sunt judicia Dei; (Rom. 11. 33.) & rursum [d] propheta: Magna enim sunt judicia tua, & inenarrabilia: (Sap. 17. 1.) & quomodo audebit Propheta dicere, *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui?* Sed nihil neque contra se, neque contra alium ejusdem spiritûs Propheta nunc elocutus est. Non enim ait, In labiis meis pronuntiavi omnia judicia tua; sed ait, *Omnia judicia oris tui:* sciens nonnullam differentiam esse judiciorum Dei, & judiciorum oris Dei. Numquid cùm ait, Judicia tua sicut abyssus multa; dixit, Judica oris tui sicut abyssus multa? Nunc autem ait, *Judicia oris tui annuntiavi.* Ea ergo, quæ cognita esse per prophetas vel ex Dei verbis judicia esse potuerunt, [e] & Propheta non tacuit: quæ idcirco prædicata sunt, ut docerentur.

Conscientiæ rectæ securitas.

9. Post judiciorum autem oris Dei publicam & constantem prædicationem id sequitur: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* (ỳ. 14.) Non timet Propheta vitæ suæ testes, sed in his delectatur: & ei conscientia spectantium se & contuentium jucunda est. Trepidat enim ad omnem intercessionem, pollutæ conscientiæ metus: ceterùm ubi constans innocentis vitæ fiducia est, plurium testium interventio grata est. Sed non de communis consuetudine gaudii jucundus Propheta est: delectatur enim *sicut in divitiis omnibus;* [f] non tantùm in divitiis, sed *in divitiis omnibus.*

Opibus spiritalibus gaudet Propheta.

Sunt opes in auro, sunt in argento, sunt in pecuniis, sunt in vestibus, sunt in domibus, sunt in agris; eorumque aut vitibus, aut oleis, aut frugibus: sed Domini propheta doctrinarum fruge perfectus est, & [g] legis ac prophetalium institutionum facultatibus dives est: & anteriore licèt tempore, non tamen evangelicorum & apostolicorum præceptorum ignarus est. Novit enim & has divitias Paulus ad Corinthios loquens, Gratias ago Deo meo semper pro vobis [h] super gratiam Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu: quoniam in omnibus ditati estis in ipso, in omni verbo & in omni scientia. (1. Cor. 1. 4.) In his ergo

[a] Verbum *scribentem* huc revocamus ex mss.
[b] Ita mss. At editi, *exercentur*.
[c] Editi, *& nuncupatuum*. Unus ms. *ennuncupatarum*. Ceteri, *& nuncupationum*: ante quod subintelligitur *tanta*.
[d] Vides Sapientiam tamquam prophetæ Opus spectari. Sic spectatur & in Psal. 135. n. 11. Salomoni tribuitur in Psal. 127. n. 8. Sed ante Hilarium Cyprianus ad calcem libri de mortalit. eumdem librum citavit & Salomonis nomine, & ut eloquium Spiritus-sancti.
[e] In vulgatis *ea propheta*. Magis placet cum mss. *&*, quasi, *etiam*. Porro Ambrosius, qui etiam in ceteris cum Hilario passim consentit, hoc judiciorum Dei & judiciorum oris Dei discrimen apertiùs explicans, *Possumus*, inquit Ser. 2. n. 30. in hunc Psal. *judicia Dei æstimare, quæ occulta nobis non patefecerit; judicia autem oris ejus, quæ annuntiaverit & per os prophetarum locutus est. Os enim Dei propheta intelligitur* &c.
[f] Hîc subjiciunt mss. Reg. & Albin. *Sunt opes in auro*, aliis omissis.
[g] In duobus mss. *legalium*: deinde in omnibus, *& prophetalium*, non *& prophetarum*, ut in vulgatis. In eadem verba Ambrosius: *Delectabatur ergo David in omnibus divitiis cognitionis, scientiæ, sapientiæ, & in omni actu bonorum operum.*
[h] Bad. Er. Lips. [illegible] postrema editio Par. *per gratiam Dei*; renitentibus mss. quor[illegible] duo subjiciunt, *quæ data est mihi in vobis.*

dives est, & in his delectatur Propheta. Ceterùm non est existimandus sæcularium opum comparatione delectatus esse, qui NISI CUM CONTEMTU atque inopiâ sæculi dives in Domino esse non potuit. A

Has exercitatione conservat.

10. Delectatus autem in viis testimoniorum Dei, opus delectationis suæ agere debebat; & non ambiguum est quin agat. Ait enim septimo versu, *In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas.* (℣. 15.) Exercitatione igitur & assiduitate opus est, ut usus rerum necessariarum retineatur; quia periculosa est humanarum mentium & molesta desidia: ac ne otii consuetudo subrepat, assiduitas exercitationis adhibenda est. B Sed retentus etiam hic ordo rationis est. Nam priùs exercendum est in mandatis Dei; tum deinde viæ ejus considerandæ: quia nisi fidelium operum usus præcesserit, doctrinæ cognitio non apprehendetur; & agendum à nobis antea fideliter est, ut scientiam consequamur. Vias ergo, secundùm superiorem * expositionem, legem, prophetas, omnia Evangelia, & Apostolos esse existimamus: quos in mandatis Dei se exercens Propheta consideravit, ut noverit. C

* num. 10.

11. Conclusit autem octavum numerum hoc versu: *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermonum tuorum.* (℣. 16.) A doctrinæ perfectæ ordine Propheta non excedit. In justificationibus Dei, quas doceri se oravit, exercetur, sicut meditatur in mandatis. D

Mandata.

Mandatorum enim hæc est ratio, [a] quia nos ad observantiam atque opus innocentiæ instituunt: ut illud est, Non occides, non mœchaberis, & cetera his similia. [b] In his ergo exercetur (quia in his operationis est usus,) per præsentium se exercitationem ad futura confirmans.

Justificationes.

Justificationes autem sunt, quibus hebræus puer sex annis servus, liber deinceps anno septimo fiet; (Exod. 21. 2.) & post sex annorum fructus, ager otiosus relinquendus est, (Exod. 23. 10.) & cetera E in justificationum observantiam constituta, quæ ingentem in se habent futuræ spei meditationem per negotii præsentis [c] effectum.

Meditationis & exercitationis usus.

Atque ideo in his meditatur, ut in mandatis [d] exercetur: quia exercitatio usum retinet consuetudinis institutæ; meditatio autem se in id quod nondum obtinuit extendit; ut per meditationem id quod expetit consequatur, [e] ne sermonum & promissionum subrepat oblivio. [f] F



LITTERA III.

ג Gimel.

*RETRIBUE servo tuo, & vivam: & custodiam sermones tuos. Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua. Concupivit anima mea * cupere justificationes tuas in omni tempore. Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis. Aufer à me opprobrium & contemtum: quia testimonia tua exquisivi. Etenim sederunt principes, & adversùm me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in tuis justificationibus. Nam & testimonia tua meditatio mea est, * & consolatio mea justificationes tuæ sunt.*

* Hilarius, ut desiderem judicia tua.

* Hilarius, & consilia.

1. QUIBUS non est constans emundati cordis conscientia, precari ista Prophetæ voce non possunt: *Retribue servo tuo.* (℣. 17. Insontis vox est, Retribue.) [g] Si enim digna secundùm opera nostra retributio aderit, in peccatorum ac delictorum nostrorum [h] pœnis manebimus. Satis est autem, si cui vel hæc saltem fiducia gratulandi ad Dominum fuerit; Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm injustitias nostras reddidit nobis: quia secundùm altitudinem cæli à terra [i] longavit iniquitates nostras à nobis; quia ipse cognovit figurationem nostram. (Ps. 102. 10.) Magnum est tantam in se Dei misericordiam recognoscere, & scire consuetudinem criminum procul à se abesse, [k] & dignum Dei misericordiâ se esse cœpisse. Propheta autem hic, in cujus scilicet corpore habitatio Dei digna est, quia sancto Spiritu plenus non communia nec terrena cogitat & effatur, libertatis ejus est, ut oret, *Retribue servo tuo.*

2. Sed fortè insolentis istud audaciæ est, sine aliqua confessionis modestia meritum retributionis optasse, nec se in corpore situm, id est, in vili atque in humili sorte esse meminisse. (Non insolenter à David profertur.) Exclusit autem Propheta omnem de se vanitatis ac jactantiæ opinionem. Nam cùm dixisset *Retribue* ex fiducia innocentiæ; *servo tuo* ex servitutis officio & ex conditionis suæ confessione subjecit. Constanter igitur hæc

[a] Editi *quo nos*: emendantur ex mss.
[b] In vulgatis, *Hæc ergo exercentur*: non congruunt subsequentia.
[c] Ita mss. rectiùs quàm excusi, *affectum*, ut liquet ex Tractatu subsequenti n. 21.
[d] Vulgati hic, *ut in mandatis exerceatur*; quomodo & sub initium hujus numeri, *sic ut meditetur in mandatis.* Utrobique præferimus lectionem mss.
[e] In altero è mss. Vatic. hîc insertum est, *qua meditatio justificationis id consequitur.*
[f] In ms. Reg. & Albin. ea est hujus Tractatus clausula atque exordium sequentis, *Finit Beth littera II. Incipit Gimel littera III. Retribue servo tuo, vivam* (sine & juxta græcum,) *& custodiam sermones tuos. Quibus non est constans* &c.
[g] Editi hîc addunt, *& vivam*: quod rectiùs abest à mss.
[h] Excusi, *pœnas merebimur*, superiùs omisso *in*: diffidentibus mss.
[i] In duobus mss. *prolongavit*, & mox, *figmentum nostrum*, non *figurationem.*
[k] Desideratur in mss. Reg. & Albin. *& dignum Dei misericordia se esse.*

postulat,

postulat, qui se Dei servum, non peccati esse meminit: quia omnis qui peccat, servus est peccati. (Johan. 8. 34.)

Vita vera non est hujus temporis.

3. *Vivam*, inquit, *& observabo sermones tuos. Vivam* atque *observabo* non præsentis temporis res est; sed significatio sermonis hujus in [a] futurum se tempus extendit. Scit enim Propheta quando beata illa & vera viventium vita sit. Nunc enim & in pulvere mortis manemus, & in mortis corpore sumus, à quo se liberari Apostolus orat, dicens, Miser ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus? (Rom. 7. 24.) Habemus autem etiam nunc admixtam nobis materiam, quæ mortis legi & peccati obnoxia est; & in hujus caducæ carnis infirmisque domicilio corruptionis labem ex ejus consortio mutuamur: ac nisi [b] glorificato in naturam spiritûs corpore, vitæ veræ in nobis non potest esse natura. Audiamus eum, qui se meminit in corpore mortis habitare, dicentem, Quia vita nostra absconsa est [c] cum Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. (Col. 3. 3. & 4.) Hanc ergo retributionem sibi Propheta orat, ut vivat: futuræ hujus vitæ tempus in loco altero docens, quo ait, Et placebo Domino in regione viventium. (Ps. 114. 9.) Scit hanc mundi istius sedem regionem non esse viventium. Scit nos adhuc secundùm præfigurationem legis emundandos esse. Nunc enim admiscemur morticinæ: & in lege quisquis mortuum contrectat, immundus est. (Num. 19. 11.)

Lex de mortuo non contrectando qui intelligenda.

4. Sed absit istud, ut quidquam horum in lege corporaliter intelligatur, tamquam per contrectationem mortui quisquam fiat immundus. Joseph ossa egrediens Ægyptum Moyses (Exod. 13. 19.) ipse lator legis abstulit, Eliseus mortuo ut eum vivificaret incubuit (4. Reg. 4. 34.), Dominus ipse mortuos manu apprehensos in vitam retraxit (Matth. 9. 25.): & contrectatio mortui si immundum effectura fuisset, nequaquam à tantis viris, neque à Domino violata lex esset, ipso dicente, Non veni legem solvere, sed adimplere. (Matth. 5. 17.) Sed [d] quia lex umbra est futurorum bonorum; idcirco per hanc præformatam significantiam docuit nos in hoc terreni & morticini corporis habitaculo mundos esse non posse, nisi per ablutionem cælestis misericordiæ emundationem consequamur, [e] post demutationem resurrectionis, terreni corporis nostri effectâ gloriosiore naturâ.

Baptismata sunt diversa.

5. Et fortè si quis existimet sibi in Sacramento baptismi perfectam illam [f] innocentiæ, & cælesti vita dignam redditam puritatem; Johannem Baptistam dixisse recolat, Ego quidem baptizo vos in aqua pænitentiæ; qui autem [g] post me venit, fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni (Matth. 3. 11.): ipsum autem Dominum baptizatum à Johanne (Luc. 3. 21.) cùm adhuc esset in corpore meminerit locutum, Adhuc habeo alio baptismo baptizari. (Luc. 12. 50.) Est ergo, quantum licet existimare, perfectæ illius emundatio puritatis etiam post baptismi aquas reposita: [h] quæ nos sancti Spiritus sanctificet adventu, [i] quæ judicii igni nos decoquat, quæ per mortis injuriam à labe morticinæ & societate purgabit, quæ martyrii passione devota ac fideli sanguine abluet.

Mandatorum non est hîc perfecta custodia.

6. Et idcirco sanctus Propheta victurum se dicit esse cùm vivat, per hanc scilicet umbram vitæ ad veram illam regionem viventium transferendum. Secundùm quod exem-

[a] Mss. Reg. Mic. & Albin. *futuri*.

[b] Hoc est, post gloriosam resurrectionem, quæ ita corporibus obveniet, *ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio non interitu naturam perimat, sed qualitatis conditione demutet*, ut legimus in Ps. 2. n. 41. Ex quo liquet Hilarium minimè asserere aliam esse per resurrectionem corporum naturam, sed tantùm conditionem. Neque verò hîc ait, *mutato*, sed *glorificato in naturam spiritûs corpore*, hoc est, ut ad calcem numeri subsequentis habemus, *post demutationem resurrectionis terreni corporis nostri effectâ gloriosiore naturâ*. Augustinus epist. 148. num. 16. censet corpus tum ita futurum spiritale, *ut propter ineffabilem quamdam facilitatem spiritus dicatur*. Et lib. cont. Adim. c. 12. n. 4. *corpus spiritale* interpretatur corpus *omni modo spiritui subditum sine aliqua corruptione vel morte*. At noster Hilarius spiritale corpus vocat potiùs ex comparatione cum spiritali ac divina natura: quia nimirum incorruptione, æternitate aliisque dotibus ornandum sit, quæ soli naturæ spiritali ac divinæ per se conveniant.

[c] Miciacensis codex, *cum Christo Deo*. Mox Regius & Albin. necnon antiquæ edit. *& nos apparebimus cum ipso*.

[d] Quæ sequuntur, ita cum superioribus connexa sunt, ut nullum prorsus locum permittant, quo hîc deesse quidpiam suspicemur. Ea tamen adversùs Julianum lib. 2. c. 8. n. 26. referens Augustinus innuere videtur dicta ex occasione verborum Domini, *Pacem meam do vobis. Audi*, inquit, *& beatissimum Hilarium, ubi speret & hominis perfectionem. Cùm enim loqueretur de pace evangelica, ubi Dominus ait, Pacem meam do vobis. Quia lex &c.* Re autem verâ hæc Domini verba ipse adjecit Augustinus, ut ob oculos poneret tempus, quo Hilarius hominis perfectionem exspectandam assereret. Quod ut magis inculcaret, descriptis Hilarii dictis subjecit, *Vides quemadmodum venerabilis catholicus disputator nec in hac vita mundationem nostram neget, & tamen humanam perfectionem speret, id est, perfectioris mundationis in ultima resurrectione naturam.*

[e] In duobus mss. *per demutationem*. Retinemus *post* cùm aliis libris, ac pervetustis Augustini exemplaribus.

[f] In vulgatis, *innocentiam*. Præferimus cum mss. *innocentiæ* scil. *puritatem*. Non hîc negat Hilarius baptizatis eam esse innocentiam quæ cælum consequatur, sed eam puritatem quæ cælestem & incorruptam vitam deceat, quæque baptismatîs aliis perfici non egeat, utpote manente nobis etiam post baptismum concupiscentiâ, quæ peccati lex & origo prædicatur in Psal. 58. n. 4.

[g] Abest *post me* à duobus mss.

[h] Hîc subaudiendum, *ea scilicet emundatio*. Tum in his verbis, *quæ nos sancti Spiritûs sanctificet adventu*, nil vetat quo minùs Confirmationis sacramentum intelligamus, quod rursum in Matth. c. 19. n. 3. sic indigitari videtur: *In typicam consummationem*, baptismo initiatis hoc Sacramento conferendam, *prohibendorum infantium subrepit instinctus. Quos Dominus ait non oportere prohiberi, quia talium sit regnum cælorum: munus enim & donum Spiritus-sancti per impositionem manûs & precationem, cessante Legis opere, erat gentibus largiendum.* Quibus similia sunt illa Tertulliani de baptismo c. 8. ubi de baptismi effectu sermone habito, statim subjicit; *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum-sanctum.*

[i] Illud *quæ*, quod apud Bad. Er. & Lips. deerat, & cujus loco apud Par. prælatum erat *qui* dissidentibus mss. nostris, rursum refertur ad emundationem: de qua Ambrosius in hunc Psalmum Ser. 3. n. 14. habet, *Est etiam baptismum in paradisi vestibulo .... romphæa ignea quam posuit Deus*, docetque eâ purificari, qui sordium nonnihil habentes in paradisum redire cuperent. Eamdem illam baptismi speciem attendit Origenes in Luc. hom. 14. cùm ait, *Ego puto quòd & post resurrectionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos atque purgante: nemo enim absque sordibus resurgere poterit.* Hic Hilarii sermo de quatuor baptismatîs præter baptismum aquæ, fundatur in duobus Scripturæ locis suprà memoratis, in quibus occurrit baptismi vocabulum. Primus est, *Ipse vos baptizabit in Spiritu-sancto, & igni:* alter, *Adhuc habeo alio baptismo baptizari.* Priorem illum & de Spiritus-sancti per impositionem manuum & precem super baptizatos adventu, & de igne judicii sordium reliquias decoquente interpretatur; alterum autem vel de morte simpliciter, vel de martyrii passione. Hinc perspicitur ratio, cur baptismum ignis judicii antè memorarit, quàm baptismum mortis aut passionis. Aliud quidem postulabat ordo temporum; at prævertendum non erat quod allatis Scripturæ locis continebatur. Facilis quoque subest ratio cur non plura afferat exempla rerum quibus peccata abluuntur: quia nimirum in Scripturis non invenit plura quibus *baptismi* nomen attributum sit.

* subaud. dicit. plum, ut dixit, *vivam*; ita & *, *custodiam sermones tuos.* Custodiuntur interim secundùm A
1. Cor. 13. 9. & 12. apostolum Paulum pro parte & per speculum. Sunt enim multa sæculi scandala, quæ prohibent perfectam in nobis mandatorum esse custodiam. Taceo de naturis corporum, quæ nos interim aut per infirmitatem, aut per incentiva vitiorum imperfectos esse compellunt. At verò morte victa, & aculeo ejus obtuso, & cùm facie ad faciem audiemus atque cernemus; tunc verè & vivemus, & mandata Dei B servabimus.

7. Ordo intelligentiæ, qui primo versu continetur, hic idem in consequentibus est.
ỹ. 18. Ait enim, *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Scit mortalibus oculis atque corporeis nubem obscuritatis obsistere. (Lege adumbrata: hæc optat David cernere.) Scit ea quæ corporaliter in lege præcepta sunt, umbram esse & speculum futurorum. Legem quidem legit: sed optat legis mirabilia contueri. Meminit sancta esse sabbata: sed in æter- C norum sabbatorum requie esse desiderat. Utitur quidem azymis panibus: sed fermentum ejicere naturæ veteris festinat. Immolat pas-
Johan. 1. 29. chæ ovem: sed assistere ei qui per Johannem revelatur Agno concupiscit. Septimi anni legi satisfacit: sed ipse exactis septem millibus, sæculi esse liber expostulat. Jubilei quinquagesimi anni legem explet: sed [a] pentecostes remissionem ac renovationem obtinere festinat. Scit ex præcepto Dei secundùm cæleste exem- D plar & altarium à Moyse institutum, & Aaron sacerdotali habitu ornatuque vestitum: sed
* Christi. Principis * sacerdotum, in cujus exemplum hæc fiebant, interesse ministeriis properat. Induci quoque in terram sanctam, terram fluentem lacte & melle, [b] tamquam totius hujus orbis peregrinus orat. Universa quidem ista Judæi corporaliter gerunt: sed hæc Paulus ali-
Rom. 7. 14. ter intelligit, dicens, Scimus enim quia lex spiritalis est. Hæc igitur legis mirabilia, quæ E velatis oculis adumbrantur, Propheta orat ut cernat: scilicet ut caduco atque infirmo corpore absolutus, hæc quæ per corporalem observantiam legis magna & mirabilia in cælis præfigurantur, adspiciat.

Peregrinandum à carne. 8. Non demutatur affectus orantis. Post hæc
ỹ. 19. enim ait, *Accola ego sum in terra; ne abscondas à me mandata tua.* Accola non juris sui terram incolit, [c] sed alienam: neque peregrinus fructum ex ea temporariæ operationis exspectat. F Novit incolatûs hujus Apostolus ordinem, di-
2. Cor. 5. 8. cens peregrinandum à corpore, & cum Christo manendum esse. Propheta itaque quasdam imagines cælestium conversationum fide cernens, licèt corpus incolat, tamen rem non suam incolit, oculis mentis in cælum erectis. A Scit in cælo thesauros collocandos; quia ubi Matth. 6. 21.
thesaurus sit, illic & cor futurum sit. Non erat [d] illo sensu suæ terræ accola, qui in evangelica Luc. 12. 18.
comparatione horrea exstruit capacia ingentium fructuum, & animam suam per præsentium copiam ad delicias adhortatur; stultus animâ ipsâ eadem nocte privandus.

9. Ergo accolam se Propheta confitens, (Mandatum unum lucidum, alia absconsa.) orat ne mandata Dei à se occulantur. Nemo enim nisi peregrinus corporis sui, cognitione
B mandatorum Dei dignus est. Quod manda- Psal. 18. 9.
tum Dei cùm lucidum sit, & illuminans oculos; absurdè nunc videbitur dixisse, ne sibi mandata Dei occulantur, quæ hoc naturæ in se habent, ut & lucida sint, & illuminent. Sed negligentia aurium affert [e] sensûs difficultatem. Illic enim mandatum lucidum & illuminans est, hìc mandata absconsa sunt. Lucidum mandatum est, per quod ad contuendum lumen mandatorum illuminamur. Per
C mandatum quod in lege primum est, quo Deut. 6. 5.
Deum ex tota anima & ex tota virtute amare præcipimur, [f] digni illuminatione cognitionis efficimur. Et sicut de gloria in gloriam [g] transibimus; sic & in lumine videbimus lumen, sic & per speculum faciem ipsam aliquando cernemus. Per hoc enim nunc corporalis vitæ mandatum, sacramento baptismi & præcepto Dei illuminamur, & lumine utimur, & in gloria manemus. Per hoc rursum ex mandato
D [h] mandata cernemus, per hoc ex lumine lumen videbimus, per hoc ex gloria in gloriam transferemur.

10. Scit autem in cælis Propheta plura Dei (Angelorum ministeria sunt diversa.) esse mandata, scit per diversitatem ministeriorum diversas esse præceptorum observan- (v. litt. 6. 8.) tias, Angelorum, Archangelorum, Thronorum, Dominationum, Potestatum, & Principatuum. Quos utique necesse est, ut nominibus, ita & officiis esse diversos, perpetuam
E tamen mandatorum custodiam pro naturæ suæ firmitate retinentes. Atque ob id revelari sibi cælestium mandatorum sacramenta orat: quia sciat se in terræ hujus corpore esse peregrinum.

11. Quartus hic tertiæ litteræ versus est: ỹ. 20.
Concupivit anima mea, ut desiderem [i] *judicia tua in omni tempore.* Non est Prophetæ hujus cum ceteris communis vel sæculi sermo: altiùs sub significatione familiarium verborum intelli-
F gentiæ suæ extulit sensum, dicens, *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Multis enim videbitur rectiùs dictum fuisse, Desiderat anima mea judicia tua in omni tempore. Et fortè quidam existimant idipsum sub his dictis contineri.

12. Sed meminit Propheta, arduum esse &

[a] In vulgatis, *pentecostadis.*

[b] Ms. Mic. *jam totius.* Alii duo, *tamquam totus.*

[c] Editi, *sed advena & peregrinus fructum extemporaria* &c. castigantur ope mss.

[d] Excusi, *ille sensu* &c. Concinniùs duo mss. *illo* (scil. mox dicto) *sensu.* Nec displicet quod in aliis duobus, *ille sensu suo*, id est, animo, *terra accola* &c.

[e] Sic mss. concinniùs quàm excusi, *sensuum difficultatem*: deinde *illic* intellige Psalmo 18. Eamdem eadem ratione quæstionem solvit Ambros. in Ps. 118. Serm. 3. n. 39. *Si lucidum mandatum, quomodo absconditur; cùm lucernam nemo ponat sub modio? nisi fortè lucidum est unum mandatum, multa autem mandata abscondita sunt.* Idcirco Hilarius infrà n. 17. testatur se hoc loci *de uno & de plurimis mandatis* egisse.

[f] In tribus mss. *dignique.*

[g] Duo mss. *transimus*; deinde in priùs vulgatis desideratur *sic.*

[h] Prima editio Par. cum ms. Mic. *& mandata.* Alter Vatic. *& in mandata.*

[i] Apud Par. *justitiam tuam.* Alii verò libri, *judicia tua*, juxta græcum κρίματά σου.

Judicia Dei quàm tremenda homini. Matth. 12. 36.

naturæ humanæ periculosissimum, Dei desiderare judicia. Cùm enim nemo vivens in conspectu ipsius mundus sit; quomodo desiderabile judicium ejus potest esse? An cùm ex omni otioso verbo rationem simus præstituri, diem judicii concupiscemus, in quo nobis est ille indefessus ignis [a] subeundus, in quo subeunda sunt gravia illa expiandæ à peccatis animæ supplicia? Beatæ Mariæ animam gladius [b] pertransibit, ut revelentur multorum cordium cogitationes. [c] Si in judicii severitatem capax illa B Dei Virgo ventura est, desiderare quis audebit à Deo judicari? Job omnium humanarum calamitatum militiâ & victoriâ perfunctus, qui cùm tentaretur, ait, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen ejus benedictum in sæcula, cinerem se esse confessus, audita de nube Dei voce non loquendum sibi ultrà esse decrevit. Et quis erit ausus Dei desiderare judicia, cujus vocem de cælis nec tantus propheta sustinuit, neque Apostoli [d] consistentes in C monte cum Domino ferre potuerunt?

Luc. 2. 35. — Job 1. 21. — Job 40. 1. — Job 42. 3. & 6. — Matth. 17. 6.

Eam innocentiam sibi optat David, qua fiant non tremenda.

13. Tenuit itaque Propheta humanæ & naturæ & conscientiæ modum, dicens, *Concupivit anima mea, ut desiderem judicia tua in omni tempore.* Non enim judicium desiderat, sed ut desideret concupiscit: desiderii eum cupiditas, non judicii continebat. Concupiscit enim desiderare, scilicet ut in tanta innocentia maneat, ut tutò jam & sine [e] metu judicii terrorem desideret: [f] rem ipsam nondum per D conscientiam humanæ conditionis desiderans; sed ejus desiderium, [g] & conscientia perfectæ ut proveniat innocentiæ concupiscens. Scit verò continentem & indefessam desiderii hujus concupiscentiam esse oportere: atque ideo adjecit, *in omni tempore*, nullum scilicet docens otium nobis esse debere, quin semper desiderii hujus cupiditate teneamur.

Semper id optandum.

℣. 21. Superbia provocat in nos iram Dei.

14. Deinde sequitur, *Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.* O infelix E superbia, quæ dedignatur sub præceptis cælestibus vivere, quæ mandata divina animi infidelis tumore fastidit! Plurima sunt humanorum vitiorum crimina, & diversæ atque innumerabiles peccatorum operationes: sed nulla magis provocandæ in nos iræ Dei, quàm superbiæ causa est. *Increpasti* enim non avaros, non lascivos, quibus utique increpatio debita est, sed *superbos*: quia plures per superbiam, qua humana contemnunt, etiam Deo obsequi spernunt.

Inania reddit opera bona.

15. Sed sint licèt præclara cetera fidei opera, & in omni divinorum præceptorum custodia devotio immoretur: tamen subrepente superbia, memoria eorum quæ rectè operamur abolebitur. [h] Quanto evangelicus ille pharisæus labore se in vitæ viam statuit, ne in alienam rem rapax esset, ne in quemquam injuriosus exsisteret, ne adulteriis dissolveretur? Laboravit bis in sabbato jejunans, [i] suumque corpus per abstinentiam cibi ingenti patientiæ virtute confecit. Quanto deinde labore avaritiæ vincendæ, decimas substantiæ suæ in usum egentium intulit? Quid his præclarius? [k] quid eorum opere difficilius? Sed incidit in superbiæ laqueum, dicens, Quia non sum sicut peccator iste & publicanus: [l] & infelix hoc vitio ex ingentibus operibus cecidit in crimen, & insolens per hanc virtutum suarum gloriam factus, justificato magis publicano recessit.

Luc. 18. 11. &c. — Ibidem.

Paulus qui ab ea liberatus. Gal. 1. 1. — 2. Cor. 12. 7. & 8.

16. Sed quid de pharisæo dicimus? Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum, adversùs quem diabolus omni virtutis suæ arte luctatus est, angelum satanæ qui se colaphizaret accepit: ut per passionum omnium indefessas molestias, nulla superbiendi occasio per otium temporis posset irrepere. Ipse quoque eligendi & constituendi sacerdotis quamdam legem ferens, cùm jam eum in his quibus episcopum dignum est virtutibus collocasset, neophytum eligi vetuit, ne superbiret, dicens, Non neophytum, ne inflatus incidat in judicium diaboli: id est, ne per recèns adeptam regenerationis gratiam insolescat, vult illum multo passionum bello antè tentari, vult multis humilitatis & fidei stipendiis provehi. Cor enim humiliatum Deus non spernit, & sacrificium optimum cor contribulatum: quia qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.

Quàm eam ministris Dei timuerit. — 1. Tim. 3. 6. — Ps. 50. 19. — Luc. 14. 11.

Superbia humana despicit, divina negligit.

17. Et idcirco *maledicti qui declinant à mandatis tuis*, quia increpantur superbi: quia per superbiam animi insolentis, & humana despi-

[a] Sic mss. At editi, *obeundus*. Hæc sententia nititur verbis Gen. 3. 24. Unde Ambrosius in hunc Psal. Ser. 20. n. 12. *Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad paradisum redire desiderant: non enim otiosè scriptum est, quòd ejectis Adam & Eva de paradisi sede posuit Deus in exitu paradisi gladium igneum versatilem.* Eamdem confirmat illud Pauli 1. Cor. 3. 13. *Uniuscujusque opus quale sit ignis probabit.* Sed licèt omnibus subeundum illum ignem, non tamen omnibus sentiendum putant Lactantius l. 7. c. 21. & Origenes hom. 3. in Psal. 36. Unum quidem Christum ab ignis sensu excipere videtur Ambrosius loco laudato n. 14. At re vera Johannem Evangelistam excipit n. 12. sicut & Petrum n. 13. ubi & generatim pronuntiat, *Qui habuerit hîc caritatis ignem, illic ignem gladii timere non poterit.* Eam quoque Hilarius n. 13. satis declarat esse posse innocentiam, cui jam sine metu judicium exoptandum sit.

[b] In vulgatis, *pertransivit*. At in mss. *pertransibit*. Respicit Hilarius illud Simeonis ad Mariam, *Animam tuam pertransibit gladius*, quod non de gladio infidelitatis, quemadmodum Origenes hom. 17. in Luc. sed de gladio flammeo ad ostium paradisi posito dictum intellexit. Neque verò hinc piæ de Maria existimationi Ecclesiæ quidquam detrahit. Satis enim innuit se eam omnium purissimam atque sanctissimam existimasse, cùm ex illius per ignem transitu, quem Scripturis expressum judicabat, nemini non timendum judicium prædicat. Neque etiam hinc necessariò conficitur quod ad marginem adscripsit Erasmus, *Aliud sentiunt, qui liberant eam à peccato originis.* Ut enim mox observatum est, aliud est per ignem transire, aliud quidpiam ab igne pati. Dicit quidem Hilarius Mariam transituram, sed passuram non dicit. Passio autem sola peccatum arguit, non transitus, maximè in ipsius aliorumque Patrum sententia, qui cælum nulli patere existimant nisi per ostium flammeo gladio obseratum.

[c] Regius codex cum Albin. *ubi*, pro *si*.

[d] Verbum *consistentes* priùs omissum revocatur ex mss.

[e] Editi, *sine metuendi judicii terrore*, cetera nonnihil confundentes. Distinctior est lectio quam exhibemus ex mss. Reg. Albin. & Vatic.

[f] Simpliciùs mss. Reg. & Albin. *non rem ipsam desiderans, sed ejus desiderium*, &c.

[g] Excusi, *ex conscientia perfectæ si proveniat* &c. Restituimus *&* pro *ex*, necnon *ut* pro *si* auctoritate mss.

[h] Editi hîc & infrà *quando*: emendantur ope mss.

[i] Ita castigatiores mss. tres. Excusi autem, *& infelix hoc vitiorum, (vel vitiosum) corpus*: perperam & non suo loco.

[k] Editi, *quid horum operum executione*: refragantibus mss.

[l] Desiderabantur in priùs vulgatis verba, *& infelix hoc vitio.* Restituimus ea ex mss.

cimus, & divina negligimus. Sed virtus verbi A hîc collocati non negligenter est audienda. Promtum enim fuerat dicere, Maledicti qui non obtemperant mandatis tuis. (De uno & de plurimis mandatis in superiore versu competentia * diximus.) Maledicti autem sunt, qui per hanc prophetiæ doctrinam eruditi, à mandatis Dei declinant, id est, per vitiorum præsentium desideria ab spe æternorum mandatorum decidunt. Qui enim declinat, id in quo est devitat, & ex alia parte in aliam dedu- B citur, & deflexu quodam de itinere [a] decedit. Vel leviter ergo declinantem à mandatis Dei maledictionis sententia comprehendit: ut intelligeremus quanti periculi res esset, [b] ea omnino ignorare nos, à quibus declinare maledictum est.

(* num. 9. & 10.) (Declinare quid.)

℣. 22. 18. *Aufer à me opprobrium & contemtum; quia testimonia tua exquisivi.* Peccata opprobrio sunt digna: & idcirco peccatores exsurgent in opprobrium æternum. Quòd autem peccata om- C nia opprobrio sint digna, in Evangeliis discamus, tum cùm Dominus exprobrare civitatibus illis cœpit, in quibus plures virtutes ejus effectæ essent nec pænituissent, Corozaim & Bethsaidæ. Quod ab illis cœptum, necesse est ut in omnes ejusdem criminis [c] pares fiat; & tunc humano generi exprobret non pænitenti, neque in viam evangelicam pergenti, id quod psalmo continetur: Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? D Exprobrat enim superbis atque maledictis, cur nihil in sacramento sanguinis sui atque mortis utilitatis [d] suæ esse existimaverint; cùm ille nostri causâ & natus & passus & mortuus sit.

(Opprobrium merentur peccata, Dan. 12. 2. Luc. 10. 13. Ps. 29. 10.)

19. Tenuit etiam Propheta rationem infirmitatis humanæ. Scit inesse quædam, quæ per Dei misericordiam auferenda à nobis sint. Scit Deum tali peccatorum nostrorum confessione orandum, ut etsi [e] digna arguitione E habeamus, non tamen arguamur: confitendum enim crimen est, ut obtineatur & venia. Scit deinde post arguitionem in contemtum, id est, in nihilum gentes [f] æstimari: quia scriptum sit, Omnes gentes nihil sunt, & omnia quæ à malitia sunt, in nihilum æstimata sunt. Sed secundùm Prophetæ exemplum auferri à nobis opprobrium & contemtum hac spe ac fiducia deprecari nos oportet: ut addamus ad id quod dicitur, *Aufer à me oppro-* F *brium & contemtum*, * & id quod sequitur, *Quia testimonia tua exquisivi.* Et testimonia Dei exquirit, ut argui non debeat; & auferri à se opprobrium contemtumque precatur, ut verecundiam non derelinquat: esse quidem in natura sua confessus arguitionis & opprobrii causam quam à se deprecatur auferri; sed per devotionem exquisitorum testimoniorum eam sperat auferri.

(Avertit confessio, Esai. 40. 17. modò exquirantur etiam Dei testimonia. * etiam.)

20. Exquirit autem testimonia Dei Propheta, non in otio, neque in insolentia rerum secundarum: sed exquirit multis adversùs se residentibus, multis adversùs se colloquentibus, dicens, *Etenim sederunt principes, & adversùm me detrahebant.* [g] Scit omnem prophetiæ fidem mundi hujus perosam esse principibus: scit Apostolos cunctis futuros propter Christianum nomen odiosos. Sedent adversùs Prophetam principes, & detrahunt tunc, cùm audiunt [h] etiam dicentem, Audite verbum Domini principes Sodomorum, attendite legem Dei populi Gomorrhæ. Ex consilio enim talium Esaias sectus est, Jeremias quoque carcere clauditur, Daniel leonibus fame ad sævitiam incitatis objicitur, Zacharias inter templum & altare occiditur, Apostoli cæduntur, desecantur, crucifiguntur: ut prædicatio Dei auferatur, ut doctrina prophetiæ inhibeatur, ut vitæ æternæ via obsepiatur. Sed hos principum consessus & hæc obtrectationum eloquia sprevit fides constans. Consequitur enim: *Servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.* Obstrepentibus illis videlicet, & totis pœnarum armis inhibentibus, in exercitationibus justificationum [i] Dei spiritus perseverat.

(Principibus mundi perosa fides. ℣. 23. Esai. 1. 10.)

21. Sed, ut jam superiùs * tractavimus, exercitatio justificationum & meditatio testimoniorum illa est, [k] qua cùm legis opera per corporales efficientias exerceantur; exercitatione justificationum tamen & testimoniorum meditatione, bonorum æternorum per præsentium meditationem quædam præparatio comparatur. Sed testimoniorum meditatio unde oriatur ostendit. Adjecit enim, *Et consilia mea justificationes tuæ*; omnem scilicet vitæ curam, omnes consiliorum varios diversosque motus intentos esse justificationibus confitens Dei in Christo Jesu, cui gloria & honor in sæcula sæculorum. Amen.

(* litt. 2. n. 11.) (Meditatio & operatio legis, æternorum est præparatio.) (℣. 24.)

LITTERA IV.

ד Daleth.

*ADHÆSIT pavimento anima mea: vivifica me secundùm verbum tuum. Vias meas * enuntiavi, & exaudisti me:*

(* Hil. pronuntiavi.)

---

[a] In mss. *decidit*.
[b] Ita mss. At excusi, *omnia ignorare*.
[c] Editio Par. *criminis par fiat*. Meliùs alii libri, *pares*, id est, pariter reos.
[d] Abest *sua* à duobus mss.
[e] Bad. Er. Lips. & mss. Vatic. *digni arguitione habeamur*.
[f] Duo mss. *existimare*. Mox verba, *& omnia quæ à malitia sunt*, neque in latinis neque in græcis Esaiæ exemplaribus jam exstant. Sed ea etiam legisse Ambrosium Serm. 3. in Psal. 118. n. 41. liquet ex nota c, qua observatur in omnibus mss. haberi, *Omnia quæ malitiæ sunt, pro nihilo æstimantur.*
[g] Sic mss. nisi quòd pro *perosam* habet unus Vatic. *periculosam*, & Mic. *opertam*. At editi, *Scit enim omnem prophetiæ* (Lips. & Par. *propheta*) *fidem mundi hujus deesse principibus.*
[h] Pro *etiam* in vulgatis legebatur *Esaiam*, refragantibus mss.
[i] Abest *Dei* à duobus mss. Aut legendum videtur *Dei servus*, aut cum ms. Vatic. *Dei spiritu*.
[k] In Reg. ms. *quia*, non *qua*: lectio non spernenda, si præsertim paulò antè *& meditatio* perinde accipiatur ac *etiam meditatio*. Ut enim habetur ad litteram superiorem n. 11. *justificationes ingentem in se habent futuræ spei meditationem per negotii præsentis effectum.*

doce me justificationes tuas. Viam justificationum tuarum * *instrue me : & exercebor in mirabilibus tuis. Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis. Viam iniquitatis amove à me :* * *& in lege tua miserere mei. Viam veritatis* * *elegi :* * *justitiam tuam non sum oblitus. Adhæsi testimoniis tuis, Domine : noli me confundere.* * *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.*

* fac ut intelligam.
* & lege.
* dilexi.
* judicia tua.
* in via.

I. MULTIPLEX intelligentia non potest in se habere dictorum difficultatem, cùm amota omni obscuritate, intelligendi magis abundet electio : ut in primo quartæ litteræ versu contuemur.

℣. 25. Ait enim, *Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundùm verbum tuum.* Potest istud [a] & de assiduitate orationis intelligi, tamquam ex peccatorum confessione in terram Propheta prostratus adhæserit pavimento. Sed ut altius aliquid sub his dictis intelligamus, perspectâ diligentiùs verborum virtute, necessarium ducimus. Non enim ait, Adhæsi pavimento ; sed, *Adhæsit pavimento anima mea :* & admonemur intelligere hîc eum esse de animæ & corporis societate conquestum. Et multa sunt, quæ nos ut hoc potiùs probabile existimemus admoneant. Dixit enim Apostolus, corpus humiliationis nostræ : dixit & Propheta, Humiliata est in pulvere anima [b] mea : dixit rursum, Et in pulverem mortis deduxisti me. Igitur, vel quia in terræ hujus solo commoramur, vel quia ex terra instituti conformatique sumus, anima quæ alterius originis est, terræ corporis adhæsisse creditur : maximum ipsa certamen suscipiens, [c] ut se, etsi manens in eo, ab ejus societate divellat, ut tamquam peregrina incolatu ejus utatur.

Carnis terrenæ societas prophetæ molesta est.

Philip. 3. 21. Psal. 43. 25. Psal. 21. 16.

2. Non ignarus est autem Propheta, licèt anterior ætate, apostolici tamen dicti, quia qui adhærent Domino, in uno spiritu sunt. Scit etiam à se esse prædicatum, Adhæsit post te anima mea. Quinetiam legit in lege, Post Dominum Deum tuum ambulabis, & adhærebis ipsi. Adhærere igitur huic magis quàm illi concupiscit. Sed quia meminit ex consortio ejus nonnullam se labem contraxisse peccati ; orat ut per verbum Dei, quamvis admixta terrenæ mortalique naturæ anima ejus sit, ipse tamen [d] in vitam vitæ cælestis animetur. Scit enim se nunc pavimento adhærere, non vivere : sed secundùm verbum Dei, cui mortui vivunt, orat ut vivificetur in vitam.

Vitam optat meliorem.

1. Cor. 6. 17. Psal. 62. 9. Deut. 13. 4.

℣. 26. 3. Dehinc sequitur : *Vias meas pronuntiavi, & exaudisti me ; doce me justificationes tuas.* Qui secundùm voluptates corporis vitam agunt, in viis suis ambulant. Qui autem omni vitiorum carnalium consuetudine derelictâ in præceptis Dei vivunt, jam illis non in sua, sed in via Dei iter est. Et hæc audiamus in Deuteronomii præcepto : Sed nunc Israel quid Dominus Deus tuus poscit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in omnibus viis ejus, & diligas eum, & servias Domino Deo tuo ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & custodias præcepta Domini Dei tui & justificationes ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut bene sit tibi ? Ergo Deo adhærens, in Dei via est.

Quid in viis suis, quid in via Dei ambulare.

Deut. 10. 12. & 13.

4. Et qua ratione Prophetam hîc locutum existimabimus dicentem, *Vias meas pronuntiavi, & exaudisti me ; doce me justificationes tuas ?* Si enim vias suas prædicat, necesse est peccati vias prædicet : quia in via peccati sit, quisquis in via Dei non sit. Sed huic præsenti dicto consentiens illud videtur, quod dictum est, Pronuntiabo adversùm me injustitias meas Domino ; & rursum, Justus in exordio sermonis sui ipse sibi accusator est. Ergo hîc pronuntiatio quæ dicitur, non laudatio est, sed confessio viarum suarum, id est, peccatorum suorum pænitens professio. Et Propheta ut esset dignus spiritu prophetiæ, vias suas, id est, peccata sua antè confessus est : ut post hanc pronuntiationem eorum, doctrinæ justificationum Dei capax esset. Quod utrumque absolutè docetur. Nam cùm dicit, *Pronuntiavi*, confessionem hanc præteriti temporis esse demonstrat ; cùm dicit, *Doce me*, oratio est ex futuro : quia confitendum antè est de peccatis, & exacta confessione discendum.

Peccatorum confessio via est ad doctrinam Dei.

Psal. 31. 5. Prov. 18. 17.

5. Manens autem Propheta in lege, non ex his doceri se postulat, quæ corporali tunc ministerio gerebantur ; sed ex his quæ per speciem præsentium futuri erant sacramenta complexa.

Legis non opera sed scopum rogat doceri.

℣. 27. *Viam justificationum tuarum fac ut intelligam ; & exercebor in mirabilibus tuis.* Sermo præsens discrevisse cognoscitur justificationes à via [e] earum. Et quantum re ipsa intelligitur, omne quidem ad quod per viam tenditur, non idem est quod & via ipsa quæ pergitur. Quærenda igitur causa est, cur Propheta præstari sibi, ut viam justificationum intelligat, potiùs quàm ut ipsas justificationes cognoscat oraverit. Meminit enim omnes justificationes legis, umbram in se sanctarum justificationum continere : cùm post sexennii servitutem hebræus puer liber est, cùm septimi anni fructus indigentibus & pecoribus terræ relinquuntur, cùm post quinquagesimum annum omnia in jus familiæ ejus unde

Exod. 21. 2. Levit. 25. 4. Ibid. 13.

[a] In duobus mss. *& de sua vitæ ratione intelligi* : lectio non spernenda.

[b] Abest *mea* à mss. Reg. & Albin. Mox in iisdem exstat, *deduxit me*, non, *deduxisti.*

[c] Ita mss. At editi, *ut se immanens.* Illud *ut se etsi manens*, &c. in Psal. 60. n. 2. aliis verbis enuntiatur, *in carne quidem quæ terra est degentem, jam in fine carnis habitare, dum secundùm Apostolum habitans in corpore peregrinatur à corpore, dum vivens jam non sibi vivit.*

[d] Er. Lips. & Par. *in viam vitæ :* corruptè ac renitentibus mss. *Vita vitæ cælestis*, vita eorum est qui in cælis vivunt, quorum vitam solam veram esse fusè ostenditur lit. 3. n. 3. & 6.

[e] Substituimus *earum*, loco *eorum*, prout exigit sensus. Mox in excusis, *omne quod est ad quod per viam tenditur ..... quæ pergitur.* His præferimus mss.

decesserint revertuntur. Et quia hæc quæ in lege sunt constituta, via est eorum quorum in his præformatur exemplum; ut viam harum justificationum intelligens in mirabilibus Dei exerceatur orat, id est, in legis operibus versetur: quia lex sit ad futurorum bonorum speculum constituta.

Lex speculum.

Versionibus variis præfertur versio LXX.

6. De consequenti versu comperi multos varia sensisse, eo quòd non eadem proprietate à ceteris translatoribus ex hebræo demutatus esset, ut ab his Septuaginta interpretantibus conscriptus est. Nonnulli enim pro eo quod
a ab illis dictum est [a] ἐνύσταξεν ἡ ψυχή μου, posuerunt ἔσταξεν ἡ ψυχή μου. Quidam autem ex illis non ἐνύσταξεν, sed κατέσταξεν transtulit. Et aliud ἐνύσταξεν, aliud ἔσταξεν, aliud κατέσταξεν significare intelligitur. Sed nobis neque tutum est translationem Septuaginta interpretum transgredi:
b & [b] sanè ratio & sensus dictorum ita admonet, ut rectè ac probabiliter versum translatum intelligamus. Est enim cum illis & nobiscum
℣. 28. ita: *Dormitavit anima mea præ tædio.* Et superior omnis sermo & consequens humilitatis & infirmitatis confessionem in se habet; cùm pavimento anima adhæsit, cùm peccatorum viæ confitentur, cùm intelligentiam viæ justificationum orat. Consequens ergo est, ut nunc animam suam præ tædio mortalis habitaculi dormitare conquestus sit, quæ nondum justificationum viam intelligat, quæ etiam nunc pavimento adhæserit. Atque ob id in viis Dei confirmandum sese orat, quia præ tædio dormitet.

Dormitationis ratio.

7. Sed hîc ea ratio servata est, ut dormitare se, non dormire dicat: quia qui dormit, in ipso somni opere est; qui autem dormi-
c tat, dormitat [c] ante quàm dormiat. Quæ & in alio loco ratio servata est, cùm dicit,
Ps. 120. 4. Ecce non dormit, neque dormitabit, qui cu-
Psal. 131. 4. stodit Israel. Sed & illic, ubi meminit, Si » dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem; dormitationem palpebrarum, somnum verò esse dixit oculorum, quia palpebrarum officium est, ut somnum ex dormitatione concilient. Propheta igitur etsi dormitat, non tamen dormit: atque ob id ne dormitans obdormiat, subjecit, *Confirma me in verbis tuis:* id est, ut per omnium justificationum, quas superiùs memoravit, intelligentiam confirmatus, non modò non dormiat, sed etiam sine aliqua dormitatione pervigilet.

℣. 29.
David à peccato non à peccati via alienus.

8. Ait autem post hæc, *Viam iniquitatis amove à me, & lege tua miserere mei.* Promtum fuerat dicere, Iniquitatem amove à me: sed licèt infirmitatis suæ conscius, cùm meminit in corpore suo viam inesse peccandi, tamen per timorem Dei à peractione peccati omnis alienus est. Viam igitur peccati, qua ad peccatum pergere promtum est, amoveri à se deprecatur, id est, omnia corporalium voluptatum desideria auferri, nec tentationem aliquam concupiscentiæ aut ignorantiæ; qua tamquam per viam ad peccatum itur, ingruere. Nec solùm id orat Deum, sed etiam ut per legem suam misereatur ejus. Per legem autem hoc modo misericordiam consequitur: quia ut superiùs ostendi, ita in lege sit scriptum: Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus poscit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in omnibus viis ejus, & diligas eum, & servias Domino Deo tuo « ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & « custodias præcepta Domini Dei tui & justifi- « cationes ejus, quæ ego præcipio tibi hodie; « ut bene sit tibi? Ergo cùm lex doceat in viis « Dei ambulandum, ut ambulanti in his bene in posterum sit; & [d] nunc Propheta oret vias injustitiæ à se amoveri, sibique ut Deus misereatur ex lege: id orat quod lege conclusum est, ut in viis Dei ambulans in beatitudine collocetur.

Beatitudinem rogat lege promissam.

Deut. 10. 12. & 13.

9. Dehinc sequitur: *Viam veritatis dilexi, & judicia tua non sum oblitus.* Viam multi diligunt: sed non omnes diligunt viam veritatis. Et quicumque aut voluptatum aut divitiarum aut honorum viam ineunt, sed & qui hæreticorum doctrinis vagi & incerti & impii differuntur, in via quidem sunt, sed non sunt in via veritatis. Sed Propheta ex spiritu ejus loquitur, qui assumto corpore dicturus postea erat, Ego sum via, veritas & vita. Et quia hoc judicium est, secundùm quod Evangeliis continetur, Hoc enim judicium est, ut qui credit in me, habeat vitam æternam; meritò Propheta ait, *Viam veritatis dilexi, & judicia tua non sum oblitus.* Nobis enim hæc ad cognitionem posteriùs dicta sunt; sed Propheta in his & vivit & loquitur.

℣. 30. Via veritatis.

Johan. 14. 6.

Judicium.

Johan. 3. 15. & 19.

10. Cohæret autem sibi doctrinæ & confessionis propheticæ sermo: ait enim, *Adhæsi testimoniis tuis, Domine, noli me confundere:* quia veterum & anteriorum peccatorum veniam testimoniis Domini adhærendo sit meritus. Scit enim verbis Dei dictum esse, Ecce deleam ut nubem injustitias tuas, & tamquam nebulam peccata tua. Dominus potens est omnia ea [e] quæ nobis pudori & confusioni sunt amovere, si & nos dicere cum libertate possimus, *Adhæsi testimoniis tuis.* His enim adhærentes, à confusione pudendorum & anteriorum criminum liberamur.

℣. 31. Testimoniis Dei adhærendo à confusione liberamur.

Esai 44. 22.

11. Sed concluduntur omnia suo ordine, suis rebus. Superiùs enim ait, *Viam injustitiæ*

Gradus ad cursum viæ Dei.

[a] Apud Bad. post *quod ab illis dictum est*, relicto unius versus spatio vacuo proximè subjectum erat, *Sed nobis neque tutum est* &c. multis omissis. Erasmus deinde in vacuo illo spatio de suo inseruit, ἐνύσταξεν *distillavit verterunt*, nec quidquam amplius postea restitutum est. Hunc locum resarcimus ope mss. Reg. Albin. & Mic. lectionem integram, etsi vocibus græcis non parum depravatis, exhibentium. Porro Ambrosius ἔσταξε seu *stillavit*. Ser. 4. n. 15. prætulit, idque Origenis auctoritate, qui ut subdit n. 16. post quàm *multorum interpretationes diligenti discussit indagine*, STILLAVIT, *secutus est*. Hieronymus verò ex hebræo vertit, *distillavit*.

[b] Ita mss. At excusi, *& sana ratio est, & sensus*.

[c] Par. *ante quàm somno languescit*. Alii verò libri, *dormitat* &c. hoc est, dormitatio quoddam est somni præludium.

[d] In editis, *nunc fortè propheta*, abundat *fortè*, abestque à nostris mss.

[e] Editi, *quæ in nobis pudoris & confusionis sunt*. Elegantior est lectio mss.

amove à me [a] : deinde subjecit, *Viam veritatis* A *dilexi :* tertium id sequitur, *Adhæsi testimoniis* ℣. 32. *tuis :* nunc deinde ita finit : *In via præceptorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Per gradus ad id ventum est. Viæ iniquitatis amotæ, viæ veritatis dilectæ, testimoniorum indivisibili societate; ut in via mandatorum Dei curreretur. Sed via quæ ad vitam ducit, & angusta, & tribulata est : angusta, quia diligenter & cautè in ea ingrediendum est; tribulata, quia per multas tribulationes & passiones B aditur. Et insolens Propheta existimabitur, qui se viam hanc currere glorietur?

(Via vitæ angusta & tribulata.)

12. Meminit autem inter innocentiæ studium, & humilitatis confessionem, sermonum suorum moderandam esse virtutem. Idcirco postea quàm dixerat, *In via mandatorum tuorum cucurri;* hoc addidit, *cùm dilatasti cor meum.* Dilatatum est cor, quod per fidem capax doctrinæ Dei panditur. Et hoc de credentibus dictum est, Et inhabitabo & inambulabo in C eis. Cor igitur dilatatur, in quo sacramentum Patris & Filii residet, in quo capaci habitatione Spiritus-sanctus delectatur. Meminit & Salomon dicens, Sapientia in exitibus canitur, in plateis cum libertate agit. Verbi utriusque hujus latinitas nostra vel obscuritatem nobis affert, vel alterius intelligentiæ opinionem præbet. Nam quod nos in exitibus dicimus, græcitas ex hebræo ἐν ἐξόδοις transtulit. Et exodus propriè est, ubi ex multis angustiis viis D in unam patentem viam coitur. Quod verò nos plateas nuncupamus, eodem nomine græcitas * nuncupavit. Sed plateas latitudines esse græcus sermo designat : & nos putamus has esse urbium vias. Ergo Sapientia, quæ Christus est, in via illa, in qua nobis ex multis egressus est, canitur : in latitudinibus autem cum libertate agit, in quibus non solùm habitare, sed etiam deambulaturam se esse promisit. Ergo viam Domini Propheta liberè E currit, postea quàm dilatato corde esse cœpit. Non enim antè potuit viam Dei currere, quàm ipse ille digna & ampla Deo efficeretur habitatio. [b] Amen.

(Non curritur nisi Deus dilatet cor: qui dilatet. — 2. Cor. 3. 16. — Prov. 1. 20. — Exodus. — Platea. — * πλατεῖας.)



LITTERA V.

ה He.

*LEGEM statue mihi, Domine, * viam justificationum tuarum : & exquiram eam semper. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & * custodiam illam in toto corde meo. Deduc me * in semitam mandatorum tuorum : quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua, & non in utilitatem. Averte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me. Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo. Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum : quia judicia tua jucunda. Ecce concupivi præcepta tua : in æquitate tua vivifica me.*

(* Hil. *via.* — * *servabo.* — * *in semita.*)

1. INUSITATAM ac novam deprecationem Prophetæ in primo quintæ litteræ versu invenimus. Ita enim cœpit : *Legem statue mihi, Domine,* [c] *viæ justificationum tuarum.* Sed rationem consequi versûs hujus ex latina interpretatione difficile est. Per conditionem enim sermonis nostri communis non ita absolutè potuit virtus verbi & hebraici & græci explicari. Græci namque ex hebræo transtulerunt, νομοθέτησόν με, κύριε, τὴν ὁδὸν τῶν δικαιωμάτων σου. Orat enim in hoc versu, ut sibi lex statuatur justificationum : & quod græcè est νομοθέτησον, ad ejusdem sensus intelligentiam latinitas explicare non potuit. Propheta ergo orat, ut viæ justificationum suarum legem sibi Dominus constituat, id est, ut qua lege viam justificationum Dei adeat, intelligat & sciat. Non enim viæ tantùm ait, sed *justificationum viæ* postulat *legem.*

(Latina versio græcam non satis expressit. — ℣. 33. — Lex viæ justificationum Dei optatur.)

2. Et quæ tandem justificationum viæ lex erit? Nam in communibus & terrenis viis legem meminimus esse in spatiis [d] mensuras : cùm passuum mille intervallo quædam legis viæ signa statuuntur, [e] cùm mansionum

(Lex viarum communium.)

[a] Auctoritate mss. expunximus hîc, *& in lege tua miserere mei,* quæ & supervacanea esse constat ex subjectis.

[b] Abest, *amen*, à mss.

[c] In vulgatis, *viam justificationum.* Quod & in mss. occurrit semel in fine, forsitan ex librariorum lapsu : nam in ceteris constanter habent *viæ*, sicque legendum liquet.

[d] Ms. Mic. *in spatii mensuris.* Hæc viæ lex maximè milites spectat, de qua Ambrosius in hunc eumdem locum; *Miles, qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit sibi, ... nec voluptuaria captat compendia, ne recedat à signis; sed itinerarium ab imperatore accipit.*

[e] In duobus mss. deest, *cùm mansionum requies disponitur.* Mansionis vocabulum frequens est in itinerario peregrinationis Jerosolymit. ubi variæ viatorum stationes mansionum, mutationum ac civitatum nominibus indicantur. Eodem verbo utitur Julius Papa apud Athanasium p. 748. ubi canones ostendit temeratos ab eis, qui Gregorium hominem externum Alexandriæ Episcopum salutarunt Antiochiæ, loco ab Alexandrina urbe *triginta sex mansionibus* dissito. Julii epistolæ consentit Antonini itinerarium, in quo Antiochiâ Alexandriam proficiscentibus triginta sex loca assignantur. Si vera est Godefridi Hermanni opinio, qua putat notis in c. 9. lib. 5. vit. S. Athanas. mansionem à Julio vocari dimidiatam diurni itineris partem, dicendæ erunt mansiones hospitia aut prandendi aut pernoctandi causâ destinata. Sed cùm itinerarium illud non tam expedito & ad scopum properanti viatori dictum sit, quàm militi onusto, cujus vires adversùs hostem infractæ servandæ essent, non constat singulis illis mansionibus dimidiatam tantùm diurni itineris partem esse intelligendam. Cùm autem Tobiæ 6. 1. dicitur, *Mansit prima mansione juxta fluvium Tigris*, ibi exprimi videtur locus, quò Tobias prima itineris sui die pervenit, & ubi pernoctavit. Mansiones ut plurimùm non multùm inter se distant. Neque etiam æquales sunt, uti Ambrosius in hunc Ps. Ser. 5. n. 5. disertè docet. Ac licèt ibid. n. 2. *stativas* vocet eas sedes in quibus exercitus, post quàm triduo ambulasset, quarto requiescebat die; tamen n. 3. & 5. stationes filiorum Israel in deserto indiscriminatim nominat & *stativas* & *mansiones.*

requies disponitur, cùm usque ad urbem [a] refectioni viantium congrua rursum mansionum intervalla dimensa sunt. Sed etiam tum cùm ex Ægypto populus per rubrum mare pedes transiit, legem quamdam viæ fuisse meminimus [b] ei non humani arbitrii judicio, sed divini, constitutam in columna ignis & nubis. Nam cùm oporteret populum iter agere, columna ignis nocturno tempore anteibat, de die verò columna nubis. At cùm placitum Deo fuisset diu in iisdem castris populum contineri; columna neque ignis noctu provehebatur, neque nubis de die anteibat. Legem itaque hanc viæ statuit. Et si diligenter stationes eas, mansionesque castrorum, & conditiones locorum quæ Exodo continentur, retractemus; magna in ipsis cælestis itineris mirabilia cernemus. Ob quod frequenter Propheta oravit, dicens, Considerabo mirabilia de lege tua. Sed non jam istis se viæ legibus contineri Propheta orat: non enim viæ legem, sed *viæ justificationum* poscit.

Lex viæ populi ex Ægypto exeuntis. — *Exodi 13. 21.* — *Exodi 15. &c.* — *Ps. 118. 18.*

3. Scit esse viam testimoniorum, cùm dicit, *In via testimoniorum tuorum delectatus sum.* Scit esse viam præceptorum, cùm ait, *Viam præceptorum tuorum cucurri.* Novit esse viam legis, cùm, *Beati sunt qui ambulant in lege Domini.* Scit esse hanc viam justificationum, de qua nunc deprecatur. Scit etiam esse viam in Prophetis, scit esse viam in Evangeliis, scit esse viam in Apostolis, de quibus sæpe testatus est. Vult ergo per legem viæ hujus, usque in perfectam illam vitæ viam tendere. Plures enim sunt hæreticorum, qui viam legis [c] probant, plures qui Prophetarum, multi qui Evangeliorum, multi qui Apostolorum. Scimus etiam quosdam non omnibus his viis esse contentos. Sed scriba doctus novit divitis patris-familias exemplo de thesauris proferre vetera & nova. Hanc igitur justificationum viæ legem Propheta desiderat. Lex enim justificationum quibusdam religiosi cordis disciplinis continetur, & intra fines nos constitutionis suæ quibus [d] se uteremur artavit: ne excedentes eos, ad opiniones hæreticæ intelligentiæ evagaremur. Non vult igitur ab ea lege excedere, quam constitui sibi orat.

Via multiplex. — *ỳ. 14.* — *ỳ. 32.* — *ỳ. 1.* — *Cujus viæ legem exoptet David.* — *Matth. 13. 52.*

4. Sed in quam causam hanc legem orat institui? Scilicet ut exquirat eam. Lex erat justificationum per Moysen scripta: & hanc Propheta operibus exercebat. Non ergo hanc statui sibi orat, quæ jam statuta erat, & ab eo religiosè agebatur; sed eam quam optat inquirere. Quid ergo optat inquirere? Finem scilicet legis. Et quis erit finis legis? Apostolum audiamus: Finis enim legis Christus est. Sed per has justificationum vias, quibus statuta lex fuerit, finem legis optat exquirere: neque solùm exquirere, sed semper exquirere. Ita enim ait: *Et exquiram eam semper.* Officium exquirendi non suffecerat per voluntatem, nisi etiam indefessâ ab eo temporis continuatione gereretur.

Ad quid. — *Rom. 10. 4.*

5. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam; & servabo eam in toto corde meo.* In proverbiis Salomonis scriptum meminimus, [e] Inintelligendo sapientiam interroganti sapientia deputatur. Quo sensu id ostendi videtur, quòd qui non intelligat, & sapienter interroget, sapere credatur. Hoc itaque eò proficit, quia Propheta in lege manens, & secundùm Apostolum Hebræus ex Hebræis, octava die circumcisus, & secundùm genus ex tribu Juda, & secundùm gratiam corporeæ unctionis & rex electus & christus, & [f] secundùm sacramentum dominicæ nativitatis dignus cujus filius Jesus Christus esset, tamquam peregrinus legis orat, *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & servabo eam in toto corde meo.* Nondum ergo servat, nondum scrutatus est, nondum intelligit. Non ergo de ea lege loquitur, in qua natus est, eruditus est, operatus est Propheta. Sciens itaque primam partem esse prudentiæ, ut quis quod non intelligit, sapienter interroget; & quod ignorat, intelligat: idcirco intellectum ut accipiat rogat. Sciens verò adepto spiritu intelligendi, studio opus esse scrutandi, ait, *Et scrutabor legem tuam.* Scrutationis autem fructum [g] repertæ rei custodiam esse cognoscens, dixit, *Et servabo eam.* Intelligens verò perfectam custodiæ diligentiam in toto esse cordis officio, consummavit omnem sermonis sui ordinem, dicens, *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & servabo eam in toto corde meo.*

ỳ. 34. — *Prov. 17. 28. sec. LXX.* — *David prærogativæ.* — *Philip. 3. 5.* — *Cujus legis & qua lege optet intellectum.*

6. Sed quid tandem istud est, quod intelligere optat, quod scrutaturum se & servaturum toto corde promittit? Meminit namque non otiosos dies sex Moysi libro in mundi hujus operatione monstrari. Scit non superfluam

Legis ritus varii. — *Gen. 1.* — *Gen. 2. 3.*

[a] Sic mss. concinniùs quàm vulgati, *refectione.* Rursum hæc Ambrosii verbis juverit illustrare. *Eliguntur*, inquit, *civitates, in quibus triduum, quatriduum, & plures interponantur dies, si aquis abundant, commerciis frequentantur.* En Hilario nostro *intervalla viantium refectioni congrua.* Quid verò ei sit *usque ad urbem*, cetera Ambrosii sic explicant: *Et ita sine labore conficitur iter, donec ad eam urbem perveniatur, quæ quasi regalis eligitur, in qua fessis exercitibus requies ministretur.* Sed & illa intervalla, in quibus viatores aliquot dies requiescebant, *mansionum* nomine ab Hilario designata esse hîc legimus; ut mansionem intelligere liceat quamcumque viatorum stationem, sive in ea ad horam, sive ad unum aut plures dies commorarentur. Et hoc quidem alterum ex dictis jam satis liquet, ac præterea confirmatur ex Num. 23. 1. ubi 42. loca in quibus filii Israel per desertum pergentes castrametati sunt, *mansiones* nuncupantur. Quò spectat & illud Tob. 6. 10. qui cùm pervenisset in civitatem Rages, ait ad Angelum, *ubi vis ut maneamus.* Primum autem, quòd nimirum statio ad horam prandii mansio dicta sit, non ita compertum est.

[b] In vulgatis *&*, pro *ei*: mendosè.

[c] Apud Par. *improbant.* In aliis verò editis & scriptis *probant*; eo forsitan sensu, quo Tract. superiore num. 9. dictum est eos qui in hæreticas partes defluunt, in via quidem esse, sed non in via veritatis. Mox duo mss. *Scimus enim*, non, *scimus etiam.*

[d] Editi, *se verteret*: emendantur ex scriptis.

[e] Quidam mss. *intelligendo*: librariorum lapsu. Veriùs Mic. *inintelligendo.* Sic lib. 10. de Trin. n. 30. & lib. 11. n. 47. *inintelligentia* pro intelligentiæ inopia ponitur. Excusi autem, *ignorando sapientiam sapienter interrogantibus* &c. Et quamvis adverbium *sapienter* exstet in mss. Reg. & Albin. rectiùs tamen abest à Mic. Aliàs hujus loci interpretationem subjicienti Hilario dicendum fuisset, *ostenditur*, non *ostendi videtur.* Miciacensi ms. consonat græcum, ἀνοήτῳ ἐπερωτήσαντι σοφίαν σοφία λογισθήσεται.

[f] Bad. Er. Lips. ac duo mss. *sacramento dominicæ nativitatis.* Sola editio Par. *secundùm sacramentum sacramento dominicæ* &c. Sinceram lectionem exhibet prædictus codex Miciacensis.

[g] Par. *in repertæ rei custodia*; editiones aliæ, *hujus rei custodiam*: castigantur ex mss.

esse

esse diei septimi requiem. Recordatur [a] in mensis novi religione sacramentum festivitatis cælestis tamquam in speculo figurari. Novit annum illum, quo post sex annorum servitutem liber Hebræus est, quo post multam operationem terra requiescit, fructibus ejus relictis proselyto pauperi & bestiis terræ, quo & debita universa Hebræis omnibus remittuntur. Quinquagesimi quoque anni leges concupiscit scrutari. Vult * quæ sit in primo mense decimi diei usque in quartam-decimam, & deinde usque in vigesimam-primam religio. Illam quoque septimi mensis cogitat sollemnitatem, cujus memoriale in tubis est : decimi quoque diei in eo placationem, & post quintam-decimam in tabernaculis dierum octo lætitiam : quomodo ex his & sancta prima, & octava sit sancta. Scit circumcisionem primam fuisse, scit & iteratam per Jesum esse gestam. Azyma sancta desiderat, [b] litare pascha concupiscit, de quo in agni ipsius immolatione scriptum est, Hoc est pascha Domini. Terram repromissionis, terram fluentem lac & mel scit nondum verè à populo, qui secundò est circumcisus, obtentam. Ob hæc igitur intellectum orat ; hæc intelligens, scrutaturum se pollicetur ; hæc scrutatus, servaturum se professus est ; hæc servans, in toto corde custodiet.

Exod. 21. 2. Levit. 25. 4. Ibid. 13. * subaud. Scrutari. Levit. 23. 24. Ibid. 27. Ibid. 34. Ibid. 35. & 36. Gen. 17. 10. Josue 5. 2. Exodi 12. 11.

℣. 35. 7. Post quæ sequitur : *Deduc me* [c] *in semita mandatorum tuorum ; quia ipsam volui.* Et in hoc nunc versu, sermonis virtus non propriè per conditionem translationis expressa est. Nam id quod nostri ita dixere, *Deduc me in semita*, græcitas sic locuta est, ὁδήγησόν με ἐν τῇ τρίβῳ. Et id quod cum illis τρίβος dicitur, trita & frequentata discursibus semita intelligitur : nobiscum autem semita dici potest, & esse semita, & esse non trita. Ergo quia græcitas utrumque eâdem nuncupatione complexa est, nos quoque ita sentiamus ; & semitam [d] eamdem sciamus esse quæ trita est.

Semita.

8. Et observandum est, quod hîc non legis, sed *mandatorum* semitam esse dicat. Via enim [e] legis à Moysi gradientes, post quàm ipsa constituta est, habuit. Ceterùm mandatorum idcirco semita est, quia in mandatis Dei jam à sæculi institutione perrectum sit. In hac enim semita & Abel cucurrit, & Seth institit, A & Enoc placuit, & Noë reservari meruit, & Melchisedech & benedicere potuit & decimas accepit, & Abraham amicus Dei est, & Isaac heres est, & Jacob Israel est, & ex Juda exspectatio gentium est, & [f] Joseph in testimonium positus est, Job à Lege liber de hoste legis triumphat, & Hebræum Moyses vindicat, & Jesus secundò Israel circumcidit, & Samuel dignus in unguendo rege deligitur.

Via mandatorum trita à sæculo.

9. Et nunc in hac orat se hic & unctus B & rex & propheta deduci. Scit enim imbecillam sibi esse naturam, neque se posse hanc semitam sine duce aggredi. [g] Dux enim est omnibus hac semita pergentibus Deus. Dux enim est, cùm dicitur, [h] Retrò post Dominum Deum tuum ambula, & ad eum adhæreto ; & rursum, Retrò post eum ambula, quoniam ipse te deducet. Deducit autem, cùm ait, Qui non tulerit crucem suam, & sequutus me fuerit, non est me dignus. Deducit etiam, cùm prior omnem evangelica- C rum passionum semitam trivit. Si Apostoli docent, prior ille docuit ; constituit enim Sapientia amicos Dei & prophetas. Si justè nunc aliquid geritur à nobis, princeps justitiæ nostræ est ; est enim ipse justitia. Si ob fidem [i] ad terrorem flagellamur, flagellis ille dorsum suum præbuit. Si alapis ad injuriam cædimur, has ille suscepit. Si in contumeliam conspuimur, faciem suam ille non avertit à D sputis.

Duce ad eam nobis est opus. Deut. 13. 4. Matth. 10. 38. Dux Christus. Sap. 7. 27. 1. Cor. 1. 30.

10. Dux in omnibus ille est : sed dux est diligentibus legem, quam superiùs se toto in corde custoditurum Propheta professus est. Non enim hîc secundùm sermonem græcitatis, cùm dicitur, *Quia ipsam volui*, ad semitam mandatorum referri potest : quia [k] in græco, ubi feminino genere semita scripta est, id quod vellet, masculino genere pronuntiat, [l] dicens, ὁδήγησόν με ἐν τῇ τρίβῳ τῶν ἐντολῶν σου, E ὅτι αὐτὸν ἠθέλησα. Lex enim à nobis feminino genere nuncupatur, quæ græcè νόμος dicta est, quod ab his genere masculino enuntiatur. Et cùm illic feminino genere semita nuncupetur ; id quod voluit, ad id refertur, quod per masculinum genus græcitatis proprietate memoratum est.

Legem scil. diligentibus.

11. Sequitur nunc : *Inclina cor meum in testi-* ℣. 36.

[a] Miciacensis codex, *in mensis septimi religionem sacramenti festivitatis*, aliis malè prælatus est ab editore Parisiensi. Non enim hîc memoratur sollemnitas tubarum mense VII. à Judæis celebrata, cujus mentio mox suo ordine veniet, sed *messis primitivorum*, cujus exstat præceptum Exodi 23. 16. Quæ festivitas cùm eodem Exodi loco ℣. 15. etiam *mensis novorum* nuncupetur, cúmque Paulus Hebr. 12. 23. beatorum cœtum vocet *Ecclesiam primitivorum* ; non immeritò prædicat Hilarius *in mensis novi religione sacramentum festivitatis cælestis figurari*, hoc est tempus illud beatum, quo sancti post transitum hujus sæculi vitâ & corpore renovati operum suorum fructus percipient.

[b] Ms. Mic. *lætare*. Alii duo, *lætari*.

[c] Par. hîc & infrà, *in semitam* : dissidentibus aliis libris & græco.

[d] Ita mss. Editi verò, *equidem sciamus*.

[e] Bad. Er. Lips. ac tres mss. *legis Moysi gradienda est*, omisso deinde verbo *habuit*. Præferimus lectionem Par. & ms. Mic. qua significatur, legem à Moysi ævo tunc primùm habuisse qui in ea graderentur, proindeque ab initio sæculi tritam non fuisse.

[f] In ms. Reg. *Josue* : malè ; cùm hîc allusio fiat ad illud Ps. 80. 6. *Testimonium in Joseph posuit*. Nec verò Hilarius legere solet *Josue*, sed *Jesus*. Vide similia lit. 19. n. 12. & in Psal. 52. n. 9.

[g] Verba, *Dux enim est omnibus hac semita pergentibus Deus*, nunc primùm restituuntur ex mss. Vatic. & Mic.

[h] Sic Par. ex ms. Mic. Alii autem libri, *Retrò post eum ambulabis, quoniam ipse te deducet. Deducit autem*, &c. nisi quòd Vaticanus his verbis præmittit, *cùm dicitur Petro*. Si quid liceret de nostro corrigere, restitueremus, *Retrò post Dominum Deum ambula, & ad eum adhæreto ; quoniam ipse te deducet* : maximè cùm Ambrosius in hunc eumdem versum subjiciat, *Non potest alius hoc dicere, nisi qui illud sequitur quod scriptum est, Post Dominum Deum tuum ambulabis, & ipsi adhærebis ; quia ipse te deducet*. Nec satis liquet ubi duo illi Doctores scriptum viderint, *quia ipse te deducet*.

[i] Excusi, *ob terrorem*.

[k] In vulgatis, *græcitas*, lectio ambigua nec satis cohærens cum sequentibus. Nam paulò pòst, *id quod vellet*, vel ut habet Vaticanus codex, *id quod velle se ait*, ad Prophetam referendum est.

[l] Verbum *dicens* omittunt editi cum toto græco sequenti, cujus loco in duobus mss. appositâ notâ è regione adscribitur, *deest græcum*. Hoc supplemus è duobus aliis mss. In editione tamen LXX. modò exstat αὐτὴν, non αὐτόν. Idem quoque pronomen ad semitam referunt Aquila, Symmachus, Theodotio ; quinta & sexta editio.

Omnia ex Dei munere.

monia tua, & non in utilitatem. Omnia Propheta ad munus Dei retulit : sive ut lex [a] viæ justificationum sibi statuatur à Domino, sive ut sibi intelligentia præstetur, sive ut deducatur in semita, sive ut cor ejus in testimonia inclinetur, id est, in ea quæ sub testibus scripta sunt. Teste enim cælo & terra lex tradita est. A

Deut. 30. 19.

Objectio.

12. Sed fortè per hanc Prophetæ religiosam modestiam, quisquam impiè loqui ita audebit : Si, inquit, omnia à Deo sunt, humana ergo ignorantia caret culpâ; cùm nihil obtinere possit, nisi quod donatum à Deo sumserit. Et primùm hoc [b] impietatis est voluntas, existimare idcirco se ea quæ sunt credentium propria non consequi, quòd sibi à Deo indulta non fuerint. Sed omnem occasionem hujus impiæ excusationis Propheta submovit. Primùm enim cùm orat, conveniens infirmitati suæ egit officium : dehinc Dei muneribus humanæ devotionis studia connexuit. Cùm enim ait, *Legem mihi statue Domine* [c] *viam justificationum tuarum*; quid secundùm orationis nostræ humilitatem [d] Dei esset ostendit. Cùm autem subjecit, *Et exquiram eam semper*; officium devotionis suæ protulit. Et in ceteris quoque utrumque quodam complexu sibi invicem colligavit : cùm deduci se in semita postulavit, & cùm id ipsum voluit. Priùs enim quæ à Deo sunt cum honore præposuit; & [e] tunc quæ hominis sunt cum humilitatis atque officii sui confessione subjecit. Orat igitur ut Deus tribuat. Est ergo à nobis, cùm oramus, exordium; ut munus ab eo sit : dehinc quia de exordio nostro munus ejus est, ex nostro rursum est ut exquiratur [f] & obtineatur & maneat. B C D

Responsio.

13. In eo autem quod ita se habet, *Inclina cor meum in justificationes tuas, & non in utilitatem*; quidam transtulerunt, *Inclina cor meum* [g] *in testimonia tua, & non in avaritiam.* Id quod in hebræis codicibus continetur, [h] ambigua in definitione utrique intelligentiæ opportunum est. Sed nos, sicut oportet, sequimur Septuaginta interpretum religiosam & antiquam auctoritatem, ex judicio tamen ceterorum translatorum proprietatem intelligentiæ [i] cujusque desiderio coaptantes. Cùm enim hi dixerint, *in utilitatem*, illi dixerint, *in avaritiam*; per idipsum quomodo utilitas hîc nunc sit subjecta noscetur. Nam sæculi homines pecuniam, argentum, aurum, & cetera opum instrumenta utilitatem vocant. Ergo cùm in Dei testimonia inclinari cor suum, & non in utilitatem Propheta orat, inclinatum in Dei testimonia cor ab his sine dubio refert, quæ humano judicio existimantur utilia. Et quidem intelligentiæ nostræ sensum versus qui consequitur confirmat.

Septuaginta.

Avaritia & utilitas quid idipsum.

ℽ. 37. Quos oculos, & à qua vanitate averti petat.

14. Ait enim, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem, & in via tua vivifica me*; vanitatem eorum docens, quæ ab hominibus existimantur utilia. Et quærendum est, quos oculos, & à qua vanitate oret averti. Orat autem & animi & corporis oculos *, eos scilicet qui theatralibus ludis captivi incubant, eos qui Circensium certaminibus serviunt, eos qui vestium pretia mirantur, eos quos auri splendor & gemmarum varietas occupat. Nisi fortè non magis equorum cursu astrorum cursus est gratior; & obscœnis illis spectaculorum turpium fabulis, non amœniùs divina illa humanæ spei eloquia [k] cantantur. Nisi fortè huic terrenorum metallorum usui, non magis æternitatis repositæ divitiæ, honor & gloria præferetur : & blandior mihi erit auri species, quàm hominis & terræ & lucis & cæli. Ab eorum igitur vanitatibus averti oculos, & hos corporis sui, & illos animæ deprecatur : de quibus obcæcatis beatus Apostolus

* subaud. averti.

Spectacula & objecta gratiora.

[a] Ex mss. Vatic. & Mic. revocatur vox *via*, quæ priùs desiderabatur.

[b] Editi, *impia est voluntatis.* At mss. *impietatis est voluntas* : quo loquendi modo solet Hilarius voluntatem obstinatam & impietati velut ex professo addictam designare.

[c] Reg. ms. cum Albin. necnon Bad. & Er. *viam præceptorum tuorum.* Hoc tantùm loco in mss. deprehendere est *viam*, & non *via*.

[d] Par. ex ms. Mic. *quid Dei esset*, perperam repetito *quid*.

[e] Ita unus codex Vatic. favente Mic. consentiente etiam editione Par. nisi quòd in hac, omissâ particulâ *atque*, legatur deinde *confusione* pro *confessione.* Breviùs autem alii libri, *& tunc quæ à se cum confessione subjecit.* Hoc loco, sed maximè lit. 14. n. 20. videtur Hilarius prædicare initium quoddam bonæ voluntatis & fidei esse ex nobis, qua possimus Deum orare, ut ipse perficiat, quod nostra non valet infirmitas. Cui doctrinæ adversatur illud Concilii Arausi. II. can. 25. *Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur; sed ipse nobis nullis præcedentibus meritis & fidem & amorem sui ipsius inspirat.* Et can. 3. ne propter humanam orationem gratia conferri credatur : *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur à nobis, contradicit Esaiæ*, &c. Hinc Augustinus epist. 194. ad Sixtum n. 10. *Ne se vel ipsius orationis meritum extollat ..... fides orat quæ data est non oranti, quæ utique nisi data esset, non oraret.* At excusatur Hilarius, quòd ante exortam Pelagianorum hæresim scripserit : quo tempore dixit & Optatus Milevit. lib. 2. *Nostrum est velle, nostrum est currere, Dei perficere.* Ita & Basilius lib. de pænit. μόνον θέλησον, καὶ Θεὸς προαπαντᾷ. Augustinus lib. 1. Retr. c. 23. initium fidei ex nobis sese aliàs asseruisse confitetur. Immo Hieronymus contra Pelagianos agens lib. 3. *Ubi autem*, inquit, *misericordia & gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium, quod in eo tantùm est ut velimus atque cupiamus, & placitis tribuamus assensum. [illegible] in Domini potestate est, ut id quod cupimus, quod laboramus, illius [illegible] & auxilio implere valeamus.* Præterea ex constanti Hilarii doctrina liquet tunc in Ecclesia fuisse creditum, omnia Dei gratiæ esse tribuenda, ut nihil homini unde gloriaretur reliquum esset. Sed cùm æquè credetur hominem esse liberum, cum gratia cooperari, & meritis operum aut gloriam aut pœnam æternam esse reddendam; factum est ut cùm fidem de libero arbitrio illæsam vellet, voluntati humanæ plus justo tribuisse videretur. De hac re fusè actum est in Præfatione generali.

[f] In uno è mss. Vatic. *ejus est ut obtineatur* : glossema.

[g] Duo mss. *in justificationes tuas.*

[h] Unus codex Vatic. *ambiguum.* Tum excusi cum duobus mss. *in definitione utriusque sententiæ positum est*, excepto tamen Par. in quo habetur *opportunum est.* Retinemus lectionem ms. Mic. Utrique illi intelligentiæ re vera subjicitur vox hebræa. At apud Septuaginta, quos se hîc sequi profitetur Hilarius, modò legimus πλεονεξίαν, quod vocabulum *utilitatem* minimè significare hîc annotat Erasmus. Porro Ambrosius ipse legens *in avaritiam*, versionem quæ *in utilitatem* præferebat antiquiorem fuisse innuit his verbis : *Utilitatem alii habent : & puto quòd ideo mutatum sit*, (ac positum *avaritiam*,) *quia utilitas bonæ rei videtur esse expetenda potiùs quàm declinanda* : ac subinde indicat se præferre *in utilitatem*, quamvis Hilarii nostri ad instar interpretationem suam utrique lectioni aptet.

[i] Bad. Er. Lips. cum quatuor mss. *intelligentiæ hujus quæ est difficilis captantes* : quod interpolatorem sapit. Sincerior est lectio Par. quæ est & ms. Mic. quamque confirmat Ambrosius Ser. 5. in hunc Psal. n. 26. simili ferè loquendi modo utens.

[k] Apud Par. *cantarent.* Hîc insinuatur usitatus jam tum Scripturarum cantus cum quadam suavitate. Ex hoc eodem loco Ambrosius ansam capit populos à spectaculis revocandi. Quod ut faciliùs assequatur Augustinus, Hilarii nostri ad modum, tum plurimis locis, tum maximè in Psal. 39. num. 9. eos invitat ad spectacula Christiana.

Ephes. 4. 18. docet, cùm ait, In vanitate sensûs eorum intenebrati, alienati [a] à vita Dei.

Oculorum à vanitate aversorum præmium. 15. Et aversorum oculorum à vanitate quod præmium sit, [b] non longè requirendum est. Sequitur enim, *Et in via tua* [c] *vivam.* Declinandi enim à vanitate sunt oculi, ut nobis in via Dei vita sit: non ea vita quæ nunc est, sed ea quæ in cælis reposita est, & in Christo absconsa. Ita enim in omni hoc psalmo locutus est, tamquam victurus sit, * non modò vivat. *(* subaud. tamquam.)* Erigendi igitur oculi sunt, quibus Christi potiùs gloria, quàm mundi hujus inania & vana [d] cernantur. In via enim Dei, referentes oculos à vanitate, vivemus.

℣. 38. Dei verba cum timore excipienda. 16. Dehinc sequitur: *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo.* Novit à plurimis Propheta eloquia Dei sine metu suscipi. Plures enim auditas cælestis eloquii Scripturas tamquam fabulam rerum inanium negligunt, & Dei verba, quæ præterire cælo & terra prætereunte non possunt, magno cum periculo irreligiosæ temeritatis irrident. Novit *(Ps. 110. 10.)* initium sapientiæ esse Dei timorem. Novit *(Esa. 11. 2.)* in illa septiformis Spiritus gratia timorem in postremo tamquam firmamentum eorum quæ superiùs sunt dicta numerari. Constitui ergo in se Dei eloquia in timore Dei deprecatur: quia scit ea nobis eloquia futura esse, quæ tamquam Dei timebuntur, utilia. Dehinc adjecit, *(℣. 39.)* *Circumcide opprobrium meum quod suspicatus sum: quia judicia tua jucunda.* Propheta in corpore positus loquitur, & neminem viventium [e] scit sine peccato esse posse. *(Peccati expers unus.)* Unum meminit esse qui peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus. Ergo cùm circumcidi à se opprobrium deprecatur, peccata circumcidi orat; quia peccatum sequatur opprobrium. *(Opprobrium sequitur peccatum.)* Sed cùm circumcidi à se orat, non tamquam de admisso perpetratoque confessus est; sed quia id per infirmitatem carnis suæ in se suspicatur habitare. Non enim ait, Circumcide [f] opprobrium quod in me est: sed ait, *Circumcide opprobrium meum quod suspicatus sum*, suspicionem opprobrii ex conscientia propriæ infirmitatis ostendens. [g] In judiciis enim multi ad opprobrium resurgent. *(Judicia Dei quibus jucunda.)* Quæ quia his jucunda sint, in quibus peccati non manebit opprobrium; ipsam illam quæ in se est suspicionem à se circumcidi orat opprobrii, ut sibi Dei sint jucunda judicia.

17. Ac ne de [h] admissi peccati conscientia precatus esse existimaretur, orationem omnem quam sub singulis octonis versibus defert, hac libertate conclusit: *Ecce concupivi præcepta tua: in æquitate tua vivifica me.* *(℣. 40.)* Superiùs oravit, ut in Dei timore Dei in se statuerentur eloquia; dehinc ut à se suspicio circumcideretur opprobrii: nunc concupiscentiam ac desiderium suum erga Dei præcepta demonstrat, & ut in æquitate Dei vivificetur orat; sciens proprium divinæ æquitatis esse munus, ut vivificet eum, qui & præcepta Dei desideraverit, cui & circumcisâ opprobrii suspicione jucunda judicia sint, & in timore Dei in se constituantur eloquia. *(Deus quos vivificet.)* [i] Amen.

LITTERA VI.

ו Vau.

* VENIAT *super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundùm eloquium tuum. Et respondebo * improperantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque *; quia in judiciis tuis * spero. Et custodiam legem tuam semper in sæculum * sæculi. Et * am-*

(Hil. Et veniat. * Hil. exprobrantibus. * Hil. add. nimis. * Hilarius, speravi. * Hil. ad. & in sæculum. * Hil. ingrediebar.)*

[a] Par. cum mss. Mic. *à via Dei*: renit. aliis libris & sacro textu græco & latino. Sic & apud Ambrosium n. 30. licèt retentum sit *à via Dei*, admonitus est lector exstare in decem mss. *à vita Dei.*

[b] Editi *longè*, vel *in longè*, omissâ priùs particulâ negante. Hanc supplemus ex mss.

[c] Ita codex Miciacensis, ubi in aliis *vivifica me*, cum qua lectione non satis conveniunt & quæ præcedunt & quæ sequuntur.

[d] Par. ex ms. Mic. *cernuntur. In vitam enim Dei*; & mox solus ms. Mic. *venimus*, pro, *vivemus*. Ita lectio hæc non spernenda, ut quomodo superiùs dicti sunt *alienati à vita Dei*, qui oculos à vanitate non avertunt; nunc contrà dicantur *in vitam Dei venire*, qui avertunt.

[e] Hunc locum censoriâ virgula notans Erasmus ad marginem adscripserat; *Immo multi nunc sunt.* Contrà Pelagius hominem etiam sine Dei gratia ab omni peccato abstinere contendens; apud Augustin. lib. de nat. & grat. c. 62. n. 72. Hilarium ad suas partes trahere conabatur, eo quòd dixerit, uti putamus, in Job; *Quas Job litteras legerat, ut abstineret se ab omni re maligna, quia Deum sola mente vitiis non admixtâ venerabatur? Deum colere, justitiæ proprium officium est.* Ex Augustini ad Pelagium responsis facilè conciliantur dicta & ab Erasmo reprehensa, & à Pelagio pravam in sententiam detorta. Ad hoc sufficit Augustini definitio, qua quid sit esse sine peccato declaratur. *Ipse*, inquit loco laudato, *sine peccato esse verissimè dicitur, in quo nullum habitat peccatum, non qui per abstinentiam mali operis dicit, Jam non ego operor illud.* Et paulò antè: *Abstinet enim se ab omni re mala, etiam qui habet peccatum quod in se regnare non sinit; cui fortè subrepit improbanda cogitatio, quam pervenire ad finem operis non permittit. Sed aliud est non habere peccatum, aliud non obedire desideriis ejus.* Verum Hilarii interpretem fuisse Augustinum non est ut multis approbemus; cùm ipse hoc loco, quàm idipsum intelligat esse sine peccato, statim declaret his verbis: *Sed cùm circumcidi à se orat, non tamquam de admisso perpetratoque confessus est; sed quia* &c. Clariùs lit. 4. n. 8. *Meminit in corpore suo viam inesse peccandi: tamen per timorem Dei à peractione peccati omnis alienus est.* Vult igitur tantùm neminem esse sine lege ac radice peccati, nec negat quosdam esse sine actu ac reatu peccati. Ubi enim non jam vitiosam illam radicem, sed opera spectat, de ipso David litt. 19. n. 6. asserere non dubitat, *In operibus quidem bonitatis totius ipse perfectus est*: & suprà in loco, quo abutebatur Pelagius, disertè prædicat quòd Job *abstineret se ab omni re maligna.* Itaque per se cadit Erasmi censura. Sed & Pelagii hæresis ex ipsis verbis quæ in sui patrocinium affert evertitur. Ubi enim Hilarius rationem subjicit cur Job ab omni re maligna abstineret, innuit eum non caruisse innata radice vitiorum, (quibus nos ad omne criminum genus inclinari docet litt. 13. n. 8.) sed tantùm vitiis illis, cùm promta essent consensum negando, mentem eum non admiscuisse. Vim hujus verbi *non admixta* expendere licet ex Tract. Psal. 53. n. 10. ubi dicuntur mala & supplicia *justis promta, nec admixta, quia justi sunt* &c. Sicut enim justi justè vivendo à pœnis propositis se separant, ita carnis cupiditatibus resistendo mentem eis non admiscent, sed eam ab illarum contagione separant. Monendus præterea lector, hunc similesque Hilarii locos piæ de intemerata Mariæ puritate opinioni Ecclesiæ non magis adversari, quàm cùm Augustinus ep. 167. n. 13. & alibi asserit, neminem hîc sine peccato vivere; quibus in locis cùm ne sanctissimam quidem illam Virginem excipiat, quia tum animum ad illam non intendebat; tandem uno in loco lib. de nat. & grat. c. 36. disertè declarat se, ubi de peccatis agitur, nullam prorsus habere velle de sancta illa Virgine quæstionem.

[f] Editi excepto Par. necnon Reg. ms. *opprobrium meum quod perpetravi, sed ait* &c.

[g] Vaticanus codex, *in judicio enim*: corruptoris ausu, licèt verè de judicio extremo hîc sermo sit.

[h] Excusi, *admissa*: castigantur ex mss.

[i] Abest *Amen* à nostris mss.

bulabam in dilatatione : quia mandata tua exquisivi. Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi vehementer. Et erexi manus meas ad mandata tua quæ dilexi * : *& exercebar in justificationibus tuis.*

* Hil. ad. *valde.*

1. Cor. 1. 19. & 20. Scripturas ut sapientiâ destitutas sunt qui spernant.

I. PLURES secundùm Apostolum sunt, qui sapientiam sæculi sequentes, sapientiam Dei reprobaverunt : ob quod stultam fecit Deus sæculi sapientiam. Quid enim infidelibus stultius est, qui præter illum communem irreligiosorum errorem etiam hoc adjiciunt piaculi, ut divina Scripturarum eloquia putent perfectæ doctrinæ carere ratione ? Et quia pro impietate ingenii sui divinorum dictorum capaces esse non possunt, ad contumeliam cælestium verborum pro excusatione hebetudinis suæ prorumpunt, dicentes, nihil in his rationabile, nihil esse perfectum : volentes ea quæ à se dicantur, sola esse erudita, [a] & doctrinis veræ prudentiæ expolita ; stulti Deo negantes, quæ assumere ipsi sibi audent. Nec mirum est, si irreligiosè de eis opinantur, quorum, [b] pecudeæ hebetudinis modo, intelligentiam non consequuntur. Verùm quamvis in eo sermone, quem superiùs habuimus, [c] his qui sapientiam Dei sequuntur, cognitam dictorum cælestium perfectionem existimem, nihilque eorum esse, quod non consummatum atque omni ex parte perfectum sit : tamen id quoque etiam in his sextæ litteræ versibus absolutiùs licebit intelligi.

Nil in iis nisi perfectum.

2. Post superiorem enim sensum ita loquitur : *Et veniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundùm verbum tuum.* Misericordiam itaque primùm deprecatus est, dehinc salutare. Salus enim nostra ex misericordia Dei est, & bonitatis suæ hoc munus in nobis est : & inde cœpit oratio, unde & salus inchoat deprecantis. Dehinc ne ex incerta & ex inopinata spe precari Propheta existimaretur, primùm misericordiam, dehinc salutare commemorat, tum tertiò subjecit, *secundùm verbum tuum* : ut hanc orandi fiduciam proficisci secundùm verbum Dei, id est, secundùm doctrinam legis ostenderet.

ỳ. 41. Salus nostra Dei munus.

3. Post hunc itaque perfectæ orationis ordinem id sequitur : *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in verbis tuis.* Tenet ordinem ratio perfecta : Si, inquit, in me venerit misericordia tua, & salutare tuum secundùm verbum tuum, & à te fuero misericordiam consecutus, & à te conservatus ut spopondisti ; consequens erit, ut his qui insipientiam mihi, & errorem spei, & verbum hoc quòd in te spero exprobrant, respondeam. Quid itaque adversùs hanc Prophetæ responsionem exprobrare irreligiosa mens poterit ? Misericordia primùm oratur à Deo, salus etiam exspectatur à Deo : & deinde eam spopondisse per verbum suum Deus ostenditur. Concluditur itaque exprobrantium impietas ab his qui in Dei verbis sperant : cùm quando Deus [d] precatur, & misericordiam & salutem ab eo credentium fides sperat, & doctrina hæc spei nostræ sit, ut oratus & misereatur & salvet.

ỳ. 42. Spes docet quòd Deus oratus misereatur & salvet.

4. Dehinc sequitur : *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque nimis ; quia in judiciis tuis speravi.* Accipiat humana insolentia humilitatis modestiæque doctrinam. Priùs Propheta concedi sibi orat, quàm se id mereri ut obtineat ostendit. Omnia vult à bonitate Dei in se inchoari : nec tamen causam fiduciæ suæ subtrahit. Ait enim, *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque nimis.* In quo primùm majestatem ejus confitetur qui semper orandus est : dehinc se non ex inani sperare subjecit, dicens, *Quia in judiciis tuis speravi.* Humanæ autem temeritatis est hic mos, priùs, ad obtinendum aliquid, meritum quàm mereatur ingerere ; & eum, à quo quid postulet, tamquam ex officii debito convenire.

ỳ. 43. Oratio David Dei misericordia non suis nititur meritis.

5. Sed non sufficit nobis, ut modestiæ tantùm tenuerit Propheta rationem : collocationes etiam verborum virtutesque noscendæ sunt, cur ita dixerit : *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque nimis.* Omne oris officium, cordis sensui motibusque famulatur. Et cur Propheta ne ab ore sibi verbum veritatis auferatur orat, versûs istius consequentia docent. Non enim metum hunc Prophetæ fuisse existimandum est, ut sibi veritatis verbum [e] ex corde vereretur auferri : ait enim, *Quia in judiciis tuis speravi.* Sperans ergo in judiciis Dei, verbum veritatis de corde sibi non metuit auferri. Scit autem quædam esse peccata, quæ ex ore verbum auferant veritatis. Peccatori enim dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas ? Non enim ait, Quare [f] immemor es justitiarum mearum ? sed PECCATOREM monuit eum, qui in peccato mansisset, prædicationis officio abstinere. Vult enim liberum à crimine esse doctrinæ cælestis prædicatorem, VULT ELOQUIA SUA A CASTI CORPORIS CASTO ORE TRACTARI. Cavendum igitur est, ne quando ex ore nostro verbi veritatis auferatur eloquium. Hinc illud est quod Apostolus monet, Noli negligere quod in te est charisma : ne per negligentiam ac desidiam indigni prædicatione verbi Dei simus.

Verbi Dei prædicator liber esse debet à crimine.

Pf. 49. 16.

1. Tim. 4. 14.

[a] Editi excepto Par. ac duo mss. *& doctrina sua prudentia expolita.* Alter è Vat. corruptè, *& doctrina & vera prudentia spoliata.*

[b] Ita ms. Mic. Alii duo, *pecude.* Vatic. *pecudum.* Excusi, *pecuina.*

[c] In vulgatis *hi*, ac paulò pòst, *existiment.* Tum apud Par. *nihilque in eo esse.* Absolutior est lectio mss. qua opponit Hilarius prudentibus sæculi prudentes secundùm Deum. Illis incognitam dictorum cælestium perfectionem prædicat, his cognitam : illos velle nihil in iis esse perfectum, his persuasum esse nihil eorum dictorum cælestium non esse omni ex parte perfectum. Hujus rei testis Augustinus lib. 4. de doct. Christ. n. 9. quærit utrùm libri sancti *sapientes tantummodo, an etiam eloquentes nuncupandi sint* : ac respondet, *Ubi eos intelligo, non solùm nihil eis sapientius, verùm etiam nihil eloquentius mihi videri potest*, &c.

[d] Tres mss. *prædicatur.*

[e] Editi *ex corde ac ore.* Expunximus *ac ore* auctoritate mss.

[f] Er. Lips. & Par. *memor.* Rectiùs Bad. & mss. *immemor.*

Unus sine peccato.

6. Sed Propheta non audet in tantum se à peccato liberum effici velle, ut non meminerit unum solum esse qui peccatum non fecerit, & dolus in ore ejus non inventus sit: & idcirco subjecit, *usquequaque nimis*. Per modestiam scilicet confessionis, & ut non auferatur à se verbum veritatis orat: & per honorem ejus qui unus tantùm sine peccato est, ne usquequaque nimis à se auferatur expostulat: quia se hominem meminerit, qui per naturæ infirmitatem sine peccato esse non possit.

ỳ. 44. Legem, & quæ lege adumbrantur spondet David se servaturum.

7. *Et custodiam legem tuam semper in sæculum, & in sæculum sæculi.* Nullum Propheta vitæ suæ finem pertimescit. Non enim concluditur fides sua sæculis: sed se in infinitatem temporum officio custodiendæ legis extendit. Scit & altare à Moyse in exemplum esse superioris altaris exstructum. Scit & Aaron sacerdotem ad speciem esse ostensi in monte sacerdotis ornatum. Moysi enim Deus ait: Vade, fac omnia secundùm exemplum quod ostendi tibi in monte. (Exodi 25. 40.) Festinat ergo in leges illas æternorum sæculorum. Nam cùm lex futuri umbra sit; necesse est corpus illud veræ legis æternum sit. Distinxit autem præsens officium ab indefessa illa perpetui officii jugitate, dicens, *Et custodiam legem tuam semper in sæculum, & in sæculum sæculi.* Cùm ait, *semper in sæculum*; nullum in hac temporis vita subrependæ oblivionis tempus admisit. Cùm autem adjecit, *& in sæculum sæculi*; scit per hanc umbram legis ad [a] ministerium veræ & æternæ legis adscendi. Ait enim, *sæculum sæculi*, tamquam temporis tempus, [b] quòd succedente quadam vicissitudine hujus sæculi sæculum sit futurum.

Leges Dei post hanc vitam. Luc. 16. 26. ỳ. litt. 3. n. 10. 1. Cor. 15. 41.

8. Novit esse, secundùm evangelicum divitem & pauperem Lazarum, exemtæ à corpore animæ legem, per quam alia ab alia chao impenetrabili separetur. Scit secundùm apostolum Paulum & resurrectionis quoque esse legem, in qua differt stella ab stella in claritate. Scit esse leges Angelorum, cùm alii [c] assistentes Deum indefessa voce collaudant, alii ante conspectum invisibilis nobis Dei tamquam lege officii [d] proprioris assistunt. Novit & pusillorum Angelos faciem Dei quotidie ex quadam lege conspicere. (Matth. 18. 10.) Scit utique esse æternas leges, & eas omnes se in illo sæculi sæculo custoditurum esse confidit: quia ea quæ per umbram sunt constituta, in hoc nunc sæculo semper observet.

ỳ. 45. Cordis amplius quis fructus, quæ causa. ỳ. 32.

9. *Et ingrediebar in dilatatione: quia mandata tua exquisivi.* Non est angustus Propheta: & superiùs jam dixerat, [e] *Viam præceptorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Scit inter humanarum tribulationum passiones semper ad Deum patulo esse se corde oportere. Quod ipsum Apostolus docet, dicens, In omnibus tribulati, sed non angustiati. (2. Cor. 4. 8.) Novit hac ipsa amplitudine cordis de se idem Apostolus gloriari, cùm ad Corinthios ait, Non angustiamini in nobis, sed angustiamini in vobis. (2. Cor. 6. 12.) Patet etiam hic quoque [f] propheta, dicente Deo, Et inhabitabo in his, & inambulabo in ipsis. (Ibid. 16.) Angusta igitur sunt peccantium corda, & hospitio Deum mens polluta non recipit. Patulum enim domicilium inconceptibili Deo opus est: & idcirco in amplitudine Propheta ambulat, quia in eo [g] Dei in se loquentis habitatio est. Causam verò amplitudinis suæ docet, dicens, *Quia mandata tua exquisivi.* Naturæ nostræ consuetudinem recordemur, quotienscumque lectioni vacantes mandata Dei & præcepta scrutamur, in quantam amplitudinem intelligentiæ mentium nostrarum dilatantur angustiæ, & quàm patulus nostræ humilitatis in desideria divina fit sensus. (Lectionis piæ fructus.) Per peccatorum autem nostrorum conscientiam coartatur nobis omnis animæ amplitudo: ac DIFFICILIA OMNIA & angusta sunt, cùm divini verbi habitatione sumus indigni.

Reges, vel principes terræ vel sancti intelliguntur. ỳ. 46.

10. Sed ambulans in latitudine Propheta, versari in officio digno adeptæ amplitudinis debet: & versatur planè. Sequitur enim: *Et loquebar* [h] *de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Hoc officium dilatati cordis est, ut ex eo [i] in abundantia divinæ doctrinæ verba procedant. Loquitur enim Propheta constanter adversùs principes terræ Deum prædicans. Et quidem duplex significatio sensus hujus est, quia secundùm dominica præcepta oporteat à nobis Christum coram regibus & potestatibus prædicari (Matth. 18. 18.): neque nos terrenarum potestatum fas est jure terreri (Ibid. 26.), quo minùs omni confusione rejecta, constanti & publica fide Deum qui negantes se negaturus sit non negemus. (Ibid. 33.) Potest & sermo ad eos referri, de quibus & Apostolus ait, Jam sine nobis regnatis, & utinam regnetis: (1. Cor. 4. 8.) id est, tamquam in conspectu sanctorum, qui utique frequenter reges terræ sunt nuncupati, Propheta Dei testimonia sit locutus, neque confusus sit per prædicationem suam doctrinæ cælestis instituta præbere. Geminam autem lectio intelligentiam ex se præstat: ut quia utrumque ex testimoniis Scripturarum intelligi promtum est, aut utrumque significatum existimetur, aut quod magis videbitur probabile eligatur.

ỳ 47. Lex debet esse in ore, in mente, in corde.

11. *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi vehementer.* Non solùm igitur loqui nos in testimoniis Dei convenit: sed legis mandata

[a] Postrema editione Par. juxta Bad. Er. & Lips. *mysterium* repositum est, cùm in prima juxta mss. restitutum esset, *ministerium*: quæ vox hoc loco legis exsecutionem sonat, adeoque aptè respondet verbo *custodiam*.

[b] Desiderabatur in priùs vulgatis, *quòd*. Restituitur ex mss.

[c] Ms. Mic. *assistentes Cherubin*, quod in primam editionem Par. translatum est. Alter è Vaticanis, *assistentes ut Cherubin qui Deum*, &c.

[d] Apud Par. ex ms. Mic. *propriores*. In uno codice Vatic. *propiores*. Apud Bad. & Lips. *propioris*. Præferimus cum Er. ac mss. Reg. & Albin. *proprioris*.

[e] Duo mss. *in via*.

[f] Par. *prophetia*. Rectiùs alii libri, *propheta*, cujus cor patet Deo.

[g] Deest *Dei* in duobus mss. & antiquis editionibus. Paulò antè *inconceptibilis*, id est, quem locus nullus capere sufficit.

[h] Ex primis numeri subsequentis verbis legisse videtur Hilarius *in testimoniis*, quomodo legere est apud LXX. Ambrosium & Augustinum.

[i] Tres mss. cum Bad. Er. & Lips. *inhabitantia divina* &c.

a omnia [a] diuturna meditatione percensere. Neque tantùm meditatio utilis est, nisi lex ipsa quæ in meditatione est diligatur: neque diligere communi dilectione sufficiet, nisi etiam vehementer id quod diligitur diligatur. Atque ideo hunc omnem perfectæ rationis ordinem sermo propheticus percurrit, dicens, *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi vehementer.*

Sit & in manibus. 12. Sed neque meditatio legis, neque ipsa dilectio impensa sufficiet, nisi fructum operum & voluntatis efficientia consequatur. Ne-
℣. 48. que in hoc Propheta cessavit: ait enim, *Et erexi manus meas ad mandata tua quæ dilexi valde.* Manus ad mandata ea quæ diligebat erexit; non utique contumeliosas aut procaces, sed mandatis humilitatis servientes, sed operibus misericordiæ insistentes, sed fidei
b præcepta peragentes. Operis verò [b] officium semper oportet esse intentum, & nulla interdum negligentis otii dissimulatione cessare. In hoc quoque se manere Propheta testatur, dicens, *Et exercebar in justificationibus tuis.* Exercitatio assiduitatem operationis ostendit. Frequentem itaque sibi esse, & semper intentam præceptorum observantiam docet ad illas, de quibus superiùs memoravimus, cælestium justificationum efficientias, nunc se in justificationibus præsentis, & ex futuris adumbratæ, legis exercens.

LITTERA VII.

ז Zain.

*Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum * vivificabit me. Superbi iniquè agebant usquequaque: à lege autem tua non declinavi. Memor fui judiciorum tuorum à sæculo Domine: & * consolatus sum. Defectio animi tenuit me * pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco incolatus mei. Memor fui * in morte nominis tui Domine: & custodivi legem tuam. Hæc mihi facta est: quia justificationes tuas exquisivi.*

* Infrà, *memorare verbum tuum.*
* Hil. *vivificavit.*
* Hil. *exhortatus.*
* Hilarius, *à non pro.*
* Hilarius, *nocte.*

Ad spem æternam nos vocat omnis Scriptura. 1. OMNIS Dei sermo, qui Scripturis divinis continetur, in spem nos bonorum cælestium vocat. Atque ob id Propheta in omnibus se Dei præceptis mansisse confidens, constanter ait, *Memorare* ℣. 49.
c *verbum tuum servo tuo.* Numquid promissi sui Deus immemor est? Absit istud, ut aliqua subrepere in æternam atque indefessam Virtutem humanarum infirmitatum genera credantur. Sed Propheta, qui promissis Dei credidit, qui desiderio cælestium detentus est, qui contemtu præsentium futura speravit, non ad memoriam verbi sui Deum admonet; sed ut verbi sui in se servo suo memor sit deprecatur, id est, ut ita dignus habeatur, in quo [d] Deus verbi sui memor esse dignetur, quo in verbo spem dederit. Et spem non inanem esse oportet, neque verbis tantummodo prædicari, sed rebus ipsis doceri: ut si quando incidant infirmitates, persecutiones, damna, orbitates, contumeliæ; has præsentis sæculi minas ac potestates, spe æternorum promissorum consolemur. d Spes gestis est ostendenda.

2. Et ad hæc quidem omnia nos docemur: sed jam ipsis omnibus Propheta perfunctus est, dicens, *Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificavit me. Hæc* ad spem refertur, [e] quam sperare eum Deus fecit. Consolata verò est eum *in humilitate*: id est, cùm contemnitur, cùm irridetur, cùm injuriis vexatur, cùm contumeliis inhonestatur; sciens hanc sibi [f] tentationum præsentium esse militiam. Sed se inter hæc infirmitatis suæ bella spes à Domino præstita consolatur: vivificatur autem per eloquia Dei. Scit in his excellentem esse in cælis humilitatis suæ gloriam: scit animam eloquiis Dei [g] refectam, tamquam pabulum aliquod vitæ in se æternæ continere. Non movetur in eloquiis Dei vivens, inani superbientium gloriâ. Novit enim indigentiam suam, eorum esse opulentiâ ditiorem. Scit jejunia sua cælesti atque evangelica benedictione saturari: scit humilitatem suam glorioso esse honoris præmio munerandam. Atque ideo subjecit, *Superbi iniquè agebant usquequaque: à lege autem tua non declinavi.* Inter nimias & consummatas superborum iniquitates (*valde* enim *iniquè agebant*) nullo Propheta deflexu à lege Dei declinat. ℣. 50. Afflictum spes consolatur. e f Verbum Dei vivificat. g ℣. 51.

3. Sed non declinantem à Dei lege, oportet esse eum memorem judiciorum Dei. In omni enim vitæ nostræ genere memoria [h] nobis divini judicii inserenda & continenda est; ut cùm aliquid agimus, residente in nobis judicii memoriâ, vel numquam potiùs abeunte, præceptis Dei opera nostra famulentur. Beatus erit, quisquis non sine memoria divini judicii omnia gesserit. Quod de se profitetur Propheta, dicens, *Memoratus sum judiciorum tuorum à sæculo, & exhortatus sum.* Hæc nunc *à sæculo* tantùm, non etiam à sæculo sæculi: ℣. 52. Judiciorum Dei fit assidua memoria. h

[a] In omnibus nostris mss. *diurna*; deinde in Mic. & Vatic. *meditatione retinere.*

[b] Sola editio Par. cum Mic. ms. *officio.*

[c] Apud Par. ex ms. Mic. *verborum tuorum.* suffragante græco τῶν λόγων σου: sed refragantibus subjectis aliisque editionibus & mss. Quamquam infrà num. 3. verbum *memoror* non quartum casum regit, sed secundum.

[d] Vox *Deus* in priùs vulgatis omissa, restituitur ex mss.

[e] Bad. Er. Lips. ac tres mss. *quæ sperare eum in Deum fecit.* Retinemus tamen cum Par. & ms. Mic. *quam sperare eum Deus fecit*; quòd breviùs mox habeatur, *spes à Domino præstita.*

[f] In ms. Mic. *tentationem*: malè. Eadem ratione lit. 3. n. 12. dicitur *Job omnium humanarum calamitatum militiâ & victori à perfunctus.* Ad hæc Ambrosius: *Tempus tentationum, tempus humilitatis animæ nostræ arbitror.*

[g] Editi, *refertam.* Concinniùs mss. *refectam.* *Hæc est enim*, ait Ambrosius in eumdem versum, *anima nostræ vitalis substantia, qua alitur & pascitur & gubernatur: nec quidquam aliud est quod vivere faciat rationabilem animam.*

[h] Verba, *nobis divini judicii inserenda & continenda est ut*, in editione Par. perperam rejecta revocantur ex mss.

quia omnia in nos judicia Dei ex sæculi hujus ac mundi temporibus instituta sunt. [a] In his autem se cohortatus est, inter hos scilicet mundi turbines, & inter hæc passionum corporalium prœlia, ad tolerantiam ac victoriam infestantium malorum humilitatem suam judiciorum Dei memoriâ adhortatus.

℣. 53. Sanctitas David.

4. Deinde sequitur: *Defectio animi tenuit me à peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Virtutes propriæ suæ Prophetæ huic ad spem vitæ æternæ non sufficiunt, neque quòd spem in verbo Dei habuit, neque quòd in spe eadem [b] consolatus est, neque quòd Dei vivificatur eloquio, neque quòd non declinat à lege, neque [c] quòd semper memoriâ judiciorum Dei adhortatur: quinetiam dolore humanæ impietatis fatigatur, & ob irreligiosas hominum impietates exanimis est. Sanctus enim quisque cùm cæditur, non humilitatis suæ qui cæsus est, sed insolentiæ ejus qui cædit, miseretur: ut à vesano filio pater, ut ab amente ægroto medicus contumeliam passus, dolorem non ex eo quod perpessus erit sentit; sed ob id quòd ille quem sanum esse cuperet, injuriam sibi vesanus intulerit. Membro autem uno aliquid patiente, secundùm Apostolum, compatiuntur & cetera membra. Defectio itaque secundùm hæc tenet Prophetam super peccatores derelinquentes Dei legem: affectu miserantis scilicet & dolentis, & tamquam membris suis pro parte ægrotis, iniquorum & irreligiosorum periculo fatigatur.

Sanctus dum cæditur, non suam, sed cædentis vicem dolet.

1. Cor. 12. 26.

Psalmos qualiter legere, audire & cantare deceat.

℣. 54.

5. Manet autem ipse, quantum ad se, justificationibus Dei semper intentus: & in omni quacumque sede habitat, nequaquam ex ore ejus religiosæ confessionis hymnus abscedit. Ait enim, *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco incolatus mei.* Exemplo suo docet, suscepta semel in aures psalmorum cantica, in corde esse continenda: & semper ea officio oris iteranda. Non negligenter, ut ipse prædicat, legit atque audit: neque, irreligiositatis nostræ modo, divina eloquia aut occupatis in aliud aut incuriosis oculis legit, aut mox obliviosis auribus excipit: sed cantabiles ei sunt, id est, sine intermissione cantatæ. In omni autem cujusque generis loco nequaquam à se abesse psallendi consuetudinem docet, cùm ait, *In loco incolatus mei.* Non enim ait, In incolatu meo; sed ita ait, *In loco incolatus mei,* in quacumque scilicet sede mansisset; intelligens se mundi hujus esse peregrinum, Dei tamen sibi semper justificationes esse cantabiles.

Nocturnarum precum utilitas.

℣. 55.

6. Sed quàm cantabiles sint justificationes Dei, ostendit; cùm nullum omittat tempus, quo non in illo cælestium sacramentorum opere versetur. Ait enim, *Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodivi legem tuam.* Scit præcipuè nocturno tempore divini esse à nobis nominis recordandum. Scit tum maximè custodiam Dei legis à nobis esse retinendam, cùm subrepunt animo impuræ cupiditates. Cùm vitiorum stimuli per recens sumtum cibum corpus exagitant, tum Dei nomen recordandum est, tum custodienda lex ejus est, pudicitiam, continentiam, timorem Dei statuens. Novit hoc præcipuè tempore Deum [d] orandum, deprecandum, promerendum, dicens in loco alio, Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Non est periculoso nocturnarum vigiliarum otio animus relaxandus: sed in orationibus, in deprecationibus, in confessionibus peccatorum occupandus est: ut cùm maximè corporis vitiis opportunitas datur, tum præcipuè eadem vitia divinæ legis recordatione frangantur.

Psal. 6. 7.

℣. 56.

7. Sequitur deinde: *Hæc mihi facta est: quia justificationes tuas exquisivi.* [e] *Hæc* ad memoriam refertur, per quam memor fuit noctibus nominis Dei. Quod autem ait, *Mihi facta est*, id est, non subitò recurrens, neque temporariè assumta: [f] sed semper in se manens, & intra se quodam fidei opere instituta: & ob id ei facta, quia justificationes exquisierit. Utile igitur est, justificationes Dei sine aliqua temporis intermissione scrutari: quia [g] per exquisitionem earum, ejus memoriam nos perpetem continemus in Christo Jesu, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LITTERA VIII.

ח Heth.

*PORTIO mea Dominus. Dixi * custodire legem tuam. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundùm eloquium tuum. Quia cogitavi vias meas, & * averte pedes meos in testimonia tua; paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam non sum oblitus. Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ. Particeps sum ego omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Misericordiâ * Domini plena est terra: justificationes tuas doce me.*

* Hil. *ut custodiam.*

* Infrà, *converti.*

* Infrà, *tua Domine.*

1. PLURES psalmorum codices legentes & nos ita opinabamur, versum qui octavæ litteræ primus est, id est hunc, *Portio mea Dominus*, in superioribus septimæ

Psalmorum liber apud Græcos emendatus ex Hebræo.

[a] Apud Par. *In his autem coarctatus est:* & mox *instantium*, loco *infestantium.*

[b] Editi excepto Par. *collocatus est.* Par. *collatus est:* castigantur ope mss.

[c] In excusis ac Reg. ms. *quòd se per memoriam.* Verior nobis visa est lectio mss. Vatic. & Mic. *quòd semper* &c. Mox idem codex Vatic. *quinetiam hortatus dolore* &c.

[d] In Vat. cod. post *orandum*, subjicitur *media nocte*, glossema.

[e] In hac elocutione explicanda multùm laborat Augustinus eamque refert ad noctem, cùm ad legem referri græcum non patiatur. Hebraismum esse monet Nobilius, ideoque ab Hieronymo translatum esse, *Hoc factum est mihi*, id est, Hoc mihi boni contigit: quod bonum interpretantur Hilarius noster & Ambrosius memoriam esse judiciorum Dei. Nam vox *memoria* non præcessit, ad quam referatur pronomen *hæc.*

[f] Ms. Mic. *sed secum manens.*

[g] Lips. & Par. *per exquisitiorem earum memoriam nos perpetim continemus* &c. absque nulla auctoritate.

litteræ octo versibus contineri : quia ita in latinis codicibus atque etiam in nonnullis græcis scriptum continebatur : & sanè absolutior [a] ita sensus videbatur. Sed secundùm Hebræos emendatum apud Græcos psalmorum librum legentes, invenimus hunc versum non septimæ litteræ novissimum esse, sed octavæ primum. Itaque secundùm hanc cognitionem nos quoque tractare de eo aggressi sumus.

[Quorum Deus sit portio.]

ỳ. 57. 2. Cœpit enim ita : *Portio mea Dominus. Dixi* [b] *ut custodiam legem tuam.* Rarus quisque est, cui ista fiducia est, ut portionem suam esse Deum audeat dicere. Renuntiandum est sæculo omnibusque rebus ejus : ut nobis Deus portio sit. Ceterùm si nos ambitio detineat, si cura pecuniæ occupet, si illecebræ libidinum capiant, si negotia rerum familiarium demorentur; portio nobis Deus non erit, sæcularium curarum atque vitiorum possessione detentis.

[Dei ministris nulla in lege portio terrena.]

3. Moysi cùm jussum esset portiones incolatûs distribuere duodecim gentibus [c] filiorum Israel, ita ei de tribu levitica præceptum est : Filiis Levi non erit portio neque sors in medio fratrum suorum; quia Dominus Deus est pars eorum. [*Deut.* 10. 8.] Et rursum scriptum meminimus, Ego Dominus pars eorum. [*Num.* 18. 20.] Nullam ergo Deo servientibus [d] lex data terrenam esse voluit portionem : quia pars eorum Deus est.

[Petro nulla possessio.]

4. Meminit & Evangelii prædicator ille Petrus, nullam sibi esse portionem possessionis humanæ, cùm oranti alimoniam respondit, Aurum & argentum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do. [*Act.* 3. 6.] Quid est istud Petre quod possides? Renuntiaveras omnibus Domino tuo dicens, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid erit nobis? [*Matth.* 19. 27.] Et tibi ille responderat, Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione sedebitis super duodecim thronos judicantes duodecim tribus Israel. [*Ibidem* 28.] Et exemplo vestro ceteris relinquentibus cuncta spoponderat, quòd & centuplum acciperent, & dehinc vitam æternam possessuri essent. [Petri opes.] Quid est igitur istud Petre quod habes? Habes planè, & non audeo dicere plus te [e] centuplum obtinere : dico tamen te sine multiplicatione calculi possidere. Dicis enim, Quod habeo, hoc tibi do : in nomine Domini nostri Jesu Christi surge & ambula. O felix possessio, ô perfecta Dei portio! Non terrena largiris, sed naturæ [f] opes rependis, & vitiosi partus damna restauras. Claudum natum ingredi jubes, & multæ ætatis virum incessu rudi incitas. Has opes tribuit, cujus Deus portio est. Novit & Paulus [g] divitiarum suarum gloriam, dicens, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. [Pauli divitiæ. *Gal.* 6. 14.] Talis Apostolo gloria, talis est portio.

[Portio melior est sæculo renuntiantium.]

5. Humanarum igitur hereditatum modo, portionem quæ melior est & quæ utilior eligamus. Si circa terrena patrimonia sua in coheredum divisione quis nititur sortem commodioris portionis appetere, quanto propensiore curâ partem cælestis hereditatis [h] deligemus? Centuplum Dominus promittit : & centuplum non in æternum, sed in præsens. Æternorum autem bonorum immensa & infinita retributio est : ceterùm sub definitione centupli, [i] præsentium mensura concluditur. Ego autem ambigo utrùm hoc centuplum Petri excesserit portio. [Centuplum in hac vita quid.] Certè secundùm Domini præceptum, sperandum nunc in hoc sæculo, relictis omnibus sæculi rebus, centuplum munus est. Est enim nobis portio, qui ait, Et inhabitabo in eis. [k] [2. *Cor.* 6. 16.] Nunc ergo centupli præmium est, ut in hoc terreno corpusculo nostro Deus habitet. Sed quid dico habitet? Ait & ipse, Et inambulabo in eis. [*Ibidem.*] PATENS DEO est fidelis pectoris & ampla possessio : ut inhabitet & inambulet. Sed qui inhabitat, qui inambulat, quid tertium addidit? Et ego ero illorum Deus. [*Ibidem.*] Ecce promissam nobis ab eo portionem, ut simus [l] Deo habitatio; & dum in nobis ambulat, sit nobis ipse possessio, si sæculum relinquamus, [m] si possessionis terrenæ labi renuntiemus, si hereditatem caducorum respuamus, si viventes de sæculo exeamus. Quæ enim merces est, emortuis corporibus & exeunte anima dissolutis sæculum reliquisse? Carendum est eo per contemtum ejus. Nesciendum est ignoratione voluptatum suarum. Moriendum nobis in eo est, dum non ei vivimus. Scit Paulus jam non se sibi vivere, dicens, Quod enim vivo, jam [n] non ego, vivit autem in me Christus. [*Gal.* 2. 20.]

6. Propheta itaque, secundùm Apostolum, non sæculo vivens constanter & liberè ait, *Portio mea Dominus.* [o] *Dixi ut custodiam legem tuam.* Tenuit hunc quem in superioribus mo-

[a] Abest *ita* à Reg. ms. Hinc liquet quantæ apud Hilarium auctoritatis fuerit liber ille secundùm Hebræos emendatus, ob quem à sententia, quam probaret ac plerique codices confirmarent, discesserit. Hujus editionem aut recentem aut recèns sibi notam innuit, dum ex novissima illius lectione præconceptam ex aliis codicibus opinionem mutasse se indicat. An librum illum attendit litt. 3. n. 12. & litt. 4. n. 1. & alibi, cùm Græcorum ex hebræo translationem laudat? Ejusdem codicis meminit Ambrosius in hunc Psal. Ser. 8. n. 2. *Codices plerique*, inquit, *hunc versiculum, qui primus est litteræ octavæ, ultimo loco litteræ habent septimæ; sed secundùm Hebræos emendatus apud Græcos psalmorum liber hunc versum docuit nos octavæ litteræ copulandum.*

[b] Ita mss. At editi, *custodire*; cùm Hilarius infrà n. 6. expressè observet Prophetam non profiteri *se custodire* legem, sed potiùs *se custoditurum.* In græco τοῦ φυλάξασθαι.

[c] Vox *filiorum* restituitur ex mss.

[d] In mss. Reg. & Albin. *lex lata.*

[e] Editi, *centuplo*, refragantibus mss.

[f] Excusi, *rependis opus* : emendantur ex mss.

[g] Ita corrigimus ex mss. Reg. & Albin. cùm priùs legeretur, *divitiæ suæ glorias.*

[h] Editi, *diligemus.* Ms. Mic. *diligimus.* Reg. & Albin. *deligimus.* Vatic. *deligere debemus.*

[i] In mss. Reg. & Albin. omittitur *præsentium* : non malè. Sic enim Hilarius videtur ratiocinari : æternorum bonorum retributio est immensa : atqui centuplum est mensurâ finitum : non igitur pertinet ad æternam retributionem.

[k] In vulgatis, *non ergo*, quasi, *nonne ergo.* Particula *nunc*, quam ex mss. substituimus, aptiùs significat centupli promissionem ad vitam præsentem pertinere.

[l] Ita nostri mss. Editi verò, *Dei habitatio. Et dum in nobis ambulat, fit nobis* &c. Illam centupli mercedem eodem modo in hunc eumdem versum interpretatur Ambrosius.

[m] In vulgatis, *si possessioni terrenæ labili.* Ut suprà lit. 3. n. 3. 4. & 5. ex terreni corporis consortio labem nos mutuari inculcatur, ita & nunc ex terrena possessione.

[n] Editi, *non ego vivo.* Abest *vivo* à nostris mss. ut à græco.

[o] Verba, *dixi ut custodiam legem tuam*, in vulgatis omissa restituuntur ex mss.

dum, cùm quando se custoditurum legem Dei A spopondit. Non enim de ea, quam corporaliter agebat, loqui intelligitur; cùm custoditurum se potiùs, quàm custodire fateatur.

ℽ. 58. 7. Sequitur deinde: *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundùm eloquium tuum.* Moysen deprecatum esse meminimus, ut Deum videret. Et fortè cognata preci ejus Prophetæ hujus oratio existimabitur. Sed à Deo [a] meminit dictum, Nemo hominum videbit faciem meam, & vivet. Ergo quod negatum Moysi meminerit, id concedi sibi postulat? Sed licèt rursum dicto evangelico anterior sit, meminit tamen hanc fidei beatitudinem reservari, qua dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Itaque cùm in lege sciat dictum, quòd nemo faciem Dei videat, & vivat; & ex evangelica beatitudine non ambigat [b] omnes mundo corde Deum esse visuros; perfectæ modestiæ temperamento cupiditatem desiderii sui elocutus est, dicens, *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo.* Scit nunc impossibile sibi esse, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, ut videat. Scit invisibilem esse carnalibus oculis gloriam Dei. Meminit, non dico ad Angelorum claritates hoc humanæ visionis lumen hebetari, sed ipsam gloriam vultûs Moysi humani corporis oculos non tulisse.

(Exod. 33. 18. — Deum videre optat David, — Ibid. 20. — non in hac vita, — Matth. 5. 8. — non oculis carnis. — Exod. 34. 30.)

8. Sed nos ex desideriis humanis Prophetæ desideria metiamur. Ad egressus regum quanta exspectationis sollicitudine curritur? & quod videntibus gaudium est, cùm se præbuerint contuendos? Quid illum cælestis spiritûs capacem virum existimabimus velle? quanto desiderii ardore cupere ut Deum cernat, qui ipsam illam invisibilem majestatem per has Angelorum claritates & per hanc Moysi gloriam metiatur; & sciat etiam eos, qui digni sunt conspectu Dei, gloriam ex conspectu gloriæ esse sumturos, quòd eos visio tantùm & dignatio contemplatæ majestatis illuminet? Quod sanctus Apostolus ita intelligens loquitur: Nos, inquit, omnes revelata facie gloriam Dei * exspectantes, in eamdem ipsam transferemur [c] imaginem à gloria in gloriam, sicut à Domini spiritu. Et nunc quia id impossibile istis corporis oculis sciat esse, toto istud corde desiderat. Et cui est portio Deus, confidenter faciem ejus deprecatur: quia quamvis nemo hominum videat faciem Dei, & vivat; tamen Deum omnes mundo corde visuri sunt. Ergo misericordiam hanc à Deo postulat, ut sibi videndæ faciei ejus beatitudo contingat: & postulat non sine ratione modoque præstandi.

(Quàm flagrans ejus desiderium. — 2. Cor. 3. 18. — * id est, spectantes. — Dei bonitas simul & severitas intuenda.)

9. Ait enim, *Miserere mei secundùm eloquium tuum.* Fidei modestæ vox est, misericordiam Dei non secundùm peccatorum suorum conscientiam, sed secundùm ejusdem Dei eloquia deprecari. Scit Deum etiam peccatoribus esse ignem consumentem. Moyses enim ait, [d] Deus noster ignis consumens est. Novit eumdem esse fidelibus lucem, de quo & alibi Propheta ipse dicit, Illuminans tu mirabiliter de montibus sanctis. Discernit & hanc Apostolus bonitatis & severitatis Dei consuetudinem, cùm ait, Vide ergo bonitatem & severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt severitatem, in te verò bonitatem: & rursum, Tu nisi permaneas in bonitate, excidêris: illi verò si non permaneant in infidelitate, inserentur. Bonitatem Dei Propheta exspectat, cùm ait, *Miserere mei.* Scit enim neminem sine peccato esse qui vivat, & omnes in carne sitos misericordiâ Dei egere. Officii autem sui devotionisque non immemor est, cùm ait, *secundùm eloquium tuum;* ejus scilicet eloquii, quo & peccatoribus pœnam denuntiat, & in se credentibus vitæ æternæ beatitudinem pollicetur.

(Deut. 4. 24. — Psal. 75. 5. — Rom. 11. 22. — Ibidem 22. & 23.)

10. Dehinc sequitur: *Quia cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.* ℽ. 59. Ex his quæ Propheta se gerere, vel gessisse commemorat, quid nos quoque facere oporteat docet. Vias enim suas cogitat, & cogitatis his pedem in testimonia Dei refert. Nihil egit, quod non antea cogitatione pervolverit. Non linguam in officium suum movit, non pedem in aliquod quod acturus esset opus protulit, non manum ad agendum aliquid exseruit, nisi antea super his omnibus cogitasset, [e] & cùm operationem atque effectum cogitatio rebus attulerit. Vidit igitur antea omnes vitæ suæ vias: & cùm placentem sibi ac probabilem reperit, tunc in eam pedem contulit: scilicet perspectis omnibus humanæ operationis viis, post quàm quid esset sibi utile cogitavit, fidei suæ pedem in testimonia divina detorsit. Cogitatio enim nihil potest [f] subitum, nihil novum, nihil inopinatum pertimescere, cùm de consilii sententia omnia quæ accidere solent sperantur, præfiniuntur, adeuntur. Et id consequenti versu docetur.

(Agenda quisque debet præmeditari.)

11. Postea enim quàm vias suas Propheta cogitaverat, & pedem ad testimonia Dei converterat, liberè loquitur, *Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* ℽ. 60. Qui ad aliquid præparatur, longo usu ad id, in quo ei est meditatio, præparatur: ne eum de propositi sui sententia negligentem & incautum vis aliqua repentinæ turbationis excutiat. Propheta itaque novit esse plurima sæculi scandala. Novit insidiantes esse humanæ naturæ adversantesque virtutes. Scit periculosè dul-

(Sic præparatum nil perturbat.)

[a] Mendosè in excusis, *memini.*

[b] Ex hoc loco levatur ac prorsus removetur suspicio nata ex quibusdam dictis Tract. Psal. 64. n. 5. & 18. cui jam occurrimus pag. 171. not. e. Apertè enim hîc prædicantur omnes mundi corde, nullo excepto, Deum visuri, ac proinde cum Deo in cælo cohabitaturi.

[c] Abest *imaginem* à mss. Reg. & Albin.

[d] In nostris mss. *Deus vester.* In sacris exemplaribus, *Deus tuus.*

[e] Er. Lips. & Par. *& tum.* Concinniùs mss. cum Bad. *&* (subaudito *nisi*) *cùm.* Mox editi, *cogitatis rebus attulerit. Vidit igitur ante omnia* &c. His præferimus mss.

[f] Apud Par. *subditum:* mendosè. Cogitare autem his locis interpretatur Hilarius, prospicere ac providere quæ agenda aut superventura sunt.

[a] cem esse [a] opinionem ambitionemque gloriæ A sæcularis. Novit occursus lascivientium feminarum esse continentium oculis captiosos. Scit turpes corporum cupiditates affectu blandæ voluptatis irrepere. Scit cetera vitiorum genera illecebrosis aditibus ingruere. Novit etiam plurimis se irreligiosorum odiis subjacere, & ob prædicationem Dei pietatisque doctrinam, variis persequentium contumeliis esse vexandum. Ne igitur turbari tot & tantis [b] insidiis ingruentibus posset, contra om- B nia se hæc fidei excidia præparavit, dicens, *Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.*

Pauli exemplum. Rom. 8. 35. &c.

12. Habet [c] parem beatus Apostolus hujus præparationis suæ fiduciam, dicens, Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustiæ, aut passio, aut fames, aut nuditas, aut periculum, aut gladius? [[d] Sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die, deputati sumus tamquam oves occisionis. C Sed in his omnibus superamus & vincimus, propter eum qui dilexit nos.] Et quia adversùm horum tolerantiam, ne per hæc à caritate separari posset, sese præparasset; adjecit, Confido enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque virtutes, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Nulla D Apostolum rerum earum quæ accidere possunt genera, tali spe præparatum firmatumque perturbant.

Ibidem 38. & 39.

Exhortatio ad constantiam.

13. Sit ergo in nobis & fiducia hæc & vox, ut cùm subrepunt cupiditates, cùm passiones ingruunt, cùm pericula fatigant, cùm supplicia cruciant, dicere audeamus, *Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Dominus noster unigenitus Dei filiùs inter cetera præcepta discipulis suis mandat, dicens, E Non turbetur cor vestrum, neque trepidet. Adversùm turbationem, quæcumque ex accidentibus erit, longæ præparationis opus est firmitate: ut robusta [e] fides atque firmata, Dei mandata custodiat.

Johan. 14.1.

℣. 61. Peccata quare funes.

14. In quem autem se profectum, quamve in causam Propheta præparaverit, neque turbatus sit, quo minùs custodiret mandata Dei, continuò subjecit, dicens, *Funes peccatorum circumplexi sunt me; & legem tuam non sum oblitus.* Esse pec- F catorum funes per Esaiam docemur dicentem, Væ qui ligant peccata tamquam funem longum, modo funîs ex plurimis minimis crescentis in multum, peccata semper [f] tamquam longum funem tendentibus. Sunt etiam hæc delictorum vincula, quibus humanæ mentes illigantur, de quibus in Proverbiis scriptum est, A Fasciis peccatorum suorum unusquisque constringitur. Stringit enim nos atque alligat, & his vitiorum funibus implicat diabolus, in omni vitæ nostræ cursu laqueos prætendens. Quòd autem liget, in Evangeliis cognovimus, cùm dicitur, Hanc autem filiam Abrahæ ligavit satanas annis decem & octo. Ligat igitur omni vitiorum genere, ebrietatis consuetudine, voluptatum desideriis, infidelitatis piaculo. Sed inter hos funium laqueos, non est B admittenda legis oblivio. Præparatos enim nos esse convenit, ut ab his laqueis, si quando circumligent, exuamur: ut legis Dei omni tempore recordemur.

Esai 5. 18.

Prov. 5. 22.

Luc. 13. 16.

℣. 62. Media nocte cur surgat Propheta.

15. Et recordatur planè Propheta, dicens, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ.* Non vacat totis noctibus somno, nec otiosus lecto continetur: ad confitendum Deo non solùm nocte, sed etiam *media nocte* consurgit. Meminit hoc esse tem- C pus, quo primitiæ Ægyptiorum meritissimâ impiæ obstinationis clade percussæ sunt: his ergo horis non laxatur in somnum, ne cladi Ægypti admisceatur. Hoc noctis tempore introeunte sponso, sapientes virgines in nuptias cum lampadibus introibunt: vigilat ergo, ne cum stultis mereatur excludi. Hoc tempore psallentibus Paulo & Silæ apostolis catenæ & vincula resolvuntur: non dormit itaque ne vinctus sit. Nec habet eum [g] totus nocturni D temporis somnus, nec ei oblivio officii sui requie mediæ noctis obrepit; surgit enim ad confitendum Deo. Confessio verò non semper ad peccata referenda est: verùm etiam in Dei laudibus intelligenda est. Nunc ergo confitetur Deo super judicia justificationum ejus. Laudat igitur Deum, quòd nihil nisi in judiciorum justificatione decreverit.

Exodi 12. 29.

Matth. 25. 6.

Act. 16. 25.

℣. 63.

16. Sequitur deinde: *Particeps sum ego omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* E Apostolum dixisse meminimus, Participes Christi facti sumus. Sed & in quadragesimo quarto psalmo, quosdam participes Dei significatos esse meminimus, cùm dicitur, Unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ [h] præ consortibus tuis. Sunt ergo secundùm Apostolum & secundùm Prophetam plures Domini nostri Jesu Christi participes. Et particeps ejus erit quisquis in justitia manet; quia ipse justitia est: & particeps ejus erit, quisquis in F veritate persistit; ipse est enim veritas: & quisquis in novitate vitæ ambulabit, erit particeps ejus; quia ipse est resurrectio. Ergo cùm sciat Propheta plures Dei esse participes, nunc per verecundam ac modestam de se prædicationem, cùm se, quia & ipse Christus & factus & dictus sit, Christi meminerit esse participem; tamen omnium timentium Deum po-

Hebr. 3. 14. Participes Christi plures.

Psal. 44. 8.

Modestia David.

[a] Mss. duo, *ambitionem gloriæ*, omisso verbo *opinionem*.
[b] Ita mss. ubi vulgati habent, *excidiis*.
[c] Bad. & Er. *patrem*, Lips. *paratam*: corruptè.
[d] Reg. & Albin. mss. omittunt quæ uncinis inclusa sunt.
[e] Sic mss. In vulgatis autem, *fide*. Huic sententiæ affinis est illa Tract. Ps. 63. n. 6. *Neque enim Dei misericordiam metus noster, sed fides meretur: & longæ præparationis documento opus est, ut mereamur audiri.*

[f] Excusi, *tamquam longo fune tendentur*, vel *tenduntur*: emendantur ope mss. ubi verbum *tendentibus* ad particulam *væ* referendum est.
[g] In priùs vulgatis desideratur vox *totus*, quam ex mss. restituimus. Quamquam mallemus *totius*.
[h] In mss. *præ consortes tuos*. Neque ambigimus quin ita legerit Hilarius, cùm eadem præpositio in omnibus mss. constanter regat accusandi casum.

tiùs se confessus est esse participem. Est au- A
tem tunc etiam timentium Deum particeps, cùm patientibus compatitur, cùm plorantibus complorat, cùm tamquam ejusdem corporis membrum in dolore membri alterius dolet. Hac igitur passionum communione timentium Deum particeps fit. Ceterùm quisquis per insolentiam suam credentem in Christum & [a] redemtum à Christo dedignatur, exacerbat, inhonorat; non est ille timentium Deum particeps, [b] quibus non sit in compatiendis B passionibus consors.

Quis timentium Deum sit particeps.

Timentium Deum duo genera.

17. Non nudum autem hoc, neque solitarium Propheta posuit, cùm dicit, *Particeps sum ego omnium timentium te*. Plures sunt timentes Deum, & tamen inobedientes: plures sunt timentes Deum, & tamen infideles; quos naturæ suæ conditio timori quidem Dei subdit, sed voluntatis suæ perversitas ab obsequiis Dei avocat. Atque ob id non suffecisset Prophetæ dixisse ita, *Particeps sum ego omnium* C *timentium te*; nisi addidisset, *& custodientium mandata tua*. TIMOR enim FIDEI in sola obedientia est, & metus religionis in obsequela est. Horum itaque [c] particeps est, qui timorem suum in mandatorum Dei custodia comprobabunt.

℣. 64.

Justis & injustis dona sua largitur Deus.

18. Dehinc sequitur: *Misericordia tua, Domine, plena est terra, justificationes tuas doce me*. Terra misericordiâ Dei plena est, quæ contaminata, quæ corrupta, quæ irreligiosa, quæ infida, D quæ perdita est. Et si quis fortè audebit impio ore Prophetam mendacii arguere, tamquam non in omnem terram Dei misericordiam putet esse diffusam; Dominum in Evangeliis recolat dixisse, Estote boni, sicut pater vester, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Patiens enim & misericors Deus, dum mavult pænitentiam peccatorum quàm mortem, dona sua justis injustisque largitur, unicuique E per patientiam longæ æquanimitatis pænitendi tempus impertiens.

Matth. 5. 45. & 48.

Ezech. 18. 23.

Doctorem sibi Dominum optat David.

19. Et quia hanc bonitatem patientiæ Dei & perfectionem, quæ sub illis justificationibus legis corporaliter adumbratur, meminit semper sibi Propheta sperandam; ait, *Justificationes tuas doce me*. Justificationes omnes in lege legerat: sed quia cælestes sperabat, quæ in terrenis præformabantur, non eget doctore terreno. Doceri enim se ab eo orat, qui ait, F Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Aperiri sibi & dari clavem à doctore legis dedignatur Propheta, scientiæ cælestis exspectans magistrum Dominum nostrum Jesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 7. 7.

LITTERA IX.

ט Theth.

BONITATEM fecisti cum servo tuo, Domine, secundùm verbum tuum. Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me; quia mandatis tuis credidi. Priùs quàm humiliarer, ego deliqui: propterea eloquium tuum custodivi. Bonus es tu, Domine: & in bonitate tua doce me justificationes tuas. Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua. Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego verò legem tuam meditatus sum. Bonum mihi quòd humiliasti me: ut discerem justificationes tuas. Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti.

1. JAM [d] in exordio psalmi commemoravimus, nihil aliud in eo, quàm doctrinam humanæ vitæ contineri, per quam ad cognitionem Dei, ipsis tamquam parvuli litterarum elementis erudiremur. Ex persona enim sua nos Propheta confirmat, qualiter in omni genere divini officii versari nos [e] oporteret, ut per disciplinam adeptæ institutionis, fidei ordinem teneremus, ut ipso illo primo nonæ litteræ versu docetur. Ita enim dicitur: *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundùm verbum tuum*. Et fortè quidam existimabunt, de secundis rebus Prophetam locutum, Deoque gratiam ob ea quæ sibi prosperè acciderint retulisse. Sed novit etiam in adversis rebus gratiam Deo esse referendam: scit in omni passione ac tribulatione eum, cujus judicio hæc ingruunt, gratulationibus honorandum. [f] Scit diligentem esse medicum, putribus vulnerum sinibus non parcentem. Meminit piam esse patrum in filios severitatem. Argui se per tentationes, ac probari per patientiam [g] Deo optat: & in his quæ adversa existimantur, agit gratiam.

Psalmi CXVIII. scopus.

℣. 65.

Deo in adversis gratiæ referendæ.

2. Atque hanc nostram intelligentiam, ut id Prophetam orasse credamus, versus qui subjectus est docet, dicens, [h] *Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine, secundùm verbum tuum. * Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me: quia mandatis tuis* [i] *credidi*. Quidquid ergo Deus in servum suum facit, bonum est; secun-

Bene nobis in omnibus consulit.

℣. 66.

[a] Duo mss. *redemtum in Christo.*
[b] In vulgatis, *qui non sit.* Magis placet cum mss. *quibus*, nempe timentibus Deum.
[c] Regius codex cum Albin. *participes expedit nos esse, qui* &c.
[d] In duobus mss. *jam dudum.*
[e] In editis, *oportet, & per disciplinam*: mox Par. post Lips. *ordinem tenere*: diffidentibus mss.
[f] Par. *scit indulgentem.* Editiones aliæ, *scit indiligentem.* Mox omittunt omnes particulam *non* ante *parcentem.* Hanc rectiùs mss. retinent, ac præmittunt hîc, *Scit diligentem*, hoc est, amantem.
[g] In vulgatis *à Deo.* At in mss. *Deo*: ubi *probari*, id est probabilis & acceptus fieri.
[h] Totus hic versus 65. non repetitur in vulgatis. Et repetitur in nostris mss. & hoc subjecta videntur postulare.
[i] Apud Par. *parui.*

dùm enim verbum suum facit. Et quidquid A secundùm verbum ejus est, non potest malum existimari: quia ei, qui solus bonus est, voluntas sit plena bonitatis.

Id credens David petit & scire. 3. Versus itaque, ut diximus, secundus Prophetæ exponit affectum, cùm orat dicens, *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me.* Bonitatem superiùs confessus est erga se factam: quomodo hanc quasi ignorans doceri se precatur? Nisi quòd tunc fuit ex fidei confessione gratulatio, cùm quidquid illud B fieret in se, id esse bonum credidit: nunc verò est per naturam humanam ignorantiæ causa, cùm ut doceatur orat. Sed eam bonitatem vult discere, cui disciplina sit juncta. [a] Disciplina enim necessarium est severitatis officium, peccata arguentis, & vitia corrigentis. Correctio verò vitiorum magnum affert in bonitate profectum. Bona ergo est severitatis disciplina: sed adhuc eam Propheta ignorat. Non enim tantùm *bonitatem & disciplinam*, C sed etiam *scientiam* vult doceri: affectum in eo fidei suæ ostendens, cùm bonitatem & disciplinam, quam nondum sciat, tamen bonam sibi à Deo esse fateatur. De scientia autem locis plurimis admonuimus, hanc & Apostolum, hanc & prophetam inter præcipua gratiarum spiritalium dona numerasse. Ergo ut bonitatem & disciplinam, ita & scientiam doceri orat: & doceri ob id, quia mandatis Dei credat; ostendens non nisi fideles atque credentes scientiæ consequi posse doctrinam.

(Margin: D sciplinæ utilitas. — Scientia. 1.Cor.12.8. Esai. 11. 2.)

℣. 67. Humiliatio delicti emendatio. 4. Manet autem etiam in tertio versu ejusdem intelligentiæ sensus. Ait enim, *Priùs quàm humiliarer, ego deliqui; propterea eloquium tuum custodivi.* Non priùs tribulatio passionum ingruit, quàm delicta præcedant: neque per passionem antè humiliamur, quàm per peccatorum iniquitatem digni passionibus simus. Docet itaque Propheta humiliationem suam emendationem esse delicti: atque ob id bonum scit esse sibi quidquid à Deo est, quia pati meruit quod pati cœpit. Et scit disciplinam emendationem esse vitiorum. Priùs ergo deliquit, secundò autem humiliatus est, & per humilitatis disciplinam oportet eum ne delinquat doceri, & in eloquiis Dei manere; quia jam sit delinquens humiliatus, & in mandatis Dei, ne ultrà possit peccare, mansurus sit.

℣. 68. 5. *Bonus es Domine: & in bonitate tua doce me justificationes tuas.* Scit justificationes Dei Propheta bonas esse; quia bonus sit qui eas statuit. Scit sibi nihil nisi ex justificatione Dei accidere; quia professus sit priùs se deliquisse, dehinc postea esse humiliatum. Et quia superiùs orasset, ut bonitatem & disciplinam & scientiam doceretur; nunc orat, ut justificationes Dei in bonitate doceatur: quia justificatio opus sit rei justæ, quæ sibi ignorabilis sit; quia justificationes, quæ in lege sunt constitutæ, umbram in se justificationum cælestium continerent.

(Margin: Justificatio, opus rei justæ.)

℣. 69. Iniquorum in justos opprobria. 6. Deinde adjecit, *Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.* Patienter omnia & æquanimiter Propheta tolerans, in opprobrium superborum atque iniquorum deductus est. Si quis enim objurgationes trium regum in Job recolat; intelliget quanto illudentium exacerbetur opprobrio. Namque cùm irreligiosi quique per passiones aliquas emendari Dei servos contuentur, exprobrare hæc ita solent: Ubi fides? ubi spes in Deum? ubi auxiliantis virtus? ubi boni Dei misericordia est? Contra quæ firmo animo fidelique opus est, & in mandatis Dei intento atque occupato: ne multiplicatis tot in se superborum iniquitatibus cedat, sed semper dicat, *Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine*; ut ait ille passionum humanarum gloriosus & beatus victor, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.

(Margin: Quî eis resistendum. — Job. 1. 21.)

℣. 70. Ut lac in secundis blandi, velut coagulum in adversis acerbi. 7. Deinde sequitur: *Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego verò legem tuam meditatus sum.* Cor superborum [b] ait sicut lac coagulatum. Lac specie & sapore blandissimum est, quod vitio aliquo corruptum coagulari solet, & ex naturæ suæ suavitate decedens, inutili sapore amaroque corrumpitur. Ergo antea iniqui, cùm in secundis rebus esse Prophetam contuerentur, felicium rerum amici, simplicitatis specie blandientes, tamquam lac fuerunt. At D ubi eos, ex hac humilitate sancti viri, superbia & fastidium tenuit; & ex lacte coagulati sunt, & ex blandis ac suavibus adulationibus in vitiosi & coacescentis saporis amaritudinem sunt redacti. His verò sicut lac coagulatis, legem tamen Dei Propheta meditatus est: meditatus autem in id, ut diceret quod sequenti versu continetur.

℣. 71. Tribulationes quid prosint. 8. *Bonum mihi quòd humiliasti me.* Iniquitas licèt superborum multiplicetur, & cor eorum sicut lac coaguletur; scit humiliationem tamen E suam sibi Propheta bonam esse: novit secundùm Apostolum virtutem in infirmitatibus perfici. Bona omnis passio, bonæ omnes tribulationes, per quas justificationes Dei cognoscuntur: ut peccantes humilitate emendet, ut delinquentes severitate coerceat, ut ignorantes doctrinâ doceat. Idcirco enim bonum sibi quòd humiliatus est, quia per humiliationem justificationes Dei disceret. Deliquit enim priùs quàm humiliaretur: & humilitas F ei bonum est, quia per eam justificatio Dei discitur.

(Margin: 2.Cor.12.9.)

℣. 72. Lex oris Dei, lex Christi. 9. Conclusit autem hoc modo: *Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti.* Non est simplex conclusionis istius sermo. Suffecerat enim ad Prophetæ gratulationem dixisse, Bonum mihi est lex tua. Sed cùm ait, *lex oris tui*, plus voluit intelligi. Locutus est Deus per Moysen legem, locutus est per prophetas: sed hæc lex Dei est, non etiam lex oris Dei. G Os autem Dei est ille, qui & virtus Dei est, [c] qui & sapientia Dei est, qui & brachium

[a] Editi, *disciplinam enim necesse est esse severitatis officium*: castigantur ope mss.

[b] In duobus mss. *ac si lac.*

[c] Regius codex & Albin. *qui & sapientia Dei est, scilicet Dominus*, aliis omissis.

Dei est, qui & imago Dei est, Deus scilicet & Dominus noster Jesus Christus, dicens, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: dicens, Beati lugentes, quia ipsi consolabuntur: dicens, Benedicite qui vos persequuntur, & orate pro calumniantibus vos ac persequentibus vos. Hanc legem oris Dei, bonum sibi esse Propheta confessus est: & bonum non cum comparationis & definitionis & modi numero, sed *super millia auri & argenti*. Indefinitus hic sermo est, cùm dicitur *millia*: quia indefinitè bona est lex oris Dei. Ex comparatione [a] verò rerum maximè in terris pretiosarum, utilitatem bonorum eorum quæ à Deo sunt statuta significat [b] in Christo. Amen.

Matth. 5. 3. — Ibid. 4. — Ibid. 44.

Hæc indefinitè bona.

LITTERA X.

׳ Jod.

*MANUS tuæ fecerunt me, & * plasmaverunt me. Da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua * spero. Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliasti me. Fiat misericordia tua, ut exhortetur me secundùm eloquium tuum servo tuo. Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam: quia lex tua meditatio mea est. Confundantur superbi, quia injustè iniquitatem fecerunt * in me: ego autem exercebor in mandatis tuis. Convertantur mihi qui timent te, & qui noverunt testimonia tua. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis: ut non confundar.*

* Hil. præparaverunt, vel finxerunt.

* speravi.

* infrà, super me.

1. COMMUNE judicium est, inter omnia terrena Dei opera nihil homine utilius, nihil esse speciosius: quia etsi sint aliqua pulcra & ornata, magnitudinem quidem ejus qui ea tam decora genuerit testantur, verùm speciei & ornatûs & institutionis suæ fructum ipsa non sentiunt. Loquimur enim de his, quæ humano subjecta conspectui sunt, scilicet de creatis in terra & mari & aëre, & quæ singulis quibusque generibus naturisque permixta sunt. Pulcra hæc; sed quod tandem in Oceano aut terra aut cælo [c] aut aëre bonum, quæ in his creata sunt, eò quòd talia creata sint, consequentur? In homine autem quidquid est, sibi proficit. Et hoc unum in terris animal rationale, intelligens, dijudicans, sentiens constitutum est: horumque omnium generum, quæ in eo sunt, nihil [d] ad aliud aliquid proficit, quàm ut ipse & ceteris aliis, & his in quibus est natus utatur: utatur autem ad cognoscendum venerandumque eum, qui tantorum in se bonorum auctor & parens sit.

Homo terrenis Dei operibus præstantior.

Ad quid creatis uti debeat.

2. Ex quo magnum illud atque mirabile Salomonis dictum esse intelligitur, quod tale est: Grande homo, & pretiosum vir misericors: virum verò fidelem opus est invenire. Quid enim tam difficile est, quidve tam ardui operis est, quàm invenire eum, qui meminerit se secundùm imaginem & similitudinem Dei esse factum, qui divinorum eloquiorum studio intentus, rationem animæ suæ corporisque cognoverit, & originem utriusque generis naturamque perceperit; ad quem denique finem hæc institutio sua ortusque contendat? Atque ob id magnum quiddam est homo. Hoc enim nomen, ubi rerum superiùs commemoratarum cognitione neglectâ in vitia deciderit, amittit; indignus scilicet jam judicatus homo nuncupari. [e] Et qui secundùm imaginem & similitudinem Dei factus sit, secundùm exprobrationes propheticas & evangelicas, aut serpens, aut progenies viperarum, aut equus, aut mulus, aut vulpes ei nomen est: & proprietas ei nominis sui, ubi de innocentia exciderit, aufertur.

Quando quid grande. — Prov. 20. 6. sec. LXX.

Nomen suum quando amittat.

3. Verùm qui studiosa fide doctrinam Dei & præcepta scrutatus sit, & per innocentiæ studium dignum præstare se velit, qui secundùm imaginem & similitudinem Dei factus sit; uti & ipse Prophetæ voce poterit, dicentis, *Manus tuæ fecerunt me, & præparaverunt me*. Et in aliquibus codicibus ita scriptum deprehendimus; *Manus tuæ fecerunt me, & finxerunt me: da mihi intellectum, ut discam mandata tua*. Et sine dubio non otiosum esse existimandum est, quòd non satis erat Prophetam dixisse, *Manus tuæ fecerunt me*; nisi adjecisset, *finxerunt*, vel, *præparaverunt*. Sed honorem conditionis suæ Propheta intelligens, specialem originis suæ in hoc significare voluit dignitatem, primùm dicens, *Manus tuæ fecerunt me*.

℣. 73. — Hominis duplex origo.

4. In creatione mundi omnia verbo effecta esse accepimus, cùm dicitur, Fiat lux: cùm dicitur, Fiat firmamentum: cùm dicitur, Et pareat arida: cùm dicitur, Germinet terra herbam pabuli seminantem semen secundùm suum genus: cùm dicitur, Fiant luminaria in firmamento: cùm dicitur, Ejiciant aquæ reptilia animarum vivarum. Ergo omne, ex quo vel in quo

Creata verbo omnia. — Gen. 1. 3. — ℣. 6. — ℣. 9. — ℣. 11. — ℣. 14. — ℣. 20.

[a] Editi, *ex comparatione enim*: inconcinnè.

[b] Hæc postrema verba adjecimus auctoritate mss.

[c] Duo mss. *in æthere*. Apertiùs tota hæc phrasis sic potest reddi: *Quæ in Oceano aut terra &c. creata sunt, quod bonum in iis consequentur &c.* Quidni bonum aliquod consequantur animalia, si sentiunt?

[d] In vulgatis desideratur particula *ad*. Mox apud Lips. & Par. pro *& ceteris aliis*, substitutum est *in ceteris aliis*, contra fidem mss. & Hilarii mentem, volentis ad hominis usum & sua & aliena omnia destinari, ipsum verò ad nihil aliud creatum esse.

[e] Ms. Mic. *& qui non secundùm*: & mox, *sed secundùm*. Illud *sed* apud Par. immissum est. Hoc autem Hilarii argumentum est: Homo est, qui secundùm imaginem & similitudinem Dei factus est: sed qui ab innocentia excidit, non retinet imaginem Dei, nec proinde hominis nomen. *Scriptura enim eum hominem dicit, qui est ad imaginem & similitudinem Dei; peccantem autem, non hominem, sed aut serpentem, aut equum &c.* inquit Ambrosius in eumdem versum Hilarii vestigiis insistens, qui & paulò pòst ad peccatorem ait, *Post quàm peccasti, aliud esse cœpisti; illud quod eras esse desiisti . . . . ut fieres ex homine serpens, mulus, equus, vulpecula,*

mundi totius corpus creatum est, originem sumit ex dicto, & subsistere in id quod est ex verbo Dei cœpit. Verùm de homine ita Deus locutus est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Differt itaque natura & origo hominis ab institutione universæ creationis: & propriè de eo antè & tractatur & confirmatur ut fiat, cùm cetera sine quadam consilii sententia esse sint jussa. Habet ergo primùm hanc origo hominis dignitatem, quòd ei proprium fuit de se antè tractari.

De homine condendo antè tractatur.

Gen. 1. 26.

5. Verùm & in hoc præsenti prophetico dicto ingens humanæ originis privilegium continetur. Non enim manus Domini pecora & aquatilia & volatilia fecerunt; nusquam istud Scripturæ tradidere. Egregium hoc itaque & præclarum in homine est, quia à ceteris dignitate operationis excipitur. De confirmatione autem cæli ita quodam in loco legimus: Ego manu mea firmavi cælum. Ergo exæquatur operationi hominis istud elementum, cùm [a] idipsum manu Dei firmatum esse memoratur? Sed quamquam cælum manu; homo tamen manibus. Præstat ergo officio unius manûs, duarum operatio: & id quod ad confirmationem cæli satis est, in hominis conditione non sufficit. Intelligendum autem est cur manibus Propheta se factum esse dicat: neque solùm factum, sed etiam figuratum vel præparatum.

Privilegium aliud, quòd manibus Dei condatur.

Esai 45. 12. sec. LXX.

Quæ hîc indagentur.

6. Ceterorum omnium elementorum creatio eo ipso tempore & instituta & effecta est, quo subsistere jubebatur: neque inchoationem eorum & perfectionem tempus aliquod discernit; nam consummationem inchoatio in eo quod est cœpta percepit. Homo verò, cùm internam & externam in se naturam dissonantem aliam ab alia contineat, & ex duobus generibus in unum sit animal rationis particeps [b] constitutus, duplici est institutus exordio. Primùm enim dictum est, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Dehinc secundò, Et accepit Deus pulverem de terra, & finxit hominem.

Uno Dei jussu perfecta omnia, non homo.

Gen. 1. 26.

Gen. 2. 7.

7. Primum opus non habet in se assumtæ aliunde alterius naturæ originem. Incorporale est, quidquid illud [c] tum de consilii sententia inchoatur: fit enim ad imaginem Dei. Non Dei imago; quia imago Dei est primogenitus omnis creaturæ: sed ad imaginem Dei, id est, secundùm imaginis & similitudinis speciem. Divinum in eo & incorporale condendum, quod secundùm imaginem Dei & similitudinem tum fiebat: exemplum scilicet quodam in nobis imaginis Dei est, & similitudinis institutum. Est ergo in hac rationali & incorporali animæ nostræ substantia primum, quod ad imaginem Dei factum sit. Secundi verò operis efficientia quantò differt ab institutione * prima? Deus terræ pulverem accipit. Nam sumitur pulvis, & terrena materies formatur in hominem, vel præparatur: & ex alio in aliud opere ac studio artificis expolitur. Primum ergo non accepit, sed fecit: secundum non ut primum fecit, sed accepit; & [d] tunc formavit vel præparavit.

1°. facta illius ad imaginem Dei anima.

Corpus deinde de terra formatum.

* f. primi.

8. Utrumque [e] autem intelligi rectè potest, quia utrumque scriptum deprehendimus: ut formaverit in id quod est, corporis scilicet speciem; vel præparaverit in id quod dicitur, Et inspiravit in eum spiritum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Inspirationi ergo huic præparatus sive formatus est: per quam natura animæ & corporis [f] in vitæ perfectionem quodam inspirati spiritus fœdere contineretur. Scit in se duplicem beatus Paulus esse naturam, cùm secundùm interiorem hominem delectatur in lege, & cùm aliam in membris suis videt legem, quæ se captivum ducat in lege peccati. Quod ergo fit secundùm imaginem Dei, ad animi pertinet dignitatem. Quod autem formatur ex terra, speciei corporis naturæque primordium est. Et quia vel locutus ad alterum Deus intelligitur, cùm dicit, Faciamus hominem; vel triplex cognoscitur hominis facti [g] præformatique perfectio: cùm & fit ad imaginem Dei, & formatur è terra, & inspiratione spiritûs in viventem animam commovetur: idcirco manibus se factum & formatum, non manu tantùm Propheta testatur, quia in constitutione sua non [h] solitarii tantùm, & eadem triplex fuisse docetur operatio.

Præparatum etiam rectè dici potest.

Gen. 2. 7.

Rom. 7. 22. & 23.

Cur manibus Dei, non manu.

9. Et quia istud sciat Propheta valde esse occultum atque reconditum, quatenus scilicet manibus Dei formatus sit: tamen ut plenam atque absolutam intelligentiæ hujus rationem [i] consequatur, ait, *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Tamquam ignorans hæc loquitur, & tamquam nondum intelligentiam adeptus, dari sibi intelligentiam deprecatur: & audent non dico Ecclesiæ homines, sed gentium sophistæ, quædam de naturæ humanæ institutione velle tractare; audemus etiam gloriari, rectæ ac perfectæ nos vitæ esse scientiam consecutos. Sed doceri nos oportet prophetæ hujus exemplo, ut vel divinarum rerum igno-

Humana de se ignorantia.

Intellectus à Deo rogandus.

[a] Sola editio Par. *ad ipsum.* Argumento, quod ex verbis Esaiæ secundùm LXX. cum Hilario conficit Ambrosius, non item suffragatur Vulgata, in qua legere est, *manus meæ tetenderunt cælum.*

[b] In mss. *constitutum.* Hunc locum non attendit Scultetus, inter singulares Hilarii opiniones recensens quòd animam corpoream senserit. Si enim anima est corporea, homo non constat duobus generibus, nec naturam aliam ab alia dissonantem continet. Quippe non novimus nisi duo substantiarum genera, quorum unum corporeum sit, alterum corpore careat.

[c] Particula *tum* in vulgatis omissa, revocatur ex scriptis. Incorporalis animæ substantia rursum hîc ac deinceps ita disertis verbis asseritur, ut non videatur quomodò Sculteti imprudentiam non correxerint alii recentiores. Si quid in Matth. c. 5. n. 8. obscurè loquitur Hilarius, ex his claris erat illud intelligendum.

[d] Denuo hîc in editis deerat *tunc*, ac cetera nonnihil perturbatè erant posita. Demonstrat Hilarius animam ex nulla præexsistente substantia conditam, corpus autem non ita.

[e] Scilicet & verbum *formavit*, & *præparavit*: ut corpus si in se spectetur, dicatur formatum; præparatum autem, si respiciatur ad animam, cui recipiendæ aptatum est.

[f] Tres mss. *vitæ perfectionem .... contineret.* Inspirationem hîc interpretatur Hilarius tertiam veluti Dei in homine condendo actionem, quâ animam cum corpore connexuerit.

[g] Sic mss. quod respondet verbo *præparaverunt.* Editi verò, *formatique.*

[h] In vulgatis, *solitariâ*: non exprimitur una ratio cur manus Dei in plurali dicantur hominis conditrices. Hujus enim rei duplex redditur, prima, quia non unius personæ operatio fuit; altera, quia non una fuit, sed triplex.

[i] Mss. *consequamur.*

rantiam confiteamur, vel ignoratarum intelligentiam deprecemur. Optimum est autem cælestium mandatorum scientiam à Deo per precem postulare, infirmitatem ingenii nostri paupertatemque cognoscere. Primum enim, secundùm Apostolum, munus est gratiarum sapientiæ donum, sequens scientiæ: & idcirco hunc ordinem etiam hic propheta servavit, dicens, *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Primùm intelligentiam, pòst etiam scientiam deprecatus est.

1. Cor. 12. 8.

℣. 74. Piorum conspectus tristis impiis, lætus justis.

10. Sequitur deinde: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in verba tua speravi.* Consuetudo impiorum est, ut conspectis religiosis viris tristes sint. Oderit enim necesse est ebriosus sobrium, continentem impudicus, justum iniquus: & tamquam conscientiæ onus, præsentiam sancti cujusque non sustinet. Contrà verò ad conspectum viri fidelis, religiosi omnes quibus timor Dei est lætantur, & vel solo corporeæ contemplationis visu gratulantur, modo avium herbarumque quarumdam, quæ visæ tantùm & [a] conspectæ morbis aliquibus & infirmitatibus medentur. Utilis ergo est & sancti præsentia timentibus Deum: quia necesse est profectum aliquem ex contemplatione ipsius consequantur. Sed Propheta non hoc in se solum contuendum putat, quod [b] caducis ac promiscuis oculis subjectum est. Vult ille probitatem vitæ suæ conspici, vult justitiam suam & religionem & continentiam cerni. Non enim tantùm, quia vident eum, timentes Deum lætabuntur; sed quia vident eum in verba Dei sperantem: & sperantem non mediocriter, neque confuso humanæ opinionis errore; sed dicentem cum libertate id quod consequitur.

℣. 75. c Judicia Dei præsentia, non æterna, Prophetæ nota. d

11. *Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, &* [c] *verè humiliasti me.* In locis ceteris meminimus, ita Prophetam dicere solitum; Da mihi intellectum, & doce me, & observabo præcepta tua. Nunc autem tamquam [d] de adeptis profitetur, dicens, *Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua.* Sed hîc non de judiciis illis æternis, sed de præsentibus sermo est. Judicia enim illa æterna secundùm eumdem prophetam, sicut abyssus multa; & secundùm Apostolum, Judicia Dei investigabilia & inscrutabilia. Scit autem in his judiciis quæ nunc sunt, quidquid in se geratur, ex judicio Dei fieri: omnes tribulationes, omnes pressuras, omnia insectationum odia, omnes persecutionum infestationes, ex judicio in se Dei adesse, ut per hæc probabilis, ut per hæc emendatus, & tamquam per ignem examinatus atque purgatus sit.

Psal. 35. 7.

Rom. 11. 33.

Scientiæ & fidei discrimen.

12. Plus est autem nescio quid in cognitio-

A ne, quàm in fide, operis: & idcirco hic non credidit, sed cognovit: quia fides habet obedientiæ meritum, non habet autem cognitæ veritatis fiduciam. Distinxit Apostolus plurimum inter cognitionem fidemque differre, posteriore eam loco inter gratiarum dona connumerans. Primo enim sapientiam, sequenti cognitionem, tertio fidem prædicavit: quia qui credit, potest ignorare quod credit; qui autem jam cognovit, non potest id quod cognovit adepta cognitione non credere.

1. Cor. 12. 8. & 9.

V. lib. 8. de Trin. n. 10.

B Judicia Dei justa.

13. Ergo ambiguitatem hîc non admittit Propheta, quin sciat justa esse Dei judicia, id est, humiliationis suæ & tribulationis & contemtûs & injuriæ & doloris. Ita enim ait: *Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua; & verè humiliasti me:* non sine causa se scilicet esse tribulationibus subditum, non sine causa passionibus permissum, non sine causa injuriis humiliatum; sed ad humanorum vitiorum expianda peccata, ex justis se ac veris Dei judiciis humiliationi esse subjectum.

C Ea non petit David, declinare, sed Dei ope fortiter ferre. e

℣. 76.

14. Sed quia in his passionibus ex æquitate divini judicii versetur: [e] exhortationem præsentium humiliationum ex misericordia Dei deprecatur; quia humana infirmitas impar sit tolerantiæ passionum, dicens, *Fiat misericordia tua, ut exhortetur me secundùm eloquium tuum servo tuo.* Sed meminit bonum sibi esse humiliari, bonum sibi esse passionibus subdi, & ea omnia, D à quibus vexatur, purgationem sibi terrenorum esse vitiorum. Non enim ut humilitas ac tribulatio à se auferatur, orat; sed ut sibi ex misericordia Dei adhortatio in tribulatione præstetur. Optat ergo [f] diutino prœlio in his corporis sui infirmitatibus militare: optat longo certamine adversùs mundi hujus nequitias consistere. Sed adhortationem ex misericordia Dei sperat: ut tribulatus licèt & afflictus, divinæ adhortationis auxilio firmetur. Scit & beatus apostolus Paulus, omni ipse tentationum E genere perfunctus, uti [g] se divinæ misericordiæ adhortatione, dicens, Benedictus Deus pater Domini nostri Jesu Christi, pater miserationum, & Deus omnis exhortationis, qui exhortatur nos in omni tribulatione. Et adhortationem hanc scit sibi Propheta promissam [h] à Deo patre & Domino miserationum, qui per tentationes eum qui in se credat examinet: atque ideo subjecit, *secundùm verbum tuum servo tuo:* F id est, secundùm eam promissionem, qua spoponderit se tribulatos in passionibus non relicturum. Dixit enim in Evangeliis, Cùm ergo tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora

f

g

2. Cor. 1. 3. & 4.

h

Matth. 10. 19. & 20.

[a] Regius codex cum Albin. *conspecta utiles sunt. Utilis ergo* &c. In eamdem litt. n. 23. Ambrosius, *Si est tanta vis*, inquit, *in naturalibus, ut animal visum prosit ictericis*, &c. Quodnam sit illud animal docet Plinius lib. 30. hist. nat. c. 11. ubi ait: *Avis icterus vocatur à colore, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt, & avem mori. Hanc puto latinè vocari galgulum.* Galbulum alii vocant, vulgò *Loriot.*

[b] Ita nostri mss. At excusi, *publicis.*

[c] Apud Par. hîc *veritate tua*; infrà autem, *in veritate tua.* Utrobique ex editionibus aliis ac duobus mss. restituimus *verè*, quomodo vertit Hieronymus ex hebræo, faventibus etiam Græcis, qui legunt ἀληθείᾳ sine σῇ.

[d] In duobus mss. *de apertis*, lectio non spernenda: ut præsentia Dei judicia, quatenus aperta, opponantur æternis, quæ obscura ut abyssus prædicantur.

[e] Subsequentem psalmi versum 76. in vulgatis hîc perperam insertum removimus, & mox integrum restituimus auctoritate mss.

[f] In vulgatis *divino.* Magis placet cum mss. Reg. Vatic. Albin. *diutino.*

[g] Abest *se* à ms. Mic.

[h] Regius codex cum Albin. *ab eo patre.* Miciacensis cum Vatic. *Habens Patrem & Dominum miserationum.* Mox editi, *qui se credat*, omisso *in.*

" quid loquamini. Non enim vos estis qui loqui-
" mini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et hoc quidem quantum ad præsens pertinet tempus.

ℽ. 77.
Vita æterna ex Dei misericordia.

15. Futuræ autem spei Propheta non immemor est, dicens, *Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam: quia lex tua meditatio mea est.* Naturæ corporalis infirmitas eget miserationibus Dei. Neque enim beatæ illius vitæ æternitatem consequi merito suo poterit, nisi miserationibus ejus, qui pater miserationum est, provehatur. Scit Propheta nondum se eâ vivere vitâ quæ vita sit: nemo enim nostrûm hoc quod nunc vivit, vitam audebit existimare. Nunc enim in corpore mortis sumus, Paulo dicente, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? & hoc ipsum eodem hoc propheta testante ita: Et in pulverem mortis deduxisti me. Vera enim vita nostra cum Christo absconsa est in Deo. Sed neque hæc, in qua nunc agimus, regio viventium est: ea autem est de qua hic idem propheta ait, Et complacebo Deo in regione vivorum. Atque ideo *vivam* dixit: quia non usu vitæ istius vivit, sed in Dei sit miseratione victurus. Sed sperat istud, quia lex Dei meditatio ejus est. Vacemus igitur divinæ lectioni, vacemus præceptis Dei, & opera legis, vitæ nostræ officiis exsequamur: quia propter meditationem legis veniente in se Domini miseratione, sperat se Prophetа victurum.

Jam non verè vivimus.
Rom. 7. 24.
Psal. 21. 16.
Coloss. 3. 3.
Psal. 114. 9.
Vitæ veræ spes quibus foveatur.

Inimicorum non rogat David ultionem, sed conversionem.

16. Non est verò sufficiens huic prophetæ, ut sibi tantùm sollicitus sit, ac solùm sui memor sit. Oportet eum curam humani generis sumere, & publicæ sollicitudinis affectum subire, & orare pro his qui in peccatis & irreligiositate versantur. Hujus itaque affectus sui sollicitudinem consequenti versu docet, dicens, *Confundantur superbi, quia injustè iniquitatem fecerunt super me.* Non est hîc maledicti oratio, neque retributionem injuriæ sibi illatæ precatur. Et absit ut Propheta Evangelii prædicator rationem evangelicæ caritatis excesserit. Domino enim dicente, Diligite inimicos vestros, & orate pro calumniantibus [a] vos ac persequentibus vos: ratio non patitur, ut nunc vindictam in superbos atque injuriosos precetur. Sed quia à peccatis qui desinit, in his erubescit; & qui vitia derelinquit, necesse est ea idcirco quia oderit derelinquat: orat Propheta, ut qui in se superbi injustè fuerint, hi per cognitionem vitiorum suorum in his quæ gesserint erubescant. Quamdiu enim quis peccat, in his quæ peccat non confunditur, consuetudine & voluntate peccandi. Ubi verò peccare destiterit, finem peccandi habet ex pudore peccati. Ipse autem exercetur in mandatis Dei, vivendo justè, religiosè prædicando, injurias non retribuendo, & tolerando patienter. Ob id enim multorum in se superborum contradictiones iniquitatesque sustinuit.

ℽ. 78.
Matth. 5. 44.

17. Absolutè autem consequenti versu id, quod de confusione superborum tractamus, A significasse intelligitur. Sequitur enim: *Convertantur mihi qui timent te, & qui noverant testimonia tua.* Vult ergo eos, qui Deum timere cœperunt, ad se Propheta converti, ut per doctrinam suam in vitiis suis & criminibus erubescant: cognitis scilicet testimoniis Dei, de quibus multa jam diximus, & confusi de veteribus delictis ad institutionem Prophetæ doctrinamque se referant; quorum ex superbia atque peccatis ad pietatem modestiamque conversio est.

ℽ. 79.

ℽ. 80.
Modestia David nostram arguit superbiam.

B 18. Conclusit autem verecundiæ suæ more dicens, *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.* Exercetur in mandatis, meditatur in lege, justitiam judiciorum Dei cognovit, timentes Dominum conspectu ejus lætantur, manibus Dei factus atque formatus est; & non audet dicere immaculatum cor sibi esse: & audemus interdum præferre innocentiam nostram, jactare vitio- C rum abstinentiam, & puros nos à peccatis atque iniquitatibus gloriari? Sed ut fidem, ita & humilitatem ac modestiam discere à Prophеta nos convenit, orante ut sibi immaculatum cor fiat. Scit enim ex eo progredi, secundùm id quod dictum est, De corde enim exeunt " cogitationes malæ, cædes, lasciviæ, fornicationes, furta, falsitates, blasphemiæ, & horum " similia. Hoc igitur immaculatum fieri deprecatur, unde tot tantorumque vitiorum, quasi D ex quodam fomite, initia suggeruntur. Immaculatum autem hoc modo sciens fieri, si in justificationibus Dei maneat: justificationum autem hunc fructum esse intelligit, ne in his manens confundatur. Confusio enim ex peccatorum conscientia est, & ex opprobrio delictorum. Ubi ergo confusio non erit, nec peccatum erit. Peccatum verò ubi non erit, in justificationibus Dei manebitur. Justificationes autem Dei, immaculatum cor esse præ- E stabunt.

Matth. 15. 19.
Immaculatum cor unde fiat.

LITTERA XI.

כ Caph.

DEFECIT in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum spero. De- F *fecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, Quando * consolaberis me? Quia factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus. Quot sunt dies servi tui? quando facies de persequentibus me judicium? Narraverunt mihi iniqui exercitationes; sed non ut lex tua. Omnia mandata tua veritas: * iniqui per-* G *secuti sunt me, adjuva me. Paulò minùs consummaverunt me in terra: ego verò*

* Hil. exhortaberis.
* Hilarius, iniquè.

non

[a] In ms. Mic. *vobis.* quomodo & in Albin. & Reg. legebatur suprà litt. 9. n. 9.

non dereliqui mandata tua. Secundùm misericordiam tuam vivifica me, & custodiam testimonia oris tui.

Defectionem animi parit ingens desiderium.

1. NATURÆ humanæ est, ut cùm id quod desiderat non potest obtinere, per desiderii jugem cupiditatem animi defectione teneatur. Et hoc nosse ex ipsis affectionis nostræ motibus promtum est, in quantam animi defectionem, eorum quos desideramus exspectatione, redigamur. Propheta itaque, cui exspectatio omnis ad Deum est, cui omne in mandatis ejus desiderium est, loquitur & dicit, *Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum spero.* Non habet alia, quæ desiderium suum occupent: & sancti cupiditas non vacat sæculi rebus. Deficit igitur in desiderio salutaris: & deficit ob id, quia [a] in verbum Dei speret; finis enim legis Christus Jesus est, & hic est de quo scripserunt Moyses & prophetæ. Est autem salutaris ipso illo nomine quod Jesus nuncupatur. Jesus enim secundùm hebraicam linguam salutaris est: & idipsum Angelus ad Joseph loquens docet, cùm dicit, Et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis [b]. Causa itaque defectionis est desiderium salutaris. Desiderii autem hinc origo est, quòd in verbum Dei sperat. Salutaris enim noster Jesus est, qui & desideratus & natus est. Sed defectionem animæ desiderantis intelligendum est quid sequatur.

℣. 81. Salutaris Jesus.

Matth. 1. 21.

℣. 82. Defectio oculorum.

2. Ait, *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, Quando exhortaberis me?* Sequitur ergo defectionem animæ defectio oculorum. Sed ut de natura defectionis animæ tractavimus, videamus qualis oculorum soleat esse defectio. Pone igitur in exspectatione aut peregrinantis viri conjugem, aut jam diu absentis filii patrem, quem in omni tempore existimet reversurum: nonne [c] ei itineri, quo venturum opinabitur, semper intendet? nonne intentio ac visus oculorum, contuitionis ipsius exspectatione deficiet? Desideria hæc in se prophetarum Dominus testatur, cùm dicit, Amen » dico vobis, multi prophetæ & justi quæsierunt » videre quæ vos videtis, & audire quæ auditis. Propheta itaque & animo & oculis deficit.

Matth. 13. 17.

Oculi mentis hìc designantur.

3. Sed hi nunc oculi Prophetæ, licèt Dominum videre desideraverint, non sunt tamen corporis oculi; loquuntur enim & exspectant: & mentis potiùs est contuitio ista & loquela, non corporis. Dicunt enim, *Quando exhortaberis me?* Scit exhortationem hanc [d] sanctos quiescentes in inferno desiderare. Scit testante apostolo Petro, descendente in inferna Domino, etiam his qui in carcere erant, & increduli quondam fuerunt in diebus Noe, exhortationem prædicatam fuisse. In hæc igitur Dei eloquia oculis loquentibus deficit: non tam visu corporeo Dominum ex eloquiis Dei nuntiatum, quàm contemplatione animæ & mentis exspectans.

Exhortatio ad sanctos in inferno quiescentes. 1. Pet. 3. 19. & 20.

4. Dehinc sequitur: *Quia factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus.* Novi generis hæc causa est, ut ideo justificationes Dei non oblitus sit, quia factus sit sicut uter in pruina. Et si rem solis auribus metiamur, inanis & ridiculus Prophetæ sermo existimabitur. Sed meminit utrem pro humanis corporibus nuncupari, Domino in Evangeliis dicente: Nemo, inquit, mittit vinum novum in utres veteres. Et non ambigitur, eum [e] in utribus corpora, in peccatis suis vetera memorasse. Per continentiæ autem studium frigent fidelium corpora: & calore naturæ interioris exstincto, utres erunt frigidi: quæ cùm intrinsecùs per naturam vitiorum effervescentium incalescant, extrinsecùs tamen continentiæ patientiâ tamquam pruinæ frigore obrigescant. Ergo in hoc corporum frigore justificationum Dei immemores esse non possumus. Quisquis autem per vitiorum ardorem utre pleno caluerit, neque per metum Dei religionemque frigescat, necesse est justificationum Dei obliviscatur. Quæ oblivisci sanctus non poterit, cùm utris in pruina modo [f] obrigescens extrinsecùs, internarum cupiditatum omnium instigatione sit frigidus.

℣. 83. Uter in pruina, corpus continentiâ castigatum.

Marc. 2. 22.

Cupiditas ardens justificationum Dei non meminit.

5. Dehinc sequitur: *Quot sunt dies servi tui? quando facies de persequentibus me judicium?* Judicium post consummationem sæculi Propheta esse non ignorat, cùm ait, Propterea non resurgunt impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum: quod ergo nunc orat de persequentibus se fieri judicium? Non illud utique quod in resurrectionis sæculo meminit futurum, cùm se paucorum nunc dierum secundùm corporalem vitam sciat esse. Ita enim ait: *Quot sunt dies servi tui?* Cùm dicit *quot*, scit esse non plures. Et superiùs dixerat, esse se tamquam utrem in pruina. Ergo quia se paucorum dierum scit, fieri judicium ab his qui se persequuntur desiderat, à diabolo scilicet, ministrisque ejus. Sunt enim spiritales

℣. 84. Judicium non hìc poscitur extremum.

Psal. 1. 5.

[a] Apud Par. *in verbis Dei sperat.* In mss. Mic. & uno Vatic. *in verbis Dei credat.*

[b] Editi etiam hìc subjiciunt *eorum*: quod à mss. abest, ut suprà in Psal. 51. n. 24. & in Psal. 66. n. 4.

[c] Duo mss. *eo itinere.*

[d] Hæc Hilarii licèt suppresso nomine verba haud dubiè notat Beda in 1. Pet. 3. ubi ait: *Quidam hunc locum ita interpretatus est, quòd consolationem illam, de qua dicit Apostolis Dominus, Multi prophetæ, &c. de qua & Psalmista, Defecerunt oculi mei, &c. sancti quiescentes in inferno desideraverint: quòd hac descendente Domino in inferna, etiam his qui in carcere erant, & increduli quondam fuerunt in diebus Noe, consolatio vel exhortatio prædicata fuerit.* Quam interpretationem rejiciens subjicit, *Et hæc ille dixerit: sed catholica fides habet, quia descendens ad inferna Dominus non incredulos inde, sed fideles solummodo suos educens ad cælestia secum regna perduxerit.* An Beda Hilarii interpretationem catholicæ fidei minùs consentaneam existimarit, non expendimus: at hoc certè constat, nihil eum contra fidem dixisse, qui sola Petri verba memorasse satis habens, nihil ampliùs affirmarit, quàm quod iis contineretur. Neque enim incredulos ex inferis eductos asseruit: quod magis sensisse videtur Augustinus lib. 12. de Gen. ad lit. c. 33. n. 63. De hac prædicatione in inferis facta videsis eumdem Augustinum epist. 164. & Cotelerium notis in lib. 3. Pastoris.

[e] Unus codex Vaticanus, *In utribus veteribus, corpora in peccatis suis*; tum excusi, *veterna*, non *vetera*.

[f] Apud Par. *obrigescentis.* Rectiùs hoc verbum in aliis libris refertur ad sanctum. Deinde unus è mss. Vat. *internarum cupiditatum omnium castigatione.* Magis placeret *instigationi.* Internæ enim cupiditates non perimuntur, sed per continentiam earum instigationi non ceditur, ex proximè dictis.

V

Sed virtus qua diabolus cum ministris conteratur.

nequitiæ in cælestibus. Sed scit & diabolum A in resurrectionis sæculo judicandum. Paucorum itaque dierum ipse cùm sit, fieri hoc judicium desiderat: scilicet ut consummatè sanctus & perfectè Deo placens conterat intra se diabolum, conterat adversantes sibi inimicasque virtutes, & fidei suæ animæ subdat nequitias spiritales. Nondum igitur de naturæ suæ firmitate confidit, licèt jam ut uter frigeat: sed ut per misericordiam Dei judicium in inimicos suos sit, deprecatur. Hanc pote- B statem judicii Dominus Apostolis suis dedit,

Luc. 10. 19. dicens, Ecce dedi vobis potestatem calcare
» super serpentes & scorpiones, & super omnem
» virtutem inimici. Vocem hanc quidem nondum Propheta Domini in corpore manentis audivit: sed dari sibi id potestatis orat, ut constituatur sibi in persequentes se tale judicium. Tentatur enim undique, cùm ei per naturam corporis vitiorum inest [a] connata materies: eamque diabolus conatur ardore ge- C minæ cupiditatis accendere, cùm impiis irreligiosorum vocibus læditur, cùm profanas gentium contra Deum disputationes & eloquia vesana perpetitur.

℣. 85. Iniqui doctrinæ veritatem mentiuntur, non habent.

6. Ideo in consequenti ait, *Narraverunt mihi iniqui exercitationes; sed non ita ut lex tua.* Quanti enim sunt, qui quædam humanæ vitæ instituta docere se asserant, cùm ad virtutes sæculi [b] studiis animam nostram Deo rectiùs servientem accendunt? Quanti etiam sunt, D qui cognitionem se habere divinarum Scripturarum mentientes, hæretica & perversa dogmata prædicant? Sed sciens Propheta perfectam humanæ doctrinæ eruditionem in Dei lege esse, ait, *Narraverunt mihi iniqui exercitationes; sed non ita ut lex tua.* Iniqui enim sunt hæc prædicantes. Et ideo vox Dei vetuit peccatorem eloquia sancta narrare; quia iniquitas,

Ps. 49. 17. doctrinæ cælestis non recipit veritatem. Pec-
» catori enim dixit Deus, Quare tu enarras ju- E
» stitias meas, & assumis testamentum meum
» per os tuum? Tu autem rejecisti sermones meos retrò. Et has igitur exercitationes Propheta non fert, sciens nihil narrationi legis æquandum.

℣. 86. Justi iniqua est persecutio.

7. Denique adjecit, *Omnia mandata tua veritas: iniquè persecuti sunt me, adjuva me.* Justum qui persequitur, necesse est ut iniquè persequatur: quia iniquitas injustæ operationis effectus est. Scit & hanc Apostolus per- F

2. Tim. 3. 12. secutionum iniquitatem, cùm dicit, Omnes volentes religiosè vivere in Christo, persecu-

Ps. 33. 20. tionem patientur. Multæ enim tribulationes justorum sunt. Nunc satanas insectatur, nunc ministeria ejus impugnant, nunc falsorum fratrum simulatio ad nocendum arte fraudulen-

Utilis est. tæ insectationis irrepit. Sed Propheta, qui veritatem esse mandata Dei meminerit, injustæ iniquitatis persecutionem fideli animo sustinet. Et quia persecutionem sciat fidei esse documentum, non orat eam à se removeri: sed adjuvari se in ea postulat, & opem atque auxilium misericordiæ Dei precatur, evangelici hujus præcepti non ignarus, Qui non ac- Matth. 10. 38.
cipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.

Veritas.

8. Veritas ergo est in præceptis Dei. Veritas nihil falsum, nihil incertum, nihil imperfectum habet. Persecutio autem justo intentata, [c] iniqua est. INIQUITAS enim prædicatorem necesse est oderit veritatis: sed AUXILIUM à Deo est veritatis prædicatori. Graves enim meminit has esse persecutorum molestias: & quia justo utiles sint, non putat amovendas. PERICULOSA namque otiosæ fidei pax est, & faciles securis excubiis insidiæ sunt. Bellis autem exercitatum virum non citò doli capient: & glorioso certamine opus est, ut corona victoriæ deferatur. Ob quod non orat sibi adimi causam certandi, sed tribui auxilium vincendi.

Persecutionis necessitas & utilitas.

9. Meminit autem non in levi se tentationum esse pugna. Sequitur enim: *Paulò minùs consummaverunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.* Propè usque [d] ad finem fidei, injustæ persecutiones Prophetam rede- ℣. 87.
gerunt, illæ scilicet, de quibus superiùs diximus, spiritales nequitiæ in cælestibus, quæ nos ad corporalia vitia ingestis cupiditatum illecebris instigant. Pæne igitur est Propheta consummatus in terra, id est, in corporum vitia & peccata dejectus. Ut enim consummatio bonorum, ita & malorum est. Sed ingruentibus licèt his perniciosissimis inimicis ac persequentibus se, mandata Dei non derelinquit: & infirmatâ licèt naturæ suæ imbecillitate, in præceptis Dei permanet; HOC GLORIOSIÙS in mandatis Dei permanens, quòd pæne naturæ suæ infirmitas sit subacta.

[d] Tentationibus pene cessit David.

10. Concludit deinde modestiæ & spei suæ more, dicens, *Secundùm misericordiam tuam vivifica me, & custodiam testimonia oris tui.* Vivificari se tamquam nondum vivens precatur: ℣. 88.
& custoditurum se testimonia oris Dei, tamquam nunc non custodiat, pollicetur. Sed cùm vivat in corpore, vitam ille non hujus sæculi concupiscit: & cùm testimonia Dei in lege custodiat, tamen testimonia oris Dei custoditurum se pollicetur: quæ evangelicis innovata præceptis, non adulterio tantùm, sed etiam desiderio adulterii [e] abstinentes, sola fidei sanctificatione consummant: per Dominum nostrum Jesum Christum, qui & os & dextera & virtus & sapientia Dei est, benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Vitam futuram optat.

Evangelium iterum futurus. Matth. 5. 28.



[a] Editi, *cognata materies*, reluctantibus mss. Hîc non obscurè docetur nobiscum nasci concupiscentiam, sicut num. superiori docetur in sanctis & perfectis (sanè ad agonem) eamdem superesse.

[b] Excusi, *studia animæ nostræ Deo rectiùs servientia accendunt.* Concinnior visa est lectio mss. Reg. & Albin. ita ut vox *sæculi* & ad *virtutes* & ad *studiis* more Hilarii referatur. Hîc porro docet animam soli Deo sua studia, suum debere famulatum.

[c] Ita mss. Editi verò, *iniquitas est.*

[d] Editi, *usque ad finem vitæ*: reluctantibus mss. Hîc finis fidei id est excidium fidei.

[e] Apud Par. *abstinentis*: Rectiùs in aliis libris *abstinentes* in quarto casu.

LITTERA XII.

ל Lamed.

ſeculum. *Hil. generatione.* *Hil. permanebit.* *Hil. mea eſt, tunc forſitan periiſſem in humiliatione.* *Abeſt infrà Domine.* *Hilarius, Domine.* *vehementer.*

*IN * æternum, Domine, permanet verbum tuum in cælo. In generatione & * generationem veritas tua: fundaſti terram, & * permanet. Ordinatione tua perſeverat dies: quoniam omnia ſerviunt tibi. Niſi quòd lex tua meditatio * mihi eſt, tunc periiſſem in exprobratione mea. In æternum non obliviſcar juſtificationes tuas; quia in ipſis vivificaſti me * Domine. Tuus ſum ego, ſalva me: quoniam juſtificationes tuas exquiſivi. Me exſpectaverunt peccatores ut perderent me: teſtimonia tua * intellexi. Omni conſummationi vidi finem: latum mandatum tuum * nimis.*

1. SERMONEM Prophetæ non in humilibus aut pervulgatis demorari decet, ſed ſemper excelſa & Deo digna tractare: atque ita, ut dum nos ad innocentis vitæ obſervantiam imbuit, ingenii quoque noſtri humilitatem ad intelligentiam divinorum & inviſibilium ſacramentorum extollat. Nec ſanè humana infirmitas in cæleſtem ſcientiam ſe ipſa proveheret, niſi Deo donum ſcientiæ per doctrinam Spiritûs largiente ad cognitionem divinæ & imperſpicabilis naturæ erudiretur. Volens igitur Propheta præſtare nos ac perficere Deo dignos, & ſciens repoſitum humanæ ſpei eſſe, ut [a] in cæleſtem gloriam, ſi diſciplinam cæleſtis obedientiæ conſectaretur, adſcenderet, ita cœpit: *In ſæculum, Domine, permanet verbum tuum in cælo.* (Scientia cæleſtis, Dei donum. ψ. 89.)

2. *In cælo* ait: quia ſcit in terris propter falſitatem hominum non manere. Et quomodo in cælo maneat, ipſa veluti corporalis contemplationis fide cernitur. Non eſt illic tranſgreſſio, non demutatio, non infirmitas, non otium. Contueamur ſolis annuum curſum, & menſtruum lunæ recurſum, aſtrorum quoque aut ſtationes aut converſiones aut demutationes: numquid non finibus ſuis & conſtitutis terminis ac decretis viciſſitudinibus continentur? Nihil illic demutatur, [b] nihil differtur, (Cæli obſequium Dei verbo.)

A nihil negligitur: ſed * in conſtitutionis ſuæ manet lege, & in indefeſſis obedientiæ miniſteriis perſeverat. (* ſubaud. unumquodque.)

3. Sed ſervavit hanc definendorum [c] & prætériturorum officiorum Propheta rationem, dicens, *In ſæculum, Domine, permanet verbum tuum in cælo.* Latini quidem interpretes ambigua id ſignificatione & minùs propria tranſtulerunt. Nam [d] quod græcitas habet, εἰς τὸν αἰῶνα κύριε, id nobiſcum eſt *in æternum Domine* tranſlatum. Accipi autem *æternum* ita poteſt, ut intelligatur nullo id quod æternum eſt fine deſinere. [e] Sæculum verò, quod αἰών græcè eſt, intra ſpatium definiti temporis continetur. Non enim ait, in ſæculum ſæculi; neque, in ſæcula ſæculorum: ſed, *in ſæculum verbum tuum permanet.* Scit poſt hoc ſæculum cælum & terram præterire, Domino dicente, Amen dico vobis, cælum & terra [f] præterient, verba autem mea non tranſient. Meminit etiam hoc ſæculum præteriturum eſſe, ut ſit cælum novum, & terra nova. Idcirco ait, *In ſæculum, Domine, permanet verbum tuum in cælo:* quia poſt [g] hoc ſæculum tranſeunte cælo, verbum hoc obedientiæ conſtitutæ in creaturis, quæ revelationem filiorum Dei exſpectant, neceſſe ſit permanere. (Verbum Dei poſt ſæculum hoc in aliis etiam manebit creaturis. Matth. 24. 35. Eſai 65. 17.)

4. Sed non idcirco non & in terris aliquando Dei verbum eſt, licèt id tantùm in cælo Propheta prædicet manere. Nemo enim noſtrûm eſt, qui non interdum donum ſpiritalis gratiæ ſentiat, qui non aliquando in ſe habeat Dei verbum, cùm ſobrius, cùm tranquillus eſt, cùm continens eſt, cùm * benevolus eſt, cùm miſericors eſt, (in his enim cùm ſumus, manet in nobis Dei verbum,) cùm præceptis ejus bonarum rerum obeditione famulamur. Sed ſubrepentibus turbidarum affectionum motibus, cùm ſubit pecuniæ cura, cùm æſtus turpis ac laſcivæ cupiditatis accenditur, cùm [h] iræ impetus commovetur, cùm ebrietas deſideratur; jam non eſt in nobis manens Dei verbum. Eſt autem in his, qui ſecundùm Apoſtolum exuti veterem hominem cum peccatis ſuis, novum induerunt; qui commortui Chriſto & conſepulti, jam in novitatem vitæ reſurrexerunt, & collocati ſunt in cæleſtibus: qui terreſtrîs imagine derelicta, cæleſtîs imaginem portant. In his enim tamquam in cælo verbum Dei permanet, in quibus hoc verbum non offenditur irâ, ebrietate, odio, infidelitate, laſciviâ. Nam etſi aliquando manet in nobis: [i] tamen has habitationis ſuæ contumelias non fert, ut ſemper ineſſe permaneat. Si verò hæc commemorata vitia ſemper (Quos jam habitet, quos deſerat, quos fugiat. * Mſſ. benevolens. Coloſſ. 3. 9. Rom. 6. 4. 1. Cor. 15. 49.)

[a] Abeſt *in* à mſſ. Reg. & Albin. cum quibus mox magis placuit *adſcenderet*, quàm cum vulgatis *accederet*.
[b] In duobus mſſ. *nihil deſeritur*: quod ita poteſt intelligi, ut nihil ibi deſerat fines ſibi conſtitutos.
[c] Editi, *& præteritorum officiorum*: emendantur ex mſſ. Reg. & Albin.
[d] Sic mſſ. At vulgati, *quod apud illos eſt*.
[e] In duobus mſſ. *ſecundùm verò*: non probatur. Ut Hilarius, ita & Ambroſius alios codices *in æternum*, alios *in ſæculum* hîc præferre teſtatur.
[f] Regius codex & Albin. *præteriet, verba autem mea non præteribunt. Meminit autem.*

[g] Editi, *poſtquam hoc ſæculum tranſierit, in cælo verbum hoc.* Veriùs mſſ. ut in textu, quo oſtenditur creaturas, poſt quàm inſtituta fuerint cælum novum & terra nova, verbo Dei conſtanter eſſe parituras. Hinc illud *in creaturis*, & ad *conſtitutæ* refertur, & ad *permanere*.
[h] In vulgatis, *irâ pectus commovetur*: dicendi ratio poëtam nimiùm ſapiens. Tum in mſſ. Reg. & Albin. deeſt, *cùm ebrietas deſideratur.*
[i] In duobus mſſ. *non manet tamen ex quo habitationis &c.* In aliis quos ſequimur, *tamen has habitationis*. Apud Hincmarum de præd. c. 25. *tamen has cohabitationis*: ex cujuſmodi lectione corruptè in editis confectum erat, *tamen à ſancto habitationis.*

in nobis erunt, ne introire quidem polluta A corporum domicilia dignabitur.

Verbum Dei præstò est cuique. a Apoc. 3. 20.

5. Adest autem unicuique [a] proximum, ut dictum est: stat enim ad ostium verbum Dei, & pulsat ostium animæ nostræ, & dicit, Ecce stans ante ostium pulso; si quis aperiet mihi ostium, ingrediar ad eum. Vult ergo semper introire: sed à nobis ne introeat excluditur. Claudimus enim per hæc corporis vitia animæ nostræ aditum. [b] Quæ si cœperit emundatis omnibus patêre, illico introibit, modo solis, B qui clausis fenestræ valvis introire prohibetur, patentibus verò totus immittitur. [c] Ipse quidem semper ut illuminet promtus est; sed lumen sibi domus ipsa obseratis aditibus excludit. Est enim verbum Dei sol justitiæ, adsistens unicuique ut introeat: nec moratur lucem suam [d] repertis aditibus infundere. Manet igitur hoc verbum Dei in cælis per indefessam [e] cælestium obedientiam: quo exemplo in sanctis quoque, qui cælestes secundùm C cælestis imaginem sunt, Dei verbum manere credendum est.

Solis instar patenti se immittit, negat clauso.

1. Cor. 15. 49.

℣. 90.

f Ut in cælo, ita in sanctis manet.

6. Sequitur dehinc: *In generatione* [f] *& generatione veritas tua.* Duplicem hanc sensus nostri intelligentiam, qua verbum Dei manere ut in cælo ita & in sanctis hominibus existimamus, versus hic qui consequitur confirmat. Non enim ait, [g] in generatione generationis, aut generationibus generationum: sed *in generatione & generatione veritas tua.* Utram- D que generationem simplici significatione commemorat. Duas igitur generationes in duobus populis cognovimus: quorum unus est Legis & Prophetarum, alius est Evangeliorum & Apostolorum. Veritas ergo Dei in solis his duabus generationibus manet. Sed cùm prior generatio veritatem Dei intra se haberet, nulla alia tum habuit. Erant enim plures generationes gentium atque populorum. Et nunc cùm hæc eadem generatio indigna exstitit, in E qua veritas Dei esset; hanc eamdem Dei veritatem, præter eam quæ Evangeliis credidit, non habet alia ulla generatio.

Generationes duæ, in quibus solis veritas Dei.

Terra fundata & mansura,

7. Sequitur verò: *Fundasti terram, & permanebit.* Convenerat ordini, ut post cælum dehinc terra nuncuparetur: sed hoc quod medium est, id est, *in generatione & generatione veritas tua*, ob eam causam intervenisse existimo, ut duplex illa de cælo, in quo verbum Dei manet, intelligentia confirmaretur. F

A Nunc ergo tamquam integer ordo servatus est: cùm post cælum, in quo permanet Dei verbum, fundata terra mansura est. Et quidem hoc etiam de hac terra fortè dictum intelligetur, quæ fundata permanet, quam secundùm Salomonem Deus per sapientiam fundavit: quæ cùm fluidæ sit aquarum naturæ superjecta, & inconstanti innatet substrata elemento, ita tamen sapientiâ & virtute & spiritu Dei fundata fuerit, ut permaneat. Sed mi- B hi propheticus sermo etiam de terra humani corporis videtur locutus: quæ ita fundata sit, ut in ea tamquam in cælo verbum Dei maneat. Cælum enim & terra præteribit: & quomodo hæc terra fundata mansura est? nisi fortè fundata in hoc sæculo tantùm mansura sit, id est, secundùm sæculi hujus constitutionem & ipsa mansura. Sed si permansura est, ([h] quo verbo significatur in perpetuum mansura) earum necesse est [i] generationum terra C fundata & mansura esse credenda est, quibus ob veritatem in his Dei manentem, cælestis horum, nunc terrenorum, corporum gloria præparatur. Et absolutiùs id ita consequenti versu poterit intelligi.

moles terrena, Prov. 3. 19. rectiùs corpus humanum. Matth. 24. 35.

8. Ait enim, *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.* Dies iste qui nunc est, non perseverat, interventu noctis [k] exemtus. Aut si de hujus diei temporibus locutus esset, mentionem etiam noctis fieri convenerat, quæ D pari, ut dies, Dei ordinatione persistit. Sed quia dies lux est, & sanctus quisque mundi istius lumen est; hujus ergo luminis dies non ambiguè ordinatione Dei perseverare creditur: & perseveraturus, quia omnia Deo serviant. Nunc enim non omnia Deo serviunt. Numquid & peccatores Deo serviunt? Numquid & hi serviunt, qui adhuc scabello Domini pedum subdendi sunt? Dixit autem David, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris E meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et secundùm Apostolum, Oportet eum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis. Ergo tunc dies, id est, sanctorum lumen permanebit, cùm Deo cœperint universa servire.

℣. 91. Dies, sanctorum lumen. Nunc non omnia Deo serviunt. Ps. 109. 1. 1. Cor. 15. 25.

9. Et hæc quidem à nobis secundùm propheticam atque apostolicam doctrinam commemorata sunt: ut quamquam in præsentibus dictis futurorum bonorum significari tempus F intelligatur, in quo & cælum novum, & terra

[a] Apud Par. *proximo.* Mox apud Hincmar. *ante ostium*, pro *ad ostium.*

[b] Editi, *qui.* At Hincmarus ac nostri mss. *qua*, scil. anima. Paulò antè in mss. *cludimus*, non *claudimus.*

[c] Ita cum Hincmaro nostri mss. Editi verò, *ipsi quidem* ...... *promptum est.*

[d] Excusi, *apertis:* Hincmaro ac mss. dissidentibus.

[e] Regius codex cum Albin. *per indefessam ministeriorum obedientiam. In his quoque qui cælestes* &c. Aliorum lectio videtur integrior. Porro *cælestia* vocat Hilarius *solis annuum cursum, menstruum lunæ recursum*, & alia num. 2. declarata. Tum hac litteræ intelligentiâ præstitâ, aliam subjicit spiritalem: cui consentiens Augustinus Enar. 2. in Ps. 18. n. 3. *Cæli*, inquit, *sunt sancti, à terra suspensi, Deum portantes, præceptis tonantes, sapientiâ coruscantes.* Et Ambros. Ser. 21. in Psal. 118. n. 12. *Cælum mihi thronus ego magis justi affectum quàm elementum intelligo.*

[f] Par. hîc & infrà, *in generatione & generationem.* Aliæ autem editiones, *in generationem & generationem.* His favet græcum. At in mss. exstat constanter, *in generatione & generatione*, post quod Hilarius, ut ex subnexis liquet, subintelligit verbum *manet. Veritas ergo Dei*, inquit, *in solis his duabus generationibus manet.*

[g] Editi, *in generationem generationis, aut à generationibus:* renitentibus mss. Ante *generationibus*, subauditur *in.*

[h] In duobus mss. *quo modo.* Retinendum omnino *quo verbo*, ut in prius vulgatis.

[i] Lips. & Par. *generatio non terra*, perperam & contra fidem mss. Proximum autem verbum *necesse est*, sic sumendum quasi adverbium *necessariò*, seu *de necessitate:* qua loquendi ratione habemus in Psal. 68. n. 16. *à malis quis eripi se ob id necesse est, ne malis afficiatur, optabit.* & in Psal. 121. n. 1. *proclamabit necesse est exemplo Propheta.* Hîc *generationum terra* nuncupantur corpora hominum justorum, quibus resurrectio gloriosa præparatur.

[k] Duo mss. *exeptus.* pro quo *exceptus* legendum primùm opinati sumus. At probè *exemtus*, quasi, ablatus, ferri posse deinde judicavimus.

nova, & felix demutandorum corporum gloria, & æterna, [a] abolitis terrenorum vitiorum noctibus, nostri luminis dies spei & exspectationi nostræ præparatur: tamen & magnificentiam Dei omnes hujus quoque mundi creationes indemutabili officiorum suorum constitutione testentur, cùm ita firmata, [b] fundata, statutaque omnia sint, ut perpetuis quibus manebunt constitutorum ab exordio temporum cursibus perseverent.

℣. 92. 10. Sed Propheta perseverare se ut diem B postulat, seque jam servum esse Domini sui meminit, dicens, *Nisi quòd lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem* [c] *in humiliatione mea.*

Legis meditatio in tentationibus & ærumnis non deserenda.

Frequenter admonuimus humiliationem id significare, cùm tentationibus anima subjecta est, & infirmitati suæ derelicta humilis efficitur. Lex ergo ei meditatio est: & nisi meditatio ei fuisset, forsitan in humiliatione periisset. Non est ergo meditatio legis Dei, cùm tribulamur & angustiamur, relinquenda: sed C cùm variis corporum infirmitatibus affligimur, cùm inter persecutionum bella vexamur, constans in nobis debet legis esse meditatio. Urant enim licèt in excidium fidei ignes, lacerent quoque ad periculum salutis nostræ flagella, fodiant etiam ad eliciendam impietatis confessionem redemta à Deo corpora ungulæ: dicti tamen prophetici meminisse debemus, ut consortes ipsius simus. Dicamus & nos patientes atque vincentes, *Nisi quòd lex tua medita-* D *tio mea est, tunc forsitan periissem in humilitate mea.* Et beatitudinem meditationis hujus in exordio psalmorum Propheta meminit, dicens, Psal. 1. 1. & 2.

» Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum,
» & in via peccatorum non stetit, & in cathe-
» dra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domi-
» ni fuit voluntas ejus, & in lege ejus medita-
» bitur die ac nocte. Et verè beatus erit, quis-

quis in lege Dei meditabitur: * quia meditatione in ipsa quoque tribulationum humilia- E tione servabitur.

* Aliàs, qua.

℣. 93. 11. Dehinc sequitur: *In sæculum non obliviscar justificationum tuarum; quia in ipsis vivificasti me.* Scit Propheta, secundùm Apostolum, finem legis esse Christum, [d] in qua justificationum observatio constituta est, scit & in Evangelia credituris legem esse pædagogam, scit & justum ex fide vivere, scit & legem spiritalem esse, scit quòd qui ea quæ in lege sunt fecerit, vivet: & idcirco ait, *In sæculum non obliviscar* F *justificationum tuarum; quia in ipsis vivificasti me:* ut quamquam fides evangelica finitis legis sit operibus prædicanda, justificationum legis tamen, quæ sibi vitæ initium sit, immemor non sit; quia legis justificatio evangelicæ justificationis fideique pædagoga [e] sit.

Rom. 10. 4. Gal. 3. 24. & 11. Rom. 7. 14. Rom. 10. 5.

Lex vitæ initium.

℣. 94. 12. Constanter verò, cùm sibi nulla justificationum Dei subrepere possit oblivio, id quod consequitur est professus, dicens, *Tuus sum* A *ego, salva me: quia justificationes tuas exquisivi.* Non omnibus vox professionis istius competit: & rarus quisque est, qui se Dei audeat dicere. Audebit sanè ille qui dixit, Mihi vivere Christus est, & mori lucrum; &, Vivo jam non ego, vivit autem in me Christus. Et qui hujus fidei erunt similes, non impudenter quòd Dei sint confitebuntur. Vox ista est animæ Deo semper intentæ: opus istud est misericordiæ indefessæ, continentiæ immobilis, jejunii usitati, largitionis impænitentis. Quomodo enim se Dei esse profitebitur in libidinem calens, in iram mobilis, in avaritiam sollicitus, in ebrietatem sitiens, in gloriam sæculi inanis? Horum potiùs erit iste, non Dei. In quo enim hæc passionum vitia abundabunt, quomodo non eorum erit, quibus serviet? Plures gentium dii: sed unus Paulo Deus ex quo omnia, & unus Dominus noster Jesus per quem omnia. Constanter ergo Propheta, cui soli servit, quòd suus sit confitetur: & quia suus sit, ut salvetur orat. Suus autem per id est, quia justificationes ejus exquirat. Aliis quærentibus gloriam mundi, aliis quærentibus agros, domos, pecuniam, ille justitias Dei exquirit, & quòd Dei sit gloriatur.

Dei est, qui ei soli servit. Phil. 1. 21. Gal. 2. 20. Vitiorum est, qui eis obsequitur. 1. Cor. 8. 6.

13. Est autem in istiusmodi pios ac religiosos viros ingens odium irreligiosorum. Et scit Propheta, vel sæculi hominibus, vel diabolo & ministris ejus eum, qui se Dei profitetur, esse [f] perosum. Hoc etiam consequenti versu docet, quo ait, *Me exspectaverunt peccatores ut perderent me: testimonia tua, Domine, intellexi.* Diabolo vel ministris ejus [g] pugna est, omnem gloriam viri fidelis auferre: & eum non ex portione Dei sinere esse, sed in damnationis suæ consortium assumere. Longo itaque ac diutino prœlio contra fidem Prophetæ dimicatur. Sed memor ille mandatorum Dei, & testimonia ejus intelligens, restitit atque permansit. Neque aliter spem eorum, qui perditionem suam exspectabant, elusit, quàm quòd vitæ sibi in testimoniis Dei intellexit esse doctrinam. Arduum autem atque difficile est intelligere Dei testimonia: & ultra præsentis cognitionis scientiam eorum intelligentia procedit. De testimoniis verò jam in psalmi exordio tractavimus. Per hæc enim præsentia legis testimonia, testimoniorum æternorum cognitio præstatur. Denique id ipsum consequens sermo demonstrat.

Diaboli contra justos contentio. ℣. 95. Justi arma.

℣. 96. 14. Sequitur enim: [h] *Omnis consummationis vidi finem.* Frequenter admonuimus, non posse satisfactionem intelligentiæ ex latinitatis translatione præstari. Alia enim vis dicti hujus est ex græco enuntiati: ita enim est, πάσης συντελείας εἶδον πέρας. Id quod cum Græcis πέρας nuncupatur, ultra finem est rerum statutarum, neque aliquo ut desinat continetur; sed omnem limitem sub indefinita significatione transscen-

Πέρας quid.

[a] Editi, *oblitis*. Rectiùs mss. *abolitis*.
[b] Adjecimus *fundata* auctoritate ms. Mic.
[c] Habent nostri mss. *in humilitate*, ut infrà.
[d] Par. *in quo*. Rectiùs alii libri, *in qua*, scil. lege.
[e] Secundùm illud Pauli Gal. 3. 24. relatum Tract. psal. 91. n. 1. *Lex pædagoga nostra facta est in Christo, uti ex fide justificemur.*

[f] In excusis, *pertæsum*. Reponimus ex mss. Reg. & Albin. *perosum*. Simile est illud litt. 3. n. 20. *Scit omnem prophetiæ fidem mundi hujus perosam esse principibus.*
[g] Bad. Er. & Lips. *cura est pugnam & omnem gloriam*. Par. *cura est omnem gloriam*: renitentibus mss.
[h] In nostris mss. *omni consummationi*.

Quid finis.

dit. Quod autem nobiscum scribitur *in finem*, fine eo, [a] quo significatur, existimabitur id unde agitur contineri. Sed Propheta, qui non corporalia neque terrena testimonia legis intelligit, secundùm græcam significantiam ultra omnem consummationem contuetur. Scit consummationem esse temporum [b] legis, cùm post plenitudinem temporum Deus in corpore contuendus sit : sed ultra hanc consummationem videt; videt etenim evangelicæ spei tempus. Sed & hujus quidem consummatio non ignota ei est; ultra id enim intelligentiæ suæ oculos extendit. Namque & resurrectionis consummationem videt; scit enim & demutationis esse ordinem constitutum, Apostolo dicente, Unusquisque autem in suo ordine : & rursum, Omnes quidem resurgent, sed non omnes commutabuntur. Novit & dies regni Domini nostri Jesu Christi, ex quo in regnum Dei patris provehemur, & in illa inexquisita & investigabilia Dei judicia transferemur. Scit & tempus esse judicii. Et hæc scire ei ex amplitudine mandatorum Dei licuit : quia se in immensæ cognitionis doctrinam divinus sermo diffuderit.

Consummatio multiplex Prophetam non latens.

1. *Cor.* 15. 23.
Ibid. 51.

Regnum Christi ante judicium.

Mandatum Dei cur latum.

15. Ait enim, *Latum mandatum tuum vehementer.* Latum planè est, sive quòd in infinitum cognitionem humanæ ignorantiæ [c] extendit; sive quòd multa sunt in quibus Dei præceptis obtemperetur : [d] atque obtemperetur secundùm divisiones & munera gratiarum. Non enim ab omnibus omnia exspectantur, neque universi universa ad summam placendi implere possunt. Alius jejunio placet, alius simplicitate fidei promeretur, alius vitia eleemosynis redimit, alius se caritate consummat : sicut alii curationum concessa virtus est, alii prophetiæ scientia contributa est, alii fidei firmitas data est, alii sapientia & cognitio donata est. Latum igitur mandatum Dei est, & in omnia spei nostræ genera diffunditur : ut non difficile sit, si voluntas adsit, præcepto Dei obtemperare; cùm latum & diffusum sit ad placendum officiosæ religionis varietate. Neque solùm *latum*, sed *vehementer* latum : latitudinis infinitate hac ipsa superlativa adjectione monstratâ.

Præcepta Dei non sunt difficilia.

LITTERA XIII.

מ Mem.

*QUOMODO dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio est mihi. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo : quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi : quoniam testimonia tua meditatio est mea. Super seniores intellexi : quia mandata tua exquisivi. Ab omni via mala * prohibuisti pedes meos : ut custodiam verbum tuum. A judiciis tuis non declinavi : quia tu legem posuisti mihi. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel [e] & favum ori meo. A mandatis tuis intellexi : propterea odivi omnem viam iniquitatis.*

* Hilarius prohibuisti.

1. UTILE hoc nobis ac necessarium Prophetæ opus est, quo ad perfectam Dei cognitionem atque obeditionem edocemur. Duabus nos rebus maximè infirmitati nostræ congruis [f] instituit; ut & Deum qui ignoratus sit noverimus, & mandatis ejus secundùm voluntatem decreti sui obtemperemus. Perfectum enim Legis & Prophetarum & Evangeliorum virum in omni psalmi istius corpore Propheta [g] conformat vel ex sua, vel ex alterius quem instituat personâ, cui in fiducia sit, hæc de se quæ subjecta sunt prædicare. Est autem dignum contueri, qua verborum diligentia, qua intelligentiæ absolutione nos in singulis quibusque dictorum generibus Propheta confirmet.

Psalmi hujus utilitas.

2. Dicit enim in tertiæ-decimæ litteræ versu, *Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio est mihi.* Promtum utique fuerat dixisse, Quomodo feci legem tuam? Sed quia majus meritum est, amantem aliquid potiùs agere, quàm timentem; idcirco ait, *Ut dilexi legem tuam.* Differt enim longè obsequium amoris à timoris officio : nec habet gratiam voluntatis, necessitatis operatio. Non omnia enim ad perfecti obsequii consummationem sibi illa sufficiunt, quæ quamvis opus suum impleant, tamen quia coacta sunt, merito plenæ gratiæ indigent. Vult igitur Propheta opus suum dilectionis potiùs, quàm terroris esse; & ex caritate obsequium suum, non ex metu suscipi. Multi jejunant, dum à nobis objurgari timent. Multi aliquid in usum indigentium præbent, dum exprobrari irreligiosam avaritiæ suæ & inutilem cupiditatem pertimescunt. Multi ecclesiam adeunt, dum argui absentiam suam & negligentiam erubescunt. Sed non omnes id quod faciunt, & amant. IN AMOREM ergo non potest incidere necessitas obsequelæ : quia nemo id quod diligit non vult. In facto verò potest non subesse dilectio, dum id efficitur, quod non fecisse aut terror aut pudor [h] sit. Sed Propheta in nullo infirmus est. Quod amat facit, & quod facit indeficienter

℣. 97. Differt facere & amare.

Amat legem quantum David.

[a] Editi, *qui significatur.*
[b] Abest *legis* à mss. Reg. & Albin.
[c] Ita Bad. Er. & mss. Lipsius autem pro *extendit*, temere substituit *excedit*; quod & editiones sequentes retinuerunt.
[d] In vulgatis, *atque placeatur* : minùs aptè, cùm præceptis Dei non placeatur. Concinniùs mss. *atque obtemperetur*, quæ repetitio Hilario est sollemnis, quoties inculcare vult, quatenus aliquid præstandum sit.
[e] Infrà quidem in horum verborum enarratione non exstat *& favum* : attamen ex enarratione litt. 17. n. 7. conjectare est hanc lectionem Hilario ignotam non fuisse.
[f] In excusis, *instituti*, omisso superiùs *nos*.
[g] Ita codex Mic. cum Vatic. ut & sæpe jam superiùs. Alii verò, *confirmat*.
[h] Id est, *destituta sunt*.

exercet. Legem enim, quam diligit, omni die & ſine intermiſſione meditatur. Non ſubrepunt alia occupationum ſtudia, non interveniunt diverſi ſæcularium curarum æſtus, nec in eum incidit, interjectu novæ alicujus cogitationis, oblivio: ſemper idem eſt, & in eodem eſt. Tantus ipſe in dilectæ ſibi legis meditatione eſt, quantus dies univerſus in tempore ſit.

ỳ. 98. Idolorum cultoribus prudentiorem eum eſſe non magnum eſt.

3. Et quia, ut ſuperiùs commemoravimus, Legis & Prophetarum atque Evangeliorum hominem in ſe Propheta demonſtrat; ait in conſequenti, *Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo; quoniam in ſæculum mihi eſt.* Mandata Dei prudentiùs Propheta, quàm inimici ejus, intelligit. Sed quid commune nobis & inimicis noſtris in præceptis eſt Dei, qui ea non ſolùm ne mediocriter quidem comperta habent, verùm ne initium ſaltem cognoſcendi conſectantur? Et quid magnum, ſi inimicis ſuis in mandatis Dei Propheta prudentior ſit? Quando enim inanimantia ſaxa aut metalla aut ligna venerantes conſequi aliquid de viventis atque æterni Dei cognitione potuiſſent, [a] ut his comparatus fieret Propheta prudentior? Sed omnis hic impiorum error ipſum illud nomen * cum Lege & Prophetis & Apoſtolis reſpuit, detrectat, horreſcit.

*ſuppl. æterni Dei.

Hæretici ac Judæi, inimici quos prudentiâ ſuperat.

4. Sed habet alios propheta hic ſanctus inimicos, quibus prudentiùs in mandatis Dei eſt eruditus. Mandatum Dei in prophetis & in lege hæretici habent: ſed nullo eorum per imperitiam irreligioſæ voluntatis utuntur. Mandatum legis Judæi tamquam proprium & hereditarium ſibi vindicant: ſed ſpiritalis circumciſionis auctorem non habentibus, quid circumciſio in ſigno tantùm conſtituta jam proderit? quid ſabbati religio Dominum ſabbati neſcientibus opis afferet? quid paſchæ agnus, liminum ſanguis, & azymorum feſtivitas, agnum Dei & azyma ſinceritatis & ſanguinem ſalutis ignorantibus auxilii præſtabit? Mandata exercent; ſed efficientiam mandatorum & tempus ignorant. Legem legunt; ſed eam legente & neſciente Judæo Chriſtianus intelligit. Inimicus planè hic Prophetæ eſt, parricidales manus unigenito Dei filio inferens, & ſalvatorem generis humani & vitæ æternæ largitorem morte quantum in ipſo eſt condemnans. Præ his ergo omnibus in Dei mandato prudentior eſt.

Ii doctores, qui inimici. ỳ. 99.

5. Atque ut abſolutè hos inimicos ſignificaſſe intelligeretur, id quod conſequitur adjecit: *Super omnes docentes me intellexi: quoniam teſtimonia tua meditatio mea eſt.* Didiciſti ô David à Moyſe legem, & Aaron tibi ſacrificiorum omnium doctor eſt, Jeſus iteratæ circumciſionis magiſter eſt, Samuel [b] ungendi tibi ſacramentum in temetipſo & prophetæ & regis oſtendit: quid eſt iſtud quod loqui auſus es, quòd ſuper omnes docentes te intellexeris? Sed ſuperior verſus, ſuper quos omnes docentes ſe intelligat, oſtendit, id eſt, ſuper inimicos. Et rurſum hic, qui nunc eſt verſus inferior, qui inimici ſint declarat, id eſt, omnes docentes. Claves enim cælorum ſe habere profitentur, & doctores eſſe ſe legis gloriantur. Et cùm omnia legis teſtimonia adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti teſtentur, ſuper doctores ſuos Propheta intelligit: * quia unigenitum Dei filium in carne venturum, teſtimonia ejus meditans, ſemper exſpectet. O felix diſcipuli intelligentia! ô doctorum miſerabilis imperitia! Docentes neſciunt; & intelligunt qui docentur. Caret autem Propheta vitio jactantiæ: intelligentiæ enim præſtantiam unde adeptus eſſet oſtendit. Nam ſuperiùs ait, quòd ſuper inimicos ſuos prudentior à Deo in mandatis ejus eſſet effectus. Intelligentia enim omnis ex eo eſt, qui prudentiorem eſſe eum conſtituit. Super docentes ſe ergo intelligit.

* al. qui.

David ſcientia à Deo.

Datur exquirenti.

6. Et quia interdum ex naturæ diverſitate ſoleat accidere, ut diſcipulus prudentior ſit magiſtro; tamen hoc ipſum diligentiæ ſuæ & ſtudii eſſe demonſtrat. Ait enim, *Super ſeniores intellexi: quia mandata tua exquiſivi.* ỳ. 100. Et ſuper docentes intelligit, & ſuper ſeniores intelligit, doctrinæ atque intelligentiæ ſuæ officium cum ipſa temporis antiquitate demonſtrans, id eſt, populi ante ſe anterioris ſignificans ætatem. In quo utrumque convenit, ut & antiquior ſit, & ſe putet eſſe [c] doctorem. Sed ſuper eum ille intelligit, qui & docetur & junior eſt. Intelligit verò, quia mandata Dei exquiſierit, quæ doctor dum ſe docere credit, ignorat.

Senior, populus anterior.

Scientiæ fructus.

7. Conſequens autem eſt, ut qui ſuper ſeniores & doctores intelligit, fructum intelligentiæ ſuæ reddat, ſcilicet ut ea, quæ cognita & perfecta habere cœpit, exerceat. Et videamus an hoc ipſum in conſequentibus ſit. Ait enim, *Ab omni via mala prohibui pedes meos: ut cuſtodiam verbum tuum.* ỳ. 101. Perfecta hæc & evangelici viri vox eſt, ab omni ſe malitiæ via abſtinere, & tot ubique occurrentibus erroris ſemitis, nullâ earum per quam nequitia adeatur incedere.

Vitia arcenda, ut verbi Dei poſſit eſſe cuſtodia.

8. Sed [d] altius neſcio quid in eo Propheta ſignificat, cùm dicit, *Prohibui pedes meos.* Naturâ corporis noſtri ferimur in omnem criminum curſum: & humanarum cupiditatum impetus in hanc nos viam cogit. Sed qui ſuper ſeniores & docentes intelligit, per intelligentiæ doctrinam ſe prohibuit, & exeuntem procurrentemque revocavit. Reſiſtendum ergo eſt & obnitendum, ut noſmetipſos ab omni via mala primùm arceamus, tum deinde ſi quis nos [e] inſtinctus eò cœperit ferre, retrahamus: & priùs [f] noſtramet ipſi poteſtate ſumus inhibendi, ut deinceps cuſtodiamus Dei verbum.

[a] Editi, *ut his comparatis*: emendantur ex ſcriptis.

[b] Bad. Er. & Lipſ. *ungendo tibi*, quod & poſtrema editio Par. arripuit. Rectiùs mſſ. *ungendi*, hoc eſt, ejus qui eſt ungendus, ſcil. Chriſti, cujus David typum geſſit, quem Moyſes prophetam, Eſaias regem venturum prædixit.

[c] Editi, *doctiorem*: malè. Refertur enim ad populum ſeniorem, qui doctor non doctior prædicatur. Caſtigantur ex mſſ. quibus favent ſubjecta.

[d] Lipſ. & Par. *aliud neſcio quid*: abſque ulla auctoritate.

[e] In tribus mſſ. *inſtinctu ſuo cœperit ferre*: non placet.

[f] Editi, *noſtra & ipſius poteſtate*; refragantibus mſſ.

Antea autem propria inhibitione opus est, ut possit Dei verbi esse custodia. Neque enim quisquam verbum antè custodiet, [a] & tum prohibere se poterit. Prohibitio enim ea demum est, ut id quod fiebat, fieri arceatur: custodia verò tum firma est, cùm se quis à malis inhibens, bona observat sine intermissione custodiæ.

Verbi Dei vera custodia. ℣. 102.

9. Qualis autem custodia verbi Dei esse debeat, sequens versus docet. Sequitur enim: *A judiciis tuis non declinavi: quia tu legem posuisti mihi.* Hæc est igitur vera custodia, nullam in partem à Dei se judiciis deflectere, neque levi saltem declinare decessu; sed intentum semper, & semper immobilem in eo in quo institit permanere.

Lex evangelica,

Psal. 9. 21.

Lege Moysi continetur,

10. Non declinat autem, quia legem sibi Dominus statuerit. Legem quidem Moyses statuerat; sed hic idem propheta in psalmo altero oraverat, dicens, Domine constitue legislatorem super eos: sciant gentes quoniam homines sunt. Ea enim lex, quam Moyses scripserat, pædagoga nobis in Christo fuit: & idcirco super docentes se & seniores intellexit, quia legem evangelicam quæ Moysi lege continetur intelligit. Hæc ergo per Dominum nostrum lata est, hæc omnem hominem in scientiam Dei erudivit. Et idcirco ad id
„ quod dixerat, Constitue legislatorem super
„ eos; adjecit, Sciant gentes quoniam homines sunt: id est, ex terra genitæ, & in cognitionem Dei ex limo conformatæ. Quod enim antea per ignorationem [b] legis Moysi nesciebant, nunc per prædicationem Domini nostri Jesu Christi sciunt: & ut originem suam, id est, corporis naturam in novo latore legis agnoscunt, ita & gloriam novi hujus latoris [c] legis exspectant, in exordio sui jam ad imaginem & similitudinem Dei constitutæ.

Homini dat spem gloriæ Dei.

Eloquia Dei dulcia, sed si animum penetrent. ℣. 103.

11. Et prædicationis hujus evangelicæ dulcedinem in consequentibus Propheta testatur. Ait enim, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel [d] ori meo.* Mel in ore, non etiam in faucibus dulce est. Extra regionem enim oris corporalium saporum nullus est sensus. Sed Dei eloquia in faucibus dulcia sunt, in animam scilicet defluentia & interna penetrantia: non in ore modo cibi placentia, sed illic dulcia ubi cognitionis & prudentiæ & intelligentiæ sensus est. Et ideo eloquia in faucibus & in ore [e] melle dulciora sunt. Sed ut mel per ægritudinem æstumque febrium ea quæ acciderint oris amara mitificat; ita animæ nostræ amaritudines & tristes cupiditatum insalutarium febres infusa Dei eloquia mitificant, si modò non ore contineantur, sed faucibus devorentur.

℣. 104. Præcepta erudiunt et perficientes.

12. Sequitur deinde: *A mandatis tuis intellexi: proptera odivi omnem viam iniquitatis.* Intelligentes [f] nos faciunt præcepta; sed præcepta re atque opere expleta: id est, ut ea quæ his continentur in quantum possumus expleamus. [g] Ergo efficienda præcepta sunt, ut simus intelligentes. Et licèt à Deo intelligentia perfecta sit, tamen à nobis incipiendum est, ut possimus perfectam intelligentiam promereri. His enim, qui non hoc per se inchoant, clausa à Deo omnia sunt. Et idipsum propheticus sermo per Esaiam docet dicentem, Ne
„ dicas de mandatis meis, quòd cognoveris ea: neque cognovisti, neque credidisti ea, neque
„ ab initio [h] aperui tibi aures. Cognovi enim
„ quòd spernens sperneres, & quòd iniquus
„ adhuc ex ventre vocandus esses. Ergo non indulgetur scientia non appetentibus eam. Et quia Deus cordium scrutator est, his qui spreturi eam essent, obtusæ aures sunt, & hebes sensus est. Sed Propheta à præceptis Dei intelligit: præcepta scilicet agens, intelligentiam consecutus: intelligens verò omnem odit iniquitatis viam.

Scientia à Deo non datur non appetentibus.

Esaiæ 48. 7. & 8.

Affectionum humanarum rectus usus.

13. Humanæ enim naturæ omnes diversarum affectionum adjacent motus, ut sunt odia & amores. Sed amor impendendus est in dilectionem bonorum, odium autem assumendum est ex offensa malorum. [i] Nostrum ergo est modo utilis organi corpora nostra in coaptatos & concinentes modos temperare, ut non vitia diligamus, ut non virtutes bonas oderimus, ut unicuique nos generi decenter atque utiliter coaptemus. Propheta mandata Dei diligit: & qui mandata Dei diligit, iniquitatis vias odit. Ut enim perfectæ fidei [k] obsequelæ est, obedientiam diligere, & id quod quis agit affectu caritatis explere, & necessitatem agendi amantis voluntate præcurrere: ita & magnæ innocentiæ est, iniquitates non modò non agere, sed odisse, quia interdum [l] nos ab his metus & terror avertat. Odium autem nobis earum, judicium veræ & perfectæ de his opinionis insinuat. Diligamus ergo justitiam, modestiam, frugalitatem, misericordiam; & oderimus rixas & ebrietates, cædes, superbias, stupra, cum quibus necesse est & diabolum oderimus. Diligentes verò pacem, veritatem, justitiam, diligemus eum qui est pax, justitia & veritas, Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Sic mss. Editi verò, *antè custodiet, quàm prohibere* &c.

[b] Vox *legis* à Lipsio expuncta etiam apud Par. desideratur. Tum pro *nesciebant*, malè apud Bad. Er. & Lips. legere est *præsciebant*, cùm de gentibus sit sermo beatitudinis evangelicæ numquam præsciis.

[c] Rursum hîc vocabulum *legis* in vulgatis omissum, revocatur ex mss. qui mox habent *constituti*, non *constituta*.

[d] Regius codex cum Albin. *in ore meo.* Huic lectioni favent subnexa, necnon illud litt. 17. n. 6. *Verbum Dei ex corde malus abripit, quod ultra mel & favum in ore* (non *ori*) *delectat.*

[e] Ita mss. Reg. Vat. & Albin. ubi in vulgatis *mel dulce est. Sed ut mel* &c.

[f] Albinensis ac Regius mss. *intelligentes non faciunt præcepta sola, sed præcepta re atque opere completa*: Hilarii verba licèt fortè sincera non exhibeant, certè juvant ad illius mentem citiùs assequendam.

[g] Ex mss. restituimus verba, *Ergo efficienda præcepta sunt ut simus intelligentes*: quæ in priùs vulgatis deerant.

[h] Unus è Vatic. mss. *qui aperuit tibi aures cognovisti. Cognovi enim* &c. glossema sapit. Paulò antè neque in Vulgata, neque in græco LXX. exstant verba *de mandatis meis.*

[i] Bad. Er. Lips. ac duo mss. *Bonum ergo est.* Mox iidem duo mss. *corda nostra in coaptatos & consentientes modos* &c.

[k] In vulgatis *& obsequelæ.* Expunximus *&* auctoritate mss.

[l] Sola editio Par. *non ab his.*

LITTERA

LITTERA XIV.

נ Nun.

*Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen ſemitis meis. Juravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Humiliatus ſum uſquequaque, Domine : vivifica me ſecundùm verbum tuum. Voluntaria oris mei fac beneplacita Domine, & judicia tua doce me. Anima mea in manibus tuis ſemper : & legem tuam non ſum oblitus. Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis * meis non erravi. * Hereditate acquiſivi teſtimonia tua in æternum : quia exſultatio cordis mei ſunt. Declinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem.*

* Hil. *tuis.*
* Hil. *hereditavi.*

Hominis tenebræ.

1. Vita ſenſuſque hominum in errore ac potiùs nocte inſcientiæ manent, dum carnali infecta contagio in profundo ignorantiæ per gravitatem naturæ, cui admixta eſt, detinetur. Quando enim per ſemetipſam, cauſam & rationem originis ſuæ noverit? Quando [a] ſciet qui vitæ ſuæ fructus ſit, quæ conditio ſpei, quæ promerendæ [b] poſteritatis via? Neque enim quiſquam tam demens aut inops ſenſu eſt, ut in id cùm nullus eſſet natum ſe eſſe exiſtimet, ut rurſum poſt quàm natus eſt nullus eſſet; cùm ſine dubio meminerit ex bonitate Dei profectum eſſe quod natus eſt, nec id in bonitatem ejus malitiæ cadat, ut in nobis hoc ſuum quo naſcimur munus interimat. Sed Propheta cognitione rerum cæleſtium dignus, & in lucem ſcientiæ munere Dei & eloquio collocatus, ducem ad bene & innocenter vivendum eum ſequitur, qui lux vera eſt, & qui omnem hominem lucificat.

b Æternitas.
Ad hanc dux ei Deus.
Johan. 1. 9.
Verbi Dei luce ad omnes actus utendum.

2. Hanc ergo vitæ ſuæ ignorantiam, quodam prælato lumine ad intelligentiam dirigit, dicens, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine.* Scit ſe, niſi verbo Dei illuminatum, has corporum tenebras & hanc ſæculi noctem [c] non poſſe evadere. Scit ubique adeſſe lapides offenſionum, laqueos funium, & ſcrobes foveatum. Ut enim quis nocte egreſſus lucernam antefert, & quò pedem inferat contuetur, atque ad ſingulos greſſus lumine præeunte ſollicitus eſt : ita unuſquiſque noſtrûm manens in ſe verbum Dei in omnes operum proceſſus A tamquam lucernam prætendit. Omnis etenim doctrina cæleſtis dux nobis ad iter vitæ eſt, quæ lucernæ modo in hac nocte ſæculi præferenda eſt, cùm aliquid aut agimus, aut cogitamus, aut loquimur : ut eâ in omnem progreſſum cujuſcumque operationis utamur.

Lucernæ lux ne ſit in nobis inutilis.
d *Matth.* 5. 15.

3. Jubet Dominus in Evangeliis, hanc præceptorum ſuorum lucernam non otioſam & [d] inutilem occuli, dicens, Nemo enim lucernam accendit, & ponit eam ſub modio. Quæ B enim lucernæ, ſi modio tegatur, utilitas eſt? Uſum ſuum tantùm intra id quo operitur impendit. Jubet igitur eam in candelabro, id eſt, in officii ſui ſede conſtitui. Itaque hanc doctrinam, atque hoc verbum Dei intra nos receptum, non otioſum, neque inutile tamquam in modio occulamus : ſed lumen iſtud nobis ipſis primùm, & rurſus ex nobis omnibus gentibus præbeamus. Sequenti quoque iſtud [e] mandato Dominus admonuit, dicens, C Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ veſtræ ardentes. Jubet ergo nihil nos agere in obſcuro : quia omnis in peccatis agens odit lumen, & diligit tenebras. Vult has lucernas noſtras eſſe ſemper accenſas, ne quando in nocte hujus ſæculi relinquamur. Judæis in tabernaculo teſtimonii lucerna accenditur, & hæc omni feſtivitatis ſuæ tempore ardet. Illi quod agunt neſciunt. Sed nos in his tabernaculorum noſtrorum, id eſt, corporum teſtimoniis ardentes D lucernas ſemper habeamus, & feſtivitatem ſpei noſtræ earum luce peragamus.

e Jugiter ardeat.
Luc. 12. 35.
Johan. 3. 20.
Exodi 27. 20. & 21.

4. Apoſtolos quoque, quos ſal terræ, quos & lumen mundi Dominus nuncupat, per hanc ſignificationem hos & lucernas eſſe Eccleſiæ oſtendit, dicens, Lucerna corporis tui eſt oculus tuus, corporis ſcilicet Eccleſiæ, quæ unum corpus in Chriſto eſt, noſque invicem membra ejus ſumus. Primùm enim unicuique noſtrûm Dei verbum [f] oculus ſive lucerna eſt : E deinde vir apoſtolicus toti corpori ſuo, id eſt, Eccleſiæ lucerna eſt. Neque enim omne corpus aut pes, aut oculus, aut manus eſt. Ergo ſi oculi totius corporis pars lucidiſſima, & ob id membris ceteris præſtans, erunt tenebræ, id eſt, ſi Apoſtolorum lucernæ non ardebunt, lumine ipſo in tenebris ſito; quanta totius corporis nox manebit? Johannes prædicator pœnitentiæ lucerna & Judæis & gentibus fuit, Domino dicente, Ille erat lucerna F ardens & lucens, & vos voluiſtis ad horam exſultare in lumine ejus. Habemus ergo doctrinæ lumen : exſultemus in eo, non ad horam, ſed ſemper; neque ad tempus, ſed in æternum. Beatæ virgines illæ, & [g] utiles olei mercatrices, ſolæ in lampadum ſuarum lumine cum ſponſo thalamum ingreſſæ ſunt, ceteris negligentibus & dormientibus ab ingreſſu thalami excluſis.

Apoſtoli Eccleſiæ oculi.
Matth. 5. 14.
Matth. 6. 22.
Ibid. 23.
Johannes, lucerna.
Johan. 5. 35.
Virgines prudentes.
g *Matth.* 25.

[a] Excuſi, *quando ſi quis fructus* : emendantur ope mſſ.
[b] In duobus mſſ. *poteſtatis.* Fortè an *pòſt* (ſcil. futuræ) *æternitatis?* Certè de ſæculari quadam poſterorum gratia promerenda non eſt hîc ſermo, ſed de beata æternitate, ad quam natum eſſe hominem eodem argumento hîc probatur, quo lib. 1. de Trin. num. 9.
[c] Editi, *ferre non poſſe.*

[d] In vulgatis, *& inutilem oculis.* Rectiùs in mſſ. *& inutilem occuli*, id eſt, ita occultari; ut inutilis evadat.
[e] Ita mſſ. At editi, *mandatum.*
[f] Apud Par. hîc inſertum eſt *ſibi.*
[g] Id eſt, negotioſæ. Utile enim hîc opponitur inutili, otioſo & ab opere debito vacanti.

Verbum Dei quî lucerna & lumen.

5. Ad omnem igitur animæ nostræ pedem utamur Dei verbo ut lucernâ; sed lucernâ semper ardente, semper in officium suum per nostram [a] providentiam præparatâ. Verbum autem, quod pedibus lucerna est, ipsum illud & semitis lumen est. Sensim enim & domesticè incedentibus lucernâ opus est: peregrinum autem & publicum iter ingredientibus lumen potiùs necessarium est, ne latro insidietur, ne ambiguæ viæ error occurrat. Per incrementa enim à minore ad majus [b] adscenditur: ut ei cui verbum Dei primùm lucerna sit pedibus, id ipsum verbum ei fiat lumen semitis. Sed lucerna pedibus & lumen semitis utilem profectum præstare debent. Et videamus an dignum aliquid Propheta subjecerit.

℣. 107. Jurata & statuta quid.

6. Ait enim, *Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Jam non in nocte sæculi errat, nec pedem metuit offendere. Sacramentum enim omne firmatæ scientiæ res est, & jurandi religio ex veritatis cognitione suscipitur. Jurat ergo Propheta: nec tantùm jurat, sed & statuit; quia sacramenti vinculum firmitas sit statutorum. Statuit ergo jurans custodire judicia justitiæ Dei. Et difficile est statuta convelli, & optimum est statuere jurata.

Judicia Dei justa.

7. Sed meminit nihil esse in Dei judiciis injustum. Si enim humana judicia ea verè judicia existimantur, quæ ex arbitrio justi judicii [c] sanciuntur; quomodo ambigendum sit, nihil esse in Dei judiciis injustum? Amittimus liberos; injustum hoc judicium existimamus. Numquid injustè Deus in Job filios dedit diabolo potestatem? Damna nostra tamquam iniquè accidentia dolemus. Numquid egere solum illum perfectum virum Deus sine justitiæ ratione permisit? Cruciamur doloribus; & contra Deum impatientiæ nostræ querelis increpamus. Anne incerto consilio exesus vermibus, sanie defluens, perfossus ulcere fuit? Certè hæc omnia ad documentum fidei & ad præmium gloriosæ patientiæ profecerunt. INFIRMITAS nostra efficit, ut malum esse id quod patimur existimemus. Ceterùm Dei semper voluntas est, ut patientiâ passionum probemur: nos verò divini judicii justitiam, dum sine documento fidei latere volumus, improbamus.

Malum.

8. Sed qui superiùs & juraverat & statuerat ut custodiret judicia justitiæ Dei, dignum aliquid sacramento & constitutione sua in observandis debet præstare judiciis. Non enim leve est, quod custoditurum se statuit juratus. Et quid illud sit, sequens versus loquitur. Ait enim, *Humiliatus sum usquequaque, Domine: vivifica me secundùm verbum tuum.* Unigenitus Dei filius naturæ nostræ ex Virgine sibi corpus assumens, cùm in se ipso veram & perfectam humanæ prudentiæ formam præbuisset, quid à se disci tamquam exemplo doctrinæ voluerit, noscendum est. Ait enim, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quoniam mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Ipse utique perfectus & sine peccato solus, & unus in cujus ore dolus non fuit, hoc præcipuum à se doctrinæ sumi voluit exemplum, mansuetudinis scilicet & humilitatis, per quæ animabus requies inveniretur.

℣. 108. Christus humilitatis præceptum præbuit & exemplum.

Matth. 11. 28. & 29.

Superbiæ di causas sustulit.

9. Scit insolentem esse & incapacem rerum secundarum naturæ nostræ infirmitatem. Alii per opes insolescunt; nescientes de largitione opum dictum esse, Eleemosyna enim [d] abscondit peccatum; & rursum, Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum; & Deum ipsum his qui esurientem cibassent, sitientem potassent, peregrinum domo recepissent, nudum veste texissent, infirmum visitassent, clausum carcere consolati essent, dixisse, Venite benedicti patris mei, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi. Alii gloriâ sæculi tument; nescientes hunc principalem benedictionum cælestium fuisse sermonem, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Alios nobilitas carnalis [e] in fastigium erigit; non cogitantes illis qui in Christo renati sunt dictum esse, Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. Aliæ sunt sæculi leges, alia Dei munera. Diabolus cùm Dominum tentare ausus est, suum esse sæculum gloriatur. Dominus verò mori nos sæculo jubet, ut vivamus ipsi. [f] CUM DOMINO opum contemtus, opulentia est; cum Domino terreni honoris despectus, cælorum regnum est; cum Domino humilitas cordis, generosæ & regiæ nativitatis ornatus est. Hoc igitur à se disci voluit, quod virtutum omnium maximum est.

Psal. 111. 9.

Matth. 25. 34.

Matth. 5. 3.

1. Petr. 2. 9.

Matth. 4. 9.

10 Apostolus etiam ad humilitatem nos docens, talibus adhortatur: Hoc enim sapite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam existimavit esse se æqualem Deo, sed se exinanivit formam servi accipiens, & habitu repertus ut homo. Humiliavit se factus obediens usque ad mortem; mortem autem crucis. Habemus exemplum ab unigenito Deo humilitatis: sed videamus & præmium. Propter hoc enim eum Deus exaltavit, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium & terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria Dei patris. Hoc humilitatis fuit præmium, ut corpus assumtum in gloria Dei patris maneret, ut in nomine

Philip. 2. 5. &c.

Humilitatis Christi præmium.

Ibid. 9. &c.

a In excusis, *prudentiam.*

b Editi, *acceditur.*

c MSS. Reg. & Albin. *efficiuntur.* Tum Mic. & Vatic. *nedum modo ambigendum sit.*

d In duobus mss. *abscidit peccatum.* Habetur Eccli. 3. 33. *Eleemosyna expiabit peccata.* Tob. 12. 9. *Purgat omne peccatum.* An hæc, an alia hîc respiciantur, incertum.

e Regius codex *in fastum*: magis placeret, nisi infrà n. 12. *fastigii tumorem* in omnibus libris legeremus. Quamquam & hîc *fastidium* & illic *fastidii* reponendum conjectamus ex his litt. 3. n. 14. O *infelix superbia, quæ dedignatur sub præceptis cælestibus vivere, quæ mandata divina animi infidelis tumore fastidit!*

f Illud *cum* potest intelligi conjunctio superiora nectens atque confirmans, ut subsequens vox *Domino* sit in dandi casu. Veriùs tamen videtur esse præpositio eamdem vim habens ac *secundùm.* Sic superiùs non semel legimus *cum Græcis*, pro *secundùm Græcos.*

A ejus genu cælestia & terrestria & inferna curvarent. Manens enim in forma Dei, non vi aliqua sibi ac rapina, id quod erat, præsumendum existimavit, scilicet ut Deo esset æqualis. Erat enim in Dei forma, nihilque ei ex ejus gloria deerat, in cujus forma manebat; sed formam servi [a] sui per humilitatem accepit, & habitu ut homo repertus est, humilians se per obedientiam usque ad mortem: nec solùm usque ad mortem, sed usque ad mortem crucis. B Cælum ex præcepto Dei ipse [b] firmavit, mundum ex paterno jussu in hanc speciem tanti decoris ornavit, terram & quæ in ea sunt creavit. Sed numquid ob illa meruit hominem assumtum in æterni patris gloria collocare? Humilitatis hoc præmium est, humilitatis hæc merces est: [c] ut quia manens antea in forma Dei, esset in forma servi deinceps effectus; [d] & manens in forma Dei, & effectus in forma servi, confessione cælestium & terrestrium & infernorum esse in Dei patris C gloria nosceretur.

Paulus elationem suis cavet. 1. Cor. 12. 7.

11. Verens quoque idem Apostolus, ne quos ipsa illa divinorum munerum gratia efficeret insolentes, ait, Unicuique data est demonstratio Spiritûs ad utilitatem. In eo enim quod ait, ad utilitatem, docuit eo [e] humiliter utendum: ne fortè quemquam spiritalium donorum confidentia efficeret insolentem, & Dei gratia per insolentiæ vitium fieret otiosa. Ex persona autem sua ipse demonstrat, etiam hoc se D à Deo gratiæ consecutum, ne per confidentiam plurium in se gratiarum in aliquem tumorem superbiæ tolleretur, dicens, Et propter eminentiam revelationum datus est mihi stimulus carnis angelus satanæ, qui me colaphizaret, ne extollar. Etiam hoc ille vas electionis & doctor gentium metuit, ne ultra humanæ infirmitatis naturam per spiritalium in se munerum [f] confidentiam superbiret. E Ezechiam regem Scriptura laudat, quòd fecerit rectum & bonum in conspectu Dei: sed non usque in finem potuit hæc manere laudatio. Scriptum enim est in secundo [g] Præteritorum libro: Et cecidit Ezechias ab altitudine cordis sui. Ubi cor in altum erexerat, ubi in superbiam se per confidentiam laudationis extulerat, præteritorum gestorum gratiam per superbiæ crimen amisit.

Eam ab ipso Deus avocat. 2. Cor. 12. 7. 4. Reg. 18. 3. 2. Paral. 32. 26.

David humillimus, cui multæ superbiendi causæ.

12. Propheta igitur sacramento constituens ut justa Dei judicia custodiret, F hoc primum opus sumsit, ut humilis fieret: neque solùm humilis, sed humilis valde: per adjectionem hanc consummatæ in se humilitatis modestiam edocens. Et erant causæ in eo plures superbiendi. Præbebat insolentiæ causas nobilitas ex Juda, & in eo primùm potestas benedictionis regiæ inchoata. Mansit enim aliquandiu ex David tribu regiæ potestatis familia, ex qua secundùm carnem Rex æternus emersit. Erat etiam prudentissimus. Ait enim, Invisibilia & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Psal. 50. 8. Meruit etiam & propheta esse, cùm dicitur, Aperiam in parabolis os meum, eructabo absconsa à constitutione mundi. Psal. 77. 2. Humanæ quoque opulentiæ copiis abundavit. Ait enim ipse, Ecce congregavi de paupertate mea auri [h] talenta centum millia, & argenti mille millia, & æris & ferri quorum numerus non est. 1. Paral. 22. 14. Hinc familiæ nobilitas, hinc regis potestas, hinc sapientiæ fiducia, hinc prophetiæ meritum, hinc copiæ facultatum, non erexerunt tamen in superbiam, neque in aliquem fastigii tumorem extulerunt. Tutò ergo postulat, dicens, *Vivifica me secundùm verbum tuum:* id est, ut tamquam nondum vivens æternæ vitæ vitam secundùm verbum Dei mereatur, quia eum humilitatis modestia intra disciplinam & doctrinam prædicationis evangelicæ contineret.

Plura sponte præstat David quàm lex jubeat.

13. Deinceps sequitur: *Voluntaria oris mei fac beneplacita Domine, & judicia tua doce me.* [i] Dignè exsequitur Propheta sacramentum constitutionis suæ. Primùm enim humilis valde effectus est: [k] sequenti nunc orat ut voluntaria oris sui beneplaceant. Non contentus est etiam præscriptis legis contineri, neque tantùm necessitate obedientiæ subjacere. Lex præcipiebat malum pro malo esse reddendum. David iste cùm Saül totis se imperii sui viribus persequentem, frequenter captum & conclusum habuisset, non modò non peremit, sed etiam cum honore dimisit, dicens, Non inferam super eum manum meam, quia christus Domini est. 1. Reg. 24. 11. Hunc etiam cùm in bello peremtum comperisset, flevit & vindicavit. 2. Reg. 1. 15. & 17. Filius quoque ejus [l] Abessalon regnum occupat, exercitum contrahit, patrem bello parricidali persequitur. Sed militibus David dicit, Parcite puero Abessalon. 2. Reg. 18. 5. Illi quidem ad resistendum necessitas imposita est, ut regi; sed pietas & bonitas adfuit ad parcendum, ut prophetæ. Mortuum quoque affectu paterno & dolore deflevit. Hæc enim voluntaria, non legitima sunt: & his obtemperare, libertatis potiùs quàm necessitatis officium est.

Voluntariæ devotionis opera à Paulo commendata. 1. Cor. 7. 25.

14. Habet hanc Apostolus voluntariæ doctrinæ, non & legitimæ consuetudinem, dicens, De virginibus autem præceptum Domi-

[a] Adjecimus *sui* auctoritate mss.
[b] Excusi, *formavit.* Veriùs mss. *firmavit*, secundùm illud Psal. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt.*
[c] Lips. & Par. *ut qui manens:* minùs disertè exprimunt rationem ob quam Christus meruit gloriam.
[d] Hoc est, non modò secundùm id quod manet in forma Dei, sed & secundùm id quod est in forma servi, in Dei patris gloria nosceretur, *formâ videlicet servili in gloriam ejus cujus in forma antè manebat proficiente*, ut exponitur in Psal. 138. n. 19. Vide Tract. Psal. 143. n. 7.
[e] Ita Regius codex cum Albin. Alii verò, *utiliter utendum:* non reddunt sententiam Hilarii, ex verbis Pauli *ad utilitatem* acutè concludentis humiliter utendum esse Dei donis, quia sine humilitate fiunt otiosa & inutilia.
[f] Prædicti duo mss. *gratiam efferretur.*
[g] Bad. & Er. *Paralipomenum.* Lips. & postrema editio Par. *Paralipomenon.* Præferimus cum prima & ms. Mic. *Præteritorum*, ut lectionem mutationis minùs suspectam, & confirmatam in Ps. 113. n. 11.
[h] Editi, *talenta tot millia, & argenti alia, & æris* &c. repugnantibus nostris mss. necnon sacro textu græco & latino.
[i] Mss. Reg. & Albin. *digna exsequitur Propheta sacramento.*
[k] In vulgatis, *sequenter;* & mox, *non contentus est jam præscriptis ..... necessitati obedientiæ subjacere lex præceperat.* Ad horum ac subsequentium intelligentiam, recolendum quod ait Hilarius in Ps. 53. n. 13. *Legis sacrificia non habere in se voluntatis professionem.* Unde & concludit: *Necesse erat effici quod fiebat: quia sacrificii negligentiam maledicti non admittebat adjectio*, &c.
[l] In ms. Reg. hîc & inferiùs, *Absolon.*

ni non habeo, consilium autem do. Aut cùm A gloriam viduitatis & continentiam laudat; Ibid. 39.
a [a] non inhibet potestatem nubendi, sed meritum cœlibatûs prædicat. Ultra legem instituit, & ultra præceptum adhortatur, voluntaria legitimis anteponens. Et rursum ait, Numquid 1. Cor. 9. 3. &c.
» non habemus potestatem manducandi & bibendi? Numquid non habemus potestatem mulieres circumducendi, sicut ceteri Apostoli & fratres Domini & Cephas? Aut ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Sed non utimur [b] hac potestate. b Potestas in licito est, cùm lex * infidelitati nostræ parcens præscriptis nos gravibus non onerat. At verò voluntatis professio ex incremento fidei est, cùm in his quæ moderata lex nobis est, nosmetipsos voluntariæ devotionis studio continemus.

* evangelica.

Judicia legis agens David non intelligit.

15. Hæc igitur voluntaria ut Deo sint placita Propheta orat; quia illa, quæ ex præscripto legis gerantur, ipsa servitii sui necessitate C peraguntur. Causam autem semper prætendit deprecationis suæ. Postea enim quàm voluntaria oris sui ut beneplacita essent oravit; adjecit, *Et judicia tua doce me.* Judicia legis [c] agit, c & quantum in se est gestis atque operibus exercet; sed nondum ea intelligit. Scit enim esse legem spiritalem. Et illud quod sub specie præsentium operationum continetur nosse festinat: ea enim quis necesse est doceri postulet, quæ ignorat. D

Totum se Deo tradit.

16. Totum autem se Propheta secundùm sacramenti sui constitutionem Deo dedit. Humiliatus est valde, voluntaria oris ejus placentia sunt: nunc ejus anima in Dei manibus semper est, & legis Dei non obliviscitur, dicens, ℣. 109. *Anima mea in manibus tuis semper: & legem tuam non sum oblitus.* Totum quod vivit, Deo vivit. Omnis ejus sensus & spiritus in Deo est: nullum tempus admittitur, quo subrepere legis possit oblivio. In omnibus suis operibus & E cogitationibus Deus cogitatur. Lex in memoria est, in Dei manibus anima viventis semper est.

Quàm id cuique necessarium.

17. Scit etiam quàm sibi istud utile sit, scit quàm sit necessarium, quotidie se manibus Dei, gestis atque operibus suis, & per indefessam memoriam legis inserere. Ait enim, ℣. 110. *Posuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erravi.* Scit in hac sæculi silva plures laqueos extendi, plures vitæ suæ captio- F nes parari. Sermo, cogitatio, opus nostrum semper adjacentes habent laqueos: cùm interdum occurrit causa iræ, doloris affectio, querelæ necessitas, malæ cupiditatis occasio. Hos diabolus angelique ejus ab initio transgressores, & ab exordio peccatores, laqueos semper extendunt. Sed cujus in manibus Dei anima est, & qui numquam legis Dei immemor est, his undique licèt laqueis circumjectis, à præceptis tamen non aberrabit. Semper enim Deum cogitans ab his evolat, ut in psalmo alio loquitur: Sicut passer, liberatus ex laqueo Psal. 123. 7. venatorum. Et Dominus ipse per Prophetam Psal. 90. 3. ait, [d] Liberate vos ex laqueo venatorum, & à d verbo conturbationis.

Laquei ubique.

18. Non enim injustè tenduntur retia avibus. In cælestem scientiam homo eruditus es: quid tibi cum terrenis operibus & B gestis est? Avis effectus es: cur non in naturæ tuæ elemento moraris? Volucres enim cæli nuncupantur: non injustè ergo illis in possessione terrenæ habitationis insidiæ sunt. Sæculo renuntiasti: quid tibi cum sæculi rebus? quid quereris captus in sæculo? quid quereris injuriam laquei in regione non tua? Dic potiùs & utere ipse tu voce Psalmistæ dicentis istà: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Psal. 54. 7. & volabo, & requiescam. Natura avium est, [e] ut non cùm volent requiescant: tu autem e jam factus columba, volando requiescis, id est, in cælestem te sedem & cognitionem à laqueis terrenis volatu fidelis animæ efferendo.

Prov. 1. 17. sec. LXX. Sæculum quàm perniciosum iis qui ei renuntiarint.

19. Dehinc sequitur: *Hereditavi testimonia tua in sæculum; quia exsultatio cordis mei sunt.* ℣. 111. Heres, secundùm humanam consuetudinem, omnia ejus obtinet cujus & heres est. Sed humanas hereditates dedignatur Propheta, qui testimonia Dei hereditavit. Gratum ipsi, si Dei fiat ipse testis, quia exsultatio cordis sui sit, si se Dei inter persecutionum bella testetur. Sic & meminimus his testimoniis Apostolos gratulatos, cùm exeuntes de consessu persecutorum, lætati sunt propter Dei nomen Act. 5. 41. dignos se injuriis judicatos. Testimonia ergo ejus exsultatio eorum cordis fuit. Sed Propheta, ut & Apostoli, licèt inter multas persecutiones hæc testimonia Dei, id est, testandi de eo cum exsultatione cordis tamquam hereditatem retineat; tamen etiam illa Dei testimonia hereditate acquisita habet, quæ sub testibus dicta sunt. Moyses legem sub testibus dedit cælo atque terrâ, Esaias sub testi- Deut. 4. 26. bus arguit cælo atque terrâ, Apostolus jam Esai. 1. 2. celsioribus testimoniis ut prædicator evangelicus usus est, dicens, Testor vobis coram 1. Tim. 5. 21. Deo & Christo Jesu & Angelis ejus. Hæc ergo testimonia sub his scripta, & sub his testata, & in his testata, tamquam novi patrimonii heres occupat: non ex parte, sed in totum. Jus enim hereditatis ex solido est. Etsi inter plures secundùm humanam successionem hereditas dividatur, tamen hereditas ipsa nomine heredis ex solido est.

Testis Dei esse & ejus causâ pati avet David.

Testimonia hereditate parta.

Heredis jus.

20. Ac ne, quod à multis dici sæpe solet, cùm rationis aliquam habeat auctoritatem, asserunt proprium Dei munus esse, ut quis in Dei rebus atque operibus versetur; excusan-

Perseverantia à Deo, quoddam initium à nobis.

[a] Edit. *non inhibita potestate nubendi, sed meritum cœlibatus prædicator ultra legem instituit*: corriguntur auctoritate mss. Reg. & Alb. hoc est, laus illa non tollit potestatem nubendi, sed prædicat &c.

[b] Regius codex & Albin. *utimur potestate. Potestas ob illicita est.*

[c] In vulgatis, *ait*: Rectiùs in mss. *agit*: quippe, ut mox dicebatur, peragit *quæ ex præscripto legis gerantur.*

[d] Ita Bad. & Er. cum mss. Sic & apud Ambrosium in eumdem hunc locum habent scripti & excusi libri omnes, una Romana editione excepta, quæ substituerat, *liberavit te ex laqueo*: quomodo & hîc sua ipsius auctoritate reposuit Lipsius, ac deinde obtinuit.

[e] In editis, *ut non nisi cùm volent.* In uno ms. Vatic. *ut cùm non volent.* Præferimus cum Reg. & Albin. *ut non cùm volent*; ut corporeis avibus hîc declarentur eo præstare spiritales, quòd hæ volando requiescant, illæ non.

tes infidelitatem suam, quòd cessante erga se Dei voluntate maneant infideles: est quidem in fide manendi à Deo munus, sed incipiendi à nobis origo est. Et voluntas nostra hoc proprium [a] ex se habere debet, ut velit: Deus incipienti incrementum dabit: quia consummationem per se infirmitas nostra non obtinet, meritum tamen adipiscendæ consummationis est ex initio voluntatis. Idcirco psalmum ita Propheta conclusit: *Declinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* (℣. 112.) Cor suum ipse declinat, & ex naturæ humanæ peccatis in obedientiam Dei inflectit. (Originis vitium.) Natura quidem & origo carnis suæ eum detinebat: sed voluntas & religio cor ejus ex eo in quo manebat originis vitio ad justificationum opera declinat. Et declinat in omni vitæ suæ tempore: non in definitione aliqua spatii, sed in omni vitæ suæ sæculo. Declinat autem *propter retributionem*, certus scilicet [b] ea fidei meritis reservari, & in his retributionem ejus esse, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt, quæ præparavit Deus his, qui diligunt eum in Christo Jesu, cui gloria est & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. (1. Cor. 2. 9.)

LITTERA XV.

ס Samech.

INIQUOS odio habui, & legem tuam dilexi. Adjutor & susceptor meus: & in verbum tuum * speravi. Declinate à me maligni: & scrutabor mandata Dei mei. Suscipe me secundùm eloquium tuum, & vivam: & non confundas me ab exspectatione mea. Adjuva me, & salvus ero, & meditabor in justificationibus tuis semper. Sprevisti omnes discedentes à * justitiis tuis: quia injusta * cognitio eorum. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: ideo dilexi * testimonia tua semper. Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui.*

(* Hil. add. es tu. * spero. * infrà, justificationibus. * cogitatio. * infrà, justitias tuas sine semper.)

1. PRÆCEPTI [c] evangelici doctrina est, ut inimicos diligamus: & non solùm amantibus nos amorem, sed etiam his qui nos oderint debeamus. (Matth. 5. 44. Inimicos diligere est præceptum.) Ergo hæc Prophetæ professio adversari videtur dominicis mandatis: ut cùm amor nobis inimicorum imperetur, ille quòd iniquos oderit, tamquam bonum opus præferat, dicens, *Iniquos odio habui.* (℣. 113.)

2. Sed hujus ipsius dicti ratio ex ipsis Evangeliis noscenda est. (Odium patris, matris &c. jubetur,) Nam Dominus, qui inimicos diligi jussit, & maledicentes patrem aut matrem reos esse mortis constituit, (Levit. 20. 9.) rursum alio in loco præcepit, dicens, Si quis venit ad me, (Luc. 14. 26.) « & non oderit patrem suum, & matrem, & « uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc « etiam & animam suam, non potest meus esse « discipulus. Ergo hæc videntur sibi esse contraria, ut cujus ex præcepto non solùm odium in parentes, sed maledictio tantùm morte sit digna, ipse rursum dicat, neminem discipulum suum esse posse, * qui nisi patrem, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, & animam suam oderit. (* *quasi*, nisi qui.) Durus hic sermo, & præceptum grave est, impietatis necessitatem ad consummationem religionis imponere.

3. Verùm nihil à Deo durum, nihil impium, nihil contrarium anterioribus præceptis jubetur. (quando illi à martyrio aut à Dei famulatu avocant.) Irasci autem hæc carissima nobis nomina, pater scilicet ac mater, & uxor, & filii non possunt, quòd eos præcipimur odisse; cùm animam ipsam nostram odisse jubeamur. Scit enim esse Dominus plures tam inconsulti amoris, ut cùm persistere in martyrii gloria filios suos videant, ut tempori cedant, rogent; ut sententiam mutent, precentur; & impiæ pietatis erga eos utantur affectu: cùm anus mater, & pater senex miserabiles canos filio in ipso martyrii certamine cum invidia præduræ voluntatis ejus ostendat: hinc & uxor adsit filiorum ambitiosa comitatu, oret ut potiùs sibi illisque vivat: hinc fratres & sorores blandis nominum suorum familiaritatibus deprecentur: ipsa quoque anima illecebris jam pridem capta vivendi, tacitis quibusdam consiliis ad conniventiam deflectendæ voluntatis irrepat. Hoc igitur in tempore odisse nos patrem, matrem, uxorem, filios, fratres, sorores, & ipsam quoque animam Dominus præcepit. Nam hunc eumdem sermonem ita clausit, post odium universorum dicens, Et si quis non portat crucem suam, & venit post me: non poterit meus discipulus esse. (Luc. 14. 27.) Ergo tum odio habendi sunt, cùm portare nos martyrii crucem nolunt, cùm sequi Deum exemplo passionis dehortantur. Honestum hoc odium & utile est, eos qui ab amore Christi abducere conantur odisse.

4. Itaque nunc Propheta nihil contrarium evangelicis præceptis, quibus amare inimicos jubemur, locutus videtur, dicens, *Iniquos odio habui.* (Iniquos odiendo David evangelio non repugnat.) Non enim inimicos suos [d] dicit, sed *iniquos*: id est, transgressores legis. [e] Propriore

[a] In duobus mss. *ex se habet, ut velit.* Hæc prima Hilarii verba legitimæ subjiciuntur sententiæ. Verum enim est illud Augustini lib. 3. de Civ. Dei c. 10. *Multa facimus, quæ si nollemus, non utique faceremus; quò primitus pertinet & ipsum velle: nam si volumus est, si nolumus non est. Non enim vellemus, si nollemus.* & lib. 3. de lib. arb. c. 3. n. 8. *Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate.* Addendum tamen ex eodem Augustino lib. de grat. & lib. arb. c. 16. *Certum est nos velle cùm volumus; sed Deus facit ut velimus*: ne quod sonant sequentia Hilarii verba, voluntas nostra per se sine Dei gratia ad bonum quidpiam posse existimetur. V. suprà litt. 5. n. 12.

[b] Illud *ea* refertur ad *quæ oculus non vidit.* Quod autem habet Vaticanus codex, *certus scilicet se ad fidei meritum reservari*, interpolationem prorsus sapit.

[c] In ms. Reg. *Præceptum evangelicæ doctrinæ est . . . amantibus nos amorem reddamus, sed etiam hos qui nos oderunt diligamus.*

[d] In vulgatis, *odit.*

[e] Ms. Albin. cum Reg. *Propriore sensu elocuta est istud verbum græcitas, dicens.*

istud verbo græcitas nuncupat dicens, παρα-νόμους, id est, extra legem agentes. Sed qui prævaricatores legis odit, non potest non id amare quod odit esse neglectum: & ideo ait, *Et legem tuam dilexi.* Convenit autem, ut quia legem amat, eos oderit qui legis inimici sunt.

℣. 114. 5. Dehinc sequitur: *Adjutor & susceptor meus es tu: & in verbum tuum spero.* Magno nobis Dei auxilio opus est in tanto atque assiduo sæculi istius prœlio. Non enim nobis, secundùm Apostolum, pugna est adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs potestates, & mundipotentes harum tenebrarum, adversùs spiritales nequitias in cælestibus. Hos ergo hostes habemus, adversùs hos adjutor Deus precandus est, ut nos in susceptionem suam recipiat. Sed non tam timoris hæc precatio debet esse quàm meriti. Timor enim ex trepidatione conditionis humanæ est, Propheta autem in verbo Dei sperat. Spes non res præsentes obtinet, sed futuras. Sperat ergo quæ verbo Dei, id est, dictis propheticis continentur. Sperat autem [a] vel retributiones fidei in vitam spiritalem: vel ipsum illum Domini nostri, qui Dei Verbum est, adventum exspectat. Spes enim ista meretur auxilium & adjutorium Dei. Non aliter aut nos meremur, aut aliqui antè meruerunt, quàm Verbum Dei Deum naturæ nostræ carnem [b] vel habitaturum [c] sperasse, vel quòd habitaverit credidisse.

Adjutorio Dei magno nobis opus. — *Eph. 6. 12.* — *Spes obtinet.* — *Meritum omne ex spe ac fide Christi.*

℣. 115. 6. Sed Propheta multa in se esse meminit, quæ spei suæ conentur obsistere: & ideo subjecit, *Declinate à me maligni; & scrutabor mandata Dei mei.* Doctrinæ cælestis ratio admonet, ut dictum hoc referendum ad personam hominum, quibus insit malignitas, existimetur. Propheta enim, qui gentes docet, qui verbum Dei prædicat, jubet ut à se universi maligni declinent: quia [d] congregatio sanctorum ad malitiæ operarios sit indigna. [e] Et nescio quem possit excipere. Omnibus enim per naturæ demutabilis voluntatem malitia adjacet, * ipsisque Apostolis verbo licèt jam fidei emundatis atque sanctis, non abesse tamen malitiam per conditionem communis nobis originis docuit Dominus, dicens, Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris. Nostrum autem est [f] & malos amare, & bonos ad bonitatem docere, secundùm eum, qui universos ad se potiùs invitat, dicens, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Sed scit Propheta plures malignitates in occulto humani cordis esse. Secundùm enim Domini dictum, De intus exeunt cogitationes malæ, cædes, mœchiæ, fornicationes, furta, falsitates, blasphemiæ. Hæc enim sunt, quæ communem hominem faciunt. Hujusmodi igitur à se declinent adversantes fidei suæ postulat. Obsistunt enim innocentiæ studiis, obsistunt doctrinæ spiritali: atque his per consiliorum suorum assiduam familiaritatem se ingerentibus, non vacat animo Dei mandata scrutari: quia maligni viri præsentia multùm eum qui mandata Dei scrutari velit, impediat.

Malitia omnibus inest. — ** Citat Augustin. l. 2. cont. Julian. c. 8. n. 26.* — *Luc. 11. 13.* — *Matth. 11. 28.* — *Malitia multiplex in corde.* — *Matth. 15. 19.* — *Maligni præsentia obest vacanti Deo.*

℣. 116. 7. Et quia Dei opus est misericordiâ, ut in familiam ejus recepti à dominatu malignorum horum liberemur; Propheta orat dicens, *Suscipe me secundùm eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab exspectatione mea.* Propheta exspectat, & sperat: nihil præsens, nihil temporarium sectatur. Plures autem sunt, qui hanc exspectationem fidei nostræ arguunt & irrident, dicentes talia: Quid jejunia, quid continentia, quid castitas, quid jactura patrimoniorum utilitatis [g] auferet? Ubi spes vestra est, ô Christiani? Mors æqualiter dominatur universorum: in omnium corporum naturas commune jus illi est. Quin etiam universis nos bonis sæculi fruimur, & vitæ veræ licentiâ utimur: & in quo tandem nobis [h] spei vestræ exspectatione præstatis? Non confundi ergo se in hac exspectatione sua Propheta orat: sed ut maneat confidens, & fructus veræ illius vitæ quam exspectat accipiat. Scit enim se nondum vivere, licèt vivat. Vita enim nostra, secundùm Apostolum, absconsa in Christo est. Et idcirco ait, *Suscipe me secundùm eloquium tuum, & vivam:* quia veræ illius & indeficientis vitæ exspectatione ac spe detinetur. Sperat enim æternitatem, sperat regnum cælorum, sperat regnum Dei, sperat spiritales benedictiones in cælestibus in Christo. In hac spe, in qua non confundetur, rogat ut suscipiatur & vivat.

Calumniæ contra spem Christianam. — *Oratio adversùs eas.* — *Coloss. 3. 3.*

℣. 117. 8. Dehinc sequitur: *Adjuva me, & salvus*

[a] Apud Par. *vel retributionis fidem.*

[b] Bad. Er. & Lips. *vel habiturum sperasse, vel quòd habuerit.* At Par. & mss. *vel habitaturum* &c. Hoc quidem verbo suam hæresim expressit Nestorius, adversùs quem S. Leo Serm. 3. in Nat. Dom. c. 1. *Nec sic creatura in societatem sui Creatoris assumta est, ut ille habitator, & illa habitaculum esset, sed ita ut natura alteri altera misceretur.* Longè autem à Nestorio alienus Hilarius, l. 1. de Trin. n. 11. *Ac ne*, inquit, *Verbum caro factum aut aliquid aliud esset quàm Deus Verbum, aut non nostri corporis caro esset, habitavit in nobis: ut dum habitat, non aliud quàm Deus maneret, dum autem habitat in nobis, non aliud quàm nostræ carnis caro factus esset .... & in suis perfectus, & verus in nostris.* Sed & mixtionem utriusque naturæ cum Leone non semel prædicat, qua deinde voce Eutyches ad confusionem divinæ & humanæ naturæ asserendam abusus est. Utriusque, Nestorii nimirum & Eutychetis, hæreses Arianæ germina, verbis suprà relatis aliisque passim præcidit Hilarius, ac præsertim lib. 10. de Trin. n. 16. & seqq. & in Psal. 53. n. 11.

[c] Vatic. codex, *sperassent ... credidissent.* Eadem veritas Augustino constitit. Tradit quippe epist. 157. n. 14. *antiquos justos quicumque esse potuerunt, nonnisi per eamdem fidem esse liberatos, per quam liberamur, fidem scilicet incarnationis Christi, quæ illis prænuntiabatur, nobis facta annuntiatur.* *Cùm*, inquit epist. 190. n. 6. *omnes justi, hoc est veraces Dei cultores, sive ante, sive post incarnationem Christi, nec vixerint, nec vivant, nisi ex fide Incarnationis Christi.* Hinc apud Ignatium epist. ad Magnes. n. 8. *divinissimi Prophetæ juxta Christum Jesum vixerunt*, ab eo scilicet edocti, cujus propterea discipuli vocantur n. 9. Hinc S. Leo Ser. 3. in Nat. Dom. c. 4. respondens iis qui hanc Dei gratiam nimiùm dilatam causarentur, *Nec serò*, inquit, *est impletum quod semper est creditum.*

[d] In editis, *congregatio sancta.* Est hîc quidam tropus, quo significantur malitiæ operarii congregatione seu cœtu sanctorum indigni.

[e] Excusi, *& nesciat*, quasi verbum hoc referatur ad vocem *congregatio*: pravè omnino. Mox in iisdem desideratur *malitia* ante *adjacet*, & inferiùs *Dominus* ante *dicens.* Resarciuntur ope mss.

[f] Lips. & Par. *& bonos amare & malos ad bonitatem docere*: renitentibus Bad. Er. & mss. quibus consentit & Hincmarus l. de Prædest. c. 25. Hîc objicit sibi Hilarius: Malos debemus amare, non igitur repellere. Tum objectum sic solvit: *Sed scit* &c. Ut enim exponit Ambrosius in eumdem locum, Christus *malignos repellit, laborantes vocat*, à quo invitantur onerati, *non utique malignitate mentis, sed infirmitate carnis.*

[g] Editi, *affert.* Concinniùs mss. *auferet*, scil. ex hoc mundo.

[h] Editi, *spei nostra*: emendantur ex mss.

Oratio non ut desint, sed ut vincantur adversarii.

ero, & meditabor in justificationibus tuis semper. A
Superiùs dixerat, *Adjutor & susceptor meus*: nunc autem nominum commemoratorum rem precatur, ut qui susceptor est, suscipiat; & qui adjutor, adjuvet. Non abesse à se adjutorium adjuvantis precatur. Non orat ne malignantes non habeat, quia per passionum patientiam fides [a] probatur: sed ut adversùs eos adjuvetur orat, quia auxilium à Domino semper orandum est. Sed quemadmodum in superiore susceptus vivet: ita & in hoc adjutus B salvabitur. [b] Adhuc enim sibi obeunda mors est, adhuc inferi sustinendi. Tunc salvabitur, cùm ex corporea terrenaque natura in spiritalem gloriam transformatus, nullum adversantis inimici periculum metuat, vivat inter electos Angelos, sit [c] paradisi incola, & absorpta corruptione ex mortali immortalis exsistat.

Inferi ante salutem.

Meditatio æterna justificationum.

9. Sed [d] quòd meditaturum se in justitiis Dei dicit, & meditaturum semper: numquid C non meditatur, qui & in meditatione speravit? Potest quidem & in præsens vitæ opus accipi, ut quò usque in corpore sit, semper justificationes meditetur: sed nihilo minùs & in futurum sermo procedit. Scit in cælo omnes Angelos in meditatione justificationum Dei esse. Nihil enim illic otiosum, nihil iners est: omnes [e] virtutes cælestes in opere ministerii sui permanent. Et cùm nobis tunc vitâ Angelorum vivendum sit; potest secundùm D eos qui semper operantur, nobis quoque æterna justificationum esse meditatio.

℣. 118. Peccatoris & apostatæ discrimen.

10. Dehinc sequitur: *Sprevisti omnes discedentes à justificationibus tuis; quia iniqua cogitatio eorum.* Auxilium & susceptionem ob hoc Propheta orat, ne cum discedentibus à justificationibus Dei & ipse spernatur. Sed hîc servata ea ratio est, ut non dictum sit, Sprevisti omnes peccatores; sed, *Sprevisti omnes discedentes.* * Si enim peccatores sperneret, omnes E utique sperneret: quia sine peccato nemo sit. Sed spernit discedentes à se, quos apostatas vocant. Neque enim interest an in justificationibus Dei quis aliquando fuerit. Spernendus enim à Deo est, quisquis discesserit: quia manentis meritum conservat [f] consummatio permanendi. Differt verò [g] à peccato discessio: quia peccato venia per pænitentiam reservatur, discessio verò cum ipsa pænitentiæ discessione se damnat; quæ hinc oritur, cùm F voluntas eorum qui discessuri sunt est iniqua.

* Hæc Pelagio opponit Augustin. l. de nat. & grat. c. 62.

11. Dehinc sequitur: *Prævaricantes deputavi omnes peccatores terræ, ideo dilexi justitias tuas.* ℣. 119.
[h] Semper Prophetæ sermo longè se & ultra communem sensum tendit. Nos enim prævaricatores eos existimamus, qui susceptam fidem & cognitionem Dei adeptam relinquunt; aliud pollicitos, & aliud nunc agentes. Sed hîc prævaricatores esse existimantur *omnes peccatores terræ*: nullus excipitur, generaliter ad omnes prævaricationis nomen refertur. Lex enim veluti naturalis est, injuriam nemini inferre, nil alienum præripere, fraude ac perjurio abstinere, alieno conjugio non insidiari. Novit & hanc Apostolus legem, dicens, Cùm enim nationes, quæ legem non habent, naturaliter secundùm legem faciunt; tales homines legem non habentes sibi ipsi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Ergo prævaricatores existimantur, qui quod [i] à naturali lege accipiunt, derelinquunt. Furem quis deprehensum, aut adulterum, aut homicidam arguet lege naturæ. Sed si in his ipse versetur, prævaricator est legis.

Prævaricatores qui vulgò.

Quomodo omnes.

Lex naturalis.

Rom. 2. 14.

Peccatores cæli.

12. Novit etiam, cùm ait *peccatores terræ*, alios esse & cæli peccatores. Audiamus enim evangelicæ prædicationis prodigum filium perditum atque mortuum, de peccato suo patri confitentem: Peccavi, inquit, pater in cælum & coram te. Quisquis cælestis doctrinæ & spiritalis gratiæ particeps factus in peccato demorabitur; non terræ peccator est ille, sed cæli. Omnes enim credentes in se Dominus noster Jesus Christus coexcitavit, & collocavit in cælestibus: ex quibus qui decidet, tamquam cæli peccator arguitur. Cùm igitur Propheta peccatores terræ prævaricatores esse existimet, quia naturæ legem peccando transgressi sint; ob hoc ipse testimonia Dei diligit, quia cùm prævaricatio sit decedere ex lege naturæ; tamen jam sine venia sit ex cælesti lege discessio.

Luc. 15. 21.

Cruci carnis vitia configenda.

13. Concludit autem ita: *Confige timore tuo carnes meas; à judiciis enim tuis timui.* ℣. 120.
Novæ & inusitatæ preces Prophetæ sunt, ut à timore Dei carnes suæ configantur. Sed meminit compatiendum & commoriendum esse cum Christo his, qui conregnare cum eo velint. Et minore [k] istud dicti virtute latinitatis translatio eloquuta est. Quod enim nobiscum est *confige*, illic κατήλωσον id significat, ut clavis se

[a] In duobus mss. *operatur.*

[b] Regius codex hîc subjicit, *cùm ex corporea terrenaque natura* &c. aliis omissis. Augustinus quidem epist. 164. n. 7. & lib. 12. de Gen. ad lit. c. 33. n. 63. testatur se inferos nuspiam Scripturarum in bono appellatos reperire potuisse, eosque non vult sanctis viris sustinendos. Hilarius verò etiam ipsi David, cujus sanctitatem sæpe commendat, inferos sustinendos asserit, non ut locum tormentorum, sed ut sedem quietam in qua exspectarit donec Christus paradisi claustra reseraret. Ut enim habet Hieronymus epist. 3. *Abraham, licèt diversis locis, cum Lazaro* à divite *videtur apud inferos*, ibidem docens meliorem esse conditionem eorum qui post Christum vixere: & hoc post Origenem, cujus insignis ea de re locus est de Engastrimyto apud Huetium T. 1. p. 36. Hunc maximè eo loci Hilarius videtur imitatus: ac proinde intelligendus est hîc prophetæ David, quatenus Christum præcessit, inferos prædicare sustinendos; sed de justis, qui Christum secuti sunt, aliter omnino sentire.

[c] Nomine *paradisi* cælum hîc intelligi liquet ex verbis circumstantibus.

[d] Editi, *quomodo meditaturum se in justificationibus Dei dicit?* obnitentibus mss. per quos si liceret, mallemus *quid* pro *quòd*.

[e] *Virtutes cælestes* Angelos ab Hilario hîc intelligi manifestum est. Ex quo illustratur illud Tract. Ps. 91. n. 7. *Cælum dilaberetur . . . . . si sabbati lege virtutum constitutio otiaretur.* quamquam illic *virtutum* nomine astra intelligi queant. Illustrantur & alii similes loci.

[f] Excusi, *consummatio spernendi*: emendantur ope mss.

[g] Apud Hincmarum de Prædest. c. 25. *à peccatore* (quod & hîc præ se ferunt Hilarii edit.) *discessio: quia peccatori venia per pænitentiam reservatur, discessio verò cum ipsa pænitentia* (non *pænitentiæ*) *discessione se damnat*: malè.

[h] Malè in priùs vulgatis vox *semper* tamquam pars sacri textus ponebatur.

[i] Vatic. ms. *à natura lege.* Alii, *à naturale lege.* Editi verò, *à natura legis.*

[k] Unus è mss. Vatic. *istud dictum virtute latina translatio* &c.

configat. Moriendum ergo nobis est, & omnia carnis nostræ vitia configenda cruci Domini sunt. Morimur enim secundùm Apostolum cum Christo, & consepelimur in baptismo. Et hoc Propheta quamquam in sua voluntate habeat: tamen ut per misericordiam Dei consequatur expostulat. Configi enim ex timore Dei carnes suas orat, quia judicia Dei metuat. Timet enim æterni judicii sententiam, timet se non cum Christo configi & commori & consepeliri, novum se hominem, nisi vetere cum vitiis & concupiscentiis exuto, intelligens non futurum.

Rom. 6. 4.

LITTERA XVI.

ע Ain.

*FECI judicium & justitiam: non tradas me * persequentibus me. Excipe servum tuum in bono: non calumnientur me superbi. Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium justitiæ tuæ. Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam, & justificationes tuas doce me. Servus tuus sum ego: da mihi intellectum, * & sciam mandata tua. Tempus faciendi * Domine: dissipaverunt legem tuam. Ideo dilexi mandata tua super aurum & * topazium. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.*

* Hil. nocentibus.
* ut sciam testimonia.
* Domino.
* topazion.

Octonario hoc quanta cum primis doceamur.

1. ET in psalmi exordio, & deinceps frequenter meminimus, per hæc singularum litterarum quædam quasi elementa discendi, doctrinâ nos pietatis, continentiæ, intelligentiæ, fidei & timoris instituti: & ut rudem infantiam ad loquendi scientiam, quam & agendi doctrina consequitur, ipsis humanæ vocis initiis erudiri: quod ex præsentibus sextæ & decimæ litteræ octo versibus intelligi * licet. Propheta enim ex persona sua universos docet, quid velle, quid agere, quid profiteri unumquemque pro conscientia infirmitatis ac naturæ suæ utile sit: quid etiam metui, quid caveri, quid [a] emundari oporteat. Beatus idem propheta, [b] qui per misericordiam Dei ipse sibi, & universis doctor & prospector & emundator & judex est. Et certè dignitati ejus decentissimum est, ut qui spiritu Dei loquitur, ea quæ humanæ & salutis & æternitatis sunt eloquatur.

* Duo mss. debet.

℣. 121. 2. Ait enim ita: *Feci judicium & justitiam: non tradas me nocentibus me.* [c] Fecit placentia Deo opera: & quia fecit, ne nocentibus se tradatur orat. Opus merendi antefertur: & dehinc meriti præmium postulatur. Fit enim primùm quod placet: & tum dignatio ejus, cui per opus placetur, oratur. At nos nec operamur, nec placemus, quin etiam impiis & irreligiosis rebus offendimus: & quia tales non placemus, irascimur. Sed dignum est contueri, qualia sint quæ Propheta faciens, ne nocentibus se tradatur, orat.

Opus orationi anteferendum.

3. Et omnia quæcumque quis timens Deum fecerit, utilia ei atque pulcra sunt. Pudicitiam quis colens, gloriosum ac nitens [d] sordenti corporis sui carni lumen invexit. Contemtum verò pecuniæ assumens, liberum se à terrenis dominationibus [e] præservavit. Frugalitatem autem & parsimoniam diligens, nobilitatem animæ cælestis captivam ebrietati non dereliquit. Sed hæc quamvis magna atque præclara sint; tamen quia Prophetæ propria, eique tantummodo utilia sunt, non referuntur ad meritum.

Virtutes David ipsi soli utiles.

4. Sed quid fecit, ut non tradi se nocentibus deprecetur? *Judicium* scilicet *& justitiam*: nihil inconsultum, nihil injustum agens: sed primùm faciens judicium. omnia namque ratione, modo, & veritate pertractans: ut id quod in alterum agat, perpensum antea atque perspectum jam de consilii sententia exsequatur. Non permittit autem consilio tantùm suo judicii sententiam: sed facit cum judicio justitiam. Judicantis autem cum consilio hoc opus maximum est, ut quod judicat justum sit. Justitia etenim est [f] amicitiæ concordia, unanimitatis vinculum, fundamentum pacis, divinæ atque humanæ rationis operatio. Hæc itaque Propheta fecit: in quibus cùm opus suum sit, tamen & eorum quibus judicium & justitiam fecit, utilitas est.

Judicium autem ac justitia prosunt & aliis.

5. Postulat verò ne nocentibus se tradatur. Omnis enim, in quo peccati voluntas est, Deo vacuus est: & ubi Deus non erit, illic diaboli locus est: qui insidians atque obsidens, [g] ubi adeundi opportunitatem habuerit, tamquam vacuam domum occupet, quæ ei, Deo eam deserente, sit tradita. Et Propheta quidem, quia ex persona omnium loquebatur, ne à Deo tradatur orat. Ceterùm Apostolus habet jam id in se fiduciæ, ut peccatores diabolo tradat ipse: cùm Corinthiis de eo qui fornicationes omnes supergressus, uxorem patris sui acceperat, scribit: Ego autem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi tamquam præsens eum qui hoc fecit, congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini [h] mei Jesu, tradere istiusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini. Sed li-

Peccator, diaboli domus.
v. Tract. Ps. 110. n. 8.
Huic à Deo traditur.
1. Cor. 5. 3. &c.

[a] In mss. Reg. Vatic. & Albin. *emendari*, & mox, *emendator.* Verbum *emundo* Hilario familiarius est, quàm *emendo.*
[b] Abest *qui* à ms. Mic. Mox in editis desiderabantur verba, *& universis doctor.* Omittunt verò Reg. atque Albin. mss. subsequentia, *& prospector* (in Vatic. legitur, *prospectator*) *& emendator & judex.* Particula *&*, quæ præcedit *universis*, perinde est ac *etiam.*
[c] In mss. *facit*: ac deinde in solo Mic. *& quia facit.*
[d] Deest *sordenti* in prima editione Par. Ceteræ autem habent, *gloriosum ac timens sordem corporis sui* &c. diffidentibus mss.
[e] Mss. Reg. & Albin. *reservavit.*
[f] Ita cum antiquis editionibus quinque mss. nec debuit apud Par. ex ms. Mic. substitui, *amica concordia.*
[g] Pravè apud Par. *ubi abeundi.*
[h] Adjecimus *mei* auctoritate mss. Reg. & Albin. Nunc in sacris codicibus legimus *nostri.*

cet

2. Tim. 1. 15. — a 1. Tim. 1. 20. — Resecari ab Ecclesia, est diabolo tradi.

cèt Apostolus tradat; scit tamen se & in virtute Christi, & in suo spiritu traditurum. Sed & in alia epistola ait de [a] Phygello & Hermogene: Quos tradidi, inquit, satanæ, ut discant non blasphemare. Qui enim ab Ecclesiæ corpore respuuntur, quæ Christi est corpus, tamquam peregrini & alieni à Dei corpore, dominatui diaboli traduntur.

Tentationes variæ dæmonum.

6. Sed Propheta ne nocentibus se tradatur orat. Adsunt enim inimicæ infestæque virtutes, quæ fidei propositum conturbent, quæ timorem Dei oblitterent, quæ in terrenas cupiditates & desideria sollicitent, quæ infirmam corporis naturam quibusdam blandimentorum aculeis in vitia commoveant. Novit & Apostolus hanc multitudinem dominantium virtutum dicens; In quibus & vos aliquando ambulastis, secundùm principem potestatis aëris, spiritûs qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. (Eph. 2. 2.) Fecit ergo Propheta judicium & justitiam: & ne tradatur nocentibus se rogat: & hoc modo nocentibus, cùm in peccatum impellunt, cùm in gloriam inflant, cùm in iram accendunt, cùm in odium exacerbant, cùm ad lasciviam illiciunt, cùm ad avaritiam provocant. Sed cùm per hæc nocere properent; obtinere tamen eos qui innocentes sunt, nisi sibi [b] per secessionem Dei traditi fuerint, non valebunt.

Non obtinent nisi quos Deus deserit.

b ℣. 122. — c

7. Dehinc sequitur: *Excipe servum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.* [c] Proficit in spes suas Propheta, & celsiorem jam deprecationis suæ gradum scandit. Qui enim oraverat ne traderetur nocentibus se, jam ut in proprietatem servi excipiatur rogat, beatum illum in se Dei dominatum cum bona susceptione sua deprecans. Et non ob levem causam ut in bonum suscipiatur orat, scilicet ne eum superbi calumnientur. Et qui sunt superbi? Nempe illi, quorum principem loquentem Esaias introducit ita: Dixit enim, [d] Virtute faciam, & sapientiâ intellectûs auferam fines gentium & virtutem eorum, & commovebo civitates [e] inhabitabiles, & omnem orbem terræ apprehendam manu mea ut pullos, & tamquam confracta ova auferam. (d Esa. 10. 13. & 14. — e) Hæc superbientis vox est, diaboli scilicet, qui & Deo ac Domino nostro Jesu Christo ostensâ terrenorum imperiorum gloriâ dicere ausus est, Omnia hæc tibi dabo, si procidens adoraveris me. (Matth. 4. 9.) Non esse autem hunc solitarium, sed plures ei adesse spiritalium nequitiarum ministros, per eum docemur qui ait, Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparavit Pater meus (Matth. 25. 41.)

Superbi, diabolus & ministri.

diabolo & angelis ejus. Ab horum igitur superborum calumnia esse se liberum rogat. Calumniantur enim; quia cùm ipsi peccati incentiva suppeditent, calumniam nobis ante Dominum peccati quod per eos gesserimus intentant. Causam namque peccati ad crimen injiciunt, & criminis invidiam per calumniam exacerbant, Scripturâ in Apocalypsi calumniatorem eum esse testante. Apoc. 12. 10.

Qui calumnientur.

8. Verùm etiam nunc se extendit Propheta in celsiorem profectum, dicens, *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium justitiæ tuæ.* ℣. 123. Oculi deficiunt, cùm intentus in aliquam exspectationem visus laborat. Propheta itaque animæ suæ oculos in Dei salutare defixit. Et de salutari quid intelligi oporteret, sæpe tractavimus, eum scilicet esse Jesum, qui salvum faciet populum suum à peccatis. Aliis igitur oculos suos in desideria sæcularia occupantibus, & in voluptates rerum præsentium tendentibus, Propheta in Dei salutare defixus est. [f] Et ne corporales oculos ejus deficere sub hac contemplandi intentione existimaremus; non solùm in Dei salutare deficiunt, sed etiam in eloquium justitiæ.

Oculis mentis David in Jesum deficit.

9. Justa itaque esse Dei eloquia confitetur. Scit esse quædam, quæ [g] cum imperitis atque impiis injusti eloquii habeant opinionem: cùm Pharao cor ad contumaciam obduratur, & pertinacia ei [h] irreligiosæ voluntatis affigitur: (g Exodi 4. 21. — h Rom. 9. 11.) cùm ex duabus adhuc in utero gentibus minori major sit servitura, & [i] neutrâ quidquam boni promerente, servitus uni imponitur, dominatus alteri donatur; cùm Adam de paradiso ne arborem vitæ contingat expellitur: (i Gen. 3. 22.) quæ homines divinæ virtutis & bonitatis & justitiæ incapaces, dum intelligere non possunt, injusta esse constituunt. Sed Prophetæ hujus in istiusmodi eloquium [k] justitiæ, oculi deficiunt: quia sciat nihil injustum esse in his dictis Dei, sed omnia adventu salutaris Dei hæc eloquia & consummanda & intelligenda esse [l] justitiæ. Procedit autem per hanc intentam usque ad defectionem oculorum exspectationem, ut aliquid ultrà precari audeat.

Justa, etsi occulta, Dei verba ac gesta.

10. Confessus itaque eloquium justitiæ, hæc subdidit: *Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam, & justificationes tuas doce me.* ℣. 124. Insolens fortè vox existimaretur, quæ diceret, *Fac cum servo tuo.* Quod enim dicitur, *Fac*; tamquam ex fiducia aliqua præsumtio est usurpata poscendi. Sed non impudenter id diceret, qui judicium & justitiam fecisset, qui se excipi in

Fiducia David unde.

[a] Regius codex cum Albin. *Fileto.* Subsequentia autem verba 1. Tim. 1. 20. habentur de Hymeneo & Alexandro, non de Fileto aut Phygello, sicut nec de Hermogene. Hymeneum verò simul & Philetum refert Apostolus 2. Tim. 2. 17. à fide defecisse: Phigelli etiam & Hermogenis à fide defectionem narrat 2. Tim. 1. 15. at utroque loco satanæ traditionem tacet: ut hîc Hilarius ex memoriâ locutus videatur.

[b] In ms. Mic. *qui nocentes sunt, nisi sibi* &c. Tum in tribus aliis, *per concessionem Dei.* Retinendum esse *per secessionem* suadet illud num. 5: *Diabolus tamquam vacuam domum occupet, quæ ei Deo deserente sit tradita,* necnon hoc Tract. Psal. 120. num. 8. *Desolatio ejus idcirco traditio est, quia peccatores obtinere diabolus, nisi Deo ab his abscedente, non poterit.*

[c] Vaticanus codex cum Reg. & Albin. *profecit in spe sua.*

[d] In mss. Reg. & Albin. *Virtutem faciam & sapientiam intellectûs. Auferam* &c. & mox omittitur *apprehendam manu mea ut pullos, & tamquam confracta ova auferam.*

[e] Vox *inhabitabiles* non negativè hîc, ut sonat, intelligenda videtur; maximè cùm in græco exstet, κατοικουμένας. Ex quo colligimus *inhabitabiles* hîc perinde esse ac *habitabiles*, puta à verbo *inhabito*, quod sæpe idem est atque *habito.*

[f] In priùs vulgatis, *& ne per corporales oculos eum deficere.*

[g] Id est, *secundùm imperitos.* Ea enim apud Hilarium vis est præpositionis *cum*, uti jam superiùs observatum est. Mox ubi in editis *Pharaonis cor*, auctoritate mss. restitutum est *Pharao*, licèt ea vox in gignendi casu accipiatur, de qua vide annotata in Ps. 67. num. 25.

[h] Apud Par. *religiosæ.*

[i] In vulgatis, *neutro.* Rectiùs in mss. *neutrâ*, scil. gente.

[k] Editi, *justè*: emendantur ex mss.

[l] Subaudiendum hîc, *ut re ipsa sunt, eloquia.* Paulò antè in nostris mss. *Salvatoris* loco *salutaris.*

servum deprecatus esset, & cujus oculi in salutare Dei & in eloquium justitiæ defecissent. Sed ne in his quidem Propheta insolens est.

Dei ope eget homo, ut bonum perficiat.

Nam in eo ipso quod dixit, *Fac*; adjecit, *cum servo tuo*. Et quia servitus nostra ad id ipsum, ut in servitutis fide maneat, misericordiâ Domini indiget; superaddidit, *secundùm misericordiam tuam:* quia miseratione ejus opus est, ut in hac servitutis nostræ professione maneamus. Imbecilla enim est per se ad aliquid obtinendum humana infirmitas: & B hoc tantùm naturæ suæ officium est, ut aggregare se in familiam Dei & velit & cœperit. Divinæ misericordiæ est, ut volentes adjuvet, incipientes confirmet, adeuntes recipiat: ex nobis autem initium est, [a] ut ille perficiat.

In ritibus veteris legis latet quid magnum.

11. Sed quid tandem ut faciat cum servo suo secundùm misericordiam suam postulat? Nempe ut justificationes suas doceat. Scit in justificationibus, quas Moyses constituere præceptus est, magnum nescio quid & incomprehensibile humanæ intelligentiæ contineri. C Scire optat quis iste sit, ut frequenter diximus, coemtus hebræus puer, sex tantùm annis serviturus.

Exodi 21. 2.

Legit hæc quidem: sed non statim quod legitur, & intelligitur. Scire vult quæ illa servitus sit, quæ septimi anni libertas, quod sit auris foramen ex subula si liber esse nolit, quæ illa mulier [b] Hebræi, quid illud, ut sine muliere egrediatur ipse: D quid deinde secunda justificatio, quid tertia, quid sequentes habeant futurorum sacramentorum [c] præformationis. Non est humani ingenii hæc consequi posse: cælesti opus est magistro, & plurimis fidei nostræ meritis necessarium est, ut doceri ista mereamur.

Ibidem.
Ibid. 6.
Ibid. 4.

In dictis David nil humile aut commune.

12. Scire autem nos convenit, in omnibus Prophetæ verbis nihil humile esse, nihil commune cum ceteris, sed proprium vel ipsi sibi, vel sui similibus enuntiari: E latet autem sub familiaribus verbis maxima conscientiæ & fidei professio, ut nunc in eo quod sequitur intelligimus. Ait enim, *Servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.*

℣. 125.

Servum Dei nemo se ore negat, multi re.

Nemo nostrûm est, qui non vel in orationis suæ prece, vel in communium sermonum consuetudine servum se Dei esse fateatur. Et quid magnum Propheta fecit, servum se profitendo, quod nullus ausus sit denegare? Sed professio ceterorum fallax est, quæ cùm habeat conscientiæ F necessitatem, non habet tamen confessionis veritatem. Proprium hoc Prophetæ est, ut se servum Dei profiteatur, in omni vitæ genere famulatu conditionis suæ fungens, sive ambulans, sive residens, sive vigilans, sive dormiens, in cibo etiam atque in jejuniis Deo aut esuriat aut satur sit, & nullo in tempore à servitutis suæ A officiis absistat. Hic liberè dicit, *Servus tuus sum ego.* At verò qui stupris dormit, latrociniis vigilat, quæstibus peregrinatur, luxui requiescit, si dicat, *Servus tuus sum*, profitetur quidem quod est, sed [d] quod est non agit.

Intellectus à Deo, falsus ingeritur à diabolo.

13. Propheta autem, quamvis conditionem officii sui etiam ipso famulatu suo confiteatur, tamen infirmitatis suæ memor est; dari enim sibi intellectum rogat. Est enim intellectus in quodam thesauro repositus spiritalium gratiarum: B quem interdum diabolus sub falsæ opinionis errore imprudentium mentibus insinuat. Sed à Deo intelligentiam Propheta postulat, ne sibi inanis intelligentia subrepat, qualis gentium, qualis Judæorum, qualis hæreticorum est: & postulat ob id, ut testimonia Dei sciat, quæ sub testibus tradita sunt, quæ sub testibus neglecta & violata esse exprobrantur, quæ [e] in adventu ejus, ob quem testandum dicta sunt, neglecta & fastidita esse vindicabuntur.

Lege dissipatâ, tempus est Evangelii.

C 14. Et horum quidem testimoniorum tempus non ignorat Propheta, dicens, *Tempus faciendi Domino: dissipaverunt legem tuam.* Lex populo sub testibus data est, quæ cùm dissipata & abjecta à Judæis est, tum fuit tempus Domino ea quæ continebantur lege faciendi. Pollicitus enim in lege est, ut salutem gentibus daret, ut ipse sibi hominis corpus, qui secundùm imaginem & similitudinem Dei est factus, assumeret, ut dissipata lege fidei gratiam donaret.

℣. 126.

D Temporis hujus meminit per Esaiam prophetam dicens, Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. Apostolus verò dicti hujus interpres hæc scribit; Ecce nunc tempus bene [f] acceptabile, ecce dies salutis: id est, dissipata lege, tempus evangelicæ prædicationis advenit.

Esai 49. 8.
2. *Cor.* 6. 2.

Mandata Dei cur diligat David.

15. Sed illis legem dissipantibus, aliud opus Prophetæ est. Et quod sit, ex subjectis docemur. Ait enim, *Ideo dilexi mandata tua super* E *aurum & topazion.* Quod ait, *ideo*, ad id retulit quod dixerat, *Tempus faciendi Domino*; quia sciret tempus faciendi Domino esse, cùm legem dissipassent. Ideo autem mandata dilexit, quia in his tempus faciendi Domino continetur. Lex enim omnis adventum Domini testata est, ipso dicente, [g] Si crederetis Moysi, crederetis utique & mihi; de me enim ille scripsit. Mandata igitur Dei ob id Propheta dilexit, quia in his adventum dominicæ corporationis F intelligit.

℣. 127.
Johan. 5. 46.

Diligere plus est quàm facere.

In eo autem quod diligit, plus nescio quid significat. Facere autem aliquid, minus est quàm diligere: quia plerumque id quod agimus, necessitatis est; dilectio verò propriæ voluntatis affectio est.

Dilectio perfecta.

16. Sed dilectio ea demum perfecta est, quæ maxima est, & quæ nulli comparatione similium coæquatur. Diligit autem mandata Dei

[a] Reponimus ex mss. *ille*, scil. Deus, cùm priùs exstaret *illa*, quod ad misericordiam referri posset.

[b] Scil. servi, cui si dominus suus uxorem dedisset, post sex servitutis annos sine liberis atque muliere seu uxore egrediebatur Exodi 21. 4. Hinc malè editi hîc, *hebrææ:* pejùs deinde, *sine muliere ingrediatur*. Castigantur ex mss.

[c] Excusi, *præformationes*. Rectiùs mss. *præformationis:* quasi, *quid præformationis fut. sacr. habeant* 2ª. 3ª. *& sequentes justificationes*, seu præcepta ibidem tradita.

[d] In vulgatis, *quod non est agit:* vitiosa particulæ negantis collocatio, quæ Hilarii sententiam pervertit.

[e] Editi, *in adventum ejus*. Tum prima editio Par. *ob quæ testato*. Mic. ms. *ob quem testato*, & mox *judicabuntur*, non *vindicabuntur*, omisso priùs verbo *esse*, quod in vulgatis etiam omittitur.

[f] Mss. Reg. & Albin. *acceptum*.

[g] Editi excepto Par. necnon prædicti duo mss. *Si creditis Moysi, creditis* &c.

super aurum & topazion. Humanus error pretiosius nihil auro & gemmis opinatur : & hæc sunt quæ hominum cupiditates dominatui pretii sui & honoris subdiderunt. Auro [a] viris honestas pudicitiæ venalis est : per gemmas verò humani corporis præstantior, ut putant, species ad naturæ contumeliam [b] expolitur. Et idcirco nihil habet sexus uterque pretiosius, dum viri posse omnia auro volunt, mulieres verò per gemmas fieri se existimant pulcriores. Præstat autem ut ceteris metallis aurum, ita & aliis lapidibus topazion. Est enim ipse rarissimus & speciosissimus omnium & maximus. In Thebaidis verò loco, cui [c] Alabastra nomen est, reperiri solet. Hunc etiam ferunt sæcularium gestorum litteræ, [d] in Topazo insula ab incolis ejus, id est [e] Troglodytis Arabis inventum, ad matrem [f] regis Ægypti Ptolemæi, sub quo Scripturæ legis ex hebræo in græcum translatæ sunt, munere fuisse [g] delatum. Continet autem ipse in se solus ceterarum gemmarum optimarum pretiosissimarumque speciem, & in uno illo diversissimorum colorum permixtio continetur. Super hunc igitur topazion, & super aurum mandata Dei Propheta dilexit, non terrenis se, sed cælestibus desideriis significans detineri.

Cupiditatem omnem recidit.

17. Contemta autem sæcularium opum cupiditate, omnem à se occasionem perversæ & pravæ voluntatis recidit. Diligens enim super aurum & topazion mandata Dei, dehinc ait, *Propter hoc ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* ℣. 128. Non deflectitur, non detorquetur per terrenas cupiditates, sed ad omnia Dei mandata dirigitur : non occupant obvia. Vidit aurum, scivit hoc terræ limum esse : vidit gemmas, meminit esse aut montium aut maris calculos : vidit [h] illicem ad lasciviam vultum, scit tamquam avibus cæli ex his sibi laqueis evadendum. Resistit ergo coalitis sibi naturæ suæ vitiis, & omnem viam iniquitatis odit. Ideo itaque & ad mandata omnia dirigitur, quia ea super terrena desideria diligit : & dirigitur, ne particeps eorum fiat quibus dicitur, Natio prava & perversa. Luc. 9. 41. Et omnem viam iniquitatis odit, ut sit in eo qui est via, Domino scilicet nostro, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

A

B

C

D

E

LITTERA XVII.

פ Phe.

*MIRABILIA testimonia tua, Domine : ideo * dilexit te anima mea. Declaratio sermonum tuorum illuminat * me, & intellectum dat parvulis. Os meum aperui, & attraxi spiritum : quia mandata tua concupiscebam. Adspice in me, & miserere mei secundùm judicium diligentium nomen tuum. Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, * & non dominetur mei omnis injustitia. Redime me à calumniis hominum : & custodiam * mandata tua. Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas. Exitus aquarum transierunt oculi mei : quia non custodierunt legem tuam.*

* Hil. *perscrutata est ea.*
* Infrà abest *me.*
* *ac ne.*
* *ut custodiam præcepta.*

I. NATURA humani sensus ea est, ut ea mirabilia habeat, quæ antè comperit. Ex compertis enim judicium admirationis exsistit. Ceterùm nemo poterit ignorata mirari. Hæc idcirco antea commemorata sunt, ut diligentiùs dicti prophetici ratio quæreretur. Contra opinionem enim generalis sensus hæc dixisse existimatur : *Mirabilia testimonia tua, Domine : ideo perscrutata est ea anima mea.* ℣. 129. Nam cùm priùs secundùm humanam consuetudinem oporteat perscrutari & reperire, & reperta mirari : [i] huic testimonia Domini antè admirabilia sunt, & ob id perscrutatione sunt digna. Dicti autem hujus perfecti & pulcherrimi ea ratio est. Testimonia etenim Dei, id est, ea quæ sub testibus scripta sunt, etiamsi per observantiam legis humanam infirmitatem ad cognitionem & famulatum Dei imbuant ; quippe ubi castitas, pietas, pudicitia, caritas, veritas, innocentia, frugalitas & religio mandatur, & per quasdam religionum consuetudines, [k] hostiarumque diver-

Admiratio non est ignoti.

Testimonia Dei unde mirabilia, unde incomperta.

[a] Apud Par. *auro jus, honestas, pudicitia venalis est* : cui lectioni neque alii libri favent, nec subnexa.

[b] Miciacensis codex cum uno Vatic *expetitur.* Rectiùs alii, *expolitur*, puta, corporis humani species præstantior : qua locutione femineum genus significari nullum dubium permittunt subjecta. Ideo autem gemmarum ornatum *ad naturæ contumeliam* à feminis adhiberi ait Hilarius, quia iis, uti docet Cyprianus de discipl. & habitu Virg. *operiatur quod Deus formavit, & conspiciatur id desuper quod diabolus adinvenit.* Unde & de muliebri ornatu generalis hæc est ipsius sententia : *Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis, prævaricatio est veritatis.*

[c] In mss. Mic. *Alabastrans* : apud Ambrosium autem & Plinium *Alabastrum* hic locus cognominatur. *Invenimus*, inquit Ambrosius in hunc eumdem versum Ser. 16. num. 41. *scriptum in historia Xenocratis, nasci eum circa Thebaidis civitatem Alabastrum.* Plinius verò lib. 37. c. 8. *Recentissimi auctores & circa Thebaïdis Alabastrum oppidum nasci dicunt.*

[d] Regius codex cum Albin. *in topario.* Miciacensis, *in topharia. Juba* autem apud Plinium loco citato *Topazon insulam in rubro mari à Continente diei navigatione abesse tradit.* Archelaüs verò apud eumdem Plinium in Arabiæ insula, quæ *Cytis* vocetur, à Troglodytis prædonibus inventum sentit.

[e] Mss. Reg. & Albin. *Troglotidis* : dissidentibus aliis libris, necnon Plinio & Ambrosio.

[f] Hæc apud Ambrosium & Plinium locis memoratis *Berenice* cognominatur : quò pertinet illud Juvenalis Satyra 6. ℣. 155. *Adamas notissimus, & Berenices in digito factus pretiosior.*

[g] A Philæmone nimirum regis præfecto, ut testis est Plinius, aut, si malis credere Ambrosio, à Philone, qui lapidem hunc ab Arabis negotiatoribus advenientibus emit, quem illi à Troglodytis emerant. Hæc omnia narrat Hilarius, ut *ferunt sæcularium gestorum litteræ.* Ex sacris enim litteris constat topazion longè ante Ptolemæum fuisse inventum ; si quidem Exodi 28. 10. jussus est Moyses in primo versu rationalis topazium ponere, eumque ibi re ipsa posuisse declaratur Exodi 39. 10. Neque verò rem sibi ignotam hîc memorat David Ptolemæo pluribus sæculis antiquior. At fortè hic lapis Moysi ac David ætate non ignotus, diu postea latuit, donec à Troglodytis denuo inventus, quasi numquam antea notus habitus fuerit.

[h] Vaticanus codex, *illicientem.*

[i] Adjecimus *huic* auctoritate mss. Mic. & Vatic.

[k] Editi excepto Bad. *historiarumque diversitates* : corruptè & contra fidem mss.

ſitates divini honoris officium præcipitur: in A quibus cùm admiratio magna ſit, pro peccatis oblata hoſtia, & datum pro redemtione animæ munus, & agnus in ſacramento paſchæ occiſus; tamen in his plus de futurorum ſpe atque doctrina admirationis continetur. Hæc itaque Prophetæ huic admirabilia ſunt. Sed quia [a] per præſentes admirationes futurorum atque æternorum bonorum exemplaribus admirabilia ſunt, perſcrutatur ea. Non inquirit tantummodo, in quo eſt rerum abſconditarum diligens exquiſitio; ſed perſcrutatur etiam, per adjectionem ſcilicet diligentioris exquiſitionis, laborem ſuum in perſcrutatione demonſtrans. Neque tantummodo perſcrutatur, ſed perſcrutatur ex anima, ad voluntatis officium animæ intentione ſociatâ.

Inquirere. Perſcrutari.

℣. 130. 2. Sequitur deinde: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Et hic quoque ſermo fortè videtur à naturæ noſtræ conſuetudine eſſe diverſus. Cùm enim C antè intelligendum ſit, & ſic lumine intelligentiæ utendum; quia noctem ignorantiæ intelligentiæ adeptæ lumen apellat: Propheta tamen dicit declarationem verborum Dei priùs illuminare, & poſt illuminationem intelligentiam præſtare. Sed quæ ſint Dei verba, antè diſcendum eſt: & tunc illuminationis, ac poſtea intelligentiæ ratio præſtanda eſt. Verba Dei ſunt, quæcumque prophetæ loquuti ſunt. Cùm enim Moyſes verbis ſuis populo Hebræo D legis obſervantiam nuntiaverit; tamen in libro ejuſdem legis ita ſcriptum eſt: Et dixit Dominus ad Moyſen, dic filiis Iſrael. Uſus igitur eſt his legiſlator verbis, quibus ei ut uteretur præceptum eſt. Ergo verba Dei ſunt, quæ per officium licèt humani oris audita ſunt. Sed & magnus ille propheta ipſo judicio Domini noſtri Jeſu Chriſti bene loquutus, cùm dixiſſet, Audi cælum, & auribus percipe terra; ait, Quoniam Dominus loquutus eſt: & E poſt aliqua, quæ querelis maximis increpabantur, dixit, Os enim Domini loquutum eſt hæc. Hæc ergo omnia Dei verba ſunt.

Verba Dei, Prophetarum dicta. — *Exodi* 3. 14. — *Eſai* 1. 2. — *Ibidem.* — *Ibid.* 20.

3. Sed declaratio verborum maximè neceſſaria eſt. Sunt enim ſub velamine opinionis alterius prædicata, ſunt ſecundùm Apoſtolum allegorumena, ſunt comparativis ſignificationibus amphibola. Teſtis eſt Dominus hæc eadem per Eſaiam ita dicta eſſe Judæis infidelibus exprobrans & dicens, Auditu audietis, & F non intelligetis. Signata enim omnia ſunt, & per ſolam ſpiritalem doctrinam reſignanda. Hæc enim [b] ad Danielem deſideriorum virum dicta ſunt: Vade Daniel, quia clauſi ſunt ſignatique ſermones. Ait etiam Eſaias, Dabi-
„ tur liber iſte in manus hominis ſcientis litte-
„ ras, & dicetur ei, Lege hæc: & reſponde-
„ bit, Non poſſum legere; ſignatum eſt enim.

Obſcura ſunt. — *Gal.* 4. 24. — *Matth.* 13. 14. — *Eſa.* 6. 9. — *Dan.* 12. 9. — *Eſa.* 29. 11.

4. Sed declaratio verborum myſticorum per Evangelia præſtatur, ubi legis abſcondita & occulta [c] prophetica Domino in corpore manente panduntur, ex quibus primùm fides diſcitur. Ibi enim ea, quæ à Prophetis dicta ſunt, per eum rebus & operibus explentur. Cùm virgo parit, cùm Dominus Verbum eſt, & Verbum caro fit, & habitat in nobis, cùm muti loquuntur, cùm ſurdi audiunt, cùm B claudi incedunt, cùm leproſi emundantur, cùm cæci vident, cùm dæmoniaci curantur, cùm mortui reſurgunt: declaratio hæc verborum Dei, noſtræ hanc naturæ obſcuritatem fidei luce illuminat. Nunc enim intelligimus reſurrectionis gloriam, judicii poteſtatem, æternitatis honorem. Et intelligimus hæc parvuli: vel ad innocentiam renati, vel per ignorationem imperiti. Hæc declaratio verborum Dei, & intelligentia parvulis præſtita, [d] cujus C temporis ætatiſque res eſſet, Dominus in Evangeliis demonſtrat, dicens, Confiteor tibi Do-
„ mine pater cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc
„ à ſapientibus & intelligentibus, & revelaſti
„ ea parvulis. Ecce declarationis & illuminationis & intelligentiæ tempus. Abſconſa enim [e] uſque in hos dies declarantur, & declarata illuminant, & [f] illuminantia intelligentiam parvulis ſubminiſtrant: fiuntque per hanc intelligentiam ſancti Spiritus jam capaces.

Per Evangelia quæ declarentur. — Parvuli qui. — *Matth.* 11. 25.

5. Denique id ipſum ſequens ſermo ſubjicit, dicens, *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum; quia mandata tua concupiſcebam.* Non de hoc utique humani corporis ore dixit, quod per labia concluditur ac patet. Nam ſpiritum officio narium magis quàm oris haurimus. Laborioſiùs autem [g] aditu oris in animam tranſfunditur: abſolutiùs verò per naturalem curſum famulatu atque officio narium commeat. Sed os Scriptura non labiorum tantùm, ſed E & cordis ſolita eſt nuncupare. Corde enim per fidem patente, & per deſiderium ad hauriendum hiante, intelligentia doctrinæ cæleſtis accipitur. Non animæ hoc, ſed cordis officium eſt. Apoſtolus enim ait, Animalis enim homo non percipit quæ ſunt Spiritûs: ſtultitia enim eſt ei. Et idem doctor gentium ait, Lex enim non in tabulis lapideis ſcripta, ſed in tabulis cordis carnalibus. Hoc ergo os ſuum Propheta pandens, attraxit Spiritum. Non enim ultro * ingruit. Expetendus eſt, attrahendus F eſt, & infantium modo tamquam lac innocens hauriendum. Ideo autem Propheta os aperuit, quia meminerit ſibi in pſalmo altero dictum, Dilata os tuum, & adimplebo illud: & in lege ſcriptum ſciat, Deſcribe hæc in latitudine cordis tui. Corde enim Dei prædicatio, non ore ſuſcipitur. Et ſecundùm evangelicam

Os cordis. — ℣. 131. — 1. *Cor.* 2. 14. — 2. *Cor.* 3. 3. — Spiritus petatur. — * *f.* ingruit. — *Pſ.* 80. 11. — *Prov.* 7. 3. *ſec.* LXX.

[a] Bad. Er. & Lipſ. cum duobus mſſ. *præſentes admirationes*, ſine *per*. Par. *per præſentem admirationem*. Vocabulum *admiratio* Hilario familiare eſt in plurali numero. Cujus rei nonnulla ſuperiùs habes exempla pag. 237. not. a. Quæ hîc preſſiùs dicuntur, ſic poſſunt clariùs explicari: quia quæ in lege geruntur, admirabilia ſunt in quantum exemplaria ſunt futurorum atque æternorum bonorum, quæ multiplicem in ſe continent admirandi cauſam, perſcrutatur ea.

[b] Mſſ. *ad Danielum.*

[c] In mſ. Mic. *& prophetica mandata.*

[d] Ita Miciacenſis codex. Alii verò, *hujus temporis & ætatis eſt, ut Dominus* &c.

[e] Unus è mſſ. Vatic. *huc uſque, ſcilicet in hos dies.* Alter, *huc uſque, ſcilicet in his diebus.* Bad. Er. & Lipſ. *huc uſque ſunt. In his diebus hæc declarantur.*

[f] Editi, *illuminata*: corriguntur ex mſ. Mic.

[g] In vulgatis, *auditu auris*: duplex mendum, quorum alterum ex mſ. Vatic. alterum ex Reg. & Albin. caſtigatur.

prædicationem, verbum Dei ex corde malus A abripit, quod ultra mel & favum in ore delectat. Ut enim per os in alimoniam corporis cibos sumimus, ita & per cor ad vivificandam animam escas doctrinæ cælestis accipimus: quæ nisi amplificato & patente corde adtractæ quodam modo fuerint, [a] non adibunt.

(Matth. 13. 9. — Escas ad animæ vitam capit.)

6. Sequitur deinde: *Adspice in me, & miserere mei secundùm judicium diligentium nomen tuum.* Ad id quod dixerat, *Respice in me*; mox addidit, *& miserere.* Scit enim Dominum etiam B in ultionem impiorum pœnamque respicere. Respexit enim, ut scriptum est, super castra Ægyptiorum, & colligavit axes curruum eorum. Et rursum: Respexit Dominus super Sodomam & Gomorrham. Respicit verò non solùm ad pœnam, sed etiam ad terrorem, cùm dicitur, Adspicies in terram, & facies eam tremere. Propheta ergo non solitarium hoc orat, ut in se Deus respiciat, sed cum miseratione respiciat: neque cum miseratione tantùm, sed secundùm judicium diligentium nomen ejus.

(ℽ. 132. Adspicit Deus ad vindicandum, — Exod. 14. 24. & 25. — Gen. 18. 16. ad terrendum, — Psal. 103. 32. — ad miserendum.)

7. Est quidem ex bonitate Dei misericordia; sed promerenda est hæc à nobis studio innocentiæ: ut in nos respiciat, qualiter respexit in Abraham, qualiter in Isaac, qualiter in Jacob, qualiter in Joseph, qualiter in Job, qualiter in Moysen. Scit enim ad hæc misericordiæ suæ opera Deum solere respicere, cùm dicitur, Dominus de cælo respexit in terram, ut audiret gemitum vinculatorum, & solveret filios interemtorum: & rursum, Respexit super filios pauperum, & non sprevit deprecationem eorum. Secundùm ergo hoc judicium timentium Dominum orat ut Deus super se respiciat & misereatur: ut si jejunantem videt, si miserantem contuetur, si pium ac religiosum in omni opere conspicit, tunc secundùm judicium eorum qui diligunt nomen suum ipse quoque Dei miseratione sit dignus.

(Adspectus hic innocentiâ promerendus. — Psal. 101. 20. & 21. — Ibid. 18.)

8. Dehinc sequitur: *Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, ac ne dominetur mei omnis injustitia.* Incedit quidem Propheta ex voluntate sua justitiæ gressibus: sed scit undique sibi injustitiæ dominationes imminere. Superiùs oraverat, ut in se Deus respiceret ac misereretur secundùm eos qui diligunt nomen suum. Misericordiæ autem, quam orat, hunc fructum esse sentit, ut gressus sui dirigantur, non secundùm sæculi vias, non secundùm humanam gloriam, non secundùm corporis voluptates, sed secundùm eloquium Dei. Si nihil impedimenti usquam occurreret, si adversantes sibi non undique adessent; suis ipse viribus in ea quæ agere vellet confirmaretur. Sed ubi insidiæ sunt, ubi bellum est, opus est potioris auxilio, ne in se dominetur omnis injustitia.

(ℽ. 133. Ad bene agendum homo suis viribus non sufficit.)

9. Non ut à se absit, sed ne dominetur sui orat. Scit per tentationes ad gloriam perveniri. Meminit Abraham & peregrinationis injuriâ, & amittendæ uxoris metu, & per immolandi filii dolorem fuisse tentatum. Scit Job omni tentationum esse militiâ perfunctum. Recolit Joseph cùm à fratribus venditur, cùm à domini sui conjuge ad adulterium compellitur, cùm carcere pœnæ reservatur, gloriam maximæ fidei per hæc injustitiæ tentamenta meruisse. Dominationem injustitiæ Propheta metuit: tentationem verò ejus non recusat. Dirigendos autem esse à Domino gressus suos secundùm eloquia sua meminit: ne iniquitas, [b] quæ tentatura sit, potestatem possit habere dominandi.

(Tentationum utilitas. — Orandum ne vincant.)

10. Post quæ id consequitur: *Redime me à calumniis hominum: ut custodiam præcepta tua.* Humana tentatio gravis non est, Apostolo dicente, Tentatio autem non apprehendat vos, nisi humana: sed calumnia gravis est. Calumnia autem ea est, vel cùm bono operi facinoris mali nomen adscribitur, vel cùm C specie blandiente internæ malitiæ virus occulitur. Neque enim ejus directæ malevolentiæ opus est, sed fallax, & subdolum, & sub specie bonæ voluntatis malitiæ operatione desæviens. Et difficile est cavere à talibus, qui sub nomine fratrum inimici sunt, sub nomine amicorum hostes sunt, sub filiorum specie parricidæ sunt, [c] sub specie unanimitatis conjugum inevitabile malum sunt. Abel justum Cain scelestus per familiaritatem fratris occidit. Noe D Deo probatum Cham filius ejus irrisit. Esaü Jacob exsulem esse à paterna domo fecit. Validissimum prœliatorem diaboli Job sola uxor ejus tentavit inflectere. Hunc ipsum sanctum prophetam quæ calumniæ hominum fefellerunt? Quotiens Saüli proditus est? Quotiens quibus in locis ageret nuntiatus est? Ubique ei calumniantium insidiæ adfuerunt.

(ℽ. 134. — 1. Cor. 10. 13. — Calumnia quid. — Ægrè cavetur. — Hac impetiti sancti.)

11. Novit hæc Dominus domesticæ calumniæ scandala gravissimum solere fidei excidium E afferre, dicens, Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, & si pes dexter, aut manus scandalizat te; erue & abscide abs te. Non de membris corporum hæc locutus est, cùm scandala nec pes nec manus possit afferre; sed de conjunctissimis nobis ac maximè necessariis membris, quia omnes unum corpus sumus in Christo, hæc jubet: ne domesticis calumniis ac scandalis penes nos manentibus aliqua nobis [d] vitiorum labes adhæreat. Ergo F Propheta si ab his redemtus esset, custoditurum se præcepta Dei pollicetur: quia istæ domesticorum omnium calumniæ impedimentum fidei frequenter afferrent.

(Quî vitanda sit. — Matth. 18. 8.)

12. Dehinc sequitur: *Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas.* Vultus Domini quidem est super facientes mala, ut expugnet de terra memoriam eorum: sed sicut Deus respicit ad pœnam, respicit & ad misericordiam; ita & vultum G suum ad utrumque deflectit. Sed hanc faciem Domini ad illuminationem suam Propheta

(ℽ. 135. — Psal. 33. 17. — Quî videntis nos Dei lumen accipiamus.)

[a] Apud Par. *non juvabunt*, quod à Lipsio perperam & absque auctoritate immissum fuerat.
[b] Ita mss. concinniùs quàm excusi, *qua tentatur.*
[c] Par. *sub unanimitate conjugum.*
[d] Mss. & antiquarum edit. auctoritate removimus hinc, *judicii die*, quod apud Par. videtur superfluere.

orat. Ex majestate enim & vultu [a] videntis A nos Dei lumen accipimus, & deflexus in nos misericordiæ suæ vultus ad gratiam spiritalis virtutis irradiat. Vel certè cùm judicii [b] die aderit, cùm visibilis nobis in gloria [c] paternæ majestatis assistet; tunc nos faciei suæ lumine illuminabit. Ut enim quædam metalla atque gemmæ naturæ suæ fulgorem in ea quæ sibi proxima sunt refundunt, & æmulantem speciem [d] ex vicina sui specie præstant; & ut Moyses ex contemplatione gloriæ Dei lumen B accepit, ita ut honorem gloriæ suæ contemplari populus non posset: sic & Propheta servum se Dei confitens illuminari precatur, & conformis secundùm Apostolum effici gloriæ Dei, (Phil. 3. 21.) & justificationes Dei doceri, ut à se non ex parte, neque per legis umbram, sed facie ad faciem, & spiritali contemplatione cernatur.

(℣. 136.) 13. Dehinc sequitur: *Exitus aquarum transierunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.* (Pænitentia non debet desinere.) Conscius peccatorum veterum, ut historiâ ipsâ C docetur, licèt toto corde se ad Deum direxit; tamen quia & [e] peccati sui dolorem psalmo anteriore & ipse jam scripserit, tunc cùm Nathan propheta arguente crimen suum recognovit & flevit: nunc quoque non desinit veræ pænitentiæ lacrymis facti veteris crimen abluere, dicens, *Exitus aquarum transierunt oculi mei:* fontes scilicet lacrymarum suarum, fontes fluminum esse transgressos. Hæc enim pænitentiæ vox est, lacrymis orare, lacrymis inge- D miscere: & per hanc confidentiam dicere, (Psal. 6. 7.) Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Hæc venia peccati est, fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madefieri. [f] Sed servavit cum ratione temporis, & fidei jam immobilis firmitatis, dicti quoque sui temperatissimi modum. De præterito enim dixit, *Quia non servaverunt legem tuam.* Confessio quidem criminis semper in tempore est; quia oporteat pec- E cati pænitentiam non desinere: finis autem peccati anterioris [g] est temporis: quia vera peccati (Pænitentia quid sit.) confessio est, sine intermissione temporis pænitere; peccati verò pænitentia est, ab eo quod pænitendum intellexeris, destitisse. Atque ob id Propheta nec confiteri peccatum desinit, & peccatum ex præterito confitetur.

LITTERA XVIII.

צ Zade.

*JUSTUS es Domine, & rectum judicium tuum. Mandasti justitiam testimonia tua, & veritatem tuam * nimis. * Tabefecit me zelus domus tuæ: quia obliti sunt verba tua inimici mei.* A *Ignitum eloquium tuum vehementer: & servus tuus dilexit illud. Adolescentior sum ego & contemtus: justificationes tuas non sum oblitus. * Justitia tua justitia in æternum, & lex tua veritas. Tribulatio & angustia invenerunt me: mandata autem tua meditatio mea est. Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi * & vivam.* B

(* Hil. valde. * Tabescere me fecit zelus tuus. * justitia in æternum. * eorum, & vivifica.)

1. INDEFESSA & perseveranti fide necessarium est, ut immobilis in nobis & inconcussa confessio sit; ne vel aliquâ temporum injuriâ, aut persecutionum dolore commoti, devotionis studium relaxemus: sed si quando morbi vexabunt, passiones & cruciatus corporum desævient, damna defatigabunt, luctus & orbitates affligent; semper uta- C mur hac qua nunc Propheta usus est voce, dicens, *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* (℣. 137.) * *Mandasti justitiam testimonia tua, & veritatem tuam valde.* (℣. 138.) Meminerimus enim primùm eum, qui universorum Dominus est, justum esse, & judicia ejus recta esse. Cur enim in suos iniquus sit? Cur in eos, quos ipse genuit, injustus sit? Bonitatis suæ immensitas non sinit istud de eo existimari. Genuit nos non ad injuriam, genuit non ad originis nostræ naturæ do- D lorem: si quid est quod patimur, ex judicio bonitatis suæ accidit. VINCI diabolum patientiæ nostræ virtutibus delectatur, & probari nos per luctus & dolores & damna desiderat: ut nihil in servos suos sæculi potestas sibi esse juris & dominationis intelligat. Quæcumque jussit, justa & testata & vera sunt cum augmento adjectionis; *valde* enim vera sunt.

(Fides justum Deum etiam punit, ... tur. — Sancti etiam afflicti.)

2. Et quia rarum est horum observantem esse; * & difficile est inconcussam fidem inter E has sæculi procellas & inter hæc humanorum vitiorum naufragia dirigere; quia si quid adversi accidit, prona in Deum querela est. Deum enim inter damna sua avarus accusat. Deo cum invidia fletuum suorum orbatus irascitur. Deo injustitiam, qui ad confessionis gloriam persecutionibus probatur, exprobrat. Universorum stultissima hæc querela est, cùm injustitiæ Deum per impatientiam impii doloris accusant. Et idcirco Propheta subjecit, dicens, F (℣. 139.) *Tabescere me fecit zelus tuus; quia obliti sunt verborum tuorum inimici mei.* Dei zelo ad omnia vitia nostra & crimina exanimatur Propheta. Habet hanc etiam natura humana consuetudinem, ut si quando eorum, quos diligimus, voluntati adversari aliquos viderimus, zelo ejus cui non paretur utamur. Quantus autem nobis dolor est, cùm unum ex Dei populo effici videmus sæculi ministrum, & [h] operarium diabolorum

(* etiam. Impatientia ærumnarum Deo contumeliosa. — Zeli causa.)

[a] Par. ex mss. Mic. *dignantis nos Dei.* dissidentibus aliis libris.
[b] Editi, *dies aderit.* Concinniùs mss. *die aderit*, scil. Christus.
[c] Vaticanus codex, *pater majestatis:* non est audiendus.
[d] Sic nostri mss. Editi verò, *ex vicinia speciei suæ.*
[e] Bad. Er. & Lips. cum duobus mss. *peccati sui dolorem antè re ipsa jam scripserit.* Psalmus L. hîc indicatur.
[f] Ita mss. Mic. & Vatic. nisi quòd in Mic. *firmitatem*, non *firmitatis.* Alii verò libri, *sed secundùm rationem temporis, & fidei etiam* (longè præstat *jam*) *immobilis firmitatem, dicti quoque sui temperavit modum.*
[g] Hoc est, licèt à peccatis desiisse debeamus, non debemus tamen à confessione cessare. Eadem clariùs explicantur in Ps. 135. n. 5.
[h] Mss. Reg. & Albin. *operatorium diaboli*; quod & habent Bad. Er. & Lips.

boli, & vas mortis, & materiam gehennæ? Zelo ergo Dei irascitur, quisquis Christianum jejunii die luxuriantem conviviis viderit. Zelo Dei irascitur, qui insolentem in fratres ministrosque conspexerit. Zelo Dei irascitur, quisquis diversari in stupris sanctificatum jam in Christo corpus arguerit.

Jejunii dies.

Zeli exempla. Johan. 2. 17. Ps. 68. 10.

3. Zeli hujus & Apostolos meminisse accepimus, cùm Dominus templum ingressus, flagello ex funibus omnes vendentes & ementes ejecit: & ejus zeli, de quo scriptum est, Zelus domus tuæ comedit me. Efficimus enim nos interdum templum Dei, aut domum negotiationis, aut speluncam latronum. Templum enim Dei, secundùm Apostolum, corpora sunt, quæ in Christo sanctificata sunt. Et hæc eadem corpora, cùm cogitamus atque agimus stupra, cædes, furta, falsitates, rapinas, speluncam latronum constituimus; cùm autem sæculi negotiis, & negotiationum commerciis laboramus, tunc domum Dei domum negotiationis efficimus: ut quæ orationis sedes esse debebat, fiat vel latibulum latrocinantium, vel domus negotiationum. Hoc ergo zelo Dominus, ut istiusmodi homines de templo ejiciat, commovetur. Usi sunt & hoc zelo probabiles & accepti Deo viri. Nam & Phinees ob hunc zelum meruit judicium pacis æternæ. Cùm enim fornicati essent filii Israel, & Dei zelo incitatus in pœnam eorum fuisset; tunc ait Dominus, Phinees filius Eleazar filii Aaron sacerdotis sedavit furorem meum à filiis [a] Israel, in eo quòd requievit ab animatione anima mea: quia zelavit zelum meum. Sanctus ille & in cælestem habitationem raptus in corpore Elias propheta ait, Zelans zelavi, quia dereliquerunt te filii Israel, & prophetas tuos occiderunt: & ego derelictus sum solus.

1. Cor. 6. 19. *Num. 25. 11.* *3. Reg. 19. 10.*

Verbi Dei immemores odio digni.

4. Tenet itaque & hunc prophetam zelus iste. Videt enim irreligiosas damni querelas, impios luctuum fletus, profanam legis Dei oblivionem: & idcirco hæc agentes, inimici ejus sunt. Nullum enim religiosis viris cum talibus esse jus amicitiæ potest, quando declinandi detestandique sint odio irreligiosorum. Nam id ipsum psalmo altero docetur, cùm dicitur, Odientes te Domine odivi, & super inimicos tuos tabescebam: perfecto odio oderam illos. Abrahæ quoque Dominus dixit, Qui te maledixerit, maledictus erit, & inimicus ero inimicis tuis, & adversantibus tibi adversabor. Si Abrahæ inimici, Deo inimici sunt; quales nobis esse oportet, quos Deo videmus inimicos?

Ps. 138. 21. *Gen. 12. 3.*

Cur. *℣. 140.*

5. Causam deinde affert cur eos oderit, qui verborum Dei fuerint obliti: non enim sunt inania, non terrena, non levia. Ait enim, *Ignitum eloquium tuum valde: & servus tuus dilexit illud.* Non explicat proprietatem verbi hujus latina translatio. Quod enim nobiscum *ignitum*, id græcè πεπυρωμένον scribitur. Πεπυρωμένον autem id significat, quod tamquam conflatum igne purgatum sit. Quæcumque metalla igne conflantur, [b] sordem in se alienam atque inutilem non continent; totum, quidquid in his residet, verum & perfectum & omni vitiorum contagione purgatum est: ut eloquium Dei est, æternorum in se bonorum [c] continens fidem. Hinc illud est quod in Evangeliis Dominus ait: Iota unum, aut apex non præteribit ex lege, donec hæc omnia fiant. Vera enim omnia sunt, & neque otiosè neque inutiliter constituta Dei verba; sed extra omnem ambiguitatem superfluæ inanitatis ignita: & ignita vehementer, ne quid illic esse quod non perfectum ac proprium sit existimetur. Hæc itaque diligit servus ejus. Non solùm hæc agit, sed etiam diligit: quia operationi obedientiæ præstat dilectionis operatio. Obedientia enim sola plerumque terroris est: ceterùm dilectio non nisi ex devota mentis voluntate proficiscitur.

In verbis Dei nil inane, nil non verum. *Matth. 5. 18.*

℣. 141. David junior & contemtus in regem est electus.

6. Dehinc ait, *Adolescentior sum ego & contemtus: justificationes tuas non sum oblitus.* Ex persona quidem sua Propheta hæc loquitur; sed competunt & nostri temporis populo: & quatenus id David de se dixisse credatur, absolutè ostenditur. Samuel enim propheta venire ad Jesse domum à Deo jussus est, ut unum ex filiis ejus in regem ungeret. Quò cùm venisset, adesse omnes filios Jesse jubet. Videt deinde natu majorem, specie pulcrum, habitu & proceritate eminentem: sed responso ita monetur, Ne inspexeris in pulcritudinem ejus ac magnitudinem, quia non ita videt homo ut Deus. Homo enim in facie videt, Deus autem in corde. Adest & secundus, adest & tertius, adsunt & omnes, quos tunc Jesse præsentes habebat: sed nullus de præsentibus exstitit qui placeret. Verùm quia propheta Samuel non mendacem sciret eum, qui se adesse jussisset, & ex iis qui præsentes erant intelligeret nullum à Deo esse [d] electum; Jesse ait, Numquid est tibi adhuc filius? Qui respondit, Est mihi modicus, quem dereliqui in pastorali. Hic ergo electus à Spiritu-sancto, & unctus in regem est: & ex juniore atque contemto, gloriam & prophetæ & regis accepit.

1. Reg. 16. 7. *Ibid. 11.*

Populus junior emit primogenita.

7. Ad populum verò, qui & junior est, & antè contemtus est, hæc ita pertinent. Erat enim in vitiis sæculi, erat in ignorantiæ nocte, erat in agresti ac rustica & ruinosa terreni corporis domo. Sed hic justificationum Dei non obliviscitur, hic reprobato populo seniore junior in hereditatem familiæ eligitur. Emit enim Jacob primogenita Esaü, quæ sibi ille tamquam moriturus inutilia existimavit. Scit has populus junior nativitatis suæ primitias æternas nec morte intercipi posse. Has igitur non oblivis-

Gen. 25. 32.

[a] In msf. Miciacensi, ex quo hujusmodi versio in primam editionem Par. revocata est, exstat *à filiis Jebarhe*, mendosè quantum ex græco & ex Ambrosio hîc conjectare est: adeoque mutationem postremâ edit. Par. jam factam retinemus. Legitur aliter ille locus apud Bad. Er. Lips. & in mss. Vatic. Reg. & Albin. puta, *Phinees filius Eleazar, filii Aaron, requiescere fecit animationem animæ meæ, quia zelavit zelum meum.* Græc. Φινεὲς υἱὸς Ελεάζαρ, υἱοῦ Ἀαρὼν τοῦ ἱερέως, κατέπαυσε τὸν θυμόν μου ἀπὸ υἱῶν Ισραὴλ ἐν τῷ ζηλῶσαί μου τὸν ζῆλον.

[b] Bad. Er. & Lips. *facem*. Mss. Reg. & Albin. *sedem*.

[c] Par. ex msf. Mic. *fidem testans*.

[d] Prætulerat Par. *dilectum*. Magis tamen placet cum libris aliis, *electum*.

citur, quas senior & desperavit & vendidit. A

8. Denique id ipsum sequenti versu docet:

℣. 142. *Justitiæ tuæ in æternum, & lex tua veritas.* Has justitias non cogitavit populus ex Ægypto progressus, cui mare aruit, cui columna nubis de die, nocte autem columna ignis famulata est, cui manna matutinum cælum subministravit, cui viginti-septem regna cesserunt, cui Jordanis stetit aridus, cui muri Jericho ad sonum exercitûs & arcæ testamenti [a] circuitum conciderunt. B Has Dei justitias scit populus qui est junior æternas. Has quia æternas sciret, emit fide: has quia moriturum se crederet senior, vendidit infidelitate. Populo enim juniori lex veritas est. Nam verè nunc ab eo circumcisio cordis per Jesum iteratur ad vitam, verè per mare hujus sæculi transit in promissam sibi terram, verè cæleste manna sumit [b] æternus, verè in Jordane lætatur renatus, verè pascha Agni sanguine liberandus immolat, verè in C azymis sinceritatis epulatur, fermentoque [c] antiquæ malitiæ purgatur: jam non legis ei umbra, sed veritas est.

Fide emit quod senior perdidit infidelitate.

Lex quì jam veritas facta est.

9. Scit autem ob hanc veritatis confessionem multis se persecutionibus hic junior populus urgeri. Hinc enim sunt in toto orbe terrarum beata fidelium confessorum & sancta martyria. Hinc plures patrimoniis exspoliati, exsiliis dispersi, vincti, cæsi, usti, necati: [d] sed fideli semper mandatorum meditatione omnia, D quæcumque ingruerunt, confirmatæ fidei virtute vicerunt. Et ideo ait,

Veritatis causâ patientium vox & opus.

℣. 143. *Tribulatio & angustia invenerunt me: mandata autem tua meditatio mea est.* Urgeant licèt pugnæ, intententur exsilia, proscriptiones adhibeantur, mortes non dico inferantur, sed * cum pœnarum ingeniis innoventur: vox tamen ea esse semper fidelis viri debet, *Tribulatio & angustia invenerunt me: mandata autem tua meditatio mea est.* Non vi occupante, non oblivione temporis subrepente, meditationem à nobis mandatorum Dei E abesse convenit.

* v. Tract. Ps. 65. n. 21.

10. Dehinc ait,

℣. 144. *Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi [e] eorum, & vivificer.* Non contentus est Dei testimonia in præsens tantùm æqua & existimare & exspectare: æquitatem eorum in æternum sperat, & per superiores tribulationes & angustias obtinere ea quæ æterna sunt nititur. Nihil æternum esse dives ille evangelicus existimans, beatitudinem F præsentem suam pœnali morte mutavit. Æterna autem Dei testimonia Lazarus pauper exspectans, & Abrahæ sinu continetur, & miseriam vitæ laboriosæ beatæ quietis honore demutat. Horum intelligentiam Propheta orat, donum scilicet inter multa dona præcipuum spiritalium gratiarum: & per eam se vivificari deprecatur. Sicut enim nunc in præsens testimonia Dei & mandata meditatur; ita exspectat æterna: & sicut vivit corporis vitâ, ita & per intellectum quem à Deo acceperit, ut æternâ glorîa vivat, expostulat.

Luc. 16. 25.

Intelligentia, donum præcipuum.

LITTERA XIX.

ק Koph.

*CLAMAVI in toto corde *, exaudi me Domine; justificationes tuas requiram. Clamavi ad te, salvum me fac: & custodiam mandata tua. Præveni in maturitate, & clamavi: * in verba tua * speravi. Et prævenerunt oculi mei diluculo, ut meditarer eloquia tua. Vocem meam exaudi Domine secundùm * multam misericordiam tuam: secundùm judicium tuum vivifica me. Appropiaverunt persequentes me iniquitati: à lege autem tua longè facti sunt. Prope es Domine, & omnia mandata tua veritas. * Ab initiis cognovi de testimoniis tuis: quia in æternum fundasti ea.*

* Hil. me. * & in. * Hil. add. semper. * infrà ab est multam. * in.

1. INTER multa evangelicæ doctrinæ præcepta, silentium à nobis orandi Dominus exegit: ut taciti & ex secreto cordis precaremur, neque in eo vocis potiùs esset officium quàm mentis: Deo orationis nostræ [f] secreta, quia secretorum inspector est, audiente. Ergo contrarium evangelicis institutis videtur hoc quod ait Propheta, dicens, *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine; justificationes tuas requiram?* Sed scit Propheta clamorem potiùs cordis oportere esse, non vocis: & idcirco de corde clamat. Non hic elatæ vocis sonus est, neque corporalis auditio, sed clamor fidei, clamor mentis: usque ad thronum Dei, non nisu vocis, sed fidei spiritu efferendus. Ille enim ad Deum toto corde clamat, qui magna postulat, qui cælestia precatur, [g] qui æterna sperat, qui innocentis timoris vivit officiis.

Clamor oris non cordis in oratione prohibitus. Matth. 6. 6.

℣. 145.

2. Sic & in hujus mundi exordio, justus Abel etiam peremtus magna loquitur & clamat. Scriptum est enim, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Non humilis sanctorum querela est, nec depressa fidelium oratio est. Altum est quod postulat, excelsum est quod exspectat, clamore personum est quod precatur. Urgebat Pharao infestis Dei populum agminibus, mare rubrum fugæ obsistebat, conclusus undique

Clamat peremtus Abel. Gen. 4. 10.

Moyses tacens fide clamat.

[a] In Reg. ms. *circuitu.* Similis est phrasis in Psal. 51. n. 19. *Cùm Jordanis refluxit, cùm civitas maxima ad solum arcæ testamenti circuitum* (rursum in altero ms. Reg. *circuitu*) *concidit.*

[b] Bad. Er. Lips. ac tres mss. *æternum.*

[c] Ex ms. Mic. apud Par. primùm adjecta est vox *antiquæ.* Superiùs lit. 3. n. 7. legimus de Propheta dictum, *Fermentum ejicere veteris naturæ festinat.*

[d] Editio Par. *sed felici.*

[e] Ita mss. Reg. Albin. & antiquæ editiones, quomodo & subjecta videntur postulare. At Par. omisso priùs *eorum*, hîc habens *vivifices*, si deinde subjiceret *me*, consentiret græcis exemplaribus bene multis, in quibus exstat, Nobilio teste, ζῆσόν με. Quamquam ipse ex castigatioribus præfert ζήσομαι.

[f] Reg. cod. cum Albin. *secreto*, & mox *auditore*, non *audiente.*

[g] In duobus prædictis mss. *qui terrena spernit.*

Israel jam ad mortem [a] videbatur, hoste proximo, mari obvio. Inter hæc nullam Moysi ad Deum vocem fuisse Scriptura testatur: stabat mæstus, stabat tacens; sed secreto cordis sui personans, & orationis suæ fide clamans. Vox enim istud divina testatur, dicens, Dixit autem Dominus ad Moysen, Quid proclamas ad me? Silebat ille; sed oratio fidei ejus clamor ad Deum erat. Novit & Apostolus hunc in viris fidelibus spiritûs esse clamorem, cùm dicit, Spiritus enim in cordibus nostris clamat, Abba pater. Penetrat hic silentii clamor usque ad aures Dei; sed aures non clamorem, sed fidem audientes; fidem quæ non terrenas opes poscat, non gloriam inanem caducamque desideret, non quæ moritura corporis gaudia precetur. Exiguis quidem epistolas suas Apostolus litteris scribit, & communis hæc ei elementorum atque apicum forma est: sed novit has ingentes esse litteras suas, dicens, Ecce qualibus vobis litteris scripsi mea manu: magnitudinem sensuum, & præceptorum utilitatem litteris talibus comprehendens. Clamat igitur Propheta ex toto corde. Et quia ex corde clamat, ut audiatur orat: & auditus hæc postulat, ut justificationes Dei exquirat. Scit has esse occultas & latentes, & umbrâ legis obductas. Has optat inquirere, ad quas multis opus sit magnisque rebus, clamore cordis, exauditionis merito, inquisitionis officio.

Exod. 14. 15. — Spiritûs clamor. — Gal. 4. 6. — Gal. 6. 11.

3. Sed qui clamavit ut audiretur & inquireret justificationes Dei, nunc clamat ut salvus fiat, & custodiat testimonia Dei. [b] Quantæ autem modestiæ ordinem tenuit? Non statim clamorem suum sperare ausus est proficere in salutem. Prius fuit ut auditione dignus esset, prius fuit ut justificationes inquireret. Merenda fuit auditio, adhibenda inquisitio: & salus post ista speranda. Nos verò salutem tamquam debitum postulamus: & veluti Deo sit hanc eamdem præstare necesse, primis ab eo precibus oramus. Atque utinam cordis clamore loqueremur. Labia tantùm nostra, sensu peregrinante, quod nesciunt murmurant: & officium corporis mens in res alias occupata non sequitur. Propheta verò cùm post tot præcedentes antea preces ut salvus esset orasset; salutis ipsius stipendium docet, dicens, *Et custodiam mandata tua*. Hæc fidei nostræ militia est, custodire mandata, & veluti secreto fidelissimo hunc thesaurum depositi & commendati nobis præcepti reservare.

ỷ. 146. Salus quo ordine postulanda. — Oratio labiorum. — Stipendium salutis.

4. Qui verò clamavit, & testimonia Dei, id est, sub testibus cælo ac terra & angelis scripta custoditurum se professus est, addidit adhuc [c] & meritum obtinendæ salutis, dicens, *Præveni in maturitate, & clamavi, & in verba tua* [d] *semper speravi.* Non exspectavit [e] infirmam ad vitia senectutem, neque defervescentibus [f] longo usu luxuriæ æstibus frigidæ ætatis tempus elegit: [g] sed maturitatem omnem fide & religione prævenit, vincens per continentiam juventutem, & comprimens lascivientes annos, senectutis maturitatem modestæ & castæ adolescentiæ tranquillitate præveniens. Et Prophetæ clamor est, sperantis in Dei verba; non aliquando, sed *semper*. Finis enim nullus est spei nostræ: sed in cælestes res semper extenditur, & in æterna Dei promissa procedit. Nullum tempus vacuum habet, nullum otiosum.

Juveniles anni Deo dicandi. — ỷ. 147.

5. Denique id sequitur: *Et prævenerunt oculi mei diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Qui in maturitate [h] clamare prævenerat, nunc ipsos dies meditationibus prævenit. Vigilat ille diluculo, non exspectat ut gravatos somno oculos lux infusa proturbet. Vigilat ille, & ipsum redeuntem lucis ortum orationibus operitur: nunc prophetarum dictis occupatus, nunc psalmorum hymnis intentus, nunc patriarcharum & sanctorum gestis negotiosus, [i] omni eloquium Dei tempore & assiduitate meditatus.

ỷ. 148. Vigiliæ meditationis antelucanæ.

6. Dehinc sequitur: *Vocem meam exaudi secundùm misericordiam tuam, Domine: secundùm judicium tuum vivifica me.* Discamus modestiam ex dictis Prophetæ tot superioribus, [k] clamore cordis, justificationum inquisitione, custodiâ testimoniorum Dei, & continentiâ juventutis, & antelucanæ meditationis vigiliis: [l] & per hæc omnem in misericordia Dei spem reponens, postremò audiri vocem suam secundùm misericordiam rogat: & misericordiam secundùm judicium Dei postulat. Nos si semel jejunamus, satis fecisse nos arbitramur: si aliquid [m] ex copia domesticarum facultatum inopi damus, implevisse nos justitiam credimus: jejunantes ut aut placeamus hominibus, aut corpora cibis fessa relevemus, & inter

ỷ. 149. Dei misericordiæ, non suis meritis confidere.

[a] In vulgatis, *urgebatur*. In duobus mss. *verebatur*. Præferimus cum Mic. *videbatur*. De clamante Moysi silentio Ambrosius lib. 1. offic. c. 41. n. 211. ex Machabæis unum sic loquentem inducit: *Alius linguam jussus amputandam proferre, respondit: Non solos Dominus audit loquentes, qui audiebat Moysen tacentem: plus audit tacitas cogitationes suorum, quàm voces omnium.*

[b] Solus codex Vatic. hîc præfixum habet, *Ait enim, Clamavi ad te, salvum me fac.* Hactenus quidem Hilarius nullum enarravit versum, quin sacrum ei textum præmiserit: attamen interpolationis suspectus est ille codex.

[c] Mss. duo, *ad meritum.*

[d] Notat Erasmus Hilarium incidisse in codicem depravatum, in quo, pro *supersperavi* ex græco ἐπήλπισα, librarius mendosè scripserit *semper speravi*: cùm neque in hebræo exstet *semper*. Abest quidem hîc idem adverbium à mss. Reg. & Albin. sed abesse non debere manifestum est ex sequentibus.

[e] Editi, *à vitiis.* Rectiùs mss. Reg. & Albin. *ad vitia.* Inde enim commendatur David, quòd in ætate ad vitia proclivi & validâ, Deo famulari delegerit.

[f] In ms. Mic. *longo usu luxuque ætatibus.*

[g] Albinensis codex cum Reg. *sed immaturitatem*: forsitan veriùs. Ex quo & conjectamus superiùs legendum, *Præveni in inmaturitate*, ex græco προέφθασα ἐν ἀωρίᾳ, ut syllaba *in* propter præcedentem librario exciderit. Veteres quippe particulam *in* conjungentes cum vocabulo cui littera *m* initium dabat, hanc non semper mutabant in *im*. Hoc patet ex Augustino in hunc eumdem Psalm. Serm. 30. n. 3. *Quod ergo*, inquit, *græcè dictum est ἐν ἀωρίᾳ, non uno verbo, sed duobus, id est, præpositione & nomine, hoc interpretes quidam nostri dixerunt, intempesta nocte; plures, inmaturitate* (ita cum vetere ms. Corb. legendum est, *non immaturitate*; aliàs non subjiceret Augustinus quod sequitur) *non duobus verbis, sed uno, cujus vocabuli nominativus est inmaturitas: nonnulli verò in duobus verbis, sicut græcus posuit, in inmaturitate*, &c.

[h] Editi, *clamorem prævenerat*: emendantur ope mss.

[i] Ita mss. Editi verò, *omne eloquium Dei in omni tempore.*

[k] Vatic. ms. cum Mic. *clamorem cordis, justificationum inquisitionem, custodiam* &c. in accusandi casu, minùs rectè. Ante hæc verba subintelligitur præpositio *ex.*

[l] Lipsius, hîc de suo suppressâ particulâ &, deinde loco *reponens*, posuit *reponentes*: quæ lectio postea obtinuit. Hæc referuntur ad Prophetam, cujus modestia commendatur, quòd tot virtutibus præditus, in una tamen Dei misericordia spem omnem reponat.

[m] In vulgatis, *ex horreo*: & antea, *satisfecisse*, uno verbo.

ipsa jejunia, stupra, injurias, [a] odia cogitantes; donantes autem exiguum nescio quid, dum [b] pulsantem fores nostras inopem non sustinemus, aut dum bonitatis famam inani & otiosa hominum opinione sectamur: & deberi nobis ut audiamur existimamus. Sed totum à Deo Propheta sperat, totum ex misericordia ejus exspectat. In operibus quidem bonitatis [c] totius ipse perfectus est: sed satis esse hoc sibi non putat ad salutem, nisi secundùm miserationes Dei & judicia misericordiam consequatur.

7. Numquam autem otiosus est, numquam non infestantes insectantesque proximi sunt: vita ejus omnis secundùm Scripturæ fidem in insidiis fuit. Sed & quisquis nunc placere Deo vult, displiceat impiis necesse est. Et idcirco ait,
℣. 150.
Appropiaverunt persequentes me iniquitati; à lege autem tua longè facti sunt. Hæc quidem de se, cujus infestata fuit undique vita, dixisse creditur. Sed qui in psalmo hoc humanæ doctrinæ ordinem tenet, ad eruditionem nostram omnia temperavit: ut cognosceremus eos, qui proximi injuriæ fidelium fierent, à Dei lege longè abesse. Quanta enim fit [d] in sanctos injuriæ accessio, tanta fit ex Dei lege decessio. Cavendum autem est, ne quando nos adversùm fratres ira commoveat, ne quando invidia stimulet, ne quando æmulatio irritet: ut aliquid in eos irreligiosum aut fastidiosum agamus, quorum injuriæ cùm assistimus, tum à Dei lege desistimus.

Accedens ad infestandos fideles, recedit à lege Dei.

8. Dehinc sequitur:
℣. 151.
Propè es Domine, & omnia mandata tua veritas. Alio in loco legimus, Deus appropians ego sum, & non Deus de longè, dicit Dominus. Non corporalibus locis Deus continetur, neque finibus aut spatiis divinæ virtutis immensitas coartatur. Adest ubique, & totus ubicumque est: non pro parte usquam est, sed in omnibus omnis est. Beatus Apostolus Atheniensibus philosophiæ inanitate ridiculis pro concione respondens ait, Non longè à nobis manentem quærimus Deum: in ipso enim vivimus & movemur & sumus. Et Spiritus Dei, secundùm prophetam, replevit orbem terrarum. Et rursum: Nonne cælum & terram ego impleo, dicit Dominus? Nihil à Deo vacat, nihil indiget. Ubique est, modo animæ [e] corporalis, quæ in membris omnibus diffusa, singulis quibusque partibus non abest. Etiamsi privata quædam ei & regia in toto corpore sedes est; tamen in medullis, digitis, artubus infunditur. Jam si corruptis aliquibus corporis membris recisione erit necesse, cùm usum suum eadem membra vitiis emortua non habebunt: id quod putre [f] caducæ carnis est, sine detrimento animæ recidetur. Ipsa enim corporis nostri anima sanis & integris admixta membris est: & cùm eadem fuerint & putria & recidenda, non sequitur.

Jerem. 23. 23.
Deus ubique totus
Act. 17. 28.
Sap. 1. 7.
Jerem. 23. 24.
e ut anima in omnibus membris, tota.
Eâ illæsâ putre reciditur membrum.

9. Hæc quidem superfluè divinæ naturæ ad comparationem similitudinis conferuntur: quia incomparabile est quidquid æternum est, nec recipit * configuratæ veritatis speciem, ininitiabilis divinitatis exceptio. Sed intelligentiæ nostræ istiusmodi coaptatur exemplar: ut per id secundùm cælestium dictorum auctoritatem, incorporalem & immensum Deum circumscripto huic & corporali mundo intelligeremus admixtum, vitiosis verò & per opera sua emortuis non inesse [g]. Quin etiam adhuc divinarum atque invisibilium rerum intellectus ex contemplatione corporalium rerum naturisque sectatur. Solem videmus in quadam cæli parte, prout ei cursus est, demorantem: & certè ubique protenditur, ubique adest, & quantus per omnia est, ita [h] ubicumque tantus infunditur. Sed si in clausas domorum fenestras incidet, lumen quidem illius præstò est, sed ipsa sibi lucem ejus quæ obserata sunt denegabunt.

Deus etsi ubique, vitiosis quî non insit.
* creatæ.
Solis similitudo.

10. In omnibus igitur vitæ nostræ operibus circumspecti, & ad Deum patentes esse debemus: primùm ut liberis & per innocentiam patulis cordibus nostris lumen suum dignetur infundere: deinde uti nos in divinitatis suæ sinu agere credamus, neque eum abesse cùm irascimur, cùm cædimus, [i] cùm contemnimus, cùm maledicimus, cùm inebriamur, cùm libidinamur, cùm divina & humana negligimus, majore contumelia ejus intra quem hæc agimus peccantes.

Præsentia Dei nos vult cautos.

11. Sed ad id etiam illud accedit, quia mandata sua veritas est. Nihil illic anceps, nihil dubium, totum veritatis absolutione perfectum est: quæ hoc majore periculo negliguntur, quo magis veritatis [k] præcepta sunt constituta.

12. Quatenus autem id Propheta cognoverit, subjecit dicens,
℣. 152.
In initiis cognovi de testimo-

[a] Apud Par. *odii cogitationes:* corruptè.

[b] Reg. codex cum Albin. *pulsantis*, & mox *moras*, loco *inopem.*

[c] Tres mss. *totus ipse* &c.

[d] Excusi, *in sanctis.* Rectiùs mss. *in sanctos:* hoc est, quanto quis propiùs ad injuriam sanctis inferendam accedit, tanto longiùs recedit à lege Dei.

[e] In vulg. *animæ incorporalis.* Magis nobis probatur cum mss. Reg. Vatic. & Albin. *animæ corporalis:* ea tamen ratione, ut anima corporalis dicatur, non quòd corporea ipsius natura, sed quòd corpori sociata sit, eum fere ad modum quo Verbum carni conjunctum *incarnatum & corporatum* vocamus. Sic suprà Hilarius lit. 3. n. 9. mandatum pertinens ad vitam quam in corpore degimus, *corporalis vitæ mandatum* nuncupat. Ideo autem anima corpori conjuncta memoranda ei fuit, quia est & natura angelica, quæ anima à corpore libera jure nuncupetur, cujus exemplum ad illustrandam Dei in omnibus locis præsentiam nihil conferret. Ex hoc etiam loco non obscurè apparet Hilarium longè abfuisse, ut corpoream animæ nostræ naturam sentiret. Quî enim illam Dei instar in omnibus simul membris exsistentem ac nulla sui parte etiam præciso aliquo corporis membro recidendam prædicarit, si senserit corpoream. Frustra sanè ex notitia animæ nos provehit ad intelligendum Deum in toto mundo & in qualibet parte totum, nisi pariter animam in toto corpore & in qualibet parte totam, proindeque indivisam & incorpoream vulgò intellectam esse existimarit.

[f] Sic nostri mss. Editi verò, *caducumque carnis est.*

[g] Nimirum, ut epist. 187. n. 16. loquitur Augustinus, *per habitationis gratiam*, cùm iis adsit *per divinitatis præsentiam:* à quibus tanto abest longiùs, quanto in vitiis sunt pertinaciores; *sicut rectè dicuntur oculi tanto esse ab hac luce longiùs, quanto fuerint caciores, ... etiamsi lux præstò sit*, ut in eadem epist. n. 17. subditur. Hîc subjiciunt vulgati, *Quin etiam adhuc cùm* &c. Expunximus *cùm* auctoritate mss. ex quibus mox reposuimus *sectatur*, ubi priùs exstabat *sectamur.*

[h] In vulgatis, *ubicumque est.* Abest verbum *est* à mss. Reg. Vatic. & Albin. Augustino num. 17. prædictæ epist. 187. quæ est de præsentia Dei, ad eamdem rem demonstrandam magis placet exemplum soni quàm lucis.

[i] Vaticanus codex, *cùm contendimus.*

[k] Quinque mss. *præcepto sunt constituta.*

Testimonia Dei ab initio sæculi ac deinceps.

A niis tuis, *quia in æternum fundasti ea.* Hæc licèt Propheta de se dicat, legem Dei ab exordio ipse cognoscens; [a] universæ ætati tamen congruunt, quæ ab institutione mundi doctrinis Dei sit erudita. Qui enim statutam Adæ voluntatis [b] legem meminit, qui ipsam illam Evæ creationem didicerit, qui maledictionem serpentis audierit, qui clausum vitæ lignum Cherubim flammeo gladio & convertibili legerit, qui occisi Abel clamantem sanguinem scierit, B qui pœnæ & [c] in Cain & in Lamech numerum reputet, qui translatum Enoch, qui reservatum Noe, qui benedictionem Sem & Japhet, & maledictionem Cham [d] scrutatus sit, qui Melchisedech sacerdotem, qui Abraham electum, Isaac promissum, Jacob prælatum, Joseph venditum, sanctificatum Judam, Moysen nutritum, eruditum, & post ingentia latæ legis sacramenta in verbo Dei mortuum, & Jesum divisorem [e] promissæ terræ, & auctorem iteratæ circumcisionis intelliget: profectò uti C Prophetæ voce poterit, *In principio cognovi de testimoniis tuis; quia in æternum fundasti ea.* In omnium enim superiùs memoratorum virorum vita atque gestis æternorum bonorum spes continetur: & per eos ad doctrinam evangelicæ prædicationis imbuimur. [f] Sed quæ fundata sunt, in ædificationem futuræ domus præparantur. Ædificamur enim secundùm beatum Paulum super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, in quibus testimonia Dei fun- D data sunt in æternum, ubi exstruetur cælestis illa & regia civitas sancta Jerusalem: quæ domus Angelorum [g] frequentantium, & electorum primitivorum est, cujus fundamenta sunt vivi lapides pretiosæque gemmæ in Christo viventes, resurgentes, regnantes, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Gen. 4. 24.

Ephes. 2. 20.

LITTERA XX.

ר Resch.

VIDE humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non sum oblitus. Judica judicium meum, & redime me: propter eloquium tuum vivifica me. Longè est E *peccatoribus salus: quia justificationes tuas non exquisierunt. Miserationes tuæ multæ * nimis, Domine: secundùm * judicia tua vivifica me. Multi qui persequuntur & tribulant me: * à judiciis tuis non declinavi. Vidi non servantes pactum, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt. Vide quia mandata tua dilexi, Domine: in tua misericordia vivifica me. Principium verborum tuorum veritas: in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.*

* Infrà, sunt Domine valde. * judicium tuum. * de testimoniis.

1. MULTA quidem nobis atque magna sanctus Propheta fidei confessionisque suæ toto in psalmo proposuit exempla: per quæ formam in se ipso ceteris credendi, agendi, intelligendi, ignorandi, sperandi, precandique constituit, evangelicum virum perfecta legis observatione consummans. Et quamquam omnia, quæ vel divinæ voluntati placita, vel humanæ spei proposita sunt, aut agat aut testetur [h] aut speret; meminit tamen in quo observantiæ genere mandatorum omnium caput ac summa consistat; scitque quid à Domino suo, etiam ab ipsis, quibus committendæ claves cælorum erant, Apostolis quæreretur. Namque cùm inter se opinionibus ac studiis dissiderent, sibique singuli principatum humana contentione præsumerent, dum præstantiorem se ceteris unusquisque esse aut optat aut poscit; Dominus meriti hujus ac nominis præmium unde petendum esset ostendens, ait, Qui vult esse ex vobis major, fiat omnium minimus: omnis enim qui se humiliaverit exaltabitur, & qui se exaltaverit humiliabitur. IN HUMILITATE scilicet docuit omnia fidei nomina & præmia contineri. Utilissimum itaque est, obedientes divinis præceptis omnem intra se ipsos humanæ insolentiæ ac petulantiæ inanitatem fractam protritamque cohibere, seseque, Dei & [i] magnificentiâ & miseratione reputatâ, intra humilitatis modestiam continere.

In humilitate mandatorum omnium caput ac summa,

Luc. 22. 26. Matth. 23. 12.

omnia fidei nomina & præmia.

2. Ob quod hic nunc sanctus & rex & propheta & Deo ac Domino suo secundùm carnem in seminis sui originem deputatus, inter has sæculi infestationes ac spiritalium nequitiarum pugnas sola ac tali ad Deum precationis suæ ambitione proclamat: *Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non sum oblitus.* Non regni opes, non spiritum prophetiæ, non alia aliqua humanæ jactantiæ nomina conspici in se, sed humilitatem, precatur. Non enim adversùm F insectantes se armis belli resistit, nec humanæ indignationis impatiens rapit ad ultionem suam & potentiæ tempus & regni. Sed sciens hanc divinæ voluntatis esse sententiam, Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus, non oblivíscitur legis Dei in humilitate [k] retinendæ: sed eripi se ob id quia sit humilis depre-

Humilitatem solam David ostentat.

℣. 153.

Ultionem sui Deo reservat.

Rom. 12. 19.

[a] In Regio codice & Albin. *universæ tamen Ecclesiæ*; in Vaticano, *universæ tamen ætati Ecclesiæ*: lectiones non spernendæ. His similia sunt illà lit. 5. n. 8. quibus ostendit Hilarius viam mandatorum ab ipso mundi exordio, ac deinceps fuisse tritam: *quia in mandatis Dei ab initio sæculi perrectum sit. In hac enim semita & Abel cucurrit, & Seth institit* &c.

[b] De hac lege dictum videtur illud Tract. Psal 2. n. 16. *Voluntati ergo permissa bonitas est: ut præmium sibi voluntas bonitatis acquireret; & esset nobis æternæ hujus beatitudinis profectus atque usus ex merito, non necessitas indiscreta per legem.*

[c] Excusi, *in Cham*: emendantur ex scriptis.

[d] In vulgatis desunt verba, *scrutatus sit, qui Melchisedech sacerdotum, qui.* Exstant magno consensu in mss.

[e] Abest *promissæ* à mss. Reg. & Albin.

[f] Regius codex, *sed cùm fundata sunt.*

[g] Editi, *Angelorum frequentia*: renitentibus mss.

[h] In duobus mss. *aut servet.*

[i] Vaticanus ms. cum Reg. & Albin. *magnificentiæ & miserationi reputatum*: ac paulò antè *obrepentis*, loco *obedientes.*

[k] Ita tres mss. At editi, *retinenda.*

catur, memoriam legis Dei in humilitatis conservatione esse declarans.

Judicium illius rectum.

3. Reservans itaque omnia judicio divino, & eripi se ob humilitatis meritum deposcens, qui in nullo adversùm Dei constitutiones, adversùm odia humana, adversùm præsentium molestiarum [a] patientiam moveretur, nihilque in hoc nunc sæculo sibi de his [b] judicandum esse decerneret, consequenter hæc addidit: *Judica judicium meum, & redime me; propter eloquium tuum vivifica me.* (℣. 154.) Magnæ & securæ conscientiæ vox est, [c] judicii sui judicium postulare: ut ad id quod statutum à se sibique complacitum est, etiam divinæ sententiæ examen exoptet. Non hic aut alios aut se ipsum dijudicans, corrupti sensus opinione deflectitur: neque à veri judicio, irâ, aut gratiâ, aut odio, aut amore decedit: non ignarus hujus evangelici mandati, Quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis. (Matth. 7. 2.)

4. Sed ne ille quidem judicii sui judicium pertimescit, qui ait, Ego autem non judicavi quidquam scire me, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum. (1. Cor. 2. 2.) In hac igitur judicii sui securitate Propheta tempus redemtionis exspectans, redimi se & propter eloquia Dei vivificari precatur. Venumdati [d] enim sub peccato, redemtione & justificatione in sanguine Domini liberabimur. Hoc legislatio, hoc omnis spiritus prophetiæ, hoc patriarcharum spes, hoc Angelorum voces, hoc toto sæculi tempore divini eloquii sermo testatus est: ob quod redimi ac vivificari se deprecatur.

Redemtionem per Christum exspectat.

5. Sed hæc eadem eloquia Dei, ut piis spebus vitam redemtionemque denuntiant, ita impiis non relinquunt. Nam exspectationem Prophetæ hæc de peccatoribus mox sequuntur: *Longè est à peccatoribus salus; quoniam justificationes tuas non exquisierunt.* (℣. 155.) Non habet veniam ignoratio voluntatis: quia sub scientiæ facultate nescire, repudiatæ magis quàm non repertæ scientiæ est reatus. Ob id enim longè à peccatoribus salus est, quia non exquisierunt justificationes Dei: cùm non utique ob aliud consignatæ litteris maneant, quàm ut ad universorum scientiam notionemque defluerent. Sed sciens Propheta, cùm à peccatoribus non exquirentibus justificationes Dei salus longè sit, juxtà tamen Dominum esse his qui recto sunt corde (Psal. 33. 19.); secundùm etiam illud Apostoli, Vos qui eratis longè, facti estis propè (Ephes. 2. 13.): ne [e] & ipse, & ab ipso salus longè sit, cognitionem justificationum Dei expetit.

Ignoratio voluntaria caret veniâ.

6. Non ignorat quantum in his sacramentum nostræ salutis expressum sit per quasdam præfigurationum æternarum in rebus præsentibus notiones; in Hebræo scilicet sex tantùm annis serviente, & post hoc idem sexennii tempus, & terrâ omni in otium relinquendâ, & fructibus [f] ejus etiam bestiis deputandis; in Jubilei quoque anni, id est, quinquagesimi lege, per quam & laxatis pactionibus debitorum, & agris omnibus ad dominorum si qui fortè veniissent jura redeuntibus, nova & cælestis rerum omnium & remissio & reformatio prænuntiatur. Et quia ab his, qui non ista exquisierint, salus longè est; totus in exquirendis his Propheta detentus, & divinæ atque æternæ misericordiæ justificationes in speculo contemplans subjecit, *Miserationes tuæ multæ sunt, Domine, valde:* [g] *secundùm judicium tuum vivifica me.* (℣. 156.) Valde itaque multæ sunt miserationes Dei: modum enim humanæ opinionis excedunt.

Legis sacramentis æterna præformabantur.

7. Sed confidentem in his Prophetam, ac se vivificandum in Dei judiciis sperantem, multorum extrinsecùs odia & insectationes fatigant. Verùm misericordiarum ejus, quarum secundùm eumdem Prophetam non est numerus, non immemor, de testimoniis ejus non declinavit. Sequitur enim: *Multi qui persequuntur me: de testimoniis tuis non declinavi.* (℣. 157.) [h] Non impellitur, non movetur: & cùm multi persequantur, ne declinat quidem.

In ærumnis à Deo non movetur David.

8. Sed qui ita in mandatis Dei permanet, ut ab insectantibus impelli deflectique non possit; habet quod se gravi dolore non solùm perturbet, sed etiam usque ad tabem liquescentis quodam modo animæ dissolvat: cùm se à testimoniis Dei non declinante, alii [i] à Dei lege desciscunt, & susceptam legis fidem pactionemque corrumpunt. Hos habet æstus, has tantùm defatigationes sentit Propheta, cùm dicit, *Vidi non servantes pactum, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.* (℣. 158.) Consignati testamenti Israel heres nuncupatus est, & audita de monte Domini voce respondit, Omnia quæcumque dixit Deus, & audiemus & faciemus. (Exod. 24. 7.) At verò ubi deos alienos adoravit, ubi omnium se scelerum vitiis contaminavit; pactum & auditæ nuncupationis & professæ observationis amisit. Eloquia enim Dei non custodierunt, quæ se esse facturos audituros que responderunt. Nec nova prophetæ hujus super prævaricatione populi tabes est: quippe cùm & Dominum ipsum ad impietatem Jerusalem illacrymasse noscamus (Luc. 19. 41.), & ex doctrina eadem super impænitentes Apostolus fleat (Philip. 3. 17.), & insuper ipse si quis scandalizetur uratur. (2. Cor. 11. 29.)

Zelus illius pro Dei lege.

9. Sed qui dolet super non servantes pactum, atque tabescit, mandatorum in se Dei non refugit examen. Dicit enim, *Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine: in tua misericordia vivifica me.* (℣. 159.) Parum Prophetæ est, per metum explere mandata: sed ea magis diligit; quia extra necessitatem timoris sit dilectionis operatio. Et quamquam amor legis potior quàm metus sit; non tamen ita sui fidens

Legem implet amore, non timore.

[a] Mss. Reg. & Albin. *inpatientiam.* Hîc *patientia* pro passione ponitur.

[b] In ms. Vatic. *vindicandum.*

[c] Apud Par. *judicis sui:* corruptè.

[d] Excusi, omisso *enim*, mox habent, *per redemtionem & justificationem . . . . liberamur.*

[e] Ex ms. Mic. adjecimus, *& ipse*, quo respiciuntur proxima Apostoli verba.

[f] In priùs vulgatis deerat vox *ejus.*

[g] Excusi, *secundùm judicia tua*, consentientes cum Aquila, sed à LXX. ac mss. nostris dissentientes.

[h] Bad. & Er. *non pellitur.* Duo mss. *non repellitur.*

[i] Ita mss. Editi verò, *à Dei timore.*

Vitam spectat veram. eſt, ut non magis vivificari ſe per miſericordiam Dei deprecetur. Non nunc ſe ille vivere putat : ſed vitam exemto hoc mortali corpore & abſorpto in gloriam immortalitatis exſpectat.

Sermo Dei primus de homine. 10. Scit enim ſibi hoc jam in exordio creationis ſuæ eſſe promiſſum, cùm à Deo dicitur, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. (Gen. 1. 26.) Hoc ſuper homine principium vocis eſt Dei, cùm ad imaginem interminatæ æternitatis [a] originis noſtræ exordium conderetur. Certus ergo ſe vitâ illâ atque imagine Dei eſſe victurum, ait, *Principium verborum tuorum veritas : in æternum omnia judicia juſtitiæ tuæ.* (℣. 160.) Verba Dei cælo & terra prætereunte non tranſeunt. (Matth. 24. 35.) Quæcumque de labiis ejus effuſa ſunt, non irrita ſunt. Æternæ ſunt juſtificationes, & æterna juſtitia eſt. Principium ergo verborum Dei veritas eſt : neque de ſe, id eſt, de hominis creatione, ullum alium anteriorem Dei ſcit eſſe ſermonem, quàm ut ſecundùm imaginem [b] Dei ac ſimilitudinem fieret. Hæc itaque indemutandæ veritatis eſt conſtitutio : ſic in principio verborum Dei veritas eſt, ut novus homo regeneratus in Chriſto, vivat deinceps ſecundùm æterni Dei, [c] id eſt, cæleſtis Adæ imaginem jam æternus.

LITTERA XXI.

ש Sin.

*PRINCIPES perſecuti ſunt me gratìs : & à verbis tuis formidavit cor meum. Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa. Iniquitatem odio habui & abominatus ſum ; legem autem tuam * ego dilexi. Septies in die laudem dixi tibi ſuper judicia juſtitiæ tuæ. Pax multa diligentibus nomen tuum : & non eſt illis ſcandalum. Exſpectabam ſalutare tuum, Domine, & mandata tua feci. Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer. Cuſtodivi mandata tua * : quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.*

* Infrà abeſt *ego.*
* *& teſtimonia tua.*

Inter odia principum Deus non negandus. 1. GRAVIA quidem propheta David & regis Saül & principum populi odia & inſectationes ſuſtinuit : quia piæ conſcientiæ conſtantiam ferre impietas profeſſa non potuit. [d] Sed conformans evangelicum Deo atque apoſtolicum virum, non ignarus eſt evangelici ſermonis, quo ait, Tradent (Matth. 10. 17. & 18.) enim vos, & flagellabunt in ſynagogis, & ſtabitis ante reges & poteſtates in teſtimonium illis & gentibus. Quin etiam conſtantiam prædicationis inſinuans, & confeſſionis gloriam docens, antè eos fuerat adhortatus, dicens, Omnis qui confitebitur me coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo qui eſt in cælis : qui autem negaverit me coram hominibus, ego negabo eum coram patre meo qui eſt in cælis. (Ibid. 32. & 33.) Sive igitur dedicatus ex lege, ſive etiam in Evangelii gloriam præparatus, qui neque Saül populoque ejus cauſam inſectandi ſe reliquiſſet, & per multa principum & gentium odia ſciret [e] propter cælorum regnum ſæculo renuntiandum ; confidenter hæc Deo loquitur, *Principes perſecuti ſunt me gratìs : & à verbis tuis formidavit cor meum.* (℣. 161.) Metuit enim negari ſe, ſi negaret.

Fidei victricis vox. 2. Sed cùm beatæ hujus inſectationis præmia non ignoret, Domino dicente, Beati eſtis cùm vos perſequentur, & dicent omne malum adversùm vos propter juſtitiam ; gaudete & exſultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælo ; (Matth. 5. 11. & 12.) poſt principum odia, formidinem verborum Dei ita conſequentibus temperavit : *Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa.* (℣. 162.) Fuit ergo formidinis, ne perſecutionibus principum [f] aut indignè ſubderetur, aut cederet : quia & cauſam odiorum præbuiſſe non ſancti eſt, & Dei gratiam metu ſæculi amiſiſſe ſine venia ſit. Sed ſpolia inveniſſe victoris eſt : certè ea ex ſe præbuiſſe jam victi eſt. Cùm his itaque inſectationibus Propheta non frangitur, & odia principum fide vincit ; refert quædam impietatis ſpolia de victis. Scit enim ſecundùm Evangelia ligatum eſſe in domo ſua fortem, & armis ſuæ poteſtatis exutum, diripienda jam de ſe fidelibus ſpolia præbuiſſe. (Matth. 12. 29.) Lætatur ergo nunc in eloquiis Dei, tamquam qui multa ſpolia inveniat : cùm fractâ impiorum poteſtate, & victor fide permanens, omnibus eos armis ſeu impietatis ſeu [g] crudelitatis exuerit.

Non convenit niſi legem amantibus. 3. Sed hujus lætitiæ affectus non ineſt, niſi & in divinæ legis dilectione, & in exſecratione iniquitatis : quia neque defugere quiſquam niſi quod odit optabit, neque niſi quod diligit obtinere nitetur. Lætatus ergo tamquam ſuper ſpolia multa, ſubjecit, *Iniquitatem odio habui & abominatus ſum ; legem autem tuam dilexi.* (℣. 163.) Iniquitatem ergo odit, & diligit Dei legem.

Lex aliud dicit quàm quod jubet. 4. Sed diligens Dei legem, non in hæc tantùm quæ per obedientiam legis explentur intentus eſt : ad aliquid autem ſe aliud neceſſe eſt per opus legis extendat. Et quo præterea in officio ſit, audiamus : *Septies in die laudem dixi tibi ſuper judicia juſtitiæ tuæ.* (℣. 164.) Sanctus propheta primùm quod agit diligit, opus ſcilicet legis, [h] quia vitiorum omnium & uſus reciditur &

[a] Regius codex cum Albin. *origo noſtra in exordium conderetur.*
[b] In vulgatis deſiderabatur vox *Dei.*
[c] In mſſ. Reg. & Albin. omittitur, *id eſt cæleſtis Adæ.*
[d] Tres mſſ. *ſed confirmat evangelicum Domini ad Apoſtolos dictum. Nam non ignarus eſt,* &c.
[e] Excuſi, *cælorum regnum ſæculo nuntiandum*, omiſſo priùs *propter* : reſtaurantur ope mſſ.
[f] In duobus mſſ. *indignè* ſine *aut.* Exigere videntur ſubſequentia, *aut dignè ſubderetur*, puta, poſt quàm odiorum cauſam præbuiſſet.
[g] In mſ. Vatic. *incredulitatis.* In duobus aliis, *calliditatis* : lectio non ſpernenda.
[h] Albinenſis codex, *qua vitiorum*, quod & habet Regius ſecundis curis. Retinendum omnino *quia*, ſubaudito *ab eo.* Non enim lex cum uſu vitiorum recidit etiam voluntatem, ſed amor.

voluntas. Sed postea judicia justitiæ Dei laudat. Hæc enim, ut sæpe admonuimus, plus significant quàm agant, dum gesta notionem nobis æternæ dispositionis insinuant: ut sabbati requies, ut hebræus puer, ut terra otiatura, ut annus quinquagesimus, [a] sub imaginis sacramentorum momentis intelliguntur. Hoc ergo in die septies laudatur.

Septenarius numerus.

5. Ac non ambiguum est, cur laudis hic numerus sit. Hæc enim eadem, vel in die, vel in puero, vel in terra, vel in anno atque annis, sub sanctificatione hujus numeri continentur: cùm usque ad illam quinquagesimæ æternam requiem, quod est sabbata sabbatorum, septenus numerus expleatur. (*V. Proleg. n. 11. & 12.*) Multa autem de numeri hujus sanctificatione sunt cognita: ut ipsa dierum constitutio, ut angelorum throno Dei adstantium electio, ut spiritalium potestatum & requiescentium gratiarum in Domino plenitudo. Certè judicia justitiæ Dei hoc in numero laudari à Propheta convenit, per quem & in quo earumdem justificationum virtus & constitutio continetur.

Proximi dilectio.

6. Non alius autem nunc prædicationis propheticæ ordo est quàm fidei. Nam [b] & tolerantia persecutionum, & formido verborum, & lætitia eloquii, & odium iniquitatis, & amor legis, & laudatio justitiæ, & omne omnino, si quod aliud in lege mandatum est, in hujus tantùm præcepti observatione concluditur, Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. (*Rom. 13. 9.*) Hoc holocaustis, hoc sacrificiis omnibus majus est, unum atque idem sibi meminisse cum alio corpus esse, [c] qui Christi est, & ut corpus suum, id est, ut se ipsum, amare qui proximus sit. Sequitur enim: *Pax multa diligentibus nomen tuum, & non est* [d] *illis scandalum.* (ẏ. 165.) Apostolus non quæ sua sunt, sed quæ aliorum cogitans, carne se abstenturum in sæculum, ne fratrem scandalizet, professus est. (*1. Cor. 8. 13.*) Adeo perfectæ caritatis & pacis tenuit affectum, ut ab ipso vitæ communis usu, dummodo causam offensionis abscideret, temperaret. (*Caritatis affectus.*) Pax ergo retinenda est: & non quod unicuique, sed quod universitati congruat [e] expetendum est: quia, secundùm Evangelium, utilius sit in vitam non venisse, quàm scandalum minimis intulisse. (*Matth. 18. 6.*)

7. In his itaque pacis caritatisque præceptis manens Propheta, evangelicæ spei desiderio detentus est. Scit enim in quo vel quis finis sit [f] legis, cùm ait, *Exspectabam salutare tuum, Domine, & mandata tua feci.* (ẏ. 166.) Salutaris Jesus est. (*Jesus.*) Hoc enuntiatio ex hebræo nominis, hoc ad Joseph Angelus est locutus, hoc Simeon exinde in pace dimittendus agnovit, hoc reddita nobis per eum salus edocet. In eo autem mandata Dei se fecisse profitetur, quòd salutare Domini exspectet; declarans omnia legis mandata [g] adventum Dei unigeniti continere.

8. Testimonia quoque Dei custodivit, vehementerque dilexit, dicens, *Custodivit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer.* (ẏ. 167.) * *Custodivi mandata tua & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* (ẏ. 168.) Agens Propheta sub judice & scrutatore cordium Deo, in custodia mandatorum testimoniorumque Dei permanet: (*Præsentia Dei.*) non in viis sæculi, neque in viis vitiorum & impietatis incedit. Nam quodcumque vitæ suæ iter egerit, tam probabile tamque innocens agit, ut conspectu Dei dignum sit: Deo ipsas cogitationes cordium motusque noscente, neque conspectu ejus, qui immundo sit corde, condigno [h]. Fidelis enim in cælo testis hæc dixit, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

LITTERA XXII.

ת Tau.

APPROPIET oratio mea in conspectu tuo, Domine: secundùm eloquium tuum, Domine, da mihi intellectum. Intret postulatio mea in conspectu tuo, Domine: secundùm eloquium tuum eripe me. * *Eructabunt labia mea hymnum: cùm docueris me justificationes tuas.* * *Pronuntiavit lingua mea eloquia tua: quia omnia mandata tua æquitas. Fiat manus tua ut salvum me faciat: quoniam mandata tua elegi. Concupivi salutare tuum, Domine: & lex tua meditatio mea est.* * *Vivit anima mea, & laudabit te: & judicia tua adjuvabunt me. Erravi sicut ovis quæ periit: vivifica servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.*

(* Infrà, eructavit. * pronuntiabit. * vivet.)

1. FINEM sumit [i] secundùm litteras psalmus. Nam omnibus in his, quæ sancto viro erant propria, juxta hebraicorum elementorum ordinem comprehensis, nunc Propheta ut oratio ejus Deo sit proxima deprecatur: *Appropiet oratio mea in conspectu tuo, Do-* (ẏ. 169.)

[a] Antiquæ edit. *sub imaginis sacramento non parvi momenti esse intelliguntur*: quod & habent quatuor mss. nisi quòd in tribus exstat *parum*, loco *parvi*. Mallemus, *sub imaginis sacramento futurorum documenta* (vel quid simile) *esse intelliguntur: quia*, ut habetur lit. 4. n. 5. *lex sit ad futurorum bonorum speculum constituta*: & paulò antè: *quia hæc quæ in lege sunt constituta, via est eorum quorum in his præformatur exemplum.*

[b] Regius codex, *& ad tolerantiam passionum formido verborum* &c. malè. Hìc vult Hilarius, quod Rom. 13. Paulus, virtutes omnes, omnia præcepta in una proximi dilectione concludi ac recapitulari.

[c] In ms. Vatic. *qui Christus est*. In Albin. ac Reg. *cum aliis corpus esse quod Christus est*. Illud *qui* refer ad *cum alio*.

[d] Particulam *in* hìc præponunt mss. Reg. & Albin.

[e] Editi, *expendendum est*: renitentibus mss.

[f] Ita mss. nisi quòd Mic. habeat *ignis*, & non *legis*: cujus loco in vulgatis legebatur *testis*.

[g] Excusi, *adventu unigeniti Dei contineri*. Magis placet cum mss. Reg. & Albin. *adventum . . . . . continere*. Ita Prologo n. 5. Christi adventus *opus Prophetarum* prædicatur, eique qui hunc ignoraret aut negaret, Scripturas prorsus clausas esse atque obsignatas: *quia cognitionem legis, quæ adventum Domini corporeum prædicat, fides corporei adventus abnegata præcludit.*

[h] Scil. Deo. Simili loquendi ratione superiùs pag. 331. d. prædicatur *congregatio sanctorum ad malitiæ operarios indigna.*

[i] In vulgatis *secundùm litteram*. Rectiùs in mss. Reg. & Albin. *secundùm litteras* scil. hebraicas, in quibus comprehensa sunt omnia quæ sancto viro erant propria.

Eloquia Dei obscura.

mine : secundùm eloquium tuum Domine da mihi intellectum. Multa sunt quæ toto psalmo oravit à Domino. Sed quia eloquia Dei plurimum in se obscuritatis per rerum cælestium sacramenta complexa sunt ; nunc maximè ut intellectu hujus eloquii Dei sit dignus precatur. Ac primùm ordinem modestæ spei suæ tenuit, cùm proximam fieri conspectui Dei orationem suam poposcit.

Orationis gradus.

Sequens jam per gradum altioris profectus postulatio ejus iteratur, cùm ait,

℣. 170. *Intret postulatio mea in conspectu tuo, Domine, secundùm eloquium tuum eripe me.* Appropinquantis orationis ad conspectum Dei hic fuit ordo, ut cùm cœpisset esse proxima, introiret : & jam eloquio Dei intellecto, eripi se secundùm idipsum eloquium Dei precatur. Non enim primùm [a] ubi est intellectus, ibi salus est : sed intelligentiâ adeptâ, salus est obtinenda.

Sermonis vulgaris & prophetici discrimen.

2. Et quia hæc eadem per spiritum prophetiæ, vel sub futurarum rerum umbra, vel sub quadam [b] veritate tamquam de speculo imaginante, vel sub divinorum verborum occulta profundaque ratione, spiritu prophetiæ magis quàm intelligentiæ humanæ sensu, proferebantur ; adjecit, [c] *Eructaverunt labia*

℣. 171. *mea hymnum. Cùm docueris me justificationes tuas,*

℣. 172. * *pronuntiabit lingua mea eloquia tua ; quia omnia mandata tua æquitas.* Omne [d] prophetiæ eloquium sub eructandi significatione meminimus ostendi, cùm dicitur, Eructavit cor meum verbum bonum : vel illud, Eructabo absconditа à constitutione mundi : vel illud, Dies diei eructat verbum. (Psal. 44. 2. Matth. 13. 35. Psal. 18. 3.) Omnis autem sermo hominum ex sensu cogitationis initur ac motu, ubi ad aliquid enuntiandum mota mens nostra, id quod in affectum sibi inciderit per verba declarat.

Eructatum verbum quid.

At verò ubi extra humanæ mentis instinctum non ad animæ sententiam lingua famulatur, sed per ineuntem spiritum officio oris nostri divini sensus sermo diffunditur ; illic eructatum videtur esse quod dicitur : cùm non antè cogitatione motuque percepto [e] id ad quod impulsa sit mens loquatur, sed ignorante sensu spiritus vocem in verba distinguat.

Mandatorum intelligentiam quo ordine præstet Deus.

3. Nunc autem quamvis eructaverint labia hymnum, tamen post doctrinam justificationum Dei [f] pronuntiabit lingua quod loquitur : ut cùm rerum dictarum sit percepta cognitio, tum agnitionis ipsius declaratio consequatur. Non sunt autem ita mandata Dei ab æquitate diversa, ut non Deo dignum sit, eorum primùm intelligentiam tribuere [g] prophetanti, tum deinde ad conscientiæ publicæ notionem prædicationis confessione clarescere : [h] quia extra bonitatem Dei sit, aut occultare quod voluerit pronuntiari, aut aliud aliquid nisi cum æquitate mandasse.

Mandatorum scopus.

Æquitatis autem mandatorum Dei ea summa est, ut [i] omnibus sint salutaria ; ut hoc, quòd in hanc vitam venimus, cum profectu æternitatis ineamus. Nam nasci ad mortem, non vitæ est causa, sed mortis.

4. Et hujus spei suæ fiduciam mox Propheta subjecit, dicens, *Fiat manus tua ut salvum me faciat : quoniam mandata tua elegi.* ℣. 173.

Liberum arbitrium.

Aliis gloriam sæculi eligentibus, aliis venerationem elementorum ac dæmonum capessentibus, aliis terrenas opes expetentibus, sanctus iste mandata Dei elegit. Elegit autem non naturali necessitate, sed voluntate pietatis : quia unicuique ad id quod volet via est proposita vivendi, & appetendi atque agendi permissa libertas. (Deut. 30. 19.) Et ob id [k] uniuscujusque aut pœnâ aut præmiis afficietur electio.

Legis finis.

5. Sed mandatorum Domini quis esset [l] finis ostendit, dicens, *Concupivi salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est.* ℣. 174. Totum se iste in adventum Jesu, id est, salutaris extendit : & illud quod Apostolorum beatitudini videre fuit proprium, desideriis impatientibus concupiscit : hoc tamen ipsum, quod in lege [m] agit, meditationem futuræ spei esse significans ; quia non ad præsentium effectum, sed ad futurorum profectum omnis intelligitur suscipi solere meditatio.

Meditatio ad quid tendat.

Præmium ejus.

6. Ac meditationis istius quod præmium esset, ostendit : *Vivet anima mea, & laudabit te : & judicia tua adjuvabunt me.* ℣. 175. [n] Vivere se in hac vita non reputat, quippe qui dixerit ; Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. (Psal. 50. 7.) Scit sub peccati origine & sub peccati lege se esse natum : meditationem autem legis Dei ob id elegit, ut vivat. Animam suam superiore psalmo ad vitæ istius gaudia adhortatus est, cùm ait, Convertere anima mea in requiem tuam, quoniam Dominus benefecit mihi : quia eripuit animam (Psal. 114. 7. &c.)

[a] Editi, *ibi est intellectus, ubi salus est* : contra Hilarii mentem ac fidem mss.

[b] In vulgatis, *sub quadam veri tamquam de speculo imagine antelata, vel sub* &c. quam lectionem mutamus auctoritate mss. Reg. Vatic. & Albin.

[c] Lips. & Par. *eructabunt.* Veriùs alii libri, *eructaverunt* : favente græco ἐξερεύξαιντο, (quamquam Hilarius videtur legisse ἐξερεύξαντο) postulante etiam hoc numeri 3. *Quamvis eructaverint labia hymnum.* In mss. constanter scribitur, *eructuaverint, eructuaverunt, eructuabo* &c.

[d] Par. ex Lipsio retinuit, *propheta* : bene, si de unius David eloquio, non de omni prophetico sermo esset.

[e] Editi, *ad id quod pulsa sit* : corriguntur ex mss.

[f] In vulg. *pronuntiavit.* Rectiùs in mss. *pronuntiabit* : significatur enim exspectanda doctrina Dei, ante quàm ipsius eloquia pronuntientur. Ex hoc loco liquet superiora verba *Cùm docueris*, &c. cohærere cum subsequentibus *pronuntiabit lingua* ; non autem, ut in priùs vulgatis, cum antecedentibus *Eructaverunt labia* &c.

[g] Apud Par. *prophetam.* Apud Bad. & Er. *prophetandi* : mendosè.

[h] Editi, *Quòd si extra bonitatem* : ac mox Lipsius ut sententiam perficeret, pro *æquitatis autem*, posuit *æquitatis tamen.* Meliùs ex mss. jam resarcitur.

[i] Præpositionem *in* hîc præfigebant editi. Hanc expunximus auctoritate mss. Reg. Vatic. & Albin. maximè cùm Prologo in Cantica graduum n. 4. legamus, *Universis qui in vitam venirent, sermo Dei consuluit.*

[k] Mss. Reg. & Albin. *unusquisque*, omissa mox voce *electio.*

[l] Ita mss. ubi malè in vulgatis obtinebat, *quis esset fons.*

[m] In vulgatis, *ait* : simile mendum jam suprà castigatum est ex mss. Sæpenumero inculcat Hilarius Prophetam non modò agere quæ lege præcepta sunt, sed agendo meditari ea quæ in illis adumbrata sunt. Hinc litterâ superiori n. 4. ait : *Hæc, ut sæpe admonuimus, plus significant, quàm agant, dum gesta ipsa notionem nobis futuræ dispositionis insinuant.*

[n] Hæc Hilarii verba post quàm adversùs Julianum lib. 1. c. 3. retulit Augustinus, subjicit, *Sentisne quid audias ? Quærisne quid dicas ? Hunc virum tantâ in Episcopis catholicis laude præclarum, tantâ notitiâ famâque conspicuum, de peccato originali aude, si quid tibi frontis est, criminari.* Tum eadem verba sic l. 7. n. 32. summatim perstringit : *Sanctus Hilarius dicit, sub peccati origine & sub peccati lege natum esse, cujus vox est ; Ego in iniquitate conceptus sum.*

» meam à morte, oculos meos à lacrymis, pedes A
» meos à lapsu. Placebo Domino in regione vivorum. Has laudes Deo referre festinat, judiciis Dei, absorpta terrenæ corruptionis infirmitate, ad æternitatis adjutus profectum: ob id utique, quia elegit mandata, & concupivit salutare Domini, & quia meditatio ejus in lege Dei semper est.

ỷ. 176. 7. Digno autem omnia evangelici sacramenti fine conclusit, dicens, *Erravi sicut ovis quæ periit: vivifica servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* B Referri enim se errabundam ac perditam ovem pastoris sui humeris festinat, ut per salvatorem suum æternumque pastorem in cælo Angelis æterna gaudia præbeat [a] se recepto. Filius enim hominis venit salvare quod perierat, missus ad oves perditas domûs Israel, Dominus Jesus Christus, qui est benedictus in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Luc. 15. 10. a *Matth. 18. 11.*

C

PROLOGUS.

[b] In Cantica quindecim graduum.

Tituli psalmorum.

1. Psalmorum tituli, ut in plurimis ostendimus, habent proprias suas significationes, rationem & argumenta scriptorum quæ subjacent brevissimè continentes, nosque quodam doctrinæ indicio in intelligentiæ semitam dirigentes: de quibus nunc non necesse est aliquid tractare. Tum enim id fieri oportet, cùm psalmus unusquisque tractabitur. Cùm enim sibi invicem auctoritatem præstent psalmus & titulus; debilis erit sermo, si de aliquo eorum absque altero differetur. Nunc verò Cantica graduum attingimus, quorum & continua & æqualis inscriptio est, atque ideo significatione conveniente titulorum, sub unius expositionis [c] judicio universorum reperietur ratio esse monstrata.

Inscriptio historica non excludit sensum allegoricum.

2. In plerisque psalmis multa secundùm historiæ ordinem in superscriptionibus eorum esse edita legimus: ut cùm fugit David à facie filii sui Abessalon, cùm mutavit vultum suum coram Abimelech, [d] cùm post Bersabee ab Nathan monetur, & in reliquis sicubi gestorum veritas ipsis psalmorum titulis continetur. Sed meminisse nos oportet, hos eosdem psalmos non idcirco omnes corporaliter intelligendos, quia his corporalium negotiorum significatio antefertur: quin potiùs oportet nos spiritalem intelligentiam sub hac quadam gestarum rerum commemoratione sectari: de quo non est nunc temporis dicere, sed simplicitati legentium consulentes, legentem fuit congruum commonere. Ergo ne secundùm prædictos ex pluribus titulos, hi quoque graduum psalmi aliquid de historia contineant, videndum est.

Esai 38. 7. & 8. sec. LXX. *Gradus 10. in domo Ezechiæ.*

3. In Esaiæ enim libro orante Ezechia signum ei positum prorogatæ salutis in gradibus est. Erant autem in domo ejus gradus decem, quos sol ultra temporis sui cursum lumine suo accedente conscendit, rursumque, [e] die mortis ejus, de temporis sui limite lumine decedente descendit. Sed nulla ad psalmos hujus historiæ similitudo est, cùm graduum ne numerus quidem ipse conveniat. Hoc tamen quod Ezechiæ datum signum est, manifestè ostendit Dei ludamen his, quibus ob negotiorum sæcularium merita futuræ vitæ beatitudo impertietur, accedere; illis verò quibus sit negata, decedere.

Gradus 15. in templo, post hos psalmos extructi an hîc respiciantur.

4. Esse autem in templo gradus quindecim historia nobis locuta est, dispositosque ordines consistentium, quibus quædam quasi dignitas in antecedentibus obtineretur: ut [f] Levitæ primùm consisterent, pòst Israelitæ, [...]m proselyti, & deinceps alii. Sed quid de psalmis antea scriptis ex historia posteriore præsumimus: cùm si quid ex ea suscipiendum sit, suscipi ita debeat, ut psalmi historiam subsequantur? nisi tamen aliquid sit ad futuram D historiam prophetatum. Sed contuentes ipsam illam templi atque altaris ædificationem, umbram esse incorrupti templi, & [g] sanctificati speciem altaris: his quæ in eodem corporaliter præfigurata sunt intelligeremus, nisi auctoritas [h] præsumeretur ex psalmis. Psalmi autem non sui tantùm temporis res enuntiant, neque in eas solùm ætates conveniunt quibus scripti sunt; sed universis qui in vitam venirent Dei sermo consuluit, universæ ætati ipse aptissimus ad profectum. E

Levit. 16. 17. Luca 1. 8. Christus verus Sacerdos adscendit in sancta sanctorum.

5. Erat namque illa sacerdotii lex, quam secundùm legis observantiam in Evangelio diligenter Lucas sub Johannis Baptistæ nativitate exposuit, neminem in sancta sanctorum adscendere, nisi qui esset princeps sacerdotum, eumdemque toto in anno uno tantùm die. Quæ omnia in similitudinem antea gesta, in uno Domino nostro expleta esse, & fides nostra, & ipse Dominus nobis in Evangelio auctor F est, dicens, Non veni legem solvere, sed adimplere. Apostolus quoque omnem consum- *Matth. 5. 17.*

[a] Quamvis cum mss. præferamus, *se recepto*; puta Prophetâ; non displicet tamen vulgata lectio *se recepta*, quod ad ovem relatum eidem sententiæ subjicitur. At perversè omnino apud Hincmarum de prædest. c. 25. *Angelis in æterna gaudia perhibeat se receptum.*

[b] In Miciacensi codice hîc absque ullo titulo præfigitur totus Psalmus CXIX. Ibidem collocatur in prima editione Par. præmisso titulo, *In Canticum graduum Commentarii. Præfatio.* Postrema editione textus Psalmi in eum locum rejectus est, in quo nunc edendum curavimus. Hunc neutro in loco habent aliæ editiones ac ms. Reg. in quo ea præfertur inscriptio: *Expositio quindecim graduum beati Hilarii Pictavensis episcopi:* ac deinde, *Psalmorum tituli* &c. Et titulo & Psalmo caret ms. Majoris monasterii Turonensis.

[c] Ita mss. Reg. ac Turon. ubi in vulgatis *negotio*.

[d] Bad. Er. & Lips. *propter Bersabee*. Par. *propter Bersabeth*. Magis placet cum mss. Turon. & Reg. *post Bersabee*, id est, ut habet inscriptio Psalmi L. post quàm intravit ad Bersabee.

[e] Lips. & Par. *die mortis sui lumine descendente descendit:* editiones his antiquiores, *die mortis de temporis sui lumine decedente descendit:* resarciuntur ope mss. Qui autem Turonensem exaravit, ad marginem adscripsit, *vel diem orsus*, scil. pro *die mortis*. His porro verbis notatur dies, non quo mortuus est Ezechias, sed quo sine Dei ope moriturus erat. Paulò antè in eodem ms. *prærogatæ salutis*, non *prorogatæ*: potest & verè dici, quia hanc priùs rogaverat. Antea ex eodem ms. restituimus *ei positum*, pro *& positum*.

[f] In mss. Reg. & Turon. *Levitici*.

[g] Apud Bad. Er. & Lips. *sancti speciem*, quod & in postremam editionem Par. revocatum est obnitentibus mss.

[h] In vulgatis, *præsumitur*. Restituimus ex mss. Reg. & Turon. *præsumeretur*. Necdum tamen conficitur integra sententia, nisi superiùs, pro *his quæ in eodem*, legamus *vix quæ in eodem*. Turonensis codicis scriptor sensit hîc aliquid deesse. Proximè enim post verba *speciem altaris*, vel ut ibi ac paulò antè habet *altarii*, spatium unius versus scripturâ vacuum reliquit.

Rom. 10. 4.

Psal. 109. 4.

mationem legis in Domino nostro Jesu Christo esse testatur, dicens, Finis enim legis Christus est. Sed & hic idem David propheta æternum eum sacerdotem docet, dicens, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Hic igitur princeps sacerdotum ingressus cælos, sedens ad dexteram Dei, orans ad Patrem ut ubi ille esset & nos quoque essemus, qui & [a] excitavit & collocavit nos in cælestibus: ille jam per prophetam monuerat quibus modis quibusque vitæ operationibus adscendi posset ad sese. Sed per Esaiam ita [b] ait: Lavamini, mundi estote, auferte nequitias ab animis vestris è conspectu oculorum meorum: desinite à malitiis vestris, discite bonum facere, exquirite judicium, [c] eruite injuriam accipientem, judicate pupillo, & justificate viduam; & venite disputemus, dicit Dominus omnipotens. Hi sunt igitur gradus perfecti illius æternique templi, quos Princeps sacerdotum facta per sanguinem suum peccatorum nostrorum propitiatione transscendit, modo terreni ex lege sacerdotis, seu gradibus in sanctorum sancta scandentis, seu litationis hostiam pro populo offerentis.

Johan. 17. 24.

Quibus gradibus ad eum adscendatur.

Esai 1. 16. &c.

Prolog. num. 16.

Numeri XV. mysterium.

6. Ac de quindecim quidem gradibus [d] & superscriptione cantici jam in exordio psalmorum, tum cùm sermo de numeris & de superscriptionibus incidit, aliqua tractavimus, ex duobus scilicet numeris hebdomade & ogdoade, quorum unus ob sabbatum legis sit, alius ob accedentem ad sabbatum octavam, [e] quæ & prima est, Evangeliorum sit, hunc numerum convenire. Per quæ eorum canticorum quasi Legis & Evangeliorum gradibus ad cælestia nos & æterna conscendimus: cognoscentes collocandos nos cum summo Sacerdote in cælestibus, si tamen secundùm Apostolum conversatio nostra in cælis sit. Hos gradus canticorum quæramus, per quos scandere ad loca quæ sunt sanctorum sancta possimus. Arduus enim usque in ea & angusti itineris adscensus est. Gradus quindecim fuisse scimus in templo: psalmos quoque graduum quindecim legimus. Numerosus est hic desideratæ illius sedis adscensus. Fortè enim, ut in templo paulatim & per gradus singulos conscendebatur ad sancta, ita per singulos psalmorum profectus docebimur, his gradibus qui cantantur adscensis, posse nos in excelsis & sanctis & æternis collocari.

Philip. 3. 20.

Psalmi 15. graduum quid doceant.

7. Plures autem sunt, qui in his psalmis [f] solam captivitatem populi, qua in Babylonia septuaginta annis detentus est, existiment prophetatam; sed & reditum populi ejusdem cum restauratione civitatis amissæ. Quibus [g] nunc non calumniamur. Neque enim ambigitur, Prophetam ea quæ impietati hujus populi imminerent scire potuisse. Sed quam captivitatem populi, & cujus civitatis ædificationem Propheta commemoret, ipsi psalmi nobis auctores erunt, [h] qui ita cœperunt.

PSALMUS CXIX.

Canticum graduum.

*AD Dominum cùm tribularer clamavi: & * exaudivit me. Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ * potentis acutæ cum carbonibus * desolatoriis. Heu me! quia incolatus meus prolongatus est:* habitavi cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.* Cum his qui oderant pacem eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.*

* Hilarius, *ad te Domine.*
* *exaudisti.*
* *potentes.*
* *desolationis.*
* *&.*
* *cum odientibus.*

TRACTATUS PSALMI.

1. PROPHETICUS sermo, licèt communi usu humani sermonis utatur, tamen non eamdem quæ communi sensui adjacet significantiam continet. Namque quamvis prout possemus intelligere, rerum cælestium enuntiationem temperarit; virtutem tamen significantiæ suæ moderatâ licèt verborum electione servavit. Cœpit enim ita: *Ad te, Domine, cùm tribularer clamavi, & exaudisti me.* De consuetudine [i] enim fortè & pro humani sensus affectione clamor hic ad Deum Prophetæ existimabitur, ut promiscuus hic dolor sit, ob quem etiam cum vociferatione Deum precetur; quia multos aut periculi metus mortisque terror, aut damni anxietas ac pecuniæ dolor, aut orbitatis telum dolorumque vulnera ad Deum vocem efferre compellunt; [k] tamquam non omnia eorum quæ accidant, bonis spebus aptissima sint. Apostolus dissolvi & cum Christo esse sibi melius testatur, curam pecuniæ radicem totius malitiæ condemnat, & flendos potiùs vivos Evangelia dixerunt: & quid, contra hæc fidei nostræ proposito firmato, [l] loci adversùs nos sæculo relinquetur, cùm Christi consortium mors

℣. 1.

Tribulationes Christiano non timendæ.

Phil. 1. 23.

1. Tim. 6. 10.

Luc. 23. 28.

[a] In Reg mſ. *excitabit & collocabit nos.* Utrumque probè. Excitati enim jam sumus in persona Christi, in propria quandoque excitandi.

[b] Verbum *ait* abest à mss. Reg. & Turon. sicut & antea particula *sed*, cujus loco in uno Vatic. exstat *sum*.

[c] Sic mss. At editi, *eripite.*

[d] In vulgatis, *ex superscriptione*; & mox, *hebdomada & ogdoada.*

[e] Editi, *qua & prima est Evangeliorum: sic hunc numerum convenire, per quem eorum canticum quasi legis* &c. valde confusè: emendantur ex mſ. Turonensi, favente Regio.

[f] Par. *totam*, non *solam*: ac mox cum edit. aliis *qui*, pro *qua*.

[g] Abest *nunc* à mss. Reg. & Turon.

[h] Sic mss. At editi, *quia ita cœpti sunt.* Deinde Psalmi totius textus jam postrema editione Par. illuc translatus, non videtur aptiori in loco disponi potuisse. In codicibus aliis primus tantùm psalmi versus hîc præmittitur, puta, *Ad te, Domine, cùm tribularer clamavi, & exaudisti me.*

[i] Particulam *enim* adjecimus auctoritate mss. Reg. & Turon.

[k] Apud Par. desideratur *tamquam non*, cujus loco in editionibus aliis habetur *quamquam non*. Clariùs deinde poneretur, *omnia quæ accidant, eorum bonis spebus* &c.

[l] Vocabulum *loci* abest à mſ. Reg. Hujus loco habet Turon. *dilectissimi.*

acquirat, inopia pecuniæ præstet inopiam A
a [a] peccati, nostrorum abscessio spei communis
sit accelerata properatio?

Quæ ei cavendæ. 2. Sed si istæ non sunt; quæ ergo erunt
tribulationes, ob quas clametur ad Dominum?
Sunt planè & maximæ, trahentes nos in pro-
b fundum peccati. Propheta enim [b] hominem
gradibus ad æterna scandentem ex persona
sua formans, à quibus maximè malis cavere
c debeat docet; his [c] namque, quæ consiliorum
auctoritatibus, & hortationum impulsibus, & B
blanditiarum illecebris nos in infernum demer-
gunt; cùm alius nos hortatur ad honores, alius
otio, somno, gulâ, luxu ad præsentem vitam
detinet, alius ad falsarum religionum supersti-
tionem deducit, alius hortatur ad schismata,
alius ad hæresim sollicitat: de quibus scriptum
1.Cor.15.33. est, Subvertunt mores bonos [d] colloquia mala.
d Namque adversùs hæc omnia animi nostri im-
becilla natura est. Circumcursant enim undi-
que, ac variis nos blandimentorum suorum acu- C
Oratione caventur. leis compungunt. Ac prima illa spes vitæ est, ut
irrumpentibus illis in sensum nostrum vi, frau-
de, dominatu, tamquam è media tribulatione
clamemus ad Dominum; ut conversio nostra
ad eum, conflictantibus calamitatibus, totis
fidelis clamoris viribus audiatur. Jam autem
e ipse clamor ad eum [e] nostra erit requies, & ipsa
conversio deprecandi maxima pars ac spes est
salutis. Et idcirco ait, *Ad te Domine cùm tribu-
larer clamavi, & exaudisti me.* Ipse enim soli- D
Esai 52. 6. tus est precantibus dicere, Ecce adsum.

3. Et quia adest, de his quæ consequuntur
ỳ. 2. rogandus est: *Domine libera animam à labiis
iniquis, à lingua dolosa.* Hæc enim sola tribula-
tio justis periculosa est, malæ adhortationis so-
cietas, & pestiferi consilii consuetudo, à qua
f animus [f] referendus est, & aures obstruendæ
Labia iniqua. sunt. Distinxit autem labia iniqua, & linguam
dolosam. Et quidem iniquitas inverecunda est,
palam audet, palam molitur, palam perficit. E
Epicurei. Hi sunt, qui abnegantes Deum, nullum huma-
nis rebus asserunt reliquum esse in religione
Dei profectum; sed solum hoc sibi bonum esse,
quod luxui & corpori vivant, adimentes Deo
A curam, providentiam, arbitrium, potestatem.
Horum ergo labia sunt iniqua. Dolosæ autem Lingua dolosa.
linguæ opus fallax est, [g] & per simulationem g
noxium, quod sub religionis nomine evertat
religionem, & per vitæ spem deducat in mor-
tem. Hæreticorum quoque ista mendacia sunt,
Prophetarum dictis & Evangeliorum virtuti-
bus & Apostolorum præscriptionibus mendacio
occultatis, aliter omnia tradere & docere quàm
scripta sunt. Ab his igitur per Dei misericor-
B diam orantes liberamur: & inter illorum tri-
bulationes, clamantes ad Deum exaudiemur.

4. Sequitur: *Quid detur tibi, & quid appo-* ỳ. 3.
natur tibi ad linguam dolosam? Bene ad id quod
dictum est, *Ad te Domine cùm tribularer clama-
vi, & exaudisti me: Domine libera animam meam
à labiis iniquis, à lingua dolosa*, subjicitur, *Quid
detur tibi, & quid apponatur tibi ad linguam do-
losam?* Ut per Prophetam impleretur quod à Esai 52. 6.
Domino dictum est, Ecce adsum tibi; tam- h
C quam in ipso puncto [h] imprecationis hæc Do-
mini vox refertur, *Et quid detur tibi, & quid
apponatur tibi ad linguam dolosam?* Frequenter i
autem interrogantis Domini [i] personam legi- Cur interroget Deus.
mus & in novo & in veteri Testamento, ut Gen. 3. 10.
ad Adam, Ubi es Adam? ut ad Cain, Ubi est Gen. 4. 9.
frater tuus? ut ad turbas cùm mulier fimbriam Luc. 8. 45.
attigisset, Quis me tetigit? ut ad discipulos, Matth. 16. 13.
[k] Quem me dicunt homines filium hominis? k
* Vos autem quem me dicitis? Non ille doceri * Ibid. 15.
D vult, qui scrutans corda & renes Deus est,
& cogitationum nostrarum inspector est: sed
per confessionem interrogatorum, aut pecca-
tis veniam, aut fidei honorem redditurus in- Confessionis fructus.
terrogat. Denique Adam [l] confessus, veniæ l
reservatus, & glorificatus in Christo est: Cain Johan. 8. 44.
negans, maledicto diaboli adæquatus est; est * scil. diabolus.
enim jam à principio designatus * homicida.
Confessâ mulier fide sanata est: respondens
fide Petrus claves cæli sortitus est. Atque ita
E omne spei nostræ præmium in confessione con-
sistit: ut ea quæ consequi nos posse credidimus,
consecuturos esse testemur.

5. Et idcirco quædam à Propheta interro-
gationis est facta conversio: sed fidei digna

[a] Præclarus ille locus paulatim magis ac magis corruptus fuit. Primò enim Erasmus pro *peccati*, posuit *peccatorum*, ut hoc vocabulum cum subsequente *nostrorum* congrueret. Tum Lipsius *copiam* pro *inopiam* substituit. Tandem cùm in prima edit. Par. deesset, *præstet inopiam peccati*; postremâ restitutum est, *præstet copiam: peccatorum nostrorum abscissio* &c. Resarcitur ex Bad. & mss. Triplici illo membro demonstrat Hilarius, nihil eorum quæ vulgò timentur timendum esse, non mortem nostram, qua Christi consortium obtinemus; non divitiarum jacturam, qua peccati radix amputatur; non denique *nostrorum*, hoc est, vel affinium vel quorumcumque justorum ex hac vita abscessionem, quorum abscessione judicii ac proinde regni cælestis adventus acceleratur. Hujus regni accelerationem orandam, adeoque optandam infrà docet num. 11. quo nomine beatitudinem ex corporum receptione consummatam significat, cùm disertè prædicet sanctorum beatitudinem ex Christi consortio statim post mortem inchoari, adeo ut mors eis lætitiæ causa sit.

[b] Abest *hominem* à Reg. & Turon. mss.

[c] Hoc est, *ab iis nempe malis.* Jam superiùs vidimus *namque* pro *nempe* solere poni.

[d] Miciacensis codex, *consilia mala.*

[e] In mss. Turon. & Reg. *noster*: quam vocem libenter adjiceremus etiam retinendo *nostra*.

[f] In vulgatis, *refrenandus*: verbum minùs Hilarianum. Habemus pag. 276. b. *Cor ab his sine dubio refert, quæ humano judicio existimantur utilia*; pag. 18. d. *ex via hac fidei religione referente.* V. Tract. Ps. 123. n. 8.

[g] Unus è mss. Vatic. *cùm per simulationis noxam.* Alter, necnon Bad. Er. & Lips. *cùm per simulationem noxiam.* Retinemus cum Par. & vetustioribus mss. Reg. Mic. & Turon. *& per simulationem noxium.* Tum ex iisdem restituimus *quod sub religionis nomine*, ubi in solis edit. extat *sub religionis lumine*, omisso priùs *quod.*

[h] Editi, *interpellationis.* Miciacensis ms. *interpretationis.* Veriùs Turonensis *imprecationis.* Sic num. 6. *imprecetur Propheta.*

[i] In ms. Mic. *Domini sermonem.*

[k] Ms. Turon. *quem me dicunt homines? Vos autem quid dicitis?*

[l] Ita fere Chrysostomus Ser. de lapsu primi hominis. *Accipiunt*, inquit de Adam & Eva, *vestimenta pellicea, ut qui confessi delictum jam fuerant, veniam cultûs humilitate perciperent.* Neque aliter Tertullianus, qui suum de pænitentia librum claudit his verbis: *Ipse quoque stirpis humanæ & offensæ in Dominum princeps Adam, exomologesi restitutus in paradisum suum, pænitentiam non tacet.* Immo Tatianum, quia prædicabat Adam *nec salutem consequi posse*, lib. de hæret. Præscript. n. 52. hæreticis accenset. Sic post Epiphanium Augustinus de hæres. 25. inter Encratitarum errores memorat, quòd *saluti primi hominis contradicunt.* Hos acriter confutat Irenæus lib. 3. c. 30. &c. ac post eum plerique Patres, quibus Hilarius noster hîc apertè suffragatur, favente Scriptura Sap. 10. 2. quæ de Adam habet: *Et eduxit illum à delicto suo.* Videndus Philippus bonæ spei Abbas lib. cui *de salute primi hominis* titulus est. Hîc obiter observamus Adam non modò veniam, sed & gloriam consecutum ab Hilario prædicari; ut eos quibus suprà n. 1. *consortium Christi mors acquirat*, intelligere sit jam in Christo glorificatos.

consecuta responsio est. Ad id enim quod quæsitum est, *Quid detur tibi, & quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* id est, Quid tibi adversùs falsitatem hujus præsidii afferatur? responsum est, *Sagittæ* [a] *potentes acutæ, cum carbonibus desolatoriis.* Solæ enim Domini potentes sunt & acutæ sagittæ, quæ linguam dolosam valeant configere, habentes in se virtutem [b] perurendæ fraudulentiæ atque vastandæ; de quibus in septimo psalmo ait, Sagittas suas arsuris operatus est: quæ sibi utraque conveniunt. Dei enim verbum omnem nequitiam configit, & omnem sensum petulantiæ convulnerat, & ipsum illum vehementissimum mortis aculeum compungit. Namque peccator cùm audiat Deum æternum, Deum mundi conditorem, Deum judicem, seseque hominem intelligat Deo debere quòd natus sit; [c] quanto doctrinæ Dei telo conscientia ejus errorque ferietur, cùm se igni inexstinguibili, separatum ut paleas à tritico, & desolatum bonorum fructuum consortio, cognoscat urendum? Cujus doctrinæ per Apostolos revelandæ in psalmo altero meminit, dicens, Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. Has potentes sagittas, hos carbones desolationis dari sibi fidelis quisque orat, & ad linguam dolosam exspectat apponi, emendandis his qui tribulant, vel doctrinæ telo, vel metu pœnæ.

℣. 4. Sagittæ Domini & carbones desolationis, Psal. 7. 14. Dei verbum, Psal. 63. 8.

6. Sed & beatus Job hostem suum quo confixus fuerat ignorans, cruciatus corporis sui & dolores sagittas Domini esse dixit, dicens, Sagittæ enim Domini in corpore meo sunt, quarum indignatio ebibit [d] sanguinem meum. Et fortè has quoque ultricium pœnarum sagittas adversùs labia iniqua & linguam dolosam imprecetur Propheta, quibus confixa cum lingua dolosa universa labia [e] iniqua perurantur.

carnis cruciatus. Job. 6. 4.

7. Quamquam sint plures, qui spiritaliter suscepta à fidelibus cælestis doctrinæ præcepta sagittas velint existimari, & carbones [f] desolationis peccatorum emundationem: atque ita accipiendum putent carbones desolationis, quia Dominus dixerit, Ignem veni mittere in terram; & quid volo, si jam accensus est? Non est autem dubium, peccatorum eum ablutionem & remissionem attulisse; [g] quam ignem jam accensum esse dixerit, quia per eum vitiorum omnium fiat sordiumque purgatio. Accommodant autem ad hoc illud quod dictum ad Esaiam est, cùm per forcipem carbone comprehenso labia ejus contacta sunt, [h] Ecce abstuli injustitias tuas, & peccata tua purgavi.

Carbo desolationis, peccatorum emundatio. Luc. 12. 49. Esaiæ 6. 7.

8. Sagittam autem ipsum Dominum nuncupatum in eodem Esaia meminimus hoc modo: Et posuit me tamquam sagittam electam, & in pharetra sua abscondit me, & ait, Grande tibi est hoc, vocari te puerum meum. Esse itaque intelligimus etiam [i] hunc utilem sagittam & potentem, confixis vitiorum nostrorum aculeis, salubri nos vulnere utilique penetrantem; de qua sagitta sponsa illa in Canticis dixerit, Vulnerata dilectionis ego sum.

Sagitta Christus. Esaiæ 49. 2. Cant. 2. 5. sec. LXX.

9. Sint ergo hæ sagittæ utrumque in modum exspectatæ, vel in pœnam conscientiæ iniquos ac dolosos configentes, vel in dilectorum sibi corporibus peccata & vitia vulnerantes. Sitque vel devastans carbo, vel purgans, dummodo abnegantes Deum per pœnam absumat, purget autem ad perfectam innocentiam confitentes.

Cur sagittæ expetendæ.

10. Sed quæ ad superiora dicta sequens Prophetæ responsio est? *Heu me! quòd incolatus meus prolongatus est.* BONA non possunt [k] videri verè bona à nobis judicari, nisi expetantur. Nam quomodo fidem judicii nostri, nisi eorum, de quibus bene judicaverimus, efficientiâ præstabimus? Bonam pudicitiam existimamus: qui ergo opinionis nostræ fructus, nisi in ipsa pudicitiæ appetitione consistet? Bona est innocentia: sed nisi festinantes atque exercentes eam, verè ita sentire non intelligemur. [l] MENTIUM enim judicia non verbis significanda sunt, sed rebus explenda. Convenit igitur Prophetam, exspectantem post sagittas Domini & illos carbones desolationis beati illius regni & æterni temporis gloriam, id quod exspectat desiderare. Et desiderat planè. Neque solùm desiderat, sed moras odit, & ipsam illam non * potiendi jam desiderii tanti dolet dilationem, dicens, *Heu me! quòd incolatus meus prolongatus est.*

*℣. 5. Gestis indicamus quæ bona judicemus. Regnum Dei exoptat Propheta. * al. potiundi.*

11. Querelam istiusmodi à plurimis sanctis frequenter audivimus, [m] de tarditate spei suæ morosam corporum dissolutionem deflentium. Dominus in Evangeliis suis docuit accelerationem regni cælestis orandam. Impatientem enim caritatem esse eorum [n] quæ amet convenit: atque ideo dici oportet, quod ut dicamus à Domino præcipimur, Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua. Paulus beatus [o] inhabitationem corporis sui congemiscit, per incolatum carnis peregrinari se à Deo conquerens. Quo contrà peregrinandum in carne scit sibi esse, ut ei cum Deo sit incolatus: sed tamen

Ejus gratiâ mors à sanctis pluribus concupita. Matth. 6. 10. Rom. 7. 24. Phil. 1. 22. & 23.

[a] Ita hîc & infrà Turon. ms. quod & postulant sequentia. In vulgatis autem *potentis*.

[b] Editi, *perimendæ*. Magis placet cum ms. Turon. *perurendæ*, cùm ad calcem num. 6. legamus, *universa labia iniqua perurantur*.

[c] Apud Par. *quando*: mendosè. Tum ms. Turon. *doctrinæ telo*, sine voce *Dei*: non malè. Ineptè autem ms. Mic. *doctrinæ Dei zelo*: rursumque infrà, *doctrinæ zelo*.

[d] Editi, *ebibit ut sanguinem spiritum meum*: castigantur ex ms. Turonensi, suffragante græco, ὧν ὁ θυμὸς αὐτῶν ἐκπίνει μου τὸ αἷμα.

[e] Vocabulum *iniqua* supplevimus ex ms. Turon.

[f] Sic ms. Turon. At Mic. *desolatorum*. Editi verò *desolationum*.

[g] Editi, *in qua ignem*. Ms. Mic. *cùm ignem*. Turon. *quam ignem*. quibus præponendum *ob* primò conjectabamus: at hæc lectio sine additamento integra deinde visa est, qua peccatorum ablutionem ignis nomine nuncupatam esse significatur.

[h] Ita Turon. ms. quod magis respondet græco. At editi, *Ecce abstuli peccata tua, & iniquitates tuas purgavi.*

[i] In vulgatis ut in ms. Turon. *hanc*. Præferimus cum Mic. *hunc*, quod ad Dominum referatur.

[k] In ms. Turon. deest *videri*. Hoc tamen verbum retinendum, quod alienum de nostro judicio judicium denotat.

[l] Turon. ms. *Amantium enim*: neque hîc audiendus.

[m] Par. *tarditatem spei suæ & morosam* &c. Editiones aliæ, *de tarditate spei suæ & morosa corporum dissolutione*. Mic. ms. *tarditatem spei suæ &* (potest pro *&* legi *ex*) *morosa corporum dissolutione*. Sequimur Turonensem.

[n] In vulgatis, *qui amant*. Veriùs mss. *quæ amet*, aut *quæ amat*, hoc est, caritatem impatientem esse consequendorum eorum bonorum, quæ ipsa amat.

[o] Sic ms. Turon. ut infrà n. 12. *corporis istius incolatum congemiscit*, cum quarto scil. casu. At vulgati, *in habitatione*: cujus locutionis etiam infrà exstat exemplum. Et mox *ex quo contra*, pro *quo contrà*.

melius ei esse dissolvi, & cum Christo esse: & A Ecclesiastes ait, Et laudavi omnes qui mortui sunt, super omnes qui vivunt usque nunc: liberatâ scilicet per dissolutionem corporis animâ, onere atque consortio [a] eam esse infirmis hujus atque periculosæ carnis exutam. In hoc igitur nimiùm sibi prolixo in corpore incolatu congemiscit Propheta, festinans peregrinari à terrenis, & incolere cælestia; ut derelictis corruptibilibus atque præsentibus, consequatur invisibilia & æterna. B

Eccle. 4. 2.

Ortus sui diem quî maledicant Job & Jeremias.

12. Job sanctus & testimonio Dei dignus, non solùm corporis istius incolatum congemiscit, sed ipsam illam nativitatis suæ diem maledicit, dicens, Pereat dies ille in quo natus sum, & nox in qua dixerunt, Ecce masculus [b] natus est: & Jeremias similiter, Maledicta dies in qua genitus sum; maledictus nuntians patri meo & dicens, Quia natus est tibi masculus. Atquin idem à Domino audierat, Priùs quàm te formarem in utero, novi te; C & priùs quàm exires de vulva, sanctificavi te. Quid ergo? [c] Maledicat esse se, qui ante quàm esset, & Deo cognitus est, & sanctificatus à Deo est? Absit istud. Non enim hoc in se quod sanctificatus est odit: sed ea quæ [d] in sanctificationem consecuta sunt maledicit, provectum se scilicet per incrementa corporis in has molestias corporei incolatus. Formatus enim intra matris vulvam, & per virtutem Creatoris sui [e] in substantia animæ ad Dei imagi- D nem figuratus, non conceptûs nec figurationis suæ ortum, sed eum qui ex incremento accessit profectum editi corporis congemiscit, in quo sibi in malis sæculi & infirmitatibus carnis vitiisque vivendum sit. Jam tamen [f] conformato in utero, & in vulva sanctificato, specie in se originis cælestis æternâ, non ambiguum quin [g] ex Dei sanctificatione post legem mortis hujus esset mansurus æternus.

Job. 3. 3. *Jer. 20. 14.* *Jer. 1. 5.*

13. Sed Prophetæ hujus non multùm longè E alius affectus est, quàm Job atque Jeremiæ. Non enim incolatum, sed prolongatum incolatum suum queritur. Nam post prolixi hujus incolatus sui querelam, consequitur ad id quod ait, *Heu me! quòd incolatus meus prolongatus est; Et habitavi cum habitantibus Cedar.* Cedar gens est Ismahelitarum deserta [h] incolens, cujus fines usque ad Medos & Persas proferuntur. Cedar enim Ismahel filius fuit, Genesi testante: Primitivus, inquit, Ismahel Nabaioth & Cedar. Hi sunt nunc Saraceni nuncupati. Qui ergo psalmos istos terreno ingenio intelligendos putant, id volunt ex persona populi captivi Prophetam conquestum fuisse, quòd in habitaculis Cedar longus ei fuerit incolatus. Sed virtutem verbi non intelligentes, nec Prophetæ spiritum sentientes, auctoritatem nominis ad confirmationem stultæ opinionis assumunt, psalmo omnino nihil quod captivitati populi congruat continente.

Cedar Ismahelitarum gens. *1. Paral. 1. 29.* *Saraceni.*

Cedar, obscuratio. *Corpus animæ carcer tenebrosus.*

14. Cedar enim secundùm hebraicam linguam id est, quod nobiscum pronuntiatur obscuratio. In hoc enim obscuro tenebrosoque corporum habitaculo, invisibilis illa animarum nostrarum [i] conformatio continetur: habetque hunc contagiosi incolatus sui carcerem, cælestis naturæ captiva generositas. Meminit hujus tabernaculi sponsa illa in Canticis canticorum, dicens, Nigra sum [k] & formosa, filiæ Jerusalem, sicut [l] tabernaculum Cedar: ex tabernaculi hujus obscuritate confessa se nigram; sed non abnuens, quia Christi sponsa sit, se esse formosam. Omnis enim se spondens Christo, [m] in specie jam consistit æterna. In his nos illuminari tabernaculis Dominus præcepit, dicens, Lucerna corporis tui est oculus tuus: [n] &, Si lumen quod in te est tenebræ sunt, tenebræ ipsæ quantæ sunt? Et rursum, Vos estis filii luminis, non filii tenebrarum.

Cant. 1. 5. *Matth. 6. 22.* *Ibid. 23.* *1. Thess. 5.*

Sancti cum carne, non in carne.

15. Servavit autem etiam hanc rationem Propheta, ut [o] *cum habitationibus Cedar* habitaverit, non in habitationibus. Licèt enim sancti in carne vivant; tamen si habeant arma militiæ non carnalia, sed potentia Deo, cohabitabunt [p] tabernaculis Cedar, non inhabitabunt. Peregrinantes enim à corpore, ut Dei accolæ audient ab

[a] Editi, *atque etiam infirmis hujus . . . . exuta:* corriguntur auctoritate mss.

[b] Verbum *natus est* omittit ms. Turon.

[c] In vulgatis, *maledicit cœpisse se.*

[d] Sic prima editio Par. ex ms. Mic. Alii verò libri omittunt particulam *in:* quæ & potest omitti. Hanc autem hîc pro *contra* non malè acceperis. Id certè sibi vult Hilarius animam à Deo mundam ac sanctam creari, sed ex corporis societate pollui ac vitiari. De carnis contagio videsis lit. 3. Psal. 118. n. 3. & 4.

[e] Excusi, *in substantiam.* Rectiùs ms. Turon. *in substantia.* Hoc enim frequens inculcat Hilarius, in anima hominis impressam esse imaginem Dei.

[f] In prima edit. Par. ex ms. Mic. *confirmato:* quod alterâ rectè ex aliis libris mutatum: cùm respiciatur illud Jeremiæ, *Priùs quàm te formarem.* Tum quid sibi velit, *specie in se cælestis originis æterna,* repetendum est ex his Tract. Ps. 62. n. 3. *Uniuscujusque mens ad cognitionem spemque æternitatis naturali quodam fertur instinctu: quia veluti insitum impressumque omnibus sit divinam inesse nobis animarum originem, cùm non exiguam cælestis in se generis cognationem mens ipsa cognoscat.* Qui verba Hilarii expendet, animadvertet non multùm aut nihil apud eum discrepare *cælestem originem, divinam originem, caleste genus, & cælestem naturam.* Animæ origo & *divina* & *cælestis* nuncupatur: quia non ut corpus ex terra, sed orta est à Deo, qui in cælis habitare nominatim prædicatur. Rursum animæ genus, species ac natura divina est, aut certè divinæ non parum cognata, quia ipsa ut Deus spiritalis est. Huc spectat quòd divinam Christi naturam *cælestis naturæ* nomine designatam legimus suprà pag. 216. d. f. & 228. a.

[g] Editi excepto Par. *ex Dei significatione:* malè, cùm ad superiora Jeremiæ verba respiciatur. Hîc, quantum sapimus, animæ immortalitas demonstratur tum ex ratione originis, quam à Deo solo habet, à quo & proinde solo destrui queat, tum ex ratione habitudinis, qua ad imaginem & similitudinem Dei æterni effecta est.

[h] In mss. Reg. ac Turon. *incolis.*

[i] In vulgatis, *confirmatio.* Rectiùs in mss. *conformatio.* Paulò antè in Turon. *hoc enim,* sine *in.*

[k] Editi, *sed formosa:* dissidentibus mss. Reg. Turon. & græco LXX.

[l] Ita mss. Reg. & Turon. At editi, *tabernacula Cedar:* quod qui malet, præferat & deinde cum mss. Reg. & Mic. *ex tabernaculis hujus obscuritatis.* Tum in solis vulgatis, *confessa est se nigram.* Mox in mss. Turon. ac Reg. *quæ Christi,* non *quia Christi.*

[m] Excusi, *in spe.* Auctoritate mss. restituimus *in specie,* id est, in forma, ratione cujus sponsa se formosam prædicat. Superiùs etiam num. 12. Jeremias sanctificatus asseritur mansurus æternus *specie in se originis cælestis æterna* ex sanctificatione Dei.

[n] Apud Par. *Quòd si oculus tuus tenebrosus, tenebræ &c.*

[o] Sic mss. Reg. & Turon. consentiente hebræo textu, ex quo vertit Hieronymus *cum tabernaculis,* quod legit & Augustinus, immo nec nostro Hilario ignotum fuit, quippe qui mox subjiciat, *cohabitabunt tabernaculis Cedar:* græco etiam suffragante μετὰ τῶν σκηνωμάτων. Retinemus tamen superiùs *cum habitantibus Cedar,* quod etiam hîc habent editi: tum quia non subest auctoritas, qua ibi mutetur, tum quia infrà legere est *cohabitaret habitantibus.*

[p] Apud Par. *in tabernaculis:* quod repugnat Hilarii menti.

Rom. 8. 9. Apostolo, Vos autem non estis in carne, sed in A spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Sic ergo habitavit, ut cohabitaret habitantibus, [a] ostendens in eo quem doleat incolatu se esse peregrinum. Et quia iniquorum consortium & cohabitationes habitantium in obscuritatibus odisset, quamquam de futuro jam questus esset, adhuc etiam de præterito ait, *Multum incola fuit anima mea*, (ℽ. 6.) in multis scilicet tribulationibus labiorum iniquorum & linguæ dolosæ, ob quas ad Dominum proclamavit. B

ℽ. 7. 16. Sed cujusmodi incolatus sibi fuerit ostendit, dicens, *Cum odientibus pacem eram pacificus.* Hoc proprium & dignum Prophetæ est, simultates & motus naturæ alienæ, voluntatis suæ pace cohibere, & insidas quasque animorum ac turbulentas affectiones omni placabilitatis modestia continere. Et hæc Dominus docuit, (Matth. 5. 44.) pacificans ipse in semet quæ in cælis & in terra sunt, orare pro persequentibus, neminem odisse, amare inimicos. [b] Et Apostolus monet, (Rom. 12. 18.) Si C possibile est in vobis, cum omnibus pacem habeatis. Et Dominus hanc veluti præceptorum summam consignat: (Johan. 14. 27.) Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Hæc igitur conservabit corda nostra in Christo, hæc nos patriarchis adæquabit, hæc etiam eos qui pacem oderunt, per pacem obsequentes in pace retinebit.

17. Sed Prophetæ restat & aliud officium, doctrinam scilicet Dei universis constanter ingerere, & verbum vitæ æternæ jugiter prædi- D care. Non immemor quoque hujus fuit ministerii: nam ait, *Cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Erat quidem pacificus cum pacis inimicis; sed prædicationem pacis ipsius oderant pacis inimici, & ad doctrinam Dei commovebantur, quos per modestiam Prophetæ silentium ejus in pace cohibebat: atque ita cum inimicis pacis Propheta pacificus est, & prædicare pacem Propheta non desinit; sed pacis prædi- E catorem inimici pacis impugnant.

PSALMUS CXX.

Canticum graduum.

LEVAVI oculos meos in montes, unde veniet adjutorium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Non det in commotione pedem tuum, neque dormitet qui custodit te. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Dominus * custodiat te, Dominus protectio* A *tua, super manum dexteræ tuæ. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. Dominus custodiet te ab omni malo:* [c] *ita super manum dexteræ custodiat animam tuam Dominus. Dominus * custodiat introitum tuum & exitum, ex hoc nunc & usque in sæculum.*

*Infrà auxilium.
*ne det in commotionem.
*custodiet.
*custodiet exitum tuum & introitum tuum ex hoc &.

TRACTATUS PSALMI.

1. SECUNDUM hunc psalmum [d] canticorum graduum, aliqui referendum esse ad personam Domini & salvatoris nostri existimant, aptantes maximè ei dictum hoc: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Impletam enim hanc prophetiam eo tempore putant, quo in passione Domini sole obscurato C nox intercessit. Sed judicio eorum nihil decerpimus. Neque enim sensum intelligentiæ hujus arguimus, uniuscujusque arbitrio relinquentes, quid ex his quæ aut legerint, aut intellexerint, sequi magis velint. Nos tamen non potuimus sermonem nostrum nisi his quæ intelligebamus aptare.

Psalmum hunc aliqui accommodant Christo.

2. *Levavi oculos meos in montes.* Humanæ ℽ. 1. mentis natura est, ut si cogitatione aliquid contemplemur, talem se nobis unaquæque D species exhibeat, qualem eam & cogitando formemus. Quoquò enim mentis nostræ oculos intenderimus, id ipsum in quo defixi sunt referunt ad sensum. Et ut planiùs intelligi id quod dictum est possit, afferemus exemplum. Si quis hiemis die ver cogitaverit, & ornamentum ejus lumine mentis inspexerit, oblitterata hieme in qua sit atque algeat, totum ei in sensu suo ver cum habitu suo ornatuque consistet. Adeo mentis oculi oculis corporis E præstant, ut ineunte in nos oblivione præsentium, totos nos obtineat quidam quasi animo præsumtus usus absentium. Hoc igitur quò spectet, mox videbimus.

Oculorum mentis seu cogitationis vis.

3. Levat in montes Propheta oculos. Quosnam oculos? Nempe de quibus scriptum est, Revela oculos meos, & cognoscam mirabilia (Ps. 118, 18.) ex lege tua: & rursum, Præceptum Domini (Ps. 18. 9.) lucidum illuminans oculos. Numquid non isti oculi nostri corporali lumine ad contemplan- F dum accensi sunt? numquid non naturam videndi sortiti sunt? Quæ illuminatio vel quæ revelatio erit necessaria? Deinde quæ visuri mirabilia in lege? Nisi fortè * in casis festa frondium, in templo pecudum sanguinem, in pascha agni victimam, [e] in summa religione sabbati otium? [f] Sed, ut puto, fieri hæc ab his qui adspectatores aderant videbantur. Non ergo [g] ad id revelandi sunt oculi quod cer-

Hîc mentis oculi levantur.
* subaud. visuri sint.

[a] Turon. mss. *contuens.*
[b] Breviùs mss. Reg. & Turon. *cum omni homine pacem habere. Et Dominus* &c.
[c] Verba, *ita super manum dexteræ* priùs omissa, huc revocamus ex ms. Miciacensi, ex quo ad caput cujusque Tractatus primùm descripti sunt integri psalmi. Illa tamen infrà non legit Hilarius.
[d] Ita ms. Turon. Alii verò, *canticum:* ubi in vulgatis, *cantici.*
[e] Regius codex cum Turon. *in summa religionis.*

[f] In vulgatis, *& ut puto fieri. Hæc ab his qui spectatores.* &c. ob vitiosam interpunctionem non intelligitur quid Hilarius sibi velit. Verborum illius hic nativus ordo: *Sed, ut puto, hæc* cùm sensibilia gesta sint, *ab his qui adspectatores aderant, videbantur fieri.* Quædam verba immutavimus auctoritate mss.
[g] In mss. Reg. & Turon. *in id.* Fortè hîc præpositione *in* significatur intuitus rerum præsentium, sequenti autem *ad* intelligentia rerum futurarum quæ præsentibus adumbrantur.

nebatur, sed ad id quod intelligi optabatur in lege.

Montes prophetici libri,

4. Mentis ergo oculos Propheta elevavit in montes. Quosnam in montes? Non utique in hos lucis atque aris profanatos & conventibus impios, neque in illos silvis horridos, saxis nudos, præruptis invios, nivibus concretos: quid enim in his aut admirationis aut spei situm est? Sed montes accipimus propheticos libros ex terra in altum elatos, per quos fit in superiora conscensus, & gradus in æterna.

Angelica ministeria.

Poterimus autem & montes existimare angelica ministeria & cælorum virtutes & potestates, quarum ministerio nobis in sublimia præstatur adscensus. Si enim secundùm [a] Danielem Dominus ipse mons magnus est; (*Dan. 2. 35.*) non ambigendum est, montes eos nuncupari, qui præcepti ejus & voluntatis & communicandæ in nos beatitudinis sunt ministri.

In hæc levantur oculi, sed ab his auxilium non exspectatur.

5. In hos igitur montes Propheta oculos [b] cordis elevans, horumque intra se omnium monita, ministeria, officia, dona contemplans, & in his intelligentiæ suæ lumen intendens, reddidit sensui suo contemplatæ speciei integram perfectamque naturam, & totum id quod cogitatione viderat, mente continuit, sciens unde ei venturum esset auxilium, dicens, *Unde veniet auxilium mihi.* Statimque sibi beata confessione respondit, (*℣. 2.*) *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Ad montes quidem oculi elevantur: quia per eos est doctrinæ ministerium, [c] profectus, adscensus. Sed cùm confitendum sit unde veniat auxilium: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Hæc felix fides est, hæc vera confessio, hæc spes æterna, & cælestis benedictionis digna muneribus.

Cujus, de quo, ad quem sit hic versus.

6. Denique quia prophetia omnis in spiritu est, statim beatam hanc ejus confessionem [d] in personâ Prophetæ sancti Spiritus consecuta benedictio est: (*℣. 3.*) *Ne det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.* Sensus ipse significat conversionem factam esse personæ. Ad eum enim, qui superiùs locutus est, sermo conversus est: *Ne det in commotionem.* Quis? Nempe qui fecit cælum & terram. *Pedem tuum.* Cujus? quærimus. Namque ejus qui levavit oculos in montes, & qui confessus est quòd auxilium ejus esset à Domino. Sed & illud, *ne det*, optantis & benedicentis affectus est. [e] Et quis optat? Ille scilicet qui nobis est, præter Dominum, alius advocatus, de quo ait, (*Johan. 14. 16.*) Et alium advocatum [f] mittet vobis: qui & loquitur in prophetis. Quid ergo advocatus hic loquitur? Confessorem utique hujus fidei & spei benedicit: *Ne det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.* Sed utraque hæc indigna Deo sunt, ut & commotioni tradat, & dormitet; & post custodiæ vigiliam ex quadam laboris continuatione requiescat. Sed antequàm id attingamus, quid in pede significationis sit, tractandum est.

Pes carnis, & pes animi quid.

7. Pes est pars corporis, omne corpus in res efficiendas agendasque circumferens. Et quia Scriptura per corporalia spiritalia docet, & invisibilia per visibilia demonstrat; sub pedis nomine motus mentis nostræ incessusque significat, ut in hoc eodem Propheta; (*Psal. 72. 2.*) Mei autem paulò minùs moti sunt pedes. Utique hi semper carnales moventur in corpore: & quomodo periculi res est, quòd pæne sint moti, quorum ut semper moveantur proprium officium est? Sed & in Evangeliis Dominus pedes alios significans, dextrum scandalizantem jussit abscindi, dicens, (*Matth. 5. 30. Marci 9. 44. Matth. 18. 9.*) Et si pes tuus dexter scandalizat te, abscinde eum. Numquid si in pede dextro scandalum est, minùs scandalizabit sinister? Aut quid illa pars corporis potest tentationis afferre, cùm ipsa absque aliquo appetitionis affectu solum [g] in re habeat ministerium necessariæ servitutis? Ergo ut oculi mentis, ita & pedes intelligendi sunt, habentes in se & intelligentiæ visum, & voluntatis motionem.

Deus in vitia non tradens cur tradere dicatur.

8. Non est autem intelligendum, quòd ideo ista benedictio sit, *Ne det in commotionem pedem tuum*, tamquam aliquos Deus tradat in vitia, in quæ pedibus corruptæ mentis invehimur. Non ille nos tradit, sed cùm ab eo abscedimus consequitur [h]. Nam cùm pedibus corruptæ mentis invehimur, non ille nos tradit, sed nos ab eo per peccata desciscimus. Et cùm in peccatoribus ipse non habitet, discessionem nostram ab eo consequitur & abscessio ejus à nobis; quia nos ab eo per peccata discedimus. Et discedente eo à nobis, in omnes delictorum foveas incidimus, & per amplissimam mortis viam currimus, * dominatui dæmonum subditi; (** V. sup. Psal. 118. n. 5. & 6.*) quibus nos Dei à nobis abscessio derelinquit. Et desolatio ejus idcirco traditio est, quia peccatores obtinere diabolus nisi [i] Deo ab his abscedente non poterit.

Quî dormire & vigilare,

9. Ceterùm nobis penes eum manentibus, vel eo in nobis manente, pervigil custodia est, & indefessa munitio. Verùm si per teporem fidei dormiamus, [k] dormit ipse in nobis. Non enim in æterna Virtute somnus aut requies est, cujus Angeli & nomine & naturâ vigilantes sunt; hæc enim sunt terrenis corporibus necessaria: sed quia secundùm fidem nostram

[a] Turon. mſ. *Danihelum.*

[b] Abest *cordis* à mſſ. Reg. & Turon.

[c] Sola editio Par. *perfectus accessus.* Alii libri, *profectus accessus*, excepto Turon. ex quo reponimus *profectus, adscensus.* Posset & hoc totum sic restitui, *quia per eos*, puta vel propheticos libros, vel Angelos, *doctrinæ ministerio profectus est adscensus*, mentis nimirum ad superiora & æterna.

[d] Editi, *ad personam.* Rectiùs mſ. Turon. *in persona*, scilicet Prophetæ hîc loquentis.

[e] Ita in mſſ. At in vulgatis, *& quis optavit? Ille utique optavit, qui in nobis est præter Deum alius advocatus*: non bene sonat illud *præter Deum*, quasi Spiritus-sanctus, qui est advocatus alius, Deus non esset.

[f] Bad. Er. & Lipſ. *mitto.* Par. *mittam.* Præferimus cum mſſ. Reg. ac Turon. *mittet*: quomodo rursum legitur in Psal. 125. num. 7.

[g] Editi, *in se.* Veriùs mſſ. Reg. ac Turon. *in re* scil. exsequenda, non autem in appetenda.

[h] Hîc subaud. *traditio*: nisi malis cum mſſ. Turon. & Reg. *consequitur & abscessio ejus à nobis; quia nos ab eo* &c. omissis quinque versibus intermediis.

[i] Perperam hîc apud Par. præfixa est præpositio *à*: cùm hîc verbum *obtinere* possessionem sonet, non permissionem. Porro obtinet nos diabolus cùm discedit Deus. Discedit autem Deus cùm peccamus.

[k] Editi, *Numquid dormit & ipse nobiscum? nequaquam. Non enim* &c. castigantur auctoritate mſſ.

aut vigilantem, aut dormientem, Dei auxilium nobiscum aut vigilabit, aut dormiet: idcirco Dominus frequenter & vigilans significatur, & dormiens. Quo exemplo illud in hoc eodem propheta dictum est, Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris. Numquid Deus non semper sanctus est, ut etiam aliquando perversus sit? Non utique. Non enim quidquam nisi bonum in eo & æternum est: sed quia secundùm uniuscujusque mores ac studium unicuique Deus adjacet; idcirco & perversis aversus, & sanctus in sanctis est.

Sanctus, & perversus. Psal. 17. 26.

B

10. Atque ut ostenderet ex nostra potiùs ad fidem dormitione somnum esse custodiæ, neque in naturam custodiæ cælestis somni requiem convenire, quia indefessa sit & æterna; statim connexuit, *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Imprecatus superiùs ne dormitaret, nunc neque dormitare neque dormire ait: dormitationem superiùs ex nostra ab eo discessione significans; nunc autem neque dormitare neque dormire, quia sit æternitas indefessa, demonstrans. Sed quis hic est, qui neque dormitet, neque dormiat? Ille scilicet, *qui custodit Israel.* Israel Genesis exponit eum esse qui Deum viderit. Jacob enim patriarcha post luctam, quam cum Deo habuerat, hoc nomen accepit. Ultra humanam naturam Deum contuens fidei suæ oculis, dignus hoc nomine est. Deum autem adeo vidit, ut benedici se ab eo precaretur. Meminit & Paulus esse nunc in plebe gentium, id est, in populo Ecclesiæ, Israel dicens, Pax super eum, & super Israel Dei; ne fortè nomen hoc antiquæ tantùm illius plebis fuisse existimaretur. Ergo & si ille non dormit qui custodit Israel, & proprium Israel nomen est Deum videntis; ille necesse est custodiatur, qui elevatis ad montes oculis vidit, & dixit, *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Impenditur ergo fidei huic cælestis custodia, & æternæ vigiliæ munitionem confessio ista sortitur, quæ [a] perfectè sectanda, obtinenda, retinenda est, numquam custodiâ ejus in nos, quem sic confitebimur, dormiente.

Deus somni expers. ℣. 4. C Gen. 32. Israel quis. D Gal. 6. 16. Cui invigilet Deus. E

11. Ac ne alicujus alterius [b] insomnis custodia demonstrari existimaretur; subjicitur, *Dominus custodiet te:* ille utique, qui fecit cælum & terram. Dehinc custodiæ ipsius ratio distincta est: *Dominus protectio tua supra manum dexteræ tuæ.* Jam & superiùs diximus, per ea quæ corporalia sunt, significari incorporalia. Infirmitas enim intelligentiæ nostræ consequi invisibilia non potest, nisi per visibilium comparationem: ut nunc id quod dicitur, sensum nostrum nisi per nomen manûs & dexteræ non adit. Quamquam hîc contra naturæ intelligentiam manus & dextera posita sit. Sic enim

℣. 5. F Manus dexteræ.

A dicitur: *Dominus protectio tua supra manum* [c] *dexteræ tuæ.* Absoluta res esset, si dictum esset supra manum dexteram tuam. At verò cùm ita dicatur, *supra manum dexteræ tuæ*; significari videtur dextera, habens manum & dexteram & sinistram. Hoc non recipit, nec natura hominis, nec sensus. Verùm semper Scriptura dexteram partem optimam atque utilissimam demonstrat. Et quidem Evangelia per eos qui à dextera & sinistra sunt, significantiam intelligentiæ utriusque monstrabunt. Manum verò effectum omnis operis accipimus. Unde illud etiam ab hoc eodem propheta sic dictum est: Libera me de ore leonis, & de manu canis unicam meam. Neque enim in hoc animal oblatrans & rabidum pars [d] hæc corporis conveniebat: sed ab operibus se malitiæ liberari deprecatur. Ergo quia adversantes nobis dæmonum virtutes, optima & validissima fidei nostræ opera debilitare & convulnerare contendunt; idcirco *supra manum dexteræ* custodia Dei vigilatura promittitur: ut illibata in nobis bonæ voluntatis opera perseverent, quibus manentibus æterni illius & beati temporis regno, abstersa omni infirmitate corporeæ labis, [e] utemur.

Dextera quid. Matth. 25. 33. Manus. Psal. 21. 21. & 22.

12 Nam id nobis in eo quod sequitur [f] Prophetæ spiritus pollicetur, dicens, *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Elementorum horum natura hanc in se efficientiam habet, ut unumquodque eorum in suo tempore humanorum corporum vires per demutationem imbecillæ in nobis substantiæ infirmet, ut sol calore, luna frigore adurat: sitque per anni cursum talis eorumdem conversio, ut hiberno tempore sol non adurat, lunâ adurente, sed solvat; [g] rursumque æstivis mensibus sol urat, & luna dissolvat.

℣. 6. Solis & lunæ proprietas.

13. Qui itaque hæc putant corporaliter intelligenda: quæro quid asserant Prophetam ei, qui in montes oculos suos elevaverit, polliceri in eo quod dicitur, *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem?* Non enim manente naturâ corporis nostri, natura quoque elementorum demutabilis fiet; ut non naturæ suæ in naturam nostram consuetudine perseverent. Aut numquid quisquam audebit hanc sibi in hoc sæculo firmitatem corporis sperare, ne aduri nocte ac die possit, beato patriarcha Jacob perustum se noctis frigore, & calore diei conquerente, cùm dicit, Et fui diei perustus calore, & gelu noctis?

Psalmi hi non corporaliter intelligendi. Gen. 31. 40.

14. Sed Propheta nunc, vel Spiritus per Prophetam novit illam beatitudinem temporum, in qua à nobis omnis demutatio corporeæ infirmitatis abscedit, in qua non frigus, non calor, non nox & demutatio, sed æterna dies & beata temperies sit, justitiæ in nos sole

Quietis æternæ felicitas.

[a] Abest *perfectè* à mss. Reg. & Turon.

[b] Editi, *in somnis*, duobus verbis. Patet unicum esse; ut *insomnis* nunc dicatur, quæ proximè *numquam dormiens custodia* nuncupata est. Regius ms. habet *in somnum custodia*. Mic. *omnem custodiam*. Veram lectionem exhibet Turonensis.

[c] Hîc ad marginem adscripsit Erasmus, *Atqui nunc etiam Græci dextram legunt, non dextra.* Non tamen Hilarius ita legit solus. Eamdem lectionem sequitur Augustinus. Hanc exhibent vetera psalteria, Romanum, Mediolan. Carnutense, Germanense.

[d] Bad. & Er. cum mss. *hujus corporis*.

[e] Editi, *mancipemur*. Veriùs mss. *utemur*. Quippe verbum *uti* pro *frui* Hilario familiare est, ut videre est in Psal. 2. n 15. & 16.

[f] In vulgatis, *prophetiæ spiritus*.

[g] Auctoritate mss. Reg. & Turon. removimus hinc verba *luna avertente se sole urat*, quæ glossema sapiunt.

dominante. Cujus temporis requiem jam in deserto Dominus præformans, populo suo diurnum calorem columnâ nubis, & nocturnum frigus ac tenebras columnâ ignis temperabat. In hac igitur æterna temporum & beata temperie, quisquis Domini custodiam promeruerit, permanebit: ne natura corporis gelu lunæ, & calore solis uratur; sed sæculi hujus malis & injuriis liberatus, in æternis & beatis & temperatis quiescens, glorificati corporis sui sumat solidam indemutabilemque naturam.

℣. 7. *Mala putata.* 15. Sequitur deinde: *Dominus custodiet te ab omni malo.* Et à quibus malis custodiet Dominus? Non opinor ab his quæ putantur: hæc enim sunt infirmitati nostræ & corpori debita, mori, infirmari, egere: quæ si mala essent, [a] nec Abel mortuus, nec Job cruciatus esset, nec Petrus pecuniâ quam in eleemosynam poscebatur eguisset. Ergo fidelem animam ab omni malo Dominus custodit, id est, ne eam diaboli tinea corrumpat, ne fur obrepat, ne canis oblatret, ne lupus laceret, ne ursus deseviat, ne pardus insiliat, ne tigris advolet, ne leo vastet. (*Mala vera verè cavenda.*) Hæc enim nunc sunt diaboli ministeria, hæc omnia ejus in tempore sæculi hujus officia, vitiis consumere, blandimentis subrepere, oblectationibus lacerare, ambitione insilire, lasciviis [b] advolare, & tota virtutis suæ potestate vastare. Ab hoc igitur omni malo Dei exspectanda custodia est. Et quia in animam maximè sæviat; [c] nam debitum nobis est, ut adversùs eum pugnemus in corpore, non est enim nisi ex concertatione victoria: idcirco subsequitur, *Custodiet animam tuam Dominus:* ne quid tot tantisque superiùs memoratis malis in eam sit potestatis.

℣. 8. 16. Tenuit autem propheticus sermo ordinem suum, dicens, *Dominus custodiet* [d] *exitum tuum & introitum tuum ex hoc & usque in sæculum.* (*Sinu Abrahæ justi ad regnum cælorum reservati.*) Non enim temporis hujus & sæculi est ista custodia, non aduri sole atque lunâ, & ab omni malo conservari; sed futuri boni exspectatio est, cùm exeuntes de corpore ad introitum illum regni cælestis per custodiam Domini fideles omnes reservabuntur, in sinu scilicet interim Abrahæ collocati, quò adire impios interjectum chaos inhibet, quò usque introeundi rursum in regnum cælorum tempus adveniat. (*Luc. 16. 26.*) [e] Custodiet ergo Dominus exitum, dum de corpore exeuntes, secreti ab impiis interjecto chao quiescant. [f] Custodiet introitum Dominus, in æternum illud & beatum regnum introducens. Ipse est enim qui ait, Ego sum janua; &, Nemo vadit ad Patrem nisi per me: (*Johan. 10. 7. Johan. 14. 6.*) id est, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXI.

Canticum graduum David.

*LÆTATUS sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem. Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio est in idipsum. Illic * enim adscenderunt tribus tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini: quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David. Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem: & abundantia diligentibus te. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus * tuis. Propter fratres meos & proximos meos loquebar * autem pacem de te. Propter domum * Domini Dei nostri quæsivi bona tibi.*

(* Infrà abest enim. * Hil. addit gravibus. * Hil. non habet autem. * Domini Dei mei.)

TRACTATUS PSALMI.

1. QUI spe cælestis desiderii detinetur, nihil obscuritatis in psalmo habebit: ex suo enim sensu intelligentiam propheticæ magniloquentiæ consequetur; * namque cùm se meminerit scriptum Dei coheredem, & consortem æternorum bonorum, & similem Angelis ex resurrectione renovandum, & corruptione depositâ in gloriam Dei ac Domini nostri Jesu Christi corporis conformandum, futurumque incolam civitatis cælestis vivis lapidibus exstructæ, de qua scriptum est in Evangelio: cùm Dominus jurare per cælum inhibuisset, adjecit dicens, Neque per Jerosolymam, quia civitas est regis magni; non utique eam significans, quæ prophetas occidit & lapidat, sed eam cujus beatus Paulus ita meminit, Vos estis cives sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum: cúmque legerit, ea quæ nunc sunt, ex parte esse, nosque per speculum interim & in ænigmate videre; perfecto autem veniente, & quæ nunc pro parte sint, destruenda, & facie ad faciem, tamquam incorporali visu, ea [g] quæ nobis nunc sunt invisibilia contemplaturos, ubi non ægritudo, non mors, non mæstitia, non terror sit. Hæc cùm

(*Cælum anhelās hunc psalmum capit.* * *id est, quippe cùm.* *Spes nostra quæ.* *Matth. 5. 35.* *Ephes. 2. 19. & 20.* *1. Cor. 13. 12.*)

[a] Sic Reg. ms. cum Turon. Excusi verò, *& Abel viveret.*

[b] In vulgatis, *allicere.* Veriùs in mss. *advolare*, juxta illud superius, *ne tigris advolet.*

[c] In ms. Turon. *nec debitum:* forsitan veriùs. Sed aliquid hîc deesse suspicamur, puta, *nec debitum nobis est, ut adversùs eum custodiamur in corpore*, (quia, ut superiùs dictum est, *corpori debita sunt mori, infirmari, egere*) *sed tantùm ut pugnemus in corpore* &c. Mox ex eodem ms. restituimus *custodiet*, pro *custodiat animam.*

[d] Editi, *& introitum tuum & exitum tuum.* Hunc verborum ordinem mutamus mss. auctoritate; sicque postulat subnexa enarratio; cùm priùs sit nos exire de corpore, quàm in regnum æternum introduci.

[e] Turonensis codex à prima manu, *custodiet ergo Dominus exitum de corpore ut exeuntes:* secundis autem curis expuncto *ut*, repositum est *dum* juxta Reg. ms. In vulgatis hîc legitur *custodit*, ac postea *quiescunt.*

[f] Sic ms. Turon. suffragante Regio. Editi verò *custodit & introitum, dum nos in æternum .... introducit.*

[g] In mss. Reg. & Turon. *quæ tum nobis sint visibilia contemplaturos:* lectio non spernenda.

quis

quis annuntiata ab Angelis, præformata in lege, exposita à prophetis, à Domino exemplis repræsentata, prædicata ab Apostolis, ipsi sibi hæc eadem per fidem possibilia cognoverit; proclamari necesse est exemplo Prophetæ, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.* (℣. 1.)

(Lætitia de aditu domus Dei.)

2. Sed quæ sunt illa quæ dicta sunt, ex quibus lætitia suscepta est? Nempe id quod sequitur; *In domum Domini ibimus.* Hinc gaudetur, hinc exsultatur, quia hæc dicta sunt, quòd eundum in domum Domini sit. Domus B Domini quæ sit, psalmo altero docuit dicens, (Ps. 131. 13.) Quoniam elegit Dominus Sion, prææelegit eam » in habitationem sibi. Hæc requies mea [a] in » sæculum sæculi, hîc habitabo, quoniam prææelegi eam: non utique, ut diximus, hanc terrenam & caducam & pœnas impietatis suæ luentem, sed illam liberam & cælestem Jerusalem, * quia eadem & Sion est; per cujus incolatum, quia domus Dei est, nos quoque cives C sanctorum & domestici Dei sumus. Hinc ergo lætitia est, quòd dictum sit in domum Domini nos ituros.

(* al. quæ eadem.)

(Pedes in atriis stantes, Apostoli. ℣. 2.)

3. Sed qui ista dixerunt, ne forte ignorent, neve à domo eadem, in quam nos ituros nuntiant, peregrinentur; sed dicunt, *Stantes erant pedes nostri in atriis Ierusalem.* Non incerta nuntiant, non incognita pollicentur. Hanc domum desiderabilem & dilectam à multis agnovimus. (Psal. 26. 4.) Nam dicit Scriptura, Unam petii à Domino, » hanc requiram, ut inhabitem in domo Domi- D » ni omnes dies vitæ meæ, ut videam [b] delecta- » tiones Domini, & visitem templum ejus. Et (Psal. 25. 8.) rursum: Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum [c] habitationis gloriæ tuæ. Hæc domus desiderabilis, hic auditus lætabilis, fundamento duodecim vivarum gemmarum esse vivos lapides exstructos, excisos primùm ad opus ædificationis à Moyse in lege, à prophetis in passionibus suis, à Domino in corpore, E ab Apostolis in martyriis, à sancto Spiritu in virtutibus. Hi ædificatores, hæc ædificia, hæc civitas. [d] Hi stantes pedes in ejus atriis, custodes scilicet, quibus datæ sunt claves domus hujus: dictum est enim, Vobis dabo claves regni cælorum. Speciem domûs ignorantibus nuntiantes beati pedes, & à Propheta meritò (Esa. 52. 7.) laudati: Quàm pulcherrimi pedes evangelizantium pacem.

(Jerusalem cælestis in dies ædificatur. ℣. 3.)

4. Ac ne convenire quidquam horum in eam Jerusalem quæ terrena fuit existimaretur, id con- F secutum est: *Ierusalem quæ ædificatur ut civitas.* Non civitas, sed ut civitas: quia illa terrenæ civitatis ædificatio, & templi exstructio, & tabernaculi institutio, speciem æternæ illius & cælestis civitatis præfigurabat. Et quia in omne tempus & usque ad sæculi consummationem, & per omnium generationum ætatem ædificatio cælestis hujus civitatis explenda est; ideo ædificari eam sine temporis definitione significat, dicens, *Ædificatur ut civitas:* [e] donec, ut Apostolus ait, intret plenitudo gentium, & tunc quod est reliquum Israel salvabitur. (Rom. 11. 25. & 26.)

(Unitate ei sociamur.)

5. Sed quia unum Ecclesiæ corpus est, non quadam corporum confusione permixtum, neque singulis in indiscretum acervum & informem cumulum adunatis, sed per fidei unitatem, per caritatis societatem, per operum voluntatisque concordiam, per sacramenti unum in omnibus donum, unum omnes sumus, in quod nos hortatur Paulus dicens, Obsecro (1. Cor. 1. 10.) vos, fratres, ut idipsum sapiatis omnes, eamdem caritatem exercentes: & cùm fuerit, ut scriptum est, Erat autem omnium qui cre- (Act. 4. 32.) debant cor & anima * unum; tunc erimus (* al. una.) civitas Dei, tunc sancta Jerusalem: quia Jerusalem ædificatur ut civitas, *cujus participatio est in idipsum.* Diffidentes autem à cœtu sanctorum, & se ab Ecclesiæ corpore [f] peccatis præcipitantibus separantes, participationem sanctæ istius domus non habent: quia participatio hujus civitatis in idipsum est. Ex consortio enim perfectæ civitatis * unanimes non (* mss. unianimes.) possunt participationem in diverso habere, sed *in idipsum.* Omnes igitur qui unum erunt, in ea erunt, ut testis est psalmus: ait namque, *Illuc adscenderunt tribus, tribus*: non una, sed (℣. 4.) plures.

(Non ædificant nisi qui sunt Domini.)

6. Sed forte sine ulla exceptione ab universis ædificanda videbitur civitas, quòd in tribubus cognominatis nulla fiat exceptio; eritque populis Dominum nescientibus in hanc domum communis ingressus? Sed intelligi illud Scriptura non patitur, adjiciens ad id quod dixerat, *Illuc adscenderunt tribus, tribus Domini* [g]. Sunt enim qui non sunt Domini, quibus dictum est, Vos estis à diabolo: & rursum, (Johan. 8. 44.) Abite à me maledicti in præparatum ignem (Matth. 25. 41.) diabolo & angelis ejus. Tribus ergo quæ erunt Domini adscendent.

(Nihil hîc carnali Israel.)

7. Sed forte sibi Israel hoc esse debitum vindicavit, id est, qui secundùm litteram, & non secundùm spiritum; qui carnalis, & non cælestis; qui crucifigens Dominum, non qui adorans est? Sed ab hac spe repulsus est. *Illuc enim adscenderunt tribus, tribus Domini, testimonium* [h] *illi Israel.* Non tribus Israel in testimonium gentium, sed tribus Domini in testimonium Israel. Tribus enim Domini sumus, & in domum Dei Jacob introibimus, & annuntiabit nobis viam suam, & ambulabimus in ea. Tribus enim Domini dixerunt, Venite adscen- (Esai. 2. 3.) damus ad montem Domini, & in domum «

[a] Duo mss. *in secula seculorum: non utique* &c.

[b] Regius codex à prima manu, *voluntatem*: à secunda, *dilectiones*. Græc. τὰς τερπνότητας.

[c] Turon. ms. cum Reg. *tabernaculi*: nec dissidet græc. τοῦ σκηνώματος: ac postea *aditus lætabilis*, loco *auditus lætabilis*.

[d] Ita codex Turon. Alii verò, *hinc stantes*. Tum Par. *pedibus in ejus atriis*. Subinde editiones aliæ, verbo *custodes* omisso, *scilicet quibus oblatæ sunt claves* &c.

[e] Vocabulum *donec* abest à ms. Reg. Neque exstat in Turon. sed ejus loco, *ut sicut Apostolus ait*.

[f] Par. *peccatis, fastu, litibus separantes*: speciosiùs quàm veriùs. Præcipitant peccata, cùm à Jerusalem quæ sursum est separant.

[g] Frustra hîc subjiciunt vulgati, *testimonium Israel*. Vult tantùm Hilarius non omnem tribum verbis Prophetæ significatam, sed eam dumtaxat quæ sit *Domini*; ac propterea Scripturam, post quàm dixit *tribus*, adjecisse *tribus Domini*. Tum ne carnalis Israel, quia pars Domini & populus ejus nuncupatus est, hoc sibi attribuat, ex consequentibus docet alium abeo intelligendum esse.

[h] In vulgatis desiderabatur *illi*: ex qua voce pendet subnexorum intelligentia.

„ Dei Jacob : & annuntiabit nobis viam suam, A
„ & ambulabimus in ea. Ex Sion enim exiet lex,
„ & verbum Domini ex Jerusalem. Ex Jerusalem enim exiens verbum Domini, venit ad gentes. Hæ introeunt in sanctam civitatem, in testimonium Israel.

Israeliticæ plebis prærogativæ,

8. In quod tandem testimonium? *Ad confitendum*, inquit, *nomini Domini.* Tribus enim Domini nomen Domini confitentur. Hoc autem est testimonium [a] Israel. Ille Israel à Domino in Pharao vindicatus, in mari [b] ablutus, in B deserto Angelorum cibo pastus, in lege eruditus, in prophetis objurgatus, in nativitate à Domino per consortium corporis susceptus, in cruce [c] si crederet salvatus, in resurrectione si confiteretur glorificatus, nihil horum suum credidit, nihil horum manere suum voluit. Habens manna, cucumeres Ægypti desideravit; legem vitæ à Deo exspectans, vitulum adoravit; prophetas audiens occidit. Virginis partum prophetatum sibi infamavit, Deum C in carne non credidit, peccati remissorem [d] falsò peccati reum arguit, emit ad mortem, in crucem sustulit. Testes resurrectionis ad silentium corrupit: Apostolos morte interfecit. In hoc sceleris sui testimonium, tribus Domini adscendunt. Illi promissum est, hæ obtinent. [e] Illius testamentum, sed harum hereditas est. Hunc ejus [f] cruciarium, Deum suum tribus confitentur. In hoc itaque testimonio agnoscit Israel quem compunxit, & ab accessu ejus inhibetur, quem D resurrexisse non credidit. Hunc Archangeli adorant, huic omnes cælestes virtutes ministrant, hic tribus suas conformes gloriæ corporis sui præstat. Confitentur ergo nomini Domini, quia Deus est, quia filius unigenitus ingeniti est. In hoc itaque testimonium Israel, in domum Domini tribus Domini conscendunt, confitentes nomini Domini.

delicta.

Testimonium contra ejus scelera.

Judicium carnalis Israel. Matth. 19. 28.

Matth. 12. 41. & 42.

Ecclesiæ typus.

9. Sed confessio ista judicium est. Judicatur enim per eos, quibus dictum est, Sede- E bitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel. Non solùm hi [g] judicabunt, sed & regina Austri condemnabit, & Ninivitæ condemnabunt; quia hi pænitentiam super Jonæ prædicatione egerunt, & illa ex ultimis terræ partibus veniens sapientiam Salomonis audivit: in quibus Ecclesiæ præfiguratio est, quæ peregrina & incognita, & pænitentiæ credidit, & sapientiam desideravit F audire.

Judicii sedes ubi.

10. [h] Hîc igitur sedes judicii erit, ubi in testimonium Israel tribus Domini adscendent ad nomen Domini confitendum, in Ecclesia scilicet, sanctorum lapidum civitate, quæ domus Domini est. Ait enim, *Quia illic sederunt sedes* [i] *in judicium, sedes super domum David.* David nunc quoque, sicut in ceteris locis, [k] Domino nomen ex corpore est. Scriptura enim ubicumque mentionem assumendi corporis facit, David eum solita est nuncupare, nomen ei ex parente carnis assumens. Non est autem ex eo perturbatio intelligentiæ suscipienda, quòd quædam ex præterito prophetæ locuti sint: jam enim de hoc eodem in plurimis locis rationem & frequenter edidimus. Deo namque complectenti in se omnia, futura pro factis sunt. Et cujus tam fidelis [l] præscientia est, ut quæ nondum gesta sunt, tamen ab eo jam [m] perfecta & pro præteritis habeantur & gestis. Denique statim res se futuri temporis loqui Propheta demonstrat.

ỳ. 5.
Christus ut homo David nominatur.
Prophetæ futura enuntiant ut gesta.

11. Nam cùm tamquam de præterito commemorasset, adscendisse illuc tribus Domini, & sedisse super sedes domûs David; nunc jam velut publicæ doctrinæ & admonitionis affectu, commonuit in futurum dicens, *Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem*: ut [n] præscientiæ fidem in iis quæ gesta dixisset ostenderet, conservaret verò temporum ordinem in gerendis. Exstructio itaque ejus in pace est, & participatio in idipsum est, & unius mentis & fidei & caritatis domus illa est. Discenda est ergo doctrina pacis. Nunc enim *rogate* non orandi, sed interrogandi secundùm proprietatem græcitatis est sermo. Sed pacem discere, in voluntate est audientium. Cùm enim de pace ejus interrogaverint, tunc lætabuntur dici sibi, *In domum Domini ibimus.*

ỳ. 6.
Pace exstruitur Ecclesia.
[illegible]

Pacis fructus.

12. Neque enim interrogatæ pacis fructus exiguus est: quia id sequitur, *Et abundantia diligentibus te.* Perfectos fructus dilectio pacis exspectat, & abundantem felicium proventuum copiam sperat. Quod idipsum benedictio in Jacob ad spem fidelium præformata significat: benedictus enim ita est, fratris benedictionibus occupatis; Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Deus. Ager plenus & fertilis, reddens centesimum fructum, [o] huic æternis copiis abundabit. Et nunc quidem interim beatis fructibus abundamus, quos nobis [p] in speciem fructuum æternorum Ecclesiæ sacramentum & pacis unitas subministrat. Hoc autem sacramentum spei communis corporalium & communium rerum nominibus ostensum est: quod scientes intelligent.

Gen. 27. 27.

[a] Ex mss. Reg. & Turon. huc revocavimus verbum *Israel*, quod priùs omissum erat.

[b] Apud Hincmarum ut in mss. Reg. & Turon. *ablatus*: quam lectionem refutat illud Tract. Ps. 65. n. 11. *Per has enim Jordanis aquas in illa quæ à Prophetis promissa sunt* terræ bona, *gressu abluendorum corporum transitum est, atque transitur.*

[c] Sola editio Par. *si credet . . . . si confitetur.*

[d] Ex ms. Turon. restituimus *falsò*, loco *falsi*.

[e] In mss. Reg. & Mic. *illi*. Retinemus cum Turon. *illius* ob hoc Rom. 9. 4. *Quorum adoptio est filiorum & gloria & testamentum.*

[f] Er. *cruciarum*. Lips. *cruciatum*: quod & in postremam editionem Par. revocatum est. Veriùs tamen Bad. cum mss. *cruciarium*, hoc est, quem carnalis Israel cruce dignum judicavit, hunc tribus confitentur Deum suum.

[g] Reg. ms. cum Turon. *judicant*.

[h] Editi, *hac igitur*. Mox Par. *ascenderunt*, pro *adscendent*: ac postea, *Ecclesia scilicet sanctorum in civitatem*. Editiones aliæ, *in Ecclesiam scilicet sanctorum lapidum civitatem*. Sequimur mss.

[i] Ita juxta græc. Turonensis codex. Alii verò, *in judicio*.

[k] In vulgatis, *Domini*. Auctoritate mss. Turon. & Reg. reponimus *Domino*: adeo ut superior vox *David* in gignendi casu intelligatur. Porro Christum *propter corporis carnem* David nuncupari rursum habemus in Ps. 131. n. 17.

[l] In mss. *præsentia est*.

[m] Hæ duæ voces, *perfecta &*, absunt à mss. Reg. & Turon. & videntur superfluere.

[n] Apud Par. *ut præscientia fidem*. In edit. aliis, *ut præscientiam fidei*. In ms. Mic. *ut præsentiæ fidem*. Præferimus cum Turon. & Reg. *ut præscientiæ fidem*, scil. *ostenderet* seu faceret, hoc est, ut se præscium ostenderet.

[o] Bad. Er. & Lips. *hinc*. Par. *hic*. Rectiùs mss. *huic*; scil. Jacob.

[p] Editi, *in spem*: refragantibus mss.

Psal. 4. 7. & 8. Namque abundantiæ hujus & copiæ idem Propheta psalmo altero meminit, dicens, Dedisti lætitiam in corde meo, à tempore frumenti & vini & olei sui multiplicati sunt in idipsum. Hæc igitur abundantia est in idipsum. Per hanc enim pacis & sacramentorum abundantiam, beata illa pax & indeficiens & æterna bonorum cælestium abundantia præparatur.

℣. 7. * ἐν πυργοβάρεσί σου. Virtus domui Dei non est sine pace.
13. Dehinc sequitur: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia * in turribus gravibus tuis.* Pax atque virtus domus hujus connexa sibi sunt. Posse enim aliquid nisi ex pace non poterit; quia participatio ejus in idipsum est: in idipsum autem esse pax sola consequitur. Perfecta verò ac pacata virtus eorum [a] tantùm est, qui congregantur in idipsum: & idcirco ait, *Fiat pax* [b] *in virtute tua.*

Turres, Ecclesiæ principes.
14. Civitatem autem necesse est diverso ædificiorum genere consistere. Non enim omnis est murus, porta, turris; neque omnis plateæ, porticus, tabernæ; neque domus, forum, templa, palatium: sed & differentibus inter se domorum magnificentiis differunt quoque cohabitantium dignitates. In omni verò genere civitatis, nihil neque firmius, neque utilius, neque celsius turribus est. Solita verò Scriptura est gravia pro firmis & immobilibus nuncupare: sicuti ait, In populo gravi laudabo te. (Ps. 34. 18.) Nunc quoque cùm de pace virtutis memorasset, abundantiam beatitudinis perfectæ & æternæ civitatis hujus principibus tamquam firmissimis [c] deputavit, dicens, *Et abundantia in turribus gravibus tuis.* (His abundans beatitudo.) Superiùs dixerat, *Et abundantia diligentibus te:* non ergo omnium est abundantia, sed diligentium Deum. Deinde adjecit, *Fiat pax in virtute tua.* Pax enim Ecclesiæ & unitas virtutem nobis firmitatemque præstat; secundùm illud Apostoli, [d] Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum prudentiæ, [e] custodiet corda vestra in Christo Jesu. (Phil. 4. 7.) Nunc quoque hanc abundantiam, quam diligentibus spoponderat, propriam esse gravium turrium commemorat; eos graves turres significans esse, quicumque diligerent. Per quod intelligendum est, abundantiam hanc non promiscuam esse, nec totius admodum civitatis: sed eorum tantùm sanctorum & fidelium virorum, qui ceteræ civitatis hujus ædificationi tamquam turrium firmitate præstiterint.

℣. 8.
15. Sequitur deinde Prophetæ magnus affectus, & in omnem hominem credentem sollicitudo piæ admonitionis. Ait enim, *Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te: propter domum Domini Dei mei quæsivi bona tibi.* Multitudinem in fratribus suis proximisque hujus significat civitatis, propter quos pacem de ea * locutus est: [f] ut audientes se ipsos in ædificium consummandæ hujus civitatis aptarent. (* scil. civitate.) Sed qui pacem propter fratres & propinquos suos de ea loquitur, civitati eidem propter domum Dei bona quærit, dicens, *Propter domum Domini Dei mei quæsivi bona tibi.* ℣. 9. Civitati ergo bona propter domum Domini quæsita sunt. Discernens enim gloriam domûs Dei à civitatis universitate, quia necesse est ornatum [g] domûs regiæ, ædificationi civitatis totius anteferri; quæsivit bona eidem civitati. (Civitatis Dei, & domûs Dei discrimen.) Primùm enim fratres & propinqui ejus, per prædicationem pacis facti sunt Domini civitas. Secundò verò civitas ipsa jam ex propinquis ejus & fratribus constituta, audiens dignitatem domûs Dei, [h] domus omnis Dei ipsa esse properavit. Ac sic civitati huic quæsita sunt bona, dum ex civitate Domini in domum Dei proficit; secundùm illud Apostoli, Vos estis templum Dei, & Spiritus Domini habitat in vobis. (1. Cor. 3. 16.) Fidelis enim est, qui ait, Pater pro his te rogo: ut omnes unum simus, ego in illis, & tu in me: (Johan. 17. 22. & 23.) Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXII.

Canticum graduum.

*Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælo. Ecce sicut oculi servorum in * manibus dominorum suorum, * sicut oculi ancillæ in * manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis. Miserere nobis, Domine, miserere nobis: quia multùm repleti sumus * contemtione: quia multùm repleta est anima nostra. Opprobrium abundantibus, & * despectio superbis.*

(* Infrà, manus. * & sicut. * manus. * adspernatione. * adspernatio.)

TRACTATUS PSALMI.

(Psalmorum superiorum varii gradus.)
1. Efficitur rebus, quod titulo præscriptum est: gradibus enim cantici tamquam de humilibus ad excelsa conscenditur. Namque in primo [i] cantico graduum ad Dominum de tribulatione clamatum est. Postea levati oculi in montes sunt, & quæsitum unde veniret auxilium. Dehinc quia elevanti oculos, & unde auxilium veniat quærenti, adest

[a] Adjecimus *tantùm* auctoritate mss. Paulò antè in ms. Turon. *Pacata verò virtus*, sine *perfecta*: quæ vox exstat in Mic. sed non *pacata*.
[b] Editi hîc tantùm, *in virtutibus tuis*: ubi magis sibi constat ms. Turon. quem sequimur.
[c] In vulgatis, *& gravissimis*: quòd rectiùs abest à mss.
[d] Regius codex cum Turon. *& pax vestra*.
[e] Sic mss. juxta græc. At editi, *custodiat*. Proximo verbo *prudentiæ* carent mss. Reg. & Mic.
[f] In mss. Reg. & Turon. hîc omisso *ut*, mox habetur *aptare*, pro *aptarent*: & in Turon. *audentes* pro *audientes*.
[g] Apud Par. ex ms. Mic. *domus Dei regiæ*. Vox *Dei* ex margine in textum videtur irrepsisse: quia hîc domus Dei, vocabulo *regiæ*, re ipsa intelligitur.
[h] Bad. Er. & Lips. *domum Dei ipsa se præparavit*: corriguntur ex Par. & mss. hoc tantùm dissidentibus, quòd alii *properabit*, alii habeant *properavit*. Hîc vocabulum *omnis* ad civitatem refertur, non ad domum.
[i] In mss. Reg. & Turon. *in primo cantici*, non malè si post *in primo*, subintelliges *psalmo*.

doctrinæ propheticæ institutio; in his quæ sibi sunt dicta lætatus est. Nunc verò quia usque ad id quod doctrina instituebat accessum est; de quodam quasi profectus sui gradu cantat Propheta, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælo*, incrementis competentibus contemplandi Dei usus, tamquam post multam cæcitatem, [a] per modica & dimensa admissæ sibi lucis intervalla, ad consuetudinem totius luminis præparatus. Deus enim, qui primùm in tribulatione invocatus est, quæsitus est à prophetis, eosque prophetiæ lætificavit [b] auditu. Sed nunc jam oculis mentis per fidei fiduciam contemplandus est habitans in cælo.

(℣. 1.)

Cælum visibile non est Dei habitatio, sed Filius.

2. Sed cælum hoc, quod visibus nostris per materiem sui subjacet, quod tamquam fumus solidatum firmamenti & naturam & nomen accepit, præteribit & non erit: sedes autem Domini manet in æternum. Necesse est verò, ut habitatio habitatore suo digna sit: [c] ne corruptibili loco id quod infinitum & incorruptibile est concludamus, dum Deum in cælo hoc habitare credimus. Quæramus ergo quæ habitatio Dei sit. [d] Nempe is qui dixit, Pater enim in me, & ego in Patre; & rursum, Ego & Pater unum sumus; & de quo dictum est, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi: digno & sufficiente Filio, in quo Pater per eamdem naturæ habitet virtutem; [e] Patre autem filium, quem ex se genuit, non separante à se differentiâ divinitatis. Sed non nunc de inseparabili virtute Patris & Filii sermo est. Deus enim ex Deo genitus non abest per naturam ab eo, ex quo genitus confitendus est: & Deus innascibilis, unigenitum Deum gignens, manet in illo quem genuit proprietate generandi. Omnis autem spes in eo nostra est, ut unigenitum Deum noverimus. Nam de innascibili Deo, nemo tam amens est, qui cælum contuens Deum esse non sentiat. In hoc ergo cælo Deus inhabitat, digno majestatis suæ & divinitatis habitaculo.

(Johan. 10. 38. — Ibid. 30. — 2.Cor.5.19. — V. Tract. Ps. 52. n. 2.)

Per Christum Deus in nobis habitat.

3. Sed est & alia complacita Deo & electa habitatio, eorum scilicet, de quibus dictum est, Habitabo in his, & deambulabo in ipsis, & ipsi mihi erunt in populum, & ego illis in Deum: de quibus & Apostolus ait, Vos estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis. Idem quoque Apostolus ait, Qualis de limo, tales & de limo; & qualis cælestis, tales & cælestes. Cælestis ergo est secundus Adam: & idcirco cælestis, quia Verbum caro factum est, ex Spiritu scilicet & Deo homo [f] natus. In hoc ergo Verbo, non inani sono vocis, sed in Deo Verbo; neque in diffidenti à se diversaque substantia, sed [g] in Dei Verbo, Deus tamquam in cælo habitat, in eo scilicet, quod ex se ac suum est, manens; per eum in eis quoque qui cælestes sunt habitans, sicut ipse ad Patrem ait, Ut omnes unum sint, [h] ego in illis, & tu in me. Ergo si qui in Adam limus fuimus, nunc cælestes sumus in Christo, & Christus habitator est nostri; per habitantem Christum in nobis etiam ille * quoque habitator est nostri, cui est habitans in nobis Christus habitatio.

(2.Cor.6.16. — 1.Cor.3.16. — 1. Cor. 15. 48. — Johan. 17. 22. & 23. — * nimirum Pater.)

Publica de Dei sede opinio non excluditur.

4. Et quia secundùm corporalem intelligentiam ille nobis subest sensus, ut cælum, quod ultra [i] firmamenti hujus naturam est, Deus inhabitare existimetur; non excludimus publicam illam de sede Dei opinionem, ut ei cælum cæli thronus sit; sed & illam dignam Deo habitationem in * cælesti Adam suo significatam esse credentes. Etiam hoc ergo Deus cælum habitare noscendus est, per eum quoque inhabitans, quos in eo constituit esse cælestes.

(* Christo.)

Animus Deo deditus non distrahendus.

5. Oportet autem eos, qui ad Deum oculos mentis erexerint, non retorquere eos atque deflectere: quia ut in Evangeliis dictum est, Nemo retrò respiciens [k] aratrum tenens aptus est regno cælorum. Relinquentes enim templa, aras, cupiditates, lascivias, & omne vitiorum profundum, convenit indefesso obtutu invictoque persistere. Si enim gentes errore suo cæcæ indemutabili pertinacia falsis religionibus detinentur, ita ut reflecti à superstitionibus suis [l] veri ratione non possint, diversis diis, ut vocant, perseverante stultitia servientes; & si anima peccantium, capta vitiorum illecebris, devotissimè servit tamquam imperanti sibi corpori: quanto nos magis convenit Deum conditorem cæli & terræ cognoscentes, (qui ut potens fuerit ex terra inanima animare hominem, ita & potens sit hominem, qui jam animatus occiderit, in æternitatis consortium excitare,) sine deflexu aliquo ac devia religione venerari, neque quóquam intentæ fidei pertinaciam deflectere?

(Luc. 9. 62.)

6. Et docet Propheta hos mentis suæ ocu-

---

[a] Regius codex cum Turon. *per dominica & dimensa.* Tum solus Turon. *amissæ.* Mox Par. *consuetudini totius luminis præparatur.* Editi alii, *consuetudine . . . . . præparatur.* Corriguntur juxta mss. è quibus Turon. habet, *est reparatus.*

[b] In vulgatis, *auditus, & nunc.* Concinniùs ms. Turon. *auditu,* (nempe lætificavit Deus) *sed nunc.*

[c] Editi, *& si corruptibili loco;* & mox, *& si Deum in cælo hoc* &c. Horum emendationem debemus ms. Turon. Non displiceret tamen, *& corruptibili loco* (proindeque indigno) *id quod infinitum & incorruptibile est, concludamus, si Deum in hoc cælo habitare credimus:* quod habet ms. Reg. exceptâ particulâ *si.* V. lib. 1. de Trin. num. 6.

[d] Reg. ac Turon. mss. *nempe ejus qui dixit.*

[e] Sic mss. consentiente Bad. nisi quòd pro *Patre*, mendosè præferat *Pater:* ex quo in aliis editis confectum est, *Pater autem Filium . . . . . non separat à se* &c. minùs bene. Hîc enim mutua Patris in Filio, & Filii in Patre habitatio explicatur. Ex habitatione Patris in Filio utriusque æqualitas sic demonstratur lib. 4. de Trin. n. 38. *Non enim Deus in diversa atque aliena à se natura habitaculo est, sed in suo atque ex se genito manet, Deus in Deo: quia ex Deo Deus est.*

[f] In vulgatis, *natus est:* abundat verbum *est.* Secundus Adam idcirco cælestis, quia Verbum erat in cælis, priùs quàm caro fieret in terris. Atque ita, ut Athanasii verbis lib. de salut. adventu J. C. p. 647. utamur, *cælestis homo erat Dominus, non quòd è cælo carnem secum attulerit, sed quòd eum qui ex terra erat cælestem reddiderit.* Proximè illud, *ex Spiritu scil. & Deo,* id est, cùm priùs esset Spiritus ac Deus: ubi *Spiritus* vocabulum nihil aut propè nihil aliud significat quàm *Deus.* V. lib. 10. de Trin. n. 16. & 17.

[g] Rursum ms. Turon. *in Deo Verbo.*

[h] Excusi, *sicut ego:* dissentiente sacro textu, necnon mss.

[i] In ms. Reg. *firmamenti cæli.* V. Tract. Psal. 135. n. 8.

[k] Malè in vulgatis, *& aratrum tenens:* cùm in Evangeliis non retrò respiciat quis, simul & aratrum teneat. Jam expuncto *&* auctoritate mss. & verbo *tenens* eamdem vim habente ac *cùm tenuerit*, juxta græc. ἐπιβαλών, perspicua sunt sacra verba.

[l] Regius codex, *vera ratione:* ac post pauca cum Turon. *quia ut potens fuerit*, non *qui.* Hîc autem *veri ratione*, id est quod superiùs pag. 359. b. *veri judicio.* Habes rursum *veri rationem* in Psal. 137. n. 2.

℣. 2. los indemutabili ad Deum esse semper obtutu, dicens, *Ecce sicut oculi servorum* [a] *in manus dominorum suorum; & sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ: sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis.* Exempli comparationem Propheta posuit, ut sicut in manus dominorum oculi servorum sunt, ita ad Deum oculi fidei suæ intenti sint: quia fidelis servus ad omnem obedientiam voluntatis dominicæ sollicitus sit, indeflexosque oculos semper intendat. Sed si de servis ac dominis corporalibus sermo esset; dictum ita fuerat, oculos servorum in oculis vel in lingua vel in conspectu esse dominorum: aut nutu enim his jubetur, aut ore. Sed manus pro operibus Scriptura frequenter significat.

Manus, opera.

Sunt autem qui neque hominum, neque Dei servi sunt; sed servi sunt peccati, Domino dicente, Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Hi ergo servi harum spiritalium nequitiarum [b] in cælestibus, in opera eorum tamquam in manus dominorum suorum oculis mentis suæ semper intenti sunt, vitiorum in id desiderio atque admiratione defixi. Sunt autem hæc diabolica, id est, deorum gentilium opera, quæ significantur in manibus, venter, otium, luxus, libido, superbia, avaritia, ambitio. In hæc ergo [c] voluntatum, quarum dominatui subjacent, opera spectantes sensus sui oculis intendunt, quibus dii plures sunt [d] innumerosique domini, prout uniuscujusque studium & natura auctorem sibi religionis elegerit.

Servi peccati. Johan. 8. 34.

In quæ opera intendant.

Deus nobis unus, non solus.

7. Nobis autem unus Deus est: non tamen per [e] unionem Dei Domino nostro Jesu Christo quod Deus est abnegantes; sed sequentes Legem & Prophetas & Evangelia & Apostolos, divinitatis unitatem in innascibili Deo & in unigenito Deo secundùm proprietatem atque naturam cum fide & veritate profitemur. Nusquam enim genere plurali, nec Deos neque Dominos sermo propheticus nuncupavit; sed unumquemque suo ordine. Genesis namque ait, Et pluit sulphur & ignem Dominus à Domino: & Propheta, Unxit te, Deus, Deus tuus; &, Dixit Dominus Domino meo: & Evangelia, Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & Apostolus, Unus Deus ex quo omnia, & unus Dominus Jesus per quem omnia; & rursum, Ex quibus Christus, qui est super omnia Deus. Hoc ergo propter Dominum dictum est: ut intelligeremus per id quòd unus innascibilis Deus est, non adimi unigenito Deo posse quòd Deus est. Deus enim unus uterque est: non quòd * unus divisus in duos sit, aut * uterque ipse sit, ut nuncupatio sola fecerit patrem & filium, non natura gignendi: sed idcirco Deus unus, quia neque duo innascibiles, neque unigeniti duo, sed unus ex uno; & ambo unum, non dissimili scilicet aut differente à se substantiâ divinitatis in utroque.

Gen. 19. 24. Ps. 44. 8. Ps. 109. 1. Johan. 1. 1. 1. Cor. 8. 6. Rom. 9. 5.

* ut Hieracas. * ut Sabellius sensit.

8. Sequitur deinde: *Et sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ.* Tenuit verò eumdem Propheta ordinem, ut in comparationis exemplum ancillæ quoque oculos in manus dominæ esse commemoraret intentos: ut in operum potiùs efficientias hæc desideria servorum doceret intenta. Sed cùm plures servi plurium dominorum sint positi in exemplum; quærendum cur ancilla una unius commemorata sit dominæ. Plures enim servi, ut superiùs diximus, plurimorum sunt [f] deorum. Nunc autem una ancilla & una domina: quia natura una est animæ humanæ, sicuti & terrenæ carnis una natura est. Et quia nunc de peccatoribus, qui peccati servi sunt, sermo est; hæc ancilla anima carni dominæ suæ dedita est, [g] per corporalium & vitiorum blandimenta subjecta: habetque inferioris sui per illecebrarum fomenta * dominatum, fructus operum ejus inspiciens. Ergo ut hos servos & hanc ancillam indemutabiles vitia sua detinent, ut in his quadam [h] religiosa stultitiæ suæ intentione persistant; ita fidem [i], quæ non temporaria ac mobilis sit, neque emissis tentationibus defatigetur, sed usque ad consummationem misericordiæ Dei immobilis & indemutata permaneat.

Cur plures servi ac domini, ancilla ac domina una.

Servi carnis.

* passivè.

9. Et idcirco Propheta pertinaciam spei suæ usque ad finem accipiendæ misericordiæ demonstrat, dicens, *Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis.* Non desinit, non absistit, [k] tardet licèt ad tentationem fidei misericordiam suam Dominus: quia fides constantem præstare debet fiduciæ suæ exspectationem, & desperatio omnis diffidentiæ confessio sit. Sed Propheta non incertus est misericordiæ Dei: nam oculi ejus in eum, quoad usque misereatur, intenti sunt. Intenti autem adeo, ut intentioni eorum oratio geminata subjecta sit. Ait enim post hæc, *Miserere nobis, Domine, miserere nobis.* Et intentus est, & intentus orat: eâ scilicet perseverantiâ, quâ vitiorum servi in dominantibus sibi vitiis demorantur, ille certissimâ bonorum æternorum spe, & perfectæ in se misericordiæ fiduciâ perseverat. ℣. 3.

Spes Prophetæ pertinax.

10. Sequitur verò, ut sæpenumero cogno-

[a] Editi hîc ac deinceps, non tamen constanter, *in manibus.* At mss. hîc & mox, *in manu*, in sequentibus autem *in manus*, quomodo legendum constanter putamus juxta græc. εἰς χεῖρας, subaudito verbo *intenti.* Quæ sequuntur, nec non duo Tractatus subsequentes, & pars Tract. Ps. 125. desunt in ms. Turon.

[b] Omittit Regius codex, *in cælestibus in opera eorum tamquam.*

[c] In vulgatis, *voluptatum.* Malumus cum Reg. ms. *voluntatum*, scil. nequitiarum seu deorum gentilium, quorum nutibus parent. Tum in eodem ms. *quorum* non *quarum*: (Sic suprà, *in opera eorum*) & mox more antiquo *exspectantes* pro *spectantes.*

[d] Editiones, unâ priore Par. exceptâ, *& numerosi Domini*; renitentibus mss.

[e] Quod Græcis μονὰς, hoc Hilario est *unio*: quo verbo non naturarum tantùm, sed & personarum pluralitas excluditur.

[f] Vulgati, *dominorum*: renitentibus mss. Et quidem ad calcem num. 6. servi ii indicantur *quibus dii plures sunt.*

[g] In excusis, *& per corporalium vitiorum blandimenta subjecta est.* Præferimus cum ms. Reg. *per corporalium*, scil. rerum, *& vitiorum*, quo nomine solet Hilarius intelligere carnis incentiva, seu carnales cupiditates.

[h] Excusi cum ms. Reg. *religiosæ.* Magis placet cum Mic. *religiosa.*

[i] Editi hîc subjiciunt, *esse oportere*: quæ removimus auctoritate ms. Reg. Horum loco rectiùs forsitan subintelligas, *detinent virtutes*, aut quid simile.

[k] Bad. Er. ac postrema editio Par. cum Reg. ms. *tradat*, Lips. *tardat*: castigantur ex codice Miciacensi.

Fideles injuriis vexati.

vimus, hanc fidelium spem gravis iniquorum A obtrectatio, & molesta malignorum insectatio. Justitiam enim à nobis prædicari, iniquus odit: pudicitiam si laudamus, impudicus offenditur: exsecratur in nobis ebrietas jejunia. At verò cùm ad liberalitatem cohortamur, insipientiam nostram avarus accusat. Cùm Christum Deum prædicamus [a] crucifixum, religionem Judæus & omnis ex gentibus persecutor exprobrat. Cùm judicium Dei exspectamus, offenduntur sæculi reges, & Deum arbitrum B vitæ ab unoquoque actæ recusant. Cùm resurrectionem annuntiamus, mortua cum vitiis suis infidelium corpora contradicunt. Fidem quoque nostram à Lege & Prophetis & Evangeliis & Apostolis susceptam omnes hæreticorum falsitates coarguunt. Cædimur, maledicimur, fugamur, necamur ferro, flammis, profundo; [b] desævitur in nostram verecundiam, desævitur in corpora: dolor nobis est ex injuriis nostris. Et quia injuriæ nostræ his qui C eas inferunt mors est, dolor nobis est ex miseratione pereuntium. Ideoque post geminam precationem, qua dixerat, *Miserere nobis, Domine, miserere nobis*; adjecit, *Quia multùm repleti sumus adspernatione, * quia multùm repleta est anima nostra:* Deo solo adversùm hæc opitulari potente, ut ab adspernatione atque contemtu eximat usque in finem * misericordiæ in se semper intentum. [c] Et idcirco donec sibi Deus misereatur intentus est, idcirco gemina D oratione misericordiam sibi Dei precatur, quia multùm ipse atque anima sua repleta adspernatione sit, Deo, ut diximus, tantùm potente in multa adspernatione misereri: neque solùm in id potente, sed potente etiam [d] in contraversum omnia retorquere, & quamdam vicissitudinem præstare patienti.

De injuriis suis ac de vexantium peccatis dolent.

℣. 4. Levamen iis à solo Deo. * *subaud.* accipiendæ.

Lazari pauperis & divitis vicissitudo.

11. Testis nobis est & pauper in Abrahæ sinu quiescens, & dives perustus in pœna. [e] Ille enim in aggestu fimi ante divitis januam, fa- E me tabidus, ulcerum sanie defluens sederat, canibus vulnera dissoluta lingentibus. Sed hæc erat militia corporis, hæc adversùm sæculum pugna. Interiùs tamen anima ejus per fidem invulnerabilis, & ad omne telum [f] voluptatis ac vitia invia: & idcirco ab Angelis post carnis dissolutionem beata in Abrahæ [g] sinum fertur. Ille verò cui omnis erat vestitus in purpura, cui totius civitatis nobilitas gravi dominatu subdita famulabatur, cui aëris, terræ, F maris copiæ in usum convivii congerebantur, uni ventri ejus officiis elementorum omnium servientibus, qui huic pauperi januam clauserat, micas de mensa excidentes negaverat, & tamquam contumeliam suam occursum ejus exprobraverat: excedens hoc quo malè usus erat corpore, impenetrabili à sanctis chao separatur, omni pœnarum ministerio excipitur, dolet, vexatur, amburitur, irrorari se ac refrigerari minimo digito requiescentis in sinu Abrahæ pauperis deprecatur. Cui Abraham respondit, Fili recordare, quia recepisti bona « in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc « autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Fit « alterna conversio: & demutatur lætitia in mærorem, & mæror in gaudium. Et videamus an idipsum quod Evangelium exposuit, nunc quoque Propheta significet.

Luc. 16. 25.

12. Ait namque, *Opprobrium abundantibus, & adspernatio superbis.* Post [h] superiores, quas commemoravimus, insectationes regum, gentium, Judæorum, hæreticorum, atque etiam sæpe nostrorum, facta hîc quoque est evangelica conversio, ut abundantibus sit opprobrium, & superbis adspernatio. Superbia in contemtum, & copia mutatur in inopiam: rursumque & contemtus in superbiam, & inopia demutatur in copiam, Propheta utrumque istud per verba eadem monstrante, cùm dicit, *Opprobrium abundantibus, & adspernatio superbis:* sive quòd modò opprobrium ferant, qui postea [i] in regno Domini abundabunt, & quòd nunc in adspernatione sint, qui postea per fidei confidentiam [k] superbient: sive quòd judicii tempore opprobrium & adspernatio in eos, qui nunc in sæculo abundent ac superbiant, revertatur.

Divitum, & humilium seu egenorum exitus.

13. Paulus in infirmitatibus & in angustiis suis gloriatur. Judicem quoque eligi potentium ex contemtibilibus Ecclesiæ præcepit. Mutuam sibi legem ille & Petrus instituunt, ut meminissent egenorum, eorumque curam facerent sollicitè. Minimorum Angeli Deum quotidie vident: humilis exaltabitur: & optimum sacrificium Deo est [l] cor contribulatum. Non ergo abjiciamus humilem, non contemnamus pauperem, non transeamus indigentem: ne profundo ab his chao separemur, ne refrigerare nos minimo digito suo dedignentur; quia *opprobrium abundantibus, & adspernatio superbis sit.* Demutabilis est ista conversio, & digna in bonos ac malos vicissitudo, quam in Evangeliis ostendit dicens, Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur: & rursum, Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis, ait Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Humilitatis exempla. 1. Cor. 6. 4. Matth. 18. 10. Matth. 23. 12. Psal. 50. 19. Matth. 5. 5. Luc. 6. 25.

[a] Reg. ms. *cruciari.*
[b] Isthæc, *desævitur in nostram verecundiam*, omittit Regius codex.
[c] Excusi, *& quia donec sibi* &c. Rectiùs ms. Reg. *& idcirco* &c.
[d] Editi, *intro versum.* Meliùs mss. *in contraversum.* In his mox *patiendi*, pro *patienti*, potest commodè referri ad eos qui sanctos injuria afficiebant.
[e] Reg. ms. *illo enim posito in aggestu divitiarum ad januam fame tabidus:* quod & habent Bad. Er. & Lips. addita voce *pauper* post *tabidus.*
[f] Ms. Mic. *ad voluptatis vitia*, Reg. *ad voluntatis vitia.* Fortè, *invulnerabilis est ad omne telum*, (quod in animam nil potest) *ad voluntatis vitia invia.* Pro *invia* habent Bad. Er. & Lips. *invicta.*
[g] In Reg. ms. *sinus.*
[h] Ita Regius codex, favente Miciacensi, in quo exstat *superius.* Editi verò præferunt *superbas.*
[i] Editi, *in regno Dei.* Rectiùs mss. *in regno Domini.* Aliunde notum est quod discrimen statuat Hilarius inter regnum Dei & regnum Domini, & quomodo justos statim à morte ponat in regno Domini, quibus tamen regnum Dei differat.
[k] In vulgatis, *superbiant*, in ms. Mic. *superbiunt.* Cum Regio scriberemus *superbibunt*, si per grammaticos liceret, aut si sæpius idem verbum recurreret.
[l] Editi, *cor contritum & humiliatum.* Ex ms. Reg. restituimus *cor contribulatum*, post quàm legimus in Psal. 125. n. 9. *Cùm igitur optimum Deo sacrificium sit cor contribulatum.*

PSALMUS CXXIII.

Canticum graduum David.

NISI quòd Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, niſi quòd Dominus erat in nobis; cùm ſurgerent homines in nos, fortè vivos deglutiſſent nos. * *Cùm iraſceretur animus eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos. Torrentem pertranſivit anima noſtra: forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam immenſam. Benedictus Dominus Deus, qui non dedit nos in capturam dentibus eorum. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venatorum. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.*

* in eo cùm.

TRACTATUS PSALMI.

1. ATTULIT magnum nobis compendium pſalmus anterior: ab eo enim in hunc ſcanditur. Oculi namque mentis noſtræ intenti in Deum fuerunt uſque ad miſericordiæ finem, multis undique adſpernationibus & opprobriis circumſtantibus. Poſt quæ miſericordiam conſecutos, & de opprobrio in abundantia, de adſpernatione in ſuperbia collocatos, quid agere ac loqui nos oporteat, Propheta demonſtrat, dicens, *Niſi quòd Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, niſi quòd Dominus erat in nobis; cùm ſurgerent homines in nos, fortè vivos deglutiſſent nos.* Et quidem ſermo ipſe talis eſt, ut intelligatur Prophetæ eſſe, inſtruentis quid dici à ceteris oporteat. Primùm enim res ipſa dicta eſt: dehinc qualiter ſit dicenda monſtratur. Et hic fuit ordo, ut quid agendum, dehinc quatenus agendum eſſet, oſtenderetur. *Niſi quòd Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael.* Dictum eſt ergo quid dici ab Iſrael oporteret. De Iſrael frequenter admonuimus, eum exiſtimandum eſſe, qui Deum mentis oculis contemplatus ſit. Nunc ergo ſecundùm propheticam doctrinam cognito quid dicere debeat Iſrael, loquitur, *Niſi quòd Dominus erat in nobis; cùm ſurgerent homines in nos, fortè vivos deglutiſſent nos.* Hoc ergo Iſrael, exemplum accipiens à Propheta, dicit: quia audivit, *Niſi quòd Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael.*

℣. 1. Vox Iſrael ad exemplum Prophetæ.

℣. 2.

2. Non eſt autem leve mandatum illud, quod neceſſe fuit præeunte quodam Prophetæ præconio demonſtrari. In his namque rebus, quæ difficiles ſunt, deſideratur exemplum. Omnis enim natura hominum inſolens ad res ſecundas eſt: & imbecillitatis ſuæ immemor, inconſultè in proſperis jactans eſt, quod ab homine doctrinâ Dei erudito abeſſe oportet. Quis enim relictus eſt nobis gloriandi locus, recordantibus omnia ex Deo eſſe? Si nos nobis vitam inſeruimus, [a] debeamus & nobis corporum ſpeciem: ſi ipſi pluvias æſtuſque moderamur, ex noſtro eſſe proventus fructuum gloriemur: ſi non in omnibus opus eſt Dei miſericordiâ, etiam omnia nobis tamquam ex noſtro ſint vindicemus. Numquid fortis fortem ſe gloriabitur, quem corporis ægritudo efficiet infirmum? Numquid dives in opibus gloriabitur, cui hæc omnia fortè fur, prædo, tyrannus abripiet? Numquid nobilitas gloriabitur, effecta nonnumquam indigna & miſerabilis ſervitus? Numquid ſapiens gloriabitur, [b] incertus quid in momenta ſibi accidat? Sed ſi quid horum ſine moleſtiæ alicujus interpellatione utimur; [c] delectamur, efferimur. Et ſi ex aliqua triſtitia in gaudium revertamur, hujus ipſius vix adepti gaudii incapaces ultra ſenſum humanæ imbecillitatis extollimur; immemores dicti hujus, Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neque fortis in fortitudine ſua, neque dives in divitiis ſuis: ſed in eo glorietur qui gloriatur, intelligere ſe, & cognoſcere quoniam ego ſum Dominus. Ergo nos de conſuetudinis noſtræ vitio inſolentes, quodam præſcripto confeſſionis Propheta formavit: & ad honorem Deo reddendum, & in eo gloriandum [d] exemplo admonitionis edocuit, dicens, *Niſi quòd Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael.*

Gloriandi in ſe homini nulla cauſa.

Jerem. 9. 23. & 24.

3. Auditis igitur à Propheta quæ dicere nos oportet, dicamus & nos, *Niſi quòd Dominus erat in nobis; cùm inſurgerent homines in nos,* * *fortè vivos deglutiſſent nos.* Perpeſſi namque hominum inſectationes, regum impias [e] conſtitutiones, conſiliatorum illecebroſas adhortationes, cùm in fide maneamus, cùm in timore Dei reſideamus, cùm in ſpe bonorum æternorum immoremur, adjuti Dei miſericordiâ, ſcientes fidelem eum qui dixit, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi, ad hunc habitantem [f] in nos gaudia noſtra referamus: huic ſi quid in

Deo à quo ſunt bona omnia ſua tribuenda.

℣. 3.

Matth. 28. 20.

[a] Sic Regius codex elegantiùs, quàm vulgati, *debemus.* Porro ſi non nobis debemus ſpeciem corporum, quanto minùs animorum? Sic enim apprime ratiocinatur Concilium Milevit. II. c. 4. *Cùm dicat Apoſtolus, Scientia inflat, caritas verò ædificat; valde impium eſt ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Chriſti, & ad eam quæ ædificat non habere: cùm ſit utrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus; ut ædificante caritate, ſcientia nos non poſſit inflare.* Ita Hilarius ea etiam, ad quæ nonnihil valere videtur induſtria noſtra, oſtendens dona Dei eſſe, nullum nobis relinquit gloriandi locum; ut optimè concludat *omnia ex Deo eſſe,* & *nobis in omnibus opus eſſe Dei miſericordiâ.*

[b] Reg. mſ. *incertis:* nec nova eſt apud Hilarium hujuſmodi locutio, cùm *ſinceris* & *infirmis* jam in recto caſu viderimus.

[c] In mſ. Reg. à ſecunda manu, *lætamur, efferimur:* à prima *læta & ferimur.* Fortè legendum, *lætitiâ efferimur.* Hîc enim arguitur immoderata lætitia.

[d] Regius codex, *exemplario.*

[e] Ex mſ. Mic. prima editio Par. *cogitationes.*

[f] Editi hîc, *habitantem in nobis,* & num. 4. *manenti in nobis,* ſed num. 9. habent *in nos habitantem.* Conſtantem mſſ. lectionem tribus illis locis retinemus.

nobis est debeamus, à beato Paulo docti nihil nostrum existimandum, dicente, Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? à sancto verò Jacob patriarcha modestiam referendæ gratiæ cognoscentes, cùm dicit, Deus qui enutrivit me à juventute mea, & angelus eruens me ex omnibus malis.

1. Cor. 4. 7.

Genes. 48. 5.

4. Non est autem in usu hominum, ut vivos alios vorent: neque usque ad carnes glutiendas odia procedunt. Sed neque nunc de B eruto à morte corpore gaudium est: sed de anima à peccato conservata, atque à peccatorum consortio [a] liberata. Idcirco ait forsitan vivos deglutiendos fuisse, scilicet in corpore adhuc positos à morte pervasos, atque à peccato comestos. Hæc enim vivorum mors est, vivere luxui, somno, sacrilegiis, adulteriis, cædibus. Deo ergo gratiæ agendæ sunt manenti in nos: quòd per fidem ejus doctrinamque, viventes non deglutimur ab istis. Fit ergo hic C in gratulatione ordo, qui est in iniquitatibus. * Namque ab insurgentibus primùm adversùs nos deglutiti non erimus; sed ne postea quidem irascentibus eorum animis ab aqua, protegente Domino, absorbebimur.

Vivorum mors.

* ms. nam qui.

5. Ait enim, *In eo cùm irasceretur animus eorum adversùs nos, forsitan aqua absorbuisset nos.* Sed quid hoc est? Animi hominum irascuntur, & aqua nos absorbet? Numquid ad motus mentium incitatarum ultrices aquæ assistunt, aut D animales sunt ut absorbeant? Enecari in aqua qui demersi sunt possunt; absorbere autem id quod inanimale est non potest. Quærendum ergo nobis est, quid hîc intelligi oporteat. Et meminisse eorum locorum necessarium est, in quibus aquæ facta sit mentio. Et quidem in exordio libri Genesis ita scriptum est: [b] Et tenebræ erant super abyssum, & spiritus Dei superferebatur super aquam: & iterum, Dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ, & E sit dividens [c] inter aquam & aquam: & rursum, Aqua quæ super cælos est, laudet Dominum: & rursum, Viderunt te aquæ Deus, viderunt, & timuerunt. Ergo quia lex spiritalis est, & fides historiæ non periclitatur, si rebus effectis inesse & connexam sibi extrinsecùs significantiam existimemus; videmus & aquas esse super quas sit Spiritus Dei, & aquas esse quæ super cælos sint, esse & quæ in terris sint, & aquas esse quæ laudent, & aquas F esse quæ timeant. Per quod rectè significari aquas populos intelligimus, in quibus sint spi-

Aquarum diversa genera.

Genes. 1. 2.
Ibid. 6.
Psal. 148. 5. & 6.
Ps. 76. 17.

Quid significent.

A ritales, sint & tenebrosæ; sint cælestes, sint & terrestres; sint gloriosum adventum Domini laudaturæ, sint & timentes. Hæ ergo sunt trepidæ, terrenæ, tenebrosæ, absorbere nos volentes, animis in ira concitatis, & toto diabolici furoris impetu commotis, tamquam maxima hiemis tempestate torrentibus, & per præceps ruentibus.

6. Atque ita in ordine confessionis nostræ ad Dominum adjecit Propheta, *Torrentem pertransivit anima nostra; forsitan pertransisset anima* B *nostra aquam immensam.* Ecce diaboli & suorum irruentes impetus, & ex turbidis motibus concitatos furentesque procursus, & tempestatis temporariæ torrentes: sed hæc intolerabilis aqua animam non transiit, in qua Deus habitat. Intolerabilis autem est Deo vacuis; his autem in quibus Deus est, torrens repentinus, post paulum verò [d] ad transeundi facultatem aridus & exhaustus.

Diaboli impetus quid Deo plenis, quid vacuis efficiant.
℣. 5.

C 7. Atque ut nullus hîc de aquis sensus esset; consequitur, *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in [e] capturam dentibus eorum.* Et qui sunt horum torrentium dentes? Sunt planè ad laniandum apprehendendumque vehementes, ira, cupiditas, lascivia, odium, gula, avaritia. Hi sunt dentes mali & tenaces. Per hæc enim in nos captos laniatosque dominantur, dum vitiorum suorum aut ministros aut consortes esse nos faciunt: quibus non carnes nostræ, sed ani- D mæ, nisi Deus in nobis esset, manderentur.

℣. 6.
Diaboli dentes.

8. Ait enim, *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo [f] venatorum.* Laqueos, qui venantur, occultè & fallentes prætendunt; aut absconsos vallibus, aut herbis contectos, aut cibis [g] oblitos, aut nubibus concolores. Et hæc quidem ad bestias atque aves ceteras: nobis verò adversùs animam hæc parantur. Est enim nobis laqueus [h] in otio, pecunia, ambitione, lascivia. Hæc prætenduntur, hæc blandiuntur, hæc fal- E lunt: sed ab his omnibus voluntas nostra est [i] referenda. Omnibus enim hi laquei prætensi sunt, sicut scriptum est, Non enim injustè in terra prætenduntur retia avibus. Perfecta enim gloria est, ab his laqueis qui prætensi sunt evolare.

℣. 7.
Laquei animarum.
Prov. 1. 17. sec. LXX.

9. Denique psalmus ita dicit; *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venatorum:* non utique venantium, sed eorum quibus in venatione tensi sunt laquei. Non enim cùm quis in F laqueum inciderit, tunc fiet peccator: sed cùm omnibus tendantur, [k] ille tantùm qui jam sit peccator in laqueo est; sicut scriptum est,

[a] In ms. Reg. *separata.* Mox *scilicet in corpore positos* &c. id est, eos qui adhuc in corpore positi essent, à morte pervasos esse &c.

[b] Ita Reg. ms. secundùm LXX. At excusi, *Et Spiritus Dei superferebatur aquis: & rursum, Ecce tenebræ erant super faciem abyssi.*

[c] Editi, *inter aquam quæ est sub firmamento, & inter aquam quæ est super firmamentum:* castigantur ex ms. Regio, in quo tamen omissum erat *& aquam.* In græco LXX. legimus, καὶ ἔστω διαχωρίζον ἀνὰ μέσον ὕδατος καὶ ὕδατος. Quod cum nostro Hilario vertêre, Augustinus lib. imperf. de Gen. ad litt. c. 8. *Et sit dividens inter aquam & aquam,* Ambrosius lib. 2. Hexaem. c. 2. *Et sit discernens inter aquam & aquam.*

[d] In Reg. ms. deest *ad transeundi facultatem.* Ex hac expositione legisse videtur Hilarius *aquam intolerabilem,* non *immensam.*

[e] Regius codex, *in captionem.* Mox ex mss. adjecimus *horum* ante *torrentium.*

[f] In vulgatis hîc & infrà *venantium:* quamvis infrà hanc lectionem expressè neget Hilarius, ac declaret verbum *venatorum,* huc quod ex mss. revocamus, passivè intelligendum.

[g] Ita correxit Lipsius, cùm in prioribus edit. ut in ms. Mic. legeretur, *cibis oblitteratos.* In Reg. ms. *cibos oblitteratos.*

[h] Bad. Er. & ms. Reg. *in otium pecunia, ambitio* &c. Lips. deinde expuncto *in* legit *otium, pecunia, ambitio:* quod tandem edit. Par. mutatum est ex ms. Mic.

[i] Etiam hîc vulgatum erat *refrenanda:* obnitentibus mss.

[k] Ita antiquæ editiones. At Par. *ille autem.* Reg. ms. *ille tamen.* Paulò antè in his, *tunc fiet peccator,* post *tunc* subintelligitur *primùm.* Vult Hilarius nullum esse in laqueo ac potestate diaboli nisi per peccatum, ac proinde priùs peccatorem esse, quàm in laqueo. Idipsum confirmat in Psal. 140. n. 14.

Oculus

a [a] Oculus meretricis, laqueus peccatoris. Ergo à peccatis omnibus abstinendum est, ne incidamus in laqueum. Spiritales enim sumus, & evolamus ut passeres. [b] Passer avis domestica, & ædificiorum incola: non momentanea, non temporaria, sed sine demutatione ulla aut temporis observatione consistens. Nos ergo sine vicissitudine temporum Ecclesiam incolentes, abstineamus à peccatis: ut à laqueis evolemus.

b In Ecclesia constanter manendum.

℣. 8. Laqueus enim per Deum in nos habitantem conteritur: quia ita sequitur; *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* * *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.* Hoc adjutorio laqueus conteritur, hoc adjutorio liberamur, in nomine Domini qui fecit cælum & terram: quod est scilicet super omne nomen, in quo omne genu flectatur cælestium, terrestrium & inferorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXIV.

Canticum graduum.

*QUI confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem. Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in sæculum: quoniam non derelinquet virgam peccatorum super sortem justorum; ut non extendant justi * in iniquitatem manus suas. Benefac Domine bonis & rectis corde. Declinantes autem ad obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.*

* Infrà, ad.

TRACTATUS PSALMI.

Contra eos qui litteram unicè sectantur.

I. FACIUNT nobis plerique obscuritatem, volentes Scripturas propheticas solo aurium judicio æstimare, & non aliud in his intelligere, quàm quod sub singulis rerum quarumque vocabulis audiatur. Quod cùm volunt, neque nobis quod intelligamus relinquunt, neque prophetas non dico cælestia, sed nec terrena quidem rationabiliter dixisse constituunt. Quid enim aut à nobis congruè tractabitur, aut ab illis rectè dictum existimabitur, cùm aquas laudantes, videntes, timentes, & plaudentes manibus audiemus, nisi A [c] ex auctoritatibus Scripturarum earumdem, sub aquarum nomine aliud significari quod alterius sit generis monstremus? id scilicet quod sit vivum ac sentiens, & ad rei uniuscujusque judicium suo motu sensuque se permovens: quod esse homo intelligitur, laudans, videns, timens, plaudens, judicans. Hæc enim humanæ affectionis genera in aquis esse sermo propheticus edidit: quorum quia in aquas natura non convenit, nec Propheta de aquis dixerit, B nec nos de aquis dictum intelligamus. Hæc propter ea, quæ in præsenti psalmo sunt, retractari convenit, quæ talia sunt. c

2. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat * in Jerusalem. Montes in circuitu ejus.* Nomen montis Sion, & habitatio Jerusalem, & montes circùm eam, si nullam interioris intelligentiæ habent causam, inanis est psalmus, & mendax Propheta, in quo Spiritus-sanctus locutus esse C creditur. ℣. 1. ℣. 2. Litteræ sensus hîc sibi non cohæret.

Est enim mons Sion civitati Jerusalem imminens: est eadem civitas, circa quam extrinsecùs plures sunt montes. Qui ergo confidit in Domino, quem profectum habebit, ut sit sicuti mons Sion? ex rationabili homine fieri saxum, arborem, cespitem, & de natura animali in naturam inanimalem referri? Jam verò quomodo fidelis hic sermo sit, non commovendum eum in æternum, qui habitet in Jerusalem? Numquid Jerusalem ipsa sanctifi- D cationem habitantibus afferebat, ut habitatio ejus firmitas esset æterna: cùm [d] illinc sacrilega cædes prophetarum, judicium mortis in Deum, fuga Apostolorum, crucis scandalum sit? Habitantes autem in ea quotiens captivi, [e] quotiens peremti? Ad ultimum urbs ipsa funditus diruta est, & qui vastationi ejus residui erant, capti atque dispersi sunt: prophetâ hoc impietati ejus excidium antea ita nuntiante: d e

Terra vestra deserta, civitates vestræ igni con- E crematæ, regionem vestram in conspectu vestro exteri comedent, & desolata & subversa à populis extraneis derelinquetur filia Sion, ut tabernaculum in vinea, & sicut casa custodiaria in cucumerario. Esai. 1. 7. & 8.

Jam ergo inanis est sermo, inanis est prophetia, quæ addiderit, *Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc [f] nunc & usque in sæculum.* Jerusalem eversa est, populi ejus exstincti sunt, reliquiæ ejus dissipatæ sunt: hodie in eâ non habitatur, F non sacerdos, non propheta, non princeps; sed ipsa obtrita, deserta, sine fructu est. Et quomodo habitator ejus non commovebitur in æternum? & Dominus in circuitu populi ejus ex hoc nunc & usque in sæculum? Ergo non potest de ea prophetatum videri, à qua prophetiæ veritas diffidebit. Sequens igitur est, ut quæramus in quos dictorum ratio conveniat. f

3. Et quidem primùm animadvertendum est, non alterius montis quàm Sion factam men- Mons Domini Ecclesia.

[a] Idem ille locus iisdem verbis denuo citatus in Psal. 139. n. 3. nusquam à nobis potuit inveniri. Videtur tamen summaria quædam sententia, ex his Eccle. 7. 27. expressa verbis: *inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est . . . . qui autem peccator est, capietur ab illa.*

[b] Passer hîc opponitur avibus, quæ ad tempus tantùm nostras regiones incolunt, quales hirundo, ortya &c.

[c] Sic mss. At excusi, *ex auctoribus.*

[d] Editi, *illic sacrilegia*: emendantur auctoritate mss.

[e] Regius codex, *quotiens redemti.*

[f] In Reg. ms. hîc non exstat *nunc*, neque infrà nisi semel num. 5.

Exodi 3. 1. tionem. Legimus enim montem esse Domini A [a] & Choreb, usque ad quem primùm Moyses cùm multa obisset, accessit: esse & montem Domini Sina, in quo populo lex scripta sit. Est & Sion mons superimminens Jerusalem. Sed quia in hunc montem prophetiæ nullus est fructus, videndum est quid in monte intelligi oporteat. Et habemus optimum intelligentiæ ducem Esaiam. Nam cùm superiùs montem Domini excelsum significasset, ad quem gentes venturæ essent; ait, Propter hoc sic dicit Dominus; B » Ecce mitto in fundamenta Sion lapidem præ» clarum, electum, angularem, pretiosum in fun» damenta ejus; & qui crediderit in eum, non confundetur. Et non ambiguum est Apostolum fundamentum [b] Christum significasse; per quod beata illa dominici corporis Ecclesia, cujus fundamentum est Christus, significari videtur in monte. Quam idem Apostolus & Jerusalem nuncupat, dicens, Quæ nunc est Jeru» salem, & servit cum filiis suis: ea autem quæ C » sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. Habemus ergo montem Sion Domini, habemus & civitatem Dei Jerusalem: & nominis Sion interpretatio est speculatio. Sic ergo montem Domini [c] in Daniele accipimus, ex monte in lapidem, & rursum ex lapide in montem: exinanivit enim se in forma Dei constitutus, & formam servi accepit, & per passionem suam mundo [d] cum superstitionibus suis terroribusque prostrato, in gloria Dei patris est, & Deus super omnia est; propter infirmitatem carnis ex monte in lapidem exinanitus, propter gloriam passionis ex lapide rursum effectus in montem: mons superimminens & excelsus, in quo ipsi nosmetipsos per assumtionem carnis nostræ corporisque speculamur.

Esai. 2. 2. — Esaia 28. 16. — Gal. 4. 25. & 26. — Dan. 2. 34. & 35. — Christus quì ex monte in lapidem, & ex lapide in montem.

4. In eo enim sumus [e] resurrectionem nostram in resurrectione nostri in eo corporis contemplantes: speculatio est enim Sion mons. [f] Loquatur interpretationem hanc hebraica lingua, qua dictum est, Mons Sion mons speculationis est. Loquatur Paulus, & dicat, Nostra autem conversatio in cælis est, unde & salvatorem nostrum exspectamus [g] Dominum Jesum nostrum, qui transformabit corpus humilitatis » nostræ, conformatum corpori gloriæ suæ: di» cat & rursum, Et cùm essemus mortui pecca» tis, vivificavit nos simul cum Christo, & coex» citavit, & collocavit in cælestibus. Dicat & » Evangelium, Quotquot autem receperunt F eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Dicat ergo nunc & Propheta, *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Ierusalem.* Sequamur Apostolum, sequamur Evangelium, sequamur Prophetam. Confidamus in Domino, ut conformes corporis gloriæ Dei simus. Habitemus nunc Ecclesiam [h] cælestem Jerusalem; ut non moveamur in æternum. In hac enim habitantes, habitabimus & in illa; quia hæc illius forma est. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Et nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Sed B & hæc cælestis, & illa cælestis; & hæc Jerusalem [i] est, illa quidem ecclesia Angelorum multitudinis frequentium: sed est ecclesia primitivorum, est & ecclesia spirituum in Domino fundatorum. Fundandi ergo sumus in spiritu, & in habitantibus standum est, non discurrendum: sicuti Moysi dictum est, Tu autem mecum sta. Non simus [k] procursibus vagi, neque viis incerti, neque inanis doctrinæ vento evolantes. In æternum enim manendum est, C si sine commotione steterimus.

Resurrectionem nostram in Christo speculamur. — Philip. 3. 20. & 21. — Ephes. 2. 5. & 6. — Johan. 1. 12. — Ecclesia præsens, forma futuræ. — 1. Cor. 13. 9. & 12. — Hebr. 12. 22. & 23. — Deut. 5. 31.

5. Sed neque desunt stare volentibus sanctorum custodiæ, neque Angelorum munitiones. Dicitur enim, *Montes in circuitu ejus, & Dominus in ciruitu populi sui ex hoc nunc & usque in sæculum.* [l] Hos enim secundùm superiora exempla montes esse existimabimus, humilitatem terræ excedentes, firmos & excelsos & immobiles. Cùm enim & montem significari Ecclesiam, id est, Dominum in corpore legimus, D & invenimus montes Dei exsultare atque lætari; (scriptum est enim, Montes exsultaverunt ut arietes;) quomodo possumus montes non eos significatos esse intelligere, qui super terrenam naturam gloriosi jam in Dei rebus exsultant?

Montes in circuitu nostro, Sancti atque Angeli. — Psal. 113. 4.

6. Ac ne leve præsidium in Apostolis, vel patriarchis ac prophetis, vel potiùs in Angelis, qui Ecclesiam quadam custodia circumsepiant, crederemus; adjectum est, *Et Dominus in circuitu populi sui ex hoc nunc & usque in sæculum.* E Sed fortè Apostolorum vel Angelorum custodia sufficiens existimetur. Verum id quidem est; sed & Moysen audiamus. Namque cùm ei Dominus dixisset, Ecce angelus meus antecedet te; & ille respondit, Nisi tu mecum ambulaturus es, ne me expellas hinc. Bonum quidem præsidium Angeli, sed melius Domini. Multis anima nostra laqueis appetitur, multis adversùs nos armis dimicatur. Non terra, non maria, non aër à fidei nostræ periculo F vacant. Rapiunt oculos nostros raræ incogniti maris gemmæ, occupat animum terræ aurum, totis nostræ mortis illecebris spiritales nequitiæ & aëris hujus virtutes circumvolant, per

Christi egemus ope. — Exod. 32. 34. — Exod. 33. 15. — Pericula nostra.

[a] In mſ. Reg. *& Horeb.* Supervacanea videtur particula *&*. Neque Horeb, aut secundùm Græcos Choreb, in sacro textu vocatur *mons Domini*, sed *mons Dei*.

[b] Bad. Er. Lipſ. & mſ. Reg. *Christi*. Rectiùs Par. ex mſ. Mic. *Christum*: respicitur quippe illud Pauli 1. Cor. 3. 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus.* Deinde *per quod*, id est, quamobrem.

[c] Regius codex, *in Danielo*: cujusmodi locutio constans est in mſ. Turon. &c.

[d] In mſ. Reg. *cum substitutionibus suis erroribusque*.

[e] Ita mſ. Mic. Alii verò libri, *in eo enim sumus resurrectio in resurrectione nostri, in eo nobis est corporis contemplatione speculatio* &c.

[f] Apud Bad. Er. & Lipſ. *loquitur*: quod & habet mſ. Reg. in quo deinde, *interpretatione hanc .... mons Sion speculationis est*.

[g] Mſ. Reg. omiſſo *Dominum Jesum nostrum*, cum Mic. subdit, *qui transfiguravit*.

[h] Quod proximè sequitur, videtur postulare *à cælesti Jerusalem ut non moveamur*. Quamquam Hilarius, quia *nunc cælestes sumus in Christo*, ut loquitur in Pſ. 122. n. 3. docere videtur infrà, ut & in Pſal. 121. n. 2. *cælestis Jerusalem* vocabulum Ecclesiæ militanti convenire.

[i] Verbum *est* addimus ex mſſ. Magis placeret, *& hæc & illa Jerusalem est*. Mox editi habent *multitudine frequentium*: refragantibus mſſ. Quæ hîc videntur intricata, confer cum verbis Apostoli ad Hebræos.

[k] Reg. mſ. *procursores*.

[l] In vulgatis, *Hos ergo*. Magis placet cum mſſ. *Hos enim*, scil. Sanctos atque Angelos. Hos igitur putavit Hilarius nobis consulere.

A vitæ præsentis molestias, per alienæ voluntatis mores atque lasciviam insidiantes: ut irascamur, ut oderimus, ut amemus, undique exspectamur & appetimur. Sciens ergo Dominus non adversùs carnem & sanguinem nobis pugnam esse, sed adversùs mundi hujus potentes & nequitias spiritales, ait Evangelia consummans: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque in consummationem sæculi. Adest enim: & cùm fideliter invocatur, per naturam suam præsens est. Spiritus namque est omnia penetrans & continens. Non enim secundùm nos corporalis est, ut cùm alicubi adsit, absit aliunde: sed virtute præsenti, & se quacumque est [a] aliquid porrigenti, cùm replente omnia ejus spiritu in omnibus sit, tamen ei qui in eum credat adsistit. Nam & tribus vel duobus in nomine suo congregatis erit præsens, & in circuitu populi sui est ex hoc nunc & usque in æternum.

Matth. 28. 26. Deus ubique.

Matth. 18. 20.

℣. 3. 7. Sed quid sibi vult, esse eum *in circuitu populi sui ex hoc nunc & usque in sæculum? * Quia non relinquet virgam peccatorum super sortem justorum; ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.* In virga potestatem intelligi convenit; insigne enim potestatis est. Virgam accepit Moyses, qua posset omnia: fuit & virga Aaron. Sed fuit & virga Pharaonis, fuit & virga Nabuchodonosor. Ergo in circuitu nos Dominus custodit: ne super sortem nostram peccatorum virga derelinquatur. Veniunt quidem tribulationes, sed non permanent: veniunt persecutiones, sed non persistunt. Multi redigere libertatem fidei nostræ in captivitatem volunt: sed [b] CONFISIONI nostræ, quam in Christo habemus, nemo dominatur. Non enim super sortem nostram peccatoris virga derelinquetur. Dominus namque in circuitu populi sui est in æternum: ne victi & fatigati virgæ imperio, ad iniquitatem extendamus manus nostras. Sed virga cùm inciderit, auferetur: & peccator cùm incubuerit, non derelinquetur. BREVE EST quidquid patiemur ab adversariis Dei: ET HABET victoriæ præmium, licèt non habeat prœlii longi laborem. Dominus adest. Etiam si vis aliqua compellet, abstineamus manus nostras ab iniquitatibus, non extendamus opera nostra in peccata: quia Domino in circuitu nobis constituto, virga peccatoris non derelinquetur ut maneat.

Virga potestatis insigne.

Tribulationes nostræ breves.

Opus sit & probum & voluntarium.

℣. 4. 8. [c] Post quæ conversio fit Prophetæ, retributionem à Domino ei qui ab iniquitate manus abstinuerit imprecantis: *Benefac Domine bonis & rectis corde*; probitatem & facti & voluntatis in utroque significans. Multis enim vel propter hominum favorem, vel propter periculum & metum, facti opus bonum est. Verùm nisi ex voluntate boni simus, etiamsi hominibus boni videbimur, tamen Deo boni non sumus: quia PERFECTA BONITAS in recti cordis consistit affectu.

℣. 5. 9. Retributio autem ut bonis adest, ita & malis non abest. Nam sequitur: *Declinantes autem ad obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Et hic quoque duplicis significantiæ sermo est, declinantium ad obligationes, & operantium iniquitates. Qui declinant, ex alio in aliud declinant, id est, ex bonis operibus recti cordis in obligationes. Et quas esse obligationes existimabimus? Eas nempe, quas solvi propheta monuit, dicens, Non B tale jejunium [d] elegi, dicit Dominus; sed solve omne vinculum iniquitatis, dissolve obligationes vehementium commutationum. Si quis ergo se, à præceptis Dei declinans, his obligationibus colligaverit; adducetur cum operantibus iniquitatem, in eamdem scilicet sententiæ pœnam, trangressor & iniquus futurus. Qui enim operatur iniquitatem, ab observatione legis alienus est: qui autem declinat ex lege, legem in qua mansit antè, transgreditur.

Declinare

Obligationes.

Esaiæ 58. 6.

Iniquitatis operarius. Declinans ex lege.

C 10. Non declinandum igitur ad obligationes est: neque libertas nostra est nexibus sæculi & mundialium negotiorum vinculis inserenda. Novit beatus Paulus solutos ligari non oportere, cùm dicit, Solutus es ab uxore? noli quærere ligationem. Et hoc non de criminoso vinculo necessariæ ligationis ita sensit. Ceterùm sunt alia vincula, quæ fidem nostram impediunt & obligant, sibique connectunt: maximè augendæ pecuniæ labor, & negotiandi D insincerus profectus. Hæc enim ita obligant peccatis, sacramentis, commerciis, ut sibi nos captos possessosque detineant. Ab his ergo mens, voluntas, studium solvendum est: quia declinantes ad obligationes unà adducentur cum operantibus iniquitatem.

1. Cor. 7. 27.

Vincula fidem impedientia.

11. Erit autem Israel pacificus, non derelictâ super se virgâ peccatoris: sed in fide perfecta ac spe æterna manens, audiet pro portione sibi dici, *Pax super Israel.* Ille est enim E pax nostra, qui fecit utraque unum, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Ephes. 2. 14.

PSALMUS CXXV.

Canticum graduum.

F * *IN convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exsultatione. Tunc dicent inter gentes, * Magnificavit Dominus facere nobiscum: * sumus lætantes. Converte Domine captivitatem nostram, * sicut torrens in austro. Qui * seminant in lacrymis, in gau-*

* Infrà, *dum averteret.*
* *magnificavit Dominus facere cum illis. Magn.*
* *facti sumus sicut.*
* Infrà non legitur *sicut torrens in austro.*
* *seminat ... metet.*

[a] Addimus *aliquid* ex mss. in quibus deinde *porrigendi*, non *porrigenti*. Paulò antè, *secundùm nos corporalis*, id est, nostri ad instar, qui secundùm corpus corporales sumus, & secundùm animam corpori alligati. Quibus simile est illud Tract. Psal. 134. n. 16. *Et hoc quidem ita in Domino, qui non in locis ut corporalis, sed ubique adveniens cernitur.*

[b] Vulgati *confessioni*: castigantur ope ms. Reg.
[c] Sola editio Par. *postquam*; aliæ, *postque*: emendantur ex mss.
[d] Ita ms. Reg. juxta LXX. At excusi, *elegit Dominus*. Tum Par. ex ms. Mic. *sed solve omnem nodum* (Mic. ms. hîc addit *tuum*) *iniquitatis*. Editiones aliæ, *sed solve omne vinculum, nodum iniquitatis dissolve.*

dio metent. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient in exsultatione, portantes manipulos suos.

TRACTATUS PSALMI.

Psalmorum intelligentia spiritalis nequit prorsus respui.

I. NISI essent in psalmis quædam tales prophetiæ, ut in res atque homines eorum temporum, quibus scripta sunt, non convenirent; profectò auderent multi nihil in psalmis spiritaliter dictum existimare, putarentque nos quasdam commentitias assertiones, & ementitias interpretationes inquirere, quibus videremur altius nescio quid ac profundius ceterorum sensu intellexisse: perinde quasi nos sensui nostro ea quæ scripta sunt coaptemus, & non magis ex his quæ scripta sunt, sensum diligentis & sollicitæ intelligentiæ consequamur. Scriptura enim legis manet atque est anterioribus, quàm adesset Dominus, temporibus consummata à prophetis, [a] edita à Judæis, pertractata à regibus, suscepta à gentibus; sed intellecta & probata à Christianis.

Legis intelligentia Christianis à Deo indulta.

2. Hoc fortè insolens existimetur. Planè insolens est, si nobis hanc gloriam præsumimus, si tantum infirmitati nostræ licere volumus, ut tantis temporibus abstrusa, tantis humani generis obscura ætatibus, in quibus intelligendis frustra reges laboraverint, ipsi doctores & magistri legis erraverint, nos stulti sæculo, & purgamenta mundi, & deliramenta sapientibus, [b] eorum intelligentiam gloriemur. Sed tamen intelligimus; quia non mendax est qui dixit, Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Et scriptum est, quia qui dixit, Quoniam oportebat » impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, » & in prophetis, & in psalmis de me, * tunc » aperuit sensum eorum, ut intelligerent Scri- » pturas, & dixit illis, Quoniam sic scriptum » est, Christum pati, & resurgere ex mortuis » tertia die, & prædicari in nomine ejus pæni- » tentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Non ergo ex nobis est quòd intelligimus; sed ex eo, qui [c] quæ ignorabilia erant fecit intelligi. Itaque ab eo speranda intelligentia est: qui & pulsantibus [d] aperiet, & quærentibus demonstrabit, & petentibus non negabit.

Matth. 7. 7. Luc. 24. 44. * Ibid. 45. & 46.

Captivitas corporalis non narratur hoc psalmo.

3. Nam quomodo intelligi poterit hic psalmus, qui à rerum gestarum historia dissentit? Nusquam enim captivitas populi hujus usque ad David tempora scribitur: sed longè postea quàm Salomon filius ejus regnum obtinuit, servivit captus Israel Assyriis, dehinc Juda Babyloniis. Quomodo ergo David in eodem psal-
mo tamquam captus orat? Aut quomodo
aversa à se captivitate lætatur? dicens, [e] *Dum* ỷ. 1.
avertit Dominus captivitatem Sion, facti sumus
*tamquam consolati. * Tunc repletum est gaudio os* ỷ. 2.
nostrum, & lingua nostra exsultatione. Tunc dicent
*inter gentes, * Magnificavit Dominus facere cum* ỷ. 3.
illis. Quamquam autem religiosum sit existimare, futuræ captivitatis demutationem secundùm prophetiæ scientiam prænuntiatam fuisse, & ea quæ indubitatè essent gerenda, per fidem gerendorum commemorasse pro gestis; tamen dictorum verborumque virtus ejus reditûs gratulationem, qui post captivitatem Babyloniæ indultus est, nunc nos intelligere non patitur: cùm præsertim eumdem reditum gravior postea sit consecuta captivitas, & indignum sit prophetâ, tamquam ignorantem, amoto omni captivitatis opprobrio gratulari, cùm indemutabili rursum opprobrio captivitas iterata successerit. Est autem nunc omnis in psalmo, sicuti singularum rerum expositione monstrabimus, ex captivitate vitiorum in libertatem cognitionis Dei redeuntis animæ gratulatio.

Psalmi argumentum.

Gravior est animæ, quàm corporis captivitas.

4. Et quidem gravis est captivitas corporalis, quæ, jure libertatis amisso, victorum dominatui subditur. Et serviunt tum quidem corpora, sed nequaquam capitur fidelis animæ libertas. Testes sunt mihi tres pueri inter flammas cantantes: testis Daniel in fame leonum, prophetæ prandio saturatus: testis Eleazar inter jura dominorum, patriis suis legibus liber: testes [f] cum matre sua Martyres septem, Deo gratias inter nova mortis tormenta referentes. At verò quanto infelicior est animæ captivitas? Si eam avaritia ceperit, per corpus latrocinatur ac grassatur: si libido vicerit, communicat cum corpore servitutem: si luxus, ira, odium, temeritas, ebrietas, invidia subegerit; his imperantibus sibi dominis & anima & corpus in commune famulantur: atque ita captivitatem animæ & corporis sequitur mentis captivitas. Ceterùm conditionem corporis religiosæ animæ generositas despicit. Officium quidem durum, tamen homini non omnino miserabile, quia [g] serviatur à servis: at verò animæ captivitas quàm infelix est?

2. Machab. 6. Ibid. 7.

Servitus avaritiæ,

5. Avarus cariturus semetipso, carere timet pecuniâ; negotiosus, tristis, anxius, sine requie ulla, damni metu semper detinetur; honestatis immemor, amicitiarum inobservans, humanitatis [h] fugax, religionem nescit, bonitatem omnino odit. At verò cui libido domina

libidinis,

[a] Bad. & Er. *adita*: ex quo Lipsius fecit *audita*, non malè, si cum auctoritate fecisset. Probabiliùs tamen hîc respicitur editio legis à LXX. Judæis jussu Ptolemæi regis suscepta. Unde factum est ut pertractaretur à regibus, & à gentibus susciperetur.

[b] Editi, *de eorum intelligentia*: renitentibus mss.

[c] Sic prima editio Par. cum mss. Postrema cum Bad. Er. & Lips. *quæ innoscibilia erant*.

[d] Regius codex, *aperuit .... demonstravit .... non negavit*.

[e] Ms. Mic. *in avertendo Dominum*. Par. *in advertendo Dominus*. Editi alii hîc, *in convertendo*; infrà autem, *dum avertit*: quam lectionem retinet constanter ms. Reg.

[f] In mss. Vatic. ac Reg. *cum anu sua*. Tres leguntur Martyrum septem matres, eorum ad martyrium hortatrices: sed hîc Hilarius Machabæorum matrem maximè videtur respexisse. Paulò antè apud Par. ut in Reg. ms. exstat, *patris sui legibus*, pro *patriis suis legibus*.

[g] Particulam *ei* apud Par. hîc immissam removimus. Hoc ita potest explicari: non est miserabile quòd servi serviant; quibus subintelligendum, nec proinde quòd captiva sint corpora, quæ servire nata sunt: at verò animæ naturâ liberæ quàm miserabilis captivitas est?

[h] Reg. ms. *fugâ*.

est, in quo cœno dedecoris volutatur? Pen- A det ad occasiones adulteriorum: anxius circa lasciviæ suæ furta, oculis, mente, corpore totus in scortis est. Videns quotidie atque audiens humanas in adulteros [a] leges, adulterium in ipso foro cogitat; quod agit timet, & quod timet non fugit. Quid verò infelicius ebrietatis dominatu? ventri ultra capacitatem infundere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, & mortem quamdam naturæ incolumi imperare? Quàm B dedecorosus autem est furentium motus, temeritatis impetus, odiorum stimulus, livoris anxietas? Quanta ergo perturbatio eorum est, quanta calamitas, qui suprà memoratis malis serviunt?

ebrietatis,

aliorum vitiorum.

Liberatorum à vitiis voces.

6. Verùm si cognitâ sapientiæ doctrinâ, & Dei prædicatione, & remissione [b] peccatorum, & resurrectione corporum, & æternitatis consortio, & regno cælesti, à dominantibus * superioribus de avaritia ad munificentiam trans- C eamus, de libidinibus ad continentiam migremus, de ebrietate ad jejunia revertamur, de furore, temeritate, odio, livore ad placabilitatem, rationem, misericordiam, benignitatem evolemus: discentes hæc omnia à Lege & Prophetis, Evangeliis & Apostolis; & cantantes ex Lege, [c] Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi; cognoscentes à propheta, Ego sum qui feci cælum & terram ex nihilo; credentes ab Evangelio, In principio D erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; pronuntiantes ab Apostolo, Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quia in ipso constituta sunt omnia in cælis & in terra: & cùm gentes conversionem nostram ex vitiis in virtutes, ex ignorantia Dei in confessionem ejus effectam admirabuntur; tunc psalmi prophetiam à nobis intelligi posse testabimur; dicentes, *Dum avertit Dominus captivitatem Sion, facti su-* E *mus sicut consolati. * Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exsultatione. Tunc dicent inter gentes, Magnificavit Dominus facere cum illis.* Avertit enim Dominus captivitatem nostram per remissionem peccatorum. A dominatu enim vitiorum animam liberavit, anteriora delicta non reputans, & nos in vitam novam renovans, & in novum hominem [d] transformans, constituens nos in corpore carnis suæ. Ipse est enim Ecclesia, per sacramentum corporis sui in se [e] universam eam continens. Non erat Sion ante quàm liberaretur; sed Sion est quæ liberata est. Nomen cum libertate convenit. Neque enim manentis, sed aversæ captivitatis hoc nomen est.

* supple, vitiis.

Judith 16. 3.
Esaiæ 48. 13.
Johan. 1. 1.
Coloss. 1. 15. & 16.
ỳ. 2.

7. Quod verò ait, *Facti sumus sicut consolati*, meminit & Apostolus interim tamquam consolatum esse se, dicens, Miser ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus? & qui nunc pro parte scit, & pro parte prophetat, & qui scit repositam nobis esse [f] Jerusalem in cælo, & cùm dicit, Dissolvi me melius est, & cum Christo manere. Sumus nunc quidem consolati, quia Dominus ait, Mittet vobis [g] & alium consolatorem. Cùm dicit, Alium, superesse se docet. Superest enim: exspectat namque omnis creatura revelationem filiorum Dei. Revelatio illa, consummata consolatio est. Ceterùm nunc *tamquam* [h] consolatio est; ipsâ interim non carentes, licèt sit consummationis suæ nobis residua perfectio.

Nunc nonnulla, sed non plena nobis consolatio.
Rom. 7. 24.
1. Cor. 13. 9.
Phil. 1. 23.
Johan. 14. 16.

8. Repletur [i] etiam gaudio os nostrum, & lingua nostra exsultatione: non enim sufficientia sunt ad referendas Deo laudes linguæ nostræ atque oris officia. Mutavimus crimina in innocentiam, vitia in virtutes, ignorantiam in cognitionem, interitum in immortalitatem: & hoc [k] à Deo, gratiam faciente pænitendorum, & novorum bonorum initia reddente. Quod enim optabilius nobis est tempus? quo adulterabamus, aut quo maluissemus virgines fuisse? quo ebrii eramus, aut quo jejuniis lætamur? quo pecuniæ serviebamus, aut quo pecunia nostra benignitatis est usus? quo dæmonia adorabamus, [l] aut quo dæmoniis imperamus? quo placere sæculo gestiebamus, aut quo sæculum vincimus? quo Deum nesciebamus, aut quo heredes Deo præparamur?

Conversio nostra Dei munus.

Conversorum status quàm melior statu peccatorum.

9. Hanc spei nostræ fidem gentes contemplantes, dicunt, *Magnificavit Dominus facere cum illis.* Hanc in virtutes vitiorum demutationem contuentes, Dei in nos magnificentiam admirantur. Idipsum etiam ex sensu ade- ỳ. 3.

[a] Quænam sint illæ leges, commodiùs exponetur in Psal. 144. num. 9.

[b] In vulgatis, *universorum horum peccatorum.* Priora duo verba expunguntur auctoritate ms. Reg.

[c] Superiùs pag. 9. not. a. demonstravimus ex hoc loco librum Judith etiam inter legis libros ab Hilario recenseri. Lex quidem propriè Pentateuchum vocatur. At cùm Hilarius totam Scripturam in Legem, Prophetas, Evangelia & Apostolos partiatur; ut duobus primis membris vetus Testamentum, novum autem duobus aliis contineatur: manifestum est Legem ab eo appellari, quidquid ex veteri Testamento ad Prophetas non pertinet. Immo in Psal. 64. n. 7. eam omnem Scripturam, quæ Judæo populo tradita est, Legem nuncupari significat, ubi ait, *Non competit hæc oratio Judæo. Et quamvis hic liber* (puta psalmorum) *Legis sit, prophetia tamen non est gentis unius.* Ubi & legis & prophetiæ nomen psalterio adscriptum vides. Sic in Psal. 118. litt. 17. num. 5. Proverbiorum locum memoraturus, hunc *Lege scriptum* simpliciter significat.

[d] Ita ms. Reg. Editi verò, *reformans.*

[e] In Reg. ms. ab antiqua manu secunda, *universa membra continens*: ingeniosiùs quàm veriùs. Similes loquendi modos plures jam vidimus, ut cùm in Psal. 51. n. 16. prædicatur Christus *naturam in se universæ carnis assumsisse.* Quod hîc pressiùs, ibi fusiùs explicatum videsis. Ita audiemus lib. 2. de Trin. n. 23. Christum *assumtione carnis unius interna universæ carnis incolere.*

[f] Loco *Jerusalem* legendum videtur *spem*, ex illo Pauli Coloss. 1. 5. *propter spem quæ reposita est vobis in cælis.*

[g] Vocabulum *pater* in vulgatis hîc adjectum est, quod abest à mss. ut suprà in Ps. 120. n. 6. Mox post *superesse*, expungendum videtur *se*. Quamquam ad extremum Christi adventum hæc videntur referri, de quo Paulus Phil. 3. 20. *Salvatorem exspectamus D. N. J. C. qui reformabit corpus humilitatis nostræ &c.*

[h] Excusi, *consolatione ipsa*: emendantur ex mss. Post *non carentes*, subintellige *sumus*.

[i] In editis, *Repletur enim*: & mox, *ad reddendas Deo laudes.* Tum ms. Reg. *Linguæ enim nostræ atque oris officia mutavimus. Mutavimus crimina &c.* Idem ms. superiùs addit *os nostrum & lingua nostra*, post *non enim sufficientia sunt.*

[k] Bad. *à Dei gratia faciente pænitendorum.* Tum Erasmus post verbum *pænitendorum*, de suo adjecit *finem*, atque hæc lectio sic interpolata deinceps obtinuit. Ex ms. Reg. in quo exstat, *à Deo, gratia referente pænitendorum*, confici posset, *à Deo, gratiâ referente* peccatoris animum *ad pænitendum.* At lectio, quam exhibemus ex ms. Mic. per se absoluta integram præstat sententiam: eique prorsus consentit Turon. nisi quòd pro *faciente* habet *referente.* Deus pænitendorum gratiam facit, cùm dimittit peccata: quæ ideo *pænitenda*, quia ea sequi debet pænitentia numquam intermittenda.

[l] Mendosè in vulgatis, *in quo pecuniis imperamus.*

ptæ hujus beatitudinis, nos quoque confitemur in oris gaudio & linguæ exsultatione :
℣. 3. *Magnificavit Dominus facere nobiscum : facti sumus* [a] *lætantes.* Lætamur enim de profundo ac miserabili cœno nunc ablutos nos fuisse, & novos ex omnibus vitæ anterioris vitiis constitisse.

Cur superiora in præterito, in futuro sequentia.

10. Et quia Propheta futuræ spei gaudia loquebatur, licèt secundùm Scripturæ consuetudinem tamquam de præteritis gratularetur : tamen per consequentem precem non sui temporis res has esse declarat, dicens,
℣. 4. *Converte Domine captivitatem nostram.* Si fuit tamquam consolatus cùm aversa est captivitas; quomodo nunc ut à se avertatur orat? Sed in superioribus propheticæ scientiæ fuit sermo, futurorum gaudia tamquam de præterito nuntiantis : nunc autem de avertendis * communis est oratio, cui se Propheta [b] tametsi ipse non est captus admisceat, tamquam adhuc in iisdem se esse cognoscat. Scriptum est enim, Justus in principio sermonis sui, ipse sibi accusator est : & rursum, Confitere primùm peccata tua, ut justificeris : &, Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. Scit quidem Propheta se liberum; sed tamquam captus Deo subditus est, sive per propriæ confessionis disciplinam : quia ubi peccati confessio est, ibi & justificatio à Deo est; quod in publicano & pharisæo Dominus testatus est, cùm pharisæus justum se gloriatus est, publicanus verò pro peccatis orasset; ait enim, Amen dico vobis, quoniam magis justificatus est publicanus quàm pharisæus. Sive ergo ob id Propheta converti captivitatem [c] in commune precatur, seu quòd populum omnem à peccatis captum sciebat; & sicut, * cum Apostolo, membro uni corpus omne compatitur, ita & populo captivo à peccatis Propheta concaptus est.

(* subaud. malis, vel vitiis.) (b An captivus vitiorum Propheta.) (Prov. 18. 17. Esa. 43. 26. Matth. 5. 5.) (Luc. 18. 14) (* juxta Apostolum. 1. Cor. 12. 26.)

11. Sed tamen orare pro captivitate sua bonum sibi esse demonstrat, dicens, *Qui seminat in lacrymis, in gaudio metet.* ℣. 5. * *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient in exsultatione, portantes manipulos suos.* ℣. 6. Quis hic ad Judæos sermo est, ut eorum in hoc psalmo videatur prophetata captivitas? Quæ verò ad communem humani generis consuetudinem ratio est? Quis enim umquam serens flevit? Aut numquid hujus lamentabilis sationis Judæis usus ex lege est? Nequaquam igitur istud scriptum usquam aut gestum est : sed est prophetia superioribus dictis connexa. Duas autem esse sationes sanctus apostolus Paulus docuit, carnis & spiritûs : demonstratis & enumeratis seminibus sationis utriusque, cùm caro adulteria, veneficia, comessationes, ebrietatem, avaritiam, idololatriam, & cetera his similia sereret; spiritus verò pacem, gaudium, continentiam, caritatem, sobrietatem, mansuetudinem, & quæ sunt his consequentia seminaret; & sata sua uno quoque messuro. Cùm igitur optimum Deo sacrificium sit cor contribulatum; & beati sint lugentes, quoniam ipsi consolabuntur; & unusquisque quæ severit metet, operum suorum fructus in judicium tamquam manipulos laturus : seminandum nobis est cum confessione peccatorum, cum luctu corporalis infirmitatis, cum lamentatione ac dolore conscientiæ nostræ, quòd nequaquam possimus dignè Dei præcepta secundùm propositum voluntatis explere. Tunc quæ in lacrymis severimus, metemus in gaudio : euntesque flentes, cum exsultatione veniemus, repleti fructibus nostris, & manipulis elaboratæ à nobis messis onerati, consolati per Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

(Sationes duæ. Gal. 6. 8. Gal. 5. 19.) (Ibid. 22.) (Ps. 50. 19. Matth. 5. 5.) (Compunctionis causa ac fructus.)

[a] In excusis, *sicut lætantes.* Non exstat *sicut* in mss. Reg. ac Turon. nec in sacro textu græco & latino.

[b] Ita ms. Turon. consentiente Regio, nisi quòd in hoc deest *non.* In editis autem, *tamquam & ipse sit captus admisceat.*

[c] In vulgatis, *communem.* Rectiùs in mss. Reg. & Turon. *in commune.* Sic suprà, *nunc autem de avertendis communis est oratio.*

ADMONITIO

IN QUINQUE TRACTATUS SUBSEQUENTES.

TRACTATUS proximus demto exordio, necnon quatuor subsequentes toti exstant inter Sermones sancti Zenonis Veronensis nomine vulgatos : adeoque de eorum auctore nonnulli ambigunt, quos inter Theophilus Rainaudus Erotem. de bonis ac malis libris pag. 142. *ait*, Explicatio Psal. 127. quæ apud sanctum Hilarium legitur, Zenoni Veronensi ab aliis adscribitur, *ubi & alias quoque enarrationes non advertit utrique adscriptas. Raphael Bagata Tractatus illos Zenoni satis assertos putat ex scripti codicis quo usus est antiquitate. Ceterùm ab aliis Sermonibus stilo eos discrepare non inficiatur. Neque nos negamus antiquam esse illam Zenonis Sermonum collectionem. Hanc in codice, quem Hincmarus Remensis Episcopus bibliothecæ sancti Remigii dono dedit, vidimus duos in libros distributam, quibus præmittitur*, Sermo venerabilis Coronati Notarii de vita sancti Episcopi & Confessoris Zenonis. *Eo in Sermone prædicatur Zeno à matris utero sanctificatus, ac postmodum Pastor ordinatus in monasterio degisse, donec Imperatoris Gallieni jussu quæsitus, ut unicam filiam à dæmone liberaret, Veronam ingrederetur, ubi* non multò pòst receptus in pace est; *ac deinde* basilica in honorem Dei & ipsius sancti Sacerdotis *haud procul à fluvio Athesis*, ubi nunc sanctum ipsius corpus requiescit, constructa est. *Hunc Coronati Sermonem excipit hic titulus :* Tractatus sancti Zenonis Veronensis Episcopi. *Tum sequitur index Tractatuum, qui, uti diximus, in duos libros ac longè alio*

ordine, quàm in Bibliotheca Patrum exstant, distributi sunt. His obiter animadversis, difficile admodum non est demonstrare, prædictos Tractatus non ex Zenonis Sermonibus inter Hilarii lucubrationes, sed ex lucubrationibus Hilarii inter Sermones Zenonis fuisse immissos.

Ac primò quidem antiquitati codicis eos Zenoni adscribentis opponimus Regium ac Miciacensem mss. antiquitate non inferiores, qui eosdem Hilario Pictavensi attribuunt. Deinde stili eorum à ceteris Zenonianis dissimilitudo, cum Hilarianis autem similitudo, de vero illorum parente nullum dubitandi locum permittit. Demum cùm illi nullo veterum testimonio Zenoni asserantur, & contrà primum ex iis atque secundum Hieronymus epist. 141. *ad Marcellam, tertium verò atque quartum Hincmarus lib. de Prædest. c.* 25. *Hilario adscribant, nescio an tutò liceat tantæ auctoritati non cedere.*

Verùm etiam si tam gravia nobis deessent in gratiam Hilarii testimonia, in promtu esset idipsum ratione non minùs certa atque evidenti evincere. Illi quippe in Cantica graduum Tractatus, quales apud Hilarium exstant, spectari nequeunt velut disjuncta quædam Opuscula miniméque inter se cohærentia, quæ & ab aliis distrahi, & Hilario adsui commodè potuerint. Unum omnes conficiunt Opus præfatione connexum, quo maximè confutantur qui iis Canticis captivitatem Babylonicam & ab ea reditum prænuntiari asserebant; adeo ut si quinque Zenoni, pariter & alii decem cum prologo ei haud dubiè adjudicandi sint. Iam verò illis ita Zenoni adjudicatis, eidem quoque adscribenda erit Præfatio generalis in librum Psalmorum, quam auctor horum Tractatuum prologi num. 6. *suam agnoscit. Erit proinde Zeno Tractatuum in Psal.* 118. *auctor declarandus. Qui enim illos conscripsit, prædictam Præfationem generalem non semel in iis memorat ut propriam. Hallucinatus est igitur Cassiodorus, qui hanc Præfationem Hilarii nomine laudat. Erravit & Augustinus, qui Tractatus in Psal.* 118. *toties cùm lib. de nat. & grat. tum contra Iulian. non Zenoni sed Hilario attribuit. Erravit Hincmarus, erraront & alii, quotquot Hilarii in Psalmos testimonio se uti existimarunt, cùm Zenonis verba in medium proferrent. Æquius est ut collectionem Sermonum illorum, qui Zenonis nomine circumferuntur, quamvis antiquam, Hilarii tamen ævo posteriorem esse existimemus. Aut si quis contendet illam ejus Zenonis esse, qui Gallieno imperante vixerit, certè concedat necesse est eam postmodum alienis opusculis auctam, cùm non Hilarii modò, sed & Basilii Tractatibus aliquot constare prudens quisque non negaturus sit.*

PSALMUS CXXVI.

Canticum graduum Salomonis.

*Infrà, sibi.

NISI Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum * vigilavit qui custodiet eam. In vanum est vobis * ante lucem surgere: surgite post quàm sederitis, qui manducatis panem doloris. Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini filii, merces fructûs ventris. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum. Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundentur cùm loquentur inimicis suis in porta.*

* vigilaverunt qui custodiunt.
* diluculo.

TRACTATUS PSALMI.

Psalmi hujus ea non est quæ se offert intelligentia.

1. RATIO & temporum & prophetiæ intentam adhiberi ad præsentem psalmum cognitionis postulat diligentiam: ne fortè nos ad inanem intelligentiam absoluta quædam verborum species & ipse ille gestorum corporalium ordo sollicitet: maximè A cùm plures, interiores causas doctrinæ propheticæ nescientes, sensû Judaico [a] præteritorum temporum prophetiam contineri in his graduum canticis opinentur; ut ea captivitas Jerusalem prænuntiata sit, quæ sub Jeremiæ diebus acciderit, & ejusdem rursus depulsæ captivitatis gratulatio [b] prophetetur; [c] sitque eorum, quæ psalmis his enuntiantur, aut servitutis dolor, aut reditûs lætitia. Non improbamus hunc sensum, neque eorum intelligen- B tiam coarguimus. Dignum est enim, ut miserabilem populi casum, & impietati ejus debitam pœnam, & post longæ servitutis sufficientem peccatis gravibus satisfactionem, & misericordem in eos Dei indulto reditu voluntatem, secundùm providentiæ scientiam [d] Prophetæ spiritus præloquatur.

De terrena captivitate eum intelligi non vetat Hilarius.

2. Verùm cùm captivitatis illius reditum gravior sit & irremissa captivitas consecuta, & ædificationem civitatis receptæ miserabilis C maneat & non demutanda vastatio, * sciantque & spiritalis reditûs gloriam Israel reliquo reservari, & cælestis ac sanctæ Jerusalem ædificationem usque ad beati ac dominici regni tempora comparari; maximéque cùm spes illorum dierum atque res, omnium horum psalmorum virtutes & genera testentur: non intelligo cur tantùm de caducis ac demutabilibus malis, ac non etiam de æternis esse velint Prophetæ dolorem; & temporalium magis gau- D diorum, & eorum quæ gravissimæ postea demutaturæ essent calamitates, potiùs quàm indemutabilium & æternorum intelligant de-

Æterna in eo prænuntiari contendit.

* f. sciamque.

[a] Præterita illa tempora nuncupantur respectu nostri, quibus jam præterita est Babylonica captivitas, vel potiùs per oppositionem ad æterna, quæ nondum obtinentes speramus, non autem respectu prophetiæ. Sive enim David, sive Salomon hujus psalmi auctor asseratur, utriusque respectu futura erat, non præterita, quæ sub Jeremia contigit captivitas.

[b] Par. *profiteatur*: editi alii & ms. Reg. *gratulationem profiteatur*, Turon. *profiteantur*: castigantur ex Miciacensi.

[c] Apud Par. *sitque ex eorum*. Illud *eorum* ad nihil aliud referri posse videtur, nisi ad tempora præterita.

[d] Mss. Reg. & Turon. *prophetiæ spiritus*: & infrà, *prophetiæ dolorem*.

monstratam esse lætitiam; cùm magnificentiæ propheticæ magis dignum sit, beata & æterna & cælestia prædicasse. [a] Quamquam igitur psalmi superiores captivitatem non corporalem tantùm & terrenam, [b] sicuti libertatem non caducam, non præsentem, non sæcularem in se demonstrati sint continere: tamen etiam hic quoque psalmus nihil in se terrenum, nihil humile, nihil præteritis temporibus conveniens intelligitur esse complexus: sed secundùm propheticam & evangelicam & apostolicam auctoritatem eas spes omnes prænuntiare, in quas se Patriarcharum desiderium, Sanctorum exspectatio, Apostolorum fides, Martyrum confessio, & omnium credentium cursus extendit, id est, in sancta tempora, in æternæ civitatis incolatum atque cœtum, in regni dominici beatitudinem, in spiritalis libertatis novam gloriam, in consortium divinæ æternitatis & regni. Atque ut id absolutiùs intelligatur, ipsas illas verborum virtutes proprietatesque tractemus.

℣. 1. 3. *Nisi Dominus ædificaverit sibi domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilaverunt*
℣. 2. *qui custodiunt eam.* * *In vanum est vobis diluculo surgere.* Volunt plures sanctum Salomonem, ædificationi civitatis & templi studentem, in eo ipso molitionis suæ tempore eversionem civitatis ac templi quod conderet prophetasse: quia & titulus antelatus auctorem eum psalmi hujus esse demonstret. Magnis enim viribus & totis regni sui opibus magnificum aliquid & Deo dignum efficere tentabat. Nam ad centum quinquaginta millia virorum, sicuti scriptum est, in diversos ædificationis usus ac ministeria occupabantur. Et quamquam, instituta à se consuetudine, perfectis omnibus maxima custodia civitatis & templi sollicitudo esset adhibenda: tamen cùm non ignoraret inanem tanti laboris operationem futuram, civitate eâdem à Babyloniis ob peccata populi diruendâ, ista dixisse: *Nisi Dominus ædificaverit sibi domum, in cassum laboraverunt ædificantes eam.* Putant autem prophetiam hanc consummatam in ea tempora fuisse, quibus post captivitatem populi Dario rege reditum impertiente, ædificata rursum per Zorobabel & [c] Josedech civitas fuit.

Hæc de templo Salomonis destruendo ac restituendo interpretantes, improbantur.

2. *Paral.* 2. 17.

Aggæi 1. 3. 1. *Esdræ* 5. 2.

4. Quorum inopem sensum ipsa illa posset consummatio ædificationis arguere. Nam per Aggæum prophetam ita ad hos eosdem [d] restauratores Jerusalem Dominus est loquutus: Adhuc semel, ego movebo cælum & terram, & mare & aridam; & subvertam sedes regum. Psalmi ergo virtus non in tempora tantùm Salomonis, sed etiam in Aggæi intelligenda est convenire. Ædificationis enim utriusque labor vanus est. Ædificata namque per Zorobabel civitas, solum hodie ex se conflagrationis suæ cinerem, & deformium ruinarum præbet fœditatem. Et has sedes regum, quas se ædificatores [e] regni æterni gloriam restaurare arbitrabantur, vastatio iterata subvertit, sede adhuc etiam ceterorum subvertendâ regnorum.

Aggæi 2. 7.

Opera hominum inania.

5. Bene autem inania humani operis Propheta esse opera prophetavit. Scit inutiles esse humanarum custodiarum vigilias, scit in cassum esse consurgentium matutinas sollicitudines. Civitas & à se instituta, & ab aliis restituta, jam nulla est: non profecit ædificatio vel prima, vel consequens. Et rectè ille ipse evertendæ civitatis propheta est, qui auctor fuerat exstruendæ. A Deo ergo domus est ædificanda quæ maneat: quia nisi quæ à Domino ædificata sit, non manebit. A Deo civitas est custodienda ne pereat: quia nisi à Deo custodita sit civitas, diruetur. Et primùm quæ domus Dei sit, intelligamus: ut per id cognosci possit, quatenus ab eo ædificanda mansura sit.

Domus Dei quæ vulgò.

6. Domus est habitantis habitatio. Sermo enim divinus secundùm intelligentiæ nostræ consuetudinem naturamque se temperat, communibus rerum vocabulis ad significationem doctrinæ suæ & institutionis aptatis. Nobis enim, non sibi loquitur; atque ideo nostris utitur in loquendo. Conventus quidem ecclesiarum, sive [f] tum templi, quos [g] ad secretam sacramentorum religionem ædificiorum septa concludunt, consuetudo nostra vel domum Dei solita est nuncupare, vel templum. Scriptura quoque vel prophetica vel apostolica ad demonstrationem locorum his est usa nominibus. Verùm non hanc, quæ à nobis ac nobiscum ita nuncupatur, domum Dei esse ex ipsius dictis docemur. Ait enim, Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum: quam domum mihi ædificabitis, aut quis locus requietionis meæ? Nonne hæc omnia fecit manus mea? Non concluditur ergo ædificiorum domibus infinitus Deus, nec locis [h] in aliquo continetur virtus immensa, quæ omnia fecit: Apostolo idipsum ita testante: Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt: hic cùm sit cæli & terræ Dominus, non in manu factis templis habitat.

Locis non clauditur Deus. *Esaiæ* 66. 1. & 2.

Act. 17. 24.

Domus Dei quæ vera.

7. Nulla ergo Deo requies est, & nulla habitatio? Et fortè nequaquam creditur esse, qui nusquam est. Audiamus ergo ipsum de requie sua & habitatione testantem: ait enim, Hæc requies mea in sæcula sæculorum: hîc

Ps. 131. 14.

[a] Lipsius, ac post eum Par. *Cùm igitur*, & mox, *tum etiam hic*, pro *tamen etiam hic*: minùs displiceret, si hoc cum auctoritate & non renitentibus mss. posuissent.

[b] In vulgatis, *sed sicuti*. Rectiùs mss. Reg. & Turon. *sicuti*; sine *sed*.

[c] Apud Zenonem, apud quem hic Tractatus à primis dumtaxat num. 3. verbis incipit, hîc habetur *& Josue filium Josedech*: non malè. Græcus tamen textus, quem Hilarius sequi solet, *Jesum* præ se fert, non *Josue*.

[d] Editi, *instauratores*. Aptius est verbum quod substituimus ex mss. Reg. & Turon. in quibus mox, *moveo cælum*, non *movebo*, dissentiente etiam græco.

[e] Editi hic præfigunt præpositionem *ad*, quæ elegantiùs abest à mss. Reg. Turon. & apud Zenonem.

[f] Particulam *tum*, quæ in vulgatis deerat, huc revocamus ex scriptis, eâque significat Hilarius, id quod modò apud nos Ecclesia appellatur, tum templum dici solere, cùm hic psalmus scribebatur.

[g] Regius ms. cum Turon. *ad sacratam*.

[h] In duobus prædictis mss. *qua omnia est*; quibus apud Zenon. subjicitur *operata*.

habitabo,

habitabo, quoniam elegi eam. Elegit autem A Sion: sed numquid eam, de qua præsens prophetiæ hujus querela est, *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam?* Sion in qua templum fuerat, eversa est: & ubi sedes Domini æterna? ubi requies sempiterna? quod habitabile templum? Nempe illud, de quo dictum est, Vos estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis. Hæc domus & hoc Dei templum est, doctrinis & virtutibus Dei plenum, & sancti- B tate cordis divini capax incolatûs, de quo idem hic propheta ita testatus est: Sanctum templum tuum, mirabile in æquitate. Sanctitas, æquitas, continentia humana, Deo templum est.

1. Cor. 3. 16.

Psal. 64. 5. & 6.

Domûs Dei structura.

8. Domus ergo hæc ædificanda per Deum est. Humanis enim operibus exstructa non permanet, nec doctrinis sæculi instituta consistit, nec inanis laboris & sollicitudinis nostræ curâ custodietur. Exstruenda aliter est,[a] custodienda C aliter est: non super terram, non super fluxam & dilabentem arenam initianda; sed fundamentum ejus super Prophetas & Apostolos locandum est. Lapidibus vivis augenda est, angulari lapide continenda, & mutuæ connexionis augmentis in virum consummatum & in mensuram Christi corporis exstruenda, specie quoque ac decore gratiarum spiritalium adornanda. Hæc ita à Deo, id est, doctrinis ejus ædificanda, non concidet. Hujus domus D ædificationem nunc Israel captivus post plenitudinem gentium consequetur. Hæc domus in domos plures diversis fidelium ædificationibus in unoquoque nostrûm ad ornatum & [b] amplitudinem beatæ illius civitatis excrescet.

Ut ei prospiciat ab initio Dominus.

9. Cujus civitatis jam diu Dominus vigil custos est, cùm Abraham peregrinum tuetur, cùm immolandum Isaac reservat, cùm Jacob servientem ditat, cùm Ægypto Joseph venditum præficit, cùm Moysen adversùs E Pharao confirmat, cùm ducem bellis Jesum deligit, cùm David omnibus periculis liberat, cùm Salomonem dono sapientiæ muneratur, cùm prophetis adest, cùm Eliam rapit, cùm Eliseum eligit, cùm Danielem pascit, cùm in camino pueros irrorat, cùm tribus quartus adsistit, [c] cùm gignendo se ex virgine Joseph per Angelum instruit, Mariam confirmat, Johannem præmittit, Apostolos eligit, Patrem precatur, dicens, Pater sancte serva F eos; cùm essem cum his, custodiebam eos [d] in nomine tuo: cùm denique ipse ille post passionem æternæ in nos custodiæ suæ vigilias pollicetur, dicens, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque in consummationem sæculi.

Johan. 17. 11. & 12.

Matth. 28. 20.

Hæc civitatis illius beatæ atque sanctæ æterna custodia est, quæ ex multis in unum convenientibus & in unoquoque nostrûm Deo civitas est. Est enim hæc sancti corporis & fidelis animæ ei placita possessio.

10. [e] Quàm autem per Dominum ædificanda sit, ipse in Evangelio testatur, dicens, Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat filius hominis. Et hujus quidem temporis & ædificationis beatus Apostolus meminit, dicens, Cùm autem intraverit plenitudo gentium, tum quod reliquum est Israel salvabitur. [f] Hæ igitur civitates, id est, sancti cujusque corporis atque animæ Deo placitus incolatus & cœtus, hunc unum habent perfectæ [g] hujus beatitudinis & ædificationis artificem. Ædificanda ergo per Dominum est hæc civitas, ut in augmentum consummationis suæ crescat. Non enim jam ædificatio cœpta perfectio est: sed per ædificationem perfectionis consummatio comparatur.

A Domino est ædificanda.

Matth. 10. 23.

Rom. 11. 25. & 26.

11. Ceterùm in ædificandis his domibus corporum, & animarum civitatibus, humanæ artes vacant. Inanes enim sunt omnes philosophorum vigiliæ, & otiosæ sollicitudines, & frustratum in investigandis naturæ secretis & perscrutandis mundi laboribus studium. Sed lapsuram citò domum operatio talis ædificat. Inanis quoque erit matutina eorum resurrectio: quæ quamquam omnibus, quæ in lucem venerint, sit constituta corporibus: tamen ea quæ non fuerint ædificata per Dominum, nequaquam eam, quæ in Domino ex mortuis resurgente jam cœpta est, matutinæ resurrectionis gloriam consequentur.

Ars humana hîc deficit.

12. Ac ne aliquam psalmus opinionem intelligentiæ in se terrenæ & corporalis admitteret; perfectionis istius tempus, & ædificandorum significationem ipso dictorum suorum ordine docet. Nam humanis ædificationibus, & terrenis custodiis, & matutinis [h] eorum surrectionibus improbatis, ait, *Surgite post quàm sederitis, qui manducatis panem doloris. Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini filii, merces fructûs ventris.* Nullus relictus est in his dictis ambigendi locus: intelligentiæ tantùm fides necessaria est; rem enim verba eloquuntur. Nam prophetiæ veritatem gesta deinceps consummant: cognitionem verò gestorum doctrina evangelica atque apostolica subministrat. Civitas ergo à Deo est ædificanda quæ maneat; quia humana ædificatio infirma sit & caduca. Ac ne lapides, cæmenta, ligna civitatem hanc esse existimaremus; quæ hæc esset, & quando esset perfecta civitas, docet dicens, *Surgite post quàm sederitis.* Sessio

Quàm hîc nullus de terrena ædificatione sermo.

[a] Verba, *custodienda aliter est*, absunt à mss. Reg. & Turon. neque videntur necessaria.

[b] Vaticanus codex cum Reg. *& plenitudinem.* Eadem ratione hîc una & plures Dei domus prædicantur, qua in Ps. 14. n. 3. una simul & plures Ecclesiæ: *quia etsi in orbe Ecclesia una sit, tamen unaquaque urbs ecclesiam suam obtinet: & una in omnibus est, cùm tamen plures sint; quia una habetur in pluribus.*

[c] Apud Par. ex ms. Mic. *gignens se.* In codice Vatic. *gignendus.* In aliis, *gignendo se*, hoc est, nasciturо se.

[d] In Reg. ms. deest *in nomine tuo.*

[e] Bad. Er. & Lips. *Quam domum ædificandam ipse in Evangelio:* perperam, cùm jam non de domo, sed de civitate sit sermo. Par. ex ms. Mic. *quæ autem*, omisso deinde *sit*. Apud Zenonem, *quod autem.* In ms. Reg. secundis curis, *quando autem*, cui lectioni favent proximè subjecta. Retinemus tamen quod in eodem ms. à prima manu, ut in Turon. exstat, *quàm autem.* Scopus enim hujus numeri est Christum ostendere civitatis hujus artificem atque consummatorem; atque ex occasione tempus quo id operis consummandum sit declaratur.

[f] Par. ex ms. Mic. *Hic igitur civitatis*, & mox, *unum habet.* Veriùs alii libri, *Hæ igitur civitates*, de quibus nimirum modò dictum erat, *non consummabitis civitates.*

[g] Mss. Reg. & Turon. *perfectæ hujus ædificationis artificem.*

[h] In ms. Turon. manus æqualis hîc superscripsit, *earum.*

quiescentium requies est : à qua surgere jubentur, qui ad perfectam hanc civitatem sint comparandi.

Panem doloris edunt, qui sciunt bonum, nec nisu suo valent consequi.

13. Et qui tandem sunt isti, qui surgere post quàm sederint jubentur ? Nempe [a] *qui manducatis panem doloris.* Panem doloris manducat, quisquis se hominem in vitiis natum ac vivere meminit. Cùm enim voluntas nostra per Dei metum [b] & spem æternorum ad perfecta innocentiæ opera contendat ; & contrà naturalis quædam nos consuetudo vitiorum B in ipsis illis, è quibus emergere nitimur, demoretur : vitæ dolorem [c] per infirmitatem destitutæ voluntatis accipimus, secundùm dictum prophetæ, Qui apponit scientiam, apponit dolorem. (Eccle. 1. 18.) Cùm enim veritatis cognitio voluntatem nostram ad profectum consequendæ utilitatis instiget, & naturæ consuetudo voluntatem scientem se proficere oportere detineat ; profectus scientiæ, profectus doloris est : cùm in tantum se per naturam doleat C detineri, in quantum naturam sibi per cognitionem intelligat relinquendam. Hinc ergo dolor vitæ est, hinc panis doloris est. Cujus vitæ & doloris hic idem propheta meminit, dicens, Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis lacrymarum in mensura. (Psal. 79. 6.)

Tendendum semper ad id quod perfectum.

Tendendum autem est semper, non etiam desinendum : neque idcirco ad perfectum non contendendum, quia doleamus id quò tenditur non posse contingi. Sed in ipsa conten- D dendi pertinacia, dolendum est non contingere nos posse quò tendimus. Doloris hujus Dominus meminit, dicens, Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur ; (Matth. 5. 5.) beatitudinem consolationis ob luctum & dolorem non adeptæ consummationis impertiens.

Ob prophetiæ certitudinem profertur in præsenti quod spondetur in futurum.

14. Propheticam autem virtutem ipse ille dispositus in tempora verborum ordo servavit, dicens, *Surgite post quàm sederitis.* Quorum alterum in præsens est, id est, *surgite*, ne fi- E des tamquam de incertis & dubiis ambigeret: cùm veluti præsentem efficientiam veritas propheticæ admonitionis afferret, & vivis nobis fiduciam spei [d] non cunctantis insereret. Tempus autem hujus, quod præsens est, mandati distulit in futurum in eo quod ait, *cùm sederitis.* In non ambigendis ergo mandatis præsentis est veritas ; in consequendis autem exspe- A ctandi temporis dispensatio reservatur.

Resurrectionis tempus.

15. Ut autem, quando sibi surgendum esset cùm sederint, sciant ; temporis ipsius demonstrata est [e] plenitudo : *Cùm dederit*, inquit, *dilectis suis somnum.* Mortem sanctorum Deus somnum frequentissimè nuncupat : [f] ut ad hunc eumdem David, Cùm dormieris, & requieveris cum patribus tuis, tunc excitabo de semine tuo, qui mihi erit in filium, & ego ero ei in patrem ; (2. Reg. 7. 12. &c.) & Dominus de Lazaro, Lazarus dormit ; (Johan. 11. 11.) & Apostolus de resurrecturis ait, Quoniam nos qui vivimus, non præveniemus eos qui dormierunt. (1. Thess. 4. 14.) Plenitudine itaque gentium post somnum mortis recepta, & Israel reliquo salvato, tunc post hanc sessionem atque somnum, resurrectionis est tempus. Et quia dum temporum plenitudo concluditur, gentium quoque crediturarum, secundùm Apostolum, consummabitur plenitudo ; (Rom. 11. 25. & 26.) idcirco ait, *Cùm dederit dilectis suis somnum* : hoc surgendi [g] sedentium, quod & dandi dilectis somni tempus esse demonstrans, id est, omni plenitudine jam recepta.

Mors sanctorum somnus.

Hereditas Domini & merces, gentes quas in filios generat.

16. Qui autem sint dormientes [h] dilecti, & resurrecturi sedentes, continuò cum quadam significatione rei præsentis ostendit, dicens, *Ecce hereditas Domini.* Sancti scilicet dormientes, & resurrecturi sedentes hereditas Domini est : non ille carnalis Jacob, neque terrenus Israel, factus ex divisione gentium portio & funiculus hereditatis, secundùm Moysen dicentem, Cùm divisisset Excelsus gentes secundùm numerum angelorum Dei, & facta est « portio Domini Jacob, funiculus hereditatis « Israel. (Deut. 32. 8.) Et quia jam hic Israel ob impietatem suam esse non meretur hereditas ; quæ hereditas esset ostendit, dicens, *Ecce hereditas Domini* * *filii, merces fructûs ventris.* (* Vid.) Ea ergo in filiis Domini hereditas est, quam ex mercede fructûs ventris acceperit. Non enim inanis hic fructus est, [i] cùm ex virginali ventre manens antea Deus nascitur. Nam merces ejus hereditas est, & hereditas filii sunt. Quotquot, inquit, eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri : (Johan. 1. 12.) & rursum, Filioli, adhuc pusillùm vobiscum sum. (Johan. 13. 33.) Hi ergo filii hereditas est, & hæc hereditas *merces fructûs ventris.* Est ergo Dominus fructus ventris, quem [k] ex se in vitæ nostræ fructum pariens Virgo progenuit. Et

Fructus ventris, Christus.

[a] Sic mss. Reg. & Turon. Alii verò libri, *qui manducant.* Videndus Hieronymus epist. 141. ad Marcellam, ubi allatis variis lectionibus, ex quinta editione & Theodotione *panem idolorum* videtur præferre, non *panem doloris.*

[b] Reg. ms. cum Turon. *ad spem æternorum ac perfecta innocentiæ opera.*

[c] In mox dictis mss. *& infirmitatem.* Magis nobis probaretur *ex infirmitate.* Hîc disertè docet Hilarius non solam ad perficiendum opus bonum sufficere veritatis cognitionem.

[d] Apud Zenon. *non cunctanter.*

[e] In mss. Reg. & Turon. *valitudo* : quod potest referri ad vim surgendi.

[f] Apud Zenonem, *ut ad prophetam David* : tollitur difficultas nata ex his verbis *ad hunc eumdem David.* Iis enim David hujus auctor Psalmi significatur, qui tamen ex regulis Præfationis num. 2. dicendus esset Salomonis, cujus nomen in titulo præscribitur. Attamen suprà num. 13. consentientibus Zenonis exemplaribus, rursum habetur, *Cujus vitæ & doloris hic idem Propheta meminit*, &c. Tanta vis est consuetudinis, qua Psalmi illi David generatim dici consueverant, ut traditas de Psalmorum auctoribus regulas suas Hilarius noster interdum oblitus sit : si tamen hîc oblitus dici possit, qui num. 3. meminit quòd *titulus antelatus Salomonem auctorem psalmi hujus esse demonstret.*

[g] Turonensis codex, *surgendi à sedendo.* Reg. *surgendi sedendum.*

[h] In mss. Reg. & Turon. omittuntur verba *dilecti & resurrecturi sedentes*, quæ ex Zenonis exemplaribus expressimus ; cùm antea legeretur, *dilecti & sessuri resurgentes.*

[i] In vulgatis, etiam Zenonis, *quo cum.* Rectiùs abest *qu* à mss. Reg. ac Turon. Deinde *manens antea Deus*, id est, exsistens antea. Verbum *manet* amat Hilarius ad significandam Dei exsistentiam, quæ initium & finem nullum habuerit. Locum hunc illustrant hæc vulgati Hieronymi : *Ipse Dominus natus ex Virgine factus est fructus ventris : cujus assumta humanitas hanc accepit mercedem, ut gentes vocatæ in filiis sint hereditas ejus.*

[k] Illud *ex se* ad Verbum, non ad Virginem referri suadent multa lib. 10. de Trin. quale est hoc num. 15. *Quòd si assumta sibi per se ex Virgine carne, ipse sibi & ex se animam concepti per se corporis coaptavit* : & post pauca : *si non potente Verbo Deo ex se & carnem intra Virginem assumere.* Expressè autem notat Verbum ex se de Virginis utero conceptum, ut ostendat conceptum absque viri opera. Mox in ms. Turon. *fructus ventris esse voluit.*

hæc ejus merces est, qui ex Virgine nascendo A fructum ventris esse se voluit: ut ei gentes, quas in filios per fidem generaret, hereditas sit.

Mercedem meruit, quia factus homo. *Psal.* 2. 8.

17. Quòd autem, quia fructus ventris effectus sit, hanc mercedem hereditatis acceperit; psalmus alius testatur, dicens, Posce à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: testatur & Apostolus, dicens, Qui cùm in forma Dei [a] esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem B Deo: sed se exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu repertus ut homo; humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod exaltavit illum Deus, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium & terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Jesus in gloria est Dei patris. Hæc ergo merces fru- C ctûs ventris est, quæ donatur in nomine, quæ defertur in honore, quæ præstatur in gloria. Et hanc habet retributionem ab immortali ejus naturâ humanæ infirmitatis suscepta nativitas: ut quia fructus ventris factus ipse est, merces quoque ejus gentium fiat hereditas, & hereditas ipsa sint filii.

Phil. 2. 6. *&c.* a

℣. 4. Sagittæ, doctrinæ propheticæ & apostolicæ.

18. Dehinc sequitur: *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.* Sagittarum hic usus est, ut emissæ celeri volatu ferantur, & ad D destinata quæque indeflexâ lineâ dirigantur. Esse autem sagittas, quibus Dominus utatur, ita legimus cùm ait, Misit sagittas suas, & dissipavit eos. In Esaia quoque ita scriptum est, quod etiam de ipso Domino [b] dictum esse possit intelligi: Et posuit me tamquam sagittam electam, & in pharetra sua abscondit me, & dixit mihi, Magnum tibi est hoc vocari te puerum meum. Sunt ergo istiusmodi Dei sa- E gittæ volatu citæ, [c] ictu fideles: quas, quantum ratio spiritalis demonstrat, significare doctrinas propheticas atque apostolicas, in quibus Dei verbum est, oportet intelligi, ubique missas, compungentes, arguentes, volantes.

Ps. 17. 15. b *Esa.* 49. 2. c

Excussorum filii, Prophetæ seu Apostoli. *Psal.* 7. 14.

19. Quamquam plurimis locis meminerimus esse & mortiferas & letales sagittas, de quibus scribitur, Sagittas suas arsuris operatus est. Verùm hîc de ultricibus sagittis dici aliquid, intelligi non potest: quia nunc *sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.* Pharao in mari rubro in interitum ob crimen impietatis *Ps.* 135. 15. excussus est. [d] Excussum quoque apostolicis pedibus pulverem, scimus sententiam esse maledicti. Et quia sive prophetæ ipsi, qui excussorum, id est, peccatorum & maledictorum filii, tamquam volantes & fideles sagittæ doctrinæ cælestis emissi sunt: vel Apostoli ecclesiarumque doctores de excussis per impietatem suam in maledictum gentibus [e] crediderunt: idcirco ait, *Tamquam sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum:* orbem terræ volatu peragrantes, infidelia corda doctrinæ telo vulnerantes, & peccatorum omnium incentiva salutari jaculo pungentes.

d *Matth.* 10. 14. e

20. Atque ut id ex his dictum intelligi posset, quos Deus de excussorum filiis ad doctrinam salutis modo emitteret sagittarum; id consecutum in dictis est, *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis; non confundentur, cùm loquentur inimicis suis in porta.* Beatus ergo ille est, ℣. 5. qui ex ipsis desiderium suum potuerit implere, id est, vel de sagittis, vel de filiis excussorum; desiderabilibus se scilicet doctrinæ verbis replere, & de [f] prædicatis fructibus futurorum bonorum exspectatisque satiare. Atque ut hos ex Dei doctrina ædificatores esse illius, quam superiùs memoravit, civitatis ostenderet; idcirco ita clausit, *Ex ipsis non confundentur, cùm loquentur inimicis suis in porta.* Quod ait, *ex ipsis,* sive ad beatum virum pertinet, qui desiderium suum implevit ex ipsis: vel ipsis filiis excussorum erit proprium, quia ex ipsis non confundantur, cùm in porta inimicis suis loquantur.

f

Justorum fiducia adversùs inimicos.

21. Neque ambiguum est, qui in porta loquentur ædificatæ per prædicationem suam à Domino civitatis. Meminimus autem psalmo altero dictum, Qui exaltas me de portis mor- *Psal.* 9. 15. tis, ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion. Et hîc quidem plures portæ sunt, in quibus Propheta à portis mortis exaltatus omnes Dei laudes prædicat: sed scimus unam esse portam regiam, dominicam, cælestem, de qua dictum est, Hæc est porta Domini, justi *Ps.* 117. 20. intrabunt per eam. Et cùm non confunden-

[a] Reg. & Turon. mss. *esset constitutus.*

[b] In mss. Vatic. & Mic. *fortè dictum.* Eadem verba de Domino absolutè interpretatur Hilarius in Ps. 119. n. 8. *Sagittam autem ipsum Dominum nuncupatum in eodem Esaia meminimus hoc modo: Et posuit me tamquam sagittam.*

[c] Ita & apud Zenonem & in mss. Reg. ac Turon. In aliis verò libris, *jactu.* Quid sibi velit *ictu fideles,* his postremis numeri subsequentis verbis exponitur, *infidelia corda doctrinæ telo vulnerantes,* &c.

[d] Hieronymus epist. 141. ad Marcellam putavit hunc locum ab Hilario allatum, ut ex eo Apostoli ostenderentur *filii excussorum,* quia nimirum jussi sint pulverem è pedibus excutere. Quam interpretationem cùm non probaret, quia hac ratione excutientes seu excussores potiùs audirent Apostoli, quàm excussi; cùm etiam Hilarium præ reverentia reprehendere non auderet, lapsum rejecit in presbyterum Heliodorum, quo, inquit, Hilarius familiariter utebatur; adeo ut ille ab Hilario consultus, nec habens ex Origene quid responderet, opinionem magis insinuare suam, quàm insciitiam voluerit confiteri. At pace tanti viri dixerimus, vocabulum *excussorum* non intelligit Hilarius activè, sed passivè: eique *filii excussorum* perinde est ac *filii maledictorum,* seu eorum qui sunt maledicti. Ad hoc autem dumtaxat præmisit locum de excusso pulvere, sicut & de excusso Pharaone, ut inde ostenderet verbum *excussus* in Scripturis maledictionem sonare. Demum Hilarii interpretatio ea ipsa est, quæ Hieronymo in prædicta epistola tantopere arridet. Sic enim post varias ex hebræo interpretationes subjicit: *Legi & cujusdam librum, & elegantem in eo sensum reperi, excussos Judæos dici à templo & lege & gratiâ Domini, pro eo quod est, reprobos; & eorum esse filios Apostolos, qui ex ipsorum semine procreentur, & in similitudinem sagittarum manu Domini contineantur.* Sed hæc, ut ait ipse, *furtivis operis* scribens, & gravi stomachi dolore pressus, non satis attendit quid hoc loco nonnihil perplexo Hilarius sentiret.

[e] Hîc subintelligitur *nati:* adeoque superius vocabulum *Apostoli* non significat solos duodecim, qui de gentibus nati non sunt, sed viros apostolicos & ecclesiarum doctores, qui fidem Christi longè latéque prædicarint; qua ratione intelligendum est idem vocabulum in Psal. 14. n. 3. ubi dicuntur *Apostoli per omnes orbis terrarum partes, quacumque adiri possunt, quin etiam in Oceani insulis habitationes Deo plurimas paravisse.* Aut certè si ad duodecim referatur; illud *de excussis gentibus,* id est de populis ac nationibus maledictis.

[f] Editi, *speratis.* Vatic. ms. cum Reg. *precatis.* Revocamus ex Zenonis exemplaribus & ex ms. Turon. *prædicatis,* puta ab Apostolis ac Prophetis, qui filii excussorum superiùs intellecti sunt.

tur [a] hi excussorum filii in porta inimicis suis loquentes; necesse est ut his inimicis suis loquentes non confundantur, qui cum justis non merebuntur intrare; exprobrantes illis impietatem in Deum, inobedientiam in prædicantes, infidelitatem in æterna promissa, odia in innocentes, & in ipsa Ecclesiæ membra sævitiam: ipsi confidentes, & nulla fidei suæ ac religionis ambiguitate trepidantes, sed hos inimicos suos ab ejus aditu ingressuque prohibentes, qui ait, Nemo vadit ad Patrem nisi B per me, [b] Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Johan. 14. 6.

PSALMUS CXXVII.

Canticum graduum.

*BEATI omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Labores fructuum tuorum manducabis: beatus es, & bene tibi erit. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum. Benedicat te Dominus ex Sion: & * videas quæ sunt bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum: * pax super Israel.*

* Infrà, *videas bona.*

* *& videas pacem.*

TRACTATUS PSALMI.

Timoris Dei ac timoris humani discrimen.

1. QUOTIENSCUMQUE de timore Domini in Scripturis est sermo, animadvertendum est, numquam eum solitarium relinqui, tamquam sufficientem nobis ad consummationem fidei: sed subjici multa, aut anteferri, ex quibus timoris Domini ratio & perfectio intelligatur: ut cognoscimus ex eo quod per Salomonem [c] in Prooemiis dictum est: Si enim sapientiam invoces, & intellectui des » vocem tuam, & exquiras eam tamquam argen» tum, & tamquam thesauros investiges eam, » tunc intelliges timorem Domini. Videmus enim quantis usque ad timorem Domini gradibus perventum sit. Antè enim invocanda sapientia est, & omne legendi officium intellectui est deputandum, & exquirenda ac pervestiganda sapientia: & tunc timor Domini intelligendus. Sed quantum ad communem humanæ opinionis pertinet sensum, non ita de A timore sentitur. Timor est enim humanæ imbecillitatis trepidatio, metuentis id perpeti, quod sibi nolit accidere. Exsistit autem & commovetur in nobis de reatûs conscientia, de jure potioris, de impetu fortioris, de ægritudinis [d] casu, de feræ occursu, & de omnis mali passione. Hic ergo timor non docetur; sed ex natura infirmitatis occurrit. Neque quid timendum sit discimus; sed terrorem suum ipsa illa nobis injiciunt quæ timentur.

Prov. 2. 3. &c.

Timor Dei naturalis non est. *Ps. 33. 12.* Situs est in obedientia & amore.

2. At verò de timore Domini ita scriptum est: Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Discendus ergo Dei timor est, quia docetur. Non enim in terrore, sed in ratione doctrinæ est: neque ex trepidatione naturæ, sed præceptorum observantiâ & operibus vitæ innocentis & cognitione veritatis ineundus est. Nam si idcirco Deus timendus est, quia plura fulminibus arserint, tonitru prostrata sint, terræ nunc motu conciderint, nunc hiatu C recepta sint; nullum fidei meritum in timore est, qui ex terrore accidentium commovetur. NOBIS autem TIMOR DEI OMNIS IN AMORE EST: metum ejus dilectio perfecta consummat. DILECTIONIS autem nostræ in eum hoc proprium officium est, parere monitis, statutis obtemperare, pollicitis confidere. Audiamus ergo Scripturam dicentem, Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus postulat à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, « D & ambules in omnibus viis ejus, & diligas eum, « & custodias præcepta ejus ex toto corde tuo, « & ex tota anima tua, ut bene sit tibi? Quibus « dictis convenientia & congrua Propheta in exordio psalmi locutus est, dicens, *Beati omnes* ℣. 1. *qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus:* ostendens non ex trepidatione nostra, quia hæc timoris auctor est [e] in ceteris; neque ex terrore ejus, qui terribilis sit, beatos esse qui timeant; sed ex eo quòd in viis Dei incedant. E Timor enim, ut diximus, non in metu, sed in obedientia est: & timoris testimonium est obsequela. Ceterùm si quis timeat, neque pareat; erit quidem timens ex trepidatione naturæ, sed non erit beatus ex timoris officiis.

Deut. 10. 12. & 13.

Viæ Domini multæ, & una. *V. lit. Psal. 118. n. 10. Johan. 14. 6.*

3. Multæ sunt autem viæ Domini; cùm ipse tamen via sit. Sed cùm de se loquitur, viam ipse se nuncupat, & rationem cur se viam nuncupasset, ostendit dicens, Nemo enim potest ad Patrem venire nisi per me. Verùm cùm F de Prophetis ac scriptis eorum, quibus ad Christum pergitur, sermo est; tunc viæ plures sunt in unam viam undique congruentes: quod utrumque eodem per Jeremiam prophetam loco significatum est dicentem, State in viis Domini, & interrogate semitas Dei æternales: « & videte quæ est via bona, & ambulate in ea. «

Jerem. 6. 16.

---

[a] Apud Zenon. *non confundentur hic*, non *hi*. Mox in Reg. mss. oblitteratum est *non* ante *confundantur*. Retinendum est illud *non*, ut & suprà *hi*. Sic enim ratiocinatur Hilarius: Cùm non de portis in plurali, sed de porta in singulari mentio fiat; necesse est ut sermo ille de ea porta intelligatur, per quam justi intrabunt, ac de iis inimicis, qui cum confusione ab ejusdem portæ aditu repellentur.

[b] Ita ms. Turon. Alii verò libri, *id est per Dominum nostrum* &c.

[c] Editi, *in proverbiis*: renitentibus mss. qui magno consensu habent, *in Proemiis*: ex quo *in Parœmiis* restituendum ducimus, maximè cùm apud Cyprianum lib. 3. ad Quirin. passim citetur *Salomon in Parœmiis*, ac vocis ejusdem usum afferat Tertullianus de Pudicit. n. 18. ubi ait, *In Proverbiis Salomon, quæ Parœmias dicimus.*

[d] Par. *causa*. Mox in mss. Reg. & Turon. *recurrit*, pro *occurrit*.

[e] Regius codex cum Turon. *in terris*. Retinendum omnino *in ceteris*: hoc est, timoris aliarum rerum à Deo, causa est trepidatio. Mox iidem mss. *non in metu obedientia, sed timoris testimonium*, &c. Neque hîc quidquam mutandum. Tantùm post *in obedientia*, subintellige *non sola, sed in obedientia dilectionis: quia*, ut habetur suprà pag. 350. b. *operationi obedientia præstat dilectionis operatio. Obedientia enim sola plerumque terroris est* &c.

Multæ itaque viæ interrogandæ sunt, & in multis insistendum est; ut unam quæ bona est inveniamus, per multorum scilicet doctrinam, viam unam vitæ æternæ reperturi. Viæ enim in lege, viæ in Prophetis, viæ in Evangeliis, viæ in Apostolis sunt: viæ quoque in diversis præceptorum operibus sunt, in quibus per timorem Dei ambulantes beati sunt, quibus dicitur.

℣. 2. Omnes in Christo unum. Gal. 3. 28.

4. *Labores fructuum tuorum manducabis.* Sermo ad plures cœptus, ad unum refertur, docens nos omnes qui in Christo crediderimus unum esse, Apostolo ita confirmante: Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Sive ergo ad unum, sive ad plures loquetur; in uno id erit significantiæ, quod in pluribus.

Labores fructuum comedi non solent.

5. Est autem contuendum, propheticum hunc sermonem ab usu communis opinionis discrepare. In hac enim vitæ conversatione, qui manducant, laborum suorum fructus manducant, ex proventibus elaborati operis sumentes. At verò Propheta ait [a] labores fructuum manducandos. Non consequitur sensus humanus dicti hujus intelligentiam. Ex laboribus enim fructus est, non ex fructibus labor. Deinde labor ministerium corporis est: fructus verò merces laboris. Ministerium autem [b] corporis incorporale est, licèt corpore fit. Nihil verò edere, nisi quod corporale est, possumus.

Cibus animæ hîc labor, pòst fructus.

6. Sed Propheta nihil de terrenis & præsentibus tractat: de beatitudine enim timentium Dominum, & in viis ejus ambulantium ei sermo est. Qui enim in viis Domini ambulabunt, illi labores fructuum suorum manducabunt. Non enim hîc manducatio corporalis est; quia neque id quod manducandum est corporale fit. Sed habemus hîc cibum spiritalem, animam nostram [c] in vitam alentem, bona scilicet opera, bonitatis, castitatis, misericordiæ, patientiæ, tranquillitatis, in quibus nobis contra corporum nostrorum vitia laborandum est. Horum laborum fructus in æternitate est: sed labor hîc æternorum fructuum antè comedendus est, [d] eoque in vita hac corporali anima nostra alenda est, [e] per cibum horum laborum obtinentes panem vivum, panem cælestem, ab eo qui dixit, Ego sum panis vivus [f] de cælo: quem qui indignè secundùm mandatum Apostoli acceperit, judicium sibi acquirit. Hi sunt ergo labores fructuum manducandi, eorum scilicet fructuum, qui in cælis metentur. Nunc dum in terra sumus, opera sumenda sunt. Hæc enim nunc animam saturant, hæc in cælum suis fructibus [g] prosequentur. Denique sequenti versu utriusque hujus temporis beatitudinem Propheta demonstrat, dicens, *Beatus es, & bene tibi erit.* Quorum alterum in præsens obtinetur, quod *beatus es*: quod verò *bene tibi erit*, repositum est in futurum, [h] quia interim labor futurorum fructuum manducetur.

Johan. 6. 41. — 1. Cor. 11. 29.

℣. 3.

7. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ.* * *Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum.* Multis fortè sermo iste in præsentis benedictionis gaudium aptus videbitur: ut ex misericordia Dei suppetat pacifica & utilis in domo [i] conjugis salus, & dulcissimus circum convivium cœtus filiorum. Sed si hæc perfectè bona fuissent, quæ cùm sint bona, non tamen cælestia bona sunt: [k] tamen si in his beatitudo timoris Dei constitisset, obtinuisset utique princeps fidei & timoris Dei Abraham, cui uxor diu sterilis bis abrepta est; filius ex promissione [l] unus offerri in hostiam jussus, & sacrificio admotus intulit orbitatis dolorem. Ipsi deinde Isaac duo filii dissidentes, & usque ad odium mortis inimici. Jacob autem ignoratæ uxoris inopinatus maritus, & ad nuptias alias falsò coactus, & viventis funus parricidali fratrum mendacio plangens, caruit timentium Deum benedictionibus. Et apud quos, & à quibus fides est, apud eos fidei sanctificatio non reperietur. Quantos autem [m] peccatorum videmus florere domo, conjuge, liberis? Jam verò benedictionibus Dei privabitur felix illa & beata virginitas, causam sibi beatitudinis non relinquens: & ubi illud erit Pauli, Vellem autem omnes homines esse sicuti & me? Et nescio quomodo Propheta perfectam eam beatitudinem constituerit, quæ negata sanctis est, peccatoribus usitata, non speranda virginibus sit.

℣. 4. Benedictio temporaria non promittitur justis. — 1. Cor. 7. 7.

Spiritalia sunt eis promissa.

8. Ergo quia secundùm humanam intelligentiam, propriam & perfectam beatitudinem dicti hujus sermo non explicat; erigendæ sunt

[a] Rursum Hieronymus eadem epist. 141. ad Marcellam hunc Hilarii locum carpit, quòd prætulerit *labores fructuum*, pro *labores manuum*: iterumque errati invidiam confert in Heliodorum. Nulla tamen subest causa cur Heliodorus ea in re ab Hilario consultus fuisse, nedum peccasse, judicandus sit. Hilarius versionem novam non susceperat, sed latinum interpretabatur codicem. *Latini* autem, ut ipse loco memorato observat Hieronymus, *de græci verbi ambiguitate decepti* καρπῶν *fructus magis quàm manus interpretati sunt, cùm* καρποὶ *manus quoque dicantur.* Re ipsa *labores fructuum* cum nostro Hilario legunt Augustinus & qui apud Hieronymum Psalmos exposuit: nec aliam lectionem exhibent vetera psalteria Romana, Mediolanense, Germanense, Carnutense &c. Quamquam Hieronymo *labores manuum* præferenti non refragamur.

[b] Mss. Reg. & Turon. *corporis corporale est, quod* (Turon. *quo*) *uti possumus. Sed Propheta* &c. refutantur ex subsequentibus.

[c] Editi, *in vita*. Magis placet cum mss. Reg. & Turon. *in vitam*, quò significetur hoc cibo vitam animæ foveri. Ubi enim infrà vitæ hujus tempus indicatur, legere est *in vita hac corporali*. Ex Regio mox adjecimus vocabulum *castitatis*.

[d] Apud Zenonem, *eo quod*: malè.

[e] Sola editio Par. *per cibum bonorum laborum.* Tum apud Zenonem *obtinens.* Sic ponit Hilarius *obtinentes*, quasi priùs legisset, vitam nostram alere debemus. Hîc verbum *obtinentes* non possessionem, sed meritum significat. Subinde enim *panem vivum* vocat eum quem in cælis gustaturi sumus, & cujus in Eucharistiæ sacramento pignus accipimus, quamvis ad hoc venerabile sacramentum deinde sermonem convertat, ubi ait, *quem qui indignè* &c. quia nimirum unus & idem est Christus, unus panis quem in terris gustamus & in cælis.

[f] In ms. Mic. *qui de cælo descendi.*

[g] Ita mss. Reg. & Turon. At editi, *prosequuntur*: minùs aptè ad mentem Hilarii, bonorum operum præsentes ac futuros fructus explicantis.

[h] Ita emendamus ex mss. & ex Zenonis exemplaribus; cùm priùs obtineret, *quia iterum labor futurorum fructuum manducabitur.*

[i] Apud Zenonem, *conjunx, salvus & dulcissimus* &c.

[k] Pro *tamen*, ab Erasmo positum est *tum*: quod prima editione Par. mutatum, postremâ repositum est obnitentibus mss.

[l] Apud Zenonem, *munus*: quod posset ferri, nisi sequeretur *in hostiam*. In aliis autem edit. *unicus*.

[m] Hîc subintelligitur *de numero*. Quamquam apud Zenonem legere est *peccatores*.

in spiritalem doctrinam mentes atque aures. Lex enim [a] omnis secundùm Apostolum spiritalis est : & ipse non humilem nec terrenam beatitudinem, sed spiritalem secutus est, dicens, Benedictus pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus. Cùm itaque in spiritalibus & cælestibus [b] benedici se ostendat; perfecta illa sanctorum beatitudo non in his terrenis & corporeis esse speranda est : sed potiùs intelligendum est, per corporalium & terrenorum nuncupationem, cælestium bonorum esse intelligentiam consequendam. Numquid cùm Dominus secundùm Evangelia sponsus est, & secundùm Johannem habet sponsam, de sponsis terrenis & corporalibus significari existimandum est ? Non utique : sed per hanc sermonis consuetudinem docemur eum esse, qui promissus sit gentibus, cuique à Patre Ecclesiæ hereditas, [c] per adoptionem corporis quod ex virgine præsumturus esset, desponsa sit.

Rom. 7. 14. — Ephes. 1. 3. — Quî Christus sponsus. — Matth. 9. 15. — Johan. 3. 29.

9. Ut autem nunc cognoscamus quid sub uxoris nuncupatione intelligi oporteat; contuendum est quid & alibi sub hoc eodem uxoris nomine tractetur. [d] Salomon itaque ait, Quæsivi sapientiam sponsam [e] adducere mihi ipsi. Et quia qui sponsam requirit, divitem quærit; hujus sponsæ suæ opes memorat, dicens, Honestatem glorificat, convictum Dei habens, & omnium Dominus dilexit eam. * & si multam quis cognitionem desiderat, novit & quæ à principio sunt, & quæ futura sunt conspicit. Et item : Uxorem virilem quis inveniet ? Pretiosior est autem lapidibus multi pretii [f] istiusmodi. Et hæc in proverbiis dicta sunt : quia proverbium non hoc quod verbis sonat explicat, sed dictorum virtutem ex usu verborum communium nuntiat. Docet autem Dominus in Evangeliis, quid proverbia intelligenda sint, dicens, Veniet hora, ut jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiem vobis. Ergo secundùm proverbiorum rationem uxorem virilem nosse debemus, eam nempe quam sibi Salomon sponsam optavit assumere : de qua & rursum ait, Judicavi igitur hanc adducere [g] ad convivendum mecum, & amator factus sum pulcritudinis ejus. Hæc igitur tamquam uxor assumta sapientia virilis est, perficiens omnia, & sibi subdens, & in labore utilium operum valida. Ipsa Deo placita, & per doctrinam ejus digna & præteritorum scientiâ & futurorum cognitione perfectâ.

*Uxor justorum, sapientia. — Sap. 8. 2. — Ibid. 3. — * Ibid. 8. — Prov. 31. 10. — Proverbium quid. — Johan. 16. 25. — Sap. 8. 9.*

10. Hæc timentis Deum uxor totis domus suæ lateribus diffusa, fecundæ vitis modo, se per omnia operum nostrorum latera extendit. Domum autem non ambigitur hoc animæ nostræ esse domicilium, quod sibi unusquisque, per timorem Dei & vias ejus ineundo, ad habitationem Sapientiæ emundat. Ex hac igitur filii qui erunt, tamquam novella olivarum in circuitu mensæ nostræ erunt. Non in circuitu convivii futuros ait esse, sed *mensæ.* [h] Mensa enim Domini est, ex qua cibum sumimus, panis scilicet vivi : cujus hæc virtus est, ut ipse vivens eos qui se quoque accipiant vivificet. Est & mensa lectionum dominicarum, in qua spiritalis doctrinæ cibo [i] alimur. Sed qui doctrinam Dei consectantur, (de qua in psalmo alio scriptum est, Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum & in captionem & in retributionem & in scandalum; in captionem enim illis & in scandalum omnis intellectæ ipsius prophetiæ lectio proficit :) [k] sed qui doctrinam Dei consectantur, nisi in operum bonorum ministerio versentur, mensæ illius cibo non proficient. Nam sicut ex conjuge liberi, ita ex sapientia bonæ voluntatis opera procreantur. Hæc igitur tamquam novella olivarum mensam nostram circumibunt, id est, doctrinæ nostræ cognitionem optimorum quasi ramorum fructibus obumbrabunt. Servavit autem etiam hanc Propheta rationem, ut neophytam olivam diceret, id est, nuper plantatam : quia per sapientiam, tamquam conjugem assumtam, cujus filii sunt opera fidelia, hæc eadem in hac terra nostri corporis plantatur. Hæc igitur uxor est modo vitis abundantis in domus nostræ lateribus diffusa : hi filii, id est, ex tali conjuge opera procreata, tamquam plantatæ olivæ in mensæ nostræ circuitu [l] assistent. Et quia hæc timentium Deum beatitudo est; Propheta subjecit, *Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum.*

Sapientia filiis, id est, bonis operibus est fecunda. — Eucharistia. — Ps. 68. 23.

11. Jungitur ad timentis meritum etiam

[a] In Reg. ms. hîc omissa voce *omnis*, mox subjicitur, *nec terrenam beatitudinem secutus est*. In Vaticano autem, Turon. ut & apud Zenonem, *nec terrenam beatitudinis spem secutus est.*

[b] Regius codex, *benedici eos ostendat.*

[c] In priùs vulg. *per adeptionem.* Veriùs apud Zenon. in Reg. & Turon. mss. *per adoptionem :* eâ fere intelligentiâ, qua lib. 2. de Trin. n. 27. legimus, *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur,* hoc est, propter assumtionem corporis : *ut quia fructus ventris factus ipse est, merces quoque ejus gentium fiat hereditas*, ut habemus Tractatu superiori n. 17.

[d] Editi, *à Salomone ita, Quia quæsivi :* castigantur ex ms. Turon. favente Regio.

[e] Ita apud Zenon. & in mss. suffragante græco ἀγαγέσθαι. At in editionibus Hilarii, *accipere.*

[f] Verbum *istiusmodi* refertur ad mulierem juxta græc. πολυτελῶν ἡ τοιαύτη. Malè autem in vulgatis postponebatur voculis *Et hæc* proximè sequentibus.

[g] Apud Zenonem ut in Reg. ms. *ad convivandum :* quod græco textu εἰς συμβίωσιν non minùs refellitur, quàm latino.

[h] Notatu dignum est primò quòd *mensa Domini & mensa sacrificiorum* Hilario unum & idem sint, ut liquet ex his Tract. Ps. 68. n. 19. *Esse mensam sacrificiorum (ut de lege qua in se futuri est speciem complexa taceamus) Apostolus testatus est dicens, Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum :* deinde quòd mensam dominicam eam intelligat, *ex qua cibum sumimus panis vivi :* postremò quòd panis ille vivus ab eo appelletur, non modò quia ea illi virtus est, *ut eos qui se accipiant vivificet ;* sed potiùs quia *ipse vivens* sit, atque ex vita quam in se habet, virtutem habeat alios vivificandi.

[i] Par. *alimur, qui doctrinam Dei consectamur*, ad imitationem scil. Lipsii, qui privata auctoritate reposuerat, *aluntur, qui doctrinam Dei consectantur.* Hîc post mensam sacrificii Domini, memoratur mensa lectionum dominicarum, quæ ejusdem sacrificii principio in Ecclesia celebrantur. Apud Zenonem autem perperam omissa sunt hæc verba, *sed qui doctrinam Dei consectantur :* post quæ imprudentiori ausu adjecit Lipsius, ac retinuit Par. *Sed est mensa*, quasi verba sequentia, *de qua in psalmo alio scriptum est, Fiat* &c. ad tertiam quamdam mensam referantur, & non ad eamdem mensam lectionum dominicarum, seu ad mensam doctrinæ, quam in allato psalmi loco significari, Apostolo auctore Rom. 11. 9. ostendit Hilarius in Psal. 68. n. 19.

[k] Turonensis ms. caret verbis, *sed qui doctrinam Dei consectantur.* Non malè tamen repetuntur ob interpositam parenthesim.

[l] Apud Zenonem, *assistentes.*

Prophetæ votum dicentis, *Benedicat te Dominus ex Sion, & videas quæ sunt bona Ierusalem.* De Jerusalem & Sion jam in superioribus psalmis frequenter sumus locuti: ex quibus vel in quibus bonorum omnium consummatio speranda est. Nunc enim quamvis bonis cælestibus perfruamur, tamen majora nobis in Sion & Jerusalem temporibus spe reservantur. Hoc enim sæculum promissorum bonorum capax non est. Væ enim nunc mundo à scandalis, in quo & zizania diabolus superserit, in quo regio est B corruptionis, & locus iniquitatis, & convallis plorationis, in quo mundipotentes sunt harum tenebrarum. Sed habemus interim promissorum nobis bonorum lumen, in quo [a] tamquam per speculum & in ænigmate felicium rerum imaginem contuemur: tunc facie ad faciem visuri, non interpositâ obscuritatis nube, aut speculi æmulante splendore, sed vera & conspicabili beatitudinis nostræ contemplatione lætabimur, operum nostrorum fructus C contuentes, & mercedem vitæ innocentis videntes. Nam ut opera ex sapientia gignuntur, ita ex operibus retributio nascitur. Est ergo sapientia innocentiæ mater: & rursum innocentia fructus retributionis parit. Hos ergo consequemur diabolo contrito, aculeo mortis retuso, & omni principe ac potestate hujus sæculi exemto, cùm jam pax in nobis sit hoste victo & peremto: quod Propheta psalmi ipsius conclusione testatur, dicens, *Benedicat te* D *Dominus ex Sion, & videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ, * & videas filios filiorum tuorum, & videas pacem super Israel.* Speremus ergo bona Jerusalem cælestis, & Sion montis, & pacis Israel: quia locus Domini in pace est, in Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen

Beatitudo non est hujus sæculi: quænam interim nobis concedatur.

Matth. 18. 7.

Sapientia innocentiæ, innocentia beatitudinis parens.

℣. 5.

℣. 6.

Psal. 75. 3.

PSALMUS CXXVIII.

Canticum graduum.

SÆPE *impugnaverunt me à juventute mea, dicat nunc Israel. Sæpe impugnaverunt me à juventute mea: etenim non poterant mihi. Super dorsum meum * fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniqui-* F *tatem suam. Dominus justus * concidet cervices * eorum: confundantur & revereantur retrorsum omnes qui oderunt Sion. Fiant sicut fœnum ædificiorum, quod priùs quàm* A *evellatur * arescet: de quo non implebit manum suam qui metet, & sinum suum qui manipulos colliget. Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos, benedicamus vos in nomine Domini.*

*Hilarius, fabricabant.

*concidit.

*peccatorum.

* aruit.

TRACTATUS PSALMI.

1. INSTITUIMUR dictis propheticis ad tolerantiam præsentium passionum: & naturæ nostræ infirmitas adversùs sæculi injurias semper impatiens, suscipit [b] patientiæ doctrinam ab eo, qui in præsenti psalmo ait, *Sæpe impugnaverunt me à juventute mea.* Non otiosa [c] ætas religiosi viri est, neque quietam exigit vitam. Impugnatur jam ab ipsis juventutis suæ annis, & impugnatur *sæpe.* Non no- C vella itaque, neque rara impugnantium odia sunt; sed ea sæpe etiam ab ipsis initiis ætatis infesta sunt. Et idcirco hæc sunt quæ fidem probant, quæ patientiam testantur, quæ invictæ virtutis coronam merentur. Novit beatus apostolus Paulus hanc longi prœlii coronam, dicens, Nemo coronatur, nisi qui legitimè certaverit. Certamen tantùm non sufficit ad coronam: legitimè certandum est, id est, omnia passionum bella peragenda sunt; D non sufficit semel neque unius certaminis bello militasse. Et audiamus [d] hoc ipsum legitimum certamen, cùm dicit de se, In laboribus copiosiùs, in plagis abundantiùs, in custodiis eminentiùs, in mortibus frequenter: à Judæis quinquies quadraginta [e] unâ minùs accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, [f] ter naufragavi, noctem & diem in profundo feci. Meritò iste tot & tantis prœliis perfunctus dicere ausus est, De cetero jam superest E mihi corona justitiæ: quia nemo nisi qui legitimè certaverit coronatur.

Patientiam docet hic psalmus.

Piis frequens est & à teneris annis pugna.

2. Tim. 2. 5.

2. Cor. 11. 24.

2. Tim. 4. 8.

2. Huic etiam vox hæc prophetica competit: *Sæpe impugnaverunt me à juventute mea.* Confidentiæ maximæ gratulatio est, tantorum & tam numerosorum bellorum recordari: sed nunc tacito impugnantium nomine, impugnatio sola memoratur. Et causa noscenda est, cur auctores impugnationis silentur. Omnes humanæ injuriæ, quæ religiosis viris inferuntur, non eosdem F habent auctores, quos habent ministros. Exsecutio quidem hominum est: sed diaboli instinctus est. Et hujus nobis intelligentiæ Apostolus auctor est, dicens, Non enim nobis certamen est adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs [g] potestates mundi hujus potentes,

Injuriarum humanarum auctor diabolus, minister homo.

Ephes. 6. 12.

[a] Editiones Hilarii, *tantùm per speculum*: emendantur ex mss.

[b] Apud Par. & Zenon. *sapientia doctrinam.*

[c] Apud Zenon. *virtus*: non probatur; nam particula *non*, quæ præcedit, perinde intelligenda est ac *nulla*. Mox apud eumdem, *initiis*, pro *annis*.

[d] Ita mss. Reg. Turon. & apud Zenon. At in aliis edit. *Hunc ipsum legitimè certantem.*

[e] In mss. Reg. & Turon. *minùs unam.* Græc. παρὰ μίαν.

[f] Hilarianæ editiones, *ter naufragium feci, noctem & diem in profundo maris fui.* Aliorum librorum lectionem præferimus magis consentientem græco, τρὶς ἐναυάγησα, νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα.

[g] Bad. Er. Lips. ut apud Zenon. *potestates mundi hujus, potestates harum tenebrarum.* Par. ex ms. Mic. *potestates mundi, potentes harum tenebrarum.* Sæpius quidem legit Hilarius *mundipotentes* uno verbo, ex græco πρὸς κοσμοκράτορας; ut in his Tractatûs superioris n. 11. *in quo mundipotentes sunt harum tenebrarum.* Aliquando tamen divisim idem verbum exprimit: ejusque rei exemplum habemus in Psal. 124. n. 6. *non adversùs carnem & sanguinem nobis pugnam esse, sed adversùs mundi hujus potentes & nequitias spiritales.* Idcirco verior vera est lectio mss. Reg. & Turon. quæ duas superiores conciliat, cum prima habens *mundi hujus*, cum altera *potentes.* V. litt. 15. Psal. 118. n. 5. Tum loco *spiritalis nequitiæ*, in ms. Turon. superscriptum est *spiritales nequitias.*

" harum tenebrarum, spiritalis nequitiæ in cælestibus: & rursum, Secundùm principem aëris hujus, spiritûs qui nunc operatur in filiis inobedientiæ. Operantur ergo hæ spiritales nequitiæ in his, qui inobedientes Dei legi sunt, quos voluntatis suæ tamquam operarios eligunt, in res suas alienæ intercessionis ministerio * usuri. (Ephes. 2. 2.) (* usuræ.)

3. Neque solùm id ex Apostoli dictis intelligimus, sed etiam ex libro Job docemur. Cùm enim diabolus potestatem tentandi Job postulasset, per direptionem substantiæ ejus primùm [a] desæviturus, homines ad pastorum cædem & ad direptionem pecudum excitavit, eosque in hanc voluntatem latrocinii accendit. Egit ergo quod volebat per humanæ operationis officium. Judas quoque in passione Domini ministerium diaboli fuit, & per eum effectum voluntatis propriæ est exsecutus, Evangelista testante ita: Intravit, inquit, satanas in Judam qui cognominatur Scariotha. (Job 1.) (Luc. 22. 3.)

Injurias inferens miseratione dignus non irâ.

4. In omni igitur quam perpetimur injuriâ, alterius opus, alterius instinctus est: & non sibi efficit, quisquis aliquid per turbulentæ voluntatis impetum gerit. Non ergo his irascendum est, à quibus aliqua perpetimur, sed [b] quotiens per contumelias ad iracundiam provocamur, quotiens per convicia ad lites excitamur, quotiens ad dolorem ac impiam damni querelam per rapinas & furta compellimur, aut in corporis voluptates [c] blandæ adhortationis sollicitamur instinctu; agnoscendus est hostis ille, per quem hæc operum ac dictorum incentiva præbentur. Neque irascendum est hominibus alienæ instigationis * operariis: sed potiùs in his detestandi officii intercessio fœda miseranda est, quòd sint vasa diaboli, satanæ ministerium, & latrocinantium tela, & alienæ malitiæ ac nequitiæ [d] portitores. Ob hanc ergo cognitionem Propheta sine distinctione nominis tantùm impugnantium meminit, de his atque illis indiscretè locutus: quia per homines in se id quod spiritalium nequitiarum est gerebatur. (* Reg. ms. operis.)

Crebriùs, sed frustra impugnatos quid dicere deceat.

5. Cœpit itaque tamquam ex persona sua Propheta: sed quid à nobis dici oporteret, quodam ipse confessionis exemplo antè præloquitur. Talis enim ordo dictorum est: *Sæpe impugnaverunt me à juventute mea, dicat nunc Israel.* Antè ergo docetur Israel quod dicere debeat: tum deinde tamquam doctus, & exemplo propheticæ confessionis imbutus Israel ipse jam loquitur; *Sæpe impugnaverunt me à juventute mea: etenim non poterant mihi.* Talis religiosorum debet esse confessio. Et hæc vera fidei probatio est, ut qui sæpe & à juventute impugnant, numquam tamen eorum quos & sæpe & pridem [e] impugnaverint, præpotentes sint. Adversùs autem validiores & longum & frequens est prœlium: & idcirco inimicæ spiritalesque virtutes firmos fide & timore Dei viros & diu & sæpe pertentant: quia iterari necesse est, quod & diu geritur, & numquam obtinetur. Maneamus ergo, ut sæpe impugnemur; & sæpe impugnati, habeamus hanc gloriam, ne aliquando cedamus; & HINC sit impugnationis nostræ assiduitas, quia non sit impugnantium præpotens fortitudo.

His dorso jugiter insidiantur adversarii.

6. Mos autem est eorum, qui nequaquam longis atque assiduis prœliis prævalent, ut victorem exercitum & firmis agminibus incedentem à tergo adeant, & dorso sicubi [f] jam prætereat insidias machinentur; illic dolos fabricentur, illic omnia insidiarum artificia exerceant. Ita & peccatores, tentatos in cassum fideles viros euntes jam in veritatis via dorso adeunt, dorso insidiantur, dorso dolos concinnant. Et idcirco ait, *Supra dorsum meum fabricabant peccatores.* Currit Apostolus, ea quæ retrò sunt obliviscens, seque in ea quæ priora sunt extendens. Lex [g] ad fideles ita locuta est: Persequentur te inimici tui, & non comprehendent. Non comprehendisse autem eos docet, cùm ait, *fabricabant*: indefiniti enim temporis significatio est. Fabricabant enim semper, numquam fabricationis suæ effectum consequentes, indefesso fidei cursu [h] eo, cui quotidie supra dorsum fabricabantur bella, currente. (℣. 3.) (Phil. 3. 13.)

Funis peccatorum.

7. Atque hanc pertinacem infestantium iniquitatem sequens versus absolvit: *Prolongaverunt iniquitatem* [i] *suam.* Esaiæ prophetia est, dicentis, Væ qui trahunt peccata sua tamquam funem longum. Non desinunt enim peccatis peccata connectere, & tamquam funem longum ea implexa semper extendere. Sancto enim currente, & peccatoribus in dorsum fabricantibus, cùm huic ad destinatum currendi, illis semper fabricandi modus nullus sit; fit peccatorum prolixa series & multiplex longitudo. (Esa. 5. 18.)

Dei patientia.

8. Sed quid tandem hanc iniquitatum longitudinem maneat, noscendum est. Sequitur enim: *Dominus justus* [k] *concidet cervices peccatorum.* Justus Dominus, patiens scilicet in ultionem, dissimulator ad pænitentiæ tempus, non inter exordia humanæ iniquitatis promtus ad pœnam, sed desinendi à criminibus [l] seram licèt (℣. 4.)

[a] Apud Zenonem *deserv ituros homines.*

[b] In mss. Reg. & Turon. constanter, *quotiensque*, non *quotiens.* Eadem vox initio Tractatus superioris habetur pro *quotienscumque.*

[c] Apud Zenonem *alendas*, loco *blandæ.*

[d] Ita Regius codex cum Turon. In vulgatis autem, *paritores*, quod vocabulum si latinè usitatum esset, non immutassemus; sive enim à *pareo*, sive à *pario* originem duceret, ab Hilarii sententia minimè abhorreret.

[e] In editionibus Hilarii hîc & infrà post *pridem* frustra adjicitur *à juventute.*

[f] In ms. Turon. *sicubi viam prætereat.*

[g] Sola editio Par. *ad infideles.* Vide Deut. 28. 7.

[h] Apud Zenon. hîc omisso *eo*, deinde habetur *currentium* pro *currente*: malè. Nec meliùs in aliis edit. *eò* ut adverbium loci notatur, ac deinde apud Bad. Er. & Lips. *quo quotidie.* Sententia ita per se clara est: *eo currente, cui quotidie* &c. Quamquam in ms. Turon. legitur, *eo cui ..... fabricabatur, bella currente.*

[i] In mss. Reg. ac Turon. *iniquitatem ipsorum*: hellenismus.

[k] In ms. Reg. hîc & mox, *concidit*, suffragante græco συνέκοψε. Favet & vulgatus Hieronymus, qui notans in hebræo *pro cervicibus* haberi *vincula*, psalmi verba sic interpretatur: *Illi qui me suis insidiis hinc inde vallaverant, etiam vinctum tenebant: sed auxiliante Domino omnes nexus soluti sunt.* Non ait *solventur*, sed *soluti sunt.* Vulgatam tamen lectionem habet ms. Turon. & confirmare videntur subnexa.

[l] Editiones Hilarianæ, *seram scilicet*: castigantur ex mss. Zenone vulgato & Hincmaro, qui hunc locum lib. de præd. c. 25. Hilarii nomine laudat. Erratum simile suprà jam correximus.

voluntatem

voluntatem peccatoris exspectans, tum cervices concidet, cùm sine aliquo desinendi modo fabricatur, cùm in longum peccata tenduntur, cùm jam omne patientis misericordiæ tempus exclusum est. Exprobrari autem semper contumacibus legis meminimus, quòd dura cervice sint: cùm cervicosum populum esse Moyses ad Deum arguit; cùm propheta filiabus Sion exprobrat, quòd alta cervice incedant; cervice scilicet jugum dedignante, operibus fidei insolente, patientiâ Dei ad producendam peccatorum longitudinem abutente. Submittenda autem cervix est jugo suavi, ad quod Dominus invitat, dicens, Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde. Non concidenda cervix est, huic se jugo subdens. Est enim hoc humilitatis & mansuetudinis jugum, non semper impugnans, non in dorso fabricans, non peccata prolongans, sed humilitate & patientiâ cervicem subditam fovens, superbâ illâ insolentique cervice justi judicii concidendâ decreto.

Cervix dura contumaciam designat. Exodi 32. 9. Esai. 3. 16. Jugum Christi. Matth. 11. 29.

℣. 5. [a] Sion, mons.

9. Dehinc sequitur: *Confundantur & [a] revertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.* Frequenter admonuimus Sion montem esse Jerusalem proximum. Sed cùm rex Sion, cùm filia Sion, cùm portæ Sion à prophetis nuncupantur: primùm ipso nomine intelligi oportet aliud sub Sion significatione monstrari. Sion enim speculationis interpretatio est: quod enim nobiscum speculatio, id hebraicè Sion dicitur. Tum deinde dicti apostolici meminisse nos convenit, ad montem Sion & Jerusalem cælestem accessisse nos, in Dominum nostrum Jesum Christum credentes: in cujus glorificato corpore, quod in cælestem gloriam transformatum est, spei nostræ honorem speculamur, humilitatis nostræ corpore in gloriam corporis sui conformando. Ecclesiam autem esse corpus Christi, cujus invicem membra sumus, Apostolus testis est, [b] quæ ipsa sit Sion mons Domini, regis filia, civitas sancta vivis lapidibus in fundamento prophetarum & Apostolorum ædificata. Hanc ergo Sion quisquis odit, odit eum cujus & corpus est: est enim speciale adversùs fideles infidelium odium. Confundendi ergo erunt qui Sion oderunt, retrorsum revertentur, non in cælestia currentes, neque ad futura tendentes, sed ad terrena sua & originalia revertentes; pudorem iniquitatis & infidelitatis suæ judicii tempore sentientes, & in pœnalem corporum sensum amissâ resurrectionis demutatione redeuntes.

Speculatio interpretatur. Heb. 12. 22. Corpus Christi gloriosum significat. Corpus Christi Ecclesia. Eph. 1. 23. [b] Hanc qui odit, Christum odit. Criminis pœna.

Inanes impiorum labores. ℣. 6. ℣. 7. ℣. 8.

10. Idipsum autem psalmi consequentia docent: *Fiant sicut fœnum ædificiorum, quod priùs quàm evellatur aruit: * de quo non implebit manum suam qui metet, & sinum suum qui manipulos colliget. * Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos.* Nullum, ut arbitror, secundùm corporalem intelligentiam ædificiorum fœnum est: est autem agri, ejusdemque fructuosissimi. Ergo nihil hîc secundùm aurium sensum tractandum atque opinandum est. Sunt autem secundùm Scripturæ auctoritatem ædificia firma, sunt & infirma. Firma sunt, quæ fundamentis fidelibus supra petram jacta, fluviis, ventis, inundationibus non moventur. Sunt & infirma, quæ arenoso ædificata fundamine, cùm tempestates ortæ erunt, efficiunt [c] ingentem ruinam. Sunt & sationes duæ secundùm Apostolum, spiritûs atque carnis: & qui spiritalia serit, spiritalia metet; & qui carnalia serit, carnalia metet. Ergo qui sæpe & pridem impugnabant, qui super dorsum fabricabant, qui prolongaverunt iniquitates, quorum concidentur cervices, qui oderunt Sion, hi sicut fœnum ædificiorum erunt [d] inutiles, & corporeæ hujus præsentisque vitæ fructum cassum inanemque referentes. Ædificia enim atque tecta secundùm evangelicam comparationem humana sunt corpora, aut fide firma, aut infidelitate ruitura. Ab hoc etiam ædificii tecto instante persecutione Dominus unumquemque vetuit descendere, dicens, Et qui super tectum est, non descendat tollere de domo aliquid. Certè in persecutione fugiendum est: & quomodo de tecto inhibuit descendere, [e] nisi curâ corporis derelictâ, quia super tectum insistens, id est, super terrenam naturam manens, humilia repetere & descendere ad inferiora prohibetur? Verùm impii ædificiorum fœnum sunt, inania enim severunt: & fœnum etiam ante quàm evellatur arescens, de quo neque manum suam messor [f] implebit, neque sinum manipulos collecturus onerabit, non præteriens fructum gratulatione benedixit. Inanes sunt, vacui sunt, inutiles sunt: inania enim & inutilia severunt. O infelices labores, & infructuosa carnis opera, infructuoso ædificiorum fœno comparata, & ante quàm evellantur arida, id est, ante ipsum inutilis ipsius messis tempus emortua.

Ædificia alia firma, alia infirma. Matth. 7. 25. Ibid. 27. [c] Sationes duæ. Gal. 6. 8. [d] Ædificia, humana corpora. Matth. 24. 17. [e] Impii, ædificiorum fœnum. [f]

11. Sed quia horum ædificiorum fœnum carnalium operum fructus esse tractavimus; considerandum est quæ differentia sit in eo qui implet manum, & qui manipulos sinu colligit. Non enim idem est, neque Scriptura res easdem iterare geminis elocutionibus solita est; plus est enim sinu colligere, quàm manum replere. Et quidem qui manum replent, fructum recipere rectè gestorum videntur: quia in manibus sermo divinus opera significat; in sinu verò, conscientiæ & fidei & perfectæ voluntatis demonstratur affectus. Plus enim metit conscientia, quàm gesta: hæc namque manum replent, manipulos verò illa [g] colligit.

Operum ac bonæ voluntatis discrimen. [g]

[a] Sic apud Zenon. & in ms. Turon. subjecta enarratione suffragante. In aliis autem libris *revereantur*.

[b] In priùs vulgatis Hilarii hîc adjicitur *dicens*; moxque omisso verbo *sit*, post *ædificata* subjicitur *est*: quasi Pauli sint verba subsequentia, *quæ ipsa* &c. ad quæ referatur illud, *Apostolus testis est*. Horum è mss. intelligentia est: *Apostolus autem* (Eph. 1. 22. & 23.) *testis est Ecclesiam esse corpus Christi, cujus invicem membra sumus, quæ* (minùs bene apud Zenon. *quia*) *ipsa sit Sion* &c.

[c] Mss. Reg. & Turon. *ingentes ruinas*.

[d] In ms. Turon. *inutilis & corporea*.

[e] In vulgatis, *nisi quòd cura*. Expunximus *quod* auctoritate ms. Turon. consentientibus etiam Zenonis exemplaribus.

[f] Ita apud Zenon. ut in mss. Reg. ac Turon. In aliis autem libris, *implevit .... oneravit .... fructuum gratulatione*.

[g] In priùs vulgatis, *sinu colligit*. Rectiùs abest *sinu* à mss. Reg. Turon. & apud Zenon.

Luc. 21. 3.

Duos denarios viduæ inopis acceptiores Dominus habet copiosis divitum nummis. Tanto præstat operibus voluntas. [a] Et opera quidem manum implent: sed sinus manipulis sunt capaces. Ergo hoc ædificii fœnum neque metentis manum, neque manipulos colligentis sinum replebit.

Transeuntes, supra terrena animo elati.

12. Sed neque prætereuntes dicent, *Benedictio Domini super vos.* Et qui sunt prætereuntes, nisi qui [b] peregrinantes corporalis vitæ sæculum transeunt; non manentes in his quæ nulla sunt, sed ad æterna tendentes; neque his quæ conspectui subjacent immorantes, sed ad invisibilia pergentes? Ut autem penitus qui sunt transeuntes intelligamus; audiamus Moysen, cùm in rubo ignem conspexit sine damno rubi in quo conflagrabat ardentem. Ait enim, Transibo, & videbo visionem hanc. Quid est istud, transibo? Nulla eum locorum intervalla discreverant, eodem in loco & loquitur & videt: quid ergo transit? Transit planè corporales carnalesque curas: & soceri sui oves pascens, in cælestem cognitionem relictis terrenis operibus excedit. Verùm & ipse pertransit, qui in superiore psalmo ait, Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani: & transivi, & ecce non erat. Quem admiratus in sæculi rebus est, quem [c] in corporeis operibus manens excelsum elatumque conspexit; hunc transiens, id est, peregrinus sæculo factus, & in cælestem ac spiritalem cognitionem de terrenis & caducis rebus excedens, hunc [d] nihilum habuit, etiam non esse dixit, & mortuum deputavit. Negant ergo ædificiorum fœno prætereuntes Dei benedictionem, fructibus aridis & caducis scientes gratiam divini muneris denegandam.

Exod. 3. 3.

Psal. 36. 35 & 36.

Imprecatione vacat Propheta.

13. Sed Prophetæ vota dura atque aspera esse credentur: totus enim ejus sermo tamquam optantis fuit, cùm ait, *Fiant sicut fœnum ædificiorum.* Sed absit istud ut Propheta imprecatus esse credatur. Prophetali autem scientia hæc locutus est; & cognitionis fuit sermo iste, non voti: simul ut peccatoribus terror ingrueret, inanitatem fructuum suorum arescentium cognituris.

Pænitentibus orat benedictionem.

14. Porro autem votorum suorum ostendit affectum, dicens, [e] *Benedicamus vos in nomine Domini.* Promta benedictio est, si hi qui serebant ædificiorum fœnum, [f] serere incipiant quod messoris manum & colligentis manipulos sinum repleat. Aridis ergo operibus emortuos fructus suos in fœno ædificiorum Propheta monstravit, benedictiones negando: vota autem sua erga pænitentium salutem pro reditu bonæ operationis ostendit, benedictiones rursum quas negavit optando. Seramus ergo utiliter, & labores nostros in replendis manibus ac sinibus præparemus: ut benedictionum Dei participes simus in Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXIX.

Canticum graduum.

*De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem orationis meæ. Si iniquitates * observes Domine, * quis sustinebit te? Quoniam apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine. Sustinuit anima mea in verbum tuum: speravit anima mea in Domino. A custodia matutina usque in noctem speret Israel in Domino: quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemtio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eorum.*

* observabis.
* Domine, omisso te.

TRACTATUS PSALMI.

Dei secreta homo non penetrat: quatenus scrutari pium sit. Rom. 11. 33. &c.

1. INTER multa præclara, quæ ad Romanos Apostolus scribit, cùm de fide gentium & infidelitate Judæorum locutus esset, & multa de judiciis Dei decretisque tractasset, ait, O profundum divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm sunt [g] inscrutabilia judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis antè dedit ei, & retribuetur illi? Quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi claritas in sæcula sæculorum. Humanæ infirmitatis religiosa confessio est, ex Deo hoc solum nosse quòd Deus est. Ceterùm secreta illa & profunda imperspicabilis judicii decreta mens terrena non penetrat. Investigare quidem ea perscrutarique pium est, sed inscrutabilia ea esse & investigabilia confitenda sunt: quorum est alterum religiosæ voluntatis, alterum imperspicabilis naturæ. Quis enim causas naturasque cæli & hujus & superioris & ceterorum sciet? Quis & Angelorum & Potestatum & Dominatuum & Thronorum & Principatuum officia rationes-

Humanam intelligentiam quàm multa excedant.

---

[a] In mss. Reg. & apud Zenon. *& opera quidem manu implentur.* In Turon. *& opera quidem manus implentur.*

[b] In priùs vulgatis, *tamquam peregrinantes.* Tum in ms. Turon. *corporalis via.*

[c] Ita Regius codex cum Turon. Editi verò, *in corporeis rebus.*, quæ verba ad eum qui conspicit, non ad eum qui conspicitur, referenda. Paulò antè in ms. Turon. *superaltatum*, pro *superexaltatum.*

[d] Apud Zenon. *pro nihilo* &c. In vulgatis nostris, *in nihilum habuit & jam.* Præferimus cum mss. *nihilum habuit*, cùm respiciatur illud, *& ecce non erat.* Pressiùs eadem psalmi verba ad mentem Hilarii sic interpretatur vulgatus Hieronymus: *Non eos benedixerunt sancti Dei, qui pro nihilo habentes mundum pertransierunt ad cælestia & æterna.*

[e] Antiquæ editiones cùm mss. Reg. & Turon. *benedicam vos.*

[f] Reg. ms. cum Turon. *ferre incipiant.* Vulgatæ lectioni favet illud apud Hieronymum, *Benediximus vobis: ut relictis infructuosis aridisque operibus, ea seratis, quæ & messorum manum & colligentium manipulos repleant sinum.*

[g] Turonensis codex hîc & infrà, *inexscrutabilia.*

que perceperit? Quis Cherubim & Seraphim perpetuas voces æternasque intelliget? quis laudantes Deum super cælum aquas cognoscet? quis solis, lunæ & astrorum lumina comperta sibi esse gloriabitur? quis hanc inanis nobis, ut [a] putamus, aëris plenitudinem metietur? Jam verò quis aut dispositionem orbis terrarum, aut elementorum virtutes, aut temporum mutationes, aut fluminum cursus, aut maris fines, aut Oceani vicissitudines, aut ventorum flatus, aut naturas animalium, aut rabies bestiarum, aut genera arborum, aut virtutes radicum, & origines animarum, & incrementa corporum, & infantium mortes, & senum vitam, & labores sæculi, & sanctorum gloriosas calamitates, & irreligiosorum infelices beatitudines, & Legis & Prophetarum & Evangeliorum & Apostolorum [b] arcano cælesti libros consecratos, plenæ cognitionis scientiâ consequetur?

Vox aut nescientis, aut patientis, aut precantis.
℣. 1.
Rom. 11. 33.

2. In his igitur omnibus hærens ac detentus Propheta, ex interno cordis sui secreto, secundùm Apostoli vocem & ipse clamat, dicens, *De profundis clamavi ad te Domine.* Pone illum, secundùm Apostolum, in profundo divitiarum Dei imperscrutabilium & investigabilium demorantem; statue illum de profundo humanarum calamitatum æstu precantem, secundùm eam Domini quæ in anteriore psalmo est vocem, Veni in profundum maris, & tempestas demersit me; existima illum non labiis, sed secreto, ut jussum est, cordis orare: apta aut ignorationi, aut passioni, aut orationi vox ista dicentis est, *De profundis clamavi ad te Domine*; dum aut nescit, aut patitur, aut precatur. Et quia de profundis clamat; confidenter ait, *Domine exaudi vocem meam: fiant aures tuæ intendentes in vocem orationis meæ.*

Psal. 63. 3.
Matth. 6. 6.
℣. 2.

Deum audire, & aures in precem intendere quid differant.

3. Sed quærendum est an idipsum sit, *exaudi vocem meam*; &, *fiant aures tuæ intendentes in vocem orationis meæ.* De profundis enim orat, & profundum est quidquid orat. Ac primùm intelligendum est, Deum incorporalem esse, neque ex partibus quibusdam atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, consistere. Legimus enim in Evangelio, Quoniam Deus spiritus est, invisibilis scilicet & immensa atque intra se manens & æterna natura. Scriptum quoque est, Quoniam spiritus carnem & ossa non habet. Ex his enim corporis membra consistunt, quibus substantia Dei non eget. Deus autem, qui & ubique & in omnibus est, totus audit, totus videt, totus efficit, totus incedit. Et hoc ex Scripturis docemur, cùm dicitur, Ego sum Deus appropians, & non de longè; & rursum, Quoniam in ipso vivimus, & movemur, & sumus. Virtus ergo Dei, quæ æqualis & indiscreta est, officiorum ac membrorum habet nomina: ut virtus qua videt, oculi sint; virtus qua audit, aures sint; virtus qua efficit, manus sint; virtus qua adest, pedes sint: officiorum diversitates virtutis hujus potestate peragente. Deus ergo ubique est, & ubique adest, audit, videt, efficit: sed orandus à nobis est, ut secundùm precem nostram adsit, audiat, videat, efficiat. Naturæ suæ est ut audiat; sed fidei nostræ est ut precemur audiri. Audit convicantes, audit maledicentes, audit etiam intra secreta cordis loquentes: sed fides officium suum exsequitur, ut Dei auditionem roget; ut qui per naturam suam audit, per orantis precem dignetur audire.

Johan. 4. 24.
Luc. 24. 39.
Deo incorporeo quid membra adscripta.
Jer. 23. 23.
Act. 17. 28.

Contra Anthropomorphitas.

4. Quòd si qui fortè corporeum Deum & conformabilem & membris diversum, quia non idem oculus quod & manus est, ob id esse existimabit quod dictum est, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: primùm meminisse debet hominum institutionem naturis duabus contineri, animæ scilicet & corporis, quarum alia spiritalis, alia terrena est; & inferiorem hanc materiam * in efficientiam atque operationem naturæ illius fuisse potioris * aptatam. Ergo quisquis ita volet credere, ut corporalis Deus sit, quia ad imaginem ejus homo factus est; compositum esse Deum statuet, ex potiore scilicet inferiorique natura; quia de talibus homo constat. Quidquid autem compositum est, necesse est non fuerit æternum; quia compositio habet initium [c] quo corporatur ut maneat. Sed hæc infidelitatis deliramenta sunt, dum per [d] cælestis naturæ ignorationem, intra has opinionis angustias vitio ingenii degeneris coartatur.

Gen. 1. 26.
Homo constat corpore & animâ.
* corpus.
* animæ.
Deus non est compositus.

Hominem condendo tria egit.

5. Deus autem semper & in omnibus manens ubicumque idem, & ipse nusquam non totus, cùm pulcherrimum opus perfecto jam mundo inchoaret, hominem scilicet ad imaginem sui faciens, eum ex humili natura cælestique composuit; animâ videlicet & corpore. [e] Et priùs quidem animam divino illo & incomprehensibili nobis virtutis suæ opere constituit. Non enim cùm ad imaginem Dei hominem fecit, tunc & corpus effecit. Genesis docet longè postea, quàm ad imaginem Dei

Gen. 2. 7.

[a] Removimus hinc *falsò*, juxta mss. & Zenonis editionem. Mox vocabulum *quis* ex ms. Turon. supplevimus, cùm antea deesset.

[b] Apud Zenon. *arcana cælesti libro consecrata*: nobis non probatur.

[c] Ita Vaticanus codex. At apud Zenonem, *quo comparatur.* In editionibus aliis, *quo componatur.* In ms. Turon. *comparatorum quo maneat.* In Reg. *quo comparatorum maneat.* Ex hac lectione posset confici, *quo comparat*, seu adipiscitur, *ut totum maneat*, aut potiùs, *quo corporatum maneat.* Compositionem autem à Deo sic abigit Gregorius Nazianz. Or. 34. n. 13. *Compositio quippe pugnæ initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis. Solutio porro nullo modo in Deum ac primam illam naturam cadit.*

[d] Id est, ut aliàs ostendimus, divinæ, vel etiam spiritalis naturæ. Hac posteriore intelligentia mox prædicatur homo compositus *ex humili natura cælestique, animâ videlicet & corpore.* Neque necesse est moneamus, animæ cælestem naturam prædicari, non quòd ex quadam cælesti materiâ condita sit, (quam Hilarius *in se assumtæ aliunde alterius naturæ originem non habere* disertè docet in Psal. 118. lit. 10. n. 7. ac proinde neque ex terrena neque ex cælesti materia constare,) sed quòd soli Dei in cælis habitantis virtuti originem suam debeat.

[e] Quæ supersunt ex hoc numero, omittuntur apud Zenonem: haud dubiè quia qui illis Hilarii Tractatibus in ceteris subscripsit, in singularem illius de primi hominis institutione sententiam abire noluerit. An re ipsa animæ & corporis conditionem & utriusque conjunctionem distinctis temporum intervallis factam senserit, an verò tantùm ex Moysi verbis quemdam Dei in homine condendo operationum aut quasi operationum ordinem indicare voluerit, quæri potest. Certè stare nequit animadversio Sculteti, qui inter singulares Hilarii sententias refert, quòd senserit *animam Adæ priùs fuisse formatam quàm corpus, & Deum omnia simul & semel creasse.* Si enim vel Adam simul ac semel creatum non sensit, non sensit omnia simul & semel à Deo creata. Videsis lit. 10. Psal. 118. n. 6.

homo erat factus, pulverem sumtum, formatumque corpus; dehinc rursum in animam viventem per inspirationem Dei factum, naturam hanc scilicet terrenam atque cælestem quodam inspirationis fœdere copulatam. A

Ibidem.

Imago Dei in homine secundùm animam.

6. Scit se beatus apostolus Paulus per interiorem & exteriorem hominem dissidere. Per interiorem quidem hominem delectatur [a] lege, per exteriorem verò hoc quod non vult agit: cùm interior homo spiritûs opera desiderat, exterior voluptates corporis concupiscit. B Ergo ad imaginem Dei homo interior effectus est rationabilis, mobilis, movens, citus, incorporeus, subtilis, æternus. Quantum in se est, speciem naturæ * principalis imitatur, dum transcurrit, dum circumvolat, & dicto citiùs nunc ultra Oceanum est, nunc in cælos evolat, nunc in abyssis est, nunc Orientem Occidentemque perlustrat, dum numquam ut non sit aboletur, (natura quidem Dei in his omnibus est,) neque ut alibi C adsit, decedit aliunde. Sed * anima humana in hac sensus sui mobilitate ad imaginem Opificis sui facta est, dum naturam Dei mobilitas animæ perennis imitatur, * nihil in se habet corporale, nihil terrenum, nihil grave, nihil caducum. Et audiamus adhuc Paulum hoc ita docentem: Exspoliantes veterem hominem » cum gestis ejus, & induentes novum, qui re» novatur in cognitionem secundùm imaginem Creatoris. D Numquid aliquid corporale induimus, cùm in agnitionem renovamur? Nihil, ut opinor. Induimus autem agnitionem Dei, fidem æternitatis, innocentiæ sinceritatem, & bonitatis mores. Hæc enim animæ magis sunt indumenta, quàm corporis, quæ omnia Deo propria sunt. Hæc, in agnitionem [b] novi, induimus: ut in omni ministerio animæ nostræ, simus secundùm imaginem Creatoris, bonitatis & sanctitatis & caritatis agnitione perfecti. E Hæc propter aures Dei, ne corporalis existimaretur, tractata brevibus sunt.

Rom. 7. 22. & 23.

* divinæ.

* *Duo mss.* animus humanus .... factus est.

* *subaudi* dum, *nisi malis cum. Turon. ms.* habens.

Coloss. 3. 9. & 10.

Hominis novi indumenta.

Membra Dei dici possunt angelicæ virtutes.

7. Et quamquam hæc ita se ut dicta sunt habeant; tamen meminimus esse plures spiritales virtutes, quibus angelorum est nomen, vel ecclesiis præsidentes. Sunt enim, secundùm Johannem, Asianis ecclesiis Angeli. Sunt &, Moyse testante, secundùm numerum angelorum fines gentium Adæ filiis constituti. Sunt &, Domino docente, pusillorum Angeli quotidie Deum videntes. F Sunt, secundùm Raphael ad Tobiam loquentem, Angeli assistentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Deum deferentes. Hoc ideo commemoratum sit, ut si fortè hos esse oculos, vel aures, vel manus, vel pedes Dei intelligere voluerimus; habeamus non improbabilis intelligentiæ auctoritatem: maximè cùm scriptum sit, Sunt enim efficientes spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditabunt salutem. Intercessione itaque horum non natura Dei eget, sed infirmitas nostra. Missi enim sunt propter eos qui hereditabunt salutem: Deo nihil ex his quæ agimus ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum & promerendum spiritalis intercessionis ministerio indigente.

Apoc. 1. 20.

Deut. 32. 8.

Matth. 18. 10.

Tob. 12. 15.

Ibid. 12.

Heb. 1. 14.

His Deus non eget, sed nos.

8. Dehinc sequitur: *Si iniquitates observabis Domine, Domine quis sustinebit?* Non negligenter dicti hujus ratio tractanda est. Non enim ait, Si peccata observabis: [c] sed, *Si iniquitates observabis.* Differt enim iniquitas à peccato. Numquid Deus peccata non observabit, & criminum memoria non erit? Erit certè: [d] quin etiam de otioso verbo rationem unusquisque præstabit, & omnis in carcerem missus reddet novissimum quadrantem. Differre autem iniquitatem & peccatum docemur, cùm dicitur, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: & rursum, Iniquitatem meam ego [e] agnovi, & peccatum meum non abscondi. Iniquitas enim omnis, transgressio legis Dei est, quæ est gravior peccato. Quod idipsum Apostolus absolutissimè distinxit, dicens, Qui enim [f] iniquè peccaverunt, iniquè peribunt: qui autem per legem peccaverunt, per legem judicabuntur. Ergo peccatum iniquitatis jam periit, ceterùm peccatum legis judicabitur. Peccatum autem iniquitatis est, quidquid extra legem delinquitur, ut * gentilium crimina sunt, quæ jam cum ipsa legis ignoratione damnata sunt. [g] Legis autem peccata judicanda sunt: quia licèt peccata sunt, tamen in lege peccata sunt. Ergo si Deus iniquitatum recordetur, quis sustinebit furta, cædes, falsa testimonia, stupra, perjuria? Hæc enim crimina sunt, quæ iniquè, id est, extra legem Dei geruntur, quæque novæ generationis Sacramento abluuntur.

℣. 3.

Peccati & iniquitatis discrimen.

Matth. 12. 36.

Matth. 5. 26.

Psal. 31. 1.

Ibid. 5.

Rom. 2. 12.

* *Duo mss.* gentium.

9. Sed horum planè jam Deus non recordatur: & cur non recordetur, in sequenti versu Propheta demonstrat, dicens, *Quia apud te propitiatio est.* Est enim unigenitus Dei filius Deus Verbum redemtio nostra, pax nostra, in cujus sanguine reconciliati Deo sumus. Hic est, qui venit tollere peccata mundi, qui cruci chirographum legis [h] affigens, edictum damnationis veteris delevit. Sive igitur ad Patrem, sive ad Filium oratio Prophetæ esse existimabitur, (unum enim ambo sunt: & qui vidit Filium, vidit & Patrem; quia Pater in Filio, & Filius in Patre est. Ex similitudine gloriæ alter

Filius nostra redemtio, qui cum Patre unum sit.

℣. 4.

Coloss. 2. 14.

[a] Deest apud Zenon. *lege.* In aliis edit. exstat, *condelectatur legi.* Reponimus ex mss. *delectatur lege*, subauditâ particulâ *in*, quæ in Psal. 118. lit. 10. n. 8. etiam exprimitur.

[b] Ita apud Zenon. ut in mss. hoc est, *in agnitionem renovati*, secundùm superiora Pauli verba, *qui renovatur in cognitionem* &c. adeoque malè antea subjiciebatur vocabulum *hominis* post *novi.*

[c] Hæc verba, *sed si iniquitates observabis*, apud Zenon. omittuntur ut in mss. Reg. ac Turon.

[d] Regius codex cum Turon. *quia etiam.*

[e] Sola editio Par. *cognosco.* Græc. ἐγνώρισα. Post verbum *abscondi.* mss. Reg. ac Turon. subjiciunt, *quod idipsum Apostolus*, aliis omissis.

[f] Hilarianæ edit. *qui enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, nihil præ se ferunt unde peccati & iniquitatis discrimen statuatur. Verior itaque est lectio quam ex mss. exhibemus, licèt græcum, ὅσοι γὰρ ἀνόμως ἥμαρτον, ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται, utramque permittat.

[g] Ita in mss. Reg. Turon. & apud Zenon. In aliis autem libris, *Peccata autem in lege non pereunt, sed judicanda sunt.*

[h] Cujus legis, declaratur lib. 9. de Trin. n. 10. ubi habemus, *Delens chirographum legis peccati, quod per sententias anteriores contrarium nobis erat.*

in altero gloriosus est. Gloriosus Filius; quia dignus consortio Patris sit: gloriosus Pater [a] digno consortio suo Filio) [b] rectè ad quem voles, Propheta dixisse credetur, *Quia apud te propitiatio est*; quia in Patre secundùm similitudinem gloriæ Filius est; & Filius ipse pro peccatis nostris & propitiatio & redemtio & deprecatio est, iniquitatum nostrarum, quia ipse earum propitiatio sit, non recordans.

10. Scit autem Propheta ingentis periculi rem esse, iniquè, id est, sine lege peccare; quia peccato sine lege perditio est, peccato autem in lege judicium est. Et idcirco ait, *Propter legem tuam sustinui te, Domine.* Lex autem sancta & spiritalis est, & in eâ verba vitæ sunt, & legis finis Christus est: & hoc sequenti versu ostenditur. Ait enim, *Sustinuit anima mea in verbum tuum.* Corporalia quidem legis officia Propheta exsequitur, scilicet sacrificiorum & holocaustomatum & neomeniarum & sabbatorum, quæ omnia umbra sunt futurorum: sed anima ejus sustinuit in verbum Dei. Propter legem ipse sustinet, id est, ut dixi, corporaliter officia legis gerit. In verbum autem Dei anima sua sustinet: scilicet filii Dei adventum, qui & Verbum Dei, & Deus Verbum est, spiritali fide exspectat. Qualiter autem exspectet, demonstrat dicens, *Speravit anima mea in Dominum*, * *à custodia matutina usque in noctem.* Recordemur evangelicæ comparationis tenorem, & meminerimus quosdam operarios vineæ omnem diem in labore transigere. *A custodia matutina usque in noctem* Propheta sperat: nullum tempus habet vacuum, totius diei indefessus operarius est.

(Legem observanti Prophetæ spes est Christus. — & hoc totâ vitâ. — ℣. 5. — ℣. 6.)

11. Sed quid tandem erit spei? Non [c] omnis ita diem suum in spe Domini exigit; sunt enim operarii horæ tertiæ, sunt sextæ, sunt nonæ, sunt & undecimæ: & videtur Propheta, qui à custodia matutina usque in noctem speravit, spem nobis evangelicæ mercedis abscindere. Non abscindit planè. Ait enim, *Speret Israel in Domino.* Sine præfinitione temporis spei adhortatio est. Ille quidem, ut perfectus operarius, à custodia matutina usque in noctem speravit. Sed ad spem omne tempus est liberum: & mercedem non operis, sed misericordiæ, undecimæ horæ operarii consequentur. Ita enim ait: *Speret Israel in Domino*: * *quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemtio.* * *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eorum.* Bonus est in quem speratur: & sperandum in eo est; quia misericors est, quia copiosa apud eum redemtio est, quia redemit ab omnibus iniquitatibus suis universos. Hora undecima est, conclusa sunt diei tempora: curramus omnes, festinemus ne nox adsit, [d] ne hora prætereat. Senes sumus, nox mortis insistit, nec ad undecimam saltem vitæ nostræ horam [e] procedimus. Beatus quidem qui à manè usque ad noctem laborans, pactum denarium tamquam debitum postulat: sed quia bonus est Dominus, quia misericors est, speremus in eum; ut undecimæ licèt horæ operarii, diurni laboris denarium consequamur per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

(Nec desperandum ei, qui non omnem diem in spe Domini exegit. — Matth. 20. — Ibid. 10. — ℣. 7. — ℣. 8. Nec procrastinandum.)

PSALMUS CXXX.

Canticum graduum.

DOMINE, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Sicut ablactatum super matrem suam, sic retribues in animam meam. Speret Israel in Domino, ex hoc nunc & usque in sæculum.

TRACTATUS PSALMI.

1. BREVIS psalmus est, & distinctione magis quàm Tractatu explicandus: ad humilitatem nos & mansuetudinem [f] docens. Et quia plurimis aliis locis nonnulla de humilitate tractavimus, otiosum est eadem repetere. Certè meminisse debemus MAXIMUM FIDEI NOSTRÆ OPUS ESSE HUMILITATEM: cùm hanc pro optimi operis conscientia Propheta commemoret, dicens, *Domine, non est exaltatum cor meum.* Optimum enim sacrificium Deo, cor contribulatum. Non ergo cor secundis rebus efferendum est: sed Dei metu intra mansuetudinis fines humilitate cohibendum.

(Psalmi hujus doctrina. — Humilitas maximum fidei nostræ opus. — ℣. 1. — Ps. 50. 29.)

[a] In priùs vulgatis, *dignus consortio filii sui*: quod non sapit phrasim Hilarii, qui Filii æqualitatem iis verbis tueri solet, quæ paternam non dedeceant dignitatem: qui modus maximè servatur in hac mss. Reg. ac Turon. lectione, *digno* &c. hoc est, gloriosus Pater, quòd dignum consortio suo filium habeat. Qua loquendi ratione in Psal. 122. n. 2. docet Patrem esse in Filio, *digno & sufficiente Filio, in quo Pater per eamdem naturæ habitet virtutem.* Nec displicet quod in ms. Vatic. & apud Zenon. *Gloriosus Pater digni consortio suo Filii.*

[b] Reg. ms. cum Turon. *ad quem Pater rectè volens per Prophetam dixisse creditur.* quam lectionem Bad. Er. & Lips. secuti sunt demtâ prima voce, *ad quem.* Par. ex ms. Mic. *Pater rectè ad quem volens Propheta dixisse creditur.* His nitidior est lectio, quam ex Zenonis exemplaribus huc revocavimus.

[c] Ms. Mic. ut apud Zenonem, *non omnium vita*; Reg. *non omni vita.*

[d] Reg. ms. cum Turon. *ne opera prætereant.* Totus hic numerus est in commendatione operum. Erasmus tamen paulò superiùs ad marginem adscripsit, *Ubi bona opera N. Ecmondani?* Non curamus quid dixerit Ecmondanus: sed ne malè intelligatur Hilarius. Quamvis enim dicat, *mercedem non operis, sed misericordiæ undecimæ horæ operarii consequentur*; non negat tamen eorum opera esse bona, sed tantùm jus mercedis exigendæ. Quia enim denarium opera eorum neque per se merentur, neque ex pacto patris-familias; hunc ex ipsius dumtaxat misericordia iis exspectandum dicit. Aliis verò operariis, quibus merces condicta est, ejus exigendæ ex pacto jus esse innuit: ac proinde eam non ex mera misericordia exspectandam. Quamquam quia ex misericordia Dei nobis promissa est vitæ æternæ merces, eo respectû non semel tradit Hilarius illam omnibus ex misericordia Dei indulgeri.

[e] Apud Zenonem, *procedamus.*

[f] Ita apud Zenon. & in mss. quomodo & infrà Psalmo subseq. n. 1. *nos ad cognitionem filii Dei edocet*, & aliàs sæpissime. In aliis verò libris, *inducens.*

Oculi ad Deum, non ad aliud efferendi.

2. *Neque elati sunt oculi mei.* Alia istud proprietate græcitas elocuta est, dicens, οὐδὲ ἐμετεωρίσθησαν οἱ ὀφθαλμοί μου, id est, non ex alio in aliud elati sunt. Elevandi autem oculi secundùm dicta prophetæ sunt, Elevate oculos vestros, & videte quis ostendit hæc omnia. Et Dominus in Evangelio ait, Elevate oculos vestros, & conspicite regiones: quia albæ sunt ad messem. Elevandi ergo sunt oculi; sed non rursum [a] in aliud elevandi: ut semel in id quod elati sunt perseverent.

Esa. 40. 26. *Johan. 4. 35.*

Erectus in Deum David, de gloria sua non insolescit.

3. Dehinc sequitur: *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Magni periculi res est, si in modicis ambulamus, & si non in mirabilibus demoramur. Magna eloquia Dei sunt, ipse mirabilis in excelsis est: & quomodo tamquam bonum opus de se Propheta præfert, quòd in magnis & mirabilibus non ambulet? Sed cùm addidit, *super me*; in his non ambulat, [b] quæ hominum mirabilia & magna creduntur. David enim & propheta & rex, erat humilis antea & abjectus, neque convivio patris sui dignus: sed Deo complacuit, unctus in regem est, adspiratus est in prophetam. Non insolescit in regno, non odiis commovetur: persequentem se amat, inimicorum mortes honorat, incestuosis & parricidalibus filiis parcit. Imperator contemnitur, pater læditur, propheta vexatur: ultionem non ut propheta orat, vindictam non ut pater sumit, contumeliam non ut imperator exsequitur. In his ergo quæ super se magna & mirabilia sunt, non ambulat.

℣. 2. Corde humilis est, non sensu.

4. Sed videamus quæ sequuntur. *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam.* Quæ prophetæ ista diversitas est? Non exaltat cor: exaltat animam. Non in magnis & mirabilibus super se ambulat: sed non humiliter sentit. Excelsus animo est, & corde submissus. Humilis in suis est; sed non humilis in sensu est. Sensus enim ejus * in cælo est, anima ejus est in excelsis. Corde autem (ex quo secundùm Evangelium exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ) humilis est, suavi illi mansuetudinis jugo subditus est. TENENDUS ergo humilitatis & altitudinis modus est: ut corde humiles, sensu verò & animâ simus excelsi.

* *Mic. ms.* in cælum. *Matth. 15. 19.*

Panem vivum esurit.

5. Dehinc sequitur: *Sicut ablactatum super matrem suam, sic retribues in animam meam.* Ablactato Isaac, accepimus Abraham fecisse cœnam: quòd ablactatus, jam puerili [c] ætati proximus lactis excederet. Et Apostolus omnes [d] rudis fidei, & infantilis adhuc in Dei rebus scientiæ, lacte potat. Ergo profectus maximus est, jam lacte non indigere. Ad fortiorem enim cibum transisse filium suum Abraham, etiam convivii lætitiâ testatus est: & Apostolus carnalibus & parvulis in Christo panem negat. Propheta itaque orat, quia non exaltaverit cor suum, quia non in magnis & mirabilibus suis ambulaverit, quia non humilia senserit, sed exaltaverit animam suam, uti tamquam ablactato super matrem suam retribuatur animæ ejus: scilicet perfecti & cælestis & viventis panis retributione sit dignus, quia per superiora quæ commemoravit opera, cibum jam lactis excesserit.

Gen. 21. 8. *Hebr. 5. 12.* *1. Cor. 3. 2.*

A ... B

6. Sed neque sibi tantùm hunc vivum è cælis panem precatur: universos autem ad ejus spem adhortatur, dicens, *Speret Israel in Domino, ex hoc nunc & usque in sæculum sæculi.* Spem nostram nullo fine temporum claudit, in immensum exspectationis nostræ fidem tendit. In sæculum sæculi sperandum est: [e] quia per spem præsentis sæculi, spem futuri sæculi consequemur, in Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

℣. 3. C

PSALMUS CXXXI.

Canticum graduum.

D *MEMENTO Domine David, & omnis mansuetudinis ejus. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob. Si intrabo in tabernaculum domus meæ: si adscendero in lectum * stratus mei. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Ecce audivimus eam in * Ephratam, invenimus eam* E *in campis silvæ. * Intravimus in tabernacula ejus: adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus. * Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Sacerdotes tui induantur justitiam, & sancti tui * exsultent. Propter David servum tuum, * non avertas faciem Christi tui. Juravit Dominus David veritatem, &* F *non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem * tuam. Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc quæ docebo eos; & filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam: quoniam elegit Dominus Sion,*

* Hilarius, strati. * Ephrata. * Hil. introibimus. * exsurge. * lætentur. * ne. * Hilarius, meam.

[a] In edit. Hilarianis *ex alio in aliud*, abundat *ex alio*: neque exstat apud Zenonem, aut in mss.

[b] Hilarianæ edit. *quæ homini magna* &c. perversè: homini quippe mirabilia & magna videntur divina, in quibus ambulare Propheta non negatur. Rectiùs mss. ut apud Zenonem, *quæ hominum*, hoc est, quæ in hominibus. Itaque verba *super me*, non intelligit Hilarius quæ supra me, sed quæ in me sunt: ut dicat David, Magna & mirabilis in me videtur potestas regis, prophetæ &c. sed hac ego potestate non sum usus. Clariùs eadem expositio rursum apud Zenon. per modum concionis ad populum habitæ tractata, pro *quæ hominum magna* &c. habet *quæ magna ab hominibus hoc putantur in sæculo.*

[c] Apud Bad. Er. Zenon. & in mss. Reg. & Mic. *puerili ætate.* Tum in Reg. à prima manu & apud Zenon. *proximum.* Fortè, *jam puerili ætate potum lactis excederet.*

[d] In vulgatis, *rudes fidei, & infantiles.* Magis placet cum Turon. ms. *rudis fidei & infantilis*, scil. *scientiæ.* Habet etiam Reg. *& infantilis.*

[e] Abest *quia* à mss. & apud Zenon. apud quem deinde *consequendam*, in mss. autem *consequentes*, non *consequemur.*

*præelegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi : hîc habitabo , quoniam præelegi eam. Viduam ejus benedicens benedicam : pauperes ejus saturabo panibus. Sacerdotes ejus induam salutari : & sancti ejus exsultatione exsultabunt. Illuc producam cornu David : paravi lucernam Christo meo. Inimicos ejus induam confusionem : super ipsum autem * floreat sanctificatio mea.*

* *florict.*

TRACTATUS PSALMI.

Christum canit hic psalmus.

1. OMNES quidem anteriores psalmi graduum in profectum nos spei celsioris extollunt : & per doctrinam fidei, spei, confessionis , humilitatis , [a] operationis in sublime gradibus suis provehunt. Sed hic præcipuè psalmus [b] nos ad cognitionem filii Dei edocet, & sacramento assumtæ ab eo carnis instituit. Cœpit enim ita : *Memento Domine David , & omnis mansuetudinis ejus.* Audent Judæi adventum Domini nostri, quo in corpore salutem humano generi reddidit, abnegantes, hunc psalmum ad David referre, ut in passione Domini impii, ita & in prophetiæ scientia imperiti ; legentes & non intelligentes, [c] habentes & nescientes, venerantes & non obedientes. Qua enim religionis simulatione prophetarum libros venerentur, multis cognitum est. Contrectare legentes manu non audent, linteo substernunt, ad fidem sacramenti testes eos adhibent : & hoc eo proficit, ut majore irreligiositatis crimine eorum, quibus tantus honos debetur, dicta aut contemnant , aut dissimulent, aut nesciant. Hoc eò dictum est, quia cùm in prophetis longè postea , quàm David corpore excesserat, scriptum habeant in Jeremia ita : In illa die, dicit Dominus, contribulabo jugum à cervice eorum, & vincula eorum disrumpam , & non operabuntur ipsi adhuc aliis diis, & operabuntur Domino Deo suo, & David regem ipsorum suscitabo illis ; & rursum, Suscitabo illis David regem , orientem , justum , & regnabit rex, & intelliget, & faciet justitiam & judicium super terram : [d] in diebus ejus salvabitur Judas , & Israel commorabitur fidens ; item in [e] Esaia, Et excitabo super eos pastorem unum altum, & pascet eos servus meus David : & erit his pastor, & ego ero illis in Deum , & David princeps in medio eorum , ego Dominus locutus sum , & disponam ad Dauid testamentum pacis : nolunt credere quod docentur, neque his fidem habent [f] quibus deberi venerationem confitentur. Et religiosi quomodo erunt, auctoritatem abnegantes religioni ?

Ad David perperam à Judæis refertur. — *Eorum erga sacros libros religio.* — *David prædicitur venturus post quàm è vivis excesserat.* — *Jerem. 30. apud LXX. 37. 8. & 9.* — *Jer. 23. 5.* — *Ezech. 34. 23. &c.*

David verus, Christus.

2. David cum patribus quiescebat, ipse testamentum datæ per Moysen legis cognoverat : tantò postea Deus per prophetas locutus est David excitandum, pastorem, regem, orientem, justum, in cujus diebus salus Israel sit, ad quem Deus testamentum pacis disponit. Ergo est David, non hic Jesse filius psalmorum ex parte conscriptor : sed David ob custodiam gregis sui pastor ; Pastor enim bonus pro ovibus suis animam ponit : ob æterni regni gloriam rex, cui dictum est, Rabbi tu es rex Israel : [g] ob judicium justus, Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio : ob lumen mundi oriens ; Erat enim lux vera, quæ [h] illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum : ob filii dignitatem testamenti pacis heres ; Omnia enim mihi data sunt in cælo & in terra ; & , Pacem meam relinquo vobis. Confiteantur ergo necesse est Judæi , longè post tempora David hæc esse prædicata. Est autem David iste, qui nomen parentis secundùm originem carnis accepit : nomen sumens ejus, cujus ex genere sumebat & corpus. Omnia autem, quæ psalmo continentur, & à gestis prophetæ David , & à natura humanæ infirmitatis , & [i] ab ætatis temporibus diversa sunt. Et quia ei non res, non conditio, non tempus aptatur , & in eum David quem postea Deus per prophetas pollicitus est conveniunt ; non est ambiguum quin etiam hic propheta egregius & magnus de eo David, qui postea exstitit, Dei spiritu, prophetæ officio sit locutus.

Johan. 10. 11. — *Johan. 1. 49.* — *Johan. 5. 22.* — *Johan. 1. 9.* — *Matth. 28. 18.* — *Johan. 14. 27.*

Christi oratio suo homini Dei memoriam precantis.

3. Ait enim , *Memento Domine David , & omnis mansuetudinis ejus.* Non ait , Memento mei ; sed *Memento Domine David* : ut alterum qui loqueretur ostenderet. Orationem autem omnem hanc esse unigeniti Dei filii [k] per Prophetam loquentis existimari necesse est, memoriam Dei Patris erga eum sibi quem assumturus erat hominem deprecantis. Est enim nunc Jesus, secundùm Apostolum, in gloria Dei patris : & ei omne cælestium & terrestrium & infernorum genu flectitur. Ergo se primogenitus Dei filius Deus Verbum jam David nuncupat , per Prophetam ejus sibi hominis nomen assumens, qui secundùm divini-

Philip. 2. 11.

[a] Sola editio Par. *orationis.*

[b] In vulgatis , *nos & cognitionem* : pravus efficitur sensus , quasi nos quoque caneret hic psalmus. Rectiùs mss. *ad* ; quomodo superiùs n. 1. psalmus dicitur *ad humilitatem nos & mansuetudinem docens* : & in Ps. 118. lit. 13. n. 1. *quo ad perfectam Dei cognitionem atque obeditionem edocemur* , &c.

[c] In mss. Turon. & Reg. desideratur , *habentes & nescientes , venerantes & non obedientes.* Post pauca in solo Turon. exstat , *lintea substernunt* : at mox in utroque , *testes adhibent* , omisso *eos.*

[d] Ita mss. consentiente græco. At editi , *in diebus illis salvabitur Juda.*

[e] Hunc locum in Esaia frustra quæsitum in Ezechiele reperimus , in quo post *unum* non exstat *altum* etiam apud LXX. qui cum Vulgata subjiciunt , *& pascet eos , servum meum David* , non *servus meus.*

[f] Solus codex Regius , *quibus de brevi veneratione confitentur.*

[g] In vulgatis , *ob judicium Dei.* Vox *Dei* expuncta est auctoritate mss.

[h] Regius ms. ac Turon. *lucificat* : sicque legere est in Psal. 118. lit. 14. n. 1. & in 138. n. 35. Legimus autem *illuminat* lib. 1. de Trin n. 10.

[i] Editi , *ab ejus.* Ms. Reg. *à beatis.* In margine Turon. adscriptum est *habeatis* , in textu autem *à transactis.* Restituimus ex Mic. *ab ætatis* : quod intelligendum ex his num. 20. *non præsentis ætatis est sermo* &c.

[k] Regius codex cum Turon. *per Prophetas.*

tatis suæ privilegium unà secum esset in Patris gloria collocandus. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus:* ait enim ipse, Quia mansuetus & humilis corde sum. Et testimonium de eo Patris est: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo complacuit [a] anima mea: ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. Ut omnis ergo ejus mansuetudinis Pater meminerit deprecatur, per cujus mansuetudinis modestiam Deo patri officium humilitatis suæ voverit.

(Matth. 11. 29. — Matth. 12. 18. & 19.)

✝. 2 4. *Sicut*, inquit, *juravit Domino, votum vovit Deo Iacob.* Sacramenti mentio ad professionem voluntatis assumitur. Et nescio an Unigenitus juraverit. Certè ita & gessit & locutus est omnia, [b] ut sacramenti religioni satisfacere videretur. Namque cùm quædam de passione sua locutus ad discipulos suos fuisset, & Petrus tamquam indignum hoc Dei filio detestatus esset; Petrum, cui superiùs claves regni cælorum dederat, super quem Ecclesiam ædificaturus erat adversùs quam portæ inferni nihil prævalerent, qui quæ in terris solvisset vel ligasset, ea in cælis vel soluta persisterent vel ligata, hunc itaque tali convicio, detestantem hoc sacramentum passionis, excepit: Vade post me satana, scandalum mihi es. Tanta [c] enim ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, ut Petrum primum filii Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cælestis regni janitorem, & in terreno judicio judicem cæli, satanæ convicio nuncuparet. Quin etiam in tumultu eo, quo se dedendum passioni præbuerat, cùm idem Petrus servo sacerdotis gladio aurem abscidisset, ait, Reconde gladium tuum in thecam: calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? impium & profanum docens esse, si non omnia, quæ erga humanam salutem Patri vovisset, expleret. Absolutè autem in eo ostendit [d] devotam passionis suæ religionem, cùm post aceti poculum esset spiritum traditurus: perfectis enim omnibus ait, Consummatum est, & inclinans caput tradidit spiritum. Percucurrerat enim omnia sacramenti officia: & ubi consummatione gaudetur, ibi in suscepti operis perfectione lætitia est. Ergo quia secundùm hanc gestorum devotionem ita omnia acta sunt, ut videantur studiosè pro religione, [e] quia jurata sunt hæc, esse perfecta: sequens est ut videatur quid sit, quod David iste & juravit & vovit.

(Jurasse dicitur, quia ita implevit omnia, quasi jurasset. — Petri prærogativæ. — Matth. 16. 23. — Satanæ nomen unde meruerit. — Johan. 18. 11. — Johan. 19. 30.)

✝. 3. 5. *Si intrabo in tabernaculum domus meæ, si* A *adscendero in lectum strati mei, * si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem,* ✝. 4. ** & requiem temporibus meis, donec [f] cùm inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* ✝. 5. Humanæ naturæ vota esse ista non possunt: & conditio sacramenti infirmitatem terrenæ necessitatis excedit. Adeundum tabernaculum domûs non est, strato lecti abstinendum est, somnus oculis, & palpebris dormitatio, & requies temporibus non danda est, donec cùm inveniatur B Domino locus, & tabernaculum Deo Jacob. Standum ergo erit nocte dieque sub cælo, & numquam in requie corpus jacebit: oculi autem semper vigiles laborabunt, & ne ipsis quidem palpebris [g] connivendo dormitationi permittetur obductio. Tempora verò, quæ maximè toto in capite & corpore injuriis vigiliarum & stationis obnoxia sunt, requiem non habebunt. Homo ista de se [h] jurare non finitur; etiamsi maximè nolit, conditionem C tamen voti hujus pro ipsa naturæ suæ necessitate violabit. Vigilet licèt animus, & corpus in statione contineat; tamen necesse est infirmitatis dominante naturâ, & procidat, & dormiat, & requiescat invitus. Dehinc quem locum Deo homo inveniet? Incomprehensibilem infinitamque naturam quali tabernaculo continebit? cùm de se ipse per prophetam Deus locutus est, dicens, Cælum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum: quam D domum ædificabitis mihi, aut quis locus requietionis meæ? Omnia enim hæc fecit manus mea, & mea sunt omnia hæc. Non ignarus autem hujus divinæ vocis Propheta est, & scit humanæ & terrenæ operationis domum Deo esse non posse, idipsum psalmo anteriore contestans, cùm ait, Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Ergo si neque natura hominis conditionem voti istius recipiet, neque locum E & tabernaculum Deo humana * requiret operatio; cognoscendum est per cælestium Scripturarum auctoritatem, quod sit hoc votum, & per cujus satisfactionem locus Domino, & tabernaculum Deo Jacob sit repertum.

(Hæ non sunt voces hominis, cui hæc jurare non liceat: — cui nec dignum Deo locum invenire li[ceat]. — Esai. 66. 1. & 2. — Psal. 126. — * f. reperiet.)

6. Domino nostro Jesu Christo unigenito Dei filio, qui omnia humanæ salutis sacramenta tamquam juratus explevit, & quem à prophetis David significatum docuimus, hoc opus maximum fuit, ut hominem ad scientiam divinam eruditum dignum [i] habitaculo Dei red-F deret. Et esse hominem sedem atque habitationem Dei ita docemur, Deo ipso per prophetam loquente, Quia habitabo in his, & in illis ambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi

(Christi opus, dignum Dei habitatione hominem efficere. — Levit. 26. 12. — 2. Cor. 6. 16.)

---

[a] Editi, *anima mea:* corriguntur ex mss. & græco εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου.

[b] Ita mss. Vatic. & Mic. ubi in vulgatis ac mss. Reg. & Turon. *sacramento religionis.*

[c] Abest *enim* à mss. Reg. & Turon. Notatu dignum est, quòd Hilarius non hîc tantùm, sed & in Psal. 138. n. 6. Petrum *satanæ convicio* nuncupatum disertè asserat. Cùm igitur in Matth. cap. 16. hæc eadem Christi verba in satanam ipsum dicta innuit, secum potest, immo etiam debet sic conciliari, quòd Christus increpasse dicatur, in prædicto quidem Commentario satanam ipsum ut infidelitatis Petri auctorem, nunc verò Petrum tamquam satanæ suggestioni consentientem; qui ideo satanas, quia per satanam infidelis fuerit. Ut enim docetur in Psal. 142. n. 2. eorum nomen quisque accipit, *per quos est talis.*

[d] In Reg. ms. *deditam.* In Turon. *debitam.*

[e] Turon. ms. cum Reg. *quæ jurata sunt.* omisso deinde *hæc.*

[f] Particula *cùm* in vulgatis omissa, adjicitur hîc & infrà auctoritate mss. Sic & in Matth. c. 17. n. 5. legere est, *donec cùm à mortuis resurgeret.* Huic similis est pleonasmus *cùm quando* Hilario valde familiaris.

[g] Sic mss. Reg. & Turon. Editi verò, *connivendi in dormitatione.*

[h] In duobus mss. *orare.*

[i] Excusi, *habitaculum Deo.* Post pauca ms. Turon. *inter illos ambulabo*, non *in illis.*

erunt

Psal. 5. 12. erunt mihi populus : & rursum, In æternum A exsultabunt, & inhabitabo in his. Dominus autem ipse in Evangelio ait, Si quis diligit me, verbum meum servabit, [a] & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. (Johan. 14. 23.) Apostolus quoque ait, Vos estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis. (1. Cor. 3. 16.) Habitat autem Deus religiosorum mentes, non corporali aditu, neque naturæ gravioris ingressu; [b] ut aliunde decedens, illic tantùm quò se intulerit insistat : sed spi- B ritali virtute in vacua se terrenis labibus corda permittit, seseque luminis modo [c] in patentes innocentiæ foribus mentes illuminaturus infundit. Assumto igitur corpore unigenitus Deus, neque antè se cum homine suo ingressurum tabernaculum domus suæ jurat, id est, in cælestem habitationem suam esse rediturum, quàm hæc religiosi pectoris loca Domino inveniat.

Quî Deus hominem habitet.

Non rediturus in cælum Christus, nisi id consecutus.

7. Sed neque stratum lecti sui adscensurum se esse vovit. Stratum requies humanorum C laborum est, & fessorum corporum refectio. Sed [d] quia in cælo semper quiescitur, & quia indefessa illa natura laborem nescit; semper in strato, id est, semper est in quiete. Dominus noster in forma Dei manens formam servi accepit, & obediens usque ad mortem fuit, & mortem crucis; ut plus nescio quid morte [e] pateretur. Ob id autem tantùm obediens usque ad crucis mortem est, ut nos habitatione Dei dignos esse præstaret. Mori igitur D voluit qui vita est, & effici se indefessa virtus ad habitationem corporis non recusavit infirmam, ut in forma Dei manens formam servi acciperet. Excessit ergo ex illo æternæ beatitudinis suæ strato. Et testis nobis quadragesimus psalmus est, qui ex persona Domini omne sacramentum passionis eloquitur, dicens, Universum stratum suum versasti in infirmitate ejus. (Ps. 40. 4.) Cùm per obedientiam voluntatis paternæ ex Deo homo, ex potente in- E firmus, ex vivificante mortuus, ex [f] æterno sæculorum judice crucis reus dicitur; tum stratum ejus [g] in infirmitate convertitur. In illud igitur æternæ & beatæ quietis stratum vovit, nisi reperto Dei tabernaculo, non redire : sed nec antè somnum oculis suis dare.

Non requiem sumturus, nisi homo Dei sedes sit effectus.

Non antè moriturus.

8. Quis iste est somnus? Nempe ille, de quo ait, " Ego dormivi, & somnum cepi, & surrexi, quoniam Dominus suscipiet me. (Psal. 3. 6.) Mortis hic somnus est, quem non antè oculis suis dabit, F quàm locum habitationis inveniat. Hujus etiam somni beatus patriarcha Jacob in benedictione Judæ, qui princeps gentis istius exstitit, meminit, dicens, " Catulus leonis Juda, ex frutice filius meus, procidens dormisti ut leo, & sicut catulus leonis. Quis suscitabit eum? " (Gen. 49. 9.) Et superior & consequens benedictio nec ætati Judæ nec gestis convenit; sed ei qui ex Judæ frutice sicuti ex radice Jesse est, qui & catulus leonis est, & Jacob erit filius. Ex hac enim Judæ tribu Maria est, quæ Domino nostro secundùm carnem mater fuit. Hic ergo procidens dormivit ut leo. Leo terrori est feris omnibus, & veluti dominans est ceterarum bestiarum : & hic solus per confidentiam & securitatem dormit intrepidus. Terror omnium * vigilans est; ipse autem securus in somno est. Et idcirco addidit, Quis suscitabit eum, quia intrepidæ & præpotentis naturæ securitatem nulla externi terroris timiditas inquietet. Ne ergo quidquam humile atque passibile impassibilem unigeniti Dei substantiam perpessam existimaremus [h] in ea morte quam subiit; feræ hujus intrepidè dormientis exemplum ad securæ mortis intelligentiam est relatum : ut extra humani terroris esse in somno illo inquietudinem doceretur, qui per generis sui naturæque virtutem, dormiens licèt, timere non posset. Servata autem diligentissimè ea ratio est, ut in unigenito Deo æterni & gignentis eum Dei gloria [i] nosceretur, cùm dicitur, " Sicut leo, & sicut catulus leonis. Ad id enim quod ex Deo ipse subsistit, catulus est leonis : ad id verò quod leo est, paternæ in eo majestatis indifferens generositas prædicatur. Ut unum ambo sint, leo est : ne unus atque ipse sit, catulus est leonis.

Prophetia Jacob de Christo nomine Judæ.

Leo securus in somno, Christus Deus intrepidus in morte. * id est, cùm vigilat.

Filii cum Patre æqualitas ac distinctio.

9. Id ipsum autem etiam psalmi consequentia [k] docent. Ne enim indefessa illa virtus & impassibilis unigeniti Dei natura mortis somno dormitatura existimaretur; rem omnem ad officium corporis, cui discessio immortalis animæ mors est, retulit dicens, *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Temporibus secundùm translationis fidem, non ætatis spatiis, sed capitis partibus requiem negat. Et hæ affectiones sunt corporales, quas labor longus & vitæ anxietas exagitant. Quievit autem ille, cui mors somnus est : & id quod nobis pœnalis demutatio est, unigenito & in corpore manenti Deo requies fuit.

Quàm non Christus ut Deus mortuus sit.

10. Sed ante hanc requiem & Apostoli eliguntur, & solvendi ac ligandi & in terra & in cælo jus sortiuntur, & potestatem adversùs virtutem omnem adversariam sumunt, & templum Dei sunt; & ipsi ex lege venientes, dignum Deo Jacob tabernaculum sunt reperti. Ac ne fortè nos per multiplicem humani ingenii intelligentiam, vim veritati afferre qui-

Quî per Christum homines Dei domus evaserint.

[a] Turon codex, *pater meus diliget eum, & veniemus & mansionem* &c.

[b] Editi, *ut alibi non degens* : corriguntur auctoritate mss.

[c] Vulgati, *in patentibus*. Concinnius mss. *in patentes*, scil. *mentes se infundit*. Quomodo Verbum nulli se neget, nisi qui sibi aditum negaverit, pariter solis similitudine illustratur in Psal. 118. lit. 12. n. 5.

[d] Abest *quia* à mss. Reg. & Turon.

[e] puta, quia crux non mortem tantùm, sed etiam tormenta & ignominiam intulit.

[f] Reg. ms. cum Turon. *æternorum*.

[g] Editi, *in infirmitatem*. Magis placet cum mss. *in infirmitate* : tum quia respicitur illud, *versasti in infirmitate* : tum quia hinc tollitur suspicio, ne mutationis expers Dei natura conversionem perpessa prædicetur.

[h] Regius codex necnon Turon. *à morte*. Vides, ubicumque Christus impassibilis prædicatur, id de eo tantùm secundùm divinam ipsius naturam asseri : quod ex his maximè & ex primis subsequentis numeri verbis liquet.

[i] In ms. Reg. *nasceretur*.

[k] In duobus mss. *demonstrat*.

dam arbitrentur; ut quod ex David persona dictum sit, id ad Dominum salvatoremque nostrum multimodis translationum subtilitatibus transferamus; contuenda sunt quæ sequuntur, ut ex his veritatem invitis licèt & renitentibus ingeramus. Ait enim, *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ.* (℣. 6.) * *Introibimus in tabernacula ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* (℣. 7.) Superiùs ubi juratur ac vovetur, voti sacramentum non convenire humanæ naturæ docuimus; quia tanti temporis vigilias labor terreni corporis recusaret. Et nunc ubi loca ipsa eorumque nomina commemorantur, ne quid in David referri possit, veritas ipsa & exstantis hodie regionis fides contradicit. David enim dispersum populum in regno suo habens, cui nulla religionis sedes esset, aream in Jerusalem coemit ad locum templi, (2. Reg. 24. 24.) ut illuc ad explenda legis sollemnia convenirentur. Sed templum hoc filius ejus Salomon ædificavit, ornavit, & religionibus initiavit.

Judæi hæc de David, non de Christo dicta intelligentes confutantur.

11. Volunt ergo Judæi David areæ hujus coemtorem, peregrinationem à domo, & vigiliarum injuriam, & laborem corporis, donec cùm hunc locum & hoc tabernaculum Deo Jacob posset invenire, vovisse. Sed hoc neque historia Regnorum aut Præteritorum, in quibus David gesta continentur, loquitur; neque psalmus admittit. Et cur non admittat, in absoluto est. David aream coemit: locus templi locus areæ fuit, ubi fruges congestæ, ubi tritæ, ubi & paleæ à tritico separandæ sunt. Requies autem Domini in Ephrata est: & priùs audita in Ephrata est, & postea in campis [a] silvæ reperta. Et quid commune Jerusalem ad Ephrata? quid areæ ad silvæ campos? Nihil hîc conveniens est, nihil non dissonans. Aream, in qua requievisse Deus Jacob existimatur, (Matth. 3. 12.) novissimis temporibus ventilabro Dominus emundat: triticum ejus horreis condit, paleas autem inexstinguibili igne urit. Probatos legis viros apothecis dignos habet: inutiles & infructuosos igni judicii deputat. Templum illud hodie jam nullum est, incensum est, dirutum est, informe ruinis est: & ubi ergo Dei requies est? Mentitus Propheta est, & irritum sacramenti ipsius votum est? Deus etenim requiem, quam ei se juratus reperturum voverat, amisit? Itaque quia neque Dei dignitati, neque naturæ hominis, neque locorum veritati, neque temporum demutationi hæc irreligiosarum opinionum figmenta conveniunt; ex ipsis * nunc Scripturarum cælestium auctoritatibus demonstrandum est, ad personam Domini nostri Jesu Christi & ad Ecclesiæ sanctificationem psalmum esse referendum.

* *Abest* nunc *à duobus mss.*

Cur superior in singulari, modò in plurali sit sermo.

12. Diximus superiùs, etiam hunc prophetam de David illo justo, pastore, rege, oriente, in psalmo isto prophetasse, & ex persona ejus locutum esse, cùm dixit, *Si intrabo in tabernaculum domus meæ, si adscendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Nunc verò ut se voti hujus non ignarum neque imperitum esse Propheta ostenderet, ex persona sua loquitur, dicens, *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ.* Superiùs, ubi sacramenti religio commemoratur, unus juravit ac vovit. Unus enim in forma Dei manens formam servi accepit: & unus Dominus Jesus Christus est per (1. Cor. 8. 6.) quem omnia, [b] uno Deo patre ex quo omnia. Nunc autem ubi scientiæ propheticæ cognitio ostenditur, ex persona plurimorum dicitur, *Audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ:* quia à pluribus requies Domini prophetabatur.

Ecclesia in Bethlehem cœpta, in gentibus reperitur.

13. Auditur itaque in Ephrata. Ephrata eadem est quæ Bethlehem, in qua Dominus natus ex Maria est. Testis nobis est Propheta, dicens, Et tu Bethlehem domus Ephrata, non (Mich. 5. 2.) es minima ut sis in millibus Juda; ex te enim exiet qui erit rex Israel: & rursum, Et tu Bethlehem Judæ non es minima inter principes Ju- (Matth. 2. 6.) da; ex te enim exiet qui reget populum meum Israel. Illic enim primùm Dei requies auditur, ubi primùm unigenitus Deus corpus humanæ carnis habitavit; & quod in Ephrata auditur, in campis silvæ invenitur. Initium itaque Ecclesiæ in Bethlehem auditur; esse enim cœpit à Christo: sed in gentibus reperitur, quæ sunt [c] ex silvis campi, ex horrentibus nitidæ, ex sterilibus fructuosæ, ex ignis pabulo vitalis cibi regio, ex ferarum cubilibus Dei requies, domus, templum atque possessio. Quòd autem gentes tamquam silvæ cubile diaboli fuerint, psalmus nobis septuagesimus-nonus erit testis, (Ps. 79. 14.) dicens, Devastavit eam aper de silva, & singularis ferus depastus est eam. Illic enim de vinea sermo est, id est de Dei, ut tunc putabatur, populo, quem infidelem & impium diabolus gentes inhabitans vastaverat. In his ergo campis silvæ Dei requies, quæ in Ephrata audita est, invenitur.

Beatitudo non hîc nisi spe.

14. Servata autem temporum ratio est, ut quod & *audivimus* & *invenimus*, præteritam significet ætatem; id autem quod deinceps consequitur, spem futuri temporis doceat, cùm ait, (℣. 7.) *Intrabimus in tabernacula ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Corporali [d] istud vitæ præsentis officio Propheta desperans, fide & spiritu præsumit, ut tabernacula requiei Dei, quia ea & vidit & audivit, introeat. Sed superiùs super uno tantùm tabernaculo juratum est; nunc autem multa tabernacula introibunt. Sunt enim [e] ex una Apostolorum Ecclesia, de qua superius votum est, plures ecclesiæ & multa tabernacula: sed eadem Dei requies in pluribus est. Hæc ergo requiei Dei tabernacula introi-

Ecclesia una & multæ.

[a] Vocabulum *silvæ* hîc adjicimus ex mſ. Turon. qui paulò antè habet, *paleæ tritico separatæ sunt.*

[b] Excusi, *unus Deus Pater:* minùs ad rem & reluctantibus mss. Hinc Christus ostenditur unus, quia ab uno patre.

[c] In vulgatis, *ex silvæ campis.* At in mss. Reg. & Turon. *ex silvis campi*, ad ostendendam Gentium conversionem longè aptiùs.

[d] Editi, *istius vitæ.* Rectiùs mss. *istud*, scil. beneficium intrandi in tabernacula Dei. Paulò antè in Reg. & Turon. *adorabimus ubi*, sine verbis *in loco.*

[e] Deest apud Par. præpositio *ex*. In aliis autem edit. desiderantur verba, *sunt enim ex una* &c. usque *sed eadem.* De Ecclesia in pluribus una videsis Tract. Ps. 14. n. 3. & not. g.

Ecclesiæ status immobilis.

bunt. Neque solùm introibunt, sed etiam adorabunt ubi steterunt pedes ejus. Cùm statur, uno in loco, ex quo decedi [a] non oporteat, consistitur: ubi verò pedibus statur, illic toto corporis officio insistitur. Lex præteriit, prophetia clausa est, finis eorum Christus est, demutationis alterius locus nullus est: in hoc in æternum standum est, ubi jam decursu legis & prophetarum Dominus insistit. Discurrit quidem per Apostolos prædicatio, quos frequenter pedes significatos meminimus: sed in Evangeliis consistitur. Illic ergo adorabitur, ubi Domini pedes, id est, [b] prædicationis novissima sine demutationis alicujus [c] transgressione constiterint.

Desiderium Dei. Matth. 13. 17.

15. Et quia in Evangeliis legimus dictum, Multi prophetæ & justi cupierunt videre quæ vos videtis, & audire quæ auditis; sanctus Propheta desiderii hujus impatiens est. Post quàm enim requiem Dei audivit & reperit, post quàm introiturum se adoraturumque credidit; spei tantæ fieri jam particeps deprecatur, dicens, *Exsurge Domine in requiem tuam*, quam repperturum se David tuus vovit, quam nos in Ephrata audivimus, quam in campis silvæ invenimus, in cujus tabernacula introibimus, adoraturi illic ubi pedes tui steterunt. Exsurge igitur in eam requiem, quæ voti sacramento quæsita est, quæ prophetiæ scientiâ in loco audita est, quæ [d] gentium cultu frugifero reperta est, quæ introeuntibus frequentabilis est, quæ loco indemutabilis est, quæ adorantium religione venerabilis est. (℣. 8.)

Arca sanctificationis, Christus.

16. Sed non solùm tu Domine exsurge in requiem tuam, sed *& tu & arca sanctificationis tuæ.* Non arca testamenti, non arca legis: sed *arca sanctificationis tuæ.* Et quidem esse arcam testamenti meminimus, intus ac foris auream, ubi tabulæ lapidum, ubi sanctæ litteræ, ubi liber Testamenti, ubi gomor mannæ. Sed hæc omnia ejus, quod Dominus assumsit, corporis species est, omne in se sacramentum continens legis. [e] Nunc & deitatis spiritu & origine carnis [f] unitum, intus scilicet ac foris aureum est; est enim Dominus noster Jesus Christus in gloria Dei patris. [g] Manna in se continens æternum; ipse enim panis est vivus. Testamenti intra se tabulas & legis librum conservans; sunt enim in eo verba vitæ. Ut igitur cum Domino etiam hæc sanctificationis arca ([h] hunc enim Dominum secundùm Evangelia & sanctificavit & signavit Pater) in requiem exsurgat, Propheta orat. Ceterùm arca illa terrena & frequenter & ab allophylis capta est, & polluta à regibus: & hodie templo atque urbe subversâ jam nulla est. Et videamus quid sequitur. (Johan. 6. 27.)

17. Ait enim, *Sacerdotes tui induantur justitiam, & sancti tui lætentur.* Induuntur Deo, &, arcâ sanctificationis ejus in requiem resurgente, justitiâ sacerdotes, validissimo ut Apostolus ait thorace; Induentes thoracem justitiæ, quo inimici jacula excipiant, quo [i] terrenum hominem communiant: sancti autem lætentur. Et videamus causam, cur & sacerdotes justitiam induant, & sancti lætentur. Ait enim, *Propter David servum tuum ne avertas faciem Christi tui.* Christum ad deitatis spiritum retulit, David [k] ad corporis carnem. Formam enim servi qui in Dei forma manebat accepit. Ne igitur avertat à sacerdotibus atque sanctis Christi faciem, rogat: ut eos divinitatis suæ gloriâ, qui propter David, id est, propter assumti ab eo corporis sacramentum lætantur, illuminet. (℣. 9. Ephes. 6. 14.)

Cur sanctis lætitia, & sacerdotibus induenda justitia. ℣. 10.

18. Et cur propter David servum suum [l] ne faciem Christi sui avertat, ostendit dicens, *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum.* Dominus jurat, & jurat veritatem, & dicti sui fidem etiam sacramento ne ambigamus affirmat. Non fraudabit igitur David suum veritate jurata. Et quid ei juraverit, dignum est contueri. *De fructu ventris tui ponam super* [m] *sedem meam.* * *Si custodierint* (℣. 11. ℣. 12.)

Hæc ad litteram intelligi nequeunt.

[a] Mss. Reg. & Turon. *non poterat.*

[b] In vulgatis, *prædicationes novissimæ.* Restituimus ex mss. *prædicationis novissima*; ut quomodo pedes sunt partes novissimæ corporis, ita Evangelia prædicationis. Hinc superiori voce *Apostolos*, quotquot ad prædicandum Dei verbum etiam ante Christi adventum à Deo missi sint, intelligendos putamus.

[c] Reg. ms. cum Turon. & antiquis edit. *transcensione.*

[d] Editi, *in gentium fructu frugifero*: castigantur ex mss. Reg. & Turon. Hujus scriptor *frugifera* legendum esse conjectabat.

[e] Pro *nunc*, habet ms. Turon. *nam hoc.*

[f] Regius codex cum Turon. & vulgatis, *munitum.* Rectiùs Miciacensis ac Vaticanus, *unitum*: hoc est, Christum jam carne ut divinitate gloriosum, intus ac foris aureum esse, *dum homo & Deus jam Deus totum est*, ut loquitur Hilarius lib. 11. de Trin. n. 41. Hanc ipsius loquendi rationem fusiùs alibi explicuimus. Observare hîc sufficiat, Christi corpus, seu potiùs Christum ipsum, humanâ divinâque naturâ unitum tunc tantùm ab eo dici, cùm post resurrectionem gloriam quam ante sæcula habuerat recepit: quia nimirum ante gloriam carnis, humilis & ingloria forma servi quodam modo dissidebat à gloriosa forma Dei; atque eatenus Christus *amiserat naturæ Dei secundùm assumtum hominem unitatem*: nec rediit *in naturæ paternæ etiam secundùm hominem unitatem Verbum caro factum*, nisi *cùm gloriam Verbi caro assumta tenuit*, ut ipse explicat lib. 9. de Trin. n. 38. Neque hinc censeri debet abolitionem corporis prædicasse, quasi jam in Christo nihil sit, nisi aurum divinitatis. Nihil quidem aliud videtur esse, sed tamen aliud est. Unde Cyrillus apud Facundum Hermian. lib. 11. c. 7. *Ornabatur quidem lignum auri decore: sed tamen lignum esse non desiit.* Hoc ille de arca, de qua subjicit, *Quòd verò arca in Christi accipiatur imagine, pluribus possit probationibus declarari.*

[g] In mss. *mannam in se continens æternam*, lectio forsitan sincerior: qua ratione in Psal. 139. n. 12. legimus *pascham præveniat quæ.* Quamquam in Psal. 134. n. 24. exstat *manna* in quarto casu.

[h] Ita ms. Turon. At Bad. cum ms. Reg. *Hunc enim Dominus.* Erasmus autem pro *hunc enim*, posuit *hanc enim* sublata voce sequenti *Dominus*: quæ deinde lectio obtinuit. In ms. Mic. *Hunc enim ut Deus* &c.

[i] Edit. *in æternum hominem*: quod immutamus mss. auctoritate.

[k] *Nomen* scil. *ei ex parente carnis assumens*, ut habetur in Ps. 121. n. 9. Retinenda hæc nominis *Christi* notitia. Hujus ope agnoscetur Hilarius pluribus in locis, in quibus Christum absolutè impassibilem prædicasse putabatur, eum tantùm secundùm divinam naturam à doloris sensu vindicasse. Hanc nominis *Christi* notitiam confirmare est ex Justino sub initium Apolog. 1. ubi ait, *Christus quidem ex eo dicitur quòd Deus per eum & inunxit & ornavit omnia; quod etiam nomen ignotam habet significationem, quemadmodum Dei .... Jesus porro hominis Servatorisque nomen & significationem complectitur.*

[l] In 1ª edit. Par. *ne faciem Christi sui non avertat.* Cum hac ceteræ consentiunt, nisi quòd particulam *ne* non habent. Eam habent mss. sine *non*: hoc est, & cur orat ne propter David faciem Christi sui avertat. Mox in mss. Reg. & Tur. *non frustrabit* pro *non frustrabitur.*

[m] Editi, *sedem tuam*: emendantur ope mss. cùm illorum lectionem manifestè refutet num. 22. Horum è regione annotavit Erasmus, *Ut ubique sensum historicum demolitur.* Ita quidem spiritalem persequitur, ut historiam videatur rejicere. At cùm multis locis, tum proximo Tractatu Ps. 134. n. 13. & 18. disertè declarat historiæ se libenter concedere veritatem, sed eam tamen iis verbis exprimi, quæ rebus gestis non satis conveniant; ut iis spiritalia significari admoneamur. Neque inficias ierit Erasmus verba, quæ præ manibus sunt, ad Christum maximè & Ecclesiam pertinere.

filii tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea A
hæc quæ docebo eos; & filii eorum uſque in ſæ-
℣. 13. *culum ſedebunt ſuper ſedem tuam:* * *quoniam ele-*
git Dominus Sion, præelegit eam in habitationem
℣. 14. *ſibi.* * *Hæc requies mea in ſæcula ſæculorum: hic*
habitabo, quoniam præelegi eam. Quid hîc quod David ſit proprium continetur? Urbs illa, quæ generis ejus fuit regia, capta à Babyloniis, & everſa regni dignitatem ſub dominantium jure non tenuit: pòſt etiam à Romanis capta & incenſa, jam nulla eſt. Et ubi Dei B requies in æternum eſt? ubi ex fructu ventris ejus in ſede Dei reges ſunt? Serviunt enim hodie, exſules, patriâ carentes, toto in orbe diſperſi. Et ubi illa quæ jurata eſt veritas? ubi illud quòd non fruſtrandus eſt veritate? Et ubi filiis David regni æterni ſedes ſempiterna? Quæ electa Sion dicitur, horret ruinis, vacua incolis eſt: & quomodo Dei requies eſt *in ſæcula ſæculorum?* Currunt tempora, & hoc vitæ noſtræ ſæculum [a] manet: Deus ergo C ſine requie eſt.

(Simili loco elucidantur. Pſ. 88. 20. &c.) 19. Sed qui hæc infelicis erroris opinione ſic credunt, audiant cui David juratum ſit. Nempe illi, de quo dictum eſt, Poſui adjutorium meum ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo linivi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non adjiciet nocere D eum. Et concidam inimicos ejus à facie ipſius, & odientes eum in fugam convertam. Et veritas mea & miſericordia mea cum ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus. Et ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus. Ipſe invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, excelſum [b] ſuper reges terræ. In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum E fidele ipſi. Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies cæli. Si dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint, ſi [c] juſtificationes meas profanaverint, & mandata mea non cuſtodierint; viſitabo in virga injuſtitias eorum, & in verberibus peccata eorum: miſericordiam verò meam non diſpergam ab eo, neque decipiam in veritate mea, neque profanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de F labiis meis non faciam irrita. Semel juravi in ſancto meo, ſi David mentiar, ſemen ejus in æternum manebit: & ſedes ejus ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta [d] manet in æternum, & teſtis in cælo fidelis. Promiſſiones iſtæ David ejus ſunt, qui adversùs potentem adjutor electus eſt, cujus in mari manus eſt, cujus in fluminibus dextera eſt, qui nuncupare Deum patrem audet, quia eſt: qui ipſe primogenitus eſt, qui excelſus ſuper reges terræ, cujus ſemen in ſæculum ſæculi eſt, cui quæ ſunt dicta, non irrita ſunt, cui ſemel ſine mendacio juratur in ſancto, cujus ſedes ſicut ſol in conſpectu Dei eſt, & permanet ut luna perfecta in æternum. Ex hujus igitur ventris fructu ſuper ſedem Dei collocabuntur.

(Filii Dei in ſede Dei collocandi. Jerem. 30. 6.) 20. Quomodo autem ex fructu ſimus ventris ejus, audiamus prophetam Jeremiam docentem: Si itaque audiſtis hujuſmodi, ſi peperit maſculus. Partum ſexus iſte non recipit; ſed generatio [e] quæ à Deo eſt partûs inſtar obtinuit. Audiamus & Paulum parturientem in filiis procreandis, cùm dicit, Filii mei, quos iterum parturio. (Gal. 4. 19.) Eſſe autem omnes nos ſibi filios ipſe Dominus in Evangelio teſtatur, dicens, Fili, remiſſa ſunt tibi peccata: (Matth. 9. 2.) & iterum, Filii, adhuc vobiſcum ſum. (Johan. 13. 33.) Filii itaque ipſius ſunt in ſede Domini collocandi.

(Qui filii, quæ ſpei conditio.) 21. Et ſpei conditio præponitur: *Si*, inquit, *cuſtodierint filii tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos.* Moyſes legem ſcripſit, in qua teſtimonia Dei continentur, Propheta hic idem totus diverſatur in lege: & quomodo adhuc filii illius David in teſtimoniis ſunt docendi? Non præſentis ætatis eſt ſermo, ſed his proprius, de quibus dictum eſt, Confitebor (Matth. 11. 25.) tibi, Domine pater cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Sed docti & manentes in his quæ docebuntur, quid conſequentur? *Vſque in ſæculum*, inquit, *ſedebunt ſuper ſedem tuam.* Et qui iſti ſunt qui ſedebunt? Nempe de quibus dictum eſt, Et vos ſedebitis ſuper (Matth. 19. 28.) duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Iſrael.

(Patris & Filii ſedes una, quia una ſubſtantia.) 22. Non negligendum eſt autem id, quod ſuperiùs & inferiùs dicitur. Superiùs enim dictum eſt, *Ponam ſuper ſedem meam:* nunc autem dicitur, *Sedebunt ſuper ſedem tuam.* Et hoc quid erit? Nempe id quod dicitur, Omnia (Johan. 16. 15.) quæ Patris ſunt, mea ſunt. Sedes ipſa Patris & Filii ſedes eſt: quia, Ego & Pater unum (Johan. 10. 30.) ſumus. Aut quomodo intelligitur, *Ponam ſuper ſedem meam*, (℣. 11.) &, *Sedebunt ſuper ſedem tuam:* (℣. 12.) niſi quòd per concordem & non diſſimilem à ſe innaſcibilis unigenitique naturam, & Pater in Filio, & Filius in Patre eſt, deitatis in utroque nec genere nec voluntate diffidente [f] ſubſtantiâ; cùm paternæ majeſtatis gloria Unigenito congenita ſit? Atque ob id ſedem Filii, ſedem ſuam Pater nuncupat: quia & ex ſe, & in gloria indemutabilis divinitatis ſuæ unigenitus & verus Deus natus ſit, nec contumeliam communicatarum cum eo ſedium

[a] Vaticanus codex, *non manet*, ſpeciem habet veritatis, ſed falſam. Eadem deluſus Lipſius pro *manet*, poſuerat *manat*: quod verbum an uſpiam apud Hilarium reperias dubitamus. Hoc, quantum ſapimus, hîc ſibi vult; Manet tantùm præſens tempus, præterita autem non manent: deeſt igitur Deo requies, quæ in ſæcula ſæculorum extendatur.

[b] Reg. mſ. cum Turon. *præ reges.*

[c] Sic Regius codex, conſentiente græca voce τὰ δικαιώματα. Alii verò, *juſtitias.*

[d] Verbum *manet* deeſt in Reg. mſ. qui etiam deinde cum Turon. omittit, *& teſtis in cælo fidelis.*

[e] Excuſi, *quæ ab eo eſt*: emendantur ex ſcriptis.

[f] Reg. mſ. *ſubſtantia cùm paterna & majeſtatis gloria unigenito cognita ſit*: malè. Turon. *cùm ſubſtantia paterna & majeſtatis gloria unigenito cognita ſit*: non ita mala verborum conſtructione, ſed minùs ſincera.

sentiat, cui ex se genito in naturæ similitudine [a] nulla diversitas est.

Quæ Sion vera Dei requies. ℣. 13. ℣. 14.

23. Dignitas deinde eorum, qui in sæculum super sedem sessuri sunt, ita ostenditur: *Quoniam elegit Dominus Sion, prælegit eam in habitationem sibi.* * *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam prælegi eam.* Non montem scilicet Sion desertum & inutilem elegit, neque civitatem dirutam & eversam. Locis enim Deus non continetur: neque omnipotens & æterna substantia aut in desertis montium solitudinibus, aut in [b] nominibus urbium ruinis jam deformium conquiescit. Sed elegit eorum requiem, de quibus Dominus in Evangelio ait, Nemo venit ad me, nisi Pater qui me misit adducat illum. Illam Sion sanctam & cælestem Jerusalem elegit, concordem scilicet fidelium cœtum, & sanctificatas sacramentis Ecclesiæ animas: in quibus tamquam rationabili & intelligenti & emundatâ & æternâ per resurrectionis gloriam domo, rationabilis & intelligens & impolluta & æterna inenarrabilis divinitatis natura requiescat. Non quòd ex ea, in qua est [c] infinitas sua, immensitate desistat, ut humanarum mentium angustiis coarteteur: sed quia per digni se habitaculi sedem, [d] qui ubique & idem & totus & semper est, in sanctis probabilibusque requiescat: ubi nulla offensionum demutatio, sed *in sæculum sæculi*, id est, in æterna tempora digna & placens habitatio sit electa.

Johan. 6. 44.

Ecclesia cælestis quid.

In translationum varietate præferuntur LXX.

24. Dehinc sequitur: *Viduam ejus benedicens benedicam.* Quidam translatorum interpretatus esse ita repertus est, *Captionem ejus benedicens benedicam*: tamquam venatoribus & piscatoribus hominum effectis Apostolis, hæc eorum benedicta sit captio: maximè quòd Bethsaida ex qua Apostoli sunt, per interpretationem linguæ hebraicæ, domus venantium nuncupetur. Sed nobis sequenda est prima illa & sub Judæorum temporibus ante Domini adventum ad Ecclesiæ doctrinam consignata [e] translationis auctoritas: *Viduam ejus benedicens benedicam.* Quanta viduarum dignitas est, & honesta unius thori conscientia, & felicis continentiæ indemutata constantia? Hæc enim benedicitur, & benedicendo benedicitur: ex judicio scilicet benedicentis, benedictione fit digna. Sed Apostolus gentium doctor hortatur nos & aliud de vidua quæ benedicenda est sentire. Lege enim non per virtutem spiritalis efficientiæ, sed per finem observantiæ ejus emortuâ, viduam eam esse quæ ex Synagoga effecta Ecclesia sit, docet dicens, An ignoratis fratres, (scientibus enim legem loquor) quoniam lex dominatur homini, in quantum temporis vivit? Quæ enim sub marito est mulier, vivo marito [f] vincta est legi. Si autem mortuus fuerit maritus, evacuata est à lege mariti. Ergo vivente marito adultera vocabitur, si jungatur alii viro. Si autem moriatur maritus ejus, liberata est à lege, ne adultera teneatur conjuncta alii viro. Itaque, fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi: ut & ipsi sitis alterius, ejus qui à mortuis resurrexit. Comparatione viduæ, quæ mortuo marito libera quibus volet nuptiis [g] jungitur, desinente jam lege viduam legis Ecclesiam esse demonstrat, Christo legitimè copulandam. Hanc ergo legis viduam benedicendo benedicet.

Viduarum dignitas.

Vidua legis Ecclesia.

Rom. 7. 1. &c.

Pauperes saturat Christus, dum ad eos saturandos invitat.

25. Deinde ait, *Pauperes ejus saturabo panibus.* Bonum est in Ecclesia pauperes non esurire: quia cùm inops pascitur, aut sitiens potatur, aut nudus vestitur, aut infirmus visitatur, aut carcere clausus requiritur, ei hæc officiorum obsequia deferuntur, qui in singulis nobis esurit, & sitit, & alget, & infirmatur, & clauditur: quique ait, Amen, amen dico vobis, quia quæ fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis. Per hanc ergo dictorum ejus fidelem [h] professionem pauperes ejus panibus saturat. Saturat autem & eos panibus, qui per humilitatem cordis contemtumque sæculi se ipsos in paupertate constituunt, quos cibo vitæ perennis explebit, sicut loco alio dictum est: Divites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Matth. 25. 40.

Psal. 33. 11.

Sacerdotum gloria, & sanctorum lætitia perfecta.

26. Dehinc sequitur: *Sacerdotes ejus induam salutari, & sancti ejus exsultatione exsultabunt.* Sacerdotes superiùs justitiâ induuntur, sed profectum honoris sui sumunt: salutari scilicet induuntur, conformes effecti gloriæ [i] salutaris: quia, secundùm Apostolum, de cælis salvificatorem nostrum exspectamus, qui potens est, secundùm operationem efficientiæ suæ, corpus humilitatis nostræ conformare corpori gloriæ suæ. Hoc ergo salutari sacerdotes in-

Phil. 3. 20. & 21.

[a] In vulgatis hæc cum sequentibus ita connectuntur: *nulla diversitas est dignitatis. Deinde eorum habitatio qui in sæculum* &c. reluctantibus mss. Habes quidem hîc ὁμοίωσιν, seu naturæ similitudinem. Neque verò hoc vocabulum respuendum, sed cautissimè prædicandum censebat Hilarius, nihil interesse existimans utrùm quis consubstantialitatem, an omnimodam similitudinem prædicaret, uti fidem facient libri de Synodis & in Constantium. *Mihi quidem*, inquit lib. in Constant. n. 22. *similitudo, ne unioni detur occasio, sancta est.*

[b] Vocem *nominibus* hîc omissam revocamus ex mss. Mic. & Vatic. Hac significantur urbes, quæ ex pristino splendore nihil nisi nomina retineant. Paulò antè Regius codex habet *in discretis*, non *in desertis*.

[c] Editi, *infinitatis suæ*. Concinniùs mss. Reg. & Turon. *ex ea* (scil. *immensitate desistat*,) *in qua est infinitas sua*. Hujus loci intelligentia repetenda est ex Tract. Psal. 122. n. 2. & 3. ubi docetur Filium quidem solum per se dignum esse Dei habitaculum, sed hoc tamen sanctis etiam concedi per Filium in ipsis habitantem.

[d] Editi, *qui & ubique*: & mox, *ubi nulla offensio, nulla demutatio*. Meliùs mss. *qui ubique*, sine *&*; ac deinde Turon. *ubi nulla offensionum demutatio*, quod in Reg. sic mendosè expressum est, *ubi nulla offensio non demutatio*. Lectionem Turon. ms. præferendam liquet ex Tract. Psal. 52. n. 12. ubi vocum inversione Hilario familiari legere est, *increpitis demutationum offensis*. In quo autem consistat illa offensionum demutatio, cui nunc obnoxii sumus, & à qua post hanc vitam liberabimur, docet idem Tractatus n. 11.

[e] Haud dubiè Septuaginta, quamvis eos θήραν habere tradat apud Hieronymum auctor Commentarii in Psalmos, qui & subjicit, *Sed propter novitatem verbi paulatim obtinuit, ut pro θήρα legeretur χήρα, maximè quia in sequenti versiculo pauperes sequebantur.* Addit Symmachum & Aquilam interpretatos esse *cibaria*, quod voce hebraica significari testis est Hieronymus quæst. in Gen. c. 45. ubi & in multis exemplaribus græcis *χήραν viduam* exstare memorat. In psalterio tamen ipse vertit *venationem*.

[f] In vulgatis, *juncta est*. Rectiùs mss. *vincta est*, juxta græc. δέδεται. Tum Reg. & Turon. *Si autem mortuus fuerit vir ejus.*

[g] Loco verbi *jungitur*, habent vulgati *sit*.

[h] Apud Bad. Er. & Lips. *promissionem*. Retinendum cum Par. & mss. *professionem*, qua nimirum Christus quod pauperibus, hoc sibi præstitum denuntiat.

[i] id est, *Salvatoris*, nec debuit apud Par. substitui *salutari*, refragantibus aliis libris. Mox à mss. Reg. & Turon. abest *de cælis*.

duuntur; ſed & ſancti exſultatione exſultabunt. Superiùs exſultabunt tantùm, adhuc [a] in humilitatis corpore poſiti, & ſpe tantummodo æternitatis læti: ceterùm [b] nunc perfecta exſultatione exſultantes, non ſpe, ſed veritate, non in imagine, ſed corpore. Eſt enim plerumque exſultatio, quæ demutari ſolet vel caſu, vel infirmitate, vel tempore: [c] at verò hæc ſanctorum exſultatio eſt, ut exſultatione conſummatæ in ſe exſultationis exſultent.

Regnum Chriſti.

27. Cauſa autem exſultationis oſtenditur: *Illic producam cornu David.* Cornu regni [d] inſigne eſt: per hoc enim unguentum regium regnaturis infundebatur. *Illic* cùm dicitur, requies ſignificatur, de qua dictum eſt, *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi.* In hac igitur requie cornu David, id eſt, regnum illius de quo [e] prophetatur David, Deus producit: non illud humanum, nec corruptibile, nec caducum, ſed illud quod [f] ſecundùm requiem Dei in ſæculum ſæculi eſt. Et quorum erit regnum cælorum? Nempe de quibus dictum eſt, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, id eſt, [g] in quos æternus rex, & cujus ſecundùm Danielem regni finis nullus eſt, regnabit.

Matth. 5. 3. *Dan. 7. 27.*

Non latet.

28. Non occultus igitur hic rex eſt: hunc Lex prædicat, hunc Prophetæ pollicentur, hunc Johannes pænitentiæ prædicator oſtendit. Ille eſt enim, ſecundùm Domini in Evangelio dictum, lucerna ardens, Chriſtum tenebris mundi hujus oſtendens. Omnis igitur de eo prophetia, lucerna eſt ejus, ignorantiæ noſtræ nocti ſcientiæ lumen oſtendens, infideles atque impios veritatis luce confundens, & in Unigenito paternæ majeſtatis gloriam docens. Et hoc illud eſt quod ſequitur: *Paravi lucernam Chriſto meo, inimicos ejus induam confuſione: ſuper ipſum autem* [h] *floriet ſanctificatio mea.* Parata lucerna eſt, ne ad cognoſcendum eum nox ignorationis [i] obſiſteret. Inimici ejus confuſione induentur; videbunt enim filium hominis in majeſtate Patris ſui: & non ſalute, ſed confuſione induentur, [k] terreni ſcilicet & in dedecoris corpore reſurgentes: *ſuper ipſum autem floriet ſanctificatio mea.* Exaltavit, inquit, eum Deus, & donavit illi nomen, quod eſt
» ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne
» genu flectatur cæleſtium, & terreſtrium, & in-
» fernorum, & omnis lingua confiteatur, quia
» Dominus Jeſus in gloria eſt Dei Patris, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Johan. 5. 35. *Prophetia omnis, lucerna Chriſti.* *Philip. 2. 9. & 10.*

PSALMUS CXXXII.

Canticum graduum.

Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus; ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion: quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam uſque in ſæcula.

TRACTATUS PSALMI.

Bona multa non jucunda, & jucunda non bona.

1. Per omnem doctrinæ ordinem gradibus ſcanditur; nam per gradus ad ſuperiora provehimur. In eo enim quod ita cœpit Propheta, *Ecce quàm bonum & quàm jucundum;* docemur quid bonum atque jucundum ſit: ut per cognitionem eorum, in bonis jucundiſque maneamus. Servata autem ſcienter ea ratio à Propheta eſt, ut bonum jucundumque ſociaret: quia non omne quod bonum eſt, jucundum eſt; neque omne quod jucundum eſt, bonum eſt. Jucundus eſt luxus, ſed bonus non eſt: eſt enim in ipſa illa corporalis laſciviæ amœnitate detrimentum & ſalutis & famæ. Bona eſt tolerantia injuriæ, maximè cùm ad irreligioſitatem compellimur pœnis famis, ſitis, frigoris, vigiliarum, contumeliarum, dolorum; ſed jucunda non eſt: illic enim injurioſum perfectæ virtutis officium eſt. Et ita per hæc nonnumquam & bonum jucunditate, & jucunditas ſolet eo carere quod bonum eſt.

Bonum jucundum, fraterna unitas: ubi vera.

2. Videamus quid ſit illud quod bonum & jucundum eſſe Propheta demonſtrat, ſcilicet *habitare fratres in unum.* Non humanas cohabitationes, nec terrenarum domorum communionem propheta David dicit. Nam fratres [l] ſub hæc ipſa tectorum conſortia diſſidentes videmus, & inimicos ſæpe ejuſdem domicilii

[a] Perperam apud Par. *in humilitate corporis*, cùm reſpiciatur illud Pauli, *reformabit corpus humilitatis noſtræ.*

[b] In vulgatis *tunc*. Legendum cum mſſ. Reg. & Turon. *nunc*, hoc eſt, in verſu qui modò enarratur: quæ particula opponitur voci *ſuperiùs*, verſum nonum indicanti. Hoc ſibi vult: Verſu 9. habemus, *ſancti tui lætentur*, ſed non adjicitur *lætitia*, adeoque exprimitur lætitia inchoata ſanctorum in hoc ſæculo ſpe tantùm gaudentium: nunc autem non legimus tantùm *exſultabunt*, ſed cum hac acceſſione ſcil. *exſultatione*, qua conſummata ſanctorum lætitia ſignificatur.

[c] Excuſi, *ad hoc verò hæc ſanctorum exſultatio ea eſt*: caſtigantur ex mſſ.

[d] In mſſ. *inſignium eſt.*

[e] In vulgatis, *prophetat*. Magis placet cum mſſ. *prophetatur*: nam ſubſequens vox *David* eſt in ſecundo caſu, puta, *regnum illius David de quo prophetatur.*

[f] Sic mſſ. ubi in vulgatis, *ſecundùm regnum Dei.*

[g] Mſ. Reg. cum Turon. *in quo.* In hoc Danielis vocabulum conſtanter exprimitur ut ſuprà notatum eſt pag. 379. not. a.

[h] Bad. Er. & Lipſ. *florebit*. Apud Par. juxta mſſ. fidem reſtitutum eſt *floriet*. quo de verbo notum eſt illud Auguſtini lib. 2. de doctrina Chriſt. c. 13. *Quod jam auferre non poſſumus de ore cantantium populorum*, Super ipſum autem floriet ſanctificatio mea; *nihil profectò ſententiæ detrahit: auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, ut non* floriet, *ſed* florebit *diceretur.* In vetere quoque pſalterio, quo S. Germanum Pariſ. uſum fuiſſe ferunt, *floriet* legere eſt.

[i] Ita mſſ. At editi, *exiſteret.*

[k] Bad. Er. & Lipſ. *terreno ſcilicet & indecoro corpore*. Par. ex mſ. Mic. *terreni ſcilicet & indedecori corpore*. Reg. ac Turon. *terreni ſcilicet dedecoris corpore.* Ex his duabus lectionibus vera conficitur. Porro impii poſt reſurrectionem nuncupantur *terreni*, quia nimirum non immutabuntur, adeoque ut antea pertinebunt ad primum hominem de quo Apoſtolus, *Primus homo de terra terrenus.* Dicuntur etiam *in dedecoris corpore*; quia corpori gloriæ Chriſti non configurati.

[l] Editi, *ob hæc*: emendantur ex Turon. mſ.

habitatio continet: & nonnumquam incrementum odiis ipsa illa cohabitandi indignatio subministrat. Sed novit esse Apostolus communem & religiosam domum, dicens, Ut scias quemadmodum te oporteat in domo Dei [a] diversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Itaque bonum & jucundum est in unum habitare fratres. Cùm in unum habitant, [b] conventu Ecclesiæ congregantur: cùm fratres nuncupantur, unicæ voluntatis caritate concordes sunt.

1. Tim. 3. 15.

Unanimitatis indoles.

3. Ad primam enim Apostolorum prædicationem hoc præcipuum fuisse credentium præconium legimus, quod dicitur: Erat enim omnium credentium cor & anima una, assensu eadem, voluntate non [c] dissonans, fide socia, amoris ac sententiæ unanimitate perfecta. Et hoc testatur ille gentium Doctor dicens, Ut sitis omnes perfecti, eodem sensu, eadem sententiâ. Et rursum, Implete gaudium meum, ut idipsum sapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes, unum sentientes, nihil per æmulationem sive per inanem gloriam agentes, sed in humilitate invicem arbitrantes præcellere super invicem, non sua, sed aliorum unusquisque vestrûm contemplantes. Hoc Apostoli gaudium est, idipsum nos sapere, amore eodem contineri, per unius sensus sententiam unanimes permanere, non per æmulationem separari, neque per inanis gloriæ studium dissidere, non sua, sed aliorum unumquemque cogitare oportere; ut ea quibus alienæ voluntates in concordia detinendæ sint cogitemus. Quod alio in loco admonet, dicens, Si possibile est, ex vobis ad omnes pacem habentes. Ex nobis vult esse, ut, si possibile est, pax ad omnes sit. Voluntas nostra omnium amicitiis dedita sit, [d] si & ceterorum natura habeat pacis affectum; dummodo non ex nobis causa aut interruptæ aut non conservatæ pacis existat. Hoc itaque populo Dei congruit, sub uno patre fratres, & sub uno spiritu unum esse, sub una domo unanimes incedere, sub uno capite unius corporis membra esse. Non enim oculus aurem odit, nec nares os exsecrantur, nec manus pedem spernit. Hæc enim ut officiis mutuis sibi, ita & amore [e] destricta sunt. Hoc jucundum & bonum est, habitare fratres in unum, in eodem esse, idem esse, nec congregatione fieri nec amore diversos.

Act. 4. 32.

1. Cor. 1. 10.

Philip. 2. 2. &c.

Rom. 12. 18.

Unctio Aaron quam adumbret unctionem.

4. Comparationem verò hujus boni jucundique Propheta constituit, dicens, *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam*, [f] *barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti ejus*. Aaron unguento, cujus compositio & [g] confusio ex odoribus continetur, unctus est in sacerdotem. Hanc consecrationem primi sa-

ŷ. 2.

Levit. 8. 12.

A cerdotis sui Deo esse complacuit. Dominum quoque nostrum invisibiliter & incorporaliter unctum esse cognovimus, cùm dicitur, Unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis. Unctio ista terrena non est, incorporea est, invisibilis est: non de oleo ut sacerdos & propheta, non cornu ut rex, sed oleo exsultationis ungitur. Opus istud lætitiæ spiritalis est, & ad sacramentum cælestis unctionis exsultationis fructus adhibetur: non * materies creaturæ est. Quia corporalia corporalibus indigebant, Aaron myro confusionis ungitur: sed id quod corporale est, per efficientiam virtutis spiritalis imbutum, speciem olei cælestis imitatur. Denique post hanc unctionem Aaron secundùm legem christus est nuncupatus, postquàm unctionis confusio, per id quòd à Deo confundi demonstrata est, in speciem unctionis invisibilis consecratur. Ut igitur hoc myrum omnes fœtentes odores & immundos cordium spiritus quocumque infusum fuerit exstinguit, seque in omnia in quæ infertur odor hic suavitatis infundit: ita per hoc sacramentum unctionis infusæ, & per eam omni terrenorum ac sordentium vitiorum nostrorum fœtore deterso, Deo jam quod est suave spiramus. Novit hunc suaveolentiæ spiritum beatus apostolus Paulus, dicens ita: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco, in his qui salvantur, & in his qui pereunt; & in istis quidem odor ex morte in mortem, istis autem odor ex vita in vitam: ut odorem vitæ nos esse viventibus, ita odorem esse mortis his qui in peccatis suis morerentur ostendens. Ipse autem Christi odor ex nobis bonus Deo est. Ut igitur placitum hoc in primo, id est Aaron, sacerdote unguentum Deo exstitit, quo in exemplum olei exsultationis perungebatur, [h] gratum Deo ex se fidei & innocentiæ odorem præbens: ita bonum & jucundum est habitare fratres in unum, per quod unanimitas voluntatis ejusdem, primis & maximis sacramentis bonorum cælestium comparatur.

Psal. 44. 8.

* al. materialis.

Unguenti proprietas.

2. Cor. 2. 15. & 16.

Unctio Aaron suavitatem repræsentat fraternitatis.

5. Descendit autem unguentum à capite in barbam. Barba virilis ætatis ornatus est. Neque enim nos parvulos esse in Christo oportet, nisi ad id tantùm quod dictum est: Parvuli malitiâ, non sensu. Infideles autem omnes idem Apostolus parvulos esse, [i] quia infirmes ad cibum firmum manentes adhuc lactis egeant, objurgat dicens, Lacte vos potavi, non cibo: [k] nondum enim poteratis, sed neque adhuc potestis. De se autem ita: Cùm factus sum vir, ea quæ sunt parvuli dereliqui. Occurrere verò in id festinat, in virum consummatum, in mensuram ætatis [l] plenitudinis corporis Christi. Unguentum hoc ergo *in barbam Aaron*, id

Unctio Christi ab eo in virum perfectæ fidei defluit.

1. Cor. 14. 20.

1. Cor. 3. 2.

1. Cor. 13. 11.

Ephes. 4. 13.

[a] Par. mendosè, *conservari*. In aliis edit. *conversari*. Reponimus ex mss. *diversari*: sicque in Ps. 64. n. 6. & alibi legit Hilarius.

[b] Sic mss. Editi verò, *conventum Ecclesiæ congregant*.

[c] Sola editio Par. *dissonantes*. In hac ut in aliis hîc vitiosa est interpunctio.

[d] Editi, *etsi ceterorum natura non habeat* &c. quod etiam habet ms. Turon. Magis nobis probatur cum Reg. *si & ceterorum* &c. quo aptiùs explicantur verba Apostoli, *si possibile est*.

[e] Apud Par. *distracta*, mendosè: *destricta* autem, id est, strictè sociata. quo sensu legitur *distringit* in Matth. c. 10. n. 23.

[f] Vocabulum *barbam* in priùs vulgatis non repetitum adjicitur auctoritate ms. Turon. qui paulò antè habet *de capite*, non *in capite*.

[g] Editi, *confectio*, & infrà, *confici*: renitentibus mss.

[h] Ita ms. Turon. favente Regio. Editi verò, *& gratum ex se fidei & innocentiæ odorem præbet*.

[i] Ita mss. ubi editi, *quia infirmi sumere cibum firmum minimè valentes*.

[k] Reg. ms. ac Turon. *non enim*.

[l] Abest vox *plenitudinis* à mss. Reg. & Turon.

est, in consummatæ fidei virum, descendit à capite. Caput, secundùm Apostolum, viri Christus est. Moyses unguentum hoc composuit & confudit; sed componendum & confundendum Deus docuit, & Deus mediator in lege. De capite ergo, id est, de Christo descendit in barbam: & ab eo descendit, cui dictum est, Unguentum exinanitum nomen tuum. Descendit autem in eum, qui per ætatis firmitatem indemutabilis esset fidei firmitate mansurus. Descendit autem etiam *in oram vestimenti*. Ora vestimenti ea sunt quæ usque ad pedes defluunt, per quod ad omne corpus hic unguenti odor à capite in barbam, & deinde ad vestimenti oram descendit. In his autem mulieribus quæ ungentes Dominum typum Ecclesiæ in Evangelio prætulerunt, ita docemur, quòd una [a] caput, alia pedes unxerit: per quod quæque earum significatur in parte corporis omne corpus unxisse. Media itaque corporis prætermissa sunt. Nam dum ora vestimenti & barba memorantur, omne in his corpus ostenditur.

1. Cor. 11. 3. — *Cant. 1. 2.* — A — B — C

6. Additur etiam & alterius comparationis exæquatio, cùm dicitur, *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Ros ab Hermon in Sion non descendit; multo enim à se intervallo hi montes divisi sunt. Neque sanè natura fert, ut ros à loco in locum descendat. Sion autem est secundùm doctrinam cælestem Ecclesia, vel quæ nunc est, vel quæ erit sanctorum, quæ per resurrectionem glorificatorum, & lætantium Angelorum cœtu frequentatur. Hermon autem mons est in Phœnice, [b] cujus interpretatio anathema est: quod enim [c] nobiscum anathema nuncupatur, id hebraicè *Hermon* dicitur. Fertur autem id, de quo etiam nescio cujus [d] liber exstat, quòd angeli concupiscentes filias hominum, cùm de cælo descenderent, in hunc montem [e] maximè excelsum convenerint. Sed hæc prætermittamus. Quæ enim libro legis non continentur, ea nec nosse debemus: commemorata autem ob id tantùm sunt, quia nos de hoc monte Dei per Prophetam professio [f] commovebat. Certè hodie gentes montem hunc profana religione venerantur: & interpretationem nominis sui, quod est anathema, ipsâ illâ impiæ superstitionis sede testantur.

℣. 3. — Sion Ecclesia. — Hermon mons Phœnicis interpretatur anathema. — Gentium profana religione colitur. — A

7. Ros verò de cælis est, & inter benedictionum munera optari eum meminimus, cùm Isaac ad Jacob ait, Et det tibi Deus à rore cæli & ab ubertate terræ multitudinem. Ergo quia munera & benedictiones Dei, quibus primùm omnia cùm creata & facta sunt benedixit, postea verò ex peccato Adæ in anathemate constiterunt; gratum Deo est, ea rursum in sanctificationis sedem redire atque descendere. Benedictus enim homo fuit: sed post benedictionem peccavit, & statim impius fuit. Sed qui mavult peccatoris pænitentiam quàm mortem, vult benedictionis suæ rorem ab Hermon in Sion descendere, id est, ex impietatis sede in sanctificationis locum transire. Rore enim omnia virescunt, aluntur, augentur: ita principali illa Dei benedictione homo gignitur, spirat, excrescit. Est ergo bonum atque jucundum, ut à gentili errore, id est, à profana Hermon veneratione descendens, ad Sion, id est, ad æternæ beatitudinis domum transeat, & eum qui salute omnium lætatur oblectet, ob id: *Quoniam illic mandavit* [g] *Dominus benedictionem, & vitam usque in sæcula:* in Sion scilicet, vel etiam in unanimitate cohabitantium fratrum. Benedictiones enim Ecclesia sola largitur, vitam æternam unanimitas promeretur. Qui dixit enim æternæ vitæ viam pandens, Diligite invicem sicut ego dilexi vos, non mendax est. Est enim ipse veritas, via, vita, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Ros ab Hermon in Sion, à maledictione in benedictionem transitus. *Genes. 27. 28.* — B — C — Benedictiones Ecclesia sola largitur. — D — *Johan. 13. 34.*

PSALMUS CXXXIII.

Canticum graduum.

E

ECCE nunc benedicite Dominum omnes servi ejus: qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. In noctibus ex-

[a] de qua scil. Matth. 26. 7. *Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius.* Pedes autem unxit mulier, quæ Lucæ 7. 38. *osculabatur pedes ejus & unguento ungebat*, aut de qua Johan. 12. 3. *Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesu.* Non una igitur Hilario mulier fuit, quæ Dominum unxit: quod Ambrosio lib. 7. in Luc. n. 14. dubium, certiùs asseruere plurimi Patres græci.

[b] *Quem Phœnices cognominant Sanior*, inquit Hieronymus de locis hebraicis.

[c] Editi, *nobis*, sine particula *cum*, quæ hìc eamdem vim habet, ac *secundùm.* Hermon cum nostro Hilario *anathema* interpretatur Hieronymus, & qui apud eum auctor Commentarii in Psalmos. Augustinus verò in hunc Psal. n. 11. ex eorum testimonio qui hebraicè sciunt, interpretatur *lumen exaltatum.*

[d] Is est liber Enoch nomine vulgatus, cujus fragmentum refert Georgius Syncellus in Chronograp. p. 11. In hunc locum à vulgato Hieronymo etiam absque auctoris nomine memoratur, rejiciturque ut manifestè apocryphus, qui Manichæi dogmati, quòd animæ corpora humana desideraverint, apertè faveat. Is addit se cujusdam librum legisse hæresim suam de eo confirmantis. Eumdem cum apocryphis computat Augustinus lib. 15. de civ. Dei c. 23. n. 4. De hoc Tertullianus lib. 1. de cultu fem. c. 3. *Scio*, inquit, *scripturam Enoch nec recipi à quibusdam.* Hujus tamen auctoritatem ipse quantum potest ibidem propugnat, ex eoque libro angelos l. de Idololat. c. 9. vocat *feminarum amatores*, qui, inquit, lib. 1. de cultu fem. c. 2. *ad filias hominum de cælo ruerunt.* Ex eodem Cyprianus lib. de singul. Cler. ait, *Novimus & angelos cum feminis cecidisse.* Eamdem opinionem ex eodem libro mutuati sunt Justinus sub initium Apol. 1. & Lactantius lib. 2. c. 15. Quamquam illa veterum opinio de angelorum congressu cum feminis nata est etiam ex verbis Gen. 7. 2. *Videntes filii Dei filias hominum* &c. quòd in multis codicibus legeretur, *Videntes angeli Dei filias hominum* &c. Unde Ambrosius in Ps. 118. Ser. 8. n. 58. *Denique scriptum est, quia angeli amaverunt filias hominum* &c. quamvis ea in opinione fluctuans Ser. 4. n. 8. innuat angelorum nomine intelligi posse homines qui vitæ probitate Angelorum gratiam imitarentur. Sic & Augustinus in Gen. lib. 1. quæst. 3. *Quæritur quemadmodum potuerint angeli cum filiabus hominum concumbere, quamvis nonnulli & latini & græci codices non angelos habeant, sed filios Dei.* Eamdem quæstionem accuratiùs pertractat lib. 15. de civ. Dei c. 23. Sic ubi Josephus lib. 1. antiq. c. 4. angelos cum mulieribus commixtos scribit, eum angelorum nomine filios Seth intellexisse autumat Zonaras lib. 1. c. 4.

[e] Apud Lips. & Par. *maximè convenirent excelsum.* Etiam apud Bad. & Er. adverbium *maximè* præponitur verbo *convenerint*: refragantibus mss. Quid hæc sibi velint, declarat fragmentum libri Enoch a Georgio exscriptum, in quo narrantur Egregori in filias hominum amore exarsisse, & quòd eas sibi sociarent, sacramento se devinxisse. *Erant autem hi numero ducenti, qui in diebus Jared in montem Ermonim profecti sunt. Ermon autem montem dixerunt ex jusjurando quo se invicem constrinxerunt, & maledictis quibus se sponte subjecerunt.* Plura videsis in dicto fragmento.

[f] Lips. & Par. *commonebat*: reluctantibus aliis libris.

[g] Abest *Dominus* à mss. Reg. & Turon.

tollite

tollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.

TRACTATUS PSALMI.

Benedicere cujus sit. 1. FINEM sumunt Cantica graduum, sed adscensionibus suis dignum. Cùm enim per ea ad cognitionem sacramenti cælestis scandatur; necesse est, ut postea benedictio ei ad quem conscensum sit debeatur. Vocat igitur omnes Propheta ad benedicendum Dominum: & tamquam consummatis omnibus, universos ad contestationem honoris debiti congregat, dicens, *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi ejus.* (℣. 1.) In eo autem quod ait, *Ecce nunc*, elaboratæ adscensionis * perfectum opus esse significat: ut jam nunc benedicant, quia proficientes adscenderint. Benedicendus est, quia nos in excelsum provexerit, quia fidei gradibus in sublime domus suæ elevaverit. Benedictione autem Dei os peccatoris indignum est: & idcirco ait, *omnes servi ejus.* Non omnium est Deo accepta benedictio: neque se promiscuus putet placere posse. Soli istud competit Dei servo, non peccati servo, nec sæculi servo. Omnis enim, inquit, qui facit peccatum, servus est peccati. (Johan. 8. 34.) Servo igitur Dei competit, ut Dominum suum religioso ore benedicat.

* consummatum.

2. Ac ne ipsi quidem servo hoc erit proprium, qui se servum nomine solo profiteatur, qui etiam nunc cunctabundus & fluctuans incerto fidei [a] vento circumferatur, cujus cogitatio & voluntas in recordatione peccaminum, & in curas voluptatum evagetur. Et idcirco cùm dixisset, *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi ejus*; adjecit, *Qui statis in domo Domini, in atriis [b] domûs Dei nostri.* Qui stat, loco non movetur. [c] Jam cucurrit, jam adscendit; jam immobilis manet, [d] jam avidè bibit beatam illam Prophetæ vocem, Statuit super petram pedes meos; (Psal. 39. 3.) & rursum, In petra exaltasti me: (Psal. 26. 6.) & audiet tamquam Moysi sibi dici, Tu autem sta hîc mecum. (Exodi 34. 2.) De peccatoribus autem ita legimus: Dilexerunt movere pedes suos. (Jerem. 14. 10.) Standum ergo est in domo Domini; quia benedictio stantium placeat, & stantium in domo illa sancta & cælesti Jerusalem, & [e] Angelorum frequentium, ad quam per hanc Ecclesiæ & conventus nostri domum scanditur. (Johan. 14. 2.)

3. Et quia plures apud Patrem mansiones sunt; benedicunt Dominum non solùm in domo stantes, sed etiam in atriis ejus. Non omnis domus atrium est. Domus est etiam quidquid extra atrium est: interior autem & familiarior atrii sedes est. Interiùs ergo stabunt, qui in atrio sunt: quia sit licèt dignitas in domo stare; prævenit tamen ille qui in atrio steterit. Diversos verò esse eos qui in domo, & eos qui in atrio sint, alibi Propheta demonstrat, dicens, Plantati in domo Domini, in atriis Dei nostri [f] florient. (Ps. 91. 14.) Major fructus est effloruisse. Et licèt plantatio habeat dignitatem, præcellit tamen efflorescentium honor: quia ut initium in plantatione est, ita gaudium boni operis in flore est.

Atrii & domûs Dei discrimen.

4. Reperi autem quosdam ambiguos circa hoc, *in atriis domûs Domini*, fuisse: dicentes idcirco hoc à translatoribus primis adjectum esse, quia [g] sub iisdem versibus sequenti psalmo continetur, opinantibus ipsis scriptorum vitio in libris hebraicis fuisse præteritum. Sed novi interpretes quæ volunt tractent: nobis verò obsequendum est & auctoritati translationum, & vetustati.

An hîc hebræo textui additio facta.

5. In hanc autem spem standi in domo & in atriis Domini Propheta nos hortatur, dicens, *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* (℣. 2.) Agimus enim, secundùm Apostolum, sub principibus harum tenebrarum; (Ephes. 6. 12.) & nox nos sæculi detinet, quæ per evangelicam prædicationem jam [h] prodiit in lucem. Nox enim jam proficiscitur, sicut in die decenter ambulate. (Rom. 13. 12. & 13.) In hac igitur nocte ignorantiæ, insidiarum, infirmitatum, concupiscentiarum, vitiorum, elevandæ manus sunt in sancta; non [i] ad precandum & orandum tantùm, sed & ad operandum. Preces enim nudæ non proficiunt. Elevanda autem opera nostra sunt in Dei sancta, id est, in nudis vestiendis, in esurientibus cibandis, in sitientibus potandis, in afflictis consolandis, in oppressis adjuvandis, in omnibus diligendis. Hæc enim nos in hac corporis nostri infirmitate sanctificant, hæc Deo placita & sancta sunt. Et hoc non ignorat Propheta, dicens, Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. (Ps. 140. 2.) Nunc enim in consummationem sæculi, quod est vespertinum, non in tauris & in hircis, sed in operibus bonis Deo hostia est. Moyses nos docuit exemplo, qui cùm elevatis constitisset manibus, vincebat; (Exodi 17. 11.) summissis verò in terram, vincendum populum ab hoste præbebat: ostendens per hanc formam, hostem nostrum, si terrena opera nostra sint, vincere; si excelsa verò sint, esse vincendum. Elevandæ igitur manus nostræ sunt in noctibus, ut plantemur

Preces operibus nudæ, nullæ.

[a] Editi, *fidei voto*: corriguntur ex mss.
[b] Regius codex cum Turon. *in atriis domus Domini* sine *nostri.*
[c] Editi, *jam currit*: pugnantia exprimunt. Hoc sibi vult Hilarius, eum qui antea cucurrerat, jam quietum stare.
[d] In ms. Turon. *jam audebit beata illa Propheta voce*: & spatio unius verbi sine scriptura relicto, ad marginem repositum est verbum *dicere*, quo perficitur sententia. Non displiceret integra illa lectio. Sed quod in textum inferre non ausus est sapiens scriptor, nec nobis licere putavimus.
[e] Turon. ms. *Angelorum frequentia.*
[f] Excusi, *florent*: emendantur ex mss. Vide suprà pag. 459. not. g.

[g] In ms. Turon. *sub iisdem verbis*, & in marg. *versibus*. Porro primos illos translatores haud dubiè intellexit Hilarius Septuaginta. Attamen qui apud Hieronymum Psalmos enarravit, contendens verba hæc addita, hanc additionem non LXX. sed incerto cuidam viro attribuit, qui quòd ea in psalmo subsequenti exstarent, hîc quoque addenda esse existimarit. Absunt quidem à psalterio quod ex hebræo vertit Hieronymus: sed Nobilius testis est ea in omnibus tum græcis tum latinis codicibus à se collatis haberi.
[h] Regius codex cum Turon. *proficit in lucem. Nox enim jam profecit.*
[i] Editi, *ad prædicandum*: corriguntur ex mss.

Opera sint læta & cum Dei laude. a

in domo, ut in atriis floreamus. Et benedicendus est Dominus, id est, cum Dei benedictione semper[a] operandum est, ne cùm panem inopi præbeas, metu famis tristis sis; ne cùm sumtus indigenti offeras, damnum putes; ne cùm nudum veste induas, exui te existimes. Hilarem enim datorem amat Deus.

2 *Cor.* 9. 7.

Horum merces. ℣. 3.

6. Quid autem læta & benedicentia elevatarum manuum opera mereantur, ostendit dicens, *Benedicat te Dominus ex Sion*, Dominus scilicet Ecclesiæ, & sanctæ Jerusalem, & civitatis vivis gemmarum lapidibus exstructæ. Et ut in Deo vero & æterno spem omnem nostram positam cognosceremus; adjecit, *Qui fecit cælum & terram*; eum scilicet Ecclesiarum Deum esse demonstrans, qui cælum fecisset & terram: per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXXIV.

Alleluia.

LAUDATE nomen Domini, laudate servi Dominum: qui statis in domo Domini, in atriis domûs Dei nostri. Laudate Dominum, quia benignus est Dominus: psallite nomini ejus, quoniam suave est: quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi. Quia ego novi quàm magnus est Dominus, & Deus noster præ omnibus diis. Omnia quæcumque voluit fecit in cælo & in terra, in mari & in abyssis. Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit. Qui producit ventos de thesauris suis, qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus.* Emisit signa & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem & in omnes servos ejus. Qui percussit gentes multas, & occidit reges fortes. Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan occidit: & dedit terram eorum hereditatem * Israel populo suo. Domine nomen tuum in sæculum, & memoriale tuum in * generationem & generationem. Quia judicabit Dominus populum suum, & in servis suis consolabitur. Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur; oculos habent & non videbunt; aures habent, & non audient; nares habent, & non odorabunt; manus habent, & non palpabunt; pedes*

* Infrà, *quæ voluit.*

* *& misit.*

* repetitur *hereditatem.*

* *generatione.*

A *habent, & non ambulabunt, neque est spiritus in ore eorum, non clamabunt in gutture suo. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Domus Israel benedicite Dominum, domus Aaron benedicite Dominum, domus Levi benedicite Dominum, qui timetis Dominum, benedicite eum.*

B

TRACTATUS PSALMI.

Scriptura mysteriis fera peritum lectorem postulat ac pium.

1. PSALMUS secundùm simplicitatem audientium absolutus videtur. Ea enim ex majore parte in eo continentur, quæ libro Exodi inscripta sunt, Ægypti plagæ, Pharaonis pœna, regum mortes, &
C hostilis terræ obtenta hereditas. Sed secundùm Apostolum, quæ in lege sunt, umbra est futurorum; quæ in ea[b] gesta fuerunt, allegorumena sunt, non negligenter audienda sunt: quia sub corporalium gestorum fide in exemplum sint spiritalium operum constituta. Magnæ autem diligentiæ res est, virtutem verborum collocatorum expendere, & scire quid cuique rei sub eorum quæ dicta sunt significatione sit proprium. Ut enim non omnium
D est, herbarum genera virtutesque nosse, & si quis imperitus aut nescius in agrum his salubribus herbis divitem venerit, omnia inutilia & promiscuè genita existimans præteribit; at verò si peritus & doctus hunc pretiosum in his * graminibus agrum fuerit ingressus, omnia quæ ab aliis præterita erunt demetet, & ea quæ ab ignaris erunt neglecta mirabitur; sciens quando utile metendorum eorum tempus sit, & in quæ genera sanitatum his utendum sit,
E & quantum ex his, aut quò usque moderandum sit: sic & in divinis Scripturis esse intelligendum est, ut si eas impia auris & mens rustica audiat, tamquam otiosas & non necessarias negligat; at verò SI CALENS AD COGNITIONEM DEI auditor aut lector adstiterit, & cui frequens lectio, & spiritalis gratiæ donum scientiam dijudicandi singula, intelligendique præstiterit; mirabitur omnia, atque his secundùm naturales eorum virtutes & efficientias utetur; non ignarus quando quid
F præsumendum sit, & in quam curationem eligendum; quando ex eo corpori sanatio, quando animæ medela tribuenda sit; ne quid præproperum, ne quid importunum ac tardum sit: sed collatis & virtutibus, & temporibus, & rebus, non imperitè his quæ sibi comperta fuerint utatur: quod quidem maximè in hoc psalmo ita esse intelligitur. Incredibilem enim in modum ea rebus gestis verba subjecta sunt, ut cùm fideliter illa quæ gesta sunt enuntiarent,
G majorem tamen internæ & spiritalis intelligentiæ profectum ex se ita collocata præstarent.

Comparatio.

* *al.* germinibus.

Psalmus hic per corporalia gesta sensum prodit altiorem.

[a] Ita Turonensis codex. Alii verò, *orandum.*

[b] Editi, *gesta sunt allegorumena*, omisso deinde verbo *sunt.*

Neque tantùm hæc ratio observata est, ut res ipsæ, quæ corporaliter gestæ sunt, ad ostendendam Dei magnificentiam commemorarentur: verùm etiam ut per cognitiones gestorum, & virtutes nominum exemplum de se gerendis, in his quæ sunt gesta, præberent. *[Quî tractandus.]* Itaque necessarium est, hæc singula personis, temporibus, virtutibus discernere: ut ea quæ incuriosæ aures tamquam non necessaria fortè perdiderint, ipsa illa ad humanæ infidelitatis medelam sanationemque referantur. Et hoc ipsis B rebus in psalmo docebimus, qui ita cœptus est.

℣. 1. ℣. 2. ℣. 3. 2. *Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum: * qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. * Laudate Dominum, quia benignus est Dominus: psallite nomini ejus, quoniam suave est.* *[Laus præstat benedictioni.]* Et contuendum in exordio psalmi est, quòd ad laudem nos Dei advocat, cùm in superiore psalmo ad solam benedictionem hortatus sit. Præstare autem [a] laudem benedictioni non ambiguum est. Primus enim [b] ordo C in benedictione positus est, sed consummatur in laude. Et laus non incipienda confusè est, sed ordine ac modo confitenda est. *[Nomina Dei laude digna.]* Hoc enim primum est, *Laudate nomen Domini.* Nomen ergo Domini primùm laudare admonemur, quia Deus cæli sit, quia Deus terræ sit, quia Deus mundi sit, quia Deus, quod fidei nostræ & spei proprium est, Abrahæ & Isaac & Jacob sit. In his enim primùm Deo laus est.

[Quo ordine ad laudem Dei perveniatur.] 3. Sequens verò præceptum est, *Laudate ser- D vi Dominum.* Per cognitionem nominis Dei ad scientiam ejus proficimus. Jam enim non nomen Domini, sed Dominum laudamus, cognoscentes cur Deus cæli sit, cur Deus terræ sit, cur Deus mundi sit, cur Deus Abrahæ & Isaac & Jacob sit. Hæc enim primùm puerilis doctrinæ rudimenta transgressi, Deum non jam per obedientiam subditorum, sed per immensæ virtutis suæ magnificentiam laudamus, & laudamus servi ejus: neque solùm servi ejus, nudo tantùm pro- E fessionis nostræ vocabulo nuncupati, sed stantes in domo ejus: jam non vagi, neque erratici, sed stantium firmitate stabiliti: neque [c] tantummodo stantes, sed etiam in atrio Domini Dei nostri: internæ potiùs & mediæ domûs sede suscepti. Per hunc igitur ordinem à servis & à stantibus in domo atque in atrio laus inchoatur.

[Benignitate Dei egemus.] 4. Laudandus Deus ob id est, quia benignus est. Nam ut omnipotens sit, naturæ suæ virtus est: ut verò benignus sit, nobis necessa- F rium est, quos corporis infirmitas & conditio originis in peccatis detinet. Et quid spei est humanis delictis, si benignitas [d] Deo absit? Sed

A dictorum ratio consideranda est. Namque qui laudandus est, quia benignus est: psallendum nomini ejus est, quia suave est. *Psallite nomini ejus, quoniam suave est. Psallite* ubi dicitur, ad corporis opera refertur: ut per organi nostri, id est, corporis multimoda opera, consonans Deo fiat & apta laudatio. *[Psallere quid. V. Præfat. n. 19.]* Psallere ergo nomini ejus jubemur, *quia suave est.* Suave enim est Deo, corpora nostra complacito ministerio probabilique famulari: vel ipsum illud potiùs B nomen Domini suave est.

5. Et quid suavitatis in se habeat, vel nomen ejus, vel ei psallere; continuò subjecit, dicens, *Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.* ℣. 4. *[Cur Jacob & Israel, non Abraham memoretur.]* Initium originis Judæorum secundùm sanctificationem generis Abraham est; ad hunc enim [e] primum Dei fuit sermo: & cur potiùs Jacob quàm Abraham Dominus elegit? Dehinc cùm idem secundùm nuncupationis allocutionem sit Israel qui & Jacob; cur ite- C rum additur, *Israel in possessionem sibi?* Ordo exigebat principem electionis Abraham, non eum qui jam tertius in electione est Jacob commemorari. Ratio quoque admonebat, ut significatus Israel in Jacob intelligeretur. Quin etiam illud accedit, quòd qui Jacob est, eligitur; qui Israel, possidetur.

6. Sed jam in exordio sermonis monuimus, illa ex rebus corporaliter gestis commemorata in psalmo esse, in quibus futuri species tam- D quam in speculo reluceret: ea quoque gestis rebus coaptata verba esse, quæ cùm ea quæ gesta sunt enuntiarent, tamen intelligentiam nobis absolutiorem eorum, quæ spiritaliter in gestis rebus præfigurabantur, afferrent. Dei nomen suave est, non uni tantùm genti, atque ipsi irreligiosæ; sed omnibus jam gentibus atque linguis. *[Jacob Ecclesiæ typus.]* Jacob enim sibi elegit, majorem natu supplantantem, ementem primitias cibo & desperatione [f] venalîs, abripientem bene- E dictionem, impænitentem [g] post servitutem, deinde post luctam Deum videntem & Israel nuncupatum. Antè enim Jacob est, & sic Israel. Circumspiciamus Ecclesiæ corpus, quæ [h] se per differentiam fidei & Jacob & Israel habet. Et hic cœtus populum legis fide supplantat, primitias ejus accipit, benedictionem ejus diripit; secundùm Domini dictum, dicentis, A diebus autem Johannis regnum cælorum vim patitur, & vim facientes diripiunt illud. *[Matth. 11. 12.]* Jacob F est ergo qui eligitur, Domino dicente, Ego vos elegi, non vos me. *[Johan. 15. 16.]* Israel est qui possidetur, in præteritis [i] primogenitis & benedictionibus cognitus, in servitute multi temporis fi-

[a] Reg. mss. ac Turon. *laudi benedictionem.*
[b] Editi cum Reg. ms. *primus enim odor:* emendantur ex codice Turon.
[c] Editi, *tantùm in domo.* Veriùs mss. *tantummodo.* Hîc sumitur dumtaxat quod dictum erat, ut ad sublimius quid gradus fiat.
[d] Editi, *Dei absit*, quod etiam secundis curis habet ms. Reg. qui priùs cum Turon. præ se ferebat, *Deo absit*, hoc est, Deo non adsit.
[e] Deerat *primum* in priùs vulgatis. Restituitur ex mss.
[f] Er. Lips. & Par. *venales:* quod non displiceret, si cum auctoritate mutatum esset *venalis*, quod apud Bad. ex mss. obtinebat, subintellecta voce *fratris*. Huc spectat illud lit. 18. Ps. 118. n. 7. ubi Jacob primitias emisse dicitur, *quas senior & desperavit & vendidit:* & paulò antè, *Emit enim Jacob primogenita Esaü, quæ sibi ille tamquam moriturus inutilia existimavit.*
[g] puta, quia etiam tum benedictionem ab Angelo pertinaciter postulavit. Præpositâ particulâ *&* ante *post luctam*, & mutata interpunctione, liceret referre *impænitentem* ad *benedictionem:* quæ ideo impænitens dicatur, quia eam, etiam deprecante Esaü, noluit Isaac revocare.
[h] Intelligentia hujus loci, restitutâ ex mss. voculâ *se*, ea se offert, quòd Ecclesia per varios fidei habitus & Jacob & Israel se exhibeat; Jacob dum Synagogam supplantat, Israel dum Deum fidei oculis contuetur.
[i] Editi, *in præteritis primogenitus;* tum Lips. & Par. *in benedictionibus cognitus:* corriguntur ex mss. Idque ita intelligi potest, ut populus gentium in Judæis eorumque benedictionibus sit adumbratus: vel etiam ita, ut præteritis Judæis, qui erant primogeniti, sit prælatus.

delis, in sacramento luctæ potens, in promerendis rursum benedictionibus pertinax, in Dei cognitione & conspectu Israel.

Filio proprium est nosse Patrem. ℣. 5.

7. Novit autem Spiritus prophetiæ præpotentem hanc nominis Dei in congregandis gentibus & possidendis fidelibus suavitatem, dicens, *Quia ego novi quàm magnus est Dominus*. Officio quidem oris sui Propheta loquitur, [a] sed cognitione non sua. Vox ista ejus est, qui ait, Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. (Matth. 11. 27.) Et Filius quidem Patrem, si cui voluerit, revelabit: sed magnitudinem ejus nemo cognoscit, Propheta dicente, Cujus magnificentiæ non est finis. (Psal. 144. 3.) Cognitio ergo infinitatis hujus ei soli erit propria, qui secundùm perfectam originis suæ plenitudinem ipse imago est infiniti.

8. *Quia ego cognovi quàm magnus est Dominus: & Deus noster* [b] *præ omnibus diis*. Non præ diis omnibus illis est, de quibus infrà ait, Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum: os habent & non loquentur. (Psal. 113. 4. & 5.) Nihil enim magnum, si metallis & saxis & lignis comparatus præfertur. Et quia isti dii non sunt, quærendum est quos deos dixerit.

Unus EcclesiæDeus.

Non enim deorum multitudinem Ecclesia cognoscit. Error hic gentium est, ut coitus & conceptus & procreationes & successiones deorum aut fingat, aut credat. Nobis autem, secundùm Apostolum, unus Deus ex quo omnia, & nos in ipso; & unus Dominus noster Jesus Christus per quem omnia; & nos per ipsum. (1. Cor. 8. 6.) Unus ex uno, Deus ex Deo est. Non recipit alterum innascibilis ut duo sint; nec admittit quod est unus unigenitus ne Deus sit. Non sunt duo innascibiles, non sunt duo unigeniti: in eo unusquisque quod est, unus est: dum parem nec unigenitus habet, nec innascibilis admittit; neque unigenitus Deus ex alio quàm innascibili Deo subsistit.

Dii per nuncupationem sunt homines.

9. Videndum autem est, præ quibus omnibus diis Deus noster sit. Invenio deos dici per Prophetam ita: Deus stetit in congregatione deorum, in medio autem deos discernit. (Psal. 81. 1.) Et hoc quidem videtur ambiguum, [c] nec satis absolutè enuntiare quos deos significet. Sed Dominus in Evangeliis errore nos nuncupationis hujus liberavit, dicens, Ego dixi, dii estis, & filii Excelsi omnes. (Johan. 10. 34.) Et adjecit, Si ergo illos dixit deos, ad quos verba Dei facta sunt, & non potest solvi Scriptura. (Ibid. 35.) Indissolubilis Dei sermo est, homines deos nuncupantis. Invenio & Moysen Deum nuncupari, cùm ei dicitur, Deum te posui Pharaoni. (Exod. 7. 1.) Sed & Apostolus docuit dici alios deos, cùm ait, Namque etsi sunt qui dicuntur dii sive in cælo, sive in terra, sicut sunt dii multi, & domini multi: sed nobis unus Deus pater est ex quo omnia, & unus Dominus noster Jesus Christus per quem omnia. (1. Cor. 8. 5. & 6.) Unus quidem Deus nobis est, & unus Dominus: sed multi dii sunt qui vocantur, in cælo & in terra.

Angeli dii in cælo.

Et quidem si hoc deorum nomen hominibus secundùm sententiam Dei competit; multò magis Angelis, Archangelis, Thronis, Dominationibus, Principatibus, Potestatibus dignum, quos Apostolus deos in cælo nuncupari demonstrat.

Quàm his præcellat Deus.

10. Dii ergo sunt qui vocantur, sed præ omnibus Deus noster est: non comparatione, qui incomparabilis præcellit, sed potestate præ ceteris est. Et quomodo præ ceteris sit, mox ostendit, dicens, *Omnia quæ voluit fecit in cælo & in terra, in mari & in abyssis*. (℣. 6.) Soli Deo congruit omnia facere quæ velit. Sola enim perfecta virtus in nullo impeditur, quo minùs quod velit, & faciat: & ei ex quo omnia sunt, nihil difficultatis occurrit.

Quidquid factum est, non omnia potest.

Inferioris ab eo naturæ est, ne totum quod velit, & faciat. Dum enim alii [d] se debet, caret omnipotentiæ virtute: quia in id ipsum quod subsistit, habeat alium auctorem. Et qui non se sibi debet, non omnia potest, dum à potiore subsistit. Sed videamus quid sit illud quod omnipotentia Dei secundùm voluntatem suam fecerit, *in cælo & in terra, in mari & in abyssis*.

Varia Dei in orbe prodigia.

11. Et quidem magnum est, si contueamur indemutabilem cæli firmitatem, solem annuis cursibus indefessisque moderatum, vicesque anni definitis limitibus temperantem; perennes quoque lunæ vicissitudines, & imperturbatos ortus, lapsus, conversionesque signorum: jam verò terræ opes, & fecundos ejus fructus in vitam hominum, volucrum, pecudum, bestiarum: plena deinde incolis suis maria, & spirantium intra fluctus piscium vitam: tum porro, quia plurali genere * maria græcitas elocuta est, Oceani inæstimabiles vices & capacis abyssi imperspicabilem naturam, qua refusus in terram æstus resorbetur.

* ἐν ταῖς θαλάσσαις.

Sed cùm hæc secundùm humanam opinionem plena miraculis sint, ac de ipsis dici meritò debeat, *Omnia quæ voluit fecit in cælo & in terra, in mari & in abyssis*: videamus quæ ea omnia sint, quæ voluit & fecit.

℣. 7. Sub littera hîc latet altior sensus.

12. *Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit. Qui producit ventos de thesauris suis.* Præterito [e] Thronorum, Dominationum, Principatuum & Potestatum, Cherubim & Seraphim, Angelorum & Archangelorum, cæli, terræ, maris, abyssi miraculo: in his omnia Deus *quæ voluit fecit, in cælo & in terra, in mari & abysso; educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit, qui producit ventos de thesauris suis?* An hæc tantùm perfectæ in Deo voluntatis omnipotentia est, terras exhalare nubes, coruscare pluviis imminentibus fulgura, alternatis spiritibus flare ventos? Sed arguunt hanc opinionem nostram [f] virtutes ver-

[a] Editi, *sed cognitione sua*, sine *non*: emendantur ope mss.

[b] Quamvis aliis locis præpositio *præ* in mss. jungatur quarto casui; hîc tamen cum excusis consentiunt scripti: licèt non constanter inferiùs.

[c] In vulgatis, *necessitatis absoluta nuntiare*. Sinceram lectionem suppeditat ms. Turon.

[d] Abest *se* à mss. Reg. & Turon.

[e] Reg. ms. *Thronuum*: qui tamen in Ps. 129. n. 2. habet *Thronorum*.

[f] Lipsius contra fidem antiquorum librorum temere substituerat, *virtutes herbarum & natura gemmarum*, nec postea correctus fuit: cùm nihil aliud velit Hilarius, nisi quòd vis verborum sacri textus, & naturæ generum seu rerum in eo expressarum minimè sinant ut litteræ nimiùm hæreatur. Lipsii animo altiùs inhæserat comparatio initio hujus Tractatus adhibita de agro salubribus herbis divite. At de gemmis nihil dum audierat.

A borum & naturæ generum. *Educens*, inquit, *nubes ab extremo terræ.* Quid enim sibi vult, quòd nubes deducuntur & educuntur *ab extremo terræ?* Exhalant quidem valles uvidæ nebulas: sed neque valles extrema terræ sunt, neque quisquam [a] nebulam id ipsum existimavit esse quod nubem. Dehinc *fulgura in pluviam fecit.* Quæ hîc humani sensûs intelligentia est? Fulgura nonnumquam sine pluviis videmus, & pluvias sæpe esse sine fulgure. Non pluviæ fulgura afferunt, neque rursum fulgura B pluvias defundunt. Sequitur quoque: *Qui producit ventos de thesauris suis.* Quæ hîc humani sensûs intelligentia est? Anne in concavo aliquo & communito thesaurorum loco conditos esse ventos existimabimus, ex quibus venti soleant tamquam pretiosissima thesauri portio produci? Et cùm solent mutationes ventorum frequentes & incertæ sæpe & contrariæ commoveri; totiens negotiosus ad hæc Deus ipsos istos, ut demutentur, ut dissideant, ex secreto C divitiarum suarum producit?

Salvo tamen litteræ sensu.

13. Sed hæc à me volenti virtutem & rationem dictorum ostendere, ita commemorata sint, ut nihilo minùs invisibilis & omnipotentis virtutis esse [b] intelligatur, à mari, quod est ab extremo terræ, nubes educi, & inter pluvias fulgura coruscare, & ventos ex occultis spirituum suorum sedibus flare. Verùm quia non in his tantùm omnipotentia Dei est, neque in his solùm *quæ voluit fecit in cælo & in* D *terra, in mari & in abyssis*; & in his quæ corporaliter gesta esse memorantur, spiritalia significari meminimus: demonstrandum est nunc, quid sub his dictis per virtutem prophetiæ intelligere debeamus.

Hominis prærogativæ.

14. In eo quòd *omnia quæ voluit fecit in cælo & in terra, in mari & in abyssis*, quantum cognitioni nostræ permissum est, nihil amabilius Deo homine est. Et subest causa, ut peculiare hoc ei animal sit. Mundus verbo consistit, homo E autem cum consilio efficitur, non verbo, sed opere cogitato. Fit quoque ad imaginem Dei: [c] per inspirationem etiam Dei vivens anima perficitur. Legem accipit, voluntati suæ permittitur, liber ab omnibus mundi dominus constituitur, paradisi incola est, invidiâ diaboli dignus est, post peccatum misericordiæ reservatur, * omni sæculi hujus ætate ad cognitionem Dei eruditur, judex angelis præparatur. Revelationem ejus creatura exspectat, va- F nitati in spem & ipsa subjecta; ob pænitentiam ejus ex peccato Angelorum in cælis maximum gaudium est. Hic ipse per sacramentum nativitatis secundùm hominem Jesum Christum assumtus in eum est. Jam ubique irreligiosum antè os ejus religionem docet, jam pollutum stupris corpus continentiâ purum est, jam cæca quondam à cognitione Dei mens, Israel facta est. Jam invidia [d] in imitationem boni profecit, jam ebrietas in jejunia exarsit, jam odium in amorem demutatum est, jam vitia in virtutum [e] vitam peremta sunt.

* V. pag. 357. n. b.

15. Fecit ergo Dominus *omnia quæ voluit in cælo & in terra, in mari & in abyssis.* NIHIL enim in his omnibus carius homine suo habuit, ob quem etiam Unigenitus ejus Deus homo exstitit: & fecit ita, *educens nubes ab extremo terræ.* Nubibus Dominus præcepit, ne super spinosam & infecundam vineam pluerent: Mandabo, inquit, [f] nubibus ne pluant super eam. Cognovi & nubem in qua locutus est Deus: In columna, inquit, nubis loquebatur ad eos. Et testatur mihi Paulus in hac nube non hoc solum quod legitur intelligendum, dicens, An nescitis quia patres nostri sub nube fuerunt, & in Moysen baptizati sunt? Nubes hæc itaque significat doctrinam apostolicam: quæ inumbrans, & à calore defendens, æstum omnem futuri judicii excludit. Quòd autem à novissimis terræ [g] sint, audiamus Apostolum dicentem, Puto autem Deus nos Apostolos extremos ostendit sicut abortivos. Dominus ipse, cùm de loco & dignitate inter discipulos sermo esset, ait, Qui voluerit in vobis esse primus, sit omnium novissimus. Has ergo nubes Deus, omnia quæ vult faciens, à novissimis terræ educit: & hanc inumbrantem doctrinam, terræ humilia exhalant.

Nubes doctrina, V. Origen. hom. 5. in Jerem. Esai. 5. 6. Psal. 98. 7. 1. Cor. 10. 1. & 2. ab extremo terræ, id est, per humiles Apostolos tradita. 1. Cor. 4. 9. Marc. 10. 44.

16. *Fulgura in pluvias fecit.* Fulgur est virtutis cælestis agnitio: & hoc ipse Dominus testatur, dicens, Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque ad Occidentem; ita erit adventus filii hominis. Et hoc quidem ita in Domino, qui [h] non in locis ut corporalis, sed ubique, adveniens cernetur. Ceterùm in singulis hodie quicumque virtutem Dei annuntiabunt, qui cognitionem ejus per doctrinam præstabunt, fulgura [i] in pluvias facti sunt: fulgure primùm ipsi scientiæ coruscantes, tum deinde verborum imbrem profundentes. Et hujus pluviæ ex se profundendæ Moyses non

Fulgura, qui scientiâ coruscant. Matth. 24. 27. Pluviæ fiunt, dum doctrinam profundunt.

[a] Nebula apud Plin. lib. 2. c. 60. differt à nube, quòd vapor sit è terra atque aquis surgens, quæ sive statim evanescit, sive in altum sublata in nubem convertitur.

[b] Mirari subest cur proximè antè annotarit Erasmus, *Destruit historiam*, contra tam expressam cùm hîc, tum Tractatûs initio Interpretis nostri professionem: ut vix excusari possit quidam carpendi pruritus.

[c] Ita mss. At editi, *fit quoque ad imaginem Dei per inspirationem, & ea Dei vivens anima perficitur*: mendosè & contra mentem Hilarii, cui per inspirationem Dei non fit homo ad imaginem Dei, sed anima facta ad imaginem Dei cum corpore sociatur in animam viventem. Videsis hæc latiùs explicata Tract. Ps. 118. litt. 10. n. 7. & 8. & in Psal. 130. n. 5.

[d] Editi, particulâ *jam* omissâ, *in mutationem boni proficit.* Tur. ms. *jam invidia imitatione boni profecit.* Magis placet cum Reg. *in imitationem boni*, quo exprimitur transitus à prava æmulatione in sanctam æmulationem.

[e] In vulgatis *vita.* Rectiùs mss. *vitam*: quo animi à vitiis ad virtutes progressus declaratur.

[f] Turon. ms. *nubibus meis.* Superiùs in Psal. 67. n. 10. refertur hoc *aliquibus nubibus* præceptum.

[g] Verbum *sint* perinde refert Hilarius ad Apostolos, ac si superiùs *doctrinam Apostolorum*, & non *doctrinam apostolicam* scripsisset.

[h] Editi, *non in locis corporalibus...... cernitur*: emendantur ex mss. Magis tamen placeret *ut corporalia.* At quî Christus non in locis exstat ad modum rerum corporalium, quem liquet corpore non carere? Videtur Hilarius respicere Christum quatenus virtute divina ubique præsentem, & non quatenus corporis nostri consortem. Similem huic locum jam advertimus in Psal. 124. n. 6. ubi explicans Christi ad Apostolos verba, *Ecce ego vobiscum sum* &c. subjicit, *Spiritus namque est omnia penetrans & continens. Non enim secundùm nos corporalis est, ut cùm alicubi adsit, absit aliunde* &c.

[i] Inconcinnè præ se ferebant editi, *inter pluvias*: refragantibus mss. Tum ex Turon. restituimus, *fulgure primùm ipsi scientia*, ubi antea legebatur, *fulgura primùm ipsi scientia.*

jam spiritaliter per doctrinam, sed corporali- A
Deut. 32. 1. & 2. ter per gloriam fulgens ita meminit: Attende
„ cælum, & loquar: & audiat terra verba ex ore
„ meo. Exspectetur sicut pluvia eloquium meum,
„ & descendant sicut ros verba mea, & sicut plu-
„ via super gramen, & ut nives super fœnum. Illa
fulgura in has pluvias facta sunt, verba scilicet
vivificantia, & [a] potantes irrigantia.

Venti, Angeli custodes nostri.

17. Servatus autem ordo est, ut post congregatas ex novissimis terræ nubes, post fulgura [b] in pluvias constituta, producat ventos B de thesauris suis. Quos autem ventos producat, non ambiguum est: eos nempe de quibus ait, Faciens angelos suos spiritus. (Ps. 103. 4.) Sunt enim Angeli parvulorum quotidie Deum videntes. Hi igitur spiritus ad salutem humani generis emissi sunt: neque enim infirmitas nostra, NISI DATIS AD CUSTODIAM ANGELIS, tot tantisque spiritalium cælestium nequitiis obsisteret. Opus ad id fuit [c] naturæ potioris auxilio: & hoc ita esse ex C his dictis docemur, quibus trepidum ac paventem Moysen Dominus confirmat, dicens, Ecce Angelus meus antecedet te. (Exod. 23. 23.) Hos igitur de thesauris suis ventos producit, tribuens in his auxilium humanæ infirmitati: ut hæc nos divina præsidia, adversùs * mundipotentes (* κοσμοκράτορας.) harum tenebrarum in hereditanda nobis salute tueantur.

18. Sequitur deinde hic ordo dictorum:
ỳ. 8. *Qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque* D
ad pecus, * *& misit signa & prodigia in medio*
ỳ. 9. *tui Ægypte, in Pharaonem & in omnes servos*
ỳ. 10. *ejus.* * *Qui percussit gentes multas, & occidit re-*
ỳ. 11. *ges fortes.* * *Seon regem Amorrhæorum, & Og*
regem Basan, & omnia regna Chanaan occidit:
ỳ. 12. * *& dedit terram eorum hereditatem, heredita-*
tem Israel populo suo. Frequenter sermo divinus, eum intelligendum esse Deum cæli atque terræ & universitatis creatorem docet, qui Ægyptum percusserit, mare diviserit, Ægy- E ptios demerserit, populum suum magnis & mirabilibus virtutibus eduxerit, in eremo mannâ aluerit, ejectis gentibus in terram repromissionis induxerit. Et quidem omnia hæc magnifica & præclara opera Deum esse testantur. Neque enim mediocris & moderatæ virtutis est tanta gessisse: admirandus in his intelligendus est. Sed docet nos Apostolus cum veneratione gestorum præformationem in his doctrinæ atque operis spiritalis agnoscere: cùm lex spiritalis est, F cùm gesta ejus allegorumena sunt, cùm sub nube patres fuerunt, cùm in Moysen baptizati sunt, cum de spiritali petra biberunt, cùm petra Christus est, cùm postremò secundùm exaltati in deserto serpentis formam exaltandus est Dominus. Ergo licèt illa in Ægypto corporaliter gesta sint, spiritaliter tamen nunc geruntur in nobis.

Hæc magnifica Dei gesta nunc in nobis spiritaliter geruntur.

Ægyptus percussa, sæculi potestates cruci confixæ.

19. Ægyptus, in quo sæculi forma est, virtutibus & plagis Dei percutitur, signis portentisque terretur. Plagis Dei percutitur, cùm damnationem suam judicium suum audit, cùm in ipso conscientiæ suæ reatu cognoscit, cùm in ipso conscientiæ suæ reatu quotidie judicatur; cùm principales suas originariasque virtutes cruci suæ Dominus confixit. Locutus quoque est tamquam ad viventem animalemque Ægyptum, ([d] ut non hebetem terram inanimemque regionem, sed incolas ejus, quos rationales animalesque constituerat, alloqui existimaretur,) *Misit signa & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem, & in omnes servos ejus. In medio tui* quid est? Cognoscimus ex eo quod dictum est, [e] Dominus Deus autem rex noster, rex ante sæcula, operatus est salutem in medio orbis terræ. (Ps. 73. 12.) In medio itaque orbis terræ loco, in quo Dominus salutem nobis operans passus est, signa & prodigia misit: dum crucis suæ horis sol effugit; tremit terra, saxa rumpuntur, sepulcra panduntur, mortui exsurgunt. Hæc in medio tui Ægypte signa facta sunt. Pharao tuus, id est diabolus, aquis necatur baptizato populo, ipse cum exercitu suo obrutus. Percussæ deinde gentes multæ; exstincti scilicet innumerabiles in nobis vitiorum incolatus. Reges quoque fortes peremti; fortes planè.

Christi in medio Ægypti, seu sæculi prodigia.

Pharao, seu diabolus cum vitiis baptismo necatur.

Cur ex pluribus regnis deletis pauca memorentur.

20. *Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan occidit.* Et quid istud est? Tot regna eversa sunt, tot reges exstincti sunt: & horum tantùm fit memoria? Fit quidem secundùm gestorum fidem paucorum memoria ex pluribus: sed hi tantùm memorantur, in quibus quamvis quidem res gesta cognosceretur, tamen per conditiones virtutesque nominum spiritalis in his esset conditio subtexta. Nam Seon infructuosæ arboris interpretatio est; quod enim nobiscum arbor infructuosa, id hebraicè Seon nuncupatur: Amorrhæus verò [f] exacerbantis. Has ergo sub horum nominum significatione infructuosas in nobis [g] exacerbantibus virtutes delevit, [h] qui infructuosos scilicet principes, qui nos exacerbabamus in Dominum obtinebant: & ob id secundùm dictum evangelicum exemplo infructuosæ arboris excisos. Og verò rex interpretationem habet maceriæ sive valli: Basan verò confusionis sive pudoris. Regem hunc ergo confusionis pudorisque nostri exstinxit, solvens secundùm Apostolum maceriam (Ephes. 2. 14.): vel vallum, id est, [i] quo à cognitione Dei prohibebamur, obstaculum diruens. Occidit deinde omnia regna Chanaan. Maledictum Chanaan esse Genesis docet (Gen. 9. 25.), & esse servum fratrum

Seon.

Amorrhæus.

Og. Basan.

[a] Turon. ms. *potenter irrigantia.*

[b] Mss. auctoritate restituimus *in pluvias*: quod in vulgatis desiderabatur.

[c] Nomine *naturæ potioris* nihil aliud hîc intelligentiæ subest, nisi angelica. Jam verò Hilarius non videtur sibi constare, qui in Psal. 120. n. 5. doceat à Domino, non ab Angelis, nobis venire auxilium. Quamquam ut ibi non negat, immo innuit, Dei per eos nobis venire auxilium: ita etiam hîc non Angeli per se, sed Dominus in Angelis auxilium nobis tribuere prædicatur his verbis, *tribuens in his auxilium humanæ infirmitati.*

[d] In vulgatis, *ut non habentem terram*: corruptè.

[e] Ita mss. Editi verò, *Deus autem Deus noster ante sæcula* &c.

[f] Hic subintelligitur *interpretatio*. Ibi legere est in priùs vulgatis, *exacerbans*: & in mss. Reg. ac Turon. *Amorrhæos verò exacerbantes.*

[g] Sola editio Par. *exacerbantis.*

[h] Reg. ms. cum Turon. *quibus exacerbamus.* Tum in vulgatis omittitur *in* ante *Dominum.*

[i] Editi, *quod ad cognitionem Dei*: emendantur ex ms. Turon.

Chanaan.

suorum, ob contumeliosam ejus in patrem injuriam. Interpretatio autem nominis Chanaan motio est. Quæ igitur nos in vitia & [a] in maledictam impietatem commovebant, atque in nos vi sua ac potestate regnabant, Dominus exstinxit. Quòd autem per varias virtutes, quæ in filiis obedientiæ operantur, [b] non regnent peccata in nobis, Apostolum audiamus dicentem, Non regnet ampliùs in mortali corpore vestro peccatum. Regna ergo hæc occisa sunt: jam enim non dominantur in nobis.

Rom. 6. 12.

℣. 12.

21. Sed occisis his, quid consequitur? *Dedit terram eorum hereditatem, hereditatem Israel populo suo.* Data quidem terra est regum & gentium superiùs memoratarum; sed amissa rursum est. Hodie à gentibus incolitur, Israel ubique exsul est: & quomodo terra, quæ data est, hereditas est? Manet ergo idem ordo: ut sub his, quæ corporaliter gesta sunt, ea quæ spiritaliter essent gerenda præscripta sint. Data igitur corporum nostrorum terra in hereditatem est, quæ antea erat in Chanaan maledicta & in vitia mobilis, in Basan confusionis pudorisque plena, in Amorrhæo exacerbans & irritans, quam possidebat in Og infidelitatis maceria, quam occupaverat in Seon arbor infructuosa. Hæc igitur terra, soluto infidelitatis vallo, & excisâ ex ea arbore infructuosâ, data est hereditas: & data Israel populo suo. Quæ autem hæc hereditatis terra sit, & qui sit hic Israel, audiamus apostolum Paulum dicentem: Sicut portavimus imaginem terrestrìs, portemus imaginem cælestìs. Hic est Israel, cui terræ beatæ hujus continget hereditas, cui conglorificati in Domino terreni corporis sui erit æterna possessio. Hoc Christianis est proprium, qui hoc in se nomen incolume per cælestis imaginem usque ad finem retinuerint.

Fidelibus promittitur corporum æterna possessio.

1. Cor. 15. 49.

℣. 13.

Quod Deo videmur optare, nobis optamus.

22. Atque ita ait: *Domine, nomen tuum in sæculum.* Numquid à nobis optandum hoc Deo est, aut æterna virtus eget voto nostro, ut maneat in æternum? Ut in nobis potiùs maneat, optandum est. Sicuti cùm dicimus, Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra; non utique hæc Deo proveniant optamus: ut sanctificetur, qui sanctus est; ut voluntas sua fiat, cujus factum in voluntate est. Nostræ hæc potiùs rei vota sunt, ut per egregia fidei nostræ opera nomen ejus sanctificetur in nobis; ait enim, Estote sancti, quoniam ego sanctus sum: ut in nos regnum ejus adveniat, & digni æterno regno per indultam nobis æternitatis substantiam simus: quia spes vitæ est, confiteri regnum ejus; & dicenti sibi latroni, Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum, respondit, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso: ut sicuti voluntati ejus in cælis ab indefessis & cælestibus virtutibus pareretur, ita & à nobis in terra pareatur, ne corporalis nos infirmitas ab exsequenda ejus voluntate deflectat: (in cælis enim indefessis quotidie vocibus dicitur, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth: pleni sunt cæli & terra gloriâ tuâ.) ut nobis quoque nihil aliud in opere sit, [c] per quod sanctificatur nomen ejus; nihil aliud in spe, per quod & in nos regnum ejus speramus; nihil aliud in voluntate, per quod ei æternæ à nobis laudes sunt deferendæ. Profectus hic voti nostri indigentiæ res est, ut nobiscum nomen ejus maneat in æternum.

Matth. 6. 9. & 10.

Levit. 11. 44.

Luc. 23. 42. Ibid. 43.

Esai. 6. 3.

23. Dehinc sequitur: *Et memoriale tuum* [d] *in generatione & generationem.* Non, sicut sæpe, à sæculo in sæculum, neque à generationibus in generationes: sed *in generatione & generationem.* Et hoc non de nomine, sed de memoriali. Memoriale enim est memoria operum Dei, quæ libro legis continentur. Et quia lex & memoriale Dei in generatione prima, Judæorum scilicet, usque in plenitudinem temporum mansit; sicuti plebi Sodomæ & Gomorrhæ usque ad plenitudinem peccati pœna dilata est: ita mensuram omnium impietatum cùm prima generatio explesset, memoriale Dei, & omnium operum suorum memoria in generationem alteram transiit, in Christianos namque, cum quibus hodie legis veneratio est, & [e] prophetia, & nomen Domini.

Memoriale Dei.

à Judæis ad Christianos transiit.

℣. 14.

Dei consolatio de perdito Israel; populus fidelis.

24. Tenuit autem hunc eumdem in consequentibus ordinem, dicens, *Quia judicabit Dominus populum suum, & in servis suis consolabitur.* Differt judicari & consolari; & differt populus & servus. In servis autem consolatio, in populo verò judicium est. Populum Dei Israel secundùm carnem nuncupatum esse quis nescit? Dictum autem ab Apostolo est, Qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. *Judicabit* ergo *Deus populum suum*; sed *in servis suis consolabitur*, nempe illis de quibus Dominus ait, Qui credit in me, non judicabitur, sed transiet de morte in vitam: qui autem non credit, jam judicatus est. Consolabitur autem Dominus, judicato Israel, in servis suis. In omnibus enim fidelibus [f] terræ solatium habebit ex damno.

Rom. 2. 12.

Johan. 5. 24.

Dei in Israelitas benignitas ac beneficia.

25. Voluisset enim populum suum, quem in patribus eorum Abraham & Isaac & Jacob elegerat, non judicari: ob quem post diversas plagas Ægyptum afflixerat, ob quem in columna ignis & nubis adstiterat, ob quem mare diviserat, aquam è petra ejecerat, manna è cælo miserat, legem posuerat, veniam tantis sacrilegiis indulserat, tot irreligiosorum regna dejecerat, prophetas miserat, Unigenitum suum

[a] Turon. ms. *in maledicta impietate commovebant, atque in nobis.*

[b] Sic ms. Turon. cum Reg. in quo tamen à prima manu, *nec regnent*; ac deinde expuncto *c*, jam restat *ne regnent.* At editi, *quæ in filiis inobedientiæ operantur, hæc regnant peccata*; quod subsequentibus repugnat. Porro non hîc memorantur virtutes diaboli, *qui* Ephes. 2. 2. *nunc operatur in filios diffidentiæ*; sed Domini, de quibus Ephes. 3. 20. *Ei autem qui potens est omnia facere . . . secundùm virtutem quæ operatur in nobis*, &c.

[c] In vulgatis hîc & infrà præmittitur *nisi* ante *per quod*: reluctantibus mss. Potest particulæ hujus loco subintelligi, *quàm quod sine intermissione cantatur in cælis.* Tum *per quod*, id est *quo fit ut.*

[d] Editi, *in generationem.* Rectiùs ms. Reg. *in generatione*, subaudi *mansit*, sicut post *& generationem* subintelligitur *transiit.* Turon. habet *in generatione & generatione.*

[e] In mss. Reg. & Turon. *prophetiæ.* Tum in Turon. omittitur, *& nomen Domini*, in Regio autem sola particula *&*.

[f] Editi cum ms. Reg. *terra*: malè, cùm proximum verbum *habebit* ad Dominum referatur, qui una Israeliticæ gentis regione perdita, damnum solatur ex adeptione totius orbis, in quo fideles habet famulos. Meliùs itaque ms. Turon. *terræ.*

Israelitæ quàm ingrati. Matth. 21. 38.

nasci hominem voluerat. Sed tot tantisque beneficiis populus ingratus, & colonus vineæ primus electus, in ipsum Dominum vineæ parricidales manus intulit, Deum, quantum in se est, crucifixum in homine mortificans. Sed electi sunt servi, quibus vinea fructum ejus reddentibus traderetur: in quibus Dominus, judicato populo suo, pietatis suæ damnum consolaretur.

Gentes non ita.

Itaque consolantur eum gentes, in Martyribus & confessoribus & fidelibus suis fructus ex se commissæ sibi gratiæ rependentes. Non nova autem, nec hujus tantùm Prophetæ vox ista est. [a] Moyses in præclaro illo Deuteronomii cantico, cùm peccata populi hujus, & impietates novissimas, & fidem generationis alterius prædicaret, ait: Quoniam judicabit Dominus populum suum, & in servis suis consolabitur.

Deut. 32. 36.

Sanctus etiam Eleazar, cùm à principibus populi sui degustare [b] ementitum sacrificatum cogeretur, gloriam martyrii sub hac eadem voce consummat, sciens Dominum in servis suis voluntatem ejus operantibus, judicato populo, consolandum.

2. Mach. 6. 20. &c.

Contra idololatras.

26. Convertitur deinde ad depellendum errorem gentilium [c] prophetico sermone, ut stultas atque irreligiosas superstitiones ex ipsis superstitionum causis coarguat, dicens,
℣. 15. *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.*
℣. 16. * *Os habent, & non loquentur; oculos habent, & non videbunt;*
℣. 17. * *aures habent, & non audient;* [[d] *nares habent, & non odorabunt; manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt:* [e] *non clamabunt in gutture suo:*] *neque est spiritus in ore eorum.*
℣. 18. * *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes* [f] *qui confidunt in eis.*
Frequenter & in aliis psalmis idipsum de simulacris gentium dictum est: & prophetia omnis hoc laborat, ut humanum errorem à stultissimis his irreligiositatum studiis avertat. Addunt enim plerique his impietatibus suis auctoritatem, ut pretiis metallorum honorem diis quos sibi fecerint quærant, auro eos argentoque formando: sed hoc tantùm quod possunt largiuntur, imaginem scilicet oris, oculorum, aurium, narium, manuum & pedum, deos suos in forma mortui corporis adorantes, [g] cui spiritu evolante os mutum est, oculi hebetes, aures surdæ, nares [h] inanimæ sunt, manus dissolutæ, pedes rigentes, omne corpus immobile est. Sed errori eorum id quod nec sperare audent deputatur: ut eorum sint similes quos adorant, venerantes sint in consortio veneratorum, ipsi simulacrorum modo [i] emortua corpora sine vitæ spiritu relinquendi.

27. Demonstrato autem errore gentili, ad doctrinæ ordinem propheticus sermo se retulit, dicens, *Domus Israel benedicite Dominum, domus Aaron benedicite Dominum, domus Levi benedicite Dominum, qui timetis Dominum, benedicite eum.*

Fidelium ordo quadruplex.

In his nominum atque officiorum distinctionibus omnem Ecclesiæ populum complexus est: sed per nuncupationum & proprietatum significationem ipsa illa officiorum merita divisit. In eo enim quod dicitur, *domus Israel, & domus Aaron, & domus Levi, & qui timetis Dominum*, aliud ab alio [k] esse discernitur: ut, secundùm Apostolum ad Corinthios scribentem, quædam [l] fit in nominibus distinctio, cùm ait, Vocatis, sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi; ut aliud vocatos, aliud sanctos, aliud invocantes nomen Domini esse significet.

1. Cor. 1. 2.

Nunc autem primùm Israel nuncupari videmus, secundò Aaron, tertiò Levi, quartò timentes Dominum. Et in Aaron sacerdotes significari non ambiguum est: sacerdos enim in lege Aaron primus fuit, & exinde in successione ejus sacerdotum honor mansit. In Levi autem ministros ostendi absolutum est: hæc enim tribus in ministerium electa est. Reliquus autem populus, cui non sacerdotii, neque ministerii, sed timoris officium est, in his qui timent Dominum nuncupatur. Docet autem nos Apostolus [m] super omnes hos esse Israel, cùm ait, Et quotquot regulæ huic obsecundabunt, pax super eos & misericordia, & super Israel.

Gal. 6. 16.

Præstantissimus omnium.

Sacerdotes & ministros officii sui regula in eo quod agunt continet: sed præstat longè voluntate magis aliquid agere, quàm lege. Et optimum est, per ministerii ordinem non solùm satisfacere ministerio, sed per doctrinæ scientiam & fidei calorem ad cognitionem Dei contemplationemque contendere. Eum ergo, qui Deum intelligens & videns esset, quod est proprium Israel, in primo benedicentium ordine collocavit: (qui officium in quo esset, atque honorem sacerdotis, hac ipsa cogniti per fidem & contemplati Dei virtute præcelleret:) quia cùm plures sint Aaron, id est, sacerdotes; pauci tamen Israel, id est, qui cognitione mentis Deum contemplaturi sint, reperientur. Hi ergo primùm ad benedicendum advocantur: ceteris aliis post eos, in eo

[a] Apud Par. *Mox in præclaro illo:* mendosè. Tum in Reg. ms. *Exodi cantico.* At verba allata ex Deuteronomio, non de Exodo sunt petita.

[b] Er. post Bad. *ementium sacrificatum:* in margine autem, *Suspicor legendum, è gentium sacrificatu.* Hujus conjecturam in textum revocavit Lipsius. Germanam lectionem præstant mss. Reg. & Turon. juxta illud 2. Machab. 6. 20. *Rogabant afferri carnes quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut rex imperaverat, de sacrificii carnibus.* Quod autem subjicit Hilarius Eleazarum prædictis Deuteronomii verbis martyrium consummasse, non de Eleazaro narrat sacer textus, sed de septem fratribus, qui unà cum matre se iisdem verbis ad tormenta fortiter ferenda cohortabantur 2. Machab. 7. 6.

[c] In ms. Turon. *propheticus sermo.*

[d] Uncinis comprehensa absunt à Vulgata, & videntur interjecta ex Psalmo 113. Exstant tamen in veteribus psalteriis Rom. Mediolan. Carnut. German. ut in nostris mss. eaque postulat Hilarii enarratio.

[e] In vulgatis sequens sententia, scil. *neque est spiritus in ore eorum*, huic præmittitur.

[f] Regius codex ac Turon. *qui sperant in his.*

[g] Apud Bad. & Er. *cui spiritus est sine voluntate:* falsa lectio, cùm mortuum corpus spiritu non minùs careat quàm voluntate. Tum Lipsius loco *spiritus*, posuit *species*, quod & apud Par. retentum est. Mendosè in Reg. ms. *cui spiritu à voluntate.* Locum hunc Turonensi codici debemus restitutum.

[h] Sic mss. Editi verò, *inanes sunt.*

[i] Editi, *in emortuo corpore:* castigantur ex ms. Turon. favente Regio, in quo *& mortua corpora.*

[k] Verbum *esse* abest à ms. Turon.

[l] In edit. *sit in hominibus.* In ms. Reg. *fit in omnibus.* Legendum cum Turon. *fit in nominibus:* quod consentit cum proximè dictis, *In his nominum atque officiorum* &c. Superior conjunctio *ut* pro *sicut* posita est. Inferiùs verbum *ait* ex ms. Reg. revocatur.

[m] In mss. Reg. & Turon. *præ omnes:* qua lectione aptiùs significatur Israel tribus aliis ordinibus præstare.

in eo quo & ipsi essent officio, benedicturis. Sed benedicunt Deum, & domus Israel, & domus Aaron, & domus Levi, & omnes qui timent Dominum : eum scilicet, qui est benedictus Deus ex Sion, qui habitat Jerusalem, sanctum montem Sion, & civitatem cælestem, Ecclesiam primitivorum, manentium & scriptorum in cælis, in Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXXV.

Alleluia.

*CONFITEMINI Domino : quoniam bonus, quoniam in sæcula misericordia ejus. Confitemini Deo deorum : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui fecit mirabilia * solus : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui fecit cælos in intellectu : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui firmavit terram super * aquam : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui fecit luminaria magna solus : quoniam in sæcula misericordia ejus. Solem in potestatem diei : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum: quoniam in sæcula misericordia ejus. Et eduxit Israel de medio eorum : quoniam in sæcula misericordia ejus. In manu forti & brachio excelso : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui divisit mare rubrum in divisiones : quoniam in sæcula misericordia ejus. Et transduxit Israel per medium ejus : quoniam in sæcula misericordia ejus. Et excussit Pharaonem & virtutem ejus in mare rubrum : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui transduxit populum suum in desertum : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui perduxit aquam de petra rupis : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui percussit reges magnos : quoniam in sæcula misericordia ejus. Seon regem Amorrhæorum : quoniam in sæcula misericordia ejus. Et Og regem Basan : quoniam in sæcula misericordia ejus. Et dedit terram eorum hereditatem : quoniam in sæcula misericordia ejus. Quoniam in humilitate nostra memor fuit nostri * : quoniam in sæcula misericordia ejus. Et redemit nos * de inimicis nostris : quoniam in sæcula misericordia ejus. Qui dat escam omni carni : quoniam in sæcula misericordia ejus. Confitemini Deo cæli : quoniam in sæcula misericordia ejus.*

* Hil. addit magna.

* aquas.

* Hil. addit Dominus.

* de manu inimicorum nostrorum.

TRACTATUS PSALMI.

1. NON est otiosus propheticus sermo, neque ex inanibus ac superfluis causis spiritalis loquela est. Si enim in viris prudentibus exspectari id maximè solet, ut ea quæ loquuntur, gravitate eorum doctrinâque digna sint ; omnisque sermo non sit fortuitus & vagus, sed ex rationabilibus causis profectus, & exspectationi audientium utilis, & [a] auctoritati congruus differentium : quanto magis id in cælestibus eloquiis opinandum est, ut quidquid in his [b] est, excelsum, divinum, rationabile & perfectum esse existimetur. Sed plerumque, immo semper, vitio nostro accidit, ut quæ legi in ecclesia audimus, auribus atque animis nostris longè ab his peregrinantibus negligamus : ut per audiendi incuriam, vilescat apud nos dictorum cælestium dignitas. Cùm in lectionis tempore [c] rationes supputamus, iras concipimus, injurias cogitamus, luxus recolimus : tunc ad hæc occupatis nobis surdæ aures sunt, & hebes mens est ; & si quid fortè in aures nostras eorum quæ leguntur inciderit, virtutem tamen dictorum obrutus sæculi curis animus non sentit : & quorum intelligentiam non consequitur, levem existimabit auctoritatem.

Scripturæ dignitas.

Ob inconsiderantiam vilescit.

2. Omnia autem, quæ in libris propheticis sunt, maximum humanæ & salutis & doctrinæ profectum in se habent, nostrique causâ universa scripta sunt : ut nunc nobis institutionem vitæ innocentis afferrent, nunc scientiam Dei intimarent, nunc originis naturæque nostræ cognitionem tribuerent, nunc futurorum intelligentiam non spe tantùm, sed ratione præstarent, nunc causas universitatis hujus ortusque proferrent, & humanum sensum tantarum rerum intelligentiæ incapacem ad capiendam horum cognitionem variis doctrinæ generibus distenderent. Partibus enim quibusdam & divisionibus opus fuit, per quas sensim sub usu exercitationis assiduo opinio saltem incomprehensibilis nobis hujus intelligentiæ posset irrepere. Plures prophetæ sunt, [d] & ingentia eorum copiosaque dicta. Plures etiam psalmi sunt, & singulis multa & varia congesta sunt. Et quamquam omnes unam atque eamdem in se doctrinæ formam complectantur : diversis tamen institutis in eamdem nos scientiæ viam dirigunt ; non omnia in unum congerentes, (incapaces enim omnium sumus)

Scripturæ multimoda doctrina.

Cur libri ejus plures ac varii.

[a] In vulgatis, *auctori*. Reponimus *auctoritati* ex mss. Reg. & Turon. qui antea habent *expetitioni*, non *exspectationi*.

[b] Editi, *in his excelsum est*, hac metathesi sententiam Hilarii prorsus confusam exhibebant. *Excelsum* quippe ad *esse existimetur* cum ceteris referendum est.

[c] Ita ms. Turon. Editi verò, *rationem*.

[d] Reg. ms. cum Turon. *& intelligentia eorum copiosa quæ dicta sunt. Plures* &c.

Pſalmi hujus ſcopus.

ſed partes partibus explicantes : ut per id quòd ſingula cognoſcuntur, proficiatur ad multa. In hoc autem pſalmo, quia ſingulis ejuſdem rei argumenta diverſa ſunt, id continetur, ut cauſam univerſitatis hujus, id eſt, cur cælum, cur terra, cur homines, cur cetera ſint, ex bonitate ac miſericordia Dei profectam intel-
ỳ. 1. ligamus per id quod dicitur, *Confitemini Domino : quoniam bonus, quoniam in ſæcula miſericordia ejus.*

Confeſſio duplex.

3. Ac primùm in eo quod ita cœptum eſt, *Confitemini Domino*, duplicis intelligentiæ ſignificatio affertur : ut aut Deum in confeſſione laudemus, quia bonus, quia miſericordia ejus in ſæcula ſit ; aut peccata noſtra confiteamur
a [a] ei, ab eo indulgenda quia bonus eſt, & cujus indeficiens miſericordia ſit. Utrumque naturæ noſtræ conveniens eſt ; ut & eum ad cujus cognitionem naſcimur laudemus, & ei, qui bonus & miſericors in ſæcula ſit, confiteamur
b peccata ſub agnitione peccati. [b] Non enim confeſſio eſt, Deo qui nihil ignorat ea quæ geſſeris confiteri : quia confeſſione iſta Deus non eget, cujus cognitioni nihil occultum eſt,
c cujus [c] aditui nihil invium eſt, cujus virtuti nihil reliquum eſt, extra quem locus nullus
d eſt. Sed confeſſio eſt, rei ſcilicet ejus [d] quæ ignorabatur profeſſa cognitio, ex alterius judicii opinione in alterius intelligentiæ proficiens ſententiam. Utile enim ſibi ac jucundum quiſque eſſe antea exiſtimaverat, rapere, cædere, furari, ſuperbire, potare, ſcortari : ſed ubi hæc omnia æternæ damnationi obnoxia eſſe cognovit, cognitis his confitetur errorem. * Confeſſio autem erroris, profeſſio eſt deſinendi. Deſinendum ergo à peccato eſt, ob quod peccati cœpta confeſſio eſt. Ceterùm extra veniam eſt, qui peccatum cognovit, nec cognitum confitetur.

Confeſſio peccati quid.

Profeſſionem habet deſinendi.

* Ita infrà in Pſ. 137. n. 3.

Intermittenda non eſt etiam juſtificatis.

4. Confitendum autem ſemper eſt : non quòd peccandum ſemper ſit, ut ſemper ſit confitendum ; ſed quia peccati veteris & an-
e tiqui [e] utilis ſit indefeſſa confeſſio. Docet autem Spiritus-ſanctus ſemper confitendum, cùm
Prov. 18. 17. ait per Prophetam, Juſtus ipſe ſibi accuſator eſt in primo ſermone ſuo. Juſtus non ſe ex præſentibus, ſed ex præteritis accuſat : cui enim adeſt præſentium accuſatio, juſti nomen

A aufertur. Et audiamus ſe apoſtolum Paulum ex præteritis arguentem, cùm ait, Quia non ſum dignus vocari Apoſtolus, propter quod perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratiâ autem Dei ſum id quod ſum. Hæc eſt illa juſti viri vera confeſſio, quæ juſtitiam præſentem ex præteritorum conſcientia & confeſſione commendat. Ad quam & alibi per prophetam monemur : Confitere, inquit, peccata tua prior, ut juſtificeris. Ad hanc ergo confeſſionem in

1. Cor. 15. 9. & 10.

Eſai. 43. 26.

B pſalmo vocamur : *quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus* : confeſſionis noſtræ hunc impenſiore maximè * fide invocantes, quia cui confitemur, & bonus eſt, & neſcit miſericors eſſe deſinere.

* al. fidei fiducia.

5. *Confitemini Deo deorum : quoniam in ſæcula miſericordia ejus.* Ut in Evangeliis reſponſione Domini ad Sadducæos docemur, non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum : per quem & dictum eſt, Ego dixi, dii eſtis, & filii Excelſi omnes.
C Non dignatur Deus corruptibilium & [f] mortuorum Deus eſſe : ſed eorum qui in cæleſtem gloriam transformandi, exuti vetere homine terreno, novum qui in cælis induerunt, qui conformes erunt corpori gloriæ Dei. Et [g] deos hos effici, licèt & ut fidei eorum meritum exigat, tamen ea maxima cauſa eſt, *quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Non ille eguit deorum Deus nuncupari : ſed bonitatis & miſericordiæ ſuæ eſt, ut deos faciat, honorem no-
D minis ſui ex affectu miſericordiæ & bonitatis impertiens.

ỳ. 2. Deus deorum, id eſt, beatorum.

Matth. 22. 32.

Johan. 10. 34.

f

g

Gloriæ æternæ maxima cauſa Dei miſericordia.

6. *Confitemini Domino dominorum : quoniam in ſæcula miſericordia ejus.* Deos plures nuncupari ſive in cælo ſive in terra, Apoſtolus docuit ; ut non ſolùm humanæ naturæ iſtud, ſed * ſpiritali competere videretur, cùm ait, Sed & ſi ſunt dii qui nominantur in cælo & in terra ; per cæli & terræ ſignificationem utrique naturæ nomen hoc competens eſſe demonſtrans.
E Idem quoque Apoſtolus Dominum dominorum eſſe ſignificat, cùm ait, Rex regum & Dominus dominantium. Dominatus in viles & in degeneres indignus Deo eſt. Rex ille regum eſt, & Dominus dominorum, ut eſt Deus deorum. Et deos quidem quos ſignificet, non ambiguum eſt : de quibus dixit, Deus ſtetit in ſynagoga deorum. Reges autem idem Apoſto-

ỳ. 3.

* angelicæ ex Tract. ſuperiore n. 9.

1. Cor. 8. 5.

1. Tim. 6. 15.

Pſal. 81. 1.

[a] Vocabulum *ei* deeſt in vulgatis : poſt quod in Reg. mſ. ac Turon. ſequitur *quia bonus eſt* omiſſis verbis *ab eo indulgenda.*

[b] In vulgatis, *non enim neceſſaria eſt confeſſio Deo qui nihil ignoret, ut ea quæ geſſeris confitearis. Quia profeſſione iſta Deus non eget,* &c. lectio interpolata & corrupta. Nec melior eſt quæ in Reg. mſ. exhibetur, *non enim confeſſio eſt à Deo qui nihil ignoret, ſed propriè hominis eſt ea quæ geſſeris confiteri.* Intermedia illa verba, *ſed propriè hominis eſt*, exſtant quoque in mſ. Turon. cetera conſentiente cum Miciacenſi ; cujus lectionem uti ſinceriorem prætulimus. Certè Hilarius hìc non confeſſionis neceſſitatem explicat, ſed naturam : quam non in eo ſitam docet ; ut Deo nota quis faciat peccata ſua ; ſed ut ipſe agnoſcat peccata ea eſſe, & fugienda quæ priùs ſectabatur. Unde & proximè aiebat, *ut confiteamur peccata*, non quomodocumque, ſed *ſub agnitione peccati.*

[c] Lipſ. & Par. Eraſmum ſecuti, *auditui* : contra veterum librorum fidem & Hilarianam phraſim. Tum in Reg. mſ. *cujus virtuti nihil inreliquum eſt.*

[d] Apud Par. *quæ ignoratur*, conſentientibus mſſ. ex quibus proximè adjecimus particulam *ſcilicet.* Hìc rurſum declarat Hilarius confeſſionem eſſe præconcepti de re aliqua falſi judicii profeſſam mutationem. *Nemo enim*, inquit in Pſ. 137. n. 2. *quod agit, ad id agendum non aut fructu oblectationis alicujus, aut judicio bonæ in eo opinionis aggreditur : dum aut rectum putat, aut eo gaudet.* Confeſſione autem agnoſcit quiſque ac profitetur id, quod rectum aut jucundum & utile opinabatur, iniquum eſſe, malum ac pernicioſum : adeoque priorem ſententiam mutat & emendat.

[e] In Regio codice ac Turon. *tuta ſibi ſit.* Hujuſmodi confeſſio *vera* nuncupatur in Pſ. 118. litt. 17. n. 13. *quia vera peccati confeſſio eſt, ſine intermiſſione temporis pœnitere.* Quo ex loco necnon ex Tract. Pſ. 144. n. 18. confirmatur, quod pag. 81. not. b. obſervavimus, plerumque apud Hilarium confeſſionis nomine pœnitentiam totam & non partem ipſius ſignificari.

[f] In vulgatis, *mortalium* : falſa lectio.

[g] Turon. codex, *& ut deos hos efficiat.* Tum poſt *licèt*, ex Regio adſcivimus particulas *& ut*, quæ in ceteris deſiderantur. Tria hìc Hilarius docet, 1° ad gloriam æternam dari meritum, 2° gloriam illam fidei merito commenſurari, prout ſcil. *fidei meritum exigat*, demum hujus promerendæ præcipuam ac maximam cauſam eſſe Dei miſericordiam : *cùm* nimirum, uti tradit Auguſtinus epiſt. 194. ad Sixtum n. 19. *omne bonum meritum non in nobis faciat niſi gratia, & cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronet quàm munera ſua.* Hinc Hilarius in Pſal. 62. n. 7. & in Pſal. 118. lit. 10. n. 15. vitam æternam vocat miſericordiam. Quod rurſum illuſtrant hæc Auguſtini lib. de corrept. & grat. c. 13. *Sine ulla dubitatione confitendum eſt, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini.*

1. Cor. 4. 8. Reges & domini sunt, qui carni non serviunt.

lus absolutè ostendit, dicens, Jam sine nobis A regnatis; & utinam regnaretis. Reges sunt in quos non regnat peccatum, qui dominantur corporibus suis, quibus est [a] in jus subditæ & subjectæ sibi carnis imperium. Hi ergo reges sunt, & horum Deus rex est. Hi etiam domini sunt, qui non erunt servi peccati: quia qui facit peccatum, servus est peccati. Dominandum ergo peccato est, non serviendum. Domini autem sunt, qui hæc peccati corpora dominationi suæ per subjectionem vitiorum B suorum peccatorumque subdunt. Novit se esse Apostolus corporis sui dominum, cùm ait, Subjicio enim mihi corpus meum, & in servitutem redigo. Qui in servitutem redigit, domini necesse est jure in servitutem eum qui serviturus est redigat. Horum ergo talium dominorum Deus dominus est, vocans eos per spem æternitatis, ut domini sint, ut in his dominis Deus dominus sit: & hoc non ob aliam causam, nisi ob id, *quia in sæcula misericordia* C *ejus*: donans nobis [b] per æternæ misericordiæ suæ benignitatem, ut effectis nobis dominis, digni simus quorum ipse sit dominus.

Johan. 8. 34. — 1. Cor. 9. 27. — Horum Deus dominus.

℣. 4. Dei est quidquid per homines geritur mirabile.

7. *Qui fecit mirabilia magna solus.* In plurimis quidem humanorum operum gestis multa magna & mirabilia exstiterunt: sed quidquid in his gestum est, ad eum refertur, cujus virtus illa gessit. Multa mirabilia Moyses in Ægypto egit: sed testimonium magi incantatoresque perhibent, quia in operibus illis digitus D Dei est: sicut scriptum est, Dixerunt ergo incantatores Pharaoni, Digitus Dei est hoc. Ex quo ostenditur virtutem Dei per Moysen operatam fuisse, cujus tum illa ministerio gerebantur. Magni quoque miraculi illud fuit tum, cùm dicente Jesu Nave sol stetit contra Gabaon, & luna contra vallem [c] Haylon. Nescio quid hoc mirabilius effici possit: cùm in verbo hominis sol & luna in diei unius moram ex cursus sui lege detenti sunt. Sed vir- E tutis hujus auctorem Scriptura mox addidit, dicens, Non fuit dies talis, neque priùs neque » posteà, ut sic exaudiret Dominus hominem: » quia Dominus pugnavit pro Israel. In eo enim quòd Jesus exauditus est, & pugnabat Deus in Israel; virtus ejus in gestis, qui & pugnabat & exaudivit, ostenditur.

Exod. 8. 19. — Jos. 10. 12. — Ibid. 14.

℣. 5. Cælum primum, & quæ Angelorum sedes.

8. *Qui fecit cælos in intellectu: quoniam in sæculum misericordia ejus.* Faciendorum [d] sola misericordiæ suæ causa est; neque enim eguit ut fierent. Sed qui bonus est, in id universa fecit, ut plures bonitatis suæ copiis uterentur. Fecit autem cælos in intellectu, non [e] irrationabiles, neque informes, neque confusos & inordinatos. Sed cùm regionem [f] cognitioni suæ qui infinitus est collocaret; cælo superiore atque primo eodemque in orbem collocato, terminum quemdam Virtutibus, [g] quæ primæ ad cognoscendum se gignerentur, inclusit. Neque enim gignendæ creationes virtutem inconspicabilis Dei ferre potuissent, nisi naturæ temperatioris objectu sedem hanc moderatæ ad infirmitatem habitationis incolerent. Aquis etenim elevatis ipsam illam primi cæli naturam temperavit, quæ [h] circumfusi Dei accensa virtute, nequaquam ab inferioribus esset patienda naturis.

Cælum inferius multiplex, firmamentum vocatur.

9. Cælum verò inferius, non uniforme, sed multiplex tetendit: quod totum firmamentum nuncupans, validâ ad sustentationem aquarum superiorum temperationemque aëris nostri firmitate solidavit. Et idcirco plures cælos doctrina prophetica prodidit: quia necessarium naturæ nostræ fuit, per momenta quædam & profectus rationabilium moderationum, regionem hanc indulti nobis ad præsens habitaculi temperari.

De numero cælorum non constat. 2. Cor. 12. 2. — Ephes. 1. 21. — 1. Cor. 13. 9.

10. De numero verò cælorum nihil sibi humanæ doctrinæ temeritas præsumat. Apostolus usque ad tertium tantùm cælum sese raptum intelligit. Plures quidem Thronos, Dominatus, Potestates, Principatus connumerat: quibus necesse est proprias sedes habitationis congruæ [i] deputari. Sed & alia, quorum cognitionem futuris temporibus promittit, esse significat, cùm ait, Et super omne [k] nomen quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Sed de numero Apostolus nihil docuit: & nescio an tacuerit, an ignoraverit. Nunc enim & professus est se ex parte cognoscere: & tamen cùm raptus ad cælos est, audisse se quæ non sint loquenda testatur. Nobis sufficit plures cælos scire esse: quippe cùm & cæli cælorum, & aquæ quæ super cælos sunt laudent Dominum.

[a] Bad. *in hujus.* Erasmus deinde expunxit particulam *in*: quæ postea apud Par. restituta est. Reg. ms. *in his.* Ex Turon. reponimus *in jus*, quo nomine dominantis auctoritas significatur. Vide Tract. Psal. 2. n. 42. ubi inter alia Christus prædicatur in nobis regnare, *cùm per eum ipsi dominorum in nos jure regnamus.* Paulò antè in eodem ms. *Reges sunt in quibus*, non *in quos*: & superiùs, *dominatus in vilibus & degeneribus indignus Deo est* &c.

[b] Regius codex cum Turon. *per æternitatem* &c. *quorum spei* (non *ipse*) *sit dominus.*

[c] Postrema editio Par. juxta Vulgatam, *Ajalon.* Ms. Mic. *Helloim.* Reg. & Turon. ut apud Origenem, *Elom.* Græc. αἰλών.

[d] Vocabulum *cælorum* hîc in vulgatis subjicitur, quod videtur meliùs abesse à mss. Reg. & Turon. ut ad universas res factas pertineat hæc propositio.

[e] Hoc est, non irrationabiliter, sed sapientiâ atque ratione moderante ordinatos, vel, ut habes inferiùs, *per profectus rationabilium moderationum* temperatos. Quod notandum fuit, ne Hilarius cum Origene aliisque veteribus cælos animatos sensisse existimaretur. Ab hac sententia alienum eum fuisse satis liquet ex Tract. Psal. 122. n. 2. & 3. Neque verò hîc dicit cælos cognitione præditos, sed regionem eorum esse qui Deum essent cognituri: neque illos vocat aut Thronos, aut Dominatus &c. sed eorum sedes.

[f] In vulgatis, *cognitionis suæ.* Rectiùs mss. Reg. ac Turon. *cognitioni suæ*, hoc est, vel in qua se cognoscendum præberet, vel destinatam Virtutibus quæ ad cognoscendum se gignerentur. Non autem frustra hîc infinitus prædicatur Deus: ne videl. loco existimetur includi, dum locus, in quo se cognoscendum præbeat, finitus assignatur.

[g] Bad. Er. & Lips. cum mss. Reg. & Turon. *quæ primum.* Angelos ab Hilario *Virtutes* appellari jam observatum est. Et ex subjectis manifestum est hîc generali *Virtutum* nomine *Thronos*, *Dominatus*, *Potestates* &c. comprehendi. Ex quibus facilè conficeretur eum sensisse primum illud ac superius cælum ante Angelos fuisse conditum, nisi lib. adversùs Auxentium n. 5. disertis verbis affirmaret Angelos ante omnia omnino sæcula & tempora conditos. Quo in loco commodiùs forsitan illius ea de re sententia expendetur.

[h] Editi, *superni.* Concinniùs mss. Reg. & Turon. *circumfusi.* Ab hoc igne ex præsentia Dei circumfusi primum illud cælum empyreum forsitan cognominarunt.

[i] Regius codex solus, *demutari.* Tum accedente etiam Turon. *sed & aliquorum cognitionem.* Postea ante verbum *esse* in Turon. superscripta est particula *&*.

[k] Abest *nomen* à mss. Reg. & Turon.

Terræ situs, & immensitas Dei.

11. Sub inferiore autem superioris circuli cælo, quod firmamentum nuncupavit, terram inferiùs collocavit: quam mediam suspendens & confirmans, ita manendi [a] sedem moderatus est, ut paribus undique mensuris medietatem circuli quo conclusa est obtineret: ut is qui infinitus est, primo illi superioris cæli circulo circumfusus æqualibus ex omni circumfusione sua lineis omnia, virtutis suæ [b] spiritu in usum ac naturam animantium temperato, ea quæ crearentur attingeret. Apostolus enim ait, B Quia in ipso vivimus, & movemur, & sumus: per quod ostenditur, terram [c] in medio ejus, (Act. 17. 28.) tamquam in transfusi Spiritûs ambitu, constitisse: cùm in Deo omnes & vivamus, & moveamur, & simus. Quòd autem [d] in omnia temperationis suæ spiritu transfusus & penetrans sit, docet Propheta dicens, (Sap. 1. 7.) Spiritus Dei replevit orbem terrarum: per quod intus atque extrà, ambitu atque aditu, & circumfusus & transfusus ostenditur.

12. Quòd autem terra non sit in unam demersa regionem, consequenter Spiritus-sanctus ostendit, dicens, (℣. 6.) *Qui firmavit terram super aquas: quoniam in sæculum misericordia ejus.* Altiùs nos quærere ratio Tractatus præsentis & loci non sinit. Satis sit, terram super aquas pendula firmitate consistere, ex prophetica auctoritate didicisse, inumbratam cæli temperatioris obtentu, [e] hoc firmamento, quod extensum tamquam pellis, & solidatum tamquam fumus, aquas supernas infernasque discernat. Certè aquis pendulam contineri, & in hoc, sicuti in omnibus, ea causa est, *quoniam in sæculum misericordia ejus.*

℣. 7. Quì Pater solus, nec tamen sine Filio operetur.

13. In eo autem quod sequitur, *Qui fecit luminaria magna solus: quoniam in sæculum misericordia ejus;* non id intelligendum est, ut extra Sapientiam & Verbum & Virtutem, id est, unigenitum Deum Dominum nostrum Jesum Christum ea fecisse credatur: quippe qui ex persona Sapientiæ dixerit, (Prov. 8. 30.) Ego eram apud eum [f] disponens. Sed qui disponebat, ab eo cum quo disponebat & genitus & natus est. Cùm A autem opera Filii opera Patris sint, & Pater operetur in Filio, [g] per id quod ait, (Johan. 14. 10.) Pater qui in me est, ipse opera sua facit; & rursum, (Johan. 10. 37.) Ego opera Patris facio: solus operatur, in eo & per eum operando quem genuit.

14. In ceteris verò absoluta ostendendæ misericordiæ Dei doctrina est: ut sciamus omnia non ob aliam causam, nisi quia Deus semper misericors sit, fuisse perfecta. De his autem, quæ de Ægypti negotiis intelligi spiritaliter oportet, Tractatus psalmi anterioris, in quantum exsequi valuimus, complexus est: ad quorum confirmationem etiam hoc quod in psalmo hoc dictum est accedit, (℣. 13.) *Qui divisit mare rubrum in divisiones: quoniam in sæculum misericordia ejus.* Unam divisionem rubri maris liber Exodi docet, dicens, (Exod. 14. 21.) Et fecit mare siccum, & divisa est aqua: & quomodo nunc rubrum mare in divisiones dividitur? Nisi quia existimo sub relatione gestorum spiritalis doctrinæ C ordinem contineri. Evadentes enim Ægyptum, quæ sæculi forma est, & ad terram repromissionis, quam secundùm Evangelium beati hereditabunt, euntes, per mare rubrum, id est, per ejusdem hujus sæculi turbidos æstus & fluctuantes motus transibimus, in quo plures ad iter divisiones sunt. Aliis enim per jejunia iter est, aliis per pudicitiam, aliis per eleemosynam, per fidem, per spem, per caritatem. Et hæc omnia diversas necesse est habeant divi- D siones hujus maris transeundi, omnibus tamen per has viarum divisiones iter sæculi transituris.

Cur divisiones maris rubri, & non divisio.

Ad cælum viæ plures.

15. Conclusio autem psalmi, ut hæc omnia de futuris intelligantur, majore fide firmat, cùm ait: (℣. 23.) *In humilitate nostra memor fuit nostri Dominus: quoniam in sæculum misericordia ejus.* (℣. 24.) * *Et redemit nos de manu inimicorum nostrorum: quoniam in sæculum misericordia ejus.* (℣. 25.) * *Qui dat escam omni carni: quoniam in sæculum misericor-* E *dia ejus.* (℣. 26.) [h] *Confitemini Deo cæli, quoniam in sæcula misericordia ejus.* Non enim tunc tantùm memor fuit humilitatis humanæ Deus, cùm ad liberandum populum ex Ægypto Moysen

[a] Ita mss. Reg. & Turon. Hæc autem in vulgatis sic circumferebantur: *ita manendi sede moderatus est, ut paribus undique mensuris ponderibusque librata & substrata consisteret: ut is qui infinitus est Deus, primo illi superioris cæli circulo circumfuse supereminens æqualibus ex omni transfusione sua spatiis omnia virtutis suæ spiritu* &c. In his quoddam habemus totius mundi systema, quo duo maximè demonstrare velle videtur Hilarius, & cælorum scilicet ordinem, & immensitatem divinam æquè omnia penetrantem. Hujus rei gratiâ repræsentat mundum velut orbem, Deum verò ei velut ignem circumfusum. Primum orbis circulum seu cælum ea Dei virtute succensum docet, quam ferre nulla creata res valeat. Huic substernit temperatas aquis interjacentibus Angelorum sedes, pro diversis ordinibus diversas, quas & diversos cælos nuncupari videtur permittere. Subjicit his cælum inferius, quod licèt non uniforme, sed multiplex, uno tamen firmamenti nomine comprehendit. Demum interposito aëre terram in orbis meditullio collocat. Ex quibus conficit Deum toti orbi æqualiter circumfusum, eumdèm pariter omni ex parte æqualiter attingere atque penetrare. In his carnali resistendum est cogitationi, ne corpoream Dei circumfusionem atque transfusionem animo fingamus. Ab hujusmodi asserenda quàm abhorreat Hilarius, liquet ex Tract. Ps. 129. n. 4. & 6. Psal. 118. lit. 19. n. 8. Ps. 129. n. 3. Sed quia, ut in Psal. 120. n. 11. docet, *infirmitas intelligentiæ nostræ consequi invisibilia non potest, nisi per visibilium comparationem*, ex visibilium comparatione quamdam rerum divinarum notitiam nobis præbere conatur. Quamquam *hæc*, uti monet in Psal. 118. lit. 19. n. 9. *superfluè divinæ naturæ ad comparationem similitudinis conferuntur: quia incomparabile est quidquid æternum est*, &c.

[b] Hoc est, non attingit per partes, sed totus simul *virtutis suæ spiritu*. Tum quid sibi velit, *in usum ac naturam animantium temperato*, discendum ex lit. 19. Psal. 118. n. 8. ubi ex comparatione animæ humanæ ostenditur quî Deus ubique totus adsit. Hîc igitur Deus singulas orbis partes eum fere ad modum attingere prædicatur, quo anima singula corporis sui membra. Porro verbum *temperari*, antiquis Patribus idem propè esse quod *misceri*, non ignorant quibus peregrini non sunt. Utriusque verbi & consensionem & discrepantiam explicat Philo Judæus de confus. ling. p. 347. Comparatio autem animæ præsentis singulis corporis sui partibus ad hoc tantùm adhibetur, ut aliquantulùm percipiatur, quî Deus ubique totus adsit, non ut quomodo anima corpori sociata unum efficit animal, ita Deus mundo admixtus eumdem animare intelligatur. Videsis lib. 1. de Trin. n. 6.

[c] Editi, *in spiritu ejus.* Reponimus *in medio ejus* ex mss. Reg. & Turon. quorum ille postea subjicit, *tam incircumfuso;* Turonensis verò, *tamen circumfuso.*

[d] Particulam *in* omittunt mss. Reg. & Turon. quorum auctoritate adjecimus *suæ* post vocabulum *temperationis:* moxque restituimus *per quod intus*, ubi in vulgatis erat, *Itaque intus.*

[e] In vulgatis, *hoc firmamentum:* malè. Pessimè autem antea Lipsius pro *inumbratam*, substituerat *inumbratum* absque ulla auctoritate. Ait Hilarius terram inumbrari cælo temperatiori, quod firmamentum nuncupari superiùs tradidit.

[f] Editi, *cuncta disponens.* Abest *cuncta* à mss. ut à LXX. necnon à lib. 12. de Trin. n. 35.

[g] Sic nostri mss. Editi verò, *& per id enim quod ait.*

[h] In mss. Reg. & Turon. neque hîc neque infrà exstat subsequens versus.

ducem elegit : sed perfectiùs memor fuit humilitatis nostræ, cùm ipsam humilitatem nostram corporeus natus assumsit, cùm hoc humile terrenumque corpus gloria in se naturæ cælestis absorpsit. Neque tunc redemit de manu inimicorum, cùm eos à dominatu Ægyptiorum exemit; nam postea inimicis subditi sunt, & hodie jure alieni imperii coercentur : sed redemit nos cùm se pro peccatis nostris dedit, redemit nos per sanguinem suum, per passionem suam, per mortem suam, per resurrectionem suam. Hæc magna vitæ nostræ pretia sunt. Magno enim, ait Apostolus, [a] pretio redemti estis : & redemti ab inimicis, à diabolo, ab angelis ejus, à filio perditionis, à principibus aëris, à [b] mundipotentibus, ab inimica morte. Et redemit escam dando omni carni : *Qui dat escam omni carni. Omni carni*, id est, quæ redemta est, dat escam incorruptam, æternam, panis vivi, panis cælestis. Et in his singulis, quòd humilitatis nostræ memor est, quòd redemti sumus, quòd omnis redemtorum caro escam accipit; ea causa est, *quoniam in sæculum misericordia ejus* : & [[c] ob quod ei confitendum est. *Confitemini* enim *Deo cæli, quoniam in sæcula misericordia ejus.*] Quòd cælum, quòd terra, quòd cetera sunt, & ipsum illud, quòd sumus qui non fuimus, quòd erimus quod non sumus, causam aliam non habet, nisi misericordiæ Dei : [d] quia ad consortium bonorum suorum nasci nos voluit ille qui bonus est. Unus enim bonus est, ait Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Quæ redemtio hîc canatur. — *1. Cor. 6. 20.* — *Matth. 19. 17.*

PSALMUS CXXXVI.

*SUPER flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, cùm recordaremur * tui Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Quia illic interrogaverunt, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum ; & qui abduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si oblitus fuero tui, Jerusalem; * oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea * faucibus meis, si non meminero tui. Si non * proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ. Memento Domine filiorum Edom in die Jerusalem. Qui dicunt, Exinanite, exinanite quoad usque fundamentum in ea. Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram.*

** Infrà abest tui.* — ** Infrà, oblivíscatur me.* — ** Hil. gutturi meo.* — ** præposuero.*

TRACTATUS PSALMI.

1. CAPTOS secundùm Jeremiæ prophetiam Judæos, & in Babyloniam deductos fuisse, non obscura cognitio est. Neque dubium est, per hunc eumdem psalmorum librum potuisse captivitatem [e] populi prophetari. Nam & in alio psalmo manifestum est, absolutè eversionem gentis istius atque urbis prophetatam fuisse, cùm dicitur, Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem velut pomorum [f] custodiam. Et in hoc quoque præsenti psalmo idipsum significari videtur : maximè cùm quibusdam placuerit, eum tamquam Jeremiæ titulo inscribi; quia ab ipso sit, ante quàm accidit, denuntiata captivitas. Certè cum Hebræis [g] senioribus, secundùm cognitionem quàm ab his adepti sumus, psalmus hic sine inscriptionis istius titulo est.

Captivitati Babyloniæ psalmus hîc potest convenire. — *Psal. 78. 1.* — *Jeremiæ nonnullis inscriptus est.*

2. Non dubium autem est, omnia quæ in patres aut per patres nostros gesta sunt, futuri formam in his quæ gesta sunt prætulisse. Et idipsum ita esse, hic quoque psalmorum liber testis est. Namque cùm in septuagesimo & septimo psalmo omnia ea quæ in Ægypto atque in deserto & in ceteris deinceps locis gesta essent recenserentur, ea ipsa parabolica esse ita demonstrata sunt : Attendite populus meus in legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Per id enim quòd & parabolæ & propositiones sunt, rerum futurarum effectibus comparantur. Apostolus quoque docet, ea ipsa quæ gesta sunt, in præfigurationem gesta esse, dicens, Quia lex umbram habet futurorum bonorum, & omnia in præformationem acciderunt his : scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt. Gesta igitur ipsa in exemplum, & scripta in doctrinam sunt.

Gesta omnia in lege sunt umbræ futurorum. — *Psal. 77. 1. & 2.* — *1. Cor. 10. 11.*

3. Itaque & hanc corporalem populi captivitatem, referri in exemplum spiritalis captivitatis oportet. Captæ enim mentes nostræ sunt corporum sæculique dominatu, captæ à dæmonibus sunt [h] jure vitiorum, quæ imperium

Captivitas mentis.

[a] Abest *pretio* à mſ. Reg. qui paulò antè cum Turon. omittit *per mortem suam.*
[b] Sic mſſ. Editi verò, *à mundi potestatibus*. In his mox non repetebatur *omni carni.*
[c] Quæ intra uncinos includuntur, salvo & incolumi sensu non exstant in mſſ. Reg. & Turon.
[d] In vulgatis *qui*, non *quia*. Mox mſſ. Reg. & Turon. omittunt, *Unus enim bonus est, ait.*
[e] Regius codex, *populo prophetari.*
[f] Mſſ. *custodiarium.*
[g] Verbum *senioribus* abest à mſſ. Reg. & Turon. His favet, quòd cùm Hilarius hebræorum seniorum nomine Septuaginta intelligere soleat, apud hos modò legere sit, τῷ Δαβὶδ Ἱερεμίου. Hoc tamen vocabulum retinuimus: tum quia Hilarius hîc, ut in dubiis solet, lectioni LXX. adhæret, tum quia hic psalmus, teste Nobilio, in veteribus exemplaribus græcis tantùm ψαλμὸς Δαβίδ inscribitur. Nec aliud præ se ferunt psalterium Romanum in quincuplici editum, & Germanense. In versione Hieronymi ex hebræo nullus est titulus. Suffragatur Theodoretus in hunc psalmum. *Hic psalmus*, inquit, *sine titulo est apud Hebræos : sed nonnulli rem audacem ausi inscripserunt, Davidi per Jeremiam : & addiderunt, Sine titulo apud Hebræos.* Nihilo minùs apud Hieronymum, ut in Vulgata, jam obtinet, *Psalmus David propter Jeremiam.*
[h] Ita Turonensis codex. Alii verò, *jure potiorum.*

Captivitas spiritalis.

in nos suum per diversa ministeriorum genera exercent: dum nos ebrietas possidet, dum luxus subigit, dum avaritia devincit, dum ambitio occupat, dum malevolentia obtinet, dum ira usurpat, dum omnia in nobis regnant hæc incentiva vitiorum. Venit enim Dominus, secundùm prophetam, captivitatem avertere, cùm dicitur, Prædicare captivis remissionem. Venit ligatos solvere, cùm ait, Hanc filiam Abrahæ, quam ligaverat satanas decem & octo annis, nonne oportuit solvi in die sabbati? Venit servientes in libertatem deducere, dicens, Amen dico vobis, quoniam omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Si verò Filius vos liberaverit, verè liberi eritis. Capimur ergo & ligamur & servimus, non tam corpore, quàm & mente. Et mihi in præsenti psalmo omnis virtus & ratio verborum non tam corporalem captivitatem tractare, quàm spiritalem videtur. [a] Ea enim & in querelis & in incolis, & in rebus & in nominibus momenta sunt, ut spiritalem potiùs captivitatem hæc lamentabilis Prophetæ querela significet.

Esai. 61. 1. *Luc.* 4. 19. *Luc.* 13. 16. *Johan.* 8. 34. *&c.*

hoc psalmo tractatur potiùs quàm corporalis.

℣. 1. ℣. 2.

Captivitas Judæorum luctu digna.

4. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, cùm recordaremur Sion.* * *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.* Affectûs humani sensus iste est, ut inter injurias præsentium calamitatum, ad præteritorum bonorum recordationem ingemiscat. Contemplemur enim animo, [b] captâ Jerusalem, servientes dominis victoribus reges, subditos antistitibus gentilium impietatum sacerdotes, ereptum omnibus jus matrimonii, substratum libidini Babyloniorum captæ virginitatis pudorem; & ex gemitu eorum, qui perpessuri ista erant, proclamasse dignè Prophetam existimabimus, *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, cùm recordaremur Sion.*

Lugendus & hominis lapsi status.

5. Sed quia Sion illa æternæ beatitudinis sedes est, & mater cælestis nobis Jerusalem frequentium Angelorum & primitivorum in cælis conscriptorum civitas sancta est; & illa Babylon civitas [c] est irrationabili motu turbulenta, quæ, ut Genesis docet, à confusarum linguarum hominibus nuncupata Babylon est; illic enim loqui universarum gentium linguis, cùm unus omnium esset sermo, cœperunt; & ipsum illud Babylonis vocabulum interpretationem habet confusionis: quisquis ergo in crimine primi parentis Adæ exsulem se factum illius Sion recordabitur, in qua sine cupiditate, sine dolore, sine metu, sine crimine vita est, & traditum se sæculo confusionis hujus tamquam [d] Babyloni, traditum corpori quod vitiorum & appetitionum & cupiditatum perturbatione confusum est; rectè & ipse spiritaliter captivus proclamabit, *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, cùm recordaremur Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.*

Gen. 11. 9.

Adæ peccato quid perdiderit.

Contra literæ nimiùm amantes.

6. Eos, qui secundùm litteram intelligenda omnia existimant, interrogare vellem, quæ flumina Babyloniam prætermeant, ut illic captus populus consederit, & non potiùs aut in plateis aut in portis aut in turribus aut in domibus captivitatem suam fleverit: deinde cum quibus tympanis aut citharis aut organis captus sit; quæ historia ista locuta sit, cum omni musico apparatu Israelem victoribus servisse: postremò quæ umquam salices in media urbe fronduerint, ut illic tamquam in publica musicorum apotheca organa suspensa penderent. Quæ si omnia gestis negotiorum corporalium inania sunt; sequenda ea ratio est, quæ ex propheticis auctoritatibus ad spiritalem nos scientiam cohortatur. Flent omnes, qui se captos in Babylonia sentiunt, & sedent super flumina. Omnia enim sæculi & corporum opera, modo fluminum, sine aliqua cursus sui statione præterfluunt; currunt namque & elabuntur & transeunt. Quæ enim corporalis voluptas non * præterita jam nulla est? quod terrenum gaudium non cum ipso [e] fugitivo sensu præsentis fructus sui transit? Super hæc igitur sæcularium captivitatum flumina sedentes, & flentes ad recordationem Sion, amissorum desiderio & præsentium calamitate ingemiscunt.

Sæculi & carnis opera sunt flumina.

* *f.* præterit, aut jam.

Salices, sancti & fideles.

7. Neque solùm sedent atque flent, sed etiam in medio ejus organa sua in salicibus suspendunt. Lignorum salicum natura ea est, ut arefacta licèt, si modò aquis adluantur, virescant: deinde excisa atque in humido fixa, radicibus sese ipsa demergant. Et sub hujus arboris natura sanctos & fideles significari prophetica auctoritas est, Esaia dicente; Exorientur, inquit, tamquam in medio aquæ fœnum, & tamquam salix super defluentem aquam. Oritur enim ex mortuo quisque antea peccatis aridus; & [f] ab anterioris vitæ radice decisus, nunc eloquio Dei & sacramento baptismi aquis vitalibus reviviscit. Sed & cùm festivitas scenopegiorum Judæis corporaliter traderetur; (quod tabernaculum frondeum cùm ad futuræ lætitiæ & tabernaculi exemplum ex electarum arborum ramis pararetur,) etiam ex ramis fluvialis salicis effici jussum est: quia ex conventu sanctorum virorum cælestis tabernaculi futura esset lætitia perfecta. Organa autem Scriptura humana corpora, quorum honestis motibus & concinentibus operationibus quæ Deo placita sunt [g] psallimus, esse significat. In media igitur harum sæcularium con-

Esai. 44. 4.

Levit. 23. 40.

Organa humana corpora.

[a] Editi, *ecce enim & in querelis & in locis*: refragantibus mss. Deinde magis placuit cum ms. Turon. *& in rebus & in nominibus*, quàm cum aliis libris *& in rebus & in omnibus*. Mox ab eodem ms. ut à Reg. abest *lamentabilis*.

[b] In vulgatis, *captam Jerusalem*. Elegantiùs in ms. Turon. *captâ*.

[c] In vulgatis hîc subjicitur vox *confusionis*, omisso deinde verbo *est*.

[d] Editi, *Babylonico*: emendantur ex ms. Mic. Nec displicet quod in mss. Reg. & Turon. *Babylon*; ut quisque lugeat se Babylonis ad instar sæculo confusionis traditum.

[e] Miciacensis codex, *furtivo sensu*: quod Parisiensis editor malè arripuerat. Vult Hilarius vix sentiri fructum gaudii terreni, cùm fugiat ipsum ac sensus illius.

[f] Apud Par. *interioris*: pravè. Anteriorem vocat Hilarius vitam peccatricem, à qua per conversionem quis excisus, baptismo ac verbo Dei velut aquis vitalibus reviviscit.

[g] Editi cum mss. Reg. & Turon. *psalmus*. Rectiùs Miciacensis, *psallimus*, hoc est, Scriptura significat humana corpora esse organa, quorum &c. Pro *concinentibus* habent mss. Reg. & Turon. *consentientibus*. V. Prolog. n. 20.

fusionum captivitate, hi qui amissam Sion recordantur, qui in Adam extorres se factos esse cælestis Jerusalem meminerunt, qui & captos se esse in Babylonia sentiunt: hi sedentes & flentes corpora sua in formam sanctorum virorum habitumque suspendunt, à terrenis se desideriis erigentes.

Suspensa, dum à terrenis desideriis erecta.

8. Sed licèt per continentiæ studium in salicibus suspensa nostra sint corpora; tamen ea, quæ captivos nos efficiunt, non quiescunt. ℣. 3. Sequitur enim: *Quia illic interrogaverunt nos, qui* B *captivos duxerunt nos, verba cantionum; & qui abduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Si quis humanæ naturæ consuetudinem recolat, sensum omnem absolutum habebit. Namque qui laborant à vitiis desinere, & eorum quæ impiè gesserint oblivisci volunt, incentivo tamen consuetudinis [a] ægrè desinentis agitantur: & ea quæ occulta sunt vitia in nobis, admiscere se fidei sacramentis & inserere pertentant; ut inter divinos hymnos & sacras C lectiones harum inimicarum captivantium nos cupiditatum cogitatio subrepat. Nec sanè deest hoc absolutum in plurimis exemplum. Multos enim [b] iniquos videmus legere atque differere, hos rursum diversatos esse semper in stupris & in impietatibus deprehendi. Sanctus verò quisque, & qui organum suum in salicibus suspenderit, istis qui se [c] captivos duxerant, consortium Sion cantici negat, neque inimicis sibi virtutibus sanctarum cantionum D verba communicat.

Resilientibus à vitiis, vitiorum se ingerit memoria.

9. Quæ autem sint quæ captivos ducant nos, Apostolus docet, dicens, Video aliam legem in membris meis militantem adversùs legem mentis meæ, & captivum me ducentem [d] in lege peccati quæ est in membris meis. Cùm igitur inter concupiscentiam carnis & spiritûs pugna est, tum ea quæ captivos nos conantur sibi subdere, pertentant occupare corpus ejusque dominari, seque doctrinis spiritalibus, ut per E consuetudinem his auctoritatem adimant, inserere. Sed resistendum est, & Prophetæ voce respondendum, ℣. 4. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Terra nostra retinenda est, & in libertatem tuenda. Polluta enim terræ corpora audire de canticis Sion nihil possunt: & aliena à Deo, licèt nostra sint, [e] erunt si à lege peccati cœperint esse captiva.

Dæmones per carnem tentant sibi subjicere mentem. Rom. 7. 23.

Caro eis non permittenda.

10. Sed memoria semper cælestis illius Jerusalem, & sanctæ Sion continenda est, vel dum F redhiberi optatur, vel dum fletur amissa. Id enim sequitur: ℣. 5. *Si oblitus fuero tui Ierusalem; obliviscatur* [f] *me dextera mea.* ℣. 6. * *Adhæreat lingua mea gutturi meo, si non meminero tui, si non* [g] *præposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* A Cum oblivionis pœna, recordationis memoria spondetur. Sed id quod ait, *Obliviscatur me dextera mea*, obscurum est per conditionem latinitatis. Nam secundùm græcitatis proprietatem, qua ita dictum est, ἐπιλαθείη ἡ δεξιά μου, non ut ipsa obliviscatur, sed ne oblivio ejus fiat, ostenditur. Et magni periculi res est, si dexteræ nostræ fiat oblivio. Omnes enim, qui spei bonæ pleni sunt, dexteræ deputantur; peccatoribus in sinistra collocandis. B Conditionem ergo obliviscendæ dexteræ suæ, quam sibi fide & exspectatione præsumit, sub pœna non recordatæ Jerusalem ipse præposuit: ut à memoria dexteræ suæ, id est, qua in dextera collocaretur, si ipse memoriam Jerusalem non retinuisset, excideret.

Cæli oblivioni quas pœnas imprecetur Propheta.

Dextera, electorum locus.

11. Addidit & aliam pœnam oblivionis, dicens, *Adhæreat lingua mea gutturi meo, si non meminero tui.* Scit [h] infelix os suum esse à Dei C laudibus mutum. Scit beatas illas æternasque Virtutes throno Dei adsistentes, continuata voce in Dei laudibus permanere dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth: pleni sunt cæli & terra gloriâ tuâ. Esai. 6. 3. Scit & de his, qui mortuorum modo taciti in Dei laudibus viverent, dictum esse, Sepulcrum patens est guttur eorum: Psal. 5. 11. quia in gutture eorum, tamquam in sepulcro patente, in laudes Dei emortua vox sileret. Huic igitur D sese silentii pœnæ sub oblivionis conditione subjecit, si memor Jerusalem non fuisset: sed etiam per id quod sequitur, *Si non præposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Unicuique nostrûm secundùm voluntatis suæ sententiam lætitiæ causa subjecta est, & ex affectu animi sui initium gaudii sumit, ut potator ex ebrietate, ut gulosus ex cibis, ut avarus ex pecunia, ut ambitiosus ex honoribus, ut seditiosus ex turbis, ut libidinosus ex stupris. Hæc ergo E unicuique, prout his delectatur, lætitiæ afferunt causam. Sed Propheta Jerusalem sibi initium lætitiæ proponit, hinc exordium gaudii sumens, quòd in Jerusalem receptus immortalis ex mortali erit, quòd Angelorum frequentium cœtui admiscebitur, quòd in regnum Dei recipietur, quòd conformis gloriæ ipsius fiet. Nescit ergo alia gaudia, neque aliud habet unde lætetur, solam sibi Jerusalem gaudii initium præponens.

Quanta pœna Dei laudibus mutum esse.

Lætatur quisque unde afficitur.

Totus Prophetæ affectus in cælum.

F 12. Et quia meminit per multas corporis infirmitates, per multas spiritûs angustias, per multa subrepentium vitiorum incentiva eò esse veniendum; veretur ne quid sibi per naturam corporis ex vitiis adhærescat. Post hæc enim

[a] Adverbio *ægrè* carent mss. Reg. & Turon.

[b] In ms. Mic. *quos videmus*: lectio non spernenda. Mox in eodem ms. *hos rursum audiri diversatos*. In vulgatis autem, *& hos rursum accidit diversatos*. Exemplum iniquorum videtur minùs aptum, quo declaretur plures eorum, qui laborant à vitiis desinere, inter legendum & psallendum ad pristinas cupiditates animo avocari. Verùm Hilarius hîc sensim ad istos descendit, eorumque exemplo demonstrat animum lectioni simul & stupris adjungi posse: cùm, inquit, quotidie videamus iniquos, qui in stupris, quamdiu legerint, semper animo diversati esse deprehendantur.

[c] Scriptor ms. Turon. ex conjectura prætulit *captivum*; sed ut integra maneret exemplaris sui fides, ultimæ syllabæ superaddidit *os*: quod & aliàs fecit.

[d] Mss. Reg. & Turon. *in legem*. Mox solus Reg. *& spiritum pugna est*.

[e] Non minùs ad hoc verbum *erunt* refertur vocabulum sequens *captiva*, quàm ad *esse* cui proximè conjungitur.

[f] Illud *me* hîc non habent mss. Reg. & Turon. Et hîc & infrà expungendum facilè opinaremur, nisi etiam apud Augustinum & in veteribus psalmorum exemplaribus exstaret.

[g] Ita mss consentientibus cum Augustino vetustis psalteriis. At editi, *proposuero*.

[h] Reg. ms. *scit infelix esse fieri Dei laudibus motus*. Ita hîc oblitteratus est Turon. ut nequeat legi.

ỷ. 7. ad Dominum precatur, dicens, *Memento Domine filiorum Edom* [a] *in diem Jerusalem. Qui dicunt, Exinanite, exinanite* [b] *quoad usque fundamentum in ea.* Edom interpretatur [c] terrenum.

Cupiditatum strages.

Vitia itaque terreni corporis nostri, [d] quæ quia ex natura corporis exeunt, Edom filii nuncupantur, his Babyloniis, id est, confusionibus & perturbationibus sensus nostri imperant, ut nos ea plenitudine qua repleti sumus evacuent. Scriptum est enim, Quoniam de plenitudine ejus omnes accepimus. (*Johan. 1. 16.*) Quisquis enim capax est Domini, ipse & de plenitudine ejus impletus est. Est autem hæc natura turbidi confusique per vitia corporis sensûs, ut si semel nos in omnem peccati voluntatem & consuetudinem traxerit, omnibus nos bonarum virtutum studiis exinaniat. Hæc ergo vitia his sensûs nostri turbidis confusionibus imperant, [e] uti nos fundamento ipso exinaniant. Quisquis enim sanctus est, pro parte Jerusalem ipse est; quia ex conventu beatorum virorum, & cælesti consortio dignorum, Jerusalem vivorum & pretiosorum lapidum civitas erit, quam hæc terrena vitia usque ad fundamentum exinanire nituntur.

Fundamentum nostrum Christus.

Et quod fundamentum in nobis sit, Apostolus docet, dicens, [f] Fundamentum autem aliud nemo potest ponere, præter illud quod positum est, quod est Christus. (*1. Cor. 3. 11.*) Omne igitur religionis initium, omne fundamentum spei nostræ evacuare tentant: ne qua in nobis memoria & recordatio Dei resideat, ne qua spes boni alicujus relinquatur. Fundamento enim fidei, quod est Christus, eruto & everso, ne ipsius quidem ædificandæ nobis per pænitentiam veniæ consolatio relinquetur.

13. Commemorata autem Jerusalem captivitate, & filiorum Edom in exinaniendis nobis usque ad fundamentum adhortatione, consequens est, ut quatenus adversùs hæc nobis providendum sit, Propheta demonstret. Et demonstrat planè, non inopes nos neque imperitos relinquens, cùm ait,
ỷ. 8. *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.*
ỷ. 9. * *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Vellem percontari eos, qui otiosas esse spiritales psalmorum intelligentias existimant, quam hîc à Propheta Babylonis filiam dictam esse intelligant: & [g] quomodo, cùm superiùs superba, filia Babylonis nunc misera sit.

Filia Babylonis, caro.


Sed quia sensus legentis corporali intelligentiâ caret, spiritalis ratio tractanda est. Ad infelicem enim illam confusionis & perturbationis nostræ carnem sermo omnis revertitur, quæ secundùm historiæ fidem ex confusionis patribus genita est: quia omnis caro superioris carnis est filia. Ex his enim, qui primùm confusis linguis confusionis urbem quæ Babylonia est condiderunt, universarum gentium initia dispersa sunt. Hæc ergo misera Babylonis est filia, id est, caro omnium. Cui qui retribuet retributiones suas, beatus est, [h] scilicet qui carnem suam dominatui animæ subjecerit, quique eam spiritui subdiderit.

Subigenda est animæ cujus imperium usurparat.

Illa enim omnes eos, qui imperiti de Deo & ignari erant, omnibus voluptatibus & desideriis suis subegerat, & captivæ menti dominans imperabat. Sed cùm per cognitionem deitatis vitia ejus, non dico abolitione, sed morte perimuntur, cùm religio, pudicitia, largitio, sobrietas & caritas, impietatem, libidinem, avaritiam, ebrietatem, simultatem, odia consumsit, & omnibus operibus spiritûs caro victa famulatur; tunc beatus est, qui retributionem suam ei retribuit, id est, qui dominatum in eam spiritûs, quo uti ipsa in spiritum erat solita, demutat.

Cupiditates in ortu suo perimendæ.

14. Neque solùm retributor retributionis beatus: sed & ille *beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* VITIA CORPORIS non sunt sinenda coalescere, sed in exordiis statim enecanda sunt. Periculosæ enim sunt jam robustæ cupiditates; & difficulter adulta quæque perimuntur. Levius autem est prorumpentes avellere, teneras excidere, flexibiles retorquere. Beatus itaque est, quisquis in exordio inhonestas quasque omnium cupiditatum appetitiones, quæ ex voluntate carnis oriuntur, primùm intra jus patientiæ suæ virtutisque cohibebit, deinde eas ad fidem atque ad metum Dei elisas enecabit. Omnis enim, qui ex peccatis ad religionem transfertur, peccata omnia in eam ad quam decesserit religionem elisa comminuet. In eo autem quòd parvulos miseræ filiæ Babylonis tenet & allidit ad petram; & virtus qua nascentes cohibet, & fides qua ne adolescant allidit, ostenditur. Et allidit ad petram. Petra autem, secundùm Apostolum, Christus est. (*1. Cor. 10. 4.*) In quem beatus est, qui filiæ Babylonis parvulos, id est, tenera adhuc corporis vitia, allidet & conteret. Ipsi unigenito Deo ac Domino nostro gloria & laus in sæcula sæculorum. Amen.



[a] Turon. ms. *in die.* In græco *diem*, sine præpositione *in.*

[b] In mss. Reg. & Turon. *quo usque.* Apud Augustinum *usque dum.* Retinemus *quoad usque*, quod & habent vetera psalteria German. & Carnut. Superiùs in Psal. 122. n. 9. legere est *quoad usque* pro *donec*: hîc verò pro *usque ad* ponitur, quasi, *usque ad fundamentum quod est in ea.* Apud Græcos, ἕως τῶν θεμελίων αὐτῆς.

[c] Turon. ms. *terrenus.* Edom apud Hieronymum de nom. hebr. ex Gen. interpretatur *rufus sive terrenus*: apud Augustinum *sanguis*, quem & vocabulo *Edom* punicè significari subjicit: in enarratione autem psalmorum Hieronymo adscriptâ *terrena vel sanguinea.*

[d] Vocula *quæ* priùs hîc omissa suppletur ex mss. Vitia non ex natura animæ, cujus origo sancta & cælestis non semel asserta est, sed ex corpore, quod ex terra terrenum est.

[e] Editi, *ut in nos*: emendantur ope mss.

[f] Reg. ms. cum Turon. *fundamentum autem nemo potest ponere præter illud quod est Christus.*

[g] Ita Turonensis codex, suffragante Regio. In vulgatis autem, *Et cùm superiùs super Babylonis flumina sessum atque ploratum sit, cur nunc Babylonis filia misera sit*: glossema, quod ne quidem sibi cohæret. Filia Babylonis superiùs superba, ubi superbè interrogat, *Hymnum cantate* &c.

[h] In vulgatis, *si quis carnem suam dominatui anima subjecerit. Et quisquis eam spiritui subdiderit, ille omnes qui imperiti Deo & ignari sunt, omnibus ...... subegerit, & imperabit*: locus multis depravatus restauratur ope mss.

PSALMUS

PSALMUS CXXXVII.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei. Et in conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo super misericordiam tuam & veritatem tuam: quia magnificasti super omnes nomen tuum sanctum. In quacumque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis* in anima mea* virtutem tuam. Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: quia audierunt* verba oris tui. Et cantent in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini; quoniam excelsus Dominus & humilia respicit, & alta de longè cognoscit. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me. Super iram inimicorum* tuorum extendisti manum tuam: & salvum me fecit dextera tua.* Domine retribues pro me. Domine misericordia tua in sæcula: opera manuum tuarum non omittas.*

* Infrà, omnia. * Hil. addit me. * in virtute tua. * Infrà, omnia. * meorum. * Hilarius, Dominus retribuet.

TRACTATUS PSALMI.

Confessionis duplex genus.

1. Duplicem in confessione significationem esse, in plurimis locis demonstravimus, aut peccati nostri, aut laudationis Dei. Et hoc ita esse, ex evangelicis dictis promtum est noscere. Nam cùm ait Dominus, Confitebor tibi, Domine pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus sæculi, & revelasti ea parvulis; laudem Dei patris, ob revelata parvulis quæ ignorata essent prudentibus, confitetur: docens ideo absconsa ea esse his qui prudentes viderentur, quia non secundùm innocentiam parvulorum præceptis evangelicis credidissent. At verò ubi in eisdem Evangeliis dicitur, Et baptizabantur omnes in Jordane, confitentes peccata sua; illic confessio peccatorum sine ambiguitate significationis alterius continetur.

Matth. 11. 25. Matth. 3. 6. E F

Confessio peccati utilissima. Quid sit. V. Psal. 135. n. 3.

2. Maxima autem & utilissima est letalium vitiorum morbis in eorum confessione medicina. Sed confessio peccati non est tamquam rerum aliis ignoratarum professio, ut si fur de furto, aut homicida de cæde interrogatus confitetur:

A neque tamquam ignorans, qui scrutans corda & renes Deus est, ad scientiam [a] sui confessione tua indiget, cui promtum est [b] non solùm cogitata, sed cogitanda perspicere. Confessio autem peccati ea est, ut id quod à te gestum est, per cognitionem peccati confitearis esse peccatum. Nemo enim quod agit, id ad agendum non aut fructu oblectationis alicujus, aut judicio bonæ in eo opinionis aggreditur: dum aut rectum putat, aut eo gaudet. Sed cùm

Agendi causæ.

B per doctrinam Dei, verique rationem, ea quæ sub specie aut utilitatis aut voluptatis [c] elegit, intelligit esse peccatum; per peccati intelligentiam peccatum id esse quod à se gestum est confitetur.

Peccata confessus ab iis debet desinere.

3. Nullus autem id, quod peccatum esse confessus est, [d] deinceps debet admittere: quia confessio peccati professio est desinendi. Ceterùm in intellectis & confessis manere, [e] hæc peccati jam pridem scientia veniam

C confessionis amittit. Confiteri enim id tamquam recens cognitum non potest, quod à se cum peccati cognitione sit gestum. Desinendum ergo à peccatis est, post quàm in confessione est cognitio peccati: & confitendum est, ut Propheta docuit, corde toto non ex parte, neque aliqua adhuc nobiscum cognitorum peccatorum operatione residente. Quid enim si quis de furto pænitens, iniquis & turpibus lucris pecuniam suam auxerit? Non erit qui-

Confessio & conversio integra esse debet.

D dem fur, sed erit avarus & raptor. Aut si quis ex fornicatione desinens, vino se nimio corrumpet; corpus quidem suum non polluet, sed animam contaminabit. Et si quis à cædibus temperans, maledicus esse persistet; manum quidem homicidam non habebit, sed linguam habebit. Et quomodo quis ex toto corde poterit confiteri, non exigua secum peccati parte residente? Detersis itaque omnibus vitiis confessione, opus est desinendi: & oran-

Hæc à Deo petenda.

E dum semper ad Deum est, ut in cohibendis peccatis exstinguendisque incentivis eorum, pendula voluntatis nostræ studia confirmet.

4. Ob quod jam [f] confidens Propheta per confessionem ac precem suam in portu se innocentiæ collocatum, ait, *Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.* Duplex intelligentiæ hujus, ut superiùs jam diximus, sensus est. Nam sive laudem Deo confitetur, quia verba oris ejus audita sunt: sive

℣. 1.

F per misericordiam Dei cùm diu orasset [g] adjutus, jam omnibus peccatis desinentibus confitetur. Fidei nostræ utrumque conveniens, ut & Dominum laudemus, & confiteamur intellecta peccata.

5. Dehinc sequitur: *Et in conspectu Angelorum psallam tibi.* Parum sibi existimat Propheta esse, ut hominibus tantùm præsentibus psal-

[a] Conjectabamus legendum esse *tui*: sed retinendum *sui*, quasi *suam*: quod & habent editiones antiquæ, non mss.

[b] Reg. ms. & Turon. *non cogitata*: quod non displicet pro, *nondum cogitata*; maximè cùm sequatur *sed cogitanda*, non *sed etiam*, aut *sed &c.*

[c] Sic mss. At editi, *egit*.

[d] Miciacensis codex, *deinceps veniam admittit*.

[e] Pro *hæc*, mallemus *ex*. Deinde post *jam pridem*, subintelligendum *habita*. Hilarius hîc, sed magis in Psal. 140. n. 7. iis tantùm confessionis veniam videtur concedere, qui ex infirmitate & errore peccaverint.

[f] Bad. Er. Lips. & mss. Reg. ac Turon. *confitens*. Mox solus codex Turon. cum Lips. & Par. *collocat cùm ait*. Præferimus cum Par. & ms. Mic. *confidens*: ac deinde cum eodem ms. necnon Reg. ac edit. Bad. & Er. *collocatum, ait*.

[g] In postrema editione Par. *auditus*: quam lectionem præferens scriptor ms. Turon. in marginem rejecit *adjutus*.

lat : quia homines corporalium tantùm negotiorum officia inspiciunt. In eo enim quod psallit, motum complacitæ Deo operationis ostendit. Non ergo quæ videntur in corpore cerni desiderat : sed ea, quæ spiritaliter naturæ spiritales contuentur, gerere festinat. Scit enim se sub specula Angelorum vitam omnem moresque agere, & ubique hæc divinorum [a] ministeriorum auxilia fidelibus cunctis assistere, ut scriptum est : Angelus Domini in circuitu timentium eum. Legem etiam Moysi in manu Mediatoris per Angelos fuisse dispositam docet Apostolus. Nec non & Eliseus absolutissimè docuit, humanas infirmitates Angelorum auxiliis defendi, & in omnibus periculis, si fides maneat in nobis, adesse spiritalium Virtutum defensionem. Namque cùm Rex Syriæ capere Geth urbem, in qua idem Eliseus propheta esset, pararet, & nocturnis itineribus exercitum suum, qui ante lucem urbem obsideret, destinasset ; puer Elisei conspecta obsidione dixit, O domine quid faciemus ? Et dixit Eliseus, Noli timere : quia plures sunt nobiscum, quàm cum illis. Et oravit Eliseus ad Dominum, & dixit, Adaperi Domine oculos pueri hujus, & videat. Et adaperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons erat plenus equis & curribus in gyro Elisei, & descenderunt ad eos. Tantus & tam nobilis propheta solus contemplatione auxiliorum spiritalium dignus est : sed oratio ejus ad Dominum visum incorporalium etiam puero suo meruit. In horum igitur assistentium humanis auxiliis Angelorum conspectu psallet Propheta, spiritalibus spiritalium operum contemplatione placiturus.

Angeli fidelibus cunctis ubique adsunt.

Psal. 33. 8.

Gal. 3. 19.

4. Reg. 6. 15. &c.

6. Sed non solùm coram Angelis psallet, sed etiam id quod sequitur efficiet : *Adorabo ad templum sanctum tuum* : non in templo, ne quid secundùm consuetudinem Judæorum corporaliter loqui videretur, si adoraret in templo ; sed *ad templum*, id est, apud templum, spiritu & corpore adoraturus. Templum autem Deo esse sanctos quosque, Apostolus docet, dicens, Vos estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis. Habitatio ergo, [b] quæ ex nobis Deo digna erit, Deo templum est.

℣. 2.

Cur Propheta ad templum non in templo adoraturus.

2. Cor. 6. 16.

7. Apud hoc ergo templum Deo sanctum adorabit, non sine perfecta ratione doctrinæ : ne qua hæreticis de incompositæ orationis confusione ad studia sua pateret irreligiositatis occasio. Ait enim, *Et confitebor nomini tuo super misericordiam tuam & veritatem tuam.* Cùm Dei nomini confitetur, tenet Evangeliorum & Legis congruam fidem. Quod enim sibi nomen esse sciri Deus voluit, eodem dicto Evangelico & Legis * Dominus Sadducæis resurrectionem corporum abnegantibus respondens ostendit. Ait enim, De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est vobis [c] à Deo dicente, Ego sum Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob ? Non est Deus mortuorum, sed viventium. In absoluto ergo * hæreticorum error est, qui alium atque alium Evangeliorum & Legis Deum asserunt : cùm Dominus id quod principale in Lege est, ad confirmationem spei evangelicæ commemoret. Est autem & nomen aliud Deo, quod in Evangeliis cognoscimus, Domino dicente, Pater venit hora, honorifica Filium tuum, ut Filius tuus honorificet te. Et post multa alia sequitur : Manifestavi nomen tuum hominibus. Et quod nomen esset, superiùs ostendit dicens, Pater venit hora, honorifica Filium tuum. Hujus ergo [d] nomen adorat, qui & secundùm Legem Deus Abrahæ & Deus Isaac & Deus Jacob sit, & secundùm Evangelia unigeniti Dei pater est.

Quot hæreses enecet.

Dei nomen.

* Subaud. dicto.

Matth. 22. 31. & 32.

Exodi 3. 6.

* Manichæorum.

Aliud nomen Dei, Johan. 17. 1.

Ibid. 6.

quòd sit pater.

8. Exstinguit quoque insolentem eorum professionem, qui humanæ naturæ & infirmitatis immemores, & immisericordem Deum prædicantes, peccatis pænitentium veniam & solatium non relinquunt : cùm ad pænitentiam, per quam à peccatis desistitur, doctrina Legis, Prophetarum, Evangeliorum, Apostolorum eos qui peccaverint adhortetur : ut desperatæ jam spei aliquantulum per eam solatii comparetur, ut amissis licèt beatis & maximis & [e] Deo proximis, ne his saltem quæ talibus sunt secunda careamus.

Contra Novatianos.

9. Tollit etiam stultissimam eorum temeritatem, qui frustrato falsoque corpore Dominum in carne visum esse contendunt : ut eum Pater ementita veritate in habitu falsæ carnis ostenderit ; non recordantes post resurrectionem corporis spiritum se videre credentibus Apostolis dictum esse, Quid conturbati estis, & quæ cogitationes adscenderunt in corda vestra ? Videte & manus meas & pedes, quoniam ipse ego sum : palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habentem. Ab horum igitur confessione confessionem suam Propheta discernit, perfectæ fidei ordinem tenens : cùm in nomine Deum Abrahæ & Deum Isaac & Deum Jacob ; cùm in misericordia pænitentium misericordem ; cùm in veritate [f] quòd Verbum caro factum sit confitetur.

Contra Marcion. Manichæos, &c.

Luc. 24. 38. & 39.

10. Causa etiam confessionis hinc sumitur, *Quoniam magnificasti super omnia nomen sanctum tuum.* Non [g] uni tantùm genti Dei nomen est cognitum : sed super omnia magnificatum est,

Nomen Dei ubique magnum.

[a] In vulgatis *mysteriorum*. Rectiùs in ms. Turon. *ministeriorum*. Angeli vocantur divina ministeria : quia, ut docetur in Psal. 65. n. 14. *incorporalis Deus misericordiæ suæ oculis, & tamquam ministerio famulantium Angelorum protegit gentes*. Hinc in Psal. 120. n. 4. *Poterimus autem & montes existimare angelica ministeria & cælorum virtutes, quarum ministerio nobis in sublimia præstatur adscensus* &c. Eorum erga nos ministerium rursum explicatur in Psal. 129. n. 7.

[b] Reg. ms. *à nobis*. Turon. *in nobis* : & mox, *templum Dei sanctum* : & inferiùs, *super misericordia tua & veritate tua*.

[c] In ms. Turon. *à Domino*. Verba sequentia ad Filium ab Hilario referri liquet ex lib. 4. de Trin. n. 30. & ex lib. 5. n. 21.

[d] Turon. ms. *nomini adorat* : quod etiam habuit Reg. à prima manu. Sic Bad. in Matth. c. 19. n. 5. *diis alienis adoraverat*.

[e] Reg. cod. cum Tur. omittit, *& Deo proximis* : ac deinde cum Mic. subjicit, *ne his statim*, non *saltem*. Simili loquendi ratione Flavianus apud Leonem ep. aliàs 2. c. 2. de Eutyche ait, *Cùm debuisset secundis salvare priora*, id est, malè acta per pænitentiam reparare.

[f] Particula *quod*, ac deinde verbum *sit*, quæ in vulgatis deerant, supplentur ex ms. Turon. cùm Regius & Bad. etiam habeant *sit*. Paulò antè apud Bad. Er. & Lips. *in misericordia pænitenti*, non *pænitentium*, quod idem est ac *erga pænitentes*.

[g] Apud Hincmarum lib. de Prædest. c. 25. ut & in ms. Turon. *non tantùm unigeniti Dei* : lectio non spernenda. In ms. Reg. *non tantùm unigenito Dei*.

& in omnes se magnitudo sanctitatis extendit. A Non barbarus, non Scytha, non servus, non liber, non mulier, non vir, non ætas ulla secernitur: super omnia enim magnificatum Dei nomen est. Templa collapsa sunt, simulacra [a] mutata sunt, haruspices interventu sanctorum silent, [b] augurum fides fallit: unum Dei nomen in omnibus gentibus sanctum est. Adest enim semper in se sperantibus sanctis suis: & ubicumque invocatum fuerit, præsentem opem tribuit.

℣. 3.
Justus numquam sine metu.

11. Ait enim, *In quacumque die invocavero te, exaudi me.* Nullum diem justus quisque sine metu transigit: neque anxia semper erga se fides securi temporis otium recipit. Scit omnes dies plenos insidiarum sibi esse, diabolo atque angelis ejus excidium sibi semper [c] molientibus. Scit diem illam Domini occultam, insperatam, & modo nocturni furis repentinam futuram. Ut igitur se in quacumque die invocantem exaudiat, deprecatur. Nec diffidit Propheta quid in quacumque die exauditus obtineat. Sequitur enim: *Multiplicabis me in anima mea in virtute tua.* Per multam scilicet Dei curam multiplicabitur ipse in animæ virtute: ne quid in se tribulationibus, ne quid terroribus pateat; sed cùm tentationes ingruent, cùm metus incidet, omnia multiplicatâ animæ virtute tolerentur.

In Deo semper confidit.

12. Et quia certa spes ista est, ut animæ virtus divinæ misericordiæ multiplicetur auxilio; debitam ob id ab omnibus Deo confessionem fatetur, dicens, *Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.* * *Et cantent in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini; quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta de longè cognoscit.* Et quos reges terræ Propheta significet, jam in plurimis psalmis ostensum est. *Reges* non gentium, sed *terræ*, id est, sui uniuscujusque corporis reges desinente à se regno peccati. Vocati enim sumus in regnum cælorum, regno mortis everso. Mors enim regnavit ab Adam usque ad Moysen: & jam unusquisque rex suus est secundùm Apostolum, Jam sine nobis regnatis. Horum igitur confessio Deo digna est. Audierunt enim omnia verba oris Dei, & in reges se constitutos sciunt.

℣. 4. ℣. 5. ℣. 6.
Reges terræ.
Rom. 5. 14.
1. Cor. 4. 8.

Dei viæ.
Jerem. 6. 16.

13. Neque solùm *confiteantur*, sed & *cantent in viis Domini*, non transgredientes vias Dei, sed in his euntes. Viæ autem Dei sunt Prophetæ omnes & Apostoli, in unam viam unumquemque viâ suâ dirigentes. Et quòd ex omnibus in unam concurratur, propheta demonstrat, dicens, State in viis Domini, interrogate semitas Dei æternales, & videte quæ est via bona, & ambulate in ea. Viæ enim Domini æternæ. In his itaque viis Domini cantandum est, & hymnis prophetalibus concinendum, quia magna Dei gloria est: magnificentiæ enim ejus non est finis. Nam magnitudinem gloriæ suæ opera testantur, cælum, terra, maria, æther, homo ipse: qui rationis particeps [d] ad horum cognitionem perfectus est, ut per hæc visibilia invisibilem Dei gloriam contueretur.

Gloria magna.

Humiles respicit Deus.

14. Neque solùm magna est Dei gloria: sed etiam *excelsus est, & humilia respicit.* Hinc eminentis celsitudinis suæ admiratio maxima B est, quòd humilia respicit qui excelsus est. Sed quæ humilia respicit? Nempe ista: Cor contribulatum & humiliatum Deus non spernet: & rursum, Et super quem respiciam, nisi super humilem & trementem verba mea? Sed quia excelsus humilia respicit, habet in se aliam quoque admirationem, quòd *& alta de longè cognoscit.* Superbæ & insolentes cogitationes Deum non fallunt: agnoscit omnia, & nihil scientiæ ejus impenetrabile est. Deus, C ut scriptum est, propè est his qui tribulato sunt corde: non admiscetur autem arrogantibus, neque insolentibus propè est. Unicuique enim nostrûm pro fidei diversitate aut proximus est aut remotus, spiritali virtute ubi se dignum est acquiescens. Et ideo [e] à longè alta cognoscit, quia & per indignitatem abest ab insolente, & per virtutem, [f] longè licèt, quæ sunt superba cognoscit.

Ps. 50. 29.
Esai. 66. 2.
Superbi à Deo longè alieni.
Ps. 33. 19.

℣. 7.
Tribulationis utilitas.
Rom. 5. 3.

15. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivi-* D *ficabis me.* Non abnuit justus iste, ne in mediis tribulationibus ambulet. Scit enim quia tribulatio, secundùm Apostolum, patientiam operatur. Scit improbabilem virum non placere, scit victorem militem nisi bello non futurum, scit intentatam fidem languere, scit in tribulationibus, secundùm Apostolum, gloriandum. Scit imparem se tribulationibus nisi auxilio Dei esse; & idcirco per Deum salutis suæ certus est: & cùm in mediis tribulationibus ambulet, E [g] per eumdem se vivificandum esse confidit. Ait enim, *Super iram inimicorum* [h] *meorum extendisti manum tuam: & salvum me fecit dextera tua.* * *Dominus retribuet pro me.* Irascentibus inimicis extensa nos manus Dei protegit. Tribulationes enim inimici afferunt, irascentes fidei & spei nostræ: quia adversarius noster, secundùm Apostolum, diabolus tamquam leo rugiens ambulat, quærens nos devorare. Sed super iram inimicorum, per quos diabolus F semper operatur, manus Domini extenditur, & sperantes in se salvos facit dextera ejus. Virtus significatur in dextera: & ideo Dominus, qui Dei Virtus & Dei Sapientia est, nonnumquam Dei dextera cognominatur, per quem adversùs omnes inimicos in omnium tribulationum bello protegimur.

Ibidem.
Ferri nequit nisi auxilio Dei.
℣. 8.
1. Pet. 5. 8.
Dextera Dei virtus.

16. Servavit autem evangelicæ mansuetudi-

[a] Turon. codicis scriptor præferens in textu *muta*, adjecit in margine syllabam *ta*, necnon *vel minutata*; satis indicans se conjecturam sectari. Hæc nobis non improbatur.
[b] Mss. Mic. *auguria*. Reg. & Turon. *augurium*.
[c] In mss. *moventibus*.
[d] Editi, *horum cognitione*: emendantur ex mss. Mic. & Turon.
[e] In vulgatis frustra hîc insertum erat, *humilia de prope &*, vel *humilia de corpore &*. Mox in mss. Reg. & Turon. *qui &*, pro *quia &*
[f] In vulgatis, *longè quæ licet sunt*, &c. perturbatè. Hîc ostenditur, quòd longè à Deo distent superbi propter indignitatem, ipsius tamen cognitione attingantur propter summam virtutem.
[g] Bad. Er. Lips. mss. Reg. & Turon. *per easdem*.
[h] Regius codex ac Turon. hîc omittunt *meorum*, ac deinde consentiente græco subjiciunt, *extendisti manus tuas*.

Vindicta Deo dimittenda. Matth. 5. 40.

nis Propheta rationem, qua injuriam reddere his qui nos persequuntur inhibemur, dicens, *Dominus retribuet pro me.* Illi enim vindicta servanda est, qui in calumnia [a] vestis, dimitti & pallium jussit, qui post injuriam alapæ unius, præberi & maxillam alteram voluit, qui vetuit malum pro malo reddi; plus vindictæ adepturis, qui æterno judici ultionem præsentis injuriæ reservassent.

17. Concludit deinde fidelissimæ spei voce, *Domine, misericordia tua in sæculum, opera manuum tuarum non omittas:* ut quia Dei misericordia in sæculum est, extendens super iram inimicorum manum suam, & fideles suos protegens dexterâ suâ, & pro his retribuens, opera manuum suarum non omittat, hominem scilicet qui ait, Manus tuæ fecerunt me, & cetera. Nonnumquam manu Dei facta commemorari solent: homo verò semper manibus Dei effectus, nobiliore in eum opere ex manuum [b] commemoratione monstrato. Ut igitur hunc non omittat precatur, & sit ei auxiliator assiduus per eum & in eo qui ait, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Homo non manu, sed manibus Dei effectus. Ps. 118. 73. V. lit. 10. n. 5.

Matth. 28. 20.

PSALMUS CXXXVIII.

*DOMINE probasti me, & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam & resurrectionem meam. Intellexisti * cogitationes meas de longè, * semitas meas & directiones meas investigasti. Et omnes vias meas prævidisti: quia non est dolus in lingua mea. Ecce tu Domine cognovisti omnia novissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, non potero ad eam. Quò ibo à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Si adscendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumsero pennas meas ante lucem, & habitavero in postremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua * Domine. Et dixi, Fortè tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Quia tu * possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ. Confitebor tibi, quia terribiliter mirificatus sum: * mirabilia opera tua, & anima mea novit * nimis. Non est occultatum os meum à te: * fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum * tuum viderunt oculi * mei, & in libro tuo omnes scribentur: die replebuntur, & nemo in eis. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus: nimis * confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: exsurrexi, & adhuc tecum sum. Si occidas Deus * peccatores, viri sanguinum declinate à me. * Quia contentiones in cogitatione, accipient in vanitate civitates tuas. Nonne * qui oderunt te, Deus, oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos: inimici facti sunt mihi. Proba me Deus, & scito cor meum: interroga me, & scito semitas meas. Et vide si via iniquitatis in me est: & deduc me in * via æterna.*

* Infrà, *omnes cogit.* * *semitam meam & directionem meam.*

* Infrà abest *Domine.*

* Infrà, *Domine.*

* *mira.* * *valde.* * *quod fecisti.* * *meum.* * *tui.* * *confortati sunt.* * *peccatorem.* * *quoniam dices in cogitatione, Accipient in vanitatem civitates suas.* * *odientes te Domine oderam.* * *viam æternam.*

TRACTATUS PSALMI.

1. OMNEM propheticum sermonem ex divini Spiritus instinctu profectum non in obscuro est: cùm legimus, Hæc dicit Dominus; & iterum, Audite verba Domini; & rursum, Quoniam Dominus locutus est; & in eodem, Os enim Domini locutum est ista. De psalmis autem ipse Dominus in Evangeliis confirmat, cùm de se loquens ait, Si David in Spiritu vocat eum Dominum, quomodo dicitis quòd filius ejus est? docens omnia David Spiritu prophetico elocutum. Locutum autem de se licèt in hoc eodem loco ostenderit, cùm ab eo ait Dominum se esse in Spiritu nuncupatum; absolutiùs tamen ostendit in psalmis sacramentum omne corporei adventus sui contineri, dicens, Hæc sunt verba mea, quæ locutus sum ad vos cùm adhuc essem vobiscum, quoniam oportebat omnia impleri quæ scripta sunt [c] in lege Moysi & prophetis & psalmis de me. Non est ergo ambiguum, quin in psalmis de eo scriptum sit. Nam tametsi [d] plerumque in his talia sint, ut ad personam Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, [e] generationis quoque primæ & generationis sequentis referri oporteant: tamen quia omnia in Christo & per Christum sunt, quidquid illud in psalmis [f] est sub diversorum est personis...

Psalmorum auctor Spiritus-sanctus. Jer. 31. 2. Esaia 24. 3. Esaia 58. 14. Matth. 22. 45. Luc. 24. 44. Quî omnes de Christo sint.

[a] Excusi, *vestes.* Rectiùs mss. *in calumnia vestis*, hoc est, ubi quis lite intenta vestem tollere conatur. Consule Cangii Gloss. Habemus lib. 10. de Trin. n. 28. *in ipsa trunci corporis calumnia:* quibus verbis indicatur ipsummet momentum quo Malcho auris ablata est.

[b] In Reg. ms. *connumeratione:* & mox, *per eum & in eum.*

[c] Bad. Er. & Lips. cum mss. Reg. & Turon. *in libro Moysi:* qui tamen in Psal. 125. n. 2. simul omnes habent *in lege.*

[d] Sic nostri mss. Editi verò, *pleraque.*

[e] In mss. Mic. & Reg. *generationes quoque primæ & generationes sequentes:* malè. Generationem primam Judæos, sequentem Christianos intelligit Hilarius, ut ipse declarat in Psal. 134. n. 22. Quò spectat illud Tract. Ps. 63. n. 3. ubi tradit in psalmis attendendum, *quando fides gentium nuntietur, quando peccata anterioris populi arguantur.*

[f] Editi, *& sub diversorum est personis;* tum Lips. & Par. *prophetarum:* castigantur ex mss.

ſorum perſonis prophetatum, omne de ipſo eſt: A quia doctrina omnis, diverſis licèt præceptorum generibus multiformis, hoc per diverſos præſtet ut ipſe noſcatur. Hæc nobis propter præſentem pſalmum commemoranda neceſſariò fuerunt: ne fortè [a] improbabili auctoritate præſumſiſſe exiſtimaremur, ut ad perſonam Chriſti omnem hanc prophetiam ejus referremus.

Ne duæ Chriſti naturæ confundantur.

2. Diligenter autem ea obſervanda ratio eſt, ut quæcumque homini illi, quem ex utero ſanctæ Virginis aſſumſit, B & in quo ſe naſci hominem qui Deus erat voluit, apta eſſe & congrua videbuntur, cum debita * cæleſti naturæ ſuæ dignitate tractentur: neque ſacramentum ſalutis noſtræ, qua in forma Dei manens formam ſervi accepit, ad contumeliam indemutabilis ſuæ & inviſibilis & incorporeæ & impaſſibilis ſubſtantiæ coaptemus. Quòd enim homo fuit, nobis profecit, ſibi nihil demſit. Exinanivit enim ſe, in forma Dei manens; C [b] non ut forma ſervi eſſet, & forma Dei eſſe desineret. Ait enim ipſe, Quæcumque Pater facit, eadem & Filius facit ſimiliter. Numquid [c] in forma Dei manens, virtutem & divinitatem, qua in forma Dei manebat, amiſit? Cùm enim in corpore humilitatis noſtræ, quæcumque Pater facit, eadem & ipſe facit ſimiliter, nihil per conſortium carnis à paternæ divinitatis poteſtate degenerat: neque id corpus quod aſſumtum eſt, virtutem D naturæ antea manentis [d] abolevit, cùm in eo corpore quod aſſumtum eſt, virtus naturæ antea manentis operetur.

* divinæ.

Hominem aſſumens Deus permanſit. *Johan. 5. 19.*

Si quid in eo infirmum, ad hominem referendum. *Johan. 1. 14.*

3. Itaque ſi quid infirmum ex perſona ejus dictum reperietur; ad hominem referri oportebit, per quem habitavit in nobis. Verbum enim caro factum eſt, & habitavit in nobis. Referendum autem ob id eſt, quia non alienæ aut ſimulatæ naturæ hominem aſſumſit. Verbum namque caro factum habitavit in nobis: E non in vitia infirmitateſque carnis ex Verbi virtute deficiens, ſed naturæ noſtræ infirmitates homo natus aſſumens. Aſſumtio autem infirmitatis non fecit infirmum, quia aliud eſt naturam eſſe, aliud aſſumſiſſe naturam. Et extra generis neceſſitatem, voluntatis acceſſio eſt. Non enim peccator fuit, ſed peccata ſuſcepit. Neque infirmus exſtitit, ſed portavit infirmitates. Ipſe enim, ſecundùm prophetam, » peccata noſtra ſuſcepit, & infirmitates noſtras F portavit. Et ne quid in impaſſibilem atque indemutabilem divinitatem infirmitatis incidere exiſtimaretur; adjecit, Et nos [e] putabamus eum in doloribus eſſe. Suſcepit ergo infirmitates, quia homo naſcitur; & putatur dolere, quia patitur: caret verò doloribus ipſe, quia Deus eſt. Et cùm [f] habitat in nobis, cúmque infirmitates noſtras ſuſcipit, & cùm ſuſceptis infirmitatibus non dolet; non poteſt non eſſe qui habitat, nec à ſe [g] defeciſſe qui ſuſcipit, nec abolitus Deus eſſe qui non dolet. Et hæc quidem propter præſentem pſalmum commemorata paucis ſunt, quia videtur ſtatim ex perſona hominis cœpiſſe: ne per hoc, quod tamquam homo loquitur, deceſſiſſe ex paternæ divinitatis gloria videretur.

Eſaia 53. 4.

4. Ait enim, *Domine probaſti me, & cognoviſti me.* Apoſtolus cùm nos patientiæ & ſpei doctrinâ erudiret, ait, Tribulatio patientiam perficit, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes verò non confundit. Et hæc quidem in ſanctorum quorumque vita atque operibus fuiſſe cognoſcimus, ut multis paſſionibus tribulationibuſque jactati, probabiles Deo facti ſint. Si quis enim exſulem Abraham, & in metu parricidii & cœlibatûs, & in ceterarum paſſionum injuriis manſiſſe fidelem ſemper meminerit; ſi quis fugam Jacob, & præter æſtivorum dierum laborem, hibernarum noctium vigilias in cuſtodiis ovium recordetur; ſi quis Moyſi quadraginta annorum ſervitutem, & in eo acerba plebis opprobria, & magorum adversùs eum æmulas poteſtates recenſeat: intelliget eos patientiâ & conſtantiâ ſpei probatos, non immeritò id eſſe præmii conſecutos, ut in Abrahæ [h] ſemine gentes benedicerentur, ex Jacob Iſrael eſſet, Moyſes Pharaoni in Deum fieret. Longum eſt paſſiones ceterorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, & beata atque invicta illa Pauli in mari, in fluminibus, in terra, in ſolitudinibus, in urbibus, in propriis, in exteris, in plagis, in vinculis, in carceribus, in theatris fidei * documenta memorare. Certè hos omnes patientia probabiles reddidit, per quam non erubeſcendæ ſpei ſuæ fiduciam probaverunt. Sed hæc opportuniùs & pleniùs ſuis locis tractari * oportet: nunc ad eum, ex cujus perſona pſalmum conſtare diximus, revertendum eſt.

Rom. 5. 3.

Juſti tribulationibus ſunt probati.

* *Mſſ.* decimenta.

* *Reg. mſ.* oporterent.

5. Non confundenda autem perſona divi-

[a] Editi, *ſine probabili*: refragantibus mſſ. qui mox habent *præſumſit*, pro *aſſumſit*. Sic pag. 427. c. Dominus ex Virgine corpus *præſumturus* dicitur.

[b] Par. *ut & forma hominis eſſet, non ut forma Dei* &c. Editiones aliæ, *ut forma hominis eſſet, non ut forma Dei* &c. Sequimur mſſ. Reg. & Turon. quorum lectio faciliùs capietur, ſi quæ præcedunt ita exprimantur, *ita enim ſe exinanivit, ut in forma Dei maneret.*

[c] Editi, *in forma ſervi*: renitentibus mſſ. Et quidem verbum *maneo* ſuperiùs & inferiùs conjungitur cum vocibus *in forma Dei*; nec recordamur an uſquam apud Hilarium conjungatur cum his *in forma ſervi*. V. lib. 9. de Trin. n. 50.

[d] In mſſ. Reg. & Turon. *abſolvit.* Huic loco ſimilis eſt ille lib. 9. de Trin. n. 14. *In corpore demutatio habitûs & aſſumtio naturæ, naturam manentis divinitatis non peremit.*

[e] In Reg. mſ. *putamus.* In lib. 10. de Trin. n. 46. legere eſt *putavimus*, quod græcis & latinis Scripturæ exemplaribus conſonat. Videſis prædictum locum de Trin.

[f] Editi, *habitavit . . . . . ſuſcepit.* Aptiùs verbo præſenti mſ. Reg. enuntiat duplicis in Chriſto naturæ diſtinctionem, & divinæ, etiam poſt quàm humana ſuſcepta eſt, perſeverantiam. Aliud ſi quidem ſunt, quorum unum habitat, alterum habitatur; unum ſuſcipit, alterum ſuſcipitur; unum denique ex ſuſceptis infirmitatibus patitur, alterum ex iis nihil patitur aut dolet. In his omnibus ſola natura divina à dolore eximitur.

[g] Reg. mſ. *defuiſſe*: & mox *decidiſſe*, loco *deceſſiſſe*. Illic ubi *perſona hominis* commemoratur, naturam dumtaxat intelligendam jam monuimus in Pſal. 63. n. 3. & manifeſtum eſt ex his num. 5. *non confundenda autem perſona divinitatis & corporis eſt*: maximè cùm Deum & hominem in Chriſto unum & eumdem eſſe pluribus aſſerat Hilarius.

[h] Regius codex, *nomine*: cum quo deinde magis placuit *ex Jacob*, quàm cum vulgatis *& Jacob.* Hæc preſſiùs dicta, perinde intelligenda ſunt, ac ſi legere eſſet, Abraham quidem, ut in ſemine ejus gentes benedicerentur; Jacob autem, ut mutato nomine ac ſtatu Iſrael eſſet &c. non immeritò conſecutos.

Christus ut homo primùm probatus, deinde cognitus.

nitatis & corporis est. Omnis enim nunc in exordio ex persona ejus hominis, quem assumsit, oratio est. *Probasti me, & cognovisti me.* Probatus est, ut cognosceretur : quia posterior est probatione cognitio. Et videamus secundùm evangelicam doctrinam, hic Dei filius quomodo sit & probatus & cognitus. Humilitas namque ejus, per quam meruit ab omni cælesti, terrestri & inferno adorari, & in gloria Dei Patris esse, probatio ejus fuit. Ita enim Apostolus ait : Fuit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter hoc exaltavit eum Deus, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum ; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris. Propter hanc itaque usque ad mortem obedientiam, & mortem crucis, infirmitas carnis assumtæ & in nomine [a] atque honore immortalitatis, & in Patris Dei gloria collocatur. Dei enim nomen donatur, & nomen non sine honore donatur. Honor autem qui donatur, non alius potest esse quàm nominis ; nomen verò indulti honoris, non aliud est quàm quod gloria est paterna : ut qui in forma Dei manens, formam servi accepit, propter obedientiam formæ servilis cum crucis morte susceptæ, in gloria Dei Patris esset, cujus antea manebat in forma. Sed hæc Apostolus jam de perfectis [b] locutus est : demonstrandum autem in Evangeliis est, ubi & probatus & cognitus est.

Philip. 2. 8. &c.

Probatus & cognitus est in baptismo

6. Humilitas itaque ejus probatio est. Unigenitus namque Deus, peccatorum remissor, æterni regni dominus, baptizari se tamquam peccatorem exposcit. Officium istud Baptista renuit, agnoscens eum qui sibi potiùs peccata donasset. Ille autem suscepti in se hominis justitiam etiam sacramento baptismi explevit : & peccati nostri, peccati ipse nescius, particeps fieri non recusat ; & omnem in se humilitatem caducæ carnis assumens, Jordanem turbis peccatorum mixtus ingreditur. Probatur in istis omnibus dum geruntur : sed videamus an probatus agnoscitur. Ait enim Evangelista, Et baptizato Jesu confestim adscendit de aqua. Et ecce aperti sunt cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem de cælo, sicut columbam venientem in ipsum, & ecce vox de cælo [c] dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo complacui. Probationem mox consecuta cognitio est : & quem humilitas probabilem fecerat, hunc paterna vox filium complacitum sibi, post quàm probavit, ostendit. Est & probatio, quam statim consecuta cognitio est.

Matth. 3. 16. & 17.

in deserto.

In deserto agit, tentationi diaboli subjicitur, seseque nunc in fastigium templi, nunc in excelsum montem patitur efferri. Contumeliæ itaque se injuriæ tam gravis dedit, dum in deserto est, dum conditione tentationis illuditur, dum elevari potest in templum atque montem. Sed tentationum probationem, agnoscentis testimonium non reliquit. Ait enim Scriptura, Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli ministrabant ei. Homo tentatur, homo circumfertur : sed post hæc Angeli ministrant. Per probationem cognoscitur, per cognitionem dignus est ministerio Angelorum. In ceteris autem quotiens probatus est, totiens & cognitus est. Petrus passionem ejus detestatus est, crucis in eo scandalum præ amore & confessæ jam à se divinitatis cognitione non sustinens : sed quia eum ob infidelitatem crucis satanam nuncupasset, non multo pòst cùm in monte gloriæ suæ habitu constitisset, tali à Patre voce cognoscitur : Hic est filius meus dilectus, in quo complacui, hunc audite. Probationem, quam tentatio Apostoli effecerat, paternæ vocis cognitio est consecuta.

Matth. 4. 11.

Petrus qui probavit, ac cognovit.

Matth. 16. 23.

Matth. 17. 5.

ŷ. 2.

Sessio, doctrina.

7. Dehinc sequitur : *Cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam.* In sessione doctrinam significari, evangelica auctoritas est. Sessiones autem nobiscum hæ sunt, quæ à Græcis cathedræ nuncupantur. Moyses cathedram habuit secundùm Domini dictum, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dicunt vobis, facite & observate : secundùm autem opera eorum nolite facere ; dicunt enim & non faciunt. Cùm igitur doctrina Pharisæorum ob id probabilis esse doceatur, quia ipsi in Moysi cathedra sederunt ; doctrina necessariò significatur in cathedra. Cognovit itaque sessionem ejus, cùm dignitatem ejus in omnibus prædicat, cùm voluntatem ejus qui se misit exsequitur, cùm humilitati corporis sui gloriam postulans audit è cælo, Et honorificavi, & honorificabo. Sed [d] doctrina non minùs in sessione ejus, quàm in resurrectione opus, cognoscitur. Nam ut sessio doctrinæ præceptum est, ita & resurrectio operationis effectus est. Sedens Jesus docuit in monte : sed post doctrinam ad opera descendit. Ita enim scriptum est : Et descendente eo de monte, secutæ sunt eum turbæ. Et ecce leprosus quidam [e] veniens adorabat eum dicens, Domine, si vis potes me mundare. Et extendens manum tetigit eum Jesus dicens, Volo, mundare. Et ad sanandam quoque [f] archisynagogi filiam surrexit Dominus : scriptum est enim, Et surgens Jesus, sequebatur eum cum discipulis suis. Cùm autem perfectum illud in lavandis Apostolorum pedibus humilitatis suæ officium explevit, ita legimus : Surrexit à cœna, & posuit vestimenta sua, & accepto linteo præcinxit se. Cognoscitur itaque in sessione ejus & in resurrectione doctrina atque opus : quia & sermone &

Matth. 23. 2. & 3.

Johan. 12. 28.

Surrectio, opus.

Matth. 8. 1. & 2.

Matth. 9. 19.

Johan. 13. 4. & 5.

[a] In mss. Mic. *atque natura honore* : quod & in prima edit. Par. vulgatum est. Abest *natura* ab aliis libris : neque hoc vocabulum postulant subnexa.

[b] Subintelligitur, mysteriis assumtæ carnis post resurrectionem.

[c] Apud Par. *dicens ad eum.* Alia Patris ad Filium baptizatum verba memorat Hilarius in Psal. 2. n. 29.

[d] Editi, *doctrina ejus non minùs in sessione quàm in resurrectione* (Par. *surrectione*) *ejus cognoscitur* : emendantur ex ms. Turon.

[e] Verbum *veniens* abest à Bad. Er. Lips. & mss. Reg. ac Turon.

[f] Regius codex cum Turon. *centurionis filiam.* Lectio quæ obtinet, meritò suspecta fuerit. Hilarius enim Evangelium secundùm Matthæum hîc memorat ; in quo is simpliciter *princeps* cognominatur, non *archisynagogus*, ut apud Marcum 5. 35. Neque aliud Comment. in Matth. c. 9. nomen ei tribuit, quàm *principis.*

opere Dei [a] in se Patris gloriam prædicabat. A

℣. 3. Christi cogitata longè antè præscivit Deus.

8. *Intellexisti omnes cogitationes meas de longè.* Scrutans corda & renes Deus est: & quomodo de longè cogitationes ejus intellectæ sunt? *De longè*, non ad locum, sed ad tempus refert. Non enim, [b] de longè intelligis, ait; ut res loci esse credatur, tamquam longè ab humanis operibus [c] sit, cùm visu virtutis suæ & scientiâ ea quæ cogitantur intelligat: sed, *de longè* [d] *intellexisti*, præteriti potiùs temporis significans ætatem. Et ubi istud, quòd longè antè B cogitationes suas cognoverit, reperiemus? Nempe ubi dicitur, Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo complacuit animæ mea: ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus nuntiabit. Non clamabit, non contendet, neque quisquam in plateis vocem ejus audiet. Et hujus prophetiæ tum Evangelista meminit, cùm his, quos curabat, ut de se tacerent jubebat. Has ergo cogitationes ejus, humilitatis scilicet & patientiæ, longè antè C intellexit; quia de his erat prophetarum ore testatus.

Matth. 12. 18.
Ibid. 16.

Semita & directio quid.

9. *Semitam meam & directionem meam investigasti.* Est autem de semita & directione, antè quàm id ipsum tractetur, non nihilum præloquendum. Id namque, quod nobiscum semita est, alia virtute atque intelligentiâ cùm Græcis est: [e] τρίβον enim nuncupant, id est, frequenti ingressu discursuque contritam, per quam non semel neque aliquando, sed semper D incessum sit. Quod autem nostri *directionem* transtulerunt, id illi ex hebræo [f] σχοινίον interpretati sunt. Σχοινίον autem, quarumdam gentium consuetudine, certum & constitutum modum itineris significat: ut quod nos [g] millia, id illi σχοινίον nuncupent.

Christus à se transcursum, tritum à Prophetis percurrit.

10. Dominus itaque noster in eo corpore quod assumsit, jam transcursam à se [h] atque tritam in prophetis semitam percucurrit: & certum constitutumque sibi itineris sui finem E confecit. Quòd autem per tritam prædicationis semitam ambulaverit, audiamus ipsum dicentem: Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quotiens volui congregare filios tuos, sicut gallina congregans pullos suos, & noluisti? Quotiens cùm ait, frequentiam numerosæ significationis ostendit. Nihil ergo novi & egit & passus est, cùm per nolentem congregari filios suos Jerusalem totiens & auditus & inhoF noratus est in prophetis.

Matth. 23. 37.

Præscriptum sibi iter confecit.

11. Quòd autem definitum & præscriptum [i] iter confecturus esset, ostenditur in eo cùm ait, Ego te honorificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi. Qui datum sibi opus consummat, modum præscriptæ operationis explevit. Scit autem sibi constitutum esse quid gerere oporteat, cùm ait Petro, gladio his qui ad comprehendendum eum venerant resistenti: Calicem, quem dedit mihi Pater meus, [k] non bibam illum? docens se præscriptæ sibi à Patre passionis calicem esse bibiturum. Scit se etiam semitam suam directionemque complesse, cùm * potato aceto spiritum traditurus ait, Consummatum est, & mox tradidit spiritum.

Johan. 17. 4.
Johan. 18. 11.
* Ms. poto.
Johan. 19. 30.

Quæ gessit aut passus est, præscivit Pater.

12. Hanc ergo semitam & directionem suam Pater investigavit. Investigavit autem per Prophetam, cùm de sorte vestis prophetavit, ut scriptum est, Et super vestimentum meum miserunt sortem. Et iterum cùm de tradito inter latrones atque suspenso [l] recognita est prophetia dicens, Et cum iniquis deputatus est: vel cùm de osse intacto atque impresso vulnere antè prædictum est, Os ejus non confringetis; &, Videbunt quem compunxerunt. Hæc itaque, quæ ei omnia erant in passione præscripta, à Deo pervestigata sunt, [m] ut & fuerint prophetata. Ac ne quid ex his, quæ gessit ac passus est, incognitum fuisse Patri existimaretur; generaliter cuncta complexus est, dicens, *Et omnes vias meas prævidisti.* Sed qui prævidit, vidit ante quàm res esset. Prævidit autem etiam hoc, *quia non est dolus in lingua mea*: est enim, secundùm propriam professionem, veritas, [n] via & vita. Non recipit dolum veritas; non enim mentitus est aut fefellit: lingua omnis ejus officio functa est veritatis, qui ait, Cælum & terra præteribunt, verba autem mea non præteribunt. Patrem Deum prædicat, se verò esse & hominis & Dei filium confitetur. Dolum prædicatio ista non habuit, quæ & de se & de honore ejus qui se miserat fatebatur.

Ps. 21. 19.
Esa. 53. 12.
Exod. 12. 46.
Zach. 12. 10.
℣. 4.
Johan. 14. 6.
Matth. 24. 35.

13. Proficit deinde paulatim sermo cœptus ab homine, & ad significationem naturæ in eo * cælestis extollitur, cùm ait, *Ecce tu Domine cognovisti omnia novissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* * *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.* Personæ istud Prophetæ non convenit, ut ex se dixisse videatur, *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, ut mirabilis Dei cognitio ex eo facta sit, Moyse

* divinæ.
℣. 5.
℣. 6.
Dei scientia non à Propheta, non à Moyse, sed à Christo nobis tradita.

[a] In mss. Turon. deest *in se*, in Reg. autem tantùm particula *in*.

[b] Editi, *de longè se intellexisse ait, ut significatio loci* &c. castigantur ex mss.

[c] Apud Par. *situs*. Tum in mss. Reg. & Turon. *cùm usu virtutis*.

[d] In vulgatis, *intellexit*. Concinnius in ms. Turon. *intellexisti*.

[e] Sic ms. Turon. consentiente Regio, nisi quòd pro τρίβον habet *tribu*. Editi autem, *tritam enim nuncupant, id est, frequenter gressu discursuque .... semper ineundum sit*. V. lit. 5. Psal. 118. n. 7.

[f] In ms. Turon. ut in vulgatis hîc & inferiùs, χοῖνον. Hoc vocabulo si usus esset Hilarius, deinde sumsisset, χοῖνος *autem*, non χοῖνον *autem*. Veriùs itaque mss. Mic. & Reg. σχοινίον, consentiente Vulgata, quæ non *funem*, sed *funiculum* exhibet. Genebrardus conjectat LXX. pro χοῖνον scripsisse κοίτην. Cujus conjecturæ favet Hieronymus, qui ex hebræo vertit *accubationem meam*. Neque ab hujusmodi intelligentia procul abest Hilarii enarratio.

[g] Editi, *milliarium*: renitentibus mss. Et certè si σχοινίον respondeat verbo hebræo, quod locum viatorum mansioni seu accubationi (vulgò *giste*) destinatum, id est, diei unius iter significet, non uno milliario, sed pluribus, definiri debet illa mensura: de qua Origenes relatus à Corderio in Catena Patr. græc. ὁ σχοῖνος ὁδοῦ μέτρον ἐστὶ παρ' Αἰγυπτίοις καὶ Πέρσαις, εἴρηται καὶ ἐν ψαλμοῖς, τὸν τρίβον μου καὶ τὸν σχοῖνόν μου σὺ ἐξιχνίασας: hoc est, quod vocatur σχοῖνος, *apud Ægyptios & Persas itineris mensura est* &c.

[h] puta cùm Patriarchis in hominis aut Angeli specie visus est: de quibus visis toti sunt libri 4. & 5. de Trinit.

[i] Adjecimus, *iter*, auctoritate mss.

[k] Ita mss. hîc & lib. 10. de Trin. n. 30. Editi verò, *non vis ut bibam illum.*

[l] Editi, *recognitus est propheta*: inconcinnè & diffidentibus mss.

[m] In vulgatis, *ut fuerant prophetata*, malè enuntiatur Dei scientia prophetiâ posterior: cùm potiùs Deus omnia quæ passurus erat Christus, præscivisse hinc demonstratur, quòd illa eo auctore prophetata fuerint. Emendantur ope ms. Reg.

[n] Reg. ms. *via tua*; non *via & vita*, & mox, *fefellit in lingua*.

antea cognitionem nobis Dei [a] libris Legis loquentis. Sed ne ipsi quidem Moysi hoc esse proprium potuerit, Deum ante quàm flagrantem rubum conspicit nescienti, [b] opinione quidem electi in Abraham & Isaac & Jacob populi sui religioso, verumtamen familiarem cognitionem ante hoc tempus nisi à Deo non adepto. Sed omnis sermo iste ei competit, qui ait, Pater manifestavi nomen tuum hominibus: & qui ait, Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Sed hæc suo loco pleniùs prosequemur.

Johan. 17. 6. *Ibid. 3.*

Christi quæ novissima, quæ antiqua.

14. Descendendum autem ad id est secundùm ordinem dictorum, *Ecce tu Domine cognovisti omnia novissima & antiqua.* Novissima sunt, cùm *probasti*, cùm *cognovisti*, & cetera quæ propria sunt ejus hominis quem assumsit. Antiqua sunt, quæ modum non habent, quæ indefiniti temporis significant vetustatem. In principio enim erat Verbum, & omnia per ipsum facta sunt.

Johan. 1. 1.

Ut Deus ait, *Formasti me*; ut homo, *Posuisti*, &c.

15. Dehinc ut novissima Deus & antiqua cognovit; ita in eo quod sequitur, *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam*, utrumque significat: ut quòd formavit, antiquum sit; quòd superposuit manum, novissimum sit. Quòd enim secundùm naturam divinitatis formatus sit, Apostolus docet dicens, Qui cùm in forma Dei esset; quod enim in forma est, formatur in formam: & quidem [c] paternæ naturæ & divinitatis formam. Et nescio an quòd formatus in forma servi est, referri possit ad Patrem, ut formatus ab ipso sit: Sapientia enim ipsa sibi ædificavit domum. Sed hinc nec temporis, nec quæstionis est ampliùs loqui. Quòd autem propriè ad corpoream nativitatem referri oporteat, *Et posuisti super me manum tuam*; ita docemur ex persona Patris: Inveni David servum meum, in oleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur
» ei, & brachium meum confortabit eum. Nihil
» proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis
» non adjiciet nocere eum. Et non est ambiguum, omnem hunc psalmum ad personam Domini esse referendum: quia ea omnia in eo sint, quæ & divinitati ipsius propria sint, & à naturæ nostræ infirmitate dissentiant.

Philip. 2. 6. *Prov. 9. 1.* *Psal. 88. 21. &c.*

Dei scientia unde mirabilis.

16. Et quia utroque in tempore, id est, novissimo & antiquo, vel ipse prædicando, vel in Apostolis & Prophetis loquendo, cognitionem ex se Dei mirabilem fecit; ait, *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Sed mirabilis quomodo? Nempe cùm omnia esse intra Deum docentur, dum Deus esse in omnibus prædicatur, dum immensa & incomprehensibilis natura intus atque extrà manens, locos omnes quibus contineri possit excedat. Mirabile est Deum ubique esse, & nusquam abesse; in omnibus esse, & totum esse; & extra locos ac tempora pro infinitate atque æternitate sua semper esse. Hoc mirificum, hoc confortatum, id est, sine infirmìs jam intelligentiæ opinione firmatum.

Filius naturâ æqualis Patri quatenus æquari nequit.

17. Sed quid est istud quod dicitur, *Non potero ad eam?* Unigenitus ait, Omnia quæ Patris sunt, mea sunt; &, Sicut habet Pater vitam in semetipso, ita & Filio dedit vitam habere in semetipso; &, Sicut Pater vivificat mortuos, ita & Filius quos vult vivificat similiter; &, Ego & Pater unum sumus. Nulla discretio potestatis in verbis est, nulla etiam differentia virtutis in factis est. Quòd unum sumus, plerique irreligiosorum * ad voluntatis tantùm concordiam retulerunt. Sed cùm dicitur, Vel operibus meis credite, quia Pater in me, & ego in Patre; non tantùm voluntatis unitas, sed etiam divinæ virtutis ostenditur. Ergo cùm omnia quæ Pater faciat, omnia faciat & Filius; eadem enim facit similiter: quærendum est, quid sit quod dictum sit, *Non potero ad eam.* Sed cùm audio, Pater major me est; & rursum, Non potest Filius facere ab se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; hæc mihi intelligentiam suggerunt dicti hujus, *Non potero ad eam.* Est enim Pater major Filio, sed ut pater filio; generatione, non genere: filius enim est, & ex eo exivit. Et licèt paternæ nuncupationis proprietas differat, tamen natura non differt: natus enim à Deo Deus, non dissimilis est à gignente substantiâ. Non potest ergo ad eum ex quo est [d] exæquari. Nam quamvis alter in altero per uniformem ac similem ejusdem naturæ gloriam maneat; tamen [e] & ex quo genitus est, non exæquari in eo videtur posse quòd genuit.

Johan. 16. 15. *Johan. 5. 26.* *Johan. 10. 30.* ** Contra hos totus est liber 8. de Trin.* *Johan. 14. 11.* *Johan. 14. 28.* *Johan. 5. 19.*

Patris immensitas.

18. Et videamus an hoc quòd [f] *non potero ad eam*, ad dignitatem paternæ confessionis relatum sit. Sequitur enim: *Quò ibo ab spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* * *Si adscendero in cælum, tu illic es; si descendero ad infernum, ades:* * *si sumsero pennas meas ante lucem, & habitavero in postremis maris.* * *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Non excedit paternam Filius infinitatem; neque naturam, quæ ultra locos omnes est, is qui in sinu est transgreditur. Sit licèt in cælo, sit in infernis, & ultra postrema maris evolet: adest tamen ille ubicumque qui ubique est: nec subterfugi potest intra quem omnia sunt, & qui in omnibus est.

ṽ. 7. *ṽ. 8.* *ṽ. 9.* *ṽ. 10.* *Johan. 1. 18.*

[a] Editi, *libro legis loquente*: corriguntur auctoritate mss.

[b] Quæ sequuntur, à præcedentibus malè antea puncto interposito separabantur; cùm ad Moysen referantur, qui quamvis ante visum rubi Dei religioni deditus à populo suo existimetur, negatur tamen antea familiarem Dei cognitionem adeptus.

[c] Subaudiendum hîc, *formatus est in*. Mutilata, ut mendosa, videtur lectio ms. Reg. in quo exstat, *quod enim formatur, in forma & ei paternæ naturæ & divinitatis est: ut referri possit à Patre, & formatus ab ipso sit.* Quòd autem ait Hilarius se nescire *an quòd formatus in forma servi est, referri possit ad Patrem*; intellige, proprio quodam modo. Non enim negat inseparabilia Filii & Patris opera, qui Filii opera Patris opera esse frequens inculcat. Proprius autem ille modus est, quòd nomine Spiritus-sancti in Virginem secundùm Angeli verbum superventuri ipsummet Filium intellexerit, qui corpus ex Virgine sibi formaverit atque coaptarit, ut copiosè ostensum est in Præfatione generali §. 1.

[d] Reg. ms. *non exæquari*: probè, si hæc sententia ad superiora non ad inferiora referretur.

[e] Particula *&* in ms. Reg. antiquo more expuncta est. Illius loco non displiceret *ei*. Mox in eodem ms. *ideo*, pro *in eo*. Hîc prædicatur Filius quà genitus, Patri quatenus genuit exæquari non posse.

[f] Malè apud Par. verbum *genuit* hîc immissum erat.

19. Et

Distinguendus triplex Christi status.

19. Et ne quid irreligiosè ad contumeliam indemutabilis atque impassibilis substantiæ opinemur ex eo quod dictum est, *Aut à facie tua quò fugiam?* ut videatur fugam ob passionis metum cogitasse: dictorum [a] ratio noscenda est, ut incolumi dignitate hæc necessariò commemorata esse intelligantur. Nemo autem eorum, qui in studiis doctrinæ cælestis demorantur, poterit ambigere Deum atque hominem Dominum nostrum Jesum Christum confiteri: & hominem quidem in tempore, Deum verò semper & ante hominem & post hominem: utrumque verò, Deum scilicet atque hominem, tunc tantùm cùm in homine fuit. Erat enim in forma Dei, & formam hominis accepit: & rursum in gloria Dei patris est, formâ videlicet servili in gloriam ejus cujus in forma antè manebat proficiente, corruptionis scilicet naturâ per profectum incorruptionis absorptâ.

Naturæ alterutri quid conveniat.

20. Cùm igitur psalmum hunc cœptum ex persona hominis quem assumsit meminerimus; diligenter contuendum est, ut intelligamus quid [b] divinitati ejus, quid homini sit aptandum: atque ita, ut sensum nostrum dictis magis applicemus, quàm per fallacis intelligentiæ opinionem sensui dicta subdamus [c]. Ait enim: *Quò ibo ab spiritu tuo, aut à facie tua quò fugiam?* Diversa significatio est spiritûs, atque faciei. Et à spiritu quidem *abibo*, à facie autem *fugiam*. Dehinc sequitur: *Si adscendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades*. Non eadem est adscensio in cælum, quæ & descensio in infernum. Tertium deinde est, *Si sumsero pennas meas ante lucem, & habitavero in postremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Jam non hominis hæc vox est, ut pennas sumat, ut suas sumat, ut trans Oceanum habitet, ut deducatur illuc manu Dei, ut teneatur dexterâ Dei: potioris istud naturæ est. Et quis hic sit qui confidenter hæc dicat, ipsa dictorum ratio monstrabit.

Ut Deus nusquam abest à spiritu Dei.

21. Ostendens igitur unigenitus Deus eam, quæ per se mirabilis facta est, & ad quam non potest, paternæ admirationis confessionem, utrumque in se tempus & naturam utramque significat, scilicet eam [d] qua & in spiritu, & in corpore manens docuit. Cùm enim ait, *Quò ibo ab spiritu tuo*; tempus illud quo & ipse spiritus in spiritu paternæ gloriæ ante assumtionem hominis mansit ostendit. Non enim [e] potest à spiritu quoquam abesse, qui spiritus est: quia nec hic falli potest, nec ille decipere. At cùm ait, *aut à facie tua quò fugiam*, assumtæ à se infirmitatis docuit ætatem: humana enim infirmitas faciei Dei non patitur occursum; quia dictum Moysi est, *Quis est homo qui videbit faciem meam, & vivet?* Quod non sustinemus, defugimus; quia infirmitatis humanæ est, occursum naturæ inconspicabilis fugere. Et fugit quidem quantum [f] ad impatientiam visionis. Sed quia, secundùm Prophetam, vultus Dei super facientes mala; naturæ quoque humanæ est, judicium Dei, quod significatur in vultu, fugere non posse. Non enim tamquam peccator qui peccati nescius est loquebatur, ut fugeret: sed paternam infinitatem extra omnia manentem cùm in spiritu antè docuisset; nunc quoque ex hominis persona, qui nusquam Deum fugere posset, ostendit.

Ut homo quì fugiat à facie Dei. Exod. 33. 20.

Psal. 33. 17.

22. Sequitur quoque [g] ratio dictorum, ut utrumque ex eo quòd & homo & Deus erat dixerit. *Si adscendero in cælum, tu illic es*: hoc divinitatis est proprium. Nemo enim adscendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Terreni enim corporis natura adscensionem hanc nisi in cælestem gloriam demutata non obtinet. *Si descendero in infernum, ades*: humanæ ista lex [h] necessitatis est, ut consepultis corporibus ad inferos animæ descendant. Quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit. Id autem, *Quò abibo*, aut *quò fugiam*, & *illic es*, & *ades*; ad significationem doctrinæ ejus quæ mirabilis ex eo facta est pertinet, per quam Deus omnia esse & in omnibus esse sit cognitus: ut licèt faciem Dei homo fugiat, quia non sustinet, licèt de supernis ad inferos mortis lege descendat; Deus tamen ubique sit semper & in omnibus.

Ut Deus adscendit in cælum. Johan. 3. 13.

Ut homo in infernum descendit.

23. Et quia per hæc superiora discretim ex utroque in quo erat naturæ genere prædicavit, Dei scilicet atque hominis; tertiò unitatem naturæ jam [i] in se proficientis ostendit, dicens, *Si sumsero pennas meas ante lucem, & habitavero in postremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Cùm sumsit pennas, jam corpore non gravatur. Cùm suas sumsit, docet hanc evolandi semper sibi fuisse virtutem. Cùm ante lucem sumsit, tem-

Quæ statum Christi gloriosum spectent.

V. Tract. Psal. 54. n. 7.

[a] Apud Par. deest *ratio*, cujus loco in aliis editis exstat *virtus*. Deinde triplici Christi statu constituto, *ante hominem*, id est, ante quàm carnem susciperet; *in homine*, ab eo videl. tempore quo carnem suscepit; & *post hominem*, seu post quàm carnem infirmam morte exutus, gloriosam & infirmitatis expertem per resurrectionem recepit; potest illud movere, quod dicitur *Deum & hominem tunc tantùm* eum fuisse, *cùm in homine fuit*: quasi etiam post resurrectionem non fuerit Deus & homo. At hoc dumtaxat sibi vult Hilarius, Christum tunc tantùm Deum simul & hominem fuisse, cùm virtutem divinitatis simul cum infirmitate nostra sociatam habuit, quàm diu scilicet hominem infirmæ naturæ suæ dereliquit. De hac re fusè in Præfatione §. 5. Videsis similem locum lib. 9. de Trin. n. 6.

[b] Reg. ms. *dignitati*: favet quod proximè dictum est, *ratio noscenda est, ut incolumi dignitate* &c.

[c] secundùm regulam lib. 1. de Trin. n. 18. traditam: *Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam exspectet ex dictis potiùs quàm imponat, & retulerit magis quàm attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumserit intelligendum.*

[d] In ms. Mic. *quo*, posset referri ad *tempus*, nisi propius esset vocabulum *natura*. Christus scientiam docuit *in spiritu*, cùm ante assumtum hominem Patriarchis visus est, & locutus est in Prophetis: docuit & *in corpore*, per assumtum hominem ipse prædicando.

[e] Ita mss. Editi verò, *poterat spiritu*; & mox, *nec ille deficere*, pro *nec ille decipere*.

[f] Particula *ad* abest à ms. Reg. in quo verbum sequens, litteris fugientibus, non licuit legere. Non displiceret, *impatiens visionis*, hoc est, visionem sustinere non valens.

[g] Miciacensis ms. *narratio*. Regius, *paratio*. Fortè, *par ratio*.

[h] Legis hujus meminit Tertullianus de Anima n. 55. ubi ait, *Quòd si Christus Deus, quia & homo, mortuus secundùm Scripturas, & sepultus secus easdem, huic quoque legi satisfecit, formâ humanæ mortis apud inferos functus* &c.

[i] Apud Par. exciderat particula *in*. Illud *in se*, id est, in Deum. Hîc attingitur tertius Christi status, quo per resurrectionem, ut alibi loquitur Hilarius, fit totus Deus, non abolitâ hominis naturâ, sed ad unitatem & consortium gloriæ Dei assumtâ.

pus resurrectionis ostendit. Cùm in postremis maris est, loca ut Deus humanæ demorationis excedit. Cùm deducitur manu, non timet. Cùm tenetur dexterâ Dei, non mutatur aut decidit. Donavit enim illi Deus nomen quod est super omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur cælestium & terrestrium & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris. In eo enim quòd datur ei nomen super omne nomen, manu ac potestate Dei patris in gloria ipsius homo susceptus assumitur.

Philip. 2. 9. &c.

Pennæ significant vim evolandi ad cælum post resurrectionem.

24. Pennas autem ad demutationem terrenorum corporum in spiritalem [a] atque æternam naturam referri, prophetica auctoritas est, cùm ad inopem fidei & bonorum operum pauperem dicitur, Ne extendas te cùm sis pauper diviti, sensu autem tuo abstine: præparavit enim sibi pennas ut aquila, & revertetur in domum ejus qui præest ei. Pauperem extendentem se [b] in spes divitis arguit, quòd infidelitatis suæ inopiam fidelium exæquet opulentiæ. Dives enim non humanis opibus, sed cælestibus thesauris, parat sibi pennas, quibus revertatur in domum ejus qui præest ei. Revertetur enim unde decidit, unde in peccato primi hominis expulsus est. Et quis est iste cujus hæc domus est, & qui ei præest? Nempe ille qui dixit, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Meminit & alibi dicens, cùm de spiritalium indefessa jam æternitate tractaret, Pennigerabunt tamquam aquilæ; naturam evolandi in cælum in resurrectionis demutatione sumturi. Sed hic pennas sumit volaturus, non alienas, non novas, sed proprietatis usurpatione præsumtas: quia post passionis voluntariæ sacramentum, & naturæ & potestatis pennas ad cælum se habuerit efferendi.

Prov. 23. 5. *Luc. 23. 43.* *Esa. 40. 31.*

Hîc non Christi trepidatio, sed trepidationis opinio indicatur.

℣. 11. 25. Sequitur etiam idem ordo dictorum, & ex utriusque naturæ intelligentia, hominis scilicet & Dei, sermo decurrit. Ait enim, *Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me.* Vox ista [c] hominis esse existimatur, quia videtur quibusdam aut irreligiosis aut imperitis sub illa passionis timiditate trepidare: quasi verò nunc sermo iste timoris alicujus habeat professionem, & non magis susceptæ mortis significaverit voluntatem, nullo ejus metu ac terrore prælato. Non enim ait, Tenebræ conculcabunt me: sed ait, *Forsitan tenebræ conculcabunt me.* Quòd *fortuitu* adjecit; incertum humanæ de se opinionis, qua timere inferos creditus est, irrisit errorem. Nemo enim conculcari se certus, idem rursum an conculcetur incertus est.

26. Ut autem hoc quòd ait, *Forsitan tenebræ conculcabunt me*, non ad naturæ suæ trepidationem posset intelligi, sed impiæ de se intelligentiæ significaret incertum; continuò subjecit, *Et nox illuminatio in deliciis meis.* Quomodo enim conculcatur à tenebris, cui [d] mors illuminatio in deliciis sit futura? Domino itaque passio ista deliciæ sunt: dum portas æreas confringit, dum vectes ferreos conterit, dum omnem potestatem despoliat, dum de his in se triumphat, dum eum quem ad imaginem suam fecerat redimit, dum deliciis paradisi restituit. In his igitur passionis oblectamentis atque deliciis nox ei illuminatio est: & illuminatio ob id, *quia tenebræ non obscurabuntur à te.* Per id, naturæ unitatem * ad indemutabilem divinitatis similitudinem in Filio Pater est: &, operibus ipsis testantibus quòd in eo Pater sit, confidenter ait, *Non obscurabuntur à te*: quia ex persona Patris dictum in psalmis meminerimus, Cum ipso sum in tribulatione. Et ipse Dominus in Evangeliis, cùm de Apostolorum trepidatione loqueretur, ait, Ecce venit hora, ut dispergatur unusquisque vestrûm, & me solum relinquatis: sed non sum solus, quoniam Pater mecum est. Sive virtute, qua similia patri potest; sive naturâ & genere & divinitate, qua ex Deo Deus natus est, Pater secum est. Confidenter ergo ait, *Quia tenebræ non obscurabuntur à te.* Non enim sentit virtus indemutabilis tenebras, & infernam noctem lux vera non patitur. Sequitur enim: *Et nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Hoc totum ad id refertur quod dictum est, *Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur* à te, & *sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus* à te. Semel dictum *à te*, refertur ad plurima. Ideo autem in deliciis nox est, quia *sicut dies illuminabitur.* Illuminabitur autem ob id, quia ut tenebræ, ita & lumen à Deo sint, potente tenebrarum conditore condere lumen in tenebris. Et audiamus istud Evangelistam docentem ita: Et lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt: illo potente ut lux sit in tenebris, tenebris non potentibus obscuritatis suæ nocte lumen indefessi luminis comprehendere.

[d] Passio cur ei in deliciis.

℣. 12. * f. ac. Pater unà cum Filio & virtute & naturâ.

Ps. 90. 15. *Johan. 16. 32.*

Tenebræ in neutrum cadunt.

Johan. 1. 5.

℣. 13. 27. Sequitur deinde: *Quia tu Domine possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ.* ℣. 14. * *Confitebor tibi, quia terribiliter mirificatus sum.* Tenet etiam nunc ordinem significationis utriusque, ut se & hominem & Deum doceat.

Ut utraque Christi natura prædicetur.

[a] Editi, *atque ætheream naturam*: emendantur ex mss. Mic. Frequens Hilarius his Tractatibus naturam corporum *æternam* vocat post resurrectionis demutationem, nusquam *æthetream*. Si quando *cælestem*, hoc illi nomen donat, quia cælum ipsius regio, non quia de cælesti quadam materia constituta sit. *Neque enim*, inquit in Psal. 55. n. 12. *resurrecturis omnibus ab exteriore materia corpus acquiritur* &c. & in Psal. 2. n. 41. *Confracta* corpora Dominus *reparabit, non ex alia aliqua, sed ex veteri atque ipsa originis suæ materie* &c. Hæc obiter notanda fuere, ne quis hunc locum frustra à nobis emendatum suspicetur, Hilariumque existimet cum Origene in resurrectionis doctrina consensisse: à quo etiam longiùs recedit in Psal. 67. n. 35. cùm corporibus reparatis *formam soliditatemque membrorum* attribuit.

[b] Bad. Er. & Lips. *in opes*: quod prima editione Par. ex ms. Mic. bene mutatum, in postremam malè revocatum est. Non enim arguitur pauper, quòd in divitis opes tendat, seu quòd virtutum thesauros sibi paret; sed quòd carens illis opibus, quibus solis in spem bonorum supernorum provehimur, in ea tamen se extendat. Qui substituerunt *in opes*, Vulgatam imitari voluerunt, quam Hilarius non sequitur.

[c] Sic ms. Mic. Editi verò, *humana*. Siquidem hæc vox negatur esse hominis, ubi deinde negatur trepidatio convenire Christo, ei quà Deo, non quà homini negetur necesse est. Neque diutiùs inquirendum, cur dissimulans quid ei ut homini conveniat, in id unum festinet, quo naturam quamdam in Christo ab infirmitate trepidationis alienam esse demonstret: id enim pro illo tempore utilius atque salubrius fuisse prudens quisque facilè judicat.

[d] Lipsio magis placuit *nox*: renitentibus Bad. Er. & mss. Ut numero superiore tenebrarum vocabulo, ita hîc noctis nomine mortem intelligendam innuit Hilarius.

Cùm enim possidentur à Deo renes ejus, & à matris utero suscipitur; corporalis in eo conditio monstratur. In renibus enim voluptatis est causa. Sed cujus renes à Deo possidentur, non exeunt in voluptates corporis [a] incentiva lasciviæ. Et qui ab utero matris suscipitur, non ad opera sæculi à Deo susceptus excedit. Omnis igitur ejus voluntas ac labor est Patrem prædicare, voluntatem Patris explere, acceptum à Patre calicem bibere. Hæc enim hominis sui quem assumsit officia sunt. Sed cùm ait, *Confitebor tibi, quia terribiliter mirificatus sum*; confessionem omnem terribilis de se admirationis ad gloriam divinæ substantiæ suæ reddit. Mirificatus est enim ob id, quia Deus possedit renes ejus, quia à matris utero susceptus est. Per id enim, quòd voluntas ejus & operatio Deo dedita fuit, mirificari terribiliter promeruit. Mirificatus autem terribiliter est, dum [b] horis crucis tenebræ sunt, dum tremit terra, dum saxa rumpuntur, dum patent sepulcra, dum mortui resurgunt, dum in eodem corpore ipse conspicitur, dum clausis januis soli sibi penetrabili aditu assistit, dum ad cælos elevatur, dum Apostoli gentium linguis loquuntur, dum umbræ eorum morbis medentur, dum claudis nummum poscentibus cursus donatur, dum eleemosynis inopum mortuus [c] redditur, dum persecutores fiunt prædicatores, dum dissolutis catenis cantatur in carcere, dum in martyrio à Martyre videtur in cælis: dum postremò in eo quo elevatus est corpore à dextris Dei sedet, cujus in gloria & manebat & permanet.

Christi hominis officium. — *Unde terribiliter mirificatus.*

28. Omnem autem eam, qua terribiliter mirificatus est, dignitatem ad opus ejus refert, cujus & paruit voluntati, dicens, *Mira opera tua, & anima mea novit valde.* Quòd enim, inquit, *terribiliter mirificatus sum*, opus tuum est. Eadem autem & in Evangeliis ratio servata est, ut cùm ad demonstrationem virtutis suæ dixerit, Quæcumque Pater facit, eadem & Filius facit similiter; & rursum, Sicut Pater vivificat mortuos, sic & Filius quos vult vivificat: tamen dignitatem operum omnium Patri deferens, cùm dicat, Non potest facere Filius ab se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; contestatam de se potestatem, per reverentiæ honorem, ei cui omnia meminerat confitenda subjecit; non sibi adimens quòd similia Patri posset, sed eum per quem similia posset ostendens. Hæc igitur, quibus terribiliter mirificatus est, licèt quia potuit virtutis suæ fuerint; tamen Patris operibus universa ea detulit, dicens, *Mira opera tua, & anima mea novit valde.* Humanæ infirmitatis vox ista non est, ut mira opera Dei valde se nosse jactet. Soli hoc competit, qui ait, Nemo novit Patrem nisi Filius. Novit enim, non utcumque, non leviter: novit autem *valde*, per eam fiduciam qua dicit, Pater in me, & ego in Patre. In eo enim quod ait *valde*, perfectam scientiam [d] intimæ cognitionis ostendit.

Filius Patri, licèt non impar virtute, omnia sua defert. — *Johan. 5. 19.* — *Ibid. 21. 45.* — *V. lib. de Synod. n. 54.* — *Ibid. 19.* — *Matth. 11. 27.* — *Johan. 10. 38.*

29. Et quia omnia mira opera Dei valde anima ipsius novit; eruditionem doctrinæ in nos suæ memorat, [e] qua nobis paternæ operationis jam non sint occultata mysteria, dicens, *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto.* Os Christi Ecclesiam esse, & prophetica & apostolica auctoritas est. Nam cùm, secundùm ea quæ in Genesi dicta sunt, de Adam atque Eva Apostolus tractaret, ita ait; Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: ad expositionem dicti hujus adjecit, dicens [f], Hoc mysterium magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Quòd autem per misericordiam Dei patris Ecclesiæ hæc occultata non fuerint, ipse Dominus in Evangelio testatus est, cùm ait, Confitebor tibi, pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis: ita Pater, quia sic fuit placitum ante te. Ab eo igitur nobis non occultantur, quæ facta sunt in occulto. Nobis quidem non occultata sunt, sed sæculi hujus prudentibus facta sunt in occulto.

℣. 15. — *Os Christi Ecclesia.* — *Gen. 2. 23.* — *Ephes. 5. 32.* — *Ecclesiæ revelata sunt mysteria.* — *Matth. 11. 25. & 26.*

30. Quòd autem omnia ecclesiasticæ spei sacramenta in occulto fuerint, testatur & Apostolus, dicens, Prout potestis intelligere intellectum [g] meum in sacramento Christi, quod aliis temporibus non est cognitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis ejus Apostolis & Prophetis in Spiritu, esse gentes coheredes & concorporales & comparticipes pollicitationis ejus in Christo. Et iterum: Secundùm dispensationem Dei, quæ data est mihi ad vos, ad implendum verbum Dei, sacramentum quod absconditum fuit ante sæcula & à generationibus, nunc manifestatum est sanctis ejus, quibus voluit ostendere divitias gloriæ sacramenti Dei inter gentes, quòd est Christus in vobis spes gloriæ. Occultum itaque mysterium fuit, quod revelatum est, esse Deo gentes coheredes & concorporales & comparticipes pollicitationis ejus in Christo. Occultum etiam mysterium est, quibus voluit ostendere divitias gloriæ sacramenti Dei inter gentes, quòd est Christus in vobis spes gloriæ.

Priùs in occulto erant. — *Ephes. 3. 4.* — *Coloss. 1. 25. &c.*

31. Occultum igitur hoc mysterium fuit, quòd esset Christus in nobis: hoc Pater revelavit. Petro enim dictum est, Non caro, non sanguis revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Revelatum autem est, Christum esse in nobis, in pauperibus spiritu, in tribulatis corde, in humilibus terræ, in purgamentis mundi, in Ecclesiæ infimis. Infimum enim Ecclesiæ, id est, omni humilitate summissum,

Pater ea revelavit infimis terræ. — *Matth. 16. 17.*

[a] Reponimus *incentiva*, loco *incentivæ*, cùm *incentivus* apud Hilarium nusquam legere sit, qui *incentiva* frequens, quoties nimirum de voluptatibus corporis incidit sermo, commemorat.

[b] In vulgatis *hora crucis*. Concinniùs in ms. *horis*, nimirum à sexta ad nonam Marci 15. 33.

[c] Magis placeret *mortua*, scilicet Tabytha, quæ defuncta viduarum ac pauperum, quibus opem impendebat, lacrymis reddita est Act. 9. 36.

[d] Prima editio Par. ex ms. Mic. *intimæ cogitationis*.

[e] Editi, *quia nobis*: emendantur ex ms. Mic.

[f] Miciacensis codex, *dicens in Ecclesia*.

[g] In vulgatis deerat *meum*: quod postulante sacro textu ex ms. supplemus.

Hoc ergo occultum mysterium revelatum est, quòd est Christus in nobis. Non per Apostolum hæc tantùm Dominus, sed etiam in hoc eodem psalmo ita loquitur, dicens, *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ.* Non in inferno, sicut superiùs cùm de passione tractabat, sed *in inferioribus terræ*, cùm de revelatis à Patre quæ in occulto fuerant prædicabat. Occultum autem fuerat, quòd est Christus in nobis, id est; *substantia mea in inferioribus terræ*; in inferioribus scilicet omnium humilitatis officiis.

℣. 16. 32. Procedit deinde secundùm profectum evangelicum sermo psalmi, cùm ait, *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: die replebuntur, & nemo in his.*

Imperfectum secundùm vim græci sermonis.

Atque ut omnia secundùm doctrinam cælestem intelligere possimus, id quod difficultatem affert absolvendum est. Quod enim latini translatores *imperfectum* interpretati sunt, id in græcis libris ἀκατέργαστον scribitur. Nec querimur de translatoribus: vereor enim ne non aliter significari ab his potuerit. Id autem, quod græcè est ἀκατέργαστον, significat id quod sine * operatione maneat: ut sit id ipsum, cùm factum tamen non sit. *Imperfectum* autem nobiscum id demonstrat, quod cœptum, nec consummatum sit. Sed si interiùs verbi hujus virtutem pertractemus, potest non [a] sanè à græcitatis proprietate esse diversum. Deo autem soli proprium potest esse, ut sit, & infectus sit: quia quod est, non est necessitatis ut fiat; quod autem fit, non est ante quàm fiat. Sed qui æternus est, manet, neque factus est. Hoc ergo imperfectum, &, ut ad intelligentiæ profectum dicere audeamus, inoperatum Dei oculi ejus viderunt.

* passivè.

Soli Deo convenit.

33. *Imperfectum* enim *tuum viderunt oculi mei.* Sed qui tandem oculi? Numquid * spiritales illi, quibus Deum patrem solus Unigenitus videt? Sed isti non egent his quæ sequuntur: *Et in libro*, inquit, *tuo omnes scribentur, die replebuntur, & nemo in his.* Profectum indemutabilis illa unigeniti Dei natura non expetit. Et qui tandem ei erit profectus, ut omnes oculi ejus in libro scribantur, & die repleantur, ut in his nemo sit? Hoc totum contumeliosum & impudens est opinari.

* divini.

34. Sed quemadmodum ossi ejus, in quo Ecclesiæ corpus ostenditur, quæ occulta erant non occultata sunt; ita oculi ejus hoc quod imperfectum Dei est viderunt. Os autem ad Ecclesiam referri, quæ corpus est Christi, superiùs admonuimus. In corpore verò [b] oculos principalis esse officii ac virtutis, nemini dubium est. Et quia oculi potiores ceteris membris sunt, in his Apostolos significari non ambigendum est: per quos lumen Ecclesiæ [c] & operationis divina mysteria præbentur. Quod Dominus manifestè in Evangeliis ostendit. Namque cùm Apostolos sal terræ, lumen mundi, & lucernam domûs in candelabro ob egregia & conspicabilia (ad comparationis exemplum) fidei suæ opera nuncupasset; rursum vocans eos à terrenis & corruptibilibus thesauris & à sæculi lucris, esse oculos corporis dixit ita; Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex est, totum corpus tuum erit lucidum: si autem oculus tuus nequam est, « totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo « lumen quod in te est tenebræ sunt, tenebræ « ipsæ quantæ erunt? Extra corporalem intelligentiam locus iste est; & idcirco spiritaliter intelligendus est. Apostoli itaque, qui Ecclesiæ, id est, Christi corporis oculi sunt, lucidi & simplices jubentur esse, corpore toto lucido his simplicibus mansuro: si autem nequam fuerint, toto corpore necessariò tenebroso futuro; nullâ scilicet tenebris spe luminis residuâ, si lumen ipsum in tenebris sit. Ex quo, ingenti periculo, sacerdotes qui Ecclesiæ oculi sunt, negotiis sæculi, curis pecuniæ, & familiarium rerum incrementis, & conviviorum luxibus occupantur. Ecclesiæ enim lumen sunt, id est, corporis oculi. Et si lumen ipsum avaritiæ & lasciviæ nocte tenebrescat; corpori, id est, [d] Ecclesiæ cui per naturam suam tenebræ sunt, quantæ insuper tenebræ de exemplo tenebrosi luminis invehentur? Hi ergo oculi ejus imperfectum Dei viderunt. Imperfectum autem Dei diximus, quod factum non sit, & maneat: in quo æternitas infectæ divinitatis ostenditur.

Oculi corporis Christi, Apostoli & sacerdotes.

Matth. 6. 22. & 23.

Contra sacerdotes qui negotiis sæculi occupantur.

35. Sed audax fortè est, [e] ut initiabilem illam Dei patris æternitatem visam ab Apostolis asseramus; maximè cùm dictum sit, Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris. Sed nihil nostrum dicimus, nihil audax prædicamus: dicat ille qui dixit, Qui me vidit, vidit & Patrem: non ipsum se patrem esse significans. Non enim roganti Philippo ut sibi Patrem ostenderet, respondit, Ego Pater sum: sed ait, Qui vidit me, vidit & Patrem. Per indifferentis naturæ virtutem eum, de quo quærebatur, Patrem conspici & in sese [f] esse respondit: & id adhuc absolutiùs subjecit, Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem? Non credis mihi, quoniam ego in Patre & Pater in me est? Verba, quæ ego « loquor vobis, non à me loquor: sed Pater, qui « in me manet, ipse facit opera sua. Credite « mihi, quoniam ego in Patre & Pater in me. « Sin autem, vel propter opera credite. Arguit « non intelligentem, & adhuc de Patre quærentem, & per operum efficientiam virtutem Patris in Unigenito non contuentem. Manet enim * Pater. Est namque genitus ex eo, non est in eo novæ creationis aliena natura. Virtute filius est, divinitate filius est, substantiâ

Apostoli Patrem viderunt in Filio.

Johan. 1. 18.

Johan. 14. 9.

Johan. 14. 9. &c.

* addendum hic, in eo.

[a] Ms. Mic. *non satis græcitatis proprietate.*

[b] Prima editio Par. cum ms. Mic. *oculis.* Antiquiores, *oculum.* Malumus *oculos* cum postrema.

[c] Ms. Mic. *ad operationis.* Fortè *ac operationis divina ministeria.*

[d] *Ecclesiæ* vocabulo hîc corpus intelligitur ut secretum à capite, ac præsertim ab oculis. Ac sicut in corpore nostro per naturam solis oculis lumen inest, ceteris verò membris tenebræ; ita & in Ecclesia: quæ aliàs cum capite & membris spectata per naturam suam non tenebrosa, sed valde luminosa dicenda est.

[e] Editi, *ut initialem illam*: emendantur ex ms.

[f] Adjecimus *esse* ms. auctoritate.

Non per naturæ, sed per operum contemplationem.

filius est, generatione filius est. Opera testantur, potestates loquuntur, per naturæ progeniem in Filio Patrem esse, & per legitimæ originis substantiam Filium in Patre esse. Non dissentit hæc [a] ab Ingenito nata generositas: unum ambo sunt. Pater videtur in Filio: & videtur non per invisibilis nobis naturæ contemplationem, sed per operum admirationem. Filii enim opera, opera Patris sunt, non imbecillo ad efficienda ea Filio, [b] neque diverso virtute naturæ: sed id Filio efficiente, quidquid is à quo ipse est genitus efficiat. Atque ideo per id, quòd in majestate operum Filius contemplabilis est, Pater quoque videtur in Filio.

Liber Dei memoria æterna.

36. His ergo oculis, qui æternitatem in Filio paternæ virtutis contuentur, id est, Apostolis id precatur, ut in Dei libro scribantur, maneant scilicet in memoriam æternam, pro quibus tali prece in Evangeliis oravit: Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de sæculo: tui erant, & mihi eos dedisti, & verbum tuum servaverunt. Nunc cognoverunt quoniam omnia, quæ dedisti mihi, dedi eis; & ipsi acceperunt, & scierunt verè quoniam à te prodii, & crediderunt quia tu me misisti. Ego pro his rogo; non pro sæculo rogo, sed pro his quos dedisti mihi. Pro his ergo orat ut in libro Dei scribantur. Et si qui fortè ambigant, cur non in libro viventium scripti sunt: mihi majoris dignitatis videtur esse in libro Dei scribi; quia peccatores de libro viventium delentur, justi autem in libro Dei scribuntur. Quod utrumque sub his dictis significatur: Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur. Pro resurrectionis enim diversitate, quia stella ab stella differt in gloria, plures in libro viventium erunt. Justi autem in libro Dei scribentur: quia peccatores non modò cum justis non scribentur: sed ne in libro quidem viventium relinquentur.

Johan. 17. 6. &c. — In libro Dei præstat scribi, quàm in libro viventium. — V. Tract. Psal. 68. n. 24. — Ps. 68. 29. — 1. Cor. 15. 41.

Scriptis in libro Dei dies perpetua sine nocte.

37. Sed contuendum est, qui profectus eorum sit, qui in libro Dei scribentur. Nempe isti *die replebuntur, & nemo in his.* In quibusdam codicibus ita legimus: *Die* [c] *formabuntur.* Nec multùm differt repleri & formari. Formamur enim, ut conformes simus gloriæ corporis Dei. Et Apostoli dictum est: Filioli, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Replemur autem secundùm dictum Prophetæ: Replebimur ab ubertate domus tuæ. *Die* itaque *replebuntur*, id est, vero lumine: (lux enim Christus est. Erat enim lux vera, quæ lucificat omnem hominem venientem in hunc mundum.) non jam ignorantiæ nocte detenti, neque tenebris hujus sæculi cæci, sed veritatis luce illuminati & die repleti. Quod autem repletum est, nihil præter id ex quo plenum est recipit. Nox enim in eum qui die repletus est non penetrat, secundùm illud Apostoli; Quæ enim participatio est luci ad tenebras? Neque sedem Spiritûs Christi adit spiritus mundi, ut scriptum est: Vos enim non spiritum hujus mundi accepistis, sed Spiritum qui à Deo est. Neque qui mundo mortuus est, vivit sibi, sicut Apostolus docet: Vivo enim jam non ego, vivit autem in me Christus. Qui die repletus est, diem tantùm in se habet: & ideo ait, *Die replebuntur, & nemo in his.* Nemo in his erit præter diem, quo repleti sunt: non pecuniæ æstus, non voluptatum stimulus, non ambitionis ardor, non odiorum malignitas, non invidiæ aculeus, non conviciorum furor, non superbiæ amentia, non cetera quæ diaboli sunt arma atque virtutes: sed lux vera, sed dies sola qua repleti sunt; ceterarum quoque jam rerum effecti sunt incapaces. Et dignum planè hi, qui sola die pleni sunt, testimonium sumunt.

Gal. 4. 19. — Psal. 64. 5. — Johan. 1. 9. — 2. Cor. 6. 14. — 1. Cor. 2. 12. — Gal. 2. 20.

38. Sequitur enim: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis* [d] *confortati sunt principatus eorum. * Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* Quid cum his dictis homini commune, ut eos qui super arenam multiplicabuntur dinumeret? Ei tantùm istud competit, cui sine recensione & calculo innumerabilis numeri cognitio est. Amici autem ejus nimis honorificati sunt. *Nimis* cùm dicitur, non secundùm latinitatis consuetudinem intelligendum est. *Nimis* enim nobiscum id significare solet, quod necessarium modum inutiliter excedat. Sed Græci id, quod nostri *nimis* transtulerunt, λίαν interpretati sunt: in quo magis *valde* quàm *nimis* continetur. Valde ergo honorificati amici ejus sunt. Et amicum quidem Abraham Deo fuisse cognoscimus. Amicum & Moysen Lex esse Deo locuta est. Evangelia verò plures jam Deo amicos esse significant, Domino dicente, Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid velit dominus ejus: sed vos dico amicos, quoniam perstitistis mecum in omnibus tentationibus. Hos igitur, quos nunc amicos nuncupat, ut superiùs ostendimus, & à Patre sibi datos, & Patris esse confessus est; &, secundùm id quod ait, Et mea omnia tua sunt, & tua mea, amicos Patris esse eos dicit. Non solùm autem ipsi honorificati sunt, sed etiam principatus eorum confortati sunt. Ipsi quidem honorificantur, cùm amici sunt, cùm die pleni sunt, cùm in his nemo est. Sed principatus eorum confortantur, Ecclesiæ scilicet ab ipsis cœptæ, ab his principia sumentes: quæ super terram toto in orbe fundatæ fortibus principiis constiterint.

ℽ. 17. — ℽ. 18. — Nimis, id est, valde. — Amici Dei Abraham & Moyses. — Johan. 15. 15. — propriè Christi discipuli. — Johan. 17. 10. — Principatus eorum.

Electorum numerus certus.

39. Et ut ad Ecclesiæ populos referri istud necessariò intelligeretur, adjecit, *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* Numquid numerus eorum incertus est, qui in libro Dei scribuntur? Ergo nulla est difficultas in numero,

[a] In vulgatis, *ab unigenito*: grave mendum, quod corrigitur ope ms.

[b] Editi, *neque diversa virtute.* Rectiùs ms. *diverso*, nempe Filio.

[c] Ita secundùm LXX. interpretes legendum innuit auctor Commentarii in Psal. apud Hieronymum. Apud Augustinum autem exstat *per diem errabunt.* In græcis exemplaribus modò habetur ἡμέρας πλανηθήσονται, cujus verbi loco Hilarii interpres legerit necesse est πλησθήσονται. Quem verò secutus est Augustinus, πλανηθήσονται à πλάνομαι duxit.

[d] In vulgatis, *confortatus est.* At in ms. ut & apud Augustinum, *confortati sunt*, quod respondet græco & expositioni mox subjectæ. Vetera Psalteria Carnut. & German. *confirmati sunt.*

Illud *super arenam* quidam ad Angeles referunt. *Gen.* 22. 17.

quorum veritas maneat in scripto. Sed aliqui A id quod dictum est, *Super arenam multiplicabuntur*, non ad homines tantùm referendum existimaverunt, quia Abrahæ dictum esset, Et erit semen tuum sicut arena maris est : ad id quòd super arenam multiplicabuntur, amicis Dei multitudo angelicæ numerositatis accedat. Non enim aliter sibi convenire sicut arena maris & super arenam maris putaverunt, nisi hominum multitudini connumeraretur copia Angelorum. Sed nos uniuscujusque sensui non contraimus. Quid autem secundùm donum spiritalis gratiæ senserimus, sine cujusquam contumelia tractabimus.

Gentes credituras innuit Judæos excessuras. a *Genes.* 13. 15. & 16.

40. Promissiones duas Abrahæ fuisse in Genesi accipimus. Unam [a] ante Ismahel generationem, Deo dicente, Quia omnem terram, quam tu vides, tibi dabo eam, & semini tuo in æternum, & faciam semen tuum tamquam " arenam maris. Si potest quis enumerare are- " nam maris, ita & semen tuum dinumerabitur. C Nato verò Isaac, & in holocaustum quantum ad Abraham spectat oblato, hæc sequens repromissio fuit: Nisi benedicens benedicam ti- " bi, & multiplicans multiplicabo semen tuum " sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est ad oram maris. Et si secundùm Apostolum hæc duo Testamenta sunt, unum secundùm Ismahelem in servitutem generans, aliud secundùm Isaac in libertatem matris nostræ Jerusalem quæ in cælis est educens; [b] duûm necesse est D seminum in stellis & in arenis numerositas prædicetur. Ergo amici Dei super arenam maris dinumerantur. Quis enim ambigat, secundùm Ecclesiam toto in orbe numerosam, multitudinem gentis Judææ copiâ in Christo credentium præveniri? Atque ideo super arenam multiplicabuntur : quia copiosiores his erunt, qui ex legis impio populo terreni & aridi significantur in arenis.

Gen. 22. 17. *Gal.* 4. 24.

Resurrectio Christi futura, prædicitur ut jam facta.

41. Dein sequitur : *Surrexi, & adhuc tecum* E *sum. Surrexi* ad resurrectionis gloriam spectat : sed secundùm præscientiam Dei id quod futurum est tamquam præteritum loquitur; quia Deo ob scientiam atque virtutem quæ futura sunt facta sunt, ut etiam nosmetipsi facta esse existimamus, quæ futura esse confidimus. Id autem, *Et adhuc tecum sum*, nondum temporis esse significat ut resurgat, quia nondum tempus sit passionis, cùm se adhuc esse cum Deo profiteatur. Ipse enim ait, A Deo exivi, & F veni. Adhuc ergo tecum sum : quia nondum temporis est, [c] ut à te veniam, & veniam in mundum; ut quæ prophetata sunt expleam.

Johan. 16. 28.

Quî occidat Christus ut vivificet.

42. Quod autem ait, *Si occidas Deus peccatorem :* numquid qui venit salvare quod perierat, & peccatorem redimere, peccatorem precatur occidi? Absit ut velit occidi. Sed peccator occiditur, cùm sæculo moritur, cùm Christo commoritur, ut vivat in Christo. Beatus Apostolus ait, Quotidie morior. Et rursum : Mortuus sum legi, ut vivam Christo. Morimur autem [d] ita, quando in nobis per fidem peremta peccata moriuntur. Audiamus adhuc quomodo Deus peccatores occidit, per id quod dicitur, Mortificate ergo membra vestra super terram, fornicationem, immunditiam, " libidinem, concupiscentiam & avaritiam. Sic " peccator occiditur, cùm generatio vitæ spiritalis vitiorum omnium & peccatorum morte renovatur.

1. Cor. 15. 31. *Gal.* 2. 19. *Coloss.* 3. 5.

Probatur magis contentiones, quàm dices.

43. Sequitur deinde : *Viri sanguinum declinate à me : quoniam dices in cogitatione, Accipient in vanitatem civitates suas.* Latina translatio, dum virtutem dicti ignorat, magnam intulit obscuritatem, non discernens ambigui sermonis proprietatem. Quod enim nobiscum scribitur, *Quoniam dices in cogitatione*, cum Græcis hoc modo est, ὅτι ἐρεῖς εἰς διαλογισμόν, & illud ἐρεῖς pronuntiatione [e] non distinguitur, ut aut *dicis* intelligatur, aut *contentio :* utrumque enim sub iisdem verbis significatur hoc dicto. Sed hi [f] qui hebraici sermonis scientiam consecuti sunt, non *dicis*, sed *contentiones* in eo quod ἐρεῖς translatum est prodiderunt. Et sanè id ita esse, ratio & intelligentia monstrabit.

Viri sanguinum, quorum doctrina adulans aut dolosa.

44. *Viri*, inquit, *sanguinum declinate à me.* Memini in Ezechiele dictum, Episcopos reos sanguinis futuros, quorum adulanti silentio plures in interitum incidissent, ita : Fili hominis speculatorem dedi te domûs Israel, & audies ex ore meo verbum, & comminaberis : & si non distinxisti neque locutus es, ut distin- " gueres iniquo, ut se averteret ab itineribus " suis, & viveret; iniquus ille in iniquitate sua " morietur, sed sanguinem ejus de manu tua " requiram. Et invenio alium sanguinarium, de quo dictum est, Virum sanguinum & dolosum abominabitur Deus. Ut igitur viri sanguinum sunt, quorum adulans doctrina est; ita & viri sanguinum sunt, quorum dolosa est doctrina.

Ezech. 3. 17. & 18. *Psal.* 5. 8.

Hæretici viri sanguinum.

45. Dolosa autem doctrina est hæreticorum, sub nomine Dei blasphema, sub prætextu religionis impia, sub veritatis specie fallax : quorum in animo & cogitatione solum contentionis studium persistit. Nihil ad salutem hominum laborant, nihil ad spem acquirunt, nihil pacificum cogitant : ut omnis his in contentionibus labor sit, & pugnam meditentur. Isti infelices animas exstinguunt, & in vanum ecclesias sibi congregant : quas civitates Dei, secundùm propheticam evangelicamque consuetudinem, nuncupari frequens & plurima auctoritas est. Hoc ergo significatur his dictis :

[a] Apud Bad. Er. & Lips. desiderabatur *ante.* Tum apud Par. malè positum est, *Ismael generationis.*

[b] Bad. & Er. *dum :* Lips. *tum :* emendantur ex Par. & ms. Mic.

[c] Hactenus obtinuerat, *ut ante veniam.* Abstinere non potuimus, quin restitueremus, *ut à te veniam :* cùm respiciat Hilarius illud, *à Deo exivi ;* ubi quia sequitur, *& veni*, subjicit etiam hîc cum quadam emphasi, *& veniam in mundum.*

[d] Pro *ita*, quod est, hoc genere mortis, substituerat Lipsius, *ait*, ac deinceps retentum fuit, absque ulla auctoritate.

[e] Iti priùs vulgatis deerat particula negans. Hanc ita evidenter postulat ratio dictorum, ut adjicere eam nobis licere putaverimus, maximè cùm hîc ut deinceps nobis non suppetat nisi ms. Miciacensis, quem Romæ servatum consulere nobis non facile est.

[f] Hieronymus ex hebræo vertit, *qui contradicent tibi sceleratè.* Græci plerique legunt, *qui contentiosi estis.* Cum his Psalterium Mediolan. exhibet, *qui contentiosi estis in cogitationibus.* Heracleotes apud Corderium ait alium legere, *quia litigiosi sunt ;* alium, *qui adversùs te dixerunt cogitationem ;* alium, *quoniam exacerbaverunt te in malo consilio.*

Viri sanguinum declinate à me, quia contentiones in cogitatione, accipient in vanum civitates suas. Viri sanguinum sunt, propter deperditarum animarum reatum: declinare jubentur, quia contentiones in cogitatione sunt. Hi in vanum civitates Dei accipiunt, infructuosarum ecclesiarum cœtus per schismatum dissidia reddentes.

46. Sed planè, quia pax & justitia & veritas est, affectum in eos suum ostendit, dicens,
℣. 21. *Nonne odientes te Domine odivi, & super inimi-*
℣. 22. *cos tuos tabescebam? * Perfecto odio oderam illos:*
Odium pium. *inimici facti sunt mihi.* Est religiosum odium,
quotiens in nobis odio est qui Deum odit. Ini-
Matth. 5. 44. micos quidem nostros amare præcipimur: sed
Luc. 14. 26. nostros, non & Dei. Nam, juxta Deum, &
patrem & matrem & conjugem & filios & fratres odisse, devotum est. Odit ergo odientes Deum, & inimicorum odio tabescit, & odit odio perfecto, & inimici sibi facti sunt. Non enim Filius diversus à Patre est, ut non alteri inimicus, utrique fiat inimicus.

* f. fiduciâ. 47. Concludit deinde libertatis suæ * fidu-
a ciam: simulque ut ea, quæ [a] per præscientiam tamquam gesta memoraverat, nunc ad demonstrationem temporis gerenda monstraret; di-
℣. 23. xit, *Proba me Deus, & scito cor meum; interroga*
℣. 24. *me, & scito semitas meas. * Et vide si via ini-*
Hæc Christi verba sunt. *quitatis in me est, & deduc me in viam æternam.* Humanæ naturæ fiducia ista non est, ut probari se velit, ut sciri cor suum postulet, ut cognosci semitas suas exspectet, ut inspici non metuat si via iniquitatis in se sit, ut per hanc cognitionem in æternam viam deducatur. Vox
Johan. 14. ista ejus tantùm potest esse, qui dixit, Ecce venit princeps hujus mundi, & non invenit in me quidquam. Solus enim extra peccatum est Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXXIX.

*ERIPE me Domine ab homine malo, à viro iniquo libera me. * Quia cogitaverunt malitiam in corde, tota die constituebant prœlia. Acuerunt linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum.* DIAPSALMA. *Custodi me Domine de manu peccatoris, * ab hominibus iniquis eripe me, qui cogitaverunt supplantare gressus meos. Absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt * muscipula pedibus meis: continuata semitis scandala posuerunt mihi.* DIAPSALMA. *Dixi Domino, Deus meus es tu: * exaudi Domine vocem orationis meæ. Domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum *. Non tradas me à desiderio meo peccatori: cogitaverunt *: non tradas me Domine, ne umquam exaltentur.* DIAPSALMA. *Caput circuitûs eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. Cadent super eos carbones ignis, & * dejiciet eos: in miseriis non subsistent. Vir linguosus non dirigetur super terram: virum injustum mala capient in * interitum. Cognovi * quoniam fecit Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum. Attamen justi confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum facie tua.*

* Infrà, qui cogit. malitias.
* & ab.
* in muscipulam.
* inaurire.
* Infrà additur in die belli.
* adversùm me. Tum ne tradas, sine *me*.
* dejicies.
* interitu.
* quia faciet.

TRACTATUS PSALMI.

1. COEPTUS est psalmus ex persona hominis inter multas infestationes inimicorum anxii, adversùs quem multæ insidiæ & doli plures sint: & convenire hæc omnia in personam hujus prophetæ David videntur, cujus vita infestata undique & plena semper periculis fuit. Saül eum in deserto, in urbibus, bello ac dolis sequebatur; persequente quoque filio ipsius Abessalon, & multa adversùs regnum vitamque ejus moliente & audente. Multis præterea aliis & domesticis & extraneis insidiis subjectus semper fuit. Sed nihil speciale ex his omnibus in psalmo continetur, ut propria personæ ejus oratio esse credatur. Generalis autem fortè & ex spiritu prophetiæ psalmus esse noscitur, unumquemque nostrûm per orationis exemplum, cùm in mediis infestantium in nos odiis jactemur, erudiens quali Deum prece oporteat deprecari.

David convenire potest psalmus.
Aut fidelium est oratio.

2. Sed contuenti mihi penitus quasdam virtutes proprietatesque verborum, quæ ultra humani sermonis consuetudinem altius nescio quid & sublimius eloquuntur, ejus potiùs hominis, in quo ex partu Virginis ad sacramentum humanæ salutis unigenitus Dei filius natus est, repertus est psalmus iste intelligi oportere. Secundùm enim eam quæ in se fuit generis utriusque naturam, Dei videlicet atque hominis, non modò in Evangeliis, sed etiam in Prophetis, ita coaptatis ad utrumque dictis locutus est, ut dum divinitatis suæ impassibilem atque indemutabilem virtutem docet, infirmitatem quoque naturæ corporeæ non taceret: rursumque, cùm ex susceptione carnis, infirmitatis in eo sermo esset, præconium quoque mox non infirmandæ ex aliquo divinitatis adsisteret. Quòd enim Deus est, naturæ suæ est: quòd autem homo fuit, naturæ nostræ assumtio est. Loquitur itaque in psalmo ex infirmitatis nostræ quam assumsit affectu: cùm traditorem suum novit, cùm consilia adver-

Christo magis convenit, non seclusis fidelibus.
V. lib. 9. de Trin. n. 5. & 6.
Alia ut homo, ut Deus alia loquitur.

[a] Postrema editio Par. cum Bad. Er. & Lips. *per præsentiam.* Ex prima, necnon ex mss. Mic. restituimus *per præscientiam*, hoc est, per certam gerendorum scientiam, *qua universa utique disponendo præsciit, & præsciendo disposuit*, ut loquitur Tertullianus lib. 2. contra Marcion. n. 5. ubi & de eadem præscientia dicit, *Tantos habet testes, quantos habet prophetas.*

sùs se inita prospicit, cùm quæstionum prœlia & obtrectationum venena perpetitur, cùm tentationum scandala & verborum laqueos vitat, cùm Patri confitetur, cùm ad eum orat, cùm ei omnis virtus ab eo est, cùm licèt ex infirmitate corporis anxius sit, non solum tamen se relinquendum in die passionis meminerit. Hæc igitur omnia ex persona ejus in psalmo contineri docemur: atque ita, ut in his, quæ naturæ humanæ societas permittit, personæ etiam nostræ ex aliquo intelligi possit oratio.

℣. 2. — Oratio fidelium peccati occasiones deprecantium.

3. Hoc enim quod ita cœptum est, *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo libera me*, ad communem quoque credentium omnium precem pertinet. Omnes enim insidiæ, quascumque nobis spiritales nequitiæ prætendunt, maximè per homines aptantur: & occasiones vitiis nostris alienæ naturæ perversitas subministrat. In lites nos iniquus exagitat, in anxietates adversantium & insidiantium nobis terror impellit. In libidinem facultas se in id præbentis loci invitat. * Oculus enim meretricis, laqueus peccatoris est. Oramus ergo in his malis positi, dicentes, *Eripe me Domine ex homine malo, à viro iniquo libera me.* Sed propria hæc esse oratio Domini ex consequenti docetur, cùm ait, *Qui cogitaverunt malitias in corde.* Cogitationes cordis nosse non nostrum est, sed ejus de quo dictum est, Scrutans corda & renes Deus: ejus quoque qui dixit sciens cogitationes eorum, Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Ille occultos omnes malignorum cordium sensus [a] penetrabili atque pervio aditu obeunte natura virtutis suæ contuetur.

*V. Tract. Ps. 123. n. 9. — ℣. 3. Christi corda scrutantis. Psal. 7. 10. Matth. 9. 4.

4. Sed qui eripi se de homine uno malo & iniquo deprecatus est, in quo significare traditorem suum existimatur, jam de plurimis mala in corde cogitantibus loquitur, dicens, *Qui cogitaverunt malitias in corde, tota die constituebant prœlia.* * *Acuerunt linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum.* Non omni & tota adversùm David die armis certatum est, neque semper instructa sunt prœlia. Adversùm autem Dominum, secundùm evangelicas [b] narrationes ejus, nullum tempus vacuum fuisse ab insectantium odiis invenimus. Paralyticum sanat: mox de eo ob illicitam, ut putabant, peccati indulgentiam venenato ore differitur. Aridam manum reformat: statim violatæ legis reatus adscribitur. Dæmoniacos curat: continuò per Beelzebub dæmoniorum principem hæc perficere arguitur. Nihil est, quod non ei plenum semper insidiis sit, quod non vipereæ linguæ veneno objectum sit. Nostra quoque omnium vita, maximéque eorum qui religioni student, quæ adversantium virtutum sustinet bella, atque obtrectationum venenata jacula suscipit? quo fraudulentæ blandiloquentiæ veneno appetitur? Et hæc omnia per homines, in quibus spiritales nequitiæ operantur, exsistunt. Scriptum est enim, Excitavit Dominus satanam Salomoni, Ader Idumæum. Et adversatus est Ader, non ut homo, sed ut satanas, Salomoni omnibus diebus vitæ ejus. Et Salomoni quidem, quia ita meruit, Ader in satanam à Deo est excitatus: sed per istiusmodi homines hæc multimoda infestantium in nos odia desæviunt, inimicæque virtutes horum ministerio grassantur.

Vir iniquus, proditor. — ℣. 4. Christi & piorum vita tota odiis impiorum exagitata. — Matth. 9. 3. Matth. 12. 10. Luc. 11. 15. — Mali dæmonum instrumenta. 3. Reg. 11. 14.

5. Intercessio autem diapsalmæ attulisse videtur aut personæ, aut sensûs demutationem. Fit autem repetitio orationis ejusdem: ita tamen, ut absolutiùs ea quæ in confusum antè adjecta sunt recenseantur; & quæ superiùs fuerat de verbis, nunc fit querela de factis. *Custodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me, qui cogitaverunt supplantare gressus meos.* Ab uno tantùm cœpta deprecatio refertur ad plures: ut significaret & in uno traditorem, & in pluribus populus nosceretur. Et uni quidem, & nunc & superiùs, malitiam & peccatum & iniquitatem exprobrat: in plurimis verò cogitatas supplantationes, absconsos laqueos, extensas funium captiones, & continuata semitis scandala arguit, dicens.

Suprà de verbis, nunc de factis querela est. — ℣. 5.

6. *Qui cogitaverunt supplantare gressus meos.* * *Absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt in muscipulam pedibus meis, continuata semitis scandala posuerunt mihi.* Cogitaverunt enim Synagogæ principes supplantare gressus ejus, cùm post depulsam necem Lazari de eo occidendo cogitant, cùm ob receptos oculos cæco illi à nativitate maledicunt, cùm taceri de eo decernunt, cùm mortem confessoribus ejus denuntiant. Egregium itaque divinarum operationum suarum gressum atque cursum istiusmodi rebus supplantare cogitaverunt. Absconderunt autem laqueos superbi: cùm Sadducæi fraudulentiam simulatæ de resurrectione interrogationis occultant, cùm responsionis laqueum captioso sermone prætendunt. *Superbi*: cùm admisceri peccatoribus dedignantur, cùm convivia publicanorum ei qui peccatorum est remissor exprobrant. Funes etiam extenderunt in muscipulam pedibus ejus: cùm tributum poscitur, cùm de dando Cæsari tributo interrogatur. Absconsus autem superiùs laqueus fuit, nunc autem funes in laqueum extensi sunt: ut validior hic interrogationis laqueus esse nosceretur in funibus, cùm per extensum interrogationis laqueum, captiosæ ab eo professionis responsio adversùs nomen Cæsaris quæreretur. [c] Continuantes autem semitæ scandala posuerunt ei: cùm de mandatis legis interrogaretur, cùm dives, legi utpote satisfaciens, quid sibi adhuc desit requirit, cùm apud eum de repudii conditione tractatur. Hæc enim interrogationum scandala [d] viæ suæ doctrinæque legis continuata statuerunt: ut sub specie ac earum familiaritate quæ in lege scriptæ sunt quæstionum, hæc ei ubique continuantium semitæ interrogationum & responsionum scandala ponerentur.

℣. 6. — Consilia de supplantando Christo. Johan. 12. 10. Johan. 9. 28. Ibid. 22. — Laquei ei absconsi. Matth. 22. 23. Ibid. 15. — Matth. 9. 11. Funes ei in muscipulam tensi. Matth. 22. 17. — Scandala semitis ejus. Luc. 18. 18.

[a] Antiquiores edit. *impenetrabiles atque invios aditus.*
[b] In ms. Mic. *operationes ejus*; lectio non spernenda.
[c] Prima editio Par. & ms. Mic. *continuantis.*
[d] Miciacensis ms. *viæ se doctrinæque legis continuanti.*

7. Nobis

Insidiæ nobis ubique paratæ.

7. Nobis autem meminimus vitæque nostræ ubique funes, ubique scandala, ubique laqueos occurrere: nihilque esse, ubi non prætentæ nobis semper insidiæ sint. Et difficile est nunc laqueo ventrem absolvere: quia confusio illis est, quorum Deus venter est. Rarum etiam est nunc à laqueo oculum liberare: quia qui ad concupiscentiam vidit, jam mœchatus in corde est. Arduum quoque est linguam laqueo eximere: de omni enim otioso verbo in die judicii erit ratio reddenda. Maximi etiam laboris est cor à laqueo referre: malæ enim cogitationes de corde exeunt. Hi omnibus nobis laquei ubique prætensi sunt: & orandus est Dominus, ut ab his omnibus laqueis fidei nostræ pennis & spiritûs evolemus.

Phil. 3. 19. Matth. 5. 28. Matth. 12. 36. Matth. 15. 19. Orandi necessitas.

8. Dehinc sequitur: *Dixi Domino*, *Deus meus es tu: inaurire Domine vocem orationis meæ.* * *Domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli.* * *Ne tradas Domine à desiderio meo peccatori: cogitaverunt adversùm me: non tradas me Domine, ne umquam exaltentur.* Et hîc intercedens diapsalma videtur aliquam demutationem attulisse: & non exiguam quidem. Namque cùm superiùs de cogitata supplantatione, de absconditis laqueis, de extensis muscipulis, de scandalis positis sermo omnis fuisset; nunc ad Deum refertur oratio, *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Non levis atque exiguæ fiduciæ est Domino dixisse, *Deus meus es tu.* Loqui istud mens libidinosa, avara, insolens, ebria fideliter non potest. Renuntiandum his omnibus, & à servitute eorum ac famulatu desinendum est, ut ab his desinentes dicere audeamus, *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Et hæc quidem personæ nostræ, quam in quantum fas est psalmo admiscemus, ita coaptata sunt.

℣. 7. ℣. 8. ℣. 9. Hîc mutatur oratio. Sanctorum est dicere, Deus meus es tu?

9. Sed & Domino quoque usitatum & frequens & proprium est, ut diximus, *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Numquam confessionis hujus honorem negavit, ut & Dominum confiteretur & Deum, dicens, Confitebor tibi, pater Domine cæli & terræ: & rursum, Ad Deum meum & Deum vestrum. Oratio quoque ei ad Deum semper omnis fuit. Lazarum suscitaturus orat: panes & pisces benedicturus ipso ad cælum adspectu precatur: calicem bibiturus pernox orat. Post confessionem itaque Domini & Dei sui, sequitur: *Inaurire Domine vocem orationis meæ.* Honoris confessio præcessit, cùm Dominum suum & Deum dicit. Exaudiendæ autem orationis precatio consequitur, cùm se orat audiri.

Filii Dei etiam proprium est. V. lib. 11 de Trin. n. 10. & seqq. Matth. 11. 25. Johan. 20. 17. Johan. 11. 41. Matth. 14. 19.

10. Sed in eo quod sequitur, *Domine virtus salutis meæ*, non communis est fiduciæ professio. Non enim ait, Salus virtutis meæ. Humani namque voti res ista est, ut virtuti nostræ salutem precemur, ut sanitas his in quibus valemus à Deo sit. Hæc autem è contrario precatio est, ut non virtutis suæ salus, sed salutis suæ virtus à Deo sit. Qui saluti virtutem precatur, jam de salute non ambigit: & certus est nihil in se caducum, nihil mortale esse. [a] Sed ei, quod assumsit, infirmo ut virtus præstetur, orat per corpus quod Dominus in se gerebat. Quod tametsi [b] secundùm nos morti debitum erat, non tamen erat obnoxium corruptioni, ipso per Prophetam loquente, Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Nostrum est virtutis salutem, Christi virtutem salutis orare. Ps. 15. 10.

11. Non est igitur de salute naturæ hujus in se infirmîs incertus. Solam à Deo virtutem ejus quæ in se sit salutis orat: & orat per hanc confidentiam qua ait, *Obumbrasti super caput meum in die belli.* Si ex persona cujusque hominis psalmus hic omnis est; quomodo sibi tam diversa convenient, ut cùm dictum sit, *Eripe me Domine ab homine malo*, &, *Custodi me de manu peccatoris Domine*; nunc rursum securus de omnibus dicat, *Obumbrasti super caput meum in die belli?* & cùm superiùs ex metu fuerit oratio, nunc sit gratulatio ex securitate? Hoc autem totum dici ab eo ex ratione poterit, qui gerens hominis Deique naturam, habebat & ex hominis infirmitate trepidationis affectum, & ex conscientia divinitatis fiduciam securitatis. Scit autem se in die gloriosi illius belli, quo mortem perimet, quo diabolum vincet, quo omnes potestates inimicas triumpho crucis suæ configet, obumbratum protectumque iri. Namque cùm ex persona Dei patris dictum de eo antea fuerit, Cum ipso sum in tribulatione; & rursum, Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum, nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non adjiciet nocere ei: quid profecit inimicus Judam ad voluntatem traditionis inspirans? Permissum enim corpus passioni est; [c] sed permissa sibi, dominata mors non fuit: Sanctus enim non vidit corruptionem. Et iniquitatis filius cùm eum traderet, ad nocendum ei quid adjecit? Non modò in vitam corpus rediit ex morte, sed etiam ad divinitatis gloriam natura corruptionis absorpta est.

Christo unde cum trepidationis affectu summa fiducia. Ps. 90. 15. Ps. 88. 22. & 23.

12. Securus itaque & confidens obumbratum se esse in die belli, etiam hoc precatur, *Ne tradas Domine à desiderio meo peccatori.* Qui ait, Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui me misit, susceptum opus etiam pro obedientiæ obsequela festinat implere: sed ita, ut meminerimus esse in eo voluntatis officium [d]. Vult namque quæ Pater voluit. Id enim quod ait, Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui misit me: eum à quo est missus cuique obedit ostendit; non tamen sibi detrahit voluntatem. Omnia ergo quæcumque Patri placita sunt, consummare optat, & universa quæcumque sibi in passione desiderabilia sunt, exsequi promptus est.

Johan. 6. 38. Patri obsequens, etiam voluntatem habet. Quæ de sua passione prædicta sunt, optat impleri & in nullo præpediri.

[a] Sic ms. At editi, *sed & quod assumsit.*
[b] id est, nostri ad instar mori debebat. Præpositionis *secundùm* eadem vis est suprà pag. 405. b.
[c] In vulgatis, *sed permissi sibi corporis*: interpolationem suspicamur, quam corrigimus ex ms.
[d] non ut *sine voluntatis libertate sit, & ei natura infirmitas imperet necessitatem*, ut fusè differitur lib. 9. de Trin. n. 48. & 49.

a perat : ne quid ex his ſit, quod [a] præveniens A
Luc. 22. 15. peccator impediat. Deſiderio deſideravit cum
diſcipulis paſcha manducare ; feſtinatò paſchæ
cœnam peregit. Deſideravit calicem paſſionis
Johan. 18. 11. bibere, dicens, Calicem quem Pater meus
mihi dedit, non bibam illum? quærentibus ſe
Ibid. 4. ultro his, qui ad comprehendendum eum venerant, & interrogantibus quis Jeſus eſſet, ingeſſit. Scit ſibi aceti poculum eſſe potandum : hoc ut bibat poſtulat. Magnum in eo, cùm bibiſſet, voluntatis ſuæ fructum capiens, ait, B
Johan. 19. 30. Conſummatum eſt : quo in verbo deſiderabi-
Pſ. 21. 21. lis voti gratulatio continetur. Liberari animam
Exodi 12. 46. ſuam à framea in pſalmis frequenter oraverat,
Pſ. 21. 19. os non comminuendum ſignificaverat, ſortitu veſtem ſuam obtinendam denuntiaverat. Hæc omnia, quæ deſiderii ſui ſint, ad prophetiæ fidem ut impleantur orat : ne quid ex his pec-
b catori ſit poteſtatis, ne [b] paſcham præveniat quæ deſiderio deſideratur, ne calicem paſſionis ingerere non audeat, (nam ad primam C Domini reſponſionem peccator omnis, qui ad comprehendendum eum venerat, procidit ;) ne acetum quod potandum eſt non præſtò ſit,
c ne ante quàm ſpiritum [c] emittat, lanceâ miles latus fodiat, ne frangendi oſſis manente adhuc ſpiritu pateat occaſio, ne quid ex prophetia minus fiat, ne aliquid peccatori ex deſideriis ſuis tradatur ; ſed in ſe omnia, quæ & deſiderata ſibi & prophetata ſunt, impleantur. Orat
ut de ſe prophetata intelligantur. autem de his, non quòd implenda non eſſent, D ſed ut de ſe prophetata eſſe intelligi poſſint.

Inimici ejus à cogitatis exciderunt. 13. *Cogitaverunt*, inquit, *adversùm me : non derelinquas me, ne quando exaltentur.* Multa adversùs eum cogitata ſunt : ſed maximè illud, ut pecuniâ militibus collatâ, fama ab his furati corporis venderetur. Sed eo in corpore rurſus adſtante, inanis hæc impiæ cogitationis meditatio fuit. Non relictus peccatoribus exaltandi ſe locus ullus eſt : impletur prophetia. Pendet in ligno vita eorum, aceto ac felle E potatur, anima ejus à framea liberatur, os non conteritur, ſors ſuper veſtem mittitur : nihil è deſideriis unigeniti filii Dei peccatori traditur, tertia die reſurgit, non relinquitur in inferno, nec corruptionem Sanctus videt : & omnia, quæ geruntur in Domino, ad confundendas & conſternandas impiorum cogitationes, habent in ſe & rerum præſentium admirabilem efficientiam, & prophetiæ indemutabilem veritatem. F

ỷ. 10. 14. Dehinc ſequitur : *Caput circuitûs eorum,*
ỷ. 11. *labor labiorum ipſorum operiet eos.* * *Cadent ſuper*
d *eos carbones* [d] *ignis, & dejicies eos, in miſeriis*
Eorum pœna. *non ſubſiſtent.* Poſt ſuperiorem ſermonem, in quo omnis ad Deum de ſe fuerat oratio, nunc etiam interventu diapſalmæ demutavit ordi-
e nem ſenſûs. Retulit enim [e] ſe ad peccatorum juſtiſſimam pœnam, quos primùm ipſum illud conventus ſui caput, deinde labor labiorum ſuorum, & omne maledictionis opus operiet. Ut enim omnibus ſanctis caput Chriſtus eſt ; ita omnibus iniquis caput diabolus eſt. Teſta- Circuitus contra Chriſtum.
tur autem frequenter [f] iſtos impios erga ſe f
circuitus Dominus, cùm ait, Circumdederunt Pſal. 17. 5.
me gemitus mortis ; & rurſum, Tauri pingues Pſ. 21. 13.
obſederunt me ; & iterum, Circumdantes Pſ. 117. 11.
circumdederunt me ; & ſtatim, Circumdede- Ibid. 12.
runt me ſicut apes. Quòd autem principe diabolo hæc geſta ſint, teſtantur Evangelia, cùm Horum auctor diabolus.
dicunt, Et immiſit ſe diabolus in cor Judæ, Johan. 13. 2.
ut traderet eum. Laboratum eſt autem multa
voce populi, cùm clamatum eſt, Crucifige, Luc. 23. 21.
crucifige. Operiet igitur eos caput circuitûs, & labor labiorum eorum : ut cùm alii immortalitatis gloriâ induentur, illi impietatis ſuæ pudore, & damnatione diaboli operiantur. Et quæ ea damnatio eſſet qua operirentur ; adjecit, *Cadent ſuper eos carbones ignis, ſuper terram* C *dejicies eos, in miſeriis non ſubſiſtent.* Hæc impiorum operimenta ſunt, hæc irreligioſorum æterna veſtis eſt : ut adversùs decidentes carbones & ingruentes miſerias non ſubſiſtentes, tali cum ipſo circuitûs ſui capite & labore labiorum damnationis ſuæ onere deprimantur.

15. Tenuit autem etiam nunc eum ordinem, quo in ſuperioribus uſus eſt, ut cùm in pluribus populum oſtendat, nunc in uno Judam
ſignificare videatur, dicens, *Vir linguoſus non* ỷ. 12.
D *dirigetur ſuper terram : virum injuſtum mala capient in interitu.* In linguoſo anceps & dubium Judæ proditoris nequitia.
& fallax os proditoris oſtenditur : qui ſerò criminis ſui ſcelere comperto, laqueo ſe à vitâ & fide profugus ſuſpendit. Nihil enim directum in eo, nihil ſimplex, nihil abſolutum fuit.
Fur antea, dehinc proditor, poſtremò ipſe in Johan. 12. 4.
ſe dignus ultor. Nunc mulierem effuſo in caput Domini unguento damni inutilis arguens,
nunc Judæis omnes Domini aditus & egreſſus Matth. 26. 15.
E nuntians, nunc de pretio juſti ſanguinis paciſcens. Linguoſus ſemper, ſemper in verbis ; ut
in eum prophetæ dictum competenter aptetur, Prov. 10. 19.
De multiloquio non effugies peccatum. Hic ergo in hoc multiloquio ſuo peccator non directus in vitam eſt, neque rectum fidei iter tenuit : ſed, ut dignum eſt, mala eum in interitu ceperunt. Impius in Deum cùm fuiſſet, poſtea in ſemet quoque ipſum impius manſit. Fur pecuniæ, venditor ſanguinis juſti, proditor Dei, F & quantum in ſe eſt, parricida, nec vitæ veniam potuit habere, nec mortis.

16. Non neſcius itaque hujus vindictæ ſuæ
unigenitus Deus eſt : ait enim, *Cognovi quia* ỷ. 13.
faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum. Pauper Dominus ſecundùm hominem Paupertas Chriſti.
eſt. Paupertavit enim ſe, ſecundùm Apoſto- 2. Cor. 8. 9.
lum, ut nos locupletaremur, cui in ſæculi rebus nihil niſi corpus fuit. Hujus enim ſalutis

[a] Mic. mſ. *præbens.*

[b] Ex mſ. reſtituimus *paſcham*, pro *paſcha* ; maximè cùm *qua*, non *quod* ſubjiciatur. Tum legendum putamus *præpediat*, non *præveniat.*

[c] Editi, *amittat* : emendantur ex mſ.

[d] Sic Par. & mſ. Mic. ſuffragante pervetuſto pſalterio German. niſi quòd habeat *& dejiciet.* Ita quoque vertit Hieronymus ex hebræo, omiſſo *&*. At Bad. & Er. *in igne dejicies.* Lipſ. *in ignem dejicies.* Græcus textus, ἄνθρακες πυρὸς ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ καταβαλεῖς αὐτούς : juxta quem habet Auguſtinus, *carbones ignis in terra & dejicies eos.* Hilarius infrà eidem conſentit.

[e] In vulgatis deeſt *à ſe.* Suppletur ex mſ. Mic.

[f] Editi omittunt *iſtos.* Tum Par. poſt Lipſ. exhibet *impiorum* : reluctantibus aliis libris.

causâ nasci inops voluit ex Virgine : non pecuniam, non agrum, non pecus cælorum Dominus elegit. Pauper ergo in homine tantùm suo fuit, sed non solùm judicium inopis, sed & vindictam pauperum Dominus faciet. Judicium inopis referri ad damnationem eorum, qui injusti in Dominum exstiterunt, oportet. Convenit enim eos secundùm judicium, non secundùm vindictam judicari. Inferioris naturæ est, [a] qui debeat vindicari. Vindicantur ceteri pauperes, id est, qui Dominum exemplo passionis secuti sunt, qui ex contemtu sæculi & pecuniæ pauperes fuerunt. Fit ergo judicium inopis, cùm ob passionem Domini impii judicantur. Pauperes verò vindicantur, quorum sub ara occisorum sanguis clamat, vindictam in impios postulans : qui quotidie in gloria martyrii manentes, Dei nomini confitentur.

Vindicari propriè non convenit Christo, sed servis ejus.

Apoc. 6. 9.

17. Et sermo ipse, quo psalmus clauditur, ita loquitur : *Attamen justi confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum facie tua.* Justorum confessio potest etiam [b] corporalis videri : quia plures in carne adhuc licèt positi, Dei nomini confitentur. Recti autem habitantes cum facie Dei, nihil in se corporale retinere intelliguntur. Natura enim carnis, Dei non patitur adspectum, ipso dicente, Nemo videbit hominum faciem meam, & vivet. Hoc jam cælestium est, & transformatorum, & terrenam corruptionem cælesti incorruptione mutantium : quos jam divinitatis honore claros, conregnaturos [c] ipse Deo patri tradet in regnum Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

℣. 14.

Exod. 33. 20.

PSALMUS CXL.

*DOMINE clamavi ad te, exaudi me : intende voci orationis meæ, * cùm clamavero ad te. * Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. * Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba * mala, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem : & non combinabo cum electis eorum. Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quoniam adhuc * oratio mea in beneplacitis eorum ; absorpti sunt continuati petræ judices eorum. * Audientur verba mea, quoniam potuerunt : sicut crassitudo terræ eruptum est super terram. Dissipata sunt ossa nostra secus infernum ; quoniam ad te Domine oculi mei : in te speravi, non auferas animam meam. Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi, & scandalis operantium iniquitatem. Cadent in retiaculo ejus peccatores: singulariter sum ego, donec transeam.*

* Infià, dum clamabo.
* His præmittitur, Domine.
* allevatio.
* malitia.
* &.
* audient.

TRACTATUS PSALMI.

1. OMNIUM sanctorum fidelis oratio, clamor est Deo : fide enim ad eum, non vocis clamore clamatur. Moyses instante Ægyptiorum rege mæstus stabat in littore : sed tacente licèt eo, excelsæ mentis fidelem orationem Dominus audivit, dicens, Quid proclamas ad me ? Martyrum quoque sanguis voce corporis caret : sed indignitas necis eorum Deo clamor est, ipso Domino de Abel ad Cain dicente, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Sic & sub ara Dei Martyrum animæ proclamare scribuntur, magna voce dicentes, Quò usque Dominus sanctus & verus non judicas & vindicas sanguinem nostrum de habitantibus in terra ? Si igitur non humilia, nec terrena, nec corporalia fidei spiritu oremus ; tacens licèt oratio nostra, Deo clamor est. Atque ideo Propheta totus [d] ad Deum spiritu orationis intentus, ita cœpit : *Domine clamavi ad te, exaudi me.* Et ut clamorem istum non vocis, sed fidei doceret esse ; adjecit, *Intende voci orationis meæ, dum clamabo ad te.* Clamor etiam invitis nobis penetrat in auditum, ac se sponte in aures nostras vi contentæ vocis immittit. Sed quia Propheta non tali clamore clamat, orat ut clamante se Deus in vocem orationis intendat : per id namque quòd intenditur, fidei inspectio est, non clamoris auditio. Id enim quod interius est, intenditur : ceterùm clamorem corporalem intendi non necesse est, per semetipsum omnem sensum aurium occupantem.

Oratio, etsi tacita, per fidem clamat.

V. litt. 19. Psal. 118. n. 1. & 2.

Exod. 14. 15.

Gen. 4. 10.

Apoc. 6. 10.

℣. 1.

2. Dehinc sequitur : *Domine, dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Quorum pura & recta & sinceris oratio est, hi dicere poterunt, *Dirigatur oratio mea :* ceterùm si externarum cogitationum interventu depravabitur, non dirigetur. Sed quòd ait, *Dirigatur ut incensum ;* intelligendum est quid sibi velit comparatio proposita incensi. Et primùm natura incensi ea est, ut in altum se de humilibus extollat, spirans optimè, & sese nobis in sensum suaveolentiæ immittens. Hinc ex quatuor odoratissimis generibus in maximam subtilitatem comminutis componitur, stacte, onyche, galbano, thure : quæ omnia hæc in

℣. 2.

Oratio pura.

Incensi natura & compositio

[a] Ms. Mic. *qua debeat.*

[b] hoc est, potest ad eos referri, qui in corpore adhuc degunt terreno, fragili, infirmo, corruptibili ac nondum per gloriosam resurrectionem renovato. Hinc intelligitur quid deinde sibi velit quòd *habitantes cum facie Dei nihil in se corporale retinere debeant.*

[c] In vulg. *ipsi Deo.* Præferimus cum ms. Mic. *ipse*, scil. *Dominus.*

[d] Ita ms. At Bad. *ad Deum spiritum :* ac deinde cum Er. & Lips. *orationi.* Tum apud Par. desideratur *intentus.*

formam orationum fidelium constituta esse, A beati Johannis Apocalypsis ostendit, cùm ait, Et illi quidem viginti-quatuor seniores prociderunt ante Agnum, habentes quisque citharam & phialas aureas plenas odoribus, * qui sunt orationes sanctorum. Quatuor autem genera orationum Apostolus esse significat, ad Timotheum scribens : [a] Exhortare ergo primò omnium fieri precationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Humilitatis nostræ est deprecari, magnificentiæ Dei est B orari, fidei est postulare, confessionis & laudis est gratulari. Et fortè quatuor illa genera odorum ad unum thymiama ex partibus subtilissimis comparata, singulis quoque generibus poterunt consummandæ orationis aptari. Quamquam speciem quatuor elementorum, horum quatuor odorum natura & species significare videatur : ut thus quod perlucidum est spiritui comparetur, stacte verò aquis, galbanum & onyx terræ & igni : ut per hæc C omnium, quæ in cælo & infra cælum & in terra & in aquis sint, placita Deo incensi modo hæc offeratur laudis oratio. Sed hæc his, quos profundioris scientiæ cognitio delectat, relinquamus : nobis sufficit prophetica atque apostolica auctoritas, quæ & incensum orationes esse significat, & orationes deprecatur dirigi ut incensum.

Apoc. 5. 8.

* *al.* quæ.

Significat orationum quatuor genera.

1. *Tim.* 2. 1. a

vel ex quatuor elementis hostiam laudis Deo offerri.

3. Sed qui deprecatus est orationem suam dirigi ut incensum, etiam illud post hæc ait, D *Allevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Plurimis locis * tractavimus, in allevatione manuum excelsi operis officium monstrari : ut cùm Moyses elevatis manibus stare præceptus est, populo in allevatione & demissione manuum suarum vel victore vel victo. Apostolus quoque orantes jubet elevare manus puras. Et cùm ait, Sine ira & contentione ; non habitum orandi constituit, sed præscriptum divinæ operationis adjecit. Denique Dominus E per Esaiam prophetam orationes impiorum improbans, ita locutus est ; Si extendatis manus, avertam oculos meos à vobis. non utique si elevetis, sed si extendatis manus : quia habitus orandi in manibus extendendis est ; perfecti autem operis efficientia est in elevandis.

* *In Ps.* 62. *n.* 7.

Manuum elevatio, & extensio quid differant.

1. *Tim.* 2. 8.

Ibidem.

Esa. 1. 15.

4. Manuum ergo elevatio, sacrificium vespertinum est. Non enim sanguine & holocaustis nos, in quos consummatio sæculorum devenit, sacrificamus Deo. Sed quod sacrificium F vespertinum placitum sit, audiamus Dominum in Evangeliis dicentem, Venite benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare ; sitivi, & dedistis mihi bibere ; hospes eram, & suscepistis me ; infirmus, & visitastis me ; in carcere fui, & liberastis me. Et respondentibus illis quòd numquam his officiis humanæ necessitatis eguisset, ait, Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus minimis, mihi fecistis. Hoc sacrificium vespertinum, id est, temporum novissimorum est. In hoc manus elevandæ sunt : quia istiusmodi orationibus, jam ab initio mundi, benedictis Dei regni cælestis præparata possessio est.

Vespertinum sacrificium qu.d.

Matth. 25. 34. *&c.*

Ibidem 40.

5. Sed meminit Propheta, præter clamorem fidei, præter orationem quæ dirigenda est ut incensum, & præter elevationem manuum in qua sacrificium vespertinum est, & aliud sibi adhuc opus consummandæ in se justificationis optandum. Dicti scilicet hujus evangelici memor, Ex verbis tuis justificaberis, aut ex verbis tuis condemnaberis ; recolens quoque de omni se verbo otioso rationem in die judicii redditurum, necessariò deprecatus est, dicens, *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Non levem custodiam ori orat apponi, ostium scilicet circumstantiæ : ut custodia illa non observatio sit aliqua, sed claustrum. PERICULOSUS enim linguæ & promtissimus lapsus est : & ex ea maledictum, mendacium, perjurium, obtrectatio motu facili & aditu patenti efferuntur. Oremus ergo nobis circumstantiæ ostium. In eo enim libro, qui nobiscum [b] Salomonis inscribitur, apud Græcos autem atque Hebræos Sapientia Sirach habetur, ita monemur : Ecce circumvalla possessionem tuam spinis, argentum & aurum tuum constitue, & ori tuo fac ostium & seram, & verbis tuis jugum & mensuram. Et ostium & seram ori jussit apponi : ne verbis esset facilis egressus. Iisdem autem verbis jugum mensuramque constituit : ut rationis jugo subdita, librata per mensuram moderatione penderent.

Matth. 12. 37.

Ibid. 36.

℣. 3.

Linguæ lapsus & remedia.

Eccli. 28. 28. & 29.

6. Tendit adhuc Propheta ad justitiæ perfectionem. Namque post fidei clamorem, post orationem, post opera, post ostium oris, consummari se quoque officio cordis orat, dicens, *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem.* Cùm ex innocentiæ ac justitiæ studiis in vitiosam voluntatem decidimus, tum cor nostrum in mala verba declinat : non ut peccatum excusemus, (omne enim peccatum inexcusabile est,) sed ut excusationes excusemus. Crimen enim cædis, atque adulterii, & talium ceterorum, per naturam atque indignitatem facti inexcusabile est. Sed qui in eo deprehensus erit, non dicet, Adulterium aut cædes non habet crimen : sed dicet, Mulier importuna, incontinens, adblandiens pellexit, & in [c] voluptatem coegit. Vel alius ille dicet, Conviciis movit iram, injuriis armavit dolorem, casus litis cædem peregit. In hæc verba cor sese, post quàm ab eo peccatum est, declinat : ut [d] per excusationes peccati quod admisit, se excuset. Cor autem rectum atque purum in hæc verba excusatio-

℣. 4.

Cor pravum qui delictis excusationes perquirat.

[a] Editi excepto Par. *exoro ergo.* Apud Par. ex ms. Mic. repositum est *exhortare ergo.* Magis nobis probaretur, *exhortor*, secundùm græc. παρακαλῶ.

[b] hoc est, apud Latinos. Ita inscriptus sæpenumero occurrit apud Cyprianum, puta lib. 3. ad Quirinum n. 95. 96. 100. &c. Idem liber ab eodem *Scriptura divina* appellatur lib. de mortalit. Pamelius in lib. 2. Cypriani ad Quirin. notâ 2. recenset antiquos, qui eumdem librum Salomoni nuncupant, eique divinam attribuunt auctoritatem.

[c] Editi, *voluntatem* : corriguntur ex ms.

[d] Ita editi excepto Par. in quo exstat, *ut excusatione peccati*, omisso deinde *se*. Non displiceret, *ut excusationes peccati sine se.*

num non declinat : sed manet inviolatum atque constans, sine sollicitudine verborum ad excusandas excusationes quærendorum ; cùm vitæ innocentia peccati excusatione non egeat. Et hæc quidem in corporalibus rebus ita sunt. In his verò, quæ spiritalia existimantur, id est, in hæreseos doctrina, incredibile est quo cordis labore, qua verborum exquisitione excusationes suas hæretici excusent. In quæ omnia ne declinetur cor suum, justus exposcit : ne per hanc declinati cordis ad excusandas excusationes necessitatem, cum electis eorum combinetur.

præsertim hæresi.

7. *Et non* [a] *combinabo*, inquit, *cum electis eorum.* Combinari cum electis iniquorum non vult Propheta. Meminit enim numerum hunc rebus immundis deputatum, cùm ad Noe de recondendis in arca animalibus constituitur præceptum : A pecoribus autem mundis induces ad te septem & septem, & à pecoribus immundis bina & bina. Est & majus adhuc & absolutius inutilis hujus numeri exemplum. Dominus enim noster Jesus Christus omnes immunditias nostras & peccata nostra auferens, fecit secundùm Apostolum utrumque unum, & secundùm eumdem, ut duos conderet in se [b] in unum novum hominem, faciens pacem, ut reconciliaret ambos Deo in corpore uno, internum scilicet hominem & externum fecit unum. Non ergo combinamur, sed unimur : quia unitas fidei est, at verò combinatio consortium factionis.

a *Binarius numerus malè sonat.* — *Gen. 7. 2.* — *Ephes. 2. 14.* — *Ibid. 15.* — b

8. Non modò autem non combinari se Propheta cum [c] electis iniquorum non optat ; sed etiam, quia homini errare [d] debitum est, si quid fortè secus & humanitus gesserit, corripi se à justo in misericordia & argui mavult. Formam namque in se naturæ nostræ infirmitatisque constituit. Plures etenim nostrûm, cùm lapsi fuerint, cùm erraverint, emendari se justæ misericordiæ arguitione fastidiunt : & combinari malunt peccatoribus, quàm per justorum correptionem ad pænitentiam retorqueri. Tenuit autem egregiè rationem veri propheti-

c — d — *Misericordiâ in delinquentes utendum, sed justâ.*

A cus sermo, dicens, *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me.* ℣. 5. EST enim MISERICORDIÆ MODUS : & miserandi adhibenda justitia est. [e] Dolor quidem potest esse erga eos, quorum crimina gravia sunt ; sed misericordiæ locus nullus est. Misericordia enim se ad veniam de Deo orandam his quæ sunt gesta deflectit : ceterùm veniam præstare illicitis, non est misericordiam præstare, sed justitiam misericordiæ non tenere. Quam rationem diligen-

e

B tissimè apostolus Johannes retinuit, dicens, Si quis scit fratrem suum delinquere, sed non ad mortem ; petat, & dabit illi Deus vitam. Est enim peccatum ad mortem, sed non pro eo dico. Quòd autem justus in misericordia corripere atque arguere eum qui lapsus sit debeat, beatus Paulus docet, dicens, Fratres, & si præventus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui estis spiritales, consummate eum in spiritu lenitatis. Sed ne ipse quidem rationis justæ mi-

1. Johan. 5. 16. — *Gal. 5. 1.*

C sericordiæ immemor fuit : præventum enim in delicto, non [f] voluntate delinquentem, consummari per arguitionem jubet. Atque ideo Propheta cùm ait, *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me* ; & fidei suæ, & humanæ infirmitatis memor, corripiendum se in his ait, quæ justæ misericordiæ arguitione sunt digna.

f

9. Orat autem adhuc & aliud, ne doctrinis videlicet peccatorum imbuatur, neve usque

D [g] ad peccantium misericordiam decidat : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Vult eum, qui nos doceat atque arguat, conscientiæ puræ esse. Dominus verò in Evangeliis, cùm de jejuniorum puritate loqueretur, ait, Vos autem cùm jejunatis, ungite caput vestrum, & faciem vestram lavate. In abluenda facie, nitorem puræ conscientiæ exegit ; ne quid in nobis sordidum, ne quid oblitum adhæreret : in capite verò ungendo, doctrinis

g *Ut correptio, ita & doctrina à sancto viro quærenda.* *Matth. 6. 17.*

E nos atque operibus spiritalis institutionis perfectos esse præcepit. Oleum enim luminis pabulum est ; & doctrina atque opus spiritale cælestis nobis gloriæ causa est. Ut enim lumen ex

Doctrinâ & opere lucere debemus.

[a] Bad. Er. & Lips. *combinabor* : quibus favet subnexa Hilarii expositio. Non malè tamen apud Par. ex ms. Mic. restitutum est *combinabo*. Sic enim legere est apud Augustinum & in veteri psalterio German. suffragantibus plerisque græcis, qui scribunt *συνδυάσω combinabo*, ubi alii præferunt *συνδοιάσω communicabo*. Illi tamen verbo vim passivam Hilarius attribuit.

[b] Particulam *in* hactenus omissam restituimus auctoritate ms. & apostolici textus. Porro externum hominem corpus, internum autem animam Hilarius intelligit in Psal. 118. litt. 10. n. 6. & 7. & in Psal. 129. n. 6.

[c] Qui sint illi, exponit vulgatus Hieronymus in eumdem versum : *Sicut Dominus habet electos sanctos, ita & diabolus habet electos suos.*

[d] Sic *homini errare debitum* hîc dicitur, quomodo suprà in Psal. 130. n. 15. *Hæc sunt infirmitati nostræ & corpori debita, mori, infirmari, egere.* Quod ad hominem lapsum attinet.

[e] Ita ms. ac prima editio Par. nec debuit in postremam revocari, quod apud Bad. Er. & Lips. perperam exstabat, *proh dolor, quid potest esse erga eos* &c. Proximè adeo Hilarium audivimus adversùs impiam Novatianorum doctrinam disputantem, puta in Psal. 137. n. 7. ut eum illis hîc favere voluisse, ne vel suspicari liceat.

[f] hoc est, qui voluntatem ita habet in peccato obfirmatam, ut cùm sciat peccatum esse, nolit ab eo discedere : seu ut Hilarius ipse explicat in Psal. 144. n. 19. *qui voluntate permanserit* in peccato, *quem vitiorum usus oblectet, quem non pæniteat admissi.* Hinc cùm ait in Psal. 135. n. 4. *Extra veniam est, qui peccatum cognovit, nec cognitum confitetur*, confiteri hîc pro pænitere videtur posuisse ; adeoque tantùm impænitentibus veniam negare. Licet enim hæc, *nec cognitum confitetur*, intelligere ex illis, *quem non pæniteat admissi.* Et quidem cùm in Psal. 135. n. 4. & in 137. n. 3. ait, *Confessio est professio desinendi*, ac rursum in Psal. 144. n. 18. *Pænitentia auctor est desinendi*, satis indicat pænitentiæ & confessionis vocabulis non aliud sæpe numero se significare. Itaque cùm apud Hilarium voluntate delinquentes opponantur pænitentibus, quia nimirum his affectus inest inviti ; quos intelligere debemus voluntate delinquentes, nisi impænitentes ? His autem veniam negans, ceteris concedit in Ps. 144. n. 19. *Habet enim venia apud Deum solatium, pænituisse de gestis : nec temperamento severitatis indignum est, quod per admissi dolorem, affectum ita profitetur inviti.* Quamquam hoc pluribus locis videtur docere, iis tantùm, qui aut errore, aut carnis fragilitate, aut tentatione diaboli lapsi sint, veniam concedendam ; iis autem, qui scientes ac volentes peccaverint, denegandam. Hoc præ se fert illud lib. 6. de Trin. n. 45. ad insignes quosdam Arianos, quos, ut loquitur, *irreligiositatis voluntas* in hæresi detineret : *Tibi jam omnia clausa sunt ad salutem, qui negas quod jam ignorare non potes. Non enim ignoras esse filium Dei* &c. Vide similia ibid. num. 1. & alibi.

[g] In vulgatis, *usque ad peccandi usum per misericordiam* : lectio interpolata. Sincerior est, quam exhibemus ex ms. Observandum porro est, in quibusdam psalteriis, v. g. in Germanensi, pro *Oleum autem peccatoris*, haberi *Misericordia autem peccatoris* ; sanè quia interpres pro ἐλαῖον legerit ἔλεος. Hilarius autem utramque illam versionem complectens, utrique congruam interpretationem subjicit ; quod non tantùm liquet ex primis illis, sed & ex postremis hujusce numeri verbis.

oleo luminis habet causam; ita, ut lucem spiritalis gloriæ retineamus, doctrina atque operatio præstat: ut caput nostrum, sedes scilicet vitæ & prudentiæ & omnium sensuum, oleo operationis doctrinæque pinguescat. Sed oleum hoc non à peccatore sumendum est: & orandus est Deus, ne hoc peccator infundat. Ut enim à sancto & fideli viro argui se velle prudentis est; quia ægris animis & peccatorum morbo languentibus utilis est severæ objurgationis sub honesto auctore medicina: ita miserum est per peccati miserationem usque ad ipsam peccantium misericordiam decidisse. Hoc ergo utrumque à se detestatur Propheta.

℣. 6.

10. Sequitur deinde: *Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum; * absorpti sunt continuati petræ judices eorum.* Causam cur absorbeantur continuati petræ eam dicit, quia adhuc sit oratio sua in beneplacitis eorum. Orat Propheta [a] eadem quæ superiora sunt, ne oleum peccatoris caput suum impinguet. Hoc Propheta orat. Sed peccatores ne hac quidem Prophetæ oratione terrentur, ut ab his quæ placita sunt sibi desistant. Nemo enim in peccatis, nisi [b] quia his delectatur, perseverat: & causam in unaquaque re permanendi, voluptatis oblectatio subministrat. Ergo quia adhuc orante eo in beneplacitis eorum sunt, id est, quia quod erant, non demutatur per eos * voluntate peccandi, & peccatores esse persistunt; nec oratio ejus finem accipit: quia tam diu in beneplacitis eorum ejus oratio est, quàm diu beneplacitum illis fuerit peccare.

In peccatis permanetur, quia placent.

* *supple*, permanente.

11. Idcirco *absorpti sunt continuati petræ judices eorum.* Petram non novimus nisi Christum: quia dictum est de eo, Petra autem erat Christus. Quo adveniente, [c] cùm se hi peccatorum electi & judices ipsi continuabunt, absorbentur. Mors enim tunc, & corruptio, & peccatum absorbebitur, ut scriptum est, Absorpta est mors in contentionem. Ubi est aculeus tuus? ubi est contentio? Aculeus enim mortis peccatum est. Absorbentur autem continuati petræ horum judices cum illo suo principe, de quo dictum est, Et tunc revelabitur ille impius, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & evacuabit eum præsentiâ adventus sui. Per hanc ergo adventûs Domini præsentiam evacuabuntur absorpti, & absorpti judicio sanctorum. Sequitur enim: *Audient verba mea, quia potuerunt.* Potuerunt vel absorbere, vel [d] audire. In præsentia enim Domini absorbentur, propheticæ veritatis arguitione, & impiæ suæ falsitatis opprobrio.

Iniqui adventu Christi absorbendi.

1. *Cor.* 10. 4.

1. *Cor.* 15. 54. *&c.*

2. *Thess.* 2. 8.

12. Neque solùm audient verba quæ possunt, sed etiam id quod sequitur his accidet: *Tamquam crassitudo terræ [e] eruptum est super terram.* Quòd autem crassitudo impietatis & vitiorum aut comes sit, aut causa; propheta testatur, dicens, Incrassatum est cor populi hujus. Sed

℣. 7.

Crassitudo vitiorum comes aut causa.

Esai. 6. 9. *Matth.* 13. 15.

A & Moyses irreligiositatem populi insolentis pronuntians ait, Manducavit & bibit Jacob, & repletus est, & incrassatus est, & calcitravit dilectus. Virtutem dicti hujus ex ipsa terræ natura absolutiùs intelligemus. Namque scimus crassiores pinguioresque terras in eas scrobes, è quibus effossæ sunt, ex solido non redire; quia erumpente earum crassitudine, rursus ipsarum sunt incapaces. Itaque secundùm id quod ait, *tamquam crassitudo terræ eruptum est* B *super terram*; docuit exemplo, quia omnis terræ nostræ, id est, corporis crassitudo, ex naturæ suæ lege vitiis effossa erumpit, & capax sui non est, in perniciem suam, ne in se reformari possit, exæstuans.

Deut. 32. 15.

Vitia non sinunt hominem intra naturæ leges coerceri.

13. Erumpente autem hac crassitudine super se, habet mærorem Propheta, dicens, *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* Se dissipari, se dispergi, se secus infernum abigi in peccatorum calamitate existimat. Si enim unum C membrum compatitur, compatiuntur & omnia. Omnes enim invicem unius corporis membra sumus, ut & in altero psalmo ait: Dispersa sunt omnia ossa mea; non utique ea ossa, per quæ corpus nostrum in hanc firmitatem virtutis suæ continetur: sed quia omnes unum corpus sumus, & invicem membra sumus, corporis nostri ossa sunt ceteri.

Caritas aliena plorat mala quasi sua.

1. *Cor.* 12. 26.

Ps. 21. 15.

14. Vellet potiùs non erumpere crassitudinem terræ eorum, neque dissipari ossa secus D infernum; sed omnes magis hac, quæ consequitur, voce voti uti: *Quia ad te Domine oculi mei: in te speravi, non auferas animam meam. * Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem.* Intenti Prophetæ ad Dominum oculi, non deflectuntur in aliquas superfluarum rerum admirationes, non ad contumeliam pudicitiæ honestas humanorum corporum species contuentur, non capiuntur aut pretiosarum vestium opere, aut blando argenti E nitore, aut illecebroso fulgore auri, aut inani honore gemmarum, aut factioso spectaculi theatralis certamine, aut ambitiosâ potestatum sæcularium pompâ: sed in omnia magnifica Dei opera, ad admirationem ejus, qui ea est operatus, intendunt. Neque solùm oculis, sed etiam mente semper intentus est, dicens, *In te speravi, non auferas animam meam.* Ablatio animæ non abolitio ejus est: sed cùm à gloria constituti sibi honoris aufertur, * cùm F ab exspectatione & affectu spei suæ decidit.

℣. 8.

℣. 9.

Oculos corporis ac mentis qui ad Deum intendat Propheta.

* *f.* tum.

15. Multa autem spei suæ pericula non ignorat esse, cùm ait, *Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem.* Ubique laquei, ubique sunt scandala, mundus omnis plenus insidiis est, sive per principem aëris hujus, sive per spiritales virtutes in cælestibus, sive per filios inobedientiæ in quibus spiritus erroris operatur. Habemus enim laqueos in hominibus malæ adhortationis,

Insidiis plenus omnis mundus.

[a] In ms. *idem.*

[b] Ita cum ms. prima editio Par. Aliæ verò, *qui.* Ita infrà reposuimus *quia adhuc*, ubi obtinebat *qui adhuc.*

[c] Sic ms. At editi, *cùm ei hi .... continuabuntur.*

[d] Miciacensis codex, *audiri.* Magis placet *audire.* At non displiceret priùs *absorberi.*

[e] Sic ms. hîc & infrà consentientibus psalteriis Carnut. ac German. Editi verò, *erupta est.* Utrumque permittit verbum græcum διεῤῥάγη. Exemplo terræ, quæ effossa quodam modo amplificatur & excrescit, ut intra scrobes è quibus effossa est contineri non valeat, ostendit Hilarius carnem vitiis erumpentibus extra naturæ leges egressam, intra easdem coerceri jam non posse.

a periculosi exempli, & [a] elicitæ necessitatis: cùm nos ad voluptates adhortantur, cùm in prosperis rebus suis in Deum impii sunt, cùm per contumelias & injurias ad motum nos turbulentæ voluntatis exagitant. Differt autem laqueus à scandalo. Laqueus enim est adhortatio voluptatum & incentivum appetitionis inhonestæ, quod modo laquei fallens capit. Scandalum autem est uxor irreligiosa, filius iniquus, & cetera deinceps [b] domi nomina, & omnis ex Ecclesia frater aut contumeliosus, aut avarus, aut ebriosus, aut turpis. In his enim nobis est scandalum, quotiens ad necessitatem irascendi, arguendi, inhibendi, vindicandi, ex illa quietæ fidei nostræ mansuetudine provocamur.

Laquei & scandali discrimen.

16. Novit autem unum, qui per omnes iniquitatem operantes ipse potiùs in his laqueis semper operetur, dicens, *Cadent in retiaculo ejus peccatores:* ejus scilicet qui operatur in plurimis. Quidquid enim iniquitatum homines gerunt, à diabolo suggeritur: quem nunc sub singulari numero demonstrat, cùm superiùs sub plurali ministeria ejus significasset in plurimis. Plures in eo, & eum significat in pluribus: atque ideo iniqui laqueos prætendunt, & in retiaculo ejus cadent peccatores; quia iniqui retiaculi * sui laqueos prætendunt. Cadent autem peccatores: [c] non tunc peccatores cùm ciderint effecti, sed cadentes ob id quia peccatores sunt; captioni retiaculi effecti, per id quòd peccatores sunt, opportuni.

Iniquitatum omnium unus auctor diabolus, ℣. 10.

* *ipsius, scil. diaboli.*

17. Propheta autem, per spem suam ac fidem tutus, confidenter de se ait, *Singulariter sum ego, donec transeam.* Scit impiam esse, ut suprà ostendimus, combinationem. Deo autem deditus, nullis aliis sæculi negotiis occupatus, est & singularis, donec transeat. Et quid est illud quod transeat? Scandala scilicet, & retiacula, & laqueos. Et quò transeat, quærendum est. Nempe eò quò dictum est; fidelis enim & sanctus & verus est, qui ait, Qui autem credit in me non judicabitur, sed transiet de morte in vitam: Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Singularitas bona.

Johan. 5. 24.

P S A L M U S C X L I.

Intellectûs David cùm esset in spelunca oratio.

*VOCE mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum. Effundo in conspectu ejus * tribulationem meam: ante ipsum pronuntio, in deficiendo* A *ex me spiritum meum. Et tu cognovisti semitas meas. In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Considerabam ad dexteram & videbam: quia * non erat qui cognosceret me. Periit fuga à me: & non est qui requirat animam meam. Clamavi ad te Domine: dixi, Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Intende * in* B *orationem meam: quia humiliatus sum nimis. Libera me à persequentibus me: quia confortati sunt super me. Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo Domine. Me * exspectaverunt justi, donec retribuas mihi.*

* *Infrà add. orationem meam &c.*

* *non est qui cognoscat me.*

* *Infrà abest in.*

* *exspectant*

C TRACTATUS PSALMI.

1. PSALMI hujus ratio titulo continetur, sed potiùs spiritali quàm corporali intelligentiâ: & ideo in titulo *intellectûs oratio* est. Nam si simplex, secundùm David gesta, sensus esset; *oratio* tantùm psalmi titulo fuisset inscripta. Sed quia ad orationis cognitionem spiritali intelligentiâ opus esset; idcirco *intellectûs oratio*, quia sit intelligenda, D præscribitur. Scimus enim esse & illum David, cujus tabernaculum quod ceciderat excitatum est, justum, orientem, regnantem, id est, Dominum nostrum Dei filium: qui frequenter fugerit, frequenter latuerit, frequenter oraverit, in ipso quoque tempore passionis & fleverit, & ad Deum in tribulatione clamaverit, non ob naturalem quasi passionis metum, sed affectum hominis quem gerebat ostendens: ut per hanc orationem & filius E Dei ad quem oraret, & ipse non simulatus [d] homo sed verus posset intelligi. Ejus itaque esse hæc intelligitur oratio. David quidem in spelunca loquitur; sed prophetat in Christo. David fugit; sed fugam Domini sui non tam per verba quàm per fugam prophetat. David spiritu defecit; sed & Domino tristis est anima usque ad mortem. David semitas Deus cognoscit; sed & Filium nemo novit nisi Pater. David in fidei suæ viis laquei absconsi sunt; F Domino quoque in prædicationis suæ cursu ubique parantur insidiæ. Hic in spelunca orat; ille orat in corpore. Servus Dominum prophetat Christum: David iste illum David omnium passionum prophetat exemplo. Atque ideo hæc non tam David de se ipso, quàm de Domino per David dicta intelligitur oratio.

Psalmus hic est de Christo in David adumbrato.

Jerem. 23. 5.

d

Christum gestis suis David prophetavit.

2. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea* ℣. 2.

[a] Quid sint illi *necessitatis elicitæ* laquei, intelligere est ex his litt. 14. Psal. 118. n. 17. *cùm interdum occurrit causa iræ, doloris affectio, querelæ necessitas, malæ cupiditatis occasio.* Rursum in Psal. 142. n. 4. prædicatur *necessitas per naturam corporis, vel per motum animæ semper fluctuantis admixta.*

[b] id est, quod in Psal. 118. lit. 15. n. 3. & alibi *carissima nobis nomina.* Quomodo scandalo sint, ibi enarratur.

[c] Similis locus est in Ps. 123. n. 9. Hoc autem vult tantùm Hilarius, semper præexsistere peccatum, quo homo peccator efficiatur, ante quàm in laqueos diaboli cadat, seu potestati ejus tradatur.

[d] Si ad hoc assumsit hominis affectum, ut non simulatus homo, sed verus intelligeretur; verus quoque debuit esse ille affectus, vera tristitia, verus dolor, verus passionis metus: qui tamen quia assumtus, Verbo assumenti non naturalis rectè prædicatur, ut explicatum est in Psal. 68. n. 18. Videsis Tract. Ps. 54. n. 6. Neque frustra ait in Ps 139. n. 11. *Gerens hominis Deique naturam, habebat & ex hominis infirmitate trepidationis affectum, & ex conscientia divinitatis securitatis fiduciam.*

℣. 3. *ad Dominum deprecatus sum.* * *Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* ℣. 4. * *In deficiendo ex me spiritum meum.* Egregiè verborum ordo dispositus est. Primùm voce clamatur: omnis enim fidelis viri etiam tacita & spiritalis exspectatio Deo clamor est. Deinde voce oratur, id est, desiderii & fidei petitio verbis vocis effertur, secundùm illud Apostoli, Psallam spiritu, psallam & voce. Tertiò in conspectu Dei oratio effunditur, non verbis scilicet de lingua excidentibus, sed de profundo & interno fidei fonte oratio precantis effunditur; & effunditur in conspectu Dei, non negligenter neque ex securitate, sed tamquam Domino præsente: qui enim oratur ut exaudiat, præsens necesse est esse credatur: qui autem præsens existimatur, non absentis dissimulatione, sed præsentis honore reverendus est. Quartò quoque tribulationem suam pronuntiat. Non impeditur, cùm tribulatur, quin semper ad Deum omnium angustiarum suarum & passionum molestias referat. Neque sanè leves tribulationes sunt, quas ante Deum effusa oratione pronuntiat: sed in eo * cùm deficit ab eo spiritus suus. At verò nos leves tantùm tentationes ab assiduitate orationis impediunt: & quantulamcumque, in secundis modò rebus, animi nostri constantiam à devotionis officio repentinus exiguæ difficultatis motus avertit. At verò hic, ne deficiente quidem spiritu suo, cessat & tribulationem suam pronuntiare, & orationem effundere, & voce orare ipsa, & spiritalis fidei voce clamare.

Orationis perfectæ varii gradus.

1. Cor. 14. 15.

* supple, pronuntiat.

3. *Tu cognovisti semitas meas. In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Hæc tam illius, quàm hujus David, oratio esse poterit existimari: quia, ut diximus, omnia Domini dicta atque gesta & servi fide & prophetæ præfiguravit exemplo. Numquam verò psalmorum prophetia, quotienscumque ex persona Domini profertur, non aliquid peculiare ejus ac proprium, quod alii cum eo commune esse non possit, adjecit: ut quia multa ex persona ejus hominis quem assumsit commemorata, personis hominum essent naturisque communia, psalmi potiùs de eo prophetia ea, quæ propriè ex persona ejus dicerentur, ostenderet: ut illud nunc, ℣. 5. *Considerabam ad dexteram, & videbam quia non est qui cognoscat me. Periit fuga à me: & non est qui requirat animam meam.* David enim licèt fugeret, non tamen incognitus erat: neque solùm ad dexteram contuebatur, sed etiam ad sinistram ei conspectus patebat. Illud autem quomodo personæ ejus aptabitur, *Periit*

Psalmi de Christo unde dignoscantur.

Quædam hîc nemini convenientia.

A *fuga à me*: dehinc illud, *Et non est qui requirat animam meam*: postremò etiam illud quo psalmus concluditur, *Me exspectant justi, donec retribuas mihi?* Contraria sibi ista sunt, ex persona hominis intellecta. Si enim sunt justi exspectantes; quomodo nemo cognoscit? quomodo animam nemo requirit? Per id enim nemo animam requirit, & nemo animam cognoscit, quia perspiciente eo à dextris, nemo justus est visus.

B 4. Sed hæc omnia in Domino tempore passionis impleta sunt, cùm euntem eum ad crucem eorum nemo comitatus est, quos ad possessionem regni cælestis secundùm evangelicam dispositionem separatos à sinistra [a] dexteræ præparabat, ob quos & homo erat natus: cùm in tot tantisque crucis ipsius signis Deum nemo cognovit: cùm frequenter antea latens, se his qui eum quærebant & prodidit & ingessit. Et per oblationem spontaneæ C voluntatis fuga ab eo periit, cùm nullus [b] virtutem vitæ ejus, quæ in anima significatur, inquirit. Corpus enim quod cruci affixerant contuentes, potestatem animæ, [c] quæ se signis & factis Deum probaverat, nemo quærebat.

Christo conveniunt.

5. Jam illa quæ sequuntur, licèt communia videantur esse cum ceteris, tamen etiam per eum tempore passionis omnia dicta gestaque sunt. *Clamavi ad te Domine, dixi, Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.* ℣. 6. Clamans di-D xit, *Tu es spes mea*, cùm ait, Pater commendo in manus tuas spiritum meum. Pars ejus in terra viventium est, cùm latroni die eodem incolatum paradisi promittit, id est, sortem & regnum hereditatis suæ: ut licèt ad inferos adiret, tamen per * spiritalem potestatem doceret se à paradiso non abesse.

Luc. 23. 46. Ibid. 43. Paradisus quid. * divinam.

6. Redit deinde ad orationis suæ modestiam, dicens, *Intende orationem meam: quia humiliatus sum nimis.* ℣. 7. Humiliatus est enim, formam E servi accipiens, & obediens factus usque ad mortem, & mortem crucis. *Libera me à persequentibus me: quia confortati sunt super me. Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo Domine.* Quamquam enim potestatem haberet ponendi animam suam, & resumendi; tamen semper, per reverentiam filii, honorem paternæ [d] majestati reservavit, cùm orat, Pater clarifica me; cùm proclamat, Deus meus, quare me dereliquisti? In his enim non est in-F firmitatis suæ confessio, sed paternæ virtutis prædicatio. Liberari ergo se nunc similiter à persequentibus orat, *quia confortati sunt.* Confortati enim sunt, cùm crucifigere audent, cùm per carnem Deum nesciunt, cùm eos

Phil. 2. 8. Resurrectionem suam cur Patri tribuat Christus.

Johan. 17. 1. Psal. 21. 2.

[a] Ita mss. At editi, *ad dexteram.*

[b] Ms. *veritatem vita.*

[c] Magis placeret *qua*. Verùm illud *qua* potest referri *ad potestatem*, vel potiùs ad animam prout divinitatem significat: adeoque nihil hîc erit difficultatis. Si verò ad animam propriè dictam referri quis malit, eatenus se Deum factis probare intelligenda est, quatenus se ad Deum pertinere ostendat, cui substantialiter & in unitatem personæ copulata sit. Ut enim Verbum caro, quia carnem suscepit; ita anima Deus prædicatur, quia ipsa cum carne à Deo suscepta est. Cùm autem plerique Patres, quos recenset Petavius lib. 4. de Incarn. c. 13. sentiant Verbum absque ullo medio cum anima, illâ verò tantùm mediante cum corpore adunatum, ipsa quoque potissimùm virtutis divinæ signa præ se ferre non immeritò censeatur.

[d] Editi, *majestatis*. Concinniùs ms. *majestati*. Ita observat Hilarius lib. 9. de Trin. n. 12. Christum Patris mandato animæ resumendæ virtutem deferre, & lib. 11. de Trin. n. 10. sicut & in Psal. 139. n. 10. eumdem prædicare se non suam, sed ejus qui se misit, voluntatem venisse facere; ac demum lib. de Synod. n. 54. & in Psal. 138. n. 29. se non posse ab se facere quidquam; hæc porro & alia hujusmodi eum loqui, non tantùm quatenus homo est, sed etiam quatenus Deus unigenitus est, qui verbis reverentiam sonantibus ita se Patri æqualem significat, ut ab eo se natum simul declaret. Ea ratione etiam verba illa, *Pater major me est*, ad Christum ut Deus est referre non dubitat in Psal. 138. n. 17. Alias hujusmodi locutiones videsis lib. de Synod. n. 51.

habitus

habitus humilitatis & [a] forma in eo servilis A hortatur.

7. Deinde rogat, ut anima sua educatur è carcere. Si in carcere positis, etiam ante Noe tempora, [b] resurrectionem secundùm beatum Petrum Dominus prædicavit; carcer est inferi, à quo se educi rogat, ut & in altero psalmo erat precatus, Non contineat super me puteus os suum. Oratio omnis ista ad confessionem, ut diximus, virtutis paternæ est. Sed adjecit & causam, cur sese de carcere oret educi: *Ad* B *confitendum*, inquit, *nomini tuo.* Resurrectio ejus paternæ in se virtutis prædicatio est; quia potestas ei omnis ex Patre est.

1. Pet. 19. & 20.

Ps. 68. 16.

8. Sed [c] per quos sit Dei nomini confitendum, subjecit dicens, *Me exspectant justi, donec retribuas mihi.* Omnium Apostolorum fides usque ad resurrectionis tempus fuit trepida: quam in Domino contuentes, exspectationis suæ securitate firmati sunt. Et hinc illud est à Domino dictum: Tristis est anima mea usque ad C mortem. Non enim ait, propter mortem: quia licèt se passioni daret, non tamen Virtus æterna dolorem passionis exciperet. Sed quia Apostolorum metus per humilitatem passionis exortus, (adeo ut & firma superædificandæ in ea Ecclesiæ Petra trepidaret,) post mortem & resurrectionem Domini in eadem trepidatione esse desineret; idcirco usque ad mortem tristis est, post quam trepidantis fidei essent securitate firmandi. Exspectant ergo justi, donec D sibi retribuatur à Deo. Et quid ei à Deo retribuatur, Apostolus docuit, dicens, Propter „ hoc exaltavit eum Deus, & donavit ei nomen „ quod est super omne nomen: ut in nomine „ Jesu omne genu flectatur, cælestium, terre„ strium & infernorum, & omnis lingua confitea„ tur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris. Hæc ei à Deo retributio est: ut ei corpori, quod assumsit, paternæ gloriæ donetur æternitas. Quæ autem sit justorum exspectatio, idem Apo- E stolus docet, dicens, Nostra autem conversatio in cælis est, unde & [d] Salvatorem nostrum „ exspectamus Jesum Christum, qui transforma„ bit corpus humilitatis nostræ, conformatum „ corpori gloriæ suæ. Exspectant ergo eum justi, dum retribuatur illi: scilicet ut conformes fiant gloriæ corporis ejus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Fides Apostolorum ante resurrectionem Christi nutans, post firmata est.

Matth. 26. 38.

Philip. 2. 9. & 10.

Philip. 3. 20. & 21

PSALMUS CXLII.

Ipsius David, quando persequebatur eum Abessalon.

* Infrà, Deus.

* *DOMINE exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua exaudi me, in tua justitia.* G

*Et non intres in * judicia cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam, collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi. Et anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum. Memor fui dierum antiquorum, * & meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis* B *manuum tuarum * meditabar. Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.* DIAPSALMA. *Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus. Non avertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum. Auditam fac mihi manè misericordiam tuam: quia in te spe-* C *ravi * Domine. Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia tu Deus meus es. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum Domine. Vivificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam* D *meam, & in misericordia tua disperdes inimicos meos. Et perdes omnes * qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.*

* judicium.

* omittitur &.

* meditabor.

* abest *Domine.*

* Infrà, *omnes inimicos qui persequuntur.*

TRACTATUS PSALMI.

E 1. PSALMI superscriptio nulla esse secundùm Hebræos videtur: id enim ab his qui utrâque linguâ eruditi sunt traditur. [e] Translatoresque ceteri nihil omnino de rebus gestis, id est, Abessalon in David patris sui insectatione scripserunt. Sed hi septuaginta seniores, quibus Legis ac Prophetarum scientia ultra præscriptum & ambiguitatem litteræ fuit, addendum hoc psalmo judicaverunt. Causam verò judicii istius in exordio F psalmorum * docuimus, per quam nihil in psalmis nisi propheticum cognoscimus oportere tractari. Cùm enim nec gestis sermo, nec temporibus [f] ordo conveniat; reliquum est, in exemplum ac scientiam gerendorum, & gesta omnia in David, & ab his intellecta esse doceamur. Apposita ergo nunc psalmo superscriptio est, quæ non exstat in libro: ut ubi exstat, (id est, sicut in psalmo tertio, in quo à facie ejus qui nunc persequi scribitur fugerit,) ad G scientiam propheticæ intelligentiæ vocaremur.

Psalmi inscriptio à LXX. fuit addita.

V. Tract. Psal. 2. n. 2. & 3.

* Præf. n. 5.

Cur.

[a] In vulgatis, *formæ*. Magis placet cum ms. *forma*.
[b] In Psal. 118. litt. 11. n. 3. legimus *exhortationem*, non *resurrectionem*. Confer locum.
[c] Excusi, *per quod*: castigan ms.
[d] Ms. *salvificatorem*.
[e] Bad. *Translatoresque ceterique.* In aliis edit. *Translatores ceterique.* Veriùs mss. *Translatoresque ceteri*, nimirum quotquot præter Septuaginta Psalterium ex hebræo verterunt, ut liquet ex subsequenti Tractatu n. 1. Sic & Theodoretus de titulo loquens, *Neque apud Hebræum*, inquit, *neque apud alios interpretes hanc inveni additionem.* Apud Hieronymum inscribitur dumtaxat *Psalmus David.*
[f] Abest *ordo* à mss. Reg. & Albin.

Quis, quo nomine in toto hoc psalmo loquatur.

2 Prophetat ergo nunc David passionibus suis dominicas passiones: non de Abessalon conquerens, sed de his qui Abessalon ad impietatis crimen ignirent. Ignita enim secundùm Apostolum diaboli sunt jacula: quæ se in cor Judæ ut Dominus traderetur injecerint, & nunc in filiis inobedientiæ operentur. Ob quod Dominus assumtâ peccati carnis similitudine, de peccato condemnavit peccatum in carne. Tractabimus ergo psalmum ex persona Prophetæ, intelligentis se in peccati corpore positum, & inter multas & graves diaboli tentationes per hominem fatigari. Nam ut Dominus principem mundi non ignoravit hæc in se per Judæos Judamque gessisse, cùm ad Apostolos dicit, Ecce ex vobis unus est satanas; totus enim hoc esse, quia per eum animabatur, ostenditur: ita & David in Abessalon eos, per quos Abessalon est talis, intelligit. Et quia jam in tertio psalmo * latior hinc fuit sermo; nunc psalmi ipsius dicta tractemus ita, ut meminerimus omnia, quæcumque sub prophetæ nomine dicentur, etiam ad personam Domini esse referenda: qui se ex forma Dei evacuans, ac formam servi assumens, infirmum naturæ nostræ hominem etiam usque ad ignoratæ diei atque horæ suæ scientiam sit professus.

Ephes. 6. 16. — *Johan. 6. 71.* — * *Non extat hic Tractatus.*

℣. 1. Orandi exemplum.

3. *Deus exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua exaudi me, in tua justitia.* Primùm orationem suam deprecatur audiri: quia id humilitatis humanæ est, ut audientiam Dei his quæ oret exoptet. [a] Secundò deinde, secundùm propheticam scientiam, ut in veritate Dei audiatur expostulat. Non est huic fideli viro Deus ex elementis sæculi, non ex regum nominibus, non ex errore sæculi in saxis, metallis & lignis: sed verus ei Deus est, æternus, omnipotens, & universitatis effector. Tertia quoque postulatio est, ut in justitia Dei audiatur. [b] Non est tyrannicæ voluntatis Deus, non præduræ & iniquæ pertinaciæ arbiter; sed qui rationem habeat infirmitatis humanæ: neque qui hos demutabilis naturæ nostræ promtissimos lapsus secundùm indemutabilis substantiæ suæ indeflexam constantiam metiatur; sed justus & moderans tantum ab homine exspectet, quantum meminerit humanæ licere naturæ.

Deus non est invidus aut prædurus judex.

℣. 2.

4. Et ideo subjecit ad id, quod se in justitia Dei oravit audiri, *Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Quid enim spei est, si judicare nos secundùm se Deus velit, si ad comparationem sui vitæ nostræ innocentiam postulabit. Justificari autem in conspectu Dei quis viventium potest? cui ira, cui dolor, cui cupiditas, cui ignoratio, cui oblivio, cui casus, cui necessitas vel per naturam corporis, vel per motum animæ semper fluctuantis admixta sit: cui & quotidie gravissimus hostis immineat, diabolus videlicet animæ viri fidelis insidians, eamque ad interitum persequens? Hanc enim esse causam docet, qua nemo vivens justificari in conspectu Dei possit: *Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam, collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi.* Obscuritas per corporis vitia effunditur: & cùm per diaboli laqueos in cupiditates carnis incidimus, à cognitionis luce depulsi in obscuris collocamur, gentilium tenebris demersi, & sæcularium operum nocte detenti.

Innocentiæ hominis quàm multa insidientur.

℣. 3. Cupiditas excæcat.

5. Sed quantumlibet persequens animam inimicus, & humilians in corpore tamquam mortuum sæculi collocet in obscuro; spiritalis tamen viri anxietas his corporis tenebris [c] non tenetur, & cor super hac ipsa naturæ suæ infirmitate turbatur, repugnansque vitiis hominem suum in memoriam primæ suæ constitutionis & in meditationem Dei operum convertit. Non enim eum inimicus in obscuris mortuum sæculi, sed tamquam mortuum sæculi collocavit: per quod libertas spiritûs semper in se anxii reservatur.

Hujus tenebras qui appellat vir spiritalis.

℣. 4.

6. Id enim sequitur: *Et anxiatus est [d] super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum.* * *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabor.* Scit Adam à diabolo captum; & idcirco memor est antiquorum dierum. Scit eum per transgressionem legis constitutæ & à promissionibus Dei & ab incolatu paradisi excidisse; & ideo memor est operum Dei. Scit non sufficere ex præterito innocentiam, sed beatum esse qui usque in finem innocens esse permanserit; & ideo in factis Dei manuum meditabitur. Facta manuum Dei homo ipse est: qui post quàm peccavit, peccati servus effectus est. Talis igitur esse meditatur, qualis ille, [e] qui à Deo factus est, fuit ante peccatum. Per quod quia non mortuus sæculi, sed tamquam mortuus sæculi in obscuris est collocatus, meditabitur semper: & meditabitur semper; quia antiquorum dierum memor, [f] scit per transgressionem legis mortem introisse peccati.

℣. 5. Meditandi materies.

Facta manuum Dei, homo.

7. In eo autem, quòd & memor antiquorum dierum, & in operibus Dei meditatus est, atque meditabitur, quamquam per fidem suam cœperit, tamen non proprium suum esse, ne insolens existimetur, sed per auxilium Dei ad quem oravit sibi indultum esse demonstrat, dicens, *Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua.* Terra sine aqua arida & infecunda est, & irrigari sese semper imbre pluviæ cælestis exspectat: ita & sancti anima naturæ suæ conscia, immadescere se dono divini eloquii desiderat: de quo Moyses ait, « Exspectetur sicut pluvia dictum meum, & descendant sicut ros verba mea, ut pluvia super « gramen, & ut nives super fœnum. Arens ergo « & sitiens anima, tali propheticæ doctrinæ imbre

Homo sterilis est sine Dei gratia.

℣. 6. — *Deut. 32. 2.*

[a] Regius codex cum Albin. *sequenti deinde.*
[b] In prædictis mss. *non est orator* (an *auditor?*) *invida voluntatis Deus.*
[c] Apud Par. *continetur.*
[d] Ms. Mic. *in me.*
[e] Bad. & Er. *qualis ille à Deo* (addidit deinde Par. *qui*) *factus fuit*, omisso *est*, quod ex mss. supplemus.
[f] In vulgatis, *memor sit.* Longè meliùs in mss. *scit.*

perfunditur : ut mortua & jejuna ariditate A naturæ, in uberes fructus præceptorum Dei cognitione revirescat.

Citò dissolvi & cum Christo esse optat Propheta. ℣. 7.

8. Jam in his quæ sequuntur, humanæ fidei & conscientiæ confessio est, per diapsalmæ intercessionem impatientiâ prophetici desiderii monstratâ. *Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus.* Moras corporis sui Propheta non patitur : & secundùm illud Apostoli, Dissolvi me melius est, & cum Christo esse ; & illud, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore B mortis hujus? & illud, Quia in hoc veteri tabernaculo congemiscimus desiderantes superindui, tædium ipse in hoc mortis corpore patitur : sed velocitatem auxilii, quod ob defectionem spiritûs deprecatur, cum gratia divini in se muneris optat expleri. Quid enim sibi proderit exauditum esse velociter, nisi tamquam fidelis & Deo placens & beatis locis quieturus excedat è corpore?

Philip. 1. 23. Rom. 7. 24. 2. Cor. 5. 2.

Lacus, pœnalis locus.

9. Et idcirco ait, *Non avertas faciem à me : & similis ero descendentibus in lacum.* C Lacum pœnalem inferorum locum Scriptura commemorat : ut in his psalmis ait, Tu Domine abstraxisti ab inferno animam meam, * servasti me à descendentibus in lacum. Ergo nisi facies Dei, qui utique Christus est, qui imago Dei invisibilis est, unicuique sancto adfuerit ; erit illis similis, qui pœnæ inferni deputati è vita hac sine spe quietis excesserint.

Psal. 29. 4. * mss. salvasti.

Resurrectionem sperat Propheta.

10. Sed de spe sua Propheta non ambigit, D neque extra evangelicæ securitatis fiduciam est. Tempore quidem ipse anterior, sed in spiritu apostolici gaudii [a] particeps : qui resurrectionem Domini contuentes, æternitatem caducorum corporum crediderunt. Id enim in consequentibus ait : *Auditam fac mihi manè misericordiam tuam : quia in te speravi.* Matutinæ hujus misericordiæ gaudium locis plurimis demonstratur, velut tum cùm ait, Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. E Hoc enim resurrectionis est tempus, in quo per misericordiam Dei potestas mortis infracta est. Quam misericordiam, quia in ea Propheta speravit, optat audire.

a ℣. 8. Psal. 29. 6.

Ignorantiæ conscius lucem à Deo exposcit. 1. Cor. 13. 12. & 9.

11. Dehinc sequitur : *Notam fac mihi viam in qua ambulem ; quia ad te levavi animam meam.* Apostolus per speculum & in ænigmate videt, & pro parte scit, & pro parte prophetat. Propheta quoque tamquam per naturam humanæ fragilitatis ignorans, notas sibi fieri, in F quibus ambulet, vias orat. Non enim hæ sæculi viæ utiles sunt : spiritales & cælestes ille nosse desiderat. Id enim ait : *Quia ad te levavi animam meam.* Non in humilibus est anima illius, sed in excelsis ; & idcirco excelsarum viarum postulat notionem. Scit enim esse inimicos sibi, qui se in alias vias avocent, qui in voluntatem alteram deducant. De inimicis istis spiritalibus Apostolus multa & frequenter ingessit. Ab his ergo se eripi orat, & viam illam [b] tribulatam, quæ ad cælum agit, cognoscere rogat, & de voluntate Domini doceri, & per Spiritum ejus in terram rectam deduci : id est, ut constituatur in hominem non vitiis perversum. Nam in rectam terram se dirigi quomodo [c] optat, si de elementi hujus creatura dixisse existimabitur : nisi quòd secundùm primi hominis naturam, cui post peccatum dictum est, Terra es, & in terram ibis, [d] constitui se hominem rectum indeflexumque desiderat? Id enim sub his dictis continetur : *Notam fac mihi viam in qua ambulem : quia ad te levavi animam meam.* * *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi : * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam * propter nomen tuum Domine.* [e]

b Optat in primum hominis statum redire. c Gen. 3. 19. d ℣. 9. ℣. 10. ℣. 11. e

Non ex propriis meritis, sed ex Dei bonitate. 1. Cor. 8. 2.

12. Consonans Apostoli confessio est ad id quod ait, *Doce me facere voluntatem tuam*, illud quod per eum dictum est, Et qui putat se scire, nondum scit quemadmodum oporteat sese scire. Quòd si nec orare quidem adhuc scimus, & loqui desideria nostra non novimus, Spiritu potiùs pro nobis inenarrabilibus gemitibus postulante, & imperitiam nostram [f] arcano conscientiæ affectu repensante, secundùm hoc Apostoli dictum, Quid enim oremus secundùm id quod oporteat nescimus ; sed ipse Spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus : non inconditè Propheta creditur orare, ut voluntatem Dei doceatur explere. Et competens illa humanæ verecundiæ professio est, ut quòd per spiritum Dei in terram rectam deducendus sit, id non meriti esse sui arroget, neque per satisfactionem [g] proprii obsequii id sibi postulet : sed totum hoc ad clarificandum in se Dei nomen exspectet, ut propter honorem Dei nominis in terra recta esse statuatur.

f Rom. 8. 26. « « g

non in hac vita.

13. Et quia hanc terram rectam scit sibi non in corpore mortis hujus posse concedi, quia labes carnis humanæ per admixtam in se vitiorum consuetudinem aboleri penitus, nisi cum naturæ demutatione, non possit ; vivificari se, quasi nondum vivat, expostulat, dicens, *Vivificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam, * & in misericordia tua disperdes inimicos meos. Et perdes omnes [h] inimicos qui persequuntur animam meam : quoniam servus tuus sum ego.* Habuit quidem, ut diximus, hoc justitia verecundiæ, ut quidquid [i] illud sibi beatitudinis sperat, id pro magnificentia Dei potiùs, (quia Deo beata & æterna & bona tribuere sit dignum,) quàm pro merito suo postulet. Sed tamen præferens honorem & mise-

℣. 12. h i Beatitudo ex Dei misericordia, non excluso merendi officio.

[a] Apud Par. *participes.* In aliis verò libris, *particeps*, nimirum Propheta : quod autem sequitur, ad Apostolos refertur, quasi prius *Apostolorum gaudii*, non *Apostolici gaudii* præmissum esset.

[b] Abest *tribulatam* à duobus mss. De ea tamen via hîc sermo est, de qua in Psal. 118. lit. 4. n. 11. *Via, quæ ad vitam ducit, & angusta & tribulata est.*

[c] Apud Bad. Er. & Lips. *quomodo optasset, cùm elementi hujus natura existimabitur.* Apud Par. *quomodo optasse de elementis hujus natura existimabitur* : locus depravatus, resarcitur ope mss. Reg. & Albin.

[d] Ita in mss. ubi malè in vulgatis, *constituisse hominem.*

[e] Expunximus hîc, *vivificabis me in æquitate tua*, mss. auctoritate.

[f] Ita Regius codex cum Albin. Editi verò, *arcanæ scientiæ.* Tum Bad. Er. & Lips. *effectu* : Par. *affectu.*

[g] In vulgatis, *pii obsequii.* Magis placet cum mss. *proprii.*

[h] Adjecimus *inimicos* auctoritate mss. Deinde in sola edit. Par. *qui tribulant*, non, *qui persequuntur.*

[i] Malè in vulgatis, *aliud.* Magis probanda vox *illud*, quam præ se fert ms. Mic. In Reg. autem & Albin. neque exstat *illud*, neque *aliud.*

ricordiam Dei, merendi quoque id per se non A exclusit officium. Nam cùm vivificandus sit, vivificandus tamen est in æquitate; quia æquum sit vitam retribui stipendiis sanctitatis. Et cùm per misericordiam Dei educto eo de tribulatione disperdendi sint ejus inimici, jam non est misericordia indiscreti confusique judicii; [a] cùm quæ à tribulatione educit, eadem disperdat inimicos: quia ex meritorum diversitate, vel in pœnam, vel in [b] misericordiam judicium temperatur. B

Quæ Dei gratiæ, quæ merito pars sit in victoria tentationum.

14. Non leves autem sibi esse inimicos Propheta demonstrat, sed eos qui etiam animam persequantur: non quòd cum corpore possit occidi, sed quòd ita diabolicis infestationibus fatigetur, & sub injectorum sibi vitiorum [c] incendiis aduratur, ut à Domino mereatur occidi. Verùm ut etiam inimici sui pereant, quamquam ad id potissimùm & nomen & misericordia Dei est; tamen [d] cùm etiam ea causa est, quòd servus Dei est, cujus animam per- C sequantur; & liberalitas * admiscetur, & meritum *; atque ad Domini misericordiam, servi quoque & fides & nomen adjungitur: ut misericordia Dei quamquam omnibus promta sit, his tamen qui servi ejus sunt intelligatur assistere, per eum & in eo qui ait, Ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus & nunc & semper, & in omnia sæcula sæculorum. Amen. D

* ex parte Dei. * ex parte hominis.

Matth. 28. 20.

PSALMUS CXLIII.

Psalmus David in Goliam.

*BENEDICTUS Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad bellum, & digitos meos in prœlium. Misericordia mea & refugium meum, susceptor meus & liberator meus *. Protector meus, & in ipso speravi: * qui subjiciet populum meum sub me. Domine, quid est homo, quia innotuisti ei: aut filius hominis, quòd deputas eum? Homo vanitatis similis factus est: dies ejus sicut umbra prætereunt. Domine, inclina cælos tuos, & descende; tange montes, & fumigabunt; corusca * coruscantes, & dissipabis eos; emitte sagittas tuas, & conturbabis eos. * Emitte manum tuam de alto: eripe me, * & libera me de aquis multis, & de * manu filiorum alienorum. Quorum os locutum est vanitatem: & dextera eo-* E F

* Infrà additur *es tu*. * Infrà, *subjiciens*. * *coruscationes*. * *Emittes*. * abest *& libera me*. * *manu iniqua*.

*rum dextera iniquitatis. Deus, canticum novum cantabo tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi. Qui * dat salutem regibus: qui * liberat servum suum: de gladio maligno * eripe me. [* Et eripe me de manu filii alieni.] Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filii sicut * novellæ plantationes, stabilitæ in juventute sua. Filiæ eorum * decoratæ: & circumornatæ ut similitudo templi. Et promtuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fetosæ, abundantes in * itineribus eorum: boves eorum * crassi. Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt: beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.*

* *das.* * *liberas David servum tuum.* * *Erue.* * Hæc non exstant infrà. * *novella plantatio stabilita.* * *compositæ.* * *egressibus suis.* * *crassæ.*

TRACTATUS PSALMI.

1. ET huic quoque psalmo addendam hanc Septuaginta superscriptionem putaverunt, *Psalmus David in Goliam*; cùm neque in hebraicis libris [e] reperiatur, neque translatores alii quidquam aliud quàm simplicem titulum præscripserint, id est, *David*. Quod non sine spiritali ratione effectum fuisse psalmi ipsius textu docetur: nihilque hic psalmus proprium habet, quod ad gratulationem peremti Goliæ possit referri, cùm magis illic & gestis & tempori multa contraria sint. ℣. 1. ℣. 2.
Cùm enim dicitur, *Subjiciens populum meum sub me*, numquid tum David rex erat? aut quis tum ei populus subjectus est, si allophylorum * non erat suus? Sed ne ipse quidem Israel, Saül adhuc regnante, poterat esse subjectus. Deinde & illud, *Domine, inclina cælos tuos, & descende; tange montes, & fumigabunt; corusca coruscationes, & dissipabis eos*, quæ esse intelligetur ob humani belli tempus oratio? Aut cùm secundùm titulum Golia esset occisus, quid sibi hæ preces volunt: *Eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum?* Aut cùm rex tantùm unus in Israel esset; quid est istud quod dicitur, *Qui das salutem regibus?* Numerus plurium intelligentiam ejus temporis, quo unus tantùm habebatur, excludit. Sed cùm nec in hebræis libris ita sit, neque translatores ceteri horum aliquid addiderint; intelligimus septuaginta hos seniores sensum nobis spiritalis scientiæ reliquisse: ut in David & Golia bellum præfiguratum esse satanæ Dominique sciremus; cùm quando ne- ℣. 5. & 6. ℣. 7. ℣. 10.

Titulus à LXX. additus, de quo psalmum intelligendum indicet.

* subaud. populus.

[a] Mss. Reg. & Albin. *qua & eum à tribulatione educit, & eadem disperdit inimicos: qua* &c.
[b] Excusi, *vel in misericordiæ judicium temperatur*. Meliùs mss. *vel in misericordiam* &c.
[c] Editi, *incentivis arguatur*: castigantur ex mss. à quibus mox abest particula *verùm*, quæ salvo sensu potest adesse vel abesse.

[d] Lipsius expunctâ particulâ *cùm*, cetera perturbatè expresserat. Ea distinctiùs exhibemus ex Bad. Er. & mss.
[e] Immo teste Theodoreto neque in omnibus Septuaginta exemplaribus: sic enim habet, *In nonnullis exemplaribus inscriptioni additum inveni*, πρὸς τοῦ Γολιάθ. *Verùm neque apud Hebræum, neque apud alios interpretes, neque apud ipsos* LXX. *inveni in hexaplo.*

que superscriptio exstaret in libris, neque rebus gestis prophetiæ sermo concineret.

An ipsius David, an de David sint psalmi, latinus sermo non exprimit.

2. Affert autem plerumque nobis difficultatem intelligentiæ ratio latinitatis, quæ nominibus pronomina non est solita præponere: ut in David nomine accidit. Cessante enim pronomine, incertum est utrùm in illum, aut per illum psalmus exstiterit. Cùm enim scribitur *Psalmus David*; utrùm ab illo dictus sit, aut propter illum, ambiguum facit nominis sola præscriptio. Græcitas verò cùm per David psalmum scriptum esse significat, ita titulum inscribit, ψαλμὸς τοῦ Δαβίδ; at verò cùm de David vult psalmum qui sit scriptus intelligi, ita superscribit, τῷ Δαβίδ: discernens per utriusque pronominis propriam significationem, utrùm David scripti psalmi auctor, an causa sit: ut superscriptio psalmi istius continet, τῷ Δαβίδ, ita enim habet, id est, quòd propter eum vel illi potiùs, quàm ab eo scriptus sit. Ex qua etiam psalmi superscriptione monstratur, in eum hominem, quem Dominus assumsit in eo nascens, & quem David sæpissime nominari docuimus, psalmum hunc Spiritûs virtute & Prophetæ ore cantatum.

Psalmus hic de Christo.

℣. 1. 3. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas in bellum, & digitos meos in prælium.* Si ob id gratulationi interfecti Goliæ deputatur hic psalmus, quia dictum est, *Qui docet manus meas in bellum*; accipiant exemplum hoc personæ potiùs Domini convenire. Nam in septimo-decimo psalmo, qui totus ex persona Domini consistit, id ipsum dictum ita meminimus: Qui doces manus meas in prœlium, » & posuisti ut arcum æreum brachia mea. Quòd autem nihil in illum David referri possit, in omni quidem psalmo, sed maximè his dictis docetur: Audivit de templo sancto suo vo- » cem meam, & clamor meus in conspectu ejus » introivit in aures ejus. Et commota est & con- » tremuit terra, & fundamenta montium con- turbata sunt. Et illud: Clamaverunt, nec erat » qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudi- » vit eos. Et comminuam illos ut pulverem ante » faciem venti, ut lutum platearum delebo eos. » Eripies me de contradictionibus populi, con- » stitues me in caput gentium. Populus quem » non cognovi servivit mihi, ad auditum auris obaudivit mihi. Rebus ipsis inepta eorum intelligentia coarguitur, qui hæc David de se ipso dixisse contendunt: cùm omnia in eum hominem, quem Dominus in eo natus assumsit, secundùm spiritalem rationem & gesta conveniant.

Ps. 17. 35.

Ibid. 7. & 8.

Ibid. 42. &c.

Christus ut ad bellum passionis instructus. Johan. 16. 33. Ibid. 35.

4. Manus igitur ejus edoctæ ad bellum sunt, cùm sæculum vincit; Ego enim, ait, vici mundum: cùm extensus in crucem invictissimis armis ipsius passionis instruitur; Et posuisti, inquit, ut arcum æreum brachia mea: cùm de omnibus virtutibus ac potestatibus, in ipso se, trophæo gloriosæ crucis triumphat; & principatus & potestates enim traduxit cum fiducia triumphans eos in semetipso: cùm diffidentia inter se cælestia & terrena pacificat; Et in ipso,

Coloss. 2. 15.

Coloss. 1. 20.

[a] In ms. *non cognoverunt.* Aliter tamen legere solet Hilarius.

A inquit, reconciliari omnia in eum, pacificans per sanguinem crucis suæ sive quæ in terra sunt, sive quæ in cælis. Ad hoc igitur bellum manus ejus edoctæ sunt, in quo arcus ærei certamine * vincitur, dehonestatione potentes triumphantur, pace reconciliantur inimici. Sed post manuum bellum, succedit & digitorum prœlium. Omnis enim in eo habitus & pugna passionis ostenditur. Manus enim extenduntur, & digiti configuntur in palmis: vetus scilicet chi-

* Hic videtur deesse mundus.

Coloss. 2. 14.

B rographum, secundùm Apostolum, delens, & affigens illud cruci, etiam eas partes manuum commemorat in prœlio, cum quibus omnia veterum criminum peccata confixa sunt.

5. Dehinc sequitur: *Misericordia mea & refugium meum, susceptor meus & liberator meus es tu. Protector meus, & in ipso speravi.* Carent ista difficultate. Omnia enim in Evangeliis ista gesta ab eo atque dicta sunt: ut honorem majestatis paternæ per humilitatis nostræ confes- ℣. 2.

C sionem, quorum habitum assumserat, prædicaret.

6. Illud autem quod ait, *Subjiciens populum meum sub me*, non ex persona unius Judaici populi dictum existimandum est: cùm universitatem Ecclesiæ unum populum in psalmo alio nuncupaverit, dicens, Populus, quem non cognovi, servivit mihi. Quòd autem etiam hic qui eum non cognovit suus sit, Evangelia docent, cùm aiunt, In sua venit, & sui eum

Christi populus, non soli Judæi.

Psal. 17. 45.

Johan. 1. 11. & 9. [a]

D [a] non receperunt. In mundo erat, & mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit. Sed ne fortè hic populus, quem * cognovit & sibi servivit, non suus fuisse, quia non erat cognitus, existimetur; divina illa Moysi cantio errorem hunc omnem ambiguitatis excludit, dicens, Cùm divisisset Excelsus gentes, statuit fines gentium secundùm numerum angelorum suorum, & facta est portio Domini Jacob, funiculus hereditatis ejus Israel. Israel

* Hic desideratur non.

Deut. 32. 8. & 9. V. Tract. Ps. 2. n. 31.

E iste in hereditatem æternam fuerat electus: & ideo quia ille portio Domini erat, ceteri quasi incogniti habebantur, quia illi essent per privilegium portionis electi. Sui autem omnes; quia sibi quòd sunt, tamquam auctori suo debent.

7. Subditi autem ei sunt, cùm dicitur, Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det illi vitam æternam. Et illud, Omnia data sunt mihi in cælo & in terra.

Christo quando, cur, & quatenus data omnia. Johan. 17. 2. Matth. 28. 18.

F Data autem nondum ei primùm, quia jam in mundo erat per quem mundus erat factus, qui gloriam repetit quam ante constitutionem mundi habuerat apud Patrem: sed data post hominis assumtionem; quia ita dictum est, Qui cùm in forma Dei esset, formam servi accepit: propter quod exaltavit illum Deus, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Quid ergo, vel cui donatur? Non ei utique, qui in forma Dei erat, donatur ut Dei for-

Philip. 2. 7. & 9.

G ma sit; erat enim, & quia erat, jam non egebat hoc dono. Sed fuit causa donandi, quia qui in forma Dei erat, formam servi accepit; & se de forma Dei evacuans, formam servi

assumens, usque ad mortem obediens fuit. Obe- A dientiæ ergo illi, per quam habitus servilis assumitur, & ipsi habitui servili id donatur, ut quod erat [a] esset: in forma scilicet Dei esset. Damnum enim ad detrimentum sui [b] evacuatio formæ Dei nescit; assumtioni potiùs servili formam Dei rursus acquirens. Ita neque Virtus [c] in humilitatem, sese licèt cohibens, defecit ex sese, cùm quod erat est: & humilitas cohibitâ in sese Virtute suscepta, cùm quod non erat esse cœpit, profectum ejus quæ B à se non defecerat Virtutis accepit. Et hæc quidem evangelici sacramenti, & humanæ spei veritas est, humanam naturam corruptibilemque carnem per hujus gloriæ demutationem in æternam transformatam esse substantiam.

8. Sed hujus tamquam difficillimi facti admirationem, & maximæ ac pulcherrimæ spei donum, etiam præsenti psalmo propheticus sermo testatur, dicens ad id quod dixerat, C

℣. 3. *Subjiciens populum meum sub me; * Domine, quid est homo, quia innotuisti ei; aut filius hominis, quòd deputas eum? *

℣. 4. *Homo vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra prætereunt.*

Dei notitiâ indignus homo.

Psal. 8. 5.

Non differenter in octavo quoque psalmo proclamat Spiritus-sanctus: Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Confessio ista pulcherrima est, ut indignum se homo tanto munere ipse testetur. Et cùm se indignum confitetur, gratiam ejus D qui sibi hæc largiatur extollit. Quod enim meritum hominis est, ut ei se cognoscibilem Deus præstet, ut incognoscibilis natura cognitioni nostræ sese ipsa submittat? Aut quæ dignitas est filii hominis, ut deputetur? Deputatur autem, quidquid de eo in quo est in aliud destinatur. Rei naturam verborum virtus eloquitur.

Deputari quid.

Homo vanitati similis effectus, & cujus dies tamquam umbra prætereunt, per indultam cognitionem Dei deputatur. Vanitas sæculum E est, cujus habitus & forma tolletur. Deo enim inane est, quidquid quamvis exstet, tamen non ita subsistit ut maneat: & umbra quæcumque, etiamsi sit, tamen non est; quia cùm fit, abeunte eo per quem efficiebatur [d] eximitur. Homo itaque non umbra, sed umbræ similis; neque vanitas, sed similis vanitati per intercessionem mortis effectus; per indultam verò sibi cognitionem Dei deputatur. Et in quid deputetur, cognitio indulta testatur. Si F

Vanum est, quidquid transitorium.

enim cognitus fieri Deus homini, nisi assumto homine, non potuit; quia incognoscibilem cognoscere, nisi per naturam nostram, natura nostra non potuit; & per hanc cognitionem homo [e] qui deputatur, necesse est ut in id deputetur, in quo Deum ipse cognovit, scilicet, ut conformis Deo fiat, quia hæc sit deputatio cognitionis indultæ.

Homo quatenus Deum cognoscat, aut ad quid deputetur.

9. Et quia ex persona ejus hominis, quem Dominus assumsit, hæc omnis oratio est; scit cum quanta se dignitate Deus legibus mortis absolvat, & iniquorum manibus per gloriam resurrectionis abripiat, dicens, *Domine inclina* ℣. 5.
*cælos tuos, & descende; tange montes, & fumigabunt; * corusca coruscationes, & dissipabis eos; emitte* ℣. 6.
*sagittas tuas, & conturbabis eos. * Emittes manum* ℣. 7.
tuam de alto. Simile his dictis psalmo cujus superiùs meminimus continetur: Et inclinavit Ps. 17. 10.
cælum, & descendit, * & carbones succensi Ibid. 9.
sunt ab eo, & ignis à facie ejus [f] exardescet, & adscendit fumus in ira ejus. * Misit sagit- Ibid. 15.
tas, & dissipavit eos; & fulgura multiplicavit, & conturbavit eos. * Misit è summo, & ac- Ibid. 17. & 18.
cepit me, & assumsit me de multitudine aquarum. Eripuit me de inimicis meis fortissimis. In eo autem quòd fortissimos dixit, possumus intelligere quos dixerit: nempe de quibus Apostolus ait, Non est nobis pugna adversùs car- Ephes. 6. 12.
nem & sanguinem, sed adversùs mundipotentes, adversùs spiritales nequitias in cælestibus: satana ipso se in cor Judæ, ut Dominum trade- Luc. 22. 3.
ret, inserente. Sed & in hoc psalmo hoc contuendum est: *Corusca coruscationes, & dissipabis eos; emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.* Non illos superiùs, de quibus ita [g] memoraret, ostendit: quod necesse est ad montes hos referri, qui ad solum Dei tactum fumabunt. Et ne de terrenis istis montibus dictum existimemus, psalmo alio admonemur, cùm dicitur, [h] Ut quid suscepistis montes coagulatos? Et quantum intelligi conceditur, montes interdum Ps. 67. 17.
etiam diabolicas potestates, ut nunc in hoc loco, significari arbitramur: qui constitutiones divinæ legis transgressi, tamquam ex lactis sinceritate, vitiosa coaguli corruptione coagulaverint. Et hos esse potentissimos inimicos suos psalmus * anterior locutus est.

Inimici fortissimi, dæmones.

Montes, iidem.

* nempe XVII.

10. Descendit ergo Dominus inclinato cælo suo, non corporali motu, ut declinatum descendente eo cælum sit: sed per corporalem significationem spiritalis sensus instruitur, ut

Descensus Dei, & inclinatio cæli quid.

[a] hoc est, ut quod erat secundùm divinitatem, esset etiam secundùm carnem. Tum forma Dei, id est, gloria Dei.

[b] In vulgatis, *evacuata forma*. At in ms. *evacuatio formæ*: rectiùs, ut liquet ex lib. 9. de Trin. n. 14. qui locus cum hoc conferendus. Qua ratione assumtioni servili forma Dei acquiratur, Fragmentum quod ex Hilario laudat Arnobius lib. 2. de Confl. cum Serap. sic explicat: *Superavit enim magnitudo Domini parvitatem servilis formæ, ita ut ipsa servilis forma quam assumsit, cessaret esse servilis per eum Dominum qui eam assumsit.* Erit fortè qui hæc ita intelligat, ut Verbum non degenerarit in subsistentiam hominis assumti, sed homo potiùs profecerit in subsistentiam Verbi: quo sensu dixisse videtur Leporius in libello emendationis, *Caro igitur proficit in Verbum, non Verbum profecit in carnem: & tamen verè Verbum caro factum est.* Cùm tamen de profectu hîc sermo sit, quem Christus per obedientiam usque ad mortem acquisivit, de gloria potiùs quàm de subsistentia videtur intelligendus. Forma autem servilis cessat esse servilis, non interitu, sed demutatione naturæ: quatenus ex mortali, corruptibili & infirma, evadit æterna, incorruptibilis, gloriosa; quæ quidem non humanæ sunt, sed divinæ proprietates.

[c] Ms. Mic. *in humilitate.*

[d] Sic 1ª edit. Par. cum ms. At postrema cum Bad. Er. & Lips. *exinanitur*. Verbum *eximitur* cum eadem vi denuo recurret n. 15.

[e] Legendum videtur, *homo quid deputatur*; ac deinde, *necesse est ut in id deputetur*, *in quod*, non *in quo*, hoc est, cujus rei causâ Deum cognovit.

[f] Hîc obtinebat *exardescit*. At Hilarium legere solere *exardescet*, constat ex Tract. Ps. 64. n. 8. & 9.

[g] Sic ms. Mic. in quo paulò antè *nullos*, pro *non illos*. At apud Par. *memorat*: in aliis autem editis, *memorarat*. Vult Hilarius Psalmographum superioribus dictis non ostendisse ad quos referret pronomen *eos*, ubi subjicit *dissipabis eos*, *conturbabis eos*, nisi ad montes referatur.

[h] Ita ms. quomodo & in Psal. 67. n. 16. ex mss. restitutum est. At excusi, *ut quid suscipitis*. Montium nomine dæmones intelligendos esse jam ostensum est in Psal. 64. n. 8.

cùm Deo somnus, vigiliæ, memoria, oblivio, discessus & accessus adscribitur; quia [a] secundùm meritorum nostrorum differentiam, unicuique nostrûm aut dormiens aut vigilans, aut immemor aut recordans, aut desit aut adsit. Atque ita inclinatum descendente eo cælum est: quia [b] cum descendente eo ad assumendum hominem famulatus cælestis adstiterit, cùm Maria evangelizatur, cùm pastores æthereum cœtum & sonum vident atque audiunt, cùm post tentationem diaboli Angeli ministrant, cùm ipse totus [c] in forma licèt servi, tamen in paternæ majestatis virtute se gessit. Sic inclinatur cælum, cùm ad terras cælestium Virtus * honorque deducitur.

scil. Dei Filius.

11. In eo autem quòd tacti montes fumigant potiùs quàm uruntur, [d] cùm tamen id indicet quòd fumetur; deinde cùm coruscantibus coruscationibus dissipantur potiùs quàm illucescunt; tum quòd emissis sagittis conturbantur magis quàm configuntur: non sine maxima ratione spiritalis intelligentiæ ita dicitur. Et quidem jam & alius psalmus his paria significat, cùm ait, Præparans montes in virtute tua, accinctus potentiâ. Adventu enim Domini confracta & obtrita diaboli potestas est, cùm fidei sanctorum hominum subjectus est: non quòd non adhuc potentiæ suæ maximas habeat vires, sed per id quòd utcumque subjectus est, præsentis subjectionis conditione ultioni & pœnæ legitimæ præparatur: ut nunc per hanc eamdem subjectionem virtute Dei tactus fumet, licèt nondum totus uratur: sed per id quòd interim fumare potuit, & uri posse noscendus est. Uritur non ille tantùm, sed & omnes ejus. Non uni tantùm præparatus hic ignis est, Domino dicente, Abite in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo & angelis ejus. Hi ergo montes tacti à Domino fumabunt.

Psal. 64. 7. — Diaboli potestas qui confracta, etsi maxima.

Fumat, nondum totus uritur.

Matth. 25. 41.

12. Dissipabuntur etiam [e] per coruscatas coruscationes: lumen scilicet eorum de quibus dictum est, Vos estis lumen mundi, non ferentes. Domini namque adventus, tamquam fulgur ab Oriente usque in Occidentem apparens intelligetur. Sed interim coruscationes multæ sunt, id est, apostolicæ prædicationes, & splendor doctrinæ Dei, quæ condensam illam & conspiratam dæmonum virtutem coruscationis luce [f] dispergit.

Dei doctrinâ dispergitur. — *Matth. 5. 14.* — *Matth. 24. 27.*

13. Sagittæ etiam emissæ conturbabunt eos. Meminit eadem quoque prophetia & loco alio harum sagittarum: Sagittæ, inquit, parvulorum factæ sunt plagæ eorum: parvulorum, ut Apostolus ait, malitiâ, non sensu. Horum igitur, id est, fidelium ad innocentiam renatorum verba, tamquam sagittæ emissæ, illos fumantes montes conturbabunt: cùm regni cælestis beatitudo & æternitas prædicetur; cùm honor sæculi contemnatur, & Christi gloria speretur; cùm luxus & ebrietas relinquatur, & corpus jejuniis purgetur; cùm avaritia vincatur, & largitio exerceatur; cùm Virgines corpus suum oderint; cùm Viduæ fuisse virgines maluissent; cùm Confessores vitam suam detestentur; cùm mori Martyribus sit optabile. Et hoc totum sagittæ istæ, id est, doctrinæ & adhortationum verba præstiterint, quæ emissæ eos qui his adversabantur conturbant: cùm cessante regno eorum, Christi regni exspectatio prædicatur.

Psal. 63. 8. — *1. Cor. 14. 20.* — Fidelium doctrinâ à regno suo deturbatur.

14. Sed & ex alto manus Domini emittitur. Manum autem Dei Dominum nostrum Jesum Christum significari in Spiritu, non obscura doctrina est. Per eum enim facta sunt omnia. Et scriptum legimus, Manus enim, inquit, mea auxiliabitur ei: quia per filium Dei homo assumtus, laqueis mortis & judicio iniquæ damnationis per gloriam resurrectionis eripitur.

Manus Dei Christus. — *Ps. 88. 22.*

15. Sequitur enim: *Eripe me de aquis multis.* Aquas populos dici, usitata cognitio est, (ut etiam per Esaiam dicentem docemur, Propter hoc ecce Dominus inducet super vos aquam fluvii validam & multam, & regem Assyriorum,) quorum virtus atque vita in abolendum finem exemplo aquæ transfluentis elabitur. Ut hic idem Propheta ait; Perierunt sicut aqua præterfluens: quia natura earum, cessante incremento maris in quod feruntur, eximitur [g]. *Et de manu iniqua filiorum alienorum.* Dei enim esse destiterant, de quibus dictum est, Filii alieni inveteraverunt: & quibus dictum est, Vos è diabolo patre estis.

Aquæ, populi perituri. — *Esa. 8. 7.* — *Psal. 57. 8.* — Filii alieni, Judæi. *Ps. 17. 46.* *Johan. 8. 44.*

16. Sed non solùm filii alieni sunt, Dominum suum non recipiendo, sed etiam id quod sequitur: *Quorum os locutum est vanitatem.* Vanitas oris & [h] confessionis fuit illa, qua dictum est, Nos non habemus regem, nisi Cæsarem. Regem enim sæculi, id est vanitatis, populus in regnum æternum electus elegit. *Et dextera eorum dextera iniquitatis.* Iniqua dextera est, cùm palmis cædit, cùm virgis laniat, cùm calamo collidit, cùm coronam spineam coaptat, cùm clavo manus ac pedes figit, cùm fel aceto admiscet, cùm omnia iniquitatis opera consummat.

℣. 8. — *Johan. 19. 15.* — Dextera eorum qui iniqua.

17. Post quæ potenter à Domino gesta atque perfecta, novo nobis gloriosæ victoriæ erit cantico concinendum. Ait enim: *Deus*, *℣. 9.*

[a] Quod hîc, *secundùm meritorum nostrorum differentiam* &c. hoc in Psal. 120. n. 9. *Secundùm uniuscujusque mores ac studium unicuique Deus adjacet*: & paulò antè, *Secundùm fidem nostram aut vigilantem aut dormientem, Dei auxilium nobiscum aut vigilabit aut dormiet.*

[b] Particula *cum* hîc non conjunctionis, ut in vulgatis exprimebatur, sed præpositionis habet rationem, quasi *unà cum Christo descendente*, secus verò deinceps.

[c] quia nimirum ita latebat forma Dei, ut oculis carnalibus non appareret nisi forma servi. Hinc intelligere est quomodo pluribus in locis Christus gloriâ donatus, salvâ carnis substantiâ, prædicetur totus in forma Dei.

[d] Postrema editio Par. prætulit, quod apud Bad. Er. & Lips. *cùm tamen id quod fumat uratur, deinde* &c. Nobis magis probatur lectio ms. hoc est, cùm fumus ustionis index sit. Quia autem ignis cùm paratur, etiam fumat ante quàm ardeat; hac similitudine putat Hilarius demonstrari inchoatam dæmonum pœnam, qua interim legitima eorum ultio præparatur. *Fumus enim interim arsuri* aliquando *ignis præparatur*, inquit in Ps. 64. n. 9.

[e] In ms. *coruscata coruscatione*: quod ad Christum referri queat, hac nimirum intelligentiâ: Qui modò lumen Apostolorum non ferunt, quanto magis tunc Christi, cùm apparebit sicut fulgur?

[f] In vulgatis, *disperget*. Præferimus cum ms. *dispergit*: quia sermo est de eo quod nunc fit, donec succedat Christi coruscatio.

[g] *cùm videlicet ad solam sui abolitionem usque ad maria deferantur*, ut habet Tract. Ps. 57. n. 4.

[h] Ita ms. In vulgatis autem, *confusionis.*

Canticum novum, gentibus ob novam Dei notitiam.

canticum novum cantabo tibi, psalterio decachordo psallam tibi. Et quod hoc novum canticum sit, contuendum est. Plures autem novum canticum cantantes psalmi reperiuntur. Nonagesimus enim & quintus psalmus ita cœpit : Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra : & rursum, Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omni populo mirabilia ejus : & rursum, Commoveatur à facie ejus omnis terra, dicite in nationibus, Dominus regnabit. Hoc canticum novum, quod omnis terra cantat, quòd jam non intra Judææ [a] limbos atque fines cognitio ejus, qui omnia creavit, esse celebratur; quòd jam inter gentes gloria Dei invisibilis nuntiatur, quòd omnes patriæ gentium laudationem honoris debiti confitentur, quòd in nationibus Deus regnaturus ostenditur. Novum hoc inter tot errores sæculi canticum est, & errantibus antea gentibus inopinatus hic hymnus est : per quem Deus invisibilis, incorporeus, æternus, & justi judicii judex, & beatæ æternitatis rex esse cantatur.

Psal. 95. 1. — *Ibid. 3.* — *Ibid. 9.*

Alterum ob mirabilem Christi resurrectionem. *Psal. 97. 1.*

18. Est & nonagesimus-septimus psalmus canticum novum cantans : Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus. Sed nescio an idcirco sit cantico novo cantandum, quia mirabilia Deus fecit. Olim [b] cælum pulcherrimum atque immobile manet, olim in eo astra indefessis officiorum suorum cursibus perseverant, olim tempora alterno & indemutabili recursu temperantur, olim terra annuis fructibus dives est, olim homo maximè mirabile opus Dei nascitur: & si nihil postea Deus mirabile cùm hæc creavit adjecit, quæro quod novum canticum ob mirabilia facta cantandum sit. Et non diu nos psalmus patitur errare. Ob quæ enim mirabilia novum canticum cantaret, ostendit dicens, Liberavit eum dextera » ejus & brachium sanctum ejus. Notum fecit » Dominus salutare suum ante conspectum gentium. Hoc novum canticum est, hoc mirabile Dei est : quòd liberavit eum dextera ejus, quòd sibi ipsi salutem virtus sua tribuit. Potestatem enim, inquit, habeo animam meam ponendi, & potestatem habeo animam meam resumendi. Non externo eguit unigenitus Dei filius ad salvandum hominem, in quo nasci voluit, auxilio, * & in gloria paternæ majestatis manens sua in se usus est potestate : per quam resurrectionis gloriam Salutare suum notum gentibus fecit, cùm in eo naturæ suæ carnem in æternæ salutis substantiam transformatam esse cognoscunt.

Ibid. 1. & 2. — *Johan. 10. 18.* — * *f. sed.*

Aliud ob indultam sanctis judicandi potestatem. *Ps. 149. 4. &c.*

19. Cantat & centesimus-quadragesimus-nonus psalmus canticum novum. Et cur sit hoc canticum novum, mox Propheta subjecit, dicens, Exaltabit mansuetos in salutem. Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubili- » bus suis. Et exsultationes Dei in gutture eo- » rum, & gladii bis acuti in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, in- « crepationes in populis, ad alligandos reges « eorum in manicis & compedibus, & nobi- « les eorum in vinculis ferreis; ut faciant in « his judicium conscriptum, gloria hæc est « omnibus sanctis ejus. Hoc canticum novum « est, Dei sanctos judicii æterni sumere potestatem. Sancti enim, secundùm Apostolum, mundum judicabunt. Hoc igitur novum cantatur à nobis, ultio in nationes, arguitio in populos, manicæ & compedes regum, & nobilium vincula ferrea, & conscripti in eos judicii sententia.

1. Cor. 6. 2.

Psalterium decachordum.

20. Quod etiam in hujus psalmi novo cantico simile cantatur : *Deus cantionem novam cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi, qui das salutem regibus.* In decachordo igitur psalterio, id est, vel quòd decem chordarum illud psalterium sit, vel quòd decem verborum organo atque gestis cantio nova ista cantatur : vel quòd homo ipse decem quibusdam chordis manibus ac pedibus extentus, perfectus spiritalium operum suorum gestu motuque sic psallat, ut cantionem novam hanc cantet. *Qui das salutem regibus :* regibus quibus dictum est, Venite benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi : qui nobiles ligabunt, qui reges manicis & compedibus constringent, qui judicabunt, arguent, vindicabunt.

℣. 10. Reges, regni Dei consortes. *Matth. 25. 34.*

Christi liberatio, salus regum.

21. Et quomodo salus regibus detur, ostendit : *Qui*, inquit, *liberas David servum tuum :* eum nempe David, de quo hic idem liber ex persona Dei patris alio psalmo prophetat : Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim « mea auxiliabitur ei. Ipse invocabit, Pater meus « es tu, Deus meus, susceptor salutis meæ. Et « ego primogenitum ponam eum, excelsum su- « per omnes reges terræ. Et sedes ejus sicut sol « in conspectu meo, & sicut luna perfecta in « æternum, & testis in cælo fidelis. Et rursum « in psalmo eodem ex persona ejus ad Patrem : « Sicut jurasti David in veritate tua, memor « esto Domine opprobrii servi tui, quod conti- « nui in sinu meo multarum gentium. Quod ex- « probraverunt inimici tui Domine, quod ex- « probraverunt commutationem Christi tui. Opprobria multarum gentium in sinum suum David hic unus excepit. Ipse enim peccata nostra suscepit, & infirmitates nostras portavit; livore ejus nos sanati sumus. Ita dum hic David liberatur, & legi mortis eximitur, salus quoque regibus datur. Ipse est enim primogenitus ex mortuis. Et ut in Adam omnes morimur, ita & in Christo omnes resurgemus. Liberatio ergo ejus, salus regum est. Regnabunt enim conformes gloriæ suæ, per assumtam ab eo naturæ nostræ [c] conjunctionem, rursum omnes in naturæ ejus communione mansuri.

Ps. 88. 20. &c. — *Ibid. 50. &c.* — *Esa. 53. 5.* — *Coloss. 1. 18.* — *1. Cor. 15. 22.*

[a] In ms. *libros atque fines.*

[b] hoc est, jam ab antiquis ac primis temporibus.

[c] Bad. Er. & Lips. *conditionem* : quod & prætulit postrema editio Par. Retinemus cum prima & ms. *conjunctionem*, id est, societatem; sic enim habetur in Psal. 67. n. 37. *Mirabilis ergo in sanctis Deus est, quos cùm conformes gloriæ corporis sui fecerit, per se qui Mediator est, etiam in unitatem paternæ majestatis assumet : dum & in eo per naturam Pater est, & ille rursum per societatem carnis in nobis est.*

22. Eripitur

22. Eripitur ergo hic David de gladio malignorum. Spiritum enim Jesus posuit cùm voluit : nec exspectavit ut animam impressum vulnus emitteret. Jus animæ ejus manus irreligiosa non habuit. Ait enim, *De gladio mali-*
Johan. 19. 34. *gno erue me.* Quamquam enim exanimis jam corporis latus miles transfoderit, usus est ministerio sævitiæ : ceterùm potestas spiritûs emittendi, causam violandæ in se animæ non reliquit.

Falsæ felicitatis opinio reprobatur.
23. Consummat deinde cantionem novam novæ confessionis hymno, terrena judicia & sæcularium bonorum gaudia falsa condemnans,
ỷ. 8. cùm ait, *Quorum os locutum est vanitatem, &*
ỷ. 12. *dextera eorum dextera iniquitatis : * quorum filii sicut novella plantatio stabilita in juventute sua.*
ỷ. 13. *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ quomodo similitudo templi. * Et promtuaria eorum plena,*
ỷ. 14. *eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fetosæ, abundantes in egressibus suis : * boves eorum crassæ.*
ỷ. 15. *Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. * Beatum dixerunt populum cui hæc sunt : beatus populus cujus Dominus Deus ejus.* Et hæc sunt, quantum arbitror, hujus sæculi bona communi universorum beata judicio, res sæculi loqui atque agere, rapere aut emere honores, sub pretio falso ditescere, gloriari in adultæ ætatis liberis, quorum efflorescentes anni novellæ exsultationis firmitate confidant, optare speciosi corporis filias, atque eas in modum templi damno inutili pecuniæ ingentis ornare, multiplicatis horrea fructibus rumpere, quæ congestas opes in promtuaria alia angusta his quæ in se conduntur eructent, geminatis quoque oves fetibus velle, quas egressas nullus feræ occursus imminuat, delectari boum suorum saginâ, circumsepta etiam domorum firma præbere, ne transeundi per ea cuiquam sit potestas ; non flere, non lugere, non gemere, sed prospero felicitatis suæ cursu nullâ adversæ calamitatis molestiâ impediri. Beatum hunc populum cui hæc essent dixerunt : sed Propheta scit falsam esse hujus beatitudinis opinionem. Quid enim hæc tot & tanta sæculi bona ad vitam, quæ morte intercipienda esset, acquirent ? Et ideo qui populus beatus esset, ostendit dicens, *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.* Deus ille Dominus, qui cùm superiora hæc terrena præstiterit, æternitatem tamen illis qui his rectè utentur impertiet : qui coheredes nos Filii sui in ipso ante constitutionem sæculi elegit, qui erit Deus omnia in omnibus : [a] ipsi gloria, laus, honor, virtus, imperium Patri in Filio, Filio in Patre & in Spiritu-sancto, & nunc & semper & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLIV.

Laudatio ipsi David.

EXALTABO te Deus meus & rex meus, & benedicam nomen tuum in sæculum & in sæculum sæculi. Per singulos
A *dies benedicam te, & laudabo nomen tuum in sæculum & in sæculum sæculi. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis. Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt. Et magnificentiam majestatis tuæ, & sanctitatem tuam loquentur, & mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum*
B *dicent, & magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & * justitiam tuam exsultabunt.* * Infrà, *justitiâ tuâ.*
*Miserator & misericors Dominus, * & pa-* * abest &.
*tiens & multæ misericordiæ. Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui * benedicant te. Con-* * *confiteantur tibi. Gloriam.*
C *fiteantur tibi, gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur : ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum * re-* * non repetitur *regnum.*
*gnum omnium sæculorum : & dominatio tua in omni generatione & progenie. Fidelis Dominus in verbis suis, & sanctus in omnibus * suis.* * additur *operibus.*
*** Suffulciet Dominus omnes*
D *qui corruunt, & * corrigit omnes elisos.* * *Suffulcit. ruunt.*
*Oculi omnium in te sperant, * & das es-* * *erigit.* * *Domine & tu das.*
*cam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omnem animam beneplacito. Justus Dominus in omnibus viis suis : & sanctus in omnibus operibus suis. Propè est Dominus * omnibus invo-* * abest *omnibus.*
cantibus eum, omnibus invocantibus eum in
E *veritate. Voluntatem timentium se * facit,* * *faciet.*
*& orationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos. * Custodiet Dominus omnes dili-* * *custodit Deus diligentes.*
*gentes ipsum, & omnes peccatores disperdet. Laudationem * Dei loquetur os meum,* * *Domini.*
& benedicat omnis caro nomen sanctum ejus in sæculum & in sæculum sæculi.

F

TRACTATUS PSALMI.

Christus hoc psalmo nomine David laudatur.
1. ABSOLUTUS est psalmus, Dei tantùm laudibus occupatus. Sed & titulus ipse solam contineri in psalmo prædicationem Dei edocet. Adjecto autem, secundùm græcitatis consuetudinem, nunc quoque ut in ceteris aliis pronomine, ostendit illum David isto laudante laudari. Et quis
G hic sit, quem psalmus hic laudet, clamant omnium temporum omnes prophetiæ, ut hic ipse Propheta sæpe de eo ita contestatus est : Se- Psal. 44. 7. & 8.
des tua Deus in sæculum sæculi, virga æqui-

[a] Singularis est hæc clausula per doxologiam totius Trinitatis, cùm ceteri Tractatus solius Filii benedictione claudi soleant.

» tatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus. Et rursum: Et adorabunt eum omnes reges, & omnes gentes servient ei. Erit nomen ejus benedictum in sæcula, ante solem permanet nomen ejus. Et benedicentur in eo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. Hujus igitur laus cantatur hoc psalmo, ex cujus persona dictum meminimus, Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Posce à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea. Cujus regni perennitatem Daniel ita contestatus est, dicens, Et in diebus regum illorum excitabit Deus cæli regnum aliud, quod numquam corrumpetur usque in sæcula, regnumque ejus alteri populo non relinquetur: comminuet & ventilabit omnia regna, & hoc regnum * in æternum. Et rursum: Et ecce cum nubibus cæli, sicut filius hominis veniens, & usque ad vetustum dierum pervenit, & oblatus est ei, & datus est ei principatus & honor & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ servient ei, & potestas ejus potestas perpetua quæ numquam transibit, & regnum ejus non corrumpetur. Hic igitur rex laudatur per ista, quæ psalmo continentur, *Exaltabo te Deus meus & rex meus:* & per illud, *Sancti tui confitebuntur tibi, gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. Notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & progenie.*

[Margin: Ps. 71. 11. & 17. — Ps. 2. 6. &c. — Dan. 2. 44. — * subaud. stabit. — Dan. 7. 13. & 14.]

[Margin: Dei ad admirationem instituimur.]

2. Et quamquam hîc ob æterni regni gloriam, qua sanctis conregnantibus ipse regnabit, laus Deo Prophetæ confessione cantetur; tamen ita laudationis ipsius ratio & ordo dispositus est, ut ea, quæ de eo dicta sunt, ex sensu communis intelligentiæ prædicentur: ut in quantum humani sermonis consuetudo permittit, de immensa illa & incomprehensibili Dei natura, licèt non ad perfectam cognitionis veritatem, tamen ad admirationem nos ingentis illius, quæ ejus est, virtutis instituat. POSSUMUS enim eum maximè quantum in nobis est admirari: cognosci autem à nobis quantus ipse est non potest.

[Margin: Patris aut Filii laus est mutua.]

3. Verùm cùm in omni psalmo simplex Dei & absoluta laudatio est; meminisse debemus Patrem in Filio, & Filium in Patre laudari: & cùm ex substantiæ similitudine ac proprietate naturæ alter in altero sit, & ambo unum sint, & qui videt Patrem, videat & Filium, * non differre quis ex duobus laudari existimetur; cùm utrumque sibi invicem & virtutis atque operum similitudo, & indifferentis naturæ ex Patre Deo genita & in Filio Deo nata divinitas unum eos esse testetur.

[Margin: * subaud. meminisse debemus.]

4. Cœptus ergo ita psalmus est: *Exaltabo te Deus meus & rex meus, & benedicam nomen tuum in sæculum & in sæculum sæculi.* * *Per singulos dies benedicam te, & laudabo nomen tuum in sæculum & in sæculum sæculi.* Ratio & virtus propheticæ magniloquentiæ per intentam audiendi diligentiam noscenda est. Ait enim, *Exaltabo te Deus meus & rex meus.* Multi Deum per ea, quæ in operibus mundi ab eo instituti cognitioni nostræ sunt subjecta, magnificant: sed pauci sunt, qui regem sibi futurum velint credere, dum aut curam negant [a] humanorum operum Deo esse, aut ad consolandam eorum quæ impiè egerunt conscientiam, præsumta animæ & corporis abolitione, nolunt divinum in bonos & malos constitutum esse judicium. Sed Propheta hinc prædicandi Dei sumit exordium, quòd sibi rex sit. Sed & nunc quidem nomen ejus, qui sibi rex atque Deus sit, ob exspectationem regni benedicit, cùm ait, *Benedicam nomen tuum in sæculum.* Sed quia scit se gratiam Deo atque regi suo, etiam tum cùm in regno ejus maneat, debere; quia demutata caduci corporis sui infirmitate, depulsoque inimicæ mortis imperio, regi suo conformis & coæternus adsistat: adjecit, *& in sæculum sæculi*, id est, in illo sæculo, quo, habitu sæculi hujus exemto, [b] jam ut sæculum sæculi, æternitatis successione renovabitur.

[Margin: ℣. 1. — ℣. 2. — In eos qui Dei providentiam aut animæ negant immortalitatem.]

5. Et in hoc quidem sæculo quisque benedicens Deum potest non semper in benedictionis officio permanere, dum [c] aut luctu impeditur, aut metu occupatur, aut ægritudine anxius detinetur; & aut torpescente animo, aut ingrato, in benedictionibus Dei mutus est. Sed perfectio prophetalis fidei ab istiusmodi infirmitatum demutationibus libera est, dicens, *Per singulos dies benedicam te.* Nullum vacuum habet tempus, & dies ei nulla est otiosa, quin semper in benedictionum confessione versetur. Accidit autem frequenter, ut de quibus bene loqui possimus, laudare eos non possimus. Abstinere à malo, benedictione dignum est. Sed solùm malum non admittere, non habet laudem, nisi mali abstinentiam etiam gloria boni operis consequatur. Et beneficium quidem in nos benedicere possumus; quia natura exigit, non obtrectare nos illis, quorum benevolentiâ confovemur: sed si & aliis vitiis adspersi sunt, nostro quidem commodo benedicuntur, sed veri judicio non prædicantur. Perfectio autem Dei nihil in se esse patitur pro parte. Nam ut benedictus, ita & laudabilis est; habens & ex his, quibus beneficentiâ in nos suâ utimur, benedictionis nostræ confessionem, & ex perfectarum in se virtutum admiratione præconium. Ob quod benedicturus per dies singulos

[Margin: Benedictionis & laudis discrimen. Utrumque semper debemus Deo.]

[a] Ita affectus videtur Tullius, ut hoc verum esse voluisset; cùm de Stratone præmittens lib. 4. quæst. Acad. *Ipse autem singulas mundi partes persequens, quidquid aut sit, aut fiat, naturalibus fieri aut factum esse docet ponderibus & motibus;* exinde subjicit, *Sic ille & Deum opere magno liberat, & me timore. Quis enim potest, cùm existimet à Deo se curari, non & dies & noctes divinum numen horrere.* Si hæc gentilis de Dei providentia incertus; quid sentire debet Christianus, cui certò constat opposita sententia.

[b] In vulgatis, *jam in sæculum.* Rectiùs in mſ. *jam ut sæculum.* Sic in Psal. 118. litt. 6. n. 7. *Ait enim sæculum sæculi, tamquam temporis tempus, quod succedente quadam vicissitudine hujus sæculi sæculum sit futurum.*

[c] In mſ. *aut loco impeditur.*

a Propheta, etiam id adjecit, *Et laudabo nomen tuum in sæculum & in sæculum sæculi.*[a] Cùm benedictum laudat, & laudat in sæculum sæculi; in nullo Prophetæ officium infirmum est, nec benedictione, nec laude, nec tempore.

℣. 3.

Prima laudandi Dei ratio, ejus infinitas.

6. Dehinc sequitur: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Hæc Dei prima & præcipua laudatio est, quòd nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum & magnitudinis suæ habeat & laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur: artus ad id sensus noster est, ingenium hebes est, sermo mutus est. Finem magnificentia ipsius nescit: & aliquam ementiendi se opinionem immensa magnitudo non patitur. Extenta ubique, extenta semper est, hanc habens infinitatis suæ laudem: ceterùm omnem intelligentiam infinitæ hujus in se qualitatis excedens.

A quibus laudandus.

℣. 4.

7. Et quia hæc vel immensæ magnitudinis cognitio, vel laudatio operum Dei non omnium gentium est; quibus à constitutione mundi vita & sensus fuisset futuraque esset, consequenter subjecit: *Generatio & generatio laudabit opera tua.* Non utique generationes & generationes, quæ & temporibus & gentibus multæ atque adversæ sunt: sed *generatio* quæ ab Abraham[b] cœpit, quæ per signum circumcisionis deputatur in Legem; *& generatio* quæ renovatur in Christo, quæ ex doctrinis propheticis ad fidem evangelicæ justificationis instruitur. Harum igitur generationum proprium est, Dei opera laudare.

Laudandus Deus quia in factis potens, c

8. Laudari opera Dei non alia ratio admonet, quàm quòd omnia ab eo potenter effecta sunt:[c] quia præconium habeat, non aliquid egisse, sed potenter egisse. Et ideo subjecit, *Et potentiam tuam pronuntiabunt.*

d magnificis,

℣. 5.

9. Sed potentia operum ea demum prædicanda est,[d] quæ magnificentiæ exæquetur operantis: ut potentis magnificentiæ potens intelligatur operatio. Ob quod consequitur: *Magnificentiam majestatis tuæ.*

Sanctus seu beneficus,

10. Sed magnificentia, si quod in se est tantùm sibi habeat, habet admirationem, non habet laudem: & otiosa aliis est potentis operatio, nisi per operantis sanctitatem usum aliquem ex se illis qui laudabunt & admirabuntur impertiet. Ex quo competenter hoc sequitur, *Et sanctitatem tuam loquentur.* Et sanctitas quidem jam bona est, neque tantùm sibi proficit: neque hoc quod ex se est, intra usum commodi proprii consumit. Nam etiam ad provocandam in se aliorum beneficentiam, sanctitatis officiis sese ipsa commendat. Sed ni-
A hil de se dignum admiratione præstabit, si sibi sola sit. At verò hoc proprium est & admirabile sanctitatis, cùm hoc quod in se est, in usum aliorum quibus est sancta concedat: ipsa aliquo non egens, nisi fortè per benevolentiam eo tantùm, ut se alius utatur. Ad id ergo quod dictum est, *Et sanctitatem tuam loquentur;* meritò subjecit, *Et*[e] *mirabilia tua narrabunt.* e

malis terribilis,

11. Et mirabile quidem est, sanctitatem ni-
B hil sibi proficientem in usum alienæ beatitudinis exuberare: sed mirabilius est, sanctitatem plenam esse[f] terroris; ne si non indiscretam se utentibus aut abundantibus præstet, dum bonis ac malis promiscua est, & tamquam ex naturæ necessitate se præbens, admirationem non habeat sanctitatis. Et idcirco mox subdidit, *Et virtutem terribilium tuorum dicent*: ut sanctitatem loquentes, & mirabilia narrantes, dicant quoque terribilium virtutem; media
C admiratione inter sanctitatem atque terrorem, dum & terror suavis & terribilis suavitas admirabilem facit & terrorem suavem & terribilem suavitatem. f ℣. 6.

magnus sine modo.

12. Ob quod ingentem hanc admirandæ temperationis magnitudinem Propheta intelligens, subjecit, *Et magnitudinem tuam narrabunt.* Magnitudinis enim infinitæ est, in Deo quod terribile est suave esse, & quod suave est esse terribile. Magnitudo autem non ha-
D bet modum: ne si moderata sit, jam magnitudo non sit per id, quòd modo non caret. Ut ergo propriæ admiratio sanctitatis atque terroris in magnitudinis suæ infinitate consistat;[g] mansura est & semper & abundans, nec tempore definita nec copiâ. Et idcirco connexuit, *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt*: quia nec memoria oblivione intercipitur, nec abundantia per inopiam detrahitur.

g Bonus semper & abundanter. ℣. 7.

Bonitatem Dei justitia moderatur.

E 13. Tenuit autem ordinem Propheta orationis; ut memoriam & abundantiam suavitatis, conditione & moderatæ & conservatæ magnitudinis temperaret, dicens, *Et*[h] *justitià tuà exsultabunt.* Infinita quidem est memoria & abundantia suavitatis; quia nequaquam Deus aut obliviscitur esse suavis, aut desinit; sed infinitatem memoriæ atque abundantiæ justitia interjecta moderatur. Moderatur autem non præbendi modo, sed utendi: dum h

scil. utendi modo, non præbendi.

F quod per abundantiam & memoriam Dei semper æquis omnibus patet, id ab iniquis utendi indignitate non capitur. Sanctitas Dei iter populo suo diviso mari præbuit: sed eadem sanctitas & terribilis fuit virtus, cùm ingressis in ipsum iter impiis, ubi fuerat salus religioso-

[a] Mss. Mic. ac prima editio Par. *cùm benedicit, cùm laudat in sæculum* &c.

[b] Non quòd velit Hilarius ante Abraham defuisse, qui Dei opera laudarent, cùm passim doceat, *in mandatis Dei jam à sæculi institutione perrectum.* Hæc autem disertè declarans in Ps. 118. litt. 5. n. 8. subjicit, *In hac enim semita & Abel cucurrit, & Seth institit, & Enoch placuit, & Noe reservari meruit, & Melchisedech* &c. Neque verò illi, nisi Deum ejusque opera laudando placuerunt. Hoc igitur tantùm sibi vult, generationem ac populum peculiarem, qui Deum laudaret, ab ævo Abrahæ cœpisse segregari.

[c] In vulgatis, *qui.* Rectiùs in mss. *quia.*

[d] Editi, *qua magnificentiam exequatur operantis*: emendantur ex mss.

[e] Origenes apud Corderium *mirabilia* interpretans *miracula quæ in beneficium quorumdam fiunt*, hunc Hilarii locum non mediocriter illustrat. Sanctitatem loquuntur populi, quæ miraculis sibi comperta fuerit.

[f] Apud Bad. Er. & Lips. *erroris, nisi non* &c. corruptè. Tum etiam apud Par. retentum est *nisi non.* Totus hic locus jam emendatur ex mss.

[g] Sic prima editio Par. cum mss. Ceteræ autem, *mensura est*: quod nequit stare cum proximè dictis, *non habet modum* &c.

[h] Editi, *justitiam tuam*, græco textu & mss. refragantibus.

rum, ibi pœna constitit impiorum. Circumstant alios firmitate muri solidatæ undæ, alios refusæ ipsæ illæ quæ constiterant absorbent. Ad istos pelagus naturam suam nescit; hos per naturam suam punit. Ad istos ex mari terra est; istis quod erat mare est. Horum salus sanctitas est; horum mors terror est. Aut cùm tribus pueris in camino cantantibus, circumstantes flammis quas illi non sentiunt aduruntur, illis in roris humore ignis temperatur, hos exæstuans ignis amburit. Ipsæ intus B extráque flammæ sunt, quarum, pro diversitate meritorum, & deficit à se natura, nec deficit. Nam quod est, manet erga eos ignis esse quos urit; & quod [a] non est, necesse est in his esse quibus ros est. Atque ita magnitudinem memoriæ & sanctitatis Dei justitia sola moderatur; cùm per justitiam Dei ad iniquos atque justos, & terrorem sanctitas, & terror temperet sanctitatem.

** supple, hominum. Justitia Dei misericors, & misericordia justa; non sic hominum.*

14. Et justitia quidem * recta atque utilis est: C sed tamen eadem ipsa aliquando prædura est; ita ut sibi uti bonitate non liceat, dum pro diversitate judicii decernendo quod justum est, fit severa. Sed DEI JUSTITIA justitiæ non coæquatur humanæ. Neque enim naturæ legi subdita est, per quam est lex statuta naturæ: ut necessitatem non habeat bona non esse, cùm justa sit. Habet Dei justitia miserandi voluntatem: neque tamen per miserandi voluntatem ita à se erit demutata, ne justitia D sit. Humana autem justitia solet in id devenire, ne misericors sit; & misericordia ita se præstare, ne justa sit. Misericordia enim [b] non erit, si miserabiliter inopi calumnianti jus opulentioris invideas, si feminæ lacrymas viri præferas contumeliæ, si cæci convicia non putes arguenda. At verò è contrario misericordiam justitia non tenebit, si furem unius nummi, ut furem ingentis thesauri plectas; cùm ta- E men in uno nummo thesaurum habuerit qui amisit: ut adolescentem in uno tantùm & eodem infami adulterio irretitum, pari in morte, ut plurium adulteriorum artificem, [c] pœnarum quæstione vexabis; cùm tamen crimen sit mortis in utroque. Hæc atque istiusmodi im-

A perfectam faciunt & misericordiam & justitiam humanam: Dei autem justitiam misericordem præstat criminosorum pœnis indulta patientia. Qui cùm contra morem humanæ impatientiæ non festinat punire, miseratus est: tenens justitiam in pœna, post misericordiam non proficiente patientiâ; habens misericordiam in pœna, post patientiam [d] exserendo justitiam. Non enim Deus rapit humanorum criminum occasiones, neque tamquam infirmitatis nostræ naturæque nescius, ipsum illud ad pœnam erroris & peccati nostri tempus [e] invadit: sed dissimulat & differt, & pænitentiæ solatium dilatione ultionis exspectat; suavem se omnibus præstans, dum per misericordiæ & justitiæ modum, temperandæ severitatis indulgentiæ se reservat.

Patientia Dei erga peccatores.

15. Hoc in Deo præcipuum, hoc in potente laudandum: non cælum fecisse, quia potens est; non terram fundasse, quia virtus est; non annum astris temperasse, quia sapiens est; non hominem animasse, quia vita est; non mare in accessus ac decessus movisse, quia spiritus est: sed misericordem esse, qui justus est; sed miserantem esse, qui rex est; sed dissimulantem esse, qui Deus est. Ad id enim quod dictum est, *Justitiâ tuâ exsultabunt*, tamquam necessarium sequitur: *Miserator & misericors Do- ŷ. 8.
minus est, patiens & multæ misericordiæ.* * *Sua- ŷ. 9.
vis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Quòd enim potens est, naturæ suæ virtus est: quòd autem misericors est, salutis nostræ profectus est. Et PLUS EST, non suis uti, sed aliis præstitisse quæ sua sunt: atque ideo præstat ceteris Dei operibus misericordia, quia magnifica ejus operatio virtutis suæ res est, misericordia verò ejus usus alienus est.

Misereri, præcipuum Dei opus.

** Cur.*

16. Ob quod tamquam in apice ipse divinarum ob misericordiam laudum Propheta consistens, debitum Deo honorem veluti publicæ confessionis ostendit, dicens, *Confiteantur tibi ŷ. 10.
Domine omnia opera tua, & sancti tui confiteantur tibi.* * *Gloriam regni tui dicent, & potentiam ŷ. 11.
tuam loquentur:* * *ut notam faciant filiis homi- ŷ. 12.
num potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ*

Immortalitatis nostræ probatio.

[a] Vocabula, *non est*, desiderantur in priùs vulgatis: supplentur ex ms. Post illa subintelligendum, *nempe ros*. Potest & tota phrasis sic inverti: *& quod est, necesse est in his non esse quibus ros est.* Ut enim habetur lib. 10. de Trin. n. 44. *Naturam suam in his & corpora & ignis amittit; nam neque illa uruntur, neque ille urit: & tamen in ceteris in natura sua est & ignis & corpus; nam circumstantes ardent.*

[b] Hîc aut adjiciendum, aut subintelligendum *justa*. Mox apud Bad. Er. & Lips. *si feminæ lacrymis viri præferas contumelias*: minùs ad rem.

[c] Editi, *pœna, non quæstione*: emendantur ex codice Miciacensi, cujus lectionem confirmat Cod. Theod. l. 4. *quorum appell.* ubi sancitur ut adulterii crimen *quæstionibus adhibitis approbetur*; atque *ita sacrilegos nuptiarum tamquam manifestos parricidas insuere culeo vivos, vel exurere judicantem oporteat.* Eidem suffragatur celebris Hieronymi epistola 49. *de muliere septies icta*, sic ab eo inscripta, quia mulier innocens unà cum juvene adulterii accusata toties percussa est, cùm juvenis malens se reum fateri, quàm diuturnos acerbissimæ quæstionis cruciatus perferre, capite truncatus esset. Ambrosius quoque lib. de lapsu Virg. consecr. c. 5. n. 20. innuit mortis pœnam in adulteros decretam. Demum Justinianus Novella 134. c. 10. Constantini constitutionem de pœna adulteris infligenda probat atque confirmat. Hunc legis tam severæ primum auctorem multi faciunt. At eam ante Constantinum viguisse non inficias ierit, qui apud Eusebium lib. 4. hist. Eccl. c. 17. edit. Val. legerit, *Cùm Urbicius Ptolemæum ad supplicium duci jussisset, Lucius ... sic Urbicium allocutus est: Quid causæ est, ut hominem neque adulterii, neque stupri convictum, nec homicidam, nec furem .... condemnaveris.* Ptolemæus autem M. Aurelio imperante passus est: jam tum igitur mortis pœnâ plectebantur adulteri. Ita auctor passionis S. Vincentii in Actis sincer. Mart. pag. 392. n. 5. inter crimina, quæ capitalibus pœnis obnoxia erant, adulterium recenset. In iisdem actis pag. 141. Achatius Martiano Consulari Decii Imperatoris præfecto sibi jubenti, *Aut sacrifica, aut morere*, respondet: *Jus publicum punit scortatorem, adulterum, furem, corruptorem sexus virilis, maleficum & homicidam. Horum si reus sum, ante vocem tuam jam ipse me condemno.* Ad hæc Arnobius lib. 4. contra gentes deorum gentilium adulteria exprobrans, *Homines*, inquit, *adulteria legibus vindicant, & capitalibus eos afficiunt pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis se lectuli expugnatione dejecisse.* Postremò Augustinus lib. 3. de Civ. Dei c. 5. ubi ait, *Antiqui Romani .... adulteras feminas, quamvis aliqua damnatione, non tamen morte plectebant*; significare videtur alium apud posteriores morem obtinuisse. Neque necesse est moneamus antiqua lege cautum Deut. 22. 22. ut adulter & adultera morte punirentur.

[d] Hîc, ut & aliàs, in vulgatis substitutum erat *exercendo*.

[e] hoc est, non statim punit, atque erramus aut peccamus, seu ut habetur in Psal. 128. n. 8. *non inter exordia humanæ iniquitatis promtus ad pœnam, sed desinendi à criminibus seram licèt voluntatem peccatoris exspectans.*

℣. 13. *regni tui.* * *Regnum tuum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & progenie.* Dignus propheticâ magniloquentiâ ordo dictorum est. Opera Deum confitentur: quàm magnificus enim sit, operum & creaturæ magnificentia confitetur. Sed confitentur & sancti, quibus rex esse dignatur. Gloriam regni eloquuntur: ne ignorata non desideretur usuris. Magnificentiam quoque gloriæ regni Dei nuntiant: ne desperetur æterna. Dominatus etiam in generationem & generationem ostenditur: [a] ut se dominatui intelligat coæternam. Atque ita cognitio Dei in operibus est, sanctorum officium in doctrina est, prophetiæ usus in prædicatione est, regni gloria in æternitate dominatûs est, dominatûs æternitas eos necesse est habeat, in quos agatur æternus.

Sanctitas operum Dei verborum firmat fidem.

17. Atque ad id spebus fidelibus expetendum, adhortatio Prophetæ continuò subjecta est: *Fidelis Dominus in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Verborum fides fortè nutaret, nisi sanctitas operibus esset admixta. Atque ita sanctitas in operibus, fidem confirmat in verbis: ut de sancti fide in promissis non ambigas, cujus sanctitate utaris in rebus. Si enim sanctum esse Deum intelligimus per id quòd nascimur, vivimus, alimur, & copiis omnibus humanæ naturæ congruis abundamus; sanctitas * ita esse non potest infidelis in dictis.

* *fista.*

℣. 14. 18. Scit autem Propheta esse & aliud sanctitatis Dei opus, in eo quod sequitur: *Suffulcit Dominus omnes qui ruunt, &* [b] *erigit omnes elisos.* Adest omnibus Dei sanctitas, & se humanis auxiliis non subtrahit. Sed servat etiam nunc justitiæ & misericordiæ [c] Propheta rationem. Suffulcit enim Dominus, non collapsos, sed cadentes. Quos, etsi trahat pronus naturæ lapsus in casum, pænitentia tamen, quæ auctor est desinendi, ne penitus jam [d] ceciderint, sistet, in lapsu suffulcit. Ruere enim, non ruisse, potest in id confirmatum esse ne rueret.

Pœnitentes suffulcit Deus.

Elisos per fragilitatem aut errorem erigit.

19. Sed & eriguntur allisi. Differt autem, vi exteriore collidi, & ruisse suo casu. Alliditur namque ille, quem per diaboli instinctum calens ætas præcipitavit in casum, quem ignoratio compulit in errorem, quem fraudulentis usa blanditiis naturæ infirmitas egit in crimen. Hic potiùs eliditur, quàm ille qui voluntate permanserit, [e] quem hic vitiorum usus oblectet, quem non pæniteat admissi. Habet enim veniæ apud Deum solatium, pænituisse de gestis: nec temperamento severitatis indignum est, quod per admissi dolorem, affectum ita profitetur inviti.

20. Et cur cadentes suffulciat, & allisos corrigat; consequentibus docet, dicens, *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.* * *Aperis tu manum tuam, & imples omnem animam benedictione.* Totis itaque in Deum allisi & cadentes oculis adspectent: neque quisquam ita de se confidat, ut non semper cadere, semper se vereatur allidi. Ab illo sperandum est, ne casu periclitemur, ne allidamur infirmitate naturæ. Omnia autem nobis vitæ subsidia ex ipso sunt: cùm ex opportunitate fructuum indultis cibis vivimus, cùm manum aperiendo animas nostras donis spiritalibus replet, & cùm ex virtutis suæ fonte copia in nos eorum quæ sibi beneplacita sunt exuberat. Quod utrumque in his quæ consequuntur discernit ita: *Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Justus in viis est, cùm infirmitatem nostram in æternum regnum suum * confirmatâ donorum spiritalium communione deducit; sanctus autem in operibus suis, cùm universis fructus in temporum opportunitate suppeditat: sanctitatem suam in omnium alimonia docens, justitiam verò in replendis beneplacito animis conservans.

℣. 15. ℣. 16. Omnis & corporis & animæ bona à Deo exspectanda. ℣. 17. * f. confirmatam.

21. Post quæ sequitur: *Propè est Dominus invocantibus eum.* Non longè abest, qui per naturæ suæ virtutem, & * ipse ubique semper est, & totus semper & ubique est, secundùm illud Apostoli, Quia in ipso sumus, & in ipso vivimus ac movemur. Propè est ergo invocantibus, cùm nihil sit quod sine eo sit. Sed quibus invocantibus propè sit, ex subjectis docet: *Omnibus invocantibus eum in veritate.* Non ex otio invocantibus, neque ex infidelis ambiguitatis incerto; sed verum Deum fideli invocantibus veritate.

℣. 18. Deus ubique totus. * *id est*, idem. *Act.* 17. 28. quo animo invocandus.

22. Et cùm propè adsit, quid invocantibus se in veritate tribuat, demonstrat, dicens, *Voluntatem timentium se faciet.* non [f] turpium voluntates, neque vitiosorum cupiditates Deus faciet; sed *timentium se* *, per metum innocentes, per fidem honestas, per reverentiam verecundas: & voluntates non otiosas, neque mutas, neque sperare aliquid à se quodam contemtu silentii dedignantes; sed quas eloquatur oratio, quas preces contestentur. Et ideo subjecit, *Et orationem eorum* [g] *exaudiet.* Voluntas ergo ea à Deo fit, quæ voce orationis exauditur. Sed quæ voluntas fiet orantium? *Et salvos*, inquit, *faciet eos.* Hoc volunt timentes Deum, hoc ut audiantur orant, ut non dominetur eorum æterna mors, non in interitum perpetui judicii deputentur, sed sub cu-

quo fructu. * *supple*, voluntates.]

[a] Editi, *ut se dominatui subjiciat coæterno*: corriguntur ex ms. Mic. nisi quòd in eo mendosè exstat *dominatu*. Sic ratiocinatur Hilarius: *Dominatûs æternitas eos necesse est* in æternitate *habeat*, *in quos æternus agatur*: æternus autem agitur in generationem & generationem: illa igitur generatio coæterna sit necesse est. Non enim videtur ad quid referat *se coæternam*, nisi ad generationem. Idem argumentum postremis hujus Tractatûs verbis inculcatur, ex quibus hîc *dominatui*, non *dominatu* legendum liquet.

[b] In ms. *corrigit*. Habemus quidem initio num. 20. *Cur cadentes suffulciat, & allisos corrigat*: at numerus illo superior ab his etiam verbis inchoatur, *Sed & eriguntur allisi.*

[c] Ita ms. ac prima editio Par. Neque in novissima debuit præferri *prophetationem*, quod malè apud Bad. Er. & Lips. obtinebat.

[d] In vulgatis, *ceciderit*, ac deinde *si stet*, duobus verbis. Rectiùs in ms. *ceciderint*, *sistet*: id est, quos pænitentia sistet, eos in lapsu suffulcit Deus. Hæ enim duæ propositiones præcipuæ sunt, quarum ceteræ tantùm sunt appendices. Obiter observare est de pænitentia hîc dici, *auctor est desinendi*; quomodo in Ps. 135. n. 4. & in 137. n. 3. de confessione dictum est, *professio est desinendi.*

[e] Editi, *quem vitiosus*, vel, *quem vitii usus*: & mox, *habet enim veniam & apud Deum* &c. & post pauca, *affectum profitetur inviti*, sine *ita*. Corriguntur auctoritate ms. De peccatore qui veniam non mereatur, vide annotata in Psal. 140. n. 8.

[f] Sic ms. Editi verò, *turbidorum.*

[g] In ms. *exaudivit.*

℣. 20. stodia Dĕi tuti sint. Sequitur enim : *Custodit Deus diligentes ipsum.* Salvos ergo faciet eos
a custodiendo, [a] id est, æterni regni participes reservando : sed eos qui & timebunt, & precabuntur, & diligent. Dehinc sequitur : *Et omnes peccatores disperdet*, qui nec ut homines timuerint, nec ut subditi oraverint, nec ut donati vitâ mundoque dilexerint.

23. Conclusit autem Propheta honoris de-
℣. 21. biti confessionem, dicens, *Laudationem Domini*
** subaud. ei.* *loquetur os meum.* Laudasse * non sufficit, nisi & laudare non desinat. Laudabit enim adhuc, cùm jam tamen laudet. Sed cùm ille laudet, omne quoque ad benedictionem Dei humanum genus adhortatur : *Et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus.* Per officii sui & fidei constantiam semper quidem [b] ille laudabit : sed Propheta & curat, ut omnes Deum benedi-
b cant, & optat. Non enim ait, benedicent, tamquam certus sit in futurum ; sed ex voti affe-
c ctu ait, *benedicant* : [c] & illud, potiùs ut intelligeretur optare, quàm confideret sic futurum. Deinde benedictionem non temporariam esse postulat, sed æternam, *in sæculum & in sæculum sæculi.* Nobis potiùs optandum, ut in æternum benedicamus Æternum : quia in æternum benedicens, Æterno illi necesse est maneat coæternus, Domino scilicet nostro unigenito & primogenito Dei filio Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Laudandus semper Deus.

Id ab omnibus præstari optat Propheta.

PSALMUS CXLV.

Psalmus David. Alleluia. Aggæi & Zachariæ.

LAUDA anima mea Dominum, lau-
** Dominum in.* *dabo * Deum in vita mea, psallam Deo meo quàm diu ero. Nolite confidere in prin-*
** Infrà abest neque.* *cipibus, * neque in filiis hominum, in quibus*
** eorum & revertentur.* *non est salus. Exivit spiritus * ejus, & revertetur in terram suam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cu-*
** abest &.* *jus Deus Jacob adjutor ejus : * & spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Qui custodit veritatem in sæculum, facit*
A *judicium * injuria patientibus, dat escam* ** his qui patiuntur injuriam.*
*esurientibus. Dominus solvit compeditos, Dominus sapientificat cæcos. Dominus erigit * allisos, Dominus diligit justos. Dominus* ** elisos.*
*custodit * advenas, pupillum & viduam* ** proselytum.*
*suscipiet, * & vias peccatorum extermina-* ** viam … exterminabit.*
*vit. Regnabit Dominus * in sæculum Deus* ** in æternum.*
tuus Sion, in generatione & generationem.

B

TRACTATUS PSALMI.

1. ETIAM huic psalmo addere aliquid translatoribus visum est. Nam cùm *Titulì pars addita, quare.*
Hebræis [d] sola *alleluia* sit prælata con- ℣. 1. d
fessio, illis placuit Aggæum & Zachariam in titulo anteferre : hoc eò, ut psalmum esse pro-
C pheticum nosceremus : quia per hos prophetas, sub quibus ædificata rursum Jerusalem est, ipso illo tum tempore æternæ Jerusalem ædificatio prædicatur, etiam Evangelio testante, cùm ingressuro templum Domino, & nummulariorum mensas, & ementium ac vendentium negotia subversuro, ita scriptum est : Hoc au- *Matth. 21. 4. & 5.*
tem factum est, ut impleretur quod dictum est
per Zachariam prophetam dicentem, Dicite *Zach. 9. 9.*
filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, "
D sedens super asinam & pullum novellum sub- "
jugalem. "

2. Et, ut arbitror, hujus Jerusalem potiùs & Sion regem psalmus ostendit, qui ita cœpit :
Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum ℣. 2.
in vita mea, psallam Deo meo quàm diu ero. Scienter & de prophetæ doctrina dictorum ordinem tenuit. Primùm enim eam * hortatur ad lau- ** animam.*
dem, quæ in hanc est constituta naturam, ut maneat æterna. Tum deinde, quia per resurre- ** scil. corpore ut animâ.*
E ctionis donum glorificato corpore totum * se ei meminerit coæternum, tamquam de futuro confidens ait, *Laudabo Dominum in vita mea.* Non enim ea vita, quæ nunc est per infirmi- *Vita misera quì non vita nostra.*
tates corporis, sua est : ab Adam namque [e] ista e
cœpit, non cum Adam inchoata est, quam non vitam, sed mortem esse, Apostolus novit *Rom. 7. 24.*
dicens, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus. In hac ergo vita sua f
Deum, qualis primùm in homine est [f] instituta,

[a] Clariùs hæc edisseruntur in Psal. 120. n. 16. *Non enim temporis hujus & sæculi est ista custodia .... sed futuri boni exspectatio est, cùm exeuntes de corpore ad introitum illum regni cælestis per custodiam Domini fideles omnes reservabuntur, in sinu scilicet interim Abrahæ collocati .... quò usque introeundi rursum in regnum cælorum tempus adveniat.* Hinc proximè pro *custodit Deus*, mallemus *Dominus*, quomodo habet Psalmi textus Tractatui præmissus.

[b] Apud Bad. Er. & Lips. *ille laudabilis* : pravè. Tum eædem editiones, *sed Propheta hæc curat.* Par. *sed Propheta cura.* Elegantior est lectio ms.

[c] Editi cum ms. Mic. *ut illud.* Tum Bad. Er. Lips. ac postrema editio Par. subsequens *ut* removent. Malumus loco primi *ut* reponere *&*, maximè cùm in veteribus libris non rara sit hujusmodi mutatio. Sic legenti, post *& illud*, subintelligendum *dixit.* Mox pro *quàm confideret*, non displiceret *quàm confidere.*

[d] Ita ms. Editi verò, *sola alleluia.* Posset quidem ferri *alleluia*, ut ab Hilarii more non dissonans, sed non ita *sola*, quod ad *confessio* refertur. Quod *Aggæi & Zachariæ* vocabula attinet, testatur Theodoretus ea se non modò apud Hebræum, aliosve interpretes, sed nec apud LXX. in hexaplo reperisse.

[e] Editi, *ita cœpit.* Rectiùs ms. *ista*, hoc est, vita corporeis cupiditatibus & infirmitatibus miserè subdita. Appositè Augustinus l. 1. Retract. c. 10. n. 3. *Ipsa enim verè ac propriè natura hominis dicitur, qualis sine vitio primitus condita est.*

[f] In vulgatis, *constituta.* Elegantiùs in ms. *instituta*, *in qua nimirum*, ut explicat Tract. Psal. 136. num. 5. *sine cupiditate, sine dolore, sine metu, sine crimine vita est.* Hîc vita beata secundùm quid, non per omnem modum, cum primi hominis vita comparatur. Alias enim post resurrectionem corporibus nostris dotes passim tribuit Hilarius, quibus Adam caruit. Ea autem illius hîc mens est, quæ Augustini lib. 1. Retr. c. 11. n. 3. ubi ait, *Quod dixi, (Hæc autem sanitas tunc firmissima erit atque certissima, cùm pristinæ stabilitati certo suo tempore atque ordine hoc corpus fuerit restitutum), non ita dictum putetur, quasi non sint futura post resurrectionem corpora meliora, quàm primorum hominum in paradiso fuerunt; cùm illa jam non sint alenda corporalibus alimentis, quibus alebantur ista; sed pristina stabilitas hactenus accipienda est, quatenus ægritudinem ita nullam corpora illa patientur, sicut nec ista pati possent ante peccatum.*

laudabit. Tum tertiò ne in hoc eodem nunc A corpore irreligioſus exiſtimaretur ; adjecit, *Pſallam Deo meo quàm diu ero* *. In omni autem hoc pſalmorum libro, in *pſallere* religioſas operationes corporis ſignificari meminimus : apta & conſona corporei motus varietate placituri.

* *ſupple*, in hac vita miſera. V. Prolog. n. 19.

In reges, quos deos ſibi finxit antiquitas, non eſt ſperandum. ℣. 3. ℣. 4.

3. Poſt quæ ſtultas hominum opiniones, & inanes in regum nominibus religiones, quos ſibi deos antiquitas finxit, redarguit dicens, *Nolite confidere in principibus*, * *in filiis hominum* B *in quibus non eſt ſalus.* * *Exibit ſpiritus eorum, & revertentur in terram ſuam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Confidere vetuit in regibus. Et quibus regibus ? ſubjecit : *& in filiis*, inquit, *hominum.* Et quibus filiis hominum ? *quibus non eſt ſalus.* Et cur ſalus non ſit ? oſtendit : *Exibit ſpiritus eorum, & omnes revertentur in terram ſuam.* Et reverſuris in terram quid erit ? *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum* : corruptæ ipſi ſcilicet originis ; quia eſſe C filii hominum perſtiterunt, nec filii Dei eſſe voluerunt : nullius quoque ſalutis ; quia exeunte ſpiritu, & in terram corporibus diſſolutis, cogitationes eorum corporeæ atque terrenæ cum terreno corpore interibunt.

Quàm rectiùs in mundi opificem ſperetur. ℣. 5. ℣. 6. ℣. 7.

4. Sed ut ita in iſtiuſmodi reges fiduciam non conferas, in quem ſperandum eſſet oſtendit : *Beatus cujus Deus Iacob adjutor ejus : ſpes ejus in Domino Deo ipſius*, * *qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt*, * *qui cu-* D *ſtodit veritatem in ſæculum, facit judicium his qui patiuntur injuriam.* Non eſt caduca cogitatio in regem iſtiuſmodi ſperare : & ſpes illa non interit, quæ in Creatorem cæli & terræ & maris & omnis univerſitatis hujus extenditur. Hic ſperandus adjutor eſt, in quo dolus non eſt. Nam cùm, ſecundùm prophetiam, omnis homo mendax ſit ; veritatem in ſæculo ſolus ille cuſtodit : & cuſtodiens veritatem, judicium facit ob eos qui patiuntur injuriam. Beatus ille eſt, E quem adjuvando ex Jacob [a] faciet Iſrael. Spes ejus æterna eſt, quia in Creatorem cæli & terræ mariſque confidit. Creator autem horum omnium hic & verus & judex eſt, & veritatem cuſtodiendo, & faciendo judicium.

Pſ. 115. 11.

5. Neque ſolùm judicium facit, ſed etiam id quod ſequitur : *Dat eſcam eſurientibus. Dominus ſolvit compeditos*, * *Dominus ſapientificat cæcos, Dominus erigit eliſos, Dominus diligit juſtos.* * *Dominus cuſtodit proſelytum, pupillum & vi-* F *duam ſuſcipiet, & viam peccatorum exterminabit.* Hæc quidem & corporaliter intelligere non otioſum eſt : ſed altius neſcio quid & majus ſermo complectitur. *Dat*, inquit, *eſcam eſurientibus.* Videamus quam eſcam, & quibus eſurientibus. Et hæ quidem eſcæ corporales [b] non tum ſemper præbentur à Deo, cùm eſuritur à nobis. Annuum namque earum munus eſt : & ideo intra tempus præbentur, ut intra tempus ne quis eſuriat. Eſt igitur alia eſuritio, & ſunt aliter eſurientes, quibus eſurientibus eſca præbetur. Scriptum namque eſt in Amos propheta, " Ecce induco famem ſuper terram ; " non famem panis ; neque ſitim aquæ ; ſed fa" mem ut audiatur verbum Dei. Hanc igitur eſcam prædicationis eſurientibus Dominus impertit. Quæ cùm in cibum fuerit aſſumta, vincula diaboli reſolvuntur. Ligavit enim, ſecundùm Evangelia, decem & octo annis Abrahæ filiam. Compedes quoque avaritiæ, libidinis, ebrietatis, cibus talis abſolvit. Et abſolutis compedibus, cæcis ſapientiam præſtat. Si de corporalibus donis Propheta loqueretur, commemoraſſet potiùs cæcis lumen [c] indultum. Sed quia per cibum [d] verbi eſuritione depulſâ, ſolvebantur compedes ſæculi ; etiam cæcitas ſæculi ſapientiæ impertitione depellitur. Alimur enim poſt ingentem famem divinæ cognitionis ſpiritalibus cibis : & compedibus quibus currere ad æterna [e] non ſinimur abſolutis, diſcuſſâ per indultam ſapientiam cæcitate, Creatorem noſtrum oculis intelligentiæ contuemur. Deſinit ergo fames longa, compedes graves, cæcitas ſtulta, & id quod ſequitur ſuccedit.

℣. 8. ℣. 9.

Eſuriem verbi Deus ſatiat.

Amos 8. 11.

Compedes ſpiritales ſolvit. Luc. 13. 16.

Cæcitatem ſæculi fugat.

6. Alliſi eriguntur, juſti diliguntur, advenæ ſive proſelyti cuſtodiuntur, pupillus & vidua ſuſcipitur, & via peccatorum diſperditur. Quiſquis ille eſt, qui modò Dei eſt, etſi non uniforme, tamen proprium habet munus, ut alliſus [f] licèt, ſi non eſuriat, ſi non compeditus & ſtultus ſit, tamen erigi poſſit ne jaceat in æternum ; ut juſtus ob juſtitiam diligatur ; ut advena etſi non tamquam juſtus diligitur, tamen vel ob hoc quia advenerit reſervetur ; ut pupillus, quia patrem ſibi diabolum abjuraverat, exemplo Apoſtolorum non orphanus relinquatur ; ut vidua ſuſcipiatur in ſponſam, poſtea quàm ſibi in Chriſto confixus hic mundus eſt. Omnem enim credentium fidem, cui per adimpletionem temporum Lex tamquam vir primus emortuus ſit, viduam Apoſtolus nuncupavit. Sed non ſolùm vidua ſuſcipitur, ſed etiam via peccatorum exterminatur. Quibus in interitum demerſis, Jeruſalem ſancti illius regis civitas incoletur : non iſta utique, quæ deſolata & ſubverſa profani parricidii luit pœnas.

Pupillus.

V. Tract. Pſal. 131. n. 24. Rom. 7. 4.

7. Concludit enim ita : *Regnabit Dominus in æternum, Deus tuus Sion, in generationem & generationem.* Ubi illa Sion, in qua regnaturus eſt Dominus ? Niſi fortè in ea * quæ Prophetas occidit, & lapidat eos qui ad ſe miſſi ſunt ? Hæc utique hodie jam non eſt : & quomodo Dominus in æternum regnabit, regni ſui ſede ſubverſa ? Sed regnabit in ea, quæ mater cæleſtis eſt, quæ vivis ex lapidibus exſtructa,

℣. 10. Quæ Sion ſedes regni Dei. * *ſubaud.* regnaturus eſt.

[a] Ita mſ. At editi, *facit Iſrael*, & mox, *qui in creatore.*
[b] In vulgatis, *non tamen.* Rectiùs in mſ. *non tum.*
[c] Ex hoc loco liquet ignotam Hilario fuiſſe lectionem Vulgatæ noſtræ præferentis, *Dominus illuminat cæcos.*
[d] A mſ. abeſt *verbi.*
[e] In mſ. *nunc ſinimur* : forſitan veriùs, eâ nimirum ratione, ut verbum *abſolutis* non modò ad *compedibus*, ſed & ad relativum *quibus* referatur, quaſi *quibus abſolutis.*
[f] Editi, *licèt ſit, nunc eſuriat : ſi nunc compeditus & ſtultus* &c. valde confusè. Confuſio jam tollitur ope mſ. Porro in hoc ac ſuperioribus locis eſuries non ſanctum verbi deſiderium, ſed ejuſdem inopiam & egeſtatem ſonat : & quos hîc Hilarius *eſurientes*, infrà in Pſal. 146. n. 9. *aridos & infructuoſos* nuncupat, & hoc ob infidelitatem & impietatem, ut ibidem inſinuatur num. 8.

a & sanctis civibus [a] plena per generationem legis & per generationem fidei frequentabitur à domesticis Dei & Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLVI.

Alleluia. Aggæi & Zachariæ.

*LAUDATE Dominum, quoniam bonus est psalmus; Deo nostro jucunda sit laudatio. Ædificans Jerusalem Dominus, & dispersiones Israel congregans. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Numerans multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocans. Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores usque ad terram. * Incipite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara, qui operit cælum nubibus, * & parat terræ pluviam, qui producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum. * Dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum. Non in viribus equi voluntatem * habuit, nec in tabernaculis viri beneplacitum est ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eos * qui sperant in misericordiam ejus.*

[Margin: * Infrà, *Inchoate.* — * *qui parat.* — * *qui dat.* — * *habebit.* — * *omnes qui sperant super.*]

TRACTATUS PSALMI.

[Margin: Non canitur hoc psalmo temporaria Jerusalem ædificatio.]

1. POST primam Jerusalem subversionem, traductoque in Babyloniam populo captivo, ædificatam rursum eamdem civitatem fuisse, & historia Regnorum & libri Esdræ loquuntur. Sed hodie eamdem nullam esse, rerum fides edocet. Hoc idcirco prædiximus, ne quia translatoribus visum est, huic & anteriori psalmo in Aggæum & Zachariam titulum præscribere, existimemus in illius temporis homines prophetiæ hujus præscientiam convenire. Propheta enim non ignarus mysterii cælestis, cùm in ædificatione Dei civitatis humanam ædificationem inanem esse dixisset, cùm Deo civitas nisi per ipsum ædificata æterna esse non posset; non nos nunc A ad gratulationem ædificatæ à Deo rursum Jerusalem adhortaretur, quam vanè ab hominibus ædificari antè prædixerat. Quòd si quis fortè putabit, id quod in alio psalmo ita dictum est, Nisi Dominus ædificaverit domum, « in vanum laborant qui ædificant eam; nisi Do- « minus custodierit civitatem, in vanum vigilabit qui custodit eam, idcirco dictum fuisse, quia eversionem ejus urbis, in qua templum ædificandum esset, Propheta prænosceret: me- B minisse hæc debet ita intelligens, eumdem hunc Prophetam ædificationem eam, quæ à Zorobabel secundò innovata est, inanem & caducam futuram fuisse non ignorare potuisse; neque illam, quæ à Salomone cœpta est, non à Deo constitutam idcirco dixisse, quia per regem Babyloniæ * esset destruenda, cùm post septuaginta deinde annos * rursum eadem sit reformata; hanc verò, quæ à Zorobabel gesta est, esse ædificationem Dei prædicatam, cùm C exinde diruta & sine aliqua restauratione sit dissoluta; & eam dirutam licèt renovatio sit consecuta, inanem atque humanam tamen prædicasse; hanc verò quæ sine spe reformationis acciderit, divini operis perpetuitate renovari. Hæc omnia intelligentiæ genera stulta atque ridicula sunt.

[Margin: Ps. 126. 1. — * Nabuchodonosor, 2. Paral. 36. 16. — * juxta vaticinium Jeremiæ 29. 10.]

[Margin: Jerusalem spiritalis. — Matth. 5. 35.]

2. Laudat autem Propheta Dominum ædificantem Jerusalem illam, quæ secundùm Evangelia sancti regis est civitas, in qua per D Dominum resurgentes sancti [b] demonstrantur, quæ invectum pullo asinæ Dominum [c] in spe sanctorum læta suscepit. Corporaliter quidem tali vectione illam, quæ occidit prophetas & lapidat Apostolos, Dominus ingressus est: sed alterius civitatis [d] erat illa lætitia. Ob illius ergo ædificationem Propheta nos advocat, dicens, *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro jucunda sit laudatio.* Non levis gratulationis laus est, cujus psalmus bo- E nus est. Et psalmus non tam vocis, ut frequenter diximus, quàm corporeæ operationis officium significare solet. Deum enim non tam sermone, quàm re & gestis obedientiæ laudamus: ut mare & terra & cælum Deum non tam voce, quàm officiorum suorum vicissitudine atque observatione laudant. Advocat igitur nos Propheta ad Dei laudem, *quia bonus psalmus est*: & optat ut hujus boni psalmi *Deo nostro fiat jucunda laudatio*, scilicet ut pla- F centia Deo opera nostra sint, per quæ à nobis gestorum nostrorum laudatur obsequio.

[Margin: b — c — Matth. 21. 9. — d — ℣. 1. ad laudandum bonis operibus Deum invitatur.]

3. *Ædificans Ierusalem Dominus, & dispersiones Israel congregans.* * *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* * *Numerans multitudinem stellarum, & omnibus his nomina vocans.* Reversuris de Babylonia in Jerusalem Judæis

[Margin: ℣. 2. — ℣. 3. — ℣. 4.]

[a] In ms. Mic. *plena per generationem fidei*, omissis intermediis, quæ re ipsa interpolata judicabit non nemo, cùm generatio legis ad eam Sion videatur pertinere quæ prophetas occidit, quæque mox regni Dei sedes negata est. At apud Hilarium generatio legis duplex hominum genus complectebatur, & eorum scilicet qui carnaliter, & eorum qui spiritaliter legem implebant. Ac sicut in Psal. 144. n. 7. horum intuitu tam generationis legis, quàm generationis fidei proprium esse prædicat opera Dei laudare; ita etiam hîc regni Dei sedem esse. Et contrà in Ps. 134. n. 22. solos carnales respiciens, memoriam operum Dei à Judæorum generatione ad generationem Christianorum transisse asserit.

[b] In vulgatis, *demorantur*. Præferendum putamus cum ms. *demonstrantur*, atque hîc alludi ad illud Matth. 27. 53. *& exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Adeoque *demonstrantur* respondet verbo *apparuerunt*.

[c] Editi, *& spe*: corriguntur ex ms.

[d] Ita ms. Editi verò *erit*.

sub

Israel hîc ædificatur, in fine temporum congregandus. Matth. 24. 31.

sub Dario [a] rege edicto potestas data est revertendi. Neque alibi tum, quàm in regni Babyloniæ finibus detinebantur: ex qua ergo dispersione Israel congregatur? Nempe de ea, de qua ait Dominus, Emittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabit electos à quatuor angulis ventorum: quorum congregatio cœtum sanctæ civitatis efficiet, quæ hodie per spei & fidei opus ædificatur in nobis. Et idcirco anterior ædificatio [b] congregatione est, quia nos ad futuræ civitatis congregationem Dei misericordia per gratiam justificationis ædificet. Ceterùm si de terrena ædificatione loqueretur, prior fuerat congregatio prædicanda: quia non nisi congregatus Israel Jerusalem ædificare posset eversam.

℣. 3. Sanitas ejus modò inchoata, tum erit perfecta.

4. Tenet deinde ordinem competentem, dicens, *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Congregato enim Israel, & in unam quæ ædificatur civitatem collecto, omnes humanæ infirmitates & labes corporeæ auferentur. Absorpta enim corruptione, & omnibus humanæ naturæ vitiis devoratis, incorruptio æterna & in nullis anxietatum mortibus conterenda succedet. Venit enim Dominus, » secundùm Evangelia, sanare contritos corde, » prædicare captivis remissionem & cæcis visum, » dimittere confractos in requiem, prædicare » annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et hæc quidem pro parte jam cœpta sunt; quia per speculum & in ænigmate & in imagine futurorum secundùm Apostolum demoramur. Sed tamen nondum nobis ejus temporis fructus est, quo secundùm Prophetam dicere adeptâ spei consummatione possimus, Con» vertere anima mea in requiem tuam, quia Do» minus benefecit [c] tibi. Quia eripuit animam » meam de morte, oculos meos à lacrymis, pe» des meos à lapsu, placebo Domino in regione vivorum. Sanata enim omni cordis contritione, & ne perpetuò rursum subeat alligatâ, his omnibus humanarum passionum infirmitatibus liberati, placebimus Deo in regione vivorum, animâ nostrâ in requiem suam, ex qua per transgressionem primi parentis sui Adæ ejecta est, revertente.

Luc. 4. 18. & 19. — 1. Cor. 13. 12. — Psal. 114. 7. &c. — V. Tract. Ps. 145. n. 2.

℣. 4. Stellas, id est, electos qui vocet Deus ac numeret.

5. Sed post prædicationem sanati cordis, etiam id ad præconium divinæ bonitatis adjectum est: *Numerans multitudinem stellarum, & omnibus his nomina vocans.* Si laus Deo ob ædificatam corporaliter Jerusalem defertur; quid hîc numerus stellarum & omnibus his nomina tamquam ad præcipuam divini operis laudationem proferuntur? Aut numquid laudabilius Deo est numerasse & nuncupasse stellas, quàm creasse; cùm creatio & numerum fecerit, & nomina imposuerit, & vocabulis nomina numerumque discreverit? Sed numerantur hîc stellæ, quas Abraham contuitus in cælo est, quas Isaac accepit in semine, quas Paulus discrevit in gloria. Quòd autem nominibus suis vocentur, audiamus eum qui vocaturus est. Dicit enim in Evangeliis, Nolite mirari ista; quoniam venit hora, in qua omnes qui sunt in monumentis, audient vocem ejus, & procedent. Vocantur ergo, & prodient. Adeo autem numerantur per Deum, ut capilli quoque, qui in singulis nobis innumerabiles esse existimantur, in numero sint, eodem Domino dicente, Nonne & capilli capitis vestri numerati sunt? Hoc Domino potiùs dignum, hoc in misericordia ejus præferendum, ut eos, quos contritos corde sanaverit, quorum alligaverit contritiones, nominibus vocet, proprietate numeret, cælesti luce clarificet.

Johan. 5. 28. & 29. — Luc. 12. 7.

℣. 5. ℣. 6.

6. Ob quæ mirabilia ejus atque præclara ait: *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus.* * *Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram.* Hoc enim mansuetorum proprium est, (quia, secundùm Evangelia, mansueti possidebunt terram,) ut digni apud Deum sint nuncupatione, numero, claritate. Magnus est Dominus, cùm dispersiones congregat. Magna virtus ejus, cùm contrita clarificat. Innumerabilis sapientia ejus est, cùm universa & nominibus discernit & numero. Sed qui suscipit mansuetos, humiliat quoque peccatores usque ad terram. Post meritum sanctitatis, impietatis pœna subjecta est: cùm susceptis mansuetis in claritate stellarum, peccatores usque ad terram humiliati [d] infernæ legis judicio destinantur.

Matth. 5. 4.

℣. 7. ℣. 8. ℣. 9.

7. Ob quæ nos, tamquam cunctantes & hæsitantes, Propheta cohortatur ad laudem, dicens, *Inchoate Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara,* * *qui operit cælum nubibus, qui parat terræ pluviam, qui producit in montibus fœnum,* * *qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Frequenter admonet propheticus sermo, ut eum universitatis hujus esse Dominum credamus, quem omnis lex Deum locuta est, qui se nuncupari Deum Israel voluerit: ut nunc in eodem hoc psalmo cùm dixisset, *Ædificans Jerusalem, & congregans dispersiones Israel,* & ad laudem ejus cohortatus, adjecit, *Qui operit cælum nubibus, qui parat terræ pluviam:* ut non alius atque alius legis latæ & creationis istius Deus posset intelligi. Ita autem temperata doctrinæ istius ratio est, ut ea creationis enumeratæ & nomina commemorarentur & genera, quæ cùm creatorem Deum esse latæ legis ostenderent, significationem tamen in se institutionis typicæ & propheticæ continerent. Et nunc confiteri Deum ob id admonemur, quia *operit cælum nubibus,* quia *parat terræ pluviam,* quia *producit in montibus fœnum,* quia *dat jumentis escam ipsorum, & herbam servituti hominum, & pullis corvorum invocantibus eum.* In his enim omnibus Dei & providentia significatur, & bonitas: ut sub tecto nubibus cælo terris pluvias infundat, ut vertices collium fœno vestiat, jumentis pabulum præbeat, & avibus cibos præstet, quia ab eo alimoniam universa

Non alius Creator omnium, alius legis Deus.

[a] Hæc potestas primùm à Cyro facta est 1. Esdræ 1. 2. ac deinde à Dario illius successore confirmata 1. Esdræ 6. 14.
[b] Editi, *congregatio non est*: castigantur subsidio ms.
[c] Sic ms. Editi verò, *mihi.*
[d] Editi, excepto Par. *interna legis.*

quæ creavit exspectent. Sed hæc omnia diligentiùs introspecta, significationis alterius virtutem in se habent.

Nubium varia acceptio. *Esa. 5. 6.*

8. Scimus enim esse nubes, quibus Deus ne super vineam pluant mandat, sicut per Esaiam dictum est: Et nubibus mandabo, ne pluant super eam pluviam; vinea enim Domini Sabaoth domus Israel est. Novimus nubes, quæ præ fulgore ejus in conspectu Domini transeunt: Præ fulgore, inquit, ejus in conspectu ejus nubes transierunt. *Ps. 17. 12.* Novimus nubes, quas Deus in adscensum suum posuit; Et posuit nubem adscensum suum. *Ps. 103. 3.* Novimus nubes ad quas usque Dei veritas est; Et usque ad nubes veritas tua. *Ps. 56. 11.* Et has nubes aliquot locis sanctorum doctrinam significari ratio absoluta est, *His doctrina sanctorum significatur.* quæ vetitæ infidelibus pluere, [a] eloquio arida impiorum corda non rigant. Quæ cùm Dominus adsit, esse cessabunt: * ut orto sole stellarum lumen hebetatur, ita & doctrina nubium Domino ipso jam per se fulgente prætereat. ** fortè, ut sicut.* Per quas etiam ad Dominum conscenditur, dum divina prædicatio iter nobis regni cælestis ostendit: & ideo hæ nubes nobis positæ sunt in adscensum. Veritas quoque Dei usque ad nubes easdem est; quia in se veram Dei cognitionem hæc doctrina prophetica continet.

9. Hæc ergo ad commemorationem Dei laudum creaturarum genera electa sunt, quæ cùm præconium in se Creatoris ostenderent, parabolicam tamen, sive ut Apostolus ait, allegorumenam nobis doctrinam ita commemorata præberent. *Gal. 4. 24.* Cælum ergo nubibus subtegitur, id est, prophetica doctrina rebus est subjecta divinis. Pluvia terris infunditur, eloquia scilicet harum subtectarum nubium profunduntur, *Pluvia, Dei eloquia.* per quæ infructuosi ipsi atque aridi [b] ad eliciendos ex nobis fructus dono divini imbris humescimus. Et hæc eloquia divina tamquam imbrem intelligenda esse Moyses testatus est, dicens, Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, & descendant sicut ros verba mea, ut pluvia super gramen. *Deut. 32. 2.* Hæc ergo terræ pluvia præparatur, [c] per quam fœnum in montibus producitur, & jumentis in escam propriam præbetur. *Montes fecundi, viri præcelsi.* Opinor fecundiores esse montibus valles, quæ circumjectorum collium concavo declivi in se humore pinguescant: & quid rationis est, ut ad escam jumentorum produci fœna laudentur in montibus? Et quamquam plures montes fecundis verticibus atque herbidis sunt; tamen rerum corporalium nominibus spiritalis doctrina conserta est. Producunt ergo montes jumentis in escam suam fœnum: sed montes qui exsultaverunt sicut arietes, in quos frequenter Propheta oculos erexit, dicens, Levavi oculos meos in montes. *Ps. 113. 4.* *Ps. 120. 1.* Hi ergo montes, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum altitudines, fœnum pecoribus producunt. Et quibus tandem pecoribus? Esaiam audiamus: Agnovit, inquit, bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israel verò me non cognovit. *Esai. 1. 3.* Et quia per hebetis naturæ irreligiosam ignorationem pecora sunt dicta, cibus quoque eorum significatur in fœno. *Jumenta, qui hebetis naturæ.* Hoc ergo fœnum his jumentis præbetur in montibus.

Versus adjectus.

10. In pluribus autem codicibus insertum [d] hunc versum deprehendimus, *Et herbam servituti hominum:* ut ea quæ superiùs dicta sunt, de homine dicta esse per nuncupationem ipsius hominis intelligerentur. Sed nos non egemus hoc sensu. Nam licèt non impediat adjectus; non tamen eum, tamquam non [e] aliis ad hujus intelligentiæ confirmationem uti possimus, amplectimur. Hic enim ordo dictorum est: *Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam,* (℣. 8.) *qui producit in montibus fœnum,* * *dat jumentis escam ipsorum,* (℣. 9.) *& herbam servituti hominum, & pullis corvorum invocantibus eum.* [f] Sive igitur per nubium pluviam producto jumentis in montibus fœno, ut allegorica doctrina posset intelligi, hæc herba servituti hominum præbetur, *Herba servituti hominum quid.* qui pecudea ignoratione deposita, Deum tandem rationabiliter comperissent; sive, quod absolutius intelligi potest, in herba fructus humanis cibis præstiti edocentur, quia omnes fructus per herbam confirmantur in messem: Deo utrumque laudi est, infirmitati eum nostræ vel corporales [g] in fructus cibos, vel spiritalia in Prophetis vitæ pabula præbuisse.

11. Sed id quod sequitur, quomodo intelligi oportebit, *Et pullis corvorum invocantibus eum?* Deum invocare proprium hominis officium est, qui solus ex universis animantibus particeps rationis effectus est. *Corvorum natura.* Corvorum verò pulli Deum quomodo invocant? Et cur pulli corvorum potiùs quàm corvi, quorum natura hebes, [h] improba, improvida, nulla Dei cognitione donata sit? Aut quæ esca præbetur? Numquid ut fœnum jumentis, & ut herba hominibus; sic corruptorum cadaverum fœtidas sordes Deus orantibus se corvorum pullis & pecudum mortes ad cibum vitæ præsentis impertiet? Hæc ita intelligere, non dicam erroris, sed irreligiositatis extremæ est. Quid ergo intelligi oporteat, prout ipsi dono gratiæ cælestis adepti sumus, loquemur.

12. Corvum in formam peccatoris constitutum esse tum, cùm ex arca emissus non rediit, meminimus. *Corvus peccatorum figura.* *Gen. 8. 7.* Cùm enim consistendi nusquam locus esset aquis in universa diffusis, ipse, columbâ postea non reperta requie revertente, non rediit. *Ibid. 9.* Cùm enim illic arca Ecclesiæ formam habuerit, is qui Ecclesiam cùm numquam alibi posset consistere derelinquit, peccatoris in eo exemplum est constitutum, qui cùm nullam aliam præter quàm Ecclesiæ

[a] Mss. *pluere eloquia.*
[b] Mss. *ad eligendos.*
[c] In ms. *post quam.*
[d] Abest etiam nunc ab hebræo textu, non autem à vulgatis LXX. exemplaribus.
[e] Apud Par. *non in aliis.*
[f] Bad. Er. & Lips. *si ergo* &c. mendosè.
[g] Ex ms. revocamus *in fructus*, quod deerat in vulgatis. Mallemus tamen *in fructibus*, vel *corporales fructus in cibos.* Sic superiùs *fructus humanis cibis*, id est, in alimenta corporalia præstiti memorantur.
[h] Adjecimus *improba*, auctoritate ms.

Corvus Eliæ nutritius gentium conversionem adumbrat. 3. Reg 17. 6.

requiem habeat in sæculo, mavult tamen in inanibus sæculi demorari. Hanc quoque avem legimus in pastum Eliæ deputatam, cibos semper ei fuisse solitam inferre: & hoc tum, cùm impiissimè omnis populus & irreligiosissimè diversaretur. In famulatum ergo tanti Prophetæ hæc avis, quæ in formam peccatoris erat constituta, delecta est. Cùm enim anterior populus improbabilis repertus est, tum Dei prædicatio, quæ cibus & esuritio est prophetarum, per eorum qui peccatores erant officia expletur. Nos enim, vel ceteri [a] ante nos, ex impudentibus & procacibus & immundis & cruentis geniti atque nati, tamquam pulli corvorum Deum invocamus, agnitione, confessione, famulatu: ut ex jumentis & pecoribus per agnitionem Dei homines effecti, rationis scilicet participes ex rationis ignaris, quibus quotidie à Deo producente in prophetis doctrinæ prædicationem, tamquam in montibus fœnum, cibi cælestis præbetur alimonia.

Ex his superiora allegoricè intelligenda esse conficitur. ℣. 10. ℣. 11.

13. Ut autem omnia hæc, quæ allegoricè commemorata sunt, in profectum humanæ salutis geri intelligerentur; psalmi conclusione confirmat. Ita enim ait: *Non in viribus equi voluntatem habebit, nec in tabernaculis viri beneplacitum est ei.* * *Beneplacitum est Domino super timentes eum, &* [b] *in omnes qui sperant super misericordia ejus.* Contraria ista sibi sunt, si corporaliter intelligantur. Quomodo enim Deus jumentis fœnum producit in montibus, cui non est beneplacitum in equis? Necessitatis namque ministerium, non providentiæ benignitas est, alimoniam præbere non placitis. Sed quia omnis Dei misericordia curam habet humanæ salutis, allegoricè superiùs dicta conclusionis absolutione consummat: non pecorum speciem atque virtutem, nec pretiosarum domorum Deo ornamenta placuisse, quæ maxima est humanæ opinionis ambitio, habere nobiles equos, domos pulcras; sed placere tantùm timentem, sperantem, & potestatem Dei & misericordiam spe metuque testantem. Misericors enim & potens est, qui dixit, Qui credit in me, non judicabitur, sed transiet de morte in vitam. Est potens mortem demutare vitâ, & misericors judicii amovere terrorem, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Quid Deo placeat. Johan. 5. 24.

PSALMUS CXLVII.

Alleluia. Aggæi & Zachariæ.

LAUDA Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit * *filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te. Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus. Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.* * *Emittit crystallum suam sicut* * *frusta panis: ante faciem frigoris ejus quis* * *subsistit? Emittet verbum suum, & liquefaciet ea; flavit spiritus ejus, & fluent aquæ.* * *Pronuntians verbum suum Jacob,* * *justitiam & judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non* * *manifestabit eis.*

* filios tuos. * mittit. * buccellas. * sustinebit. * qui annuntiat. * justitias. * manifestavit.

TRACTATUS PSALMI.

Regnum Dei æternum hîc psallitur.

1. ET huic psalmo, ut ei qui ante superiorem fuit, *Aggæi & Zachariæ*, cùm in hebraicis non exstet, nomen adscribitur: ut & per hunc & per eos, sicut superiùs ostendimus, æternæ Jerusalem prophetia posset intelligi.

℣. 12.

2. *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.* Non differt Jerusalem à Sion; nam secundùm locorum nomina urbis ipsius locus idem est: sed nominum interpretatio geminam hanc ejusdem urbis commemorationem necessariò desiderabat. Jerusalem enim est civitas pacis. Et quia Domini nostri regnum in pace & unanimitate sanctorum est; Et factus est, inquit, in pace locus ejus: conventus ille beatorum, qui * Dei regnum est, Jerusalem tamquam civitas pacis est dictus. Civitatem verò hanc vivis, ut ait Apostolus, lapidibus exstructam, sanctorum cœtus conformis gloriæ Dei ex resurrectione consummat. Qui se, qualis futurus esset, per fidem in corpore Domini [c] antè speculatus est; & idcirco etiam Sion nuncupatur. Corpus quidem Domini, secundùm interpretationis virtutem, quia in eo spem nostram fide contemplamur, in omnibus Scripturis Sion nuncupari existimatur; quia Sion speculatio est. Sed & civitas illa, quæ Jerusalem est, quæ propter unanimitatem civitas pacis est, etiam propter conformationem in se corporis Dei, in quo se antè speculata est, Sion nuncupatur: & cujus gloriam adepta est, accepit quoque ejus & nomen. Ergo & conventus ille pacificus, & gloria illa corporum demutatorum, in Jerusalem & Sion nomine, quod utrumque unum est, non saxa inanima, neque ædificationes hebetes, sed rationale animal, fundamentorum vivarumque lapides gemmarum, & cives sanctitatis, & Dei in domesticos suos [d] dominatus hæc civitas est, quæ ex sensu beatitudinis suæ, & confessione præconii advocatur ad laudem.

Cur Jerusalem nuncupatur. Psal. 75. 3. *f. Domini. 1. Pet. 2. 5. Cur Sion.

[a] Apud Par. desiderabatur *ante.* Hilarii dictis lucem affert Augustinus. *Verè*, inquit in eumdem Psal. n. 18. *omnes gentes in peccato, in idololatria, in adoratione lapidum atque lignorum erant: sed numquid sic remanserunt? Etsi non ipsi corvi patres nostri, tamen pulli corvorum ipsi nos invocamus Deum.*

[b] Sic mf. Græcum autem, ἐν τοῖς πᾶσι. At editi, *& omnes*, sine *in.*

[c] *in quo* nimirum, ut exponitur in Psal. 124. n. 4. *ipsi nosmetipsos per assumtionem carnis nostræ corporisque speculamur. In eo enim sumus resurrectionem nostram resurrectione nostri in eo corporis contemplantes: speculatio est enim Sion mons.*

[d] Ita mf. Editi verò, *deputans*, loco *dominatus.*

3. Et Propheta cauſam laudationis adjecit : A
℣. 13. *Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, benedi-*
℣. 14. *xit* [a] *filios tuos in te.* * *Qui poſuit fines tuos pacem,*
& adipe frumenti ſatiat te. Hæc eſt illa beatæ
terræ hereditas, quam Dominus in Evangelio
manſuetis ſpopondit, dicens, Beati manſueti,
quoniam ipſi hereditabunt terram. Plurimis in
locis prophetæ beatitudinis hujus tempus prædicaverunt, & firmitatem civitatis hujus æternæ : cujus ita portæ & ſeræ confirmatæ ſunt,
ut adverſariis nobis inimiciſque virtutibus im- B
penetrabilis, invia, indiſſolubiliſque perſeveret; nullius egens ad corporis animæque ſubſtantiam, æternitate firma, benedicta in incolis, voluntate pacifica, vitæ ſubſtantiâ copioſa.

Vitæ æternæ felicitas & ſecuritas.
Matth. 5. 4.

4. Sed ad hanc Dei prædicationem etiam
℣. 15. illud adjungitur : *Qui emittit eloquium ſuum terræ,*
velociter currit ſermo ejus. Prædicationis regni
Dei non fuit lenta properatio; ſed in omnem
terram indefeſſa mobilitate & celeri tranſcur- C
rit. Ubi enim non ſtatim, cùm Dominus [b] regni
ſui gloriam in corpore natus oſtendit, apoſtolicæ & propheticæ doctrinæ curſus egreſſus eſt ?
Per hanc namque velocem tranſcurſionem ædificatio beatæ hujus civitatis eſt cœpta, quæ,
auditis opulentiæ ſuæ copiis, quotidie ubique
vivis fidelium lapidibus ſtructa, uſque ad incolatus ſui plenitudinem comparatur, cujus in
congregandis omnibus ex quatuor partibus
mundi velox ſermo [c] præcucurrit, rurſum ad D
confrequentandam hanc beati regni civitatem
in cœtum conſummatæ plenitudinis congregandis.

Verbi Dei velocitas ad conſtruendam Dei civitatem.

5. Sed & prædicatio alia connectitur : *Qui*
℣. 16. *dat nivem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpar-*
℣. 17. *git.* * *Mittit cryſtallum ſuam* [d] *ſicut buccellas, an-*
℣. 18. *te faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit ?* * *Emittet*
verbum ſuum, & liquefaciet ea; flabit ſpiritus
ejus, & fluent aquæ. Vitæ via, ſicut Dominus
in Evangeliis ait, anguſta & tribulata eſt; ne- E
que niſi per maximas difficultates & moleſtias
hac ad cælorum regnum viâ pergitur. Quod
quidem de moleſtiis hujus ſæculi dictum fuiſſe
intelligi oportet; per præſentes enim vexationes in requiem æternam aditur. Et quamvis rerum præſentium laboribus, quaſi quadam violentia aſperrimæ hiemis, uramur; tamen poſt
harum præſentium acerbitatum rigores, Deo
eos reſolvente, in placidis & tranquillis & ſerenis quieſcemus. Secundùm enim dictum pro- F
pheticum [e] & allegorumeni conſuetudinem,
nunc in nive & nebula & cryſtallo, quæ omnia
per naturam ſuam urunt atque mortificant, ſæcularium in nos moleſtiarum & calamitatum &
dolorum nocturnum frigus ſignificatum eſſe

Matth. 7. 14.
In via vitæ gravis labor, ſed tranſitorius.

credendum eſt. Scit hic idem Propheta beatæ
hujus civitatis participem nequaquam jam frigore iſto injuriæ ſæcularis urendum, dicens,
Per diem ſol non uret te, neque luna per noctem. *Pſ. 120. 6.*
Hæc enim omnia, quibus per præſentes
calamitates adurimur, rurſum Dei bonitate
[f] reſoluta liquuntur. Nix namque lanæ mollitudine defluens, tegens omnia intra ſe detinet : pruina quoque [g] nebulæ deſcendentis cineris modo ſparſa conſtringit : cryſtallum etiam
ultra conſuetudinem grandinis duratum, & in
fruſta ſolidatum, habet in ſe & impetum & rigorem. Et ſi hæc perpetuò permanerent, numquid non univerſa horum frigore peruſta ſemper arerent ? Quis enim ferre æternas corporis calamitates indeficienteſque poſſet, ſi ſeries mali noſtri ſempiterna traheretur ?

6. Sed diſſolutis infirmitatibus corporis, regni beati hujus tempus æternum eſt, ubi non *Felicitas æterna.*
flendum, non dolendum, non corporeæ cupiditatis demutatione labendum eſt : ſed in his
vivendum, quæ, inquit, oculus non vidit, & *1. Cor. 2. 9.*
auris non audivit, & in cor hominis non adſcendit. Ceſſat in bonis futuris intelligentiæ
auditus & adſpectus : nec conſpectui ſubjicitur,
nec auditu capitur, nec mente percipitur, quidquid illud Beatis æternis beatum æternumque
promittitur. Solventur igitur hæc omnia nivis, pruinæ, cryſtalli frigora, tamquam flatu
tepenti, tum cùm poſt hos ſæcularis noctis rigores, tempora illa regni æterni in unam atque indemutabilem tranquillitatem Dei ſpiritus temperabit.

7. Atque ut ſub nivis & nebulæ & cryſtalli
frigore, intolerabili ſi maneret, Dei tamen
ſpiritu in deliquium reſolvendo, ſignificaſſe
illam æterni regni æterno populo beatam temperiem noſceremus; pſalmum Propheta tali
confeſſione concluſit : *Ante faciem frigoris ejus*
quis ſuſtinebit ? Emittet verbum ſuum, & liquefa-
ciet ea; flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ. * *Qui* ℣. 19.
annuntiat verbum ſuum Iacob, juſtitias & judicia
ſua Iſrael. * *Non fecit taliter omni nationi, &* ℣. 20.
judicia ſua non manifeſtavit eis. Peculiaris hæc *Quis verus Jacob : ejus prærogativæ.*
in Jacob & Iſrael Dei voluntas eſt : non in
eum Iſrael neque in eum Jacob, qui hoc corporis nomen ad ſolatium veluti generoſæ in ſe
ſtirpis amplectitur; ſed in eum Jacob, qui ſupplantavit priorem, qui primogenita ſpe æternitatis emit, cui Iſrael de Deo videndo cognomen eſt, qui ipſe Jeruſalem & pacis eſt civitas, qui ædificatus ſupra petram fidei, confirmatis portarum ſeris, fortiores portarum
portas inferi obtinebit, qui in verbo Dei congregatur, qui non inopiâ eget, non ſæcularis
rigoris frigore aduretur : ſed liquefactis omni-

[a] Mſ. *filios tuos in pacem, & adipe frumenti ſatians te.*
[b] Deerat in vulgatis *regni ſui.* Suppletur ex mſ.
[c] Sic mſ. At Par. *percucurrit.* Aliæ verò editiones, *percurreret.* Aliquid deinde deſiderari prima fronte quis crediderit. At perfecta & abſoluta eſt ſententia, puta, propheticæ & apoſtolicæ doctrinæ ſermonem præcucurriſſe ad congregandos eos qui cæleſtis Jeruſalem ædificationem hîc inchoarent, quique rurſum congregandi eſſent ut eamdem conſummarent. Nulla autem ſupererit obſcuritas, ſi poſt *rurſum*, adjiciatur *iiſdem.*
[d] Mſ. *ſicut fruſta panis*, conſentiente Auguſtino cum veteribus pſalteriis German. Carnut. Mediolan. Rom. Videntur quoque favere expoſitionis verba, *in fruſta ſolidatum.* Sed ſi *fruſta*, non tamen pòſt vocem *panis* permittit eadem expoſitio.
[e] Editi, excepto Par. *& allegoricam conſuetudinem.*
[f] Bad. Er. & Lipſ. *reſoluti liquimur.*
[g] Ubi in Vulgata nunc præfertur, *nebulam ſicut cinerem ſpargit*, qui apud Hieronymum pſalmos illuſtravit, monet ex hebræo legendum eſſe *pruinam*, non *nebulam.* Hieronymus ipſe vertit *pruinas.* Lectionem utramque Hilarius & vidiſſe videtur & probaſſe, quam hîc in unum componit, quomodo obſervavimus pag. 141. not. e. eum legere mortem abſorptam *in contentione victoria*, cùm alibi tantùm *in contentionem*, alibi *in victoriam* legeret.

[a] bus, & Dei spiritu absolutis, [a] temperie æternæ serenitatis utetur. Huic pronuntiatur hoc verbum, hic per spiritalem intelligentiam has Dei justitias & judicia exspectat. Consors boni hujus nulla gens alia est, neque hanc judicii gloriam infidelitas irreligiosa cognoscit. In sua " enim venit, & sui eum non receperunt. Quot- " quot autem receperunt, dedit eis potestatem " filios Dei fieri Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Johan. 1. 11. & 12.

PSALMUS CXLVIII.

Alleluia.

LAUDATE *Dominum de cælis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus. Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ & lumen. Laudate eum cæli cælorum, & * aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini. Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt. * Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit. Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyssi. Ignis, grando, nix, * glacies, spiritus procellarum, qui faciunt verbum ejus, montes & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri, bestiæ & * omnia pecora, serpentes & volucres pennatæ, reges terræ & omnes populi, principes & omnes judices terræ, juvenes & virgines, seniores cum junioribus laudent nomen Domini; quia exaltatum est nomen ejus solius. Confessio ejus super cælum & terram. * Exsultavit cornu populi sui. Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.*

* aqua quæ super cælos est laudet.
* & statuit ea in sæculum &c.
* Infrà, crystallum, spiritus procellæ quæ faciunt verba ejus.
* universa.
* & exaltavit.

TRACTATUS PSALMI.

1. SUPERIORES tres psalmi, quibus prophetia nos ad laudem Domini advocat, beatæ illius spei nostræ distributionem ipso collocationum suarum ordine sunt secuti. Primus enim eorum ob spem æternitatis & cælestis regni exspectationem cantatus est. Secundus ob ædificationem sanctæ civitatis & congregationem sanctorum, qui ad plenitudinem sanctæ hujus civitatis conveniant, subsecutus est. Tertius iste jam ob gratulationem exædificatæ civitatis, & æterna pace fundatæ, & A post sæculi urens arensque frigus cælesti spiritu temperatæ, in hunc hymnum est comparatus. Doctrinæ ergo idem est ordo, qui rerum. Nam, secundùm propheticam & apostolicam prædicationem, beati istius regni & civitatis æternæ in his ordo dispositus est, in resurrectionis demutatione, in congregatione sanctorum, in dominicorum civium [b] confrequentantium incolatu. b

2. Post quæ, jam in æterna beatitudine omnibus constitutis, ad canendas Dei laudes hoc consequenti psalmo chorus cælestium virtutum potestatumque contrahitur: ut ob depulsam sæculi vanitatem creatura omnis ex magnis officiorum suorum laboribus absoluta, & in beato regno æternitatis aliquando respirans, Deum suum & læta prædicet & quieta, & ipsa secundùm Apostolum in gloriam beatæ æternitatis assumta, cùm ait, Etenim exspectatio ipsius creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum [c] qui subjecit in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem claritatis filiorum Dei. Hinc ergo hymnus est libertatis indultæ, quòd officiorum suorum necessitate absoluta, & antea in usus humani subjecta servitii, jam conformatâ tandem filiorum Dei gloriâ in æternam beatitudinem, creationum elementa requiescunt. Cujus beatitudinis longo jam diu secundùm apostolum Petrum desiderio detinebantur, cùm ait, Hæc quæ modò vobis nuntiata sunt, per eos qui vobis Spiritu-sancto evangelizaverunt, quæ missa sunt è cælo, in qua re concupiscunt Angeli prospicere. Exspectatio itaque cælestium est beatitudo * terrena: & corruptionis nostræ demutatio divinarum creationum demoratur elementa, prospicere hanc evangelicæ prædicationis spem concupiscentia *, gloriam suam ex gloriæ nostræ conformatione susceptura: qua jam secundùm prophetiam psalmi adeptâ, in consonam laudem perceptæ beatitudinis advocantur.

Beatitudinem nostram quî exspectet omnis res creata.
Rom. 8. 19. &c.
1. Pet. 1. 12.
* seu, terrestrium.
* scil. elementa.

3. *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis.* ℣. 1. * *Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.* ℣. 2. * *Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ & lumen.* ℣. 3. * *Laudate eum cæli cælorum: & aqua quæ super cælos est,* ℣. 4. * *laudet nomen Domini. Quia ipse mandavit, & creata sunt; ipse dixit, & facta sunt;* ℣. 5. * *& statuit ea in sæculum & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.* ℣. 6. Absoluto quidem ad intelligentiam sermone Propheta omnes cælestes virtutes adhortatur ad laudem, sed non sine perfecta ratione doctrinæ. Primùm enim errorem hunc humanæ ignorationis avertit, quo fortuitis concursibus hunc mundi habitum in se coisse, atque ita ex inordinatione in ordine constitisse, quidam ausi sunt opinari: tum quòd alii hunc ipsum mundum Deum esse, qui se agitet ac moveat, &

Mundus non fortuitus,
non Deus.

[a] Malè apud Par ex Lipsio, *tempore*.
[b] Bad. Er. & Lips. *cum frequentatione*: præter morem Hilarianum. Confer numerum 4. Tractatus superioris.

[c] Sic ms. juxta græc. At vulgati *qui subjecit eam*: & paulò antè *non sponte*, pro *non volens*.

in annuam temperiem cursu dimensæ rationis A moderetur, existiment: postremò quòd quædam sibi ex his ipsis unusquisque legit elementis, aut cælum, aut solem, aut aquam, aut aëra, quibus Dei honorem inani atque impia religione deferret. Omnem igitur errorem ignorationis exclusit, dicens, *Quoniam ipse dixit, & facta sunt; ipse præcepit, & creata sunt.* Nullus igitur hic fortuitorum concursus, nulla naturæ propriæ virtus, nulla æternitatis ex semet substantia, in his quæ creata docentur, B admittitur.

Nulla mundi pars honore divino colenda.

Filium Patri in creando mundo adstitisse.

4. In quo dicto etiam id docetur, quod & Genesis distinxit, & Evangelia testata sunt, & Apostolus prædicavit, Dei jussu facta esse omnia: non per se exstitisse, tamquam ipsa illa materia obedientiæ [a] vi talis exsisteret, cùm esse ac subsistere juberetur: sed omnia ex mandato creata esse, & dictum fuisse ab eo qui dicebat [b] ut fierent. Ita enim Genesis est locuta: Et dixit Deus, & fecit Deus. Et nunc C Propheta ait, *Dixit, & facta sunt.* Non enim sibi præcepit ut fierent, sed sunt facta cùm dixit. Facta autem sunt per eum, de quo Evangelista testatus est, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: & Apostolus ait, Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quia in ipso condita sunt omnia in cælis & in terra, visibilia & invisibilia; sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per D ipsum & in ipso condita sunt. Et Sapientia de se ita locuta est: Ego eram apud illum componens; mihi adgaudebat, cùm lætaretur orbe perfecto. Cessat itaque ambiguitas intelligentiæ, & novi & veteris Testamenti auctoritate convicta, Patri Filium ante sæcula manentem in creandi mundi exordio adstitisse.

a b Gen. 1. 6. & 7. Johan. 1. 3. Coloss. 1. 15. & 16. Prov. 8. 30.

5. Causam etiam Propheta aliam laudis adjecit: *Quoniam ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt; statuit ea in sæculum E sæculi.* Manent enim ex nihilo substituta, & gratiam ex eo quòd sunt, Creatori suo debent [c] cum sensu vitæ suæ, bonitatem ejus & virtutem sentientia, per quem vivere se sentire cœperunt. Vivunt autem adeo, ut & in sæculum sæculi maneant, &, secundùm Apostolum, revelationem filiorum Dei exspectent, à corruptionis servitio in conformem eorum gloriam liberanda. Contuendum autem est, in his creaturis, quæ in sæculum sæculi sunt statuta, neque cælum hoc quod firmamentum nuncupatur, neque terram quæ arida dicta est, [d] connumerata fuisse: quia & in Prophetis dictum sit, Ecce ego facio cælum novum, & terram novam; & Dominus in Evangelio dixerit, Cælum & terra præteribunt, verba autem mea non præteribunt: de quibus non hujus loci sermo est. Tantùm illud ad admonitionem commemorandum à nobis fuit, non dissolubiles creationes nunc ad laudem Dei fuisse numeratas, sed eas quæ in æternitatis sunt [e] substantiam constitutæ. Ac ne fortè, quòd in æternum manerent, naturale illis esse ex substantiæ beatitudine crederetur; subjecit, *Præceptum posuit, & non præteribit:* ut hoc quod sunt, id est, ut maneant in æternum, non naturæ suæ esse intelligant, sed præcepti ejus sit, qui potens sit rebus ex nihilo substitutis naturam æternitatis afferre. Non enim, inquit, præteribit præceptum, id est, mandati ejus non erit finis: [f] quia in æternum maneant, quibus æternitatem Virtus æternitatis indulsit.

Creationes non dissolvendæ ad laudem Dei invitantur.

c Rom. 8. 19. & 21.

d Esa. 65. 17. Matth. 24. 35.

e Quòd non dissolvantur, mandato Dei, non naturæ suæ debent.

f

6. Post quæ rursum terrena cetera advocantur ad laudem, quæ etsi non omnia sunt horum cælestium & beatorum bonorum consortia, partim per irrationabilem sensum, partim per inanimalem naturam, partim per impietatis offensam; tamen Deum per id, quòd talia sunt instituta, ipsâ institutionis in se habitæ providentiâ prædicant. Ait enim ita: *Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyssi.* * *Ignis,* E *grando, nix, crystallum, spiritus procellæ, quæ faciunt verba ejus,* * *montes & omnes colles, ligna*

Qui Deum laudent inanima.

℣. 7. ℣. 8. ℣. 9.

[a] In vulgatis, *vitalis*, uno verbo, quod separandum duximus: ut hîc, quantum sapimus, refellatur quædam sententia, quæ vellet materiam per se exstitisse, & præcepto Dei tantùm obtinuisse formam qua talis exsisteret.

[b] Editi, *ut fieret.* Rectiùs ms. *ut fierent*, nempe omnia. Dicebat autem Pater, & Filius faciebat, ut exponitur lib. 4. de Trin. n. 16.

[c] In editis, *cùm sensum vitæ suæ, bonitate ejus & virtutem & scientiam, per quem vivere seu sentire cœperunt:* valde perturbatè. Confusio tollitur subsidio ms. in quo tamen *sententiæ*, non *sentientia* mendosè librarius descripserat.

[d] Sic ms. At Bad. & Er. *connumeratam.* Lips. *commemoratam.* Par. *commemorata.*

[e] Editi, *in æternitatis sunt substantia.* Rectiùs ms. *substantiam*, hoc est, in substantiam æternam, seu ad subsistendum sine fine. Cùm hæc ad memorata initio num. 3. referantur, ubi sol, luna, stellæ &c. ad laudem Dei advocantur; quæri potest num prædictas res creatas animatas senserit Hilarius. Eo quidem errore inspersos illius in Job libros ad sanctum Gregorium Papam scribit Licinius Tom. 2. Spicil p. 369. *Satis miror*, inquit barbaro dicendi modo, *hominem doctissimum & sanctum, ut de stellis nænias Origenis transferret.* At quòd ad illum Licinii locum attinet, non constat an in veros Hilarii in Job Tractatus inciderit. Aut certè à prædicto errore pura judicanda sunt quæ in Job scribit Hilarius, aut, quod nefas, pondus & pondus Hieronymo attribuendum. Qui enim generatim Hilarii libros *inoffenso pede* decurrendos docet, nominatim de Origenis in Job Tractatibus epist. 75. ait: *Ad te ipsum, Vigilanti, veniam: cur Tractatus ejus* (Origenis) *in Job descriptos habes, in quibus contra diabolum & de stellis cæloque disputans, quædam locutus est quæ Ecclesia non recipit.* Cur exprobrat viro quòd vel descriptos apud se retineat Origenis Tractatus, & feminæ auctor est non modò ut retineat, sed & legat Hilarii libros, nisi quia in his errorem de stellis non advertit, quem in illis respuendum duxit? Neque in hoc ipso Tractatu nisi temere error idem reprehendi potest. Primò enim non ait eas tantùm enumeratas esse creationes, quæ animatæ, sed quæ non dissolvendæ essent. Deinde si solis, lunæ, stellarum & aquæ quæ super cælos sit vocabulis vivas substantias intellexit, ea non propriè, sed spiritaliter intellexerit necesse est. Neque inficias ibit, qui illius dicta Tract. Ps. 123. n. 5. perpendet: ubi primò ponit, absurdum videri ut aquæ *animales* sint: tum sumit, aquas tamen super cælos esse quæ laudent Dominum, ac proinde animales: tandemque concludit, aquarum nomine populos intelligendos esse, quos inter *sint cælestes, sint & terrestres* &c. Eas aquas magis propriè videtur intelligere in Ps. 135. n. 8. dum vocat temperatiorem naturam, cujus objectu primi cæli sedes circumfusi Dei virtute nimiùm accensa temperetur, ut ab inferioribus sit patienda naturis. Neque etiam dubium est ex Tract. Ps. 146. n. 5. quas stellas animatas senserit, ubi explicaturus illud, *Numerans multitudinem stellarum* &c. rejecto primùm litteræ sensu subjicit, *Sed numerantur hîc stellæ, quas Abraham contuitus in cælo est, quas Isaac accepit in semine, quas Paulus discrevit in gloria.* Non enim obscurum est, stellarum nomine electos & filios Abrahæ eum interpretari. Neque verò quis dixerit cælum & terram spiritaliter intellecta ad res non dissolvendas pariter accommodari potuisse. Vetat enim illud, *Cælum & terra transibunt.* Nec simile quidquam habetur de creationibus superiùs memoratis. Demum Hieronymus epist. 62. ad Theophilum, quatenus Origenem Hilarius imitatus sit declarans, dum dicit, *Noxia quæque detruncans, utilia transtulit*, satis apertè significat illum Origenis de stellis nænias, ut cum Licinio loquamur, vel, ut cum ipso Hieronymo, quæ Ecclesia non recipit, minimè transtulisse.

[f] In ms. *quin æternum maneant.*

ỳ. 10. *fructifera & omnes cedri*, * *bestiæ & universa pe-*
ỳ. 11. *cora, serpentes & volucres pennatæ*, * *reges terræ*
ỳ. 12. *& omnes populi, principes & omnes judices terræ, juvenes & virgines, seniores cum junioribus laudent nomen Domini.* Omnia laudem Dei concinunt, licèt quædam sensu laudis carentia sint; sed per institutionis ordinem qualitatemque gignendi præconium Creatoris ostendunt. Detenti in terra dracones, eorumque plures in abyssis demersi: ut nos intra metum & religionem, dum ipsi intra abyssum terramque religati impietatis nostræ pœnis præparantur, coercerent. Natura ignis, nivis candor, [a] crystalli glacies, procellæ spiritus, montium celsitas, distinctio collium, arborum fructus, bestiarum varietas, pecorum utilitas, serpentum nisus, volucrum volatus, regum potestas, populorum famulatus, principum dignitas, judicum æquitas, ætatum omnium & sexuum mores, studia, virtutes; hæc itaque omnia in diversos ineffabilesque usus formata, distincta, animata, perfecta, Creatoris providentiam laudant. Et eorum quæ aut inanima, aut irrationabilia sunt, qualis laudatio esset ostendit, dicens, *Quæ faciunt verbum ejus*: ut ex eo, quòd in hunc officiorum suorum sint ordinem constituta, præconium ejus à quo ita sint instituta testentur.

Rationalibus quæ laudandi Dei causa. ỳ. 13.

7. Regibus verò, & ceteris aliis tamquam rationis consortibus, hæc laudandi causa proposita est: *Quia exaltatum est nomen ejus solius, confessio ejus super cælum & terram.* Et hac quidem Deus regum, & populorum, & principum, & judicum, & ætatum omnium constitutione laudabilis est, * quia humanæ vitæ cursum tali diversorum officiorum temperatione contineat. Tamen quia omnis superior laudatio beati illius regni tempus ostendit; hanc causam laudis adjecit, *quia exaltatum est nomen ejus solius.* Tum enim Deus unus etiam ab invitis & intelligitur & [b] videtur, religato diabolo, & angelis ejus pœnæ cum eo æterni ignis addictis, & omni spiritalium nequitiarum potestate sublatâ; cùm jam non peccatum, non mors, non terrenus hic mundus sit. Ait enim: ỳ. 14. *Confessio ejus super cælum & terram, & exaltavit cornu populi sui*: id est, in illo beatæ civitatis illius sæculo, ubi cornu populi sui Dominus exaltabit, & incorruptionem ei, quæ significatur in cornu, per honorem immortalitatis impertiet. Tum enim cælum novum & terra nova erit, cùm his præsentibus dissolutis nova illa & æterna succedent. Ideo confessio ejus super cælum & terram reddetur: quia non in hoc sæculo, neque in hoc aëre, sed in superioribus locis sedes beati illius regni est constituta.

Regni beati sedes.

Populus appropinquans, qui jam in regno Filii, nondum in regno Patris.

8. Et quia illud sanctorum est regnum, per quod regnante Domino ad beatum regnum Dei patris adscendent; psalmum ita Propheta conclusit: *Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel populo appropinquanti sibi.* Sanctorum omnis hic hymnus est, qui Deum, non ut ceteri reges aut principes aut judices, pro virtutis & confessionis admiratione laudent, sed pro gaudio consummatæ in se beatitudinis & gratulatione cantantium: sancti scilicet, qui Israel filii sunt, Deo propinquantes; non illi utique de quibus dictum est, Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me; Matth. 15. 8. sed hi qui merebuntur audire, Propè est Dominus omnibus invocantibus eum. Ps. 144. 18. Illis ergo proprius hic hymnus est, qui Deo propinquabunt, qui per hoc sanctæ Jerusalem regnum beatum æterno regno proximi, post regnum Domini Jesu Christi in regnum Dei patris Domino congregante transibunt, Apostolo dicente, Cùm tradet regnum Deo patri, cùm evacuaverit omnem principatum & omnem potestatem & virtutem. 1. Cor. 15. 24. &c. Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. [c] Omnibus enim subjectis sub pedibus ejus, novissima evacuatur mors. Cùm dixerit, Omnia sunt subjecta præter illum qui ei subjecit omnia, tunc ipse subjectus erit illi qui ei subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Hic ergo populus est propinquans, regno Dei patris per regnum filii Dei proximus. Regnat itaque Dominus, traditurus Deo patri regnum; non regni potestate cariturus, V. l. 11. de Trin. n. 39. sed nos, qui regnum ejus sumus, Deo patri traditurus in regnum. Regni traditio, nostra provectio est; ut qui in regno Filii erimus, in regno quoque simus & Patris: digni per id regno Patris, quia digni regno erimus & Filii; proximi tum Patris regno, cùm Filii [d] erimus in regno: qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLIX.

Alleluia.

CANTATE Domino canticum novum, * *laus ejus in ecclesia sanctorum. Lætetur Israel in eo qui fecit eum, & filii Sion exsultent super regem suum. Laudent nomen ejus in choro, in tympano & psalterio psallant ei. Quoniam beneplacitum est Domino in populo suo:* * *exaltavit mansuetos in salutem. Exsultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis. Exsultationes Dei in* * *faucibus eorum: &* * *gladius ancipitis in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus,* * *increpationes in populis. Ad alligandos reges in* * *manicis & compedibus, & nobiles eorum in vinculis ferreis. Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis ejus.*

* laudatio.
* exaltabit.
* gutture.
* gladii bis acuti.
* objurgationes.
* abest infrà *manicis &.*

* ms. quo.

[a] Quomodo superiore Tractatu num. 5. *pruina nebula*, & in Ps. 59. n. 14. *in contentione victoria*; ita hîc non *crystallum* dumtaxat ponitur aut *glacies*, sed *crystalli glacies*, duobus legendi modis ita adoptatis.

[b] Sic ms. At editi, *videbitur*.

[c] Bad. Er. & Lips. *Omnes enim subjiciet sub pedibus ejus. Novissima enim evacuabitur mors.* V. lib. 11. de Trin. n. 22.

[d] Editi, *erimus regnum*: corriguntur ex ms.

TRACTATUS PSALMI.

Psalmi superioris recapitulatio.

1. SUPERIOR psalmus omnem creationum diversitatem ad laudem Dei creatoris est adhortatus: & ordo à cælestibus cœptus, cuncta terræ ac maris & aëris animantia percurrit, universo quoque genere ætatum, sexuum, potestatum ad honorem debitæ confessionis admonito, ut gloriam ejus, qui se ad vitam animasset, firmasset, ornasset, pius gratiarum sermo celebraret. Post quàm, ut dignum fuit, Propheta psalmi hujus fine proprium officii sui munus expleverat, omnibus quidem ad laudem divinam adhortatis, hymnum tantùm esse sanctorum ejus ostendit, filiis scilicet Israel, populo qui fieret Deo proximus; ut cùm universitas omnis Deum ex vitæ suæ sensu & gratulatione laudasset, Israel tamen [a] ei solus appropians hymnum de cognitionis ac dignationis divinæ familiaritate cantaret. Post quæ nunc ad cantandum Deo novum canticum [b] incitamur. Et fortè nihil ultrà reliquisse psalmus anterior novitatis admirationisque credatur, cùm si quid illud in gratulatione nostra sensuque sit, idipsum in laude oportere esse præscriptum sit. Efferre autem se ultra cælestem sedem [c] mens nostra non sufficit: sed laudare Deum ea quæ supra cælos sunt admonentur. Rursum autem se tendere ultra abyssi immensitatem intelligentiæ nostræ opinio non potest: verùm ea, quæ in his sunt, ad laudis officium advocantur. Jam verò ipsa illa natura aëris in grandine, nive, crystallo, procellæque spiritu concinere gloriam tantæ laudis jubentur. Tum porro universitas generis humani in regibus, in principibus, in judicibus, in omni vel ætatis flore, vel senectutis maturitate, Dei laudem cantare præcepta est; quia hæc omnia sibi imperturbato cursu moderatoque consistant, fluantque universa ita naturæ suæ lege præcepta, ut decedere his ex ea quæ creata sunt constitutione non liceat.

Quorum proprium sit hoc canticum novum.
℣. 1.

2. Cùm ergo nulla, extra hæc rerum divinarum cælestiumque decreta, videatur homini concessa esse cognitio, cognitionisque laudatio; videamus, ad quod nunc novum canticum advocemur, cùm dicitur, *Cantate Domino canticum novum.* Est planè novum canticum. Cujus quidem novi cantici gratulationem jam [d] & in superioribus psalmis, in quibus novum canticum cantatur, ostendimus; cùm in gentibus Dominus esse regnaturus ostenditur, cùm ipsum ad regni gloriam dextera sua salvabit, cùm assumens ex inferno animam suam nos secum assumsit in reges. Proprium ergo hoc canticum novum est sanctis ejus. Id enim sequitur: *Laudatio ejus in ecclesia sanctorum.* * *Lætetur Israel in eo qui fecit eum, & filii Sion exsultent super regem suum:* * *laudent nomen ejus in choro, in tympano & psalterio psallant ei.* [e] Id est, in eo qui secundùm nonagesimi & quinti psalmi canticum novum regnabit in gentibus, & [f] quem in sequenti cantico novo, in mirabilibus factis suis Dominum salvabit dextera sua. Super hoc igitur rege lætatur Israel, & Sion filii, ejus scilicet Sion quæ mater in cælis est, quæ conscriptorum primitivorum & Angelorum frequentantium civitas est; & Israel ille*, qui spiritu non litterâ, & super quem Apostoli pax est. Hi ergo filii, qui suscipientes confitentesque regem filii Dei facti sunt, & hi ergo qui in corpore Deum mentis oculis agnoverunt, lætabuntur in choro, in tympano psalterioque psallentes. Hæc autem * musa lætitiæ in tabernaculis justorum est, * & in symphoniæ cantu in reditu filii pænitentis auditur.

Ps. 95. 10. Ps. 97. 1. ℣. 2. ℣. 3. * subaud. lætetur. Gal. 6. 16. * f. causa. * f. & symphoniæ cantus.

Homo creatione Deo placens, peccato displicens, in Christo bene placuit.

3. Quæ autem nunc propriè post creaturarum laudationem, & superiora cantica nova, hujus cantici novi causa esset, ostendit dicens, *Quia beneplacitum est Domino in populo suo: exaltabit mansuetos in salutem.* * *Exsultabunt sancti in gloria.* Omnia quidem Deo cùm sunt creata placuerunt, Genesi testante cùm dicit, Et vidit Deus quia bona sunt; sed beneplacitum ei in populo suo esse cognoscimus. Bona quidem creatio hominis est, [g] ut quæ initium creationis secundùm originem Dei similitudinemque sortita est; sed judicio se immutabilis Dei secundùm demutationem humanæ voluntatis atque arbitrii [h] temperante, tum quia peccassent & agerent pænitenda, pænitere se quia fecisset hominem testatus est. At verò ipsis illis ex peccato in vitam reformatis, depulsâ pænitentiæ [i] querelâ, jam beneplaciti in eos affectus ostenditur. Reconciliati enim sumus per corpus & sanguinem Christi ex inimicis in filios Deo, cùm nobis æterni Sacerdotis placationem [k] impænitentiæ sacramento spopondisset, Propheta dicente, Juravit Dominus, & non pænitebit eum,

℣. 4. ℣. 5. Gen. 1. 31. Pænitentia Dei. Ps. 109. 4.

[a] Par. *ejus solus*: castigatur ex ms.

[b] Quæ sequuntur, primùm ex ms. Miciacensi vulgata sunt editione Parisiensi anni 1605. cùm priùs hîc desineret Hilarii Commentarius.

[c] Apud Par. ut in ms. *mensuram non sufficit*: corruptè. Legendum esse *mens nostra*, sequentia confirmant: nec magnum in veteribus libris discrimen inter utramque lectionem interesse norunt periti. Mox in ms. *admonentur*, ubi malè vulgatum erat *admonemur*.

[d] Hoc quidem quodam pacto ostensum est in Psal. 143. n. 19. Sed cùm dicat Hilarius *in superioribus psalmis*, non in superiore psalmo, hisque adjiciat, *in quibus novum canticum cantatur*, haud obscurè significat se psalmos 95. & 97. enarrasse, quorum Tractatus desiderantur.

[e] Apud Par. *Idem in eo.* Malumus *id est*, cùm in mss. eadem ratione *idem* & *id est* pingi soleant. Hac particula indicatur quid sibi velit *lætetur Israel in eo.*

[f] Restituimus *quem*, pro *qua*, hoc manifestè postulante sententia. Mox in prima editione Par. desiderabatur *Dominum*, ejusque loco in postrema substitutum est *Dominus*, omissis verbis *dextera sua*: contra fidem exemplaris ms. Non displiceret *salvavit*, loco *salvabit*, ut & antea *regnavit* pro *regnabit*.

[g] Pro *ut*, in ms. exstat *quia*. Fortè *quippe*. Deinde *secundùm originem*, id est, quia nullam aliam habet sui causam nisi Deum, saltem secundùm potiorem sui partem quæ est anima, à cujus creatione homo initium sumsisse prædicatur in Ps. 129. n. 5. & lit. 10. Ps. 118. n. 7.

[h] Hactenus obtinuit, *temperantes tum quia paccassent vel peccassent.* Nemo non videt præferendum esse *temperante*: quod aliter dictum est in Psal. 120. n. 9. *Secundùm uniuscujusque mores ac studium unicuique Deus adjacet: idcirco & perversis aversus & sanctus in sanctis est.* Deinde pro *dum*, duximus restituendum esse *tum*, quasi *tunc temporis testatus est* &c.

[i] hoc est, mutato judicio non jam se pænitere ait Deus. Ex hac particula *jam*, liquet superiùs legendum fuisse *tum*, non *dum*.

[k] Apud Par. *in pænitentiæ sacramento*: cui lectioni repugnant sequentia. Apertiùs *impænitenti sacramento* diceretur, sed quidam in verbis lusus affectatus videtur, quia nimirum *pænitentiæ querela* proximè jam dictum esset.

" eum, Tu es sacerdos in æternum secundùm " ordinem Melchisedech. Complacitum ergo est, quod impœnitens esse [a] juratum est ei, quo regnante secundùm ordinem Melchisedech, id est, gentium & rege & sacerdote, primùm mansuetis salus, deinde splendor est sanctis exsultantibus super regem suum.

Sanctorum privilegia. 4. Sed post sanctorum gloriam, intelligendum est quid ad cantici novi plenitudinem consequatur: *Lætabuntur in cubilibus suis.* (℣. 6.) * *Exsultationes Dei in gutture eorum, & gladii bis acuti in manibus ipsorum.* Jam non lacrymis stratum rigabitur, nec in hoc mortis corpore degentium ob peccati necessitatem ac dolorem noctibus singulis lectus lavabitur. In cubilibus enim jam suis sancti lætabuntur in gloria; & ob id Dei exsultationes semper in gutture. (*Guttur, quid significet.*) Per significationem gutturis, internæ conscientiæ protestatur affectum. Sed neque solùm in eorum gutture exsultatio Dei est; verùm etiam ipsorum manus bis acutis gladiis armabuntur. Hæc filiis Sion cognitio regis indulget, quibus in choris tympanisque psallentibus disposita sit & salus, & gloria, & lætitia, & exsultatio, & potestas. Nam potestatem in gladio [b] significari, tum pluribus locis, tum consequentibus admonemur. (*Quid gladius.*) Cur enim bis acuti gladii in manibus eorum essent, edocuit mox Propheta, dicens, (℣. 7.) *Ad faciendam vindictam in nationibus, objurgationes in populis;* (℣. 8.) * *ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis;* (℣. 9.) * *ut faciant in his judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* (*Gladii bis acuti quis usus sanctis.*) Hoc ergo est canticum novum, dum humiles terræ tribulatique corde regibus constituantur in reges, cùm existimati purgamenta mundi (1. Cor. 4. 13.) & vel abortiva gentium lumen mundi & ultores sint nationum. Gladii enim bis acuti in manibus eorum sunt: [c] quia sancto illi in Apocalypsi (Apoc. 19. 15.) gladius bis acutus ex ore sit, judicium undique potestatis exercens. Nam & gladium venit Dominus mittere in terram (Matth. 10. 34.): & sancti secundùm Apostolum mundum judicabunt, & in illis judicabitur mundus. Dictum est enim, Aut nescitis quia angelos estis judicaturi? (1. Cor. 6. 2.) Fit ergo per eos vindicta in nationibus; Deus enim in nobis est [d] ultionum. Objurgatio deinde exseritur in populos: fidelis namque est, qui ait, Arguam te, & statuam hæc contra faciem tuam. (Ps. 49. 21.) Sed arguitionis hujus hic exitus est, ut reges nationum nobilesque earum manicis & compede vinciantur. Vincti enim manibus & pedibus, secundùm Evangelia, in exteriores tenebras deputantur (Matth. 22. 13.). Et quia illic erit fletus & stridor dentium; fiet judicium conscriptum, quod Lex scilicet præscripserat, quod Prophetæ nuntiaverant, quod omnis divinus erat sermo testatus. Hoc fides, pietas, continentia, confessio habet meritum: hoc contemtus sæculi muneris sumit, fieri regem regum, quorum odia ob Christi nomen excepta sint; vinciri nobiles, quorum nos vincula carceresque concluserint; conscriptum in eos judicium * habetur (** f. haberi.*), quorum & gladii desævierint, & potestas. Sic sanctorum gloria omnis à Deo est, cùm post has vitæ & corporum passiones exserant potestatem. Sic cantici novi hymnus impletur, cùm post gentium opprobrium regumque cruciatus judicium conscriptum in gentes regesque decernant, quibus Dominus Jesus Christus & unigenitus Deus & Dominus & rex est, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CL.

LAUDATE Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus. Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis ejus. Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio & cithara. Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo. Laudate eum cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis; omnis spiritus laudet Dominum.

TRACTATUS PSALMI.

1. MAGNIS psalmorum librum sacramentis rerum cælestium refertum (*Psalmi mysteriis referti.*) esse sæpe tractavimus, vel cùm dispositio singulorum, contra temporis gestorumque rationem, ordinem, numerumque sortita sit, vel cùm superscriptiones nonnullæ aliter, quàm Hebræorum libris continentur, adscriptæ sunt, vel cùm tituli plures, cùm nulli sint, præferantur. Cùm ergo ultra litteræ opinionem celsioris intelligentiæ sensu volumen digestum sit; oportuit idipsum digno fine concludi: ut secundùm gloriosam spei nostræ perfectionem liber quoque tanti Prophetæ consummatus exsisteret. Primùm enim in eum est numerum distributus, qui ex tripartito quinquagesimo numero esset explendus (*Cur in tres quinquagesimas distributi.*), cùm neque in Hebræis numerus singulis quibusque connexus sit, & plerique apud eos psalmi, quo minùs hic triplicis [e] quinquagesimus numerus conveniret, juncti sunt. Fuit ergo in translatoribus hoc intelligentiæ spiritalis, ut congestam hanc in plurimis continuatamque seriem partirentur in numerum: ut psalmorum omnium hic & ordo & numerus, qui in his trisquinquagesimus est, possit expleri (*V. Prolog. n. 11.*); totiusque libri idem hic quasi status exsisteret, qui fidei, ut in quinquagesimo psalmo centesimoque

[a] Par. *juratum est, cui regnantem secundùm ordinem Melchisedech, idem gentium* &c.
[b] Huic correctioni nemo, puto, refragabitur, quamvis apud Par. juxta ms. editum sit, *significantium pluribus locis.*
[c] Et hîc restituimus, *quia*, ubi obtinebat *qui.* Mox verbum *exercens* (familiarius Hilario foret *exserens*,) per quemdam tropum ad gladium bis acutum refertur.
[d] Apud Par. *ultionum objurgatio. Deinde:* vitiosa interpunctione.
[e] Et hîc legendum videtur *triplicis quinquagesimæ*, & infrà *tribus quinquagesimis*, loco verbi *trisquinquagesimus.*

tractavimus, quorum * unus, secundùm præscripta legis, post sabbatorum sabbata confessionem peccati remissionemque complexus est, *alius sub ejusdem numeri plenitudine non indulgentiam peccati, sed fructum officiumque justitiæ comprehendit. [a] Post quæ rursum ædificatâ jam in æternum Dei civitate, & omnibus ad gratulationem ejus laudemque commonitis, sub ejusdem rursum numeri potestate spes est consummata sanctorum, jam ad spiritalem omnibus gloriam naturamque renovatis: ut gradatim per hoc ad Dei consortium veniretur, cùm peccatorum remissio vitæ innocentiam & judicii constantiam mereretur, vitæ autem innocentis judiciique constantia spiritalis gloriæ sumeret dignitatem. Ac sic omnia, baptismum, resurrectio, demutatio continentur, cùm prima nos libri hujus quinquagesima regeneret ad innocentiam, sequens ad judicium innocentiæ [b] resurrectio perducat, tertia in naturam spiritûs & laudem constituat. Post vinctos enim compedibus reges, ligatosque manicis nobiles, * sanctorum judicium conscriptum, cùm in his omnibus gloria constitisset, gloriæ tamen ipsius consummatio [c] hæc secuta est.

Neuter Tractatus exstat. * L. * C. * f. &.

2. Superior proximo psalmus ad laudem nos Dei ob creationum magnificentiam advocavit: sed post cantici novi hymnum Deus non adhuc in operibus laudandus, sed laudandus in sanctis est, quos post judicium conscriptum in æternitatis gloriam collocaverit, & indemutabiles jam cælesti honore donaverit: per quod in virtutis suæ laudandus sit firmamentum, quia firmamentum æternæ virtutis invexerit, absorpta in contentione morte, cùm corruptionem incorruptio devoraverit. Et idcirco firmamentum virtutis laus sequitur potestatum, quia mortem immortalitas consumserit, tribuens quod oculus non vidit, nec cor cogitavit, nec auris audivit. * . . . . in sanctis & ad laudem . . . . . . suas . . . . Deus secundùm Apostolum nos ante mundi constitutionem in cælestibus spiritali benedictione benedixit: ad cujus laudis gloriam omnia & vocis & operum officia incitant diversitate habitationum & claritate. Laudamus idcirco in cymbalis bene sonantibus: in cymbalis exsultationis laus ista perficitur. Quæ laus omnis in sanctis est, quòd ab his corruptionem carnis sanguinisque depulerit, quòd ad imaginem creatoris sui sint reformati, quòd conformes jam esse gloriæ corporis Dei cœperint, quòd in omnem Dei plenitudinem impleantur, quòd cùm Deus spiritus sit, Deum tamen non caro jam sit laudatura, sed spiritus.

* Versus quinque fugientibus ms. litteris legi hìc non potuere. Ephes. 1. 3.

[a] Reponimus *post quæ*, ubi priùs exstabat *postquam*, experti mendum idem superiùs fuisse corrigendum.

[b] Apud Par. *resurrectione producat*: non displiceret *resurrectione*, nisi obniteretur ms. nam *sequens* videtur referri ad vocem *quinquagesima*, quæ reticeatur.

[c] nimirum potestatem reges vinciendi, judicium conscriptum decernendi; nam illud *hæc* in quarto casu pluralis numeri intelligendum est. Mox *proximò* sic per modum adverbii apud Par. designabatur, cum idem sit Hilario *superior proximo*, quod vulgò *antepænultimus*, puta 147.

ADMONITIO

IN COMMENTARIUM SUBSEQUENTEM.

In Scripturis exponendis quî primas inter Latinos Hilarius obtineat.

VERSIONEM Tractatuum Origenis in Lucam nonnullis à se exposcentibus, hunc Hilarii Commentarium unà cum altero Victorini misit Hieronymus, gratulans quòd Scripturis exponendis jam pridem ipsi etiam Latini operam navassent. Commentarios, *inquit prologo, qui Origenis in Lucam explanationi præfixus est*, viri eloquentissimi Hilarii, & B. Martyris Victorini, quos in Matthæo diverso sermone, sed unâ gratiâ Spiritûs ediderunt, post paucos dies ad vos mittere disposui: ne ignoretis quantum nostris quoque hominibus (*Latinis videlicet*) sanctarum Scripturarum quondam studium fuerit. *Quibus verbis quodam pacto indicat Hieronymus, sacrarum litterarum intelligentiam hactenus è Græcis quæsitam, & necdum bene notos qui ex Latinis idem studium suscepissent. Ipse in lib. de Script. eccl. si Victorinum excipias, qui etiam* non æquè latinè ut græcè noverat, *nullius ante Hilarium in Scripturas operam memorat, nisi Rhæticii Heduorum episcopi in Cantica, & Fortunatiani Aquileiensis in quatuor Evangelia* brevi & rustico sermone. *His autem cùm æqualis fuerit Hilarius, primas ei inter Latinos Scripturæ interpretes dare si non licebit; licebit certè cum primis eum accensere. Dubitari etiam potest, an Matthæi Evangelium ab ullo Latinorum ante se explanatum scierit. Neque enim videtur expositionem illius aggressurus fuisse, si hoc latinè jam confectum rescisset; cùm vel in orationem Dominicam, ut testatur ipse cap. 5. idcirco dumtaxat scribere supersederit, quia eamdem Cyprianus explicasset. Quo in loco non silet aptissimum etiam de eadem oratione volumen à Tertulliano scriptum, sed ob errorem consequentem hominis detractam*

Quid senserit de Tertulliani scriptis.

ſcriptis probabilibus auctoritatem. Ægre quidem daretur Victorini opera eum ignoraſſe, ſi cum Mariano in editione Hieronymi de Scrip. eccleſ. idem Victorinus Pictavienſis, *& non potiùs cùm mſſ. aut* Pitavionenſis, *aut* Petabionenſis, *aut* Poetabionenſis, *aut denique, quod habet Germanenſis codex litteris Merovingicis exaratus,* Pectabionenſis *in ſuperiore Pannonia epiſcopus ſcribendus eſſet. Sed & ex Hieronymo jam audivimus Commentarios utriuſque diverſo ſermone fuiſſe conſcriptos. Itaque dum in his aliorum ſententias affert Hilarius, non tam Græcos intelligendus eſt memorare, quàm Latinos.*

II. *Non deſunt qui putent, illum ut in Pſalmos, ita & hìc in Matthæum, Scripturæ ſenſus ex Origene fuiſſe mutuatum. Hieronymi verba lib. de Script. eccl. ambigua ſunt, cùm Hilarii Opera recenſens hæc habet:* Et liber hymnorum, & myſteriorum alius, & Commentarii in Matthæum, & Tractatus in Job, quos de græco Origenis ad ſenſum tranſtulit. *Anceps enim eſt, an ſolos Tractatus in Job velit ex græco Origenis tranſlatos, an etiam cum iis Commentarios in Matthæum. At ambiguitatem ipſe ſolvit epiſt. 75. adversùs Vigilantium, à quo accuſatus quòd Origenis lectio familiaris ei fuiſſet, cum primis reponit:* Si hoc crimen eſt, arguatur & Confeſſor Hilarius, qui pſalmorum interpretationem & homilias in Job ex libris ejus, id eſt, ex græco in latinum tranſtulit. *Neque enim hoc loco, ad majorem cauſæ ſuæ defenſionem, Commentarios in Matthæum ſilentio prætermiſiſſet, ſi eos etiam credidiſſet ex Origene tranſlatos. Sed & hoc ipſum magis patet ex initio Apologiæ ipſius adversùs Ruffinum, ubi enumerans antiquos Origenis tranſlatores, ſtatim profert* Hilarium Confeſſorem, qui quadraginta ferme millia verſuum Origenis in Job & Pſalmos tranſtulit. *Certè in promtu ei magis erat Commentarium integrum, quàm tot verſuum millia recenſere. Aut ſi ex numero verſuum putavit partes ſuas juvari, quidni ex multitudine Operum? Quid quòd Origenis Tractatus expetentibus hoc Hilarii Opus promittens, non mandat Origenis ſententiis refertum, ſed* gratia Spiritûs? — *An in hoc Opere quidquam ex Origene mutuatus ſit.*

III. *Sed neque hujus Commentarii cum lucubrationibus iis, quas ex Origene in Matthæum habemus, frequens admodum occurrit conſenſio. Hoc verò maximè ab iis diſſentit, quòd rara in rerum enarratarum probationem Scripturarum adducantur teſtimonia. Nuſquam etiam latiùs divagatur oratio; ſed propè ſemper ſermo conciſus, & paucis complectens multa: quod ab Origeniana dicendi ratione procul abeſt. Brevitati autem dum ſtudet Hilarius, nonnulla paſſim reticet verba, neque ſemper accuratis grammaticæ legibus adſtringitur. Sed & quoſdam Scripturæ locos ita leviter tangit, ut interdum menti non occurrat quid velit, niſi partem Evangelii quam explanat prælegeris. Ipſe ut plurimùm evangelica dicta geſtave ſtrictim percurrendo ea animo ſiſtit. Tum litteræ ſenſum nonnumquam paucis indicat. At præcipuus ac fere totus illius labor eſt in ſpiritalibus & abſtruſis ſenſibus inveſtigandis.* — Stilus.

IV. *Non enim tantùm vetus inſtrumentum, ſed etiam novum, præter ſimplicem intelligentiam, altera etiam altiore, interiore & ſpiritali refertum eſſe exiſtimabat:* Sermo Dei, *inquit cap. 12. n. 9.* dives eſt, & ad argumentum poſitus intelligentiæ plurimam de ſe exemplorum copiam præbet: & vel ſimpliciter intellectus, vel inſpectus interiùs, ad omnem profectum eſt neceſſarius. Sed relictis his quæ ad communem intelligentiam patent, cauſis interioribus immoremur. *Quibus verbis declarat, duplicem illam intelligentiam utilem ac neceſſariam eſſe, ſe verò interiori potiſſimùm & ſpiritali adhærere; & hoc quidem, quia ſimplex cuique per ſe obvia, communem captum non ſuperet.* — Interpretandi ratio.

V. *Hanc autem adorſus interpretandi rationem, ſe non propriam animi ſententiam ſectatum, neque ad cogitata Scripturas, ſed ad Scripturas cogitata accommodaſſe cap. 7. n. 8. profitetur his verbis:* Non nos intelligentiam fingimus; ſed geſta ipſa intelligentiam impertiuntur. Neque enim res intelligentiæ, ſed rei intelligentia ſubſecundat. *Fatetur quidem cap. 19. n. 4. ut & ſæpiſſimè aliàs, quòd* res omnes, quæ ſcriptæ ſunt *(in Evangelio,)* geſtæ effectæque ſunt. *At ſtatim admonet* ea, quæ ſub Deo *(Chriſto)* agebantur, præſentium effectibus, conſequentium formam prætuliſſe: atque ita ſemper in Scripturis cæleſtibus ſermonem temperatum fuiſſe, ut non minùs — Ex intimis ipſius Scripturæ ſenſibus eſt petita.

his quæ gerebantur, quàm eorum quæ gerenda essent similitudini convenirent.

Qua ratione indaget quod Spiritus-sanctus latenter significavit.

VI. *Ea ut assequatur, quæ in evangelicis scriptis dictisve præfigurari sibi persuasum est, observare solet ordinem rerum gestarum, verborum proprietates, necnon locorum, temporum ac personarum rationem: hisque omnibus probè perpensis atque perspectis, contendit nonnumquam fieri vix potuisse, quin, præter litteræ sensum, alium quemdam spiritalem nobis Spiritus-sanctus significare voluerit. Eam ob rem factum esse putat, ut nonnihil aliquando ad perfectam rerum præsentium tractationem desideraretur.* Sicut in ceteris admonuimus, *inquit cap. 21. n. 13.* hîc quoque meminisse nos oportet, rationi rerum præsentium aliquid interdum ea conditione deesse, ut futurorum species sine damno aliquo * præfiguratæ efficientiæ expleatur.

* *f.* præfigurantis.

Hoc semper præstat salva historiæ veritate.

VII. *Hujus autem spiritalis intelligentiæ, rerum circumstantium ratione habita, necessitatem ita quandoque exprimit, ut nisi sæpe sæpius obtestatus esset, illibatum se velle litteræ sensum, hunc prorsus repudiare videretur. Crederes, verbi gratiâ, cap. 10. n. 17. eum negare, verbis* Veni enim separare filium adversùs patrem *&c. ullam à propinquis carnalibus præcipi separationem, nisi eam jam antea cap. 4. n. 19. ubi ipsi scandalo sunt, omnino necessariam eorumdem verborum auctoritate docuisset. Quibuslibet igitur verbis declaret aliquid in Scripturis aliud, quàm quod sonat, intelligendum esse, hoc ita accipiendum est*, ut, *quemadmodum monet cap. 2. n. 2.* meminerimus veritatem non idcirco corrumpi, si gerendis rebus interioris intelligentiæ ratio subjecta sit. *Quod etiam in Psal. 123. n. 5. tradidit his aliis verbis:* Fides historiæ non periclitatur, si rebus effectis inesse & connexam sibi extrinsecùs significantiam existimemus. *Dum autem sedulò quærit quod sub dictis gestisve evangelicis latet, nihil ei occurrit familiarius, quàm Legis & Evangelii, Ecclesiæ & Synagogæ, Judæorum & Gentium seu Christianorum status, quem iis dictis ac gestis præformatum esse enarrat. In his sat celebris est Judæorum distinctio, eorum videlicet paucorum numero, qui Evangelio paruerunt, & eorum longè plurimorum, qui restiterunt.*

Operis hujus nomenclatura.

VIII. *An verò ad populum ista peroraverit, incertum. Immo cùm cap. 19. n. 11* libri *nomine hoc Opus ipse nuncupet; certum est non in modum Concionum in lucem fuisse editum. In quibusdam mss. inscribitur* Tractatus super Matthæum, *in aliis*, Expositio super Matthæum, *in ceteris* Commentarii super Matthæum: *quo nomine constanter ab Hieronymo appellatur, ipsomet Hilario suffragante cap. 5. n. 1. ubi de oratione Dominica* commentandi necessitate *se à B. Cypriano liberatum memorat.*

Indubitatus est Hilarii fetus.

IX. *Nihil est cur in illis Commentariis Hilario asserendis diutius immoremur. Non enim tantùm antiqui tradidere Commentarios in Matthæum ab illo editos: sed & cum iis quos præ manibus habemus consentiunt, quæ ex illis descripsere Hincmarus lib. de prædest. c. 25. Augustinus, post Pelagium, lib. de nat. & grat. c. 62. & Hieronymus epist. 145. Qui quidem quanti illos fecerit, initio hujus Admonitionis jam audivimus. Dicere etiam liceat Ambrosium ex iis plurimùm profecisse. Certè Lucam exponens, iis in locis in quibus hic Evangelista cum Matthæo convenit, sententias ut plurimùm aut imitatur, aut memorat, quas in his Commentariis noster Hilarius consignavit.*

Præfatio deest quam ediderat.

X. *Hos præfatione auctos viderat Johannes Cassianus. Sic enim lib. 7. de Incarn. c. 24. post quàm plura retulit ex libris Hilarii de Trinit. excerpta, subjicit:* Item ejusdem in procœmio expositionis Evangelii secundùm Matthæum: Erat namque primùm necessarium nobis, ut unigenitus Deus nostri causâ homo, id quod tum non erat, gigneretur. Item in eodem: Tertium deinceps illud congruum fuit, ut quia Deus homo genitus in mundo, & cetera. *Præfationem eamdem viderat & Alcuinus. Quamquam suspicamur vehementer, ex ea illum nihil aliud vidisse, quàm quod apud Cassianum legerat. Hujus quippe verba describens post medium lib. 4. contra Felicem Urgel. sic habet:* Hilarius (*ex Cassiano addendum* vir) virtutum omnium atque ornamentorum, & sicut vitâ, ita & eloquentiâ insignis, in libro fidei secundo, *&c.* Idem in procœmio expositionis Evangelii secundùm Matthæum: Erat namque primùm necessarium nobis, ut unigenitus Deus nostri causâ homo cognosceretur. *Sed & ex*

ipsissimet Hilarii verbis initio num. 2. cap. 1. apparet aliquid nobis deesse, in quo de Christi generatione præfatus sit.

XI. *Procemii loco nunc habetur titulorum seu argumentorum in* XXXIII. *capita distributorum elenchus. Hic in prius vulgatis* Elenchus Canonum *inscriptus est, ex eoque & Commentarius omnis in Canones divisus est. Cujus inscriptionis ac nuncupationis ratio quia non omnibus obvia est; ab re non erit inquirere, unde profecta, & num probanda sit. Hoc per se cuique perspectum fore speramus, post quàm expenderimus quæ titulis illis auctoritas debeatur.* De elencho argumentorum.

XII. *Ambigi potest an auctor eorum Hilarius habendus sit: utpote quorum elenchus nonnihil barbarè ordinatus videtur, & non satis accuratè, dum omittit nonnulla, de quibus satis fusè disseritur; alia verò continet, quæ deinceps vix attingantur. Præscribitur v. g. cap. 15.* De lavandis manibus, & non ea quæ in os intrant, sed ea quæ ex ore exeunt inquinare; *cùm nihil tractetur, quod huic titulo apertè respondeat. Addimus & hoc capitis 13. in quo prænotantur tituli* de seminante bonum semen, de zizania & tritico, *licèt in enarratione de his parabolis nec verbum fiat. Nescio tamen an non plus valere debeat illa ratio, ut elenchus ille Hilario adjudicetur, quàm ut ei abjudicetur. Ipse enim sibi potuit initio quædam proponere, quibus deinde non immorandum judicarit: non potuit alter ex illius scriptis nisi rerum quæ tractantur argumenta colligere. Hinc magna nobis oboritur suspicio, titulos illos jam Hilarii ævo in Evangeliorum exemplaribus prænotatos fuisse, illumque ex iis selegisse, quorum utiliorem duceret explanationem. Quamquam enim in totum Matthæi Evangelium excurrit, non singula tamen illius verba, sed selectos dumtaxat ex singulis capitibus titulos enarrat. Quod & Origenem ante ipsum fecisse planum est ex Commentariis illius ab Huetio vulgatis, in quibus Matthæi Evangelium sub certis titulis illustratur. Hoc verò illa ætate usitatum confirmat Hieronymus de Script. eccl. ubi Fortunatianum Aquileiensem episcopum* in Evangelia titulis ordinatis brevi & rustico sermone Commentarios scripsisse *commemorat. Quæ cùm ita sint, opinari licet, Hilarium etsi non ipsorum titulorum, saltem eorum collectionis, seu prævii Indicis fuisse auctorem. At certè non recentiorem eum existimare cuiquam permittitur, quem plerique mss. etiam antiquiores exhibent sub hac inscriptione,* Incipiunt Capitula sancti Hilarii super Matthæum. *Quocirca eumdem Indicem cum suis titulis integrum ad illorum fidem exprimendum duximus, nec quidquam mutandum, etiamsi fortè accuratius aliquid confici potuisset.* Illius auctor.

XIII. *Certè titulorum hujusmodi elenchum in fronte librorum proponendi morem antiquum esse fidem faciet* Canon hebraicæ veritatis *ab ipso Hieronymo compositus, ac tandem aliquando in lucem edendus. In eo namque videre est in ipso cujusque libri limine Indicem titulorum varios in numeros distinctorum, qui quidquid libro subsequente comprehendatur summatim exhibeant. Hi autem Indices* Capitula *&* Tituli *promiscuè inscribuntur, puta,* Incipiunt capitula libri Exodi; Incipiunt tituli libri Levitici; Incipiunt tituli libri Deuteronomii; Incipiunt capitula libri Josue *&c. Ita etiam in antiquioribus mss. libris Augustini de civitate Dei ante ipsos libros præponitur Index variis dumtaxat numeris distinctus, quibus deinde capitum nomen inditum est, in quo summa habetur eorum quæ quolibet libro continentur. Porro hic Index in Corbeiensi codice à mille annis exarato* Canon *nuncupatur. Inscriptus enim legitur in hunc modum:* Aurelii Augustini episcopi contra Paganos de Civitate Dei incipit liber primus prælato CANONE, quo indicatur quid liber quisque contineat: *& ad calcem elenchi seu Indicis,* Finit CANON librorum decem. Elenchi in fronte librorum ab antiquis positi.

XIV. *Ex his facilè jam quisque animadvertit unde in his Hilarii Commentariis Canonis vocabulum obtinuerit, & num rectè obtinuerit. Nullum quidem ms. codicem vidimus, in quo occurrat hoc* Canonis *vocabulum. Fieri tamen posse concedimus, ut ubi in nostris mss. legere est,* Incipiunt capitula *libri sancti Hilarii, in nonnullis præferatur,* Incipit Canon libri sancti Hilarii: *atque ita exstitisse credimus in codice aliàs sancti Benigni Divionensis, ex quo primùm vulgatus est hic Commentarius. At cùm Hieronymus* Non rectè in Canones hoc Opus distributum. Unde hoc factum sit.

Canonem *hebraicæ veritatis hoc vocet, quod nos diceremus complexionem omnium librorum, quos in veras Scripturas Hebræi recipiunt; cúmque librorum Augustini* Canon *id sit, quod nobis Index & elenchus eorum quæ iis libris continentur: patet titulum initio Indicis vulgatum, scilicet* Elenchus Canonum *non probandum esse, multo minùs* Canonis *nomen ad singulas Commentarii sectiones repeti debere. Quocirca* Canonis *loco vocabulum* Capitis *ut usitatius atque receptius substituemus, & unicuique Capiti suos titulos, uti jam antea factum est, commoditatis ergo adscribemus, quamvis in mss. tantùm in Indice, qui Operi præponitur, locum habeant. In his enim Commentarius totus unâ serie continuatur, nulla Capitum aut Titulorum adjectione interruptus. In quibusdam dumtaxat, eisque non potioribus, numeri annotantur iis fere in locis, in quibus antea Canones, nunc Capita præscribuntur.*

Tempus hujus Operis.

XV. *De tempore hujus Operis non videtur tacendum. At nulla subest nota, unde certò asseratur. Quantum tamen ex illius cum aliis Hilarii scriptis comparatione licet assequi, ante alia Opera & ante exsilium ipsius, proindeque ante ann. 356. compositum opinamur. Non enim virum sapit multis adversùs Arianos commissis jam prœliis exercitatum. Certè in Psalmorum expositionibus nullam asserendæ Christi divinitatis elabi sinit occasionem. At in hoc Commentario, ut alia mittamus, cap. 2. n. 6. Patris de Filio suo testimonium, immo præclaram Petri confessionem cap. 16. n. 6. sic attingit, quasi Arianos non cognovisset. Saltem de eorum argutiis nondum probè instructum eum fuisse manifestè apparet ex cap. 31. num. 3. ubi catholicè quidem quantum ad sensum, quantum autem ad verba minùs circumspectè scribit, Filium* natum esse ex eo qui erat, & hoc in eo esse qui natus est, quod is ipse est penes quem erat ante quàm nasceretur; eamdem scilicet æternitatem esse & gignentis & geniti. *Hoc certè inficiabitur nemo scriptum esse ante libros de Trinitate, in quibus, sed maximè in duodecimo, magno studio multisque argumentis disputatur, illud* ante quàm nasceretur, *in æterna Filii generatione nullum omnino locum habere. Quanto magis concedendum est Tractatus in Psalmos, in quibus libri de Trinitate memorantur, hoc eodem Commentario esse posteriores? Ignotos tamen ei tum non fuisse prædictos hæreticos liquet non tantùm ex postremis capitibus, sed etiam ex cap. 15. n. 12. Cùm autem Arianorum hæresis in Gallorum notitiam tardiùs pervenerit, adeo ut Hilarius, quemadmodum ipse testatur lib. de Synodis n. 91.* fidem Nicænam numquam nisi exsulaturus *audiisset; hinc colligi quodam modo potest non longè ante exsilium ipsius fuisse compositum. Si autem scripsit etiam ante quàm fidem Nicænam audiret, cùm in eo Opere Filium* unius substantiæ *cum Patre non semel affirmet; nec frustra loco laudato de Synodis testificatur, se se illam fidem ex Evangeliis & Apostolis didicisse.* Regeneratus pridem, *inquit*, & in episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicænam numquam nisi exsulaturus audivi: sed mihi homousii & homœusii intelligentiam Evangelia & Apostoli intimaverunt.

De Trinitatis unitate.

XVI. *Si quidem ea se se offert occasio, ut in sanctissimæ Trinitatis confessione hæc nostra lucubratiuncula finiatur, hanc præclaro illo cap. 13. n. 6. testimonio absolvimus, quòd* in Patre & Filio & Spiritu-sancto, sine admixti extrinsecùs fermenti necessitate in Christo, omnia unum sint. *In quo etiam habet Lector specimen eorum, quæ in hoc Commentario scriptorum codicum subsidio & auctoritate reddita sunt pristinæ puritati. Sic enim illud omne antea perturbatè & mendosè obtinebat:* In Patre & Filio & Spiritu-sancto, in ea admixti extrinsecùs fermenti necessitate, in Christo omnia unum sunt. *Qui autem apud Hilarium quæritant disertam de Spiritus-sancti divinitate sententiam, hanc interim teneant, donec ad libros de Trinitate pleniùs eis satisfiat.*

[a] CAPITULA
COMMENTARII SANCTI HILARII
IN EVANGELIUM MATTHÆI.

I. *De nativitate Christi, & de Magis cum muneribus, ac de infantibus occisis.*

II. *De Jesu regresso ex Ægypto, & de prædicatione Johannis & baptismo ipsius, & de Domino baptizato.*

III. *De tentatore diabolo, & de jejunio Jesu quadraginta diebus, de Petro & Andrea piscatoribus.*

IV. *De beatitudine & præceptis, de reconciliatione fratrum, de adulterio, de oculo & manu eruenda, de juramentis & eleemosyna.*

V. *De oratione & jejunio, de thesauro in cælo, de lucerna corporis, de duobus dominis, de cibo & vestitu, de volatilibus & liliis agri & fœno, de sollicitudine diei, de festuca & trabe in oculo.*

VI. *De margaritis ante porcos, de pseudo-propheta, de domo ædificata supra petram.*

VII. *De leproso quem curavit, de puero tribuni paralytico, de socru Petri, de plurimis & diversis curis.*

VIII. *De discipulis in navi excitantibus Jesum, de duobus dæmoniacis in terra Gerasenorum,* [b] *de paralytico curato & lectum auferente.*

IX. *De Matthæo publicano, de pharisæorum & discipulorum Johannis jejunio,* [c] *de assuto panno rudi, de profluvio mulieris, de filia principis excitata à mortuis, de duobus cæcis, de surdo & muto.*

X. [d] *Ubi duodecim discipulos præmittit cum doctrina.*

XI. *Johannes de carcere ad Jesum mittit, & Jesus de Johanne ad turbas loquitur. Item confessio Jesu ad Patrem.*

XII. *Discipuli spicas vellunt.* [e] *Manum aridam hominemque sabbato curavit Jesus. Cæcum & dæmoniacum curavit. De blasphemia spiritûs, de fructu arboris bonæ & malæ, de omni verbo otioso,* [f] *de Ninivitis & regina Austri, de septem spiritibus & octavo, de matre Jesu & fratribus.*

XIII. *Sedens in navicula Jesus turbis parabolas loquitur de seminante bonum semen, de zizania & tritico, de grano sinapis, de fermento absconso in farina, & expositio zizaniæ, de thesauro in agro, de bona margarita, de reti misso in mare.*

XIV. *De scriba in regno cælorum, de fratribus & sororibus Domini, de Johannis capite in disco, de quinque panibus & duobus piscibus, ubi supra mare ambulat, & Petrum mersum erexit.*

XV. *De lavandis manibus; & non ea quæ in os intrant, sed ea quæ ex ore exeunt inquinare, de filia Chananeæ mulieris, de septem panibus & paucis piscibus.*

XVI. [g] *De Jonæ prophetæ signo. De fermento pharisæorum, de confessione Petri & benedictione Domini, &* [h] *de se abnegando qui Christum sequi voluerit.*

XVII. *Ubi in monte cum Moyse & Elia videtur, & vox de cælo auditur, ubi puerum lunaticum* [i] *solvit, de credentium fide, de didrachma postulata, & statere in ore piscis.*

XVIII. *De infantibus inhibitis, & de humilitate eorum assumenda, de manu & pede & oculo eruendo, & de ove perdita, de corripiendis fratribus secretò primùm, tum duobus testibus, postremò*

[a] In priùs vulgatis, *Elenchus Canonum Divi Hilarii in Evangelium Matthæi, ordine quo ab eo editi sunt.* Cur non probanda sit hæc inscriptio, diximus in Admonitione: ubi ostendimus etiam *capitula* idem esse atque *titulos*. Præterea observare quisque potuit apud Hieronymum, Augustinum & alios Patres, sententiam quamlibet è Scripturis expressam *capitulum* appellari: qua intelligentiâ eadem vox etiamnum in officiis ecclesiasticis usitata est.

[b] Articulus hic ad cap. IX. pertinet secundùm mss. ex quibus ponimus *auferente*, pro *ferente*.

[c] In mss. *de assumto* &c. In vulgatis, *de adsutu panni rudis.*

[d] Editi, *misertus turbarum Dominus duodecim discipulos præmittit cum potestate & doctrina &c.* reluctantibus mss. è quibus codex Majoris-monasterii Turonensis, pro *discipulos*, habet *Apostolos*, quod & in Vindocinensi manus antiqua ad marginem adscripsit.

[e] Sic mss. Editi verò, *manus aridæ hominem curavit. Cæcum.*

[f] Auctoritate mss. removimus hinc verba, *de signo Jonæ*, quæ cap. 16. locum suum obtinent.

[g] Hic articulus in mss. postremus est capituli superioris.

[h] Hunc articulum omittunt mss.

[i] In vulgatis, *salvat.*

eccleſia præſente. Semper ignoſcendum. [a] *Qui conſervum ſuum, remiſſo ſibi à domino debito, ſuffocat.*

XIX. [b] *Uxorem non debere dimittere, de eunuchis, de infantibus inhibitis. Divitem difficilè introire in regnum cælorum.*

XX. *De ſpe Apoſtolorum, de noviſſimis primis efficiendis. Ubi conducuntur operarii ad vineam. De filiis Zebedæi, de primo accubitu, de duobus cæcis ſecus viam ſedentibus.*

XXI. *De aſina & pullo ejus, de ejectis à templo nummulariis, de ficu maledicta, de duobus filiis ad vineam miſſis, de publicanis & meretricibus.*

XXII. *De vinitoribus qui miſſos ad ſe ob repetendos fructus interficiunt, de invitatis promiſcuis & veſte nuptiali.*

XXIII. *De tributo & imagine Cæſaris, de eadem ſeptem fratrum uxore, de mandatis maximis, de David filio.*

XXIV. *De cathedra Moyſi ſuper quam ſederunt ſcribæ & phariſæi, de* [c] *clauſo ab iiſdem regno cælorum, & ab iiſdem comedi domos viduarum, circumeuntibus mare & aridam, & dicentibus,* Quicumque juraverit in templo, nihil eſt, *& decimantibus mentam & anethum, & ædificantibus ſepulcra prophetarum, & de Jeruſalem quæ interficit prophetas, & lapidat eos qui ad ſe miſſi ſunt.*

XXV. *De ſtructura templi interrogantibus diſcipulis, & de his qui in tecto ſunt, ne deſcendant tollere aliquid de domo; & qui in agro ſunt, ne revertantur tollere tunicam ſuam, & de prægnantibus & nutrientibus.*

XXVI. *De ſole obſcurato, luna & ſtellis.*

XXVII. *De ſervo fideli quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, de decem virginibus, de homine in peregre profecto, qui tradidit ſubſtantiam ſuam ſervis ſuis.*

XXVIII. *De adventu filii hominis venientis* [d] *in majeſtate ſua.*

XXIX. *De muliere, quæ acceſſit ad Jeſum in domum Simonis leproſi habens alabaſtrum unguenti pretioſi.*

XXX. *De die prima azymorum, in qua acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes,* Ubi vis paremus tibi comedere paſcha?

XXXI. *Cùm venit Jeſus in agrum qui dicitur Gethſemani, & dicit diſcipulis ſuis;* Sedete donec eam illuc orare, [e] *& di[cit] triſti anima ſua uſque ad mortem, de calice ſi poſſibile eſt tranſire à ſe, de ſpiritu promto & carne infirma; & rurſum,* [f] Pater, non poteſt hic calix tranſire niſi illum bibam? fiat voluntas tua.

XXXII. *De Juda, qui erat unus de duodecim diſcipulis, veniente ad Jeſum cum plurima turba ut eum traderet; de gladio quem juſſit Petro convertere in locum ſuum.*

XXXIII. *De Pilato: cùm ſederet pro tribunali, miſit ad illum uxor ſua, dicens,* Nihil tibi ſit & juſto iſti. *De tranſeuntibus juxta crucem qui movebant capita ſua, & dicebant,* Hic eſt qui deſtruebat templum, & in triduum illud reædificabat.

[a] In mſſ. capitulum ſubſequens ab his verbis inchoatur.
[b] His præmittunt editi, *Tranſit in Galilaam.*
[c] Mſſ. *cluſo*: & mox, *& circumeuntium*, pro *circumeuntibus.*
[d] Editi, *ad judicium cum majeſtate ſua*: refragantibus mſſ.

[e] Ita mſſ. Editi verò, *& triſtata eſt anima ejus uſque ad mortem. Et de calice mortis quod dixit, Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. De ſpiritu* &c. Tum in mſſ. *promtu*, non *promto.*
[f] Editi hìc adjiciunt, *de eo quod dixit.*



SANCTI



SANCTI HILARII
PICTAVENSIS EPISCOPI
IN EVANGELIUM MATTHÆI
*COMMENTARIUS.

* Scriptus circa ann. 355.

CAPUT PRIMUM.

De nativitate Christi, & de Magis cum muneribus, ac de infantibus occisis.

a Christi ex regio & sacerdotali genere ortus.

I. [a] RADUM, quem Matthæus in ordine regiæ successionis ediderat, Lucas in sacerdotali origine computat. Quem dum uterque dinumerat, cognationem in Domino utriusque tribus uterque significat. Rectéque generationis gradus ponitur: quia sacerdotalis & regiæ tribus societas per David ex conjugio inita, jam à Salathiel in Zorobabel confirmetur ex genere. Atque ita dum Matthæus paternam
Luca 3. 24. originem, quæ ex Juda proficiscebatur, recen-
b set, Lucas verò acceptum per Nathan ex tribu Levi genus edocet; suis [b] quibusque patribus
C Domino nostro Jesu Christo, qui est æternus &
A rex & sacerdos, etiam in carnali ortu utriusque generis gloriam probaverunt. Quòd verò Joseph potiùs quàm Mariæ nativitas recensetur, nihil refert: eadem enim est totius tribus atque una cognatio. Exemplum autem etiam Matthæus & Lucas dederunt, patres invicem appellantes, non tam genere quàm gente: quia ab uno tribus cœpta, sub unius successionis & originis familia continetur. Cùm enim filius David atque Abrahæ [c] esset ostendendus, c
B quia ita Matthæus cœpit; *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abrahæ:* [d] non Matth. 1. 1. d
differt quis in originis numero atque ordine collocetur, dummodo universorum familia cœpta esse intelligatur ab uno. Ita cùm ejusdem tribûs sit Joseph & Maria; dum profectus esse ex Abrahæ genere Joseph ostenditur, profecta quoque docetur & Maria. Hæc enim in lege Deut. 25. 5.
ratio servata est, ut si mortuus sine filiis familiæ princeps fuisset, defuncti uxorem posterior fra-
C ter ejusdem cognationis acciperet, susceptosque filios in familiam ejus qui mortuus esset

[a] In editis hîc frustra præferebatur, *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abrahæ &c.* absque ulla mss. auctoritate. Deinde mirum est quantum inter se dissideant excusi & mss. Namque editio operâ Badii Ascensii excusa, cum Erasmo qui eamdem editionem recognovit, sic auspicatur: *Gressus quem Matthæus & Lucas in ordine regiæ successionis ediderant: quem dum uterque dinumerat, & agnitionem in Domino utriusque tribus uterque significat, & rectæ generationis gradum ponit: quia sacerdotalis* &c. Lipsius autem nomine Martinus, ac post eum editio Parisiensis, *Gressum quem Matthæus in ordine regiæ successionis, eum Lucas per sacerdotalem ordinem ediderat: quem dum*, & cetera ut apud Bad. nisi quòd *agnationem* mox habeant, pro *agnitionem*. Tres verò mss. puta, Michaelinus, monasterii Silvæ majoris, & Beccensis, *Gressum quem Matthæus in ordine regiæ successionis ediderat, prosequitur & Lucas, quem dum*, cetera cum Bad. consentientes, nisi quòd postea subjiciant, *rectéque generationis gradus ponitur.* Codex majoris-monasterii Turon. ac Vindocinensis, *Gressus quem Matthæus in ordine regiæ successionis ediderat, quem dum* &c. ut in superioribus mss. Vaticanus, *Gressus quem Matthæus in ordine regiæ successionis, & quem Lucas per sacerdotalem ordinem dinumerat, uterque agnitionem in Domino utriusque tribus significat*, &c. His omnibus prætulimus lectionem, quam omnibus numeris suis absolutam exhibet lectionarium Germanense ms. à quo non dissidet unus codex Colbertinus, nisi quòd initio, pro *gradum*, habeat *gressum*, & *agnitionem* pro *cognationem*. Quamquam multùm propendebamus in id quod præ se ferunt mss. S. Petri Carnutensis, & alter Colbert. si vel vocem addere licuisset: *Genus quod Matthæus & Lucas in ordine regiæ* (hîc videtur deesse, *& sacerdotalis*) *successionis ediderat, dum uterque dinumerat, & agnitionem in Domino utriusque tribus significat, rectè generationis gradus ponitur.* Cum lectionario autem *cognationem*, vel cum Par. *agnationem*, vocabulo *agnitionem* præferendum esse patet ex cap. 11. n. 6. Satis probabile est primam hanc partem ad procœmium pertinere, atque hinc natam esse tantam inter codices dissensionem, quòd cùm præcedentia dilapso ex archetypis exemplaribus folio excidissent, adeoque hujus Commentarii initium claudicaret, à pluribus pro suo captu desudatum sit, ut demtis aut adjectis aliquot verbis plena & integra sententia haberetur.

[b] Editi, *uterque*, ne uno quidem suffragante ms. in quorum plerisque legere est *quisque*; in tribus autem, *quibusque*. Tum cum Par. & ms. Reginæ Suecorum, quem vocabimus Rom. retinemus *patribus*. cùm in aliis libris exstet *partibus*.

[c] Ita mss. Editi verò, *sit ostendendus*, omisso deinde *quia*, cujus loco lectionarium German. habet *quare*.

[d] Excusi, *non refert*, refragantibus mss. Tum in Carn. & Colb. *quis quo in originis numero.* Eò spectant illa Chrysostomi homil. 2. in Matth. *Non solùm de alia tribu, sed ne de familia quidem altera fas erat conjugia copulari. Ita istud, quod dicitur ex domo esse & familia David, sive Virgini copuletur, constabit dictum; sive ipsi Joseph potiùs aptetur, illud idem conficitur.*

a referret: maneretque ita [a] in primogenitis successionis ordo, cùm patres eorum, qui pòst nati essent, aut nomine haberentur, aut genere.

b 2. Sequens illud est, ut quia [b] diximus, secundùm rerum fidem, generationis istius ordinem nec numero sibi nec successione constare; hujus quoque rei ratio afferatur. Non enim levis causa est, ut aliud in narratione sit, aliud fuerit in gestis; & aliud referatur in summa, aliud verò teneatur in numero. Namque ab Abraham usque ad David quatuordecim generationes enumeratæ sunt, [c] & à David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, cùm in Regnorum libris decem & septem deprehendantur. Sed in hoc non mendacii aut negligentiæ vitium est. Tres enim [d] ratione præteritæ sunt. Nam Joras genuit Ochoziam, Ochozias verò genuit Joam, Joas deinde Amasiam, Amasias autem Oziam. Et in Matthæo Joras Oziam genuisse scribitur, cùm quartus ab eo sit. Hoc ita *, quia ex gentili femina Joras Ochoziam genuit, [e] ex Achab scilicet domo: dictumque erat per prophetam, non nisi quarta generatione in throno regni Israel quemquam de domo Achab esse sessurum. [f] Purgata igitur Achab familia gentili, tribusque præteritis, jam regalis in quarto generationum consequentium origo numeratur. [g] Quòd verò usque ad Mariam generationes quatuordecim esse scribuntur, cùm in numero [h] tredecim reperiantur; nullus error esse poterit scientibus non eam solùm esse Domino nostro Jesu Christo originem, quæ cœpit ex Maria; sed in procreatione [i] corporea, nativitatis æternæ significantiam comprehendi.

Cur generationes quædam omissæ.

4. Reg. 8. 25.

* supple factum est.

Cur quatuordecim ubi tantùm tredecim recensentur.

k 3. Generationis autem [k] ratio simplex est. Nam conceptum ex Spiritu-sancto, natum ex Maria virgine, omnium opus prophetarum est. Sed plures [l] irreligiosi, & à spiritali doctrina admodum alieni, occasionem ex eo occupant turpiter de Maria opinandi, quòd dictum sit, *Priùs quàm convenirent, inventa est in utero habens*; & illud, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*; & illud, *Non cognovit eam, donec peperit*: non recordantes desponsatam fuisse, & dictum hoc Joseph volenti eam abjicere; quia justus ipse nollet in eam lege decerni. Igitur ne qua de partu ejus ambiguitas exsisteret, ipse concepti ex Spiritu-sancto Christi testis assumitur: dehinc quia desponsata esset, [m] in conjugem recipitur. Cognoscitur itaque post partum, id est, transit in conjugis nomen. Cognoscitur enim, non admiscetur. Denique cùm transire Joseph ad Ægyptum admonetur, ita dicitur: Accipe puerum & matrem ejus: &, Revertere cum puero & matre ejus: & rursum in Luca, * Et erat Joseph & mater ejus. Et quotienscumque de utroque fit sermo, mater potiùs Christi, quia id erat; non uxor Joseph est nuncupata, quia non erat. Sed hæc quoque ab Angelo ratio servata est: ut cùm desponsatam eam justo Joseph significabat, conjugem nuncuparet. Nam ita ait: *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Ergo & conjugis nomen sponsa suscepit, & post partum in conjugem recognita [n] tantùm Jesu mater ostenditur: ut quemadmodum justo Joseph deputaretur ejusdem Mariæ in virginitate conjugium, ita venerabilis ejus ostenderetur in Jesu matre virginitas.

In eos qui nolunt Mariam virginem permansisse. ℣. 18. ℣. 19. ℣. 25.

Matth. 1. 13. Ibid. 20. * Luc. 2. 33. juxta græc.

4. Verùm homines pravissimi hinc præsumunt opinionis suæ auctoritatem, quòd plures Dominum nostrum fratres habuisse sit traditum. Qui si Mariæ filii fuissent, & non potiùs Joseph [o] ex priore conjugio suscepti; numquam in tempore passionis Johanni apostolo transscripta esset in matrem, Domino ad utrumque dicente, Mulier ecce filius tuus; & Johan-

Joseph ex priore conjugio filii.

Johan. 19. 26. & 27.

[a] Ms. Rom. *in primogeniti successione*. Carn. & Colb. *in primogenito*, & mox cum Par. *qui post se nati*: ubi in ms. Bec. *qui priùs nati*. Nihil immutaveris: cùm primogeniti hìc prædicentur haberi patres eorum qui post se nascuntur.

[b] Expunctum est in ms. Bec. verbum *diximus*, quo sanè memorat Hilarius quod prologo proposuerat.

[c] Hunc locum ex German. lectionario resarcimus. At mss. Carnut. & unus Colb. hìc proximè subjiciunt, *cùm in Regnorum libris*. Apud Bad. Er. & Lips. post *usque ad transmigrationem Babylonis*, sequitur, *in quibusdam libris decem & septem deprehenduntur*. His etiam magis decurtata est lectio septem mss. qui post *enumeratæ sunt*, habent dumtaxat, *& in aliis libris deprehenduntur. In hoc ergo non* &c.

[d] In plerisque mss. *generationes*.

[e] Ita quatuor melioris notæ mss. In aliis, *ex Achab scilicet. Prædixerat namque Dominus per prophetam*. At in vulgatis, *ex Achab scilicet, qui Jezabel habuit uxorem. Denique per prophetam .... esse sessurum dicitur*: perversâ interpolatoris operâ. Non enim gentilis feminæ nomine Jezabel hìc significatur, sed filia Achab quam Joras uxorem duxit, ex qua Ochoziam genuit. Respicit Hilarius illud 4. Reg. 8. 18. & 2. Paral. 21. 6. ubi cùm dicitur Joram fecisse malum in conspectu Dei, redditur ratio, *Filia enim Achab erat uxor ejus*. Prophetia Eliæ enuntiatur 3. Reg. 21. 21. confirmaturque 4. Reg. 9. 8. non tantùm adversùs quatuor generationes, sed adversùs totam domum Achab: quod completum memoratur 4. Reg. 10. 30.

[f] In aliquot mss. & vulgatis, *purgata igitur labe familiæ gentilis*: lectio eatenus non spernenda. At perversè omnino in solis vulgatis subjicitur: *tribus: quæ præteritis jam regulis*. Tum Bad. Er. & Lips. *in quarto generationum consequentium ordine numeratur*. Pro *in quarto*, quidam mss. habent *in quarta*, non alio sensu.

[g] Editi, *& usque*, pro *quòd verò usque*: emendantur ex scriptis.

[h] Editi, *decem & septem reperiantur*: falsò & obnitentibus mss. Tredecim tantùm generationes à Jechonia ad Joseph intercipi, unà cum Hilario observant Chrysostomus homil. 1. Hieronymus, & auctor homiliæ Hilario adscriptæ, quam in Appendice forsitan dabimus.

[i] Sic plerique mss. At editi, *corporeæ nativitatis æternam significantiam*.

[k] In German. lectionario, *ratio non simplex*. Generationis ratio simplex hìc asseritur, quia ex una Virgine, non ex viro & femina.

[l] Eosdem videtur notasse Epiphanius hær. 78. n. 7. ubi ait, *Certo ex auctore cognovi, nonnullos id de illa affirmare ausos esse, post quàm Salvatorem peperit, cum viro consuetudinem habuisse*. Nisi fortè hæc Epiphanii ad Helvidium aut Jovinianum Hilario posteriores referenda sint. At potuit Hilarius Hebionis discipulos respicere. Certè Tertullianus lib. de vel. Virgin. n. 6. adversùs eorum magistrum asserit Mariæ virginitatem, *quam utique*, inquit, *virginem constat fuisse, licèt Hebion resistat*.

[m] Bad. Er. & Lips. cum pluribus mss. *in conjuge* vel *in conjugem non reciperetur*: lectio non spernenda. Reprehendit 1°. Hilarius *non recordantes desponsatam fuisse*: tum duplicem subjicit rationem cur Joseph dictum sit, *Noli timere accipere Mariam conjugem*, scilicet & ut testis esset concepti ex Spiritu-sancto Christi, & ut Maria, quæ hactenus tantùm desponsata erat, deinceps etiam in conjugem reciperetur. Non servantur quidem hìc grammaticæ leges: sed eas in sequentibus ne nimis scrupulosè exegeris. Brevitatis enim studio sæpe numero negliguntur.

[n] Mss. Carn. & Colb. *tantùm ut Jesu mater ostenderetur*: non sunt audiendi.

[o] In German. lection. *ex priore conjuge*. Joseph ex priore conjugio filios ac filias procreasse tradunt Epiphanius hær. 78. n. 7. Theophilactus in Matth. 13. aliique quos Origenes in Matth. ex editione Huetii pag. 223. observat ad id adductos *traditione Evangelii quod secundùm Petrum inscribitur, vel libri Jacobi*. His ipse adjicit se rationi consentaneum ducere, *castitatis virorum primitias fuisse Jesum; mulierum autem Mariam*. Contrà Hieronymo adversùs Helvidium longè magis consentaneum videtur, *etiam ipsum Joseph virginem fuisse, ut ex virginali conjugio virgo filius nasceretur*.

ni, Ecce mater tua : nisi quòd ad desolatæ solatium, caritatem filii [a] in discipulo relinquebat.

a Magorum fides & munera quid indicent.

5. Stellæ autem ortus primùm à Magis intellectus, indicat mox gentes in Christum credituras, & homines professionis longè à scientia divinæ cognitionis [b] aversæ, lumen quod statim in ortu ejus exstitit cognituros. Denique oblatio munerum, intelligentiam in eo [c] totius qualitatis expressit : in auro regem, in thure Deum, in myrrha hominem confitendo. Atque ita per venerationem eorum, sacramenti omnis est consummata cognitio : in homine mortis, in Deo resurrectionis, in rege judicii.

℣. 12. Quòd verò repetere iter, atque ad Herodem in Judæam redire prohibentur : nihil à Judæa petere scientiæ agnitionisque permittimur, sed in Christo salutem omnem & spem locantes, admonemur prioris vitæ itinere abstinere.

℣. 13. *d Quid fuga Christi in Ægyptum.*

6. Parante autem Herode [d] parvuli necem, Joseph per Angelum monetur, ut eum in Ægyptum transferat : Ægyptum idolis plenam, & omnigenûm deûm monstra venerantem. Jam post Judæorum insectationem, & in exstinguendo eo profanæ plebis assensum, Christus ad gentes inanissimis religionibus deditas transit : & [e] Judæam relinquens, ignoranti eum sæculo colendus infertur, Bethlehem, id est Judæâ, Martyrum sanguine redundante. Herodis verò furor & infantium interfectio, populi Judaici in Christianos sævientis est forma : existimantis se beatorum Martyrum cæde posse in omnium fide & professione Christi nomen exstinguere.

e Innocentes, Martyres.

Jerem. 31. 15. ℣. 18.

7. Sed gloriosus per prophetam neci eorum honor redditur, dicentem, *Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos : & noluit consolari, quia non sunt.* Rachel Jacob uxor fuit diu sterilis ; sed nullum ex his quos genuit amisit. Verùm hæc in genesi Ecclesiæ typum prætulit. Non igitur illius vox & ploratus auditur, quæ nullum habuit amissorum filiorum dolorem, sed hujus Ecclesiæ diu sterilis, nunc verò fecundæ. Hujus ploratus ex filiis, non idcirco quia peremtos dolebat, auditur ; sed quia ab his perimebantur, quos primùm genitos filios retinere voluisset. Denique consolari se noluit quæ dolebat. [f] Non enim non erant ii, qui mortui putabantur ; in æternitatis enim profectum per martyrii gloriam efferebantur. Consolatio autem rei amissæ erat præstanda, non auctæ.

Ecclesia dolet Judæorum perditionem.

CAPUT II.

De Jesu regresso ex Ægypto, & de prædicatione Johannis & baptismo ipsius, & de Domino baptizato.

1. POST quæ, mortuo Herode, Joseph per Angelum monetur, ut in Judæam cum puero & matre ipsius redeat. Et revertens cùm Archelaum Herodis filium regnare audisset, timuit eò venire : & per Angelum monetur, ut in Galilæam transeat, & in regionis ejus civitate Nazareth inhabitet. Reverti ergo ad Judæam monetur : & reversus timet. Et rursum visu admonitus, transire ad regionem gentium jubetur. Sed aut timere eum qui admonitus sit non oportuit, aut per Angelum deferri admonitio mox mutanda non debuit. Verùm typica ratio servata est. Joseph enim Apostolorum habet speciem, quibus Christus circumferendus est creditus. Hi tamquam Herode mortuo, id est, populo ejus in passione Domini deperdito, Judæis prædicare sunt jussi ; missi enim erant ad oves perditas domûs Israel : sed manente hereditariæ infidelitatis dominatu metuunt, & recedunt. Admoniti per visum, sancti scilicet Spiritus donum in gentibus contemplantes, ad eas transferunt Christum, Judææ missum, sed vitam & salutem gentium nuncupatum.

Matth. 2. 20. — ℣. 21. — Joseph Apostolorum typus.

2. *In diebus illis venit Iohannes prædicans in deserto Iudææ, dicens, Pænitentiam agite ; appropinquavit enim regnum cælorum,* &c. In Johanne locus, prædicatio, vestitus, cibus est contuendus : atque ita, ut meminerimus gestorum veritatem non idcirco corrumpi, [g] si gerendis rebus interioris intelligentiæ ratio subjecta sit. Fuerant enim prædicanti & locus opportunior, & vestitus utilior, & cibus aptior : sed subest gestis rebus exemplum, & in eo operatio ipsa meditatio est. Nam & ad desertam Judæam [h] venit, desertam Dei frequentatione, non populi ; & vacuam sancti Spiritus habitatione, non hominum : ut prædicationis locus, eorum quibus prædicatio erat missa, solitudinem protestaretur. Pænitentiam quoque regno cælorum propinquante pronuntiat, per quam est reditus ab errore, & recursus à crimine,

Matth. 3. 1. — Johannis locus. h — prædicatio,

[a] Sola editio Par. *discipulo*, sine *in*. Eodem adversùs eamdem hæresim argumento utuntur Chrysostomus homil. 5. in Matth. Epiphanius hær. 78. n. 9. Ambrosius lib. 2. in Luc. n. 4. Quamquam hic Joseph passionis tempore superstitem ponens eo aliter utatur.

[b] Beccensis codex, *aversos* : quod etiam habet Mich. à 2ª. manu. Rectiùs alii, *aversa*, scil. *professionis*. Non obscurè tradit Hilarius Magos, quod nomen eorum sonat, magicæ arti fuisse deditos : quod rursum docet lib. 2. de Trin. n. 27. & lib. 4. n. 36. eaque in re consentientes habet Ignatium epist. ad Ephes. Justinum Dial. cum Tryph. Origenem lib. 1. contra Cels. Ambrosium lib. 2. in Luc. n. 47. & 48. Hieronymum in Esa. 19. & 47. qui tamen ab hac opinione recedere videtur in Dan. c. 2. ubi ait, *Consuetudo autem & sermo communis Magos pro maleficis accepit, qui aliter habentur apud gentem suam, eo quòd sint philosophi Chaldæorum, & ad artis hujus scientiam reges quoque & principes ejusdem gentis omnia faciunt.*

[c] In tribus mss. *totius æqualitatis.*

[d] Duo mss. *parvulo*. Quatuor alii, *parvulis* ; & mox, *ut Jesum*, pro *ut eum*. Verba evangelica, *futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum*, postulant *parvuli* aut *parvulo*. Caput II. in mss. incipit à superioribus verbis, *Parante autem.* &c.

[e] Editi, *Judaicam relinquens ignorantiam sæculo* &c. emendantur ope mss. in quorum plurimis corruptè exstat *ignorantium sæculo*. Hîc *sæculum* cognominatur gens à Deo aliena ; quomodo in Ps. 1. n. 6. *sæcularis vir*, qui ad Christum non pertinet.

[f] Erasmus in quodam codice reperisse se testatur, *Neque enim erant ii qui* &c. quod non rejicit eo sensu, *Neque enim erant mortui, qui mortui putabantur* : minùs tamen ad rem. Vult quippe Hilarius hæc verba, *quia non sunt*, non consentanea esse iis qui persecutionem fuerint passi, qui nedum non sint, meliùs sunt ; sed iis qui illam excitando ab Ecclesiæ sinu exciderint, eique adeo sint perditi, ut jam verè non sint.

[g] Beccensis ms. *sed gerendis*. Diligenter retinenda hæc Hilarii præmonitio, ne deinceps reconditos aperiens Scripturæ sensus, rerum videatur offendere veritatem.

[h] Apud Par. *venitur* ; & mox, *in vacuam sancti Spiritus habitationem* ; mendosè.

& post [a] vitiorum pudorem professio desinendi : ut deserta Judæa meminisset eum se susceptturam, in quo cælorum est regnum ; non vacuam deinceps futuram, si se à veteribus vi-
ỷ. 4. tiis pœnitentiæ confessione purgasset. Pilis
vestitus, etiam camelorum vestis adtexta, peregrinum propheticæ istius prædicationis habitum designat : cùm exuviis immundarum pecudum, quibus pares [b] existimamur, Christi prædicator induitur ; fitque sanctificatum habitu prophetali, quidquid in nobis vel inutile fuerat ante, vel sordidum. Zonæ autem præcinctio, efficax in omne opus bonum est apparatus : ut ad omne ministerium Christi [c] voluntate simus
cibus. accincti. In esum etiam eliguntur locustæ, fugaces hominum, & ad omnem adventum nostri sensum evolantes : nos scilicet, qui ab omni sermone & congressu prophetarum [d] ipsis quibusdam corporum saltibus efferebamur. Voluntate vagi, operibus inutiles, verbis queruli, [e] fide peregrini, nunc sumus sanctorum alimonia & satietas prophetarum electi simul cum melle silvestri : dulcissimum ex nobis cibum, non ex alveariis legis, sed ex truncis silvestrium arborum præbituri.

3. Tali igitur Johannes habitu prædicans,
ỷ. 7. venientes Pharisæos & Sadducæos ad bap-
ỷ. 8. tismum, *progenies* nuncupat *viperarum* : fructum ut dignum pœnitentiæ faciant monet,
ỷ. 9. neve Abraham patrem habere se glorientur,
Filios Abrahæ vel diaboli, facit fides aut infidelitas. quia ex lapidibus Deus potens est Abrahæ filios excitare. Non enim successio carnis quæritur, sed fidei hereditas. DIGNITAS igitur originis in operum consistit exemplis : & prosapiæ gloria fidei imitatione retinetur. [f] Diabolus infidelis, Abraham fidelis. Nam ille in hominis transgressione fuit perfidus, hic verò justificatus ex fide est. Igitur UNIUSCUJUSQUE mores atque vita propinquitatem cognationis acquirit : ut qui fideles sunt, Abrahæ propago per fidem sint ; qui autem infideles sunt, in diaboli progeniem infidelitate mutentur : quando & Pharisæi viperarum natio nuncupantur, & gloriatio sanctificati parentis eis inhibetur, & ex saxis ac rupibus Abrahæ filii excitantur, & ut operantes dignos fructus pænitentiæ sint admonentur : ut qui diabolum patrem habere cœperant, cùm eis, qui de lapidibus excitarentur, rursum Abrahæ filii per fidem fiant.

4. Securis verò radicibus arborum apposita testatur [g] jus præsentis in Christo potestatis ; infructuosarum arborum cæde & concrematione significans inutilis perfidiæ excidium [h] conflagrationi judicii præparari. Et quia Legis opus [i] esset jam inefficax ad salutem, & Johannes baptizandis in pænitentiam nuntius exstitisset ; (prophetarum enim officium erat, à peccatis revocare ; CHRISTI verò PROPRIUM, salvare credentes ;) se quidem baptizare in pænitentiam dicit, sed fortiorem esse venturum, cujus ferendorum [k] calciamentorum sit indignus officio : Apostolis circumferendæ prædicationis gloriam derelinquens, quibus speciosis pedibus pacem Dei erat debitum nuntiare. Salutis igitur nostræ & judicii tempus designat in Domino, dicens, *Ille baptizabit vos in Spiritu-sancto & igni* : quia baptizatis in Spiritu-sancto, reliquum sit consummari [l] igne judicii. *Habens ventilabrum in manu, & purgabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum ; paleas autem comburet igni inexstinguibili*. Ventilabri opus est, ab infructuosis fructuosa discernere. Quòd in manu Domini sit, arbitrium indicat potestatis, triticum suum, perfectos scilicet credentium fructus, horreis recondentis ; paleas verò, [m] id est, inutilium atque infructuosorum hominum inanitatem, igne judicii concremantis. ỷ. 10. Christus noster servator & judex. ỷ. 11. Esa. 52. 7. ỷ. 12.

5. *Tunc venit Iesus* [n] *à Galilæa in Iordanem ad Iohannem, ut baptizaretur ab eo*, & reliqua. Erat in Christo Jesu homo [o] totus ; atque ideo in famulatum [p] spiritûs corpus assumtum, omne in se sacramentum nostræ salutis explevit. [q] Ad Johannem igitur venit ex muliere natus, constitutus sub lege, & per Verbum [r] caro ỷ. 13. Hominem assumtionis aquas lavacro sanctificavit.

[a] Ab effectu confessio hîc significatur.

[b] gentes nimirum. Unde infrà cap. 19. n. 11. *In primordio libri, sub vestitu Johannis, in camelo gentes significari admonuimus.*

[c] Editi, *voluntatis cingulo*. In quatuor mss. exstat *voluntatis*, in ceteris, *voluntate* ; sed in nullo vox *cingulo*.

[d] Er. Lips. & Par. *impiis quibusdam* : Bad. & mss. magno consensu refragantibus.

[e] In vulgatis ac pluribus mss. *sede*. Magis placet cum mss. Colb. & Carnut. *fide*.

[f] Hoc vocabulum aliâ ab Hilario, quàm à ceteris Patribus, ratione pronuntiatum fuisse, cùm non constet ex mss. in quorum vetustissimis legere est *diabulus*, in quibusdam *zabulus*, in aliis, *diabolus* ; hoc posteriore modo constanter scribendum curavimus, cùm interdum *diabolus*, sæpius *zabulus* in priùs vulgatis obtinuerit.

[g] Ita ms. Carn. cum Colb. At *vim*, non *jus*, præfert sola editio Par. In aliis autem libris deest *testatur jus præsentis in Christo potestatis*. Mox ex iis quidam pro *significans*, habent *significat*.

[h] Ms. Becc. *confractione* : quinque alii, *conflagratione* : malè. Vult Hilarius infideles, dum jam exciduntur, igni quo in judicio conflagrabunt præparari. Haud absimile est illud, quo in Psal. 143. n. 11. primùm prædicat adventu Domini confractam & obtritam diaboli potestatem ; ac deinde subjicit, *Præsentis subjectionis conditione ultioni & pœnæ legitimæ præparatur*.

[i] Carnutensis codex cum Colb. *esset etiam inefficax*. Meliùs in aliis *jam*. Rursum legem *jam inutilem atque inefficacem* prædicat Hilarius c. 7. num. 1. Viderint nostri temporis hæretici, annon magnum ponat discrimen inter baptisma Christi & Johannis.

[k] In vulgatis hîc adjicitur *ac solvendorum*, quod neque habent mss. neque postulat Matthæi textus aut Hilarii expositio : quippe qui Christi calciamenta ferre, interpretatur gloriam prædicationis circumferre. Nec quidquam habet, quod ad eorumdem solutionem pertineat.

[l] quia, uti docetur in Psal. 118. lit. 3. n. 5. *est perfectæ emundatio puritatis etiam post baptismi aquas reposita .... quæ judicii igni nos decoquat*. Videsis ibid. notâ i. & pag. 261. not. a.

[m] Non exstat illud *id est* in mss. Superiùs apud Bad. Er. & Lips. legere est *recondendum*, loco *recondentis* ; & infrà *concremandos*, pro *concremantis* : quod etiam in postremam editionem Par. revocatum.

[n] Editi, *in Galilæam* : cum sacro textu renitentibus mss.

[o] id est, *omnis homo*. Hunc locum illustrant hæc Tract. Psal. 13. n. 4. *Quia non nisi ex assumtione carnis nostræ hi morbi essent nostri corporis auferendi, ex assumtione carnis salutiferæ omnis (caro) in Domino est* &c. necnon illa lib. 2. de Trin. n. 25. *Non ille eguit homo effici ....sed nos eguimus ut Deus caro fieret, & habitaret in nobis, id est, assumtione carnis unius interna universæ carnis incoleret* : ad hoc scilicet, *ut sanctificatum in eo universi generis humani corpus exsisteret*, ut ibidem explicatur n. 24. Hinc. infrà cap. 4. n. 12. Christi caro civitas nuncupatur, quia *in eo, per naturam suscepti corporis, quædam universi generis humani congregatio continetur*. Hoc posito principio, sequitur rectè de Christo quædam prædicari, quæ non conveniant nisi nobis.

[p] id est, Verbi : cujus in famulatum corpus assumitur, dum per conjunctionem suam ita ei subest, ut quidquid agit, Verbi personæ attribuatur. Haud multùm igitur differt corpus *in famulatum spiritûs* assumi, & in Verbo subsistere, seu in unitatem personæ Verbi assumi.

[q] In pluribus mss. *ad Jordanem*.

[r] non per virum. Jam enim observatum est hæc Angeli ad Mariam, *Spiritus-sanctus superveniet in te*, de ipsomet Verbo dicta Hilarium intellexisse. Unde lib. 2. de Trin. n. 24. *Filius Dei*, inquit, *natus ex Virgine est & Spiritu-sancto, ipso sibi in hac operatione famulante, & sua, Dei videlicet, inumbrante virtute, corporis sibi initia consevit.*

factus. Ipſe quidem lavacri egens non erat, quia de eo dictum eſt, Peccatum non fecit; & ubi peccatum non eſt, remiſſio quoque [a] ejus eſt otioſa. Sed aſſumtum ab eo creationis noſtræ fuerat & corpus & nomen: atque ita non ille neceſſitatem habuit abluendi, ſed per illum in aquis ablutionis noſtræ erat ſanctificanda purgatio. Denique & à Johanne baptizari prohibetur, ut Deus: & ita in ſe fieri oportere, ut homo edocet. Erat enim per eum omnis implenda juſtitia, per quem ſolum lex poterat impleri. Atque ita & prophetæ teſtimonio lavacro non eget, & exempli ſui auctoritate humanæ ſalutis ſacramenta conſummat, hominem & aſſumtione ſanctificans & lavacro.

(Margin: 1. Pet. 2. 22. a — ℣. 14. — ℣. 15. — B)

Baptiſmi noſtri effectus in Chriſti baptiſmo adumbrati.

6. Ordo etiam in eo arcani cæleſtis exprimitur. Nam baptizato eo, reſeratis cælorum aditibus, Spiritus-ſanctus emittitur, & ſpecie columbæ viſibilis agnoſcitur, & iſtiuſmodi paternæ pietatis unctione perfunditur. Vox deinde de cælis ita loquitur: [b] *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Filius Dei auditu conſpectuque monſtratur, plebique infidæ & prophetis inobedienti teſtimonium de Domino ſuo mittitur & contemplationis & vocis: ac ſimul ut ex eis quæ conſummabantur in Chriſto cognoſceremus, poſt aquæ lavacrum, & de cæleſtibus portis ſanctum in nos Spiritum involare, & cæleſtis nos gloriæ unctione perfundi, & paternæ vocis adoptione Dei filios fieri; cùm ita diſpoſiti in nos ſacramenti imaginem ipſis rerum effectibus veritas præfiguraverit.

(Margin: ℣. 17. b — C — D)

CAPUT III.

De tentatore diabolo, & de jejunio Jeſu quadraginta diebus, de Petro & Andrea piſcatoribus.

Matth. 4. 1. 1. TUNC *Ieſus ductus eſt in deſertum ab Spiritu, ut tentaretur à diabolo*, & reliqua. Et in deſertum traductio, & quadraginta dierum jejunium, & poſt jejunium fames, & ſatanæ tentatio, & reſponſio Domini, magni cæleſtiſque conſilii effectibus plena ſunt. Nam quòd in deſertum ductus eſt, ſignificatur libertas [c] Spiritus-ſancti, hominem ſuum jam diabolo offerentis, & permittentis tentandi & aſſumendi occaſionem, quam non niſi datam tentator habuiſſet. Erat igitur in diabolo de metu ſuſpicio, non de ſuſpicione cognitio: movebatur enim quadraginta dierum jejunio. Sciebat totidem diebus aquas [d] abyſſi effuſas, exploratam repromiſſionis terram, Moyſi legem à Deo ſcriptam, annorum quoque, quibus plebs in eremo vitâ Angelorum habituque manſit, hunc numerum fuiſſe expletum. Igitur iſtius temporis metu, in tentando eo, quem hominem contuebatur, ſumſit temeritatem. Adam enim pellexerat, & in mortem fallendo traduxerat. Sed ita dignum nequitiâ ejus & ſcelere erat, ut in eo, cujus morte & calamitatibus gloriabatur, homine vinceretur; & qui Dei beneficia homini invidiſſet, ante tentationem Deum in homine intelligere non poſſet. Tentatur igitur ſtatim poſt baptiſmum Dominus, tentatione ſua indicans in ſanctificatis nobis maximè diaboli tentamenta graſſari: quia victoria ei eſt magis exoptata de ſanctis.

(Margin: A — c — Gen. 7. 17. d — B — C)

Fames Chriſti qualis. ℣. 2.

2. Non cibum etiam hominum eſuriit, ſed ſalutem: nam poſt quadraginta dies, non in quadraginta diebus eſuriit, Moyſe & Elia in eodem jejunii tempore non eſurientibus. Igitur cùm eſuriit Dominus, non inediæ ſubrepſit operatio: [e] ſed Virtus illa, quadraginta dierum non mota jejunio, naturæ ſuæ hominem dereliquit. Non enim erat à Deo diabolus, ſed à carne vincendus: quam utique tentare auſus non fuiſſet, niſi in ea per eſuritionis infirmitatem quæ ſunt hominis recognoviſſet. Quam utique in eo ſentiens ita orſus eſt: *Si filius Dei es.* Anceps ſermo eſt, *ſi filius Dei es.* Licèt eſurientem videret, quadraginta tamen dierum in eo jejunium pertimeſcebat. Qua rerum ratione indicat, poſt quadraginta dierum converſationem, quibus poſt paſſionem in ſæculo erat commoraturus, eſuritionem ſe humanæ ſalutis habiturum. Quo in tempore, exſpectatum Deo patri munus, hominem quem aſſumſerat reportavit.

(Margin: e — D — ℣. 3. — E)

3. Contuendum itaque nunc illud eſt, quibus tandem interrogationibus uſus ſit. Ait, *Si* Ibidem.

[a] In duobus mſſ. *ei.* Mox quid ſibi vult *creationis noſtræ*, niſi carnis in Adam primùm creatæ & ab eo ad nos uſque propagatæ? Pluribus hujuſmodi locis refelluntur, qui Hilarium ſenſiſſe volunt Chriſtum ex Maria nihil accepiſſe.

[b] Ita hunc locum etiam à Juſtino martyre lectum fuiſſe obſervatum eſt pag. 42. notâ g. quam videſis.

[c] id eſt, divinæ Verbi naturæ, cujus libertas ideo conſideratur, ne quis exiſtimet Chriſtum neceſſitate & non ſponte fuiſſe tentatum; atque ita nihil habere ſupra hominem, cui tentatio obvenit, etſi non vincit, ſine ipſius voluntate. Mox in mſ. Mich. *quam niſi datam*, omiſſo *non.*

[d] Plures mſſ. *abyſſis effuſas.*

[e] In uno mſ. Colb. *ſed velut illo quadraginta dierum non motus jejunio.* In Rom. *ſed velut illud*, &c. ut in Colb. In quinque aliis, ut apud Bad. *ſed vultus illa quadraginta dierum non mota* (vel *non mota*) *jejunio.* Omnino retinenda eſt lectio, quam præferimus cum Er. Lipſ. & Par. Paucis verbis hîc inſinuat Hilarius quamdam in Chriſto naturam fuiſſe, quæ ex ſe eſuritioni obnoxia minimè fuerit, quæque præſtare potuerit ut nec humana eſuriret, ac proinde eſuriem ei non obrepſiſſe invito, ſed cùm voluit naturæ ſuæ hominem derelinquere. Cùm autem ſubjicit hominem ideo naturæ ſuæ derelictum, quia diabolus à carne, non à Deo erat vincendus; diſertè declarat ſe virtutis derelinquentis nomine divinam Verbi naturam intelligere. Simili ratione oſtendit numero ſuperiori, Chriſtum non tentatum fuiſſe niſi cùm voluit, cùm nimirum Spiritus-ſanctus, hoc eſt Verbum, hominem ſuum diabolo tentandum permiſit, ut in homine vinceretur. Ita ex iis ipſis locis, ex quibus hæreſim ſuam tueri conabantur, ſive Hebionitæ, eorumque ſectatores Paulus Samoſat. atque Photinus, qui nihil in Chriſto præter hominem eſſe aſſerebant, ſive Ariani, qui divinam in ipſo naturam nolebant confiteri: ex iis, inquam, locis ſtudiosè demonſtrare ſolet, & in Chriſto aliquid præter hominem ac ſupra hominem eſſe, & hoc ipſum eſſe Deum. Hinc nemo non videt, cur ſingularem illam Chriſti naturam, quam divinam ipſe intelligit, non proprio *Dei* nomine, ſed generalibus *ſpiritus* & *virtutis* vocabulis maluerit appellare, puta ut ad hæreticorum ſermonem ſe accommodaret. Certè *virtutis* vocabulum, ubi Hilario de Chriſto ſermo eſt, ad divinam ipſius naturam non referri nuſquam animadvertimus. De ejuſdem vi non ambiget, qui vel unum caput 9. n. 7. expenderit. Hic porro locus ad illuſtrandam ejuſdem Doctoris tum de paſſione tum de morte Chriſti ſententiam tam aptus viſus eſt, ut eum non inconſideratè tranſeundum duxerimus. Ex eo quippe liquet veram eum & corporalem eſuriem Chriſto attribuere, quamvis hujus occaſione ſpiritalem quamdam prædicet. Ut quid enim homo poſt jejunium naturæ ſuæ à Deo derelictus eſt, niſi ut pateretur quæ ex jejunio hominum natura pati ſolet? præſertim cùm ſpiritalis illa ſalutis humanæ fames neque Deum dedeceat. Neque verò niſi ad corpoream eſuritionem pertinet, quod ait diabolum in Chriſto homine *per eſuritionis infirmitatem ea quæ ſunt hominis* recognoviſſe.

Quî diabolus Christi deitatem explorare, vel patientiam tentet frangere.

filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Fallax A diabolus, & ad traducendum artifex callidissimus, posse omnia Christum sciebat, & esuritionem in homine ex ipso jejunii tempore sentiebat, ignarus quidnam esuriretur. Eam ergo in tentando conditionem operis proposuit, per quam & in Deo, ex demutatione lapidum in panes, virtutem potestatis agnosceret; & in homine, oblectamento cibi, patientiam [a] esuritionis illuderet. Sed Dominus non panem potiùs, quàm salutem hominum esuriens, ait, B

℣. 4. *Non in pane solo vivit homo*: quia ipse non solùm homo, sed & Deus, licèt usque in tentationis diem cibo hominis abstineret, Dei tamen Spiritu alebatur: ostendens non in pane hoc solitario, sed in Verbo Dei alimoniam æternitatis esse sperandam.

Christus Deus & homo.

℣. 6. 4. Sequens etiam interrogatio talis est, cùm eum in summum templi sustulisset: *Si filius Dei es, mitte te deorsum*, & reliqua. Laborat tentatione Dominum de excelsis ad inferiora deducere: & positum in templi summo, id est, super leges & prophetas eminentem, in humilibus continere. Sciebat quidem & ministeria Angelorum promta esse Dei filio, neque in lapidem posse offensionis incidere: quippe super aspidem & basiliscum ambulaturum, & calcaturum leonem & draconem. De his enim quæ in se dicta sunt tacuit; sed superiora memorando, vult quoquo modo obedientiam elicere [b] tentato; relaturus hinc gloriam, si sibi Dominus majestatis, licèt per confidentiam, paruisset. Sed nulla diabolo contigit tantæ fraudis occasio, idipsum Domino tempore posteriore testante, cùm dicit, Venit princeps hujus sæculi, & non invenit in me quidquam. Digna igitur hanc ejus petulantiam Domini est secuta responsio: *Non tentabis Deum & Dominum tuum.* Diaboli conatus & tentamenta [c] contundens, & Deum se protestatur & Dominum: docens à fidelibus abesse oportere jactantiam, quia cùm omnia possibilia Deo sint, nihil tamen in tentationem ejus audendum sit.

Psal. 90. 12. & 13. Diabolus silet quæ contra se.

Johan. 14. 30.

℣. 7.

Jactantia cavenda.

℣. 8. & 9. 5. Sed jam tertiò tota diabolicæ potestatis commovetur ambitio. Constituto igitur Domino in monte excelso, universa orbis terrarum regna, eorumque gloriam obtulit, si modò adoraretur ipse. Jam gemina responsione opinionem suspicionis excesserat. Cibo Adam pellexerat, & de paradisi gloria in peccati locum, id est, in regionem vetitæ arboris deduxerat: tertiò divini nominis ambitione corruperat, diis futurum similem pollicendo. Igitur adversùs Dominum tota jam sæculi potestate pugnatur, & Creatori suo possessio hujus universitatis offertur: ut tenens ordinem fraudis antiquæ, quem neque cibo pellexerat, nec loco moverat, nunc vel ambitione corrumperet. Sed responsio Domini dignum de superioribus gradum fecit. Ait enim, *Vade* [d] *satana. Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* ℣. 10. Temeritatis tantæ congruum exitum tulit, cùm & criminum suorum in *satana* nomen audivit, & Dominum Deum suum adorandum in homine cognovit. Præbuit etiam hujus responsionis effectu magnum nobis Dominus exemplum: ut [e] contemtâ humanæ potestatis gloriâ, & sæculi ambitione postpositâ, solum meminissemus Deum & Dominum adorandum; quia omnis sæculi honor diaboli sit negotium. Post hanc ergo diaboli fugam, Angeli Christo ministrant: [f] ostendentes, à nobis victo calcatoque diaboli capite, & Angelorum ministeria, & Virtutum in nos cælestium officia non defutura.

Tentationum Christi idem ordo, qui Adæ.

Honor sæculi, opus diaboli. ℣. 11.

℣. 12. 6. *Cùm audisset autem Iesus, quòd Iohannes traditus esset, secessit in Galilæam.* Transitus in C [g] Capharnaum, & prophetia Esaiæ, rei gestæ ordo est. In piscatorum verò [h] electione, ex hominum arte futuri eorum officii opus proditur; ut piscibus è mari, ita hominibus deinceps è sæculo in locum superiorem, id est, in lumen cælestis habitaculi protrahendis. Quibus & artem & patrias & domos relinquentibus, docemur Christum secuturi, & sæcularis vitæ sollicitudine, & paternæ domus consuetudine non teneri. In quatuor verò primùm Apostolis eligendis, præter rerum fidem, quia & ita D gestum est, futurorum Evangelistarum numerus præfiguratur. Galilæam igitur circuit, & in synagogis prædicat regni Evangelium: & omnium ægritudinum infirmitates medendo, factis ipse se profert: ut quem in prophetarum voluminibus legere erant soliti, præsentem operibus contuerentur.

Apostolorum priorum vocatio quid designet.

Christus se factis profert.

CAPUT IV. E

De beatitudine & præceptis, de reconciliatione fratrum, de adulterio, de oculo & manu eruenda, de juramentis & eleemosyna.

Matth. 5. 1. Christus in monte, quid.

1. CONGREGATIS igitur pluribus turbis, montem conscendit, & docet: in paternæ scilicet majestatis positus F celsitudine, cælestis vitæ præcepta constituit. Non enim æternitatis instituta, nisi in æternitate positus, tradidisset. Denique ita scriptum est: *Aperuit os suum, & docebat eos.* ℣. 2. Locutum eum fuisse, promtius erat dicere. Sed quia in gloria paternæ majestatis [i] institerat, & æter-

[a] In aliquot mss. *esurientis.* Hîc rursum in humana Christi natura corpoream agnoscit Hilarius esuritionem, ita veram, ut per eam patientiæ meritum obtineat diaboli invidiâ dignum.

[b] Quatuor mss. *tentator.* Mox *per confidentiam*, id est, ut rerum Dominus: *natura scilicet ejus confidentiam non oblitus, qua in assumtione licèt hominis non carebat*, ut loquitur in Psal. 54. n. 2.

[c] Mss. Carn. Rom. Colb. *contemnens.*

[d] Carnutensis codex, *vade retro post me satana.*

[e] In tribus mss. *contemplata.*

[f] In potioribus mss. *ostendens*, barbara quidem lectio, sed fortè sincerior, pro *quod indicio est.*

[g] Sic mss. quibus verbis obiter memoratur illud Matth. *Relicta civitate Nazareth habitavit in Capharnaum . . . . ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam* &c. Malè igitur in Bad. & nonnullis mss. *proditus in Capharnaum & propheta Esaia.* Nec meliùs in editis aliis, *transiens in Capharnaum & propheta* &c.

[h] In quibusdam mss. *allectione.*

[i] Beccensis codex, *instituerat:* Rectiùs alii, *institerat*, hoc est, *positus erat*, supple, *nec ab ea recesserat.*

nitatem docebat; idcirco ad motum Spiritûs eloquentis obedisse ostenditur humani oris officium.

℣. 3. Humilitatis causæ & præmium. Matth. 4. 10. Esai. 66. 2.

2. *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Exemplo Dominus docuerat humanæ ambitionis gloriam relinquendam, dicens, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Et cùm se per prophetas populum humilem & ad verba sua trementem [a] præmonuisset esse electurum; in spiritûs humilitate perfectæ beatitudinis posuit exordium. Igitur humilia spirantes, id est, esse se homines recordantes, in cælestis regni possessione [b] constituti, conscii sibi ex sordentibus ac tenuissimis se principiis coalitos in hanc formam perfecti corporis procreari, & in hunc sentiendi, contuendi, judicandi, agendi sensum, Deo profectum ministrante, procedere: nihil cuiquam suum esse, nihil proprium, sed cunctis dono parentis unius eadem & veniendi in vitam tribui primordia, & utendi [c] eâ substantiam ministrari: ac nos optimi illius, qui nobis sit ista largitus, exemplo, perfunctæ in nos bonitatis ejus esse æmulos oportere; ut boni omnibus simus, communia omnia omnibus existimemus; nulla nos nec sæcularis fastus insolentia, nec opum cupiditas, nec inanis gloriæ ambitio corrumpat: sed subjecti Deo simus, & de communione vivendi in omnes communis vitæ caritate teneamur. magnum etiam in eo, quod nati sumus, divinæ bonitatis futurum profectum [d] existimantes, cujus præmium atque honor præsentis vitæ operibus sit merendus: atque ita per hanc spiritûs humilitatem, qua de Deo nobis meminerimus & indulta omnia, & deinceps potiora speranda, cælorum regnum erit nostrum.

℣. 4. V. infrà n. 12.

3. *Beati mites; quoniam ipsi hereditabunt terram.* Mitibus terræ hereditatem pollicetur, id est, ejus corporis, quod ipse Dominus assumsit habitaculum. Quia per mansuetudinem mentis nostræ habitaverit Christus in nobis, nos quoque gloriâ clarificati ejus corporis vestiemur.

4. *Beati lugentes; quoniam ipsi consolabuntur.* Lugentibus æternæ consolationis solatia repromittit. Non orbitates aut contumelias aut damna mærentibus, sed peccata vetera flentibus, & criminum quibus obsordescimus conscientiâ ærumnosis, hæc sedula in cælo consolatio præparatur. ℣. 5. Cujus luctus erit consolatio.

5. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.* Sitientibus & esurientibus justitiam, beatitudinem tribuit: significans extensam in Dei doctrinam sanctorum aviditatem bonis perfectæ in cælo satietatis expleri. ℣. 6.

6. *Beati misericordes; quoniam ipsis miserebitur Deus.* Misericordibus misericordiæ munera præparat. In tantum enim Deus benevolentiæ nostræ in omnes delectatur affectu, ut misericordiam suam sit [e] solis misericordibus præstiturus. ℣. 7.

7. *Beati mundo corde; quoniam Deum ipsi videbunt.* Mundis corde conspectum Dei spondet. Nihil enim pollutum & sordidum ad occursum divinæ claritatis insistit, & ad conspectum Dei acies [f] obsoletæ mentis hebetatur: eos scilicet & visui & occursui Dei esse [g] patentes, quibus per animi nitorem ac vitæ puritatem potestas sit contuendi. Non enim nisi spiritu perfecti, [h] & immortalitate immutati, quod solis mundis corde dispositum est, hoc quod in Deo est immortale cernemus. ℣. 8. Dei conspectum ferre nequit immundus.

8. *Beati pacifici; quoniam filii Dei vocabuntur.* Pacificorum beatitudo adoptionis est merces, ut filii Dei maneant; parens enim omnium Deus unus est. Neque aliter transire in nuncupationem familiæ ejus licebit, nisi oblivione earum rerum assumtâ, quibus possemus offendi, fraternæ invicem caritatis pace vivamus. ℣. 9.

9. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, & reliqua. Perfectâ ad postremum eos beatitudine muneratur, quibus omnia pro Christo pati [i] pronus affectus est: quia ipse justitia est. His igitur & regnum reservatur, & mer- ℣. 10.

[a] Editi, *præmonuit esse lecturum*: corriguntur ex potioribus mss.

[b] Apud Par. *constituit, conscii.* Minus malè in Colb. ms. post *constituit*, positum est *conscios.*

[c] In vulgatis, *eadem.* Rectiùs in mss. *eâ*, scil. vitâ.

[d] Eadem in Psal. 118. litt. 14. n. 1. luculentiùs edisseruntur in hunc modum: *Neque enim quisquam tam demens aut inops sensu est, ut in id cùm nullus esset natum se existimet, ut rursum post quàm natus est nullus esset: cùm sine dubio meminerimus ex Dei bonitate profectum esse quod natus est, nec id in bonitatem ejus malitia cadat, ut in nobis hoc suum munus quo nascimur interimat.*

[e] Abest *solis* à quatuor non inferioris notæ mss. & abesse debet, si sola hujus capitis verba evangelica respiciantur. Non expunximus tamen, ne fortè ad verba Christi cap. 25. 35. respectus sit.

[f] Aliquot mss. *subsoleta eminus*: corruptè. Ab hoc obsoletæ mentis vitio aberat Propheta, qui in Psal. 122. n. 1. memoratur *incrementis competentibus contemplandi Dei usus, per modica & dimensa admissa sibi lucis intervalla, ad consuetudinem totius luminis preparatus.*

[g] Ita ms. Bec. cum antiquis edit. Alii verò mss. *patientes*: quod verbum non displiceret, si cum secundo casu jungeretur. Quippe in Psal. 138. n. 21. humana infirmitas occursum Dei fugere dicitur ob *impatientiam visionis.* Legitur quidem hîc apud Par. *visus & occursus Dei esse patientes*: sed absque auctoritate. Verbum *patere* Hilario familiare est, ut videre est in Psal. 118. lit. 6. n. 9. & lit. 19. n. 10. & in Psal. 131. n. 6.

[h] Excusi, *& jam mortalitate immutati.* Rectiùs aliquot mss. *& immortalitate*, quomodo & apud Augustinum lib. de nat. & grat. c. 62. olim legit Pelagius, qui hæc Hilarii verba ad hæresis suæ patrocinium detorquere conabatur. Ad quem Augustinus ibid. *Quid dixerit* (Hilarius) *contra id quod dicimus, vel quid istum* (Pelagium) *adjuvet, nescio, nisi quia posse esse hominem mundo corde testatus est. Quod quis negat? sed gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum, non sola arbitrii libertate.* Re ipsa munditiem & confidentiam Pelagianam sexcentis locis explodit Hilarius, qui humanæ naturæ corruptelam, ignorantiam, & infirmitatem passim inculcat. Illi verbi gratiâ minimè favet quod ait in Psal. 136. n. 5. & 145. n. 2. hominem ab insitis naturæ suæ dotibus per peccatum excidisse. Neque minùs abest ab illius sententia, cùm non modò in Psal. 52. n. 11. docet bonitatem nulli homini inesse perfectam; sed & cùm hujus doctrinæ rationem afferens in Psal. 118. lit. 3. n. 6. habet, *Sunt enim multa scandala, quæ prohibent perfectam nobis mandatorum esse custodiam. Taceo de naturis corporum, quæ nos interim per incentiva vitiorum imperfectos esse compellunt*: & num. 3. *Habemus autem etiam nunc admixtam nobis materiam, quæ mortis legi & peccati obnoxia est*, &c. vel cùm num. 1. suadens neminem non egere Dei misericordiâ: *Si enim*, inquit, *digna secundùm opera nostra retributio aderit, in peccatorum ac delictorum nostrorum pœnis manebimus.* Quid præterea Pelagium juverit, quod in Psal. 146. n. 4. scribit, in hac quidem vita inchoari sanitatem hominis, sed non consummari nisi in altera? Neque illius doctrinæ magis commodum est hoc Tract. Psal. 144. n. 20. *Totis itaque in Deum allisi & cadentes oculis adspectent: neque quisquam ita de se confidat, ut non semper cadere, semper se vereatur allidi.* Immo in hoc ipso loco aliud omnino Hilarius asserit, quàm quod eo vult probare Pelagius. Ille quippe hîc affirmat nemini, quàm diu mortalis fuerit, conspectum Dei esse concedendum, quia nimirum tamdiu impollutus non erit. Contendit contrà Pelagius ex hoc loco confirmare, quosdam etiam ex hac vita eo animi nitore, ea vitæ puritate esse præditos, quam solis immortalitate donatis concedit Hilarius. Hæc strictim dicta sint, ut ostendatur hæresis genium, quæ ex veterum testimoniis non tam veritatem illustrare studet, quàm fucum facere.

[i] Bad. Er. & Lips. *promtus affectus.* Habent tamen infrà n. 25. *pronos esse oportere* in officio dispensandæ gratiæ.

ces in cælo copiosa promittitur, qui in contemtu sæculi pauperes spiritu, & damnis rerum præsentium jacturisque probrosi, & adversùs maledicta hominum cælestis justitiæ confessores, ac deinceps gloriosi promissorum Dei martyres, omnem vitæ usum testimonio [a] æternitatis ejus impenderint.

ỳ. 13. Sal terræ, Apostoli.

10. *Vos estis sal terræ. Quòd si sal* [b] *infatuatum fuerit, ad nihilum valet id quod salietur.* Sal, ut arbitror, terræ nullum est: quomodo ergo Apostolos sal terræ nuncupavit? Sed proprietas est quærenda dictorum, quam & Apostolorum officium, & ipsius salis natura monstrabit. Sal est in se uno continens aquæ & ignis elementum; & hoc ex duobus est unum. Hic igitur [c] in unum usum humani generis effectus, incorruptionem corporibus quibus fuerit adspersus impertit, & ad omnem sensum condîti saporis aptissimus est. Apostoli autem sunt rerum cælestium prædicatores, & æternitatis velut satores: immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo adspersus fuerit, [d] conserentes, atque, ut Johannes superiùs testis est, sacramento aquæ ignisque perfecti. [e] Meritò igitur sal terræ nuncupati sunt, per virtutem doctrinæ saliendi modo æternitati corpora reservantes. Sed natura salis semper eadem est, nec immutari umquam potest. Verùm quia conversioni homo subjacet, & solus beatus *, qui usque ad finem in omnibus Dei operibus permanserit; ideo eos, sal terræ nuncupatos, monet in traditæ sibi potestatis virtute persistere, ne infatuati nihil saliant, & ipsi sensu accepti saporis amisso vivificare corrupta non possint, & projecti de Ecclesiæ promtuariis, cum his quos salierint, pedibus incedentium proterantur.

* supple, est.

ỳ. 14. Mundi fugant tenebras.

11. *Vos estis lumen mundi.* Natura luminis est, ut lucem quocumque circumferatur emittat, illatumque ædibus tenebras interimat, luce dominante. Igitur mundus extra cognitionem Dei positus [f] obscurabatur ignorantiæ tenebris: cui per Apostolos scientiæ lumen invehitur, & cognitio Dei claret, & de parvis eorum corpusculis, quocumque incesserint, lux tenebris ministratur.

ỳ. 15.

12. *Non potest civitas abscondi supra montem ædificata, * neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio*, & reliqua. Civitatem carnem quam assumserat nuncupat: quia ut civitas ex varietate ac multitudine consistit habitantium; ita in eo, per naturam suscepti corporis, quædam universi generis humani congregatio continetur. Atque ita & ille ex nostra in se congregatione fit civitas, & nos per consortium carnis suæ sumus civitatis habitatio. Abscondi ergo jam non potest: quia in altitudine positus celsitudinis Dei, admiratione operum suorum & contemplandus & intelligendus omnibus efferatur.

Civitas caro à Christo assumta, cives homines.

13. Sed nec lucerna accenditur, recondenda sub modio. Qui enim fructus est, [g] clausò impensam luminis continere? Verùm Synagogam dignè Dominus modio comparavit: quæ susceptos fructus intra se tantùm receptans, certum modum dimensæ observantiæ continebat; nunc tamen fructu omni, adveniente se, [h] vacua sit, non tamen adhuc potens luminis occulendi. Atque ideo jam lucerna Christi non recondenda sub modio est, neque operimento occultanda Synagogæ: sed [i] in ligni passione suspensa, lumen æternum est in Ecclesia habitantibus præbitura. Pari etiam fulgere Apostolos monet lumine; ut admiratione operis eorum Deo laus impertiatur: non quòd ab hominibus oporteat gloriam quærere, quia omnia [k] in honorem Dei sunt agenda; sed ut, dissimulantibus licèt nobis, opus nostrum his inter quos vivimus eluceat.

Synagoga, modium occultans lumen.

Christus lucerna.

ỳ. 16.

ỳ. 17. Lex Christi prænuntia.

14. *Nolite putare quoniam veni dissolvere legem aut prophetas: non veni dissolvere, sed adimplere.* Virtus & potestas verborum cælestium grandia in se momenta complexa sunt. Lex enim operum posita est, & omnia in fidem eorum, quæ in Christo erant revelanda, conclusit: cujus & doctrina & passio grande & profundum est paternæ voluntatis arbitrium. Lex autem sub velamento verborum spiritalium nativitatem Domini nostri Jesu Christi, & corporalitatem, & passionem, & resurrectionem locuta est: atque id ita jam ante tempora sæcularia in ætatis nostræ tempus esse dispositum, frequens & prophetica & apostolica auctoritas est. Igitur post jejunium dierum quadraginta, satanas tantis suspicionibus anxius, usque ad tentandi erupit audaciam: ingens in Jesu pertimescens cælestis molitionis arcanum. [l] Jesus enim Domino nostro nomen ex corpore est. Itaque & corporalitas

[a] Editi, *veritatis.* Veriùs mss. *æternitatis*, hoc est, cùm temporalis vitæ, ut eam testarentur æternam, fuerint prodigi. Ea ratione Apostoli mox dicentur *æternitatis velut satores.*

[b] Lips. & Par. *infatuatus fuerit.* Mss. Colb. & Carn. *evanuerit.* Mox non malè legeretur *id quo salietur:* sed ad receptam lectionem non minùs accommodata sunt postrema hujus numeri verba, quibus ii qui salierint, *cum his quos salierint*, projiciendi declarantur.

[c] Editi cum septem mss. *in omnem.* Cum mss. Rom. Vatic. Colb. & Carn. præferimus *in unum*, utpote verbum, quod dictis evangelicis *ad nihilum valet* &c. propiùs respondeat.

[d] Ita plerique mss. Alii verò libri, *conferentes.* Tum apud Bad. Er. Lips. & in postrema edit. Par. *Atque . . . . sacramenti aquæ ignisque perfecti*, ubi *perfecti* ad sacramentum, non ad Apostolos refertur. In prima Par. *ut quin . . . . sacramento aquæ ignisque perfici.* In pluribus mss. *atque . . . . sacramenti ignisque perfecti.* Ex his restituendum conjectamus *aquæ, ut Johannes superiùs testis est, sacramentis ignisque perfecti.* Neque infrà mediocriter confirmatur conjectura nostra ex n. 26. ubi *baptismi & Spiritûs sacramenta* rursum memorantur. Sequimur tres mss. nisi quòd ponimus *atque ut*, ubi habent *atquin.*

[e] In vulgatis hîc insertum erat, *dum ait, Ipse vos baptizabit Spiritu-sancto & igni:* ne uno quidem è nostris mss. suffragante. Obiter observare est, Hilarium, cùm superiùs cap. 2. n. 4. baptismum ignis de igne judicii extremi interpretetur, aliam hujus baptismi interpretationem non excludere, si quidem Apostolos ante judicium hoc ignis baptismo perfectos hîc prædicat.

[f] Plures mss. *obscura tenebatur.* Mox in tribus *venit*, pro *invehitur.*

[g] Sic magno consensu mss. id est, clam & occultè. Ita lib. 3. de Trin. n. 20. *Erant discipuli in clauso, & secretò post passionem Domini congregati consederant.* At in prima editione Par. *clausam*; in ceteris, *clausi.*

[h] Ita quatuor mss. Alii habent *vacuata sit.* Malè autem in vulgatis, *vacuavit.* Pessimè verò paulò antè pro *nunc tamen*, Lipsius substituit *nunc tametsi*, ac postea voculam *se* à verbo *adveniente* virgulâ separatam cum *vacuavit* conjunxit, cùm referatur ad Christum, cujus adventu Synagogæ cultus inanis & infructuosus evaserit.

[i] Præferremus cum pluribus mss. *in ligno passione*, quasi, passionis tempore, nisi experti essemus Hilario familiares esse hujusmodi vocum inversiones, ut dicat *in ligni passione*, pro *in ligno passionis.*

[k] Bad. cum plurimis mss. *in ordine in honorem.*

[l] Sic potiores mss. Alii verò, *Jesu enim Domino non nomen ex corpore est:* adversantur his Tract. Ps. 65. n. 12. *Jesus enim ejus hominis, qui ex Maria natus est, nuncupatio est.*

corporalitas ejus & passio, voluntas Dei & salus sæculi est: & ultra humani sermonis eloquium est, Deum ex Deo, Filium ex Patris substantia atque intra Patris substantiam consistentem, primùm in hominem corporatum, dehinc morti hominis conditione subjectum, postremò post triduum in vitam ex morte redeuntem, [a] consociatam Spiritûs & substantiæ suæ æternitati materiem ad cælum assumti corporis retulisse.

Quia à Christo impleta.

15. Ne igitur aliud existimaremus in operibus suis esse, quàm contineretur in lege; non ỹ.18. solvere se legem professus est, sed implere: cælum quidem & terram, maxima, ut arbitramur, elementa esse solvenda: ceterùm ne minimum quidem posse esse de mandatis legis infectum; in ipso enim lex & prophetia omnis impletur. Sub passione & jamjam spiritum traditurus, magni hujus in se certus arcani, [b] potus aceto consummata omnia est professus: ỹ.19. fidem enim gestorum, omnia tum prophetarum dicta sumebant. Itaque ne minima quidem mandatorum Dei, nisi cum piaculo [c] Dei constituit esse solvenda: futuros minimos, id est, novissimos ac pæne nullos denuntians, minima solventes. (Crux Christi non erubescenda.) Nulla autem his minora possunt esse, quæ minima sunt. Minimum autem est omnium, Domini passio & crucis mors: quam si quis tamquam erubescendam non confitebitur, erit minimus; confitenti verò magnæ ỹ.20. in cælo vocationis gloriam [d] pollicetur.

Evangelium qui legem excedat.

16. *Dico autem vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Pulcherrimo ingressu opus legis cœpit excedere, ut non dissolveret eam, sed profectu potiore præcederet: aditum Apostolis in cælum, nisi justitiam Pharisæorum æquitate anteissent, denuntians non futurum. Propositis igitur his quæ in lege ỹ.21. præscripta sunt, profectu ea non abolitione transgreditur.

Ira sine causa homicidii rea.

17. Lex vetuit occidere, reatum homicidii severitate judicii expiatura. Sed malè in alterum commotæ mentis affectio idem in Evangeliis habet [e] pœnæ: & ex præcepto fidei non ỹ.22. minùs rea ira est sine ratione suscepta, quàm in operibus legis homicidium. *Et qui dixerit fratri suo racha, reus erit concilio.* Racha vacuitatis opprobrium est: & qui sancto Spiritu plenum convicio vacuitatis insimulat, fit reus concilio sanctorum; contumeliam Spiritus-sancti sanctorum judicum animadversione luiturus.

Qui autem fatuum dixerit, reus erit gehennæ ignis. Ibidem.
Piaculi magni periculum est, quem salem Deus nuncupaverit, eum contumeliâ infatuati sensus lacescere; & stultorum intelligentiam * salientem, stultæ intelligentiæ exasperare maledicto. Istiusmodi igitur æterni ignis erit pabulum. Ita quidquid lex [f] ne in ipsis quidem operibus damnavit, Evangeliorum fides pro contumeliosa tantùm verborum facilitate condemnat.

* eum qui salit.

Pax cum fratribus paci Dei præmittenda. ỹ.23.&24.

18. Mutua igitur universos caritate devinciens, nullam impacificæ orationis fieri precem patitur: sed altario munera offerentes, si recordentur habere se cum fratribus aliquid simultatum, reconciliatos humana pace reverti in divinam pacem jubet, in Dei caritatem de caritate hominum transituros.

19. Et quia nullum tempus vacuum affectu placabilitatis esse permittit, citò in omni vitæ nostræ via reconciliari nos adversario be- ỹ.25.&26.
nignitate præcepit: ne in reditu gratiæ morosi, in mortis tempus non inita pace veniamus, nosque adversarius judici tradat, & judex ministro, & in carcerem mittamur, & non exeamus inde, donec reddamus novissimum quadrantem. (Citò ineunda est.) In præceptis dominicæ orationis remitti nobis peccata nostra oramus exemplo, (Matth. 6. 12.) & datâ adversariis conditione veniæ, ipsius veniam deprecamur. Hæc itaque negabitur nobis, si aliis negetur à nobis: nostroque ipsi judicio rei sumus, si in judicii tempus non remissis simultatibus transeamus; adversario tradente nos judici, quia manens in eum simultatis nostræ ira nos arguit. Et quia caritas plurimum peccatorum tegit, (1. Pet. 4. 8.) & errorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrona est; novissimum pœnæ quadrantem solvemus, nisi pretio ipsius aliquantorum criminum culpa redimatur. Quid autem à pluribus in hoc capite sensum sit, non putavi esse tractandum. Hoc enim, quòd adversario reconciliari [g] benevolentiâ jubemur, ad corporis & spiritûs adversantium sibi concordiam retulerunt: sed nos ordinem doctrinæ tenentes, & opus legis evangelicis profectibus excedentes, non putavimus intelligentiæ continuationem oportere convelli.

20. *Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis,* &c. ỹ.27.
Fertur suo cursu ordo præcepti, & prætermissis legis operibus, jam in Evangeliis adulterio motus tantùm oculi incidentis æquatur: & cum fornicationis opere punitur illecebrosa visûs transcurrentis affectio.

[a] Clariùs hæc ita ordinarentur: *materiem assumti corporis consociatam æternitati Spiritûs & substantiæ suæ* (hoc est divinæ naturæ, quæ filio Dei sua est per proprietatem, humana autem tantùm per assumtionem) *ad cælum retulisse*. Et hic locus avertit omnem suspicionem, quæ ex aliis oriri posset, ne Hilarius Christi glorificati carnem abolitam existimarit.

[b] In quibusdam libris *poto*, in aliis *potato aceto*, in nonnullis *potu aceti*, in Psal. 131. n. 4. *post poculum aceti*. Deinde, pro *fidem enim gestorum*, longè mallemus *finem enim gestorum*, Christi scilicet. *Perfectis enim omnibus*, ut dicitur in Psal. 131. n. 4. *ait*, *Consummatum est .... Percucurrerat enim omnia sacramenti officia: & ubi in consummatione gaudetur, ibi in suscepti operis perfectione lætitia est.* Itaque cùm dixit Christus, *Consummatum est*, & continuò tradidit spiritum; finem *omnium prophetarum dicta* (apud Par. & in uno ms. Colb. *gesta*) *sumebant*: tum quia mors est finis & extremum eorum, quæ prophetæ ab ipso in carne gerenda prædixerant; tum etiam quia finem sumit prophetia, cùm ad exitum perducitur quodcumque eâ prædictum est.

[c] Aliquot mss. *Deus*.

[d] Ita potiores mss. In aliis, *confitetur*. In vulgatis autem, *Dominus esse confitetur*. Hîc *magnæ vocationis gloriam* dicit Hilarius, quasi magni nominis, juxta illud, *Hic magnus vocabitur*.

[e] Singulare est illud *idem pœnæ*, pro *eamdem pœnam*. Deinde notandum fidei vocabulum legi, fidei præceptum præcepto legis opponi.

[f] Particula *ne* deest in vulgatis. Exstat in mss. quorum auctoritate hîc adjicitur, maximè cùm in lege homicidium perpetratum non gehennæ, sed judicio dumtaxat condemnatum memoretur.

[g] Dum hic ait Hilarius, *reconciliari benevolentiâ*, & suprà, *reconciliari benignitate*; vim græci sermonis expressit: quia, ut notat Hieronymus in hunc locum, *pro eo quòd nos habemus in latinis codicibus consentiens, in græcis scriptum est* [illegible], *quod interpretatur benevolus ac benignus.*

℣. 29.
Membra abscidenda, propinqui scandalizantes.

21. *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te*, A *erue eum, & projice abs te*, &c. Fit innocentiæ gradus celsior, & profectum fides sumit. Carere enim non solùm propriis vitiis, sed & extrinsecùs incidentibus admonemur. Non enim ex causis peccantium membrorum, corporis damna præcepta sunt: dextro enim oculo non minùs sinister erraret. Certè pes sensu concupiscentiæ carens damno inutilis est, in quem pœnæ causa [a] non incidet. Sed quia diversa invicem membra, corpus tamen omnes unum B sumus; abjicere à nobis, vel potiùs eruere, propinquitates [b] carissimorum nominum admonemur, si in illis aliquid tale cernamus, ne in consortium criminis eorum de familiaritate veniamus: rectiùs utilibus & maximè necessariis, tamquam oculi & pedis membris carentes, quàm usque in societatem gehennæ, vitiosæ propinquitatis teneamur affectu. Esset autem abscisio membrorum utilis, si & cordis esse posset exsectio. Cùm enim [c] concupiscentia C efficientiæ comparetur, damnum corporis otiosum est, relicto voluntatis instinctu.

Frustra corpus, & non cor, exsecatur.

℣. 31.

22. *Dictum est autem, Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi repudium*, &c. Æquitatem in omnes concilians, manere eam maximè in conjugiorum pace præcepit: legi addens plura, nihil demens. Nec sanè profectus argui potest. Nam cùm lex libertatem dandi repudii ex libelli auctoritate tribuisset, nunc marito fides evangelica non solùm voluntatem pa- D cis indixit, verùm etiam reatum coactæ in adulterium uxoris imposuit, si alii ex discessionis necessitate nubenda sit: [d] nullam aliam causam desinendi à conjugio præscribens, quàm quæ virum prostitutæ uxoris societate pollueret.

℣. 33.
Jurandi consuetudo ac necessitas Christianis sublata.

23. *Iterum audistis quia dictum est antiquis, Non perjurabis*, &c. Lex pœnam posuerat perjurio, ut fraudulentiam [e] mentientium sacramenti religio contineret; simulque plebs rudis atque insolens frequentem de Deo suo mentionem E haberet familiaritate jurandi. Fides verò sacramenti consuetudinem removet, vitæ nostræ negotia in veritate constituens, & abjecto fallendi affectu, simplicitatem loquendi audiendique præscribens; ut quod erat esset, non esset verò quod non erat: [f] quia inter est & non, patens esset materia fallendi, *& quod ultrà est, id omne de malo est.* ℣. 37. Quod enim est, suum est ut semper sit: quod verò non est, naturæ est ut non sit. Ergo in fidei simplicitate viventibus [g] jurandi religione opus non est, cum quibus semper quod est, est; quod non, non: & per hæc eorum & opus & sermo omnis in vero est.

℣. 34.
Judæorum superstitio damnatur.

24. *Neque per cælum jurabis, quia sedes Dei est*, & reliqua. Non solùm nos reddere Deo sacramenta non patitur, quia omnis Dei veritas dicti factique nostri simplicitate retinenda est: sed superstitionem contumaciæ veteris condemnat. His enim elementorum nominibus Judæis erat religio jurare, & cæli, & terræ, & Jerusalem, sed & capitis sui, quibus in contumeliam Dei [h] sacramento venerationem deferebant. Quid enim momenti erat jurare per cælum Dei sedem, jurare per terram scabellum pedum ejus, jurare per Jerusalem urbem brevì ob insolentiam & peccata inhabitantium destruendam: cùm præsertim in præformationem Ecclesiæ, id est, corporis Christi, quæ magni regis est civitas, esset constituta? Per caput autem jurare cur vellent? Numquid vel capilli unius mutandi facultas esse poterat juranti, cùm omnibus colorem natura à Deo profecta suggereret? Atque ita hæc sacramentorum pignora plena apud eos piaculi fuisse demonstrat: cùm ignorato aut neglecto opifice suo, religionem operibus impertirentur.

℣. 38.
Ulciscendi libido coercetur.

25. *Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, dentem pro dente*, & reliqua. Extensam fidei nostræ in æternum spem rebus ipsis Dominus vult probari: ut ipsa dissimulandæ injuriæ tolerantia testis judicii sit futuri. Lex infidelem Israel intra metum [i] metu continebat, & injuriæ voluntatem injuriæ vicissitudine coercebat. Fides autem nullius tam gravem dolorem esse patitur injuriæ, ut ultionem expetat, & illatæ sibi quisquam vindex sit contumeliæ:

[a] In mss. nonnullis omittitur particula negans. Potest retineri, ut sic ratiocinetur Hilarius: Causa pœnæ est peccatum: peccatum autem non est, ubi non est malæ appetitionis affectus: neque igitur in illam corporis partem pœnæ causa cadet, *cùm ipsa absque aliquo appetitionis affectu solum in re habeat ministerium necessariæ servitutis*, ut loquitur in Psal. 120. n. 7. Itaque quia pes aut hujusmodi membrum non est causa culpæ, adeoque nec pœnæ, inutili damno abscindetur, remanente interim concupiscentiâ. Potest & expungi prædicta particula, ac pes dici *pœnæ causa*, quomodo superiùs *membra peccantia*, hoc nimirum sensu: Pes, in quem pœna infligetur, cùm concupiscentiæ sensu careat, adeoque hæc cum illo non resecetur, damno inutili abscindetur.

[b] Editi cum mss. non paucis, *carissimorum hominum*. Veriùs Vaticanus codex cum Rom. & Colb. *carissimorum nominum*. Unde infrà cap. 18. n. 4. hic ipse locus notatur his verbis: *Superiùs in abscindendis manu vel pede propinquitatum contineri nomina exposuimus*: & cap. 10. n. 24. damnantur *qui domesticas nominum caritates dilectioni* Dei *prætulerint*. Illa autem nomina carissima sic recensentur in Psal. 118. lit. 15. n. 3. *Irasci hæc carissima nobis nomina, pater scilicet ac mater, uxor & filii non possunt, quòd eos præcipimur odisse* &c. Quo loquendi modo cùm Hieronymus ep. 29. de morte dicat, *quòd fratres dividat, & carissima inter se nomina crudelis & dira dissociet*, hæc verba se ex prophetali vaticinio mutuatum esse subjicit.

[c] hoc est, cùm desiderium malum haud secus damnetur atque opus. Hic de concupiscentiæ motibus, quos primò primos vocant, non est sermo.

[d] In tribus mss. *nullam malitiæ causam*. Qui ex hoc loco volunt Hilarium non modò uxorem adulterii ream dimittendi, sed & alteram ducendi licentiam tribuere, aliud ei attribuunt, quàm quod dicit aut sentit, cùm maritum uxoris adulteræ ab illius societate dumtaxat absolvat.

[e] Editi, *fraudulentiam mentium*: castigantur ope mss.

[f] Apud Par. *qui*: quod in modum particulæ interrogantis nonnullis fortè placuerit: at videtur potiùs Hilarius prædicare, inter duo illa extrema *est & non* patere materiam fallendi, quæ à Christo hîc amputetur.

[g] In aliquot mss. *jurandum de religione*. Non displicet quod in Colb. *jurandi religio*: ut vocabulum *opus* per modum nominis adjecti pro *necessaria* efferatur. Jurandi necessitatem hîc, superiùs consuetudinem, infrà superstitionem, nusquam licentiam Christianis auferri docet Hilarius. Immo lib 5. de Trin. n. 26. & 29. hanc Esaiæ prophetiam, *Et qui jurant super terram, jurabunt in Deum verum*, evangelicis temporibus convenire demonstrans, juramentum etiam Christianis aliquando pium ac laudandum probat: quod ampliùs liquet ex his Tract. Ps. 62. n. 12. *Quisquis in eo jurabit, sacramenti hujus religione laudabitur.* Hinc intelligere est ubi subjicit, *nos reddere Deo sacramenta non patitur*, *citra necessitatem*. Frustra igitur Scultetus hoc uno in Matthæum loco fretus inter singulares Hilarii opiniones recenset, *juramentum omnino Christianis esse interdictum*. Quamquam gravissimorum virorum hæc opinio quondam fuit.

[h] Plures mss. *sacramenti venerationem*. At potiores cum vulgatis *sacramento*: quibus favet illud Hieronymi in eumdem locum, *Judæi per angelos & urbem Jerusalem & templum & elementa jurantes, creaturas resque carnales venerabantur honore & obsequio Dei.*

[i] Abest *metu*, à Bad. Er. Lips. & pluribus mss.

quia in judicio Dei, & perpessis injuriam plus
est consolationis, & pœna severior injuriosis.
Atque ita non solùm ab iniquitatibus nos abesse
ỳ. 39. Evangelia præcipiunt, verùm etiam ulciscen-
dæ injuriæ exigunt dissimulationem. Nam ac-
ceptâ alapâ maxillam alteram jubemur offerre,
& mille passus onus vehentes, progredi in spa-
tium passuum duûm millium, injuriæ augmen-
to profectum ultionis habituri, ipso virtutum
cælestium Domino ad incrementum gloriæ &
maxillas palmis, & flagris scapulas offerente.
Litium causæ amputantur. 26. Non solùm autem judicii humani refu- B
gienda esse arbitria præcipit, verùm etiam cum
ỳ. 40. damni voluntate vitanda; ut tunicam nobis vo-
a lenti judicio [a] exuere, remittamus & pallium:
& per spem bonorum futurorum sæcularem su-
pellectilem contemnentes, inanem gentium cu-
ỳ. 42. piditatem & vanitatem infructuosæ avaritiæ ar-
Munificentia jubetur. guamus. Omnibus etiam dari quæ poposcerint
jubet, & à precibus volentium mutuari os at-
que animum non referre; ut his, quibus indi- C
gent, per nostram munificentiam expleantur,
& eorum vel sitim potu, vel famem cibo, vel
nuditatem vestitu indulto arceamus: ac sic bo-
norum eorum, quibus à Deo indigemus, digni
b reperiamur; cùm obtinendi meritum indulgen-
Gratiæ Dei gratuita sit dispensatio. di consuetudo conciliet. In officio quoque [b] dis-
pensandæ ejus quam accepimus gratiæ, pronos
esse oportere demonstrat; ut boni gratuiti sit
dispensatio gratuita, & mutuari volentibus non
c negemus quod mutuamur à Deo, semper sine D
habendi damno impertiendi ministerio [c] fun-
cturi.
ỳ. 43. Inimicorum dilectio. 27. *Audistis quia dictum est, Diliges proximum
tuum, & odies inimicum tuum*, & reliqua. Con-
clusit omnia bonitate perfecta. Amari enim lex
ỳ. 44. proximum exigebat, & in inimicum licentiam
odii dabat. Diligi verò inimicos fides præcipit,
& petulantes humanarum mentium motus,
publicæ caritatis frangit affectu; non solùm
iram ab ultione depellens, sed etiam in amo- E
rem mitigans injuriosi: quia gentium sit aman-
tes amare, & commune sit diligere diligentes.
ỳ. 45. Vocat igitur nos in Dei ut hereditatem, ita
d & imitationem; bonis & injustis, Christi sui
adventu, in baptismi & Spiritus [d] sacramentis
& solem tribuentis & pluviam. Ita nos ad per-
fectam vitam, per hanc publicæ bonitatis con-
cordiam, quia nobis in cælo pater sit perfectus
Matth. 6. 1. Jactantia fugienda. imitandus, instituit.
28. *Attendite, justitiam vestram ne faciatis co-* F
ram hominibus, &c. Omnem curam rerum præ-
sentium amovet, & attentos tantùm esse in
spem futuri jubet, neque sectari vel hominum
favorem ostentatione bonitatis, vel jactantiam
A religionis orationis publicæ copiâ, sed intra
conscientiam fidei fructum boni operis conti-
nendum: quia humanæ laudis consectatio eam
tantùm, quam ab hominibus expetit, mercedem
sit receptura; ceterùm promerendi Dei exspe-
ctatio, præmium sit longæ patientiæ consecu-
tura. Sinistra quoque manus ut ignoret opus ỳ. 3.
dexteræ *. Sed numquid istud natura corporis * *subaud.* Jubet.
sinit? aut intelligentiæ sensum manuum mini-
steria sortiuntur? Verùm * ut in Dei scientia * *subaud.* hoc vult.
B opera nostra consistant: cùm sub nuncupatione
membrorum, in his quæ geramus, eorum quæ
nostra sunt atque nobiscum sunt conscientia
arceatur.

CAPUT V.

De oratione & jejunio, de thesauro in cælo, de lucerna corporis, de duobus dominis, de cibo & vestitu, de volatilibus & liliis agri & fœno, de sollicitudine diei, de festuca & trabe in oculo.

1. CLAUSO quoque cubiculi ostio jube- ỳ. 6. Orationis locus, cor.
mur orare, atque in omni loco pre-
C cem fundere edocemur: & sancto-
rum oratio inter feras, carceres, flammas, &
D de profundo maris ac bestiæ ventre suscepta *Jonæ* 2. 2.
est. Ergo non occulta domûs, sed cordis no-
stri cubiculum ingredi, & clauso mentis nostræ
secreto orare ad Deum, non multiloquio, sed
conscientiâ admonemur, quia dictorum verbis
opus omne præcellat. [e] De orationis autem sa- e
cramento necessitate nos commentandi Cy- Cyprianus.
prianus vir sanctæ memoriæ liberavit. Quam-
quam & Tertullianus hinc volumen aptissi- Tertullianus.
mum scripserit: sed consequens error hominis,
E detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.
2. *Cùm autem jejunatis, nolite fieri sicut hypo-* ỳ. 16. & 17.
critæ tristes: exterminant enim facies suas, ut pa-
reant hominibus jejunantes, &c. Jejuniorum pro- Jejunantis sit conscientia pura, & bona opera.
fectum docet extra jactantiam confecti corpo-
ris esse oportere, neque de [f] injuriæ ostenta-
tione favorem gentium consectandum; sed om- f
ne jejunium in sanctæ operationis decore po-
nendum. Oleum enim fructum misericordiæ
esse, cælestis & propheticus sermo est. Ergo
F bonitatis operibus caput nostrum, id est, vitæ
nostræ sensus ornandus est; quia intelligentia
omnis in capite est: sordesque in facie abluen-
dæ, ne quid sit horroris ex vitiis, sed magis
gratia candoris sit in [g] occursu: atque ita nos g

[a] Bad. cum mss. *eruere.* Mox in vulgatis, *per spem bonam:* ubi restituimus *per spem bonorum futurorum*, ex potioribus mss. Ita cap. 5. n. 6. habemus, nos *in spem bonorum æternorum confirmari.*

[b] Aliquot mss. cum Bad. & Er. *dispendendæ.*

[c] Beccensis codex, *fruituri.*

[d] Bad. Er. Lips. & aliquot mss. *sacramento.* Retinendum putamus cum Par. & melioribus mss. *sacramentis.* Hîc enim duo distingui videntur Sacramenta, quorum alterum pluviæ, alterum soli comparetur; hoc *bonis* conferatur ad fidei & caritatis augmentum, illud *injustis* in remissionem peccatorum & fecunditatem bonorum operum. In hanc opinionem confirmamur ex verbis in Psal. 118. lit. 3. n. 5. *Est ergo, quantum licet existimare, perfecta illius emundatio puritatis etiam post baptismi aquas reposita, quæ nos sancti Spiritus sanctificet adventu* &c. Quæ hîc *baptismi & spiritûs*, superiùs num. 10. *aquæ ignisque* sacramenta vocari opinamur.

[e] In mss. hîc dumtaxat fit initium capitis 5. Ut hîc Hilarius, ita Ambrosius Lucam exponendo dominicam orationem prætermisit.

[f] Bad. Er. & Lips. *inediæ.* At Par. cum omnibus mss. *injuriæ:* quod mendosè scriptum putamus loco *incuriæ.*

[g] Hîc supple *Dei* vocabulum. Jam enim legimus cap. 4. n. 7: *eos visui & occursui Dei esse patentes, quibus per animi nitorem ac vitæ puritatem potestas sit contuendi.* Utroque in loco videtur respici parabola virginum, quibus dicitur, *Ecce sponsus venit, exite obviàm ei.* Rursum huic lucem confert illud ex Tract. Ps. 140. n. 9. *In abluenda facie nitorem puræ conscientiæ exegit, ne quid in nobis sordidum, ne quid oblitum adhæreret: in capite verò ungendo, doctrinis nos atque operibus spiritalis institutionis perfectos esse præcepit.*

in ſplendorem bonæ conſcientiæ elutos, & in gratiam miſericordis operis delibutos, Deo jejunia noſtra commendent. Ceterùm fugientes in jejuniis hominum conſcientiam [a] unctis capitibus, & ridiculi magis erimus, & cogniti.

ṽ. 19. Ubi cor hic, ibi poſt hanc vitam erit.

3. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*, & reliqua. Prætermiſſâ igitur humanæ gloriæ & opulentiæ ſollicitudine, omnem placendi Deo curam ſumi oportere demonſtrat: quia humanam laudem vel corporum vitia, vel obtrectatio invidentium corrumpat; & hîc theſaurus pecuniæ, aut detrimento ſit periculoſus, aut furto. Ceterùm laus cæleſtis æterna eſt, nec ſubrepentis furto ſubtrahenda, nec tineâ aut rubigine invidiæ exedenda: corde noſtro ſedem theſauri utram ſit [b] ſecutum habituro, & intelligentiæ noſtræ lumine aut cum pecunia damnoſa futuro, aut cum Deo ſempiterno.

ṽ. 22. Corporum claritas aut tenebræ æternæ pro diverſa ratione animorum.

4. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* Continens ſenſus eſt. De oculi enim [c] luminis officio lumen cordis expreſſit. Quod ſi ſimplex & lucidum manebit; claritatem æterni luminis corpori tribuet, & ſplendorem originis [d] ſuæ corruptioni carnis infundet. Si autem obſcurum peccatis, & voluntate erit nequam; vitiis mentis natura corporis ſubjacebit. Et ſi lumen, quod in nobis eſt, tenebroſum ſit; quantas neceſſe eſt ipſarum tenebras eſſe tenebrarum? quia jam periculosè ſoleat animi generoſitati terrenæ carnis vitioſa origo dominari, longéque magis peccata corporum ingraveſcere, ſi etiam cupiditatibus adjuventur animorum: ex eoque [e] fieri præter naturam ſuam corpora noſtra tenebroſa, ſi in illis mentium lumen exſtinctum ſit. quod ſi per ſimplicitatem ſpiritûs retinuerimus, lumine ſuo neceſſe eſt & corpus illuminet.

ṽ. 23.

ṽ. 24. Deo & ſæculo ſerviri nequit.

5. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*, &c. Duûm dominorum infidele ſervitium eſt, nec par ejuſdem poteſt eſſe ad ſæculum atque ad Deum cura. In alterum enim neceſſe eſt odium ſit, in alterum amor: quia idem opus diverſæ dominorum non conveniat voluntati, nec pauperes ſpiritu Deo placentes ambitioſæ ſæculi hujus poſſint apti eſſe jactantiæ.

ṽ. 25.

6. *Ideo dico vobis, ne cogitetis in corde veſtro, quid manducetis; neque corpori veſtro, quid veſtiatis. Nonne anima veſtra pluris eſt quàm eſca, & corpus pluris eſt quàm veſtimentum?* Contemtum ſæculi, & fiduciam futurorum toto ſuperiore ſermone præceperat. Nam cùm ad injuriam pronos jubet eſſe, & ad damnum voluntarios, & ad ultionem negligentes, & ad diligendum [f] promiſcuos, & ad humanam gloriam incurioſos; confirmari nos in ſpem bonorum æternorum laborat. Plures enim & amor præſentium, & deſperatio futurorum incertos facit: & aut illecebris capit, aut infidelitate confundit. Ergo regnum cælorum, quod prophetæ nuntiaverunt, Johannes prædicavit, Dominus noſter in ſe eſſe poſitum eſt profeſſus, vult ſine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate ſperari: alioquin juſtificatio ex fide nulla eſt, ſi fides ipſa fiat ambigua. Igitur curam nullam eſſe veſtitûs & cibi præcipit, dicens & eſcis animam, & cibo corpus eſſe pretioſius.

Sæculi contemtu cælum unum ſuſpiret animus.

Altior ſenſus latet in prædictis.

7. Et quidem pulcrum eſt, præſentium rerum contemtu, curam tantùm divinis rebus impendere: ſed altiùs ſermo deſcendit, & in cæleſtis dicti intelligentiam verbis ſubjecta ratio extenditur. Theſaurum Dominus condi juſſit in cælo, & ex oculi lumine corpori quoque ſplendorem ſpopondit, & dominis duobus neminem placere poſſe teſtatus eſt: & poſt hæc ait, *Ideo dico vobis, ne cogitetis in corde veſtro, quid manducetis; neque corpori veſtro, quid induatis.* [g] Quæ conſequuntur, non ſatis propoſitionibus congruunt. Numquid & unius domini ſervus non poſſit circa veſtem eſſe cibumque ſollicitus? Numquid per adverſam valetudinem hebetato oculi lumine obſcurabitur corpus? aut quod corporis lumen eſſe poſſit ex oculo? Numquid theſaurizare in cælis ſola nuditas aut fames poterit?

De reſurrectione quædam dubia ſolvuntur.

8. Sed quia corruptus circa futurorum curam infidelium ſenſus eſt, calumniantium quæ in reſurrectione corporum ſpecies ſit futura, quæ [h] in ſubſtantiam æternitatis alimonia; & cùm ex difficultatibus quæſtionum inutilium, quædam utendarum præſentium voluptatum ratio quæſita eſt, inutili [i] metu circa Dei reverentiam demorantes, in ſæculi gaudia tranſeunt; atque ita eſt, ut duobus dominis unius infidele ſervitium ſit: igitur ex ſummo pietatis affectu, graviſſimo [k] diffidentiæ periculo antè prædicto, ita admonet: *Nonne anima pluris eſt quàm eſca, & corpus pluris eſt quàm veſtimentum?* In dictis Dei veritas eſt, & rerum creandarum efficientia omnis in verbo eſt. Ita nec ṽ. 25.

[a] Carnutenſis codex, *comtis capitibus*. Monet Hieronymus Chriſtum hîc loqui *juxta ritum provinciæ Palæſtinæ, ubi diebus feſtis ſolent ungere capita*.

[b] In vulgatis, *ſecutus*: ſolœciſmus quem emendant mſſ. Antè in nonnullis *utrum*, non *utram*: quod ad ſedem vel in Deo vel in pecunia habendam rectiùs refertur. Pòſt in iiſdem *damnoſo*: hoc ad intelligentiæ lumen referri queat, quod in pecunia damnoſum, in Deo ſempiternum futurum ſit.

[c] Vocabulum *luminis* in vulgatis omiſſum, ſupplemus ex mſſ. Sic & infrà n. 7. non ſimpliciter *ex oculo*, ſed, *ex oculi lumine corpori quoque ſplendorem ſpopondit*.

[d] Hilarius hîc, veterum more, animam noſtram ſpectat ut ex natura ſua quamdam lucem, quemdam ſplendorem. Sic à Gregorio Naz. Or. 42. poſt quàm num. 12. dicti ſunt Angeli *ſecundi ſplendores primi ſplendoris adminiſtri*, num. 15. homo ſecundùm animam *angelus alius* nuncupatur.

[e] Apud Par. *fuerit*: corruptè. Tum *præter naturam ſuam*, id eſt, ampliùs quàm ex natura ſua ſint, quaſi præter naturales tenebras, novas quaſdam contrahant exſtincto lumine mentium. *quod* lumen *ſi retinuerimus* &c.

[f] hoc eſt, ad diligendos amicos vel inimicos, ſeu ad bene vel malè ſibi facientes promiſcuè ſe habere.

[g] id eſt, licèt in his, *Ideo dico vobis ne cogitetis*, particula *ideo* connexionem ſuperiorum cum ſubſequentibus indicet: tamen quæ illud *ideo* conſequuntur, non ſatis congruunt cum iis quæ præcedunt.

[h] Editi, *in ſubſtantia*. Rectiùs mſſ. potiores, *in ſubſtantiam*, hoc eſt, qua in æternum valeant ſubſiſtere atque conſervari. tum pro *& cùm*, mallemus *ut cùm*; maximè quia in mſ. Colb. pòſt ſequitur, *in ſæculi gaudia tranſeant*.

[i] hoc eſt, cùm abjecta æternitatis ſpe in cultu ac metu Dei ita demorentur, ut cultûs ac metûs ſui nullam utilitatem ſperent. *Dejectus enim unuſquiſque vel motus de gradu ſpei ejus quam ſuſceperat apud Creatorem, facilè jam declinatur ad alterius ſpei auctorem*, ut loquitur Tertullianus de reſurr. carnis n. 2.

[k] In vulgatis, *graviſſimoque*. Removetur particula ſupervacanea auctoritate mſ. Colb. Neque audiendi quinque alii, qui hunc locum ita exhibent: *igitur ex ſummo impietatis affectu, graviſſimoque diffidentiæ, prædicatio ita admonet*. Admonet porro Dominus ex affectu pietatis, poſt quàm prædixit diffidentiæ periculum.

quod spopondit ambiguum est, nec inefficax quod locutus est. Nihil est quod non in substantia sua & creatione [a] corporeum sit: & omnium, sive in cælo sive in terra, sive visibilium sive invisibilium, elementa formata sunt. Nam & animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exsulantium, [b] corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur: quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est. Atque ideo [c] ineptiam inutilissimæ quæstionis Deus arguens, non patitur, animâ & corpore in æternitatis substantia collocandis, spem nostram futuri in resurrectione cibi & vestitûs sollicitudine demorari: ne [d] tanto pretiosa reddenti, corpus scilicet atque animam, contumelia in non efficiendis levioribus inferatur.

℣. 26. Non laborant dæmones ut habeant unde vivant.

9. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* Sub nomine volucrum exemplo nos immundorum spirituum adhortatur: quibus sine aliquo negotio quærendi & congregandi, vivendi tamen tribuitur de æterni consilii potestate substantia. Atque ut ad immundos istud spiritus referri oportere monstraret; adjecit, *Nonne vos magis pluris estis illis?* de comparationis præstantia, discrimen nequitiæ & sanctitatis ostendens.

℣. 27.

10. *Quis autem vestrûm potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* * *Et de vestimento quid solliciti estis?* Fidem vitalis substantiæ nostræ de documento spirituum firmavit: opinionem autem habitus futuri, judicio communis intelligentiæ dereliquit. Cùm enim universorum corporum, quæ vitam hauserint, diversitatem in unum consummatum virum perfectumque sit excitaturus, solusque potens sit ad uniuscujusque proceritatem cubitum unum & alterum tertium-ve præstare; de vestitu, id est de specie corporum, cum quanta ejus contumeliâ ambigimus? qui ut æqualem atque uniformem omnem hominem efficiat, tantum mensuræ sit humanis corporibus additurus.

℣. 28. Corpora statura viri perfecti suscitanda.

Ephes. 4.13.

11. *Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque nent.* * *Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis*, &c. Lilia non laborant, neque nent: & Salomon coopertus eorum gloriâ non fuit, propheta magnus, & merito dilectæ sapientiæ Deo carus. Sed lilia nascuntur potiùs, quàm operiuntur. Coopertio autem velamentum est corporis, non corpus ipsum. Quod si ad sensum humanæ intelligentiæ refertur, colorem lilii, velamenti candor potuerat æmulari. Sed lilia non laborantia neque nentia significari intelligenda sunt [e] Angelorum cælestium claritates, quibus extra humanæ scientiæ eruditionem, suique operis mercedem, à Deo glo-

℣. 29. Lilia non laborantia, Angeli.

[a] Quid hîc *corporeum* dicat Hilarius, non satis liquet. Cùm tamen in Psal. 129. n. 3. explicaturus illud Johannis, *Deus spiritus est*, subjiciat, *invisibilis scilicet & immensa atque intra se manens & æterna natura*; innuit id corpus esse, quod immensitate aut æternitate carens intra se non maneat. Idipsum confirmare videtur in Psal. 124. n. 6. ubi docet Deum omnibus adesse: & hoc, quia *Spiritus est omnia penetrans & continens. Non enim secundùm nos corporalis est, ut cùm alicubi adsit, absit aliunde* &c. Ubi vides id vocari corporale; quod *cùm alicubi adsit, absit aliunde.* Cùm igitur hîc asserens nihil non in substantia & creatione corporeum, id una ratione confirmet, *quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est*; nil vetat quo minùs intelligatur id corporeum dicere, quod in aliquo tantùm, non in omni tempore aut loco sit, seu quod in alio aliquo, non intra se maneat. Id quoque corporeum vocare potuit, quod cùm ex partibus aut qualitatibus naturâ suâ compositum sit, nihil non habet quod ad integritatem sui pertineat: quò spectat illud in Psal. 129. n. 4. *Quidquid compositum est .... habet initium quo corporatur ut maneat.* Immo apud Phœbadium Hilarii æqualem vacuo & inani ac non pleno corpus opponitur. Ipse enim Dei filius ab illo vocatur *Dei sermo, non sonus vocis, sed res substantiva ac per substantiam corpulentiva.* Tum prosequitur, *Non enim sine substantia constitit, quod de tanta substantia fecit* (fortè *fuit.*) *Nihil ergo vacuum de pleno, nihil inane de solido: quia Dei sermo spiritus Dei Christus instructus est, &, ut evidentiùs dicam, sermonis corpus est. Corpus enim spiritus, sed corpus sui generis. Nam & invisibilis & incomprehensibilis spiritus: numquid tamen & inane & vacua res* (fortè *rei* aut *vacua res*) *Deus.* Quo sensu Tertullianus lib. de carne Christi num. 12. dixisse videtur, *Omne quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est.* Sic & Tullius lib. 4. de finibus, *Alii, quasi nullum corpus sit hominis, ita præter animum nihil curant: cùm præsertim ipse quoque animus non* INANE *nescio quid sit, (neque enim id possum intelligere,) sed in quodam genere corporis.* Id demum corporeum vocare licet, quod non est sine aliqua ad corpus habitudine: sicque intelligi commodè potest illud Evodii apud Augustinum epist. 158. num. 11. *Animam ergo omni corpore carere penitus non posse, illa res ut puto ostendit, quòd solus Deus omni corpore semper caret.* Hæc interim notæ subsequenti præmissa sint.

[b] Difficile est hunc locum conciliare cum pluribus aliis, puta Tract. Psal. 52. n. 7. Psal. 118. litt. 19. n. 8. necnon Psal. 129. n. 4. 5. & 6. ubi anima non modò spiritalis, sed & incorporalis disertè asseritur. Si pro *corpoream*, legere liceret *congruam*, nihil jam difficultatis superesset. Sed lectionem Claudiani Mamerti ævo jam receptam mutare quis sibi arroget? Verùm aliter conciliari valet, si attendatur Hilarii scopus. Non enim ei sermo est de interna animarum substantia, sed de externa quadam aut quasi externa, quæ in modum vestimenti aut alimoniæ ad vitam earum conservandam requiratur. Totus quippe est contra eos, qui resurrectionem licèt à Deo audiant, de ea tamen idcirco diffidunt, quia quæ alimonia tum futura sit non assequantur. Primò itaque resurrectionem adstruit, de qua ambigere stultum sit, post quàm eam Deus & in dictis verax, & in factis potens spopondit. Tum asserta resurrectionis veritate non minùs vanum ostendit, de alimonia sollicitum esse, cùm experientiâ doceamur, nihil à Deo semiplenum aut non integrum, non formatum & quodam modo corporatum creari, sed omnia ab eo accipere quæ ad substantiæ semel creatæ conservationem necessaria sint. His addit, Deum qui promisit majora, animam scilicet & corpus, non negaturum esse leviora, hoc est, alimoniam & vestimentum. Denique totum hoc illustrat exemplo spirituum immundorum, *quibus, sine aliquo negotio quærendi & congregandi, vivendi tamen tribuitur de æterni consilii potestate substantia.* Unde & post pauca concludit: *Fidem vitalis substantiæ nostræ de documento spirituum firmavit.* Ubi igitur ait, *Animarum species corpoream naturæ suæ substantiam sortiuntur*, nihil aliud sibi vult, nisi animas non interire, sed unde in sua vita conserventur ac subsistant accipere: cùm quod hîc *corporea substantia*, numero sequenti *vivendi substantia*, & num. 10. *vitalis substantia* verbis jam apertioribus nuncupetur. Hanc porro vitalem substantiam homines ex se & non aliunde sumturos tacitè significat num. 11. ubi tradit Angelos ex originis suæ sorte ut sint semper accipere, eisque nos similes post resurrectionem futuros: quod disertè jam declarat in Psal. 147. n. 3. ubi beatorum cœtus *nullius egens ad corporis animæque substantiam* prædicatur. Demum cùm Hilarius eos hîc refellat, qui de animarum post resurrectionem tum alimonia tum vestimento solliciti sunt; cúmque infrà cap. 11. n. 4. explicaturus illud, *Hominem mollibus vestitum*, vestimentum animæ interpretetur corpus quo anima ambitur ac circumscribitur, *Vestem*, inquit, *ambitum corporis quo anima induitur significat*: quid hîc sibi volet, *Corpoream naturæ suæ substantiam sortiuntur*, nisi, Non carent veste, quæ à corporibus numquam non ambiuntur? Ad summum igitur hîc sensit animas numquam exsistere extra omne corpus: cùm tota quæstio non de animæ substantia, sed de subsistendi modo versetur. Sed hæc interpretetur quisque ut volet, modò non credat Hilarium iis dictis animam in se ipsa corpoream voluisse: aliter enim eum sensisse constat, ut fusè in generali præfatione singulari dissertatione demonstratum est. Observamus obiter quosdam in his, *Animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exsulantium*, animas humanas & Angelos significari existimare. Nobis tamen potiùs ad diversum animarum humanarum statum videntur referenda.

[c] Ita cum Par. mss. potiores. Plures alii cum Bad. Er. & Lips. *inertiam.*

[d] Par. *tanto pretiosiora*, quod prior Lipsius ex Erasmi margine in textum transtulerat: renitentibus mss. quorum alii habent *tanta*, alii *tanto pretiosa.*

[e] In vulgatis, *ut angelorum*: redundat *ut*, neque exstat in mss.

riæ candor indultus est : ne quid ex proprio A labore aut arte existimarentur habuisse. Et cùm in resurrectione similes homines Angelis erunt, sperare nos cælestis gloriæ voluit operimentum, exemplo angelicæ claritatis. Est autem in natura istius germinis, ut aptissimè cælestibus Angelorum substantiis comparetur. Hoc enim efflorescens, cùm à stirpe detentæ humi radicis avellitur, naturæ suæ virtutem licèt aruisse putetur occultat, & redeunte tempore rursum lilii sui honore vestitur. Ex se [a] enim efflorescit B ac redditur ; & quod est, nec radici potest debere nec terræ : cùm ille qui se subeat succus, ex se sit. Atque ita annuæ licèt hujus viriditatis exemplo, virtutem [b] suæ cælestis substantiæ æmulatur : cùm ex eo tantùm, quod intra se acceptum habeat, alatur in florem. Ideo ergo lilia non laborant, neque nent : quia Virtutes angelorum, ex ea quam adeptæ sunt originis suæ sorte, ut sint semper accipiant.

Cur liliis comparati Angeli.

℣. 30. 12. *Si enim fœnum agri, quod hodie est, & cras* C *in ignem mittitur, Deus sic vestit ; quanto magis vos* [c] *modicæ fidei ?* Fidei nostræ inviolabilem confidentiam exemplorum auctoritate confirmat : ut tanto majoris periculi res sit ambigere, quanto impensiore cura omnem occasionem infidelitatis abstulerit. Fœnum non idcirco nascitur, ut detur igni ; neque ideo vestiendi ejus peculiaris Deo cura est, ut cremetur : sed sub fœni nomine nuncupatas esse à Deo gentes, crebrò invenimus. Germen autem illud est, D quod virtutis suæ flore dilapso, ad calorem solis arescit. Igitur requies nulla gentibus, neque mortis, ut volunt, compendio quies dabitur : sed corporalis & ipsis æternitas destinabitur, ut ignis æterni in ipsis sit æterna materies, & in universis sempiternis exerceatur ultio sempiterna. Si igitur gentibus idcirco tantùm indulgetur æternitas corporalis, ut mox [d] igni judicii destinentur ; quàm profanum est, sanctos de gloria æternitatis ambigere, cùm iniquis E æternitatis opus præstetur ad pœnam. Omnem igitur exspectationem nostram in fide repromissionum & virtutis suæ potestate exigit collocari : ut curâ rerum quibus indigemus omissâ, ab eo potiùs omnia, à quo ipsi vitale exordium sumsimus, exspectemus, regnumque Dei vitæ nostræ stipendiis quæramus. Et hæc rectè perfectéque viventium merces est, ut in novam cælestemque substantiam ex hac corruptibilis corporis materie transferantur, & corruptio F terrena cælesti incorruptione mutetur. Gentium igitur est, infidelitatis istius curâ angi : quibus sæculi amore detentis, & corporis gaudiis occupatis, nullum per fidem & confessionem Dei in cæleste regnum iter quæritur & optatur.

Fœnum, gentes.

Resurgent ad ignem æternum.

Justorum resurrectio longè minùs ambigenda.

℣. 34. 13. *Nolite ergo solliciti esse de crastino. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipse. Sufficit diei malitia sua.* Commune judicium est, diem esse labentium temporum cursum luce solis illuminatum, quem nox interjecta discriminat, & interventu suo diei diem subrogat : futuri autem temporis significantia continetur in crastino. Ergo de futuro sollicitos nos esse Deus vetuit. INCURIA autem sollicitudinis relaxatæ, non negligentiæ, sed fidei est. Cur enim solliciti simus in crastino ; cùm crastinus dies sibi ipse sollicitus sit ? Ergo anxietatem nostram ipsa pro nobis dies sollicita depellit. Sed sollicitudo, ut arbitror, proprius est hominis affectus : hanc enim excitat aut curæ, aut metûs, aut doloris anxietas. Dies verò cursus est temporis : & sola [e] providentiam consecuta sollicitudinis recipiunt affectum. Constituetur ergo dies esse animal, quod & caveat, & prospiciat, & curet ; cui & malitia propria sufficiat, neque extrinsecùs accidenti sit cumulanda peccato. Sed natura rei non capit, diei deputare mentis affectum : ergo & quòd sibi ipsa sollicita est, & quòd ei malitia sua sufficit, & quòd inhibemur solliciti esse de crastino ; totum [f] sub dictis cælestis significantiæ continetur. Jubemur igitur non ambigere de futuris ; satis enim vitæ nostræ malitia, & dierum quibus vivimus peccata sufficiunt, ut circa hæc purganda & promerenda omnis vitæ nostræ meditatio laborque versetur, ne etiam de futurorum diffidentia inexpiabilis irreligiositas contrahatur : cùm cessante curâ nostrâ, ipsa in officio suo, quæ sunt futura, sollicita sint, & nobis æternæ claritatis profectus, Dei procurante bonitate, jam non sollicitis præparetur.

Dies quid.

Sollicitudo in diem non cadit.

Circa quæ tota versari debeat hominis cura.

14. *Nolite judicare, ne judicemini.* * *Quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis.* Omne judicii officium penitus Deus submovet, nec ullum omnino suscipi patitur. Sed compugnare propositis subsequentia existimantur, cùm dicit, *Quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis.* Sed superiùs ait, *Nolite judicare, ne judicemini.* Numquid boni judicii arbitrium suscipi non oportebit ? Atquin profitetur pro conditione judicii judicandos, & universis genere quo mensi sunt metiendum. Ergo numquam bene judicabitur, si omnino non erit judicandum. Sed jam dudum, ut superiùs cognoscitur, nihil in verbis Dei leve aut inane tractatur : omnisque hic ultra sensum gentilium aurium sermo est. Judicari enim de sponsionibus suis vetuit : quia ut judicia ex incertis rebus inter homines sumuntur, ita & hoc judicium adversùm Deum ex sentiendi atque opinandi ambiguitate suscipitur, quod penitus repellit à nobis, ut constans potiùs fides retineatur ; quia non sicut in rebus ceteris, peccatum sit

Matth. 7. 1. ℣. 2.

Judicare de Dei sponsionibus nefas est.

Cur.

[a] In vulgatis, *igitur.* Concinniùs in mss. *enim.* Exemplo lilii, cujus stirps à radice excisa cùm jam calyces suos emiserit, ita eosdem nutrit ac fovet, ut penitus effloreant, ostenditur vitam Angelorum, ex propria, & non externa substantia foveri.

[b] Ex pluribus mss. huc revocatur vocabulum *sua*, quod non ad lilium refertur, sed ad cælestem substantiam, quæ sua est, seu quæ ex sua natura ut semper sit habet.

[c] Plures mss. *minimæ fidei.*

[d] In septem mss. *igni judici* : lectio non spernenda, ut ignis judex dicatur quasi ignis vindex. Aliam tamen confirmat Tract. Ps. 131. n. 11. ubi *inutiles & infructuosos igni judicii deputatos* legimus.

[e] Editi, *sola providentia* : castigantur ex mss. Rom. Colb. & Carn. Providentiam autem vocat Hilarius providendi ac prospiciendi facultatem.

[f] Ita mss. potiores, id est, totum hoc spiritaliter dictum est. Alii verò cum vulgatis, *sub dicti cælestis significantia.*

perperam judicasse; sed [a] in his rebus tantummodo de Deo judicium, initium esse sit criminis.

ỷ. 3. Infidelitas quale & quantum peccatum.

15. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* & reliqua. In consequentibus docuit, solam in Spiritum blasphemiam extra veniam futuram, ceteris omnibus Deo indulgentiam largiente. Peccatum autem in Spiritum est, Deo virtutis potestatem negare, & Christo substantiam adimere æternitatis: per quem, quia in hominem Deus B venit, homo rursum fiet in Deum. Ergo quantum inter festucam & trabem discriminis est, tantum ostendit peccatum in Spiritum conditionem ceterorum criminum excedere: ut cùm infideles delicta corporis aliis exprobrent, onus peccati, [b] quo de promissis Dei ambigant, in se antè non videant, [c] infidelitatis trabe in oculo tamquam in mentis acie insidente. Fit enim sæpe, ut assumamus nobis arguendi alios auctoritatem, sine ullo propriæ emendationis exem- C plo; & medendæ cæcitatis alienæ jactantiam præferamus, ipsi in tenebris corrupti luminis constituti: cùm difficile quemquam sit præstare [d] quod egeat, & OPTIMUM sit exemplo potiùs docere quàm dictis. Cura ergo propriæ adhibenda est cæcitati: quia ex natura rerum est, non priùs aliquem purgandæ de oculo fratris festucæ idoneum effici posse doctorem, quàm de mentis suæ lumine trabem perfidiæ gravantis ejecerit.

Frustra alios corrigit non correctus.

CAPUT VI.

De margaritis ante porcos, de pseudopropheta, de domo ædificata supra petram.

Matth. 7. 6. Mysteria Christi cautè gentibus & hæreticis aperienda.

1. NOLITE *dare sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos*, & reliqua. Præceptis & pro- E missis Dei nihil pretiosius sanctiusque est, quæ sanctificatis nobis immortalitatis thesaurum largiuntur. Horum igitur sacramenta atque virtutes neque in gentes efferre, neque cum hæreticis conferre permittimur. Canes enim, de oblatrandi adversùs Deum rabie, gentes sunt nuncupatæ. Porcorum verò hæreticis est nomen: quia quamvis ungulæ bifidæ sint, acceptam tamen Dei cognitionem non rumi- F nando disponunt. Ergo & [e] concorporationem Verbi Dei, & passionis mysterium, & virtutem resurrectionis non promiscuè tractare nos convenit, neque imperitè incurioséque proferre: ne ignorantiam nostram, si perfectæ A scientiæ desit instructio, proterant atque conculcent, & infirmitatem in Deo passionis irrideant; conversique in nos, contradictionum aculeis imperitiam nostram fidemque dirumpant.

2. Sed in his, quæ ignorabimus, via nobis consequendæ veritatis aperitur: QUAM obtinere in sola precum mora est. Ut igitur sentiamus credamusque omnia, & nullo ambiguæ voluntatis differamur incerto; orandum est, ỷ. 7. B quærendum est, pulsandum est: oratione [f] misericordiam, inquisitione profectum, tentamento aditum reperturi. Quin etiam ad spem obtinendi, exemplo humani affectus docemur. Nam cùm nos filiis piscem panemve poscentibus, non serpentem simus aut lapidem redditi; quanto magis nobis optimus ac præstantissimus pater Deus orantibus perfectæ fidei munera largietur; neque sit pro vitæ cibo lapidem duritiæ gentilis, aut pro baptismi con- C servatione serpentem veneni hæretici præstiturus? Consummavit deinde omnia bonitatis exemplo, universos amoris mutui pace conjungens: in eo legis & prophetarum mandata constituens, ut universorum in nos bonitatem optantes, ipsi omnibus boni simus.

Orationis vis contra imperitiam.

ỷ. 9. &c.

Caritatis lex.

3. *Intrate per angustam portam. Quàm lata & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem!* Arduum in cælum iter hominis est, & aditus angustus ac tenuis: ceterùm perditionis via lata est. D Hanc plures obtinent, illam porro pauci inveniunt. Paucis enim damna rerum præsentium cara sunt: quibus cupiditates & animi vincere & corporis frangere, & exposita totis sæculi viribus illecebrarum omnium lenocinia præterire, maximum cælestis spei lucrum est. Illis autem, quibus solum bonum est scortari, comessari, ambire, insolescere, fastidire, odisse, diripere, plurimus est frequentantium iter tale comitatus.

ỷ. 13. Via cæli à paucis trita, & è contrà.

4. Et quia paucorum esset viam angustam invenire, fraudulentiam eorum qui eam se quærere mentirentur exponit, dicens, *Attendite à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*, &c. Blandimenta verborum & mansuetudinis simulationem admonet fructu operationis expendi oportere: ut non qualem quis se verbis referat, sed qualem se rebus efficiat spectemus; quia in multis vestitu ovium rabies lupina contegitur. Ergo, ut spinæ uvas, ut tribuli ficus non generant, & ut iniquæ arbores utilia poma non afferunt: ita ne in istis quidem consistere docet boni operis effectum; & idcirco omnes cognoscendos esse de fructibus. REGNUM enim cælorum sola verborum officia non obtinent: neque qui dixerit, *Domine* ỷ. 21.

ỷ. 15. Dei servus non verbis sed factis dignoscitur.

ỷ. 16.

[a] Par. *in rebus*, omisso pronomine *his*, quo sponsiones Dei indicantur. Mox apud Bad. Er. & Lips. *initum*, ubi in aliis libris rectiùs, *initium*.

[b] Apud Par. *quòd promissis*. Juverit hîc totum Hilarii argumentum, quod non per se omnibus satis apparet, paucis perstringere. Sic enim ratiocinatur: Qui de promissis Dei ambigit, ambigit se evasurum in Deum. Circa hoc incertus, non credit Christum Deum; si quidem ad hoc, cùm esset Deus, factus est homo, ut homo fieret Deus. Qui autem Christum Deum non credit, peccat in Spiritum-sanctum, id est in Christi divinitatem, quod peccatum trabs infidelitatis est in oculo mentis.

[c] Editi, omissis verbis *infidelitatis trabe*, subjiciunt *in oculo utroque*: restaurantur ex mss. in quorum nonnullis deest vox *infidelitatis*.

[d] In excusis, *quod exigat*. Meliùs in mss. *quod* (vel *quo*) *egeat*. Hoc est quod scholæ dicunt, *Nemo dat quod non habet*.

[e] Bad. Er. & Lips. *incorporationem*. Alii verò libri, *concorporationem*. *Corporationem* prologo in Psalmos n. 5. 6. & alibi dicere solet Hilarius.

[f] Ms. Rom. *misericordia, inquisitione perfectum testamento aditum reperturi*: falsa veri specie, licèt in ceteris etiam exstet *misericordia, inquisitione, profectu*, ac deinde in duobus *testamento*.

Domine, heres illius erit. Quid enim meriti est Domino dicere, *Domine Domine?* Numquid Dominus non erit, nisi fuerit dictus à nobis? Et quæ officii sanctitas est nominis nuncupatio; cùm cælestis regni iter obedientia potiùs voluntatis, [a] non Dei nuncupatio repertura sit?

ŷ. 22. 5. *Multi mihi dicent in illa die, Domine Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus?* & reliqua. Etiam nunc pseudoprophetarum fraudulentiam & hypocritarum simulamenta condemnat, qui gloriam sibi ex verbi virtute præsumunt, in doctrinæ prophetia, & dæmoniorum fuga, & istiusmodi operum virtutibus; atque hinc sibi regnum cælorum pollicentur. Quasi verò eorum aliquid proprium sit, quæ loquuntur aut faciunt, & non omnia virtus Dei invocata perficiat: cùm doctrinæ scientiam lectio afferat, [b] dæmoniorum fugam Christi nomen exagitet. De nostro igitur est beata illa æternitas promerenda: præstandumque est aliquid ex proprio, ut bonum [c] velimus, malum omne vitemus, totoque affectu præceptis cælestibus obtemperemus: ac talibus officiis cogniti Deo simus, agamusque potiùs quod vult, quàm [d] quod potest gloriemur: repudians eos ac repellens, quos à cognitione suâ opera iniquitatis averterint.

Cælum non mirabilibus sed bonis operibus redditur.

ŷ. 24. 6. *Omnis ergo qui audit verba mea, & facit, similem eum æstimabo viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram*, & reliqua. Sensus est superioribus junctus. [e] Objurgans enim pseudoprophetarum jactantiam, & hypocritarum figmenta, per comparationis exemplum perfectæ in se fidei hominem exponit, quòd is, qui verba sua & audiat & faciat, super petram sit ædificatus, & fundamento stabili firmoque consistat, [f] eumque incidentium tempestatum impetu non posse dissolvi; in petra se ipsum Dominus significans, validum excelsi ædificii fundamentum. [g] Cùm autem qui ex se in sublime opus excreverit, moveri non possit vel pluviis, vel fluminibus, vel vento; in pluviis, blandarum & sensim illabentium voluptatum illecebras significat, quibus primùm fides rimis patentibus immadescit: post quas torrentium procursus, id est, graviorum cupiditatum motus incurrit: atque exinde tota ventorum vis circumflantium [h] desævit, universus scilicet diabolicæ potestatis spiritus infertur. Sed fundamento petræ homo ædificatus insistet, nec moveri loco suo poterit. ŷ. 25. Stultus verò hæc audita dissimulans, tamquam super arenam opus ædificationis impenderit, infideliter stat, citò pluviis illabentibus [i] subluendus, & fluminibus propellendus, & ventis differendus, secundùm naturam super quas ædificatus est arenarum, cum gravi ruinæ suæ strage solvendus.

Tentationum progressus.

7. Atque ita superiorum [k] comparationum exemplo Dominus nos voluit & efficere quæ jussit, & credere quæ spopondit. ŷ. 28. & 29. Consummatis igitur omnibus, turbæ mirabantur doctrinam ejus: quia se non Scribarum & Pharisæorum more docuisset. In verborum enim virtutibus, effectus potestatum metiebantur.

Scopus prædictorum.

CAPUT VII.

De leproso quem curavit, de puero tribuni paralytico, de socru Petri, de plurimis & diversis curis.

Matth. 8. 1.

1. ET *descendente eo de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.* ŷ. 2. * *Et ecce leprosus quidam veniens adorabat eum dicens, Domine, si vis, potes me mundare*, & reliqua. In exordio sermonis [l] admonuimus, ne quis fortè existimaret aliquid rerum gestarum fidei detrahendum, si res ipsas profectus rerum consequentium continere in se doceremus. Nihil enim veritati detrahit, imitationem veritas consecuta. Toto igitur superiore sermone Dominus fidei præcepta tradiderat, legem excesserat, jam inutilem atque inefficacem excedendo significans. Mandatorum observantiam exegerat, antè promissorum suorum spem fidissimam imperaverat: quid igitur post hæc primùm gesserit, contuendum est.

Sensus allegoricus nil detrahit litteræ veritati.

Lex jam inutilis.

ŷ. 3. & 4. 2. Adest leprosus, emundari se rogat, purgatur verbi potestate [m] cum tactu, jubetur silere, sed tamen ostendere se sacerdoti, & munus quod Moyses in testimonium fieri præcepit offerre. Curatio igitur [n] audientis & credentis turbæ & cum Domino de monte venientis in leproso ostenditur: quæ vitiosâ labe corporis contaminata, auditaque regni cælorum prædicatione curari se rogat; [o] cùm tactu corporis visitatur, Verbi virtute curatur. Et ut salus hæc non

[a] Editi, *quàm Dei:* reluctantibus mss. Rursum particula *potiùs* cum *non* jungitur infrà cap. 8. n. 8.

[b] Sic mss. At editi, *dæmonia Christi* &c.

[c] In aliquot mss. *malimus*. Ita autem vult Hilarius de nostro promerendam beatitudinem, ut salutis nostræ opus Dei esse non neget. *Et competens*, inquit in Psal. 142. num. 12. *illa humanæ verecundiæ professio est, ut quòd per Spiritum Dei in terram rectam deducendus sit, id non meriti esse sui arroget.* Tum num. 13. meritum cum gloria Dei præclarè conciliat his verbis: *Habuit quidem hoc justitia verecundiæ, ut quidquid illud sibi beatitudinis sperat, id pro magnificentia Dei potiùs, quia Deo beata & æterna & bona tribuere sit dignum, quàm pro merito suo postulet. Sed tamen præferens honorem & misericordiam Dei, merendi quoque id per se non exclusit officium* &c.

[d] Apud Par. *quod prodest*. Rectiùs in aliis libris *quod potest*, id est, de potestate Dei gratìs & absque ullo merito indulta.

[e] In pluribus mss. *subjurgans*.

[f] Ita codex Colb. aliis faventibus. At Bad. Er. & Lips. cum aliquot mss. omittunt *eumque*, ac proximum verbum *consistat:* moxque subjiciunt *possit dissolvi.... Dominus significat.* Mallemus, *quodque incidentium tempestatum impetu non possit dissolvi.*

[g] Editi, *eum autem .... moveri non posse.*

[h] Bad. Er. & omnes propè mss. *desæviat .... inferatur.*

[i] In vulgatis, *subruendus*. Veriùs in mss. *subluendus*. Non enim domus pluviis evertitur, sed eversioni præparatur. Sic lib. 2. de Trin. n. 22. laudatur fundamentum *non inundationibus subluendum.* & in Ps. 68. n. 3. *Sunt & aquæ arenosam domum subluentes.*

[k] Editi, *conturbationum exemplo:* corriguntur ex potioribus mss.

[l] puta cap. 2. num. 2.

[m] Editi, *contactum jubetur silere.* Verbis evangelicis, *tetigit eum dicens, Volo, mundare*, magis congruunt mss.

[n] Sic mss. potiores. Alii verò libri, *obedientis*, ac post verbum *venientis* adjiciunt *adoratio.*

[o] In vulgatis, *contactu*. Rectiùs in mss. *cum tactu*. Sic enim & tempus notatur impertitæ sanitatis, quando carne à Verbo assumtâ populus visitatus est, & Verbi virtus cum corporis tactu jungitur, quomodo superiùs in his, *purgatur verbi potestate cum tactu.*

Legis infirmitas à Christo suppletur.

non offerretur potiùs, quàm quæreretur, silentium imperatur, & ostendere se sacerdotibus jubetur: ut prænuntiatus in lege factis & operibus cernatur; & in quo lex infirmabatur, in eo [a] verbi virtus intelligeretur. præmium quoque receptæ salutis, qui purgatus est, Deo offerat [b]; sed ut donum illud non sit ex avibus, sed ut homo ipse à sordibus peccati corporis emundatus, in sacrificium Dei transeat; quia quod Moyses in lege præceperit, testimonium sit, non effectus.

Levit. 14. 4. ℣. 5. ℣. 6.

3. *Post hæc autem cùm introisset Capharnaum, accessit ad eum quidam tribunus rogans eum, * & dicens, Puer meus jacet in domo paralyticus*, &c. Sequitur emundationem leprosi, paralytici pueri curatio. Sed quid istud est, quòd non dignum se tribunus pueri dominus profitetur esse, ut Christus domum ejus introeat, puerum videat, & præsens præsenti opem afferat; seque habere milites, jubere quod velit, & in potestate posito parere sibi plurimos; similiter & Dominum curationem verbo posse præstare? De tribuno posuisse me satis sit, principem esse gentium crediturarum. Quis hic princeps sit cui subjecti sunt plures, qui volet scire, Moysi in Deuteronomio canticum, & Salomonis librum Ecclesiasticum, ubi de dispersione gentium quædam locuti sunt, legat: nobis tantùm de puero tractatus sit.

Tribunus, princeps gentium creditura-rum. Deut. 32.

4. Succedit deinde in hoc puero post paralysis sanitatem [c] curationi populi de monte descendentis, salus gentium. Jacebat enim puer dissolutus in domo humili, corruptibili, & ingressu ejus, cujus tamen egens erat, Salvatoris indignâ. Et tribunus scit puerum verbo posse sanari: quia salus gentium omnis ex fide est, & in præceptis Domini vita est universorum. Igitur jacentes in sæculo, & peccatorum morbis dissolutæ gentes existimandæ sunt: omnibus undique artubus fluidis, & ad consistendi officium ingrediendique corruptis. Quarum salutis sacramentum in tribuni puero expletur, non tamen ingressuro domum Christo. Licèt enim in sæculo demoratus sit, vitia tamen sæculi & peccata non adiit.

Gentium salus ex fide.

℣. 10.

5. Miratus deinde fidem ait, *Non inveni tantam fidem in Israel.* [d] Non erat tribunus iste de gentibus: & quomodo in Israel fides talis non est reperta; cùm qui crederet esset Israelita? Sed ut similitudinem futuri hæc ipsa veritas æmularetur; idcirco verbi ratio subjecta est, tantam fidem, quanta gentium est, in Israel non reperiendam, & cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælorum ex ultimis gentibus quieturos. Perfecta quidem est in puero secundùm credentis fidem veritas sanitatis: sed præsentium efficientia etiam futurorum imagini proficere monstratur, quando & tribuno credente, & puero salvato, nec talis in Israel fides reperta est, & regni cælorum consortium cum Abraham gentibus destinatur.

Tribunus non erat de gentibus. ℣. 11.

A B C D E F

6. *Cùm venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem & febricitantem*, & reliqua. ℣. 14.
In socru Petri, vitiosa infidelitatis æstimatur affectio, cui adjacet libertas voluntatis, quæ nos quadam sibi conjugii societate conjungit. Ergo ingressu Domini, [e] in Petri domu, id est, in corpore curatur infidelitas peccatorum calore exæstuans, & vitiorum ægra dominatu. Mox deinde sanata, officii famulatu ministrat. Nam primus credidit, & [f] apostolatûs est princeps: & quod in eo antè languebat, Dei verbo invalescens [g] ministerio tamquam publicæ salutis operatum est. Rectè autem hanc ex socru Petri similitudinem ad affectionem infidelitatis aptari, loco qui de nuru & socru consequitur * tractabimus. Nunc autem ideo infidelitas socrus Petri nuncupabitur, quia usque dum credidit, voluntatis suæ servitio detinebatur.

Petri socrus infidelitatis affectio.

Petrus fidei & apostolatûs princeps.

* cap. 10. n. 18.

7. *Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & ejiciebat spiritus immundos*, &c. Curationem promiscuam horis vespertinis, concursu eorum quos post passionem docuit recognoscimus: omnium peccata dimittens, omnium infirmitates auferens, & malarum voluptatum insidentium incentiva depellens, passione corporis sui, secundùm prophetarum dicta, infirmitates humanæ imbecillitatis absorbens.

℣. 16. Christus passione sua infirmitates nostras sanavit. ℣. 17.

8. *Videns autem Iesus turbas multas circum se, jussit discipulos suos ire trans fretum.* * *Et accedens ad eum quidam Scriba ait, Magister, sequar te quocumque ieris*, & reliqua. Multa incurrunt, quæ sensum communem movere possunt. [h] Atque non nos intelligentiam fingimus, sed gesta ipsa intelligentiam nobis impertiuntur. Neque enim res intelligentiæ, sed rei intelligentia subsecundat. Turbæ plures sunt, & ire trans fretum Dominus discipulis præcipit. Non existimo cadere in Salvatoris bonitatem, ut circumcursantes relinquere voluerit, & secretum quoddam [i] impertiendæ salutis eligere. Deinde consequitur Scriba, dicens magistrum se quocumque ierit secuturum: sed nihil à Scriba dictum factumve legitur, quod posset offendere. Dominus respondit, vulpibus esse foveas, & cæli volucribus nidos quiescendi, filio autem hominis, quò reclinet caput suum, locum esse nullum. Et discipulum postulasse, dari sibi tempus patris sepeliendi: hoc negatum, & pii atque humani officii vetitam religionem. Ergo rerum tantarum, & tam diversarum ratio promenda est: atque ita, ut secundùm continentem rerum ordinem, & gravissimas veritatis ipsius causas, interioris significantiæ intelligentia explicetur.

℣. 18. ℣. 19. Qua ratione hæc explicanda. ℣. 20. ℣. 21. ℣. 22.

[a] Vocabulum *verbi* abest à Bad. Er. Lips. & aliquot mss.
[b] Supplendum hìc *jubetur*. Tum particula *sed* apud Par. perperam expuncta est.
[c] Lips. & Par. *curatio populi*: pravè. Planiùs hæc ita diceres: Populi de monte descendentis curationi in leproso significatæ succedit salus gentium præfigurata in puero post paralysis sanitatem. Quamquam de nostro reposuimus *paralysis*, maximè cùm in ms. Tur. exstet *paralyticis*, ubi in editis & aliis scriptis habetur *paralytici*.
[d] Beccensis codex, *nam erat*: non sibi constat, dum proximè subjicit, *cùm crederet, quia esset Israelita.*
[e] Editi, *in Petri domum, id est, corpus.*
[f] Rom. ms. *apostolatu*. Hilarii mentem illustrat illud Innocentii epist. ad Victricium dicentis de Petro, *per quem & apostolatûs & episcopatûs in Christo cœpit exordium.*
[g] Mss. Carn. Colb. Vatic. & Rom. *ministeria . . . . operatus est.*
[h] Lips. & Par. *at non nos*, Bad. & Er. *ad quæ non nos*: refragantibus mss.
[i] Bad. & Er. *imperandæ salutis.*

Fidelium electionis typus.

9. Discipulorum nomen non in duodecim A tantùm Apostolis versari existimandum est. Nam præter Apostolos, plures fuisse discipulos legimus. Ex omni igitur turba quædam fieri [a] jubetur electio: eorum scilicet, qui Dominum per multa sæculi hujus pericula & jactationes essent secuturi. Ecclesia enim instar est navis,& plurimis locis ita nuncupata est:quæ diversissimi generis & gentis [b] vectore suscepto, subjecta est omnibus & ventorum flatibus & maris motibus. Atque ita illa & sæculi & immundorum B spirituum vexatur incursibus. Propositis enim periculorum omnium motibus, Christi navem, id est, Ecclesiam introimus: scientes nos mari ventoque jactandos. Ut igitur ordo typicæ significantiæ cohæreret, possetque intelligi fidelium portio conscendentium navem, & infidelium turba residentium; Scribæ & discipuli persona subjungitur.

Ecclesia navis.

Scriba doctor legis, infideles adumbrat.

10. Et quidem Scriba, qui est unus ex doctoribus legis, an sit secuturus interrogat. Quasi C verò lege non hunc esse Christum, quem sequi esset utile, contineretur. Igitur infidelitatis affectum sub diffidentia interrogationis expressit: quia fidei assumtio non interroganda est, sed sequenda. Ut autem eadem interrogatio infidelitatis esset punita judicio; Dominus respondit, vulpes habere foveas, & volucres cæli nidos quibus requiescant, hominis autem filium non habere ubi caput suum reclinet. [c] Vulpes est animal insidiosum, circa domorum se oc- D culens foveas, & domesticis avibus insidians: atque hoc nomine pseudoprophetas nuncupari aliquot locis legimus. Volucres autem cæli sæpe numero immundos spiritus cognominari didicimus. Dei ergo filius paucitatem sequentium contuens, & doctore legis diffidente an sequeretur ipsum, exprobrat pseudoprophetis esse foveas, & immundis spiritibus nidos quiescendi; quòd extra navem relicti, id est, extra Ecclesiam positi, effecti sint incolatus pseudo- E prophetarum, & habitatio dæmonum: filium autem hominis, se scilicet cui caput Deus sit, non reperire in quos collocata Dei cognitione requiescat: invitatis omnibus ut in navem, ita in Ecclesiam; paucis metu maris, id est sæculi, secuturis.

Vulpes, pseudoprophetæ.

Volucres cæli, dæmones.

Caput Christi Deus.

Omnes in Ecclesiam invitati.

11. Adest post hæc discipulus, non interrogans an sequatur, (jam enim sequi oportere se credidit,) sed permitti sibi orans sepelire patrem. Accepimus in dominicæ orationis exor- F dio, ita primùm precandum: Pater noster (Math. 6. 9.) qui es in cælis. Ergo quia credentis in discipulo populi persona est, admonetur ut meminerit quòd pater sibi [d] vivus in cælis est. Sequi autem Dominum jubetur, quia & volebat, ita ut mortui mortuum sepeliant. Sed nullum arbitror officium exspectari à mortuis posse. Quomodo ergo mortui mortuos humabunt? Primùm igitur ostendit, perfectam in se fidem nulla sæcularis in alterum officii religione esse devinctam: deinde inter fidelem filium patremque infidelem jus paterni nominis non relinqui. Non igitur obsequium humandi patris negavit: sed addendo, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, admonuit non admisceri memoriis sanctorum mortuos infideles: mortuos autem etiam eos esse, qui extra Deum vivant. Et idcirco mutua mortuis officia relinquenda, ut mortui sepeliantur à mortuis: quia per Dei fidem vivos vivo oporteat adhærere.

Patri infideli an jus in filium fidelem.

CAPUT VIII.

De discipulis in navi excitantibus Jesum, de duobus dæmoniacis in terra Gerasenorum, de paralytico curato & lectum auferente.

1. ET *adscendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli. Et ecce tempestas magna facta est in mari*, & reliqua. Navem (Math. 8. 23. &c.) discipulis introgressis tempestas oritur, mare commovetur, navigantes turbantur. Ipse verò somno [e] consopitus timentium metu excitatur, oratur ut opem afferat. Et increpitis iis quòd modicæ essent fidei, vento & mari tranquillitatem imperavit, [f] cum admiratione hominum præceptis ejus ventum & mare obedisse. Igitur secundùm hæc ecclesiæ, intra quas verbum Dei non vigilaverit, naufragæ sunt: non quòd Christus in somnum relaxetur, sed quòd somno nostro consopiatur in nobis. Maximè autem illud accidit, ut à Deo [g] præcipuè in periculi metu & vexatione speremus. Atque utinam vel spes sera confidat sese periculum posse evadere, Christi [h] intra se virtute vigilante. Perpetuam autem nobis objurgationis suæ recordationem reliquit, dicens, *Modicæ fidei, quid timidi estis?* (℣. 26.) metum scilicet motuum sæcularium, cum quibus [i] Christi fides vigilet, nullum esse oportere.

Christus quando & quanto periculo dormiat in nobis.

2. Consequitur deinde hominum admiratio dicentium, *Qualis hic homo est, quòd venti & mare obediunt ei?* (℣. 27.) Non discipulorum hic sermo, sed gentium est. Nam cùm superiùs & discipulos tantùm navem introisse, & à discipulis tantùm excitatum esse dixisset; nunc admiratos esse homines significat, [k] hominibus ho-

Discipuli cur jam homines, non discipuli dicantur.

[a] In vulgatis, *videtur*. At in mss. *jubetur*, quomodo & in sacro textu, *jussit discipulos suos ire trans fretum*.
[b] Hic ut infrà c. 21. n. 2. *vector* passivè sumitur.
[c] Mss. summo consensu, *vulpis*.
[d] Editi, *unus in cælis est*. Rectiùs mss. *vivus*, puta loco mortui: & hoc, *quia per Dei fidem vivos vivo oporteat adhærere*, ut infrà subjicitur.
[e] Carnutensis codex cum uno Colb. *compositus*.
[f] Illud, *cum admiratione hominum*, eamdem vim habet ac, mirantibus hominibus.
[g] Latinio conjectanti legendum esse *præsidium* non suffragantur mss.
[h] Vulgati, *intra nos servitute vigilante*: corriguntur auctoritate mss.
[i] Sex mss. *Christus vigilet*: non alio sensu, cùm *secundùm fidem nostram aut vigilantem aut dormientem*, & Deus & Christus in nobis vigilent & dormiant, ut exponitur in Psal. 120. n. 9. Rectiùs tamen in aliis libris exprimitur fidei vocabulum propter verba *modicæ fidei*.
[k] Vocem *hominibus* in vulgatis omissam revocamus ex mss. retinentes simul subsequentem, scil. *hominem*, quamvis in his desit.

minem in ipſa admiratione dicentibus. Qua A nominum converſione intelligitur, omnia opera Chriſti, omneſque ejus virtutes ut Dei eſſe laudandas: quia piaculi gentilis miſerrimique erroris ſtultitiam demonſtrat, quòd eum ex humilitate paſſionis hominem potiùs nuncupent, quàm ex virtutibus Deum.

℣. 28. 3. *Et cùm veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo homines dæmonia habentes de monumentis exeuntes, periculoſi nimis*, & reliqua. Duûm hominum occurſus, dæmonum B in duos homines longa poſſeſſio, & periculoſa tranſeuntibus via, & transfugiendi in porcos deprecatio, & purgatis hominibus gregis ipſius per præceps in mare caſus, dehinc paſtorum in oppidum fuga, populi de civitate progreſſus, & ne urbem Dominus adiret legatio, & reditus ejus in patriam, & illic paralytici in lecto jacentis oblatio, & [a] pro fidei merito in tempore ipſo peccatorum remiſſio, & murmur Scribarum, & virtutis confeſſio, & paralytici etiam C ſub onere lectuli in domum reditus, & hominum admiratio, hanc habent cauſam.

Dæmones è gentibus expulſi hæreticos obtinent.

4. In exordio generis humani in tres fuit humani generis diviſio, Noe ſcilicet filios, ex quibus ſecundùm prophetiam Geneſis, Sem in poſſeſſionem Dei delectus eſt. Extra urbem autem, id eſt, extra legis & prophetarum ſynagogam, duos homines in monumentis dæmones detinebant: duarum ſcilicet gentium origines intra defunctorum ſedes & mortuo- D rum reliquias obſederant, efficientes prætereuntibus viam vitæ præſentis infeſtam. Igitur ut eſſet in rebus gerendis futuri plena meditatio, venienti Domino duo homines occur-
℣. 29. runt: ut occurſu eorum, concurrentium ad ſalutem voluntas indicaretur. Sed in hominibus dæmones proclamant, cur ſedem invideat, cur ante judicii tempus infeſtet. Adjacebat etiam eis duobus gentium populis plebs [b] ex
℣. 31. Sem genere Sadducæorum, quorum hæreſis ex E Judæis negatæ reſurrectionis piaculum eſt. Videntes igitur dæmones, non ſibi jam locum in gentibus derelinqui, ut patiatur habitare ſe in hæreticis deprecantur: quibus occupatis, totus in mare impetu rapido per præceps grex coactus eſt: in cupiditatem ſcilicet [c] ſæcularem dæmonum præcipitantur inſtinctu, in aquis multis, id eſt, cum reliquarum gentium infidelitate morituri. Atque etiam in hoc typica ratio ſervata eſt, ut non ſatis eſſet dixiſſe præcipitatos in mare, niſi etiam adderetur,
Et mortui ſunt in aquis multis. Quorum principes ℣. 32.
atque paſtores rerum talium admiratione turba- ℣. 33.
ti ad urbem veniunt, & quæ geſta ſunt nuntiant. Urbs illa Judaici populi habet ſpeciem, [d] quæ Chriſti operibus auditis, Domino ſuo obviàm pergit, prohibens ne fines ſuos urbemque contingeret; neque enim Evangelia [e] lex recipit: à qua repudiatus, in civitatem ſuam reverti-
tur. [f] Deo civitas fidelium plebs eſt. In hanc Matth. 9.1.
igitur navi, id eſt [g] Eccleſiâ, vectus introiit.

Chriſtus à Judæis repudiatus abit ad gentes.

5. Jamque in paralytico gentium univerſitas offertur medenda. Sed & curationis ipſius verba ſunt contuenda. Non dicitur paralytico, Sanus eſto; non dicitur, Surge & ambula; ſed
dicitur, *Conſtans eſto fili, remiſſa ſunt tibi pecca-* ℣. 2.
ta tua. In Adam uno peccata univerſis gentibus remittuntur. Hic itaque Angelis miniſtrantibus curandus offertur, hic filius nuncupatur, [h] quia primum Dei opus eſt: huic remittuntur animæ peccata, & indulgentia primæ tranſgreſſionis ex venia eſt. Non enim paralyticum peccaſſe aliquid accepimus: cùm præſertim
alio in loco idem Dominus dixerit, cæcitatem Johan. 9.3.
à nativitate non ex peccato aut proprio aut paterno fuiſſe contractam.

Adam obtinuit veniam.

6. [i] Veritatis deinde ordo ſuccedit in geſtis, quamvis futuri ſpecies expleatur in dictis. Movet Scribas remiſſum ab homine peccatum: ho-
minem enim tantùm in Jeſu Chriſto contue- ℣. 3.
bantur. Et remiſſum eſt [k] ab eo, quod lex laxare non poterat; fides enim ſola juſtificat.
Deinde murmurationem eorum Dominus in- ℣. 4. & 5.
troſpicit, [l] dicitque facile eſſe filio hominis in terra peccata dimittere. Verùm enim nemo poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus: ergo qui remittit Deus eſt. Quia nemo remittit niſi Deus, Deus in homine manens curationem homini præſtabat: & nulla ei agendi & loquendi erat difficultas, cui ſubeſt totum poſſe quod loquitur.

Chriſtum eſſe Deum.

7. Porro autem ut ipſe [m] eſſe in corpore poſitus intelligi poſſet, qui & animis peccata dimitteret, & reſurrectionem corporibus præ-
ſtaret; ait, *Vt ſciatis quoniam filius hominis ha-* ℣. 6.
bet poteſtatem in terra dimittere peccata, ait paralytico, Surge, & tolle lectum tuum. Satis fuerat

[a] Abeſt *pro fidei merito* à tribus mſſ.

[b] In aliquot mſſ. *ex genere*, omiſſo vocabulo *Sem*, quod omnino cum aliis libris retinendum. Vult quippe Hilarius, gentium infidelitati proximam eſſe hæreſim, maximè quæ reſurrectionem negat, quæ populi Dei, ſeu generis Sem portionem corrupit. His porro explanat illud, *Erat autem non longè ab illis* (duobus dæmoniacis) *grex multorum porcorum*: ubi in porcis hæreticos intelligit hîc & infrà, ut & ſuperiùs cap. 6. n. 1.

[c] Editi, *ſæcularium*: refragantibus mſſ. cum quibus deinde malumus *præcipitantur .... morituri*, nimirum hæretici, quàm cum vulgatis *præcipitatur .... moriturus*.

[d] In vulgatis, *qui*. Meliùs in mſſ. *quæ*, ſcil. urbs. Unde & mox legitur *à qua*, non *à quo*.

[e] In pluribus mſſ. deſideratur *lex*; quo nomine ſuppreſſo, verbum *recipit* ad Judaicum populum referre liceret. Horum loco apud Bad. exſtat, *evangelica lex præcepit*: apud Er. *Evangelica lex præcipit*: apud Lipſ. *evangelicam legem percepit*.

[f] Editi, *Dei civitas*: non ſuffragantibus mſſ. quorum tres mox ſubjiciunt, *in hanc igitur ſedem navi* &c.

[g] Sic plures mſſ. ut etiam conjectabat Latinius. At editi, *id eſt Eccleſiam*. Hanc autem plurimis locis navim nuncupari ipſe Hilarius ſuperiori capite n. 9. obſervat.

[h] In vulgatis, *qui*. Rectiùs in potioribus mſſ. *quia*: qua particula redditur ratio cur Adam dicatur filius Dei, ad imitationem ſcilicet Lucæ 3. 38. ubi ait, *Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei*. Paulò antè Bad. Er. & Lipſ. cum aliquot mſſ. *Angelis miniſtrandus offertur*: malè. De Adæ ſalute videſis notam l pag. 372.

[i] In nonnullis mſſ. *veritati*: non placet. Veritati hîc ut ſæpe aliàs opponitur ſpecies futuri: ut *ordo veritatis* idem ſit quod rerum verè geſtarum ordo.

[k] In vulgatis, hîc omiſſo verbo ſubſtantivo *eſt*, non ſatis patet Hilarii ſententia.

[l] In mſſ. Rom. Vatic. Colb. & Carn. alius eſt ſubſequentium verborum ordo, puta, *dicitque, Nemo poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus: ergo qui remiſit, Deus eſt: facile eſſe* (Colb. *eſt*) *filio hominis in terra peccata dimittere. Verbum enim Dei in homine manens* &c.

[m] Apud Bad. *eſſet*. Eraſmus deinde verbum *eſſe* poſt *poſſet* tranſtulit, detortâ nonnihil Hilarii ſententiâ, qua vult à Chriſto declarari, eum ipſum in ſe jam cerni corporatum, cui convenit peccata dimittere.

Paralytici curatione quàm multa doceantur.

dixisse, *Surge*: sed quia omnis erat perficiendi operis ratio explicanda; adjecit, *Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Primùm remissionem tribuit peccati, dehinc virtutem resurrectionis ostendit, tum sublatione lectuli infirmitatem ac dolorem corporibus docuit *afuturum, postremò reditu in domum propriam iter in paradisum credentibus esse redhibendum, ex quo Adam parens universorum peccati labe dissolutus excesserat.

* al. absfuturum.

℣. 8. 8. *Videntes autem turbæ timuerunt.* Opus istud B admiratio potiùs consequi, non metus debuit; sed manet etiam nunc ordo mysterii; ut veritati præsentium, futurorum species [a] adjecta sit. Dictorum & factorum Domini virtutem turbæ timent. Magni enim timoris res est, non dimissis à Christo peccatis in mortem resolvi: quia nullus sit in domum æternam reditus, si cui indulta non fuerit venia delictorum. *Et honorificaverunt Deum, qui tantam dedit potestatem hominibus.* Conclusa sunt omnia suo ordine, & C cessante jam desperationis timore honor Deo redditur, quòd tantam dederit hominibus potestatem: sed soli hoc Christo erat debitum, soli de communione paternæ substantiæ hæc agere erat familiare. Non ergo hoc venit in admirationem, quòd posset ista; (quid enim non posse Deus credetur?) alioquin laus de uno homine, non de pluribus exstitisset: sed delati Deo honoris hinc causa est, quòd potestas hominibus [b] ac via data sit per verbum ejus, D & peccatorum remissionis, & corporum resurrectionis, & reversionis in cælum.

Veniâ omnes egent.

Ibidem.

Non miranda in Christo potestas dimittendi peccata.

CAPUT IX.

De Matthæo publicano, de Pharisæorum & discipulorum Johannis jejunio, de assuto panno rudi, de profluvio mulieris, de filia principis excitata à mortuis, de duobus cæcis, de surdo & muto.

Matth. 9. 9. 1. ET *cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in teloneo Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me*, & reliqua. Matthæum publicanum sedentem in teloneo sequi se jubet. Et concedens in domum convivium instruit, & cum eo publicanorum & peccatorum turba discumbit: Pharisæis discipulos objurgantibus, cur magistro cum publicanis cibus esset. Quibus respondet, Sanis medico opus non esse, sed curatione ægrotos indigere: eun- A tesque jubet discere quid sit, *Misericordiam* [c] *volo quàm sacrificium.*

Publicani. 2. Publicanorum nomen ex vita est, qui relictis legis operibus, gerere se usu communi & publico maluerunt. Ergo ex domo, id est, ex peccatis corporis, Matthæum Dominus evocavit, in cujus mentem ingressus recumbit. Hic enim idem Evangelii istius scriptor est, & de peccati sui domo exiens, Dominum *ipse suscepit, interiore ejus habitatione illumina- B tus, intra quem evangelicis cibis peccatoribus & publicanis convivium divite copia præparatur. Æmulatio deinde agitat Judæos, Dominum publicanis & peccatoribus communicare. Quibus ille operta infidelitatis velamine verba legis expromsit, se quidem ægrotis opem ferre & medicinam egentibus præstare; eis autem, qui se sanos existimarent, necessariam curationem nullam esse. Sed ut intelligerent, neminem suorum sanum esse; admonuit ut discerent C quid est, *Misericordiam volo, non sacrificium*: legem scilicet, sacrificiorum observatione devinctam, opem ferre non posse; sed salutem universis in misericordiæ indulgentia reservari. *Non enim veni justos vocare, sed peccatores in pænitentiam.* Omnibus venerat; quomodo ergo non se justis venisse dicit? Erant ergo quibus necesse non erat ut veniret? Sed nemo justus ex lege est. Ostendit ergo inanem justitiæ esse jactantiam: quia sacrificiis infirmibus ad salu- D tem, misericordia erat universis in lege positis necessaria. Nam si justitia fuisset ex lege, venia per gratiam necessaria non fuisset.

Matthæi vocatio.

* f. in se.

℣. 11.

Osee 6. 6.

Salus omnibus necessaria, nulli à lege præstatur.

℣. 13.

℣. 14. 3. *Tunc accesserunt ad eum Iohannis discipuli dicentes, Quare nos & Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant?* Jejunabant Pharisæi & discipuli Johannis, & Apostoli non jejunabant. Sed istis spiritaliter respondet, sponsumque se Johannis discipulis ostendit. Johannes enim repositam in Christo omnem E vitæ spem spopondit; & recipi à Domino discipuli ejus adhuc eo prædicante non poterant, Usque in eum enim lex & prophetæ sunt; &, nisi lege finita,. in fidem evangelicam eorum nemo concederet. Quòd verò præsente sponso jejunandi necessitatem discipulis non esse respondet; præsentiæ suæ gaudium, & sacramentum sancti cibi edocet, quo nemo se præsente, id est, in conspectu mentis Christum continens, [d] indigebit. Ablato autem se jejuna- F turos esse dicit: quia omnes non credentes resurrexisse Christum, habituri non essent cibum vitæ. [e] In fide enim resurrectionis sacramentum panis cælestis accipitur: & quisquis sine Christo est, [f] in vitæ cibi jejunio relinquetur.

Christus, sponsus.

Cibus vitæ, quo præsente nemo esurit.

℣. 15.

---

[a] Par. cum uno mss. Colb. *adtexta*. Concinniùs alii libri, *adjecta*, nimirum præter præsentium veritatem. Deinde in aliis etiam edit. post verba *dictorum & factorum* punctum figebatur; cùm num. 6. futuri speciem in dictis expleri dicat Hilarius, non in factis.

[b] In vulgatis, *hac via*. Magis placet cum quatuor mss. *ac via*, maximè cùm de reversione ad cælum mox sermo fit.

[c] Aliquot mss. cum vulgatis, *malle*.

[d] Sex mss. *indigebat*: quod non placet. Hæc quidem nihil videntur sonare aliud, nisi, quo sancto cibo nemo indigebit Christo præsente: sed ex subnexis liquet ea potiùs ita intelligenda: quo sancto cibo Christus efficitur præsens, eoque præsente nemo alio cibo indigebit.

[e] Tres mss. *in fidem*. Eucharistiam accipimus in fide resurrectionis, dum ejus perceptione credimus nos panem vivum, & vivi, non mortui, Christi corpus accipere. Accipimus & in fidem resurrectionis, dum non solùm panem vivum, sed & vivificantem in ea contineri profitemur, in qua immortalitatis semen nobis præstari nonnulli Patres non immeritò tradiderunt. Unde Athanasius epist. 4. ad Serap. T. 1. pag. 379. edit. Paris. an. 1627. Christum sic loquentem inducit: *Corpus meum, quod ostenditur & datur pro mundo, in cibum dabitur, ut spiritaliter unicuique tribuatur; & fiat singulis tutamen præservatioque ad resurrectionem vitæ æternæ.*

[f] Latinius è ms. Vatic. *in vita cibo jejunus*, Hilarii mentem clariùs ita expressisset, *à cibo vitæ jejunus*: hoc enim est, *relinquetur in jejunio cibi vita.*

Hunc cibum non percipit vetus homo. ℣. 16. & 17.

4. Ut autem intelligerent, non posse sibi in veteribus positis perfecta hæc salutis sacramenta committi, comparationis posuit exemplum. Pannum rudem vestimento veteri non adsui, quia vetustatis infirmitatem virtus [a] adsumenti rudis dissolvat: & vinum novum veteribus utribus non infundi; ferventis enim musti calor utres veteres abrumpit: infirmas videlicet vetustate peccatorum & animas & corpora, novæ gratiæ sacramenta non capere. Fiet enim scissura pejor, effusoque vino utres veteres peribunt. Duplex enim talium erit reatus, si præter vetustatem peccatorum suorum virtutem novæ gratiæ non sustinebunt: atque ideo & Pharisæos & discipulos Johannis nova non accepturos esse, nisi novi fierent.

℣. 18.

5. *Hæc illo loquente, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum, dicens, Domine filia mea modò defuncta est, veni & pone manum super eam,* &c.

Princeps filiæ vitam deprecans, legis typus.

Preces principis, fides mulieris, turbæ in domo conventus, & cæcorum duûm clamor, muti & surdi & dæmoniaci oblatio, ex superioribus dictis connexæ sibi intelligentiæ tenent ordinem. Princeps hic, lex esse intelligitur; quæ Dominum [b] orat pro plebe, quam ipsa Christo prædicatâ adventûs ejus exspectatione nutriverat, ut vitam mortuæ reddat. Nam nullum principem credidisse legimus: ex quo persona principis hujus orantis meritò in typum legis aptabitur. Cui quidem Dominus opem spopondit, ad quam præstandam profectus est.

Salutem Judæis paratam gentes præripiunt.

6. Sed prior cum Apostolis peccatorum turba salvatur. Et cùm primùm electionem, quæ ex lege destinabatur, vivere oportuisset; anterior tamen in mulieris specie salus publicanis & peccatoribus redditur.

℣. 21.

Hæc itaque ad Domini prætereuntis occursum tactu vestis Domini sanam se de profluvio sanguinis futuram esse confidit: sordibus scilicet polluta corporis sui, & interioris vitii immunditiis dissoluta, fimbriam vestis per fidem festinat attingere, donum videlicet [c] Spiritus-sancti, de Christi corpore modo fimbriæ exeuntis, cum Apostolis conversata contingere; fitque mox sana.

℣. 22.

Ita alteri salus, dum alii defertur, est reddita. Cujus fidem & constantiam Dominus mox laudavit: quia quod Israeli parabatur, plebs gentium occupavit.

Virtus Christi infinita.

7. Est autem in simplici intelligentia, magna virtutis dominicæ admiratio: cùm potestas intra corpus manens rebus caducis efficientiam adderet sanitatis, & usque in vestium fimbrias operatio divina procederet. Non enim divisibilis & comprehensibilis erat Deus, ut corpore clauderetur. Ipse enim dona in Spiritu dividit; ceterùm non dividitur in donis. Virtutem autem ejus fides ubicumque consequitur: quia ubique est, & nusquam abest. Et assumtio corporis non naturam Virtutis inclusit; sed ad redemtionem [d] suam, fragilitatem corporis Virtus assumsit: quæ tam infinita, tam libera est, ut etiam [e] in fimbriis ejus humanæ salutis operatio contineretur.

℣. 23. Judæi resurrectionem rident.

8. Ingreditur deinde Dominus domum principis, synagogam videlicet, cui in canticis legis hymnus luctuum personabat: & irridetur à plurimis. Numquam enim illi Deum in homine crediderunt; quin potiùs prædicari resurrectionem ex mortuis riserunt.

℣. 25. Pauci ex eis credituri.

Apprehensam igitur puellam manu, cujus apud se mors erat somnus, retraxit ad vitam. Atque ut rarus hinc esse ex lege credentium electionis numerus intelligi posset, turba omnis expulsa est: quam utique salvari Dominus optasset; sed irridendo dicta gestaque ejus, resurrectionis non fuit digna consortio.

℣. 26.

Et exeunte fama in universam terram illam, [f] post electionis salutem donum Christi atque opera prædicantur.

℣. 27.

9. Exeunte igitur Domino, mox cæci duo sequuntur. Sed cæci & egressum & nomen Domini quomodo scire potuerunt? Quin etiam & filium David nuncupant, & salvari se rogant. In cæcis duobus ratio totius superioris præfigurationis absolvitur. Ex his enim filia principis esse monstratur, [g] Pharisæi scilicet & discipuli Johannis, qui Dominum jam superiùs in commune tentaverant. His igitur nescientibus à quo salutem peterent, indicavit lex, & his salvatorem suum in corpore ex David genere monstravit, & cæcis vetere peccato, quia Christum nisi admoniti non videbant, lumen mentis inseruit.

Fides ad salutem præquisita.

Quibus Dominus, [h] ostendens non ex salute fidem, sed per fidem salutem exspectandam, (cæci enim quia crediderant viderunt, non quia viderant crediderunt: ex quo intelligendum est fide merendum esse quod petitur, non ex impetratis fidem esse sumendam,)

℣. 28.

si credidissent, visum pollicetur, & credentibus præstat, & silentium imperat: quia Apostolorum erat proprium prædicare.

℣. 30.

10. Quin etiam post hæc, in muto & surdo

℣. 32.

[a] Sic Bad. Er. & Lips. faventibus Par. & quatuor mss. in quibus *adsumti*. In aliis mss. *adsuti*.

[b] Editi, *orat plebs, quam ipsa Christi prædicatio adventus* &c. emendantur ex mss.

[c] *Spiritus-sancti* vocabulo Verbi divinitatem significari, liquidò patet ex subnexis. Quid enim hîc sibi vult *Spiritus-sancti donum modo fimbriæ exeuntis*, nisi quod infrà *operatio divina usque in vestium fimbrias procedens*, seu quod *potestas intra corpus manens rebus caducis efficientiam addens sanitatis*. Sed non minùs manifestum est *Virtutis* nomen mox ad eumdem significatum assumi. Divinitas autem Christi de corpore exiit, cùm se per opera divina manifestavit. Nec immeritò memoratur exisse, quæ corpore non claudebatur.

[d] Illud *suam* non ad virtutem, sed ad corpus refertur: corporis autem vocabulo hominum natura intelligitur. Hoc igitur sibi vult: hominum naturam infirmam ad eorum redemtionem assumsit.

[e] Apud Bad. Er. Lips. & in aliquot mss. desiderantur postrema hujus numeri verba: sed eorum loco plura ex numero subsequenti inserta sunt, ut mox dicemus.

[f] Editi excepto Par. *in electionis salutem*. Rectiùs alii libri, *post electionis salutem*, hoc est, post quàm sanata est electa portio Judæorum in filia principis adumbrata. Quippe hîc, ut paulò antè, & initio num. 6. *electionem* Hilarius nuncupat Judæos, quibus salus à Deo destinata est, ad imitationem scil. Pauli Rom. 11. 5. & 7. *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt . . . Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est:* & rursum ℣. 28. *Secundùm Evangelium quidem inimici propter vos, secundùm electionem autem carissimi propter patres.*

[g] Beccensis codex, Turonensi secundis curis cum eo consentiente, *Pharisæis scilicet & discipulis Johannis*. Nil videtur immutandum. Superiùs princeps filiæ pater, lex; filia, plebs legi subdita intellecta est; adeoque in filia principis Pharisæi & discipuli Johannis monstrantur ut legis filii, per se cæci, sed legis ministerio Christum discentes servatorem.

[h] Sex versus consequentes, scil. usque *si credidissent*, in antiquis editionibus & septem mss. hîc omissi, numeri 8. finem conficiebant. Longè meliùs hîc apud Par. & in quatuor mss. locum obtinent: nisi fortè ex margine in textum irrepsisse quis suspicetur.

a Gentes dæmoniaco designantur. & dæmoniaco, gentium plebs [a] indiga totius salutis offertur. Omnibus enim undique malis circumsessa, totius corporis vitiis implicabatur. Et in eo rerum ordo servatus est. Nam dæmon priùs ejicitur, & tum reliqua corporis officia succedunt.
b [b] Dei quippe cognitione superstitionum omnium vesaniâ effugatâ, & visus & auditus & sermo salutis invehitur. Cujus facti admirationem talis turbæ est consecuta con-
℣. 33. fessio, *Numquam sic apparuit in Israel:* eum, cui per legem nihil afferri opis potuerat, verbi virtute salvari; quódque laudes Dei homo mutus surdusque loqueretur. Salute autem gentibus datâ, civitates omnes & castella omnia virtute & ingressu Christi illuminantur, & omnem infirmitatem veterni languoris evadunt.

CAPUT X.

Ubi duodecim discipulos præmittit cum doctrina.

℣. 36. I. VIDENS *autem turbas, misertus est: quòd essent vexatæ & jacentes,* & reliqua. Verborum virtutes non minùs oportet introspicere, quàm rerum: quia, ut diximus, paria in dictis atque in factis significationum momenta consistunt. Turbarum Dominus miseretur vexatarum & jacentium, tam-
℣. 37. quam gregis sine pastore dispersi. Et ait, messem multam, paucos operarios, orandum Dominum messis, ut operarios plures in messem
Matth. 10. 1. ejiciat. *Et discipulis convocatis, dedit potestatem ejiciendorum spirituum immundorum, curandæque cunctæ infirmitatis, omnisque languoris.* Hæc igitur licèt in præsens gesta sint, quid tamen in futurum significent, contuendum est.

2. Nullus in turbas vexator irruperat, neque casu aliquo motuque perculsæ jacebant:
* al. miseretur. quomodo ergo jacentes vexatasque * miseratur? Immundi videlicet spiritûs dominante
Messis Spiritus-sancti munus. violentia vexatam, & sub legis onere ægrotam plebem Dominus miseratur: quia [c] nullus adhuc his pastor esset, custodiam sancti Spiritus redditurus. Erat autem doni istius copiosissimus fructus, sed nondum [d] messus à quoquam. Ejus enim copia haurientium [e] de se
Quàm abundet. multitudinem vincit. Nam quantumlibet assumatur à cunctis, ad largiendum se tamen semper exuberat. Et quia plures esse utile sit, per quos ministretur; rogari Dominum messis jubet, ut in messem operarios plures ejiciat: ad capessendum scilicet quod præparabatur donum Spiritus-sancti, messorum copiam Deus præstet: per orationem enim ac precem hoc nobis à Deo munus [f] effunditur. Atque ut in messem illam messores numerosos ex his duodecim primùm Apostolis diffundendos indicaret; convocatis illis dedit ejiciendorum spirituum potestatem, & omnis infirmitatis medendæ. Hujus enim doni [g] virtutibus, poterant & turbator expelli, & infirma curari. Et dignum est præceptorum singulorum significantiam contueri.

Per precem præstatur. f
Virtus ejus. g

3. Abstinere se à viis gentium admonentur: non quòd non etiam ad salutem gentium mitterentur, sed ut opere & vitâ gentilis ignorantiæ abstinerent. In civitates Samaritanorum vetiti sunt introire. Numquid non potiùs Samaritanam ipse curavit? Sed ut ecclesias hæreticorum non adeant admonentur. Nihil enim differt ab ignoratione perversitas. Mittuntur deinde ad oves perditas domûs Israel. Atquin in eum * luporum ac viperarum linguis & faucibus sævierunt. Sed [h] legislatio obtinere privilegium Evangelii debebat: hoc minùs Israel sceleris sui excusationem habiturus, quò plus sedulitatis in admonitione sensisset.

℣. 5. Præcepta Christi apostolicum munus spectantia.
Johan. 4.
℣. 6.
* scil. Christum. h

4. Tota deinde in Apostolos potestas virtutis dominicæ transfertur: [i] & qui in Adam in imaginem & similitudinem Dei erant figurati, nunc perfectam Christi imaginem & similitudinem sortiuntur, nihil à Domini sui virtutibus differentes; & qui terrestres antea erant, cælestes modò fiunt. Prædicent regnum cælorum propinquare, imaginem scilicet & similitudinem Dei nunc in consortium veritatis assumi; ut sancti omnes, qui cæli nuncupati sunt, Domino conregnent. [k] Infirmos curent, mortuos suscitent, leprosos emundent, dæmones ejiciant; quidquid malorum Adæ corpori satanæ instinctus intulerat, hoc rursum ipsi de communione dominicæ potestatis emundent. Et ut ex toto, secundùm Genesis prophetiam, Dei similitudinem consequantur, dare gratìs quod gratìs acceperunt jubentur: ut sit scilicet MINISTRATIO GRATUITA muneris gratuiti.

i Perfecta in Apostolis Christi imago.
℣. 7.
Cæli, sancti. k
℣. 8.
Gen. 1. 26.

5. Aurum, argentum, pecuniam possidere inhibentur in zonis, & peram in via ferre, & duas tunicas & calciamenta, & virgam in manibus assumere: & dignus mercede sua est operarius. Non invidiosus, ut arbitror, thesaurus in zona est: & quid sibi vult auri, argenti, atque æris in zona inhibita possessio? Zona est ministerii apparatus, & ad efficaciam operis præcinctio. Ergo ne quid in ministerio nostro venale sit admonemur: [l] neque hoc apostolatus

℣. 9. ℣. 10.
In apostolico ministerio nil venale.
l

[a] Par. *indigna*; mox etiam alii editi, *totis corporis vitiis*: corriguntur auctoritate mss.
[b] Editi, *Deus quippe cognitione*. Castigantur ex mss.
[c] In tribus mss. *nullam*.
[d] Sex mss. *nondum messis*. Ceteri cum Bad. & Er. *nondum missus*.
[e] Vocabula *de se* apud Lips. & Par. omissa, supplemus ex mss. Rom. & Colb. His verbis subsequenti vocabulo malè conjunctis pro *multitudinem*, apud Bad. & Er. *dissimilitudinem*, in pluribus mss *dissimulationem* conficiebatur.
[f] Bad. Er. & Lips. *effundetur*. Alii verò libri, *effunditur*. Hic locus rursum ad Confirmationis sacramentum potest referri. Vide infrà c. 19. n. 3. ubi Spiritus-sancti donum *per impositionem manûs & precationem* præstari declaratur. Tum eædem editiones cum Par. & mss. Colb. & Carn. *atque ut messem illam messoresque*: quibus subjiciunt duo prædicti mss. *ex his numero duodecim primùm Apostolos*. Ceteros sequimur.
[g] In duobus mss. *virtute poterant*. Deinde apud Latinium Vaticanus codex, *& turbata*: malè, cùm potestas in turbatorem diabolum data significetur.
[h] Turon. ms. à prima manu, *sed magis lectio*; à secunda, *sed legis lectio*, quod & habent alii quinque.
[i] Editi, *ut qui ..... sortiantur ..... fiant*: reluctantibus mss. Tum ante verbum *prædicent*, reticetur *jubentur ut*.
[k] Hîc denuo supple, *jubetur ut*. Malè autem in priùs vulgatis consequentia ad sanctos, quibus prædicatur regnum cælorum, referebantur; cùm de prædicatoribus Apostolis dicta sint.
[l] Plures mss. *neque in apostolatus*.

rei sæcularis incuria,

nostri opus fiat auri, argenti, ærisque possessio. A *Nec peram in via*, curam scilicet sæcularis substantiæ relinquendam: quia omnis thesaurus sit perniciosus in terra, corde nostro illic futuro, ubi condatur & thesaurus.

doctrina simplex.

Non duas tunicas. Sufficit enim nobis semel Christus indutus: neve, per pravitatem intelligentiæ nostræ, alterâ deinceps vel hæreseos vel legis veste induamur.

Discalceati Hilario ignoti.

Non calciamenta. Numquid humanorum pedum infirmitas patiens est nuditatis? Sed in sancta terra, & peccatorum spinis at- B que aculeis non obsessa, ut Moysi dictum est,

Exodi 3. 5.

nudis pedibus stari, admonemur non alium ingressus nostri habere, quàm quem à Christo accepimus, apparatum. *Neque virgam in manibus*, id est, potestatis extraneæ non [a] indigi quærere jura, habentes virgam de radice Jesse; nam quæcumque alia fuerit, non erit Christi.

a Virga in manibus, potestas extranea.

Instructi omni superiore sermone ad conficiendum iter sæculi, gratiâ, viatico, veste, calciamento, potestate; in his enim operantes, digni C mercede nostra reperiemur, id est, per horum observantiam cælestis spei præmia recepturi.

℣. 11.

6. *In quamcumque civitatem introieritis, interrogate quis in ea dignus est*, & reliqua. Levia fortè Dominus dedisse Apostolis præcepta existimabitur: quòd se usque ad monita introeundi, habitandi, morandi, exeundique summiserit. Hæc quidem intellecta simpliciter sanctorum modestiæ congruunt, ut cum digno sit hospitalitas, neve per incuriam aut ignoran- D tiam cohabitatione probrosæ familiæ polluantur. Sed introeuntes civitatem de digno jubet interrogare, & cum eo habitare usque ad profectionem: domum quoque ab introeuntibus pacificè salutari: quæ si digna est, & * pacis communione sit digna; si indigna, pax invicem revertatur: qui autem non receperint eos, sermonesque eorum; his excusso pedum pulvere, æternæ maledictionis semina relinquenda.

℣. 13. & 14.
*etiam pacis.

E

7. Hæc non mediocriter sensum intelligentiæ commovent. Si enim successuri hospitio non erunt, nisi antè quis dignus sit interrogaverint; quomodo indigna domus postea repe-

b

rietur? Et quomodo [b] sermones eorum non audiet, & ipsos non audiens, & ipsos non recipiens? Aut enim hoc in eo qui justus est non est verendum: aut si indignus repertus sit, nec communio erit habitationis ineunda. Et quid interrogasse proderit & quæsisse de digno, si F adversùs indignum hospitem & observantia præcipiatur & pœna? Sed instruit eos Dominus, non admisceri eorum domibus ac familiaritatibus, qui Christum aut insectantur, aut nesciunt: & in quacumque civitate interrogare quis eorum habitatione sit dignus, id est, sicubi Ecclesia sit, & Christus habitator: neque quóquam alibi transire, quia sit domus digna, & justus hospes.

Domus digna, Ecclesia; dignus hospes, cujus Christus habitator.

8. Quòd autem ab introeuntibus salutari G domum voce præcepit, dicens, *Dicite, Pax huic domui*: & si digna domus reperta sit, venire super eam pacem oportere; si verò indigna, pacem ad ipsos reverti: sed si jam primo ingressu in salutationis officio dicta pax est; quomodo postea veniet; aut quomodo postea revertetur? Aut enim dici pax antè non debuit, quàm utrùm digna esset probaretur: aut si digna fuit & salutata cum pace est; conditio & venturæ & reversuræ pacis non potest ex ratione superioribus cohærere. Quæ ergo dictorum sit proprietas monstranda est.

℣. 12. Qui pax dicta reverti queat.

9. Judæorum plures erant futuri, quorum tantus in favorem legis affectus esset, ut quamvis per admirationem operum in Christum credidissent, tamen in legis operibus morarentur: alii verò [c] explorandæ libertatis quæ in Christo est curiosi, transisse se ad Evangelia ex lege essent simulaturi: multi autem etiam in hæresim per intelligentiæ perversitatem traducerentur. Et quia istiusmodi omnes fallentes, & audientibus blandientes, penes se esse veritatem catholicam mentiuntur; ideo superiùs admonuit, dignum cum quo habitandum sit esse quærendum: quia verò per verborum fallaciam incidere ignorantes in istiusmodi hospitem possent; domo ipsa quæ digna sit dicta, id est, Ecclesiâ quæ catholica dicitur, cautè & diligenter utendum; salutandam quidem cum pacis affectu, sed ita ut potiùs pax dicta, quàm data sit. Nam ita præcepit: *Salutate eam, dicentes, Pax huic domui.* Ergo pax salutationis in verbis est & orationis sermone tribuenda. Porro autem pacem propriam, quæ viscera miserationis sunt, non oportere in eam venire nisi digna sit: quæ si digna reperta non fuerit, sacramentum pacis cælestis intra propriam eorum conscientiam continendum.

Judæorum fidem profitentium varia fallacia.

c

Pax indignis optata, non data.

10. In eos autem, qui auditâ cælestis regni prædicatione Apostolorum præcepta respuerint, egressu eorum, & signo pulveris de pedibus excussi, æterna maledictio relinquatur. Nescio enim quæ [d] insistenti in loco cum eo in quo institerit loco videtur esse communio, & sit inter eos quædam corporis solique conjunctio. Ergo omne domûs illius habitationisque peccatum intra ipsam excusso pulvere pedum relinquitur, nihilque sanctitatis de insistentium Apostolorum vestigiis mutuatur: ut quorum aditu ingressuque delicta terrenæ originis auferuntur, eorum testimonio infidelitas cum omni terræ suæ pulvere judicetur. *Tolerabilius in die judicii terræ Sodomorum & Gomorrhæorum erit, quàm civitati isti*: quia illis ignorato Christo errasse sit levius, his verò inexpiabile sit, aut prædicatum non recepisse, aut receptum non sanctè neque catholicè prædicasse.

Habitationis communio. ℣. 14.

d

℣. 15.

11. Et quidem plures hos, qui vesano furore in Apostolos desævituri essent, futuros esse significat, cùm se eos sicut oves in medio luporum ait mittere, prædicans simplices sicut ℣. 16.

[a] Apud Par. expunctum est vocabulum *indigi*. Aliæ autem editiones præferentes *potestatis externæ jure non indigi*, omittunt deinde verbum *quærere*. Sequimur mss. in quorum nonnullis habetur *externæ*, loco *extraneæ*.

[b] In tribus mss. *sermones eorum non audiens, & ipsos non recipiens.*

[c] Rom. ms. *exprobrandæ.* Apertum est expressam esse hanc sententiam ex dictis Pauli 2. Gal. 4 *propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram.*

[d] Par. cum ms. Colb. *insistentis loco*: eodem sensu.

Serpentis prudentia quatenus imitanda secundùm quosdam.

columbas, & prudentes sicut serpentes esse A oportere. Sed columbæ simplicitas in absoluto est: quæ autem sit serpentis prudentia, contuendum est. Nescio quid in illo prudentiæ consiliique exstet, licèt quædam hinc aliqui memoriæ [a] mandaverint, quòd ubi se in manus hominum venisse intelligat, omni genere ab ictu caput subtrahat, idque aut collecto in orbem corpore contegat, aut foveæ immergat, cædique partem reliquam derelinquat: nosque hoc exemplo oportere, si quid accide- B rit persecutionum, caput nostrum, quod est Christus, occulere; ut oblatis nobis in omnes cruciatus, fidem ab eo acceptam jacturâ corporis communiamus.

12. Sed omnis hic Domini de Judæis atque
℣. 21. hæreticis sermo est: *Tradet frater fratrem, & pater filium, & insurgent filii in parentes:* id est, familiam inter se [b] ejusdem modi dissidere: quia de parentum cognationumque [c] nominibus, populi quondam unitas indicatur nunc C
℣. 18. hostili invicem odio diversi. judicibus etiam & regibus terræ offerendos, dum extorquere aut silentium nostrum, aut conniventiam tentant. [d] Testes enim ipsis & gentibus futuri: quo testimonio excusatio ignoratæ divinitatis adimenda sit persequentibus; gentibus verò via pandenda credendi Christum, pertinacibus inter sævientium pœnas confessorum vocibus prædicatum. Instructos igitur nos serpentis prudentiâ monet esse oportere.

Serpens uti prædicatoribus imitandus. Gen. 3. 1.

13. Hunc ante quàm Adam traduceret, jam sapientem Genesis nuncupavit: & prudentiam ejus malignantis consilii ordine docuit. Primùm enim animum sexus mollioris aggressus est, spe deinde illexit, & communionem immortalitatis spopondit: & per hæc tanta præmia, opus consilii & voluntatis suæ gessit. Pari igitur opportunitate, introspectâ uniuscujusque & naturâ & voluntate, verborum adhibenda prudentia est. Spes bonorum futurorum revelanda, & [e] sic cælestia perfectæ fidei præmia proferenda: ut quod ille mentitus est, nos prædicemus ex vero, secundùm sponsionem Dei Angelis similes futuros esse qui crederent: ut mentes plebium faciles & absolutas, circumsævientibus licèt & lupis & hæreticis, promissis regnorum cælestium occupemus, & rerum fidem serpentis prudentiâ, columbæ simplicitate tradamus.

℣. 19. 14. Monet etiam traditis abesse oportere F curam responsionis, sed exspectandum potiùs quid Spiritus Dei suggerat; quia fides nostra omnibus præceptis divinæ voluntatis intenta, [f] ad responsionis scientiam instruetur: in exemplo habentes Abraham, cui postulato ad hostiam Isaac non defuit aries ad victimam. Ex una deinde in duas urbes fugam suadet: quia prædicatio ejus primùm à Judæa effugata transit ad Græciam, dehinc diversis intra Græciæ urbes Apostolorum passionibus [g] fatigata, tertiò in universis gentibus demoratur. Sed ut ostenderet, gentes quidem Apostolorum prædicationi crédituras, verùm ut [h] reliquum Israel crederet, esse adventui suo debitum; ait, *Non consummabitis civitates Israel, donec veniat filius hominis:* post plenitudinem scilicet gentium, quod erit reliquum Israel, ad implendum numerum sanctorum, futuro claritatis suæ adventu [i] in Ecclesia collocandum.

Gen. 22. 13. ℣. 23. Gentes, quando credituræ, quando Judæi. Ibidem.

15. *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum.* Multùm proficit ad tolerantiæ assumtionem rerum imminentium [k] cognitio, maximè si patientiæ voluntas præsumatur exemplo. Dominus noster, lumen æternum, & dux credentium, & immortalitatis parens, discipulis suis futurarum passionum solatia antè præmisit: ne se quis discipulus magistro potiorem, aut super dominum esse servus existimaret. Si enim patri-familiâs cognomentum, per invidiam, dæmonis addidérunt; quanto magis in domesticos ejus omnia injuriarum & contumeliarum genera perficient? Sed ea nihil nos terreant, gloriæ loco potiùs amplectentes, si Domino nostro vel passionum conditionibus adæquemur.

℣. 24. Passionum est solatium, quòd per eas Domino assimilamur. ℣. 25.

16. *Nihil est occultum, quod non revelabitur.* Diem scilicet judicii ostendit, quæ abstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodet: & ea quæ nunc occulta existimamus, luce cognitionis publicæ deteget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet esse metuendas: quia dies judicii nulla hæc fuisse atque inania revelabit.

℣. 26. Judicii die occulta prodentur.

17. *Et quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Non legimus Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, & doctrinam in tenebris tradidisse. Sed quia omnis sermo ejus carnalibus tenebræ sunt, & verbum ejus infidelibus nox est; [l] & cuique quod à se dictum est,

℣. 27. Dei cognitio constanter ingerenda.

[a] Ea ipsa de serpente memoriæ prodiderunt post Theophilum Antioch. Tom. 2. Bibl. Patrum edit. Colon. Chrysostomus hom. 34. Hieronymus in hunc locum, Ambrosius lib. 3. de fide n. 131. Augustinus quæst. XVII. in Matth. 8. & alii.

[b] Editi excepto Par. ac plures mss. *ejusdem domus:* quamdam veritatis speciem præ se ferunt, neque anteponendum esset cum mss. Colb. & Carn. *ejusdem modi*, (ubi apud Par. *ejusmodi*,) nisi Hilarius hîc sensum spiritalem sectaretur.

[c] Malè & absque auctoritate in postrema editione Par. *hominibus.* Tum in sex mss. *populi quadam unitas.* Exinde in vulgatis, *indicatur. Nunc hostili invicem odio, diversisque judicibus, etiam & regibus:* lectio mendosa, & perturbata interpunctio. Castigatior ac distinctior exprimitur ex mss. Horum enim sensus est: exemplo familiæ primùm cognatione conjunctæ, pòst odiis divisæ, indicatur populus, qui quondam unitus, nunc hostili odio diversus sit.

[d] Sic mss. potiores. At editi, *testes & ipsis.* Verbum *sunt* reticetur post *futuri*, sicut & antea *monet* vel *sermo est*, post *offerendos.*

[e] Particulam *sic* adjecimus auctoritate mss. Rom. Colb. & Carn. qui mox loco verbi *proferenda*, habent *promerenda.*

[f] Editi, *ad responsionem scientiæ.* Præferimus cum tribus prædictis mss. *ad responsionis scientiam*, hoc est, ut sciat quid sibi respondendum sit. Deinde sex mss. auctoritate liceret reponere *in exemplo habens*, pro *habentes*, quod cum sincerioribus retinere malumus.

[g] Lipsius ac post eum Par. *fugata:* contra fidem veterum librorum. Hîc porro ponitur nomen abstractum pro concreto, *prædicatio* loco vocabuli *prædicatores*, quibus & pati & fatigari convenit.

[h] Ms. Carn. cum Colb. *reliquus Israel:* mox autem, *quod erit relictum Israel.*

[i] Editi, *in Ecclesiam convocandum.* Aliquot mss. *in Ecclesia convocandum.* Veriùs Rom. Vat. Colb. & Carn. *in Ecclesia collocandum* vel *conlocandum.* Convocari quippe etiam ad infideles pertinet: at collocari in Christi corpore quod est Ecclesia, non convenit nisi fidelibus. Sic cap. 7. num. 11. legere est omnes in Ecclesiam invitari, paucos intrare.

[k] In sex mss. *continuatio, maximè si sapientiæ.* Tum in tribus, *voluptas.*

[l] Editi, *Itaque id quod à se dictum est, cum libertate fidei vult esse loquendum:* castigantur ex mss.

cum

cum libertate fidei & confessionis est loquen- A
dum : idcirco quæ in tenebris dicta sunt, præ-
dicari jussit *in lumine* , & quæ secreto aurium
a commissa sunt, *super tecta* , id est, [a] excelsa,
ut loquentium præconio audiantur. Constan-
ter enim Dei ingerenda cognitio est , & pro-
℣. 28. fundum doctrinæ evangelicæ secretum lumine
b prædicationis apostolicæ revelandum : non ti-
mentes eos , quibus cùm sit licentia [b] in cor-
pora, tamen in animam jus nullum est ; sed ti-
mentes potiùs Deum , cui perdendæ in ge- B
℣. 29. henna & animæ & corporis sit potestas.

18. *Nonne duo passeres asse veneunt ; & unus ex illis non cadit in terram sine voluntate patris vestri?* Non est, ut puto , criminis agere aucupium ; neque venditio passerum habet culpam. Et quod ait , *Vnus ex illis non cadit super terram sine*
1. Cor. 9. 9. *voluntate patris vestri* , contra apostolicum dictum facere videtur quod ait , Non est pecudum Deo cura. Et auctoritati ejus multùm derogabitur , si sensisse aliter , quàm in Evan- C geliis traditum est, reperietur. Nec enim Apostolis multum dignitatis tribuitur , si passeribus antè stabunt. Locus hic ex sensu superiore proficiscitur. Iniquitates enim eorum exaggerantur, qui tradituri sunt, qui insectaturi, qui in fugam coacturi , quibus propter nomen Domini esse odio nos oportet , qui omne jus suum in solis corporibus exerceant , potestatem in animam non habentes. Hi igitur passeres

Passeres duo asse, corpus & anima peccato vendita.

c [c] duos asse veneunt. Et quidem quæ sub pec- D cato vendita sunt, redemit ex lege Christus : ergo quod venditur, corpus atque anima est ; & cui venditur , peccatum est : quia Christus
d & de peccato redemit , & animæ ac corporis est redemtor. [d] Qui igitur duos passeres asse veneunt , se ipsos peccato minimo veneunt , natos ad volandum , & ad cælum pennis spiritalibus efferendos. Sed capti pretiis præsen-
e tium voluptatum , & ad luxum sæculi venales , totos se talibus [e] actionibus nundinantur. E

19. Sed quærendum est , quomodo unum ex illis [f] est, quod sine voluntate Dei non cadet. f
Dei [g] voluntas est , ut unum ex illis magis evo- g
let , sed lex ex constitutione Dei profecta decernit unum ex eis potiùs decidere. Quemadmodum autem si evolarent , unum essent , id est, corpus in naturam animæ transisset , & gravitas illa terrenæ materiæ in profectum & substantiam animæ [h] aboleretur , fieretque cor- h
pus potiùs spiritale : ita peccatorum pretio venditis , in naturam corporum animæ subti- B litas ingravescit, & terrenam contrahit ex vitiorum sorde materiem , fitque unum ex illis quod [i] tradatur in terram. Plurimis autem eos i
antè stare passeribus cùm dicit , ostendit multitudini infidelium electionem fidelium præesse: quia his casus in terram sit , illis volatus in cælum.

Corpus & anima nata ut sint unum in cælis, quî cadant unum in terram.

20. In numerum autem aliquid colligi , diligentiæ ac sollicitudinis cura est : neque enim dignum negotium est , peritura numerare. Ut C igitur nihil ex nobis periturum esse cognosceremus , quia multò passeribus meliores simus ; ℣. 30. & 31.
ipso capillorum nostrorum supputatorum numero indicatur , salvis nobis ex solido futuris : cùm quod innumerabile in nobis sit , [k] con- k
servandi & affectu & potestate numeretur. Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus , neque ullus interimendæ carnis admittendus est dolor : quando pro naturæ suæ atque originis conditione resoluta , in D substantiam spiritalis animæ refundatur.

Vitæ melioris spe timor mortis aufertur.

21. Et quia doctrinis talibus confirmatos , oportet liberam confitendi Dei habere constantiam ; etiam conditionem qua teneremur adjecit, negaturum se eum Patri in cælis , qui ℣. 32.
se hominibus in terra negasset : eum porro , qui confessus coram hominibus se fuisset , à se in cælis confitendum ; qualesque nos nominis sui testes hominibus fuissemus , tali nos apud Deum patrem testimonio ejus usuros.

E 22. *Nolite arbitrari quoniam veni pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere , sed gla-* ℣. 34.

[a] Bad. & Er. *excelsum loquenda ut præconio* &c. Lips. & Par. cum ms. Turon. *excelso loquentium.* Quatuor alii , *in excelso loquentium.* Carnut. Vatic. & Colb. sequimur.

[b] Colbertinus codex cum Rom. *in corpore , tamen in anima ejus nulla est.*

[c] Ita omnes mss. Quocirca pronomen *hi* ad persecutores referatur necesse est. Verbum autem *veneunt* activè Hilario usitatum fuisse liquidò constat ex subsequentibus ; quod non advertentes qui priores editiones procurarunt , hîc posuere *passeres duo* , & inferiùs multa sibi permisere.

[d] Er. *quid igitur duo passeres* &c. Bad. *qui igitur duo passeres esse veneunt.* Habet etiam Par. *esse* pro *asse.* Lipsius verò pro *veneunt* , posuit *vendunt* ; quod verbum etiam aliæ editiones mox habent : reluctantibus mss.

[e] Sic mss. quibus favet illud lit. 14. Psal. 118. n. 18. *In cælestem scientiam homo eruditus es : quid tibi cum terrenis operibus & gestis est? Avis effectus es* &c. ubi pulcre ostenditur , homines ad superna natos , meritò insidias in terrenis pati. Editi verò hîc , *auctionibus nundinantur.*

[f] Lipsius , expuncto verbo *est* cum subsequente relativo *quod* , proximè antea & pòst reposuit *unus ex illis* , repugnantibus mss. quasi verò *unum* ad passeres referretur , non ad corporis & animæ unitatem. Solet quippe Hilarius prædicare animam & corpus , quæ modò duo sunt , quia neutrum alteri plenè perfectéque subjectum est , post resurrectionem unum fore vel in gloria vel in pœna : aut enim corpus animam secuturum , ut cum illa spiritalis subtilitatis consors in cælum evolet ; aut à corpore animam ad se trahendam , ut secum in terram seu terrenam gravitatem cadat. Hanc igitur ex corpore & anima unitatem vocabulis *unum ex illis* intelligit.

[g] Mss. Rom. Vat. Colb. & Carn. *Dei voluntas unum ex illis magis volet : sed ex constitutione Dei propheta decernit unum ex illis potiùs decedere :* corruptè. Hoc enim sibi vult Hilarius , Deum , quantum in se est absque ullo ad nos respectu, velle ut corpus in naturam animæ assurgat , sed dictante æquitatis lege propter peccata nostra decernere ut anima in terrenam corporis naturam decidat. Hanc generalem Dei voluntatem , qua vult omnes salvos fieri , alibi etiam Hilarius asserit , ut cùm in Psal. 134. n. 24. ait , *Voluisset enim populum suum , quem in patribus eorum Abraham & Isaac & Jacob elegerat , non judicari :* aut suprà cap. 9. n. 8. *Turba omnis expulsa est , quam utique salvari Dominus optasset ; sed irridendo dicta gestaque ejus , resurrectionis non fuit digna consortio.* Idipsum fusè explicatur in Ps. 2. n. 16. 17. & 18. ubi præterea declaratur, secundariam illam Dei legem ac voluntatem nihil esse aliud nisi pœnam iis qui iniquè agerent constitutam ; quia nimirum *iis , quibus ex voluntate libertatis malitia magis placuit , ultio constituta* est.

[h] In ms. Rom. *avolaret :* lectio non spernenda. Neque verò putandus est Hilarius corporeæ materiæ abolitionem asserere , cùm velit dumtaxat terrenam gravitatem aliasque hujusmodi qualitates, quæ corporibus inesse natæ , animabus graves ac molestæ sunt , post resurrectionem abfuturas : *ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio non interitu naturam perimat , sed qualitatis conditione demutet. Non enim aliud corpus , quamvis in aliud resurget* , quemadmodum ipse loquitur in Ps. 2. n. 41. Plura videsis pag. 257. not. b. Superiores autem sententias , *corpus in naturam animæ transire* , vel *in substantiam animæ aboleri* , aliâ quàm solemus ratione intelligendas esse vel ex eo liquet , quod mox subjicitur , peccatorum *animam in naturam corporum ingravescere :* ut interim mittamus quod infrà legere est num. 24. baptismo nobis præstari , *ut corpus ipsum in naturam animæ , quæ ex afflatu Dei venit , evadat.*

[i] Editi , *trudatur :* nullo è nostris mss. suffragante.

[k] Colbertinus codex cum Carnutensi , *conservandum.*

℣. 35. dium. * *Veni enim separare filium adversùs patrem, & filiam adversùs matrem, & nurum adversùs socrum suam*, ℣. 36. * *& inimici hominis domestici ejus.* Quæ ista divisio est? Inter prima enim Exod. 20. 12. legis præcepta accepimus, Honora patrem tuum & matrem tuam. Et ipse Dominus ait, Johan. 14. 27. Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Quid sibi vult missus potiùs gladius in terram, & separatus à patre filius, & filia à matre, & nurus adversùs socrum, & hominis domestici ejus inimici? Igitur [a] exinde publica B auctoritas impietati proferetur. Ubique odia, ubique bella, & gladius Domini inter patrem & filium, & inter filiam matremque desæviens. Et in Luca quidem talis de hoc sermo est: Luc. 12. 52. Erunt enim ex hoc quinque in una domo divisi, [b] tres in duos, & duo super tres dividentur. Numquid non in majorem numerum potest agnationis domesticæ familia diffundi? Aut præscripto temporis continebatur, ut ex hoc essent quinque tantùm in domo una, iidemque divisi? Ergo qui sit gladius in terra, C quæ proprietas nominum, & in numero quinque quæ ratio, & quomodo tres in duos, & duo super tres dividendi, & quatenus homini domestici ejus inimici, contuendum est.

Quæstiones variæ proponuntur.

23. Et singularum quidem rerum, & universæ quæstionis primùm natura est explicanda: nec minùs intelligentiam nostram sensus & superior & consequens adjuvabit. Gladius telorum omnium telum acutissimum est, in D quo sit jus potestatis, & judicii severitas, & animadversio peccatorum. Et hujus quidem teli nomine novi Evangelii prædicationem appellatam, frequens in prophetis auctoritas est. Dei igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio: qui gladius missus in terram est, id est, prædicatio ejus hominum [c] corporibus infusa. Hic igitur quinque habitantes in una domo dividit, & dividit tres in duos, & duos super tres. Sed tria tantùm in homine reperimus, E id est, & corpus & animam & voluntatem. Nam ut corpori anima data est, ita & potestas utrique utendi se ut vellet indulta est: atque ob id lex est [d] proposita voluntati. Sed hoc in illis deprehenditur, qui primi à Deo figurati sunt, in quibus cœptæ originis ortus effectus

Gladii natura.

Dei verbum significat.

In Adam ante peccatum tria, in posteris quinque.

A est, non traductus aliunde. Sed ex peccato atque infidelitate primi parentis, sequentibus generationibus cœpit esse corporis nostri pater peccatum, mater animæ infidelitas; ab his enim [e] ortum per transgressionem primi parentis accepimus. Nam voluntas unicuique sua adjacet. Ergo jam unius domûs quinque sunt: pater corporis peccatum, mater animæ infidelitas, & [f] accedens voluntatis arbitrium, quod totum hominem quodam conjugii sibi jure di- B stringit. Huic infidelitas socrus est, [g] quæ nos ex ea natos, atque à fide metuque Dei peregrinantes accipiens, ut inter infidelitatem [h] voluptatemque possessos, & in ignoratione Dei & in omnium vitiorum oblectatione detineat.

24. Cùm ergo innovamur baptismi lavacro per [i] verbi virtutem, ab originis nostræ peccatis atque auctoribus separamur; recisique quadam exsectione gladii Dei, à patris & matris affectionibus dissidemus: & veterem cum peccatis C atque infidelitate sua hominem exuentes, & per Spiritum animâ & corpore innovati, necesse est ut ingeniti & vetusti operis consuetudinem oderimus. Et quia corpus ipsum per fidem mortificatum, in naturam animæ, quæ ex afflatu Dei venit, (quamvis id ipsum adhuc in materia sua exstet) evadat; quia communio ipsis invicem concilietur ex verbo: idcirco jam unum atque idem cum anima velle cœpit effici, scilicet ut illa est spiritalis, quibus [k] libertas voluntatis à D socru sua, id est, ab infidelitate divisa, jus suum omne concedit: ut quod erat libertas voluntatis, deinceps animæ sit potestas. Fitque gravis in domo una dissensio, & domestica novo homini erunt inimica: quia ille per verbum Dei divisus ab illis, manere & interior & exterior *, id est, & corpus & anima, in spiritûs novitate gaudebit: ea verò, quæ [l] ingenita & à quadam prosapiæ antiquitate deducta, consistere in his quibus oblectata sunt concupiscent. E Et origo carnis & origo animæ & libertas potestatis in duos dividentur, animam scilicet & corpus hominis novi, [m] quæ unum atque idem velle cœperunt: divisique tres duobus subjacebunt, in dominatum eorum de Spiritûs novitate potioribus. Et idcirco illi, qui domesticas nominum [n] caritates dilectioni ejus prætulerint,

Regenerationis effectus.

Concupiscentiæ in regeneratis.

* subaud. homo.

[a] In tribus mss. *extendendæ publicæ impietati auctoritas proferetur.*

[b] Omnes mss. constanter, *tres in duo*: tum ex iis sex etiam constanter habent, *& duo per tres*. Particulæ *in* & *super* græcè eodem vocabulo ἐπὶ exprimuntur.

[c] Ita mss. uno Colb. excepto interpolationis suspecto, ubi habet, *corporibus vel in cordibus infusa*. At Par. *cordibus infusa. Hoc igitur.* Aliæ verò editiones, *prædicationem ejus hominum cordibus infusam. Hoc igitur.* Hæc porro verba respondent illis, *qui in terram missus est*. At verò Hilarius ubi *terram* in Scripturis reperit, eo nomine corpus quod de terra sumtum est solet intelligere, ut patet ex cap. 4. n. 3. & ex Tract. Psal. 118. lit. 3. n. 7. & 8. lit. 11. n. 9. lit. 12. n. 7. ac pluribus aliis locis. At terram nusquam cor interpretatur.

[d] In vulgatis, *præposita*. Magis placet cum aliquot mss. *proposita*. Ad hoc autem lex proposita est, quia *qui nos per benevolentiam utendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id per meritum vitæ innocentis honestæque constituit*, ut habetur in Psal. 2. num. 16.

[e] Bad. Er. & quatuor mss. *mortem*. Rectiùs alii libri, *ortum*, à peccato scil. & infidelitate. Deinde *nam voluntas* perinde est ac *præterea voluntas*.

[f] Editi, *incidens*. Aliquot mss. *incedens*. Potiores, *accedens*. Accedit autem voluntas, ut cum peccato, infidelitate, corpore & anima fiant quinque.

[g] In vulgatis, omisso relativo *quæ*, corrumpitur Hilarii sententia, qua vult nos ex infidelitate natos à voluntatis libertate in quoddam conjugium accipi, sicque voluntati socrum esse infidelitatem.

[h] Quinque mss. *voluntatemque*: malè. Eidem fere rei subjacent antea *peccatum*, pòst *oblectatio vitiorum*, hîc *voluptas*.

[i] Apud Bad. Er. Lips. & in aliquot mss. desideratur *verbi* vocabulum: quod cum Par. & melioribus mss. retinendum esse liquet ex proxima comparatione gladii. Mox sola editio Par. *sicque*, pro *recisique*.

[k] id est, animæ & corpori verbo jam conciliatis.

[l] In quatuor mss. *inita*. Non displiceret *insita*. Hîc verò *ingenita*, (quomodo suprà *ingeniti*) idem est quod *innata*: quo nomine infidelitas & peccatum seu voluptas indicantur.

[m] Colbertinus codex: *quia unum*: faventibus aliquibus aliis, in quibus exstat *quæ unum*. Anima, corpus & voluntas jam ad duos reducuntur, cùm animæ suum jus cessit voluntas. Tum verò infidelitas, peccatum, & voluntas à corpore & anima dividuntur, eisque subjacent, cùm per virtutem Spiritûs anima & corpus eis imperant ac dominantur.

[n] hoc est, amorem patris, matris, conjugis, uti jam observatum cap. 4. n. 19. ubi, sicut & in Psal. 118. lit. 15. n. 3. ad litteram intellecta sunt, quæ hîc spiritaliter explicantur.

futurorum bonorum indigni erunt hereditate.

25. Pergit deinde eodem præceptorum & intelligentiæ decursu. Nam postea quàm relinquenda omnia quæ in sæculo carissima sunt
℣. 38. imperaverat; adjecit, *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*: quia qui Christi sunt, crucifixerunt corpus cum vitiis & concupiscentiis. (Crux,) Et indignus est Christo, qui non crucem suam, in qua compatimur, commorimur, consepelimur, conresurgimus, accipiens Dominum sit secutus, in hoc sacramento fidei spiritûs novitate victurus. (sacramentum fidei,)

℣. 39. 26. *Qui invenerit animam suam, perdet illam; & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* (mortem infert vitiis, mortis aufert metum.) Verbi scilicet potestate, & veterum [a] divisione vitiorum, proficiet lucrum animæ in mortem, & damnum in salutem. Ergo suscipienda mors est in novitate vitæ, & cruci Domini configenda sunt vitia: & adversùs persequentes, contemtu præsentium, gloriosæ confessionis retinenda libertas est, & damnosum animæ lucrum refugiendum: scientes cuiquam jus in animam non relinqui, & detrimento brevis vitæ fœnus immortalitatis acquiri.

℣. 40. 27. *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Universis doctrinæ affectum & præceptorum sedulitatem impendit. Et qui periculum non recipientium Apostolos excussi pulveris testimonio denuntiasset, recipientium meritum ultra gratiam [b] sperati officii commendat: docetque in se etiam mediatoris officium, qui cùm sit receptus à nobis, atque ille profectus ex Deo sit, Deus per illum transfusus [c] in nos sit. (Christus qui mediator.) Atque ita qui Apostolos recipit, Christum recipit; qui verò Christum recipit, patrem Deum recipit: quia non aliud in Apostolis recipit, quàm quod in Christo est, neque in Christo aliud est, quàm quod in Deo est: perque hunc ordinem gratiarum, non aliud est Apostolos recepisse, quàm Deum; quia & in illis Christus, & in Christo Deus habitet.

℣. 41. 28. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.* Qui prophetam recipit, habitantem recipit in propheta: fitque prophetæ mercede dignus, prophetam prophetæ nomine recipiens. Par quoque recepisse justum merces deputatur, fitque justus ex honore justitiæ. Ac sic consummatur justitia ex fide, & mercedem acquirit officium, plures consequendæ æternitatis occasiones Deo largiente: quando in recipiendo justo & propheta, ipse reverentiæ affectus & justi honorem accipiat & prophetæ. (Plures consequendæ æternitatis occasiones.)

℣. 42. 29. *Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ*, & reliqua. (Obsequium sub religionis opinione delatum indigno, mercede non fraudatur.) Non inane esse bonæ conscientiæ opus docuit, neque spem fidei alienæ infidelitatis crimine laborare. Providens enim plures futuros tantùm apostolatûs nomine gloriosos, omni verò vitæ suæ opere improbabiles, eosdemque diu fallere diuque mentiri, tamen obsequium, quod ipsis sub religionis opinione delatum sit, mercede operis sui speique non fraudat. Nam licèt ipsi minimi essent, id est, peccatorum omnium ultimi; (minimum omnium autem est, quo minus nihil aliud est,) non inania tamen in eos etiam levia, quæ sub frigidæ aquæ nomine designat, officia esse decernit. Non enim peccatis hominis, sed discipuli nomini honor præstitus est. Atque ita PROBITATEM obsequentis, fallentis de se probra non lædunt: cùm mercedem suam dantis fide, non assumentis mendacio consequatur.

CAPUT XI.

Johannes de carcere ad Jesum mittit, & Jesus de Johanne ad turbas loquitur. Item confessio Jesu ad Patrem.

1. JOHANNES *cùm audisset* [d] *in carcere opera Christi, mittens ad eum discipulos suos,* Math. 11. 2.
* *ait illi, Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* ℣. 3. Johannes detentus in carcere Dominum ignorat? & propheta tantus Deum suum nescit? (Johannes Christum non ignoravit.) Atquin venturum ut præitor nuntiavit, consistentem ut propheta agnovit, adeuntem ut confessor veneratus est. Unde tam variæ & tam abundanti ejus scientiæ error obrepsit? Sed consequens de eo Domini testimonium sentiri hoc ita non sinit. Neque sanè credi potest, Spiritus-sancti gloriam in carcere posito defuisse, cùm Apostolis virtutis suæ lumen esset in carcere positis ministraturus.

2. Sed præbetur in his, quæ in Johanne gesta sunt, intelligentia amplior: (Legis forma fuit.) & cum facti efficientiâ, gratia in eo expressa sentitur; ut propheta ipse, ipso quoque conditionis suæ genere prophetaret, quia in eo forma legis elata est. Christum enim lex annuntiavit, & remissionem peccatorum prædicavit, & regnum cælorum spopondit: & Johannes totum hoc opus legis explevit. (Legis opus.) Igitur cessante jam lege, quæ peccatis plebis [e] inclusa, & populi vincta vitiis, ne Christus posset intelligi, vinculis & carcere continebatur. Ergo ad Evangelia contuenda lex mittit: ut infidelitas fidem dictorum contempletur in factis; & quod intra eam peccatorum fraude sit vinctum, per intelligentiam libertatis evangelicæ [f] absolvatur. Tali igitur Johannes exemplo, non suæ, sed discipulorum ignorantiæ consulit: (Cur Johannes ad Christum misit.) ipse enim venturum in remissionem peccatorum prædi-

[a] Par. post Lipsium, *dimissione*: minùs congruenter cum superioribus, & præter veterum librorum fidem.
[b] Beccensis codex, *parati officii*. Hac loquendi ratione *gratiam speratam officio* intelligere est.
[c] Etsi in pluribus mss. exstat *in nobis*; retinendum tamen *in nos* constat ex cap. 12. n. 12. ubi idem Mediatoris officium eadem ratione explicatur.
[d] Mss. Vatic. & Bec. *in vinculis*.
[e] hoc est, propter populi peccata latens, seu plebis infidelitati occulta, secundùm illud Prologi in psalmos num. 5. *Sunt autem omnes prophetiæ ad mundialem sensum & prudentiam sæculi clausæ atque obsignatæ.*
[f] Quatuor mss. *abluatur*: minimè sunt sequendi. Huc spectat illud dicti Prologi n. 6. Chistus solus *signacula, quibus liber clausus est, per sacramentum corporationis & divinitatis suæ absolvit.* Et post pauca: *Creditis his quæ impleta per eum sunt, cuncta illa, quæ signata & clausa sunt, & aperientur & absolventur.*

cavit. Sed ut scirent non alium à se prædicatum, ad opera ejus intuenda discipulos suos misit: ut auctoritatem dictis suis illius opera conferrent, neque Christus alius exspectaretur, quàm cui testimonium opera præstitissent.

3. Et cùm totum se Dominus rerum miraculis prodidisset, cæcorum scilicet visu, claudorum [a] cursu, leprosorum curatione, surdorum auditu, voce mutorum, vitâ mortuorum, pauperum prædicatione; ait, *Beatus qui in me non fuerit scandalizatus.* Numquid aliquid jam in Christo erat gestum, quod Johannem scandalizaret? Non utique. Nam in ipso doctrinæ suæ cursu & operis morabatur. Sed superioris sententiæ vis & proprietas contuenda est, quid illud sit quòd pauperes [b] bene nuntiantur: id est, qui perdiderint animam, qui crucem suam acceperint & sequentur, qui humiles spiritu fient, quorum regnum præparatur in cælo. Ergo quia in Domino hæc passionum universitas conveniret, futuraque esset crux sua plurimis scandalum; beatos eos professus est, quorum fidei nihil tentamenti afferret crux, mors, sepultura. Itaque cui [c] rei Johannes cavisset ostendit, dicens beatos eos, quibus aliquid in se scandali non fuisset: quia metu ejus discipulos suos Johannes, ut Christum audirent viderentque, misisset.

℣. 6. Scandalum crucis prædicit Christus.

4. Ac ne istud referri ad Johannem posset, tamquam aliquid scandalizatus esset in Christo; abeuntibus illis, ad turbas de eo locutus est: *Quid existis in desertum videre? Arundinem* [d] *vento moveri?* Desertum sancto Spiritu vacuum sentiendum est, in quo habitatio Dei nulla sit. In arundine enim homo [e] talis ostenditur, de gloria sæculi vitæ suæ inanitate speciosus, [f] in se autem fructu veritatis cavus; exterior placens, & nullus interior; ad omnem ventorum motum, id est, immundorum spirituum flatum movendus, neque ad consistendi firmitatem valens, & animi medullis inanis. Ergo cùm dicit, *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento moveri?* hoc loquitur: Numquid existis videre hominem cognitione Dei vacuum, & ad immundorum spirituum flatum vagantem? Nam increpantis affectu potiùs quàm confirmantis hoc loquitur: ostendens scilicet non eum in Johanne conspici, qui & inanis & mobilis sit.

℣. 7. Arundo quos significet.

5. *Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* [g] Vestem ambitum corporis quo induitur anima significat, quod luxu ac lasciviis mollescat. Sed qui vestiti mollibus sunt, in domibus regum sunt. In regibus, transgressorum angelorum nuncupatio est: hi enim sæculi sunt potentes, mundique dominantes. Ergo vestiti mollibus in domibus regum sunt, id est eos, quibus per luxum fluida & dissoluta sunt corpora, [h] esse dæmonum habitationem, consimilem sedem propositis suis atque operibus eligentium.

℣. 8. Corpora luxu dissoluta domus sunt dæmonum.

6. *Sed quid existis videre? Prophetam? Dico vobis, etiam plus quàm prophetam, &c.* Gloriam omnem Johannis Dominus ostendit, dicens esse eum ultra prophetam: quia soli ipsi licuerit & prophetare Christum, & videre. Et quomodo Christum ignorare creditur, qui missus in angeli potestate viam venturo paraverit, & quo ex natis mulierum nullus major propheta [i] surrexerit; nisi quòd qui minor eo est, id est, qui interrogatur, cui non creditur, cui testimonium nec opera sua præstant, hic in regno cælorum major est?

℣. 9. &c. Johannis gloria.

7. *A diebus autem Johannis Baptistæ usque nunc regnum cælorum vim patitur, & vim facientes diripiunt illud.* Ut rerum natura exigit, vim potior affert; minorque erit, cui vis afferatur. Quid ergo est quod diripiens est, quodque vim patitur, contuendum est. Infidelitatem discipulorum Johannis Dominus adverterat, turbæ etiam opinionem de ejus nuntio intellexerat, in crucis scandalo ingens fidei periculum sentiebat. Ire potiùs Apostolos [k] ad oves Israel perditas jusserat: ipsos constitui oportebat in regno, & in Abrahæ & Isaac & Jacob familia [l] atque agnatione retineri. Sed omnis hæc prædicatio profectum publicanis & peccatoribus afferebat. Ex his enim jam credentes, ex his jam Apostoli*, ex his jam regnum cælorum. Ceterùm Johanni à plebe non creditur, auctoritatem Christi opera non merentur, crux futura erat scandalo. Jam prophetia cessat, jam lex expletur, jam prædicatio omnis includitur, jam Eliæ spiritus in Johannis voce præmittitur. Aliis Christus prædicatur, & ab aliis agnoscitur: aliis nascitur, & ab aliis diligitur. [m] Sui eum respuunt, alieni suscipiunt: proprii insectantur, complectuntur inimici. Hereditatem adoptio expetit, familia rejicit. Testamentum filii repudiant, servi recognoscunt. Itaque vim regnum cælorum patitur, inferentesque diripiunt: quia gloria Israel [n] à patribus debita, à prophetis

℣. 12. Regnum cælorum quî rapiant gentes Judæis.

* puta, Matthæus.

[a] Sola edit. Par. *gressu.* Ut sibi constaret, mutandum ei erat illud num. 10. *Claudi circumcurrunt.*

[b] Codex Vatic. cum Rom. *evangelizantur.*

[c] Vox *rei* deest in mss. Colb. & Carn. Illâ significatur scandalum crucis, quod Johannes discipulis suis metuerit.

[d] Apud Par. hìc & infrà, *vento agitatam*: obnitentibus aliis libris.

[e] In mentem nobis venerat legendum esse, *elatus ostenditur de gloria sæculi* &c. Nil verò immutandum, cùm vocabulo *talis* significetur homo arundini similis.

[f] Editi, *ipse autem.* Concinniùs mss. *in se.*

[g] Par. *veste*, tum post Lips. *habitum corporis*: refragantibus mss. quorum nonnulli deinde habent, *quod induitur.* Vestis animæ non malè intelligatur corpus, quo anima velut vestimento ambitur ac circumcingitur.

[h] Reticetur hìc *significat.* Verba superiora, *in domibus regum sunt*, passivè non activè accipiuntur, pro iis scil. qui frequententur à regibus eorumque domus sint, non pro iis qui regum domos frequentent.

[i] Editi cum paucioribus mss. *surrexit.* Tum sola editio Par. *nisi quod minor qui interrogatur*: & mox cum tribus mss. *major erit*, non *major est.* Christus autem, ut explicat Chrysostomus homil. 11. intelligitur *minor ætate, minor multorum opinione.*

[k] Beccensis ms. *ad oves perditas domus Israel jusserat.* Tum cum quinque aliis, *ipsos continuo*, pro *ipsos constitui*: qua ratione pronomen *ipsos* ad Apostolos, non ad Judæos, minùs bene refertur.

[l] Bad. Er. & Lips. *ac natione.* Par. *atque agnitione*: quod etiam habent mss. nisi quòd in Carnut. secundis curis restitutum est *atque agnatione.* In eodem mendo superiori cap. 10. n. 22. consentiebant mss.

[m] Mss. Rom. Colb. & Carn. *sua eum respuunt, aliena suscipiunt.*

[n] Præpositionem *à*, quam Lipsius perperam expunxerat, revocamus ex Bad. Er. & mss. Porro vocabulum *Israel* in dandi casu enuntiatur: adeoque *à patribus*, perinde est ac nomine & jure promissionum patribus factarum, secundùm illud Pauli Rom. 11. 28. *carissimi propter patres.*

nuntiata, à Christo oblata, fide gentium occupatur & rapitur.

ỳ. 16. *Judæi à Lege & Evangelio abdicati exciderunt.*

8. *Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, & clamantibus ad invicem*, & reliqua. Totus hic sermo infidelitatis opprobrium est, & de affectu superioris querimoniæ descendit; quia insolens plebs per diversa prædicationum genera edocta non fuerit: in pueris scilicet prophetas significans, qui in medio synagogæ, tamquam in publico fori conventu, populum coarguant, quòd cantantibus sibi officio corporis non obsecundaverint, id est, quòd dictis suis non paruerint. Ad cantantium enim modum saltantium [a] motus aptatur. In simplicitate autem sensûs, ut pueri, prædicaverunt, & ad confessionem psallendi Deo provocaverunt, ut cantico Moysi tenetur, ut Esaiæ, ut David, ut ceterorum prophetarum: rursumque [b] eos in pænitentiam peccatorum, [c] & ad dolorem ac luctum veterum delictorum nec Johannis prædicatio inflexerit: (ỳ. 18.) quibus & lex gravis visa sit, [d] potûs cibique præscriptis & difficilis & molesta, peccatum in se, quod dæmonium nuncupat, habens: (ỳ. 19.) quia per observantiæ difficultatem necesse sibi esset in lege peccare: rursumque in Christo Evangelii prædicatio vitæ libertate non placeat, per quam difficultates legis & onera laxata sint; & jam publicani peccatoresque crediderint: atque ita tot & tantis admonitionum generibus frustra habitis, nec per gratiam justificentur, & à lege sint abdicati.

Justè reprobati sunt.

9. *Et justificata est Sapientia à filiis suis*: ab his scilicet, qui vim facientes regno cælorum, ipsum illud fidei justificatione diripiunt: confitentes justum Sapientiæ opus esse, quia munus suum ad fideles & obsequentes à contumacibus infidelibusque transtulerit. Est autem non otiosum hoc in loco virtutem dicti contueri. *Et justificata est Sapientia* de se utique locutus est.

Christus Sapientia ipsa, non solùm Sapientiæ opus.

Est enim ipse Sapientia, non ex efficientiis, sed ex natura: rei enim omnis habet potestatem. Ceterùm negotium omne potestatis effectus est: & non idem est opus virtutis & virtus, & efficiens discernitur ab effecto. Plures [e] enim (e 1. Cor. 1. 24.) eludere dictum Apostolicum, quo ait Christum Dei sapientiam & Dei virtutem, his modis solent: quòd in eo ex virgine creando efficax Dei sapientia & virtus exstiterit, & in nativitate ejus divinæ prudentiæ & potestatis opus intelligatur; sitque in eo efficientia potiùs, quàm natura sapientiæ. Quorum ne quid tale intelligi posset, ipsum se Sapientiam nuncupavit; eam in se, non quæ ejus sunt ostendens. Est enim Sapientiæ opus, fides, spes, caritas, [f] pudicitia, jejunium, continentia, humilitas, humanitas: sed hæc naturæ opera sunt, non ipsa natura; & non in his quæ fiunt, consistit res ipsa quæ faciat. [g] Cur Apostolus Dei virtutem & Dei sapientiam dixerit, quia ex ea Sapientia quæ erat, creata sapientia est?

ỳ. 21. *Judæorum incredulitas quàm rea.*

10. *Væ tibi Corozain & Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis*, & reliqua. Inobedientiæ maledictum cum obedientiæ benedictione decernitur. Primis enim Judæis oportuit prædicari; sed privilegio prædicationis infidelitatis cumulatur invidia, cùm credentium arguantur exemplo, quibus nullâ factorum admiratione propositâ, salus omnis ex fide sit. Dominum enim in Bethsaida & Capharnaum muti laudant, cæci vident, surdi audiunt, claudi circumcurrunt, mortui sentiunt: & [h] nullum fidei voluntate rerum tantarum admiratio commovebat, cùm sola gestorum auditio vocare [i] ad metum, atque ad fidem rapere debuisset. Sed non solùm Tyri & Sidonis, sed ipsa Sodomorum & Gomorrhæorum facient levia peccata: quia fortè illis credendi fuisset affectus, si talium virtutum contemplatio contigisset.

ỳ. 25. *Christi de fide gentium gaudium.*

11. *In illo tempore respondens Iesus dixit, Confiteor tibi, Domine pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis*, & reliqua. Dignè superioribus dictis confessio talis adjungitur. Nam tametsi optabilis fuerit salus Israel, tamen non extra gaudium Domini erat prædicata olim fides gentium. Cælestium enim verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur, & parvulis revelantur: parvulis malitiâ, non sensu; sapientibus verò stultitiæ suæ præsumtione, non prudentiæ causis. (ỳ. 26.) Factique hujus æquitatem Dominus paternæ voluntatis judicio confirmat: ut qui dedignantur parvuli in Deo fieri, stulti deinceps in sapientia sua fiant.

Pater & Filius unius substantiæ. ỳ. 27.

12. Ac ne quid in illo minus, quàm quod in Deo est, existimaretur; omnia sibi à Patre ait tradita esse, solique se Patri cognitum, Patremque soli sibi notum, vel cui ipse revelare voluisset: revelaturus ei, à quo ut revelare velit oretur. Qua revelatione eamdem utriusque in mutua cognitione esse substantiam docet,

[a] Tres probæ notæ mss. *modus*.

[b] Hîc & infrà supplendum, *coarguunt quòd*.

[c] Par. *& ad ablutionem veterum* &c. Unus ms. Colb. cum Carn. *& à dolore ablutos veterum* &c. Revocamus lectionem Bad. Er. & Lips. quæ est plerorumque mss.

[d] In aliquot mss. *potibus cibisque præscriptis*. Mox mallemus, *dæmonium nuncupant*. Paulò pòst editi, *in legem peccare*: refragantibus mss. His illustratur illud, *Venit Johannes neque manducans, neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet*: quod, Johannis nomine, de lege dictum intelligitur.

[e] Eam ipsam sententiam Paulo Samosateno attribuit Leontius lib. de sectis act. 3. *Paulus Samosatenus*, inquit, *subsistentem per se Dei sermonem in Christo fuisse non dicebat: sed volebat sermonem esse jussum quemdam ac mandatum, hoc est, Jussit Deus, ut ipse loquebatur, fieri per hominem illum quod volebat, idemque per illum faciebat.*

[f] Carnut. ms. cum Colb. *prudentia, jejunium*. Verba Pauli Gal. 5. 22. & 23. ubi fructus Spiritûs recenset, videtur hîc Hilarius respicere, atque ita Sapientiæ & Spiritûs vocabula uni eidemque rei subjicere. Quamquam & alia & non omnia memorat quæ Paulus.

[g] In uno ms. Colb. non exstat finis hujus numeri. Hîc pro *cur*, Lipsius substituit *cùm*, quod & retinuit Par. obnitentibus aliis libris. Reticetur hîc hujusmodi propositio: Si non in his quæ fiunt, consistit res ipsa quæ faciat. Ex qua quidem optimè consequitur, Cur Apostolus rei effectæ efficientis nomen attribuat?

[h] Editi, *nulla*. Rectiùs quatuor mss. *nullum*. In sex aliis, *nullam fidei voluntatem*: non displiceret, *nullum ad fidei voluntatem*: hoc est, nullus ad obsequendum fidei etiam conspectis tot ac tantis miraculis commotus fuit, quibus vel auditis credere debuissent.

[i] Codex Silvæ majoris, *ad medicum*: quod etiam habet Michaelinus à secunda manu. Verior est lectio prima. Sic enim superiori cap. n. 23. homines à Deo per peccatum originis abalienatos *à fide metuque Dei peregrinantes* nuncupari legimus. Passimque apud Hilarium *metus Dei* idem est quod cultus, religio & amor Dei.

cùm qui Filium cognosceret, Patrem quoque cogniturus esset in Filio: quia omnia ei à Patre sint tradita. Tradita autem non alia sunt, quàm quæ in Filio soli nota sunt Patri. Nota verò Filio [a] soli esse, quæ Patris sunt. Atque ita in hoc mutuæ cognitionis secreto intelligitur, non aliud in Filio, quàm quod in Patre ignorabile sit, exstitisse.

℣. 28. 13. Legis deinde difficultatibus laborantes, & peccatis sæculi oneratos ad se advocat: demturumque se laborem onusque promittit, si B modò ejus jugum tollant, mandatorum scilicet suorum præcepta suscipiant, eumque sacra-
℣. 29. mento crucis adeant: quia corde humilis & mitis sit, & in his animabus suis requiem inveniant: jugi suavis & levis oneris blandimenta proponens, ut credentibus ejus boni scientiam præstet, quod solus ipse novit in Patre. Et QUID JUGO ipsius suavius, quid onere levius, probabilem fieri, scelere abstinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odisse C nullum, æterna consequi, præsentibus non capi, nolle inferre alteri, quod ipsi sibi perpeti sit molestum.

Jugum Christi unde suave.

CAPUT XII.

Discipuli spicas vellunt. Manus aridæ hominem sabbato curavit Jesus. Cæcum & dæmoniacum curavit. De blasphemia Spiritûs, de fructu arboris bonæ & malæ, de omni verbo otioso, de Ninivitis & regina Austri, de septem spiritibus & octavo, de matre Jesu & fratribus.

Matth. 12. 1. 1. IN *illo tempore abiit Iesus per segetes sabbatis: discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare.* Et egressus in segetem, & dies sabbati, & discipulorum esuritio, & spicarum præcerptio, & Pharisæorum insimulatio, & Domini responsio habent, ut cetera, subjacentem interioris causæ intelligentiam. Omnes enim, ut diximus, factorum veritates, in ipsis illis gestorum effectibus sui similem atque ex se intelligendam futuræ veritatis imaginem consequuntur.

Christi gesta aliud portendunt.

2. Ac principio contuendum, sermonem hunc ita cœptum esse: *In illo tempore abiit Iesus per segetes*, id est, in eo tempore quo patri Deo gratiam de data gentibus salute confessus est: ut idem sensus & superiora & consequentia contineret. Ergo per reliqua curramus. Ager mundus est, [b] sabbatum otium est, seges crediturorum profectus in messem est. Ergo sabbato in agrum profectus, in legis otio Domini progressus in hunc mundum est, sege-

Gentium fides & Judæorum infidelitas præmonstrantur.

A tem eam, id est, sationem humani generis invisens. Et quia esuritio fames est salutis humanæ; spicas præcerpere ac vellere, scilicet sanctorum se salute satiare discipuli festinant. Neque enim homini congruit cibus spicæ, neque præcerptarum esus est utilis aristarum: sed futuri fidem facti species exsequitur, & virtus interjecta verborum sacramentum & esuritionis & satietatis absolvit.

3. Pharisæi, qui penes se clavem cælorum ℣. 1.
B esse existimarent, illicita agere discipulos coarguunt: quos Dominus facti ejus, in quo sub rerum argumento prophetiæ ratio continetur, admonuit David unà cum his qui secum ade- ℣. 3.
rant esurientem panibus illicitis [c] expletum fuisse. Neque enim si non licebat fieri, David creditus fuisset fecisse sine crimine. Verùm sine criminis piaculo factis [d] prophetat in lege; ut ipse cum ceteris, panibus propositionis expletus sit: ita ostendens Christum cum Apo-
C stolis gentium salute satiandum, quod Judæis illicitum videretur.

4. Alterius quoque eos admonet prophe- ℣. 4.
tiæ; ut consummari in se omnia, quæ anteriùs sunt dicta, cognoscerent in lege: sabbatum in templo sacerdotes [e] violare sine crimine: templum se ipsum scilicet indicans, in quo per apostolicam doctrinam, populo legis infideliter [f] otiante, salus gentibus datur: quia major ipse sit sabbato, & absque violatæ legis culpa, evan-
D gelica fides operetur in Christo.

5. Atque ut ostenderet omnem rerum efficientiam hanc speciem futuri operis continere; adjecit, *Si enim sciretis quid est, Misericordiam* ℣. 7.
volo, non sacrificium; numquam condemnassetis innocentes. Opus salutis nostræ non in sacrificio, sed in misericordia est: & lege cessante, in Dei bonitate salvamur. Cujus rei donum si intellexissent, numquam condemnassent innocentes, id est, Apostolos: quos insimulaturi erant trans-
E gressæ legis invidiâ, cùm sacrificiorum vetustate cessante universis per eos misericordiæ novitas subveniret: neque existimassent sabbati præscripto Dominum sabbati contineri. Hæc in campo dicta gestaque sunt.

Lege cessante Dei bonitate salvamur.

6. Et post hæc synagogam ingresso, homi- ℣. 9.
nem aridæ manus offerunt, interrogantes an curare sabbatis liceret: occasionem arguendi ℣. 11.
eum ex responsione quærentes. Quos decidentis in foveam ovis conclusit exemplo, quam
F sine crimine sabbato extrahere [g] sint solliciti: rectiúsque homini, qui ovi præstet, medendum esse; neque ministerio salutis humanæ existimandum sabbatum posse violari, quod extrahendæ de fovea ovis sollicitudo non violet.

Manci curatio.

7. Subjicitur rectè talis Domini curatio. Nam post reditum de segete, ex qua jam Apostoli fructus sationis acceperant, ad synagogam venit: etiam illinc messis suæ operarios paraturus, qui plures postmodum unà

Eos significat, quibus virtutum potestatem fecit Christus.

[a] Vox *soli* desideratur in pluribus mss. Deinde *esse* ad superius verbum *docet* refertur.

[b] Mss. Colb. & Carn. *sabbatis.*

[c] Iidem mss. cum Rom. & Vatic. *exemplum fuisse.*

[d] Par. cum prædictis quatuor mss. *factis propheta intellige.*

[e] In vulgatis ac pluribus mss. *violant.* Concinniùs in Colb. & Carn. *violare*, supple verbum *admonet*, ad quod subinde refertur *indicans.*

[f] Sex mss. *orante*: non sunt audiendi.

[g] In vulg. *sint soliti.* Præferendum esse cum mss. *sint solliciti*, suadet illud quod subjicitur, *ovis sollicitudo.* Tum in Carn. & Colb. *receptiúsque*, non *rectiúsque.*

cum Apostolis exstiterunt. Hi igitur [a] curantur in manco. Dandæ enim salutis substantiam non habebant, & manûs officium cessabat, & ministerium corporis, quo aliquid agitur atque
℣. 13. [b] impertitur, aruerat. Dominus igitur manum eum jussit extendere, quæ restituta est ei sicut altera. Curatio omnis in verbo est, & manus sicut altera redditur, id est, similis ministerio Apostolorum in officium dandæ salutis efficitur: docetque Pharisæos ægre ferre non oportere [c] operationem humanæ salutis in Apostolis; cùm ipsis ad officii ejusdem ministerium manus sit reformanda, si credant.

℣. 14. 8. Sed invidia facti Pharisæos commovet, & adversùs eum ineunt consilium: quia con-
℣. 15. tuentes hominem in corpore, Deum in operibus non intelligebant. Sciensque eorum consilia secessit; ut à consiliis malignantium procul afuturus cognosceretur. Pluresque turbæ eum secutæ sunt: ab infidelibus videlicet recedenti, fidelium comitatus assistit.

℣. 16. 9. His verò, quos curat, silentium imperavit. Sed numquid curationis taciturnitas jubebatur? Non utique; nam salus unicuique reddita, erat sibi ipsa testis. Sed jubendo secretum, & gloriandi de se jactantiam declinat, & nihilo minùs cognitionem sui præstat in eo ipso, dum admonet de se taceri; quia observantia silentii ex re quæ sit silenda proficiscitur.

Cur sanatis silentium de se jubeat Christus.

℣. 17. 10. Quin etiam per hanc tacendi de se vo-
Esai. 42. 1. &c. luntatem, dictorum per Esaiam effectus impletur: de cujus prophetia illud nunc tantùm admonemus, hunc & dilectum à Deo, & in eo paternæ beneplacitum voluntati, & Spiritum Dei super eum esse, & ab eo judicium gentibus nuntiari, & arundinem quæ quassata sit non esse confractam, & linum fumigans non exstinctum: id est, caduca & quassata gentium corpora non fuisse contrita, sed in salutem potiùs reservata: neque exiguitatem ignis tantùm jam in lino fumigantis exstinctam, [d] exiguum Israel ex reliquiis veteris gratiæ spiritum non ablatum; quia resumendi totius luminis in tempore pænitentiæ sit facultas. Sed
℣. 20. istud intra certi temporis statuta præscribitur, *donec cùm ejiciat victoriam ad judicium*, sublatâ scilicet mortis potestate judicium claritatis suæ reditu introducat, in nomine ejus per fidem gentibus credituris.

Qui arundinem quassatam non frangat.

Qui linum fumigans non exstinguat.

℣. 22. 11. *Tunc oblatus est ei homo dæmonium habens cæcus & mutus*, & reliqua. Sequitur dæmoniaci & cæci & muti opportuna curatio. Non enim sine ratione, cùm turbas omnes curatas in commune dixisset, nunc extrinsecùs dæmonium habens cæcus & mutus offertur: ut sine ambiguitate aliqua idem intelligentiæ ordo sequeretur. Spicas vellere, id est, homines sæculi præcerpere, Apostolos Pharisæi arguebant, A misericordia super sacrificium prædicabatur, manus aridæ homo oblatus in synagoga curabatur: atque hæc ad convertendum Israel non solùm nihil proficiunt, verùm etiam Pharisæi consilium necis ineunt. Oportebat igitur, ut post hæc in unius hujus forma gentium salus fieret: ut qui erat habitatio dæmonis & cæcus & mutus, Deo capax pararetur, & Deum contueretur in Christo, & Christi opera Dei confessione laudaret. Stupuerunt facti istius opus B turbæ; sed Pharisæorum ingravescit invidia. Nam quia humanam infirmitatem hæc tanta ejus opera excederent, pudorem confessionis suæ majore perfidiæ scelere declinant: ut quia hæc opera esse existimare hominis non possent, confiteri Dei nollent, omnemque hanc ejus ℣. 24. ex Beelzebub principe dæmonum esse dicerent in dæmonas potestatem.

Dæmoniaci cæci & muti curatio, gentium salus.

12. *Iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit* ℣. 25.
illis, Omne regnum divisum contra se desolabitur.
C Sermo Dei dives est, & ad argumentum positus intelligentiæ, plurimam de se exemplorum copiam præbet: & vel simpliciter intellectus, vel inspectus interiùs, ad omnem profectum est necessarius. Sed relictis his, quæ ad communem intelligentiam patent, causis interioribus immoremur.

Sermo Dei quàm dives.

13. *Omne regnum divisum contra se desolabitur.* Responsurus ad id quod de Beelzebub erat dictum, in eos ipsos, quibus respondebat, D responsionis ipsius conditionem retorsit. Lex enim à Deo est, & regni Israel pollicitatio ex lege est, & Christi ortus & adventus ex lege est. Si regnum legis contra se dividitur, [e] dissolvatur necesse est. Et potestas omnis divisione detrahitur, & regni virtus adversùm se separata consumitur: ac sic regnum Israel amisit ex lege, cùm quando adimpletionem legis in Christo plebs legis impugnet.

Prædicitur regni Israel jactura.

14. *Sed & civitas & domus divisa contra se,* *Ibidem.*
E *non stabit.* Domûs quoque & civitatis eadem est ratio, quæ regni. Sed civitas hîc Jerusalem [f] indicatur, gentium semper gloriosa dominatu. Nunc postea quàm in Dominum suum furore plebis exarsit, & Apostolos ejus cum credentium turbis effugavit, discedentium illinc divisione non stabit: atque ita, quod mox consecutum est per hanc divisionem, civitatis illius denuntiatur excidium.

Jerusalem excidium.

15. *Si enim satanas satanam ejicit, adversùs se* ℣. 26.
F *divisus est.* Dicti superioris malevolentiam, quo eum in Beelzebub hæc agere loquebantur, eo ipso quo locuti sunt genere condemnant: non intelligentes confessos se fuisse, Beelzebub esse divisum: & si ad divisionem suam coactus est, ut dæmon dæmones proturbaret, & adversùs se divisio ipsa consisteret; hinc quoque existimandum esse, plus in eo qui diviserit,

Virtute divina Christum ejicere dæmonia.

[a] Editi, *curantur. In manu enim dandæ* &c. emendantur ex potioribus mss.

[b] Bad. & Er. *imperatur*. Mox Lips. & Par. *cùm jussit*, pro *eum jussit*. Post pauca in tribus mss. *ministerium Apostolorum*. Rectiùs alii libri, *ministerio* in dandi casu.

[c] Apud Par. hîc insertum est, *curationes in sabbato &*, quod etiam exstat in mss. Rom. Colb. & Carn. sed ad rem non videtur pertinere.

[d] Editi, *ex Sion Israel & ex reliquiis*; castigantur ex quatuor mss. ubi exiguitatem ignis non exstinctam Hilarius interpretatur exiguum gratiæ spiritum Israel non ablatum.

[e] Potiores mss. *desolabitur necesse est*: forsitan sinceriùs. Hujusmodi locutione jam in Psal. 118. lit. 12. n. 7. legimus, *necesse est credenda est*: & ubi in Psal. 121. n. 1. exstat *proclamari necesse est*, in mss. habetur *proclamabit necesse est*.

[f] In aliquot mss. *dicitur*. Mox in Beccensi & Rom. *plebs exarsit*. Verbum *exarsit* ad Jerusalem referendum est.

quàm in his qui divisi sint, inesse virtutis. Ergo
jam divisus est, & adversùm se coactus est,
regnumque ejus divisione tali est dissolutum.
ỳ.27. Quòd si in virtute Beelzebub Christus dæmones
ejicit, filii eorum, id est Apostoli, in cujus
nomine ejiciunt? Atque idcirco dignè sunt
in eos judices constituti, quibus id dedisse Christus
adversùs dæmones potestatis reperietur,
quod ipse sit negatus habuisse. Ergo si discipuli
a operantur in Christo, & ex [a] Spiritu Dei
Christus operatur; adest Dei regnum, jam in
Apostolos mediatoris officio transfusum. Sed
cùm per Beelzebub posse Christus arguitur,
Deus blasphematur in Christo: atque ita in
Deum inexpiabilis convicii contumelia per Pharisæos
in Beelzebub nomine comparatur.
ỳ.29. 16. *Quomodo potest intrare quis in domum fortis,
& vasa ejus diripere?* & reliqua. Contusam
à se in tentatione prima omnem diaboli indicat
potestatem, quia nemo domum fortis introeat
ejusque vasa diripiat, nisi fortem alligaverit,
& tunc domum ejus diripiet: & necesse est hæc
agens illo forte sit fortior. Ligatus est ergo tum,
Matth. 4. 10. cùm satanas à Domino nuncupatus, ipsa nequitiæ
suæ nuncupatione constrictus est: cui
ita victo spolia detraxit, & domum abstulit,
nos scilicet quondam arma ejus, regnique militiam
in jus suum redegit, victoque atque victo
domum sibi ex nobis vacuam & utilem comparavit.
Longè autem à se esse, ut aliquid ab
eo mutuatus sit potestatis ostendit: quando
ỳ.30. qui secum non est, adversùm se sit; & qui secum
non congregat, dispergat. Ex quo ingentis
periculi res intelligitur, malè de eo opinari,
cum quo non esse, idipsum est quod contra
esse; & non congregare, dispergere sit.
ỳ.31. 17. *Omne peccatum & blasphemia remittetur
b hominibus; Spiritûs autem [b] blasphemia non remittetur.*
Pharisæorum sententiam, & eorum qui
ita cum his sentiunt perversitatem severissima
definitione condemnat; peccatorum omnium
veniam promittens, & blasphemiæ Spiritûs indulgentiam
abnegans. Nam cùm cetera dicta
gestaque liberali veniâ relaxentur, caret misericordiâ,
si Deus negetur in Christo. Et in quo
sine venia [c] peccator, benevolentiam iteratæ
admonitionis impendit: omnino peccata cujusque
generis remittenda, blasphemiam in Spiri-

Blasphemia Spiritûs, negare Christo divinitatem, quam operibus prodit.

ỳ.32. c

A tum-sanctum non remittendam. Quid enim tam
extra veniam est, quàm [d] in Christo negare d
quòd Deus sit, & consistentem in eo paterni
Spiritûs substantiam adimere: cùm in Spiritu
Dei opus omne consummet, & ipse sit regnum
cælorum, & in eo Deus sit mundum reconci- 2.Cor.5.1
lians sibi? Ergo quidquid contumeliæ exstiterit
in Christo, id omne exstabit in Deo: quia &
in Christo Deus, & Christus in Deo sit.
18. *Aut facite arborem bonam, & fructus ejus* ỳ.33.
B *bonos: aut facite arborem malam, & fructus ejus*
malos, & reliqua. Sermo se & in præsens exserit,
& effert in futurum. Nam in præsens Judæos
refellit, qui cùm intelligerent Christi opera
ultra humanam esse virtutem, nollent tamen
quòd Dei sint confiteri. In futurum verò omnem
fidei perversitatem coarguit, eorum scilicet,
qui [e] divinitatem & communionem paternæ e
substantiæ Domino detrahentes, in diversa
hæreseos studia efferbuerunt: neutrum facientes,
C tes, nec inter gentes sub venia ignorationis habitantes,
nec in veritatis cognitione versantes.
Arborem se in corpore positum significat:
quia per interiorem virtutis suæ fecunditatem
exeat ubertas omnis in fructus. Igitur aut arbor
bona facienda cum bonis fructibus est, aut mala
constituenda cum malis fructibus; quia ex
fructibus suis de se arbor ipsa testabitur: non
quòd secundùm arborum naturam arbor mala
possit constitui quæ bona sit, aut eadem ipsa
D cum ramis suis bona esse si mala sit; sed ut per
hanc significantiam intelligeremus, Christum
aut tamquam inutilem relinquendum, aut tamquam
bonum bonorum fructuum utilitate retinendum:
quia adversùm filium hominis dicta
sub venia sint, blasphemia autem Spiritûs careat
veniâ. Ceterùm medium se agere, &
Christo aliqua deferre, negare quæ maxima
sunt; venerari tamquam Deum, Dei communione
spoliare; hæc blasphemia Spiritûs est:
E ut cùm per admirationem operum tantorum
Dei nomen detrahere non audeas; per malevolentiam
mentis & sensûs, generositatem ejus, f
quam confiteri es coactus [f] in nomine, abnegatâ
paternæ substantiæ communione decerpas.
Atque ideo etiam in eo Dominus bonitatis
suæ munus extendit, dicens aut malam arborem
cum malis fructibus, aut bonam cum

Contra ... dæos & ... rianos.

[a] Vocabulum *Spiritus* naturam divinam, quæ in Christo operibus manifestetur, non tertiam Trinitatis personam denotat. Sic enim ratiocinatur Hilarius: Si Deus est in Christo, ut evincunt divina ipsius opera, Christus autem in Apostolis virtute illius operantibus; jam in eos Christo mediante transfusum est regnum Dei.

[b] Sola editio Par. *blasphemia non remittetur.* Tum etiam aliæ, *Pharisæorum sententia.*

[c] Lips. & Par. *peccatur*. At Bad. & Er. cum omnibus mss. *peccator*, supple *sit.*

[d] Ms. Carn. *Christo negare*, sine *in.* Colb. & Rom. *Christum negare.* Tum Mich. Vind. alter Colb. Turon. Becc. & Silv. cum Bad. & Er. *quòd Dei sit.* Magis placet cum ceteris libris, *quòd Deus sit.* Cur autem Christum Deum negare sine venia sit, Athanasius epist. 4. ad Serapionem (ex qua divulsus est Tractatus in hunc eumdem locum, ac seorsim positus pag. 970. T. 1. edit. Par. an. 1627.) hanc ad calcem rationem reddit: *Qui enim Filium abnegat, quem deprecari potest, ut propitiationem inveniat? aut quam vitam aut refocillationem exspectabit, qui eum repudiat qui ita loquitur, Ego sum vita?* Eo ipso loco luculenter explicat Athanasius, cur hîc blasphemia in Spiritum-sanctum intelligenda sit blasphemia adversùs Christi divinitatem. Neque verò aut Hilarius aut Athanasius carere veniâ sentiunt quicumque Christi negaverint divinitatem, sed qui operibus sibi probatam atque compertam negaverint. *Nam*, ut ait Athanasius, *per hæc verba ostendit ipsos* Pharisæos *non per ignorantiam, sed sponte se in hanc ineluctabilem blasphemiam infigere, nec pudore ullo duci, cùm scirent istiusmodi opera Dei esse, eaque ut amentes Beelzebub adscriberent, affirmantes ea per spiritum immundum fieri.* Cui consentiens noster Hilarius eos affirmat extra veniam esse, quòd paternæ naturæ substantiam adimant, etiam *cùm in Spiritu Dei*, hoc est, in ipsa divinitatis virtute & natura, *opus omne consummet.* Præterea qui apud Athanasium testimonia de communi essentia Patris & Filii & Spiritûs-sancti concinnavit, blasphemiam in Spiritum-sanctum non alia ratione interpretatus, observat *non dixisse Christum blasphemanti & pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti & in blasphemia manenti.* Probabile est aliam Hilario sententiam non fuisse, cùm legamus infrà cap. 18. num. 10. quòd *omnium omnino peccaminum veniam Deus nobis largiatur*, ac re ipsa iis largitus sit, qui Christum Deum non negaverint modò, sed & necaverint, aut mortis ipsius fuerint auctores: veniâ non dilatâ, ubi per fidem ad eum rediere.

[e] Mss. Carn. & Colb. *dignitatem*; & mox *agitantes*, loco verbi *habitantes.*

[f] Sex mss. *in homine:* malè. Hîc refelluntur Ariani Christo Dei naturam negantes, cujus nomen ac venerationem ei deferebant.

bonis

bonis fructibus esse faciendam : quia in malæ A arboris opinione sub secreto [a], indulgentiæ Dei reposita sit venia ; ([b] quia omne peccatum sit remittendum ;) in bonæ confessione fructus æternus sit : ne * incidentes mediam inter utrumque sententiam, cùm constituere malum non audeamus, confiteri bonum nolimus, indissolubili corruptæ de se opinionis judicio relinquamur.

* *fortè*, incedentes.

19. Omnem autem ita sentiendi corruptelam, ex naturæ vitio proficisci docuit, dicens, B
℣. 35.
De malo thesauro non nisi quæ mala sunt posse proferri, & omnis otiosi, id est, inepti & inutilis dicti rationem Deo esse reddendam : quia de confessionis nostræ verbis aut condemnandi simus, aut justificandi ; talem futuri judicii benevolentiam recepturi, qualem de cælestis gloriæ Domino sententiam tenuerimus.

℣. 38.
20. Signum deinde rogatur ut præstet, quod se ex Jonæ signo daturum esse respondit : & C sicut triduo & totidem noctibus Jonas in ceti ventre detentus sit, ita se intra interiora terræ pari temporis spatio demoraturum. Sed majorem futuram gentium fidem monstrat. Ninivitæ enim Jona prædicante pænitentiam egerunt, & à Deo veniam pænitendi confessione meruerunt. Sed & Austri regina nunc in exemplum Ecclesiæ præsumta, sapientiam admirata Salomonis, ex ultimis terræ partibus venit audire quam erat admirata sapientiam. Cumulat D igitur invidiam comparatio, & Judæos sine excusatione facit fides gentium : ut cùm illi prophetis, id est, Jonæ Salomonique crediderint, Christo isti non credant Jona Salomoneque potiori. Et idcirco in resurrectione eos judicabunt, quia in his repertus timor Dei fuerit, quibus lex non erat prædicata : hoc magis indigni veniâ [c] qui ex lege sunt infideles, quo plus fidei in eis qui legem ignoraverunt sit repertum.

Fide gentium arguitur infidelitas Judæorum. ℣. 41. ℣. 42.

℣. 43.
21. *Cùm autem immundus spiritus exierit ab* E *homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inveniet*, & reliqua. Continens lectio est, &, ex ipso initi sermonis exordio, [d] ex sensu superiore proficisci indicatur : ex verbi enim conjunctione cœpit. Sed totius propositæ comparationis ratio tractanda est. Exiens ab homine immundus spiritus, arida & inaquosa loca circuit, in quibus nullus fons vitæ effluebat. Et cùm requiem non inveniet, tum intra se lo- F quetur, congruum sibi esse, ad domum suam unde exivit reverti ; quam inveniet vacantem, scopis mundatam & ornatam ; assumetque secum septem spiritus se nequiores, introeuntesque habitabunt ibi, & novissima hominis illius primis pejora erunt. Et quidem Dominus absolvit, dicens : *Sic erit generationi huic pessimæ.* ℣. 45.

22. Non igitur ambigere possumus, totum hoc ad personam populi hujus esse referendum : sed contuendum est quatenus proposita singula singulis temporibus rebusque reddantur. Superiùs, [e] nempe in Ninivitarum & reginæ Austri nomine, justificata fides gentium est : sed longè antea, post multa in Deum & gravia peccata, Judæis data lex est. Et peccata quidem eorum [f] libris Moysi continentur. Verùm post tot divinæ virtutis documenta, id est, decem plagis percussam Ægyptum, & columnam nubis ac luminis nocte dieque famulantem, & in Erythreo mari iter præbitum, & fontes ruptis saxis effluentes, & [g] ministratam esurientibus mannam, & ad postremum in quadraginta annorum tempore vitâ atque habitu angelorum populum viventem : [h] adoratum supplicatumque postea pecudibus & saxis, hisque cum choris canticisque saltatum, & metalla deos nuncupata. Ergo insidentem plebis istius pectoribus spiritum immundum lex, quæ postea data est, interventu suo ejecit, & veluti quadam custodia circumjectæ potestatis exclusit. Qui illinc exiens, circum gentes desertas atque aridas oberravit, domum veterem derelinquens : ut in his usque in diem judicii non inquietata habitatione requiesceret.

Judæis superiora aptantur. Dæmon ante legem Israelitas obtinebat. Lege expulsus gentes invasit.

23. Sed rursum Dei gratiâ impertitâ gentibus, post quàm in aquæ lavacro fons vivus effluxit, habitandi cum his locus nullus est : & cùm jam in his requiem non haberet, intra se reputans, optimum credit regredi in eam ex qua profectus est domum. Hæc emundata per legem, & prophetarum ornata præconiis, & Christi adventu præparata, vacua invenitur : à qua & custodia legis abscesserit, (quia omnis lex usque ad Johannem est,) & ad habitandum non receptus sit Christus. Atque ita & habitatore vacua est, & deserta custodibus : cùm tamen [i] veniente habitatore, præeuntium sollicitudine, & mundata sit & ornata. Septem igitur spiritus nequiores assumuntur ; quia tot erant gratiarum munera destinata [k] cum Christo, quæ in eo multiformis illa Dei Sapientia septiformi gloriâ collocavit : ut tanta iniquitatis fieret possessio, quanta futura fuerat gratiarum. Atque ita novissima hominis illius pejora erunt prioribus : quia [l] ex Judæis immundus spiritus metu

Gentibus indultâ gratiâ ad Judæos rediit. Matth. 11. 13. Cur septem secum assumat.

[a] hoc est, quàm diu nobis occulta & latens est illius bonitas.

[b] Editi cum unico ms. Colb. *qua omne*. Deinde sola editio Par. cum eodem ms. *in bona confessione* : ubi Beccensis codex, *in bona scilicet arboris confessione*, quod in margine ad textum illustrandum non malè locum haberet, præfixo *&* ante *in bona*.

[c] In vulgatis, *quia*. Rectiùs in mss. *qui* : hoc est, populi legis, qui sunt infideles, eo magis indigni sunt veniâ.

[d] Editi, *& sensu* : corriguntur ex mss. hoc est, ipsum sermonis exordium, *Cùm autem immundus* &c. indicat eam lectionem ex sensu superiore, cujus continuatio est, proficisci.

[e] In sincerioribus mss. *namque*, vox Hilario familiaris pro *nempe*.

[f] Solus ms. Turon. cum excusis, *libro Moysi*. Infrà cap. 14. n 11. libri legis quinque memorantur.

[g] Vaticanus codex apud Latinium, *ministratum esurientibus manna* : nullo alio ei suffragante. Monuimus pag. 454. not. g. in mss. haberi *mannam æternam*.

[h] In ms. Colb. *adorantem postea pecudes cum saxis*, consentiente Carnut. nisi quòd *adorantem* habet tantùm secundis curis. In aliis etiam mss. abest *supplicatumque* : quod absque auctoritate adjectum suspicamur, maximè cùm verbum *adoro* in aliis etiam Hilarii locis cum quarto casu junctum adverterimus. Apud Par. *adorantem supplicatumque* &c. Ante *adoratum*, intelligere est *continent libri Moysi*.

[i] In vulgatis, *venienti habitatori*. Præferimus cum potioribus mss. *veniente habitatore*, diabolo scilicet, cui neque lex sollicita prospexit, nec prophetæ, ut præ se fert prior lectio.

[k] Sic mss. At editi, *in Christo*.

[l] In mss. Colb. & Carn. *ex eo* : in ceteris, *ex eis*.

legis excesserat, nunc autem in eos cum ultione repudiatæ ab eis gratiæ revertetur.

℣. 47. *Propinquitatum jus, jam unde sumendum.* 24. Et quia totum istud in paternæ majestatis virtute loqueretur; nuntianti sibi quòd foris à matre atque à fratribus exspectaretur, manum in discipulos extendens, eos sibi fratres esse matremque respondit; & quicumque voluntati paternæ obsecutus esset, eum esse & fratrem & sororem & matrem: formam se ipsum universis agendi sentiendique constituens, propinquitatum omnium jus atque nomen, jam non de conditione nascendi, sed de Ecclesiæ communione retinendum. Ceterùm non fastidiosè de matre sua sensisse existimandus est, cui in passione positus maximæ sollicitudinis (*Johan. 19. 26. & 27.*) tribuerit affectum. Est autem etiam in eo typica ratio servata, ut mater ejus & fratres foris starent, cùm utique ingrediendi ad eum haberent ut ceteri potestatem. Sed quia in sua venit, & sui eum [a] non receperunt; in matre ejus ac fratribus Synagoga & Israelitæ præfigurantur, ingressu ejus atque aditu abstinentes. (*Christi propinqui foris stantes, Synagoga.*)

CAPUT XIII.

Sedens in navicula Jesus turbis parabolas loquitur de seminante bonum semen, de zizania & tritico, de grano sinapis, de fermento absconso in farina, & expositio zizaniæ, de thesauro in agro, de bona margarita, de reti misso in mare.

Matth. 13. 1. 1. IN illa die exiit Iesus, & sedebat secus mare: ℣. 2. * *& congregatæ sunt ad eum turbæ, ita ut in naviculam adscenderet.* Sedisse Dominum in navi, & turbas foris stetisse, ex subjectis rebus est ratio. In parabolis enim erat locuturus: & facti istius genere significat eos, qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim Ecclesiæ typum præfert: intra quam verbum vitæ positum & prædicatum hi, qui extra sunt, & arenæ modo steriles atque inutiles adjacent, intelligere non possunt. De parabolis autem jam à Domino absolutis [b] loqui otiosum est. (*Verbum Dei non capiunt ab Ecclesia alieni.*)

℣. 12. 2. *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Regni mysteria fides percipit. Hæc in quibus fuerit proficiet, & incrementis profectus sui abundabit: in quibus verò non fuerit, etiam quod habent auferetur ab eis. Damnum scilicet legis ex fidei inopia declarat: [c] quam fidem Judæi non habentes, legem quoque quam habuerant perdiderunt. Et ideo perfectum fides evangelica habet donum; quia suscepta novis fructibus ditat, repudiata verò etiam veteris substantiæ opes detrahit. (*Legem ob inopiam fidei perdiderunt Judæi.*)

3. *Vestri autem beati oculi qui vident, & aures quæ audiunt.* ℣. 16. Apostolici temporis beatitudinem docet, quorum oculis atque auribus contigit Dei Salutare visere & audire: prophetis atque justis cupientibus videre & audire in plenitudinem temporum [d] destinatorum, & exspectationis istius gaudium Apostolis reservatum.

4. *Simile est regnum cælorum grano sinapis,* & reliqua. ℣. 31. Grano sinapis se ipsum Dominus comparavit, acri maximè, & omnium seminum minimo, cujus virtus ac potestas tribulationibus & pressuris accenditur. Granum hoc igitur post quàm in agro satum fuerit, id est, ubi à populo comprehensus & traditus morti, tamquam in agro, satione quadam fuit corporis consepultus; ultra mensuram omnium olerum excrescit, & universam prophetarum gloriam excedit. Oleris enim vice, tamquam ægroto, Israeli data est prædicatio prophetarum. ℣. 32. Sed jam ex ramis arboris ex solo in sublime prolatæ, cæli volucres inhabitant. Apostolos scilicet, & Christi virtute protensos, & mundum inumbrantes, in ramis intelligemus: in quos gentes in spem vitæ advolabunt, & aurarum turbine, id est, diaboli spiritu flatuque vexatæ, tamquam in ramis arboris acquiescent. (*Granum sinapis Dominus.*) (*Olera prophetarum verba.*) (*Apostoli quomodo rami.*)

5. *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ mensuris tribus, donec fermentatum est totum.* ℣. 33. Fermentum de farina est, quod virtutem acceptam acervo generis sui reddit. Huic se Dominus comparavit, quod acceptum mulier, Synagoga scilicet, per judicium mortis abscondit, arguens Legem & Prophetas [e] Evangeliis dissolvi. Hoc autem farinæ mensuris tribus, id est, Legis, Prophetarum, Evangeliorum æqualitate coopertum, omnia unum facit: ut quod Lex constituit, Prophetæ nuntiaverunt, id ipsum Evangeliorum profectibus expleatur. Fiuntque omnia per Dei Spiritum ejusdem & virtutis & sensûs: nihilque aliud ab alio mensuris æqualibus fermentatum dissentiens reperietur. (*Christus in Lege, Prophetis & Evangeliis.*)

6. Quamquam ad fidei [f] sacramentum, id est, ad Patris & Filii & Spiritus-sancti unitatem, sed & ad trium gentium vocationem, ex Sem, Cham & Japhet, tres mensuras farinæ esse referendas, sensisse multos meminerim. Sed nescio an hoc ita opinari ratio permittat: cùm tametsi omnium gentium vocatio sit [g] æquè, sed tamen in his Christus non absconsus sit, sed ostensus; & in tanta infidelium multitudine non fermentatum sit totum: in Patre autem (*Ad Trinitatis unitatem aut trium gentium vocationem non dicta, rectè referuntur.*)

[a] Duo mss. *non cognoverunt.*

[b] Cujusmodi sunt propositæ inter titulos parabolæ *de seminante bonum semen*, & *de zizania & tritico.* Hinc nemo non videt titulos illos non frustra superiùs locum suum obtinere, quamvis eis Hilarius tam paucis satisfaciat.

[c] In aliquot mss. *quia fidem.*

[d] Turonensis ms. ab antiqua manu secunda, *destinatum*; quod etiam habent alii quinque, & non malè potest referri ad *Salutare.* Non mutamus tamen lectionem receptam, quam confirmant mss. non minùs sinceri. Lipsius autem de suo expunxerat præpositionem *in* ante *plenitudinem.*

[e] Sola editio Par. *ex Evangeliis*: tum ceteræ cum aliquot mss. *dissolutos.*

[f] Obiter observare licet mysterium Trinitatis ab Hilario *sacramentum fidei* nuncupari: ut quos de hoc mysterio libros conscripsit, aliis *de fide*, aliis *de Trinitate* inscribere verè licuerit.


[g] Abest *æquè* ab aliquot probæ notæ mss. In Sem, Cham & Japhet omnes omnino homines, sive gentiles sive Judæos contineri disertè asseritur cap. 8. n. 4.

& Filio & Spiritu-sancto, [a] sine admixti extrin- A
secùs fermenti necessitate in Christo, omnia
unum sint.

℣. 44. Thesaurus in agro, Christus in carne.
7. *Iterum simile est regnum cælorum thesauro
absconditо*, & reliqua. Per similitudinem the-
sauri in agro, spei nostræ opes intra se positas
ostendit: quia Deus in homine sit repertus,
in cujus pretium omnes sæculi vendendæ sunt
facultates, ut vestitu, cibo, potuque indigen-
tium, æternas cælestis thesauri divitias com-
paremus. Sed contuendum est, [b] inventum the- B
saurum & absconsum fuisse; cùm utique qui
invenit, & secreto & tempore quo abscondit
auferre potuisset, & auferens emendi necessi-
tate caruisset. Sed ut rei, ita & dicti fuerit ra-
tio explicanda. Ideo enim absconsus est the-
saurus, quia & agrum emi oportebat. Thesau-
rus enim in agro, ut diximus, Christus intelli-
gitur in carne, quem invenisse [c] est gratuitum.
Evangeliorum enim prædicatio in absoluto est,
sed utendi & possidendi hujus thesauri cum agro C
potestas non potest esse sine pretio; quia CÆ-
LESTES DIVITIÆ non nisi damno sæculi
possidentur.

℣. 45. Negotiator, à Lege ad Evangelium transiens.
8. Et de margarita par ratio est. Sed ad ne-
gotiatorem jam diu in lege versantem profi-
ciens hic sermo est, qui longo ac diutino la-
bore ad margaritæ scientiam pervenerit, & ea
quæ sub onere legis adeptus sit, derelinquat.
Diu enim est negotiatus, & margaritam ali-
quando qualem optabat invenit: cui & unius D
hujus desiderati lapidis pretium, reliqui laboris
jacturâ est comparandum.

℣. 47. Prædicatio qui rete.
9. *Iterum simile est regnum cælorum reti misso in
mare*, & reliqua. Meritò prædicationem suam
reti comparavit, quæ in sæculum veniens, sine
sæculi damno habitantes intra sæculum con-
gregavit, modo retis, quod mare penetrans ita
agitur de profundo, ut per omne elementi illius
corpus evadens, clausos intra ambitum suum
extrahat, nosque ex sæculo in lumen veri solis E
educat: in bonorum electione, & malorum ab-
jectione, futuri judicii examen ostendens.



CAPUT XIV.

De scriba in regno cælorum, de fratribus & sororibus Domini, de Johannis capite in disco, de quinque panibus & duobus piscibus, ubi supra mare ambulat, & Petrum mersum erexit.

1. INTELLEXISTIS *hæc omnia? Dicunt* Matth. 13. 51.
ei, Utique. * *Et ait illis, Ideo omnis scriba* ℣. 52.
doctus in regno cælorum, &c. Non turbis,
sed discipulis est locutus; & intelligentibus pa-
rabolas dignum testimonium reddit, ipsos sci-
licet sub patris-familiæ nomine sibi comparans,
quòd doctrinam de thesauro suo novorum [d] ac
veterum sint adepti: quosque scribas propter
scientiam nuncupat, quòd intellexerint ea, quæ
ille nova & vetera, id est, in Evangeliis & in
Lege protulerit, [e] & ejusdem patris-familiâs,
& unius utraque thesauri.
2. *Et factum est, cùm consummasset Iesus para-* ℣. 53.
bolas istas, transiit inde, & venit in patriam suam,
& reliqua. Inhonoratur Dominus à suis. Quam-
quam & docendi prudentia, & operandi virtus
admirationem commoveret; infidelitas tamen
eorum, veritatem judicii non recipit. Non
enim credunt hæc in homine Deum agere:
quin etiam patrem ipsius, matrem, fratresque ℣. 55.
nuncupant, & paternæ artis quodam oppro-
brio lacessunt. Sed planè hic fabri erat filius,
ferrum igne vincentis, omnem sæculi virtu-
tem [f] judicio decoquentis, massamque for-
mantis in omne opus utilitatis humanæ: [g] in-
formem scilicet corporum nostrorum mate-
riem in diversa membrorum ministeria, & ad
omnia æternæ vitæ opera fingentis. In his igi-
tur scandalizabantur omnes: & inter tot [h] tam-
que magnifica quæ gerebat, corporis ejus con-
templatione commovebantur. Quibus Domi- ℣. 57.
nus inhonorabilem in patria sua prophetam esse
respondit; quia in Judæa esset usque ad crucis
sententiam contemnendus. Et quia penes solos

[a] Editi, *in ea admixti extrinsecùs fermenti necessitate, in Christo omnia unum sunt*: emendantur ex sæpe laudatis mss. Carn. Rom. Vatic. & Colb. Hilarium sibi temperasse, quo minùs Spiritum-sanctum Deum diceret, iis verbis annotarat Erasmus, quæ dubiam illius de Spiritus-sancti divinitate fidem efficere idonea essent. Sed vel ex hoc uno loco affatim refellitur. Si enim Spiritus-sanctus cum Patre & Filio *per omnia unum*; cum utroque non modò Dei nomine, sed & virtute, dignitate, honore, naturâ, substantiâ unum sit necesse est. Qui hoc haud dubius asseruit, non timuit sanè, ne Spiritum-sanctum Deum dicendo, plus ei quàm par esset tribueret. Quid autem aliud docet, qui Patrem & Filium & Spiritum-sanctum per se unum esse asserit, & non extrinsecùs in Christo, per fermentum extrinsecùs admixtum figurato? Ex quo patet verba *in Christo*, ad *unum sint*, in priùs vulgatis malè fuisse relata.

[b] hoc est, cur inventus non statim ablatus fuerit; cùm & secretò liceret, & tempus, quo absconsus fuit, ad id sufficeret.

[c] Bad. Er. Lips. & sex mss. *est gratum*: cui lectioni favet illud: *quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit.* Attamen cum Par. & quatuor mss. præferendum esse *est gratuitum*, suadet subnexa hujus dicti ratio: *Evangeliorum enim prædicatio in absoluto est*, hoc est, publica & omnibus patens. qua fere ratione cap. 14. n. 17. dicitur, *Confessio universorum tum & absoluta & publica erit.*

[d] Vocabulum *Spiritus-sancti* apud Bad. Er. Lips. & in aliquot mss. hîc perperam insertum est: cùm doctrinam novorum & veterum interpretetur Hilarius doctrinam Legis & Evangeliorum, ac Lex non minùs opus sit Spiritus-sancti quàm Evangelium. Si quidem thesaurus Christus est; doctrina de thesauro, doctrina de Christo est, quæ in Lege pariter & in Evangelio continetur.

[e] id est, quæ Lege & Evangelio continentur, & ejusdem patris-familias sunt, & ad unum thesaurum pertinent. His lucem præstant dicta superiori capite n. 5.

[f] Hîc alludit Hilarius ad ignem judicii, cujus mentionem facit cap. 2. n. 4. & cap. 5. n. 12. Sæculi virtutem vocat diabolum ejusque ministros, quos *mundipotentes* nuncupare solet. Quî autem judicio decoquendi sint, declaratur in Psal. 143. n. 11. Hinc conficitur Joseph Hilario fabrum ferrarium exstitisse. Idem sentire videtur Theophilus Antioch. in Matth. docens iis evangelicis verbis indicari Deum patrem *rigida mentium Spiritûs igne mollire.* Consentit & Ambrosius in Luc. lib. 3. n. 2. ubi allata Theophili verba exscribit. In eamdem sententiam abit Beda in Marc. cap. 6. Nihil itaque fuit, cur Scultetus hanc Hilarii opinionem ut nævum notaret unde nullo modo excusari possit. Quamvis enim alii Joseph fabrum lignarium dixerint, æquè tamen licuit ferrarium dicere; neutrum Evangelio definiente. Immo neque Hilarius lignarium negat. Utrumque verò innuit Ambrosius loco laudato. Verùm vulgata opinio Joseph artem lignariam exercuisse, ita altè Sculteti animo inhæserat, ut facilè sibi persuaserit quòd *Scriptura lignaria mentionem faciat*, eique Hilarius adversetur.

[g] Bad. Er. Lips. & sex mss. *formam scilicet nostrorum corporum & materiem.*

[h] Sinceriores mss. *tantaque magnifica.*

fideles Dei virtus est, propter eorum incredulitatem omnibus divinæ operibus virtutis abstinuit.

Matth. 14. 1. & 2. Evangeliis est & interior sensus.

3. *In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, & ait pueris suis*, & reliqua. Frequenter monuimus, omnem diligentiam Evangeliorum lectioni adhiberi oportere: quia in his, quæ gesta narrantur, subesse interioris intelligentiæ ratio reperiatur. Habet enim omnium operum narratio suum ordinem: sed gestorum effectibus causæ subjacentis species præformatur, ut in Herode ac Johanne intelligitur. Nam & Herodes princeps erat populi, & Herodiadem uxorem Philippi fratris sui in matrimonium suum jure potestatis assumserat. Et
℣. 6. & 7. huic Herodiadi erat filia: quæ natali die, cùm saltans placeret, potestatem cujus vellet præ-
℣. 8. mii, sacramento jurantis accepit: & Johannis caput [a] in carcere diu habiti, puella matre ad-
℣. 9. monente disco sibi inferri precata est. Et Herodes, tristis licèt, sacramento fidem reddidit,
℣. 12. & matri puella munus exhibuit: & sepulto eo discipuli ejus ad Dominum transierunt.
℣. 13. 4. Auditisque his Dominus in naviculam in
℣. 14. loca deserta secessit, & sequentium se turba-
℣. 15. rum vexationem misertus est, & dimitti eas in castella ad coemendos cibos Apostoli admo-
℣. 16. nent. Et Dominus respondet, necessitatem eò revertendi ipsas non habere, darique his ci-
℣. 17. bum præcipit. Et solos se quinque panes &
℣. 18. duos pisces habere causantur. Et offerri sibi
℣. 19. eos jussit, turbamque sub strato fœno accumbere. Et oblata benedixit, & turbæ manducanda comminuit, & dedit discipulis ut offer-
℣. 20. rent: & saturatis omnibus supplementa cophinorum duodecim superfuerunt, cùm tamen
℣. 21. extra mulierum puerorumque numerum, quinque millia virorum expleta essent.
℣. 22. 5. Et discipulos naviculam conscendere, &
℣. 23. trans fretum præcedere jubet, dimissâque ipse turbâ in montem orare solus adscendit: facto-
℣. 24. que vespere solus fuit: & navis mari medio,
℣. 25. vento adversante, fluctibus jactabatur. Et quartâ vigiliâ Dominus venit super mare ambu-
℣. 26. lans: videntesque turbati sunt, & inanis visûs phantasma credentes, clamaverunt præ timo-
℣. 27. re. Quibus mox Dominus locutus est, & con-
℣. 28. stantes esse jussit. Et ex plurimis Petrus respondens, postulavit uti ad Dominum super aquas
℣. 29. veniret. Qui de navicula descendens, & pro-
℣. 30. gressus aliquantulùm, vento invalescente &
℣. 31. timere cœpit & mergi. Quem apprehendens
℣. 32. Dominus, objurgavit cur fidei modicæ sit: ingressusque navem, tranquillitatem vento & mari quiescente revocavit.

6. Igitur hæc ut commemoravimus gesta sunt: sed his omnibus personis, effectibus, causis, numeris modus adjacet, ut quæ gesserunt, præter gerendi munus instinctumque, quem unusquisque ex natura sua sumsit, extrinsecùs omnia gesserint in exemplum: hoc majore ita opinandi reverentiâ, si tam diversarum causarum efficientiam una atque eadem intelligentia consequatur. Sermo igitur ad originem propositionis referendus est.

7. Johannes, ut frequenter admonuimus, formam prætulit legis: quia lex Christum prædicavit, & Johannes profectus ex lege est, Christum ex lege prænuntians. Herodes verò princeps est populi: & populi princeps, subjectæ sibi universitatis nomen causamque complectitur. Johannes ergo Herodem monebat, ne fratris sui uxorem sibi jungeret. Sunt enim atque erant duo populi, circumcisionis & gentium. Sed Israelem lex admonebat, ne opera gentium infidelitatemque sibi jungeret. Gentium enim socia infidelitas est, quæ ipsis tamquam vinculo conjugalis amoris annexa est. Hi igitur fratres ex eodem humani generis sunt parente. Ob hanc itaque asperæ admonitionis veritatem, Johannes tamquam lex in carcere continebatur. Die autem natalis, id est, rerum corporalium gaudiis, Herodiadis filia saltavit: voluptas enim tamquam ex infidelitate orta, per omnia Israelis gaudia totis illecebræ suæ cursibus efferebatur. Cui se omnem etiam sacramento venalem populus addixit: sub peccatis enim & sæculi voluptatibus, Israelitæ vitæ æternæ munera vendiderunt. Hæc matris suæ, id est, infidelitatis instinctu, deferri sibi Johannis caput, id est, gloriam legis oravit: quia lex incestuosum Israelem auctoritate divinorum præceptorum arguebat.

8. Sed superiùs Herodes significatus est Johannem velle occidere, & metu populi demorari, quia sicut propheta habebatur. Nunc verò petita ipsius nece, cùm præsertim religione sacramenti detineretur, quomodo tristis efficitur? Contrarium videlicet est, tunc eum voluisse, nunc nolle: & præsens molestia anteriori non convenit voluntati. Verùm in superioribus gestæ rei ordo est, in his autem nunc species causæ consequentis exponitur. Gloriam legis voluptas ex infidelitate orta occupavit. Sed populus boni ejus quod in lege erat conscius, [b] voluptatis conditionibus non sine aliquo certi periculi sui dolore [c] connivet. Scitque se [d] tali præceptorum gloriâ non oportuisse concedere: sed peccatis tamquam sacramento coactus, & principum adjacentium metu atque exemplo depravatus & victus, illecebris voluptatis etiam mæstus obtemperat. Igitur inter reliqua dissoluti populi gaudia, in disco Johannis caput affertur; damno scilicet legis voluptas corporum & sæcularis luxus augetur: & ita per puellam ad matrem defertur. Ac sic probrosus Israel & voluptati & infidelitati suæ familiæ, scilicet antea gentium, gloriam legis addixit. Finitis igitur legis temporibus, & cum Johanne consepultis, discipuli ejus res ita gestas Domino nuntiant, ad Evangelia scilicet ex lege venientes.

Marginal notes (right column): Johannes, lex. — Herodes & frater, Judæi & gentes. ℣. 4. — Gentium uxor, infidelitas. — ℣. 5. — Filia, voluptas. — ℣. 8. — ℣. 5. Lex infidelitate ac voluptate interiit. — ℣. 9. — ℣. 11. — ℣. 12.

[a] In aliquot mss. *qui in carcere diu habitavit.* Hoc potiùs ita vertendum erat: qui in carcere jam diu habebatur.

[b] Bad. Er. & Lips. *voluntatis*: malè.

[c] Editi excepto Par. cum aliquot mss. *concedit*. Rectiùs alii libri, *connivet*, hoc est, quamvis non sponte, consentit tamen.

[d] In sex mss. *talem præceptorum gloriam*: lectio non probanda. Hîc verbum *concedere* desertionem sonat, atque idem est quod *recedere*; antea autem *oportuisse* eamdem vim habet ac *debuisse*.

℣. 13. *Legis finis, Ecclesiæ initium.*

9. Ergo Dei Verbum lege finita navem A conscendens Ecclesiam adit, & in desertum concedit: relicta quippe conversatione Israel, in vacua divinæ cognitionis pectora transiturus. Turba hæc audiens, Dominum de civitate pedes sequitur in desertum: de Synagoga videlicet
℣. 14.
ad Ecclesiam concedit. Quam videns misertus est, & omnem languorem ejus infirmitatemque curat: obsessas scilicet mentes & corpora infidelitatis veterno ad intelligentiam novæ prædicationis emundat. B

℣. 15. *Legalis doctrinæ cibus.*

10. Et cùm discipuli dimitti turbas in castella proxima ad coemendos cibos admonerent;
℣. 16.
respondit, *Non habent necesse ire:* ostendens eos, quibus mederetur, [a] legalis doctrinæ cibo non egere, neque necessitatem habere regredi ad Judæam cibumque mercari; jubetque Apostolis ut eis escam darent. Numquid ignorabat, non esse quod dari posset; & humanarum mentium interna conspiciens, modum repositi penes Apostolos cibi nesciebat? Sed erat omnis C typica ratio explicanda. Nondum enim concessum Apostolis erat, ad vitæ æternæ cibum,
℣. 17.
CÆLESTEM PANEM PERFICERE AC MINISTRARE. Quorum responsio ad spiritalis intelligentiæ ordinem tendit. Solos enim se quinque panes & duos pisces responderunt habere: quia adhuc sub quinque panibus, [b] id est, quinque libris legis continebantur, & piscium duorum, id est, prophetarum & Johannis prædicationibus alebantur. In operibus enim D legis, tamquam ex pane erat vita: prædicatio autem Johannis & prophetarum, in virtute aquæ, vitæ humanæ spem confovebat. Hæc igitur primùm, quia in his adhuc erant, Apostoli obtulerunt: sed ex his Evangeliorum prædicatio [c] profecta monstratur, & his originibus deducta in majorem virtutis suæ abundantiam crescit.

Quinque panes & duo pisces quid significent.

℣. 19. *Christus in cibum versus.*

11. Acceptis igitur panibus atque piscibus, Dominus respexit ad cælum, benedixit & fre- E git, Patri agens gratias post tempora legis ac prophetarum se in evangelicum cibum verti [d]. Accumbere post hæc supra fœnum populus jubetur; non jam in terra jacens, sed lege suffultus: & tamquam terræ fœno, fructibus operis sui unusquisque substernitur. [e] Dantur quoque Apostolis panes, quia per eos erant divinæ gratiæ dona reddenda. Plebs deinde quinque panibus & duobus piscibus pascitur & expletur: & fragmenta panis & piscium, saturatis F accumbentibus, usque in duodecim cophinorum plenitudinem abundaverunt, Dei scilicet verbo ex doctrina legis prophetarumque veniente, multitudo satiatur: & reservata gentium plebi [f] ex æterni cibi ministerio, in duodecim Apostolorum plenitudinem, copia divinæ virtutis exuberat. Idem autem edentium numerus invenitur, qui futurus fuerat crediturorum. Nam sicut libro [g] Praxeos continetur, ex Israel populi infinitate, virorum quinque millia crediderunt. Rerum enim [h] admiratio usque in mensuram causæ subjacentis extenditur. Confractique cum piscibus panes, saturato populo, in tantum deinceps cumulantur augmentum, quantus & credentis populi, & explendorum cælesti gratia Apostolorum numerus destinabatur: ut & modus numero, & numerus modo obtemperaret; & intra fines suos ratio conclusa, ad consequentis effectus conditionem ipso divinæ virtutis moderamine contineretur.

Cur dentur Apostolis panes. ℣. 20. *Cur quinque millia inde saturentur: cur duodecim cophini reserventur.*

Act. 4. 4.

12. Vincit autem humanam intelligentiam C opus facti: & cùm frequenter quædam sint, quæ concepta sensu, sermo non explicet; in his tamen ipsa [i] sensûs subtilitas ingravescit, & ad rei contemplationem pro difficultate tam invisibilis negotii obstupescit. Acceptis enim panibus quinque, in cælum Dominus respexit, honorem ejus, à quo erat, ipse confessus: non quòd carnalibus oculis contueri Patrem esset necesse; sed ut qui adessent, intelligerent à quo virtutis tantæ accepisset effectum. D Dat deinde discipulis panes. Non quinque multiplicantur in plures: sed fragmentis fragmenta succedunt, & fallunt semper [k] præfractu frangentes. Crescit deinde materies: [l] nescio utrùm in mensarum loco, an in manibus sumentium, an in ore [m] edentium. Ne mirere fontes fluere, inesse uvas vitibus, & uvis vina diffundi, & omnes mundi opes annuo quodam meatu indefessoque defluere: auctorem enim hujus universitatis tantus panum profectus ostendit, per quem tali incre- E mento modus pertractatæ materiæ adderetur. Agitur enim in opere visibili invisibilis molitio: & arcanorum cælestium Dominus, arcanum negotii præsentis operatur. Superat autem omnem naturam virtus operantis, & supergreditur facti intelligentiam ratio virtutis, & sola relinquitur admiratio potestatis. Ordo etiam causarum operumque consequitur.

Cur in cælum respexerit Christus.

Mundi auctor hoc facto innotescit.

13. *Conscendere post hæc in navem discipulos præ-* ℣. 22.
F *cepit, donec turbas ipse dimitteret: * & dimissâ* ℣. 23.
turbâ montem conscendit orare, & vespere facto solus erat. Horum ratio distinguenda temporibus

[a] In vulgatis & aliquot mss. *venalis doctrinæ:* lectio speciem habens veritatis. At quæ nunc exhibetur ex mss. Carn. & Colb. sincerior visa est, ut iis minùs obvia, qui libros veteres proprio ingenio aut corrigunt, aut corrumpunt.

[b] Editi, *quinque panibus quinque libri legis* &c. emendantur ope mss.

[c] In mss. Colb. & Carn. *propheta.* Ex mendosa hujusmodi lectione obtinuit apud Par. *prophetata.*

[d] Excusi renitentibus omnibus mss. hîc adjiciunt *significans.* Absque hoc verbo lectio ita integra est: *gratias agens se verti* &c.

[e] Sic antiquæ editiones cum pluribus mss. Sic & num. 12. uti 4. *Dat deinde discipulis panes.* At apud Par. *Subduntur quoque Apostolis.* Et in mss. Carn. & Colb. *Subduntur quoque ab Apostolis.*

[f] Bad. & Er. cum mss. *& æterni.* At in Turonensi codice secundis curis, sed eadem manu, hîc expuncto *&*, antea substitutum est *reservato*, loco verbi *reservata:* quod non mutandum putamus, sed ad vocem *copia* referendum.

[g] Er. Lips. & Par. *libro Praxeon:* renitentibus cum Bad. omnibus mss.

[h] Sæpe apud Hilarium, sed in hoc maximè loco, vocabulum *admiratio* non actum admirandi, sed miraculum ipsum, quo admiratio excitatur, significat.

[i] Ita Codex Carnut. cum Colb. Alii verò, *sensûs sublimitas.*

[k] Antiquæ editiones cum aliquot mss. *præfracta.* Huc spectat illud lib. 3. de Trin. n. 6. *Semper præfringentis manum fragmenta occupant: fallunt momenta visum, dum plenam fragmentis manum sequeris.*

[l] Mss. Rom. Colb. Vat. & Carn. *nescio utrùm, an in mensurarum loco.*

[m] In uno ms. Colb. *credentium:* non placet. Habes loco laudato de Trin. *Præfringentes in ministerio sunt, edentes in negotio sunt, esurientes saturi sunt.*

est. Quòd vespere solus est; solitudinem suam in tempore passionis ostendit, ceteris trepidatione dilapsis. Quòd autem navem conscendere discipulos jubet, & ire trans fretum, dum turbas ipse dimittit, & dimissis turbis adscendit in montem, esse * intra Ecclesiam, & per fretum, id est, per sæculum ferri usque in id tempus jubet, quo revertens in claritatis adventu populo omni, qui ex Israel erit reliquus, salutem reddat ipse, ejusque peccata dimittat: dimissoque, vel in cæleste regnum potiùs admisso, agens Deo patri gratias, in gloria ejus & majestate consistat.

* *supple*, eos.

Israel reliquiis erit salus.

℣. 24.

Dei supra Ecclesiam vigiliæ quatuor.

℣. 25.

14. Sed inter hæc discipuli vento ac mari differuntur, & totis sæculi motibus, immundo spiritu adversante, jactantur. Sed quartâ vigiliâ Dominus venit: quartò enim tum ad Ecclesiam vagam & naufragam revertetur. In quarta enim noctis vigilia, totidem sollicitudinis ejus numerus reperitur. Prima enim vigilia fuit legis, secunda prophetarum, tertia [a] corporalis adventus, quarta autem in reditu claritatis. Sed inveniet fessam, & antichristi spiritu & totius sæculi motibus circumactam. Veniet enim maximè anxiis atque vexatis. Et quia de antichristi consuetudine ad omnem tentationum [b] novitatem sollicit erunt; etiam ad Domini adventum expavescent, falsas rerum imagines, & subrepentia oculis figmenta metuentes. Sed bonus Dominus statim loquetur, timoremque apellet, dicetque, *Ego sum*, adventus sui fide metum naufragii imminentis apellens.

Antichristi terror.

℣. 27.

15. Quòd verò ex omnium consistentium in navi numero, respondere Petrus solus audet, & juberi sibi ut super aquas ad Dominum veniat precatur; passionis tempore voluntatis suæ designat affectum, tum cùm solus retro veniens, & vestigiis Domini inhærens, contemtis sæculi, ut maris, motibus, pari ad contemnendam mortem virtute comitatus est: sed infirmitatem futuræ tentationis timiditas ejus ostendit. Nam quamvis incedere ausus esset, tamen submergebatur: per imbecillitatem enim carnis & metum mortis, etiam usque ad negandi necessitatem coactus est. Sed proclamat, & salutem orat à Domino. Clamor iste, pænitentiæ suæ gemitus est. Nondum enim passo Domino in confessionem reversus est, & negandi veniam habuit in tempore; Christo postea pro universorum redemtione passuro.

Petri fervor, ℣. 28.

lapsus, ℣. 30.

pænitentia,

16. Quòd autem trepidandi illi, non virtutem perveniendi ad se Dominus indulsit, sed manum extendit, apprehensumque sustinuit; hæc ratio est. Non erat quidem Petrus Domini sui indignus accessu, nam & tentavit accedere: sed & typicus in eo ordo servatus est. Non enim Domino sæculi motus tempestatesque calcanti, quisquam passionis esse particeps poterat; solus enim passurus pro omnibus, omnium peccata solvebat: nec socium admittit, quidquid universitati præstatur ab uno. Ita cùm esset ipse redemtio universorum, erat etiam Petrus antè redimendus, ad redemtionis istius fidem [c] tum in Christi martyrem reservatus.

Cur non à trepidatione liberatus.

Christus omnium redemtio.

17. Et hoc in Petro considerandum est, fide eum ceteros anteisse. Nam ignorantibus ceteris, primus respondit, Tu es filius Dei vivi. Primus passionem, dum malum putat, detestatus est. Primus & moriturum se, & non negaturum spopondit. Primus lavari sibi pedes prohibuit. Gladium quoque adversùs eos, qui Dominum comprehendebant, eduxit.

Petrus fide ceteros anteiit.

Matth. 16. 17.
Ibid. 22.
Matth. 26. 33.
Johan. 13. 8.
Johan. 18. 10.

18. Adscensu autem ejus in navim, ventum & mare esse sedatum: post claritatis suæ reditum, [d] æterna Ecclesiæ pax & tranquillitas indicatur. Et quia tum manifestus adveniet, rectè admirantes universi locuti sunt: *Verè filius Dei est.* Confessio enim universorum tum & absoluta & publica erit, Dei filium non jam in humilitate corporea, sed in gloria cælesti pacem Ecclesiæ [e] reddidisse.

℣. 33.

19. *Cùm transfretassent, venerunt in terram Genesar: * & cùm cognovissent eum viri loci illius, adorabant eum.* [f] Multa & media inciderunt, quæ nos, post quinque millium virorum & congregationem & satietatem, reddendæ rationis studio demorata sunt: sensus autem usque in hunc locum idem est. Finitis enim legis temporibus, & ex Israel quinque millibus virorum intra Ecclesiam collocatis, jam credentium * populus occurrit: jam ipse ex lege per fidem salvus, reliquos ex suis infirmos ægrotosque offerens Domino, oblatique fimbrias vestimentorum contingere optabant, sani per fidem futuri. Sed ut ex veste tota fimbriæ, ita ex Domino nostro Jesu Christo sancti Spiritus virtus exiit: quæ Apostolis data, ipsis quoque tamquam ex eodem corpore exeuntibus, salutem his qui contingere cupiunt, subministrat.

℣. 34.

℣. 35.

* Israelitarum.

Ex Christo prodit Apostolorum virtus.

CAPUT XV.

De lavandis manibus, & non ea quæ in os intrant, sed ea quæ ex ore exeunt inquinare, de filia Chananææ mulieris, de septem panibus & paucis piscibus.

Matth. 15. 1.

1. [g] TUNC *accesserunt ad eum Scribæ & Pharisæi ab Ierosolymis, dicentes, &c.* Absoluta & dictorum & gestorum in consequentibus ratio est: nam his, quæ

[a] Quatuor non inferioris notæ mss. *corporis adventu.*

[b] Beccensis codex, *motum.*

[c] Editi, *cùm in Christi martyrem*: ac deinde iidem excepto Bad. *reservatur.* Corriguntur auctoritate mss.

[d] Bad. Er. & mss. *æternæ Ecclesiæ.* Superiora sic vertenda sunt: *Quod autem mare sedatum est* &c.

[e] Apud Par. ut in mss. Colb. & Carn. *redisse*: potest & ea lectio retineri, qua Christi, qui est pax Ecclesiæ, gloriosus reditus prædicetur. Deinde in iisdem mss. *cùm transfretasset.* Mox reponimus ex ms. Mich. *Gennesar*, quod propiùs accedit ad græc. Γενησαρέθ, ubi in nonnullis, *Gennasar*, apud Bad. & Er. *Gennassar.* In ceteris codicibus ut in Vulgata, *Genesar.*

[f] Aliquot mss. *multa è medio.*

[g] Editi hoc xv. caput à verbis num. 2. ordiuntur, refragantibus mss. necnon sacro textu dissentiente, cùm præterea prima titulorum pars *de lavandis manibus* &c. ad primum dumtaxat numerum referri valeant.

℣. 13. propoſita fuerant, ipſe reſpondit, omnem plan- A
tationem, quæ non à Patre ſit, eradicandam
dicens, id eſt, traditionem hominum eruen-
dam, cujus favore, legis præcepta tranſgreſſi
ſunt: & ideo eſſe eos duces cæcos, vitæ æter-
næ iter quod non videant pollicentes, cæciſ-
que ipſis & ducibus cæcorum caſum in foveam
eſſe communem.

* al. CANON XV. 2. * *Et egreſſus inde Ieſus ſeceſſit in partes Tyri &*
℣. 21. *Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis*
℣. 22. *egreſſa, clamavit*, & reliqua. Diverſa curatio- B
num genera diverſos cauſarum complectuntur
effectus: ſed res atque ſermo ordinem ex ſu-
a perioribus ſumit. Infidelitatem enim Phariſæo-
rum, [a] & opprobrio cæcorum ducum, & hu-
manarum traditionum ſuperſtitionibus coar-
guit. Et poſt hæc ad regiones Tyri & Sidonis
venit, & Chananæa à finibus illis egreſſa cla-
℣. 23. mat atque orat, & Dominum David filium
℣. 24. confitetur, & filiæ ſuæ opem poſcit. Dominus
ſilet, diſcipuli pro ea rogant: quibus ſe perdi- C
℣. 25. tis ovibus domûs Iſrael miſſum eſſe reſpondet.
℣. 26. Illa verò adorans, adjuvari ſe poſtulat: cui
Dominus ait, illicitum eſſe panem filiorum
℣. 27. canibus offerre. Viciſſimque illa reſpondet,
℣. 28. decidentibus de menſa dominorum micis ali
catellos ſolere. Poſt quæ fidem ejus Dominus
collaudat: & in tempore ipſo puellæ ſanitas
reddita eſt.

Chananæa proſelytorum figura. 3. Ut igitur illa, quæ geſta ſunt, ea quæ inte-
rior eſt ratio conſequatur; quæ Chananææ D
perſona ſit, ex ipſis verborum virtutibus con-
tuendum eſt. Fuiſſe, atque etiam eſſe penes
* ſcil. proſelytorum plebs. Iſrael proſelytorum plebem, fides certa eſt:
quæ * de gentibus in legis opera tranſſcendit,
& vitæ anterioris egreſſa regionem, peregrinæ
Chananæi qui. dominantiſque legis tamquam domo contine-
batur. Chananæi autem fuerunt terras, in qui-
bus nunc Judæa eſt, incolentes: qui vel bello
conſumti, vel in loca vicina diſperſi, vel in ſer-
vitutem devictorum conditione ſubjecti, no- E
men tantùm ſine patria ſede circumferunt.
Plebs igitur hæc cum Judæis admixta de gen-
tibus eſt. Et quia non eſt ambiguum, in ea tur-
ba quæ credidit, partem nonnullam proſely-
torum fuiſſe; meritò hæc Chananæa, proſely-
torum formam præferens, exiſtimabitur fines
ſuos egreſſa, ex gentibus ſcilicet in populi al-
terius nomen excedens: quæ pro filia, videli-
cet gentium plebe, orat. Et quia Dominum
Eſai. 11. 1. cognovit ex lege, David filium nuncupat. In F
Jerem. 23. 5. lege enim virga de radice Jeſſe, & David fi-
lius æterni & cæleſtis regni rex continetur.

Chananææ filia typum gerit Eccleſiæ. 4. Ipſa quidem curatione jam non eget,
quæ Chriſtum & Dominum & David filium
confitetur: ſed filiæ ſuæ, plebi videlicet gen-
tium, dominatu immundorum ſpirituum occu-
patæ, opem poſcit. Dominus tacet, [b] ſilentii b
patientiâ Iſrael privilegium ſalutis reſervans.
Et miſerantes diſcipuli preces jungunt: ſed ar-
canum ille paternæ voluntatis continens, ovi-
bus ſe perditis Iſrael miſſum eſſe reſpondit: ut
abſolutè liqueret, typum Eccleſiæ Chananææ
filiam continere; cùm illa poſceret quod aliis
[c] deferebatur, non quòd non & gentibus im- c
pertienda ſalus eſſet: ſed ſuis Dominus atque Fidei primitiæ ex Iſrael.
in ſua venerat, primitias [d] ergo fidei ab his d
quibus erat ortus [e] exſpectans, ceteris dein- e
ceps Apoſtolorum prædicatione ſalvandis. At-
que ideo ait: *Non licet accipere panem filiorum,* ℣. 26.
& dare canibus. Delatus Iſrael honor, affectûs
in eum Dei cumulat invidiam: juxta [f] quem f
plebs gentium accepit canum nomen. Sed Cha-
nanæa jam ipſa per fidem ſalva, & interioris
certa myſterii, reſpondit micis, quæ de menſa
exciderint, paſci catellos, canum opprobrio
jam ſub blandimento diminutivi nominis mi-
tigato.

5. Et ut ſilentium Domini intelligeremus Tum deinde ad fidem vocantur gentes.
ex ratione temporis, non ex voluntatis diffi-
cultate proficiſci; adjecit, *O mulier, magna eſt*
fides tua: * ſalutis ſuæ ſcilicet ipſa jam certa, ℣. 28. * ſupple, ut.
quin etiam de gentium congregatione confi-
dat: quo in tempore ita credentes, mox ut
puella, ab omni dominatu immundorum ſpiri-
tuum liberabuntur. Et continuò facti fides ſe-
quitur. Nam poſt præfiguratam in Chananææ
filia gentium plebem, continuò in monte ob- ℣. 29. & 30.
ſeſſi vario genere morborum à turbis Domino
offeruntur, id eſt, à credentibus infideles ægro-
tique ut adorent & procidant inſtruuntur: qui-
buſque ſalus redditur, atque ad ſentiendum,
contuendum, laudandum, comitandumque
Deum, omnia & mentis & corporis miniſteria
reformantur.

6. *Ieſus autem convocatis diſcipulis ait, Miſe-* ℣. 32.
reor turbæ huic; quia triduum eſt jam, quòd per-
ſeverat mecum, & reliqua. Tenet ordinem cur-
ſus operandi, ſed & operibus iiſdem ſermonum
par ratio ſuccedit. In filia enim Chananææ,
Eccleſiæ formam conſtitutam meminimus: &
conſequentis populi curationem, concurſum
ægrotarum gentium eſſe tradidimus. Nunc er-
go diligenter & dicta Domini & facta tractan-
da ſunt: ut videamus [g] an ſuperior res atque g
ſermo ita, ut à nobis intelligi traditus eſt, etiam
ex conſequentibus ejuſdem intelligentiæ acci-
piat auctoritatem. Miſeretur turbæ Dominus,
quòd triduo ſecum maneat: quam dimittere
jejunam non vult, ne in via præ inedia deficiat.
Cauſantur diſcipuli panes non eſſe tantos, qui- ℣. 33.
bus expleri ſaturarique poſſit. Percontatus eſt ℣. 34.

[a] In vulgatis, *& opprobrium*. Rectiùs in melioribus mſſ. *opprobrio*, ſcil. coarguit ac damnat infidelitatem Phariſæorum. Deinde Bad. & Er. *& humanarum traditionum ſuperſtitiones*. Lipſ. & Par. *ex humanarum* &c. In mſ. Turon. à ſecunda manu, *& humanarum traditionum ſuperſtitionis*.

[b] Editi, *ſilentii pœnitentiâ*: emendantur ex mſſ.

[c] Par. cum tribus mſſ. *differebatur*. Veriùs alii libri *deferebatur*, puta Iſraelitis. Quocirca mox ſubjicitur, *Delatus Iſrael honor*.

[d] Particula *ergo* abeſt à Bad. Er. Lipſ. & pluribus mſſ.

[e] Vindocin. mſ. *explicandus*. Quinque alii cum Bad. *explicans*. Er. & Lipſ. *explicat*. Verbum *exſpectans* quod habent Par. & melioris notæ mſſ. cum ſuperioribus magis congruit, maximè autem cum *ſilentii patientia*.

[f] Illud *quem* vel ad affectum vel ad Iſrael refertur. Hinc non placet cum uno mſ. *juxta quod*, aut cum duobus aliis *juxta quam*.

[g] Editi, *an ſuperioris tractatus atque hujus ſermo*: obnitentibus omnibus mſſ. Eadem ratione initio n. 2. habemus: *Sed res atque ſermo ordinem ex ſuperioribus ſumit*. His autem verbis licèt videatur indicari ſimile miraculum ſuperiori capite enarratum, potiſſimùm tamen ſignificantur ſuperiora Domini dicta atque facta, hoc ipſo capite expoſita, quorum cum ſubſequentibus connexio expendatur.

Dominus quot panes haberent. Responderunt A
✝. 35. illi, septem panes esse, & paucos pisces. Turbis
✝. 36. jubetur in terram discumbere: & Dominus panes ac pisces accipiens gratias egit, ac fregit,
✝. 37. & discipulis præfracta ut offerrent dedit. Sed fragmenta panum septem paucorumque piscium explent virorum quatuor millia: ita tamen, quòd replendis septem sportis præfractus panis, saturatis omnibus, abundavit.

* collata cum eo quod Matth. 14. 15. &c. enarratum est.

7. Et occurrunt quidem multa * quæ nova sunt. Discipuli unius diei jejunium miserantes, B quinque millia virorum ad coemendos cibos remitti in castella voluerunt: nunc toto triduo tacent. Et deinceps fœno superior turba substernitur: hæc accumbit in terra. Illic quinque panes, hîc septem offeruntur: illic duo pisces, hîc indefinitus, sub paucitatis tamen significatione, numerus est. Illic quinque millia virorum, hîc quatuor: illic duodecim cophini, hîc septem sportæ repletæ. Et superioribus quidem puto esse responsum, & omnia C juxta personam populi congruenter esse subjecta. Nunc quoque competentem rei atque causæ rationem afferre tentemus: ut quemadmodum illa Judaicæ credentium congruunt plebi, ita hæc populo gentium comparentur.

Suprà Israelitarum, nunc gentium fides exprimitur.

Baptizandorum fidei professio.

8. Ordo igitur idem in sermone Domini est, qui in consequenda gratia manet. Venturi enim ad baptismum, priùs confitentur credere se in Dei filio & in passione ac resurrectione ejus: & huic professionis sacramento fides redditur. At- D que ut hanc verborum sponsionem quædam rerum ipsarum veritas consequatur; toto in jejuniis passionis dominicæ tempore demorantes, quadam Domino compassionis societate junguntur. Igitur sive sponsionis sacramento, sive jejunio, omne illud passionis dominicæ cum Domino agunt tempus.

Jejunium passionis dominicæ tempore.

9. Et hujus spei atque comitatûs Dominus misertus, ait triduo secum esse. Quos ne in vitæ sæcularis cursu, id est, in viæ opere de- E fectio labefactaret; vult cibo suo alere, atque ad peragendam totius itineris fortitudinem panis sui virtute firmare: conquerentibus discipulis, panes in deserto nullos esse. Atquin in superioribus exemplum sumserant, nihil impossibile Deo esse. Sed gestorum causæ rationem interioris intelligentiæ moliuntur. Quantus enim Apostolorum in salvando Israel favor fuerit, beatissimi Pauli epistolæ docent: atque ideo eodem demorante, nunc in concursu F gentium & de pane causatio, & de jejunio silentium introducitur.

Apostolorum de salute Israel sollicitudo.

Rom. 9. 3.

10. Panes igitur septem offeruntur. Nulla enim ex lege & prophetis gentibus salus sumitur, sed per gratiam Spiritûs vivunt, cujus septiforme, ut per Esaiam traditur, munus est. Ergo [a] Spiritus per fidem salus gentibus est. Quæ in terram recumbunt; nullis enim legis operibus fuerant antè substratæ: sed peccatorum & corporum suorum origini inhæren- G tes, ad donum Spiritûs septiformis vocantur.

Panes septem Spiritus-sancti septem dona.

Esai. 11. 2. a

Indefinitus piscium numerus, diversorum donorum & charismatum [b] partitiones ministrationesque significat: quibus fides gentium, gratiarum diversitate satiatur. Sed quòd septem sportæ replentur; redundans & multiplicata septiformis Spiritûs copia indicatur, cui quod dilargiatur exuberet: fitque saturatis nobis ditior semper & plenior. Quòd verò quatuor millia virorum congregantur, multitudo innumerabilium ex quatuor orbis partibus intelligitur. Ad formam enim futuri in tot partium millia plebs dinumerata satiatur, quotidem de partibus ad cælestis cibi donum concursura essent millia crediturorum. Turba igitur dimittitur satiata & expleta. Et quia omnibus diebus vitæ nostræ nobiscum Dominus manet; navem, id est Ecclesiam, credentium plebe comitatus ingreditur.

b Pisces indefiniti, diversa charismata.

Gentes ex quatuor orbis partibus vocandæ.

CAPUT XVI.

De Jonæ prophetæ signo, & de fermento Pharisæorum, de confessione Petri & benedictione Domini, & de se abnegando qui Christum sequi voluerit.

Matth. 16. 1.

1. ET *accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum, ut signum de cælo illis ostenderet*, & reliqua. Adsunt Pharisæi & Sadducæi legis fiduciâ insolentes: dedignantesque opera virtutum fidei, signum ostendi sibi de cælo precantur. Humilitatem in Christo carnis & corporis contuentes, doctrinam ex his quæ sub hominis habitu gerebat dedignantur accipere. Quorum inso- ✝. 2.
lentiam & inanitatem irridens, multa eos de natura cæli conjicere solere respondit, cùm rubicundo aut ortu aut vespere serenum nimbosumve pronuntient: porro autem ignorare ✝. 4. c
eos temporum signa, [c] cùm omnis lex & prophetæ adventus sui indicia ex operum quæ gereret admiratione significent: ut quemadmodum fidem tempestatis cæli vel matutini vel vesperis rubor redderet; ita manifestam temporum cognitionem virtutum atque operum indicia præstare deberent.

Christi dignoscendi nota, operum virtus.

2. Sed ortus è cælo signum his terrestre constituit, ut eos intra confessionem humilitatis ✝. 4.
corporeæ contineret, dandum dicens Jonæ signum. Huic se Dominus comparat, quem ad futuræ passionis effectum in prædicationem pænitentiæ ad Ninivitas pari specie præmiserat. Namque Jonas ventis desævientibus projectus è navi est, & devoratus à ceto, & post triduum vivus emissus, non retentus à monstro, non cibi conditione confectus: sed contra humani d
corporis naturam integer & illæsus in auras superas virtute dominicæ [d] præfigurationis evadit. Hoc ergo potestatis suæ signum constitutum

Jonas Christi figura.

[a] Carnutensis codex cum Colb. *Spiritu.*
[b] In mss. Rom. *participationes.*
[c] Apud Par. *cum omnibus lex.* Rectiùs in aliis libris, *omnis.* Sic & cap. 12. n. 2. *quia omnis lex usque ad Johannem.*
[d] Latinius ex Vat. cod. *incarnationis*; non est audiendus.

esse

esse demonstrat, [a] ipse remissionem peccatorum per pœnitentiam prædicans, de Jerusalem vel Synagoga immundorum spirituum dominante flatu ejiciendus, & Pilati potestati, id est, sæculi judicio tradendus, & à morte tamquam elementi ejusdem monstro glutiendus: & post triduum ex ea, contra conditionem hominis quem assumserat non retentus, vivus atque incorruptus emergens. Ea igitur, quæ in homine de conceptu virginis sumto divinarum erant plena virtutum, cognosci atque intelligi de se voluit & prophetæ signo & hominis exemplo.

℣. 4.

3. *Et relictis illis abiit.* Non sicut locis aliis legitur, dimissis turbis abiit: sed quia infidelitatis error insolentium animos obtinebat, non dimisisse eos scribitur, sed reliquisse. *Et cùm venisset trans fretum, obliti sunt discipuli ejus panes accipere. Jesus autem dixit illis, Attendite vobis à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.* Absoluta omnis de fermento Pharisæorum & Sadducæorum obscuritas est. Quòd autem abstinere se eo Apostoli jubentur: non admisceri doctrinæ Judæorum monentur; quia legis opera in effectum fidei & in præformationem rerum consequentium constituta sint: ut [b] in quorum tempora atque ætatem veritas contigisset, nihil ultrà in veritatis similitudine spei positum arbitrarentur; ne doctrina Pharisæorum Christum nesciens, effectus veritatis evangelicæ corrumperet.

℣. 5.

In legis operibus spes nulla, ubi veritas contigit.

℣. 13.

4. *Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos*, & reliqua. In processu sermonis atque operis absolutiùs discipulis cognitionem * suam præstat, & quamdam intelligendi se formam rationemque constituit. Est autem hæc vera & inviolabilis fides, ex Deo æternitatis (cui ob id quòd semper filius fuerit, semper & jus patris & nomen sit; ne si non semper filius, non semper & pater sit) Deum filium profectum fuisse, cui sit ex æternitate parentis æternitas. Nasci autem eum * voluntas ejus fuit, cujus in virtute ac potestate inerat ut nasceretur. Est ergo filius Dei ex Deo Deus, unus in utroque: [c] theotetam enim, quam deitatem Latini nuncupant, æterni ejus parentis, ex quo nascendo est profectus, accepit. Accepit autem hoc quod erat: & natum est Verbum quod fuit semper in Patre. Atque ita Filius & æternus & natus est: quia non aliud in eo natum est, quàm quod æternum est.

* id est, sui.

Filius & Deus æternus & natus est.

* l. 3. de Trin. n. 4.

5. Hunc igitur assumsisse corpus, & hominem factum esse, perfecta confessio est: quia sicut æternitas naturæ nostræ corpus accepit; ita cognoscendum est, naturam corporis nostri æternitatis assumere posse virtutem. Igitur quia summum in fide ista bonum est; à discipulis requirit quem se homines esse dicerent: & adjecit, *hominis filium.* Hæc enim confessionis tenenda ratio est, ut sicut Dei filium, ita & filium hominis meminerimus: quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem.

Filius Dei est & filius hominis.

6. Editis itaque, quæ diversæ de eo erant, hominum opinionibus, quid de se ipsi sentiant quærit. Petrus respondit, *Tu es Christus filius Dei vivi.* Sed Petrus conditionem propositionis expenderat. Dominus enim dixerat, *Quem me homines esse dicunt, filium hominis?* Et certè filium hominis contemplatio corporis præferebat: sed addendo, *quem me esse dicunt*, significavit, præter id quod in se videbatur, esse aliud sentiendum; erat enim hominis filius. Quod igitur de se opinandi judicium desiderabat? Non illud arbitramur, quod de se ipse confessus est: sed occultum erat de quo quærebatur, in quod se credentium fides debebat extendere.

Petri juxta Christi placitum confessio. ℣. 17.

7. Et dignum planè confessio Petri præmium consecuta est, quia Dei filium in homine vidisset. Beatus hic est, qui ultra [d] humanos oculos & intendisse & vidisse laudatus est: non id quod ex carne & sanguine erat contuens, sed Dei filium cælestis patris revelatione conspiciens; dignusque judicatus, qui quod in Christo Dei esset, primus agnosceret. O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ [e] fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret! O beatus cæli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata

Confessionis merces.

[a] Sex mss. *in se remissionem*, non *ipse.*

[b] Ms. Rom. *in quorum tempore atque ætate*, non alio sensu: tum *veritas conticescit*, suffragantibus Colb. & Carn. in quibus legitur *conticescet*: malè. Legem, ut pote figuram & umbram, veniente veritate nullam esse hîc declaratur.

[c] Magis arrideret græca vox θεότητα, nisi obniterentur antiquæ editiones cum omnibus mss. non tantùm hîc, sed etiam c. 26. n. 5. ubi *theotetam* rursum legere est. Unde Erasmus hîc ad marginem: *Nescio an theotetam dixerit, quemadmodum alibi dixit, rheumam, diapsalmam, & mannam.*

[d] Sic mss. ea scil. ratione qua l. 6. de Trin. n. 32. *Ultra humanam intelligentiam se fides apostolica protendit.* At excusi, *ultra humanum.*

[e] In margine hactenus obtinuerat hæc Erasmi nota, *Ecclesiæ fundamentum fides.* At nihil est hîc, cur non ipsummet Petrum hoc elogio ab Hilario commendatum arbitremur. Erasmi errorem Bellarminus vidit ac justè reprehendit, iniquè autem omnino ac mala fide tueri conatur Scultetus pag. 403. quem cùm veræ Hilarii sententiæ id convincere debuisset, quod ab ipso rursum in Psal. 131. n. 4. audiit *Petrum, cui superiùs claves regni cælorum dederat, super quem Ecclesiam ædificaturus erat ..... Petrum primum filii Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cælestis regni janitorem*; ex hoc loco id tantùm memorat, quo *primus fidei confessor* nuncupatur, ac cetera dissimulans pravam sententiam præfractè tuetur. Frustra autem contendit turpissimam contradictionis maculam celeberrimo Doctori adspergendam, si Petrum *Ecclesiæ fundamentum* ab eo nuncupari dixerimus, cùm lib. 6. de Trin. inquit, eadem verba ad Petri confessionem referat. Primò enim vanum est illud *si*, ubi mentem suam apertis verbis declaravit. Deinde quæ contradictionis macula, si elogium, quod ob fidem & confessionem suam meruit Petrus, modò ad ipsum, modò ad fidem illius referatur. Paulò etiam confidentiùs asserit Sculterus Hilarium his verbis, *Et super hanc petram* &c. *petræ* nomine Christum constanter intellexisse: cùm ne vel semel eum verba illa ita interpretatum esse ostendat. Nam quod affert ex lib. 6. de Trin. n. 32. *Super hanc confessionis petram Ecclesiæ fundata est*; ibi petram Petri fidem, non Christum, nuncupari clarum est ex initio num. 33. *Hæc fides, Ecclesiæ fundamentum est: per hanc fidem infirmes adversùs eam sunt portæ inferorum: hæc fides regni cælorum habet claves* &c. Immo in eodem illo libro 6. Petrus ob suam fidem Ecclesiæ fundamentum esse significatur. Quid enim aliud sibi vult illud num. 16. *Post sacramenti confessionem beatus Simon ædificationi Ecclesiæ subjacens, & claves regni cælestis accipiens?* Namque ædificationi Ecclesiæ qua ratione quæso, nisi ut fundamentum, subjacet? Demum qui verba n. 33. expenderit, quamdam in apostolatu ac sacerdotio Petri prærogativam ibi commendari non inficiabitur. Neque aliud sonat, quòd in hoc ipso Commentario c. 14. n. 17. toties primatus ipsius celebratur. Quibus in locis Hilarius Leoni apertè prælusit docenti epist. 5. c. 2. edit. Quesnel. *Dominus apostolicæ dignitatis beatissimo apostolo Petro primatum, fidei suæ remuneratione, commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens.* Hæc dicta sint ex occasione Sculteti, cujus falsæ intelligentiæ ultro pepercissemus, nisi manifestè accessisset & mala fides.

auctoritas sit in cælo: ut quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant & in cælo.

℣. 20. Divinitatis Christi testes lex & prophetæ, resurrectionis Apostoli.

8. Jubet etiam discipulis, ne cui loquantur quòd ipse est Christus: alios enim [a] Spiritus sui esse testes oportebat, legem videlicet & & prophetas. Ceterùm resurrectionis testimonium proprium est Apostolorum. Et quia scientium in Spiritu Christum beatitudo monstrata est; negatæ rursum humilitatis & passionis ejus periculum declaratur.

℣. 21. 9. Nam cùm prædicare cœpisset, oportere se Jerosolymam ire, pati deinde plura à senioribus plebis, & à Scribis & principibus sacerdotum, occidi etiam, & post diem tertium resurgere; apprehendens eum Petrus, ait, *Absit à te Domine*, [b] *non erit istud. At ipse conversus, Petro dixit, Vade retro post me, satana scandalum mihi es.*

℣. 22. ℣. 23. Christus Deus & homo confitendus.

Ut Dei munus est, Christum [c] in Spiritu Deum nosse; ita diaboli opus est, Christum in homine nescire. Atque ejusdem periculi res est, [d] vel corpus negare sine Deo, vel Deum negare sine corpore. Corpus autem carnis hujus in æternitate Spiritûs Deo nullum est: verùm humanæ salutis causâ Christus in corpore est, quod assumsit [e] ex homine.

Diabolus auctor infidelitatis Petri.

10. Igitur post prædicationem passionis accipiens diabolus facultatem, (usque ad tempus enim ab eo secesserat [f],) quia incredibile satis Apostolis videretur, eum in quo Deus erat esse passibilem, sumens hanc humanæ infidelitatis occasionem, opinionis istius Petro insinuavit affectum. Denique ita passionem detestatus est, ut dixerit, *Absit*: quo verbo, rerum detestandarum exsecratio continetur. Sed sciens Dominus diabolicæ artis instinctum, Petro ait, *Vade retro post me*: id est, [g] ut exemplo se passionis sequatur. In eum verò per quem opinio hæc suggerebatur conversus, adjecit, *Satana scandalum mihi es.* Non enim convenit existimare, Petro satanæ nomen & offensionem scandali deputari post illa indultæ & beatitudinis & potestatis tanta præconia. Sed quia infidelitas omnis diaboli opus est; Petri responsione Dominus offensus, cùm opprobrio nominis, infidelitatis istius est detestatus auctorem.

Absit. — à Christo cum opprobrio revincitur.

℣. 24. Felix sui damnum.

11. *Tum Iesus dixit discipulis suis, Si quis vult post me venire, abneget* [h] *se ipsum*, & reliqua. O beatum damnum, & jactura felix! Ditescere nos Dominus detrimento animæ & corporis voluit, & esse sui similes hortatur: quia ipse in figura Dei constitutus, usque ad mortem humilis & obediens factus, principatum potestatis [i] totius, quæ in Deo est, accepit. Sequendus igitur est cruce assumta: & passionis suæ si non sorte, attamen voluntate comitandus est. Quid enim prodest occupasse mundum, & toto terrenæ potestatis dominatu [k] opibus sæculi incubare, si perdenda anima, & suscipiendum vitæ detrimentum est? Quæ autem commutatio pro anima, cùm fuerit amissa, quæretur? Cum Angelis enim Christus aderit, reddens singulis ut merebuntur. Quid afferemus ad vitam? Præparatos credo terrenarum opum futuris commerciis thesauros, ambitiosos dignitatum famæque titulos, aut veteres delicatæ nobilitatis imagines? Neganda sunt hæc omnia, ut melioribus abundemus: & contemtu universorum Christus sequendus est, & æternitas spiritalium, terrenorum damno est comparanda.

Crux falsem voluntate tollenda. ℣. 26.

CAPUT XVII.

Ubi in monte cum Moyse & Elia videtur, & vox de cælo auditur, ubi puerum lunaticum solvit, de credentium fide, de didrachma postulata, & statere in ore piscis.

℣. 28. 1. AMEN *amen dico vobis, quoniam sunt aliqui de adstantibus istis, qui mortem non gustabunt, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Docet Dominus &

[a] id est, divinitatis: qua intelligentia mox *scientium in Spiritu Christum*, id est, scientium eum esse in natura divina.

[b] Michaelinus codex, *non erit tibi istud*: consentientibus græcis ac latinis Scripturæ exemplaribus. Lib. 6. de Trin. n. 34. legere est, *Propitius tibi Domine, non erit istud.*

[c] Sex mss. *in spiritu Dei nosse*: minùs concinnè, sed non alio sensu; cùm *in Spiritu Dei esse* perinde Hilario sit ac *in deitate Patris esse.*

[d] Par. *vel corpus dicere sine Deo* &c. cui editiones aliæ hac parte consentientes post hæc subjiciunt, *vel Deum sine corpore*, omisso verbo *negare*. Quarum lectionem lubenter præferremus, nisi magno consensu reniterentur mss. Hæc autem sententia ex præcedenti intelligenda est; necnon ex his Leonis ad Flavianum epist. 24. edit. novissimæ c. 5. *Æqualis erat periculi Dominum Jesum Christum aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse.* Deinde ubi negatur Deo ante quàm carnem assumeret, corpus fuisse, cùm non dicatur simpliciter, *Corpus Deo nullum est*, sed cum adjuncto, *corpus carnis hujus*; hoc forsitan adjunctum est, ne Verbum ante carnis susceptionem substantivum quid negari existimetur. Ea enim ratione Verbum æternum corpulentum prædicari observatum est c. 5. n. 8.

[e] In mss. Colb. & Carn. omittitur *ex homine.*

[f] nimirum diabolus. Hîc respiciuntur verba Lucæ 14. 13. *Et consummata omni tentatione, reliquit eum diabolus usque ad tempus.* Hinc malè in priùs vulgatis sententia subsequens intra eamdem parenthesim comprehendebatur.

[g] Ita eadem verba interpretatur Origenes in editione Huetii pag. 285. ut Petro dixerit Christus, *Vade post me, quasi qui ire post illum eumque sequi cessasset. Post Jesum quippe esse*, ut paulò pòst observat, *bonum est*; & diabolo dictum, *Vade satana*, absque additamento *post me*. His consentit Ambrosius lib. 1. de Abraham n. 55. Sic & Eusebius lib. 1. contra Marcellum cap. 2. *Quid*, inquit, *significet illud, Vade post me, statim exposuit Servator, cùm subjunxit, Si quis vult post me venire* &c. *quod re ipsa adimplevit ipse Petrus, cùm martyrio consummaretur.* At Marcellum acriter deinde reprehendit, quòd *minimè intelligens quomodo hæc, (Satana, scandalum mihi es,) dicantur ad Apostolum & quorsum, affirmat ad diabolum esse dicta.* Hilarium nostrum quod attinet, licèt hæc ad diabolum dicta hîc enarret, tamen in Ps. 131. n. 4. & in Ps. 138. n. 6. Petrum ipsum *convicio satanæ* nuncupatum disertè affirmat. Illic utramque illam interpretationem ita conciliandam diximus, ut convicium illud & in satanam cadat ut auctorem infidelitatis Petri, & in Petrum ipsum ut satanæ suggestioni non resistentem: quia eorum quisque nomen accipit *per quos est talis*, ut docetur in Psal. 142. n. 2. Quam interpretationem multorum esse non diffitens Hieronymus in hunc Matthæi locum, eam tamen non satis probat: *Mihi* enim, inquit, *error apostolicus & de pietatis affectu veniens numquam incentivum diaboli videbitur.* Verùm qui cum Hilario consentiunt, in verbis Petri, præter pietatis affectum, quoddam intuentur infidelitatis vitium, quo dictis Christi de futura passione sua non credebat; neque pietatis auctorem satanam volunt, sed infidelitatis: quæ tamen, uti docet Hilarius lib. 6. de Trin. n. 34. *non profecit ad crimen.* Hinc licèt litteræ sensum mox rejicere videatur; fatendum tamen est, tantùm esse loquendi modum aliàs etiam ei usitatum, quo præter litteræ veritatem aliquid significari indicat.

[h] Tres mss. *se ipsum sibi.*

[i] In mss. Rom. Colb. & Carn. *istius*, loco *totius.*

[k] Sola editio Par. *operibus sæculi.*

Præcepta superiora non mediocri debebant auctoritate firmari.

rebus & verbis : & fidem spei nostræ æqualiter sermo atque opus instruunt. Grave enim onus infirmitati humanæ imposuerat, ut cùm sensum vitæ homines ex vivendi affectu habere cœpissent, fructum ejus qui præsens corporibus blandiebatur amitterent; negarentque se sibi, id est, quod esse cœpissent, esse se nollent; cùm sensûs hujus exordium ex affectu voluntatis habuissent : deinde opinionem spei ambiguæ incertæque sequerentur; cùm in his, quæ præsentia haberentur, illecebræ gaudii blandientis exsisterent. Opus ergo erat veri ac manifesti exempli auctoritate, ut contra vim sensumque judicii [a] optabile fieret præsentium damnum, lucro deinceps non ambiguo futurorum. Igitur post quàm & tollendam crucem, & perdendam animam, & damno mundi commutandam vitæ æternitatem monuerat; conversus ad discipulos, ait aliquos ex his futuros, qui gustaturi mortem non essent, donec filium hominis in regni sui gloria contuerentur. EX CONDITIONE autem GUSTATÛS, tenuem quamdam fidelibus libationem mortis ostendit. Itaque verba res sequitur.

indulto gloriæ pignore mulcentur.

Matth. 17. 1.

Transfiguratio.

2. Nam post sex dies, Petrus, Jacobus & Johannes assumuntur seorsum, & in excelso monte consistunt : ipsisque inspectantibus Dominus transfiguratur, & toto claritatis suæ habitu circumsplendet. Et in hoc quidem facti genere, servatur & ratio & numerus & exemplum. Nam post dies sex, gloriæ dominicæ habitus ostenditur : sex millium scilicet annorum temporibus [b] evolutis, regni cælestis honor præfiguratur. Tribusque assumtis, de trium origine [c], Sem, Cham & Japhet, futura electio populi ostenditur. Quòd autem Moyses & Elias ex omni sanctorum numero assistunt;

Cur tres Apostoli assumti.

Cur ex Sanctis Moyses tantùm & Elias adsint.

medius inter legem & prophetas Christus in regno est; cum his enim Israelem, quibus testibus prædicatus est, judicabit : simulque ut & humanis corporibus decreta esse resurrectionis gloria doceretur, cùm quando Moyses conspicabilis adstitisset. ℣. 2. Ipse autem Dominus fit nive ac sole candidior, supra opinionem scilicet nostram cælestis luminis splendore conspicuus. ℣. 4. Petro autem, ut tria illic tabernacula fierent offerenti, nihil respondetur : nondum enim ut in hac gloria consisteretur, erat tempus.

Christi præcepta audienda.

℣. 5. 3. Sed loquente adhuc eo, nubes eos candida inumbravit, & divinæ virtutis spiritu ambiuntur. Hunc esse filium, hunc dilectum, hunc complacitum, hunc audiendum, vox de nube significat : ut idoneus ipse præceptorum talium auctor esset, qui post sæculi damnum, post crucis voluntatem, post obitum [d] corporum regni cælestis gloriam ex mortuorum resurrectione facti confirmasset exemplo. Territos deinde & consternatos elevavit : [e] & solum contuentur, quem medium constitisse inter Moysen & Eliam viderant. Ad futuri enim formam, atque ad facti fidem, Moyses & Elias in monte constiterant. ℣. 9. Silentium enim rerum gestarum quas viderant imperat, donec cùm à mortuis resurgeret; (hoc [f] enim fidei præmium reservabatur, ut honor redderetur iis, apud quos non levis sola præceptorum auctoritas reperiretur;) infirmos enim [g] senserat ad vocis auditum : ut cùm essent Spiritu-sancto repleti, tunc gestorum spiritalium testes essent.

Silentium cur Apostolis imperetur.

℣. 10. 4. Solliciti etiam de temporibus Eliæ requirunt. ℣. 11. Quibus respondet Eliam esse venturum, & restituere universa, id est reliquum, quod deprehenderit ex Israel, ad cognitionem Dei revocaturum. ℣. 12. Sed in virtute ac spiritu Eliæ

[a] Colbertinus codex cum Carnut. *optabile fieret, præsentium damno, lucrum deinceps non ambiguum consequi futurorum.*

[b] Ad intelligentiam hujus loci observasse juverit, plurimos ex antiquis omnem præsentis sæculi durationem sex millium annorum spatio conclusisse. Cui quidem opinioni apertè suffragantur Irenæus lib. 5. c. 28. Lactantius lib. 7. c. 14. & Hieronymus epist. 139. ad Cyprianum. Eamdem ut probabilem proponit Augustinus lib. 20. de Civ. Dei c. 7. At in Psal. 89. num. 5. omnino respuendam declarat his verbis : *Ausi sunt homines præsumere scientiam temporum, quod scire cupientibus discipulis Dominus ait, Non est vestrûm nosse tempora* &c. *& definierunt hoc sæculum sex annorum millibus tamquam sex diebus posse finiri.* Ideo verò hoc opinati sunt veteres, quòd Psal. 89. 4. & 2. Pet. 3. 8. legerent mille annos apud Dominum tamquam diem unum, putarentque Deum post orbem conditum sabbati requie præmonstrasse tempus, quo requiem æternam sanctis suis imperiturus esset. Unde Irenæus loco laudato : *Quotquot diebus hic factus est mundus, tot & millenis annis consummatur.* Cum his Hilarium hîc consensisse multi tradunt : quibus objicere est primò quòd infrà c. 26. n. 4. & alibi passim incertum mundi finem prædicet. Quò spectat illud lib. 9. de Trin. n. 66. *Securitatem cognitionis definitæ ademit : ut pendulæ exspectationis incerto mens sollicita* &c. *curamque pervigilem incertum ipsum non ambigendi temporis detineret.* Deinde quid hîc Hilarius sentiat, notare videtur Ambrosius lib. 7. in Luc. n. 7. qui illum & legisse & imitatus esse, cùm ex multis locis, tum ex initio prædicti lib. 7. non immeritò judicandus est. Sic autem ibi habet : *Matthæus & Marcus post dies sex assumtos hos esse memorarunt. De quo possemus dicere post sex millia annorum. Mille enim anni in conspectu Dei tamquam dies una. Sed plures quàm sex millia computantur anni : & malumus sex dies per symbolum intelligere* &c. Atqui cùm notet Ambrosius diem unum mille annos sine symbolo intelligi ac dici posse, ex hac sententia tantùm sequitur, Christum post sex annorum millia à conditione mundi discipulos assumsisse, & in eorum conspectu transfiguratum esse. Cui interpretationi favet quod ait Hilarius, *Sex millium annorum temporibus evolutis regni cælestis honor præfiguratur*, cùm potiùs *datur* dicendum ei fuisset, si de mundi consummatione loqueretur. Sed quia facilè intelligitur tacitum verbum *dandus* ante *præfiguratur*; nihil vetat, quo minùs Hilarium de mundi fine & retributionis æternæ tempore locutum esse intelligamus. Sic etiam Ambrosius his verbis jam superiùs allatis, *Sed plures quàm sex millia computantur anni*, satis indicat se ab hac opinione recedere, quia cùm plures jam computaret annos, quàm sex millia, necdum tamen mundum consummatum cerneret. Porro Hilarius cùm hîc mundum post sex annorum millia consummandum scribit, certum & definitum numerum pro incerto & indefinito posuisse credendus est : quemadmodum & in Psal. 118. lit. 3. n. 7. ubi David laudat, quòd *septimi anni legi satisfacit, sed exactis septem millibus sæculi esse liber expostulat.* Ibi enim, mysticâ ad septem annos ratione habitâ, mundi finem jam non intra sex millia, sed *exactis septem millibus* constituit. Neque videri debet hoc posteriore loco cum Millenariis facere, à quibus eum alienum esse jam demonstratum est in Præfatione generali §. 6. Denique quòd senserit Christum sex annorum millibus nondum exactis natum esse palam fiet ex cap. 20. n. 6.

[c] hoc est, ex universo genere humano : quia post diluvium, ut enarratur cap. 8. n. 4. *in hos tres fuit humani generis divisio.*

[d] Editi, *post obitum corporeum:* refragantibus mss. Neque verò hoc ad Christum refertur, sed ad eos qui jussa illius impleverint. Christus porro prædicatur præceptorum de sæculo relinquendo, ferenda cruce, morte corporum oppetenda idoneus auctor, qui post impleta illa præcepta dandam gloriam præmonstrasset exemplo Moysi hac vita functi, & tamen in gloria viventis.

[e] Ita melioris notæ mss. Alii cum excusis, *ut solum contuerentur.*

[f] Particula *enim* aut refertur ad *silentium imperat :* quod factum dicat Hilarius, ut fidei locus daretur, & major gloria redderetur iis, apud quos satis gravis per se reperiretur præceptorum auctoritas, ut, exemplo transfigurationis minimè proposito, ad credendum inducerentur : aut respicit verba *donec cùm à mortuis resurgeret :* ut deinceps sermo sit de Apostolis, majore reverentia tum audiendis, cùm apud eos præceptorum auctoritas non nuda, sed resurrectionis exemplo confirmata reperiretur.

[g] Bad. Er. Lips. ac plures mss. *sanaverat.* Rectiùs potiores cum Par. *senserat*, hoc est, expertus erat. Scriptum quippe est ℣. 6. *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Ideo silentium imperatur, donec Spiritus-sancti virtute fortiores evadant.

* in quem. Johannem venisse significat, * in quo gravia A quæque atque aspera exercuissent: ut Domini adventum prænuntians, passionem quoque præcurreret & injuriæ & vexationis exemplo.

℣. 14. 5. *Et cùm venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus, dicens, Domine miserere filio meo.* Reverso ad turbas Domino, à patre genibus advoluto puer offertur dæmoniacus, frequenter & in aquam decidens & in ignem, cui curationem afferre discipuli non potuerint. Objurgatis his, & increpato dæmone, sanus B puer factus est.

Apostolorum fides primùm imperfecta. 6. Crediderant quidem Apostoli: nondum tamen erant perfectæ fidei. Nam Domino in monte demorante, & ipsis cum turba residentibus, quidam tepor eorum fidem relaxaverat; ℣. 16. atque idcirco ait, *Generatio * incredibilis & perversa, quò usque ero vobiscum?* quia absente se, * V. l. 6. de Trin. n. 23. antiquæ infidelitatis consuetudo subrepserat. Docet igitur, eos nihil salutis afferre posse, qui medio Evangeliorum & iterati adventus sui C tempore, à fide [a] tamquam Domino absente decesserint.

℣. 18. & 19. Diabolus in profundum inferni à quibus ejiciendus. 7. Denique quærentibus à se, cur dæmonium ejicere non potuissent, respondit, de inopia fidei effectum esse ne possent: quæ si in illis tamquam granum sinapis esset, monti huic, ut à loco in locum transiret, cum efficiendi potestate præciperent. Sed jam de monte decesserat, & inter turbas hæc loquebatur. Itaque & se granum sinapis nuncupavit omnium mi- D nimum, & diabolum montem cognominavit: quia in illo spiritales nequitiæ sunt cælestesque virtutes per eos [b] ejiciendæ, & in altitudinem maris tamquam in profundum inferni abjiciendæ, quos in hanc efficaciam jejunium & oratio prosequentur.

Apostolorum nomine Pharisæi & Scribæ tractantur. 8. Tenebimus quoque etiam eum ordinem, ut sub discipulorum nomine, Pharisæorum & Scribarum persona tractetur. Quibus lex cu- E randum ut discipulis populum, tamquam pater filium, cùm Dominus abesset, obtulerit. Qui peccatis dominantibus, nunc in ignem judicii decidebat, nunc in aquam [c] diurnarum sordium suarum consuetudine mergebatur. Hi igitur nihil opis attulerunt: quia demorante [d] Moyse cum Domino in monte, effecti [e] fuerant infideles. Et ut typica ratio impleretur, discipuli mirantur se ejicere dæmonem non potuisse: cùm omnis potestas non solùm dæmonum fugandorum, verùm etiam mortuorum excitandorum esset indulta. Quia verò ultrà cum his lex futura non esset; ait, *Generatio incredibilis & perversa,* (non utique ad eos quos sanctificaverat, videtur hæc loqui) *quò usque,* inquit, *ero vobiscum?* Quia fidem non habentes, ipsam illam, quam habebant, amissuri erant legem. Quam fidem si in se habuissent, quia ipse est granum sinapis, verbi virtute hoc peccatorum onus, & gravem infidelitatis molem, ab eo qui offerebatur populo ejicientes, tamquam in mare montem, sic [f] ad conversationem gentium & sæculi transtulissent. f

9. *Ipsis autem conversantibus in Galilæa, dixit Iesus, Futurum est ut filius hominis tradatur in manus hominum.* Sequitur mæstitia cognitionem passionis: nondum enim sacramentum ineundæ crucis, resurrectionis virtute fuerat revelatum. ℣. 21.

10. *Et cùm venisset Iesus Capharnaum, accesserunt qui [g] didrachma exigebant ad Petrum.* Dominus didrachma solvere postulatur: hoc enim omni Israel lex pro redemtione animæ & corporis constituerat in ministerio [h] templi servientium. Sed lex, ut scimus, futurorum umbra est. Non enim æris pretium Deus desiderabat: ut per tam exiguam impensam criminibus corporis atque animæ quædam redemtio concederetur. Ut igitur inscriptos nos & professos & Christi nomine consignatos offerremus in Christo, [i] qui verum Dei templum est, pro testimonio filii Dei hujus didrachmæ oblatio constituta est. ℣. 23. g Exodi 30. 12. Didrachmi solutio lege sancita quid significet. h i

11. Itaque Petrum post conventionem silentem, tali eum sermone prævenit: *Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum aut censum?* &c. Numquid ambiguum est, filios regum tributis obnoxios non esse; & quibus regni [k] hereditas est, eos esse liberos à servitute? Sed sermo interius intendit. Postulabatur didrachma à populo. Lex enim in eam fidem, quæ per Christum erat revelanda, concluditur. Ergo hæc eadem didrachma, consuetudine legis, tamquam ab homine poscebatur à Christo. Sed ut ostenderet, legi se non esse subjectum, & ut in se paternæ dignitatis gloriam contestaretur; terreni privilegii posuit exemplum: censu aut tributis regum filios non ℣. 24. Christus redemtor redemtionis pretio non eget. k

[a] Apud Par. *à Domino:* malè, cùm hæc perinde intelligenda sint, ac si legeres, *tamquam Domino absente, à fide decesserint.*

[b] In vulgatis, *ejiciendas,* & mox *abjiciendas,* eaque superiorum interpunctio erat, qua significaretur diabolum, quia in illo spiritales nequitiæ exsisterent, montem cognominari: cùm verba *in illo* ad Christum referantur, in cujus virtute ejiciendæ sunt nequitiæ spiritales &c. Diabolus autem ideo mons, quia *se contra Deum exaltans atque efferens,* uti enarratur in Psal. 64. n. 9.

[c] Editi, *diutinarum.* At mss. *diurnarum:* quod & cum aquæ comparatione videtur magis congruere: quia sicut aquæ aquis, ita diurnæ sordes semper sibi invicem succedunt. Diurnas autem sordes intelligere possumus, quas ex sæculi & carnis operibus contrahimus. Ea ipsa opera aliam ob causam fluminibus comparantur in Ps. 136. n. 6. quia videl. *omnia sæculi & corporum opera, modo fluminum, sine aliqua cursus sui statione superfluunt.*

[d] Par. cum quatuor probæ notæ mss. *demorante modicùm Domino:* bene, nisi totus hic locus typicè exponeretur de Scribis ac populo legis. Quocirca verior visa est lectio Bad. Er. Lips. & sex mss. Quod de discipulis dictum est n. 6. antiquæ infidelitatis consuetudinem eis absente Domino subrepsisse, nunc refertur ad eos, quos Moyse in monte demorante infideles fuisse legimus Exodi 32. 1. adeoque superiùs *Scribarum & Pharisæorum* nomine intelligendi sunt rectores populi, ad quos pertinebat populum in officio continere.

[e] Excusi, *effecti fuerunt infideles: ut typica ratio impleretur. Discipuli:* contra mentem Hilarii, qui non vult Apostolos fuisse infideles, ut mystica ratio impleretur, sed ob mysticam rationem nequivisse dæmonem ejicere, cùm priùs data eis fuisset omnis potestas.

[f] Editi, *ad conversionem gentium:* corriguntur ex mss. Hîc porro malè sonat conversationis vocabulum. Vult quippe Hilarius infidelitatem sæculi & gentilium dominari, Judæisque ut ab eorum consuetudine se segregarent datum esse, ubi datum est unde ad fidem se transferrent.

[g] Er. Lips. & Par. hîc & deinceps, *didrachmam.* In mss. constanter, *didragma.* Græcè in plurali τὰ δίδραχμα.

[h] In mss. Turon. Mich. & Vind. *templo servientium.* Lex autem ad usus tabernaculi testimonii, non ad usus servientium hanc pecuniam exigebat.

[i] Abest *qui verum Dei templum est* à mss. Colb. & Carn.

[k] Editi excepto Par. cum sex mss. *regni veritas:* minùs bene. Nam filiis regum est quidem regni hereditas, sed nondum veritas.

teneri, potiúsque se redemtorem animæ nostræ corporísque esse, quàm in redemtionem sui aliquid postulandum; quia regis filium extra communionem oporteret esse reliquorum. [a] Scandalum igitur præstat ut solvat, ceterùm debito legis est liber. (a ℣. 26.)

12. Deinde sub rerum præsentium effectu, & significantiam legis, & constantiam evangelicæ libertatis exposuit: ut cognosci promtum esset, quid didrachma præfiguraret in lege. (Ibidem.) Ire Petrus jubetur ad mare, hamumque mittere, & primi piscis adscendentis os requirere, repertumque in eo staterem pro se ac Domino offerre. Didrachma Dominus postulatur, id est, denarios duos; cur staterem * Petrus offert? (* quatuor denarios complectentem.) Deinde cùm primum piscem admonetur inquirere; adscensuri ostenduntur & plures. Numquid etiam natura piscium ferret, ut in littore fortuitò repertum staterem ore potiùs contineret, non intra viscera conderet? Subest igitur efficiendis præsentibus rebus ratio interior.

13. Destinatus enim ad prædicationem Petrus, & piscator hominum factus, doctrinæ hamum misit in sæculo, quo appositi cibi dulcedine vagos ex eo fluctuantesque protraheret. Huic adhæsit beatus ille primus Martyr [b] hamo, qui ore suo quadrigeminum denarium continebat: [c] id est, evangelici numeri unitate, Dei gloriam Dominumque Christum in passione contuens prædicabat. Stephanus igitur primus adscendit, Stephanus staterem ore continuit: in quo etiam didrachma novæ prædicationis, tamquam duo denarii habebantur. Hoc lex præfigurabat, hujus veritatis umbram, tamquam corporis imaginem circumferebat, hæc redemtio animæ & corporis designabatur: ideoque ait, *Da pro me & te*: quia jam talis non didrachma, sed stater, & pro Christo erat & pro Christi prædicatione solvendus.

CAPUT XVIII.

De infantibus inhibitis, & de humilitate eorum assumenda, de manu & pede & oculo eruendo, de ove perdita, de corripiendis fratribus secretò primùm, tum duobus testibus, postremò ecclesia præsente. Semper ignoscendum. Qui conservum, remisso sibi à domino debito, suffocat.

Matth. 18, 1. 1. IN *illa die accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes, Quis putas major est in regno cælorum?* & reliqua. Non nisi reversos in naturam puerorum introire regnum cælorum A Dominus docet, id est, in simplicitatem puerilem vitia corporum nostrorum animæque revocanda. Pueros autem, credentes omnes per audientiæ fidem nuncupavit. (Pueri, credentes. Puerorum indoles.) Hi enim patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt: non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt verum habent. Et hæc omnium affectionum assumta in nobis & consuetudo & voluntas, cælorum iter per- B vium præstat. Revertendum igitur est ad simplicitatem infantium: quia in ea collocati, speciem humilitatis dominicæ circumferemus.

2. Si qui autem in Christi nomine tales receperint, Christi recepti præmium consequentur. (℣. 6.) *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis*, id est, qui offendiculum tentationis intulerit, *expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* (℣. 7.) Tot tantæque res non otiosè comparatæ sunt: & C mola, & asinaria, & cum ea in mari mergendus, & hoc ei expediens. (Judæis præstaret cum gentibus Deum ignorasse, quàm Christum non recepisse.) Communi omnium sensu, semper quod expedit utile est. Quid ergo utilitatis est, molâ asinariâ collo suspensâ demergi? Mors enim tam gravis proficiet ad pœnam: & nescio quomodo erit utile, id expetere quod ultimum sit malorum. Quid ergo sentiri oporteat, quærendum est. Molæ opus, labor est cæcitatis: nam clausis jumentorum oculis aguntur in gyrum. Et sub asini quidem D nomine, frequenter gentes cognominatas reperimus. Igitur gentes quod agunt, nesciunt: & in vitæ suæ opere detentæ, cæci laboris ignorantiâ continentur. Judæis autem scientiæ iter in lege [d] præstatum est. Qui si Christi Apostolos scandalizarent, rectiùs illigatâ collo molâ asinariâ demersi in mare fuissent, id est, gentium labore depressi in ignorantia sæculi demorarentur: quia illis tolerabilius fuerit nescisse Christum, quàm istis prophetatum non rece- E pisse.

3. *Væ huic mundo ab scandalis. Necesse est enim venire scandala; verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* (℣. 7. Scandalum crucis necessarium, & quàm periculosum.) Humilitas passionis scandalum mundo est. In hoc enim maximè ignorantia detinetur humana, quòd sub deformitate crucis, æternæ gloriæ Dominum [e] nolit accipere. Et quid mundo tam periculosum, quàm non recepisse Christum? Verumtamen sub hominis nuncupatione, auctorem scandali F hujus Judaicum populum designat, per quem omne hoc mundo periculum comparatur: ut Christum in passione abnegent, quem lex & prophetæ passibilem prædicaverunt. Ideo verò necesse esse ait venire scandala: quia ad sacramentum reddendæ nobis æternitatis, omnis in eo passionis humilitas esset explenda.

4. Superiùs autem in abscindendis manu vel pede, propinquitatum contineri nomina * exposuimus: atque ideo cognationem generis (* cap. 4. n. 21.)

[a] Editi, *scandalo*: renitentibus omnibus mss. Solvere scandalum pro tollere dicitur, quia solvendo didrachma auferendum est.

[b] In vulgatis, *à Domino*. Magis placet cum pluribus mss. *hamo*.

[c] Solus ms. Vind. *id est, Evangelia*. Plures alii, *id est, evangelici numeri unitatem*. Hilarii verba explanat Theophilus Antioch. declarans statere quatuor drachmas contineri, *quibus intelligenda sunt quatuor Evangelia*.

[d] Ita in omnibus mss. nisi quòd in uno Bec. *præstitum*. At in editis primò *præstratum*, ac demum *præmonstratum*.

[e] Auctoritate mss. Carn. & Colb. restituitur *nolit*, cùm priùs obtineret *noluit*.

Israelitæ relinquendam veluti quadam mem-
brorum recisione significat, quia per eam mun-
do scandala comparentur.

℣. 10. 5. *Videte ne contemnatis unum de pusillis istis,*
a *qui credunt in me.*[a] Artissimum vinculum mutui
Angelorum de nobis cura. amoris imposuit, ad eos præcipuè qui verè in
Domino credidissent. Pusillorum enim Angeli
℣. 11. quotidie Deum vident: quia filius hominis ve-
nit salvare quæ perdita sunt. Ergo & filius ho-
b minis salvat, & Deum Angeli vident, &[b] An-
geli pusillorum sunt. Fidelium orationibus præ-
esse Angelos, absoluta auctoritas est. Salvato-
rum igitur per Christum orationes Angeli quo-
tidie Deo offerunt. Ergo periculosè ille con-
temnitur, cujus desideria ac postulationes ad
æternum & invisibilem Deum ambitioso An-
gelorum famulatu ac ministerio pervehuntur.

℣. 12. 6. Atque ut ingentem esse in cælis lætitiam
reditu humanæ salutis ostenderet; compara-
tionis posuit exemplum, ejus qui oves nona-
ginta-novem in montibus reliquisset, & erran-
tem unam requisisset: qua inventa plus gaudii
sit, quàm habebatur in nonaginta & novem
c [c] conservatione lætitiæ. Ovis una, homo in-
Ovis una errans, homo. telligendus est; & sub homine uno, universi-
tas sentienda est. Sed in unius Adæ errore
Nonaginta-novem non errantes, Angeli. omne hominum genus aberravit: ergo nona-
ginta-novem non errantes, multitudo Angelo-
rum cælestium opinanda est, quibus in cælo est
lætitia & cura salutis humanæ. Igitur & quærens
hominem, Christus est; & nonaginta-novem
relicti, cælestis gloriæ multitudo est: cui cum
maximo gaudio errans homo in Domini corpo-
d re [d] est relatus. Meritò igitur hic numerus per
e litteram [e] & Abrahæ additur, & consumma-
tur in Sara: ex Abram enim Abraham nun-
Horum numerus ex hominibus perficitur. cupatur, & ex Sarai Sara accipit nomen. In
uno enim Abraham omnes sumus: & per nos,
qui unum omnes sumus, [f] cælestis gloriæ nu-
f merus explendus est. Atque ideo & creatura

A omnis revelationem filiorum Dei exspectat: &
ideo congemiscit & dolet, ut numerus, qui per
alpha Abrahæ additus est, & qui [g] in alpha g
consummatus in Sara est, ad cælestem consti-
tutionem incremento credentium impleatur.

7. *Quòd si peccaverit in te frater tuus, vade &* ℣. 15.
corripe eum, & reliqua. Eum ordinem continen- Correptionis ordo in Judæos à Deo servatus.
dæ caritatis nobis Dominus imposuit, quem
ipse in conservando Israel tenuerat. Jubet enim
peccantem fratrem ab eo solo, in quem pecca- Exodi 20. 18. & 19.
B verit, corripi atque objurgari. Ipse enim sacri-
ficantem diis alienis populum Judaicum, ma-
jestatis suæ adventu, & toto præsentis pote- h
statis terrore corripuit. [h] Et tum, cùm idem i
populus [i] Dei propinquantis adventum, extra k
montem licèt positus, ferre non potuit, [k] inobe-
dienti etiam unum atque duos jussit adhiberi,
ut in ore duûm testium fides verbi ac veritas
maneat: quia insolenti Israel lex & prophetæ &
Johannes est missus, testibusque istis ut peccare
C desineret conventus est, tertiò ipso Domini
adventu, tamquam cœtu Ecclesiæ inspectan-
tis, admonitus est: frustraque habitis his ob-
jurgationibus, publicani aut ethnici vilitate
negligitur.

8. Ad terrorem autem metus maximi, quo ℣. 18.
in præsens omnes continerentur, immobile Ligandi & solvendi potestas Apostolis data.
severitatis apostolicæ judicium præmisit: ut
quos in terris ligaverint, id est, peccatorum
nodis innexos reliquerint, & quos solverint, l
D [l] confessione videlicet veniæ receperint in sa-
lutem; hi apostolicæ conditione sententiæ in
cælis quoque aut soluti sint aut ligati.

9. In tantum igitur humanæ pacis studuit ℣. 19. & 20.
concordiæ, ut UNITATIS MERITO Unitatis merito nil negat Deus.
omnia, quæ à Deo precanda sint, impetran-
da esse confirmet; & ubi duo atque tres pari
spiritu ac voluntate collecti sint, ibi se me-
dium eorum polliceatur futurum. IPSE enim
PAX ATQUE CARITAS, sedem atque

[a] In nonnullis mss. *aptissimum.*

[b] In vulgatis ac pluribus mss. *Angeli pusillorum præsunt fidelium orationibus. Præesse Angelos* &c. neque oratio suis numeris videtur absoluta, neque bene ex superiùs sumtis conclusa. Ex eo enim, quòd Angeli pusillorum Deum vident, sequitur Angelos pusillorum esse, eosque Deum videre; sed non indidem efficitur eos præesse orationibus. At hoc alterum ex occasione superioris conclusionis subjicit Hilarius, non tamquam ex superioribus conclusum, sed veluti per se in Scripturis manifestè comprehensum, puta Apoc. 8. 3. vel etiam Tob. 12. 15. quò pertinet illud Tract. Ps. 129. n. 7. *Sunt, secundùm Raphael ad Tobiam loquentem, Angeli assistentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Deum deferentes.* Hinc & Tertullianus de Orat. n. 12. *orationis Angelum* agnoscit. Quæ autem hîc magis arrisit lectio, exhibetur ex mss. Colb. & Carn.

[c] Prima editio Par. cum aliquot mss. *conversatione.*

[d] quia nimirum Christus, ex quo *naturam universæ carnis assumsit, genus in se universæ propaginis tenet*, ut habetur in Psal. 51. n. 15. Huc spectat illud Ambrosii lib. 7. in Luc. n. 208. *Christus te suo corpore vehit, qui tua in se peccata suscepit.*

[e] In sola editione Par. hîc adjicitur *alpha*, quod quidem videtur deesse, sed suppressum facilè intelligitur.

[f] Ita plerique mss. Editi verò cum mss. Colb. Rom. & Carn. *cælestis Ecclesiæ:* quod & nobis probaretur, nisi suprà legeremus, *nonaginta-novem relicti, cælestis gloriæ multitudo est.* Paulò antè in mss. Colb. & Carn. *super nos*, non *per nos*. In uno Abraham omnes fideles sunt tamquam in radice ac parente. Ipse est enim, secundùm Apostolum Rom. 4. 11. *pater omnium credentium*, & secundùm Hilarium nostrum in Psal. 134. n. 5. *princeps electionis.*

[g] Bad. Er. Lips. cum mss. Turon. & Carn. *in rho.* Plerique alii mss. *in ra.* Nemo non videt hîc respici rationem numerandi apud Græcos usitatam, apud quos alpha principium est numerorum & unitatem designat.

[h] Editi, *corripuit tum*, omissâ particulâ *&*, quam supplemus ex sex mss. eâque declaratur alter ordo, quem in Judæorum correptione Deus tenuit. Primò enim eos per se terruit, ac tum sui impatientes per legem & prophetas corripuit, postremò eosdem admonuit in Christo, in quo *per naturam suscepti corporis, quadam universi generis humani congregatio continetur*, ut habetur cap. 4. n. 12.

[i] In ms. Beccensi, *Dei majestatem propinquantis ad montem, extra montem licèt* &c. glossema, cui lectio mss. quorumdam, *ad montem* loco vocis *adventum* exhibentium, locum dedit.

[k] In vulgatis, *ferre non potuit inobedientiam, unum* &c. Præferimus cum mss. sincerioribus, *inobedienti etiam*, quod respondet verbis evangelicis, *Si te non audierit.* Hujus lectionis loco ceteri mss. habent *inaudientiam.*

[l] Dallæus lib. 3. de Conf. c. 9. hîc *concessione veniæ* substituendum contendit. Reclamat contrà v. c. Jacobus Boileau hist. de Conf. auric. c. 8. nihil esse immutandum; aut si quid mutandum sit, *veniâ* loco *veniæ* legendum esse; ut nimirum confessio dicatur venia, quia veniæ sit causa, ea ratione qua in Psal. 118. lit. 17. n. 13. de pænitentia dictum est, *Hæc venia peccati est* &c. Dallæo negari nequit clariorem esse eam lectionem, quam inducendam vellet. Sed quo clarior est, eo minùs mutationis suspecta est altera. Nihil enim est cur illam attribuat sciolorum temeritati, cùm hi tantùm mutare soleant quod non intelligunt, & in obscuris locis clariores sententias substituere. Longè minùs typographorum incuriam incusare valeat, cùm fideliter expresserint, quod in mss. invenerunt. Non enim tantùm in editis omnibus exstat *confessione*, sed ex undecim mss. à nobis excussis, ne in uno quidem aliter legere est. Neque etiam aliter legendum suadet illud quod post pauca subjicitur: *Ergo venia omnis ex eo est, cùm etiam ea quæ in se sint peccata, post reditum confessionis indulgeat.* Cùm itaque nihil immutandum constet, expendendum restat quid Hilarius sibi velit: quantùm sapimus, vocabulum *veniæ*, non ad præcedentem vocem *confessione*, sed ad subsequentem, scil. *salutem*, referendum est, ut sit, *quos confessione receperint in salutem veniæ*, hoc est, in salutem quam venia dat, non meritum.

A habitationem in bonis & pacificis voluntatibus collocabit.

℣. 21. ℣. 22. 10. Quærenti deinde Petro, an peccanti in se fratri septies remitteret, respondit, *Non usque septies, sed usque septuagies-septies.* Omni modo ad similitudinem nos humilitatis ac bonitatis suæ instruit, & molliendis ac frangendis turbidorum motuum nostrorum aculeis, placabilitatis suæ confirmat exemplo: quippe peccatorum omnium veniam per fidem tribuens. Neque enim naturæ nostræ vitia indulgentiam merebantur. Ergo venia omnis ex eo est: cùm etiam ea quæ in se sint peccata, post reditum confessionis indulgeat. Solvenda quidem per Cain pœna in septuplum constituta est: sed peccatum illud in hominem est; in Abel enim fratrem peccatum usque ad necem fuerat. Sed in Lamech supplicium usque ad septuagies & septies est constitutum; & in eo, quantum existimamus, constituta in auctores dominicæ passionis est pœna. Sed Dominus per confessionem credentium hujus criminis veniam largitur, id est, per baptismi munus obtrectatoribus ac persecutoribus gratiam salutis indulget: quanto magis oportere ostendit sine modo ac numero veniam à nobis esse reddendam, nec cogitandum quotiens remittamus; sed * ut irasci his qui in nos peccant, quotiens irascendi necessitas exstiterit, desinamus? Quæ utique veniæ assiduitas docet, nullum omnino penes nos iræ tempus esse oportere: quando omnium omnino peccaminum veniam Deus nobis suo potiùs munere, quàm nostro merito largiatur. Neque enim fas est, nos ex præscripto legis, dandæ veniæ numero concludi: cùm per Evangelii gratiam sine modo nobis à Deo fuerit indulta.

Deus fine modo nobis ignoscens, vult & nos fine modo aliis ignoscere.

Gen. 4. 24. In Cain homicidarum, in Lamech Deicidarum pœna est adumbrata.

** supple, oportere.*

℣. 26. 11. Quin etiam ad perfectæ bonitatis affectum comparationis posuit exemplum, in qua servo unde redderet non habenti, omne Dominus debitum relaxavit: conservoque suo servus ille exiguum quod sibi debebatur extorquens, per hoc voluntatis suæ vitium donum munificentiæ Domini [a] & liberalitatis amisit. Absoluta autem comparationis ejus est ratio, atque ab ipso Domino omnis exposita est.



CAPUT XIX.

Uxorem non debere dimittere, de eunuchis, de infantibus inhibitis. Divitem difficilè introire in regnum cælorum.

1. ET *factum est, cùm locutus esset sermones istos Iesus, transtulit se in Galilæam, & venit in fines Iudææ*, &c. Galilæos in Judææ finibus curat. Potuerat namque ægrotorum turbas non fatigare, & intra ipsam Galilæam opem ferre debilibus: sed typica ratio etiam locorum erat explenda privilegiis, ut peccata gentium in eam veniam quæ Judææ parabatur admitteret. *Matth. 19. 1.* *Cur Galilæos in Judææ finibus curet Christus.*

2. *Tunc accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes eum, & dicentes, Si licet homini dimittere uxorem* C *suam quacumque ex causa?* In eo sermone, qui de uxore & de repudio est, occurrit illud, aliter scriptum esse in Genesi, quàm nunc in præsens Dominus sit locutus. Illic enim sub verbis Adæ res omnis refertur: hîc Dominus indicat ab eo, qui & hominem figuraverit & mulierem fecerit, omnia [b] illa dicta esse. Sed nos secuti apostolicam auctoritatem, qui hoc mysterium grande esse professus est, se autem in Christo atque in Ecclesia accipere, locum D hunc sicuti est intactum relinquamus. Admonemus tamen legentem, ut quotienscumque de hac eadem quæstione se consulat, verborum virtutes, & quibus Dominus responderit, & quibus discipuli usi sint, diligenter advertat: Pauli autem apostoli de hoc affectum, vel silentis, vel interdum sub aliis locis tractantis, expendat. Nobis circa eunuchos sermo sit & voluntas. In uno posuit naturam, in altero necessitatem, in tertio voluntatem: naturam in E eo qui ita nascitur, necessitatem in eo qui ita factus est, voluntatem in illo qui spe regni cælestis, talis esse decreverit: cui nos similes effici, si tamen [c] possimus, admonuit. *Gen. 2. 24. ℣. 4. & 5.* *Ephes. 5. 32. V. cap. 22. n. 3.* *Eunuchi. ℣. 12.*

3. *Tunc oblati sunt ei infantes, ut manus his imponeret & oraret. Discipuli autem prohibebant eos*, & reliqua. Novum est, discipulos prohibuisse ne infantes ad Christum accederent, qui offerebantur ut super eos manum imponeret & oraret. Res evangelica, ut diximus, inter præ- F sentis & futuri effectum, mediam utrique rei & congruam rationem temperavit: ut his, quæ efficiebantur, futuri species adhæreret. Infantes quidem verè oblati sunt, sed & verè inhibiti sunt. Sed hi gentium forma sunt, quibus per fidem & auditum salus redditur. Verùm ex affectu primùm salvandi Israel, à discipulis inhi- *℣. 13.* *Infantes, gentes à discipulis inhibentur præ favore Israel.*

[a] Ita codex Carnutensis. Alii verò, *& libertatis.*

[b] In mss. Colb. & Carn. *illi*, quod ad Adam commodè retuleris. Notat Hilarius verba hæc, *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori*, secundùm Genesim ab Adam, secundùm Matthæum à Deo proferri.

[c] Sculteus allatis hisce verbulis, *si tamen possimus*, ovans & insultans satis superque refutasse se putat, quod Bellarminus in gratiam voti castitatis adduxerat ex Tract. Ps. 64. n. 3. ubi disertis verbis ait Hilarius, *Deo ergo vovenda sunt contemtus corporis, castitatis custodia, jejunii tolerantia.* Vellet nimirum insinuare continentiæ hostis votum hujusmodi vires humanas ita superare, ut nonnisi temere sit promittendum quod præstare nemo possit. Quasi verò Christus consuluerit aliquid, quò nemo pervenire valeat; aut non id possimus opitulante Dei gratia perficere, quod eo inspirante voverimus; aut alia ab Ecclesia defendantur & approbentur vota, quàm quæ Deum auctorem habuerint. Hinc se se hæresis ostendit à Spiritu Christi alienam, quòd nullos habet, quibus cara sint ipsius consilia. Habet contrà Ecclesia plurimos, qui cum Paulo dicant, *Omnia possum in eo qui me confortat.* Itaque non immeritò Bellarminus Hilarium recensuit ut votorum patronum.

bentur accedere. Inhibendi quidem voluntas placabilitati apostolicæ non convenit : sed in typicam consummationem prohibendorum infantium [a] subrepit instinctus. Quos Dominus ait non oportere prohiberi, quia talium sit regnum cælorum : munus enim & DONUM SPIRITUS-SANCTI [b] per impositionem manûs & precationem, cessante legis opere, erat gentibus largiendum.

Gratia gentibus danda impositione manuum.

℣. 16.

4. *Et* [c] *ecce unus accessit ad eum, & ait illi, Magister, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* & reliqua. Opportunè post sermonem superiorem, quo & infantes inhibiti sunt, & talium regnum cælorum esse responsum est, succedit hic juvenis, requirens quibusnam bonis operibus vitam æternam habere posset. Juvenis iste & interrogavit, & insolens fuit, & rursum mæstus est factus : resque omnes, quæ scriptæ sunt, gestæ effectæque sunt. Sed admonuimus ea, quæ sub Deo agebantur, præsentium effectibus consequentium formam prætulisse : atque ita semper in Scripturis cælestibus sermonem omnem temperatum fuisse, ut non minùs his quæ gerebantur, quàm eorum quæ gerenda essent similitudini conveniret. Juvenis hic itaque formam Judaici populi habet, in lege insolentis, & nihil præter præcepta Moysi spei exspectantis à Christo. Cui Dominus, in responsione ipsa, severitatem judicii ex se futuri protestatus est, dicens, *Quid me vocas bonum?* Is enim, cui necesse sit impia & iniqua punire, nomine bonitatis abstinuit, soli hoc nomen Deo patri reservans, qui se, judicem dando, officio severitatis exuerit : non quòd bonus & ipse non esset, sed quòd congrua in eum severitate judex [d] esset usurus.

Judæorum insolentia in juvene adumbrata.

V. lib. 9. de Trin. n. 16.

℣. 17. Christus quatenus non bonus.

5. Hunc igitur ex lege insolentem, sollicitum de salute remittit ad legem : ut in ea ipsa, in qua gloriaretur, intelligeret nihil se exinde recti operis fecisse. Verbis enim legis ei Dominus respondit. Sed adolescens, tamquam populus insolens & glorians, in lege confidit, cui tamen obsecutus ex nullo est. Jussus enim fuerat non occidere : prophetas interfecerat. Non mœchari : hic corruptelam fidei, & legi adulterium intulerat, & [e] deos alienos adoraverat. Non furari : hic ante quàm libertatem credendi in fide Christus redderet, furto legis præcepta dissolvit. Non falsum testem fieri : hic Christum negavit ex mortuis. Patrem & matrem jussus est honorare : hic ipse se à Dei patris atque ab Ecclesiæ matris familia abdicavit. Proximum tamquam se amare præceptus est : hic Christum, qui omnium nostrûm corpus assumsit, & unicuique nostrûm assumti corporis conditione [f] factus est proximus, usque in pœnam crucis persecutus est. Ut igitur his depositis, ac recisis omnibus vitiis in legem reverteretur, est jussus.

Judæi in lege gloriantes lege convincuntur nil recti egisse.

6. Sed respondet, hæc omnia fecisse se à juventute sua : & quærit quid adhuc sibi restet. Sed, ut diximus, neque superiora illa egerat ad quæ remittitur, & in ipsis glorians tamquam consummatus hæc loquitur. Cui Dominus respondet, vendenda omnia bona sua esse, & danda pauperibus : & tunc eum futurum esse perfectum, habiturumque thesaurum in cælis. Respondetur huic quidem juveni, pulcherrimo illo ac maximè utili relinquendi sæculi præcepto, quo jacturâ terrenæ substantiæ cælorum opes emendæ sunt : sed in eo quòd bona sua vendere & dare pauperibus jubetur, confidentiam legis relinquere admonetur, & eam felici commercio mutare : & ut meminerit umbram in ea veritatis esse, quæ deinceps pauperibus, id est, gentibus sit sub ipsius veritatis corpore dividenda ; hæc autem neminem posse efficere, nisi qui sequi cœperit Christum.

℣. 20. Ab umbra legis ad evangelicam veritatem migrare suadentur.

℣. 21.

7. Sed adolescens, auditis his, tristis recessit : multam enim opulentiæ fiduciam habebat ex lege. Atque in eo etiam typicæ efficientiæ ratio servata est, ut cùm adolescentem hunc esse significet, ipse superiùs dixerit, ab omni se juventute sua præceptis his quæ habentur in lege servivisse : cùm adolescentia [g] intra juventutem sit, & posterior ætatis gradus non possit intra [h] prioris terminos contineri. Sed hoc ideo, ut à juventute [i] hoc serviente, longum jam in opere legis populi tempus ostenderet.

℣. 22. Quid sit quòd adolescens à juventute legi se servisse testetur.

8. Dehinc Dominus cognita adolescentis mæstitudine respondit, difficilè divitem venturum in regnum cælorum. Divitem se igitur Israel, ut diximus, legis fiduciâ gloriabatur. Huic difficilis est aditus in cælum, veteres opes sub Abrahæ nomine inanis prosapiæ ambitione retinenti.

℣. 23. Israeli superbo difficilis cæli aditus.

9. Quin etiam adjecit, camelum faciliùs per foramen acûs posse transire, quàm cælorum regnum divitem introire. [k] HABERE criminis non est, sed modus in habendo retinendus

℣. 24. Crimen non est in habendo, sed in habendi modo.

[a] Vaticanus codex apud Latinium, *subrepsit in sanctos*. Idem Apostolorum erga Israel affectus rursum declaratur cap. 15. n. 9. Eadem ratione Apostolos ab inclementia excusat Ambrosius in Luc. lib. 8. n. 60.

[b] Jam in Psal. 118. lit. 3. num. 5. not. h. observatum est hunc locum verbis illustrari Tertulliani lib. de baptismo, ubi ritum & effectum baptismi enarravit, subjicientis c. 7. *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de antiqua disciplina* : & post pauca, *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum-sanctum.* Num hæc & alia Hilarii cap. 4. n. 10. & 27. Confirmationis sacramentum non spectent, quisque judicet. Hinc certè non temeraria fuit nostrorum propensio, qua lib. 8. in Luc. n. 61. legi maluissent, *Ubi ad se infantes accedere jubet, ut eos vel precatione vel manuum impositione benediceret*, quamvis mss. auctoritati cedentes retinuerint *vel prædicatione*. Sic & Leo Papa epist. nunc 129. c. 7. indicat Spiritum-sanctum per impositionem manuum ac precationem præberi, cùm de iis, qui baptismum ab hæreticis acceperunt, habet : *Sola invocatione Spiritus-sancti per impositionem manuum confirmandi sunt* ; & post pauca, *Sola sanctificatio Spiritus-sancti invocanda est, ut quod ab hæreticis nemo accipit, à catholicis sacerdotibus consequatur.*

[c] In pluribus mss. *ecce juvenis unus.*

[d] Editi excepto Par. cum aliquot mss. *esset futurus.*

[e] Bad. & Er. *diis alienis adoraverat.* Tum Lipsius de suo posuit *adoleverat.* Suprà cap. 12. n. 22. observatum est in plerisque mss. haberi *adoratum postea pecudibus & saxis.* Ad Hilarii sententiam de furto & adulterio accedit illud Turibii inter epistolas Leonis edit. Quesnel. pag. 459. *Neque illa sola sunt furta, quæ alienorum direptione committuntur; vel sola adulteria, quæ violatis maritalis thori affectibus perpetramus : sed & subtractis quæ vera sunt, furtum catholicæ fidei perversi dogmatis facit assertio ; & adversùs veritatem verbi Dei, malarum doctrinarum adulterio, zizaniæ semina jaciuntur.*

[f] In mss. *sit proximus.*

[g] Editi, *infra juventutem* : refragantibus mss. Sed & mox ætas superior inferiorem *intra*, non *infra* se continere dicitur.

[h] In vulgatis *priores.* Concinniùs in mss. *prioris*, videlicet ætatis.

[i] Pronomen *hoc*, quo adolescens indicatur, à Lipsio expunctum restituimus auctoritate Bad. Er. & mss.

[k] Post verbum *habere*, excusi adjiciunt *divitias*, renitentibus mss.

est.

eſt. Nam quomodo impertiendum eſt, quomodo communicandum, ſi impertiendi & communicandi materia non relinquatur? Ergo nocenter magis habere, quàm illud ipſum habere ſit crimen. Sed periculoſa cura eſt, velle diteſcere: & grave onus innocentia ſubit, incrementis opum occupata. REM enim ſæculi, famulatus Dei non ſine ſæculi ipſius vitiis aſſequitur. Hinc difficile eſt divitem regnum cælorum adire. Atque etiam, quia uti plures his quæ habent rectè poſſent, ea in ſermone Domini ratio ſervata eſt, ut non abſolutè regnum cælorum nemo introire poſſet; ſed intelligi poſſet futurorum raritas ex difficultate. Et hæc quidem ad ſimplicis ſenſus intelligentiam pertinent: verùm eodem curſu interioris cauſæ ordo retinendus eſt.

Opum cura periculoſa.

Cur Judæis difficilis cæli aditus.


10. Adoleſcens, ut diximus, inſolens, ubi jacturam legis facere præcipitur, mæſtus & triſtis eſt. Eſt autem huic populo crux & paſſio ſcandalum; & idcirco ipſi nihil ſalutis ex ea eſt. Sed gloriatur in lege, & coheredes gentes adſpernatur, & tranſire in evangelicam libertatem recuſat: atque ideo difficilè regnum cælorum introibit. Pauci enim eorum, & juxta multitudinem gentium admodum rari erant credituri: * ut difficilè præduratam in lege voluntatem, ad prædicationem evangelicæ humilitatis inflecterent.

* mſſ. &c.

♈. 24. *Pervius eſt gentibus.*

11. Sed faciliùs camelus per foramen acûs tranſibit. Non convenit camelo cum acûs foramine: neque in anguſtiis cavernæ exiguiſſimæ, recipi poterit belluæ ingentis informitas. Sed in primordio libri *, ſub veſtitu Johannis, in camelo gentes ſignificari admonuimus. Pecus enim hoc [a] verbis obedit, metu continetur, jejunii patiens eſt, & oneri ſuo quadam diſciplinæ ratione ſuccumbit: cujus exemplo, gentium immanitas ad obedientiam præceptorum cæleſtium emollitur. Hæ igitur anguſtiſſimum iter regni cæleſtis introeunt: acûs ſcilicet, quæ eſt verbi [b] novi prædicatio, per quam corporum vulnera aſſuuntur, & diſſuta veſtium retexuntur, & mors ipſa compungitur. Ergo hujus novæ prædicationis hoc iter eſt: in quod faciliùs informitas gentium introibit, quàm opulentia divitis, id eſt, gloriantis in lege.

* cap. 2. n. 2. *Cameli natura.*



CAPUT XX.

De ſpe Apoſtolorum, de noviſſimis primis efficiendis. Ubi conducuntur operarii ad vineam. De filiis Zebedæi, de primo accubitu, de duobus cæcis ſecus viam ſedentibus.

1. AUDITIS itaque iſtis, diſcipuli admirantur & metuunt, dicentes neminem poſſe ſalvari. Dominus reſpondit, hoc impoſſibile eſſe apud homines, poſſibile apud Deum. Rurſum illi dictis Domini hæc reddunt: reliquiſſe ſe omnia, & cum ipſo eſſe. Quibus Dominus, cùm ſederit in majeſtatis ſuæ ſede, ſeſſuros ſuper ſedes duodecim, ac totidem tribus Iſrael judicaturos ſpopondit; omnibuſque, qui univerſa reliquerint propter nomen ejus, fructum centupli præmii reſervatum: multos autem ex noviſſimis primos, & ex primis futuros noviſſimos.

♈. 25. *Summa ſacri textus.* ♈. 26. ♈. 27. ♈. 28. ♈. 29. ♈. 30.

2. Multa ſunt, quæ non ſinunt nos ſimplici intellectu dicta evangelica ſuſcipere. Interpoſitis enim nonnullis rebus, quæ ex natura humani ſenſus ſibi contrariæ ſunt, rationem quærere cæleſtis intelligentiæ admonemur. [c] Apoſtoli dicunt, & ſequi ſe Chriſtum, & ſe omnia reliquiſſe: quomodo igitur fiunt triſtes, & quomodo metuunt, dicentes ſalvum eſſe neminem poſſe? Namque & ab aliis fieri poterat, ſi quid feciſſent ipſi. Deinde cùm feciſſent ipſi; quare metus vel unde ſuſceptus eſt? Additur etiam in reſponſione Domini, hæc apud homines impoſſibilia, poſſibilia apud Deum. Numquid apud homines impoſſibilia erant, quæ & Apoſtoli feciſſe ſe gloriantur, & feciſſe eos Dominus agnoſcit: & deinceps plures uſque ad martyrii beatitudinem eſſent omnia relicturi? Aut numquid eſt Deo, quo egere poſſit; relictumque ſit aliquid, quod [d] jacturâ rerum quas habeat ſit ſequendum, ut ſoli ipſi hoc facere poſſibile ſit? Omnis itaque hic ſermo eſt ſpiritalis.

Spiritaliter intelligi debet.

3. Apoſtoli enim ſpiritaliter audientes, neminem ex lege poſſe ſalvari, [e] cùm ipſi etiam tunc in lege eſſent; nam vehemens eos amor legis favorque detinuit: hi igitur, nondum penitus evangelici myſterii veritate comperta, metuunt neminem ſalvum eſſe poſſe ſine lege: quia omnem ſalutem etiam tunc in lege conſtituant. Sed Dominus brevi abſolutaque ratione, eorumdem & ignorantiam & metum ſolvit, dicens, *Hoc quidem impoſſibile eſt apud homines, poſſibile autem apud Deum.* Quid enim Judæo tam ſine effectu videtur, [f] ut ab homine magis

Apoſtolis ſine Lege ſalus nulla videbatur.

[a] Bad. & Er. *verberibus obedit.*
[b] Vaticanus codex apud Latinium, *nova prædicatio*, eodem ſenſu.
[c] In mſſ. hîc dumtaxat inchoatur caput XX.
[d] Par. cum mſ. Carnut. *quod ei jactura.*
[e] Lectionarium mſ. German. *cùm etiam ipſi non intellexiſſent: nam vehemens.* Apoſtoli dicuntur in lege affectu verſari.
[f] In vulgatis, *quàm ut ab homine magis ſalutem expetat, quàm ex lege:* lectio verbis evangelicis non ſatis reſpondens. In nonnullis mſſ. *ut ab homine magis ſalutem exſpectat quàm ex lege.* Non diſplicet quod in aliis quinque, *ut homini magis ſalutem exſpectanti ex lege;* ſicque ſecundis curis repoſitum eſt in mſ. Turon. qui à prima manu præfert, *ut ab homine &c. & ex lege:* quæ lectio integrior viſa eſt. Judæus quippe nihil præter Moyſen ejuſque legem audire volens, & ab homine ſalutem exſpectat & ex lege.

Unde fit. salutem exspectanti & ex lege, quàm ut in A crucis scandalo legislatio, & testamentum, & adoptio, & hereditas[a] negligatur? Quid autem Dei virtuti tam possibile est, quàm ut per fidem salvet, ut per aquam regeneret, ut per crucem vincat, ut per Evangelia adoptet, ut per resurrectionem ex morte vivificet?

4. Quibus auditis Apostoli citò credunt, seseque omnia reliquisse profitentur. Sed hanc eorum obedientiam citò Dominus muneratur, omnem difficultatem superioris quæstionis ab- B solvens, cùm dicit, *Vos qui secuti estis me*[b] *in regeneratione, judicabitis duodecim tribus Israel.*

Regeneratio quid. Secuti in regeneratione sunt, in lavacro baptismi, in fidei sanctificatione, in adoptione hereditatis, in resurrectione ex mortuis. Hæc enim illa regeneratio est, quam Apostoli sunt secuti, quam lex indulgere non potuit, quæ eos super duodecim thronos, in judicandis duodecim tribubus Israel, in duodecim patriarcharum gloria copulavit. Ceteris quoque C contemtu sæculi se sequentibus, centesimi fructus copiam pollicetur. Hic centesimus fructus est, qui in centesima ove cum cælesti lætitia expletur. Hic centesimus fructus est, quem perfectæ terræ ubertas consequitur. Qui Ecclesiæ honor jam in Saræ * cognomento est destinatus, & jacturâ legis ac fide evangelica promerendus est: atque ita * ex novissimis primos efficiendos, quia novissimi efficiantur ex primis.

Centesimus fructus.

* V. cap. 18 n. 6.

* subaud. pollicetur.

Matth. 20. 1. 5. *Simile est regnum cælorum homini patri-familias, qui exivit primo manè conducere operarios*, & reliqua. Comparatio omnis per se absoluta D est: sed personis distinguenda, & discernenda temporibus est. Patrem-familiâs hunc, Dominum nostrum Jesum Christum existimari necesse est: qui totius humani generis curam habens, omni tempore universos ad culturam legis vocaverit. Vineam verò, legis ipsius opus & obedientiam; denarium autem, obedientiæ ipsius præmium significari intelligimus. Et de E denario jam superiùs[c] tractavimus. De vinea verò, opportuniùs in consequentibus rationem afferemus. Forum autem pro sæculo accipi res ipsa admonet, æquabiliter turbis hominum, calumniarum, injuriarumque contentionibus, & diversorum negotiorum difficultatibus semper tumultuosum.

Pater-familias.

Vinea. Denarius.

Forum.

Quinque testamenta. 6. In prima igitur hora, tempus constituti testamenti ad Noe ex matutini significatione noscendum est, tertia autem hora ad Abraham, sexta ad Moysen, nona ad David & prophetas. Totidem enim testamenta humano generi constituta per singulos reperiuntur,[d] quotidem ad forum enumerantur egressus. In[e] undecima autem hora, corporei adventus Domini tempus ostendit. Nam ex omni numero, qui spatio est præsentis sæculi constitutus, in eam rationem convenit ortus ejus ex Maria, in quam undecimæ horæ tempus ex die est. Divisione enim per quingentenum numerum factâ, in omni sex millium annorum summa, tempus corporei ortus ejus[f] undecimo divisionis totius calculo supputatur.

Quando Christus in carne natus sit.

7. Et quidem diversus ad undecimæ horæ operarios sermo est. Primis enim, sed & ceteris dictum est, *Ite ad vineam*: merces tamen ℣. 4.
denarii cum primo constituta est; nam ceteris, justæ solutionis promissa spes est, novissimis verò dicitur, *Quid hìc statis?* quia quamvis ad ℣. 6.
Israel lata lex fuerat, voluntas tamen gentium non excludebatur à lege. Qui responderunt, *Nemo nos conduxit.* Debitum namque erat per ℣. 7.
orbem terrarum Evangelium prædicari, & gentes fidei justificatione salvari. Hi igitur mittuntur ad vineam. Et cùm serò esse cœpisset, ℣. 8.
donum constitutæ in totius diei labore mercedis, primi operarii[g] horæ vesperis consequuntur. Merces quidem ex dono nulla est; quia debetur ex opere; sed gratuitam gratiam Deus omnibus[h] ex fidei justificatione donavit: verùm secundùm insolentiam populi jam sub Moyse contumacis, hinc murmur operantium est, hinc gratuitæ mercedis invidia est, quòd sine longi laboris difficultate, & sub æstûs nomine non longo in eos diabolici instinctus calore flagrante, idem præmium redhibeatur operantibus. Sed ideo quod apud homines impossibile est, possibile est apud Deum: ut mercedem legis optimè & inculpabiliter custoditæ,[i] donum gratiæ per fidem credentibus primis ex novissimis largiatur.

Judæi gentibus invident gratiam.

8. *Et adscendens Jesus Ierosolymam assumsit* ℣. 17.
duodecim discipulos[k], *& ait illis*, * *Ecce adscen-* ℣. 18.
dimus Ierosolymam, & reliqua. Jam sine scandalo audituris Apostolis sacramentum crucis Dominus exponit: (denique nulla hunc sermonem mæstitia consequitur.) confirmatis scilicet superiore sermone, per fidem crucis novissimos primos futuros; divitibus autem, id

[a] Verbum *negligatur* omittit prima editio Par. Hoc sibi vult, Judæo stultum videri, ut crucis scandalum præferatur religioni patrum, quorum, secundùm Apostolum Rom. 9. 4. est legislatio, testamentum &c.

[b] Voces *in regeneratione* in priùs vulgatis cum subsequenti verbo *judicabitis* malè connecti, liquet ex subjectis.

[c] puta cap. 17. n. 12. ubi Hilarius denarium disertè exponit Evangelium, minùs claré autem evangelicæ spei gloriam. At in Psal. 129. n. 11. denarium hujus parabolæ haud obscurè vocat *evangelica mercedis spem.*

[d] Editi, *quot ejusdem*: refragantibus mss.

[e] Bad. Er. & Lips. cum omnibus mss. *In duodecima*: rursumque inferiùs, *in quam duodecima hora*: & post pauca, *ad duodecima hora operarios*: quæ lectiones his locis an aliqua auctoritate apud Par. mutatæ sint, valde ambigimus. Hæc tamen mutatio confirmari potest ex Tract. Psal. 129. ubi ad eamdem parabolam respicitur, & in uno numero 11. quinquies memoratur hora *undecima*, numquam *duodecima.*

[f] In hoc uno loco editi cum scriptis consentientes exhibent *undecimo*, non *duodecimo*. Quod confirmare licet his Hieronymi in Michææ cap. 4. verbis: *In consummatione sæculorum Salvator noster apparuit: & in undecima hora ad conducendos operarios venit; &, completa illius passione Johannes dicit, Filii novissima hora est. Nam si in sex millibus annis quingenti anni per horas diei singulas dividantur; novissima hora consequenter est tempus fidei gentium.* Ex quibus conficitur, Christi ortum circa annum mundi 5500. contigisse. Sed jam monuimus pag. 694. not. b. non ad litteram exigendum, quod de mundi hujus spatio, & perinde quod de annis ortûs Christi hîc scribitur. Quia porro Hilarius Scripturam spiritalibus sensibus fetam credebat, non in eo uno hæret, sed in Psal. 129. n. 11. undecimæ horæ operarios intelligit eos, qui in extrema senectute salutem suam operari incipiunt.

[g] In vulgatis, *hora*. Rectiùs in mss. *horæ*: quod totum ita intelligendum, ut operarii horæ undecimæ mercedem iis, qui totam diem laborassent, condictam primi consequantur.

[h] Mss. Rom. Colb. Vatic. Carn. *fidei justificationem.*

[i] In iisdem mss. *dono gratia*: non malè, si verbum *largiatur* ad Deum retuleris. Minùs bene apud Par. ex ms. nunc Colb. subjicitur *primis & novissimis.*

[k] Sex mss. hîc adjiciunt *secretò*, sacro textu consentiente.

eſt, confidentibus [a] legis in eamdem crucem A ſcandalizantibus, invium iter regni cælorum futurum.

ŷ. 20. 9. *Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis*, & reliqua. Non ſine aliquo momento rerum ita effectum fuiſſe exiſtimandum eſt, ut mater filiorum Zebedæi Dominum deprecaretur. Numquid & filiis petendi familiaritas non erat? Sed erat geſtorum effectibus prophetandum. Apoſtoli quidem jam ex lege crediderant, quæ eos in fidem evan- B gelicam nutriverat. Itaque in matre filiorum Zebedæi lex intelligitur: quæ confidentiâ privilegii ſui pro credentibus ex ſe populis deprecatur.

Zebedæi filiorum mater, lex.

Filii ejus, Judæi credentes.

ŷ. 21. Quæ quia ſuperiùs audierat primos noviſſimos, & noviſſimos primos futuros; deferri filiis ſuis orat, ut in Domini regno unus ad dexteram ejus ſedeat, alius ad ſiniſtram. ŷ. 22. Cui Dominus reſpondit, neſcire eam quid oret. Nihil quidem de gloria Apoſtolorum ambigebatur, & judicaturos eos ſermo ſuperior expo- C ſuit. Denique in medio ſermone an calicem ſuum poſſent bibere interrogat. Non utique de communis poculi genere loquebatur; neque enim labor eſt bibere de calice: ſed ille de calice ſacramenti paſſionis interrogat.

Calix, paſſio.

ŷ. 23. At illi, qui jam martyrii libertatem conſtantiamque retinebant, bibituros ſe pollicentur. Dominus collaudans eorum fidem ait, martyrio quidem eos ſecum compati poſſe; ſed [b] lævæ ejus ac dexteræ aſſidere, aliis à Deo patre fuiſſe diſpo- D ſitum.

Qui deſtinati ſint, ut Chriſto in regno aſſideant.

10. Et quidem, quantum arbitramur, ita honor iſte aliis eſt reſervatus, quòd tamen nec Apoſtoli ab eo erunt alieni: [c] qui in duodecim patriarcharum ſede conſidentes, Iſraelem judicabunt. Et quantum ſentire ex ipſis Evangeliis licet, in regno cælorum Moyſes & Elias aſſidebunt. *Matth. 16. 28.* Nam cùm ſpopondiſſet Dominus, viſuros quoſdam de Apoſtolis, ante quàm mortem guſtarent, filium hominis venientem in E regno ſuo; aſſumtis Petro & Jacobo & Johanne, apparuit cum gloriæ ſuæ habitu, Moyſe & Elia in monte comitantibus. Et hos quidem eoſdem prophetas duos prævenientes adventum ejus eſſe intelligimus, quos Apocalypſis Johannis ab antichriſto perimendos eſſe dicit: *Apoc. 11. 7.* licèt variæ vel de Enoch, vel de Jeremia, plurimorum exſtiterint opiniones, quòd alterum eorum ſicut Eliam mori oporteat. Sed non poſſumus veritatis fidem, quam Dominus tribus ſuperioribus teſtibus revelavit, ſenſus noſtri opinione corrumpere: neque alios venturos exiſtimare, quàm qui ad ſponſionem fidei veniſſe conſpecti ſunt. Et quamquam ultra evangelicam veritatem non neceſſe ſit opinari: tamen ſi quis conditionem & mortis [d] & ſepulturæ & ſepulcri Moyſi diligenter adverterit, & ſecretarum Scripturarum, ſecundùm Apoſtoli auctoritatem, cognitionem adeptus ſit; intelliget omnia ita eſſe tractata, ut Moyſes potuerit jam videri. Et hæc quidem inſtruendi cauſâ ſint dicta.

Vocationes duæ ex Judæis.

11. Ceterùm ut ratio ſpiritalis intelligentiæ plena eſſet, pro duobus Dominum mater oravit. Duæ enim ſunt vocationes ex Iſrael: una diſcipulorum Johannis, [e] altera per Apoſtolos Phariſæorum. Namque poſt paſſionem Johannis ſuperiùs legimus diſcipulos ejus ad Dominum tranſiſſe. Ideo igitur pro duobus oratur, quia Evangelio Chriſti hæ vocationes geminæ crediderunt. Poſt hæc igitur decem diſcipuli contriſtati ſunt de fratribus duobus: verùm ipſorum duorum diſcipulorum nulla mæſtitia eſt. Hoc ratio non patitur, ut alterius [f] contumeliâ alius fiat mæſtus. Certè etiam pro ſe decem mæſti eſſe potuiſſent; ſub duorum enim nominibus negatum hoc omnibus videbatur: ſed typicus ordo ſervatus eſt. Apoſtoli de ſe certi erant: ideo ſolùm mæſti ſunt de duobus; quia etiam his duabus vocationibus, quæ ex lege ſunt, conſortium gloriæ hujus optabant. Ita enim rationem & futuri & præſentis ſermo moderatur, ut non de ſe neque decem

His Apoſtoli optant gloriæ ſuæ conſortium.

---

[a] Sola editio Par. *legi.* Aliquot mſſ. *in lege.* Tum Colb. & Carn. *eſſe ſcandalizantibus.* Ex *eſſe* quis conficiendum putaret *ſe ſe*, niſi verbum *ſcandalizantibus*, etſi activè ſonans, paſſivè tamen ab Hilario intellectum conſtaret vel ex hoc capitis 30. n. 3. *Petrus pro fidei ſuæ calore reſpondit, ceteris licèt ſcandalizantibus, numquam ſe ſcandalizaturum.* Sollemnis autem ei eſt idem hujus verbi uſus.

[b] Par. cum tribus mſſ. *ut lævæ ejus ac dexteræ aſſiderent.*

[c] In mſſ. Rom. Colb. & Carn. *quin duodecim:* ac deinde *conſident &*, pro *conſidentes.*

[d] Vocabulum *ſepulturæ* hîc adjecimus auctoritate quatuor mſſ. Dubitant nonnulli propter hunc locum an Hilarius Moyſen verè mortuum crediderit. Indubitanter Sculterus inter illius nævos ponit: *Moyſen mortuum negat contra ipſiſſima Scripturæ verba.* Legiſlatoris ejuſdem mortem diſertioribus verbis negaſſe videtur Ambroſius lib. 1. de Cain & Abel c. 2. n. 8: ubi ait, *Non legimus de eo, ſicut de ceteris, quia deficiens mortuus eſt, ſed, per verbum Dei mortuus eſt .... Unde & addidit Scriptura, Quia nemo ſcit ſepulturam ejus uſque in hodiernum diem: ut tranſlationem magis, quàm interitum ejus intelligas.... Mortuus igitur eſt per verbum Dei, ut ait Scriptura, non ſecundùm verbum.... Quis enim in terrenis reliquias ejus potuit deprehendere, quem ſecum eſſe Dei filius in Evangelio demonſtravit?* Ubi in noviſſima Ambroſii editione animadverſum eſt, illum Philonis ſententiam exprimere voluiſſe, quem de Moyſi morte ſenſu ſpiritali diſſeruiſſe conſtat, de litterali minùs ſollicitum. Longè faciliùs à prædicta opinione purgatur Hilarius ex dictis capitis 17. n. 2. ubi cùm quæſiſſet, cur ex omnibus ſanctis ſoli Moyſes & Elias cum Chriſto transfigurato adſtiterunt, reſpondet primò hoc ita factum, ut doceret Chriſtus legis, cujus Moyſes erat lator, necnon prophetarum, quorum typum gerebat Elias, teſtimoniis Iſraelem eſſe judicandum. Tum alteram facti ejuſdem rationem reddit, nimirum *ut & humanis corporibus decreta eſſe reſurrectionis gloria doceretur, cùm quando Moyſes conſpicabilis adſtitiſſet.* Quid, quæſo, Moyſes conſpectus ad reſurrectionis veritatem demonſtrandam prodeſt, niſi mors ipſius tamquam res nota & comperta ponatur? Cur in hac altera ratione ſolum Hilarius Moyſen, non Eliam memorat, cùm de utroque pariter quæſtionem inſtituiſſet, niſi quia hunc tranſlatum, illum autem verè mortuum crederet? Neque verò hîc illius aut mortem aut ſepulturam negat, ſed *mortis & ſepulturæ conditionem* ſingulari conſideratione dignam obſervat: eaque ita in Scripturis tractata, quaſi nos præparare voluiſſent, ut eum jam videri potuiſſe crederemus. Ex eo autem quòd Moyſen unum opinatur ex duobus teſtibus eſſe, quos Johannes ab antichriſto perimendos dicit; non ſequitur illum Moyſi mortem negaſſe, ſed tantùm eam illi reſurrectionem nondum indultam, quæ morti ampliùs obnoxia non eſſet: Quod etiam de Jeremia ſenſerint neceſſe eſt, qui illum ex illis teſtibus alterum eſſe volunt. Nemo enim eſt, qui de illius morte umquam dubitavit. Denique his verbis, *licèt variæ vel de Enoch vel de Jeremia plurimorum exſtiterint opiniones, quòd alterum eorum ſicut Eliam mori oporteat;* ſatis indicat ſe ſolos Enoch & Eliam à nobis ſine morte tranſlatos exiſtimaſſe.

[e] Ita omnes mſſ. Editi verò, *altera Apoſtolorum & Phariſæorum:* cui lectioni repugnat quod poſt pauca ſubjicitur, *Apoſtoli de ſe certi erant; ideo ſolùm mæſti ſunt de duobus: quia etiam his duabus vocationibus quæ ex lege ſunt, conſortium gloriæ hujus optabant;* necnon hoc cap. 21. n. 1. *Duabus enim vocationibus Iſrael vel per Apoſtolos vel per Johannem ex lege ſalvatur.*

[f] Beccenſis codex, *mæſtitia:* pravè. Non enim hîc, quod diligenter advertendum, mæſtos vult Hilarius Apoſtolos, quòd quædam privilegia ſibi arrogaverint Zebedæi filii, ſed quòd poſtulata non impetraverint. Mæſtos dicit ob contumeliam, qua duo ipſorum fratres affecti ſunt per repulſam: neque ob repulſam quam illi in ſe & ſuo nomine, ſed quam nomine duarum vocationum gentis ſuæ perpeſſi ſunt.

neque duo solliciti scriberentur, & in decem sollicitudine de duobus, præsentis negotii efficientiæ obtemperaretur.

Ad gloriam humilitate pervenitur. — a — ℣. 25.

12. Volens igitur Dominus proprietatem nobis istius præfigurationis ostendere, atque [a] hanc præsumtionem eos, qui erant ex lege venturi, de prærogativa Israelitici nominis velle præsumere; docet principatum ab his non modo gentium capessendum, sed ministros & servientes, & non quibus ministratum sit, ad gloriam honoris maximi advocandos: exemplo scilicet patriarcharum & prophetarum qui servierint, exemplo etiam Apostolorum qui ministraverint, exemplo etiam Domini qui animam suam pro redemtione nostræ salutis impenderit. Ad gloriam autem humilitatis istius, cœnæ eos [b] & convivii modo instruit: monens in locis eminentioribus accubari non oportere, ne fortè eo adveniente qui clarior est, per dominum cœnæ occupato loco [c] cum decenti contumeliâ admonitus decedat. Porro autem si in humilibus accubuerit; advenientibus humilioribus, ad gloriam loci celsioris accedet. Atque ita NON PRÆSUMERE aliquid honoris decet, sed humilitatis operibus promereri.

Luc. 14. 8. — b — c

℣. 30. 13. *Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa: & ecce duo cæci sedentes super viam audierunt quòd Iesus transit*, &c. Superiùs per figuram duorum filiorum Zebedæi, de Israelitico populo tractatum est, qui ex semine Sem erat ortus. Competenter igitur cæci duo viam [d] adsident: populi videlicet gentium duo ex Cham & Japhet procreati egressus & iter ejus observant, sibique cæcis visum reddi deprecantur. Denique eos turba objurgat cur clament, & ut sileant increpat: non quòd silentium causâ honoris exigerent, sed acerbè à cæcis audiunt quod negabant, Dominum esse David filium. Illuminatis enim cæcorum mentibus Deus in homine prædicabatur; ut verum esset quod à Domino dictum est, In judicio mundi hujus veni, ut qui vident non videant, cæci verò respiciant. *At illi magis clamant*: & demorante legis populo, vehementiorem fidei suæ protestantur calorem. Sed Dominus miseretur, & quid volunt requirit. Illi verò aperiri oculos suos precantur. Quibus misertus oculos contigit, & visum cognoscendi Dei reddidit. Atque ut typus crediturarum gentium expleretur, cælestis gratiæ cognitione percepta, qui cæci fuerant, videntes Dominum suum sunt secuti.

Cæci duo, gentes ex Cham & Japhet. — d — ℣. 31. — *Deum prædicant Christum. Johan. 9. 39* — ℣. 34.



CAPUT XXI.

De asina & pullo ejus, de ejectis à templo nummulariis, de ficu maledicta, de duobus filiis ad vineam missis, de publicanis & meretricibus.

Matth. 21. 1. ℣. 1.

1. TUNC *Iesus misit duos ex discipulis suis, * dicens, Ite in castellum quod contra vos est*, &c. Duo discipuli ad vicum mittuntur, ut asinam ligatam cum pullo ejus absolvant, atque ad eum perducant: & si quis interroget cur ita fiat; respondeant Domino necessarios, ac statim [e] remittendos. Post superiorem sermonem, quo in duobus filiis Zebedæi duplicem ex Israel vocationem significatam meminimus, competenter nunc duo discipuli ad solvendam asinam & pullum destinantur: quia duplex erat ex gentibus plebis vocatio consecutura. Erant enim atque sunt Samaritæ, profecti quondam per secessionem ex lege, & sub quadam observantiæ suæ consuetudine servientes: erant etiam gentes indomitæ & feroces. Igitur duo mittuntur, ut solvant ligatos & obstrictos, & erroris atque ignorantiæ vinculis præpeditos: & mittuntur extra Jerusalem; extra eam enim hæ duæ vocationes habebantur. Ceterùm mater filiorum Zebedæi intra Jerusalem Dominum oravit: duabus enim vocationibus Israel vel per Apostolos vel per Johannem ex lege salvatur. Verùm [f] æquè per Philippum Samaria credidit; per Petrum autem Cornelius Christo tamquam primitiæ gentium adductus est. Quòd autem instruuntur, ut quærenti respondeant Domino necessarios & mox remittendos, id est, eos ipsos genti suæ prædicatores fidei evangelicæ esse reddendos. Impleta igitur est prophetia, quæ invectum asinâ & pullo novo Dominum venturum in Jerusalem nuntiabat. Sed gestorum effectibus prophetatur. Asina namque, quæ de vico solvitur, atque exhibetur, Samaria videlicet alieno & peregrino obsessa dominatu, per Apostolos solvitur, & Domino suo redditur. Pullum verò idem Dominus adscendit, novellum, contumacem, durum: atque hæc omnia gentilis ignorantiæ vitia [g] dominantur, & tot animarum ferocitates [h] vectio Deo factæ sunt.

e — *Superiori cap. duæ vocationes ex Israel, nunc totidem ex gentibus præsignantur.* — f — *Act. 8. 5.* — *Act. 10. 5.* — *Zach. 9. 9.* — g — h

2. Omnis autem hæc species futuri ordinem tenet: & parabolicis significationibus, rerumque præsentium conditionibus, futuris forma præmittitur. [i] Erit enim Dominus in claritatis

i

[a] Hìc supplendum, *volens ostendere*. Mox *non modo gentium*, id est, non more gentium.

[b] Bad. *& communi modo*, Par. *& convicii modo*: mendosè. Hanc autem parabolam, quam apud Lucam dumtaxat legere est, hìc fortè Hilarius in suo exemplari subnexam habuerit.

[c] Apud Par. *concedenti*. In aliis edit. *concedendi*. In sex mss. *cœnandi*. Ex ceteris restituimus *cum decenti*.

[d] Editi, *obsident*: renitentibus mss.

[e] Sic mss. hìc & infrà. At editi inferiùs, *emittendos*, quod etiam hìc habet Par.

[f] In vulgatis, *adæquè*. Retinemus cum mss. Rom. Colb. Vatic. & Carn. *æquè*, licèt hujus adverbii loco maximè arrideat *extra eam*, quod in sex mss. habetur; sed hæc lectio suppositionis magis est suspecta, quàm altera. Utraque tamen potest simul retineri in hunc modum: *Verùm æquè extra eam per Philippum* &c.

[g] Editi, *vitia edomantur*, vel *domantur*: quod secundis curis habet ms. Turon. In Colb. & Carn. *vitiis edomantur*. In ceteris, *vitia dominantur*, scil. *gentilis ignorantiæ*.

[h] Sic magno consensu mss. Editi verò, *vecto Deo fracta sunt*.

[i] Par. cum quatuor mss. *Aderit enim*.

suæ adventu gentes possidens : earumque mentibus tamquam [a] vector insidens, toto comitatus sui agmine prædicabitur, Patriarcharum, Prophetarum atque Apostolorum. Nam gloriam suam in vestimentis Patriarchæ Domino substernunt : eorum enim & generationibus & nominibus & insectationibus est Dominus prophetatus. Eique [b] omni dignitatis suæ ornatu concedentes, seque sedili ejus substernentes, docent omnem gloriam suam præparationi dominici adventus fuisse substratam. Illic etiam B Prophetæ vestimenta sua incedentis itineri substernunt ; hanc enim viam gentium [c] vecturarum Deum prædicaverunt : quique sæculi amore postposito, mortibus se & lapidationibus offerendo, ipsis se quodam modo corporibus exuerunt, ad ingressum viæ talis oblatis. Apostoli quoque excisarum arborum ramos post vestimenta substernunt : sed nulla in hoc est humani officii reverentia. Rami enim incedentem impedirent, & implicitum iter facerent C properantis ingressui : verùm explicatur omnis ratio prophetiæ, & futuri forma servatur. Igitur infructuosarum gentium rami, id est, infidelium quondam gentium fructus, per Apostolos itineri Domini substernuntur, & Salvatoris justificantur ingressu : & per eos inceditur, & gratissimum fit incedenti Deo ex ramis infecundæ radicis officium.

Marginal notes: a Vestimenta Domino à Patriarchis & Prophetis qui substrata. ℣. 8. — Rami ab Apostolis excisi, quid.

℣. 9. 3. *Turba autem & præcedens & consequens clamabat : Hosanna* [d] *fili David, benedictus qui venit in nomine Domini.* D Sed crucifigendum quomodo turba collaudat, aut quomodo odium meruit ex favore ? Verùm laudationis verba, redemtionis in eo exprimunt potestatem. Nam *hosannæ* hebraico sermone significatur redemtio domûs David. Deinde David filium nuncupant, in quo agnoscerent regni æterni hereditatem. Postremò benedictum qui venit in nomine Domini confitentur. Atquin acclamandum ab his erat crucifige blasphemum. E Sed peragunt formam futuri gesta præsentia : & compugnantibus licèt eorum inter quos hæc gerebantur affectibus, quamvis mox diversa essent consecutura, rerum tamen cælestium fidem etiam invitorum meditatur operatio. Commovetur deinde Jerosolyma ; rerum enim novitas motum attonitis afferebat.

Marginal note: d Populi in Christum compugnantes affectus.

℣. 12. 4. Templum verò introiit, id est, ecclesiam traditæ à se prædicationis [e] ingressu. A qua primùm omnia sacerdotalis ministerii vitia jure F potestatis expellit : reddenda enim ab omnibus gratuita tradiderat, quæ gratuita fuerant consecuti : quia neque emi aliquid per corruptelam sacerdotis aut vendi, libertas doni debebat admittere. *Matth. 10. 8.* Cathedras autem, præcipuè vendentium columbas, evertit. Quæ porro dignitas est in nundinis columbarum ? aut quod privilegium in avium istarum commerciis reservatum est, ut vendentes eas honorem sibi arrogent cathedrarum ? Sed in omni loco [f] admonemus, altiùs verborum virtutes in istiusmodi significationibus contuendas. In columba, secundùm prophetiæ exempla, sanctum Spiritum intelligimus : in cathedra, sacerdotii sedes est. Ergo eorum, qui sancti Spiritus donum venale habent, cathedras evertit, quibus ministerium à Deo commissum negotiatio est ; admonitionis ejus commemorans auctoritatem, quæ in propheta teneatur. Nam scriptum est, *Esai. 56. 7.* ℣. 13. *Domus mea domus orationis vocabitur ; vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Sed neque emere Judæos in Synagoga, neque vendere Spiritum-sanctum posse existimandum est. Non enim habebant ut [g] venire possent, neque erat quod emere quis posset : sed præfiguratio futurorum dictis præsentibus continetur, Ecclesiæ vitia in ipso adventu dominicæ claritatis esse purganda.

Marginal note: e Vendentes columbas, hoc est, Spiritus-sancti dona, de templo ejiciuntur.

5. Infirmitates quoque cæcorum & claudorum curavit in templo : & publicas ejus operationes favor populi consecutus est. ℣. 14. Invident autem puerorum clamoribus principes sacerdotum, eumque admonent cur ista audiat ; in redemtionem enim venisse domûs David prædicabatur. ℣. 15. Quibus respondit, non legisse eos, ℣. 16. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem :* *Psal. 8. 3.* cessantibus enim prudentum judiciis, hanc sibi à pueris atque infantibus, quorum sit regnum cælorum, confessionis gloriam præparatam ; quia prudentes & principes sæculi sapientiam Dei reprobaverint, Christum autem [h] regenerationis parvuli lactentesque sint prædicaturi. *Et his dictis civitatem egressus reliquit eos, atque in Bethania mansit.* ℣. 17. Infidelem videlicet Synagogam deserens in Ecclesia gentium demoratur.

6. *Manè autem transiens in civitatem, esuriit :* ℣. 18. * *& videns arborem fici unam secus viam, venit ad eam,* & reliqua. ℣. 19. Idem [i] etiamnum rerum cælestium ordo præmittitur. Nam in ficu Synagogæ positum exemplum est. Dato enim pænitentiæ spatio, eo videlicet tempore quod inter passionem & reditum claritatis est medium, veniet esuriens plebis hujus salutem, & inveniet infecundam, foliis tantummodo vesti-

Marginal note: i Ficus fructu non foliis carens, Synagoga.

[a] Apud Bad. Er. & Lips. *victor*. Veriùs mss. cum Par. *vector*, vel *advector*, quod passivè intelligendum, ut suprà cap. 7. n. 9. Sic & Ambrosius lib. 9. in Luc. n. 9. *Felices illos, qui talem internis renibus recepere vectorem.* Qua etiam ratione verbum hoc Tullio aliisque est usitatum.

[b] Quidam mss. cum Par. *omnes*. At hæc sola editio deinde habet, *dignitatis suæ ornatus*.

[c] Prima editio Par. *vecturam Dominum*. Postrema post Er. & Lips. *vecturatum Dominum* : emendantur ex Bad. & mss.

[d] In septem mss. *filio David*. Verbi *hosanna* interpretationem, quam, uti plura alia, ex Hilario expressit Ambrosius in Luc. lib. 9. n. 15. non probat Hieronymus initio epist 145. quam videsis.

[e] Sic mss. plerique. At editi, *ingressus*, vel, *est ingressus*.

[f] Ita codex Carn. cum Colb. Alii verò *admonemur*. Ad Hilarii imitationem Ambrosius lib. 9. in Luc. n. 19. *Cathedras autem vendentium columbas cur everterit, secundùm litteram non intelligo : neque enim nundinatores avium vindicare sibi poterant alicujus in nundinis solii dignitatem* &c.

[g] Sic Bad. cum sincerioribus mss. In aliis edit. *vendere possent*. In aliis mss. *venire posset*. In utrisque hæc mutatio minimè facta esset, si cap. 10. n. 18. observatum fuisset, verbo *veneo* apud Hilarium inesse vim activam. Judæis autem non fuisse Spiritum-sanctum hîc dicitur juxta Johannem 7. 30.

[h] In sex mss. *generationes parvulæ lactentesque sint prædicaturæ* : minùs bene. Quid sibi velit *regenerationis* vocabulum, explicatur cap. 20. n. 4.

[i] Sic Bad. Er. & Lips. Mendosè in mss. Colb. & Carn. *etiam numerorum cælestium*. Pessimè autem in plerisque aliis, *etiam numerus cælestium ordinum*. Nec meliùs apud Par. *etiam munerum cælestium ordo*.

Bonitatis Dei argumentum fusius pertractatum videsis in Ps. 144. n. 9.

tam, id est, verbis inanibus gloriantem; sed A fructibus vacuam, operibus quippe bonis sterilem, & exspectatis proventibus nudam. Et quia pænitendi tempus excesserit, in perpetuum sententiâ judicii cælestis arescet. Et in eo quidem bonitatis dominicæ argumentum reperiemus. Nam ubi afferre voluit procuratæ per se salutis exemplum, virtutis suæ potestatem in humanis corporibus exercuit, spem futurorum & animæ salutem curis præsentium ægritudinum commendans. Nunc verò [a] ubi B in contumaces formam severitatis constituebat, futuri speciem damno arboris indicavit; ut infidelitatis periculum sine detrimento eorum, in quorum redemtionem venerat, doceretur.

℣. 20. Sterilitati damnatio est æterna.

7. Admirantur verò discipuli arborem in momento dicti ipsius aruisse: quia præsentis facti efficacia futuri imaginem præferebat. Cùm enim in regno cælesti advenerit, in tempore ipso adventus ejus infidelitatis Ju- C daicæ sterilitatem æternæ damnationis sententia consequetur. Quos * Dominus, si fidem habuerint, non solùm hæc, sed & majora horùm eos posse confirmat. Illi quidem judicaturi erant Israel, secundùm antecedentes sponsiones: sed etiam jus omne in diabolum, quem montem nuncupat, essent consecuturi. Ait enim ita: *Si fidem habueritis, non solùm de ficulnea facietis, sed & si monti huic di- D xeritis, Tolle & jacta te in mari, fiet.* O ingens fidei præmium, cujus merito in tantum potestas credentium extollitur, ut judicaturi universos, pari severitatis sententiâ in damnationem sæculi diaboli celsitudinem molemque demergant!

(* discipulos. — Fidei jus. — ℣. 21.)

Synagoga qua ratione ficui comparetur.

8. Contuendum autem est, qua ratione Synagoga ficûs arbori comparetur. Hæc namque arbor dissimiliter à ceterarum arborum & natura & conditione florescit. Nam flos ei primus in pomis est, sed non in his *, quæ E maturitatem ut emerserint consequantur. Grossa enim hæc & communis usus & prophetica auctoritas nuncupavit. Verùm postea internæ fecunditatis virtute exuberante, ejusdem speciei atque formæ poma prorumpunt, quibus prorumpentibus ista truduntur, & dissolutis quibus continebantur radicibus decidunt, aliaque illa exeuntia usque ad maturitatem fructuum provehuntur. Sed de superioribus illis si quando inciderit, ut in sinu virgularum ex ra- F mulo eodem prodeuntium emerserint; manent semper, & non sicut grossa cetera decidunt, sed hærent sola tantùm, pomaque cetera maturitate præveniunt. Et hos pulcherrimos fructus arbor illa ex se dabit, qui cum grossis ceteris promergentes, de medio utrarumque virgularum claviculo proferentur. Igitur ex conditione arboris propria & competens Synagogæ similitudo proposita est.

(* pomis. — *Cant. 2. 13. Nahum. 3. 12.*)

Apostoli primi ex Synagoga fructus.

9. Primos enim populi fructus, quos ab G exordio protulerat, grossorum amisit exemplo: quia plebem ejus inutilem, fidelis & pertinax & usque ad consummationem temporum manens populus gentium protrusit. Verumtamen credentes primi ex Israel Apostoli, & inter Legem & Evangelia grossorum modo inhærentes, ceteros resurrectionis gloriâ & tempore anteibunt. Et quidem jam in exordio Genesis, in hujus rei formam, pudorem suum Adam atque Eva hujus arboris foliis texerunt, cùm se ipsos ad adventum Domini vocantis occulerent: quia Synagoga infidelis, & legis mandata transgrediens, impudentiæ suæ fœditates, & turpitudinum confusionem infructuosis esset verborum velamentis tamquam ficûs foliis contectura. Atque hæc quidem de natura arboris hujus interjecta sunt, ut comparationis proprietas intelligi posset. Reliquus itaque gestorum ordo est contuendus.

(*Gen. 3. 7.* Aliorum infidelitas in Adam & Eva præfigurata.)

10. Pharisæi multa exinde viderant [b] ingentibus magis digna miraculis: sed nunc maximè solliciti sunt, & interrogant, in qua hæc faciat potestate. Res enim, sub præsentium gestorum effectibus, ingens futurorum complectebatur arcanum. Atque idcirco ex eo specialiter interrogandi reperitur instinctus, sub quo totius periculi præformatio proferebatur. Dominus respondet dicturum esse se in qua hæc faceret potestate, si modò illi interroganti sibi responderent, Johannis baptisma utrùm de cælo, aut ex hominibus putarent esse. At illi responsionis suæ periculo cunctantur, cogitantes, si de cælo professi essent, confessione sua se reos deprehendendos, cur cælestis testimonii auctoritati non credidissent: si ex hominibus dixissent, turbas verebantur, plures enim prophetam Johannem habebant. Responderunt itaque, nescire se. Non utique de cælo nesciebant, cùm convinci veritate professionis suæ metuunt. Sed verum de se etiam cum fallendi voluntate dixerunt. Per infidelitatem enim suam de cælo esse Johannis baptisma nescierunt. Quòd autem ex hominibus esset, idcirco non potuerunt scire, quia non erat.

(℣. 23. — Pharisæorum de Johannis baptismo responsum quî verum. — ℣. 24. — ℣. 26. — ℣. 27.)

11. *Homo quidam habebat duos filios*, & reliqua. Multa & gravia sunt, quæ confundere intelligentiam possunt, nisi prioris & posterioris sensus ordinem tenuerimus. Quis enim hic existimari poterit filius senior, qui iturum se ad opus negaverit, & per pænitentiam emendatus eò rursum profectus sit? Atquin Israel non pænituit: sed in Dominum manus intulit, & universitas ejus Deum suum impio ore crucifixit. Juniorem autem quem sentiemus, qui iturum se spoponderit, & non abierit? Sed gentium peccatorumque plebs id quod spopondit effecit. Abiit enim, & ad opus ad quod vocabatur egressa est: quomodo ergo [c] ea esse quæ non abiit, sentietur?

(℣. 28. Difficultas prima, quis filius senior, quis junior.)

12. Deinde ipsa Pharisæorum responsio quid momenti habeat, quærendum est. Dicunt vo-

(℣. 31.)

[a] Par. *ubi in contumacis formam severitatis constituebat, futura speciem damno arboris judicavit*: depravatè.

[b] Verbum hoc ab Erasmo in duo divisum, puta *in gentibus*, sic deinceps obtinuit, ac præterea apud Par. *miraculo* pro *miraculis* substitutum est. Observare est *miraculum* Hilario usitatum esse pro actu admirandi, & contrà *admirationem* pro re mirabili.

[c] Aliquot mss. *ea isse, quæ non abiit*: ex quibus Par. *eò isse, quæ non abiit.* Castigantur ex Bad. Er. Lips. & potioribus mss.

[a] *Altera, quâ junior obediens.*

luntati [a] juniorem obedisse. Hoc rerum ratio A non patitur, ut simulata professio meritum perfectæ veritatis obtineat; ut plus sit fefellisse spondentem, quàm perfecisse omnia non pollicentem. Quis autem non malit negari sibi id quod poscat, dummodo id quod poposcerit fiat, quàm non fieri quod spondeatur ut fiat; cùm facti effectus ex desperatione sit gratior, spes autem destituta plus doleat? Nisi fortè poscentium voluntas sola sibi adulatione spondentium blandiatur. B

13. Recordandum igitur est, propositionem comparationis istius ex eo sermone descendere, qui initus sit de Johanne, ut infidelitatis cunctationem, [b] & ex ea silentii necessitatem istiusmodi positum objurgaret exemplum. Sed sicut in ceteris admonuimus, hîc quoque meminisse nos oportet, rationi rerum præsentium aliquid interdum ea conditione deesse, ut futurorum species sine damno aliquo [c] præfiguratæ efficientiæ expleatur. Primus est filius, C populus ex Pharisæis in præsens à Deo per Johannis prophetiam ut præceptis suis obtemperaret admonitus. Hic insolens & inobediens & dictis præsentibus contumax fuit, habens in lege fiduciam, & pænitentiam peccatorum gloriâ prærogativæ ex Abraham nobilitatis adspernans: qui deinceps operum miraculis post Domini resurrectionem pænitens sub Apostolis credidit, facti fide ad voluntatem evangelicæ operationis regressus, anterioris insolentiæ culpam pænitendo confessus est. D

Filius prior, qui ex Pharisæis crediderunt.

14. Filius autem minor, plebs est publicanorum & peccatorum, ipsa peccati in qua tum demorabatur conditione posterior; cui præceptum sit per Johannem ut à Christo exspectaret salutem, [d] & ab eo baptizata crediderit. Sed quod ait, spopondisse eam ituram se, & non isse; ostendit credidisse eam quidem Johanni, sed quia evangelicam accipere doctrinam non nisi post passionem Domini per Apostolos potuit; (tum enim erant humanæ salutis sacramenta peragenda,) non isse eam significat. Denique non ait noluisse, sed non abisse. E Res extra culpam infidelitatis est, quia in facti erat difficultate ne fieret. Non igitur ire statim ad opus quod præceptum est noluit; sed quia ire [e] non poterat, non iit. In eo enim necessitatis mora sine crimine voluntatis ostenditur.

Filius junior, publicani & peccatores.

15. Et in responsione quidem Pharisæorum quædam est necessitas prophetiæ. Nam inviti licèt, confitentur quis obsecutus sit voluntati, junior scilicet filius, obediens professione, licèt non efficiens in tempore; quia fides sola justificat. Atque ideo publicani & meretrices in regno erunt priores, quia Johanni crediderint, ỹ. 31. & in remissionem peccatorum baptizati [f] in adventum Christi confessi sint, curationum opera laudaverint, sacramentum passionis acceperint, virtutem resurrectionis agnoverint. Principes autem sacerdotum & Pharisæi videntes hæc [g], & contemnentes, qui justificati per fidem non erant, nec per pænitentiam regressi sunt ad salutem: atque ideo in perpetuum fructus eorum sub maledictione ea, quæ in arbore ficu præformabatur, arescit.

Hi quomodo obedientes.

CAPUT XXII.

De vinitoribus qui missos ad se ob repetendos fructus interficiunt, de invitatis promiscuis & veste nuptiali.

I. ALIAM *parabolam audite. Homo erat pater-familias, & plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & turrem ædificavit*, & reliqua. Quæstio omnis in absoluto est. Nam etiam ipsi principes sacerdotum & Pharisæi de se dici hæc intelligentes, in iram accensi sunt. Sed personarum proprietas, & rerum comparationes sunt proferendæ. Patrem-familias hîc patrem Deum intelligimus: qui populum Israel in proventus optimorum fructuum plantaverit, quique eos sanctificatione paterni nominis, id est, nobilitate Abrahæ & Isaac & Jacob intra fines suos, tamquam septo aliquo custodiæ peculiaris, incluserit; prophetas quoque quædam quasi torcularia aptaverit, in quos [h] musti modo quædam ubertas sancti Spiritus ferventis ỹ. 33.

Pater-familias Deus. Vinea, Israelitæ.

Torcularia, prophetæ.

[a] Pharisæos hoc de seniore responsum dedisse nunc legimus. At non Hilarii modò, sed & Hieronymi temporibus vulgata erat lectio, eos juniori seu novissimo obedientiæ palmam dedisse. Illam tamen ita recipit Hieronymus, eique interpretationem accommodatam subjicit, ut & admoneat, *in veris exemplaribus non haberi novissimum, sed primum.*

[b] Par. expunctâ particulâ *&*, cum aliis editis subjiciebat, *ex ea silentii necessitate.* Rectiùs in mss. *necessitatem*, puta silendi unde Johannis esset baptisma.

[c] Carnut. ms. cum Colb. *præfigurata efficientia.* Mallemus *præfigurantis efficientiæ.*

[d] Post particulam *&* reticetur *quæ:* tum *ab eo* ad Johannem, non ad Christum refertur. Quocirca non recipiendum quod in ms. Vindocin. ut in Turon. à prima manu, *& ab eo baptizata crederet.*

[e] Bad. cum mss. Colb. & Carn. *iri non poterat.* Totus ille locus, ne cui errandi occasio sit, nonnihil est expendendus. Non enim hîc negat Hilarius potestatem absolutam, sed ex conditione, qua Deus decreverat, ut fides gentibus non prædicaretur nisi post passionem Domini. Quò spectat illud Pauli, *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* &c. Ex hac Dei ordinatione proficiscitur illa quæ mox memoratur *necessitatis mora*, seu necessitas moræ ad credendum. Ea enim vocum inversio Hilario valde est familiaris. Sed & cùm ait, *In facti erat difficultate ne fieret*; tantùm indicat factum difficile, non quod omnino fieri non possit. Neque etiam movere debet illud, quod hæc proximè præcedit, *Res extra culpam infidelitatis.* Hac quippe sententia gentes, quæ Christi fidem nondum professæ erant, non excusat ab omni culpa, sed à culpa dumtaxat *infidelitatis*, eâ nimirum, cui Christus asserit minimè obnoxios futuros fuisse Judæos, si ipse non venisset. Illas vult *sine crimine voluntatis*, hoc est, ejus voluntatis, quæ prædicatæ sibi fidei pertinaciter resistit. Hoc enim apud Hilarium sonat *crimen voluntatis*, voluntatem in malo obstinatam, & quæ compertæ veritati nequaquam cedit. Juverit hæc Augustini verbis illustrare & confirmare. Sic autem habet epist. 194. n. 27. *Secundùm hanc excusationem inexcusabiles dicit Scriptura divina quoscumque scientes peccare convincit. Dei tamen justum judicium nec illis parcit qui non audierunt. Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt . . . . quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati.* Aut certè Hilarius eatenus hîc gentes excusat, quatenus Johanni jam crediderint, & ad credendum Christo professione & animi propensione paratæ sint.

[f] Sex mss. *in adventu.* Magis placeret *adventum* sine præpositione *in.* Commendantur gentes, quòd post passionem Christi prædicatis divinis mysteriis, Unigeniti Dei adventum crediderint atque confessæ sint, miracula laudaverint, &c.

[g] puta, virtutem resurrectionis, curationum opera. Tum in mss. Rom. Colb. & Carn. *& condemnantes, qui justificati non erant*, omissis vocabulis *per fidem.*

[h] In ms. Rom. *multimoda.* In Colb. & Carn. *multimode.*

Lex, turris. influeret : in turri autem eminentiam legis ex-
struxerit, quæ & in cælum ex solo egressa pro-
veheret, & ex qua Christi speculari posset ad-
Coloni. ventus. In colonis verò, principum sacerdo-
tum & Pharisæorum est species, quibus in ple-
a bem potestas est [a] permissa doctrinæ.
℣. 34. 2. In servis verò, qui missi sunt ut fructus
Servi missi. perciperent, varius & sæpe repetitus progres-
℣. 36. sus est prophetarum. Missi autem rursum plu-
res prioribus, tempus illud est, quo post singu-
lorum prædicationem, plurimus in unum pro- B
phetantium numerus emissus est ; qui variis
temporibus verberati & lapidati & occisi sunt,
fructus institutæ plebis edoctæque repetentes.
℣. 37. In filio verò ad ultimum misso, Domini nostri
Filius occisus. & adventus & passio est : qui extra Jerusalem,
tamquam extra vineam, in sententiam dam-
℣. 38. nationis abjectus est. Consilium verò colono-
Sceleris spes. rum & hereditatis occiso herede præsumtio,
spes inanis est gloriam legis, peremto Christo,
℣. 40. b posse retineri. In [b] patris-familias reditu, tem- C
Patris-familias reditus. pore judicii gloria est in Filio paternæ maje-
statis assistens. In responsione autem ipsorum
℣. 41. principum & Pharisæorum, redditur digniùs
℣. 42. Apostolis legis hereditas. Sed hic filius lapis est
Lapis angularis. ab ædificantibus improbatus, & in fastigium
angularis erectus, & in oculis omnium mirabi-
lis, & inter legem atque gentes lateris & ædi-
ficii utriusque conjunctio.

Matth. 22. 2. 3. *Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit servos suos vocare* D *invitatos ad nuptias*, &c. Et hæc quidem parabola distinguenda temporibus est, & dinoscenda personis. Et de persona regis & filii absoluta intelligentia est. Fecisse autem patrem nuptias filio, & sic invitasse, nova ratio est.
Nuptiæ quid : cur à Patre factæ. Nam nuptias facere, & auctoris & temporis est nuptiarum. Verùm hîc nuptiæ, vitæ cælestis & in resurrectione suscipiendæ æternæ gloriæ sacramentum est. Meritò igitur à Patre E sunt factæ ; quia æternitatis hujus societas, &
c novi corporis [c] desponsa conjunctio, jam perfecta habebatur in Christo. Et in hoc quidem
* cap. 19. n. 2. loco admonebimus ita, ut & in superiore * ubi de repudii conditione tractatum est, diligenter quæ de ratione resurrectionis significata sunt contueri, & id quod sub persona Adæ ad
Ephes. 5. 32. Evam dictum est, quia sacramentum magnum sit, ne incuriosè relinquatur.

℣. 3. 4. Qui autem admonentur ut veniant, in-
Missi ad invitandum qui. vitati antea, populus Israel est : in gloriam F
enim æternitatis per legem est advocatus. Ser-
vi missi, qui invitatos vocarent, Apostoli sunt :
eorum enim erat proprium, commonefacere
℣. 4. eos quos invitaverant prophetæ. Qui verò ite-
A rum cum præceptorum conditione mittuntur,
Apostolici sunt [d] viri & successores Apostolo- d
rum. Tauri autem saginati, gloriosa Martyrum
species est, qui confessioni Dei, tamquam ho-
stia electa, sint immolati. Saginata verò *, * supple, hostia.
sunt homines spiritales, tamquam cælesti pane
ad evolandum aves [e] pastæ, ceteros accepti e
cibi ubertate expleturæ. His enim omnibus jam
paratis, & in numerum complacitæ Deo mul-
titudinis collectis, regni cælestis gloria tam-
B quam nuptiæ nuntiantur.

5. Sed eorum quoque admonitionem ita ne- Quomodo excepti ac vindicandi.
glexerunt, ut aliqui eorum ambitione sæculi
tamquam agro occuparentur : plures verò ob ℣. 5.
pecuniæ cupiditatem negotiatione detineren-
tur. Ceteri autem missos servos, quod in ipsis ℣. 6.
Apostolis expletum est, affectos injuriis occi-
derunt. Sed tam immanis facti scelus ultio digna
consequitur. Missi exercitus cælestes omnem ℣. 7.
eorum congregationem judicio Dei urent, &
C flammis æterni ignis succendent ; quia contra f
[f] humanitatis affectum, homicidarum odiis sæ-
vierunt.

6. Quoniam verò de judicii tempore & re- Gentium vocatio.
surrectionis ista loquitur, sermonem eumdem
ad congregationem gentium retulit. Indignis
enim repertis his, qui primi invitati fuerant,
jubet iri ad exitus viarum. Dono enim gratiæ, ℣. 9.
vitæ anterioris crimina [g] omittuntur. Nam sæ- g
pissime viam tempus sæculi intelligendam mo-
D nuimus. Atque ideo ad exitus viarum jubentur ℣. 10.
ire ; quia omnibus retro acta donantur. Vocari
deinde omnes sine aliqua exceptione ad nuptias h
jubet, [h] & mali simul cum bonis veniunt. Vo- Vocatio bonos efficit quantum ex se est.
catio quidem bonos efficere debuerat, quia san-
cta est, & ex optimo affectu invitantis profecta
est : sed per vitium inemendatæ voluntatis dis-
crimen est vocatorum.

7. Et quia in fallendis hominibus plurimum Non omnium est nosse malos.
artis habere soleat simulatio, quæ si nos vel
E secreto mentis alienæ, vel simplicitate judicii
nostri fefellerit, tamen Deum latere non possit : ℣. 11.
ideo ingressus Deus felicis resurrectionis istius
cœtum, & hominem accumbentem sine nuptiali
veste conspiciens, interrogat quomodo sit in-
gressus. Numquid invitandorum habitum de-
signaverat ? Deinde cùm invitari quoscumque
jussisset ; quomodo unus omnibus poterat esse
vestitus ? Aut si certus ex consuetudine con-
vivantium in nuptiis habitus esse soleret ; & ab
F invitantibus ac ministris potuisset inhiberi. Sed
quia malos intelligere non omnium est, & hu-
mana simplicitas difficilè fraudulentiam simu-
latæ mentis intelligit ; idcirco hunc malum &
indignum cœtu nuptiali Deus solus invenit.

[a] Malè apud Par. *promissa*.

[b] Mss. hîc magno consensu, *patris-familia*.

[c] Editio Par. cum aliquot mss. *desponsata*. Præferimus *desponsa* cum aliis edit. & mss. Ita in Psal. 137. n. 8. Christum ideo sponsum cognominari enarratur, quia Ecclesia ei per assumtionem corporis nostri *desponsa sit*. Tum in mss. Colb. & Carn. *conjunctione*, non *conjunctio*. Exinde prædicta editio sola, *jam perfecta habetur*. Non displiceret *habeatur*, si cum auctoritate liceret. Quamquam etiam infrà cap. 27. n. 4. ubi res eadem rursum tractatur, legere est, *Erant enim ambo unum*, non, *sunt enim*. Quo ex loco magis liquet, sermonem hîc esse de conjunctione, quam cum Deo habet caro Christi per indultam gloriam, neque hîc spectari unitatem subsistentiæ quam homini suo dedit Verbum carnem assumens, sed unitatem gloriæ quam eidem homini suo impertivit post resurrectionis gloriam.

[d] In omnibus mss. *Apostolici sunt successores Apostolorum*.

[e] Ita cum sex mss. Editi verò & aliquot mss. *aves paratæ*.

[f] Par. *humilitatis*.

[g] Ms. Rom. *amittuntur*. Plures alii cum editis, *remittuntur*. Præferimus cum sincerioribus *omittuntur*. Vim hujus verbi intelligere est ex Tract. Ps. 137. n. 17. ubi legitur, *Opera manuum tuarum non omittas*.

[h] Plures mss. hîc præpositâ particulâ *ut*, subjiciunt *veniant*. Non sunt probandi, cùm non jusserit rex ut mali veniant, qui etiam ingressos repulit.

Vestitus

Vestis nuptialis. Vestitus autem nuptialis est gloria Spiritus-san-
cti, & candor habitus cælestis : qui bonæ in-
terrogationis confessione susceptus, usque in
cœtum regni cælorum immaculatus & integer
ỳ. 13. reservetur. Hic itaque tollitur, & in exterio-
ỳ. 14. res tenebras mittitur, quia multi vocati sunt,
& pauci electi. Non est igitur paucitas in in-
vitatis, sed raritas in electis: quia in invitante
sine exceptione publicæ bonitatis humanitas
est; in invitatis verò de judicii merito probi-
tatis electio est.

(Vocatorum non est raritas, sed electorum.)

CAPUT XXIII.

De tributo & imagine Cæsaris, de eadem septem fratrum uxore, de mandatis maximis, de David filio.

Matth. 22. 16. 1. **T**UNC *abierunt Pharisæi, & consilium fecerunt, ut eum caperent in verbo*, &c.
Frequenter Pharisæi commoventur,
& occasionem insimulandi eum habere ex præ-
teritis non possunt : cadere enim vitium in
gesta ejus & dicta non poterat. Sed de malitiæ
affectu in omnem se inquisitionem reperiendæ
accusationis extendunt. Namque à sæculi vi-
tiis atque à superstitionibus humanarum reli-
gionum universos ad spem regni cælestis vo-
cabat. Igitur an violaret sæculi potestatem, de
ỳ. 17. propositæ interrogationis conditione perten-
tant: an videlicet reddi tributum Cæsari opor-
ỳ. 18. & 19. teret? Qui interna cogitationum secreta cog-
noscens, (Deus enim nihil non eorum quæ in-
ỳ. 20. tra homines sunt absconsa speculatur,) afferri
sibi denarium jussit, & quæsivit cujus & in-
ỳ. 21. scriptio esset & forma. Pharisæi responderunt,
Cæsaris eam esse. Quibus ait, Cæsari redhi-
benda esse quæ Cæsaris sunt, Deo autem red-
denda esse quæ Dei sunt.

Mentium Deo uni deditarum libertas. 2. O plenam miraculi responsionem, & per-
fectam dicti cælestis absolutionem! Ita omnia
inter contemtum sæculi, & contumeliam læ-
dendi Cæsaris temperavit, ut curis omnibus &
officiis humanis devotas Deo mentes absolve-
a ret, [a] cùm Cæsari, quæ ejus essent, redhiben-
da decernit. Si enim nihil ejus penes nos rese-
b derit, conditione reddendi ei quæ sua sunt
non tenebimur. Porro autem si rebus illius [b] in-
cubamus, si jure potestatis suæ utimur, & nos
tamquam mercenarios alieni patrimonii procu-
rationi subjicimus; extra querelam injuriæ est,

A Cæsari redhiberi quod Cæsaris est; Deo au- Quid Deo debeamus.
tem quæ ejus sunt propria reddere nos opor-
tere, corpus, animam, voluntatem. Ab eo
enim hæc [c] profecta atque aucta retinemus : c
& proinde condignum est, ut ei se totum red-
dant, cui debere se recolunt & originem & pro-
fectum.

3. *In illa die accesserunt ad eum Sadducæi, qui* ỳ. 23.
dicunt non esse resurrectionem, & reliqua. Saddu-
cæi extra fidem resurrectionis sunt. Et quia
B eam Dominus prædicaret, calumniam divinis
rebus [d] ex efficiendi voluntate proponunt, sep- d
tem videlicet fratrum eamdem conjugem, cu-
jusnam eorum in resurrectione futuram esse
respondeat.

4. Atque ita quidem publica opinio acci-
pit, de resurrectionis conditionibus nihil
Scripturis [e] prophetalibus contineri. Sed Do- e
minus ait : *Erratis nescientes Scripturas, neque* ỳ. 29.
virtutem Dei. Ergo scriptum est : & cessare de- Scripturæ auctoritas.
C bet ambiguitas, quam auctoritas tanta con-
demnat. Hanc enim eamdem calumniam af- In qua forma muliebris sexus resurgat.
ferre plures solent, in quam formam muliebris
sexus resurgat, & an rursum cum ipsis na-
turæ suæ & corporis officiis reformetur? Nos
quidem temere locum hunc à cunctis ferme
præteritum contingimus : sed admonemus id
tantùm Domino fuisse propositum, cujus uxor
sit deputanda de septem; Dominum autem ob-
jurgasse, cur errarent nescientes Scripturas ỳ. 30.
D Deique virtutem, quia *non nubent, neque nu-
bentur.* Et quidem suffecerat adversùs Saddu-
cæos ita sentientes, opinionem corporeæ ille-
cebræ recidisse, & officiis cessantibus inania
hæc corporum [f] gaudia sustulisse : sed adjecit, f
Erunt similes Angelis Dei. Quia igitur eas An-
gelis similes sacramentum Scripturarum & di-
vinæ virtutis [g] potestas futuras esse demon- g
strat; qualis in Scripturis auctoritas est de
Angelis opinandi, talem in resurrectione spei
E nostræ sensum oportet esse de feminis. Et hæc
quidem de resurrectionis conditionibus propo-
sitæ reddidit quæstioni.

5. De ipsa verò resurrectione adversùm in- Resurrectionis æternæ veritas ex Lege.
fidelitatem eorum ita locutus est : *Non legistis*
*quod dictum est vobis à Deo dicente, * Ego sum*
Deus Abrahæ, Deus Isaac, & Deus Jacob; non ỳ. 31.
est Deus mortuorum, sed viventium. Sermo enim ỳ. 32.
hic ad Moysen sanctis istis patriarchis jam pri-
dem quiescentibus exstiterat. Ergo quorum
F erat Deus, [h] hi Deum habebant. Nihil autem h
poterant habere, si non erant; quia in natura
rei est, ut esse id necesse sit, cujus sit alte-
rum. Atque ita Deum habere viventium est;

[a] In sex mss. &, loco *cùm*, & postea *decerneret*, pro *decernit* : lectio non spernenda.

[b] Ita Lips. cum mss. Aliæ autem editiones, *incumbamus*.

[c] Apud Par. hîc immissum est *rectè* : nescio qua auctoritate.

[d] id est, ex iis quæ se se efficere velle declaravit. Adversùs hujusmodi calumniatores jam suprà legimus, *In dictis Dei veritas est, & rerum creandarum efficientia omnis in verbo est. Ita nec quod spopondit* (de resurrectione,) *ambiguum est, nec inefficax quod locutus est.*

[e] In prima editione Par. *Scripturis probabilibus* : malè. Resurrectionis autem conditiones eæ intelliguntur, de quibus mox, *Neque nubent* &c. Qua de re Origenes ex editione Huetii p. 496. *Quonam in loco vel legis vel prophetarum discimus similes Angelis cæli futuros qui resurgunt? Id enim in veteri Scriptura apertè non reperimus.* Hoc in illa *tropologicè contineri* post pauca respondet.

[f] Mss. Rom. Colb. & Carnut. omittunt *gaudia*; ac deinde pro *sustulisse*, habent Colb. & Carn. *esse*, Rom. *negasse*.

[g] In vulg. *potestates futuras* : corruptè. Duplici ex capite probari putat Hilarius, feminas Angelis similes post resurrectionem futuras, ex Scripturis scilicet, & ex divina virtute, qua præstare potest Deus quidquid in Scripturis declaravit. Atque hîc assentiri videtur Tertulliano lib. 1. de cultu femin. c. 2. Origeni in Matth. ex edit. Huetii p. 487. aliisque Patribus, qui propter eadem Christi verba feminas in muliebri sexu non resurrecturas existimarunt. Quam opinionem etiam Hieronymo exprobrat Ruffinus ex dictis ipsius lib. 3. in cap. 5. epist. ad Ephes. Ille tamen sese ab ea purgat Apolog. c. 6. & epist. 27. ad Eustoch. c. 11. Augustinus autem lib. 2. de Civ. Dei c. 17. *Corporibus*, inquit, *vitia detrahentur, natura servabitur.*

[h] Ab omnibus mss. abest *hi Deum habebant*. Sed in sex dumtaxat anteà habetur, *jam pridem fuerat quiescentibus. Exstiterant ergo.*

cùm Deus æternitas sit, & non sit eorum quæ A
mortua sunt, habere id quod æternum est. Et
quomodo esse illi futurique semper negabuntur,
quorum se esse profiteatur æternitas?
℣. 34. 6. *Pharisæi autem audientes quòd silentium imposuisset Sadducæis, congregati sunt adversùs eum,*
℣. 35. * *& interrogavit eum unus ex his legis doctor*, &
reliqua. Succedunt Sadducæis tentantibus Pharisæi. Et illis quidem congruenter fuerat de resurrectione responsum, ut in lege ipsa, ex qua
erant profecti, contineri sperandæ resurrectionis fidem convincerentur. B Pharisæi verò habere se scientiam legis gloriabantur, quæ ad
futurorum speciem prælata, imaginem consecuturæ veritatis continebat.

Pharisæi scientiâ legis elati.

℣. 36. Quærunt autem,
quod mandatum esset potissimum in lege: non
contuentes [a] meditationem legis in Christo
fuisse perfectam. Et quidem insolentium ignorantiæ legis ipsius verbis responsum est: quæ
responsio omnem in se veritatis est complexa
doctrinam. Proprium enim Domini nostri Jesu C
Christi officium est, cognitionem Dei afferre,
& intelligentiam nominis ejus potestatisque
præstare. Missus enim venerat, & ex æternitate deductus, his quæ erant Deo placita perfungebatur. Respondit itaque primum esse

Officium Christi proprium. V. lib. 2. de Trin. n. 22.

℣. 37. mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Non enim aliud ille efficiebat, quàm
quod lex continebat; quia præcepta legis, eorum quæ gesturus ipse erat, formam complectebantur. D Admonet igitur cognitionis ejus,
quam habere se gloriabantur in lege, Deum
omnipotentem omni affectu mentis, cordis,
animæ diligendum, ut admonitionem suam præmissa legis mandata firmarent.
℣. 38. 7. Deinde adjecit: *Hoc est magnum & primum mandatum.*
℣. 39. * *Secundum verò simile huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Sed mandatum sequens & simile significat idem * esse
& officii & meriti in utroque. E Neque enim
aut Dei sine Christo, aut Christi sine Deo potest utilis esse dilectio. Alterum igitur sine altero nullum ad salutem nostram affert profectum.

Proximi nomine Christus diligendus jubetur.

* Sic cap. 4. n. 7. idem pœnæ.

℣. 40. Et ideo *in his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ*; quia lex & prophetia omnis Christi deputabatur adventui, & adventus
ejus per supplementum eorum cognoscendi
Dei intelligentiam præstabat. Nam de proximo frequenter admonuimus, non alium intelligendum esse quàm Christum. F Cùm enim patrem, matrem, filios caritati Dei præponere
inhibeamur; quomodo dilectio proximi diligendi Deum simile mandatum est? Aut relinquetur aliquid, quod amori Dei possit æquari?
nisi quia similitudo præcepti parem caritatem
diligendi Patrem & Filium exigebat.

8. Atque ut legis ipsius verbis argui possent,
& de proximo manifestior intelligentia panderetur; requirit quid illis videretur Christus,
cujusnam filius futurus esset. Qui responderunt, David. Quibus ait, quomodo in spiritu

Christus, qui filius David secundùm carnem, Dominus est David.

℣. 42. Dominus à David nuncuparetur, qui ejus filius futurus esset;
℣. 43. & quomodo ab eo dictum
℣. 44. esset, *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Erat quidem verum, Christum ex David semine procreandum: B sed similitudo nominis, qua Dominus Domino dicebat, & qua
à dextris collocabat, donec omnes inimicos
subderet pedibus ipsius, significabat & de consortio nominis substantiæ unitatem, & assidendi invitatione judicium, & de universorum
subjectione virtutem; * ut meminissent in eo, * al. &.
qui ex David oriebatur, æternæ virtutis & potestatis & originis substantiam contineri, &
Deum in homine mansurum.

CAPUT XXIV.

De cathedra Moysi super quam sederunt Scribæ & Pharisæi, de clauso ab iisdem regno cælorum, & ab iisdem comedi domos viduarum, circumeuntibus mare & aridam, & dicentibus, Quicumque juraverit in templo, nihil est, *& decimantibus mentham & anethum, & ædificantibus sepulcra prophetarum, & de Jerusalem quæ interficit prophetas, & lapidat eos qui ad se missi sunt.*

1. TUNC *Iesus locutus est turbis & discipulis suis*, * *dicens, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi*, & Matth. 23. 1. ℣. 2.
E reliqua. Legis de se testantis gloriam prætulit,
quæ imaginem in se futuræ veritatis expresserat. In omnibus enim Christi [b] meditabatur adventum. Quidquid enim in ea continebatur,
in profectum manifestandæ ejus cognitionis
assumtum est.

Legis doctrina commendatur.

Jubet igitur præceptis Pharisæorum obtemperari, quia in Moysi cathedra sederint: jubet legis mandatis omnibus obediri,
sed à factis eorum atque operibus abstineri;
ut mores hominum atque infidelitas, non legis
F doctrina vitetur. Ipsi enim subdito sibi populo ℣. 4.
gravissima legis onera imponunt, ne digitum
quidem suum contingendis ipsis admoventes.

Pharisæorum iniquitas, ignorantia, ac superbia.

Quin etiam præcipiunt Dominum ex toto corde
diligi, & proximum tamquam se amari: ipsi adversùm legis sibi latæ testimonium, [c] Deum in ℣. 5.
Christo passionibus persequentes. Verborum
quoque suorum gloriam tamquam philacteria

[a] Malè apud Par. *mediationem legis.* Porro *meditari* apud Hilarium eamdem fere vim habet ac aliquid futurum præformare. Sic cap. 21. n. 3. *Rerum cælestium fidem invitorum meditatur operatio.* Clariùs cap. 24. n. 1. *In omnibus* (lex) *Christi meditabatur adventum.* & num. 3. *quia in lege meditationem ejus quæ in Christo est veritatis occultent.* In his ac similibus locis meditatio est res futura gestis præsentibus præsignata, cujus intelligentiam non assequimur nisi meditatione. V. lit. 2. Ps. 118. n. 11.

[b] In sex mss. *meditabatur adventus*: minùs verè, cùm verbum *meditabatur* referendum sit ad tacitum nomen legis, cujus auctor Spiritus-sanctus in omnibus illius gestis Christum unum prospiciebat ac meditabatur: *ut ex quacumque licèt persona prophetiæ Spiritus sit locutus, sit tamen totum illud ad cognitionem adventûs Domini nostri* &c. ut habetur prologo in lib. Psal. n. 5.

[c] Sic Par. cum potioribus mss. Alii verò libri, *Deum in Christi passionibus.*

dilatantes, quibus vitæ æternæ auctor Deus A
non sit intellectus in Christo, seseque ex honore legis emissos tamquam fimbrias ex veste magnificent, qui totius legis ignari, neque opera neque virtutem ejus ipsius legis agnove-
℣. 6. rint: amantes primos accubitus in conviviis, qui igni æterno (convivantibus potiùs cum Abraham gentibus) deputantur: & primas cathedras in synagogis, ipsi doctorem suum
℣. 7. secundùm legis & prophetarum testimonia nescientes: sed & salutationes in foro, quibus B
humilitas cordis & ministerium in omnes est imperatum. Vocari etiam ab hominibus magistri volunt, doctrinæ legis ignari, & magistrum salutis perpetuæ respuentes. Quæ quia omnia profana atque perversa essent, factorum imitatione damnantur. Legis autem audientia, & dictorum obedientia, quia Christum loquebantur, exigitur.

Caritatis & humilitatis præcepta. ℣. 8. 2. Verùm in contrarium discipulis jam se scientibus totius humilitatis præcepta consum- C
mat, ut meminerint omnes fratres esse se, id est, filios parentis unius, & per novæ nativitatis generationem terreni ortus excessisse primordia, & unum sibi esse omnibus cælestis do-
℣. 11. ctrinæ magistrum, & gloriam honoris æterni humilitatis conscientiâ capessendam; quia insolentiam Deus humilem effecturus sit, & hu-
℣. 13. militatem elaturus in gloriam.

a Pharisæi Christum respuendo claudunt cælum. 3. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui* [a] *clauditis regnum cælorum.* Simulationem eorum D
pœnæ significatione condemnat. *Væ* enim vox dolentis est. Claudere autem eos regnum cælorum ideo ait, quia in lege meditationem ejus quæ in Christo est veritatis occultent, & corporeum adventum à prophetis prædicatum doctrinæ simulatione abscondant; ipsique non adeuntes viam æternitatis in Christo, adire
℣. 14. quoque ceteros non sinant.

Quî imponant aliis. 4. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum.* Hinc illæ sunt veri- E
tatis inficiæ, hinc adeundæ ceteris salutis inhibitio, & regni cælestis obseratio, ut in obeundis viduarum domibus retineatur ambitio, ut longæ orationis dignatione spolientur, ut ab his cælestis cognitio tamquam à thesauro repositæ opulentiæ expetatur, ut legis dignitas gratiæ silentio perseveret. Et ideo accipient amplius judicium, quia & pœnam proprii pec-
℣. 15. cati, & reatum alienæ ignorantiæ debebunt.

Eorum odium in Evangelium. 5. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui* F
circuitis mare & aridam. Maris & terræ peragratione significat, in totis orbis finibus eos esse Christi Evangelio obtrectaturos, & legis
Proselyti. jugo contra justificationem fidei aliquos subdituros: proselyti enim sunt ex gentibus in Synagogam recepti. Quorum futurorum rari-
b tas in uno [b] indicatur: neque enim post Christi prædicationem doctrinæ eorum fides relicta est. Sed quisquis fuerit acquisitus ad plebem, filius fit gehennæ, pœnæ soboles, & æterni judicii G
hereditas: quia adoptio ex gentibus Abrahæ familiam factura sit. Ideo autem pœnæ dupli- Quî pœna duplici plectendi.
catæ erit filius, quia neque remissionem peccatorum sit gentilium consecutus, & societatem eorum qui Christum persecuti sunt sit secutus.

6. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis, Quicumque* ℣. 16.
juraverit in templum, nihil est. Reverentiam hu- Lex futurorum forma.
manarum observationum, & contumeliam propheticæ traditionis exprobrat, quòd inanibus honorem darent, & detraherent honorandis. Legem namque ipse dederat, & lex non efficientiam continebat, sed meditabatur effectus. Nam ornatus altarii atque templi non dignitatem de cultu conciliabat, sed futurorum speciem de decore fingebat. Nam aurum, argentum, æs, aurichalcum, margaritæ, crystallus propriam significantiam pro natura uniuscujusque metalli complectuntur. Igitur redarguit, quòd aurum templi & dona altaris pro sacramentorum religione venerarentur;
cùm honor potior esset & altaris & templi, sedes est & thronus Christi.
quia ad futurorum speciem & aurum templo & donum dedicaretur altari. Et ideo adve- Christo adveniente cur inutilis.
niente Christo inutilem esse fiduciam legis: quia non in lege Christus, sed lex sanctificaretur in Christo, in qua veluti sedes thronusque [c] sibi positus sit. Qui quia religiosus ha- c
beatur, religionem ab eo necesse est qui in illo confidat acceperit: atque ita stulti cæci- ℣. 17.
que sint, sanctificante præterito, sanctificata venerantes.

7. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui* ℣. 23.
decimatis mentham & anethum, & omne olus, & reliqua. Mentis occulta & obscuram volunta- Opera externa, etsi non omittenda, internis tamen virtutibus posthabenda.
tum iniquitatem redarguit: quòd ea quæ in decimis menthæ atque anethi lex præscribit efficiant, ut implere legem ab hominibus existimentur; misericordiam verò atque justitiam & fidem & omnem benevolentiæ affectum reliquerint, quod proprium hominis officium est. Quia decimatio illa oleris, quæ in præformationem futurorum erat utilis, non debebat omitti: effici autem hoc oportebat, ut fidei & justitiæ & misericordiæ partibus functi, non imitatione fingendæ, sed veritate retinendæ voluntatis operibus placeremus. Et quia minus piaculi esset, decimationem oleris potiùs quàm benevolentiæ officium præterire; irridet eo- ℣. 24.
rum in colandis culicibus diligentiam, quorum in glutiendis camelis esset incuria, peccata videlicet levia vitantium, & * gravia devoran- * *mss.* grandia.
tium. Par quoque in eos pœnæ denuntiatio ℣. 25.
est, qui calices & paropsides extrinsecùs eluentes, eorum interiora non mundent: & jactantiam inutilis studii sequentes, utilitatis perfectæ ministerium derelinquant. Calicis namque usus interior est: qui si obsorduerit, quid proficiet lotus exteriùs? Atque ideo interioris con- ℣. 26.
scientiæ nitor est obtinendus, ut ea quæ corporis sunt forinsecùs eluantur. Sepulcris quo- ℣. 27.
que eos comparavit, quæ humano opere cul-

[a] Mss. *cluditis .... cludere.*
[b] In vulgatis *judicatur.* Rectiùs in mss. *indicatur.*
[c] id est, Christo *positus sit. Qui* Christus *quia religiosus*, seu religione ac veneratione dignus *habeatur*, (minùs bene apud Lips. & Par. *habebatur*,) *religionem necesse est acceperit* lex *ab eo, qui in illo* legis throno *confidat.* Ita emendamus ex sex mss. Nec sensu dissident ceteri, in quibus exstat *consederat.* At malè in priùs vulgatis, *confidat.*

tuque splendentia, mortuorum ossibus & cadaverum immunditiis interiùs sordescant: præferant scilicet inanibus verbis justitiæ speciositatem, habeant verò intra se conscientiæ suæ mentisque fœtorem.

℣. 28.

℣. 29. Judæi prophetas in odium veritatis occisos non nesciunt.

8. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum*, & reliqua. Judicii forma in absoluto est, & unicuique nostrûm ex natura sensus [a] atque opinio æquitatis imponitur: ut minus ex eo veniæ iniquitatis opus habeat, quo magis æquitas ignorata non fuerit. B Prophetas namque omnes legis populus occidit. In odium enim eorum, amaritudine objurgationis, accensi sunt: nam voce publicâ furta, cædes, adulteria, sacrilegia ejus coarguebant. Et quia indignum eum cælesti regno ob hæc opera denuntiabant, & heredes testamenti Dei gentes futuras prædicabant; vario pœnarum genere confecti sunt. Sed parentum facta posteritas ita detestata est, ut prophetiæ libros veneretur, memorias adornet, sepulcra C restauret: talique reverentia extra culpam se esse paterni sceleris testetur.

Tanto magis sunt rei de nece Christi, qui prophetarum opus.

9. Qui ergo prophetas cum gravissimo piaculo occisos fatentur, qua venia Christum, qui prophetarum [b] opus est, condemnabunt; cùm ea, quæ detestentur, etiam multiplicato facinore perficiant? Atque ideo & serpentes & viperina generatio sunt, quia mensuram paternæ voluntatis implebunt. Et quomodo effugient judicium, detestantes cædem propheta- D rum, [c] eorumque ad crucis mortem Dominum persequentes? A quibus propter Apostolos, qui de futurorum revelatione prophetæ sunt, de Christi agnitione sapientes, de legis intelligentia scribæ, cæsos, lapidatos, crucifixos, & à civitatibus in civitates fugatos, omnis sanguis justorum ab Abel usque ad Zachariam redundavit: [d] ut quibus obeditum si fuisset, propriorum criminum [e] esset venia præstanda, ob hos eosdem interemtos pœna in eos, qui peremerint, pa- E ternorum quoque facinorum congereretur.

℣. 33.

Apostolorum elogia.

℣. 34.

℣. 35.

℣. 37. Christi in Judæos affectus.

10. *Jerusalem, Jerusalem, quæ interficis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt*, &c. Inter multa objurgationum genera semper misericordiæ suæ protestatur affectum: cujus hinc omnis querela est, quòd regredi in salutem quam præstabat abnuerent. Occiderat enim prophetas, & ad se missos lapidaverat Jerusalem. In civitatis nuncupatione, habitantium facinus ostenditur. Et idcirco Abel sanguis & Zachariæ in F hanc eorum posteritatem venturus ostenditur: quia jam in his habitans Christus & prædicans

A erat passus. Quòd si creditum ei fuisset; non solùm extra pœnam necis prophetarum, credentium fides [f] foret, sed ipsam illam dominicæ passionis sententiam esset venia consecuta. At verò cùm nec post resurrectionem creditum ei fuerit; etiam ultio ab his Abelis & Zachariæ sanguinis reposcetur.

11. Quamvis enim corporeus hæc loquatur, & [g] opem universis homo repertus exhibeat; frequenter tamen congregare eos voluit prædicationibus prophetarum. Sed frustra hunc impendit affectum & in cassum. Tamquam gallina congregans pullos suos continere eos sub alis suis voluit: terrena videlicet nunc & domestica avis factus, quodam corporis sui tamquam alarum operimento, calorem ut pullis suis vitæ immortalis indulgens, & in volatum velut [h] nova generatione producens. Pullis enim alia nascendi ratio est, [i] alia volandi. Nam primùm ovorum testis tamquam claustro corporis continentur: dehinc postea parentis sedulitate confoti, exeunt in volatum. Hujus igitur familiaris ac pæne terrenæ avis more, congregare eos intra se voluit: ut qui conditione nascendi editi jam fuissent, nunc alterius generationis ortu, & calore confoventis renati, in cæleste regnum tamquam pennatis corporibus evolarent. Quod quia noluerunt; domus eorum deserta & vacua relinquetur, id est, indigni habitatione sancti Spiritûs erunt. Sua D enim domus, non Dei esse cœperunt: & in contumacia infidelitatis manentes, usque in id tempus eum non videbunt, quo in Domini nomine revertentem, etiam invitæ infidelitatis confessione benedicent.

Gallina opus.

Pullorum duplex generatio.

Quid Judæis obsit Christus.

℣. 38. Eorum pœna.

℣. 39.

CAPUT XXV.

E *De structura templi interrogantibus discipulis, & de his qui in tecto sunt, ne descendant tollere aliquid de domo; & qui in agro sunt, ne revertantur tollere tunicam suam, & de prægnantibus & nutrientibus.*

Matth. 24. 1.

1. ET *egressus de templo ibat: & accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei structuram templi.* Post [k] comminationem deserendæ Jerusalem, tamquam commovendus ambitione templi esset, magnificentia ei exstru-

[a] Desideratur *atque* in pluribus mss. juxta quos vox *sensus* in secundo casu minùs concinnè intelligetur.

[b] Editi, *prophetarum scopus*, præter fidem mss. & Hilarianum loquendi morem. Jam suprà legimus cap. 1. n. 3. *Conceptum ex Spiritu-sancto, natum ex Maria Virgine, omnium opus prophetarum est*: & prologo in lib. Psal. n. 5. de Pharisæis habetur: *Negantes enim Christum, cujus adventus opus est prophetarum, clavem scientiæ abstulerunt.*

[c] Editi, *& usque ad crucis mortem*. Elegantiùs mss. tres, *eorumque* &c.

[d] Sex mss. *ut à quibus*. Illud *quibus* cùm non modò ad *obeditum*, sed & ad *præstanda* referatur, & de Apostolis prædicatur & de Judæis.

[e] Bad. Er. & Lips. *esset venia præstita*. Par. cum quatuor mss. *venia præstanda*, omisso priùs verbo *esset*. Mox pro *congereretur*, Lipsius substituit *cogeretur*: faventibus ei mss. aliquot, in quibus exstat *congeretur*.

[f] Ita mss. potiores. Alii verò cum editis, *fuerat*. Superiùs post verba, *si creditum ei*, supple, prædicato ab Apostolis proximè post passionem ac resurrectionem ipsius.

[g] Ms. Rom. *opera universis*. Colb. & Carn. *opera universa*. Antea *corporeus*, id est, carne assumta factus homo. Videsis Tract. Psal. 138. n. 10.

[h] In sex mss. *novam generationem*: potest & hæc lectio admitti, qua nova rerum species, ex ovo scilicet animal volatile, produci significetur.

[i] Editi cum tribus mss. *alia vivendi*: quod mutatur ceterorum mss. auctoritate, cùm volatûs potiùs quàm vitæ ratio deinceps habeatur. Porro hîc volare, & mox volatus, volandi proprietatem, non actum sonat.

[k] In sex mss. *post commonitionem*.

ctionis ostenditur. Qui ait destruenda omnia A esse, & dispersis totius substructionis lapidibus diruenda. Templum enim æternum ad habitationem sancti Spiritûs consecrabatur: homo scilicet per agnitionem Filii & confessionem Patris & præceptorum obedientiam Deo fieri [a] dignus habitaculum.

Homo qui templum Dei æternum.

℣. 3. *Eversionis Jerusalem tempus ac signa.*

2. Et cùm secessisset in montem, adeuntes eum secretò discipuli interrogant quando hæc fierent, quodve signum adventus sui & consummationis sæculi noscerent. Et quia tria hæc B in unum quæsita sunt; distinctis & temporis & intelligentiæ significationibus separantur. Respondetur igitur primùm de civitatis occasu:

℣. 4.

& confirmantur veritate doctrinæ, [b] ne quis fallax ignorantibus posset obrepere. Venturi enim etiam eorum tempore, qui se Christum essent nuncupaturi. Ut igitur fides pestifero mendacio detrahi posset, admonitio præcessit. Venit enim Samaritanus Simon diabolicis instructus & operibus & dictis: pluresque C factorum miraculis depravavit. Et quia hoc in Apostolorum tempora conveniret; ait, *Non est finis.* Sed ne tunc quidem *, cùm gentes adversùs se mutuò & regna concurrent, & fames ac terræ motus erunt: quia in his non universitatis hujus [c] dissolutio est, sed dolorum initia, malis omnibus exinde cœpturis. Confirmat igitur eos ad tolerantiam passionum, fugæ, verberationis, interitûs: & publicum in eos gentium odium propter nomen ejus. Atque his qui- D dem vexationibus multi turbabuntur, & tantis insurgentibus malis scandalizabuntur, & usque in mutuum odium excitabuntur. Et falsi prophetæ erunt, (ut Nicolaus unus ex septem diaconibus fuit,) multosque ementita veritate pervertent: & abundante nequitia caritas frigescet. Sed usque in finem perseverantibus salus reservata est: ac tum per omnes orbis partes viris apostolicis dispersis, Evangelii veritas prædicabitur. Et cùm universis fuerit cognitio E sacramenti cælestis invecta, tum Jerusalem occasus & finis incumbet: ut prædicationis fidem, & infidelium pœna & metus civitatis erutæ consequatur. Hæc igitur in eam, ut fuerant prædicta, perfecta sunt: & lapidatis, fugatis, peremtis Apostolis, fame, bello, captivitate consumta est. Ac tum fuit digna non esse, cùm ejectis prædicatoribus Christi, indignam Dei prædicatione se præbuit.

*℣. 5. Simon Samaritanus. ℣. 6. *supple, erit finis. ℣. 7. ℣. 8. ℣. 9. ℣. 10. ℣. 11. Nicolaus. ℣. 12. ℣. 13.*

℣. 15. *Adventus Christi indicium.*

3. Sequitur deinde & indicium adventus fu- F turi, cùm abominationem desolationis stantem in loco sancto videbunt, tunc claritatis reditum intelligendum. Et de hoc quidem, beatissimo Daniele & Paulo prædicantibus, superfluum nos puto habere sermonem: de antichristi enim temporibus hæc locutus est. Abominatio ex eo dictus, quòd adversùs Deum veniens honorem sibi Dei vindicet: desolationis autem abominatio, quia bellis & cædibus terram cum piaculo desolaturus sit. Atque ob id à Judæis susceptus loco sanctificationis [d] insistet; ut ubi sanctorum precibus Deus invocabatur, illic ab infidelibus receptus Dei honore venerabilis sit.

Dan. 9. 27. 2. Thess. 2. 4.

Antichristus cur abominatio desolationis.

℣. 16. *Judæa cur deserenda.*

4. Et quia proprius iste Judæorum erit error, ut qui veritatem respuerunt, suscipiant falsitatem; Judæam deseri monet, & transfugere in montes; ne admixtione plebis illius antichristo crediturae [e] vis aut contagio afferatur; sed omnibus, qui tunc fideles erunt, tutiora futura sint deserta montium, quàm [f] frequentia Judææ.

℣. 17.

5. Quòd autem ait, *Et qui in tecto sunt, non descendant tollere aliquid de domo:* præceptum istud secundùm humanam intelligentiam rationem dicti factique non recipit. Qui enim in tecto est, & Judæam sit relicturus, nisi descendens ex eo abire non poterit. Aut quæ utilitas est, consistere in tecto, & non in domo manere? Sed frequenter admonuimus, proprietates verborum & locorum contuendas, ut momenta præceptorum cælestium consequamur. Tectum est domûs fastigium, & habitationis totius celsa perfectio. Domus enim nulla dici poterit vel esse sine tecto. Qui igitur in consummatione domus suæ, id est, in corporis sui perfectione constiterit, regeneratione novus, spiritu celsus, & divini muneris absolutione perfectus, non descendere in humiliora rerum sæcularium cupiditate debebit, neque [g] inferioribus corporis illecebris provocatus de tecti sui sublimitate decedere. *Et qui in agro erit, non revertatur tollere tunicam suam.* Scilicet positus in operatione præcepti, non ad curas pristinas revertatur: neque aliqua corporis indumenta desideret, ob quæ reversus, veterum exinde peccaminum, quibus antea contegebatur, erit tunicam relaturus.

Qui in perfectionis apice, ne rerum terrenarum cupiditate descendat.

℣. 18.

℣. 19.

6. *Væ prægnantibus & nutrientibus.* Simpliciter quidem istud propter moram fugæ accipi potest: quia ventris onere impeditas, imminentem temporum ruinam effugere sit molestum. Sed quid conditio sexûs & generationis ordo commeruit? Nisi fortè ætas illa mulierum, quæ in illa tempora inciderint, propriè sit futura maledicta. Sed absit istud, ut quidquam sit, quod homini nisi suâ culpâ malum fiat. Non igitur de fetarum onere Dominum admonuisse credendum est, cùm dicit, *Væ prægnantibus:* sed animarum peccatis repletarum ostendisse gravitatem, quæ neque in tecto positæ, neque in agro manentes repositæ iræ tempestatem vitare possint. Dolor enim prægnantes ex natura consequitur: & partus sine totius corporis vexatione non funditur. Quæ ergo tales animæ reperientur, in suo & onere & dolore conti-

Nil homini nisi suâ culpâ malum.

Prægnantes, animæ peccatis graves.

[a] In sex mss. *dignum habitaculum.* Minùs intricata erit lectio, si in hunc modum ordinetur: *homo scil. per agnitionem Filii &c. dignus fieri habitaculum Deo* in dandi casu. Habes in Ps. 131. n. 6. *Domino nostro hoc opus maximum fuit, ut hominem ad scientiam divinam eruditum, dignum habitaculo Dei redderet:* & num. 7. *Ob id autem tantùm obediens usque ad crucis mortem est, ut nos habitatione Dei dignos esse præstaret.*

[b] Colbert. cod. cum Carn. *ne aliqua fallacia:* ac deinde post *venturi enim,* subjiciunt *prædicuntur,* Bad. autem Er. & Lips. *erant.*

[c] Verbum *significat* hîc exhibent plures mss. operâ interpolatoris, qui antea substituit *dissolutionem,* pro *dissolutio est.*

[d] Aliquot mss. *institerit.*

[e] Apud Par. desideratur *vis.* In aliis autem edit. ea vox corruptè cum sequentibus sic copulatur; *visa ut contagio.*

[f] Sic cum Colb. ms. Carnut. Alii verò, *frequentata mœnia Judææ.* Apud Par. *frequentata Judæa.* Non displiceret cum Bad. Er. & Lips. *frequentata Judææ,* subaud. *loca.*

[g] Editi ac tres mss. *interioribus.*

Sugentes, animæ infirmæ.

nebuntur. Illis quoque væ erit quæ nutrientur. A Est infantia lacte depulsa non minùs ad fugam inutilis, quàm ea quæ etiamnum lacte alatur. Et quomodo væ illi quæ nutriatur; cùm nihil intersit ætatis ac temporis, nutriri lacte, & decessisse de lacte? Sed perinde hîc etiam infirmitatem animarum, quæ ad cognitionem Dei tamquam lacte adhuc alantur ostendit: quæ perfecti cibi virtute indigentes, tenui divinæ cognitionis infirmoque gustatu imbuantur. Et idcirco væ ipsis erit: quia & ad effu- B giendum antichristum graves, & ad sustinendum imperitæ, nec peccata effugerint, nec cibum veri panis acceperint.

℣. 20. Fuga in hyeme aut sabbato, quid.

7. Atque idcirco orare admonemur, ne vel hyeme fuga nostra vel sabbato sit, id est, ne aut in peccatorum frigore, aut in otio bonorum operum reperiamur: quia gravis vexatio

℣. 21.

incumbet & intolerabilis cunctis, nisi quòd causâ electorum Dei diebus illis sit brevitas afferenda, ut vim incumbentium malorum co- C artatum digrassandi tempus exsuperet.

℣. 22. Pseudoprophetarum conatus.

8. Et quia in magna vexatione positis pseudoprophetæ, tamquam præsentem in Christo opem sint indicaturi, multis in locis Christum esse atque haberi mentientur, ut in antichristi famulatum depressos vexatosque deducant; nunc in desertis esse dicentes, ut errore depravent; nunc in penetralibus asserentes, ut

a

[a] dominantis potestate concludant: sed se Dominus non loco occulendum, nec à singulis D contuendum esse profitetur; sed ubicumque & in conspectu omnium præsentem futurum modo fulguris, quod ab Oriente elatum, lumen suum usque ad Occidentis plagas spargit, & undecumque micans ubicumque cernitur. Ac ne vel loci quidem ejus, in quo futurus esset, essemus ignari; ait, *Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur aquilæ.* Sanctos de volatu spiritalis corporis aquilas nuncupavit: quorum, congregantibus Angelis, conventum futurum E in loco [b] passionis ostendit. Et dignè illic claritatis adventus exspectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis passione corporeæ humilitatis operatus est.

℣. 27. Aquilæ, Sancti.

b

Adventûs Christi locus ibi, ubi passionis.



CAPUT XXVI.

*De sole obscurato, luna & stellis. [* De signo ficûs, de diei adventûs Domini incertitudine, de assumendis & relinquendis, & de vigilantia servanda.]*

* Hæc absunt à mss.

Matth. 24. 29.

1. STATIM *autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur*, & reliqua. Gloriam adventûs sui & claritatis redditum indicat obscuritate solis, defectione lunæ, casu stellarum, virtutum cælestium motu, ostensione signi salutaris, lamentatione gentium cognoscentium filium hominis in Dei gloria, & ad collectionem sanctorum destinatione Angelorum cum tubæ, id est, jam publicæ libertatis hortatu. Sic erit de grano sinapis arbor ingens: sic de lapide montis contrita imagine orbem terræ mons occupans: sic civitas omnibus contemplabilis: sic lucens universis lumen [c] in ligno: sic ex humilitate mortis [d] Dei gloria. Quarum omnium rerum indicio, scire nos voluit tempus nostræ redemtionis, quo ex corruptione corporum in honorem spiritalis substantiæ transferemur.

Gloriosus Christi adventus quando & qualis.

℣. 30.

℣. 31.

Matth. 13. 31.

Dan. 2. 34.

Matth. 5. 14. & 15.

c

d

℣. 32.

2. Cognoscendi autem temporis signum in D similitudine ficus arboris posuit: cujus cùm ramus tener fuerit atque fronduerit, tum propè esse æstas intelligitur. Sed longè alia natura & æstatis & arboris est. In * veris enim initiis intumescit: & non exiguum tempus est medium, inter id quod æstas ingruit, & arboris ramus tenerescit in frondes. Ex quo, non de arbore hoc dictum esse noscendum est. Et quidem jam superiùs de arboris istius proprietate * tractavimus. Hujus etiam foliis Adam legi- E mus indutum, & pudorem conscientiæ texisse, id est, tamquam peccati veste sub lege circumdatum. Ramus igitur ficûs antichristus esse intelligitur, diaboli filius, peccati portio, legis assertor. Qui cùm tenerescere cœperit atque frondescere, tunc proxima esse æstas, id est, dies judicii sentietur. Frondescere autem quadam peccatorum exsultantium viriditate noscetur: erit enim tum flos criminosorum, & honor facinorosorum, & gratia profanorum: F quibus tamen æstas, id est, calor æterni ignis in proximo est.

* verni temporis.

* c. 21. n. 5.

Ramus ficûs antichristus.

Quî frondescat.

℣. 34.

3. Atque ut fides certa esset futurorum, *amen* dicendo professione veritatis, adjecit generationem nostram præterire non posse, nisi universa ista transcurrerent, eaque quæ firma existimantur, cælum videlicet & terram, non futura; verba autem sua non posse non esse:

℣. 35.

[a] Editi, *dominantes.* Rectiùs mss. *dominantis*, puta antichristi. Mox *nec à singulis*, id est, nec à privatis & seorsim positis, quibus deinde opponitur *in conspectu omnium.*

[b] Huic Hilarii interpretationi lucem mutuari est ex his Hieronymi in eumdem locum verbis: *Possumus autem corpus, id est,* πτῶμα, *quod significantiùs latinè dicitur cadaver, ab eo quòd per mortem cadat, passionem Christi intelligere.*

[c] Bad. & Er. *in lino.* Par. *in lychno*, quod primùm Lipsius de suo posuerat. Nam omnes mss. habent *in ligno*: quo nomine commodè intelligitur lignum crucis, in quo tamquam in candelabro Christus lux vera omnibus se spectabilem præbuit. Hinc suprà cap. 4. n. 13. *Jam lucerna Christi .... in ligni passione suspensa, lumen æternum est in Ecclesia habitantibus præbitura.*

[d] Editi cum pluribus mss. *Deus gloria.* Præferimus cum Colb. & Carn. *Dei gloria.* Haud dubiè enim alluditur ad verba Pauli Phil. 2. quibus Christus in gloria Dei prædicatur eo quòd se humiliavit usque ad mortem crucis.

quia illa ex conditione creationis suæ, id est, * profecta de nihilo, habeant id in se necessitatis ut non sint; hæc autem ex æternitate deducta, id in se contineant virtutis ut maneant.

* *mss.* perfecta.

℣. 36. Finis temporum cur non definitus.

4. De fine autem temporum curam sollicitudinis nostræ ademit, diem illum dicens esse nemini cognitum, & non solùm angelis, sed etiam sibi ignoratum. O divinæ bonitatis inæstimabilem misericordiam! Numquid Deus pater cognitionem diei, celandi Filium proposito, abnegavit; cùm dictum ab eo sit, Omnia mihi à patre meo tradita sunt? Ergo non omnia sunt, si est aliquid quod negatur. Sed quia ad nos omnia à Patre accepta deveheret, Deique Verbum non tam futuri in se fidem contineat, quàm facti; ideo extra definitionem dies posita est, ut largum licèt Deus pænitentiæ nobis tempus indulgens, incerti tamen metu semper nos sollicitos detineret; & ipse, nulli loquendo voluntatem [a] dandi hujus diei, nulla dicti sui definitione cohiberet, quia secundùm diluvii tempus, in ipso vitæ nostræ cursu omnia agentibus [b] ac patientibus, magnus ille dies aderit.

Matth. 11. 27.

a ℣. 38.

b Discretio fidelium & infidelium.

5. Quin etiam in assumendis fidelibus futurum esse discrimen ostendit, cùm duobus in agro positis, assumatur unus, & alius relinquatur; & duabus molentibus, improbetur altera, & altera eligatur; & ex duobus qui in lecto erunt, adhæreat unus, alter deseratur. Infidelium enim & fidelium discrimen in relinquendis aliis & aliis assumendis docet. Dei enim irâ ingravescente, sancti (ut propheta ait) in promtuariis recondentur; perfidi verò ad cælestis ignis materiem relinquentur. Duos igitur in agro, duos populos, fidelium & infidelium, in sæculo tamquam in vitæ hujus opere dies Domini deprehendet: separabuntur tamen, relicto alio, & alio assumto. De molentibus quoque par ratio est. Mola, opus legis est. Sed quia pars Judæorum ut per Apostolos credidit, ita per Eliam est creditura, & justificanda per fidem: ideo una per eamdem fidem boni operis apprehendetur, alia verò [c] in infructuoso legis opere relinquetur, molens in cassum, & non factura cælestis cibi panem. Duo autem sunt in lecto, eamdem passionis dominicæ requiem prædicantes: circa quam & hæreticorum & catholicorum eadem atque una confessio est. Sed quia unitatem Patris & Filii, [d] & communem eorum theotetam, quam deitatem nuncupamus, catholicorum veritas prædicabit, & eamdem rursum plurimis contumeliis hæreticorum falsitas impugnabit; idcirco ex duobus in lecto alius relinquetur, & alius assumetur: quia fidem confessionis utriusque in uno assumendo, & alio relinquendo, divini arbitrii judicium comprobabit.

Matth. 3. 12.

Judæorum credituorum & non credituorum.

c

hæreticorum & catholicorum.

d

6. Atque ut ignorantiam illam diei omnibus taciti, non sine utilis silentii ratione esse sciremus; vigilare nos propter adventum furis admonuit, & orationum assiduitate detentos omnibus præceptorum suorum operibus inhærere. Furem enim esse ostendit diabolum, ad detrahenda ex nobis spolia pervigilem, & corporum nostrorum domibus insidiantem: ut ea, incuriosis nobis & somno deditis, consiliorum suorum atque illecebrarum jaculis perfodiat. Paratos igitur esse nos convenit: quia diei ignoratio intentam sollicitudinem suspensæ exspectationis exagitet.

Vigilantiæ necessitas. ℣. 43.

CAPUT XXVII.

De servo fideli quem constituit dominus super familiam suam, de decem virginibus, de homine in peregre profecto, qui tradidit substantiam suam servis suis.

1. QUIS NAMQUE *est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* &c. Quamquam in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur; specialem tamen populi principibus, id est, Episcopis, in exspectatione adventuque suo sollicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem atque prudentem, præpositum familiæ significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem. Qui si dicto audiens & præceptis obediens erit, id est, si doctrinæ opportunitate & veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendat, atque hæc agens hisque immorans deprehendatur; gloriam à Domino tamquam dispensator fidelis & villicus utilis consequetur, & super omnia bona constituetur, id est, in Dei gloria collocabitur, [e] quia nihil sit ultrà quod melius sit.

Matth. 24. 45. Præpositis præsertim vigilandum.

Præpositi diligentis opus ac merces.

℣. 47.

e

2. Quòd si contuens longam Dei patientiam, quæ in profectum humanæ salutis extenditur, adversùm conservos insolescet, & sæculi malis vitiisque se tradet, præsentium tantùm curam in cultu ventris exercens: [f] desperata die Dominus adveniet, eumque à bonis quæ spoponderat dividet, portionemque ejus cum hypocritis in pœnæ æternitate constituet, quia adventum desperaverit, quia mandatis non obtemperaverit, quia præsentibus studuerit, quia vitâ gentium vixerit, quia desperatione judicii commissam sibi familiam fame, siti, cæde vexaverit.

℣. 48. Negligentis vitia ac vindicta.

f

[a] Verbum *dandi* desideratur in mss. Beccensi. Vult Hilarius tempus, quo Deus hunc diem decrevit, ideo à Christo non declaratum, ut nullius pænitentiam cohiberet. Quocirca interpunctionem mutavimus, qua in priùs vulgatis verba, *voluntatem dandi hujus diei*, non ad *loquendo*, sed ad *cohiberet* referebantur. Hunc locum fusiùs atque apertiùs explicatum videsis lib. 9. de Trinit. n. 57. &c.

[b] Editi & aliquot mss. *ac pænitentibus*. At Rom. Colb. Carn. & Vat. *ac patientibus*. Apud Hincmarum l. de Prædest. c. 19. ubi hæc & sequentia inseruntur, *ac facientibus*.

[c] Carnutensis codex cum Colb. *alia verò infructuosa*.

[d] Par. cum aliquot mss. *& communionem*: ac deinde absque auctoritate, *eorum theotetem*: ubi Sirmondus apud Hincmarum de Prædest. c. 19. posuit *theoteiam*, quæ vox neque græca, neque latina. Vide quæ ad cap. 16. n. 4. observata sunt.

[e] Plures mss. *qua*, non *quia*, haud malè. Hîc redditur ratio cur in gloria collocatus super omnia bona constitutus dicatur, quia nimirum ea gloria bonum omne superet, eâque nihil melius sit.

[f] In aliquot mss. *desperata dies Domini*, minùs bene. Porro *desperata*, id est, insperata, seu inexspectata atque improvisa.

Matth. 25. 1.

3. *Tunc similabitur regnum cælorum decem virginibus*, & reliqua. Ex dictis superioribus ratio quoque hujus sermonis intelligi potest. De die enim magno Domini omnis est sermo, quo occulta humanarum cogitationum divini judicii cognitione prodentur, & vera exspectati Dei fides non ambiguæ spei meritum consequetur. Absolutè enim in quinque prudentibus & in quinque fatuis, fidelium atque infidelium est constituta divisio: quo exemplo Moyses decem verba duabus tabulis conscripta acceperat. Necesse enim erat, omnia ea in utraque conscribi: & duplex pagina, inter proprietatem dexteræ ac sinistræ, divisionem sub uno licèt testamento bonorum malorumque signabat.

Cur Moyses Decalogum duabus tabulis accepit.

Parabolæ virginum brevis & acuta expositio.

4. Sponsus atque sponsa, Dominus noster est in corpore Deus. Nam ut Spiritus carni *, ita Spiritui caro sponsa est. Denique tuba excitante, sponso tantùm obviàm [a] proditur; erant enim jam ambo unum; quia in gloriam spiritalem humilitas carnis excesserat. Primo autem progressu, vitæ hujus officiis, occurrere in resurrectionem quæ est à mortuis præparamur. Lampades igitur, animarum splendentium lumen est, quæ sacramento baptismi splenduerunt. Oleum, boni operis est fructus. Vasa, humana sunt corpora, intra quorum viscera thesaurus bonæ conscientiæ recondendus est. Vendentes sunt hi, qui misericordiâ fidelium indigentes, reddunt ex se petita commercia, indigentiæ suæ scilicet satietate, boni operis nostri conscientiam [b] veneuntes. Hæc enim indefessi luminis copiosa materies est, quæ misericordiæ fructibus & emenda est & recondenda. Nuptiæ, immortalitatis assumtio est, & inter corruptionem atque incorruptionem ex nova societate conjunctio. Mora sponsi, pænitentiæ tempus est. Exspectantium somnus, credentium quies est, & in pænitentiæ tempore mors temporaria universorum. Nocte media clamor, cunctis ignorantibus tubæ vox est, Domini præcedentis adventum, & universos ut obviàm sponso exeant excitantis. Lampadum assumtio, animarum est reditus in corpora: earumque lux, conscientia boni operis elucens, quæ vasculis corporum continetur.

* supple, sponsus.

5. Prudentes virgines hæ sunt, quæ opportunum in corporibus operandi tempus amplexæ, in primum se occursum adventus dominici præparaverint. Fatuæ autem, quæ dissolutæ ac negligentes, præsentium tantùm sollicitudinem habuerint: & immemores promissorum Dei, in nullam se spem resurrectionis extenderint. Et quia prodire obviàm fatuæ ex- ℣. 8.
stinctis lampadibus non possunt; deprecantur eas quæ prudentes erant, ut oleum mutuentur. Quibus responderunt, non posse se dare, ℣. 9.
quia non sit fortè quod omnibus satis sit: alienis scilicet operibus ac meritis [c] neminem adjuvandum, quia unicuique lampadi suæ emere oleum sit necesse. Quas hortantur ut redeant ad emendum: si vel serò præceptis Dei obsequendo, cum lampadum luce sponsi dignæ efficiantur occursu. Quibus morantibus, sponsus ℣. 10.
ingressus est; atque unà cùm eo in nuptias sapientes, quæ comparato lampadum lumine operiebantur, introeunt, id est, in cælestem gloriam sub ipso statim adventu dominicæ claritatis incedunt. Et quia jam pænitentiæ nullum est tempus; fatuæ accurrunt, aperiri sibi aditum rogant. Quibus respondetur à sponso, ℣. 12.
quia *nescio vos*. Non enim in officio advenientis adfuerant, neque ad vocem tubæ excitantis occurrerant, neque introeuntium comitatui adhæserant: sed morantes & indignæ, introeundi ad nuptias tempus amiserant.

In adventu Christi neminem juvabunt aliena merita.

Jam pænitentiæ nullum tempus.

6. *Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit* ℣. 14.
servos suos, & tradidit illis substantiam suam, & reliqua. Divisio pecuniæ inæqualis est: sed non ad dividentem referenda diversitas est; ait enim, unumquemque secundùm virtutem suam accepisse. Ergo in quantum quis capax esset accepit: & extra moderantis arbitrium est, quod erat in jure sumentis. Patrem-familiâs,

Talenta secundùm fidei mensuram distributa.

[a] In aliquot mss. *proceditur*: eodem sensu. Tum in excusis, *erunt enim*: præter fidem omnium mss. atque Hilarii sententiam, qua vult sponso tantùm, non etiam sponsæ, obviàm prodiri, quia in Christo caro, quæ sponsa est, post glorificationem ita cum Spiritu ac deitate unita est, ut illius distinctio jam non appareat. Hoc tamen salva carnis veritate dictum esse, non semel demonstratum: & manifestum est vel ex hoc Tract. Psal. 65. n. 12. *In æternam gloriam ejus assumta ex Virgine carnis natura transfertur.* Neque ambiguum quod in Psal. 138. n. 27. ait, Christum *in eodem corpore* post resurrectionem conspici in quo mortuus erat: & post pauca, *in eo quo elevatus est corpore à dextris Dei sedere*. V. Tract. Ps. 131. n. 16. not. f.

[b] Bad. Er. & Lips. *ementes*: renitentibus omnibus mss. Hoc tamen in prima editione Par. bene mutatum, perperam restitutum est in postrema. Vendentes vocat Hilarius pauperes, qui fidelium eleemosynâ indigent, & qui pro stipe, qua ipsorum indigentia expletur, vendunt seu reddunt operis boni conscientiam. Nam *veneo* activè jam vidimus cap. 21. n. 4. & c. 10. n. 18. Ita quoddam fit commercium, cùm dat dives pecuniam, & à paupere accipit operis boni conscientiam.

[c] Hunc locum qui inconsideratè legent, existimabunt forsitan favere heterodoxis Sanctorum suffragia & intercessionem exsufflantibus. Eum re ipsa Catholicis objicit Bodius in Collectaneis suis. Sed quid illos juvet, non vident prudentes. Non enim hîc sermo est, utrùm Sancti nobis prospiciant, sed utrùm Sancti possint ita merita sua partiri, ut alii propriis meritis destituti ex hac vita migrantes, meritorum alienorum subsidio valeant cum sponso in æternam gloriam ingressum obtinere. Quis autem catholicus neget hæc merita unicuique ita propria esse, ut in alium refundi nequeant? Hac ratione unicuique oleum lampadi suæ emere necesse est: & cui deest, non potest ullus alius sufficere. Nam secundùm ea, quæ quisque gessit, aut salus obtinget, aut damnatio. Verùm etiamsi Sanctis non detur ut meritorum inopes ex suis ditent; datur tamen ut nos quam diu hîc vivimus adjuvent, unde rectè operari & merita comparare valeamus. Immo etiam hîc Hilarius nomine virginum prudentum, quæ fatuas bene consulendo & ad pænitentiam hortando adjuvant, Sanctos demonstrat de nostra salute sollicitos. Disertiùs hoc ipsum docet in Psal. 124. n. 5. ubi ait, *Sed neque desunt stare volentibus Sanctorum custodiæ, neque Angelorum munitiones*: & num. 6. *Ac ne leve præsidium in Apostolis, vel patriarchis ac prophetis, vel potiùs in Angelis, qui Ecclesiam quadam custodia circumsepiant, crederemus &c.* & post pauca: *Sed fortè Apostolorum vel Angelorum custodia sufficiens existimetur. Verum id quidem est.* Si autem nobis prospiciunt Sancti, quid æquius quàm ut animum ad illos intendamus, ne nobis desint precemur, ac demum aliquam pro acceptis beneficiis gratiam eis habeamus? In his non videtur cur, uti Scultetus vult, pudore afficiendus sit Bellarminus, qui Hilarium citet invocationis sanctorum patronum. Ridendum potiùs ipse se præbet, ubi primùm negat Hilarium hujus sententiæ patronum; tum propositionis suæ oblitus affirmat eum *non nisi ex allegoria* docere Sanctos defunctos fidelium esse custodes. *Nulla autem*, inquit, *allegoria firmat fidem.* Quid sibi vult *ex allegoria*? An non claris, perspicuis, ac nullatenus allegoricis verbis hoc asserit? Non enim hîc agitur utrùm ea de sanctis doctrina in Scripturis aliquo modo contineatur; sed utrùm patronus illius fuerit Hilarius. Qua de re longè minor est dubitandi ratio, cùm eam è Scripturis allegoricè intellectis prædicat. Cùm enim hoc interpretandi genere soleat veritas aliàs cognita & aperta ad obscuros quosdam Scripturæ locos accommodari; sequitur hoc Hilarium existimasse omnibus notum, quod in Scripturis allegoricè intellectis contineri ostendit.

ſe ipſum eſſe ſignificat. Peregrinationis tempus, pænitentiæ ſpatium eſt: quo in cælis à dextris Dei aſſidens, poteſtatem univerſo generi humano fidei atque operationis evangelicæ permiſit. Igitur unuſquiſque ſecundùm fidei ſuæ menſuram talentum, id eſt, Evangelii prædicationem à prædicante ſuſcepit. Hæc enim incorrupta ſubſtantia eſt, hoc Chriſti patrimonium æternis heredibus reſervatum.

℣. 20. *Cui quinque talenta.*
7. Sed ſervus ille, qui quinque talenta accepit, populus ex lege credentium eſt: ex qua profectus, meritum ipſius rectè probéque [a] perfunctâ evangelicæ fidei operatione duplicavit. In ratione autem ponenda judicii examen eſt, quo cæleſtis verbi uſus, & reditus diſpenſati talenti poſtulatur. Igitur cui erant quinque commiſſa, Domino reverſo de quinque decem obtulit: talis ſcilicet in fide repertus, qualis in lege, qui decem verborum quinque libris Moyſi
℣. 21.
præceptorum obedientiam per gratiam evangelicæ juſtificationis expleverit. Igitur jubetur in gaudium Domini introire, id eſt, in honorem gloriæ Chriſti recipitur.

℣. 22. *Cui duo.*
8. Ille verò ſervus, cui duo talenta commiſſa ſunt, gentium populus eſt, fide atque confeſſione & Filii juſtificatus & Patris, [b] & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Deum atque hominem & Spiritu & carne confeſſus. Nam & corde fides, & ore confeſſio eſt. Hæc ergo huic ſunt duo talenta commiſſa. Sed ut prior ille omne ſacramentum in quinque talentis, id eſt, in lege cognoverat, idque ipſum fide Evangelii duplicaverat: ita iſte incremento duûm talentorum, [c] idque operatione promeruit. Ratione ac reditu diſſimili, par tamen à Domino munus
℣. 23.
amborum eſt; ut gentium fidem exæquatam credentium ex lege ſcientiæ noſceremus. Nam collaudatione eadem jubetur in gaudium Domini introire. Eſt autem duplicatio ſumtæ pecuniæ, operationem fidei addidiſſe; & quæ opinione crediderant, rebus factiſque geſſiſſe.

℣. 24. *Cui unum.*
9. Qui verò unum talentum accepit, & in terra recondidit, populus eſt in lege perſiſtens, totus carnalis & ſtupidus, & nihil ſpiritale intelligens, & quem virtus prædicationis evangelicæ non ſubeat, ſed propter invidiam ſalvandarum gentium, in terra acceptum talentum abſconderit; neque ipſe utens, neque utendum aliis diſpenſet, ſed ſufficere ſibi legem exiſtimet ad
℣. 25.
ſalutem. Atque ideo cùm ab eo ratio expoſtularetur, ita ait: *Timui te*, tamquam per reverentiam ac metum veterum præceptorum, uſu evangelicæ libertatis abſtineat; dicatque, *Ecce quod tuum eſt*, velut in his quæ à Domino præcepta ſunt fuerit immoratus.

Talentum in terra abſcondere, quid.
10. In terra verò talentum abſcondere hoc eſt, novæ prædicationis gloriam ſub obtrectatione corporeæ paſſionis occulere. Qui cùm Chriſtum Dominum ad ſalutem gentium miſſum fuiſſe non poſſit abnuere; (nam & adventus & paſſio ejus ex lege eſt;) obtemperare tamen Evangeliis ipſe noluerit. Ait enim, *Scio* ℣. 24.
quia homo durus es, metis ubi non ſeminaſti, & colligis ubi non ſparſiſti. Rerum præſentium natura non fert meſſem eſſe ſine ſemine, & colligi quæ ſparſa non fuerint: ſed totus ſpiritalis hic ſermo eſt. Diximus enim hunc populum eſſe de lege, non ignorantem Domini adventum & gentium ſalutem; ſed infidelem: quippe cùm ſciat metendos illic juſtitiæ fructus, ubi lex ſata non ſit, & colligendos ex gentibus, qui non ex Abrahæ ſint ſtirpe diſperſi: & idcirco durus hic homo ſit, ſcilicet ſine lege juſtificaturus, ſine diſperſione collecturus, & ſine ſatione meſſurus.

11. Atque ideo hoc magis ſine venia erit, cur prædicationem occuluerit, & commiſſum ſibi talentum ſuffoderit, cùm ſciret meſſurum eſſe ſine ſemine, & collecturum eſſe quæ non ſparſiſſet: ſed potiùs oportuiſſe eum nummulariis dare, id eſt, univerſo generi hominum, quod ſæculi negotiis occupetur, uſum crediti ſibi talenti communicare, Domino reditus ejus à ſingulis poſtulaturo. Ob quam culpam talentum ab eo non tam Evangelii, quod ſuffoderat, quàm legis aufertur, eique qui quinque duplicaverit datur, Domino dicente, *Omni enim ha-* ℣. 29.
benti dabitur, & abundabit: qui autem non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Poteſt quidem habens abundare; quia facile eſt, per incrementum vel munificentiæ vel laboris, opulentum poſſe diteſcere: ſed quo modo non habens habebit ad damnum? Hoc ideo, quia habentibus uſum Evangeliorum, etiam legis honor redditur: non habenti autem fidem Chriſti, etiam quod ex lege habere ſibi videbatur honoris, aufertur.

Quanta culpa. *Quæ hujus culpæ vindicta.*

CAPUT XXVIII.

De adventu filii hominis venientis in majeſtate ſua.

1. CUM *autem venerit filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo*, & reliqua. Omnem ipſe ſermonis hujus rationem abſolvit. De judicii enim tempore adventuque commemorat, quo fideles ab infidelibus ſeparabit, atque ab infructuoſis fructuoſa diſcernet, hœdos videlicet ab agnis, & in dextera ac ſiniſtra collocans unumquemque, dignâ aut bonitatis aut malitiæ ſuæ ſede conſtituet: [d] indicans ſe in minimis ſuis, id eſt, iis qui ſibi

Matth. 25. 31. *Malorum & bonorum diſcretio in judicio.*

[a] Editi, *perfunctus*. Potiores mſſ. *perfuncta*, & in aliis *perfunctæ*.

[b] Particulam *&* adjicimus auctoritate mſſ. Colb. & Carn. Hac diſtinctiùs exprimuntur duo talenta, quorum primum ſit in fide myſterii ſanctæ Trinitatis, alterum in fide Incarnationis.

[c] Excuſi, *atque operatione*. Sex mſſ. *intellectum atque operationem*. Præferimus cum potioribus, *idque* (ſubauditur *ipſum*) *operatione*. Hæc lectio ob brevitatem obſcura, ſic poteſt explicari, *ita iſte* populus gentium *incremento duorum talentorum* intelligendus eſt duplicaſſe quod fide perceperat; *& id ipſum*, nimirum illa duo talenta, *promeruiſſe operatione*, eorum ſcilicet quæ fides jubet. Uno verbo ſicut populus legis fide Evangelii accedente duplicat talenta ſua; ita & duplicat populus fidelis, ubi quod corde credit & confitetur ore, operatione teſtatum facit.

[a] Editi, *judicans*: corriguntur ex mſſ. Deinde, *qui ſibi cum humilitatis ſuæ exſpectatione famulentur*, id eſt, qui famulentur Deo omnibus humilitatis officiis, quorum retributionem ab eo exſpectent. Ita in Pſal. 138. n. 31. explicantur verba pſalmi, *Et ſubſtantia mea in inferioribus terræ*, ſcil. *Chriſtum eſſe in pauperibus ſpiritu, in tribulatis corde, in humilibus terræ, in purgamentis mundi, in Eccleſiæ infimis. Infimum enim Eccleſiæ id eſt omni humilitate ſummiſſum.*

ỷ. 40. Quî Christus in minimis. cum humilitatis suæ exspectatione famulentur,
& esurientibus ali, & sitientibus potari, & pere-
grinantibus consoveri, & nudis contegi, & in-
firmis visitari, & sollicitis consolari. Ita enim in
universorum fidelium corporibus mentibusque
a transfunditur, ut hæc [a] humanitatis officia, aut
gratiam suam impensa mereantur, aut offensam
negata commoveant.
Matth. 26. 1. 2. Post quem sermonem, quo se venturum
in reditu claritatis ostenderat, nunc passurum
esse se admonet: ut sacramentum crucis ad-
mixtum esse gloriæ æternitatis agnoscerent. Su-
ỷ. 4. mitur inter hæc perimendi ejus à Judæis consi-
lium: & congregatis principibus sacerdotum,
occasio tanti facinoris exspectatur.

CAPUT XXIX.

De muliere, quæ accessit ad Jesum in domum Simonis leprosi habens alabastrum unguenti pretiosi.

Matth. 26. 6. ỷ. 7. 1. CUM *autem esset Iesus in Bethania in
domo Simonis leprosi, * accessit ad eum
mulier habens alabastrum unguenti pre-
tiosi*, & reliqua. Sub ipso tempore passionis non
ex nihilo est, ut mulier unguentum pretiosum
recumbentis Domini capiti infuderit: dehinc
ỷ. 8. ut discipuli irascerentur, & dicerent vendi istud
potiùs in usum pauperum debuisse: tum ut
Dominus & mulieris factum comprobaret, &
æternam cum prædicatione Evangelii operis
hujus esse memoriam sponderet: postremò ut
post id Judas ad vendendam salutem ejus erum-
peret.
Mulier ungens Christum, plebs gentium. 2. Mulier hæc in præfiguratione gentium
b [b] plebis est, quæ in passione Christi gloriam
c Deo reddidit. Caput enim ejus perunxit: caput
autem Christi Deus est. Nam [c] unguentum boni
operis est fructus. Et propter corporis curam
mulierum sexui maximè gratum est. Igitur om-
nem curam corporis sui, & totum pretiosæ men-
tis affectum in honorem Dei laudemque trans-
ỷ. 9. fudit. Sed discipuli favore salvandi Israelis, ut
Discipulorum pro Israel favor. sæpe numero, commoventur: vendi hoc in usum
pauperum [d] debuisse. Sed neque mulier hæc ve-
d nale unguentum circumferebat. Et pauperes,
Pauperes, Judæi fidei indigi. fidei indigos instinctu prophetico [e] nuncupave-
runt. Atque hanc gentium fidem emi potiùs ad
salutem egeni hujus populi debuisse. Quibus
e ỷ. 11. Dominus ait, plurimum esse temporis, quo ha-
ỷ. 12. bere curam pauperum possent; ceterùm non
nisi ex præcepto suo salutem gentibus posse
præstari, quæ secum infuso mulieris hujus un-
guento sint consepultæ: quia regeneratio non
nisi commortuis in baptismi professione redhi-
A betur. Et idcirco ubi prædicabitur hoc Evange- ỷ. 13.
lium, narrabitur opus ejus: quia cessante Israel,
Evangelii gloria fide gentium prædicatur. Qua
æmulatione in Judæ persona Israel profanus ac-
census, omni odio ad exstinguendum nomen
Domini incitatur.

CAPUT XXX.

B *De die prima azymorum, in qua accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes,* Ubi vis paremus tibi comedere pascha?

1. PRIMA *autem* [f] *die azymorum accesserunt* Matth. 26. 17. f
*discipuli ad Iesum, dicentes, Vbi vis pa-
remus tibi pascha manducare?* & reliqua.
Discipuli ire ad quemdam hominem jubentur,
& ei dicere quòd cum eo Dominus pascha cum
C discipulis facere vellet. Qui præceptis obtem- ỷ. 19.
peraverunt, & pascha paraverunt. Sed opor-
tuerat eos scire quò pergerent, & de hominis
nomine edoceri. Alioquin incerti ad quem mit-
terentur, quomodo missi quæ præcepta fuerant
exsequerentur? Verùm sermo prophetiæ, re- Christianum nomen quando indultum.
rum præsentium effectibus admiscetur. Homi-
nem enim, cum quo pascha celebraturus esset,
non nominat. Nondum enim Christiani nomi-
nis honor credentibus erat præstitus, qui verè
D sunt Deum mentis ac fidei oculis contuentes:
ut cum eo pascha Domini Apostolos præpa-
rare sciremus, cui in tempore Domini novum
nomen esset addendum.
2. Post quæ Judas proditor indicatur, [g] sine g
quo pascha accepto calice & fracto pane con- Judas corpus Christi non sumsit.
ficitur: dignus enim æternorum sacramento-
rum communione non fuerat. Nam discessisse
statim hinc intelligitur, quòd cum turbis re-
versus ostenditur. Neque sanè bibere cum Do-
E mino poterat, qui non erat bibiturus in regno: ỷ. 29.
cùm universos, tunc bibentes ex vitis istius fru- ỷ. 30.
ctu, bibituros secum postea polliceretur. *Hym-
noque dicto, in montem reversi sunt.* Consummatis
scilicet universis divinorum mysteriorum virtu-
tibus, gaudio & exsultatione communi in cæ-
lestem gloriam efferuntur.
3. Futuræ quoque eos infirmitatis admonuit, ỷ. 31.
& nocte eadem omnes metu atque infidelitate
turbandos. Cujus rei fides etiam auctoritate Zach. 13. 7.
F prophetiæ veteris continebatur, percusso pasto- ỷ. 32.
re oves esse spargendas: se tamen resurgentem Petri in Christum affectus.
in Galilæam præcessurum esse, ut infirmitatem
eorum sponsione reditus sui consolaretur. Sed
Petrus pro fidei suæ calore respondit, ceteris
licèt * scandalizantibus, numquam se scanda- * passivè.
lizaturum. In tantum enim & affectu & cari- ỷ. 33.
tate Christi efferebatur, ut & imbecillitatem

[a] Sola editio Par. *humilitatis.* Beccensis codex, *unanimitatis.* Meliùs alii, *humanitatis.*

[b] Editi, *plebes est*: emendantur ex mss.

[c] Mss. Carn. & Colb. *in unguentum.* Fortè, *in unguento.*

[d] In pluribus mss. hîc adjicitur *dicunt.* Potiùs intelligitur tacitum verbum *dicentes.*

[e] In mss. *nuncupant*, vel *nuncupaverint.* Tum post particulam *atque*, supple verbum *obtestantur*, aut quid simile.

[f] Abest *die* à mss. Colb. & Carn. consentiente græco. Mox in iisdem mss. omittitur verbum *dicentes*: & post pauca non habetur, *& pascha paraverunt.*

[g] Etiam præsente Juda verum Pascha confectum esse colligitur ex Lucæ 22. 19. &c. ut meritò dixerit Augustinus Serm. 71. n. 17. *Numquid & Judas magistri venditor & proditor impius, quamvis primum ipsum manibus ejus confectum sacramentum carnis & sanguinis ejus cum ceteris discipulis, sicut apertiùs Lucas Evangelista declarat, manducaret & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo?*

carnis suæ, & fidem verborum Domini non contueretur: quasi verò dicta ejus efficienda
℣. 34. non essent. Cui ait, *Prius quàm gallus cantet, ter me negabis.* Sed tam ille, quàm ceteri ne mortis quidem metu decessuros se de confessione nominis sui pollicentur: ad omnem enim se ministerii constantiam, intrepida fidei voluntate firmaverant.

CAPUT XXXI.

Cùm venit Jesus in agrum qui dicitur Gethsemani, & dicit discipulis suis, Sedete donec eam illuc orare, *& de tristi anima sua usque ad mortem, de calice si possibile est transire à se, de spiritu promto & carne infirma; & rursum,* Pater, non potest hic calix transire nisi illum bibam? fiat voluntas tua.

Matth. 26. 36. 1. TUNC *venit cum illis Iesus in agrum, qui dicitur Gethsemani, & dicit discipulis suis, Sedete hìc donec eam illuc orare,* & reliqua. Fidem discipulorum, & constantiam devotæ sibi voluntatis acceperat: sed & turbandos & diffisuros sciebat. Quos considere in loco
℣. 37. & 38. jubet, dum progrederetur orare. Et assumsit Petrum, Jacobum & Johannem Zebedæi filios. Quibus assumtis, tristis esse mæstusque cœpit: & ait tristem animam suam usque ad mortem esse.

a Divinitati Christi tristitiam, metum &c. tribuentium opinio confutatur.

2. Aliquorum[a] ea opinio est, quòd cadere propter se mæstitudo in Deum potuerit, eumque futuræ passionis metus fregerit: quia di-
℣. 38. xerit, *Tristis est anima mea usque ad mortem;*
℣. 39. & illud, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste;* & rursum, *Spiritus quidem promtus est,*
℣. 41. *caro autem infirma;* & [b] ad postremum bis idip-
℣. 42. & 44. sum, *Pater, si non potest hic calix transire, nisi illum bibam, fiat voluntas tua.* Volunt enim ex infirmitate corporis ærumnam Spiritui adhærere: ac si Virtutem illam incorruptæ substantiæ, imbecillitatis suæ sorte assumtio carnis infecerit, & æternitas naturam fragilitatis acceperit. Quæ si ad metum tristis est, si ad dolorem infirma, si ad mortem trepida; jam & corruptioni subdita erit, & incidet in eam totius infirmitatis affectio. Erit ergo quod non erat, de angore mæsta, de timore sollicita, de dolore perterrita: ac sic æternitas demutata in metum, si potest esse quod non erat; potuit[c] perinde hoc quod in ea est aliquando non esse. Deus autem sine mensura temporum semper est: & qualis est, talis æternus est. Æternitas autem in infinito manens, ut in his quæ fuerant, ita in illis quæ consequentur extenditur: semper integra, incorrupta, perfecta, præter quam nihil, quod esse possit, extrinsecùs sit relictum. Non ipsa in aliquo, sed intra eam cuncta: potens ita largiri nobis ipsa quod suum est, ut sibi nihil de eo quod sit largita decedat.

Quinam opinionis hujus auctores.

3. Sed eorum omnis hic sensus est, ut opinentur metum mortis in Dei filium incidisse, qui asserunt non de æternitate esse prolatum, neque de infinitate paternæ substantiæ exstitisse, [d] sed ex nullo per eum qui omnia creavit effectum: ut assumtus ex nihilo sit, & cœptus ex opere, & confirmatus ex tempore. Et ideo in eo doloris anxietas; ideo [e] Spiritûs passio cum corporis passione, ideo metus mortis: ut qui mortem timere potuit, & mori possit; qui verò mori potuit, licèt in futurum erit*, non tamen per eum qui se genuit ex præterito sit æternus. [f] Qui si per fidem vitæque probitatem capaces Evangeliorum esse potuissent, scirent Verbum in principio Deum, & hoc à principio apud Deum, & natum esse ex eo qui erat, & hoc in eo esse qui natus est, quod is ipse est penes quem erat [g] ante quàm nasceretur: eamdem scilicet æternitatem esse & gignentis & geniti. Mori igitur nihil in Deo potuit, neque ex se metus Deo ullus est. In Christo enim Deus erat mundum reconcilians sibi. 2. Cor. 5. 19.

* *subaud. æternus.*

Tristitia Christi non de se, sed de discipulis orta est.

4. Sed introspiciendus omnis hic sermo est, ut quia mæstum fuisse Dominum legimus, causas mæstitudinis reperiamus. Admonuerat superiùs, omnes scandalizaturos. Petrus de se confidens responderat, etiamsi ceteri perturbarentur, se non commovendum: quem Dominus etiam ter negaturum esse respondit. Sed & ille & ceteri omnes discipuli, ne si in ipsa quidem morte positi sint, pollicentur sese negaturos. Et procedens, jussit discipulos suos consedere dum oraret. Assumtisque Petro & Jacobo & Johanne cœpit tristis esse. Ergo non antè tristis est quàm assumit, & omnis [h] metus illis esse cœpit assumtis: atque ita non de se orta est, sed de his quos assumserat, mæstitudo. Et quidem recordandum est, non alios hìc assumtos fuisse, quàm ipsos illos, quibus venturus in regno suo filius hominis ostensus est, tum cùm assistentibus in monte Moyse & Elia, toto æternæ gloriæ suæ honore circumdatus est. Sed Matth. 17. 1. &c.

[a] puta Arianorum, qui, ut testes sunt Gregorius Naz. Or. 51. n. 13. Augustinus de hæres. c. 19. Theodoretus sub initium Dialogi 2. ac noster Hilarius lib. 10. de Trin. n. 50. prædicabant Verbum in Christo vices animæ supplevisse: adeoque mæstitudinem, tristitiam, anxietatem, dolorem, quibus animam Christi affectam esse fideles credunt, in Verbum ipsum cecidisse contendebant.

[b] Prima editio Par. *& ad ipsum:* postrema *& idipsum.*

[c] Sic mss. Editi verò, *proinde hoc quod erat aliquando non esse.*

[d] Sola editio Par. *sed ex nihilo:* tum cum mss. Rom. Colb. & Carn. *per eum qui eum creavit.*

[e] id est, Christi etiam secundùm eam naturam quæ corpus assumsit.

[f] In vulgatis, *quod si.* Elegantiùs in mss. *qui*, scil. Ariani, quorum est sententia priùs memorata.

[g] Vindocinensis codex, *ante quàm nascitur.* Non satis cautè hæc videntur dicta, quasi cogitari posset aliquod tempus, quo nondum natus Filius penes Patrem tantùm exstitisset. At hunc pravum sensum refellunt subnexa, *eamdem scilicet æternitatem esse & gignentis & geniti.* Neque hìc repetendum quod in Admonitione de hoc loco præfati sumus. Cur autem de Verbi generatione dissentibus non sit admittendum illud *ante quàm nascitur*, pluribus docet Hilarius ipse lib. 12. de Trin. instructior jam factus, & in verbis cautior.

[h] Romanus codex cum Colb. & Carn. *mæstus illi esse.* In his non negat Hilarius, sed affirmat veram in Christo tristitiam, ubi illam ea ratione explicare conatur, quæ hominem-Deum non deceat. Hunc imitati sunt Ambrosius & Hieronymus: ille quidem lib. 10. in Luc. n. 57. ubi ait, *Doles ergo Domine non tua, sed mea vulnera; non tuam mortem, sed nostram infirmitatem &c.* Hic verò in Matth. c. 26. ubi habet, *Contristabatur autem, non timore patiendi; quia ad hoc venerat, & Petrum timiditatis arguerat: sed propter infelicissimum Judam, & dispersionem Apostolorum &c.*

quæ tunc aſſumendorum eorum, eadem & nunc fuit cauſa.

Triſtitia Chriſti uſque, non ob mortem. V. lib. 10. de Trinit. num. 36.

5. Denique ait, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Numquid ait, Triſtis eſt anima mea propter mortem? Certè non ita. Nam ſi de morte erat metus, ad eam utique referri per quam erat debuit. Sed aliud eſt uſque in id, aliud ob id metuere. Et cauſam non facit quidquid in fine eſt, quia uſque in id quod ab altero cœptum ſit differatur. Superiùs igitur dixerat, *Scandalum patiemini in me in iſta nocte.* Sciebat exterrendos, fugandos, negaturos: ſed quia Spiritûs blaſphemia nec hîc nec in æternum remittitur, metuebat ne ſe Deum abnegarent, quem cæſum & conſputum & crucifixum eſſent contemplaturi. Quæ ratio ſervata in Petro eſt, qui cùm negaturus eſſet, ita negavit; *Non novi hominem:* quia dictum aliquid in filium hominis remittetur. Triſtis ergo eſt *uſque ad mortem.* Non itaque mors, ſed tempus mortis in metu eſt: quia poſt eam reſurrectionis virtute fides eſſet firmanda credentium.

℣. 31.

Blaſphemiam in Spiritum Chriſtus timet ſuis.

℣. 72.

℣. 38.
℣. 39.

6. Sequitur illud: *Suſtinete & vigilate mecum. Et progreſſus procidit in faciem ſuam orans.* Manere ſecum pervigiles admonet. Sciebat enim ingravante diabolo fidem eorum conſopiendam: & parem ſecum vigilantiam imperat, quibus eadem paſſio immineat.

Ibidem.

Tranſitum calicis non ſibi, ſed ſuis deprecatur.

7. Deinde orat, *Pater meus, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: ſed tamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Tranſire à ſe calicem rogat. Numquid ait, Tranſeat me calix iſte? hæc enim futura erat pro ſe timentis oratio. Sed aliud eſt, ut ſe tranſeat, aliud ut à ſe tranſeat deprecari. In eo enim quod ſe tranſit, ipſe ille à moleſtia [a] tranſeuntis excipitur: qui autem, ut à ſe tranſeat rogat, non ut ipſe prætereatur orat, ſed ut in alterum id quod à ſe tranſit excedat. [b] Numquid poſſibile erat non pati Chriſtum? Atquin jam à conſtitutione mundi ſacramentum hoc in eo erat noſtræ ſalutis oſtenſum. Numquid pati ipſe nolebat? Atquin ſuperiùs fundendum in remiſſionem peccatorum corporis ſui ſanguinem conſecraverat. Quomodo ergo ait, *Pater, ſi poſſibile eſt?* & quomodo, *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis?* Totus igitur ſuper his qui paſſuri erant metus eſt: atque ideo, quia non eſt poſſibile ſe non pati, pro his rogat qui paſſuri poſt ſe erant, dicens, *Tranſeat calix à me*, id eſt, quomodo à me bibitur, ita ab his bibatur, ſine ſpei diffidentia, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis.

℣. 28.

Patiendi virtutem eis flagitat.

8. Ideo autem *ſi poſſibile eſt:* quia & carni & ſanguini horum gravis terror eſt, & difficile eſt eorum acerbitate corpora humana non vinci. Quod autem ait, *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*

A *vis:* vellet quidem eos non pati, ne fortè in paſſione diffidant, ſed cohereditatis ſuæ gloriam ſine paſſionis difficultate mereantur. Non ergo [c] ut non patiantur rogat, dicens, *Non ut ego volo:* ſed ut, ait, quod Pater vult, bibendi calicis in eos ex ſe tranſeat firmitudo: quia ex voluntate ejus non tam per Chriſtum [d] vinci diabolum, quàm etiam per ejus diſcipulos oportebat.

℣. 40.

B 9. Poſt quæ ad diſcipulos redit, & dormientes deprehendit: & Petrum coarguit, cur ſecum unâ ſaltem horâ [e] non vigilet. Petrum ideo ex tribus, quia præ ceteris non ſe ſcandalizaturum fuerat gloriatus. Superioris autem metus ſui indicat cauſas, dicens, *Orate ne intretis in tentationem.* Hoc erat igitur quod volebat; & ideo in oratione tradiderat, Non inducas nos in tentationem, ne quid in nos infirmitati carnis liceret. Cur autem ne in tentationem venirent orare eos admonuiſſet, oſtendit dicens, *Spiritus quidem promtus, caro autem infirma.* C non utique de ſe: ad eos enim hic ſermo converſus eſt. Aut quomodo nunc de ſe ſpiritus promtus, ſi ſuperiùs triſtis eſt anima uſque ad mortem? Sed vigilari præcipit & orari, ne in tentationem incidant, ne infirmitati corporis ſuccumbant: & idcirco ſi poſſibile eſt ut à ſe tranſeat calix orat, quia bibendi ejus caro omnis infirma ſit.

Metûs Chriſti cauſa, infirmitas noſtra.

℣. 41. Matth. 6. 13.

10. Rurſum verò diſcedens oravit, dicens, D *Pater* [f] *non poteſt tranſire calix iſte niſi illum bibam? fiat voluntas tua.* Paſſuris diſcipulis per fidei juſtificationem, omnem in ſe corporis noſtri infirmitatem aſſumſit: crucique ſecum univerſa ea quibus [g] infirmabamur affixit. Ideo peccata noſtra portat, & pro nobis dolet: quia fidei in nobis calore fervente, cùm adversùm diabolum paſſionis bello ſit decertandum, omnes imbecillitatum noſtrarum dolores cum corpore ejus & paſſione moriuntur. Et ideo tranſire E ab eo calix non poteſt, niſi illum bibat: [h] quia pati niſi ex ejus paſſione non poſſumus.

℣. 42.

Paſſio Chriſti virtutem nobis contulit patiendi.

Diſcipulorum ſomnus, & variæ Chriſti allocutiones quid ſignificent.

11. Verùm quòd iterum reverſus reperit dormientes; oſtendit abſentiæ ſuæ tempore plures quodam fidei ſomno detinendos. Sed rurſum oravit, idem repetens: reverſuſque, qui vigilare juſſerat, qui conſopitos objurgaverat, ait, *Dormite jam & requieſcite.* Poſt orationem frequentem, poſt diſcurſus recurſuſque multiplices, metum demit, ſecuritatem reddit, in re- F quiem adhortatur, voluntatem Patris jam de nobis ſecurus exſpectat, dicens, *Fiat voluntas tua:* quia tranſiturum in nos calicem bibens, infirmitatem corporis noſtri, & timoris ſollicitudinem, & ipſum dolorem mortis abſorberet. Quòd autem ad eos revertens, dormienteſque

℣. 45.

[a] Excuſi, *tranſeunte.* Magis placet cum mſſ. *tranſeuntis*, puta pœnæ aut cujuſlibet rei.

[b] Beccenſis codex, *numquid non poſſibile pati Chriſtum:* interpolatoris operâ præfert particulam negantem. Non enim obſcurè hîc docet Hilarius fieri minimè potuiſſe ut non Chriſtus pateretur. Sed valet hîc explicatio S. Thomæ p. 3. q. 46. a. 2. ad 2um Præſulis noſtri verba ſibi objicientis, & ad ea reſpondentis hoc fieri non potuiſſe *ſuppoſitâ præſcientiâ & præordinatione Dei de paſſione Chriſti.* Ea quippe una hypotheſi tota Hilarii aſſertio nititur.

[c] Mſſ. Rom. Colb. & Carn. *non ut patiatur.* Par. *ut non patiatur.* Præferendum videtur cum aliis libris, *ut non patiantur:* cùm non ampliùs de Chriſto ſermo ſit, ſed de diſcipulis, quos cùm nolit Pater à paſſione liberos, eis ſaltem tribui Chriſtus rogat, ut in paſſione fortes ſint atque conſtantes.

[d] In ſex mſſ. *vi vinci:* abundat vocula *vi.*

[e] Plures mſſ. *non vigilent.*

[f] Hîc expunximus *ſi* auctoritate trium mſſ. cùm eadem particula etiam lib. 10. de Trinit. n. 37. abſit à mſſ.

[g] Mſ. Rom. *infirmabatur.* Alii ſex, *infirmamur.*

[h] S. Thomas 3. p. q. 46. a. 2. ad 2um hæc verba ſic aliter commemorat: *quia reparari niſi ex ejus paſſione non poſſumus:* minùs ad rem.

reperiens, primùm reversus objurgat, secundò A silet, tertiò quiescere jubet: ratio ista est, quòd primùm post resurrectionem dispersos eos & diffidentes ac trepidos [a] reprehendet: secundò misso Spiritu paracleto, gravatis ad contuendam Evangelii libertatem oculis, visitabit. Nam aliquandiu legis amore detenti, quodam fidei somno occupati sunt. Tertiò verò, id est claritatis suæ reditu, securitati eos quietique restituet.

CAPUT XXXII.

De Juda, qui erat unus de duodecim discipulis, veniente ad Jesum cum plurima turba ut eum traderet; de gladio quem jussit Petro convertere in locum suum.

Matth. 26. 47. ℣. 49.

1. Et *adhuc eo loquente* [b] *ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo plurima turba.* In his omnibus passionis est ordo. Sed in osculo Judæ hæc fuit [c] ratio: ut doceremur inimicos omnes, eosque quos sciremus desævituros in nos esse, diligere. Osculum enim ejus Dominus non respuit. Quod autem ait Judæ, *Fac quod facis* [d], traditionis suæ potestatem sub verbi hujus conditione permittit. Nam qui juris sui habebat adversùm traditores advocare [e] duodecim millia legionum Angelorum, longè faciliùs unius hominis & consiliis & artibus potuisset occurrere. Denique Pilato ait, Non haberes in me potestatem, nisi data tibi esset. Dat igitur in se potestatem dicendo, Fac quod facis: scilicet quia voluntatis crimen pro facti pensatur invidia, re perageret, quod voluntate [f] jam faceret.

In Christum nulla potestas nisi quam dedit. — ℣. 53. — Johan. 19. 11. — Johan. 13. 27. — ℣. 51.

℣. 51. 2. *Unus autem ex his, qui erant cum eo, gladium exserens, servo principis sacerdotum aurem abscidit:* ℣. 52. * *eique Dominus ait, Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim, qui gladio utuntur, gladio peribunt.* Ergo hic ipse jam judicatus est, quia gladio utens gladio interibit? Sed non omnibus gladio utentibus mors solet esse per gladium. Nam plures aut febris aut alius accedens casus absumit, qui gladio aut judicii officio aut resistendi latronibus necessitate sint usi. Igitur ab Apostolo servo principis sacerdotum auricula desecatur: populo videlicet F sacerdotio servienti, per Christi discipulum inobediens auditus exciditur, & ad capacitatem veritatis hoc quod erat inaudiens amputatur. Turba autem omnis adversùs Dominum gladiis armata processerat. Recondi gladium præcepit: quia eos non humano, sed oris sui gladio esset peremturus. Ceterùm si secundùm sententiam ejus omnis gladio utens, gladio perimeretur; rectè ad necem eorum gladius exserebatur, qui eodem utebantur ad facinus.

Qui gladio utens gladio peribit.

3. Reliqua verò gestorum ordinem habent. Falsi testes conquisiti: sacerdos ejus ipsius, in qua gloriabatur, legis ignarus, etiam sacra- ℣. 59. Sacerdotis confessio.
B mento an ipse Christus esset fidem quærens: quasi occultè de eo lex prophetæque loquerentur. Quin etiam is ipse Christum est confessus invitus, Domino dicente, *Tu dixisti*. Cu- ℣. 64.
jus majestate audita vestem sibi disscidit, ipsum Vestis discissio.
videlicet quo contegebatur velamentum legis abrumpens. In palmis verò atque sputis, ad ℣. 67.
consummandam hominis humilitatem, universa in eum contumeliarum genera exercebantur.

4. Diligenter autem contuendum est, qua Petri negatio.
C conditione Petrus negaverit: quamquam de hoc superiùs tractatum est. Nam primo ait, ℣. 70.
non se intelligere quid diceret: sequenti, non se ei adhæsisse: tertio verò, se hominem non ℣. 74.
nosse. [g] Et verè propè jam sine piaculo hominem negabat, quem Dei filium primus agnoverat: tamen quia ex infirmitate carnis vel ambiguus exstitisset, amarissimè flevit, recolens ℣. 75.
trepidationis istius culpam se nec admonitum potuisse vitare.

D 5. Traditur deinde Pilato gentium judici. Non enim judicari reus poterat ex lege, ipse sine dolo atque peccato. *Tunc videns Judas, qui* Matth. 27. 3.
eum tradidit, quoniam damnatus est, & cetera. Judas agens pænitentiam, pretium sanguinis Judæ pænitentia ementium arguit infidelitatem.
Christi reddidit sacerdotibus: ut licèt ipse venditi sanguinis justi auctor esset, tamen ementium infidelitatem ipsa professio vendentis argueret. *Qui responderunt, Quid ad nos? Tu vide-* ℣. 4.
ris. Professio audax atque cæca est. Emisse se E justi sanguinem audiunt, & extra judicii reatum futuros esse se credunt: cùm tamen dicendo, *Tu videris*, facinus ipsum in vendente constituant, contrà autem vendentis testimonio scelus ementium confirmetur. Secedens ℣. 5.
itaque suspendit se, damnato Christo. Ita mor- Judæ mors.
tis Judæ tempus est comparatum, ut sub passione Domini commotis infernis supernisque omnibus & revulsis, & in oblivionem officii sui universorum elementorum procuratione stupe- F factâ, nec inter mortuos visitaretur, nec inter vivos post resurrectionem haberet pænitentiæ facultatem.

6. De argenteis verò redditis, quia pretium ℣. 6.

[a] Ita mſ. Carn. cum Colb. Alii verò libri, *deprehendit*, & mox, *visitavit*.

[b] Adjecimus *ecce* auctoritate mſſ.

[c] Par. cum mſſ. Colb. Carn. & Rom. *hæc fuit traditio.*

[d] Editi hîc subjiciunt *citò*: refragantibus mſſ.

[e] Editi, *plus quàm duodecim legiones Angelorum.* Abest *plus quàm* ab omnibus mſſ. In tribus exstat, *duodecim millia legiones.* Vide Tract. Pſ. 54. n. 6. not. a.

[f] In pluribus mſſ. *jam fecerat*: rectiùs in aliis libris, *quod faceret*, hoc est, quod jam facere significatur his verbis, *quod facis.*

[g] Ita Ambrosius l. 10. in Luc. n. 82. *Et bene*, inquit, *negavit hominem, quia sciebat Deum.* Hujusmodi interpretationem notare videtur Hieronymus in Matth. c. 26. *Scio*, inquit, *quosdam pio affectu erga apostolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent, Petrum non Deum negasse, sed hominem: & esse sensum, Nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quàm frivolum sit, prudens lector intelligit: sic defendunt Apostolum, ut Deum reum faciant.* Ambigi tamen potest an in Hilarium cadat Hieronymi reprehensio. Dicens quippe Christum à Petro, qui primus eum confessus erat Deum, hominem jam quodam modo negari potuisse, non tam illum excusat, quàm excusandi affectum demonstrat. Non vult illum sine piaculo, sed tantùm negandi rationem specie veritatis non carere asserit. Deinde Christum non facit mendacii reum, qui Petrum verè negasse, ac negando culpam incurrisse non diffitetur. Vide quæ observavimus ad Tract. Psal. 52. n. 12. Ad Ambrosium verò quod attinet, fatetur loco prædicto n. 87. se Petrum quidem benignè voluisse excusare, sed ipsummet Petrum se minimè excusare, immo peccatum ultro confiteri ac flere.

[a] sanguinis esset, neque in [a] corbanan, id est, in A oblationum pecunia admisceri liceret, consilio inito emitur ager figuli, & in sepulturam peregrinorum deputatur. Magnum in hoc prophetiæ sacramentum, [b] & in factis iniquitatis miraculi plena meditatio. Figuli opus est de luto vasa formare: cujus in manu sit, ex luto eodem vas aut idipsum aut pulcrius reformare. Agrum autem sæculum nuncupari, ipsis Domini nostri verbis continetur. Christi ergo pretio sæculum emitur, id est, universitas ejus ac- B quiritur, & in sepulturam peregrinorum atque inopum deputatur. Nihil hinc pertinet ad Israel, & totus hic sæculi emti usus alienis est: his videlicet, qui in pretio Christi sanguinis sepelientur, quo universa sunt emta. Omnia enim à Patre accepit, quæ in cælis & quæ in terra sunt: & ideo hic ager figuli est, quia Dei omnia sunt, cujus in manu sit, nos ut velit tamquam figulus reformare. In hoc igitur agro Christo commortui & consepulti, hujus pere- C grinationis nostræ æternam requiem sortiemur. In cujus rei fidem Jeremiæ prophetia subditur, ut in facti istius opere tantò antè divinæ vocis auctoritas ostenderetur.

Æmtio agri figuli de pretio Christi plena mysteriis. b

Matth. 13. 38.

Matth. 28. 18.

ỳ. 9.

ỳ. 11. Cur sacerdoti *Tu dixisti*, Pilato *Tu dicis*, responsum est.

7. Interroganti autem Pilato, an ipse esset rex Judæorum, respondit, *Tu dicis.* Sed quàm diversus sermo est, qui fuerat ad sacerdotem? Illi enim quærenti, an ipse Christus esset, dixerat, *Tu dixisti.* Hoc ideo, quia lex omnis venturum Christum prædicaverat, responde- D tur tamquam de præteritis sacerdoti, quia semper venturum Christum ex lege [c] ipse dixisset. Huic verò legis ignaro, interroganti an ipse esset rex Judæorum, dicitur, *Tu dicis:* quia per fidem præsentis confessionis salus gentium est, & quòd hoc de se ille qui antea ignorabat loquatur, quod hi negent qui antea loquebantur.

Matth. 26. 64.

c

E

CAPUT XXXIII.

De Pilato: cùm sederet pro tribunali, misit ad illum uxor sua, dicens, Nihil tibi sit & justo isti. *De transeuntibus juxta crucem qui movebant capita sua, & dicebant,* Hic est qui destruebat templum, & in triduum illud reædificabat. F

Matth. 27. 19. Pilati uxor, gentium plebs.

1. SEDENTE *autem Pilato pro tribunali, misit ad illum uxor sua, dicens, Nihil tibi sit & justo isti.* Species in ea gentium plebis est: quæ jam fidelis eum, cum quo conversabatur, incredulum populum ad Christi fidem advocat. Quæ quia ipsa multùm sit passa pro Christo, in eamdem gloriam futuræ spei illum cum quo conversabatur invitat. Denique Pilatus & manus lavit, & populo Judaico innocentem se à Domini sanguine esse testatus est: ỳ. 24. Lotio manuum Pilati.
quia Judæis suscipientibus in se ac filios suos ỳ. 25.
fusi dominici sanguinis crimen, quotidie in confessionem fidei ablutus gentium populus demigrat.

2. Offerenti verò Pilato, ut, secundùm sollemnis diei privilegium, quo unum ex reis, poscentibus dimitti oportebat, Jesum absolveret: ỳ. 17.
Barabban potiùs hortantibus sacerdotibus populus elegit. Interpretatio autem nominis Barabbæ est patris filius. Jam itaque arcanum futuræ infidelitatis ostenditur, Christo patris filium præferendo, antichristum scilicet hominem peccati & diaboli filium: potiúsque adhortantibus principibus suis eligunt damnationi reservatum, quàm salutis auctorem. ỳ. 20. & 21. Barabbas quid.

3. Cæso deinde Domino imponitur chlamys coccinea, & vestis purpurea, & corona spinea, & arundo dexteræ, & genu posito adoratus illuditur. ỳ. 28. Chlamys coccinea & purpurea.
Susceptis videlicet omnibus corporis nostri infirmitatibus, omnium deinde Martyrum, quibus regnum secum erat debitum, pretiosanguine in cocci colore perfunditur: purpuráque prophetarum ac patriarcharum, in purpura, honore vestitur. Spinis quoque, id est, compungentium quondam peccatis gentium coronatur: ut ex rebus perniciosis atque inutilibus, quæ capiti ejus, id est, Deo circumdata [d] moliuntur, gloria quæreretur peccatorum. ỳ. 29. Corona spinea. d
Est enim aculeus in spinis, ex quibus Christo victoriæ corona contexitur. In calamo verò, earumdem gentium infirmitas atque inanitas manu comprehensa firmatur. Calamus in manu. ỳ. 30.
Quin etiam capiti ejus [e] illiditur. Capiti, ut opinor, de ictu calami non grandis injuria est: sed typica in eo ratio servatur, ut infirmitas gentilium corporum manu Christi antea comprehensa, etiam in Deum patrem, quod caput ejus est, acquiescat. In his autem omnibus Christus dum illuditur adoratur. in capite.

4. Procedentes autem, homini cuidam Cyrenensi lignum passionis imponunt. Indignus enim Judæus erat Christi crucem ferre: quia fidei gentium erat relictum, & crucem accipere & compati. ỳ. 32.
Locus deinde crucis talis est, ut positus in medio terræ, & tamquam in vertice hujus universitatis insistens, ad capessendam Dei cognitionem universis gentibus esset æqualis. ỳ. 34. f
Oblatum quoque vinum felli [f] admixtum bibere recusavit: non enim æternæ gloriæ incorruptioni peccatorum amaritudo miscetur. Vestis ỳ. 35.

[a] Sic mss. juxta græcum κορβανᾶν, ubi in vulgatis *corbanam.*
[b] Editi, *& in factis & in dictis miraculi* &c. reluctantibus mss.
[c] Editi, *ipse didicisset.* Veriùs mss. *ipse dixisset*, nimirum in persona legis, quæ retroactis temporibus Christum constanter prædixit.
[d] In pluribus mss. *molliuntur* : quæ lectio sibi magis cohærere primùm videbatur. In mentem etiam venerat, *moriuntur.* At postmodum duximus retinendum *moliuntur*, hoc est, peccata spinis repræsentata, non jam fiunt perniciosa & inutilia, sed operantur, nimirum gloriam. Tum apud Lips. & Par. vocabulum *peccatorum* à verbo *quæreretur* puncto discretum, cum subsequentibus *est enim* copulabatur, renitentibus Bad. Er. & mss. in quorum nonnullis exstat, *Est autem aculeus.* Nonnihil perplexum hunc Hilarii locum illustrat Ambrosius lib. 10. in Luc. n. 105. *Corona quoque de spinis capiti ejus adnexa, quid aliud quàm divini operis munus ostendit, quòd de peccatoribus mundi, tamquam sæculi spinis, triumphalis gloria Deo quæreretur?*
[e] Par. cum mss. Rom. Colb. & Carn. *inditur.* Ex aliis libris revocamus *illiditur* : maximè cùm in Psal. 143. n. 16. legatur, *Iniqua dextera est, cùm palmis cædit, cùm virgis laniat, cùm calamo collidit.*
[f] In duobus mss. *felle* : & paulo pòst, *incorruptio*, non *incorruptioni.* Tum *peccatorum amaritudo*, id est, amaritudo quæ peccatorum pœna est. Unde Ambrosius lib. 10. in Luc. num. 124. ad mentem Hilarii, *Sinceritati*, inquit, *non debuit amaritudo misceri, ut ostenderetur sine amaritudine immortalitas resurgentium futura.*

verò ejus sorte potiùs divisa quàm scissa, man-
suram incorruptionem corporis indicabat.

Latronum situs quid repræsentet.
5. Atque ita in ligno vitæ, cunctorum salus
& vita suspenditur: cui duo latrones, lævæ ac
dexteræ affiguntur, ([a] & ideo cum eo, ut in-
a telligi posset mors hominum à morte Unigeniti
Luca 23. 33. discrepare: ille enim reddidit spiritum sponte
cùm voluit, istis crura sunt comminuta.) om-
nem humani generis universitatem vocari ad
sacramentum passionis Domini ostendentes. Sed
quia per diversitatem fidelium atque infidelium
fit omnium secundùm dexteram sinistramque
Ibidem 43. divisio; unus ex duobus ad dexteram situs, fi-
dei justificatione salvatur. Additur etiam illud
ỳ. 40. opprobrium, quo se ipse Israel infidelitatis ar-
gueret, cùm dicitur: *Hic est qui destruebat tem-
plum Dei, & in triduum illud reædificabat*, &
b reliqua. [b] Non erat difficile de cruce descen-
c dere: sed sacramentum erat [c] paternæ volunta-
tis explendum. Sed majora opera in cruce posi-
tus agebat, totius commotione naturæ: hoc
igitur maximum omnium, & veluti difficilli-
mum ponitur? Quid ergo veniæ erit, cùm
ỳ. 44. post triduum reædificatum Dei templum in
corporis resurrectione cernetur? Quòd autem
latrones ambo conditionem ei passionis expro-
brant; universis etiam fidelibus scandalum cru-
cis futurum esse significat.

Triduum mortis Christi.
6. Nox autem ex die, divisio temporum est.
Ita enim tertius dierum trium totidemque no-
ctium numerus expletur: & occultum divinæ
operationis mysterium totius creationis stupore
d sentitur. [d] Clamor verò ad Deum, corporis
Derelictio Christi à Deo. vox est, recedentis à se Verbi Dei contestata
dissidium. Denique cur relinquatur exclamat,
ỳ. 46. dicens, *Deus Deus meus quare me dereliquisti?*
Sed relinquitur; quia erat homo etiam morte
ỳ. 48. peragendus. Quin etiam hoc, quòd per cala-
Aceti potati mysterium. mum datum in spongia acetum cùm potasset,
ỳ. 50. proclamans spiritum reddidit, diligenter est
contuendum. Vinum & honor est immortali-
tatis & virtus, quod per vitium aut incuriæ aut

A vasis inacessit. Hoc igitur cùm in Adam coa-
cuisset, ipse accepit & potavit ex gentibus. In
calamo enim ex spongia ut potaret offertur,
id est, ex corporibus gentium vitia corruptæ
æternitatis accepit; & in se atque immortali-
tatis [e] communionem ea quæ in nobis erant vi- e
tia transfudit. Denique in Johanne, post quàm Johan. 19.
perpotaverat, dixit, Consummatum est: quia 30.
[f] omne vitium humanæ corruptionis hausisset. f
Et quia nihil agendum esset extrinsecùs [g], spi- ỳ. 50.
B ritum cum clamore & voce magna emisit: do- g
lens non omnium se peccata [h] portare. h

7. Et deinceps velum templi scinditur: quia ỳ. 51.
exinde populus est divisus in partes, & veli Quæ Christi mortem
honor cum custodia Angeli protegentis aufer- consecuta
tur. *Movetur terra*: capax enim hujus mortui sunt.
esse non poterat. *Petræ scissæ sunt*: omnia enim
tum valida & fortia penetrans Dei verbum &
potestas æternæ virtutis irruperat. *Et monumen-* ỳ. 52.
ta aperta sunt: erant enim mortis claustra [i] re- i
C serata. *Et multa corpora sanctorum dormientium
surrexerunt*: illuminans enim mortis tenebras,
& infernorum obscura collustrans, in sancto-
rum ad præsens conspicatorum resurrectione
mortis ipsius spolia detrahebat. Ut autem in-
fidelitatis facinus Israeli accumularetur; cen-
turio & custodes hanc totius naturæ per- ỳ. 54.
turbationem contuentes, Dei filium confi-
tentur.

8. Quòd autem à Joseph rogato Pilato ut ỳ. 58.
D corpus redderet, & sindone involvitur, & in Sepultura
monumento novo in petra excisa reponitur, Christi.
& saxum monumenti ostio advolvitur: quam- ỳ. 59. & 60.
quam sit ordo gestorum, & sepeliri eum esset
necesse, qui resurrecturus esset ex mortuis; ta-
men non sine rerum aliquarum momento ex-
pressa sunt singula. Joseph Apostolorum habet
speciem: & idcirco quamquam in duodecim
Apostolorum numero non fuerit, discipulus
Domini nuncupatur. Hic munda sindone cor-
E pus involvit. Et quidem in hoc eodem linteo
reperimus de cælo ad Petrum universorum Act. 10. 11.

[a] Apud Bad. Er. Lips. & in quinque mss. desunt, quæ intra parenthesim comprehenduntur.

[b] Rursum in iisdem editis & scriptis quatuor versus sequentes desiderantur, ab hinc scilicet usque ad verba, *hoc igitur maximum*, ubi habent, *hic igitur maximum*.

[c] Apud Par. *patientiæ voluntatis*: reluctantibus mss. ex quibus hi versus primùm vulgati sunt.

[d] Multi ob hunc locum existimant Hilarium sensisse, carnem Christi morientis à Verbi divinitate fuisse separatam. At cùm lib. 8. de Trin. n. 13. de Christo affirmet, *Naturam nostræ carnis jam inseparabilem sibi homo natus assumsit*; cùm etiam lib. 9. num. 11. acriter contendat, quòd caro spoliata, & carne se spolians, & corpus à mortuis excitans, unus & idem Christus sit; cùm denique lib. 10. n. 59. &c. non minori contentione disputet adversùs Christi divisores, unum & eumdem esse Christum qui & in sepulcro jaceat, & in cælo regnet; æquius est ut hæc eum illæsa substantiali Verbi cum carne conjunctione dixisse existimemus. Hoc igitur ita dixerit, ut cùm Verbum virtute sua valeret corpus à morte protegere, illud dereliquerit, cui non adfuit, ut mortem ab eo arceret. Sic suprà c. 3. n. 2. Christus ut esuriret, *hominem naturæ suæ dereliquisse* prædicatur: quod de substantiali Verbi separatione ac derelictione nemo dictum intellexerit. Deinde sententia, à qua Hilarium stetisse quidam opinantur, hoc fidem pulsat, quòd non verè mortuus sit Dei filius, si à carne ante mortem secesserit. At quàm integra sit ea illius fides, planum est ex his lib. 3. de Trin. n. 15. *Dei filius crucifigitur: sed in cruce hominis mortem Deus vincit. Christus Dei filius moritur: sed omnis caro vivificatur in Christo. Dei filius in inferis est: sed homo refertur ad cælum.* Ex quibus patet eum sensisse, Dei filium neque in morte à carne, neque in inferis ab anima fuisse separatum. Porro in his, *Clamor verò ad Deum, corporis vox est* &c. *corporis* nomine totus homo potest intelligi: quemadmodum lib. 3. de Trin. num. 16. cùm de verbis Christi, *Clarifica me Pater apud temetipsum* &c. subjicitur, *Hæc carnis deprecatio est*, vocabulum *carnis* ad totum hominem refertur. Si autem totus homo etiam secundùm animam à Filio Dei ante mortem desertus fuit, in inferis non fuit Filius Dei. Notatu dignum est, quòd in Psal. 141. n. 6. hæc verba, *Deus meus*, non de Christo homine ad Verbum, sed de Filio ad Patrem interpretetur in hunc modum: *Cùm proclamat, Deus meus, quare me dereliquisti? in his non est infirmitatis suæ confessio, sed paternæ virtutis prædicatio.* Qui plura volet, adeat specialem ea de re dissertationem in generali præfatione §. 4.

[e] Ita mss. Rom. Colb. & Carn. Clariùs repeteretur præpositio *in* ante *immortalitatis*. Alii verò libri, *communione ea quæ in nobis erant vitiata*. In eadem verba Ambrosius loco laudato num. 124. *Vitium corruptæ per Adam immortalitatis aboletur in calamo, ut de corpore absorberetur humano. Nos quoque vitia nostra per incuriam mentis corporisque concreta transfundamus in Christum.*

[f] Vocabulum *omne* non exstat in quinque mss. Retinemus tamen cum sincerioribus, hoc postulante verbo *consummatum est*, & Ambrosio consentiente num 125. ubi habet: *Consummata sunt omnia, eo quòd assumtæ mortalitatis impletum esset omne mysterium, & exhaustis omnibus vitiis, immortalitatis sola lætitia remansisset.*

[g] quo nimirum invitus amitteret spiritum, quem quia nulla vi externa potuit amittere, volens emisit. *Quod enim emittitur, voluntarium est; quod amittitur, necessarium*, inquit Ambrosius lib. 10. in Luc. n. 127. Subinde apud Bad. Er. Lips. & in quinque mss. *cum clamore vocis magnæ*.

[h] Editi, *potare*: renitentibus mss.

[i] Par. cum mss. Colb. Carnut. & Rom. *reseranda*. De resurrectione sanctorum, qui tum Jerosolymis visi sunt, vide observata pag. 39. not. d.

animantium genera summissa. Ex quo fortè non superfluè intelligitur, sub lintei hujus nomine consepeliri Christo Ecclesiam : quia tum in eo, ut in confusione Ecclesiæ, mundorum atque immundorum animalium fuerit congesta diversitas. Domini igitur corpus tamquam per Apostolorum doctrinam infertur in vacuam & in novam requiem lapidis excisi : scilicet in pectus duritiæ gentilis quodam doctrinæ opere excisum Christus infertur, rude scilicet ac novum, & nullo antea ingressu timoris Dei pervium. Et quia nihil præter eum oporteat in
℣. 60. pectora nostra penetrare, lapis ostio advolvitur : ut quia nullus antea in nos divinæ cognitionis auctor fuerat illatus, nullus absque eo postea inferatur. Metus deinde furandi corporis, & sepulcri custodia atque obsignatio, stultitiæ atque infidelitatis testimonium est : quòd signare sepulcrum ejus voluerint, cujus præcepto conspexissent de sepulcro mortuum suscitatum.

Matth. 28. 2. Resurrectio die Dominica.

9. Motus verò terræ tempore matutino, diei dominici resurrectionis est virtus : cùm contuso mortis aculeo, & illuminatis illius tenebris, resurgente Virtutum cælestium Domino, infernorum trepidatio commovetur. Angelus autem Domini de cælo descendens, & lapidem revolvens, & sepulcro adsidens, misericordiæ Dei patris insigne est, resurgenti filio ab inferis Virtutum cælestium ministeria mittentis.
℣. 6. Angelus ejus index primus cur. ℣. 9. Atque ideo prior ipse resurrectionis est index, ut quodam famulatu paternæ voluntatis resurrectio nuntiaretur. Sed confestim Dominus mulierculis per Angelum adhortatis occurrit, & consalutat : ut nuntiaturæ exspectantibus discipulis resurrectionem, non Angeli potiùs quàm Christi ore loquerentur. Quòd verò (Cur primùm mulierculæ ejus consciæ.) primùm mulierculæ Dominum vident, salutantur, genibus advolvuntur, nuntiare Apostolis jubentur; ordo in contrarium causæ principalis est redditus : ut quia à sexu isto cœpta mors esset, ipsi primùm resurrectionis gloria & visus & fructus & nuntius redderetur. Emi-
℣. 12. & 13. tur verò à custodibus, qui omnia hæc viderant, argento resurrectionis [a] Christi silentium, & mendacium furti : honore scilicet sæculi & cupiditate, [b] quia in pecunia honor ejus est, Christi gloria denegatur.

☞ 1. [c] Principes verò sacerdotum, qui debuerant converti ad pænitentiam, & Jesum quærere resurgentem, perseverant in malitia : & pecuniam, quæ ad usus templi data fuerat, vertunt in redemtionem mendacii, sicut antè triginta argenteos * Judæi dederant proditori. (* Hieron. Judæ.) Omnes igitur, qui stipe templi, & his quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt Scribarum & sacerdotum, redimentium mendacium & sanguinem Salvatoris.

2. *Undecim autem discipuli ejus abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus.* ℣. 16. Post resurrectionem Jesus in monte & Galilæa conspicitur, ibique adoratur, licèt quidam dubitent, & dubitatio eorum nostram augeat fidem.

3. Tum manifestiùs ostenditur Thomæ : & latus lanceâ vulneratum, & manus fixas demonstrat clavis. ℣. 18. *Accedens Jesus locutus est eis dicens, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Illi potestas data est, qui paulò antè crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui mortuus jacuerat, qui postea resurrexit. In cælo autem & in terra potestas data est : ut qui antè regnabat in cælo, per fidem credentium regnet in terris. ℣. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.* Primùm docent omnes gentes, deinde doctas intinguunt aquâ. Non enim fieri potest, ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi antè anima fidei susceperit veritatem. Baptizantur autem *in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti* : ut quorum est una divinitas, sit una largitio; nomenque Trinitatis unus Deus est.

℣. 20. 4. *Docentes eos servare omnia quæcumque mando vobis.* Ordo præcipuus : jussit Apostolis, ut primùm universas docerent gentes, deinde fidei tingerent sacramento, & post fidem ac baptisma, quæ essent observanda præciperent. Ac ne putemus levia esse quæ jussa sunt & pauca; addidit, *Omnia quæcumque mandavi vobis* : ut qui crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præcepta sunt. *Et ecce ego vobiscum sum * usque ad consummationem sæculi.* (* mss. addunt, omnibus diebus.) Qui usque ad consummationem sæculi cum discipulis se futurum esse promittit, & illos ostendit semper esse victuros, & se numquam à credentibus recessurum. Qui autem usque ad consummationem mundi sui præsentiam pollicetur, non ignorat illam diem, in qua scit se futurum cum Apostolis.

[a] In sola edit. Par. *resurrectionis Christi. Principes verò*, omissis intermediis. His similia sunt illa Tract. Ps. 68. n. 23. *Quatenus silentium resurrectionis pecuniâ emerint.... cognitum est* : & in Ps. 2. n. 12. *Qui resurrectionis silentium à militibus, & famam furati corporis emerant*, &c.

[b] In mss. Colb. & Carn. desiderantur sequentia hujus num. verba.

[c] Quod sequitur, primùm vulgatum est in editione Parisiensi an. 1605. & ut quidem conjectamus, ex ms. nunc Colb. quem unum tunc recensitum fuisse, facilè intelligere est. Exstat etiam ad calcem ms. Carnut. sed altero & recentiore charactere. Hîc adsutum est ex Commentario Hieronymi, primis dumtaxat verbis mutatis; adeo ut positum sit, *Principes verò sacerdotum*, ubi apud Hieronymum est, *Illi verò*. Nec latet voluisse quempiam hunc Hilarii Commentarium ad postrema usque Matthæi verba perducere.



IN

IN LIBROS DE TRINITATE
PRÆFATIO.

I. Temporis *dispendium facere meritò judicaretur, qui in his libris auctori suo vindicandis illud consumeret. Quamvis enim eos Athanasio adscriptos quondam viderint Philippus bonæ Spei Abbas & Johannes quidam ipsius æqualis & amicus; illos tamen ab Hilario profectos esse ex castigatioribus membranis postmodum agnoverunt. Qua etiam in re tanto consensu sibi concinit priscorum temporum omnis ætas, ut nihil certius, nihil exploratius à majoribus acceperimus. Propter hos præsertim libros eam Hilarius apud omnes cùm Latinos tum Græcos promeruit scientiæ, fidei, & eloquentiæ laudem, ut, quod valde rarum, etiam ab adversariis ejus iidem libri summopere fuerint commendati. Sic enim ex vulgi fama testatum reliquit Sozomenus lib. 3. cap. 14.* Hilarii autem libros de fide, etiam ab iis qui contrariam tuebantur catholicæ fidei opinionem, admodum commendatos esse prædicant. Hi libri Athanasio adscripti. Quantam Hilario laudem pepererint.

II. *Non ita constans est veterum in iis inscribendis consensio. Hieronymus de Script. eccl. in Marcello & Hilario, vetus Codex canonum Ecclesiæ Romanæ c. 41. & Ado Viennensis in Chronico eos* contra Arianos *inscribunt. Eosdem* de fide *appellant alii longè plures numero, & auctoritate non inferiores. Quos inter præcipui sunt Rufinus lib. 1. hist. c. 31. Cassianus lib. 7. de Inc. c. 24. Leo Papa epist. aliàs 97. c. 3. Patres Concilii Calchedonensis Act. 2. p. 357. Theodoretus Dial. 2. p. 106. Leontius Byzant. lib. 1. contra Nestorium & Eutych. ubi Hilarium ut ex Nicænæ Synodi Patribus unum falsò commendat. Neque alio eos titulo laudant Alcuinus contra Felicem lib. 4. Ratramnus Corb. Spicil. t. 7. p. 335. Johannes Diaconus Commentario nondum vulgato in Pentateuchum, & Hincmarus de prædestin. cap. 25. Quibus apertè suffragatur Oratio olim inter sacro-sancta Missæ sacrificia in Natali S. Hilarii legi solita, in qua habetur :* Deus, qui infusus corde beati Hilarii antistitis, quasi de tuo templo, FIDEI responsa dedisti *&c. Quò etiam alludere videtur & benedictio in perantiquo Pontificali Ecclesiæ Ebroicensis ad Kal. Nov. in Natali S. Hilarii prænotata :* Sit apud te pro nobis exorator, qui tunc contra hæreticos pro te adstitit assertor : ut te retribuente populus crescat innumerus, quod sudavit IN FIDE sacerdos, *&c. At apud Cassiodorum lib. 1. instit. c. 16.* de Trinitate *inscriptos eos videre est, consentiente Fortunato lib. 1. vitæ S. Hilarii, juxta quos à Philippo abbate* de fide sanctissimæ Trinitatis *appellantur. Libros eosdem laudat Augustinus epist. 180. n. 3. & lib. 6. de Trinit. cap. 10. sed à titulo indicando utrobique abstinet. Eos quoque ab Ambrosio tritos fuisse persuademur vel ex primis ipsius de fide libris, in quibus plura ad horum Hilarii librorum imitationem expressa identidem advertimus. Quamvis enim ea in proprium stilum converterit; adhuc tamen apparet unde delibata sint. At cùm pro more ne eum quidem nominet, è cujus lucubrationibus profecit; nihil ab eo habemus, unde nobis constet quod quæritur. Nisi fortè dicamus eum etiam suum* de fide *titulum ab Hilario assumsisse. Quamquam hunc ipsi quodam modo præscripsisse videtur Imperator Gratianus.* Non una ratione ab antiquis inscribuntur.

III. *Neque ex antiquis exemplaribus quidquam magis certi statui queat. In vetustioribus si quidem desideratur inscriptio, quæ in aliis* de Fide, *in aliis* de Trinitate, *in Vindocinensi* de fide sanctæ Trinitatis adversùs Arianos, *quibus in Remigiano additur,* vel ceteros hæreticos, *in Telleriano autem* de Trinitate contra omnes hæreses *prænotatur. Sed insignis præ ceteris in Corbeiensi atque altero è Sorbonicis hæc habetur epigraphe :* Hîc insunt libri Hilarii episcopi numero XII. quos in exsilio conscripsit, missus (*scil.* in exsilium) ab hæreticis Arianis propter deitatis unitatem Domini Jesu Christi cum Patre. Beatissime presbyter Barbario in Christo Jesu Domino nostro utere felix. In hoc non magis consentiunt mss.

cum omnibus tuis. Fides, spes, caritas maneat in cordibus nostris. *Eamdem paucis mutatis inscriptionem præ se fert Pratellensis codex, in eoque pro*, felix cum omnibus tuis, *legere est*, felix curationibus tuis. *Nonnullam in expendendo titulo operam ponimus, de inscriptione ipsa non tam solliciti, quàm ut inde consilium auctoris exploratum habeatur.*

Illos *de fide* inscribere licet.

IV. *Etsi non apparet prima fronte cur hoc Opus* de fide *inscriptum sit; si tamen propiùs inspiciatur totius Operis ratio, non displicebit titulus satis congruens cum iis libris, in quibus Filii & Patris consubstantialitas, præcipuum fidei nostræ caput ac fundamentum, ubique propugnatur; quique ad hoc maximè sunt suscepti, ut ea fides, in qua renati sumus, illæsa & integra teneretur. Neque sanè probabile videtur, tot tamque diversos scriptores græcos ac latinos in eamdem inscriptionem conspirare potuisse, nisi ab ipsomet auctore instituta esset. Conjecturæ huic plurimùm favet, quòd lib. 1. n. 16. Hilarius ipse testatur se ad hos libros scribendos animum appulisse, ut eos compesceret*, qui evangelicæ fidei corrumpunt sacramentum. *Immo num. 34. totius Operis sui studium* in insinuanda maxima & gravissima totius fidei intelligentia *ponendum esse declarat. Unde lib. 10. num. 5.* totius fidei demonstrationem *vocat, quidquid eò usque disseruit. Quid verò sibi velit* evangelicæ fidei sacramentum, *cap. 13. in Matth. n. 6. explicat his verbis:* Quamquam ad fidei sacramentum, id est, ad Patris & Filii & Spiritus-sancti unitatem, *&c. Ubi* fidei sacramentum *idem sibi esse significat, quod* Trinitatis mysterium. *Mittimus interim singulare in iis libris haberi patrocinium fidei. Eò namque statim perducitur liber primus, ut in Dei rebus non humano sensui, sed Dei ipsius de se testimoniis credendum esse quisque persuadeatur. Tum liber tertius in id unum niti videtur, ut ad capiendas res divinas hominem infirmitatis suæ convincat, doceatque nullum ei esse nisi in fide præsidium. Quod quidem rursum quarto, quinto, aliisque libris sæpe numero inculcatur.*

Quomodo sint contra omnes hæreses.

V. *Hinc non immeritò* contra omnes hæreses *dicti fuerint, in quibus non modò omnium generatim hæreseon caput ac principium, quo cuique fidem intra sensus sui fines concludere, & ad placita propria Scripturas detorquere permittunt, passim profligatur atque retunditur; sed & Arii, Photini, veterumque hæreticorum Hebionis, Valentini, Manichæi, Hieracæ, Sabellii jam tum propagatæ confutantur blasphemiæ; immo etiam prævertuntur nondum excitatæ Apollinarii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, Sacramentariorum, &c. Deinde cùm Athanasius epist. ad Epictetum Synodum Nicænam vocet* τρόπαιον κατὰ πάσης αἱρέσεως, *cúmque hujus Synodi Symbolum* contra omnes hæreses *inscriptum in veteribus exemplaribus legere sit; eodem propè jure hi fidei ejusdem vindices libri titulo eodem insigniri meruerunt.*

In Arianos potissimùm intenti sunt.

VI. *Fatendum tamen est eos potissimùm contra Arianam sectam fuisse conscriptos. Consilium suum declarat Hilarius ipse lib. 1. n. 17. ubi de Arianis, quorum nomini parcere solet, sermone habito statim subjicit*, Horum igitur furori respondere animus exarsit. *Neque illud libri septimi exordium*, Septimus hic nobis adversùm novæ hæreseos vesanam temeritatem liber scribitur, *aliud sibi vult, nisi ut indicet in unam Arianam hæresim hactenus disputatum esse. Ac ne superfluis probationibus diutius immoremur, sufficiat illud lib. 10. num. 8. ubi Hilarius ad finem hujus Operis licèt vergens, cum unis tamen iisdemque hæreticis, quorum* stultissimis professionibus *huc usque respondérit, sese rem habuisse testificatur. Non enim obscurum est quas vocet stultissimas professiones, cùm Arii ac sociorum ejus epistolam ad Alexandrum missam, in qua perfidiam suam consignarant, libris quarto & sexto totam describat, & in ea refellenda tum in iisdem libris tum in sequentibus totus occupetur. Quò spectat illa tituli pars, quam præ se fert exemplar Vindocinense:* In hoc codice B. Hilarii quartus in ordine liber manifestissimè hæreticorum pandit fallacem doctrinam. Idem ipsam illam perfidiæ eorum expositionem, quibus Ecclesiæ fidem nitebantur infirmari, ex eorum libris delatam præfatus Doctor in suo inseruit volumine: scilicet ut callidis propositionibus eorum agnitis, legis & prophetarum atque evangelicorum testimoniorum responsionibus eorum vesanam doctrinam destrueret, & fidem Ecclesiæ firmiùs roboraret.

VII. *Non minori quidem conatu adversùs Sabellii, quàm adversùs Arii commenta videtur contendere: sed hoc tantùm agit, ut Arianos efficaciùs configat, quos, ut ipse notat lib. 10. n. 5. validissimis licèt rationum momentis conterere frustra conaretur, quàm diu in se vel levissimam relinqueret Sabellianæ labis suspicionem.* Sub specula enim, *inquit*, omnium hæreticorum ad occasiones singulorum verborum in os meum pendentium loquor. *Sed pendentibus licèt ita omnem de se detrahendi occasionem se sustulisse confidit, ut lib. 10. n. 5. dicere non timeat:* Eam quoque nunc secundùm sancti Spiritus donum temperavimus totius fidei demonstrationem, ut ne quid ementiri saltem adversùm nos criminis possent.

Ut efficaciùs confutentur, simul refellitur Sabellius.

VIII. *Quamvis autem totum hoc Opus contra Arianos scriptum ultro concedamus; ægre tamen dabimus inscriptum* contra Arianos. *Quis enim credat Hilarium, qui ab Arianis ex nomine designandis de industriâ abstinet, illud in ipsa librorum fronte inscripsisse? Vix enim bis Arii, semel Ariomanitarum vocabulum lib. 6. ex ipsius calamo excidit: aliàs verò prorsus parcit sectæ nomini. Hæc modò* [a] nova hæresis, *modò* [b] novella nunc hæresis, *nunc* [c] nostri temporis infidelitas *appellatur. Hujus verò auctores similiter tectis verbis vocitari audias, aut* [d] non veri Dei prædicatores, *aut* [e] aliquos nunc hujus temporis prædicatores, *aut* [f] præsentes hæreticos, *aut* [g] dissimilem Patri Filium prædicantes, *aut* [h] novi Christi prædicatores, *vel etiam* [i] creaturæ prædicatores; *nusquam* Arianos.

Libri scripti contra Arianos, *contra Arianos* non sunt inscripti.
[a] *Lib. 7. n. 3.*
[b] *Ibid. n. 6.*
[c] *Lib. 12. n. 27.*
[d]
[e] *Lib. 2. n. 4.*
[f] *Lib 7. n. 6.*
[g] *Ibidem.*
[h] *Lib. 11. n. 4.*
[i] *Lib. 1. n. 26.*

IX. *Sicut cùm sollerter cavit, ne favere Sabellio videretur, egregium dedit prudentiæ specimen; ita hac agendi ratione singularem patefecit animi moderationem. Quam quidem longè clariùs testatam facit, cùm totis illis libris pravam Arianorum doctrinam convellere contentus, in nullum nominatim invehitur. Alicubi enim audies mala deflentem, quibus tum misere per eos afflictabatur Ecclesia: at vel unius eorum, per quos illa tam injustè patiebatur, nomen prodentem frustra exspectaris. Semel lib. 10. incidit mentio exsilii sui, sed injuriæ sibi illatæ velut immemor, quærit potiùs unde de eo gratuletur, quàm unde queratur. Neque cuiquam videri debet huic moderationis proposito adversari, quòd Arianam hæresim non* novellam *modò, sed &* furentem *&* impiam *frequens cognominet. Certis enim notis indicanda erat, cujus nomen proprium tacebatur. Vulgò autem* furentem *illam cognominabant, cum nefaria illius indole conveniente nominis ratione. Ut enim ait Gregorius Nazianz. Or. 21. n. 3.* Ἄρειος τῆς μανίας ἐπώνυμος: *ac rursum Or. 29. n. 4. hanc sectam vocat* τὴν Ἀρείου καλῶς ὀνομασθεῖσαν μανίαν, *hoc est*, à furore rectè cognominatam. *Quidni etiam* impia *à temperante dicta sit, quæ à dilecto Filio Patrem optimum separabat? Denique Hilarius ipse sibi conscius quàm moderatè iis libris ac toto exsilii sui tempore se gessisset, ubi adversùs Constantium scribendi quadam necessitate se constrictum vidit, libere contestatus est* nihil *à se hactenus* in tempora maledictum, nihil in eam, quæ tum se Christi Ecclesiam mentiebatur.... famosum ac dignum impietate ipsorum scripsisse aut locutum esse. *Non igitur sine causa crediderimus eum, qui ita affectus erat, lucubrationes suas* contra Arianos *minimè inscripsisse.*

Hilarius moderationem suam his libris patefecit.

Lib. in Const. n. 2.

X. *Minùs constat an non* de fide *eas nuncuparit. At inscriptioni huic quamvis, ut superiùs ostensum est, multa faveant, iisque accedat exemplum Ambrosii, qui libros à se contra Arianam sectam scriptos* de fide *compellavit; cùm tamen non vera sit, nisi quatenus fidei nomine Trinitatis mysterium significatur; nulla succurrit ratio satis gravis, ut antiquum & à multis jam sæculis receptum* de Trinitate *titulum immutemus: huic præsertim suffragante Fortunato, cujus auctoritas eo pluris omnibus facienda, quo ipsummet Hilarii autographum vidisse potuit. Si enim illius ætate pii Præsulis ad Abram epistola* Pictavis tenebatur pro munere conservata, *quanto magis insignes illi libri? Titulum eumdem confirmant liturgicæ preces in annua B. Hilarii sollemnitate legi consuetæ, quæ etiamnum in duobus Ecclesiæ S. Gatiani Turonensis codicibus ab annis saltem 800. exaratis asservantur: in uno quidem ad primam Novembris diem, in altero autem ad decimam-tertiam Januarii. Sic porro habent:* Deus, qui venerabilem B. Hilarii Confessoris tui

Inscriptio *de Trinitate* retinenda.

atque Pontificis festivitatem sollemniter recurrentem populo tuo dedicasti, cujus lingua in sæculo pro SANCTÆ TRINITATIS æqualitate sic tonuit, ut mundi hujus principem miles tuus prosterneret, *&c. Exstat eadem Oratio Kal. Novemb. adsignata in Sacramentario Regiæ bibliothecæ not. 3865. annos circiter 900. præ se ferente, in quo Symbolum Nicænum habetur sine additione* Filioque.

Titulo huic quî satis fiat.

XI. *Certè Hilarius ipse quodam modo videtur festinare ut titulum hunc impleat, cùm in asserenda vera Trinitatis fide & in disserendo singillatim de Patre, Filio & Spiritu-sancto librum secundum totum consumit, quem propterea lib. 1. n. 22.* brevem demonstratæ Trinitatis Sermonem cognominat: *ut non immeritò libri 4. initio profiteatur, se se* fidem & confessionem Patris & Filii & Spiritus-sancti *superioribus libris sufficienter tradidisse. Et deinceps quidem ad defendendam Patris & Filii consubstantialitatem, de qua pæne omnis erat controversia, diligentiùs incumbit: propositi tamen sui non immemor, ad scopum titulo præscriptum ante Operis finem revertit, & librum XII. non concludit, nisi propugnata totius Trinitatis, ac nominatim Spiritus-sancti divinitate. Hîc non videntur tacenda, quæ ad dicti libri XII. argumentum in primo scribit, se nimirum vitiosas & irreligiosas de Spiritu-sancto prædicationes ad hoc amovisse,* ut illæsum atque incontaminatum regenerantis TRINITATIS sacramentum intra definitionem salutarem apostolica atque evangelica auctoritas contineret; neque jam per sensus humani sententiam Spiritum Dei inter creaturas quisquam auderet referre, quem ad immortalitatis pignus & ad divinæ naturæ consortium sumeremus. *Ex his enim palam fit, cum hisce libris* regenerantis Trinitatis sacramentum *defendere voluisse*, ut nihil de totius fidei (*in baptismo susceptæ*) absolutione deesset.

Lib. 1. n. 36.

Spiritum-sanctum Deum non nominari perperam notat Erasmus.

XII. *Erasmo hîc non succensere vix sustinemus, de docto Præsule nostro, & antiquis Patribus in præfatione sua perinde scriptitanti, ac si Spiritus-sancti divinitatem asserere formidassent. Hos quidem Spiritus-sancti cultores facit, sed ita, ut simul in animum inducat aut eos coluisse quem non certò cognoscerent Deum, aut non ausos esse ore vel scriptis confiteri quod animo crederent. Neque novæ sunt Erasmi argutiæ. Longè ante illum Gregorio Nazianzeno teste Or. 37. n. 52. objecerant Pneumatomachi, nusquam se in Scripturis reperire Dei nomen Spiritui-sancto adscriptum. Et Basilium quidem laudat idem Præsul Or. 20. n. 100. quòd eorum disputationi nonnihil cedens, quos benignè ad veritatem reducere peroptabat, in libris de Spiritu-sancto ab ea voce, à qua abhorrebant, pro tempore consideratissimè abstinuerit, dum interim* in aliis vocibus è Scriptura petitis, testimoniisque minimè dubiis eamdem vim habentibus, necessariisque argumentis adversarios ita comprimebat, ut nullo modo repugnare ac contrà niti possent. *Aliàs verò tum privatis, cùm publicis sermonibus Spiritum-sanctum Deum dicere numquam eum dubitasse testificatur.*

Deus ab antiquis & in Scripturis appellatur.

XIII. *Longiùs à scopo aberraret oratio, si quotquot ex antiquis idipsum asseruerunt, hîc recensere aggrederemur. Unum itaque sit omnium instar illud Tertulliani testimonium lib. adversùs Praxeam n. 13.* Duos quidem definimus Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu-sancto, secundùm rationem œconomiæ quæ facit numerum; ne, ut vestra perversitas infert, Pater ipse credatur natus & passus, quod non licet credi, quoniam non ita traditum est. Duos tamen Deos & duos Dominos numquam ex ore nostro proferimus: non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & SPIRITUS-SANCTUS DEUS, & Deus unusquisque *&c. Neque etiam concedendum Spiritum-sanctum in Scripturis minimè Deum nuncupari. Ambrosius lib. 3. de Spiritu-sancto c. 9. aliud probatt præsertim ex verbis Petri Act. 3. 3. &c. quibus ait primò,* Anania, cur implevit satanas cor tuum ad mentiendum Spiritui-sancto; *ac deinde subjicit,* Non es mentitus hominibus, sed Deo.

Nugatur qui cùm rem habeat quærit rei nomen.

XIV. *Sed quidquid sit de hac disputatione, quod prædictis hæreticis litteram non Spiritum sapientibus respondit Gregorius Or. 37. n. 56. nunc in promtu est in Erasmum retorquere, quem tamen Pneumatomachis ita in hac argutandi ratione comparamus, ut nullo pacto comparatum velimus in fide. Illos porro Gregorius nugari docet, qui relictis*

rebus syllabas consectantur, quique audientes ea in Scripturis Spiritui-sancto attribui, quæ non consentanea sint nisi Deo, adhuc quærant ubi illud Dei *nomen ei adscribatur. Quid enim interest, utrùm* decem, *an* bis quinque, *utrùm* homo, *an* ratione præditum & mortale animal *dicantur? Sanè quibus placebit hæc Gregorii ratio, ii non inani scrupulo tribuendum existimabunt, quòd Hilarius Spiritus-sancti vocabulo Dei nomen non adjiciat. Hoc potiùs ita factum crediderint, quia ipsammet Dei naturam vel solo Spiritûs nomine intelligere soleat. Neque verò dubium est eum externo illo litterarum sono expressius aliquid scriptis suis consignasse, quo Spiritus-sancti divinitatem commendaret.*

Cur Spiritui-sancto Dei nomen Hilarius non attribuat.

XV. *Ac primò quidem quoties inculcat, quod sæpius facit, verbis baptismi Filium indicari & credi Patri consubstantialem, toties Spiritum-sanctum utrique pariter consubstantialem esse profitetur. Non enim baptismi verba Filium magis quàm Spiritum-sanctum unius cum Patre naturæ ac substantiæ esse significant. Sed & cap. 13. in Matth. n. 6. disertè declarat, quòd* in Patre & Filio & Spiritu-sancto *absque ullo causæ externæ subsidio, quæ fermenti in morem eos copulet atque conjungat,* omnia unum sint. *Sic lib. 2. de Trin. num. 28. Patrem & Filium & Spiritum-sanctum spectat velut aliquod totum, quod nullatenus separari queat.* Qui *enim, inquit nominatim de Spiritu-sancto,* confessioni Patris & Filii connexus est, non potest à confessione Patris & Filii separari. Imperfectum enim est nobis totum, si aliquid desit à toto. *Hinc in eodem lib. 2. n. 4. Arianorum doctrinas ut novas & humano ingenio confictas notat, quòd* dissolvant perfecti hujus sacramenti veritatem, dum substantias diversitatum IN REBUS TAM COMMUNIBUS moliuntur. *Hoc igitur à Deo traditum, & in Ecclesia semper creditum existimavit, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum res communes esse, neque in eis haberi substantiarum diversitates. Ita verò persuasum ei erat Patri consubstantialem esse Spiritum-sanctum, ut unam Patris & Filii esse substantiam lib. 9. n. 72. hinc demonstret, quòd Spiritus-sanctus, ut ex iis quæ Patris sunt, ita & ex iis quæ sunt Filii, suam accipiat.* Non enim, *inquit ibi,* de creaturis sumebat Spiritus-sanctus. *Sumebat igitur de Creatore. Ut enim habet Ferrandus Diaconus epist. ad Anatolium,* Omnis res aut Deus est, aut creatura: si Deus est, creatura non est; si creatura est, Deus non est. *Quia porro noster Hilarius Spiritum sanctum de Deo Creatore substantiam suam sumere certò sciebat; magno etiam studio laboravit, uti ex libro 1. num. 36. audivimus, ne quisquam eum* inter creaturas *auderet referre. Ei quippe videbatur absurdum, ut incorruptæ ac divinæ naturæ non esset, quem* ad immortalitatis pignus & ad divinæ naturæ consortium sumeremus. *Qui plura volet, adeat librum 12. n. 54. &c. ubi Spiritus-sanctus ejusdem cum Patre naturæ, virtutis ac substantiæ esse luculenter adstruitur.*

Dei in eo naturam constanter prædicat.

XVI. *Unum dumtaxat ex eo loco proferimus argumentum, petitum ex verbis Apostoli,* Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei. *Ex quibus ad Patrem conversus, sic eum cum magna Spiritus-sancti reverentia alloquitur:* Nulla te nisi RES TUA penetrat: nec profundum immensæ majestatis tuæ, peregrinæ atque alienæ à te virtutis causa METITUR. TUUM EST, quidquid te init: neque alienum est, quidquid virtute scrutantis inest. *quasi diceret: Qui omnia etiam profunda Dei scrutatur, immensam majestatem metitur: non metitur autem nisi immensus & æqualis eidem majestati. Item: Qui scrutatur profunda Dei, internus sit necesse est ipsi Deo: internum autem ei non est, quidquid alienum ab eo est, aut non ejusdem cum eo substantiæ. Confitendus est igitur Spiritus-sanctus immensus, & æqualis Deo, ejusdemque cum eo virtutis ac substantiæ. Breviùs, sed non minùs clarè id ipsum docet lib. 2. n. 31. cùm scribit Deum in Spiritu-sancto adorari, ubi in Spiritu adoratur; & ubi in Spiritu adoratur, jam non nisi* in semetipso *adorari.*

Luculentum de Spiritus sancti divinitate argumentum.

XVII. *Propter hæc aliaque tam clara ad probandam Spiritus-sancti divinitatem argumenta, hos libros nonnulli conscriptos volunt post exortam Macedonii hæresim, proindeque post annum 360. quo Macedonius Constantinopolitana Synodo episcopatu dejectus errorem suum disseminare cœpit. Nihil tamen inde necessariò conficitur. Quis enim nesciat, ut Filii, ita & Spiritus sancti divinitatem ab Ario labefactatam? Ipse in Thalia sua apud*

Ex dictis de Spiritu-sancto non sequitur hos libros post exortam Macedonii hæresim confectos esse.

Athanasium Or. 2. contra Arianos p. 312. divisas, & abunitas, & disjunctas, & alienas, & incommunicabiles esse Patris & Filii & Spiritus-sancti substantias *prædicat. Quem deinde perstringens Athanasius pag. 315.* Quomodo, *inquit*, de Spiritu-sancto rectè opinaretur, qui blasphemus est in Verbum quod Spiritum suppeditat? *Simili omnino ratione Hilarius noster lib. 2. n. 4.* Quid mirum ut de Spiritu-sancto diversa sentiant, qui in largitore ejus *(Verbo scilicet)* creando, & demutando, & abolendo tam temerarii sint auctores? *Quibus mox adjungit, Spiritum-sanctum ab illis nesciri, quia Filium* auctorem ejus *ignorant. An hæc, quæso, adversùs Macedonii fautores dixerit, qui de Verbo prava sentire non audiebant, quos ipse libro de Synodis laudavit ut qui veræ fidei revocandæ spem attulissent, quibus denique Constantinopoli post Concilium Seleuciense communionem non negavit suam, immo etiam ceterorum ex Galliis Episcoporum coacto Parisiis Concilio litteras obtinuit?*

Probabilius est contra Arianos, quàm contra Macedonianos, assertam esse Spiritus-sancti divinitatem.

XVIII. *Longè igitur probabilius est, Hilarium in iis, quæ de Spiritu-sancto differit, unos Arianos respexisse; quos non planè devicisse videretur, nisi etiam Spiritus-sancti divinitatem asseruisset. Sed quia Filii divinitate, ex eo quòd à Patre substantiam suam accipit, demonstratâ, consectarium erat Spiritum-sanctum, qui suam ab utroque sumit, neutri esse inferiorem; paucioribus hoc præstandum fuit, cùm illud pluribus confectum jam fuisset. Itaque quemadmodum Gregorius Nazianz. Or. 27. n. 1. Alexandrum Alexandrinum, cui nullum contra Macedonianos certamen fuerat,* magni Trinitatis propugnatoris & præconis *elogio donat, & antea Or. 21. num. 36. Athanasii ab Arianis, non à Macedonianis expulsi* fugam pro Trinitate & cum Trinitate susceptam *vocat: ita credibile est Patris & Filii & Spiritus-sancti æqualitatem ab Hilario adversùs Arianos, non adversùs Macedonianos fuisse propugnatam.*

Liber decimus est contra errores Apollinarii.

XIX. *Expendendum hîc venit, an non libro* x. *contra Apollinaristas disputetur: non enim repugnat magis libro duodecimo aliisve locis contra Macedonianos disceptari, quàm contra Apollinaristas decimo; cùm illorum princeps anno 360. horum autem non ante annum 361. prava sentire deprehensus sit. Negandum sanè non est, totum librum decimum scriptum esse adversùs errores, quorum auctor Apollinarius vulgò existimatur. Namque à num. 15. usque ad 23. magno studio defenditur, Christum verum ac totum hominem ex anima & corpore perfectum assumsisse; simulque eorum refellitur opinio, qui eumdem Dominum nostrum non modò carnem, sed & animam ab Adam propagatam suscepisse arbitrantur. Imperfectum autem hominem, ut ignorat nemo, à Christo susceptum prædicabat Apollinarius: qui etiam, ut Nemesius cap. 2. testis est, existimabat* animos ab hominibus gigni, ut à corporibus corpora; progredi enim ut propagationem primi hominis in omnes qui ex illo generantur. *Unde Monachi ab Apollinario ad Alexandrinum Concilium missi, ut à suspicionibus quibus adspersus erat se purgaret, profitentes* Verbum ex Maria hominem esse genitum, *non sine causa adjicere videntur,* quantum ad carnem attinet, *ne videlicet suspicio relinquatur, eos Christum ex Maria secundùm animam genitum sentire. Ex eodem Concilio Alexandrino apparet, Apollinarium insimulatum esse, quòd Verbum Domini ut in prophetis, ita & in Jesu fuisse crederet. Hæc porro opinio etiam notatur & exploditur prædicto num. 21. libri 10. quo deinceps per totum confutantur tum iidem illi errores, tum maximè impietas eorum, qui Christum in sua divinitate passum esse asserebant. Nihil autem apud Leonem & alios Patres sollemnius, quàm ut Apollinaristis hæc impietas attribuatur.*

Apud Athanasium epist. ad Antioch.

Errorum eorumdem auctores Ariani in eo refelluntur.

XX. *Æquè tamen affirmare liceat, nullum Hilario in his libris cum Apollinario conflictum fuisse, illumque de hoc hæretico ne quidem cogitasse. Et verò cùm Sirmiensi Concilio anni 351. damnatos legamus can. 8. qui prolativum verbum Filium Dei dicant; & can. 11. & 12. qui Verbum in carnem translatum, aut demutationem, corruptionem, & passionem, cùm crucifixus est Dei Filius, in sua divinitate sustinuisse prædicent; cùm etiam in generali præfatione §. 3. ex Theodoreto, Augustino, Gregorio Nazianzeno & Athanasio demonstraverimus Arianos animam Christo negasse, quò in ipsummet Verbum caderent tristitia, dolor, aliæque, quæ ipsi ut homini adscribuntur, infirmitates: cùm*

hæc, inquam, ita se habeant, perspicuum est Apollinaristas commentis illis, quæ ab Hilario lib. 10. confutantur, esse recentiores: ac sicut Eutyches, Leone teste epist. nunc 97. ad Monachos Palestinæ c. 2. & alibi, Apollinarii suscitavit errores; ita Apollinarium ab Arianis pravarum opinionum semina collegisse & disseminasse; nec proinde earum tam auctorem habendum esse, quàm fautorem. Si cui adhuc dubii aliquid supersit, an liber decimus adversùs Arianos scriptus sit, necne; ipsummet librum consulat, eosque ipsos, quibus in superioribus libellis responsum sit, in eo refutari audiet, cum hoc tamen temperamento, ut non jam quod omnes unanimi consensu, sed quod plerique eorum volunt, *excutiatur.*

XXI. *Sed quid moramur? Hoc Hilarii Opus in exsilio illius lucubratum, antiqui mss. fidem faciunt, ipse lib. 10. n. 4. conceptis verbis testatur: adeoque confectum fuerit necesse est ante annum 360. quo patriæ ac propriæ ecclesiæ redditus est, & perinde ante exortas Macedonii aut Apollinarii hæreses. Certè in patria ac propria ecclesia, quamvis absque exsilii indulgentia, jam manenti non congruunt hæc libri 10. verba:* Loquemur exsules per hos libros: & sermo Dei, qui vinciri non potest, liber excurret. *Ut enim hæc, quemadmodum vult nonnemo, eum nondum exsulem, sed ad exsilium animo dumtaxat paratum ac promtum dixisse vel scripsisse intelligamus, alia quæ illis proximè cohærent non permittunt. Quo autem exsilii anno animum ad hoc Opus appulerit, non constat. Veri tamen simillimum est eum non distulisse, quin illud susciperet.* Opus hoc in exsilio Hilarii conscriptum.

XXII. *Ex initio quarti libri perspicuum est, tres primos* pridem *ante subsequentes fuisse absolutos. Photini autem hæresim tunc temporis Hilario nondum notam fuisse hinc suspicamur, quòd commentum à Photino suscitatum libro 1. ad argumentum libri 7. proponens, ac lib. 2. n. 23. refellens, de hoc utrobique agit unius Hebionis nomine, non Photini: cujus, utpote recentioris, & perinde nocentioris, nomen potiùs exprimendum erat, quàm Hebionis. Contrà verò libro 7. jam doctior factus, argumentum, quod libro 1. adversùs Hebionem sibi proposuerat, ita prudens in Photinum retorquet, ut ne propositi immemor videatur, num. 3. & 7. consultò repetat Hebionem esse Photinum.* Tres primi libri pridem ante ceteros absoluti.

XXIII. *Hac ratione nonnihil prohibemur, quo minùs subscribamus Erasmo, qui librum, nunc ordine primum, auctori postremum nemine hactenus repugnante asseruit. Movet nos præterea, quòd Hilarius ipse quarti libri initio testetur, se anteriores libellos, sine exceptione, pridem conscripsisse: ac deinde num. 2. apertè indicet, scriptum jam fuisse librum primum, cùm ad quartum manus admovit; sic enim habet:* Atque hæc sicut PRIMO LIBELLO testati sumus, nunc quoque idcirco à nobis commemorata sunt *&c. Neque solùm libro quarto, sed etiam nono num. 10. in memoriam revocat, quæ lib. 1. à se tractata sint.* Non deest unde primus putetur scriptus, qui primus est.

XXIV. *Si quid autem inde conficitur, Antistes doctissimus laudem non meretur minorem ob amplitudinem ingenii, quo tot ac tanta ab ipso Operis sui exordio complexus sit, quàm ob acumen, quo in tam abstrusa penetrarit. Ex his etiam sequitur, tres saltem priores libros ante librum de Synodis, in quo de gestis in Photini condemnationem fusè disserit, fuisse compositos. Cùm autem hæc adversùs Photinum gesta diu latere non potuerint in Oriente degenti, hinc conjectare est Hilarium in lucubrandis tribus prædictis libris prima exsilii sui otia dedisse. Nisi fortè quis malit, eos ab illo etiam ante hoc tempus, hoc est, ante medium annum 356. scriptos fuisse, ita ut exsilio tum interveniente nonnihil retardatus sit, ne alios prosequeretur. An ceteris quoque libris posterior censenda sit prædicta de Synodis lucubratio, non ausim affirmare, quod tamen licet opinari. Hoc verò maneat, ita Opus intermissum fuisse, ut pius Confessor adhuc in exsilio detentus decimum librum peregerit.* Quædam inde confectaria ad laudem auctoris & tempus Operis.

XXV. *Si Gregorio Turonensi fidem habere quis volet, non modò totum hoc Opus in exsilio absolutum, sed etiam inde ad Constantium ab Hilario missum credat necesse est. Non enim aliud indicare videtur lib. 1. hist. Franc. c. 38. ubi ait:* Beatissimus Hilarius Pictavensis episcopus suasu hæreticorum exsilio deputatur: ibique libros pro fide catholica scribens Constantio misit. *Hoc quippe de libellis ad Constantium loqui non* An illi libri ad Constantium ab Hilario sint missi.

intelligendus est, quorum unum ante exsilium misit Hilarius, alterum non misit, sed ipse Constantio dedit. Verumtamen conjectare licet, Gregorium confudisse quod pro fide catholica Confessor strenuus & fecit libros illos conscribendo, & tentavit libellis Constantio aut missis aut datis audientiam deprecando.

Barbario presbyter.

XXVI. *Rationem tituli expendentes, necdum diximus quis sit ille presbyter Barbario, cujus nomen in Corbeiensi aliisque duobus codicibus adscriptum reperimus; isne fuerit, ad quem Hilarius ipse autographum destinarit, an ad quem apographum longè post Hilarium alter vel sponte sua, vel rogatus miserit. Hoc postremum significatur his ms. Pratellensis verbis*, utere felix curationibus tuis. *Ex antiquitate autem Corbeiensis codicis, quem in Aquisgranensi bibliotheca ab Hincmaro & Alcuino consultum fuisse ad lib. 2. n. 27. ostendemus, planum est Barbarionem illum Caroli-Magni temporibus non esse inferiorem. Cùm autem hujus nomen absit à mss. aliis, quis illum Hilario existimandum putet æqualem?*

Quibus causis ad scribendum adductus sit Hilarius.

XXVII. *Porro ipse non Barbarione, non aliquo alio suasore, sed caritate sola & episcopalis officii necessitate urgente se ad scribendum permotum fuisse declarat lib. 6. n. 1.* Ac mihi quidem, *inquit*, præter officii mei necessitatem, qua hoc Ecclesiæ episcopus prædicationis evangelicæ debeo ministerium: tamen eo propensior cura ad scribendum fuit, quo magis plures periculo infidelis intelligentiæ detinebantur, uberius gaudium consectans ex salute multorum, si cognitis sacramentis perfectæ in Deum fidei, impia humanæ stultitiæ instituta desererent, & se Deo redderent. *Hunc locum aliosque non attendisse convincuntur, qui cùm velint plurimos non mala fide hæresim amplexatos, clementiam erga illos in Hilario desiderant. Eos certè, qui Arii partibus errore & ignorantiâ favebant, apprime distinguere noverat ab illis, qui in eadem hæresi pravo quodam voluntatis affectu detinebantur. Et horum quidem malitiam ac sensûs pravitatem non sine horrore & indignatione cogitabat: at singulari in illos misericordiâ commovebatur. Sed quia utrisque subvenire cupiebat, utrisque scripsit.*

Quid de Arianorum affectione sentiebat.

XXVIII. *Scripsit enim & propter magistros nequitiæ vel corrigendos, vel saltem refellendos: scripsit & propter eos, quos illi deceperant, erudiendos. Illorum cùm emendationem perdifficilem prævideret, quia, inquit lib. 6. num. 11. ab ipsis* & ratio intelligentiæ non quæritur, & deinceps ab intelligente intimata non capitur; *refutationem & facilem propter ipsorum imprudentiam, & propter simplices necessariam existimabat. De ceteris verò spes ei longè alia erat, de quibus eodem in loco subjicit:* Sed si quos amor Dei & intelligentiæ ignoratio, NON IMPIETATIS VOLUNTAS per stultitiæ sensum detinuerit in errore; spero ut ad emendationem proclives sint, cùm impietatis studium absolutæ veritatis sit demonstratio proditura. *Hac spe nonnihil recreatus superiùs aiebat*, Uberius gaudium consectans ex salute plurimorum, si cognitis sacramentis perfectæ fidei impia humanæ stultitiæ instituta desererent, & se Deo redderent.

Effecit his libris ne sana doctrina cum sanctis exsularet.

XXIX. *Neque verò propter Arianos solùm aut refellendos aut emendandos, sed & propter fideles instruendos, has lucubrationes aggressus est; ut nimirum exsulantium Doctorum quodam modo vicariæ essent, & quos ipse præsens nequibat, absens doceret per illas firmaretque.* Licèt, *inquit lib. 10. n. 4.* nunc à multis coacervantibus sibi secundùm desideria sua magistros sana doctrinâ exsulet; non tamen à sanctis quibusque prædicationis veritas exsulabit: loquemur enim exsules per hos libros, *&c. Triplicem illam scribendi causam lib. 2. n. 5. paucis ita perstringit:* Extorquetur nobis hoc velle, dum & audaciæ resistitur, & errori consulitur, & ignorantiæ providetur.

De Trinitate verba facere illicitum putat. * Lib. 2. n. 2. Ibid. n. 5.

XXX. *Non igitur sponte, aut aliquo suadente, ad verba de sancto Trinitatis mysterio facienda prosilivit: sed tam necessariis ad utilitatem Ecclesiæ causis hæc ei voluntas extorta fuit. Ei nimirum persuasum erat illud * sola fide, sola mentium religione oportuisse contineri, quod* extra significantiam sermonis est, extra sensûs intentionem, extra intelligentiæ conceptionem. *Quocirca cùm de tanto mysterio sermonem inire illicitum ac vitiosum putaret, ad hanc se necessitatem adactum lib. 2. pluribus ingemiscit:* Compellimur

Compellimur, *inquit n.* 2. hæreticorum & blaſphemantium vitiis illicita agere, ardua ſcandere, ineffabilia eloqui, inconceſſa præſumere: *& mox*, Cogimur ſermonis noſtri humilitatem ad ea quæ inenarrabilia ſunt extendere: & in vitium vitio coartamur alieno.

XXXI. *Unde ad illud pertractandum eo animo accedit, ut & prius veniam pro delicto deprecetur, nec de ſe ſpondeat quidquam, niſi ſupplendum eſſe per fidem ſuam, quod ſermoni defuturum non ambigat. Sic enim ibid. n. 5. habet:* Sed nos neceſſitatis hujus ab eo qui hæc omnia eſt veniam deprecantes, audebimus, quæremus, loquemur: &, quod ſolùm in tanta rerum quæſtione promittimus, ea quæ erunt ſignificata credemus.

Quo animo hoc Opus aggreditur.

XXXII. *Neque enim incerta, aut trepida, aut vulgaris fuit illius de occultiſſimo Trinitatis myſterio fides. Hanc perſpicuè adeo in Scripturis aſſertam videbat, ut hæreticorum duces, quibus illæ ignotæ non erant, ſic haberet, quaſi qui ex pertinacia & pravo impietatis ſtudio apertæ reſiſterent veritati. Hinc eſt illud lib. 12. n. 48.* Non habet ſaltem impietas veniam, ut prætendat impietatis errorem: *quod verbis aliis frequens inculcare conſuevit. Ipſe verò tam altè eamdem fidem animo imbiberat, ut à vita faciliùs quàm ab illa ſeſe divellendum confideret.* Hæc enim ego ita didici, ita credidi, & ita confirmatæ mentis fide teneo, ne aut poſſim credere aliter, aut velim. *Quibus lib. 6. n. 20. verbis ſimilia ſunt hæc n. 21.* Ab his ego quæ teneo edoctus ſum, his immedicabiliter imbutus ſum: & ignoſce omnipotens Deus, quia in his nec emendari poſſum, & commori poſſum. *Quocirca libello 2. ad Conſtantium enixè rogans ut de fide coràm diſputans audiretur*, Non tam mihi, *inquit n. 8.* rogo audientiam, quàm tibi atque Eccleſiæ Dei. Ego enim penes me habeo fidem, exteriore non egeo: quod accepi teneo, nec demuto quod Dei eſt.

Quanta illius de hoc myſterio fides.

XXXIII. *In his habemus tam conſtantis fidei rationem: quia nimirum adhæſit antiquæ traditioni, neque ex iis quæ acceperat, quidquam demutavit. Contrà verò hæreticorum doctrinam, vel propter novitatem, reſpuendam ac veritatis expertem lib. 6. n. 21. lepidè probat in hunc modum:* Tardè mihi hos impiiſſimos, quantum ego arbitror, doctores ætas hujus nunc ſæculi protulit: ſerò hos habuit fides mea, quam tu erudiſti, magiſtros. Inauditis ego nominibus his in te ita credidi, per te ita renatus ſum; & exinde tuus ita ſum.

Unde illius tàm conſtans, hæreticorum verò tam dubia fides.

XXXIV. *Quam autem è Scripturis hauſerat fidem, Scripturis explicat, primùm quidem propheticis, tum evangelicis, ac demum apoſtolicis. Ad quas intelligendas aptiſque verbis enarrandas eo ſe ſpiritu donari enixè* rogat, quo primùm afflati ſunt prophetæ & Apoſtoli ad eas edendas. Hinc varios inter timores ne verbo offenderet; lib. 7. n. 3. mentem confirmat ac ſerenat his verbis:* Non meis, ſed apoſtolicis ſcando gradibus. *Sed & quàm ſecurè Scripturis ducibus ſcandat, libro ſuperiore n. 20. luculentiùs oſtendit, ubi recenſens quibus auctoribus credidiſſet, & num bene his Arianos doctores anteferret proponens, quamdam ex divinis Scriptoribus, quos ſequitur, perpetuæ traditionis catenam contexit. Verùm quia hæretici etiam ſe Scripturis niti gloriantur, eam illis fiduciam eripere curat, cùm eos ipſos Scripturæ locos, quibus abuti ſolent ad deſtruendam fidem, prudenter adhibet ad eam adſtruendam;* ut illic veritas reperiatur, ubi negatur, *inquit lib. 11. n. 7. ubi deinceps ſibi præſtandum monet, quod hactenus ſe præſtitiſſe confidit. Eodem in loco num. 6. libris ſuperioribus ſe docuiſſe declarat, omnes Arianorum fraudes & errores hinc oriri, quòd* diſpenſationem aſſumti corporis rapiunt ad contumeliam divinitatis, *& duplicem Chriſti naturam diſtinguere aut neſciunt, aut nolunt. Quocirca ut & errores radicitus amputentur, & inanes cadant hæreticorum technæ & fallaciæ; magno in id ſtudio incumbit, ut demonſtret Chriſtum & Deum verum eſſe, dum natus ex Deo eſt, & perfectum hominem, dum ei eſt partus ex Virgine; ut cum veritate corporis ſubſiſtat in natura Dei, & cum Dei natura maneat in corporis veritate.*

Fidem Scripturis aſſertam iiſdem locis defendit, quibus impugnatur.

* Lib. 1. n. 38.

Unde Ariani decipiantur, aut decipere tentent.

Lib. 11. n. 6.

XXXV. *Veremur ne, dum præclari Operis occaſionem, cauſas, tempus, rationem, ſcopumque indagamus, moleſtè ferat lector in ipſo limine ſe diutius detineri. Tempus eſt*

Unde Cassiodorus tredecim libros dixerit.

ut non jam stillas quasdam Hilarianas delibare, sed pleno ore de immenso doctrinæ profundo potare permittatur. Nonnulla tamen adhuc restant paucis explicanda. Ac primò eximendus scrupulus, quem Cassiodorus de div. instit. c. 16. injicit, ubi tredecim Hilarii de Trinitate libros recenset. Nec nos diutius distinere debet libri illius decimi tertii inquisitio. Haud dubiè enim libris de Trinitate adjungit librum de Synodis, qui in ms. Colbertino ab annis ut minimùm mille exarato, necnon in Germanensi & altero Colbertino prædictis libris cohærens Liber XIII. *inscribitur.*

Illorum stilus, qui cum libris Quintiliani consentiat.

XXXVI. *Ceterùm Hilarius ipse in duodecim tantùm libros totum Opus suum distribuit, & ab Hieronymo epist. 84. ad Magnum propter hunc præsertim duodenarium numerum memoratur* duodecim Quintiliani libros stilo imitatus esse & numero. *Excepta enim quadam subtilitatis affectatione, quæ Quintiliano quodam modo peculiaris est, horum librorum stilum eruditi judicant absimilem esse Quintiliani. Quamquam ut Quintiliano affectatam demus illam subtilitatem, Hilario tamen ex naturali ingenii acumine, non ex affectatione profectam arbitramur. Neque debet offendi quisquam, si de mysteriis nostris nobiscum sentiens, verbis aliis, quàm quibus modò utimur, cogitationes suas aliquando enuntiet. Ipse enim primus è Latinis contra Arianos scribens, voces nobis præscribere potuit, non potuit à nobis recipere. Ut tamen in assequenda ipsius sententia minùs laboraremus, prudenter cavit ne illam una ratione explicaret. Hinc sanè non ad vanam eloquentiæ ostentationem nata est ea qua utitur verborum copia: nimirum cùm de Deo magnificentissimè sentiret, nullis umquam verbis satis expressisse existimabat quod sentiret. Ita tamen sermo fusus est in verbis, ut densus sit in sententiis. Ut enim notavit Augustinus, brevitati studuit. Longè autem magis studuit ordini. Quo inspecto nonnulli eruditi facile factu judicarunt, ut singuli libri in diversa capita distribuerentur, idque lectori commodum fore, si cuique capiti summatim prænotatum haberet quod in eo tractatur. Nihil negligendum rati unde lectoris labor sublevaretur, hoc non reliquimus intentatum: sed experti sumus non sine aliqua confusione præstari à nobis posse, quod ab Hilario minimè præstitum est. Aliâ tamen viâ provisum est quod volebant. Quippe libros in plures numeros partiti, paucis verbis, quantum per marginem licuit, conati sumus comprehendere quod in iis disseritur.*

Aug. lib. 6. de Trin. c. 10.

XXXVII. *An simile quidquam in fronte cujusque libri præponeremus, diu hæsimus. Cùm enim Hilarius ipse in primo libro totius Operis sui synopsim ediderit; anceps erat ac dubius animus, an de nostro novam aliquam cuique præponendam cuderemus, an potiùs ex primo repeteremus, quod ad unumquemque pertinet, aut etiam eò mitteremus lectorem, quò summatim conspiceret, quod in unoquoque copiosiùs disputatur, an denique satis haberemus describere brevia quædam argumenta, quæ ad limbum mss. Corbeiensis & Pratellensis ab antiqua manu in fronte cujusque libri proposita sunt. Sed hæc breviora sunt visa, quàm ut sufficientem dicendorum notitiam parere valerent. Hilariana autem synopsis plerumque est prolixior: & qui illius loquendi modis nondum satis assuefacti sunt, desiderarent fortasse ut simplicioribus locutionibus expositâ cujusque libri summâ ad Hilariani sermonis intelligentiam via ipsis sterneretur. Neque hunc in nobis laborem suscipere gravati sumus. At ne quidquam ex veterum studiis pereat, argumenta quæ in mss. Corbeiensi & Pratellensi singulis libris, primo tantùm excepto, præfixa sunt, hîc in unum collata exhibemus.*



SUMMA LIBRORUM SEQUENTIUM E DUOBUS MSS.

I. *Liber, qui totius Operis est veluti proœmium solus in prædictis mss. epitome caret.*

II. *Omne sacramentum divinæ generationis edocet, absolutissimè demonstrans & Trinitatis & nominum veritatem; ita ut neque non ipsa sit veritas nominis, neque non nomen sit veritatis.*

III. *Omnem difficultatem dicti, quo Dominus ait,* Ego in Patre, & Pater in me, *multis exemplis ad intelligentiæ fidem coaptat: ita ut neque non credendum de se Deo sit; neque opinandum, extra rationem fidei esse intelligentiam potestatis.*

IV. *Hæreticorum doctrinam exponit. Deinde omnibus legis ac prophetarum testimoniis demonstratis, perfidiam eorum ita revincit, ut unum Deum sine Christo Deo & confiteri, & non cum eo prædicare perfidiæ sit.*

V. *Contra omnes hæreticorum professiones congreditur, quibus unum Deum secundùm legem, ad adimendam Domino Christo nativitatem, & proferentibus & prædicantibus ita respondet, ut uno vero Deo patre ex lege & prophetis prædicato & fides unius Dei maneat incorrupta, & non negetur nativitas.*

VI. *Omnes impias & fraudulentas hæreticorum assertiones, Valentini scilicet, & Sabellii, & Manichæi & Hierachæ apertissimè pandit. Sic enim singulorum correptis in melius verbis occurrit, ut nec commune esse cum damnatis hæreticis quidquam patiatur, nec Filium Dei secùndùm & Patris testimonium, & suam professionem ignorandum esse cuiquam permittat.*

VII. *Contra Sabellium & Hebionem & hos non veri Dei prædicatores congreditur, quorum inter se diversas perfidiæ quæstiones conferendo, quantum intersit inter sanam & inviolabilem fidei nostræ doctrinam absolutissimè demonstrat. Sic namque causas singulorum generum ex Evangeliis excerptas prosequitur, ut nec professio nostra tacuerit Dei filii potestatem, nec potestas non exseruerit naturam, nec natura non suæ nativitatis sit, nec nativitas non sui sit nominis.*

VIII. *Totus in unius Dei demonstrationem detentus est, non auferens filio Dei nativitatem, sed neque per eam duûm deorum divinitatem introducens. Deinde quibus modis hæretici veritatem Dei patris & Dei filii, quia negare non possunt, eludere nituntur, edocet. Sic etiam cetera prosequitur, ut & in Patre Filius intellectus, & Pater in Filio cognitus, unigeniti Dei nativitas &* perfecta in eo deitas in omni manifestetur veritate.*

* Ms. Corb. *perfecti.* Confer breviarium Hilarii lib. 1.

IX. *In repellendis hæreticorum fraudibus totus digestus est: quibus corrupto depravatoque sensu ex dictorum dominicorum professionibus ad infirmandam unigeniti Dei divinitatem resistentibus ita respondet, ut omnibus dictorum causis ex his ipsis vel interrogationum vel temporum vel dispensationum generibus demonstratis, non pertineat ad contumeliam veræ divinitatis, quod ad sacramentum fidei evangelicæ sub dispensatione & temporis & nativitatis & nominis prædicatur.*

X. *Universa quæ per stultæ intelligentiæ sensum ad contumeliam divinæ in Domino Jesu Christo naturæ virtutisque hæretici rapuerunt, impiissimè ab iis intellecta esse demonstrat, magisque à Domino ad protestationem veræ & perfectæ in se majestatis esse memorata, nihil etiam inexploratum aut tacitum, quod ad sacramentum animæ corporisque Domini Jesu Christi pertinet derelinquens, sed fidem dictorum universorum absoluta evangelici mysterii prædicatione confirmat.*

XI. *Primùm ex dictis apostolicis demonstrat, non modò non ad divinitatis infirmitatem subjectionem proficere, sed per eam ipsam, veritatem Dei qui ex Deo sit natus ostendit. Deinde omnibus evangelicis atque apostolicis testimoniis edocet semper Patrem & semper Filium, & non post aliqua Deum omnium, sed esse ante omnia: sic verò natum esse filium, ut & semper fuisse manifestet, & sit in eo non innascibilitatis exceptio, sed nati-*

vitatis æternitas ; ita ut nativitas habeat auctorem, & non careat æternitate divinitas.

XII. *Totus ad repellendas hæreticorum occasiones intentus est, quibus, per id quod scriptum est,* Dominus creavit me initium viarum suarum, *contradicentibus,* Erat quando non erat, *&*, Non fuit ante quàm nasceretur, *&*, De non exstantibus factus est, *ita respondet, ut semper Patrem, semper Filium, & non post aliqua Deum omnium, sed ante omnia esse doceat: & ita semper fuisse Filium, ut & natum esse prædicet, & semper fuisse manifestet, ut in eo non * innascibilitatis sit exceptio, sed nativitatis æternitas: ita ut & nativitas habeat auctorem, & non careat æternitate divinitas.*

* mss. *nascibilitatis*, malè, uti planum est ex lib. I. n. 34.





SANCTI HILARII PICTAVENSIS EPISCOPI DE TRINITATE LIBRI * DUODECIM.

* Circiter an. 356. inchoati.

LIBER PRIMUS.

In quo Hilarius, positis philosophorum de beatitudine ac de Deo sententiis, è Scripturis tum veteribus, tum maximè ex Johannis Evangelio veriorem ac sublimiorem Dei notitiam, certioremque immortalitatis spem nobis præberi declarat. Deinde ex parta Scripturis Dei cognitione observat summam illius majestatem humani ingenii vires superare, nec attingi posse nisi fide; hincque natas hæreses, quòd infinitatem illius intra sensus sui finem concludere voluerint. Duas præsertim, Arianam videlicet & Sabellianam, impugnandas proponit. Denique quo animo sacra Dei verba legi debeant, quave ratione quod ipse de Deo locuturus est excipi velit, lectore præmonito, librorum suorum ordinem & argumenta præmittit, huncque humillima ac fide plena ad Deum prece concludit.

In otio & opulentia non est nisi beluina felicitas.

1. IRCUMSPICIENTI mihi proprium humanæ vitæ ac religiosum officium, quod vel à natura manans, vel à prudentum studiis profectum, dignum aliquid hoc concesso sibi ad intelligentiam divino munere obtineret, multa quidem aderant, quæ opinione [a] communi efficere utilem atque optandam vitam videbantur, maximéque ea, quæ & nunc & semper antea potissima inter mortales habentur, otium simul atque opulentia, quod aliud sine altero mali potiùs materies, quàm boni esset occasio; quia & quies inops propè quoddam vitæ ipsius intelligatur esse exsilium, & opulens inquietudo tantò plus calamitatis afferat, quantò majore indignitate his careatur, quæ maximè & optata & quæsita sunt ad utendum. Atque hæc quidem quamquam in se summa atque optima vitæ blandimenta contineant, tamen non multùm videntur à consuetudine esse beluinæ oblectationis aliena: quibus in saltuosa loca ac maximè pabulis læta [b] evagantibus, adsit & securitas à labore, & satietas ex pascuis. Nam si hic optimus & absolutissimus vitæ humanæ usus existimabitur, quiescere & abundare; necesse est hunc eumdem, secundùm sui cujusque generis sensum, nobis atque universis rationis expertibus beluis esse communem: quibus omnibus, naturâ ipsâ in summa rerum copia & securitate famulante, sine cura habendi copia redundat utendi.

Ad alia natos se senserunt plerique homines.

2. Ac mihi plerique mortalium non ob aliam quidem causam hanc ineptæ ac beluinæ vitæ consuetudinem & respuisse à se, & coarguisse in aliis videntur, quàm quòd, naturâ ipsâ auctore impulsi, indignum homine esse existimaverunt, in officium se ventris tantùm & inertiæ natos arbitrari; & in hanc vitam non ob aliqua præclari facinoris aut bonæ artis studia

[a] Pervetustus codex Colbertinus cum Germanensi, communione: Fortè, communiore.

[b] In iisdem mss. vacantibus; quæ vox Hilarii menti, bestiarum scilicet otio designando, optimè congruit, sed non ita orationi.

esse deductos, aut hanc ipsam vitam non ad A aliquem profectum esse æternitatis indultam: ([a] quam profectò non ambigeretur munus Dei non esse reputandum, cùm tantis afflictata angoribus, & tot molestiis impedita, sese ipsa atque intra se à pueritiæ ignoratione usque ad senectutis deliramenta consumeret:) & idcirco ad aliquas se patientiæ & continentiæ & placabilitatis virtutes & doctrinâ & opere transtulisse, quòd bene agere atque intelligere, id demum bene vivere esse opinabantur: vitam B autem non ad mortem tantùm ab immortali Deo tribui existimandam; cùm boni largitoris non esse intelligeretur, vivendi jucundissimum sensum ad tristissimum metum tribuisse moriendi.

In Dei cognitionem ardet Hilarius.

3. Et quamquam non ineptam hanc eorum esse sententiam atque inutilem existimarem, conscientiam ab omni culpa liberam conservare, & omnes humanæ vitæ molestias vel providere prudenter, vel vitare consultè, vel ferre C patienter: tamen hi ipsi non satis mihi idonei ad bene beatéque vivendum auctores videbantur, communia tantùm & convenientia humano sensui doctrinarum præcepta statuentes: quæ cùm non intelligere beluinum esset, intellecta tamen non agere, ultra beluinæ immanitatis esse rabiem videretur. Festinabat autem animus, non hæc tantummodo agere, quæ non egisse, & criminum esset plenum, & dolorum: sed hunc tanti muneris Deum pa- D rentemque cognoscere, cui se totum ipse deberet, cui famulans nobilitandum se existimabat, ad quem omnem spei suæ opinionem referret, in cujus bonitate inter tantas præsentium negotiorum calamitates, tamquam tutissimo sibi portu familiarique requiesceret. Ad hunc igitur vel intelligendum, vel cognoscendum, studio flagrantissimo animus accendebatur.

Variæ antiquorum de Deo opiniones.

4. Namque plures eorum numerosas incer- E torum deorum familias introducebant: & virilem ac muliebrem sexum in divinis naturis agere existimantes, ortus ac successiones ex diis deorum asserebant. Alii majores ac minores & differentes pro potestate deos prædicabant. Nonnulli nullum omnino Deum esse affirmantes, eam tantùm, quæ fortuitis motibus atque concursibus in aliquid exsisteret, naturam venerabantur. Plerique verò Deum quidem esse opinione publica loquebantur, sed F hunc eumdem incuriosum rerum humanarum ac negligentem pronuntiabant. Aliqui autem ipsas illas creaturarum corporeas conspicabilesque formas in elementis terrenis & cælestibus adorabant. Postremò quidam in simulacris hominum, pecudum, ferarum, volucrum, serpentum, deos suos collocabant, & univer-

A sitatis Dominum atque infinitatis parentem intra angustias metallorum & lapidum & stipitum coartabant. Dignumque jam non erat, auctores eos veritatis [b] exsistere, qui ridicula & fœda & irreligiosa sectantes, ipsis illis inanissimarum sententiarum suarum opinionibus diffiderent. Sed inter hæc animus sollicitus, utili ac necessariâ ad cognitionem Domini sui viâ nitens, cùm neque incuriam Deo rerum à se conditarum dignam esse arbitraretur, neque B naturæ potenti atque incorruptæ competere sexus deorum, & successiones satorum atque ortorum intelligeret: porro autem divinum & æternum nihil nisi unum esse & indifferens pro certo habebat, quia id quod sibi ad id quod esset auctor esset, nihil necesse est extra se quod sui esset præstantius reliquisset: atque ita omnipotentiam æternitatemque non nisi penes unum esse; quia neque in omnipotentia validius infirmiusque, neque in æternitate posterius C anteriusve congrueret; in Deo autem nihil nisi æternum potensque esse venerandum.

Hilarioni probantur, pro certo habenti Deum non esse nisi unum.

5. Hæc igitur, multaque alia ejusmodi cum animo reputans, incidi in eos libros, quos à Moyse atque à prophetis scriptos esse Hebræorum religio [c] tradebat: in quibus ipso creatore Deo testante de se, hæc ita continebantur; *Ego sum qui sum*: & rursum, *Hæc dices filiis Israel, Misit me ad vos is qui est.* Admiratus sum planè tam absolutam de Deo signi- D ficationem, quæ naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo, quàm esse, intelligitur; quia id ipsum quòd est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti: sed id, quod cum incorruptæ beatitudinis potestate perpetuum est, non potuit aut poterit aliquando non esse; quia divinum omne neque abolitioni, neque exordio obnoxium est. Et cùm in E nullo à se Dei desit æternitas; dignè hoc solum, quòd esset, ad protestationem incorruptæ suæ æternitatis ostendit.

E Scripturis discit quid sit Deus. Exod. 3. 14. Ibidem. quòd æternus.

6. Et ad hanc quidem infinitatis significationem satis fecisse sermo dicentis, *Ego sum qui sum*, videbatur: sed magnificentiæ & virtutis suæ erat à nobis opus intelligendum. Namque cùm esse ei proprium esset, qui manens semper non etiam aliquando cœpisset; æterni & incorrupti Dei dignus de se hic rursum audi- F tus est sermo: *Qui tenet cælum palmâ, & terram pugillo*: & rursum: *Cælum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum mihi ædificabitis, aut quis locus erit requietionis meæ? Nonne manus mea fecit hæc* [d]? Universitas cæli palmâ Dei tenetur, & universitas terræ pugillo concluditur. Sermo autem Dei, etiamsi ad opinionem religiosæ intelligentiæ

quòd infinitus. Esa. 40. 12. Esa. 66. 1. & 2.

[a] Martinus Lipsius post Erasmum *ob quam*, additâ particulâ *ob* præter fidem mss. Mox apud eosdem, *refutandum*: in editione Badii Ascensii, *reputandum* vel *refutandum*, quomodo exstat in uno è Colbertinis mss. In edit. Parisiensi anni 1605. & pluribus mss. *reputandam*. At in mss. vetustioribus, *reputandum*. Quod in his ad *munus*, in aliis eodem sensu ad *vitam* refertur. Deinde in mss. Colb. & Germ. *languoribus*, non *angoribus*.

[b] Bad. Er. Lips. & mss. non pauci, *existimare*. At potiores cum Par. *exsistere*.

[c] Non ita abhorret Hilarius, ut Sculterus sibi fingit, à doctrina traditionis, ex qua cùm sacris libris auctoritatem hic tribuat, in Psal. 2. n. 2. eorumdem sensum ex ipsa quærendum esse defendit.

[d] In aliquot mss. additur hic *omnia*, quod & habent LXX. de quibus licèt dicat Hilarius in Psal. 118. lit. 4. n. 6. *Nobis neque tutum est translationem* LXX. *Interpretum transgredi*: hos tamen in dubiis tantùm ac difficilibus locis præfert, cùm latinam versionem sequi soleat, ac maximè hic, ubi secundùm LXX. *namque*, pro *nonne* vertendum ei fuisset.

proficit, plus tamen significationis introspectus * sensu continet, quàm exceptus auditu. Nam conclusum palmâ cælum rursum Deo thronus est; & terra, quæ pugillo continetur, eadem & scabellum pedum ejus est: ne in throno & scabello, secundùm habitum consìdentis, protensio speciei corporeæ posset intelligi, cùm id, quod sibi thronus & scabellum est, rursum ipsa illa infinitas potens palmâ ac pugillo apprehendente concluderet; sed ut in his cunctis originibus creaturarum Deus intrà extràque, & supereminens & internus, [a] id est, circumfusus & infusus in omnia nosceretur, cùm & palma pugillusque continens potestatem naturæ exterioris ostenderet; ac thronus & scabellum substrata esse [b] ut interno exteriora monstraret, cùm exteriora sua interior insidens, ipse rursum exterior interna concluderet: atque ita totus ipse intra extraque se * continens, neque infinitus abesset à cunctis, neque cuncta ei qui infinitus est non inessent. His igitur religiosissimis de Deo opinionibus veri studio detentus animus delectabatur. Neque enim aliud quid dignum esse Deo arbitrabatur, quàm ita eum ultra intelligentias rerum esse, ut in quantum se ad aliquem præsumtæ licèt opinionis modum mens infinita protenderet, in tantum omnem persequentis se naturæ infinitatem infinitas immoderatæ æternitatis excederet. Quod cùm à nobis piè intelligeretur, tamen à propheta hæc ita dicente manifestè confirmabatur: *Quò [c] abibo à spiritu tuo, aut à facie tua quò fugiam? Si adscendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, & ibi ades. Si sumsero pennas meas ante lucem, & habitavero in postremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Nullus sine Deo, neque ullus non in Deo locus est. In cælis est, in inferno est, ultra maria est. Inest interior, excedit exterior. Ita cùm habet, atque habetur; [d] neque in aliquo ipse, neque non in omnibus est.

Vide August. epist. 137. ad Volusian. n. 3. — *supple, cuncta.* — Quòd mente capi nequeat. — Psal. 138. 7. &c.

7. Quamquam igitur optimæ hujus atque inexplicabilis intelligentiæ sensu animus gauderet, quòd hanc in parente suo & creatore immensæ æternitatis infinitatem veneraretur; tamen studio adhuc intentiore ipsam illam infiniti & æterni Domini sui speciem quærebat, [e] ut incircumscriptam immensitatem in aliquo pulcræ intelligentiæ esse opinaretur ornatu. In quibus cùm religiosa mens intra imbecillitatis suæ concluderetur errorem, hunc de Deo pulcherrimæ sententiæ modum propheticis vocibus apprehendit: *De magnitudine enim operum, & pulcritudine creaturarum, consequenter generationum conditor conspicitur.* Magnorum creator in maximis est, & pulcherrimorum conditor in pulcherrimis est. Et cùm sensum ipsum [f] egrediatur operatio, omnem tamen sensum longè necesse est excedat operator. Pulcrum itaque cælum, æther, terra, maria, & universitas omnis est, quæ ex ornatu suo, ut etiam Græcis placet, dignè κόσμος, id est, mundus nuncupari videtur. Sed si hanc ipsam rerum pulcritudinem ita sensus naturali metitur instinctu, ut etiam in quarumdam volucrum ac pecudum accidit specie, ut dum infra sententiam sermo est, sensus tamen id ipsum intelligens non eloquatur; quod tamen rursum, dum sermo omnis ex sensu est, sensus sibi ipse loquatur intelligens: nonne hujus ipsius pulcritudinis Dominum necesse est totius pulcritudinis esse pulcherrimum intelligi; ut cùm æterni ornatus sui species sensum intelligentiæ omnis effugiat, opinionem tamen intelligentiæ sensus non relinquat ornatûs? Atque ita pulcherrimus Deus est confitendus: ut neque intra sententiam [g] sit intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi.

Quòd pulcherrimus. — Sap. 13. 5. sec. LXX. — quia ceterarum rerum speciem, si non verbo, certè sensu assequimur; Dei autem speciem neutro modo.

8. His itaque piæ opinionis atque doctrinæ studiis animus imbutus, in secessu quodam ac specula pulcherrimæ hujus sententiæ requiescebat, non sibi relictum quidquam aliud à natura sua intelligens, in quo majus officium præstare Conditori suo [h] minusve posset, quàm ut TANTUM EUM esse intelligeret, quantus & intelligi non potest, & potest credi: dum intelligentiam & fides sibi necessariæ religionis assumit, & infinitas æternæ potestatis excedit.

Deus intelligentiam excedens fide attingendus.

9. Suberat autem omnibus his naturalis adhuc sensus, ut pietatis professionem spes aliqua incorruptæ beatitudinis aleret, quam sancta de Deo opinio & boni mores quodam victricis militiæ stipendio mererentur. Neque enim fructus aliquis esset, bene de Deo opinari: cùm omnem sensum mors perimeret, & occasus quidam naturæ deficientis aboleret. Porro autem non esse hoc dignum Deo ratio ipsa suadebat, deduxisse eum in hanc participem consilii prudentiæque vitam hominem sub defectione vivendi & æternitate moriendi: ut in id tantùm [i] non exsistens substitueretur, ne sub-

In immortalitatis spem assurgit Hilarius. — Hanc ratio ipsa ei suadet.

[a] Aliquot mss. cum vulgatis, *idem circumfusus*, & mox, *cùm & palmo pugilloque continens*: castigantur ex vetustioribus libris. Verba Hilarii illustrant hæc Gregorii lib. 2. Moral. c. 8. *Cælum palmo metiens, & terram pugillo concludens ostenditur, quòd ipse sit circumquaque rebus quas creavit exterior: id namque, quod exteriùs concluditur, à concludente exteriùs continetur. Per sedem ergo, cui præsidet, intelligitur esse interiùs supráque; per pugillum, quo continet, exteriùs subterque signatur.*

[b] Editio Par. cum quibusdam non inferioris notæ mss. *ut in throno*. Magis probamus cum aliis libris *ut interno*, sumtâ particulâ *ut* pro *velut*.

[c] Vetus codex Colb. aliique, *Quò ibo*. Utraque lectio Tract. in Psal. 138. exhibetur.

[d] Unus è Colb. mss. *neque sine aliquo*. Alii recentiores, *neque non in aliquo*. Meliùs abest *non* ab excusis & antiquioribus mss. Nam quatenus habet, non ipse in aliquo inclusus; sed quodvis potiùs in ipso est: quatenus verò habetur, in omnibus est.

[e] Bad. & Er. *ut unam*. Lips. & Par. *ut illam*. Neque *unam* neque *illam* habent mss.

[f] Editi, *supergrediatur*: nullius veteris libri auctoritate.

[g] id est, licèt pulcritudinem illius ne intelligentiæ quidem sensu complectamur, adeoque non sit *intra sententiam intelligendi*; sensus tamen dictat eum, qui ita captum suum superat, intelligendum esse pulcherrimum: qua ratione Dei species non est *extra intelligentiam sentiendi*, puta, eam esse omnium pulcherrimam.

[h] Apud Bad. & in uno ms. Colb. *muneris sui*. In editis aliis, *munusve*. Magis placet cum duobus mss. Colb. necnon German. *minusve*.

[i] Abest *non* ab uno ms. Colb. malè: perinde enim est *non exsistens substitueretur*, ac *ex non exsistente conderetur*. Porro, *substituere*, pro *creare* rursum usurpatur infrà lib. 6. n. 18. sicut & à Faustino Hilario nostro æquali adversùs Arian. Attendenda etiam particula *ne*, quæ ut hîc, ita & aliàs, pro *ut non* sæpius effertur, scil. ut non exsisteret, postea quàm exsistentiâ donatus est. Idem argumentum de immortalitate hominis non minùs clarè tractatum videsis in Psal. 118. lit. 14. num. 1.

stitutus exsisteret; cùm constitutionis nostræ ea sola esse ratio intelligeretur, ut quod non esset esse cœpisset, non ut quod cœpisset esse non esset.

Spem ac Dei notitiam auget Johannis Evangelium.

10. Fatigabatur autem animus, partim suo, partim corporis metu. Qui cùm & constantem sententiam suam pia de Deo professione retineret, & sollicitam de se atque hoc occasuro secum, ut putabat, habitaculo suo curam recepisset, post cognitionem legis ac prophetarum istiusmodi quoque doctrinæ evangelicæ atque apostolicæ instituta cognoscit: In prin-

Johan. 1. 1. &c.

» cipio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,
» & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio
» apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, &
» sine ipso factum est nihil. Quod [a] factum est
» in eo, vita est, & vita erat lux hominum, &
» lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non
» comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo,
» cui nomen erat Johannes. Hic venit in testi-
» monium, ut testimonium perhiberet de lumi-
» ne. Non erat ille lux, sed ut testimonium per-
» hiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illumi-
» nat omnem hominem venientem in hunc mun-
» dum. [b] In mundo erat, & mundus per eum fa-
» ctus est, & mundus eum non cognovit. In sua
» venit, & sui eum non receperunt. Quotquot
» autem receperunt eum, dedit eis potestatem
» filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus:
» qui non [c] ex sanguine, neque ex voluntate
» viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo
» nati sunt. Et Verbum caro factum est, & ha-
» bitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, glo-
» riam tamquam unigeniti à Patre, plenum gra-
» tiâ & veritate.

Proficit mens ultra naturalis sensûs intelligentiam, & plus de Deo quàm opinabatur edocetur. Creatorem enim suum Deum ex Deo discit: Verbum Deum, & apud Deum in principio esse audit. Mundi lumen in mundo manens, & à mundo non recognitum intelligit. Venientem quoque in sua, à suis non receptum: recipientes autem sub fidei suæ merito in Dei filios profecisse cognoscit; non ex complexu carnis, neque ex conceptu sanguinis, neque ex corporum [d] voluntate, sed ex Deo natos. Deinde * Verbum carnem factum, & habitasse in nobis, & gloriam conspectam ejus, quæ, tamquam unici à pa-

** supple. cognoscit.*

A tre, sit perfecta cum gratia & veritate.

Filius Dei Deus.

11. Hîc jam mens trepida & anxia plus spei invenit, quàm exspectabat. Ac primùm ad cognitionem Dei patris imbuitur. Et quod antea de Creatoris sui æternitate, & infinitate, & specie, naturali sensu opinabatur, hîc nunc proprium esse etiam unigenito Deo accipit: [e] non in deos fidem laxans, quia ex Deo Deum audit; non ad naturæ diversitatem [f] in Deum ex Deo decedens, quia plenum gratiâ & veritate Deum ex Deo discit; neque præposterum ex Deo Deum sentiens, quia in principio apud Deum esse Deum comperit. Rarissimam deinde hujus salutaris cognitionis fidem esse, sed maximum præmium noscit: quia & sui non receperunt, & recipientes in filios Dei aucti sunt, non ortu carnis, sed fidei. Esse autem filios Dei, non necessitatem esse, sed potestatem: quia proposito universis Dei munere, non natura gignentium afferatur, sed voluntas præmium consequatur. Ac ne id ipsum, quòd unicuique [g] esse Dei filio fit potestas, in aliquo infirmitatem fidei trepidæ impediret; quia per sui difficultatem ægerrimè speretur, quod & magis optatur, & minùs creditur: Verbum Deus caro factum est, ut per Deum Verbum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum. Ac ne Verbum caro factum aut aliquid aliud esset quàm Deus Verbum, aut non nostri corporis caro esset, habitavit in nobis: ut dum habitat, non aliud quàm Deus maneret [h]; dum autem habitat in nobis, non aliud quàm nostræ carnis Deus caro factus esset; per dignationem assumtæ carnis non inops suorum, quia tamquam unigenitus à Patre plenus gratiæ & veritatis, & in suis perfectus sit, & verus in nostris.

Filios Dei fieri potestas est, non necessitas.

Filius Dei factus homo, ut homo fieret filius Dei.

Christus verus Deus & verus homo.

Divina non capit nisi fides.

12. Hanc itaque divini sacramenti doctrinam mens læta suscepit, in Deum proficiens per carnem, & in novam nativitatem per fidem vocata, & ad cælestem regenerationem obtinendam potestati suæ permissa, curam in se parentis sui Creatorisque cognoscens non in nihilum redigendam se per eum existimans, per quem in hoc ipsum quod est, ex nihilo substitisset: & hæc omnia ultra intelligentiæ humanæ metiens sensum, quia ratio communium opinionum consilii cælestis incapax, hoc

solum

[a] Hæc verba, *quod factum est*, cum præcedentibus jungunt vulgati, quæ disjungenda esse liquet ex lib. 2. n. 19. ubi deinde, quomodo & hîc, pro *in eo vita erat*, reposuimus *in eo vita est* omnium propè mss. auctoritate. De distinctione verborum hujus loci videndus Ambrosius lib. 3. de fide c. 6.

[b] Vetustus codex Colb. *In hoc mundo.*

[c] Editi, *ex sanguinibus*: renitentibus mss.

[d] Basilicæ Vaticanæ vetustissimus codex cum plerisque aliis mss. *voluptate.*

[e] Mss. Colb. & Germ. *non in duos*: & infrà num. 38. *non in* DUORUM *numerum veritatis diversitate referendum.* Utraque illa lectio confirmari potest ex lib. 4. n. 4. ubi Ariani *hanc improbandi homousii causam comminiscuntur, quòd secundùm verbi hujus significationem ex divisione paternæ substantiæ esse Filius existimetur; tamquam desectus ex eo fuerit, ita ut* IN DUOS *sit res una divisa.* Si præferas hîc *non in duos*, tacita intelligenda est vox *deos*, quæ infrà num. 17. ita exprimitur, *Edocti divinitus neque duos deos prædicare, neque solum*: & num. 24. *Nec duos deos, nec solitarium verum Deum prædicavimus.* Idem habetur lib. 8. n. 29.

[f] Erasmus ac post eum Lips. *Deum ex Deo decidens*: quod non displiceret, si adesset alicujus ms. auctoritas. Arriserat etiam cum veterrimo codice S. Petri in Vaticano, *in Deum Deum decidens*: Sed antiqui notarii multa passim mutantis nimios ausus formidamus, ubi nullus alius codex suffragatur. Plerique mss. cum Bad. *in Deo*, vel *in Deum, ex Deo decidens.* Alii probæ notæ cum Par. *non in Deum ex Deo decedens.* Quod sic intelligi commodè queat: non decedens ad invehendam in Filium, qui Deus ex Deo est, naturæ diversitatem. Legentibus *in Deo ex Deo*, supplere licet *credendam* ante *decedens* vel *decidens*.

[g] Sic mss. castigatiores ea ratione qua dixit Tullius, *licet tibi esse bono viro.* Alii verò, *esse Dei filium* vel *filios.* Ex utraque illa lectione in vulgatis obtinuit, *esse Dei filium à Deo filio fit*, vel *sit*, *potestas*: glossema quod non exstat nisi in unico recentiore ms. Colb.

[h] quia nimirum habitator, domum habitando quam antea non habitabat, minimè aliud ab eo quod priùs erat efficitur: adeoque verbum *habitandi* aptissimum est ad exprimendam Verbi corporati immutabilitatem; de quo præmittitur *caro factum est*, ad significandam ipsius cum carne conjunctionem. Tum verba *habitat in nobis*, sic ab Hilario intellecta esse quasi *in nostris*, patet ex subnexis, *verus in nostris.* Unde refellitur Erasmus, qui in dubium revocavit an Christi carnem ex Maria assumtam credidisset. Qui verò existimant Hilarium in gentilitate natum, ac primæ suæ ad veram fidem conversionis historiam hîc texere, expendendum habent, an sola Johannis verborum lectio per se tantam mysteriorum nostrorum notitiam gentili præstare potuerit, ut jam Apollinario, Nestorio, & Eutycheti confutandis suffecerit.

solum putet in natura rerum esse, quod aut intra se intelligat, aut præstare possit ex sese. Dei autem virtutes secundùm magnificentiam æternæ potestatis, non sensu, sed fidei infinitate pendebat: ut Deum in principio apud Deum esse, & Verbum carnem factum habitasse in nobis, non idcirco non crederet, quia non intelligeret; sed idcirco se meminisset intelligere posse, [a] si crederet.

[a] Christi gesta non succumbunt naturalibus mentium sensibus.

13. Ac ne in aliquo sæcularis prudentiæ tardaretur errore, ad piæ confessionis hujus absolutissimam fidem ita insuper per Apostolum divinis dictis edocetur: » Videte ne quis vos spoliet per philosophiam & inanem deceptionem, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatûs & potestatis: in quo & circumcisi estis, circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, sed circumcisione Christi, consepulti ei in baptismate, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui excitavit eum à mortuis. Et vos, cùm essetis [b] mortui in delictis & præputiatione carnis vestræ, vivificavit cum illo, [c] donatis vobis omnibus delictis, delens quod adversùm nos erat [d] chirographum in sententiis, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit è medio, affigens illud cruci: exutus carnem, & potestates ostentui fecit, triumphatis iis cum fiducia in semetipso. Respuit captiosas & inutiles philosophiæ quæstiones fides constans, neque humanarum ineptiarum fallaciis succumbens, spolium se præbet veritas falsitati; non secundùm sensum communis intelligentiæ Deum retinens, neque de Christo secundùm mundi elementa decernens, in quo divinitatis plenitudo corporaliter inhabitet: ut dum infinitas æternæ in eo est potestatis, omnem terrenæ mentis amplexum potestas æternæ infinitatis excedat: qui nos ad divinitatis suæ naturam trahens, non etiamnum corporali præceptorum observatione distrinxerit, neque per legis umbram ad sollemnia * desecandæ carnis imbuerit; sed ut omnem naturalem corporis ne- A cessitatem circumcisus à vitiis spiritûs criminum emundatione purgaret: cujus morti consepeliremur in baptismo, ut in æternitatis vitam rediremus; dum regeneratio ad vitam mors esset ex vita, & morientes vitiis immortalitati renasceremur; ipso pro nobis ex immortalitate moriente, ut ad immortalitatem unà cum eo excitaremur ex morte. Carnem enim [e] peccati recepit, ut assumtione nostræ carnis delicta donaret, dum ejus fit particeps assumtione, B non crimine; delens per mortem sententiam mortis, ut novâ in se generis nostri creatione constitutionem decreti anterioris aboleret; cruci se figi permittens, ut maledicto crucis oblitterata [f] terrenæ damnationis maledicta figeret omnia: ad ultimum in homine passus, ut potestates dehonestaret; dum Deus secundùm Scripturas moriturus, & [g] in his vincentis in se fiduciâ triumpharet; dum immortalis ipse, neque morte vincendus, pro morientium æter- C nitate moreretur. Hæc itaque ultra naturæ humanæ intelligentiam à Deo gesta non succumbunt rursum naturalibus mentium sensibus; quia infinitæ æternitatis operatio infinitam metiendi exigat opinionem: ut cùm Deus homo, cùm immortalis mortuus, cùm æternus sepultus est, non sit intelligentiæ ratio, sed potestatis exceptio; ita rursum è contrario non sensûs, sed virtutis modus sit, ut Deus ex homine, ut immortalis ex mortuo, ut æternus sit D ex sepulto. Coexcitamur ergo à Deo in Christo per mortem ejus. Sed dum in Christo plenitudo est divinitatis, habemus & significationem Dei patris nos coexcitantis in mortuo, & Christum Jesum non aliud quàm Deum in divinitatis plenitudine confitendum.

Coloss. 2. 8. &c.

Cur,

* id est, circumcisionis.

14. In hoc ergo [h] conscio securitatis suæ otio mens spebus suis læta requieverat: intercessionem mortis hujus usque eò non metuens, ut etiam reputaret [i] in vitam æternitatis. Vi- E tam autem hujus corporis sui non modò non molestam sibi aut ægram arbitrabatur, ut eam quod pueritiæ litteras, quod ægris medicinam, quod naufragis natatum, quod adolescentibus disciplinam, [k] quod militiam esse crederet imperaturis: rerum scilicet præsentium toleran-

[h] Christi fides & mortis metum & vitæ tollit tædium.

[a] quia, ut loquitur Augustinus epist. 120. ad Consentium n. 3. *fides præcedat rationem, qua cor mundetur, ut magnæ rationis capiat & perferat lucem*: & rursum epist. 137. ad Volusianum n. 15. *Intellectui fides aditum aperit, infidelitas claudit.* Confer superiora Hilarii dicta num. 8.

[b] Omnes mss. uno nullius ferme auctoritatis excepto, omittunt hîc verbum *mortui*: quod tamen habent infrà lib. 9. n. 10. & in Ps. 67. n. 23. Sed hoc apud Hilarium non inusitatum, ut etiam in eodem Tractatu eadem Scripturæ loca non eadem ratione repetat.

[c] In ms. bas. Vat. *donans nobis omnia delicta, delendo quod adversùm nos erat chirographum decreti, quod erat adversarium nobis*: & mox, *exuens se carne, & potestate traduxit palam retriumphans illos*: quæ versio Hilario videtur extranea. Quæ hîc exhibetur, confirmatur lib. 9. n. 10. Vide Tract. in Psal. 67. n. 23.

[d] Præter ms. Vat. bas. pauci, iique recentiores habent, *chirographum decreti.* Ab hac lectione non abhorret quæ subjicitur explicatio, *ut nova in se generis nostri creatione constitutionem decreti anterioris aboleret.* Aliter lib. 9. n. 10. ubi Hilarius Apostoli verba tamquam hîc jam tractata memorat, sic interpretatur hoc chirographum, *delens chirographum legis peccati, quod per sententias anteriores contrarium erat nobis.* Unde in Ps. 129. n. 18. illud simpliciter vocat *chirographum legis*: hîc verò *sententiam mortis.* Non est omittendum quòd in uno ms. Colb. exstat, *chirographum decreti in sententiis.* Et hoc Hilario est sollemne, ut duas versiones, quas pariter probat, simul componat.

[e] Solus cod. Victorinus, *peccati expertem fecit*: quam lectionem amplexatus est Lud. Miræus, ineptè: vult quippe tantùm Hilarius Christum, in carne ejusdem nobiscum naturæ, carnis delicta donasse. Ut enim docet Tertullianus de carne Christi n. 16. neque ad propositum Christi, peccatum carnis evacuaturi, neque ad gloriam faceret, non in ea carne evacuare illud, in qua erat natura peccati. Tum cuidam Alexandro sic argutanti, *Ergo si nostram induit, peccatrix fuit caro Christi: Nostram*, reponit, *induens suam fecit; suam faciens, non peccatricem eam fecit.* Hîc igitur dixit Hilarius peccati carnem, quæ per peccatores ad Christum usque propagata est, quæ, ut laudato loco Tertullianus, *genere, non vitio, Adæ* est: dum scil. Christus, ut hîc habet Hilarius, *ejus fit particeps assumtione, non crimine.* Quare frustra in limbo unius ms. Colb. nonnemo annotavit, *Carnem peccati, cautè lege.* Aliàs, puta l. 10. de Trinit. num. 25. de eadem Christi carne dicit, *Neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati.* Vide Tract. Ps. 67. n. 25.

[f] In tribus mss. *terrenæ maledictionis.* In Remig. Corb. Pratel. &c. *terrenæ dominationis.* Retinendum putamus cum pluribus aliis, *terrenæ damnationis*; ut sit allusio ad sententiam quam homo damnatus accepit, *Terra es, & in terram ibis.*

[g] Sex mss. non tamen potiores, *in his vincendis in se cum fiducia.*

[h] Excusi, *conscia*: refragantibus mss.

[i] Unus codex Remig. cum Theod. *initium æternitatis.*

[k] Particulam *quod* hîc in vulgatis omissam restituimus ex mss. Ita hæc intelligere est, quasi legeretur, *ut eam, quamvis tantis angoribus afflictatam, crederet esse, quod pueritiæ litteras* &c.

tiam, ad præmium beatæ immortalitatis proficientem. Quin etiam id, quod sibi credebat, tamen per ministerium impositi sacerdotii etiam ceteris prædicabat, munus suum ad officium publicæ salutis extendens.

Hæreticorum ingenium. * supple, hominum.

15. Sed inter hæc emerserunt desperata in sese, & sæva in omnes impiæ temeritatis ingenia *, potentem Dei naturam naturæ suæ infirmitate moderantium: neque ut ipsi usque ad infinitatem opinandi de infinitis rebus emergerent, sed intra finem sensus sui indefinita concluderent; essentque sibi arbitri religionis, cùm religionis opus [a] obedientiæ esset officium; sui immemores, divinorum negligentes, præceptorum emendatores.

Hæreses duæ præcipuæ de Christo. Sabellii.

16. Nam ut de ceteris hæreticorum stultissimis studiis sileam, de quibus tamen, sicubi occasionem sermonis ratio præbebit, non tacebimus; quidam [b] ita evangelicæ fidei corrumpunt sacramentum, ut sub unius Dei pia tantùm professione nativitatem unigeniti Dei abnegent; ut protensio sit potiùs in hominem, quàm descensio: neque ut qui filius hominis secundùm tempora assumtæ carnis fuit, idem antea semper fuerit atque sit filius Dei: ne in eo nativitas Dei sit, sed ex eodem idem sit; ut unius Dei, ut putant, inviolabilem fidem [c] series ex solido in carnem deducta conservet, dum usque ad virginem Pater protensus, ipse sibi natus sit in filium. Alii verò (quia salus nulla sine Christo sit, qui in principio apud Deum erat Deus Verbum,) nativitatem negantes, creationem solam professi sunt: ne nativitas veritatem Dei admitteret, [d] sed creatio falsitatem doceret, quæ dum ementiretur in genere [e] Dei unius fidem, non excluderet in sacramento: sed nativitatem veram nomini ac fidei creationis [f] subjicientes, à veritate unius Dei separabilem eum facerent, ut creatio substitutionis, perfectionem sibi divinitatis non usurparet, quam veritatis nativitas non dedisset.

Arii.

17. Horum igitur furori respondere animus exarsit: recolens hoc vel præcipuè sibi salutare esse, non solùm in Deum credidisse, sed etiam in Deum patrem; neque in Christo tantùm sperasse, sed in Christo Dei filio; neque in creatura, sed in Deo creatore ex Deo nato. Maximè ergo properamus ex propheticis atque evangelicis præconiis vesaniam eorum ignorantiamque confundere, qui sub unius Dei, sola sanè utili ac religiosa, prædicatione aut Deum natum Christum negant, aut verum Deum non esse contendunt; ut creatio potentis creaturæ intra unum Deum fidei sacramentum relinquat; quia nativitas Dei extra unius Dei fidem religionem protrahat [g] confitentum. Sed nos edocti divinitus neque duos deos prædicare neque solum, hanc evangelici ac prophetici præconii rationem in confessione Dei patris & Dei filii [h] afferemus, ut unum in fide nostra sint uterque, non unus: neque eumdem utrumque, neque inter verum ac falsum aliud confitentes; quia Deo ex Deo nato, neque eumdem nativitas permittit esse, neque aliud.

Fides vera contra utramque hoc Opere stabilienda.

18. Et vos quidem, quos fidei calor, & [i] ignoratæ mundo ac sapientibus mundi veritatis studium ad legendum vocavit, meminisse oportet terrenarum mentium infirmas atque imbecillas opiniones esse abjiciendas, & omnes imperfectæ sententiæ angustias religiosa discendi exspectatione laxandas. Novis enim regenerati ingenii sensibus opus est, ut unumquemque conscientia sua secundùm cælestis originis munus illuminet. Standum itaque per fidem antè est, ut sanctus Jeremias admonet, [k] in substantia Dei: ut de substantia Dei auditurus, sensum suum ad ea quæ Dei substantiæ sint digna moderetur; moderetur autem non aliquo modo intelligendi, sed infinitate. Quin etiam conscius sibi divinæ se naturæ participem, ut beatus apostolus Petrus in epistola sua altera ait, effectum fuisse, Dei naturam non naturæ suæ legibus metiatur, sed divinas professiones secundùm magnificentiam divinæ de se protestationis expendat. Optimus enim lector

Lectori fides necessaria.

Jerem. 23. 22.

2. Pet. 1. 4.

[a] Ita Par. cum antiquioribus mss. At Bad. Er. & Lips. cum aliis, *in solo obedientiæ esset officio.* Hîc commendatur obedientia fidei, de qua infrà n. 37. *Ultra naturalem opinionem fidei obedientia* nos *provehit.*

[b] Hæc Noetum, Praxeam, & Hermogenem spectant, maximè verò Sabellium, qui, ut notat Augustinus de hæres. ad Quodvultdeum, iis quibus consentiebat, subinde factus est *famosior.* Hujus hæresis rursum exponitur lib. de Synod. n. 45. *Quidam enim ausi sunt innascibilem Deum usque ad sanctam Virginem substantiæ dilatatione protendere, ut latitudo deducta quodam naturæ suæ tractu assumensque hominem filius nuncuparetur, neque Filius ante sæcula perfectus Deus natus, idem postea & homo natus sit* Utrumque illum locum illustrat Epiphanius, quo teste hær. 62. n. 1. asserebat Sabellius, *Filium radii in morem emissum, omnia, quæ ad Evangelii & humanæ salutis procurationem attinerent, in hoc mundo præstitisse; atque ita in cælum rediisse, quemadmodum is qui à sole manavit radius in eumdem postea refunditur.* Quomodo autem sol radio in terras protenditur potiùs quàm descendit, ita Dei in Virginem protensionem tantùm, non descensionem admisit. Haud aliter sensit Marcellus Theodoreto teste, qui de eo prodit lib. 2. hæret. fab. *Prorsus existimavit Trinitatem extendi contrahive pro œconomiarum & consiliorum diversitate:* & paulò antè: *Extensionem quamdam divinitatis Patris in Christum venisse dixit, & hanc Deum Verbum appellavit: peractâ autem universâ œconomiâ rursus attractam esse reversamque ad Deum ex quo extensa fuit.*

[c] In Pratellensi ms. *series ex solido Deo*, & mox, *Pater spiritu protensus:* voces *Deo* & *Spiritu* ex margine in textum haud dubiè translatæ. Hic rursum locus illustratur similitudine solis, ut quemadmodum radius est series ex solido solis corpore educta in terras, ita & Filius sit series educta à Patre: ut enim in sole vis triplex, illuminandi, calefaciendi, & orbicularis figura, seu solidum illud unde est utraque vis; ita & in Trinitate excogitabant Sabelliani triplicem vim, cujus Pater esset hypostasis ac veluti totius forma, ut loquitur Epiphanius loco laudato: ex quo hæresis hujus notitiam ad capiendos Hilarii libros necessariam comparamus.

[d] Apud Bad. Er. necnon in ms. Vat. bas. & Colb. uno, *sed creatio veluti compositi & simulati Dei falsitatem doceret:* quod glossema suspicamur, maximè cùm hæc loquendi ratio ab Hilario sit aliena.

[e] In vulgatis & pluribus mss. hîc additur vox *creationis*, quæ rectiùs abest à castigatioribus libris. Antea excusi habent *ementirentur*, & pòst *excluderent*, nullo fere suffragante ms. Non displiceret tamen, si antea præmitteretur *qui dum*, non *quæ dum* &c. id est, quæ creatio non nisi mendaciter subjicitur fidei Dei, qui genere & naturâ unus est, quamvis non excludatur à fide Dei in sacramento, quatenus plures per quamdam prærogativam hoc nomen sortiuntur. Videsis lib. contra Auxent. num. 5.

[f] Solus codex Vat. bas. *substituentes:* minùs bene. Hoc enim sibi vult: quem catholici Deum verum, utpote ex Deo vera nativitate natum credunt, illi hæretici nomini ac fidei creationis subjiciunt.

[g] Editio Par. antiquos libros, quibus sollemne est mutare *t* in *d*, secuta, *confitendum.*

[h] Vat. bas. ms. *asserimus.*

[i] Bad. & Er. *ignorante*, Lips. & Par. *ignoratum:* castigantur ex mss.

[k] Apud LXX. ἐν ὑποστάσει. Gregorius Nazianz Orat. 34. legens ἐν ὑποστήματι explicandæ hujus vocis gratiâ addit, καὶ οὐσίᾳ Κυρίου: quod quidem ulli viventium hactenus concessum negat, quia eorum nemini datum est videre naturam seu essentiam Dei. Ambrosius l. 3. de fide c. 15. *Quis stetit in substantia Domini, & vidit verbum ejus.*

eſt, qui dictorum intelligentiam exſpectet ex dictis potiùs quàm imponat, & retulerit magis quàm attulerit; neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumſerit intelligendum. Cùm itaque DE REBUS DEI erit ſermo, concedamus cognitionem ſui Deo, dictiſque ejus pia veneratione famulemur. Idoneus enim ſibi teſtis eſt, qui niſi per ſe cognitus non eſt.

Comparatio ad divina nulla eſt perfecta.

19. Si qua verò nos de natura Dei & nativitate tractantes, comparationum exempla afferemus; nemo ea exiſtimet abſolutæ in ſe rationis perfectionem continere. Comparatio enim terrenorum ad Deum nulla eſt: ſed infirmitas noſtræ intelligentiæ cogit ſpecies quaſdam ex inferioribus, tamquam ſuperiorum indices quærere; ut rerum familiarium conſuetudine admonente, ex ſenſus noſtri conſcientia ad inſoliti ſenſus opinionem educeremur. Omnis igitur comparatio homini potiùs utilis habeatur, quàm Deo apta; quia intelligentiam magis ſignificet, quàm expleat: neque naturis carnis & ſpiritûs, & inviſibilium ac tractabilium coæquandis præſumta reputetur, proteſtans & infirmitati ſe humanæ intelligentiæ neceſſariam, & ab invidia eſſe liberam non ſatisfacientis exempli. Pergimus itaque de Deo locuturi Dei verbis, ſenſum tamen noſtrum rerum noſtrarum ſpecie imbuentes.

Hæc memorantur lib. 4. num. 2.

Ordo totius Operis.

20. Ac primùm ita totius Operis modum temperavimus, ut aptiſſimus legentium profectibus connexorum ſibi libellorum ordo ſuccederet. Nihil enim incompoſitum indigeſtumque placuit afferre: ne Operis inordinata congeries ruſticum quemdam tumultum perturbata vociferatione præberet. Sed quia nullus per prærupta conſcenſus eſt, niſi ſubſtratis paulatim gradibus feratur greſſus ad ſumma; nos quoque quædam gradiendi initia ordinantes, arduum hoc intelligentiæ iter [a] clivo quaſi molliore lenivimus, non jam gradibus inciſum, ſed planitie ſubrepente devexum, ut propè ſine ſcandentium ſenſu, euntium proficeret conſcenſus.

Quid contineat liber ſecundus.

21. Poſt hunc enim primi hujus ſermonis libellum, ſequens ita ſacramentum edocet divinæ generationis, ut baptizandi in Patre & Filio & Spiritu-ſancto non ignorent nominum veritatem, neque vocabulis intelligentiam confundant, ſed unumquodque ita ſenſu concipiant, ut eſt ac nuncupatur; agnituri abſolutiſſimè in iis quæ dicta ſunt, quòd neque non ipſa veritas ſit nominis, neque non nomen ſit veritatis.

Liber tertius.

22. Poſt hunc itaque lenem ac brevem demonſtratæ Trinitatis ſermonem, tertius liber, etſi ſenſim, tamen jam proficienter incedit. Nam id, quod ultra humani ſenſus intelligentiam Dominus de ſe profeſſus eſt, quantis poteſt potentiæ exemplis ad intelligentiæ fidem coaptat, dicens, *Ego in Patre, & Pater in me:* ut quod ab homine per naturam hebetem non capitur, id [b] fides jam rationabilis ſcientiæ conſequatur: quia neque non credendum de ſe Deo eſt, neque opinandum eſt, extra rationem fidei eſſe intelligentiam poteſtatis.

Johan. 10. 38.

Liber quartus.

23. Quartus deinde liber initium ſui ex hæreticorum doctrinis auſpicatur, ſe ipſum vitiis, quibus fides Eccleſiæ [c] infamatur, expurgans: ipſam illam perfidiæ expoſitionem à multis [d] non olim editam proferens, & ſubdolè eos, ac per id impiiſſimè, unum Deum ex lege defendiſſe convincens, omnibus legis ac prophetarum teſtimoniis ita demonſtratis, ut ſine Deo Chriſto unum Deum confiteri irreligioſitas ſit; & confeſſo unigenito Deo Chriſto, non unum Deum prædicare perfidia ſit.

Liber quintus.

24. Quintus verò tenuit eum reſponſionis ordinem, quem hæretici inſtituerant profeſſionis. Namque cùm unum Deum prædicare ſe ſecundùm legem ementiti eſſent; unum quoque Deum verum ex eadem proferre ſe fefellerunt: ut [e] per exceptionem Dei & unius & veri, nativitatem Domino Chriſto adimerent; quia ubi nativitas eſt, ibi & intelligentia ſit [f] veritatis. Nos autem iiſdem gradibus, quibus idipſum negabatur, docentes, nec duos deos, nec ſolitarium verum Deum, ſed Patrem verum Deum ita ex lege ac prophetis prædicavimus, ne aut unius Dei fidem corrumperemus, [g] aut nativitatem denegaremus. Sed quia, ſecundùm illos, creato potiùs quàm nato nomen Dei Domino Jeſu Chriſto deputaretur potiùs quàm ineſſet; divinitatis veritas ita ex auctoritatibus propheticis demonſtrata eſt, ut nos, Domino Jeſu Chriſto Deo vero prædicato, intra intelligentiam unius Dei veri nativæ in eo divinitatis veritas contineret.

Liber ſextus.

25. Sextus verò jam liber omnem hæreticæ aſſertionis fraudulentiam pandit. Namque ut dictis ſuis fidem facerent, damnantes dicta & vitia hæreticorum, Valentini ſcilicet & Sabellii & Manichæi & Hieracæ, pias Eccleſiæ prædicationes velamento profeſſionis impiæ furati ſunt: ut [h] correptis in melius verbis irreligioſorum, & ambigua ſignificatione moderatis, ſub impietatis damnatione doctrinam pietatis exſtinguerent. Sed nos ſingulorum dictis & profeſſionibus demonſtratis, ſanctas Eccleſiæ

[a] Hoc ad imitationem Plinii videtur dictum, qui lib. 6. epiſt. 5. *Ita*, inquit, *leviter & ſenſim clivo fallente conſurgit, ut cùm adſcendere te non putes, ſentias adſcendiſſe.*

[b] Editi excepto Par. cum unico mſ. *fides tamen rationabili ſcientia conſequatur.* Ratio hîc ſubjicitur, cur fides dicatur *rationabilis ſcientiæ.* Rationabilis quidem eſt, quia ratio ſuadet credendum Deo: ſcientiam etiam habet, quia opinioni non relinquitur locus, cùm per effectus intelligimus plus Deum poſſe, quàm capiat humana ratio. Hinc malè in vulgatis legebatur, *intelligentiæ poteſtatem,* pro *intelligentiam poteſtatis.* quod & magis perſpicuum fit ex his l. 3. num. 5. *Sunt iſtiuſmodi in Deo poteſtates, quarum cùm ratio intelligentiæ noſtræ incomprehenſibilis eſt, fides tamen per veritatem efficientiæ in abſoluto eſt.*

[c] In vulgatis, *infirmatur*, malè: neque meliùs deinde apud Bad. Er. & Lipſ. *expugnans.*

[d] Pro *non olim*, ſubſtitutum eſt apud Lipſ. & Par. *jam olim:* renitentibus mſſ. necnon quod lib. 6. n. 3. dicitur, Arianam luem *proximè* emerſiſſe. De hac perfida expoſitione dicemus libro 4.

[e] Solus mſ. baſ. Vat. *ut per profeſſionem Dei.* Uſum ac vim verbi *exceptio* cernere eſt infrà n. 29. 33. & 34. ubi non ſolam profeſſionem ſonat, ſed eam à cujus conſortio quivis alius arceatur.

[f] hoc eſt, ibi intelligitur poſſeſſio veræ naturæ ejus ex quo nativitas eſt. Nam vox *veritas* Hilario pro vera natura, ut jam ſæpe vidimus, ſollemnis eſt.

[g] Editi, *aut nati veritatem:* malè & renitentibus mſſ.

[h] Reponimus ex Telleriano codice & Pratel. *correptis;* quod & in Remig. ac Theod. pridem ſecundis curis poſitum fuit: cùm aliis in libris legamus *corruptis.*

prædicationes absolvimus, neque quidquam A cum damnatis hæreticis commune eis esse permisimus, ut damnanda damnantes, sola venerabiliter sectanda sequeremur, filium Dei * Dominum Jesum Christum, quod maximè ab iis negabatur, per hæc docentes, dum de eo testatur Pater, dum de se ipse profitetur, dum Apostoli prædicant, dum religiosi credunt, dum dæmones clamant, dum Judæi negantes fatentur, dum ignorantes intelligunt gentes; * ne jam ambigendum permitteretur, quod B ignorandum non relinquebatur.

* *supple*, esse.

* *id est*, ut non.

Liber septimus.

26. Septimus deinceps liber, secundùm perfectæ fidei gradum, susceptæ disputationis sermonem temperavit. Namque primùm, per inviolabilis fidei sanam & incorruptam demonstrationem, inter Sabellium & Hebionem & hos non veri Dei prædicatores lite certavit, cur Sabellius subsistere ante sæcula negaret, quem creatum alii confiterentur. Ignorabat enim Sabellius subsistentem Filium, dum Deum C verum operatum in corpore esse non ambigit. Hi autem negabant nativitatem, & affirmabant creaturam, dum opera ejus Dei veri esse opera non intelligunt. Lis eorum, fides nostra est. Nam dum filium negat *, in eo vincit Sabellius, quòd Deus verus * operatus est: & Ecclesia eos, qui verum in Christo Deum negaverint, vincit. At verò cùm subsistentem Christum ante sæcula hi adversùs eum demonstrant semper operatum, de condemnato se- D cum Sabellio nobis triumphant, Deum quidem verum [a] sciente, sed Dei filium nesciente. Hebion autem ab utroque ita vincitur, ut hic * ante sæcula subsistentem, hic * verum Deum convincat operatum. Omnesque se invicem vincendo vincuntur: quia Ecclesia & contra Sabellium, & contra creaturæ prædicatores, & contra Hebionem, Deum verum ex Deo vero Dominum Jesum Christum, & ante sæcula natum, & postea hominem genitum esse E testatur.

Sabellius, Hebion & Arius se se vincendo Ecclesiæ vincunt.

* ideoque errat.
* ut rectè probat.

a
* Arius.
* Sabellius.

Argumentum septimi libri.

27. Nemini autem dubium est, congruum id maximè pietati doctrinæ fuisse, ut quia ex lege & prophetis primùm Dei filium, pòst etiam Deum verum cum sacramento unitatis prædicassemus; rursum legem ac prophetas per Evangelia firmantes, primùm ex his Dei filium, pòst etiam Deum [b] verum doceremus. Competentissimum itaque fuit, post nomen filii, veritatem ejus ostendere: quamquam, se- F cundùm communem sensum, [c] veritatis absolutionem nuncupatio filii obtineret. Sed ne quid, adversantibus unigeniti Dei veritati, occasionis ad fallendum & illudendum relinqueretur; ipsam illam * proprietatis fidem per divinitatis veritatem adstruximus: Deum esse eum, qui Dei filius non negaretur, his modis docentes, nomine, nativitate, natura, potestate, professione; * ne aliud esset quàm nuncuparetur, neque nuncupatio non nativitatis esset, neque nativitas naturam amisisset, neque natura non retinuisset potestatem, neque potestas non etiam consciâ sibi veritatis professione notesceret. Causas ergo omnes singulorum generum ita ex Evangeliis excerptas subjecimus, ut nec professio tacuerit potestatem, nec potestas non exseruerit naturam, nec natura non suæ nativitatis sit, nec nativitas non sui nominis: ut per id non relinqueretur impietatis calumnia, cùm Dei veri ex Deo vero divinitatem, secundùm & nomen & nativitatem & naturam & potestatem, ipsâ quoque Dominus Jesus Christus nativæ veritatis suæ protestatione docuisset.

b
c

* *seu*, qua proprius Dei filius creditur.

* ut non

28. Octavus jam verò liber, duobus superioribus libris de Dei filio & Deo vero multùm ad credentium fidem proficientibus, totus in unius Dei demonstratione detentus est; non auferens filio Dei nativitatem, sed neque per eam duûm deorum divinitatem introducens. Ac primùm quibus modis hæretici veritatem Dei patris & Dei filii, quia negare non possent, tamen eludere niterentur, edocuit; dissolvens ineptas eorum & ridiculas occasiones, quibus per id quod dictum est, *Multitudinis autem credentium erat* [d] *anima & cor unum*; & rursum, *Qui plantat autem, & qui rigat, unum sunt*; & iterum, *Non pro his autem tantùm rogo, sed & pro iis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi sint in nobis*: voluntatis potiùs & unanimitatis quàm divinitatis asserunt veritatem. Sed nos hæc ipsa suis virtutibus * pertractantes, fidem in se divinæ nativitatis continere ostendimus: & omnes dictorum dominicorum professiones revolventes, totum atque perfectum, ex apostolicis præconiis ac * sancti Spiritûs proprietatibus, & paternæ & unigenitæ majestatis sacramentum docuimus: cùm & in Patre Filius intellectus, & Pater in Filio cognitus, unigeniti Dei nativitatem, & perfecti in eo Dei ostenderet veritatem.

Octavus liber.

Act. 4. 32.
d
1. Cor. 3. 8.
Johan. 17. 20. & 21.

* hoc est, secundùm vim verborum.

29. Parum est autem, in rebus ad salutem maximè necessariis, sola ea ad satisfactionem fidei afferre, quæ propria sunt: quia plerumque [e] blandientes sensum fallant dictorum nostrorum inexploratæ assertiones, nisi etiam propositionum adversarum demonstratæ inanitates, fidem nostram in eo ipso, quòd ipsæ ridiculæ esse arguantur, affirment. Nonus itaque liber totus in repellendis iis, quæ ad infirmandam unigeniti Dei nativitatem ab impiis usurpantur, intentus est: qui dispensationis occulti à sæculis mysterii immemores, evangelica fide Deum atque hominem prædicari non recor-

Liber nonus.

[a] Editi & plerique mss. *scientes*; & mox, *nescientes*: castigantur ex perantiquo ms. Colb. necnon Germ. ac vetustiore Remig. Quippe hæc de Sabellio dicuntur, non de Arianis. Tum duplex in Hebione error notatur: primus quo negat Christum ante Mariam, alter quo vult eum merum esse hominem.

[b] Vat. bas. ms. *vivum verum*: & suprà, *Deus vivus verus operatus est*.

[c] hoc est, veram patris naturam vera filii nuncupatio manifestè obtineret: quibus declarat Hilarius se quasi ex abundanti ostensurum Filio naturam Patris esse, post quàm ostendit ei filii nomen competere. Notanda vox *absolutio*, quæ illi valde familiaris est pro re certa & evidenti.

[d] Ita hunc locum exhibent constanter mss. Editi verò, *cor unum & anima una*.

[e] Aliquot mss. *blandiente sensu*: & mox *in refellendis*, pro *in repellendis*. Nemo porro non videt vocabulum *sensum* ad *fallant*, non ad *blandientes*, esse referendum.

dentur. Namque cùm Deum esse Dominum nostrum Jesum Christum, & similem Deo esse & æqualem ut Deum filium Deo patri, natum & ex Deo, & secundùm nativitatis proprietatem in veritate * Spiritûs subsistere negant; his niti dictorum dominicorum professionibus solent: *Quid me dicis bonum? Nemo est bonus nisi unus Deus:* ut cùm dici se bonum coarguat, & non nisi bonum Deum unum esse testetur; & [a] extra bonitatem Dei sit, qui bonus est, & in Dei non sit veritate, qui unus est. Quibus dictis etiam hæc ad impietatis suæ argumenta connectunt: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum:* ut solum verum Deum confessus Patrem, nec verus ipse, nec Deus sit; quia solius Dei veri exceptio, significatæ proprietatis [b] non excedat auctorem. non ambiguè autem hoc ab eo dictum esse intelligendum, quia idem dixerit, *Non potest Filius facere ab se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem:* ut cùm nihil nisi de exemplo operis possit operari, naturæ in eo intelligatur infirmitas; quia nequaquam sit omnipotentiæ comparandum, quod alienæ operationis subjectum est necessitati; & ratio intelligentiæ hoc suadeat, in omnibus à se posse & non posse, differre. differre autem eò usque, ut de patre Deo hæc ita professus sit, *Pater major me est:* & cesset in professione absoluta adversandi calumnia; quia impiæ vesaniæ sit, honorem ac naturam Dei tribuere abnuenti. omni autem modo in tantum eum à proprietate veri Dei abesse, ut etiam testatus hæc fuerit: *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli in cælis,* [c] *neque Filius, nisi Pater solus:* ut cùm Filius nesciat quod Pater solus sciat, longè alienus sit nesciens à sciente; quia natura ignorationi obnoxia, non sit ejus virtutis & potestatis, quæ à dominatu ignorationis excepta sit.

(* hoc est, divinitatis. — Argumenta contra Christi divinitatem. — Luc. 18. 19. — Johan. 17. 3. — Johan. 5. 19. — Johan. 14. 28. — Marci 13. 32.)

30. Hæc itaque, corrupto depravatoque sensu, impiissimè ita intellecta esse monstrantes, omnes dictorum causas ex his ipsis vel interrogationum vel temporum vel dispensationum generibus attulimus, causis potiùs verba subdentes, non causas verbis deputantes: ut cùm à se dissideat, *Pater major me est;* &, *Ego & Pater unum sumus:* neque idem sit, *Nemo bonus est, nisi unus Deus;* &, [d] *Qui me vidit, vidit & Patrem:* vel certè tanta à se diversitate contraria sint, *Pater, omnia tua mea sunt, & mea tua;* & [e], *Ut cognoscant te solum verum Deum:* vel illud, *Ego in Patre, & Pater in me;* &, *De die autem* [f] *& hora nemo scit, neque Angeli in cælis, neque Filius, nisi Pater solus:* intelligantur in singulis & dispensationum prædicationes, & consciæ potestatis naturalis professiones: & cùm idem sit dicti auctor utriusque, demonstratis tamen virtutibus * generum singulorum, non pertineat ad contumeliam veræ divinitatis, quod ad sacramentum fidei evangelicæ sub dispensatione & causæ & temporis & nativitatis & nominis prædicatur.

(Argumentis respondetur. — Joh. 14. 28. — Joh. 10. 30. — Luc. 18. 19. — Joh. 14. 9. — Joh. 17. 10. — Ibidem 3. — Joh. 14. 11. — Marc. 13. 31. — * naturarum singularum quæ sunt in Christo.)

31. Decimi verò libri eadem est ratio, quæ fidei. Nam quia ex passionis genere & professione quædam, per stultæ intelligentiæ sensum, ad contumeliam divinæ in Domino Jesu Christo naturæ virtutisque rapuerunt; ea ipsa demonstranda fuerunt, & ab his impiissimè intellecta esse, & à Domino ad protestationem veræ & perfectæ in se majestatis esse memorata. Namque his sibi dictis, ut religiosè impii sint, blandiuntur, *Tristis est anima mea usque ad mortem;* ut longè à beatitudine atque incorruptione Dei sit, in cujus animam dominans metus tristitiæ imminentis inciderit: qui etiam usque ad hanc precem consternatus fuerit passionis necessitate, *Pater, si possibile est, transeat calix iste à me:* & sine dubio timere [g] videretur perpeti, quod ne pateretur oraverit; quia patiendi trepidatio causam attulerit deprecandi: in tantum verò infirmitatem ejus obtinuerit vis doloris, ut in ipso crucis tempore diceret, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* qui etiam usque ad querelam desolationis suæ, passionis acerbitate commotus, auxilii inops paterni, spiritum in hac voce emiserit cùm dixit, *Pater, commendo in manus tuas spiritum meum:* & exhalandi spiritûs trepidatione turbatus, [h] tuendum hunc Deo patri commendaverit; quia commendationis necessitatem desperatio securitatis exegerit.

(Liber decimus. — Quædam Scripturæ verba hæreticis specie tenus faventia. — Matth. 26. 38. — Ibidem 39. — Matth. 27. 46. — Luc. 23. 46.)

32. Sed stultissimi atque impiissimi homines, non intelligentes nihil contrarium in rebus iisdem ab eodem dictum fuisse, verbis tantùm inhærentes, causas ipsas dictorum reliquerunt. Nam cùm longè multùmque diversum sit, *Tristis est anima mea usque ad mortem;* &, *A modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis* [i]: neque idipsum sit, *Pater, si possibile est, transeat calix iste à me;* & illud, *Calicem quem dedit mihi pater meus, non bibam eum?* longéque diversum sit, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* aut illud, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso:* multùm quoque dissentiat, *Pater, commendo in manus tuas spiritum meum;* & illud, *Pater, remitte illis, quia quod faciunt nesciunt:* ad impietatem [k] reciderunt divinorum dictorúm incapaces. Et cùm non conveniat trepidationi & libertati, festinationi & excusationi,

(Alia iis opponuntur. — Matth. 26. 38. — Ibidem. 64. — Ibidem 39. — Joh. 18. 11. — Matth. 27. 46. — Luc. 23. 43. — Ibidem 46. — Ibidem 34.)

[a] id est, & non sit consors bonitatis illius, qua Deus singulariter bonus est &c.

[b] hoc est, intra Patrem prorsus contineatur atque concludatur quod illius proprium esse significatum est, nec ab eo exeat, ut ulli alteri communicetur.

[c] In cod. Vat. bas. hîc & infrà, *neque filius hominis.* Abest vox *hominis* à ceteris, non hoc solùm libro, sed & nono, eâque sublatâ locus allatus prima fronte plus Arianis favet.

[d] Hîc & deinceps editi juxta Vulgatam, *qui me videt, videt.* At meliores mss. constanter juxta græcum textum ceterosque Patres Hilario æquales, *qui me vidit, vidit.*

[e] In vulgatis hîc, *& iterum;* ac paulò pòst, *& iterum de die.* Utroque in loco abest vox *iterum* à castigatioribus mss. & abesse debet: non enim hîc congeries est testimoniorum in unam rem collectorum, sed quatuor loci quatuor aliis oppositi.

[f] Ex meliorum mss. consensu expuncta est hîc vox *illa*, quamvis exstet superiori numero. Sic lib. 9. n. 2. eadem exprimitur, reticetur verò num. 57. ut & in Psal. 142. n. 2.

[g] In vulgatis, *videtur.* Meliùs *videretur* in plerisque mss. Hæc enim, ut superiora atque subsequentia, uno tenore proferuntur ex sententia adversariorum.

[h] Remigianus codex vetustior, *tum eumdem hunc.*

[i] Additur *Dei* in vulgatis: quæ vox neque in mss. exstat, nec in græco textu.

[k] In uno è mss. Colb. *recesserunt.*

querelæ & adhortationi, diffidentiæ & intercessioni; divinæ professionis naturæque immemores, ad argumentum impietatis suæ, dispensationis gesta & dicta tenuerunt. Itaque nos demonstratis omnibus, quæ in sacramento & animæ & corporis Domini Jesu Christi sunt, [a] nihil inexploratum, nihil tacitum dereliquimus: sed dictorum omnium pacificam intelligentiam singulis quibusque causarum generibus coaptantes, nec trepidare fiduciam, nec evitare voluntatem, nec conqueri securitatem, nec commendationem sui orantem, aliis veniam desiderasse monstravimus: fidem dictorum universorum absolutâ evangelici mysterii prædicatione firmantes.

Liber XI. alia hæreticorum argumenta refellit.

33. Igitur quia desperatissimos homines ne ipsa quidem resurrectionis gloria intra religionis intelligentiam edoctos cohibuit, sed aut per dignationis professionem, impietatis suæ arma sumserunt, aut [b] sacramenti revelationem ad Dei contumeliam transtulerunt: ut per id quod dictum est, *Adscendo ad patrem meum & ad patrem vestrum, ad Deum meum & ad Deum vestrum*, dum communis nobis atque ipsi & Pater pater est, & Deus Deus est, extra exceptionem veri Dei sit in professione communi, eumque sicuti nos & creationis necessitas creatori Deo subdat, & adoptio assumat in filium; jam verò nulla in eo divinæ naturæ proprietas existimanda sit, secundùm Apostoli dictum, *Cùm autem dixerit, Omnia* [c] *subjecta sunt, præter eum qui subjecit ei omnia;* [d] *cùm enim fuerint subjecta ei omnia, tunc & ipse subjicietur ei qui ei subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus:* quia subjectio & infirmitatem subjecti protestetur, & dominantis significet potestatem: in his quoque cum summa religionis demonstratione tractandis liber undecimus occupatur, etiam ex his ipsis dictis apostolicis demonstrans, non modò non ad divinitatis infirmitatem subjectionem proficere, sed per eam ipsam * veritatem Dei, [e] quia ex Deo sit natus, ostendi: & per id, quòd sibi ac nobis & Pater pater est & Deus Deus est, nobis multum acquiri, & ei nihil detrahi; cùm scilicet homo natus, & universis carnis nostræ passionibus functus, ad Deum & Patrem nostrum [f], ut homo noster in Deum glorificandus adscenderet.

Joh. 20. 17. — *1. Cor. 15. 27. & 28.* — ** supple, subjectionem.*

Liber XII. Arianam hæresim apertiùs expugnat.

34. Quod autem in omni genere doctrinarum observari semper meminimus, ut si qui diu tenui primùm exercitatione longoque usu humilioris studii fuerint eruditi, tum jam ad rerum ipsarum, quibus imbuti sunt, experimenta mittantur; ut cùm jam bene luserint bella militaturi, in militiam protrahantur; aut cùm forenses lites [g] scholaris materiæ tentaverint, tunc mittantur ad tribunalium pugnas; aut cùm in stagnis domesticis navim nauta intrepidus instruxerit, tunc magni & peregrini maris committatur procellis: id ipsum nos in hac maxima & gravissima totius fidei intelligentia facere curavimus. Namque cùm antea à levibus initiis de nativitate, de nomine, de divinitate, de veritate fidem teneram imbuissemus, ac leni profectu etiam usque ad evellendas omnes hæreticorum occasiones, legentium studia extulissemus; tum eos jam ad ipsam palæstram gloriosi certaminis magnique produximus: ut in quantum ad æternæ [h] nativitatis complectendam intelligentiam humana mens communis sensus opinione deficitur, in tantum studiis divinis ad sentienda ea, quæ ultra naturæ nostræ opinionem sunt, niterentur; quæstionem hanc maximè dissolventes, quæ sæcularis sapientiæ [i] hebetudine invalescens, de Domino Jesu ratione se putet dicere, *Erat quando non erat*, & *Non fuit ante quàm nasceretur*: &, *De non exstantibus factus est*: ut quia nativitas eam videatur afferre causam, ut esset qui non erat, & cùm non exsisteret nasceretur; per id quoque unigenitum Deum sensui temporum subdant: (quasi verò non fuisse eum aliquando, fides ipsa & ratio nativitatis ostendat) atque ideo ex eo quod non fuit, natum esse dicant, quia nativitas præstet esse quod non fuit. Sed nos apostolicis atque evangelicis testimoniis semper Patrem, semper Filium prædicantes, non post aliqua Deum omnium, sed ante omnia esse docebimus: neque incidere in eum irreligiosæ hujus intelligentiæ temeritatem, ut de non exstantibus nasceretur, & non fuerit ante quàm natus sit; sed ita semper fuisse, ut & natum prædicemus; ita verò natum esse, ut semper fuisse manifestemus: sitque in eo non innascibilitatis exceptio, sed nativitatis æternitas; quia & nativitas auctorem habeat, neque careat æternitate divinitas.

Arianum dogma. — *Filium Dei ita natum esse ut semper fuerit.*

35. Et quia dicti prophetici inscii, & cælestis doctrinæ imperiti sunt; corrupto sensu ac proprietate sententiæ creatum esse per id Deum potiùs quàm natum affirmare nituntur, quia dictum est, *Dominus creavit me* [k] *in initium*

Exponuntur verba Dominus creavit me, &c. Prov. 8. 22.

[a] Removimus hinc verba, *ad sacramenti religionem*, quæ non reperimus nisi in uno ms recentiore Colb. & supervacanea videntur: cùm declaret Hilarius simpliciter se singula adversariorum objecta diluisse, nullum dissimulasse.

[b] Bad. & Er. cum uno ms. Colb. *sacramentum revelationis*. Lips. & Par. *sacramenti revelationes*. Vat. bas. ms. *sacramenti religionem*. Veriùs alii, *sacramenti revelationem*, scil. Verbi in carne manifestationem, quod juxta Apostolum sacramentum est à sæculis absconditum.

[c] Editi hîc adjiciunt pronomen *ei*, quod lib. 11. omittunt. Utroque in loco sibi constant mss.

[d] Verba, *cùm enim fuerint subjecta ei omnia*, hîc plures probæ notæ mss. libro autem 11. n. 8. & 22. omnes omittunt.

[e] In ms. Vat. bas. aliisque potioribus, *qui ex Deo sit natus*: non alio sensu. Contendit porro Hilarius Filium ideo subjectum, quia natus sit; inde verò quòd natus ex Deo sit, veram Dei naturam obtinere.

[f] Aut hîc supplendum verbum *adscenderit*, quò probet Hilarius nobis multùm acquiri; cùm Christus adscenderit, *ut homo noster glorificandus in Deum adscenderet*: quo modo superiùs n. 11. dixit, *Verbum Deus caro factum est, ut per Deum Verbum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum.* Aut sequens particula *ut* non est causativa, sed illud *ut homo noster*, perinde est ac, *tamquam homo nostra natura*: quod qui malet, mox pro *adscenderet*, legendum ei *adscenderit*; aut certè cum Carnutensi codice *adscendit*.

[g] Ita plures mss. Alii verò cum vulgatis, *scholares*.

[h] In ms. Vat. bas. *divinitatis*: corruptè. Mox in aliquot aliis, *deficit*, pro *deficitur*: ex scioli temeritate. Ita enim apud Ciceronem, *Mulier abundat audaciâ, consilio & ratione deficitur.*

[i] Veteres libri *hebitudine*: ex quo in uno Remig. pravè confectum est *habitudine*.

[k] Bad. Er. & Lips. *initium*, sine *in*, consentientibus aliquot antiquis libris cum LXX. At particulam *in* addendam esse liquet tum ex subnexis, tum ex lib. 12. n. 35. Unde in ms. bas. Vat. & aliis legitur, *in initio*.

viarum suarum in opera sua: ut sit ex communi creationum naturâ, licèt sit præstantior in genere creationis; neque in eo sit gloria divinæ nativitatis, sed virtus potentis creaturæ. Verùm nos nihil novum, nihil extrinsecùs præsumtum afferentes, ipso illo Sapientiæ testimonio veritatem dicti rationemque præstabimus, neque ad nativitatis divinæ & æternæ intelligentiam trahi posse, quòd in initium viarum Dei & in opera sit creatus, quia non idem sit in hæc creatum esse, & ante omnia natum esse: cùm ubi nativitatis significatio est, sola nativitatis professio est; ubi verò creationis est nomen, ibi causa ejusdem creationis anterior est: & cùm ante omnia sit nata Sapientia, tamen quia etiam in res aliquas sit creata, non idipsum sit id quod ante omnia est, & quod cœpit esse post aliqua.

Liber XII. quæ de Spiritu-sancto confitenda sunt aperit.

36. Dehinc consequens visum est, creationis nomine à fide, quæ nobis de unigenito Deo est, repudiato, ea quoque quæ confessioni sancti Spiritûs congrua ac religiosa essent, docere: ut jam confirmatis longo anteriorum libellorum diligentique tractatu, nihil de totius fidei absolutione deesset, cùm amotis vitiosarum prædicationum etiam de opinione sancti Spiritus irreligiositatibus, illæsum atque incontaminatum regenerantis Trinitatis sacramentum intra definitionem salutarem apostolica atque evangelica auctoritas contineret: neque jam per sensus humani sententiam Spiritum Dei inter creaturas quisquam auderet referre, quem ad immortalitatis pignus, & ad divinæ incorruptæque naturæ consortium sumeremus.

Gratia ad rectè scribendum necessaria imploratur.

37. Ego quidem hoc vel præcipuum vitæ meæ officium debere me tibi, Pater omnipotens Deus, conscius sum, ut te omnis sermo meus & sensus loquatur. Neque enim ullum aliud majus præmium hic ipse usus mihi à te concessus loquendi potest referre, quàm ut prædicando te tibi serviat, teque quod es, patrem, patrem scilicet unigeniti Dei, aut ignoranti sæculo, aut neganti hæretico demonstret. Et in hoc quidem tantùm voluntatis meæ professio est: ceterùm auxilii & misericordiæ tuæ munus orandum est, ut extensa tibi fidei nostræ confessionisque vela flatu Spiritus tui impleas, nosque in cursum prædicationis initæ propellas. Non enim nobis infidelis sponsionis istius auctor est, dicens, *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Luc. 11. 9. Nos quidem inopes ea quibus egemus precabimur, & in scrutandis Prophetarum tuorum Apostolorumque dictis studium pervicax afferemus, & omnes obseratæ intelligentiæ aditus pulsabimus: sed tuum est, & oratum tribuere, & quæsitum adesse, & patêre pulsatum. Torpemus enim quodam naturæ nostræ pigro stupore, & ad res tuas intelligendas intra ignorantiæ necessitatem ingenii nostri imbecillitate cohibemur: sed doctrinæ tuæ studia ad sensum nos divinæ cognitionis instituunt, & ultra naturalem opinionem fidei [a] obedientia provehit.

38. Exspectamus ergo ut trepidi hujus cœpti exordia incites, & profectu accrescente confirmes, & ad consortium vel prophetalis vel apostolici spiritus voces: ut dicta eorum non alio quàm ipsi locuti sunt sensu apprehendamus, verborumque proprietates iisdem rerum significationibus exsequamur. Locuturi enim sumus, quæ ab iis in sacramento prædicata sunt, te æternum Deum, æterni unigeniti Dei patrem: & unum te sine nativitate, & unum Dominum Jesum Christum ex te nativitatis æternæ, non in [b] deorum numerum veritatis diversitate referendum: neque non ex te genitum, [c] qui Deus unus es, prædicandum; neque aliud quàm Deum verum, qui ex te Deo vero patre natus est, confitendum. Tribue ergo nobis verborum significationem, intelligentiæ lumen, dictorum honorem, veritatis fidem: & præsta, ut quod credimus, & loquamur; scilicet, ut contingat nobis, unum te Deum patrem & unum Dominum Jesum Christum de Prophetis atque Apostolis cognoscentibus, nunc adversùm negantes hæreticos, ita [d] Deum & te celebrare, ne solum; & eum prædicare, ne falsum.

[a] In cod. Vat. bas. *obedientiam protrahunt*, malè. Quomodo autem fides nos provehat ad id, quod naturalis sensus non attingit, superiùs jam observatum.

[b] Vetustus codex Colb. cum Germ. uti præmonuimus num. 11. *non in duorum numerum.*

[c] Ms. Vat. bas. *quia Deus.* Mox Carn. & nonnulli alii, *neque in aliud*; postea, ubi *ex te Deo vero patre*, abest *Deo* à plerisque mss.

[d] In vetusto codice Colb. *ita & Deum te.* Meliùs alii ita *Deum* collocant, ut hæc vox & ad *te* & ad *eum* æquè referatur. Mox in Carnut. & aliis, *nec solum, nec falsum*: minùs sincerè. Hoc enim sibi vult: ita & te celebrare Deum, ut non solitarium credamus, & eum prædicare Deum, ut non falsum cogitemus. Tum in Corb. adjicitur clausula *Amen.*



LIBER SECUNDUS.

De veritate Trinitatis generatim, & de singularum personarum dignitate & officio nominatim disserit. Ac primò quidem declarat Hilarius tanti mysterii notitiam in baptismo traditam sufficere. Tum de hæresum origine, deque hæreticis Trinitatis fidem infestantibus pauca prælocutus, ad scribendum de tam reconditis rebus invitum se ac trementem adduci pluribus protestatur. Hinc ubi aperuit de Patre quid sentiat, verbis rem ut est non satis explicari ostendit. Deinde quid sit quidve non sit Filius exponit; & arguit eos, qui iniquè ferunt se generationis illius sacramentum capere non posse; cùm tot aliis in rebus, etiam suis, æquanimiter imperiti sint. Hanc verò inenarrabilem Filii Dei generationem sapientibus sæculi, scribis legis, & hæreticis ignoratam, divinâ illius naturâ prius paucis demonstratâ, verbis Piscatoris explicat.

Postea fidem Scripturis fundatam commendans, eam medicamento comparat medendis omnibus morbis idoneo, idque confirmat allatis Scripturæ testimoniis, quibus Sabellii simul & Hebionis Arianorumque commenta debellantur. Non tacet quædam de Christo in Scripturis memorari, quæ Deo indigna videantur; sed in iis ipsis, quæ humani generis causâ pertulisse narratur, ostendit non deesse potestatis ac dignitatis signa, quibus eum verè Deum esse doceamur.

Tandem Spiritum-sanctum exsistere à Patre & Filio distinctum probat, & eorum scrupulum levat, qui hoc aut ignorant aut ambigunt, quia Spiritus *voce Patrem aut Filium frequenter intelligi videant. Præterea demonstratur Spiritus-sancti divina natura, officium, quàm necessarium nobis sit illius donum, quove studio promerendum.*

Quòd sufficiat Trinitatis notitia in baptismo tradita. *Matth. 28. 19. & 20.*

1. SUFFICIEBAT credentibus Dei sermo, qui in aures nostras Evangelistæ testimonio cum ipsa veritatis suæ virtute transfusus est, cùm dicit Dominus, *Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, docentes eos servare omnia quæcumque* [a] *mando vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque in consummationem sæculi.* Quid enim [b] in eo de sacramento salutis humanæ non continetur? aut quid est, quod sit reliquum aut obscurum? Plena sunt omnia ut à pleno, [c] & à perfecto perfecta. Nam & verborum significationem, & efficientiam rerum, & negotiorum ordinem, & naturæ intelligentiam comprehendunt. Baptizare jussit *in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti*, id est, in confessione & auctoris, & [d] unigeniti, & doni. Auctor unus est omnium. Unus est enim Deus Pater, ex quo omnia; & unus Unigenitus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia; & unus Spiritus, donum in omnibus. Omnia ergo sunt suis virtutibus ac meritis ordinata: [e] una potestas ex qua omnia, una progenies per quam omnia, perfectæ spei munus unum. Nec deesse quidquam consummationi tantæ reperietur, intra quam [f] sit, in Patre & Filio & Spiritu-sancto, infinitas in æterno, species in imagine, usus in munere.

Plura de ea differere cogit hæreticorum vitium.

2. Sed compellimur hæreticorum & blasphemantium vitiis, illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcessa præsumere. Et cùm sola fide expleri quæ præcepta sunt oporteret, [g] adorare videlicet Patrem, & venerari

[a] Editi, *mandavi:* reluctantibus mss.

[b] Ita mss. antiquiores Colb. Carn. Germ. &c. Alii cum vulgatis, *in eodem sacramento.*

[c] Mss. bas. Vat. Carnut. cum paucis aliis, *& perfecto profecta.*

[d] Duo mss. Colb. & Germ. *unigeniti Dei.*

[e] Apud Bad. Er. & Lips. & in recentiore ms. Colb. *una potestas innascibilis:* glossema.

[f] Er. *intra quam non sit:* perperam additâ particulâ negante & renitentibus mss. Mox pro *infinitas in æterno*, Augustinus lib. 6. de Trin. c. 10. legit, *æternitas in Patre.* Quam ille hujus loci explicationem ibidem cum Hilarii laude subjicit, potest quisque commodè consulere, & longum esset huc adsciscere. Nec dubium est referri *intra quam* ad consummationem, idque dictum esse vel de consummata ac perfecta Patris & Filii & Spiritus-sancti prædicatione, vel etiam de hominis spe, ad cujus beatitudinem nihil desiderandum sit, utpote cui in Patre æterno promittatur beatitudinis infinitas; in Filio, qui pulcherrima ac numeris omnibus absoluta Patris imago est, id præstandum sit quo præclarius atque jucundius nihil sub adspectum cadere possit; in Spiritu-sancto, qui Patris & Filii donum ac munus est, utriusque sit impertienda fruitio. Quamvis enim Theologi post Augustinum verba *uti* ac *frui* distinxerint, & usum retulerint ad res creatas, fruitionem ad Creatorem; hanc tamen distinctionem ignoravit Hilarius, qui etiam respectu Dei verbum *uti* indifferenter adhibet. v. g. in Psal. 2. n. 15. *In sensum nos atque usum beatæ suæ bonitatis assumit:* & num. 16. *Qui nos per benevolentiam utendæ beatitudinis suæ creasset ..... per spem promerendæ & utendæ bonitatis suæ,* &c. Denique cùm lib. 1. n. 36. docet Spiritum-sanctum inter creaturas referre nefas esse, *quem ad immortalitatis pignus & ad divinæ incorruptæque naturæ consortium sumeremus;* satis declarat quid hîc sibi velit *usus in munere*, nimirum Spiritum-sanctum esse Patris & Filii munus, cujus beneficio immortalitatis pignus & divinæ incorruptæque naturæ consortium sumimus. Ex hac explicatione ruere putamus opinionem Erasmi, cui lapsus videbatur Hilarius, quòd cùm græcè forsitan legisset τὸ χρηστότητα sive τὸ χρηστόν, verterit *usus in munere*, quamvis ea vocabula *bonitatem, comitatem & suavitatem* magis sonent. Sed divinat Hilarium è Græcis sua verba esse mutuatum: & perperam vult antiquos nostris verbis de Spiritus-sancti proprietate locutos esse.

[g] Apud Bad. Er. & in mss. Remig. Corb. Pratel. & aliis ante *adorare* præfixum est *personis & rebus*, quod rectiùs abest ab antiquioribus libris.

cum

cum eo Filium, sancto Spiritu abundare; cogimur sermonis nostri humilitatem ad ea quæ inenarrabilia sunt extendere, & in vitium vitio coartamur alieno: ut quæ [a] contineri religione mentium oportuissent, nunc in periculum humani eloquii proferantur.

Hæresis è Scriptura perperam intellecta nascitur.

3. Exstiterunt enim plures, qui cælestium verborum simplicitatem pro voluntatis suæ sensu, non pro veritatis ipsius absolutione susciperent, aliter interpretantes quàm dictorum virtus postularet. De intelligentia enim hæresis, non de Scriptura est: & [b] sensus, non sermo fit crimen. Numquid corrumpi veritas potest? Cùm patris nomen auditur, numquid natura filii non continetur in nomine? Numquid Spiritus-sanctus non erit, qui nuncupatur? Neque enim in Patre potest non esse quod pater est, neque in Filio deesse quod filius est, neque in Spiritu-sancto non exstare quod sumitur. Sed homines [c] mente perversi omnia confundunt & implicant, & usque ad naturæ demutationem sensus sui perversitate contendunt; ut quod pater est Patri adimant, dum volunt Filio auferre quod filius est. Adimunt autem, [d] quando cum his non de natura fit filius. Non ex natura autem est, quando non eadem in se habet ortus, & generans. Neque enim filius est, cui alia ac dissimilis erit à patre substantia. Pater autem quomodo erit, si non quod in se substantiæ atque naturæ est, [e] agnoscat in filio?

Hæreticorum doctrinæ novæ, Sabellii,

4. Hæc igitur licèt mutare de eo quod sint nullo modo possint, afferunt tamen doctrinas novas & humana commenta: ut Sabellius Patrem extendat in Filium, idque nominibus potiùs confitendum putet esse quàm rebus, cùm ipsum sibi filium, ipsum proponat & patrem: ut Hebion omne initium [f] filio Dei ex Maria concedens, non ex Deo hominem, sed ex homine Deum proferat; neque subsistens antea quod in principio apud Deum erat Deus Verbum virgo [g] susceperit, sed carnem genuerit per verbum; quia in Verbo antea [h], non exsistentis unigeniti Dei naturam dicat, sed sonum vocis elatum: ut aliqui hujus nunc temporis prædicatores, qui ex nihilo atque à tempore formam & sapientiam & virtutem Dei

Hebionis, Arianorum,

A provehunt; ne si ex Patre sit Filius, Deus sit imminutus in filium; solliciti nimiùm, ne Patrem Filius ab eo natus evacuet: atque idcirco Deo in filii creatione subveniant, eum ex non exstantibus comparando, ut intra naturæ suæ perfectionem Pater, quia nihil ex eo sit genitum, perseveret. Jam verò quid mirum, ut de Spiritu-sancto diversa [i] sentiant, qui in largitore ejus creando, & demutando, & abolendo tam temerarii sint auctores? atque ita B dissolvant perfecti hujus sacramenti veritatem, dum [k] substantias diversitatum in rebus tam communibus moliuntur: Patrem negando, dum Filio quod est filius adimunt; Spiritum-sanctum [l] negando, dum & usum & auctorem ejus ignorant. Ita & imperitos perdunt, dum rationem prædicationis hujus affirmant; & audientes fallunt, dum naturam nominibus adimunt, quia nomina non possunt auferre naturæ. Prætermitto reliqua humani periculi no- C mina, Valentinos, Marcionitas, Manichæos, pestesque ceteras, quæ interdum imperitorum mentes occupant, & ipso contagio conversationis inficiunt: fitque omnium lues una, dum in audientium sensum prædicantium morbus infunditur.

Pneumatomachorum.

De divinis sermonem quàm ægre ac tremens instituat Hilarius.

5. Horum igitur infidelitas in anceps nos [m] ac periculum protrahit, ut necesse sit de tantis ac tam reconditis rebus aliquid ultra præscriptum cæleste proferre. Dixerat Domi- D nus baptizandas gentes *in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti*. FORMA FIDEI certa est: sed quantum ad hæreticos omnis sensus incertus est. Ergo non præceptis aliquid addendum est, sed modus est constituendus audaciæ: ut quia malignitas instinctu diabolicæ fraudulentiæ excitata veritatem rerum per naturæ nomina eludit, nos naturam nominum proferamus; & editis, prout in verbis habebimus, dignitate atque officio Patris, Filii, E Spiritus-sancti, non frustrentur naturæ proprietatibus nomina, sed intra naturæ significationem nominibus coartentur. Et nescio quid de his rebus aliter sentientibus animi sit, veritatem corrumpentibus, tenebras luci inferentibus, insecabilia desecantibus, incorrupta scindentibus, indivisa partientibus.

[a] In duobus vetustis mss. Colb. ac Germ. *confiteri*.

[b] In ms. Vat. bas. *sensui, non sermoni*: corruptè. Hilarium imitatur Ambrosius lib. 2. de fide c. 1. ubi habet: *Apices sine crimine sunt, sensus in crimine*. Similis est alter locus lib. 2. ad Const. n. 9. ubi de hæreticis primò ponitur, *Omnes Scripturas sine sensu Scriptura loquuntur*; ac deinde subjicitur, *Scriptura enim non in legendo sunt, sed in intelligendo, neque in prævaricatione sunt, sed in caritate*. Hinc autem, ut lib. 7. n. 4. explicatur, maximè oritur prava illa intelligentia, *dum quod legitur, sensui potiùs* (præconcepto) *coaptatur, quàm lectioni sensus obtemperat*.

[c] Abest *mente* ab antiquioribus libris. Tum Vat. bas. codex habet *perversè*: Carnut. *per se*.

[d] Particulam *quando* à Lipsio præter fidem veterum librorum expunctam restituimus. Mox apud Bad. Er. & Par. *sit filius*. At in potioribus mss. *fit filius*: non malè. Hoc enim loquitur Hilarius ex sententia Arianorum, qui Filium factum volebant. Quippe particula *cum*, pro *secundùm*, ipsi valde familiaris est.

[e] Ms. Carnut. à secunda manu antiqua, *genuerit in Filio*: quæ deinde lectio in recentioribus mss. necnon apud Bad. Er. & Lips. obtinuit.

[f] Hæc verba *filio Dei* non exstant in vetustis mss. Vat. bas. Colb. Carnut. &c. Deinde illud, *non ex Deo hominem* &c. id est, nolit Christum, cùm priùs Deus esset, factum esse hominem, sed postea quàm factus est homo, evasisse Deum. Ad plurium locorum intelligentiam juverit hanc particulæ *ex* vim annotare.

[g] Edit. *in carne susceperit*. Expunctum est *in carne* auctoritate mss.

[h] Supple, *quàm Maria genuerit carnem*. Hoc porro sibi vult, Hebionem *verbi* nomine, ante quàm Maria genuerit, intelligere externum vocis sonum, non exsistentis seu subsistentis unigeniti Dei naturam. Hinc rectiùs cum mss. *antea non*, quàm cum vulgatis *non antea* hîc legere est.

[i] Editi ex unico recentiore ms. Colb. *diversa nunc sentiant*. Mox Bad. Er. & Lips. ex eodem ms. *qui in largitore ejus & auctore creando* &c. Filium Spiritus-sancti *auctorem* ab Hilario vocari certiùs mox ex consensu omnium sive scriptorum sive editorum codicum habebimus. Hæc de Arianis, non de Macedonianis dici ostendimus in Admonitione.

[k] Mallet quis *substantiarum diversitates*: sed plura hujusmodi troporum exempla jam advertimus. Unus ille locus idoneus est evincere quàm indubitata Hilario fuerit Patris & Filii & Spiritus-sancti consubstantialitas, cùm apertè respuat substantiarum diversitates in tribus rebus substantiâ tam communibus. Unde & infrà num. 5. aliter sentientes sic habet, ut qui tenebras luci inferant, insecabilia desecent, incorrupta scindant, indivisa partiantur.

[l] Sic vetustiores mss. bas. Vat. Colb. Carnut. &c. At Corb. & recentiores cum vulgatis hîc, pro *negando*, exhibent *nesciendo*. Non obscurum est Filium Spiritûs-sancti auctorem hîc vocari, eosque Spiritûs-sancti usum, id est, consortium ignorare, qui Filium ignorant, à quo ille est ac nobis datur.

[m] Particula *ac* restituitur ex mss.

[a] Quibus si tantum factu facile est perfecta concerpere, jus ponere potestati, modum circumscribere infinito: mihi certè his respondenti in curis æstus est, in sensu * labes est, in intelligentia stupor est; in sermone autem non jam infirmitatem, sed silentium confitebor. Et certè mihi extorquetur hoc velle, dum & audaciæ resistitur, & errori consulitur, & ignorantiæ providetur. Immensum est autem quod exigitur, incomprehensibile est quod audetur; ut ultra præfinitionem Dei, sermo de Deo sit. B Posuit naturæ nomina, Patrem, Filium, Spiritum-sanctum. Extra significantiam sermonis est, extra sensûs intentionem, extra intelligentiæ conceptionem, quidquid ultrà quæritur; non enuntiatur, non attingitur, non tenetur. Verborum significantiam rei ipsius natura consumit, sensûs contemplationem imperspicabile lumen obcæcat, intelligentiæ capacitatem quidquid fine nullo continetur excedit. C Sed nos necessitatis hujus ab eo, qui hæc omnia est, veniam deprecantes, audebimus, quæremus, loquemur: &, quod solum in tanta rerum quæstione promittimus, ea quæ erunt significata credemus.

* f. tabes.

Unde illius fiducia.

Patris notio.

6. Pater est, ex quo omne quod est [b] constitit. Ipse in Christo & per Christum origo omnium. Ceterùm [c] ejus esse in sese est, non aliunde quod est sumens, sed id quod est, ex se atque in se obtinens. Infinitus, quia non ipse in aliquo, sed intra eum omnia; semper D extra locum, quia non continetur [d]; semper ante ævum, quia tempus ab eo est. Curre sensu si quid ei putas ultimum esse, eum semper invenies: quia cùm semper intendas, semper est quod intendas. Semper autem locum ejus intendere ita tibi est, ut ei esse sine fine est. Sermo in eo deficiet, non natura claudetur. Iterum revolve tempora, esse semper invenies: & cùm calculi numerus in sermone defecerit, Deo tamen semper esse non deficit. E Intelligentiam commove, & totum mente complectere; nihil tenes. Totum hoc habet reliquum, reliquum autem hoc semper in toto est. Ergo neque [e] totum, cui reliquum est; neque reliquum est A [f] omne, quod totum est. Reliquum enim, portio est; omne verò, quod totum est. Deus autem & ubique est, & totus ubicumque est. Ita [g] regionem intelligentiæ excedit, extra quem nihil est, & cui est semper ut semper sit. Hæc veritas est sacramenti Dei, hoc imperspicabilis naturæ nomen in Patre. Deus invisibilis, ineffabilis, infinitus: ad quem & eloquendum sermo sileat, & investigandum sensus hebetetur, & complectendum intelligentia coartetur. Habet B tamen, ut diximus, naturæ suæ nomen in patre: sed pater tantùm est. Non enim humano modo habet aliunde quòd pater est. [h] Ipse ingenitus, æternus, habens in se semper [i] ut semper sit. Soli Filio notus: quia Patrem nemo novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare; neque Filium nisi Pater: illis scientia mutua est, illis vicissim cognitio perfecta. Et quia Patrem nemo novit nisi Filius, de Patre unà [k] cum revelante Filio, qui solus testis fidelis C est, sentiamus.

Matth. 11. 25.

Ineffabilis est.

7. Atque hæc senserim potiùs de Patre, quàm dixerim: nam me non fugerit, quòd ad ea quæ ejus sunt eloquenda, sermo omnis infirmus sit. [l] Sentiendus est invisibilis, incomprehensibilis, æternus. Ceterùm ipsum quòd [m] in semetipso, & à semetipso sit, & ipse per se sit; quòd invisibilis, & incomprehensibilis, & [n] immortalis: in his quidem honoris confessio est, & sensûs significatio, & quædam cir- D cumscriptio opinandi, sed naturæ sermo succumbit, & rem ut est verba non explicant. Namque quòd in semetipso sit cùm audias, [o] rationi humanæ absolutio non occurrit; habere enim haberique discernitur, & erit alterum quod est, alterum in quo est. Si rursum quòd à semetipso sit accipias; [p] nemo sibi ipse & munerator & munus est. Si quòd immortalis est; ergo est aliquid non ab eo, [q] cui alter non fiat obnoxius: nec solum id est, quod E per enuntiationem verbi hujus vindicatur ab altero. Si quòd incomprehensibilis est: nusquam ergo erit, quod negatur attingi. Si quòd invisibilis est, caret se ipso quidquid non exstat ad visum. Deficit ergo in nuncupatione

[a] Recentior mſ. Colb. glossematîs fœdatus, & ex eo Bad. & Er. *quibus si factu facile esset, cuperent perfecta concerpere.* Lipſ. & Par. *quibus facile est perfecta concerpere:* castigantur ex ceteris mſſ. Deinde pro *jus ponere*, habet Vat. baſ. codex *finem ponere.*

[b] Sic mſſ. At editi, *consistit.* Tum in vetusto codice Remig. *Ipse in Christo & per Spiritum.* Patri autem proprium est esse originem omnium, *quòd*, inquit Augustinus Ser. 71. num. 26. *ab illo sit origo operum, à quo est exsistentia cooperantium personarum.*

[c] Ita duo mſſ. Colb. totidemque Vaticani, necnon in excerpto, quod ex hoc loco ad calcem libri in Constantium translatum est. At in vulgatis desideratur *ejus:* quæ vox sola, sine *esse*, exstat in vetustioribus mſſ. Colb. Remig. Corb. Faur. Prat. Carnut. Et in hoc quidem, pro *ejus*, ab antiqua manu secunda repositum est *is:* quod & inde in posterioribus mſſ. expressum est. Mox in vulgatis *continens*, pro *obtinens.*

[d] Additum est hîc in vulgatis ex recentioribus mſſ. *in loco*, majoris perspicuitatis gratiâ. Tum mſ. baſ. Vat. *semper extra ævum.*

[e] Editi, *totum ei est, cui.* Expunximus *ei est* meliorum mſſ. auctoritate.

[f] Bad. *cui est omne quod est totum est.* Er. Lipſ. & Par. *cui omne quod est totum est.* Recentiores mſſ. *cui est omne quod totum est.* Veram lectionem exhibent castigatiores libri.

[g] Ita plerique mſſ. cum Bad. Er. & Lipſ. At Par. cum duobus mſſ. Colb. & uno Sorbon. *religionem intelligentiæ.* Alius verò Colb. & Vat. baſ. *rationem intelligentiæ.*

[h] Removimus hinc, *sed potens in semetipso habere quod pater est:* quod non exstat nisi in perpaucis, iisque infimæ ætatis mſſ. Porro, si bene sapimus, Pater æternus hîc prædicatur non habere aliunde quo sit, & aliunde quo pater sit, sed eo ipso quo pater est in natura sua constitui; proindeque abesse ab hominum more, qui non fiunt patres statim atque constituuntur homines.

[i] Editi, *ut pater semper sit:* refragantibus mſſ. Neque jam Pater ut pater spectatur, sed ut æternus.

[k] Bad. Er. ac deterioris notæ mſſ. *unà cum Filio revelante Filio;* quod & in postrema edit. Par. malè restitutum erat. Hoc enim sibi vult: non alia de Patre sentiamus, quàm quæ Filius de eo revelavit.

[l] Pro *sentiendus est*, habet mſ. Vat. baſ. *de quo dictum est.*

[m] Omnes mſſ. uno excepto omittunt *in semetipso.*

[n] In mſſ. *æternus.*

[o] Par. cum antiquis libris, *rationi humanæ absolutionis occurrit.* In mſſ. tamen Carnut. & Corb. pro *rationi* superscripsit secunda manus, *ratio:* quam lectionem in posterioribus mſſ. exscriptam secuti sunt Bad. Er. & Lipſ. Emendantur ex pervetusto codice Vat. baſ. Porro *absolutio* hîc idem est quod enuntiatio omni ambiguitate absoluta, quæ rei naturam clarè ac distinctè exprimat.

[p] id est, videtur repugnare, ut idipsum sibi det esse, simul & accipiat.

[q] In mſ. baſ. Vat. *ante* pro *alter.* In vetustiore Colb. & Germ. *à te.* Mallemus *à se:* quia scil. verbo *immortalis* significatur mors tamquam aliquid cui Pater ex natura sua non sit obnoxius: proindeque si solum vocis sonum spectas, præter Patrem videtur esse ipsa mors à qua ille *vindicatur*; pro quo verbo in mſ. baſ. Vat. est, *vincatur*, & in vetustiore Remig. *indicatur de altero.* Retinenda lectio vulgata.

confessio, & quidquid illud sermonum aptabitur, Deum ut est, quantusque est, non eloquetur. Perfecta scientia est, sic Deum scire, ut licèt non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias. Credendus est, intelligendus est, adorandus est; & his officiis eloquendus.

Dei scientia perfecta.

8. Evecti de importuosis locis in altum turbato mari sumus, & nec regredi, nec progredi sine periculo licet: plus tamen difficultatis in emetiendis est, quàm emensis. Est Pater ut est, & ut est esse credendus est. Filium mens consternatur attingere, & trepidat omnis sermo se prodere. Est enim progenies ingeniti, unus ex uno, verus à vero, vivus à vivo, perfectus à perfecto, virtutis virtus, sapientiæ sapientia, gloria gloriæ, imago invisibilis Dei, forma patris ingeniti. Quam autem progeniem opinabimur unigeniti ab ingenito? Clamat enim sæpe numero Pater de cælis: *Hic est filius meus dilectus*, [a] *in quo bene complacui.* Non est abscissio, aut divisio: impassibilis est enim ille qui genuit, & imago invisibilis Dei est ille qui natus est; & testatur, *Quia Pater in me, & ego in Patre.* Non est assumtio: verus enim filius Dei est, & clamat, *Qui me vidit, vidit & Patrem.* Sed neque esse ut cetera jussus est: namque Unigenitus ex uno est, & in se habet vitam, ut habet in se vitam ille qui genuit; ait enim, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, ita dedit Filio habere vitam in semetipso.* Sed neque pars Patris [b] in Filio est: testatur enim Filius, *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt*; & rursum, *Et mea omnia tua sunt, & tua mea*; [c] &, *Quæcumque habet Pater, dedit Filio*; testatur & Apostolus, *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Neque naturâ habet omnia esse, [d] quod portio est. Perfectus autem à perfecto est: quia qui habet omnia, dedit omnia. Neque existimandus est non dedisse, quia habeat; vel non habere, quia dederit.

Filius quid sit. — *Matth. 3. 17.* — *a Quid non sit.* — *Joh. 10. 38.* — *Joh. 14. 9.* — *Joh. 5. 26.* — *b Joh. 16. 15.* — *Joh. 17. 10.* — *c Coloss. 2. 9.* — *d*

9. [e] Habent igitur nativitatis hujus uterque secretum. Et si quis fortè intelligentiæ suæ imputabit, generationis hujus sacramentum non posse se consequi, [f] cùm tamen & Pater sit absolutè intellectus & Filius; majore istud dolore à me audiet ignorari. Ego nescio, non requiro; & consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, sæcula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit. Cesset dolor querelarum. Non te, quisquis es qui hæc requires, revoco in excelsum, non in amplitudinem tendo, non deduco in profundum: nonne æquanimiter ignorabis Creatoris nativitatem, ignorans originem creaturæ? Hoc saltem requiro, sentisne te genitum, & quæ ex te generentur intelligis? Non quæro sensum unde hauseris, vitam unde sortitus sis, intelligentiam unde adeptus sis, quale est quod in te sit odor, sensus, visus, auditus; certè nemo quod facit nescit: quæro unde ista iis quos generes indulgeas, qualiter sensum inseras, oculos accendas, cor affigas. Hæc, si potes, enarra. Habes ergo quæ nescis, & tribuis quæ non intelligis: æquanimiter imperitus in tuis, insolenter in Dei rebus ignarus.

e Filii Dei generatio captum humanum superat. — *f* — *Multa alia superant.*

10. Audi igitur Patrem ingenitum, audi unigenitum Filium; audi, Pater major me est; audi, Ego & Pater unum sumus; audi, Qui me vidit, vidit & Patrem; audi, Pater in me est, & ego in Patre; audi, Ego de Patre exivi; [g] &, Qui est in sinu Patris; &, Omnia quæ habet [h] Pater, tradidit Filio; &, Vitam Filius in semetipso habet, sicut & Pater habet in semetipso; audi Filium imaginem, sapientiam, virtutem, gloriam Dei: & intellige [i] proclamantem Spiritum-sanctum, Generationem ejus quis enarrabit? & objurga Dominum testantem, Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare: & insere te in hoc secretum, & inter unum ingenitum Deum, & unum unigenitum Deum, arcano te inopinabilis nativitatis immerge. Incipe, procurre, persiste: etsi non perventurum sciam, tamen gratulabor profecturum. Qui enim piè infinita persequitur, etsi non contingat aliquando, tamen proficiet prodeundo. Stat in hoc [k] intelligentia fine verborum.

Generatio Dei quî piè & quo fructu investigetur. — *Joh. 14. 28.* — *Joh. 10. 30.* — *Joh. 14. 9.* — *Joh. 10. 38.* — *Joh. 16. 28.* — *g h Joh. 5. 26.* — *i Esai. 53. 8.* — *Matth. 11. 25.* — *k*

11. Est Filius [l] ab eo patre qui est, unigenitus ab ingenito, progenies à parente, vivus à vivo. Ut Patri vita in semetipso, ita & Filio data est vita in semetipso. Perfectus à perfecto, quia totus à toto; non divisio aut discissio, quia [m] alter in altero, & plenitudo divinitatis in Filio est. Incomprehensibilis ab incomprehensibili; novit enim nemo, nisi invicem. Invisibilis ab invisibili: quia imago Dei invisibilis est; & quia qui vidit Filium, vidit & Patrem. Alius ab alio; quia pater & filius: non natura divinitatis alia & alia; quia ambo unum. Deus à Deo, ab uno ingenito Deo unus unigenitus Deus; non dii duo, sed unus ab uno; non ingeniti duo, quia natus est ab innato; alter ab altero nihil differens, quia vita viventis in vivo est. Hæc de natura divinitatis attigimus,

l Filii natura. — *m*

[a] Editi, *in quo mihi bene*, &c. renitentibus veteribus libris.

[b] Mss. bas. Vat. cum Carnut. *pars Patris Filius est*: non malè.

[c] Non exstant hæc, &, *Quæcumque habet Pater, dedit Filio*, nisi in vulgatis & duobus mss.

[d] Sola editio Par. *proportio est*: malè.

[e] Reposuerat Lipsius, *habet*, reluctantibus aliis libris. Hîc respicitur illud Christi, *Patrem nemo novit nisi Filius, neque Filium quis novit nisi Pater* &c.

[f] Unus codex Colb. *cùm tunc tamen.* Mox editi cum recentioribus mss. *intelligendus.* Rectiùs in tribus Colb. necnon Carnut. Vat. bas. Germ. Sorbon. Remig. *intellectus.* Luculenter enim Patrem & Filium prædicat Evangelium, quamvis generationis modum silentio tegat. Itaque tenemus rem, nescimus modum.

[g] Mss. uno excepto non habent, &, *Qui est in sinu Patris.* Hic locus aliter affertur num. 23.

[h] Vocem *Pater* omittunt plerique mss. Deinde pro *Filio*, mss. Vat. bas. & Carn. exhibent *mihi.* Hunc locum non semel laudat Hilarius: at unde laudet, incertum. Videri posset illud Matth. 11. 25. *Omnia mihi tradita sunt à Patre*, vel ex sensu tantùm vel ex singulari versione memorare, nisi infrà lib. 6. n. 22. & alibi nobiscum consentiret.

[i] Ita mss. At editi, *per prophetam clamantem.*

[k] Par. cum mss. Colb. & Germ. *intelligentia.* Hic pius Præsul rationem videtur reddere, cur ad cognitionem arcani neminem perventurum esse dicat, quia videlicet investigationis illius finis erit intelligentia verborum, puta quòd in Deo sit verus Pater & verus Filius ejusdem cum Patre naturæ: sed ultrà progredi ad generationis modum non dabitur.

[l] Er. Lips. & Par. *ab eo qui Pater est*; obnitentibus aliis libris. Idem loquendi modus deinceps sæpius recurret, & aliud quid sonat. V. lib. 3. n. 22.

[m] Mss. Vat. bas. & Carnut. *alter ab altero*: minùs bene.

non summam intelligentiæ comprehendentes, sed intelligentes esse incomprehensibilia quæ loquamur. Nullum ergo, dicis, officium est fidei, si nihil poterit comprehendi. Immo hoc officium fides profiteatur, id unde quæritur incomprehensibile sibi esse se scire.

Fidei officium.

12. Superest de inenarrabili generatione Filii adhuc aliquid, immo aliquid illud adhuc totum est. Æstuo, differor, [a] hebesco, & unde incipiam nescio. Nescio enim quando natus sit Filius; & nefas est mihi nescire quòd natus sit. Quem imprecer? quem implorem? ex quibus libris ad tantarum difficultatum enarrationem verba præsumam? Evolvam omnem Græciæ scholam? Sed legi, *Ubi sapiens?* [b] *ubi conquisitor sæculi?* In hoc ergo sophistæ mundi & sapientes sæculi muti sunt; sapientiam enim Dei reprobaverunt. Scribam ergo legis consulam? Sed ignorat; quia ei crux Christi scandalum est. Hortabor fortè vos connivere & tacere, quia ad venerationem satis sit ejus qui prædicatur, leprosos emundatos fuisse, surdos audisse, claudos cucurrisse, paralyticos constitisse, cæcos lumen recepisse, cæcum ab utero oculos consecutum, dæmonas fugatos, ægrotos revaluisse, mortuos vixisse? Sed hæc hæretici confitentur, & pereunt.

Generatio Filii Dei, — Ignota sapientibus mundi, 1. Cor. 1. 20. — Scribis legis, — Miraculis non satis probata,

13. Exspectate itaque nihil minus claudorum cursu, cæcorum visu, fugâ dæmonum, vitâ mortuorum. Consistit enim mecum, in patrocinium editarum superiùs difficultatum, piscator egens, ignotus, indoctus, manibus lino occupatus, veste uvida, pedibus limo oblitus, totus è navi. Quærite & intelligite, [c] utrùm mirabilius fuerit mortuos excitasse, an imperito scientiam doctrinæ istius intimasse. Ait enim, *In principio erat Verbum.* Quid est istud, *in principio erat?* Transeuntur tempora, [d] transmittuntur sæcula, tolluntur ætates. Pone aliquod quod voles tua opinione principium: non tenes tempore, *erat* enim unde tractatur. Respice ad mundum, intellige quid de eo scriptum sit: *In principio fecit Deus cælum & terram.* Fit ergo in principio quod creatur, & [e] ætate contines quod in principio continetur ut fieret. Meus autem piscator illitteratus, indoctus, liber à tempore, solutus à sæculis est, vicit omne principium: *erat* enim quod est, neque in tempore aliquo concluditur ut cœperit, quod erat potiùs *in principio*, quàm fiebat.

Piscatori revelata. — Verbum est à tempore liberum. Johan. 1. 1. — Gen. 1. 1.

14. Sed excidisse fortè ab ordine propositæ distributionis piscatorem nostrum deprehendemus: Verbum enim tempore liberavit; [f] & suum est sibique, quod liberum est, & solitarium & obtemperans nemini. Aures erigamus in cetera. Ait, *Et Verbum erat apud Deum.* Jam sine principio est apud Deum, quod erat ante principium. Est ergo, [g] qui erat, *apud Deum:* & qui abest à cognitionis tempore, non abest ab auctore. Piscator noster evasit: sed fortè hærebit in ceteris.

Non est tamen solitarium. — Johan. 1. 1.

15. Dices enim: Verbum sonus vocis est, & enuntiatio negotiorum, & elocutio cogitationum. Hoc apud Deum erat, & in principio erat: quia sermo cogitationis æternus est, cùm qui cogitat sit æternus. Respondeo tibi interim pro piscatore meo paucis, dum videbimus quomodo rusticitatem suam ipse defendat. Sermo in natura habet ut esse possit, sequens autem ei est ut fuerit; est verò tantùm cùm auditur. Et quomodo *in principio erat*, quod neque ante tempus, neque post tempus est? Et nescio an vel ipso esse possit in tempore: loquentium enim sermo neque est ante quàm loquantur, & cùm locuti erunt non erit; in eo autem ipso quod loquuntur, dum finiunt, jam non erit id unde cœperunt. Hæc à me, ut ab uno ex ceteris. Sed piscator aliter pro se: & objurgabit te priùs, cur negligenter audieris. Nam etsi sententiam primam rudis auditor amiseras, *In principio erat Verbum*; de sequenti quid quereris, *Et Verbum erat apud Deum?* Numquid audieras, in Deo*; ut sermonem reconditæ cogitationis acciperes? aut fefellerat rusticum, quid esset [h] inter inesse & adesse momenti? Id enim, quod in principio erat, non in altero esse, sed cum altero prædicatur. Sed de superioribus nihil sumo, [i] condicatur. Sed de superioribus nihil sumo, sequentia sibi adsint; statum Verbi & nomen exspecta. Dicit namque: *Et Deus erat Verbum.* Cessat sonus vocis, & cogitationis eloquium. Verbum hoc res est, non sonus; natura, non sermo; Deus, non inanitas est.

*An sit sonus vocis juxta Hebionem. — Vocis sono non congruit erat. — Verbum Deus est. — * & non apud Deum.*

16. Sed trepido in dicto, & me insolens sermo commovet. Audio, *Et Deus erat Verbum,* [k] cui unum Deum prophetæ nuntiaverunt. Sed ne quò ultrà trepidatio mea progredi possit, redde sacramenti tanti piscator meus dispensationem, & refer ad unum omnia sine contumelia, sine abolitione, sine tempore. Ait, *Hoc erat in principio apud Deum.* Cùm *hoc erat in principio*, non tenetur in tempore; cùm *Deus est*, non refertur ad vocem; cùm est *apud Deum*,

Nec lædit unitatem Dei. — Ibid. 2.

[a] Alii mss. habent *erubesco*, alii *tabesco*, ex quibus confirmatur conjectura nostra legendum esse num. 5. *in sensu tabes est*, non *labes est.*

[b] In vulgatis additur hîc *ubi scriba?* quod meliùs abest à mss. siquidem scribæ nomine non gentilis, sed legis doctor significatur.

[c] Hîc vulgati adjiciunt *circumspicite*: quod abest à mss.

[d] Complures mss. cum Bad. Er. & Lips. *transcenduntur*. Mox in vulgatis *pone aliquid*. Concinniùs in mss. *aliquod*, scil. principium. Deinde in Vat. bas. ms. *opinatione*, non *opinione*.

[e] Bad. *ætatem continens*. Editiones aliæ, *ætatem continet*: è mss. alii habent, *ætates continet*, alii *ætates continent*, alii *ætate continens*. Veriùs tres antiquiores, *ætate contines*: quod opponitur proximè dictis de Verbo, *non tenes tempore*.

[f] Apud Lips. & Par. *& sumit sibi quod liberum & solitarium & obtemperans nemini est*: in ms. Corb. *& sumet sibimet quod liberum* &c. Rectiùs in aliis libris, ut in textu. Proponitur enim objectum: Si à tempore liberum est, sui juris est, in se est & solitarium, nec ab alio pendet: ad quod mox responsio est, *non abest ab auctore.*

[g] Pro *qui erat*, in vetustis codicibus Colb. Remig. ac Germ. legitur *erans*. Abest etiam relativum *qui* à Carnut. Deinde apud Bad. & Er. *& quia abest à conditione temporis*: pessimè *quia* pro *qui*. Apud Lips. & Par. necnon in aliquot mss. *& qui abest à tempore*. In Carnut. ms. *à cognitione temporis*. Legimus cùm duobus Colb. Germ. ac Sorbon. *à cognitionis tempore*, hoc est, à quolibet tempore quod excogitari valeat: quia est ante quod voles tua opinione ponere principium. Aliquando etiam placuerat *à tempore conditionis*, quasi à tempore quod rebus conditis congruit.

[h] In vulgatis, *inter esse & inter inesse & inter adesse momenti*: abundat *inter esse*, nec habent potiores mss. Hilarius autem observat Verbum non solùm inesse in Patre, velut in principio; sed & adesse, apud quem semper fuit.

[i] Vat. bas. codex, *cùm sequentia*, duobus verbis. Aliis favet illud lib. 7. n. 22. *Adsit sibi divinæ de se sententiæ testimonium.*

[k] Editi, *cùm ... nuntiaverint*. Elegantiùs mss. *cui* &c. quod de se dicit Hilarius.

[a] nihil nec offenditur, nec aufertur: nam nec aboletur in alterum, & apud unum ingenitum Deum, ex quo ipse unus unigenitus Deus est, prædicatur.

Tempus ab eo est.

17. Exspectamus adhuc à te, piscator, plenitudinem Verbi. Erat quidem in principio, sed potuit non esse ante principium. Etiam hîc tibi aliquid pro piscatore meo profero: Quod erat, non potuit non fuisse; *erat* enim non habet in tempore non fuisse. Sed quid pro se ille? *Omnia per eum facta sunt.* Ergo [b] si nihil sine illo est, per quem universa cœperunt; & in infinitum est, per quem quod est omne sit factum. [c] Tempus enim est spatii, non in loco, sed in ætate manentis significata moderatio. Et cùm ab eo omnia, res nulla non ab eo: & idcirco tempus ab eo est.

Ibid. 3.

Tempus quid.

Verbum non est solitarium.

18. Sed dicitur tibi ab aliquo, piscator meus: Nimiùm facilis & promiscuus hîc fuisti; *omnia per eum facta sunt* non habet modum. Est ingenitus, qui factus à nemine est: est & ipse genitus ab innato. Sine exceptione sunt *omnia*, & nihil quod extrà sit derelinquunt. Sed dum nihil ultrà dicere audemus, aut fortè dum dicere molimur, [d] occurre: *Et sine eo factum est nihil.* Reddidisti auctorem, cùm socium professus es. Cùm enim *nihil sine eo*, intelligo non solum; quia alius est per quem, alius est sine quo: utroque discernitur significatio & intervenientis & agentis.

Non tantum adfuit facienti omnia, sed & fecit.

19. Sed [e] sollicito de auctore, qui unus ingenitus est, ne in eo quòd *omnia* diceres, nihil esset exceptum, solvisti metum dicendo, *Et sine eo factum est nihil.* Verùm confundor & turbor in eo, quòd *sine eo factum est nihil.* Est ergo aliquid per alterum factum, quod tamen non sit sine eo factum: & si aliquid per alterum, licèt non sine eo, jam non per eum omnia; quia aliud est fecisse, aliud est intervenisse facienti. Non habeo hîc, piscator meus, ut in ceteris, quod ex meo proferam; à tuo statim respondendum est, *Omnia per eum facta sunt.* Sentio. Apostolus enim docuit: Visibilia » & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, » sive Principatus, sive Potestates, omnia per » ipsum, & in ipso.

Coloss. 1. 16.

Qui omnia in Verbo creata.

20. Cùm ergo *omnia per ipsum*, subveni & & enarra, quid non sine eo factum sit [f]. *Quod factum est in eo, vita* [g] *est.* Hoc igitur non sine eo, quod in eo factum est: nam id quod in eo factum est, etiam per eum factum est. Omnia enim per ipsum & in ipso creata sunt. In ipso autem creata, quia nascebatur creator Deus.

Johan. 1. 4. Coloss. 1. 16.

Sed etiam ex hoc sine eo nihil factum est, quod in eo factum est, quia nascens Deus vita erat: & [h] qui vita erat, non postea quàm est natus, effectus est vita; non enim in eo aliud est [i] quod natum est, & aliud est quod natus accepit. Non habent inter se tempus & nativitas & profectus. Sed nihil sine se fiebat ex iis quæ in eo fiebant: quia vita est * in quo fiebant, & Deus qui à Deo natus est, non postea quàm natus est, [k] sed nascendo Deus exstitit. Nascens enim à vivente vivus, à vero verus, à perfecto perfectus, non sine potestate nativitatis suæ natus est, nativitatem videlicet suam non postea sentiens, sed se Deum in eo ipso quòd Deus ex Deo nascebatur intelligens. Hoc unigenitus ab ingenito: hoc, Ego & Pater unum sumus: hoc in confessione Patris & Filii Deus unus: hoc Pater in Filio, & Filius in Patre. Hinc, Qui me vidit, vidit & Patrem. Hinc, Omnia quæ habet Pater, dedit Filio. Hinc, Sicut habet Pater vitam in semetipso, ita dedit Filio vitam habere in semetipso. Hinc, Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi Filius. Hinc, In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter

Verbum non successivè, sed nascendo perfectum exsistit.

* supple, iis.

Joh. 10. 30. Joh. 14. 9. Joh. 16. 15. Joh. 5. 26. Matth. 11. 25. Coloss. 2. 9.

21. Hæc vita lux hominum est, hæc lux tenebras illuminans. Et ut impossibilitatem generationis ejus enarrandæ secundùm * prophetam piscator consolaretur; adjecit, *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* Cessit sermo naturæ, & non habet quò excurrat; & tamen hoc piscator iste recubans in Domini pectus accepit. Non est iste sæculi sermo; quia de qua agitur, non sæculi res est. Edatur aliquid, si in significatione verborum reperiri potest ultra quàm dictum sit: & si qua sunt alia expositæ à nobis naturæ nomina, proferantur. Quæ si non sunt, immo quia non sunt; miremur hanc in piscatore doctrinam, & in eo [l] eloquia Dei sentiamus: confessionemque Patris & Filii, ingeniti & unigeniti inenarrabilem, & excedentem complexum omnem & sermonis & sensûs, teneamus atque adoremus: & in Domino Jesu, exemplo Johannis, ut hæc possimus sentire & colloqui, accubemus.

Verbi generatio humana ratione non capitur; tenenda igitur fide.

* Esa. 53. 8. Johan. 1. 4. Joh. 13. 25.

22. Commendat autem fidei hujus integritatem, & evangelica auctoritas, & apostolica doctrina, & circumstrepentium undique hæreticorum [m] otiosa fraudulentia. Stat enim hoc fundamentum validum & immotum adversùs omnes ventos, pluvias, torrentes, non flatibus pellendum, non stillicidiis penetrandum, non inundationibus

Hæreticorum artes contra fidem vanæ.

Matth. 7. 25.

[a] In vulgatis, *nihil nec confunditur, nec confertur.* Verbum *confunditur* exstat tantùm in uno ms. Colb. At in ceteris, *nihil nec offenditur, nec aufertur:* quæ duo verba ad alia duo superiora, *sine contumelia, sine abolitione* appositè referuntur. Porro in vocibus *nihil nec*, non duplex negatio est, sed pleonasmus Græcis ipsique Hilario familiaris. Hunc cavêre mss. Remig. & Theod. qui pro *nihil nec*, exhibent *nihil in eo.* Si quis malit *nihil nec confunditur nec aufertur*, propter illud lib. 7. n. 21. *Non confunditur itaque aut aboletur natura*; per nos liceat.

[b] Particulam *si* addimus auctoritate potiorum mss. Mox vocula *&* pro *etiam* ponitur.

[c] Solus Vat. bas. codex, *Tempus enim spatii non in loco sed in ætate manet moderata significatio.* Cui consentit Carnut. in duobus postremis verbis.

[d] Editi, *occurris, occurrit planè*; & mox, *Piscator reddidisti*: refragantibus veteribus libris.

[e] Ita eleganter optimæ notæ mss. tacita voce *mihi*, scil. *solvisti metum.* At in vulgatis *sollicitor.*

[f] Lips. & Par post Er. hîc addunt *quòd factum sit*, præter fidem veterum librorum.

[g] Rursum hîc editi præferebant *vita erat*: repugnantibus mss. ut & lib. 1. n. 10. Quamquam ex sequentibus suspicari licet hanc lectionem Hilario non fuisse inauditam. Ambrosius quoque lib. 3. de fide c. 6. legit, *vita est.*

[h] Ita meliores mss. At editi, *& quia vita erat.*

[i] Editi, *quod natus est*: dissidentibus mss.

[k] In ms. Vat. bas. hîc adjicitur, *effectus est Deus*: glossema.

[l] Vat. bas. codex cum altero Vatic. & Carnut. *eloquentiam Dei.*

[m] In vulgatis *odiosa.* Aptiùs in mss. *otiosa.* Quæ autem otiosa & inanis sit, continuò declaratur.

Fides una vincit omnes hæreses.

[a] subluendum: & optimum est, quidquid à plurimis incursatum, à nullo tamen poterit impelli. Ut autem quædam medicamentorum genera sunt ita comparata, ut non singulis tantùm ægritudinibus utilia sint, sed omnibus in commune medeantur, habeantque in se virtutem generalis auxilii: ita & fides catholica non adversùm singulas pestes, sed contra omnes morbos opem medelæ communis impertit, non infirmanda genere, non vincenda numero, non diversitate fallenda; sed una atque eadem adversùm singula omniaque consistit. Magnum est enim, tot in una ea remedia esse, quot morbi sunt; & totidem veritatis esse doctrinas, quotidem erunt studia falsitatis. Contrahantur in unum nomina hæreticorum, & omnes scholæ prodeant: audiant unum ingenitum Deum patrem, & unum unigenitum Dei filium perfecti patris progeniem perfectam; non per diminutionem genitum, non ex solido parte aliqua decisum, sed omnia habentem [b] genuisse omnia consecutum; non ex derivatione fluxuve deductum, sed ex omnibus atque in omnibus natum ab eo, qui in omnibus in quibus est esse non desinat; liberum à tempore, solutum à sæculis, per quem omnia facta sunt: neque enim esse in his * potuit, quæ ab ipso sunt instituta. Hæc de Evangeliis catholica & apostolica confessio est.

* sæculis.

Testimonia contra Sabellium,

23. Patrem & Filium, si audet, Sabellius eumdem prædicet, & [c] ipsum illum esse qui utrumque sit nuncupatus; ut cum eo unus sit ambo, non unum. Audiet statim de Evangeliis non semel neque iterum, sed frequenter, *Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui.* Audiet, *Pater major me est.* Audiet, *Ego vado ad Patrem:* &, *Pater, gratias tibi ago:* &, *Clarifica me, Pater:* &, *Tu es filius Dei vivi.* Subrepat Hebion, [d] initium filio Dei ex Maria concedens, & Verbum à diebus carnis intelligens. Relegat, *Pater, clarifica me apud temetipsum ea claritate, quam habui apud te priùs quàm mundus esset;* &, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum;* &, *Omnia per eum facta sunt;* &, *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.* Exsistant [e] novelli apostolatûs, sed ab antichristo, prædicatores, omni contumelia Dei filium illudentes: & audiant, *Ego de Patre exivi;* &, *Filius in Patris sinu;* &, *Ego & Pater unum sumus;* &, *Ego in Patre, & Pater in me.* Et postremò unà cum Judæis irascantur, quòd Christus proprium sibi patrem Deum confitens, æqualem se Deo fecerit: & unà cum iis audiant, *Vel operibus meis credite, quia Pater in me, & ego in Patre.* Unum igitur hoc est immobile fundamentum, una hæc felix fidei petra Petri ore confessa, *Tu es Filius Dei vivi*, tanta in se sustinens argumenta veritatis, quantæ perversitatum quæstiones & infidelitatis calumniæ movebuntur.

Matth. 17. 5.
Joh. 14. 28.
Ibid. 12.
Joh. 11. 41.
Joh. 17. 5.
Matth. 16. 17.
contra Hebionem,
Joh. 17. 5.
Johan. 1. 1.
Ibid. 3.
Ibid. 10.
contra Arianos.
Joh. 16. 28.
Joh. 1. 18.
Joh. 10. 30.
Joh. 14. 11.
Joh. 14. 11.
Petra Petri confessio. Matth. 16. 17.

Quæ nostræ salutis causâ Christus suscepit.

24. Jam in ceteris dispensatio voluntatis paternæ est. Virgo, & partus, & corpus; postque crux, mors, inferi, salus nostra est. * Humani enim generis causâ Dei filius natus ex virgine est & [f] Spiritu-sancto, ipso sibi in hac operatione famulante, & sua, Dei videlicet inumbrante virtute, corporis sibi initia consevit, & exordia carnis instituit; ut homo factus ex virgine naturam in se carnis acciperet, perque hujus admixtionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani [g] corpus exsisteret: ut quemadmodum omnes in se per id quòd corporeum se esse voluit conderentur, ita rursum in omnes ipse per id quod ejus est invisibile referretur. Dei igitur imago invisibilis pudorem humani exordii non recusavit, & per conceptionem, partum, vagitum, cunas, omnes naturæ nostræ contumelias transcucurrit.

* Hæc citat Cod. Can. Eccl. Rom. c. 41.

Quòd nihil dignum rependere valeamus.

25. Quid tandem dignum à nobis tantæ dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis à Deo originis unus unigenitus Deus, in corpusculi humani formam sanctæ Virginis utero insertus accrescit. Qui omnia continet, & intra quem & per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur, & ad cujus vocem Archangeli atque Angeli tremunt, cælum & terra & omnia mundi hujus [h] resolvuntur elementa, vagitu infantiæ auditur. Qui invisibilis & incomprehensibilis est, non visu, sensu, tactuque moderandus, cunis est obvolutus. Hæc si quis indigna Deo recolet, tanto se majoris beneficii obnoxium confitebitur, quanto minùs hæc Dei convenerint majestati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus est: sed nos eguimus ut Deus caro fieret, & habitaret in nobis, id est, assumtione carnis unius interna universæ carnis incoleret. Humilitas ejus nostra nobilitas est, contumelia ejus honor noster est: quod ille Deus in carne [i] consistens, hoc nos vicissim in Deum ex carne renovati.

26. Sed ne fortè detineant scrupulosas men-

[a] Quatuor mss. *solvendum.* Corb. Prat. Faur. *subruendum.* Retinendum est *subluendum*, ut constat ex cap. 6. in Matth. n. 6. & ex Tract. in Psal. 68. n. 3.

[b] Post *genuisse* additur in uno ms. Colb. *genitum.*

[c] Vat. bas. codex, *ipsum sibi esse:* non placet.

[d] In edit. *omne initium.* Abest *omne* à mss. quamvis exstet n. 4.

[e] Excusi, *sed sub antichristo.* Carnut. codex cum uno Colb. *novelli apostoli sub antichristo.* Rectiùs alii, *novelli apostolatus, sed ab antichristo*, id est, novellum apostolatum non à Christo, sed ab antichristo obtinentes. Quod confirmatur his lib. 6. n. 37. *Mihi tu hodie, novi apostolatus mendax sacerdotium, ingeris Christum ex nihilo creaturam.*

[f] Spiritum-sanctum hîc Verbum ipsum intelligi manifestum est ex subsequentibus. Hinc cap. 2. in Matth. n. 5. disertè legitur Christus *ex muliere natus, per Verbum caro factus.*

[g] Hîc & alibi sentire videtur Hilarius Christum non singularem, sed universam generis humani naturam assumsisse. At, ut ex subnexis liquet, hoc potiùs sensit, eum naturæ unius ac singularis susceptione universam in ea tenuisse. Haud absimili ratione Leo Papa Serm. 1. de Epiphania ait Christum *naturam universæ humanitatis* assumsisse: & vulgatus Titus Bostrensis in Luc. cap. 12. *per massæ nostræ primitias universam naturam humanam induisse.* Hinc Gregorius Nyss. Or. catech. c. 32. à Theodoreto relatus dial. 3. docet ideo nos cum Christo resurrexisse; *quia non aliunde, quàm ex massa nostra, erat homo qui Deum suscepit, qui per resurrectionem exaltatus est. Perinde*, inquit ibid. *ac si universa natura unum quoddam esset animal, unius partis resurrectio in totum penetrat.* Ita Ambrosius lib. 4. de fide cap. 10. nos in Christo ad dexteram Patris sedere enarrat *per corporis unitatem.* Hinc illustratur quatenus Hilarius cum Patribus aliis asserat Christum naturæ, sanctitatis, resurrectionis ac gloriæ suæ nos jam participes effecisse. Vide suprà pag. 616. not. o.

[h] In pluribus mss. *resolventur.*

[i] Vetustior codex Remig. *subsistens.* Mox mss. Carnut. & Vat. bas. *ex carne renati.* Ubi apud Leonem, à quo hæc Hilarii verba laudantur ep. al. 97. nunc 134. in novissima editione ex Rom. ms. restitutum est, *in Deo ex carne renati.* Præstat tamen *renovati.* Sermo enim est de nostra per Christum ex susceptione carnis reparatione, & veluti quadam in Deum commigratione, non de regeneratione per baptismum. Porro in Codice Can. Eccl. Rom. apud eumdem Leonem T. 2. p. 142. hæc rursum exhibentur, sed cum lectione quam retinemus.

Humilitatem conceptionis & partus dignitas commendat.

tium cogitationes cunæ, vagitus, partus atque A conceptio; reddenda est singulis [a] Dei dignitas: ut voluntatis humilitatem potestatis ambitio præcedat, nec dignationem dignitas derelinquat. Videamus igitur quæ sunt ministeria conceptûs. Angelus Zachariæ loquitur, sterili partus affertur, de incensi loco sacerdos mutus egreditur, Johannes in vocem adhuc utero matris detentus erumpit, Mariam Angelus benedicit, matrem filii Dei virginem pollicetur. Illa virginitatis suæ conscia difficultate facti B commovetur, Angelus efficientiam divinæ operationis exponit; ait enim, *Spiritus-sanctus [b] de super veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* (Luc. 1. 35.) Spiritus-sanctus de super veniens virginis interiora sanctificavit, & in his spirans (quia ubi vult, Spiritus spirat) (Johan. 3. 8.) [c] naturæ se humanæ carnis [d] immiscuit, & id, quod alienum à se erat, vi sua ac potestate [e] præsumsit: atque ut ne quid per imbecillitatem humani [f] corporis dissideret, virtus Altissimi virginem obumbra- C vit, infirmitatem ejus veluti per umbram [g] circumfusa confirmans, ut ad sementivam ineuntis Spiritus efficaciam substantiam corporalem divinæ virtutis inumbratio temperaret. Hæc conceptionis est dignitas.

Partûs dignitas.

27. Videamus partum, vagitum & cunas dignitas quæ sequatur. Loquitur ad Joseph Angelus parituram Virginem, & eum qui natus fuerit vocandum Emmanuel, id est, nobiscum Deum. (Matth. 1. 21. & 23.) Proclamat Spiritus per * prophetam, D (* Esaiam 7. 14.) Angelus testis est, Deus nobiscum est ille qui nascitur. Novum Magis de cælo stellæ lumen [h] effertur, & cæli Dominum signum cæleste prosequitur. Angelus pastoribus nuntiat natum Christum Dominum, salutem universorum. Multitudo exercitus cælestis in laudem puerperii concurrit, & tanti operis præconia divini cœtus gaudia eloquuntur. Gloria deinde in cælis Deo, & pax in terra bonæ voluntatis hominibus nuntiatur. Adsunt deinde Magi, involutum pannis adorant: & post illam inanis scientiæ suæ operationem arcanam, posito in cunis genu flectunt. Sic per Magos cunarum sordes adorantur, sic vagitus per Angelorum divina gaudia honoratur, sic partui proclamans per prophetam Spiritus, & [i] Angelus nuntians, & novæ lucis stella famulatur. Sic initia nascendi Spiritus-sanctus superveniens & inumbrans virtus Altissimi moliuntur. Aliud intelligitur, aliud videtur; aliud oculis, aliud animo conspicitur. Parit virgo: partus à Deo est. Infans vagit: laudantes Angeli audiuntur. Panni sordent: Deus adoratur. Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis [k] humilitas adoptatur.

Christus gestis Deum egit.

28. Par etiam reliquæ est cursus ætatis. Nam omne tempus, quod in homine egit, in Dei operibus explevit. De singulis non est tempus dicere: tantùm illud in universis virtutum & curationum generibus contuendum est, in carnis assumtione hominem, Deum verò in gestis rebus exsistere.

Spiritum-sanctum esse.

29. De Spiritu autem sancto nec tacere oportet, nec loqui necesse est: sed sileri à nobis, eorum causâ qui nesciunt, non potest. Loqui autem de eo non necesse est, [l] qui Patre & Filio auctoribus confitendus est. Et quidem puto, an sit, non esse tractandum. Est enim; quando quidem donatur, accipitur, obtinetur; & qui confessioni Patris & Filii connexus est,

[a] id est, declarandum est quomodo in Christi conceptu, ortu, aliisque quæ infirma in eo videntur, Dei dignitas commendetur. Deinde *voluntatis infirmitatem* dicit Hilarius, quæ ex delectu voluntatis suscepta est. Tum *potestatis ambitio* idem est quod magnifica & gloriosa potestatis ostentatio.

[b] Mss. *superveniet*, sine *de*.

[c] Bad. & Er. *nec se humanæ carni immiscuit*: depravatè. Nimirum non advertêre Spiritum-sanctum non hîc dici tertiam, sed secundam Trinitatis personam, quæ proprium sibi corpus condiderit: ad quod opus significandum non malè utitur Hilarius *spirandi* verbo, utpote quo usus est Moyses Gen. 2. 7. ad enarrandam primi hominis institutionem. Spiritus-sancti in Virginem descensum eadem ratione interpretatos esse plurimos Patres ostendimus præfationis nostræ generalis §. 1. Ibi monuimus hanc Cypriani lib. de idol. vanit. lectionem, *Carnem Spiritu-sancto cooperante induitur*, corruptionis valde esse suspectam, cùm ejus loco in sincerioribus mss. habeatur, *Carne Spiritus sanctus induitur.*

[d] *Immiscendi* verbum hîc non confusionem utriusque naturæ significat, sed intimam conjunctionem. *Novit enim*, inquit Leporius in libello emend. *sine corruptione misceri, & tamen in veritate misceri.* Eodem verbo ad exprimendam Verbi cum carne conjunctionem utuntur Irenæus lib. 3. c. 21. Novatianus de Trin. c. 11. Cyprianus de Idol. vanit. Augustinus epist. 137. n. 11. Leo Papa Ser. 3. de Nat. Chr. Vigilius l. 1. cont. Eutych. &c.

[e] Verbis *præsumo* & *assumo* Hilarium promiscuè uti observatum est pag. 505. not. a.

[f] In ms. Vat. bas. *humani generis.* Tum post *dissideret*, supple *à Dei dignitate.*

[g] Apud Lips. & Par. *circumfusam.* In ms. Vat. bas. *circumfulsa.* Bad. & Er. cum omnibus fere mss. *circumfusa.*

[h] Scribunt constanter veteres libri, *ecfertur*, vel *hacfertur.*

[i] Sic mss. In vulgatis autem hîc adjicitur *idipsum*; & mox habetur *desuper veniens.*

[k] Apud Par. *admittitur*: malè. Nec meliùs deinde Victorinus codex, *dum carnis humanitas.* Tum Bad. & Er. cum nonnullis mss. *adoratur*: qui locus magnæ olim querelæ occasionem dedit, cùm Felix Urgellitanus illum in hæresis patrocinium adduceret. Hincmarus quippe initio præfat. in lib. de Prædest. tradit, *Felicem infelicem Orgellitanæ civitatis episcopum in Concilio revictum, quia corrupto muneribus juniore bibliothecario Aquensis palatii, librum B. Hilarii rasit, & ubi scriptum erat* ADORATUR, *immisit, carnis humilitas* ADOPTATUR. Sic & Alcuinus contra eumdem lib. 6. *Tu omnino perversissimè dicis*, ADOPTATUR, *ubi B. Hilarius ait*, ADORATUR. *Carnis equidem humilitas à Magis adorata est, & mysticis munerum speciebus honorata, non adoptata.* Penes nos est liber Corbeiensis ante annos 800. scriptus postremas hasce syllabas *ptatur* loco abraso exhibens. Etsi mala forsitan fide, non tamen malè adscriptum est *adoptatur*: quam lectionem codices Colb. & Carnut. ante Felicis ævum exarati, aliique sano prorsus & integro loco exhibent. Neque *adoptatur* aliud hîc sonat quàm assumitur. Ex eo enim quod ostendit Hilarius Christo, etiam post quàm carnis humilitatem assumsit, divinos honores delatos ab Angelis, à Magis, Spiritus-sancti testimonio &c. apprime concludit dignitatem deitatis non amitti, dum carnis humilitas assumitur, seu Deum potentiâ suâ non cadere, cùm homo infirmus esse incipit, *cui*, ut ait in Psal. 55. n. 5. *exinanienti se ex forma servi virtutem Dei atque naturam forma servilis non abstulit.* At si prætuleris *adoratur*, non ex omnibus superiùs assumtis erit conclusio, sed tantùm ex proximis verbis, *Panni sordent: Deus adoratur.* Immo ex hac assumtione, in qua non continetur nisi Deum adorari, nulla erit conclusio, quæ carnis humilitatem adorari prædicaret. Itaque non ait Hilarius carnis humilitatem à Magis adoratam, sed ex Magorum adoratione aliisque argumentis deitatem sub carnis humilitate latentem demonstrat. Huc spectat quòd in Psal. 127. num. 8. corporis assumendi propositum vocat *adoptionem corporis quod ex virgine præsumturus esset.* At si hinc quodam modo excusatur Felix; quis æquo animo ferre valeat, eum hæresis suæ patronum quæsisse ac citasse Hilarium, qui ubique adoptionis in Christo nomen exhorrescit, ac nominatim toto lib. 6. non adoptivum sed verum ac proprium filium eum esse acerrimè propugnat. Denique hunc locum imitatus videtur Ambrosius lib. 1. de fide c. 4. ubi ex Magorum adoratione, humilitate cunarum, Angelorum obsequio &c. concludit: *Ita nec dignitas naturalis majestatis amittitur, & assumtæ carnis veritas comprobatur.*

[l] Editi ex unico ms. Colb. nullius fere auctoritatis, *quia de Patre.* Mss. Corb. duo Remig. Theod. Pratel. Vind. Silv. &c. *qui à Patre.* Mallemus *qui cum Patre.* Sed ex veterrimis omnium codicibus Vat. bas. Colb. & Carn. à quibus diffidere consentientibus non est tutum, necnon ex Germ. uno Sorbon. alio Colb. restituimus *qui Patre*, id est, si nostra nos non fallit opinio, qui cùm Patrem & Filium auctores habeat, confitendus est. Certè Filium Spiritus-sancti auctorem vocari jam audivimus num. 4. & infrà ut per Patrem ita & per Filium esse Spiritum-sanctum declaratur, quod pag. sequenti notâ g ostendemus.

non poteſt à confeſſione Patris & Filii ſeparari. Imperfectum enim eſt nobis totum, ſi aliquid deſit à toto. De quo ſi quis intelligentiæ noſtræ ſenſum requiret, in Apoſtolo legimus ambo, Quoniam eſtis filii Dei, miſit Deus Spiritum filii ſui in corda [a] noſtra clamantem, Abba pater. Et rurſum, Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis [b]. Et iterum, Nos autem non ſpiritum [c] hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Et rurſum, Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu; [d] ſi tamen Spiritus Dei in vobis eſt. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Et rurſum, Si autem Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis, qui ſuſcitavit [e] Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter Spiritum ſuum qui habitat in vobis. Unde quia eſt, & donatur, & habetur, & Dei eſt; ceſſet hinc ſermo calumniantium. Cùm dicunt per quem ſit, & ob quid ſit, vel qualis ſit: [f] ſi reſponſio noſtra diſplicebit dicentium, Per quem omnia, [g] & ex quo omnia ſunt, & quia Spiritus eſt Dei, donum fidelium; diſpliceant & Apoſtoli & Prophetæ, hoc tantùm de eo quòd eſſet loquentes; & poſt hæc Pater & Filius [h] diſplicebit.

Galat. 4. 6. — *Epheſ.* 4. 30. — 1. *Cor.* 2. 12. — *Rom.* 8. 9. — *Ibid.* 11.

Et Pater & Filius eſt ſanctus Spiritus.

30. Manere autem hinc quoſdam in ignorantia atque ambiguitate exiſtimo, quòd hoc tertium, id eſt, quod [i] nominatur Spiritus-ſanctus, videant pro Patre & Filio frequenter intelligi. In quo nihil ſcrupuli eſt: ſive enim Pater, ſive Filius, [k] & Spiritus & ſanctus eſt.

Joh. 4. 24.

Qua ratione dictum ſit, *Deus Spiritus eſt*.

31. Sed id quod in Evangeliis legitur, *Quia Deus ſpiritus eſt*, diligenter eſt contuendum quomodo & qua ratione ſit dictum. Omne enim dictum ut dicatur ex cauſa eſt, & dicti ratio ex ſenſu erit intelligenda [l] dicendi; ne quia reſponſum à Domino eſt, *Spiritus Deus eſt*, idcirco cum ſancti Spiritus nomine & uſus negetur & donum. Cum Samaritana Domino erat ſermo: venerat enim redemtio univerſorum. Cui poſt multum ſermonem [m] aquæ vivæ, & quinque virorum, & nunc ejus qui eſſet alienus, mulier reſpondit: *Domine animadverto quòd propheta es. Patres noſtri in monte hoc adoraverunt; & vos dicitis quoniam in Jeroſolymis eſt locus ubi adorare oportet.* Dominus reſpondit, *Crede mihi mulier, quoniam venit hora, quando neque in iſto monte, neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus, quoniam ſalus ex Judæis eſt. Sed venit hora, & nunc eſt, cùm veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate: etenim Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus enim Deus eſt, & adorantes eum, in Spiritu & veritate oportet adorare, quia Deus ſpiritus eſt.* Mulier igitur traditionum memor paternarum, vel tamquam Samaria in monte, vel tamquam Jeruſalem in templo adorandum Deum exiſtimabat: quòd Samaria ad adorandum Deum per tranſgreſſionem legis locum montis elegerat, Judæi verò templum à Salomone conditum religionis ſedem exiſtimabant: quorum utrorumque præſumtio aut collis edito, aut exſtructæ domus concavo, Deum intra quem omnia & extra quem nihil ejus capax eſt, continebat. Ergo quia Deus inviſibilis, incomprehenſibilis, immenſus eſt; ait Dominus veniſſe tempus, ut non in monte vel templo Deus ſit adorandus: *quia ſpiritus Deus eſt*, & ſpiritus nec circumſcribitur, nec tenetur, [n] qui per naturæ ſuæ virtutem ubique eſt, neque uſquam abeſt, in omnibus omnis exuberans: hos igitur veros eſſe adoratores, qui in Spiritu & veritate ſint adoraturi. Adoraturis autem in Spiritu Deum Spiritum, [o] alter in officio, alter in honore eſt; quia diſcretum eſt in quo quiſque

Ibid. 20. — *Ibid.* 21. *&c.*

Error Samaritanæ Deum templo vel monte claudentis.

[a] Editi, *veſtra*; renitentibus mſſ.

[b] Subjungitur in mſſ. Vat. baſ. & Carnut. *in diem redemtionis.*

[c] Pronomen *hujus* hîc & infrà n. 35. abeſt à vetuſto mſ. Colb. & German. favente græco textu.

[d] Corb. mſ. cum duobus Remig. & aliis, *ſi quidem Spiritus Dei.*

[e] Ita juxta græcum mſſ. meliores, ubi in vulgatis, *qui ſuſcitavit Jeſum.* Mox in uno mſ. Colb. *propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.*

[f] Sola editio Par. *ſic reſponſio.* Deinde *dicentium* refertur ad *noſtra*, quod inſtar eſt *noſtrûm.*

[g] Editi, *in quo.* Meliùs mſſ. *ex quo omnia*; quibus verbis Hilarius Filium, ſicut & ſuperioribus *per quem omnia* Patrem ſolet indicare. Sic ſuprà n. 1. *Unus eſt enim Deus Pater ex quo omnia, & unus Unigenitus D. N. J. C. per quem omnia*: & paulo pòſt, *Una poteſtas per quam omnia, una progenies ex qua omnia.* In his igitur, *Per quem omnia & ex quo omnia*, reſponſio habetur ad inſtitutam quæſtionem *per quem ſit* Spiritus-ſanctus, quaſi diceret, *Per eum eſt per quem omnia, ſicut & per eum ex quo omnia.* Ita & ad duas alias quæſtiones ſubſequentes, *ob quid ſit, vel qualis ſit*, ſobriè reſpondetur, *Spiritus eſt Dei, donum fidelium*: ne quid aſſeratur, quod à Prophetis & Apoſtolis non ſit acceptum.

[h] Carnut. mſ. *diſplicebunt.*

[i] Sola editio Par. *dominatur*: lapſu librariorum. Apud quos autem pro Patre & Filio Spiritus-ſancti nomen intelligi ſoleat, ſupervacaneum eſt annotare. Sic enim promiſcuè hoc vocabulum uſurpant Hermas, Juſtinus, Irenæus, Tatianus, Tertullianus, Lactantius, Cyprianus, Phœbadius, Epiphanius, apud quos *Spiritus* divinam naturam tribus perſonis communem paſſim ſignificat.

[k] Plures mſſ. cum vulgatis, *& Spiritus-ſanctus eſt.* Præferimus cum uno codice Vatic. *& Spiritus & ſanctus eſt*, niſi malis cum vetere Colb. ac Germ. *ſive Filius eſt ſanctus Spiritus.*

[l] Editi, *dicentis.* Legendum eſſe *dicendi* paſſivè tum potiorum mſſ. auctoritas, tum hæc ſuadent lib. 4. n. 14. *Intelligentia enim dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus.*

[m] In mſſ. optimæ notæ, *aqua vita*; & mox, *qui eſſet alieni.*

[n] Nonnulli mſſ. cum editis, *quia.* Sequimur potiores. Deinde in mſ. Vat. baſ. & Vict. *omnes exuperans.* Habent etiam plerique alii *omnes*, unus Sorbon. *omne*, alii tres *omnia.* Nihil mutandum videtur. Verbum *exubero*, ubi de Spiritu ſermo eſt, Hilario eſt familiare. De illo habet cap. 10. in Matth. num. 2. *Quantumlibet aſſumatur à cunctis, ad largiendum ſe tamen ſemper exuberat.* Et cap. 15. n. 10. *Spiritûs copia indicatur, cui quod largiatur exuberet.*

[o] In mſ. Vat. baſ. *alter in obſequio.* quod de Spiritu-ſancto dictum, ut ab eo Spiritu qui adorandus eſt alium eum eſſe conficiatur, videri poſſet Arianis favere, Spiritum-ſanctum Patris & Filii miniſtrum effutientibus. At illo loquendi modo tantùm habet Hilarius rationem proceſſionis, ſeu ſubordinationis qua Spiritus-ſanctus ſubjicitur principio à quo procedit. Sic de Filio, teſtante ſe non poſſe quidquam à ſe facere niſi viderit Patrem facientem, in Pſal. 138. num. 28. loquitur; *Conteſtatam de ſe poteſtatem per reverentiæ honorem ei cui omnia meminerat confitendæ ſubjecit, non ſibi adimens quòd ſimilia Patri poſſet, ſed eum per quem ſimilia poſſet oſtendens.* Sic lib. de Synod. n. 51. diverſas enumerat rationes, quibus Filius, etiam quà Deus, ſubjicitur Patri: *Vel in eo quidem maximè non comparatur nec coæquatur Filius Patri, dum ſubditus per obedientiæ obſequelam eſt, dum ad dexteram Dei tum conſedit, cùm ſibi ut conſideret dictum ſit, dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntati ejus qui ſe miſit obſequitur. Sed pietatis ſubjectio non eſt eſſentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem efficit naturam.* Et poſt pauca, *Habens nomen, ſed ejus cujus & filius eſt, fit Patri & obſequio ſubjectus & nomine.* Demum lib. 4. ſollemnis eſt diſtinctio Dei dicentis ſeu jubentis, & Dei efficientis, quorum tamen una natura prædicatur. Ita etiam hîc ubi Spiritum-ſanctum à Deo, id eſt, à Patre, & à Domino, hoc eſt, à Filio, ſubſiſtendi ratione alium eſſe oſtenſum eſt, naturâ non aliud eſſe multis demonſtratur. Quid enim aliud ſibi vult, Deum infinitum, inviſibilem, incomprehenſibilem, immenſum, cùm in Spiritu adoratur, jam infinita ratione, ubique, in iis quæ inviſibilia & incomprehenſibilia ſunt, immo in ſemetipſo adorari; quid, inquam, hoc ſibi vult, niſi honorantis & honorandi Spiritus omnimodam eſſe proportionem, æqualitatem & unitatem perfectam?

ſit

sit adorandus. Non enim tollit sancti Spiritus & nomen & donum, quia dictum est, *Deus Spiritus est.* Responsum autem est mulieri Deum templo & monte claudenti, esse omnia in Deo, Deum in semetipso, & invisibilem atque incomprehensibilem in iis quæ invisibilia & incomprehensibilia sunt adorandum. Atque ita natura & muneris & honoris [a] significata est, cùm in Spiritu Deum Spiritum docuit adorandum, & libertatem ac scientiam adorantium, & adorandi [b] infinitatem, dum in Spiritu Deus Spiritus adoratur, [c] ostendens.

2. Cor. 3. 17.

32. Simile huic etiam illud Apostoli est: *Quia Dominus Spiritus est, ubi autem Spiritus Domini est, ibi libertas est.* Discrevit ad intelligentiæ significationem [d] eum qui est, ab eo cujus est. Non enim habere haberique unum est, neque eadem significatio continet eum atque ejus. Ita cum dicit, *Dominus Spiritus est*, naturam infinitatis ejus ostendit; cùm verò adjecit, *Ubi Spiritus Domini*, [e] *ibi libertas est*, eum qui ejus est significat: quia & Spiritus Dominus est, & ubi Spiritus est Domini, ibi libertas est. Hæc non quod causa postulet dicta sunt, sed ne quid in his obscuritatis [f] hæreret. Est enim Spiritus-sanctus unus ubique, omnes patriarchas, prophetas, & omnem chorum legis illuminans, Johannem etiam in utero matris inspirans: datus deinde Apostolis ceterisque credentibus, ad agnitionem ejus quæ indulta est veritatis.

Spiritus-sancti quod officium in nobis.

Joh. 16. 12. * Ibid. 7. Johan. 14. 16. & 17. * Johan. 16. 13. & 14.

33. Quod autem sit officium ejus in nobis, verbis ipsius Domini audiamus. Ait enim: Adhuc multa habeo quæ dicam vobis; sed non potestis illa modò portare. * Expedit enim » vobis ut ego eam; si iero, mittam vobis Advocatum. Et rursum, Ego rogabo Patrem, & alium Advocatum mittet vobis, [g] ut vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis. * Ille vos » diriget in omnem veritatem: non enim loque- » tur à se, sed quæcumque audierit, loquetur, » & ventura annuntiabit vobis. Ille me honori- » ficabit, quia de meo sumet. Hæc de pluribus ad intelligentiæ viam dicta sunt, quibus & voluntas [h] munerantis, & ratio & conditio muneris continetur: ut quia infirmitas nostra neque Patris neque Filii capax esset, fidem nostram de Dei incarnatione difficilem, sancti Spiritus donum quodam intercessionis suæ fœdere luminaret.

Rom. 8. 14.

34. Est autem nunc consequens, ut & Apostolum explicantem doni hujus virtutem atque officium audiamus: ait enim, Quotquot enim « Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Non « enim accepistis spiritum servitutis iterum [i] in « timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis, in « quo clamamus, Abba pater. [k] Et rursum, Quia « nemo in Spiritu [l] Dei dicit anathema Jesum, « & nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi « in Spiritu-sancto. Et rursum, Divisiones autem « donationum sunt, idem autem Spiritus; & di- « visiones ministeriorum sunt, [m] idem autem Do- « minus; & divisiones operationum sunt, sed « idem Deus, qui operatur omnia in omnibus. « Unicuique autem donatur illuminatio Spiritûs « ad utilitatem. Alii autem datur per Spiritum « sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm « eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, « alii dona sanitatum in uno Spiritu, alii operatio « virtutum, alii prophetia, alii [n] separatio spiri- « tuum, alii genera linguarum, alii [o] interpre- « tatio linguarum. Omnia autem hæc operatur « unus atque idem Spiritus. Habemus igitur doni istius causam, habemus effectus: & nescio quid de eo ambiguitatis sit, cujus in absoluto sit & causa, & ratio, & potestas.

1. Cor. 12. 13.

Ibid. 4. &c.

Spiritus-sancti donum maximè necessarium.

1. Cor. 2. 12.

35. Utamur ergo tam liberalibus donis, & usum maximè necessarii muneris expetamus. Ait enim, ut jam superiùs ostendimus, Apostolus: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Accipitur ergo ob scientiam. Ut enim natura humani corporis cessantibus officii sui causis erit otiosa; nam oculis, [p] nisi lumen aut dies sit, nullus ministerii erit usus; ut aures, nisi vox sonusve reddatur, munus suum non recognoscent; ut nares, nisi odor fragraverit, in quo officio erunt nescient; non quòd his deficiet natura per causam, sed usus habetur ex causa: ita & animus humanus nisi per fidem donum Spiritûs [q] hauserit, habebit quidem naturam Deum intelligendi, sed lumen scientiæ non habebit. Munus autem, quod in Christo est, omne omnibus patet unum: & quod ubique non deest, in tan-

Absque eo habetur natura Deum intelligendi, non usus.

[a] Ita mss. nisi quòd in Carnut. *amplissima significantia est.* At in vulgatis, *expressa est.* Spiritus-sanctus, qui suprà n. 2. dictus est munus quod à Deo accipimus, nunc videtur dici munus quod Deo deferimus. Re ipsa quem à Deo accepimus Spiritum ei reddimus, cùm non nostro, sed illius Spiritu viventes ei famulamur.

[b] Hæc adorandi infinitas cùm repetatur ex eo in quo adoratur, Spiritum infinitum esse necesse est.

[c] In editis, *ostendit.* At in scriptis, *ostendens*, quod refertur ad *docuit.*

[d] Hujus distinctionis usus rursum recurrit lib. 4. n. 21. *Duplex autem in Angelo Dei significatio est: ipse qui est, & ille cujus est.* Ejusdem vestigium deprehendimus apud Tertullianum contra Praxeam n. 26. ubi ait, *Nulla res alicujus, ipsa est cujus est.* Clariùs mox enuntiatur distinctionis membrum, cùm pro *cujus est*, legitur *qui ejus est.*

[e] Editi, *ibi libertas, & eum cujus est significat*: refragantibus mss.

[f] In mss. probæ notæ Colb. Remig. Germ. & alio Colb. *haberet*: quod licet præferre tacita voce *causa*. In Vict. *lateret*. Legendum olim conjectavit Erasmus, *ne quis in his difficultatibus hæreret.*

[g] Subjungunt hîc plerique mss. cum excusis, *Spiritum paracletum, ipse me clarificabit: & rursum, Rogabo, inquit, patrem meum, & alium advocatum mittet vobis.* Quæ verba ut perperam & confusè repetita removimus auctoritate cod. Colb. necnon German. & Vict.

[h] Munus est Spiritus-sanctus; munerans autem, qui illum largitur ac mittit, quod in locis proximè allatis Filio non minùs attribuitur quàm Patri.

[i] Editi, *in timore*. Malumus cum uno ms. Colb. *in timorem*, quod infrà lib. 6. n. 44. magno consensu habent veteres libri, juxta græc. εἰς φόβον. Deinde post verbum *adoptionis*, addunt editi *filiorum*: nullo fere suffragante ms.

[k] Plerorumque mss. auctoritate removimus hinc: *Et rursum, Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Hæc porro Apostoli verba infrà n. 35. relaturus Hilarius, cùm præmittit *ut jam superiùs ostendimus*, indicat eadem num. 29. jam relata.

[l] Abest *Dei* à vetere ms. Colb. secus autem lib. 8. n. 27. Mox in Carnut. Colb. Vict. *anathema Jesu*, non *Jesum*.

[m] Unus codex Colb. ac Sorbon. cum Carnut. *idem autem spiritus*, quod & infrà repetunt, pro *sed idem Deus*.

[n] In vetusto ms. Colb. *separatio spiritus*.

[o] Bad. Er. & Lips. cum aliquot mss. *interpretatio sermonum*: dissentientibus melioribus & græco textu.

[p] Lips. & Par. *nisi lumen accedat, nullus* &c. renitentibus ceteris libris.

[q] In duobus mss. Colb. Germ. Corb. Prat. &c. *auxerit*.

tum datur, in quantum quis volet sumere; in A spei pignus est, hoc mentium lumen, hic tantum residet, in quantum quis volet promereri. Hoc usque in consummationem sæculi nobiscum, hoc exspectationis nostræ solatium, hoc in donorum operationibus futuræ spei pignus est, hoc mentium lumen, hic splendor animorum est. Hic ergo Spiritus-sanctus expetendus est, promerendus est, [a] & deinceps præceptorum fide atque observatione retinendus.

LIBER TERTIUS.

Æternam Verbi generationem adstruit, eosque retundit qui humana adversus illam ratione nituntur. Ac 1°. quidem hæc Filii verba, Ego in Patre, & Pater in me, *ubi sensus humani captum superare demonstravit, ex ipsa Scripturarum de Patre & Filio doctrina luculenter explicat. Deinde ex mira aquæ in vinum conversione, & ex quinque panum incrementis, evincit multa Deum posse, in quibus deficiat humanæ mentis acies. Tum affertur humana ratio, qua nullam ex Deo nativitatem esse posse contendunt, multisque exploditur: 1°. quia ortum habet ex humana sapientia, quam se perditurum Deus propheticis & apostolicis oraculis declaravit. 2°. quia præstat audire Christum, ad hoc hominem factum, ut rerum divinarum nobis testis esset. (Hîc expenduntur verba, quibus dispensationis suæ opus & officium exposuit, ac veram ex Deo nativitatem suam multis argumentis testatam fecit.) 3°. quia ne conspicabilium quidem Christi gestorum, illius v. g. ad discipulos januis clausis ingressûs, intelligentiam assequimur. 4°. denique quia ea est mentis humanæ natura, ut cùm creata & imperfecta sit, concipere non valeat perfectum & Creatorem suum. Postremò laudatur sapiens stultitia fidelium, qui sibi diffidunt ut Deo credant, nec divina ex propriæ rationis infirmitate moderantur, sed secundùm omnipotentis virtutis infinitatem expendunt.*

Filium in Patre, & vicissim, sensus humanus non capit. *Joh.* 14. 11.

1. AFFERT plerisque obscuritatem sermo Domini, cùm dicit, *Ego in Patre, & Pater in me*: & non immeritò; natura enim intelligentiæ humanæ rationem dicti istius non capit. Videtur namque non posse effici, ut quod in altero sit, æquè id ipsum extra alterum sit; & cùm necesse sit ea, de quibus agitur, non solitaria sibi esse, numerum [b] ac statum tamen suum, in quo sint, conservantia, non posse se invicem continere; ut qui aliquid aliud intra se habeat, atque [c] ita maneat, manensque semper exterior, ei vicissim, quem intra se habeat, maneat æquè semper interior. Hæc quidem sensus hominum non consequetur, nec exemplum aliquod rebus divinis comparatio humana præstabit: sed quod inintelligibile est homini, Deo esse possibile est. Hoc non à me ita dictum sit, ut ad rationem dicti [d] ea tantùm sufficiat auctoritas, quòd à Deo dictum sit. Cognoscendum B itaque atque intelligendum est quid sit illud, *Ego in Patre, & Pater in me*: si tamen comprehendere hoc ita ut est valebimus; ut quod natura rerum pati non posse existimatur, id divinæ veritatis ratio consequatur.

Cognito Patre & Filio juxta Scripturas, faciliùs illud percipitur. Quid Pater.

2. Atque ut faciliùs intelligentiam difficillimæ istius quæstionis consequi possimus, priùs Patrem & Filium secundùm divinarum Scripturarum doctrinam cognosci à nobis oportet, ut de cognitis ac familiaribus absolutior sermo C sit. Æternitas Patris, ut libro anteriore tractavimus, [e] locos, tempora, speciem, & quidquid illud humano sensu concipi poterit, excedit. Ipse extra omnia & in omnibus, capiens universa & capiendus à nemine, non accessu decessuve mutabilis; sed invisibilis est, incomprehensibilis, plenus, perfectus, æternus, [f] non aliunde quid sumens, sed ad id quòd ita manet sibi ipse sufficiens.

3. Hic ergo ingenitus ante omne tempus

[a] In mſ. Silvæ-majoris additur hîc, *adorandus est*.

[b] Addimus hîc *ac statum* auctoritate mſſ. Tell. Colb. ac Sorbon. *Statûs* nomine substantiam intelligit Tertullianus contra Praxeam n. 2. ubi de Trinitate ait, *Tres autem non statu sed gradu*: & paulo pòst, *unius autem substantiæ, unius statûs, unius potestatis.* At hîc potiùs exsistendi rationem ac situm sonat. Mox verbum *continere*, regitur à superiore *videtur*.

[c] Tres mſſ. recentiores, *atque extra maneat*: malè. Hoc enim sibi vult: videtur non posse effici, ut qui aliud intra se habet, quod semper sic maneat intra se, nec statum mutet, ita sit exterior ei rei, quam intra se habet, ut ei vicissim sit interior.

[d] In duobus mſſ. *ea tamen*. In aliis libris, *ea tantùm*: quod subsequentibus magis consentaneum est. Hæc ab Hilario pressiùs dicta, fusiùs edisserit Augustinus epist. 120. ubi Consentium, fidei totum, rationi nihil concedentem non probans, ait num. 4. *Monet apostolus Petrus paratos nos esse debere ad responsionem omni poscenti nos rationem de fide & spe nostra.* Et num. 3. *Absit namque, ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores creavit.* Quibus aliisque Consentii errorem depellit, fideique intelligentiam, *ad quam ratio vera perducit, fides animum præparat*, præponendam docet n. 6. & 8. quamvis tamen rationabile præceptum sit, *ut ad magna quædam, quæ capi nondum possunt, fides præcedat rationem.* Immo, inquit n. 3. *Si hoc præceptum rationabile est, procul dubio quantulacumque ratio, quæ hoc persuadet, etiam ipsa antecedit fidem.* Fidem enim ea præcedit ratio, Deo scil. qui nec falli nec fallere potest, credendum esse. Hanc regulam in omnibus secutus est Hilarius, primò Dei dictis firmissimè credens, ac tum fidei suæ rationem reddere non contemnens. Videsis lib. 8. num. 1. &c.

[e] Editi, *locum*: repugnantibus mſſ. Sic & in Psal. 138. n. 18. Patris natura dicitur *ultra omnes locos* esse.

[f] Ita mſſ. At editi, *non aliunde quod est sumens.*

Filius quid nascendo à Patre acceperit.

ex se filium genuit, non ex aliqua subjacente materia, quia per Filium omnia; non ex nihilo, quia ex se filium [a]; non ut partum, quia nihil in Deo demutabile aut vacuum est; non partem sui vel divisam vel discissam vel extensam; quia impassibilis & incorporeus Deus est, hæc autem passionis & carnis sunt, &, secundùm Apostolum, *in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* (*Coloss. 2. 9.*) Sed incomprehensibiliter, inenarrabiliter, ante omne tempus & sæcula, Unigenitum ex his quæ ingenita in se erant procreavit, omne quod Deus est per caritatem atque virtutem nativitati ejus impertiens: ac sic ab ingenito, perfecto, æternoque Patre, unigenitus & perfectus & æternus est Filius. Ea autem, [b] quæ ei sunt secundùm corpus quod assumsit, bonitatis ejus ad salutem nostram voluntas est. Invisibilis enim & incorporeus & incomprehensibilis, utpote à Deo genitus, TANTUM in se & materiæ & humilitatis recepit, quantum in nobis erat virtutis ad intelligendum se & sentiendum & contuendum; imbecillitati nostræ potiùs obtemperans, quàm de his in quibus erat ipse deficiens.

Quid nascendo in carne pro nobis assumserit.

4. Igitur perfecti patris perfectus filius, & ingeniti Dei unigenita progenies, qui ab eo qui habet omnia accepit omnia, Deus à Deo, spiritus à spiritu, lumen à lumine, confidenter ait, *Pater in me, & ego in Patre:* (*Joh. 10. 38.*) quia ut spiritus Pater, ita & Filius spiritus; ut Deus Pater, ita & Filius Deus; ut lumen Pater, ita & Filius lumen. Ex iis ergo, quæ in Patre, sunt ea in quibus est Filius, id est, ex toto Patre totus Filius natus est; non aliunde, quia nihil ante quàm Filius; non ex nihilo, quia ex Deo Filius; non in parte, quia plenitudo deitatis in Filio; neque in aliquibus, quia in omnibus: sed ut voluit qui potuit, [c] ut scit qui genuit. Quod in Patre est, hoc & in Filio est; quod in ingenito, hoc & in unigenito; alter ab altero, & uterque unum; non duo unus, sed alius in alio, quia non aliud in utroque; Pater in Filio, quia ex eo Filius; Filius in Patre, quia non aliunde quod Filius; unigenitus in ingenito, quia ab ingenito unigenitus. Ita in se invicem; quia ut omnia in ingenito patre perfecta sunt, ita omnia in filio unigenito perfecta sunt. Hæc in Filio & Patre unitas, hæc virtus, hæc caritas, [d] hæc spes, hæc fides, hæc veritas, via, vita, non calumniari de virtutibus suis Deo, nec [e] per secretum ac potestatem nativitatis obtrectare Filio; Patri ingenito nihil comparare, Unigenitum ab eo nec tempore nec virtute discernere, Deum filium quia ex Deo est confiteri.

Qua ratione sit in Patre.

Dei potentia se gestis ostendit: quorum ratio lateat.

5. Sunt istiusmodi in Deo potestates, quarum cùm ratio intelligentiæ nostræ incomprehensibilis est, fides tamen per veritatem efficientiæ [f] in absoluto est. Nec hoc in spiritalibus tantùm, sed etiam in corporalibus deprehendemus; non ad nativitatis exemplum, sed ad admirationem facti intelligibilis [g] ostensum. Nuptiarum die vinum in Galilæa ex aqua factum est; numquid consequetur aut sermo noster aut sensus, quibus modis natura demutata sit, ut aquæ simplicitas defecerit, vini sapor natus sit? Non permixtio fuit, sed creatio; & creatio non à se cœpta, sed ex alio in aliud exsistens: non per transfusionem potioris obtinetur quod infirmius est, sed aboletur quod erat, & quod non erat cœpit. Sponsus tristis est, familia turbatur, sollemnitas nuptialis convivii periclitatur. Jesus rogatur: non exsurgit, aut instat, sed quiescentis ejus hoc opus est. Aqua hydriis infunditur, vinum calicibus hauritur; infundentis scientiæ sensus non convenit haurientis. Qui infuderunt, hauriri aquam existimant; qui hauriunt, vinum infusum arbitrantur; tempus, quod in medio est, [h] non proficit ut liquoris natura & nascatur & pereat. Ratio facti & visum frustratur & sensum: virtus tamen Dei in his quæ sunt gesta sentitur.

Johan. 2. 9. Homo non capit quî aqua in vinum sit conversa,

6. Sed & de quinque panibus non dissimilis facti admiratio est. Incrementis eorum, quinque millium virorum & innumerabilium mulierum ac puerorum fames vincitur: fugit oculos sensûs nostri, operis intelligentia. Quinque panes offeruntur & franguntur, subrepunt præfringentium manibus quædam fragmentorum procreationes. Non imminuitur unde præfringitur; & tamen semper præfringentis manum fragmenta occupant. Fallunt momenta visum; dum plenam fragmentis manum sequeris, alteram sine damno portionis suæ contueris; inter hæc fragmentorum cumulus augetur.

Matth. 14. 17. aut quomodo quinque panes excreverint.

[a] Addunt hîc duo mss. *genuit:* quod in aliis libris probè reticetur.

[b] In vulgatis, *quæ ejus sunt;* & mox, *utpote ab eo genitus.* Magis placet *ei*, & *Deo*, cum ms. Vat. bas. & altero Colb.

[c] Editio Par. ad Nivellianam expressa, *ut sit qui genuit:* mendosè. Hîc respicitur illud, *Nemo novit Filium, nisi Pater*, &c. Cùm proximè ait Hilarius, *ut voluit qui potuit*, & alia hujusmodi lib. 6. n. 21. & cap. 16. in Matth. n. 4. Patris voluntati Filium videtur subjicere, tum ut sit, tum ut æqualis ipsi sit. Contrà Athanasius Or. 2. cont. Ar. p. 335. hoc inter creatam rem & Filium discrimen statuit, quòd hic sit proprium paternæ substantiæ germen, illa verò quid extraneum, quod ex Patris voluntate, cui ille non subjacet, pendeat: τὸ μὲν ποίημα οὐκ ἀνάγκη ἀεὶ εἶναι· ὅτε γὰρ βούλεται δημιουργὸς ἐργάζεται. τὸ δὲ γέννημα οὐ βουλήσει ὑπόκειται, ἀλλὰ τῆς οὐσίας ἐστὶν ἰδιότης. Sic & Cyrillus lib. 7. Thesauri: *In naturalibus nulla præcedit voluntas, quæ locum in iis solum habet, quæ sunt extra deliberantis substantiam.* At sententiam suam ipse explicat Hilarius l. de Synod. n. 58. ubi primùm cum Athanasio & Cyrillo consentiens ponit, *Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit: sed naturam Filio dedit... perfecta nativitas*, &c. Tum indicat se Filium volente Patre natum ad hoc tantùm prædicare, ne invitus Pater & non sine passione eum genuisse existimetur. Qua ratione Cyrillus lib. 7. Thesauri: *Licèt non ex voluntate genuerit Filium, non tamen invitus habet eum; vult enim Filium & amat: sicut quòd bonus & misericors sit, licèt non habeat præcedente voluntate & electione, non tamen invitus hæc habet; vult enim id esse quod est.* Eadem fere repetit dial. 2. de Trinit.

[d] Apud Par. omittitur *hæc spes.* Mox verbum *calumniari* positum videtur pro imminuere & detrahere Deo aliquid de potentia sua. Jam legimus in Psal. 137. n. 16. *in calumnia vestis*, pro, quando quis vult auferre vestem: & lib. 10. de Trin. n. 28. legere est *in ipsa trunci corporis calumnia*, pro, in ipsa auris amputatione.

[e] id est, propter secretum ac potestatem nativitatis, quò non penetrat mens humana.

[f] hoc est, ratio nostra certò percipit effectum esse à Deo, quamvis non comprehendat quomodo factum sit, aut etiam qua ratione fieri potuerit.

[g] Ms. Colb. cum Germ. *est ostensum.* Mox restituimus ex mss. *in Galilæa*, ubi vulgatum erat *in Cana Galilææ.*

[h] Editi excepto Par. & plures mss. *non sufficit.* Retinemus lectionem Par. quæ est vetustiorum mss. Tum apud Er. Lips. & Par. *ut in liquoris natura.* Meliùs abest *in* ab aliis libris: hîc enim *liquoris* vocabulum & vinum nascens, & aquam pereuntem pariter enuntiat.

tur. Præfringentes in ministerio sunt, edentes A in negotio sunt, esurientes saturi sunt, duodecim cophinos replent reliquiæ. Non sensus, non visus profectum [a] tam conspicabilis operationis assequitur. Est quod non erat, videtur quod non intelligitur : solùm superest ut Deus omnia posse credatur.

Hæc non sui causâ egit Christus,

7. Non habent itaque divina adulationem, nec subest Deo ad placendum fallendumque simulatio. Hæc filii Dei opera non de jactantiæ studio sunt profecta : neque enim ille, cui B innumerabilia millia millium Angelorum serviunt, adulatus est homini. Quid enim eorum quæ nostra sunt indigebat, per quem sunt universa quæ nostra sunt? An honorem à nobis expostulabat, nunc à somno stupidis, nunc de luxu noctium [b] fessis, nunc post rixas & cædes dierum malè consciis, nunc post convivia ebriis, quem Archangeli, & Dominatus, & Principatus, & Potestates sine somno, sine occupatione, sine crimine æternis & C indefessis in cælo vocibus laudant : & laudant, quia ipse invisibilis Dei imago omnes [c] in se creaverit, sæcula fecerit, cælum firmaverit, astra distinxerit, terram fundaverit, abyssos demerserit; ipse deinceps homo natus sit, mortem vicerit, portas inferi fregerit, coheredem sibi plebem acquisiverit, carnem in æternitatis gloriam ex corruptione transtulerit. Nihil ergo iste eguit à nobis, ut hæc eum apud nos inenarrabilia & inintelligibilia opera tamquam D egentem laudis ornarent. Sed providens Deus nequitiæ & stultitiæ humanæ errorem, & sciens eò usque infidelitatem prorupturam esse, ut sibi de Dei rebus judicium præsumeret, audaciam nostram earum, de quibus ambigeretur, rerum vicit exemplis.

sed ut humanum de Dei rebus judicandi pruritum retunderet.

8. Sunt enim plures sæculi prudentes, quorum prudentia Deo stultitia est, qui cùm audiunt Deum ex Deo, verum à vero, perfectum à perfecto, unum ab uno natum esse, tam- E quam impossibilia nobis prædicantibus contradicant, quibusdam sententiarum collectionibus inhærentes, cùm dicunt : » Nasci nihil potuit » ab uno, quia omnis ex duobus nativitas est. » Jam si ab uno natus hic filius est, partem ejus » qui genuit accepit : & si pars, neuter ergo per- » fectus est ; deest enim ei unde decessit : nec » plenitudo in eo erit, qui ex portione consti- » terit : neuter ergo perfectus est, cùm plenitu- » dinem suam & qui genuerit amittat, nec qui F » natus est consequatur. Hanc mundi sapientiam etiam per prophetam providens Deus, ita damnat, dicens : *Perdam sapientiam sapientium, &* [d] *intellectum prudentium reprobabo.* Item in Apostolo : *Ubi est sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus prudentiam hujus mundi? Nam quia in sapientia Dei non cognovit mundus per prudentiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes : quoniam Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt : nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, iis autem qui sunt vocati, Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam : quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

Humana ratio contra generationem Dei reprobatur.

Esai. 29. 14.

1. Cor. 1. 20. &c.

Christi officium apud nos.

9. Curam ergo humani generis habens Dei filius, primùm, ut sibi crederetur, homo factus est : ut testis divinarum rerum nobis esset ex nostris, perque infirmitatem carnis Deum patrem nobis infirmibus & carnalibus prædicaret, voluntatem in eo Dei patris efficiens, ut dicit : *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui me misit.* [e] non quòd nolit & ille quod faciat ; sed obedientiam suam sub effectu paternæ voluntatis ostendit, volens ipse voluntatem Patris explere. Erat autem hæc efficiendæ voluntatis voluntas, cujus ipse testis est dicens, *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius clarificet te : sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti illi, det ei vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super terram, opere consummato quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me Pater apud temetipsum claritate quam habui, priùs quàm mundus esset, apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Verbis brevibus & paucis omne opus officii sui & dispensationis exposuit, nihilo minùs fidei [f] veritatem adversùm omnem inspirationem diabolicæ fraudulentiæ communiens. Curramus ergo per singulas sermonis sui virtutes.

Joh. 6. 38.

Johan. 17. 1. &c.

Quid postulet dicens, Clarifica Filium.

10. Ait : *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Non diem, non tempus, sed horam venisse dicit. In hora diei portio est. Et quæ hæc erit hora? Nempe illa, de qua in tempore passionis discipulos confirmans locutus est, *Ecce venit hora, ut filius hominis clarificetur.* Hæc ergo hora est, in qua se à Patre clarificari orat, ut Patrem ipse clarificet. Sed quid est istud? Clarificari se clarificaturus exspectat, & honorem redditurus expostulat, & eget hoc quod rursum impertiet? Et hîc occurrant sophistæ mundi & sapientes Græciæ, & syllogismis suis veritatem irretiant. Quomodo & unde & quid causæ sit quærant : & cùm hæserint, audiant, Quia stulta mundi elegit Deus [g]. Ergo per stultitiam nostram intelligamus inintelligibilia sapientibus mundi. Dixerat Dominus, *Pater, venit hora* : horam passionis ostenderat ; nam hæc sub momento eo loquebatur : deinde adjecit, *Clarifica filium tuum.* Sed quomodo clarificandus erat Filius?

Joh. 12. 23.

1. Cor. 1. 21.

[a] Bad. Er. & Lips. *tam inconspicabilis.* Malumus cum Par. & nostris mss. *tam conspicabilis*, vel cum codice Vat. bas. *tamen conspicabilis.* Sermo enim hîc est, ut suprà promissum erat, de exemplo corporali. Unde & in Matth. c. 14. n. 12. de eodem miraculo habes : *Agitur enim in opere visibili invisibilis molitio.*

[b] Er. Lips. & Par. *noctium vigilatarum.* Expunximus verbnm *vigilatarum* auctoritate Bad. & mss. quod Erasmus videtur addidisse de suo.

[c] Par. post Lipsium ex Erasmi margine, *per se creaverit.* Mox mss. Colb. & Carn. *astra distrinxerit*, non *distinxerit.*

[d] Carnut. ms. *prudentiam prudentium.*

[e] In duobus mss. Remig. & uno Theod. *non quòd nollet* : minùs verè. Confer Tract. Psal. 139. n. 12.

[f] Sola editio Par. *fidei voluntatem.*

[g] Carnutensis codex hîc addit, *ut confundat sapientes.*

Namque natus ex virgine, à cunis & infantiâ usque ad consummatum virum venerat: per somnum, famem, sitim, lassitudinem, lacrymas hominem egerat, etiam nunc conspuendus, flagellandus, crucifigendus. Quid ergo? Nobis solum hominem in Christo hæc erant contestatura. Sed non confundimur cruce, non flagellis prædamnamur, non sputis sordidamur. Clarificat Pater Filium. Quo modo? Tandem suffigitur cruci. Deinde quid sequitur? Sol non occidit, sed refugit. Quid refugisse dico? Non receptus in nubem est, sed de cursu operis defecit: & interitum suum cum eo reliqua mundi elementa senserunt: & ne huic facinori [a] ullæ cælestes operationes interessent, intercessionis hujus necessitate quadam sui abolitione caruerunt. Sed terra quid fecit? Ad onus Domini in ligno pendentis intremuit, eum qui moriturus erat intra se contestata non capere. Numquid & portionem suam rupes & saxa concedunt? Sed rupta dissiliunt, & naturam suam perdunt, cæsamque ex se arcam incontinentem condendi corporis confitentur.

11. Quid ad hæc? Proclamat quoque centurio cohortis, & crucis custos, Verè Dei filius erat iste. Creatura intercessione hujus piaculi liberatur; firmitatem & virtutem saxa non retinent. Qui cruci affixerant, verè Dei filium confitentur: prædicationi consentit effectus. Dominus dixerat, *Clarifica filium tuum.* Non solùm nomine contestatus est esse se filium, sed & proprietate, qua dicitur *tuum.* Multi enim nos filii Dei, sed non talis hic filius. Hic enim & verus & proprius est filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione. Ergo post clarificationem ejus, veritatem confessio consecuta est. Nam verum Dei filium centurio confitetur; ne quis credentium ambigeret, [b] quod homo persequentium non negasset.

12. Sed fortè ea clarificatione creditur eguisse Filius quam orabat: & infirmus reperietur, dum clarificationem potioris exspectat. Et quis non Patrem [c] potiorem confitebitur, ut ingenitum à genito, ut patrem à filio, ut eum qui miserit ab eo qui missus sit, ut volentem ab eo qui obediat? Et ipse nobis erit testis: Pater major me est. Hæc ita ut sunt, intelligenda sunt: sed cavendum est, ne apud imperitos gloriam Filii honor Patris infirmet. Nec infirmari [d] patitur hæc ipsa clarificatio postulata: ad id enim quod dictum est, *Pater, clarifica filium tuum;* sequitur & illud, *ut filius clarificet te.* Non ergo infirmus est Filius, vicem clarificationis ipse, cùm clarificandus sit, redditurus. Sed si non infirmus, quid postulabat? nemo enim nisi hoc * quod eget postulat. Aut numquid infirmus est & Pater? Aut eorum quæ habet ita profusus est, ut ei clarificatio sit reddenda per Filium? Sed neque hic eguit, neque ille desiderat; & tamen alteri alter [e] impertiet. Ergo expostulatio clarificationis dandæ, vicissimque reddendæ, nec Patri quidquam adimit, nec infirmat Filium; sed eamdem divinitatis ostendit in utroque virtutem, cùm & clarificari se Filius à Patre oret, & clarificationem Pater non dedignetur à Filio: sed hæc in Patre & Filio virtutis unitatem, per vicissitudinem dandæ & [f] rependendæ clarificationis ostendunt.

* al. quo.

13. Sed clarificatio hæc quæ sit, & ex quibus sit, * noscendum est. Non, opinor, demutabilis Deus est, neque in æternitatem cadit aut vitium aut emendatio, aut profectus aut damnum; sed quod est, semper est; hoc enim Deo est peculiare. Quod semper est, habere aliquando in natura non poterit ut non sit: quo modo ergo clarificabitur, quod suo non eget, neque à se deficit; * neque quidquam sit quod in se recipiat, neque amiserit ut resumat? Hæremus, moramur. Sed intelligentiæ nostræ infirmitatem Evangelista non deserit, qui quam clarificationem Patri Filius esset redditurus ostendit, dicens, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti illi, det ei vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Clarificatur ergo per Filium Pater, in eo quòd sit à nobis [g] intelligendus. Claritas autem hæc erat, quòd ab eo Filius potestatem omnis carnis acceperat [h] caro factus ipse, quòd vitæ æternitatem erat caducis & corporeis & mortalibus redditurus. Vitæ autem nostræ æternitas non operationis erat, sed virtutis effectus: cùm æternitatis gloriam non jam molitio nova, sed sola Dei esset cognitio sumtura. Ergo non claritas Deo additur; neque enim decesserat ut adderetur: sed per Filium clarificatur apud nos imperitos, refugas, sordidos, [i] sine spe mortuos, sine lege tenebrosos; & clarificatur per id, quòd ab eo Filius potestatem omnis carnis acceperit, vitam ei æternam daturus. Per hæc igitur Filii opera clarificatur Pater. Itaque cùm omnia Filius accepit, clarificatus à Patre est; & contrà clarificatur Pater, cùm fiunt universa per Filium.

Claritas quam sibi Pater & Filius exhibent quæ sit.

* Tres mss. docendum.

* supple, ita ut.

Johan. 17. 2. & 3.

[a] Vulgati, *illæ cælestes*: castigantur ex mss.

[b] Lips. & Par. post Er. *quod unus persequentium*: nullius veteris libri auctoritate.

[c] Sicut illæsa fide Hilarius hîc Patrem affirmat Filio potiorem, qua de re mentem suam explicans in Psal. 138. n. 17. ait, *Est enim Pater major Filio, sed ut pater filio, generatione non genere*, & sicut ei consentiens Athanasius Or. 2. cont. Ar. p. 363. habet: *Pater major est Filio, non magnitudine aliqua vel tempore, sed propter generationem ex ipso Patre*: ita & excusari potest illud Origenis T. 3. in Johan. edit. Huetii p. 70. *Tertiò dicitur hæc lux vera: qua ratione Pater veritatis Deus amplior & major est, quàm veritas; & pater cùm sit sapientiæ, præstantior est ipsâ sapientiâ: hac etiam ratione excellit eum qui est lux vera*, scilicet Christum. Idem esto judicium de similibus aliorum Patrum sententiis.

[d] In vulgatis, *infirmari se patitur.* Abest *se* à mss. cujus loco intelligere est *gloriam Filii.*

[e] Ita mss. At editi, *impertit.*

[f] In vulgatis, *dandæ & referendæ.* In uno ms. Sorbon. *dandæ & recipiendæ.* In nonnullis aliis, *dandæ & repetendæ.* Sincerior nobis visa est lectio vetusti codicis Colbertini.

[g] In excusis hîc additur *per filium*, quod abest à mss. Neque verò in evangelicis verbis, *ut cognoscant te* &c. quæ hîc explicantur, exstat *per filium*: quod neque ad scopum Hilarii pertinet. Vult enim tantùm, claritatem Dei nihil ei addere quo priùs careret: quia tunc clarificandus est, cùm à nobis est intelligendus, nec quidquam ei adjicit hæc cognitio nostra.

[h] Ita vetus codex Colb. cui favent ceteri, in quibus, *caro autem factus ipse quòd* (In Vict. *qui*) *vitæ æternitatem.* At in editis, *caro enim factus ipse vitæ æternitatem.*

[i] Bad. & Er. *sine spiritu emortuos.* In uno ms. Colb. *sine spe morituros.*

Et claritas accepta sic redditur, ut quod claritatis in Filio est, id totum claritas Patris sit: quia à Patre accepit omnia; quia honor famulantis [a] in honorem mittentis est, ut honor gignentis in honorem nascentis est.

Spes vitæ non in solo Patre, sed & in Filio.

14. Sed in quo tandem æternitas vitæ est? Ait ipse, *Ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quæ hîc difficultatum quæstiones sunt, & quæ pugna verborum est? Vita est verum Deum nosse: sed nudum hoc non facit vitam. Quid ergo connectitur? *Et quem misisti Iesum Christum.* Debitus Patri à Filio honor redditur, cùm dicit, *te solum verum Deum.* Non tamen se Filius à Dei veritate secernit, cùm adjungit, *& quem misisti Iesum Christum.* Non habet intervallum confessio credentium, quia in utroque spes vitæ est: nec Deus verus ab eo deficit, qui in conjunctione succedit. Cùm ergo dicitur, *ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum;* sub hac significatione, id est, mittentis & missi, non Patris & Filii veritas & divinitas sub aliqua aut significationis aut dilationis diversitate discernitur, sed ad gignentis & geniti confessionem fides religionis instruitur.

Missio non naturam, sed personas discriminat.

15. Ergo absolutè Patrem Filius clarificat in eo quod sequitur: *Ego te clarificavi super terram opere consummato, quod dedisti mihi ut faciam.* Laus Patris omnis à Filio est: quia in quibus laudabitur Filius, laus erit Patris. Consummat enim omnia, quæ Pater voluit. Dei filius homo nascitur; sed Dei in partu virginis virtus est. Dei filius homo cernitur; sed Deus in operibus hominis exsistit. Dei filius cruci figitur; sed in cruce hominis mortem Deus vincit. Christus Dei filius moritur; sed omnis caro vivificatur in Christo. Dei filius in inferis est; sed homo refertur ad cælum. In quantum hæc laudabuntur in Christo, tanto plus laudis à quo Christus Deus est consequetur. His igitur modis Pater Filium clarificat super terram: rursumque Filius ignorationi gentium & stultitiæ sæculi, [b] per virtutum suarum opera, eum ex quo est ipse clarificat. Et hæc quidem clarificationis vicissitudo non pertinet ad divinitatis profectum, sed ad honorem eum qui ex cognitione ignorantium suscipiebatur. Quo enim Pater non abundabat, ex quo sunt omnia? Vel quid Filio deerat, in quo complacuerat omnem plenitudinem divinitatis habitare? Ergo clarificatur Pater in terra: quia opus ejus quod mandavit efficitur.

Laus Filii laus est Patris.

16. Videamus quid Filius à Patre clarificationis exspectet: & absolutum est. Nam in continentibus est, *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem: & nunc clarifica me Pater apud temetipsum ea claritate quam habui, priùs quàm mundus esset, apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus.* Operibus ergo Filii clarificatus est Pater: dum Deus esse intelligitur, dum Dei unigeniti pater manifestatur, dum ad salutem nostram filium suum etiam ex virgine natum esse hominem voluit, in quo explentur ea omnia in passione, quæ de partu virginis cœpta sunt. Itaque quia Dei filius ex omni [c] qua est parte perfectus, & ante omne tempus in divinitatis plenitudine natus, nunc à carnis suæ origine homo, consummabatur ad mortem; clarificari se apud Deum postulat, sicut Patrem ipse clarificabat in terris: quia tum Dei virtutes ignoranti sæculo clarificabantur in carne. Nunc autem quid est quod apud Patrem [d] clarificationis exspectet? Nempe hoc quod habuit apud eum, priùs quàm mundus esset. Habuit [e] plenitudinem divinitatis; atque habet, namque Dei filius. Sed qui erat Dei filius, & * hominis cœperat esse filius; erat enim Verbum caro factum. Non amiserat quod erat, sed cœperat esse quod non erat; non de suo destiterat, sed quod nostrum est acceperat: profectum * ei quod accepit, ejus claritatis expostulat unde non destitit. Ergo quia Filius Verbum, & Verbum caro factum, & Deus Verbum, & hoc in principio apud Deum, & Verbum ante constitutionem mundi Filius: Filius nunc caro factus orabat, ut hoc Patri caro [f] inciperet esse quod Verbum; ut id, quod de tempore erat, gloriam ejus quæ sine tempore est claritatis acciperet; ut in Dei virtutem & spiritûs incorruptionem transformata carnis corruptio absorberetur. Hæc itaque oratio ad Deum est, ad Patrem hæc confessio Filii est, hæc carnis deprecatio est: in qua eum judicii die compunctum & de cruce recognitum universi videbunt, in qua præfiguratus in monte est, in qua elevatus ad cælos est, in qua Deo assedit à dextris, in qua honorificatus ab Stephano est.

Quam claritatem à Patre exspectet Filius. *Joh. 17. 4.*

* seu etiam.

* puta, humanæ naturæ.

17. Manifestato itaque hominibus nomine Patris, hæc postulat: sed quo nomine? Numquid nomen Dei ignorabatur? Hoc Moyses de rubo audivit, hoc Genesis in exordio creati orbis nuntiavit, hoc lex exposuit, prophetæ prætulerunt, homines in his mundi operibus senserunt, gentes etiam mentiendo veneratæ sunt: non ergo ignorabatur Dei nomen. [g] Sed planè ignorabatur. Nam Deum nemo noscit,

Dei nomen ante Christum hominibus ignotum.

[a] Ita unus codex Colb. Alii verò libri hîc & mox, *in honore.*

[b] Vaticanæ basilicæ codex, *per virtutem suarum operationum.* Carnut. *per virtutum suarum operationem.*

[c] Unus è mss. Colb. *qua est Pater.* Carnut. *qua est Pater.* Retinenda lectio vulgata, non quòd in Dei Filio ante carnis assumtionem fuerint partes, sed quòd nihil ei fuerit unde non perfectus dici possit.

[d] Editi, *clarificationis profectum,* ac deinde Lips. & Par. *expetat:* refragantibus mss. quorum lectio sic ordinanda: *quid clarificationis est, quod apud Patrem exspectet?*

[e] scil. priùs quàm mundus esset; *atque etiam habet,* post quàm ipse factus est homo.

[f] Sic lib. de Synod. n. 48. *Verbum caro factum est, ut caro potiùs hoc inciperet esse quod Verbum:* quod non sentit Hilarius fieri mutatione substantiæ, sed qualitatis, non ut caro esse desinat quod est, sed ut absorpta corruptione in incorruptionem aliasve dotes, quæ divinæ Verbi naturæ propriæ sunt, transformetur, uti mox exponitur, & copiosè ostensum est in præfatione generali §. 5. Quod diligenter attendendum, ne ubi Patres antiqui carnem nostram à Christo post resurrectionem *deificatam* prædicant, carnis abolitionem sensisse temere judicentur. A quo errore sese alienum hîc ostendit Hilarius, cùm Christum judicii die in ea ipsa carne videndum docet, in qua transfiguratus in monte est.

[g] In vulgatis, *sed Deus planè.* Expuncta est vox *Deus* auctoritate mss. Hilarii sententia liquidiùs patet ex his lib. 5. num. 27. *Et quæro an Deus verus non sit, qui tum secundùm opinionem Judæorum & benedicebatur & jurabatur. Judæi namque sacramentum mysterii Dei nescientes, & per hoc Dei filium ignorantes, Deum tantùm, non & Patrem venerabantur. Nam utique venerantes Patrem, venerarentur & Filium.*

nisi confiteatur & Patrem patrem unigeniti filii, & Filium non de portione, [a] aut dilatatione, aut emissione; sed ex eo natum inenarrabiliter, incomprehensibiliter, ut filium à patre, plenitudinem divinitatis ex qua & in qua natus est obtinentem, verum & infinitum & perfectum Deum; hæc enim Dei est plenitudo. Nam si horum aliquid deerit, jam non erit plenitudo, quam in eo habitare complacuit. Hoc à Filio prædicatur, hoc ignorantibus manifestatur: sic clarificatur per Filium Pater, cùm pater filii talis agnoscitur.

Dei plenitudo. Coloss. 1. 19.

18. Volens itaque Filius hujus nativitatis suæ fidem facere, factorum suorum nobis [b] posuit exemplum, ut per inenarrabilium gestorum suorum inenarrabilem efficientiam de virtute nativitatis inenarrabilis doceremur: cùm aqua fit vinum, cùm quinque panes saturatis quinque millibus virorum, excepto sexu & ætate reliqua, replent fragmentis cophinos duodecim. Res cernitur, & nescitur; fit, & non intelligitur; ratio non apprehenditur, & effectus ingeritur. Stultum est autem, calumniam in eo inquisitionis intendere, quòd comprehendi id unde quæritur, per naturam suam non potest. Ut enim inenarrabilis est Pater in eo quòd ingenitus est; ita enarrari Filius in eo quòd unigenitus est non potest; quia ingeniti est imago qui genitus est. Cùm enim sensu atque verbis imaginem apprehendimus, necesse est etiam eum cujus imago est consequamur. Sed invisibilia persequimur, & incomprehensibilia tentamus, quibus intelligentia ad conspicabiles res & corporeas coartatur. Non erubescimus stultitiæ, non nosmetipsos irreligiositatis arguimus, Dei arcanis, Dei virtutibus calumniantes. Quomodo Filius, & unde Filius, & quo damno Patris, vel ex qua portione sit natus, inquirimus. [c] Habueras in exemplo operationum, ut crederes Deum efficere posse, quorum intelligere efficientiam non possis.

Nativitatis suæ fidem Christus fecit gestis.

Divina quia non capiunt negantes objurgantur.

19. Quæris quomodo secundùm Spiritum natus sit Filius: ego te de corporeis rebus interrogo. [d] Non quæro quomodo natus ex virgine sit; an detrimentum sui caro perfectam ex se carnem generans perpessa sit. Et certè non suscepit [e] quod edidit, sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit, & perfectum ipsa de suis [f] non imminuta generavit. Et quidem fas esset, non impossibile in Deo opinari, quod per virtutem ejus possibile fuisse in homine cognoscimus.

20. Sed te, quisquis es, investigabilia sectantem, & divinorum secretorum atque virtutum gravem arbitrum consulo, ut mihi imperito, & tantùm de omnibus Deo ut sunt ab eo dicta credenti, rationem saltem facti istius afferas. Dominum audio, & quia his credo quæ scripta sunt, scio jam post resurrectionem frequenter videndum se in corpore præbuisse multis non credentibus; certè Thomæ, non nisi contrectatis ejus vulneribus credituro, sicut ait, *Nisi videro* [g] *in manibus ejus figuram clavorum, & misero digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Dominus ad omnem se intelligentiæ nostræ imbecillitatem accommodat, & dubitationi infidelium satisfacturus, arcanum invisibilis virtutis operatur: facti rationem, quisquis eris cælestium rerum scrutator, expone. Erant discipuli [h] in clauso, & secretò post passionem Domini congregati consederant. Dominus Thomæ fidem propositis conditionibus confirmaturus assistit, palpandi corporis & contrectandi vulneris obtulit facultatem: & utique qui compunctus recognoscendus sit, necesse est corpus in quo est compunctus attulerit. Quæro ergo per quas clausæ domus partes sese corporeus intulerit. Diligenter enim Evangelista expressit dicens, *Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio* [i]. An constructa parietum penetrans [k] & solida lignorum, naturam eorum impenetrabilem transcucurrit? Stetit namque corporeus, non simulatus aut fallax. Sequantur ergo oculi mentis tuæ penetrantis ingressum, & cum eo clausam domum intelligentiæ tuæ visus introeat. Integra sunt omnia & obserata: sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam universa sunt pervia. Invisibilibus calumniaris: ego à te visibilium exposco rationem. Nihil cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid tamquam lapsu insensibili ligna & lapides admittunt. Corpus Domini à sese non deficit, ut sese resumat ex nihilo: &

Joh. 20. 25.

Provocantur ut explicent Christi januis clausis ingressum.

Ibid. 26.

[a] In vulgatis; *aut dilatione*: malè. Nec meliùs deinde apud Er. & Lips. *aut remissione*. Verbis *aut dilatatione aut emissione* cavetur hæresis Sabellii, quam lib. 1. n. 16. explicuimus.

[b] Vat. bas. ms. cum uno Colb. & Remig. *exposuit*. Mox vocem *inenarrabilium* antea omissam restituimus è mss.

[c] Bad. & Er. *hæreas*. Lips. & Par. *hærebas*. Vidit quidem Erasmus in mss. *habueras*. Unde ad oram libri adscripsit, *Ego legendum arbitror hebueras, hoc est cæcutieras*: atque opinioni illius Ludovicus Miræus perperam subscripsit; cùm non ambigua sit lectio mss. *habueras ut*, seu unde, *crederes*. Sic lib. 7. n. 51. *Habueras in confessione eorum, quibus desæviente vento . . . erat restituta tranquillitas, ut & tu verum Dei filium confitereris* &c.

[d] Particulam negantem, quam frustra sustulerat Lipsius, hîc restituimus.

[e] scilicet ex viro: *sed caro carnem* perfectam, seu hominem verum & perfectum *sine elementorum nostrorum pudore provexit*: quia nimirum omnes ex viro & femina carnis initia trahimus. V. lib. 10. n. 35. & lib. 12. n. 49. Hunc autem locum cum altero Tract. Psal 67. conciliavimus ad eumdem Tractatum p. 206. not. f.

[f] Illud *de suis* ita Hilariano more positum est, ut ad proximum verbum *non imminuta*, & ad subsequens *generavit* æquè referendum sit, quasi haberetur, *ipsa de suis generavit, quamvis non imminuta de suis*. Sic autem potest intelligi de suis non imminuta, quia scil. integrâ & illibatâ virginitate generavit. At quod ex hac B. Virginis generatione deducitur, ut credibilis fiat Patris æterni generatio absque ullo ipsius damno, perperam quidam rapiunt ad infamandam Hilarii de Christi conceptione sententiam, jactantque eum sensisse Christum ex Maria nihil suscepisse. Quasi verò non in hoc maximè instituta sit ipsius comparatio, quòd sicut Christus ex Mariæ substantia illæsa ipsius integritate natus est, ita absque Patris damno ex ipsius substantia generari potuit. Christum ex Mariæ substantia generatum si negaret, nulla prorsus esset ipsius ratio. Hoc porro eum nullatenus negare evidentissimis argumentis ostensum est in præfatione generali §. 1.

[g] Plures mss. *in manus ejus*. Tum cum Par. retinemus *figuram clavorum* consentiente vetusto codice Colb. ac Germ. juxta græc. τὸν τύπον τῶν ἥλων. In aliis autem libris, *fixuram*. Mox in ms. Carn. *per loca clavorum*, pro *in locum*.

[h] Editi, *inclusi*. At mss. hîc, *in clauso*, & ad calcem libri in Constantium, in quem hæc translata sunt, unus Colb. *inclausi*. Jam cap. 4. in Matth. n. 13. ex mss. restitutum est, *Qui fructus est clausò impensam luminis continere?*

[i] Excusi hîc subjiciunt *discipulorum suorum*: quod neque in sacro textu exstat, neque in mss.

[k] Ita mss. Editi verò, *& solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit*.

unde qui assistit in medio est? Cedit ad hæc & sensus & sermo, & extra rationem humanam est veritas facti. Idcirco ergo ut de nativitate [a] fallimus, ita & de ingressu Domini mentiamur. Dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus: & cessante sensu nostro, facti ipsius cesset effectus. Sed mendacium nostrum facti fides vincit. Adstitit Dominus clausa domo in medio discipulorum: & Filius est natus ex Patre. Noli negare quòd steterit, quia per intelligentiæ infirmitatem, consistentis non consequaris introitum: noli nescire quòd ab ingenito & perfecto Deo patre unigenitus & perfectus [b] filius Deus natus sit, quia sensum & sermonem humanæ naturæ virtus generationis excedat.

Si possent, Dei opera omnia turbarent.

21. Et omnia quidem insuper mundi opera adesse nobis in testimonium possent, ne ambigere de Dei rebus atque virtutibus fas crederemus. Sed in ipsam veritatem infidelitas nostra procurrit, & violenti in excidium Dei potestatis irrumpimus. Si liceret, corpora & manus ad cælum elevaremus, solem astraque cetera [c] annuis cursus sui limitibus proturbaremus, permisceremus decessus Oceani & accessus, fluenta etiam fontium inhiberemus, & [d] naturas fluminum referremus, concuteremus fundamenta terræ, & toto in hæc opera Dei parricidio desæviremus. Sed bene, quòd nos intra hanc modestiæ necessitatem natura corporum detinet. Certè non fallimus, quid, si liceret, essemus facturi. Namque [e] quia possumus, profanæ voluntatis audaciâ naturam veritatis convellimus, & bellum dictis Dei comparamus.

Joh. 17. 6. Christus Patrem nobis manifestavit ut patrem, non ut creatorem.

22. Filius dixit, *Pater manifestavi nomen tuum hominibus*. Quid ad hæc calumniamur? quid æstuamus? Patrem tu negas? [f] Atquin hoc maximum opus Filii fuit, ut Patrem cognosceremus. Negas planè, quando secundùm te Filius non ex eo natus est. [g] Et cur filius dicetur, factus pro voluntate quasi cetera? Admirari Deum possum conditorem mundi Christum creantem: & digna Deo virtus est, ut effectorem Archangelorum & Angelorum, visibilium & invisibilium, cæli atque terræ, & universæ hujus creationis effecerit. Sed non hic labor Domini est, ut omnia in creandis rebus Deum posse tu sentias; sed ut scias Deum patrem ejus esse filii qui loquitur. Virtutes in cælo plures sunt, & efficientes, & [h] æternæ: sed unus unigenitus est filius, non à ceteris sola differens potestate, quia per eum cuncta sunt. Sed quia verus unus est filius, non [i] fiat degener,

[a] Editi, *fallimur*. Rectiùs potiores mss. *fallimus*: Carnut. *fefellimus*. Hæc enim hæreticorum nomine insinuantur, veritatem quam non comprehendunt detrectantium. Arianorum infirmæ rationi suæ nimis credentium imitator Calvinus, iis hac parte audacior fuit, quòd in Johan. 20. 19. negare non dubitarit Christum per januas clausas ad discipulos transisse: concedit tamen januis eum eo sensu clausis ingressum esse; quòd cùm clausæ essent, aditus illi patefactus non fuerit *manu hominis*, quemadmodum Petrus è carcere obserato, sed Angeli ministerio aperto, egressus est. Tum Papistarum nomine calumniatur catholicis, ideo, inquit, aliter sentientibus, *ut corpus gloriosum non modò reddant simile spiritui, sed immensum esse, nulloque loco contineri obtineant*: cùm ideo tantùm aliter sentiant, quia luculenta sunt Scripturæ verba, & uno Patrum consensu prout sonant intellecta. Sanè frustra est Scultetus, cùm animum inducere conatur, Hilarium à Calvino suo non dissidere. Quis enim non videat, ita illum verba evangelica intellexisse, ut Christum januis clausis, iisque non manu Angeli aut aliqua omnipotentiæ divinæ virtute reseratis, sed cùm clausæ permanerent, ad discipulos transisse crediderit. Non aliter ea intellexit Augustinus Ser. 247. num. 2. ubi Calvinum cum suis velut in antecessum refutaturus, nativitatis exemplo factum idem confirmat. *Virgo*, inquit, *peperit, & virgo permansit: jam tunc Dominus per ostia clausa natus est*. At quomodo verum Christi corpus impenetrabilem parietum ac lignorum naturam transcurrit? Respondet tibi Hilarius, Facti veritas ex verbis evangelicis constat, quamvis modus rationem humanam omnino fugiat: sed non minùs constat plus Deum posse, quàm valeat humana ratio capere. Neque alia est responsio Augustini Serm. 247. n. 2. & epist. 137. n. 8. & Cyrilli Alex. lib. 12. in Johan. Ita possent absolvi multæ difficultates, quas circa sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum Calvini sectarii excogitant. Quomodo unum & idem Christi corpus in cælo & in terra, & alia hujusmodi? Noli sollicitus esse de modo; cùm tantùm te certum voluerit Christus de facto. Erunt fortè, qui etiam modos explicabunt: ut modò non desunt philosophi, qui hunc Domini ad discipulos januis clausis & nullo pacto apertis ingressum explicare se putant. Cùm enim, inquiunt, conservatio sit continuata creatio, tam facile fuit Deo corporis Christi creationem immotis corporibus intermediis continuare in distanti loco, quàm in proximo; licèt secundùm communes naturæ leges, non continuet ullius corporis creationem, nisi aut in eodem aut in proximo loco, & eo quidem corpore, quod in illo continebatur, priùs è suo situ depulso. Deo quippe facillimum fuit, ut corpus, quod uno temporis articulo volebat esse extra cubiculum, qua voluntate extra cubiculum creabatur, subsequenti voluerit esse intra cubiculum, quo actu necesse est, illæsis etiam & immotis parietibus ac foribus, sit intra cubiculum. Ea quidem ratione vidit Hilarius Christi factum explicari posse. Sed hîc illudere solent phantasmata, quibus corporis intra parietes illæsos ingressum excogitare non sinimur, nisi corpus illud priùs extra prorsus aboleri, ac deinde intra de novo creari ponatur. Unde noster Hilarius hîc, *Corpus Domini à sese non deficit, ut sese resumat ex nihilo*. Attamen corpus nunc extra, ac proximè pòst per creantem, aut potiùs conservantem, Dei voluntatem intra cubiculum à sese non deficit, cùm nullo temporis momento existere desinat: aut eatenus deficere dici queat, quatenus ex natura sua indiget ut quolibet temporis momento creetur: sicut per motum dici possit deficere in loco in quo non ampliùs creatur, & creari in eo in quo conservatur. Sive hoc, sive alio modo factus fuerit hic Christi januis clausis ingressus: quod infirmæ rationi suæ plus æquo credentibus antea videbatur, jam non videtur repugnare. Ita etiam erit fortasse, qui ratiunculas, aut potiùs tenebras, quibus iidem Calvini discipuli Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ sacramento veritatem obscurare se putant, depellet. Tutius interim erit cum tota Ecclesia facti veritatem tenere, quamvis ratio qua id fiat ignoretur.

[b] Ita Bad. Er. & mss. nec erat cur Lipsius reponeret, *filius Dei natus sit*.

[c] Editi, *annui cursus suis limitibus*. Vetus codex Colb. *annuos cursus suis limitibus*. Alius Colb. cum Sorbon. *& annuos eorum cursus suis limitibus*. Lectio, quam exhibemus, est plerorumque mss. Confer Tract. Psal. 134. n. 11. ubi Hilarius repræsentat *indemutabilem cæli firmitatem, solem annuis cursibus indefessisque moderatum, vicesque anni definitis limitibus temperantem &c.*

[d] Duo mss. Colb. cum Germ. *naturas hominum*. Tum editi cum duobus mss. recentioribus, *refrenaremus*, & in uno mendosè *reffernaremus*. Præferimus cum ceteris, *referremus*: quod verbum magis Hilarianum est, ut observatum est pag. 371. not. f.

[e] Editi, *quia non possumus*, additâ particulâ negante contra fidem mss. & mentem Hilarii, ex iis quæ contra veritatem faciunt hæretici, quia id pro ingenii sui libertate possunt, quid facerent contra rerum naturas, si pariter posse datum eis esset, colligentis.

[f] Ita scribimus hanc vocem ad imitationem veterum librorum: quod & apud Tertullianum præstitum est.

[g] In vulgatis, *& cùm filius dicitur*. Subinde apud Lips. *quia sit cetera*; & apud Par. *quia sit cetera*: lectio depravata, quam excipiebat vitiosa interpunctio, adeo ut argumenti vis jam nulla prorsus appareret. Restauratur ope mss. Hoc enim sibi vult, ut qui Filium ceterorum instar pro voluntate factum asserit, neget re ipsa filium; qui negat Filium, neget & Patrem; qui verò negat Patrem, neget id quod Christus hîc docere maximè studuit. Non enim admodum ei curæ fuit, ut eum nobis Deum & Christi omnium conditoris creatorem inculcaret, cùm tamen hinc multùm apud nos eum commendare & admirationem ei nostram excitare valuisset: sed ut manifestaret eum verum esse patrem, qui verum haberet filium. Hoc Christi opus, hic labor erat.

[h] Virtutum cælestium nomine Angelos ab Hilario intelligi solere sæpius observavimus. Has virtutes æternas nuncupat, non quòd eas ab æterno, sed quòd non interituras credat. Qua ratione in Psal. 129. num. 6. homo secundùm animam *æternus* prædicatur. Hîc Arianorum sententiam notat, volentium Christum hoc tantùm ab illis virtutibus differre, quòd hæ aliqua dumtaxat efficiant, cùm per illum cuncta sint. Ex quo patet, malè in priùs vulgatis obtinuisse *per eum creata sunt*, ubi ex mss. restituimus *per eum cuncta sunt*.

[i] Lips. & Par. *non quia degener*: absque auctoritate.

ut

ut natus ex nihilo sit. Audis Filium: crede quia filius est. Audis Patrem: memento quia pater est. Quid istis nominibus suspicionem, malitiam, audaciam interseris? Secundùm naturæ intelligentiam nomina divinis rebus [a] aptata sunt. Quid affers vim verborum veritati? Audis patrem & filium: ne ambigas esse quod nuncupantur. Summa dispensationis est Filio, ut noveris Patrem: quid irritum facis opus prophetarum, Verbi incarnationem, virginis partum, virtutem operationum, crucem Christi? Tibi hæc omnia impensa, tibi præstita sunt: ut per hæc manifestus tibi & Pater esset & Filius. Supponis nunc [b] voluntatem, creationem, adoptionem: inspice & militiam & stipendium Christi. Nempe proclamat, *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus*: non audis, creatorem cælestium creasti; non audis, effectorem terrestrium effecisti: sed audis, *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus*. Utere Salvatoris tui munere: scito patrem esse qui genuit, filium esse qui natus est; natum ex eo patre, [c] qui est, veritate naturæ. Memento non tibi patrem manifestatum esse quòd Deus est, sed Deum manifestatum esse quòd pater est.

Joh. 10. 30.

Filius à Patre subsistentiâ non naturâ discernitur.

23. Audis, *Ego & Pater unum sumus*. Quid discindis & distrahis Filium à Patre? Unum sunt: scilicet [d] is qui est, nihil habens quod non sit etiam in eo à quo est. Cùm audis Filium dicentem, *Ego & Pater unum sumus*; personis rem accommoda, gignenti & genito professionis suæ permitte sententiam. Sint unum, ut sunt qui genuit & qui genitus est. Cur naturam excludis? cur veritatem interimis? Audis, *Pater in me, & ego in Patre*: & hoc de Patre & Filio Filii opera testantur. Non * corpus per intelligentiam nostram corpori immittimus, neque ut aquam vino infundimus: sed eamdem in utroque & virtutis similitudinem & deitatis plenitudinem confitemur. Omnia enim Filius accepit à Patre, & est Dei forma, & imago substantiæ ejus. [e] Eum enim ab eo qui est, *imago substantiæ* tantùm ad subsistendi fidem, non etiam ad aliquam naturæ dissimilitudinem intelligendam discernit. Patrem autem in Filio, & Filium in Patre esse, plenitudo in utroque divinitatis perfecta est. Non enim diminutio Patris est Filius, nec Filius imperfectus à Patre est. Imago * sola non est, & similitudo non sibi est. Deo autem simile aliquid esse, nisi quod ex se erit, non potest. Non enim aliunde est, quod in omnibus simile est: neque diversitatem duobus admisceri alterius ad alterum similitudo permittit. Ne similia permutes, neque sibi ex veritate indiscreta disjungas: quia qui dixit, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: invicem esse sui similes, in eo quòd *similitudinem nostram* dicat, ostendit. Ne contigeris, ne contrectaveris, ne corruperis. Tene naturæ nomina, tene Filii professionem. Nolo aduleris, ut Filium de tuo laudes: bene habet, ut iis quæ sunt scripta contentus sis.

Ibid. 38.

* al. ut corpus.

Ut imago omnia habet quæ Pater.

* hoc est, solitaria.

Gen. 1. 26.

Prudentia humana in Dei rebus deficit.

24. Non est autem in tantum confidendum prudentiâ humanâ, ut perfectum se quis putet sapere quod sapiat: & in eo arbitretur absolutæ rationis summam contineri, quod ipsa mente pertractans, æquabili undique apud se existimet veritatis opinione constare. NON enim CONCIPIUNT imperfecta perfectum, neque quod ex alio [f] subsistit, absolutè vel auctoris sui potest intelligentiam obtinere, vel propriam: se quidem in eo tantùm quod est sentiens, ceterùm ulteriùs sensum suum quàm sibi constituta sit natura non tendens. Motum enim suum non sibi debet, sed auctori: & idcirco id, quod [g] in aliud ex auctore subsistit, imperfectum sibi est, dum constat aliunde; & necesse est, ut in quo se perfectum putet sapere, desipiat: quia naturæ suæ non moderans necessitatem, & omnia infirmitatum suarum existimans terminis contineri, falso jam sapientiæ nomine gloriatur: quia sapere sibi ultra sensus sui non liceat potestatem, & quàm infirmum subsistendi est virtute, tam sensus sit. Atque ob id imperfectæ naturæ substitutio, perfecti sensus sapientiam obtinere se glorians, stultæ sapientiæ irridetur opprobrio, Apostolo dicente: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sermone sapientiæ, ne inanis fiat crux Christi: verbum enim crucis stultitia est his qui pereunt, iis autem qui salvantur, virtus Dei est. Scriptum est enim, Perdam sapientiam sapientium, & intellectum intelligentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Quoniam quidem in sapientia Dei non cognovit* [h] *mundus per sapientiam Deum, decrevit Deus per stultitiam prædicationis salvare credentes: quo-*

Desipit dum se putat perfectum sapere.

1. Cor. 1. 17. &c.

[a] Ita mss. At editi, *apta sunt*.

[b] In ms. Carnut. *voluntate*: cui lectioni favet quòd initio hujus numeri filius ex sententia hæreticorum *factus pro voluntate dicatur*.

[c] In vulgatis, *qui est ex veritate naturæ*. Abest *ex* à mss. Horum verborum nativus ordo ac sensus est: *natum veritate naturæ*, seu vera nativitate cum natura ejus ex quo nascitur, *ab eo patre qui est*, hoc est, cujus proprium est à se esse, & non ab alio, vel qui est principium universorum. Sic lib. 2. n. 11. habes: *Est Filius ab eo Patre qui est*; hîc verò, ut mox videbimus, *Unum sunt scilicet is qui est, nihil habens quod non sit etiam in eo à quo est*; ubi *is qui est*, Patrem, *is à quo est*, Filium significat. Quamquam lib. 2. n. 32. Filius respectu Spiritus-sancti dicitur *is qui est*, & ejus respectu Spiritus-sanctus, *is cujus est*, quasi is qui ejus est.

[d] In uno codice Remig. necnon Theod. *is qui est, & de quo est, nihil habens* &c. glossema. Quippe cur unum sint Pater & Filius, hîc ratio redditur; quia nimirum *is qui est* principium generationis, nihil habeat quod non sit *in eo à quo est*, hoc est, qui ab eo est, seu qui ab eo originem ducit.

[e] In vulgatis & aliquot mss. *eum enim qui est ab eo qui est imago substantiæ*: aliud glossema, quod castigatur ope mss. Carnut. Colb. Vindocin. Vatic. & Vict. Quippe *eum enim* refertur ad Filium: tum *ab eo qui est* dicitur de Patre. Subinde *imago substantiæ*, (ubi in uno ms. Colb. *imago consubstantiæ*) materialiter accipitur. Hinc præstat mox *intelligendam discernit* juxta plerosque ac potiores mss. quàm quod apud Lips. & Par. *intelligentia discernit*.

[f] hoc est, ex alia substantia: cui locutioni opponitur *ex se* in his numeri superioris, *Deo autem simile aliquid esse, nisi quod ex se erit, non potest*. Tum duo mss. Colb. cum Carnut. *substitit*: & paulo pòst *si quidem*, non *se quidem*.

[g] Abest *in aliud* à vetustioribus mss. Colb. & Remig. quod in Corb. additum est à secunda manu. Lips. & Par. particulâ *in* expunctâ, tantùm retinuere *aliud*. Ex hoc loco intelligendum est illud Tract. Psal. 134. n. 10. *Qui non se sibi debet, non omnia potest, dum à potiore subsistit*.

[h] Carnutensis codex, *hic mundus*, addito pronomine *hic*, quod & superiùs num. 6. addebat vetus Colb. Mox in dicto Carnut. aliisque *salvos facere*, pro *salvare*: & paulo pòst, sicut & in vetusto Colb. *quod infirmius est ..... quod stultius est*. Jam admonuimus eosdem Scripturæ locos ab Hilario repetitos non eadem ratione referri.

niam Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum Iesum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis & Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam: quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus; & quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Omnis itaque infidelitas stultitia est: quia imperfecti sensus sui usa sapientiâ, dum omnia infirmitatis suæ opinione moderatur, putat effici non posse quod non sapit. CAUSA enim infidelitatis [a] de sententia est infirmitatis, dum gestum esse quis non putat, quod geri non posse definiat.

Stultitia sapiens fidelium.

25. Et idcirco Apostolus sciens naturæ humanæ imperfectam cogitationem hoc solum putare in veri ratione esse quod saperet, ait non in sermone se sapientiæ prædicare, ne prædicationis suæ inanis esset assertio. Ac ne stultitiæ esse prædicator existimaretur; adjecit, verbum crucis stultitiam esse pereuntibus: quia eam solam infideles prudentiam crederent esse, quam saperent; & cùm nihil nisi intra infirmitatis suæ saperent naturam, eam, quæ sola Dei perfecta sapientia est, putarent esse stultitiam; per quod [b] in ea ipsa infirmis sapientiæ suæ opinione desiperent. Ergo quidquid pereuntibus stultitia est, hoc iis qui salvantur Dei virtus est: quia nihil naturalis sensus [c] sui infirmitate moderantur, sed divinæ potestatis efficientiam secundùm infinitatem cælestis virtutis expendunt. Et idcirco sapientiam sapientium, & intelligentiam intelligentium Deus improbat, quia per opinionem stultitiæ humanæ credentibus salus tribuitur: dum & infideles, quæ extra sensum suum sunt, stulta esse decernunt, & fideles potestati ac virtuti Dei omnia [d] largiendæ sibi salutis suæ sacramenta permittunt. Non ergo sunt stulta quæ Dei sunt; sed humanæ naturæ insipiens prudentia est, quæ à Deo suo aut signa aut sapientiam ad fidem postulet. Et Judæorum quidem est postulare signa; quia in Dei nomine per legis familiaritatem non admodum rudes, crucis scandalo commoventur. Græcorum autem est sapientiam poscere, quia gentili ineptia humanâque prudentiâ rationem sublati in crucem Dei quærant. Quæ quia secundùm sensum naturæ infirmis occulta in sacramento sit, fit stultitia [e] infidelis: cùm quod naturaliter mens imperfecta non concipit, id extra prudentiæ causam esse decernat. Sed ob hanc imprudentem mundi sapientiam, quæ per Dei sapientiam Deum antè nescivit, id est, per hanc magnificentiam mundi ac tam sapienter instituti opificii ornatum, creatoris sui non est venerata sapientiam; placuit Deo prædicatione stultitiæ salvos facere credentes, id est, crucis fide æternitatem mortalibus provenire: ut confusâ humanæ [f] sententiæ opinione, ibi salus reperiretur, ubi creditur esse stultitia. Christus enim, qui stultitia gentibus & Judæis scandalum est, Dei virtus Deique sapientia est: quia quæ sensu humano infirma in Dei rebus & stulta existimantur, hæc prudentiæ virtutique terrenæ, & sapientiæ & potestatis veritate præcellant.

De Dei rebus non suo sensu sed fide decernendum.

26. Nihil igitur in divinis effectibus humanæ mentis opinione tractandum est, neque de creatore suo opificii ipsius materia decernat. ASSUMENDA autem nobis est stultitia, ut sapientiam sumamus, non imprudentiæ sensu, sed naturæ nostræ conscientiâ: ut quod cogitationis terrenæ ratio non concipit, id nobis rursum ratio divinæ virtutis insinuet. Cùm enim recognitâ stultitiæ nostræ intelligentiâ, imperitiam naturalis in nobis imprudentiæ senserimus, tum per divinæ sapientiæ prudentiam ad Dei sapientiam imbuemur: cùm sine modo virtutes Dei ac potestatem metiamur, cùm naturæ Dominum non intra naturales leges cohibeamus, cùm HOC SOLUM de Deo bene credi intelligamus, ad quod de se credendum ipse sibi nobiscum & testis & auctor exsistat.

[a] In mss. Carnut. *de sententia est impossibilitatis*: minùs bene. Quid sibi velit *de sententia infirmitatis*, declarant proximè dicta, *dum omnia infirmitatis suæ opinione moderatur* ac metitur.

[b] Præpositionem *in* omittunt editi. Tum Er. Lips. & Par. subjiciunt *ea ipsa infirmi*: reluctantibus Bad. & mss.

[c] Addimus *sui* ex mss. Haud procul ab Hilarii mente Gregorius l. 9. Moral. c. 8. *Qui ergo in factis Dei rationem non videt, infirmitatem suam considerans, cur non videat rationem videt.*

[d] Vat. bas. ms. necnon alii tres, *largiendæ*. Er. & Lips. *largiendo*. Retinendum omnino cum aliis libris *largiendæ*.

[e] Excusi, *infidelibus*: emendantur ex mss. optimæ notæ Vat. bas. Colb. &c.

[f] Editi, *sapientiæ opinione*: refragantibus mss.

LIBER QUARTUS.

Libri synopsis.

Catholicorum simplicitatem adversus Arianorum astus munire aggreditur. Eam ob rem quæ illorum de Christo sit sententia exponit. Tum defendit Filium Patri homousion *ac* semper fuisse, *& à pravis sensibus, quibus necessarias illas voces supprimere tentant, Ecclesiam abhorrere declarat. Allatis deinde variis Scripturæ testimoniis, quibus Filium à naturæ divinæ possessione exclusum esse veteratoriè insinuant, integram exhibet fidei professionem, quam Arius Alexandriâ pulsus aliique ipsius partibus addicti ad Alexandrum Alexandrinum antistitem miserunt. Hujus deinceps primam partem, his maximè nixam verbis*, Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est, *quasi nimirum iis Moyses Deum non modò naturâ, sed & personâ unum prædicarit, multis refutat: ostenditque tum ex creatione mundi, tum ex pluribus visis factis Agar, Abrahæ, Jacob & Moysi,*

tum etiam ex Prophetarum testimoniis, ac nominatim Moysi, Psalmographi, Oseæ, Esaiæ ac Baruch, sive ut vocat Jeremiæ, Deum etsi naturâ unum, non tamen esse solitarium, sed Filium habere, qui cum ipso divinitatis & nomen obtineat & naturam.

Quia verò hujus ac subsequentis libri argumenta pleraque nituntur visis patriarcharum; operæ pretium est nonnulla de iis præfari. Constans apud veteres videtur opinio, Filium ab initio mundi variis se modis hominibus spectabilem præbuisse. Hoc disertè docent Justinus martyr, Irenæus, Origenes, Theophilus Antioch. Clemens Alexandr. Tertullianus, Cyprianus, Patres Antiocheni Concilii contra Paulum Samosat. ut mittamus Faustinum Presbyterum, Ambrosium, Leonem, aliosque plurimos. Sed ne ab iis quidem hoc negatum est, qui Ario favebant. Idipsum passim prædicat Eusebius in lib. dem. Ev. & Sirmiense Concilium contra Photinum eos anathemate damnat qui aliter senserint. De visis in eo expositis quædam observanda.

Sed cùm in hac doctrina fraudem moliti sint Ariani, ut Filium, qui visibilis ac visus sit, à Patre invisibili naturâ dissimilem prædicarent; altè retinendum, sanctos Patres ita Deum visum asseruisse, ut cum Augustino lib. 2. contra Maximinum cap. 26. num. 12. senserint, divinitatem non per substantiam suam, in qua invisibilis & immutabilis est, sed per creaturam sibi subjectam mortalium oculis apparuisse cùm voluit. *Ac ne peregrina huc adsciscamus, locuples hujus rei testis est Hilarius lib. 12. n. 45. & 46.* Certè, *inquit*, qui antè Angelus, nunc etiam homo est: ne naturalem hanc esse Dei speciem diversitas hujus ipsius assumtæ creationis pateretur intelligi. Adest autem Jacob etiam usque ad luctæ complexum in habitu humano... Sed idem postea & Moysi esse ignis ostenditur: ut naturæ creatæ tum potiùs ad speciem, quàm ad substantiam naturæ, fidem disceres. *Acutè Augustinus epist. aliàs 112. nunc 147. num. 20. in illa Moysi verba*, Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum, Quid ergo, *inquit?* Ille non erat ipse? Si non esset ipse, non ei diceret, ostende mihi temetipsum, sed, ostende Deum: & tamen si ejus naturam substantiamque conspiceret, multo minùs diceret, ostende mihi temetipsum. Ipse ergo erat in ea specie, qua apparere voluerat: non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat.

Si ex proximis Scripturæ verbis ipsum Deum à Moyse visum Augustinus rectè asseruit; pari ratione concedendum est ipsum Deum eidem Moysi in rubo dixisse, Ego sum Deus Abraham *&c. verumque Deum Agar allocutam esse, cui clamavit*, Tu Deus, qui adspexisti me. *Neque hoc etiam negant ii Patres, qui in visis illis veros Angelos adstitisse arbitrantur. Non enim existimant Angelos illos ideo Dei ac Domini nomen sibi attribuisse, quia ut legati Dei ac Domini nomine loquebantur; quis enim legatus regis, imperatoris, aut principis sibi arroget nomen, cujus personam repræsentat? sed ideo potiùs, quòd Deus ipse in illis loquebatur. Hoc disertè docet Athanasius Or. 4. cont. Arian. pag. 467.* Is quidem, qui sentiebatur oculis, Angelus erat, sed Deus in Angelo loquebatur. Nam quemadmodum in columna nubis verba ad Moysen in tabernaculo faciebat, ita quoque in Angelis apparebat loquens Deus. *Ita & Hieronymus cap. 3. ad Gal.* Quòd autem ait, Lex ordinàta per Angelos, hoc vult intelligi, quòd in omni veteri Testamento, ubi Angelus primùm visus refertur, & postea quasi Deus loquens inducitur, Angelus quidem verè ex ministris pluribus quicumque sit visus, sed in illo Mediator loquatur, qui dicat Ego sum Deus Abraham. *His accedit Augustinus l. 2. contra Maximin. cap. 26. n. 11.* Quæro, *inquit*, quis apparuerit Moysi in igne quando rubus inflammabatur, & non urebatur. Quamquam & illic Angelum apparuisse Scriptura ipsa declarat.... In Angelo autem Deum fuisse, quis dubitet? *Juxta hos Gregorius Papa præf. in Job. c. 2.* Angelus, qui Moysi apparuisse dicitur, modò Angelus, modò Deus memoratur. Angelus videlicet propter hoc, quòd exteriùs loquendo serviebat; Dominus autem dicitur, quia interiùs præsidens, loquendi efficaciam ministrabat. Cùm ergo loquens exteriùs ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur.

Concedit præterea Augustinus lib. 2. contra Maximinum c. 26. n. 9. Angelis illis licuisse Dei ac Domini se nomine commendare propter prophetiam futura nuntiantem, *quia ni-*

mirum Christus, qui Deus ac Dominus est, in illis figuratus sit. Sic & Irenæus lib. 5. c. 1. Prædiximus quoniam Abraham & reliqui prophetæ propheticè videbant eum, id quod futurum erat per visionem prophetantes. *Sed quovis modo intelligantur illa visa, stat propè eadem vis argumentorum, quæ ex illis Hilarius conficit.*

1. QUAMQUAM anterioribus libellis, quos jam pridem conscripsimus, absolutè cognitum existimemus, fidem nos & confessionem Patris & Filii & Spiritussancti ex evangelicis atque apostolicis institutis obtinere, neque quidquam nobis cum hæreticis posse esse commune, quippe illis divinitatem Domini nostri Jesu Christi sine modo & ratione & metu abnegantibus: tamen etiam his libellis quædam necessariò fuerunt comprehendenda, ut omnibus fallaciis eorum & impietatibus editis, absolutior fieret cognitio veritatis. Et primùm cognoscendum est, quæ doctrinæ eorum temeritas sit, quodve irreligiositatis periculum: dehinc quid adversùm fidem apostolicam, cui nos congruimus, habeant sententiæ, quidve dicere soleant è contrario, quave verborum ambiguitate simplicitati audientium illudant: postremò qua interpretationum suarum arte veritatem divinorum dictorum virtutemque corrumpant.

Tria in hæreticos prævittenda veritatis assertioni.

2. Non ignoramus autem, ad res divinas explicandas, neque hominum elocutionem, neque naturæ humanæ comparationem posse sufficere. Quod enim inenarrabile est, id significantiæ alicujus finem & modum non habet: & quod spiritale est, id à specie corporalium exemploque diversum est. Tamen cùm de naturis cælestibus sermo est, illa ipsa, quæ sensu mentium continentur, usu [a] communis & naturæ & sermonis sunt eloquenda, non utique dignitati Dei congrua, sed ingenii nostri imbecillitati necessaria; rebus scilicet verbisque nostris ea quæ & sentimus & intelligimus locuturi. Atque hæc, sicut primo libello * testati sumus, nunc quoque idcirco à nobis commemorata sunt, ut cùm aliquid ex humanis comparationibus proferimus, non secundùm naturas corporales de Deo sentire credamur, nec passionibus nostris spiritalia comparare, sed potiùs rerum visibilium speciem ad intelligentiam invisibilium protulisse.

Verbis humanis res divinas non bene explicari.

** num. 19.*

3. Aiunt namque hæretici, non ex Deo esse Christum, id est, Filium non ex Patre natum, neque Deum ex natura, sed ex constitutione esse; adoptionem scilicet ejus [b] in nomine, quia sicut plures Deo filii, ita & hic filius sit; dehinc liberalitatem in dignitate, quia sicut dii plures sunt, ita & hic Deus sit: indulgentiore tamen in eo & adoptionis & nuncupationis affectu, ut & præ ceteris sit adoptatus, & adoptivis aliis major ipse sit filiis, & excellentiùs cunctis naturis creatus, creaturis ipse ceteris præstet. Aiunt etiam quidam eorum Dei omnipotentiam confitentes, in similitudinem eum Dei creatum, & ex nihilo ut cetera in æterni illius Creatoris sui imaginem constitisse: verbo videlicet de non exstantibus jussum esse subsistere, Deo potente similitudinem sui ex nihilo coaptare.

Hæreticorum opiniones de Dei filio.

4. Quin etiam id adjiciunt, cùm unius substantiæ Patrem & Filium esse audiunt ab anterioribus [c] episcopis prædicatum, ut id subtiliter per speciem hæreticæ opinionis infirment: dicentes eos verbi hujus significationem, id est, unius substantiæ, quod græcè ὁμοούσιον dicitur, hoc sensu usurpare atque eloqui, tamquam ipse sit pater qui & filius, ex infinitate videlicet sua protensus in Virginem, ex qua corpus assumens, sibi in eo corpore, quod assumsit, filii nomen addiderit. Et hæc quidem [d] de homousio eorum falsitas prima est. Sequens illa est, quòd affirment id enuntiationem homousii significare, quòd rei anterioris atque alterius communio sit duobus, & tamquam prior substantia vel usia materiæ alicujus exstiterit, quæ participata duobus, & in utroque consumta, utrumque illum & naturæ anterioris, & rei esse testetur unius. Atque idcirco improbare se homousii aiunt confessionem, quòd enuntiatio ejus neque Filium à Patre distinguat, & [e] posteriorem Patrem materiâ, [f] quæ sibi cum filio sit communis, ostendat. Tertiò quoque hanc improbandi homousii causam comminiscuntur, quòd secundùm verbi hujus significationem, ex divisione paternæ substantiæ esse Filius [g] existimetur; tamquam desectus ex eo fuerit, ita ut in duos sit res una divisa; & ideo substantiæ dicantur unius, quia portio desecta de toto, in natura ea sit unde desecta est: nec posse in Deum cadere divisionis passionem, quia & demutabilis

Homousion ob sensus pravos respuere se confingunt. Qui illi sensus.

[a] Ita in mss. At in vulgatis, *communi.*

[b] Editi, *esse in nomine.* Abest *esse* à mss. quorum aliqui subjiciunt, *quia sicut plures Dei filii, ita & hic filius Dei sit.*

[c] In excusis, *ab anterioribus esse episcopis*, redundat *esse*, nec habent mss. Vocabulum homousion ab anterioribus episcopis prædicatum testatur epistola ad Paulum Samosat. Tom. 1. Concil. Dionysio Alexandrino adscripta, ipse fatetur Eusebius Cæsar. apud Socrat. l. 1. c. 5. *Nonnullos*, inquit, *veteres episcopos & scriptores, viros sanè disertos atque illustres, in divinitate explicanda hoc verbo* CONSUBSTANTIALI *usos fuisse cognovimus.* Inter eos, qui usi sint, duos Dionysios recenset Athanasius lib. de Synod. pag. 918. Tertullianus quoque adversùs Praxeam num. 2. Patrem & Filium *unius substantiæ* prædicat.

[d] Mss. *de homousion.* In hoc nomine scribendo non sibi constant, illud quandoque per casus inflectentes, sæpius non. Hoc vocabulum priore illo sensu à Paulo Samosatensi prædicatum, & ab Antiochenis Patribus rejectum indicabat epistola Orientalium Sirmium delata, cujus argumentum refertur lib. de Synod. n. 81.

[e] Unus codex Colb. cum Vict. & Sorbon. *potiorem*: non malo sensu, si deinde subjiceretur, *Patre materiam.* Veriùs tamen alii habent *posteriorem*, uti constat ex lib. de Synodis num. 68. Hunc alterum sensum, cùm à Paulo tantùm per cavillationem ingestus esset, statim ab Antiochenis Patribus explosum fuisse tradit Athanasius lib. de Synod. p. 920. quod cum Orientalium sententia proximè à nobis memoratâ num stare possit, suo loco ad librum de Synodis expendemus.

[f] Par. cum vetere ms. Colb. *quæ sibi de filio.* Fortè, *quæ sibi & filio.*

[g] Tertium hunc sensum, quem Manichæi fuisse liquet ex n. 12. testatur Eusebius apud Socrat. lib. 1. cap. 5. Constantinum ipsum respuisse, & *Consubstantiale de corporeis affectionibus non posse intelligi, neque Filium Dei vel divisione vel desectione, ut ita dicam, constare* &c. Huc usque ac deinceps Hilarius Filium consubstantialem Patri ita cautè prædicat, ut omnem horum pravorum sensuum suspicionem procul amoveat.

erit, si imminutioni per divisionem fiat obnoxius; & imperfectus efficietur, perfectionis suæ in portionem alteram decedente substantiâ.

Filium semper esse cur negent.

5. Nec non in eo se eleganter doctrinæ propheticæ, sed & evangelicæ atque apostolicæ posse se existimant contraire, ut Filii nativitatem intra tempora prædicent. Cùm enim vitiosè à nobis asserant dici, Filium semper fuisse; necesse est, excludendo quòd semper fuerit, nativitatem ejus confiteantur ex tempore. Si enim non semper fuit, erit tempus quo non fuit. Et si est tempus quo non fuit, erit ante eum tempus: quia qui non semper est, esse cœpit ex tempore. Qui autem caret tempore, non potest eo carere quod semper est. Respuere se autem id, quòd semper Filius fuerit, ob eam causam affirmant, ne per id, quòd semper fuit, sine nativitate esse credatur: tamquam per id, quòd semper fuisse dicitur, innascibilis prædicetur.

Nec homousion nec semper esse Filium sensibus relatis admittit Ecclesia.

6. O stultos atque impios metus, & irreligiosam de Deo sollicitudinem! Hæc, quæ in homousii significatione & in eo quòd semper Filius esse dicitur arguuntur, Ecclesia abominatur, respuit, damnat. Novit enim unum Deum ex quo omnia: novit & unum Dominum nostrum Jesum Christum per quem omnia; unum ex quo, & unum per quem; ab uno universorum originem, per unum [a] cunctorum creationem. In uno ex quo, auctoritatem innascibilitatis intelligit; in uno per quem, potestatem nihil differentem ab auctore veneratur: cùm ex quo & per quem, ad id quod creatur, [b] in his quæ creata sunt communis auctoritas sit. Novit in Spiritu Deum Spiritum impassibilem & indesecabilem; didicit enim à Domino, spiritui carnem & ossa non esse: ne fortè cadere in eum corporalium passionum detrimenta credantur. Novit unum innascibilem Deum: novit & unum unigenitum Dei filium. Confitetur Patrem æternum & ab origine liberum: confitetur & Filii originem ab æterno: non ipsum ab initio, sed ab ininitiabili; non per se ipsum, sed ab eo, qui à nemine semper est, natum ab æterno, nativitatem videlicet ex paterna æternitate sumentem. Caret ergo fides nostra hæreticæ pravitatis opinione. Edita namque est sensus nostri professio, licèt nondum sit ratio professionis exposita. Tamen ne quid, in homousii à patribus nuncupati enuntiatione, & in ea quòd semper fuerit confessione, suspicionis relinqueretur; ista memorata sunt, quibus & subsistere Filium in substantia qua genitus ex Patre est cognosceretur, & Patri de substantia qua manebat per Filii nativitatem nihil esse decerptum, & homousion Patri Filium non de commemoratis superiùs vitiis causisque à sanctis & [c] doctrinâ Dei calentibus viris esse memoratum; ne quis fortè existimaret adimi per usiam nativitatem unigeniti Filii, quòd Patri homousios diceretur.

Luc. 24. 39.

Vox homousion qua necessitate suscepta.

7. Sed ut suscepti hujus utriusque [d] verbi necessitatem, & contra debacchantes tum hæreticos ad maximam fidei securitatem usurpati, [e] rationem intelligamus: respondendum esse existimo hæreticorum perversitati, & omnes eorum stultas ac mortiferas institutiones evangelicis atque apostolicis testimoniis coarguendas. Videntur enim sibi de singulis, quæ asserunt, præstare rationem: quia singulis assertionibus suis quædam ex divinis voluminibus testimonia subdiderunt, quæ corrupto intelligentiæ sensu solis tantùm ignorantibus blandiantur, speciem veritatis secundùm pravitatem interpretantium præstatura.

Scripturæ quibus simplices decipiunt Ariani.

8. Conantur enim, sola Dei patris divinitate celebrata, Filio auferre quòd Deus est: quia scriptum sit, *Audi Israel, Dominus Deus tuus* [f] *unus est*. Et id ipsum ad legis doctorem, interrogantem quod præceptum maximum esset in lege, Domino dicente, *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est*. Et rursum Paulo ita prædicante: *Unus enim Deus, & unus Mediator Dei & hominum.* [g] Tum quòd solus sapiens sit, ne quid sapientiæ Filio relinquatur, secundùm Apostoli dictum, *Ei autem, qui potens est confirmare vos secundùm Evangelium meum & prædicationem Iesu Christi, secundùm revelationem sacramenti temporibus sæcularibus taciti, manifestati autem nunc per Scripturas propheticas secundùm præceptum æterni Dei, in obedientiam fidei in omnes gentes cogniti, soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui gloria in sæcula sæculorum.* Tum quòd solus innascibilis, & quòd solus verus sit, quia Esaias dixerit, *Benedicent* [h] *te Deum verum.* Quódque id ipsum contestatus sit Dominus in Evangeliis dicens, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Tum quia solus bonus, ne quid sit bonitatis in Filio; quia per eum dictum sit, *Nemo est bonus nisi unus Deus.* Tum quòd solus potens sit; quia Paulus dixerit, *Quem temporibus suis ostendet nobis beatus & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium.* Tum quòd hunc noverint inconvertibilem & indemutabilem; quia per prophetam dixerit, *Ego sum Dominus Deus vester, & non demutor:* & Jacobus Apostolus dixerit, *Apud quem non est demutatio.* Hunc justum judicem *, quia scriptum est, *Deus judex justus, fortis & patiens.* Hunc cunctis procurantem; quia Dominus dixerit, cùm ei de avibus sermo esset, *Et pater vester cælestis pascit* [i] *illa:* & rursum, *Nonne duo*

Deut. 6. 4. Marci 12. 29.
1. Tim. 2. 5.
Rom. 16. 25. &c.
Esai. 65. 16.
Joh. 17. 3.
Marci 10. 18.
1. Tim. 6. 15.
Malach. 3. 6.
Jac. 1. 17.
* supple hic & infrà, noverint.
Psal. 7. 12.
Matt. 6. 26.
Matth. 10. 29.

[a] Vetus codex Colb. cum Par. *cunctis creationem.* Universorum, utpote ipsius etiam Filii, à Patre est origo.

[b] Vat. bas. ms. *ei in his.* Alii recentiores, *& in his.* Hoc sibi vult, Patri ex quo & Filio per quem omnia, quantum ad virtutem creandi & respectu rerum creatarum, communem esse auctoritatem.

[c] Er. Lips. & Par. *doctrinam Dei callentibus:* non malè, si quis vetus liber suffragaretur.

[d] scilicet Filium & semper esse, & ejusdem cum Patre esse substantiæ. Quàm autem necessariò ad fidei securitatem vox homousion inventa sit; vide apud Athanasium lib. de Synod. p. 921. & Gregor. Naz. Or. 21. n. 25.

[e] Perantiqui mss. Vat. bas. & Colb. *ratione:* quæ vox Hilario familiaris pro *jure ac meritò.*

[f] Ita meliores mss. constanter, nonnumquam etiam consentientibus excusis, in quibus hîc, mox, & sæpiùs alibi repetitur vox *Deus.*

[g] Verba sequentia in excusis suo loco mota, restituimus ad normam mss.

[h] In edit. *te solum Deum.* Abest hîc *solum* à mss. sicut & l. 5. n. 25. & 26. ubi hunc locum ab hæreticis corruptum esse demonstratur.

[i] Edit. *illas.* At mss. *illa*, supple *volatilia*, ut legitur cap. 5. in Matth. num. 9.

passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadit A
super terram sine voluntate patris vestri? Sed &
capilli capitis vestri numerati sunt. Hunc omnia
Dan. 13. 42. providentem, sicut beata Susanna dicit; *Deus*
æternus, absconditorum cognitor, sciens omnia ante
a *generationem eorum.* Hunc etiam [a] inconcepti-
Esa. 66. 1. bilem, secundùm quod dictum est, *Cælum mihi*
thronus est, terra autem scabellum pedum meorum.
Quam domum ædificabitis mihi, aut quis locus re-
quietionis meæ? Hæc enim fecit manus mea, &
sunt omnia hæc mea. Hunc quoque capientem B
Act. 17. 28. omnia, Paulo testante, *Quoniam in ipso vivi-*
mus, & movemur, & sumus: & Psalmographo
Psal. 138. 7. &c. b dicente, [b] *Quò abibo ab spiritu tuo, & à facie*
tua quò fugiam? Si adscendero in cælum, tu illic
es; si descendero ad infernum, ades; si sumsero pen-
nas meas ante lucem, & habitavero in postremis
maris: etenim illic manus tua deducet me, & te-
nebit me dextera tua. Hunc quoque incorpo-
Joh. 4. 24. reum, quia dictum sit, *Spiritus enim Deus est,*
& adorantes eum, in Spiritu & veritate adorare C
oportet. Hunc immortalitatem habentem & in-
1. Tim. 6. 16. visibilem, Paulo dicente, *Qui solus habet im-*
mortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem
nemo hominum vidit, nec videre potest: & secun-
Joh. 1. 18. dùm Evangelium, *Deum nemo vidit umquam,*
nisi unigenitus filius, qui est in sinu Patris. Hunc
c quoque solum manentem [c] innascibilem, quia
Exod. 3. 14. dictum sit, *Ego sum qui sum:* & rursum, *Sic*
Ibidem. *dices filiis Israel; Misit me ad vos is qui est:* &
Jerem. 1. 6. d per Jeremiam, [d] *Qui es dominus Domine.* D

Fraus in prædictis latens retegitur.

9. Atque hæc quis non intelligat plena frau-
dis esse & plena fallaciæ? Quæ quamquam sint
subtiliter confusa atque permixta, tamen abso-
lutè artificiosam malitiæ & stultitiæ callidita-
tem & ineptiam testantur. Inter cetera enim
addiderunt, solum se Patrem innascibilem cog-
novisse: tamquam hinc quisquam possit ambi-
gere, eum, ex quo ille genitus sit per quem
omnia sunt, id quod ipse est à nemine consecu-
tum. In ipso enim, quòd pater dicitur, ejus E
quem genuit auctor ostenditur; id habens no-
men, quod neque profectum ex alio intelliga-
tur, & ex quo is qui genitus est substitisse do-
ceatur. Igitur id, quod Deo patri proprium est,
proprium ei ac secretum relinquamus, confi-
tentes in eo æternæ virtutis innascibilem po-
testatem. Nemini autem dubium esse existimo,
ob eam causam in confessione Dei patris quæ-
dam ejus tamquam peculiaria & privata memo-
rari, ne præter ipsum eorum quisquam parti- F
ceps relinquatur. Cùm enim dicunt, solum
e [e] verum, solum justum, solum sapientem, so-
lum invisibilem, solum bonum, solum poten-
tem, solum immortalitatem habentem; in eo

quòd solus hæc sit, à communione eorum se-
cundùm hos Filius separatur. [f] Soli enim, ut f
aiunt, propria non participantur ab altero.
Quæ si in Patre solo, non etiam in Filio esse
existimabuntur; necesse est ut Filius deus &
falsus, & insipiens, & secundùm conspicabiles
materias corporeus, & malevolus, & infirmus,
& extra immortalitatem esse credatur, qui ab
his omnibus, cùm in his Pater sit solus, exci-
pitur.

10. Dicturi autem de absolutissima majestate, Filii honor nil detrahit Patri.
& de plenissima divinitate unigeniti [g] Dei filii, g
non existimamus quemquam arbitraturum, om-
nem hunc sermonem, quo usuri erimus, ad Dei
patris contumeliam pertinere, quasi ex ejus
dignitate decedat, si quid eorum referatur ad
filium: cùm potiùs honor filii dignitas sit pa-
terna; & gloriosus auctor sit, ex quo is, qui
tali gloria sit dignus, exstiterit. Nihil enim nisi
natum habet filius, & geniti honoris admiratio
in honore generantis est. Cessat ergo opinio
contumeliæ: cùm quidquid inesse Filio maje-
statis docebitur, id ad amplificandam potesta-
tem ejus, qui istiusmodi genuerit, redundabit.

11. Consequens autem est, ut cognitis jam
iis, quæ ad deformationem Filii de Patre con-
fessi sunt, ipsum illud quod de Filio professi
sunt audiatur. Responsuri enim singulis eorum
propositionibus, & divinorum dictorum testi-
moniis irreligiosam eorum doctrinam proditu-
ri, debemus ad illa, quæ de Patre dicta sunt,
ea quæ deinceps de Filio sint commemorata
subjungere: [h] ut confessione ea, quæ de Patre h
& Filio est, inter se comparatâ, unus atque
idem à nobis in absolvendis singulis proposi-
tionibus ordo teneatur. Memorant namque fi- Arianorum de Filio doctrina.
lium Dei neque ex aliqua subjacente materia
genitum esse, quia per eum creata omnia sint;
neque ex Deo esse, quia decedere ex Deo ni-
hil possit: sed esse ex iis, quæ non erant; id
est, creaturam Dei perfectam, verumtamen
non similem ceteris creaturis. Esse autem crea-
turam; quia scriptum sit, *Dominus creavit me* Prov. 8. 22.
in initium viarum suarum. Esse etiam facturam
perfectam, sed non similem ceteris facturis:
facturam autem per id quod Paulus ad He-
bræos dixit, *Tantò melior factus angelis, quanto* Hebr. 1. 4.
excellentius ab his possidet nomen. Et rursum: *Vnde* Hebr. 3. 1.
fratres sancti, vocationis cælestis participes, cog-
noscite apostolum & principem sacerdotum confessio-
nis nostræ Iesum Christum, qui fidelis est ei qui fe-
cit eum. Ad infirmandam verò Filii & virtutem
& potestatem & divinitatem, eo maximè utun-
tur, quod dixerit, *Pater major me est.* Idcirco Joh. 14. 28.
autem non esse eum unum ex omnibus creaturis

[a] Mss. Vat. bas. & Carnut. *inconspicabilem.* Rectiùs alii libri, *inconceptibilem*, hoc est, qui nullo capi loco potest.

[b] In compluribus mss. *quò ibo.* In antiquioribus est, *quò abibo.*

[c] Vox *innascibilem* in priùs vulgatis perperam omissa est: cùm vel ex ea maximè Hilarius in ceteris Arianorum sententiis fraudem latere mox evincat. Restituitur ope mss.

[d] Bad. Er. & Lips. quos & postrema editio Par. secuta est, *qui es Domine*, omissa voce *dominus* præter fidem mss. & Septuaginta ὁ ὢν δέσποτα Κύριε.

[e] Editi, *verum Deum*: renitentibus mss.

[f] Hoc in modum effati philosophici enuntiatur. At si cum vetusto codice Colb. necnon Germ. præferas, *Soli enim sunt, aiunt*; referendum erit *soli* ad Patrem, *aiunt* ad Arianos.

[g] Addimus *Dei* ex mss. Hoc loco prudenter antevertit Hilarius argumentum Arianis sollemne, de quo Augustinus Ser. 139. n. 5. *Certè enim ideo dicis non esse ejusdem substantiæ Filium, ne injuriam facias Patri ipsius. Ego tibi citò ostendo, quia injuriam facis ambobus:* quod familiaribus verbis quomodo ostendat, vide si lubet. Item lib. 2. contra Maximinum c. 25. *Non se*, inquit, *vult Deus ita laudari patrem, ut filium dicatur de se ipso genuisse degenerem:* & Serm. 140. n. 5. *Non nobis displiceat honorificentia Filii in Patre: honorificentia enim Filii Patri tribuit honorem, non suam minuit divinitatem.* Simili ratione eisdem hæreticis respondet Ambrosius lib. 1. de fide c. 6.

[h] Carnut. ms. & alii quinque, *ut de confessione.*

[Joan. 1. 3.] concedunt, quia scriptum sit, *Omnia per eum facta sunt.*[a] Concludunt ergo omnem irreligiositatis suæ doctrinam istiusmodi verbis suis, dicentes.

Exemplum blasphemiæ eorum, qui creaturam esse Dei filium dicunt.

» 12. Novimus unum Deum, solum infectum, » solum sempiternum, solum sine initio, solum » verum,[b] solum[c] immortalitatem habentem, » [d] solum optimum, solum potentem,[e] omnium B » creatorem, ordinatorem & dispositorem in» convertibilem, immutabilem, justum & opti» mum legis & prophetarum & novi Testamenti: » hunc Deum genuisse filium unigenitum ante » omnia sæcula, per quem & sæculum & omnia » fecit: natum autem non putativè, sed verè, » [f] obsecutum voluntati suæ, immutabilem & » inconvertibilem, creaturam Dei perfectam, » sed non sicuti unum creaturarum; facturam, » sed non sicuti ceteræ facturæ; nec ut Valenti- C [Valentinus.] » nus[g] prolationem Natum Patris commentatus » est; nec sicut Manichæus[h] [Manichæus] partem unius sub» stantiæ Patris Natum exposuit; nec sicut Sa- [Sabellius.] » bellius, qui unionem[i] dividit, ipsum dixit Filium quem & Patrem; nec sicut Hieracas, lu- [Hieracas.] « cernam[k] de lucerna, vel lampadem in duas « partes; nec qui fuit antè, postmodum natum « vel supercreatum in filium, sicuti & tu ipse, « beatissime papa, media in ecclesia & in con- « sessu fratrum, frequenter eos qui talia introdu- « cunt renuisti: sed, sicut diximus, voluntate « Dei ante tempora & sæcula creatum, & vivere « & esse[l] accipiens à Patre, &[m] glorias ei con- « subsistente Patre. Neque enim Pater dans ei « omnium hereditatem, fraudavit semetipsum ab « his quæ[n] non facta habentur ab ipso; fons est « autem omnium.

13. Quapropter tres * substantiæ sunt Pater, [* ὑποστάσεις.] « Filius, Spiritus-sanctus. Et quidem[o] Deus cau- « sa est omnium, omnino sine initio solitarius: « Filius autem sine tempore editus à Patre, & « ante sæcula creatus & fundatus, non erat ante « quàm nasceretur: sed sine tempore ante omnia « natus, solus à solo Patre substitit. Nec enim est « æternus, aut coæternus, aut simul non factus « cum Patre, nec simul cum Patre habet esse, « sicuti quidam dicunt,[p] aut aliqui duo non « nata principia introducentes: sed sicut[q] unio « & principium omnium, sic & Deus ante om- «

[a] Titulum epistolæ subsequentis apud Bad. omissum, apud Er. & Lips. in marginem rejectum, & apud Par. hîc malè insertum, suo loco restituimus ex fide mss. Formulas fidei hæreticas ab Hilario ipso ita inscribi solere palam est ex lib. de Synodis num. 11. & ex lib. contra Auxentium num. 12. Subjectam epistolam Athanasius Orat. 1. contra Arianos p. 313. haud dubiè indicat his verbis: *Ario persuasit* (diabolus,) *ut quasi sub specie adversarii contra hæreses loqueretur, quò meliùs falleret suam ipsius hæresim subjiciens.* Ea ipsa est, cujus tam frequentem mentionem facit Aquileiense Concilium tum in gestis apud Ambrosium T. 2. editionis novæ pag. 786. tum in epistola ad Imperatores apud eumdem Ambrosium 10. Cui epistolæ illam se subdidisse, & in gestis legisse ac recitasse testantur prædictæ Synodi Patres: at modò non exstat nisi illius initium per varias interrogatiunculas concisum, quoad scilicet Palladius ad quæsita respondere renuit. Ambrosius ipse lib. 3. de fide c. 16. num. 132. in eamdem respicit, cùm ait, *Arius hujus impietatis magister Dei filium creaturam dixit esse perfectam, sed non sicut ceteras creaturas.* Hanc Athanasius integram exhibet lib. de Synod. p. 885. sicut & Epiphanius hær. 69. n. 7. à quo quidem cùm *epistola Arii ad Alexandrum*, faventibus proximè relatis Athanasii & Ambrosii verbis, inscribitur; cùm etiam simpliciter *Arii epistola* ab Aquileiensi Concilio constanter nuncupatur; Arius illius auctor præcipuus, sed non solus est existimandus. Hanc enim Hilarius noster non tantùm hîc, sed & lib. 1. n. 23. *à multis editam* scribit. Neque aliud sonat epistolæ ipsius præfatiuncula hîc omissa, sed apud Athanasium & Epiphanium plurium nomine expressa in hunc modum: *Fides illa, quam à majoribus accepimus, & à te didicimus, beatissime Papa, ejusmodi est: Novimus* &c. Longè certiùs id probat, quæ apud eosdem legitur inscriptio: *Beato papæ & episcopo nostro Alexandro presbyteri & diaconi in Domino salutem.* Vel certè hæc epistola & Arii est, ut auctoris; & multorum, quorum nomine missa & subscripta est. Varias illas subscriptiones infrà ex Epiphanio subjiciemus. Scripta est ante Nicænum Concilium, &, ut testis est Athanasius lib. de Synod. p. 883. cùm Arius ab Alexandro submotus apud Eusebium commoraretur. Nicomediâ quoque ad Alexandrum scriptam dicit Epiphanius, ut Arius apud illum quasi se excusaret. Quod autem ad calcem hujus epistolæ subjicit Athanasius, *Ista sunt ex aliqua parte, quæ Ariani ex hæretico suo corde evomuerunt*, indicio est eos alia plura tum evomuisse. Estque valde probabile eos testimoniorum superiùs memoratorum congerie conatos esse confirmare, quod in hac epistola sua simpliciter asseruerunt.

[b] In vulgatis hîc adjicitur, *solum immensum*: quod tamen omittunt lib. 6. neque in græcis exemplaribus usquam exstat, neque in mss.

[c] Hoc vafre dictum patet, quò Filius passibilis ac mortalis credatur. Hinc in gestis Aquileiensis Synodi n. 24. Ambrosio asserenti, *Non divinitas mortua est, sed caro mortua*, non assentitur Palladius; sed tergiversatur ac dicit, *Antè vos mihi respondete.* Planiùs autem ejusdem Synodi Patres epist. apud Ambros. 10. n. 7. ad Imperatores rescribunt, *Mortem denique ejus* (Christi) *non ad sacramentum nostræ salutis, sed ad infirmitatem quamdam divinitatis referunt.* Hoc prænotasse juverit, quò interim discat lector, adversùs quos Hilarius l. 10. Filii impassibilitatem tueatur.

[d] Apud Athanasium & Epiphanium adjicitur hîc, *solum sapientem.* Sic etiam in gestis Aquileiensis Synodi, post quàm recitatum est n. 17. *solum æternum, solum sine initio, solum verum, solum immortalitatem habentem*, proximè recitatur n. 27. *solum sapientem*: quæ duo verba Erasmus superiùs adjecit post *solum infectum*, renitentibus Bad. & omnibus nostris mss. Immo nec ipse Erasmus sibi constat lib. 6.

[e] In vulgatis Athanasii & Epiphanii, *omnium judicem.* Major apud Hilarium videtur rerum connexio, cùm *creatorem* rectè sequatur *ordinatorem & dispositorem.* Et facilè quidem pro græca voce κτιστὴν, subrepere potuit κριτήν. Attamen etiam in gestis Aquileiensis Synodi n. 33. exstat *omnium judicem*, non *omnium creatorem.*

[f] Apud Epiphanium, ὑποστήσαντα δὲ ἰδίῳ θελήματι, consentientibus Athanasii exemplaribus, nisi quòd in iis non est particula δέ.

[g] Editi hoc & sexto libro, *prolatione.* Tum apud Par. *natam.* At in mss. *prolationem Natum*, ut in græco προβολὴν γέννημα; ex quo vocabulum *natum* substantivè intelligendum esse liquet, quasi *filium.*

[h] Græcè τὸ μέρος ὁμοούσιον: quo nomine ac sensu, vocabuli homousion respuendi causam Ariani obtendunt suprà n. 4.

[i] Erasmus ad marginem, *inducit*: cujus conjecturam Lips. & Par. perperam arripuere. Sabellius quidem in Trinitate, de qua non est hic sermo, unionem inducit; sed in incarnatione, uti declaratur lib. 6. n. 7. unionem dividit, hoc est, in Christo personarum dualitatem invehit.

[k] Apud Bad. & Er. hîc adjicitur verbum *dicit*: cujus loco Lips. & Par. ex Erasmi conjectura substituère *inducit.* Neutrum exstat in mss. aut græcis exemplis. Mox Bad. Er. & mss. habent *lampadam*, non *lampadem.*

[l] Græcè, εἰληφότα &c. quod planiùs verti potuisset, *qui & vivere & esse acceperit à Patre.*

[m] Perpauci mss. *gloriam.* Ceteri cum excusis, *glorians.* Legendum esse *glorias*, tum ex græco τὰς δόξας, tum ex subjectis, ubi verbum idem repetitur, palam est. Deinde editi subjiciunt, *cum subsistente Patre*: ubi ex mss. fide restituimus, *consubsistente ei Patre*, quod ad lectionem græcam συνυποστήσαντος αὐτῷ τοῦ Πατρὸς propiùs accedit. Ubi vocabulum τὰς δόξας non ad superius verbum εἰληφότα, sed ad subsequens συνυποστήσαντος, quod hîc activam vim obtinet, referendum. Quippe his significatur Patrem largitum esse Filio, ut gloriæ, seu gloriosæ dotes, quæ in se subsistunt, pariter in ipso subsistant. Unde & Hilarianum illud *consubsistente* pariter activè intelligendum est, quasi *consubsistere faciente.*

[n] Pro *non facta*, apud Athanasium & Epiphanium græcè habetur ἀγεννήτως, cujus loco ἀγενήτως Hilarium legisse necesse est.

[o] In vulgatis, *Deus pater.* Rectiùs abest *pater* à mss. & græco. Nam cùm de Deo sermo sit, quando in Arianorum sententia nondum ei erat filius, unde & *solitarius* subinde prædicatur; non debet pater cognominari. Ut enim apud Athanasium lib. de Synod. pag. 884. Arius ratiocinatur; *Filio nondum exsistente, statim relinquitur Patrem tantummodo Deum fuisse.*

[p] In codice Vat. bas. *aut alii qui ... introducunt.* Græcè pro *aut aliqui*, legitur τὰ πρός τι: quod commodè verti potest, *ea quæ sunt ad aliquid*, aut *ea quæ sunt relata.*

[q] Er. Lips. & Par. *unio est principium*: contra veritatem græci textus, Bad. & mss. Vocabuli *unio* vis ad calcem libri hujus commodiùs explicabitur.

» nia est. Propter quod & ante Filium est, sicut A
a » & à te didicimus [a] media in ecclesia prædicante. Secundùm quod itaque à Deo esse habet,
b » & [b] glorias, & vivere, & omnia ei sunt tradita; secundùm hoc, principium ejus est Deus. Principatur autem ei, utpote Deus ejus, cùm sit ante ipsum. Si enim quòd *ex ipso*, & quòd *ex utero*, & quòd *ex Patre exivi & veni*,
c » [c] velut partem ejus unius substantiæ & quasi prolationem extendens intelligitur; compositus erit Pater, & divisibilis, & convertibilis, & B corpus secundùm illos, &, quantum in ipsis est, consequentia corporis sustinens sine corpore Deus. [d]
d

Quia divina non percipit homo nisi ex Dei de se dictis, ex his refellendæ sunt hæreticæ assertiones.

14. Hic eorum error est, hæc mortifera institutio: ad cujus confirmationem corrupto intelligentiæ sensu, divinorum dictorum testimonia usurpant, & de his sub occasione humanæ ignorantiæ mentiuntur. Nemini autem dubium esse oportet, ad divinarum rerum cognitionem divinis utendum esse doctrinis. Ne- C que enim scientiam cælestium per semet humana imbecillitas consequetur, neque invisibilium intelligentiam ipse sibi corporalium sensus assumet. Non enim vel id quod creatum in nobis atque carnale est, vel id quod in usum vitæ nostræ ex Deo datum est, suomet judicio naturam Creatoris sui opusque discernit. Non subeunt ingenia nostra in cælestem scientiam, neque incomprehensibilem virtutem sensu aliquo infirmitas nostra concipiet. Ipsi de se D Deo credendum est: & iis, quæ cognitioni nostræ de se tribuit, obsequendum. Aut enim more gentilium denegandus est, si testimonia ejus improbabuntur: aut si ut est Deus creditur, non potest aliter de eo, quàm ut ipse est de se testatus, intelligi. Cessent itaque propriæ hominum opiniones, neque se ultra divinam constitutionem humana judicia extendant. Sequimur ergo, adversùs irreligiosas & impias de Deo institutiones, ipsas illas divino- E rum dictorum auctoritates: & unumquodque eo ipso, de quo quæritur, auctore tractabimus, non ad fallendam & malè imbuendam audientium imperitiam quasdam verborum enuntiationes subtractis eorum causis coaptantes. Intelligentia enim dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. Verùm omnia editis simul & dicendi causis & dictorum virtutibus prosequemur. Igitur singula secundùm propo- F sitionis ordinem [e] retractentur.
e

Dei dicta non nudè, sed ex suis causis expendenda.

Vide suprà l. 2. n. 30.

Moyses dicens, Deus unus est, non negavit Filii deitatem.
Deut. 6. 4.

15. Nam hoc eorum principale est: *Novimus*, inquiunt, *unum solum Deum, Moyse dicente, Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* Sed numquid hinc quisquam fuit ausus ambigere? aut umquam aliter à quoquam eorum prædicatum esse, qui Deum crederent, cognitum est, nisi unum Deum esse ex quo omnia, unam virtutem innascibilem, & unam hanc esse sine initio potestatem? Sed non per id, quòd Deus unus est, Dei filio accidit negari posse quòd B Deus est. Moyses namque, vel potiùs Deus per Moysen, populo & in Ægypto & in deserto idolis & deorum, ut putabant, religionibus occupato, hoc constituit principale mandatum, ut unum Deum crederet: & verè ac meritò constituit. Unus est enim Deus ex quo omnia. Sed videamus, an idem Moyses eum quoque, per quem omnia sunt, Deum esse confessus sit. Non enim Patri adimitur quòd Deus unus est, quia & Filius Deus sit. Est enim Deus C ex Deo, unus ex uno: ob id unus Deus, quia ex se Deus. Contrà verò non minùs per id Filius Deus, quia Pater Deus unus sit; est enim unigenitus filius Dei: non innascibilis, ut Patri adimat quòd Deus unus sit; neque aliud ipse quàm Deus, quia ex Deo natus est. De quo quamvis ambigi non oporteat, quin nascendo ex Deo Deus sit, per quod fidei nostræ Deus unus est; tamen videamus an Moyses, qui ad Israel dixerit, *Dominus Deus tuus unus est*, Dei D filium Deum prædicaverit. Uti enim nos ad confitendam Domini nostri Jesu Christi divinitatem testimonio illius oportebit, cujus auctoritate hæretici unum tantùm Deum confitentes, Filio putent negandum esse quòd Deus sit.

In historia creationis Deum non solitarium docet.
f *1. Cor. 8. 6.*
Gen. 1. 6. & 7.

16. Igitur cùm absoluta hæc de Deo & perfecta confessio sit, secundùm Apostolum ita loqui; [f] *Unus Deus pater ex quo omnia, & unus Dominus noster Iesus Christus per quem omnia*: videamus originem mundi, quid de ea Moyses E loquatur. Ait namque, *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ, & sit dividens inter aquam & aquam: & factum est sic, & fecit Deus firmamentum, & divisit Deus per medium aquæ.* Habes ergo Deum ex quo, habes Deum per quem. Aut si id negabis, necesse est id quod factum est per quem factum sit doceas: aut certè naturam ipsam creandorum Deo obedientem esse [g] demonstres, quæ ad id quod dictum est, *Fiat firmamentum*, se ipsam Dei verbo jussa fir- F maverit. Sed hæc divinæ Scripturæ ratio non recipit. Omnia enim, secundùm prophetam,
g
2. Math. 7. 28.

[a] Vocem *papa* hîc expunximus, cùm non exstet in mss. nec in græco.

[b] Rursum hîc plerique ac potiores mss. *glorians*, ex quibus ut suprà conficimus *glorias*, id manifestè postulante orationis nexu & græco vocabulo τὰς δόξας, cujus potestas non satis exprimitur verbo latino *gloriam*, quod habent pauci alii mss. Pessimè autem Erasmus reposuit *gloriari*, quod nunc primùm mutamus.

[c] Græcè, ὡς μέρος ἓ ὁμοουσίου καὶ ὡς προβολὴ ὑπό τινων νοεῖται, id est, *velut à quibusdam intelligitur, pars est alicujus qui unius substantiæ sit, & quasi prolatio.* Patet autem Hilarium ex mendoso codice legisse ὡς προβολὴν ἀποτείνων, non ὡς προβολὴ ὑπό τινων.

[d] Apud Epiphanium hæ subnectuntur subscriptiones: *Bene valere te optamus in Domino, beatissime papa, Arius, Ethales, Achilles, Carpones, Sarmatas, Arius Presbyteri: diaconi Euzoius, Lucius, Julius, Menas, Helladius, Gaius: episcopi Secundus Pentapolis, Theonas Africanus* (gr. Λίβυς,) *Pistus qui Alexandriæ ab Arianis collocatus est.*

[e] In ms. Carn. & uno Colb. hîc insertum est, *de uno Deo*: quod sanè ex margine in textum irrepsit, cùm ad subsequentia indicanda in limbo non malè locum haberet.

[f] Ex hoc Apostoli loco Patrem à Filio discernere solebant hæretici, ut liquet ex his num. 19. Hilarii ad Arianum dictis, *Dixisti enim, Ex Patre omnia, sed per Filium omnia.* Nec repugnabant Catholici; adeo ut Hilario nihil familiarius, quàm ut Pater *Deus ex quo, is ex quo, ex quo omnia*, Filius verò *Deus per quem, is per quem, per quem omnia* cognominetur. Quod observandum fuit, tum ad intelligentiam vocabulorum, tum ne ignoraretur institutum Hilarii Arianos ex suis ipsorum armis confodientis.

[g] ut *obedientia vi talis exsisteret*, quemadmodum habes in Psal. 148. n. 4. cujus loci lectionem rectè à nobis emendatam liquet ex præsenti, sicut & ex subnexis, *nec natura aliqua manens* (id est, jam exsistens) *demutata in aliud est* &c. patet eamdem non malè à nobis intellectam.

Facta

facta ex nihilo sunt: nec natura aliqua manens A demutata in aliud est, sed id quod non erat creatum est, & absolutum est. Per quem? Audi E- [Johan. 1. 3.] vangelistam: *Omnia per ipsum facta sunt.* Si quæris per quem; audies eumdem Evangelistam [Ibid. 1. &c.] dicentem, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.* Quòd si negare voles à Patre dictum vi- [Gen. 1. 6.] deri, *Fiat firmamentum*; audies rursum prophe- [Psal. 148. 5.] tam dicentem, *Ipse dixit, & facta sunt; ipse* B *mandavit, & creata sunt.* [Alius dicens, alius faciens; uterque Deus.] Quod ergo dictum est, *Fiat firmamentum*; in eo quòd Pater sit locutus ostenditur. Quod autem adjicitur, *Et factum est sic*, & quòd fecisse Deus dicitur; in eo persona efficientis est intelligenda qui faciat. *Dixit* enim, *& facta sunt*, non utique solùm voluit, & fecit: *mandavit, & creata sunt*, non [* ita.] utique quia complacitum ei est exstiterunt; * ut Mediatoris officium inter se & ea quæ essent creanda cessaret. Dicit ergo fieri Deus C ex quo omnia sunt, & facit Deus per quem omnia, eodem parique nomine & in dicentis [a Filius est Deus faciens.] significatione & in efficientis operatione [a] confesso. Si autem loqui audebis, non de Filio dici, *Et fecit Deus*; & ubi erit quod dictum est, *Omnia per ipsum facta sunt?* & illud apo- [1. Cor. 8. 6.] stolicum, *Et unus Dominus noster Iesus Christus* [Ps. 148. 5.] *per quem omnia*: & illud, *Ipse dixit, & facta sunt?* Quòd si impudentiam tuam hæc divinitus dicta convincent; non adimitur Dei filio D quòd Deus sit, per id quod dictum est, *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est*: cùm ab eo ipso, qui hæc est locutus, in ipsa constitutione mundi Deus fuerit prædicatus & Filius. Sed videamus, in quem profectum hæc distin- [b V. Tract. in Ps. 91. n. 6.] ctio jubentis Dei, & facientis Dei [b] augeatur. Nam tametsi sensus communis intelligentiæ non recipiat, ut in eo quod dictum est, *Jussit, & facta sunt*, solitarius atque idem significatus esse credatur; tamen ne quid ambigi possit, E oportet ea, quæ mundi creationem consecuta sunt, explicari.

[Neque in condendo homine solitarius Deus.] 17. Cùm igitur perfecto mundo ejus incola formandus esset, [c] talis de eo sermo est: *Et* [c Gen. 1. 26.] *dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* [Et rursum, *Et fecit Deus* [Ibid. 27.] *hominem; ad imaginem Dei fecit eum.*] Quæro nunc, solumne sibi Deum locutum existimes, an verò sermonem hunc ejus intelligas non sibi, sed ad alterum exstitisse? Si solum fuisse dicis; ejus ipsius voce argueris dicentis, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Deus enim per * legislatorem secun- [* Moysen.] dùm intelligentiam nostram locutus est, verbis videlicet, quibus uti ipse nos voluit, cognitionem eorum nobis quæ gessit impertiens. Significato namque Dei filio per quem facta sunt omnia, in eo quod [d] dictum esset, *Et dixit* [d * in eo quod.] *Deus, Fiat firmamentum*; & * rursum ita dictum est, *Et fecit Deus firmamentum*: ne tamen [e] hic idem inanis ac superfluus sermo existimaretur, si sibi ipse dixisset ut fieret, & rursum ipse fecisset; (quid enim tam alienum ab eo qui solus esset, ut sibi faciendum diceret, cùm voluntate tantùm opus esset ut fieret?) absolutiùs voluit intelligi significationem hanc non ad se tantùm esse referendam. Dicendo, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, sustulit singularis intelligentiam professione consortii. Consortium autem esse aliquod solitario ipse sibi non potest. Neque rursum recipit solitarii solitudo *faciamus*; neque quisquam alieno à se *nostram* loquitur. Uterque sermo, & *faciamus* & *nostram*, ut solitarium eumdemque non patitur; ita neque diversum à se alienumque significat. Aut quæro, si cùm audias solitarium, utrùm non ipsum eumdemquè esse existimes? aut cùm audias non ipsum neque eumdem, anne quòd solitarius tantùm sit intelligas? In solitario ergo solitarius, in non eodem verò neque ipso, non solitarius reperietur. Solitario ergo convenit, faciam, & meam; non solitario verò, *faciamus*, & *nostram*.

[Nec solitudo est nec divinitatis diversitas.] 18. Cùm itaque legimus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; quia sermo uterque, ut non solitarium tantùm, ita neque differentem esse significat; nobis quoque nec solitarius tantùm, nec diversus est confitendus: cognitâ per id, quòd *nostram imaginem* dicit, non etiam imagines nostras, unius in utroque proprietate naturæ. Non sufficit autem solam verborum attulisse rationem, nisi dictorum intelligentiam etiam rerum operatio consequatur: scriptum enim ita est; *Et fecit* [Gen. 1. 27.] *Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.* Quæro, si solitario atque ipsi ad se eumdem fuit sermo, quid hîc sentiendum existimes? Video enim nunc tripertitam significationem, & fa-

[a] Editi, *confessio est*: emendantur ex mss. Hæc autem conclusio non ad proximum ex psalmis locum pertinet, sed ad memorata Genesis verba, in quibus habetur, *Et dixit Deus... Et fecit Deus.*

[b] In Corb. ms. *arguebatur*. In quibusdam ut & in vulgatis, *agatur*. Rectiùs in vetustioribus Colb. Carn. &c. *augeatur*: hoc est, an hac distinctione significetur auctus personarum numerus. quod sine cunctatione affirmat Tertullianus adversùs Praxeam. n. 12. *Etsi ubique teneo unam substantiam in tribus cohærentibus; tamen alium dicam oportet ex necessitate sensûs eum qui jubet, & eum qui facit.* Verbi *augeri* vim repetere licet ex lib. 1. n. 11. ubi Christum *recipientes in filios Dei aucti* prædicantur. Hæc distinctio *jubentis Dei & facientis Dei* aliis etiam Patribus sollemnis fuit, Irenæo lib. 3. c. 8. & l. 4. c. 75. Tertulliano, uti proximè vidimus, Origeni Tom. 2. in Johan. edit. Huet. p. 61. Antiocheno concilio epist. ad Paulum Samosat. Hippolyto lib. cont. Noëtum, Athanasio de decretis Nic. syn. Basilio l. de Spiritu-sancto, Cyrillo l. 29. thesauri p. 255. Augustinus autem Serm. 140. n. 6. probat Filium ipsum esse Patris mandatum, *non à tempore datum, sed mandatum natum. Quomodo enim*, inquit, *non est mandatum Patris, quod est Verbum Patris?* Et lib. contra Serm. Arian. c. 3. reprehendit eos, qui *formant sibi in phantasmate cordis sui quasi duos aliquos, etsi juxta invicem, in suis tamen locis constitutos, unum jubentem, & alterum obtemperantem: nec intelligunt ipsam jussionem Patris ut fierent omnia, non esse nisi Verbum Patris per quod facta sunt omnia.*

[c] Aliquot mss. *talis Deo sermo est.* Mox quæ uncinis inclusa sunt, nec habet vetus Colb. nec videntur multùm ad rem facere. Simile est argumentum Concilii Antioch. epist. ad Paulum: *Qui autem mandat, alteri mandat, quem non alium esse persuasum habemus, quàm unigenitum filium Deum, cui dixit, Faciamus hominem*, &c.

[d] Particulam *cùm* hîc omissam aliquando putavimus; ut ex posteriore tantùm loco Filii significatio ostenderetur. Sed Filii exsistentia ex utroque conficitur, & cùm ei nimirum mandatur ut faciat; & cùm fecisse significatur quod mandatum erat. Ille enim, cui dicitur *Fiat*, quique fecisse prædicatur quod jussum est, alius est ab eo qui jussit ac dixit *Fiat*. Ut autem habet Concilium Antioch. epist. ad Paulum Samosat. *Filium, qui semper cum Patre est, credimus implevisse voluntatem paternam in creatione universi.*

[e] Editi, *hic quidam inanis*: castigantur ex mss.

Hhh

cientis, & facti, & exempli. Qui factus est, homo est; Deus autem fecit; & quem fecit, ad imaginem Dei fecit. Si de solitario Genesis esset locuta; dixisset utique, Et fecit ad imaginem suam. Sed sacramentum evangelicum annuntians, non duos deos, sed Deum & Deum elocuta est, cùm hominem per Deum effectum *ad imaginem Dei* dicit. Atque ita Deus ad communem sibi cum Deo imaginem atque eamdem similitudinem hominem reperitur operari: ut nec solitudinis intelligentiam significatio efficientis admittat, nec divinitatis diversitatem ad eamdem imaginem ac similitudinem constituta patiatur operatio.

Alio loco idipsum confirmatur.

19. Et quamquam superfluum post hæc existimetur, ultrà aliquid afferre; quia IN DIVINIS rebus non frequentiùs dicta, sed tantùm dicta sufficiunt: tamen quid de hoc eodem dictum sit, cognosci oportet. Non enim divinorum dictorum, sed intelligentiæ nostræ à nobis ratio præstanda est. Deus ad Noe inter multa mandata ita loquitur: *Qui effuderit sanguinem hominis, pro sanguine ejus effundetur anima ejus; quia ad imaginem Dei* [a] *feci hominem.* Etiam hîc distinguitur exemplum, opus, operans. Deus testatur se ad imaginem Dei hominem fecisse. Cùm faciendus homo est, quia [b] de se, neque ad se loquebatur, dixit *ad imaginem nostram*: cùm autem factus homo est, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei.* Non ignoravit utique verbi proprietatem, si sibi ipse loqueretur, ut diceret, Feci ad imaginem meam. Dixerat enim ad demonstrandam naturæ unitatem, *Faciamus ad nostram.* Neque rursum confudit de solitario ac non solitario intelligentiam; cùm hominem Deus faciens, *ad imaginem Dei* fecerit.

Gen. 9. 6.

Patrem non sibi ut solitario *faciamus* locutum esse,

20. Quòd si Deum patrem solitarium sibi hæc locutum fuisse affirmare voles, tamquam concedi tibi possit, ut unus secum velut cum altero sit locutus, credaturque in eo, quòd *ad imaginem Dei feci hominem*, ita voluisse intelligi, tamquam, Ad imaginem meam feci hominem; primùm ipse testimonio tuo redargueris. Dixisti enim, Ex Patre omnia, sed per Filium omnia. Namque per id quod dictum est, *Faciamus hominem*, ex eo origo est ex quo [c] cœpit & sermo: in eo verò quòd *Deus ad imaginem Dei fecit*, significatur etiam is per quem consummatur operatio.

sed Sapientiam, quæ hæreticis annuentibus Christus est, ei adfuisse.

21. Tum deinde, ne quid tibi hinc liceat mentiri, Sapientia, quam tu ipse Christum confessus es, contraibit dicens, *Cùm certos ponebat fontes sub cælo, cùm fortia faciebat fundamenta terræ, eram apud illum* [d] *componens. Ego eram, ad quam gaudebat. Quotidie autem lætabar in conspectu ejus in omni tempore, cùm lætaretur orbe perfecto, & lætaretur in filiis hominum.* Conclusa est omnis occasio, & coartatur ad veri confessionem universus error. Adest Deo genita ante sæcula Sapientia. Neque solùm adest, sed etiam componit. Est ergo componens apud ipsum. [e] Intellige compositionis vel dispositionis officium. Pater enim in eo quòd loquitur, efficit; Filius in eo quòd operatur quæ fieri sunt dicta, componit. Personarum autem ita facta distinctio est, ut opus referatur ad utrumque. Nam in eo quod dicitur, *Faciamus*, & jussio [f] exæquatur, & factum: in eo verò quod scribitur, *Eram apud illum componens*, non solitarium se sibi esse in operatione significat. Lætatur autem ante eum, quem sibi significabat adgaudere lætanti. *Quotidie autem lætabar in conspectu ejus in omni tempore, quando lætabatur orbe perfecto, & lætabatur in filiis hominum.* Causam lætitiæ suæ Sapientia docuit. Lætatur ob lætitiam Patris, in perfectione mundi & in filiis hominum lætantis. Scriptum est enim: *Et vidit Deus quia bona sunt.* Placere Patri opera sua gaudet, per se ex præcepto ejus effecta. Gaudium enim suum hinc esse profitetur, quòd in consummato orbe & in filiis hominum Pater lætus exsisteret: *in filiis hominum* ob id, quia jam in uno Adam omne humani generis exordium constitisset. Non ergo in fabricatione mundi solitarius Pater sibi loquitur, Sapientiâ suâ secum & cooperante, & consummata cooperatione gaudente.

Prov. 8. 28. &c.

℣. 30.

℣. 30. & 31.

Gen. 1.

Conclusio eorum quæ à num. 16. probata sunt.

22. Non ignoramus autem multa & maxima ad absolutionem horum dictorum esse reliqua [g]: sed dilata à nobis potiùs quàm dissimulata habentur; plenior namque eorum tractatus propositionibus ceteris reservatur. Nunc enim tantùm ad id respondetur, quod in expositione fidei suæ, vel potiùs perfidiæ, ab impiis dictum est, unum tantùm Deum à Moyse prædicatum. Et verè ita prædicatum meminimus, quia unus Deus est ex quo omnia: sed non propterea ignorandum esse, quia Filius Deus est; cùm idem Moyses Deum & Deum toto Operis sui corpore sit professus. Igitur videndum est, quomodo [h] & electio & legislatio Deum & Deum pari confessionis ordine prædicet.

23. Post multas namque Dei ad Abraham

[a] In vulgatis, *fecit hominem*: mendosè.

[b] Particulam *neque* ab Erasmo hîc absque ulla mss. auctoritate additam, malè retinuerant editiones sequentes. *De se* quippe loquebatur Deus, quatenus in prima persona dixit, *Faciamus*; sed *non ad se*, quatenus non in singulari, *Faciam*.

[c] Ita mss. At excusi mendosè, *capit & sermo*.

[d] In priùs vulgatis *cuncta componens*. Constanter à mss. abest *cuncta* hîc, l. 12. n. 37. in Ps. 148. n. 4. &c. consentientibus LXX.

[e] Vat. bas. ms. *intelligisne*. Tum in uno Colb. *compositionis vel dispensationis*. Rectiùs pro nostra sententia in altero, necnon in Carn. omittitur *vel dispositionis*. Non enim hîc agitur de Sapientia quatenus Deo cælos præparanti aderat, sed quatenus componebat.

[f] id est, & jubens & faciens exæquantur. Quocirca ne legeris cum Bad. *exequitur*, aut cum Er. & Par. *exequatur*, multo minùs cum mss. Colb. & Germ. *exsequatur*.

[g] puta quæ in eodem Prov. cap. habentur: *Dominus creavit me* &c. in quibus illustrandis totus fere liber 12. occupatur.

[h] Apud Lips. & Par. *& lectio & legislatio*. Rectiùs aliis in libris, *& electio & legislatio*, hoc est, novum ac vetus Testamentum, secundùm illud Pauli Rom. 11. 7. *Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est.* Hinc planiùs jam lib. 5. n. 2. ad huncce librum habita ratione: *Rectè enim unum Deum à Moyse prædicatum Evangelia testantur: & rursum fideliter in Evangeliis Deum & Deum doceri, Moyses Deum unum prædicans auctor est.* Hinc facilè diluitur objectum illud, quod per se occurrit; Si electionis & legislationis nomine Evangelium & legem intelligat Hilarius, cur deinceps ex sola lege, & non ex Evangelio Deum & Deum ostendit. Quippe veluti rem constantem ponit, Deum & Deum in Evangelio claris verbis prædicari; ita ut tum ex lege tum ex Evangelio hoc certum futurum sit, cùm lex ostensa fuerit hac etiam parte cum Evangelio consentire. Unde Genesis Deum & Deum elocuta n. 18. dicitur *evangelicum sacramentum annuntians*.

Angelus Dei Agar allocutus, Deus est. allocutiones, cùm adversùm Agar Sara commoveretur, conceptui ancillæ domina sterilis invidens, cúmque discessisset à conspectu ejus, Gen. 16. 9. & 10. ita de ea Scriptura loquitur: *Et dixit Angelus Domini ad Agar, Redi ad dominam tuam, & humilia te sub manibus ejus. Et dixit ei Angelus Domini, Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non dinumerabitur à multitudine.* Et rursum: Ibid. 13. *Et vocavit nomen Domini qui loquebatur secum, Tu Deus qui adspexisti me.* Angelus [a] Dei loquitur: (duplex autem in Angelo Dei significatio est: ipse qui est, & ille cujus est:) & loquitur non res secundùm nomen officii sui; ait enim, *Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non dinumerabitur à multitudine.* Ministerium Angeli potestas multiplicandarum gentium excedit. Sed quid tandem de eo, qui Dei Angelus [b] quæ soli Deo propria sunt loquebatur, Scriptura testata est? *Et vocavit nomen Domini qui loquebatur secum, Tu Deus qui adspexisti me.* Primùm Angelus Dei, secundò Dominus; *vocavit* enim *nomen Domini qui loquebatur secum*; dehinc tertiò Deus, *Tu* enim *es Deus qui adspexisti me.* Filius & angelus Dei & Deus. Esai. 9. 6. sec. LXX. Qui Angelus Dei dictus est, idem Dominus & Deus est. Est autem secundùm prophetam filius Dei *magni consilii angelus.* Ut personarum distinctio absoluta esset, Angelus Dei est nuncupatus; qui enim est Deus ex Deo, ipse est & Angelus Dei. Ut verò honor debitus redderetur, & Dominus & Deus est prædicatus.

Cur idem loquens ad Agar angelus, ad Abraham Deus dicatur. 24. Et hîc quidem primùm Angelus, deinde idem postea & Dominus & Deus: ad Abraham verò tantùm Deus. Tutò enim, jam personarum discretione præmissa, ne solitarii error subesset, absolutum & verum ejus nomen edicitur. Gen. 17. 19. & 20. Scriptum namque est: *Et dixit Deus ad Abraham, Ecce Sara uxor tua pariet filium tibi, & vocabis nomen ejus Isaac: & statuam testamentum meum ad illum in testamentum æternum, & semini ejus post illum. De Ismael autem, ecce exaudivi te, & benedixi ei, & amplificabo eum valde: duodecim gentes generabit, & dabo eum in gentem magnam.* Numquid ambigitur, quin qui Angelus Dei dictus est, idem rursum dicatur & Deus? Pariterque de Ismael sermo est, & nunc & dudum multiplicandus ab eodem est. Et ne fortè non idem, qui esset locutus ad Agar, nunc loqui crederetur; ejusdem personæ significationem divinus sermo testatur, dicens, *Et benedixi ei &* [c] *multiplicabo eum.* Benedictio ex præterito est; jam enim ad Agar sermo fuerat: [d] amplificatio verò in futurum; nunc enim primùm ad Abraham de Ismael Deus loquitur. [e] Et ad Abraham Deus loquitur; ad Agar verò Angelus Dei locutus est. Deus igitur est, qui [f] & Angelus est: quia qui & angelus Dei est, Deus est ex Deo natus. Dei autem Angelus ob id dictus, quia magni consilii est angelus: Deus verò idem postea demonstratus est, ne qui Deus est, esse Angelus crederetur. Sequatur sermo ordinem rerum. Angelus Domini ad Agar locutus est, idem ad Abraham Deus loquitur, ex eodem ad utrumque fit sermo. Benedicitur Ismael, & in gentem magnam amplificandus esse promittitur.

25. Scriptura & per Abraham, Deum esse qui loqueretur, ostendit. Abrahæ quoque Isaac filius promittitur. Dehinc postea assistunt viri tres. Abraham conspectis tribus unum adorat, & Dominum confitetur. Scriptura adstitisse viros tres edidit: sed patriarcha non ignorat qui & adorandus sit & confitendus. Indiscreta assistentium species est; sed ille Dominum suum fidei oculis & visu mentis agnovit. Dehinc sequitur: *Et dixit ei, Revertens veniam ad te ad hoc tempus in futurum, & habebit filium Sara uxor tua.* Et post hæc dixit ei Dominus, *Non celabo ego Abraham puerum meum quæ facturus sum.* Et rursum: *Dixit autem Dominus, Clamor Sodomorum & Gomorrhæ impletus est, & peccata eorum magna valde.* Et rursum post multum alium sermonem, quem brevitatis studio prætermittimus, cùm de justis unà cum injustis perdendis Abraham esset sollicitus, ait: *Nequaquam, qui judicas terram, facies hoc judicium.* [g] *Et dixit Dominus, Si invenero in Sodomis quinquaginta justos in civitate, remittam omni loco propter* [h] *illos.* Et rursum consummato sermone ad Lot fratrem Abrahæ, Scriptura dicit, *Et Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo.* Et rursum: *Et Dominus visitavit Saram, sicut dixit, & fecit Deus Saræ sicut locutus est, & concepit & peperit Sara Abrahæ filium in senectute sua, & in tempore sicut locutus est illi Dominus.* Dehinc expulsâ de Abrahæ domo cum filio suo ancillâ, & in deserto ob aquæ inopiam interitum pueri timente, eadem Scriptura ait, [i] *Et exaudivit Dominus Deus vocem pueri ubi erat, & vocavit Angelus Dei Agar de cælo, & dixit ei, Quid est Agar? noli timere; exaudivit enim Deus vocem*

Referuntur & alia visa, dicta, gesta. — Gen. 18. 10. — Ibid. 17. — Ibid. 20. — Ibid. 25. & 26. — Gen. 19. 24. — Gen. 21. 1. & 2. — Ibid. 17. & 18.

[a] Sola editio Par. *Angelus Deus*: refellitur ex subnexis. De distinctione ejus *qui est* ab eo *cujus est* jam actum est ad lib. 2. n. 32.

[b] In plerisque ac potioribus mss. *quæ sola.*

[c] Ms. Carnut. *ampliabo.* Alii nonnulli, *amplificabo.*

[d] Ms. Colb. cum Germ. *amplicabo.* Vat. bas. *amplificabo*: quod non displiceret, si priùs *benedixi*, non *benedictio* legeretur.

[e] Verba, *& ad Abraham Deus loquitur*, in antè vulgatis omissa, restituuntur ex mss.

[f] In vulgatis, *& qui angelus Dei est, quia & qui* &c. Elegantiùs in mss. *qui & angelus est*, sine *Dei.* Hilarii expositionem confirmare juverit ex epist. Concilii Antioch. de Christo dicentis: *Qui implens voluntatem paternam patriarchis apparet, & cum eis loquitur, in eisdem clausulis & eisdem capitibus aliquando quidem tamquam Angelus, quandoque verò tamquam Dominus, quandoque autem Deus esse affirmatur. Deum enim universi impium est existimari Angelum. Filius verò angelus Patris est, qui est ipse Dominus & Deus. Scriptum est enim, Angelus magni consilii.* Appositè Tertullianus de carne Christi n. 14. *Dictus est magni consilii angelus, id est nuntius, officii, non naturæ vocabulo. Magnum enim cogitatum Patris, super hominis scilicet restitutione, annuntiaturus sæculo erat. Non ideo tamen sic angelus intelligendus ut Gabriel aut Raphael. Nam & Filius à Domino vineæ mittitur ad cultores sicut & famuli* &c. His consentiunt Justinus dial. cum Tryph. Epiphanius hær. 69. n. 35. Videsis Augustinum lib. 2. de Trin. c. 13. Neque audiendus Origenes, qui ut humanam, ita angelicam naturam à Christo assumtam docuit, cujus hæc sunt Tom. 1. in Johan. p. 32. *Christus homo hominibus, Angelis angelus factus est.* Quippe, inquit Tertullianus de carne Christi n. 14. *ut hominem gestaret Christus, salus hominum fuit causa . . . ut angelum gestaret, nihil tale de causa est . . . . Nam nullum mandatum de salute angelorum suscepit Christus à Patre.*

[g] Hîc adjiciunt priùs excusi, *ut perdas justum cum impiis*: renitentibus mss. Sed & hæc cùm in fine num. 27. aliis verbis & alio ordine, nempe ante proximè dicta, non post exhibeantur; patet hîc interpolatoris opera.

[h] In vulgatis, *illos justos.* Abest *justos* à mss.

[i] Editi, *& ecce exaudivit.* Tres mss. *& audivit.* Alii consentiente græco, *& exaudivit.*

pueri de loco in quo est. Surge, & accipe puerum, & tene manum ejus; in gentem enim magnam faciam eum.

Expenduntur singula.

26. Quæ perfidiæ cæcitas est, quæ increduli cordis [a] obtusio est, quæ irreligiositatis temeritas, aut ignorare hæc, aut non ignorata negligere? Certè ita commemorata & dicta sunt, ne intelligentiam veritatis error aliquis aut obscuritas impediret. Quæ si non posse ignorari doceamus; impietatis esse [b] crimen necesse est quod negatur. Angelus Dei loqui ad Agar cœpit, Ismaelem in gentem magnam adaucturus, eique innumerabilem gentis progeniem præstaturus. Confessio audientis & Dominum eum esse & Deum edocet. Sermonis enim exordium ab Angelo Dei cœpit, sed in confessione Dei constitit. Ita qui, [c] sub ministerio magni consilii nuntiandi, Dei angelus est, ipse & naturâ & nomine Deus est. Nomen enim naturæ, non nomini natura componitur. Iisdem etiam de rebus ad Abraham Deus loquitur: [d] benedictum jam Ismaeli docetur, & multiplicandum eumdem esse in gentem: *Benedixi*, inquit, *ei*. Non itaque demutavit personæ suæ significationem: se enim jam benedixisse demonstrat. Scriptura certè sacramenti ordinem & veræ prædicationis modum, ab Angelo Dei incipiens, & postea iisdem de rebus eumdem loquentem Deum confessa, servavit.

Filius & magni consilii angelus est, & Dominus, & Deus.

Gen. 17. 20.

Vir quem ex tribus adorat Abraham, Dominus, Deus, & judex est.

27. Procedit autem pleniore doctrinæ profectu sermo divinus. Deus isthic ad Abraham loquitur, parituram Saram pollicetur. Post hæc viri tres sedenti assistunt, unum adorat, & Dominum confitetur. Idemque & adoratus & confessus ab illo, tempore eodem in futurum rediturum se promittit, & Saræ filium futurum. Deus ad Abraham locutus est. Idem postea de rebus ipsis eumdem vir ab eo visus alloquitur. Demutatio tantùm fit nominum, nihil tamen de confessione decessit. Virum enim licèt conspectum, Abraham tamen [e] Dominum adoravit: sacramentum scilicet futuræ corporationis agnoscens. Nec tamen tantæ fidei testimonio caruit, Domino in Evangeliis dicente, Abraham pater vester [f] lætabatur, ut videret diem meum: & vidit, & lætatus est. Vir ergo conspectus rediturum se tempore eodem pollicetur. Contuere sponsionis effectum: memento tamen virum esse qui spondeat. Quid ergo Scriptura dicit, *Et Dominus visitavit Saram?* Vir ergo iste Dominus est, efficiens quod spopondit. Quid autem sequitur? *Et fecit Deus Saræ sicut locutus est.* Vir in loquendo nuncupatus, Dominus in visitatione significatus, Deus prædicatur in facto. Locutum certè virum non ignoras, qui Abrahæ & visus est & locutus. Deum quomodo ignorabis, Scripturâ eâdem, quæ virum dixerat, Deum confitente? Ipsa enim dixit, *Et concepit & peperit Sara Abrahæ filium in senectute sua, & in tempore sicut locutus est illi Dominus.* Sed vir venturum se locutus est. Virum crede tantùm, nisi qui venit, & Deus & Dominus est. Causam compara. Vir certè ob id [g] veniet, ut Sara & concipiat & pariat. Fidem disce. Dominus & Deus ob hoc venit, ut Sara & conciperet & pareret. In potestate Dei vir locutus est: in effectu Dei Deus præstitit. Ita se Deum & loquendo & faciendo significat. [h] Viri deinde de conspectis tribus duo abeunt: sed qui residet, & Dominus & Deus est. Neque solùm Dominus & Deus est, sed & judex est. Stans enim ante Dominum Abraham dixit, *Nullo modo tu facies hoc verbum, occidere justum cum impio, & erit justus sicut impius. Nequaquam, qui judicas omnem terram, facies hoc judicium.* Toto igitur sermone suo Abraham fidem, ob quam justificatus est, docet, & solum Dominum suum ex tribus agnitum, & adoratum, & [i] Dominum confessus & judicem.

Gen. 18. 2. & 3.

Joh. 8. 56.

Gen. 21. 1.

Ibidem.

Ibidem 2.

Gen. 18. 25.

Unum ex tribus, non tres in uno Abraham adorat.

28. Ac ne fortè existimes in unius confessione, trium omnium virorum, qui simul videbantur, honorem contineri; contuere quid conspectis duobus qui discesserant Lot dixerit: [k] *Et ut vidit Lot, exsurrexit obviàm illis, & adoravit in faciem in terram: & dixit, Ecce, domini, divertite in domum pueri vestri.* Hîc pluralem retinuit significationem simplex visio Angelorum, illic singularem honorem patriarchæ fides confitetur. Hîc divinæ Scripturæ historia duos de tribus tantùm Angelos fuisse significat, illic Dominum & Deum prædicat. Ait enim: *Et dixit Dominus ad Abraham, Quare risit Sara, dicens, Ergo verè paritura sum? ego autem [l] senui. Numquid impossibile est*

Gen. 19. 1. & 2.

D. scrimen inter visum Lot, & visum Abrahæ.

Gen. 18. 13. &c.

[a] In mss. hîc & alibi constanter, *obtunsio*.

[b] Criminis hujus qui rei sint, aperit lib. 6. n. 15. quos nimirum *impietatis voluntas*, & non ignorantia, in errore detinet. Quibus verò pœnis sint multandi, in eodem lib. n. 3. sic declarat: *Nam judicaturus ipse de omnibus, & pro majestatis suæ misericordia pœnæ meritum ignoranti moderaturus errori, negantes se jam non judicabit utique, sed negabit.*

[c] Plures mss. cum vulgatis, *sub mysterio*. Magis placet cum mss. Carnut. Remig. &c. *sub ministerio*. Ut enim suprà ex Tertulliano observabamus, Christus magni consilii angelus dictus est *officii, non naturæ vocabulo*. Et Hilarius ipse lib. 5. n. 11. *in angelo officii potiùs quàm naturæ intelligentiam esse* hinc probat, quòd Angeli *ministri* Dei vocentur.

[d] Ita præstantiores mss. Colb. Carn. Remig. cum Germ. à prima manu. At in vulgatis, *benedictum jam Ismaelem*: ac deinde Par. post Lips. *docet*, nec multò pòst cum aliis editis, *benedixit*, pro *benedixi*.

[e] Editi, *Deum adoravit*, repugnante sacro textu cum mss. Repugnat & hoc, quòd Hilarius, cui vox *Deus* simpliciter posita Patrem, sicut *Dominus* Filium sonat, inde conficit Abraham Christi futuram corporationem agnovisse. De eadem visione Tertullianus de carne Christi n. 6. non diversa loquitur: *Inter Angelos illos ipse Dominus apparuit Abrahæ sine nativitate cum carne . . . qui jam tunc & alloqui & liberare & judicare humanum genus ediscebat in carnis habitu, non nata adhuc, quia nondum moritura.*

[f] Carnut. aliique nonnulli mss. *exsultavit*.

[g] In excusis *venit*. Meliùs in mss. *veniet*. Instituitur enim comparatio inter eum qui venturum se promiserat Gen. 18. 10. tum vir conspectus, & eum qui venisse narratur Gen. 21. 1. & 6. non jam *vir*, sed *Dominus* & *Deus* nuncupatus.

[h] Editi, *viris deinde conspectis tribus*: emendantur ex mss.

[i] Editi: *& Deum confessus est & judicem*: renitentibus mss. Neque Abraham in Scriptura *Deum*, sed *Dominum* constanter profitetur.

[k] Ita castigatiores mss. At editi, *& vidit Lot, & surrexit . . . in terra*: græcè τῷ προσώπῳ ἐπὶ τὴν γῆν. Deinde legens Hilarius *ecce domini*, consentientia habet græca simul & latina exempla. Augustinus tamen Serm. 7. præfert *ecce domine*, nec usquam vidisse videtur *ecce domini*: sic enim habet num. 6. *Cùm duo mitterentur ad Sodomam apparentes fratri Abrahæ Lot, & ipse agnoscit in eis divinitatem; & cùm duos videat, DOMINUM appellat: & ille in tribus Dominum, & in duobus ille Dominum*: adeo ut ex hoc in eam abeat sententiam, quæ tuetur non Dominum ipsum, sed Angelos in quibus insideret Dominus apparuisse patriarchis, qui *non portantibus, sed insidenti gloriam dabant.* Videsis ejusdem lib. 2. contra Maximinum c. 26. num. 6.

[l] In vulgatis, *quæ jam senui*. Abest *quæ jam* à mss. & græco textu.

[a] *à Deo verbum? In tempore hoc revertar ad te in futurum, & erit Saræ filius.* Tenet ergo Scriptura ordinem veritatis, nec pluralem significationem in eo qui & Deus & Dominus agnoscebatur admiscens, neque Angelis duobus honorem, qui Deo tantùm fuerat delatus, impertiens. Lot quidem dominos dicit, sed Scriptura Angelos nuncupat. Illic hominis officium est, isthic confessio veritatis.

Dominus à Domino, Filius. Gen. 19. 24.

29. Dehinc adest in Sodomam & Gomorrham justi pœna judicii. Et quid tandem momenti in eo est? *Dominus sulphur & ignem pluit à Domino.* Ut Dominus à Domino; ita non discrevit naturæ nomine, quos significatione * distinxerat. Legimus namque in Evangelio, » Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Dedit ergo Dominus, quod Dominus accepit à Domino.

* non unius personæ. Johan. 5. 22.

Eum ut Deum vidit Jacob nec solitarium. Gen. 28.

30. Sed qui accepisti in Domino & Domino judicis cognitionem, cognominis ejusdem in Deo & Deo cognosce consortium. Jacob discedens ob metum fratris sui, somnians viderat scalam fundatam in terra & contingentem cælum, & per eam adscendentes & descendentes Angelos Dei, & Dominum incumbentem super eam, sibique omnes benedictiones, quas Abrahæ & Isaac dederat, impertientem. Ad hunc postea talis Dei sermo est: *Dixit autem Deus ad Iacob, Surgens adscende in locum Bethel, & habita ibi, & fac ibi altarium Deo, qui apparuit tibi cùm fugeres à facie fratris tui.* Deus honorem Deo postulat, & postulat cum alterius significatione personæ: *Qui*, inquit, *apparuit tibi cùm fugeres*; ne qua personæ ejusdem confusio nasceretur. Deus ergo est qui loquitur, Deus & de quo loquitur: honoris confessio à naturæ nomine non discernit, quos significatio subsistentes esse distinguit.

Gen. 35. 1.

Synopsis & scopus prædictorum à numero 23.

31. Et huic quidem loco quædam memini ad pleniorem absolutionem necessaria: sed secundùm propositionis ordinem, responsionis quoque ordo retinendus est. Itaque quæ ei reliqua sunt, in libro altero suo loco exsequemur. Tantùm hoc nunc in Deo, qui honorem Deo postulat, demonstrandum fuit, Angelum Dei, qui cum Agar locutus esset, & Deum esse & Dominum, cùm iisdem de rebus ad Abraham locutus ipse sit: & virum, qui Abrahæ visus sit, & Deum esse & Dominum; Angelos autem duos, & cum Domino visos, & ab eo ad Lot missos, nihil aliud à propheta nisi Angelos prædicatos. Non solùm autem ad Abraham in viro Deus adfuit, sed etiam ad Jacob in homine Deus venit. Neque solùm venit, sed luctatus ostenditur: neque tantummodo luctatus, sed etiam adversùs eum, cum quo luctabatur, infirmus. Nunc de luctæ sacramento [b] non est, neque in tempore, neque in materia, aliquid tractare. Deus certè est; quia Jacob adversùs Deum invaluit, & Israel Deum vidit.

Gen. 32. 24. &c.

Moysi in rubo visus, Dominus & Deus est.

32. Videamus autem, an etiam alibi, præter quàm ad Agar, hic Angelus Dei Deus esse sit cognitus. Cognitus planè est. Neque solùm Deus, sed etiam Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob repertus. Angelus enim Domini Moysi de rubo apparuit, Dominus de rubo loquitur: vocem cujus intelligendam existimas, utrùm ejus qui visus est, an alicujus alterius? Hic mendacii locus nullus est. Ait enim Scriptura, *Apparuit autem illi Angelus Domini in flamma ignis de rubo.* Et rursum, *Vocavit eum Dominus de rubo, Moyses Moyses. Et respondit, Quid est? Et dixit Dominus, Ne accesseris huc, solve calciamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et dixit ei, Ego sum Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob.* Qui apparuit in rubo, de rubo loquitur: & visionis locus unus & vocis est; neque alius, quàm qui est visus, auditur. Qui Angelus Dei est cùm videtur, idem rursum cùm auditur est Dominus; ipse verò [c] Dominus qui auditur, Deus deinde Abrahæ, Isaac & Jacob esse cognoscitur. Cùm Angelus Dei dicitur, non proprius sibi ac solitarius esse monstratur; [d] est enim Angelus Dei: cùm Dominus & Deus nuncupatur, in honore naturæ suæ & nomine prædicatur. Habes ergo Angelum, qui de rubo apparuit, & Dominum & Deum.

Exod. 3. 2. Ibid. 4. &c.

Moyses non semel Deum & Dominum prædicat. Deut. 6. 4.

33. Percurre adhuc Moysi testimonia, & intellige an occasionem aliquam prædicandi Deum & Dominum negligat. Tenes nempe ex dictis ejus, *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* Tene nunc divinæ illius cantionis suæ dicta: ait namque, *Videte videte quoniam ego sum Dominus, & non est Deus præter me.* Et cùm omnis sermo ei ex persona Dei [e] usque ad finem cantionis fuisset; ait, *Lætamini cæli simul cum eo, & adorent eum omnes [f] filii Dei. Lætamini gentes cum populo ejus, & honorificent eum omnes Angeli Dei.* Honorificandus est à Dei Angelis Deus, dicens, *Quoniam ego sum Dominus, & non est Deus præter me.* Est enim Unigenitus Deus: neque consortem unigeniti nomen admittit; (sicuti non recipit innascibilis, in eo tantùm quòd est innascibilis, participem) est enim unus ab uno. Neque præter innascibilem Deum innascibilis Deus alius est, neque præter unigenitum Deum unigenitus Deus quisquam est. Uterque itaque unus & solus est, proprietate videlicet in unoquoque

Deut. 32. 39. Ibid. 43.

Uterque tamen unus est Deus.

[a] Apud Par. *Deo*, omisso *à*. In editis aliis, *à Domino*. Veriùs in mss. *à Deo*: quò is, qui in habitu viri locutus erat ℣. 2. & 3. quique ℣. 1. 3. & 13. *Dominus* appellatus est, Deus quoque esse significetur: qui scopus est Hilarii, græcum textum παρὰ τῷ Θεῷ propriè *apud Deum*, quasi παρὰ τοῦ Θεοῦ interpretantis.

[b] Editi, *neque est in tempore*: præter fidem mss. Est autem hîc pleonasmus, cujus exempla jam vidimus.

[c] In vulgatis, *ipse verò qui auditur, Dominus Deus est. Deinde Abrahæ, Isaac & Jacob Deus esse cognoscitur.* Quæ lectio confusa restauratur ope mss.

[d] Editi, *Etenim Dei angelus cùm* &c. sensu perturbato, & sublata probatione qua Deus non solitarius demonstratur. Castigantur ex mss.

[e] scilicet Unigeniti, ut apertiùs declaratur lib. 5. n. 36.

[f] Hic Deuteron. locus in Ps. 67. n. 4. aliis verbis, alioque verborum ordine exprimitur. Ibi enim primo loco habetur *Angeli Dei*, non *filii Dei*; postea autem *filii Dei*, loco *Angeli Dei*: cui lectioni suffragatur Justinus sub finem Dial. cum Tryphone, favetque Paulus Heb. 1. 6. Quem hîc tenet Hilarius ordinem, tenet & Epiphanius hær. 69. n. 60. ubi habet: *Adorent ipsum omnes filii Dei, & confortent eum omnes Angeli Dei.*

& innascibilitatis & originis. Ac sic uterque A Deus unus est; cùm inter unum & unum, id est, ex uno unum, divinitatis æternæ non sit secunda natura. Adorandus ergo est à filiis Dei, & honorificandus ab Angelis Dei. Ita & honor & veneratio Deo à Dei filiis & Angelis postulatur. Significationem honorandi, [a] & eorum per quos est honorandus intellige, scilicet per Angelos & filios Dei, Deus. Ac ne fortè honorem Dei non naturalis existimes postulari, & arbitreris hoc in loco Moysen de honorando Deo patre sensisse, cùm tamen Pater sit B honorandus in Filio; tamen benedictionem, quam [b] sub eodem sermone ad Joseph disponit, adverte. Ait enim, *Et quæ accepta sunt ei qui apparuit in rubo, veniant super caput Joseph & verticem.* Adorandus ergo à Dei filiis Deus est, sed Deus qui & Dei filius est. Honorandus autem à Dei Angelis Deus est, sed Deus qui Dei [c] Angelus Deus est: quia de rubo apparuit Dei Angelus Deus, & quæ ei complacita C sunt, Joseph cùm benediceretur optantur. Non ideo non Deus, quia Angelus Dei est; neque rursum Angelus Dei non idcirco, quia Deus est: sed significatâ personarum intelligentiâ, & [d] distincto innascibilitatis nativitatisque sensu, ac manifestatâ sacramentorum cælestium dispensatione, non solitarium Deum docuit opinandum, cùm Angelum & filium Dei Deum, Dei & Angeli & filii adorabunt.

Filio uti naturâ Deo honor postulatur.

Deut. 33. 16.

Filius & Angelus Dei & Deus.

34. Et hæc quidem de Moysi libris responsa D à nobis sint, vel potiùs Moyses ipse responderit: quia eo hæretici auctore usi, per unius Dei confessionem putent persuaderi posse, ne Deus esse Dei filius prædicetur; contra auctoris sui testimonium impii, cùm quando ille unum Deum confitens, non destiterit de Dei filio docere quòd Deus est. Sed consequens est multiplices de eodem prophetarum sententias proferre.

35. Tenes dictum, *Audi Israel, Dominus Deus* E *tuus unus est:* atque utinam rectè teneres. Sed secundùm sensum tuum dicti prophetici quæro rationem. Ait enim in psalmis, *Unxit te, Deus, Deus tuus.* [e] Discerne ad legentis intelligentiam unctum & ungentem: distingue *te* & *tuus*: ad quem & de quo sit sermo, demonstra. Superioribus enim dictis hic confessionis ordo subjectus est. Dixerat namque, *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis tuæ, virga regni tui; dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem.* F Nunc quoque his adjecit, *Propterea unxit te,*

Quî Propheta Filium & Deum doceat & à Patre secernat.

Psal. 44. 8.

Ibid. 7.

Deus, Deus tuus. Deus ergo regni æterni, ob meritum dilectæ justitiæ & perosæ iniquitatis, à Deo suo unctus est. Numquid intelligentiam nostram aliqua saltem nominum intervalla confundunt? Nam discretio tantùm personæ in *te* & *tuus* posita est, in nullo tamen naturæ distinctâ confessione. *Tuus* enim relatum est ad auctorem, *te* verò ad ejus qui ex auctore est significationem. Est enim Deus ex Deo, prophetâ eodem ordine confitente, *Unxit te, Deus,* B *Deus tuus.* Non est autem ante innascibilem Deum Deus ullus, ipso dicente, *Estote mihi testes, & ego testis, dicit Dominus Deus, & puer meus quem elegi, ut sciatis & credatis & intelligatis quoniam ego sum, & ante me non est alius Deus, & post me non erit.* Ejus igitur, [f] qui sine initio est, demonstrata est dignitas; & ejus qui ex innascibili est, honor conservatus est: *Unxit te* enim, *Deus, Deus tuus.* Id enim, quod ait *tuus*, ad nativitatem refertur, ceterùm non C perimit naturam. Et idcirco Deus ejus est, quia ex eo natus in Deum est. Non tamen per id, quòd Pater Deus est, non & Filius Deus est; *Unxit* enim *te, Deus, Deus tuus*: designatâ videlicet & auctoris, & ex eo geniti significatione, uno eodemque dicto utrumque illum in naturæ ejusdem [g] & dignitatis nuncupatione constituit.

Esai. 43. 10.

Vide lib. 11. n. 18. &c.

Filii cur pater Deus sit.

36. Verùm ne fortè ex eo arripi impiæ assertionis possit occasio, quod dictum est, *Quoniam* D *ego sum, & ante me non est Deus alius, & post me non erit*; tamquam per id non & Filius Deus sit, quia post Deum, ante quem Deus nullus sit, nullus quoque postea Deus futurus sit: totius ob id dicti ratio tractanda est. Deus ipse sermonis sui testis est, sed & puer ejus electus unà cum eo testis est, Deum ante se non esse, neque post se futurum. Sufficiens quidem sibi ipse testis est: sed testimonio de se suo, testimonium pueri quem elegit admiscuit. Unum E ergo duûm testimonium est, nullum ante se Deum esse; ex eo enim omnia sunt: neque post se Deum futurum; non utique ex se non fuisse. Erat enim jam puer in testimonio Patris hæc loquens, puer in tribu ex qua gigni habebat electus. Idipsum ita in Evangeliis demonstrat: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo complacuit anima mea. Non est ergo ante me alius Deus, & post me non erit: æternæ videlicet & indemutabilis virtutis infinitatem in eo, quòd antè & posteà Deus præter se F sit nullus, ostendens: puero tamen suo, ut in

Filium Patri æqualem Esaias prædicat.

Esai. 43. 10.

Matth. 12. 18.

[a] Ita Er. Lips. & Par. quæ lectio nobis valde suspecta est, cùm nec satis congruat cum subnexis, nec habeatur nisi in recentioribus mss. Nam in potioribus tribus Colb. Carn. Corb. Germ. Remig. &c. legere est, *& ejus per cujus* (potest intelligi tacitum verbum *honorem*) *est honorandus.* In ms. Corb. secundis curis adscriptum est, *& ejus per quem est honorandus.* In Vindocinensi autem exstat, *& ejus per quos est honorandus.* Deinde in vetustiore Remig. mendosè, *intelligere scilicetur Angelus & filius Dei.* Ex quibus non incommodè conficere liceret, *significationem honorandi ex eis per quos est honorandus intellige, scilicet ut Angelus & filius Dei Deus.*

[b] In uno codice Vatic. *sub eodem nomine.* Tum in recentiore Remig. ac Theod. *Jacob ad Joseph disponit.* Sincerior est lectio ceterorum. Subjecta enim verba Deuteronomii sunt; quamvis ad benedictionem Jacob Gen. 49. 26. alludant.

[c] Ita mss. At editi, *Angelus est qui de rubo.* Sic & Ambrosius in Psal. 43. n. 15. Filium in rubo visum fuisse declarat his verbis: *Quis est in rubo visus Moysi, nisi primogenitus Dei filius, qui ait, Ego sum Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. Ideo se demonstravit humanis adspectibus, quia venturus erat ut ab omnibus videretur.*

[d] In editis, *distinctio*: mendum quod castigant mss.

[e] Lips. & Par. *discernat legentis intelligentia*: reluctantibus aliis libris. Ita Tertullianus adversùs Praxeam n. 13. Ambrosius lib. 1. de fide c. 3. & alii Patres in hoc Psalmistæ loco duos apertè discerni observant. Luculentum est præ ceteris illud Irenæi lib. 3. c. 6. *Utrosque Dei appellatione significavit Spiritus-sanctus, & eum qui ungitur Filium, & eum qui ungit, id est, Patrem.*

[f] Editi excepto Par. *qui sine nativitate est*: qui tamen infrà n. 37. de Patre habent, *qui sine initio æternus est.*

[g] Vat. bas. codex, *in natura ejusdem dignitate & Domini nuncupatione*: minùs sincerè. Ex hoc maximè loco patet quam apud Hilarium vim habeat vocabulum *dignitatis*, quod *divinitatis* loco manifestè hîc ponitur.

testimonio suo; ita & in nomine, collocato. A

Oseæ locus pro Filii deitate. Osea 1. 6. & 7.

37. Et hoc ipsum promtum est ex persona ipsius discere. Ait enim ad Osee prophetam, *Non apponam adhuc ut miserear domui Israel, sed enim adversans adversabor illis: filiorum autem Juda miserebor, & salvos eos faciam in Domino Deo ipsorum.* Ergo [a] absolutè Pater Deum Filium nuncupat, in quo & elegit nos ante tempora sæcularia. *Ipsorum* idcirco ait, quia Deus innascibilis à nullo est, nosque Filio in hereditatem à Deo patre donamur. Legimus namque, Posce à me, & dabo tibi gentes [b] hereditatem tuam. Deo enim ex quo omnia sunt Deus nullus est, qui sine initio æternus est, Filio autem Deus Pater est; ex eo enim Deus natus est. Nobis autem & Pater Deus est, & Filius Deus est: Patre de Filio confitente quòd Deus noster sit, Filio de Patre docente quòd Deus nobis sit: *Deo* tamen Filio à Patre, id est, ipso innascibilis virtutis suæ nomine, nuncupato. Et hæc quidem ad Osee.

a Ephes. 1, 4.

b Psal. 2. 8.

Patri nullus, Filio Pater, nobis Pater & Filius est Deus.

Testimonium luculentum ex Esaia. Esai. 45.11. &c.

38. Per Esaiam autem quàm absoluta Dei patris de Domino nostro professio est. Ait namque: *Quoniam sic dicit Dominus Deus sanctus Israel, qui fecit quæ ventura sunt: Interrogate me de filiis vestris & de filiabus, & de operibus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, & hominem super eam, ego omnibus sideribus præcepi, ego suscitavi regem cum justitia, & omnes viæ ejus rectæ. Hic ædificabit civitatem meam, & captivitatem plebis meæ convertet, non cum præmio, neque cum muneribus, dicit Dominus Sabaoth. Laboravit Ægyptus, & mercatus Æthiopum,* [c] *& Sabain. Viri excelsi ad te transibunt, & tui erunt servi, & post te sequentur alligati vinculis, & adorabunt te, & in te deprecabuntur, quoniam in te est Deus, & non est Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus. Deus Israel salvator: erubescent & pudebit omnes qui adversantur ei, & ibunt cum confusione.* Estne adhuc aliquis temeritatis locus? aut ulla relicta est ignorationis occasio: nisi id tantùm reliquum sit, ut impietas professa se prodat? Deus ex quo omnia sunt, qui omnia [d] mandando fecit, facti opera sibi assumens, non utique efficienda, nisi dixisset ut fierent, testatur regem per se excitatum justum, & ædificantem sibi Deo civitatem, & plebis captivitatem avertentem, non cum præmio neque cum muneribus; gratiâ enim omnes salvamur. Deinde ita loquitur, cùm post laborem Ægypti, id est, sæculi [e] calamitatem, & mercatus Æthiopum & Sabain viri excelsi ad eum transibunt. Et qui tandem existimandus labor Ægypti, & mercatus Æthiopum & Sabain? Recordemur Orientis Magos adorantes Dominum & munerantes, & laborem veniendi usque in Bethlehem Judæ tanti itineris metiamur. [f] In principum enim labore totius Ægypti labor demonstratus est. Magis namque divinæ virtutis operationes falsa rerum specie mentientibus, potissimus impiæ religionis honor à sæculo omni deferebatur. Iisdem Magis ex mercatu Æthiopum & Sabain, auri, & thuris, & myrrhæ munera deferentibus: quod quidem idipsum & alius propheta præmonuit, dicens, In conspectu ejus procident Æthiopes, & inimici ejus limum lingent. Reges Tharsis munera offerent, reges Arabum & Sabain munera adducent, & dabitur ei de auro Arabiæ. [g] In Magis itaque & muneribus, labor Ægypti & mercatus Æthiopum & Sabain ostenditur, scilicet mundi error Magis adorantibus, & electa gentium munera adorato ab his Domino oblata.

Magorum adoratio prædicta: Qui fuerint Magi.

Psal. 71. 9. & 10.

39. Excelsi autem viri, qui ad eum transituri sunt, atque eum vincti sequentur, qui tandem isti sint, non in obscuro est. Respice ad Evangelia: Petrus Dominum suum secuturus præcingitur. Intuere Apostolos: servus Christi Paulus in vinculis gloriatur. Et videamus an vinctus Christi Jesu ea, quæ Deus de filio suo Deo fuerat locutus, impleverit. *Precabuntur*, inquit, *quoniam in te est Deus.* Dictum itaque ab Apostolo recognosce, & recognitum intellige: Deus in Christo erat mundum reconcilians sibi. Dehinc sequitur, *Et non est Deus præter te.* Quibus continuò idem Apostolus ait, Unus est enim Dominus noster Jesus Christus per quem omnia: & nullus præter eum videtur alius esse, quia unus est. Tertiò quoque ait, *Tu es Deus, & nesciebamus.* Sed ex persecutore [h] Ecclesiæ dixit, Quorum patres, ex quibus Christus, qui est super omnia Deus. Hi igitur vincti hæc prædicabunt: excelsi videlicet, & in duodecim thronis judicaturi [i] tribus Israel, & Dominum suum doctrinæ & passionis suæ martyrio secuturi.

Apostoli viri excelsi. Joh. 21. 7. Philem. 1. Esai. 45.14. Pauli & Esaiæ consensio. 2. Cor. 5. 19. 1. Cor. 8. 6. Rom. 9. 5.

40. Deus ergo in Deo est: & in quo est Deus, Deus est. Et quomodò *non est Deus præter te*, cùm in eodem Deus sit? Usurpas, ô hæretice, ad confessionem solitarii Dei patris, *Non est Deus præter me*: quomodo ex prædicatione Dei patris dicentis, *Non est Deus præter te*, dictum interpretaberis, si per id quod dictum est, *Non est Deus præter me*, affirmare contendis, ne Dei filius Deus sit?

Pater de se dicit, Non est Deus præter me; & de Filio, Non est Deus præter te. Deut. 32. 39.

[a] Apud Par. & in nonnullis mss. omittitur *absolutè*, quod est, apertè & absque ulla ambiguitate.

[b] Editi, *in hereditatem*, dissidentibus mss. & Tract. 2. Psal.

[c] Quamvis ex græco texto, καὶ οἱ Σαβαεὶμ ἄνδρες, planum sit vocem *Sabain* referri ad subsequentem, non ad præcedentem: eam tamen ab Hilario ad vocabulum *mercatus* relatam esse non dubium est ex subjectis. Tertullianus adversùs Praxeam n. 13. cum Hilario consentiens, quòd ex eodem Esaiæ loco probet duos esse qui unum Dei nomen obtineant, hoc ab eo dissentit, quòd legat, *& Sabain viri.*

[d] Lips. & Par. ex margine Er. *mandato.*

[e] Ita vetustiores libri. Alii verò, *sæculi captivitatem.*

[f] In ms. Vat. bas. *in principio labor totius Ægypti*: corruptè. Hîc de Magis duo tradit Hilarius, eos scilicet & principes fuisse, & magicæ arti deditos; quod alterum plures ex antiquis cum eo docuisse jam observatum est pag. 613. not. b. Reges quoque eos fuisse scribit Tertullianus lib. 3. contra Marc. n. 13. ubi enarraturus illud Psal. *Reges Arabum* &c. subjicit, *Nam & Magos reges habuit fere Oriens.* Cui consentit Hieronymus Comm. in Dan. c. 2. Sic & Cæsarius Arelat. in appendice Sermonum Augustini Serm. 139. n. 5. *Illi Magi tres reges fuisse dicuntur.* Unde Paschasius Radbertus in Matth. 2. *Magos reges exstitisse, nemo qui historias legit gentilium ignorat.* Qua ratione explicatur, quî omnes de Sabain ad Christum venerint: quia nimirum, uti declarat Hilarius in Matth. cap. 14. n. 7. *populi princeps subjectæ sibi universitatis nomen causamque complectitur.*

[g] Solus codex Vat. bas. *in donis itaque.*

[h] id est, *qui fuit persecutor.* Jam aliàs observavimus præpositionem *ex* ad significandum statum ac tempus præteritum Hilario esse usitatam. Sic de Christo in servi formam exinanito sæpe loquitur, *ex Deo homo*, pro, *cùm esset Deus, factus est homo.* Hîc autem in vulgatis & in uno solùm recentiore ms. Colb. insertum est, *factus doctor.*

[i] Editi, *duodecim tribus*: refragantibus mss.

* Pater. Et cui ergo Deus * dixerit, *Non est Deus præter te?* subjicere enim hîc tibi personam solitarii [a] non licebit. Dominus enim dixit regi quem excitavit, ex persona virorum excelsorum adorantium & deprecantium, *Quoniam in te est Deus.* Solitarium res ista non recipit. *In te* enim præsentem, veluti ad quem sit sermo, significat. Quod autem sequitur, *In te est Deus,* non solùm eum qui præsens est, sed etiam eum qui maneat in præsente demonstrat: habitantem ab eo in quo habitet discernens, personæ tamen tantùm distinctione, non generis; Deus enim in eo est: & in quo est Deus, Deus est. Non enim Deus in diversæ atque alienæ à se naturæ habitaculo est, sed in suo [b] atque ex se genito manet. Deus in Deo, quia ex Deo Deus est. *Tu es enim Deus, & nesciebamus, Deus Israel salvator.*

Filius personâ non genere à Patre discretus.

Esai. 45. 15.

41. Negantem te Deum in Deo, sequens sermo confutat: ait enim, *Erubescent, & pudebit omnes qui adversantur ei, & ibunt cum confusione.* [c] Decretum hoc in impietatem tuam Dei est. Adversaris enim Christo, de quo te professio paternæ vocis objurgat. Deus est enim, quem esse tu Deum denegas. Denegas verò sub specie honoris * Dei, dicentis, *Non est alius Deus præter me.* Sed confundere & erubesce: non eget delato à te honore innascibilis Deus, gloriam hanc à te solitudinis suæ non postulat, non desiderat hanc opinionis tuæ intelligentiam; ut ob hoc quod dixerit, *Non est Deus præter me,* eum quem ex se genuit Deum abneges. Ac ne sibi hoc, ad divinitatem Filii destruendam, peculiare [d] deferres; Unigeniti sui gloriam honore perfectæ divinitatis implevit, dicens, *Et non est Deus præter te.* Quid exæquata discriminas? quid comparata discernis? Proprium Dei filio est, ne præter eum Deus sit; proprium Deo patri est, ne absque eo Deus quisquam sit: verbis Dei de Deo utere. Confitere ita, & precare regem: *Quoniam in te est Deus, & non est Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israel salvator.* Caret [e] contumeliâ honoris officium, neque offensionem habet confessionis exemplum; maximè cùm adversatio ejus plena confusionis sit & pudoris. Immorare Dei verbis, confitere Dei vocibus; & fuge confusionis denuntiationem. Deum enim Dei filium abnegando, non tam Deum tamquam [f] solitarium gloriæ honore veneraberis, quàm Patrem Filii inhonoratione contemnes. Honoris fidem innascibili Deo confitere, quòd præter eum Deus nullus sit: unigenito Deo prædica, quòd absque eo Deus non sit.

Filio adversantes erubescent. Ibid. 16.

* Patris. Ibid. 18.

Filium qui negat, Patrem inhonorat.

42. Audi enim præter Moysen & Esaiam, tum tertiò id ipsum quoque & [g] Jeremiam docentem, cùm dicit, *Hic Deus noster est, & non deputabitur alter ad eum. Qui invenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hoc super terram visus est, & inter homines conversatus est.* Dixerat enim jam superiùs, *Et homo est, & quis cognoscet eum?* Habes ergo Deum in terris visum, & inter homines conversatum: & requiro quomodo intelligendum existimes, Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus filius, qui est in sinu Patris; cùm Jeremias Deum prædicet, qui & visus in terris est, & inter homines conversatus est? Pater certè non nisi [h] soli Filio visibilis est. Quis ergo iste est, qui est visus & conversatus inter homines? Deus certè noster est, & visibilis in homine & contrectabilis Deus. Et prophetam loquentem intellige: *Non deputabitur alter ad eum.* Si quæris, quomodo? audi quæ sequuntur: ne per id non & Patri proprium esse existimes quod dictum est, *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* Hæc enim sibi cohærent: *Non deputabitur alter ad eum: qui invenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo: post hoc super terram visus est, & inter homines conversatus est.* Unus est enim Mediator Dei & hominum, Deus & homo: & in legis latione, & in corporis assum-

Filii divinitati adstipulatur Jeremias.

Baruch 3. 36. &c.

Qui Deus super terram visus.

Joh. 1. 18.

Deut. 6. 4.

Filius & in legis latione & in carnis assumtione unus Mediator.

[a] *Hic enim*, uti Tertullianus adversùs Praxeam n. 13. in eumdem locum ait, *dicendo, Deus in te, &, Tu Deus, duos proponit; qui erat, & in quo erat; Christum, & Spiritum:* ubi *Spiritum* Patrem intelligit.

[b] In ms. Carn. *atque in se genito:* malè. Cur autem in eo maneat, sic exponitur in Psal. 122. n. 2. *Deus enim ex Deo genitus, non abest per naturam ab eo ex quo genitus confitendus est:* cùm cetera absint per naturæ discrepantiam. Filius itaque digna per se & sufficiens est habitatio Patris: qui in ceteris etiam habitat, quatenus Filio conjuncti in ipso quodammodo continentur, ut eleganter ibidem explicatur.

[c] Vat. bas. ms. *dictum hoc:* minùs bene.

[d] Idem codex, *defenderet:* neque hîc audiendus.

[e] Neque hîc videtur sincerior prædictus ms. cùm pro *contumelia*, exhibet *calumnia:* & mox *pœna confusionis*, pro *plena confusionis*.

[f] Editi cum aliquot mss. *solitario*. Malumus cum ceteris *solitarium*, priùs restitutâ particulâ *tamquam*, quam Lipsius absque auctoritate expunxerat. Pater autem inhonoratur, dum filii degeneris pater prædicatur, ut sæpe insinuat noster Hilarius, ac probat Augustinus Serm. 139. n. 5. necnon Ambrosius lib. 1. de fide c. 6. vel dum aliquando sine Verbo ac sapientia fuisse, adeoque aliunde rationem mutuatus esse asseritur, ut ostendit Athanasius Orat. 2. cont. Ar. p. 331.

[g] Qui postremam editionem Par. procuravit, hîc *Baruch* loco vocis *Jeremiam* substituit: idem verò nomen mox repetitum immutare non meminit.

[h] Hîc addimus *soli* auctoritate omnium mss. Hilarii sententiæ de Patris invisibilitate suffragatur Tertullianus lib. 2. adv. Marcion. n. 27. *Patrem nemini visum*, inquit, *etiam commune testabitur Evangelium, dicente Christo, Nemo cognovit Patrem nisi Filius: ipse enim & veteri Testamento pronuntiarat, Deum nemo videbit, & vivet, Patrem invisibilem determinans, in cujus auctoritate & nomine ipse erat Deus qui videbatur Dei filius.* Videsis eumdem adv. Praxeam n. 14. Sic Ambrosius in Lucam: *Aut acquiescatur igitur necesse est, si Deum Patrem nemo vidit umquam, Filium visum esse in veteri Testamento.* Ita & Prudentius Apoth. ℣. 79. inter alia ait, *Cerni potis est qui nascitur: at non Innatus cerni potis est.* Quibus consentit Justinus Dial. cum Tryph. favetque Clemens Strom. 4. p. 537. Horum sententia maximè nititur his Johannis verbis, *Deum nemo vidit umquam.* Nam vocem *Deus*, quoties simpliciter ponitur, de Deo Patre interpretari solent priorum sæculorum Patres. Hinc concludebant Filium qui visus sit, à Patre qui numquam visus, alium esse. Sed quod illi ad distinctionem personarum observarunt, detorserunt subinde Ariani, ut jam monuimus, ad diversitatem naturarum. *Filius*, inquiunt apud Augustinum Serm. 7. n. 4. *visus est Patribus, Pater non est visus: invisibilis & visibilis diversa natura est* &c. Quasi verò Filius secundùm divinam naturam non æquè invisibilis sit ac Pater: ut meritò Augustinus lib. 2. de Trinit. c. 14. *delirantes* eos vocet, qui *Filium in sua substantia visum volunt.* Quibus deliriis ut omnem aditum præcluderet, visa patriarcharum paulò aliter explicare cœpit, quàm solerent alii Patres, negans, quantum potuit, Filium iis potiùs apparuisse, quàm personas alias. Quem tamen præ manibus habemus Scripturæ locum urgens adversùs Maximinum lib. 2. c. 26. n. 13. eum de Filio interpretandum docet. *Nam*, ut notat Gregorius Nazianz. Or. 36. *quòd non de Patre, sed de Filio sermo habeatur, adjectio hæc (in terra visus est) apertè declarat. Hic enim est, qui corpoream nobiscum consuetudinem habuit.* Unde & à nostro Hilario mox dicitur *visibilis in homine* (assumto) *& contrectabilis Deus.* Ubi editio Par. ex Nivelliana mendosè præ se ferebat *invisibilis in homine.*

tione

tione mediator. Alius igitur ad eum non deputatur. Unus est enim hic in Deum ex Deo natus, per quem creata sunt omnia in cælo & in terra, per quem tempora & sæcula facta sunt. Totum enim quidquid est, ex ejus operatione subsistit. Hic ergo unus est disponens ad Abraham, loquens ad Moysen, testans ad Israel, manens in prophetis, per virginem natus [a] ex Spiritu-sancto, adversantes nobis inimicasque virtutes ligno passionis affigens, mortem in inferno perimens, spei nostræ fidem resurrectione confirmans, corruptionem carnis humanæ gloriâ corporis sui perimens. Ad hunc ergo non deputabitur alius. Soli enim hæc unigenito Deo propria sunt, & unus hic in hac peculiari virtutum suarum beatitudine natus ex Deo est. Non alter ad eum Deus deputatur: non enim ex alia substantia, sed ex Deo Deus est. Nihil in eo itaque novum, nihil extraneum, nihil recens est. Cùm enim audit Israel, quòd sibi Deus unus sit, & filio Dei Deo non alter Deus deputetur, [b] ut Deus sit; absolutè pater Deus & filius Deus unum sunt, non [c] unione personæ, sed substantiæ unitate: quia filio Dei Deo deputari ad alterum Deum non finit [d] propheta, quòd Deus est.

Eadem ferè habet rescriptum ad Liberium apud Athanas. p. 344.

Pater & Filius unum.

[a] Plures probæ notæ mss. *ex Spiritu*, nec adjiciunt *sancto*.

[b] In nonnullis recentioribus mss. *ut redimens Deus sit*: glossema.

[c] Quia vox *unio* sæpius recurrit, omnino necesse est vim illius probè habere perspectam. Respondet autem verbo græco *μονάς*, significatque solitudinem ac singularitatem. In hoc differt ab unitate, quòd *unitas* ad naturam, *unio* autem ad personas semper ab Hilario referatur: atque ita propugnans in Deo unitatem, acriter explodit unionem. Hujus vocis auctor videtur Sabellius, eâque suam hæresim expressisse. Unde lib. de Synod. n. 26. *hæresis unionis* simpliciter appellatur: & qui ei addicti erant, à Prudentio *unionitæ* inscripti leguntur Apoth. ante ℣. 178. Ita Sulpicio teste p. 255. Orientales suspicabantur Gallos *trionymam solitarii Dei unionem secundùm Sabellium credidisse*. Galli autem Concilio Parisiensi Fragm. XI. n. 2. rescribunt se detestari *secundùm Sabellii blasphemias ipsam unionem*. Rursum à Sulpicio p. 242. scribitur Photinus *à Sabellio in unione dissentiens*, quia scil. non unicam in Trinitate personam prædicat. Eodem sensu à Maximo Taurin. hom. 1. de S. Eusebio usurpatur unionis vocabulum: quo pariter usi sunt Gelasius lib. de duabus naturis & Vigilius Tapsit. lib. 2. contra Eutych. ad exprimendam in Christo personæ singularitatem. quam quia respuebat Sabellius, ab Arianis epist. ad Alexandrum Alexandr. arguitur quòd *unionem dividit*, hoc est, ut interpretatur Hilarius lib. 6. n 7. Christum *eumdem divisit in Virgine*. His accedit Hieronymus epist. 22. ad Eustoch. à quo Christi mater prædicatur *ad similitudinem Dei unione fecunda*: quia nimirum sicut Pater solus sine matre Verbum, ita ipsa sola sine patre generavit Christum. At à Tertulliano adversùs Prax. n. 13. & de resurrectione carnis n. 2. non ad personas, sed ad naturam ipsam refertur; ut ei synonyma sint *unio*, & *unitas*. Quod autem Hilarius unionem, hoc Ambrosius singularitatem dixit lib. 5. de fide c. 1. *Evidens est igitur, quia quod unius est substantiæ, separari non potest, etiamsi non sit singularitatis, sed unitatis. Singularitatem hanc dico, quæ græcè μονότης dicitur. Singularitas ad personas attinet, unitas ad naturam.*

[d] Ita Bad. cum mss. nisi quòd in Carnut. *propheta quod inest.* At apud Er. Lips. & Par. *propheta dicens quod Deus unus est*: immutato sensu Hilarii, prophetæ nomine Jeremiam seu Baruch, non Moysen intelligentis: hoc est, quia propheta Baruch filio Dei Deo hoc, quòd Deus est, ad alterum Deum deputari non finit.

LIBER QUINTUS.

Dicitur etiam secundus: *quia secundus est adversùs Arianarum partium perfidiam, superiori libro primùm cœptam impugnari. Hanc agnoscit Hilarius subdolè adeo contextam, ut ei qui consenserit, Filium Deum negare; qui contradixerit, Patrem & Filium aut duos Deos, aut Sabellii more unum & eumdem prædicare videatur. Quocirca cùm libro superiore adversùs fraudem paratam in primis hæreticorum verbis,* Novimus unum Deum, *ex legis & prophetarum testimoniis fideles munierit; nunc in subsequentibus illis,* solum verum, *latens venenum propulsat, Filium esse Deum verum iisdem ferè testimoniis defendens, quibus in quinto libro Deum & Deum, seu Deum non solitarium ac singularem esse ostendit. Tum sub libri finem probat Patrem & Filium unum esse in distinctis personis Deum. In his porro omnibus, nondum ad evangelica excedens testimonia, prorsus se continet intra fines legis, in qua Dei nomen, virtutem, rem ac naturam, proindeque veritatem, Filio attribui demonstrat. Legis autem nomine intelligit, quidquid sacris litteris ante Christum natum scriptis continetur.*

Hæreticis Deum unum prædicantibus aut assentiri, aut adversari periculosum.

1. RESPONDENTES impiis & vesanis hæreticorum institutionibus superioribus libris, non ignoravimus in eam nos contradicendi necessitatem deductos fuisse, ut non minus periculi audientibus responsio nostra, quàm silentium commoveret. Cùm enim unum Deum [a] profanè assertio infidelis ingereret, & rursum unum Deum religiosè negare fides sana non posset; tractari de eo non sine ancipitis periculi conscientiâ potuit, quod non minùs impiè confirmaretur, quàm negaretur. Et quidem humani sensus opinione ineptum & rationis alienum esse hoc fortè existimabitur, ut quod irreligiosum est negare, idipsum irreligiosum sit confiteri: cùm pietas confitendi, impietatem condemnet negandi; nec rationi conveniat, ut utiliter affirmetur, quod utiliter destruatur. Sed ad divinæ sapientiæ intelligentiam humanus sensus imprudens, & secundùm cælestem prudentiam stultus, juxta infirmitates suas sentit, & juxta imbecillitatem naturæ suæ sapit; STULTUS SIBI futurus, ut Deo sapiat, scilicet ut sensus sui inopiam intelligens, & Dei sapientiam consectans, non secundùm humanam sapientiam prudens sit, sed secundùm quod ad Deum

[a] Editi, *profana assertio infidelitatis*. Concinniùs mss. potiores, *profanè assertio infidelis*. Est enim antithesis, qua opponuntur *profanè* & *religiosè*; *assertio infidelis*, & *fides sana*.

proficit sapiat, in Dei sapientiam ex recognita mundi stultitia transiturus. Cujus stultæ sapientiæ sensum hæretica subtilitas ad fallendi occasionem coaptans, unum Deum professa est, auctoritate Legis Evangeliorumque usa, qua dictum est; *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est:* non ignorans quantum in eo esset vel responsionis periculum, vel silentii; & ex utroque opportunitatem impietatis exspectans: ut si [a] sanctitatem dicti infideliter usurpati, [b] conniventis taciturnitas confirmaret, per id quòd Deus unus est, filius tamen Dei Deus non esset, Deo tantùm sicut est uno manente; at verò si contradictio præsumtæ impiæ hujus professionis exsisteret, veritatem fidei evangelicæ non conservaret Deum unum [c] non confessa responsio, cùm fidei nostræ professio secundùm Deum unum sit; recideretque in alterius hæreseos impietatem, Deum unum Patrem & Filium [d] professa confessio. Atque ita sapientia mundi, quæ stultitia apud Deum est, specie blandæ & pestiferæ [e] simplicitatis illuderet, cùm hoc fidei suæ constitueret exordium, in quo sibi impiè aut assentiremur, aut adversaremur: & per hoc utriusque rei periculum, Dei filium Deum non esse obtineret, quia Deus unus est; aut extorqueret hæreseos necessitatem, si & Patrem Deum & Filium Deum confitentes, unum Deum prædicare secundùm Sabellii opinionem impiam existimaremur: & ita hoc prædicationis suæ modo *unus Deus* aut alium excluderet, aut per alium non esset *, aut tantùm in nominibus unus esset: quia & [f] unitas alium nesciret, & alius non permitteret unionem, & duo unus esse [g] non posset.

[Margin: Deut. 6. 4. Marci 12. 29.]

[Margin: * supple, unus.]

[Margin: Quo temperamento periculum omne cavet Hilarius.]

2. Sed nos sapientiam Dei, quæ mundo stultitia est, consecuti, & per fidei dominicæ salutarem & sinceram confessionem, vipereæ doctrinæ fraudulentiam prodituri, hunc responsionis nostræ ordinem inchoavimus, qui & aditum sibi demonstrandæ veritatis acquireret, nec se periculo impiæ professionis insereret: temperato inter utrumque moderamine, non negantes Deum unum, sed eo ipso auctore Deum & Deum, [h] per quem Deus unus prædicatus est, prædicantes; & Deum unum non per unionem docentes, neque rursum ad diversitatis numerum desecantes, neque contrà tantùm in nominibus confitentes; sed Deum & Deum repositâ & dilatâ adhuc pleniùs unitatis quæstione, monstrantes. Rectè enim unum Deum à Moyse prædicatum Evangelia testantur: & rursum fideliter in Evangeliis Deum & Deum doceri, Moyses Deum unum prædicans auctor est. Atque ita non auctoritati [i] contraitum est, sed ex auctoritate responsum est, ne per id Dei filium liceret Deum negari, [k] quia ad Israel Deus unus est: cùm confitendi Dei filium Deum idem auctor esset, qui auctor est Dei unius prædicandi.

[Margin: Scopus libri superioris.]

[Margin: Scopus hujus alterius libri.]

3. Sequitur itaque ordinem quæstionis etiam ordo connexi sibi libelli. Nam quia hæc sequens impii blandimenti posita sententia est, *Novimus unum Deum verum*: hinc quoque [l] secundi hujus libri omnis sermo consistit, an filius Dei Deus verus sit. Nam sine dubio in hunc se ordinem hæretici ingenii subtilitas coaptavit, primùm *unum Deum* dicens, deinde *unum verum Deum* confitens: ut per id filium Dei à natura Dei & veritate averteret, cùm veritas in natura unius manens, naturalem unius non excederet veritatem. Igitur quia ambiguitatis locus nullus est, quin Moyses unum Deum prædicans, intelligatur de Dei filio significasse quòd Deus sit, per ipsas illas significationis suæ auctoritates recurramus: & requiramus, an quem Deum significaverit, Deum quoque verum intelligendum docuerit. Nulli autem dubium est, veritatem ex natura & ex virtute esse: ut exempli causâ dictum sit, verum triticum est, quod spicâ structum, & aristis vallatum, & folliculis decussum, & [m] in farinam comminutum, & in panem coactum, & in cibum sumtum, reddiderit ex se & naturam panis & munus. Itaque quia naturæ virtus præstat veritatem; videamus an verus Deus sit, quem Moyses Deum esse significat: de uno Deo, & eodem vero Deo postea locuturi; ne non interposita sponsione [n] de unius & veri Dei in Patre & Filio subsistentibus confirmatione, periculosa suspicio pendulæ exspectationis sollicitudinem defatiget.

[Margin: Veritas rei unde constet.]

[Margin: Filius ex creandi virtute probatur verus Deus.]

4. Creatio igitur mundi, post quam & Dei cognitio suscepta est, filium Dei Deum esse significans, rogo in quo tandem verum esse Deum deneget. Non enim ambigitur, quin per Filium omnia sint. *Omnia* namque, secundùm Apostolum, *per ipsum, & in ipso.* Si omnia per eum, & omnia ex nihilo, & nihil non per eum; quæro in quo ei veritas Dei desit, cui non

[Margin: Coloss. 1. 16.]

[a] Vat. bas. ms. *securitatem dicti.* Proximè post *infideliter*, supple, *ab hæreticis.*

[b] Apud Par. *convenientis.* At in mss. *coniventis*, vel *conibentis*, mutato, ut sæpe fit, *u* in *b*. Hinc & in Carnut. & Vat. bas. depravatè factum est *cohibentis.*

[c] Particula negans à Lipsio malè expuncta restituitur auctoritate Bad. Er. & mss.

[d] Bad. & Er ex recentiore ms. Colb. *non professa*: malè & diffidentibus aliis libris. Totum Hilarii argumentum ita paucis perstringi potest: Sicut qui hæreticis unum Deum prædicantibus non contradicunt, in periculum incidunt ne Filium Deum negare putentur; ita iis, qui contradicunt, duplex imminet periculum, ne videlicet aut unum Deum videantur negare, aut saltem Patrem & Filium Deum unum Sabellii more prædicare. Et hoc re vera nomine catholici ab hæreticis passim sunt infamati. Quocirca pro *recideretque*, longè mallemus *recideretve.*

[e] Ms. bas. Vat. cum Carn. aliisque nonnullis, *subtilitatis.*

[f] In ms. Vat. bas. *unio.*

[g] Lipsius de suo reposuerat, *non possent.* Sensus porro est: & unus non posset esse duo, nisi tantùm in nominibus.

[h] Illud *per quem*, non ad Deum referendum est, sed ad Moysen, quo auctore Deum & Deum liber superior demonstravit, cùm ejus auctoritate abuterentur hæretici, ut Deum unum & solitarium prædicarent.

[i] Ita mss. At editi, *contrarium est.*

[k] Quinque mss. recentiores, *quia audi Israel.* In uno è Colb. *quia ait, Audi Israel.*

[l] Vat. bas. ms. *quinti hujus libri.* Retinemus tamen cum aliis *secundi*, sicque vocatur hic liber non respectu totius Operis, sed vel quòd in eo Hilarius, uti præmonuimus, hæreticorum perfidiam, superiore libro primùm oppugnatam, denuo aggrediatur: vel etiam quia secundus est ex quo ad intermissum rediit opus, cujus tres primos spectare licet velut quædam præludia, quæ etiam à ceteris divelli facilè possint.

[m] Plerique mss. *in far comminutum.*

[n] Editi, *de unius veri Dei in Patre & Filio subsistentis*: emendantur ex mss. Subsistentes autem vocat Patrem & Filium, hoc est, personis distinctos, quò Sabelliani erroris suspicionem à se avertat.

desit Dei nec natura, nec virtus. Naturæ enim A suæ virtute usus est, ut & essent quæ non erant, & fierent quæ placerent. Vidit enim Deus quia bona sunt.

Lex in dicente Deo & in faciente Deo solas personas distinguit. Gen. 1. 6. Ibidem 7.

5. Neque enim [a] aliam, quàm personæ, intulit lex significationem, cùm ait, *Et dixit Deus, Fiat firmamentum*; & subjecit rursum, *Et fecit Deus firmamentum.* Ceterùm nec virtutem distinxit, nec naturam separavit, nec nomen demutavit in eo, in quo tantùm dicentis intelligentiam præstitit, ut significationem effi- B cientis afferret. Veritatem autem naturæ atque virtutis, [b] significatio sermocinantis non adimit; quin potiùs veritatem ipsam quanta potest proprietate commendat. AFFERRE enim dicto efficientiam, naturæ ejus est, quæ efficiens id possit præstare, quod dicens. In quo ergo tandem non erit verus ille qui efficit, cùm verus sit ille qui dicit; quando quidem dicti veritatem, facti veritas consequatur? Deus est qui dixit, Deus est qui fecit. C Si * in dicto veritas est; quæro cur negetur * in facto. Nisi fortè hic dicendo verus sit, & non sit verus iste faciendo. Habemus itaque in filio Dei Deo naturæ veritatem. Deus est, creator est, Dei filius est, potest omnia. Parum est ut quod vult possit, quia semper voluntas virtutis est; quin etiam id quod sibi dicitur potest. Perfectæ enim potestatis est, hoc naturam posse facientis, quod possit significare sermo dicentis. Atque ita cùm quid- D quid dici potest, id ipsum & effici potest; tenet veritatis naturam ea quæ dictis exæquatur operatio. Non est itaque Dei filius Deus falsus, nec Deus adoptivus, nec Deus [c] connuncupatus, sed Deus verus. Et [d] non necesse est aliquid è diverso demonstrare, per quod non sit Deus verus: mihi enim sufficit in eo Dei nomen atque natura. Deus enim est, per quem facta sunt omnia. [e] Hoc mihi de eo creatio mundi locuta est. Exæquatur Deus Deo no- E mine, exæquatur veritati veritas opere. Ut significatio est Dei potentis in dicto, ita intelligentia est Dei potentis in facto. Et post hæc quæro, in Patris & Filii confessione qua auctoritate naturæ veritas [f] denegetur, quam & virtus nominis, & nomen virtutis implevit.

Dicentis & facientis una natura est.

* in eo qui dixit.
* in eo qui fecit.

Filius Dei non est Deus falsus aut adoptivus.

Objecta ex Evangeliis adducta alibi diluentur. Cur. Joh. 14. 28.

6. Meminisse autem legentem oportet, non me immemorem aut diffidentem earum quæ objici soleant quæstionum, de his nunc tacere. Neque enim hoc quod dici solet, *Pater* F *major me est*, & cetera hujusmodi similia, aut ignorantur, aut non intelliguntur, ut non per hæc ipsa veri Dei in Filio natura doceatur: sed ordinem responsionis nostræ eum esse convenit, qui erat propositionis adversæ; ut vestigia impiæ institutionis gressus hic piæ prædicationis inculcans, ipsa illa prima evadentis in hoc profanum irreligiosumque iter fallacis doctrinæ signa deleret. Dilatis igitur atque in postremum reservatis evangelicis atque apostolicis præconiis, omnis interim nobis de lege & prophetis adversùs impios pugna sit: ementitam eorum ac fallacem perversitatem his ipsis interim, quibus fallere tentant, dictis [g] coarguentes. Neque enim aliter veritas intelligi potest, quàm si falsa ea esse, quæ veritati objecta sunt, detegantur; & hoc quidem mentientium absolutiore dedecore, si mendacia ipsa proficiant veritati. Et quidem sensu humanæ opinionis commune judicium est, nequaquam veris falsa sociari, neque hæc rerum genera mutuo sibi assensu contineri: quia per generis differentiam adversante naturâ numquam diffidentia coeant, nec diversa consentiant, nec sibi invicem aliena communia sint.

Veritas non intelligitur, nisi objecta falsa esse evincantur.

7. Quæ cùm ita sint, interrogo inter verum & falsum Deum quomodo hoc dictum intelligatur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Verba sensum enuntiant, sensus rationis [h] est motus, rationis motum veritas incitat. Ex verbis igitur sensum sequamur, ex sensu rationem intelligamus, & ex ratione veritatem apprehendamus. Cui enim dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, quæro in quo non [i] secundùm eum verus sit, qui sibi dicat: nam sine dubio dictum hoc ex affectu sensuque dicentis est. Ergo qui dicit *Faciamus*, significat secum ad faciendum non dissentientem, non alienum, non infirmum; sed qui potens sit ad id, unde est sermo, faciendum. Hoc ergo sine dubio sensisse qui loquitur, quia id locutus est, intelligendus est.

Pater dicens *Faciamus* æqualem sibi significat cui id dicit. Gen. 1. 26.

8. Ut plenior autem naturæ atque operationis veritas doceretur; qui sensum suum per verba eloquebatur, sensûs quoque rationem ex natura cum veritate subjecit, dicens *ad imaginem & similitudinem nostram.* Ubi est hic falsus Deus, cui verus Deus dicit *ad imaginem & similitudinem nostram? Nostram* non habet unionem, non habet diversitatem, non habet discretionem. Homo enim ad communem fit, secundùm veritatem sermonis, imaginem. Communio autem falso veroque non competit. Deus, qui loquitur, ad Deum loquitur: ad Patris & Filii imaginem homo conditur. Nomen non discrepat, natura non differt. Una enim est [k] imaginis, ad quam homo creatus est, species. Et inter hæc veritas ubi de-

Dicens *ad imaginem nostram* unam sibi cum Filio naturam indicat.

[a] Ms. Carn. *aliud.* Vetus Colb. *aliam persona*, omisso *quàm.* Pejùs alter, *aliam aliquam persona.* Nil mutandum. Appositè Tertullianus cont. Prax. n. 12. *Habes duos, unum dicentem ut fiat, alium facientem. Alium autem quomodo accipere debeas, jam professus sum; persona, non substantia nomine; ad distinctionem, non ad divisionem.*

[b] In ms. Carn. *sermocinatio significantis.*

[c] Editi, *Deus nuncupativus:* reluctantibus mss.

[d] Qui Carnutense exemplar ante annos 700. recognovit, hîc expunxit particulam negantem: non malo sensu. Mox in eodem ms. necnon in vetustioribus Colb. Remig. &c. *demonstrandum*, non *demonstrare.* Quantum ex subsequentibus assequimur, sententiæ hujus hæc est intelligentia: Non nunc opus est exponere quid ab adversariis opponatur, unde in animum inducant eum non esse verum Deum.

[e] Solus cod. Vat. bas. *hoc mihi de Creatore mundi Genesis locuta est.*

[f] In recentiore ms. Colb. ab interpolatore hîc additum est *vel divinitas:* quod deinde in edit. Bad. & Er. transiit. Postea à Lipsio substitutum est *vel divinitatis*, & apud Par. retentum.

[g] Editi, excepto Par. *coarguentibus*, nullo adstipulante vetere libro, sed servatis scrupulosiùs grammaticæ legibus.

[h] Verbum *est* à Lipsio expunctum restituimus ex Bad. Er. & mss.

[i] id est, in quo non verus sit ad instar illius qui sibi dicat. Præpositionis *secundùm* similem potestatem jam observavimus pag. 530. not. b.

[k] In cod. Vat. bas. *imaginis similitudo*, omisso deinde verbo *species.*

perit, manente [a] inter utrumque & facti communione, & communis imaginis veritate? Nondum absolvendæ hujus quæstionis mihi tempus est: posteriùs enim demonstrabimus, in quam imaginem Dei patris & Dei filii homo conditus sit. Nunc interim hoc tenemus, an verus Deus non sit, cui verus Deus dixerit, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Discerne, si quid potes, in hac imaginis communione verum atque falsum: & hæretico furore hæc indissecabilia decide. Unum enim sunt, [b] quorum imaginis & similitudinis unum est homo factus exemplum.

Homo faciendus ad imaginem Patris & Filii fit ad imaginem Dei.

9. Sed sequamur ordinem lectionis, ut veritas semper sibi cohærens non demutetur offendiculo falsitatis. *Et fecit Deus hominem; ad imaginem Dei fecit eum.* (Gen. 1. 27.) Imago communis est: Deus ad imaginem Dei hominem fecit. Qui verum Deum filium Dei denegat, quæro ad cujus Dei imaginem à Deo factum hominem intelligat. Meminerit tamen semper per Filium omnia; ne fortè hæretica intelligentia operationem sibi Dei patris coaptet. Si igitur ad imaginem Dei patris per filium Deum homo conditur, conditur quoque ad imaginem Filii: quia nemo Filio dictum denegat *ad imaginem & similitudinem nostram.* Tenuit ergo sermo divinus rationem veritatis in dictis, quam opus explebat in factis: ut hominem ad imaginem Dei Deus figuraret, ut Deum significaret, nec veritatem Deo adimeret: cùm & in communione imaginis esset Deus verus, qui in opere efficiendo intelligebatur Deus filius.

Hæretici perstringuntur ex dictis.

10. O desperatæ mentis furor perdite! ô stulta cæcæ impietatis temeritas! Audis Deum & Deum, audis imaginem nostram: quid tu subjicis verum & non verum? quid inseris naturalem atque falsum? quid sub religionis nomine religionem evertis? quid per unum Deum, & unum Deum verum, tentas ne Deus verus unus sit? Nondum vesanos spiritus tuos dictis evangelicis atque apostolicis suffoco, in quibus Pater & Filius non personâ, sed naturâ unus & verus Deus uterque est: interim te lex sola enecat. Numquid ait Deum verum & non Deum verum? Numquid aliter in utroque præter quàm naturæ nomine usa est? Deum & Deum dixit, quæ dixit Deum unum. Sed quid tantùm dixisse dico? Deum verum & Deum verum per veritatem imaginis prædicavit. Usa est in nuncupatione primùm naturæ nomine: utitur deinceps in genere veritate naturæ. Cùm enim qui fit, secundùm imaginem creatur utriusque, non potest [c] non ex vero consistere, quòd uterque Deus verus sit.

Filius ut personâ alius à Patre, angelus Dei dictus est; Deus verò, ut idem naturâ.

11. Sed pergamus etiam nunc eo prædicationis nostræ itinere, quo lex sancta de Deo docuit. Angelus Dei ad Agar loquitur, & idem Angelus Deus est. Sed fortè idcirco non Deus verus est, quia angelus Dei est. Inferioris enim naturæ videtur hoc nomen: & ubi nuncupatio est generis alieni, ibi existimatur veritas ejusdem generis non inesse. Et quidem jam superior liber inanitatem hujus quæstionis ostendit. In angelo enim officii potiùs quàm naturæ intelligentia est. Et propheta mihi testis est, dicens, *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem.* (Psal. 103. 4.) Urens igitur ignis [d] ille ministri ejus sunt: & veniens spiritus, angeli ejus sunt. Per hæc enim nuntiorum, qui angeli nuncupantur, ac ministrorum ostenditur vel natura, vel virtus. Fit ergo hic spiritus angelus, vel hic ignis urens minister Dei: & hæc natura eorum accipit nuntii & [e] ministri officium.

Cur dictus sit angelus Dei.

Volens igitur lex, immo per legem Deus, personam paterni nominis intimare, [f] Deum filium angelum Dei locuta est, id est, nuntium Dei. Significationem enim officii testatur in nuntio: naturæ autem veritatem confirmavit in nomine, cùm Deum dixit. Hîc autem nunc dispensationis est ordo, non generis. Non enim aliud quàm Patrem & Filium prædicamus: & ita naturam nominum coæquamus, ut veritatem Dei teneat ex innascibili Deo Dei unigeniti nativitas.

Missi & mittentis significatio.

Missi autem & mittentis significatio hîc non aliud quàm Patrem & Filium docet, ceterùm veritatem non adimit naturæ, neque in Filio perimit nativæ divinitatis proprietatem: quia nemo ambigat naturam auctoris in filii nativitate connasci, [g] ut ex uno consistat in unum, quod per unum non discernatur ex uno; atque ita unum sint per quod unus ex uno est.

Hilarius fidei ardore scopum excedit.

12. O impatiens fidei calor, & desiderati sermonis incontinens silentium! Jam enim & in superiori libro modum constitutæ prædicationis excessimus, cùm quando impiè dictum unum Deum ab hæreticis arguentes, & Deum atque Deum à Moyse prædicatum docentes, ad unius Dei veram & religiosam confessionem piâ, quamvis inconsideratâ, festinatione descendimus: & nunc quoque alterius quæstionis negotio immorantes, non tenuimus ordinem constitutum; & dum de Deo vero Dei filio loquimur, usque ad confessionem Dei veri in Patre & Filio ferventis spiritûs ardore prorupimus. Sed tractatui suo fidei nostræ veritas reservetur: quæ cùm inchoata sit ad securitatem legentis, tractanda tamen atque absolvenda pleniùs est ad desperationem contradicentis.

Angelus Agar Deum se ostendit dictis & gestis.

13. Non affert itaque demutationem naturæ nomen officii: qui enim angelus Dei est, Deus est. Non sit planè Deus verus, si non res Dei & locutus fuerit, & gesserit. In gentem enim magnam Ismael adauget, & nomini ejus

[a] Mss. Colb. cum Germ. *ad utrumque.* Mox Vat. bas. *mihi sermo est*, pro, *mihi tempus est.*

[b] Editi, *ad quorum*: reluctantibus mss. Mox Vat. bas. codex cum Carn. *unus est homo*: non placet.

[c] Er. Lips. & Par. *in utroque*: Bad. cum pluribus mss. *ex utroque.* Præferimus *ex vero* cum vetustioribus Colb. Remig. Germ. &c.

[d] In vulgatis, *illi ministri* &c. tum, *sui autem spiritus*: ubi in mss. Corb. uno Vatic. & Prat. *& faciens spiritus*: in aliis verò, *& veniens spiritus*, hoc est, spiritus qui venit missus ad aliquid nuntiandum.

[e] Duo mss. Colb. *ut nuntiet, ministerii officium*, hoc faventibus ceteris, quòd propè omnes habeant *ministerii officium.* Proximum Psalmistæ locum ex Hilarii interpretatione ita intelligendum liquet: *Qui spiritus & ignem urentem facit angelos & ministros suos.* Unde sumit, eos spiritus non naturâ id esse, quod fiunt, seu quod eis jam constitutis adventitium est.

[f] Editi, *Dei filium.* Concinniùs mss. *Deum filium.*

[g] Exemplar Carn. *quod ex uno.*

multiplicationes gentium pollicetur : & quæro, si hoc Angeli opus est. Sin verò Dei potestas est; quid naturæ aufers veritatem, cui veritatis non adimis potestatem? Tenet itaque naturæ virtus veritatis fidem: & inter dispensationis suæ salutaria mundo sacramenta [a] qui Deus verus est, nescit Deus verus aliquando non esse.

Qui Deus est, Deus verus est.

14. Et primùm quæro, quid significationis habeat Deus [b] verus & non Deus verus? non enim verbi hujus apprehendo rationem, si dicatur mihi, Ignis est, sed non est verus ignis; aut aqua est, sed non est vera aqua: & quæro, in quo ejusdem generis veritas à generis ejusdem veritate dissentiat? Quod enim ignis est, non potest esse ne verus sit: nec natura manens, [c] eo potest carere quòd vera est. Perime aquæ, quòd aqua est: & per id poteris abolere ne vera sit. Ceterùm si aqua maneat, etiam in eo necesse est persistat ut vera sit. Potest ita demum natura perire, si non sit: verùm non potest non vera esse, si maneat. Aut Deus verus est filius Dei, ut Deus sit; aut si non est verus Deus, non potest etiam id esse quod Deus est: [d] quia si natura non sit, naturæ non competit nomen; si autem naturæ in eo nomen est, non potest ab eo veritas abesse naturæ.

Quem in specie angeli Agar Deum dixit, Abraham in forma hominis adoravit.

15. Sed fortè in eo, cùm angelus Dei Deus dicitur, adoptionis nomen indulgeatur, & sit in eo nuncupatio Dei potiùs quàm veritas. Si parum naturam in se Dei tum, cùm angelus Dei dictus est, docuit; [e] in inferioris adhuc ab angelo naturæ nomine intellige, an ex se Dei præstiterit veritatem. Namque ad Abraham homo locutus est; sed Abraham Deum adoravit. Sed ô [f] pestifer hæretice, Deum Abraham confessus est, quem tu Deum denegas. Quas promissas Abrahæ benedictiones impie exspectas? Non est tibi ille, ut est, gentium pater: neque in familiam seminis sui per benedictiones fidei [g] suæ renatus evadis. Non de lapidibus Abrahæ filius excitaris; sed natio viperarum confessionis suæ hostis exsistis. Non es Israel Dei, non es Abrahæ successio, non justificatus ex fide es: non enim Deo credidisti. Per eam namque fidem justificatus est, & constitutus est Abraham pater gentium, per quam Deum cui crediderat adoravit. Adoravit etenim beatus ille & fidelis patriarcha Deum: & accipe quàm Deum verum, cui, ut ipse de se ait, non impossibile est omne verbum. Aut numquid non soli Deo possibile est omne verbum? Aut cui possibile est omne verbum, quæro quid desit de Deo vero?

Adorando justificatus est.

Deum verum adoravit. Gen. 18. 14.

16. Et rogo, quis est Deus hic Sodomæ & Gomorrhæ eversor? Pluit enim Dominus à Domino: numquid non verus Dominus à vero Domino? [h] aut quid aliud quàm Dominus à Domino? vel quid præter significationem personæ in Domino ac Domino coaptabis? Et memento quòd quem *solum verum* Deum nosti, hunc eumdem *solum justum judicem* [i] sis professus. Et intellige, quòd Dominus, qui pluit à Domino, non occidens justum cum impio, omnem judicans terram, & Dominus & justus judex est, & pluit à Domino. Et inter hæc, quem solum justum judicem dixeris, quæro. A Domino enim Dominus pluit: & hunc justum judicem non negabis, qui pluit à Domino. Abraham enim dixit, pater gentium, non utique infidelium, *Nullo modo* [k] *facies hoc verbum, ut occidas justum cum impio, & erit justus tamquam impius. Nullo modo, qui judicas terram, facies hoc judicium.* Hunc ergo Deum justum judicem, necesse est & verum Deum esse. Tuo te, impie, teneo mendacio. Nondum ex Evangeliis Deum judicem profero: lex mihi judicem Deum locuta est. Adime Filio quòd judex est, ut auferas quòd Deus verus est. Eum enim solum verum Deum, quem solum judicem justum, professus es: & quem justum judicem doces, hunc non potes secundùm te verum Deum negare. Qui [l] judex est, Dominus est, potens ad omne verbum est, benedictionum æternarum sponsor est, piorum impiorumque judex est, Abrahæ Deus est, ab eo adoratus est: ementire saltem aliquid per hanc impiam & stultam verbi tui impudentiam, unde non verus est.

Judicem justum agnovit. Gen. 19. 24.

Deus solus est justus judex ex ipsis hæreticis.

Gen. 18. 25.

17. Non perimunt naturæ veritatem cælestis misericordiæ sacramenta: sed nec sanctorum fidem species, quæ ad fidei visionem coaptantur, eludunt. Sacramenta enim legis mysterium dispensationis evangelicæ præfigurant: ut patriarcha videat & credat, quod Apostolus [m] contemplatur & prædicat. Namque cùm

Filius hoc Patribus est visus quod natus est sine damno naturæ suæ.

[a] id est, qui Deus verus est, cùm salutis nostræ causâ ad nostram infirmitatem se accommodans hominibus visibilem se præbuit ac dictus est *angelus*.

[b] In priùs excusis omittitur vox *verus*: & videtur quidem redundare. Sed eam tamen summo consensu habent mss. Unde primum illud *Deus verus* ad Patrem referendum esse arbitramur. Disertè hîc refellitur Arius, qui in Thalia Athanasio teste Orat. 2. cont. Ar. p. 311. dicere ausus est: ὅτι οὐδὲ Θεὸς ἀληθινός ἐστιν ὁ λόγος, εἰ δὲ καὶ λέγεται Θεὸς, ἀλλ' οὐκ ἀληθινός ἐστιν, ἀλλὰ μετοχῇ χάριτος, ὥσπερ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες, οὕτως καὶ αὐτὸς λέγεται ὀνόματι Θεός.

[c] Unus cod Vat. cum Corb. & Prat. *manens in eo*. minùs bene.

[d] In ms. Vat. bas. *qui si natura*. Non displiceret, *cui si*. Veriùs tamen in aliis libris, *quia si*, supplendo *in eo*.

[e] In pluribus mss. *in inferioris adhuc formæ*, abundat vox *formæ*, ut pote synonyma *naturæ*, abestque ab antiquioribus Colb. Carn. Germ. Insistit Hilarius adversùs mox memoratam Arii blasphemiam, qua vult Verbum dici Deum nomine tenus & gratiæ participatione, μετοχῇ χάριτος καὶ ὀνόματι.

[f] In veteribus libris, *pestifere*.

[g] Abest *suæ* à vetusto ms. Colb.

[h] Recentiores mss. cum vulgatis, *aut numquid aliud*. Alii verò, *aut quid aliud*: quo significatur natus non esse quid aliud à Patre; nec ab eo distingui nisi quatenus *à Domino*, hoc est, ratione originis.

[i] Arius in epist. ad Alexand. apud Athanasium, Epiphanium & in gestis Aquileiensis Concilii, uti annotatum est p. 834. not. e, profitetur Deum *omnium judicem*. At in eo loco non legit Hilarius *judicem*, sed *creatorem*. Immo nec apud Athanasium &c. habemus *justum*, sed *omnium judicem*. Quocirca non hîc indicantur prædictæ epistolæ verba, sed Arianæ sententiæ relatæ lib. 4. n. 8.

[k] Aliquot probæ notæ mss. *facias*.

[l] Paucis hîc perstringuntur momenta, quibus probatum est eum esse verum Deum, qui homo ab Abraham visus est. Is enim *judex & Dominus* est Gen. 18. 20. 19. 24. & 21. 1. *potens ad omne verbum* Gen. 18. 14. *benedictionum æternarum sponsor* Gen. 17. 19. *piorum impiorumque judex* Gen. 18. 25. *Abrahæ Deus* Exodi 3. 2. *ab eo adoratus* Gen. 18. 2.

[m] Ita vetustus codex Colb. cum Germ. Alii verò *contempletur & prædicet*. Cùm hîc conferatur tempus legis cum evangelico tempore; liquet superiùs *cælestis misericordiæ sacramenta* vocari, quæ Filius Dei in carne pro nobis gessit; *species* autem illud omne, in quo antiquis ad excitandam eorum fidem se se visibilem præbuit, & in quo repræsentavit quod facturus erat.

lex umbra sit futurorum, veritatem corporis A umbræ species expressit. Et Deus in homine & videtur & creditur & adoratur, qui secundùm plenitudinem temporis esset in homine gignendus. Namque ad visum species præfiguratæ veritatis assumitur. Visus est autem tum * tantùm Deus in homine, non natus est: mox etiam hoc, quod est visus, & natus est. Ad veritatem verò nascendi, familiaritas proficit assumtæ ad contemplandum [a] formam speciei. Illic homo per Deum secundùm naturæ no- B stræ infirmitatem videndus assumitur: hìc pro naturæ nostræ infirmitate nascitur quod erat visum. Accipit * umbra corpus, & species veritatem, & visio naturam. Non tamen Deus à se demutatur, cùm in homine nobis aut videtur, aut nascitur, familiari inter se proprietate & nativitatis & visûs: ut quod natum est, visum sit; & quod visum est, nasceretur. Et quia nondum nobis collationis evangelicæ ac propheticæ locus est, [b] institutum interim ex C lege ordinem persequamur. Probaturi enim postea ex Evangeliis verum Dei filium natum in homine fuisse, nunc visum interim patriarchis in specie hominis Dei filium Deum verum docemus ex lege. Namque cùm Abrahæ homo visus, est & Deus adoratus, & judex prædicatus: & cùm pluit Dominus à Domino, non ambigitur quin quòd pluit Dominus à Domino, ad significationem Patris & Filii lex loquatur: neque rursum existimandum est, D quòd patriarcha nescierit quin Deum verum adoraret, [c] quem Deum intelligens adorabat.

* sub lege.

* evangelicis temporibus.

Verbi incarnati fidem hæretici non capiunt. Cur.

18. Habet autem non exiguam perfidiæ impietas ad intelligentiam veræ fidei difficultatem. Angustum enim [d] irreligiositate sensum religiosæ doctrinæ institutio non adit. Ex quo fit, ut quæ ad sacramentum salutis humanæ Deus [e] in homine nascendo gessit, mens irreligiosa non capiat: dum opus salutis [f] suæ non intelligit Dei esse virtutem. Et contemplando E partum nativitatis, infantiæ infirmitatem, pueritiæ profectum, juventutis ætatem, corporis passiones, & passionum crucem, & crucis mortem, per hæc non sentiunt Deum verum; cùm hæc in se [g] ad naturam genuerit, quæ sibi non erant antea in veritate naturæ; ita ut naturæ non amitteret veritatem, neque homo factus Deus esse desineret, cùm qui Deus est, homo esse cœpisset: non intelligentes non nisi ex veri Dei virtute esse, ut quod non esset, esset; nec tamen quod esset, esse desineret: cùm naturæ [h] infirmis assumtio non esset, nisi ex potentis virtute naturæ, quæ cùm in eo quod esset maneret, posset tamen esse quod non erat. O hæretica imprudentia, & stulta mundi sapientia, opprobrium Christi non intelligens Dei esse virtutem, & stultitiam fidei non sentiens Dei esse sapientiam! Deus ergo idcirco tibi Christus non est, quia qui erat nascitur, quia qui indemutabilis est crescit ætate, quia impassibilis patitur, quia vivens moritur, quia mortuus vivit, quia omnia in eo contra naturam sunt? Rogo hoc quid aliud est, quàm omnipotentem esse, quod Deus est? Nondum vos sacra & veneranda Evangelia contingo, ut ex vobis Christus Jesus in his passionibus [i] Deus sit. Ex lege enim estis: & oportet eam docere, quòd per assumtam infirmitatem non amittat Deus esse, qui Deus est. Sacramentum enim fidei vestræ, mysteriorum suorum virtute testata est.

Evangelia ex Lege sunt.

19. Adesto, adesto nunc mecum fidei tuæ spiritu adversùs venenata infidelitatis sibila, sancte & beate patriarcha Jacob, & in lucta hominis invalescens, benedici te ab eo fortior deprecare. Quid istud est, quod imbecillum oras, quod ab infirmo exspectas? Hunc cujus [k] benedictiones rogas, complexu tuo validior elidis. A gestis corporis tui, mentis tuæ opus dissidet: aliud enim quàm agis sentis. Tenes in gestu luctæ tuæ hominem infirmum: sed hic tibi homo Deus verus est, non ex nuncupatione, sed ex natura. Non enim adoptivis benedictionibus benedici te postulas, patriarcha, sed veris. Cum homine luctaris: sed Deum facie ad faciem vides. Non hoc oculis tui corporis cernis, quod visu fidei tuæ sentis. Infirmus secundùm te homo est: sed anima tua secundùm visum Deum salvata est. Jacob in lucta es: post fidem postulatæ benedictionis Israel es. Subditur tibi secundùm carnem homo, ad mysterium passionis in carne: Deum

Jacob in lucta Deum vidit, Gen. 32. 26.

Ibid. 30. non oculis corporis, sed fidei. Ibidem. Ibid. 28. V. Tr. Psal. 52. n. 21.

[a] Apud Bad. Er. & Lips. *formæ*, omisso vocabulo *speciei*. In pluribus mss. *formæ speciei*. In Corb. & Carn. *formæ species*. In uno Sorbon. *formæ specie*. Retinendum cum Par. & quibusdam mss. *formam speciei*. Hoc enim sibi vult Hilarius, quod ait Tertullianus, Filium in carne non nata didicisse, quod postmodum futurus erat. *Ediscebat autem*, inquit contra Prax. n. 16. *ut nobis fidem sterneret, ut faciliùs crederemus filium Dei descendisse in sæculum, si & retrò tale quid gestum cognosceremus*. Itaque species sæpius assumta, in qua velut in speculo repræsentaretur forma nascituri, ad hoc profuit, ut credibilis fieret veritas nascentis.

[b] Editi, *institutus*: mox, *probaturi postea*, sine *enim*: & post pauca, *doceamus ex lege .... Deus adoratur & judex prædicatur*. Sequimur mss.

[c] Vat. bas. codex *qui Deum*: minùs bene.

[d] Editi cum recentioribus mss. *irreligiositatis sensum*. Concinniùs alii, *irreligiositate*. Sicut enim sensus pietate atque caritate dilatatur, ita in angustum contrahitur irreligiositate.

[e] Ita mss. quomodo lib. 9. n. 4. & alibi. At editi, *in hominem*.

[f] Par. *salutis non suæ*, librariorum lapsu: tum cum Lips. *non intelligit esse veritatem*, consentientibus Bad. & Er. nisi quòd addunt *Dei* ante *veritatem*. Rectiùs mss. *Dei esse virtutem*. Manifestè enim respicitur illud Pauli 1. Cor. 1. ubi ait, Jesum crucifixum iis qui salvantur esse Dei virtutem.

[g] Majoris claritatis ergo supplendum hîc *quadam accessione*. Quod in Ps. 2. n. 25. exprimitur in hunc modum: *Non enim cum divinitatis decessione fit humilitatis accessio. Homo quippe*, ait Augustinus, *Deo accessit, non Deus de se recessit*. Vide ejusdem Serm. 186. n. 1. Quod rursum Hilarius in Psal. 67. n. 9. aliis verbis sic enuntiat: *Nostræ quæ in eo fuerunt infirmitates, non naturales sunt, sed assumtæ*.

[h] Editi, *infirma*: renitentibus mss. Ut argumenti hujus vis perspecta habeatur, in memoriam revocandum est, Spiritum-sanctum in Mariæ conceptione super ipsam venientem, Hilario ipsum esse Verbum, quod propria virtute corpus sibi ex ea formarit.

[i] In codice Vat. bas *verus Deus sit*. Tum de Evangeliis cur subjiciatur, *Ex lege enim estis*, hæc in Matth. cap. 27. n. 10. repetenda est ratio: *Nam & adventus & passio ejus* (Christi) *ex lege est*: ita *ut facilè*, inquit S. Leo Serm. 1. de Pentec. c. 1. *diligens Christianus agnoscat, initia veteris Testamenti evangelicis ministrasse principiis*. Hoc est quod ait Augustinus de catechizandis rudibus c. 4. *In veteri Testamento est occultatio novi, in novo Testamento est manifestatio veteris*: & quæst. 33. super Num. 11. n. 1. *Eadem quippe sunt in veteri & novo, ibi obumbrata, hic revelata; ibi præfigurata, hic manifestata*. Non alio sensu proximè habet Hilarius: *Sacramentum enim fidei vestræ mysteriorum suorum virtute testata est*. Quò spectat & initium num. 20. Lex autem docet Filium per assumtam infirmitatem non amittere quod erat, cùm eum, etsi in aliena & infirma specie, Deum tamen & agnoscit, & profitetur.

[k] Ita mss. At editi, *benedictionem rogas*; & mox, *tenes in gestis*.

in carnis infirmitate non nescis, ad sacramentum benedictionis [a] in Spiritu. Nec adspectus impedit quin fides maneat; nec infirmitas avocat quin benedictio postuletur. Nec homo [b] efficit; quin qui homo est, Deus sit: nec qui Deus est, non Deus [c] verus est; quia non potest non Deus verus esse, qui Deus est, & [d] benedicendo & transferendo & nuncupando.

Filius ex alio viso Jacob Deus verus ostenditur.

20. Tenet adhuc sacramenti evangelici ordinem legis umbra, & apostolicæ doctrinæ veritatem mysteriis suis veri æmula præfigurat. [e] In visu somnii beatus Jacob Deum viderat: in somnio sacramenti revelatio est, non corporalis contemplatio. Nam & per scalam descensus & adscensus Angelorum ad cælum demonstratur, & super scalam incumbens Deus ostenditur, & interpretatio visionis, revelationem somnii prophetavit. Nam patriarchæ dictis, *& domus Dei & porta cæli* locus esse hic visionis ostenditur. Et post multam gestorum ejus enarrationem, sequitur: *Dixit autem Deus ad Iacob, Surge [f] & adscende in locum Bethel, & habita ibi, & [g] fac ibi sacrificium Deo, qui visus est tibi cùm recederes à facie Esaü.* Si evangelica fides per Deum filium ad Deum patrem [h] habet aditum, & non potest Deus nisi per Deum intelligi; nunc Deus, qui honorem Deo incumbenti in scalam cæli postulat, doce unde non verus sit. Aut quæ in utroque naturæ diversitas est, ubi ejusdem naturæ unum atque idem nomen est? Deus visus est, Deus de viso Deo loquitur. NON POTEST Deus nisi per Deum intelligi, sicuti nec honorem à nobis Deus nisi per Deum accipit. Namque honorandus esse non intelligetur, nisi iste docuerit honorandum: nec Deus scietur, nisi hic Deus scitus sit. [i] Habet dispensatio sacramentorum [k] suum ordinem. Ad Dei honorem per Deum docemur. Tenet natura suum nomen: non aliud uterque quàm Deus est. Et inter Patris & Filii naturæ unius nomen unum, quæro quomodo Deus filius [l] à se possit degenerare, ne verus sit.

Gen. 28. 13. — Ibid. 17. — Gen. 35. 1.

Deus non intelligitur nisi per Deum.

Ad hoc non sufficit sæcularis doctrina aut vitæ innocentia.

21. Non est de Deo humanis judiciis sentiendum. Neque enim nobis ea natura est, ut se in cælestem cognitionem suis viribus efferat. A Deo discendum est, quid de Deo intelligendum sit: quia non nisi se auctore cognoscitur. Adsit licèt sæcularis doctrinæ elaborata institutio, adsit vitæ innocentia: hæc quidem proficient ad conscientiæ gratulationem, non tamen cognitionem Dei consequentur. Moyses in reginæ filium adoptatus, & [m] omnibus Ægyptiorum doctrinis eruditus, cùm utique ex naturæ affectu Hebræi injuriam morte Ægyptii ultus esset, Deum tamen paternarum benedictionum nesciebat. Namque ob metum cædis proditæ Ægyptum derelinquens, cùm in terra Madian pastor ovium esset, ignem in rubo sine concrematione rubi contuens, Deum audivit, & nomen interrogavit, & naturam cognovit. Neque enim hæc de Deo, nisi per Deum, cognita esse potuissent. LOQUENDUM ergo non aliter de Deo est, quàm ut ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est.

Act. 7. 22. — Exodi 2. 12. — Exodi 3. 2.

Filium de rubo locutum, eumque verum esse Deum.

22. Angelus Dei est, qui in igne de rubo apparuit: & de rubo in igne Deus loquitur. Habes dispensationem in angelo, quia in angelo officium est, non natura: habes in naturæ nomine Deum, quia Angelus Dei Deus est. Sed fortè non verus est. Numquid non verus est Deus Abrahæ, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Horum enim Angelus de rubo loquens Deus in æternum est. Et ne adoptivi nominis fureris occasionem, loquitur ad Moysen Deus ille, qui est. Ita enim scriptum est: *Dixit autem Dominus ad Moysen, Ego sum qui sum. Et dixit, Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Cœptus ab Angelo Dei sermo est; ut sacramentum intelligatur humanæ salutis in Filio: idem Deus Abrahæ, & Deus Isaac, & Deus Jacob est; ut ei naturæ suæ nomen sit: mittit deinde ad Israel Deus, qui est; ut verè intelligeretur esse quòd Deus est.

Exodi 3. 14.

[a] Ut suprà nomine *carnis* humana natura, ita hîc divina *in spiritu* significatur: adeo ut Jacob, benedictionem petendo, naturam illius divinam prodiderit, quem in homine cernebat infirmum. Juverit hunc locum cum altero Tract. Psal. 52. n. 21. conferre.

[b] Vat. bas. ms. *nec homo infirmus officit, quin qui homo est, Deus non sit.* Non displicet verbum *officit.*

[c] Mss. Vat. bas. unus Colb. Carn. *Deus verus sit.* Retinendum cum aliis, *Deus verus est.*

[d] Verba *& benedicendo & transferendo & nuncupando*, non habet optimus codex Colb. necnon Germ. Plerique alii libri hîc multum variant. Editio Bad. cum mss. Vind. ac Remig. habet, *& benedicit nuncupando.* Exemplar Silvæ-majoris, *& benedicit transferendo & nuncupando.* Corb. Prat. Faur. Colb. cum edit. Er. & Lips. *benedicit transferens nuncupando.* His consentiunt alter ms. Colb. & unus Sorb. nisi quòd addunt *te* post *benedicit.* In Carnut. à prima manu legitur mendosè, *& benediced transferen nuncupando*: à secunda autem correctum est ut in textu, quomodo legitur in Par. necnon in ms. Vat. bas. altero Colb. & aliquot aliis. Non displiceret, *& benedicit Israel nuncupando.* Sed quidquid sit, illa benedictio ponitur in translatione ac mutatione nominis, qua ex Jacob Israel nuncupatur: *quia Israel Deum videns sit*, ut dicitur in Psal. 52. n. 21.

[e] Sola editio Bad. *in usu somni*: aliæ, *in visu somni*: castigantur ex mss.

[f] Bad. Er. & Lips. necnon mss. Vat. bas. Carn. Corb. &c. *descende.* Retinemus cum Par. & optimo codice Colb. *adscende.* Sic lib. 4. n. 28. *Surgens adscende.*

[g] Ita mss. nisi quòd in exemplari Vat. bas. & in uno Colb. legitur, *fac ibi sacrarium.* In vulgatis autem, *offer sacrificium.* Paulò aliter hic locus lib. 4. n. 28. sic refertur: *fac ibi altarium Deo qui apparuit tibi*: quod indicio est Hilarium sæpe ex memoria Scripturas referre.

[h] Hîc respicitur illud Johan. 14. 6. *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, necnon istud Matth. 11. 27. *Neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.*

[i] Editi, *Habet ergo.* Meliùs abest *ergo* à mss. Ante *habet*, inseruit Erasmus: *Hic janua est, ut de se in Evangeliis testatus est: hinc David cæli portam profitetur in psalmo*: quæ verba in uno exemplari addita se reperisse ait, sibique videri assuta. Pertinent sanè ad illustrandum locum, quem proximè ex verbis Johannis ac Matthæi illustravimus.

[k] Editi, *sacramentorum suorum ordinem*: Lipsius hîc expunxit particulam *ad.* Sola editio Par. deinde habet *ducimur*, pro *docemur.* At apud Er. *ad Dei honorem per Deum qui & vita est & porta docemur*, ex glossemate. Verbi *doceo* cum præpositione *ad* multa in Psalmos sunt exempla. Nam psalmus 130. n. 1. dicitur *ad humilitatem nos & mansuetudinem docens.* Videsis alia pag. 445. not. b.

[l] Vat. bas. codex, *Filius à Deo posset.* Deinde in ms. Vind. uno Vatic. & apud Bad. *denegare.* Tum in ms. Corb. à secunda manu, *ne non verus sit*, in Vind. *quòd verus sit.* Nihil mutandum; sed ita intelligendum *ne verus*, quasi *ut non verus*: quod Hilario familiarissimum. Post *ne verus sit*, subjungit Erasmus, *cùm præsumtio divini honoris, natura in se divinæ protestata sit veritate. Hanc autem post sacramentum in initio cum Jacob justè locutus est, qui etiam ante assumtionem carnis & visus est, & via Dei Deus adorandus esset, & porta non est de Deo.* Hîc non satis sibi cavit à verbis interpolatoris pessimè omnino digestis.

[m] Veteres libri Colb. & Carn. *omnium Ægyptiorum*: dissident à verbis Actuum, *omni sapientia*, græcè πάσῃ σοφίᾳ.

23. Quid ad hæc [a] inefficax hæreticæ impietatis stultitia vesano spiritu mentiris, & contra tantorum patriarcharum scientiam generosi seminis tritico urendam zizaniam sator nocturnus interseris? Sed si Moysi crederes, crederes & Deo Dei filio: nisi fortè negabis quòd de eo Moyses locutus sit. Quod cùm negare voles, audies verbis Dei: Si enim crederetis Moysi, [b] crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit. Arguet te planè, arguet ille toto legis volumine, quam manu Mediatoris per Angelos dispositam suscepit. Et quære an qui legem dederit, Deus verus est, cùm utique Mediator sit ille qui dederit. Aut numquid non obviàm Deo Moyses populum eduxit ad montem? Aut numquid non Deus descendit in montem? Aut fortè falsum hoc & adoptivum potiùs, [c] quàm naturæ suæ nomen est? Intellige personantes tubas, & lampadum flammas, & è monte æstuantem fornacium fumum, & ad adventum Dei consciam humanæ infirmitatis trepidationem, & à populo, orato ad loquendum [d] Moyse, confessam sub voce Dei mortem. Tibi, hæretice, non est Deus verus, quo Israel tantùm loquente mori timuit, & vocem ejus humana infirmitas non tulit? Tibi idcirco Deus non est, quia ut audires [e] & videres, per infirmitatem hominis est locutus? Moyses montem adiit; divinorum & cælestium sacramentorum cognitionem quadraginta dierum ac noctium tempore adeptus est, omnia secundùm speciem ostensæ sibi in monte veritatis instituit, per familiaritatem loquentis ad se Dei, gloriam claritatis inconspicabilis sumsit, & corruptivam vultus sui speciem lux intolerabilis vicinæ majestatis implevit, Deum testatur, de Deo loquitur, ad hunc adorandum cum lætitia gentium Angelos Dei advocat, hujus placitas benedictiones Joseph vertici imprecatur: & post hæc solo concesso ei nomine, audet quisquam negare quòd verus est?

Joh. 5. 46.

Nec falsum esse, qui legem dedit.

Exodi 19. 17.

Ibid. 20.

Exodi 20. 19.

Ibid. 24.

Deut. 32. 43.

Deut. 33. 16.

Summa eorum quæ hocce libro hactenus probata sunt.

24. Nunc quia omni hoc sermone nostro demonstratum existimamus, nullam interpositam intelligentiæ rationem fuisse, ut Deus verus & Deus falsus in sensum humanæ mentis incideret, cùm Deum & Deum, & Dominum & Dominum lex locuta sit; neque in nominibus naturisque significatam diversitatem fuisse, ne non secundùm nomen naturæ & natura nominis posset intelligi; cùm virtus Dei, potestas Dei, res Dei, nomen Dei in eo esset, quem Deum lex prædicabat: [f] quæ secundùm sacramenti evangelici distributionem, ad personæ significationem, demonstraret & in creando mundo obedientem dictis Dei Deum, & in figurando homine communis secum & Dei imaginis [g] Deum creatorem, & in judicandis Sodomitis judicem Dominum à Domino, & in largiendis benedictionibus & in decernendis mysteriis legis Angelum Dei Deum: ut ad salutarem confessionem in patre Deo & in filio Deo Deus semper ostensus, naturæ veritatem ipso naturæ nomine edoceret; cùm lex Deum utrumque significans, ambiguitatem non relinqueret veritatis.

Occurritur hæreticis Filium Deum verum negantibus.

25. Tempus jam nunc est, ut quod piè & religiosè lex docuit, non impiè furto hæreticæ stultitiæ prædicari sinamus, quæ Dei filium [h] negatura sic cœpit: *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* Et quia impietas ejus periclitaretur in nomine, cùm Deum & Deum lex esset locuta; ut naturam nominis per auctoritatem dicti prophetici negaret, adjecit, *Benedicent te Deum verum*: ut per id unum Deum locuta lex esset, essetque in filio Dei Deo nomen potiùs quàm veritas, uno [i] tantùm vero Deo intelligendo. Et fortè contradicere nos dictis tuis ô stulte arbitraris, ut negemus unum Deum verum. Non planè negamus *secundùm te confitendo. Hæc enim fides nostra, hæc conscientia, hic sermo est. Sed intelligimus Deum unum, & eumdem Deum verum. Nec confessio nostra periclitatur in nomine, quæ in natura [k] Filii unum & verum Deum prædicat. Disce confessionis tuæ intelligentiam, & unum ac verum Deum cognosce, ut unum ac verum Deum piè prædices. Rapis enim ad impietatem tuam religionis nostræ professionem: & quod est negas, dum quod est non negas. Sic [l] stultam sapientiam fallis, ut veritatem perimas specie veritatis. Unum verum Deum confiteris, ut unum verum Deum deneges. Professio enim tua sic putatur pia, quòd magis impia est; sic vera, quòd falsa est. Sic à te unus & verus Deus prædicatur, ut non sit. Negas enim Dei filium Deum verum, cùm tamen Deum non neges; Deum tamen non naturâ confitendo, sed nomine. Si nativitas ejus, nominis potiùs est quàm veritatis, potes auferre nomini veritatem: si autem verè Deus natus est, quæro quomodo possit non verè esse quod natus est? Aut nega esse, ne sit; aut si est, quomodo quod est non

Deut. 6. 4.

Esai. 65. 16.

* id est, sicuti tu.

Filius hoc verè est quod natus est.

[a] Vat. bas. codex, *infelix hæreticæ stultitiæ vesano spiritu.*
[b] Abest *forsitan* à vetustiore ms. Colb.
[c] Hîc addimus *quàm* auctoritate vetusti codicis S. Petri in Vaticano. Qui exemplar Carnutense ante annos 700. recognovit, eamdem particulam in eo superscripsit, unde obtinuit in uno ms. Colb. In aliis autem libris omittitur.
[d] In vulgatis, *Moysi*. Rectiùs in mss. *Moyse*, scilicet ab Israelitis orato ut ipse pro eis loqueretur Deo, ne territi Dei voce interirent.
[e] In ms. Corb. ac paucis aliis, *& viveres*: lectio non spernenda. Hoc sibi vult: An ille, quem in majestate loquentem audire timuit populus legis, ne moreretur, tibi Deus non est, quia jam ad infirmitatem tuam se accommodans in humilitate carnis tibi loquitur, ut audire eum & videre absque formidine jam possis, seu ut audiens eum vitæ tuæ non timeas?
[f] Lips. & Par. *quem*. Alii verò libri, *quæ*, puta lex.
[g] In excusis *Dominum*. Veriùs in aliquot mss. *Deum*. Ex hac una sententia cernitur quàm in ceteris pressus sit Hilarii sermo. Dicit *Deum creatorem*; quia de Filio scriptum est Gen. 1. 27. *Et fecit Deus hominem.* Addit *communis secum imaginis*: quia ei dixit Pater, *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Post *communis secum*, subjungit *& Dei*: quia quæ priùs imago communis, postea Dei unius esse significatur his verbis, *Ad imaginem Dei fecit eum.* Hinc particulam *&*, ante *Dei imaginis*, ne expungas, quamvis in ms. bas. Vat. non occurrat.
[h] Er. Lips. & Par. *Deum negatura.* Abest *Deum* à Bad. & mss.
[i] hoc est, quia unus tantùm Deus verus intelligendus est.
[k] Carnut. ms. cum uno Colb. *Filium*: minùs sincerè. Illud *in natura Filii*, id est, in assertione Filii, qui non tantùm ex nuncupatione & adoptione, sed ex natura sit Dei filius.
[l] Ita Par. cum mss. id est, sic fallis eos, qui humanis ratiunculis plus credunt, quàm Dei dictis. At Bad. Er. & Lips. *stulta mundi sapientia*: quod commodè etiam in quinto ac sexto casu potest intelligi.

possit

a possit esse [a] ne non sit? Ac de nativitate qui- A dem mox erit sermo. Interim tamen de veritate naturæ Dei impietatem mendacii tui prophetica confessione convincam; ita tamen, ut unum & verum Deum prædicari à nobis, ne- b que [b] Sabellii hæresis ipsum Patrem sibi & Filium professa præsumat, neque tu veritatem de filio Dei unum tantùm Deum verum prædicans mentiaris.

Hæretici subdolè Scripturam interpolatam citantes revincuntur.

26. Nihil planè in se habet sapientiæ impietas: & DEI TIMOR, qui sapientiæ B initium est, ubi deest, aufert secum omne exordium prudentiæ. Ad infirmandam enim Dei veri in Filio fidem propheticus sermo profertur, quo dictum est, *Et benedicent te Deum verum.* Primùm hæc impietatis stultitia fuit, ut quæ * superiùs dicta sunt, aut non intelligerentur; aut intellecta cùm essent, tacerentur. Tum deinde ad quam se fraudem c syllabæ [c] adjectione, quæ in libris non exstat, instruxit: stultitiæ suæ in eo usa mendacio, C tamquam dictis suis eò usque adhibenda fides esset, ut requirendam esse ipsam dictorum propheticorum auctoritatem non putaret. Non enim ita scriptum est, *Benedicent te Deum verum:* sed, *Benedicent Deum verum.* Nam non exiguum ambiguitatis momentum est inter *te Deum verum*, & *Deum verum.* Personæ enim alterius videtur esse pronomen, ubi *te* est: ce- d terùm ubi pronominis syllaba non erit, ibi [d] ad auctorem dicti refertur & nomen.

* supple, ab eodem propheta.

Esai. 65. 16.

Inde Filius ostenditur Deus verus, unde innuebant falsum.

Esai. 65. 13. &c.

27. Et ut absoluta intelligendæ veritatis ratio sit, ipsa illa ex solido prophetæ dicta subdentur. *Propterea sic dicit Dominus: Ecce qui serviunt mihi, manducabunt; vos verò esurietis: ecce qui serviunt mihi, bibent; vos autem sitietis: ecce* e *qui serviunt mihi, exsultabunt in lætitia; vos autem clamabitis propter dolorem cordis vestri, &* [e] *à contribulatione spiritûs ululabitis. Relinquetis enim vos nomen vestrum in lætitia electis meis, vos autem interficiet Dominus. Servientibus verò mihi vocabitur nomen novum, quod benedicetur super terram: & benedicent Deum verum, & qui jurant super terram, jurabunt in Deum verum.* Numquam non ex causa est, cùm consuetudo prædicationis exceditur: & rationem novitatis ratio [f] falsitatis inducit. Cùm enim antea tantæ de Deo prophetiæ exstitissent, & ad Dei dignitatem ac naturam demonstrandam simplex f & solum Dei nomen commemoratum fuisset; quærendum est, qua ratione nunc per Esaiam F benedicendum *Deum verum*, & jurandum super terram *in Deum verum* prophetiæ Spiritus

Filium Scriptura hîc prædicans Deum, contra morem addit verum: quia futuri erant quibus id lateret.

præloquatur. Et primùm noscendum est, sermonem hunc res futuri temporis nuntiare. Et quæro an Deus verus non sit, qui tum secundùm opinionem Judæorum & benedicebatur & jurabatur. Judæi namque sacramentum mysterii Dei nescientes, & per hoc Dei filium ignorantes, Deum tantùm, non & Patrem venerabantur. Nam utique venerantes Patrem, venerarentur & Filium. Hi ergo Deum benedicebant, & jurabant per eum. Sed propheta benedicendum *Deum verum* testatur: *verum Deum* idcirco pronuntians, quia per mysterium assumti corporis non ab omnibus esset in eo Dei veritas intelligenda. Et opus fuit veri confirmatione, ubi falsi proruptura esset assertio. Et singulas dictorum eorumdem sententias recenseamus.

V. l. 3. n. 17.

Prophetia hæc aliquid præsens, & aliud futurum significat.

Esai. 65. 13.

28. *Propterea sic dicit Dominus: Ecce qui serviunt mihi, manducabunt; vos verò esurietis: ecce qui serviunt mihi, bibent; vos verò sitietis.* Cognosce sub eodem dicto utriusque temporis significationem: ut sacramentum assequaris ætatis. *Qui* enim *serviunt mihi, manducabunt.* Religionem scilicet præsentem futuris præmiis muneratur: ita ut præsentium impietatem futuræ sitis ac famis pœna conficiat. Deinde adjecit, *Ecce qui serviunt mihi, exsultabunt in lætitia; vos autem clamabitis propter dolorem cordis vestri, & à contritione spiritûs ululabitis.* Secundùm superiorem sensum etiam nunc futuri & præsentis temporis demonstratio est: ut D qui serviunt, exsultaturi sint in lætitia; qui verò non serviunt, in clamore atque in ululatu per dolorem cordis & contritionem spiritûs mansuri sint. Dehinc subjecit, *Relinquetis enim vos nomen vestrum in lætitia electis meis; vos autem interficiet Dominus.* Sermo ad carnalem Israel est cum futuri temporis significatione, cui exprobratur quòd nomen suum electis Dei relicturus sit. Quæro, quod hoc nomen sit? Nempe Israel, ad quem tum erat sermo. Dehinc interrogo, qui sit hodie Israel? Et quidem testatur E Apostolus, Qui spiritu, non litterâ: qui in regula Christi procedentes, Israel Dei sunt.

Ibid. 14.

Ibid. 15.

Quod præsens, ad Israel carnalem; quod futurum, ad spiritalem attinet.

Rom. 2. 29.

29. Tum præterea, cùm superiùs dictum sit, *Propterea sic dicit Dominus*; intelligendum est cur ita hoc consequatur, *Vos autem interficiet Dominus:* deinde post hæc quid sibi velit hic sermo, *Servientibus verò mihi vocabitur nomen novum, quod benedicetur super terram.* Numquid ambigitur in eo quod dictum est, *Propterea sic dicit Do-* F *minus*, & in eo quod sequitur, *Vos autem interficiet Dominus*, id demonstratum fuisse, ut qui loqueretur, & qui interfecturus esset, [g] non aliud g

Filius triplici titulo Deus verus ab Esaia ostenditur.

Ibid. 16.

[a] Editi, *ut non.* Præferimus mss. lectionem, quam tamen non alia ratione sic intelligimus, quasi legere esset: cùm non possit fieri, ut aliquid non sit id quod est.

[b] Aliquot probæ notæ mss. *Sabellia:* cui voci mss. Vat. bas. & Carnut. particulam *sicut* præfigunt, quæ meliùs abest ab aliis libris.

[c] In mss. *adjectio.* Hoc vitium Arianis usitatum fuisse discimus ex Ambrosio, qui lib. 2. de fide c. 15. n. 355. eos ut Scripturarum falsatores, & lib. 5. cap. 16. n. 193. ut earumdem interpolatores traducit: quique in gestis Aquileiensis synodi T. 2. p. 795. Palladio criminis hujus convicto dicit, *Falsari à vobis divinas Scripturas hodie comprobamus.* Unde synodi hujus Patres epist. Ambros. 10. n. 6. & 7. apud Imperatores expostulant, quòd ita *redarguti de falsitate sunt, ut faterentur.*

[d] Omnes propè mss. *ad auctoritatem dicti.* Interdum Hilarius verbo abstracto, loco concreti, ac nominatim vocabulo *auctoritatis* loco *auctoris* lib. de Synod. num. 33. utitur. Quod hîc *ad auctorem dicti*, infrà n. 31. dicitur *penes loquentem.*

[e] Carnut. ms. ac nonnulli alii, uti mox in omnibus, *à contritione.*

[f] Editi cum mss. non paucis, *ratio veritatis.* Magis arrisit cum pervetusto codice Colb. & Germ. necnon Corb. ab antiqua manu secunda, *ratio falsitatis*, hoc est, ubi fallendi & errandi subest aliqua ratio: ut, v. g. in Christo mysterium assumti corporis potest esse ratio unde quis fallatur ne eum verum Deum credat. Hæc lectio postremis hujus numeri verbis confirmatur.

[g] Editi, *non alius.* Rectiùs mss. *non aliud:* de natura enim quæstio est, non de persona. Unde suprà num. 16. *Pluit Dominus à Domino: numquid non verus Dominus à vero Domino? aut quid aliud quàm Dominus?* Quod deinde, ut & alibi, ait Hilarius, Filium in prophetis locutum esse, non ita ei proprium arbitratur, quin hoc ipsum etiam attribuat Spiritui sancto: cujus divinitatem probare volens lib. 2. n. 32. ait, *Est enim Spiritus-sanctus unus ubique, omnes patriarchas, prophetas & omnem chorum legis illuminans.*

intelligeretur esse quàm Dominus; qui & postea sibi servientes novo esset nomine muneraturus, & non ignoraretur & in prophetis locutus esse, & piorum atque impiorum judex futurus? Mysterium itaque sermo reliquus [a] evangelici sacramenti, ne quid in Domino dicente & in Domino interficiente ambigi possit, explicuit: *Servientibus verò mihi vocabitur nomen novum, quod benedicetur super terram.* Omnis hic futuri temporis sermo est. Et quod est hoc novum nomen religionis, quod benedicetur super terram? Si à sæculis Christiani vocabuli [b] antea beatitudo umquam fuit, nunc novum non est. Sin verò hoc [c] sanctificatum pietatis nostræ in Deum novum nomen est, hæc profectò professionis novitas cælestium benedictionum merces super terram est.

Christianum nomen novum.

30. Jam verò totius fidei nostræ conscientiam sequens sermo confirmat, dicens, *Et benedicent Deum verum, & qui jurant super terram, jurabunt in Deum verum.* Hi certè benedicent Deum verum, quorum in Dei servitute novum nomen est: tum deinde qui jurandus erit Deus, Deus verus est. Anne ambigitur quis juretur, quis benedicatur, per quem novum ipsi servientibus benedictumque nomen sit? Consistit mecum adversùs impiam tuam, hæretice, prædicationem absoluta sermonis ecclesiastici fides, novi per te Christe nominis, & per servitutis [d] professionem benedictæ ex te super terram nuncupationis, te verum Deum jurans. Omne enim os credentium te, Christe, Deum loquitur. Omnis credentium fides te Deum jurat, Deum verum esse te confitens, Deum verum esse te prædicans, Deum verum esse te conscia.

Quòd de Christo intelligendum, *Et benedicent Deum verum.*

31. Quamquam igitur omnis hic propheticus sermo nullam reliquerit difficultatem, quin Deum significasse intelligatur, & cui per novum nomen serviatur, & per quem ejusdem nominis in terris benedicta sit novitas, & qui benedicatur Deus verus, & qui juretur Deus verus; quæ omnia secundùm temporum plenitudinem Ecclesiæ fides piâ in Dominum Christum religione profitetur: (& ita se in eo propheticus sermo coaptavit, ut significationem personæ alterius adjectione pronominis non novaret. Si enim addidisset, *te Deum verum*, referri ad alterum dicentis sermo potuisset: sed cùm ait, *Deum verum*, significationis intelligentiam penes loquentem reliquit:) & quamquam quem præsens sermo significet, non ambigatur; tamen connexa superiùs dicta, cujus professio ista sit intelligenda, demonstrant. Ait enim, *Palam apparui non interrogantibus me, & inventus sum non quærentibus me. Dixi,* [e] *Ecce sum genti qui non invocaverunt nomen meum. Extendi manus meas tota die ad populum diffidentem & contradicentem.* Anne impia furtivæ prædicationis falsitas in obscuro est, & Deus verus ignorabitur qui hæc loquitur? Rogo, quis apparuit non interrogantibus, & quis inventus non quærentibus? Et quis gentium est, quæ non invocaverunt antea nomen ejus? Et quis die tota manus ad diffidentem & contradicentem populum extendit? Confer cum his sacrum illud & divinum Deuteronomii Canticum, in quo super non deos Deus exacerbatus, super non gentem & gentem stultam in zelum [f] incitat infideles: & intellige quis [g] manifestus fit ignorantibus, & quis proprius usurpatur alienis, & quis manus suas ante diffidentem contradicentemque populum, configens cruci chirographum edicti anterioris, expandit. Hîc namque prophetæ Spiritus dixit per continentem sibi in ordine connexumque sermonem, *Servientibus verò mihi vocabitur nomen novum, quod benedicetur super terram, & benedicent Deum verum: & qui jurant super terram, jurabunt in Deum verum.*

Idem ex superioribus prophetæ dictis illustratur.

Esai. 65. 1. & 2.

Deut. 32. 21.

Esai. 65. 16.

32. Hæc si stultitia atque impietas hæretica, ad fallendum ignorantes simplicioresque, dicta esse ex persona Dei patris mentietur, ne in Deum filium dicti hujus intelligentia suscipi possit: audiat mendacii sui ab Apostolo & doctore gentium reatum, omnia hæc ad sacramentum passionis dominicæ & evangelicæ fidei tempora prædicante, tum cùm infidelitatem Israel adventum Domini in carnem non intelligentis exprobrat. Ait enim ita: " Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvabitur. Quomodo invocabunt eum in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt nisi missi fuerint? sicut scriptum est: [h] Quàm speciosi pedes eorum qui annuntiant pacem, eorum qui annuntiant bona! Sed non omnes obediunt Evangelio. Esaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui nostro? Itaque fides ex auditu, auditus autem per verbum [i]. Sed dico, numquid non audierunt? Immo in omnem terram exivit sonus eorum, & ad terminos orbis [k] verba eorum. Sed dico, Numquid Israel non scivit? Primus Moyses dicit,

Esaiæ verba de Filio dicta Paulus interpretatur.

Rom. 10. 13. &c.

Esa. 52. 7.

Esa. 53. 1.

[a] Potest hoc ita intelligi, ut *mysterium evangelici sacramenti*, reliquus prophetæ sermo explicuerit. Vel etiam propheticus sermo dicitur *evangelici sacramenti*; quia in eo continetur, quod ad Evangelium attinet, seu in illo velatur, quod apertiùs in Evangelio revelatum est.

[b] Vat. bas. ms. *nomen benedictum umquam fuit, nunc novum nomen est.* Carnut. cum uno Colb. *antea benedictio umquam fuit, nunc novum nomen est.* Bad. & Er. *antea beatitudo numquam fuit, nunc novum nomen est.* Meliùs alii libri, *nunc novum* (supple vocabulum) *non est.* Nam ex *non* facilè factum est *nomen*.

[c] Editi excepto Par. *sanctificatur*; tum Er. & Lips. *pietas nostra in Deum*: renitentibus mss.

[d] Vat. bas. ms. hîc addit *tua*.

[e] Primus Erasmus de suo hîc posuit, *ecce adsum*: quod retinens Lipsius propria auctoritate deinde vulgavit, *gentibus quæ non invocaverunt*. Neutrum in Par. correctum est: quamvis in omnibus mss. legatur, *ecce sum genti, qui &c.* consentiente græco, ἰδοὺ εἰμι τῷ ἔθνει, οἳ: neque aliud permittente Hilarii interpretatione, qua illud *ecce sum genti*, perinde explicat atque, pertineo jam ad gentem.

[f] Exemplar Vat. bas. *incitatus, infidelis tu vide & intellige.* quod & habet Carnut. à secunda manu. Hujus potior erat lectio prima, quam habent quoque alii libri, confirmatque sacer textus.

[g] Editi, *manifestus sit.* Postea Erasmus, pro *quis proprius*, ad marginem apponit, *Fortè quis propiùs*: locum Esaiæ, *Ecce sum genti, qui non invocaverunt*, ab ipso ut suprà monuimus nonnihil corruptum, non percipiens sic ab Hilario intelligi, quasi, Jam Deus sum iis proprius, quibus antea eram alienus, seu qui me non invocabant. Neque feliciùs paulo pòst *expungit*, pro *expandit*, legendum conjectat, quasi hoc verbum ad *chirographum* referretur, non ad *manus*, quas in cruce Christus extendit.

[h] In ms. Carn. à prima manu, *quàm veloces pedes.*

[i] Removimus hinc verbum *Dei*, veterum librorum auctoritate.

[k] In vulgatis hîc additur *terræ*: quod abest à mss.

Esa. 65. 1.
» Ego incitabo vos in non gentem, in gentem » insensatam exacerbabo vos. Esaias autem audet & dicit, Apparui autem his qui me non » [a] quærunt, inventus sum iis qui me non interrogabant. Ad Israel autem quid dicit? Tota » die extendi manus meas ad populum non audientem.[b] Quis cæli circulos, incertum incorporeus an corporeus, egressus, fidelior Paulo dictorum propheticorum interpres exstitisti? Quis inenarranda cælestium mysteriorum audiens sacramenta & tacens, majore hæc fiducia revelatæ tibi à Deo scientiæ prædicasti? Quis ad plenitudinem dominicæ passionis cruci reservandus, antea in paradisum raptus evadens, meliùs de divinis Scripturis electionis vase docuisti, hæc nesciens dicta gestaque esse à Deo vero, & ad intelligentiam Dei veri à vero ejus & electo Apostolo prædicata?

2. Cor. 12. 2.

Esaiam ex Esaiæ dictis interpretatur Apostolus.

33. Nisi fortè Apostolus dictis propheticis non [c] ex prophetiæ spiritu usurpatis, temerarius alieni sermonis interpres est. Omnia quidem per revelationem Christi Apostolus dicit: sed Esaiæ dicta ex dictis Esaiæ ipsius novit. In exordio enim sermonis ejus, in quo Deus verus à servientibus sibi benedicendus atque jurandus est, hæc prophetæ oratio legitur: *A sæculo non audivimus, nec oculi nostri viderunt Deum præter te, & opera tua* [d] *quæ facies exspectantibus misericordiam tuam.* Loquitur Esaias, præter hunc se neminem Deum vidisse. Vidit enim gloriam Dei, cujus [e] prænuntiaverat mysterium corporationis ex virgine. Ac si tu hæretice ignoras, quòd in ea gloria unigenitum Deum viderit; audi Johannem evangelistam dicentem, Hæc autem dixit Esaias, quando vidit [f] honorem ejus, & locutus est de eo. Hinc apostolicis, hinc evangelicis, hinc propheticis dictis, impie hæretice, concluderis. Esaias enim Deum vidit; & cùm scriptum sit, Deum » nemo vidit [g] umquam, nisi unigenitus filius, » qui est in sinu Patris, ipse enarravit; Deum tamen propheta vidit, & gloriam ejus usque ad invidiam propheticæ dignitatis adspexit. Nam in judicium mortis ob hanc causam à Judæis actus est.

Esa. 64. 4.

Esaias vidit Deum, neque alium vidit præter Filium.

Joh. 12. 41.

Esa. 6. 1.

Johan. 1. 18.

Pressiùs ostenditur Filium ab Esaia Deum verum prædicatum esse.

34. Deum itaque nemini visum, unigenitus filius qui in sinu Patris est enarravit. Aut dissolve Unigeniti enarrationem, aut crede qui visus est, qui apparuit non intelligentibus se, [h] & factus est gentium non invocantium se, & expandit manus ante populum contradicentem: ita tamen ut & servientibus sibi nomen novum vocetur, & in terris Deus verus benedicatur atque juretur. [i] Prophetia loquitur, Evangelium testatur, Apostolus interpretatur, Ecclesia confitetur, Deum verum esse qui visus sit; cùm tamen Deum patrem visum nemo fateatur: & eò hæretici furoris prorupit insania, ut dum confiteri se simulat, denegaret. Negat enim novo confessionis [k] impioque consilio; & arte subdola fidem dum mentitur, eludit. Cùm enim confesso uno Deo eodemque vero & solo justo, solo sapiente, solo indemutabili, solo immortali, solo potente, subjicitur & filius in diversitate substantiæ, non ex Deo natus in Deum, sed per creationem susceptus in filium, non naturæ habens nomen, sed adoptionis sortitus appellationem; necesse est ut his omnibus careat Filius, quæ ad privilegium solitariæ in Patre majestatis sunt prædicata.

Hæreticorum id negantium dolus.

Ariani unum verum Deum nesciunt. Cur.

35. Nescit hæretica perversitas unum Deum verum nosse & confiteri; & extra impietatis sensum, confessionis hujus est & fides & intelligentia. Priùs confitendus est [l] Pater & Filius, ut unus verus Deus possit intelligi: & cognitis sacramentis salutis humanæ, quæ in nobis per regenerationis virtutem in Patre & Filio [m] consummantur ad vitam, legis & prophetarum sunt mysteria consequenda. Unum Deum verum non apprehendit ignara evangelicæ & apostolicæ prædicationis impietas. Cujus quamvis intelligentiam, usque ad absolutissimam veræ pietatis professionem, ex ipsis [n] eorum doctrinis præstabimus; ut indivisus atque inseparabilis, non ex persona, sed ex natura, subsistens ex Patre Unigenitus intelligatur; & per id unus Deus sit, quia ex natura Dei Deus sit: tamen ex propheticis dictis perfectæ hujus unitatis fides est [o] exstruenda, &

Quid duobus superioribus libris præstitum, quid jam præstandum.

[a] Editi, *quærebant*: repugnantibus mss.

[b] Bad. & Er. cum unico ms. Colb. minimæ auctoritatis, *Quis in tertium cælum incorporeus an corporeus ingressus.* In edit. aliis retentum est verbum *ingressus*, quod & habuit ms. Carn. à prima manu. At à secunda consentiens aliis mss. habet, *egressus*. Palam est hîc respici Pauli raptum usque in tertium cælum: (qui quidem in Psal. 135 n. 10. sic exprimitur, *Cùm raptus ad cælos est*:) mox verò ubi subjicitur, *Quis ad plenitudinem* &c. alludi ad hæc Colos. 1. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi.* Ita in his Hilarius adversarium cum Apostolo comparat, ut quæ Pauli sunt, in illum conferre videatur.

[c] Quidam mss. *ex prophetæ spiritu.*

[d] Editi, *quæ facis*; reluctantibus mss. & græco ἃ ποιήσεις.

[e] Apud Bad. & Er. *pronuntiaverat*: malè. In codice autem Vat. bas. *prænuntiabat*. In aliis verò libris *prænuntiaverat*: veriùs. Tum excusi, *mysterium incorporationis*. Elegantiùs mss. *mysterium corporationis*. Ut autem Hilarii argumentum apertiùs pateat, sic uno syllogismo potest comprehendi: Esaias vidit Deum 6. 1. *Vidi Dominum sedentem*, &c. atqui non aliam Dei personam præter quàm Filii vidit 64. 4. *Nec oculi nostri viderunt Deum præter te*: Filius igitur est Deus.

[f] In vulgatis, *gloriam*: à qua voce non abhorret Hilarius. Reponimus tamen *honorem* ex fide mss.

[g] Ab omnibus fere mss. hîc abest *umquam*, secus verò lib. 5. n. 42. & lib. 6 n. 39. Quod pag. 852. not. h. observatum est, *Dei* nomine, ubi hæc vox simpliciter occurrit, Patrem ab antiquis intelligi solere, maximè in hisce Johannis verbis locum habet. Sic porro Hilarius ratiocinatur: Esaias ex Johannis testimonio Deum vidit: at Deum Patrem à nemine visum Johannes idem testatur: vidit igitur Esaias Deum Filium.

[h] Editi cum pluribus mss. *& palam factus est genti non invocanti se.* Exemplar Carn. *factus est in medio gentium* &c. Veriùs vetustiores mss. Colb. Remig. & Germ. *factus est gentium non invocantium se*, supple, *Deus proprius.*

[i] Sic mss. At editi, *Propheta.* Nota hîc non modò ex propheticis, evangelicis, apostolicisque testimoniis fidem adstrui, sed etiam ex Ecclesiæ confessione.

[k] In codice Vat. bas. adjicitur *sua.* Hîc indicatur epistola Arianorum ad Alexandrum.

[l] Exemplar Vat. bas. *verus Pater*: quod cùm hujusmodi additiones alibi habeat, ab interpolatoris manu temeratum suspicari est. Cur in hæreticorum sensum non cadat Dei veri cognitio, sic ratio redditur lib. 8. num. 6. *Cùm sapientia Christus sit, necesse est ut extra sapientiam sit, qui Christum aut ignorat aut odit.*

[m] Hîc Spiritus-sanctus fuerat nominandus, nisi tota esset nunc de Patre & Filio controversia. Sed suspicionem nullam relinquit libri 2. exordium.

[n] Illud *eorum* sic refertur ad *evangelicæ & apostolicæ prædicationis*, perinde ac si dictum esset, *evangelicorum & apostolicorum præconum.* Deinde non intelligendus est Filius à Patre etiam ex persona divisus ac separabilis, nisi quatenus hoc tantùm sonat personæ utriusque distinctionem.

[o] In vulgatis, *astruenda*. In ms. Carn. à prima manu, *struenda*; à secunda autem, *instruenda*, unde & in unum Colb. transiit eadem lectio. Aptiùs in ceteris, *exstruenda*.

hinc evangelicæ domûs sunt ponenda fundamina; ut per eamdem naturam divinitatis unius unus Deus per id intelligatur, quòd in Deum alterum Deus unigenitus non refertur. Tenuimus enim omni hoc sermonis nostri libello eum ordinem, ut in quibus superiore libro Deum filium docueramus, in ipsis nunc Deum verum ostenderemus. Et, ut [a] spero, ea dictorum omnium absolutio fuit, ut Deus verus intelligeretur, qui Deus esse non negabatur. Reliquus autem nunc omnis sermo ad id proficiet, ut qui Deus verus esse intelligitur, non in Deum alterum deputetur; & quod [b] ad alterum non proficit, ad unum intelligatur: unum autem illud non subsistentem naturam perimat in Filio, sed in Deo & Deo naturam Dei [c] conservet unius.

Quòd ex Moyse Filius cum Patre unus sit Deus.

36. Veritatis ratio postulat, ab eo initium intelligentiæ istius sumi, per quem manifestari sæculo Deus cœptus est, [d] Moyse namque, cujus ore hæc de se unigenitus Deus professus est: *Videte, videte, quoniam ego sum Deus, & non est Deus præter me.* (Deut. 32. 39.) Ac ne fortè dicti hujus [e] virtutem hæretica impietas ad patrem innascibilem Deum referat; & ipsa dicti ratio, & Apostolus auctor occurrit, qui ex persona unigeniti Dei, sicut superiùs * docuimus (* lib. 4. n. 33.), intelligendi totius hujus sermonis interpres est; & hoc quod dictum est, *Lætamini gentes cum plebe ejus* (Deut. 32. 43. Rom. 14. 10.), proprium ejus esse demonstravit, subjiciens ad fidem dicti, *Et erit radix Jesse, & qui surget regere gentes, in eum gentes sperabunt.* (Ibid. 12.) Demonstrato igitur per Moysen eo qui dixerat, *Non est Deus præter me*, in eo quod ait, *Lætamini gentes simul cum eo*; & Apostolo id ipsum [f] ad Dominum nostrum JESUM CHRISTUM unigenitum Deum intelligente, in quo secundùm carnem ex radice Jesse surgente regε gentium spes est; ipsa nunc dicti ratio tractanda est; ut quia dictum non ambigitur, quatenus dictum sit possit intelligi.

Quì Deus ex Deo & in eadem natura.

37. Verum & absolutum & perfectum fidei nostræ sacramentum est, Deum ex Deo, & Deum in Deo confiteri; non corporalibus modis, sed divinis virtutibus; nec naturæ in naturam transfusione, sed [g] mysterio & potestate naturæ. Non enim per desectionem aut protensionem aut derivationem ex Deo Deus est, sed ex virtute naturæ in naturam eamdem nativitate subsistit. Res ipsas planiùs consequens liber evangelicorum atque apostolicorum dictorum interpres loquetur: sed interim ex lege & prophetis hoc, quod & loquimur & credimus, est docendum. Nativitas igitur Dei non potest non eam, ex qua profecta est, tenere naturam. Neque enim aliud quàm Deus subsistit, quod non aliunde quàm [h] ex Deo subsistit. Eamdem autem naturam [i] ita, non ut natus sit ipse qui genuit, (nam quomodo erit ipse, cùm genitus sit?) sed in his ipsis subsistat ille qui genitus est, [k] quæ totus est ipse qui genuit: quia non est aliunde quod genitus est. Et per hoc non refertur ad aliud, quod in unum subsistit ex uno: neque novum in se est, quod vivit ex vivo: neque abest à se, quod vivus genuit [l] in vivum. Ac sic in generatione Filii & naturam suam [m] sequitur incorporalis atque indemutabilis Deus, incorporalem atque indemutabilem Deum gignens: nec naturam suam deserit ex incorporali atque indemutabili Deo incorporalis atque indemutabilis Dei perfecta nativitas, per hoc utique subsistentis ex Deo Dei sacramentum. Hæc ita unigenitus Deus per sanctum Moysen testatur: *Videte, videte, quoniam ego sum Dominus, & non est Deus præter me.* (Deut. 32. 39.) Non est enim natura divinitatis alia, [n] ut præter se Deus ullus sit. Nam cùm ipse Deus sit, tamen etiam per naturæ virtutem in eo Deus est. Et per id, quòd ipse Deus est & in eo Deus est, non est Deus præter eum: cùm non exstet aliunde quòd Deus est, & in eo Deus sit, habens in se & quod ipse est, & [o] ex quo ipse subsistit.

Individua Patris & Filii divinitas ex Esaia.

38. Confirmat autem fidei nostræ veram & salutarem professionem idem atque unus in plurimis Spiritus prophetiæ, per successiones & intervalla temporum non demutans religiosæ doctrinæ prædicationem. Ut enim per Moysen ex persona unigeniti Dei dicta, pleniore ad intelligendum confirmarentur profectu; rursum sermone Dei patris ex persona virorum excelsorum idem prophetiæ Spiritus per Esaiam loquitur: *Quoniam in te est Deus, & non est præter te Deus. Tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israel salvator.* (Esai. 45. 14. & 15.) [p] Exserat se in hanc & naturæ & nominis inseparabilem professionem hæreticæ impietatis desperatus furor: & hæc, si potest, dictis ac rebus unita, rabido vesaniæ suæ ore concerpat. In Deo Deus est, & præter eum Deus non est: dissolvat

[a] Verbum *spero* omittit ms. Vat. bas. Eodem sensu pro opinari usurpat Augustinus epist. 157. n. 22. *Plures*, inquit, *Celestii sunt sectatores, quàm sperare possumus.*

[b] Editi cum unico recentiore ms. Colb. *in alterum non proficit, id unum.* Post *ad alterum*, supple *constituendum*, vel *intelligendum*; & post *ad unum*, intelligere est *mentem referre*, aut *pertinere.*

[c] Unus è mss. Colb. *consummet*, quod etiam Carnut. secundis curis habet: minùs ad mentem Hilarii.

[d] Excusi hîc præferunt, *Moyses*, & post verbum *professus est*, adjiciunt *ait*: renitentibus mss. totoque contextu nonnihil abrupto. Malumus cum veteribus libris, *Moyse namque*, sine *ait*, hoc est, *nempe à Moyse.* Quippe *namque* pro *nempe* aliàs jam observavimus Hilario usitatum.

[e] Sic mss. Editi verò, *veritatem.*

[f] Bad. Er. & Lips. *in Dominum.* Particula *in* expuncta est editione Par. Habent autem mss. *ad Dominum*, supple *referri*, vel *pertinere.*

[g] Illud *sed mysterio* illustrari potest his Ambrosii lib. 4. de fide c. 9. n. 103. *Generatio non in voluntatis possibilitate est, sed in jure quodam & proprietate paterni videtur esse secreti* &c. Quod verò hîc *mysterio naturæ*, lib. 6. n. 19. dicitur *sacramento substantiæ.*

[h] In excusis, *ex Deo Deus*: abundat vox *Deus*, neque exstat in mss. quorum in plerisque deinde, ut & paulo antè, *substitit.*

[i] Excusi hîc addunt *inde*: nullo suffragante ms. Hujus vocis loco supplendum *tenet.* Expressiùs in Pratellensi codice, *Dei autem naturam ita obtinet*: etsi minùs sincerè. Hîc Hilarius pro more præcludit locum suspicioni, ne Sabellio favere existimetur.

[k] Sic pervetusti codices Colb. Corb. duo Remig. tres Vaticani, Theod. Germ. &c. Alii verò nonnulli cum vulgatis: *in quibus totus est ipse qui genuit: quia non ex alio genitus. Neque aliud quàm Deus est: quia non est aliunde* &c.

[l] Particulam *in* adjecimus auctoritate mss. Sic & lib. 7. n. 27. *Non enim novum est, quod ex vivo generatur in vivum.*

[m] Hîc in ms. Corb. superscriptum est, *ut ita dixerim*, quod & in vulgatis & in recentioribus mss. insertum fuit, sed non habetur in vetustioribus.

[n] Bad. Er. & Lips. *ut præter eam Deus alius sit.*

[o] id est, ita in eo Pater est, ut habeat & id quod est, & id ex quo filius ipse subsistit.

[p] Carnut. ms. cum aliquot aliis, necnon Bad. Er. & Lips. *inserat se.*

eum qui inest, ab eo in quo inest: & sacramenti hujus intelligentiam dividat [a] generum varietate. Nam in eo quod ait, *In te Deus est*, naturæ Dei patris in Deo filio docuit veritatem: cùm in eo Deus intelligeretur esse qui Deus est. In eo verò quod subjecit, *Et præter te non est Deus*: ostendit præter eum Deum non esse, quia in se Deo Deus inesset. Hoc verò quod tertium est, *Tu es Deus, & nesciebamus*, humanæ intelligentiæ piam & fidelem testatur professionem, quæ cognitis nativitatis mysteriis, & nomine * ad Joseph per Angelum nuntiato confiteretur, *Tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israel salvator*: subsistentem in eo Dei naturam [b] intelligentes, cùm in Deo Deus insit, nec præter eum qui est Deus quisquam Deus alius sit; quia ipse Deus, & in eo Deus, alterius nobis cujusquam Dei non relinquat errorem. Et hæc quidem Esaias, individuam atque inseparabilem Patris & Filii divinitatem testatus, ita prophetavit.

* Emmanuel.

Ex Jeremia idem evincitur. Baruch 3. 36.

39. Jeremias verò non dispari prophetiæ virtute, indiscretæ à Deo patre naturæ unigenitum esse Deum ita docuit, dicens: *Hic Deus noster est, & non deputabitur alter ad eum. Qui invenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc supra terram visus est, & inter homines conversatus est.* Quid alium Deum in filio Dei Deo hæretice supponis? Disce unum Deum verum intelligere & confiteri. Non alius Deus ad Christum deputatur ut Deus sit. Deus est ex natura, ex nativitate, ex Deo. Quòd enim Deus est, ex Deo est, non etiam Deus alius est. Alius enim ad eum non deputatur; quia non est in eo alia præter quàm quæ Dei est veritas. Quid verum & non verum, quid degenerem & nobilem, quid diversum [c] & diversum sub unius Dei ementita religione componis? Deus est pater, Deus est & filius. In Deo Deus est; præter eum Deus non est, non alter ad eum deputatur ut Deus sit. In his si unum magis quàm solitarium Deum intelliges; Ecclesiæ religionem profiteberis, quæ Patrem in Filio confitetur. Sin verò unum Deum, ad solitarii significationem, sacramenti cælestis ignarus obtendis; extra cognitionem Dei [d] es, Deum in Deo esse non confitens.

[a] Abest *generum varietate* à veteribus libris Colb. Corb. Remig. Vind. &c. An ex margine in textum irrepsit?

[b] In vulgatis *intelligens*. At in mss. *intelligentes*, quod ad eos referendum, qui paulo antè dicunt, *nesciebamus*.

[c] Sic plerique mss. At qui Carnutensem recognovit, quod ad calcem hujus ac superioris libri verbo *emendavi* significat, non advertens hac lectione majorem esse membrorum antithesim, hîc apposuit particulam *non*. Eamdem præ se fert ms. Vat. bas. cum tribus aliis recentioribus. At in solis editis legere est, *& indiversum*. Porro uti testis est Athanasius Or. 2. cont. Ar. p. 311. asserebant Ariani cum suo principe in Thalia, *Verbum aliud diversumque ac dissimile esse per omnia substantia Patris.*

[d] In mss. Colb. & Germ. *etiam*, loco verbi *es*. Hîc *sacramenti cælestis ignarus* prædicatur, qui Deum veri filii verum patrem esse ignorat: quod qui nescit, nomen Dei nondum scire sæpius affirmatur.

LIBER SEXTUS.

Statim ab exordio repræsentat Arianam luem per omnes ferme Imperii Romani provincias grassantem: cujus difficillima cura sit, quia error ex plurimorum assensu publicam sibi auctoritatem comparasset. Episcopali tamen officio, & plurimos ad veritatem revocandi spe adductus Hilarius fidei patrocinium suscipit. Arianarum partium epistolam in quarto licèt libro, ut eam ex lege & prophetis refelleret, exscriptam, in hoc rursum exscribit, ut eamdem ex Evangeliis & Apostolis pleniùs confutet. Quam deinde percurrens, nodos illius explicat ac venenum pandit: quî videlicet, hæreticorum damnandorum obtentu, pias Ecclesiæ voces, Filium ex Deo prolatum, homousion, lumen de lumine, & sine initio genitum, supprimere tentent, & exstincta fide hæresim inducere. Quocirca quod apud hæreticos vitiosum est aperit, & ab Ecclesia damnari declarat, confirmatque quod in ea piè prædicatur.

Tum ex occasione humanæ rationis, qua compositum aut corporeum fore Deum volunt, si quòd ex ipso *aut* ex utero *ipsius genitum esse Filium scriptum sit, eum ex paterna substantia intelligamus: observat primò hæresim audacem quidem esse, sed prudentiâ destitutam: deinde negari non posse, quin Christus dixerit,* Ex ipso sum; *&, hoc dicendo, se neque ex nihilo, neque ex alia quàm ex Patris substantia, neque cum eo ex quo est eumdem esse testificatus sit: demum nefas esse Deo non credere, adeoque humanæ rationi quæ Christi testimonio adversetur locum nullum esse, ac licèt plura possent, aliud tamen ei opponi non debere. Hîc commemoratâ hæreticorum sententiâ, qua Christum filium ex adoptione, ex nuncupatione Deum, unigenitum ex privilegio, & ex ordine quem in rebus creatis obtinet primogenitum interpretantur, ad Deum se se convertit conquerentis ad modum, quòd se per Moysen & prophetas deceperit, & evangelicis apostolicisque doctrinis immedicabiliter imbuto, novos illos doctores tam tardè sibi protulerit.*

Tandem ad veram fidem stabiliendam venit. Et quia Christo inesse naturam Dei sequitur, si verus sit filius Dei; postrema ac potissima hujus libri parte eum verum ac naturalem, & non adoptivum, Dei filium esse demonstrat testimonio Patris, Filii ipsius, Apostolorum in unum conspirantium, ac seorsim Petri, Pauli, Johannis, nec non Marthæ, cæci nati, dæmonum, Judæorum, quorumdam in mari periclitantium, gentium denique confessione.

Hæresis Ariana latè serpens ægre depelli potest.

1. NON sum nescius, difficillimo me asperrimoque tempore scribere hæc adversùm vesanam impiorum hæresim, Dei filium creaturam esse affirmantem, aggressum fuisse; multis jam per omnes ferme Romani Imperii provincias ecclesiis morbo pestiferæ hujus prædicationis infectis, & velut ad piæ fidei hujus malè usurpatam persuasionem, longo doctrinæ usu, & ementito nomine veræ religionis imbutis: non ignorans difficilem esse ad emendationis profectum voluntatem, quam in erroris sui studio per plurimorum assensum auctoritas publicæ jam sententiæ contineret. GRAVIS enim & periculosus est error in plurimis: & multorum lapsus, etiamsi se intelligat, tamen exsurgendi pudore auctoritatem sibi præsumit, ex numero habens hoc [a] impudentiæ, ut quod errat, prudentiam velit existimari; & quod cum multis errat, intelligentiam esse asserat veritatis, dum minus erroris esse existimatur in multis.

(Marg.: Cur.)

Ad eam refellendam quid Hilarium moveat.

2. Ac mihi quidem præter studii mei atque officii necessitatem, qua hoc [b] Ecclesiæ episcopus prædicationis evangelicæ debeo ministerium; tamen eo propensior cura ad scribendum fuit, quo magis plures periculo infidelis intelligentiæ detinebantur; uberius gaudium consectans ex salute multorum, si cognitis sacramentis perfectæ in Deum fidei, impia humanæ stultitiæ instituta desererent, & se Deo redderent hæreticis repudiatis, atque à cibo mortis, quo in laqueum aves solent illici, in volatum se liberæ securitatis erigerent; sequerenturque Christum ducem, prophetas nuntios, Apostolos prævios, fidem consummatam, & salutem in Patris & Filii confessione perfectam; & cùm dictum meminissent ore Domini, *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum*, ad honorificandum Patrem per honorem Filii se referrent. (*Johan.* 5. 23.)

Hæresis Arianæ lues.

3. Emersit enim pestifera & letalis populis [c] proximè lues, quæ ingenti grassata contagio ruinam miserandæ mortis invexit. Non enim tantum aut * considentium in chaos cum populis suis repens urbium vastitas, aut frequentes bellorum & funebres mortes, aut immedi- (* *f.* concidentium.)

A catæ ægritudinis populosa contagia desævierunt, in quantum ad exitium generis humani hæresis hæc funesta grassata est. Deo enim, cui omnia in mortuis vivunt, hoc solum perit quod sibi deperit. Nam judicaturus ipse de omnibus, & pro majestatis suæ misericordia pœnæ meritum ignoranti moderaturus errori, negantes se non jam judicabit utique, sed negabit. (*V. Tr. Psal.* 140. *n.* 6.) (*Matth.* 10. 33.)

Quàm subdolè virus suum effundat.

4. Negat enim, negat furens hæresis sacramentum veræ fidei, ad impietatis suæ doctri-

B nam religionis usa principiis, cùm infidelitatis suæ expositionem, ut superioribus libris continetur, ita cœpit: Novimus unum Deum, solum infectum, solum sempiternum, solum sine initio, solum verum, solum immortalitatem habentem, solum optimum, solum potentem. Ad id enim usurpatum proficit piæ confessionis exordium, quo ait, Unum Deum, & solum infectum, & solum sine initio: ut per hæc, quæ religiosè verbis ostentarentur, cetera

C impiè subderentur. Nam post multa alia, quæ de Filio pari quoque simulatæ religionis professione protulerat, subjecit, Creaturam Dei perfectam, sed non sicuti unum de creaturis; facturam, sed non sicuti ceteræ facturæ. Et post multa alia, quibus, veritatis interjectis confessionibus, [d] hæreticæ impietatis obumbraretur intentio, ut subsistere eum de non exstantibus argutæ interpretationis subtilitate defenderet, ait, Et ante sæcula creatus & fun-

D datus, non erat ante quàm nasceretur. Postremò quasi rebus jam omnibus validissimè ad impietatis [e] defensionem communitis, ne vel filius vel Deus intelligeretur, adjecit, Si enim quòd *ex ipso*, & quòd *ex utero*, & quòd *ex Patre exivi & veni*, velut partem ejus unius substantiæ, & quasi prolationem extendens intelligitur; compositus erit Pater, & divisibilis, & convertibilis, & [f] corpus secundùm illos, & quantum in ipsis est, consequentia corporis sus-

E tinens sine corpore Deus. Et quia nobis ex integro adversùm hanc impiissimæ doctrinæ expositionem evangelicus nunc erit sermo; consequens existimavimus omnem jam [g] in primo licèt libro editionem hujus hæreseos conscriptam,

[a] Mss. bas. Vat. *imprudentiæ.* Ne quis fortè ex libri hujus initio animum inducat, veram fidem tunc temporis in toto pæne orbe fuisse exstinctam; recolendum est quod Socrates ait lib. 2. c. 27. *Achaiæ & Illyrici civitates, & reliquæ Occiduarum partium ecclesiæ, tranquillæ adhuc erant & inconcussæ; tum quòd inter se consentirent, tum quòd fidei regulam à Niceno Concilio traditam constantissimè retinerent.* Sic quoque Lucifer Calarit. lib. Moriendum esse pro Dei filio Imperatorem interpellat: *Omnes momento si peragrare posses gentes, invenisses stolidissime Imp. ubique Christianos sicuti nos credere .... At tua novella prædicatio & recens religio, sub prætextu fidei blasphemia in perniciem salutis tuæ per te prolata, non solùm adhuc limitem Romanum peragrare non valuit* &c.. Immo Hilarius ipse superiore libro n. 30. hæreticos provocat ad fidem universæ Ecclesiæ, in qua *omne os credentium Christum Deum loquitur.*

[b] In nonnullis mss. exprimitur hîc particula *ut*, quæ non malè in aliis reticetur.

[c] In vulg. *proxima.* At in mss. *proximè*, quod refertur ad *emersit.*

Ita lib. 1. n. 23. Arii ad Alexandrum epistola dicitur *non olim edita.*

[d] Editi, *hujus hæreticæ.* Rectiùs abest *hujus* à mss.

[e] Sic mss. Editi verò *professionem.*

[f] Editi hîc, *corporeus*; & infrà *corpus.* Magis sibi constant mss.

[g] Recentiores mss. cum vulgatis, *in quarto licèt.* Duo Vaticani, *in primo vel quarto licèt libro.* Antiquiores autem, iique numero plures, *in primo licèt libro.* Quæ lectio nobis eo sincerior visa est, quò in mentem eorum minùs cadat, qui antiquos ex conjecturis corrigunt. Cui favet quòd liber superior n. 3. non *quintus* sed *secundus* appelletur; & hoc, uti diximus, quia secundus est contra perfidam Arianorum fidei professionem. Quamquam sub alio respectu hic ipse liber proximè *sextus* nuncupatur. Erasmus hîc ad marginem adscripserat, *Ego verò non dubito quin legendum sit in quatuor libris*, eique postea subscripsit Lud. Miræus. Nimirum non adverterunt sermonem hîc haberi de perfida Arianorum epistola, quæ hactenus unico, non quatuor libris edita est.

nunc quoque huic sexto inserere: ut recens lectio, & responsionis ad singula subjecta collatio, per evangelicas atque apostolicas institutiones invitis licèt & contradicentibus sensum veritatis eliciat. Dicunt ergo.

[a] Exemplum blasphemiæ.

Arii & asseclarum ejus ad Alexandrum epistola.

5. Novimus unum Deum, solum infectum, solum sempiternum, solum sine initio, solum verum, solum immortalitatem habentem, solum optimum, solum potentem, omnium creatorem, ordinatorem & dispositorem inconvertibilem, immutabilem, justum & optimum legis & prophetarum & novi Testamenti. Hunc Deum generasse filium unigenitum ante omnia sæcula, per quem & sæculum & omnia fecit. Natum autem non putativè, sed verè obsecutum voluntati suæ, immutabilem & inconvertibilem, creaturam Dei perfectam, sed non sicuti unum de creaturis; facturam, sed non sicuti ceteræ facturæ; nec ut Valentinus prolationem Natum Patris commentatus est; nec sicut Manichæus partem unius substantiæ Patris Natum exposuit; nec sicuti Sabellius, qui unionem [b] dividit, ipsum dixit Filium quem & Patrem; sed nec sicuti Hieracas lucernam de lucerna, vel lampadem in duas partes; nec qui fuitantè, postmodum natum vel supercreatum in filium, sicuti & tu ipse, beatissime papa, media in ecclesia & in consessu frequenter eos qui talia introducunt renuisti: sed sicuti diximus, voluntate Dei ante tempora & sæcula creatum, & vivere & esse accipiens à Patre, & [c] glorias ei consubsistente Patre. Neque enim Pater dans ei omnium hereditatem, fraudavit semetipsum ab his quæ non facta ab ipso habentur: fons est autem omnium.

Valentinus. Manichæus. Sabellius. Hieracas.

6. Quapropter tres substantiæ sunt, Pater, Filius, Spiritus-sanctus. Et quidem Deus causa est omnium, omnino sine initio solitarius. Filius autem sine tempore editus à Patre, & ante sæcula creatus & fundatus, non erat ante quàm nasceretur: sed sine tempore ante omnia natus, solus à solo [d] Patre substitit. Nec enim est æternus aut coæternus, aut simul non factus cum Patre [e], nec simul cum Patre habet esse, sicuti quidam dicunt, aut aliqui, duo non nata principia introducentes: sed sicut unio & principium omnium, sic & Deus ante omnia est. Propter quod & ante Filium est, sicut & à te didicimus media in ecclesia prædicante. Secundùm quod itaque à Deo esse habet, [f] & glorias, & vivere, & omnia ei sunt tradita; secundùm hoc, principium ejus est Deus. Principatur autem ei, utpote Deus ejus, cùm sit ante ipsum. Si enim quòd *ex ipso*, & quòd *ex utero*, & quòd *ex Patre exivi & veni*, velut partem ejus unius substantiæ & quasi prolationem extendens intelligitur; compositus erit Pater, & divisibilis, & convertibilis, & corpus secundùm illos, &, quantum in ipsis est, consequentia corporis sustinens sine corpore Deus [g].

Venenum in hac epistola latens.

7. Quis non in his sentiat lubricos serpentinæ viæ flexus, vel [h] tortuosis spiris nodos vipereos non intelligat, quibus venenati oris principalis potestas collecto inflexi corporis orbe concluditur? Sed extensis omnibus atque absolutis, totum occultati capitis virus patebit. Ingeruntur enim nobis primùm nomina veritatis, [i] ut virus falsitatis introeat. Bonum in ore est, ut de corde malum subeat. Et inter hæc nusquam audio ab his Deum Dei filium dici: nusquam Filium invenio ita prædicatum esse, quòd filius sit. Nomen filii ingeritur, ut natura taceatur; natura adimitur, ut nomen alienum sit. Hæreses ceteræ * prætenduntur, ut de se hæresis mentiatur. Unus solus Deus & solus verus ingeritur, ne verum ac proprium Dei filio relinquatur esse quòd Deus est.

** Idem notat Athanas. Or. 1. p. 313.*

8. Quamquam igitur superioribus * libellis de Deo & Deo, & Deo vero ac Deo vero, & in Deo vero patre & in Deo vero filio uno vero Deo intelligendo secundùm naturæ unitatem, non secundùm personæ unionem, ex legis & prophetarum prædicationibus docuerimus; tamen perfecta fidei hujus absolutio ex evangelicis atque apostolicis est præstanda doctrinis, ut verus Dei filius Deus non alienæ à Patre diversæque naturæ, sed ejusdem esse divinitatis, per veritatem nativitatis exsistens, possit intelligi. Nec sanè quemquam tam amentem posse esse existimo, qui Dei de se professiones aut cognitas non intelligat, aut intellectas à se [k] nollet intelligi, aut emendandas putet humanæ opinione prudentiæ. Sed ante quàm res ipsas salutarium sacramentorum loqui incipiamus; ne in aliquo sibi, editis hæreticorum nominibus, hæresis professio blandiatur, demonstrandum est omne hujus argutæ malitiæ velamen: ut per quod se virus latens contegit, per id ipsum proditum [l] sit & revelatum, & ad blandientis veneni intelligentiam publicæ conscientiæ sensus introeat.

** Scil. IV. & V. Quid jam sibi tractandum proponat Hilarius.*

9. Volentes igitur hæretici Dei filium non ex Deo esse, neque [m] de natura & in natura

[a] Hanc epigraphen in priùs vulgatis omissam restituimus ex potioribus mss.

[b] Editi, qui lib. 4. præferebant *unionem inducit*, hîc exhibent *unionem dividens*: utrobique refragantibus mss.

[c] In vulgatis lib. 4. *gloriari*, hîc verò cum omnibus mss. *glorians*: sed errore librariorum litteram *n* adjectam jam monuimus pag. 834. not. m.

[d] In antiquissimis mss. S. Martini Turon. Vat. bas. & Colb. *à solo substitit*: non malè, si lib. 4. sibi constarent. In græco autem, ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὑπέστη, omisso *solo*.

[e] Editi hîc adjiciunt, *fuit semper*; quod lib. 4. meliùs omittunt, ibi & hîc consentientibus mss.

[f] In vulgatis, *& gloriari*. In ms. Vat. bas. *& glorians & vivens*: in aliis, *& glorians & vivere*: idem mendum quod suprà.

[g] In uno ms. post vocem *Deus*, subjicitur, *Veritas*: additio manus alienæ, qua sancti Doctoris verba ab hæreticorum dictis secernantur.

[h] Editi, *tortuosi spiritûs*: castigantur ex mss. Eadem similitudine fallaces hæresis Arianæ technas sic repræsentat Athanasius Or. 2. contra Ar. p. 316. *Quî ista hæresis non digna odio fuerit, cùm illa per diffidentiam à suis etiam occultetur, & quasi serpens foveatur?*

[i] Ita perpauci recentiores mss. cum vulgatis. Ceteri verò habent, *ut vires falsitatis introeant*. Huic lectioni favet illud, *venenati oris principalis potestas*: alteri autem, *totum occultati capitis virus*: quæ quoniam obtinuit, nec à nobis mutatur.

[k] Editi, *nolit intelligi*: & mox, *humanæ opinionis prudentiâ*. Concinniùs optimus codex Colb. cum Corb. &c. *nollet*: ac postea suffragantibus Mart. & Carn. *humanæ opinione prudentiæ*. Humanam prudentiam, quæ variis opinionibus incerta fluctuat, fidei certitudini numquam præponendam constanter inculcat.

[l] Mss. *proditum & revelatum, ad blandientis &c.*

[m] Illud *de natura*, id est, *de substantia*.

Dei ex Deo Deum natum, cùm jam superiùs A commemorassent *unum Deum solum verum*, neque adjecissent *& patrem*; ut unius veritatis esse Patrem & Filium exclusa proprietate nativitatis negarent, dixerunt, „ Nec ut Valentinus prolationem Natum Patris commentatus „ est: ut sub specie hæreseos [a] Valentinæ, nomine prolationis improbato, nativitatem Dei ex Deo improbarent. Valentinus enim ridicula quædam & fœda commentans, cùm præter principem deum, familiam deorum & numerosas B [b] æternitatum potestates introduxisset, tunc prolatum Dominum nostrum Jesum Christum mysterio occultæ voluntatis asseruit. Hanc ergo inanem prolationem, temerarii ac stulti auctoris furore quæsitam, evangelica atque apostolica Ecclesiæ fides nescit. Ignorat enim Valentini [c] bythona, & silentium, & ter denos æonas: [d] scit verò nihil aliud quàm unum Deum patrem ex quo omnia sunt, & unum Dominum nostrum Jesum Christum per quem C omnia, natum ex Deo Deum. Sed quia ex Deo Deus [e] natus, neque per nativitatem suam Deo ademit esse quòd Deus est, neque ipse in nativitate non Deus est; & quòd Deus est, non cœpit esse, sed natus [f] ex Deo est; & quod nascitur, id ipsum secundùm humanæ naturæ sensum videtur esse prolatum, ita ut prolatio ipsa nativitas esse existimetur: idcirco tentatum est per Valentini hæresim prolationis nomen excludi, ne nativitatis veritas D permaneret; quia prolationis intelligentia, opinione terrena, non multùm esset à natura terrenæ nativitatis aliena. Naturæ humanæ tarda ac difficilis ad res divinas intelligentia exigit, de his, quæ semel dicta * à nobis sunt, frequentiùs admoneri, ne satisfacere sacramentis divinæ virtutis, humanæ comparationis exempla credantur; sed tantùm ad imbuendum spiritaliter de cælestibus sensum, speciem terreni generis afferri, ut per hunc E naturæ nostræ gradum ad intelligentiam divinæ magnificentiæ provehamur. Non est autem secundùm humanarum nativitatum prolationes, Dei nativitas * æstimanda. Ubi enim unus ex uno est, & Deus natus ex Deo est, affert tantùm significationis intelligentiam terrena

Valentini commenta.

Ecclesia ab his aliena.

Prolationis nomine hæretici nativitatem nituntur abolere.

*lib. 1. n. 19. & l. 4. n. 2.

* al. existimanda.

A nativitas: ceterùm non satisfacit comparationis exemplo origo nascentium, quæ habet in se & coitum, & conceptum, & tempus, & partum; cùm Deus ex Deo natus nihil aliud intelligendus sit esse, quàm natus. Et quidem de divinæ nativitatis, secundùm fidem evangelicam atque apostolicam, veritate suo loco tractabimus: interim tamen hæreticæ artis ingenium ostendi debuit, quæ, ad veritatem nativitatis abolendam, prolationis nomen exstin- B gueret.

10. Tenet verò etiam in ceteris ejusdem artis suæ malignam fraudulentiam, dicens, „ Nec sicut Manichæus partem unius substantiæ Patris Natum exposuit. Negata superiùs prolatio est, ut nativitas negaretur: nunc quoque sub Manichæi nomine [g] neganda unius substantiæ infertur & portio, ne Deus ex Deo esse credatur. Manichæus enim abrupti in improbanda lege ac prophetis furoris, & diaboli quan- C tum in se est professus assertor, & [h] solis sui nescius cultor, id quod in Virgine fuit, portionem unius substantiæ prædicavit, & id Filium intelligi voluit, quod ex Dei substantia parte aliqua deductum apparuerit in carne. Ut igitur unigeniti filii nativitas, & unius substantiæ nomen tolleretur, portio unius substantiæ in nativitate Filii prætenditur: ut quia profanè ea, quæ ex portione unius substantiæ nativitas asserta est, prædicatur; primùm na- D tivitas ipsa non esset, quæ in Manichæo esset ex portionis professione damnata; tum deinde nomen ac fides unius substantiæ tolleretur, quia apud hæreticos ex portione competeret; & per id non ex Deo Deus esset, [i] quòd in eo divinæ naturæ proprietas non inesset. Quid vesanas sollicitudines ementita religionis specie impius furor simulat? Manichæum, secundùm hæreticæ insaniæ prædicatores, [k] pia Ecclesiæ fides damnat. Nescit E enim in Filio portionem: sed scit Deum totum ex Deo toto: scit ex uno unum; non defectum, sed natum: scit nativitatem Dei nec diminutionem esse gignentis, nec infirmitatem esse nascentis. Si ex se scit, infer calumniam [l] temerariè usurpatæ scientiæ: si verò de Domino suo didicit, nativitatis suæ scientiam permitte nascenti.

Manichæum damnant, „ ut ὁμοούσιον „ removeant.

Ecclesia nescit in Filio portionem Dei, sed plenitudinem.

[a] Excusi, *Valentiniana*: renitentibus mss. Sic lib. 2. n. 4. vulgatis etiam consentientibus, legere est *Valentinos*, non *Valentinianos*. Ita & in libro de Synodis *Arii*, non *Ariani* ipsius Arii fautores nuncupantur, & suprà lib. 5. n. 25. in aliquot probæ notæ mss. exhibetur *Sabellia hæresis*.

[b] In quibusdam mss. *ætatum*. In aliis nonnullis, *vanitatum*. Rectiùs in ceteris libris, *æternitatum*: quod latinum nomen est vocis græcæ αἰών, ex qua *æones* denominati sunt.

[c] Ita cum ms. Corb. In aliis verò, *bythonam*. At in priùs vulgatis, *bythonas*: malè. Unum enim *bythum*, id est, *profundum*, (quod Epiphanio teste hær. 31. n. 2. Hesiodi *chaos* erat,) non plures admittebat Valentinus, ut cernere est apud Irenæum lib. 1. c. 1. Tertullianum de præscript. cap. 49. Epiphan. hær. 31. Philastrium &c. Fabulas illius ita paucis complectitur Tertullianus loco citato: *Dicit in primis esse bython & silentium, ex his processisse semen mentem & veritatem; ex quibus erupisse verbum & vitam; de quibus rursum creatum hominem & Ecclesiam*: (en primam æonum ogdoadem.) *sed enim ex his quoque processisse* 12. *æonas, de sermone autem & vita alios* 10. *hanc esse æonum triacontada* &c. *Bython* autem apud antiquos in quarto casu sic accepisse videtur Hilarius ut in recto, quasi βυθών βυθῶνος: ex quo conficere ei licuit, *bythonam*, quomodo in Matth. c. 16. n. 4. & c. 26. n. 5. *theothetam*.

[d] Sic mss. Editi verò, *nescit enim aliud*.

[e] Verbum *natus* in antè editis omissum restituitur ex mss.

[f] In priùs vulgatis, *ex Deo Deus est*: abundat vox *Deus*, & abest à mss. Filius negatur cœpisse; quia ex Deo natus, non factus, substantiam ac naturam Dei obtinet, cujus nullum est initium.

[g] Sola editio Par. *negando*: mendosè. Quod autem hîc *unius substantiæ portio*, græcâ linguâ, qua primùm edita est hæc epistola, dicitur μέρος ὁμοούσιον. Unde liquet Arianos vocabulum ὁμοούσιον non post Nycænam synodum tantùm, sed & antè, valde extimuisse. Hoc enim rursum explodere conantur, ubi aiunt, *Si enim quòd ex ipso, velut partem ejus unius substantiæ*, græcè τὸ ὁμοούσιος.

[h] In editis, *solius sui*. In uno ms. Remig. *solus sui*. Meliùs in aliis, *solis sui*. Manichæi enim, uti tradit Augustinus ad Quodvultdeum hær. 46. *orationes faciunt ad solem per diem quaquaversum circumit. Lucemque istam corpoream*, inquit superiùs, *Dei dicunt esse naturam*. Porro hîc *nescius cultor* idem est quod *imperitus cultor*. Ideo autem, puto, ait Hilarius, *solis* cum adjuncto *sui*, quia sol propter hominem, non propter solem homo.

[i] Vat. bas. ms. *neque in eo divinæ naturæ proprietas inesset. Quid vesanas similitudines* &c. libris aliis ne hîc præferatur.

[k] Editi, *pia*. At mss. *pia*, hoc est, fides quæ pio ac sano sensu homousion prædicat, Manichæum non secus damnat, atque ipsi Ariani. Sic enim sibi velle videtur, *secundùm hæreticæ insaniæ prædicatores*. Nam *secundùm*, pro *ad instar* seu *æquè ac*, Hilario usitatum esse jam observavimus.

[l] Ita mss. Colb. ac Germ. In plerisque aliis, *temere*: in Carn. & Mart. *temeritate*. In vulgatis autem, *temeritati*.

nascenti. Hæc enim ita ei à Deo unigenito comperta sunt, quòd Pater & Filius unum sunt, quòd plenitudo deitatis in Filio est : per quod & portionem unius substantiæ [a] odit ad Filium, & per nativitatis veritatem, veræ divinitatis proprietatem veneratur in Filio. Sed [b] reposita pleniore singularum responsionum absolutione, per reliqua curramus.

Sabellium respuunt, ut naturæ in Patre & Filio unitatem auferant.

11. Namque id sequitur : Nec sicut Sabellius, qui unionem dividit, ipsum dixit Filium quem & Patrem. Ignorat evangelica atque apostolica sacramenta sic credens Sabellius. Sed hoc non simpliciter ab hæreticis [c] in hæretico damnatur. Volentes enim nihil inter Patrem & Filium esse unum, divisæ à Sabellio unionis crimen exprobrant : cujus unionis divisio non nativitatem intulit, sed eumdem divisit [d] in Virgine. Nobis autem in confessione nativitas est : & unionem detestantes, unitatem divinitatis tenemus ; scilicet ut Deus ex Deo [e] unum sint in genere naturæ, dum quod per nativitatis veritatem ex Deo in Deum exstitit, non aliunde quàm ex Deo esse substiterit. Quod autem non aliunde quàm ex Deo manet, maneat necesse est in ea veritate qua Deus est : ac per hoc unum sunt, cùm qui ex Deo Deus est, neque aliud ipse est, neque aliunde quod Deus est. Idcirco autem unionis in Sabellio impietas prætenditur, ut [f] Ecclesiæ fidei unitatis religio auferatur. Persequar deinde & cetera hæretici ingenii artificia, ne fortè suspiciosis magis quàm veris sollicitudinibus, malevolus interpres alienæ simplicitatis existimer : ostensurus totius professionis [g] conclusione, in quem se exitum præmissio tam subdoli sermonis instruxerit.

Lumen ex lumine Filium Hieracas pravè intelligit.

12. Id enim sequitur : Sed nec sicut Hieracas, lucernam de lucerna, vel lampadem in duas partes. Nec qui fuit antè, postmodum natum vel supercreatum in filium. Hieracas nesciens Unigeniti nativitatem, nec evangelicorum sacramentorum virtutem adeptus, unius lucernæ duo lumina prædicavit, ut lychnorum bipertita divisio substantiam Patris & Filii æmularetur, quæ ex unius vasculi unguine accenderetur in lumen ; tamquam esset substantia exterior, [h] ut olei in lucerna, continens luminis utriusque naturam ; vel certè ut lampas papyro [i] eodem intexta, utroque capite luceret, essetque media materies lumen ex se utrumque protendens. Hæc stultitiæ humanæ error invexit, dum quod sapiunt, ex se potiùs quàm ex Deo sapiunt. Sed quia veræ fidei professio est, ita Deum ex Deo natum ut lumen ex lumine, quod sine detrimento suo naturam suam præstat ex sese, ut det quod habet, & quod dederit habeat, nascaturque quod sit ; cùm non aliud, quàm quod est, natum sit ; & nativitas acceperit quod erat, nec ademerit quod accepit ; sitque utrumque unum, dum ex eo quod est nascitur, & quod nascitur, neque aliunde, neque aliud est ; est enim lumen ex lumine : ut ergo fidei hujus intelligentia averteretur, Hieracæ lampas vel lucerna ad crimen confitendi ex lumine luminis objecta est ; ne dici religiosè existimetur, quod impiè dictum & nunc & antè damnatum est. Absiste, absiste inanissime timor hæreticorum, nec patrocinium ecclesiasticæ fidei falsâ sollicitæ assertionis opinione mentire. Nihil corporale secundùm nos, nihil [k] inanium in Dei rebus est : quod Deus est, Deus totum est. Nihil in eo, nisi virtus, nisi vita, nisi lux, nisi beatitudo, nisi spiritus est. Materies hebetes natura illa non recipit, neque ex diversis constat ut maneat : Deus, ut est Deus, quod est permanet : & permanens Deus Deum genuit. Non continentur, ut lampas & lampas, aut lychnus & lychnus, exteriore naturâ. Unigeniti ex Deo Dei nativitas non series est, sed progenies ; non tractus est, sed ex lumine lumen. [l] Luminis naturæ unitas est, non ex connexione porrectio.

Quî intelligat Ecclesia.

Dei ex Deo nativitas impugnata : asseritur.

13. Jam verò in eo quanta hæreticæ astutiæ & quàm callida professio fuit : Nec qui fuit antè, postmodum natum vel supercreatum in filium ? Deus, qui ex Deo natus est, non utique natus ex nihilo est, neque de non exstantibus natus est ; sed nativitatis suæ viventem habuit naturam. Nec idem Deus, qui erat ; sed Deus ex Deo, qui erat, natus est : & nativitas habuit originis suæ in ipsa sua nativitate naturam. Si ex nostro loquimur, insolentes sumus : sin verò ad loquendum edoctos nos per Deum docebimus, nativitas Dei secundùm doctrinam Dei est confitenda. Hanc igitur in Patre & Filio naturæ unitatem, & hoc viventis nativitatis inenarrabile sacramentum excludere hæreticus

[a] Bad. *adit*. Er. Lips. & Par. *addit* : emendant mss. Odit quippe Ecclesia portionem, quæ amat & prædicat in Filio deitatis plenitudinem.

[b] In editis, *seposita*. In ms. Carn. *deposita*. Magis placet cum Colb. Silv. & Germ. *reposita*, hoc est, *dilata*.

[c] Apud Par. desideratur, *in hæretico*. Propria atque omnibus nota in hoc erat Sabellii hæresis, quòd unionem in Deo prædicaret ; at quòd unionem in Christo divideret, minùs innotescebat. Hoc autem fraudulenter, non illud, exprimunt hæretici ; ut catholicos unionem in Deo detestantes, & distinctarum personarum in natura æqualitatem profitentes, cum Sabellio pariter damnent.

[d] Mss. *in Virginem*. Cùm *unio* ad personas referri soleat ; hoc per se sonat, personam in Christo non fuisse singularem, ut explicuimus pag. 833. not. i. sic tamen potiùs intelligendum videtur, ut Sabellius unionem in Virgine diviserit, quatenus post susceptam in ea carnem eidem Deo patris ac filii nomina adscribere cœperit ; nominum augens numerum, non personarum.

[e] Par. *unum sit*. Rectiùs in aliis libris, *unum sint* : ut *Deus ex Deo* & fontem divinitatis Patrem, & Filium, qui ex eo originem ducit significet. Ex quo mox concluditur, *ac per hoc unum sunt*.

[f] Tres Vat. mss. & Silv. *ecclesiasticæ fidei*. Hæresi hîc opponitur Ecclesia : cujus fidei est unitatis religio, quia unitatem in Trinitate & credit & veneratur.

[g] Editi, *conclusionem* : emendantur ex scriptis.

[h] In vulg. *ut oleum*. At in mss. *ut olei*, tacitâ voce *substantiâ*. In hac sententia datur substantia Patri & Filio prior, quæ ab utroque participata sit : quo sensu reprobatur homousion lib. 4. num. 4.

[i] Sola editio Par. *papyro eidem*. Papyrus vel papyrum est herba Nilotica, cujus usus non unus fuit. Ex eo conficiebantur chartæ, vela, tegetes, funes nautici &c. Usûs quoque ejus ad cereos ac lampades meminit Gregorius Papa l. 1. Dial. c. 5. *Omnes lampades ecclesiæ implevit aquâ, atque ex more in medio papyrum posuit*. Gregorius Turon. de vitis Patrum c. 8. mentionem facit cicindilis, *in quo nec papyrus addita, nec olei gutta stillantis adjecta*. Demum Paulinus Nat. 3. *Clara coronantur densis altaria lychnis, lumina ceratis adolentur odora papyris*. Hinc Johanni de Janua *papyrus dicitur quasi parans pyr, id est, ignem* : subtiliùs fortè, quàm veriùs.

[k] Editi, *inane*. Ms. Corb. à prima manu, *inanimum* : à secunda cum ceteris, *inanium* : qua voce negatur Deus *consequentia corporis* sustinere ; sicut antea probatur non esse corpus, in quo *nihil corporale* asseritur.

[l] In vulgatis, *ex lumine luminis natura. Unitas*. Addimus *lumen* ex ms. Colb. aliisque duobus, quibus alii cetera consentiunt.

» furor tentans ait, Non eum, qui fuit antè, post- » modum natum vel supercreatum in filium. Quis enim tam vesanus erit, ut defecisse à se Patrem putet; ut idem, qui fuerat, postea nasceretur vel supercrearetur in filium; & esset abolitio Dei, ut succederet de abolitione nativitas, cùm nativitas manentem testetur auctorem? Vel quis tam demens est, ut substitisse Filium nisi ex nativitate fateatur? Quis porro tam vecors, qui non exstitisse Deum ex eo quòd Deus nascitur audeat prædicare? Non enim qui manebat Deus, sed ex manente Deo Deus natus est, tenens in se naturam gignentis in nativitate naturæ. Nativitas autem Dei, quæ ex Deo in Deum exstitit, non quæ non erant tenet, sed [a] quæ Dei manebant & manent, obtinuit veritate nascendi. Non ergo qui [b] erat natus est; sed ex his atque in his, quæ Dei erant, Deus natus exstitit. Omnis igitur hic superior hæreticæ fraudulentiæ sermo hanc viam impiissimæ doctrinæ suæ præparavit: ut Unigenitum Deum negatura, tamquam ratione veritatis antè præmissâ, ex nihilo potiùs quàm ex Deo natum prædicaret, nativitatem ejus ad creationis referens de non exstantibus voluntatem.

Quæ ante Filium ex nihilo innuant.

14. Denique post multa ad id tamquam ex » præparato sibi aditu prorupit dicens, Filius au- » tem sine tempore editus & ante sæcula creatus » & fundatus, non fuit ante quàm nasceretur. Temperavit se, [c] quantum putat, hæreticus sermo & ad impietatis confirmationem, & ad calumniæ, si quæstio intenderetur, excusationem, dicens, *Non erat ante quàm nasceretur*: ut in eo quòd non fuit [d] ante quàm nascitur, naturam ei subsistentis originis denegaret; & cœpisset esse de nihilo, cui ante nativitatem suam exsistens non daretur auctoritas: tum porro si irreligiosè hoc dictum existimaretur, adesset ei promta defensio, [e] quia nasci qui erat non potuit; neque qui antea esset, nascendi causam [f] per quam esset habuisset; cùm nativitas ad id proficiat, ut subsistat esse qui nascitur. O stulte atque impie, quis nativitatem exspectet in eo, qui sine nativitate subsistat? Aut quomodo qui est nasci existimandus est, cùm nativitas natura nascendi sit? Sed subdolè ad negandam ex Deo patre unigeniti Dei nativitatem contendens, per id quòd *non fuit ante quàm nasceretur* evadere voluisti; [g] quòd Deus, ex quo Dei filius natus est, erat; maneretque Dei natura, ex qua filius Deus nativitate subsistit. Si igitur ex Deo natus est, manentis naturæ confitenda nativitas est; non ut Deus qui erat nasceretur, sed ut ex Deo [h] qui erat Dei nativitas intelligeretur.

15. Sed irreligiosos æstus suos calor hæreticus non continet; & per id quod ait, *Non erat ante quàm nasceretur*, id laborans, ut de non exstantibus nasceretur, id est, non à Deo patre in Deum filium vera & perfecta nativitate natus esset, in ipsa totius expositionis conclusione ad ultimum & profanissimum irreligiosi furoris sui prorupit ardorem, dicens, Si enim « quòd *ex ipso*, & quòd *ex utero*, & quòd *ex* « *Patre exivi & veni*, velut partem [i] ejus unius « substantiæ, & quasi prolationem extendens in- « telligitur; compositus erit Pater, & divisibilis, « & convertibilis, & corpus secundùm illos, &, « quantum in ipsis est, consequentia corporis « sustinens sine corpore Deus. Gravis & multæ « difficultatis labor esset veritatem religionis adversùm falsitatis impietatem tueri, si quantum audet impietas, in tantum consuleret [k] prudenter. Sed bene, quòd irreligiositatis voluntas ex inopia prudentiæ est. Et idcirco cùm facilis sit adversùm stultitiam responsio, emendatio tamen difficilis stultorum est: per quam primùm & ratio intelligentiæ non quæritur, & deinceps ab intelligente intimata non capitur. Sed si quos timor Dei & intelligentiæ ignoratio, non impietatis voluntas per stultitiæ sensum detinuerit in errore; [l] spero ut ad emendationem proclives sint; cùm impietatis stultitiam absolutè veritatis sit demonstratio proditura.

Hæresis audax ad impruden-

In quibus ... curetur.

16. Dixistis, ô stulti, [m] qui & hodie idem dicitis, nescientes in Deum sapere, Si enim quòd *ex ipso*, & quòd *ex utero*, & quòd *ex Patre exivi & veni*. Quæro à te, hoc totum dictum à Deo, anne non dictum sit? Dictum utique est: & necesse est, cùm à Deo de se dictum sit, non aliter intelligendum esse quàm dictum est. De dictis suo loco, demonstratis

Filius ... ipso Deo « neque ... se qui ... ter, neque aliud, neque ex nihilo.

[a] Ita mss. Editi verò, *quæ in Deo manebant*. Ut Hilario familiare est verbum *Deus* pro Patre, ita *manere* pro esse sine exsistendi initio. Unde quod hîc *quæ Dei manebant*, mox dicitur *quæ Dei erant*.

[b] In ms. Carnut. à secunda manu hîc superscripta est particula *non*, quæ deinde in uno Colb. necnon in edit. Er. Lips. & Par. perperam obtinuit: reluctantibus aliis libris. Dicebant Ariani, *Nec qui fuit antè, postmodum natum*, directè quidem adversùs Sabellium, asserentem eum, qui Pater erat, cùm postmodum natus esset, filii appellationem esse sortitum; obliquè autem adversùs catholicam fidem, Filium de non exstantibus insinuare molientes. Quibus ita respondet Hilarius, ut & ipsorum repellat artes, & catholicæ fidei nihil cum Sabellio commune esse demonstret. Superiùs enim contra Sabellium præmittit, *Nec idem Deus qui erat natus est.* Quod ubi probavit, idipsum conclusionis in modum repetit his aliis verbis, *Non ergo qui erat* (hoc est, non Pater) *natus est: sed ex his quæ Dei erant Deus* (Filius) *natus exstitit.*

[c] Solus codex Vat. bas. *quantum potuit.*

[d] Editi, *antequam nasceretur.* Sequimur mss. Deinde *subsistens origo* nihil aliud significat, quàm quod mox, *exsistens auctoritas.* Pro his dicerent modò Theologi, *principium exsistens.*

[e] Exemplar Carn. secundis curis cum ms. Vat. bas. *quia nasci non potuit nisi qui non erat, neque* &c.

[f] In ms. Vat. bas. *post quam esset.*

[g] Vat. bas. ms. *ne quòd Deus*, & mox, *maneret* absque particula *que*: hîc ut suprà & mox deprehenditur temeratus.

[h] In ms. Vat. bas. desideratur *qui erat.* Quod proximè dicitur, *manentis naturæ confitenda nativitas*, ita potest intelligi, vel natum esse ex manente seu exsistente natura, vel natum habere manentem naturam, vel etiam utrumque.

[i] In vulgatis, *unius ejus substantiæ*: malè, cùm *ejus* ad Patrem, & *unius* ad vocabulum *substantiæ* referatur. Deinde jam præmonuimus in exemplaribus græcis legi, καὶ ὡς προβολὴν ὑπό τινων, non autem καὶ ὡς προβολὴν ἀποτείνων, quomodo Hilarium legisse liquet ex ipsius expositione.

[k] Editi, *prudentia*: castigantur ex scriptis.

[l] Ms. Carn. *credo ut.* Alii, *spero ut.* At excusi, *spero quòd.* Hoc in loco prodit Hilarius, quo animo erat affectus erga eos, qui ignorantiâ & simplicitate Ario favebant, uti jam adversùs Erasmi argutias observatum est in præfat. n. 27. Haud aliter Athanasius Or. 2. cont. Ar. p. 321. agens de iis *qui sobolem propriam substantiæ Patris negant, quasi id fieri nequeat, nisi partes intelligantur; qui de incorporeo corporea cogitant, & ob imbecillitatem naturæ suæ adimunt Filio proprietatem paternæ substantiæ, dum sobolem Patris stulti ex se metiuntur: Ceterùm*, inquit, *istos ad istum modum affectos, persuasosque non posse esse filium Dei, æquum quidem est ut misericordiâ prosequamur: consentaneum tamen, ut sciscitemur, & rationibus convincamus. Forsitan vel eo modo ad sensum aliquem perduci poterunt.*

[m] Er. Lips. & Par. *quin & hodie*: nullo suffragante ms.

singulorum quorumque virtutibus, tractabimus. Interim tamen uniuscujusque intelligentiam consulo, quid existimet in eo, cùm dictum sit *ex ipso*: utrúmne ex altero intelligendum sit, anne ex nullo, an verò ipse ille credendus sit? Ex altero non est: quia *ex ipso* est, id est, [*Ita ut non.] * ne aliunde præter quàm ex Deo Deus sit. Ex nihilo non est: quia *ex ipso* est; demonstratur enim natura unde nativitas est. Ipse non est: quia ubi *ex ipso* est, nativitas filii refertur ex patre. Deinde cùm significatur *ex utero*, interrogo an credi possit esse natus ex nihilo, cùm nativitatis veritas per corporalium efficientiarum nomina reveletur? Non enim membris corporalibus consistens Deus, cùm generationem Filii [a] commemoraret, ait, [Psal. 109. 3.] *Ex utero ante luciferum genui te*: sed inenarrabilem illam unigeniti ex se filii nativitatem ex divinitatis suæ veritate confirmans, ad intelligentiæ fidem locutus est; ut de divinis suis rebus, secundùm humanam naturam, humanæ naturæ sensum ad fidei scientiam erudiret: ut cùm ait *ex utero*, non ex nihilo creatio substitisse, sed ex se Unigeniti sui naturalis nativitas doceretur. Postremò quod dixit, [Joh. 16. 27.] *Ex Patre exivi, & veni*, utrùm ambiguitatem reliquerit, quin intelligeretur non aliunde quàm ex Patre esse quòd Deus est? Ex Patre enim exiens, neque aliam nativitatis habuit naturam, neque nullam: sed eum sibi testatur auctorem, ex quo se profitetur exisse. De his autem demonstrandis atque intelligendis posterior mihi sermo est.

[Deo de se non credere nefas.]

17. Interim tamen hoc videamus, qua hominis fiduciâ intelligenda de Deo inhibentur, quæ quòd à Deo de se dicta sint non negantur. O gravissimum humanæ stultitiæ atque insolentiæ dedecus, professionis suæ de se Deum non modò arguere non credendo, sed emendando damnare; & illud ineffabile in eo naturæ suæ virtutisque secretum, humanis contaminare & impugnare doctrinis, & hæc audere loqui: Si, inquit, ex Deo est Filius, demutabilis & corporeus Deus est, qui ex se protulerit vel extenderit, quod sibi esset in filium! Quid sollicitus es, ne demutabilis Deus sit? Nos nativitatem confitemur, nos unigenitum prædicamus ex Deo docti: tu, ne nativitas maneat, ne unigenitus Deus in Ecclesiæ fide sit, naturam indemutabilis Dei quæ nec extendi nec protendi possit [b] opponis. Afferrem tibi, infelix error, etiam ex rebus mundi quarumdam naturarum quæ gignuntur exemplum, ne nativitatem protensionem existimares, ne nascentium naturas detrimenta crederes esse gignentium, ut etiam multa sine corporali admixtione ex viventibus in viventes animas gignerentur: nisi nefas esset, Deo de se [c] non credidisse; & ultimi furoris vesania judicaretur, adimere auctoritatem ad fidem, cui venerationem profitearis ad vitam. Si enim non nisi per eum vita est, quomodo non per eum fides vitæ est? Fides autem vitæ quomodo in eo est, qui sibi de se testis infidelis habeatur?

[Filii nuncupationes quî ab hæreticis intellectæ.]

18. Usurpas enim, impiissime hæretice, nativitatem Filii ad creationis voluntatem; ut non ex Deo natus sit, sed volente eo qui creavit, ex creatione substiterit. Et tecum idcirco non Deus est, quia manente Deo uno, non teneat Filius originis suæ in nativitate naturam; sed in substantiam alteram [d] conditio, ipse tamquam unigenitus conditionibus & facturis ceteris præstantior sit: substitutus tamen, ut creationis indultæ [e] sibi habeat substitutionem, non Dei attulerit ex generatione naturam; & natum dicas, quod substitit ex nihilo: filium autem idcirco nuncupes, non quia ex Deo natus est, sed quia per Deum creatus est; quia & homines religiosos appellatione hujus nominis dignos à Deo habitos memineris: tum porro ei non alia conditione Dei nomen indulgeas, quàm eâ qua dictum sit, [Psal. 81. 6.] *Ego dixi, dii estis, & filii Altissimi omnes*, ut utatur dignatione in vocabulo nuncupantis, non naturæ in nomine veritate; [f] sitque tecum ex adoptione filius, deus ex nuncupatione, unigenitus ex privilegio, primogenitus ex ordine, [g] totus creatio, ex nullo Deus; quia generatio ejus non naturalis ex Deo nativitas sit, sed substantia creaturæ.

[Quid Scripturis de Deo edoctus sit Hilarius.]

19. Ac primùm oratâ à te impatientissimi doloris mei veniâ, loqui me apud te omnipotens Deus patere, & me terram ac cinerem, caritatis tamen tuæ religione devinctum, liberum in hæc verba permitte. Ego infelix nihil antea fui, & [h] vitæ sensu expers, sine mei intelligentia, eo quod sum carebam. Sed misericordia tua ad vivendum mihi causa est: & non ambigo, quin tu bonus bonum mihi [i] statueris esse quod natus sum. Neque enim, qui mei non eges, ad mali me originem inchoasses. Sed cùm me in vitam animatum, rationis quoque intelligentem præstitisses; ad cognitionem me tui sacris, ut arbitror, per servos tuos Moysen & prophetas voluminibus erudisti, ex

[a] Par. cum antiquiore mſ. Colb. & Germ. *commemorasset*.

[b] Vat. bas. mſ. *exponis*: minùs bene.

[c] Lipſ. hîc adjecit *testanti*: quod abest à Bad. Er. & plerisque mss.

[d] Editi, *conditur*: renitentibus omnibus mss. Sensus porro est, *Tecum*, hoc est, in tua sententia, *Filius non est Deus, sed conditio*: ubi advertas particulam *cum* hîc ut alibi pro *secundùm* accipi.

[e] Abest *sibi* à mſ. bas. Vat. Verbum *substituere* Arianis usitatum colligimus ex Faustino cap. 1. ubi Arianorum professiones sic exponit: *Sic quoque per eum facta dicit universa, ut eum asserat ex nullis exstantibus substitutum .... siquidem non verè de Patre natus est, sed de nihilo substitutus.* Nec significatione multùm differt à verbo *creare*. Unde sicut hîc *creationem substitutionis*, ita vice versa lib. 1. n. 16. habes *substitutionem creationis*.

[f] Sola editio Par. *sitque potiùs*, non *tecum*, quod idem est ac *secundùm te*.

[g] Bad. & Er. *totius creatio*: ex quo Erasmus legendum putat *ex ordine totius creationis*. Veriùs alii libri, *totus creatio*: quod aliis verbis deinde declaratur, puta, *ex nullo Deus*. Nam *creatio*, ut ipse etiam Erasmus advertit, Hilario hîc idem est quod *res creata*. Subjicitur proximè hæreticorum ratio, cur filium dicant ex adoptione, nimirum *quia generatio ejus* &c. quod barbarè dicerent Scholæ, *quia filiatio ejus*. Unde non est audiendus Vat. bas. codex, in quo habetur *quia creatio ejus*.

[h] Ita potiores mss. Tres autem Vatic. cum Vind. *vita sensus*: malè. Editi verò, *vita sensus*.

[i] Vat. bas. mſ. *institueris*. In his non negat Hilarius peccatum originis, quod aliàs frequens ac disertis verbis adstruit. Maximè verò perspicuum est illud ab Augustino ipsius nomine laudatum lib. 2. contra Julianum c. 8. *In Ada offensa generositatem primæ & beatæ illius creationis amisimus.* Sed hoc tantùm vult, totum bonum esse, quod nobis à Deo præstitum est, neque in bonitatem illius cadere, ut nos ratione ab ipso indulta ad intelligendos prophetas utentes, per eos deceperit.

quibus te non in solitudine tua venerandum prodidisti. Cognovi tecum illic [a] Deum, non alterum in natura, sed in sacramento substantiæ tuæ unum. Cognovi te in Deo Deum, non ex permixtione confusum, sed [b] ex virtute naturæ, dum quod tu Deus es, in eo qui ex te est, inesses: non ut idem tu esses, & inesses; sed inesse te in eo, qui ex te esset, perfectæ nativitatis veritas edoceret. Hoc mihi rursum evangelicæ atque apostolicæ voces loquuntur, & ex ipso sacro Unigeniti tui ore condita * in libros verba testantur, Filium tuum ex te ingenito Deo unigenitum [c] Deum, hominem ex Virgine ad mysterium salutis meæ natum: in quo te generationis ex te veritas contineret, & quem in te manentis ex te nativitatis natura retineret.

* *al.* in libris.

Eorum quibus credidit commendatio.

20. In quod me, oro, profundum desperati reditus mersisti? Hæc enim ego ita didici, ita credidi, & ita confirmatæ mentis fide teneo, ne aut possim credere aliter, aut velim. Quid me miserum de te fefellisti, & infelicem carnem atque animam alienæ à te cognitionis doctrinâ perdidisti? Decepit me post rubri maris divisionem gloria descendentis de monte Moysi, & omnia tecum arcanorum cælestium secreta cernentis. Huic ego de te verbis tuis credidi. Perdidit me repertus secundùm cor tuum David, & dignus Salomon divinæ sapientiæ munere, & viso Domino Sabaoth Esaias prædicans, & ante conformationem sanctificatus in utero Jeremias eradicandarum & plantandarum gentium prophetes, & mysterii resurrectionis Ezechiel testis, & vir desideriorum Daniel temporum conscius, & prophetarum consecratus chorus, & [d] omne prædicationis evangelicæ sacramentum, electus ex publicano Matthæus in Apostolum, & ex familiaritate Domini revelatione cælestium mysteriorum dignus Johannes, & post sacramenti confessionem beatus Simon ædificationi Ecclesiæ subjacens & claves regni cælestis accipiens, & reliqui omnes sancto Spiritu prædicantes, & ex persecutore apostolus vas electionis tuæ Paulus, in profundo maris vivens, in cælo tertio homo, [e] in paradiso ante martyrium, in martyrio perfectæ fidei consummata libatio.

Exodi 34. 29. *Act.* 13. 22. 3. *Reg.* 3. 12. *Esa.* 6. 1. *Jerem.* 1. 5. *Ezech.* 37. *Dan.* 9. 23. *Matth.* 16. 18. *Act.* 9. 15. 2. *Cor.* 11. 25. *Ibid.* 12. 2. 2. *Tim.* 4. 6. & 7.

Quàm firma illius de Filii cum Patre æqualitate fides; & unde firma.

21. Ab his ego quæ teneo edoctus sum, his immedicabiliter imbutus sum. Et ignosce omnipotens Deus, quia in his nec emendari possum, & commori possum. Tardè mihi hos impiissimos, quantum ego arbitror, doctores ætas hujus nunc sæculi protulit. Serò hos habuit fides mea, quam tu erudisti, magistros. Inauditis ego [f] his nominibus in te ita credidi, per te ita renatus sum; & exinde tuus ita sum. Omnipotentem te scio, nec consciæ [g] tibi tantùm atque ipsi Unigenito tuo nativitatis inenarrandæ exspecto rationem. Impossibile enim tibi nihil est, & genitum à te filium omnipotentiæ tuæ virtute non ambigo. Ambigens enim, jam omnipotentem te negabo. Bonum te etiam ex nativitate mea didici: atque ob id non invidum te bonorum tuorum in Unigeniti tui nativitate esse confido. Credo enim, quòd quæ tua sunt, ejus sint; & quæ ejus sunt, tua sint. Sapientem te mihi etiam ipsa mundi creatio prodidit: Sapientiam te [h] tuam, non dissimilem, ex te genuisse mihi conscius sum. [i] Verè & unus mihi Deus es: sed non aliud in eo, qui ex te Deo est, credam inesse, [k] quàm tuum est. Et in eo me judica, si mihi crimen est, nimiùm me per Filium tuum & legi, & prophetis, & Apostolis credidisse.

Christus si verus Dei filius, est quoque verus Deus.

22. Sed cesset sermo temerarius, & ex his, in quæ demonstrandæ stultitiæ hæreticæ necessitate proruperat, in reddendæ potiùs rationis ministerium decedat: ut si qui [l] adhuc salvi esse possunt, ad fidem teneant evangelicæ doctrinæ atque apostolicæ iter, ac verum Dei filium non ex adoptione, sed ex natura intelligant. Hunc enim responsionis nostræ esse ordinem convenit, ut primùm Dei filium [m] esse doceamus: ut natura in eo divinitatis, per quod filius est, absoluta sit. Id enim maximè hæresis, de qua nunc agitur, elaborat, ne Dominus noster Jesus Christus verè Dei filius Deus verus sit. Verè Dei filium unigenitum Deum Dominum nostrum Jesum Christum esse ac doceri, multis modis cognitum est, dum de eo testatur Pater, dum de se ipse profitetur, dum Apostoli prædicant, dum religiosi credunt, dum dæmones confitentur, dum Judæi negant, dum gentes in passione cognoscunt. Neque enim

Verè Dei filium eum esse multis modis notum est.

[a] In Vat. bas. cod. *Domine non alterum*: malè. Confer lib. 5. n. 36. ubi confitendum docet *Deum ex Deo, & Deum in Deo, non corporalibus modis, sed divinis virtutibus; nec naturæ in naturam transfusione, sed mysterio & potestate naturæ.*

[b] Neque veriùs hîc prædictus ms. *ex veritate naturæ*. Nam ut mox audivimus ex lib. 5. Deus in Deo est *divinis virtutibus & potestate naturæ*. Expressiùs in subsequentibus ejusdem libri verbis, EX VIRTUTE NATURÆ *in naturam eamdem nativitate subsistit*. Ut autem ponitur ac probatur num. 3. *naturæ virtus præstat veritatem*. Hîc respicitur locus Esaiæ, *In te est Deus, & non est præter te*, de quo lib. 5. n. 38.

[c] In vulgatis, *Deum & hominem*. Particulam *&* expungimus auctoritate mss. Tum in eo, quod sequitur, habetur expositio verborum, *Pater in me, & ego in Patre*.

[d] Vat. bas. codex, *& ad omne*, præferendus hîc videretur, nisi corruptis tot aliis locis factus esset suspectus. Itaque *omne prædicationis evangelicæ sacramentum* intelligimus omnes evangelicæ legis præcones.

[e] Sic & Tertullianus de Scorpiace n. 12. Paulum commendat, quòd illum Deus *paradisi compotem fecit ante martyrium*. Non est tamen unde approbemus Hilarium cum Tertulliano in hoc consentire: quòd, præsertim lib. de Anima n. 55. paradisum nullis nisi Martyribus patere propugnat.

[f] Editi, *omnibus his*. At mss. *nominibus his*, puta novorum doctorum, quorum nec antiquum, nec ullo titulo celebre nomen; cùm contrà Moysi, Salomonis, Esaiæ &c. nomina pluribus elogiis & sæculis sint commendata.

[g] Perspicuior est lectio mss. Vat. bas. & Mart. *nec conscia nisi tibi* &c. Sed sine *nisi*, sic habetur idem sensus: *nec nativitatis, tibi tantùm atque Unigenito tuo consciæ* &c. Hoc nititur verbis evangelicis, *Nemo novit Filium, nisi Pater*, &c. Ut Hilario, ita Augustino familiare est, æternam Filii generationem ex Patris omnipotentia demonstrare. *Creaturis*, inquit Serm. 139. n. 4. *suis dedit Deus, ut hoc quod sunt generent: & putas quia hoc sibi non potuit servare qui est ante sæcula?* Sic & ex bonitate Patris invidiâ prorsùs expertis idipsum probat num. 5. *Gaudet Pater quando illi æquo unicum filium: gaudet, quia non invidet. Et Deus, quia unico Filio non invidet, hoc quod ipse est generavit.*

[h] Exemplar Silvæ-majoris, *tui non dissimilem*.

[i] Sic potiores mss. Carn. tres Colb. Germ. unus Sorbon. &c. Alii verò libri, *Verus & unus . . . . qui ex te Deus est*.

[k] Editi, *quàm tu es*; & ad marginem Er. Lips. & Par. *quàm quod tuum est*: refragantibus mss.

[l] Par. cum vetustiore ms. Colb. *si qui hujus salvi esse ad fidem possunt, evangelicæ* &c.

[m] Malè in mss. Vat. bas. & Mart. hîc adjicitur *Deum*: cùm Christum simpliciter Dei filium sibi proponat Hilarius demonstrare: quo semel demonstrato, palam fiet divinitatis in eo esse naturam.

ex communione nuncupationis est, quod de A proprietatis fide dicitur. Et cùm omnia, quæ Christus Dominus aut egit aut docuit, ultra omnia eorum sint qui filii nuncupantur; & [a] in iis omnibus, quæ præcipua sint Christi, hoc vel potissimum doceatur esse, quòd Dei filius est: non est in eo filii ex generali familiaritate cognomen.

Non adoptivum sed proprium esse Pater testatur.

Matth. 3. 17.

23. Non contamino veritatis fidem, ut hoc verbis meis adstruam. Loquatur, ut sæpe solitus est, de Unigenito suo Pater, ne sub con- B summandi baptismi sacramento Jesus Christus ignorabilis possit esse per corpus, *Hic est filius meus dilectus*, [b] *in quo complacui*. Rogo in quo veritas deperit, & in quo infirma fides professionis est? Non annuntiatus per Angelum de sancto Spiritu partus ex virgine, non index Magis stella, nec adorati in cunis honor, nec [c] baptizandi sub Baptistæ professione virtus satis esse ad demonstrationem majestatis existimantur: Pater de cælo loquitur, & ita loqui- C tur; *Hic est filius meus*. Quid sibi vult non cognominum, sed pronominum fides? Cognomina enim nominibus adduntur, pronomina verò obtinent in se nominum virtutem. Proprietatis autem significatio est, ubi & *hic est* dictum esse auditur, & *meus est*. Et intellige quæ sit veritas & ratio dictorum. Legeras, *Filios genui, & exaltavi*: sed non legeras, filios meos; genuerat enim eos sibi per divisionem gentium, & plebem hereditatis in filios. Ne igitur per D communionem adoptivæ hereditatis cognomentum filii unigenito Deo adderetur, naturæ veritas per significationem proprietatis ostensa est. Assignetur sanè hoc communionis in Christo nomen, ut filius sit, si de quoquam dictum reperietur, *Hic est filius meus*. Sin verò proprium ac singulare ei est, *Hic est filius meus*; quid calumniam Deo patri professæ de filio proprietatis afferimus? An ne tibi in eo, quòd dicitur *hic est*, non hoc significari videtur; Alios E quidem cognominatos ab eo in filios, sed hic filius meus est; donavi adoptionis plurimis nomen, sed iste mihi filius est: ne quæras alium, ne non hunc esse credas; hunc ego tamquam digito indice ac verbi significatione contingo, qua dico & *meus est*, & *hic est*, & *filius est*? Quid post hæc intelligentiæ poterit esse, ne non esse credatur? Et hæc quidem paternæ vocis significatio [d] ea fuit, ne qui ad implendam omnem justitiam baptizandus esset, quid esset ignoraretur: sed ut qui ad sacramentum salutis nostræ homo cernebatur, Dei voce Dei filius nosceretur.

Esai. 1. 2.

Idem denuo declarat.

24. Et quia in fidei hujus confessione credentium vita esset; (non enim alia æternitatis [e] vita est, nisi Jesum Christum unigenitum B Deum sciamus esse Dei filium,) vox è cælis rursum ab Apostolis iteratæ hujus significationis auditur; ut id firmiùs crederetur ad vitam, quod non credidisse mors esset. Namque cùm Dominus in monte majestatis suæ habitu constitisset, Moyse atque Elia assistentibus, & ad visionis ac vocis fidem tribus columnis ecclesiarum testibus assumtis, hæc vox paterna de cælo est: *Hic est filius meus dilectus, in quo complacui, hunc audite*. Non ad confirmationem ho- C noris claritas conspecta satis fuerat; voce designatur, *Hic filius meus est*. Apostoli gloriam Dei non ferunt, & mortales oculi hebetantur ad visum, & consternata ad metum Petri & Jacobi & Johannis fides concidit: adest tamen auctoritatis paternæ professio, & filius hic per proprietatem [f] significantis ostenditur. Neque solùm veritas filii per hoc, quòd & *hic* & *meus est*, intimatur; sed additur, *Hunc audite*. Testimonium quidem Patris è cælo est: sed D testimonium Filii confirmatur in terra; nam audiendus ostenditur. Et quamquam ambiguitas per professionem paternam non relinquatur; tamen & Filii de se professio credenda decernitur, & eò usque veritas in eo filii docetur, ut paternæ vocis confirmatio [g] audiendi à nobis postulet obsequelam. Igitur quia paternæ voluntatis hæc vox est, ut Filius audiatur; audiamus Filium de se quid sit ipse profitentem.

Matt. 17. 5.

Filii dictis auctoritatem præstat.

Christus & Deum sibi patrem & se filium ejus meritò nuncupat.

E 25. Neminem autem tam alienum à communi sensu existimo esse, ut cùm in omnibus Evangeliorum libris ex professione Filii assumtionem corporeæ humilitatis intelligat, cùm ait, Pater clarifica me; & rursum frequentissimè, Videbitis filium hominis; & illud, [h] Pater major me est; sed & hoc, Nunc anima mea

Johan. 17. 5. Matth. 26. 64. Joh. 14. 28. Joh. 12. 27.

[a] hoc est, *inter ea omnia nomina*. Mox in ms. Vat. bas. *dicatur*, loco verbi *doceatur*, omisso deinde *esse*.

[b] Editi hìc & infrà num. 24. *in quo bene complacui*. Utrobique abest *bene* à mss.

[c] Ms. Vat. bas. *baptizati*: neque hìc agnoscendus. Notatur quippe Johannis reverentia; qua Christum, ante quàm eum baptizaret, sibi dignitate superiorem agnovit.

[d] Editi *eo fuit*, refragantibus scriptis. Mox Par. cum mss. Colb. & Germ. *quò ut*, pro *sed ut*. Hoc argumentum illustrat ac fusiùs explicat Faustinus ad Flaccillam lib. contra Arianos c. 2. ubi cùm eadem è Scripturis, quæ hìc Hilarius affert, testimonia eodemque ordine & in eumdem scopum describat, conjectare est illum ex ipso nonnihil fuisse adjutum. Ait autem ibi: *Carnem quidem ejus, vel potiùs hominem dicam, nemo ambigebat, quia nec ambigi poterat; sed illud, quod in homine erat & natum cum homine, quia videri per naturam non poterat, ne esset incertum, voce & quasi digito Patris ostenditur dicentis, Hic est Filius meus* &c. Et paulo antè: *Et vide quia hoc tunc primùm dicit, quando Jesus ut homo accessit ad baptismum: & puto non alia ratione, quàm quia poterat credi non esse filius Dei, qui corporeus videbatur, & inter ceteros homines ipse quoque ut homo peccator veniebat ad baptismum, cùm peccata propria non haberet.*

[e] Par. cum mss. Vat. bas. Mart. & Colb. *via est*. Magis placet cum aliis libris, *vita est*; ut respiciatur illud Joh. 17. 3. *Hæc est autem vita æterna* &c. Tum apud Er. Lips. & Par. *nisi ut Jesum*. Abest *ut* à Bad. & mss.

[f] Lips. & Par. *significationis*: præter fidem aliorum librorum, & corrupto nonnihil auctoris sensu. *Proprietas* quippe opponitur adoptioni, referturque tum ad Patrem significantem, tum ad Filium significatum. Sic porro idem argumentum tractat Faustinus loco laudato; *Cum eo certè Moyses & Elias pariter videbantur loquentes, quos utique de adoptione factos esse filios Dei negare non potes: quomodo de solo Christo vox divina testatur dicens, Hic est Filius meus* &c. *Si enim & Christus de adoptione filius est; cùm staret inter duos adoptivos, dixisset utique, Et hic filius meus est, ne Christus esse solus crederetur. At cùm dicit, Hic est filius meus dilectus, adoptionis filios separavit, ut proprietas veræ nativitatis in Christo solo filio crederetur.*

[g] Sola editio Par. cum ms. Mart. *audienda*. Aliæ cùm aliquot mss. *audiendi à nobis filii*. Abest *filii* à potioribus.

[h] Nota quomodo hæc, *Pater major me est*, jam de Christo secundùm assumtionem corporeæ humilitatis dicta intelligantur, quamvis alibi etiam de Christo prout Deus genitus est exponantur. Neque minori consideratione dignum, quòd deinde non negat Hilarius animam Christi verè turbatam, sed tantùm monet ad susceptum hominem referendum esse, quidquid hic locus infirmitatis sonat.

[Matth. 27. 46.] turbata est valde; vel etiam hoc, Deus Deus meus, quare me dereliquisti? & multa alia istiusmodi, de quibus suo ordine erit sermo: tamen in hac tam assidua humilitatis contestatione insolentiæ eum arguat, quòd sibi patrem Deum dicat, cùm ait, [Matt. 15. 13.] Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus [a], eradicabitur; vel illud, [Johan. 2. 16.] Domum patris mei domum fecistis negotiationis; [b] & ubicumque semper patrem sibi Deum nominat, temerariæ præsumtionis potiùs sit, quàm confidentis naturæ, quæ conscia nativitatis suæ teneat [c] veritatis nomen in patre. Humilitatis igitur professio frequens non habet hoc insolentiæ vitium, ut sibi aliena vendicet, & non sua defendat, & propriè Deo coæquanda præsumat. Nec pari temeritate, qua patrem nuncupat, se quoque filium profiteatur dicens, [Johan. 3. 17.] Nec enim misit Deus filium suum in hunc mundum, ut judicet mundum, sed ut salvus fiat mundus per eum; vel iterum, [Johan. 9. 35.] Tu credis in filium Dei? Quid nunc agimus, concedentes tantùm [d] Jesu Christo nomen adoptionis? per quod & in patre sibi Deo nuncupando temerariæ eum arguimus præsumtionis. [Matt. 17. 5.] Paterna de cælo vox est, *Hunc audite*. Audio, [Joh. 11. 41.] Pater, gratias ago tibi; audio, [Joh. 10. 36.] Dicitis quia blasphemavi, quoniam dixi, Filius Dei sum: si non credo nominibus, si naturam [e] vocabulis non intelligo, quid credendum & intelligendum sit quæro. Non mihi relinquitur alia suspicio. Auctoritas paterna de cælo est: *Hic est filius meus*. Professio [f] filii de se est: *Domum patris mei*, &, *Pater meus*. Professio nominis salus est, cùm interrogatio fidem postulat, dicens, [Johan. 9. 34.] Tu credis in filium Dei? Proprietatis nomina sequuntur, ubi *meus* est. Tibi quæro, hæretice, unde alia præsumtio sit. Adimis Patri fidem, Filio professionem, nominibus naturam: vim verbis Dei affers, ne sint quod enuntiant. Impietatis tuæ sola impudentia est, ut mentitum de se Deum arguas.

26. Quamquam igitur sola simplex confessio naturæ nomina ostendat, ut de quo dictum est, *Hic est filius meus*, & ad quem dictum est, *Pater meus*, hoc sint quod nuncupantur: tamen ne aut adoptionis in Filio nomen sit, aut honoris in Patre; videamus quæ [g] proprietates per Filium ad filii nomen adjectæ sint. [Proprietates filii ad nomen adjectæ.] Ait, [Matth. 11. 27.] Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Ad id quod dictum est, *Hic est filius meus*, & *Pater meus*, utrúmne sibi convenit, Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius? Non enim nisi per mutuam [h] testificationem cognosci vel per Patrem Filius, vel per Filium Pater potuit. Vox è cælis est: sermo etiam Filii est. Tam ignorabilis est Filius, quàm & Pater. Omnia ei tradita sunt: & in omnibus nihil intelligitur exceptum. Si potestas exæquata est, si secretum cognitionis æquale est, si natura in nominibus est: quæro quomodo quod vocantur non sunt, quorum & [i] vis in potestate, & difficultas in cognitione non differt. Non fallit itaque in vocabulis Deus, nec se aut Pater mentitur, aut Filius: & accipe [k] quàm in his fides nominum sit.

27. Ait enim, [Johan. 5. 36. & 37.] Opera enim quæ dedit mihi Pater, [l] ut perficiam ea, ipsa opera quæ facio, testimonium perhibent de me, quoniam Pater misit me: & qui misit me Pater, ipse testificatus est de me. [Opera testantur filium eum esse.] Unigenitus Deus non nominis tantùm testimonio, sed etiam [m] virtutis, docet se esse filium: opera enim ejus, quæ facit, testantur à Patre se missum. Quæro, quam rem opera testentur? Missum namque esse. [n] Itaque & Filii obedientia & paterna auctoritas docetur in misso, dum alterius opera esse non possunt quæ facit, nisi ejus qui missus à Patre sit. Sed opera non sufficiunt [o] incredibilibus ad testimonium, quòd se Pater miserit. [Nil aliud asserit Patris testimonium.] Sequitur namque; [Ibid. 37. & 38.] Et qui misit me Pater, ipse testificatus est de me: neque vocem ejus audistis, neque figuram ejus vidistis. Quæro quod testimonium Patris [p] de eo fuerit. Evolve evangelica volumina, & totum eorum Opus recense. Da testimonium Patris, præter quàm quod auditum est, [Matt. 3. 17. Marci 1. 11.] *Hic est filius meus dilectus, in quo complacui*, &, *Tu es filius meus*. Hoc Johannes licèt non ignarus audivit, tamen ad doctrinam nostram paternæ vocis testimonium mittitur: nec hoc sufficit. Johannes quidem in deserto dignus hac voce est, sed & Apostoli non fuerunt hujus testimonii auctoritate privandi. Eadem de cælo ad eos vox adest: sed accipiunt plus Johanne. Johannes enim jam ab utero prophetans, non eguit hac voce, *Hunc audite*. Audiam planè: nec quemquam præter hunc audiam, nisi eum qui audierit ut doceret. Si nullum aliud Patris de Filio testimonium exstat in libris, quàm quòd hic filius suus sit: testimonii hujus veritas est, ut opera ipsa Patris, quæ gerit, veritatem testimonii hujus affirment. Quid infertur hodie calumniæ, ut adop-

[a] In vulgatis hîc adjicitur *cælestis*: quod abest à mss. & apud Faustinum, Hilarii æqualem, &, uti nobis videtur, imitatorem. Mox in ms. Mart. *mercationis*, loco *negotiationis*.

[b] Pro *&* commodiùs legeretur *ita ut*.

[c] hoc est, in patre nuncupando nomen illud teneat, quod veri ac naturalis patris sit.

[d] Par. cum vetustioribus mss. Colb. Remig. & Germ. *Jesum Christum*.

[e] Excusi, *naturam vocabuli*. Rectiùs mss. *vocabulis*, supple *significari*. Sic lib. 1. num. 21. *neque vocabulis intelligentiam confundant*.

[f] In mss. Colb. Mart. Corb. & aliis, *professio fidelis est*. In Carn. *professio fides est*. In aliis tribus, *professio filii est*.

[g] Vat. bas. ms. *professiones*: qui etiam paulo antè habet, *professionum nomina sequuntur*, non *proprietatis nomina sequuntur*.

[h] In eodem codice necnon Mart. *significationem*: vox minùs diserta.

[i] In mss. hæc vox ita pingitur, ut *jus* æquè ac *vis* possit admitti.

[k] Editi, *quæ in his fides*: castigantur ex scriptis.

[l] Exemplar Vat. bas. *ut faciam*, omisso deinde *quæ facio*: quod in Mart. pariter omittitur.

[m] Apud Bad. & Er. ut in recentiore ms. Colb. *veritatis*. In mss. Vat. bas. & Mart. *virtutibus*. Magis placet cum aliis libris, *virtutis*, supple *testimonio*.

[n] Particulam *itaque* perperam à Lipsio expunctam restituimus ex Bad. Er. & mss.

[o] Lips. cum aliquot mss. *incredulis*. At Bad. Er. & Par. cum potioribus, *incredibilibus*: sinceriùs, etsi non alio sensu. Sic in Matth. c. 17. n. 6. Apostoli *generatio incredibilis & perversa* nuncupantur. Eadem vox eadem ratione in Vulgata nostra usitata est, ut videre est Eccli. 1. 36. 2. 18. Baruch 1. 19. &c.

[p] In ms. Mart. hîc occurrit, *præter quàm quod auditum est*: quod ex subjectis videtur expressum.

Christus à filiis adoptivis fecernitur.

tio nominis sit, ut mendax Deus sit, ut nomina A inania sint? Testatus est Pater de Filio, operibus suis Filius testimonio se Patris exæquat: cur non videatur esse in eo, [a] id est, filii veritas quæ & dicitur & probatur? Non est per Deum patrem filii nomen in Christo ex adoptione bonitatis: neque sanctitate meruit hoc nomen, sicut plures post confessionem fidei Dei filii sunt. Proprietatis enim in his significatio nulla est: nominis namque tantùm, ut Deo dignum est, indulta dignatio est. Aliud est *hic* B *est*, & *hic meus est*, & *hunc audite*: in hoc veritas est, natura est, fides est.

Filii à Deo nativitas, & adventus ad nos ostenditur.

28. Nec sanè quidquam de se minus Filius [b] hac paternæ significationis proprietate testatur. Ut enim in eo quod ait Pater, *Hic est filius meus*, naturæ demonstratio est; & in eo quod subjecit, *Hunc audite*, sacramenti & fidei, ob quam è cælis venit, auditio est, cùm eum ad salutarem confessionis doctrinam admonemur audire: ita in eo Filius & nativitatis veritatem C docuit & adventûs, dicens, [c] *Neque me scitis, neque unde sim nostis: nec enim à me veni, sed est verax qui misit me, quem vos nescitis; sed ego novi eum, quoniam ab eo sum, & ipse me misit.* Patrem nemo novit, & frequens hinc professio Filii est. Idcirco autem soli sibi esse cognitum dicit, quia ab eo sit. Quæro autem utrùm id, quòd ab eo est, opus in eo creationis, an naturam generationis ostendat. Si opus creationis est; universa quoque, quæ creantur, à Deo D sunt. Et quomodo Patrem non universa noverunt, cùm Filius eum idcirco, quia ab eo est, non nesciat? Quòd si creatus potiùs, quàm natus, videbitur in eo quòd à Deo est; cùm [d] à Deo cuncta sint, quomodo non cum ceteris Patrem quæ ab eo sunt ignorat? Sin verò idcirco ei, quia ab eo sit, eum nosse sit proprium; quomodo non hoc ei, quòd ab eo est, erit proprium? scilicet ut verus filius ex natura sit Dei; cùm idcirco Deum solus noverit, quia E solus ab eo sit. Habes igitur proprietatem cognitionis de proprietate generationis: & quòd ab eo est, non creaturæ in eo virtutem, (nam omnia ab eo per virtutem creationis exsistunt,) sed nativitatis * veritatem, per quam solus Patrem novit; cùm cetera eum quæ ab eo sunt ignorent.

Johan. 7. 28. & 29.

Matth. 11. 27.

Qui solus novit Patrem quia ab eo est, creatus non est.

* *supple*, habes.

29. Tamen ne forte id, quòd ab eo est, [e] ad adventus sui tempus hæresis invaderet; continuò subjecit, *Quoniam ab eo sum, & ipse me misit.* Tenuit ordinem evangelici sacramenti, natum se professus & missum: ut & quis esset, & unde esset, secundùm superiorem sententiam nosceretur. Neque enim id ipsum est *ab eo sum*, & *ipse me misit*: [f] sicuti non idem est *neque me scitis, neque unde sim nostis*. Numquid non omnis homo, in carne licèt natus, secundùm sensum communis opinionis ex Deo est? Et quomodo negat, ab his vel se ipsum, vel unde ipse sit sciri: nisi id unde est, ad naturæ suæ [g] referret auctorem? qui idcirco ignorabilis esset, quia ipse esse filius Dei ignoraretur. Discute infelix stultitia quid illud sit, *Neque me scitis, neque unde sim nostis.* Omnia utique ex nihilo; & usque adeo ex nihilo, ut etiam unigenitum Deum ex nihilo substitisse sis [h] ausa mentiri. Quid ergo est, quòd impii & Christum nesciunt, & unde sit nesciunt? Nam id, [i] quòd unde sit ignoratur, naturam ex qua est, dum unde sit nescitur, ostendit. Ignorari enim unde sit non potest, quidquid substitit ex nihilo: quia hoc ipsum, quod non ignoratur ex nihilo, ignorationem ejus unde sit non habet. Non ex se est autem ille qui venit; sed qui misit eum verax est, quem impii nesciunt. Jam ergo ille qui misit, ipse est qui misisse ignoratur. Ab eo ergo, qui misit, est ille qui missus est: & ab eo est unde esse nescitur; & ob hoc qui sit ipse nescitur, dum ignoratur à quo sit. Non novit Christum, qui unde Christus sit nescit; nec filium confitetur, qui negat natum; nec natum intelligit, qui putavit ex nihilo. Ex nihilo autem usque adeo non est, ut impii unde sit nesciant.

Illud *ab eo sum*, referri nequit ad carnem.

Joh. 7. 29.

Neque est creatus qui nescitur unde sit.

30. Nesciunt planè, nesciunt, qui naturam nomini adimunt, [k] qui nescientes non amant scire. Et audiant Filium scientiæ hujus ignorationem impiis exprobrantem, tum cùm sibi patrem Deum Judæi dicerent: ait enim, *Si*

Joh. 8. 42.

[a] In vulgatis, *quod est*, & post pauca, *quod Deo dignum est.* Utroque in loco præferimus mss. lectionem.

[b] Vat. bas. ms. *à paternæ.* Hæc ita intelligere est: Filius se proprium Dei filium non minùs disertis verbis significat quàm Pater.

[c] Longè aliter modò exstat in exemplaribus latinis & græcis, puta, *Et me scitis, & unde sim nostis*, quod legit & Origenes T. 19. in Johan. ubi operam dat ut diversam illam Christi sententiam Johan. 8. 19. *Neque me scitis*, cum hac, *Et me scitis*, conciliet. respondetque primùm ea non iisdem, sed diversis dicta esse personis: ac Jerosolymitis quidem, *Et me scitis*; Pharisæis verò, *Neque me scitis.* Sed advertens subinde etiam iis, quibus dictum est, *Et me scitis*, statim exprobratum esse quòd Patrem nescirent, proindeque quòd ignorarent pariter & Filium, juxta illud Johan. 8. 19. *Si me sciretis, & Patrem meum sciretis*, utrumque locum sic mavult conciliari: *Illud enim*, inquit, *Et me scitis, & unde sim scitis, de se ipso homine disputat; hoc verò, Neque me scitis, neque Patrem meum, de divinitate.* Hîc igitur propter subsequentia, *Verax est qui me misit, quem vos nescitis*, legitimè potuit Hilarius legere, *Neque me scitis* &c. Immo hæc etiam tacita satis indicantur; ut plena & integra sententia sic possit reddi: *Et me scitis, & unde sim nostis* secundùm carnem: sed est aliud in me, & secundùm hoc *neque me scitis, neque unde sim nostis; nec enim à me veni*: adeoque stat, quod ex hoc loco conficit Hilarius argumentum; cùm Christus Johan. cap. 8. expressè se minimè notum affirmet, quod cap. 7. tacitè tantùm innuit.

[d] Ita mss. At editi, *ab eo.* Hujus argumenti vim frustra declinare tentavit Arius, cùm Athanasio teste Or. 2. cont. Ar. p. 311. in sua Thalia posuit, *Patrem Filio abditum esse, neque eum ab eo aut videri, aut cognosci posse ad plenum & exactè: sed quod cognoscit & videt, id intelligit pro mensura & ratione suarum virium, ut nos quoque intelligimus pro modulo nostrarum facultatum.* Ipsius quippe Christi testimonio cùm nemo Patrem noverit, ipse tamen eum novit, & novit quia ab eo est.

[e] Apud Er. Lips. & Par. omissa erat particula *ad.* Hîc *adventûs* nomine intelligitur carnis susceptio.

[f] Vat. bas. ms. *sicuti hoc idem est*: pugnat cum dicendis num. 30. & 31.

[g] In ms. bas. Vat. *refert auctoritatem*: huic lectioni non congruit sequens vocula *qui* ad Patrem referenda. Hoc enim sibi vult: Cùm non ignorarent Judæi unde esset secundùm carnem, illud *unde sum* referendum est ad æternæ ipsius generationis auctorem: quasi diceret, *Neque me scitis, neque æternum Patrem meum.* Namque, ut declaratur lib. 3. n. 17 & lib. 5 n. 27. Judæi ignoraverunt Dei nomen, quamdiu nescierunt eum esse patrem, eique esse filium. Obiter observare est auctorem generationis æternæ simpliciter ab Hilario vocari *auctorem naturæ* Christi: quia nimirum Christum *naturâ* Deum, hominem autem tantùm ex dispensatione esse sentiebat. Unde *naturæ* nomen ad illius divinitatem referre solet. V. lib. 10. num. 22. 64. & 65.

[h] In ms. Carn. *ausus.* Hoc Arius in Thalia ausus est apud Athanasium Or. 2. pag. 310. dicens, *Non semper fuit Filius, ipsumque Dei Verbum ex nihilo factum est.*

[i] id est, quòd ait ignorari unde ipse sit.

[k] Editi, *quia nescientes.* Veriùs mss. *qui nescientes*: qui nimirum nec intelligentiæ rationem quærunt, nec ab aliis intimatam capiunt, ut habetur suprà num. 15.

Deus iis solis est pater qui Filium colunt.

Deus pater vester esset, diligeretis utique me; ego enim à Deo exivi, & veni: nec enim à me veni, sed ille me misit. Religiosi nominis assumtionem Dei filius in his, qui se Dei [a] filium confitentes patrem sibi Deum dicerent, non improbavit: sed temerariam Judæorum usurpationem, patrem sibi Deum præsumentium, per id quòd se non diligerent, objurgat: *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me; ego enim à Deo exivi.* Omnibus, quibus per fidem Deus pater est, per eam fidem pater est, qua Jesum Christum Dei filium confitemur. Confiteri autem filium secundùm generale sanctorum nomen, quid habet fidei, ut dicamus, Unus ex filiis est? Sed numquid & ceteri in hac creaturæ suæ infirmitate non filii sunt? In quo ergo filium Dei Jesum Christum fides confessa præcellit, cùm ei [b] secundùm filios, filii non natura, sed nomen sit? Christum perfidia ista non diligit, nec hæc impia professio piè sibi assumit Deum patrem: quia si sibi pater Deus esset, Christum ob id diligerent, quia exisset ex Deo. Exisse ex Deo quid sit requiro. Non utique dici potest, id ipsum esse à Deo [c] exisse, quod & venisse; nam utrumque significat, *Quoniam à Deo exivi, & veni.* Et ostendens quid esset *à Deo exivi*, & quid esset *& veni*; continuò subjecit, *Nec enim à me veni, sed ille me misit.* [d] Non se sibi esse originem docuit, cùm ait, *Nec enim à me veni*, & * rursum ex Deo se exisse, & ab eo missum esse testatur. Sed cùm ab iis, qui sibi Deum patrem dicerent, idcirco se diligendum ait, quia ex Deo exisset; causam dilectionis ex causa docuit esse nascendi. Exisse enim ad incorporalis nativitatis retulit nomen: quia religio profitendi sibi patrem Deum, ex dilectione Christi qui ex eo genitus est sit merenda. Nam cùm ait, *Qui me odit, & patrem meum odit: meum* cùm ait, communionem nominis * per significationem proprietatis exclusit. Ceterùm profitentem sibi patrem Deum, & se non diligentem, in paterni nominis usurpatione condemnat: [e] quia qui se odit, oderit & Patrem; nec in Deum patrem sit religiosus, qui non diligat Filium; cùm diligendi Filii non alia causa sit, quàm quòd ex Deo sit. Ex Deo igitur Filius est, non adventu, sed nativitate: & dilectio in Patrem [f] hîc erit omnis, si Filius ex eo esse credatur.

Non ut adoptivum.

Exire ex Deo quid sit.

* supple, cùm.

Filii diligendi causa, ratio nascendi.

Joh. 15. 23.

* supple, cum aliis.

Johan. 16. 27. & 28.

Perfectæ de Filio fidei meritum.

31. Testatur hoc Dominus dicens, *Non dicam vobis, quoniam ego rogabo Patrem pro vobis: ipse enim Pater amat vos, quoniam vos me amatis, & creditis quoniam ego à Deo exivi, & à Patre veni in hunc mundum.* Caret apud Patrem intercessionis necessitate perfecta de Filio fides, quæ quòd à Deo exierit credat atque amet: & per se ipsa jam & audiri meretur & amari, natum ex Deo Filium missumque confessa. Nativitas itaque ejus & adventus ostenditur cum absolutissima significandæ proprietatis veritate. *A Deo*, ait, *exivi*; ne in eo alia quàm nativitatis natura esse existimaretur: cùm exire à Deo, id est, ex nativitate subsistere, quid aliud quàm Deus [g] posset? *Et à Patre*, inquit, *veni in hunc mundum.* Ut exitio illa à Deo nativitas significata esse intelligeretur ex Patre, à Patre se in hunc mundum professus est venisse. Alterum itaque in dispensatione, alterum in natura est. Nec patitur exitionem adventum existimari, cùm post exitionem à Deo, adventum commemoret à Patre. A Patre enim venisse, & ex Deo exisse, non est significationis ejusdem: & quantum interest [h] nasci, & adesse, tantum à se uterque sermo discernitur. Cùm aliud sit à Deo in substantiam nativitatis exisse, aliud est à Patre in hunc mundum ad consummanda salutis nostræ sacramenta venisse.

Quì & nativitatem ex Patre & adventum ad nos distinguat.

32. Et quidem secundùm propositæ à nobis responsionis ordinem opportunissimus hic nobis locus est, ut tertiò nunc doceamus filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum ab Apostolis [i] creditum, non ex nuncupatione, sed ex natura; neque ex adoptione, sed ex nativitate. Quamquam enim plures & [k] maximæ adhuc unigeniti de se Dei exstent professiones, quibus generationis suæ veritatem sine levi saltem ementiendæ licèt calumniæ occasione testetur: tamen quia neque legentium onerandus est sensus coacervatis ad copiam dictis, & cùm jam nonnulla de proprietate nativitatis ostensa sint, cetera omnia aliis erunt quæstionibus reservanda. Nunc verò quia hic sermonis nostri ordo institutus est, ut post Patris contestationem, post Filii professionem, [l] fide quoque Apostolorum de vero & secundùm nativitatem confitendo Dei filio doceremur; videndum est, an in eo quod ait Dominus, *Ex Deo exivi*, aliud in eo aliquid potiùs quàm naturam intellexerint nativitatis.

Christus ab Apostolis filius ex natura non ex adoptione creditus.

33. Post multas namque proverbiorum obscuritates, quibus in parabolis locutus esset, quem jam antea Christum sciebant annuntiatum à Moyse & prophetis, confessum quoque à Nathanael & Dei filium & regem Israel, objurgato etiam Philippo, cùm de Patre quæreret, cur per operum virtutem Patrem in se [m] esse & se in Patre inesse nesciret, cúmque se à

Quid sit quòd primùm credant eum à Deo exisse.

Joh. 1. 49.

Joh. 14. 11.

[a] Er. Lips. & Par. *qui se Dei filios*: corruptè ac sublata vi totius argumenti. Ibi quippe, & mox in his, *quòd se non diligerent*, vocula *se* ad Christum refertur; monetque Hilarius non improbatos eos fuisse, qui cùm Christum Dei filium & confiterentur & amarent, Deum sibi patrem dicerent. Pessimè autem Vat. bas. ms. hîc etiam habens *filios*, postea subjicit, *non solùm improbavit*, pro *non improbavit*: erratum ex errato.

[b] Apud Er. in margine, *secundùm illos*: quod deinde à Lipsio arreptum, Par. retinuit. Restituimus ex Bad. & mss. *secundùm filios*, hoc est, ad modum ceterorum filiorum.

[c] Tres mss. Colb. cum Carn. & Germ. *exire*.

[d] Lips. & Par. *non à se*: reluctantibus aliis libris. Porro Hilario vocabulum *origo* sæpe idem est, quod nobis *principium*.

[e] Vetus codex S. Martini Turon. *quia si oderit Filium, oderit & Patrem.*

[f] Sic potiores libri. Alii verò, *hinc erit*.

[g] In ms. Mart. *quàm Deus esset*.

[h] Excusi, *inter nasci*; & mox, *in substantia nativitatis exisse, aliud sit* &c. Sequimur mss.

[i] Par. post Lipsium, *traditum*: malè & præter aliorum librorum fidem. Quippe nondum Apostolorum doctrina expenditur, sed fides.

[k] In priùs vulgatis, *maximè*, adverbium. Hîc *maxima*, id est, *clarissima*. Tum in vetustissimis exemplaribus Colb. & Carn. scribitur *adhunc*, non alio sensu.

[l] Ita in mss. At in excusis *fidem*.

[m] Editi hîc omisso *esse*, subjiciebant *& se in Patre esse nesciret*, non *inesse*. Concinnior est lectio mss.

Patre missum frequentibus dictis antè docuisset: tamen cùm profitentem eum audissent se à Deo exisse, hæc eorum responsio fuit: (connexus enim hic sibi sermo est:)[a] *Dicunt ei discipuli ejus, Nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc ergo scimus quia nosti omnia, & non habes necesse ut aliquis te interroget: in hoc credimus quia à Deo existi.* (Joh. 16. 29.) Quæ, rogo, hæc verbi hujus admiratio est, quòd se exisse à Deo professus sit? Tanta & tam Deo propria vos, ô sancti & beati viri, & ob fidei vestræ meritum[b] claves regni cælorum sortiti, & ligandi ac solvendi in cælo & in terra jus adepti, gesta esse per Dominum nostrum Jesum Christum Dei filium videratis: & ad id, quòd à Deo exisse se dixit, nunc primùm vos veri intelligentiam assequi protestamini? Videratis utique nuptiales aquas,[c] & easdem nuptiale vinum, & naturæ in naturam vel demutationem, vel profectum, vel creationem. (Johan. 2.) Quinque etiam panes ad cibum tantæ multitudinis fregeratis, & satiatis omnibus in plenitudinem duodecim cophinorum fragmenta[d] panum creverant, & naturæ parvitas famem pellens profecerat in ejusdem copiam naturæ. (Matth. 14.) Reviruisse manus aridas conspexeratis, & in vocem mutorum linguas solutas, & in cursum claudorum pedes alacres, & cæcorum oculos cernentes, & mortuorum vitas revertentes. Fœtens Lazarus constiterat ad vocem, & è sepulcro vocatus, nullo intervallo vocis & vitæ,[e] citus fuerat egressus, & adhuc odorem mortis in sensum narium spiritu agente, ipse jam vivus adstiterat. (Joh. 11. 44.) Taceo de ceteris magnarum virtutum & divinarum operationibus. Nunc ergo primùm intelligitis qui sit hic missus è cælis, post quàm audistis, *De Patre exivi?* Et hoc vobis primùm jam sine proverbio dictum est, & per naturæ virtutem intelligitis verum esse quòd à Deo exivit, cùm voluntatum[f] vestrarum cogitationes tacitus intuetur, cùm[g] de nullis tamquam ignarus interrogat, cùm omnium cognitor est? Per hæc enim omnia, quæ virtute ac naturâ Dei agit, à Deo exisse credendus est.

Prius noverant à Deo missum: sed nativitatis rationem non acceperant.

34. Non hîc sancti Apostoli à Deo exisse, id est, à Deo missum esse intellexerunt; nam omni superiore sermone confitentem missum esse se frequenter audierant: sed audientes à Deo exisse, naturam in eo Dei ex operibus cernentes, naturæ[h] veritatem per id quòd à Deo exiit recognoscunt, cùm dicunt, *Nunc ergo scimus, quia nosti omnia, & non habes necesse, ut aliquis te interroget: in hoc credimus quòd à Deo existi.* (Joh. 16. 29.) Per id enim credunt, quòd à Deo exiit, per quod ea quæ Dei sunt[i] potest atque agit. Non enim naturam Dei à Patre venisse, sed à Deo exisse consummat. Denique hoc, quod nunc primùm audiunt,[k] confirmatur ad fidem. Nam cùm Dominus utrumque dixisset, *Ego à Deo exivi, & à Patre veni in hunc mundum;* (Ibid. 28.) nihil admirationis in eo habuerunt, quod frequenter audierant, *& à Patre veni in hunc mundum.* Responsio autem eorum, fidem & intelligentiam hujus dicti contestata est, *Ego à Deo exivi.* Nam ad id tantùm responsum est, cùm dicunt, *In hoc credimus quoniam à Deo existi;* neque addunt, Et à Patre venisti in hunc mundum. Et cùm alterum in professione, alterum in silentio est; professionis causam dicti novitas exegit, profitendi autem contestationem intelligentia veritatis elicuit. Sciebant quidem eum omnia ut Deum posse, sed nondum rationem[l] nativitatis acceperant: & qui sciebant à Deo missum, exisse tamen à Deo nesciebant. Inenarrabilem illam & perfectam Filii nativitatem per virtutem dicti istius intelligentes,[m] nunc secum sine proverbiis profitentur locutum.

Exitio quàm aptè Filii nativitatem enunciet.

35. Non enim per consuetudinem humani partûs Deus ex Deo nascitur, neque per elementa originis nostræ ut homo ex homine propellitur. Integra illa & perfecta & incontaminata nativitas est, cujus à Deo exitio potiùs quàm partus est. Est enim unus ex uno. Non est portio, non est defectio, non est deminutio, non derivatio, non protensio, non passio; sed viventis naturæ ex vivente nativitas est. Deus ex Deo exiens est, non creatura in Dei nomen electa; non ut esset cœpit ex nihilo, sed exiit à manente: & exiisse significationem habet nativitatis, non habet inchoationis. Non enim idem est substantiam[n] cœpisse, & Deum exiisse de Deo. Et nativitatis hujus conscientia licèt non subjecta verbis sit, cùm inenarrabilis sit; habet tamen in doctrina Filii fidei securitatem, à Deo se manifestantis exisse.

Petrus filium Dei confessus verum credidit.

36. Non est evangelica & apostolica fides, filium Dei nomine potiùs quàm naturâ credidisse. Si enim adoptionis hæc nuncupatio est,

---

[a] Par. cum vetusto ms. Colb. *Dicunt ergo discipuli.*

[b] In antiquioribus mss. hîc *clavem.* Inferiùs tamen hæc vox exstat in plurali numero librorum omnium consensu.

[c] Bad. Er. & recentiores mss. *& in eisdem.* Meliùs alii libri, *& easdem*, supple *factas*: nisi malis cum Martin. *& ex eisdem.*

[d] Antiquiores mss. *panium.* Tum Erasmus legendum putat *& materiæ parvitas*, non *& naturæ.* Cui favet quod de eodem Christi facto ait Hilarius in Matth. c. 14. n. 12. *Crescit deinde materies:* & post pauca, *Auctorem enim hujus universitatis tantus panum profectus ostendit, per quem tali incremento modus pertractatæ materiæ adderetur.* Faciliùs itaque ei annueremus, nisi verbo *naturæ* mox repetito, ei præmitteretur *ejusdem.* Hæc sententia à præcedenti non differt nisi vocabulis. Deinde in ms. Vat. bas. *reviruisse manum aridam*: quod à subnexis dissonat, in quibus cetera Christi gesta plurali numero enuntiantur.

[e] Sic mss. At editi, *citò.*

[f] Plerique ac potiores mss. *nostrarum.* Mox in omnibus *tacitus*; ubi in excusis *tacitas.*

[g] Editi, *de nonnullis.* Rectiùs mss. potiores, *de nullis*: respicitur enim illud, *Non habes necesse ut aliquis te interroget.* Postea Vat. bas. ms. *cùm omnium occulterum cognitor est*; Mart. *cùm omnium occulta conditor est*: minùs sincerè; cùm in sacro textu, in quem hîc respicitur, simpliciter exstet, *quia nosti omnia.*

[h] In mss. Mart. & bas. Vat. *naturæ virtutem*: minùs aptè. Hoc quippe concluditur, Apostolos virtute atque operibus Christi adductos fuisse, ut latentem in eo naturæ divinæ veritatem, quam ipse iis prædicabat, crederent.

[i] In uno codice Vat. & nonnullis aliis, *potestate acta quæ agit, plena fide testificantur*: mendosa lectio & interpolata, quam Bad. & Er. ex parte secuti sunt.

[k] Lips. & Par. *confirmantur.* Rectiùs Bad. Er. & mss. *confirmatur*, ab Apostolis videlicet ipsum Christi testimonium quòd à Deo exierit.

[l] Par. cum antiquo ms. Colb. & Germ. *rationem novitatis.*

[m] Quidam mss. quos minùs sinceros experti sumus, cum Bad. & Er. *nunc primùm cœperunt advertere, cùm illum sine proverbiis profitentur esse locutum.*

[n] Mss. Vat. bas. & Mart. *cœpisse ex Deo*: & mox, *in doctrina filii Dei fidei* &c.

& non idcirco filius est, quia exierit à Deo; A quæro unde beatus Simon Bar-Jona est, confessus *Tu es Christus filius Dei vivi?* (Matth. 16. 16.) anne cùm omnibus potestas sit per sacramentum regenerationis [a] in filios Dei nasci? Si secundùm hanc nuncupationem filius Dei Christus est; interrogo quid illud sit, quod Petro non caro neque sanguis revelavit, sed Pater qui in cælis est? (Ibid. 17.) Generalis professio quid habet meriti? aut quæ revelationis est gloria in [b] publica conscientia? Si ex adoptione filius est; unde hæc in Petro B beata confessio est, hoc Filio [c] deferenti quod est commune sanctorum? Ultra humanam autem intelligentiam se fides apostolica protendit. Audierat utique frequenter, Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. (Matth. 10. 40.) Missum ergo jam non ignorabat: & quem missum non ignorabat, audierat profitentem, » Omnia mihi tradita sunt à » Patre, & nemo novit Filium nisi Pater, neque » Patrem quis novit nisi Filius. (Matth. 11. 25.) Quid istud est C quod nunc Petro Pater revelat, quod beatæ confessionis gloriam sumit? Numquid patris nomen & filii nesciebat? Atquin frequenter audierat. Sed loquitur quod nondum vox humana protulerat, *Tu es Christus filius Dei vivi.* Nam tametsi in corpore manens Dei se filium esset professus; tamen apostolica fides nunc primùm naturam in eo divinitatis agnovit. Neque enim Petro tantùm [d] ex confesso honore laus reddita est, sed ex agnitione myste- D rii: quia non Christum solùm, sed Christum Dei filium esse confessus est. (Tunc primùm eum agnovit Deum.) Nam utique ad confessionem honoris suffecerat dixisse, *Tu es Christus.* (Ubi didicerit.) Sed inane fuerat, Christum ab eo confessum fuisse, nisi Dei filium confiteretur. In eo enim quod ait, *Tu es*, virtutem & proprietatem naturalis veritatis explicuit. Et Pater dicendo, *Hic est filius meus*, (Matt. 17. 5.) Petro revelavit ut diceret, *Tu es Filius Dei*: quia in eo quod dicitur, *Hic est*, revelantis indicium est; in eo E verò quod respondetur, *Tu es*, confitentis agnitio est. Super hanc igitur confessionis * petram Ecclesiæ ædificatio est. (* V. lib. 2. num. 23. & cap. 16. in Matth. n. 7.) Sed sensus carnis & sanguinis, confessionis hujus intelligentiam non revelat. Hoc est divinæ revelationis sacramentum, Christum Dei filium non solùm nuncupare, sed credere. Aut numquid nuncupatio potiùs quàm natura Petro revelata est? Si nuncupatio; jam hanc à Domino frequenter audierat, esse se Dei filium confitente. In quo ergo revelationis est gloria? [e] Naturæ scilicet, non nominis; cùm frequentata nominis professio jam fuisset.

37. Hæc fides, Ecclesiæ fundamentum est: (Petri fides commendatur.) per hanc fidem * infirmes adversùs eam sunt portæ inferorum. (Matth. 16. 18. & 19.) (* al. infirmæ.) Hæc fides regni cælestis habet claves. Hæc fides quæ in terris solverit aut ligaverit, & ligata in cælis sunt & soluta. Hæc fides paternæ revelationis est munus, Christum [f] non creaturam ex nihilo mentiri, sed secundùm proprietatis naturam Dei filium confiteri. O miseræ stultitiæ furor impius, non intelligens beatæ senectutis fideique martyrem, [g] & martyrem Petrum, pro quo Pater rogatus est, (Luc. 22. 32.) ne fides ejus in tentatione deficeret; qui iterata à se dilectionis in Deum postulatæ professione, (Joh. 21. 17.) tentari se adhuc tamquam ambiguum & incertum tertia interrogatione congemuit; per id quoque à Domino post tertiam [h] tentationis purgationem infirmitatum, *Pasce oves meas*, ter meritus audire: qui in cunctorum Apostolorum silentio, Dei filium revelatione Patris intelligens, ultra humanæ infirmitatis modum, supereminentem gloriam beatæ fidei suæ confessione promeruit! In quam nunc interpretandæ vocis suæ deducimur necessitatem? Ille confessus est Christum filium Dei: at mihi tu hodie, novi apostolatûs mendax sacerdotium, ingeris Christum ex nihilo creaturam. Quam vim affers dictis [i] gloriosis? Filium Dei confessus, ob hoc beatus est. Hæc revelatio Patris est, hoc Ecclesiæ fundamentum est, hæc securitas æternitatis est. Hinc regni cælorum habet claves, hinc terrena ejus judicia, [k] judicia cælestia sunt. Sacramentum * occultum à sæculis (* al. occultatum.) [l] per revelationem didicit, fidem locutus est, naturam enuntiavit, Dei filium confessus est. Hoc qui creaturam potiùs confitens negat, prius est ut neget Petri apostolatum, fidem, beatitudinem, sacerdotium, martyrium: & post hæc se alienum à Christo esse intelligat, quia Petrus eum filium confessus hæc meruit.

38. Anne ô miser, quisquis hodie es, hæretice, (Hæreticorum sententia Petro ignota.) beatiorem Petrum futurum fuisse existimas, si dixisset, Tu es Christus perfecta Dei creatura, & supereminens facturis omnibus

---

[a] Abest *in* à ms. bas. Vat. Vide lib. 1. n. 10. & 11.

[b] Editi excepto Par. & nonnulli recentioris ævi mss. *publica scientia.* Veriùs alii libri, *publica conscientia*, id est, cujus etiam vulgus conscium est. Sic lib. 2. ad Constant. n. 10. rogat Hilarius ut sibi liceat de fide disserere *sub publica conscientia*: & lib. contra Constantium n. 2. renuunt hæretici in Biterrensi Concilio audire ab ipso ingesta, *timentes publicæ conscientiæ.*

[c] In codice Vaticanæ basilicæ, *deferens*, quod primùm arridebat: sed nihil est cur ab aliorum consensu discedamus. Longè minùs placet postea cum eodem ms. *quod est in commune.* Porro vocem *Filio* in tertio casu, ac proximum verbum *deferenti* in sexto intelligimus, quasi, *in Petro cùm defert Filio.*

[d] Exemplar Mart. *ex confessione honor & laus.*

[e] Mss. Vind. & Silv. *in natura scilicet, quia nominis frequentata professio* &c. malè. Sic potiùs vertendum hoc foret: in eo scilicet quòd facta ei sit revelatio naturæ, non nominis &c.

[f] In priùs vulgatis, *non creaturam novit.* Abest *novit* à mss.

[g] In quibusdam mss. non repetitur *& martyrem*, librariorum incuriâ: qua voce hîc *testis* intelligitur.

[h] Ita ex ms. Corb. faventibus aliis. Sensus fere idem exhibetur in duobus Vatic. *post tertiam purgationem tentationis infirmitatis*: at vocabulum *tentationis* ad duplicem Petri tentationem relatum, sic ad unam restringitur. In vetustiore ms. Colb. & Germ. *post tertiam tentationis purgationum infirmitatum.* Huic consentiunt alius Colb. necnon Prat. Vind. Silv. cum edit. Bad. & Par. nisi quòd habent, *infirmitatem.* His accedit antiquior Remig. *post tertiam tentationis purgationis infirmitatem.* At in Carnut. Tell. Theod. & alio Remig. *post tertiam tentationis purgationem*: pro quibus apud Bad. Er. in ms. Mart. in uno Sorbon. & in alio Colb. legitur, *post tertiam tentationis infirmitatem.* Ex variis illis lectionibus seligat quisque quæ magis arriserit. Quam autem prætulimus, hoc sonat, Petrum post tertiam interrogationem, ac veluti tentationem, qua probata est illius caritas, purgatum esse à trina negatione, qua tentata ac probata fuerat ipsius infirmitas. Quod illustratur his Ambrosii lib. 5. de fide n. 2. verbis, *Est Petrus ipsius Domini ad pascendum gregem electus judicio, qui tertiò meretur, Pasce* &c. *Pascendo bene cibo fidei culpam lapsus prioris abolevit. Et ideo tertiò admonetur ut pascat, tertiò utrùm Dominum diligat interrogatur: ut quem tertiò ante crucem negaverat, tertiò fateretur.*

[i] Vat. bas. ms. *in gloria enim filium* &c. Mart. *gloriosus enim filium.*

[k] In priùs vulgatis semel tantùm exstabat *judicia*, quod elegantiùs mss. repetunt.

[l] In ms. Vat. bas. *per revelationem Dei.*

factura, & qui ex nihilo esse cœpisti, & per A bonitatem Dei, qui bonus solus est, nomen filii adoptione meruisti, [a] & qui non ex Deo natus es? Et quæro à te, quid auditurus fuerit hæc dicens, qui audita passione respondens, *Propitius* [b] *tibi Domine, non erit istud*, audierit sibi dici, *Vade retro* [c] *post me satanas, scandalum mihi es?* Nec Petro tamen humana ignorantia profecit ad crimen; non enim ei Pater adhuc omne passionis mysterium revelaverat: sed fides [d] parva sententiam damnationis excepit. Cur igitur B non hanc confessionis fidem Pater Petro revelavit, creaturam scilicet & adoptionem? Invidit, credo, hîc Petro Deus, ut in tempora posteriora dissimulans, hæc nunc vobis novis prædicatoribus reservaret. Sit sanè fides alia, si aliæ claves regni cælorum sunt. Sit fides alia, si Ecclesia alia est futura, adversùm quam portæ inferni non prævalebunt. Sit fides alia, si erit alius apostolatus, ligata & soluta per se in terra, ligans in cælo atque solvens. Sit fides C alia, si Christus alius Dei filius, præter quàm qui est, prædicabitur. Sin verò hæc fides sola, confessa Christum Dei filium, omnium beatitudinum gloriam meruit in Petro; necesse est ut ea, quæ eum creaturam potiùs ex nihilo confitebitur, claves regni cælorum non [e] adepta, & extra fidem ac virtutem apostolicam constituta, [f] nec Ecclesia sit illa, nec Christi.

Matth. 16. 22. Ibid. 23.

Non est alia nisi Petri fides.

Johannes Filium unigenitum profitens, adoptivum negavit.

39. Proferamus itaque omnes apostolicæ fi- D dei professiones, in quibus Dei filium confitentes, non adoptionis in eo nomen, sed naturæ proprietatem confitentur; neque creationis in eo ignobilitatem, sed nativitatis gloriam protestantur. Loquatur Johannes sic usque ad adventum Domini manens, & sub sacramento divinæ voluntatis relictus [g] & deputatus, dum non neque non mori dicitur & manere. Loquatur ergo suâ, ut solet, voce: *Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus filius, qui est* E *in sinu Patris*. Naturæ fides non satis explicata videbatur ex nomine [h] filii, nisi proprietatis extrinsecùs virtus per exceptionis significantiam adderetur. Præter filium enim, [i] & unigenitum cognominans, suspicionem penitus adoptionis exsecuit: cùm veritatem nominis, unigeniti natura præstaret.

Johan. 1. 18.

40. Nondum quæro quid sit, *qui est in sinu Patris*; habet interrogatio ista suum ordinem: quæro quid unigeniti significatio sibi postulet. Et videamus an hoc sit, quod tu esse profite- B ris, id est, creaturam Dei perfectam; ut perfecta pertineat ad unigenitum, creatura verò referatur ad filium. Sed Deum unigenitum filium Johannes dixit, non creaturam perfectam. Non ignoravit hæc blasphemiæ nomina, dicens, *Qui est in sinu Patris*; & à Domino suo audiens, *Sic enim dilexit mundum Deus*, [k] *ita ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* C Deus mundum diligens, hoc dilectionis suæ in eum testimonium protulit, ut unigenitum filium suum daret. [l] Si dilectionis hinc fides est, creaturam creaturis præstitisse, & pro mundo dedisse quod mundi est, & ad ea quæ ex nihilo sunt substituta redimenda, eum qui ex nihilo substitit præbuisse: non facit magni meriti fidem vilis & spernenda jactura. PRETIOSA autem sunt quæ commendant caritatem, & ingentia ingentibus æstimantur. Deus diligens D mundum, filium non adoptivum, sed suum, sed unigenitum dedit. [m] Hîc proprietas est, nativitas est, veritas est: non creatio est, non adoptio est, non falsitas est. Hinc dilectionis & caritatis fides est, mundi saluti & filium & suum & unigenitum præstitisse.

Unigenitus filius Johanni non est creatura perfecta.

Johan. 3. 16.

41. Prætermitto omnes de Filio nuncupationes. Non est damnosa dissimulatio, ubi de copia est electio. Rei profectus semper ex causa est, & omne opus manifestam habet suscepti ne- E gotii necessitatem. Scribens utique [n] Evangelia,

Fides Christi ut Dei filii ad salutem necessaria.

[a] Editi, *& quia non*: minùs consentiunt superioribus, *& qui ex nihilo* &c.

[b] Ita codex Vat. bas. juxta græcum, ἵλεώς σοι κύριε, faventibus mss. Martin. Remig. & Theod. *propitius tibi esto Domine.* In aliis tamen libris fertur, *propitius tibi Dominus*, nisi quòd in Carn. exstet *Deus*, non *Dominus*. At cap. 16. in Matth. num. 9. habetur juxta Vulgatam, *absit à te Domine.*

[c] In ms. Martin. desideratur *post me*. Videsis pag. 691. not. g.

[d] Mss. Carn. Remig. ac Tell. *prava*: corruptè. Ea quippe erat, ut proximè dictum est, à crimine aliena.

[e] Vat. bas. codex, *sit adepta, & extra fidem & veritatem.* Magis placet cum aliis *& virtutem*, quæ nimirum in ligandi & solvendi potestate maximè commendatur.

[f] Editi excepto Bad. *nec ecclesia sit ulla*. Tum etiam Bad. *nec Christus*. Tres mss. *nec ecclesiæ*. Veriùs alii magno consensu, *nec ecclesia sit illa*, quæ scilicet talia profitetur, *nec Christi*, hoc est, nec ad Christum Ecclesiæ caput pertineat.

[g] Bad. & Er. *relictis deputatus*. Lips. & Par. *relictus deputatus*, sine *&*: ac deinde cum ms. Vat. bas. *dum non mori dicitur*. Ubi apud Bad. & Er. *dum non neque mori*, & in quibusdam mss. *dum neque non mori*. Rectiùs castigatiores mss. *relictus & deputatus, dum non neque non mori dicitur*: hoc est, dum neque dicitur moriturus, neque non moriturus, quia Christus suam de illius exitu noluit declarare voluntatem; atque ita hoc manet in occulto, seu sub sacramento. Ambrosius autem Serm. 20. in Psal. 118. aliquos ait de morte S. Johannis dubitasse. An eorum numero accensendus sit Hilarius, ex hoc loco non satis certò definiri queat, cùm adhæreat, quantum potest, verbis Evangelii Johan. 21. ℣. 22. & 23.

[h] Vox *filii* non occurrit nobis in mss. nisi in codice S. Martini Turon.

[i] Apud Par. desideratur particula *&*, quæ hîc perinde est atque *etiam*. Deinde apud Bad. Er. & in tribus mss. Vatic. post *unigenitum* adjicitur *nihil*: interpolatoris vitio. Hoc enim sibi vult: cùm *filii* vocabulo adjicitur *unigeniti* nomen, non de adoptivorum grege, qui numero plures sunt, sed proprius esse significatur. Ut enim ait Augustinus Coll. cum Maximino n. 14. *Si filius est, verus filius est, quia unigenitus est.* Ex eodem Johannis loco Faustinus Hilarii nostri vestigiis insistens tria concludit c. 2. lib. ad Flac. *Ergo unigenitus Filius non est creatura, qui Deum videt, quem nulla creatura videt. Et ne fortè unum eum de adoptivis filiis crederes, amputavit sensus impii occasionem, cùm eum dixit non solùm filium, sed etiam unigenitum Filium: hoc nomen non habet socios.* (en verba Hilarii clarè expressa. Addit,) *Filii adoptivi in sinu Abrahæ sunt: qui autem verus & unigenitus filius est, in sinu Patris est.*

[k] Particula *ita*, licèt superfluere videatur, additur ex fide veterum librorum. Mox in mss. Vat. bas. & Martin. *daret pro eo ut omnis.*

[l] Hîc Filius proprius esse ostenditur duobus argumentis, quorum alterum non satis apertè expressum est. Utrumque illustratur verbis Faustini loco laudato. *Si & Christus creatura est, quid contulit mundo, dans pro creatura creaturam?* (en primum; alterum verò,) *Si Christus creatura est, servus est: & quomodo redimit ad libertatem, cùm servus nullus jure possit conferre libertatem?* Præterea ex verbis, *ut omnis qui credit in eum* &c. colligit eum non esse creaturam, *cùm credere in creaturam sit divinitatis offensio.*

[m] In aliquot mss. *hinc proprietas*: malè. Pejùs apud Bad. & Er. *hinc pietas*. Quippe adoptioni opponitur proprietas, quæ *hîc est*, id est, in his Johannis verbis apertè declaratur. Ex qua declaratione sequitur nos illi fidem ac dilectionem debere. Ex quo patet cur nunc *hic*, ac postea *hinc* legendum.

[n] Editi, *evangelista*; & mox Par. *ut videamus*. Emendantur ex scriptis. Idem quoque argumentum prosequens Faustinus, *Si*, inquit, *verè adoptione esset filius Dei, & non naturâ ..... nusquam magis hoc explanasset* (Johannes,) *quàm in ultimo scriptionis; ne fides in ambiguo derelicta, vitam perderet per ambiguitatis incertum.*

scribendi debuit afferre rationem: & videamus quam ostenderit dicens, *Joh. 20. 31.* *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quoniam Iesus est Christus filius Dei.* Scribendi igitur Evangelii non aliam prætulit causam, quàm ut omnes crederent Jesum esse Christum filium Dei. Si sufficit ad salutem, Christum credere; cur adjecit filium Dei? Si verò Christum [a] credere ea demum fides est, non Christum tantummodo, sed Christum filium Dei credidisse; non est nomen filii in Christo unigenito Deo ex adoptionis consuetudine, [b] quod proprium est ad salutem. Si ergo salus in confessione nominis est; quæro cur in nomine veritas non sit. Quòd si in nomine veritas est; qua auctoritate creatio esse dicetur, cùm non creationis confessio salutem sit præstitura, sed filii?

Filius ex Patre natus.

42. Hæc igitur salus vera est, hoc perfectæ fidei meritum, Jesum Christum filium Dei credidisse. Non est enim dilectio in nobis ad Deum patrem, nisi per Filii fidem. Et audiamus eum per epistolam loquentem: *1. Joh. 5. 1.* *Omnis, qui diligit Patrem, diligit eum qui ex eo natus est.* Quid est rogo ex eo nasci? Numquid idipsum est, quod per eum [c] creari? Aut cur Evangelista mentitur, ut ex eo natum dicat, quem per eum creatum potiùs hæreticus doceat? Et audiamus omnes [d] quid sit hic doctor. Dictum namque est: *1. Joh. 2. 22.* *Hic est antichristus, qui negat Patrem & Filium.* Quid agis tu assertor creaturæ, & de non exstantibus Christi novus conditor? Si professionem tenes, profitentis nomen recognosce. An cùm creatorem & creaturam Patrem & Filium prædicabis, [e] per assimulatas nominum voces excludere posse te credis, ne esse antichristus intelligaris? Si in fide tua per naturam pater est, & per naturam filius est; maledicus ego sum, opprobrium in te alieni nominis referens. Sin verò simulata omnia sunt, & potiùs nuncupata quàm propria; fidei tuæ ab Apostolo disce cognomen, & audi quæ sit crediti Filii fides. Sequitur enim, *Ibid. 23.* *Qui negat Filium, neque Patrem habet: qui confitetur Filium, & Filium & Patrem habet.* Negans Filium, caret Patre: confitens Filium atque habens, habet Patrem. Quæro hîc quid adoptiva nomina loci habeant. Numquid non naturæ res ista omnis est? Et quàm naturæ sit, accipe.

Filium negantes, antichristi.

43. Ait enim idem, *Quia scimus quòd filius Dei venit, & concarnatus est propter nos, & passus est, & resurgens de mortuis assumsit nos, & dedit nobis intellectum optimum, ut intelligamus verum, & simus in vero filio [f] ejus Iesu Christo: hic est verus [g], & vita æterna, & resurrectio [h] nostra.* *1. Johan. 5. 20. & 21.* O infelix intelligentia, & Dei spiritu carens, & [i] in antichristi spiritum ac nomen proficiens, & nesciens ad sacramentum salutis nostræ Dei filium venisse, (per hoc indigna optimæ hujus intelligentiæ sensu,) creaturæ potiùs adoptivum nomen quàm verum filium Dei Jesum Christum esse confessa, quibusnam hoc arcanorum mysteriorum secretis edocta es? vel quis hodie novus hujus scientiæ tuæ auctor est? An ne secretò tibi hoc per familiaritatem amoris *Joh. 13. 23.* recumbenti in pectus suum Dominus ostendit? *Joh. 19. 27.* aut solus ad crucem sequens, inter cetera suscipiendæ tibi in matrem Mariæ præcepta, hæc quoque in illâ specialis in te amoris contestatione didicisti? vel ad sepulcrum prior quoque *Joh. 20. 4.* Petro currens adeptus es? vel [k] intra consessus *Apoc. 5.* Angelorum & signatorum librorum insolubiles nexus, & signorum cælestium multiformes potestates, & novarum atque incomprehensibilium cantionum hymnos sempiternos, tam pia tibi hæc per Agnum ducem revelata doctrina est, ne Pater pater sit, ne Filius filius sit, ne natura natura sit, ne veritas veritas sit? Hæc enim apud te omnia demutantur in falsa. Apostolus concessâ sibi optimâ intelligentiâ [l] verum Dei filium dicit: tu affirmas creationem, tu prædicas adoptionem, tu negas nativitatem. Et cùm hic verus Dei filius nobis sit, & vita æterna, & resurrectio; nec vita æterna est ei, nec resurrectio, cui ille non verus est. Et hæc quidem Johannes discipulus à Domino dilectus.

Johannes & hæretici simul comparantur.

44. Sed nihil ab his dissimile ex persecutore Apostolus & vas electionis prædicavit. Qui enim sermo ejus non sub filii confessione est? Quæ epistola non de sacramento veritatis istius cœpta est? In quo nomine non proprietatis

Paulus Christum passim prædicat verum Dei filium.

---

[a] Septem mss. *credere non sufficit.* Abest *non sufficit* à potioribus.

[b] Quod sequitur, his nititur Johannis verbis, loco proximè laudato cohærentibus, *& ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Quod faustè Faustinus vidit, ac nitidè sic exposuit: *Etiamne hîc suspicio est creaturæ, ubi, qui crediderit quòd filius Dei est Christus, æternam vitam possidet, & non aliter quàm in nomine ejus? ..... In nomine enim creaturæ ne quidem vitam temporalem potest quis assequi.*

[c] Si idipsum est, mundus ex Deo natus pari jure dicendus est, neque mala est Faustini consequentia: *Ergo & mundus à nobis diligendus est, si diligendus est Pater. Sed clamat Johannes, Nolite diligere mundum.*

[d] In vulgatis, *quis sit.* Concinniùs in mss. *quid sit.* Erasmus Hilario perperam vitio vertit, quòd Arianum nuncuparit antichristum, cùm hoc non tam ipse dicat, quàm audiat à Johanne dici. Unde Ambrosius lib. 2. de fide cap. 15. *Johannes dicit hæreticos esse antichristos, Arianos utique designans:* & Faustinus sæpe laudatus, *Meritò ergo antichristus vocaris, qui negas Patrem & Filium sub interpretatione impia.*

[e] Quidam mss. *per adsimilatas:* malè. Hîc perstringitur Arianorum hypocrisis, de qua Faustinus initio Operis sui: *Ariana impietas asserit quidem multa nobiscum iisdem nominibus, sed non iisdem sensibus. Nam iisdem quibus nos personat Deum patrem, & Deum filium* &c. Hinc & Hilarius noster mox ait, *simulata omnia.* Itaque proximo verbo *prædicabis*, non solus vocabulorum sonus, sed maximè animi intelligentia ac sententia significatur.

[f] Vox *ejus* in vulgatis omissa restituitur ex mss.

[g] Auctoritate vetustiorum mss. removimus hinc vocabulum *Deus:* quod abest pariter à primis Faustini editionibus, neque in postremis additum est nisi intra parenthesim, hoc est, ex conjectura. Ambiguum quidem est num ille legerit *hic est verus Deus:* quod Basilius lib. 4. contra Eunom. p. 106. Augustinus Coll. cum Maximino num. 14. & Cyrillus Alexandr. ad calcem Dial. 8. legunt. At verbum *verus* ad Filium ab Hilario relatum fuisse apparet; ut & legerit *hic est verus*, & subaudierit *filius*.

[h] Post *nostra*, additur *in ipso* apud Faustinum: apud quem idem ille locus totidem verbis refertur, quamvis hæc, *& resurrectio nostra*, sicut & superiora, *& concarnatus est propter nos, & passus est, & resurgens de mortuis assumsit nos*, modò non exstent in sacro textu tum græco tum latino, sicut nec apud Cyrillum loco mox laudato.

[i] Unus codex Vatic. cum duobus aliis, *& exinaniti Christi spiritum ac nomen profitens;* depravatè.

[k] Ex his, & ex dictis n. 20. liquet, non alium Hilario Johannem Evangelii, alium Apocalypsis auctorem fuisse.

[l] Pravè in nonnullis mss. *verbum Dei.* Et hîc optimum Hilarii interpretem Faustinum audire juvat: *Quomodo enim, inquit, non verus Deus est, qui verus est filius? quando non solùm de veri filii nomine Deus verus probatur, sed etiam per hoc quòd vita æterna est. Vita enim æterna non habet initium neque finem: ergo verus Deus est Christus non habens initium neque finem*, &c.

Rom. 5. 10. Rom. 8. 3. 1. Cor. 1. 9.

significatio est? Cùm enim dicitur, *Reconciliati sumus Deo per mortem filii sui*; & rursum, *Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati*; & rursum, *Fidelis Deus, per quem vocati estis in communionem filii ejus*: quid hic hæreticorum furto loci relictum est? Filius suus est, filius [a] ejus est: non adoptio ejus est, non creatura ejus est. Nomen naturam loquitur, veritatem proprietas enuntiat, fidem confessio testatur: non intelligo quid addi possit ad naturam filii. [b] Nam quòd filius ejus est, qui esse pater creditur; non incerta & infirma ille, qui electionis est vas, locutus est: nec Magister gentium & Apostolus Christi ambiguæ doctrinæ suæ errorem reliquit. Scit qui sint adoptionis filii, & qui hoc esse ac nuncupari per fidem meriti sunt. Ait namque, *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum* [c] *in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater.* Fidei nostræ per sacramentum regenerationis hoc nomen est: & professio nostra nobis præstat adoptionem. Filios enim Dei, opera secundùm spiritum Dei gesta connuncupant: & clamatur à nobis potiùs *Abba pater*, quàm ex naturæ manet proprietate; quia extra naturæ proprietatem est vocis officium, & dici atque esse non idem est.

Adoptivi filii. Rom. 8. 14. & 15.

Filius proprius diserte assertus. Rom. 8. 31. & 32.

45. At verò quæ de filio Dei Apostoli fides sit, intelligamus. Nam cùm omni, quem habuit ad Ecclesiæ doctrinam, sermone numquam Patrem sine Filii confessione loqueretur; tamen ut veritatem nominis hujus quanta posset humani sermonis significatione monstraret, ait, *Quid ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui filio proprio non pepercit, sed tradidit eum pro nobis.* Numquidnam etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen? Apostolus enim volens caritatem erga nos Dei ostendere, ut magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere nosceretur, non pepercisse Deum proprio filio suo docuit: non utique pro adoptandis adoptato, neque pro creatis creaturæ, sed pro alienis suo, pro connuncupandis proprio. Quære virtutem dicti; ut magnitudinem caritatis intelligas. Quid sit proprium expende; ne ignores veritatem. Nunc enim Apostolus proprium ait filium, cùm in multis vel *suum*, vel *ejus* sæpe dixisset. Et quamvis multi codices, per [d] translatorum simplicem intelligentiam, in hoc loco [e] pro *proprio filio*, *suo filio* conscriptum habeant: tamen græcitas, qua lingua Apostolus est locutus, proprium nunc magis quàm suum nuncupat. Et licèt communis intelligentiæ sensu non satis inter proprium & suum differat; verùm Apostolus, cùm in ceteris aliis dictis *suum filium* commemorasset, quod est græcè, τ̃ ἑαυτȣ̃ υἱὸν, tamen in hoc loco secundùm quod ait, ὅς γε τȣ̃ ἰδίȣ υἱȣ̃ οὐκ ἐφείσατο, *qui proprio filio non pepercit*, naturæ veritatem significanter expressit: ut qui superiùs filios plures per spiritum adoptionis demonstrasset, nunc unigenitum Deum filium proprietatis [f] ostenderet.

Epistola ad Romanos græcè scripta.

46. Non est humanus hic error, neque in negando Dei filio vitium ignorantiæ est, ubi ignorari non licet quod negatur. Creatura ex nihilo subsistens Dei filius dicitur. Hoc si nec Pater locutus est, nec Filius testatus est, nec Apostolus prædicavit, tamen audere eloqui, hoc est Christum non ignorare tantummodo, sed odisse. Cùm enim Pater de filio suo dicat, *Hic est*; & Filius de se dicat, *Qui tecum loquitur, ipse est*; & Petrus confiteatur, *Tu es*; & Johannes testetur, *Hic verus est*; & Paulus non desistat prædicare de proprio: non intelligo aliud quàm negandi esse odium, ubi imperitiæ error non excusatur in crimine. Loquitur hæc interim, loquitur planè per adventus sui prophetas ac prævios ipse ille, qui postea erit [g] in antichristo locuturus: salutarem fidei confessionem his tentamentis novis inquietans, ut primùm conscientiæ nostræ, [h] quia ita credimus, intelligentiam filii naturalis avellat; deinde ipsum illud, quod [i] adoptivum erit, reliquum nomen excludat. Nam * cum quibus creatura est Christus, necesse est ut cum his antichristus ipse sit Christus; quia filii proprietatem creatura non habeat, & Dei se ille filium mentiatur: & per hoc [k] à quibus hic Dei filius jam negatur, ab his tunc Christus ille credatur.

Inexcusabilis est, qui Christum filium Dei negat.

Matt. 3. 17. Joh. 9. 37. Matth. 16. 16. 1. Joh. 5. 21.

Antichristum pro Christo est suscepturus.

* seu, in quorum sententia.

47. Quas, oro, spes inanis furor expetis? & qua salutis tuæ fiduciâ creaturam esse Christum potiùs quàm filium blasphemo ore contendis? Oportuerat te ex Evangeliis nosse ac tenere fidei hujus sacramentum. Nam cùm Dominus possit omnia, tamen in unoquoque eorum, qui orabant operationis suæ effectum, meritum esse voluit confessionis. Neque enim ei virtutem, qui Dei Virtus est, confessio orantis addebat: sed fidei erat præmium, hoc mereri. Namque cùm Martham rogantem pro Lazaro interrogavit, an eos qui in se credidissent mori non crederet in æternum, [l] ad illa conscientiæ suæ fidem elocuta est dicens, *Vtique, Domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc*

Ad sanitatem merendam fides filii Dei præexigitur.

Joh. 11. 27.

[a] Editi, *filius ejus sit*: contra fidem mss. Hîc respiciuntur superiores Apostoli loci, quorum in duobus est *suus*, in postremo *ejus*.

[b] Bad. Er. Lips. ac non pauci mss. *quàm quod*. Meliùs Par. (modò correcta fuerit interpunctio vitiosa) cum antiquioribus mss. *Nam quòd*. Hîc vult sanctus Doctor, nihil ad significandam veri filii naturam addi posse, ubi habetur *filii* non modò nomen, sed & proprietas per pronomina *suus* & *ejus* signata, ac demum Apostoli utrumque testantis confessio.

[c] Editi, *in timore*: repugnantibus mss. & græco.

[d] In ms. Martin. *latinorum*, loco *translatorum*.

[e] Par. *pro proprio suo filio*: haud satis distinctè. Nonnulli mss. *pro proprio filio suum filium*. Observat Faustinus hîc Paulum alludere ad ista Gen. 22. 12. *Nunc cognovi, quia times Deum, & non pepercisti dilecto filio tuo*, & Isaac figuram fuisse filii Dei: pleniorem autem atque perfectiorem veritate ipsa futuram fuisse figuram, si Isaac verus filius à patre suo Abraham, & filius non verus à Deo patre oblatus fuerit.

[f] supple, *vocabulo*. Quamquam *proprietatis* vox ita collocatur, ut *filius proprietatis* opponatur *filiis adoptionis*.

[g] Vetus codex Colb. *antichristo*, omisso *in*.

[h] Bad. Er. & Lips. cum nonnullis mss. *qua ita credimus*. Meliùs Par. post vetustiores mss. *quia*. Redditur enim ratio cur diabolus non statim tentet eripere Christo filii nomen, quia nimirum ita fixum est in nostra fide eum esse filium, ut ab hac sententia statim divelli nos posse desperet.

[i] id est, ipsa illa adoptionis conditio faciat, ut eum etiam filium non esse facilè concedamus.

[k] Exemplar. Carn. *quia hic*. Tum ms. Vat. bas. *Deus filius*. Mox aliquot alii, *Christus ille creditur*. Retinendum cum antiquioribus *credatur*, subaudito *necesse est*.

[l] Ita ex mss. Colb. & Germ. In aliis verò libris, *at illa*.

mundum venisti. Confessio hæc æternitas est, & fides ista non moritur. Martha deprecans fratris sui vitam, interrogata an ita crederet, ita credidit. Quam, rogo, vel à quo vitam exspectat hoc denegans, cùm sola sit vita sic credere? Magnum est enim fidei hujus sacramentum, & perfecta confessionis istius beatitudo est.

Ad salutem animæ eadem à cæco jam vidente postulatur.

48. Cæco à nativitate Dominus visum indulserat, & naturæ damnum naturæ Dominus exemerat. Et quia cæcus hic ad gloriam Dei natus fuerat, ut in Christi opere Dei opus posset intelligi, non exspectata ab eo fuit fides confessionis: sed qui in receptis oculis auctorem tanti sibi muneris nesciebat, meruit hoc postea ut fidem disceret. Non enim cæcitatis depulsio vitæ æternitatem afferebat. Ob quod Dominus jam sanum, & de synagoga ejectum interrogat dicens, *Tu credis in filium Dei?* (Joh. 9. 35.) ne damnum sibi putaret esse, se carere synagogâ, cui immortalitatem fides hæc confessa redhiberet. Et cùm ille incertus etiamnum respondisset, *Quis est, Domine, ut credam in eum?* (Ibid. 36.) ignorationem ejus, quem post oculorum recuperationem tantæ fidei intelligentiâ munerabatur, nolens manere, ita ait: *Et vidisti eum, & qui tecum loquitur, ipse est.* (Ibid. 37.) Numquid ab hoc sicut à ceteris Dominus, qui orabant sanitates, confessionem fidei ad salutem merendam reposcit? Non utique. Nam hæc jam ad cæcum videntem locutus est; sed ob id tantùm, ut responderet ille, *Credo Domine:* (Ibid. 38.) quia responsionis fides non cæcitatis sanitatem esset allatura, [a] sed vitæ. Et virtutem dicti hujus diligenter retractemus. Interrogat Dominus, *Tu credis in filium Dei?* Si utique sola Christi qualiscumque confessio fidei esset consummatio; dictum fuisset, Tu credis in Christum? Sed quia hæreticis pæne omnibus hoc nomen in ore esset futurum, ut Christum confiterentur, & filium tamen negarent; id quod Christo proprium est ad fidem poscitur, id est, ut credatur in Dei filium. Credidisse autem in Dei filium quid proficit, si credatur in creaturam; cùm à nobis fides in Christo, non creaturæ Dei, sed filii postuletur?

Filium Dei dæmones non nescierunt.

49. Anne hujus nominis proprietatem dæmones nescierunt? Dignum enim est hæreticos non jam apostolicis doctrinis, sed dæmonum [b] ore convinci. Clamant enim, & sæpè clamant, *Quid mihi & tibi est Iesu fili Dei altissimi?* (Luc. 8. 28.) Invitis veritas elicuit confessionem, & naturæ potestatem testatur dolor obediendi. Virtute vincuntur, cùm possessa diu corpora deserunt: honorem reddunt, dum naturam [c] confitentur. Dei se inter hæc filium Christus & opere testatur & nomine. Unde tibi inter istas confitentium dæmonum voces, ô hæretice, [d] nomen creaturæ & indulgentia adoptionis?

Judæi filium Dei Christum scierunt, etsi qui esset Christus nescierunt.

50. Quid sit Christus, ab his saltem qui nesciunt disce; ut impietatem tuam ipsa illa ignorantium necessaria professio arguat. Namque cùm Judæi Christum corporeum nescirent, scirent tamen eum qui Christus esset esse filium Dei; cùm falsis adversùs eum testibus sine ulla veritatis assertione uterentur, sacerdos eum ita interrogat: *Tu es Christus filius [e] Benedicti?* (Marc. 14. 61.) Sacramentum nescientes, naturam tamen non ignorant. Neque interrogant an Christus Dei filius sit, sed an hic sit Christus filius Dei. Error in homine est, non in Dei filio. Nam non quòd Christus Dei filius sit ambigitur: atque ita dum interrogatur an hic sit, tamen quòd Christus sit Dei filius non negatur. Et qua tandem, rogo, tu istud fide denegas, quod ne ipsi quidem negant qui nesciunt? Cùm enim perfecta scientia sit, Christum Dei filium ante sæcula manentem, etiam ex virgine nosse natum; ipsi quoque, qui de Maria natum nesciunt, Dei tamen filium esse non nesciunt. Et vide in quod te, negando filium Dei, Judaicæ impietatis consortium miscuisti. Quam enim illi damnationis in eum causam attulerint testantur, dicentes, *Et secundùm legem debet mori, quoniam filium Dei se fecit.* (Johan. 19. 7.) Anne non hoc etiam impiæ tuæ vocis opprobrium est, [f] cur se filium dicat, quem tu esse asseras creaturam? Ille, Dei confitendo se filium, reus mortis ab his judicatur: tu, eum Dei filium negando, quæro quid judices? Professio enim ejus ita Judæis, ut tibi displicet. Interrogo an diversæ ab eis sententiæ maneas, à quibus non diversus sis voluntate? Eâdem enim filium Dei eum esse impietate tu denegas. Illi tamen eò crimine minore, quòd nesciunt. Nesciunt enim de Maria Christum, sed Christum Dei filium esse non ambigunt. Tu quia Christum non potes nescire de Maria, Christum tamen Dei filium esse non prædicas. Illis, in eo quod nesciunt, potest adhuc in tuto salus esse si credant: tibi jam omnia clausa sunt ad salutem [g], qui negas quod ignorare jam non potes. Non enim ignoras esse filium Dei; usque adeo ut adoptionis nomen indulgeas, ut creaturam connuncupatam filium mentiaris. Naturam autem quantum in te est auferens, auferres quoque si tibi liceret & nomen. Sed quia id non licet, naturam [h] nomini non relinquis: ne quòd filius dicitur, verus Dei filius sit.

Ariani in Christum contumeliosiores quàm Judæi.

Christum verè filium Dei confitentur Apostoli.

51. Habueras in confessione eorum, quibus, desæviente vento & turbato mari, in verbi jussu erat restituta tranquillitas; ut & tu verum Dei filium confitereris, & eorum voce utereris, *Verè filius Dei est.* (Matt. 14. 33.) Sed te sæviens spiritus in naufragium vitæ rapit, & mentis tuæ motibus tamquam fluctuoso mari incumbens procella dominatur.

52. Si tibi hæc navigantium ex eo incerta

[a] Lips. & Par. *sed vitam.*

[b] Ita mss. vel ex librariorum lapsu, *more.* At editi, *clamore.* Mox in ms. Vat. bas. *Quid nobis & tibi.*

[c] In mss. Vat. bas. & Mart. *naturam Dei.*

[d] Editi, *præsumis nomen creaturæ & indulgentiam adoptionis:* refragantibus mss.

[e] In priùs vulgatis, *Dei benedicti.* Abest vox *Dei* à mss. & à græco. Judæorum error hinc notatur in facto, non in jure fuisse.

[f] Ita mss. At excusi, *cùm se filium Dei dicat, quem tu asseris creaturam.*

[g] Dicti hujus ratio petenda ex Tract. Psal. 135. num. 3. ubi inter alia hæc habentur: *Extra veniam est, qui peccatum cognovit, nec cognitum confitetur:* & hoc, quia *confessio erroris professio est desinendi;* nec veniam meretur, qui à peccato desinere renuit. Vide annotata pag. 537. not. f.

[h] Sic mss. ut superiùs num. 25. *Si non credo nominibus, si naturam vocabulis non intelligo.* Editi verò, *naturam nominis.*

fides videbitur, quia existimabitur esse Apostolorum; mihi tamen ETSI MINUS præstat admirationis, plus tamen affert auctoritatis. Verumtamen etiam gentium in eo fidem sume: audi enim inter sævas crucis custodias Romanæ cohortis edomitum ad fidem militem. Loquitur namque conspectis tantæ virtutis operationibus centurio, *Verè Dei filius erat iste*. Hoc, post emissum spiritum, discissum templi velum, & mota terra, & scissa saxa, & sepulcra patentia, & mortui resurgentes testantur; & homo gentilis perfidiæ confitetur: virtutis naturam agnoscit in gestis, naturæ veritatem profitetur in nomine. TANTA RATIO VERITATIS, & tanta vis fidei est, ut vincat voluntatem veri necessitas, & Christum Dominum gloriæ æternæ verè Dei filium esse, nec qui crucifixerat denegaret.

Confitetur & qui crucifixerat Centurio. Matth. 27. 54.

LIBER SEPTIMUS.

In exordio exponitur libri hujus præstantia, scribendi causæ, Arianorum vafrities, quâ huc usque delusa sit ac repulsa, adversandi eis discrimen, ne videlicet Arium confutans Sabellio, ac rursus Sabellium impugnans Photino favere videatur; & in rem Ecclesiæ quomodo se invicem Arius, Sabellius, ac Photinus vincant aut vincantur. Quibus breviter explicatis, eum, qui verè ex natura filius Dei est, verè quoque per naturam, salva unius & non singularis Dei fide, Deum esse comprobatur, utpote cui Dei nomen, nativitas ex Deo, divina cùm natura, tum potestas, ac denique quia se ipse Deum profiteatur. Quamquam fatetur Hilarius, cum argumento ex nativitate petito ita connexa esse cetera, ut seorsim tractari nequeant.

Ac primò quidem ponit, naturam rei nomine semper significari, nisi ratione adjectorum adventitium & non proprium esse indicetur: de Filio autem ita à Johanne dici, Et Deus erat Verbum, *& à Thoma,* Dominus meus & Deus meus, *ut hæ appellationes, etiam ex adjunctis, veram in eo Dei naturam exprimant. Cui verò, non secus ac Patri, naturæ divinæ proprium nomen, unius est cum ipso naturæ: ac proinde ipse cum Patre non duo Dii, sed unus est. Leviter hîc attingit Verbi, Sapientiæ ac Virtutis cognomina, eaque Filio aptata esse declarat, ut in Patre absque ulla ipsius divisione aut demutatione subsistere ostendatur.*

Subjicit deinde non minùs per se esse notum, nato eam inesse naturam ex qua subsistit: nec dubitari posse, quin ex Deo natus sit Christus, quem ob hoc maximè interficere volebant Judæi, quia proprium sibi patrem dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. *Nativitas autem, sicut & æqualitas, nec solum patitur, nec diversum.*

Ex eo ipso sermone, quem tunc Christus ad Judæos habuit, illius ex Deo nativitatem simul & paternæ naturæ unitatem demonstrari pluribus evincit: naturæ quidem unitatem, dum operatur quod Pater, dum omnia eademque facit, dum una utriusque in mortuis vivificandis potestas, unus honor, una injuria, dum denique omne judicium habet; nativitatem verò, dum filium se se vocitare non desinit, dum ita agit quod Pater, ut tamen non ab se, *ita eadem, ut tamen* similiter, *ita judicium omne habet, ut tamen à Patre sit acceptum. Quod quidem confirmatur tum ex Judæorum intelligentia, qui Christum his dictis se verè Dei filium veréque Deum prædicare intellexerunt, tum ex ipsius Christi responsis, quibus non se malè intellectum retulit, sed iniquè non creditum, cùm dictorum fidem opera facerent.*

Postremò ex iis, quæ Christus à Philippo ut Patrem sibi ostenderet rogatus peroravit, ipse se & ex Patre natum, & unius ejusdemque cum eo naturæ disertè docere demonstratur.

Hic liber superioribus præstat.

1. SEPTIMUS hic nobis adversùm novæ hæreseos vesanam temeritatem liber scribitur: ceteris quidem anterioribus numero posterior, sed ad perfectæ fidei sacramentum intelligendum aut primus, aut maximus. In quo non ignoramus quàm difficile atque arduum iter doctrinæ evangelicæ scandamus. A quo quamvis [a] consciæ infirmitatis nostræ trepidatione revocemur; tamen fidei æstu incitati, & hæreticorum furore commoti, &

Scribendi causæ.

[a] Nonnulli mss. *conscientia infirmitate nostra & trepidatione.* Præferebant quoque editi, *conscientia.* Veriùs castigatiores mss *conscia*, supple *sibi*, ceu, cujus conicii sumus. Qua loquendi ratione in Psal. 68. num. 15. exstat, *conscia in se salutis fiducia.* Nec displicet cum Corb. à prima manu, *conscii.*

periculo ignorantium perturbati, quæ loqui non audemus, silere non possumus: utriusque discriminis [a] metu subditi, ne destitutæ veritatis rea in nobis sit aut taciturnitas, aut prædicatio. Incredibilibus etenim se corrupti ingenii artibus hæretica subtilitas circumegit: primùm ut [b] fingeret religionem, deinde ut omnium simplicium aurium securitatem verbis falleret, tum præterea ut se prudentiæ sæculi coaptaret, postremò ut veritatis intelligentiam per speciem [c] editæ rationis averteret. Nam protestata * Deum unum, mentita pietatem est; professa rursus Dei filium, audientes fefellit in nomine; dicens etiam non fuisse ante quàm nascitur, mundi sapientiæ satisfecit; indemutabilem quoque & incorporeum Deum confitens, nativitatem Dei ex Deo per demonstrationem subdolæ rationis exclusit: nostris adversùm nos usa doctrinis, & Ecclesiæ fide contra Ecclesiæ fidem pugnans, gravissimo adversùm nos vel responsionis vel silentii periculo comparato, dum per ea quæ non negantur, ea prædicat quæ negantur.

Hæreticorum subtilitas ac fraudes.

* in epistolâ lib. 4. & 6. relatâ.

2. Et quidem ceteris superioribus libris admonitos à nobis legentes meminimus, ut totius blasphemiæ [d] editionem pertractantes, animadverterent non aliud laborari, quàm ut Dominus noster Jesus Christus neque Dei filius neque Deus esse credatur, dum ei concessis tantùm ex quadam adoptione nominibus, & Dei natura negatur & filii: cùm & indemutabilis atque incorporeus Deus, sicuti & est, idcirco affirmatur, ne Filius natus ex Deo sit; & Deus pater ob id tantùm in confessione Deus unus sit, ne in fide nostra Deus Christus sit: quia nec nativitatis intelligentiam natura incorporalis admittat, & Dei ex Deo fidem unus tantùm nobis Deus in confessione dissolvat. Sed superioribus jam libellis fallacem hanc eorum atque inutilem prædicationem ex lege ac prophetis docentes, eam responsionis formam tenuimus, quæ in Deo ex Deo prædicato, & uno Deo ac vero professo, neque in unius veri Dei unione deficeret, neque ad fidem Dei alterius excederet; dum neque solitarius nobis Deus in confessione, neque duo sunt. Et inter hæc, unum neque negando neque confitendo, fidei [e] conservata perfectio est, dum & quòd unum sunt refertur ad utrumque, & uterque non unus est. Hoc igitur perfectæ fidei indissolubile sacramentum evangelicis atque apostolicis doctrinis absoluturi, non aliud primùm debuimus, quàm Dei filium veræ nativitatis subsistentem [f] naturam cognitioni audientium intimare; neque aliunde aut ex nihilo, sed ex Deo esse Filium manifestare. Quod quia secundùm ea, quæ anteriore libro edita sunt, ambigi non potest, quin cessante adoptionis nomine, verus filius ex veritate nativitatis sit: [g] ea nunc quoque ex Evangeliis proferimus, ut quia filius verus est, verus quoque Deus esse noscatur: quia neque verus filius erit, nisi verús & Deus est; neque verus Deus, nisi verus & filius est.

Quid epistolâ suâ tentarint ingerere.

Liber superior verum filium, hic ostendit Deum verum.

3. Nihil humanæ naturæ gravius est periculi conscientiâ: (nam ea quæ aut ignorata aut repentina sunt, habent quidem miserabilem securitatem, sed non habent metum futuri:) quia non ignaro accidentium, anxietas ipsa pœna patiendi est. Non ego nunc navem è portu solvo naufragii ignarus, neque iter ineo infestos [h] nescius latronibus saltus, nec Lybiæ arenas incertus scorpiones ubique & aspides & basiliscos adesse transcurro: nihil sollicitudini meæ, nihil conscientiæ vacat. Sub specula enim omnium hæreticorum ad occasiones singulorum verborum in os meum pendentium loquor, & omne sermonis mei iter aut angustiis præruptum, aut foveis incisum, aut laqueis prætensum est. Jam quòd arduum ac difficile sit, minùs conqueror: non meis enim, sed apostolicis scando gradibus. Mihi verò aut angustiis [i] decedere, aut in defossa incidere, aut plagis illaqueari, semper in periculo, semper in metu est. Prædicaturo enim secundùm legem & prophetas & Apostolos unum Deum, adest mihi Sabellius, totum me sub verbi hujus professione tamquam desideratum cibum morsu sævissimo transvorans. Negantem me rursum contra Sabellium unum Deum, & confitentem verum Deum Dei filium, exspectat nova hæresis, ut à me duos deos arguat prædicari. Natum quoque Dei filium ex Maria dicturo, Hebion [k] quod est Photinus assistit, auctoritatem mendacii sui ex professionis veritate sumturus. De ceteris taceo, qui ab omnibus esse extra Ecclesiam non ignorantur. Hoc verò damnatum & abjectum licèt frequenter, sed [l] internum hodie adhuc malum est. Impiè multos ad unius Dei professionem Galatia [m] nutrivit. Malè in totum pæne orbem quos negat duos deos Alexandria [n] protulit. Pestifere natum

Hæresim unam confutans vix fugit suspicionem alterius.

Quî eis occurrerit Hilarius.

Sabellius.

Arius.

Hebion.

Photinus.

[a] Editi, *metui subditi*: reluctantibus mss. Deinde unus è Vat. *ne de destitutione veritatis.*

[b] Vat. bas. ms. *ingereret.*

[c] Exemplar Martin. *meditatæ rationis.*

[d] In codice Vat. bas. adjicitur hîc, *eorum*: & mox post *Deus esse credatur*, subjicitur *ex Deo.*

[e] Exemplar bas. Vat. cum Mart. *consummata*: minùs ad rem. Ita pag. 875. not c. observavimus verbum *consummet*, loco *conservet*, in ms. Carn. secundis curis substitutum.

[f] Editi, *subsistentem naturâ*: reluctantibus mss.

[g] Excusi, *eam*: castigantur ex mss. Mox Mart. *proferamus*, non *proferimus*. Postea ex Colb. reponimus *ut quia filius*, ubi antea legebatur *ut qui filius.*

[h] In solis editis, *nesciens.*

[i] Bad. Er. & quidam mss. *angustiis decidere*, Lips. & Par. *in angustiis decidere*: castigantur ex mss. Vat. bas. Carn. Mart. Corb. &c.

[k] Lipsius post Er. *qui est*. Recentiores mss. *qui &*. At vetustiores cum Bad. *quod est*, quasi, *hoc est*. Photinum autem ideo Hebionem vocat, non modò quia hæresim illius suscitavit, sed & quia lib. 1. in argumento hujus libri de Hebione agendum sibi proposuerat. Unde & librum primum ante hunc compositum, & Photini hæresim Hilario tum ignotam fuisse nobis videri jam præmonuimus. Post pauca in vulgatis, *ex professione veritatis*, ubi ex mss. restitutum est *ex professionis veritate.*

[l] Solus codex Vat. bas. *internum illud adhuc.*

[m] Marcello videlicet Ancyræ in Galatia episcopo præceptore ac magistro. Neque enim ad aliud referri queunt hæc Hieronymi de Script. eccl. in Marcello: *Sed & Hilarius septimo adversùm Arianos libro nominis ejus quasi hæretici meminit*: ubi Hieronymus Marcellum ita dubio procul intellexit, ut etiam nominatum scripserit, memoriâ forsitan ita suggerente.

[n] Ario, uti omnes vident, auctore: qui duos deos in orbem invexit, cùm Patrem Deum ac Filium Deum dicens & colens, utrumque diversæ substantiæ asseruit: jactitabat tamen se unum omnino Deum velle, duos negare. Unde Augustinus contra Maximinum Arianæ sectæ fautorem lib. 1. c. 1. *Ubi aisti à vobis unum Deum coli: consequens est, inquam, ut aut non colatis Christum, aut non unum Deum colatis, sed duos.*

Jesum

Jesum Christum ex Maria Pannonia [a] defendit. Et Ecclesia inter hæc periclitatur veritatem non tenere per vera, dum ea ei ad irreligiositatem ingeruntur, quibus religio & confirmatur, & deperit. Non enim unum Deum piè possumus prædicare, si solum *: quia non erit Deus filius in solitarii fide. At verò Dei filium, sicut est, Deum prædicantes, periclitamur * fidem Dei unius non tenere: & ejusdem periculi res est [b] unum non negare, cujus est & solitarium confiteri. Et hæc quidem mundi stulta non sentiunt, dum his neque in non solo significari unus videtur, neque in uno non solus intelligi.

* supple, prædicamus.

* in hominum existimatione.

4. Sed eam, ut spero, Ecclesia doctrinæ suæ lucem etiam imprudentiæ sæculi invehet, ut licèt fidei sacramentum non suscipiat, tamen adversùm hæreticos veritatem sacramenti à nobis intelligat prædicari. MAGNA enim VIS EST VERITATIS, quæ cùm per se [c] intelligi possit, per ea tamen ipsa quæ ei adversantur elucet: ut in natura sua immobilis manens, firmitatem naturæ suæ quotidie dum attentatur acquirat. Hoc enim ECCLESIÆ PROPRIUM est, ut tunc vincat cùm læditur, tunc intelligatur cùm arguitur, tunc obtineat cùm deseritur. OMNES quidem illa secum atque intra se [d] vellet manere, nec ex tranquillissimis finibus suis alios aut abjicere, aut perdere, dum indigni fiunt tantæ matris habitaculo: sed discedentibus ex ea hæreticis, vel abjectis, quantum amittit occasionis largiendæ ex se salutis, tantum [e] adsequitur ad fidem expetendæ de se beatitudinis. Cognosci enim hoc ex ipsis hæreticorum studiis promtissimum est. Namque cùm Ecclesia à Domino instituta, & ab Apostolis confirmata, una omnium sit, ex qua se diversarum impietatum furens error absciderit; nec negari possit, ex vitio [f] malæ intelligentiæ, fidei exstitisse dissidium, dum quod legitur, sensui potiùs coaptatur, quàm lectioni sensus obtemperat: tamen dum sibi partes singulæ adversantur, non solùm suis, sed adversantium est intelligenda doctrinis; ut dum adversùm unam eam omnes sunt, impiissimum tamen errorem omnium per id quòd sola est atque una confutet. Hæretici igitur omnes contra Ecclesiam veniunt: sed dum hæretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt. VICTORIA enim eorum, Ecclesiæ triumphus ex omnibus est, dum eo hæresis contra alteram pugnat, quod in hæresi altera Ecclesiæ fides damnat: (nihil enim est, quod hæreticis commune est:) & inter hæc fidem nostram, dum sibi adversantur, affirmant.

Veritatis vis.

Ecclesia situ suo tenere omnes peroptat.

Ex ipsis hæresibus cognoscitur, Una est.

De hæresibus se invicem vincentibus triumphum agit.

5. Unum Deum Sabellius prædicat Filii nativitate sublata, [g] dum naturæ Virtutem, quæ operata in homine est, Deum esse non ambigit. Sacramento etenim filii ignorato, per gestorum admirationem fidem veræ generationis amisit: & dum audit, *Qui me vidit, vidit & Patrem*, indiscretæ & [h] indissimilis in Patre & Filio naturæ impiè arripuit unionem, non intelligens naturalem unitatem sub nativitatis significatione monstrari: cùm per id, quòd in Filio Pater videtur, confirmatio divinitatis sit, non nativitatis abolitio. Cognitio itaque alterius in altero est, quia non differt alter ab altero naturâ: & in quo nihil differunt, in eo [i] indifferens contemplatio est de proprietate naturæ. Nec sanè ambigi potest, quin ex se speciem Dei formæ, qui in forma Dei manebat, ostenderet. Succedit quoque ad hujus pravæ opinionis stultum furorem etiam hoc dictum Domini: *Ego & Pater unum sumus*. Naturæ enim indissimilis unitas irreligiosè ad unionis profecit errorem: & rationem dicti virtus sola intellecta non tenuit. Non enim solitarium significat, *Ego & Pater unum sumus*. Nam conjunctio ea, quæ significat *& patrem*, intelligentiam non admittit unius; & illud [k] quòd *sumus*, non patitur singularem: hoc verò quòd *unum sumus*, non nativitatem adimit, sed naturam non discernit in genere; dum neque *unum* diversitatis est, nec *sumus* unius est.

Sabellii error ejusque confutatio.

Johan 14. 9.

Joh. 10. 30.

6. Compinge hujus * furori præsentium * hæreticorum furorem, ut adversùm Sabellium sibi adsint. Legisse se asserent, *Pater major me est*: & nihil vel ex nativitatis sacramento, vel ex mysterio evacuati à se Dei & assumtæ carnis intelligentes, naturæ facient [l] deminutionem professione majoris. Contendent enim adversùm Sabellium, Filium esse eò usque, ut & minor Patre sit, ut & honorem præteritum reposcat, & mori timeat: & mortuus sit. Contrà verò ille * naturam Dei defendit [m] in gestis: &

* Sabellii.

* Arianorum.

Joh. 14. 28.

Ut Sabellius & Arius secum pugnantes rem agant Ecclesiæ.

* Sabellius.

[a] puta per Photinum Sirmiensem episcopum, cujus error non in eo hîc ponitur, quòd Christum ex Maria natum defendat, sed quòd temporariam illam nativitatem solam prædicet.

[b] Editi excepto Par. *unum Deum negare*. Veriùs Par. cum potioribus mss. *unum non negare*: hoc est, qui unum Arianis prædicantibus non negat, statim cum iisdem videtur facere, & Filio divinitatem auferre.

[c] Er. Lips. & Par. *intelligi non possit*: malè & præter fidem mss. Porro quod hîc de veritate, hoc mox clariùs de Ecclesia affirmatur, ut quæ *non solùm suis, sed adversantium est intelligenda doctrinis*.

[d] Vat. bas. ms. *vult manere*. Mox soli editi, *aliquos abjicere*: refragantibus mss.

[e] Martinianus codex, *consequitur*. Par. cum mss. Colb. & Germ *exsequitur*. Deinde Corb. *expendendæ*, non *expetendæ*.

[f] In mss bas. Vat. & Mart. *malè intellectæ fidei*: corruptè. Videsis lib. 2. num. 3. & lib. 1. n. 18.

[g] Bad. Er. & ms. Corb. aliique pauci, *dum per naturæ virtutem*. Mox apud Lips. & Par. *Dei esse non ambigit*: ms. Martin. solo suffragante. Hunc locum sic imitatur Faustinus sæpe jam laudatus cap. 1. *Sabellius admiratione virtutum, quas Christus operabatur, Christum Deum esse credit*: ad superiorum imitationem deinde subjiciens, *Sabellius vincat Arium, quòd Christus verus Deus est: & Arius vincat Sabellium, quòd Christus sub confessione veri Dei verus & filius est: & mihi catholico ambo vicerunt* &c. Ut enim eleganter ad mentem Hilarii nostri ait Vigilius Taps. lib. 2. contra Eutych. *inconsonæ perfidorum sententiæ in unum rectæ fidei modulum concinunt, trophæumque nostræ victoriæ eorum cassa certamina gignunt. Sabellii enim perfidia Arii damnat errorem* &c.

[h] In mss. Vat. bas. & Mart. *& indivisibilis*: malè. Hunc locum ita exprimit Faustinus cap. 1. *Cùm dicit, Qui me vidit, vidit & Patrem; sicut Patris & Filii non unam ostendit esse personam, ita unam ostendit esse deitatem; cùm in Patris & Filii substantiâ nulla diversitas est.*

[i] Editi, *differens*: emendantur ex scriptis.

[k] Lips. & Par. omittunt particulam *quòd*; qua exprimitur τὸ Græcorum. Juxta hæc Hilarii verba Maximus Taurin. hom. 1. de S. Eusebio, *Qui & unum dicit, & sumus, nec separatione se dividit, nec unione confundit.*

[l] Præfert ms. Vat. bas. *demutationem*. Malumus cum aliis *deminutionem*. quod aptiùs respondet verbis, *major me est*, ex quibus Ariani Christum Deum minorem & quasi diminutum prædicabant. Proximè antè in vulgatis exstat *faciunt*, & suprà *asserunt*, ac pòst, *contendunt*, non juxta mss. *asserent, facient, contendent*.

[m] In ms. Mart. *ingeniti*. Veriùs alii libri, *in gestis*, id est, ex iis quæ gessit Christus, Dei in eo naturam esse defendit.

cùm unum Deum novella hæc nunc hæresis non negabit, ne filium Deum credat; Sabellius tamen Deum unum, ne filius omnino exstet, in professione retinebit. * Hic filium operantem ingeret: * hic Deum in operibus esse contendet. Hic unum dicet: [a] iste unum Deum negabit. Sabellius se ita tuebitur dicens, Opera, quæ gesta sunt, præter quàm Dei natura non efficit: peccatorum remissio, curatio infirmitatum, claudorum cursus, cæcorum visus, mortuorum vita à Deo solo est. Non alia natura, quàm quæ sui conscia est, diceret, *Ego & Pater unum sumus*. Quid me in substantiam alteram rapis? quid in Deum alium sollicitas? Gesta, quæ propria Dei sunt, Deus unus hæc gessit. Clamabunt verò contra hæc dissimilem Deo patri filium prædicantes non minùs ore vipereo: Sacramentum salutis tuæ nescis, credendus est filius per quem sæcula facta sunt, per quem formatus homo est, qui per Angelos legem dedit, qui [b] de Maria natus est, qui missus à Patre est, qui crucifixus est, mortuus & sepultus est, qui de mortuis resurgens in dextris Dei est, qui vivorum judex est & mortuorum. In hunc renascendum est, hic confitendus est, hujus regnum est promerendum. Uterque hostis Ecclesiæ, res Ecclesiæ agit: dum Sabellius Deum ex natura in operibus prædicat, hi verò ex sacramento fidei filium [c] Dei confitentur.

* Arius.
* Sabellius.
Joh. 10.30.
Ariani.

7. Jam verò qua fidei nostræ victoriâ Hebion, qui Photinus est, aut vincit aut vincitur: dum Sabellium arguit, cur hominem neget filium Dei; dum ab [d] Ariomanitis confutatur, cur in homine nesciat Dei filium. Adversùm Sabellium [e] Evangelia sibi ex filio Mariæ defendit: Arius ei Evangelia per solum Mariæ filium non relinquit. Adversùm * hunc, qui filium negat, homo ab eo * usurpatur in filium. [f] Ab hoc ei, qui ante sæcula filium nesciat, filius Dei solùm negatur ex homine. Vincant, ut volunt, quia se invicem vincendo vincuntur: dum & hi *, qui nunc sunt, de natura Dei confutantur, & Sabellius de sacramento filii refellitur, & Photinus natum ante sæcula Dei filium vel ignorare arguitur, vel negare. Sed inter hæc Ecclesiæ fides, evangelicis atque apostolicis fundata doctrinis, & adversùs Sabellium tenet filii professionem, & adversùs Arium Dei naturam, & adversùs Photinum sæculi creatorem: & hoc veriùs, quòd hæc ab his invicem non negantur. Naturam enim Dei in operibus Sabellius prædicat, sed operantem filium nescit. Hi verò filium nuncupant, sed veritatem in eo naturæ Dei non confitentur. Hominem autem Photinus usurpat, sed in usurpato sibi homine nativitatem Dei ante sæcula ignorat. [g] Ita dum quæ unusquisque defendit aut damnat, veritatem fidei nostræ, hæc ipsa prout sunt religiosè & [h] defendentis & damnantis, ostendunt.

Photini cum Ario & Sabellio discordia idem præstat.
* Sabellium.
* Photino.
* scil. Ariani.
Ecclesiæ fides contra præd. dictos hæreticos.

8. Hæc igitur à me demonstranda paucis fuerunt, non copiæ studio, sed ratione cautelæ: primùm ut hæreticorum incerta esse omnia & erratica noscerentur, [i] cùm quando sibi pro nobis invicem diffiderent: tum deinde ne me horum qui nunc sunt * blasphemis professionibus obnitentem, & Deum patrem ac filium Dei Deum prædicantem, deinde ut unius nominis, atque naturæ, [k] indissimili genere divinitatis, Patrem & Filium esse profitentem, quisquam aut in duûm deorum, aut contrà in unici ac solitarii Dei teneret errore; cùm quando neque unio in prædicato Deo patre & Deo filio repereritur, neque sub indiscretæ naturæ demonstratione deorum diversitas conveniret. Nunc quia negantibus Dei filium à Deo ex nativitatis veritate subsistere, libro superiore secundùm Evangelia responsum est; demonstrandum est eum, qui verè ex natura filius Dei est, verè quoque per naturam Deum esse: ita tamen, ut neque ad singularem, neque ad alterum Deum fides nostra depereat; cùm neque unum Deum sit sic prædicatura quasi solum, neque quasi non unum sit confessura [l] non solum.

Prædictorum ratio.
* id est, Arianorum.
Dicendorum argumentum.

9. Deum igitur Dominum nostrum Jesum Christum his modis novimus, nomine, nativitate, naturâ, potestate, professione. [m] Et de nomine nihil puto ambiguitatis. Legimus enim, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quid calumniæ est, cur non sit quod nuncupatur? Aut num-

Quibus modis Christum novimus Deum.
Johan. 1.
Nomen Dei simpliciter ei datum index est naturæ.

[a] Ita mss. At editi *hic*, non *iste*. Tum ms. Mart. *unum negabit*: ubi habet exemplar bas. Vat. *unum non negabit*: quæ verba cùm ad Arium pertinere nullum dubium sit, ut & præcedentia *unum dicet* ad Sabellium; huic sanè lectioni favet, quod paulo antè dictum est, *unum Deum novella hac nunc hæresis non negabit*. Retinendum tamen hîc, *unum Deum negabit*. Hæresis quippe versipellis unum Deum non negabat, quò Filium à divinitate removeret; & negabat unum Deum, cùm Patrem Deum & Filium Deum profiteri coacta, eos non unum sed duos deos prædicabat, uti jam observatum est num. 3.

[b] Solus codex Mart. *per Mariam*: manum infidelem sapit. Constanter enim Hilarius prædicat Christum *de Maria* natum.

[c] Vox *Dei* abest à ms. Mart. necnon Vat. bas. in quo & proximè antè legitur, *ad sacramentum fidei*: quæ lectio nihilo felicior est ac superiores ex eisdem libris annotatæ. Sacramentum fidei vocat Hilarius illud omne, unde mox Ariani adversùs Sabellium contendebant Filium cum Patre eumdem non esse, hoc est, sacramentum salutis nostræ, aut si malis, Apostolorum symbolum.

[d] Ita vulgò Ariani cognominantur ab Athanasio, Phœbadio Agennensi, Gregorio Naz. &c. maximè quia græca vox Ἄρης *Mars*, cujus proprius est furor, cum Arii nomine & indole maximam affinitatem habet. Unde in epistola Constantini T. 2. Conc. p. 270. *Age sanè Mars Ari clypeis utendum est*: ac deinde in processu sermonis, ἀποδείξω τὴν Ἀρείου μανίαν. Quò spectat illud Vincentii Lirin. c. 6. *Cùm profana ipsa Arianorum novitas velut quadam Bellona, capto priùs omnium Imperatore, cuncta deinde palatii culmina subjugasset, nequaquam deinceps destitit universa miscere atque vexare.* Quia verò Ariomanitá idem sonat quod Martio furore abreptus, non latet quò respiciat noster Hilarius, cùm furentem hæresim cognominat.

[e] id est, evangelicam dispensationem & sacramentum salutis nostræ: cujus opus non soli filio Mariæ relinquit Arius, cùm probat à Filio facta sæcula, legem datam &c.

[f] Editi, *ad hoc*. Rectiùs mss. *ab hoc*, id est, ab Ario negatur Photino Filium esse tantùm *ex homine*, seu ex quo tempore Christus homo fuit. Tum in vetere ms. Colb. & aliis, *quia ante*, non *qui ante*.

[g] In vulgatis, *itaque dum unusquisque*: nullis suffragantibus mss.

[h] Excusi cum plerisque mss. *defendentes & damnantes*. Præferimus cum mss. Mart. Corb. & Faur. *defendentis & damnantis*, propter adjunctum *religiosè*, quod catholicæ fidei congruit, non hæresi.

[i] Editi, *tum quoniam*: emendantur ex scriptis. Mox in vetere Colb. *blasphemia professionibus*.

[k] Apud Par. *in dissimili*, duobus verbis. In aliquot mss. *in indissimili*. Sic tota illa phrasis est intelligenda: *ne me*, postquàm Filium ita ut Patrem prædicavero Deum, *Patrem & Filium ut nominis, ita &* (pro *atque*) *natura unius esse profitentem &c.*

[l] Editi, *ne solum*: corruptè. Nativus hic est vocabulorum ordo: *neque non solum quasi non unum &c.*

[m] In editis, *Sed de nomine nihil puto ambiguitatis remansisse*: glossema. Loco verbi *remansisse*, commodiùs intelligitur suppressum esse.

quid nomen non naturæ ſignificatio eſt? Et quia contradictio omnis ex cauſa eſt, nunc hîc negandi Dei quæro cauſam. Simplex namque nuncupatio eſt, & caret offendiculo adjectionis alienæ. Verbum enim, quod caro factum eſt, non aliud quàm Deus eſt. Non eſt hîc deputatæ aut aſſumtæ nuncupationis relicta ſuſpicio: ut ei, quòd Deus eſt, non ex natura ſit nomen.

Moyſi Dei nomen adjectum. Exodi 7. 1.

10. Reſpice ad ceteras aut deputativas, aut aſſumtivas appellationes. Ad Moyſen dictum eſt, *Dedi te deum Pharaoni.* Sed numquid non adjecta nominis cauſa eſt, cùm dicitur [a] *Pharaoni?* Aut numquid ei naturam Dei intulit, & non potiùs in eum qui metueret terrorem, cùm dracones magicos draco Moyſi mox virga manens devorat, cùm cynomyiam quam immiſerat abigit, cùm grandinem poteſtate qua evocaverat avertit, cùm locuſtas ea virtute qua invexerat repulit, cùm in operationibus ejus magi confitentur digitum Dei eſſe? Sic Moyſes Pharaoni deus datus eſt, dum timetur, [b] dum oratur, dum punit, dum medetur. Et aliud eſt deum dari, aliud eſt Deum eſſe. [c] In Pharaonem enim deus datus eſt: ceterùm non ei eſt & natura & nomen, ut Deus ſit. Memini quoque & alterius nuncupationis, ubi dicitur, *Ego dixi, dii eſtis*: ſed in eo indulti nominis ſignificatio eſt. Et ubi refertur, *ego dixi*, loquentis potiùs eſt ſermo, quàm rei nomen: quia rei nomen intelligentiam rei affert, ceterùm voluntas appellationis ex alio eſt. Et ubi ſe nuncupationis auctor oſtendit, ibi per ſermonem auctoris eſt nuncupatio, non naturale nomen in genere.

Ibid. 12. Exodi 8. 31. Exodi 9. 33. Exod. 10. 19. Exodi 8. 19.

Dii alii ex vocantis voluntate. Pſal. 81. 6.

Filius cur verbum, ſapientia & virtus cognominetur.

11. At verò hîc Verbum Deus eſt: [d] res exſiſtit in Verbo, Verbi res enuntiatur in nomine. Verbi enim appellatio in Dei filio de ſacramento nativitatis eſt, ſicuti ſapientiæ & virtutis eſt nomen: quæ cùm [e] in Deum filium cum ſubſtantia veræ nativitatis exſtiterint, [f] Deo tamen, ut ſua propria, quamvis ex eo in Deum ſint nata, non deſunt. Non enim, ſicut frequenter dictum à nobis eſt, [g] diviſionis in Filio, ſed nativitatis ſacramentum prædicamus. Nec ſeparatio fuit imperfecta, ſed progenies perfecta: quia nativitas non habet detrimentum generandi, cùm profectum teneat naſcendi. Et idcirco earum rerum unigenito Deo aptata cognomina ſunt, quæ cùm eum ſubſiſtentem ex nativitate conſumment, tamen [h] Patri inſint ex indemutabilis virtute naturæ. Unigenitus enim Deus verbum eſt; ſed innaſcibilis Pater numquam omnino ſine Verbo eſt: non quòd prolatio vocis natura [i] ſit Filii; ſed ex Deo Deus cum nativitatis veritate ſubſiſtens, ut à Patre proprius & per naturæ indifferentiam inſeparabilis doceretur, ſignificatus in verbo eſt. Sicut Chriſtus ſapientia & virtus Dei eſt, non ille, ut intelligi ſolet, internæ poteſtatis aut ſenſûs efficax motus: ſed natura tenens per nativitatem ſubſtantiæ veritatem, his internarum rerum ſignificata nominibus eſt. Non enim id, quod naſcendo ſubſiſtit, poteſt idipſum videri eſſe, quod unicuique [k] ſemper internum eſt. Sed ex æterno Deo patre unigenitus filius in ſubſiſtentem Deum natus, ut non alienus eſſe à natura paternæ divinitatis poſſet intelligi, per hæc proprietatum nomina ſubſiſtens oſtenſus eſt, quibus [l] ex quo ſubſtiterat non carebat. Deus igitur qui eſt, non eſt aliud quàm Deus. Nam cùm audio, *Et Deus erat Verbum*; non dictum ſolùm audio Verbum [m] Deum, ſed demonſtratum intelligo eſſe quòd Deus eſt: [n] quia ſicut ſuperiùs in Moyſe deo & in cognominatis diis per appellationem nomen adjectum ſit; hîc autem [o] res ſignificata ſubſtantiæ eſt, cùm dicitur, *Deus erat.* Eſſe enim non eſt accidens nomen, ſed ſubſiſtens veritas, & manens cauſa, & naturalis generis proprietas.

Filius eſt ut dicitur Deus.

Thomas eum confitetur Deum, Johan. 20. 28.

12. Et videamus an hanc Evangeliſtæ prædicationem, apoſtoli Thomæ confeſſio conſequatur, cùm ait, *Dominus meus & Deus meus.* Deus igitur ſuus eſt, quem Deum confitetur. Et certè dictum non ignorabat à Domino, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus unus eſt: & quomodo apoſtolica fides principalis immemor eſt facta mandati, ut Deum Chriſtum confiteretur, cùm in unius Dei eſſet confeſſione vivendum? Sed Apoſtolus totius ſacramenti fidem per virtutem reſurrectionis intelligens, cùm frequenter audiſſet, Ego & Pater unum ſumus; &, Omnia quæ Patris ſunt, mea ſunt;

Deut. 6. 4. illæsâ Dei unius fide. Joh. 10. 30. Joh. 16. 15.

[a] In vulgatis, ut & paulo antè, *Deum Pharaonis.* Hîc non repetitur vox *Deum* in mſſ. quorum in vetuſtioribus habetur *Pharao*, hoc nomine juxta græcum Θεὸν Φαραώ, per varios caſus non inflexo: in ceteris autem, *Pharaoni*, quibus infrà conſentiunt & editi, favente Ambroſio epiſt. nunc 28. n. 8. ubi legit, *Faciam te in Deum regi Pharaoni*: qui aliàs etiam in caſibus obliquis plerumque ponit *Pharao.* Quod Hilarius hîc ex nomine Dei ſimpliciter & abſolutè dato conficit argumentum, fusè perſequitur Irenæus lib. 3. cap. 6. inter alia dicens, *Neque igitur Dominus, neque Spiritus-ſanctus, neque Apoſtoli eum, qui non eſſet Deus, definitivè & abſolutè Deum nominaſſent aliquando, niſi eſſet verus Deus.* Et poſt pauca: *Cùm autem eos qui non ſunt dii nominat, non in totum, quemadmodum prædixi, Scriptura oſtendit illos deos, ſed cum aliquo additamento & ſignificatione, per quam oſtenduntur non eſſe dii.*

[b] Unus è mſſ. Colb. *dum honoratur*: mendosè.

[c] Mſſ. *in Pharaone.* Vertit Irenæus lib. 3. cap. 6. *ante Pharaonem.* Explicari poteſt illud, *in Pharaonem*, ex ſuperioribus, *Numquid ei naturam Dei intulit, & non potiùs in eum* &c.

[d] Mart. mſ. *& res.* Hîc res opponitur accidenti, quod ſignificatur per nomen adjectum.

[e] Er. Lipſ. & Par. *in Dei filium*; caſtigant veteres libri.

[f] hoc eſt, Patri, cui verbum, virtus & ſapientia non deſunt, *quamvis ex eo* (minùs aptè apud Lipſ. & Par. *ex Deo*) *in Deum ſint nata.*

[g] In mſ. Corb. *natura diviſionis*, in uno Vatic. & Mart. *de natura diviſionis*, apud Bad. & Er. *Dei naturam diviſam eſſe aſſerimus in filio*: gloſſemata varia. Hîc excluditur ea ſententia, cujus invidiam in Catholicos conjicere moliuntur Ariani ſuprà lib. 4. n. 4. puta *quòd ex diviſione paternæ ſubſtantiæ eſſe Filius exiſtimetur* &c. Eadem ratione Athanaſius Or. 2. cont. Ar. p. 334. verbi & ſapientiæ cognomina Filio in ſacris litteris ideo aptata docet, quia verum, naturalem atque coæternum abſque ulla paſſione aut partitione paternæ ſubſtantiæ fetum aptiſſimè ſignificant.

[h] Sic mſſ. At edit. *Patri non deſint*: & mox, *Deus & verbum eſt.*

[i] Corb. mſ. *ſit filius*: malè. Vult quippe Hilarius in prolatione vocis, quatenus hæc accideus eſt, naturam Filii non eſſe ſitam.

[k] Duo mſſ. *ſempiternum eſt*, Mart. *ſemper in æternum eſt*: corruptè. *Semper internum*, id eſt, ſemper inhærens, quod numquam in propriam ſubſiſtentiam evadat: qualis in nobis eſt virtus aut ſapientia.

[l] Supple, *is*, nimirum Pater, qui virtutis ac ſapientiæ proprietatibus numquam caruit.

[m] Ex mſſ. reſtituimus hîc *Deum*, ac proximè infrà *Deus.*

[n] Er. Lipſ. & Par. *quia non ſicut*: nullo ſuffragante vetere libro.

[o] Unus è mſſ. Colb. *res ſignificata ſubſtantia eſt.* Corb. *rei ſignificata ſubſtantia eſt.* Vind. necnon edit. Bad. & Er. *res ſignificata à ſubſtantia eſt.* Retinemus aliorum librorum lectionem; quæ ſic commodè poteſt intelligi, *res ſubſtantiæ ſignificata eſt*; ut hîc fere idipſum ſit quod initio num. 11. *Verbi res enuntiatur in nomine.* vel *ſubſtantiæ eſt*, id eſt, ad ſubſtantiam pertinet.

Joh. 14. 11. &, Ego in Patre, & Pater in me: jam sine fidei periculo naturæ nomen confessus est: quia ab unius Dei patris professione religio non excideret Deum confessa Dei filium, cùm in filio Dei non nisi paternæ naturæ veritas crederetur; nec sub alterius Dei impia confessione fides naturæ periclitaretur unius, quia non alterius Dei naturam perfecta Dei nativitas attulisset. Veritatem igitur evangelici sacramenti Thomas intelligens, Dominum suum & Deum suum esse confessus est. Non hîc honoris est nomen, sed naturæ confessio est: rebus enim ipsis atque virtutibus Deum credidit. Et Dominus professionis hujus religionem non honoris esse docuit, sed fidei, dicens, *Quia vidisti* [a], *credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Videns enim Thomas credidit. Sed quid credidit quæris? Et quid aliud credidit, quàm professus est: *Dominus meus & Deus meus* [b]? Resurrexisse enim per se ex mortuis in vitam, nisi Dei natura non potuit: & creditæ religionis fides hoc est professa, quòd Deus est. Anne ergo nomen Dei non naturæ res existimabitur, cùm professio nominis fidem naturæ creditæ sit secuta? Nam utique religiosus filius, & qui non voluntatem suam sed ejus qui se miserat faceret, & qui non honorem suum sed ejus à quo venerat quæreret, honorem hujus in se nominis recusasset; ne quod ipse unum Deum prædicaverat, solveretur. Sed veræ & apostolicæ fidei mysterium confirmans, & naturæ in se paternæ nomen agnoscens, beatos esse docuit, qui cùm [c] se resurgentem è mortuis non vidissent, Deum tamen per resurrectionis intelligentiam credidissent.

Thomas Deum naturâ profitetur.

Joh. 20. 29.

Neque hoc nomen recusat Christus.

13. Nomen igitur naturæ, fidei nostræ non deserit professionem. Nomen enim, quod rem unamquamque significat, rem quoque ejusdem generis ostendit: & jam non res duæ sunt, sed res generis ejusdem est. Filius namque Dei Deus est; hoc enim significatur ex nomine. Non duos deos connumerat nomen unum; quia unius atque indifferentis naturæ [d] unum Deus nomen est. Cùm enim & Pater Deus est, & Filius Deus est, & proprium naturæ divinæ nomen in utroque sit; uterque unum sunt: quia cùm subsistat Filius ex nativitate [e] naturæ, unitatem tamen conservat in nomine: nec ad professionem duûm deorum nativitas Filii credentium fidem cogit, quæ Patrem & Filium, ut unius naturæ, ita unius profitetur & nominis. Est itaque Dei filio [f] nomen ex nativitate. Hic enim nobis secundus ad demonstrationem gradus est, ut Deus sit ex nativitate. Quamquam mihi adhuc de proprietate nominis supersit apostolica auctoritas: sed interim evangelicum placet tractare sermonem.

Pater & Filius unus tantùm est Deus.

14. Et primùm quæro, quam nativitas filii naturæ novitatem potuerit inferre, ne Deus sit? Intelligentiæ istud humanæ sensus excludit, ut aliquid à natura originis suæ nascendo diversum sit: nisi fortè quod ex naturarum diversitate conceptum, novum aliquid [g] in se (& ita sit generis utriusque, quòd neutrum sit) veniat in vitam; quod in pecoribus ac bestiis usitatum est. Sed ea ipsa novitas non inest, nisi ex connatis proprietatibus sub diversitate naturæ: & diversitatem [h] eorum nativitas non intulit, sed accepit, dum id tenet, quod ex utroque sibi unum est. Et cùm hæc in his corporalibus causis & passionibus ita sint; quis rogo furor est, nativitatem unigeniti Dei ad degenerem ex Deo referre naturam: cùm nativitas non nisi ex proprietate naturæ sit; & jam nativitas non erit, si proprietas naturæ in nativitate non fuerit? Hinc ille omnis æstus & furor est, ut in filio Dei non nativitas sit, sed creatio; ut non naturæ suæ originem subsistens teneat, sed alienam à Deo de non exstantibus sumat: quia secundùm quod ait, [i] *Quod de carne nascitur, caro est; & quod de spiritu, spiritus est,* quia Deus spiritus est, non ambiguum sit nascenti diversum atque alienum aliquid ab eo ex quo [k] natus sit non inesse. Nativitas igitur Dei Deum perficit, ut Deus non cœptus intelligatur esse, sed natus: quia cœptum esse, potest non idipsum esse quod nasci, dum omne cœptum aut ex nihilo in aliquid exsistit, aut ex alio in aliud proficit & desinit; ut ex terra aurum, ut ex solidis liquida, ut ex frigidis ferventia, ut ex albis punicea, ut ex aquis animantia, ut ex inanimis viventia: Dei autem filius neque ex nihilo Deus cœpit esse, sed natus est; neque aliud aliquid fuit ante quàm * Deus est. Atque ita qui in Deum [l] nec natus est, nec cœpit quòd Deus est, profecit. Tenet itaque nativitas eam ex qua substitit naturam, & filius Dei non aliud quàm quod Deus est subsistit.

Filius ut natus ex Deo, Dei naturam habet.

Johan. 3. 6.

Nasci & cœptum esse non idem.

* al. esse.

15. Aut quisque hinc ambigit, discat à Judæis intelligentiam naturæ, vel potiùs cognoscat ab Evangelio veritatem nativitatis, in quo scriptum est, *Propter hoc magis quærebant eum Judæi interficere, quoniam non solùm solvebat sabbatum, sed & quòd proprium sibi patrem dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Non nunc,

Natus verè ex Deo est, cui Deus est pater & cui cum Deo æqualitas.

Johan. 5. 18.

[a] Hîc expunximus *me*, auctoritate veterum librorum.

[b] Antiquior codex Colb. cum Germ. *Deus meus es tu.*

[c] Particulam *in* hîc præmittunt vetustiores libri.

[d] In mss. Mart. & Corb. *unum Dei nomen*: malè. Hîc *Deus* materialiter, ut aiunt, sumitur.

[e] Vocabulum *naturæ* in priùs vulgatis interpunctione dividitur ab antecedenti voce, conjungiturque cum subsequenti. Interpunctionem mutamus, tum quia aliàs remotior esset particula *tamen*; tum quia frequens est apud Hilarium *nativitas naturæ*, pro nativitate naturali, ut videre est in his num. 22. *At verò ut in natura licèt Dei, naturæ tamen ex Deo sit intelligenda nativitas*: & lib. 8. num. 18. *nec per sacramentum dispensationis unum sunt, sed per naturæ nativitatem.* In ms. Mart. vox *naturæ* rursum repetitur post *unitatem tamen.*

[f] In recentioribus dumtaxat mss. *verum nomen.*

[g] Erasmus pro *in se*, malebat *insit*. Lipsius deinde legit, *& quod ita*, addito *quod*. In vetustiore ms. Remig. omittitur *aliquid in se.* In ms. Vat. bas. exstat, *aliquid præter ista sit generis &c.* Pro *& ita*, magis placeret, *ut ita.*

[h] In ms. bas. Vat. *eorum morum*: interpolatio, cujus loco intelligere est *eorum pecorum*, à quibus scil. exstat nativitas.

[i] Solus codex Vat. bas. cum Mart. hîc addit, *Dominus.*

[k] Editi, *natum sit.* Rectiùs mss. *natus sit*: hoc enim de Filio prædicatur. Eodem argumento Faustinus cap. 2. *Quomodo*, inquit, *non verus Deus est, qui verus est filius?* & Augustinus Collat. cum Maximino n. 14. *Non est verus filius, si quod est Pater, non est Filius*: quod maximè in rebus spiritalibus verum esse rectè hîc notat Hilarius. Interdum tamen Ariani Christum verum Dei filium confitentes, verum Deum negabant, uti constat ex lib. contra Auxentium n. 7. & 13. necnon ex l. 1. Augustini contra Maximinum c. 6.

[l] Sic potiores mss. At Bad. Er. & Lips. *nec quod Deus est proficit*: quod & in postrema edit. Par. repositum est.

ut in ceteris ſolet, Judæorum ſermo ab his di- A ctus refertur: expoſitio potiùs hæc Evangeliſtæ eſt, cauſam demonſtrantis cur Dominum interficere Judæi vellent. * Ceſſat ergo per impietatem blaſphemantium vitioſæ intelligentiæ excuſatio; cùm per Apoſtoli auctoritatem, ſub ſignificatione nativitatis, proprietas naturalis oſtenſa ſit: *Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Anne naturalis nativitas non eſt, ubi per nomen patris proprii, naturæ æqualitas demonſtratur? Non enim ambigitur, B quin æqualitas nihil differat. Quis porro dubitabit, quin indifferentem naturam nativitas conſequatur? Hinc enim eſt ſola illa quæ verè eſſe poſſit æqualitas: quia naturæ æqualitatem ſola poſſit præſtare nativitas. Æqualitas verò numquam ibi eſſe credetur, ubi unio eſt: nec [a] tamen illic reperietur, ubi differt. Ita ſimilitudinis æqualitas nec ſolitudinem habet, nec diverſitatem: quia omnis æqualitas nec diverſa, nec ſola ſit. C

* al. ceſſet.

Æqualitas nec ſoli competit nec diverſis.

Filii nativitas & cum Patre æqualitas ex ipſius dictis.

16. Quamquam igitur hujus intelligentiæ noſtræ judicia cum humani ſenſus opinione communia ſint, ut & nativitas naturæ habeat æqualitatem, & ubi æqualitas eſt, neque alienum aliquid à ſe poſſit eſſe, nec ſolum; tamen ex ipſis dictis dominicis hujus quoque ſermonis noſtri fides affirmanda eſt, ne temeritas contradicendi, ſub libertate diverſæ in nominibus intelligentiæ, [b] audeat profeſſionibus divini de ſe teſtimonii contraire. Reſpondit enim Do- D minus, *Non poteſt Filius ab ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille facit, eadem & Filius facit ſimiliter. Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit; & majora horum opera demonſtrabit ei, ut vos admiremini. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat. Nec enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium ſicut honorificant Patrem.* [c] *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum.* E Propoſitionis quidem ordo id exigebat, ut ſingula quæque genera ſingularum quarumcumque cauſarum pertractarentur; ut quia Deum eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Dei filium, nomine, nativitate, naturâ, poteſtate, profeſſione [d] didiciſſemus, demonſtratio noſtra gradus ſingulos diſpoſitionis propoſitæ percurreret: ſed nativitatis id natura non patitur, quæ in ſe & nomen, & naturam, & poteſtatem, & profeſſionem ſola complectitur. Sine F his enim nativitas non erit; quia in ſe hæc omnia naſcendo contineat. Hanc igitur tractantes, incidimus in eam neceſſitatem, ut ſuperiùs commemorata ad ordinem tractatus proprii differre non liceat.

Ibid. 19. &c.

Divinitatis Chriſti diverſa argumenta ſimul pertractantur.

17. Reſpondens enim Dominus ad Judæos, quòd eum interficere ob hoc magis vellent, quia patrem ſuum dicens Deum, æqualem ſe Deo feciſſet, omne ſacramentum fidei noſtræ, dum impiis eorum motibus contradicit, expoſuit. Dixerat enim ſuperiùs, cùm, paralytico curato, violati ſabbati reus etiam mortis judicio conſtitueretur, *Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor.* Et hinc omnis accendebatur invidia, quòd ſe Deo exæquaſſet paterni nominis uſurpatione. Volens itaque & nativitatem ſuam confirmare, & naturæ virtutem profiteri, ait: *Non poteſt quidquam facere ab ſe Filius, niſi quod viderit Patrem facientem.* Exordium reſponſionis adversùm Judæorum impium motum, per quem uſque ad voluntatem inferendæ mortis exagitabantur, aptatum eſt. Nam ad violati ſabbati objectum ſibi reatum dixerat, *Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor:* ut uſurpaſſe hoc ex auctoritate intelligeretur [e] exempli; ſignificans tamen hoc, quod ipſe ageret, Patris eſſe opus intelligendum, quia ipſe in ſe opêraretur operante. Et rurſum adversùm eam invidiam, qua ſe per paternum nomen Deo exæquaſſet, hæc ſubdidit: *Amen, amen dico vobis, non poteſt Filius ab ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem.* Ne igitur exæquatio illa per nomen naturamque filii fidem nativitatis auferret; ait Filium ab ſe facere nihil poſſe, niſi quod Patrem facientem vidiſſet. Et ut maneret ſalutaris in Patre & in Filio confeſſionis noſtræ ordo; naturam nativitatis oſtendit, quæ poteſtatem efficiendi non per incrementa indultarum ad unumquodque opus virium ſumeret, ſed de cognitione præſumeret: præſumeret autem non de aliquo operis corporalis exemplo, ut aliquid prius Pater faceret ad [f] id, quod poſtea Filius facturus eſſet: ſed cùm natura Dei in naturam Dei ſubſtitiſſet, id eſt, ex Patre Filius natus eſſet; per virtutis ac naturæ in ſe paternæ conſcientiam, nihil ab ſe, niſi quod Patrem facientem vidiſſet, Filium facere poſſe teſtatus eſt: & cùm unigenitus Deus paternæ virtutis operationibus operaretur, tantum ſibi ad faciendum præſumeret, quantum in conſcientia ſua eſſet, inſeparabilem à ſe Dei patris, quam per legitimam nativitatem obtinebat, poſſe naturam. Non enim corporalibus modis [g] Deus videt, ſed VISUS ei omnis in virtute naturæ eſt.

Chriſtus à Judæis accuſatus & naturam & nativitatem ſuam exponit.

Johan. 5. 17.

Ibid. 19.

Chriſti virtus de cognitione. Quid hæc cognitio.

18. Denique ſubjecit, *Omnia enim quæcumque facit Pater, eadem & Filius facit ſimiliter. Similiter* illud ad ſignificationem nativitatis adjecit: *omnia* verò & *eadem* ad oſtendendæ naturæ veritatem locutus eſt. In his enim, quæ & *quæcumque* & *eadem* ſunt, nec diverſitas po-

Ibidem.

Dum *eadem omnia* facit, non aliud; dum *ſimiliter*, alius eſt.

[a] Deeſt *tamen* in mſ. baſ. Vat. Mox cum mſſ. legimus *ubi differt*, id eſt, ubi diſcrepantia eſt, non cum editis *ubi differat*.

[b] In quibuſdam mſſ. *gaudeat*.

[c] Editi, *Qui non honorificant Filium, non honorificant:* neque cum ſacro textu, neque cum mſſ. neque ſecum ipſi infrà conſentientes.

[d] Sic Par. cum præſtantioribus mſſ. Vat baſ. Mart. Colb. Carn. &c. At cum nonnullis aliis Bad. & Er. *docuiſſemus*. Lipſ. *docuimus*.

[e] Chriſtus oſtendit ſe ex auctoritate exempli habere ut agat quod Pater, dum ait, *Non poteſt Filius ab ſe facere quidquam niſi viderit* &c. ſicut ſignificat Patri ſibique unam & communem eſſe agendi virtutem, cùm adjicit, *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor.* Prima loquendi ratione ſe natum, alterâ ſe ejuſdem cum Patre naturæ docet.

[f] Voculam *id* adjecimus ex mſſ. Mentem Hilarii illuſtrant Auguſtini verba contra Serm. Arian. c. 14. ubi ait Filium non facere niſi quod videt: *quia videt ſe ex ipſo faciendi habere potentiam, ex quo ſe videt exſiſtendi habere naturam:* nihil enim aliud ſibi vult quod hîc ſubjicitur, *per virtutis ac naturæ in ſe paternæ conſcientiam:* V. lib. de Synod. n. 75.

[g] Vox *Deus*, quæ in vulgatis deerat, reſtituitur ex mſſ.

teſt eſſe, nec [a] reliquum. Atque ita in natura eadem eſt, cui eadem omnia poſſe naturæ ſit. Ubi verò *ſimiliter* per Filium eadem omnia fiunt, ſimilitudo operum ſolitudinem operantis excluſit: ut omnia quæ Pater facit, eadem omnia ſimiliter faciat & Filius. Hæc eſt veræ nativitatis intelligentia, & fidei noſtræ, quæ ex naturæ divinæ unitate, unius indifferentiſque divinitatis veritatem in Patre & Filio confitetur, abſolutiſſimum ſacramentum, ut eadem faciendo Filius ſimiliter faciat, & ſimiliter faciendo eadem ſint ipſa [b] quæ faciat: quia ſub una hac ſignificatione teſtentur & ſimiliter facta nativitatem, & eadem facta naturam.

19. Tenet itaque reſponſionis dominicæ ordo eccleſiaſticæ fidei integrum ordinem, ut nec diſcernat naturam, & ſignificet nativitatem. Hoc namque ſequitur: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit; & majora horum opera demonſtrabit ei, ut vos admiremini. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat.* Anne demonſtratio operum aliud hîc nobis præter quàm nativitatis fidem ingerit, ut ſubſiſtentem Filium ex ſubſiſtente Deo patre credamus? Niſi fortè per ignorationem credendus eſt unigenitus Deus doctrinâ demonſtrationis eguiſſe; ſed temeritas impiæ hujus exiſtimationis non admittitur. Non enim doceri eget, [c] qui quidquid docendus ſit ſciat. Nam poſtea quàm ait, *Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit*: ut oſtenderet omnem hanc Patris demonſtrationem fidei noſtræ eſſe doctrinam, ut ſcilicet & Pater nobis in confeſſione eſſet & Filius, & ne qua hîc ignoratio in Filio poſſet intelligi, cui Pater opera omnia, quæ ipſe faceret, demonſtraret; continuò ait, *Et majora horum opera demonſtrabit ei, ut vos admiremini. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat.* Demonſtratio ergo futuri operis non ignoratur à Filio, cui hoc demonſtrandum eſt, ut exemplo paternæ naturæ mortuos vivificet. Ea enim Patrem demonſtraturum Filio dicit, quæ mirentur: & quæ eadem eſſent illa, mox docuit, *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ſic & Filius quos vult vivificat.* Exæquata virtus eſt per naturæ indiſſimilis unitatem. Et demonſtratio operum non ignorationis inſtructio eſt, ſed noſtræ fidei: quæ [d] non Filio ſcientiam ignoratorum, ſed nobis confeſſionem nativitatis invexit, confirmans eam per id, quòd ſibi omnia eſſent demonſtrata quæ poſſet. Neque enim non circumſpectum ſe cæleſtis ſermo egit, ne fortè diverſæ naturæ ſignificatio ſub occaſione dicti ambigui ſubreperet. Demonſtrata enim ei potiùs opera Patris eſſe ait [e], quàm ad operationem eorum naturam virtutis adjectam: ut demonſtratio ipſa nativitatis eſſe ſubſtantia doceretur, cui per dilectionem Patris, operum paternorum, quæ per eum effici vellet, eſſet connata cognitio. Porro autem ne per demonſtrationis profeſſionem, ignorantis in eo naturæ diverſitas crederetur; ea ipſa, [f] quæ profitetur demonſtranda, non neſcit. Uſque adeo non de exempli auctoritate geſturus eſt, ut vivificet quos velit. Velle enim naturæ libertas eſt, quæ ad perfectæ virtutis beatitudinem cum arbitrii voluntate ſubſiſtat.

20. Ac ne deinceps, quòd quos vult vivificat, non nativitatis videretur in ſe habere naturam, ſed non natæ potiùs poteſtatis jure ſubſiſtere; continuò ſubjecit, *Nec enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio.* Et in eo, quòd omne judicium datum eſt, & natura & nativitas demonſtratur: quia & omnia habere ſola natura poſſit indifferens, neque nativitas aliquid poſſit habere, niſi datum ſit. Datum autem omne judicium eſt; quia vivificat quos vult. Neque ademtum Patri judicium poteſt videri, cùm ipſe non judicet: quia Filii judicium ex judicio ſit paterno; ab eo enim datum omne judicium eſt. Sed dati judicii cauſa non tacita eſt. Sequitur enim: *Sed judicium omne dedit Filio, * ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui miſit illum.* Quid igitur, oro, derelictum eſt ſuſpicionis, aut quid reliquum eſt ad impietatem occaſionis? *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio.* Judicii autem dati ea cauſa eſt, ut Filius exæquati honoris ad Patrem ſit, & inhonorificus Filio inhonorificus & Patri ſit. Et quomodo poſt hæc intelligitur nativitatis differre natura, quam non ſolùm [g] operatio, virtus, honor, ſed etiam contumelia negati honoris exæquat? Nihil igitur aliud, quàm ſacramentum nativitatis, ſermo nunc divinæ reſponſionis oſtendit. Neque aliter potuit aut debuit Filius à Patre diſtingui, quàm ut & [h] natus eſſe, nec tamen differens doceretur.

21. Pater igitur uſque modò operatur, & Filius operatur. Habes naturæ nomina, cùm & Pater operatur & Filius. Intellige & naturam [i] Dei, per quam Deus operatur, ope-

Ibidem 20. & 21.

Demonſtratio operum nativitatem ingerit, non ignorationem.

Ibid. 21.

Noſtræ fidei inſtructio eſt.

Velle quid.

Judicium omne datum naturam & nativitatem probat. *Ibid.* 22.

* *Ibid.* 23.

Judicium datum, ut honoris ſit æqualitas.

Tota de Filio fides eruitur ex prædictis Chriſti verbis.

[a] id eſt, nec quidquam quod non indultum, ſed adhuc veluti retentum ſit & reſervatum.

[b] Exemplar Carn. *quæ faciant*: malè.

[c] Bad. *quicquid quis.* Er. *qui quid quis.* Suſtulit deinde Lipſ. *quis.* Veriùs mſſ. *qui quidquid.*

[d] puta, demonſtratio operum. Pro *quæ non*, habet mſ. Vat. baſ. *neque.*

[e] In quibuſdam mſſ. perperam hîc additur *à Domino*: cùm verbum *ait* ad cæleſtem ſermonem referatur.

[f] In mſſ. Carn. Corb. & nonnullis aliis, *quæ non profitetur.* Mox in vetuſtiore Colb. *geſſurus*, non *geſturus.* Quod hîc dicitur, *Uſque adeo non de exempli auctoritate geſturus eſt*, videtur pugnare cum dictis num. 17. ubi Filius aſſeritur *ex auctoritate exempli* virtutem agendi uſurpaſſe. At uterque locus facilè conciliatur, cùm *auctoritas* num. 17. tantùm geniti à genitore originem ſonet, hîc verò ſubditi domino exhibitam ſervitutem. Utrumque illud eidem loco reſpondens Auguſtinus contra Serm. Arian. c. 23. ſic explicat: *Nec Filius à ſe poteſt quidquam, quia nec ipſe à ſemetipſo, non quòd in omnibus nutum Patris exſpectet.*

[g] Martinianus mſ. *operatio virtutis.* Vat. baſ. *operata virtutis honor*: perturbatè. Filius Patri exæquatur operatione, dum eadem facit quæ Pater; virtute, dum ita, ut Pater, quos vult vivificat; honore, dum ab omnibus eſt honorificandus.

[h] Editi, *natus eſſet.* At in pleriſque mſſ. *natus eſſe.* Deinde in omnibus, *nec tamen indifferens*: forſitan ſinceriùs per helleniſmum Hilario non inuſitatum. Quippe lib. de Synod. n. 73. legimus *per ſimilitudinem non indifferentis eſſentiæ*, pro, *per ſimilitudinem non differentis eſſentiæ.* Alia hujuſmodi exempla in eodem libro & alibi reperire eſt.

[i] Deſideratur *Dei* in mſ. Vat. baſ. Ex ſubnexo Scripturæ loco pendet hujus propoſitionis probatio.

rantem. Ac ne fortè duas operationes naturarum dissimilium existimes intelligendas; memento de cæco dictum fuisse, *Sed ut manifestentur opera Dei in eo: me oportet operari opera ejus qui me misit.* (Johan. 9. 3.) In eo ergo, quod operatur Filius, opus Patris est: & opus Filii, opus Dei est. Et de operibus sequens adhuc sermo est. Interim nunc nihil aliud studuit responsio, quàm ut omne opus referret ad utrumque; [a] utriusque autem natura non differret operandi, cùm in eo, quòd usque adhuc Pater operatur, operatur & Filius: ne qui dominus sabbati est, (dominus est enim sabbati filius hominis,) (Luc. 6. 5.) impiè operari sabbato crederetur, cujus opus per nativitatis naturam paterni in se operis esset auctoritas. Non confunditur itaque aut aboletur natura, ne filius sit: nec tamen rursum adimitur natura, ne Deus sit. Nec discernuntur diversitate, ne unum sint: neque quòd unum sunt, id potest præstare [b] ne uterque sit. Et primùm filium cognosce, cùm dicitur, *Non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* (Johan. 5. 19.) Habes nativitatem filii, quæ ab se nihil possit facere, nisi videat. In eo autem, quòd ab se nihil potest, innascibilitatis adimit errorem; ab se enim non potest posse nativitas: quòd autem videt, [c] consciæ in se naturæ significatur agnitio. Et in eo nunc veram Dei cognosce naturam: *Quæcumque enim ille facit, eadem & Filius facit similiter.* (Ibidem.) [d] Post naturæ autem virtutem, naturæ per id indissimilis intellige unitatem, *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem qui misit illum.* (Ibid. 23.) Ac ne te naturæ unitas in solitarii unione contineat; sacramentum in eo fidei disce, *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* (Ibidem.) Conclusa sunt omnia adversùm hæretici furoris ingenia. Filius est, quia ab se nihil potest: Deus est, quia quæcumque Pater facit, & ipse eadem facit: unum sunt, quia exæquatur in honore, eademque facit, non alia: non est pater ipse, quia missus est. Habet igitur hoc sacramenti sola nativitas, ut complectatur in se & nomen, & naturam, & potestatem, & professionem: quia universa nativitas non potest non in ea esse natura, unde nascatur. Non affert externi generis substantiam: quia ex uno non subsistit alienum. Quod autem alienum à se non est, id unum est genere naturæ: & quidquid unum est per nativitatem, non habet solitudinem; quia & solitudo singularis est, & nativitatis est unitas ad utrumque.

22. Et super hoc, [e] adsit sibi divinæ de se sententiæ testimonium. Ait enim, *Qui sunt ex ovibus meis, vocem meam audiunt, & ego novi eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non* [f] *perient in sempiternum, nec quisquam rapiet eas de manu mea. Pater quod dedit mihi, majus est omnibus, nemo poterit rapere de manu patris mei. Ego & Pater unum sumus.* (Johan. 10. 27. &c.) Quis, rogo, intelligentiam nostram stupor hebetis mentis obtundit, ut hæc in sensum nostrum tam absolutè dicta non subeant? (Arianorum fides ipsorum cognitioni adversa.) Aut quis infirmitatem humanam tumor animi insolentis illudit, ut Dei cognitionem ex his adepti, Deum putent non in his intelligendum esse quibus cognitus est? Aut enim alia sunt Evangelia proferenda quæ doceant: aut si de Deo sola * ista docuerunt, cur non ita credimus ut docemur? (* Evangelia.) Quòd si ex his tantùm sumta cognitio est; cur non exinde fides sit, unde cognitio? Sed cùm fides cognitioni esse adversa detegitur; jam non cognitionis fides illa, sed criminis est, irreligiosam sibi fidem adversùs religionem confessæ cognitionis assumens. Unigenitus igitur Deus naturæ in se suæ conscius, nativitatis propriæ inenarrabile sacramentum, ad fidei tamen nostræ confessionem, quantâ potest verborum absolutione significat: ut & natus intelligatur, & in Dei natura esse credatur, & cum Patre unum sit, & [g] unum se profitendo cum Patre, non tamen [h] ut solus tantùm atque ipse pater intellectus amittat esse quòd filius est. (Christi potestas,) Testatur enim primùm naturæ virtutem, cùm de ovibus suis ait, *Nec quisquam rapiet eas de manu mea.* (Ibid. 28.) Consciæ potestatis hæc vox est, imperturbatæ virtutis libertatem per id, quòd nemo oves de manu sua abripiat, confiteri. At verò ut in natura licèt Dei, naturæ tamen ex Deo sit intelligenda nativitas; (nativitas ex Deo,) subjecit, *Pater quod dedit mihi, majus est omnibus.* (Ibid. 29.) Non occultat ex Patre esse se natum: quod enim à Patre accepit, *majus est omnibus.* [i] Et qui accepit, est in eo quod accepit nascendo, non postea; & tamen ex alio est, dum accepit. Sed qui ex alio accepit, ne aliud quid potiùs, & non in ejus intelligeretur naturâ à quo accepit exsistere; ait, *Nemo poterit rapere de manu patris mei.* (natura divina & exsistentia in Patre,) De manu sua nemo rapit: quia à Patre quod est omnibus majus accepit. Quid sibi vult tam diversa professio, ut rursum de manu patris sui nemo rapiat? Filii manus est, quæ accepit à Patre; Patris manus est, quæ dedit Filio: & quomodo quod non rapitur de manu Filii, non rapitur de manu (manus.)

[a] Martinianus ms. *utriusque enim natura non differret opera.* Lips. & Par. *utriusque enim natura non differt operando.* Verbum *differret* regitur à particulis *quàm ut.*

[b] id est, ne uterque proprium exsistendi modum habeat ab altero distinctum.

[c] Apud Bad. *conscientia.* Apud Lips. & Par. *consciæ.* In ms. Carn. *conscientia.* Veriùs Er. cum plerisque mss. *consciæ.* Sic mox, *consciæ potestatis hæc vox est*; & initio hujus libri, *consciæ infirmitatis*: demum in Psal. 68. n. 15. *consciæ in se salutis.*

[d] Editi, *per naturæ.* Rectiùs mss. *post*, supple, *jam cognitam*, proximo scil. loco, *Quæcumque facit* &c.

[e] In vulgatis, *asciscit.* Rectiùs in mss. *adsit.* Sic lib. 2. n. 15. post exposita nonnulla Johan. verba, ad cetera sic transitur: *consequentia sibi adsint.*

[f] Auctoritate mss. restituimus hîc *perient* pro *peribunt*: moxque particulam *&* verbis *nemo poterit* præfixam, rursumque ante *ego & Pater* repetitam expunximus.

[g] Par. *unum sit profitendo.* mendosè.

[h] In vulgatis & pluribus mss. *ut unus solus.* Verbum *unus*, removimus auctoritate codicum potiorum. Sabelliani erroris suspicio avertitur; ut Filius se unum cum Patre profitendo, non desinat esse filius, nec debeat haberi tamquam ipse qui Pater.

[i] Editi, *& quia accepit*; moxque, *non postea tamen ex alio est*: restaurantur ex mss. hoc nimirum sensu: Qui nascendo accepit, & non postea, seu non post constitutam nativitatem, est in eo quod accepit, utpote in eo unde natura sua constat: ac licèt in eo sit, tamen ex alio est, quatenus accepit. Quod illustratur ex verbis lib. 2. n. 20. *Qui vita erat, non postea quàm est natus, effectus est vita; non enim in eo aliud est quod natum est, & aliud est quod natus accepit.* & paulò pòst: *Deus qui à Deo natus est, non postea quàm natus est, sed nascendo Deus exstitit.* Hîc pro *accepit*, in mss. propè ubique exstat *accipit*: neque malè sonat.

Joh. 10. 30. Patris? Quomodo si quæris, intellige: *Ego & Pater unum sumus.* Manus Filii, manus Patris est. Non enim degenerat per nativitatem natura, ne eadem sit: neque rursum quia eadem est, intelligentiam nativitatis offendit, quia nativitas nihil in se admittit alienum. Ut verò per corporalem significationem virtutem possis ejusdem nosse naturæ, commemorata est Filii manus manus Patris; quia natura & virtus Patris [a] esset in Filio. Postremò ut per sacramentum nativitatis veritatem naturæ indifferentis agnosceres; dictum est, *Ego & Pater unum sumus:* ut quòd unum sunt, nec diversum nec solitarium crederetur, non aliâ in utroque per nativitatis & generationis proprietatem exsistente naturâ.

Ariani in Christum Judæis iniquiores.

23. Manet, quantum intelligi licet, mentium vesanarum voluntas, cessante licèt voluntatis effectu: & MALIGNUM ANIMUM malevolentiæ studium, absistente mali operis occasione, non deserit. Nunc enim hæreticorum furor, jam [b] Domino in cælis sedente, quia exemplo Judæorum in crucem agere non possunt, pari tamen infidelitate hoc eum * quod est denegant: & cùm non possint negare quæ dicta sunt, tamen dictis [c] non obedientes, odium impietatis exercent, verborum lapides injiciunt, & si possent, de throno eum suo in crucem retraherent. Et de Judæis quidem ad dicti hujus [d] novitatem commotis ita scribitur: *Tulerunt igitur lapides Judæi, ut eum lapidarent. Respondit eis, Multa bona opera ostendi vobis à Patre, propter quod eorum opus lapidatis me? Responderunt ei Judæi, Pro bono opere non lapidamus te, sed pro blasphemia; & quia tu cùm sis homo, facis te Deum.* At tu verò hæretice quid agas ac profitearis agnosce: & eorum te intellige esse consortem, quorum in te refers perfidiæ exemplum. Ad id enim quod dictum est, *Ego & Pater unum sumus*, Judæi lapides elevaverunt, & eorum impius dolor ad sacramentum fidei salutaris impatiens, usque ad impetum inferendæ mortis erupit. Quid tu, non habendo quem lapides, denegando minus efficis? Non differt voluntas: sed voluntatem tuam inefficacem esse cælestis thronus efficit. Quantò tu irreligiosior Judæo? Lapides ille in corpus elevat, tu in Spiritum; ille in hominem ut putabat, tu in Deum; ille in diversantem in terris, tu in throno virtutis sedentem; ille in ignoratum, tu in confessum; ille in moriturum, tu in judicem sæculorum. Ille dicit, *Cùm sis homo*; tu dicis, Cùm sis creatura: uterque autem dicitis, *facis te Deum*; hoc commune in eum impii vestri oris opprobrium est. Negas enim Deum ex generatione Dei, negas filium [e] ex nativitatis veritate, negas hoc, quòd *ego & Pater unum sumus*, confessionem unius in utroque atque consimilis esse naturæ. Subjicis substantiæ novæ & externæ & alienæ Deum: ut aut alterius generis Deus sit, aut omnino nec Deus sit, quia non [f] ex Deo nativitate subsistat.

* supple, esse.

Johan. 10. 31. &c.

Ibid. 33.

Responsio Christi Judæis, apta & Arianis.

24. Sed quia ad sacramentum dicti hujus *Ego & Pater unum sumus*; ut Judæo dicente, *Cùm sis homo, facis te Deum*, tu pari impietate dicas, Cùm sis creatura, facis te Deum: (dicis enim, Non es filius ex nativitate, non es Deus ex veritate. Creatura es præstantior cunctis: sed non es in Deum natus, quia ex incorporali Deo nativitatem non admitto [g] naturæ. Non modò tu & Pater non unum estis, sed nec filius es, nec similis es, nec Deus es.) Judæis quidem Dominus respondit, sed magis ad impietatem tuam omnis hæc apta responsio est: *Nonne scriptum est in lege, Quoniam ego dixi, dii estis? Si ergo illos dixit deos, ad quos verbum factum est Dei, & non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit, & misit in hunc mundum, vos dicitis quia blasphemavi, quoniam dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris, nolite credere mihi: si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite; ut sciatis & cognoscatis, quoniam* [h] *Pater in me, & ego in eo.* Causam responsionis causa objectæ ei blasphemiæ intulit. Id enim ad crimen deputabatur, quòd se cùm homo esset Deum faceret. Deum autem se facere per id arguebatur, quòd dixisset, *Ego & Pater unum sumus.* Demonstraturus itaque hoc, quòd ipse & Pater unum essent, ex nativitatis usurpatum esse naturâ; in eo primùm ineptiam ridiculi opprobrii confutat, cur in reatum vocaretur, quòd se cùm homo esset Deum faceret. Cùm enim lex hujus nominis appellationem sanctis hominibus decerneret, & sermo Dei indissolubilis confirmaret hanc impertiti nominis professionem; quomodo hic, quem Pater sanctificasset, & quem in hunc mundum misisset, blasphemus esset Dei se filium confitendo; cùm cognominatos per legem deos indissolubilis Dei sermo statuisset? Jam ergo non est criminis, quòd se Deum cùm homo sit faciat; cùm eos, qui homines sint, lex deos dixerit. Et si à ceteris hominibus non irreligiosa hujus nominis usurpatio est; ab eo homine, quem Pater sanctificavit, (omnis enim hic de homine responsio est, quia Dei

Ibid. 34. &c.

Responsionis causa & scopus.

[a] Sic mss. At editi, *est etiam in Filio.* Tum Vat. bas. ms. *postremò ut post sacramentum.* Ex hoc Hilarii loco commodè intelligitur quod ait Irenæus lib. 4. c. 37. ubi ponit primò Deum in conditione mundi externo Angelorum ministerio non eguisse: *quasi*, inquit, *ipse suas non haberet manus:* ac deinde subjicit, *Adest enim ei semper Verbum & Sapientia Filius, & Spiritus, per quos & in quibus omnia liberè & sponte fecit, ad quos & loquitur dicens, Faciamus* &c. adeo ut Filium & Spiritum-sanctum Dei *manus* dixerit, quòd ipsa Dei virtute ac natura gaudeant.

[b] Editi, *Dominum in cælis sedentem:* refragantibus mss.

[c] Vat. bas. codex cum Martin. *non solùm inobaudientes odium impietatis exercent, sed & verborum* &c. interpolatoris operam sapiunt. Ex his patet quod jam observatum est, Hilarium Scripturis ita disertè expressam censuisse consubstantialitatem, ut nec bona fide à Scripturarum peritis negari eam potuisse existimarit.

[d] In ms. Mart. *veritatem.*

[e] In mss. bas. Vat. & Mart. hîc additur *ex veritate naturæ:* quod abest ab aliis libris, & supervacaneum videtur.

[f] Editi cum aliquot mss. *ex Dei nativitate.* Martinianus codex, *ex Deo Dei nativitate.* Præferimus cum Carn. duobus Colb. Germ. &c. *ex Deo nativitate.*

[g] Hîc respiciuntur postrema verba epistolæ Arianorum ad Alexandrum lib. 4. n. 13. & lib. 6. n. 6. relatæ.

[h] Ita mss. juxta græcum. Editi verò juxta Vulgatam, *Pater in me est, & ego in Patre.* Idem locus præterea ter hoc libro reperitur. Ac primo quidem loco rursum cum græco mss. consentiunt, rursumque editi cum Vulgata: secundo autem utrique cum græco, ac postremo utrique cum Vulgata.

filius

filius etiam hominis filius est,) non impudenter usurpari videtur, quòd Dei se filium dixerit; cùm præcellat ceteros, qui cognominare se [a] non irreligiosè deos possunt, per id quòd sanctificatus in filium est: beato Paulo scientiam nobis sanctificationis istius intimante, cùm ait, [b] *Quod antè promisit per prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est* [c] *ex semine David secundùm carnem, qui destinatus est filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis.* Cessat ergo blasphemiæ crimen, quòd cùm sit homo Deum se faciat: cùm hoc nomen plurimis Dei sermo detulerit, & sanctificatus ac missus à Patre nihil aliud se quàm Dei filium sit professus.

Rom. 1. 2. &c.

Ego & Pater unum sumus, naturam nativitatis ostendit. Joh. 10. 30.

25. Non est relictus, ut arbitror, ambigendi locus, quin de natura nativitatis dictum sit, *Ego & Pater unum sumus.* Nam cùm Judæi arguissent illum, quòd per hoc dictum, homo ipse cùm esset, se se Deum faceret: responsio ejus confirmat, quòd Dei se filium per id, quòd *Ego & Pater unum sumus*, ostenderit, primùm nomine, deinde naturâ, postremò nativitate. Nam *ego & Pater* rerum nomina sunt; *unum* verò naturæ professio est, quia in eo quod est uterque non differat; *sumus* autem non patitur unionem. Et ubi quòd [d] *unum sumus* unio non est, unum eos efficit esse nativitas. Hoc enim totum ex eo est, quòd Dei se filium sanctificatus à Patre profitetur, & professio Dei filii hoc quòd *Ego & Pater unum sumus* confirmat: quia nativitas non aliam possit, nisi eam ex qua subsistit, afferre naturam.

Natura Dei in Filio evincitur ex gestis.

26. Consummavit autem totius fidei nostræ sacramentum unigeniti Dei sermo. Namque cùm responsum ad id fuisset, cur se cùm homo esset Deum faceret; ut dictum illud, *Ego & Pater unum sumus*, absolutæ & perfectæ intelligentiæ ordinem sumeret, hæc consequenter subjecit, *Vos dicitis, quia blasphemavi, quoniam dixi, Filius Dei sum. Si non facio opera Patris, nolite credere mihi: si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite; ut sciatis & cognoscatis, quoniam Pater in me, & ego in eo.* Infrenis audaciæ est desperata jam per conscientiam salus, & extra pudorem est professa omnis impietas. Nam [e] jam quis nec erubescit stultitiæ, ubi perdidit religionem: his enim contradicere, amentia potiùs quàm ignoratio est. Dominus dixerat, *Ego & Pater unum sumus*: nativitatis hoc sacramentum est, ut Pater & Filius in unitate naturæ sint. Et quia naturæ præsumtio vocaretur in crimen, præsumendi ratio docetur ex causa. Ait enim, *Si non facio opera Patris, nolite credere mihi.* Si non opera Patris facit, non credendum ei est, profitenti Dei esse se filium. Non habet ergo nativitas novam externamque naturam; quia per id filius esse credendus est, quòd opera patris efficiat. Quid hîc adoptio, quid indulgentia nominis loci invenit, ne ex natura Dei filius sit; cùm Dei filius ex naturæ paternæ operibus credendus sit? Non exæquatur aut similis est Deo creatura, neque ei naturæ alienæ potestas comparatur: solà ei nativitas filii non [f] impiè per similitudinem creditur æqualis. Nam quidquid extra eum est, cum contumelia ei honoratæ virtutis æquabitur. Si enim aliquid, quod non ex ipso est, reperiri potest simile ei ac virtutis ejusdem; amisit privilegium Dei sub consortio coæqualis; jamque non erit Deus unus, à quo indifferens sit deus alius. At verò non habet contumeliam, proprietatis [g] æqualitas: quia suum est, quod sui simile est; & ex se est, quod sibi ad similitudinem comparatur; nec extra se est, quod quæ sua sunt potest: & PROFECTUS DIGNITATIS EST, genuisse potestatem, nec alienasse naturam. Opera Patris efficit Filius; & per id credi se Dei filium postulat. Non est præsumtio arrogans, quæ probari se non nisi ex his quæ gerat poscit. Gerere autem se non sua, sed quæ Patris sunt, testatur; ne per magnificentiam gestorum naturæ nativitas auferatur. Et quia sub sacramento assumti corporis, & nati ex Maria hominis, Dei filius non intelligebatur; [h] fides nominis intimatur ex gestis, cùm ait, *Si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite.* Credi sibi primùm quòd Dei filius sit, nisi ex operibus Patris quæ ipse efficit, non vult. Quòd si facit opera, & per humilitatem corporis fide professionis indignus est, operum fidem postulat. Cur enim sacramentum nati hominis, intelligentiam divinæ nativitatis impediat; cùm divina nativitas omne opus suum [i] sub ministerio assumti hominis exsequatur? Si igitur homini per opera non creditur quòd Dei filius sit; credatur operibus quòd Dei filii sint, quia negari quòd Dei sint non possunt. Omne enim in se filius Dei habet nascendo, [k] quod Dei est: & idcirco opus Filii opus Patris est, quia nativitas nec extra naturam eam est ex qua [l] manet, & naturam eam in se habet unde subsistit.

Joh. 10. 36. &c.

Ibid. 37.

Æquari Deo nequit quod extra eum.

Ibid. 38.

[a] Lips. & Par. *non religiosè*: corruptè.

[b] Bad. Er. & Lips. *Qui ante*: dissidentibus aliis libris. Tum Par. cum vetere ms. Colb. *promissum*, non *promisit*.

[c] In vulgatis, *qui factus est ei*. Removimus *ei* auctoritate mss. Colb. Germ. ac Mart. consentiente græco, necnon Irenæo lib. 3. c. 32. ac Tertulliano adversùs Praxeam n. 27. Mox ex fide dictorum mss. necnon Carnut. reponimus *qui destinatus est*, favente græco τοῦ ὁρισθέντος; cùm priùs legeretur *qui prædestinatus est*. Corbeiensis autem codex ab annis saltem mille exaratus epistolas Pauli græcè & latinè complectens, latinè præ se fert *factus est ei*, & *prædestinatus*; secus græcè, utpote cum vulgatis exemplaribus græcis consentiens.

[d] Vocem *unum*, quæ in editis deerat, supplemus ex mss.

[e] Excusi, *jam quisquis*. Rectiùs mss. *jam quis*, id est, *jam aliquis*. Mox, *his enim contradicere*, id est, nam quòd contradicunt fidei.

[f] Erasmo magis placuit *non impropriè*, quod & postea Lips. & Par. arripuere, refragantibus Bad. & mss. Cautè hîc & infrà *similitudo* prædicatur, adjuncta æqualitate: quod se semper præstitisse monet Hilarius in responsis apologeticis ad lib. de Synodis.

[g] id est, æqualitas rei, quæ non aliena aut extranea est, sed sibi propria.

[h] Omnes ferme libri, *fides nobis*. Magis placuit cum optimo codice Colb. necnon Germ. *fides nominis*. Suum quippe nomen prædicans Christus ac dicens, *Filius Dei sum*, ubi non est creditus, dicti fidem facere conatus est ex gestis.

[i] Editi, *sub mysterio*; & mox *exequatur*, pro *exsequatur*. Castigantur ope mss.

[k] In ms. Carn. *quod Deus est*: sensus idem.

[l] Editi, *manat*: absque auctoritate mss. Verbum *manere* Hilario familiare est pro *exstare*, ut patet ex lib. 4. n. 6. & 16. lib. 6. n. 13. necnon ex lib. de Synod. n. 35. & 41. Eo autem frequens utitur ad significandam Filii nativitatem initii aut divisionis expertem. Sic infrà num. 31. *Deus ex Deo manens non est aliunde.* & num. 53. lib. 8. *Christus non de non substantibus manet.* Et lib. 6. num. 19. *quem in te manentis ex te nativitatis natura retineret*: & num. 35. *Non ut esset cœpit ex nihilo, sed exiit à manente.* Demum in sinceris exemplaribus nusquam reperias *manare*, quod ad æternam Filii generationem referatur.

Filius in Patre, & vicissim.

Joh. 10. 38.

27. Faciens igitur opera Patris, & postulans A ut si sibi non crederetur, vel operibus ipsis crederetur, demonstrare debuit quid esset operibus credendum, nempe quod sequitur: *Si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite; ut sciatis, & cognoscatis, quoniam Pater in me, & ego in eo.* Hoc est illud, *Dei filius sum:* hoc est illud, *Ego & Pater unum sumus.* Hæc est nativitatis natura, hoc salutaris fidei sacramentum, non dividere quod unum sunt, [a] nec nativitati adimere naturam, & ex vivente Deo B viventis Dei veritatem confiteri. Non enim ex compositis [b] atque inanimis Deus, qui vita est, subsistit: neque qui virtus est, ex infirmibus continetur: neque qui lux est, ex obscuris coaptatur: neque qui spiritus est, ex disparibus formabilis est. Totum in eo quod est, unum est: ut quod spiritus est, & lux & virtus & vita sit; & quod vita est, & lux & virtus & spiritus sit. Nam qui ait, Ego sum, & non demutor: non demutatur ex partibus, nec fit di- C versus ex genere. Hæc enim, quæ superiùs significata sunt, non ex partibus in eo sunt; sed totum hoc in eo unum & perfectum, omnia Deus vivens est. Vivens igitur Deus, & æterna naturæ viventis potestas est: & quod cum sacramento scientiæ suæ ex eo nascitur, non potuit aliud natum esse quàm vivens. Nam cùm ait, Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo [c] per Patrem; docuit vitam in se per viventem Patrem inesse. Dehinc cùm dicit, Sicut enim D Pater habet vitam in semetipso, sic & Filio dedit vitam habere in semetipso; omnia viva sua ex vivente testatus est. Quod autem ex vivo vivum natum est, habet nativitatis profectum sine novitate naturæ. Non enim novum est, quod ex vivo generatur in vivum; quia nec ex nihilo ad nativitatem vita quæsita est, & vita, quæ nativitatem sumit ex vita, necesse est per naturæ unitatem, & perfectæ atque inenarrandæ nativitatis sacramentum, ut & in vivente vivat, E & in se habeat [d] vitam viventem.

Quidquid in Deo est, unum est.

Malach. 3. 6.

Filius vita de vita. *Johan. 6. 58.*

Johan. 5. 26. adeoque non ex nihilo.

* *Lib. 1. n. 19. lib. 4. n. 2. & lib. 6. n. 9.*

Quî in Patre sit.

28. Admonuisse nos in exordio * sermonis nostri meminimus, humanas comparationes divinis non satisfacere exemplis; tamen pro parte intelligentiæ nostræ sensum formis corporalibus erudiri. Humanæ nativitatis conscientiam consulo, utrùm non intra patres maneat origo nascentium. Nam tametsi elementa illa inanima ac turpia, quibus nascendi causæ inchoantur, in hominem alterum effluant, naturæ tamen virtute intra se invicem manent: dum & per [e] datam naturæ ejusdem originem, nascentem sequitur ille qui gignit; & per acceptam nativitatem, cujus virtus etsi derivetur, non tamen [f] aufertur, in gignente se manet ille qui nascitur. Et hoc quidem tantùm ad humanæ nativitatis intelligentiam commemoratum à nobis sit, non etiam ad perfectum in unigenito Deo nativitatis exemplum: quia naturæ humanæ infirmitas ex disparibus comparatur, & ex inanimis continetur ad vitam. Nec statim in ea quod gignitur vivit, neque totum vivit ex vita; cùm in ea multa sint, quæ sine naturæ suæ sensu, cùm excreverint, desecentur. In Deo verò totum quod est vivit. Deus enim vita est: & ex vita non potest [g] quidquam esse nisi vivum. Neque ex derivatione, sed ex virtute nativitas est. Ac sic dum totum quod est vivit, & dum totum, quod ex eo nascitur, virtus est; habet nativitatem, non habet demutationem; & impertit profectum, nec amittit naturam: dum & nativitatem quam dedit per indiscretæ naturæ similitudinem sequitur, & nativitas eam, quæ vivens ex vivente est, naturam nascendo non deserit.

Humanæ nativitatis comparatio.

Nativitatis utriusque discrimen.

29. Affert autem pro parte fidei hujus significationem, ignis in se ignem habens, & in igni ignis manens. Nam cùm sit in eo splendor luminis, naturæ calor, virtus urendi, mobilitas æstuandi; totum tamen ignis est, & hæc universa, una natura est. Habet quidem ex infirmitate, quòd per materiam subsistit ac vivit, & cum ea per quam vixerat deficit. Sed hoc, quod [h] incomparabile Dei est, comparatione ex parte cognoscimus: ut non incredibile in Deo sit, quod pro parte aliqua in terrenis reperiatur elementis. Quæro itaque nunc utrùm divisio ac separatio sit, cùm ignis ex igne est. Aut numquid absciditur natura ne maneat, aut non sequitur natura ne insit, cùm accenso lumine ex lumine per quemdam quasi nativitatis profectum naturæ nulla [i] defectio sit, & tamen sit lumen ex lumine? Aut numquid hoc non

Ignis comparatio altera.

[a] Editi, *nec nativitatis.* Rectiùs mss. *nec nativitati*, hoc est, nec nato.

[b] Mart. ms. ut infrà habet *inania*, pro *inanima*; ita & hîc cum codice Vat. bas. *atque inanibus.* Corb. à prima manu, *neque ex inanibus.* Deinde in omnibus exstat *infirmibus*, ubi in vulgatis *infirmioribus.* Tum verbo *continetur*, pro *constat*, videtur usus Hilarius: ne ita ex Patre prodiisse Filius existimetur, ut non semper intra ipsum contineatur ac maneat. Sic quippe lib. 6. n. 19. Patrem alloquens confitetur natum, *in quo te generationis ex te veritas contineret, & quem in te manentis ex te nativitatis natura retineret.*

[c] Editi hîc, *propter Patrem*, sed lib. 8. n. 16. *per Patrem:* quam lectionem constanter exhibent mss. confirmantque proximè subnexa, *per viventem Patrem.*

[d] In mss. Colb. & Germ. *vita viventem.*

[e] Editi, *datam à se.* Abest *à se* à potioribus mss. Acutè hîc explicatur quî filius in patre, & in filio pater. In filio pater est, quia nascentem sequitur ille qui gignit, dum hujus natura in genitum quodam modo trajicitur. Illa autem natura à filio accepta, dum non amittitur à patre, sed in eo manet, id filio præstat, ut etiam in ipso genitore maneat.

[f] Mss. Corb. Prat. Vind. &c. *auferatur.* Antiquior Colb. *auferetur.*

[g] Ms. Carnut. *aliud esse.*

[h] Apud Bad. & Er. desideratur *incomparabile.* Deinde apud Lips. Par. & in plerisque mss. *ex comparationum parte cognoscimus.* Minùs malè in Martin. *ex comparatione partem cognoscimus.* Reponimus *comparatione* &c. auctoritate ms. bas Vat. & aliorum duorum Vatic. quibus consentiunt Bad. & Er. Mox mss. habent *in Deum sit*, non *in Deo sit.*

[i] Excusi, *defectio*, & mox *sine defectione:* castigantur ex mss. Huc spectat quod Tatianus Or. cont. Græcos ait, *Natus est autem participatione, non abscissione. Quod enim abscinditur, à primo separatur; quòd verò communicatur, id functione donatum propriâ nihil imminuit illum à quo vim suam sumsit. Quemadmodum enim ab una face aliæ multæ accenduntur, nec tamen prima facis lux imminuitur propter plures inde accensas: sic etiam Verbum è Patris virtute progressum non reliquit genitorem Verbi expertem.* Tatiano præiverat Justinus cont. Triph. docens Filium ex Patre genitum *non per abscissionem, tamquam dispertita esset Patris substantia, prout alia omnia divisa & secta non eadem sunt, quæ antè fuerunt quàm scinderentur. Atque exempli gratiâ illud sumsi, quòd ex igne ignes alios accensos videmus, illo nihil diminuto, sed eodem manente unde multi accendi possunt ignes.* Ubi indicat quod longè antè in eodem dialogo præmiserat his verbis: *Quemadmodum in igne videmus alium fieri, non decrescente illo unde facta est alterius accensio, sed in eodem statu permanente; & qui ex ipso accenditur, etiam ipse esse apparet, non imminuens illum unde est accensus.* Hinc patet cur Filius à catholicis dictus sit *lumen de lumine*, & cur hanc nobis eripere notionem Ariani moliti sint.

manet in eo, quod ex sese sine defectione subsistit? Aut hoc non inest in eo, [a] unde non recisum est, sed cum unitate substantiæ naturalis exivit? Et quæro anne non unum sint, cùm lumen ex lumine nec divisione separabile sit, nec genere naturæ?

Comparationum quis usus.

30. Et hæc, ut dixi, ad intelligentiam fidei tantùm comparata sint, non etiam ad Dei dignitatem; ut nos potiùs intelligentiam invisibilium [b] ex corporalibus sumeremus, non utique ut aliquod naturæ Dei satisfaceret comparationis exemplum: cùm dignum & justum esset testanti de se Deo credere. Sed quia simpliciorum fidem furor hæreticus turbaret, ut id de Deo credi non oporteret, quod difficilè, nisi per corpoream comparationem, posset intelligi: idcirco secundùm illud jam etiam superiùs memoratum à nobis Domini dictum, Quod de carne nascitur, caro est; quod autem de spiritu, spiritus est, quia Deus spiritus est, utile existimavimus hæc pro parte inserere comparationis exempla: ne mentiri de professione sua existimaretur, cùm divinæ nobis professionis intelligentiam ex aliquo naturalia creaturarum exempla præstarent. (*Johan. 3. 6.*)

Filio natura divina.

31. Igitur ex vivente [c] vivens Dei filius, & ex Deo Deus, & naturæ inseparabilis atque indissimilis unitatem & sacramentum nativitatis ostendens, ait, *Ego & Pater unum sumus.* Et quia calumnia dicti tamquam insolentis exsisteret; ut conscientiam potiùs naturæ demonstraret in dicto, subjecit, *Dicitis quia blasphemavi, quoniam dixi, Filius Dei sum*, unitatem naturæ ex nativitate esse contestans. At verò ut nativitatis fidem professio absoluta firmaret, nec naturæ tamen afferret nativitas professa dissidium; hanc totius responsionis suæ tenuit absolutionem, *Operibus credite, quoniam Pater in me, & ego in Patre.* Quid hîc non naturale ac proprium sub sacramento nativitatis ostensum est? Insunt sibi invicem, dum non est nisi ex patre nativitas, dum in Deum alterum [d] naturæ vel exterioris vel dissimilis non subsistit, dum Deus ex Deo manens non est aliunde quòd Deus est. Infer duos, si occasio patet, fidei Ecclesiæ deos: aut solitarium Deum vel falsa saltem mentire ratione: Filium, si potes, à Patre absque nativitatis tantùm confessa veritate discerne. Filius in Patre est, & in Filio Pater, non per transfusionem refusionemque mutuam [e], sed per viventis naturæ perfectam nativitatem. Ita in Deo patre & in Deo filio neque duos [f] connumerabis deos, quia unum uterque sunt; neque singularem prædicabis, quia uterque non unus est. Non habet igitur fides apostolica duos deos, quia nec duos patres habeat, nec duos filios. Confitendo patrem, confessa filium est; credens in filium, credidit & in patrem: quia & nomen patris [g] habet in se filii nomen. Non enim nisi per filium pater est: & significatio filii, demonstratio patris est; quia non nisi ex patre sit filius. In unius itaque confessione non unus est: dum & Patrem consummat Filius, & Filii ex Patre nativitas est. Non demutatur autem per nativitatem natura, ne secundùm similitudinem generis sui eadem sit. Eadem autem ita est, ut per nativitatem & generationem uterque potiùs unum confitendus sit esse, non unus.

Vi nativitatis. — *Per hanc ipse in Patre & Pater in eo.* — *Hinc nec singularis, nec non unus Deus.* — *Patrem dicens dicit & Filium.*

Epilogus. Quî Pater & Filius Deus unus & non solus.

32. Duos itaque prædicet deos, qui potest unum prædicare sine uno: aut singularem Deum doceat, qui possit negare unum uni per naturæ virtutem & per sacramentum generationis & nativitatis non inesse. Naturam quoque [h] diversam deputet ad utrumque, qui nesciat Patrem & Filium quòd unum sint prædicatos. Deleant hæretici evangelicam Filii de se professionem, *Ego in Patre, & Pater in me:* [i] ut possint vel duos deos prædicare, vel solum. Non sunt naturarum significationes in naturæ unius proprietate: nec duos deos Dei ex Deo veritas perficit, nec singularem Deum Dei patitur nativitas, nec non unum sunt qui [k] invicem sunt. Invicem autem sunt, cùm unus ex uno est: quia neque unus uni aliud per generationem quàm quod suum est dedit, neque unus ab uno aliud per nativitatem obtinet [l] quàm unius. Apostolica igitur fides, sive Patrem prædicabit, prædicabit Deum unum; sive Filium confitebitur, confitebitur Deum unum: quia & eadem atque indissimilis Dei natura sit in utroque, [m] & quòd dum & Pater Deus & Filius Deus est, & unum sit naturæ nomen utriusque, unus utrumque significat. Nam ex Deo Deus, vel in Deo Deus, nec deos duos perficit, cùm unus ex uno [n] in natura & nomine maneat unius; nec in solitarium Deum deficit, cùm unus & unus in significatione non solus sit.

Invicem sunt.

33. Non incertam aut dubiam Dominus tanti

[a] Unus è mss. Vatic. *unde non recessum est:* corruptè.

[b] Excusi, *ex comparabilibus:* emendantur ope mss.

[c] Er. Lips. & Par. *ex vivente Deo Patre:* quod non displiceret, nisi refragarentur antiquiores ac plerique mss.

[d] Ita optimus codex Colb. cum Germ. Alii verò, *natura vel exterior.*

[e] vel ut Faustinus sæpe jam laudatus enarrat c. 1. *non utique per quamdam passivam confusionem: sed quia consequens est ut ubi Pater est, illic esse cognoscatur & Filius; & ubi Filius est, illic etiam Patrem exstare cognoscas.*

[f] In ms. Mart. *connumerabiles.* In ceteris, *connominabis* vel *cognominabis.* Retinemus *connumerabis* propter illud num. 13. *Non duos deos connumerat nomen unum.*

[g] Ita Hieronymus dial. cont. Lucif. docet *filii nomen in patre, & patris nomen in filio esse:* nimirum quia pater cogitari nequit, quin filii etiam cogitatio simul obversetur.

[h] Apud Lips. & Par. *disparem diversamque:* præter fidem librorum aliorum. Eodem Scripturæ loco diversam naturam excludi defendit Augustinus lib. 6. de Trinit. c. 3. *Nescio,* inquit, *utrùm inveniatur in Scripturis,* UNUM SUNT, *quorum est diversa natura.* Unde Coll. cum Maximino sic eum alloquitur n. 14. *Quando mihi protuleris quòd unum sint quæ sunt diversæ substantiæ, tunc cogitabo quid debeam respondere.*

[i] Removimus hinc, *Ego & Pater unum sumus:* quod hîc perperam immiserat Lipsius, cùm subjecta nequaquam hunc locum respiciant, sed tantùm superiorem, *Ego in Patre* &c.

[k] Bad. Er. & Lips. cum ms. Corb. *in invicem sunt. In invicem autem.* Abest *in* à Par. & plerisque mss. Sic num. 31. *Insunt sibi invicem.* Sunt autem invicem, quia, ut proximè dicebatur, sunt *in naturæ unius proprietate*, hoc est, uterque unam & eamdem naturam habet propriam.

[l] Bad. & Er. *quàm unus.* Rectiùs alii libri, *quàm unius;* subaudito *quod*, puta, *quàm quod unius est.* Sic infrà unus ex uno *in natura & nomine unius* manere prædicatur.

[m] Editi, omissâ hîc conjunctione *&*, mox subjiciunt *utrisque*, loco *utriusque;* cùm hoc vocabulum antè & pòst numero singulari, non plurali exhibeant. Restaurantur ex mss. Hanc sententiam sic licet exprimere: *& quia dum & Pater Deus & Filius Deus est, & dum utriusque est unum naturæ nomen* &c.

[n] Er. *in natura & nomine.* Tum Lips. & Par. cum ms. Mart. *in naturæ nomine unius maneat:* confusè. Ibi quippe *unius* perinde esse videtur, ac *ejus qui unus est.*

sacramenti doctrinam reliquit, nec nos in ambiguæ intelligentiæ deseruit errore. Et audiamus eum omnem fidei hujus cognitionem Apostolis revelantem: ait enim, *Ego sum via & veritas & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si scitis me, & patrem meum scitis: & à modò* [a] *scietis eum, & vidistis eum. Ait illi Philippus, Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus, Tanto tempore vobiscum sum, & non nostis me, Philippe? qui vidit me, vidit & Patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? Non credis* [b] *mihi, quoniam ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, non à me loquor; sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua. Credite mihi, quoniam ego in Patre, & Pater in me. Sin autem, vel propter opera ipsa credite.* Non nos in erratica atque in invia deducit ille qui via est, neque illudit per falsa qui veritas est, neque in mortis relinquit errore qui vita est. Et quia hæc benigna ad salutem nostram dispensationis suæ nomina ipse constituit, ut nos tamquam via in veritatem deduceret, & veritas constitueret in vita; cognoscendum est, quod illud obtinendæ vitæ sacramentum esse demonstret. *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Iter ad Patrem per Filium est. Et quærendum est utrùm hoc per doctrinæ admonitionem, an per naturæ fidem sit: quia videri possumus per doctrinam Filii potiùs ad Patrem, quàm per confessionem paternæ in eo divinitatis venire. Intelligentię igitur sensum in consequentibus requiramus. NON ENIM fides ex arbitrio nostro, sed ex dictorum est ineunda virtutibus.

Johan. 14. 6. &c.

Christus via, veritas & vita.

Johan. 14. 6. Iter ad Patrem per Filium: quî hoc intelligatur.

34. Nam hoc sequitur: *Si scitis me, & patrem meum scitis.* Homo Jesus Christus cernitur: & quomodo si ipse cognitus sit, erit cognitus Pater; cùm naturæ suæ, id est, hominis in eo habitum Apostoli recognoscant, & liber à corporali Deus carne, non in hac corporalis carnis infirmitate noscendus sit? Sed in sacramento assumti corporis divinitatis paternæ naturam in se Dominus confirmans, hunc ordinem tenuit: *Si scitis me, & patrem meum scitis: & à modò scietis eum, & vidistis eum.* Tempus visionis separavit à tempore cognitionis. Nam quem cognoscendum ait, eumdem jam dixit & visum: [c] ut naturæ jam pridem in se conspectæ scientiam ex tempore nunc hujus revelationis acciperent.

Ibid. 7. Filium qui sciat, scire & Patrem.

35. Sed commovit apostolum Philippum novitas dictorum. Homo cernitur, Dei se filium confitetur, cognito se cognoscendum Patrem fatetur. Patrem [d] visum esse dicit, & per id cognoscendum esse quia visus sit. Humani istud animi infirmitas non capit, [e] nec fidem sumit tam diversarum rerum professio; ut qui tunc visus sit, nunc cognoscendus sit, cùm vidisse [f] cognitio sit; ut si Filius cognitus sit, & Pater cognitus sit: cùm cognitionem Filii ipse secundùm hominem corporalis & visus & tactus ingesserit, cognitionem autem ex eo Patris, ipsa illa differens ab eo conspecti hominis natura non præstet, & frequenter Filius Patrem à nemine visum esse testatus sit. Prorupit igitur apostolica [g] familiaritate & constantiâ Dominum interrogans Philippus: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Non fides nunc periclitatur: sed ignorationis hîc error est. Visum enim jam, & à modò cognoscendum Dominus Patrem dixerat: sed visum esse Apostolus non intellexerat. Denique non visum negavit, sed ostendi sibi rogavit: neque ostensionem veluti corporalis contemplationis desideravit, sed demonstrationem intelligendi ejus qui visus est postulavit. Filium enim in habitu hominis viderat: sed quomodo per id Patrem viderit, nescit. Nam ad id quod dixerat, *Domine, ostende nobis Patrem*, ut ostensio illa intelligendi potiùs esset demonstratio, quàm videndi, subjecit, *& sufficit nobis.* Non ademta est fides dicto; sed cognoscendi demonstratio est postulata, quæ [h] sufficeret ad fidem dicti: quia per Domini professionem auctoritas esset non incerta credendi. Hinc autem ostendendi Patris petitio orta est, [i] quia dictus esset visus esse, & per hoc noscendus esse, quia visus sit. Nec impudens erat, ostensionem ejus qui visus est postulare.

Philippus hoc non capit: cur.

Ibid. 8. Qui salvâ fide Patrem sibi ostendi rogat.

Ibid. 8.

36. Dominus itaque dictis Philippi hæc reddidit: *Tanto tempore vobiscum sum, & non nostis me, Philippe?* Arguit Apostoli in cognoscendo se ignorationem: quia superiùs se cognito Patrem quoque cognitum esse dixisset. Sed quid illud est, quòd queritur se tanto tempore cognitum non fuisse? Scilicet quia se cognito, paternæ in se naturæ esset intelligenda divinitas. Cùm enim ea, quæ gereret, propria Deo essent, calcare undas, jubere ventis, [k] inintellecta demutatione vini incrementoque panum

Ibid. 9. Quòd Dei in Christo naturam nondum nosset arguitur.

[a] Antiquiores mss. hîc & infrà n. 34. *scitis*, consentiente græco textu, sed aliud tamen postulante Hilarii enarratione.

[b] Ut à græco textu abest *mihi*, ita etiam hîc à duobus mss. Colb. in quibus tamen exstat inferiùs.

[c] Par. cum vetusto codice Colb & Germ. *& natura*: quod etiam habuit Corb. à prima manu. Et quidem advertimus jam non semel, particulam *&* eamdem vim habere atque *ut*. Divinam autem naturam in Christo per miracula conspectam esse infrà declaratur.

[d] In vulgatis, *visum se viso dicit*: ineptè, cùm respiciatur illud, *& vidistis eum.* Proximè antè in ms. Carn. *cognitum*, non *cognoscendum*.

[e] In codice uno Colb. & Carn. *sed fidem.* Retinendum cum aliis *nec fidem*, supple, humanam.

[f] Exemplar Corb. *cognitionis sit.* Ea est argumenti hujus vis, ut cùm, Christo ipso testante, qui ipsum novit, noverit & Patrem; Patrem autem non noverit, qui humanam dumtaxat naturam illius novit: hinc manifestè sequatur aliam in Christo naturam esse carnalibus oculis latentem & abstrusam, quæ à paterna minimè discrepet. Quod pro more imitatus Faustinus cap. 1. *Non qui corporeis*, inquit, *oculis in corpore vidisset Jesum, vidisse Patrem refertur; alioquin absurda est increpatio Domini ad Philippum* &c. *Quid ergo est, Qui me vidit, vidit & Patrem? Intende cordis aciem, & vide secundùm fidei spiritalis obtutus Christum filium Dei non creaturam esse, sed creatorem ...... & per omnia talem qualis est Pater qui eum genuit: & ita videns Filium, Patrem quoque te vidisse non dubium est.* Breviùs Tertullianus adv. Prax. n. 24. *Pater in Filio non visu, sed sensu videbatur.*

[g] Recentiores quidam mss. *familiaritas & conscientia.*

[h] id est, quæ idonea esset persuadere aliqua ratione, quod jam propter auctoritatem dicentis certum & indubitatum tenebatur; ut esset *fides jam rationabilis scientia*, quemadmodum vocatur lib. 1. num. 22.

[i] Ita mss. At editi, *quia dictum esset visum esse, & per hoc noscendum.* Mox aliquot mss. *nec imprudens erat.*

[k] Bad. & Par. *intellecta.* Er. *in intellecta* duobus verbis. Lud. Miræus post Erasmum conjectat legendum esse, *inintellectam demutationem vini incrementaque panum congestorum.* Tantùm ad verbum *gerere* vocabulum *inintellecta* referendum est, quasi *res non intellectas*: quia nimirum Christus in vino demutando & multiplicandis panibus ea gessit, quæ intelligentia humana non assequitur: & tamen *cum gestorum fide*, quorum tam multi fuere testes oculati. De iisdem gestis lib. 3. n. 18. *Res cernitur, & nescitur; fit, & non intelligitur; ratio non apprehenditur, & effectus ingeritur.* Et num. 20. *Dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus... Sed mendacium nostrum facti fides vincit.*

cum gestorum fide gerere, fugare dæmonas, morbos depellere, damna corporum rependere, emendare vitia nativitatis, peccata dimittere, vitam mortuis reddere; & hæc agere carnalem, & Dei se filium inter ista profitentem: hinc querelæ omnis orta conquestio est, quòd in sacramento nativitatis humanæ, [a] gessisse hæc in homine assumto Dei non intellecta natura est.

Patrem exhibet ut vivens ipsius imago. Ibidem.

37. Et idcirco arguens, cur cùm hæc tanto tempore gereret, agnitus non fuisset; postulantibus ut sibi Patrem ostenderet, ait, *Qui me vidit, vidit & Patrem.* Non hîc ille contemplationem corpoream & visum oculorum carnalium significat, sed eorum de quibus dixerat, Nonne vos dicitis, quoniam adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis, levate oculos vestros, & adspicite regiones, quia albæ sunt ad messem. *(Johan. 4. 35.)* Nec tempus patitur, nec albentium ad messem regionum significatio permittit, aliquid hîc terrenum & corporeum intelligi: sed ad perfectorum fructuum beatitudinem contuendam, intelligentiæ jussit oculos elevari, ut nunc dicens, *Qui me vidit, vidit & Patrem.* Non enim hoc, quod ex partu virginis carnale est, ad contemplandam in eo Dei formam & imaginem proficit: neque ad incorporalis Dei naturam videndam assumti hominis species in exemplo est. Sed agnitus in eo Deus est, si quibus tamen ipse agnitus est, ex virtute naturæ: & intellectus [b] Deus Filius id præstat, ut intellectus & Pater sit: dum ita imago est, ut non differat genere, sed significet auctorem. Imagines enim ceteræ ex diversis aut metallis aut fucis aut generibus aut artibus reddunt eorum species, quorum sunt imagines institutæ: sed numquid ut imagines veræ sint, exæquari possunt inanima viventibus, & vel picta vel sculpta vel fusa nativis? Filius autem Patri non secundùm * hæc imago est: quia viventis vivens imago est, & ex eo natus non habet naturæ diversitatem, & in nullo diversus tenet naturæ ejus [c] ex qua non diversus est potestatem. Quòd ergo imago est, eò proficit, ut Patrem Deum unigeniti Dei significet nativitas; significet autem, ut forma [d] ipse & imago invisibilis Dei: & per hoc non amittit naturæ unitam similitudinem, quia nec careat virtute naturæ.

** horum ad instar.*

Johan. 14. 9. & 10. Dei verbis nec Deus singularis nec dispar Filius.

38. Et hinc illud est, *Tanto tempore vobiscum sum, & non nostis me, Philippe? qui vidit me, vidit & Patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? Non [e] creditis mihi, quoniam ego in Patre, & Pater in me est?* NON RELICTUS EST hominum eloquiis de Dei rebus alius præter quàm Dei sermo: omnia reliqua & arta & conclusa & impedita sunt & obscura. Si quis aliis verbis demonstrare hoc, quàm quibus à Deo dictum est, volet; aut ipse non intelligit, aut legentibus non intelligendum relinquit. Dominus dixit, cùm rogaretur ut ostenderet Patrem, *Qui me vidit, vidit & Patrem.* Hoc demutare antichristi est, hoc negare Judæi est, hoc nescire gentilis est. Sed fortè intelligentiæ sensus in crimine sit. [f] Sit in fide nostra vitium, si in dictis Dei resedit obscuritas. Nam nec solitarium sermo significat, & indifferentem tamen naturam professio docet. Visum enim in Filio [g] & Patrem, nec singularis potest esse, nec disparis: quia per hunc ille visus, neque non unum sunt in sacramenti professione, neque unus. Et quæro quid significasse in eo Dominus credatur, cùm dicit, *Qui me vidit, vidit & Patrem?* Non tenes unionem, ubi per conjunctionem ipsam paterni nominis significatur adjectio. Cùm enim dicitur, *& Patrem*, exclusa est singularis atque unici intelligentia. Et quid reliquum est, nisi ut per naturæ unitam similitudinem Pater per Filium visus sit? Et ne hoc incertum nobis ad fidem relinqueretur; Dominus subjecit, *Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem?* Quæ enim ignorandi Patrem aut ostendendi ignorantibus necessitas relinquebatur, cùm Pater in Filio visus esset?

Pater in Filio visus ex proprietate naturæ. Ibid. 10.

39. Visus autem adeo est ex proprietate naturæ, dum ex indifferentia atque in genere veritatis unum sunt natus & generans, ut hic Domini sermo sequeretur: *Non creditis, quoniam ego in Patre, & Pater in me?* Inseparabiles esse per naturalem similitudinem Patrem & Filium, non possumus verbis aliis docere, nisi Filii. Non enim hîc per demutationem nominum atque specierum Filius, qui via est & veritas & vita, mimis theatralibus ludit: ut in assumto homine se filium Dei nuncupet, in natura verò Deum patrem, & unus ac solus personali demutatione se nunc in alio mentiatur. Non itaque ipse solitarius, nunc sibi filius est, nunc se sibi profitetur in patrem, & naturæ nomina infert cessante naturâ. Alia hîc verborum simplicitas est: nam & Pater pater est, & Filius filius est. Sed in his nominibus ac rebus nihil [h] in se novum, nihil diversum, nihilque peregrinum est. Tenet enim naturæ veritas proprietatem; ut quod ex Deo est, Deus sit, & nec [i] deminutio sit nativitas, nec diversitas: dum & Filius non in naturam externam ac dissimilem patri Deo subsistit, nec Pater alienum quid sit à se [k] nativitati Unigeniti ac-

Contra Sabellium.

Contra Arium.

[a] Ita plures ac potiores mss. At editi *gessisset hæc. In homine &c.* malè. Non enim Christi querela fuit quòd gesserit, sed quòd in gestis divina ipsius natura intellecta à Philippo non fuerit. Quamquam non displiceret, *quòd cùm in sacramento nativitatis humanæ gessisset hæc &c.* In ms. bas. Vat. legitur, *gesserit.*

[b] In quibusdam mss. *Dei filius:* quod minùs probatur.

[c] Par. *in qua.* Meliùs alii libri, *ex qua*, scil. *est* seu subsistit *non diversus.*

[d] Apud Lips. & Par. desideratur vox *ipse*, pro qua apud Bad. Er. & in duobus mss. exstat *ipsa.* Mox in editis *amittat*, non ut in mss. *amittit.* Deinde pro *naturæ unitam similitudinem*, Erasmus ad marginem adscripsit *naturæ nativitas similitudinem:* malè. *Unitam similitudinem* eam Hilarius vocat, quæ cum naturæ unitate conjuncta sit. Vide responsa apologetica ad librum de Synod.

[e] Sic mss. & editi num. 40. qui hîc & num. 39. habent, *credis.*

[f] Editi, *in crimine sit, si in fide:* emendantur ex mss.

[g] Conjunctio *&*, ex qua maximè pendet vis argumenti contra Sabellianos, in vulgatis omissa restituitur ex mss.

[h] Illud *in se*, quod ad naturam refertur, adjecimus auctoritate mss. Proximè antè Corb. codex, *sed in his omnibus rebus:* malè.

[i] Bad. & Er. *nec diminutionis sit nativitas, nec diversitatis*, Lips. & Par. *nec demutatio sit nativitas, nec diversitas:* castigant mss. His verbis Arius refellitur, qui Christum aut diversæ substantiæ, aut certè divinitatis inferioris & imminutæ prædicabat. Vide suprà num. 6.

[k] Unus codex Colbertinus *per nativitatem.* Alter Sorbon. *nativitate.*

quirens, sed universa potiùs quæ sua sunt sine damno impertientis indulsit. Atque ita nec naturâ Dei caret, dum non aliunde quàm ex Deo Deus est; nec à Deo differt, dum non aliud ipse quàm Deus est: quia & nativitas Dei consistit in Filio, nec per nativitatem Dei amisit [a] ex se Dei natura quod Deus est. Pater igitur in Filio est, & Filius in Patre, Deus in Deo: non per duplicem convenientium generum conjunctionem, neque per insitivam capacioris substantiæ naturam; quia per corporalem necessitatem, exteriora fieri his quibus continentur interiora non possunt: sed per nativitatem viventis ex vivente naturæ; dum res non differt, dum naturam Dei non degenerat nativitas, dum non aliud aliquid quàm in Deum ex Deo Deus nascitur, dum nihil in his novum est, nihil alienum, nihil separabile, dum in Patre & Filio credere deos duos impium est, dum Patrem & Filium singularem Deum prædicare sacrilegum est, dum Deum ex Deo quòd in similitudine generis unum sint negare blasphemum est.

Qui in se invicem Pater & Filius.

40. Ac ne dubium hoc atque ambiguum sacramentum fides evangelica susciperet, hunc doctrinæ suæ Dominus ordinem tenuit: *Non creditis mihi, quoniam ego in Patre, & Pater in me? Verba, quæ ego loquor vobis, non à me loquor; sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua.* Quibus, rogo, aliis in Patre & Filio naturæ proprietas demonstrari, quàm his ipsis verbis, potuit & potest, nativitatis tamen in omnibus significatione prælatâ? Cùm enim ait, *Verba, quæ ego loquor vobis, non à me loquor*; non exemit personam, neque se filium denegavit, nec naturam in se paternæ virtutis abscondit. Nam dum loquitur ipse *, in substantia manens loquitur: dum autem non ab se loquitur, nativitatem in se Dei ex Deo patre testatur. Ipse inseparabilis ab eo atque indissimilis unitate naturæ: quia quamvis ab eo loquatur, ipse tamen loquitur. Nam qui non à se loquitur, & tamen loquitur, non potest non esse dum loquitur: & dum non à se loquitur, ostendit non suum tantùm esse quod loquitur. Subjecit enim: *Sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua.* Manere in Filio Patrem, non est singularis atque unici: operari verò per Filium Patrem, non est differentis aut exteri. Sicuti non unius est, non ab se loqui quæ loquatur; neque rursum alieni ac separabilis sit, loqui per loquentem: sed hoc eorum sacramentum est, qui unum sunt. [b] Et uterque non aliud sunt, qui per naturæ proprietatem in sese sunt: quorum hæc unitas est, ut loquens non ab se loquatur; neque qui non ab se loquitur, non loquatur. Et quia in se Patrem & loqui & operari docuerat; perfectæ hujus unitatis fidem statuit, dicens, *Sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua. Credite mihi, quoniam ego in Patre, & Pater in me. Sin autem, vel propter opera ipsa credite.* Pater operatur in Filio; sed & Filius opus Patris operatur.

Nec aliud sunt, nec unus: dum & loquitur Filius, sed non à se: *Joh.* 14. 10.

* signatus pronomine *ego*.

dum Pater agit, sed per Filium in quo & maneat.

Ibid. 11.

41. Ne ergo per virtutis efficientiam, & non per naturæ quæ secundùm nativitatem est proprietatem, Pater in Filio & operari crederetur & loqui; ait, *Credite mihi, quoniam ego in Patre, & Pater in me.* Quid est istud, rogo, *Credite mihi?* Certè ad id refertur quod dictum est, *Ostende nobis Patrem.* Fides confirmatur ex credendi præcepto, & ea fides [c] quæ Patrem sibi ostendi poposcerat. Non enim suffecerat dixisse, *Qui me vidit, vidit & Patrem*, nisi intelligentiam nostram eò usque protenderet, ut cùm Patrem nosceremus in Filio, Filium tamen esse meminissemus in Patre: ne transfusio potiùs alterius in alterum existimaretur, quàm per generationem nativitatemque unitas ejusdem in utroque naturæ. Credi itaque sibi Dominus vult, ne fortè per assumti hominis dispensationem fidei conscientia periclitetur. Certè si quid afferat ambiguitatis caro, & corpus, & passio; vel operibus credatur, Deum in Deo esse, & ex Deo Deum esse, unum eos esse: dum naturæ virtute uterque in se est, & neuter sine altero est: dum & Pater nihil ex suis amittit in Filio, & Filius totum sumit ex Patre quòd filius est. Non est corporalium naturarum ista conditio, ut insint sibi invicem, ut subsistentis naturæ habeant perfectam unitatem, ut manens unigeniti nativitas à paternæ divinitatis sit inseparabilis veritate. Unigenito tantùm istud Deo proprium est, & in sacramento veræ nativitatis fides ista est, & [d] spiritalis virtutis hoc opus est, nihil differre esse & inesse: inesse autem non aliud in alio, ut corpus in corpore; sed ita esse ac subsistere, ut in subsistente insit; ita verò inesse, ut & ipse subsistat. Nam uterque subsistens, per id non sine alio est, [e] dum secundùm generationem & nativitatem subsistentis natura non alia est. Hinc enim illud est, *Ego & Pater unum sumus*: &, *Qui me vidit, vidit & Patrem*: &, *Ego in Patre, & Pater in me*: quia non differt nec degenerat nativitas, quia unius in Patre & Filio divinitatis sacramentum nativitatis natura consummat, dum Dei filius non aliud quàm Deus est. Et idcirco non in deos duos unigeniti generatio deputatur: quia in Deum filius Dei nascens, naturam in se Dei se gignentis exhibuit.

Nativitatis & naturæ suæ divinæ fidem poscit Christus. *Ibid.* 11.

Unigenito proprium est inesse simul & subsistere.

Joh. 10. 29. *Joh.* 14. 9. *Ibid.* 11.

[a] Edit. Bad. & Er. *esse Dei natura.* Veriùs Lips. & Par. cum mss. *ex se*: hoc est, Pater suam Filio impertiens naturam non amisit quod ex se est. Pater ut ingenitus & totius fons divinitatis est *natura Dei ex se*, quam à Patre obtinens Filius dici potest *natura Dei ex alio.* Qua loquendi ratione habemus suprà num. 17. *Cùm natura Dei in naturam Dei substitisset, id est, ex Patre Filius natus esset.*

[b] Sic potior codex Colb. cum Germ. Alii verò, *qui unum sunt, qui uterque non aliud sunt*, nisi quòd in Mart. *& qui uterque* &c.

[c] Er. Lips. & Par. *qua.* Magis placuit *quæ* cum Bad. & mss. quorum in vetustioribus mox exstat *poscerat*, non *poposcerat.*

[d] Bad. & Er. *specialis*: minùs bene, cùm hæc opponantur proximè dictis, *Non est corporalium naturarum ista conditio.*

[e] Apud Par. desideratur particula *dum.* Mox Bad. & Er. *subsistens.* Meliùs alii libri, *subsistentis*, supple, *utriusque*: hoc est, dum non alia natura est ejus qui secundùm generationem, seu quà genitor est, subsistit, & ejus qui subsistit secundùm nativitatem, seu quà natus.

LIBER OCTAVUS.

Naturalem Filii & Patris unitatem propugnat. Procemium in eo versatur, ut episcopo nec innocentiam sine scientia, nec sine innocentia scientiam sufficere ostendat. Tum pius æquè ac doctus Præsul varias ad simplices decipiendos Arianorum technas fallacesque interrogatiunculas exponit. Quia verò illi Christi verba, Ego & Pater unum sumus, *ad solam voluntatis concordiam detorquent, eamque interpretationem his aliis confirmare solent;* Credentium erat anima & cor unum; *&,* Qui plantat & qui rigat unum sunt; *&,* Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te: *contendit unum esse, fideles quidem per unam unius fidei naturam, plantantem verò & rigantem, quatenus uno baptismo una res effecti unius etiam regenerationis sint ministri: demum imperitè omnino Christum dicturum fuisse* ut unum sint, *pro* ut unum velint, *si solam voluntatis concordiam suis precari voluisset. Hinc qua ratione, Christo mediante, unum cum Patre naturaliter simus explicat: idque defendit nobis præstari tum per æternam gloriam, qua honorem ipsi à Patre datum accipimus, tum per Incarnationis mysterium, quo propriam carnis nostræ naturam retinet artissimè sibi copulatam, tum maximè per Eucharistiæ sacramentum, quo veram illius carnem ac sanguinem sumimus. Neque hîc tacetur incredibilis hæreticorum calumnia, vulgò jactitantium Patrem & Filium ab iis discordes affirmari, qui nudam illam voluntatis concordiam non recipiunt.*

Deinceps naturalem utriusque unitatem pluribus demonstrat: Primò, quia Spiritus-sanctus, cùm à Patre procedat, à Filio tamen & mittitur & accipit; & hoc quidem, quia ipsius sunt omnia quæ Patris sunt. Secundò, quia Patris & Filii ita unus est Spiritus, ut Spiritus Christi habitet in nobis, cùm in nobis est Spiritus Dei. Tertiò, quia sine anathemate sunt, qui Christo cultum exhibeant; cùm in maledicto sit religio creaturæ. Quartò, quia in Spiritu Dei loquitur, qui Jesum esse verè Dominum confitetur. Quintò, quia non nomine solo, sed naturâ Dominum eum esse credidit Apostolus, qui spiritalia Ecclesiæ dona ob Spiritûs unitatem modò Patri, modò Domino attribuit. Sextò, quia verè Dominus est, qui unus est: aut certè si Christus unus Dominus non sit Deus, quia Deus unus est; Pater pari jure negandus erit Dominus. Septimò, quia non modò Dominus, sed & Deus super omnia *nuncupatur. Octavò, quia licèt hoc,* Deus ex quo omnia, *&,* Dominus per quem omnia, *personarum distinctionem sonet, efficientiæ tamen, virtutis ac naturæ significat unitatem; adeo ut aliàs etiam de Christo dicat Apostolus,* ex ipso & per ipsum & in ipso *esse omnia. Nonò, quia cùm vitam largiatur æternam propterea quòd ipsum signavit Pater, necesse est sit signaculum illius vivum ac plenum, cujus in se omnem explicet formam, omnem virtutem contineat. Ita verò decimò omnem explicat Patris formam, ut eum* in forma Dei, *in qua Deo æqualis sit, Apostolus prædicet. Undecimò, quia imago est Dei invisibilis, proindeque nec visibilis, nec corporeus, nec finitus. Neque potest dici hanc imaginis rationem in invisibili quadam qualitate, & non in natura habere sitam: quam in virtute ac unitate naturæ ponendam confirmat Paulus, ubi subjicit per Christum & in Christo creata & reconciliata esse omnia; & id quidem ita, ut in eo reconciliante reconciliet Pater. Demum in quo plenitudo divinitatis corporaliter, id est, verè & substantialiter habitat, non potest non habere quod Deus est; & perinde unus est cum eo Deus. Ita verò in his omnibus Filii cum Patre unitatem naturalem demonstrat, ut pariter adstruat personarum distinctionem.*

Episcopus & pius debet esse & doctus.

1. BEATUS apostolus Paulus formam constituendi Episcopi[a] fingens, & planè novum Ecclesiæ hominem præceptis suis condens, hanc veluti summam[b] con- A summatarum in eo virtutum esse docuit dicens, *Obtinentem secundùm doctrinam fidei verbum, ut potens sit exhortari ad doctrinam sanam, & contradicentes revincere. Sunt enim multi*[c] *& non subditi,* Tit. 1. 9.

[a] Bad. & Er. cum codice bas. Vat. ac recentiore Colb. *figens*: quod prima fronte placuerat.
[b] Mss. Vat. bas. & Mart. *consummandarum*.

[c] Particulam & hîc & infrà expunxit Erasmus, quamvis exstet apud Bad. necnon in omnibus mss. ut in græco textu.

vaniloqui & seductores. Ita enim quæ propria A disciplinæ ac morum sunt, ad sacerdotii meritum utilia esse significat, si etiam hæc, quæ ad docendæ ac tuendæ fidei scientiam necessaria sunt, inter reliqua non deerunt: quia NON STATIM boni atque utilis sacerdotis est, aut tantummodò innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare: cùm & innocens sibi tantùm proficiat, nisi doctus sit; & doctus sine doctrinæ sit auctoritate, nisi innocens sit. Non enim apostolicus sermo probitatis honestatisque B præceptis hominem tantùm sæculo conformat ad vitam, neque rursum per doctrinæ scientiam scribam Synagogæ instituit ad legem: sed perfectum Ecclesiæ principem perfectis maximarum virtutum bonis instituit, ut & VITA EJUS ornetur docendo, & doctrina vivendo. Denique ipsum illum, ad quem ei sermo erat, Titum [a] istiusmodi decreto consummandæ religionis instruxit: *In omnibus te ipsum bonorum factorum præbens exemplum, docentem cum veneratione verbum sanum, irreprehensibile; ut adversarius revereatur, nihil habens turpe aut malum de nobis dicere.* C Non ignoravit doctor hic gentium, &, ex conscientia loquentis atque habitantis in se Christi, Ecclesiæ electus magister, morbidi eloquii grassatura esse contagia, & adversùm sanitatem verborum fidelium desævituram doctrinæ pestiferæ corruptionem, quæ impiæ intelligentiæ suæ [b] luem usque ad ipsam sedem animæ demergens, profundo serperet malo. Ex his D enim ait, *Quorum sermo ut cancer serpit*, latenti semper subrepentique contagio sanitatem [c] pervasæ mentis inficiens. Ob quod sani sermonis in Episcopo voluit esse doctrinam, fidei conscientiam, & exhortationum scientiam, adversùm impias & mendaces & vesanas contradictiones [d] obtinentem. Multi enim sunt, qui simulantes fidem non subditi sunt fidei, sibique fidem ipsi potiùs constituunt, quàm accipiunt, sensu humanæ inanitatis inflati, dum E quæ volunt sapiunt, & nolunt sapere quæ vera sunt: cùm SAPIENTIÆ hæc veritas sit, ea interdum sapere quæ nolis. Sequitur verò hanc voluntatis sapientiam [e] sermo stultitiæ: quia necesse est quod stultè sapitur, stultè & prædicetur. Jam verò stulta prædicatio quantum malum est audientium, cùm seducuntur in sententiam stultitiæ sub opinione sapientiæ? Et idcirco Apostolus hunc de his ordinem tenuit dicens, *Sunt enim multi & non subditi, vaniloqui* F *& seductores.* Contradicendum itaque est, & impietati insolenti, & insolentiæ vaniloquæ, & vaniloquio seducenti: & contradicendum

Cur Episcopus & bonus & doctus esse debeat.

Tit. 2. 7. & 8.

Prævidit Paulus fore, quibus teneretur Episcopus contradicere.

2. Tim. 2. 17.

per doctrinæ sanitatem, per fidei veritatem, per verborum sinceritatem; ut & [f] sinceritas veritatis sit, & veritas sanitatis.

2. Ac mihi quidem ea nunc commemorandæ hujus sententiæ apostolicæ fuit causa, quia homines mente perversi, & professione fallaces, & spe inanes, & sermone viperei, contradicendi nobis necessitatem imponunt: dum lethales doctrinas, & morbidas intelligentias, & corruptas voluntates, simplicitati audientium per speciem religionis insinuant: id apud eos prætermissa apostolicæ prædicationis sinceritate agentes, ne Pater pater sit, ne Filius filius sit, ne Deus deus sit, ne fides fides sit. Quorum vesanis mendaciis renitentes usque eò jam sermonem responsionis nostræ tetendimus, ut cùm * Deum & Deum, & * verum Deum in vero Deo demonstrassemus ex lege; tum deinde * perfectam ac veram unigeniti Dei nativitatem ex evangelicis atque apostolicis doctrinis ostenderemus; postremò * ut verum Deum Dei filium & indifferentis à Patre naturæ, eodem prædicationis nostræ cursu doceremus: ita ut nec singularem Deum fides Ecclesiæ, nec duos deos profiteretur; cùm nec nativitas Dei solitarium Deum sineret, nec nativitas perfecta diversarum naturarum nomina in diis duobus admitteret. Duplex autem nobis in refellendis eorum vaniloquiis cura est, ut primùm quæ sunt sancta & perfecta & sana doceamus, neque sermo noster per deflexus quosdam atque amfractus oberrans, & ex deviis atque erraticis cuniculis emergens, veritatem quærat potiùs quàm ostendat: tum deinde ut quæ ab illis inanium ac fallacium sententiarum argutiis ad speciem veri blandientis aptantur, ea ipsa conscientiæ omnium ridicula esse & inepta pandamus. NON enim sufficit nobis docuisse quæ pia sunt, nisi piissima ea esse per id intelligantur, dum quæ impia sunt refelluntur.

3. Ut verò bonis & prudentibus viris naturæ ac studii est, totos se ad beatæ spei alicujus obtinendam vel rem vel tempus præparare, ne in aliquo minor sit exspectatione procinctus; ita istis hæretico furore amentibus sollicitudinis maximæ est, toto adversùs piæ fidei veritatem impietatis suæ ingenio laborare: ut adversùs eos, qui religiosi sunt, [g] vincant esse irreligiosi; & ultra spem vitæ nostræ, vitæ suæ desperatione potiores sint; & plus impendant [h] aptæ cogitationis ad falsa, quàm nos doctrinæ professionimus ad vera. Piis enim fidei nostræ professionibus has impiæ perfidiæ suæ contradictiones elaboraverunt, ut primùm requirant, utrúmne

Hoc tempus sibi obvenisse sentit Hilarius.

Quid jam ea in re perfecerit.

* Lib. 4.
* Lib. 5.
* Lib. 6.
* Lib. 7.

Quam viam contra hæreticos teneat.

Hæretici plus impendunt curæ ad falsa insinuanda quàm Catholici ad vera.

Interrogationes quibus simplicium fidei insidiantur.

[a] Vat. bas. codex, *istiusmodi dicto*.

[b] Apud Lips. & Par. *lucem*. Rectiùs in mss. *luem*: pro qua voce apud Bad. & Er. positum erat *virus*.

[c] Mss. Vat. bas. & Carn. *perversæ*. Mart. Corb. aliique cum edit. Bad. *persuasæ*. Retinendum omnino *pervasæ*, quod est Colb. aliorumque quamplurium probæ notæ mss.

[d] In vulgatis, *obnitentem*. Ex vetustissimis mss. Vat. bas. Colb. Carn. ut & Corb. ab antiqua manu, quorum consensus maximæ debet esse auctoritatis, præferimus *obtinentem*, supple palmam: ut ea nimirum doctrina sit, quæ vincat ac revincat contradicentes. Cui lectioni favet illud num. 19. lib. 12. ubi eam in Pastore scientiam Hilarius exigit, quæ sæculi sapientum scientiam superet: *ut quanta*, inquit, *rerum divinarum humanarumque discretio est, tanta ultra terrena studia ratio cælestis* (in Christi pastoribus) *excedat*.

[e] eorum scilicet, qui nihil volunt verum esse nisi quod sapiunt, seu quod humana ratione comprehendunt: quæ voluntatis sapientia toto lib. 3. fusè confutatur.

[f] Er. Lips. & Par. *sanitas veritatis*.

[g] Vetus codex Colb. & unus Sorbon. ad marginem, *vindicantes se irreligiosi*. Rectiùs in aliis, *vincant esse irreligiosi*, hoc est, vincant impietatis studio. Hanc Arianorum in disseminanda sua hæresi sollicitudinem ac vafritiem describens Athanasius Or. 2, cont. Ar. p. 329. ait eos per forum circumcursare, ac modò puellam interrogare, *An is qui est, non exsistentem ex non exsistente fecit, an exsistentem* &c. modò mulierculas sciscitari: *An habebas filium ante quàm pareres? Sed sicuti non habebas, ita & Dei filius non erat ante quàm gigneretur.*

[h] Quidam probæ notæ mss. *optamus*.

nobis

nobis in fide Deus unus sit; deinde subjiciant, an etiam Christus Deus sit; postremò, an Pater major sit Filio: ut cùm audierint in professione Deum unum, utantur eâ ad id, ne Christus Deus sit. Non enim de Filio quærunt, an Deus sit: sed id tantùm volunt, de Christo [a] interrogando, ne filius sit; ut simplicis fidei hominem captantes, per unius eum Dei fidem à Christi Dei confessione depellant, dum jam non unus Deus sit, si sit Deus confitendus & Christus. Jam verò hîc quantâ sæcularis ingenii subtilitate contendunt, cùm dicunt, [b] "Si unus est, quisquis ille alius videbitur esse, jam non erit. Quòd si alius est, jam unus hic non erit: cùm natura non sinat, ut ubi alius est, ibi unus sit; [c] aut ubi sit unus, ibi alius sit." Dehinc cùm facilitatem credentis atque audientis, arte subdolæ hujus assertionis eluserint, tum id [d] aptant, quod tamquam jam faciliore via obtineant, ut Deus Christus ex nomine potiùs quàm ex natura sit; quia generale hoc in eo nomen in nullo eam, quæ vera sola est, unius Dei fidem destruat: & per hoc Pater Filio major sit, quia differente naturâ, cùm non nisi Deus unus est, major Pater sit proprietate naturæ; sitque hic nuncupatus filius, & creatio ex Dei voluntate subsistens, quia & minor Patre sit; & Deus non sit, quia Deus unus Deum alium esse non patitur, & qui minor est, necesse est ut naturæ ab eo, qui se est major, aliena sit. Et hi quidem quàm ridiculi in eo sunt, præscribentes Deo, cùm * asserunt, ex uno nasci nihil posse, quia universarum rerum ex duorum conjunctione nativitas est: Deum autem indemutabilem nullam ex se nativitatem tribuere posse nascenti; quia nec accessioni id quod non demutatur obnoxium sit, nec solitarii atque unius natura id in se habeat conditionis, ut generet.

* Horum verba propria exstant lib. 3. n. 8. Quod autem Eudoxius ea de re longè tradius protulit, habetur lib. in Const. n. 13.

Fides catholica hactenus asserta,

4. Nos autem evangelicam atque apostolicam fidem doctrinis spiritalibus assecuti, & beatæ æternitatis spem in Patris & Filii confessione sectantes, demonstrato Dei & Dei ex lege sacramento, neque unius Dei fidem excedentes, neque non & Deum Christum prædicantes, hunc ex Evangeliis responsionis ordinem sumsimus, ut veram ex Deo patre nativitatem unigeniti Dei doceremus; quia per eam & Deus verus esset, neque à natura unius Dei veri esset alienus: ac sic neque Deus negari posset, neque ipse alius Deus dici; quia & Deum * nativitas præstaret, & natura in eo unius Dei ex Deo, eum in Deum alterum non separaret. Et quamquam ad id nos communis intelligentiæ sensus impelleret, ne in natura eadem naturarum nomina convenirent, & non unum essent, quibus id quod sunt non differret in genere: tamen ipsis hoc Domini [e] nostri professionibus placuit ostendi, qui cùm frequenter fidei ac spei nostræ Deum unum intimasset, ut sacramentum unius Dei se quoque Deo professo probatoque firmaret, dixit, *Ego & Pater unum sumus*: &, *Si scitis me, scitis & Patrem meum*: &, *Qui me vidit, vidit & Patrem*: &, *Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua*: &, *Credite mihi, quia Pater in me, & ego in Patre: sin autem, vel propter opera ipsa credite.* Nativitatem suam in nomine patris expressit, [f] cognosci Patrem in se cognito docet. Unitatem naturæ fatetur, cùm Pater in se viso videtur. Inseparabilem se à Patre testatur, cùm in manente [g] in se manet Patre. Fiduciam conscientiæ tenet, cùm his dictis suis credi postulat ex operatione virtutis. Atque ita in hac perfectæ nativitatis beatissima fide, vitium omne, & duûm deorum, & Dei singularis exstinguitur: cùm qui unum sunt, non sit unus; & qui non unus est, non tamen ab eo qui est, ita ex aliquo differat, ut uterque non unum sint.

* *supple*, esse.

& sensu communi & Domini dictis confirmatur.

Joh. 10. 30. *Joh.* 14. 7. *Ibid.* 9. *Ibid.* 10. *Ibid.* 11. & 12.

5. Hæc igitur quia hæretici negare non possunt, quippe cùm sint tam absolutè dicta atque intellecta, tamen stultissimo impietatis suæ mendacio [h] neganda corrumpunt. Id enim quod ait, *Ego & Pater unum sumus*, tentant ad unanimitatis referre consensum; ut voluntatis in his unitas sit, non naturæ, id est, ut non per id quod [i] sunt, sed per id quòd idem volunt, unum sint. Et illud, quod est in Actibus Apostolorum, [k] huic defensioni suæ aptant, *Multitudinis autem credentium erat* [l] *anima & cor unum*; ut animarum & cordium diversitas, in cor unum atque animam per convenientiam ejusdem voluntatis [m] unitas sit. Vel illud, quod ad Corinthios scribitur, *Qui plantat autem, & qui rigat, unum sunt*: ut non differente ministerio ad salutem & in ejusdem sacramenti profectum, voluntatis sit unitas in duobus. Vel id, quod Dominus salutem crediturarum in se gentium à Patre postulans, ait, *Non pro his autem rogo tantùm, sed & pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes* [n] *unum sint, sicut*

Ego & Pater unum sumus exponunt de unitate consensûs.

Joh. 10. 30.

Act. 4. 32.

quibus argumentis.

1. *Cor.* 3. 8.

Johan. 17. 20. & 21.

[a] Vat. bas. ms. *interrogare*. Sic reddenda tota hæc phrasis: *sed interrogando de Christo tantùm id volunt ne filius sit.* Christum Deum apertè negare Ariani extimescebant etiam tempore Augustini, de iis lib. 1. contra Maximin. c. 16. dicentis, *Deus est & Filius, quod & vos vultis, Deus est & Spiritus-sanctus, etsi non vultis.* Cúmque eorum Sermo, quem refellendum suscepit, ab his verbis inciperet, *Dominus noster Jesus Christus Deus unigenitus* &c. ejusdem refutationem sic orditur, *Eorum præcedenti disputationi hac disputatione respondeo, qui cùm Dominum nostrum Jesum Christum fatentur quidem Deum*, &c. Adeoque Christi divinitatem tantùm ex obliquo pulsabant. Ita erat in animis omnium fidelium insita ipsius fides.

[b] In ms. Martin. *O si unus.*

[c] Mss. *aut ibi sit unus, ubi alius sit.*

[d] Verbum *aptant*, cum sequenti relativo *quod*, omittunt vulgati ac plures mss. Exhibent autem cum codice bas. Vat. duo Colb. & unus Sorbon. Mallemus tamen *captant* eo sensu, quo Ambrosius epist. nunc 25. n. 4. ad Studium scripsit, *Cùm adulteram reperissent Judæi, obtulerunt eam Salvatori, captantes ut si absolveret eam, videretur legem solvere.*

[e] In vulgatis *nunc*, loco *nostri*.

[f] Particulam *cùm*, faventibus duobus mss. Colb. hîc addendam prima fronte conjectavimus, qua hæc sententia cum superiore copularetur. Non malè tamen utraque absoluta intelligitur, ut prima respondeat verbis *Ego & Pater unum sumus*, altera sequentibus *Si scitis me, scitis & Patrem*, &c.

[g] Editi, *in se manet Pater*: emendantur ex scriptis.

[h] In vulgatis, *negando*: quod pugnat cum proximè dictis, *negare non possunt*. Rectiùs in mss. *neganda*, hoc est, quò subinde possint negare.

[i] In vulgatis, *idem sunt*. Abest *idem* à mss.

[k] Editi, excepto Par. *huic diffinitioni suæ.*

[l] Sic mss. potiores constanter juxta græcum. At editi, *anima una*: & mox, *animam unam per convenientiam.*

[m] Quidam recentiores mss. *unita sit*: malè.

[n] Vat. bas. ms. *in me unum sint*. Mox Bad. & Er. *ut & ipsi unum sint.* Etsi non exstat *unum* in mss. id tamen, perinde ac si exstaret, intellexit Hilarius, ut liquet ex num. 11.

tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi sint in nobis: ut quia homines refundi in Deum non possunt, vel ipsi invicem in unum atque indiscretum acervum coire, id quòd unum sunt, ex unitate sit voluntatis, cùm & omnes Deo placita agant, & ipsi non dissidentibus inter se animorum motibus coeant; atque ita unum eos esse non natura efficiat, sed voluntas.

Arianorum stultitia.

6. Nescit planè sapere, qui Deum nescit. Et cùm sapientia Christus sit, NECESSE EST ut extra sapientiam sit, qui Christum aut ignorat, aut odit: ut isti, qui majestatis Dominum, & Regem sæculorum, & unigenitum Deum creaturam Dei volunt potiùs esse quàm filium: & cùm stultè mentiantur, stultiùs tamen in defensione mendacii sui sapiunt. Dilatâ enim paululùm etiam nunc eâ, quæ in Deo patre & in Deo filio est, unitatis proprietate, ex his ipsis quibus utuntur refellendi sunt.

Naturalis est fidelium per unius fidei naturam unitas.

7. Namque quorum anima & cor unum [a] erat, quæro utrùm per fidem Dei unum erat. Utique per fidem: per eam enim anima & cor unum omnium erat. Et interrogo, utrùm fides una, anne altera sit? Una certè, etiam ipso Apostolo auctore, unam fidem, sicuti unum Dominum, & unum baptisma, & unam spem, [b] & unum Deum prædicante. Si ergo per fidem, id est, per unius fidei naturam unum omnes erant; quomodo non naturalem in his intelligis unitatem, qui per naturam unius fidei unum sunt? Omnes enim [c] renati erant ad innocentiam, ad immortalitatem, ad cognitionem Dei, [d] ad spei fidem. Et si hæc non possunt sibi esse diversa, quia & spes una est, & Deus unus, sicuti & Dominus unus est, & baptisma regenerationis unum est: si hæc assensu potiùs unum sunt, quàm naturâ; his quoque, qui in hæc renati sunt, unitatem voluntatis adscribe. Si verò regenerati in unius vitæ atque æternitatis naturam sunt, per quod anima eorum & cor unum est; cessat in his assensûs unitas, qui unum sunt [e] in ejusdem regeneratione naturæ.

Ephes. 4. 4. & 5.

Fideles ex unitate sacramentorum sunt unum.

Pauli in eam rem sententia.

8. Non nostra loquimur, neque ad illudendas audientium aures corrupto dictorum sensu aliqua ex his [f] ementita compingimus: sed sanæ doctrinæ formam tenentes, quæ sincera sunt sapimus, & prædicamus. Docet enim Apostolus ex natura sacramentorum esse hanc fidelium unitatem, ad Galatas scribens: *Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non inest Iudæus neque Græcus, non inest servus neque liber, non inest masculus neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.* Quòd unum sunt in tanta gentium, conditionum, sexuum diversitate; numquid ex assensu voluntatis est, aut ex sacramenti unitate, quia his & baptisma sit unum, & unum Christum induti omnes sunt? Quid ergo hîc animorum concordia faciet, cùm per id unum sint, quòd uno Christo per naturam unius baptismi induantur?

Gal. 3. 27. & 28.

Qui plantat & qui rigat natura unum sunt.

9. Aut cùm qui plantat, & qui rigat, unum sint; numquid non per hoc unum sunt, quia [g] ipsi in uno baptismo renati una unius regenerantis baptismi dispensatio sint? numquid non idem agunt? numquid non in uno unum sunt? Itaque qui per rem eamdem unum sunt, naturâ etiam unum sunt, non tantùm voluntate: quia & ipsi res eadem effecti sunt, [h] & ejusdem rei atque efficientiæ sint ministri.

Stultitia se ipsa prodit, dum adversatur veritati.

10. Proficit autem semper contradictio stultorum ad stultitiæ demonstrationem: quia quæ ingenio insipientis aut perversæ intelligentiæ adversùs veritatem coaptantur, dum & inconcussa & immobilis est, necesse est, ut quæ è diverso sunt, & falsa intelligantur & stulta. Laborantes enim hæretici fallere per id quod dictum est, *Ego & Pater unum sumus*, ne naturæ in his unitas & indifferens divinitatis substantia crederetur, sed ex dilectione mutua & ex voluntatum concordia unum essent, exemplum unitatis istius, ut superiùs demonstravimus, etiam ex dictis dominicis protulerunt: *Vt omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi sint in nobis.* EXTRA evangelica promissa est, quisquis extra fidem eorum est: & impiæ intelligentiæ [i] crimen spem simplicem perdidit. Habet enim non tam veniam, quàm præmium, ignorare quod credas: quia maximum stipendium fidei est, sperare quæ nescias. At verò ultimæ impietatis furor est, aut intellecta non credere, aut intelligentiam corrupisse credendi.

Joh. 10. 30.

Joh. 17. 21.

Fidei perversæ spes nulla.

Simplicitatis meritum.

Impropriè ut unum sint de unanimitate dixisset Christus.

11. Sed licèt ipsum intelligentiæ suæ sensum impietas demutet, non tamen potest intelligentia non exstare dictorum. Dominus Patrem orat, ut qui in se crediturі sint, unum sint, & sicut ipse in Patre, & Pater in eo est, ita omnes in his unum sint. Quid hîc æquanimitatem, quid per voluntatis assensum animæ & cordis unitatem introducis? Fuerat namque in verborum copia & proprietate, ut si voluntas unum esse eos faceret, Dominus ita precaretur: Pater, sicut nos unum volumus, ita & illi unum

[a] In solis editis hîc additur *omnium*.

[b] Ms. Corb. aliique nonnulli hîc addunt, *& unum spiritum*.

[c] Antiquus codex Colb. *nati*.

[d] Ita vetustiores mss. Editi verò, *ad spem fidei*. Tum subjiciebant, *& non possunt hæc*, omisso *si*, quod exstat in omnibus mss.

[e] In mss. Vat. bas. & Martin. hîc adjicitur *ut diximus*.

[f] In codice Vat. bas. *ementiti*. Mox in vulgatis, *fidelium Dei*. Abest *Dei* à mss.

[g] Editi, *quia ipsis in uno baptismo renatis .... dispensatio sit*. Restituitur ex consensu mss. *ipsi ..... renati*: ex Colbertino autem ac Germ. *dispensatio sint*, non *sit*. Unde duplicem qui plantat & qui rigat habent unitatem, sacramenti nimirum, quia uno baptismo renati, ac præterea instrumenti in eodem sacramento dispensando, proindeque non meram voluntatis unanimitatem. Augustini Coll. cum Maxim. n. 14. ubi illud pro certo ponit, *Quando dicitur unum sunt, etsi non dicatur quid unum, intelligitur una substantia*, unica hæc est ad locum allatum responsio: *Legimus, Qui plantat & qui rigat unum sunt: sed ambo homines erant, ejusdem substantiæ fuerant, non diversæ*.

[h] In ms. Carn. *ut ejusdem*, minus bene: quamvis sequatur deinde etiam in ceteris *sint ministri*. Hoc enim Hilario usitatum, ut in duabus sententiis conjunctione *&* copulatis non eumdem retineat verbi modum. Præferebant tamen editi, *sunt ministri*.

[i] Lips. & Par. *crimine*: renitentibus Bad. Er. & mss. Illud crimen est eorum, qui simplicem rei credendæ intelligentiam corrumpunt, falsam ei nequiter substituentes. Tum *spem simplicem*, id est, spem fidei simplicis & scientiâ destitutæ, de qua in Psal. 118. litt. 10. num. 12. habemus: *Plus est autem nescio quid in cognitione, quàm in fide, operis: quia fides habet obedientiæ meritum, non habet autem cognitæ veritatis fiduciam.... Qui credit, potest ignorare quod credit: qui autem jam cognovit, non potest id, quod cognovit, adepta cognitione non credere.*

velint, [a] ut unum per concordiam simus omnes. Aut fortè qui verbum est, significationem verbi ignoravit? & qui veritas est, loqui vera nescivit? & qui sapientia est, in stultiloquio erravit? & qui virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui quæ vellet intelligi? Locutus planè ille est vera & sincera fidei evangelicæ sacramenta. Neque solùm locutus est ad significationem, sed etiam ad fidem docuit, ita dicens: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut &* [b] *ipsi sint* B *in nobis.* Pro his primùm precatio est, de quibus dicitur, *Ut omnes unum sint*: tum deinde unitatis profectus exemplo unitatis ostenditur, cùm ait, *Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi sint in nobis*: ut sicut Pater in Filio & Filius in Patre est, [c] ita per hujus unitatis formam, in Patre & Filio unum omnes essent.

Honor à Patre acceptus, & à Filio datus credentibus, præstat ut unum sint.

12. Sed quia soli Patri & Filio ex natura proprium est ut unum sint, quia Deus ex Deo, & unigenitus ex innascibili non potest C nisi in originis suæ esse natura; ita ut & in substantia nativitatis suæ qui genitus est exsistat, neque aliam ac diversam divinitatis nativitas habeat, quàm ex qua profecta est, veritatem: nihil nobis ambiguum Dominus ad fidem relinquens, absolutæ unitatis hujus toto consequenti sermone docuit naturam. Id enim sequitur: *Ut & mundus credat, quoniam tu me misisti.* (Joh. 17. 21.) Per id ergo mundus crediturus est Filium à Patre missum esse, quòd D omnes, qui credituri in eum sunt, unum in Patre & Filio erunt. Et quomodo erunt, mox docemur: *Et ego honorem, quem dedisti mihi, dedi eis.* (Ibid. 22.) Et nunc interrogo, utrùm id ipsum sit honor, quod voluntas; cùm voluntas motus mentis sit, at verò honor naturæ aut species aut dignitas. Honorem ergo acceptum à Patre Filius omnibus qui in se credituri sunt dedit, non utique voluntatem: quæ [d] si data esset, non haberet fides E præmium, cùm fidem nobis necessitas affixæ voluntatis inferret. Accepti autem honoris datio quid proficeret, ostendit: *Ut sint unum, sicut nos unum sumus.* (Ibidem.) Ob eam ergo causam acceptus honor datus est, ut omnes unum sint. Jam igitur unum sunt omnes in honore; quia non alius, quàm qui acceptus est, honor datus est; neque ob aliud datus est, quàm ut omnes unum essent. Et cùm per honorem datum Filio, & à Filio præstitum credentibus, omnes unum sint; quæro quomodo Filius diversi honoris à Patre sit, cùm credentes omnes honor Filii ad unitatem paterni honoris assumat? Et insolens quidem hic fortè humanæ spei erit sermo, sed non erit infidelis: quia quamvis hoc sperare temerarium sit, tamen non credidisse irreligiosum est, [e] cùm idem atque unus nobis & spei auctor sit & fidei. Et de hoc quidem [f] planiùs & copiosiùs suo, ut congruit, loco tractabimus. Interim tamen etiam ex præsenti sermone neque inanis, neque temeraria esse hæc spes nostra intelligitur. Per acceptum igitur & datum honorem unum omnes sunt. Fidem teneo, atque causam unitatis accipio: sed nondum apprehendo rationem, quomodo datus honor unum omnes esse perficiat.

Unitas naturalis fidelium in Deo præstatur Verbi incarnatione, & Eucharistiæ sacramento.

13. Sed Dominus nihil fidelium conscientiæ incertum relinquens, ipsum illum naturalis efficientiæ docuit effectum, dicens, *Ut sint unum, sicut nos unum sumus, ego in his, & tu in me; ut sint perfecti in unum.* (Johan. 17. 22. & 23.) Eos nunc, qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo utrúmne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? [g] Si enim verè Verbum caro factum est, & verè nos Verbum carnem cibo dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumsit, & na-

[a] In vulgatis *&*, non *ut*. Hoc Hilarii argumentum ad verba Christi, *Ego & Pater unum sumus*, accommodans Faustinus cap. 1. copiosè ac subtiliter persequitur: *Qui*, inquit, *lingua sermonem dedit, nesciit loqui, & ignoravit illum sensum vestrum propriis & competentibus sermonibus explicare, & inefficax fuit dicere, Ego & Pater unum volumus? Si tamen hoc in loco unitatem voluntatis, & non deitatis ac substantiæ volebat intelligi.* Et post pauca, *Vos quasi grammatici, velut inefficaciam dominicæ pronuntiationis suppositi verbi demutatione supplentes emendatis, & dicitis, hoc quod ait* SUMUS, VOLUMUS *intelligendum est.* Observat deinde hæreticos pugnantia loqui, dum Christo aliàs negant voluntatis concordiam, quia dixerit, *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris.* Ex quo subjicit, *Quomodo interpretaris quòd Pater & Filius unum sunt voluntate, cùm Patris & Filii, secundùm te, diversæ sint voluntates?* &c.

[b] In excusis hîc & mox, *ipsi unum sint.* Abest *unum* constanter à mss.

[c] In mss, *ut*, non *ita*: fortè ad imitationem sacri textus, in quo primùm *ut omnes unum sint*, ac rursum postea, *ut & ipsi sint*, non *ita*. De hac ipsa unitatis forma Augustinus Coll. cum Maximino num. 14. *Non dixit, Ut ipsi & nos unum; sed, Ut ipsi sint unum in natura sua & in substantia sua concordi æqualitate quodam modo uniti atque conflati, sicut Pater & Filius & Spiritus-sanctus unum propter individuam eamdemque naturam.* & lib. 1. contra eumdem Maximin. c. 12. *Cùm ergo totiens dixerit, Ut sint unum; non tamen alicubi dixit, Ut ipsi & nos simus unum, hoc est, ut nobiscum sint unum; sed, aut in nobis dixit, aut sicut nos, id est, ipsi secundùm naturam suam, nos secundùm nostram. Volebat enim eos, qui naturâ unum erant, in hoc ipso quod unum erant esse perfectos .... quod nisi in ipso simus, omnino esse non possumus.* Quî autem in Deo unum simus, deinceps explicat Hilarius.

[d] In uno è mss. Vatic. *quod si ita esset*: corruptè. Quî datam hîc neget Hilarius fidem, quæri potest. At cùm illam infrà num. 30. inter Dei dona recenseat, probabile est eum hoc loco tantùm velle, fidem nobis affixæ voluntatis necessitate non inferri, sed libera voluntate nos credere; quia, ut apertiùs in Psal. 65. num. 24. declarat, *Fides animæ & cordis officium est, resque hæc voluntatis internæ.* Cui consentiens Augustinus, quamvis epist. 194. ad Sixtum n. 9. fidem gratuitum Dei donum esse plurimis demonstret, & Vitalem aliter sentientem corripiat epist. 217. n. 29. in eadem tamen ad Vitalem epistola n. 16. libenter hoc fatetur: *Scimus eos, qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate & libero arbitrio.* Et lib. de Spir. & lit. c. 31. fidem ait esse in potestate, sed potestatem non esse nisi à Deo: adeoque lib. 1. Retr. n. 3. docet voluntatem à Deo quidem esse, *quia præparat voluntatem*; à nobis verò, *quia non fit nisi volentibus nobis. Cur autem,* ait epist. 194. n. 10. *ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt, &, si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident: altitudo est divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.* Quamquam Hilarius non ita enucleatè quid à Deo, quid à nobis sit distinguens, & unam attendens voluntatis libertatem, voluntatem dari eatenus negarit, quatenus hoc necessitatem sonat affixæ voluntatis. Sic porro argumentatur: Credentes in Patre & Filio unum sunt per aliquid quod datur: atqui non datur voluntas seu consensus voluntatis: non igitur unum sunt consensu voluntatis.

[e] Lips. & Par. *ut idem*: malè & præter fidem mss. Hîc obiter observamus superius verbum *sperare* de spe & exspectatione humana ac naturali dici, at in reliquis vocabulo *spei*, etiam ubi dicitur *humanæ spei sermo*, hominum quidem spem, sed Dei promissis non humana ratione fultam significari. Hinc primum *sperare* dicitur *temerarium*: ac deinde spes *non temeraria*.

[f] Sic mss. cum Bad. & Er. At editiones aliæ, *pleniùs*.

[g] Argumentum hîc duplex in unum conflatur, primum ex Christi corporatione petitum, qua nostram ille naturam verè suscepit; alterum ex Eucharistiæ sacramento, quo veram illius carnem verè sumimus.

a turam carnis suæ ad naturam [a] æternitatis sub A sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus, quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget priùs non naturaliter [b] vel se in Christo, vel Christum sibi inesse; quia in Christo Pater, & Christus in nobis, unum in his esse nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis nostri Christus assumsit, & verè homo ille, [c] qui ex Maria natus fuit, Christus est, B nosque verè sub mysterio [d] carnem corporis sui sumimus; (& per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis:) quomodo voluntatis unitas asseritur, cùm naturalis per sacramentum [e] proprietas, perfectæ sacramentum sit unitatis.

V. lib. 4. n. 14.

14. Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum: neque [f] per violentam atque imprudentem prædicationem, cælestium dictorum sanitati, alienæ atque impiæ intelligentiæ C extorquenda [g] perversitas est. Quæ scripta sunt legamus, & quæ legerimus intelligamus: & tum perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stultè atque impiè dicimus. Ipse enim ait, *Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & [h] ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat planè his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum denegant. Est ergo in nobis ipse per carnem, & sumus in eo: [i] dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est.

Verum Christi corpus in hoc Sacramento percipimus. Johan. 6. 56. & 57.

15. Quàm autem in eo per sacramentum communicatæ carnis & sanguinis simus, ipse testatur dicens, *Et hic mundus me jam non videt; vos autem me videbitis, quoniam ego vivo, & vos vivetis; quoniam ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Si voluntatis tantùm unitatem intelligi vellet; cur gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit: nisi ut cùm ille in Patre per naturam divinitatis esset; nos contrà in eo per [k] corporalem ejus nativitatem, & ille rursùm in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur: ac sic perfecta per Mediatorem unitas doceretur, cùm nobis in se manentibus ipse maneret in Patre, & in Patre manens maneret in nobis; & ita ad unitatem Patris proficeremus, [l] cùm qui in eo naturaliter secundùm nativitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente?

Perfecta nobis, Christo mediante, cum Deo unitas. Johan. 14. 19. &c.

[a] id est, ad naturam divinitatis. Sic Fragm. 11. n. 32. ubi ait Hilarius ita immutabilem esse Filium, *ut in assumtione hominis corruptioni potiùs gloriam intulerit, quàm labem æternitati*; quid *corruptio* nisi naturam humanam, quid nisi divinam *æternitas* sonat? Ea hujus vocis potestas perspicua est cap. 31. in Matth. n. 1. ubi arguit hæreticos, qui ipsam Christi divinitatem passam esse volebant, *Ac si æternitas naturam fragilitatis acceperit.* Cur autem *æternitatis* vocabulum usurpet ad significandam divinitatem, planum est ex cap. 23. n. 5. Jam ab his verbis eludere frustra tentat Sculterus præclarum Hilarii de Eucharistia testimonium. Neque verò sibi constat, dum primò vult, hîc tantùm esse repetitionem argumenti superioris, hoc est, eam tantùm demonstrari unitatem, quam per consortium gloriæ Christi obtinemus: ac tandem, quasi procul hinc Hilarius dixisset, *Verè nos Verbum carnem cibo dominico sumimus*, hæc verba de Cœna sacra interpretatur. Certè ex antecedentibus & consequentibus liquidò constat, sermonem hîc jam non esse de gloria Christi nobis communicata, sed de Eucharistiæ sacramento: cùm hoc bimembri argumento comprobetur Christum verè & naturaliter esse in nobis, quia scil. & in Incarnationis mysterio caro nostra est in eo, & in Eucharistiæ sacramento caro illius est in nobis. Et sicut primo illi membro, *Si verè Verbum caro factum est*, respondet hæc propositio, *Qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumsit*; ita & subsequens illa, *Et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit*, respondet alteri membro, *Et nos verè Verbum carnem cibo dominico sumimus.* Et hanc quidem partem ad mysterium assumtæ carnis referri non posse liquet: cùm Christus carnem suscipiens, non naturam carnis suæ ad naturam divinam, sed divinam potiùs ad naturam carnis nostræ admiscuerit, quam & suam tum facere cœpit. At in Eucharistiæ sacramento naturam carnis suæ ad divinam admiscet, ut carnem illam cum divinitate conjunctam suscipientes, ea carne mediante, cum divina Christi substantia, quæ cum Paternâ una & eadem est, uniamur; quod probandum suscepit Hilarius: qui velut certum & indubitatum ponit, nos in hoc sacramento *naturam carnis* Christi & veritatem, non figuram accipere. Carnem autem Christi in Eucharistia divinitati conjunctam dixerit non sola rationis luce illustratus, quòd scil. caro illius cùm à Verbo jam inseparabilis sit, tradi nobis nequeat sine illo; sed & motus divini verbi auctoritate, quia scriptum est, *Caro non prodest quidquam, Spiritus est qui vivificat*: nam *Spiritus* vocabulo divinitatem ab eo intelligi solere, jam sæpius est observatum. Videndus Cyrillus Alexandrinus Dial. 1. de Trinit. pag. 407. ubi nos cum Christo non sola voluntatum consensione, sed naturâ unum esse pariter ostendit ex sacramento Eucharistiæ.

[b] Naturaliter sumus in Christo, quatenus nostram carnem assumsit, ut ille naturaliter inest nobis, quando carnem illius accipimus.

[c] Pessimè apud Par. *quia ex Maria*; cùm subinde τὸ *Christus est*, idem sonet ac *Deus est*: ut ex his, *Si homo ille, qui ex Maria natus est, verè Deus est*, sequatur Patrem esse in eo.

[d] id est, sub mysticis speciebus velatam. Nescio quomodo se putet Sculterus his verbis elusisse vim superiorum, *Verè nos Verbum carnem cibo dominico sumimus.* Quid enim illud *sub mysterio* adversatur Ecclesiæ, quæ numquam in hoc sacramento manifestam Christi carnem credidit? Quid verò juvat Sculterum, quòd ita prædicatur *sub mysterio*, ut tamen *verè carnem corporis* Christi sumamus? Quid est cur tam sollicitè Hilarius suprà, hîc, infrà illud *verè* inculcat?

[e] Hæc pressiùs dicta sic licet explicare: cùm naturalis proprietas carnis tum à nobis susceptæ per sacramentum Incarnationis, tum nobis communicatæ per sacramentum Eucharistiæ, sit sacramentum & vinculum perfectæ unitatis nostræ primùm ac per se cum Christo, eo autem mediante cum Patre.

[f] Nonnulli mss. *per violentiam*: & deinde, *atque impudentem*: quod etiam præferunt excusi, subsequentibus ita perturbatè expressis, ut vocabulum *alienæ* referatur ad *sanitati*. Hîc sugillantur hæretici, qui errores suos aut humanis ratiunculis aut detortis ad placita Scripturis tueri conantur.

[g] Solus codex Vat. bas. *diversitas*: malè. *Perversitas* opponitur *sanitati*. Qui exemplar Carnutense emendavit, hîc ad marginem adscripsit, *Per totum hoc capitulum Corporis & Sanguinis dominici veritatem exsequitur*. At verò tum ex scriptura secundæ illius manus, tum ex antiquo codice aliàs Floriacensis, nunc Colbertinæ bibliothecæ not. 1194. (qui in septem prioribus libris ita ad fidem Carnutensis expressus est, ut omnes ac solas lectiones præferat, quæ in illo secundis curis adjectæ sunt,) facilè probatur prædictum ms. ante annos 700. fuisse emendatum.

[h] Quid est *ipsius Domini professione*, nisi ipsissimet Christi verbis? Quid deinde *& fide nostra*, nisi ex fide Ecclesiæ, Domini verba ut sonant intelligentis? Ex quo liquet Hilarium sensisse fidem nostram Dei verbis inniti debere, Dei autem verba ex fide Ecclesiæ explicanda; atque ex utroque illo capite confirmari, nos in Eucharistia veram Christi carnem verumque sanguinem accipere. Quamlibet aliam interpretationem verborum, *Caro mea verè est esca &c.* *violentam* esse præmonet *atque imprudentem*.

[i] Mss. Vat. bas. Martin. Carn. Sorbonicus unus, ac duo Colbertini, non tamen antiquior, *dum secundum hoc*: non videntur aliis libris præferendi, sed hæc ita intelligenda: dum simul cum Christo, cui conjuncti sumus, hoc quod nos sumus est in Deo patre, cum quo ille unum est.

[k] id est, per corpus quod ex Maria nascendo suscepit ex nobis. Deinde autem *per sacramentorum mysterium* Eucharistiam designari planum est, ut constanter prosequatur Hilarius suum bimembre argumentum.

[l] Hoc sibi vult: cùm in Christo, qui in Patre naturaliter inest secundùm nativitatem æternam, nos pariter inessemus per susceptam ab eo carnem nostram, eodem ipso Christo rursùm in nobis naturaliter permanente per impertita carnis & sanguinis sui sacramenta.

Unitas hæc quàm naturalis. Joh. 6. 57.

16. Quàm autem naturalis in nobis hæc unitas sit, ipse ita testatus est: *Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit: ejus tantùm in se assumtam habens carnem, qui suam sumserit. Perfectæ autem hujus unitatis sacramentum [a] superiùs jam docuerat, dicens, *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo per Patrem: & qui manducaverit meam carnem, & ipse vivet per me.* (Ibid. 58.) Vivit ergo per Patrem: & quo modo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus vivimus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præsumitur: ut id, de quo agitur, secundùm propositum exemplum assequatur. Hæc ergo vitæ nostræ causa est, quòd IN NOBIS CARNALIBUS manentem per carnem Christum habemus: victuris nobis per eum ea conditione, qua vivit ille per Patrem.

Unitas Filii cum Patre.

Si ergo nos naturaliter secundùm carnem per eum vivimus, id est, NATURAM CARNIS SUÆ adepti: quomodo non naturaliter secundùm Spiritum in se Patrem habeat, cùm vivat ipse per Patrem? Per Patrem autem vivit, dum nativitas non alienam ei intulit diversamque naturam; dum quod est, & ab eo est, nec tamen ab eo per aliquam incidentem naturæ dissimilitudinem separatur; dum in se per nativitatem habet Patrem in virtute naturæ.

Epilogus.

17. Hæc autem idcirco à nobis commemorata sunt, quia voluntatis tantùm inter Patrem & Filium unitatem hæretici mentientes, unitatis nostræ ad Deum utebantur exemplo, tamquam nobis ad Filium, & per Filium ad Patrem, obsequio tantùm ac voluntate religionis unitis, nulla per sacramentum carnis & sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur: cùm & per honorem nobis datum Filii, & per manentem in nobis [b] carnaliter Filium, & in eo nobis corporaliter & inseparabiliter unitis, mysterium veræ ac naturalis unitatis sit prædicandum.

Unitas Filii & Patris diserte in Scripturis asserta.

18. Responsum igitur à nobis est stultitiæ furentium, ad demonstrationem tantùm inanis mendacii: ne imperitos fallerent vanæ ac ridiculæ assertionis errore. Ceterùm fides evangelica responsionis nostræ necessitate non eguit. Unitatem nostram ad Deum Dominus pro nobis precatus est: suam verò obtinet ille, & in ea manet. Nec per sacramentum dispensationis unum sunt, sed per naturæ nativitatem, dum nihil in eo ex se Deus eum gignendo degenerat. Unum sunt, dum quæ de manu ejus non rapiuntur, non rapiuntur de manu Patris (Joh. 10. 28.); dum eo cognito Pater cognitus est (Joh. 14. 7.); dum eo viso Pater visus est (Ibid. 9.); dum quæ loquitur, manens in se Pater loquitur (Ibid. 10.); dum in operante se operatur Pater (Ibidem.); dum ipse in Patre est, & in eo Pater est (Ibid. 11.). Hoc [c] non præstat creatura, sed nativitas; non efficit voluntas, sed potestas; non loquitur unanimitas, [d] sed natura: quia non unum est creari, & nasci; neque velle id ipsum est, quod & posse; neque concordare idem est, quod manere.

Unanimitas non negatur, dum asseritur unitas.

19. Non negamus igitur unanimitatem inter Patrem & Filium: nam hoc solent hæretici mentiri, ut cùm solam concordiam [e] ad unitatem non recipimus, discordes eos à nobis affirmari loquantur. Sed audiant quàm à nobis unanimitas non negetur. Unum sunt Pater & Filius naturâ, honore, virtute: nec natura eadem potest velle diversa.

De Patris & Filii unitate apertum testimonium. Joh. 15. 26.

Et audiant adhuc naturæ sibi cum Patre unitatem Filium testantem: ait enim, *Cùm venerit advocatus ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre meo procedit; ipse testificabitur de me.* Advocatus veniet, & hunc mittet Filius à Patre, & Spiritus veritatis est, qui à Patre procedit. Excutiat ingenii sui aculeos omnis hæreticorum schola: & quærat nunc, quod vel mentiri [f] ignorantibus possit, & doceat quid sit hoc quod Filius mittit à Patre. Qui mittit, potestatem suam in eo quod mittit ostendit. Sed quod à Patre mittit, quid intelligemus, utrùm acceptum, aut dimissum, aut genitum? nam horum necesse est unum aliquid significet, quod à Patre missurus est. Et missurus à Patre est eum Spiritum veritatis, qui à Patre procedit: jam ergo non est acceptio, ubi demonstrata processio est. Superest ut confirmemus in eo sententiam nostram, utrùm in hoc [g] consistentis egressionem, an geniti processionem existimemus.

[a] Cùm locus subjectus in Evangelio inferior sit proximè allato ex Johan. 6. non hujus respectu, sed respectu alterius ex Johan. 14. 19. hic superior nuncupatur. Mox è mss. restituimus *vivus Pater*, pro *vivens*. Tum codex Vat. bas. *& ego vivo propter Patrem*. Deinde in Johannis exemplaribus græcis & latinis nunc circumfertur, *& qui manducat me*, non, *& qui manducaverit carnem meam*. Quibus subjicitur in ms. Martin. *& ipse vivit propter me*, non, *& ipse vivet per me*. Quod ex hoc Evangelii loco conficit Hilarius, Sacramentarii probè expendant velim. Sic enim ratiocinatur: Ita Christus vivit per Patrem acceptâ illius naturâ, sicut nos vivimus per Christum acceptâ ipsius carne. Tum sumit quasi rem magis notam, de qua minimè contenderent Ariani: Atqui vivimus per Christum naturam illius carnis adepti; adeo ut per carnis illius manducationem Christum in nobis carnalibus carnaliter manentem habeamus. Ac demum adversùs Arianos rem, unde litigabant, concludit: Ergo & Christus vivit per Patrem acceptâ ipsiusmet naturâ divinâ; ita ut Pater secundùm Spiritum, hoc est, secundùm naturam divinam ei datam, naturaliter in eo maneat. Qui argumenta tam clara aliò detorquere conantur, indicant vel se mala fide agere, vel saltem quantum apud homines possint præjudicatæ mentis opiniones.

[b] Quod superiori numero dictum est, nos Eucharistiæ beneficio *in nobis carnalibus manentem per carnem Christum* habere, nunc disertiùs enuntiatur manere in nobis *carnaliter* Filium.

[c] In ms. Martin. *hac*; quod mox dicta disertiùs comprehendit: ac postea ut in aliis vetustioribus, *unianimitas*, *unianimitatem*.

[d] Vat. bas. ms. *sed nativitas*: nobis non probatur.

[e] Par. post Lipsium, *ad unanimitatem*: malè & præter fidem mss. Nam illud *ad unitatem*, id est ad explicandos locos, in quibus unitas commendatur.

[f] In vulgatis, *ab ignorantibus*. Rectiùs in mss. *ignorantibus*, hoc est, apud ignorantes ac simplices.

[g] Cùm vocabulum *egressio*, ejus qui exit ab eo unde exit distinctionem significet; cautè ei adjicitur verbum *consistentis*, quo naturæ unitas eidem asseratur. Quod illustratur verbis Cyrilli l. 2. in Johan. c. 3. *Exivit enim ex Patre in propriam exsistentiam Filius, etsi in ipso est secundùm naturam. Et quod ibi exisse, idipsum hîc missum esse significat.* Itaque Cyrillo non differt *exire* & *mitti*. Præterea hoc egressionis proprium est, ut nullum procedentis initium sonet. Unde Hilarius lib. 4. n. 31. Filii nativitatem eo vocabulo aptè expressam dixerat: *quia non ut esset cæpit ex nihilo, sed exiit à manente; & exiisse significationem habet nativitatis*, (seu processionis distinctæ ab eo à quo exitur,) *non habet inchoationis*. Non declarat quidem hîc Hilarius an *geniti processionem* existimare debeamus. At cùm lib. 2. n. 1. Spiritum-sanctum *donum* nuncupet, uti licet responsione Augustini lib. 5. de Trinit. c. 14. *Exiit enim, non quomodo natus, sed quomodo datus; & ideo non dicitur Filius.* Sed aperta est Hilarii ipsius sententia lib. 12. n. 54. dicentis, *Unigenitum ex te natum sciens, genitum tamen Spiritum-sanctum non dicturus sim.*

Spiritus-sanctus à quo sit non incertum.

20. Neque in hoc nunc calumnior [a] libertati intelligentiæ, utrùm ex Patre, an ex Filio Spiritum paracletum putent esse. Non enim in incerto Dominus reliquit: nam sub iisdem dictis hæc ita locutus est; *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare illa modò. Cùm venerit ille Spiritus veritatis, diriget vos* [b] *in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audierit loquetur, & futura annuntiabit vobis. Ille me honorificabit; quoniam de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* (*Joh.* 16. 12. &c.) A Filio igitur accipit, qui & ab eo mittitur, & à Patre procedit. Et interrogo, utrùm id ipsum sit à Filio accipere, quod à Patre procedere. Quòd si [c] differre credetur inter accipere à Filio, & à Patre procedere; certè id ipsum atque unum esse existimabitur, à Filio accipere, [d] quod sit accipere à Patre.

Quod à Filio accipit, accipit & à Patre.

Ipse enim Dominus ait: *Quoniam de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* (*Ibid.* 14. & 15.) Hoc quod accipiet, (sive potestas est, sive virtus, sive doctrina est,) Filius à se accipiendum esse dixit: & rursum hoc ipsum significat accipiendum esse de Patre. Cùm enim ait, omnia quæcumque habet Pater, sua esse, & idcirco dixisse se de suo accipiendum esse: docet etiam à Patre accipienda, à se tamen accipi; quia omnia quæ Patris sunt, sua sint.

Hinc unum naturâ sunt Pater & Filius.

Non habet hæc unitas diversitatem: nec differt à quo acceptum sit, quod datum à Patre, datum referatur à Filio. Numquid & hîc voluntatis unitas afferetur? Omnia quæ habet Pater, Filii sunt: & omnia quæ Filii sunt, Patris sunt. Ipse enim ait, Et mea omnia tua sunt, & tua mea. (*Joh.* 17. 10.) Nondum loci est, ut demonstrem, cur ita dixerit, *Quoniam de meo accipiet*: futuri enim temporis significatio est, ubi accepturus ostenditur. Nunc certè ideo à se accepturum ait, quia omnia Patris sua essent. Disseca naturæ hujus, si potes, unitatem: & aliquam dissimilitudinis infer necessitatem, per quam Filius non sit in unitate naturæ. A Patre enim procedit Spiritus veritatis: sed [e] à Filio à Patre mittitur. Omnia quæ Patris sunt, Filii sunt: & idcirco quidquid accipiet, à Filio [f] accipiet ille mittendus, quia Filii sunt universa quæ Patris sunt. Natura itaque in omnibus tenet suam legem, & quòd unum ambo sunt, ejusdem in utroque per generationem nativitatemque divinitatis significatio est: cùm id quod accipiet à Patre Spiritus veritatis, id Filius dandum à se esse fateatur. Non permittenda itaque ad impiæ intelligentiæ libertatem hæretica perversitas est: ut dictum hoc Domini, quòd quia omnia quæ Patris sunt, sua sunt, idcirco à se accipiet Spiritus veritatis, non ad unitatem confiteatur referendum esse naturæ.

Dei & Christi unus est Spiritus.

21. Loquatur enim ille, qui electionis est vas & gentium doctor, secundùm veritatis intelligentiam fide Romanæ plebis antè laudatâ. Volens enim naturæ unitatem in Patre & Filio docere, ita ait; *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu:* [g] *si quidem Spiritus Dei in vobis est. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est* [h] *per peccatum, spiritus autem vita est per justitiam. Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Iesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit* [i] *Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter Spiritum suum, qui habitat in vobis.* (*Rom.* 8. 9. &c.) Spiritales omnes sumus, si in nobis est Spiritus Dei. Sed hic Spiritus Dei, [k] & Spiritus Christi est. Et cùm Christi Spiritus [l] in nobis sit, ejus tamen Spiritus in nobis est, qui Christum suscitavit à mortuis: & qui suscitavit Christum à mortuis, corpora quoque nostra mortalia vivificabit propter habitantem Spiritum ejus in nobis. Vivificamur ergo, propter habitantem in nobis Spiritum Christi, per eum qui Christum suscitavit à mortuis. Et cùm ejus, qui suscitavit Christum à mortuis, in nobis est Spiritus; & Spiritus [m] tamen in nobis est Christi, nec tamen non Dei est Spiritus, qui in nobis est. Discerne igitur, ô hæretice, Spiritum Christi à Spiritu Dei, & excitati à mortuis Spiritum Christi ab Spiritu Dei Christum à mortuis excitantis; cùm inhabitans in nobis Spiritus Christi, Spiritus Dei sit; & cùm Spiritus Christi à mortuis excitati, Spiritus tamen Dei sit Christum à mortuis excitantis.

Spiritus Dei an natura, an res naturæ.

22. Et quæro nunc in Spiritu Dei utrùm naturam, an rem naturæ significatam existimes. Non idem est [n] enim natura, quod naturæ res: sicuti non idem est homo, & quod hominis est, nec idem est ignis, & quod ignis ipsius est: & secundùm hoc non idem est Deus, & quod Dei est.

Modò Patrem, modò Filium significat.

23. Memini enim in Spiritu Dei ita filium Dei significari, ut in eo [o] Deus pater demonstratus esse intelligatur, & ad cujusvis demon-

[a] Sic mss. At editi, *libertatem.* Ex his ac sequentibus Hilarii dictis videri possit, jam tum motam esse de Spiritus-sancti processione controversiam. Quippe apertè indicat minimè sibi incertum, quin à Patre & Filio sit, quamvis de loquendi ratione plusculum litigare nolit. Jam verò observatum est lib. 2. n. 4. not. l. Filium Spiritus-sancti & *largitorem*, & *auctorem* ab eo appellatum.

[b] Ita juxta græcum codex Vat. bas. cum Martin. ceteris lib. 2. n. 33. consentientibus: in quibus tamen hîc exstat *in omni veritate.*

[c] In vulgatis, *nihil differre.* Rectiùs abest *nihil* à mss. Conceditur adversariis quidquid voluerint, ut invincibiliter revincantur.

[d] Mss. bas. Vat. Martin. Carn. aliique, *quod sit à Patre procedere.* Retinenda lectio vulgata, quam cum optimo Colb. exhibent & plures mss.

[e] In vulgatis, *à Filio mittitur & à Patre.* In ms. bas. Vat. uno Sorbon. & altero Colb. *à Filio accipiet, à Patre mittitur.* In Martin. *à Filio accipit & à Patre mittitur.* Veriùs in pluribus aliis, *à Filio à Patre mittitur*; cùm haud dubiè respiciatur illud, *quem ego mittam vobis à Patre.* Scrupulosè adeo Hilarius omnia de Spiritu-sancto verba sua è Scripturis exigit.

[f] Mss. *accipit.*

[g] Lib. 2. n. 29. cum pluribus mss. & omnibus edit. legitur *si tamen.*

[h] Carnutensis codex, *propter peccatum*; & mox, *propter justitiam.*

[i] Editi, *suscitavit Jesum*: dissidentibus mss. & græco textu, ut jam notatum lib. 2. n. 29. Mox in vetere ms. Colb. *spiritum ejus*, non *suum.*

[k] Par. *sed hic Spiritus.* Meliùs alii libri, *& Spiritus*, quasi idem *quoque Spiritus.*

[l] Sic mss. At excusi, *in nobis est, ejus tum Spiritus* &c.

[m] Rursum hîc in excusis *tum* pro *tamen* erat.

[n] Abest *enim* à vetustioribus mss. Quæritur hîc utrùm *Spiritûs Dei* nomine propriam Patris naturam, an rem illius quidem propriam, sed ab ipso tamen distinctam velint significari. Ita lib. 2. n. 32. Spiritus-sanctus à Domino distinctus docetur; quia alius est Spiritus, alius cujus est Spiritus. At verò utrumvis eligant, Pater & Filius unius ostenduntur naturæ: cùm Christi Patrisque unus & idem sit Spiritus, proindeque natura; & Spiritus-sanctus ut Patris, ita & Christi sit, adeoque res naturæ unius, seu eorum quorum natura una sit.

[o] nimirum vocabulo *Spiritus Dei.*

ſtrationem poſſe ſignificatum Dei Spiritum A pertinere: neque tantùm hoc ex prophetica, ſed ex evangelica auctoritate monſtrari, cùm dicitur, *Spiritus Domini ſuper me, propterea unxit me*: & rurſum, *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo complacuit animæ meæ, ponam ſuper eum Spiritum meum*: & ipſo de ſe Domino teſtante, *Si autem in Spiritu Dei ego ejicio dæmonia, utique appropiavit in vobis regnum Dei*: hæc enim videntur [a] non ambiguè vel Patrem ſignificare, vel Filium, virtutem tamen B naturæ manifeſtantia.

[...c. 4. 18.] [...atth. 12. ...] [...bid. 28.]

Cur uterque dictus Spiritus.

24. Namque idcirco dictum exiſtimo in utroque [b] *Spiritus Dei*, ne ſecundùm corporales modos ita ineſſe Filium in Patre vel Patrem in Filio crederemus: ſcilicet ne loco Deus manens, nuſquam alibi exſtare videretur à ſeſe. Homo enim, aut aliquid aliud ei ſimile, cùm alicubi erit, tamen alibi non erit: quia id, quod eſt illic, continetur ubi fuerit; [c] infirmâ ad id naturâ ejus, ut ubique ſit, qui inſiſtens alicubi ſit. C Deus autem immenſæ virtutis vivens poteſtas, quæ nuſquam non adſit, nec deſit uſquam, ſe omnem per ſua edocet, & ſua non aliud quàm ſe eſſe ſignificat: ut ubi ſua inſint, ipſe eſſe intelligatur. Non autem corporali modo, cùm alicubi inſit, non & ubique eſſe credatur: cùm per ſua in omnibus eſſe non deſinat; non aliud autem ſint, quàm quod eſt ipſe, quæ ſua ſunt. Et hæc quidem ad naturæ intelligentiam dicta ſunt.

In Spiritu Dei ſignificatur Pater,

25. In Spiritu autem Dei [d] patrem Deum D ſignificari, ita exiſtimo intelligi oportere, quod Spiritum Domini ſuper ſe eſſe Dominus Jeſus Chriſtus profeſſus ſit, propter quod eum ungat, & mittat ad evangelizandum. Paternæ enim naturæ virtus in eo manifeſtatur; naturæ ſuæ communionem in Filio etiam [e] in carne nato per ſacramentum ſpiritalis hujus unctionis oſtendens, cùm poſt conſummati baptiſmi nativitatem tum hæc [f] quoque proprietatis ſignificatio audita eſt, voce teſtante de cælo, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Non enim vel ipſe ſuper ſe eſſe, vel ſibi de cælis adeſſe, vel ipſum ſe cognominaſſe ſibi filium intelligendus eſt: ſed omnis hæc fidei noſtræ fuit demonſtratio, ut ſub perfectæ ac veræ nativitatis ſacramento, unitatem [g] naturæ manentis in Filio, qui etiam homo eſſe cœperat, noſceremus. Et Patrem quidem in Dei Spiritu ita ſignificari repertum eſt. Filium verò hoc modo demonſtratum intelligimus, cùm dicit, *Quòd ſi in Spiritu Dei ego ejicio dæmones, utique appropiavit in vobis regnum Dei*: ſe ſcilicet, id eſt, naturæ ſuæ poteſtate dæmones ejicere demonſtrans, qui non niſi Dei Spiritu ejici poſſint. Eſt autem & in Spiritu Dei Spiritûs paracleti ſignificatio; neque ſolùm prophetica, ſed apoſtolica auctoritate, cùm dicitur, *Sed hoc eſt, quod dictum eſt per prophetam, Erit in noviſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo in omnem carnem, & prophetabunt filii eorum & filiæ eorum*. Et conſummatum hoc totum fuiſſe in Apoſtolis docetur, cùm miſſo Spiritu-ſancto omnes [h] linguis gentium ſunt locuti.

[Matth. 3. 17.] [Pſal. 2. 7.]

significatur Filius,

significatur & Spiritus-ſanctus. Act. 2. 16. &c.

In nobis eſt Deus, cùm Chriſtus; cùm Spiritus Chriſti, Spiritus Dei.

26. Hæc autem idcirco ſunt demonſtrata neceſſariò, ut in quamcumque ſe licèt partem hæretica falſitas contuliſſet, finibus tamen atque præſcripto veritatis evangelicæ concluderetur. Habitat enim in nobis Chriſtus: & habitante Chriſto, habitat Deus. Et cùm habitat in nobis Spiritus Chriſti; habitante tamen in nobis Spiritu Chriſti, non alius tamen ſpiritus habitat, quàm Spiritus Dei. Quòd ſi per Spiritum-ſanctum Chriſtus in nobis eſſe intelligitur, hunc tamen ita Spiritum Dei, ut Spiritum Chriſti eſſe noſcendum eſt. Et cùm per naturam [i] rei natura ipſa habitet in nobis; indifferens natura Filii eſſe credetur à Patre, cùm Spiritus-ſanctus, qui & Spiritus Chriſti & Spiritus Dei eſt, res naturæ eſſe demonſtretur unius. Quæro nunc igitur, quomodo non ex natura unum ſunt? A Patre procedit Spiritus veritatis: à Filio mittitur, & à Filio accipit. Sed omnia, quæ habet Pater, Filii ſunt: & idcirco qui ab eo accipit, Dei Spiritus eſt, ſed idem & Spiritus Chriſti eſt. Res naturæ Filii eſt *, ſed eadem E res & naturæ Patris eſt. Excitantis Chriſtum à mortuis Spiritus eſt; ſed idem Spiritus Chriſti eſt à mortuis excitati. In aliquo differat Chriſti & Dei natura, ne eadem ſit; ſi præſtari poteſt ut Spiritus, qui Dei eſt, non ſit & Chriſti.

Filii & Patris natura una.

* ſupple, Spiritus.

una apud nos habitatio.

27. Sed te, hæretice, furentem, & ſpiritu doctrinæ mortiferæ circumactum tenet & coartat

[a] In codice baſ. Vat. *nobis* pro *non*, ac poſtea cum Martin. *manifeſtant* pro *manifeſtantia*: malè. Inſtitutæ quæſtioni primum hîc habetur reſponſum, puta Spiritûs vocabulo Patris & Filii virtutem, & perinde naturam ſignificari: *quia naturæ virtus præſtat veritatem*, ut legimus lib. 5. n. 3. Tum ſubinde docetur Dei naturam Spiritûs nomine ideo donari, quia ſummè ſimplex eſt, & ne de Deo ad modum corporum cogitemus.

[b] Ita mſſ. Martin. Colb. Germ. necnon Corb. ſecundis curis. At vulgati, *ſpiritum Dei*.

[c] hoc eſt, impotente ad id ut ubique ſit. Neque audiendi recentiores mſſ. in quibus habetur, *ut ubique non ſit*.

[d] id eſt, in verbis Eſaiæ 61. 1. apud Lucam relatis, quibus ait Dominus, Spiritum Dei ſuper ſe, ideoque ſe unctum & miſſum ad evangelizandum, nomine *Spiritus Dei* puto ſignificari Deum Patrem.

[e] Sic potiores mſſ. Alii verò libri, *incarnato*. Paulo antè in mſ. Vat. baſ. *manifeſtari videtur*, non *manifeſtatur*: & poſt pauca, *conſummatam*, loco *conſummati*. Huic loco lucem præſtat ſimilis lib. 11. n. 18. ubi propè idipſum aliis verbis ita enuntiatur: *Quemadmodum Spiritu Dei & virtute ſit unctus, non ambiguum eſt, tum tùm adſcendente eo de Iordane vox Dei patris audita eſt, Filius meus es tu, ego hodie genui te: ut per hoc teſtimonium ſanctificatæ in eo carnis, unctio ſpiritalis virtutis cognoſceretur*: quo in loco *unctio ſpiritalis virtutis* appellatur, quod hîc *naturæ ſuæ communio*.

[f] Bad. Er. & Lipſ. omittunt *quoque*, & præcedentem particulam *tum*: cujus loco apud Par. poſitum erat *cum*. Deinde *proprietatis* vox opponitur adoptioni. Sive autem Chriſto baptizato dixerit Pater, *hic eſt filius meus* &c. quomodo legit Hilarius lib. 6. n. 23. ſive dixerit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quomodo hîc, lib. 6. n. 23. lib. 11. n. 18. in Matth. c. 2. n. 6. & in Pſal. 2. n. 29. ipſius verba refert; ſtat eadem vis argumenti, quæ in vocabulis *Filius meus* ſita eſt. Sed & Paulus Heb. 1. 5. verba Pſalmi, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, & Patris eſſe tradit, & Filio ita propriè dicta, ut ne in ullum quidem Angelorum conveniant.

[g] Editi, *naturæ paternæ*. Abeſt *paternæ* à mſſ. Ex hoc loco patet Hilarium illud Matth. 3. 16. *Et vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam & venientem ſuper ſe*, ita interpretari, ut *Spiritum Dei* intelligat Patrem: qui hinc contra Sabellianos alius à Filio defenditur, quòd ſuper illum ſit, ipſi adſit, ipſum filium cognominet. At certè non exiſtimandus eſt ita eo nomine Patrem intellexiſſe, ut Spiritum-ſanctum pariter intelligi poſſe negaverit: cùm ſubinde declaret, hæc ſe de diverſa vocis *Spiritus Dei* poteſtate demonſtrare, ut quò quò ſe vertant hæretici, vim veritatis, qua Filium unum cum Patre credimus, declinare non poſſint.

[h] Editi excepto Par. *omnes linguas*.

[i] Præferimus cum vetere mſ. Colb. & Germ. *per naturam rei*, inverſis tamen, ut ſæpe uſu venit, vocabulis, ſcil. pro *per naturæ rem*. In libris aliis habetur *per naturam Dei*. Ab hinc reſponſum in eos accommodatur, qui Spiritum Dei rem naturæ eſſe volent.

Apoſtolus, Chriſtum nobis fundamentum ponens fidei, dicti hujus quoque dominici non neſcius: *Si quis diligit me, & verbum meum ſervabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Per id enim, Spiritu Chriſti in nobis manente, Dei Spiritum in nobis manere teſtatus eſt, nec diverſum à ſe eſſe Spiritum à mortuis excitati [a], & Spiritum à mortuis excitantis. Veniunt enim, atque habitant in nobis: & rogo utrùm [b] comitatu diverſitatum venient, manſionemque facient, an unitate naturæ? Sed obnititur Doctor gentium, non duos ſpiritus, Dei ſcilicet & Chriſti, ſed Spiritum Chriſti, qui & Spiritus Dei eſt, ineſſe credentibus. Non eſt cohabitatio, ſed habitatio eſt: ſub ſacramento tamen cohabitationis habitatio, dum neque duo [c] habitant, neque ab alio diverſus habitator eſt. Eſt enim in nobis Spiritus Dei, ſed eſt in nobis Spiritus Chriſti: & cùm Spiritus Chriſti ineſt, ineſt Spiritus Dei. Ita cùm quod Dei eſt, & Chriſti eſt; & cùm quod Chriſti eſt, Dei eſt: non poteſt aliud quid diverſum [d] Chriſtus eſſe, quàm Deus eſt. Deus igitur Chriſtus eſt [e] unus cum Deo Spiritus.

1. Cor. 3. 11.
Joh. 14. 23.

28. Et illud evangelicum, *Ego & Pater unum ſumus*, docet Apoſtolus unitatem eſſe naturæ, non ſolitudinem unionis, ſcribens Corinthiis, *Propter quod notum facio vobis, quia nemo in Spiritu Dei [f] dicit anathema Ieſum.* Sciſne nunc hæretice, in quo ſpiritu dicas Chriſtum creaturam? Cùm enim in anathemate ſint, qui ſervierunt creaturæ [g] potiùs quàm Creatori; Chriſtum creaturam confitens, quid ſis intellige, qui non ignores quin in maledicto ſit religio creaturæ. Et quid ſequatur, adverte: *Et nemo poteſt dicere Dominum Jeſum, niſi in Spiritu-ſancto.* Sentiſne quid tibi deſit, [h] Chriſto negando quod ſuum eſt? Si per naturam Dei Chriſtus tibi Dominus eſt, habes Spiritum-ſanctum: ſi verò per adoptivum nomen hic dominus eſt, Spiritu-ſancto carens, ſpiritu erroris animaris: quia nemo niſi in Spiritu-ſancto Dominum Je- A ſum poteſt dicere. Et tu creaturam eum potiùs quàm Deum dicens, dominum licèt nuncupans, Dominum tamen eſſe non dicis; quia tibi [i] ex communi genere potiùs & familiari nomine, quàm ex natura ſit Dominus. Sed [k] à Paulo diſce naturam.

Joh. 10. 30.
Ariani à Spiritu-ſancto alieni Chriſtum Deum negant, & tamen colũt.
1. Cor. 12. 3.
Rom. 1. 25.
1. Cor. 12. 3.
Dominum vocant, & negant.

29. Sequitur enim: *Diviſiones autem donorum ſunt, idem autem Spiritus eſt; & diviſiones miniſteriorum ſunt, & idem ipſe Dominus; & diviſiones operationum ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* B *Unicuique autem datur [l] manifeſtatio Spiritûs ad id quod utile eſt.* In præſenti ſermone quadrimoda ſignificatio intelligitur, cùm in diviſione donorum idem Spiritus eſt, & in diviſione miniſteriorum idem ipſe Dominus eſt, & in diviſione operationum idem Deus eſt, & in utilitatis datione manifeſtatio Spiritûs. Atque ut datio utilitatis in manifeſtatione Spiritûs noſceretur; continuò ſubjectum eſt, *Huic quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ,* C *alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eumdem Spiritum, alteri autem fides [m] in eodem Spiritu, alii donum curationum in eodem Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio Spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio linguarum.*

Ibid. 4. &c.
Gratiarum diviſiones.
Ibid. 8. &c.

30. Et quidem id, quod quartum eſſe diximus, id eſt, in datione utilitatis [n] Spiritûs manifeſtationem, abſolutam habet intelligentiam. Commemoratum enim eſt, per quas dationum utilitates hæc eſſet Spiritûs manifeſtatio. D In his namque diviſionum virtutibus non incerta doni hujus oſtenſio eſt, de quo Dominus ad Apoſtolos dixerat, præcipiens his, ne ab Jeroſolymis diſcederent: [o] ſed exſpectate, inquit, « promiſſionem Patris, quam audiſtis de ore meo, « Quoniam Johannes baptizavit aquâ, vos autem « Spiritu-ſancto tingemini, quem & accipietis « non poſt multos hos dies. Et rurſum, Sed accipietis virtutem ſuperveniente Spiritu-ſancto « in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & om- « E ni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum ter- « ræ. Promiſſionem Patris, quæ de ore ejus audita eſt, exſpectari jubet. Certè etiam nunc ejus

Spiritûs manifeſtatio.
Act. 1. 4. &c.
Ibid. 8.

[a] Hinc vocem *Ieſu*, necnon *Ieſum* poſt verbum *excitantis*, ſuſtulimus auctoritate potiorum mſſ.

[b] Martinianus codex, *comitatu diverſi.* Amplius neſcio quid habet *comitatu diverſitatum*, puta, an ratio ſimul veniendi ſita ſit in quadam diverſitatum congerie, an in unitate naturæ?

[c] ſupple, *Spiritus:* aliàs cohabitationis ſacramentum non erit, niſi duo habitent perſonis diſtincti. Tum in mſ. Vat. baſ. *neque ab alio diverſus eo habitator:* poſſet ferri *diverſus cohabitator*, quod habet Martinianus.

[d] Vat. baſ. codex & Martin. *Chriſti eſſe quàm Dei eſt:* non ſunt recipiendi.

[e] In mſſ. Martin. Carn. Corb. Prat. & aliquot aliis, *unius.*

[f] Verbum *loquens* hîc addunt editi, quod non habent lib. 2. n. 34. neque hîc reperimus niſi in uno recentiore mſ. Colb. Mox in Martin. & aliis nonnullis, *Ieſu*, non *Ieſum.*

[g] Simili ratione Ambroſius lib. 1. de fide c. 16. n. 104. *Ipſe* Paulus *creatura ſervire nos prohibet: quemadmodum ergo Chriſto ipſe ſerviret, ſi creaturam Chriſtum putaret?* Ex quo concludit: *Aut igitur deſinant colere quem creaturam appellant, aut deſinant... dicere creaturam:* & cap. 11. n. 69. *Si alienum putant* Deum, *cur adorant eum? cùm ſcriptum ſit, Neque adorabis Deum alienum.* Idem argumentum adversùs Arianos ut creaturæ cultores conficiunt Athanaſius, Baſilius, Gregorius Nyſſ. &c.

[h] Mſſ. Carn. Colb. Germ. *Chriſtum negando.* Planum eſt proxima Apoſtoli verba ſic ab Hilario intellecta: *Nemo poteſt dicere* & confiteri *Ieſum eſſe Dominum, niſi* &c.

[i] Optimæ notæ mſſ. Carn. Germ. cum tribus Colbertinis, *ex communi potiùs & familiari nomine.* Unus Sorbon. *ex communi, generali potiùs* &c. Vat. baſ. & Martin. *ex communione generis & familiari nomine.*

[k] Apud Er. & in uno mſ. Vatic. *à Paulo & Dei ſpiritu in eo diſce naturam.* Apud Lipſ. & Par. necnon in mſ. Corb. & aliquot aliis, *à Paulo & Dei & Spiritûs in eo diſce naturam.* In tribus Colb. & uno Sorbon. *à Paulo Dei Spiritum in eo, & Dei diſce naturam.* Simplicius &, ut putamus, ſincerius Bad. optimus codex Colb. cum Carn. Martin. Germ. Vind. Silv. ac duobus Vatic. *à Paulo diſce naturam*, hoc eſt, quæ ipſius ſit natura, & quàm non ex nuncupatione ſolùm, ſed verè & ex natura ſit Dominus: quod fuſiſſimè probatur. Namque abhinc uſque ad num. 35. demonſtrat Hilarius, alium quidem eſſe Deum Patrem, alium Dominum Jeſum Chriſtum, ſed unum tamen utriuſque Spiritum, unam eſſe divinitatem, cujus virtus ac natura donis ſuis manifeſta fiat. Poſtea verò apertiùs oſtendit Chriſtum naturâ eſſe Dominum.

[l] In mſ. Carn. *Spiritûs illuminatio ad utilitatem.* Ita quidem habetur lib. 2. n. 34. conſentientibus ſcriptis ſimul & excuſis: at hîc aliter legendum liquet ex ſubnexis.

[m] Sic græco textu ſuffragante legitur lib. 2. n. 34. & hîc in exemplari Carn. ubi in Martin. *in uno ſpiritu*, in aliis autem, *in eumdem Spiritum.* Poſt pauca rurſum vulgati hîc præ ſe ferentes *interpretatio ſermonum*, non *linguarum:* refutantur ex mſſ. textu græco, & ſubjecta interpretatione.

[n] Apud Par. *ſpiritus manifeſtationum:* mendosè. Magis placeret *manifeſtatio:* ſed *manifeſtationem* ad proximum verbum *diximus* referre licet.

[o] Editi, *ſed exſpectarent.* Tum Lipſ. & Par. *quam audiſtis, inquit.* At in omnibus mſſ. *exſpectate:* cui verbo in tribus tantùm proximè ſubjicitur *inquit*, cùm neque hîc, neque pòſt exſtet in aliis. Mox in Colb. Carn. Martin. Germ. *baptizabimini*, non *tingemini.*

paternæ

paternæ promissionis eloquium est. Per has igitur virtutum efficientias manifestatio Spiritûs est. Neque enim in occulto est Spiritûs donum, ubi sermo sapientiæ est, & verba vitæ audiuntur: vel ubi divinæ cognitionis scientia est, ne pecudum modo per ignorationem Dei, vitæ nostræ ignoremus auctorem: vel per fidem Dei, ne non credentes Evangelio Dei, extra Evangelium Dei simus: vel per donum curationum, ut gratiam ejus, qui hæc tribuit, infirmitatum curatione testemur: vel per operationem virtutum, ut quod agimus, Dei esse [a] virtus intelligatur: vel per prophetiam, ut per doctrinæ intelligentiam intelligamur ex Deo eruditi: vel per discretionem spirituum, ne ignari simus, sancto an perverso spiritu quis loquatur: vel per genera linguarum, ut [b] in signum dati Spiritus-sancti linguarum sermo donetur: vel in interpretatione linguarum, ne ignoratione fides audientium periclitetur, cùm linguam ignorantibus linguæ interpretator absolvit. In his igitur omnibus ad utilitatem unicuique divisis manifestatio Spiritûs est, per has scilicet datæ unicuique utilitatis [c] admirationes dono Spiritûs non latente.

1. Cor. 14. 6.

Hæc dona alius atque alius largitur, & tamen unus Spiritus.

31. Tenuit autem beatus apostolus Paulus in hoc difficillimo ad humanam intelligentiam [d] cælestium sacramentorum mysterio, & absolutam demonstrationem & sollicitam cautelam, ut per Spiritum in Spiritu dari hæc divisionum dona monstraret: [e] (non enim idipsum est per Spiritum, & in Spiritu dari:) quia datio doni, quæ obtinetur in Spiritu, hæc tamen indulta per Spiritum fit. Consummat autem has dationum divisiones hoc modo: *Hæc autem omnia operatur unus & idem Spiritus*, [f] *dividens unicuique sicut vult*. Nunc igitur quæro, quis hæc Spiritus operetur, dividens unicuique prout velit: [g] utrùm per quem, aut in quo donorum divisio est. [h] Quòd si ipsum significatum esse loqui aliquis audebit, contradicet Apostolus, cur se vitiosè [i] lector intelligat: ait enim superiùs, *Et divisiones operationum sunt, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus*. Alius est ergo qui dividit, & alius est in quo indulta divisio est. Et intellige operantem hæc omnia semper Deum, ita tamen, [k] ut Christus operetur, ut paterno opere operans Filius fungatur. Et si in Spiritu-sancto Jesum Dominum confiteris; intellige tripertitæ significationis in * Apostolo virtutem, cùm in divisionibus donorum idem Spiritus est, & in divisionibus ministeriorum idem Dominus est, & in divisionibus operationum idem Deus est: & rursum omnia inoperans unus Spiritus, unicuique sicut vult dividens. Et apprehende, si potes, Dominum in divisione ministeriorum, & Deum in divisione operationum, hunc eumdem unum esse Spiritum, & [l] inoperantem, & prout vult dividentem: quia in divisionibus donorum unus est Spiritus, & idem Spiritus operetur ac dividat.

1. Cor. 12. 11.

* id est, Apostoli loco.

Christus charismata dividit.

32. Aut si displicet in Deo & Domino unus hic ejusdem, per nativitatis sacramentum, [m] divinitatis Spiritus: ostende quis spiritus, & [n] in quo spiritu has nobis divisiones & inoperetur & dividat. Sed nihil aliud, quàm quod fidei nostræ est, ostendes; quia Apostolus qui [o] esset intelligendus ostendit, dicens, *Sicut enim corpus unum est, membra autem habet multa; omnia autem membra ex uno corpore, cùm sint multa, unum est corpus: sic & Christus*. Divisiones ergo charismatum ex uno Domino Jesu Christo, qui corpus est omnium, esse [p] significat: quia cùm ostendisset Dominum in ministerio, ostendis-

1. Cor. 12. 12.

[a] In vulgatis, *virtutis intelligamus*. Tum apud Bad. & Er. *vel per prophetiam, ut per doctrinam intelligamus*.

[b] Abest *in* à mss. Colb. Martin. & Germ. Tum in editis, *dati Spiritus*, sine *sancti*.

[c] Editi, *utilitatis administrationes*. Rectiùs mss. summo consensu, *utilitatis admirationes*, vel *utilitates admirationis*: quia nimirum utilitas modo non humano præstita admirationem excitat, ac Spiritûs, cujus subsidio confertur, divinam virtutem palam declarat. Sic lib. 7. n. 5. Sabellius Dei in Christo naturam *per gestorum admirationem* agnovisse dicitur: & lib. in Constantium n. 8. prædicantur *admirationum opera* coram venerandis Martyrum ossibus conspecta. Denique in Psal. 91. n. 4. his verbis, *ut Creatoris potestas per creaturæ admirationem posset intelligi*, ista habentur synonyma, *ut per hanc conspicabilium operum magnitudinem virtus ejus qui hæc operatus est cognosceretur*. V. lib. 3. n. 5. & 6.

[d] In codice Carnut. *cælestium mysteriorum sacramento*.

[e] Qui exemplar basilicæ Vaticanæ sæculo sexto contulit, è regione verbi *monstraret*, adjecit, *ne fortè non per Christum & in Christo omnia crederentur*. quæ adjectio deinde in Martin. ac pluribus aliis mss. (in quorum tribus *crearentur* pro *crederentur* substitutum est,) ut & in vulgatis obtinuit: quamvis manifestè pugnet cum subsequentibus, in quibus verba *per Spiritum* & *in Spiritu* non ad unum Christum, sed ad duas distinctas personas referuntur. Unde apparet sinceriores esse mss. Colb. Carn. Germ. à quibus absunt prædicta verba. Tum apud Bad. & Er. omittitur quod intra parenthesim inclusimus.

[f] Exemplar Carnut. *dividens se unicuique*, favente græco textu διαιρῶν ἰδίᾳ (vel ἴδια) ἑκάστῳ: ex quo Augustinus epist. 187. n. 20. vertit, *dividens propria unicuique*. Hilarii mentem se non assecutum esse indicavit Erasmus, cùm hîc in limbo adscripsit, *Nota hic multa de Spiritu-sancto*, non videns hîc *Spiritûs* vocabulo Patrem & Filium plerumque significari. Nec tamen in sequentibus edit. correctus fuit.

[g] Et hanc lectionem ab interpolatione puram debemus laudatis mss. Colb. Carn. Germ. cùm in aliis, necnon apud Bad. & Er. hîc habeatur, *utrùm Jesus Christus Deus Spiritus*. Lipsius autem, ac post eum Par. addito *an*, exhibuit *utrùm Jesus Christus Deus, an Spiritus*. Postea editi omnes, *per quem, & in quo*. Rectiùs mss. *per quem, aut in quo*. Postulat sanctus Doctor quis Spiritus omnia operetur, utrùm Spiritus per quem, an Spiritus in quo est donorum divisio.

[h] Editi ac plures mss. *quòd si non idipsum*: pugnantia loquuntur cum superioribus, *Non enim idipsum est per Spiritum, & in Spiritu dari*, necnon cum subjectis, *Alius est ergo qui dividit, alius in quo* &c. Castigantur ex mss. Vat. bas. Colb. Carn. Germ.

[i] Abest *lector* à vetusto codice Colb. Et quidem sufficit præmissa vox *aliquis*. Non satis apparet Apostoli contradictio in verbis proximè subjectis: sed eis jungenda sunt cohærentia, *Divisiones ministeriorum sunt, & idem ipse Dominus*; ut alius sit *Deus*, alius *Dominus*; ac Patrem quidem significet *Deus*, Filium autem *Dominus*: qui quamvis non unus & idem sint, unus tamen unius divinitatis sint Spiritus. Quem sensum confirmant prima numeri subsequentis verba.

[k] Vetus codex Colb. *ut spiritus operetur*. Magis placet cum aliis, *ut Christus*. Responsum hîc habetur ad superius quæsitum, *quis spiritus operetur*.

[l] In vulgatis, *& hæc*. Abest *hæc* à mss.

[m] Editi, *& divinitatis*. Mss. Vat. bas. & Martin. *& divinitatis Spiritus* (Mart. *Spiritum*,) *divisionis*. Alii duo, *& divinitatis Spiritus & divisionis*. In Corb. tribus Vatic. aliisque non paucis, *& divinitatis Spiritum divisionis Spiritus*. Nitidior visa est lectio præstantissimorum codicum Colb. Carn. & Germ. quam sequimur. Et Deus Pater & Dominus Filius unus est Spiritus, unus Deus, sed, *per nativitatis sacramentum*; adeoque subsistendi ratione sunt discreti. Si cui placet vocem *divisionis* post verbum *Spiritus* adjicere, eo sensu liceat, ut *Spiritus divisionis* id sit, quod Spiritus auctor donorum, ministeriorum, operationum.

[n] Tres mss. Colb. cum Germ. *in quo Spiritus*. Tum in codice Vat. bas. *has in nobis in Domino & Deo divisiones*: in Martin. *has in Deo & Domino nobis* &c. in aliis nonnullis, *has in Deo & Domino ejusdem nobis divisiones*: glossema. Exinde in solis vulgatis, *& operetur*, non *& inoperetur*. Hîc provocat Hilarius adversarios, ut si ad superius quæsitum non placeat suum ipsius responsum, dent ipsi aliud. Tum confirmat non esse aliud.

[o] supple, *Spiritus*: quasi diceret, Quia vocabulum *Spiritus* latiùs patet, & ad Patrem, Filium, & Spiritum-sanctum promiscuè refertur; quis donorum spiritalium largitor esset intelligendus, Apostolus declaravit.

[p] In mss. *significans*.

set etiam Deum in operationibus, unum tamen hæc omnia Spiritum & inoperari & dividere demonstrat, membra hæc gratiarum in * perfectione unius corporis dividentem.

* al. perfectionem.

Operationes & ministeria Deus statuit. 1. Cor. 12. 5. & 6.

33. Nisi fortè non tenuisse rationem unitatis in eo Apostolus existimatur, quod dixit, *Et divisiones ministeriorum sunt, idem ipse Dominus; & divisiones operationum sunt, idem autem Deus*: ut quia ministeria ad Dominum retulit, & operationes ad Deum, non unum atque idipsum in ministeriis atque operationibus videatur intelligi. Accipe quàm hæc membra ministeriorum membra operationum sunt, cùm ait, *Vos estis corpus Christi & membra. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos*, in quibus est verbum sapientiæ; *secundò prophetas*, in quibus est donum scientiæ; *tertiò magistros*, in quibus est doctrina fidei; *deinde virtutes*, in quibus sunt *curationes infirmitatum, auxiliorum potestates, gubernationes* prophetales, & [a] dona *genera linguarum* vel loquendi vel interpretandi. Certè hæc Ecclesiæ & ministeria sunt & operationes, in quibus est corpus Christi; & hæc Deus statuit. Aut profitere non per Christum statuta, quia ea Deus statuit. Sed audies ipsum dicentem, *Unicuique autem nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Et iterum: *Qui descendit, ipse est qui & adscendit super omnes cælos, ut adimpleat omnia. Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem prophetas, quosdam autem* [b] *evangelizantes, quosdam autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii.* Numquid ministeriorum dona non Christi sunt, cùm tamen [c] & Dei dona sint?

Ibid. 27. & 28. — Statuit & Christus. — Ephes. 4. 7. — Ibid. 10 &c.

34. Sed [d] si id sibi usurpavit impietas, ut quia ait, *idem Dominus* & *idem Deus*, non sint in unitate naturæ: adjungam verò huic intelligentiæ tuæ, ut putas, firmiora præsidia. Ipse enim Apostolus ait: *Sed nobis unus Deus pater ex quo omnia, & nos in ipso; & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum.* Et rursum: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus & pater omnium* [e] *& per omnes & in omnibus nobis.* Per id enim, quòd dicitur *unus Deus* & *unus Dominus*, Deo tantùm quasi uni Deo proprium deputari videtur ut Deus sit: cùm proprietas [f] unius consortium non patiatur alterius. O planè rara ac difficilia charismatum dona, & verè in hac utilitatum datione manifestatio Spiritûs constituta! Et meritò hic dividendarum gratiarum ordo servatus est, ut principalis esset sermo sapientiæ; verè enim illud est, *Et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu-sancto*; quia [g] nisi per hoc sapientiæ verbum Christus Dominus non posset intelligi: tum deinde sequens esset sermo scientiæ; ut quod sapimus, scienter loquamur, ita ut sapiamus sapientiæ verbum: tertium verò donum in fide esset; quia illa principalia & superiora utilitatem doni, [h] nisi Deus crederetur, amitterent: ut nunc in hujus maximi & pulcherrimi dicti apostolici sacramento, hæreticis omnibus nec verbum sapientiæ est, nec sermo scientiæ, nec religionis fides; quia impietas, quæ non capit intelligentiam, extra sermonis scientiam & extra simplicitatem fidei est. Nec enim quisquam quod non sapit, loquitur: nec quod loqui non potest, potest credere. Unum itaque Deum Apostolus prædicans, & ex Lege veniens, atque in Evangelium Christi vocatus, perfectæ fidei tenuit confessionem. Et ne aliquam hæreticis occasionem tamquam incauti sermonis simplicitas præstaret, ut nativitatem Filii per unius Dei prædicationem negarent; unum Deum sub proprietatis significatione confessus est, dicens ita: *Unus Deus pater ex quo omnia, & nos in ipso*: ut qui Deus est, & pater crederetur. Dehinc quia nudum hoc, in unum Deum patrem credere, non proficeret ad salutem; subjecit, *Et unus Dominus noster Jesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum*; sinceritatem fidei salutaris in unius Dei & in unius Domini prædicatione demonstrans: ut nobis & unus Deus pater, & unus Dominus Jesus Christus in fide [i] esset. Non enim dictum ignorabat à Domino: "Hæc est enim voluntas patris mei, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam." Sed fidei ecclesiasticæ ordinem ponens, & fidem nostram in Patre & Filio statuens, inseparabilis illius atque indissolubilis unitatis & fidei sacramentum locutus est, dicens, *Unus Deus, & unus Dominus.*

Paulus de Patre dicens *Deus*, de Filio *Dominus*, non distinxit eos naturâ. 1. Cor. 12. 5. & 6. — 1. Cor. 8. 6. — Ephes. 4. 5. & 6.

Sapientiæ ac scientiæ sermone, ut & fide carent hæretici. 1. Cor. 12. 3.

Deum unum, nec tamen solum, prædicat Apostolus. 1. Cor. 8. 6. — Joh. 6. 40.

35. Ac primùm extra apostolicum spiritum vivens, stultitiam tuam hæretice intellige. Si enim professionem unius Dei ad id usurpas, ne Christus Deus sit; quia ubi unus est, solitarius sit intelligendus, & id, [k] quod unus est, proprium ei sit ac singulare qui unus est: quid de

Si Christus negatur Deus, quia unus Deus Pater; nec Pater Dominus, quia unus Dominus Christus.

[a] Vat. bas. ms. *dona gentium*. Alii nonnulli, necnon Lips. & Par. *dona generum*. Præferendum cum Bad. Er. & pluribus probæ notæ mss. *dona* (scil. *vel loquendi vel interpretandi*) *genera linguarum*.

[b] Carnut. codex & Martin. ut in græco textu, *evangelistas*.

[c] Editi ac plures mss. *& inoperantis Dei*. Rectiùs abest *inoperantis* à præstantibus mss. Colb. Carn. & Germ. cùm respiciatur suprà allatus Apostoli 1. Cor. 12. 27. locus, *Et quosdam quidem posuit Deus*, ubi non adjicitur verbum *inoperans*. Cujus loci comparatione cum altero ejusdem Apostoli Ephes. 4. 11. proximè memorato, in quo eadem ministeriorum dona à Christo indulta esse declaratur: jam tandem clariùs conficitur, Christum esse donorum largitorem, proindeque unum cum Patre Deum, unum Spiritum. Quod quidem pedetentim efficit, &, uti nobis videtur, non tam ex sua quàm ex sententia adversariorum, quibus nonnihil largitur, ut omnem eis evadendi aditum claudat. Primùm enim eis ultro dat *Spiritus-sancti* voce quandoque Patrem, interdum Filium aut Spiritum-sanctum significari. Tum quosdam Pauli locos, quos lib. 2. n. 33. & 34. ad Spiritum-sanctum retulit, permittit etiam ad Patrem & Filium referri. Hinc ab ipsis quærit, à quo Spiritu velint dona spiritalia proficisci. Aç demum illos eò perducit, ut negare non valeant, ministeria in Ecclesia ita à Deo esse posita, ut etiam à Christo dicantur constituta; adeoque Christum à Patre neque alterius esse potestatis, neque alterius naturæ. Itaque argumentum à num. 29. institutum ad hoc valet, ut dona, quæ Spiritus-sancti vulgò nuncupantur, totius Trinitatis, ac nominatim ipsius Christi esse doceamur: ut quolibet modo Pauli verba interpretentur hæretici, iis tamen naturalis in Patre & Filio unitas confirmetur. Quod operosiùs demonstrandum duximus; quippe qui advertimus Hilarium non satis intellectum.

[d] Particula *si* omittitur in ms. Martin.

[e] Excusi hîc addunt, *qui super omnia*: quæ verba non habent infrà lib. 11. initio, neque hîc exstant in mss. quorum in nonnullis pro *& per omnes*, legitur *& super omnes*, in Carnutensi autem, *qui super omnes*.

[f] Sic mss. At editi, *unitatis*.

[g] Apud Par. desideratur *nisi*. Mox in aliis etiam edit. habetur *potest*, non *posset*.

[h] Vetustior è mss. Colb. *nisi Dominus crederetur*.

[i] Lips. & Par. *essent*: renitentibus aliis libris.

[k] Unus codex Vatic. *quòd unum*. Alter Sorbon. hîc & infrà, *quod unius est*. Veriùs in aliis, *unus*; quasi, *quod aliquis unus est*.

eo profiteberis, quòd Jesus Christus unus est Dominus? Si enim secundùm te, quòd unus Pater Deus est, Christo non reliquit ut Deus sit: necesse est, ut etiam secundùm te unus Dominus Christus Deo non relinquat ut Dominus sit; quia quod unus est, proprium ei velis esse qui unus est. Si itaque unum Dominum Christum esse etiam Deum negabis, unum quoque Deum patrem esse negabis & Dominum: & quid erit in Dei virtute, nisi Dominus est, & in Domini [a] potestate, nisi Deus est; cùm & Deum id perficiat esse quòd Dominus est, & Dominum id constituat esse quòd Deus est?

Unus est uterque spiritu, non personâ. Joh. 10. 30.

36. Sed sacramentum dicti dominici Apostolus tenens, quod est, *Ego & Pater unum sumus*, dum utrumque unum profitetur, unum utrumque sic significat, non ad solitudinem singularîs, sed ad spiritûs unitatem: quia unus Deus Pater & unus Christus Dominus, cùm uterque & Dominus & Deus sit, duos tamen in fide nostra nec deos [b] patiuntur esse nec dominos. Unus igitur uterque est: & unus cùm sit, uterque non solus est. Nec loqui sacramentum fidei nisi apostolica voce poterimus. Unus est enim Deus, & unus est Dominus: & per id, quòd unus est Deus & unus est Dominus, in Deo demonstratur [c] & Dominus, sicut & Deus demonstratur in Domino. [d] Non tenes unionem, ut Deus singularis sit: nec tamen dividis spiritum, ut uterque [e] non unus sit. Neque in uno Deo & in uno Domino discernere poteris potestatem: ne qui Dominus est, non sit & Deus; vel qui Deus est, non sit & Dominus. Cavit enim Apostolus, per eloquia nominum, duos vel deos prædicare vel dominos. Et idcirco usus est eo genere doctrinæ, ut in uno Domino Christo unum significaret & Deum, & in uno Deo patre unum significaret & Dominum; [f] nec tamen impiam nobis ad perimendam unigeniti Dei nativitatem inveheret unionem, & Patrem professus & Christum.

Christum non modò Dominum, sed & Deũ docuit Paulus.

37. Nisi fortè eò usque ultimæ desperationis furor audebit erumpere, ut quia Christum Dominum Apostolus dixerit, nemo aliud eum præter quàm Dominum debeat confiteri; & habens Domini proprietatem, non habeat [g] Dei veritatem. Sed non ignorat Paulus Christum Deum, dicens, *Quorum patres, & ex quibus Christus* [h], *qui est super omnia Deus.* Non hîc creatura in Deum deputatur: sed creaturarum Deus est, qui super omnia Deus est. *Rom. 9. 5.*

Distinxit illum à Patre, non divisit.

38. Quàm verò super omnia Deus & inseparabilis sit [i] à Patre Spiritus, disce etiam hoc ipso de quo nunc agitur Apostoli dicto. Confessus enim unum Deum patrem ex quo omnia sunt, & unum Dominum Jesum Christum per quem omnia: quæro quid diversitatis attulerit, dicens ex Deo omnia, & per Christum omnia? *1. Cor. 8. 6.* Anne [k] possit separabilis à se naturæ & spiritûs intelligi ex quo, & per quem omnia? Omnia enim per Filium ex nihilo substiterunt: & ad Deum *ex quo omnia*, ad Filium verò *per quem omnia* Apostolus [l] retulit. Et non invenio quid differat, cùm per utrumque opus sit virtutis ejusdem. Si enim ad universitatis substantiam proprium ac sufficiens creaturis esset quòd ex Deo sunt; quid habuit necessitatis memorasse, quòd quæ ex Deo sunt, per Christum sint, nisi quòd unum idem est, per Christum esse & ex Deo esse? Sed quemadmodum [m] Dominum & Deum utrique eorum, ut mutuum esset, adscriptum est: ita *ex quo* & *per quem* relatum ad utrumque est, & ad demonstrationem unitatis utriusque, nec ad intelligentiam singularîs. Non patet ad occasionem impietatis [n] ipsius sermo, & apostolica fides non est extra prædicationis diligentiam. His enim se verborum proprietatibus temperavit, quibus nec duos deos intelligeretur significare, neque unicum: dum & unionem detestatur, nec separat unitatem. hoc enim *ex quo omnia*, & *per quem omnia*, licèt non singularem constitueret in potestate virtutis, non tamen diversum demonstraret [o] in efficientia; cùm *ex quo omnia*, & *per quem omnia*, ejusdem naturæ ad id demonstraret auctorem. Utrumque autem ejusdem naturæ proprium esse declarat. Namque post illud divitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei protestatum profundum, & inscrutabilium judiciorum confessam [p] inintelligentiam, & investigabilium viarum demonstratam ignorationem, humanæ tamen fidei usus officio, hunc honorem investigabilium & inscrutabilium cælestium sacramentorum profundo reddidit, dicens, *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, *Rom. 11. 33.* *Ibid. 36.*

[a] In vulgatis ac pluribus mss. *proprietate.* Malumus cum Carnut. Martin. ac nonnullis aliis, *potestate*; cùm hîc non tam spectetur proprietas, quàm natura.

[b] Ita mss. potiores: ubi in excusis & aliquot mss. *patitur.*

[c] Particulam *&*, quæ ut sæpe alibi perinde est ac *etiam*, restituimus ex mss. Hîc verbum *demonstratur* idem sonat, *quod significatur.* Et plerumque infrà eadem est verbi hujus vis.

[d] Editi, excepto Bad. necnon ms. Vat. bas. ac plerique alii hîc adjiciunt, *ut* (vel *&*) *in uno Deo patre unum significaret & Dominum.* Quæ verba huc malè interjecta sinceriores mss. Colb. Carn. & Germ. non habent, suumque infrà locum rectè obtinent.

[e] In vulgatis ac pluribus mss. *non unum sint.* In Martin. *unum sint*, omissâ particulâ negante. Rectiùs in aliis non inferioris notæ, *non unus sit*, supple *spiritus.*

[f] Editi, *ne tamen*, mox post verbum *professus* adjicientes substantivum *est*. Ex hoc alterove loco num. 55. ubi in edit. Bad. & vetustioribus mss. legere est *impium*, non *impiam*, nomen *unionis* Hilario masculini generis fuisse suspicamur.

[g] In antiquo codice Colb. *Domini veritatem.* Proximè, *habens Domini proprietatem*, id est, cùm proprium ei sit esse Dominum, quia scil. unus est. Ex hoc forsitan loco suprà n. 35. pro *potestate*, positum erat *proprietate*: sed non par ratio.

[h] In codice Vat. bas. ac Martin. hîc adjicitur, *secundùm carnem.*

[i] Ita melioris notæ mss. At apud Bad. & Er. *à Patre spiritu*: apud Lips. & Par. *à Patris spiritu.*

[k] Ms. Corb. ab antiqua manu secunda, *possint.* Deinde in excusis, *separabilis à se natura & spiritus.* In omnibus fere mss. *separabili à se natura & spiritu*: quibus verbis Carn. præpositionem *in* præfixam habet. Sequimur exemplar Vat. bas. quamvis ceterorum lectionem haud aliud sonantem non respuamus.

[l] Editi, *retulerit.* Meliùs mss. *retulit.* Has voces, *ex quo omnia*, ad Patrem; istas verò, *per quem omnia*, ad Filium retulisse Apostolus enarratur. Mox Bad. & Er. *cùm utrumque apposuit* (duo mss. *cùm per utrumque opposuit*) *virtutis ejusdem*: mendosè.

[m] Vat. bas. ms. *per Dominum.* Malumus simpliciter *Dominum*, tacito verbo *esse.*

[n] Editi excepto Par. cum aliquot mss. *pius.* Retinemus cum vetustioribus *ipsius*, id est Apostoli: ubi pessimè in ms. Vat. bas. *sua.*

[o] Ita castigatiores mss. Editi verò, *in efficientia potestate.* Martin. ms. *in efficientia potestatem.*

[p] Bad. Par. ac plures mss. *intelligentiam*: castigantur ex Er. Lips. & ms. Corb. Mox reposuit Erasmus *ininvestigabilium*, cùm in mss. & Bad. exstet *investigabilium.* Illi tamen suffragatur unus ms. Colb. lib. 10. n. 69. Usu porro vel abusu experimur nomen *investigabilis* vim obtinere negandi, quamvis verbum *investigare* habeat affirmandi.

ipsi gloria in sæcula, [a] *amen*: id nunc ad unius naturæ significationem referens, quod non nisi opus unius possit esse naturæ.

Epilogus: ex prædictis Pauli locis quid confectum sit.

39. Cùm enim specialiter Deo id adscripserit, ut ex eo omnia; & proprium Christo detulerit, ut per eum omnia; & nunc honor Dei sit, quòd ex ipso & per ipsum & in ipso sint omnia; & cùm Spiritus Dei idem sit & Spiritus Christi; vel cùm [b] in ministerio Domini & in operatione Dei Spiritus unus operetur & dividat: non possunt non unum esse, quorum propria unius sunt; cùm in eodem Domino Filio, & in eodem Deo patre, unus atque idem Spiritus [c] in eodem Spiritu-sancto dividens, universa perficiat. O dignus ille magnorum & cælestium arcanorum conscientiâ, & assumtus secretorum divinorum electusque particeps, ea ipsa [d] illiciti eloquii silentio necessario tacens, & verè Apostolus Christi, quali humanæ perversitatis ingenia absoluti sermonis sui prædicatione conclusit, unum patrem Deum, & unum Dominum Jesum Christum confitendo; ut inter hæc nec duos [e] quisquam possit prædicare, neque unicum: cùm tamen qui non unicus est, non in duos proficeret; nec qui duo non sunt, solitarius posset intelligi; & inter hæc perfectam Christi nativitatem pater demonstratus ostenderet!

2. Cor 11. 4.

40. Extendite nunc vibratas sibilis linguas, hæretici serpentes, sive Sabelli, sive Photine, sive qui nunc creaturam esse unigenitum Deum prædicatis. Audiet unum Deum patrem, quisquis negat filium: quia cùm Pater non nisi per filium pater sit, Filius per id significatur in Patre. Qui verò unitatem naturæ indifferentis Filio adimit, cognoscat unum Dominum Jesum Christum. Nisi enim per unitatem Spiritûs unus est Dominus, Deo patri non relinquetur ut Dominus sit. At qui de tempore atque ex carne Filium deputat, cognoscat quia per eum omnia, & nos per ipsum; & extra [f] tempora sit condens omnia intemporalis immensitas. Et interea relegat, quia una spes vocationis est, & unum baptisma, & fides una. Et post hæc adversans prædicationi Apostoli ipse anathema constitutus, cùm aliter ex sensu suo sapiat, nec vocatus, nec baptizatus est, nec fidelis: quia in uno Deo patre, & in uno Domino Jesu Christo unius spei atque baptismi fides una sit. Nec

Sabellius.

Arius.

Photinus.

Hæreticis nec fides nec spes nec baptisma.

A doctrinarum diversitas in his se esse poterit gloriari, quæ unius & Dei & Domini & spei & baptismi sint & fidei.

41. Una igitur fides est, Patrem in Filio & Filium in Patre per inseparabilis naturæ unitatem confiteri, non confusam, sed indiscretam; neque permixtam, sed indifferentem; neque cohærentem, sed exsistentem; neque inconsummatam, sed perfectam. Nativitas est enim, non divisio; & filius est, non adoptio; & Deus

Fides de Patre & Filio.

B est, non creatio. Neque alterius generis Deus est, sed Pater & Filius unum sunt: non enim innovata est natura nascendo, ut ab originis suæ proprietate esset aliena. [g] Tenet hanc itaque manentis in Patre Filii & Patris in Filio fidem, unum Deum patrem & unum Dominum Christum sibi esse Apostolus prædicans: cùm in Domino Christo & Deus esset, & in Deo patre esset & Dominus; & unum esset uterque quòd Deus est, & unum esset uterque quòd Domi-

C nus est: quia [h] imperfectum & Deo, nisi Dominus sit, & Domino intelligatur esse, nisi Deus sit. Atque ita cùm uterque unus est, & unus significatur in utroque, & non est uterque sine uno; non excedit evangelicam prædicationem Apostolus docens, nec loquens in Paulo Christus * diversus ab his est, quæ corporeus in mundo manens locutus est.

* post adscensionem in cælum.

42. Dixerat enim in Evangeliis Dominus, *Operamini escam, non quæ interit, sed escam quæ*

Joh. 6. 27. &c.

D *permanet in vitam æternam, quam filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater* [i] *signavit Deus. Dixerunt igitur ad eum, Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Et dixit illis, Hoc est opus Dei, ut credatis* [k] *in eum, quem misit ille.* Sacramentum & corporationis & divinitatis suæ Dominus exponens, fidei quoque nostræ & spei doctrinam locutus est: ut escam non intereuntem, sed permanentem in æternum operaremur, ut hanc æternitatis escam dari nobis

Filius hominis vitam æternam dat, quia signatus à Patre.

E à filio hominis meminissemus, ut filium hominis signatum à Deo patre sciremus, ut hoc esse opus Dei nosceremus, credere in eum quem misisset. Et quis est, quem Pater misit? Nempe quem signavit Deus. Et quis est, quem signavit Deus? Filius utique hominis, escam scilicet præbens vitæ æternæ. Et qui tandem sunt, quibus præbet eam? [l] Illi namque, qui operabuntur escam non

[a] Ita veterrimi mss. Vat. bas. Colb. Martin. &c. consentiente sacro textu græco & latino. At in excusis, *sæcula sæculorum*, omisso *amen*.

[b] In duobus mss. Colb. uno Remig. & Theod. *vel cùm in ministerio Spiritus Domini, & in operatione Spiritus Dei Spiritus unus* &c. quæ lectio, etiam ad limbum ms. Corb. ab antiqua manu adscripta, non displicet hoc sensu, ut licèt in ministeriis dividendis Spiritus sit Domini, & in largienda operatione Spiritus Dei; unus tamen Spiritus & operetur & dividat. In vetustiore Colb. necnon Martin. Carn. Germ. Vind. Corb. & uno Vatic. *cùm in ministerio Domini, & in Spiritu Dei Spiritus unus.* Ex quibus apud Par. positum est, *cùm in ministerio Domini, & in operatione Dei, & in Spiritu Dei Spiritus unus.* Lectionem, quam revocamus ex aliis edit. & aliquibus mss. confirmant hæc num. 31. *Apprehende, si potes, Dominum in divisione ministeriorum, & Deum in divisione operationum hunc eumdem unum esse Spiritum, & inoperantem, & prout vult dividentem.*

[c] Bad. Er. & Lips. *in eodem Spiritu*, sine *sancto*. Carnut. codex, *in Spiritu-sancto*, sine *eodem*, cujus vocis tres litteræ posteriores in antiquo Colb. prisco more expunctæ sunt, id est, punctis subjectis superfluæ indicantur. Unde Martin. & alii mss. propè omnes habent, *in eo Spiritu-sancto*.

[d] hoc est, quæ sunt illiciti eloquii, seu quæ non licet eloqui. Ne verò legeris cum codice Vat. bas. *illicita eloqui*: neve deinde præferas cum Vind. necnon Bad. & Er. *statuens*, vel cum uno Colb. *parens*, pro *tacens*.

[e] In codice Vat. bas. Martin. aliisque duobus Vatic. *duos deos*. Abest ab aliis *deos*: cum qua voce suppressum intelligere est *aut dominos*, puta, *nec duos deos aut dominos*.

[f] Post *tempora*, frustra additur in codice bas. Vat. *temporalis*.

[g] Sic mss. Editi verò hîc, *tenens*: ac postea, *prædicat*.

[h] Editi, *imperfectum esset Deo*; & mox, *deesse* pro *esse*: castigantur auctoritate mss.

[i] In plerisque veteribus libris, *significavit*: librariorum lapsus ex affinitate vocum etiam in priùs vulgatis infrà non semel repetitus. In græco, ἐσφράγισεν.

[k] Ita Carnut. codex suffragante græco, εἰς ὅν. At in Martin. *ut credatis eum*; in aliis, *ut credatis ei*: infrà autem in omnibus, *credere in eum*.

[l] Lips. & Par. *illis nempe*; & mox cum Bad. & Er. *quæ operatio esca*: renitentibus mss.

intereuntem. Atque ita quæ opera escæ est, eadem operatio Dei est, in eum scilicet credidisse quem misit. Sed hæc loquitur filius hominis. Et quomodo escam vitæ æternæ filius hominis dabit? Sed sacramentum salutis suæ nescit, qui nescit filium hominis dantem escam in vitam [a] æternam, à Deo patre esse signatum. Hîc nunc quæro, qui tandem intelligentiæ sensus sit, filium hominis à Patre signatum Deo?

Deus sermonem suum sensui nostro accommodat.

43. Ac primùm cognosci oportet, DEUM non sibi sed nobis locutum, & in tantum ad intelligentiam nostram eloquii sui temperasse sermonem, quantum comprehendere ad sentiendum naturæ nostræ possit infirmitas. Namque cùm superiùs increpatus à Judæis fuisset, cur se æqualem Deo, filium se Dei profitendo, fecisset; responderat omnia se, quæ faceret Pater, facere; & omne se à Patre adeptum esse judicium; etiam se, ut Patrem, honorandum. Et in his omnibus, professus antè [b] se filium, Patri exæquaverat honore, potestate, naturâ. Dehinc dixerat, ut Patrem vitam in se habere, ita eum Filio vitam in se habendam dedisse: in quo significaverat naturæ ejusdem per sacramentum nativitatis unitatem. Per id enim, quod habet Pater, [c] ipsum illum significavit in habendo: quia non humano modo ex compositis Deus est, ut in eo aliud sit quod ab eo habetur, & aliud sit ipse qui habeat: sed totum quod est, vita est, natura scilicet perfecta & absoluta & infinita, & non ex disparibus constituta, sed vivens ipsa per totum. Quæ cùm qualis habetur, talis & data est; etsi nativitatem ejus intelligatur significare cui data est; non tamen diversitatem generis affert, cùm talis data est, qualis & habetur.

Joh. 5. 18. Ibid 19. &c. Filius æqualis Patri. Ibid. 26. Deus est incompositus.

*Quo sensu filius hominis à Patre signatus. Joh. 6. 27. *Illud hoc refertur ad sequentia.*

44. Post hanc ergo tam multiplicem ac propriam demonstrandæ in se paternæ naturæ significationem, [d] usus hoc dicto est: *Hunc enim Pater signavit Deus.* Signaculorum natura ea est, ut omnem impressæ in se speciei explicent formam, & nihil minus ex eo in se habeant unde signentur: & dum totum accipiunt quod imprimitur, totum ex se præferunt quidquid impressum est. Verùm * hoc ad divinæ nativitatis non proficit exemplum, quia in signaculis & materies sit & diversitas & impressio, [e] per quæ mollioribus naturis validiorum generum species imprimuntur. Unigenitus verò Deus, & per sacramentum salutis nostræ hominis filius, volens proprietatis nobis paternæ in se significare speciem, signatum se à Deo ait: & hoc ideo, quia vitæ æternæ escam filius hominis esset daturus; ut per hoc potestas in eo dandæ ad æternitatem escæ intelligi posset, quia omnem in se paternæ formæ plenitudinem signantis se Dei contineret; ut quod signasset Deus, non aliud ex se quàm formam Dei signantis efferret. Hæc quidem ad Judæos Dominus ob infidelitatem suam dicti istius incapaces locutus est.

Signatum à Deo exponit Paulus dicens in Dei forma. Philip. 2. 6. & 7.

45. Sed nobis Evangelii prædicator proprietatis hujus intelligentiam Spiritu Christi per se loquentis insinuat, dicens, *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed se exinanivit, formam servi accipiens.* Quem enim signaverat Deus, aliud præter quàm Dei forma esse non potuit: [f] & id, quod signatum in Dei forma est, hoc necesse est totum in se coimaginatum habere, quod Dei est. Et idcirco Apostolus eum, quem signavit Deus, in Dei forma manentem Deum prædicavit. Nam assumti & connati in eo corporis sacramentum locuturus ait, *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed se exinanivit, formam servi accipiens.* Quod enim in forma Dei erat, per signantem se Deum Deus manebat. Sed quia suscipienda erat forma servi, & obediens esset futurus ad mortem; non sibi rapiens esse se æqualem Deo, ad susceptionem [g] se formæ servilis per obedientiam exinanivit. Exinanivit autem se ex Dei forma, id est, ex eo quod æqualis Deo erat: non tamen æqualem se Deo per rapinam existimans, quamvis in forma Dei, & æqualis Deo, per Deum Deus signatus exstaret.

*Christus verus Deus, etiam post assumtum hominem: * Vide pag. 41. not. a.*

46. [h] Hîc nunc quæro, utrùm alterius generis Deus est, qui in forma Dei Deus maneat, ut secundùm consignatas consignantesque species [i] in sigillis cernimus, cùm impressum plumbo ferrum, & gemma ceræ, speciem vel concavæ in se imaginis fingat, vel exstantis de se exprimat formæ? Sed si quis exstiterit tam stultus & vecors, ut putet quòd aliud ex se Deus in Deum quàm Deum formet; & qui in forma Dei sit, aliud aliquid * totus ipse quàm Deus sit post sacramenta hominis assumti, & per obedientiam

[a] Abest *æternam* à plerisque mss.

[b] Editi, *se filium Patris*: emendantur ex mss.

[c] In vulgatis, *ipsum illud significat*. At in vetustioribus libris, *ipsum illum significavit*. Tum ex mss. Vat. bas. Martin. duobus Colb. & uno Sorbon. subjicimus *in habendo*, adjectâ particulâ *in*, quæ deest in aliis libris. Hoc porro sic videtur intelligendum: *significavit* Christus *illum*, puta Patrem, esse *ipsum in habendo*, seu non aliud esse in re quæ habetur, quàm quod est in se ipso: ut videlicet illud, *Sicut Pater habet vitam in semetipso*, sic exponat Hilarius, quasi, sicut habet vitam in se ipso sitam, & quæ ipse sit: *quia non aliud sint, quàm quod est ipse, quæ sua sunt*, ut vidimus suprà num. 24. Cùm autem Filius eadem ratione vitam in semetipso habere dicatur; eum pariter unum cum Patre Deum esse, postea non ineptè concludit. Verùm hîc secum pugnare nonnullis videbitur sanctus Doctor, qui lib. 2. n. 32. probare volens non unum esse Spiritum Dominum & Spiritum Domini, ait, *Non enim habere haberique unum est.* At in promtu est responsio, libro 2. de personis sermonem esse, hîc autem de natura, cujus summa simplicitas superiùs num. 24. disertè propugnatur.

[d] In vulgatis hîc præmittitur *ad Apostolos*: quod removimus auctoritate optimi codicis Colb. ac Germ. necnon evangelici textus, quo Christus hunc ad turbam sermonem habere perhibetur. Immo Hilarius ipse postremis hujus num. verbis hæc *ad Judæos* dicta affirmat.

[e] Editi cum ms. Corb. *per quam*. At in codice Vat. bas. *per quem*: ex quo legendum duximus *per quæ*, nisi quis malit cum plerisque aliis *per quas*.

[f] Editi, *& ideo*: dissidentibus potioribus mss.

[g] In priùs vulgatis desideratur *se*. Mox apud Par. non repetitur verbum *exinanivit*: in aliis autem edit. repetitur quidem, sed præfixâ particulâ negante ex unius dumtaxat recentioris ms. Colb. fide & contra sententiam Hilarii. Ut enim habet in Psal. 68. n. 25. *In forma servi veniens* (Christus) *evacuavit se à Dei forma.* & n. 4. *Porro autem haurienda fuit natura cælestis* (hoc est, divina,) *ut exinaniens se ex Dei forma, in formam servi hominisque decideret*, &c.

[h] Editi, *hîc nunc non quæro*: emendantur ex scriptis.

[i] Sic ms. Vatic. bas. codex & Martin. faventibus aliis vetustioribus, in quibus mendosè exstat *in singulis*. Alii verò præferunt *in signaculis*: cujus vocis usus exstat suprà n. 44. ubi jam præmonuit Hilarius sigilla cum divina nativitate minimè catenus esse comparata, quòd inter consignatas consignantesque species intercedat naturæ diversitas.

consummatæ usque ad crucis mortem humilitatis: audiet, cælestium & terrestrium & infernorum & omnis linguæ confessione, Jesum in gloria Dei patris. In hac igitur gloria, si cùm jam [a] forma servilis fuerit, manebit; tum cùm in forma Dei esset, quæro quid manserit? utrúmne in natura Dei, quæ significatur in gloria, [b] Christus Spiritus fuerit; cùm in gloria Dei patris Christus Jesus, id est, [c] homo natus exstabit?

Ibid. 10.

quanto magis antè?

Deus unus, non unicus.

47. Tenet in omnibus beatus Apostolus fidei evangelicæ indemutabilem prædicationem, ita Dominum Jesum Christum Deum prædicans, ut neque per alterius generis Deum in deos duos fides apostolica depereat, neque inseparabilis à Patre Filius Deus unici [d] ac singularis Dei prædicandi occasionem impiam præbeat. Dicens enim, *in forma Dei*, & *in gloria Dei patris*, neque differre docuit, neque non exsistentem nos existimare permisit. Nam qui in forma Dei est, neque in alterum Deum proficit, neque etiam ipse non Deus est: quia nec separari potest à Dei forma, cùm in ea sit; nec qui in Dei est forma, non Deus est. Sicut qui in gloria Dei est, non potest aliud esse quàm Deus est: & dum in gloria Dei Deus est, alterius Dei atque à Deo diversi non habet prædicationem; quia per id, quòd in gloria Dei est, ex eo, in cujus gloria est, habet in se naturale quòd Deus est.

Christus ut imago Dei, non alterius est naturæ.

Joh. 14. 9.

Colos. 1. 15.

48. Non periclitatur, per plures prædicationes, fides una ne una sit. Evangelista enim dictum à Domino docuerat, *Qui me vidit, vidit & Patrem.* Sed numquid doctor gentium Paulus virtutem dicti dominici aut ignoravit, aut tacuit, dicens, *Qui est imago Dei invisibilis?* Interrogo [e] utrùm visibilis imago est invisibilis Dei: & utrùm infinitus Deus [f] per formæ circumscriptæ imaginem coimaginari possit ad speciem? Imago enim formam necesse est ejus reddat, cujus & imago est. Qui volunt autem alterius generis in Filio esse naturam, constituant cujusmodi Filium imaginem esse invisibilis Dei velint. Anne corpoream, & contemplabilem, & ex locis in loca motu incessuque circumvagam? Meminerint tamen [g], secundùm Evangelia & prophetas, & Christum spiritum & Deum spiritum. Qui si circumscribent hunc spiritum [h] Christum formabili & corporali modo; non erit invisibilis Dei [i] imago corporeus, nec indefiniti species definita moderatio.

Imago Dei est, quatenus ei divinæ naturæ virtus.

Joh. 14. 9.

Colos. 1. 15.

Joh. 10. 37.

49. Sed neque Dominus incertum reliquit, *Qui me vidit, vidit & Patrem:* neque Apostolus tacuit qualis esset, *Qui est imago Dei invisibilis.* Dominus enim dixerat, *Si non facio opera patris mei, nolite mihi credere*, hinc videri in se Patrem docens, quòd opera ejus efficeret; ut intellectæ naturæ virtus naturam intellectæ virtutis ostenderet. per quod Apostolus hanc imaginem Dei esse significans, ait, [k] *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quia in ipso* [l] *constituta sunt omnia in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Principatus, sive Potestates, sive Dominationes, omnia per ipsum & in ipso condita sunt, & ipse est ante omnes, & omnia* [m] *ipsi constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est initium, primogenitus ex mortuis, ut fieret in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem* [n] *habitare, & per ipsum reconciliari omnia in eum.* Per horum igitur operum virtutem imago Dei est. Nam utique invisibilium Conditor non est in ea naturæ necessitate, ut invisibilis Dei imago visibilis sit. Ac ne formæ potiùs, quàm naturæ imago esse intelligeretur; idcirco invisibilis Dei imago est, naturâ in eo Dei per naturæ suæ virtutem intelligendâ, [o] non invisibili qualitate.

Colos. 1. 15. &c.

Qui primogenitus.

50. Primogenitus itaque omnis creaturæ est,

[a] Aliquot mss. *formæ servilis.* Nil immutandum.

[b] Editi, *Christi spiritus.*: renitentibus potioribus mss. Porro opponitur Christus Spiritus, id est, qualis fuit ante assumtum hominem, Christo homini jam facto. Ita hæc quæstio lib. 3. n. 19. *Quæris quomodo secundùm Spiritum natus sit Filius*, apertè opponitur isti, *Quæris quomodo secundùm hominem natus sit.* Sic Clemens Papa epist. 2. c. 9. T. 1. Concil. p. 186. *Jesus Christus*, inquit, *Dominus noster, qui nos servavit, cùm primùm esset Spiritus, caro factus est.*

[c] In ms. bas. Vat. desideratur *id est homo*: apud Bad. autem & Er. verbum *natus.* Tum Lips. & Par. post Er. retinuere *exstaret*: cùm apud Bad. & in mss. concinniùs legatur *exstabit*, ut paulò antè dictum est *manebit.* In memoriam revocandum ex cap. 4. in Matth. n. 14. quòd *Jesus Domino nostro nomen ex corpore est.*

[d] Exemplar. Carn. *ac solitarii Dei*: haud alio sensu.

[e] Apud Bad. *utrùm visibilis Deus, & utrùm* &c. locus mutilus. In aliis edit. *utrùm visibilis imago est invisibilis Dei Deus*: abundat vox *Deus*, neque exstat in mss. Hæc interrogatio pulsat Arianos, qui Filium Patri inæqualem inde argutabantur, quòd Filium visibilem, Patrem invisibilem animo fingerent: quorum ea de re deliria sugillat Augustinus lib. 2. de Trin. c. 14. & Serm. 7. n. 4. Hoc porro hîc sibi vult noster Hilarius: Vos qui Patrem invisibilem, Filium visibilem vultis, interrogo, utrùm qui visibilis est, Dei invisibilis imago esse possit.

[f] In vulgatis, *per formam circumscriptam & imaginem.* In vetustis exemplaribus Colb. Carn. Germ. ac pluribus aliis, *per formæ imaginem*, omisso verbo *circumscriptæ*: quod in Martin. exstat, & in Corb. secundis curis adjectum est, unde & in aliis obtinuit. Nil officit adjectum; cùm proximè sequatur, *Qui si circumscribent* &c. neque omnino necessarium est, ut liquet ex his num. 49. *Ac ne formæ potiùs, quàm naturæ imago esse* &c. Ex quibus intelligitur, eam dici *formæ imaginem*, quæ externæ tantùm figuræ speciem repræsentet, eique opponi *imaginem naturæ.*

[g] Post particulam *tamen*, solus codex Carn. adjicit, *per Filium omnia*: minùs ad rem. Responsio proximæ quæstioni hæc est, Christum non esse corpoream imaginem, utpote qui spiritus est, quemadmodum Deus pater est spiritus.

[h] Editi excepto Par. omittunt *Christum.* Tum apud Lips. & Par substitutum est *formali*, pro *formabili.*

[i] Ita meliores mss. quod confirmatur his lib. 11. n. 5. *Incorporeus Pater est: si Filius secundùm spiritum circumscriptus est corpore, jam incorporei non est forma corporeus.* At in vulgatis, *imago corporea*: ac deinde apud Bad. *nec indefinite species definitæ moderatio*; & in edit. aliis, *nec indefinitæ speciei definita moderatio.*

[k] Antiquus codex Colb. ac Germ. prima illa verba, *Qui est imago Dei invisibilis*, non habentes, aliis forsitan sinceriores sunt. Sed nihil nocet hæc adjectio.

[l] In ms. Carn. hîc pro *constituta sunt*, & mox pro *condita sunt*, altero exstat *creata sunt.* Græcè primo loco præfertur ἐκτίσθη, altero ἔκτισται.

[m] Editi, *in ipso constant*: favente græc. ἐν αὐτῷ συνέστηκε, sed renitentibus mss.

[n] In ms. Carn. hîc & infrà, *plenitudinem divinitatis*: cui favet illud lib. 3. n. 15. *Quid Filio deerat, in quo complacuerat omnem plenitudinem divinitatis habitare?* Vide & num. 17. ejusdem libri.

[o] Vat. bas. ms. *non invisibilis qualitate.* Bad. *sed non visibilis qualitate.* Er. Lips. & aliquot mss. *non visibili qualitate.* Veriùs Par. cum potioribus, *non invisibili qualitate*: hoc est, invisibilis illa imago intelligi non debet in invisibili qualitate sita, sed in ipsa substantia ac natura Dei: *quia*, uti lib. 5. n. 3. dicitur, *naturæ virtus præstat* ac probat *veritatem.* Nec dubium est imagini illi divinam inesse virtutem, cui omnia creandi potestas ab Apostolo attribuitur. *Imago itaque illa*, ut notitia illius ex Ambrosio lib. 1. de fide c. 7. suppleatur, *non vultus est corporalis, non fucis composita, non ceris; sed simplex de Deo, egressa de Patre, expressa de fonte.* Et post pauca: *Imago ista veritas est, imago ista justitia est, imago ista Dei virtus est; non muta, quia verbum est; non insensibilis, quia sapientia est; non inanis, quia virtus est; non vacua, quia vita est*, &c.

quia in ipſo creata omnia ſint. Et ne quòd in ipſo creata omnia ſunt, non ad ipſum quiſquam auderet referre; ait, *Omnia per ipſum & in ipſo condita ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia ipſi conſtant.* Omnia itaque ipſi conſtant, qui ante omnia eſt, & in quo omnia ſunt. Et hæc quidem ad exordia pertinent creaturarum. Ceterùm [a] ob diſpenſationem corporis noſtri ait, *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt initium, primogenitus ex mortuis, ut fieret in omnibus ipſe primatum tenens; quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare, & per ipſum omnia reconciliari in eum.* Reddidit Apoſtolus ſpiritalibus [b] ſacramentis corporeas operationes. Namque qui imago Dei inviſibilis eſt, [c] & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ; & qui primogenitus omnis creaturæ eſt, idem initium, primogenitus ex mortuis eſt: ut in omnibus teneat primatum, dum nobis [d] corpus eſt, qui Dei imago eſt; dum qui primogenitus creaturæ eſt, idem primogenitus ad æternitatem eſt: ut cui ſpiritalia debent, [e] in primogenito creata, quòd maneant; ei & humana debeant, quòd in primogenito ex mortuis renaſcantur æterna. Ipſe eſt enim initium, qui cùm filius ſit, imago [f] eſt; cùm imago eſt, Dei eſt. Primogenitus quoque [g] omnis creaturæ eſt, continens in ſe univerſitatis exordium. Et rurſum ipſe caput corporis Eccleſiæ eſt, & primogenitus ex mortuis, ut in omnibus teneat ipſe [h] primatum. Et quia omnia ei conſtant, in ipſo complacita plenitudo conſiſtit; dum in eo per ipſum [i] in eum reconciliantur omnia, in quo per ipſum in ipſo omnia ſunt creata.

Ibid. 17. — Ibid. 18. &c. — Qui primatum in omnibus tenens.

51. Sentiſne jam quid ſit eſſe imaginem Dei? Creari utique omnia [k] in eo per eum. Cùm in eo creantur omnia, intellige etiam eum cujus imago eſt creantem in eo omnia. Cùm autem quæ in eo creantur, per ipſum creantur; in hoc quoque, qui imago eſt, naturam ejus cujus imago eſt ineſſe [l] cognoſce. Per ſe enim creat, quæ in ipſo creantur: ſicuti per ipſum reconciliantur in eo omnia. Cùm in eo reconciliantur, paternæ in eo [m] unitatis apprehende naturam reconciliantem ſibi in eo omnia. Cùm per eum reconciliantur omnia, ipſum Patri reconciliantem in ſe omnia quæ per ſe reconciliabat intellige. Ait enim idem Apoſtolus, *Omnia autem à Deo, qui reconciliavit nos ſibi per Chriſtum, & dedit nobis [n] miniſterium reconciliationis; quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Confer cum his omne evangelicæ fidei ſacramentum. Qui enim videtur in viſo, qui operatur in operante, qui loquitur in loquente, idem in reconciliante reconciliat. Et idcirco in eo & per eum reconciliatio eſt, quia per indifferentem naturam Pater in eo manens, mundum ſibi ipſe per eum & in eo [o] reconciliatione reddebat.

Imago Dei eſt, quatenus omnia in eo creantur. — Creatio ut reconciliatio & Patris & Filii eſt. — 2. Cor. 5. 18 & 19. — Joh. 14. 9. — Ibid. 10.

52. Conſulens itaque humanæ infirmitati Deus non incertâ verborum nuditate fidem docuit. Namque cùm credendi neceſſitatem dicti dominici auctoritas ſola præſtaret, tamen ſenſum noſtrum per intelligentiam editæ rationis inſtituit: ut id quod dixerat, *Ego & Pater unum ſumus*, per cauſam ipſam unitatis expoſitæ noſceremus. Dicens enim ſe per loquentem loqui, & per operantem operari, & per judicantem judicare, & per viſum videri, & per reconciliantem [p] reconciliare, & manere ſe in eo qui in ſe maneret: quæro quo alio ad intelligentiæ noſtræ ſenſum expoſitionis ſuæ uti potuerit [q] aptiore ſermone, ut unum eſſe intelligerentur, quàm iſto, quo per nativitatis veritatem, & naturæ unitatem, quidquid Filius ageret ac diceret, id in Filio Pater & loqueretur & gereret? Non eſt hoc itaque naturæ [r] à ſe alienæ, neque per creationem in Deum comparatæ, neque ex portione Dei in Deum natæ; ſed perfectâ nativitate in Deum perfectum genitæ divinitatis, cujus hæc naturalis conſcientiæ fiducia eſt, ut dicat, *Ego in Patre, & Pater in me*: & rurſum, *Omnia quæ Patris ſunt, mea ſunt.* Nihil enim ei ex Deo deeſt, quo operante & loquente & viſo, Deus & operatur & loquitur & videtur. Non ſunt duo * in unius vel operatione, vel ſermone, vel viſu. Nec ſolitarius Deus eſt, qui in operante & loquente & viſo Deo, Deus & operatus & locutus & viſus ſit. Hoc Eccleſia intelligit, hoc Synagoga non credit, hoc philoſophia non ſapit, unum ex uno, & totum à toto, Deum & filium, neque per nativitatem Patri ademiſſe [s] quod totum eſt, neque hoc ipſum totum non

Unitatem ſuam cum Patre quàm potuit aptiùs Chriſtus declaravit. — Joh. 10. 30. — Joh. 14. 11. — Joh. 16. 15.

** ſupple, naturis diſtincti.*

[a] In vetuſto codice Colb. ac Germ. *ob diſpoſitionem.*

[b] Editi excepto Par. *ſpiritalibus ſacramentum concorporationis* (Lipſ. *corporationis.*) *Namque* &c. Rectiùs mſſ. *ſpiritalibus ſacramentis* &c. hoc eſt, operationibus, quæ ſpiritalem ac divinam Chriſti naturam ſpectant, ſubjunxit quæ ad corpoream & humanam attinent.

[c] Excuſi, *ipſe*, ſine *&*, quod hîc aptiùs ſignificat naturarum in una eademque perſona diſtinctionem.

[d] Ita omnes propè mſſ. quomodo ſuprà n. 32. *corpus omnium Chriſtus prædicatur.* At in codice baſ. Vat. & Martin. *corporeus*, in edit. Par. *corporalis*, in aliis *concorporalis.*

[e] Tres mſſ. Colb. *in primogenita*: mendosè. Mox in aliquot recentioribus, necnon apud Er. & Bad. *vitæ renaſcantur æternæ*: minùs ſincerè. *Spiritalia* intelligere eſt angelos, vel etiam homines ſecundùm animam, *humana* autem ſaltem hominum corpora. Angeli debent Chriſto *quòd maneant*, id eſt, non intereant. Ut enim docet Ambroſius lib. 3. de fide c.3. *nec Angelus immortalis eſt naturaliter, cujus immortalitas in voluntate eſt Creatoris.*

[f] Ita mſſ. niſi quòd in pluribus deeſt primum illud *eſt.* At in vulgatis deſideratur præterea *cùm imago eſt.*

[g] In Martin. & aliquot veteribus libris omittitur *omnis.* Quod hîc breviùs, ſic exponitur clariùs Fragm. II. n. 30. *Idcirco primogenitus omnis creaturæ, quia in eodem jam à principio omnium quæ effecturus erat, omnia generationum initia conſtiterunt.*

[h] Apud Bad. & Er. *primatum capitis.* In uno è mſſ. Vatic. *primatum caritatis*: gloſſema. In Colb. & Germ. *teneat primatus.*

[i] In vulgatis, *& in eum.* Abeſt particula *&* ab omnibus mſſ. In pluribus autem deſideratur *in eum.* Non prorſus diſplicet cum Colb. & Germ. *per ipſum eum.* Poſtea iidem mſſ. *in eo*, pro *in quo.* Tum editi, *per ipſum & in ipſo*: ubi particula *&* abeſt à mſſ.

[k] Excuſi, *in eo & per eum.* Tum mſ. Colb. *cùm in eum recreantur*; & mox, *quæ in eum creantur.* Utroque loco habet etiam Martin. *in eum.*

[l] Verbum *ineſſe*, quod in priùs vulgatis deſideratur, exſtat in omnibus mſſ. aut corruptè *in ſe eſſe.*

[m] Er. & Lipſ. *virtutis*, duo mſſ. *nativitatis.*

[n] Bad. cum mſ. Vat. baſ. *myſterium*: mendosè.

[o] Eraſmus conjectavit legendum eſſe *reconciliatum*: quod exinde à Lipſio arreptum, in aliis edit. obtinuit, renitentibus mſſ.

[p] In vulgatis, *reconciliari*: corruptè. Mox in mſſ. baſ. Vat. & Martin. *qui in ſe ipſe maneret*, addito *ipſe.*

[q] Editi, *apertiori.* Concinniùs mſſ. *aptiore.*

[r] Bad. & Er. cum recentioribus mſſ. *naturæ ſpecie à ſe alienæ*: ac deinde cum Lipſ. omittunt *neque.* Natura per creationem in Deum comparata ea eſt, quæ creata licèt, ex quadam tamen prærogativa ſibi comparat atque obtinet Dei nomen.

[s] Excuſi, *quod totus eſt*: reluctantibus veteribus libris. Pater cùm ſit aliquod totum, poſt Filii nativitatem permanet illud omne quod erat, utpote à quo nulla pars divulſa ſit.

secum nascendo tenuisse. Et quisquis in hac infidelitatis stultitia detinebitur, aut Judæorum sectator, aut gentium est.

53. Ut autem dictum Domini intelligas quo ait, *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt*; Apostoli & doctrinam & fidem disce dicentis, *Videte ne quis vos seducat per philosophiam & inanem deceptionem secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum: quia in ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter.* De mundo est, [a] & doctrinas hominum sapit, & philosophiæ præda est, quisquis Christum verum Deum nescit, quisquis in eo plenitudinem divinitatis ignorat. Humana mens hoc solum sapit quod intelligit, & mundus hoc tantùm quod potest credit, secundùm elementorum naturas id tantùm possibile existimans, quod aut videret, aut ageret. Elementa enim mundi ex nihilo substiterunt: sed Christus [b] non de non substantibus manet, [c] nec cœpit ad originem, sed originem ab origine sumsit æternam. Elementa enim mundi aut inanima sunt, aut ad animam profecerunt: sed Christus vita est, ex Deo vivente in viventem Deum natus. Elementa mundi à Deo sunt instituta, non Deus sunt: Christus ex Deo Deus hoc totum est ipse quod Deus est. Elementa mundi cùm intrà sint, non possunt [d] à se exstare ne intrà sint: Deum sub sacramento in se habens Christus in Deo est. Elementa mundi cùm ex se sui generis generant ad vitam, per corporales quidem passiones præbent ex se initia nascendi; ceterùm non insunt viva ipsa nascentibus: omnis verò corporaliter plenitudo divinitatis in Christo est.

Coloss. 2. 8. & 9.

Sapientia humana.

Elementorum mundi & Christi discrimen.

54. Et interrogo, cujus in eo divinitatis plenitudo est? Quæ si non Patris est, quem mihi Deum alium unius Dei fallax prædicator imponis, cujus divinitatis plenitudo habitet in Christo? Si verò Patris est, edoce quomodo corporaliter hæc in eo habitet plenitudo. Si enim corporali modo Patrem in Filio [e] credis; Pater in Filio habitans non exstabit in sese. Si verò, quod est potius, corporaliter in eo manens [f] divinitas naturæ in eo Dei ex Deo significat veritatem; dum in eo Deus est, non aut per dignationem aut per voluntatem, sed per generationem verus & totus [g] corporali secundùm se plenitudine manens; dum quod ipse est, id etiam per nativitatem Dei in Deum [h] natum est; neque diversum aut differens aliquid in Deo est, quàm id quod corporaliter habitet in Christo; & quidquid inhabitet corporaliter, id ipsum secundùm divinitatis est plenitudinem: quid humana sectaris? quid inanium deceptionum doctrinis inhæres? quid mihi affers unanimitatem, concordiam, creaturam? Plenitudo divinitatis in Christo est corporaliter.

Quî divinitatis plenitudo in Christo corporaliter habitet.

55. Tenuit autem etiam in hoc Apostolus fidei suæ legem, ut corporaliter in Christo inhabitare plenitudinem divinitatis doceret: ne ad unionem [i] impiam fidei sermo decideret, nec ad alterius naturæ intelligentiam furor irreligiosus erumperet. Habitans enim in Christo plenitudo divinitatis corporaliter, nec singularis nec separabilis est: dum [k] nec se patitur à corporali plenitudine corporalis plenitudo discerni, nec habitans divinitas ea ipsa intelligi potest esse divinitatis habitatio. Atque ita Christus est, ut corporaliter plenitudo divinitatis in Christo sit; sic verò in Christo sit divinitatis corporaliter plenitudo, ut in eo inhabitans [l] plenitudo non aliud intelligatur esse quàm Christus. Furare quas voles verborum occasiones, & irreligiosi ingenii aculeos excita. Ementire saltem cujus plenitudo divinitatis in Christo inhabitet corporaliter. Est enim Christus, est & inhabitans in eo divinitatis corporaliter plenitudo.

Alius habitans, alius habitatio; perfectus uterque Deus.

56. Et si quæras quæ sit habitatio corporalis; intellige quid sit loqui in loquente, & in viso videri, & in operante operari, & in Deo Deum, & ex toto totum, & ex uno unum: & ita corporalis divinitatis plenitudinem recognosce. Et cujus hæc divinitatis corporaliter inhabitans plenitudo sit, memento Apostolum non tacere dicentem: *Ea enim, quæ invisibilia*

Quæ sit habitatio corporalis.

Cujus sit.

Rom. 1. 20.

[a] Er. post Bad. *qui doctrinam hominum sapit*. Par. post Lipſ. *& de doctrina hominum sapit*: castigant mss. Quod inde sequitur, puta *& philosophiæ præda est*, indicio est non ignotam Hilario fuisse lectionem quam sequuntur Cyprianus epist. 52. & de bono patientiæ, Ambrosius lib. 1. de fide c. 5. Hieronymus in cap. 4. epist. ad Gal. proximo Apostoli loco, pro *ne quis vos seducat*, legentes *ne quis vos deprædetur*, favente græco συλαγωγῶν. Immo lib. 1. n. 13. cum iis facit Hilarius ipse legens, *Videte ne quis vos spoliet*. Alterius tamen lectionis antiquitas patet ex Tertulliano, apud quem lib. de Præsc. Hær. n. 7. exstat, *Videte ne quis vos circumveniat*.

[b] Apud Bad. *non de substantibus*. In edit. aliis, *non de exstantibus*: mendum quod castigant mss. Tum Lipsius pro *manet*, posuit *manat*, verbumque hoc retinuit Par. contra mss. fidem. Videsis notam l. pag. 934.

[c] Ita potiores codices Vat. bas. alter Vatic. Colb. Germ. &c. Alii verò, *nec cœpit ab origine*.

[d] id est, non possunt intrà simul & extrà esse; cùm contrà Christus in Deo exsistens simul & Deum in se habens, intra simul & extra Patrem exstet. Videsis initium lib. 3.

[e] Bad. & Er. *recludis*. Lipſ. & Par. cum recentioribus mss. *claudis*. At in potioribus mss. *credis*, vel *credes*. Sic suprà num. 24. ut Patrem ita & Filium dictum esse Spiritum observatur, *ne secundùm corporales modos ita inesse Filium in Patre, vel Patrem in Filio crederemus*.

[f] Vat. bas. codex, *divinitate*: malè. Mox Bad. Er. & Lipſ. *significat unitatem*. Magis placet cum Par. & mss. *veritatem*: ut divinitatem in Christo corporaliter manentem interpretetur S. Doctor naturam Dei verè ac substantialiter in eo manentem. Ita Tertullianus adversùs Prax. n. 7. ubi dixit, *Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Deus Spiritus est*, statim innuit *corpus* hoc se dixisse, quod non sit sine substantia, dum subjicit: *Sed & invisibilia illa quæcumque sunt, habent apud Deum & suum corpus & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt: quanto magis quod ex ipsius substantia missum est, sine substantia non erit?* Quo sensu lib. de carne Christi n. 11. dixerit, *Omne quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est*. Neque obscurum est corpus hîc ab Hilario dici, quod plenum, quod verum ac substantiale est. Quò spectat illud in Psal. 131. n. 26. *Ceterùm nunc perfecta exsultatione exsultantes, non spe, sed veritate; non in imagine, sed corpore.*

[g] Excusi, *corporalis secundùm sui plenitudinem*: emendantur ex mss.

[h] Editi, excepto Par. *natus est*. Tum Bad. & Er. *neque diversum aut divisum aut differens aliquid in Deo Deus est*: ac deinde cum edit. aliis, *cùm id quod est, corporaliter habitet* &c. ubi in mss. *quàm id* &c. hoc est, in Deo Patre nihil est aliud, quàm quod in Christo corporaliter.

[i] Vat. bas. ms. Martin. & aliquot alii, *impius*. Vetus Colb. cum Germ. ut suprà n. 36. *impium*. Postea in plerisque *decederet*, non *decideret*.

[k] In mss. Martin. & Vat. bas. *nec separatur*; & infrà, *nec discernitur*, loco verbi *discerni*: minùs verè.

[l] Apud Bad. Er. & Lipſ. desideratur *plenitudo*: quæ hîc declaratur non aliud esse, quàm quod Christus est. Mox cum optimo codice Colb. magis placuit *excita*, quàm cum aliis *exagita*.

sunt

sunt ejus, [a] *à constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, æterna quoque ejus virtus & divinitas.* Hujus itaque divinitas [b] corporalis in Christo est, non ex parte, sed tota; neque portio est, sed plenitudo: ita corporaliter manens, ut unum sint; ita unum A sunt, ut à Deo non differat Deus; ita indifferens à Deo Deus, ut perfectum Deum [c] substituerit perfecta nativitas; ita autem perfecta nativitas subsistat, quia in Deo ex Deo nato corporaliter divinitatis inhabitet plenitudo.

[a] Carnutensis codex, *à creatura mundi*, unus è Vatic. *à conditione mundi*: non alio sensu. *Constitutio* idem sonat lib. II. n. 16.

[b] Vat. bas. ms. cum Martin. *corporaliter*.

[c] hoc est, subsistentem effecerit.

LIBER NONUS.

Assertam superiori libro Patris & Filii indifferentem naturam adversùs hæreticorum objecta tuetur atque confirmat. Allatis hujus rei gratiâ, quas illi objectant, Scripturis quædam Hilarius jactat responsionum semina, primò genuinos Scripturarum sensus, non ex eo quod verba nuda & à ceteris divulsa sonant, sed ex antecedentibus & consequentibus & ex dicendi causis esse expetendos: deinde Christum ex unitis in idipsum neque tamen confusis naturis rem unam & eamdem esse; ita enim illum dicta gestaque sua semper temperasse, ut & Dei & hominis filium sesè declararet: postremò distinguenda esse quæ dixit aut gessit nondum homo, quæ jam homo moriturus, quæ immortalis. Hinc duarum in uno Christo naturarum veritas diffusè adstruitur.

His positis, ad primum hæreticorum objectum, Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus, *reponit Christum his verbis non* boni *aut* magistri *nomen respuere, sed ejus reprehendere fidem, qui ipsum Deum non credens, sic tamen nuncuparet; immo sesè Deum ac magistrum testari, cùm se sequenti cælestem thesaurum pollicetur. Tum pluribus demonstrat Christum, ubicumque Deum unum prædicat, se alium quidem à Patre, non tamen alterius naturæ significare.*

Objectum alterum, ut sciant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum, *ex superioribus ac continuatis huicce loco verbis diluit. Ubi enim Christus Johan. 14. docuit Patrem in se esse, in se loquente loqui, in se operante operari, in se viso videri; Johan. 16. laudat fidem Apostolorum se exitionis nomine verè ex Deo natum credentium, ac tandem Johan. 17. honorem ita à Patre postulat, ut vicissim honoraturus sit honorantem; ita potestatem accipit, ut & possit omni carni vitam æternam largiri, nec habeat quidquam minus à Patre: his omnibus indicans se ex Patre natum, & cum eo naturâ unum. Deinde ex ipsismet objectis verbis conficit Christum à Patre non separandum esse naturâ, qui non separandus est fide; neque sine contumelia vocari Deum verum patrem, si credatur filium peperisse degenerem. Denique ex continuatis objecto loco verbis unam Patris & Filii gloriam esse copiosè subtiliterque edisserit.*

Postea ex occasione, quæ locum dedit Christi dicto, Non potest Filius ab se facere quidquam, *evincit Filii cum Patre æqualitatem, nedum infirmitatem, ostendi. Cùm enim violati sabbati reatum objicientibus Judæis hoc respondens, proximè antea præmittat,* Pater meus usque modò operatur, & ego operor; *sibi Patrique unam & communem esse operationem declarat: sicut se confirmat ei æqualem, cùm iisdem indignè ferentibus quòd æqualem se Deo faceret, statim subjicit,* Quæcumque enim ille facit, eadem & Filius similiter facit. *Una etiam utriusque voluntas subinde demonstratur.*

Ad id quod quartò objiciunt, Pater major me est, *hoc concedit verè dici, quia auctor Filii est, qui neque Patri æquandus est secundùm formam servi. Si autem Pater major est Filio, quia ei dat quod est; Filius non est minor Patre, quia id omne accipit quod Pater est.*

Postremò ignorantiam, quam hæretici Christo affingunt, pluribus argumentis repellit. Non enim judicii diem ignorare potuit omnium conditor, diei hujus nominatim auctor ac Dominus, quem nihil Pater celat, in quo omnes thesauri scientiæ sunt. Quia tamen absconsi sunt, rectè nescire se dicit, quod non est eloquendum. Solus itaque Pater diem judicii scit, quia solus illum Filio non tacet; nescit autem Filius, quia nulli revelat.

Rrr

Libro superiore quid confectum. *Joh.* 10. 38. — a

TRACTANTES superiore libro de indifferenti natura Dei patris & Dei filii, & id quod dictum est, *Ego & Pater unum sumus*, demonstrantes non ad solitarium Deum proficere, sed ad unitatem [a] indiscretæ secundùm generationem divinitatis; dum neque aliunde quàm ex Deo Deus natus est, & ex Deo Deus non potest non id esse quod Deus est: percursisque, etsi non omnibus, tamen ad intelligentiam sufficientibus dictorum divinorum atque apostolicorum testimoniis, quibus inseparabilis natura ac potestas Patris ac Filii docebatur, usque ad hunc apostolicæ fidei locum venimus, quo ait, *Videte ne quis vos seducat per philosophiam & inanem deceptionem secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* (*Colos.* 2. 8. & 9.) In quo, per corporaliter habitantem in eo divinitatis plenitudinem, verum & perfectum & paternæ naturæ Deum demonstrari docuimus; ita ut habitans plenitudo nec diversum intelligeretur significare, neque unicum: cùm & incorporalis Dei corporalis habitatio proprietatem naturalis unitatis in Deo qui ex Deo substitisset doceret; & habitans in Christo Deus, subsistentis [b] Christi nativitatem, dum ejus est habitator, ostenderet.

Quid confutatum. Per quod impietati eorum satis superque arbitror fuisse responsum, qui id, quod à Domino dictum est, *Qui me vidit, vidit & Patrem*; (*Joh.* 14. 9.) &, *Pater in me, & ego in Patre*; (*Joh.* 10. 38.) &, *Ego & Pater unum sumus*; (*Ibid.* 30.) &, *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt*, (*Joh.* 16. 15.) [c] ad unitatem & concordiam voluntatis referrent: ut quia dicti fides maneret, dicti tamen intelligentiam fallacis doctrinæ religio ementita corrumperet; & cùm negari non posset in his [d] voluntatum assensus, in quibus naturæ unitas prædicatur, ad abolendam tamen eam quæ secundùm nativitatem est unitatem, societas tantùm concordiæ crederetur. Sed beato Apostolo, post multa naturalis veritatis non ambigua præconia, corporaliter habitantis divinitatis plenitudinem in Christo docente, abscissa est omnis impiæ temeritatis assertio, cùm naturalem unitatem incorporalis divinitatis habitatio corporalis efficeret: ut id quòd non solus est Filius, sed quòd in eo manet

A Pater; neque solùm manet, sed & operatur & loquitur; neque solùm operatur & loquitur, sed & videtur, [e] non sint nuncupativa sed vera, dum habet in se per sacramentum nativitatis [f] & virtus virtutem, & potestas potestatem, & natura naturam; tenens per nativitatem ipsa quod suum est, & ex se [g] per imaginem referens quod in se est, dum & imago est auctoris & veritas; quia perfecta nativitas perfectam imaginem præstat, & plenitudo divinitatis corporaliter inhabitans naturalem obtinet veritatem.

2. Et hæc quidem quamvis [h] ita se ut sunt habeant, quia naturalis ex Deo Deus non potest nisi in ea nativitatis suæ naturâ esse [i] qua Deus est, & viventis naturæ indifferens unitas inseparabilis à se est sub viventis nativitate naturæ: tamen per fidei evangelicæ salutarem confessionem subrepunt hæretici [k] ad veritatis excidium, ut naturalem Filio detrahant unitatem, dum aliter atque ad aliud dicta, aliter atque in aliud intelligenda componunt. (Scripturæ quibus abutuntur Ariani.) Negantes itaque Dei filium, utuntur ea auctoritate qua dixerit, *Quid me dicis bonum? Nemo est bonus nisi unus Deus*: (*Marc.* 10. 18.) ut quia unum Deum professio ejus locuta sit, quidquid illud [l] exinde in Dei nomine erit, jam non in natura Dei maneat, quia Deus unus est. Atque ut id, quòd ipse Deus dicitur, nuncupatione potiùs quàm veritate sit; hinc confirmare nituntur, quia dixerit, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te* [m] *solum verum Deum.* (*Joh.* 17. 3.) Et ut extra proprietatem veri Dei sit, id adjiciunt, *Non potest Filius facere ab se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* (*Joh.* 5. 19.) Tentant quoque & illud: *Pater major me est.* (*Joh.* 14. 28.) Postremò jam tamquam indissolubili abnegatæ divinitatis professione subvertisse se fidem Ecclesiæ gloriantur, cùm relegunt, *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli in cælis, nec Filius, nisi Pater solus.* (*Marc.* 13. 32.) Non enim videtur exæquabilis per nativitatem esse natura, quæ ignorationis sit necessitate diversa; & Pater sciendo ac Filius nesciendo manifestent dissimilitudinem divinitatis: quia & ignorare Deus nihil debeat, & ignorans non comparandus sit ad scientem. Sed hæc omnia, nec ratione intelligentes, nec temporibus discernentes, nec [n] sacra-

[a] In vulgatis & nonnullis mss. *indiscretæ naturæ*. In solo codice bas. Vat. *discretæ*, cujus necnon Carnut. trium Colb. unius Sorbon. Martin. ac Germ. auctoritate sustulimus deinde vocabulum *naturæ*.

[b] id est, subsistentiâ distincti. Neque verò hîc per se ostenditur nativitas: sed cùm alius sit qui habitatur, alius qui habitat; Patris habitantis, & Filii in quo habitat, subsistentia non una significatur: & consequenter ostenditur nativitas, qua sola Filius alius à Patre subsistit.

[c] Lips. & Par. *ad unanimitatem*.

[d] In ms. Martin. *voluntatis*.

[e] Par. post Lipsium præfixo hîc puncto subjicit deinde, *Non sunt*, quasi hæc à superioribus absoluta essent: cùm manifestè referantur ad verba, *id quòd*, quæ licèt non ampliùs repetita, facilè tamen intelliguntur subinde repetenda, sicut & vocabula *in eo*: v. g. *& id quòd non solùm in eo manet, sed & in eo operatur; & id quòd non solùm in eo operatur & loquitur, sed & in eo videtur.*

[f] In uno è mss. Vatic. *virtutis virtutem, & potestatis potestatem, & naturæ naturam.* Virtus Filius habet in se virtutem quæ Pater est: quia, ut dicitur libro superiore n. 24. non aliud sunt in Deo quæ sua sunt, quàm quod est ipse: & num. 26. *Res naturæ Filii est; sed eadem res & naturæ Patris est.*

[g] Apud Bad. Er. & in ms. Vat. bas. *per ipsius imaginem.* Hæc ita intelligenda: *tenens per nativitatem*, seu ut soboles Patris, *ipsa quod suum*, puta Patris, *est: & per imaginem*, seu quatenus imago, quæ *ex se*, id est, ex ipsa Patris substantia est, *referens quod in se*, scil. in ipso Patre *est*.

[h] Par. *ita ut in se habeant.*

[i] Duo mss. *quod Deus est.* Tum Vat. bas. codex, *ut viventis*, non *&*. Duæ hîc tanguntur rationes, quibus Christum Deum esse doceamur: prima quidem, quòd nascatur ex Deo, proindeque aut Deus, aut degener; altera verò, quòd sicut Pater, ita & ipse vitam habeat in semetipso. Videsis librum superiorem n. 43.

[k] In uno è mss. Vatic. *ad veritatis diversitatis.* In altero, *ad diversitatis*: quod legendum suspicatus est Erasmus, ipse cum Bad. exhibens *ad adversitatis.* Retinendum cum aliis libris, *ad veritatis excidium*, id est, ut veram Filio naturam auferant.

[l] Particulæ *exinde* & *jam* in vulgatis omissæ restituuntur ope mss.

[m] In excusis, *solum & verum.* Abest *&* à græco & mss. in quorum plerisque mox, *teneant*, non *tentant*.

[n] Vat. bas. ms. *sacramenta evangelica*: correctorem sapit non satis circumspectum, qui non advertit post *apprehendentes* subaudiri *hæc omnia*, videlicet Scripturæ testimonia Arianorum nomine proximè allata: quæ illi arguuntur non expendere secundùm Evangelica sacramenta, hoc est, secundùm ea quæ nobis Evangelium revelavit: in quibus præcipuum locum obtinet Christi tum æterna tum temporalis nativitas.

Cur earum sensum non assequantur.

mentis evangelicis apprehendentes, nec dictorum virtutibus [a] sentientes, stulto atque imperito furore adversùs divinitatis naturam loquuntur, ad implendas aures ignorantium sola hæc & nuda memorantes, aut absolutionibus eorum tacitis, aut causis: cùm dictorum intelligentia aut ex præpositis aut ex consequentibus [b] expetatur.

Christus & Deus est & homo.

3. Atque horum quidem superiùs memoratorum rationem ex ipsis vel evangelicis vel apostolicis professionibus [c] præstituri, admonendos esse omnes communis fidei existimamus: ut in qua confessione æternitas vitæ est, in eadem sit intelligentia [d] æternitatis. * Nescit planè vitam suam, nescit, qui Christum Jesum ut verum Deum ita & verum hominem ignorat. Et ejusdem periculi res est, Christum Jesum vel Spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare. *Omnis ergo* [e] *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in cælis. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui est in cælis.* Hæc Verbum caro factum loquebatur, & homo Jesus Christus Dominus majestatis docebat: Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, & illo ipso inter Deum & homines mediatoris sacramento utrumque unus exsistens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est; ita tamen, ut neutro careret in utroque, ne fortè Deus esse homo nascendo desineret, & homo rursum Deus manendo non esset. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera est, Deum & hominem prædicare, Verbum & carnem confiteri: neque Deum nescire quòd homo sit, neque carnem ignorare quòd Verbum sit.

** Hæc citant Leo ad Leonem August. epist. 134. c. 3. & Theodoret. 2. Dial. p. 106.*

Matth. 10. 32. & 33.

Attendant Nestorius & Eutyches.

Quòd natus homo Deus maneat, sensus jam non refugit.

4. Cùm autem, contra naturam sensus nostri, Deus manens homo nascitur; jam non est contra naturam spei nostræ, ut natus homo Deus maneat: cùm potior natura in inferiorem nata fidem præstet, inferiorem in naturam nasci posse potiorem. Et quidem, secundùm legem & consuetudinem mundi, [f] promtior magis spei nostræ, quàm divini sacramenti effectus est. Namque mundus in his quæ nascuntur habet incrementi virtutem, non habet deminutionis potestatem. [g] Cerne arbores, sata, pecudes. Ipsum quoque participem rationis hominem contuere: semper proficit augmento, numquam verò deminutione contrahitur; nec sese caret, quod excrevit [h] in sese. Nam tametsi aut ætate marcescat, aut morte perimatur; habet quidem aut demutationem in tempore, aut finem [i] in constitutione vivendi: ceterùm hoc quod sit non habet [k] in virtute non esse, ut novum se per imminutionem condat ex eodem, id est, ut ex sene decedat in parvulum. Naturæ ergo nostræ necessitas in augmentum semper mundi lege provecta, non [l] imprudenter profectum naturæ potioris exspectat: cui & incrementum secundùm naturam est, & imminutio contra naturam est. Deo itaque proprium fuit, esse aliud quàm manebat, nec tamen non esse quod manserat; nasci [m] in homine Deum, nec tamen Deum esse desinere; contrahere se usque ad conceptum & cunas & infantiam, nec tamen Dei potestate decedere. Hoc non sibi, sed nobis est [n] sacramentum. Neque assumtio nostra Deo profectus est: sed contumeliæ suæ voluntas, nostra provectio est; dum nec amittit ille quòd Deus est, & homini acquirit ut Deus sit.

Dei & hominis se filium dictis & gestis Christus ostendit.

5. Natus igitur unigenitus Deus ex Virgine homo, & secundùm plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum [o] hominem, hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se filium Dei credi doceret, & hominis filium prædicari admoneret: locutus & gerens homo universa quæ Dei sunt, loquens deinde & gerens Deus universa quæ hominis sunt; ita tamen, ut ipso illo utriusque generis sermone numquam nisi cum significatione & hominis locutus & Dei sit; uno tamen Deo patre semper ostenso, & se in natura unius Dei per nativitatis veritatem professo; [p] nec tamen se Deo patri non & filii honore & hominis conditione subdente: cùm & nativitas [q] omnis se referat ad auctorem, & caro se universa secundùm Deum profiteatur infirmam. Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundùm hominem dicta sunt, dicta esse secundùm naturæ

Unde occasio hæreseos.

[a] Vat. bas. codex, *scientes*. Bandinus autem post Latinium ex conjectura, *consentientes*. Retinendum omnino *sentientes*, hoc est, verborum evangelicorum proximè allatorum vi haud satis probatâ perspectâque.

[b] Ita antiquiores libri, (quorum plerique antea habent *propositis*, non *præpositis*.) Alii verò, *expectetur*.

[c] Er. Lips. & Par. *præstaturi*: refragantibus hîc Bad. & potioribus mss. etiamsi lib. 4. n. 7. & alibi hoc verbum in his etiam ea ratione enuntietur.

[d] hoc est, ut quemadmodum Pater, ita & Filius in æterna seu divina intelligatur esse natura, si quidem hujus ut illius confessio vitæ nobis præstat æternitatem: quod clariùs infrà n. 33. exponitur.

[e] Verbum *inquit* in vulgatis hîc adjectum absque mss. auctoritate, supervacaneum esse constat ex subnexis.

[f] id est, faciliùs capimus hominem fore Deum, quæ spes nostra est, quàm Deum factum fuisse hominem, quod divinum sacramentum. Quibus consentiens S. Leo Ser. 4. in Nat. Dom. c. 2. *Minùs mirum est*, inquit, *hominem ad divina proficere, quàm Deum ad humana descendere*: & Augustinus epist. nunc 140. n. 11. *Neque enim jam desperandum est participatione Verbi posse homines fieri filios Dei, quando filius Dei participatione carnis factus est filius hominis.* Ne verò cui suspecta sint, quæ noster Hilarius ea de re deinceps differit; præmonendum putamus, eum ita velle hominem fieri Deum per artissimam cum eo conjunctionem, ut natura humana nequaquam aboleatur, uti disertè probat in Psal 2. n. 41. ubi tandem concludit: *Fit ergo demutatio, sed non affertur abolitio.*

[g] In ms. Vat. bas. *certe*, in vulgatis *gramen*, loco verbi *cerne*.

[h] Editi, *ex sese*.

[i] Vetus codex Colb. cum Germ. *in consuetudine vivendi*.

[k] Bad. & Er. *in veritate*. Veriùs alii libri, *in virtute*, hoc est, in potestate. Argumenti hujus scopus est, nos quidem posse proficere ad id quod non habemus, sed non esse id quod jam sumus non posse: ac senem v. g. annorum jam exactorum numerum augere posse, sed non ita imminuere.

[l] In mss. probæ notæ, *impudenter*. Mox Bad. & Er. cum ms. bas. Vat. *prioris*, loco *potioris*.

[m] Sic mss. quomodo infrà num. 8. legimus *natum in homine*, & lib. 5. n. 18. *Deus in homine nascendo*. At editi, *in hominem*.

[n] id est, hoc sacramentum assumtæ carnis nostræ salutis est causa, Deo autem nihil aut addit, aut demit. Cum his confer num. 48. & 49. lib. 11.

[o] Ambiguitas tolletur, si legeris, *provecturus hominem in Deum*.

[p] Ita mss. Editi verò, *& tamen*, omisso deinde *non*. Christus se Patri subditum significavit & secundùm naturam divinam, quatenus filius; & secundùm humanam, quatenus infirmus.

[q] In codice Vat. bas. hîc additur *Dei*; quod rectiùs abest ab aliis: est quippe generalis propositio.

divinæ infirmitatem mentiantur: & quia unus atque idem est loquens omnia quæ loquatur, de [a] se ipso omnia eum locutum esse contendant.

Alia sunt dicta Christi nondum nati, alia nati & morituri, alia æterni.

6. Nec sanè negamus, totum illum, qui ejus [b] manet, naturæ suæ esse sermonem. Sed si Jesus Christus & homo & Deus sit; & neque cùm homo, tum primùm Deus; neque [c] tum cùm & homo, tum non etiam & Deus; neque post hominem in Deo non totus homo totus Deus: unum atque idem [d] necesse est dictorum ejus sacramentum esse, quod generis. Et cùm in eo secundùm tempus discernis hominem [e] à Deo, Dei tum atque hominis discerne sermonem. Et cùm Deum atque hominem in tempore confiteberis, Dei atque hominis in tempore dicta dijudica. Cùm verò ex homine & Deo rursum totius hominis [f] totius jam Dei tempus intelligis, si quid illud ad demonstrationem ejus temporis dictum est, tempori coaptato quæ dicta sunt: ut cùm aliud sit ante hominem Deus, aliud sit homo & Deus, aliud sit post hominem & Deum totus homo totus Deus; non confundas temporibus & generibus dispensationis sacramentum, cùm, pro qualitate generum ac naturarum, alium ei in sacramento hominis necesse est sermonem fuisse non nato, alium adhuc morituro, alium jam æterno.

Christus qui hominem, qui Deum se egerit.

7. Nostri igitur causâ hæc omnia Jesus Christus manens, & corporis nostri homo natus, secundùm consuetudinem naturæ nostræ locutus est: non tamen omittens [g] naturæ suæ esse quòd Deus est. Nam tametsi in partu & passione & morte naturæ nostræ [h] res peregerit; res tamen ipsas omnes virtute naturæ suæ gessit, dum sibi ipse origo nascendi est, dum pati vult quod eum pati non licet, dum moritur [i] qui vivit. Et tamen cùm hæc Deus per hominem agit, ex se [k] natus, per se passus, & ex se mortuus; non & hominem se non egit, dum & natus, & passus, & mortuus est. Hæc autem jam ante conditionem mundi sacramenta sunt cælestium mysteriorum constituta, ut unigenitus Deus homo nasci vellet, mansuro in æternum in Deo [l] homine: ut Deus pati vellet, ne passionibus humanæ infirmitatis diabolus desæviens, legem [m] in nobis peccati Deo infirmitatem nostram assumente retineret: ut Deus mori vellet, ne qua insolens potestas adversùs Deum esset, neque creatæ in se virtutis posset usurpare naturam, cùm se immortalis Deus intra legem mortis [n] habuisset. Nascitur itaque Deus assumtioni nostræ, patitur verò innocentiæ, postremò moritur ultioni: dum & homo noster in Deo permanet, & infirmitatum nostrarum passiones Deo sociæ sunt, [o] & spiritales nequitiæ ac malitiæ potestates triumpho carnis, Deo per carnem moriente, subduntur.

Cur nasci voluerit, cur pati, cur mori.

Fideles Deo in Christo pleni.

8. Hujus igitur sacramenti Apostolus conscius, & per Dominum ipsum fidei scientiam adeptus, cùm non ignoraret incapacem ejus esse & mundum, & homines, & philosophiam, ait, *Videte ne quis vos seducat per philosophiam & inanem deceptionem secundùm* [p] *traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Iesum Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti,* [q] *quod est caput omnis principatus & potestatis.* Expositâ itaque habitantis corpora- (Coloss. 2. 8. &c.)

[a] Editi, *de semetipso.* Notandum illud *de se ipso.* Licèt Hilarius in Christo Deum hominemque artissimè in unam personam conjunctum credat; sic tamen hominem spectat velut ab ipso alienum, ut arguat hæreticos, quòd quæ de homine assumto loquatur, *de se ipso*, hoc est, de ipsa divinitate sua locutum eum esse velint. Quo loquendi modo Ambrosius lib. 10. in Luc. n. 61 ait, *Tristis autem est, non ipse, sed anima.* Eódem spectat illud antiqui auctoris de fide orthodoxa c. 8. apud Ambrosium in append. Tom. 2. *Homo ille passus est, quem filius Dei suscepit, quem induit, quem portavit: sed quia totum ad auctorem referebatur, quidquid homo ille patiebatur: ideo mors & passio Domini judicatur.*

[b] id est, qui ejus est, seu quem nomine suo profert. Deinde *naturæ* vocabulo potest intelligi persona: quomodo *personæ* nomine non semel utitur Hilarius ad significandam naturam. Vel hoc ita intelligendum, totum illum sermonem esse naturæ quæ Christo propria ac sua est. Illi autem propria est, non solùm quam nascendo accepit, sed quam in tempore assumsit.

[c] In vulgatis, *neque cùm homo.* Proximè τὸ *post hominem in Deo*, id est, post hominem glorificatum. In Christo distinguendum tempus quo nondum susceperat hominem, quo suscepit moriturum, quo non jam moriturum. In primo statu tantùm Deus est, in altero Deus & homo, in postremo totus Deus sensu infrà explicando.

[d] Verbum *necesse est* desideratur in vetustiore ms. Colb. Hîc admonemur Christi dicta diversis illius naturis sub triplici statu spectatis debere esse consentanea.

[e] In vetere ms. Remig. *à Deo dictum atque hominis:* mendosè. Hilarii mentem si bene capimus, hoc sibi vult: Cùm secundùm tempus, quod Christi corporationem præcessit, Deum filium spectas ut ab homine discretum, eique nondum conjunctum; ne tum sermonem ei attribuas, qui congruat homini, seu, ei tum, cùm Deus sit, sermonem tribue discretum ac differentem ab eo, quem tribueres homini. Vel etiam hîc notatur status, quando Deus unigenitus in specie assumta ad tempus homo visus est: & monemur ut quæ speciei assumtæ, quæ assumenti sint tribuenda discernamus.

[f] Editi, *totius etiam Dei*, ac deinde *si quid aliud*, pro *si quid illud*: corrupto Hilarii sensu. Illud, *Cùm verò ex homine & Deo* &c. id est, Cùm ex statu Christi mortali, in quo Deus & homo erat, illum transiisse intelligis ad immortalem, in quo jam etiam secundùm hominem totum totus est Deus; quia videlicet, uti declaratur infrà num. 13. *totus Deo vivit, naturæ nostræ societate in communionem divinæ immortalitatis unitâ.* Qui loquendi modus expressus ad imitationem verborum Pauli, *ut sit Deus omnia in omnibus*, omnino intelligendus est salva hominis veritate, ut sæpe jam demonstratum.

[g] In cod. Colb. & Germ. *non naturæ suæ:* lectio non spernenda eo sensu, quòd Christus ut homo quæ humanæ infirmitatis sunt locutus, non omisit indicare hæc non naturæ suæ esse: quia nimirum ex natura sua Deus est, homo autem ex dispensatione, uti insinuatur lib. 10. n. 22. 64. & 65. Unde est illud in Psal. 139. n. 2. *Quòd enim Deus est, naturæ suæ est; quòd autem homo fuit, naturæ nostræ assumtio est.* Immo in hoc ipso lib. n. 9. *Demonstrato autem & naturæ suæ, & assumtionis nostræ sacramento.*

[h] In vulgatis, *rem peregerit.* Si Christus in passione ac morte res naturæ nostræ peregit, necesse est verè timuerit, doluerit, &c. Quod interim notandum.

[i] Hîc respiciuntur verba Pauli num. 13. enarranda, *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Hinc quoque avertitur suspicio eorum, qui Hilarium sensisse opinantur, Christum hominem, priùs quàm moreretur, à Verbo fuisse derelictum atque desertum. Nam si mortuus est qui vivit, mortuus est Deus: adeoque non secessit à Christo priùs quàm moreretur. Hinc *se immortalis Deus intra legem mortis* habuisse mox prædicatur, *Deo per carnem moriente:* quod multis in hocce numero inculcatur.

[k] Filius *ex se natus*, quia *id, quod alienum à se erat, vi sua ac potestate præsumsit*, uti enarratur lib. 2. n. 26. ubi nomine Spiritus-sancti in Virginem supervenientis Filium ipsum, qui idcirco hîc sibi ipse origo nascendi esse memoratur, ab Hilario intellectum esse ostendimus.

[l] id est, quò homo maneret in æternum in Deo. Quibus similia sunt hæc lib. 11. n. 42. *ipso verò in Dei gloriam, id est, in Deum omnia in omnibus ex subjectionis dispensatione mansuro:* & paulo antè, *toto jam in Deum ex ea qua homo est dispensatione mansuro.*

[m] Alluditur hîc ad verba Pauli, *Delens quod adversùm nos erat chirographum*, de quibus infrà n. 10. & lib. 1. n. 13. tractatur.

[n] Vat. bas. ms. *habitasset*, omisso antea *se.*

[o] Lips. & Par. *spiritalis nequitiæ:* renitentibus aliis libris. Mox Carnutensis codex, *in carne*, non *per carnem.*

[p] Omnes propè mss. *traditiones:* quamvis suprà n. 1. libro superiore n. 53. & lib. 1. n. 13. exhibeant *traditionem.*

[q] Sic plerique ac melioris notæ mss. faventibus subnexis, *Quòd repleti in eo sumus, hoc est caput ac principium omnis potestatis.* Editi verò, *qui est caput*, quomodo legitur lib. 1. n. 13.

liter divinitatis in eo plenitudine, sacramentum assumtionis nostræ continuò subjecit, dicens, *Estis in eo repleti.* Ut enim in eo divinitatis est plenitudo, ita nos in eo sumus repleti. Neque sanè ait, estis repleti, sed, *in eo estis repleti*: quia per fidei spem in vitam æternam regenerati ac regenerandi omnes nunc in Christi corpore manent [a]; replendis postea ipsis, non jam *in eo*, sed in ipsis, secundùm tempus illud de quo Apostolus ait, Qui » [b] transfigurabit corpus humilitatis nostræ, con- B » forme corpori gloriæ suæ. (Philip. 3. 21.) Nunc igitur in eo repleti sumus, id est, per assumtionem carnis ejus, in quo divinitatis plenitudo corporaliter inhabitat. Et hujus spei nostræ non exigua in eo potestas est. Namque quòd repleti in eo sumus, hoc est caput ac principium omnis potestatis, secundùm illud: Ut in nomine suo om- » ne genu [c] flectat, cælestium, & terrestrium, » & infernorum; & omnis lingua confiteatur, » quia Dominus Jesus in gloria Dei patris. (Philip. 2. 10. & 11.) C Confessio itaque hæc erit: *Jesus in gloria Dei patris*, & natum in homine [d] jam non in infirmitate corporis nostri manere, sed in Dei gloria. Et hoc lingua omnis confitebitur. Et cùm cælestia & terrestria [e] genu flectent: hoc caput omnis principatus & potestatis est, ut ei universa genu flectendo subjecta sint, in quo sumus repleti, & qui, per habitantem in se corporaliter divinitatis plenitudinem, in Dei patris sit gloria confitendus. D

(Deus idem auctor regenerationis nostræ & Christi resurrectionis.) 9. Demonstrato autem & naturæ suæ, & assumtionis nostræ sacramento, cùm in eo plenitudine divinitatis manente, nos in eo per id quòd homo natus est repleamur: reliquam dispensationem humanæ salutis exsequitur, dicens, *In quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismate, in quo & conresurrexistis per fidem operationis Dei, qui* (Coloss. 2. 11. & 12.) A *excitavit eum à mortuis.* Circumcidimur itaque, non circumcisione carnali, sed circumcisione Christi, id est, in novum hominem renati. Cùm enim consepelimur [f] baptismate ejus, mori nos necesse est ex vetere homine; quia regeneratio baptismi resurrectionis est virtus. Et hæc circumcisio Christi est, non exspoliari carne præputii, sed totos commori ei, & per id totos postea ei vivere. In eo enim [g] resurgimus per ejus Dei fidem, qui eum suscitavit à B mortuis. Credendus ergo Deus est, cujus operatione Christus excitatus à mortuis est: quia fides ista conresurgit in Christo.

10. Consummatur deinde ita omne assumti hominis sacramentum: *Et vos* [h] *mortui cùm essetis in delictis & præputio carnis vestræ, vivificavit cum illo, donatis vobis omnibus delictis, delens quod adversùm nos erat chirographum in sententiis, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit è medio, affigens illud cruci: exutus carnem, & potestates* C *ostentui esse fecit, triumphatis his* [i] *in semetipso.* (Ibid. 13. &c.) (Idem Christus ut homo moritur, ut Deus se suscitat.) Apostolicam fidem sæculi homo non capit, & [k] sensûs sui dicta alius præter quàm ipsius sermo non explicat. Deus Christum à mortuis excitat, & Christum in quo corporaliter divinitatis plenitudo inhabitat. Sed convivificavit nos cum illo, donans nobis peccata, & delens chirographum [l] legis peccati, quod per sententias anteriores contrarium nobis erat, hoc tollens de medio, & cruci affigens, mortis lege D carne sese spolians, potestates ostentui reddens, triumphatis his in semetipso. Et de triumphatis potestatibus in semetipso, atque ostentui redditis, deletoque chirographo, vivificatisque nobis, jam superiùs * tractavimus. (* Lib. 1. n. 13.) Hoc verò sacramentum quis vel apprehendet, vel eloquetur? Suscitat operatio Dei Christum à mortuis, & hæc eadem Dei operatio nos vivificat cùm Christo, & hæc eadem [m] operatio donat peccata, chirographum delet, & affigit cruci:

[a] In codice Vat. bas. Martin. duobus Colb. & uno Sorbon. perperam hîc adjicitur *repleti*. Ratio quippe hîc subjicitur cur fideles in Christo sint repleti Deo, quia nimirum manent in ipsius corpore, quod gloriæ jam particeps factum, Deo proinde plenum sit. Manent porro in ejus corpore, quia ut dicitur in Psal. 51. n. 16. *Christus naturam in se universæ carnis assumsit.* Unde cap. 4. in Matth. n. 12. caro Christi civitas nuncupatur, in qua *quædam universi generis humani congregatio continetur*: adeoque ut ait Ambrosius epist. nunc 76. ad Irenæum n. 8. *in illa carne Christi per consortium ejusdem naturæ caro omnis humani generis honorata est.* Replebuntur autem in se ipsis, cùm gloriæ ejusdem in propriis corporibus consortes erunt.

[b] Plures mss. *transfiguravit*. Martin. *transformavit*: quod & habet Vat. bas. codex, qui cum nonnullis aliis postea subjicit, *conforme faciens corpori*, vel *corporis*.

[c] Ita Bad ac plerique mss. At apud Er. Lips. & Par. *flectatur*. In ms. Vat. bas. & altero Vatic. *ut in nomine Jesu omnes genu flectant*: ex quo sequi deberet, *cælestes*, non *cælestium*. Græcè, ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ.

[d] Editi hîc addunt *Deum*; quæ vox abest à potioribus mss.

[e] In ms. Martin. hîc adjicitur *& inferna*.

[f] Antiqui libri Martin. Vat. bas. Colb. &c. *baptismati ejus*. Remigianus, *baptismate ei*: quod satis arridebat. Sed quomodo suprà dicitur *circumcisione Christi*, ita & nunc *baptismate ejus*, id est, susceptione baptismatis ab ipso instituti.

[g] Martinianus codex, *resurreximus*: & postea, *consurrexit in Christo*, non *conresurgit*.

[h] Ita mss. Editi verò particulam *cùm* præfigunt verbo *mortui*, quod lib. 1. n. 13. à mss. abesse annotavimus. Mox ms. Martin. *donans vobis omnia delicta*, quomodo legitur lib. 10. n. 47. secus autem lib. 1. n. 13.

[i] In ms. Carnut. hîc additur *cum fiducia*: quod etiam exstat lib. 1. n. 13. & lib. 10. n. 47. ubi idem ille locus non eodem prorsus modo exhibetur. In mss. Vat. bas. & Martin. *exutus carnem, & principatus & potestates dehonestans, & cum fiducia triumphans.* Hîc autem diligenter observandum, quòd *exutus carnem*, non passivè, sed activè sumatur, quasi *spolians se carne*, quomodo legitur infrà lib. 10. n. 47. immo etiam hîc ubi eadem illa verba explicantur. Et in hac quidem significatione activa stat tota vis argumenti subsequentis. Quamquam pro *exutus carnem & potestates*, modò in latinis codicibus legere est, *exspolians principatus*: consentiuntque græca exemplaria, etiam Germanense, quod Pauli epistolas græcè & latinè complectitur, ab annis saltem mille exaratum, in quo ut in aliis exstat ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχάς. Verùm ex vocabulo τὰς ἀρχὰς facilè confici potuit τὴν σάρκα. Et certè Augustinus de peccat. mer. & remiss. c. 27. & lib. 16. contra Faustum c. 29. necnon de Agone Christ. c. 2. cum nostro Hilario legit *exuens se carnem*. Sic & Ambrosius lib. 5. in Lucam n. 107. *Exuens se carnem principatus & potestates omnes traduxit*: & lib. 3. de fide c. 2. *Qui affixit illud* (chirographum) *cruci, carnem se exuit: sed Pater non se exuit carnem* &c. Demum apud eumdem Ambrosium auctor Tract. in Symbolum Apostolorum, *Non ergo cujusquam jure ac potestate exutus est carne, sed ipse se exuit. Nam qui potest non mori si nollet, procul dubio quia voluit mortuus est. Quod ita esse comprobans Apostolus ait, Spolians se carne, principatus & potestates exemplavit.* Hoc tamen illi ab Hilario differunt, quòd post *exuens se carnem*, adjiciunt, *principatus*, quod verbum Hilarius omittere solet: quamvis tamen eadem lectio non ignota ei fuerit, ut liquet ex n. 11.

[k] In ms. Vat. bas. *sensus ejus*. Non est audiendus Erasmus, qui *excessus* loco *sensus* legendum esse conjectat. Hoc sibi vult: Pauli fidem homo solâ sæculi sapientiâ instructus non assequitur, neque dictorum illius interpretatio aliunde repetenda est, quàm ex aliis ipsius dictis.

[l] Quod hîc Hilarius *chirographum legis peccati*, & suprà num. 7. simpliciter *legem peccati*; vocat lib. 1. n. 13. *sententiam mortis*, favente Tertulliano lib. de pudicitia n. 19. ubi legit, *donato chirographo mortis*.

[m] Rursum hîc apud Er. Lips. & Par. *Dei operatio*: Bad. & mss. diffidentibus.

carnem se exuit, potestates ostentui reddit, ac de his in semetipso triumphat. Habes operationem Dei Christum à mortuis excitantis: habes & Christum hæc ipsa in se quæ Deus operatur [a] operantem. Christus enim mortuus est, carne se spolians. Tene ergo Christum hominem à Deo ex mortuis excitatum, tene Deum Christum salutis nostræ operationem cùm esset moriturus operantem: ut cùm hæc Deus operatur in Christo, [b] operans licèt Deus, spolians se tamen Christus carne moriturus sit: & cùm mortuus est Christus, operans ante mortem Deus, mortuum tamen Christum operatio Dei excitet; cùm *ipse sit [c] Christum à mortuis excitans, qui est ante mortem Christus operatus, & idem sit spolians se carne moriturus.

* idem sit.

Caro spoliata & carne se spolians unus est Christus.

11. Jamne apostolicæ fidei sacramentum intelligis? Jamne Christum cognitum habes? Quæro enim à te, quis sit carne se spolians, & quæ sit caro illa spoliata? Duplicis enim intelligentiæ ab Apostolo teneo significationem, spoliatæ carnis, seque carne spoliantis: & inter hæc Christum audio per operationem Dei à mortuis excitatum. Et cùm sit Christum à mortuis excitans Deus, sitque & Christus excitatus à mortuis: interrogo quis est carne se spolians, & quis est Christum à mortuis excitans, nosque vivificans cum Christo? Si enim non idem est Christus mortuus, qui est caro spoliata; carnis spoliatæ nomen ostende: & rursus naturam ejus, qui se carne spoliavit, expone. Eumdem enim esse invenio Deum Christum à mortuis excitatum, qui carne se spoliavit, & rursum spoliatam carnem Christum esse à mortuis excitatum: deinde principatus & potestates ostentui reddentem & triumphantem reperio in semetipso. Intelligisne hunc triumphantem potestates in semetipso? Sentisne quòd à se non differat caro spoliata, & carne se spolians? In semetipso enim triumphat, id est, in ea qua se carne spoliavit. Videsne ita Deum & hominem prædicari: ut mors homini, Deo verò carnis excitatio deputetur; non tamen ut alius sit qui mortuus est, & alius sit per quem mortuus resurgit? Spoliata enim [d] caro Christus est mortuus: & rursus Christum à mortuis excitans, idem Christus est carne se spolians. Naturam Dei in virtute resurrectionis intellige: dispensatio-

A nem hominis in morte cognosce. Et cùm sint utraque suis gesta naturis, unum tamen Christum Jesum eum memento esse, qui utrumque est.

Christus sua virtute suscitatur: cur hoc opus cum Paulo tribuat Patri.

12. Quamquam enim meminerim frequenter ad Deum patrem per Apostolum referri, Christum à mortuis esse excitatum: sed non est Apostolus extra evangelicam fidem [e] dictis suis ipse contrarius, maximè Domino dicente, *Propter hoc me Pater diligit, quòd ego pono animam* B *meam,* [f] *ut iterum accipiam eam. Nemo tollet eam à me, sed ego pono eam à me. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum accipiendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre.* Vel cùm postulatum ab eo esset, ut signum ad fidem de se ostenderet, ait de templo corporis sui, *Solvite hoc templum, & ego in triduo suscitabo illud.* Cùm enim & per accipiendæ animæ potestatem & per suscitandi templi virtutem ipsum se sibi resurrectionis suæ Deum C doceat, totum hoc tamen ad mandati paterni [g] referens auctoritatem: non contrariè intelligitur Apostolus, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam [h] prædicans, omnem operis sui magnificentiam [i] per id ad Patris gloriam retulisse, quia quidquid Christus gerit, virtus Dei & sapientia gerit; & quidquid virtus Dei & sapientia gerit, sine dubio Deus gerit, cujus & sapientia est Christus & virtus. Denique nunc per operationem Dei excitatus Christus D à mortuis est: quia opera Dei patris ipse [k] natura à Deo non differenti operatus est. Et in eo Deo resurrectionis fides est, qui Christum suscitavit à mortuis.

Joh. 10. 17. & 18.

Joh. 2. 19. v. Tract. Psal. 141. num. 6.

Naturæ in Christo duæ ex Paulo.

13. Hanc igitur beatus Apostolus geminæ in Christo significationis tenuit prædicationem, ut & infirmitatem in eo hominis, & virtutem Dei ac naturam doceret, secundùm illud Corinthiis dictum, *Nam etsi crucifixus est* [l] *ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei,* mortem in- E firmitatis humanæ, vitam verò Dei virtutis ostendens: & illud ad Romanos, *Quòd enim* [m] *mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo. Sic & vos deputate vosmetipsos mortuos quidem esse peccato, vivere autem Deo in Christo Iesu:* mortem peccato, id est, corpori nostro adscribens, vitam autem Deo, cui est naturale quòd vivit. & per id nos corpori nostro mori oportere, ut Deo vivamus in Christo Jesu, qui peccati nostri corpus [n] assu-

2. Cor. 13. 4.

Rom. 6. 10. & 11.

[a] Solus codex Vat. bas. *operatum.*

[b] Excusi, *operetur licèt*: contra fidem mss.

[c] Editi excepto Par. *Christus à mortuis excitatus*: refragantibus scriptis.

[d] Apud Leonem epist. novæ editionis 134. ad Leonem Augustum c. 3. ubi hæc aliaque Hilarii dicta laudantur, *spoliata enim carne*: malè. Quidquid hoc libro hactenus disputatum est, sed hæc maximè sententia, in eum non convenit, qui Verbum à carne Christi mortua separatum senserit. Unde Hilarius ab ea opinione non immeritò creditur alienus. Cùm enim carne se spolians, caro spoliata, & carnem spoliatam excitans ipsi unus & idem Christus sit, nec sit unus unitate naturæ, sed personæ: sequitur eum sensisse personam Verbi carni spoliatæ unitam.

[e] In plerisque mss. *dicti sui.* Paulo antè in Carn. *memineris*, non *meminerim.*

[f] Editi, *& iterum recipiam*: diffidentibus mss.

[g] Bad. Er. & Lips. *refert*: absque auctoritate mss. Tum pro *contrariè*, Latinius atque Bandinus legendum conjectarunt, *contraire*: nil necesse ut quidquam immutetur.

[h] Lips. & Par. *prædicasse*: ac deinde cum editis aliis, *omnemque operis* &c. Castigantur ex mss.

[i] Vat. bas. ms. *per id quod ad Patris gloriam retulisset*: depravatè, cùm hæc sibi velint; non intelligitur Apostolus sensu proximis Christi verbis contrario ad Patris gloriam retulisse omnem operis Christi magnificentiam.

[k] Ita mss. Vat. bas. & Martin. faventibus aliis. At editi, *natura à Deo non differentis operatus est. Et in eo*, omisso *Deo.* Jam suprà audivimus Christum *resurrectionis suæ Deum.*

[l] In vulgatis, *ex infirmitate nostra.* Abest *nostra* à sincerioribus mss. & à græco, ut & lib. 10. n. 65. Mox etiam abest *humanæ* à Colb. ac Germ.

[m] Editi excepto Par. *mortuum est peccato, mortuum est.* Postea ms. Martin. *reputate*, non *deputate.*

[n] Sic lib. 1. n. 15. *Carnem enim peccati recepit*: quia nimirum veram ex Virgine de Adam peccatore propagatam carnem assumsit; quamvis ut planè declaratur lib. 10. n. 25. *neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati.*

mens, totus jam Deo vivit, naturæ nostræ societate [a] in communionem divinæ immortalitatis unitâ.

Ai Dei, alia servi forma: idem Christus.

14. Hæc igitur demonstranda à me paucis fuerunt, ut utriusque naturæ [b] personam tractari in Domino Jesu Christo meminissemus: quia qui in forma Dei manebat, formam servi accepit, [c] per quam obediens usque ad mortem fuit. Obedientia enim mortis non est in Dei forma, sicuti nec Dei forma inest in forma servi. Per sacramentum autem evangelicæ dispensationis non alius est in forma servi, quàm qui in forma Dei est: cùm tamen servi formam accipere, & in forma Dei manere non idem sit; cúmque accipere formam servi, nisi per evacuationem suam, [d] non potuerit qui manebat in Dei forma, non conveniente sibi formæ utriusque concursu. Sed non alius atque diversus est, [e] qui se exinanivit, & qui formam servi accepit. Accepisse enim non potest ejus esse qui non sit; quia ejus sit, qui subsistat, accipere. Ergo evacuatio formæ non est abolitio naturæ: quia qui se evacuat, non caret sese; & qui accipit, manet. Et cùm * ipse sit evacuans & accipiens, habet quidem in eo sacramentum, quòd se evacuat & accipit; non tamen habet interitum, ne non exstet evacuans, & ne non sit accipiens. Itaque evacuatio eò proficit, ut proficiat forma servi, non ut Christus, qui in forma Dei erat, [f] Christus esse non maneat; cùm formam servi non nisi Christus acceperit. Qui cùm se evacuaverit, ut manens Spiritus Christus idem Christus homo esset; in corpore demutatio habitûs & assumtio naturæ, naturam [g] manentis divinitatis non peremit: quia unus atque idem Christus sit, & demutans habitum, & assumens.

Dei forma latuit, non periit.

* idem.

Expenduntur objecta hæreticorum.

15. Ostensa itaque sacramentorum dispensatione, per quam hæretici ignorantes quosque fallerent, ut ea, quæ per assumti hominis naturam dicta gestaque sunt, omnia infirmitati divinitatis adscriberent; & formæ Dei deputarent, quidquid formæ servi propriæ [h] aptum est: nunc ipsis propositionibus eorum respondendum est. Tutò enim jam dictorum singulorum genera dijudicabuntur, cùm Verbum & carnem, id est, Deum & hominem Jesum Christum sola fides sit confiteri. Deum igitur Dominum nostrum Jesum Christum ex eo negandum per naturam hæretici existimant, quia dixerit, *Quid me dicis bonum? Nemo est bonus nisi unus Deus.* Omnis responsionum ratio necesse est, ut ex interrogationum causis proficiscatur. Ad id enim respondebitur, unde quæretur. Et primùm requiro à dicti hujus calumniatore, utrùmne id arguere Dominum existimet, cur bonus dictus sit, seque maluerit malum dici. Id enim significari videtur hoc dicto, *Quid me bonum dicis?* Non opinor quisquam tam vecors erit, ut malitiæ professionem ei velit adscribere, qui dixerit, Venite ad me « omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos « reficiam. Tollite jugum meum super vos, & « discite à me, quia mitis sum & humilis corde; « & invenietis requiem animabus vestris. Jugum « enim meum suave est, & onus meum leve est. Mitem se profitetur atque humilem: & irasci credetur, [i] cur bonus dictus sit? Professionum hæc diversitas diffidet, ut bonitatis suæ testis nomen in se bonitatis accuset. Non ergo irasci intelligitur se bonum dici. Et quærendum est, quam aliam de se professionem arguat, qui non credendus est nomen in se bonitatis arguere.

Marci 10. 18. Christus non arguit quòd dicatur bonus.

Matth. 11. 28. &c.

16. Videamus itaque, quid præter bonum interrogans dixerit: ait enim, *Magister bone, quid boni faciam?* Duas igitur res connuncupavit: & bonum, & magistrum. Et quia non arguit bonum se dici; hoc necesse est arguat, quòd magister bonus dictus sit. Ita autem arguit se magistrum bonum dici, ut fidem interrogantis potiùs, quàm vel magistri in se, vel boni nomen argueret. Juvenis enim insolens per observantiam legis [k], & finem legis qui Christus est nesciens, & justificatum se in operibus existimans, & non intelligens venisse eum ad oves perditas domûs Israël, & impossibile esse legi per fidem justificationis salvare credentes, tamquam communium præceptorum & in lege scriptorum magistrum interrogat Dominum legis & unigenitum Deum. Detestatus itaque Dominus hanc de se irreligiosæ fidei professionem, quòd tamquam magister legis interrogaretur, respondit, *Quid me vocas bonum?* Atque ut significaret quatenus intelligendus & profitendus bonus esset; subjecit, *Nemo bonus nisi unus Deus*; non respuens bonitatis nomen, si sibi hoc tamquam Deo deputaretur.

Fidem interrogantis arguit, non dicta. Marci 10. 17.

Matth. 15. 24. Rom. 8. 3.

[a] Mss. Vat. bas. Corb. Prat. &c. *in communione substantiæ immortalis.*

[b] Potest hoc ita intelligi, ut in Christo duplici licèt natura constante, unam tamen esse personam admoneamur: cui intelligentiæ favent subnexa. Proximè tamen dicta postulant, ut *personæ* vocabulo non tam subsistentiam, quàm naturæ utriusque conditionem ac proprietates intelligamus. Quo sensu Ambrosius lib. 2. de fide c. 8. n. 61. dicit: *Miraris si ex persona hominis Patrem dixit majorem, qui in persona hominis se dixit vermem*: & epist. 48. n. 4. *qui in persona hominis formam servi accepit*: quasi diceret, qui ut homo formam servi habuit. Vide Hilarium ipsum in Psal. 63. n. 3.

[c] Cùm apud Leonem prædictâ epistolâ 134. Hilarii nomine legitur, *qui in forma Dei manebat, formam servi accepit, ipse divinitatem nequaquam amisit*; probabile est postremis illis verbis, quæ in nullis mss. exstant, neque exstare debent, summatim perstringi, quod postea diffusiùs demonstratur.

[d] In pervetustis mss. Carn. Colb. ac Germ. *non sit*: haud incommodè, si deinde tacitum intelligatur *ejus*. Huc spectat quod Augustinus epist. 11. n. 4. Incarnationis necessitatem confirmaturus ait: *Nemo enim quemquam erigit ad id in quo est, nisi aliquantum ad id in quo est ille, descendat.* Cui simile est illud Hilarii nostri lib. 12. n. 6. *Decedere autem ex Deo in hominem nisi se ex forma Dei Deus evacuans non potuit*, &c. In eo autem quod hîc sequitur, non convenire sibi formæ utriusque concursum, patet *formæ* nomine exteriorem tantùm naturæ utriusque habitum designari. Unde intelligere est qua ratione Hilarius Christum post resurrectionem totum Deum, ante autem totum in forma servi nuncupet. Confer hunc locum cum Tract. Ps. 68. n. 25.

[e] hoc est, qui se exinanivit, non alius est ab eo qui servi formam accepit, seu post evacuationem suam non alius est atque erat ante.

[f] Editi, *Christus ex se non maneat*: castigantur ex mss. Sic infrà n. 39. *ut maneret esse Dei forma.* Idem Christi exinaniti mysterium egregiè explicatur lib. 11. n. 48. & in Psal. 143. n. 7. Hîc obiter advertere est vocabulum *Christi* ad naturam divinam significandam non semel usurpatum.

[g] In ms. Corb. & aliquot aliis, *manentis in corpore*: glossema.

[h] Ita plerique mss. At editi, *aptatum.* Mox in codice Vat. bas. *toto enim . . genere*, non *tutò enim . . . genera.*

[i] Vetus codex Colb. *cùm bonus.*

[k] *Cui tamen obsecutus ex nullo est*, ut dicitur & ostenditur cap. 19. in Matth. n. 5. *Puto enim*, inquit Augustinus epist. nunc 157. n. 25. *quòd se arrogantiùs quàm veriùs servasse responderat.*

Et bonum & magistrum sese ostendit. *Marc.* 10. 21.

17. Denique ostendens se magistri in se boni, per fidem ejus qui tamquam hominem interrogabat, nomen arguere, post jactantiam juvenis & gloriam legis impletæ, ita respondit: *Unum tibi deest: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; & veni, sequere me.* Non refugit bonitatis de se nomen, qui cælestem thesaurum pollicetur: nec magistrum se non vult videri, qui ducem se perfectæ hujus beatitudinis præstat. Terrenæ autem de se opinionis fidem arguit, B bonitatem in solo Deo docens esse. Et ut se & Deum & bonum significaret; bonitatis est usus officiis, cælestes thesauros pandens, & se ad eos prævium tribuens. Ita & quæ sibi tamquam homini tantùm deferebantur, detestatur; neque se ab his, quæ Deo deputabat, professus alienum est: cùm unum Deum bonum confitens, ea ipse loqueretur atque ageret, quæ unius Dei virtutis, bonitatis, atque naturæ sunt.

Magistri cum fide nomen accepit.

18. Quàm igitur non bonitatis nomen refugerit, sed neque magistri honorem recusaverit, sed fidem ejus qui in se nihil nisi corporeum & carnale sapuisset, arguerit; hinc intelligitur, quòd aliter ad Apostolos magistrum se confitentes locutus est, dicens, *Vos me vocatis magistrum & Dominum, & bene dicitis; sum etenim*; & cùm alibi dixisset, *Ne vocemini magistri, quia magister vester Christus est.* Ubi cùm fide magister est, ibi adeo laudat, ut & profiteatur hoc nomen: hìc verò boni magistri nomen non recognoscit, ubi nec Dominus intellectus est esse, nec Christus: solum unum Deum bonum prædicans, non se utique à Deo secernens, qui & Dominum se professus & Christum, ducem thesauri cælestis ostendat.

Joh. 13. 13.

Matt. 23. 10.

Ubique Dominus nec eumdem cum Patre nec diversum se profitetur.

19. Tenuit autem hunc semper Dominus fidei ecclesiasticæ modum, ut patrem Deum unum prædicans, à sacramento se Dei non separaret unius, dum per naturam nativitatis neque alium se Deum profiteretur esse, neque ipsum: quia eum nec diversi generis Deum esse natura in eo unius Dei patitur, neque nativitas admittit non perfectum ei esse quòd filius est. Ita nec separabilis à Deo potest esse, neque ipse est. Per quod ita omnem sermonis sui significationem temperat, ut quidquid Deo patri honoris protestaretur, id modestissima confessione etiam sibi proprium esse monstraret. Cùm enim ait, *Credite in Deum, & in me credite*; quæro [a] in quo se in natura discreverit, qui non discrevit in honore? Dicens enim, *Et in me credite*, cùm dixisset, *Et in Deum credite*: anne per id quod ait, *in me*, non & suam intelligitur significasse naturam? Naturam planè separa, si fidem separas. Si credidisse sine Christo in Deum vita sit, Christum à

Johan. 14. 1.

a Fidei honore, adeoque naturâ Patri se æquavit.

A Dei & nomine & proprietate divelle. Quòd si vitam perficit credere [b] in Christo eos, qui in Deum credant; verbi virtutem diligens lector expendat, *Credite in Deum, & in me credite*. Cùm enim ait, *Credite in Deum, & in me credite*; uniens se fidei Dei, & naturæ ejus univit, cùm memorato Deo, in quem credi oporteret, & in se docuerit esse credendum: Deum se per id docens, cùm credendum in eum sit ab his, qui in Deum credant. Occasionem tamen irreligiosæ unionis exclusit: quia cùm & in Deum, & in se credendum professus sit, fidem de se solitarii non reliquit.

20. Quamquam igitur in plurimis, ac pæne omnibus dictis sacramenti hujus præstiterit absolutionem, ne quando confessus Deum patrem, ab ejus se unitate discerneret; neque se in unitate ipsius collocans, eumdem tamen unum & solitarium profiteretur: tamen etiam C ex hoc vel maximè intelligitur sacramentum & unitatis & nativitatis doceri, cùm ait, *Ego autem habeo testimonium majus Johanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ facio, testimonium perhibent de me, quoniam Pater me misit. Et qui misit me Pater, ipse testificatus est de me. Neque vocem ejus umquam audistis, neque figuram ejus vidistis, & verbum ejus non habetis in vobis manens: quoniam quem misit ille, huic vos non creditis.* Patrem testatum esse de Filio quomodo verè intelligitur, cùm nec ipse visus sit, nec vox ejus audita sit? Memini quidem de cælis auditam vocem fuisse, dicentem, Hic est filius meus dilectus, in quo [c] bene complacui, hunc audite. Et quomodo vox Dei audita non est, cùm paternæ vocis significationem in se vox audita contineat? Sed fortè in Jerosolymis manentes non audierunt, quia in desertis Johannes solus audierit. Quærendum ergo, in Jerosolymis quomodo testatus est Pater? Non enim testimonio jam Johannis utitur vocem è cælo audientis, sed habet testimonium majus Johanne. & quod hoc esset, continuò subjecit: *Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ facio, testimonium perhibent de me, quoniam Pater me misit.* Agnosco testimonii auctoritatem: neque enim quisquam nisi Filius à Patre missus hæc ageret. Opus ergo suum testimonium est. Sed quid tandem sequitur? *Et qui me misit Pater, ipse testificatus est de me. Neque vocem ejus umquam audistis, neque figuram ejus vidistis, & verbum ejus non habetis in vobis manens.* Extra crimen ergo sunt ignorantes testimonium Patris, qui in his numquam auditus ac visus sit, & in his non maneat verbum ejus? Sed non sunt sub venia incogniti sibi testimonii: quia testimonium de se Patris operum suorum testimonium esse profitetur.

Joh. 5. 36. &c.

Pater de Filio testatus & non auditus quid.

Matth. 17. 5.

Matth. 3. 17.

Testimonium Patris apud Judæos, opera Christi.

Hæc Patris in Christo naturam arguunt.

[a] Aliquot recentiores mss. *in quo se natura*. Solus codex Vat. bas. *in qua se natura*. Retinendum cum aliis *in quo*, hoc est, quatenus.

[b] Mallemus *in Christum*, si mss. accederet auctoritas. Subinde in ms. Vat. bas. *verborum virtutem*.

[c] Colbertinus codex, *bene placui*. Nullum hìc incommodum, quòd verba *hunc audite*, non ad Johannem in desertis, sed ad Apostolos in monte facta sint: cùm in his, *Hic est filius meus*, vis argumenti sita sit. Sed mirum quî sanctus Doctor verba à Johanne audita lib. 6. n. 19. proferat, uti ea habemus in Vulgata Matth. 3. 17. libro autem 8. n. 25. & alibi, qualia Psal. 2. 7. exstant, ac tandem hìc uti jacent Matth. 17. 5. Deinde paternæ vocis significationem in audita voce, quæ Filium demonstrarit, contineri docet: quia filius significari nequit, quin simul significetur & pater.

Opera

Opera igitur de eo testantur quòd à Patre sit missus; sed hoc operum testimonium Patris est. Et cùm operatio Filii Patris testimonium sit, eam necesse est operari in Christo naturam [a] intelligendam esse, per quam testis & Pater est. Atque ita Christus operans, [b] & in ejus opere Pater testans, ostenduntur inseparabilis secundùm nativitatem esse naturæ; cùm Dei de Christo testimonium, ea ipsa Christi esse significetur operatio.

Judæi Patrem non viderunt aut audierunt, quia Christo non crediderunt.

21. Non sunt itaque extra reatum non cogniti sibi testimonii; cum opus Christi testimonium de eo Patris sit. Neque in eo, quòd testantis vocem non audierint, & figuram non viderint, & verbum ejus manens non habuerint, idcirco sine testimonii sunt conscientia. Ad id enim [c] quod dictum est, *Neque vocem ejus audistis, neque figuram ejus vidistis, & verbum ejus non habetis in vobis manens;* (Joan. 5. 37. & 38.) [d] ut cùm testatus de eo Pater fuisset, causa tamen neque vocis auditæ, neque visæ figuræ, & verbi in his non manentis posset intelligi, continuò subjecit, *Quoniam quem misit ille, huic vos non creditis:* (Ibid. 38.) se credito, & vocem Dei audiendam, & figuram Dei videndam, & verbum ejus in his qui crederent inesse demonstrans; cùm per naturæ unitatem in se Pater & loqueretur, & videretur, [e] & haberetur. Numquid non & Patrem significat, cùm missus ab eo est? Numquid se per aliquam naturæ differentiam à Patre discernit, cùm [f] hinc Pater testans de eo, neque auditus, neque visus sit, nec intellectus sit, quia misso à Patre sibi non creditum sit? Non se ergo unigenitus Deus à Deo separat, patrem Deum confitens: sed per significationem patris Deo patre demonstrato, se quoque in Dei honore constituit.

Hinc natura utriusque una.

22. Namque in hoc ipso eodemque sermone, in quo operibus suis testari se ipsum à Patre missum esse docet, & Patrem testantem quòd ab eo missus sit significat, cùm dixisset, *Et honorem ejus, qui est solus Deus, non quæritis,* (Ibid. 44.) [g] non tamen dictum hoc nudum, & non antea ad unitatis fidem præparatum reliquit. Superiùs enim ita ait: *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Honorem ab hominibus non accipio; sed cognovi vos, quoniam dilectionem Dei non habetis in vobis. Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis. Quomodo potestis vos credere, qui honorem ab hominibus accipitis, & honorem ejus, qui est solus Deus, non quæritis?* (Ibid. 40. &c.) Honorem improbat hominum: quia honor potiùs quærendus à Deo est, & infidelium est honorem ab alterutro accipere. Quid enim homo homini honoris impertiet? Cognitum itaque sibi ait, dilectionem Dei in his non esse: & non manentis in his dilectionis Dei hanc docet causam, quia se venientem in nomine patris sui non accipiunt. Quid rogo est, in nomine Patris eum venire? Numquid aliud, quàm in nomine Dei? Aut numquid non idcirco in his dilectio Dei non est, quia non susceptus sit in nomine Dei veniens? Aut numquid in se non & naturam Dei significaverat, dicens, *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis?* Nam & in eodem ipse sermone jam dixerat, *Amen amen dico vobis, quoniam venit hora, & nunc est, in qua audient mortui vocem filii Dei; & qui audierint, vivent.* (Joh. 5. 25.) Cùm in nomine Patris venit; neque ipse Pater est, nec tamen non in ea est divinitatis natura qua Pater est: quia & Filio & Deo proprium est in nomine Dei patris venire. Deinde accipiendus est alius in nomine eodem veniens. Sed hic homo est, à quo sibi [h] honorem homines sperabunt, & cui honorem reddent vicissim; cùm tamen se idem in nomine Patris venisse fallet. Et hîc quidem [i] antichristum significari non obscurum est, mendacio paterni nominis gloriantem. Et cùm hunc honorabunt, atque ab eo honorabuntur; (hunc enim spiritum erroris excipient,) honorem ejus qui est solus Deus non quærent.

Honor à Deo quærendus.

Dei dilectione carent Christum in nomine Dei non suscipientes.

Antichristus, homo.

23. Anne cùm ob hoc dilectionem Dei non habeant, quia venientem se in nomine Patris non acceperint, & rursum venientem alium in eodem nomine recipientes, & honorem ab alterutro accipientes, honorem ejus qui solus Deus est non requirant, separare se Christus ab honore unius Dei poterit intelligi; cùm idcirco non quæratur honor solius Dei, quia antichristum suscipiendo non sit ille susceptus? Nam cujus repudiatio, honoris solius Dei prætermissio est; in hujus honore necesse est honorem solius Dei esse, in cujus si susceptione mansissent, honorem solius Dei quæsissent. [k] Et hic idem ipse sermo testis est nobis, in cujus exordio continetur, *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* (Ibid. 23.) [l] Numquam nisi naturalia exæquantur in honore: neque exæquatus honor separat honorandos. Cum sacramento tamen nativitatis poscitur

Dei & Christi honor inseparabilis.

[a] In Tractatu de unitate Patris & Filii, in quo hic liber fere totus exscriptus est, *intelligendum esse.* In ms. Vat. bas. *ea . . . natura intelligenda.* Hæc absque obscuritate ita legeris: eam necesse est intelligamus naturam operari in Christo.

[b] Vetustior ms. Colb. *& in ejus opera.* Tres alii, *& ejus opera.* Mox plerique, pro *ostenduntur*, habent *ostendunt*: cui verbo in lib. de unit. subjicitur vocula *se.*

[c] Erasmus temere hîc de suo adjecit verbum *refertur*, quod postea ab aliis editoribus retentum est. At perspicuum est voces *ad id* referendas esse ad sequentes, puta ad *continuò subjecit.*

[d] Editi, *Et cùm testatus . . . ut causa tamen*, Hilarii oratione abrupta prorsus atque confusa. Sic posset tota illa phrasis ordinari: *Ut cùm testatus de eo Pater fuisset, causa tamen neque vocis audita* &c. *posset intelligi; ad id quod dictum est, Neque vocem ejus audistis* &c. *continuò subjecit, Quoniam quem misit ille, huic vos non creditis.*

[e] In ms. Colb. deest *& haberetur*: cujus loco malè præferunt bas. Vat. ac Martin. *& audiretur.* Sicut enim *loqueretur* ad *vocem ejus audistis*, & *videretur* ad *neque figuram ejus vidistis*; ita ad *verbum ejus non habetis* rectiùs referas *haberetur.* Mox in eodem Vat. bas. codice, *numquid separabile aliqua natura differentia*: in Martin. *numquid separabili quàm natura* &c.

[f] Illud *hinc* aptiùs cohæreret verbis *neque auditus*: puta, *cùm Pater testans de eo, hinc* (ceu ideo) *neque auditus, neque visus, neque intellectus sit, quia* &c.

[g] Vat. bas. ms. *non tamen nesciendum hoc dictum, & non* &c. corruptè.

[h] Lips. & Par. *honorem hominis.*

[i] Scribitur constanter in antiquis libris, *antechristum.*

[k] Quinque probæ notæ mss. *etsi hic idem.*

[l] Excusi, *numquam enim natura alia.* Tum Bad. & Er. *exæquatur.* Castigantur ex mss. Idipsum alio modo sic enuntiatur lib. 12. n. 7. *Numquam diversitas rerum nisi & in honore diverso est: res enim eadem venerationis ejusdem sunt* &c.

honoris æqualitas. [a] Cùm Filius ita honorandus ut Pater sit, & cùm ejus, qui solus est Deus, honor non quæritur; non est extra solius Dei honorem, cujus honor idem atque unus & Dei est: quia ut non honorificans Filium, non honorificat & Patrem; ita & solius Dei honorem non quærens, non quærit & Christi. Inseparabilis itaque est à Dei honore honor Christi. Et quàm unus atque idem utriusque sit, etiam ex eo docet, cùm ait nuntiatâ sibi Lazari infirmitate, *Infirmitas ista non est usque ad mortem, sed pro gloria Dei est, ut honorificetur filius Dei per eum.* Pro gloria Dei Lazarus moritur, ut filius Dei glorificetur per Lazarum. Numquid ambigitur, in gloria filii Dei esse gloriam Dei; cùm mors Lazari, quæ Deo sit gloriosa, gloriam sit Dei filio [b] paritura? Atque ita & naturalis per nativitatem unitas Dei patris in Christo docetur, cùm infirmitas Lazari pro Dei gloria est; & sacramentum fidei retinetur, cùm per Lazarum glorificandus est Dei filius: Deo [c] per id Dei filio intelligendo, neque ita Deo intelligendo, ut non etiam Dei filio confitendo; cùm glorificando per Lazarum Deo, Dei sit filius gloriosus.

Joh. 5. 23. — Joh. 11. 4.

24. Inseparabilis sacramento divinæ naturæ est viventis à vivente nativitas, nec demutationem generis accipit filius Dei, ne non in eo paternæ naturæ veritas maneat. Nam & his ipsis significationibus, quibus confesso uno tantùm Deo, abnegasse in se Dei naturam videtur sub solius demonstratione, in unitate se tamen paternæ naturæ, unius Dei fidem non convellens, locavit. Interrogatus enim ab Scriba, quod in lege esset principale mandatum, respondit, *Audi Israel, Dominus* [d] *Deus noster Dominus unus est: & diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis visceribus tuis, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. Secundum simile illi: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Majus autem horum mandatum non est.* Alienasse se à natura & religione unius Dei existimatur, cùm principalis mandati hæc sit professio, *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est:* deinde * ne in consequentis se quidem mandati religione constituat, cùm ad proximi nos dilectionem lex, sicut ad unius [e] Domini fidem, vocaret. Et quidem responsio Scribæ non est negligenda, dicentis, *Bene dixisti magister in veritate, quòd unus sit Deus, nec est alius præter illum: ita diligendus ex toto corde & ex totis viribus & ex tota anima: & diligere proximum tamquam se ipsum. Hoc majus est omnibus holocaustomatis & sacrificiis.* Responsio Scribæ videtur cum dictis Domini convenire, unius Dei caritatem intimam internamque profitentis, [f] sed dilectionem proximi secundùm propriæ dilectionis veritatem pollicentis, & supra sacrificiorum holocaustomata caritatem in Deum atque in hominem esse intelligentis. Sed quid sequatur, videndum est.

Christus ibi se Deũ, ubi nonnisi unum esse profitetur. — Marci 12. 29. &c. — Deus unus. — * supple, cum. — Scriba assentitur. Marci 12. 32. & 33.

25. *Videns autem Jesus quòd sapienter respondisset, dixit illi, Non es longè à regno Dei.* Quid sibi vult tam moderatæ responsionis professio, * cùm hominem ad cælorum regnum fides ista consummet, unum Deum credere, & eum totâ animâ & totis viribus & toto corde diligere, proximum quoque ita ut se ipsum amare, Scriba hic non jam in regno Dei sit, sed non longè à regno Dei sit? Alia istud significatione nudum vestientibus, & esurientem alentibus, & sitientem potantibus, & ægrotum visitantibus, & clausum carcere frequentantibus datur: Venite benedicti patris mei, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi. Vel illis quibus hæc [g] pauperis spiritûs merces est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Perfectus hic fructus est, & absoluta possessio est, & præparati regni non incerta traditio. Aut numquid adolescens minus aliquid horum confitebatur? Nam exæquata ad amorem suum dilectione proximi, quid de boni operis consummatione non egerat? Interdum enim indulgentem officiosumque esse, non perfectæ est caritatis: PERFECTA autem CARITAS omne [h] cujusque modi indulgentiæ implevit officium, cùm non reliquerit quod alteri debeat, qui tantum alteri quantum sibi reddat. Sed ignoratione consummati sacramenti detentum Scribam, [i] professionem fidei Dominus collaudans, & non longè eum à Dei regno esse respondens, non tamen eum in ipsa jam beatæ spei possessione constituit. Tendebat enim [k] felici cursu, etsi ignoranti, & prælatâ omnibus dilectione Dei, & caritate proximi suæ ipsius dilectioni exæquatâ. Cùm tamen ei ipsi proximi caritati amorem Dei prætulisset, jam non holocaustomatum & sacrificiorum præscriptis continebatur. Non erat longè istud ab evangelico sacramento.

Ibid. 34. Hic non longè à regno Dei, dum tendit ad caritatem. — * supple, ut. — Matth. 25. 34. — Matth. 5. 3. — Marci 10. 20.

[a] Hæc sententia, *cùm Filius* &c. videri potest superioris probatio: & perinde ab illa separari non debere. Interpunctionem tamen vulgatam, qua copulabatur cum præcedente, & à subsequente disjungebatur, mutandam duximus, quo magis perspectum sit Hilarii argumentum ex duobus Scripturæ locis acutè collectum. Et ex uno quidem conficit Patris & Filii honorem esse inseparabilem; ex altero autem honorem utrique delatum vel negatum, soli Deo delatum esse aut negatum. Unde sequitur Patrem & Filium unum esse ac solum Deum, licèt non solitarium.

[b] In lib. de unit. Patris & Filii, *operatura*. In Colb. Germ. Martin. Corb. &c. *paratura*.

[c] In vulgatis, *perinde*. At in mss. *per id*: quod magis Hilarianum. Deinde nonnulli codices, *in Dei filio*. At verò bas. Vat. *Deum per id in Dei filio intelligendo, neque ita Deum intelligendo, ut non etiam Dei filium confitendo.* Etsi dura, vera tamen est lectio quam retinemus, quæ ita planior efficietur: Ex quo fit, ut Dei filius intelligendus sit Deus, neque ita intelligendus Deus, ut non etiam confitendus sit Dei filius.

[d] Editi hîc & infrà cum plerisque mss. *Deus tuus*: corriguntur auctoritate mss. Germ. & Colb. consentiente græco Marci textu: ex quo deinde reponimus *Dominus unus*, quomodo infrà legitur in pluribus mss. cùm utrobique in vulgatis obtineat *Deus unus*: & in ms. Martin. tantùm *unus*.

[e] Editi, *ad unius Dei fidem*: reluctantibus mss.

[f] Editi, *& dilectionem*. Præferimus cum mss. Colb. & Germ. *sed*, qua particula aptiùs significatur amoris utriusque discrepantia.

[g] Aliquot mss. *pauperis spiritu*. Nonnulli alii, *pauperibus spiritu*.

[h] Excusi, *hujuscemodi indulgentiæ implebit*: castigantur ex mss.

[i] In vulgatis, *per professionem*: expunximus *per* ex fide mss.

[k] Sola editio Par. *fideli cursu*. Tum mss. Vat. bas. & Martin. *etsi ignorata*. Magis placeret cum Colb. *etsi ignorati*, si hæc duo vocabula post *prælata dilectione Dei* exstarent. Verùm ideo ignorans ille cursus, quia hominis ignorantis Deum, secundùm illud lib. 3. n. 17. *Deum nemo noscit, nisi confiteatur & Patrem patrem unigeniti filii, & Filium* &c. Illa enim Patris & Filii cognitio consummatum sacramentum est, cujus ignoratione detentus Scriba modò dicebatur.

a Nondum est in regno Dei, quia nondum in fide Christi Dei.

Marc. 12. 34. Psal. 109. 1.

26. Et cur non longè à Dei regno sit,[a] quàm A futurus magis in Dei regno sit, ex ipsis dictis Domini intelligendum est. Sequitur enim: *Et nemo jam audebat eum interrogare. Et respondens Iesus dixit docens in templo, Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David? Ipse enim David dicit in Spiritu sancto, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse David dicit eum Dominum; & unde est filius ejus?* Non longè igitur à Dei regno est Scriba unum Deum confi- B tens, qui ultra omnia esset diligendus. Sed admonetur sua ipsius professione, cur sacramentum legis ignoret, & Christum Dominum filium Dei nesciat per nativitatis naturam in fide unius Domini confitendum. Et quia per unius Domini secundùm legem professionem, Dei filio, ut in [b] unius Domini sacramento maneret, non relinqui videbatur; Scribam admonet, quomodo Christum David filium esse diceret, cùm David eum Dominum suum esset professus; nec C natura sineret, ut qui tanto patriarchæ esset filius, esset & Dominus. Hoc ideo, ut [c] se Scriba, secundùm carnem & partum Mariæ quæ ex David esset solùm eum intelligens, Dominum potiùs, secundùm Spiritum, David meminisset esse, quàm filium; & id quod dictum est, *Audi Israel Dominus Deus noster Dominus unus est*, à Domini unius sacramento Christum non separaret, cùm tantus patriarcha & prophetes eum, qui ex utero Domini ante luciferum D genitus fuisset, Dominum sibi profiteretur: non utique immemor legis, neque ignorans Dominum alium non confitendum, sed eum, qui naturalis sacramento nativitatis ex incorporalis Dei utero substitisset, absque violatæ legis fide Dominum esse intelligendum; cùm unus ex uno, per unius Domini naturam, haberet in se naturale quòd Dominus est.

Marci 12. 29.

Epilogus.

27. Quis ergo est jam nunc relictus ambigendi locus? Dominus ipse præcipuum manda- E tum legis in unius Domini confessione ac dilectione docens esse, non suo ad Scribam, sed Prophetæ testimonio usus est, esse se Dominum: Dominum se tamen semper per id, quòd Dei filius est, esse significans. Per id enim in sacramento Dei unius per nativitatem manet, quia Dei in se naturam Dei nativitas tenens, in Deum alterum non excedat diversitate naturæ; & veritas generationis nec Patri adimat ne non [d] Dominus sit, nec Filio non perficiat F ne non sit & Dominus. Atque ita neque auctoritatem Pater amittit, nec naturam Filius non tenet: per quod nec Deus pater non Dominus unus est, neque unigenitus [e] Deus Dominus separatur ab uno; cùm ex uno Domino unus ipse subsistat in Dominum: Dominum unum ita ex lege docens, ut se quoque Dominum Prophetâ * teste confirmet.

* David Psal. 109.

Ex ipsis hæreticorum objectis confirmatur Dei in Christo natura.

28. Tendat per ceteras impii furoris propositiones fidei evangelicæ responsio, & his ipsis quibus impugnatur repugnet: & armis excidii sui vincens, unius Spiritus dicta, unius quoque fidei demonstret esse doctrinam. Neque enim alius Christus, quàm qui est prædicatus, Deus scilicet verus, & in Dei unius veri gloria manens: & sicut se Dominum ex lege, dum negare videretur, professus; ita & in Evangeliis verum se Deum, dum non confiteri existimatur, ostendens. Hoc enim se dicto ejus, ne eum verum Deum esse hæretici confiteantur, excusant: *Hæc est autem vita æterna, ut sciant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* In eo namque quod ait, *te solum verum Deum*, separare se à veritate Dei per exceptionem solitarii existimatur; cùm solus verus Deus nisi se tantùm solitarium Deum non patiatur intelligi. Et verè istud fides apostolica non patitur, duos veros deos credi; quia naturæ unius Dei nihil alienum naturæ ejusdem exæquandum sit veritati. Non erit enim in Dei unius veritate Deus unus, si extra naturam unius Dei veri, alterius generis & non secundùm nativitatem naturalis sibi Deus verus exsistat.

Hæreticorum objectum. Joh. 17. 3.

Ex adjunctis verbis diluitur.

29. Sed ut hoc ipso eodem dicto non ambiguè ipse se in unius Dei veri natura Deum verum professus esse intelligatur, à superioribus, huic tamen dicto continuatis atque junctis, professionibus responsionis nostræ sermo descendat: ut per gradus demonstratæ fidei, jam in ipso apice veri Dei Christi libertatis nostræ fiducia conquiescat. Post sacramentum itaque sermonis ejus, quo dixerat, *Qui me vidit vidit & Patrem*; &, *Non creditis mihi, quòd ego in Patre, & Pater in me? Verba, quæ ego loquor vobis, non à me loquor; sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua. Credite mihi, quoniam ego in Patre, & Pater in me est: sin autem, vel propter opera ipsa credite:* Post multiplicem ergo hunc ingentium mysteriorum sermonem, sequitur respondentium discipulorum sermo iste: *Nunc ergo scimus quia nosti omnia, & non habes necesse ut aliquis te interroget; in hoc credimus quoniam à Deo existi.* Virtutibus in eo Dei, naturam quoque Dei intellexerunt: neque enim nosse omnia, & cordium cogitationes scire, missi potiùs à Deo posset esse, quàm nati. In hoc ergo se credere profitentur quòd à Deo exierit, quia naturæ in eo Dei esset potestas.

Joh. 14. 9. Ibid. 10. &c.

Joh. 16. 30. & 31. Deum ex Deo naturâ Christum agnoscunt Apostoli.

30. Intelligentiam [f] autem eorum collaudans Dominus respondit, non utique quòd missus esset, sed quòd à Deo exisset, profectum nativitatis ex incorporali Deo sub exitionis significatione testantium. Nam & ipse nativitatem suam sub exitionis demonstratione fuerat elocutus, dicens, Vos me amatis, & creditis quoniam à Deo exivi, & à Patre veni in hunc mundum. A Patre enim in hunc mun-

V. lib. 6. n. 30. Exitionis nomine id aptè significant. Ibid. 27. & 28.

[a] In excusis, *qui futurus*: pravè. Sensus est, *cur magis*, seu cur potiùs *non longè à regno, quàm futurus in regno* dicatur.

[b] Codex Vat. bas. cum Martin. *unius Dei*: minùs concinnè.

[c] Vocabulum *se* in vulgatis omissum restituitur ex mss.

[d] Editi, *ne non Deus sit*: reluctantibus mss. Tum Vat. bas. codex, *nec Filio non proficiat*.

[e] Mss. Colb. & Germ. *unigenitus Dominus*, omissa voce *Deus*. Vat. bas. *unigenitus Deus Domino*.

[f] in ea scil. sitam fide, qua eum à Deo exisse se credere profitentur, Dominus collaudat & confirmat, cùm statim respondet, *Modò creditis*. Quocirca verba, *non utique quòd missus esset, sed quòd à Deo exisset*, non ad *respondit*, sed ad *intelligentiam collaudans* referenda sunt.

dum venerat, quia à Deo exierat. Nam ut nativitatem suam in exitione significasse intelligeretur, subjecit se à Patre venisse. Et cùm per id à Patre venerit, quia à Deo exierit; exitio ejus à Deo absoluta nativitas est, quam paterni nominis est confessio consecuta. Intelligentibus itaque Apostolis hoc exitionis sacramentum, hæc locutus est: *Modò creditis. Ecce* [a] *venit hora, & nunc venit, ut dispergatur unusquisque in sua, & me solum relinquatis: sed non sum solus, quoniam Pater mecum est.* Ut exitionem illam, non alienationem à Deo patre doceret esse, sed nativitatem naturam in se Dei patris nascendo retinentem; subjecit non se solum esse, sed Patrem secum esse, virtute utique atque unitate naturæ: cùm secum Pater in se manens esset, in loquente se atque operante & operans & loquens. Deinde ut causam totius hujus sui sermonis ostenderet; adjecit, *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In hoc autem sæculo tribulationem habebitis: sed* [b] *animæqui estote, quia vici ego mundum.* Locutus ergo ista est, ut pacifici in eo manerent, neque dissensionum studio super fidei disceptationibus dissiderent; cùm qui solus relinqueretur, non solus esset; & qui à Deo exisset, eum à quo exisset Deum in se haberet: deinde in sæculo vexati, patientes promissionum ejus essent, qui mundum à Deo exeundo & Deum secum habendo vicisset.

Exitio illa nativitatem dicit, non alienationem à Patre.

Ibid. 32. & 33.

Ibid. 33.

31. Postremò totius mysterii fidem locuturus, elevatis in cælum oculis ait, *Pater, venit hora, honorifica filium tuum, ut filius tuus honorificet te. Sicut dedisti illi potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti illi, det ei vitam æternam.* Anne tibi infirmus videtur, cùm honorificari se rogat? Sit planè infirmus, nisi honorificari se idcirco postulat, ut ipse honorificet honorantem. De honore accipiendo & reddendo, * libro alio tractavimus, & eadem revolvere admodum [c] otiosum est. Certè non ambigitur gloriam idcirco posci, ut glorificetur impertiens. Sed fortè in eo imbecillus est, quòd potestatem omnis carnis accepit. Sit quoque acceptio potestatis imbecilla, nisi potens est illis, quos accepit, vitæ tribuere æternitatem. Sed in eo ipso quoque, quod accepit, naturæ aliqua infirmitas arguitur. Sit planè acceptio infirmitas, nisi Christus ex nativitate potiùs, quàm ex innascibilitate Deus verus est. Quòd si acceptio potestatis, sola est significatio nativitatis, in qua accepit id quod est; non est infirmitati datio deputanda, quæ totum hoc nascentem consummat esse quod Deus est. Cùm enim innascibilis Deus ad perfectam divinæ beatitudinis nativitatem unigenito Deo auctor sit, auctorem nativitatis esse sacramentum [d] paternum est. Ceterùm non habet contumeliam, [e] quæ se auctoris sui esse imaginem genuina nativitate consummat. Dedisse enim potestatem omnis carnis, & ad id dedisse ut det ei vitam æternam, habet & in dante quòd pater est, & in accipiente quòd Deus est: cùm & in eo significetur Pater esse, quòd dederit; & in eo Filius Deus maneat, quòd vitæ æternæ dandæ sumserit potestatem. Naturalis igitur filio Dei & congenita omnis potestas est: quæ cùm data sit, [f] non alienat eum per id ab auctore quia data est; cùm quod sit auctoris, hoc datum sit, dare scilicet vitam æternam, & corruptionem [g] in incorruptionem mutare. Dedit itaque Pater omnia, & accepit Filius omnia: neque ambiguum est, cùm dixerit, Omnia quæ Patris sunt, mea sunt. Et hîc quidem non creationum species, neque elementorum diversas substitutiones præsens sermo significat: sed beatæ atque absolutæ divinitatis nobis gloriam pandens, Deum in his ostendit intelligendum esse quæ sua sunt, in virtute, in æternitate, in providentia, in potestate: non quòd hæc Deus ita habeat, tamquam aliud quid extra ista esse [h] credendus sit: sed quòd in his ad aliquantulam sensus nostri opinionem significatus sit ipse quæ habeat. Unigenitus igitur in his se docens substitisse quæ Patris sunt, cùm ex se sumturum esse sanctum Spiritum dixisset, adjecit, Omnia quæ Patris sunt, mea sunt; propterea dixi, de meo accipiet. Omnia quæ Patris sunt, sua sunt, tradita utique & accepta. Sed data non infirmant [i] divinitatem, quæ in his eum constituunt esse quibus Pater est.

Joh. 17. 1. & 2. Filium infirmum non probat gloriæ petitio, non potestatis acceptio.

* Lib. 3. n. 12.

Potestas omnis Filio est congenita.

Joh. 16. 15. V. infrà n. 72.

Ibidem.

32. His igitur nunc gradibus præmissæ de se intelligentiæ usus est, ut cùm se à Deo exisse docuisset, secumque esse Patrem professus esset, seque mundum vicisse testatus esset, & honorandus à Patre Patrem esset honoraturus, & accepta potestate in danda universæ carni vitæ æternitate esset usurus, tum postremò omnia hæc tali absolutione concluderet: *Hæc est autem vita æterna, ut sciant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Vitæ æternæ fidem vel loqui hæretice disce, vel credere. Et separa à Deo Christum, si potes, à Patre Filium, à Deo vero super omnia Deum, à solo unum; (unus enim Dominus est Jesus Christus,) si vita æterna est in Deum solum verum credidisse [k] sine Christo. Si verò separato Christo à solo Deo vero, in confessione solius Dei veri vita æterna non capitur; non intelligo quomodo nobis à Deo vero separandus

Inseparabilis est à Patre.

Joh. 16. 28. ℣. 32. ℣. 33. Joh. 17. 1. ℣. 2. ℣. 3.

1. Cor. 8. 6.

[a] Lips. & Par. *veniet hora*: refragantibus aliis libris & græco ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐλήλυθεν. Unde particulam *nunc* revocamus ex Bad. Er. & ms. bas. Vat.

[b] Ita Lips. cum mss. At Er. post Bad. *animi æqui*. Par. *animæquiores*.

[c] In ms. Vat. bas. *odiosum*.

[d] id est, proprietas est, qua solâ Pater à Filio distinguitur.

[e] Apud Par. *qui*. Præferimus cum mss. *quæ*, scil. acceptio. Nonnullis deinde omittunt *se*, quod ad Deum unigenitum refertur. In tribus Vatic. *quem auctoris sui imaginem*. At apud Bad. Er. & Lips. *quæ auctoris sui exprimit imaginem: quòd enim Pater dedit potestatem, in hoc filium genuit; quòd Filius accepit, nativitatem consummat*: glossema.

[f] Excusi, *non alienata est per id*: emendantur ex mss.

[g] In nonnullis probæ notæ mss. omittitur *in incorruptionem*.

[h] Par. cum vetere ms. Colb. *credendum sit*. Mox eadem editio post Er. & Lips. *ipse qui habeat*. Magis placet cum Bad. & mss. *quæ*, puta, *sed quòd in his quæ habeat, ipse significatus sit*. Hîc docetur Deus ita simplex, ut in eo nequaquam more nostro aliud sint habens & habita. Quocirca lib. 8. n. 24. dicitur, *Se omnem per sua edocet, & sua non aliud quàm se esse significat, ut ubi sua insint, ipse esse intelligatur.*

[i] Bad. & Er. cum uno è ms. Vatic. *nativitatem*: minùs bene.

[k] Editi, *sed non sine Christo separato Christo à solo Deo vero* &c. lectione minùs sincera & interpunctione vitiosa. Castigantur ope mss.

ad fidem sit, qui non sit separabilis ad salutem. A

33. Quamquam igitur sciam morosas difficilium quæstionum absolutiones legentium desideriis graves esse; tamen dilatatâ ad modicum totius veritatis demonstratione, indulgeri mihi existimo non sine aliquo fidei profectu, his ipsis dictis evangelicis tecum heretice luctanti. Audis professionem Domini dicentis, *Hæc est autem vita æterna, ut sciant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quæro, quid sit quod sensum moveat, ne verus Deus Christus sit? Non B enim tibi nunc quid de Christo [a] crederes, significatio aliqua alia subjecta demonstrat. Non habes quidquam præter quàm *Iesum Christum*; non filium hominis, ut de se solet dicere; non filium Dei, ut profiteri ei de se usitatum est; non descendentem panem vivum de cælis, quod cum multorum scandalo de se [b] frequentat. Sed dicens, *te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, omnem prænominum & cognominum suorum, vel naturalium, vel as- C sumtorum consuetudinem prætermisit: ut cùm confitendus solus verus Deus & Christus Jesus æternitatem præstarent, sine dubio in ea Jesus Christus esset significatione, qua Deus est.

Objecto loco Christus innuitur Deus verus.

Joh. 6. 61.

Joh. 17. 3.

34. Sed fortè quod ait, *te solum*, communionem atque unitatem suam à Deo separat. Separet sanè, si non ad id quod ait, *te solum verum Deum*, continuò subjecit, *& quem misisti Iesum Christum.* Et sensum audientis interrogo, quid credendus sit Jesus Christus; cùm ad id, D quòd Pater solus Deus verus credendus sit, credendus & Christus sit? Sed solus fortè Pater Deus verus Christo non relinquit ut Deus sit. Non relinquat sanè, si unus [c] Deus pater Christo, ut unus sit Dominus, non reliquit. Quòd si unus Deus pater Christo non adimit ut unus sit Dominus, ita solus Deus pater verus Christo Jesu non aufert ut Deus verus sit: cùm ad vitæ æternæ meritum hoc proficiat, ut cùm credatur solus verus Deus, credatur & Christus. E

Nec repugnat quod Pater dicatur solus verus.

1. Cor. 8. 6.

35. Quid nunc, rogo, stultitiæ tuæ sensu Christo deputas, heretice, [d] ut esse credatur; & Christo, qui vitam æternam tribuit, qui honorificandus à Patre Patrem honorificavit, qui mundum vicit, qui solus relinquendus non solus est, sed secum habet Patrem, qui à Deo exivit atque à Patre venit? Quid ei in tantis Dei virtutibus nato naturæ ac veritatis imperties? Solum enim verum Deum patrem inutiliter credimus, nisi credamus & quem misit Jesum Christum. Quid hæres? quid Christus confitendus sit F doce. Nam qui quæ scripta sunt negas, quid restat, nisi ut quæ non scripta sunt credas? O infelix voluntas, & veritati obnitens falsitas! Cùm in fide & confessione veri Dei patris Christus unitus est, rogo qua fide verus Deus negatus creatura esse dicetur, cùm fides nulla sit in solum verum Deum credidisse sine Christo? Sed angustum te, hæretice, & divini Spiritus incapacem, cælestium dictorum non adit sensus: & vipereo inspiratus errore, Christum verum Deum nescis in fide solius veri Dei ad vitæ æternitatem confitendum.

Nec locus est, ut Christus aliud à Deo credatur.

36. Sed Ecclesiæ fides solum verum Deum patrem confessa, confitetur & Christum. Neque verum Christum Deum confitendo, non & solum verum Deum patrem confitetur: neque rursum solum verum Deum patrem confessa, non confitetur & Christum. Per id enim Christum confessa Deum verum est, quòd solum verum Deum confessa sit Patrem. Ita quòd solus Deus pater Deus verus est, Deum verum esse confirmat & Christum. Non enim unigenito Deo naturæ demutationem naturalis nativitas intulit: [e] nec qui ex subsistente Deo secundùm divinæ generationis naturam Deus subsistit, ab eo, qui solus verus Deus est, separabilis est veritate naturæ. Tenuit autem natura veritatis suæ ordinem, [f] ut nativitatis veritatem veritas naturalis inveheret, nec alterius ex se generis Deum Deus unus efferret. Atque ita sacramentum Dei nec in solitudine, nec in diversitate consistit: cùm neque alter Deus deputetur, qui ex Deo cum naturæ suæ proprietate substiterit; neque in unione maneat, quem patrem nativitatis veritas doceat confitendum. Non deseruit igitur natus Deus naturæ suæ proprietatem: & naturali in eo virtute est, cujus in se tenet naturali nativitate naturam. Non enim in eo Deus aut demutatus, aut degener est; cùm si quod vitium nativitas intulisset, ei potiùs naturæ contumeliam, per quam nativitas subsistebat, [g] inveheret, dum quod ex se est desineret esse quod suum est: atque ita non eum demutatio [h] corrumperet, qui in substantiam novam nativitate substiterat; sed eum, qui in nativitate filii impotens naturæ suæ tenere constantiam, externum aliquid à se alienumque genuisset.

Eo quòd solus Deus verus Pater, verus etiam Deus est Christus.

Aliud eum dicere Patri est injuriosum.

37. Non est autem, ut sæpe jam commemoravimus, in unitate Dei patris & Dei filii humanarum vitium opinionum: ut sit vel extensio, vel series, vel fluxus; ut aut rivum fons effundat ab origine, aut ramum arbor teneat in caudice, aut calorem ignis emittat in spa-

Unitas Patris & Filii non humano more cogitanda.

[a] Bad. & Er. cum mſ. Remig. *credideris.* Lipſ. & Par. cum Corb. & aliquot aliis, *credere debeas.* Reponimus cum sincerioribus *crederes.*

[b] Recentior mſ. Colb. quem Bad. & Er. secuti sunt, *frequenter asserit*: reluctantibus aliis libris.

[c] Sola editio Par. *unus Dominus Pater*: malè. Respicitur hîc locus Apostoli 1. Cor. 8. 6. libro superiore, cujus num. 35. videsis, copiosè tractatus.

[d] Bad cum aliquot mſſ. *ut cùm credatur & Christo*: quorum loco Erasmus, oblitus quantum præfatione sua in interpolatores declamasset, substituit, *ut cùm creditur Deo Patri, credatur & Christo.* Lipsius tandem de suo restituit, *cùm esse credatur & Christus*: quod postea obtinuit. Locum hunc resarcimus ad fidem mſſ. in quorum tribus desideratur, *& Christo*: quæ repetitio quamdam habet emphasim, hoc nimirum sensu: Tu qui non vis ut Christum Deum esse credamus, quam ei naturam deputas? ei, inquam, qui vitam æternam tribuit, qui &c.

[e] In vulgatis, *&* pro *nec*; & infrà, *inseparabilis* pro *separabilis.* Concinnior est lectio mſſ.

[f] Antiqui cod. Colb. Carn. & Germ. *ut nativitatem veritas* &c.

[g] Editi, *inferret.* At mſſ. Corb. Martin. Vat. bas. ac plures alii, *inveheret.* Quinque ex antiquioribus, *inhæreret*: qui quidem antea habent *id potiùs*, non *ei potius.* Quocirca non displicet cum Carnut. *id potiùs naturæ contumeliâ . . . inhæreret.* Non malè hîc Pater nuncupatur natura per quam nativitas subsistit; cùm adversùs hæreticos sermo sit, qui Filio diversam ab eo naturam adscribebant. Quàm hoc Patri sit contumeliosum, demonstrat Augustinus Serm. 139. n. 3. & 4. Vide suprà pag. 832. not. g. & pag. 852. not. f.

[h] Par. *corruperat*; editi alii, *corrumpebat*: emendantur ex mſſ. Colb. & Germ.

tium. Hæc enim [a] ab se inseparabili protensione A manent potiùs detenta, quàm [b] sibi sunt: dum & calor in igne est, & in arbore ramus est, & rivus in fonte est. Et hæc ipsa res sola sibi est potiùs, quàm res ex re substituta est: quia non aliud [c] arbor quàm ramus, neque ignis quàm calor, neque fons possit esse quàm rivus. At

Filii nativitas.

verò unigenitus Deus ex perfecta atque inenarrabili nativitate subsistens Deus est, & vera progenies innascibilis Dei est, & incorporalis naturæ generatio incorporalis, & Deus vivus B & verus à vivente Deo vero, & inseparabilis à Deo naturæ Deus: dum subsistens nativitas non alterius naturæ Deum perfecit, neque generatio, quæ substantiam provehebat, substantiæ naturam demutavit in genere.

Unitas paternæ naturæ Christo ut homini negata.

38. Sed dispensatione assumtæ carnis, & per [d] exinanientis se ex Dei forma obedientiam, naturæ sibi [e] novitatem Christus homo natus intulerat, non virtutis naturæque damno, sed habitûs demutatione. Exinaniens se igitur ex Dei C forma, servi formam natus acceperat: sed hanc carnis assumtionem ea, cum qua sibi naturalis unitas erat, Patris natura [f] non senserat: & novitas temporalis, licèt maneret in virtute naturæ, [g] amiserat tamen, cum forma Dei, naturæ Dei secundùm assumtum hominem unitatem. Sed summa [h] dispensationis hæc erat, ut totus nunc Filius, homo scilicet & Deus, per indulgentiam paternæ voluntatis, unitati paternæ naturæ inesset: & qui manebat in virtute D naturæ, maneret quoque in genere naturæ. Id enim homini acquirebatur, ut Deus esset. Sed manere in Dei unitate assumtus homo nullo

Per gloriam ei redditur.

modo poterat, nisi per unitatem Dei in unitatem Dei [i] naturalis evaderet: ut per hoc, quòd in natura Dei erat Deus Verbum, Verbum quoque caro factum rursum in natura Dei inesset: atque ita homo Jesus Christus maneret in gloria Dei patris, si in Verbi gloriam caro esset unita: rediretque tunc in naturæ paternæ etiam secundùm hominem unitatem Verbum caro factum, cùm gloriam Verbi caro assumta tenuisset. Reddenda igitur apud se ipsum [k] Patri erat unitas sua, ut naturæ suæ nativitas in se rursum glorificanda resideret: quia dispensationis novitas offensionem unitatis intulerat; & unitas ut perfecta antea fuerat, nulla esse nunc poterat, nisi glorificata apud se fuisset carnis assumtio.

39. Et idcirco tantò antea præparato ad fidei hujus intelligentiam sensu, cùm dixisset, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*; Joh. 17.3. subjecit secundùm dispensationis suæ obedientiam, *Ego te glorificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem.* Ibidem 4. Post quæ, ut meritum obedientiæ & sacramentum totius dispensationis intelligeremus, adjecit, *Et nunc* Ibidem 5. [l] *glorifica me tu Pater apud temetipsum gloriâ quam habebam, ante quàm sæculum esset, apud te.*

Gloria Patris gloria Filii, idque sonat apud te.

Qui manere Christum in natura Dei denegat, & inseparabilem esse atque indifferentem à solo Deo vero non credit; respondeat quæ hujus petitionis sit ratio, *Et nunc glorifica me tu Pater apud temetipsum.* Quid enim causæ est, ut eum Pater glorificet apud semetipsum? aut quæ verbi hujus significatio est? quive si-

[a] Bad. Er. & unus è mss. Vatic. omittunt *ab se*: pro quo alter codex Vatic. habet *in se*. Utrumque potest admitti. Nam ab arbore ramus, à fonte rivus protenduntur, & in iis nihilo minùs indivulsi manent.

[b] Martin ms. *sibi insunt*: quod Erasmus ad limbum adscripsit, ac postea Lips. & Par. in textum malè transtulere. Nam illud, *sibi sunt*, hoc sonat, ea non esse sui juris, nec per se subsistere; adeo ut ramus cum caudice non sint duæ res integræ & perfectæ, quarum una substituta sit ex altera, sed una sola tantùm substantia, quæ ex duabus partibus simul junctis suam subsistentiam obtineat.

[c] puta in subsistendi ratione, quæ una hîc consideratur. Nam quòd proximè antea *res ex re substituta* ea dicatur, quæ ex re subsistente subsistentiam suam consecuta sit; patet ex postremis lib. 8. verbis, quibus Filius asseritur ita *indifferens à Deo Deus, ut perfectum Deum substituerit perfecta nativitas.*

[d] Ita mss. At excusi, *exinaniendi.*

[e] Mss. Remig. Germ. Martin. ac vetus Colb. *nativitatem.* Malumus cum libris aliis *novitatem*, hoc est, novam hominis naturam: quod confirmare licet his num. 14. *Qui cùm se evacuaverit, ut manens Spiritus Christus, idem Christus homo esset; in corpore demutatio habitûs & assumtio naturæ* (en naturæ novitas,) *naturam manentis divinitatis non peremit*: en quid sibi velit, *non virtutis naturæque damno.* Sed & initio num. 53. non obscurè datur, quòd *nativitas hominis naturam novam intulit.*

[f] Bad. & Er. cum recentiore ms. Colb. *non sineret.* Quid hîc significetur, planum est ex his num. 50. *Ignorandum existimas, Patrem extra hanc humanarum passionum assumtionem .. sine carnis susceptione mansisse?*

[g] In mss. Corb. ab antiqua manu 2ª Cisterc. aliisque recentioribus, *non amiserat*; & mox apud Par. *nativitatem*, non *unitatem*: corruptè. Qui prædictum codicem Corb. annis ab hinc circiter 800. emendavit, hîc ad oram adscripsit, *Nota novum dogma*: non capiens quid unitatis Dei naturalis jacturam vel recuperationem diceret Hilarius, cujus nova potiùs & inusitata nobis est loquendi ratio, quàm dogma. Non enim negat in Christo, ex quo carnem suscepit, naturalem inter humanam divinamque naturam unitatem: quam constanter adeo propugnavit, ut suprà n. 11. & carnem spoliatam & carne se spoliantem unum eumdemque Christum negari non permitteret. Longè minùs sentit Christum ab unitate naturæ paternæ excidisse: *cum qua sibi*, etiam post assumtum hominem, *naturalis unitas erat*, uti proximè ab ipso audivimus, ac fusè probatur toto libro superiore, & aliis passim. Quæ est igitur naturalis illa unitas, quam Christus secundùm hominem amiserit? Non alia sanè, quàm ipsamet gloria: cujus nondum consors facta humana ipsius natura, quodam modo dissidebat à divina, utpote passibilis ab impassibili, mortalis ab immortali, infirma ab omnipotente. At ubi per gloriam redditur incorruptibilis, immortalis, æterna &c. tum perfectâ gaudet, quantum creatæ substantiæ licet, cum Dei natura consensione: quam quidem consensionem, ut ex sequentibus magis perspicuum erit, vocat Hilarius unitatem naturalem. Neque est quòd quis quærat, cur Christus illam dicatur amisisse, quam ante gloriosam resurrectionem secundùm assumtum hominem numquam habuerit. Ea enim ratione verè affirmatur amisisse, qua verè dicitur de ipsius carne, *Hic est panis qui de cælo descendit.* Ut enim docet S. Leo epist. nunc 24. c. 5. Augustini verba mutuatus ex lib. contra Serm. Arian. c. 8. *Propter hanc unitatem personæ in utraque natura intelligendam, & filius hominis legitur descendisse de cælo, cùm filius Dei carnem de ea Virgine de qua est natus assumsit* &c. Enim verò Christus, ante carnis susceptionem, prædictam illam unitatem simpliciter & absolutè habuerat, postea verò secundùm assumtum hominem non habebat: at aliquid habuisse simpliciter, & pòst non item habere, quid est nisi amittere? Negotium facessere hîc posset, quòd etiam formæ Dei jacturam facere hîc prædicetur, nisi *formæ* nomine externum habitum intelligendum esse jam suprà num. 14 ostensum esset.

[h] hoc est, consummatio atque perfectio: quæ ut in Psal. 2. n. 27. exponitur, in hoc sita erat, *ut quod tum filius hominis est, ad perfectum Dei filium, id est, ad resumendam indulgendamque corpori æternitatis suæ gloriam, per resurrectionis potentiam gigneretur.* Ubi ad perfectum Dei filium gigni idem omnino est, quod hîc *totus nunc filius*, vel quod suprà num. 6. *totus homo totus Deus*: ac proinde quod hîc dicitur, *per indulgentiam paternæ voluntatis unitati paternæ naturæ inesse*, idem sit necesse est, quod laudato loco corpori æternitatis gloriam per resurrectionem indulgere. Confer utrumque locum.

[i] Sic mss. At editi, *naturalem*: hac mutatione Hilarii scopum ac subtile argumentum prorsus obscurantes. Volens enim demonstrare Christum esse Deum naturalem, hoc eo conficit, quòd ipsius caro in gloriam ac naturam Verbi Dei unita, insit in unitate paternæ naturæ; quod fieri non possit, nisi una & eadem sit Patris ac Verbi Dei natura, qua mediante caro cum natura Verbi Dei unita, unita sit & cum natura Patris; proindeque nisi Christus sit naturalis Deus.

[k] ceu *à Patre*, tacita voce *Filio*: qui *nativitas naturæ suæ* postea vocatur.

[l] Carnut. codex, *Clarifica me ... gloria quam habui.* Tum ms. Vat. bas. *ante quàm mundus esset apud te.*

gnificationis effectus est? Pater namque non A eget gloriâ, nec se exinanierat de forma gloriæ suæ. Quomodo autem apud semetipsum glorificaturus est Filium, & eâ gloriâ quam habuit apud eum ante mundi constitutionem? Sed apud eum habere qui sensus est? Non enim ait gloriam, quam habebam ante quàm sæculum esset, [a] cùm essem apud te; sed gloriam, quam habebam apud te. Esse enim apud te, consistentem significat: habere autem apud te, naturæ sacramentum docet. *Glorifica* verò [b] *me apud te*, non B idem est quod glorifica me. Non enim semetipsum glorificari tantùm ita, ut sibi aliquid sit [c] proprium gloriæ, rogat: sed apud semetipsum Patrem glorificari se ab eo precatur. Ut enim in unitate sua maneret ut manserat, glorificaturus eum apud se Pater erat; quia gloriæ suæ [d] unitas per obedientiam dispensationis excesserat: scilicet ut in ea natura per glorificationem rursus esset, in qua sacramento erat divinæ nativitatis unitus, [e] essetque Patri apud C semetipsum glorificatus: ut quod apud eum antè habebat maneret, neque alienaret ab eo formæ Dei naturam, formæ servilis assumtio; sed apud semetipsum glorificaret formam servi, ut maneret [f] esse Dei forma: quia qui in Dei forma manserat, idem erat in servi forma. Et cùm servi forma glorificanda esset in Dei forma, apud eum ipsum glorificanda erat, in cujus forma formæ servilis erat habitus honorandus.

Hæc homini assumto non concessa, peracta dispensatione rogatur.

40. Non nova verò hæc, neque nunc pri- D mùm evangelicis doctrinis [g] consignata vox Domini est: & hoc ipsum [h] glorificandi Filii apud semetipsum Dei patris sacramentum pulcherrima illa spei suæ gratulatione testatus est tum, cùm Juda ad proditionem exeunte, gaudio consummandæ suæ dispensationis elatus hæc dixit: *Nunc honorificatus est filius hominis, & Deus honorificatus est in eo. Si Deus honorificatus est in eo, & Deus honorificavit eum in se, & Deus protinus honorificavit eum.* Quid E limosi corporis graves animæ, & sordente peccatis conscientiâ fœtidæ cœnosæque [i] mentes usque ad judicium divinæ de se professionis inflamur? & arbitros nos naturæ * cæ-

Joh. 13. 31. & 32.

* id est, divinæ.

lestis deputantes, impiis ad Deum calumniæ nostræ disputationibus [k] rebellamus? QUANTA potuit enim Dominus verborum simplicitate evangelicam fidem locutus est: & in tantum ad intelligentiam nostram sermones aptavit, in quantum naturæ nostræ ferret infirmitas; non tamen ut aliquid minùs dignum naturæ suæ majestate loqueretur. Et primam quidem dicti sui significationem non ambiguam existimo, cùm ait, *Nunc honorificatus est filius hominis.* Gloria enim omnis non Verbo, sed carni acquirebatur: id est, non nativitati Dei, sed nati hominis dispensationi. Hoc verò quod sequitur, quid significet interrogo, *Et Deus honorificatus est in eo.* Honorificatum enim in eo Deum audio: & quid istud sit secundùm intelligentiam tuam, hæretice, ignoro. Deus in eo honorificatus est, in filio utique hominis: & quæro an filius hominis idem sit & filius Dei. Et cùm non [l] alius sit filius hominis, neque alius filius Dei; (Verbum enim caro factum est;) & cùm qui Filius Dei est, ipse & hominis sit filius: requiro quis in hoc filio hominis, qui & filius Dei est, glorificatus sit Deus. [m]

Verba Dei qualia.

Gloriam carni, non Verbo quæsivit Christus.

In eo ut Deo Deus est honorificatus.

41. Quia in filio hominis, qui & filius Dei est, glorificatus Deus est, videamus quid sit hoc, [n] quod tertium subditur, *Si Deus glorificatus est in eo, & Deus glorificavit eum in se.* Quod istud, rogo, sacramenti mysterium est? Deus in filio hominis glorificato glorificatum Deum glorificat in sese. In filio hominis Dei gloria est, & gloria Dei in gloria filii hominis. Deus [o] glorificat in sese. Homo utique non per se glorificatur. Neque rursum qui in homine glorificatur Deus, licèt gloriam accipiat, non tamen aliud ipse quàm Deus est. At verò cùm, glorificato filio hominis, glorificans Deum Deus glorificet in sese; invenio [p] naturæ gloriam in gloriam naturæ naturam glorificantis assumi. Non enim se Deus glorificat: sed glorificatum in homine Deum glorificat in sese. Quod autem glorificat in sese, licèt non se glorificet, tamen in naturæ suæ gloriam naturam [q] glorificans assumit. Et cùm glorificans Deum Deus, quia glorificatus in homine sit,

Quàm mutua Patris & Filii gloria.

[a] Hæc verba, *cùm essem apud te*, omittit codex Vat. bas. sed omitti non debent

[b] Illud *me* adjecimus ex mss. Vat. bas. & altero Vaticanæ bibliothecæ.

[c] id est, non rogat ut aliquid gloriæ sibi proprium obveniat ac peculiare, quod cum gloria Patris non prorsus commune sit.

[d] Sic potiores mss. At editi, *unitatem*.

[e] Codex Vat. bas. cum Martin. *essetque Pater*: quod non placet.

[f] In vulgatis deest *esse*, quod suppletur ex mss. Sic suprà n. 14. *non ut Christus, qui in forma Dei erat, Christus esse non maneat.* Malè autem apud Bad. & Er *ut maneret Dei forma, quia qui in forma servi manserat, idem erat in forma Dei.*

[g] Par. cum vetere ms. Colb. *confirmata.*

[h] Mss. Vat. bas. & Martin. *glorificari*; tum solus Vat. bas. *Filium apud semetipsum de Patris sacramento*: mendosè. Hîc vox *sacramentum* perinde intelligenda est, ac si repetita esset in hunc modum: Filii apud semetipsum glorificandi sacramentum, quod Dei Patris sacramentum est, id est, propria illius ratio: quo sensu num. 31. dictum est, *Auctorem nativitatis esse, sacramentum paternum est.*

[i] Adjecimus *mentes* ex mss.

[k] Bad. & Er. cum uno ms. Vatic. *fallimus*, quod & habuit Corb. à prima manu. Par. cum mss. Colb. ac Germ. *repugnamus*. Præferimus cum Lips. & aliis mss. *rebellamus*. Sic lib. 2. ad Constant. n. 6. *sub rejiciendis novitatibus novis ipsi ad Deum vocibus rebellamus.*

[l] In vetustissimis codicibus Vat. bas. Colb. ac Germ. necnon Bad. & Er. hîc & mox, *aliud*: qua loquendi ratione, quamvis nobis minùs accuratâ, pro suo tamen tempore minimè suspectâ usum esse Hilarium vix dubitamus ad significandam in Christo personæ unitatem.

[m] Pendet quæstio instituta; quia supervacanea videtur responsio: cùm Pater Filio honorem impertiens, & ab eo rursum recipiens, jam non semèl inde ostensus sit naturâ cum eo unum esse. Aut certè dilata solutio his habetur subsequentis numeri verbis: Glorificatus Deus *si Christus est; Deus certè Christus est, qui glorificatur in carne: si Pater est, sacramentum unitatis est, cùm Pater glorificetur in Filio.*

[n] Sic mss. At editi, *quod tertio.* Sequentium, quæ intricata valde nonnullis videbuntur, intelligentia maximè pendet ex perceptione superiorum, quibus Christus, post consummatam dispensationem, in gloriam Dei, eoque nomine in naturam & unitatem Patris assumtus prædicatur.

[o] In vulgatis, *glorificat eum.* Abest *eum* à mss. & abesse debet. Mox sic intelligendum est *neque rursum*, quasi, *& rursum*; ut sit hellenismus Hilario familiaris.

[p] hoc est, naturæ paternæ gloriam assumi in gloriam naturæ illius, qui cùm homo sit, glorificatur; quatenus autem Deus, eamdem naturam glorificat. Ex quo fit, ut propter artissimam filii Dei ac filii hominis unitionem, glorificato filio hominis glorificetur filius Dei; ac rursum propter naturalem Dei patris ac filii unigeniti unitatem, glorificato filio Dei Deus pater glorificetur.

[q] Editi, *glorificantis*: reluctantibus potioribus mss. Vat. bas. Colb. Martin. Carn. &c. ex quibus hic præstatur sensus, ut quamvis alium à se glorificet Pater, tamen in naturæ suæ gloriam redundet quod glorificat in se.

glorificet in sese; eum quem glorificavit [a] Deum in se inesse demonstrat, cùm eum glorificet in sese. Affer nunc quisquis es, heretice, flexuosæ doctrinæ tuæ inevolubiles quæstiones: quæ cùm se nodis suis illigent, in nullo tamen agmine hærendi molestiam continebunt. Filius enim hominis glorificatur, & glorificatur in eo Deus: & Deus glorificatum eum in homine glorificavit in sese. Non enim idipsum est glorificari filium hominis, quod & glorificari in filio hominis Deum, vel [b] glorificare in sese glorificatum in homine Deum. Loquere hoc secundùm impietatis tuæ sensum verbis tuis, quid velis esse glorificari in filio hominis Deum. Utique aut Christum necesse est esse qui glorificatur in carne, aut Patrem qui glorificetur in Christo. Si Christus est; Deus certè Christus est, qui glorificatur in carne. Si Pater est, sacramentum unitatis est, cùm Pater glorificetur in Filio. Aut Christum confitendo, Deum etiam invitus loqueris: aut [c] Patrem Deum intelligendo, naturam Dei patris non negabis in Christo. Atque hæc de glorificato filio hominis, & glorificato in eodem Deo dicta sint. De eo verò, quòd glorificatum in filio hominis Deum Deus glorificat in sese, in quo tandem tibi relictam facultatem exserendæ impietatis existimas, ne secundùm naturæ veritatem verus Deus Christus sit? Christum enim Deus natum hominem glorificat in sese: numquid extra se est, quod glorificat in sese? Reddit enim in se Christo gloriam, quam apud se habuit: & cùm [d] in formam Dei assumtio formæ servilis assumitur, in se glorificatur glorificatus in homine Deus, qui ante [e] vacuitatis dispensationem in sese erat, & [f] per formam servi & per naturam nativitatis unitus. Nativitas enim non novæ neque alienæ naturæ Deum fecerat, sed naturalis filius patri naturali generatione substiterat. Et cùm post nativitatem hominis glorificatus in homine, in naturæ suæ rursum gloriam clarescit; in se eum Deus clarificat, cùm in naturæ paternæ gloriam, ab ea per dispensationem evacuatus, assumitur.

Glorificari in filio hominis Deū quid.

Glorificatum in filio hominis Deum quî Deus glorificet in se.

Non alia Patris & Filii gloria.

42. Concludit autem audacissimum impietatis tuæ furorem apostolica fides, ne quò licentiâ liberæ intelligentiæ evageris, cùm ait, *Et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus in gloria Dei patris.* Quem enim in sese Pater glorificavit, in ejus gloria confitendus est. Et qui in Patris gloria confitendus est, [g] & quem in se Pater glorificavit, in his sine dubio intelligendus est esse, quibus Pater est; cùm & in se eum glorificaverit, & in gloria ejus sit confitendus. Non enim hîc nunc tantummodo in gloria Dei est, sed in gloria Dei patris est. Neque glorificavit gloriâ exteriore, sed glorificavit [h] in sese. In eam eum quæ sua est gloriam resumendo, & eam gloriam quam apud eum habuit, eum & apud se glorificat & in sese. Atque ita inseparabilis à fidei hujus conjunctione intelligitur etiam sub hominis humilitate, sic dicens: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*: cùm & sine Christo, solo Deo patre cognito, vita æterna non sit, & Christus glorificatus in Patre sit. Si autem ea demum vita æterna est, solum verum [i] Deum nosse, & quem misit Jesum Christum; non existimetur planè verus Deus Christus, si vita sit in Deum credidisse sine Christo. Et quòd solus Deus pater Deus verus est; non pertineat ad Deum Christum, nisi gloria [k] Christi omnis in solo vero Deo patre est. Si enim in sese eum glorificat Pater, & solus Pater Deus verus est, non extra solum verum Deum Christus est: quia glorificatum in Deum Christum, glorificet Pater verus Deus solus in sese. Et quod à solo vero [l] glorificatur in sese, non alienatur à solo vero; quia in se solo glorificatur à vero.

Philip. 2. 11.

Joh. 17. 3. Vita non est Deum nosse sine Christo, qui & Deus verus est.

43. Sed fortè piæ huic fidei nostræ, impiæ perfidiæ tuæ occurrat assertio; ut aliena ab intelligentia Dei veri sit hæc necessitatis confessio, *Amen amen dico vobis, non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Nisi duplicem responsionem duplex Judæorum indignatio exigit; sit hæc planè infirmitatis professio, nihil ab se facere Filium posse, nisi quod viderit Patrem facientem. Quòd si Judæis & violati sabbati reatum objicientibus, & æqualitatem in Christo Dei [m] per professum sibi Deum patrem non ferentibus

Objectum III. contra Filii deitatem.

Joh. 5. 19.

Dicti occasio.

[a] Addimus *Deum* ex plerisque ac potioribus mss. ex quibus Colb. Germ. Vind. Remig. subjiciunt deinde, *in se, in sese demonstrat.* Unde non displicet cum altero Colb. & uno Sorbon. *in se: in se esse demonstrat.*

[b] Apud Erasmum, *glorificari*: quem malè secuti sunt alii editores. In mss. Colb. & Germ. legitur *glorificans.*

[c] Lips. & Par. *Patrem & Deum*: pravè; hoc enim sibi vult: Si verba, *Et Deus glorificatus est in eo*, de Christo in carne glorificato dicta confitearis, Christum confiteris Deum: si verò ad Deum patrem referas, jam non negabis Christo Patris naturam, ob quam ipse in illo glorificato glorificetur.

[d] Editi, *in forma Dei.* Rectiùs mss. *in formam Dei*: hoc est, cùm in gloriam Dei etiam homo assumitur, unitur, ac transformatur, tunc glorificatur &c.

[e] In vulgatis *nativitatis*, ubi ex mss. restituitur *vacuitatis*, hoc est, exinanitionis, quæ suprà n. 14. verbo *evacuandi* & nomine *evacuationis*, & lib. 11. n. 48. *vacuefaciendi* verbo enuntiatur.

[f] Editi cum tribus mss. Colb. duobus Remig. Vind. &c. *per formam sui.* Præferendum cum Corb. Vat. bas. Pratel. Martin. &c. *per formam servi*, hoc est, non solùm secundùm naturam, quam æterna nativitate accipit, sed & secundùm humanam in Deo unitus: *dum homo & Deus jam Deus totum est*, ut loquitur lib. 11. n. 41. *forma videlicet servili in gloriam ejus cujus in forma antè manebat proficiente, corruptionis scilicet naturâ per profectum incorruptionis absorptâ*, ut apertiùs explicat in Psal. 138. n. 19. Itaque verbum *unitus*, non ad *in sese erat*, sed ad *glorificatur* referendum est.

[g] In priùs vulgatis deerat particula *&*.

[h] Auctoritate mss. removimus hinc vocabulum *gloria.* Quæ sequuntur, majoris perspicuitatis ergo ita disponenda sunt: *Eum & apud se glorificat & in sese, in eam eum quæ sua est* &c. quod notamus, quia priùs vitiosa interpunctione perturbata erant.

[i] In vulgatis, *Deum patrem*: redundat postrema vox, & abest à mss.

[k] Lips. & Par. ex margine Erasmi, *Christi hominis*: reluctantibus aliis libris. Nec sanè Christi tantùm ut hominis, sed maximè ut Dei, gloria in solo Deo semper fuit. Et quia omnis ex Deo & in Deo patre semper fuit; non alia fuit Christi Patrisque gloria, non alia divinitas: ac proinde ubi Pater solus verus Deus prædicatur, non excluditur Christus.

[l] Vat. bas. codex hîc addit *Deo*: citra necessitatem. Tum apud Par. *non alienat à solo vero, quia in se solo glorificatur in vero*: mendosè; hæc enim ita intelligere est: non alienatur ab eo, qui solus verus est; quia ab eo, qui verus est, in se solo glorificatur.

[m] Tres mss. Vatic. *professo sibi Deum.* Sensus sic perspicuior erit: non ferentibus in Christo æqualitatem Dei, quam sibi profitendo Deum patrem attribuerat.

tibus, sub eodem dicto ad utrumque responsum est; putasne per confessionem responsionis posse dictorum occuli veritatem? Et quamquam in alio * libello tractatus hic à nobis locus fuerit: tamen quia non modò non obest, sed etiam ad religionem proficit, fidem retractari; eumdem ipsum, quia causa postulat, revolvamus.

Lib. 7. n. 15.

Sabbati violati crimen. Joh. 5. 16.

44. Hinc autem primùm responsionis necessitas orta est: *Et propter hoc persequebantur Judæi Jesum, & quærebant eum interficere, quoniam* B *hæc faciebat sabbato.* Ira itaque eorum usque ad cupiditatem interficiendi eum accendebatur, propter opera sabbato gesta. Sed & videamus quid Dominus responderit: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Quod rogo istud opus Patris est, hæretice demonstra. Per Filium enim & in Filio omnia sunt, & visibilia & invisibilia. Et tu, qui ultra Evangelia sapis, necesse est ut [a] aliis aliquibus arcanorum doctrinis cognitionem paterni operis adeptus C sis, ut operantem [b] nobis Patrem ostendas. Quòd si Pater operatur in Filio, secundùm quod ipse ait, Verba, quæ ego loquor vobis, „ [c] non ego loquor; sed Pater, qui in me ma„ net, ipse facit opera sua: videsne quid hoc sit, *Pater meus usque modò operatur?* Hoc enim ideo ait, ut paternæ in se naturæ [d] intelligeretur potestas, in sabbati opere potestatis suæ usa naturâ. Cùm enim in se operetur operante Pater, ipse necesse est Patre operante ope- D retur: atque ideo ait, *Pater meus usque modò operatur*, ut ipsum illud hoc præsens dictorum atque gestorum per se opus, paternæ in se naturæ existimaretur operatio. Id enim, quòd *usque modò operatur*, unum atque idem dicti temporisque momentum est; ut non aliud aliquod opus esse Patris, quàm suum hoc quod agit, crederetur: cùm per id, quòd usque modò Pater operatur, hæc ipsa esset Patris sub eodem tempore sermonis operatio. Ac ne fi- E des, intra cognitionem tantùm Patris relicta, à vitæ æternæ spe abesset; continuò subjecit, *Et ego operor*: ut hoc ipsum, quod [e] modò operatur Pater, operetur & Filius. Ac sic perfectam fidem docuit, cùm id, quod modò est, ejusdem temporis opus sit; & id, quod operatur Pater operatur & Filius, extra singularis sit unionem. Sed geminatus est audientium dolor: id enim sequitur, *Propter hoc magis quærebant eum Judæi interficere, quoniam non solùm* F *solvebat sabbatum, sed & quòd patrem suum proprium dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Et hîc rursum admonebo, & Evangelistæ judicio, & communi humani generis assensu, filium in

Ibid. 17. Quî amoveatur.

Joh. 14 10.

Non aliud Patris ac Filii opus.

Joh. 5. 17.

Crimen alterum ob præsumtam Dei æqualitatem. Ibid. 18.

A paternæ naturæ æqualitate esse: æqualitatem autem non nisi ex eadem esse natura; quia nativitas non habeat aliunde quòd maneat, & omnis generatio à generante se non sit aliena; dum ad id quod manet, subsistit [f] ex eodem. Huic igitur duplicatæ indignationi videamus quid Dominus responderit: *Amen amen dico vobis, non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim ille facit, eadem & Filius similiter facit.* *Joh. 5. 19.*

Responsio ad sabbati violati crimen.

45. Nisi dicta [g] propositioni propria sunt; vim dictis præsumtione propriæ & infidelis intelligentiæ afferimus. Si autem irarum causis subjecta responsio est; fides potiùs nostra loquitur quod docetur, quàm irreligiosa perversitas impietatis suæ defendit errorem. Quæramus ergo an [h] ad sabbati opus hæc propria responsio sit, *Non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ait enim superiùs, *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Si paternæ in se naturæ auctoritate quod gerit, gerente Patre agit, qui usque modò operatur in sabbato; extra crimen operis est Filius, in quo paternæ operationis præfertur auctoritas. Non enim ad infirmitatem retulit, *non potest*, sed ad auctoritatem; nam ab se non potest, [i] nisi viderit. Neque enim præstat vidisse virtutem: & cùm non præstet visus virtutem, naturam non infirmat non posse sine visu, sed auctoritatem ostendit ex visu. Id enim quod ait, *nisi videat*, conscientiam significat in visu, sicuti ad Apostolos ait: Ecce dico vobis, levate oculos vestros, & videte regiones, quoniam albæ sunt ad messem. Conscientiâ igitur in se naturæ paternæ, quæ in se operatur operante, ne violasse sabbatum Dominus sabbati crederetur, ait, *Non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*: ut id quod operaretur, ex conscientia naturæ in se operantis ostenderet, cùm & se sabbato operante, usque modò Pater operaretur in sabbato. Ad alterius verò [k] indignitatis dolorem, consequentis dicti retulit causam: *Quæcumque enim Pater facit, eadem & Filius facit similiter.* Exprobra infirmitatem Dei filio, adime quoque naturæ æqualitatem, si non quæcumque facit Pater, eadem & Filius facit similiter, si discrimen aliquod paternæ virtutis atque operationis admittitur, si, quod [l] æqualitati virtutis naturæque proprium est, honoris æqualitas non postulatur. Ipse enim in continuis ait: *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Discerne æqualitatem in honore non

Ibid. 17.

Illud non potest auctoritatem ostendit, non infirmitatem.

Quid significet nisi videat. Joh. 4. 35.

Joh. 5. 19.

Responsio ad alterum crimen. Ibidem.

Ibidem 23.

[a] In editis desideratur *aliis*, necnon verbum *sis* cum sequente particula *ut*, post *adeptus*.
[b] Duo mss. Colb. *nobis postremò ostendas.*
[c] Solus codex Vat. bas. cum Martin. *non à me loquor*, consentientibus quidem suprà num. 29. & infrà n. 55. editis & scriptis, necnon sacro textu græco & latino: sed ideo minùs suspecta hîc videtur eorumdem consensio.
[d] Editi, *intelligeretur majestas*: refragantibus mss.
[e] Vat. bas. ac Martin. mss. *modo usque operatur.*
[f] Solum exemplar Martinianum, *sub eodem.*
[g] Editi, *propositionis.* At mss. *propositioni*, scil. Judæorum, cui aptata sunt dicta Christi. Mox unus ms. Vatic. *& fidelis intelligentia*: non probandus.
[h] Sic mss. Editi verò, *de sabbati opere.*
[i] Soli editi hîc, *nisi videat.* At ms. Vat. bas. *Nam quod ab se non potest, nisi viderit; quid enim præstat* &c. corruptè. Hilarii ad mentem Augustinus contra Serm. Arian. c. 14. *Quod ait se non posse, non deficientis est, sed in eo quod de Patre natus est permanentis*: & hoc ait, ut paulo antè habet idem Augustinus, *quia videt ex ipso faciendi se habere potentiam, ex quo se videt exsistendi habere naturam.* Unde & concludit, *Non deficienter non potest, sed potenter.*
[k] Editi, *indignationis*: renitentibus magno consensu mss.
[l] In vulgatis, *ad æqualitatem.* In plerisque mss. *æqualitate.* Malumus cum codice Vat. bas. *æqualitati.*

dispari: infirma naturam in eadem operatione A virtutis.

Epilogus.

46. Quid responsionis causam ad contumeliam divinitatis invadis? Ad operationem sabbati respondit, non se quidquam facere posse, nisi quod Patrem facientem vidisset: ad demonstrationem verò æqualitatis, quæcumque Pater faceret, facere se professus est. Tene * quod ad sabbatum pertinet ad opprobrium infirmitatis, si non quæcumque facit Pater, eadem & Filius facit similiter. Si autem [a] sunt B sine exceptione *quæcumque* sunt; in quo tandem infirmitas reperietur, cùm [b] in nullo quæ Pater possit non possit & Filius? Aut in quo tandem per intercessionem infirmitatis negatur æqualitas, cùm unus atque idem honor postuletur ad utrumque? Quòd si eadem est virtus operandi, & eadem est religio honorandi; non intelligo in quo tandem naturæ infirmis contumelia relinquatur, cùm eadem sit in Patre & in Filio & virtutis potestas, & honoris æqualitas. C

* *supple*; responsum.

47. Et hæc quidem quamvis cum ipsa rerum absolutione tractata sint; tamen ne quid in eo quod ait Dominus, *Non potest Filius facere ab se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, ad infirmandæ naturæ ejus impietatem proficiat potiùs, quàm ad demonstrandæ paternæ in se naturæ conscientiam, per quam ex auctoritate operatus in sabbato est: dicti quoque dominici ad id pertinentis demonstranda cognitio est, quo ait, *Et à me facio* D *nihil, sed ut docuit me Pater, hæc loquor. Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum, quoniam ego quæ sunt ei placita facio semper.* Sentisne quid sit, non posse quidquam facere Filium, nisi videat Patrem facientem? & quo sacramento dictum sit, *Et à me facio nihil*: & rursum, *Non reliquit me solum, quoniam ego quæ sunt ei placita facio semper?* Si enim ideo nihil ab se facit, quia in se manet Pater; quomodo rursum ideo se solum Pater non reliquit, quia quæ sunt ei placita facit? Non concordat E secundùm sensum tuum, hæretice, dictorum diversitas, ut nihil faciat à se nisi doctus à manente in se Patre: & rursum idcirco in se Pater maneat, quia quæ ei sunt placita gerit. Si enim nihil ab se facit propter manentem in se Patrem; quomodo hinc ut in se Pater maneat meritus est, quòd ea quæ ei placeant agit? Non est enim meritum aliquod, non ab se gerere [c] quæ agat. Et contrà, quomodo F Patri quæ Filius agat placita sunt, cùm ea ipsa agat manens in Filio Pater? In angusto es impietas, & te munitissima fidei nostræ pietas concludit. Agit aliquid Filius, aut non agit: si non agit, quomodo in his quæ agit placet? si autem agit, quomodo agit in his quæ ab se non agit? cùm & proprium sit egisse quæ placeant, & sine merito sit non ab se egisse quæ gesserit.

Joh. 5. 19.

Quid sit *nil potest Filius facerè à se*, alio loco confirmatur. *Joh. 8. 28. & 29.*

Ibid. 29.

Meritum.

48. Sed naturæ, qui contradicis, hæc unitas est, ut ita per se agat, ne à se agat; & ita non ab se agat, ut per se agat. Intellige agentem Filium, & per eum agentem Patrem. Non ab se agit, cùm Pater in eo manere [d] monstrandus est. Per se agit, cùm secundùm Filii nativitatem agit ipse quæ placita sunt. Infirmis sit non à se agendo, nisi adeo ipse agit, ut quæ agit placeant. Non sit verò in unitate naturæ, si non quæ ipse agit, & in quibus placet, non per se agit, sed manens in eo ad agendum Pater edocet. Ita & manendo docet Pater, & Filius agendo non ab se agit: & non ab se agens Filius, cùm quæ placita sunt facit, ipse agit. Ac sic unitas naturæ retinetur in agendo: dum & ipse operans non operatur ab se, & ipse ab se non operatus operatur.

Filius quî per se, quî non ab se agat.

49. Adjunge quoque huic illud, quod ad opprobrium infirmitatis usurpas, *Omne quod dat mihi Pater, ad me venit, & venientem ad me non apello; quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem Patris qui me misit.* Sed fortè sine voluntatis libertate sit Filius, ut ei naturæ infirmitas imperet necessitatem. Ideo autem necessitati sit subditus, non voluntati, ut datos sibi venientes à Patre non apellat. Sed sacramenti unitatem in his Dominus significans, dum non repellit sibi datos, dum non suam, sed mittentis se agit voluntatem, post repetitam hanc eamdem Judæis murmurantibus vocem, intelligentiæ nostræ sensum confirmat, dicens, *Omnis, qui audit à Patre & discit, venit ad me, non quòd viderit Patrem quisquam, nisi qui est à Deo, hic vidit Patrem. Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* Et quæro primùm, ubi auditus sit Pater, ubi docuerit audientes. Sed Patrem nemo vidit, nisi qui à Deo est. Et quomodo eum quisquam audierit, quem nemo vidit? Audiens ergo à Patre, ad Filium venit. Et cùm Filius auditur & docet, naturæ in eo paternæ proprietas & [e] auditæ & docentis ostenditur: ut hoc, quòd docet Filius & auditur, paternæ doctrinæ intelligatur auditio. Nam cùm nemo viderit Patrem, & ad Filium veniens, à Patre audiat atque discat ut veniat: admonemur intelligere quid sit & in loquente Filio Patrem docere, & in conspecto Filio Patrem, qui à nemine sit visus, audiri; quia naturæ paternæ proprietatem nativitas Filii in se perfecta contineat. Volens igitur unigenitus Deus auctoritatem paternam, salvâ in se naturæ unitate, testari, & datos sibi à Patre non apellit, & voluntatem non suam, sed ejus qui se misit efficit. non quòd non velit quæ agit, aut quòd non ipse audiatur qui docet: sed ut & eum qui se mittat, & se qui missus est, sub proprietate naturæ indifferentis ostenderet: cùm quæ vult, agit, & loquitur, ea & voluntatem & opera & dicta Patris esse significet.

Ait non se suam sed Patris facerè voluntatem. *Joh. 6. 37. & 38.*

Non ob agendi necessitatem, sed ob unitatem.

Ibid. 45. &c.

[a] Verbum *sunt* restituimus ex mss.
[b] Editi, *nulla*. At mss. *in nullo*, tacita voce *eorum*.
[c] Bad. cum aliquot mss. *quæque agat*. Editiones aliæ, *quæ quis agat*. Sinceriùs mss. potiores, *quæ agat*, quomodo inferiùs, *non ab se egisse quæ gesserit*; quod ad Filium refertur.
[d] Ita vetustiores libri. Alii verò, *monstratur*.

[e] In uno ms. Vatic. *& audientis*: malè. Defendit Hilarius Patrem numquam audiri vel docere, nisi quatenus loquitur ac docet Filius, (qui ut Augustinus contra Serm. Ar. c. 24. scribit, *Patris doctrina* est.) Ex quo non malè sumit in Filio esse naturæ paternæ proprietatem, seu eamdem esse Patris & Filii naturam.

Christo libera voluntas. Joh. 5. 21.

50. Quòd autem sit liberæ voluntatis, non A ambiguè ostendit cùm ait, *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat.* Cùm æqualis in Patre & Filio & virtutis potestas & honoris dignitas manifestatur, ibi & libertas voluntatis ostenditur: cùm autem [a] unitas demonstratur, ibi paternæ voluntatis significatur affectio. Quæ enim vult Pater, ea Filius facit. Facere autem plus est, quàm voluntati obedire: quia obedire voluntati, habet exterioris necessitatem; [b] facere B voluntatem, proprium est unitati, cùm factum sit voluntatis. Et cùm Filius voluntatem Patris facit, docet per naturæ indifferentiam, naturalem sibi voluntatem esse cum Patre: cùm voluntas ejus sit omne quod faciat. Vult planè Filius omnia quæ Pater vult, nec naturalis dissentit voluntas. Namque cùm hæc voluntas Patris sit, quam ostendit dicens, *Hæc est enim voluntas patris mei, ut omnis qui videt Filium, & credit in* C *eum, habeat vitam æternam, & suscitem eum in novissima die:* audi nunc an Filii à Patre dissentiens sit voluntas, cùm ait, *Pater, quos mihi dedisti, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum.* Non ergo ambigitur Filium velle. Nam cùm Pater velit credentes in Filio vitam æternam habere, Filius vult illic ubi ipse sit esse credentes. Nisi forte cohabitare Christo non sit * æternitas: aut non perfecta & beata in se credentibus tri- D buat Christus, hæc dicens, *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Anne non in libertate est voluntatis volens nobis secreti illius paterni tribuere conscientiam? Et adeo voluntas ei libera est, ut cognitionem sui atque Patris quibus voluerit impertiat? Atque ita inter Patrem & Filium & nativitatis & unitatis demonstrata natura est: cùm sic liber in voluntate sit Filius, ut quod volens agit, factum paternæ sit voluntatis. E

Nec à Patris voluntate diffidens. Joh. 6. 39.

Joh. 17. 24.

* vita æterna.

Matth. 11. 25.

51. Nesciens planè dispensationem fidei, extra intelligentiam sacramentorum est: & doctrinam Evangelii non adeptus, ab spe Evangelii peregrinatur. Credendus est Pater in Filio, & Filius in Patre, per naturæ unitatem, per virtutis potestatem, per honoris æqualitatem, per nativitatis generationem. Sed contraria forte huic nostræ professioni est Domini [c] testatio, cùm ait, *Pater major me est.* Hocne, hæretice, impietatis tuæ telum est? hæc furoris tui arma sunt? Exciditne tibi Ecclesiam duos innascibiles nescire, & duos patres non confiteri? Oblitus es Mediatoris dispensationem, & in ea partum, cunas, ætatem, passionem, crucem, mortem? Et renascens non confessus es * ex Maria filium Dei natum? Si in his omnibus Filius manens ait, *Pater major me est;* ignorandum existimas hanc dispensationem salutis tuæ, exinanitionem formæ Dei esse? & Patrem extra hanc humanarum passionum assumtionem, in illa incontaminatæ naturæ suæ beata æternitate sine carnis nostræ susceptione mansisse? Nos enim unigenitum Deum in forma Dei manentem [d] in natura Dei mansisse profitemur, neque unitatem formæ servilis in naturam divinæ unitatis statim refundimus: neque rursum corporali insinuatione Patrem in Filio prædicamus, sed ex eo ejusdem generis [e] genitam naturam naturaliter in se gignentem se habuisse naturam: quæ in forma naturæ se gignentis manens, formam naturæ atque infirmitatis corporalis acceperit. Erat enim [f] naturæ proprietas: sed [g] Dei forma jam non erat, quia per ejus exinanitionem servi erat forma suscepta. Neque enim defecerat natura, ne esset: sed in se humilitatem [h] terrenæ nativitatis manens sibi Dei natura susceperat, generis sui potestatem in habitu assumtæ humilitatis exercens. Et ex Deo Deus natus, [i] in forma servi homo repertus,

Spes sine fide nulla.

Quî Pater & Filius in sese.

c Joh. 14. 28. Pater ut auctor, major Filio, qui & minor ut homo.

* in Symbolo.

d In Christo mansit natura Dei formâ exinanitâ.

[a] In mss. Vat. bas. & Martin. *auctoritatis unitas:* perperam adjectum est *auctoritatis* vocabulum, quo apud Hilarium Patris & Filii distinctio significari solet, non unitas. Haud displiceret simpliciter *cùm autem auctoritas*, vel *cùm autem nativitas.* Sed lectio magno codicum ceterorum consensu recepta eo sensu retinenda est, ut dum unitas simul cum paternæ voluntatis affectione significatur, & Patri debita servetur reverentia, & personarum singularitas excludatur: hoc quippe membrum superiores Scripturæ locos potiùs spectat, quàm proximum.

[b] Clariùs hoc habetur postremis hujus numeri verbis. nisi quis malit ita intelligi: facere autem voluntatem alterius proprium est unitati, quando factum est etiam propriæ voluntatis illius qui facit.

[c] Lips. & Par. *contestatio.*

[d] Apud Bad. & Er. *in natura hominis mansisse:* cui depravationi Lipsius alteram subinde adjecit, pro *in naturam divinæ unitatis statim*, substituens *in naturæ divinæ unitatis statum:* neque apud Par. emendatus fuit. Profitetur Hilarius Christum secundùm formam Dei semper mansisse in natura, unitate & gloria Dei, etsi secundùm formam servi non statim ab ipsa hominis assumtione naturæ divinæ assecutus est unitatem, sed tantùm per resurrectionis gloriam, modo superiùs exposito.

[e] Editi, *genitam in se naturam.* Rectiùs abest *in se* à potioribus mss. Filium appellat Hilarius *genitam naturam*, Patrem verò *naturam gignentem:* ex eoque conficit utriusque naturam ejusdem esse generis, & in se invicem esse cum diverso respectu gignentis & genitæ. Eodem loquendi modo dixit Fulgentius ad Ferrand. resp. 2. *Naturam Filii de se ipso genuit Pater.* & lib. de Incarn. & gratia Christi c. 3. *Neque enim in utero sanctæ illius matris & virginis illa spiritalis & ex Deo patre sine initio genita Verbi Dei natura poterat absque carne temporaliter concipi.*

[f] Editi hîc præfigunt *humanæ.* Tolerabiliùs præfixissent *divinæ:* quæ vox etsi non expressa, intelligenda tamen est.

[g] In vulgatis, *sed non Dei forma*, addita particula negante contra fidem mss. & Hilarii sententiam, qua pro more suo prædicat in Christo dispensationis tempore Dei naturam integram permansisse, sed formam fuisse exinanitam. Ex quo liquet eum formæ nomine aliud à natura ipsa intellexisse. Neque obscurum est quid intellexerit. Formam quippe dixit habitum quem præ se tulit Christus. Habitu autem non ut Deus, sed ut homo inventus ab Apostolo prædicatur Phil. 2. 7. Unde cùm suprà num. 38. docet Christum in homine nascendo novitatem sibi intulisse, *non virtutis naturæque damno, sed habitûs demutatione*, cúmque infrà num. 54. largitur quòd *nativitas hominis naturam novam intulit, & humilitas formam demutavit sub assumtione servili;* satis indicat promiscua sibi esse formæ & habitûs vocabula: quibus sanè intellexit gloriam Unigenito quidem congenitam, sed quam carni assumtæ ad tempus negavit, atque eatenus amisit, *non conveniente sibi formæ utriusque concursu*, ut loquitur n. 14. Apertiùs in his num. 40. *Pater non eget gloriâ, nec se exinanierat de forma gloriæ suæ*, id ab eo *gloria* ac *forma gloriæ* vocatur, quod hîc *Dei forma.*

[h] Hîc *terrena nativitas* humanam naturam sonat: sicut suprà in his n. 40 *Gloria omnis non Verbo acquirebatur, sed carni, id est, non nativitati Dei &c.* nativitatis nomine natura divina significatur. Deinde *manens sibi Dei natura*, id est, persona Verbi manens sui juris, ac salvâ naturâ suâ divinâ, quam manifestam fecit gestis generis sui, ac naturæ suæ potestatem exercens: quasi diceret, manens sibi integra, vera ac propria. Vel etiam mansit sibi, cùm latuit intra se. Quod illustratur simili loco lib. 11. n. 48. *In forma enim Deus manens formam servi assumsit, non demutatus, sed se ipsum exinaniens, & intra se latens, & intra suam ipse vacuefactus potestatem:* & paucis interjectis, *Quòd autem se ipsum intra se vacuefaciens continuit, non detrimentum attulit potestati; cùm ... virtute omnis exinanitæ intra se usus sit potestatis.*

[i] Bad. & Er. post ms. Vind. & unum Vatic. *in forma Dei:* alter Vatic. *in forma servi Dei:* pravè. Non enim ob formam Dei, sed ob formam servi homo repertus est Christus.

Deum se virtutibus agens, [a] neque Deus non erat, quem gestis suis docebat; neque homo, in cujus habitu repertus est, non manebat.

Pater in Filio visus.

51. Et idcirco in hoc eodem superiore sermone, naturæ sibi cum Patre unitatem contestatus dixerat, *Qui me vidit, vidit & Patrem:* & *Pater in me, & ego in Patre.* Quæ utique differentiam non habent [b] ex æqualitate naturæ; cùm contemplatio Filii visum compenset & Patrem, & unus in uno manens unum non discernat ab uno. Ac ne per corporalem contemplationem referre ex se paternæ contemplationis visum existimaretur; subjecerat, *Credite mihi, quoniam ego in Patre, & Pater in me: sin autem, vel propter opera credite*: ut cùm virtus naturæ res esset, & operatio ipsa virtutis sit potestas; per virtutis potestatem, naturæ in se paternæ unitas nosceretur: cùm [c] in quantum se quisquam Deum cognovisset in virtute naturæ, in tantum Deum patrem cognosceret in potestate naturæ: & cùm tantus, quantus est Pater, Filius videndum in se Patrem præstaret in gestis, indifferens per id Pater [d] à Filio nosceretur, per intelligentiam indifferentis pro potestate naturæ.

Joh. 14. 9.
Joh. 10. 38.
Joh. 14. 11. & 12.

Cur, & quòd salvâ naturæ æqualitate dixit Christus, Pater major me est.

53. Impleturus itaque unigenitus Deus carnis dispensationem, & acceptæ formæ servilis sacramentum consummaturus, usus est demonstrandæ fidei nostræ professione, dicens, *Audistis quoniam dixi vobis, Vado, & venio ad vos.* [e] *Si diligeretis me, gauderetis quoniam vado ad Patrem; quia Pater major me est.* His itaque, quæ ad naturam divinitatis [f] spectant, explicitis hoc eodem superiore sermone, numquid professio hæc aufert Filio naturæ æqualitatem, quam nativitas genuina consummat? Aut numquid unigenito Deo contumelia est Patrem sibi innascibilem Deum esse; cùm ex innascibili Deo [g] nativitas unigenita in naturam unigenitam subsistat? [h] Non enim suæ originis est Filius, neque nativitatem sibi non exstans ipse conquisivit ex nullo: sed ex vivente natura vivens natura exstans, tenet in se naturæ potestatem, [i] professâ auctoritate naturæ, ut & honorem testetur, & gratiam sumtæ nativitatis in honore. Et hoc quidem Patri debitum reddens, ut obedientiam suam mittentis deputet voluntati, non tamen ut naturæ unitatem obedientia humilitatis infirmet; factus obediens usque ad mortem, non tamen post mortem non super omne nomen est.

Pater ut auctor doni, major: Filius, cui totum dat quod est, non minor.

54. Sed si fortè hinc inæqualis videtur, quia ei post evacuationem formæ Dei donatur hoc nomen, calumnia hæc sacramentum assumtæ humilitatis ignorat. Si enim nativitas hominis naturam novam intulit, & humilitas formam demutavit sub assumtione servili; nunc donatio nominis, [k] formæ reddit æqualitatem. Quid enim donatum sit quære. Si enim hoc donatum, quod Dei est; naturæ hujus donum ignobilitatem divinæ illi non invehit naturæ. Denique hoc nunc, quod donatur ei nomen, etsi habeat doni sacramentum, non tamen habet in dono nominis nomen alienum. Donatur enim Jesu, ut ei cælestia & terrestria & inferna genu flectant, omnisque lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria Dei patris. Confessionis ergo hujus honor donatur, ut in gloria Dei patris sit confitendus. Audis itaque, *Pater major me est?* Scito eum, de quo ob meritum obedientiæ dictum est, Et donavit ei nomen quod est super omne nomen. Audi rursum, Ego & Pater unum sumus; &, Qui me vidit, vidit & Patrem; &, Ego in Patre, & Pater in me. Honorem donatæ confessionis intellige, quia Dominus Jesus in gloria Dei patris. Quando igitur illud est, *Pater major me est?* Nempe tum, cùm donatur ei nomen super omne nomen. At contrà quando est, Ego & Pater unum sumus? [l] Nempe cùm omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria Dei patris. Si igitur donantis auctoritate Pater major est, numquid [m] per doni confessionem minor Filius est? Major itaque donans est; sed minor jam non est, cui unum esse donatur. Si non hoc donatur Jesu, ut confitendus sit in gloria Dei patris; minor Patre est. Si autem in ea gloria donatur ei esse, qua Pater est; habes & in donantis auctoritate [n] quia major est, & in donati confessione quia unum sunt. Major itaque Pater Filio est: & planè major, cui tantum donat esse, quantus ipse est; cui innascibilitatis esse imaginem sacramento nativitatis impertit, quem ex se [o] in formam suam generat, quem rursum de forma servi in formam Dei renovat; quem in gloria sua [p] secundùm Spiritum Christum Deum natum, donat rursum esse in gloria sua secundùm carnem Jesum Christum

Philip. 2. 10.
Joh. 14. 28.
Phil. 2. 9.
Joh. 10. 30.
Joh. 14. 9.
Ibid. 11.

[a] In vulgatis, *neque enim.* Abest *enim* à mss.

[b] Sic mss. At editi, *ex qualitate.* Mox apud Bad. & Er. *complesset*, loco verbi *compenset*: quo significatur, visionem filii vicem præstare visionis Patris.

[c] Er. Lips. & Par. *in quantum quisque*, omisso *se*, unde pendet totius orationis intelligentia.

[d] Excusi *in Filio.* Rectiùs mss. *à Filio*, scilicet indifferens.

[e] In mss. Vat. bas. & Martni. hîc præfertur, *& contristati estis*: quod neque in aliis exstat, neque in sacro textu græco vel latino.

[f] In veteribus libris, *exspectant*: non alio sensu.

[g] Ita melioris notæ mss. At editi, *nativitas unigeniti.*

[h] hoc est, non sua sibi origo est.

[i] id est, ita his verbis, *Pater major me est*, professo auctore ac principio naturæ suæ, ut cum honore ac reverentia testetur honorem & gratiam nativitatis acceptæ. Ut enim notat etiam Cyrillus lib. thesauri pag. 91. *Solius decori causâ ut filius majorem honorem Patri tribuit.*

[k] Vat. bas. ms. *in formæ redit æqualitatem*: mendosè. Neque meliùs Martin. *in formæ redit æternitate.* Formam Dei ut per humilitatem carnis assumtæ amissam dixit Hilarius n. 38. ita nunc redditam prædicat per carnis ejusdem gloriam & exaltationem. Quòd verò hoc loquendi modo nihil aliud intelligat, patet cùm ex dictis, tum maximè ex his num. 56. *Major Pater est, dum gloriam assumto homini rogatur ut reddat: Filius minor non est, dum gloriam resumit apud Patrem.*

[l] In antiquioribus mss. *namque.*

[m] id est, per donatam confessionem, seu per donum nominis, cui omnis lingua confiteri teneatur. Mox in ms. Martin. *utique*, pro *itaque.*

[n] In vulgatis, *quia pater major.* Abest *pater* à mss. & ad donantem rectè refertur *major.*

[o] Editi, *in forma sua*; & mox, *in forma Dei*: castigantur ex mss. *Generat* porro in æternitate gloriosam tribuendo naturam; *renovat* autem in tempore, assumto homini indulgendo divinam gloriam.

[p] Mss. Martin. Corb. & aliquot alii, *secundùm carnem*: malè. Colb. Carn. & Germ. *secundùm Christum*, omissa voce *spiritum.* Mallemus omitti *Christum.* Et in iis quidem mss. non semel occurrit *Christus* loco *Spiritus.*

ſtum Deum [a] mortuum. Cauſam igitur oſtendit, cur ſi eum diligerent, gauderent quòd ad Patrem vadit, quia Pater major eſſet.

A

Quo ſenſu Pater dictus ſit major, confiçiatur ex ante & pòſt dictis.

55. Gaudium hoc itaque ex dilectione docens eſſe, quia lætaretur dilectio Jeſum eſſe in Dei Patris gloria confitendum: & gloriæ hujus reſumendæ meritum continuò ſubjecit, dicens, *Venit enim princeps hujus mundi, & in me habet nihil.* Nihil in eo princeps hujus mundi habet: quia ut homo habitu repertus, extra peccatum carnis manebat in ſimilitudine carnis peccati, de peccato peccatum in carne condemnans. Totum autem hoc ad paterni mandati referens obedientiam, ſubjecit, *Sed ut ſciat mundus quoniam ego diligo Patrem, & ſicut mandatum mihi dedit Pater, ſic facio; ſurgite, eamus hinc.* [b] Ad conſummandum corporeæ paſſionis ſacramentum, per dilectionem efficiendi mandati paterni, feſtinat exſurgens: corporeæ tamen aſſumtionis ſtatim myſterium pandens, per quam ei tamquam in vite modò palmitis ineſſemus, fructum nobis ut palmitibus, niſi ille vitis eſſet effectus, utilem non daturis. Atque idcirco manere nos in ſe per fidem aſſumti corporis monet, ut quia Verbum caro factum eſt, naturæ carnis ſuæ tamquam viti palmites ineſſemus: à corporeæ hujus humilitatis aſſumtione formam paternæ majeſtatis alienans tum, cùm ſe [c] ad unitatem palmitum vitem profeſſus, agricolam Patrem [d] curioſum hujus vitis oſtendit, cujus inutiles atque infeaces palmites [e] deſecans deputaret arſuros. Dicens itaque, *Qui me vidit, vidit & Patrem*; &, *Verba quæ ego loquor, non à me loquor, ſed Pater qui in me manet, ipſe facit opera ſua*; &, *Credite mihi, quoniam ego in Patre, & Pater in me*, ut & ſacramentum nativitatis, & myſterium aſſumti corporis manifeſtaret, per continentiam dictorum ad id veniens ait, *Quia Pater major me eſt.* Et confeſtim, ut abſoluta dicti ratio ſubeſſet, & agricolæ & vitis & palmitis ſubjecit exemplum, aſſumtionem per id corporeæ humilitatis oſtendens. Et hinc cauſam eundi ad Patrem, & dilectionis lætitiam cùm ad Patrem iret, docens eſſe oportere, quia major ſe Pater eſſet: à quo ſcilicet eſſet gloriam reſumturus; apud quem & in quo eſſet glorificandus, non novello honore, ſed priſtino; neque alieno, ſed quem apud eum habuit. Si itaque non [f] in ipſum glorificandus eſt, id eſt, ut ſit in gloria Dei patris; contumeliam adſcribe naturæ: ſi verò, quòd ab eo glorificatur, auctoritas eſt; Patrem majorem in glorificandi auctoritate cognoſce.

Joh. 14. 30. — Rom. 8. 3. — Joh. 14. 31. — Joh. 15. 1. &c. — Joh. 14. 9. — Ibid. 10. — Ibid. 11. — Ibid. 28.

B C D E

Quî Pater major, nec Filius minor.

56. Quid diſpenſationem ad impietatem rapis? Quid ſacramentum noſtræ ſalutis invadis ad mortem? Glorificaturus Filium Pater major eſt: glorificatus in Patre Filius minor non eſt. Aut quomodo minor eſt, qui in gloria Dei patris eſt? Aut numquid Pater major non eſt? Major itaque Pater eſt, dum pater eſt: ſed Filius, dum filius eſt, minor non eſt. Nativitas Filii Patrem conſtituit majorem: minorem verò Filium eſſe nativitatis natura non patitur. Major Pater eſt, dum gloriam aſſumto homini rogatur ut reddat: Filius minor non eſt, dum gloriam reſumit apud Patrem. Atque ita & ſacramentum nativitatis, & diſpenſatio corporationis impletur. Nam & Pater, dum & pater eſt & glorificat nunc filium hominis, major eſt: & Pater & Filius unum ſunt, dum ex Patre natus Filius, poſt aſſumtionem terreni corporis glorificatur in Patrem.

Innaſcibilitatis & nativitatis non alia natura.

57. Non habet itaque nativitas naturæ ignobilitatem: quia in forma Dei eſt, quia ex Deo naſcitur. Et cùm differre ſignificatione ipſa exiſtimetur innaſcibilitas à nativitate; nativitas tamen non eſt extra innaſcibilitatis naturam, quia non ſumſit aliunde quod ſubſtitit. Nam tametſi non conſecuta ſit, ut coinnaſcibilis effecta ſit; accepit tamen ex innaſcibili Deo eſſe quod Deus eſt. Fides igitur noſtra, etſi initium nativitatis non apprehendens, unigenitum Deum ſemper * profitetur; quia natura non ferat, ut cœpiſſe eum aliquando confiteatur, cujus nativitas omne initii tempus excedat. Sed quem ſemper eſſe & ante tempora confitetur, natum tamen [g] intemporali infinitate non ambigit, eum tamen ex ininitiabilis intelligentiæ nativitate confeſſa.

Filius natus non cœptus. * ſupple, eſſe.

Objicitur contra eum ignoratio diei. Marci 13. 32.

58. Sed hoc hæretici ad naturæ contumeliam ſumunt, quia dictum eſt, *Pater major me eſt*: vel illud, *De die autem & hora nemo ſcit, neque Angeli in cælis, neque Filius, niſi Pater ſolus.* Ignoratio ergo diei atque horæ objicitur unigenito Deo: ut Deus ex Deo natus non ſit in ea naturæ perfectione qua Deus eſt, cùm neſciendi neceſſitate dominante, jam vis aliqua exterior eo potior ſit, quæ tamquam adverſùm ſe imbecillum in ignorantiæ eum in-

[a] Editi ex deterioris notæ mſſ. hîc addebant, *natum.* Quidam hîc verborum ludus eſt inter Deum natum, & Deum mortuum; natum in gloria ſecundùm Spiritum, ſeu prout Verbum eſt, & donatum rurſum eſſe in gloria ſecundùm carnem poſt quàm mortuus eſt: adeo ut gloria Chriſti Dei à nativitate ſit, hominis autem à morte.

[b] Mſ. Colb. cum Germ. *ad confirmandum.*

[c] Tellerianus codex, *ad utilitatem.* Unus Colb. cum altero Sorbon. *ad humilitatem.* Retinendum cum ceteris *ad unitatem:* Ut enim habetur in Pſal. 51. n. 16. *Naturam in ſe univerſæ carnis aſſumſit, per quam effectus vera vitis genus in ſe univerſæ propaginis tenet.* Quod proximè dictum eſt, *à corporeæ hujus humilitatis aſſumtione formam paternæ majeſtatis alienans*, poteſt ad Chriſtum ipſum referri, qui cum palmitibus congruere volens, carni propriæ paternam gloriam negaverit, & ita à formæ illius unitate ſe alienaverit. Veriùs tamen hoc de membris Chriſti, de toto ſcil. hominum genere interpretari eſt: qui licèt à Chriſto aſſumti, in eo velut in vite palmites ſint; à paternæ tamen gloriæ conſortio alienandi tum demonſtrantur, cùm oſtenduntur eradicandi à Patre, *aut ob infidelitatem, aut ob inutilitatem fructuum negatorum*, ut rurſum declaratur loco memorato in Pſal. 51. quem videſis.

[d] Vetuſtior è mſſ. Colb. *glorioſa.* Magis placet cum aliis *curioſum*, id eſt, qui curam gerat.

[e] In mſ. Vat. baſ. *deſecandos.* Deinde in vulgatis, *deputaret arſuros dicens ita, Qui me* &c. perturbatè.

[f] Editi hîc, *in ipſo*, & ad calcem numeri ſubſequentis, *glorificatur in Patre.* Reponimus *in ipſum* & *in Patrem* auctoritate mſſ.

[g] Bad. *in temporali.* Editiones aliæ, *in intemporali.* Mox Er. poſt Bad. *ex innitiabilis.* Par. poſt Lipſ. *ex initiabilis.* Sequimur mſſ. Non ambigit fides *natum intemporali nativitate*, quem ſcit *natum ab æterno, nativitatem videlicet ex paterna æternitate ſumentem*, ut dicitur lib. 4. n. 6. Eum etiam *ex ininitiabilis intelligentiæ nativitate* confitetur, utpote *initium nativitatis non apprehendens*, ut proximè dicebatur: clariùs autem lib. 12. n. 31. *quia ſi quid de Filio mens retroacta ſcrutabitur, nihil aliud ſcrutantis ſenſui, quàm natum eſſe & ſemper eſſe, ſemper occurret.*

firmitate detineat. Quin etiam ad hujus nos intelligentiæ impietatem hæreticorum furor jure quodam necessariæ confessionis compellit, ut ita credendum sit; quia & à Domino ita dictum sit, & videri irreligiosissimum possit, professionis ejus de se protestationem diversæ intelligentiæ nostræ opinione corrumpi.

Auctor omnium nil potest nescire.

59. Ac primùm ante quàm dicti ratio & causa memoretur, sensu communis judicii [a] sentiendum est, an credibile esse possit, ut aliquid ex omnibus nesciat, qui omnibus ad id quod sunt atque erunt auctor est. Si enim omnia per Christum & in Christo, & ita per ipsum, ut omnia in ipso sint; id quod neque extra eum neque non per eum est, quomodo non etiam in scientia ejus sit, cùm plerumque [b] scientia ejus ea, quæ neque in se neque per se sint, per virtutem naturæ [c] non nesciæ apprehendat? At verò quod causam nisi ex eo non sumit, [d] & motum ad id, quod est eritque, nisi intra se non capit; quomodo extra ejus naturæ scientiam est, per quam & in qua id quod efficiendum sit continetur? Cogitationes namque humanas non solùm præsenti motu incitatas, sed etiam instinctu futuræ voluntatis agitandas, Dominus Christus non ignorat, Evangelista testante: *Sciebat enim Jesus ab initio, qui essent non credentes, & qui esset traditurus eum.* Naturæ ergo ejus virtus, quæ cognitionem rerum non exstantium capit, & quiescentium adhuc animorum subituras inquietudines non ignorat, id quod per se intraque se est, nescisse existimabitur? Et alieni potens, impotens sui est; de quo dictum meminerimus, *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes*; vel illud, *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per ipsum reconciliari omnia* [e] *in eum?* Cùm igitur omnis in eo sit plenitudo, & omnia per ipsum & in ipso reconcilientur, & dies illa reconciliationis nostræ exspectatio sit: hanc ille diem ignorat, cujus & in se tempus est, & per sacramentum [f] ejus est? Etenim adventûs sui dies ista est, de qua Apostolus ait, *Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum eo apparebitis in gloria.* Nemo itaque quod per se & intra se est, nescit: Christus aderit, & adventus sui diem ignorat? Dies suus est, secundùm eumdem Apostolum, *quia dies Domini sicut fur nocte adveniet*: & ignoratione ejus detineri intelligendus est? Humanæ naturæ quod agere definiunt, quantum in se est, præsciunt, & sequitur gerendorum cognitio voluntatem agendi: Deus verò natus quod in se & per se est nescit? Per eum enim tempora, & in eo dies est; quia & per ipsum futurorum constitutio est, & in ipso adventus sui dispensatio est: & erit in ea hebetudine, ut quod sibi constat, sensu naturæ torpentis ignoret, ferarum beluarumque modo, quæ extra rationem consilii providentis animatæ, ipsum quod agunt nesciunt, cùm quodam motu stupidæ voluntatis agitatæ, fortuito ad aliquid & incerto feruntur ingressu?

Qui quæ nec in se nec per se sint scit, multò magis quæ in se & per se.

Joh. 6. 65.

Coloss. 1. 16

Ibid. 19.

Dies Domini per ipsum & in ipso constituta est.

Coloss. 3. 4.

1. Thess. 5. 2.

Patri injuriosum est Filio ignorantiam affingere.

60. Quomodo etiam Dominus gloriæ, adventus sui ignorabili die, naturæ esse incompositæ imperfectæque credetur, quæ & necessitatem habeat adveniendi, & scientiam adventus sui non adepta sit? Per quod potior sit ignoratio [g] Deo, quæ ei auferat cognitionis habere virtutem. Jam verò quanta impietatis [h] geminatur occasio, si præter infirmitatem Christi etiam Deo patri vitium deputabitur; ut unigenitum Deum, & dilectionis suæ filium, diei hujus cognitione fraudaverit, malignitatisque [i] affectu scientiam futuræ consummationis inviderit: & cùm non ignorabilem ei esse passionis & diem & horam voluerit; diem virtutis ejus, & clarificandi in sanctis suis horam negaverit; & ademerit beatitudinis cognitionem, cui mortis indulserit præscientiam? Humanæ istud conscientiæ non potest ferre trepidatio, ut hoc sibi de Deo arbitrium præsumat, & ei vitia humanæ demutationis adscribat; ut aut aliquid Filio Pater deneget, aut aliquid Deus natus ignoret.

i quasi ei inviderit.

Ut Deus, invidiâ vacat; ut Pater nil non dat quod habet.

61. Nescit autem Deus aliud aliquando quàm dilectio esse, neque aliud quàm pater esse. Et qui diligit, non invidet: & qui pater est, non etiam non pater totus est. Non enim admittit hoc nomen portionem, ut ex aliquo pater sit, & ex aliquo pater non sit. Pater enim universitatis [k] ejus quæ in se est pater est, omnem se in eo habens, cui non sit ex portione quòd pater est: non quòd sibi eorum quæ sua sunt pater ipse sit, sed quòd in his quibus ipse est, ei qui ex se est, pater totus sit. Et cùm secundùm humanorum corporum naturas, quæ ex disparibus conveniunt & ex compositis consistunt, non possit nisi omnium

[a] Vat. bas. ms. *sensum communis judicii interrogo, quid sentiendum est*: glossema subolet, sicut & Martin. in quo legitur, *interrogo an sentiendum est.*

[b] Excusi, *scientia ea etiam*, omisso *ejus*, quod probè exhibent mss. Christus ut causa generalis, proximè *omnibus ad id quod sunt atque erunt auctor* assertus est: hîc verò ut causa particularis, apprehendere dicitur quæ *neque in se neque per se sint*, puta, cogitationes alienas. Rursum movere potest cur *plerumque*: an non omnia apprehendit? Apprehendit quidem omnia, sed suam de nonnullis dumtaxat scientiam manifestam fecit. Hîc enim vocabulum *plerumque*, non majorem partem, sed indefinitè aliquam significat: qua intelligentia aliis etiam Patribus, sed maximè Gregorio Papæ familiare est.

[c] Apud Bad. & Er. *non nesciens.* In uno ms. Vatic. & altero Sorbon. *non nesciat & apprehendat.*

[d] Duo mss. Colb. cum Germ. *& ne motum.* Tum apud Bad. *ad id quod est exterior eritque*, in uno codice Vatic. Tell. & Vind. *ad id quod est exteriorque*, in Sorbon. *ad id quod est exterioraque*: mendosè. Hoc ipsum argumentum sic paucis perstringit & explicat Cyrillus lib. thesauri pag. 218. *Proprium est Verbo, quatenus Verbum est, nosse eorum quæ ab ipso condita sunt principia & fines. Unum verò eorum, quæ ab ipso condita sunt, est tempus: & qui tempus condidit, quàm diu duraturum sit novit.*

[e] Ita mss. quomodo & lib. 8. n. 5. consentiente græco εἰς αὐτόν. At editi, *in ipso.*

[f] scilicet dispensationis & assumtæ carnis, in qua venturus est judicare vivos & mortuos. Quocirca dies illa Christi est ut hominis; si quidem Pater omne judicium dedit Filio, quia filius hominis est, ut scriptum est Johan. 5. 22. & 27. Diei quoque tempus est in ipso ut Verbo temporum conditore.

[g] In duobus mss. deest *Deo*: qua voce intelligitur Pater, cui omnium cognoscendorum virtus neganda, & ignoratio attribuenda sit potiùs, quàm ea invidiæ labes, qua dilecto filio cognitionem aliquam subtrahere credatur.

[h] Bad. & Er. *generatur occasio per infirmitatem Christi.* In aliis quoque editis desideratur sequens particula *si*.

[i] In duobus mss. *effectu.*

[k] id est, Pater Filium generando dat ei universa quæ in se sunt.

suorum quis [a] pater pater esse, dum quod in A unoquoque est generum ac partium, id in filiis nativitas perfecta conservet: omnium ergo suorum quis pater pater est, dum ex omnibus nativitas & in omnibus manet. Et cùm in Deo non sint corporalia, sed absoluta; neque particulata, sed tota & universa; non vivificata, sed viva; totus vivens, & unum [b] totus Deus est, dum non ex portione compositus est, sed ex simplicitate perfectus est: necesse est, ut secundùm quod est pater, ipse sit omnium suorum ei quem ex se genuit pater totus, dum eum patrem ex suis omnibus nativitas filii perfecta consummat. Si igitur proprius Filio Pater est; in ea necesse est Filium manere proprietate qua Pater est. Manere autem quomodo existimabitur, si extra præscientiæ naturam sit, & aliquid nativitati ejus [c] ex auctore defuerit? deerit enim propè totum, si quod proprium Deo est, non habeat. Proprium autem Deo quid aliud, quàm cognitio futurorum est; C ut res nondum manentes, mansurasque posteriùs, invisibilium ac nondum exstantium generum capax natura contineat?

præsertim cùm sit simplex. — *Ut Deo, ita Dei filio, proprium est futura præscire.*

62. Non patitur autem in nobis doctor gentium Paulus hanc impii erroris professionem, ut ignorasse aliquid unigenitus Deus existimetur: ait enim, *Instituti in dilectione in omnes divitias adimpletionis intellectûs, in agnitionem sacramenti* [d] *Dei Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconsi.* Deus Christus sa- D cramentum est, & omnes sapientiæ & scientiæ in eo thesauri latent. Portioni verò, & universitati non potest convenire: quia neque pars omnia intelligitur, & omnia partem non patiuntur intelligi. Filius enim si diem nescit, jam non omnes in eo scientiæ thesauri sunt: [e] diem non ignorat, omnes in se scientiæ thesauros continens. Sed meminisse nos convenit, occultos in eo istos scientiæ thesauros esse, neque idcircò, quia occulti sint, non inesse: cùm E per id, quòd Deus est, in eo insint; per id verò, quòd sacramentum est, occultantur. Non occultum autem, neque ignoratum nobis est sacramentum Dei Christi, in quo absconsi omnes scientiæ thesauri sunt. Et quia sacramentum [f] ipse est; videamus an in his, quæ nescit, ignorans sit. Si enim in ceteris professio ignorandi non [g] habet nesciendi intelligentiam; ne nunc quidem quod nescit ignorat. Nam [h] cùm ignoratio ejus, secundùm quod omnes thesauri in eo scientiæ latent, dispensatio potiùs quàm ignoratio sit; habes causam ignorandi sine intelligentia nesciendi.

Nil latet eum in quo omnes scientiæ thesauri. Coloss. 2. 2. & 3. — *quamvis tamen latentes.*

63. In omnibus enim, quæ ignorare se Deus loquitur, ignorantiam quidem profitetur, sed [i] ignoratione tamen non detinetur: dum ad id quod nescit, non nesciendi infirmitas est, sed aut tempus est non loquendi, aut dispensatio est non agendi. Loquitur ad Abraham Deus dicens, *Clamor Sodomæ & Gomorrhæ impletus est, & peccata eorum magna valde. Descendam ergo & videbo, si secundùm clamorem eorum* [k] *consummantur: quòd si non, ut sciam.* Habemus ergo nescientem Deum, quod tamen non nesciat. Nam cùm peccata magna valde sciat esse, & rursum descendit ut videat [l] an consummata sint, & si nondum consummata sunt, ut sciat: intelligimus eum [m] non nescire, quia nesciat; sed tum scire, quia tempus ad agendum sit. [n] Scire ergo Deum, non est ignorantiæ demutatio, sed temporis plenitudo. Exspectatur enim adhuc ut sciat: & cùm non possimus id de eo intelligere quòd nesciat; cùm tamen adhuc exspectet ut sciat, necesse est, ut id quod sciens nescit, & nesciens scit, [o] nihil aliud quàm vel loquendi dispensatio sit, vel gerendi.

Deus quæ nescire aut jam scire quid dicatur. — *Gen. 18. 20. & 21.*

64. Non ergo ambigi licet, Dei scientiam ex tempore potiùs esse quàm ex demutatione, cùm ad id quod Deus scit, profitendæ potiùs scientiæ tempus sit, quàm adeptæ: ut etiam ex hoc docemur, quod ad Abraham dictum est, *Ne injicias manum tuam in puerum, & ne facias illi quidquam: nunc enim cognovi quia times* [p] *Deum tuum, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me.* Deus itaque modò scit: modò autem scire, anterioris ignorantiæ professio est. Quod cùm in Deum non cadat, neque [q] ut ignoraverit antea fidelem sibi esse Abraham, de quo dictum est, Credidit Abraham Deo, & deputatum est ei ad justitiam: hoc quòd nunc cognovit, tempus est quo Abraham testimonium accepit, non etiam * scire Deus cœpit. Abraham enim, holocausto filii, dilectionem quam ad Deum habebat docuerat: Deus tum cognovit, cùm loquitur. Et quia antè nescire non intelligendus est; necesse est idcirco tunc intelligatur cognosse, quia loquitur. Et de plurimis quidem, quæ de scientia Dei Testamento veteri continentur, hæc tantùm

Deus dicitur id modò scire, quod modò profert. — *Gen. 22. 12.* — *Gen. 15. 6. Rom. 4. 3.* — ** quo.*

[a] In vulgatis hîc & infrà non repetitur *pater*: moxque habetur *in filio*, non *in filiis*.

[b] Ita optimus codex Colb. cum Martin. & Germ. Alii verò, *totum*.

[c] In uno è mss. Vat. & Carnut. *ex auctoritate*: lectio non spernenda; id enim Hilario est *auctoritas*, quod nobis *principium*.

[d] Lips. & Par. *Dei patris & Christi*: consentientibus nostris sacri textus exemplaribus: sed renitentibus Bad. Er. & mss. necnon subjecta verborum illorum expositione.

[e] Removimus hinc, *Quod si in eo omnes scientiæ thesauri sunt*, potiorum mss. auctoritate.

[f] In duobus mss. *in se est*: quod non placet. Superiùs enim Christus *sacramentum* non semel prædicatur, hoc est, Deus absconditus, cujus forma per susceptionem humilitatis corporeæ fuit exinanita. Postea ms. Martin. *quæ ex se sunt*, pro *quæ nescit*.

[g] id est, non ea est, ut intelligatur ignorare. Sic infrà, *Habes causam ignorandi sine intelligentia nesciendi*, hoc est, habes cur se agat ut ignorans, nec tamen intelligatur nescire.

[h] Particulam *cum* omittunt duo mss. Colb. unus Sorbon. & Germ.

[i] German. codex, *ignoratio tamen non datur*. Deinde Lips. & Par. *dum id*, expuncto *ad* absque ulla auctoritate.

[k] Unus ms. Vatic. cum Remig. & Theod. hîc addit, *ad me venientem*. Tum in solis Martin. & Vat. bas. *consummabuntur*.

[l] Potiores mss. *an consummati sint, & si nondum consummati sint*. Martin. *an consummandi sint, & si non consummandi sint*.

[m] Sic mss. uno excepto Vind. in quo exstat, *non ea scire, quia nesciat*. At excusi, *non ea tunc scire, quia prius nesciat*. Pro *quia nesciat*, sensus exigere videtur *quia nunc sciat*. Et quidem cùm veteres libri *nunc* duabus litteris *nc* exhibeant, nec verba ullo modo à sese separent, ex *nesciat* facilè confectum sit *nesciat*. Deinde ms. Martin. *sed tum scire, cùm est tempus ad agendum*.

[n] Loco verbi *scire* prætulit Erasmus *nescire*, quod deinde arripuerunt Lipsius & qui in postrema editione Par. corrigenda operam navarunt: omnibus propè mss. reluctantibus. Hoc sibi vult: cùm Deus *scire* dicitur, non fit in eo *demutatio* (malè apud Bad. Er. & in ms. Martin. *diminutio*) ab ignorantia ad scientiam, sed indicatur *temporis plenitudo*.

[o] In plerisque mss. & apud Par. repetitur hîc particula *ut*.

[p] In vulgatis, *Dominum Deum tuum*. Abest *Dominum* à mss. Abest præterea *tuum* à græco & latino Scripturæ textu.

[q] Post *neque* reticetur *cadat*. adeoque particulam *ut* subsequentem à Lipsio perperam expunctam restituimus ex Bad. Er. & mss.

exempli causâ demonstrata à nobis sunt: ut id, quod nescit Deus, non ignorationis causa intelligeretur esse, sed temporis.

Dicitur nescire cognitione sua indignos, Matth. 7. 23.

65. In Evangeliis verò Dominum multa scientem nescire invenimus. Operarios iniquitatis, in virtutibus multis & in nomine ejus gloriantes, non novit dicens, *Et tunc jurabo, quia non novi vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Etiam cum jurejurando eos non novit, quos tamen iniquitatis operarios esse non nescit. Nescit ergo, non idcirco quia nesciat, sed quia cognitione ejus [a] per iniquitatem operationis indigni sint: fidem dicti etiam jurisjurandi religione confirmans, & habens in naturæ virtute ne nesciat, & retinens in sacramento voluntatis ut nesciat. Nescit quoque unigenitus Deus virgines stultas: & comparandi sibi olei incuriosas, gloriosi adventus sui thalamum ingressus, ignorat. Namque & adeunt & rogant, & usque [b] adeo non ignorantur, ut his respondeatur, *Amen dico vobis, quia nescio vos.* Nam & occursus & deprecatio non ignorabiles esse eas patitur: sed nesciendi responsio, non naturæ potiùs quàm voluntatis est; dum ab eo, qui nihil [c] non nescit, indignæ sunt quæ sciantur. Denique ne per infirmitatem ignorare existimaretur, continuò Apostolis ita locutus est: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam:* ut cùm vigilare eos ob ignorationem diei atque horæ monet, per id nesciri ab eo virgines noscerentur, quòd consopitæ & negligentes, indignæ aditu thalami sui oleo indigendo mansissent.

(Margin: operarios iniquitatis, — virgines stultas. — Matth. 25. 12. — Ibid. 13.)

Christus nil nesciens dispensationis ergo loquitur quasi nesciens. * ut.

66. Non est igitur Dominus Jesus Christus, qui scrutans corda & renes Deus est, in ea naturæ infirmitate, * ne nesciat: cùm hoc ipsum ex naturæ scientia intelligatur esse, [d] quod nescit. Quòd si qui fortè ignorationem ei deputabunt, ab eo qui sciat cogitationes eorum dici sibi metuant, *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Nam cùm cogitationum gestorumque non ignarus cognitor, interdum de cogitatis gestisque quasi ignarus interrogat, velut de tactu fimbriæ mulierem, vel de dictorum dissensione Apostolos, vel de sepulcro Lazari flentes: non nesciens intelligendus est nescire, sed loquens. Neque enim natura fert, ut qui absens Lazarum mortuum sepultumque sciat, A sepulcri locum nesciat; & qui [e] cogitationes videt, mulieris fidem non cognoverit; & qui necessitatem non habet de aliquo interrogandi, dissensionem Apostolorum ignoraverit. [f] Sed ei, qui novit omnia, ea ipsa quæ non nescit, dispensatio est aliquando nescire se loqui: dum aut apud Abraham [g] scientia dissimulatur in tempus, aut apud stultas virgines & iniquitatis operarios cognitio negatur indignis, aut, in sacramento filii hominis, interrogatio ignoB rantis ex homine est: in his se omnibus [h] veritati corporeæ nativitatis accommodans, quibus naturæ nostræ infirmitas detinetur; non * ut infirmis esset ex natura qui Deus est, sed * infirmitates sibi hominum Deus homo natus assumserit. assumserit autem ita, non ut in naturam infirmam natura indemutabilis sit redacta, sed ut [i] in natura indemutabili susceptionis esset sacramentum: dum & qui erat Deus, homo est; nec Deus destitit manere, qui hoC mo est. Agens itaque se atque [k] confirmans hominem natum, manens Deus Verbum, sæpissime in ea est professione, qua homo est, cùm [l] tamen & protestatio Dei ea sit sæpe quæ hominum: cùm ea nescit, quæ aut non sint in tempore confitenda, aut non agnoscuntur [m] ad meritum.

(Margin: Matth. 9. 4. — Luc. 8. 45. Matth. 16. 13. Joh. 11. 34. — Ibid. 14. — Joh. 16. 30. — * ita. — * ut. — Dei scientia occulta: ideo quasi ignorata.)

67. Intelligendum itaque est, cur professus sit diem se nescire. Si omnino nescire [n] creditur, Apostolus ita contradicit: *In quo sunt* D *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconsi.* Est ergo absconsa scientia: quæ quia abscondenda est, interdum & nescientia confitenda est, ut esse possit absconsa. Nam si erit in protestatione, non etiam in secreto manebit. Negat ergo se scire: ut scientia possit esse abscondita. Quòd si idcirco nescit, ut scientia maneat absconsa; non per naturam nescit omnia sciens, quod idcirco tantùm, ut absconsum sit, nescit. Cur autem diei scientia absconsa sit, non in obscuE ro est. Namque monens nos irremissa fide intentos semper manere, securitatem cognitionis [o] definitæ ademit: ut pendulæ exspectationis incerto mens sollicita, festinans & adventûs diem semper exspectans, semper exspectando speraret; curamque pervigilem incertum ipsum, non ambigendi tamen temporis, detineret. Ita enim Dominus ait: *Ideo & vos*

(Margin: Coloss. 2. 3. — Quàm sapienter abscondita sit. — Matth. 24.)

[a] Unus ms. Vatic. *per iniquitatis operationem.* Mox potiores, *jurandi*, non *jurisjurandi.*

[b] Sic mss. At editi, *usque eo.*

[c] In vulgatis desideratur particula *non*, quæ exstat in omnibus mss. quæque hîc non negandi, sed græcorum more Hilario familiari ampliùs affirmandi vim habet, quasi *nihil prorsus nescit.*

[d] Editi, *quòd nesciat.* Mss. autem, *quod nescit* v. g. virgines stultas, operarios iniquitatis &c. hoc non proficiscitur ex ignorantia, sed ex scientia qua hos novit iniquos, illas stultas.

[e] Vetus codex Colb. *cognitiones.*

[f] In pluribus mss. *sed & qui.* Mox in uno Colb. *aliquando nescire sed loqui.* Magis placet, *nescire se loqui*, hoc est, ei, qui novit omnia, dispensatio est aliquando sic loqui, quasi nesciat ea ipsa quæ non nescit.

[g] Plerique mss. *apud Abraham est.*

[h] Editi *veritate.* Rectiùs mss. *veritati.* Hunc Hilarii locum sic intelligere est: interrogatio ejus, qui ignorare videtur, ex homine est: qui veritati corporeæ naturæ se accommodat in his omnibus, quibus &c. Idipsum variis modis inculcat Cyrillus lib. thesauri. Sic porro habet pag. 220. *Ignorare se dicit, quatenus hominibus, in quos ignorantia cadit, similis factus est:* & paulo antè, *Non quòd ignoret Verbum quatenus Verbum est & sapientia Patris, dicit se nescire: sed humanam in se naturam ostendens, cui præcipuè convenit ignorare.*

[i] Ita mss. At excusi, *in naturæ demutabilis susceptione:* corruptâ Hilarii sententiâ, qua vult sacramentum susceptæ carnis factum esse salvâ & indemutabili permanente Verbi naturâ.

[k] In vulgatis, *conformans.* Meliùs in mss. *confirmans.*

[l] id est, quamquam ipsius etiam Dei ad nostrum captum sese accommodantis ea sæpe locutio sit quæ hominum,

[m] hoc est, quia carent merito; sicuti v. g. operarii iniquitatis & virgines fatuæ ob inopiam meriti nesciuntur:

[n] Apud Par. deest *creditur.* Deinde in pluribus mss. *Apostolus itaque*, non *ita.* Quam hîc interpretationem adhibet Hilarius, sic laudat Augustinus epist. ad Ocean. 180. n. 3. *Beatus Hilarius cùm obscuram quæstionem obscuro hoc genere tropicæ quæstionis aperuit, ut intelligeremus in eo se nimirum dixisse nescientem, in quo alios facit occultando nescientes, non excusavit mendacium, sed non esse monstravit.* Eamdem ipse sequitur lib. 1. de Trin. c. 12. n. 23. sicut & Gregorius Papa lib. 8. epist. 42. Nec dissentit Cyrillus lib. thesauri p. 222. Christi sermonem ita ab ipso temperatum enarrans, *quia discipulorum captum ejus rei notitia superabat.* Longè magis ad eamdem sententiam accedit Eustathius Antioch. apud Facundum lib 11. ubi hoc à Christo adinventum ostendit utilitatis hominum causâ.

[o] Verbum *definitæ*, in priùs vulgatis omissum, restituitur ex scriptis.

estote

estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est. Et rursum: *Beatus ille servus, quem veniens Dominus ejus*[a] *invenerit sic facientem.* Ignoratio non ad errorem fuit necessaria, sed ad perseverantiam. Nec negatum id ad detrimentum est, quod ignoratum tribuit incrementum; ne scientiæ securitas negligentiam fidei dissimulatæ[b] excitaret, sed præparationem irremissam exspectatio indefinita retineret: [c] quæ modo furis metuendum semper caveret adventum, illo eligente somni tempus ad furtum; patrefamiliâs verò domûs, damni semper timore, vigilante.

Ibid. 46.

Christum, etsi humana penetret ut potior, paterna penetrare nolunt ut inferiorem.

68. Quamquam igitur non obscurum sit, ignorationem Dei non ignorationem esse, sed sacramentum: dum per dispensationem aut agendi, aut protestandi, aut demonstrandi sic nescit, ut sciat; & sic non nescit, ut nesciat: tamen videndum est, ne fortè & ita infirmus sit, ut ea, quæ Pater scit, scire non possit: potente quidem eo cogitationes humanorum cordium nosse; quia natura potior motibus se naturæ inferioris admisceat, eamque tamquam imbecillam vehementi virtute transcurrat: sed impotens sit vehementiorem[d] sui naturam infirmior ipsa penetrare; quia ut levia gravibus, & rara densis, & liquida solidis sunt pervia; ita contrà & gravia levibus, & densa raris, & solida liquidis non cedant; quia cùm non pateant valida infirmibus, validis tamen infirma penetrantur. Ob id ergo cogitationes Dei patris ignorare Filius ab impiis dicitur, quia infirmus ipse cùm sit, non adeat ineundo potiorem, nec valentem invalidus transcurrat.

Christum Patre inferiorem dici non sinunt Scripturæ.

69. Quæ si quis non modò ore temerario loqui audebit de unigenito Deo, verùm etiam corde impio cogitare; Apostolum ita de Spiritu-sancto ad Corinthios scribentem credidisse cognoscat: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, & alta Dei. Quis enim scit hominum quæ sunt hominis quæ in ipso*[e], *nisi spiritus qui in ipso est? Ita & quæ in Deo sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei.* Sed hæc inania corporalium rerum exempla spernentes, Deum de Deo, & Spiritum de Spiritu, virtutibus suis potiùs, quàm[f] terrenis conditionibus æstimemus. Æstimemus autem, non sensu nostro, sed professione divina: & credamus ei qui ait, *Qui me vidit, vidit & Patrem.* Nec ignoremus eum qui dixit, *Vel operibus meis credite, quia Pater in me, & ego in Patre.* Nec ignoremus eum, qui locutus est, *Ego & Pater unum sumus.* Si enim sensum nostrum rerum nomina secundùm humanam intelligentiam commemorata confirmant: non habet ab eo naturæ differentiam, in quo per intelligentiam[g] quis videtur; nec differt in genere, qui manentem in se habens, inest in manente; nec diversi sunt, qui unum sunt. Intellige unitatem, dum non dividua natura est. Naturæ verò rursum individuæ sacramentum apprehende, dum tamquam speculum unus unius est. Speculum autem ita, ut non imaginatam speciem naturæ exterioris splendor emittat; sed dum vivens natura naturæ viventi indifferens est: quippe quæ ex totâ tota sit, quæ & dum unigenita est Patrem in se habeat, & maneat in Patre dum Deus est.

1. Cor. 2. 10. & 11.

Joh. 14. 9.

Joh. 10. 38.

Ibid. 30.

Pater & Filius speculum mutuum.

70. Hæc itaque, ad significandum nativitatis sacramentum à Domino prædicata, hæretici quia negare non possunt, ita conantur eludere, ut ad voluntatis concordiam referant; ut in Deo patre & in Deo filio non divinitatis sit unitas, sed voluntatis: tamquam divinæ doctrinæ inops sermo sit, neque aut dici à Domino potuerit, Ego & Pater unum volumus; aut ejusdem intelligentiæ sit, *Ego & Pater unum sumus*: vel loquendi imperitus non dixerit, Qui vidit voluntatem meam, vidit & voluntatem patris mei; & id ipsum sit, *Qui me vidit, vidit & Patrem*: vel certè non fuerit in usu eloquii divini, Voluntas patris mei in me est, & voluntas mea in patre meo est; sed conveniens huic dicto sit, *Ego in Patre, & Pater in me.* Quæ quamquam omnia fœda & inepta & impia sint, neque sensus humanus in hanc stultæ opinionis sententiam concedat, ut aut non potuerit Dominus loqui quod volebat, aut aliud locutus sit quàm locutus est: [h] qui quamquam reperiatur parabolicis & allegoricis dictis usus esse, sed aliud est vel exemplis dicta infirmare, vel proverbiorum significationibus rerum satisfacere dignitati, vel temporum professionibus se coaptare: tamen hic idem unitatis, de qua tractatur, locus non patitur in dictis aliud, quàm sonant verba, esse credendum. Si enim per id unum sunt, quia unum volunt; unum autem velle naturæ separabiles non possunt, quæ[i] diversitate generis diffidentis in diversas necessariò voluntates naturæ diversitate dissentiunt: quomodo unum velle possunt, quibus scire non unum est; cùm scientia, & ignoratio voluntatis unius impediat unitatem? Cùm itaque scientiæ[k] inscientia adversa sit, unum velle adversa non possunt.

De naturæ unitate dicta malè ad unitatem voluntatis detorquent hæretici.

Joh. 14. 11.

71. Sed fortè id, quod solum Patrem Filius ait scire, Filium, qui se nescire dixerit, nescire confirmet. Nisi planè Patrem solum scire dixisset, maximi periculi res intelligentiæ nostræ relinqueretur, ne fortè existimaretur ipse nescire. Nam cùm in eo, quòd nescit, dispensatio ei potiùs absconditæ scientiæ, quàm natura sit nesciendi; per id quoque nunc, quòd solus Pater scit, non ignorasse credendus est: quia, sicut superiùs docuimus, scientia apud

Pater ideo solus diem scit, quia soli Filio non tacet: Filius nescit, quia nulli revelat.

[a] Editi, *invenerit vigilantem*: diffidentibus mss. & sacro textu.

[b] Excusi, excepto Par. *non exerceret.* Alii verò libri, *excitaret*, hoc est, pareret ac foveret.

[c] Hanc lectionem uni Vatic. & alteri Remig. ms. habemus acceptam, aliis etiam faventibus, in quibus tamen vox *adventum* omittitur, quæ & salvo sensu omitti potest. At in vulgatis, *quæ modo furis metuendo semper caveret, illo eligente omne tempus.*

[d] Editi, *se*; renitentibus mss.

[e] In vulgatis hîc additur *sunt*, quod abest à mss. è quibus unus Colb. & alter Sorbon. omittunt *quæ in ipso*, ut & vulgata sacri textus exemplaria græca & latina.

[f] Duo mss. *terrenis cogitationibus*: malè.

[g] In vulgatis, *quisque.* Rectiùs in plerisque mss. *quis*: hoc est, in quo quis viso atque intellecto videtur atque intelligitur, non habet ab eo naturæ differentiam. Tum Lips. & Par. *nec differt à genere*: emendantur ex Bad. Er. & mss.

[h] Er. Lips. & Par. *& quamquam.*

[i] Editi, *diversitatem generis*: castigantur ex mss.

[k] In aliquot mss. *inscitia.* In Martin. *scientia*: malè.

Deum, non cognoscendi id quod nescierit[a] intelligentia est, sed loquendi. Et per id; quod solus Pater scit, Filius non intelligitur nescire; cùm Filius idcirco nescire se dicat, ne & alii sciant; & Patrem[b] ob id solum dicat scire, ne & ipse non nesciat. Si enim tunc cognovisse Deus dicitur, amari se ab Abraham, cùm hoc non celavit Abrahæ; necesse est, ut & Pater diem ob id scire dicatur, quia non celaverit Filium, Deo scientiam non de repentina cognitione sumente, sed in tempore protestante. Si itaque & diem Filius secundùm sacramentum nescit, ut taceat; è contrario necesse est, ideo diem Pater solus ostendatur scire, quia non tacet.

Gen. 22. 12.

Deus simplex, & humano modo minimè cogitandus.

72. Absit autem corporalium demutationum novitates in Patre & Filio existimari, ut aliquando Pater Filio aut loquatur, aut taceat. Nobis quidem nonnumquam missam vocem de cælo meminimus; ut sacramentum apud nos Filii, paterni dicti significatio firmaret, sicut Dominus ait: Non propter me vox hæc venit de cælo, sed propter vos. Ceterùm natura Dei non eget compositis humani officii necessitatibus, linguæ motu, temperamento oris, spiritûs nisu, aëris pulsu. Deus simplex est, religione nostra intelligendus est, pietate profitendus est: sensu verò non persequendus est, sed adorandus; quia natura moderata[c] & infirmis, naturæ infinitæ & potentis sacramentum intelligentiæ opinione non occupet. [d] Non est itaque diversus compositæ divinitatis partibus: ut sit in eo aut post stuporem voluntas, aut post silentium sermo, aut post otium opus: ut aut velle aliquid, nisi ad volendum motus sit, non putetur; aut loqui quid, nisi post silentium sonent verba, non possit; aut agere aliquid, nisi in opus exeat, non intelligatur. NON SUBJACET naturæ legibus, à quo legem omnis natura sortitur: neque in aliquo

Joh. 12. 30.

Non mutatur.

Omnia potest.

A infirmitate aut demutatione efficiendi detinetur, qui extra modum est potestatis, secundùm Domini dictum: Pater, possibilia tibi omnia sunt: ut quantum sensus humanus non capit, tantum Deus possit. Sed ne ipsum quidem se omnipotentiæ virtute fraudavit, dicens, Omnia quæcumque facit Pater, eadem & Filius facit similiter. Non est difficultas, ubi non est infirmitas; quia difficultati subjacet impotens efficiendi potestas. Difficultatis enim natura[e] in infirmitate virtutis est: quæ cùm modum non habet potestatis, non tenetur lege infirmitatis.

Marc. 14. 36.

Joh. 5. 19.

B 73. Hoc idcirco demonstratum à nobis est, ne aut Deus post silentium locutus ad Filium, aut Filius post ignorationem scire existimaretur: sed intelligentiam nostram naturæ nostræ esse significationibus instruendam, quæ demonstrari aliquid nisi per loquentem non intelligeret, & non nesciri aliquid[f] nisi sciendo non existimaret. Filius itaque diem idcirco, C quia tacet, nescit: & Patrem solum idcirco scire ait, quia solus uni sibi non tacet. Sed non exspectat, ut dixi, has naturæ difficultates, ut tunc sciat cùm ignorare destiterit, ut tunc audiat cùm loqui Pater cœperit. Naturæ suæ cum eo, tamquam unigeniti, unitatem non ambiguè docuit dicens, *Omnia, quæ Patris sunt, mea sunt*. Non enim ille nunc de[g] obtinendo locutus est; quia aliud est extrinsecùs[h] subsistentia sua esse, aliud est in suis D atque[i] ipsum se esse: quorum unum est possidere cælum, terras, mundumque totum, aliud est se ipsum in his significare quæ sua sunt, sua autem ita, non tamquam externa subjaceant, sed quòd ex suis ipse subsistat. Nunc ergo cùm omnia, quæ Patris sunt, sua sunt; divinitatis significat naturam, non obtentorum[k] communionem. Nam ad id, quòd de suo accepturum sanctum Spiritum loquebatur, ait,

Diem non potuit aliquando nescire.

cujus natura cum Patre una.

Joh. 16. 15.

[a] In vulgatis, *intelligentiæ*. Rectiùs in mss. *intelligentia*: hoc est, cùm dicitur Deus scire, non intelligitur seu non significatur cognoscere quod nescierit, sed quod non locutus sit loqui, uti jam attigimus num. 62. ac declaratur num. 64.

[b] Particulam *ob*, malè à Lipsio expunctam, restituimus ex Bad. Er. & mss. Tum *ne & ipse non nesciat*, id est, ut & ipse intelligatur non nescire. Idipsum apertiùs sic exprimitur num. 73. *Filius itaque diem idcirco quia tacet, nescit: & Patrem solum idcirco scire ait, quia solus uni sibi non tacet*. Non tacet autem Filio Pater; alioquin quî eum intelligeret scire. Filius verò tacet, quia sic à Patre didicerat, ut simul tacendum didicerit, quod expediebat ignorari. Huc spectat illud Augustini Serm. nunc. 97. n. 1. *Ne carnaliter sapientes putemus aliquid Patrem scire quod nesciat Filius. Nam utique cùm dixit, Pater scit, ideo hoc dixit, quia & in Patre Filius scit. Quid enim est in die, quod non in Verbo factum est, per quod factus est dies?*

[c] hoc est, modo finito coangustata. Erasmi in Hilarium paulò iniquioris ea hactenus obtinuerat ad marginem nota: *Cur ergo tam multa definivit?* Quænam porro illa *tam multa* definivit, qui vix ab hoc uno scopo declinat, quo demonstrare studet, nec Deum solitarium esse, nec Filium à Patre aliud seu alterius esse substantiæ? Hæccine verò ipse definivit? Annon potiùs utrumque Scripturis apertè traditum ab Ecclesia didicit? Primum enim jam longè antè definierat Ecclesia Sabellii, Noeti, Praxeæ similiumque hæreticorum doctrinam proscribens. Alterum verò proximè confirmarant Nicæni Patres: quod pridem contra Paulum Samosat. declaraverat Antiochena synodus, immo contra Artemam aliosque constanter propugnarant Apostolici viri, uti testis est Eusebius, qui lib. 5. hist. c. 28. recenset scripta ætate Victoris & Artemæ antiquiora, quæ fratres tum contra gentes tum contra temporis sui hæreticos pro divinitatis Christi defensione scripserunt. Verùm judicet quisque in quem cadat inconstantiæ labes, in Hilariumne, an in Erasmum; qui lib 2. illius in scribendo summam modestiam admiratus, eam his verbis imitandam proposuit: *Audi definitor temerarie*. Nobis verò pius Præsul nusquam visus est immemor quàm imbecilla sit humana ratio. Infirmitatem illius constanter ob oculos ponit, ut discat homo non suis sensis, sed Dei dictis credere.

[d] Aliquot mss. cum Bad. *diversis compositæ substantiæ* (vel *compositæ substantiæ*) *divinitatis partibus*. Martin. *diversis compositæ substantiæ partibus*.

[e] hoc est, in virtutis inopia sita est: quæ virtus cùm &c. Hinc quod in tribus Vatic. & aliis recentioribus mss. *in infirmitate virtutis est. Dei autem natura quæ modum non habet* &c. interpolatori tribuendum.

[f] In recentioribus mss. *nisi sciendo existimaret*: malè. Illud *nisi sciendo*, id est, nisi discendo, ac more hominum ab inscitia ad scientiam transeundo.

[g] id est, non de illis bonis, quæ non tenentur naturâ, sed gratiâ aut labore postmodum obtinentur.

[h] Martin. ms. *substantiæ suæ*. Colb. cum Germ. *subsistenti*: quod ad Filium referri potest. Unus Vatic. ac pauci alii, *subsistentis*: quod & de Patre dictum commodè interpretari licet. Veriùs tamen alii, ut liquet ex num. 31. *extrinsecùs subsistentia*, hoc est, res externas, ut sunt v. g. cælum, terra, mundus; vel ut habetur suprà n. 31. elementa & creationum variæ species. Defendit Hilarius Christum non sola Patris bona externa & creata sua esse dicere: idque ex eo probat, quod subjicit, ideo Spiritum de suo accepturum. Cùm enim constet, Spiritum Dei de creaturis nihil sumere; restat ut interna Patris bona, virtutem scil. æternitatem, providentiam &c. omnia sua dicat: quæ quidem non aliud sunt ab ipso, quamvis imperfecto nostro loquendi more dicamus ea *Patris*, quasi aliud sit habens Pater, aliud quod habet. Ex quo facilè sequitur, Filii & Patris unam esse naturam. Confer num. 31.

[i] Editi, *atque id ipsum*. At mss. *atque ipsum*, non alio sensu: qui clarior fiet, si post *atque ipsum se esse*, suppleatur *quæ sua sunt*.

[k] Rursum hîc Erasmus in Hilarium censoriam virgulam laxans, *Cur fugis*, inquit, *communionis nomen*. Cui ille non immeritò respondeat: Cur mihi calumniam struis? Non fugio communionem simpliciter, sed *communionem obtentorum*, communionem adventitiam bonorum quorumdam externorum, quæ naturæ jam constitutæ adjiciantur, communionem denique naturæ unitate destitutam: recordare mea verba lib. 9. n. 34.

Omnia, quæ Patris ſunt, mea ſunt; & ideo dixi, de meo accipiet: ut dum de ſuo accipit, non etiam non de Patris accipere exiſtimaretur; vel cùm de Patris ſumeret, non etiam non de ſuo ſumere intelligeretur. Neque enim de creaturis ſumebat Spiritus-ſanctus, [a] qui Dei Spiritus eſt; ut ex his videatur accipere, quia ea omnia Dei ſunt. [b] Sed non ideo omnia, quæ Patris ſunt, ſua ſunt, ut quod ſumit ex Filio, ne etiam non de Patris ſumere videretur; cùm omnia, quæ Patris eſſent, eſſe intelligerentur & Filii. B

cui voluntas; adeoque ſcientia, cum Patre eadem.

74. Hæc igitur natura non eguit vel demutatione, vel interrogatione, vel allocutione, ut poſt ignorantiam ſciat, poſt ſilentium interroget, poſt interrogationem audiat: ſed perfecta in ſacramento unitatis ſuæ manens, ut habuit de Deo nativitatem, ita habuit & univerſitatem. Univerſitatem autem habens, non etiam non quæ univerſitatis ſunt tenuit, [c] ſcientiam ſcilicet, aut voluntatem: ne quod ſcit Pater, per interrogationem Filius ſciret; vel quod vult Pater, per ſignificationem Filius vellet. Sed cùm omnia, quæ Patris ſunt, ſua eſſent; in ea [d] fuit proprietate naturæ, ne aliud aliquid, quàm Pater, aut vellet, aut ſciret. Ad demonſtrationem verò nativitatis plerumque demonſtratio eſt adhibita perſonæ, cùm dicitur, *Non veni voluntatem meam facere, ſed voluntatem ejus qui me miſit.* (Joh. 6. 38.) Patris voluntatem, non ſuam facit: dum per voluntatem ejus, qui ſe miſit, ſignificat & Patrem. Quòd autem idipſum velit, non ambiguè oſtendit dicens, *Pater, quos mihi dediſti, volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum.* (Joh. 17. 24.) Cùm ergo Pater velit nos cum Chriſto eſſe, in quo ſecundùm Apoſtolum elegit nos ante conſtitutionem mundi, (Epheſ. 1. 4.) & ipſum illud Filius velit, ſcilicet eſſe nos ſecum; voluntas ad naturam eadem eſt, quæ ad nativitatis ſignificationem diſtinguitur [e] in voluntate.

Eam non neſcientem ſed ex diſ- *penſatione tacentem intellexerunt Apoſtoli.*

75. Non itaque ignorat Filius, quod non ignorat Pater; neque quia ſolus Pater ſcit, id- E circo neſcit & Filius: cùm in unitate naturæ Pater & Filius maneant; quòd autem Filius neſciat, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi ſint, tacendi diſpenſatio ſit: ſicut ipſe Dominus teſtatus eſt, cùm quærentibus Apoſtolis de temporibus reſpondit, *Non eſt veſtrùm ſcire tempora* [f] *vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* (Act. 1. 7.) Cognitio negatur: neque ſolùm negatur, ſed & ſollicitudo cognitionis inhibetur, cùm ſcire hæc tempora non eſt eorum. Ipſi certè nunc poſt reſurrectionem de temporibus interrogant, quibus antè interrogantibus dictum eſt, ne Filium quidem ſcire: nec videri poſſunt, ſecundùm aurem intellexiſſe neſcire Filium; cùm ipſi eum tamquam ſcientem rurſus interrogent. Sed ſacramentum neſciendi, diſpenſationem eſſe intelligentes tacendi, nunc poſt reſurrectionem loquendi tempus jam arbitrantes eſſe, interrogant. Atque illis Filius non jam ſe neſcire ait; ſed quòd C ſcire non ſit eorum, [g] quia Pater in poteſtate ſua poſuerit. Si itaque Apoſtoli hoc, quòd neſcit Filius diem, diſpenſationem eſſe intelligunt, non infirmitatem; nos Filium ob id tantùm diem dicimus neſcire, ne Deus ſit? cùm diem Pater Deus idcirco in poteſtate ſua poſuerit, ne ad ſcientiam humanæ cognitionis evaderet: & Filius antè interrogatus, neſcire ſe dicens, nunc rurſum non ſe neſcire reſpondeat, ſed eorum eſſe neſcire; Patrem verò tempora D non in ſcientia ſua, ſed in poteſtate poſuiſſe? Nam cùm dies & momentum intra temporum nomen ſit; non poteſt videri diem & momentum reſtituendi in regnum Iſrael ipſe ille, qui reſtituturus eum eſt, ignorare. Sed nos ad intelligentiam nativitatis ſuæ per exceptionem paternæ poteſtatis erudiens, neque ſe neſcire reſpondit: & facultatem ipſis ſcientiæ non conceſſam eſſe demonſtrans, id ipſum in ſacramento paternæ poteſtatis conſiſtere eſt profeſſus.

[h] Non ergo, quia neſcire ſe diem & momentum Filius pertinet, & ipſius dies eſt, in qua venturus eſt judicare vivos & mortuos. Quocirca minutiori charactere diſtinguenda cenſuimus quæ ſequuntur, maximè cùm non exſtent in mſſ. optimæ notæ Colbertinis tribus, Carnutenſi, Germ. & Sorbon. Ea tamen ſuo è loco non movimus prorſus: quia & in perantiquo codice baſilicæ Vaticanæ, Martiniano, Corbeienſi, aliiſque habentur, & ab aliis Hilarii verbis per ſe ſunt ſatis diſcreta. Si ſimile quid lib. 10. n. 8. haberent, ſuſpicaremur librarium, quem in prædicto codice ſancti Petri exſcribendo magnâ uſum eſſe licentiâ conſtat, hæc verba ad Græcorum imitationem expreſſa addidiſſe. Sanè non longè ab eis diſſident hæc Cyrilli lib. theſauri pag. 221. *Quemadmodum hoc in ſe recepit Chriſtus, ut homo factus unà cum hominibus eſuriret, ſitiret, reliquaque pateretur, quæ de ipſo dicta ſunt; eadem planè ratione non eſt quòd quem offendat, ſi ut homo unà cum hominibus ignoraſſe dicatur.* Eadem doctrina licèt ab Athanaſio aſſerta videatur Or. 4. contra Ar. pag. 494. & 495. neque Gregorio Naz. Or. 36. n. 62. aliiſque magnis viris diſplicuiſſe; à Leporio tamen in libello, cui cum aliis ſubſcripſit Auguſtinus, Tom. 2. Concil. non modò retractata, ſed & anathemate damnata eſt: *quia dici non licet, etiam ſecundùm hominem, ignoraſſe Dominum prophetarum.* Immo Cyrillus, Athanaſius, aliique Patres, ſi eorum ſententia propiùs inſpiciatur, non tam aſſerunt Chriſtum ut hominem re vera neſciiſſe diem judicii, quàm ipſi ut homini licuiſſe ſingulari quodam conſilio dicere ſe neſcire; neque ab humana natura, cujus infirmitates ſuſcepit, alienam eſſe ignorantiam: quam præ ſe quodam modo tulerit, ut nobis congrueret. Atque ita cum Hilario noſtro num. 66. potiùs facere videntur, quàm cum iis, qui Juſtiniano imperante Chriſtum ut hominem ignoraſſe defendebant, & ab auctore ſuo *Themiſtiani*, ab errore *Agnoitæ* cognominati ſunt: contra quos S. Eulogii Commentarium approbat Gregorius Papa I. lib 8. epiſt. 42. Exſtat quoque opus Agobardi contra Felicem, qui diem judicii, Lazari ſepulcrum, ſermones pergentium in Emaüs &c. Chriſto latuiſſe exiſtimabat. Vide notam a pag. 1041.

[a] Sic mſſ. At editi, *quia Dei Spiritus.* Mox aptiùs legeretur *quia ea omnes Dei ſunt*, quàm *quia ea omnia Dei ſunt.* Hoc enim ad creaturas refertur. Hîc Spiritus-ſanctus perſpicuè oſtenditur Patri & Filio conſubſtantialis.

[b] Excuſi, excepto Par. *ſed ideo*, expuncto *non*, quod exſtat in mſſ. quorum auctoritate mox, pro *non etiam non de Patre*, reſtituimus *ne etiam non de Patris.* Horum autem ſenſus eſt: Non ideo quæ Patris ſunt Filii ſunt, quaſi omnia ſua Pater ita refuderit in Filium, ut ſibi ea non retinuerit; ac ſic quod ſumit Spiritus à Filio, non accipiat & à Patre.

[c] In mſſ. Vat. baſ. & Martin. *ut ſciat ſcilicet aut velit.*

[d] Editi, *in ea eſſet*: caſtigantur ex potioribus mſſ.

[e] Ita optimæ notæ mſſ. duo Colb. Carn. Germ. Sorbon. Vict. faventibus aliis ſex, in quibus tamen malè exſtat, *non diſtinguitur in voluntate.* At Corb. ac pauci alii cum vulgatis, *in volente.* Quamquam ſalvo & integro ſenſu removere liceret ſive *in voluntate*, ſive *in volente.*

[f] A mſſ. conſtanter abeſt *vel momenta*, ſicut & apud Auguſtinum epiſt. 197. & 199. ad Heſych. qui quidem epiſt. 197. n. 2. obſervat græcè legi χρόνους ἢ καιρούς. *Noſtri autem*, inquit, *utrumque hoc verbum tempora appellant, cùm habeant hæc inter ſe non negligendam differentiam.* καιρούς *quippe appellant tempora quæ in rebus ad aliquid opportunis vel importunis ſentiuntur, ut meſſis, pax, bellum;* χρόνους *autem ipſa temporum ſpatia.* Heſychius tamen epiſtolâ apud eumdem Auguſtinum prædictis intermediâ legit *tempora vel momenta*: quam lectionem Hilario non ignotam fuiſſe palam fit ex ſubjectis.

[g] Sic mſſ. At editi, *quæ Pater.*

[h] Malè cohæret illud *non ergo*; cùm aliud prorſus concludatur, quàm in ſuperioribus fuerit confectum. Immo pugnare videtur hæc concluſio cum dictis num. 58. ubi Hilarius diem illum à Chriſto ignorari poſſe negat, non ſolùm quia temporum auctor eſt ut Verbum, ſed quia ſecundùm myſterium aſſumtæ carnis ad eum

dicit, nescire credendus est: sicuti neque cùm secundùm hominem aut flet, aut dormit, aut tristis est, Deus obnoxius esse aut lacrymis, [a] aut timori, aut somno est confitendus: sed salva Unigeniti in se veritate, secundùm carnis infirmitatem, fletum, somnum, inediam, sitim, lassitudinem, metum, pari necesse est secundùm hominem naturâ, diei atque horæ professus esse intelligatur inscientiam.

[a] In codice Vat. bas. & Martin. *aut morti*, non *aut timori*.

LIBER DECIMUS.

Totus est adversùs eos, qui nullam in Christo volentes esse substantiam, quæ non in
Lib. 1. n. 32 *passione doluerit, nullam quæ ab esurie, siti, tristitia, timore aliena fuerit*, divinæ professionis naturæque immemores, ad argumentum impietatis suæ, dispensationis gesta
Ibid. n. 33. & dicta tenuerunt. *Quorum alii Christum asserebant merum esse hominem*, in cujus animam, *non simplex, sed* DOMINANS metus tristitiæ imminentis inciderit, *qui* consternatus fuerit passionis NECESSITATE, *& quem* obtinuerit vis doloris. *Alii Verbum cum carne confundentes, officio animæ functum esse prædicabant. Nec deerant qui ipsum ab homine prorsus separantes, nullam illius in Christo præsentiam fatebantur, nisi quam in prophetis agnoscimus. Rursum discrepantes complectebantur sententias, cùm Christi non modò carnem, sed & animam ab Adam propagatam sentientes, ut Scripturas eluderent, quibus de cælis descendisse significatur, descensum illum non de persona Verbi carnem sibi assumente, sed de ipsa carne è cælis advecta interpretabantur.*

Contra illos hæreticos Hilarius eo ut plurimùm utitur argumenti genere, quo in suis ipsorum sententiis non succurrat eis quod reponant. Quod autem aliorum Operum initio rogat, id ei maximè in hoc libro concedendum, ne scilicet de ipso ante finem judicetur. Si quid enim offendiculi pariunt initia, finis levabit. Quamquam expositâ adversariorum sententiâ facilè judicatur, vel solam à dolore, metu, tristitia eximere Christi divinitatem; vel humanam illius naturam à dominantibus dumtaxat & coactis hujusmodi affectionibus vindicare. Illud etiam attendendum quod Gregorius Nyss. Or. 5. contra Eunom. à Theodoreto Dial. 3. laudatus ait: Cùm enim duplex & ambigua sit opinio, divinitasne, an humanitas passa sit; unius rejectio, alterius prorsus erit confirmatio.

Itaque Hilarius num. 9. insanas hæreticorum contra Christi divinitatem opiniones exponere simul ac persequi incipiens, deinceps usque ad num. 36. de mirabili illius conceptione ita disserit, ut ex ea naturæ nostræ veritatem à Verbo sine sui abolitione, sine nostris vitiis susceptam esse demonstret. Ex quo conficit, Christum unum eumdemque, etsi non humana lege conceptum, tamen & verum hominem exstitisse, & verum Deum: ut
num. 24. *verum hominem*, passionum naturis *permissum esse; ut absque originis nostræ vitiis conceptum*, passionum *nostrarum non confectum esse* injuriis; *ut verum Deum, ab iisdem prorsus fuisse alienum.*

Exinde usque ad num. 43. tristitiæ ipsius, orationis, & angelici ministerii expendens causas, eum non sibi, sed Apostolis tristem fuisse, orasse, & ab Angelo confortatum esse propugnat. Tum quinque numeris sequentibus enarrat quæ Christus in passione præbuerit divinæ omnipotentiæ suæ signa: quibus facilè appareat, doloris necessitatem, vim ac
num. 47. *dedecus in eum non convenire, qui tanta potuerit; & eum quidem* secundùm hominem pro nobis infirma omnia pati, sed secundùm Deum in his omnibus triumphare.

Hinc adversarii vocem Christi objiciunt se derelictum clamantis. Quæ autem illorum de Christo fides sit, declarat numerus 49. Ac subinde multis oppositis quæstionibus de Christi ortu temporali, fletu, animæ ponendæ ac resumendæ potestate, spiritûs commendatione & traditione, quæ cum hæreticorum doctrina conciliari nequeant, nodum earum solvit num. 61. ex fide Ecclesiæ, quæ cùm Christi naturas non confundat, nec dividat personas, in uno eodemque Christo habet conquerentem ad mortem relictum se esse, quia homo est, & eum qui moritur profitentem se in paradiso regnare, quia Deus est. *Interea Hilarius fidei necessitatem more suo commendat: quò arrogantiam retundat hæreticorum, qui Christi mysteria se comprehendere jactitabant. Ut enim tradit Athanasius ad calcem lib. de*

ſalutari adventu J. C. qui divinitati ejus paſſionem adſcribunt, aut qui humanitati ejus fidem non habent, aut qui unum in duo ſeparant, *ii* carnis ejus dimenſionem faciunt, & QUANTUM & QUOMODO præter ſacras Scripturas definiunt, τὸ πόσον ἢ πῶς παρὰ τὰς γραφὰς λέγειν τολμῶντες.

Diſſidentium ſententiarum quæ cauſæ.

1. NON eſt ambiguum, omnem humani A eloquii ſermonem contradictioni obnoxium ſemper fuiſſe: quia diſſentientibus voluntatum motibus, diſſentiens quoque ſit ſenſus animorum; cùm adverſantium judiciorum [a] affectione compugnans, aſſertionibus his, quibus offenditur, contradicit. Quamvis enim omne dictum veri ratione perfectum ſit; tamen dum aliud aliis aut videtur, aut complacet, patet veritatis ſermo adverſantium reſponſioni: quia CONTRA VERITATEM B aut non intellectam aut offendentem, vel ſtultæ vel vitioſæ voluntatis error obnititur.

Doctrinam placiti, non rationis ſectantes.

Immoderata enim eſt omnis ſuſceptarum voluntatum pertinacia: & indeflexo motu [b] adverſandi ſtudium perſiſtit, ubi non rationi voluntas ſubjicitur, nec ſtudium doctrinæ impenditur, ſed his quæ volumus rationem conquirimus, & his quæ ſtudemus doctrinam coaptamus. Jamque nominis potiùs, quàm naturæ, erit doctrina quæ fingitur: & non jam veri ma- C nebit ratio, ſed placiti; quam ſibi voluntas magis ad defenſionem placentium coaptaverit, non quæ voluntatis inſtinctum per intelligentiam veri rationabilis incitabit. Per hæc igitur vitia ſtudioſarum voluntatum omnes adverſantium intentionum emergunt contradictiones: & inter veri aſſertionem, & placiti defenſionem, pertinax pugna eſt; dum ſe & veritas tenet, & tuetur voluntas. Ceterùm ſi non præiret rationem voluntas, ſed per veri intel- D ligentiam ad velle id quod verum eſt moveretur: numquam doctrina [c] voluntatis quæreretur, ſed voluntatem omnem doctrinæ ratio commoveret; eſſetque omnis ſine contradictione veritatis ſermo, cùm unuſquiſque non quod vellet, id verum eſſe defenderet, ſed quod verum eſt, id velle cœpiſſet.

Quos magiſtros quærant.

2. Harum itaque vitioſarum voluntatum non ignarus Apoſtolus, inter multa conteſtandæ fidei & prædicandi verbi præcepta, ad Ti- E motheum ſcribens ait, *Erit tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros* [d] *prurientes aures: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* (2. Tim. 4. 3.) Ubi enim per impietatis ſtudium extra ſanæ doctrinæ patientiam erunt, tunc his quæ deſiderant coacervabunt magiſtros, apta ſcilicet cupiditatibus ſuis doctrinarum inſtituta cumulantes, neque doceri ſe deſiderantes, ſed doctores ad id quod deſide- F rant congregantes: ut cumulus ipſe conquiſitorum & coacervatorum magiſtrorum, æſtuantium deſideriorum ſatisfaciat doctrinis. Et hic tantus [e] ſtultæ irreligioſitatis furor quo tandem ſpiritu, ſanam doctrinam non ſuſtinens, corruptam deſiderabit, ſi ignorat; ab eodem Apoſtolo ad hunc eumdem Timotheum ſcribente cognoſcat: *Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus recedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus ſeductoribus, doctrinis dæmoniorum in hypocriſi* [f] *mendaciloquiorum.* (1. Tim. 4. 1.) Qui enim doctrinæ profectus eſt, placita magis quam docenda conquirere? Aut quæ doctrinæ religio eſt, non docenda deſiderare, ſed deſideratis coacervare doctrinam? Sed hæc seducentium ſpirituum incentiva ſuppeditant, & ſimulatæ religionis falſiloquia confirmant. Sequitur enim fidei defectionem hypocriſis mendax, ut ſit vel in verbis pietas, quam amiſerit conſcientia. Et ipſam quidem ſimulatam pietatem omni verborum mendacio impiam reddunt, falſæ doctrinæ inſtitutis corrumpentes ſanctitatem fidei: dum ſecundùm deſideria ſtudiorum potiùs, quàm ſecundùm evangelicam fidem, coacervata doctrina eſt. Auribus enim prurigine incitatis, dum per audiendi impatientem oblectationem ſub novella deſiderii ſui prædicatione ſcalpuntur, ipſi penitus ab auditu veritatis alieni, totos ſe fabulis deſtinant: ut his, quæ loquantur, veritatis ſpeciem acquirant, dum quæ vera ſunt & loqui & audire non poſſunt.

Arianis conveniunt prædicta.

3. Incidimus planè in hoc prophetiæ apoſtolicæ moleſtiſſimum tempus. Conquiſitis enim nunc creaturæ potiùs quàm Dei prædicandi magiſtris, deſideriis humanis potiùs quàm ſanæ fidei doctrinis ſtudetur: & eò uſque eos prurigo aurium ad ea quæ deſiderant audienda excitavit, ut coacervatis doctoribus ſola hæc nunc interim prædicatio polleat, per quam unigenitus Deus à poteſtate & veritate Dei patris alienus, aut alterius generis Deus ſit in fide noſtra, aut Deus non ſit: mortiferâ ex utroque impietatis profeſſione, aut duos deos ſub diverſitate divinitatis eloquentes, aut Deum omnino, cui natura ex Deo per nativitatem ſit, abnegantes. Hoc alienatis ab auditu veritatis, & converſis ad fabulas auribus placet: hujus ſanæ doctrinæ audientia non ſuſtinetur, & ipſa omnis cum prædicatoribus ſuis exſulat.

4. Sed licèt [g] nunc à multis, coacervantibus ſibi ſecundùm deſideria ſua magiſtros, ſana doctrina exſulet; non tamen à ſanctis qui-

[a] Mſ. Martin. & alii nonnulli, *aſſertione.*
[b] Vat. baſ. Martin. ac pauci alii mſſ. *adverſandi ſtudio.*
[c] In excuſis, *voluntati quæreretur.* Tum in pluribus mſſ. *ſi voluntatem.*
[d] Sic plerique mſſ. favente græco κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν. Solus Vat. baſ. codex cum Martin. *ſcalpentes aures*, quomodo legitur lib. in Conſtant. n. 1. Editi verò, *prurientes auribus.*
[e] Editi, *ſtultæ religioſitatis*; emendantur ex mſſ.
[f] Aliquot mſſ. cum Vulgata, *mendacium loquentium.* Alii cum Bad. Er. & Lipſ. *mendaciloquorum.* Quam cum Par. ac veteribus mſſ. Colb. & Germ. præferimus lectionem, confirmant ſubſequentia.
[g] In mſſ. *licèt cùm*, non *licèt nunc.*

Hilarius in exſilio liber ac lætus.

buſque prædicationis veritas [a] exſulabit. Loquemur enim exſules per hos libros, & ſermo Dei, qui vinciri non poteſt, liber excurret, de hoc eodem apoſtolicæ prophetiæ admonens tempore: ut cùm auditus veritatis impatiens deprehenditur, & ſecundùm deſideria humana coacervati magiſtri reperiuntur, jam de tempore non ambigatur; ſed in eo coexſulare, exſulantibus ſanæ fidei prædicatoribus, veritas intelligatur. Ac de temporibus non queremur: quin etiam gaudebimus, quia iniquitas ſe per hoc exſilii noſtri tempus oſtenderit, quo veritatis impatiens ſanæ doctrinæ prædicatores, ut ſecundùm deſideria ſua coacervet ſibi magiſtros, relegat: exſilio noſtro lætantes & exſultantes in Domino, conſtitiſſe in nobis plenitudinem apoſtolicæ prophetiæ.

Quàm cautè ſe geſſerit ſuperioribus libris.

5. Superioribus igitur libellis ſinceræ, ut arbitror, fidei & incontaminatæ veritatis profeſſionem tenentes, quamquam ſecundùm humanæ naturæ conſuetudinem nullus ſermo non ſit obnoxius contradictioni, eam tamen nos arbitror totius reſponſionis noſtræ moderatos eſſe rationem, ut contradicere quiſquam niſi cum impietatis profeſſione non poſſit. Eorum enim dictorum, quæ ſecundùm falſiloquii ſui artem ex Evangeliis hæretici præſumunt, ita demonſtrata veritas eſt, ut jam in contradictione ignorantiam excuſare non liceat, ſed irreligioſitatem neceſſe ſit confiteri. Eam quoque nunc, ſecundùm ſancti Spiritus donum, temperavimus totius fidei demonſtrationem, [b] ut ne quid ementiri ſaltem adversùm nos criminis poſſent. Solent enim ita de nobis implere aures ignorantium, ut nos aſſerant negare nativitatem, cùm unitatem divinitatis prædicamus: & dicant ſolitarium à nobis per hoc, [c] *Ego & Pater unum ſumus*, ſignificari Deum: ut innaſcibilis Deus deſcendens in Virginem homo natus ſit, qui [d] ad diſpenſationem carnis id quod ita cœperit, *Ego*; ad divinitatis ſuæ verò demonſtrationem ſubjecerit, *& Pater*, tamquam hujus hominis ſui pater eſſet; ex duobus verò conſiſtens, homine ſcilicet & Deo, de ſe locutus ſit, *unum ſumus*.

Sollemnes Arianorum calumniæ in Catholicos.

Joh. 10. 30.

Quid hactenus dictum de æterna Filii generatione.

6. Sed nos nativitatem ſubſiſtentem ſine tempore proteſtantes, prædicavimus Deum filium non alienæ à Deo patre naturæ Deum: A neque ex innaſcibilitate Innaſcibili coæqualem, ſed ex generatione [e] Unigeniti non diſparem: neque unum eos eſſe ex geminatis nominibus [f] unionis, ſed ex nativitate naturæ: neque duos deos per diverſitatem generis in fide eſſe, neque rurſum ſingularem [g] quia ſolum Deum, ubi ſacramentum Dei unigeniti eſt confitendum; ſed in Patre ſignificari atque eſſe Filium, dum in eo & natura Patris & nomen * eſt, in Filio verò Patrem B intelligi ac manere, dum filius neque dici poteſt niſi ex patre, neque eſſe: viventis quoque naturæ eſſe viventem imaginem, & conſignatam naturaliter Dei in Deo formam uſque adeo indifferentis poteſtatis & generis, ut in eo nec opus, nec ſermo, nec viſus alienus à Patre ſit: ſed cùm naturaliter in ſe habeat auctoris ſui imago naturam, per naturalem quoque imaginem ſuam auctor & operatus, & locutus, & viſus ſit.

* *ſcil. naturæ.*

Quid de temporali.

C 7. Atque [h] hanc quidem & intemporalem, & inenarrabilem, & omnem humanæ intelligentiæ ſenſum excedentem Unigeniti generationem prædicantes, nati quoque in hominem ex partu Virginis Dei ſacramentum docuimus: demonſtrantes ſecundùm diſpenſationem carnis aſſumtæ, tum cùm ſe ex forma Dei evacuans formam ſervi accepit, infirmitatem habitus humani Dei non infirmaſſe naturam, ſed ſalva divinitatis in hoD mine virtute acquiſitam eſſe Dei ad hominem poteſtatem. Namque cùm [i] in hominem Deus natus ſit; non idcirco natus eſt, ne non Deus maneret, ſed ut manente Deo homo natus in Deum ſit. Nam & Emmanuel nomen ejus eſt, quod eſt nobiſcum Deus: ut non defectio Dei ad hominem ſit, ſed hominis profectus ad Deum ſit. Vel cùm glorificari ſe rogat, non utique naturæ Dei, ſed aſſumtioni humilitatis hoc proficit. Nam hanc gloriam poſtulat, quam E ante conſtitutionem mundi apud Deum habuit.

Matth. 1. 23.

Joh. 17. 5.

Quid de hora ignorata.

8. Reſpondentes quoque ſtultiſſimis eorum profeſſionibus, uſque ad ignoratæ horæ deſcendimus demonſtrationem: quæ etiamſi, ſecundùm illos, à Filio * apprehenſa non eſſet, tamen id ad contumeliam divinitatis unigenitæ non pertineret; quia natura non ferret, ut eum nativitas retroageret ad innaſcibilitatis [k] initiabilem ſubſtitutionem, poteſtati ſuæ

* *percepta.*

---

[a] In vulgatis, *exulavit*: cui verbo non ſatis modeſtè ſubjungeret Hilarius, *Loquemur enim*, ſe unum ex omnibus ſanctis memorans. Ab hoc jactantiæ vitio ſermonem illius purgat lectio mſſ. *exſulabit*: ut τῷ *ſanctis* ad fideles veritatis amantes referatur, quibus veram doctrinam, librorum ſuorum ſubſidio, minimè exſulaturam pollicetur.

[b] Ita mſſ. Editi verò, *ut ne quidem mentiri . . criminis aliquid poſſint.*

[c] In vulgatis hîc additur *quod ſcriptum eſt*: refragantibus mſſ.

[d] Hæc lectio, quæ eſt plerorumque ac ſinceriorum mſſ. integra erit, ſi verbum *referat* hîc ſuppleatur. In tribus mſſ. exſtat, *quia ad diſpenſationem carnis ſit quod ita* &c. At in vulgatis abſque ulla auctoritate habetur, *quia ad diſpenſationem carnis pertineat id quod ita* &c. Hîc notatur Sabellii doctrina, cujus invidiam in Catholicos Ariani conferebant.

[e] Editi, excepto Par. *unigenitum*: malè. Nam vocabulum *diſparem* refertur ad *nativitatem ſubſiſtentem*, id eſt, ſubſiſtentiâ à gignente diſtinctam: quæ Patri æqualis prædicatur ratione generationis, non ratione innaſcibilitatis.

[f] hoc eſt, neque unum eos eſſe ob ſingularitatem perſonæ, cui nomina geminata ſint. Hinc confirmatur quod pag. 885. not. d. obſervavimus, Sabellium in Virgine unionem eatenus dividere, quatenus incipiebat Dei ejuſdem nomina geminare.

[g] Reſtituimus *quia ſolum* ex potioribus mſſ. Colb. Carn. Remig. Germ. &c. ubi τὸ *ſolum* non ſolitarium ſignificat, ſed unum: hoc eſt, neque quia prædicavimus unum ac ſolum Deum, ideo prædicavimus ſingularem ac ſolitarium; ſi quidem unigeniti Dei confeſſio, ut non duos genere diverſos, ita nec ſolitarium recipit.

[h] Aliquot optimæ notæ mſſ. *atque in hanc.*

[i] In vulgatis, *in homine*; ſicque aliàs legit Hilarius, puta lib. 5. n. 18. & lib. 9. n. 4. Hîc tamen auctoritate mſſ. reſtituimus *in hominem*, quod & paulò ante habent editi, ac magis congruit cum ſubnexis, *natus in Deum ſit.*

[k] Aliquot mſſ. *initiabilem ſubſtitutionem*: mendosè. *Ininitiabilem ſubſtitutionem* vocat eam ſubſiſtendi rationem, quæ omnis principii expers ſit. Concedi nequit Patrem poteſtati ſuæ quidquam reſervaſſe, niſi Filius ipſi inæqualis concedatur. Verùm hîc Hilarius non tam ex ſua quàm ex Arianorum ſententia loquitur: in qua Filius non ſimpliciter negetur ſcire, ſed eatenus neſcire dicatur, quatenus non innaſcibilis eſſe intelligitur.

Patre momentum definiendi adhuc diei ad demonſtrationem auctoritatis innaſcibilis reſervante: neque in eo infirmam intelligi poſſe naturam, in qua tantum ineſſet ex nativitate naturæ, quantum implere poſſet perfecta nativitas: neque ad differentiam divinitatis unigenito Deo ignorationem diei & horæ deputandam, cùm ad demonſtrandam adversùm hæreticos Sabellianos innaſcibilem in Patre atque ininitiabilem poteſtatem, innaſcibilis hæc in eo ſit poteſtatis exceptio. [a] Sed quia B hanc neſcitæ diei profeſſionem, non ignorationis eſſe infirmitatem, ſed tacendi diſpenſationem docuimus: [b] expurganda etiam nunc eſt omnis impiæ aſſertionis occaſio, & omnes hæreticæ blaſphemiæ tranſcurrendæ ſunt prædicationes, ut veritas Evangelii per ea ipſa quibus obſcurari videtur eluceat.

[c] Paſſionis timor ac dolor contra Filii æqualitatem objicitur.

9. Volunt enim plerique [c] eorum ex paſſionis metu & ex infirmitate patiendi, non in natura eum impaſſibilis Dei fuiſſe: ut qui timuit & doluit, non fuerit vel in ea poteſtatis ſecuritate quæ non timet, vel in ea Spiritûs incorruptione quæ non dolet; ſed inferioris à Deo patre naturæ, & humanæ paſſionis trepidaverit metu, & ad corporalis pœnæ congemuerit atrocitatem. atque hac impietatis ſuæ aſſertione nitantur, quia ſcriptum ſit, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*; & rurſum, *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat calix iſte à me*; ſed & illud, *Deus meus, quare me dereliquiſti?* hoc quoque adjiciant, *Pater, commendo in manus tuas ſpiritum meum.* *(Matth. 26. 38. Ibidem 39. Matth. 27. 46. Lucæ 23. 46.)* Has enim omnes piæ fidei noſtræ profeſſiones ad impietatis ſuæ rapiunt uſurpationem: ut timuerit, qui triſtis eſt, qui & transferri à ſe calicem deprecatus ſit; ut doluerit, qui derelictum ſe à Deo in paſſione conqueſtus ſit; ut infirmus quoque fuerit, qui ſpiritum ſuum Patri commendaverit. nec anxietas admittat A ſimilitudinem exæquatæ ad Deum in Unigeniti nativitate naturæ: quæ infirmitatem diverſitatemque ſuam & deprecatione calicis, & deſolationis querelâ, & [d] commendationis confeſſione teſtetur.

Mortem haud rectè dicitur timuiſſe, quam docuit non timendam.

10. Ac primùm ante quàm ex his ipſis dictis demonſtremus, nec metuendi de ſe in eum infirmitatem incidiſſe aliquam, nec dolendi: quærendum eſt quidnam videatur timere potuiſſe, ut in eum formido intolerandi doloris B [e] inciderit. Et puto non alia hîc ad timendum, quàm paſſionis & mortis, cauſa prætenditur. Et interrogo eos, qui hoc ita exiſtimant, an ratione ſubſiſtat, ut mori timuerit, qui omnem ab Apoſtolis terrorem mortis apellens, ad gloriam eos ſit martyrii adhortatus, dicens, *Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus: & qui invenit animam ſuam, perdet illam: & qui perdiderit eam propter me, inveniet eam.* *(Matth. 10. 38. & 39.)* Cùm enim pro eo mori vita C ſit; quid ipſe in mortis ſacramento doluiſſe exiſtimandus eſt, qui pro ſe morientibus vitam rependat? Et cùm non timendos eſſe qui corpus occiderent monet; ipſum illum mors [f] ad timorem paſſionis corporalis exterruit? *(Ibidem 28.)*

[g] Quam & ſpontè oppetnit cum reviviſcendi poteſtate.

11. Tum [g] deinde quem dolorem mortis timeret, poteſtatis ſuæ libertate moriturus? Humano enim generi vitæ mortem aut vis exterior, id eſt, febris, vulneris, caſûs, ruinæ, degraſſata in corpus accelerat; aut ipſa D natura corporis noſtri ſenio in eam ipſam mortem victa concedit. Unigenitus autem Deus ita poteſtatem habens ponendæ animæ, ut reſumendæ, ad peragendum in ſe mortis ſacramentum, cùm poto aceto conſummaſſe ſe omne humanarum paſſionum opus [h] teſtatus eſſet, inclinato capite ſpiritum tradidit. *(Joh. 19. 30.)* Si hoc naturæ hominis jus relictum eſt, ut per ſe exhalans ſpiritum requieſcat in mortem, & non diſſoluto corpore labefactata anima decedat, vel

---

[a] Eraſmus hîc inſeruerat: *per quam patuit Verbi profeſſionem ad conſummandi hominis ſacramentum pertinere: ut qui infirmitates noſtras portabat, infirmitatem quoque ſibi humanæ ignorationis aſſumeret: atque ita diem neſcire ſe diceret, ut ſepulcrum Lazari neſciebat, & attrectantem veſtis ſuæ fimbriam mulierem ignorabat: tam infirmus ad ſciendum, quàm infirmus ad flendum, ſub laſſitudinis & ſitis & inediæ officio, neſcientiæ etiam non dedignatus errorem: maximè cùm ex mortuis reſurgentem & ingreſſurum ſupergreſſurumque cælos Apoſtoli non jam neſcientem, ſed hujus ipſius diei ſuæ potentem ac ſcientem interrogaſſent, nihil aliud percontantes quàm id quod ſub diſpenſatione hominis tacebatur: ut in eo quod neſcire ſe dixerat, dum rurſum interrogant, aſſumtionem potiùs quàm neceſſitatem ignorantiæ intelligere viderentur.* Quæ in quodam codice adſuta ſe reperiſſe admonet. In uno tantùm mſ. Remigiano ann. circiter 700. in quo multa paſſim truncata aut perturbata ſunt, ea ipſa reperimus initio hujus numeri adſuta proximè poſt verba, *uſque ad ignoratæ horæ deſcendimus demonſtrationem.* In aliis autem mſſ. nullum eſt additamenti hujus veſtigium. Sicut in appendice ad calcem libri 9. adjectâ, ita etiam hîc ignorantia Chriſti aliter explicatur, quàm in toto libro 9. expoſita eſt: in quo præterea cùm diei ignorantia diſpenſationi tacendi tribuitur, *diſpenſationis* vocabulo non quemadmodum hîc intelligitur myſterium aſſumtæ carnis, ſed abſtruſum Dei conſilium, quo prudenter judicavit hanc diem hominibus à Chriſto non eſſe revelandam. Dubitari vix poteſt, quin hoc merum adſumentum ſit. Et vel ex hoc confirmatur, quòd cùm non exſtet niſi in duobus mſſ. quos ſciamus, eorum unus uno loco, altero alter illud collocat. Probabile etiam eſt, illud ejuſdem eſſe, cujus eſt additamentum libri 9. quamvis hoc exſtet in longè pluribus mſſ. Hilarium verò utriuſque auctorem eſſe ea tantùm ratione cogitare licet, ut poſt abſolutum opus annotaverit novum quemdam explicandæ prædictæ ignorantiæ modum Patribus aliis ſatis communem.

[b] Lipſ. ex Eraſmi margine, *expugnanda*: minùs concinnè.

[c] Non jam quod omnes, ſed quod plerique Arianorum ſentiant, refellendum proponitur. Sentiunt porro illi, ut hîc ſatis dilucidè declaratur, Chriſtum, quem ſecundùm hominem timuiſſe ac doluiſſe Hilarius confitetur, naturæ alterius impaſſibilis prorſus expertem eſſe. Sed de his Leontius audiendus. *Exſtitit autem*, inquit lib. de Sectis act. 3. *ſtatim ipſo Conſtantino imperante Arii hæreſis, qui & circa divinitatem & circa naturam humanam errabat: circa divinitatem, quia Filium dicebat eſſe Dei creaturam, itidemque Spiritum-ſanctum; circa incarnationem, quia Chriſti corpus aiebat inanimum eſſe, in quo animæ loco Sermo principatum obtinuerit. Hoc autem propterea dicebat, quoniam conduceret ad ſtabiliendum ipſius de Trinitate dogma.* Quî autem conduceret, poſt nonnulla ſic explicat: *Idcirco Arianum dogma Chriſti corpus inanimum eſſe tradebat, ut humiles ejuſmodi voces Chriſto non ut homini tribueremus, ſed ut Dei filio, deque ipſius ſententia Filius Patre minor deprehenderetur.* Quod Athanaſius lib. de Incarn. Chriſti pag. 628. confirmat his verbis: *Fruſtra igitur cavillantur Ariani, qui carnem tantummodo ſtatuentes, ea, quæ de paſſione intelliguntur, ad impatibilem deitatem impiè referunt.* Hac ſententiâ ſic explicatâ, ſcopoque Hilarii perſpecto, faciliùs capientur quæ ſubjiciet, aut certè ſuſpicionem non ita facilè movebunt.

[d] Vat. baſ. mſ. *commendationis ſpiritus.*

[e] Excuſi hîc addunt *vel terroris*, non mſſ.

[f] Sic mſſ. At editi, *à timore*. Hîc timor ab eo arcetur, pro quo mori vita ſit: ac proinde ab hoc animi affectu vindicatur Chriſtus quatenus Deus eſt, non quatenus homo.

[g] In vulgatis, *denique*. Et hîc denuo oſtenditur in Chriſto eſſe natura aliqua timoris expers: neque hoc niſi de divina prædicatur, quæ nimirum ſola habet ponendæ atque iterum ſumendæ animæ poteſtatem. Quod illuſtratur his Athanaſii Sermone majore de fide apud Theodoretum Dialogo 3. *Homo autem Dominicus, nec vi morbi ſuperatus, nec invitus mortuus eſt: ſed ſua ſponte venit ad mortis diſpenſationem, corroboratus ab inhabitante in ipſo Deo Verbo, qui dixit, Nemo tollit animam meam à me* &c. *Divinitas ergo Filii eſt, quæ & ponit, & rurſus ſumit animam hominis quem geſtavit.*

[h] Aliquot mſſ. probæ notæ, *teſtatus eſt*.

abruptis aut perfossis aut collisis membris spiritus tamquam in sede sua violatus erumpat aut effluat: incidat in [a] Dominum vitæ mortis metus, si quòd emisso spiritu mortuus est, non libertatis suæ ad moriendum usus est potestate. Quòd si ex se mortuus est, & per se spiritum reddidit; non est terror mortis in potestate moriendi.

Nec corpori nec Spiritui mors fuit terribilis.

12. Sed fortè humanæ ignorantiæ timiditate hanc ipsam [b] moriendi in se timuit potestatem; ut licèt ab se moriturus sit, tamen hoc ipsum, quòd moriturus esset, timuerit. Et si fortè erunt, qui ita existimabunt; constituant cui rei existiment mortem fuisse terribilem, Spiritui, an corpori. Si corpori; anne ignorant, quòd Sancto corruptionem non visuro, intra triduum corporis sui templum esset suscitaturus? (*Psal.* 15.10.) Si verò Spiritui mors terribilis est; [c] Lazaro in Abrahæ sinibus lætante, infernum chaos Christus timeret? Hæc stulta atque ridicula sunt, ut in potestate ponendæ animæ ac resumendæ mori timeret, ad sacramentum vitæ humanæ sub voluntatis suæ libertate moriturus. Non est in voluntate [d] morientis & potestate non diu mori timor mortis: quia & voluntas moriendi & potestas reviviscendi extra naturam timoris est, dum timeri mors non potest & in voluntate moriendi & in potestate vivendi.

An pœnas timuerit.

13. Sed fortè penduli in cruce corporis pœnæ & colligantium funium violenta vincula, & adactorum clavorum [e] cruda vulnera sunt timori? Et videamus cujus corporis homo Christus sit; ut in suspensam, & [f] nodatam, & transfossam carnem dolor manserit.

Unde in corporibus sensus.

14. Ea enim natura corporum est, [g] ut ex consortio animæ in sensum quemdam animæ sentientis animata, non sit hebes inanimisque materies: sed & attacta sentiat, & compuncta doleat, & algens rigeat, & confota gaudeat, & inediâ tabescat, & pinguescat cibo. Ex quodam enim obtinentis se penetrantisque animæ transcursu, secundùm ea in quibus erit, aut oblectatur, aut læditur. Cùm igitur compuncta aut effossa corpora dolent, sensum doloris transfusæ in ea animæ sensus admittit. Denique vulnus corporis usque ad os dolet, & digiti * excidentium ex carne unguium præsegmina nesciunt. Et si quando accedente vitio pars aliqua corrupta membrorum, sensum vivæ carnis amiserit; ea cùm vel desecabitur vel uretur, dolorem quisquis esse potuisset, non manente in ea animæ permixtione, non sentiet. Aut cùm gravis necessitas recidendi corporis manet, medicato potu consopitur vigor animæ, & in emortuam sensus sui oblivionem mens [h] succis violentioribus occupata conficitur. Ac tum doloris nescia membra cæduntur, & omnem [i] alti vulneris plagam sensus carnis emortuus, sensu animæ in se torpentis evadit. Affert itaque dolorem per animæ infirmis admixtionem, in infirmum sensum suum corpus animatum.

* *aliàs, excedentium.*

Unde Christi corpus & anima.

15. Si igitur homo Jesus Christus per initia corporis atque animæ nostræ vixit in corpore, & non ita ut corporis sui, sic & animæ suæ princeps Deus, in similitudinem hominis constitutus, & habitu repertus ut homo natus est; [k] dolorem senserit corporis nostri, animæ nostræ & corporis, ut conceptu, ita & initio animatus in corpore. Quòd si assumtâ sibi per se ex Virgine carne, ipse sibi [l] & ex se animam concepti per se corporis coaptavit; secundùm animæ corporisque naturam, necesse est & passionum fuisse naturam. Evacuans se enim ex Dei forma, & formam servi accipiens, & filius Dei etiam filius hominis nascens, ex se suaque virtute non deficiens, Deus Verbum consummavit

[a] Vetus ms. Colb. *in Deum vitæ*. Magis placet *Dominum*, quamvis hoc verbo divina natura significetur, quæ hinc in Christo demonstratur, quòd ex se moriens jure nulli hominum naturæ relicto se se gaudere palam fecerit.

[b] In vulgatis hîc additur *suam*: quæ vox abest à potioribus mss. ac verbis *in se* satis exprimitur, puta, *ac moriendi potestatem*, quæ *in se* sita erat, timuit.

[c] Vetustiores mss. *Eleazaro* habent, non *Lazaro*. Vocabulo *Spiritus* naturam divinam hîc intelligi liquet ex num. 34. estque adæquata Christi divisio in corpus & Spiritum, id est, in hominem & Deum; & ea quidem accommodata sententiæ Arianorum, corpus in Christo dumtaxat & Sermonem vices animæ supplentem agnoscentium. Quibus ostendit Hilarius, non neutram illam naturam timori esse obnoxiam, sed nihil esse causæ cur Christus alterutri timeat: juxta quæ Augustinus in Psal. 93. n. 19. *Te præsignavit Dominus in sua infirmitate, non se: non enim timebat tertio die resurrecturus*. Præterea non hîc respuitur simpliciter timor, sed is tantùm qui ex humana ignorantia proficiscatur. Demum hoc argumentum iis potest accenseri, quæ *ad hominem* vocant, & ex adversariorum sententia conficiuntur.

[d] Vat. bas. ms. *in voluntate mortis*. In vulgatis, *morientis mors*: corruptè. Tum apud Er. & posteriores editiones, *& in potestate non diu in morte manendi timor*. In duobus mss. Colb. & uno Sorbon. *& potentis non diu mori* &c. In antiquiore Colb. *Non est in potestate moriendi morientis & potentis non diu esse mortuum, & potentem non diu mori timor mortis*. Ceteros sequimur mss. quorum lectio clariùs ita potest reddi: Non est timor mortis in eo, qui sponte atque ex voluntate moritur & potest non diu mori, seu citò ad vitam redire.

[e] Pratellensis codex, *dura vulnera*.

[f] In mss. Corb. & quibusdam aliis, *nudatam*: malè. Hac & superiori sententia docetur corpus Christi non solis clavis, sed violentis funium vinculis cruci fuisse colligatum. Tum ad marginem Erasmi, *dolor invaserit*: quod à Lipsio absque alia auctoritate arreptum, deinde obtinuerat. Jam legimus in Psal 58. n. 7. *quæ in impietatem populi essent mansura*. Quocirca non placet quod in uno è mss. Vatic. *ut suspensa & nodata & transfossa carne* &c.

[g] Solus codex Vat. bas. *ut nisi ex consortio*: & mox *non sentiant hebes*, pro *non sit hebes*; & post pauca, *ex cujusdam enim*, pro *ex quodam enim*.

[h] In veteribus mss. *sucis*, cum unico *c*. In optimo codice Colbertino, quaternione hîc avulso, desiderantur quæ ab hinc usque ad num. 31. intercedunt.

[i] Tres mss. *acti*. & mox Pratel. *emortuo*, non *emortuus*.

[k] In vulgatis, *parem dolorem*. Abest *parem* à mss. Tria hîc adversùs Arianos Apollinaristarum parentes asseruntur: primùm, humanam Christi naturam non hominum more, sed solo auctore Verbo de Virgine fuisse conceptam; alterum, Verbum animæ vices non supplevisse, sed animam simul cum corpore assumsisse; postremum, ita totum hominem à filio Dei assumtum, ut à divina sua virtute ac natura nullatenus defecerit. Hinc Christus etiam ut homo rectè negatur sensisse *dolorem corporis nostri*; quia corporis nostri dolor peccati pœna est, eique inviti subjacemus: at Christus alia lege conceptus, nec peccati reus fuit, nec pœnæ obnoxius, cui neque nisi sponte sua subjacuit. At verò si conceptio illius ideo hîc consideretur, ut ex singulari conceptionis modo præter humanam naturam ostendatur habere divinam, secundùm quam dolorem non senserit corporis nostri; in iis quæ hîc disputantur nulla erit difficultas. Erit quippe refutatio eorum, qui in Verbum ut animæ munere fungens dolorem cadere existimant. Neque verò apparet quorsum in his, *Tenuit in hominis nativitate quod matris est, cùm tamen haberet in originis virtute quòd Deus est*, aliisque tanto studio exponatur humanæ divinæque Christi naturæ veritas ac distinctio, nisi ut divina sola à dolore aliena demonstretur.

[l] Particulam *&*, quæ perinde est ac *etiam*, adjecimus ex mss. duobus Colb. & uno Sorbon. qui cum vulgatis subjiciunt *ex se*, ubi aliis in mss. legitur *per se*, non alio sensu. Nam illud *ex se* non materialem causam sonat, sed efficientem: quo sensu rursum num. 22. habetur, *Ut per se sibi assumsit corpus, ita ex se sibi animam assumsit*.

[a] consummavit hominem viventem. Nam quo A modo filius Dei hominis filius erit natus; vel manens in Dei forma, formam servi acceperit: si non potente [b] Verbo Deo ex se & carnem intra Virginem assumere, & carni animam tribuere, homo Christus Jesus ad redemtionem animæ & corporis nostri perfectus est natus; & corpus quidem [c] ita assumserit, ut id ex Virgine conceptum, formam eum esse servi effecerit? Virgo enim non nisi [d] ex suo sancto Spiritu genuit quod genuit. Et quam- B vis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se feminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent; non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam. Sed omnis causa nascendi invecta per Spiritum, tenuit in hominis nativitate quod matris est; cùm tamen haberet [e] in originis virtute [f] quòd Deus est.

16. Hinc igitur maximum illud ac pulcherrimum suscepti hominis sacramentum Domi- C nus ipse ostendit, dicens, [g] *Nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo.* Quòd de cælo descendit, conceptæ de Spiritu originis causa est. Non enim [h] corpori Maria originem dedit: licèt ad incrementa partumque corporis omne, quod sexus sui est naturale, contulerit. Quòd verò hominis filius est, susceptæ in Virgine carnis est partus. Quòd autem in cælis est, naturæ semper manentis potestas est: quæ initiatâ conditâque per se carne, non se ex infinitatis suæ virtute intra regionem definiti corporis coartavit. Spiritûs virtute ac Verbi Dei potestate in forma servi manens, ab omni intrà extráque cæli mundique circulo cæli ac mundi Dominus non afuit. Per hoc ergo & de cælo descendit, & filius hominis est, & in cælis est: quia Verbum caro factum non amiserat manere quòd Verbum est. Nam dum Verbum est, & in cælis est; dum caro est, & hominis filius est; dum Verbum [i] caro factum est, & de cælo est, & hominis est filius, & in cælo est: quia & Verbi virtus non corporalibus modis manens, nec deerat unde descenderat; & caro non aliunde originem sumserat, quàm ex Verbo; & Verbum caro factum, cùm caro esset, non tamen non erat & Verbum.

17. Absolutè autem beatus Apostolus etiam hujus inenarrandæ corporeæ nativitatis sacramentum locutus est, dicens, *Primus homo* [k] *de terræ limo, secundus homo de cælo.* Hominem

[Margin: f Christus qui & de cælo, & filius hominis, & in cælo. — Joh. 3. 13. — V. Tract. in Psal. 2. n. 11. — De terra est, ut ex Virgine; ut ex Verbo, de cælo. — 1. Cor. 15. 47.]

[a] id est, condidit & assumsit hominem, qui corpore & animâ constans, vivens, perfectus & consummatus homo erat. Nihil enim hîc cum Apollinario, qui sentiebat Verbum carni conjunctum consummasse hominem viventem, in quantum præstitisset ei vitam, ac vices animæ supplevisset.

[b] Aliquot mss. *Verbo Dei ... assumeret ... tribueret.* Hominem perfectum à Verbo assumtum esse, hinc proximè probatum est, quia Christus est filius hominis: nunc idipsum inde confirmatur, quòd non carnis tantùm, sed & animæ sit redemtor. Utroque illo argumento adversùs Apollinaristas sic utitur Gregorius Naz. Or. 51. n. 13. *Quod assumtum non est, curationis est expers.. Si dimidiata tantùm ex parte Adamus lapsus est, dimidiatum quoque sit quod assumtum est* & post pauca: *Si ipse inanimatus est* (Christus,) *quo tandem modo hominis nomen sustinebit?*

[c] Sic Bad. Er. & mss. At Lips. & Par. *ita assumsit.* Neque hoc Hilario insolens, ut duo verba eâdem conjunctione copulata non uno modo enuntiet: ut hîc primùm ponit *natus est*, ac deinde *assumserit*, quamvis utrumque verbum ad eamdem particulam *si* referatur. Hîc altera adjicitur conditio, ut Christus verè hominis filius sit, necessaria, scil. ut non undecumque allatam carnem, sed ex Maria acceptam assumserit: sicque transitur ad refellendum alium Apollinaristarum errorem, quo, uti credere par est, post Arianos dicunt Christi carnem de cælo fuisse allatam.

[d] Ex duobus mss. Colb. & uno Sorbon. hîc addimus *suo*, id est, ex Spiritu Christi, seu nonnisi ex Verbo genuit: quod perspicuis verbis ad calcem numeri sequentis sic declaratur; *Caro non aliunde originem sumserat, quàm ex Verbo.* Hæc magis spectant ad declarandas propositiones superiores, quibus Christum per initia nostra natum esse negatum est, quàm ad confirmandas proximè præcedentes.

[e] Editi, *in originis nativitate.* Tres mss. *in origine.* Remig. *virtutem in originis nativitate.* Magis placet cum codice Vaticanæ basilicæ, *in originis virtute*, id est, quatenus animæ & corporis sui princeps atque auctor est. Quo loquendi modo habes num. 25 nostra in eo *per virtutem profecta ex se originis* vitia non inesse.

[f] In vulgatis, *quòd Dei est.* Meliùs in omnibus fere mss. *quòd Deus*: hoc est, ea virtute, qua corpus suum ex virgine condidit, se se Deum patefecit.

[g] Ut confirmet Hilarius, quod superiùs probavit, Christum esse Deum simul & hominem perfectum; ita Verbi virtute, & non humana lege conceptum, ut tamen de Mariæ carne natus sit: hunc ac duos subsequentes Scripturæ locos sano sensui reddit, quibus hæretici abutebantur. Sic enim eos Arianorum discipuli Apollinaristæ apud Gregorium Naz. Or. 46. interpretantur, *tamquam priùs quàm descendisset, filius hominis esset, ac descendens carnem suam secum advexerit, quam in cælis habebat* (προαιώνιόν τινα ἢ συνουσιωμένην) *antesæcularem quamdam atque essentiæ suæ insitam.* Quæ opinio Athanasii ad Epictetum epistolæ locum dedit, atque à Gregorio Naz. Or. 51. n. 12. damnatur his verbis: *Si quis carnem descendisse de cælo, non autem hinc atque à nobis esse dixerit, anathema sit. Illud enim, Secundus homo de cælo ... &, Nemo adscendit in cælum, nisi qui descendit de cælo* &c. *propter cælestem unionem dici existimandum est.* Quò spectat illud Eusebii Emeseni apud Theodoretum sub finem Dial. 3. *Quoniam Potentia, quæ assumsit, descendit de cælis, id quod habet Potentia, carni tribuitur.* Quamvis enim hic Eusebius Arianæ labis contagione nonnihil infamatus sit, non erat tamen ex perditis illis Arianis, quorum hîc errores confutantur.

[h] Erasmus hîc inseruit *ex se*, quod postea retentum est, quamvis neque apud Bad. exstet, neque in mss. Hunc locum ita à se interpolatum notare videtur præfatione Hilarii Operibus præfixa, ubi de eo ait, *Libro III. sed magis libro X. sic loquitur de corpore Christi, ut sentire videatur Mariam virginem præter concipiendi, gestandi, & pariendi ministerium nihil addidisse de suo.* Hanc censuram multis explosimus in generali præfatione §. 1. ac satis refellunt proximè dicta num. 15. puta Virginem *ex se* dedisse, *quantum ex se feminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent*: necnon illud num. 35. *Genuit etenim ex se corpus.* Neque suspectum esse debet quod mox subjicitur, *Quod verò hominis filius est, susceptà in* (non *ex*) *Virgine carnis est partus.* Ut enim observat Tertullianus lib. carne Christi n. 20. utramque loquendi rationem permittit Evangelium, in quo non tantùm habes, *Joseph virum Mariæ de qua natus est Jesus*; sed &, *Concipies in utero*, non ex utero: &, *Quod in ea natum est, de Spiritu-sancto est.* Unde Leo Papa Serm. 5. de Nat. Domini scribit Filium Dei venisse in hunc mundum per uterum Virginis, *in qua & ex qua ædificavit sibi Sapientia domum.* Neque attendit Erasmus se in sanctum virum illius ipsius erroris injicere suspicionem, quem hîc datâ opera conatur in hæreticis sanare. Illi siquidem volebant Christi carnem allatam de cælo; ipse propugnat eam ita esse de Maria, ut propterea Christus filius hominis nuncupetur. Objiciebant illi Scripturas, in quibus descendisse de cælo prædicatur. Quibus reponit, descensum illum non ad carnem, sed ad Verbum esse referendum: Verbum autem ideo dici descendisse, tum quia superveniens in Virginem corpus ex ea condidit, tum quia corpus illud à se conditum sibi assumsit. *Non enim Maria corpori originem dedit*; hoc est, cùm virgo esset, non propriâ, sed Spiritus-sancti virtute corpus ipsius concepit. *Virtus enim Altissimi & obumbratio Spiritus-sancti fecit ut Maria pareret Salvatorem*, inquit Leo Papa Serm. 5. in Nat. Dom. c. 5. Id dumtaxat in Hilarii sententia advertendum, quòd iis in locis Spiritus nomine Verbum ipsum intelligat.

[i] hoc est, dum caro à Verbo in unitatem personæ suscepta est, tum de cælo est, &c. Quò spectat illud Augustini contra Serm. Arian. c. 8. *Propter istam unitatem personæ in utraque natura intelligendam, & filius hominis dicitur descendisse de cælis, quamvis sit ex ea quæ in terra fuerat virgine assumtus; & filius Dei dicitur crucifixus & sepultus* &c. quæ verba exscribit Leo Papa epist. aliàs 10. nunc 24. ad Flavianum c. 5.

[k] Exemplar Carnut. *de terra terrenus.* Ab re non erit hîc observare, non hanc propriè hujus testimonii partem in subjectis explicari, sed alteram: de qua illud consideratur, cur Christus, qui est secundus Adam, dicatur *homo* simul & *de cælo*; responderturque dici hominem, quia de Maria; de cælo autem, quia de sancto Spiritu. Sic in Psal. 122. n. 3. *Cælestis ergo est secundus Adam, & idcirco cælestis, quia Verbum caro factum est, ex Spiritu scilicet & Deo homo natus*: ubi *ex Spiritu & Deo homo natus* id sibi vult, quod in hocce lib. num. 22. *ante hominem Deus, suscipiens hominem homo & Deus.*

enim dicens, nativitatem ex Virgine docuit: quæ officio usa materno, sexus sui naturam in conceptu & partu hominis exsecuta est. Et cùm ait secundum hominem de cælo, originem ejus ex supervenientis in Virginem sancti Spiritus aditu testatus est. Atque ita cùm & homo est, & de cælis est; hominis hujus & partus à Virgine est, & conceptus ex Spiritu est. Et hæc quidem Apostolus ait.

Quæ caro filii hominis quia ex Virgine, panis de cælo est quia ex sancto Spiritu.

18. Ipse autem Dominus hujus nativitatis suæ mysterium pandens sic locutus est, *Ego sum panis, vivus qui de cælo descendi: si quis manducaverit de pane meo, vivet in æternum*, se panem dicens; ipse enim corporis sui origo est. Ac ne Verbi virtus atque natura defecisse à se existimaretur [a] in carnem, panem suum rursus esse dixit: ut per hoc, quòd descendens de cælis panis est, non ex humana conceptione origo esse corporis existimaretur, dum cæleste esse corpus ostenditur. At verò cùm suus panis est, assumti per Verbum corporis est professio: subjecit enim, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis*: ut quia id, quod filius hominis est, & [b] panis de cælis ipse descendit; per panem suum de cælo descendentem, & per carnem ac sanguinem filii hominis, & conceptæ ex Spiritu sancto, & natæ ex Virgine carnis intelligatur assumtio.

Joh. 6. 51. & 52.

Ibid. 54.

Christus perfectus Deus, perfectus homo.

19. Hujus igitur corporis homo Jesus Christus & Dei filius & hominis est filius, & ex forma Dei se exinaniens formam servi accepit. Non alius filius hominis, quàm qui filius Dei est; neque alius in forma Dei, quàm qui in forma servi perfectus homo natus est: ut sicut

A per naturam constitutam nobis à Deo originis nostræ [c] principe, corporis atque animæ homo nascitur; ita Jesus Christus per virtutem suam [d] carnis atque animæ homo ac Deus esset, habens in se & totum verumque quod homo est, & totum verumque quod Deus est.

Adæ carnem & animam Christum accepisse docentes.

20. Quamquam multi confirmandæ hæreseos suæ arte, ita aures imperitorum soleant illudere, ut quia & corpus & anima Adæ in peccato fuit, [e] carnem quoque Adæ atque animam Dominus ex Virgine acceperit, neque B hominem totum ex Spiritu sancto Virgo conceperit. Qui si intelligerent sacramentum carnis assumtæ, intelligerent etiam sacramentum ejusdem & hominis filii & Dei filii. Quasi verò si tantùm ex Virgine assumsisset corpus, assumsisset quoque ex eadem & animam: cùm [f] anima omnis opus Dei sit, carnis verò generatio semper ex carne sit.

Anima opus Dei.

Christum volentes esse vocis sonum, & Catholicis quasi hominem negent affingentes.

21. Sed volentes unigenitum Deum, qui in C principio apud Deum erat Deus Verbum, non substantivum Deum esse, sed [g] sermonem vocis emissæ, ut quod loquentibus est suum verbum, hoc sit patri Deo Filius; argutè subrepere volunt, ne subsistens Verbum Deus & manens in forma Dei Christus homo natus sit: ut cùm hominem illum humanæ potiùs originis causa, quàm [h] spiritalis conceptionis sacramentum, animaverit, non Deus Verbum hominem se ex partu Virginis efficiens exsti- D terit, sed [i] ut in prophetis Spiritus prophetiæ, ita in Jesu Verbum Dei fuerit. & arguere nos soleant, quòd Christum dicamus esse natum [k] non nostri corporis atque animæ hominem: [l] & se ex cùm nos Verbum carnem factum,

[a] Excusi cum pluribus mss. *in carne*. Veriùs Corbeiensis codex & nonnulli alii, *in carnem* Hîc enim Arianos Apollinarii atque Eutychis præcursores pergit refellere, verbis nonnihil intricatis, sed ad confirmandam nostram de Eucharistiæ sacramento fidem luculentis, quibus perspicuitas ex superioribus accedit. Ait igitur Verbum *se panem* dicere, nimirum propter corpus quod sibi coaptavit & assumsit: corpus autem illud à Verbo *suum* dici, ut res assumta & assumens persona distinguantur, adeoque Verbum in carnem defecisse non existimetur: demum corpus illud & *cæleste* vocari, propter personam cælestem ac divinam quæ illud condidit & assumsit; rursumque *carnem & sanguinem filii hominis*, quia caro illa assumta verè de Virginis carne nata est. Cùm autem hæc dicat sanctus Doctor in eum Johannis locum, quem de Eucharistiæ sacramento interpretatum eum esse liquet ex lib. 8. n. 14. & 16. ubi ad venerandum illud sacramentum refert, quæ eidem loco connectuntur; sequitur eum sensisse unam eamdemque esse Christi carnem de Virgine natam, & in Eucharistia à nobis sumtam. Totum illud confirmat & illustrat Eusebius Emesenus apud Theodoretum ad calcem Dial. 3. *Dicit Dominus panem Dei descendisse de cælo: & interpretans, (quamquam apertiùs dicere non possum propter mysteria* Eucharistiæ,) *hoc dicit, Caro mea est. Caro Filii descenditne de cælis? Quomodo ergo dicit, Panis Dei vivit, & descendit de cælis, &* (hoc de carne sua) *interpretans? Quoniam Potentia quæ assumsit, de cælis descendit, id quod habet Potentia, carni tribuitur.* Ubi vides etiam ab Eusebio non aliam existimari carnem quæ in mysteriis sumitur, & quæ à Verbo in Virgine suscepta est.

[b] id est, *etiam panis.* Hoc quippe sibi vult: ut quia id, quod filius hominis vocatur in his, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, dicitur etiam panis de cælis descendens in illis, *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.*

[c] In aliquot mss. *principem.* In tribus, *princeps.* Nil immutandum.

[d] Vulgati hîc addunt *admixtione*: quod verbum abest à mss. Sicut proximè omnis homo, ita nunc Christus *carnis atque animæ* homo esse dicitur contra Arianos, qui carnem sine anima ab ipso susceptam esse sentiunt.

[e] Hoc, Hieronymo teste epist. 82. ad Marcell. & Anaps. post Tertullianum sensit Apollinarius, quòd *quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima.* De eodem Nemesius cap. 2. *Apollinarius putat animos ab animis gigni, ut à corporibus corpora; progredi enim ut propagationem primi hominis in omnes, qui ex illo generantur* Quibus favet Athanasius lib. de salutari adventu Jesu Christi, qui contra Apollinarium vulgò inscribitur, ubi hæreticos animam carnalem sentientes sic refellit: *Si, ut vestra fert opinio, anima carnalis est; cur non unà cum corpore & moritur & perit?*

[f] Editi, *anima hominis.* Rectiùs mss. *anima omnis.* ex quibus aptè jam concludere est; si omnis, ergo & Christi. Nemo non videt, nullam Hilario fuisse dubitationem circa originem animæ, cujus inquisitio Augustinum tam diu fatigavit.

[g] Vat. bas. codex, *sed sonum vocis.* Mox in eodem ms. *argutè serpere*, pro *argutè subrepere*; ubi in aliis mss. antiquo scribendi more, *subripere.* Hîc hæretici notantur, qui conantur efficere, ne Verbi Dei subsistentis corporatio credatur. Hunc locum cum libro de Synod. n. 46. contulisse juverit.

[h] hoc est, quàm conceptionis, cujus causa sit Spiritus Deus Verbum. Identidem observare est, omnem hæreticorum conatum in hoc esse, ut Christum divinitatis expertem esse insinuent; Hilarium autem id omnino laborare, ut quem verùm ac perfectum hominem probat, verum etiam Deum esse demonstret ex ipsa conceptionis suæ ratione.

[i] Huic opinioni locum inter Corinthios patuisse conqueritur Athanasius epist. ad Epictetum, sub cujus finem paucis eam perstringit. Eamdem in Apollinario Gregorius Nazianz. Or. 51. n. 8. hoc anathematismo damnat: *Si quis divinitatem in eo velut in prophetis per gratiam operatam fuisse, non autem secundùm essentiam copulatam fuisse atque copulari dixerit, à præstantiori afflatu vacuus sit* &c. & in Carm. de vita sua: *Dei totius particeps facta est hominis natura: non ut propheta vel quispiam alius divinitus afflatorum: qui non tam Dei particeps fuit, quàm eorum quæ Dei sunt. Verùm substantiatus sic tamquam radiis sol.*

[k] Deest particula negans in duobus mss. Colb. & uno Sorbon. Prorsus retinenda est. Hujus calumniæ repellendæ gratiâ tanto studio hîc inculcat Hilarius, Christum esse perfectum hominem naturâ nobis similem, licèt ex singulari illius conceptione maximè velit divinitatem ipsius comprobare: sicut toto hoc libro in unos Arianos intentus, pari fere studio contra Sabellium pugnat, ut nullum usitatæ illorum calumniæ locum permittat.

[l] Solus codex Vat. bas. *& formam Dei evacuantem*: minùs sincerè. Obiter observare est, quî Christi vocabulum ad naturam divinam referatur. Sic paulò antè synonyma sunt, *subsistens Verbum Deus*, & , *manens in forma Dei Christus.*

forma Dei evacuantem Christum, & formam servi assumentem, perfectum secundùm habitum conformationis humanæ, & nostræ similitudinis natum hominem prædicemus: ut [a] verè Dei filius verus hominis filius natus sit; neque non natus ex Deo homo, neque quia natus ex Deo homo, ideo Deus esse deficiens.

Christi anima à Deo.

22. Sed ut per se sibi assumsit ex Virgine corpus, ita ex se sibi animam assumsit: quæ utique numquam ab homine gignentium originibus præbetur. Si enim conceptum carnis nisi ex Deo Virgo non habuit; longè magis necesse est, anima corporis, nisi ex Deo, aliunde non fuerit. Et cùm ipse ille filius hominis ipse sit qui & filius Dei, [b] quia totus hominis filius totus Dei filius sit; quàm ridiculè præter Dei filium, qui Verbum caro factum est, alium nescio quem tamquam prophetam Verbo Dei animatum prædicabimus, cùm Dominus Jesus Christus & hominis filius & Dei filius sit? Per id verò, quòd tristis est anima sua usque ad mortem, & quòd potestatem habet animæ suæ ponendæ & resumendæ, volunt extrinsecùs [c] animam, non ex Spiritu sancto, ut & corpus ex eo conceptum est, deputare: cùm Verbum Deus, in sacramento naturæ suæ manens, homo natus sit. Natus autem est, non ut esset alius atque alius: sed ut ante hominem Deus, suscipiens hominem homo [d] & Deus posset intelligi. Nam quo modo Jesus Christus Dei filius natus ex Maria est, nisi quòd Verbum caro factum est: scilicet quòd filius Dei, cùm in forma Dei esset, formam servi accepit? Accepisse autem formam servi eum, qui esset in Dei forma, de contrariis [e] comparatur: ut quanta veritas est manere in Dei forma, tanta veritas sit accepisse formam servi. Ad proprietatem enim naturæ intelligendam, significatione verbi ad id communis impellimur. In forma enim servi est, qui & in forma Dei est. Et cùm hoc [f] naturæ, illud verò dispensationis sit; in ejusdem tamen est veritatis proprietate, quod utrumque est: ut tam verus sit in Dei forma, quàm verus in servi. Ut verò assumsisse formam servi non aliud est, quàm hominem natum esse; ita in forma Dei esse non aliud est, quàm Deum esse. unum tamen eumdemque, non Dei defectione, sed hominis assumtione, profitentes & in forma Dei per naturam divinam, & in forma servi ex conceptione Spiritus sancti secundùm habitum hominis repertum fuisse. Itaque cùm Jesus Christus & natus, & passus, & mortuus, & sepultus sit; [g] & resurrexit. Non potest in his sacramentorum diversitatibus ita ab se dividuus esse, ne Christus sit: cùm non alius Christus, quàm qui in forma Dei erat, formam servi acceperit; neque alius, quàm qui natus est, mortuus sit; neque alius, quàm qui est mortuus, resurrexerit; neque alius, quàm [h] qui resurrexit, sit in cælis; in cælis autem non alius sit, quàm qui descendit antè de cælis.

Unus est in duabus naturis perfectis.

Christus passioni obnoxius, num & dolori.

23. Homo itaque Jesus Christus unigenitus Deus, per carnem & Verbum ut hominis filius ita & Dei filius, hominem verum secundùm similitudinem nostri hominis, non deficiens à se Deo, sumsit: [i] in quo, quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent: ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans, omnes quidem has passiones naturæ suæ infert, ut foret, ut compungat, ut vulneret; sed naturam suam in hæc passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aërem vulnerari,

[a] Editi, *ut verus*. Majore quadam energia mss. *ut verè*, scil. *natus sit*, qui *verè filius Dei* est. Tota illa gradatio sic potest explicatiùs exponi: ut Dei filius ex Virgine verus hominis filius verè natus sit; ita autem ex Virgine hominis filius natus sit, ut non nisi ex Deo homo sit; ac demum ex Deo, hoc est, cùm Deus esset, ita natus sit homo, ut Deus esse non desierit.

[b] scilicet, *ut per eumdem totum hominem simul ac Deum totus homo in peccatum lapsus refingatur* ac reformetur, inquit adversùs Apollinarium Gregorius Nazianz. Or. 51. n. 5. De verbo *totus* vide annotata pag. 41. not. a.

[c] hoc est, neque à Verbo conditam, sed à causa aliena atque externa propagatam, ut dictum est n. 20. neque eidem Verbo intrinsecè & in unitatem personæ conjunctam. Eosdem quippe hæreticos personas in Christo divisisse, & humiles Christi voces humanæ, divinæ autem gloriosos titulos tribuisse, testis est laudatus Gregorius Nazianz. præsertim sub finem Or. 52.

[d] Particulam *&* in vulgatis omissam rectiùs mss. retinent, ne naturarum confusio intelligatur. Rursum his concinens adversùs Apollinarium Gregorius Naz. Or. 51. n. 5. ait: *Neque enim hominem à divinitate separamus: sed unum & eumdem profitemur, priùs quidem non hominem, sed Deum* &c. *in fine autem etiam hominem.*

[e] atque adeo duæ illæ naturæ contrariæ post conjunctionem perseverant inconfusæ. Sic Gregorius Nazianz. Or. 42. carnis vocabulo humanam naturam, divinam verò spiritûs nomine appellans ait; *Progressus autem Deus cum assumta humanitate, unum* (nunc diceremus *unus est*) *ex duobus inter se contrariis, carne nimirum & Spiritu, quorum alterum deitatem dedit,* (ἐθέωσε,) *alterum accepit*, ἐθεώθη.

[f] Vat. bas. ms. cum quibusdam aliis, *naturale*: minùs concinnè. Ex hoc loco, necnon ex num. 64. 65. & aliis planum est, uti jam observavimus, Hilario quoties de Christo sermo est, *naturæ* vocabulum semper ad divinitatem referri. *Quòd enim*, inquit in Psal. 139. n. 2. *Deus est, naturæ suæ est; quòd autem homo est, naturæ nostræ assumtio est.* Cujus rei rationem sic reddit in Psal. 68. n. 25. *Neque formæ servilis assumtio tamquam genuinæ originis natura est; cùm id quod assumtum est, non proprietas interior sit, sed exterior accessio.* Sic Cyrillus 11. in Johan. naturam humanam ad Verbi unitionem σχετικῶς, non φυσικῶς adscendisse docet, *quòd ex se & suapte conditione non habet hoc, ut cum Deo unum sit.* At cautè omnino Hilarius subinde demonstrat, assumtam servi formam nihilo minùs propriam Christi esse, quàm ipsam formam Dei.

[g] Excusi, *& resurrexerit, & in cælos adscenderit, non potest* &c. Simpliciùs ac veriùs mss. *&* (pro *etiam*) *resurrexit*: hoc est, si mihi objicitis Christi in nativitate, passione &c. infirmitatem; ego opponam ejusdem in resurrectione gloriam. Pergit Hilarius viam præcludere errori hæreticorum, quorum imitatores Apollinaristæ Christos duos inducentes apud Gregorium Naz. Or. 52. *verba illa, Anguore affectus est, & cruci affixus, ac sepultus, externi integumenti esse affirmant; hæc autem, Confidit, & resurrexit, atque adscendit, interni thesauri.*

[h] Ita mss. At editi, *qui resurrexerit, adscenderit in cælos, in cælos autem.* Ex hoc loco aliisque similibus in generali præfat. §. 4. ostendimus, Hilarium longè abfuisse ut divinitatem Christi à corpore umquam separatam sentiret. Si enim ante mortem secessit, alius dicendus est natus, alius mortuus, alius in cælis.

[i] Er. Lips. & Par. *in quem*: diffidentibus Bad. & mss. quos inter Corbeiensis ab antiqua manu ad marginem habet, *Cautè lege.* Ad cautelam recolendum contra quos hactenus disputarit Doctor catholicus: cujus verba omnia ad id exigenda sunt, quod ab Apollinario assertum esse conqueritur Gregorius Naz. ad Nectarium Or. 46. *Ipsum unigenitum Deum omnium judicem, vitæ auctorem, mortis exstinctorem, mortalem esse docet, propriaque sua divinitate passum esse, atque in triduana illa corporis morte divinitatem quoque simul cum corpore mortuam fuisse, sicque rursus Patris operâ à morte ad vitam revocatam*: maximè cùm Hilarius suprà num. 9. contra erroris hujusmodi assertores toto hoc libro agendum sibi proponat.

quamvis naturæ teli sit & vulnerare & compungere & forare. Passus quidem est Dominus Jesus Christus, dum cæditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur: sed in corpus [a] Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis [b] exseruit: dum & pœnali ministerio desævit, & Virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit. Habuerit sanè illud Domini corpus [c] doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet, ut calcet undas, & super fluctus eat, & non degravetur ingressu, neque aquæ insistentibus vestigiis cedant, penetret etiam solida, nec clausæ domus obstaculis arceatur. At verò si dominici corporis sola ista natura sit, ut [d] sua virtute, suâ animâ feratur in humidis, & insistat in liquidis, & exstructa transcurrat: quid per naturam humani corporis [e] conceptam ex Spiritu carnem judicamus? Caro illa, id est, panis ille de cælis est; & homo ille de Deo est. Habens ad patiendum quidem corpus, & passus est; sed [f] naturam non habens ad dolendum. Naturæ [g] enim propriæ ac suæ corpus illud est, quod in cælestem gloriam [h] conformatur in monte, quod attactu suo fugat febres, quod de sputo suo format oculos.

Christi in carne prærogativæ.

Passiones humanæ an in Christo.

24. Sed fortè in quo affectio flendi, sitiendi, esuriendique mansit, ceterarum quoque humanarum passionum in eo necesse sit inesse naturam. Qui sacramentum fletûs, sitis atque esuritionis ignorat, sciat & vivificare flentem, nec mortem Lazari flere, [i] quam gaudeat, & flumina aquæ vivæ ex se præbere sitientem, neque [k] arere siti, qui potens sit potare sitientes, [l] & esurientem eam quæ fructus suos esurienti non præbuerit damnare arborem, nec naturam eam vinci inediâ, quæ naturam viriditatis jussa ariditate demutet. Quòd si, præter fletus & sitis & esuritionis mysterium, assumta caro, id est, homo totus, passionum est per-

Joh. 11. 35. Joh. 7. 38. Matth. 21. 19. Ibidem.

[a] Abest *Domini* à Bad. Er. & plerisque mss.

[b] In vulgatis, *exercuit*. At in mss. *exseruit*: post quod verbum rectè intellexeris *respectu divinitatis*. Proximè enim *Virtus corporis* idem est, quod Verbum in assumto subsistens corpore, quasi, Virtus corporata. Quo sensu Eusebius Emesenus apud Theodoretum Dial. 3. p. 172. Christum secundùm divinitatem passionum nostrarum nescium fuisse defendens, Verbum *Virtutis* nomine constanter designat. *Non enim*, inquit, *clavum excepit Virtus, ut timeret: quamvis*, ut paucis interectis declarat, *corporis passiones suscepit.* Ita Hilarius, ubi ei de Christo sermo est, *virtutis* vocem semper ad Verbum refert. Verbum autem hîc *Virtus corporis*, quomodo suprà ad calcem num. 15. *Virtus originis*, meritò ab eo nuncupetur; quia ipsum propria virtute, uti jam sæpe notavimus, corpori suo originem præbuisse censuit. Fortè etiam Verbum corporis virtutem appellarit accommodata ad sententiam adversariorum loquendi ratione. Illi enim infrà n. 49. de Christo sic sensisse memorantur, *ut Deus Verbum tamquam pars aliqua virtutum Dei quodam se tractu continuationis extendens, hominem illum qui à Maria esse cœpit habitaverit, & virtutibus divinæ operationis instruxerit.* Hîc igitur pœnæ sensus à sola rejicitur natura Verbi, cujus personæ attribuitur. At ne commodam hanc interpretationem de nostro excogitasse videamur, afferendus est alius Hilarii locus, in quo cùm Christi passionem eadem ratione explicet, quod hîc *virtutem corporis*, jam perspicuè appellet *naturam divinitatis*. Hunc habemus in Psal. 53. n. 12. *Quamquam*, inquit, *passio illa non fuerit conditionis & generis, quia indemutabilem Dei naturam nulla vis injuriosæ perturbationis offenderet; tamen suscepta voluntariè est, officio quidem ipsa satisfactura pœnali, non tamen pœnæ sensu læsura patientem: non quòd illa lædendi non habuerit pro ipsa passionis qualitate naturam; sed quòd dolorem* DIVINITATIS NATURA *non sentit. Passus est ergo Deus; quia se subjecit voluntarius passioni: sed suscipiens naturales ingruentium in se passionum (quibus dolorem patientibus necesse est inferri) virtutes, ipse tamen à natura suæ virtute non excidit ut doleret.* Hinc facilè intelligitur quid sibi velit proximè allata teli in aquam aut ignem aut aërem immissi similitudo.

[c] Erasmus testatur se in quodam exemplari reperisse hîc adsutum, *ex peccato*; ac rursum, *suapte natura sine mirabili adjutorio Dei*, post verba *ut calcet undas*. Hîc uno argumento videtur Hilarius corpori Christi & naturam dolendi negare, & virtutem tribuere miracula per se patrandi. At ut corpori Christi miracula patrandi virtutem tribuat longè abest, qui eam vim ne in animam quidem illius convenire pro certo ponit infrà num. 55. *Non convenit*, inquit, *ut anima de sepulcro Lazarum vocet, & ad animæ innexæ corpori præceptum atque virtutem in mortuum suum anima jam ex eo dissoluta revocetur.* Sic lib. de Synod. n. 48. ex miraculis probat Verbum in carnem non esse translatum: *Alioquin unde carni in operibus virtutes, in monte gloriam, in passione securitatem, in morte vitam? Sed demutationem Deus nesciens, nihil ex substantiæ suæ bonis caro factus amisit.* Non igitur carnis, sed substantiæ divinæ proprium bonum est virtus miraculorum. Quod non minùs perspicuè docet lib. 7. de Trin. n. 36. ubi ait, *Cùm enim ea, quæ gereret, propria Deo essent, calcare undas, jubere ventis &c. hinc querelæ omnis orta conquestio est, quòd . . gessisse hæc in homine assumto Dei non intellecta natura est.* Sed & idipsum confirmat in Psal 55. n. 5. cùm primò ponit divinam in eo remansisse naturam: *Factus enim caro Deus etiam in assumtione carnis Deus esse permansit, utens virtutis suæ sub consortio nostri corporis potestate.* Tum ex miraculis dictum suum sic probat: *Non enim carne est degravatus, ne super undas ambularet &c.* Ac demum concludit: *Non ergo metuit à carne . . . sub assumtione carnis Deus opera divina consummans.* Itaque Christi carni sicut miraculorum virtutem non tribuit, ita nec negat dolendi naturam: sed eos, qui nullam in Christo recipiunt naturam à dolore immunem, tacitè inducit, ut ex iis, quæ mirabiliter gessit in corpore, singularem in eo naturam exstare, eamque divinam esse cogitent. Nec malè subinde eorum animos ad id refert, ut considerent an ex inflictis corpori Christi pœnis rectè opinentur, Verbum ac Spiritum assumentem expertum esse doloris nostri naturam. Negari etiam potest corpus Domini habuisse doloris nostri naturam: quia noster dolor etiam invitos pungat ac mordeat. Vel certè hoc argumentum ex iis est, quæ adversarios ita premant, ut in sua sententia eis non suppetat quod reponant.

[d] An primùm ait *suâ virtute*, quasi divina virtute, quæ dicti prodigii primaria causa sit; ac tum *suâ anima*, ut quæ à divina natura hanc vim proximè excipiat, & corpori communicet: quia ut loquitur Gregorius Naz. sub finem Or. 35. *Deus per intermediam mentem cum carne conjunctus est*; & Rufinus in expositione Symboli: *Filius ergo Dei nascitur, non principaliter soli carni sociatus, sed animâ inter carnem Deumque mediâ generatus.*

[e] Ita mss. Editi verò, *concepta ex Spiritu-sancto caro judicatur.* Caro illa de cælis dicitur, quia persona assumens est de cælis.

[f] In uno exemplari reperit Erasmus hîc insertum, *imbecillem ut nostra ex peccato.* Cùm *habens* sit Verbum, nec Verbi eâ natura sit, ut possit dolere; facilè expeditur difficultas, quæ ex hoc loco oritur. Quod illustrare licet ex Tract. Psal. 53 n. 8. ubi Judæos *animam hanc* (Christi) *humanæ naturæ & infirmitatis esse existimantes* cùm reprehendit Hilarius, prædicare videretur Christi animam non similis cum nostra fuisse naturæ, nisi adversam sententiam antè & pòst tueretur; pateretque hoc eum tantùm velle, Christi animam pertinere ad personam filii Dei, qui naturâ Deus sit & omnis infirmitatis expers; idque Judæis latuisse.

[g] Illud *naturæ enim propriæ* &c. idem est quod initio num. 25. *Habuit enim corpus, sed originis suæ proprium* &c. quod significat Christi corpori naturam fuisse singularem, propriam, ac Dei filio consentaneam; *ipse enim corporis sui origo est*, ut dictum est num. 18. Quo sensu ita intelligendum est Christi corpus *naturæ propriæ*, ut naturæ nostræ vitiis fuerit vacuum, non ut nostræ carnis corpus non fuerit. Nam & lib. 1. n. 11. *nostræ carnis Deus caro factus* prædicatur, ut *& in suis perfectus sit, & verus in nostris*; & hic ipse liber suprà & infrà nihil quidquam magis resonat. In hac natura à vitiis nostris libera dolor non potest esse nisi spontaneus: ex cujus sensu nihil contra Christi divinitatem ac virtutem habetur, sicut neque ex ipsius siti aut esurie, ut mox declaratur. Potest etiam ita explicari *corpus naturæ & originis suæ proprium*, ut corpus illud Verbi proprium fuerit eique intimè conjunctum, & non, ut suprà volunt hæretici, in eo tamquam in prophetis habitarit. Cui explicationi favet, quod de gloria ac virtute hujus corporis proximè subjicitur. Hanc quippe probationem lib. de Synod. num. 48 & in Ps. 55 n. 5. Hilarius adhibet, ut Verbum post carnis assumtionem à se non defecisse demonstret. Hoc sensu non corpus, non homo, sed Verbum habens corpus à dolore vindicatur. Cum his confer quæ infrà num. 26. habentur.

[h] Editi, *transformatur*. At mss. magno consensu, *conformatur*: quod Gregorius Naz. Or. 51. factum esse explicat *divinitate carnem superante*, ὑπερνικησάσης τὸ σαρκίον τῆς θεότητος.

[i] Præpositionem *ob* hinc removimus auctoritate mss.

[k] Editi, *carere siti*: emendantur ex mss.

[l] Bad. & Er. *& esurientes*. Lips. & Par. *& esuriente se.* Rectiùs mss. *& esurientem*, hoc est: sciat eum etiam dum esurit cum auctoritate damnare arborem. In his manifestum est, hoc Hilarium tantùm velle, naturam in Christo exstitisse aliquam ab affectione flendi, sitiendi, esuriendique alienam; etiam cùm easdem affectiones secundùm carnem pateretur. Eodem modo de doloris sensu locutum eum esse sentiendum est.

missa naturis: nec tamen ita [a], ut passionum conficeretur injuriis; ut flens non sibi fleret, ut sitiens sitim non potaturus depelleret, & esuriens non se cibo escæ alicujus expleret. Neque enim tum, cùm sitivit aut esurivit aut flevit, bibisse Dominus aut manducasse aut doluisse monstratus est: sed ad demonstrandam corporis veritatem, corporis consuetudo suscepta est, ita ut naturæ nostræ consuetudine consuetudini [b] sit corporis satisfactum. Vel cùm potum & cibum accepit, non se necessitati corporis, sed consuetudini tribuit.

In Christo corporis humani veritas, non vitia.

25. Habuit enim corpus, sed originis suæ proprium; neque ex vitiis humanæ conceptionis exsistens, sed in formam corporis nostri virtutis suæ potestate subsistens: gerens quidem nos per formam servi, sed à peccatis & à vitiis humani corporis liber; ut nos quidem in eo per generationem Virginis inessemus, sed nostra in eo per virtutem profectæ ex se originis vitia non inessent: dum homo natus, non vitiis humanæ conceptionis est natus. Tenuit enim Apostolus demonstrandæ nativitatis hujus sacramentum, cùm ait, *Sed humiliavit se formam servi accipiens, in similitudine* [c] *hominis constitutus, & habitu repertus ut homo* (Philip. 2. 7.): ut dum formam servi accepit, natus esse in forma hominis intelligatur; dum autem in similitudine hominis constitutus & habitu repertus ut homo est, species quidem & veritas corporis hominem testetur, [d] sed naturas vitiorum, qui ut homo sit habitu repertus, ignoret. In similitudine enim naturæ, non in vitiorum proprietate [e] generatio est. Nam quia in eo, quòd formam servi accepit, nativitatis videbatur significata esse natura, subjecit in similitudine hominis constitutum & habitu ut hominem repertum: ne nativitatis veritas naturæ quoque per vitia infirmis proprietas crederetur, cùm & in forma servi esset vera nativitas; & in [f] habitu repertum ut hominem, esset similitudo naturæ. Ipse quidem per virginem ex se natus homo; & in similitudine [g] vitiosæ peccati carnis inventus. Quod idipsum ad Romanos scribens testatus est Apostolus, cùm ait: Quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum misit in similitudine carnis peccati, & de peccato condemnavit peccatum [h] (Rom. 8. 3.). Non fuit habitus ille [i] tamquam hominis, sed ut hominis: neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati: dum & habitus carnis in nativitatis est veritate, & similitudo carnis peccati à vitiis humanæ passionis aliena est. Ita homo Christus Jesus & in veritate nativitatis est dum homo est, & non est in peccati proprietate dum Christus est: quia & qui homo est, non potuit non homo esse quod natus est; & qui Christus est, non potuit amisisse quod Christus est. Atque ita dum homo Christus Jesus est, habet & nativitatem hominis, [k] qui homo est; nec est in vitiosa hominis infirmitate, qui Christus est.

non caro peccati, sed similitudo.

Christus verus homo sine hominis vitiis Deus verus permansit.

26. Quamquam igitur nos ad hujus sacramenti intelligentiam apostolica fides instruat, quæ & habitu ut hominem repertum, & in similitudine carnis peccati missum hominem Christum Jesum esse testata sit: ut cùm habitu ut homo est, sit in forma servi, & non sit in vitiis naturæ; & cùm in similitudine carnis peccati est, sit quidem Verbum caro, sed in similitudine carnis peccati sit potiùs, [l] quàm caro ipsa peccati sit: & cùm homo Christus Jesus est, sit quidem homo, sed in homine non possit aliud esse quàm Christus est: atque ita & ex corporis nativitate homo natus sit, nec sit in hominis vitiis, qui non sit in origine; quia Verbum caro factum non potuit non caro esse quod factum est, & Verbum licèt caro factum sit, non tamen amisit esse quod Verbum est; & dum Verbum caro factum originis suæ non potest carere naturâ, [m] non potuit nisi in naturæ suæ origine permanere quod Verbum est, neque non verè intelligi Verbum caro esse quod factum est; ita tamen, ut [n] quia habitavit in nobis, non caro illa Verbum sit, sed Verbi caro sit habitantis in carne: quæ cùm ita sint, tamen videamus an peractus universus ille passionis ordo infirmitatem in Domino corporalis doloris permittat intelligi. Dilatis enim ad modicum eo-

Passionis gesta expenduntur.

[a] supple *permissa est*. Tum vulgati, *ut passionis*; ac mox, *& sitiens sitim non potatura*: corriguntur ex mss. Non est hîc negligenter transeundum, quòd *assumta caro* ab ipsomet Hilario exponatur *totus homo*: quem deinde concedit permissum esse *passionum naturis*, non *passionum injuriis*. Quippe ex his perspicuum est, eum sensisse Christum secundùm hominem totum, id est, tam secundùm animam quàm secundùm carnem, passionibus permissum esse; non quidem quatenus Verbo injuriosæ & contumeliosæ sunt, sed quatenus homini naturales.

[b] In ms. Vat. bas. *sit corpori satisfactum*, perperam omisso priùs verbo *consuetudini*.

[c] Ita constanter mss. At editi etiam constanter, *in similitudine hominum*.

[d] In vulgatis, *naturam*. Magis placet cum mss. *naturas*. Vitiorum autem naturas intelligere est perturbationes rationi adversas & repugnantes, quas num. 24. passionum injurias vocari audivimus.

[e] Apud Er. Lips. & Par. *ejus generatio est*. Abest *ejus* à Bad. & mss. sicque fit absoluta propositio de omni generatione, ad cujus veritatem nil opus est ut vitia propagentur.

[f] Particulam *in* omittit Bad. Sic autem illud intelligendum videtur: & in eo, quòd Apostolus ait eum habitu repertum ut hominem.

[g] Bad. cum nonnullis mss. *vitiosa peccatis*: mendosè.

[h] Hîc subjiciunt Er. & Lips. *in carne*, Par. *in cruce*. Neutrum exstat in Bad. & mss.

[i] Ita Vat. bas. & potiores mss. Alii verò cum vulgatis, *tantùm hominis, sed & ut hominis*. Inter *ut* & *tamquam* hoc ponit Hilarius discrimen, quòd *tamquam* externam dumtaxat rei speciem, & conjunctio *ut* veritatem significet.

[k] Editi, *quia homo est*; & mox, *quia Christus est*: renitentibus potioribus mss. Nemo non videt quî Christus à Jesu & homine distinguatur. Sed ex numero subsequenti liquidiùs patebit *Christum & Verbum* synonyma esse, & utrumque vocabulum ad naturam divinam ab humana distinctam referri.

[l] Sic mss. At editi, *quàm ipse caro peccati*. Huc spectant quæ ex Hilario citat Augustinus lib. 1. cont. Julian. c. 3. *Ergo cùm missus est in similitudine carnis peccati, non sicut carnem habuit, ita habuit & peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro est, à peccato scilicet Adam parente deducta, in similitudine peccati carnis est missus, exsistente in eo non peccato, sed peccati carnis similitudine.*

[m] In pervetustis exemplaribus Vat. bas. & Carn. *non oportuit*. In hoc numero summam habemus eorum quæ hactenus demonstrata sunt, Verbum scil. assumendo carnem non amisisse quod erat, & humanæ naturæ veritatem assumsisse, non vitia. Nec videtur, cur Hilarius tanto studio propugnarit in Christo divinæ simul & humanæ naturæ distinctionem, nisi ut infirmitates nostras, quas hæretici divinæ malè adscribebant, in unam humanam cadere evinceret. Sed quia non decebat hominem Deo unitum passionum dominatui subjacere; appositè ostendit, Christum turpia conceptionis nostræ initia nescisse, adeoque nostris passionibus obnoxium non fuisse, quatenus injuriosæ ac vitiosæ sunt, nostrique dominantur.

[n] In vulgatis, *qui*. Meliùs mss. *quia*. Redditur enim ratio cur Verbum, quamvis caro factum, nequeat dici mutatum in carnem: quia scilicet ita factum est caro, ut in carne habitasse prædicetur, *ut dum habitat, non aliud quàm Deus maneret*, inquit Hilarius lib. 1. n. 11. Videsis Tract. Psal. 138. n. 5.

rum dictorum causis, ex quibus metum Domino hæresis adscribit; res ipsas ut gestæ sunt conferamus. Neque enim fieri potest, ut timor ejus significetur in verbis, cujus fiducia contineatur in factis.

An metus passionis in Christo, Matth. 16. 23.

27. Timuisse tibi, ô hæretice, Dominus gloriæ passionem videtur? Sed ei ob ignorantiæ hujus errorem & satanas Petrus & scandalum est. Et ille quidem per caritatem Christi, quem ei non caro neque sanguis, sed Pater qui in cælis est revelaverat, detestatus passionis sacramentum, tali severitatis sententiâ confirmatus ad fidem est. Tu quid sectaberis spei, Christum Deum negando, & metum ei passionis addendo? Anne timuit, qui armatis ad corripiendum se obvius prodiit? & in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina conciderunt, & majestatem ingerentis se ad vincula non ferentes supinatis corporibus reciderunt? Quam igitur infirmitatem dominatam [a] hujus corpori credis, cujus tantam habuit natura virtutem?

Joh. 18. 6.

an doloris.

28. Sed fortè dolorem vulnerum timuit. Quem, rogo, penetrantis in carnem clavi habuit [b] horrorem, qui excisæ auris carnem solo restituit attactu? Expone nobis tu, dominicæ infirmitatis assertor, hoc in ipso passionis tempore infirmatæ opus carnis. Exserente enim Petro atque adigente gladium, truncus aure servus sacerdotis adstabat. Quomodo [c] ex decisæ auris vulnere, contingente Christo, restituta caro auris est? Unde inter fluentem sanguinem & post ipsa [d] disscindentis gladii vestigia, & in ipsa trunci corporis calumnia, exiit quod non est, & sequitur quod non exstat, & rependitur [e] quod caretur? Producens hæc ergo aurem manus, clavum dolet? & sentit sibi vulnus, qui alteri dolorem vulneris non relinquit? Compungendæ carnis metu tristis est, cujus attactui licet carnem donare post cædem? Quòd si hæc in Christi corpore virtus fuit; qua, rogo, fide naturaliter [f] infirmus fuisse defenditur, cui naturale fuit omnem humanarum infirmitatum inhibere naturam?

Luca 22. 51.

An inde tristis.

29. Sed fortè stulta atque impia perversitate hinc infirmîs in eo naturæ præsumetur assertio, quia tristis sit anima ejus usque ad mortem. Nondum te, hæretice, cur virtutem dicti non intelligas, arguo. Interim tamen à te requiro, cur exeunte ad proditionem Juda non memineris dictum fuisse, *Nunc honorificatus est filius hominis*. Si enim passio honorificatura eum erat; quomodo tristem eum metus passionis effecerat? Nisi fortè tam irrationabilis fuerit, ut pati timuerit, quæ se essent glorificatura patientem.

Matth. 26. 38.

Joh. 13. 31.

An calicem transferri à se precatus sit.

30. Sed fortè timuisse usque eò existimabitur, ut transferri à se calicem deprecatus sit, dicens, *Abba pater*, [g] *possibilia tibi omnia sunt, transfer hunc calicem à me*. Ut de ceteris non calumnier, nonne hebetudinem impietatis tuæ vel hinc coarguisses, quia legeras, *Reconde gladium tuum in thecam: calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Quomodo enim per patiendi metum transferri à se [h] deprecaretur, quod per dispensationis studium festinaret implere? Non enim convenit, ut pati [i] nollet, qui pati vellet. Et cùm pati eum velle cognosceres; religiosius fuerat dicti [k] inintelligentiam confiteri, quàm [l] ad id impiæ stultitiæ furore prorumpere, ut eum assereres ne pateretur orasse, quem pati velle cognovisses.

Marc. 14. 36.

Joh. 18. 11.

An derelictum se conquestus sit.

31. Sed, credo, te ad impietatis tuæ pugnam etiam dicto dominicæ vocis armabis, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Post contumeliam enim crucis, fortè dignationem ab eo paterni auxilii existimes recessisse, & hinc desolatæ infirmitatis suæ querelam exstitisse. Si tibi itaque in Christo contemtus & infirmitas & crux contumelia est; oportuerat te dicti hujus immemorem non fuisse, *Verùm dico vobis, à modò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, & venientem cum nubibus cæli.*

Marc. 15. 34.

Matth. 26. 64.

Recapitulatio.

32. Ubi, rogo, in passione timor? ubi infirmitas? ubi dolor? ubi contumelia? Timere ab impiis dicitur? Sed ipse pati velle se prædicat. Infirmus esse contenditur? Sed se potentem, dum

[a] Editi, *hujus corporis*. Non negat incidisse, sed *dominatam esse*. Re ipsa nostræ infirmitates in Christum ita inciderunt, ut earum semper dominus fuerit.

[b] Excusi, *terrorem*: castigantur ex vetustioribus mss.

[c] In pluribus mss. *excisa auris vulnus*.

[d] Plerique mss. cum vulgatis, *descendentis*, Tellerianus codex, *discedentis*. Magis placet cum Remigiano, *disscindentis*. Deinde, *in ipsa trunci corporis calumnia*, hoc est, eo ipso momento quo ablata aure truncum factum est corpus. *Calumnia* vocabulo apud auctores mediæ aut infimæ latinitatis aliquando significatur actio, qua quis per juris formulas rem quampiam auferre contendit; aliquando autem pœna vel multa, qua damnatur qui actionem injustè instituit. Prima ratione intelligitur in Psal. 137. n. 13. nunc verò pro pœna simpliciter usurpatur: nisi quis malit eam vocari justam pœnam Christi injustè & per calumniam impetiti.

[e] Editi, *quo caretur*: renitentibus antiquioribus mss.

[f] Fatetur Hilarius infrà num. 65. Christum, *cùm ex dispensatione homo esset, maneret tamen ex* NATURA *Deus, eumdem ex infirmitate crucifixum, qui ex* VIRTUTE *Dei viveret: ut cùm infirmitas esset ex forma servi, &* NATURA *maneret ex Dei forma: non ambiguum esset in quo sacramento & passus esset, & viveret: ut cùm in eodem esset & infirmitas ad passionem, & ad vitam Dei* VIRTUS; *non alius ac divisus à se esset, qui & pateretur, & viveret.* Quo ex loco efficitur, 1°. virtutem, quæ in Christi corpore fuit, intelligendam esse divinitatem, quod jam suprà num. 23. observatum est, 2°. Christum rectè negari hîc *naturaliter* infirmum, cùm infirmus sit tantùm ut homo, neque Hilario ex natura sit homo, sed Deus, uti etiam num. 22. annotavimus, 3°. non Christi corpori, sed Verbo in corpore manenti hîc adscribi naturalem edendorum miraculorum virtutem, unde confirmatur quod num. 23. probatum est, 4°. Christum naturaliter & ex forma Dei infirmum non ita hîc ab Hilario negari, quin ex dispensatione & ex forma servi eumdem infirmum & credat & prædicet. Nec movere debet quod ait suprà, *Producens hæc ergo aurem manus clavum dolet?* Figuratè enim *manus* sumitur pro Verbo cujus est manus, quasi diceretur, An ex manu læsa dolet, qui eadem manu excisam aurem restituere potuit?

[g] Unus codex Sorbon. & alter Colb. *si omnia*, &c. Carnutensis, *si possibile est, transfer à me calicem istum*. De iisdem verbis adversùs Arianos disputans Chrysostomus T. 1. homil. 32. ait, *Illi quidem divinitatis orationem esse dicunt: nos autem esse dicimus dispensationis*. Tum probat Christum noluisse à se calicem transferri, quem tanto studio exoptarit, ut Petrum eum à se deprecantem satanam appellarit; neque incertam ipsi fuisse Patris ea de re voluntatem, quæ prophetis etiam longè antè præcognita fuerat.

[h] In ms. Vat. bas. & aliis nonnullis, *calicem deprecaretur*: glossema. Mox in vulgatis, *impleri*. Concinniùs in mss. *implere*. Ad hoc porro festinavit summo caritatis studio, *cùm id in se consummaretur, quod ad salutem nostram perpeti ipse voluisset*, ut habetur Tract. Psal. 54. n. 13. & paulo antè, *Cùm salutem generi humano susceptæ crucis morte donaret, non potest videri sacramentum hoc magnæ pietatis arguere* ac recusare.

[i] In priùs vulgatis, *ut pati nolit quod pati velit*: quod immutamus potiorum mss. auctoritate.

[k] Sic ms. Corb. quomodo legendum suspicabatur Erasmus, qui cum Bad. & plerisque mss. retinuit *intelligentiam*: cujus loco Lipsius deinde posuit *ignorantiam*.

[l] Sic mss. At editi, *ad impia stultitia furorem*: & mox, *cognosceres*, non *cognovisses*.

consternatis persecutoribus obvius non sustinetur, ostendit. Dolere vulnera carnis arguitur? Sed in eo, quòd carnem auris reddit ex vulnere, caro ipse cùm sit, extra carnalem tamen naturam dolendi vulneris reperitur: quia dum & manu truncam aurem attingit, manus illa de corpore est; & dum manus aurem producit ex vulnere, non esse manus illa corporis significatur infirmis.

An crux ei contumeliosa.

33. Sed contumeliosa ei esse crux dicitur. Atquin per hanc hominis filius sedere à dextris virtutis videndus est, & ex partu virginis homo natus in majestate sua cum cæli est nubibus reversurus. Non tenes irreligiose rerum naturalium causas: & dum impietatis atque erroris spiritu plenus sacramentum fidei non intelligis, ex ipso sæculi sensu hebetudine hæretica [a] disproficis. Omne enim, quod timetur, vitari necesse est dum timetur; & quod infirmum est, sumit ex imbecillitate terrorem; & quidquid dolet, dolendi in se habet [b] indemutabilem naturam; & quidquid contumeliosum est, semper inhonorum est: tu verò quo sensu rationis intelligis, Dominum nostrum Jesum Christum ad quod festinat, timere; & consternantem fortes, infirmitate trepidare; & vulnera non permittentem [c] dolori, vulneratum dolere; & contumeliâ crucis dehonestari, cui crux [d] consessus ad Deum est, & reditus ad regnum?

Descendens ad inferos à cælo non recessit.

Luc. 23. 46.

34. Sed fortè vel hoc tibi relictum occasionis impiæ arbitraris, ut descensionem ad inferos & ipsam mortis timuerit necessitatem, dum id ipsum testari videtur hoc dicto: *Pater, commendo in manus tuas* [e] *spiritum meum.* Hoc legens, & non intelligens, aut piè tacuisses, aut etiam religiosè intelligentiam ejus orasses: non magis per impudentem assertionem stulto furore veritatis incapax vagareris. Anne tibi metuere infernum chaos & torrentes flammas & omnem pœnarum ultricium abyssum credendus est, dicens latroni in cruce, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso?*

Ibid. 43.

Naturæ hujus potestatem jam non dico [f] metu, sed nec infernæ sedis regione concludes, quæ descendens ad inferos, à paradiso non desit, (sicuti & hominis filius loquens in terris, maneat [g] & in A cælo,) Martyri suo paradisum promittens, & consummatæ beatitudinis delicias pollicens. Non habet hunc metus corporalis, penetrantem quidem inferos, sed ubique naturæ suæ virtute distentum. Et naturam hanc mundi dominam, ac libertate spiritalis virtutis immensam, non sibi terrore mortis gehennæ chaos vindicat, qua paradisi deliciæ carere non possunt. Futurus enim in inferis Dominus, & in paradiso est futurus. Deseca ad metum pœnæ B naturæ indesecabilis portionem: [h] & de Christo & apud inferos pone quod doleat, & in paradiso relinque quod regnet.

Latronis alia, alia hæreticorum fides.

Latro enim rogat, ut sui in regno suo meminerit. Et, credo, eum ad hanc beatæ confessionis fidem, auditus transeunte palmas clavo gemitus accendit: & regnum Christi per dolorem [i] infirmati in Christo corporis didicit. Ille dignationem reminiscentis in regno postulat: tu crucis mortem ad metum deputas. Dominus communionem ei paradisi mox pollicetur: tu Chri- C stum in inferis sub pœnali terrore concludis. Diversæ spei fides ista est. Paradisum meruit sub cruce latro, pendentem Christum confessus in regno: in pœnæ [k] verò dolore & metu mortis Christum deputans, & paradiso necesse est sis cariturus & regno.

Epilogus, quale Christi corpus.

35. Collatis igitur dictorum atque gestorum virtutibus, demonstrari non ambiguum est, in natura ejus corporis infirmitatem naturæ cor- D poreæ non fuisse, cui in virtute naturæ fuerit omnem corporum depellere infirmitatem; & passionem illam, licèt illata corpori sit, non tamen naturam dolendi corpori intulisse: quia quamvis forma corporis nostri esset in Domino, non tamen [l] in vitiosæ infirmitatis nostræ esset corpore, qui non esset in origine, quod ex conceptu Spiritus sancti Virgo progenuit: quod licèt sexus sui officio genuerit, tamen non terrenæ conceptionis [m] suscepit elementis. Ge- E nuit etenim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex Spiritu; habens quidem in se sui corporis veritatem, sed non habens naturæ infirmitatem: dum & corpus illud corporis veritas est, quod generatur ex virgine; & extra corporis nostri infirmitatem est, quod spiritalis conceptionis sumsit exordium.

[a] In uno codice Vatic. *proficis.* : malè, uti Lud. Miræus jam notavit: qui post Erasmum monet, Hilarium verbo *disproficere*, pro *degenerare*, aliàs usum esse. Uterque haud dubiè respexit in lib. 11. n. 11. ibi tamen eam vim verbum illud non obtinet, nisi accessione vocum *in genere*. Hîc verò *disproficit* cum adjunctis sonat recessum ab humana sapientia: ut qui primùm recesserant à fide propter humanam rationem, demum hæretica hebetudine ob præconceptam opinionem ab humana etiam ratione deficiant.

[b] Duo ex recentioribus mss. *demutabilem.* Retinendum cum aliis *indemutabilem*, quæ scil. à voluntate demutari ac declinari non possit. Ut enim definit Augustinus lib 14. de civ. Dei c. 15. *dolor carnis tantummodo offensio est animæ ex carne, & quædam ab ejus passione dissensio; sicut animæ dolor . . . dissensio est ab his rebus quæ nobis nolentibus accidunt.* Hac ratione nonnulli philosophi explicant quî Adàm innocens doloris expers fuerit, quia nimirum demutare valeret, quod ex se natum esset dolorem efficere.

[c] In vulgatis, *doleri.*

[d] Sic castigatiores mss quibus favent prima hujus numeri verbá, & postrema num. 2. Tract. Psal. 61. In aliquot aliis, ut in vulgatis, *conscensus*: lectio non spernenda.

[e] *Hunc verò spiritum*, inquit Theodoretus in Dem. quòd impatib. sit divinitas, *Ariani & Eunomiani divinitatem Unigeniti esse dicunt. Inanimum enim corpus assumtum putant.*

[f] In vulgatis, *metus*; & postea, *regio est concludent.* Etiam hîc perspicuum est, *naturæ potestatem*, quæ à metu eximitur, divinitatem intelligi.

[g] non quà filius hominis, sed quà filio Dei personaliter unitus. Respiciuntur Christi verba Johan. 3. 13. Hoc loquendi modo Hilarius dum solam divinitatem ab humanis affectionibus vindicat, interdum videri potest ipsam etiam carnem eximere.

[h] Vatic. bas. codex, *& da Christo.* Veriùs alii, *& de Christo*, scil. *pone.* Multis modis hîc declarat fidei catholicæ defensor, quam naturam velit ab humanis affectionibus immunem, nimirum *naturam mundi dominam, immensam, quâ paradisi deliciæ carere non possunt*, quæ *naturæ indesecabilis in inferis* simul & *in paradiso* sit.

[i] Sic præcipui mss. Vat. bas. Colb &c. Editi verò, *infirmitatis in Christi corpore.* Quæ ironicè sunt dicta.

[k] In vulgatis, *in pœnæ ergo dolore*; & mox, *sit cariturus.* Concinnior est lectio mss.

[l] Excusi, hîc omisso *in*, mox subjiciunt, *forma esset in corpore, qui non* &c. castigantur ex melioribus mss.

[m] Vat. bas. codex, *susceptis elementis.* Eodem sensu suprà n. 15. legitur, *susceptis originibus.* Ita cautè Hilarius Christum non communi lege conceptum prædicat, ut sacræ Virgini materni honoris veritatem continuò asserat. *Genuit etenim ex se corpus.*

36. Sed niti adversùm [a] apostolicæ fidei demonstrationem hæretici videntur hoc dicto, *Tristis est anima mea usque ad mortem*; (Matth. 26. 38.) ut professio ejus, qui se tristem ait, naturæ infirmitatem, per cujus conscientiam tristis cœperit esse, testetur. Ac primùm humanæ intelligentiæ sensum interrogo, quid sit tristem esse usque ad mortem. [b] Non enim ejusdem significationis est, tristem esse propter mortem, & tristem esse usque ad mortem: quia ubi propter mortem tristitia est, illic ipsa mors causa tristitiæ est; ubi verò tristitia usque ad mortem est, mors non jam tristitiæ est causa, sed finis. Qui ergo non propter mortem, sed usque ad mortem tristis est, quærendum est unde sit tristis. Tristis autem non incerto [c] neque indefinito humanæ ignorantiæ tempore, sed usque ad mortem. Adeo autem non propter mortem suscepta tristitia est, ut sit destituta per mortem.

(Tristem esse usque ad mortem quid.)

37. Et ut causam tristitiæ intelligere possimus, videamus quid hanc professionem tristitiæ vel præcesserit, vel consequatur. Totius enim passionis & fidei mysterium consummatum paschæ cœnâ fuerat per Dominum. [d] Póstque universorum in se scandalum docet, sed præcessurum se eos in Galilæam promittit. (Matth. 26. 31 & 32.) Petrus, ceteris licèt scandalizaturis, se tamen non scandalizaturum constanti fide spopondit. (Ibid. 33.) Sed Dominus per naturam Dei non ignarus gerendorum, ter eum negaturum se esse respondit: (Ibid. 34.) ut ceterorum scandalum intelligeretur ex Petro, cùm ille in tam grave fidei periculum eum ter negando [e] recideret. Tum ille assumtis Petro, Jacobo & Johanne, duobus ad martyrium electis, & Johanne in prædicationem Evangelii firmando, tristem se usque ad mortem professus est. (Ibid. 37.) Deinde progressus, oravit dicens, *Pater meus, si possibile est, transeat à me calix iste: sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* (Ibid. 39.) Transire à se calicem rogat, utique jam secum manentem: qui tum in sanguine novi Testamenti pro multorum peccatis [f] effundi consummabatur. Non enim rogat ne secum sit, sed ut à se transeat. Deinde rogat ne voluntas sua fiat: & quod vult effici, id ipsum concedi sibi non vult. Ait enim, *Sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*: ut voluntate calicis deprecandi humanæ in se sollicitudinis significans consortium, sententiam à se unitæ sibi communisque cum Patre non discerneret voluntatis. Ut autem non pro se precari intelligeretur, & ratio significatæ voluntatis ac [g] deprecatio non obtinendæ esset in absoluto; hoc totum hujusmodi petitionis suæ cœpit exordio, *Pater meus, si possibile est.* Aliquid ergo Patri relinquitur, quod ei an possibile esset incertum sit? Et si nihil Patri impossibile est, intelligendum est ad cujus conditionem id [h] quod, *si possibile est*, sit relictum. Post hujus enim orationis precem sequitur: *Et venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes, & ait Petro, Non potuistis unâ horâ vigilare mecum? Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promtus, caro verò infirma.* (Ibid. 40. & 41.) Anne adhuc tristitiæ causa, & transeundi calicis deprecatio in obscuro est? Vigilari enim secum ob hoc jubet & orari, ne in tentationem intrent, spiritu quidem promto, sed infirma carne. Nam qui non scandalizaturos se per constantiam fidelis conscientiæ pollicebantur, in scandalo per infirmitatem carnis erant futuri. Non ergo sibi tristis est, neque sibi orat; sed illis quos monet orare pervigiles, ne in eos calix passionis incumbat: quem à se transire orat, ne in his scilicet maneat.

(Tristitiæ Christi causa.) (Cui precetur calicem transire.) (Duæ Christi voluntates.)

38. Idcirco autem transferri eum, si possibile esset, à se precatus est: quia cùm impossibile Deo nihil sit, sicut ipse ait, *Pater possibilia tibi omnia sunt*; (Marci 14. 36.) impossibile tamen homini est passionis terrore non vinci, nec possit nisi per probationem fides nosci. Atque ideo & pro hominibus ut homo vult calicem transire, & ut Dei ex Deo voluntas effectui paternæ voluntatis [i] unitur. Id autem quod ait, *Si possibile est*, manifestè in eo docuit quod ait Petro, *Ecce satanas expetivit, ut vos* [k] *cerneret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficeret fides tua.* (Luc. 22. 31. & 32.) Per hunc enim calicem dominicæ passionis tentandi omnes erant. Et pro Petro Pater rogatur, ne deficiat fides ejus: ut negantis infirmitati vel dolor saltem pænitentiæ non abesset. [l] quæ fides in eo non deficeret; quòd pæniteret.

(Cur dicat, si possibile est.)

[a] Lips. & Par. ex Erasmi margine, *evangelica*: obnitentibus mss. Sed & suprà initio num. 26. prædicatur *apostolica fides*, non evangelica. Nimirum respicitur illud Apostoli, *in similitudine hominis factus*, &c. de quo hactenus disputatum est.

[b] Tandem hîc apertè habes confitentem tristitiam à Christo esse susceptam, & de causa dumtaxat disceptantem. Idipsum profitetur cap. 31. in Matthæum n. 4. & in Psal. 141. n. 8. ubi clariùs explicat qua parte tristitiam à Christo susceptam neget, dicens, *Non enim ait, propter mortem, quia licèt se passioni daret, non tamen Virtus æterna dolorem passionis exciperet.* Qui enim in Hilarianis scriptis peregrinus non est, virtutis æternæ vocabulis divinitatem in eis enuntiari non nescit.

[c] Mss. *neque infinito*, vel *neque in infinito*.

[d] Lips. & Par. *post quam*: renitentibus vetustioribus libris. Mox eædem edit. post Er. *scandalizandis*, *scandalizandum*, & infrà, *scandalizandos*: citra fidem mss. ex quorum summo consensu liquet verbum *scandalizaturum* Hilario passivum fuisse.

[e] Aliquot mss. *recederet*.

[f] Plerique mss. cum vulgatis, *effundendus consummabatur*. Optimi codicis Colbertini necnon Germanensis præferimus lectionem, qua Hilarii aptiùs enuntiatur sententia, rem jam inchoatam quæ ad exitum perducebatur significare volentis: quod Gallicè diceremus, *qui achevoit de se répandre*.

[g] Solus codex Vat. bas. *deprecationis*. Rectiùs alii, *deprecatio non obtinenda*, supple, *voluntatis*: id est, deprecatio ut non concedatur, quod voluit ac rogavit ut homo.

[h] Bad. & Er. cum ms. Carnut. *quod si impossibile est*. Tum Lips. pro *si*, substituit *sibi*: quæ lectio exinde obtinuit. Plures è recentioribus mss. *quod possibile est*. Quidam alii, *quod impossibile est*. Magis placet cum mss. Colb. Corb. Germ. Prat. &c. *id quod* (supple *ait*) *si possibile est*: id est, videndum quem respiciat ista deprecatio conditionata, *si possibile est* &c. Hîc enim *id quod* perinde est, atque τὸ Græcorum.

[i] Er. Lips. & Par. *uniatur*. Rectiùs Bad. cum mss. *unitur*: hoc est, ut homo vult calicem transire, sed ut Deus ex Deo paternæ voluntati unitur. Duplex igitur in Christo voluntas: neque habent Ariani unde se expediant, qui cùm non recipiant nisi unicam, hanc volunt ipsius divinitatis esse orationem. Ut enim fusè disserit Chrysostomus hom. 32. T. 1. si divinitas Christi hoc oravit; Patris & Christi non una, sed contraria erit voluntas: adeoque frustra illud, *Ego & Pater unum sumus*, propter voluntatis unitatem dictum interpretantur. Simile argumentum ex aliis Christi verbis adversùs eosdem conficit Faustinus cap. 2.

[k] Antiquior codex Colb. & alii non deterioris notæ, *ventilet*. Aliquot recentiores, *cribraret*. Verbum *cerneret* rursum habes infrà num. 40. ubi in quibusdam mss. à 2ª. manu perperam adscripum est *cribraret*.

[l] Sic plures ac potiores mss. At editi, *quia fides*. Cùm Scultetus Hilarium reprehendit, quòd Petrum sic excusare conetur, quasi Christum non negarit: hæc verba necnon superiora num. 37. procul dubio non attendit.

Qui tristis usque ad mortem.

39. Tristitia igitur usque ad mortem Domino est: quia in morte, motu terræ, diei tenebris, discissione veli, monumentorum reseratione, mortuorum resurrectione confirmanda jam Apostolorum fides esset, quam & [a] nocturnæ custodiæ terror, & in flagellis, alapis, sputis, coronâ spineâ, crucis onere, & totius passionis ludibrium, & postremò maledictæ crucis damnatio commoveret. Sciens igitur Dominus hæc omnia post passionem suam [b] destitutura, ideo & usque ad mortem tristis est: & B scit hunc calicem transire non posse, [c] nisi biberit, dicens, *Pater meus, non potest calix iste transire à me nisi bibam illum: fiat voluntas tua:* consummata in se scilicet passione metum calicis transiturum, qui nisi eum bibisset, transire non posset: finem terroris ejus non nisi [d] consummatæ in se passionis terrore succedere; quia post mortem ejus, per virtutum gloriam, apostolicæ infirmitatis scandalum pelleretur.

Matth. 26. 42.

Cur Apostolica dormite jam finat.

40. Et quamquam in eo quod ait, *Fiat voluntas tua*, C in calicis, id est, passionis suæ scandalo, Apostolos permittens paternæ voluntatis arbitrio; tamen etiam repetitæ tertiò orationis prece usus est: post quam ait, *Dormite jam, & requiescite.* Non enim extra rationis alicujus internæ conscientiam, qui antea eos dormientes coarguisset, nunc jam dormire & requiescere jubet. Sed intelligentiam nobis Lucas adhortationis istius tribuisse existimatur: qui cùm dixisset, satanam expetisse ut D Apostolos modo tritici cerneret, & Dominum pro fide Petri, ne deficeret, oratum fuisse; subjecit post multam Domini precem Angelum [e] adstitisse confortantem eum; quo assistente orare prolixiùs cœperit, ita ut guttis sanguinum corporis sudor effluerer. Misso enim ad tuitionem Apostolorum Angelo, & per eum confortato Domino, ne pro his tristis esset, jam sine tristitiæ metu [f] ait, *Dormite jam, & requiescite.* De Angelo quidem Matthæus & Marcus E & de expetitione diaboli nihil locuti sunt: sed post tristitiam animæ, post dormientium objurgationem, post transferendi calicis deprecationem, non ex nihilo dormientium adhortatio subsecuta est, nisi quòd cùm afuturus ab his esset, & indulti Angeli confortatus auxilio, securitate [g] custodiæ custodiendos permittebat in somnum.

Ibid. 45.

Luc. 22. 43. & 44.

De sudore sanguinis & adventu Angeli nil in pluribus libris.

41. Nec sanè ignorandum à nobis est, & in græcis & in latinis codicibus complurimis, vel de adveniente Angelo, vel de sudore sanguinis nil scriptum reperiri. Ambigentibus igitur, utrùm hoc in libris variis aut desit, aut superfluum sit, (incertum enim hoc nobis relinquitur de diversitate librorum,) certè si quid sibi ex hoc hæresis blanditur, ut infirmum affirmet, cui opus fuerit Angeli confortantis auxilio; meminerit Creatorem angelorum creationis suæ non eguisse præsidio; tum deinde necessariò eo modo eum confortatum, quo modo & tristem esse. [h] Nam si nobis tristis est, id est, propter nos tristis est, necesse est ut propter nos sit confortatus & nobis: quia qui de nobis tristis est & de nobis confortatus est, ea confortatus est conditione qua tristis est. Sudorem verò nemo infirmitati audebit deputare: quia & contra naturam est sudare sanguinem. Nec infirmitas est, quod potestas [i] non secundùm naturæ consuetudinem gessit: neque ad hæresim [k] infirmitatis pertinere ullo modo poterit, quod adversùm hæresim [l] phantasma mentientem proficiat, per sudorem sanguinis, ad corporis veritatem. Igitur cùm & tristitia de nobis est, & oratio pro nobis est, non possunt non omnia propter nos gesta esse intelligi; cùm omnia pro nobis, quibus timebatur, orata sint.

Infirmitas Christi perperam inde colligitur.

Tristitiam, calicis deprecationem &c. Apostolos spectare.

42. Præstant autem sibi mutuam Evangelia plenitudinem: dum alia ex aliis, quia omnia unius Spiritûs prædicatio sit, intelliguntur. Hanc enim tacitam ab omnibus pro Apostolis Domini orationem Johannes maximè spiritalium causarum prædicator ostendit, Dominum ita precatum esse, dicens; *Pater sancte, conserva eos in nomine tuo. Cùm essem cum eis, ego custodiebam eos in nomine tuo: quos dedisti mihi, & custodivi.* Non sibi itaque fuit oratio illa, sed Apostolis: nec sibi tristis est, qui orare eos ne tententur monet: nec sibi Angelus mittitur, qui si vellet, [m] duodecim

Joh. 17. 11. & 12.

[a] Exemplar Carnut. *nocturnæ vigiliæ.*

[b] Lips. & Par. ex Erasmi margine, *desitura.* Bad. Er. ms. Vat. bas. & quidam alii, *destitura.* Veriùs alii, *destitutura*, passivè; quomodo suprà, *scandalizaturum.* Nostra hæc lectio confirmatur ex his num. 36. *Adeo autem non propter mortem suscepta tristitia est, ut sit destituta per mortem.*

[c] In vulgatis, *nisi biberet:* & mox, *si non potest.* Concinniùs in mss. *nisi biberit*, id est, nisi post quàm biberit: ac deinde, omisso *si*, rei hujus scientia clariùs enuntiatur.

[d] In excusis, *non nisi finito.* Abest *finito* à mss.

[e] Plures mss. *exstitisse.*

[f] Ita præstantiores mss. Vat. bas. Colb. &c. Alter Colb. cum Sorbon. *jam sine tristitia & sine metu ait.* Corb. cum aliis nonnullis, *jam sine tristitiæ metu essent, ait.* Editi verò, *jam sine tristitiæ metu existens ait.* Quod deinde subjicitur, *Dormite jam*, modò non exstat apud Lucam, immo prorsus aliud, puta, *quid dormitis? surgite, orate* &c.

[g] Vat. bas. ms. *custodis.*

[h] Excusi, *nam qui nobis:* & mox, *quia ergo qui de nobis* &c. castigantur auctoritate mss. Duo hîc obiter notanda: primum non hominem, sed *creatorem angelorum* ab infirmitate defendi; alterum, nullam de veritate tristitiæ Christi secundùm hominem controversiam moveri, quia de illa nullus ambigebat; sed hac veluti data, statim de causa & conditione illius disputari: ut ea nimirum fuisse ostendatur, quæ non dedeceret hominem Deo unitum.

[i] Hippolytus apud Theodoretum ad calcem Dialogi 3. argumentum simile conficit ex aqua & sanguine quæ post mortem Christi ex latere illius profluxerunt. *Corpus, quamvis humano more mortuum, magnam in se vitæ vim habet. Quæ enim ex mortuis corporibus non profluunt, ex illo manarunt, sanguis & aqua: ut sciremus quantum ad vitam valeat Potestas, quæ in corpore habitavit.*

[k] Hæresis infirmitatis appellatur Ariana: quia Christi secundùm humanam naturam infirmitates ad divinam referebat, ut in argumento hujusce libri declaratur lib. 1. n. 32. necnon lib. 11. n. 6.

[l] Valentini scilicet, Manichæi ac similium. Eamdem hujus rei causam affert Theodoretus Demonstr. quòd unio sit inconfusa n. 8 ubi hoc factum esse docet, *ut posterorum ii, qui animæ corporisque assumtionem crederent, demonstrationibus confirmarentur; qui verò contradicerent, evidentibus testimoniis confutarentur.* quibus præmittit: *Etsi enim divinitas & spiritus aderant velut unctio; tamen nec unita divinitas nec spiritus corpus tunc aut animam sustentarunt, sed hoc ministerium Angelo commendarunt, ut & animæ & corporis infirmitatem ostenderent, & per infirmitatem ostenderentur naturæ infirmorum. Si* enim, inquit Chrysostomus Tom. 1. Hom. 32. *post quàm ipse tot tantaque dixerit, carnem illum non assumsisse ausi sunt quidam asserere; si nihil horum dictum fuisset, quid non dixissent.*

[m] Vetustior è mss. Colb. cum Germ. & Remig. *decem millia legionum.* Alter Colb. ac Sorbon. *duodecim legiones:* tum cum codice Vat. bas. *de cælis Angelorum deduceret.* Videsis pag. 105. not. a.

a millia legionum de cælis deduceret: [a] nec propter mortem timet, qui usque ad mortem anxius est: nec ut se transeat calix, rogat; sed à se transire calicem rogat, qui tamen transire [b] non possit, nisi eum biberit. Transire autem non loco decedere est, sed omnino non exstare: quod quidem ipsum & evangelicus & apostolicus sermo significat, cùm dicitur, *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Sed & Apostolus: *Ecce vetera transierunt, & facta sunt* [c] *nova.* Sed & cùm ait, *Et figura hujus mundi transibit.* Calix ergo, de quo Patrem orat ut transeat, non potest transire nisi bibatur: & quod orat Dominus, utique pro his orat, quos cùm his manens ipse salvavit, quos & Patri salvandos reliquit. Nunc verò sacramentum mortis peracturus, Patrem his custodem precatur: & missi in eo Angeli, si tamen ita est, non ambigua [d] præsentia est; & obtentæ precis manifesta securitas est, cùm eos consummata oratione adhortatur in somnum. Effectum autem impetratæ orationis, & adhortatæ dormitionis securitatem, jam in ipso opere passionis Evangelista demonstrat, cùm Apostolis omnibus, de persecutorum manibus elapsuris ait, *Ut adimpleretur verbum quod dixerat, quoniam quos dedisti mihi,* [e] *non perdidi ex eis neminem.* Impletur enim per se orationis precatio, & salvi omnes sunt. Sed oratur Pater, ut salvatos per se, nunc in nomine suo salvet ipse. Et adeo salvat, ut Petri fides pænitentia subsequente non deficiat, licèt territa.

Marc. 13. 31. — *2. Cor. 5. 17.* — *1. Cor. 7. 31.* — *Joh. 18. 9.*

Epilogus.

43. Demonstrata itaque & à Johanne Domini oratio, & à Luca diaboli postulatio, & ea, quæ in Matthæo atque Marco, & tristitia usque ad mortem est, & somni objurgatio, & rursum adhortatio, nihil ambiguitatis relinquunt: cùm quando [f] per precem in Johanne, qua Patri Apostolos commendat, & tristitiæ causa & transeundi calicis deprecatio absoluta sit; non à se passionem amoveri Domino deprecante, sed Patrem ut Apostolos se passuro tueatur orante: & per Lucam ostensa adversùs diabolum prece, jam de fiducia vetiti antea somni secura permissio sit.

Christus ab humanis vitiis liber.

44. Non est itaque in ea natura, quæ supra hominem est, humanæ trepidationis anxietas: & extra terreni est corporis mala, non terrenis inchoatum corpus elementis, etsi originem [g] filii hominis sanctus Spiritus per sacramentum conceptionis invexit. Nempe & Altissimi virtus virtutem [h] corporis, quod ex conceptione Spiritûs virgo gignebat, admiscuit. Nam cùm per transfusæ in corpus animæ consortium, sensus animati corporis vivat, & ipsum ad illatorum dolorem corpus anima corpori permixta vivificet; quæ ubi cælestis spei ac fidei suæ beato calore, terrenæ in corpore suo originis despexit exordium, sui quoque sensus ac spiritûs corpus efficitur in dolore, ut pati se desinat sentire quod patitur: & quid nobis de natura dominici corporis, & descendentis de cælo filii hominis adhuc sermo sit? Ipsa terrena corpora timere ac dolere interdum nesciunt, quod & doleri necesse est & timeri.

Sensus unde.

Tres pueri flammas non timent.

45. Quæro enim an pastas ad fomenta exæstuandi Babyloniæ fornacis flammas Israelitæ pueri timuerint, & utrùm in illud [i] nostræ conceptionis corpus metus tanti ignis incesserit. Quæro etiam, an [k] circumambiri se flammis doluerint. Sed fortè idcirco, quia non usti sunt, nihil doleant; & tum afuisse ignibus natura urendi existimabitur. Certè hæc natura corporis erat, ut & uri se timeret, & posset uri. Quod si per spiritum fidei terrena corpora, id est, secundùm elementa causarum communium initiata, neque uri potuerunt, nec timere: quæ ergo per fidem Dei in homine contra naturam sunt, ea [l] in Deo secundùm virtutem Spiritûs ad naturæ originem inchoata, non sunt naturaliter æstimanda. Vincti pueri in medio ignis sunt: ignem non timent, [m] dum scandunt; flammas non sentiunt, dum orant; uri non possunt, dum in igni sunt. Naturam suam in his & corpora & ignis amittit; nam neque illa uruntur, neque ille urit: & tamen in ceteris in

Dan. 3. 23.

[a] In vulgatis, *nec propter mortem anxiatus, ut à se transferatur calix rogat*: locus mutilus ope mss. resarcitus.

[b] Sic mss. At editi, *non posset, nisi eum biberet.*

[c] Apud Er. Lips. & Par. *omnia nova.* Abest *omnia* à Bad. & mss. Tum solus codex Carn. *sed & cùm ait, Præterivit enim figura hujus mundi.* In aliquot aliis exstat *transivit*, non *transibit.*

[d] In quibusdam recentioribus mss. *præscientia est.*

[e] Hîc phrasis est græca ad verbum expressa: οὐκ ἀπώλεσα ἐξ αὐτῶν οὐδένα. In vulgatis expuncta erat particula *non* contra fidem mss. quorum in nonnullis, pro *neminem*, repositum est *aliquem.*

[f] Par. *per precem Johannis.* Editiones aliæ, *per precem à Johanne.* Rectiùs mss. *in Johanne*, hoc est, quæ exstat in Evangelio Johannis. Similis est loquendi modus Fragm. 1. n. 2.

[g] Editi cum uno ms. Remig. duobus Colb. uno Sorbon. *filio hominis.* Veriùs vetustior Colb. Corb. Vind. alter Remig. Germ. Prat. &c. *filii hominis*: hoc est, licèt Christus corpus habeat non terrenis inchoatum elementis, utpote cujus princeps est sanctus Spiritus, verè tamen natus est filius hominis, verus Virginis filius. Cum his confer postrema num. 15. verba.

[h] Prædictorum mss. auctoritate restituimus *virtutem corporis*, præsertim cùm num. 23. jam legerimus, *Virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit*, ac rursum num. 46. audituri simus corporis nostri passiones à Christo *virtute corporis sui* susceptas. In vulgatis autem ac pluribus mss. exstat *virtutem corpori*, quod propter verbum *admiscuit* non malè sonat. Hoc quippe dictum esse videtur de Verbi cum natura nostra conjunctione: quæ lib. 2. n. 26. fusiùs sic enarratur: *Spiritus sanctus de super veniens virginis interiora sanctificavit, & in his spirans naturæ se humanæ carnis immiscuit, & id quod alienum à se erat, vi sua ac potestate præsumsit: atque ut ne quid per imbecillitatem humani corporis dissideret, virtus Altissimi virginem obumbravit, infirmitatem ejus* (pura, corporis) *veluti per umbram circumfusa confirmans, ut ad sementivam ineuntis Spiritûs efficaciam substantiam corporalem* (ex se infirmam) *divinæ virtutis inumbratio temperaret.* Pressiùs num. 27. *Initia nascendi Spiritus sanctus superveniens & inumbrans virtus Altissimi moliuntur.* In quibus Spiritus sanctus, id est Verbum, & ut susceptor corporis, & ut suscepti causa effectrix consideratur. Utroque modo virtus est corporis, sive illud condendo, sive divina per illud operando.

[i] In codice Vat. bas. *nostræ carnis.* Rectiùs in aliis, *nostræ conceptionis.* Aliàs non apparet discrimen inter Israelitarum & Christi corpus: quod non carne, sed conceptione à nobis distare Hilarius docere solet. Unde in Psal. 53. n. 8. habet: *Deus Dei filius ante sæcula manens, humanæ naturæ habitu, id est, nostri corporis atque animæ homo ex partu Virginis natus.*

[k] Bad. & Er. *circumaduri.* Mss. Corb. Pratell. &c. *circumamburi.* Tres Vatic. cum Remig. & Theod. *circumburi.* Vind. ac Silv. *circumcomburi.* Colb. ac Germ. *cum amburi.* Carn. *amburi.* Parvi interest quæ ex his lectionibus præferatur. Idipsum ita in Psal. 144. n. 13. enuntiatur. *Illis in roris humore ignis temperatur, hos exæstuans ignis amburit. Ipsæ intus extráque flammæ sunt, quarum pro diversitate meritorum & deficit à se natura, nec deficit. Nam quod est, manet erga eos ignis esse quos urit; & quod non est, necesse est in his esse quibus ros est.*

[l] Apud Er. Lips. & Par. *in Deo homine.* Abest *homine* à Bad. & mss.

[m] Editi, *intenduntur.* Mss. Carn. & Remig. *inscedunt.* Corb. ac nonnulli alii, *incedunt*: quibus favet sacer textus, inducens pueros mediis in flammis ambulantes. Antiquior Colb. *ignem non timendum scindunt.* Præferimus cum altero Colb. uno Sorbon. & codice Vat. bas. *scandunt*: maximè cùm infrà de Martyribus rursum legamus, *Ædificatos sibi congerie lignorum ignes cum canticis scandunt.*

natura sua est & ignis & corpus; nam circumstantes ardent, & pœnæ ministeria in pœna sunt. Non vis impie hæretice, ut transeunte palmas clavo Christus non doluerit, neque vulnus illud nullam acerbitatem teli compungentis intulerit. Interrogo cur pueri ignes non timuerint, nec doluerint: aut quid in eorum corporibus naturæ fuerit, ut naturam ignis excederet. Quòd si illi fidei calore, & beati martyrii gloriâ timere nesciunt quæ timentur; Christus etiamsi vitiorum nostrorum origine esset conceptus, tamen per crucem mansurus Deus, & mundum judicaturus, & rex æternorum sæculorum futurus, tristis metu crucis esset? & tantorum præmiorum immemor, turpis metûs anxietate trepidaret?

Multò magis Christus.

46. Daniel prophetæ prandio alendus, leonum lacum non timet. Apostoli cædi se pro Christi nomine & pati gaudent. Paulo libatio sua corona justitiæ est. Desecanda colla sua percussoribus cum hymnis Martyres tendunt, & ædificatos sibi congerie lignorum ignes cum canticis scandunt. Usque eò sensus fidei, peremto in corporibus naturalis infirmitatis metu, corpora ipsa ad sensum non sentiendi doloris emutat, ut per animæ propositum firmitas [a] corporis invehatur, animatumque corpus in id se tantùm sentiat, in quod animæ studio commovetur; ut quod pati animus gloriæ cupiditate [b] contemnit, id se pati corpus anima vegetante non sentiat. Hæc si in hominibus naturalia sunt per animæ ad gloriam ardentis calorem, ut passiones suas nesciant, & vulnera ignorent, & mortes non intelligant: Dominus [c] verò gloriæ Jesus Christus, cujus & fimbria virtus est, cujus sputus & sermo natura corporis est, dum & mancus jam non mancus manum jubetur extendere, & cæcus natus nativitatis vitia non sentit, & truncus aure non truncus est, in ea infirmitate compuncti ac dolentis corporis deputabitur, in qua gloriosos ac beatos viros fidei suæ spiritus non reliquit?

Fidei vis ad arcendum dolorem.

47. Passus igitur unigenitus Deus est omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates; sed passus virtute naturæ suæ, ut & virtute naturæ suæ natus est: neque enim, cùm natus sit, non tenuit omnipotentiæ suæ in nativitate naturam. Nam cùm natus sit [d] lege hominum, non tamen hominum lege conceptus est: habens in se & constitutionem humanæ conditionis in partu, & ipse extra constitutionem humanæ conditionis in origine. Secundùm quod ita ex infirmitate corporis nostri passus in corpore est, ut passiones corporis nostri, [e] corporis sui virtute susciperet. Et hujus fidei nostræ etiam sermo propheticus testis est, cùm ait, *Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet: & nos existimavimus eum in doloribus esse, & in plaga, & in vexatione. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, & infirmatus est propter peccata nostra.* Fallitur ergo humanæ æstimationis opinio, putans * hunc dolere quod patitur. Portans enim peccata nostra, peccati nostri scilicet corpus assumens, tamen ipse non peccat. Missus namque est in peccati carnis similitudine; portans quidem in carne peccata, sed nostra. Et pro nobis dolet, non & doloris nostri dolet sensu: quia & habitu ut homo repertus, habens in se doloris corpus, sed non habens naturam dolendi, dum & [f] ut hominis habitus est, & origo non hominis est, nato eo de conceptione Spiritus sancti. Hinc itaque æstimatus est & in doloribus & in plaga & in vexatione esse. Formam enim servi accepit: & natus ex virgine homo, opinionem nobis naturalis sibi in passione doloris invexit. *Ipse autem vulneratus est*; sed *propter iniquitates nostras.* Nam quamvis sit vulneratus, non tamen iniquitatis suæ vulnus est: & quidquid patitur, non sibi patitur. Non enim sibi homo natus est, nec ex se iniquus est. Testatur Apostolus causam dispensationis istius dicens, *Orantes* [g] *per Christum reconciliari Deo: eum, qui non cognovit peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Peccatum enim in carne per peccatum condemnaturus, peccati licèt expers, factus est ipse peccatum, id est, per carnem peccatum in carne condemnans, [h] carnis quidem nescius, sed pro nobis caro

Passiones nostras quomodo susceperit Christus.

Esa. 53. 4. & 5.

* al. hinc. Quî peccata portet.

Ibid. 5.

2. Cor. 5. 20.

Quî factus peccatum.

[a] Ita plures probæ notæ mss. Editi verò, *firmitas corpori.*

[b] Vaticanæ basilicæ ms. tres Vatic aliique nonnulli, *contendit.* Mox vetustior Colb. *consentiat*, pro *non sentiat.*

[c] Er. Lips. & Par. *vera gloria*; ac subinde, *cujus in fimbria*: quod & habet Bad. reluctantibus mss. Postea *sputus & sermo natura corporis* dicitur; quia corpus naturæ suæ integritate destitutum eidem restituit.

[d] Nimirum ex Virginis carne procreatus & post novem mensium decursum editus est, qui præter legem hominum de sancto Spiritu sine viri opera est conceptus. Huc facit quod apud Epiphanium Hær. 73. num. 9. aiunt episcopi qui Ancyræ convenerunt: *Hominum similis factus, & homo erat, & non in omnibus erat: homo quidem, quatenus carnem suscepit hominis, quoniam Verbum caro factum est; idem autem homo non erat, quatenus ceterorum more natus non fuerat, hoc est; è viri satu & utriusque conjunctione sexus.*

[e] *Corporis virtutem* divinitatem intelligendam esse jam diximus; eaque in opinione non mediocriter confirmamur collatis hisce verbis cum superioribus, *Sed & virtute naturæ suæ passus est.* Id enim ibi *virtute naturæ suæ*, quod hîc *virtute corporis sui* significari palam est. At cùm *passus virtute naturæ suæ* prædicatur, *ut & virtute naturæ suæ natus est*; non minùs evidens est, *naturæ suæ virtutem* intelligendam esse divinitatem Verbi, cujus virtute natus esse Christus passim in hoc ipso libro asseritur. Quod maximè illustratur ex Tract. Psal. 138. n. 2. & 3. ubi primùm ait Hilarius: *Neque id corpus, quod assumtum est, virtutem naturæ antea manentis abolevit; cùm in eo corpore, quod assumtum est, virtus naturæ antea manentis operetur.* Tum num. 3. subjicit, *Itaque si quid infirmum ex persona ejus dictum reperietur, ad hominem referri oportebit.* Quare hoc? *Referendum autem*, inquit, *ob id est, quia non alienæ aut simulatæ naturæ hominem assumsit.* Si autem non alienæ naturæ aut simulatæ hominem assumsit, neque etiam fictas suscepit infirmitates. At quatenus eæ in Christum non cadant, sic postea explicat: *Verbum namque caro factum habitavit in nobis. Non in vitia infirmitatesque carnis ex Verbi virtute deficiens, sed naturæ nostræ infirmitates homo natus assumens. Assumtio autem infirmitatis non fecit infirmum: quia aliud est naturam esse, aliud assumsisse naturam: & extra generis necessitatem, voluntatis accessio est. Non enim peccator fuit, sed peccata suscepit. Neque infirmus exstitit, sed portavit infirmitates. Ipse enim, secundùm prophetam, peccata nostra suscepit & infirmitates nostras portavit. Et ne quid in impassibilem atque indemutabilem divinitatem incidere existimaretur; adjecit, Et nos putabamus eum in doloribus esse. Suscepit ergo infirmitates, quia homo nascitur: & putatur dolere, quia patitur: caret verò doloribus ipse, quia Deus est.* Vide & subsequentia, in quibus liquidò constat, Christi tantùm divinitatem à doloribus eximi, humanam autem ipsius naturam iis omnibus subjici, quibus per se obnoxium est hominum genus. Ita facta utriusque loci collatione cavetur periculum, quod hîc cavendum esse superiores editores monuerunt.

[f] In priùs vulgatis desiderabatur particula *ut*: de cujus vi videsis suprà num. 25. not. i.

[g] Editi, *pro Christo*: emendantur ex mss.

[h] Apud Er. *carnis quidem peccati nescius, sed pro nobis caro factus carnis similitudo peccati est*: merum glossema, quod tamen arripuere sequentes editiones. Peccati expers & carnis nescius Christus prædicatur ex sua natura & ante assumtum hominem, ex assumtione autem & peccatum & caro factus.

factus est: & idcirco propter iniquitates nostras est vulneratus.

Christi virtus in passione emicat.

48. Ceterùm nescit in Christo Apostolus trepidationem doloris. Nam dispensationem [a] passionis locuturus, in sacramento eam divinitatis prædicavit, dicens, *Donans vobis omnia peccata, delens quod adversùm nos fuit chirographum in sententiis, quod erat contrarium nobis, tollens illud de medio, & affigens illud cruci, spolians se carne, & principatus & potestates traduxit cum fiducia, triumphans eos in semetipso.* Succumbere ergo tibi videtur Virtus ista vulneris clavo; & ad ictum compungentis exterrita, demutasse se in naturam dolendi? Atquin Apostolus loquente in se Christo locutus, & salutis nostræ per Dominum opus memorans, mortem Christi ita significat, ut carne se spoliet, & potestates cum fiducia dehonestet, & de his in semetipso triumphet. Si in passione sua necessitas est, & non salutis tuæ donum est; si in cruce dolor compungendi est, & non decreti, [b] quòd in te mors est scripta, confixio est; si in morte vis mortis est, & non per potestatem Dei carnis exuviæ sunt; si denique mors ipsa aliud est, quàm potentum dehonestatio, quàm fiducia, quàm triumphus: adscribe infirmitatem, si ibi necessitas est & natura, si ibi vis est & diffidentia & dedecus. Sin autem hæc è contrario in sacramento passionis prædicantur; quis rogo furor est, repudiata doctrinæ apostolicæ fide mutare sensum religionis, & totum hoc [c] ad contumeliam imbecillis rapere naturæ, quod & voluntas est & sacramentum, quod & potestas est & fiducia & triumphus? Triumphus planè est, quæri ad crucem, & offerentem se non sustineri; stare ad sententiam mortis, sed inde consessurum à dextris virtutis; configi clavis, sed pro persecutoribus orare; acetum potare, sed sacramentum consummare; deputari inter iniquos, sed paradisum donare; elevari in ligno, sed terram tremere; pendere in cruce, sed solem ac diem [d] fugere; exire è corpore, sed revocare animas in corpora; sepeliri mortuum, sed resurgere Deum; secundùm hominem pro nobis infirma omnia pati, sed secundùm Deum in his omnibus triumphare.

Coloss. 2. 13. &c.

2. Cor. 13. 3.

Passio Christi triumphus.

Derelictum objiciunt.

49. Restat nobis adhuc, ut hæreticis videtur, magna & gravis confessæ infirmitatis pro- A fessio, & maximè ipsius Domini vocibus edita, cùm ait, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Quæ maximæ querelæ esse intelligitur protestatio, derelictum se esse conqueri, infirmitatique permissum? Verùm hæc impiæ intelligentiæ violenta præsumtio, quàm sibi in omni dictorum dominicorum genere compugnat: ut qui ad mortem festinat, ut qui per eam honorificandus est, ut qui post eam à dextris virtutis sessurus est, in his tot beatitudinum caussis B mori timuerit, & ob id ad necessitatem moriendi desertum se à Deo suo queratur, cùm in beatis illis esset mortem obeundo mansurus?

Matth. 27. 46.

Quàm nihil inde conficiant.

Commenta eorum varia de Verbi & hominis conjunctione.

50. Quin etiam ad irreligiositatis hujus tamquam ad præparatam sibi viam, per id ingenia hæretica contendunt, quòd aut defecisse omnino Deum Verbum in animam corporis volunt, ut non idem fuerit Jesus Christus hominis filius, qui & Dei filius; & aut de se C [e] defecerit Deus Verbum, dum corpus officio animæ vivificat; aut omnino [f] nec fuerit Christus homo natus, quia in eo Dei Verbum modo spiritûs prophetalis habitaverit. Sed ridiculæ hujus perversitatis error in majorem se impietatis extendit audaciam, ne Jesus Christus, ante quàm ex Maria natus est, Christus sit: dum non qui erat natus est, sed ad id tum primùm quod natus est [g] cœperit. Per quod etiam illud vitii adjungitur, ut [h] Deus Verbum tamquam D pars aliqua virtutum Dei quodam se tractu continuationis extendens, hominem illum qui à Maria esse cœpit habitaverit, & virtutibus divinæ operationis instruxerit; animæ tamen suæ motu naturâque viventem.

Errores inde consectarii.

51. Per hanc [i] ergo subtilem pestiferamque doctrinam deducuntur in vitium, ut aut Deus Verbum anima corporis per demutationem [k] naturæ se infirmantis exstiterit, & Verbum [l] Deus esse defecerit: aut rursum per exteriorem nudamque naturam hominem illum solâ E vitâ animæ moventis animatum, [m] in quo Verbum Dei, id est, quædam quasi potestas extensæ vocis habitaverit. atque ita omni modo impiissimæ intelligentiæ aditus pandatur, ut aut Deus Verbum in animam defecerit, nec permanserit Deus Verbum; aut omnino Christus ante partum Mariæ non fuerit; quia Jesus Christus, animæ solùm communis &

[a] Apud Er. Lips. & Par. *dispensationem hanc.* Meliùs abest *hanc* à Bad. & potioribus mss. Clariùs hîc Hilarius scopum suum ostendit, se scilicet passionem Christi prædicare peractam *in sacramento divinitatis:* de qua postea subjicit, *Succumbere ergo tibi videtur Virtus ista vulneris clavo.* Ab humana autem natura tantùm arcet necessitatis contumeliam: *Si in passione sua necessitas est* &c. Quam necessitatem naturæ nomine interdum donat: *Si ibi necessitas est & natura, si ibi vis est* &c.

[b] In codice Vat. bas. *quo in te.*

[c] Editi, excepto Par. *ad imbecillitatem & contumeliam rapere naturæ.*

[d] Er. & Lips. *fugare:* & mox, pro *resurgere Deum*, substituerant *resurgere. Demum*, quod & postremâ editione Par. prælatum est: renitentibus aliis libris. Ait Hilarius *resurgere Deum* ad eum modum, quo superiùs docet Christum totum, etiam secundùm hominem, post resurrectionem esse Deum.

[e] Pravæ hujus opinionis auctorem, non Eutychen, non Apollinarium, sed Arium esse jam diximus, ac testis est Theodoret. lib. 5. hær. fab. c. 11. Explosa est à Concilio Rom. procurante Damaso Papa adversùs Apollinarium coacto apud Theodoret. lib. 5. hist. eccl. c. 10. & 11. & antea à Concilio Alexandrino an. 362. apud Athanas. epist. ad Antioch.

[f] Hæc sententia licèt cum superiore pugnet, ab iisdem tamen propugnatur. Et de Apollinaristis quidem observat Gregorius Nazianz. Or. 52. secum eos pugnare, nec audere nisi apud fidos discipulos de divinitate disputare.

[g] In vulgatis, *esse cœperit.* Abest *esse* à mss. Hoc Hebionis, ac postmodum Photini commentum fuisse docet liber 7. n. 7. & nemo dubitat.

[h] Photinum ita sensisse liquet ex lib. de Synod. n. 45. sicut ex lib. 1. de Trin. n. 16. planum est, eum à Sabellio hanc doctrinam esse mutuatum. Cui quidem Damasus Papa apud Theodoretum lib. 5. c. 11. anathema dicit his verbis: *Anathematizamus eos, qui Verbum Dei extensione & contractione à Patre separatum & insubstantivum & finem habiturum esse contendunt.*

[i] Abest *ergo* à Bad. Er. ac mss. Colb. & Germ. Habent nonnulli alii, *hac ergo per hanc.*

[k] Bad. *in naturam suæ infirmitatis.* Er. & Lips. *per demutationem naturæ suæ in naturam infirmitatis.*

[l] In solis vulgatis, *Dei.* Jam num. 49. legimus, *aut de se defecerit Deus* (non *Dei*) *Verbum:* idemque infrà habetur.

[m] supple, *habitaverit.* Verbum habitavit hominem per nudam naturam, hoc est, sibi non cohærentem nec substantialiter unitam, adeoque merè exteriorem, si tantùm in Christo ut in prophetis fuerit.

corporis homo, hoc habeat sui, [a] quo esse homo cœpit, exordium; quem extrinsecùs protensi sermonis potestas ad virtutem operationum confirmaverit; qui nunc à Dei Verbo contracta rursum protensione desertus, clamet, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* vel certè tum, cùm in animam corporis à Dei Verbi natura demutatus est, paterno in omnibus usus auxilio, nunc inops ejus mortique permissus, solitudinem suam conqueratur, relinquentemque se arguat: omnique modo exitiabile deceptæ fidei periculum comparetur, si aut in Deo Verbo significari existimetur naturæ infirmitas per querelam; aut omnino nec fuerit Deus Verbum, dum Christo Jesu Mariæ solùm partus exordium est.

Fides vera hæreticæ adversa.

52. Sed inter has impias infirmasque sententias, Ecclesiæ fides apostolicis imbuta doctrinis novit in Christo nativitatem, sed ignorat exordium. Scit dispensationem, sed nescit divisionem. Non [b] patitur Christum Jesum, ut Jesus non ipse sit Christus: nec filium hominis [c] discernit à Dei filio, ne filius [d] Dei fortè non & filius hominis intelligatur. Non absumit filium Dei in filium hominis. Neque tripertita Christum fide scindit, cujus de super texta vestis inscissa est: ut Jesum Christum & in Verbum & in animam & in corpus incidat, neque rursum Deum Verbum & in animam & in corpus absumat. Totum [e] ei Deus Verbum est, totum ei homo Christus est: retinens hoc in sacramento confessionis suæ unum, nec Christum aliud credere quàm Jesum, nec Jesum aliud prædicare quàm Christum. [f]

Joh. 19. 23.

In Dei rebus mens humana deficit.

53. Non ignoro autem in quantum humanæ intelligentiæ infirmitatem magnificentia mysterii cælestis impediat, ut hæc non facilè aut verbis enuntiare, aut dijudicare sensu, aut etiam complecti mente possimus. Sciens autem Apostolus arduum hoc terrenæ naturæ difficillimumque esse, rerum divinarum efficientiam judicio [g] nos nostro, tamquam ad intelligendum acriore, quàm ad efficiendum Deo potiore, concipere, illi legitimo sibi secundùm fidem filio, sacrasque litteras ab infantia sumenti, ita scribit: *Sicut hortatus sum te sustinere Ephesi, cùm [h] irem in Macedoniam, ut præciperes quibusdam ne aliter docerent, neque attenderent fabulis & genealogiis interminatis, quæ quæstiones magis præstant, quàm ædificationem Dei quæ est in fide.* Vetat genealogiæ eloquia tractari, & fabulas interminatæ quæstionis attingi. Ædificationem verò Dei in fide esse *: ut humanæ verecundiæ modum fideli omnipotentiæ Dei religione concludat, neque se infirmitas nostra ad perspicienda ea, quæ perspiciendi [i] naturam hebetent, extendat. Quòd si contuentibus solis claritatem virtus intenti luminis obstupescit, ut si quando causam radiantis lucis sollertiùs acies curiosæ contemplationis inquirat, usque ad emortuum videndi sensum oculorum natura revocetur, accidatque nitendo magis videre, ne videas; quid nobis in Dei rebus & in sole justitiæ exspectandum est? Nonne incumbet volentibus [k] supersapere stultitia? Nonne ipsum illud acre intelligentiæ lumen stupor hebetis desipientiæ occupabit? Non enim natura inferior causam naturæ [l] potioris intelliget: nec subjacet humanæ conceptioni ratio * cælestis. Nam intra conditionem infirmitatis erit, quidquid * infirmi conscientiæ subditur. Excedit itaque humanam mentem Dei potestas: ad quam si se infirmitas protendet, magis infirma reddetur, dum hoc ipsum quod obtinet amittit, potiore ad obtundendam eam rerum cælestium naturâ; quia omnem ejus consectantis se pervicaciam ipsa complexu ejus major infirmat. Ut igitur sol ita videndus est, ut possit videri, tantusque excipiendus lumine est, quantus [m] admittitur; ne si plus velimus exspectare, minus quoque quàm possumus consequamur: ita & ratio cælestis in tantum intelligenda est, in quantum se permittit intelligi; in tantum exspectanda est, in quantum apprehendendam se dedit; ne si contenti indulgentiæ moderatione non simus, amittamus indulta. Est ergo in Deo quod [n] percipi potest: est planè, si modò quod potest velis. Sicut enim est in sole quod videas, si hoc velis videre quod possis; amittas autem quod potes videre, dum quod non potes niteris: ita & in rebus Dei habes quod intelligas, si intelligere quod potes velis. Ceterùm si ultrà quàm potes speres; id quoque, quod potuisti, posse non poteris.

1. Tim. 1. 3. & 4.

* supple, docet.

Obtunditur plus volens videre quàm datur.

* id est, divina.

* in 3°. casu.

[a] Bad. *quod esse homo.* Editiones aliæ, *quod ut esset homo.* Castigantur ex mss.

[b] Mallemus *partitur.* Hunc locum attendant velim, qui Hilarium opinantur sensisse, à Christo secessisse Verbi divinitatem, cùm clamavit, *Deus Deus meus* &c. Cùm enim hæc ex eorumdem verborum occasione dicat adversùs eos, qui duas Christi naturas aut confundunt, aut separant; iniquus omnino esset, si eas ipse separatas ex iisdem verbis intellexisset.

[c] Verbum *discerno* hìc separationem sonat: at lib. 9. n. 6. naturarum dumtaxat distinctionem.

[d] In vetere ms. Colb. *Deus.*

[e] id est, Ecclesia in Christo Dei Verbi hominisque naturas ita unitas credit, ut ei totus Verbum sit, totus homo. Quod sic declarat Leo Papa epist. nunc 97. ad Monachos Palæstinæ: *Nec interest ex qua Christus substantia nominetur; cùm inseparabiliter, manente unitate personæ, idem sit & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter unam cum Patre deitatem.* Quamvis enim Theologis, ut observatum est pag. 41. postmodum placuerit, ut vox *totum* in naturas caderet, & *totus* ad personam referretur, quomodo ab ipso Hilario refertur in his num. 22. *quia totus hominis filius totus Dei filius sit*: hanc tamen regulam ipsius ævo nondum positam fuisse liquet vel ex hoc loco. Qui sanè non pugnat cum altero libri 9. n. 6. ubi non jam personæ unitatem, sed naturarum distinctionem spectans, rectè docet hominem à Deo discernendum: sicut cùm humilem illius statum, gloriosumque discernit; non malè prædicat id eum tantùm per postremum obtinere, ut sit *totus homo totus Deus.*

[f] Editi post Erasmum hìc subjiciunt, *& Dei Verbum*: glossema quod abest à Bad. & mss. Porro *Christum* Verbum, *Jesum* autem hominem à Verbo assumtum Hilarius intelligit: qui ut suprà *totum*, ita nunc *aliud* ad personam refert.

[g] Vocabulum *nos* revocamus ex Bad. & mss. Deinde pro *tamquam*, malè habent mss. Remig. ac Theod. *tam*; hoc enim sibi vult: tamquam ad intelligendum tanto esset acrius judicium nostrum, quanto potior Deus ad efficiendum. Hìc & deinceps reprimi videtur Eunomii jactatio, qua Theodoreto teste lib. 4. hær. fab. c. 3. *se nihil ex rebus divinis ignorare* gloriabatur.

[h] Antiquus codex Colb. *ires Macedoniam.*

[i] Carnut. aliique nonnulli mss. cum Bad. & Er. *naturam non habent.*

[k] Martin. ms. *supercapere.* Græcè ὑπερφρονεῖν.

[l] In uno ms. Colb. altero Sorbon. & Martin. *superioris.* In alio Colb. & Germ. *posterioris.*

[m] Exemplar Martin. *quantum admittit: qui si plus velimus.* Tum Par. cum ms. Vatic. bas. *expetere.* In edit. aliis, *spectare.* In aliquot mss. *aspectare.* Non alio sensu in plerisque, *exspectare*: & mox in omnibus *exspectanda*, ubi in vulgatis *expetenda.*

[n] Vat. bas. ms. cum Colb. & Sorbon. *perspici.* Martin. *respici*; ac subinde cum dicto Vat. bas. & Remig. *si modò quod potes.*

In ipso Christi ortu temporali cæcutit homo.

54. Nondum intemporalis nativitatis illius sacramentum movebo : competentis loci est ille tractatus. Interim mihi assumtæ carnis mysterium in verbis est. Illos nunc arcanorum cælestium scrutatores consulo, ut secundùm naturam suam nati ex virgine Christi sacramentum loquantur. Unde dicent virgini conceptum? unde virgini partum? Quam hanc esse genitalium originum causam disputabunt? & quid intra secessus maternorum sinuum coaluisse? Corpus unde? & homo unde? Jam verò post hæc, quid sit descendisse de cælis filium hominis in cælis manentem? Non enim ejusdem est, secundùm corporales causas, descendere & manere : quorum alterum [a] decessionis transmutatio est, alterum manendi imperturbatio est. Vagit infans, sed in cælo est : puer crescit, sed plenitudinis Deus permanet. Jam verò cùm adscendit ubi antea fuit, & descendit qui manet, quo intelligentiæ humanæ sensu continebitur? Dominus enim ait, *Quid si videritis filium hominis adscendentem ubi antea fuit?* Adscendit filius hominis ubi antea fuit ; & quis hoc sensus concipiet? Descendit de cælo filius hominis qui in cælis est ; & quæ hoc ratio præstabit? *Verbum caro factum est* ; quæ hoc verba loquentur? Fit caro Verbum, id est, homo Deus : & qui homo est, in cælis est ; & qui Deus est, de cælis est. Adscendit descendens ; sed descendit [b] non descendens. Est qui erat, & quod est non erat. Currimus per causas, & ratione deficimur : rationem cernimus, & causas non intelligimus. Sed Christum Jesum [c] & ita intelligentes, scimus ; & magis putantes nos intelligere, nescimus.

Idem argumentum fusius prosequitur Gregor. Nazianz. Or. 35. n. 88. &c.
Joh. 6. 63.

Lacrymarum Christi mysterium.
Lucæ 19. 41.

55. Jam verò quantum illud est dictorum & gestorum sacramentum, flere Christum, & per animi anguorem lacrymas oculis effluere? Unde ejus animæ hæc vitia, ut fletum corpori tristitiæ mæror eliciat? Et quæ rerum acerbitas, & intolerantia doloris descendentem de cælis filium hominis in lacrymas dissolvit? Quid sit deinde, quod in eo fleverit? Deus-ne Verbum, an corporis [d] sui anima? Nam quamvis lacrymarum officium in corpore sit ; [e] animi tamen eas, in ministerio corporis, quasi quidam mæror exsudat. Tum deinde quæ ei ad flendum causa sit? Anne impiam parricidalemque Jerusalem, nihil dignum tantorum Prophetarum & Apostolorum cæde & ipsius Domini sui morte passuram, debito lacrymarum honore prosequitur? & ut humanarum mortium deflentur calamitates, ita perditæ hujus desperatæque gentis casus doletur? Et quod hoc, rogo, flendi sacramentum est? Anima, quæ tristis est, flet. Sed numquid hæc [f] prophetas misit? Numquid hæc totiens voluit congregatos pullos ejus pennarum [g] integimento obumbrare? Non cadit autem in Verbum Deum mæror, neque in Spiritum lacrymæ. Sed neque in animam convenit, aliquid ante corpus egisse. Et tamen verè Jesum Christum flesse non dubium est.

Matth. 23. 37.

In Lazaro quid fleverit.
Joh. 11. 35.
Ibid. 5.
Ibid. 14. & 15.

56. Pari quoque lacrymarum veritate & Lazarus fletus est. Et quæro primùm, quid fleatur in Lazaro? Non utique mors, quæ non usque ad mortem est, & pro Dei gloria est. Dominus enim ait, *Infirmitas ista non est usque ad mortem, sed pro gloria Dei, ut honorificetur filius Dei per eum.* Mors ergo, quæ glorificandi Dei causa est, flendi tristitiam non afferebat. Sed ne in eo quidem flendi necessitas exsistebat, quòd Lazaro moriente afuisset. Nam ipse ait manifestè : *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quòd non eram ibi.* Absentia itaque ejus non habuit causam lacrymandi, quæ ad Apostolorum fidem proficiebat : cùm ægri mortem conscientia divinæ cognitionis absens pronuntiasset. Nulla ergo restat necessitas flendi : & tamen fletum est. Et tamen quæro, cui imputabitur fletus ille? Deo, an animæ, an corpori? Sed corpus per se tantùm non habet lacrymas, quas ad dolorem animæ mærentis [h] profundit. Longè autem minus est, ut Deus fleverit, qui glorificandus in Lazaro est. Non convenit [i] autem, ut anima de sepulcro Lazarum vocet, & ad animæ innexæ corpori præceptum atque virtutem, in mortuum suum * anima jam ex eo dissoluta revocetur. Dolet, qui glorificandus est? Flet, qui vivificaturus est? Non est vivificaturi flere,

Fletus ille an Dei, animæ-ne, an corporis.

* *supple, corpus.*

[a] In vulgatis, *descensionis.* Magis placet cum potioribus mss. *decessionis.*

[b] In vetusto codice Colb. *non adscendens.* Hoc argumenti genus maximè valet adversùs eos, qui Verbum Dei cum carne substantialiter conjunctum negant, aut cum ea confundunt.

[c] Sic mss. Editi verò, *Jesum ita intelligentes scimus . . . nescimus.* Hoc sibi velle nobis videtur : Catholicos, qui Christum esse Jesum, hoc est, Deum simul & hominem intelligunt, in prædictis quæstionibus non laborare ; sicut nec laborat Hilarius num. 16. in quæstione de adscensu ac descensu filii hominis : hæreticos verò, qui aliter sapientes plus se intelligere putant, inde se extricare non posse.

[d] Vox *sui* in vulgatis omissa restituitur ex mss. quæ hìc adjicitur, vel ne putetur anima Verbi pars, quæ opinio tangitur num. 57. vel ut corpus Christi Dei proprium esse asseratur.

[e] Lips. & Par. *anima tamen.* Rectiùs plerique mss. *animi tamen,* scil. *mæror.* Neque placet cum mss. Vat. bas. & Martin. *anima tamen . . . eas quasi quodam mærore exsudat.*

[f] quasi diceret, ipse flevit, qui prophetas misit, qui filios Jerusalem, ad modum gallinæ, sub alas congregare voluit. Anima autem Christi prophetas non misit, nondum quippe erat ; ut enim infrà habet, *Sed neque in animam convenit ante corpus,* id est, ante quàm corpori immisceretur, *egisse :* ideoque non ipsa flevit. Non flevit autem Verbum : nec lacrymæ è corpore prodeunt, nisi tristitia præcesserit in anima. Et tamen verè flevit Christus. Stupendæ igitur hæ lacrymæ. Idem de Christi cruciatibus confici potest argumentum : quod sanè efficacissimum est adversùs eos, qui Christum dividebant : contra quos Gregorius Nazianz. Or. 51. n. 7. *Si quis duos filios ; alterum ex Deo & Patre, alterum ex matre, non autem unum atque eumdem induxerit, à filiorum adoptione excidat* &c. Neque minùs urget eos, qui Christum confundebant. Contra utrosque sibi rem esse satis declarat Hilarius num. 48. & 49.

[g] Sic in mss. magno consensu. At apud Bad. & Er. *integmento :* apud Lips. & Par. *integumento.*

[h] Ita mss. At excusi, *profundat :* minùs bene. Habet quippe corpus lacrymas quas profundat, sed non profundit eas nisi anima dolente. *Quid enim caro per se ipsam sine anima vel dolet, vel concupiscit?* inquit Augustinus lib. 14. de civ. Dei c. 15. Rursùm noster Hilarius in Psal. 68. n. 12. lacrymarum Christi veritatem adstruit, easque profusas esse enarrat ob humani generis infidelitatem.

[i] Quare non convenit, nisi quia divinæ opus est omnipotentiæ? Simile est illud Gregorii Nysseni Or. 4. contra Eunom. p. 589. relatum à Theodoreto Dial. 3. *Nec vivificat Lazarum humana natura, nec deflet jacentem impatibilis potentia : sed lacryma quidem hominis est propria, vita autem ejus quæ verè vita est. Non pascit multa millia humana paupertas : non currit ad ficum omnipotens potestas. Quis fatigatur labore itineris ; & quis totum mundum sine labore sustentat verbo? Quid est splendor gloriæ, & quid quod clavis configitur? Quænam forma in passione alapis ceditur ; & quænam ab æterno glorificatur?* . . .

nec glorificandi dolere: & tamen vivificat, qui & flevit,[a] & doluit.

Quis in Christo animam ponat ac resumat.

57. Non inopiæ necessitate, vel dictorum ignoratione de multis pauca memoramus; sed ut absolutam expositionem ratio non morosa commendet. Gerit Dominus atque [b] agit, quod cum conscientia nescitur, quod nec ignoratur & ignorabile est, dum & veritas in rebus est, & in [c] virtute sacramentum est, ut etiam ex his quæ ait, manifestè docebimus: *Propter hoc me Pater diligit, quòd ego pono animam meam,* (Joh. 10. 17. & 18.) B *ut iterum accipiam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum accipiendi eam: hoc mandatum accepi à* [d] *Patre.* Animam suam ab se ponit: & quæro quis ponat? Christum enim non ambigimus esse Deum Verbum: neque rursum filium hominis ex anima & corpore constitisse ignoramus, Angelo ad Joseph confirmante: Surge, & accipe puerum & matrem (Matth. 2. 20.) » ejus, & vade in terram Israel; defuncti sunt enim, C » qui quærebant animam pueri. Cujus ergo hæc anima est requiro, corporis-ne, an Dei? (*Corpus-ne.*) Si corporis; quid habet corpus potestatis, quod per animæ motum animatur in vitam? Deinde utrùm mandati aliquid corpus acceperit, quod sine anima hebes emortuumque est? Si verò quisquam putabit animam suam Verbum Deum ponere, ut rursum resumat; (*Ad Verbum.*) ostendat Verbum Deum mortuum, id est, ut sine sensu atque vita, emortui corporis modo, maneret, D quòd iterum animam suam ad vivendum, qua rursum vivificaretur, assumserit.

Dei non est anima.

58. Sed nec Deo animam quisquam rationis particeps deputabit: quamquam frequenter [e] anima Dei & sabbata & neomenias odisse scripta sit, (Esai. 1. 14.) & etiam in quibusdam complacere. (Esai. 42. 1.) Sed ex ea istud significatione commemorari solitum est, qua & manus & oculi & digiti & brachium & cor incorporali Deo connumerantur. E Nam cùm spiritus, secundùm Domini dictum, carnem & ossa non habeat; (Luc. 24. 39.) ei, qui est nec demutatur, (Malach. 3. 6.) nulla ad soliditatem sui corporalium partium membra conveniunt; sed simplex ac beata natura, unum totum quod est omnia permanet. Non ergo Deus corporali-A bus modis officio interioris animæ animatur ad vitam, sed ipse vita sibi vivit.

Nec Deus ponit animam, nec corpus resumit.

59. Et quomodo ponit animam suam, vel positam resumit? vel quæ hujus ratio mandati est? Deus ergo nec ponit ad mortem [f], nec resumit ad vitam. Sed nec corpus mandatum ad resumendum habet: quia nec per se resumit. Dictum enim de corporis sui templo est, *Solvite templum hoc, & post triduum* [g] *suscitabo illud.* (Joh. 2. 19.) Suscitat ergo templum corporis sui Deus. B Et quis ponit animam, ut resumat? Corpus enim non per se resumit, sed per Deum suscitatur. Suscitatur autem quod est mortuum, & nec ponit animam quod vivit. Deus itaque nec mortuus est, nec sepultus est: & tamen ab eo dictum est, *Hæc enim mittens unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* (Matth. 26. 12.) Quod in corpus suum missum est, ad sepeliendum eum factum est: & non idem est, se esse, suumque esse: & non unum est, ad sepeliendum se fieri, & [h] ungi C suum corpus: neque convenit corpus suum esse, seque sepeliri.

Quæstionis propositæ solutio unde pendeat.

60. Sed [i] sacramenti istud divini intelligentia est, non ignorare Deum, quem non nescias hominem; non nescire autem hominem, quem non ignores Deum; Jesum Christum non dividere, quia Verbum caro factum est; [k] sepultum non putare, quem resuscitasse intelligas; resuscitasse non ambigere, quem negare non audeas non sepultum. Sepultus enim est Jesus D Christus, quia & mortuus est. Mortuus autem est, qui & moriturus locutus est, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* (Marc. 15. 34.) Locutus autem hæc est, qui & dixerit, *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in paradiso;* (Luc. 23. 43.) paradisum quoque promittens, magna voce proclamaverit, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hoc dicens exspiravit.* (Ibid. 46.)

In eos qui Christum tripertiuntur aut in unum contrahunt.

61. Vos nunc vel tripertientes Christum in Verbum & animam & corpus, vel totum E Christum Deum Verbum in solum communis generis hominem contrahentes, hoc nobis magnæ pietatis sacramentum, quod in carne [l] manifestatum est, revelate: (1. Tim. 3. 16.) quem tradiderit spiritum Christus, & quis in manus Patris commendaverit suum spiritum, & quis in paradiso

---

[a] En tandem dolor de Christo affirmatur: adeoque ubi negatus est, hoc tantùm tentatum esse liquet, ut positâ adversariorum sententiâ dolorem in Christum non convenire demonstraretur.

[b] In vulgatis, *ait.* Meliùs in mss. *agit.* Nunc enim à gestis transitur ad dicta, & ex his illa probantur.

[c] Vat. bas. ms. rursùm, *& in veritate:* non placet. Vult quippe Hilarius, rerum à Christo gestarum veritatem patere, latere autem virtutem per quam gestæ sint. Unde superiùs *quod cum conscientia nescitur* id est, quod scitur quantum ad rem gestam, ac nescitur quantum ad rei gestæ rationem.

[d] In vulgatis, *à Patre meo.* Abest *meo* à mss. hîc, ut lib. 9. n. 12.

[e] Ita mss. At Lips. & Par. *animam Dei . . scriptum sit:* & mox alii etiam editi, *in incorporali Deo commemorantur.*

[f] Lips. & Par. hîc addunt *animam.*

[g] Martin. ms. *ædificabo.* Nonnulli alii, *resuscitabo.*

[h] In antiquioribus mss. Colb. Martin. Corb. Germ. &c. *ungueri.* qui aliàs etiam habent *ungueat, ungueatur.*

[i] Editi, *sed sacramentum istud divinæ intelligentiæ est:* emendantur ex mss. quasi diceret Hilarius, sensum proprium aperire jam incipiens: Totius mysterii, in adversariorum sententia inexplicabilis, intelligentia in eo sita est, ut in Christo agnoscantur duæ naturæ in una persona, cui utriusque naturæ proprietates attribuantur, conjunctæ.

[k] Bad. cum mss. Martin. Corb. Vatic. aliquot aliis, *non sepultum non putare.* Tum eadem editio cum Er. & Lips. *quem resuscitatum,* quibus plures mss. addunt *esse*: in ms. Martin. *quem resurrexisse intelligas;* ac deinde, *resurrexisse autem non ambigere* &c. ubi rursum editi omnes, *resuscitatum non ambigere.* Postea Er. Lips. & Par. omittunt particulam negantem ante *sepultum.* Quibus si mss. suffragarentur, legere liceret, *non sepultum non putare, quem resuscitasse intelligas; resuscitasse non ambigere, quem negare non audeas non sepultum:* ut ostenderentur duæ in una persona naturæ. Sed cùm in omnibus mss. exstet postremo loco *sepultum* sine particula negante, cetera magis sibi constant in mss. vetustioribus Remig. Colb. Vind. Germ. & aliis. Ex quibus conficitur, quantum capimus, Christum quà Deum sepultum non fuisse, si quidem corpus suum suscitarit, quod non convenit in sepultum; ac dubio procul eum corporis suscitandi auctorem exstitisse, qui negari nequeat non sepultus. *Sepultus enim est Jesus* non secundùm eam naturam quæ corpus suscitavit, sed secundùm eam qua & mortuus est. Ut enim superiori numero dictum est, *Deus nec mortuus est, nec sepultus.* Quantum porro abfuit, ut Verbi divinitatem à mortuo Christi corpore separatam sentiret, qui etiam hîc, ubi de illius morte & sepultura sermo est, tam apertè tamque constanter Christum non dividendum docet?

[l] Lips. & Par. cum vetusto codice Colb. *manifestum est.* Hîc iidem arguuntur, qui suprà num. 49. & convincuntur non posse in sua sententia explicare, quæ de Christo scripta sunt.

Quæstiones variæ de Christi morte.

die eadem fuerit, & quis derelinqui se à Deo questus sit. Nam querela derelicti, morientis infirmitas est: promissio autem paradisi, viventis Dei regnum est. Commendatio spiritûs, commendantis confidentia est: traditio spiritûs, morientis excessio est. Quæro itaque, quis moritur? Nempe qui tradit spiritum. Deinde quis tradit spiritum? Utique qui Patri commendavit spiritum suum. Et si idem qui commendavit, idem tradens spiritum mortuus est: interrogo utrùm corpus animam commendet, [a] an Deus corporis animam? Nam spiritu frequenter significari animam non ambiguum est: & vel ex hoc ipso, quòd Jesus moriturus tradidit spiritum. Si igitur quisquam existimandum putabit, commendari animam à corpore, à dissolvendo viventem, [b] à corrumpendo æternam, à resuscitando manentem; & non ambigitur quin idem commendaverit spiritum Patri, qui & die eadem in paradiso fuerit cum latrone: & quæro an sepulcro receptus, in paradiso manserit; an verò in paradiso manens, derelictum se à Deo questus sit.

Solutio.

62. [c] Unus enim atque idem est Dominus Jesus Christus, Verbum caro factum, se ipsum per hæc universa significans: qui dum ad mortem derelinqui se significat, homo est; dum verò homo est, in paradiso Deus regnet; regnans porro in paradiso, Patri commendet spiritum Dei filius; commendatum verò Patri spiritum, hominis filius tradat ad mortem. Quid nunc de sacramento facimus contumeliam? [d] Habes in conquerente ad mortem relictum se esse, quia homo est: habes eum, qui moritur, profitentem se in paradiso regnare, quia Deus est. Cur hoc, quod nobis ad intelligentiam mortis suæ locutus est, solum ad impietatem retinemus; & id, quod idem ad demonstrationem immortalitatis suæ est professus, tacemus? Si ejusdem vox hæc atque sermo est, se derelictum conquerentis, & se regnare profitentis: qua fidem nostram infidelitatis ratione dividimus, ut non idem in tempore eodem sit mortuus, qui & regnet; cùm idem ipse de se utrumque testatus sit, & commendans spiritum, & exspirans? Quòd si idem commendans spiritum atque tradens, & regnans moritur & mortuus regnat; habemus in sacramento filii hominis & filii Dei, & mori regnantem, & regnare morientem.

Epilogus.

63. Absistat itaque omnis irreligiosa & divini sacramenti incapax infidelitas: quæ nescit Christum non sibi flere, sed nobis, ut assumti hominis veritatem ipse quoque affectus humanæ consuetudinis susceptus protestaretur: quæ ignorat Christum non sibi mori, sed vitæ nostræ, ut per immortalis Dei mortem, mortalium vita renovetur: quæ non intelligit querelam derelicti, & regnantis confidentiam; ut quòd Deus regnat, & quòd se mori queritur, sit [e] in intelligentia nostra, & homo mortuus, & Deus regnans. Non enim alius est moriens & regnans, neque alius est commendans spiritum & exspirans, neque alius est sepultus & resurgens, neque non unus est descendens & adscendens.

Confer. Ambros. lib. 10. in Luc. n. 56.

Christus indivisus.

64. Audi in hoc apostolicæ doctrinæ eruditam non carnis sensu, sed dono Spiritûs fidem, cùm Græcis sapientiam & Judæis signa poscentibus loquitur: *Nos autem prædicamus Christum Jesum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Jesum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Numquid divisus est Christus, ut alius sit Jesus crucifixus, alius Christus virtus & sapientia Dei? Sed hoc & scandalum Judæis, & stultitia gentibus est: nobis verò Christus Jesus Dei virtus, Deique sapientia; sed sapientia non mundo cognita, nec intellecta prudentibus sæculi. Et quàm non intellecta sit, disce eodem beato Apostolo dicente, *Sed loquimur Dei sapientiam, quæ in sacramento absconsa est, quam præfinivit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam* [f] *nemo ex principibus hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Anne Apostolus ignorat, hanc Dei sapientiam in sacramento esse absconsam, & esse principibus sæculi ignorabilem? Anne dividit Christum, ut alius sit Dominus majestatis, alius Jesus crucifixus? Sed stultissimæ huic atque impiissimæ opinioni contradicit, dicens, *Non enim judicavi me quidquam scire in vobis, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum.*

1. Cor. 1. 23. & 24.

Hoc fugit sæculi prudentes. 1. Cor. 2. 7. & 8.

Ibid. 2.

65. Aliud Apostolus nescit, neque aliud scire se judicat: nos autem & infirmis ingenii, & infirmioris fidei, Christum Jesum scindimus, dividimus, duplicamus, arbitri mysteriorum & occulti sacramenti calumniatores. Alius enim nobis est Christus crucifixus, alius Dei sapientia; alius sepultus, alius descendens; [g] & alius filius hominis, alius filius Dei. Non intelligentes docemus, & nescientes arguimus,

Contra Christi divisores; quæ in eo videntur opposita conciliantur.

[a] Apud Bad. & Er. *an corpus animam:* inepta repetitio. Lipsius deinde ex Erasmi margine reponens *an Deus corporis*, omisit *animam*, nec apud Par. restitutum est. Hîc & num. 55. non simpliciter *animam*, sed cum adjuncto *corporis* ponit Hilarius, quò absurdam caveat opinionem, quam notat num. 57. ne videl. Verbi anima putetur. Tum in vulgatis ac plerisque mss. *Nam spiritum.* Magis placet cum Corb. & Remig. *Nam spiritu.* Cùm spiritum Christi divinitatem illius soleat Hilarius intelligere, si Verbum à corpore mortuo separatum sensisset, traditionem spiritûs facilè interpretatus esset divinitatis discessionem. Sed opinionis hujus suspicioni locum nullum permittunt jam dicta, ac proximè dicenda. Eodem modo Athanasius lib. de Incarn. Christi pag. 630. traditionem spiritûs de animæ discessione exponit: ac deinde sententiam, quam Hilario quidam non satis prudenter affingunt, explodit: *adeo ut exspirationem nemo dixerit deitatis traductionem transmigrationemve, sed animæ discessum esse. Nam si post emigrationem deitatis mors supervenit, . . . propriam nimirum mortem obivit, non nostrâ perfunctus est.*

[b] Corrumpendum ut & dissolvendum dicit, quia mox vitâ cariturum. Porro sanctum Domini corruptionem non visurum esse adstruit suprà n. 12.

[c] Par. cum antiquo codice Colb. *unum enim.*

[d] Ita plures mss. Nonnulli cum editis, *habes conquerentem.*

[e] Particula *in* ex mss. huc revocatur.

[f] Carnut. codex, *nemo principum:* & mox *Dominum majestatis*, non *gloriæ*.

[g] Unus ms. Colb. & alter Sorbon. hîc addunt, *& alius adscendens.* Tres Vatic. ac plerique recentiores præ se ferunt, *alius ad inferna descendens.* Abest *ad inferna* à vetustioribus, quamvis hîc de Christi ad inferos descensu sermo sit. Hæreticos, de quibus hîc disseritur, *tripertientes Christum* suprà cognominare licuit maximè respectu mortis Christi; quando nimirum carnem in sepulcro, in inferno animam, Verbum in paradiso collocabant.

&

& dicta Dei homines emendamus : & non dignamur secundùm Apostolum ita credere : [a] *Quis criminabitur electos Dei ? Deus est qui justificat : quis est qui condemnat ? Christus qui mortuus est , immo etiam qui resurrexit , qui est in dextera Dei , qui & postulat pro nobis.* Anne alius pro nobis postulat, quàm qui in dextera Dei est ? vel qui dextera in Dei est, non ipse est qui resurrexit? vel qui resurrexit, non idem mortuus est? vel qui mortuus est, non idem condemnat? vel qui condemnat, non idem est qui justificat Deus? Separemus ergo, si licet, à justificante Deo condemnantem Christum, à condemnante Christo mortuum Christum, à mortuo Christo Christum in dextris sedentem, orantemque pro nobis. Si itaque hæc omnia Christus unus est ; neque alius est Christus mortuus, alius sepultus ; aut alius descendens ad inferna, & alius adscendens in cælos, secundùm illud Apostoli, *Adscendit autem quid est, nisi qui descendit in inferiora terræ? Qui descendit, ipse est & qui adscendit super omnes cælos, ut adimpleat omnia :* quò usque impietatis nostræ extendimus stultiloquam ignorationem, ut quod in sacramento Dei absconsum est, id explicari à nobis posse profiteamur? *Qui descendit, ipse est & qui adscendit.* Numquid ambigitur, quin Jesus Christus homo ex mortuis resurgens, super omnes cælos adscendens, à dextris Dei sit? Numquid descendisse ad inferos corpus, quod in sepulcro jacuit, [b] dicetur? Si itaque qui descendit, ipse est & qui adscendit, & neque corpus descendisse ad inferos creditur, & resurgens ex mortuis corpus adscendisse in cælos non ambigitur : quæ hîc præter * occulti sacramenti, & incogniti mundo ac principibus sæculi fides relicta est, ut cùm unus atque idem sit descendens & adscendens, unus quoque nobis Jesus Christus sit, & Dei filius, & hominis filius, & Verbum Deus, & homo caro, & passus, & mortuus, & sepultus, & resurgens, & in cælos receptus, & sedens ad dexteram Dei : habens in se uno eodemque, per dispensationem atque naturam, in Dei forma & in forma servi, sine aliqua [c] sui & partitione quòd homo est, & divisione quòd Deus est?

Rom. 8. 33. & 34.

Ephes. 4. 9. & 10.

* supple, quàm.

66. Incautæ igitur atque ignorantis opinionis nostræ fidem Apostolus formans, ita confessionis hujus sacramentum locutus est: *Nam etsi crucifixus est [d] ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Prædicans enim filium hominis Dei filium, qui cùm ex dispensatione homo esset, maneret tamen ex natura Deus ; eumdem ex infirmitate crucifixum ait, qui ex virtute Dei viveret: ut cùm infirmitas esset ex forma servi, & natura maneret ex Dei forma, & qui cùm esset in forma Dei, assumsisset formam servi ; non ambiguum esset, in quo sacramento & passus esset, & viveret: ut cùm in eodem esset, & infirmitas ad passionem, & ad vitam Dei virtus ; non alius ac divisus [e] à se esset, qui & pateretur, & viveret.

In uno Christo ut homine infirmitas, ut Deo virtus.

1. Cor. 13. 4.

67. Passus quidem est unigenitus Deus quæ homines pati possunt : sed utamur Apostoli fide atque dicto, *Tradidi enim vobis in primis, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit die tertio secundùm Scripturas.* Non nudis usus est ad erroris occasionem dictorum definitionibus, sed mortis & resurrectionis modum, non tantum rerum nominibus, quantum & Scripturarum virtutibus admonens confitendum: ut hæc nostra esset in ejus morte intelligentia, quæ esset in significatione Scripturarum. Infirmas enim cogitationes, & scrupulosas fidei calumnias non relinquens, finem hunc tantùm *secundùm Scripturas* prædicandæ mortis & resurrectionis adjecit : ne inanium disputationum vento circumacti, vel fallacium quæstionum ineptis argutiis impediti infirmaremur : sed in hunc se semper religionis suæ portum fides illæsa revocaret, ut mortem & resurrectionem hominis filii & Dei filii Jesu Christi *secundùm Scripturas* crederet & confiteretur ; piâ adversùs calumniam resistendi securitate propositâ, cùm ita [f] mori ac resurgere Christus Jesus intelligendus esset, qualiter scriptus est. NON ENIM HABET FIDES PERICULUM: & omnis pia professio in occulto [g] sacramento Dei tuta est. Natus ex Virgine Christus est : sed *secundùm Scripturas* conceptus de Spiritu sancto est. Flevit Christus : sed *secundùm Scripturas* ; ut in eo quod flevit, [h] gratulatus sit. Et esurivit Christus : sed *secundùm Scripturas* sine cibo in non habentem fructus arborem Deus operatus est. Passus Christus est : sed *secundùm Scripturas* tunc à dextris Virtutis sessurus est. Derelinqui se ad mortem questus est : sed *secundùm Scripturas* tunc confessorem suum secum in regno paradisi recepit. Mortuus est : sed *secundùm Scripturas* resurgens à dextris Domini Dominus assedit. In hujus igitur sacramenti fide vita est: [i] calumniam confessio ista non recipit.

Mysteriorum Christi capiendorum regula.

1. Cor. 15. 3. & 4.

[a] In ms. Carn. *Quis, inquit, accusabit adversùs electos Dei : & mox, interpellat,* loco verbi *postulat.*

[b] Idem codex *potuit*, non *dicetur.* Eadem ratione ab Athanasio epist. ad Epictetum refelluntur, qui Verbum cum carne confundebant.

[c] Vat. bas. ms. & alius Vatic. cum Martin. *sui portione.* Remig. *sui & partione.* Unus Colb. cum Sorbon *sui excerptione.* Opportunus hîc locus est fragmenti, quod sancti Hilarii nomine *in explicatione epistolæ ad Timotheum* laudat Concilium Spalense II. c. 12. Eræ 657. *Nam & cùm dicit Scriptura, Homo Christus; & cùm dicit, Christus mortuus est ; & cùm dicit, Verbum caro factum est : non est spoliandus per fraudulentiam legentis expositionibus suis sermo. Nam ubi homo Christus est, præcedit, Mediator Dei atque hominum : ut ex utroque, Deo & homine, unus subsistat ; sitque inter hominem & Deum medius, confessione in se utriusque naturæ. Ubi verò (ait,) Christus mortuus est, subjicitur, Qui resurrexit, qui est in dextera Dei. In morte ejus carnis nostræ infirmitas est, in resurrectione virtus ejus, in consessu Dei dignitas.* Hinc porro non obscurè apparet veritas fragmenti hujus : ex quo vicissim illustratur atque roboratur argumentum, de quo modò disseritur.

[d] In pluribus mss. *ex infirmitate nostra*, quomodo in priùs vulgatis legebatur suprà lib. 9. n. 13. Utrobique abest *nostra* à potioribus mss. ut à græco.

[e] Deest *à se* in vetustiore ms. Colb.

[f] Martin. ms. *moriens ac resurgens :* & postea cum Vat. bas. uno Colb. & Sorbon. *qualiter scriptum est :* ubi vetustior Colb. ac plures alii habent, *qualis scriptus est.*

[g] Editi, *in occulto sacramenti :* renitentibus mss.

[h] Lips. & Par. cum ms. Martin. & uno Vatic. *glorificatus sit :* cui lectioni favent verba num. 56. Magis tamen placet cum Bad. Er. ac plerisque mss. *gratulatus sit :* quod confirmat illud num. 24. *Sciat nec mortem Lazari flere, quam gaudeat.* Et major quædam est fletum inter & gratulationem oppositio.

[i] Solus codex Vat. bas. *contumeliam.*

Fidei commendatio. 68. Certè Apostolus non relinquit, ut ambigi dicique liceat: Christus natus, passus, mortuus, resurgens quo modo, qua virtute, qua divisione, quibus partibus? quis lacrymans est, quis gaudens, quis conquerens, quis descendens, quis adscendens? Sed fidei in hoc meritum per confessionem incunctantis Rom. 10. 6. &c. tantùm religionis ostendens, ait, *Ex fide autem justitia sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis adscendit in cælum? hoc est Christum deducere. Vel quis descendit in abyssum? hoc est Christum à mortuis reducere.* B *Sed quid dicit Scriptura?* [a] *Juxtà est verbum tuum in ore tuo & in corde tuo, hoc est, verbum fidei quod prædicamus: quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus Jesus est, & credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvaberis.* Justum fides consummat, secundùm Gen. 15. 6. Rom. 4. 3. quod dictum est, *Credidit Abraham Deo, & deputatum est ei ad justitiam.* Numquid Abraham calumniatus est Deo, cùm ei hereditatem gentium, & secundùm stellarum atque arenæ C multitudinem mansuræ ex se sobolis numerositatem pollicebatur? De omnipotentia enim Dei FIDES RELIGIOSA non ambigens, humanæ infirmitatis non est detenta naturis; sed id quod in se erat caducum terrenumque despiciens, divinæ sponsionis fidem ultra modum corporeæ constitutionis excepit: quia nequaquam Dei virtutes lex possit humana moderari, tantum in efficiendo [b] liberalitatis Deo promente, quantum in spondendo osten- D deret voluntatis. NIHIL igitur JUSTIUS FIDE est: quia cùm æquitas atque moderatio terrenorum actuum sit probabilis, nihil tamen justius homini sit, quàm omnipotentiam Dei [c] indefinitæ potestatis intelligentiâ credidisse.

Descensus & adscensus Christi fides exigitur. 69. Hanc itaque in nobis, quæ ex fide est, justitiam Apostolus exspectans, incertæ atque infidæ ambiguitatis irreligiositatem removit, vetans curam sollicitæ in cor cogitationis admitti, dicti etiam prophetici [d] auctoritate E monstrata. Ait enim, Deut. 30. 12. *Ne dixeris in corde tuo, quis adscendit in cælum?* Hæc à Propheta ita dicta, subjectæ sententiæ absolutione prosequitur, dicens, *hoc est Christum deducere.* Non enim se in * cælestem scientiam humanæ mentis sensus extendit: sed neque de divinis operibus religiosa fides ambigit. Non eguit Christus humanæ virtutis auxilio, ut ex illa beatitudinis suæ [e] sede adscendentis cujusquam in cælum ope deduceretur in corpus: non exte- F rior potestas eum egit ad terras. Credendus est venisse qualis & venit: & vera pietas est, Christum non deductum, sed descendentem confiteri. Sacramentum suum est, & in tempo- A re, & in opere. Neque quia modò venit, deductus per alterum esse credendus est: nec temporalis ejus adventus potestati deducentis subditus intelligendus est. Sed ne alterius quidem ambiguitatis infidelitas finitur. Nam continuò ex dicto prophetico subditur, Rom. 10. 7. Deut. 30. 13. *Vel quis descendit in abyssum?* Ac mox dicti ratio subjecta est, *hoc est Christum à mortuis reducere.* Libertas redeundi in cælum, ex descendendi in terram libertate est. Ambigendi autem sublata cunctatio est: B [f] SCIENTIA IN FIDE est, ratio in virtute est, effectus in rebus est, causa in potestate est.

Cordis simul & oris debet esse fides. 70. Sed non nutante ad id opus est conscientiâ. Apostolus enim totum Scripturæ mysterium exsequens, ait, Rom. 10. 8. Deut. 30. 14. *Juxtà est verbum tuum in ore tuo & in corde tuo.* Non tardo opus est petitoque longè verbo confessionis, nec intervallo aliquo inter cor atque os relicto, ut quod ad protestationem religionis loquendum sit, per infidelem ambiguitatem cogitetur. Sed & juxta C nos esse oportet, & in nobis: ne aliquâ [g] inter regionem cordis atque oris morâ, fides fortè nostra non ita in sensu sit, ut in verbis; sed connexa ori atque cordi, incunctantem habeat & sentiendi & loquendi religionem. Et hujus quidem dicti prophetici, ut in ceteris, rationem Apostolus subjecit: Rom. 10. 9. &c. *hoc est verbum fidei quod prædicamus: quia si confessus fueris in ore tuo quia Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvaberis.* [h] Pie- D tas est non ambigere, & justitia est credere, & salus est confiteri. Brevis & facilis ad salutem via, fides. Non in incerta diffluere, neque ad stultiloquia effervere, neque ratione aliqua virtutes Dei ventilare, neque modo circumscribere potestatem, neque causas [i] investigabilium sacramentorum retractare, Dominum Jesum confiteri, & à Deo suscitatum à mortuis credere salus est. Quæ verò insania est, qualis & cujusmodi sit [k] Jesus calumniari: cùm salus sola sit, hoc solum scire, quòd Do- E minus sit? Tum porro qui humanæ inanitatis error est, de resurrectione ejus lites movere: cùm sufficiat ad vitam, quòd à Deo suscitatus sit credidisse? In simplicitate itaque fides est, in fide justitia est, in confessione pietas est. NON PER DIFFICILES nos Deus ad ad beatam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere sollicitat. In absoluto nobis ac facili est æternitas, Jesum & suscitatum à mortuis per Deum credere, & F ipsum esse Dominum confiteri. Nemo itaque ea, quæ ob ignorationem nostram dicta sunt, ad occasionem irreligiositatis usurpet. Cognoscendus enim Jesus Christus mortuus erat, ut in eo viveremus.

[a] In aliquot mss. hîc & infrà, *juxta te est verbum tuum.* Ex græco, ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν ἐν τῷ στόματι, vertere licet *juxta te*, si modò omittatur *tuum* post *verbum.*

[b] Sic præstantior codex Colb. cum aliquot aliis. Ceteri verò, *libertatis.* Tum in omnibus fere mss. *Deo promta*, vel *promte*, non *promente.*

[c] Antiquior ms. Colb. cum Remig. à 1ª. manu, *infinita.* Martin. *indefinita.* Lectionem nostram confirmant postrema num. 48. lib. 8. verba.

[d] Nonnulli mss. cum vulgatis, *ratione monstrata*: corriguntur ex veterrimis Vat. bas. Colb. Martin. &c.

[e] In vulgatis, *sede descendens cujusquam è cælo ope deduceretur.* Cum allatis Apostoli verbis magis convenit lectio, quam exhibemus è mss. in quorum nonnullis *duceretur*, non *deduceretur.*

[f] Sic mss. Editi verò *sapientia.* Scientiam nostram docet esse sitam in fide, cujus ratio ac fundamentum sit Dei virtus, rebus se prodens & effectis, quorum causa sola esse possit omnipotentia.

[g] In priùs excusis & aliquot mss. *inter religionem.* Præferimus cum Colb. Corb. Remig. Martin. Pratell. ac pluribus aliis *inter regionem*; præsertim cùm de verbi situ sermo sit, ac de Deo jam legerimus lib. 2. num. 6. *Ita regionem intelligentiæ excedit.*

[h] Lips. & Par. post Erasmum hîc subjiciunt, *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: nulla auctoritate veterum librorum.

[i] Sic cum Er. ms. Colb. At ceteri cum Bad. *investigabilium.*

[k] Editi, *Iesum*: corriguntur ex mss.

Fidei nostræ eruditio est quæ Christi videtur infirmitas.

Marc. 15. 34. Luc. 23. 46. Joh. 11. 41. & 42.

71. Si itaque ad intelligentiam mortis suæ ait, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* &, *Pater commendo in manus tuas spiritum meum:* numquid confessioni nostræ consulens, infirmum se esse potiùs confessus est, quàm nos ambiguos non reliquit? Excitaturus namque Lazarum orat ad Patrem: numquid prece eguit dicens, *Pater, gratias ago tibi quia exaudisti me: & ego sciebam quia semper me exaudis, sed propter turbam* [a] *dixi, ut credant quia tu me misisti?* Nobis itaque oravit, ne filius ignoraretur: & cùm sibi non proficeret deprecationis sermo, ad profectum tamen nostræ fidei loquebatur. Non inops ergo tum auxilii est: sed nos sumus inopes doctrinæ. Clarificari se quoque deprecatur, ac mox de cælo vox Dei patris clarificantis auditur. Sed ad auditæ vocis admirationem ait, *Non propter me venit vox ista, sed propter vos.* (*Joh. 12. 30.*) Nobis Pater rogatur, nobis Pater loquitur: totum ad effectum fit nostræ confessionis. Et cùm clarificationis responsio non obsecrationi claritatis sit impensa, sed ignorationi audientium; quomodo querela passionis, in summa exsultatione patiendi, non confessionis nostræ eruditioni præstita intelligetur? Christus pro persequentibus rogat, quia quod agunt nesciunt. (*Luca 23. 34.*) Christus de cruce paradisum promittit, quia Deus regnet. (*Ibid. 43.*) Christus in cruce consummasse omnia aceti poculo gratulatur, quia moriturus impleverit prophetiam. (*Joh. 19. 30.*) Nobis natus est, nobis passus est, nobis mortuus est, nobis resurrexit. Et cùm nobis hæc sola sit proprietas ad salutem, ut Dei filium confiteamur ex mortuis; cur rogo in hac irreligiositate [b] moriamur, ut cùm Christus intra fiduciam divinitatis suæ manens, mori se per significationem assumti hominis cum securitate morientis ostenderit, hoc maximè ad abnegandum eum Deum proficiat, quòd se nobis Dei filius & hominis filium est professus & mortuum?

[a] Martin. ms. *propter turbam circumstantem dixi, ut credant me, quia* &c.

[b] In vulgatis, *moramur.* Rectiùs in mss. *moriamur:* quasi diceret, Si salus est Dei filium ex mortuis excitatum confiteri, mors est non confiteri: cur ergo moriamur &c. Cùm totus hic liber in eos sit, qui Christum infirmum probare volunt, ut eum verum Dei filium negent; perspicuum est quod jam præmonuimus, non in illo confligi cum Apollinaristis, sed cum Arianis: quorum principia mutuatus sit Apollinarius ad explicandum Incarnationis mysterium, non ad debellandam Christi divinitatem.

LIBER UNDECIMUS.

In cujus exordio Hilarius exponit, fidem apud Arianos unam non esse; & cùm Christus verus Deus ac Dei filius ignorari jam non possit, eum tamen creatum, & nomine tenus Deum ab illis defendi, dum dispensationem assumti corporis rapiunt ad contumeliam divinitatis. *Objecta deinde diluit ex iis petita verbis, quæ in Christum post resurrectionis gloriam conveniunt. Quod enim tum ait,* Adscendo ad patrem meum & ad patrem vestrum, ad Deum meum *&c. ipsum ostendit dixisse de ea natura, qua fratres habet; sicut de ea, qua participes illi sunt, dixit Propheta,* Unxit te, Deus, Deus tuus præ participibus tuis. *Deinceps Apostoli verba explicat, ex quibus probare se putant, Christum ut servum Patri subjiciendum, eumque regni sui cessurum esse potestate, ac naturæ abolitionem passurum: cùm apud Apostolum finis perfectionem & indemutabilem statum sonet, non abolitionem; nec regni traditio Filio magis adimat regnandi potestatem, quàm Patri eripitur proprietas eorum quæ Filio tradidit; ac demum subjectio dispensationis sit, non servitutis. Tum subjectionis illius modum ac causas exponit, eamque non Deo, cui nihil deest, nihil accedit, non Filio unigenito, qui æquè indemutabilis est, sed nobis unis proficere declarat. Non est silendum quod Hieronymus, ab Amando presbytero rogatus quid apud Paulum sibi velit illud,* Oportet enim eum regnare donec ponat omnes inimicos suos *&c. rescribit epist. 147.* Miror te hoc à me quærere voluisse, cùm sanctus Hilarius Pictavensis episcopus undecimum librum contra Arianos hac quæstione & solutione compleverit.

Una ut Domini ita & Dei unius est fides.

Ephes. 4. 4. &c.

1. TOTUM atque absolutum fidei evangelicæ sacramentum multifariè Apostolus tractans, hæc quoque inter cetera divinæ cognitionis præcepta ad Ephesios est locutus: *Sicut & vos vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium,* [c] *& per omnes & in omnibus nobis.* Non enim ambiguis nos & erraticis indefinitæ doctrinæ studiis dereliquit, vel incertis opinionibus ingenia humana [d] permisit, statutis per se & oppositis obicibus libertatem intelligentiæ voluntatisque concludens: ut sapere nos, nisi ad id tantùm quod prædicatum à se fuerat, non si-

[c] Removimus hinc, quomodo & lib. 8. n. 34. *qui est super omnes;* cùm ea verba non exstent nisi in uno recentiore ms. Colb.

[d] In ms. Vat. bas. *commisit.* Mox apud Lips. & Par. *in libertatem*, perperam addito *in.*

neret, cùm per definitam fidei indemutabilis constitutionem credi aliter atque aliter non liceret. Unum itaque nobis Dominum prædicans, unam fidem memorat; deinde unius Domini unam fidem memorans, unum etiam baptisma demonstrat: ut cùm unius Domini una fides esset, unius per hoc fidei [a] in Dominum unum, unum esset & baptisma. Et quia sacramentum omne & baptismi & fidei, ut in uno Domino, ita & in Deo uno est; consummationem spei nostræ unius Dei professione conclusit: ut unum baptisma & fides una sicut unius Domini, ita & Dei esset unius. Unus enim uterque est, non unione, sed proprietate: dum & unicuique proprium est ut unus sit, vel Patri esse quòd pater est, vel Filio esse quòd filius est; & id, quòd uterque in proprietate sua unus est, sacramentum unitatis ad utrumque est: quia & unus Dominus Christus Deo patri non potest auferre quòd Dominus est, & unus Deus pater uni Domino Christo non intelligitur negare quòd Deus est: cùm si per id, quòd Deus unus est, non & Christo proprium esse videtur ut Deus sit; necesse est per id, quòd unus Dominus Christus est, non & Deo [b] debitum esse intelligatur ut Dominus sit; si id, quòd unus est, [c] non sacramenti sit significatio, sed unionis exceptio. Unius itaque Domini, sicut unius Dei patris, & unum baptisma & fides una est.

Pater & Filius unus Deus.

Fides una non est de Christo diffidentibus.

2. Fides autem una jam non est, si non unum Dominum & unum Deum patrem in conscientiæ professione retinebit. Unum verò Dominum & unum Deum patrem quomodo fides quæ non una est confitetur? Una autem in tanta prædicationum diversitate jam non erit, si alius Dominum Jesum Christum, penetrante palmas clavo, infirmitatis nostræ credet dolore gemuisse, & egentem naturæ suæ potestatisque virtute, imminentis jam sibi mortis timuisse [d] terrore: si etiam id, quod principale est, natum negabit, & creatum potiùs prædicabit: si Deum dicet magis, quàm intelliget; quia & [e] deos dici religiosum est, & Deum intelligi divinæ naturæ conscientia est. Jam ergo non unus est Dominus Christus, [f] si alii ut Deus non dolet, alii ut infirmus timet; alii sit ex natura, alii ex cognomine Deus; & alii ex generatione, alii ex appellatione sit filius. Et per id neque Deus pater unus in fide est, si aliis potestate, aliis generatione pater creditur, quia [g] & universorum pater Deus sit. Jam porro quis ambiget extra fidem esse, quidquid extra fidem unam est? quia in fide una & unus Dominus Christus, & Deus pater unus sit. Unus autem Dominus Christus non nomine, sed fide, [h] unus est filius: sed si Deus sit, si indemutabilis sit, si non aliquando defuerit vel Deus esse vel filius. Qui igitur aliter Christum quàm est prædicabit, [i] id est, nec filium nec Deum esse; alium Christum prædicabit. Sed [k] nec in unius baptismi fide unâ est: quia secundùm Apostolicam doctrinam ejus unius baptismi fides una est, cujus unus Dominus & Dei sit filius Christus, & Deus sit.

Christus negari jam nequit: cu…

3. Non enim negari jam Christus quin Christus sit potest, neque mundo ignorabilis effici. Hunc prophetiæ volumina consignant, hunc temporum quotidie proficiens plenitudo testatur, hunc Apostolorum & Martyrum per virtutum operationes loquuntur sepulcra, hunc potestas nominis sui probat, hunc immundi spiritus [l] confitentur, hunc punitorum dæmonum resonant mugitus. Sed in his omnibus virtutis suæ dispensatio est. Ceterùm fide nostra talis, qualis est, prædicandus est; ut non nomine, sed confessione, in unius baptismi fide una, unus nobis Dominus sit: quia secundùm unum Dominum Christum, unus Deus pater est.

Prædicandus est qualis fide creditur.

Ariani alium Christum, ut alium Patrem prædicant.

4. Sed nunc hi novi Christi prædicatores, cuncta negando quæ Christi sunt, alium Dominum Christum, sicuti alium Deum patrem prædicant: quia neque hic genuerit, sed creaverit; neque ille natus sit, sed creatus sit. & per id extra veritatem Deus Christus sit, cui non sit ex nativitate quòd Deus est; & extra fidei conscientiam Deus pater sit, cui non sit

[a] Sic mss. elegantiùs quàm vulgati, *in Domino unum esset & baptisma.*

[b] Apud Bad. Er. & in ms. Vat. bas. *demtum:* quod præfixâ particulâ negante admitti nequit. Proximè antè in vulgatis, *Deo patri.* Abest *patri* à mss.

[c] id est, non sit significatio proprietatis quæ nulli alteri communicari possit, sed unionis quæ singularitatem inducat. Quòd autem *sacramenti* vocabulo personarum proprietas significetur, liquet vel ex hoc lib. 9. n. 31. *Auctorem nativitatis esse sacramentum paternum est.*

[d] Sic mss. At editi, *terrorem.*

[e] Bad. & Er. *duos dici.* Tum cum reliquis edit. ac pluribus mss. *irreligiosum est.* Exinde Er. Lips. & Par. *& Deum non intelligi:* cùm absit *non* à Bad. & mss. Antea quoque prætulimus *religiosum est* auctoritate mss. Colb. Carn. ac Germ. Hoc quippe sibi vult: Si Christum nomine tenus dicet potiùs, quàm in veritate intelliget Deum; nil magnum ei præstabit, uti declaratur lib. contra Auxent n. 10. quia fides ac religio patitur plures dici deos; ut enim Damasi epistola apud Theodoret. lib. 5. hist. eccl. c. 11. habet, *nomen deorum & Angelis & omnibus sanctis à Deo donatum est.* Sed conscientia atque insita nobis divinæ naturæ notitia non sinit, ut Deus essentiâ & veritate intelligatur nisi unus.

[f] Editi, *si aliud Deus non dolet, aliud infirmus* &c. emendantur ex mss.

[g] Hæc ratio non ad proximum, sed ad superius membrum pertinet: ut cùm Catholici Deum credant esse patrem ob generationem filii, Ariani hoc eum nomine donent ob potestatem qua universa condidit.

[h] Ita duo optimi mss. Colb. cum Germ. & Sorbon. In ceteris autem & apud Bad. *unus est, si filius sit, si Deus sit,* &c. At Er. Lips. & Par. *unus est, tuncque Dominus & Deus semper & filius sit, si Deus sit* &c.

[i] Editi excepto Bad. *idem,* pro *id est:* perversè.

[k] In vulgatis, *nec unius baptismi fides una.* Rectiùs in mss. *nec in unius baptismi fide una est,* supple, qui Christum aliter prædicabit.

[l] Sic mss. At editi, *profitentur.* Quæ coram Reliquiis SS. Gervasii & Protasii dæmonum confessio fuerit, testificatur Ambrosius epist. nunc 22. ubi cùm dixisset num. 16. *Et nunc audistis clamantes dæmones, & confitentes Martyribus quòd pœnas ferre non possint;* adjicit num. 21. *Audivimus hodie dicentes eos, quibus manus imponebatur, neminem posse esse salvum, nisi qui in Patrem & Filium & Spiritum-sanctum credidisset &c. Dicit diabolus, Sic torqueatur, quemadmodum ipse à Martyribus torquebatur, qui negat Spiritus-sancti divinitatem.* Ex hoc Hilarii loco alioque non minùs luculento libri in Constant. n. 8. convincitur Sculterus adversùs Bellarminum perperam excandescere, quòd ille pium Doctorem nostrum cultûs Sanctorum testem ac patronum adhibuerit. Ex utroque enim liquet, sacras Apostolorum ac Martyrum Reliquias non modò fidelium cultu, sed crebris à Deo miraculis fuisse honoratas. Sed quod Ambrosius epist. 22. relatis dæmonum tormentis & confessione coram Reliquiis SS. Gervasii & Protasii, contra Arianorum pertinaciam ait n. 22. *Non accipio à diabolo testimonium, sed confessionem. Invitus dixit diabolus, sed exactus & tortus. Cedit diabolus plagis, & adhuc cedere nesciunt Ariani;* facile est in Sculterum ejusque imitatores contorquere.

Patrem subdolè extollunt.

in generatione quòd pater est. Laudantes A quidem meritò ita, ut dignum est, Deum patrem, naturæ scilicet eum esse inaccessæ, inconspicabilis, inviolabilis, inenarrabilis, infinitæ, providæ, potentis, benignæ, mobilis, transcurrentis, manentis intrà extráque, & omnia in omnibus sentientis: sed cùm adjiciunt ad supereminentiam laudis, solum bonum, solum potentem, solum immortalem; quis non hanc religionem laudationis intelligat eò tendere, ut Dominus Jesus Christus B extra hanc [a] beatitudinem, quæ soli Deo per exceptionem solius defertur ad honorem, manens ipse & mortalis & infirmus & malus sit, dum in his Pater solus est? Et ei idcirco naturalis ex Deo patre nativitas abnegatur, ne per generationem [b] ea in eo quæ naturalis Deo patri beatitudo est maneat; quia nativitas in naturæ ejus sit virtute, [c] quæ genuit.

quò Filium dejiciant.

Filio ut imagini conveniunt omnia quæ Patri.

5. Nec apostolicis, nec evangelicis prædi- C cationibus eruditi, ad impiæ professionis suæ usurpationem magnificentiam Dei patris, non religionis fide, sed arte impietatis extollunt: ut dum incomparabilia omnia esse naturæ ejus edisserunt, degeneris infirmisque naturæ unigenitum Deum per exceptionem comparationis affirment: Deum * viventis Dei vivam imaginem, & beatæ naturæ plenissimam formam, & innascibilis substantiæ unigenitam nativitatem: quæ nisi perfectam paternæ beati- D tudinis [d] habet gloriam, & absolutam naturæ totius refert speciem, non est in imaginis veritate. Si autem innascibilis Dei unigenitus Deus imago est, perfectæ atque absolutæ in eo naturæ veritas inest, per quam efficitur esse eum imaginem veritatis. Potens est Pater: sed si infirmus est Filius, imago jam non est potentis. Bonus est Pater: sed si in diversi generis divinitate Filius est, boni imaginem mali natura non reddit. Incorporeus Pater est: si Filius se- E cundùm Spiritum circumscriptus est corpore, jam incorporei non est forma corporeus. Ineffabilis Pater est: si Filium sermo complectitur, extra imaginem est inenarrabilis natura narrabilis. Verus Deus est Pater: si Filius in Dei falsitate est, jam non est veri imago qui falsus est. Non ex parte imaginem, neque ex portione formam eum Dei Apostolus prædicat: sed imaginem esse eum Dei invisibilis & formam esse eum Dei [e] loquitur. Non potest ex- F pressiùs in filio Dei divinitatis natura ab Apostolo prædicari, [f] quàm ad id, quod invisibile Dei est, invisibilis Dei imago sit Christus: qui utique in substantia [g] conspicabili imaginem naturæ invisibilis non referret.

* supple, inquam.

P. lib. 8. n. 48.

Colos. 1. 15.

Quæ hominis sunt, rapiunt ad injuriam Verbi.

6. Sed ut superioribus libris docuimus, dispensationem assumti corporis rapiunt ad contumeliam divinitatis: & impietatis causas arripiunt de salutis nostræ sacramento. Qui si apostolicæ fidei tenaces essent, intelligerent eum, qui in forma Dei esset, assumsisse formam servi; neque formam servi usurparent [h] ad formæ Dei dehonestatem, cùm forma Dei plenitudinem in se Dei contineret: & quæ essent temporum ac mysteriorum, [i] pia ratione tractarent, ut nec contumeliam divinitas susciperet, nec dispensatio afferret errorem. Sed omnibus, ut existimo, jam à nobis absolutissimè demonstratis, & sub assumti corporis nativitate divinæ naturæ virtute monstrata, non relictus est ambigendi locus, quin omnia unigenitus Deus & homo virtutibus Dei gesserit, & in virtutibus Dei universa hominis veritate perfecerit: habens in se & naturam Dei potentis in gestis, dum natus ex Deo est; & perfecti hominis absolutionem, dum ei est partus ex Virgine: & cum veritate corporis subsistens in natura Dei, & cum Dei natura manens in corporis veritate.

Naturæ duplicis distinctione diluta sunt hactenus objecta.

Quæ supersint; & unde diluenda.

7. Quamquam igitur usque ad ipsam mortis gloriam omnis responsionis nostræ sermo descenderit, & singulis professionis impiæ propositionibus ex evangelicis atque apostolicis doctrinis sit contradictum: tamen quia etiam post resurrectionis gloriam quædam, ad degeneris naturæ infirmitatem demonstrandam, præsumere impii ausi sunt, his ipsis nunc respondendum est. Atque ita, ut in ceteris observatum à nobis est, eorum ipsorum dictorum ratio ex his ipsis dictis afferatur: ut illic veritas reperiatur, ubi negatur. Quæ enim simpliciter & ad eruditionem fidei divinitus dicta sunt, necesse est ita dicta sint, ut ad id quod dicta sunt, non alienorum atque extrinsecùs dictorum confirmentur exemplis.

Infirmum volunt, cui idem ac nobis Deus & pater, cui sit subjectus.

Joh. 20. 17.

8. Inter ceteras enim impietates suas etiam hoc dicto Domini uti hæretici solent: *Adscendo ad patrem meum & ad patrem vestrum, & ad Deum meum & ad Deum vestrum*: ut per id, quòd pater ejus pater eorum est & Deus ejus Deus eorum est, in natura Dei non sit: dum hoc ceteris profitetur Deum patrem esse, quod sibi sit; cessante privilegio in communione & naturæ & nativitatis, per quam & Deus sit natus, & filius sit. Teneant quoque etiam illud Apostoli: *Cùm autem dixerit, omnia subjecta sunt, absque eo qui subjecit ei omnia.* [k] *Cùm autem subjecta*

1. Cor. 15. 26. &c.

[a] Erasmus nescio qua auctoritate hîc addidit, *corporationis*: cujus loco deinde posuit Lipsius, *comparationis*. Neutrum vocabulum exstat in Bad. & mss. neque debet exstare. Beatitudo hîc significatur, quæ sita sit in bonitate, potentia, immortalitate, &c.

[b] Editi, *ea qua in eo naturalis*: tum Bad. & Er. *Deo patre.* Lips. & Par. *de patre.* Melior est lectio, quam revocamus è mss. quorum in nonnullis legere est *Dei patris*, non *Deo patri*: haud alio sensu.

[c] Solus codex Vat. bas. *qui genuit.*

[d] Ita mss. At editi, *habeat formam & .. referat speciem.*

[e] Sola editio Par. *Dei invisibilis.* Respicitur hîc vel celebris locus Phil. 2. 6. *Qui cùm in forma Dei esset*, vel Hebr. 1. 3. ubi *figura substantiæ* Dei Christus prædicatur. Mox in ms. Martin. *nativitatis*, loco *divinitatis.*

[f] Tres probæ notæ mss. *quàm id*, omisso *ad.* Vat. bas. codex, necnon unus Colb. & alter Sorbon. *quàm ad id quod invisibilis est.*

[g] In mss. Vat. bas. Corb. uno Colb. Sorbon. &c. *inconspicabili*: pravè, nisi cum Martin. Colb. & Sorbon. deinde legatur, *aliam quàm naturæ invisibilis imaginem non referret*, in solo Martin. *refert.* Verùm sincerior est lectio, quam retinemus cum antiquiore ms. Colb. necnon Germ. Carn. &c. Hîc repellitur sollemne Arianorum argumentum, quo Filium visum, adeoque visibilem, Patrem verò invisibilem prædicantes, utrumque vel eo nomine dissidentem naturâ divulgabant.

[h] Er. Lips. & Par. *ad formam Dei dehonestandam.* Bad. & mss. renitentibus.

[i] Vetus codex Colb. *piè & ratione.*

[k] Versus, *cùm autem subjecta ei fuerint omnia*, non exstat in mss. nisi in uno Colb. dubiæ fidei.

ei fuerint omnia, tunc ipse subjectus erit ei qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus: ut quia subjectio illa infirmis naturæ contestatio esse existimabitur, non sit in paternæ naturæ virtute, quem naturalis infirmitas, naturæ potioris subjecerit potestati. Sumant autem omnis impietatis suæ hanc tamquam munitissimam & inexpugnabilem defensionem, ad veritatem nativitatis abolendam: ut quia per subjectionem Deus non est; & per communem sibi atque nobis Deum atque patrem in communione sit creaturæ; ipse quoque ex Deo creatio sit potiùs, quàm generatio; quia creatio ex nihilo [a] subsistat, generatio verò naturalem habeat nativitatis auctorem.

Mysterium salutis nostræ sacramentum est pietatis, non offensio divinitatis.

9. Omnis quidem calumnia improba est, quia veritati falsitas, cùm jam effrenato pudore sit, contradicit: sed tamen interdum prætendit aliquod excusationis ambiguæ velamen, ut verecundè in defensione sit, quod impudenter in sensu est. Verùm nunc in his, quæ impiè ad infirmandam Domini nostri divinitatem præsumta sunt, locus verecundiæ vel falsæ excusationis exclusus est: cùm quando ipsâ illâ ignorationis veniâ cessante, sola voluntas irreligiosæ intelligentiæ detegatur. Ut enim paululùm ipsius dicti evangelici differam demonstrationem: anne ignorabilis hæc erat Apostoli prædicatio dicentis, *Et quidem confessione omnium, magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne,* [b] *justificatum est in spiritu, visum est angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumtum est in claritate?* (1. Tim. 3. 16.) Estne adhuc quisquam tam hebetis [c] intelligentiæ, ut dispensationem assumtæ à Domino carnis aliud quàm sacramentum esse pietatis intelligat? Et primùm extra fidem Dei est, quisque extra hanc erit confessionem. Non enim Apostolus ambigit, quin hoc ab universis fatendum sit, mysterium salutis nostræ non esse contumeliam divinitatis, sed magnæ pietatis sacramentum. Non est ergo istud necessitas, sed pietas; nec infirmitas, sed magnæ pietatis sacramentum: & sacramentum non jam [d] in mysterio occultatum, sed in carne manifestatum; neque adhuc per naturam carnis infirmum, sed in spiritu justificatum: ut per justificationem spiritûs abesset à fide nostra carnis infirmitas, & per carnis manifestationem mysterium non esset occultum, & per mysterii ignorabilem causam magnæ pietatis [e] in sacramento esset sola confessio. Atque ita Apostolus fidei totius ordinem tenuit, ut dum pietas est, sacramentum sit; dum sacramentum est, cognitio in carne sit; dum cognitio in carne est, justificatio in spiritu sit; quia sacramentum pietatis, quod manifestatur in carne, ut verè sacramentum sit, per justificationem spiritûs manifestatur in carne. Ac ne illa manifestatio in carne qualis esset [f] justificatio in spiritu ignoraretur; sacramentum, quod manifestatum in carne, & justificatum in spiritu est, & angelis visum est, & gentibus prædicatum est, & in hoc mundo creditum, hoc ipsum assumtum est in claritate: ut in omnibus sit magnæ pietatis sacramentum, dum manifestatur in carne, dum justificatur in spiritu, [g] dum visum est ab angelis, dum prædicatur gentibus, dum creditur in hoc mundo, dum assumitur in claritate. Nam & visum sequitur prædicatio, & prædicationem fides, & omnia consummat claritatis assumtio: quia & magnæ pietatis sacramentum est assumtio claritatis; & per hanc dispensationis fidem, conformes [h] assumi claritatis dominicæ præparamur. Magnæ igitur pietatis sacramentum est carnis assumtio: quia per assumtionem carnis, manifestatio sacramenti in carne est. Sed tamen manifestatio in carne, non aliud quàm magnæ pietatis sacramentum confitendum est: quia manifestatio ejus in carne, & justificatio spiritûs est, & claritatis assumtio. [i] Et qua tandem spe in fide nostra est piæ dispensationis mysterium divinitatis infirmitas; cùm per claritatis assumtionem, magnæ pietatis sacramentum sit confitendum? Et quia jam non est infirmitas, sed sacramentum; nec necessitas, sed pietas: dicti nunc evangelici ratio quærenda est, ne quod salutis nostræ & gloriæ mysterium est, id ad occasionem prædicationis impiæ relinquatur.

Christum creatum & servum esse volunt, quia illi Deus & pater est nobis communis. Joh. 20. 17.

10. Gravis tibi auctoritas est, hæretice, & indissolubilis Domini de se professio, qua ait, *Adscendo ad patrem meum & ad patrem vestrum, & ad Deum meum & ad Deum vestrum*: ut per id, quòd & nobis & illi unus & pater pater est, & Deus Deus est, sit in ea infirmitate qua sumus; dum & per eumdem patrem exæquamur in filios, & per eumdem Deum comparamur in servos: & cùm nos simus & creatio ex origine, & ex natura servi; tamen dum & pater nobis communis & Deus est, sit ei nobiscum & [k] creatio ad naturam communis & servitus. Et hic impiæ prædicationis furor etiam hoc prophetico utitur dicto, *Unxit te, Deus, Deus tuus*: (Psal. 44. 8.) ut non sit in ea naturæ virtute qua Deus est, dum ei ungens se Deus in Deum suum sit antelatus.

Deus illi & pater est, quia natus; & quia natus, ideo Deus.

11. Ignorat Deum Christum, qui ignorat Deum natum. Deum autem nasci non est aliud,

[a] Lips. & Par. *exsistat*. Mox in ms. Martin. *auctoritatem*, non *auctorem*.

[b] Editi, *vivificatum est*, renitentibus mss. necnon subnexis: in quibus vox *spiritus* opponitur carni, & ad Verbi naturam refertur.

[c] In mss. Vat. bas. Martin. & duobus aliis, *intelligentiæ locus*: superfluit *locus*.

[d] Mss. Colb. Germ. & Martin. *jam mysterio*.

[e] Abest *in* ab aliquot mss.

[f] Antiquior codex Colb. *justificatio spiritus*. Martin. *& justificatio* &c.

[g] Post *in spiritu*, subjiciunt mss. *dum assumitur in claritate*, aliis omissis.

[h] In mss. Vat. bas. Colbertino uno, & altero Sorbon. *assumtioni*. In Remig. *assumti*. Prior lectio satis arridebat: sed plenior est ea, quam retinemus.

[i] In prædictis mss. Vat. bas. Colb. ac Sorbon. necnon Martin. *Et qua tandem spes in fide nostra est, si pia dispensationis mysterium divinitatis est infirmitas*: lectio hæc magis est perspicua, adeoque magis suspecta, quàm altera: in qua alius quidam innuitur reconditior sensus, puta, divinitatem infirmatam non fuisse dispensationis mysterio, quo carni præstitum est ut assumeretur in claritatis gloria; eosque ab spe fidelibus promissa cadere, qui aliter credant.

[k] Solus codex Vat. bas. *creatio natura*. In reliquis, *creatio ad naturam* vel *ex natura*. In vulgatis autem, *creatio & natura*.

quàm in ea natura esse qua Deus est: quia nasci cùm [a] causam nativitatis ostendat, non disproficit tamen in genere auctoris exsistere. Quod autem non [b] disproficit in genere, debet quidem auctori causam nativitatis suæ, naturam tamen ex se non amisit auctoris: quia nativitas Dei neque aliunde, neque aliud est. Quæ si aliunde est, nativitas non est; si verò aliud est, non Deus est. Cùm autem ex Deo Deus est; per id quoque Deus pater Deo filio & [c] nativitatis ejus Deus est & naturæ pater: quia B Dei nativitas & ex Deo est, & in ea est generis natura qua Deus est.

Christus verba ita temperavit, ut & naturam se proderet & Deum.

12. Hujus igitur piæ ac debitæ professionis modum ita in omnibus, quæ locutus est, Dominus temperavit, ne divinitati suæ contumeliam confessio nativitatis afferret, ne obsequii religio naturam majestatis offenderet: sed ut & honorem debitum nativitatis profiteretur, quæ [d] subsistere se deberet auctori; & naturæ conscientiam fiducia naturalis ostenderet, quæ C in Deum nascendo subsisteret. Hinc enim illud est, *Qui me vidit, vidit & Patrem*: sed & illud, *Verba quæ loquor, non à me loquor.* Nam dum non à se loquitur, auctori eum necesse est debere quod loquitur: cùm autem se viso Pater videtur, naturæ conscientia est, [e] quæ ad demonstrationem in se Dei, non aliena à Deo in Deum nata substiterit. Vel illud, *Pater quod* [f] *dedit mihi, majus est omnibus*: & rursum, *Ego & Pater unum sumus.* Nam & datio D paterna sumtæ nativitatis professio est: & quòd unum sunt, proprietas ex nativitate naturæ est. Vel illud, *Sed judicium omne dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Nam dum judicium datur, nativitas [g] non tacetur: dum verò exæquatur honor, natura retinetur. Vel illud, *Ego in Patre, & Pater in me*: & rursum, *Pater major me est.* In eo enim, quòd in sese sunt, Dei ex Deo divinitatem cognosce: in eo verò, quòd Pater major est, E confessionem paternæ auctoritatis intellige. Sicut & illud est, *Non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille facit, eadem & Filius facit similiter.* Dum non ab se facit, ad id quod agit

Joh. 14. 9.
Ibid. 10.
Joh. 10. 29.
Ibidem 30.
Joh. 5. 22. & 23.
Joh. 14. 11.
Ibid. 28.
Joh. 5. 19.

A secundùm nativitatem sibi Pater auctor est: & tamen cùm quæcumque facit Pater, eadem & Filius facit similiter, non in aliud aliquid quàm in Deum subsistit, ad facienda omnia, quæ Deus pater faciat, paternæ omnipotentiæ in se subsistente naturâ. Hæc itaque secundùm spiritûs unitatem, & naturæ quæ secundùm [h] nativitatem est proprietatem, ita demonstrata sunt, ut & nativitas Deum substitutionis suæ confiteretur, & substitutio naturæ conscientiam non taceret: profitens sibi patrem Deum Deus filius dum ex eo nascitur; ceterùm ad id quod natus est, totum habens naturale quod Deus est.

13. Dispensatio itaque magni & pii sacramenti, nativitatis divinæ Patrem, insuper etiam conditionis assumtæ [i] Dominum fecit: dum qui in forma Dei erat, repertus est in forma servi. Servus enim non erat, cùm esset secundùm Spiritum [k] Deus Dei filius. Et secundùm commune judicium, ubi non est servus, neque dominus est. Deus quidem & pater nativitatis est unigeniti Dei: sed ad id, quòd servus est, non possumus [l] nonnisi tunc ei dominum deputare, cùm servus est: quia si cùm antè per naturam non erat servus, & postea secundùm naturam esse quod non erat cœpit; non alia dominatûs causa intelligenda est, quàm quæ exstitit servitutis; tunc habens ex naturæ dispensatione dominum, cùm præbuit ex hominis assumtione se servum.

Quem patrem habebat quia natus, cœpit habere Dominũ cùm factus est servus.

14. Manens igitur in forma servi, qui manebat antè in Dei forma, homo Christus Jesus locutus est, [m] *Adscendo ad patrem meum & ad patrem vestrum, & ad Deum meum & ad Deum vestrum.* Si igitur hæc servus, & ad servos locutus est; quomodo professio ista non servi sit, & ad eam magis naturam, quæ non in natura servi sit, transferetur; cùm ei, qui in forma Dei manens formam servi assumsit, quasi servo ad servos communio non nisi ex eo tantùm possit esse, quòd servus est? Pater igitur sibi ita ut hominibus pater est, & Deus sibi ut servis Deus est. Et cùm hæc ad homines servos homo in servi forma Jesus Christus loquatur; non ambigitur, quin pater sibi ut ceteris sit ex ea parte

In forma servi dixit, Adscendo &c
Joh. 20. 17.

[a] In ms. Martin. *causa*: mendosè. Id enim sibi vult, verbum *nasci* relativum esse, eoque patrem simul cum nato significari. Vocabulum quidem *causa* ad æternam Filii generationem explicandam nunc respuit Theologia, ejusque loco mavult *principium*: sed illud probè intellexit Hilarius, sicut & *auctoris* nomen, de quo Augustinus lib. 2. contra Maximin. c. 14. n. 6. *Si propterea Deum patrem Deo filio dicis auctorem, quia ille genuit, genitus est iste; quia iste de illo, non ille de isto: fateor & concedo. Si autem per nomen auctoris minorem vis facere Filium &c. detestabor & respuam.*

[b] Hinc nititur quod in lib. 10. n. 33. juxta Erasmum annotavit Lud. Miræus, *disproficere* idem esse Hilario, quod *degenerare.* Sed si adjunctum *in genere* sustuleris, id sanè per se hoc verbum non sonabit.

[c] Vat. bas. ms. *nativitate Deus est & natura pariter, quia Christi nativitas ex Deo est*: imprudentem secundæ manus operam subolet. Illi tamen suffragatur Martinianus, hoc tantùm ab eo discrepans, quòd habeat *pater*, non *pariter.*

[d] Pro *subsistere se*, hoc est, quòd subsisteret, Er. Lips. & Par. perperam substituerunt *subdere se.*

[e] In ms. Vat. bas. *quia & demonstrationem sui Deus non alienat à Christo in Deo quæ nata substiterit*: antiquo ac manifesto corruptoris ausu. Hîc *quæ ad demonstrationem in se Dei*, id est, quæ ut conspecta Deum demonstraret.

[f] Mss. Colb. Martin. Corb. Germ. Vind. Silv. Prat. *quod dedisti.* At lib. 7. n. 22. cum ceteris consentiunt.

[g] Vat bas ms. *non denegatur.*

[h] Er. Lips. & Par. *nativitatis*: refelluntur vel ex superioribus his, *Quòd unum sunt, proprietas ex nativitate naturæ est.* Mox Lipsius ex sola Erasmi conjectura, pro verbis *substitutionis* & *substitutio*, reposuit *subsistentiæ* & *subsistentia*: quod postea obtinuit. Nonnihil tamen aliud sonat *substitutio*, quàm *subsistentia*; sicut à *substituere* differt *subsistere* in his lib. 8. n. 56. *ut perfectum Deum substituerit perfecta nativitas: ita autem perfecta nativitas subsistat.* Ibi enim *substituerit* perinde est, ac subsistentem effecerit.

[i] Sic ms. Martin. Alii verò libri, *Deum fecit.* Non dispensatio fecit patrem: sed eum, qui ratione generationis æternæ pater erat, assumti hominis Dominum constituit.

[k] Ita mss. Vat. bas. Martin. unus Colb. & alter Sorbon. In aliis, salvo sensu, omittitur verbum *Dei.* At pluris refert præcedens vox *Deus*, quæ in priùs vulgatis deerat.

[l] Sic omnes mss. per Hellenismum. At editi, *non possumus nisi*, sublato *non.*

[m] Ariani, ut ex Augustino lib. 2. cont. Maximin. c. 16. n. 1. discimus, contendebant hæc Christi verba in formam servi convenire non posse. Hæc enim, aiebant, dixit post resurrectionem: atqui tunc forma servi non ampliùs erat, sed prorsus consumta defecerat. Quasi verò, reponit Augustinus, *formam servi resurrectione consumserit, ac non potiùs in melius commutaverit: quasi non forma, quæ occisa est, ipsa revixerit.*

qua homo est, & Deus sibi ut cunctis sit ex ea natura qua servus est.

In ea dixit forma qua nos vocat fratres. Joh. 20. 17.

15. Denique hunc eumdem sermonem hujusmodi professionis cœpit exordio, ita dicens: *Vade autem ad fratres meos, & dices illis, Adscendo ad patrem meum & ad patrem vestrum, & ad Deum meum & ad Deum vestrum.* Et quæro nunc, fratres ei secundùm formam Dei, anne secundùm formam servi esse intelligendi sint: habeatque aliquod ad eum secundùm plenitudinem habitantis in eo divinitatis [a] corporatio nostra consortium, ut in fratres ei ad id quòd Deus est deputemur? Sed non ignorat & propheticus spiritus, unigenito Deo qua ex parte sint fratres: hæc enim non tam homo quàm vermis locutus est, *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Et hæc vermis, vel non ex conceptu communium originum vivens, vel è profundis terræ vivus emergens, ad significationem assumtæ & vivificatæ per se etiam [b] ex inferno carnis, professus est: totoque in psalmo passionis suæ sacramenta prophetico spiritu prælocutus, ex ea necesse est fratres habeat dispensatione, qua passus est. Novit sacramentum in eo fratrum etiam Apostolus, ut primogenitum eum ex mortuis, ita primogenitum in multis fratribus prædicans. Secundùm id ergo est in multis fratribus primogenitus, secundùm quod est primogenitus ex mortuis. Et cùm sacramentum mortis in corpore sit, sacramentum quoque fraternitatis in carne est. Fratres itaque ex carne sunt Deo; quia & Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: ceterùm unigenitus Deus, in unigeniti exceptione, sine fratribus est.

Psal. 21. 23.

Christus quare vermis.

Rom. 8. 29.

Deus & propria & communi ratione Christi est pater.

16. Ipse autem, universitatis nostræ in se continens ex carnis assumtione naturam, erat quod nos sumus, neque amiserat esse quod manserat; habens ex nativitate [c] tunc, & ex constitutione nunc, Deum patrem. Secundùm constitutionem nunc, quia ex patre Deo omnia. Omnibus enim Deus pater est, dum ex eo & in eo omnia sunt. Sed unigenito Deo, quia Verbum caro factum est, non hinc tantùm pater est: pater enim est ad id, quòd in principio apud Deum erat Deus Verbum. Sed cùm Verbum caro factum est; manet & in Verbi Dei nativitate, & in carnis constitutione quòd pater est. Pater enim omnis carnis est Deus; sed non secundùm quod Verbo Deo pater est. Verbum autem Deus, neque Verbum esse desiit, neque caro non fuit. Nam Verbum, quod caro factum est & habitavit in nobis, neque dum habitat non verè Verbum est, neque dum Verbum caro est non verè Deus homo est: quia & habitare, ejus necesse sit esse qui maneat; & carnem fieri, ejus intelligendum sit esse qui nascitur. Et quòd in nobis habitat, nostræ carnis assumtio est: quia [d] per id, quòd in nobis habitat Verbum caro factum, Deus est in nostri corporis veritate. Si igitur naturam detrahit Deo Verbo homo secundùm carnem Christus Jesus, vel non secundùm sacramentum pietatis Deus Verbum homo Christus Jesus est; sit in naturæ contumeliam, quòd ei secundùm nos & Pater pater, & Deus Deus est. Quòd si Deus Verbum homo Christus Jesus Deus Verbum esse non destitit; communio nobis & illi ad patrem & Deum ex ea tantùm est natura, [e] qua frater est: quia *adscendo ad patrem meum & ad patrem vestrum, & ad Deum meum & ad Deum vestrum*, non per id, quòd unigenitus Deus Verbum est, sed per id, quòd Verbum caro factum est, sit fratribus nuntiatum.

17. Non incautis autem neque ad occasionem impietatis incertis significationibus sermo apostolicus loquitur. Ut nunc Evangelista dictum Domini à professione fratrum incipiens, totius dicti professionem ad ejus naturæ consortium docuit, [f] ex qua frater est, pertinere, quia sermo est destinatus ad fratres: ne ad divinitatis contumeliam reputaretur, quod ad sacramentum pietatis prædicabatur; cùm communio ad eum nostra, qua pater nobis & sibi pater est, & Deus nobis & sibi Deus est, secundùm dispensationem carnis exsisteret, fratribus nobis ad eum nativitate corporis deputandis. Nemo igitur ambigit, Deum patrem esse etiam Deum Domini nostri Jesu Christi: sed hæc pia nostra professio non patet ad impietatis occasionem. Deus ejus est: non idcirco, ut diversi ab eo generis Deus sit. Sed quia [g] ex Patre Deus natus est, & ex dispensatione servus est; habeat & [h] patrem, dum ex eo Deus est; & Deum suum, dum ex Virgine caro est. Quod brevi atque absoluto Apostolus sermone consignat, dicens, *Commemorans in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi, pater claritatis, det vobis spiritum sapientiæ & revelationis.* Ubi enim Jesus Christus est, ibi pater Deus ejus est: ubi verò claritas est, ibi pater est. Qui itaque Christo secundùm claritatem pater est, idem Christo secundùm Jesum Deus est. Jesum enim Angelus Christum Dominum, quem Maria esset paritura, cognominat.

Christo ut Verbo qui pater est, ei ut Jesu & servo Deus est. Ephes. 1. 16. & 17.

Matth. 1. 21.

[a] Editi cum pluribus scriptis, *corruptio.* Auctoritate mss. optimæ notæ Martin. Colb. Remig. & Germ. præferimus *corporatio*: quæ vox ex adverso opponitur *spiritus* vocabulo, quo naturam divinam solet Hilarius significare.

[b] Illud *ex inferno*, non ad vocabulum *carnis*, sed ad *per se* referendum est; ut non caro, sed ipse in inferno fuerit. Ut enim legimus lib. 10. n. 65. *Numquid descendisse ad inferos corpus, quod in sepulcro jacuit, dicetur?* Antea voces *per se* non minùs ad verbum *assumtæ* pertinent, quàm ad *vivificatæ*. Ideo enim Christus vermis dicitur, quia caro ipsius propria virtute de virgine concepta, ipso ex inferis emergente propria etiam virtute vivificata est.

[c] Editi, excepto Bad. *tunc patrem tantùm ex constitutione*: tum Er. *nunc Deum & patrem tantùm ex constitutione, nunc Deum, quia ex Deo patre omnia*: Lips. sublatis prioribus verbis retinuit tantùm *nunc Deum quia ex Deo patre omnia*: Par. *nunc Deum secundùm constitutionem, quia ex patre Deo omnia*: valde perturbatè, & confusè. Emendantur ex mss. Vult porro Hilarius, Christum habuisse tunc, scil. ante quàm caro fieret, ex nativitate, quem nunc caro factus ex constitutione carnis habet nova & communi nobiscum ratione Deum patrem. Paulò aliter in ms. Vat. bas. sic legere est, *habens ex nativitate tunc patrem tantùm, ex constitutione nunc Deum & patrem: tantùm ex constitutione nunc Deum, quia* &c. ubi postremum membrum nonnihil pugnat cum præcedente: sicut & primum cum verbis num. 13. ubi jam audivimus unigenito Deo ante carnem esse Deum & patrem nativitatis suæ.

[d] Ita mss. At editi, *per id in nobis*, mox præfixâ particulâ *dum* ante *Deus est*.

[e] Vat. bas. & aliquot alii mss. *qua homo est.*

[f] In vulgatis, *ex quo.* Rectiùs in mss. *ex qua.* scil. natura.

[g] Solus codex Vat. bas. *ex Deo patre.*

[h] Lips. & Par. cum ms. Martin *patrem Deum.* Tum idem ms. aliusque Vat. bas. *dum ex eo toto totus Deus est.* In nonnullis aliis, *dum ex Deo Deus est.*

Ceterùm

Ceterùm Christum Dominum [a] Spiritum prophetia loquitur. Et plerisque [b] secundùm latinitatem obscurius hoc dictum videtur: quia latinitas pronominibus non utitur, quæ græcitas usu honesto & necessario semper usurpat. Ita enim scribitur: ὁ θεὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῆς δόξης. Quod nobiscum, si semper pronominum consuetudo esset, ita pronuntiaretur: *Ille Deus illius Domini nostri Jesu Christi, ille pater illius claritatis.* Per id enim, quòd ille Deus illius Jesu Christi est, & ille pater illius claritatis, quædam secundùm capacitatem sensus nostri intelligentiæ proprietas expressa est: ut Christi ubi claritas est, ibi Deus pater ejus sit; ubi verò Christus Jesus est, ibi pater Deus suus sit; habens Deum suum in dispensatione cùm servus est, & patrem in claritate cùm Deus sit.

De Christo ut homine dictum est, Unxit te &c.

18. Non afferunt autem tempora vel ætates Spiritûs diversitatem, ut non ipse atque idem Christus in corpore sit, qui mansit [c] Spiritu in prophetis. Loquens enim per os sancti patriarchæ David, *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis* [d] *præ participibus tuis*, non secundùm sacramentum aliud, quàm secundùm dispensationem assumti corporis est locutus. [e] Nam qui nunc fratribus mandans, patrem eorum patrem suum & Deum eorum Deum suum esse, tunc quoque unctum se à Deo suo præ participibus suis loquebatur: ut dum unigenito Christo Deo Verbo particeps non est, particeps tamen ei ex ea nosceretur assumtione qua caro est. Unctio enim illa non beatæ illi & incorruptæ & in natura Dei manenti nativitati profecit, sed corporis sacramento & sanctificationi hominis assumti, Petro Apostolo testante, cùm ait, Convenerunt enim [f] in veritate in civitate ista adversùm sanctum tuum filium Jesum quem unxisti. Et rursum, Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam, incipiens à Galilæa post baptismum quod prædicavit Johannes, Jesum Nazaræum, quomodo unxit illum Deus Spiritu-sancto & virtute. Jesus ergo ungitur ad sacramentum carnis [g] regeneratæ. Et quemadmodum spiritu Dei & virtute unctus sit, non ambiguum est, tum cùm adscendente eo de Jordane vox Dei patris audita est, Filius meus es tu, ego hodie genui te: ut per hoc testimonium sanctificatæ in eo carnis, unctio spiritalis virtutis [h] cognosceretur.

Psal. 44. 8.

Act. 4. 27.

Act. 10. 37. & 38.

Psal. 2. 6.

De Verbo idem dictum nequit intelligi.

19. Ceterùm cùm in principio apud Deum erat Deus Verbum, non habet ullam aut causam aut enarrationem [i] naturæ ejus unctio, quæ nihil aliud quàm esse in principio nuntiatur. Neque habuit sanè ungendi se per spiritum & virtutem Dei necessitatem Deus: qui Dei & Spiritus esset & Virtus. Ungitur ergo Deus à Deo suo præ consortibus suis. Et si ante dispensationem carnis plures ex lege sunt Christi; Christus nunc, qui præ participibus ungitur, posterior in tempore est, dum unctis participibus antefertur. Denique ille prophetiæ sermo posteriorem unctionem hanc, quæ in tempore esset, ostendit dicens, *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ consortibus tuis.* Consequens & posterior causa numquam refertur ut prior sit: quia meruisse aliquid, posterius est, quàm esse qui possit mereri. Mereri enim ejus est, qui sibi ipsi meriti acquirendi auctor exsistat. Si igitur nativitati unigeniti Dei unctionem deputabimus, quæ unctio ob meritum dilectæ justitiæ & perosæ iniquitatis indulta sit; provectus potiùs per unctionem unigenitus Deus, quàm genitus intelligetur: jamque per incrementa & profectus Deus consummabitur, qui non natus Deus sit, sed in Deum sit unctus ex merito; & jam per causam erit Deus Christus, & non omnis causa per Deum Christum. Et ubi illud Apostoli erit: *Omnia per ipsum, & in ipso, & ipse est ante omnes, & omnia ipsi constant?* Deus enim Dominus Jesus Christus, non ob aliqua, neque per aliqua Deus est; sed Deus natus est. Et qui ex generatione Deus est, non post nativitatem in Deum per causam

cùm nulla illius sit causa.

Psal. 44. 8.

Coloss. 1. 16. & 17.

---

[a] Sic mss. At Bad. *spiritus prophetiæ.* Porro Christum *spiritum*, hoc est, Deum esse ex prophetia probatum est toto libro 4. & nominatim ex verbis David, quibus non tantùm ungens, sed & unctus appellatur *Deus.*

[b] Bad. cum antiquiore Colb. ac nonnullis aliis mss. *secundùm nativitatem.*

[c] Editi, *spiritus*: refragantibus mss. Quî manserit *Spiritu*, continuò declaratur, cùm per os David locutus esse perhibetur. Quò spectat illud Tertulliani lib. 3. contra Marcion. n. 6. *Nos quidem certi Christum semper in prophetis locutum, Spiritum scil. Creatoris.* Quamquam Hilarius lib. 2. de Trin. n. 3. Spiritum in prophetis locutum tertiam Trinitatis personam prædicat.

[d] In mss. magno consensu, *præ participes tuos.* Sic & deinceps constanter particula *præ* conjungitur cum accusandi casu. Item quod jam observatum est, Hilarium non legisse *ungo*, sed *ungueo*, confirmatur ex hoc loco, ubi in vetustioribus mss. pro *ungitur*, scriptum est *unguetur*; & *ungueatur*, pro *ungatur*. Ex Augustino lib. 2. contra Maximin. c. 16. n. 3. observamus obiter, hæreticos ideo noluisse hunc prophetæ locum servili Christi formæ aptari posse, *quoniam scriptum est, Unxit te &c. longè ante quàm Christus in carne venisset.* Quibus ille respondet, *in prophetia esse prædictum, tamquam fuerit factum, quod erat futurum*: & hoc, *quia in prædestinatione jam factum erat, quod suo tempore futurum erat.*

[e] Editi cum pluribus mss. *namque nunc.* Magis placet cum codice Vat. bas. ac nonnullis aliis, *nam qui nunc.* Antea verbis *secundùm sacramentum* tempus illud designatur, quod Christi corporationem præcessit, eamque adumbravit, quando v. g. *Abraham Dominum adoravit, sacramentum futuræ corporationis agnoscens*, ut dicitur lib. 4. n. 27.

[f] Bad. & Er. *viri.* Lips. & Par. *verè.* Veriùs mss. potiores, *in veritate*, juxta græcum ἐπ' ἀληθείας.

[g] Hoc videtur intelligendum ex verbis cap. 2. in Matth. n. 5. ubi ait, *Ipse quidem lavacri egens non erat. Sed* quia *assumtum ab eo creationis nostræ fuerat & corpus & nomen*: ideo *omne in se sacramentum salutis nostræ explevit.* Quod ibidem repetitur his verbis: *Atque ita & propheta testimonio lavacro non eget, & exempli sui auctoritate humanæ salutis sacramenta consummat, hominem & assumtione sanctificans & lavacro.*

[h] id est, ut sanctificatio, quam homini assumto præstat spiritalis Virtus ac Verbum assumens, cognosceretur. In baptismi autem ablutione habetur testimonium sanctificatæ carnis: sed spiritalis istius unctionis cognitio ex Patris ipsius declaratione præstatur. Sicque, ut cap 2. in Matth. n. 6. dicitur, *testimonium de Domino mittitur & contemplationis & vocis*: dum *Filius Dei auditu conspectuque monstratur*, hominem scil. & assumtione sanctificare & lavacro. Eamdem quoque Psalmographi prophetiam ad Christi baptismum refert Augustinus lib. 2. contra Maximin. c. 16. n. 3. *A Deo patre*, inquit, *unctus est Filius, qui sic homo factus est, ut maneret Deus; qua unctione plenus erat, id est, Spiritu-sancto. Propter quod de illo scriptum est, Jesus autem plenus Spiritu-sancto reversus est à Jordane.* Videsis Tract. Psal. 2. n. 29. & lib. 8. n. 25.

[i] In ms. bas. Vat. omittitur vox *naturæ.* Prorsus cum aliis libris retinenda est. Hæc opponitur *dispensationis* vocabulo, & ad Verbum Deum refertur. Superiùs n. 11. admisit Hilarius causam Verbi gignentem & coæternam: hîc tantùm respuit præexsistentem ac meritoriam. Ubi verò subjicit *aut enarrationem*, respicit in illud Esaiæ, *Generationem ejus quis enarrabit?*

profecit : sed in eo, quòd natus est, nihil aliud [a] est nascendo, quàm Deus est. Cùm verò ungitur ex causa; non ad id, quod incremento non eget, [b] spectat unctionis profectus, sed ad id, quod per incrementum sacramenti profectu eguit unctionis, id est, ut per unctionem sanctificatus homo noster Christus exsisteret. Si igitur nunc quoque per prophetam servi dispensatio demonstratur, ob quam à Deo suo præ participibus ungitur; & propterea, quia justitiam dilexerit & iniquitatem oderit, ungatur : cur prophetæ sermo non ad eam Christi naturam pertinebit, in qua ei sunt ex carnis assumtione participes? cùm præsertim ita se prophetiæ Spiritus temperaverit, ut dum Deus à Deo suo ungitur, sit ei & in dispensatione unctionis quòd Deus suus est, & in natura quòd Deus est. Deus igitur ungitur : sed quæro an id, quod in principio Deus erat Verbum, unctum sit? Non utique; nam posterior Deo unctio est. Et cùm non ea Verbi nativitas, quod in principio apud Deum Deus erat, [c] uncta sit; id in Deo necesse est ungatur, quod posterius sit in dispensatione qua Deus est. Et cùm Deus à Deo suo ungitur; id ungitur, quidquid ab eo in mysterio carnis servile susceptum est.

cùm unctus sit naturà Deus.

Quatenus nobis sit cum Christo communio.

20. Nemo igitur magnæ pietatis sacramentum, quod manifestatum in carne est, sensu impio violet, nec se quisquam Unigenito per substantiam divinitatis exæquet. Sit nobis ille & frater & particeps secundùm quod Verbum caro factum habitavit in nobis, secundùm quod Mediator Dei atque hominum homo Jesus Christus est. Sit nobis secundùm servos & communis pater & communis Deus : & præ participibus unctus sit in ea natura, cum privilegio licèt unctus, qua participes unguntur. Sit in Mediatoris sacramento, ut homo verus, ita & Deus verus, Deus ipse ex Deo, communem nobiscum habens patrem & Deum in ea communione qua frater est.

Subjectio, regni traditio, & finis objiciuntur.

21. Sed fortè subjectio illa, regnique traditio, deinde finis, aut naturæ abolitio aut potestatis defectio aut divinitatis infirmitas sit intelligenda. Plerique enim ita [d] volunt, ut aut dum subjectis omnibus Deo subjicitur, per conditionem subjectionis Deus non sit; aut dum regnum tradit, non sit in regno; aut dum finis est, finem ejus defectio consequatur.

Respondendi modus.

22. Congruum itaque est, omnem [e] super his apostolici sermonis sensum pertractare: ut singulorum quorumque dictorum ratione exposita atque edita, sacramenti totius capaces per [f] universitatis intelligentiam præbeamur. Ait itaque : *Quoniam enim per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Quomodo enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes* [g] *vivificantur. Unusquisque autem in suo ordine,* [h] *primitiæ Christus, deinde hi qui sunt Christi,* [i] *qui in adventu ejus : deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem magistratum & omnem potestatem. Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis. Deus enim omnia subjecit sub pedibus ejus. Novissima inimica* [k] *devicta est ab eo mors. Cùm autem dixerit, Omnia subjecta sunt, absque eo qui illi subjecit omnia.* [l] *Cùm autem subjecta fuerint ei omnia, tunc ipse subjectus erit illi, qui subjecit ei omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.*

1. Cor. 15. 21. &c.

Quædam esse quæ homo statim non capiat.

23. Cælestium [m] dispensationum arcana Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum electus gentium magister, quantâ potest absoluti sermonis significatione demonstrat. Et qui inenarranda usque ad tertium cælum raptus audisset, ea tantùm, quorum natura humana capax esset, sensui humanæ intelligentiæ revelavit : non ignorans tamen quædam non statim posse atque audiuntur intelligi, quia infirmitas nostra [n] seriùs in verum atque absolutum mentis judicium ea, quæ in aures transfunderentur, acciperet; longiore ad cunctandum morâ sensui potiùs quàm auditui derelictâ, cùm & audisse vocis sit, & intellexisse rationis, Deo tamen intelligentiæ cupidis intelligentiam revelante. Namque ad Timotheum per aviæ ac matris gloriosam fidem sacris ab infantia litteris institutum scribens plurima, hoc quoque addidit : *Intellige quæ dico, dabit enim tibi Deus in omnibus intellectum.* Admonitio intelligendi ex difficultate intelligentiæ est. Intelligentiæ verò à Deo donum, fidei munus est, per quam infirmitas sensûs gratiam revelationis meretur. Si ergo Timo-

2. Tim. 2. 7.

[a] Verbum *est*, in vulgatis omissum, restituitur ex mss. deinde *quàm Deus est*, id est, quàm quod Deus pater est : nisi id omne ita malis intelligere; sed in ipsa nativitate sua accipit ut Deus sit, & nihil aliud.

[b] In antiquis libris, *exspectat*, more antiquo, sed sensu non alio.

[c] Sic mss. At editi, *uncta sit in Deum, necesse est* &c.

[d] Ex subjectis Apostoli verbis, & regni & carnis Christi finem futurum prædicabat Marcellus Ancyran. si Eusebio credere fas est contra eumdem lib. 2. c. 4. ejus verba sic referenti : *Quòd si regni initium accepit homo ante annos nondum 400. completos, nihil est absurdi si Apostolus affirmet, illum qui accepit regnum annis ab hinc tam paucissimis elapsis, rursum redditurum esse regnum Deo.* Et post pauca : *Omnia enim cùm post judicium subjicienda sint Christo, quemadmodum asseritur ab Apostolo, tum ille subjicietur ei, qui ipsi omnia supposuit. Quocirca cùm didicerimus humanam carnem, quam pro nobis assumsit Verbum, ante annos 400. totos non assumtam, eamdem ipsum retenturum cognoscimus non ultra judicii tempus in futuro sæculo.* Item ibid. addit Marcellus, *Quemadmodum initium habuit caro, ita finem habituram divinus Paulus pronuntiavit. Deinceps finis, cùm tradiderit regnum suum Deo & Patri.* Hanc tamen sententiam ex ipsa Eusebii confessione ibid. non sine hæsitatione asserebat Marcellus.

[e] Vat. bas. codex cum Martin. *superioris*, non *super his*.

[f] In vulgatis, *veritatis*. Rectiùs in mss. *universitatis*, hoc est, totius apostolici sermonis.

[g] Ita plerique ac potiores mss. Editi verò, *vivificabuntur*.

[h] Mss. Martin. & Vat. bas. *initium Christus*, consentiente exemplari Germ. epistolas Pauli græcè & latinè complectenti ab annis circiter mille exarato.

[i] Bad. *in adventu ejus*, sine *qui* : cui consentit & græcum, ἐν τῇ παρουσίᾳ. At Er. Lips. & Par. *qui in adventum ejus crediderunt*, quod & habet ms. Corb. à secunda manu : renitentibus aliis sincerioribus & græco.

[k] Er. & Lips. *destruetur mors*.

[l] Rursum hîc mss. magno consensu omittunt *cùm autem subjecta fuerint ei omnia*.

[m] In ms. Martin. ac pluribus aliis, *mysteriorum arcana*. Mox post *per Iesum Christum*, addit Vat. bas. ms. *& Deum patrem*: quæ verba in nullo alio codice occurrunt, quamvis exstent initio epist. ad Gal. quò hîc respicitur.

[n] Corb. aliique posterioris ævi mss. cum Bad. Er. & Lips. aliter. Vat. bas. Colb. Martin. & alia vetusta exemplaria cum Par. *sepius*. Remig. *sedeius*. Nobis ita constat legendum esse *seriùs*, ut præter morem textum ex conjectura emendemus. Cui favet ms. Carn. in quo *seius*; sic enim *serius* pronuntiant, qui linguæ sunt impeditioris. Eamdem confirmat quod infrà n. 30. legimus *seram obsequelam*.

1. Tim. 6. 11. theus apostolico testimonio homo Dei, & legitimus Paulo secundùm fidem filius, ut intelligat admonetur, quia ei Dominus intelligentiam in omnibus sit daturus; nos quoque admoneri per Apostolum ad intelligentiam meminerimus, scientes Dominum nobis intelligentiam omnium præstiturum.

Non pudeat pravum sensum veritate percepta demutare.

24. Et si fortè humanæ conditionis errore præsumtum aliquid sensu tenebimus, profectum intelligentiæ per revelationis gratiam non recusemus: NE [a] INTELLEXISSE aliquid semel suo sensu ad id valeat, ut pudeat rectius aliquid demutando sentire. Ob quod prudenter consultéque moderandum hæc ad Philippenses quoque idem beatus Apostolus scribit: *Quotquot ergo perfecti sumus, hæc sentiamus: &* [b] *si quid aliter sentitis, id quoque Deus vobis revelabit. Verùm in quo festinavimus, in ipso ingrediamur.* (Philip. 3. 15. & 16.) Non præjudicat sensus anterior Dei revelationi. Nam Apostolus [c] monuit in quo sapiant, qui sapiunt perfectè: & his qui aliter sapiunt, revelationem Dei, ut id quod perfectum est sapiant, exspectat. Si qui ergo profundam hanc arcanæ scientiæ dispensationem aliter intellexerunt, & per nos rectum aliquid & probabile afferetur; non pudeat eos secundùm Apostolum per revelationem Dei sapere perfectè: NEQUE MAGIS AMENT veritatem nescisse, [d] quàm oderint permansisse non veris. Eos enim, qui aliter sapiunt, & quibus id Deus revelavit, monet in id festinare, in quo ingressi fuerint: ut relicto primæ ignorantiæ sensu, secundùm propositæ festinationis ingressum, [e] revelationem perfectæ intelligentiæ consequantur. Ingrediamur itaque in quo festinavimus. Et si fortè festinationem nostram devii itineris error moratur; per revelationem tamen Dei in id quod festinavimus rursum ingressi, festinationis nostræ non demutemus ingressum. Festinavimus enim ad Christum Jesum Dominum gloriæ & regem æternorum sæculorum, in quo restaurata sunt omnia in cælis & in terra, cui constant omnia, in quo & cum quo semper manebimus. In his ergo ingressi sapimus perfectè: & si quid aliter sapimus, Deus nobis id quod perfectè sapitur revelabit. Itaque secundùm apostolicam fidem sacramentum dictorum præsentium retractemus; & eo modo, quo superiùs à nobis tractata sunt omnia, ut omnem impiæ voluntatis sensum sub dictis apostolicis [f] præceptum ex ipsa fidei apostolicæ veritate prodamus.

Tria in quæstionem vocata.

25. Tria igitur secundùm dictorum ordinem in quæstionem vocantur, primùm finis, deinde traditio, deinde subjectio: ut per hæc aut desinat Christus in fine, aut regnum tradendo non teneat, aut extra Dei naturam Deo subjectus exsistat.

Objectorum Pauli verborum connexio.

26. Ac primùm noscendum est, non hunc ordinem apostolicæ esse doctrinæ. Primùm enim regni traditio est, deinde subjectio, postremò finis. Sed singulis quibusque causis propria quarumque causarum genera subjecta sunt: ut dum res singulæ in res alias desinant, habeat semper subjacentem sibi causam causa præcedens. Finis enim erit; sed cùm tradiderit regnum Deo. Tradet autem regnum; sed cùm evacuaverit omnem magistratum & omnem potestatem. Evacuabit autem omnem magistratum & potestatem; quia oportet eum regnare. Regnabit autem, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis. Ponet verò inimicos sub pedibus suis; quia Deus ei subjecit omnia sub pedibus ejus. Subjecit autem Deus ita, ut novissima ab eo mors inimica vincatur. Dehinc subjectis omnibus ei, præter eum qui subjecit ei omnia, tunc subjicietur ipse subjicienti sibi omnia. Subjectionis verò causa non alia est, quàm ut sit Deus omnia in omnibus. Finis itaque est, esse Deum omnia in omnibus.

Quid obtendant hæretici.

27. Et quærendum nunc ante omnia est, an finis defectio sit, an traditio amissio sit, an subjectio infirmitas sit. Quæ si his sibi contrariis non subjacebunt, erunt in ea intelligentiæ veritate [g] qua dicta sunt.

Eripitur eis finem esse abolitionem.

28. Finis itaque legis Christus est: & quæro utrùm abolitio legis Christus sit, anne perfectio? Sed si legem Christus, qui finis ejus est, non dissolvit, sed adimplet, secundùm quod ait, Non veni legem solvere, sed adimplere: (Matth. 5. 17.) finis non defectio est, sed consummata perfectio. Tendunt enim ad finem omnia, non ut non sint, sed uti in eo, ad quod tetenderint, maneant. Et propter finem omnia; ceterùm finis ad aliud aliquid non refertur. Sed cùm finis [h] omnia sit, manens ipse sibi totus est. Et quia non excedens ex sese ulli alii tempori aut rei potiùs quàm sibi proficit; ad finem ipsum semper intentio spei omnis extenditur. Et idcirco Dominus religiosæ fidei patientiam fini se reservantem, ita adhortatur: *Beatus qui permanserit usque in finem*, (Matth. 10. 22.) non utique ut sit beata defectio, & non esse sit fructus, & merces fidei [i] sui cujusque constituatur abolitio: sed quia finis propositæ beatitudinis inexcessus modus est, beati sunt qui usque ad finem consummandæ beatitudinis manserint, non ultrà se fidelis spei exspectatione tendente. Finis itaque est manendi immobilis ad quem tenditur status. Denique Apostolus impietatis finem ad desi-

Finis quid sit.

[a] id est, quæ excogitavimus, & existimamus nos intellexisse, ne animis ita hæreant, ut excutere illa nos pudeat. Pessimum hunc pudorem Augustinus epist. 93. n. 51. in Vincentio Rogatista arguit his verbis: *Quid igitur adhuc dubitas tenere quod sentis, nisi quia id quod nunc sentis, vel aliquando non sensisse, vel aliud defendisse confunderis? Et dum erubescis corrigere errorem, non erubescis permanere in errore: quod utique potius erubescendum fuit.*

[b] Plures probæ notæ mss. *si qui aliter*: cui lectioni prima hujus numeri verba, postrema autem vulgatæ favent.

[c] Editi & aliquot scripti, *novit*. Magis placet cum castigatioribus mss. *monuit*.

[d] In mss. Vat. bas. Martin. & Remig. *quàm non oderint*: malè. Tum *permansisse*, id est, tam diu adhæsisse. Deinde præpositionem *in*, ante *non veris* ab Erasmo additam, sustulimus ex fide mss.

[e] Solus codex Vat. bas. *revelationis perfectæ intelligentiam*. Tum plerique, *consequamur*.

[f] Apud Bad. & Er. *deceptum*. Apud Lips. & Par. *præreptum*: non ita malè. In mss. Vat. bas. & Martin. *præceptis*. In ceteris, *præceptum*, id est, præconceptum. Cum his confer verba num. 7.

[g] Martin. ms. *quæ dicta sunt*.

[h] Editi, *omnium sit*. Concinniùs mss. *omnia sit*: quod in Corb. corrumpere perperam tentavit secunda manus.

[i] In vulgatis, *sua*. Rectiùs in mss. *sui*, scil. *abolitio*: quæ beata esse nequit, quia defectio non est beatitudinis capax. Mox *inexcessus*, id est, quò ultrà tendi nequeat.

Philip. 3. 19. & 20.

nendi metum præmonens, ait: *Quorum finis est interitus, nostra autem* [a] *exspectatio in cælis est.* Si itaque & beatis & impiis finis est, & finis intelligitur esse defectio; religionem atque impietatem finis exæquat, quia [b] utrumque per constitutum finem sit in commune non esse. Et ubi exspectatio nostra in cælis est, si per finem esse secundùm * impios desinamus? Quòd si sanctis exspectatio, impiis verò finis debitus esse dicitur: tamen ne sic quidem finis creditur esse defectio; quia quæ pœna impietatis est, omnino non esse ad pœnarum ultricium sensum, causâ in his per defectionem sui non exstante patiendi? Finis itaque est indemutandæ constitutionis mansura perfectio: quæ & beatitudini reservata, & impietati est præparata.

* ad instar impiorum.

Regni traditionem non esse regnandi defectionem.

29. Nunc igitur quia jam ambigi non potest, in fine non defectionem, sed non excessuram constitutionem esse intelligendam, quamquam adhuc quædam in ipsa dicti absolutione sint reservata: tamen his tantùm ad significationem sensûs demonstratis, videamus an traditio regni defectio sit intelligenda regnandi; ut quod tradit Filius Patri, tradendo non teneat. Quod si quis stultæ impietatis furore contendet; fateatur necesse est Patrem, cùm tradidit omnia Filio, amisisse tradendo, si tradidisse traditis egere significet. Ait enim Dominus, *Omnia mihi tradita sunt à patre meo*: & rursum, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Si igitur tradidisse caruisse est; Pater quoque his quæ dedit caruit. Quòd si Pater tradendo non caruit; ne Filius quidem intelligi potest his egere quæ tradit. Ergo si tradidisse omnia, his ipsis quæ tradidit non videtur eguisse; reliquum est, ut in tradendo dispensationis causa noscatur, [c] cur & Pater tradendo non careat, & Filius dando non egeat.

Luc. 10. 22. Matth. 28. 18.

Subjectio Christi non humilitatem sonat, sed dispensationem.

30. De subjectione autem, ne quid in ea contumeliosum Filio deputetur, cùm alia nonnulla fidei nostræ opitulentur, præcipuè tamen sibi hic ipse locus aderit. Et primùm communem sensum interrogo, utrùm nunc subjectionem ita intelligendam putemus, tamquam servitutem dominatui, aut infirmitatem virtuti, aut honori inhonorationem contrariis qualitatibus subdimus; ut Filius secundùm hæc Deo patri sit diffidentis naturæ diversitate subjectus. Quod si ita existimabitur, errorem hunc opinionis humanæ apostolici sermonis cautela prohibebit. Subjectis enim sibi omnibus, tunc [d] subjiciendum subjicienti sibi omnia ait: & per id, quòd tunc subjicietur, dispensationem significavit in tempore. Nam si subjectionem aliud sentiemus, etsi tunc subjicietur, certè subjectus modò non est: & efficiemus eum diffidentem & insolentem & impium, quem necessitas temporis tamquam fracto & compresso tyrannicæ impietatis tumore, in feram obsequelam sit subditura. Et ubi illud erit, *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui misit me*; & rursum, *Propterea Pater diligit me, quia omnia quæ placita sunt ei* [c] *facio*; sed & illud, *Pater fiat voluntas tua*; vel hoc Apostoli, *Humiliavit se factus obediens usque ad mortem?* Et qui se humiliat, habet hoc in natura ne humilis sit; & qui fit obediens, suscipit ex voluntate quòd obedit, dum per id, quòd se humiliat, fit obediens. Unigenitus itaque Deus humilians se, & obediens Patri usque ad mortem crucis [f], quo genere, cùm subjecta ei omnia sint, tunc subjiciendus ipse Patri intelligetur? nisi quòd subjectio hæc non novæ obedientiæ, sed [g] dispensandi sacramenti est; quia & obsequela jam maneat, & in tempore sit ineunda subjectio? Nihil itaque nunc aliud subjectionis significatio, quàm mysterii demonstratio est.

Joh. 6. 38. Joh. 8. 29. Matth. 26. 42. Philip. 2. 8.

Christo jam subjecta sunt, quæ dicuntur subjicienda.

31. Et [h] quod sit, secundùm hanc eamdem fidei nostræ spem intelligendum est. Nam resurgentem à mortuis Dominum Jesum Christum sedere à dextris Dei, non ignorabile est, etiam Apostolo testante, cùm ait, *Secundùm operationem potentiæ fortitudinis ejus, quam operatus est in Christo, cùm eum excitavit à mortuis, & collocavit ad dexteram suam in cælis super omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed & in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus.* Apostolicus namque sermo secundùm Dei potestatem pro factis jam futura significat. Quæ enim per adimpletionem temporum sunt gerenda, ea jam in Christo, in quo omnis est [i] plenitudo, consistunt: & quæcumque futura erunt, dispensationis in his potiùs est ordo, quàm novitas. Subjecit enim omnia Deus sub pedibus ejus, licèt adhuc subjicienda sint: ut in eo, quòd subjecta sunt, Christi indemutabilis sit potestas; in eo verò, quòd subjicienda sunt, secundùm plenitudinem temporum succedentium ad finem ætatum profectus sit.

Ephes. 1. 19. &c.

Evacuatio quid. Illius à subjectione discrimen.

32. Omnem autem contrariam virtutem evacuandam esse non obscura cognitio est, & hunc aëris principem & spiritalis nequitiæ potestatem æterno interitui [k] tradendum, secundùm illud: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparavit pater meus diabolo & angelis ejus.* Evacuatio autem non idem est, quod subjectio. Nam evacuare adversantem potestatem, hoc est jus potestatis auferre ne maneat: & per potestatis evacuationem, regni est abolere dominatum. De quo & Dominus testatus est dicens, *Regnum meum non est de hoc sæculo*: hunc eumdem regni istius

Matth. 25. 41. Joh. 18. 36.

[a] Aliquot mss. recentiores, *conversatio.*

[b] Apud Bad. *utrique*: probè, si faverent scripti. In reliquis edit. *utrimque.* At in mss. magno consensu, *utrumque*; quod de religione & impietate prædicatum, ad *non esse* referatur necesse est.

[c] Lips. & Par. & aliquot mss. *cùm.* At Bad. Er. & mss. plures ac potiores, *cur*, id est, ob quam dispensationis causam

[d] Ita mss. At editi, *subjiciendus*; & mox *erit*, pro *ait.*

[e] Martin. ms. *facio semper.*

[f] In mss. bas. Vat. & Martin. hîc additur verbum *fit.* Tum post *quo genere*, supple, *subjectionis.*

[g] Bad. & Er. *dispensatio sacramenti.*

[h] Lips. & Par. post Er. *quid illud sit.* Bad. *quid sit.* Vat. bas. ms. *quod ita sit.* Alii, *quod sit*, puta mysterium.

[i] Lips. & Par. *plenitudo divinitatis*: reluctantibus aliis libris. Deinde editi, excepto Par. *constituit*: *quæ cùm futura erunt, dispensationis* &c.

[k] Editi, *tradendam*: absque auctoritate mss.

potentem mundi principem antè [a] testatus, (Joh. 16. 11.) cujus potestas desinet regni sui evacuata dominatu. Subjectio verò, quæ & obedientiæ & fidei est, eadem vel concessionis vel demutationis demonstratio est.

Quatenus quod Christus sibi subjecit, subjecerit ei Pater.

33. Evacuatis itaque magistratibus, subjicientur inimici ejus. Ita autem subjicientur, ut ipse sibi subjiciat. Ita verò subjiciet, ut ei subjiciat Deus. Anne ignoravit Apostolus dicti evangelici virtutem, cùm ait, *Nemo venit ad me, nisi pater meus adducat illum* [b] *ad me* (Joh. 6. 44.); cùm tamen scriptum sit, *Nemo vadit ad Patrem, nisi per me?* (Joh. 14. 6.) ut nunc ipse sibi inimicos subjicit, & tamen Deus ei subjecit; omne per hoc opus ejus, Dei in eo esse opus testans. Et cùm non nisi per eum eundum ad Patrem sit; ad eum tamen, nisi Pater adduxerit, non venitur. Nam dum filius Dei intelligitur, paternæ in eo naturæ veritas discitur. Atque ita & cognito [c] Filio Deus pater advocat, & credito Filio Pater suscipit: quia significatio & cognitio Patris in Filio [d] sit per significationem in se Dei patris, religiosos nos in eum paterna religione [e] perferentis. Adducit ergo ita Pater, [f] dum quod principale est pater creditur. Ad Patrem autem nemo vadit nisi per Filium: quia cessante in nobis fide Filii, ignorabilis Pater est; non adituris ad paternam religionem, nisi priùs Filii veneratione susceptâ. Atque ita Filio cognito, ad vitæ nos æternitatem Pater adducit & suscipit: & utrumque per Filium est, dum prædicatione per eum Patris, & perducit ad eum Pater, & ad Patrem ipse deducit. Ad absolutiorem itaque dicti præsentis intelligentiam commemoratio sacramenti istius fuit necessaria, ut per Filium esset, quòd Pater nos & adducit & suscipit: & per hoc intelligeremus, quatenus quod ipse sibi subjecit, Deus ei subjecit, Dei scilicet in eo natura per nativitatem manente, & ea quæ ipse agit agente: dum ita agit, ut ea Deus agat; & tamen ipse ea, quæ Deus egerit, agat: ita tamen, [g] ut in eo quod ipse agit, filius Dei agere intelligatur; in eo verò quod Deus agit, paternæ in eo naturæ ut in filio proprietas sentiatur exsistere.

Qui inimici Christo sint subjiciendi.

34. Evacuatis itaque magistratibus & potestatibus, subjicientur ei sub pedibus inimici ejus. Et quos inimicos intelligi oporteat, idem Apostolus docuit, dicens, *Secundùm Evangelium quidem inimici propter vos, secundùm electionem autem dilecti propter patres.* (Rom. 11. 28.) Hos ergo inimicos crucis Christi meminimus: sed quia dilecti propter patres sunt, scimus eos subjectioni reservatos, secundùm quod dictum est, *Non enim volo vos ignorare, fratres, sacramentum hoc, ut non sitis vobis sapientes: quoniam ex parte obtusio facta est in Israël, quoad usque plenitudo nationum intret; & sic omnis Israel* [h] *liberabitur,* (Ibid. 25. &c.) *sicut scriptum est, Et veniet à Sion, qui liberet, & avertat impietates ab Jacob, & hoc illis à me testamentum est, cùm abstulero iniquitates eorum.* (Esai. 59. 20. &c.) Inimici ergo subjicientur sub pedibus ejus.

Subjiciuntur, quatenus gloriæ Christi conformes.

35. Sed subjectionem illam quid consequatur, intelligendum est, nempe illud: [i] *Novissimè devicta est ab eo mors.* (1. Cor. 15. 26.) Devictio autem mortis nihil aliud quàm resurrectio ex mortuis est: cùm interitûs corruptione cessante, vivæ jam cælestisque naturæ constituatur æternitas, secundùm quod dictum est, *Oportet enim corruptivum istud induere incorruptionem, & mortale istud induere immortalitatem. Cùm autem mortale istud induerit immortalitatem, tunc fiet verbum quod scriptum est, Absorpta est mors* [k] *in contentione. Ubi est mors aculeus tuus? Ubi est mors contentio tua?* (Ibid. 53.) In subjectione itaque inimicorum mors vincitur: & morte victâ, immortalitatis vita succedit. Quæ autem subjectionis perfecta illa post fidei subjectionem proprietas sit, idem Apostolus testatus est, cùm ait, *Qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ* [l] *conforme corpori gloriæ suæ, secundùm efficaciæ suæ opera, qua possit subjicere sibi omnia.* (Philipp. 3. 21.) Subjectio itaque etiam ea est, quæ est ex natura in naturam [m] concessio: dum à se secundùm quod est desi-

[a] puta his Johan. 16. 11. *Princeps mundi hujus jam judicatus est.* Mox ex potioribus mss. reposuimus *evacuata*, pro *evacuato*. De potestate diaboli in regna mundi vide Tract. Psal. 2. n. 42.

[b] Verba *ad me* addimus ex mss. cum quibus mox magis placuit *ut nunc ipse*, quàm cum vulgatis, *Et nunc ipse*.

[c] In codice Vat. bas. *filio Deo Pater*.

[d] Verbum *sit* ab Erasmo contra mss. fidem expunctum restituimus. Tum in vetustiore ms. Colb. ac Germ. *per significationem ejus*. Quod positum videri potest more Græcorum, similibus locis vulgò dicentium τὸ ἐν ἑαυτῷ, pro *qui in se est*.

[e] Ita mss. Remig. & Theod. faventibus Colb. Corb. ac plerisque aliis, in quibus *perferentes*; facilis enim & frequens est in veteribus libris *i* in *e* mutatio: sicque sensus est, fidem & cultum Patris ad fidem & cultum Filii nos perferre, Patre nos in se religiosos perferente in Filium. Si quis *perferente* malit quàm *perferentis*, non multùm repugnabimus. Loco *perferentis*, habent duo mss. *perfectos*. Unus autem Vatic. cum Vind. & Silv. *paternam religionem perferentes perfectos*. At apud Bad. *in paternam religionem perferente*. In reliquis editis, *paterna religione perfectos adducit. Adducit ergo*: ubi verbum *adducit* repetitur absque ulla auctoritate.

[f] Editi, *dum principale Pater*. Rectiùs mss. *dum quod principale est*, &c. Sic suprà n. 2. de Filio: *si etiam id, quod principale est, natum negabit*. Utrobique *principale* ad proprietatem refertur.

[g] Abest particula *ut* à tribus mss. Colbertinis, uno Sorbon. Germ. & Martin.

[h] In ms. Martin. *salvabitur*: & mox, *peccata eorum*, non *iniquitates eorum*.

[i] In excusis, *novissima*. Exstat quidem suprà n. 22. *novissima inimica*. At hîc magno consensu habent mss. *novissimè*.

[k] Pro græco εἰς νῖκος *in victoriam*, legit Hilarius aut interpres quem sequitur, εἰς νεῖκος. Immo in Psal. 59. n. 14. lectionem utramque simul admittit, & in unum componit.

[l] Unus ms. Vatic. alter Colb. & Sorbon. *conforme faciens*, quomodo suprà lib. 9. n. 8. in quibusdam mss. legi observatum est.

[m] Corbeiensis codex ab antiqua manu ad marginem præ se fert, *Cautè*: sed cautelam suam secum habet ipse locus, dum statim subjicitur, *Desinit autem, non ut non sit*, &c. Neque crediderim Hilarium ab Augustino notari cont. Serm. Arian. cap. 37. ubi ait, *Quamvis non defuerint, qui illam tunc Filii subjectionem ipsius humanæ formæ in divinam substantiam commutationem intelligendam putaverint; tamquam hoc cuique rei subjiciatur, quod in eam vertitur & mutatur.* Hanc autem opinionem ipsorummet Arianorum fuisse ex eodem Augustino lib. 2. contra Maximin. c. 16. jam indicavimus num. 14. Eamdem Sabellianis ac Marcionitis attribuit Ambrosius lib. 5. de fide c. 13. n. 162. *Sabelliani*, inquit, *& Marcionitæ dicunt, quòd hæc futura sit Christi ad Deum patrem subjectio, ut in Patrem Filius refundatur.* At verò Hilario hîc vox *natura*, non corporum ipsorum essentiam significat, sed qualitatem: quod apertè declaratur Tract. Psal. 2. n. 41. *Confracta reparabit* (corpora,) *non ex alia aliqua, sed ex veteri atque ipsa originis suæ materie speciem complaciti sibi decoris impertiens: ut incorruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio, non interitu naturam perimat, sed qualitatis conditione demutet. Non enim aliud corpus quamvis in aliud resurget* &c. Non minùs luculentus est locus Tract. Psal. 55. n. 12. Ideo autem, puto, dixit sanctus Doctor naturam mutari, cùm solam qualitatum novitatem intelligeret, quòd gloriosæ dotes non sint naturales corporum qualitates, sed potiùs quædam divinæ conditionis prærogativæ. Unde in omnibus his locis *naturæ* nomine naturalem intelligit conditionem.

nens, ei subjicitur, cujus concedit in formam. Desinit autem, non ut non sit, sed ut proficiat: fitque ex demutatione subditus, in speciem suscepti alterius generis transeundo.

Filii subjectio, gloriæ paternæ consortiũ. 1. Cor. 15. 26. &c.

36. Denique ut sacramenti hujus esset ratio absoluta, post novissimè devictam mortem, tum ait, *Cùm autem dixerit, Omnia subjecta sunt, absque eo qui subjecit ei omnia, tunc ipse subjectus erit illi, qui ei subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Primus igitur sacramenti gradus est, subjecta esse ei omnia; & tunc ipsum subjectum fieri subjicienti sibi omnia: ut quemadmodum nos gloriæ regnantis corporis sui subdimur, eodem rursum sacramento [a] ipse regnans in gloria corporis subjicienti sibi universa subdatur. Subdimur autem gloriæ corporis sui, ut in ea simus [b] claritate, qua regnat in corpore: quia corpori ejus conformes erimus.

Corporis Christi gloria. Matth. 16. 28.

37. Et quidem gloriam regnantis nunc corporis sui Evangelia non tacent. Ita enim scribitur, Domino dicente: *Amen dico vobis, quoniam sunt aliqui de adstantibus istis, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* * *Et factum est post dies sex, assumsit Jesus Petrum & Jacobum & Johannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est Jesus ante eos, & resplenduit facies ejus ut sol, vestimenta autem ejus facta sunt sicut nix.* Gloria itaque venientis in regnum corporis Apostolis demonstrata est. Nam in habitu Dominus gloriosæ [c] transformationis suæ constitit, regnantis corporis sui claritate patefactâ.

* Matth. 17. 1. & 2.

Consortium illius nobis promissum. Matth. 13. 40. &c.

38. Et hujus quidem gloriæ suæ consortium Apostolis pollicens, ait, *Sic erit in consummatione sæculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminum ignis; ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum: qui habet aures* [d] *audiendi, audiat.* Numquid non omnibus naturales corporalesque aures ad dictorum audientiam patent, ut ad audiendum dominica admonitione [e] fuerit necessarium? Sed sacramenti scientiam Dominus insinuans, auditionem doctrinæ fidelis exegit. In consummatione itaque sæculi de regno ejus scandala auferuntur. Habemus ergo regnantem Dominum secundùm corporis claritatem, quò usque scandala auferantur. Habemus rursum conformes nos gloriæ corporis sui in regno Patris, tamquam in solis claritate fulgentes: [f] in qua habitum regni sui Apostolis in monte transformatus ostendit.

Gloriam impertiens, tradit nos regnum Deo sine regni sui damno. 1. Cor. 15. 24.

39. Tradet ergo regnum Deo patri: non ita, tamquam tradens potestate concedat, sed quòd nos conformes gloriæ corporis sui facti regnum Dei erimus. Non enim ait, Tradet suum regnum; sed, *Tradet regnum*, effectos nos per glorificationem corporis sui regnum Deo traditurus. Nos itaque tradet in regnum, secundùm hoc in Evangeliis dictum: *Venite benedicti patris mei, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi.* Fulgebunt ergo justi ut sol in regno patris eorum. Tradet enim Filius Deo regnum eos, quos vocavit in regnum, quibus & beatitudinem sacramenti hujus spopondit dicens, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Regnans itaque avertet scandala, & tunc justi in regno Patris tamquam sol fulgebunt. Tradet autem Deo patri regnum: & tunc quos regnum Deo tradiderit, Deum videbunt. [g] Et quod regnum, ipse testatus est dicens ad Apostolos, *In vobis enim est regnum Dei.* Regnans itaque regnum tradet. Et si quis quærat, quis iste sit tradens regnum; audiet, *Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium; quoniam per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Omnis enim hic nunc præsentis quæstionis sermo de sacramento corporis est, quia Christus primitiæ ex mortuis est. Quo autem Christus mysterio ex mortuis resurrexit, Apostolo dicente noscamus: *Memento Christum à mortuis resurrexisse, de semine David;* mortem itaque & resurrectionem ex ea tantùm docens dispensatione esse, qua caro est.

Matth. 25. 34. Matth. 5. 8. Regnum traditum, nos. Luca 17. 21. Tradens, Christus. 1. Cor. 15. 21. & hoc quatenus homo. 2. Tim. 2. 8.

Subjectionis Christi causa, ut sit Deus omnia in omnibus.

40. Regnat autem in hoc eodem glorioso jam suo corpore, donec evacuatis magistratibus, & morte devicta subjiciat sibi inimicos. Et quidem ab Apostolo servatus hic modus est, ut magistratibus & potestatibus evacuatio, inimicis verò subjectio deputaretur. Quibus subjectis, subjicietur subjicienti sibi omnia, [h] Dominus scilicet, *ut sit Deus omnia in omnibus*, [i] naturæ assumti corporis nostri naturâ paternæ divinitatis invectâ. Per id enim erit omnia in omnibus Deus, quia secundùm dispensationem ex Deo & homine hominum Deique Mediator, habens in se ex dispensatione quod carnis est, adepturus in omnibus ex subjectione [k] quod Dei est, ne ex parte Deus sit, sed Deus totus. Non alia itaque subjectionis causa est, quàm ut omnia in omnibus Deus sit, nulla ex parte terreni in eo corporis residen-

1. Cor. 15. 28.

Quî id fiat.

[a] Vat. bas. ms. unus Colb alter Sorbon. & Martin. *ipse sibi regnans.*

[b] In vulgatis, *corporis claritate.* Vox *corporis* abest à mss. Quid de toto subjectionis mysterio sentiat, paucis hîc aperit Hilarius: ut quemadmodum subjicimur Christo, quatenus ejus gloriæ conformes; ita Christus Deo subdatur, quatenus secundùm hominem divinæ claritatis consors efficitur. Hæc confer, si lubet, cum Tract. Psal. 67. n. 37.

[c] Martin. & Vat. bas. mss. *transfigurationis.* At ad calcem numeri subseq. cum ceteris consentiunt.

[d] Verbum *audiendi* desideratur in omnibus propè mss. Quamquam exstat in vetustiore Colb.

[e] Apud Er. & Lips. *fuerit opus*: renitentibus aliis libris, in quibus cum eadem vi legere est, *fuerit necessarium.*

[f] Vat bas. ms. ac Martin. *in quo habitu se regni.* Vocem *regni* omittit Colb. nil immutes. Huc facit illud cap. 17. in Matth. n. 2. *Post dies sex, gloriæ dominicæ habitus ostenditur ... regni cælestis honor præfiguratur.*

[g] Ex mss. addimus particulam *&*. Deinde post *quod regnum*, tacitum est verbum *tradet.*

[h] Aliquot mss. cum vulgatis, *Deo scilicet.* Veriùs sinceriores duo Colb. Germ. Remig. Sorbon. &c *Dominus scilicet.*

[i] Remigianus codex, *naturâ assumti corporis nostri naturæ* &c. E regione hujus loci in Corbeiensi codice rursum adscripsit antiqua manus, *Cautè lege.* Hoc tantùm cavendum, ne *natura* vocabulum aliter intelligatur, quàm intellexit noster Doctor, qui naturam Patris vocavit naturales quasdam paternæ divinitatis dotes, incorruptionem, immortalitatem &c.

[k] Vat. bas. codex cum Martin. *quod Deus est*: minùs displiceret, nisi antè haberemus *quod carnis est.* Eadem Mediatoris ratio verbis aliis explicatur in Psal. 67. n. 37.

te naturâ, [a] ut antè in se duos continens, nunc Deus tantùm sit; non abjecto corpore, sed ex subjectione translato; neque per defectionem abolito, sed ex clarificatione mutato; acquirens sibi Deo potiùs hominem, quàm Deum per hominem amittens. Subjectus verò ob id, non ut non sit, sed ut omnia in omnibus Deus sit; habens in sacramento subjectionis esse ac manere quod non est, non habens in defectione ita se carere, ne non sit.

Prædicta ex Evangeliis confirmantur.

41. Et quamquam ad intelligentiæ hujus religiosam securitatem sufficiat nobis apostolica auctoritas, subjiciendum esse [b] in tempore & per dispensationem Dominum Jesum Christum primitias dormientium, ut sit Deus omnia in omnibus: per quod non divinitatis infirmitas est, sed assumtionis profectus, dum homo & Deus, jam Deus [c] totum est: tamen ne fortè, quia & clarificatum in corpore dum in eo regnat, & postea subjiciendum ut Deus omnia in omnibus sit credimus, non etiam ex Evangeliis præsumsisse existimemur; fidei nostræ testimonium non solùm apostolicorum, sed etiam dominicorum dictorum professione est adstruendum; ut quod loquente Paulo Christus locutus est, id ante Paulum Christus ipse sit jam locutus.

De filii hominis gloria. Joh. 13. 31. & 32.

42. Dispensationem itaque gloriæ hujus Apostolis suis absoluta verborum significatione demonstrans ait, *Nunc glorificatus est filius hominis, & Deus glorificatus est in eo. Si Deus glorificatus est in eo, & Deus glorificavit eum in se, & Deus protinus* [d] *glorificavit eum.* Habemus primùm gloriam filii hominis, deinde in filio hominis Dei gloriam, [e] in eo quod dictum est, A *Nunc honorificatus est filius hominis, & Deus honorificatus est in eo.* Hoc enim primum spectat ad corporis gloriam, [f] quæ ex naturæ divinæ consociatione gloriam mutuaretur. Succedit deinde gloriæ plenioris profectus, ex incremento indultæ jam corpori gloriæ capessendus: *Si Deus honorificatus est in eo, & Deus honorificavit eum in se, & Deus protinus honorificavit eum.* (*Ibid. 32.*) Per hoc enim glorificavit eum Deus in se, quia jam in eo glorificatus sit Deus. Nam B quòd Deus in eo glorificatus est, ad corporis gloriam spectat, per quam Dei gloria intellecta per corpus est, gloriâ Dei per gloriam filii [g] hominis intelligendâ. Quòd verò quia glorificatus in eo Deus est, [h] & ideo glorificavit eum Deus in se; per incrementum glorificati in eo Dei, glorificavit eum in se Deus: ut quia jam regnat in gloria, quæ ex Dei gloria est, ipse exinde in Dei gloriam transeat. *In se* enim eum Deus glorificavit, id est, [i] in C ea natura qua Deus est quod est: *ut sit Deus omnia in omnibus*, [k] toto jam in Deum ex ea qua homo est dispensatione mansuro. Nec sanè de tempore tacuit dicens, *Et Deus glorificavit eum in se, & Deus protinus glorificavit eum*: (*Ibidem.*) ut quia [l] prodeunte ad proditionem Juda gloriam, quæ sibi post passionem [m] consecuturâ resurrectione futura esset, significasset in præsens; eam, qua in se eum Deus glorificaturus esset, in posterum reservaret; Dei in eo gloriâ per virtutem resurrectionis ostensâ, ipso D verò in Dei gloriam, id est, in Deum omnia in omnibus ex subjectionis dispensatione mansuro.

Subjectionem pravè intelligentes coercentur.

43. Et in eo quidem quanta furoris hæretici stultitia est, [n] desperare id Deo, quod humanis

[a] Editi, *ut intra se duos*: contra fidem mss. & sententiam Hilarii, vocabulum *duos* non ad personas, sed ad naturas, aut potiùs ad naturarum qualitates referentis. Hoc enim sibi vult, quòd Christus *ante* resurrectionis gloriam, *in se duos*, hominem videl. & Deum, mortalem & immortalem, eoque *duos*, quia contraria conditione dissidentes, in una persona *continens* (Vat. bas. & Martin. mss. *constituens*:) *nunc*, cùm fruatur resurrectionis gloriâ, *Deus tantùm sit*; quia per indultas divinæ naturæ dotes, immortalitatem, æternitatem &c. humana quodam modo absorpta est: *adeoque nullâ ex parte terreni*, quatenus terreni & corruptibilis, *in eo corporis residente naturâ*. Ne verò hoc pravum in sensum detorqueatur; cautè subjicit, *non abjecto corpore* &c.

[b] Codex Vat. bas. *in tempore dispensationis Dominum* &c. ex quo efficitur sensus à mente Hilarii alienus. Non enim Christi subjectionem interpretatur de tempore quo degit in carne mortali, quod propriè est tempus dispensationis: sed docet illum subjiciendum *in tempore*, ac proinde quatenus tempori obnoxius est, non quatenus æternus; adeoque *per dispensationem*, & non ex naturali necessitate. Ex quo sumit, divinitatis infirmitatem ex ea subjectione perperam concludi. Ita fere Ambrosius lib. 5. de fide c. 13. n. 164. *Videmus quia nondum subjectum, sed subjiciendum esse Scriptura commemorat . . . Nulla igitur servilis in Christi divinitate subjectio.*

[c] Idem ms. *Deus totus est.* De discrimine vocabulorum *totus* ac *totum* nonnihil diximus pag. 41. not. a. Quod verò ibi observatum est, Hilarium iis indifferenter uti, confirmatur ex hoc ipso libro, in quo nunc legimus *Deus totum est*, & superiore numero *Deus totus*.

[d] Bad. Er. Lips. & recentior ms. Colb. hîc & infrà, *glorificabit*, favente græco verbo δοξάσει: at proximè antè, quamvis etiam græcè exstet δοξάσει, habent tamen *glorificavit*; quomodo hîc habetur apud Par. & in ceteris mss. immo lib. 9. n. 40. in scriptis & excusis.

[e] In vulgatis, *in eo enim quod dictum est*: lectio perturbata ac sensu destituta.

[f] Mallemus *quod*, ut ad corpus referretur: nec omnino placet quod deinde in mss. Vat. bas. & Martin. *ex natura divina consociationis.* Subtilis hîc habetur allatorum Johannis verborum expositio: ut iis significetur 1°. minùs plena filii hominis gloria ex consociatione divinæ naturæ, quæ divinis operibus se prodidit, 2°. gloria Dei patris, quam ei conciliant eadem Filii opera, 3°. plenior filii hominis gloria ei per resurrectionem ob partum Deo honorem indulta, per quam humana natura eo quo jam explicuimus modo transeat in divinam; cui demum cùm conformes erimus, Deus erit omnia in omnibus.

[g] Apud Bad. Er. & Lips. desideratur vox *hominis*. Tum in tribus mss. perperam additur verbum *est* post *intelligenda*. Hoc enim sibi vult: cùm per gloriosa filii hominis gesta intelligi debeat gloria Dei, cujus virtute illa facta sunt.

[h] Particulam *&* restituimus ex mss. Colb. & Germ.

[i] Præpositio *in*, quæ ab omnibus propè mss. abest, expressa tollit ambiguitatem.

[k] Bad. & Er. *tota*. Tum Lips. *jam in Deo*: non malè, secundùm illud lib. 9. n. 7. *ut unigenitus Deus nasci vellet, mansuro in æternum, in Deo, homine.* Vulgata tamen lectio confirmatur ex subnexis. Unde illud *in Deum mansuro* id est, ubi in Deum transformatus fuit, sic semper mansuro, seu numquam amissuro divinas illas dotes, quas ex gloriæ plenioris profectu capessivit.

[l] Remig. ms. *prodeundo ad proditionem Judæ*: renitentibus aliis libris, sacro textu, ac verbis superioribus libri 9. n. 40. ubi locus idem tractatur.

[m] Editi excepto Par. *consecuta resurrectione futura esset, in posterum reservaret*: restaurantur ex aliis libris. Hic locus favere videtur lectioni superiùs annotatæ, *Deus protinus glorificabit eum.* Arbitramur tamen hîc respici & in proximum Johannis, & in superiorem Apostoli locum, cujus illustrandi causâ Johannis verba allata sunt: ut ex utroque alia doceatur gloria qua Christus donatur in corpore proprio, alia qua in membris; ac prima quidem secundùm Johannem protinus post resurrectionem data sit, altera verò secundùm Paulum in posterum reservata. Cùm enim Christus, ut dictum est lib. 2. n. 25. & alibi, totius humani generis naturam assumserit, sequitur eum nondum esse plenè perfectéque gloriosum, quamdiu pendet alicujus ex genere humano gloria: qua omnibus Christo mediante datâ, Deus erit omnia in omnibus, ut erunt omnia Christo subjecta.

[n] Tres mss. Vaticani, Martin. Remig. &c. *desperare id de Deo.* Colb. Germ cum Er. Lips. & Par. *desperare in Deo.* Solus codex Vat. bas. *sperare id de Deo.* Præferimus cum Bad. & mss. Corb. Carnut. aliisque, *desperare id Deo*, hoc est, denegare id in Christum Deum convenire, quod sibi sperant.

suis spebus blandiatur: [a] ut quod in homine Deus potens sit, id in se ipso efficiendo infirmus sit? Nec sermo istud, nec sensus rationis capax loquitur, ut naturali quadam necessitate ad consulendum nobis obnoxius Deus, sibi nihil afferre beatitudinis possit: non quòd profectu egeat, qui imperturbatæ naturæ virtutisque sit; sed quia per dispensationem & sacramentum magnæ pietatis, [b] qui Deus est, & homo est, impotens sibi sit hoc se totum præstare, quod Deus est; cùm nobis non ambiguè indulturus sit id quoque nos esse, quod non sumus. Vitæ enim humanæ atque mortis finis est resurrectio: & certissimum militiæ nostræ stipendium est incorrupta æternitas, non ad pœnæ perseverantiam manens, sed ad perpetuæ gloriæ fructum jucunditatemque non desinens. Cùm igitur hæc nostra terrenorum corporum origo in habitum naturæ potioris excedat, & conformis gloriæ dominici corporis fiat; Deus in forma servi repertus, licèt jam glorificatus in corpore sit secundùm quod in forma servi est, tamen conformis Deo non erit; ut qui nobis formam glorificati corporis sui tribuet, ipse corpori suo nihil ultrà possit quàm nobis ac sibi sit [c] in commune præstare? Hoc enim quod dictum est, *Tunc subjectus erit illi, qui ei subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*, plerique hæreticorum ita affirmant: ut idcirco subjiciendus sit Deo patri Filius, ut Pater per subjectionem Filii Deus sit omnia in omnibus; [d] tamquam & adhuc perfectio Deo desit, quam per filii subjectionem sit adepturus: absolutæ itaque ac beatæ divinitatis inops intelligendus, si Deus esse omnia in omnibus per provectionem temporum consequetur.

1. Cor. 15. 28.

Deo pleno nil deest, nil accedit.

44. Ac mihi quidem Deum sola veneratione intelligenti, non minùs his respondere impium videtur, quàm adesse; & de natura, quæ humani sensus conceptionem excedat, verbis quorum adhuc significatio angustior quàm intelligentia sit, enuntiare se posse confidere: ac primùm ambigere, desitne quid Deo, an plenus ipse sit, vel pleno jam pleniorem esse reliquum sit. Quòd si Deus, cui non aliunde est quòd Deus semper est, profectum habeat, ut plus sit aliquando; non potest tamen ad id pervenire, ne sibi nihil desit: quia cui naturæ profectus est reliquus, numquam intelligitur sine aliquo incremento residuo profecisse; dum natura ad profectum spectans, proficiens licèt semper, semper tamen pateat ad profectum. Quod autem in plenitudine perfecta manet, semperque est, non sibi reliquit ut plenius sit: quia accessionem plenitudinis [e] plenioris perfecta plenitudo non capiat. Et hæc quidem de Deo ita opinandi piæ intelligentiæ species est, Deo nihil deesse, plenumque esse.

In cogitandis Dei rebus Apostoli exemplū. Rom. 11. 33. &c.

45. Ceterùm non ignorat Apostolus, cujusmodi de Deo confessionis voce testandum sit, dicens, *O profundum divitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior* [f] *dedit, & retribuetur illi? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula sæculorum.* Non circumscribitur Deus mente terrena, neque hoc sapientiæ suæ profundum sensu intelligentiæ penetrantis attingitur, nec judicia constitutionum suarum perscrutantium ingenio apprehenduntur, nec viæ cognitionis ejus investigabiles se consectantium studiis derelinquunt. [g] In incomprehensum profundum demersa ejus omnia sunt, nihilque de rebus ejus reperietur, nihil consectabitur. Sensum enim ejus nemo cognovit: & consilio non eguit externo. De nobis autem nunc omnis hic sermo est, non etiam de eo, per quem omnia sunt, qui est magni consilii Angelus, qui & ait, Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Sed adversùm imbecillas mentes novellas, & se ad definiendæ circumscribendæque naturæ divinæ demergentes profundum, confessione apostolicæ protestationis utendum est: ne temeraria [h] opinio aliquid sibi de Deo, præter quàm docetur, usurpet.

V. lib. 4. n. 14.

Esai. 9. 6. Matth. 11. 25.

Quæ in humanum cadant intellectum.

46. Communis autem hæc naturalium causarum intelligentia est, nihil in sensum cadere, nisi quod sensui subjacet, ut aut [i] res alia qua proposita oculis, aut opus quodque ipso sensu nostro ac mente posterius: quorum unum, [k] quòd aut attrectatur aut cernitur, concedit intra opinionis nostræ sententiam, ipso tactu visuque moderandum; aliud verò, [l] quòd fit in tempore, & quodam juniore à nobis aut gignitur aut constituitur exordio, quia sensum intelligentiæ non prævenit, judicio quoque sensûs dijudicantis obnoxium est. Non enim aut adspectus noster invisibilia dijudicat, qui non nisi tantùm conspecta discernat:

[a] Apud Bad. Er. & in mss. &, non *ut*. Mox verbum *efficiendo* omiserant Lips. & Er. post Bad. Ea ipsa sententia mox repetita habetur his verbis: *impotens sibi sit hoc se totum præstare quod Deus est* &c.

[b] In excusis, *qui Deus & homo est*. Concinniùs in mss. *qui Deus est*, scil. ex natura, per dispensationem etiam homo est. Tum illud, *impotens sibi sit*, refertur ad sententiam superiorem, *Nec sermo istud, nec sensus rationis capax loquitur ut.*

[c] Addimus *in* ex mss. Vat. bas. uno Colb. & altero Sorbon. Simili loquendi modo suprà n. 28. habemus, *quia utrumque per constitutum finem in commune sit non esse.*

[d] Sic antiquiores mss. Vat. bas. Colb. Germ. Martin. Corb. &c; nisi quòd in nonnullis omittitur particula &. At editi cum Remig. *tamquam ei perfectio Dei desit*: quod & habent aliquot alii mss. omisso *ei*.

[e] Apud Bad. Er. & Lips. desunt voces, *plenioris perfecta.*

[f] In mss. Corb. uno Colb. ac paucis aliis hîc juxta græcum & Vulgatam, *dedit ei.* At infrà n. 47. in nullis habetur *ei*. Paulo antè & infrà Erasmus pro more substituit *ininvestigabiles*, pro *investigabiles.*

[g] Præpositio *in*, à Lipsio primùm expuncta, huc revocatur ex Bad. Er. & mss.

[h] In mss. *opinione.* Postea codex Vat. bas. aliique duo, *præter quàm oportet*, non *præter quàm docetur.* Tum Corb. cum nonnullis aliis, *usurpent.* Satis placeret, *opinione . . . præter quàm docentur, usurpent.*

[i] Ita mss. nisi quòd in codice Vat. bas. post *proposita*, exstat etiam *opposita.* At in vulgatis, *ut aut res opposita oculis.*

[k] Omnes propè scripti codices cum excusis, *unum quid.* Legendum omnino *quòd* cum Telleriano. Deinde editi particulam *dum* præponebant verbo *concedit*: refragantibus mss.

[l] Mss. *quòd sit.*

aut

aut mens nostra se in id, [a] quo non exstitit, tempus extendet, & antiquiora ortu suo pervestigabit, cùm non nisi earum rerum [b] tantùm opinio ei, quarum ipse sit senior, relinquatur: quæ plerumque ipsa per necessitatem naturalis suæ infirmitatis incerta, absolutam scientiam in causarum cognitione non teneat; [c] nedum modò earum, quæ ante se sint æterna ratione, sensu ultra nativitatem suam redeunte percipiat.

Deus imperscrutabile profundum.

47. Et idcirco Apostolus, quia numquam nisi ea in cognitionem caderent, quæ sensui posteriora succederent, commemorato sapientiæ Dei profundo, & inexscrutabilium judiciorum infinitate, & investigabilium viarum secreto, & incogniti sensus ignoratione, & consilii non communicati [d] inintelligentia, subjecit: *Quis enim prior dedit, & retribuetur illi? Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum.* (Rom. 11. 35. & 36.) Deus, qui semper est, non subjectus est modo, neque ab anteriore sui aliquo motu mentis aut intelligentiæ prævenitur. Et idcirco investigabile & imperscrutabile ipse totus profundum est. Totus autem ita, ut non per hoc definitus [e] in modum sit, sed intellectus sit in immenso: quia à nemine quod est sumsit, nec prior ei dedit aliquis, ut retribui officium danti oporteat. Ex ipso enim & per ipsum & in ipso omnia sunt.

Nullius eget.

Non eget ex se & per se & intra se manentibus; nec qui origo, nec qui opifex est, nec qui continens est, [f] & internis externus, & effectis conditor: & suorum ipse egens numquam est. Nihil ante est, nihil aliunde, nihil extra [g] se est. Quo igitur caret plenitudinis profectu, ut per tempus adhuc Deus omnia in omnibus sit? Vel unde sumet, extra quem nihil est?

Non mutatur.

nihil autem ita, ut semper ipse sit. Et qui ipse semper est, & extra quem nihil est, quo incremento explendus est, vel quo augmento demutandus est, dicens, *Ego sum, & non demutor:* (Malac. 3. 6.) cùm non relinquatur vel ad demutationem locus, vel ad profectum causa, vel ad æternitatem anterius, vel ad Deum aliud præter quàm Deus [h] ipse est? Non ergo per subjectionem Filii Deus erit omnia in omnibus: neque per causam consummabitur, ex quo & per quem & intra quem omnis causa consistat. Manet itaque ut est semper Deus, nec profectu eget, [i] qui ad id quod est, ex se ac sibi semper est.

Filius indemutabilis.

48. Sed ne in unigenitum quidem Deum demutandæ naturæ cadit necessitas. Deus enim est, quod plenæ ac perfectæ divinitatis est nomen. Nam ut superiùs docuimus, & repetitæ gloriæ significatio, & subjectionis causa est, ut sit Deus omnia in omnibus. Esse autem Deum omnia in omnibus, sacramentum est, non necessitas. In forma enim Dei manens formam servi assumsit, non demutatus, sed se ipsum exinaniens, & intra se latens, & intra suam ipse vacuefactus potestatem: dum se usque ad formam temperat habitus humani, ne potentem immensamque naturam assumtæ humilitatis non ferret infirmitas; sed in tantum se virtus incircumscripta moderaretur, in quantum oporteret eam usque ad patientiam connexi sibi corporis obedire. Quòd autem se ipsum intra se vacuefaciens continuit, detrimentum non attulit potestati; cùm intra hanc exinanientis se humilitatem, virtute tamen omnis exinanitæ intra se usus sit potestatis.

Exinaniens se non est demutatus.

Deum esse omnia in omnibus, profectus noster est.

49. Quòd itaque Deus erit omnia in omnibus, assumtionis nostræ profectus est. Qui enim, cùm esset in forma Dei, repertus est in forma servi, rursum confitendus est in gloria Dei patris: ut non ambiguè in ejus forma manens intelligatur, in cujus erit gloria confitendus. Dispensatio itaque tantùm est, non demutatio: in eo enim est, in quo erat. Sed cùm medium est quod esse cœpit, id est, homo natus; totum ei naturæ, quæ antea Deus non fuit, acquiritur, cùm Deus esse omnia in omnibus [k] post sacramentum dispensationis ostenditur. Nostra hæc itaque lucra sunt, & nostri profectus, nos scilicet conformes [l] efficiendi gloriæ corporis Dei. Ceterùm unigenitus Deus, licèt & homo natus sit, non tamen aliud quàm Deus omnia in omnibus est. Subjectio enim illa corporis, per quam quod carnale [m] ei est, in naturam spiritûs devoratur, esse Deum omnia in omnibus eum, qui præter Deum & homo est, constituet: noster autem ille homo [n] in id proficit. Ceterùm nos in hominis nostri conformem gloriam proficiemus, & in agnitionem Dei renovati, ad Crea-

[a] Editi cum pluribus mss. *quod non exstitit*: corriguntur ex optimo Colb. necnon Germ.

[b] Verba *tantùm* & *ei*, in vulgatis omissa, supplemus ex mss. quorum deinde auctoritate, pro *quarum ipsa*, reponimus *quarum ipse*, videl. ortus: maximè cùm superiùs legatur *juniore exordio.*

[c] Editi, *ne dum eorum quæ ante se sint, æternam rationem* &c. Mss. Martin. & Vat. bas. *nedum modò eorum quæ cauta non sint æterna ratione*: minùs ad rem. Veriùs alii, *nedum modò earum* (supple, causarum scientiam) *quæ ante se sint æterna ratione*: id est, si non comprehendit mens quæ ante se sunt aliquâ ratione, immo sæpe incerta fluctuat in iis quæ se posteriora sunt; longè minùs attinget quæ æterna ratione se præcedant.

[d] Lips. *ignorantia.* Editiones aliæ cum scriptis, *intelligentia.* Reponimus *inintelligentia*, quomodo legendum suspicabatur Erasmus, ac non sine mss. auctoritate legimus lib. 10. n. 30.

[e] Ita mss. At editi, *in modo.*

[f] In ms. Martin. *internis exterior, in effectis cognitor*: malè. Ita intelligere est *effectis conditor*, ut Deus iis non egeat quæ condidit, vel etiam ut effecta Deum habeant conditorem.

[g] Voculam *se*, in vulgatis omissam, supplent mss.

[h] In antiquo ms. Colb. *ipse sit.*

[i] Excusi *quia id.* Concinniùs mss. *qui ad id*: quò Deus suum sibi esse principium declaretur.

[k] Solus codex Martin. *per sacramentum*: minùs verè. Triplex enim hîc consideratur Christi status, puta in forma Dei, in forma servi, & in gloria Dei patris: status autem medius vocatur sacramentum dispensationis, quam excepit paternæ gloriæ consortium.

[l] Sic magno consensu mss. At in vulgatis, *effici.*

[m] Restituimus ex mss. *ei*, quod deerat in excusis. Hæc nituntur verbis Apostoli, *Surget corpus spiritale*: quæ explicans Augustinus contra Adim. c. 12. n. 4. *Quod autem*, inquit, *spiritale dixit corpus in resurrectione futurum, non propterea putandum est, quòd non corpus, sed spiritus erit: sed spiritale corpus omni modo spiritui subditum dicit sine aliqua corruptione vel morte.* Huic interpretationi, uti jam vidimus, consentit noster Hilarius, nisi quòd Augustinus spiritale corpus intelligat subditum spiritui nostro, ille divino. Unde in Psal. 9. n. 4. ait quòd *per subjectionem obedientiæ* (Deo,) *in divinam naturam humanæ assumtionis absorbeatur infirmitas.* Remanet autem quod obedit: sed non remanet naturalis conditio carnis, sive ut dicitur n. 40. *terreni corporis*, cui ex se corruptio debita est: ut in naturalem Dei conditionem transeat, corruptionis prorsus expertem.

[n] Vat. bas. ms. *in Deo.* Unus Colb. & alter Sorbon. *in eo profecit.* Hîc notatu dignum est, quî *noster homo* à nobis distinguatur: ut nostrum hominem dicat Hilarius naturam à Christo assumtam.

Coloss. 3. 9. & 10. toris imaginem reformabimur, secundùm Apostoli dictum : *Exuti veterem hominem cum actibus suis, & induti novum eum, qui innovatur in agnitionem Dei secundùm imaginem ejus qui creavit* [a] *eum.* Consummatur itaque homo imago Dei. Namque conformis effectus gloriæ corporis Dei, in imaginem Creatoris excedit, secundùm dispositam primi hominis figurationem. Et post peccatum veteremque hominem, in agnitionem Dei novus homo factus, constitutionis suæ obtinet perfectionem, agnoscens Deum suum, & per id imago ejus: & per religionem proficiens ad æternitatem, & per æternitatem Creatoris sui imago mansurus.

[a] In vetustioribus mss. non exstat *eum*: è quibus Martin. antea habet, *Exuite veterem hominem . . . & induite.*

LIBER DUODECIMUS.

Adversùs sollemnia hæreticorum effata, Non fuit ante quàm nasceretur, *&*, De non exstantibus factus est, *æternam divinamque Christi nativitatem tuetur. Et illis quidem volentibus creaturam eum esse, quia de se Sapientiæ nomine dixerit,* Dominus creavit me, *resistit Hilarius.* 1°. *quia colitur Christus, cùm vetitus sit cultus creaturæ.* 2°. *quia cuncta per eum condita sunt, & proprium ei Creatoris est nomen.* 3°. *quia in eum non cadit ut speret, ut serviat, ut non sponte subjectus sit, ut liberandus sit: quibus obnoxia est, secundùm Apostolum, omnis creatura.* 4°. *quia cùm forma Dei sit natura Dei, si Christus in forma Dei manens creatura est, erit quoque Pater creatura.* 5°. *quia Patri & Filio æqualis honor est deferendus.* 6°. *quia Pater uteri nomine illum è propria substantia sese genuisse significat: postremò quia nusquam eum Pater nisi proprium filium appellat, nec ille Deum nisi proprium patrem. Contrà alii filii significantur facti, non nati; nec usquam proprietatis nomine donantur. Ubi enim ait Deus,* Filios genui; *non addit* meos. *Ita verò dicit,* Filius meus primogenitus Israel, *ut* meus *in primogenitum, non in filium cadat.*

Deinde æternitatem attingit nativitatis Christi, à ceterarum rerum origine eo differentis, quòd illæ per causam quæ ex nihilo sit, & post tempus quo non fuerint, fiant; ipse verò cùm ex eo sit qui est, neque non aliquando, neque ex causa nihilo umquam obnoxia fuerit.

Objectantibus, Si natus est, aliquando non fuit; non enim fuit ante quàm nasceretur: Respondet, Filium ab æterno Patre natum, perinde æternum esse.

Ad id quod reponunt, Omne quod natum est, non fuit; quia in id natum est ut esset: hoc de rebus humanis concedit, negat de divinis, in quibus ut semper est Pater, ita & semper est Filius: cujus nativitas cùm ante tempora æterna sit, nec tempori subjacet, nec nostro sensui.

Instant: Si non percipitur non fuisse ante quàm natus, sentiendus est natus esse qui erat. Quibus responsio est, eum, qui natus prædicatur, non percipi priùs fuisse; sicut nec intelligi aliquando non fuisse, qui semper natus sentitur.

Neque efficaciùs Deum non semper patrem fuisse confingunt; si quidem ex Salomonis, David & Pauli verbis non ambigua est Filii æternitas. Hanc ita evidenter demonstrat Sapientia, cùm non modò se ante sæcula fundatam, sed & æternæ rerum præparationi adfuisse, & perinde æternis coæternam esse declarat: ut Christum ante Mariam exstitisse Judæus hinc convinci facilè possit.

Moveret fortè quòd creatam se dicat, nisi se doceret & genitam. Neque verò idipsum duobus verbis significasse existimanda est, quæ creatam se per causam, ante causam autem genitam profitetur.

Ita etiam dum Patrem mundi fabricatorem esse docet, impium illum sensum enecat, quo ipsam in opera creatam ita interpretantur, ut sæculi efficiendi causâ Christus primùm effectus sit: cùm non nativitatis, sed dispensationis suæ respectu Christus dictus sit in opera creatus; quam quidem dispensationem ab initio sæculi obierit, dum per assumtam variæ

creationis speciem Adæ, Cain, Abel, Noe, Agar, Abrahæ, Moysi, Jacob aliisque Patribus se conspicabilem præbuit. Hîc attingitur, neque rejicitur ut impia, sed ut indocta, quorumdam interpretatio, qui æternam quoque nativitatem ibi creatam ea fere ratione dici putant, qua Christum ex Maria verè natum, factum tamen Paulus prædicarit: ut nimirum omnis in generatione illius passionis opinio amoveatur. Tandem Hilarius confessione fidei suæ de Patre, Filio & Spiritu-sancto librum hunc ac totum Opus absolvit.

a Ipsa hæreticorum objecta ducunt ad veritatem.

1. [a] TENDIMUS tandem, jam sancto A Spiritu prosequente, ad tutum securæ fidei tranquillumque portum. Atque ita ut multo mari ventoque jactatis accidere sæpissime solet, ut cùm eos circa oras portuum impediti & graves fluctus nonnumquam morentur, ad ultimum in notam sibi fidamque stationem ipse ille ingentis terribilisque undæ æstus impellat. Quod nobis, ut spero, duodecimo hoc adversùm hæreticam tempestatem nitentibus libro continget: ut cùm in B eo gravissimæ impietatis fluctui communitam puppim damus, ipse ille nos fluctus ad optatæ quietis sinum devehat. Omnibus enim incerto doctrinæ vento circumactis, hinc metus, hinc periculum, hinc etiam sæpe naufragium est, quia unigenitus Deus sub prophetica auctoritate creatura esse defenditur: ut in eo non sit nativitas, sed creatio, quia ex persona Sapientiæ dictum est, *Dominus creavit me initium viarum suarum* [b]. Hic hiemis eorum maximus C fluctus est, hæc tortuosi turbinis gravis unda est: quæ excepta à nobis, & securo navigio infracta, usque ad ipsum nos tutissimum portum optati littoris prosequetur.

Prov. 8. 22. b

Certa de Filio fidei veritas.

2. Non incertis autem neque otiosis, nautarum modo, nitimur spebus: quos interdum votis magis quàm fiduciâ navigantes, vagi instabilesque venti aut deserunt, aut depellunt. Ceterùm nobis adest [c] inseparabilis fidei Spiritus dono unigeniti Dei permanens, & nos D indemutabili cursu ad tranquilla deducens. Non enim Dominum Christum creaturam, [d] quia neque ipse est; neque facturam, quia facturarum omnium ipse est Dominus; sed Deum novimus, Deum Dei patris propriam generationem. Nos quidem omnes, secundùm bonitatis dignationem, dicti assumtique sumus Dei filii: sed ille verus unus patri Deo filius, & vera atque absoluta, [e] manens tantùm in cognitione utriusque, nativitas. Nostra verò tan- E tùm hæc sola religio est, Filium confiteri non adoptivum, sed natum; neque electum, sed generatum. Non enim aut factum, aut non natum prædicamus: quia neque Creatorem creaturis comparamus, neque nativitatem sine generatione mentimur. Non per se est, qui per nativitatem est. Neque non natus est, qui filius est. Neque qui filius est, aliter potest quàm nascendo esse quòd filius est.

c

d

e

Apud Arianos pugnat secum propheticus & evangelicus Spiritus.

3. Nemini autem dubium est, contrarias semper obnitentesque impietatis causas esse causis religionum: neque posse id piè suscipi, quod impiè susceptum esse decernitur: [f] ut aut hi nunc novi apostolicæ fidei emendatores evangelicum & propheticum Spiritum in lites dividant, & in jurgia partiantur; aut hi aliter prophetaverint, & hi aliter prædicaverint: quia Salomon ad creaturæ nos venerationem vocet, Paulus verò servientes creaturæ coarguat. Quæ utique non videntur sibi secundùm [g] impietatis intelligentiam convenire: ut Apostolus, & per legem edoctus, & per præfinitionem segregatus, & per loquentem in se Christum loquens, prophetiam aut ignoraverit, aut non ignoratam dissolverit; & nescierit creaturam Christum, quem creatorem nuncupaverit; & vetuerit creaturæ religionem, qui soli Creatori serviendum monuerit dicens, *Qui immutaverunt veritatem Dei in mendacium, & servierunt creaturæ prætérito Creatore, qui est benedictus in sæcula sæculorum.*

f

g Gal. 1. 15.

2. Cor. 13. 3.

Rom. 1. 25.

Christus propriè creator nuncupatur.

4. Parumne arguit hanc falsiloquii impietatem, loquens in Paulo Christus Deus? Parumne demutatæ veritatis mendacium damnat? Per Dominum enim Christum creata omnia sunt: & idcirco ei proprium nomen est ut [h] creator sit. Non cadit in eum efficientiæ suæ & natura & nuncupatio. Testis nobis est Melchisedech, creatorem cæli atque terræ [i] Deum ita prædicans: *Benedictus Abraham Deo summo, qui creavit cælum & terram.* Testis est & [k] Osee propheta dicens, *Firmans cælum, & creans terram ego Dominus Deus tuus, cujus manus creaverunt omnem militiam cæli.* Testis & Petrus ita scribens: *Quasi fideli creatori commendantes animas vestras.* Quid operis nomen

h

i Gen. 14. 19.

Osee 13. 4.

1. Pet. 4. 19.

[a] Veterrimus codex Vatic. bas. necnon Teller. Remig. Theod. ac Cisterc. hoc præ se ferunt initium: *Lege frater in Christo, & sensum accommoda.* Tum cum aliis habent, *Tendimus* &c.

[b] Iidem mss. necnon Martin. hîc subtexunt, *in opere suo.*

[c] Editi, *insuperabilis*: renitentibus magno consensu mss. Hîc quædam est antithesis inter spiritus ventorum qui nautas sæpe deserunt, & Spiritum fidei qui à fidelibus numquam separatur. Item vera fides opponitur pravitati hæreticorum, qui propheticum & evangelicum Spiritum dividere mox convincuntur. Fortè etiam respiciuntur hæc Christi verba, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

[d] Ita Bad. cum omnibus mss. In aliis autem editionibus, *quia ipse est qui creavit omnia; neque facturam* &c. glossema.

[e] Verbum *manens* à subnexis prava interpunctione separabatur. Nativitas illa manet tantùm in cognitione Patris & Filii; quia *nemo novit Filium nisi Pater* &c.

[f] In vulgatis, *ut hi nunc*, omisso *aut*; & mox, *dividunt & in jurgia partiuntur, ut hi aliter* &c. Sequimur mss.

[g] Editi, *secundùm pietatis Dei intelligentiam*: nisi quòd Par. vocabulum *Dei* omittit. At mss. *secundùm impietatis intelligentiam*; id est, quæ etsi sibi non conveniunt, concedenda tamen sunt, si proba est impiorum Arianorum intelligentia. Frequens enim apud Hilarium est abstractum, ut vocant, nomen pro concreto, impietas v. g. pro impiis.

[h] Vetustior ms. Colb. cum Germ. *ut creatura sit.*

[i] Codex Vat. bas. cum Martin. *Dominum*, non *Deum.*

[k] Gillotius, loco *Osee*, substituerat *Esaias*: sanè quia hæc apud Osee secundùm Vulgatam non reperit, cùm apud Esaiam 45.12. horum similia quædam legere sit. At apud Septuaginta ea ipsa totidem verbis reperire est: pro quibus in Vulgata tantummodo exstat, *Ego autem Dominus Deus tuus.* Frustra igitur Gillotii correctio apud Par. retenta est. Postea Bad. Er. & Lips. *formans cælum*, non *firmans.*

BBbb ij

opifici imponimus? Quid nostris [a] Deum cognominamus? Creator noster est, creator omnis militiæ cælestis est.

Christus nequit dici creatura.

5. Hæc cùm ad Filium, per quem facta sunt omnia, apostolicâ atque evangelicâ fide intelligenda referantur; quomodo his ipsis quæ gessit æquabitur, & in ea erit naturæ nuncupatione, qua cuncta [b] sunt? Primùm quidem humanæ intelligentiæ sensus hæc respuit, ut creator creatura sit; quia creatio per creatorem est. Qui si creatura sit; & corruptioni subditus est, & exspectationi obnoxius est, & servituti subjectus est. Ait enim idem beatus apostolus Paulus: *Etenim longinqua exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est non sponte, sed propter eum qui [c] subdidit eam in spe. Quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem claritatis filiorum Dei.* (Rom. 8. 19. &c.) Si igitur Christus creatura est; necesse est sub spe longinquæ exspectationis incertus sit, & longa ejus exspectatio [d] nostra potiùs exspectet, & exspectans ea vanitati subjectus sit, & per necessitatis subjectionem non sponte subjectus sit. Subjectus autem non sponte cùm sit, necesse est & servus sit; servus autem cùm sit, maneat etiam in corruptione naturæ. Hæc enim omnia creaturæ propria esse Apostolus docet: à quibus per longinquam exspectationem liberanda, secundùm humanam gloriam clarescet. Et ô imprudentem de Deo atque impiam professionem, his eum per creaturæ contumeliam ludibriis deputare, ut speret, ut serviat, ut coactus sit, [e] ut cognitus sit, ut liberandus sit in nostra, non in sua, cùm de suis nos ad aliquid provehamur.

Si creatura est, creatura pariter est Pater: quia Filio natura est Patris.

6. Sed impietas nostra cum ingenti perfidiæ incremento per hanc illicitæ vocis audaciam procedit: ut quia Filius creatura sit, Pater quoque non differat à creatura. Christus enim in forma Dei manens, formam servi accepit: & qui in forma Dei est, si creatura est; Deus non aberit à creatura, quia in forma Dei sit creatura. Esse autem in forma Dei, non alia intelligentia est, quàm in Dei manere natura: per quod & Deus creatura est, quia in natura ejus sit creatura. Qui autem in forma Dei erat, Deo se æqualem esse non rapuit; quia ex Dei æqualitate, id est, ex forma ejus in servi formam decederet. Decedere autem ex Deo in hominem, nisi se ex Dei forma Deus evacuans, non potuit. (V. lib. 9. n. 14.) Evacuans autem se non abolitus est, [f] ne esset; cùm esset aliud quàm fuisset. Neque enim defecit ex sese, qui se evacuavit in sese: cùm virtutis [g] potestas etiam in evacuandi se potestate permaneat; & in formam servi transisse, non sit naturam Dei perdidisse, cùm formam Dei evacuasse nihil aliud quàm virtus divinæ sit potestatis.

Exinanitio Verbi non est abolitio.

Filio debetur honor æqualis Patri.

7. Adeo autem in forma Dei esse, nihil aliud est quàm æqualem Deo esse: ut æqualitas honoris Domino Jesu Christo, qui in forma Dei est, debeatur, ipso dicente, *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* (Joh. 5. 23.) Numquam diversitas rerum, nisi & [h] in honore diverso est. Res enim eædem venerationis ejusdem sunt: [i] quia aut summus honor indignè inferioribus deferetur, aut cum contumelia superiorum inferiora his æquabuntur in honore. Filius autem [k] si ut creatio potiùs quàm nativitas sit, per venerationem [l] exæquabitur Patri; nulla nobis religio honoris ad Patrem est, cùm tanta nobis ejus veneratio imposita sit, quanta est creaturæ. Sed quia Deo patri in eo, quòd ex eo Deus est natus, æqualis est; est etiam æqualis in honore. Filius enim est, non creatura.

Deus partibus carens ex utero dicitur genuisse, quia ex se.

8. Et hæc de illo præclara vox Patris est: *Ex utero ante luciferum genui te.* (Psal. 109. 3.) Non præjudicatur autem Deo, ut sæpe jam diximus, per infirmitatem nostræ intelligentiæ; ut per id, quòd *ex utero* genuisse se dixit, ex partibus internis externisque per membra coeuntibus, tamquam corporalium causarum originibus consistat: cùm extra naturalium necessitatum causam liber atque absolutus, naturæ totius documinus manens, proprietatem nativitatis Unigeniti sui ex indemutabilis naturæ suæ virtute significet. Ex spiritu enim spiritus nascens, licèt de proprietate spiritûs, per quam & ipse spiritus est, nascatur: non tamen alia ei præter quàm [m] perfectarum atque indemutabilium causarum ad id quod nascitur causa est. Et ex causa licèt perfecta atque indemutabili nascens, necesse est ex causa in causæ ipsius proprietate nascatur. Proprietas autem humanarum [n] necessitatum intra causas uteri contine-

[a] Erasmus contra fidem veterum librorum hîc addidit *cognominibus*: quam vocem retinuere sequentes editiones.

[b] Rursùm hîc Erasmus de suo inseruit, *qua facta*: nec postea castigatus fuit.

[c] In mss. Vat. bas. & Martin. *subdidit omnia*. In Carnut. *subdidit ea*.

[d] Codex Vat. bas. cum Martin. *nostram potiùs exspectet revelationem*. Ab Hilarii sententia minùs recederet, qui substitueret *nostram potiùs exspectet claritatem*: quod repugnare innuit, quia Christus jam propriâ gaudet gloriâ, quam nobis communicaturus est, neque claritatem exspectat nobis communem.

[e] Verba, *ut cognitus sit*, quæ magno consensu habent mss. Sola Miræi editio retinuit. Quamquam attendentes illud Pauli, *Ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis*, necnon hoc Hilarii, *Servus autem cùm sit, maneat etiam in corruptione naturæ*, pro *cognitus* restituendum esse *corruptus*, dubio procul ducimus.

[f] Editi, *ut non esset*. Aliquot mss. *ne non esset*. At vetustiores *ne esset*. Particula *ne*, pro *ut non*, Hilario valde familiaris est.

[g] In edit. Mir. ut in mss. Vat. bas. & Martin. hîc adjicitur *sua*. Potestatem illam ita in Christo permansisse, ut eâ etiam interdum uteretur, superiori libro probatum est num. 48.

[h] Iidem mss. *in honoris diversitate est*. V. lib. 9. n. 23.

[i] Ita mss. nisi quòd in uno Vat. bas. *Omnino autem summus &c.* Editi verò, *quia ut summus honor indignè inferioribus deferur, ita cum contumelia &c.*

[k] Er. & Mir. cum aliquot recentioribus mss. *si concreatio*. Lips. & Par. cum antiquo ms. Colb. *si creatio*. Vindocinensis codex, *sicut creatio*. Non displiceret, *si sic ut creatio*. Namque ex Bad. & mss. Vat. bas. Corb. Remig. Martin. &c. restituentes *si ut creatio*, particulam *ita* ante *ut* tacitam intelligimus, puta, *si ita per venerationem exæquabitur Patri, ut creatio sit &c.*

[l] In vulgatis, *qua exæquabitur*. Non exstat *qua* nisi in uno ms. Colb. valde suspecto.

[m] His Lipsius substituit, *perfecta atque indemutabilis substantiæ*: quod Erasmus in margine adscripserat, Hilarii, ut puto, sensum indicans, non verba.

[n] Lips. & Par. ex Erasmi margine *humanarum nativitatum*: obnitentibus omnibus mss. Necessitates hîc vocantur, quæ ad aliquem effectum necessariò secundùm naturæ leges requiruntur. Itaque post verba, *Proprietas autem humanarum necessitatum*, non malè animo suppleveris, *ratione habita ad generationem*.

Joh. 4. 24.

tur. Sed Deo non ex partibus [a] perfecto, sed A indemutabili per spiritum, quia Deus spiritus est, non est internarum causarum naturalis necessitas. Sed quia nobis spiritûs de spiritu nativitatem prædicabat, sensum nostrum [b] causarum nostrarum instituit exemplo; non in exemplum nativitatis, sed ad intelligentiam generationis; ut exemplum illud non ad necessitatem proficiat, sed ad sensum. Si igitur creatio est unigenitus Deus: & quid sibi vult significatio intelligentiæ, quæ per consuetudi- B nem nativitatis humanæ intelligentiam divinæ generationis [c] ostendit?

Filium de nihilo volentibus non suppetit dicti loci sensus.

Per membra nostri corporis significantur operationes Dei.

9. Plerumque enim per hæc nostrorum corporum membra, operationum suarum nobis Deus momenta significans, sensum nostrum usu intelligentiæ communis edocuit, cùm ait, *Cujus manus creaverunt omnem militiam cæli*; vel iterum, *Oculi Domini super justos*; vel rursum, *Inveni David filium Jesse* [d] *virum secundùm cor meum.* Cùm enim & voluntas signifi- C cetur in corde, per quam David morum probitate complacuit; & cognitio universitatis, qua extra scientiam Dei nihil sit, sub oculorum vocabulo enuntietur; & operum efficientia, quia nihil non ex Deo sit, per nomen manuum intelligatur: volens & providens & agens Deus cuncta, sub significatione causarum corporalium intelligendus sine ministerio corporali, quomodo jam in eo, quòd ex utero genuit, [e] non per causam corporalem huma- D næ originis, intelligendæ etiam spiritalis nativitatis sensus affertur; cùm per ceteras [f] membrorum significationes, ceterarum quoque in Deo efficientiarum demonstretur effectus?

Osee 13. 4. Psal. 33. 16. Act. 13. 22.

Dictum est ex utero ad veræ nativitatis ostensionem.

10. Quia ergo proponitur cor ad voluntatem, oculi ad visum, manus ad effectum, cùm tamen [g] ultra partium infectam comparationem Deus & velit & provideat & peragat, & hæc eadem per cor & oculos & manum enuntientur: nonne significatio, qua [h] ex utero E genuit, veræ nativitatis ostensio est? non quòd ex utero genuerit, sicuti nec per manum agat, nec per oculos videat, [i] nec per cor velit: sed quia per significationem horum verè omnia & agat & videat & velit, ita per significationem uteri, verè ex se genuerit quem genuit, non per causam uteri, sed ad veritatis [k] professionem: sicuti nec per causas corporum aut velit aut videat aut agat, sed utatur his partium nuncupationibus, ut per corporalium ministeria virtus efficientiarum incorporalium sentiatur.

Propheta facturam non dicit, quem Deus testatur filium.

11. Natura igitur humanæ consuetudinis non sinit, sed nec dominicæ doctrinæ sententia patitur, magistro discipulum præesse, vel servum imperare domino: quòd alterum alteri & per ignorantiam subjaceat, ut ignarus scienti; & per conditionem infirmum sit, ut dominatui servitus. Quæ cùm ita esse commune judicium sit; cujus nunc nos temeritatis exemplo Deum creaturam, & Filium facturam & dicemus & existimabimus: cùm nusquam nobis hoc [l] de se & Magister & Dominus servis ac discipulis suis locutus sit, neque nativitatem suam aut creationem aut facturam docuerit? sed & Pater nihil umquam aliud quàm filium testatus sit, & Filius nihil aliud quàm proprium sibi Deum patrem professus sit? natum utique, non factum [m] aut creatum se asserens, sicuti ait: *Omnis qui diligit Patrem, diligit & Filium, qui natus est ex eo.* Joh. 5. 1.

Operi non convenit filii nomen.

12. Factura autem opera creaturarum sunt, non generationis nativitas. Non enim cælum filius, aut terra filius, aut mundus nativitas est, de quibus dictum est, *Omnia per eum facta sunt*; & per Prophetam, *Opera manuum tuarum sunt cæli*; & per eumdem, *Opera manuum tuarum non omittas.* Numquid pictori pictura filius, aut gladius fabro filius, aut architecto domus filius? Hæc enim opera efficientium sunt: at verò patri solus, qui ex eo nascitur, filius est.

Joh. 1. 3. Psal. 101. 26. Psal. 137. 8.

Nos Dei filii facti, non nati.

13. Et nos quidem filii Deo, sed per facturam filii. Fuimus enim aliquando filii iracundiæ; sed filii Deo per spiritum adoptionis effecti, & dici id meremur potiùs, quàm nascimur. Et quia omne quod fit, ante quàm fiat, non fuit; nos cùm filii non fuissemus, ad id quod sumus efficimur. Antè enim filii non eramus: sed post quàm meruimus hoc sumus. Sumus autem non nati, sed facti; neque generati, sed acquisiti. Acquisivit enim sibi Deus populum: & per hoc genuit. Genuisse autem Deum filios, numquam cum proprietatis significatione cognoscimus. Non enim ait,

Ephes. 2. 3.

1. Pet. 2. 9. ideoque non sui.

[a] In ms. Martin. *profecto.*

[b] Erasmo magis arriserat, *generationum nostrarum*: quod frustra Lipsius ex illius margine arripuit, nec apud Par correctus est. At certè hîc non tam sermo est de generationis actu, quàm de materiali illius causa.

[c] Post verbum *ostendit*, Lud. Miræus adjicit *ex utero*: quod in pluribus mss. exstat, non in castigatioribus.

[d] Adjecimus *virum* ex mss. Vat. bas. Martin. & aliquot aliis, textu græco suffragante.

[e] Sic Lips. & Par. cum mss. Corb. & paucis aliis: quam lectionem etsi non dubitamus interpolatam, castigare tamen non audemus, cùm nulla in aliis libris exstet nisi mendosa. Apud Bad. Er. & in ms. Martin. *non per causam corporalem intelligendæ nativitatis sensus affertur: cùm per ceteras* &c. Apud Miræum, *non per causam corporalem humanæ originis intelligentiæ spiritalis intelligendæ nativitatis sensus affertur.* In uno è mss. Vatic. & altero Patrum Minimorum prope Turones, *non per causam corporalium intelligendæ est nativitas sine effectu, cùm per ceteras* &c. In vetustioribus Colb. Rem. Vat. bas. Carnut. Germ. Vind. *non per causam corporalem* (Vind. *corporalium*) *nativitatis intelligendæ sine affectu* (Vat. bas. *sine effectu*) *cùm per ceteras* &c. Ex his corrigendum putamus, *non per causam corporalem nativitatis intelligendus sit effectus, cùm per ceteras.*

[f] In aliquot mss. *membrorum corporalium*; & mox, *efficientiarum spiritalium*: glossema.

[g] Apud Er. dumtaxat & Mir. *extra*: tum apud Lips. & Par. *partium imperfectam comparationem*: quod cùm non exstet nisi à secunda manu in ms. Corbeiensi; ex Bad. Er. & ceterorum mss. fide restituimus *infectam.* Vix tamen ambigimus, quin præferendum sit *inceptam*; maximè cùm legamus in Ps. 129. n. 4. *Quidquid compositum est, necesse est non fuerit æternum; quia compositio habet initium, quo corporatur* (vel *comparatur*, fortè etiam rectiùs, *comparat*) *ut maneat.*

[h] Sic Bad. cum plerisque & potioribus mss. Alii verò libri, *ex utero Deus Deum genuit.*

[i] Nihil hactenus aut deinceps de auribus, ut cum ms. Vat. bas. & Miræo hîc subjiciatur, *nec per aures audiat.*

[k] Apud Er. Lips. & Par. adjungitur hîc *genuinæ*: quod abest à Bad. & vetustioribus mss. neque præferendum cum Martin. *ad veritatem professionis*: cùm *veritas* hîc perinde sit ac vera generatio, vera nativitas.

[l] In duobus mss. Colb *de lege*, non *de se*: quod abest ab antiquiori ut & à Remig. In Martin. *hoc se*, sine *de.*

[m] Addimus hîc *se asserens* auctoritate mss. Vat. bas. Colb. Sorbon. Faur. &c. Pro his habet unus Remig. cum Theod. *Natus itaque, non factus, aut creatus, sicuti ait.*

Filios meos genui & exaltavi : sed hoc tantùm, *Filios genui & exaltavi.* A

Esai. 1. 2.

Objectio quòd Israel & proprius dicatur & factus. *Exod.* 4. 22.

14. Nisi fortè in eo quod ait, *Filius primogenitus meus Israel*; quisquam hoc quòd *primogenitus meus*, dixit, ad detrahendam Filio proprietatem generationis intelliget; ut quia & de Israel dixerit *meus*, assumtio factorum filiorum pro nativitatis proprietate usurpata sit? & idcirco non sit nativitati Dei proprium, quod de eo dictum est, *Hic est filius meus dilectus*; cùm *meus* etiam illis proprium esse dicatur, quos non natos esse manifestum est. Non natos autem esse, licèt nati esse dicantur, vel ex eo docetur cùm dicitur, *Populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* B

Matth. 17. 5.

Psal. 21. 32.

Israel non proprius filius, sed proprius primogenitus.

a

* Israel.

15. Ergo populus Israel [a] nascitur, ut fiat : neque per id quòd nasci dicitur, non intelligitur & fieri. Ex adoptione enim * est filius, non ex generatione; neque ei proprietas, sed nuncupatio est. Nam licèt *primogenitus meus* de eo scriptum sit : longè tamen multúmque differt, *filius meus dilectus*, & *filius primogenitus meus*. C Ubi enim nativitas est, ibi *filius meus dilectus* : ubi verò electio ex gentibus est, & adoptio per voluntatem est, ibi *filius primogenitus meus*. Hîc quòd suus est, ad primogenitum est : illic quòd suus est, ad filium est. Et in nativitate [b] filius primùm suus & sic dilectus; & in electione filius primùm primogenitus, & sic postea suus : ut adoptato ex omnibus populis filio Israel proprium esset, quòd primogenitus est; [c] nato verò uni Deo manifestum sit proprium esse, quòd filius sit. D Non est itaque vera & perfecta nativitas, ubi deputatur magis, quàm generatur : quia non ambiguum est eum populum, qui in filium nascatur, & fieri. Quod autem fit cùm non fuisset, & per id quòd factum est dicitur nasci; non est in eo vera nativitas, quia antè aliud quàm natum est fuerit. Et idcirco [d] non fuit ante quàm nasceretur, id est, ante quàm fieret : quia qui ex gentibus filius est, gens est ante quàm filius : [e] ac per id non verè filius, quia non semper filius. E Unigenitus autem Deus neque non [f] fuit aliquando non filius, neque fuit aliquid ante quàm filius, neque quidquam [g] aliquid ipse nisi filius. Atque ita qui semper est filius, non reliquit id de se intelligentiæ, ne aliquando non fuerit.

b

c

Non est propriè filius, qui fit cùm non fuisset.

d

e

f

g

16. Et nativitates quidem humanæ habent in tempore non fuisse : primùm quia omnes ex his omnibus, qui antè [h] non fuerint, nascantur. Nam tametsi unicuique nascentium ex eo sit origo qui fuerit; tamen ipse ille, ex quo nascitur, non fuit ante quàm natus est. Dehinc ipse qui natus est, post quàm non fuit natus est, tempore antè manente, quàm nascitur. Nascens enim hodie, in eo quod hesternum fuit non fuit; & in id quod est, ex eo quod non fuit, cœpit : & intra intelligentiam nostram est, hesterno id, quod hodie nascitur, non fuisse. Atque ita nativitas ejus, per quam est, post id quòd non fuit manet; quia hodie primùm post hesternum tempus esse necesse est, ut ei sit in tempore non fuisse. Et hæc quidem communia in rerum humanarum origine sunt, ut omnia initium sui, cùm antea non fuissent, accipiant : primùm quidem, ut docuimus, per tempus, deinde per causam. Et per tempus quidem non ambiguum est, quin ea, quæ nunc cœperint, antè non fuerint : per causam verò, quia his non [i] ex causa constet esse quod maneant. Revolve enim omnes originum causas, & intelligentiam in anteriora converte : invenies nihil cœpisse per causam, dum omnia per virtutem Dei ad id quod sunt creantur, non etiam nascuntur ex aliquo. Ex quo etiam unicuique generi per successionem ipsam naturale est, ne non fuerit & cœperit, dum & post tempus in tempore est : & cùm semper universa post tempus sint, causam sui quoque de antea non exstantibus sumunt, dum ex his nascuntur quæ antea non fuerint : ipso illo primo humani generis parente Adam ex terra, quæ ex nihilo est, & post tempus, [k] id est, post cælum, terram, diem, solem, lunam & astra formato, qui & [l] originem non habuerit nascendi, & cœperit cùm non fuisset.

Rebus humanis commune est aliquando non fuisse & ex nihilo esse.

h

i

k

l

17. Sed unigenito Deo, cui non præest tempus anterius, non relinquitur ut aliquando non fuerit, quia [m] ipsum illud *aliquando* jam prius est, deinde non fuisse jam temporis est : & incipiet non post eum tempus esse, sed ipse esse post tempus, cui in eo quòd ante quàm nascitur non fuit, id ipsum in quo non fuit præferetur. Deinde qui ex eo qui est natus est, intelligi non potest ex eo quod non fuit na-

Unigenitus neque aliquando non fuit, neque ex nihilo.

m

[a] Exemplar Vat. bas. hîc præ se fert *ita*; quod tacitum intelligere est. Subinde in pluribus probæ notæ mss. *neque per id quod nascitur.*

[b] In antiquioribus mss. Colb. Rem. &c. desideratur vox *filius* : cujus loco habent Bad. Er. Lips. & plures mss. *filii* : quod præferendum, si postea cum iisdem edit. & omnibus propè mss. anteponatur *& in electione filii.* Lectio, quam retinemus, est Par. ms. Martin. & aliquot aliorum.

[c] Vat. bas. ms. *nativitate verò* : minùs placet. Tum editi excepto Par. *unigenito Deo* : imminutam exhibent Hilarii sententiam, qua vult *uni*, id est soli, Deo nato proprium esse quòd filius sit.

[d] Particula negans in vulgatis omissa suppletur ex mss. quorum vetustiores subinde, ut & aliàs, habent, *ante quam nascitur.* Proximè post verbum *fieret*, ut antea post *non fuit*, reticetur *filius.*

[e] Codex Vat. bas. suffragante Martin. *ac per id quòd non verè filius, gens est* : imprudentis interpolatoris operâ.

[f] Illud *non* ab Erasmo primùm mss. renitentibus expunctum revocamus. Pleonasmus est, ut Græcis, ita & Hilario usitatus, negationis primæ vim non tollens, sed augens, quasi, neque prorsus fuit aliquando non filius.

[g] Editi, *aliud ipse.* At mss. *aliquid ipse*, nisi quòd in vetere Colb. & Germ. *aliquid ipsi.*

[h] Hujus loci emendationem debemus codici Vat. bas. alteri Vaticano, Martiniano & Pratellensi : cùm in aliis desideretur particula negans.

[i] id est, non ex causæ primæ substantia; adeoque ex nihilo habent initium. Animus hîc ad primos usque parentes nostros revocatur, ut ex iis qui ex nihilo conditi sint ortum habere convincamur.

[k] Sculterus cùm Hilarium arguit, quòd *contra Mosen, Deum simul & semel omnia creasse* senserit, atque in hujus censuræ suæ fidem unum citat librum 12. de Trin. vel hinc indicat se etiam in ceteris non satis æquum fuisse judicem sententiarum, quas Patres tuentur. Certè si homo post tempus, quia post cælum, terram &c. formatus; non simul ac semel omnia creata sunt.

[l] id est, cujus prima origo non est nativitas ex substantia parentis, sed creatio ex nihilo.

[m] Veterrimi codices, *ipsud illud.* Tum editi excepto Par. *aliquando jam temporis est : & incipiet* &c. restaurantur ex aliis libris. Argumentum hîc habetur gravissimum adversùs Arianos, qui in formulis suis, Antiochenâ scilicet, utraque Sirmiensi, necnon pseudo-Sardicensi &c. Filium ante sæcula & tempora profitebantur.

tus eſſe : [a] quia ei is qui eſt, ad id quod eſt, cauſa eſt; non etiam id quod non eſt, origo naſcendi eſt. Ergo cui neque in tempore eſt, [b] ut aliquando non fuerit; neque in patre, id eſt, auctore eſt, ut ſubſiſtat ex nullis: non reliquit id de ſe occaſionis, ut aut ex nihilo natus ſit, aut non fuerit ante quàm naſceretur.

Arianorum contra Filii æternitatem argu[men]ta.

18. Non ſum autem neſcius pleroſque eorum, quibus aut per impietatem obtuſa mens ſacramentum Dei non capit, aut per adverſi ſpiritûs dominationem ſub ſpecie religionis obtrectandi Deo furor pronus eſt, affirmare ſimpliciorum auribus id ſolere: nos cùm ſemper Filium fuiſſe dicamus, neque aliquid aliquando fuiſſe, [c] quod non fuit; ſine nativitate eum per id, quòd ſemper fuerit, prædicare: quia humani ſenſûs [d] opinione id, quod ſemper fuit, non patiatur ut natum ſit; naſcendi autem cauſa ſit, ut ſit quod non erat: eſſe verò quod non fuit, nihil aliud ſub communi ſenſu eſſe, quàm naſci. Adjiciant verò hæc argu-ta ſatis atque auditui placentia: Si, inquit, natus eſt, cœpit; & cùm cœpit, non fuit; & cùm non fuit, non patitur [e] ut fuerit. Atque idcirco piæ intelligentiæ ſermonem eſſe contendant, Non fuit ante quàm naſceretur: quia ut eſſet qui non erat, non [f] qui erat natus eſt. Neque eguit nativitate qui erat, cùm ad id ut eſſet qui non erat naſceretur.

Quæſtionum captioſarum vitus. His fides præferenda.

19. Ac primùm OPORTUERAT homines religioſam divinarum rerum ſcientiam præferentes, ubi evangelicæ atque apoſtolicæ prædicationis veritas [g] præferebat, callidæ philoſophiæ tortuoſas quæſtiones abjicere, & ſectari potiùs fidem quæ in Deo eſt: quia ſenſum infirmum facilè fidei ſuæ præſidio ſophiſma ſyllogiſticæ interrogationis exueret, cùm captioſa propoſitio reſponſionem ſimplicem, ſibique ſecundùm interrogationem rerum obſecundantem, ad ultimum jam ſenſus ſui interrogatione ſpoliaret; ut quod profeſſione amiſiſſet, id jam conſcientiâ non teneret. Quid enim tam neceſſariò interrogationi obſecundabit, quàm ut cùm à nobis quæratur, Eſtne aliquid ante quàm naſcitur? in profeſſione noſtra ſit, non fuiſſe [h] antè quod naſcitur? Neque enim aut in natura aut in neceſſitate eſt, ut quod eſt naſcatur: cùm naſci quid ob id tantùm ut ſit, [i] non quia erat, neceſſe ſit. Quod cùm conceſſum fuerit à nobis, quia rectè conceditur; exuti [k] fidei conſcientiâ, capti jam impiis atque alienis ſtudiis acquieſcimus.

Hæ non cavendæ tantùm, ſed & confutandæ.

20. Quod providens antè beatus apoſtolus Paulus, ſicuti frequenter oſtendimus, ut caveremus admonuit, dicens, *Videte ne quis vos ſpoliet per philoſophiam & inanem deceptionem, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* (*Coloſ.* 2. 8. & 9.) Cavendum igitur adversùm philoſophiam eſt, & humanarum traditionum non tam evitanda ſunt ſtudia, quàm refutanda. Neque enim his ita concedendum eſt, quaſi vincant potiùs, quàm fallant: quia nos Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam prædicantes, æquum eſt humanas doctrinas non tam diffugere, quàm refellere; & [l] ſimpliciores, ne ab his ſpolientur, & obſtuere & inſtruere. Nam cùm poſſit omnia, & [m] in eâ ipsâ omnia ſapienter Deus poſſit, nec virtuti ejus ratio, nec rationi virtus [n] abſiſtat; oportet eos, qui Chriſtum prædicant mundo, irreligioſis mundi imperfectiſque doctrinis per ſcientiam ſapientis omnipotentiæ contraire, ſecundùm illud beati Apoſtoli dictum: *Noſtra enim arma non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, rationes deſtruentia, & omnem altitudinem elevatam adversùs cognitionem Dei.* (1. *Cor.* 10. 4. & 5.)

Fides docta quid præſtet indoctæ.

FIDEM NON NUDAM Apoſtolus atque inopem rationis reliquit: quæ quamvis potiſſima ad ſalutem ſit, tamen niſi per doctrinam inſtruatur, habebit quidem inter adverſa tutum [o] refugiendi receſſum, non etiam retinebit conſtantem [p] obnitendi ſecuritatem; eritque ut infirmibus [q] ſunt poſt fugam caſtra, non etiam ut caſtra habentibus adeſt interrita fortitudo. Contundendæ ſunt ergo inſolentes adversùm Deum diſputationes, & deſtruenda rationum fallacium munimenta, & elevata ad impietatem ingenia conterenda, nec carnalibus armis, ſed ſpiritalibus; nec terrenâ doctrinâ, ſed cæleſti ſapientia: ut quanta rerum divinarum humanarumque diſcretio eſt, tanta [r] ultra terrena ſtudia ratio cæleſtis excedat.

---

[a] Editi, *quia ejus qui eſt* : tum Lipſ. & Par. *ad id quod eſt, cauſa pater eſt.* Caſtigantur ex mſſ. Superiùs oſtenſum eſt, nobis ortum eſſe ex nihilo, & non ex cauſa : nunc Filii origo ex cauſa, non ex nihilo demonſtratur.

[b] In vetuſto codice Colb. & Germ. necnon Martin. *ut non aliquando non fuerit.* Meliùs in aliis particula negans non geminatur. Hoc enim ſibi vult : in quem non cadit aut reſpectu temporis aliquando non fuiſſe, aut reſpectu auctoris ex nullis ſubſiſtere &c. Quippe voce *patris* quælibet cauſa hîc ſignificatur.

[c] Iidem codices, *quo non fuit* : neque hîc placent. Negatur Filius aliquid aliquando fuiſſe, quod non ſemper fuerit, ſeu quidquam comparaſſe quo aliquando caruerit.

[d] Editi, *opinio* : refragantibus mſſ. Verbum *patiatur* referendum ad *id*, quaſi, *id non admittat ut natum ſit.*

[e] Aliquot probæ notæ mſſ. *ut non fuerit.* An pro, *ut non non fuerit?*

[f] Bad. & plures mſſ. *non quia erat* : & mox, *quia non erat naſceretur.*

[g] Er. ac ſequentes editiones, *præcellebat.* At Bad. & mſſ. *præferebat*, ſcil. rerum divinarum ſcientiam. Egregium monitum, ut ubi fidei doctrina affulget, captioſis philoſophorum quæſtionibus non præbeamus aurem, nec ab ea nos ulla ratione divelli patiamur. Quocirca non placet cum codice Pratel. *præferebatur.*

[h] Sic Par. cum potioribus mſſ. Alii verò libri, *ante quàm naſcitur.*

[i] Antiquior codex Colb. cum Martin. & Germ. *non qui erat*, omiſsâ antè voculâ *quid* : non ita malè.

[k] In vulgatis, *fidei ſcientia.* Veriùs in melioribus mſſ. *fidei conſcientiâ* : *ut*, quemadmodum ſuperiùs habetur, *quod profeſſione amiſiſſet, id jam conſcientiâ non teneret.*

[l] Codex Vat. baſ. *ſimplicium ſenſum.* Unus Colb. cum Martin. Sorbon. & Miræi edit. *ſimpliciores ſenſu.*

[m] Bad. & Er. *& ea omnia.* Miræus reſtituens *in ea*, omiſit *ipſa.* In pluribus mſſ. deſideratur *in.* Retinendum cum potioribus *& in ea ipſa*, ſcil. ſapientia. Exemplo Dei, qui in ſapientia, quæ Chriſtus eſt, & omnia poteſt, & ſapienter poteſt, monentur fidei propugnatores, ne aliunde virtutem & ſapientiam quærant.

[n] Editi, *obſiſtat.* Rectiùs mſſ. *abſiſtat*, id eſt, nec virtus ratione, nec virtute ratio deſtituta ſit.

[o] In mſſ. Vat. baſ. Carnut. & aliquot aliis, *defugiendi.* Mox in uno Vatic. *obtinebit*, non *retinebit.*

[p] Lipſ. & Par. *obtinendi* : reluctantibus Bad. Er. & mſſ.

[q] Editi, excepto Bad. *ſint*; ac poſtea *adſit*, non *adeſt* : & inter hæc, *arma habentibus*, pro *caſtra habentibus* : quod ex Eraſmi margine obtinuit.

[r] Ita potiores mſſ. At editi, *tantum.* Mox Pratellenſis codex, *ratio ſe cæleſtis extendat.*

Filius etsi natus, semper tamen est, quia de Patre qui semper est.

21. Cesset itaque sollicitudo perfidiæ: neque negare nos, quia ipsa non intelligit, existimet, quod solum à nobis bene & intelligitur & creditur. Nam ipsa sermonum enuntiatione cùm natum profitemur, non tamen non natum prædicamus. Neque enim id ipsum est non natum atque nasci: quia illud ab altero, hoc verò à nemine est. Et aliud est sine auctore esse semper æternum, aliud quod patri, id est, auctori est coæternum. Ubi enim pater auctor est, ibi & nativitas est; at verò ubi auctor æternus est, ibi & [a] nativitatis æternitas est: quia sicut nativitas ab auctore est, ita & ab æterno auctore æterna nativitas est. Omne autem, quod semper est, etiam æternum est. Sed tamen non omne, quod æternum est, etiam innatum est. Quia quod ab æterno nascitur, habet æternum esse quod natum est. Quod autem non natum est, id cum æternitate non natum est. Quod verò ex æterno natum est, id si non æternum natum est, jam non erit & pater auctor æternus. Si quid igitur ei, qui ab æterno patre natus est, ex æternitate defuerit, id ipsum auctori [b] non est ambiguum defuisse: quia quod gignenti est infinitum, infinitum est etiam nascenti. Medium enim quid inter nativitatem Dei filii, & generationem Dei patris, nec ratio nec sensus admittit: quia & in generatione nativitas est, & in nativitate generatio est. Quod utrumque sine intervallo sui est, quia sine utroque [c] nec neutrum est. Quod ergo nisi ex utroque [d] non consistit, id in omnibus nisi utrumque non permanet: quia in aliquo alterum non relinquatur, quòd id ipsum alterum in aliquo non possit esse sine altero.

Objectio, Quod natum est, non fuit.

22. Sed inquiet quisquam divini hujus incapax sacramenti, Omne quod natum est, non fuit: quia in id natum est, ut esset.

In Filium semper natum non cadit non fuisse.

23. Et quis igitur ambiget, quin quæ in rebus humanis nata sunt, aliquando non fuerint? Sed aliud est ex eo nasci qui non fuit, aliud ex eo [e] natum qui semper est. Infantia enim omnis, cùm antea non fuisset, cœpit ex tempore. Quæ rursum in pueritiam excrescens, pòst etiam adolescentiam coegit in patrem. Et non semper pater est, qui antè in adolescentiam per pueritiam, & in pueritiam per infantiam cœptam profecerit. Ergo qui non semper pater est, non semper & genuit. Ubi autem semper pater est, semper & filius est. Si itaque habes in cognitione vel sensu Deum, in cujus cognitionis sacramento proprium est quòd pater est, non semper patrem esse [f] filii geniti; habes & in intelligentia & in scientia, non semper filium esse qui genitus est. Quòd si semper Patri proprium est quòd semper est pater; necesse est semper Filio proprium esse quòd semper est filius. Et quomodo in sermonem nostrum atque intelligentiam cadet, ut non fuerit ante quàm nasceretur, cui proprium est semper esse quòd [g] natus est?

Filius ut omnia cum Patre habet communia, ita & semper esse.

24. Formam itaque atque imaginem invisibilis Dei unigenitus in se Deus continens, in omnibus his quæ propria Deo patri sunt, per plenitudinem [h] veræ in se divinitatis æquatur. Nam, ut superioribus libris docuimus, per virtutem & [i] venerationem, sicut Pater, & honorandus & potens est: ita & in eo quòd Pater semper est, ei quoque, in eo quòd filius est, Filio semper esse commune est. Nam secundùm ad Moysen dictum, *Misit me ad vos is qui est*, Deo proprium esse id quod est, non ambigens sensus est: quia id, quod est, non potest intelligi dicique non esse. Esse enim & non esse contraria sunt: neque hæ diversæ significationes in unum atque idem coeunt; quia manente aliâ, altera non erit. Ergo ubi [k] *est*, non potest vel sensum vel sermonem inire non esse. [l] Sensui nostro retroacto semperque revocato ad intelligentiam ejus qui est, [m] de eo id ipsum tantùm, quòd est, [n] ei semper anterius est: quia id, quod infinitum in Deo est, [o] semper se infiniti sensus nostri recursui subtrahat: ut ante id, quod proprium Deo est, semper esse, [p] aliquid aliud intentio retroacta non capiat; quia nihil aliud ultrà [q] ad intelligentiam Dei, æternitate procedendi, quàm Deum semper esse semper occurrat. Quod igitur & per Moysen de Deo significatum, & per communem sensum nihil aliud nobis intelligendum permittitur, id ipsum unigenito Deo esse proprium

Exod. 3. 14.

Patri proprium est esse.

Filio proprium est & esse.

[a] Duo è mss. Vatic. cum Bad. Er. & Mir. *nativitas æterna est.* Vetustior è Colb. cum Germ. *nativitas æternitas est.*

[b] In duobus mss. & Miræi edit. subjungitur, *qui pater est.* in Corb. autem & aliis recentioribus, *id est, patri quod pater est*: glossema.

[c] Particulam *nec* adjecimus auctoritate mss. sinceriorum Colb. Rem. Germ. Hellenismos hujusmodi sæpe numero jam advertimus.

[d] Abest *non* ab antiquioribus mss. In Vaticanis, *quod ergo sine utroque consistit*: corruptè. Acutè hîc demonstratur, nativitatem nulla re carere potuisse, quam generatio habuerit, quia neutrum potest sine altero consistere.

[e] Er. & posteriores edit. *nasci.* At Bad. & mss. potiores, *natum*: cui verbo Martin. & quidam alii mss. addunt *esse.* Jam legimus n. 21. *Neque id ipsum est non natum* (sine *esse*) *atque nasci.*

[f] Ita mss. Vat. bas. Colb. Martin. Germ. Rem. &c. In aliquot aliis, *filii à se geniti.* At in excusis, *filii unigeniti.*

[g] Mss. Colb. Martin. & Germ. *quod natum est.*

[h] Codex Vat. bas. *in se vera nativitatis.*

[i] In mss. Vat. bas. aliis tribus Vaticanis, Martin. Corb. &c. *generationem*: corruptè.

[k] Editi, *ubi esse est*: addito *esse*, absque auctoritate veterum librorum.

[l] Solus codex Remig. cum Theod. *sensu.* Agnoscendus hîc hebraismus, quo redundat sequens pronomen *ei.*

[m] Aliquot mss. recentiores, *dum idipsum.* Alii verò libri, *Deo id ipsum* Probet lector utrùm rectè, pro *Deo*, substituerimus *de eo*, scil. qui est, maximè collatis iis quæ num. 31. de Filii infinitate enuntiantur.

[n] Excusi cum plerisque mss. *quod est Dei.* Codex Vat. bas. *quod est, ei, est Deus.* Magis placet cum Remig. ac Theod. *quod est, ei,* puta sensui retroacto.

[o] Malè apud Bad. *semper infinitum se sensus.* Nec meliùs in aliis edit. *semper infinitatem se sensus* &c. Erasmus perperam conjectavit legendum, *semper per infinitatem si sensus nostri reversui subtrahit.* Veram lectionem magno consensu exhibent mss. Sensus infinitus vocatur, cujus est infinitus recursus.

[p] In aliquot probæ notæ mss. hîc præponitur *ad*, quod adjectum videtur ob proximum verbum *retroacta.* Sententiæ hujus nativus hic sensus est: *ut intentio* quantumvis *retroacta non capiat aliquid aliud ante id, quod proprium Deo est*, scilicet *semper esse*, &c. Quod hîc generatim de Deo, nominatim de Filio sic habetur infrà num. 32. *Si quid de Filio mens retroacta scrutabitur, nihil aliud scrutantis sensui, quàm natum esse & semper esse, semper occurret.*

[q] Editi, *ad intelligendam Dei æternitatem procedat*: tum Bad. *quam Deum*: Er. Lips. & Par. *cùm Deum.* Corriguntur ope mss. Porro hîc *æternitate procedendi*, id est quod aiunt, *processu in infinitum.*

Evangelia

[a] Evangelia testantur : cùm in principio erat Verbum, & cùm hoc apud Deum erat, & cùm erat lumen verum, & cùm unigenitus Deus in sinu Patris est, & cùm Jesus Christus super omnia Deus est.

Joh. 1. 1. *Ibid. 18.* *Rom. 9. 5.*

Est æternus ab æterno: ideoque non ex nihilo, aut non aliquando fuit.

25. Erat igitur, atque est : quia ab eo est, qui quod est semper est. Ab eo autem esse, id est, ex patre esse, nativitas est. Esse autem semper ab eo qui est semper, æternitas est : æternitas verò non ex se, sed ab æterno. Ex æterno autem nihil aliud, quàm æternum. Quod si non æternum ; jam nec pater, qui generationis est auctor, æternus est. [b] Quod cùm illi patrem semper esse, atque hujus filium semper esse sit proprium esse, & in eo quod est, significatur æternitas ; per id quoque, cui quòd est proprium est, [c] proprium est & æternum. Nemini autem dubium est, quin generatio significet nativitatem, & nativitas manentem * doceat, non etiam non manentem. Porro autem ambigi non potest, neminem qui erat nasci. Nam nascendi ad eum non proficit causa, [d] qui per se maneat æternus. Sed unigenitus Deus, qui & Dei Sapientia & Dei Virtus & Verbum est, cùm natus sit, patrem testatur auctorem. Cùm ex manente natus est, non est natus ex nihilo. Cùm ante tempora æterna natus est, omnem sensum necesse est nascendo præveniat. Non reliquit in verbis, ut non fuerit ante quàm nasceretur. Si enim sensui nostro subjacet, ut non fuerit ante quàm natus est ; jam nativitate ejus & sensus [e] noster & tempus anterius est : quia omne, quod non fuit, jam & sensui obnoxium & tempori est in ea ipsa significatione qua non fuit ; quia non fuisse, pars temporis est. Qui autem ab æterno [f] est, & semper fuit, nec est sine nativitate, nec non fuit ; dum & semper fuisse supra tempus est, & natum esse nativitas est.

** eum scil. ex quo ortum ducit natus.*

Contra nativitatem æternam impiè nititur humana ratio.

26. Natum itaque unigenitum Deum, sed natum ante æterna tempora confitemur ; quia confiteri necesse est, [g] in quo nos apostolicarum ac propheticarum prædicationum dicta concludunt : cùm tamen sensus humanus intelligentiam intemporalis nativitatis non apprehendat, quia aliquid in naturis [h] terrenis ante tempora natum esse non convenit. Quod cùm ita à nobis prædicabitur ; quomodo rursum ejusdem intelligentiæ complexu non fuisse ante quàm nascitur dicemus, cùm secundùm Apostolum ante tempora æterna sit unigenitus Deus ? Si igitur natum ante tempora æterna, non ratio humanæ intelligentiæ, sed prudentiæ fidelis professio est ; quia & nativitas per auctorem est, & quod tempora excedit æternum est, & extra sensum terrenum est quod ante tempora æterna sit natum : certè jam [i] impia voluntate sensum humanæ rationis extollimus, ut per intelligentiam mundi non fuerit ante quàm nascitur, cùm ultra sensum humanum & intelligentiam mundi nascatur æternum. Æternum autem est, quidquid tempus excedit.

2. Tim. 1. 9. *Tit. 1. 2.*

De nato ante tempora dici nequit, Ante quàm natus est, nec Non fuit aliquando.

27. Tempora enim omnia vel opinione complectimur, vel scientiâ : [k] cùm quod nunc est, scimus non etiam pridie fuisse, quia quod pridie fuerit, nunc non sit ; quod autem [l] nunc est, nunc tantùm sit, non & pridie fuerit. Opinione verò ita præterita metimur, ut ante urbem aliquam institutam non ambigatur tempus fuisse, quo urbs instituta non fuerit. Cùm ergo vel scientiæ vel opinioni nostræ subjacent tempora, sensu humanæ intelligentiæ judicamus ; ut [m] de aliqua re ratione dixisse existimemur, Non fuit ante quàm nascitur, quia uniuscujusque originem tempora semper antelata præveniant. At verò cùm in Dei rebus, id est, in Dei nativitate, nihil non ante tempus æternum sit ; non cadit in id, ut [n] ante quàm natus est, cuique ante tempora æterna [o] promissum est æternum, sit secundùm beati Apostoli dictum in spe vitæ æternæ, quam promisit non mendax Deus ante tempora æterna, " [p] aliquando non fuisse dicatur : quia intelligi non potest cœpisse post aliquid, qui esse sit ante æterna tempora confitendus.

2. Tim. 1. 9. *Tit. 1. 2.*

De Filii nativitate credere tenemur aliter ac de nostris.

28. Si ergo nasci aliquid ante tempora æterna, neque in naturis humanis est, neque in intelligentia ; & tamen in hoc professioni-

[a] In vulgatis, *Evangelista testatur.* Veriùs in mss. *Evangelia*, sub quo nomine etiam Apostolorum verba comprehenduntur, ac proinde significatur quidquid ad novum Testamentum pertinet : ut antea Moysi nomine totius veteris legis fides indicatur.

[b] Editi, *Quòd si illi patrem semper esse, atque huic filium semper esse proprium est, & in eo* &c. renitentibus magno consensu mss. In his verbis, *quod cùm illi*, pronomen *illi* etiam ad Filium ab æterno natum referendum videtur, in hunc fere modum : cùm Filio in eo quòd semper est illi pater, cujus & semper est filius, proprium sit esse, &c.

[c] Apud Par. & in pluribus antiquis libris semel tantùm exstat *proprium est* : quod in prioribus edit. repetitur & in mss. Vind. Remig. Theod. &c.

[d] In codice Vat. bas. *qui semper maneat*, in Martin. *qui permaneat* : grave mendum. Filius quippe semper manet æternus, quamvis non *per se*, seu à se maneat, sed à Patre : quo nomine in illum convenit nascendi ratio.

[e] Acutè docet, sensum nostrum, si quando filius non fuerit, eo ipso anteriorem fore : quia nimirum cogitando nativitatem illius quodam modo prævertet. Ex quo sequitur eamdem nativitatem non ineffabilem esse, sed sensui nostro subjacere, secundùm id quod lib. 11. n. 46. & 47. assertum est.

[f] Verbum *est* hîc non exsistentiam sonat, sed originem, puta, *qui ab æterno auctore est*. Subinde editi excepto Par. omittunt *nec est sine nativitate, nec non fuit* : quæ verba Erasmus in quodam codice se reperisse admonet. Reperisset sanè in pluribus, si plures legisset. Nec possumus illius negligentiam non incusare, qui vel reperta an ad sententiæ integritatem necessaria essent, tantillùm expendere non curavit.

[g] Editi, *id quod.* At mss. *in quo*, vel *in quod* : id est, confessio nostra terminis iis debet contineri, quos Apostoli & prophetæ nobis constituunt.

[h] Mss. Martin. & Vat. bas. *naturis rerum terrenarum.*

[i] In Corb. & paucis aliis mss. *impiam voluntatem sensu* : minùs sincerè. Impiæ voluntatis eos Hilarius arguere solet, qui apertæ resistunt veritati, & ignorantiam non possunt apud æquos rerum æstimatores obtendere : cujusmodi sunt, qui *per intelligentiam mundi*, hoc est, ex cognitione rerum mundanarum, comparari volunt nati ante tempora æterna notitiam.

[k] Supplendum hîc, *scientiâ quidem.*

[l] Particula *nunc*, in vulgatis omissa, ex scriptis revocatur.

[m] Editi, *de aliqua ratione.* Rectiùs mss. *de aliqua re ratione* : hoc est, de re quæ temporibus subjacet, meritò ac ratione diximus, *Ante quàm nascitur non fuit.*

[n] id est, in Dei unigeniti nativitatem non cadit id, ut de illo dicatur *ante quàm natus est.*

[o] Bad. Er. & Lips. cum aliquot non melioris notæ mss. *promissum æternum sit*, omisso verbo *est*. Hoc sibi vult : qui promissum æternum ante tempora æterna possidet, (non tantùm per participationem naturæ divinæ, sed per plenitudinem,) non cadit in id, ut sit adhuc in spe ejusdem promissi ; cui conditioni res creatas subjacere num. 5. monstratum est his verbis, *Si igitur Christus creatura est, necesse est sub spe longinquæ exspectationis incertus sit.*

[p] Particula *&* hîc desideratur. Mox *qui esse sit* &c. sic intellige quasi legeres, *qui confitendus sit esse*, &c.

bus de se Dei creditur: quomodo id quod sine sensu [a] intelligentiæ æternæ natum semper, id est, ante tempora æterna esse, apostolica fides [b] cùm locuta sit; id rursus non fuisse ante quàm nascitur, per sensum humanæ intelligentiæ, nostri temporis [c] infidelitas eloquitur? cùm quod ante tempus natum est, semper est natum: quia id quod est ante æternum tempus, hoc semper est. Quod autem semper est natum, non admittit ne aliquando non fuerit: quia aliquando non fuisse, jam non est semper esse. Semper autem esse, excludit non semper fuisse. Et excluso [d] eo, per id quòd semper est natus, non semper fuisse; non cadit in sensum, ut non fuerit ante quàm natus sit: quia qui ante tempora æterna natus est; natus esse semper in sensu est; cùm tamen ante tempora natum [e] esse non subeat in sensum. Nam si, quod utique convenit, ante creaturam seu invisibilem seu corporalem, & ante omnia sæcula & tempora æterna, & ante sensum omnem natus confitendus est esse, qui per id, quòd ita natus est, semper est; concipi quoque nullo sensu licet, ut non fuerit ante quàm nascitur; quia & ante sensum omnem est, qui ante tempora æterna natus est, & in sensu numquam est eum, qui semper esse confitendus est, non fuisse.

Semper natum audientes, numquam non fuisse sentimus.

Reponunt; Qui igitur erat, natus est.

29. Sed argutè hujus interrogationis calumnia antefertur: Si, inquit, in sensum » non cadit non fuisse ante quàm nascitur, » reliquum hoc sensui est, ut qui erat natus sit.

Aliud est semper natum esse, aliud priùs esse quàm nasci.

30. Et calumnianti respondebo: Numquid à me aliud, quàm natum, dici meminerit? Aut numquid ante tempora æterna [f] esse, id ipsum sit quod est, eum qui erat nasci? quia nasci quod erat, jam non nasci est, sed [g] se ipsum demutare nascendo. Natum autem semper esse hoc est, sensum temporum nascendo præcurrere, neque intelligentiæ patére aliquando fuisse non natum. Non est itaque id ipsum, natum ante tempora æterna semper esse, & & esse ante quàm nasci. Natum autem ante tempora æterna semper esse, excludit non fuisse ante quàm nascitur.

Filius nec est, nec non fuit priùs quàm natus.

31. Ceterùm non relinquit priùs esse quàm nasci: quia qui ultra sensum est, in nullo subjacet sensui. Nam si ultra sensum est, natum semper esse; non licet jam esse post sensum, non fuisse eum ante quàm nascitur. Cùm itaque natum semper esse, nihil aliud sit confitendum esse, quàm natum; id sensui, ante quàm nascitur vel fuisse vel non fuisse, non subjacet: quia sensum nihil aliud, quàm ante tempora æterna natum esse, semper antevenit. Natus itaque est, & semper est: qui nihil aliud de se patitur intelligi & dici posse, nisi natum. Nam cùm anterior ipso tempore [h] sensuum est, (quia ante sensum tempus æternum est;) non admittit sensum de se dijudicantem, esse aut [i] non fuisse ante quàm nascitur: quia & esse ante quàm nascitur, non sit nativitatis; & non fuisse, jam temporis sit. Ergo & infinitas temporum æternorum quod est temporis, id est, non fuisse, consumit: & nativitas quod suum non est, id est, ante quàm nascitur esse, non patitur. Quòd si aut esse aut non fuisse sensui subjacebit, jam nativitas ipsa [k] post tempus est: quia qui non semper est, necesse est cœperit esse post aliquid.

Semper natus, semper esse animo sentitur.

32. Finis igitur & fidei & sermonis & sensûs est, Dominum Jesum & natum esse, & semper esse: quia si quid de Filio mens retroacta scrutabitur, nihil aliud scrutantis sensui, quàm natum esse [l] & semper esse, semper occurret. Ut igitur Deo patri proprium est sine nativitate, ita & Filio debitum est per nativitatem semper esse. Nativitas autem nihil aliud quàm patrem, neque pater aliud quàm nativitatem enuntiabit. Medium enim nihil quidquam [m] nomina ista, aut natura permittit. Aut enim non semper Pater, si non semper & Filius; aut si semper Pater, semper & Filius: quia quantum Filio temporis, ne semper filius fuerit, abnegabitur; tantum Patri deest, ne pater semper sit: ut licèt semper Deus, non tamen & pater in ea fuerit infinitate, qua Deus est.

Deus Arianis non semper pater.

33. Etiam in id se professio impietatis exten-

[a] Vaticanæ basilicæ codex, *intelligentiæ humanæ*. Sinceriùs alii, *æternæ*. Intelligentia creata, ni fallimur, *æterna* nuncupatur, quia *æternitate procedendi* ad intelligentiam Dei niti potest, licèt comprehendere eum non valeat: *quia id, quod in Deo infinitum est, semper se infiniti sensus nostri recursui subtrahat*, ut dictum est num. 24.

[b] Apud Par. *eum*, non *cùm*. Neutrum exstat in aliis edit. In nonnullis mss. *collocuta* vel *conlocuta sit*. Restituimus ex potioribus *cùm locuta sit*. Arguitur hîc temeritas hæreticorum, qui de Filii nativitate disserunt secundùm humanam intelligentiam & humanæ naturæ legem, etiam post quàm accepere verba Apostoli, eum ante tempora æterna natum esse, adeoque mentis humanæ captum excedere docentis.

[c] Vocabulum *æstimatione* perperam hîc Erasmus inseruit, ac retinuere sequentes edit. contra fidem mss. Perfidia Arianorum, quorum nomini parcere solet Hilarius, ut lib. 7. n. 3. *nova hæresis*, & num. 6. *novella nunc hæresis*, ita nunc *nostri temporis infidelitas* appellatur.

[d] id est, excluso non semper fuisse, cùm ponitur semper natus. Namque illud *eo* respondet articulo τῷ Græcorum.

[e] Erasmus, *natum non esse*, addito *non* contra sensûs veritatem & mss. fidem: postea tamen castigatus non fuit. Tum in mss. Vat. bas. & Martin. *non subeat in sensum non fuisse*: interpolatoris opera. Hoc porro sibi vult: licèt non subeat in sensum nostrum, sed superet, quod ante æterna tempora natum est, tamen in sensu est eum semper natum esse, quem ante æterna tempora natum per fidem audivimus.

[f] In ms. Martin. *natum esse*.

[g] Apud Par. desideratur *se*. Sic Verbum in homine nascendo se quodam modo demutavit, quatenus assumsit quod non erat: at nativitas non propriè illius, sed hominis assumti fuit, quamvis etiam Verbo propter unitatem personæ attribuatur.

[h] Apud Bad. & in mss. Vind. & Silv. *sensu est*. In aliis editis, *sensu non est*. In mss. Vat. bas. & Martin. *sensum est*. In ceteris, *sensuum est*. Mallet fortè aliquis, *sensûs est*. Ex principiis lib. 11. num. 46. positis maximè pendet eorum, quæ hîc disputata sunt, intelligentia.

[i] Desideratur *non* in edit. Bad. & Par. sicut in pluribus non deterioris notæ mss. Revocatur ex Er. Lips. & mss. Corb. Pratel. Remig. Faur. &c. quod & exigere videntur superiora simul & subsequentia.

[k] In solo codice Vat. bas. *post sensum est*: quod licèt possit tolerari, veriùs tamen in aliis, *post tempus est*. Si enim percipitur non fuisse ante quàm natus; illo tempore, quo non fuit, posterior est nativitas: si verò fuisse quidem, sed nondum natus; tempus illud omne, quo priùs fuit, nativitas ante se admittit.

[l] In mss. desideratur *& semper esse*. Ea librariis facilè excidere solent, in quibus eædem fere voces bis occurrunt. Quem itaque docet fides ante tempora æterna natum, quemque sermo æterni patris filium nuncupat, hunc sensus non percipit nisi semper exsistentem semperque natum; adeoque in hac notitia finitur fides, sensus & sermo.

[m] In mss. probæ notæ, *nomen, ista ut natura*. Consule num. 21.

[a] dit, [a] ut non Filio tempora nativitatis, sed Patri generationem adscribat: quia generationis modus intra nativitatis sit tempora constitutus.

fessun-... 34. Pium tibi ac religiosum, hæretice, existimas, Deum semper quidem, sed non semper patrem confiteri? Quòd si ita sentire te pium est; Paulum impietatis necesse est, Filium *ante tempora æterna* esse dicentem, condemnes: etiam ipsam testantem de se Sapientiam, quòd ante sæcula fundata sit, crimineris: quæ Patri aderat tum, cùm cælum præpararet. Sed tu, ut Deo initium tribuas quo pater est, priùs temporibus initium decerne quo cœpta erunt. Quæ si cœpta sunt, mendax est Apostolus, qui ea sit professus æterna. Soletis enim tempora de solis ac lunæ creatione numerare, quia scriptum de his sit, *Et sint in signa & tempora & annos*. Sed qui ante cælum est, quod secundùm vos etiam ante tempus est, idem & ante sæculum est. Neque solùm ante sæculum est, sed etiam ante generationes generationum sæcula præeuntes. Quid caducis & terrenis & angustis divina & infinita concludis? Nescit Paulus in Christo nisi temporum æternitatem. Non post aliquid se esse Sapientia, sed ante omnia loquitur. [b] Tecum à sole ac lunâ tempora instituta sunt: Christum autem David ante solem permanere significat, dicens, *Ante solem* [c] *nomen ejus*. Et ne res Dei mundi istius origine inchoatas arbitrareris, idem ait, *Et ante lunam generationes generationum*. Despiciuntur hîc tempora à tantis viris & prophetiæ spiritu dignis: & nihil sensui humano relinquitur, in quo se ante nativitatem, quæ tempora æterna excedit, extendat: sed hunc modum tantùm habeat religiosæ opinionis fides, ut Dominum Jesum Christum unigenitum Deum, & ad perfectæ nativitatis confessionem natum meminerit, & in divinitatis veneratione non ignoret æternum.

...1.2. | Tempora secundùm Arianos. Gen. 1.14. | b | Psal. 71.17. | c | Ibid. 5.

35. Sed accusamur mendacii, & unà nobiscum doctrina apostolicæ prædicationis arguitur, nativitatem quidem confessa, sed æternitatem [d] nativitatis professa: ut & nativitas testaretur auctorem, & æternitas in sacramento divinæ nativitatis sensum humanæ opinionis excederet. Profertur enim adversùm nos Sa- A pientiæ de se protestatio, quæ creatam se docuerit his dictis: *Dominus creavit me* [e] *in initium viarum suarum*.

Objicitur, Sapientiam se creatam testari. d

e Prov. 8.22.

36. Et ô te miser hæretice, qui indulta Ecclesiæ adversùm Synagogam arma, contra fidem ecclesiasticæ prædicationis invadis: & doctrinæ salutaris munitissimam intelligentiam rapis adversùm universorum salutem; creaturam Christum per hæc verba esse contendens, non Judæum potiùs, negantem Christi ante sæcula B æterna divinitatem & in omnibus operibus ac doctrinis [f] Dei efficaciam, per hæc verba Sapientiæ subsistentis exstinguens: quæ se nunc creatam in initium viarum Dei & in opera ejus à sæculo dixerit; ne fortè ante Mariam non manere existimaretur: neque tamen creatam se ad nativitatis intelligentiam referret; quia in viarum initium & in opera sit creata. at verò ne hoc viarum initium, quod utique de divinis rebus humanæ cognitionis exordium est, quisque ad subjiciendam tempori nativi- C tatem infinitam deputaret, * fundatam se ante sæcula sit professa: ut dum aliud est in viarum initium & in opera creari, & aliud est ante sæcula fundari, anterior intelligeretur esse creatione fundatio; & hoc ipsum, quòd fundata in opera ante sæculum est, [g] sacramentum creationis ostenderet; quia fundatio ante sæculum, & creatio in viarum initium atque in opera post sæculum sit.

Quæ creata à sæculo, eadem ante sæculum fundata. V. Euseb. lib. 3 Eccles. Theolog. c. 3. | f | * Ibid. sec. LXX. | g

37. Jam verò ne creatio & fundatio fidem D divinæ nativitatis offenderet; sequitur, *Priùs quàm terram faceret, priùs quàm montes stabiliret, ante omnes colles genuit me*. Jam genitus est ante terram, qui ante sæculum fundatus est: neque solùm ante terram, sed etiam ante montes atque colles. Et in his quidem quia de se Sapientia loquitur, plus loquitur quàm auditur. Omnia enim, quæcumque ad infinitatis intelligentiam significantur, istiusmodi esse oportet, ne rei cuiquam aut generi secunda in tempore sint. Ceterùm ad æternitatis demonstrationem nequa- E quam [h] temporalia coaptabuntur: quia per id, quòd posteriora sunt ceteris, per se ipsa non manifestant infinitatis exordium; cùm ipsa exordium temporale sortita sint. Quid enim magnum est, ut ante terram Deus Dominum Christum genuerit; cùm Angelorum origo

Non tempore, sed æternitate sæculum præcedit. Ibid. 25. & 26. | h

[a] Codex Vat. bas. cum Martin. *ut non solùm Filio*. Mox alter Vatic. *sed & Patri*. Tum Bad. Er. & Lips. *generationis adscribat*. In quibus peregrinæ manus secundas curas timemus. Porro illud *non Filio* &c. id est, nulla Filii mentione facta, Patri generationem adventitiam fuisse scribat. Namque verbum *adscribere* propriè idem est, quod rei jam scriptæ adjicere. Unde & pro *adjicere* simpliciter usitatum est. Et manifestum est hîc reprehendi Arianos, quòd Patri jam in sua natura constituto generationem tamquam adventitium modum adscribant & adjungant. Refutatur quippe illud Arii in sua Thalia apud Athanas. Or. 2. cont. Ar. p. 310. & 314. *Deus non semper erat pater: sed fuit quando solùm Deus erat, & pater nondum erat*. Tum de Verbo: *Fuit quando non erat: neque erat ante quàm fieret, sed exordium ut crearetur etiam ipsum habuit. Erat enim solus Deus, necdum erat Verbum & Sapientia: deinde cùm vellet Deus nos condere, tunc unum aliquem fecit, quem Verbum & Sapientiam nominavit*. Ex quibus liquet, cum quo noster Hilarius modò causam habeat.

[b] Mss. Martin. & Vat. bas. *Et cùm à sole*: malè. Hîc eadem est phrasis ac superior, *Soletis tempora de solis ac lunæ creatione numerare*. Nec differt illud *tecum*, & *secundùm te*, aut *tuâ sententiâ*.

[c] Auctoritate mss. removimus hinc verbum *permanet*, & adjecimus suprà vocabulum *David*, & infrà conjunctionem *&* ante *generationes* delevimus.

[d] In mss. Vat. bas. & Martin. adjungitur hîc *naturalem*: quod interpolatorem sapit.

[e] Particulam *in* hîc & infrà omittunt excusi, consentientibus quidem LXX. sed dissidentibus sincerioribus mss. & subnexis Hilarii verbis. Quàm hîc locus Arianis familiaris esset, Gregorius Naz. Or. 36. n. 4. testatur his verbis: *Illud quidem unum ipsis fere in promtu est, Dominus creavit me initium viarum*.

[f] Editi, *Dei efficientiam, hæc verba Sapientiæ subsistentis exstinguunt*: & paulo antè Bad. *Nam Judæi potiùs negant*; Er. & Lips. *Nam Judæum* &c. corriguntur ope mss. Hoc enim sibi vult: cur non potiùs his verbis Sapientiæ ante sæcula subsistentis uteris ad exstinguendum Judæum &c. Sapientiæ ante Mariam subsistentis efficaciam ac virtutem in operibus ac doctrinis fusè prosecutus est Hilarius libris IV. & V.

[g] id est, ad sacramentum ac mysterium (dispensationis scilicet) pertinere ostenderet, quòd eadem se creatam testificatur.

[h] Er. Lips. & Par. *temporaria*. Ms. Vat. bas. *tempora*. Alii cum Bad. *temporalia*.

[a] terræ creatione reperiatur antiquior? Aut cur qui ante terram genitus diceretur, etiam ante montes, neque solùm ante montes, sed etiam ante colles natus manifestaretur: cùm collium significatio post montes sit, montium verò intelligentia post terram sit? Per quod existimari non potest, idcirco hæc esse dicta, ut ante colles & montes & terram esse intelligeretur, [b] qui ea, quæ ante terram & montes & colles sunt, infinitatis suæ æternitate præcelleret.

Infinitatem suam quantum licet explicuit. *Prov. 8. 26. sec. LXX.*

38. Sed sensum nostrum sermo divinus non inopem rationis reliquit; nam causam dicti per hæc quæ consequuntur ostendit: *Deus fecit regiones, & inhabitabilia, & cacumina quæ habitantur sub cælo. Cùm pararet cælum,* [c] *eram cum illo, & cùm segregabat suam sedem. Quando super ventos validas faciebat in summo nubes, & cùm certos ponebat* [d] *fontes sub cælo, & cùm fortia faciebat fundamenta terræ, ego eram apud illum componens.* Quis hîc temporum locus est? Aut quò se extendere ultra [e] infinitam unigeniti Dei nativitatem, humanæ intelligentiæ sensus permittitur. Non enim per hæc, quorum creationem mente concipimus, comprehendi generatio ejus potest, qui anterior his omnibus est: [f] ut quamvis præstet in tempore, non tamen infinitus sit, cui hoc solum tributum sit, ut ante temporalia natus sit. Nam cùm [g] illa tempori in sui constitutione subjaceant, ille tamen, licèt anterior his omnibus sit, non sit liber à tempore: quia temporalis horum constitutio tempus nativitatis ejus, qui antè sit natus, ostendat; dum hoc ipsum ei tempus est, quòd temporalibus antefertur.

Per creata comprehendi non potuit.

Æternis se coæternam docuit.

39. Sed Dei sermo & veræ sapientiæ doctrina [h] loquitur perfecta, & absoluta significat, docens se non temporalibus esse anterio-

A rem, sed infinitis. Cùm enim præpararetur cælum, aderat Deo. Numquid cæli præparatio Deo est temporalis? ut [i] repens cogitationis motus subitò in mentem tamquam antea torpidam stupentemque subrepserit, humanoque modo fabricandi cæli impensam & instrumenta quæsierit? Atqui alius prophetæ de operationibus Dei sensus est, cùm ait: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Præcepto tamen Dei cæli ut firmaren- *Psal. 32. 6.*

B tur eguerunt; nam apparatus & virtus eorum in hac imperturbatæ constitutionis suæ firmitate, non de temperatione alicujus [k] & permixtione materiæ, sed ex spiritu divini oris exsistit. Quid ergo est, præparanti Deo cælum genitam ab eo adesse sapientiam; cùm neque creatio cæli ex præparatione consistat, neque naturæ Dei sit, in apparatu eum cogitandi operis [l] commorari? Nihil enim non semper cum Deo fuit, quidquid in rebus est: quæ

C etsi ad creationem sui cœpta sunt, non sunt tamen [m] ad Dei vel scientiam vel potestatem inchoata. Et testis est nobis propheta dicens, *Deus qui fecisti omnia quæ futura sunt.* Quæ enim futura sunt, licèt in eo quòd creanda sunt adhuc fient, Deo tamen, cui in creandis rebus nihil novum ac [n] repens est, jam facta sunt: dum & temporum dispensatio est ut creentur, & jam in divinæ virtutis [o] præscientæ efficientiâ sint creata. Et idcirco nunc Sa- *Esa. 45. 11. sec. LXX.*

D pientia natam se ante sæcula docens, anteriorem se non solùm his quæ creata sunt docet, sed æternis coæternam, præparationi scicet cæli, & discretioni sedis Dei. Non enim tum discreta sedes est, cùm effecta est: quia aliud est discerni sedem, aliud componi. Neque tum paratum cælum est, cùm præparatum est: nam erat apud præparantem [p] & discer-

[a] Nihil in his verbis apparet, quod Concilio Lateran. IV. adversetur, c. 1. de fide definienti, Deum *ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritalem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam.* Planum enim est, hæc Genesis verba, *In principio creavit Deus cælum & terram*, ita à Concilio intellecta esse, ut ad angelicam naturam *cælum, terram* ad mundanam referret. Atqui Moyses cælum ante terram memorat, proindeque à Concilio non dissentit, qui angelos ante eamdem prædicat. Neque magis repugnat, quod ait Hilarius contra Auxentium n. 10. *diabolum ante tempora & sæcula substitisse.* Nam cùm hîc disputet contra Arianum, Ariani autem soleant *tempora de solis ac lunæ creatione numerare*, ut audivimus suprà n. 34. hinc tantùm sequitur angelos, proindeque diabolum, ante solem & lunam substitisse. Quod non inficiandum censet Epiphanius hær. 65. n. 3. propter illud Job 38. 7. *Cùm facta sunt sidera, laudaverunt me omnes angeli mei*: quamvis ipse non probet eos, qui aliquantum temporis ante mundum angelos conditos senserunt; & contra eos num. 8. acriter contendat, certam illam esse & immutabilem sententiam, *ante cælum & terram nihil omnino rerum conditarum exstitisse: quoniam in principio creavit Deus cælum & terram; ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit.* Aperta tamen est ea de re Ambrosii sententia lib. 1. Hex. c. 1. n. 19. dicentis, *Angeli, Dominationes & Potestates, etsi aliquando cœperunt, erant tamen jam quando hic mundus est factus*: & præf. in Ps. 1. n. 2. *Ante ipsum initium mundi Cherubim & Seraphim cum suavitate canoræ vocis dicunt, Sanctus* &c. Eamdem Hilario nostro opinionem Erasmus hîc adscripsit, subscribentibus ei quotquot postea hos libros ediderunt. Nihil tamen advertimus, cur illi certò attribuatur. Immo in Ps. 135. n. 8. docere videtur, angelorum sedes ante ipsosmet fuisse institutas. Quamquam in ea opinione nihil discriminis agnoscit Augustinus lib. 11. de Civ. Dei c. 32. ubi prima Genesis verba, *In principio*, non de temporis initio, sed de Verbo, quod etiam Scriptura principium nominat, interpretari licere, eaque interpretatione se plurimùm delectari declarat. Hoc dumtaxat cavendum docet, ne angelos Deo coæternos arbitremur.

[b] Sic Bad. Er. & Lips. ac plures mss. Aliquot probæ notæ cum Par. *quia ea.* In codice Vat. bas. *quia qui ante terram & montes & colles sit.*

[c] Martin. ms. *aderam illi, & cùm secerneret suam sedem.*

[d] In mss. *montes.*

[e] Legendum putamus *in infinitam*: ut præpositio *in* exciderit propter similem syllabam subsequentem.

[f] Vetus codex Colb. cum Remig. & Germ. *ut quam præstet.* Silv. *ut quamvis præsit*: non ita malè. Eclipticus est hic sermo, eoque hæreticorum sententia notatur, qua Christo ita primum in ordine rerum temporalium locum concedunt: ut quamvis iis præstet, seu præcellat ac præexsistat, in tempore tamen sit, & non infinitus.

[g] Mss. Remig. ac Theod. *illi tempora.* Quidam alii, *illa tempora.* Vat. bas. ac Martin. *illa temporaria.* Hæc rursum ex hæreticorum sententia exprimuntur: quæ verbo addito sic planiora fient, *Nam id volunt, ut cùm illa* &c.

[h] In vulgatis, *doctrina quæ loquitur.* Abest *quæ* à potioribus mss.

[i] Bad. & Er. *& res cogitationis motu subito.* Unus è mss. Vatic. cum Martin. *ut recogitationis motus*: quibus favent antiquior Colb. Germ. Corb. ac plurimi alii, in quibus exstat *res cogitationis.*

[k] Hæc respiciunt errorem sæpe ab Hilario refutatum, *quo fortuitis concursibus hunc mundi habitum in se coisse, atque ita ex inordinatione in ordine constitisse, quidam ausi sunt opinari*, ut loquitur in Psal. 148. n. 3.

[l] Vetustior è mss. Colb. cum Martin. *commemorari.*

[m] Lipsius, apud Par. non correctus, pravè reposuerat *à Dei vel præscientia vel potestate.* Apud Bad. & Er. *ad Dei vel præscientiam* &c. Sequimur mss. Hîc rebus conditis, quantum ad scientiam ac potestatem Dei attinet, negatur initium; secus verò, si in se spectantur. Pòst orationis leges videntur postulare *cœpta & inchoata.*

[n] Sic mss. Editi verò, *recens.*

[o] Editi, *& præscientia efficientia*: corriguntur auctoritate mss.

[p] Omnes propè mss. *& decernentem.*

nentem. Postea verò componebat cum [a] parante: æternitatem suam cum præparanti adest, & ministerium quando cum parante componit ostendens. Idcirco nunc etiam ante terram & montes & colles genitam esse se dixit, quia & præparationi cæli adfuisse se doceret: ut hæc jam tunc, cùm præpararetur cælum, penes Deum facta esse per id, quòd nihil Deo novum est, demonstraret.

Mundum Deus ab æterno simul ac semel præparavit.

40. Perpetua enim & æterna rerum creandarum est præparatio: neque partibus cogitationum B universitatis hujus corpus effectum est, ut primùm de cælo sit cogitatum, tum postea terræ cura & tractatus Deum inierit, [b] cogitatumque per singula sit, ut primùm in planitiem diffunderetur, deinde postea meliore consilio montibus elevaretur, rursum autem etiam collibus variaretur, quartò deinde habitabilis etiam in ipsis cacuminibus redderetur, [c] præparatumque cælum ac sedes Dei segregaretur, C ventorumque exhalationes nubes in summo validæ continerent; tunc deinde certi sub cælo fontes mearent, ac postremò fundamentis terra fortibus confirmaretur. Singulis enim his omnibus anteriorem se Sapientia esse profitetur. Sed cùm omnia per Deum quæ sub cælo sunt facta sint, & componendo cælo Christus adfuerit, & ipsam præparati cæli præveniat æternitatem; non patitur hoc existimari in Deo minutarum rerum particulatas cogitationes, D quia omnis horum præparatio Deo est coæterna. Nam tametsi habeat dispensationem sui, secundùm Moysen, firmamenti solidatio, aridæ nudatio, maris congregatio, astrorum constitutio, aquarum terræque in ejiciendis ex se animantibus generatio: [d] sed cæli, terræ, ceterorumque elementorum creatio ne levi saltem momento operationis discernitur; quia eorum præparatio æquabili penes Deum æternitatis infinitate constiterat.

Gen. 1.

Epilogus.

41. His igitur infinitis & æternis in Deo E Christus cùm adesset, solam nobis nativitatis A suæ permisit conscientiam: ut quantum ad fidem proficeret [e] Dei intellecta nativitas, tantum valeret ad susceptam religionem cognita nativitatis æternitas: quia ex eo qui æternus est patre, nec ratio nec sensus admittat, nisi æternum filium prædicari.

Creationis in Christo nomen frustra objicitur.

42. Sed creationis nomen nos & professio movet. Moveat sanè nomen creationis, si non nativitas ante sæcula, & creatio in initium viarum Dei & in opera prædicatur. Non enim B potest nativitas pro creatione accipi: cùm [f] nativitas ante causam sit, creatio verò per causam. Ante præparationem enim cæli erat & [g] ante sæculum fundatus, qui in initium viarum Dei & in opera est creatus. Aut numquid ejusdem intelligentiæ est, in initium viarum Dei & in opera creari, & nasci ante omnia? quorum unum habet tempus in gestis, aliud verò intemporalem intelligentiam continet.

Mundi condendi velut minister creatus perperam obtenditur.

C 43. Aut fortè velis id, quod in opera creatur, ita intelligi oportere, ut propter opera sit creatum: id est, ut [h] Christus causâ efficiendorum operum sit creatus, ut ipse servus potiùs & operator mundi maneret, non Dominus gloriæ natus esset; & ad ministerium efficiendi sæculi crearetur, non etiam semper esset filius dilectionis, & rex sæculorum? Sed quamquam hunc impiissimum sensum tuum intelligentia communis exstinguat; quia aliud D sit in initium viarum Dei & in opera creari, aliud ante sæcula nasci: tamen hic idem locus, ne propter operationem mundi Dominum Christum creatum esse mentireris, occurrit, cùm Deum patrem effectorem atque operatorem universitatis ostendit. Tutò id quidem, [i] quia ei qui pararet omnia adesset ipse componens. Sed cùm Scriptura omnis creatorem mundi Dominum Jesum Christum esset locutura; nunc tamen Sapientia, ad E [k] enecandam impietatis occasionem, & fabricatorem mundi Deum patrem professa est,

[a] In exemplari Martin. hîc & infrà, *præparante*: confunduntur verba, quibus non unam vim tribuit Hilarius. Nam *præparo* æternam rerum dispositionem, temporariam autem earumdem conditionem *paro* hîc sonat.

[b] Editi, excepto Bad. *consultatumque*: renitentibus mss.

[c] Lips. & Par. absque ulla auctoritate, *præparareturque cælum*; & mox, *continerentur*: & post pauca ex sola Erasmi conjectura, *fontes manarent*, pro *mearent*.

[d] Ita mss. At excusi, *non tamen cæli*, omissâ deinde particulâ *ne*. Nondum vidimus in quo hujus libri loco, ut vult Sculterus, prædicarit Hilarius, *Deum omnia simul & semel creasse contra Moysen*. Sæpius jam ostendimus aliter eum sensisse. Sin autem hoc loco sese fundatum existimavit, fundamentum illius evertere facile est. In eo enim apertè *secundùm Moysen*, non *contra Moysen*, firmamenti solidatio, aridæ nudatio &c. prædicatur. An favere sibi putat, quòd hîc *cæli, terræ ceterorumque elementorum creatio ne levi saltem momento operationis discernitur*? At quis non videat etiam hoc ex verbis Moysi exprimi dicentis, *In principio fecit Deus cælum & terram*? Neque minùs rectè in superioribus negatur *partibus cogitationum universitatis hujus corpus effectum*, ubi de æterna mundi præparatione sermo est, non de temporaria ipsius conditione. Præterea quid est, quòd firmamenti solidationi, aridæ nudationi &c. quæ dispensationem habeant, opponitur cæli terræque creatio, quæ nec levi operationis momento discernitur? Hoc etiam illustrare est ex Ambros. epist. nunc 44. n. 2. ubi ait, *Sex diebus factum mundum exprimit* Moyses, *non quòd Deus tempore indiguerit ad constitutionem ejus: cui intra momentum suppetit facere quæ velit; dixit enim, & facta sunt: sed quia ea, quæ fiunt, ordinem quærunt, ordo autem & tempus & numerum plerumque exigit*. Quod enim Ambrosius ordinem, hoc dispensationem appellare videtur noster Hilarius: qui ex cæli terræque conditione non malè innuit, Deum potuisse omnia simul creare, aut potiùs confirmat quod de æterna omnium præparatione præmiserat; quamvis suprà num. 16. nominatim hominem post cælum, terram, diem &c. formatum asserat.

[e] Bad. & Er. *Dei intellectus*. Martin. ms. *Dei intellecta natura*. Mox in vulgatis, *nisi coæternum*, ubi in mss. *nisi æternum*.

[f] Locum hunc illustrat illud Gregorii Nazianz. Or. 36. n. 6. *Quid est ex omnibus rebus quod causa sit expers? Divinitas: nemo enim est, qui Dei causam dicere queat: alioqui id Deo antiquius esset... Ergo quoniam hîc apertè & Creavit & Gignit me reperimus; simpliciter hoc censeo, quod cum causa conjunctum invenimus, id humanitati assignandum esse; quod autem simplex causaque expers, divinitati adscribendum. Age igitur, an non illud* CREAVIT *annexam habet causam? Creavit enim me, inquit, principium viarum suarum ad opera sua... At illud* GIGNIT ME *sine causa dictum est* &c.

[g] Editi, *ante sæcula*. Tum Bad. & Er. *fundata, quæ initium... est creata*: Lips. & Par. *fundatus, qui initium* &c. Postea mss. Martin. & Vat. bas. *ante omnia opera est creatus*: depravatè.

[h] Athanasius Or. 3. cont. Ar. p. 395. testis est, Arium, Eusebium atque Asterium non modò dixisse, sed & scripsisse, quòd *Deus volens creatitiam naturam producere, cùm vidisset eam puritatis suæ & architectationis participem esse non posse, condidit ac fecit primus solus unum solum, eumque appellavit suum filium & Verbum, ut illo condito reliqua deinde per eum condi possent*. Cujus opinionis absurditatem multis deinde demonstrat argumentis. Videsis Hilarii Fragm. 2. n. 26.

[i] Ab Erasmo hîc additum est *pro nobis*, & in sequentibus edit. retentum absque auctoritate. Antea pro *tutò id quidem*, quod est, ad securitatem fidei de Filii æternitate, præ se ferunt mss. Vat. bas. & Martin. *totum id quidem*.

[k] Editi, *ad denegandam*: emendantur ex scriptis.

neque se fabricanti docuit afuisse, quippe cùm A adesset etiam præparanti: [a] & cùm Pater pararet, & Sapientia cum parante componeret, adessetque etiam præparanti; per id ipsum [b] in ea quæ propter opera creata esse intelligeretur, quia æternæ præparationi futurorum operum adfuisset, neque Scripturam mendacem constitueret, quia cum parante componeret.

Creatam se dicit Sapientia, spectans quæ post sæculum gessit.

44. Sed tandem doctrinæ catholicæ revelatione, quid sit Christum in initium viarum Dei & in opera creatum esse, in principio hæ- B retice cognosce, & ipsius Sapientiæ dictis impiæ hebetudinis tuæ disce stultitiam. Cœpit enim ita: [c] *Si enuntiavero vobis quæ quotidie fiunt, memorabor ea quæ à sæculo sunt enumerare:* (*Prov.* 8. 21. *sec.* LXX.) namque cùm antè dixisset, *Vos ò homines obsecro, & emitto vocem meam filiis hominum. Intelligite simplices astutiam,* [d] *indocti autem cor apponite;* (*Ibid.* 4. & 5.) & rursum, *Per me reges regnant, & potentes scribunt justitiam. Per me principes magnificantur, & tyranni per me tenent terram;* (*Ibid.* 15. & 16.) & rursum, C *In viis æquitatis ambulo, & inter medias semitas justitiæ conversor: ut dividam diligentibus me substantiam, & thesauros eorum impleam bonis.* (*Ibid.* 20. & 21.) Quotidianum opus suum Sapientia non tacet. Et primùm universos obsecrans monet, & simplices intelligere astutiam, & indoctos cor apponere, ut verborum distinctas discretasque virtutes vehemens ac diligens lector expenderet. Suis itaque modis, suis constitutionibus universa agi, intelligi, laudari, * obtineri docet: (* *al.* teneri.) D & intra se regna regum, & potentium prudentiam, & principum famosa opera, & jus terram obtinentium tyrannorum contineri ostendit: se quoque non admisceri iniquitatibus, neque injustitiis interesse; & hoc ob id, ut [e] universis æquitatis ac justitiæ operibus intercedendo, diligentibus se æternorum bonorum & incorruptorum thesaurorum opulentiam subministret. Ergo ea se, quæ quotidie fiunt, enarraturam professa, memorem se quo- E que ad enumeranda ea quæ à sæculo sunt pol- A licetur. Et nunc quis hebetudinis sensus est ea, quæ à sæculo esse memorata sunt, quòd antè sæculum gesta sint existimare? quia in his, quæ à sæculo sunt, opus omne post sæculum est: at verò quæ ante sæculum sunt, præveniunt sæculi à se posterioris constitutionem. Memorem itaque se ad dicenda ea, quæ à sæculo sunt, professa Sapientia ait, *Dominus creavit me in initium viarum suarum in opera sua.* (*Ibid.* 22.) Rerum itaque à sæculo gestarum significatio ista B est: neque generationis ante sæcula prædicatæ, sed dispensationis à sæculo [f] initæ doctrina est.

Natus ante sæcula, creatus à sæculo quid.

45. Et quærendum est, quid sit natum ante sæcula Deum, rursum in initium viarum Dei & in opera creari. Quia ubi ante sæculum est nativitas, [g] infinitæ generationis æternitas est: ubi verò à sæculo est creatio eadem in vias Dei atque in opera ejus, operibus ac viis causa creationis aptata est. Ac primùm, C quia Christus sapientia est; videndum est, an ipse sit initium viæ operum Dei. Nec, ut opinor, ambigitur: ait enim, Ego sum via; (*Joh.* 14. 6.) &, Nemo vadit ad Patrem, nisi per me. (*Ibidem.*) Via est dux euntium, festinantium cursus, ignorantium securitas, & quædam nescitarum ac desideratarum rerum magistra. [h] Ergo in viarum initium in opera Dei creatur: quia & via est, & deducit ad Patrem. Sed creationis hujus, quæ à sæculo est, ratio quærenda est. Nam D ultimæ dispensationis sacramentum est, [i] quo etiam creatus in corpore, viam se Dei operum est professus. Creatus autem est in vias Dei à sæculo: cùm ad conspicabilem speciem subditus creaturæ, habitum creationis assumsit.

Qui initium viæ operum Dei. *Quando & cur creatus.* *Viæ Dei à sæculo, species creatæ à Verbo assumtæ.*

46. Videamus itaque in quas Dei vias, & in quæ opera à sæculis creata sit, nata ante sæcula ex Deo Sapientia. Vocem [k] deambulantis in paradiso Adam audivit. (*Gen.* 3. 8.) Putasne deambulan- E tis incessum nisi in specie assumtæ creationis auditum: ut in aliqua creatione consisteret, qui

[a] Pro *&* legendum putamus *ut*, experti sæpius in mss. alterum pro altero scribi. Subsequentem autem particulam *&* ante *Sapientia* restituimus auctoritate mss. cùm à Lipsio fuisset expuncta.

[b] In vulgatis, *per idipsum utrumque complexa est, ne propter opera* &c. lectio interpolata, cui non favet nisi codex Corb. & pauci ex eo apographi, in quibus exstat, *per id ipsum utrumque complexus est, ne* &c. At in mss. antiquioribus Colb. Vat bas. Carnut. . Martin. Germ. Remig. &c. *per id ipsum in ea quæ propter opera:* mendosè quidem, sed quod facilè ad mentem Hilarii reduxeris, si ita corrigas, *per id ipsum ea neque propter opera.* Et vix quidem temperavimus nobis, quin textum ita emendatum offerremus. Nam tria hîc ab Hilario simul comprobari constat; primum, æternam esse Sapientiam, quæ Patri mundum ab æterno præparanti aderat; alterum, creatam eam non fuisse propter temporariam mundi conditionem, si quidem & ab æterno erat, & Pater ipse mundum ipse composuisse prædicatur; postremum, ita à Patre mundum fuisse compositum, ut Sapientia cum componente componeret; ne mendax Scriptura inveniretur, quæ in Sapientia facta esse omnia commemorat.

[c] Tota hæc sententia desideratur in Vulgata nostra; apud LXX. autem exstat post ea quæ versu 21. continentur. Mox *namque cùm*, perinde est atque *nempe cùm.*

[d] Editi, *in doctrina*, omisso deinde *autem:* corriguntur ex potioribus mss. Colb. Carn. Remig. &c. consentiente græco, ἀπαίδευτοι δέ. Sic & infrà: *Monet & simplices intelligere & indoctos cor apponere.* Mox Bad. & Er. *sciunt*; pro *scribunt.*

[e] Remig. ms. *in universa.* Plerique alii, *universa.* Hinc fortè veriùs Martin. & alii nonnulli, *universa.*

[f] In antiquioribus mss. Vat. bas. Colb. &c. *inita.* In Martin. *initiata.*

[g] Editi, *illic infinita*; & mox, *eademque in vias Dei atque in opera ejus ostenditur: illic operibus ac viis* &c. castigantur auctoritate potiorum mss. Hîc habetur responsio quæstioni propositæ, cur eadem Sapientia dicatur nata ante sæcula, simul & à sæculo creata. *Quia* (supple, *nimirum*) *ubi ante sæculum est* &c. *ubi verò eadem*, quæ ante sæculum nativitas est, *creatio est à sæculo in vias Dei*, &c. Vias Dei intelligit Hilarius tempus, quo Deus per conspicabilem speciem degit in sæculo. Unde proximè antè habet: *Rerum à sæculo gestarum significatio ista est:* & in Matth. cap. 22. n. 6. *Sæpissime viam tempus sæculi intelligendam monuimus.*

[h] Lips. & Par. hîc præponunt pronomen *hæc*, cujus loco intelligitur Christus. Tum sola Erasmi editio, *ergo viarum initium:* ac deinde cum Bad. ac duobus mss. *& in opera Dei.*

[i] In vulgatis, *quod etiam.* Concinniùs in mss. *quo.* Duplex hîc distinguitur Verbi dispensatio, ultima scilicet, qua novissimis temporibus homo factus inter homines conversatus est; altera verò ab initio sæculi, ex quo varias variarum creationum species assumens multifariè multisque modis visus est Patribus: *cùm ex illo usque tempore*, inquit Eusebius lib. 5. dem. Ev. c. 19. *Salutarem suum ad homines adventum exordiretur.* Quòd autem Dei filius modò in forma angeli, modò in forma hominis, modò in assumta ignis ac nubis specie visus sit, ut singulis pro cujusque affectione congrueret, edisserit idem Eusebius ibid. à cap. 9. ad 19. Quibus consentit Augustinus epist. 164. ad Evod. n. 17. *Ab initio generis humani, vel ad arguendos malos, sicut ad Cain ac priùs ad ipsum Adam uxoremque ejus, vel ad consolandos bonos, vel ad utrosque admonendos, ut alii ad salutem suam crederent, alii ad pœnam suam non crederent, ipse utique* (Christus) *non in carne sed in spiritu veniebat, visis congruis alloquens quos volebat, sicut volebat.* Utriusque hujus dispensationis elegantem habes comparationem lib. 5. n. 17.

[k] In duobus mss. *Dei deambulantis.*

[a] inambulans fuerit auditus? Non requiro qualis ad Cain & Abel & Noe locutus sit, & benedicens quoque Enoch [b] qualis adfuerit. Angelus ad Agar loquitur: & utique idem Deus est. Numquid speciei ejusdem est cùm angelus videtur, cujus est in ea natura qua Deus est? Certè species angeli ostenditur, ubi postea Dei natura memoratur. Sed quid de angelo dicam? Homo ad Abraham venit. Numquid secundùm hominem in creationis istius habitu Christus talis assistit, qualis & Deus est? Sed homo loquitur, & corpore assistit, & cibo alitur: verumtamen Deus adoratur. Certè qui antè angelus, nunc etiam homo est: ne naturalem hanc esse Dei speciem diversitas hujus ipsius assumtæ creationis pateretur intelligi. Adest autem ad Jacob etiam usque ad luctæ complexum in habitu humano, & manum conserit, & membris nititur, & lateribus inflectitur, & in omni motu nostro incessuque consistit. Sed idem postea & Moysi esse ignis ostenditur: ut naturæ creatæ tum potiùs ad speciem, quàm ad substantiam naturæ, fidem disceres. Habuit tum in se potestatem conflagrandi, non tamen naturalem suscipiens urendi necessitatem: quia sine rubi damno conflagratio ignis apparuit.

[Gen. 16. 9. & 13.] [Gen. 18. 2.] [Cur varias assumserit.] [Gen. 32. 24.] [Exodi 3. 2.]

47. Curre per tempora, & intellige qualis visus sit, vel Jesu Nave nominis sui prophetæ, vel Esaiæ etiam cum * evangelico testimonio visum prædicanti, vel [c] Ezechieli usque ad conscientiam resurrectionis assumto, vel Danieli hominis filium in æterno sæculorum regno confitenti, ceterisque aliis, quibus se in habitu variæ creationis ingessit, [d] in vias Dei & in opera Dei, ad cognitionem scilicet Dei & nostræ æternitatis profectum. Quid hîc nunc hæc humanæ salutis dispensatio tam impiam æternæ nativitatis contumeliam molitur? Creatio ista à sæculis est: ceterùm ante sæcula infinita nativitas est. Vim sanè [e] nos dictis afferre contende, si Propheta, si Dominus, si Apostolus, si sermo ullus ad divinitatis æternæ nativitatem creaturæ retulit nomen. In his enim omnibus Deus, qui ignis consumens est, ita creatus inest, ut creationem ea virtute qua assumsit absumeret: potens abolere rursum, quod tantùm ad causam contemplationis exstiterat.

[Sine æternitatis damno assumsit.] [*Joh. 12. 41.] [Ezech. 37.] [Dan. 7. 13. & 14.] [Ea virtute qua assumsit, absumsit.]

48. Beatam autem illam & veram conceptæ intra virginem carnis nativitatem, quia tum creaturæ nostræ & natura & species nascebatur, creaturam & facturam Apostolus nominavit. Et certè * cum eo veræ secundùm hominem nativitatis hoc nomen est, cùm ait, *At ubi venit adimpletio temporis, misit Deus filium suum factum de muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege sunt redimeret, ut adoptionem filiorum* [f] *consequeremur.* Filius itaque suus est, qui est in homine & ex homine factura; neque factura tantùm, sed etiam creatura, ut dicitur: *Sicut est veritas in Jesu, deponere vos secundùm priorem conversationem veterem hominem eum, qui corrumpitur secundùm concupiscentias deceptionis. Innovamini autem spiritu sensus vestri, & induite novum hominem eum, qui secundùm Deum creatus est.* Induendus itaque novus homo ille est, qui secundùm Deum creatus est. Qui enim erat filius Dei, natus erat & filius hominis. Quia non divinitatis erat nativitas, sed creatura carnis; significationem sui generis accepit novus homo, secundùm natum ante sæcula Deum creatus. Et cur secundùm Deum homo novus creatus esset, ostendit secundùm hæc adjiciens, *in justitia, & sanctitate, & veritate.* Dolus enim in eo non fuit: & factus est nobis justitia & sanctificatio, & ipse est veritas. Hunc ergo Christum, qui secundùm Deum novus homo creatur, induimur. [[g] Secundùm Deum autem creatur: quia secundùm Dei justitiam, & sanctificationem, & veritatem homo peccati nescius est creatus.]

[Christum ut hominem dixit Paulus factum.] [*secundùm eum.] [Gal. 4. 4.] [f Dixit & creatum.] [Ephes. 4. 21. &c.] [Ibid. 24.]

49. Si [h] igitur Sapientia, memorem se eorum quæ à sæculo gesta sunt dicens, in opera Dei atque in vias Dei creatam esse se dixit; atque ita creatam, ut fundatam se ante sæcula doceret, ne assumtæ illius variè ac frequenter creationis sacramentum demutasse naturam videretur, cùm fundationis firmitas convellendi statûs non reciperet perturbationem; at verò ne fundatio aliud quidquam quàm nativitatem videretur ostendere, ante omnia professa est esse se genitam: nunc verò cur creatio ad nativitatem deputatur, cùm quæ genita ante omnia est, ipsa fundata ante sæcula est; quæ autem fundata ante sæculum est, ea ipsa in initium viarum Dei & in opera ejus creata à sæculis est: ut creatio à sæculis differre intelligeretur ab ea, quæ ante sæcula & quæ ante universa nativitas est? Non habet saltem impietas veniam, ut prætendat impietatis errorem.

[Creatio nativitati æternæ nequit deputari.]

50. Namque etsi infirmitas intelligentiæ sensum [i] religiosæ opinionis impediret, ne nunc quæ creationis proprietas esset consequi posset; tamen vel secundùm Apostoli dictum facturam veræ nativitati [k] deputantem, creationem quo-

[Quo sensu etsi imperitè, non tamen impiè posset deputari.]

[a] Antiquior codex Colb. cum Martin. & Germ. favente Remig. *in ambulantis*: non displicet sic duobus verbis, ut vox *specie* tacita intelligatur.

[b] Idem codex Colb. *qualis fuerit.*

[c] In plerisque mss. *Ezechielo*, & mox, *vel Danihelo.*

[d] Verbum *ingessit* in ms. Remig. hîc repetitur: cujus repetitionis loco in mss. Vat. bas. Martin. uno Colb. & Sorbon habetur *incessit*. Mox apud Lips. & Par. *& cognitionem*, pro *ad cognitionem*: malè.

[e] Apud Par. omissum erat *nos*, suffragante vetere ms. Colb. cum Germ.

[f] In uno ms. Colb. & altero Sorbon. *consequeremur per fidem*: dissidentibus aliis libris ac sacro textu græco & latino.

[g] Quæ uncinis includuntur, omittunt cum edit. Bad. omnes mss. uno Colb. & altero Sorbon. exceptis.

[h] Lips. & Par. *Sic igitur*: renitentibus Bad. Er. & mss.

[i] Editi, *irreligiosæ*: emendantur ex scriptis.

[k] In vetusto ms. Colb. ac Germ. *deputandam.* Mallemus *deputantis*, scil. *Apostoli.* Exemplo Apostoli, qui Christum & natum dixit & factum, ut cùm vera esset illius nativitas, eam tamen non ex communi lege, sed ex una Virgine esse, facturæ vocabulo declararet; docet Hilarius utrumque illud verbum, quo Sapientia primùm se genitam, ac deinde creatam testificata est, ad æternam illius generationem, etsi indoctè, licuisse tamen referri; modò creationis nomine non excluderetur nativitatis veritas, sed ostenderetur tantùm ratio sigularis, qua unus ex uno absque ulla passione natus est. Hac indocta, sed non impia interpretatione, eadem Sapientiæ verba intellexisse leguntur Basilius Ancyr. & Georgius Laodic. apud Epiphanium hær. 73. n. 20. ubi aiunt, *Filius cùm dixisset, Dominus creavit me; ne communem ejus cum creatis rebus ceteris naturam esse suspicaremur, necessariò subjecit, Ante omnes colles genuit me. Quibus piam nobis ac passionis omnis expertem ipsius ex Patre proprietatem expressit.*

que etsi indoctè, tamen non impiè, ad generationis fidem proficere oportere existimare debuerat. Apostolus enim videtur, unius ex uno nativitatem, id est, [a] Domini ex virgine sine passionum humanarum conceptu prædicaturus, non extra rationem *factum de muliere* locutus esse, quem natum sciebat, frequenterque dixisset: ut & nativitas veritatem generationis ostenderet, & factura unius ex uno [b] nativitatem protestaretur; quia humanæ permixtionis conceptum facturæ nomen excluderet, cùm factus esse ex virgine disceretur, qui natus magis esse non ambigebatur. At vide tu, quàm sis impius, ô hæretice. Creatum Jesum Christum potiùs ex Deo, quàm natum esse, sermo nullus aut propheticus aut evangelicus aut apostolicus est locutus: tu verò nativitatem negas, & affirmas creaturam, non secundùm significationem Apostoli, factum esse dicentis ne natus esse ambigeretur unus ex uno; sed ad impiissimum sensum, ne Deus naturali nativitate subsisteret, cùm creatura potiùs ex nihilo substitisset. Hoc primum infelicis mentis tuæ virus est, non nativitatem creaturam nominare, sed pro nativitate [c] fidem creationi aptare. Quamquam id quidem inopis ingenii esset, sed tamen non admodum irreligiosi, creatum idcirco dixisse, ut impassibilis ex Deo tamquam unius ex uno nativitas nosceretur.

Fides constans de æterna Filii nativitate.

51. Sed nihil horum constans atque apostolica fides patitur. Scit enim in qua dispensatione temporis Christus creatus, & in qua temporum æternitate sit natus. Natus autem ex Deo Deus est, & veræ nativitatis in eo & perfectæ generationis non ambigua divinitas est. Nihil enim in rebus Dei nisi natum & æternum confitemur. Natum autem non post aliquid, sed ante omnia: ut nativitas tantùm testetur auctorem, non præposterum aliquid in se ab auctore significet. Et quidem confessione communi, secunda quidem ab auctore nativitas est, quia ex Deo est; non tamen separabilis ab auctore, quia in quantum sensus noster intelligentiam tentabit nativitatis excedere, in tantum necesse est etiam [d] generationis excedat. Solus itaque hic pius de Deo sermo est, scire Patrem: scire & cum eo eum qui ex eo Filius. Neque sanè aliud de Deo, præter quàm patrem eum esse unigeniti Dei & creatoris, docemur. Ultrà se itaque infirmitas humana non tendat: & loquatur hoc solum, in quo solo ei salus est, ante carnis sacramentum in Domino Jesu Christo hoc se semper scire, quòd natus est.

Huic se adhærere profitetur Hilarius, quam nec sensu suo præfinit.

52. [e] Ego quidem, in quantum concesso mihi hoc à te spiritu vigebo, sancte Pater omnipotens Deus, ut æternum te Deum, ita æternum & patrem confitebor. Neque in id umquam stultitiæ atque impietatis erumpam, ut omnipotentiæ tuæ sacramentorumque arbiter, hunc infirmitatis meæ sensum ultra infinitatis tuæ religiosam opinionem, & significatam mihi æternitatis fidem erigam: ut te aliquando sine Sapientia & Virtute & Verbo tuo, unigenito Deo Domino meo Jesu Christo fuisse præfiniam. Non enim præjudicat de te sensui meo naturæ nostræ infirmus imperfectusque sermo; ut fidem intra silentium strangulet inopia eloquendi. Namque cùm verbum & sapientia & virtus in nobis interioris motus nostri opus nostrum sit, [f] tecum tamen perfecti Dei, qui & Verbum tuum & Sapientia & Virtus est, absoluta generatio est; ut inseparabilis semper à te sit, qui in his æternarum proprietatum tuarum nominibus ex te natus ostenditur: natus autem ita, ut nihil aliud quàm te sibi significet auctorem; non etiam fidem infinitatis amittat per id, [g] quòd ante tempora æterna natus esse memoratur.

In multis naturalibus rebus, quarum latet causa, succurrit fides.

53. Multa enim istiusmodi in rebus humanis præstitisti, quorum cùm causa ignoretur, effectus tamen non nescitur. Et religiosa est fides, ubi est etiam naturalis [h] inscientia. Nam cùm erexi in cælum tuum hos luminis mei infirmes oculos, nihil aliud esse quàm cælum tuum [i] credidi. Hos enim astriferos in eo circulos, & annuos recursus, & [k] vergilias, & septemtrionem, & luciferum, [l] diversa ministeriorum suorum sortitos officia conspiciens, Deum te in his, quorum intelligentiam non complector, intelligo. Cùm verò mirabiles elationes maris tui vidi; non solùm aquarum originem, sed nec motum [m] dimensæ hujus vicissitudinis assecutus, fidem tamen rationis, mihi imperspicabilis licèt, apprehendens, in his te quoque quæ ignoro, non nescio. Jam verò cùm in terras mente convertor, quæ susceptarum virtute causarum sata omnia dissolvunt, dissoluta vivificant, vivificata multiplicant, multiplicata confirmant; nihil in his reperi, quæ intelligere sensu meo possem: sed

[a] Excusi, *id est, Deum ex Virgine*: emendantur ex mss.

[b] In antiquis mss. Vat. bas. Martin. Carnut. & aliquot aliis, *divinitatem*. Rectiùs in vetere Colb. Corb. &c. *nativitatem*, cùm sermo sit de temporaria Christi ex Virgine nativitate.

[c] Loco verbi *fidem*, Lips. & Par. ex Erasini margine frustra substituerunt *contumeliam*. Arguuntur hæretici, non quòd æternam Sapientiæ increatæ generationem creationem indoctè nominent, sed quòd impiè etiam credant. Toto hoc numero, sed præsertim verbis subsequentibus notari videtur interpretatio Basilii & Georgii, quorum verba superiùs retulimus. Cùm autem hæc illi scripserint Ancyræ congregati ante diem festum Paschæ anni 358. conjectare est hunc librum synodo illa esse posteriorem.

[d] Editi, excepto Par. *generatio*, paulò antè omissa voce *nativitatis*. Post vocabulum *generationis*, satis intelligitur tacita vox *intelligentiam*, quæ in ms. Pratell. etiam exprimitur.

[e] In ms. Carnut. hîc tituli in morem prænotatur, *Oratio*: in aliis recentioribus, *Oratio sancti Hilarii*.

[f] In vetere ms. Colb. & Germ. *potiùs tamen*, non *tecum tamen*.

[g] Vat. bas. ms. *quòd à te ante* &c.

[h] Editi, *inscitia*. Veterrimi codices Vat. bas. & Colb. *scientia*. Veriùs Carnut. *inscientia*.

[i] id est, te unum illius auctorem ac moderatorem credidi: *quia nemo cælum contuens Deum esse non sentiat*, ut loquitur in Ps. 65. n. 10. sed rationem qua illud moderaris, non sum assecutus.

[k] Apud Bad. ut in mss. *virgilias*: inconcinnè, si hinc vergiliæ denominentur, quòd ortum suum verno tempore habeant. Tum in excusis, *septemtrionem*, sine *&*. Porro idem est *septemtrio* quod *bootes*. triones enim antiquis erant boves aratores.

[l] In vulgatis, *& diversa*: malè addita conjunctione. Antea vetus ms. Colb. non *luciferum* præfert, sed hujus loco *plurarum*. Idem habet ms. Germ. in textu, & in margine *vel pliadarum*: quæ lectio nobis non probatur, cùm superiùs memoratæ sint *vergiliæ*, quod latinum nomen est verbi græci *πλειάδες*.

[m] Vat. bas. codex cum Martin. *immensæ hujus vastitudinis*. Magis placet librorum aliorum lectio, qua maris æstus enarratur.

ignoratio mea ad intelligendum te proficit, dum famulantis mihi naturæ [a] imperitus, usu te tantùm meæ utilitatis intelligo. Ipsum me quoque nesciens, ita sentio: ut te magis eo, quòd mei sum ignarus, admirer. Nam dijudicantis mentis meæ aut motum aut rationem aut vitam & non intelligens sentio, & sentiens tibi debeo, cui ultra intelligentiam naturalis exordii, sensum naturæ oblectantis impertias. Et cùm te [b] meis ignorans intelligam, & intelligens venerer: nec ego in tuis rebus fidem omnipotentiæ tuæ laxabo, quia nesciam; ut sensus meus originem [c] Unigeniti tui occupet, & sibi subdat, & aliquid in me sit, quod ego ultra & Creatorem & Deum meum tendam.

54. Nativitas ejus ante æterna tempora est. Si aliquid in rebus est, quod antevenit æternitatem; erit aliquid profectò, quod sensum æternitatis excedat. Tua enim res est, & Unigenitus tuus est: non portio, non protensio, non secundùm efficientiarum opinionem nomen aliquod inane; sed filius, filius ex te Deo patre Deus verus, & [d] à te in naturæ tuæ unitate genitus; post te ita confitendus, ut tecum: quia æternæ originis suæ auctor æternus es. Nam dum ex te est, secundus à te est; dum verò tuus est, non [e] separandus ab eo es: quia nec sine tuo fuisse confitendus aliquando es, ne aut imperfectus sine generatione, aut superfluus post generationem arguaris. Atque ita ad id tantùm nativitas proficit æterna, ut unigeniti ante æterna tempora ex te filii patrem te sciamus æternum.

55. Et mihi quidem parum est hoc, fidei meæ ac vocis officio, Dominum & Deum meum unigenitum tuum Jesum Christum creaturam negare: hujus ego nominis consortium ne in sancto quidem Spiritu tuo patiar, ex te profecto, & per eum misso. Magna enim mihi erga res tuas religio est. Neque, quia te solum [f] innascibilem, & unigenitum ex te natum sciens, genitum [g] tamen Spiritum-sanctum non dicturus sim, dicam umquam creatum. Hujus ego dicti, quod mihi cum ceteris à te substitutis commune est, [h] ad te quoque prorepentes timeo contumelias. Profunda tua sanctus Spiritus tuus, secundùm Apostolum, scrutatur & novit, & interpellator pro me tuus inenarrabilia à me tibi loquitur: & ego naturæ suæ ex te [i] per unigenitum tuum manentis potentiam creationis nomine non modò [k] eloquar, sed etiam infamabo? Nulla te nisi res tua penetrat: nec profundum immensæ majestatis tuæ, peregrinæ atque alienæ à te virtutis causa metitur. Tuum est quidquid te init: neque alienum à te est, quidquid virtute [l] scrutantis inest.

Spiritus-sanctus non est creatura.

1. Cor. 2. 10.

56. Mihi autem inenarrabilis est, cujus pro me mihi inenarrabiles sunt loquelæ. Nam ut in eo, quòd ante æterna tempora Unigenitus tuus [m] ex te natus est, cessante omni ambiguitate sermonis atque intelligentiæ difficultate, solùm quòd natus est manet: ita quòd ex te per eum sanctus Spiritus tuus est, etsi sensu quidem non percipiam, sed tamen teneo conscientiâ. In spiritalibus enim rebus tuis hebes sum, Unigenito tuo dicente, *Ne mireris quod*

Inenarrabilis est.

Joh. 3. 7. & 8.

[a] In iisdem mss. *impertitus usus à te tantùm* &c. corruptè.

[b] Sic potiores mss. ubi Corb. à 2ª. manu aliique recentiores habent *in meis*: eodem sensu. Editi verò, *me*.

[c] Aliquot ex antiquioribus mss. *primogeniti tui*. Mox in vulgatis *quò ego*, ubi ex mss. reponimus *quod ego*.

[d] Exemplar Vaticanæ basilicæ, *& à te naturæ confitendus*, aliis omissis. Bad. & Er. ex uno recentiore ms. Colb. valde dubiæ fidei, *& à te in naturæ tuæ veritate genitus* &c. Alter Colb. cum uno Sorbon. *& à te in natura tua unigenitus genitus* &c. Martin. Remig. ac Theod. *& à te in naturæ tuæ ingenitæ genitus potestate: ita ex te confitendus* &c. quod Lips. & Par. arripuere. Sed valde suspectum est vocabulum *potestate*, pro *post te*, cum additamento vocularum *ex te*. In vetustiore ms. Colb. necnon Corb. Carn. Pratell. & aliis, *& à te in naturæ tuæ unigenitæ genitus* &c. Maximè arrideret, *& à te naturæ tuæ ei congenitæ genitus*, secundùm illud lib. de Synodis n. 48. *Intelligo ex Deo Deum, non dissimilis essentiæ, non divisum, sed natum, & ex innascibilis Dei substantia* CONGENITAM *in Filio, secundùm similitudinem, unigenitam nativitatem.* Neque etiam displiceret superior lectio, si particula *in* abesset in hunc modum; *& à te naturæ tuæ unigenitæ genitus*: ut Filii & Patris unitas verbis *naturæ tuæ* ostendatur, quibus subjungatur *unigenitæ*, ut Filii proprietas declaretur. Sic lib. 9. n. 68. legimus Filii naturam à Paterna non differre, *quippe quæ ex totâ tota sit, quæ & dum unigenita est, patrem in se habeat.* Verùm nitidior visa est lectio ms. monasterii Silvæ-majoris, quam eo nondum viso præferendam conjectabamus.

[e] Sic mss. Editi verò, *non separandus à te est.*

[f] Hunc locum Erasmus in præfat. censoriâ virgulâ notavit, *quasi*, inquit, *Spiritus-sanctus nascatur & ipse à Patre.* Sed cùm Hilarius Spiritum-sanctum genitum non esse dicendum proximè affirmet; Patrem *solum innascibilem* satis intelligitur prædicare, non quia solus sit nativitatis expers; sed quia solus sine principio, solus sine auctore, solus essentiam suam habeat ab alio non acceptam, seu, ut vocant, incommunicatam. Quæ loquendi ratio apud Theologos ita etiamnum recepta est, ut *innascibilitas* apud illos Patris notio censeatur. Non alio sensu Sirmiense Concilium an. 351. anath. 19. *Si quis Spiritum-sanctum Paracletum dicens, innascibilem Deum dicat, anathema sit.*

[g] Non leviter prætereundus est hic locus, ubi Hilarius disertè fatetur Spiritum-sanctum non esse genitum, cùm tamen lib. 7. n. 15. asserat quòd *naturæ æqualitatem sola possit præstare nativitas*; & num. 26. *Sola ei nativitas filii non impiè per similitudinem creditur æqualis.* Immo in hoc ipso libro proximè audivimus n. 51. *Nihil enim in rebus Dei nisi natum & æternum confitemur.* Ex quo sequitur, Spiritum-sanctum non esse Deo æqualem. Illius tamen cum Deo unitatem, & æqualitatem cum Patre hîc tam luculenter adstruit, ut superioribus in locis nativitatem conditioni vel ex nihilo, vel ex aliena substantia, dubio procul intelligendus sit opponere. Unde post allata ex lib. 7. n. 26. verba *Sola ei nativitas* &c. proximè subjicit, *Nam quidquid extra eum est, cum contumelia ei honoratæ virtutis æquabitur.* Neque verò Spiritum-sanctum aut ex nihilo aut ex aliena substantia esse minùs clarè negat, quàm ipsum Filium. Nam sicut de Filio dicit, *Tua enim res est*; ita & de Spiritu-sancto, *Nulla te nisi res tua penetrat... tuum est, quidquid te init*: sicut Filium lib. 6. n. 35. & alibi, non ut esset cœpisse ex nihilo, sed exiisse *à manente*, ita & hîc Spiritum-sanctum *manentis* ex Deo *naturæ* profitetur. Hinc Spiritus-sancti contumelias in ipsum Patrem redundare declarat, sicut docere solet Patrem ab iis ipsis inhonorari, qui Filium inhonorant.

[h] Sic duo mss. Colb. unus Sorbon. &c. Plerique alii cum Lips. & Par. *ad te quoque prorepentis timeo contumeliam*: pro quibus pessimè apud Bad. & Er. *prætendisti sensui meo contumeliam.* Prima fronte placet cum mss. Vat. bas. & Martin. *à te quoque procedentis timeo contumeliam*: Carn. & Vind. hoc faventibus, quòd in iis præferatur *à te*, non *ad te*. Verùm hæc lectio eo magis est suspecta, quò in animum faciliùs cadat quàm altera: maximè cùm non occurrat nisi in iis mss. in quibus librarii nonnulla sibi permiserunt. Deinde orationis leges *in procedentem* aut *procedenti* postulant, non *procedentis.* Demum particula *quoque* indicat contumeliam dicti, quo Spiritus-sanctus creatus asseritur, non in illum solum cadere, sed & in eum cujus est Spiritus. Quod eo fere modo demonstrare licet, quo suprà num. 6. ostensum est, Patrem esse creaturam, si creatura sit Filius.

[i] Perversè apud Bad. *per unitam tuam manentis.* Quod Erasmus non mutans, tantùm ad oram libri annotavit, *cum unigenito tuo.* Ex quo postea confecit Lipsius, *cum unigenito tuo manantis.* Reformantur ex Par. & mss. In his docemur, Spiritum-sanctum esse *potentiam naturæ suæ*, hoc est, quæ sua sit, per se subsistat, & non alteri inhæreat; neque ita *naturæ suæ*, ut non à Patre per Unigenitum ipsius originem habeat: sed ita tamen esse ab utroque, ut sit *naturæ manentis*, hoc est, cujus proprium sit esse, & initium nescire. Huc attinet, quòd lib. 8. n. 19. Spiritus-sancti processionem *consistentis egressionem* existimandam innuit: *egressionem* quidem, ob subsistentiam ipsius distinctam ab eo unde procedit; *consistentis* verò, quia non recedit ab eo ex quo subsistit.

[k] Er. Lips. & Par. *non modò non eloquar*: castigant mss.

[l] Vetustior ms. Colb. cum Germ. *scrutantis est.* Alter cum uno Sorbon. *scrutantis in te est.*

[m] Ex mss. revocamus *ex te natus*: quod in priùs vulgatis desiderabatur.

dixerim tibi, oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi A *vult spirat, & vocem ejus audis; sed nescis unde veniat, & quò eat. Sic est omnis qui natus est* [a] *ex aqua & Spiritu-sancto.* Regenerationis meæ fidem obtinens nescio: & quod ignoro, jam teneo. Sine sensu enim meo renascor, cum efficientia renascendi. Modus autem Spiritui nullus est, [b] loquenti cùm velit, quod velit, ubi velit. Et cujus adeuntis atque abeuntis causa, sub assistentis licèt conscientia, nesciatur, hujus naturam inter creaturas referam, & originis B suæ [c] definitione moderabor? Omnia quidem facta per Filium, qui apud te Deum in principio erat Deus Verbum, Johannes tuus loquitur. Sed creata omnia in eo in cælis & in terra visibilia & invisibilia Paulus [d] enumerat. Et cùm universa in Christo & per Christum creata memoraret; de Spiritu-sancto sufficientem sibi significationem eam existimavit, quòd hunc Spiritum tuum diceret. Cum his ego propriè electis tibi viris hæc ita sentiam, ut sicut nihil C aliud ultra sensum intelligentiæ meæ secundùm eos de Unigenito tuo dicam, quàm esse natum; ita quoque ultra ingenii humani opinionem secundùm eos nihil aliud de sancto Spiritu tuo loquar, quàm Spiritum tuum esse. Neque sit mihi inutilis pugna verborum, sed incunctantis fidei constans professio.

(Margin: a; b; c Joh. 1. 1. & 3.; Coloss. 1. 16. d)

57. Conserva, oro, hanc fidei meæ incontaminatam religionem, & usque ad excessum spiritus mei dona mihi hanc conscientiæ meæ vocem: ut quod in regenerationis meæ Symbolo, baptizatus in Patre & Filio & Spiritu-sancto, professus sum, semper obtineam: Patrem scilicet te nostrum, Filium tuum [e] unà tecum adorem: sanctum Spiritum tuum, qui ex te per unigenitum tuum est, promerear. Quia mihi idoneus ad fidem testis est, dicens, *Pater omnia mea tua sunt, & tua mea,* Dominus meus Jesus Christus, manens in te & ex te & apud te semper Deus: qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen. [f]

(Margin: Oratio.; e; Joh. 17. 10.; f)

[a] Erasmus, *natus est ex Spiritu-sancto:* puto, ut nostris Scripturæ exemplaribus congrueret. Sed in omnibus Hilarii edit. & mss. habetur, *natus est ex aqua & Spiritu-sancto.* Quamquam non exstat *sancto* in mss nisi in Martin. uno Colb. & altero Sorbon.

[b] In mss. *loquendi.* In eumdem Scripturæ locum pariter observat Gregorius Nazianz. Or. 24. n. 22. testatam esse Spiritus-sancti divinitatem; *nempe ex eo quòd herili, non autem servili modo accedit,* δεσποτικῶς οὐ δουλικῶς.

[c] Mss. Vat. bas. Colb. ac Germ. *definitionem.*

[d] Martinianus codex, *enarrat.*

[e] Verba, *unà tecum adorem, sanctum*, desiderantur in mss. Colb. ac Germ.

[f] His subjicitur in ms. Corb. *Explicit liber* XII. *Lege cum pace Domini nostri Jesu Christi feliciter:* in uno Sorbon. *Explicit liber* XII. *Hilarii episcopi Trinitatis feliciter:* in Silv. *Explicit liber* XII. *Hilarii episcopi de fide sanctissimæ Trinitatis adversus hæreticos:* in Vindocin. *Expliciunt libri* XII: *sancti inimitabilis viri Hilarii de fide Patris & Filii & Spiritus-sancti.*

IN LIBRUM DE SYNODIS

PRÆFATIO.

(Margin: Ubi & quando scriptus sit hic Tractatus.)

I. *NON est sejungendus à libris de Trinitate hic Tractatus, quem mss. propè omnes cum illis ita conjungunt, ut in duobus Colbertinis & Germanensi, immo à Cassiodoro* liber decimus-tertius *nuncupetur. Neque etiam distat tempore aut materiâ. Nam & fidei illustrandæ causâ susceptus est, & exsilii, non secus ac illi, partus fuit. Jam enim Hilarius, uti declarat ipse num. 2. & 63. totum triennium in exsilio exegerat, & adhuc intra decem Asiæ provincias consistebat, cùm illum edidit. Quocirca postremis hujus libri verbis fratres suos, ut in orationibus sanctis exsilii sui memores sint, rogat. Si tamen Sculterum* * *audias,* scriptus est hic liber vel Seleuciæ in synodo, vel Constantinopoli, vel in ipsa reformatione ecclesiarum Italicarum, cùm jam ab Orientis partibus, in quibus exsulaverat, rediisset. *Usque adeo animis dominatur inolita de rebus, non secundùm ipsas, sed secundùm propria placita, judicandi consuetudo! Eodem vitio implicatus Erasmus non multùm attendit quid diceret, cùm quem memorat Hieronymus Hilarii librum Ariminensis & Seleuciensis Concilii historiam continentem, huic forsitan Tractatui admixtum pronuntiavit. Quid enim in eo reperit, quod non ante prædicta Concilia sit gestum, aut quod per se ad eorum historiam pertineat? Verùm ex Hilarii ipsius verbis num. 8. perspicuum est, scriptum esse hunc librum, cùm jam propter terræ motum, qui an. 358. die Augusti 24. contigerat, Concilium Nicomediæ, vel etiam Nicææ in Bithynia congregandi immutatum esset propositum; cúmque nondum decretum esset, ut omnes quotquot possent Ariminum atque Seleuciam cogerentur; sed tantùm ut bini aut singuli ex singulis provinciis, iique Ancyram atque Ariminum convenirent. Quod cùm anno 358. desinente statutum fuerit; nemo non facilè concedet, hunc Tractatum anno 359. ineunte vel etiam exeunte 358. fuisse editum. Hoc certè constat, & post mensem Augustum an. 358. & ante Maium an. 359. epocham illius esse figendam.*

(Margin: * in analysi pag. 393.; Erasm. præfat. in Hilar.)

II. *Litteræ à Gallicanis episcopis paulò post damnatam ab iisdem Sirmiensem formulam secundam, nec longè ante Ancyranæ synodi celebrationem, adeoque circa mensem Martium anni 358. acceptæ, rescripto huic occasionem præbuerunt. Cujus scopus, 1°. communionis dominicæ reddere vicem; 2°. nonnullorum optatis facere satis, qui quid* Orientales in fidei professionibus gerant aut gesserunt, *quidve* super omnibus eorum dictis *ipse sentiret, rescire cupierant; 3°. id elaborare, ut Orientales & Galli, qui contra erumpentem novissimè Anomœorum hæresim conspirarant, sed mutuis tamen inter se suspicionibus laborantes, etsi fortè non admodum sententiis, certè verbis adhuc dissidebant, in synodis proximè habendis jam in unum convenirent, ac suspicione omni deposita fidem unam complecterentur.* Qua occasione. Quo fine. *num. 5.*

III. *Hujus rei gratiâ, post quàm Gallis de illæsa & constanti illorum fide verbis amicissimis est gratulatus, primùm Sirmiensem blasphemiam refert eique opponit quas Orientales Ancyræ contra Anomœos ediderant fidei definitiones; iis tamen suppressis, quas eorum legati Sirmium venientes reticuerant. Tum* fides omnes *subjicit post sanctam synodum Nicænam diversis temporibus & locis conscriptas, Antiochenam videlicet an. 341. pseudo-Sardicensem an. 347. & Sirmiensem contra Photinum an. 351. quas omnes sese complecti episcopi Ancyræ congregati in sua synodica epistolâ apud Epiphanium hær. 73 n. 2. non semel testificantur. Hos enim potissimùm Hilarius Orientalium nomine intelligit. Quos amicè ad veritatem revocare studens, ita laudat eos, qui avita & apostolica fide contenti* scriptas fides nesciunt, *ut tamen professionum pluralitatem excuset, & quidquid in eis defendi potest, benignè interpretetur atque defendat. Immo quidquid contra* ὁμοούσιον *solet opponi, non tacet; nec dissimulat quod in gratiam verbi* ὁμοιούσιον *potest afferri. Postmodum tamen subjecto Nicæno symbolo, retinendum esse* ὁμοούσιον *validissimis rationum momentis conficit atque concludit.* Libri summa.

IV. *Haud scio an propter prædictas fidei confessiones latinè redditas, à Sculteto post Gillotium * dicatur hic liber* versus de latino in græcum, non appensis verbis, sed reddito sensu*: longè minùs constat an Erasmus eadem etiam de causa veluti pro comperto asserat:* Hunc *librum Hilarius*, ut ipse testatur, vertit è græco, sed hac libertate, ut ubique neglectis verbis sententiam modò reddat, & ubi locus invitat, aliquid de suo admisceat: quam libertatem sibi permittit & in Psalmis scribens. *Non enim fert communis sermonis usus, ut Opus latinum dicatur è græco versum, quòd quædam monimenta contineat è græco translata. Sed, quamvis aliud omnino sonent Erasmi præsertim verba, demus tamen eos in unas Orientalium formulas huic libro admixtas respexisse. Unde habent, Hilarium neglectis ubique verbis tantummodo reddidisse sententias? Afferunt quidem quod testatur num. 9. se Ancyrana decreta verbis quàm poterit absolutissimis expositurum; non quòd non ab aliis jam fuerint edita,* sed quòd ex græco in latinum ad verbum expressa translatio affert plerumque obscuritatem, dum custodita verborum collatio eamdem absolutionem non potest ad intelligentiæ simplicitatem conservare. *At primò de solis Ancyranæ synodi definitionibus sermonem hîc habet. Deinde expressam ad verbum translationem plerumque obscuram esse insinuat, non quatenus verba reddit, sed quatenus eumdem verborum numerum, ordinem, collocationemque scrupulosiùs custodit: quod apertè in Psal. 67. n. 21. declarat, se nimirum jam monuisse,* plerumque interpretes cunctos, dum collocationem ordinemque verborum demutare ac temperare non audent, minùs dilucidè proprietatem declarasse dictorum. *Postremò qui græca exempla cum latina Hilarii versione contendet, facilè assentietur vix ullam potuisse confici litteræ tenaciorem: & perinde Erasmum, Gillotium atque Scultetum de re sibi non compertâ verba facere voluisse.* Non fuit versus è græco, sed tantum Symbola Orientalium. ** præfat. in Hilar.* Symbola illa ad litteram vertit.

V. *Si etiam propiùs inspexissent totius hujus Operis rationem, displicuisset eis vulgatus titulus,* De synodis fidei catholicæ contra Arianos & prævaricatores Arianis acquiescentes. *Quasi verò synodi, quarum expositiones complectitur, à Catholicis contra Arianos habitæ fuerint, & non potiùs ab ipsismet maximam partem Arianis aut certè Semiarianis. Saltem negari nequit Sirmiensem, quæ præcipuum in hoc libro locum obtinet, non contra Arianos, sed contra Photinum, Antiochenam verò contra Athanasium, ac demum pseudo-Sardicensem adversùs eumdem aliosque catholicos convenisse. Minùs malè in antiquissimo basilicæ Vaticanæ codice inscribitur,* Liber catholicæ fidei contra Arianos & præv. Arianis acquiescentes: *maximè cùm non contineat ille codex, nisi primam hujus libri partem cum* Titulus.

Ancyranæ fidei definitionibus, quibus auctores Sirmiensis blasphemiæ iisque acquiescentes refelluntur. Neque sufficientem libri hujus notitiam præstat inscriptio de Synodis, *quæ in mss. ab annis 500. obtinet. Hujus auctorem esse conjectamus Hieronymum, qui cùm non haberet quo nomine hoc Opus breviter indicaret, appellarit* de Synodis, *puta ad imitationem libri Athanasii eadem ratione inscripti, cum quo quamdam habere videtur affinitatem. Quamquam apud Athanasium specialis est titulus* de Synodis Ariminensi & Seleuciensi; *de quibus primùm agit datâ opera, ac postea velut ex occasione plures refert fidei confessiones: non ut eas quidem, quemadmodum Hilarius, benignè excuset; sed ut Arianorum in fide inconstantiam demonstret. Unde fit, ut etiamsi utriusque Opus in hoc simile sit, quòd ambo exhibeant plures Orientalium fidei definitiones: cùm tamen utriusque valde diversum sit consilium, nec titulus Athanasii libro prænotatus ad eam propriè partem pertineat, quæ cum hoc Hilarii Opere similis apparet; unius inscriptio non debeat esse norma alterius. Itaque hoc Opus non alio nomine ab ipso Hilario inscriptum putamus, quàm eorum ad quos illud misit. Et quidem in omnibus probæ notæ mss. simpliciter* epistola *nuncupatur: neque aliter laudatur à Facundo Hermian. lib. 10. c. 6.* B. Hilarius, *inquit,* Arianorum potentissimus atque acerrimus expugnator, & constantissimus fidei Christianæ defensor, in epistola, quam de exsilio scripsit episcopis Germaniæ primæ & Germaniæ secundæ *&c. Verùm ut absit novitatis molestia, titulum receptum* de Synodis *non mutamus: cui tamen adjicimus,* seu de fide Orientalium, *ut in fronte habeat lector brevem eorum quæ tractanda sunt indicem.*

Tractatus hic auctoritate commendatur.

VI. *Hunc Tractatum, quem orationis fructum, pacis semen, & germen caritatis cognominare licet, Vigilium Taps. vidisse liquet ex libro ipsius 5. contra Eutychen n. 3. nec satis advertisse quò spectaret. Eumdem laudavit Facundus non solùm lib. 10. c. 6. sed & lib. 12. cap. 3. Augustinus verò epist. 93. n. 31. & 32. adversùs Vincentium Rogatistam vindicavit. Tanti autem illum fecit Hieronymus, ut propria eum manu descripserit.* Prolixum valde, *inquit epist. 6. ad Florentium,* librum de Synodis sancti Hilarii, quem ei apud Treviros manu mea ipse descripseram, æquè ut mihi transferas peto.

Speculum est virtutum Hilarii.

VII. *Neque ob hoc solùm commendandus est, quòd plura continet gesta quæ historiam illustrant, sed & quòd veram ac vivam præ se ferat sanctissimi Præsulis effigiem. In eo enim uno Tractatu velut in speculo resplendent propè omnes Hilarii virtutes, prudentia, constantia, animi magnitudo simul & demissio seu humilitas Christiana, castus amor patriæ, summum pacis studium, fidei sinceritas atque integritas &c. Maximè autem egregia illa conciliandis sibi omnium animis nata lenitas atque modestia, qua præditum eum fuisse testatur Rufinus, adeo ubique elucet, ut vel nondum audito Rufini testimonio, præconceptam vulgi opinionem, qua animi eum paulo concitatioris ac vehementioris fuisse putant, statim excusserimus uti falsam & iniquam. Qua in sententia non mediocriter confirmamur ex sedatis ac melle conditis responsis ad ea, quæ in hocce suo Tractatu nonnulli malè reprehenderunt. In iis enim clarè apparet invicta illa animi tranquillitas, qua potuit etiam læsus, pacatam dictorum rationem reddendo, suos delinire censores, irasci propria in causa prorsus nescivit. Sed de illis responsis, quæ nunc primùm è tenebris eruuntur, nonnihil hîc præloquendum.*

præsertim lenitatis.

Rufin. lib. 1. hist. c. 31

Unde eruta sint apologetica hujus libri responsa.

VIII. *In codice Carnutensi Romanis litteris scripto ante annos, uti videtur, 900. necnon in Michaelino hunc librum invenimus variis in locis auctiorem. Ea, quibus auctiores sunt, neque orationi reliquæ satis cohærent, neque omnino ad eam non pertinent, Hilarium verò prorsus spirant, quem exhibent pro se proprio nomine respondentem. Eadem additamenta iisdem in locis præ se ferunt mss. Tellerianus & recentior Carnutensis, sed ad marginem dumtaxat adscripta. Remigianus verò alia in ipso textu, alia in ora libri habet, præmissâ admonitione quòd ea exstent in quibusdam exemplaribus. Denique in pervetusto basilicæ Vaticanæ exemplari, quod primam tantùm hujus libri partem continere jam diximus, duo hujusmodi additamenta reperire est ipsi textui pariter inserta.*

Eorum utilitas.

IX. *Ea autem omnia Hilarii esse tam perspicuum est, ut id probare velle supervacaneum videatur. At sicut ipsis libri dictis immixta, eorum ordinem confundunt; ita seorsim suis locis posita, magno præsidio sunt ad enodandas quæstiones nonnullas, de quibus etiamnum disputatur. Aliqua etiam nos docent Hilarii gesta scitu dignissima, quæ hactenus latuerant, nimirum piissimum Præsulem malè apud quosdam ob hunc Tractatum audiisse, eumque nominatim à Lucifero, haud dubiè Calaritano, (quem indolis paulo durioris atque*

austerioris fuisse nemo nescit,) culpatum fuisse tamquam verbi ὁμοιούσιον *approbatorem, & adulatorem nimiumque laudatorem Orientalium, quibuscum remissiùs agens, illos veluti veræ fidei prædicatores celebrasset. Neque à majoribus auditum erat, eum apologeticum Opus instituisse: quod saltem ex parte nobis repræsentant prædicta corollaria, quæ* apologetica ad reprehensores libri de Synodis responsa *nuncupare placet.*

X. *De his ambigere licet, selectane sint amplioris apologiæ fragmenta à studioso aliquo suis locis aptata, an verò sint tantùm notæ & appendices ad illustrandos hujus libri locos, qui reprehensioni locum dederant, ab ipsomet Hilario adtextæ, & ad censores suos cum libro iis notis illustrato missæ. Probabile tamen putamus, illum à Lucifero de iis quæ tum sibi, tum aliis in hoc Tractatu displicuerant admonitum, eumdem ipsi Tractatum brevibus illis responsis auctum misisse, quibus omnes de fidei suæ sinceritate certiores faceret. An verò ex illis responsis nullum ampliùs desiderandum sit, non ausim asserere: si quidem vel ex iis, quæ nunc primùm eduntur, codices alii alia habent, nullus qui omnia. In multis nullum occurrit. In pluribus reperire est primum sine aliis: secundum autem uni ms. S. Petri de Urbe debemus: denique in Carnutensi & aliis, in quibus cetera exstant, desiderantur duo priora.* An sint fragmenta, an notæ. An nullum ampliùs desiderandum.

XI. *Singula autem ad suspiciones amovendas eo magis sunt idonea, quòd ex iis ipsis locis sese purget* Hilarius, *in quibus reprehensus fuerat. Necessarium certè erat hoc scandalum: ut ab ipso cum jucunda quadam animi admiratione audiremus, quantâ in temperandis omnibus libri sui verbis prudentiâ usus esset. Quis enim jam non miretur simul & amet demonstrantem, se Orientales quidem laudasse, sed absque adulationis vitio, utpote quos objurgare suo loco non prætererit; ac licèt blando eos sermone allocutus sit, id se præsertim fecisse, ut procacia effugiens convicia, occulta eorum expositionum scandala utiliùs deinde proderet: neque verò se omnem ab eis suspicionem ademisse, quos* non veram fidem, *sed tantùm* veræ fidei revocandæ spem attulisse *dixerit: se denique* homœusion *invitum ac solo pacis studio, ne videlicet à Lucifero illud prædicante dissideret, cautelâ quantâ maximâ suscepisse?* Unde se purget Hilarius.

XII. *Ex quibus jam manifestè refellitur vulgaris opinio, qua Hilarius Orientales, qui Semiariani vulgò cognominantur, velut orthodoxos habuisse, eorumque formulas tamquam catholicas approbasse existimatur. Vidit quidem eos ad veram fidem progressum facere, vidit eorum formulas sensu catholico intellectas quodam modo ferri posse; laudavit, & quantum potuit promovit accedentes, iisque verum confessionum suarum sensum (ut ita dicam) digessit, & quasi liquatum blandè propinavit: at ut prorsus catholicos habuit numquam, neque suspicionem ab eis adimere voluit.* Falsò creditur Orientales ut orthodoxos habuisse;

XIII. *Hinc quoque evanescit, quod propè in omnium animis insederat, Hilarium in hoc Tractatu de formulis Orientalium diversa ab Athanasio in libro pariter* de Synodis *inscripto sensisse, & quod ille apertè damnat laudasse. Si enim eos, qui Ancyræ congregati Anomœis acriter restiterunt, Filiique cum Patre in substantia similitudinem tot decretis sanxerunt, neque* veram fidem attulisse *sensit; longè minùs eos attulisse senserit, qui aut Antiochiæ, aut Philippopoli, aut Sirmii nondum ita propè ad veram fidem accesserant. Si autem quis quærat, cur non diversa sentiens, tam diversa loquitur: in promtu est responsio. Attendat enim utriusque scopum; & facilè conciliabit utriusque sermonem. Quis enim nesciat iisdem de rebus, pro consilii diversitate, diversam sermonis ineundam esse rationem? Athanasio itaque, qui hoc sibi suo libro præscripserat, ut Arianos ex fidei formulis toties editis totiesque mutatis, inconstantis adeoque perversæ fidei convinceret, palam & apertè improbanda erat tanta formularum varietas. At verò Hilario, qui hoc sibi maximè proposuerat, ut & Orientalium benevolentiam captando, & in eorum favorem nonnihil flectendo Occidentales, utrosque ad concordiam & pacem in synodis jam indictis ineundam præpararet, multa fuerunt dissimulanda, formularum iteratò condendarum excogitandæ causæ, ac denique dicta quibus enuntiabantur benignè interpretanda.* aut de eorum formulis diversa ab Athanasio sensisse. Conciliatur diversa utriusque loquendi ratio ex scopi diversitate,

XIV. *Præterea iis non una ratione loquendum fuit, qui non uno tempore scripserunt. Scripsit namque Hilarius ante Ariminensem synodum, cùm ei spes erat, ut quemadmodum Orientales adversùs Anomœos à Constantio auditi erant, ita ipse, quod in optatis semper habuerat, adversùs Valentem & Ursacium benignè audiretur. Hoc autem si sibi umquam* ex diversitate temporis.

daretur, duos illos Arianæ sectæ duces, qui Orientem Occidentemque totum commovebant, facilè devincendos, & Imperatorem ipsum tandem ad veram fidem revocandum esse confidebat. Quod cùm cogitaret, fides Orientalium, quibus tum mirè favebat Constantius, damnanda ei non erat, sed, quantum licebat, laudanda & approbanda. At verò Athanasius scripsit post prædictam synodum, quando jam poscebat Ecclesiæ utilitas, ut quod in tot fidei confessionibus vitiosum erat, non dissimularetur, & quando ipse etiam Hilarius nec dissimulavit, nec pepercit. Tum enim libello ad Constantium, rursumque libro altero adversùs eumdem Imperatorem, formularum multitudinem palam & apertè improbavit. His itaque libris, mutato jam rerum statu, mutavit stilum; non, ut quidam volunt, pugnantia cum iis quæ libro de Synodis dixerat locutus est.

Libri ad Constantium nihil habent quod cum hoc pugnet.

Quàm multis hujus libri locis indicet Orientalium fidem sibi non probari.

XV. *Neque verò ex verbis apologiæ tantùm, sed & ex ipsomet Tractatu perspicuum est, Orientalium confessiones tunc temporis ipsi non fuisse per se & absolutè probatas. Quorsum enim num 6. rursumque num. 65. tam enixè obtestatus est, ne de se ante sermonis consummationem judicaretur, nisi quia ex benignis interpretationibus suis de se posse malè judicari prævideret? Quam ob causam num. 7. de formulis à se exponendis ait,* In quibus si quid vitiosè inesse intelligitur, nemo mihi vitium potest assignare dictorum; internuntius enim, ut voluistis, sum ipse, non conditor: *si illas ab omni vitio puras existimasset? Quid sibi vult quod his proximè subjicit,* Ego quæ gesta sunt fideliter transmisi; vos an catholica, an hæretica sint, fidei vestræ judicio comprobate: *nisi se ea ne ab hæresis quidem suspicione aliena judicare? Verùm expositis omnibus Orientalium formulis, nullam earum sibi probari luculenter indicat num. 63. ubi miserum Orientis statum deplorans,* Tantum, *inquit,* Ecclesiarum Orientalium periculum est, ut rarum sit hujus fidei (quæ qualis sit, vos judicate,) aut sacerdotes aut populum inveniri: *maximè cùm idipsum denuo num. 66. cum quadam emphasi repetat. Quid postremò sonat illud num. 3. quòd Gallorum fidei fama* quosdam Orientalium Episcopos serò jam ad aliquem pudorem nutritæ exinde hæreseos auctæque commovit; *nisi ab iisdem Orientalibus usque ad Ancyranam synodum, proindeque & Antiochiæ & Philippis & Sirmii, nutritam fuisse hæresim atque auctam? Immo quod in ipsa Ancyrana synodo ausi sunt,* impium *esse non sine doloris sui testificatione declarat num. 9.*

Falsam synodum Sardicensem non habuit pro vera.

XVI. *Quæ cùm ita sint, non occurrit nobis qua ratione nitantur, qui volunt sanctum Confessorem, cùm hunc librum scriberet, falsam synodum Sardicensem pro vera habuisse. An quòd fidem illius non vocaverit Philippopolitanam? At hoc prudentiæ fuit, ne quos conciliare peroptabat Orientales alienaret. Sed neque eam Sardicensem dixit, ne deciperet Occidentales. Eo autem temperamento illam inscripsit,* Fides secundùm Orientis synodum; *ut illæsis Orientalibus, satis significaret illam eorum esse, qui ab Occidentalibus Sardicæ congregatis secesserant: quod perinde est ac si Philippopolitanam vocasset.* Sardicensem *quidem eam dixit libro in Constantium; sed non tam ex suâ, quam Constantii ipsius quem alloquebatur sententiâ. Et sanè de rebus Orientis tunc erat instructior, quàm ut veræ ac falsæ synodi Sardicensis discrimen ignoraret.*

XVII. *Etiamsi autem nonnihil suspectam haberet Orientalium fidem, quam tamen eis hoc libro patefecit benevolentiam, etiam postea Seleuciæ & Constantinopoli conservavit. Nec aliter erga eos sese gessit Athanasius, qui etiam post annum 360. in lib. de Synod. pag. 916. scribit, cum Basilio Ancyrano ejusque similibus sic agendum esse, veluti cum iis* qui non longè absunt à recipienda voce consubstantialis. Neque enim, *inquit paulo antè,* adversùs eos veluti adversùs Ariomanitas aut adversùs Patrum hostes contradicimus; sed veluti fratres cum fratribus disceptamus, ut cum quibus nobis eadem sit sententia, controversia autem de verbis. *In quo meliùs de Orientalibus sensisse videtur, quàm noster Hilarius? qui cùm similia quædam dicat sub finem num. 8. ea se non tam certò asseverasse, quàm pia quadam animi propensione, quæ necdum sine formidine erat, locutum esse pluribus aliis sententiis demonstrat. Ita duo illi clarissimi viri nos exemplo docuerunt præclaram illam Gregorii Naz. Or 21. n. 19. sententiam:* Sic enim existimo in dubiis & incertis rebus faciendum esse, ut ad benignitatem & humanitatem propensiores simus, eosque, qui in culpa sunt, absolvamus potiùs quàm condemnemus. *Sed ad Hilarium nostrum quod attinet, de vero illius erga Orientales sensu, nullum ut diximus dubium relinquent ipsius responsa apologetica, quæ & seorsim in notis, & post hunc librum simul in unum collecta exhibebimus.*



SANCTI HILARII
PICTAVENSIS EPISCOPI
* LIBER DE SYNODIS
SEU,
DE FIDE ORIENTALIUM.

* Scriptus circa finem anni 358.

Dilectissimis [a] & beatissimis Fratribus & [b] coepiscopis, provinciæ Germaniæ primæ, & Germaniæ secundæ, & primæ Belgicæ, & Belgicæ secundæ, & [c] Lugdunensi primæ, & Lugdunensi secundæ, & provinciæ [d] Aquitanicæ, & provinciæ Novempopulanæ, & [e] ex Narbonensi plebibus & clericis Tolosanis, & provinciarum [f] Britanniarum episcopis, Hilarius servus Christi, in Deo & Domino nostro æternam salutem.

Hilarii de Galliæ episcoporum fide anxii propositum.

I. ONSTITUTUM mecum habebam, Fratres carissimi, in tanto silentii vestri tempore nullas ad vos ecclesiastici sermonis litteras mittere. Nam cùm frequenter vobis ex plurimis Romanarum provinciarum urbibus significassem, quid cum religiosis fratribus nostris A Orientis episcopis fidei studiique esset, quantaque, sub occasione temporalium motuum, diabolus venenato ore atque linguâ mortiferæ doctrinæ sibila protulisset; verens ne in tanto ac tam plurium episcoporum calamitosæ impietatis vel erroris periculo, taciturnitas vestra de pollutæ atque impiatæ conscientiæ esset desperatione [g] suscepta, (nam ignorare

[a] Sic omnes mss uno excepto Vaticanæ basilicæ & recentiore Carn. qui cum vulgatis præferunt *Dominis*, non *dilectissimis*. At epistola adversùs Auxentium magno codicum consensu *dilectissimis fratribus* inscribitur.

[b] Plures mss. non tamen potiores, *& episcopis*, omisso deinde *provinciæ* vocabulo. At in recentiore Carn. totus titulus sic interpolatur: *coepiscopis Germaniæ primæ, in qua est prima Maguntia; & Germaniæ secundæ, in qua prima est Agrippina, id est Colonia; & primæ Belgicæ, in qua prima est Treveris; & Belgicæ secundæ, in qua prima est Remis; & Lugdunensis primæ, in qua prima est Lugdunum; & Lugdunensis secundæ, in qua prima est Rotomagum; & Narbonensi plebi, in qua prima est Narbona; & Clericis Tolosanis* &c. quod desumtum videtur ex his, quæ in mss. monasterii Silvæ-majoris & S. Remigii Remensis, in fronte totius Tractatus sic prænotantur: *In Germania prima est Maguntia, in secunda Agrippina, id est Colonia, in Belgica prima Treveris, in Belgica secunda Remis, in Lugdunensi prima Lugdunum, in Lugdunensi secunda Rotomagus, in Novempopulana est Tolosa*: mendosè, quantum ad postremam hanc metropolim. Nam Novempopulanæ primaria civitas *Elusatium* in Corbeiensi codice sæculo sexto exarato consignatur: *Tolosatium* autem in 1ª. Narbonensi post Narbonam ordinatur.

[c] Editi hîc & infrà, *Lugdunensis*: refragantibus potioribus mss.

[d] In novem mss. desideratur *& provinciæ Aquitanicæ*. In vetusto Colb. & Germ. habetur, *& provinciæ Aquitanæ*: in duobus aliis, *& provinciæ Aquitaniæ*: in Carn. *& provinciæ Aquitanicæ primæ*. Sanè in provinciarum Gallicanarum partitione, quam exhibet jam dictus codex Corbeiensis medio sæculo sexto exaratus, duæ recensentur Aquitanicæ, & primæ quidem metropolis civitas Biturigum, secundæ autem Burdigalensium. Ita etiam memorantur quatuor Lugdunenses ac Narbonenses duæ. An datâ operâ Hilarius provincias illas non distinctè nuncuparit?

[e] Corb. aliique complures mss. *& Narbonensi plebi*. Retinenda cum vetustioribus Colb. Carn. &c. vulgata lectio: quasi diceret Hilarius, & ex omni Narbonensi provincia, (cujus metropolis Narbona, & sub ea Tolosa recensetur,) præsertim Tolosanis plebibus & clericis: de quibus præcipua ipsi cura fuit, quòd Rhodanium illorum episcopum, *qui*, Sulpicio Severo teste, *naturâ lenior non tam suis viribus, quàm Hilarii societate Arianis non cesserat*, eadem exsilii conditio implicuerat.

[f] Britannias jam sua ætate Christianas fuisse testatur Tertullianus adversùs Judæos n. 4. ubi *Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero subdita* memorat. Hos medio sæculo secundo, Lucii regis & Eleutherii Papæ temporibus fidem suscepisse scribit Beda lib. 1. hist. gentis Anglorum cap. 4. Neque alios spectare videtur Hilarius in Psal. 14. n. 3. ubi narrat *etiam in Oceani insulis plurimas Deo habitationes* ab Apostolis paratas. Nunc verò indicat ipsos Britanniarum episcopos cum Gallicanis conspirasse, ut decertarent adversùs Arianam pestem, quæ ipso Beda teste libro laudato cap. 8. *perfidiæ suæ virus non solùm orbis totius, sed & insularum ecclesiis adspersit.*

[g] Editi, *suspecta*: emendantur ex melioribus mss.

vobis frequenter admonitis non licebat,) mihi quoque apud vos tacendum arbitrabar, dominicæ sententiæ admodum memor, qua post primam atque iteratam conventionem, eos, qui etiam sub testimonio Ecclesiæ inobedientes exsisterent, haberi sicut ethnicos publicanosque jussisset.

Matth. 18. 15. &c.

Galliæ episcopis gratulatur, a ob negatam Saturnino communionem, b ob damnatam Sirmii fidem.

2. Sed beatæ fidei vestræ [a] litteris sumtis, quarum lentitudinem ac raritatem de exsilii mei & longitudine, & secreto intelligo constitisse; gratulatus sum in Domino, incontaminatos vos & illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisse, vosque comparticipes exsilii mei, in quod me Saturninus, ipsam conscientiam suam veritus, circumvento [b] Imperatore detruserat, negatâ ipsi usque hoc tempus toto jam triennio communione, fide mihi ac spiritu cohærere: & missam proximè vobis ex Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem, non modò non suscepisse, sed nuntiatam etiam significatamque damnasse. Necessarium mihi ac religiosum intellexi, ut nunc quasi episcopus episcopis mecum in Christo communicantibus salutaris ac fidelis sermonis colloquia transmitterem: & qui per metum incertorum, conscientiæ tantùm antea meæ, quòd ab his omnibus essem liber, gratulabar, nunc jam communis fidei nostræ integritate gauderem. O gloriosæ conscientiæ vestræ inconcussam stabilitatem! O firmam [c] fidelis petræ fundamine domum! O intemeratæ voluntatis illæsam imperturbatamque [d] constantiam! Mansit namque, atque etiam nunc permanet, post synodi Biterrensis professionem, in qua [e] patronos hujus hæreseos ingerendæ quibusdam vobis testibus denuntiaveram, innocens, [f] inviolata, religiosa.

Hæresi proruptura non cedunt, prorumpentem frangunt.

3. Exspectastis enim sanctæ & indemutabilis perseverantiæ gloriosum triumphum, non cedendo Saturnini minis, potestatibus, bellis: & cùm omnia inchoandæ blasphemiæ in Deum certamina moverentur, manentes nunc usque mecum in Christo fideles, neque antea ad occasionem proruptura hæreseos cessistis, & nunc omnem ejus petulantiam in proruptionis congressione fregistis. Vicistis enim, Fratres, cum ingenti fidei communis gratulatione: & geminam habuit illæsæ [g] constantiæ vestræ honor gloriam, de integritate scilicet conscientiæ, & de exempli auctoritate. Nam fidei vestræ imperturbatæ inconcussæque fama, quosdam Orientalium episcopos serò jam ad aliquem pudorem nutritæ exinde hæreseos auctæque commovit: & auditis iis quæ apud Sirmium conscripta impiissimè erant, irreligiosorum audaciæ quibusdam sententiarum suarum decretis [h] contradixerunt. Et licèt non sine aliquo aurium scandalo & piæ sollicitudinis offensione restiterint: tamen adeo restiterunt, ut ipsos illos, qui tunc apud Sirmium in sententiam Potamii atque [i] Osii, ita & ipsi sentientes confirmantesque, concesserant, ad professionem ignorantiæ errorisque compellerent; ut ipsi rursum subscribendo damnarent quod fecerant.

Ad resipiscentiam Orientales exemplo suo commovent.

[a] Si quidem iis litteris didicit, Gallos editam anno 357. confessionem Sirmiensem (vel ut constanter exstat in mss. *Sirmensem*) non modò non suscepisse, sed & damnasse; liquet eas aut exeunte an. 357. aut an. 358. ineunte ab ipso fuisse acceptas. Cùm autem inconcussa illa in damnanda prædicta confessione Gallorum constantia Orientalibus innotuerit ante Pascha an. 358. hoc est, priùs quàm Ancyræ convenirent; necesse est easdem litteras non post mensem Martium an. 358. Hilario fuisse redditas. Valde enim probabile est, Orientales per ipsum audiisse quod in Gallia factum est. At certè ab Orientalibus ipse non audivit primus, qui ante has litteras de Gallorum fide incertus erat & anxius.

[b] Constantio scil. qui tum Mediolani degebat. Videsis lib. 2. ad Constant. n. 2.

[c] Gallos hîc laudare videtur Hilarius, quod confessi sint filium Dei, alludens nimirum ad confessionem Petri, de qua lib. 2. de Trin. n. 23. *Unum igitur hoc est immobile fundamentum, una hæc felix fidei petra Petri ore confessa, Tu es filius Dei vivi*: & lib. 6. n. 36. *Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est.*

[d] Aliquot mss. *conscientiam*: malè; jam enim conscientiæ stabilitas laudata. Minùs malè in Carn. *sententiam.*

[e] In sex mss. *patronum*, quem commodè intelligere esset Saturninum Arelat. Arianarum partium, uti eum vocat Sulpicius pag. 263. ducem. Sed cùm in vetustioribus legamus *patronos*; unà cum Saturnino designati hîc videntur Ursacius & Valens, quorum in Concilio Mediolan. an. 355. ad ingerendam hæresim conatus & artes narrat idem Sulpicius pag. 247. Quibus favet quod ait Hilarius in Constant n. 2. se cum Gallicanis episcopis proximè post Mediolan. Concilium *à Saturnini & Ursacii & Valentis communione* discessisse, *indulta ceteris eorum consortibus resipiscendi facultate.*

[f] Editi excepto Bad. *inviolataque religio*: quod & habent duo mss. sine particula *que*. Ceteri autem cum Bad. *inviolata, religiosa*: supple, *constantia.*

[g] Ita præcipui mss. At excusi, *conscientia.*

[h] Hîc notantur Ancyranæ synodi decreta. Deinde post verbum *contradixerunt*, in priùs vulgatis subjiciebatur, *Et si diligenter sententia hæc expensa esset, fortè totius Tractatus mei ratio non fuisset suspiciosa. Non enim tacuissem illic, quod non nisi cum scandalo esset audiendum.* quæ verba reliquæ orationi non cohærent, neque exstant in mss. probæ notæ Colbertinis duobus, Germ. Carn. Habentur tamen in veterrimo ecclesiæ Vaticanæ codice, Corb. aliisque pluribus. Quis non videat, ex notis apologeticis, de quibus in præfatione dictum est, hanc unam esse, quæ respiciat verba, *Et licèt non sine aliquo aurium scandalo* &c. Re ipsa enim hac una sententia probè expensâ, relictus non erat locus suspicioni, in quam Hilarius ob hunc Tractatum venit, quasi Orientales catholicæ veritati per omnia congruentes existimarit: cùm conceptis verbis moneat, quædam in prædicta synodo decreta fuisse, quæ pias aures offenderent. Ubi non obscurè notat duo postrema decreta, ab Epiphanio relata hær. 73. n. 11. quorum altero Patrem non substantiâ solùm, sed & auctoritate patrem asserebant; altero autem homousion damnabant. Illa quidem in hoc Tractatu prudens supprimit Hilarius, quia nimirum Orientales ipsi Sirmium accedentes ea primi reticuerant: sed eorum tamen se conscium fuisse, tum hîc, tum alibi indicat. Quocirca in apologetica nota, pro *non enim tacuissem illic*, haud dubiè legendum *non enim tacui esse illic*. Item in primis verbis, *Et si diligenter*, supervacanea est particula *&*, neque exstat in mss.

[i] In antiquis libris *Osii* nomen cum duplici *ss*. constanter pingitur, puta, *Ossii*. Tum in vulgatis, *ita ut ipsi consentientes*. Ex potioribus mss. restituimus *ita & ipsi*, ex omnibus autem *sentientes*. Quod hîc delibat Hilarius, pleniùs prosequitur num. 78. & 79. ubi declarat quosdam *coacta ignorantia sua professione & nova subscriptione*, quamvis sibi suspectâ, damnasse quod fecerant; tum verò Ursacium & Valentem nominatim exagitat, ut quibus ignorantiam obtendere minimè licuerit. Quin hæc illorum coacta subscriptio proximè post Ancyranam synodum contigerit, quando scil. Basilius aliique legati hujus synodi decreta ad Imperatorem detulerunt, nulla videtur dubitandi ratio. Sed & ingens suspicio est, huc referenda esse, quæ ait Germinius Fragmento xv. n. 3. nimirum Basilio, Eleusio, Valente &c. præsentibus coram Imperatore habitam usque ad noctem de fide disputationem, (ni fallit conjectura, illis Ancyrana decreta, his subjectam Osii blasphemiam defendentibus:) tum verò omnium calculo electum fuisse Marcum Arethusium ad conscribendam formulam, cui singuli subinde subscripserint. Existimari etiam posset Germinius formulæ hujus à Marco conscriptæ verba expressisse Fragmento xiii. ubi *verum Dei Filium ante omnia genitum, divinitate, caritate, majestate, virtute, claritate, vitâ, sapientiâ, scientiâ Patri per omnia similem* profitetur. Hæc enim videntur consultò opposita Osianæ blasphemiæ, qua *Patrem honore, claritate, majestate atque ipso nomine patris Filio esse majorem* pronuntiabant. Unum tamen hoc nos movet, cur Hilarius in hoc Opere, in quo omnes Orientalium formulas pollicetur, hanc postremam reticuerit, quam ut publicaret, maximè ad scopum ipsius pertinebat. Quamquam reponi queat, hoc unum de illo congressu tum disseminatum esse, quòd Ursacius, Valens aliique se per ignorantiam deliquisse professi, Basilii sociorumque placitis subscripsissent; formulam verò ibi editam singulos apud se secretam tenuisse.

Quod

Quod utique ideo [a] fecerunt, ut aliud antè A damnarent.

Quorumdam devitent communionem.

4. Sed tenet etiam nunc invicta fides vestra spectabilem [b] conscientiæ suæ gloriam: & nihil subdolum, nihil ambiguum, nihil trepidum agere contenta, [c] securè in Christo libertatis suæ professione persistit, ab eorum se communione, qui episcopos blasphemiis suis contradicentes in exsilio detinent, abstinendo, neque se in injusti judicii reatum per assensum dissimulationis subdolæ aggregando. Nam post B multum & gravem omnium nostrûm ob eas res, quæ irreligiosè ab impiis gerebantur, dolorem, ex eo [d] intra nos tantùm communio dominica continetur, ex quo his perturbationibus vexari Ecclesia cœpta est, ut exsulent episcopi, demutentur sacerdotes, plebes terreantur, fides periclitetur, humano arbitrio ac potestate doctrinæ dominicæ decreta statuantur. Hoc fides illæsa vestra neque nescire se simulat, neque pati posse profitetur, non se C extra conscientiæ crimen futuram intelligens ex ipso dissimulationis assensu.

Epistolæ hujus occasio.

5. Et quidem quamvis in omnibus, quæ gessistis & geritis, constantem fidei vestræ libertatem & securitatem testemini; tamen etiam in eo ferventis spiritûs ardorem probatis, quòd nonnulli ex vobis, quorum ad me potuerunt scripta deferri, quæ exinde Orientales in fidei professionibus gerant & gesserunt, significari vobis humilitatis meæ litteris D desiderastis: etiam hoc mihi onus imperitissimo atque indoctissimo omnium ex affectu caritatis addentes, ut quid ipse super omnibus dictis eorum sentiam indicem; cùm difficillimum sit sensum ipsum propriæ meæ fidei, secundùm intelligentiæ [e] interioris affectum loquendo proferre, nedum modò facile sit intelligentiam eorum quæ ab aliis dicuntur exponere.

Operis difficultas.

Qua conditione debeat legi.

6. Oro autem vos per Domini misericordiam, ut quia [f] mihi ad vos de divinis, ut voluistis, rebus & de fidei nostræ intemerata conscientia erit per has litteras sermo, ne quisquam de me ante sermonis consummationem per litterarum exordia existimet judicandum. Iniquum est enim, non compertâ usque ad finem ratione dictorum, præjudicatam sententiam ex initiis quorum causa adhuc ignoretur afferre: cùm non de inchoatis ad cognoscendum, sed de absolutis ad cognitionem sit judicandum. Est enim mihi non de vobis, ut Dominus sensui meo conscius est, sed de quibusdam nimiùm apud se cautis & prudentibus metus, [g] non intelligentibus per beatum Apostolum sibi, ne supersaperent, præceptum: quos Rom. 12. 3. vereor nolle omnia ea, quorum absolutio à me in consummatione erit præstanda; [h] cognoscere, dum verum intelligi ex iis quæ absolventur evitant. Sed quisque hæc legenda & cognoscenda susceperit, modum sibi atque mihi patientiæ fidelis indulgeat, & usque ad absolutionem universa [i] percenseat. Fortè enim omnis hic fidei meæ sermo præstabit, ut neque furtivi hæretici quod volunt fallant, & perfecti catholici quod desiderant consequantur.

Operis utilitas.

Quid complectatur.

7. Obsequor igitur Caritatis Vestræ impatientissimæ voluntati: & omnes fides, quæ post sanctam synodum Nicænam diversis temporibus & locis editæ sunt, cum sententiarum omnium atque etiam verborum additis per me expositionibus destinavi. In quibus si quid [k] vitiosè inesse intelligitur, nemo mihi vitium potest assignare dictorum: internuntius enim, ut voluistis, sum ipse, non conditor. Si quid verò rectum atque ex doctrinis apostolicis [l] præscriptum deprehenditur, nemo ambigit non interpretantis in eo esse gloriam, sed auctoris. Ego tamen quæ gesta sunt, fideliter transmisi: vos an catholica, an hæretica sint, fidei vestræ judicio comprobate.

Quis scopus.

8. Quamquam enim responderi litteris vestris necessarium fuerit, quibus communionem mihi dominicam fidei vestræ scriptis miseratis; & quidam etiam ex vobis ad synodum quæ in Bithynia [m] futura videbatur acciti, firmissimâ E fidei [n] constantiâ intra communionem se meam continentes, à ceteris extra Gallias abstinerent: & dignum sanè erat episcopali ministerio ac voce, in tanto hæreticorum furore, aliqua vobiscum per litteras piæ fidei consilia

[a] Editi, *fecerant*. At mss *fecerunt*: quod de Orientalibus dictum videtur, & sententiæ superioris quædam repetitio: puta, ideo coegerunt illos ad subscribendum, ut hac subscriptione damnarent quod Sirmii antea egerant.

[b] Carnutensis codex cum paucis aliis, *constantiæ*: malè. Quippe Hilarius primùm posuit Gallorum constantiam duplici gloria ornatam, ob exemplum scilicet, & ob conscientiæ integritatem. Tum quid profuerit eorum exemplum explicuit. Nunc quæ sit illæsæ ipsorum conscientiæ gloria enarrat.

[c] Septem mss. *secura*.

[d] Quos spectet illud *intra nos*, aperit num. 8. ubi qui ad synodum in Bithynia erant acciti, laudantur quòd *à ceteris extra Gallias abstinerent*. Negata autem videtur litterarum dumtaxat ac mysteriorum communio, non colloquiorum. Nam quemquam cum hæreticis colloqui, numquam se criminis loco duxisse testatur Hilarius ipse lib. in Constant. n. 2.

[e] Vocabulum *interioris*, quod in una tantùm Miræi editione exprimitur, exstat in omnibus mss. Quàm in explicanda propria fide sibi diffidat Hilarius, videsis lib. 2. de Trin. n. 5. & seqq. & lib. 11. n. 44.

[f] Lips. & Par. *quia nihil ad vos*: emendant alii libri.

[g] In mss. *non intelligentium*. Mox in Carn. *ne superbè saperent*. In Corb. à secundâ manu, *ne superba saperent*; quod exinde in pluribus aliis obtinuit. Librorum aliorum lectionem confirmat græcus sermo μὴ ὑπερφρονεῖν, necnon illud lib. 10. de Trin. n. 53. *Nonne incumbet supersapere volentibus stultitia?*

[h] Ita mss. ubi in vulgatis, *cognosci*.

[i] Vetus codex Colb. cum Germ. *pergens eat*. Adeo non credit Hilarius catholicos esse, quorum confessiones catholicè exponit, ut eos etiam *furtivos hæreticos* existimari posse subinde insinuet.

[k] Editi, *vitiosum*: refragantibus mss. Verba hæc, *si quid vitiosè inesse*, necnon *internuntius sum ipse non conditor: si quid verò rectum* &c. in ipsas Orientalium formulas cadunt, non in earum interpretationes; suntque timentis, ne quas benignè excusat, approbare videatur.

[l] Addimus ex mss. & Mir. *præscriptum*: quod in aliis editis omissum erat. Proximè Hilarius, uti jam observatum, prudenter reticens quid de Orientalium fide ipse sentiret, eam etiam hæreticam posse judicari non diffitetur.

[m] Nicomediæ videlicet, ubi propter terræ motum, quo hæc urbs die 24. Augusti an. 358. concidit, nequiit celebrari, uti narrant Socrates lib. 2. c. 37. & Sozomenus lib. 4. c. 16.

[n] Plures mss. sed non potiores, *conscientia*. Ex iis, quæ hîc scribit Hilarius, confici quidam putant, episcopos Gallicanos ad synodum Nicomediensem accitos, jam ad ipsummet in Phrygiam usque pervenisse, cùm hoc Opus aggressus est. At non necessaria est hæc consecutio. Quid enim vetat, quo minùs eos intra suam ipsius communionem se continentes eo sensu nunc dicat, quo superiùs num. 2. dixit, Galliarum episcopos sibi fide ac spiritu cohærere, & quo eosdem num. 4. laudavit, quòd in proposito persisterent ab eorum se communione abstinendi, qui episcopos hæresi adversantes in exsilio detinent? Quod sanè etiam Galliarum fines non egressis præstare eis licuit. Sed quidquid sit, illi ab episcopis qui non essent Galli abstinuerunt, ut decreto superiùs num. 4. memorato parerent.

V. lib. 10. de Trin. n. 4.

conferre. Non enim cum corporibus nostris A exsulans, vinctum ac detentum esse potuit Dei verbum, ut non communicari vobiscum posset ubicumque. Sed maximè cùm comperissem synodos [a] in Ancyra atque Arimino congregandas, & à singulis provinciis Gallicanis binos vel singulos eò esse venturos; ea, quæ inter nos atque Orientales episcopos mutuis suspicionibus detinentur, per me, qui in Orientis partibus continebar, exponenda vobis, licèt jam scientibus, atque edenda existimavi: ut cùm B hanc prorumpentem à Sirmio hæresim & vos condemnassetis, & illi cum anathemate judicassent; sciretis tamen in cujus fidei professione id ipsum, quod vos gesseratis, etiam ab Orientalibus episcopis esset effectum; & vos, quos maximè vellem futuris synodis probabiles elucere, non paterer uno atque eodem apostolicæ fidei sensu [b] catholica sentientes, aliqua saltem à catholicæ fidei sinceritate, ignoratâ verborum opinione, differre. C

Orientalium & Gallorum mutuæ suspiciones.

9. Et quidem rectum ac conveniens existimo, ut ante quàm de verborum suspicionibus ac dissensionibus ineo sermonem, ea, quæ ab Orientalibus episcopis adversùm conscriptam apud Sirmium hæresim dicta & constituta sint, verbis quàm possim absolutissimis demonstrem: non quòd non ab aliis planissimè omnia edita sint, sed quòd [c] ex græco in latinum ad verbum expressa translatio affert plerumque obscuritatem, dum custodita verborum col- D latio eamdem absolutionem non potest ad intelligentiæ simplicitatem conservare.

Orientalium adversùs Sirmii formulam decreta cur hîc relata.

Sirmii formulâ quid tentatum.

10. Meministis namque in ea ipsa scripta proximè apud Sirmium blasphemiâ id tentatum ac laboratum fuisse, uti dum Pater unus & solus omnium Deus prædicatur, Deus esse Filius negaretur: & dum de homousio ac de homœusio taceri decernitur, id decretum esse, ut aut ex nihilo ut creatura, aut ex alia essentia ut consequentia creaturarum, & non ex Deo Patre Deus Filius natus confirmaretur. Tum porro in eo, quòd honore, dignitate, claritate, majestate Pater major diceretur, id esse quæsitum, ut Filius his omnibus, quibus Pater major est, indigeret. Postremò dum ignorabilis nativitas ejus asseritur, per hoc ignorantiæ decretum, nescire quòd ex Deo sit juberemur: perinde quasi juberi decernique possit, ut quis aut quod ignoratur us sit sciat, aut quod scierit ignoret. Ipsam autem ex solido impiissimæ blasphemiæ pestem invitus licèt subdidi, ut [d] responsionum, quæ è diverso ab Orientalibus positæ sunt, absolutiùs & virtus & ratio nosceretur, quibus [e] studii fuit, ut secundùm intelligentiæ suæ sensum omnibus hæreticorum artibus contrairent.

[f] EXEMPLUM BLASPHEMIÆ APUD Sirmium per Osium & Potamium * conscriptæ.

**anno 357.*

11. Cùm nonnulla putaretur esse de fi- “
de disceptatio, diligenter omnia apud Sir- “
mium tractata sunt & discussa, præsenti- “
bus sanctissimis fratribus & coepiscopis no- “
stris, Valente, Ursacio & Germinio. [g] Unum “

[a] Abest *in* à mss. Solus Hilarius meminit Ancyram, post Nicomediæ cladem, congregandæ synodo fuisse designatam. Non repugnat tamen Sozomenus lib. 4. c. 16. ubi refert varia à diversis loca ad hoc fuisse proposita. Neque alienum erat ab ingenio Basilii, cui hujus rei cura demandata erat, ut ipse civitatem cui præerat eligeret. Illud quoque singulare est quod ait, aliquos dumtaxat è singulis provinciis Ariminum & Ancyram esse venturos. Sozomenus enim etsi memorat lib. 4. c. 16. episcopos è qualibet gente selectos Nicomediam accersitos fuisse, *ut vice omnium provinciæ suæ episcoporum in Concilio residerent, & judicio interessent*: ibidem tamen testis est Imperatorem, ubi mutandum Concilii locum rescivit, mandasse ut non jam ex singulis provinciis singuli, sed omnes quotquot valerent convocarentur.

[b] Aliquot mss. *catholicè*.

[c] Baronius ad an. 357. n. 11. falsò existimat, hæc ad blasphemam Sirmiensis fidei professionem referenda esse: atque inde perperam concludit num. 13. Hilarium in germanam prædictæ confessionis editionem, quæ latinè conscripta fuit, nequaquam incidisse, sed in græcam. Quis enim non videt, hæc de iis dicta esse quæ Orientales Ancyræ constituerint? Sed magis stupendum, quomodo ex hoc loco decipi potuerint Erasmus, Scultetus atque Gillotius, ut totum hoc Opus à Græcis editum, & ab Hilario latinè dumtaxat donatum putaverint. Hîc mirari subit antiquorum in transferendis è græco in latinum scriptis religionem. Vix enim, uti præmonuimus, magis ad verbum exprimi queant sequentes Hilarii versiones.

[d] Responsiones Ancyranorum Patrum non sunt quidem per se primò positæ adversùs subjectam Sirmiensem formulam, sed adversùs Eudoxii, Acacii aliorumque Aetii fautorum Antiochiæ congregatorum sententias & verba, quæ ab Epiphanio hær. 73. n. 21. describuntur. Quia tamen in his Eudoxius ac socii cum Sirmiensi formula congruebant, atque illius auctorum exemplo provocati ad ea in publicum proferenda animum adjecerant; eadem decreta, quæ adversùs Eudoxii & asseclarum sententias per se posita sunt, non dubium est posita esse adversùs Sirmiensem blasphemiam.

[e] Expressa est hîc in aliquot mss. vocula *id*, quæ in potioribus reticetur.

[f] Titulum hunc ab ipso Hilario præfixum, nihil est cur apud Athanasium & Socratem requiramus. Subjectam autem formulam Osius non tam scripsisse putandus est, quàm subscriptione sua ratam fecisse: & hoc, uti testes sunt Socrates lib. 2. c. 31. ac Sozomenus lib. 4. c. 6. & 12. vi tormentorum compulsus, & ut Sulpicius Severus lib. 2. ex perditis Hilarii epistolis tradit, centenario major. Fortè tamen eam Osii esse ideo scripserit Hilarius, quia ipsius nomine illam circumferebant Ariani. Qua
de re Phœbadius Agenn. *Non sum nescius . . antiquissimi sacerdotis*
& promtæ semper fidei Osii nomen quasi quemdam in nos arietem
temperari. qui immissum arietem prudenter retorquet his verbis:
Si nonaginta fere annis malè credidit; post nonaginta illum rectè
sentire non credam Eamdem Osio adscriptam vidisse videtur Epi-
phanius hær. 73. n. 14. ubi ait: *Ecclesiam condemnare se posse pu-*
tarunt iis litteris, quas ab venerabili episcopo Osio per fraudem
abstulerunt, in quibus dissimilis essentia legitur. Cui suffragatur So-
zomenus lib. 4. c. 12. Inter eos quoque, qui hanc formulam
conscripserunt, Osium recenset Vigilius Taps. l. 5. contra Eutych.
Illius tamen auctores præcipuos fuisse Ursacium, Valentem;
atque Potamium Phœbadius non obscurè significat. Huc spectat
illud Sozomeni lib. 4. c. 12. quòd cùm agentibus Ursacio,
Valente & Germinio consensisset Osius, ut neque homousion
neque homœusion usurparetur &c. *ad eos, utpote qui Osii su-*
per ea re litteras expressissent, epistolam misit Eudoxius, gratias agens
Valenti, Ursacio, & Germinio, eorumque ministerio adscribens, quòd
Occidentales rectè sentirent. Demum Hilarius ipse, cùm lib. in
Constant. n. 24. ejusdem formulæ dicta *deliramenta Osii & in-*
crementa Ursacii & Valentis nuncupat, quid sibi vult aliud, nisi
eam ab Osio quidem ex parte scriptam, ab Ursacio autem & Va-
lente adauctam fuisse?

[g] Apud Athanasium & Socratem additur hîc, *& aliis.* Nul-
los alios Eudoxius loco Sozomeni mox memorato nominat. Huic-
ne conventui interfuerit Constantius, incertum. Sed si interfuisset,
nonne Ursacii & Valentis intererat ut id declararent, quo formulæ
suæ accederet auctoritatis robur? An verò hoc tacuere, ut Ca-
tholicis solum Osii nomen magis imponeret? Certè interesse po-
tuit, qui anno 357. Sirmium bis accessisse legitur. Ammianus quip-
pe lib. 16. scribit, Constantium iv. Kal. Junias ab Urbe profectum
per Tridentum in Illyricum iter festinasse ac Sirmium venisse.
Rursum Sirmii eum exstitisse mense Decembri, fidem facit data
ab eo lex 27. Cod. Theod. de Appellationibus; cùm intermedio
tempore Mediolani eum moratum esse pateat ex variis Legum
subscriptionibus. Jam de tempore hujus synodi, an medio, an
exeunte hoc anno habita fuerit, quæritur. Ex Hilarii verbis ea
inter hanc & Ancyranam synodum debet intercedere temporis
mora, ut commodè potuerit illius formula in Gallias deportari,
deinde Gallicanorum episcoporum convocari synodus, hujus
synodi decreta in Asiam ad Hilarium, & ab Hilario ad Orientales
perferri, qui Gallorum exemplo excitati, Ancyranam synodum coe-
gerint. Quocirca probabilior est sententia eorum, qui hunc conven-
tum Sirmiensem circa medium annum 357. habitum censent.

constat Deum esse omnipotentem & patrem, sicut per universum orbem creditur: & unicum filium ejus Jesum Christum Dominum salvatorem nostrum, ex ipso ante sæcula genitum. Duos autem deos nec posse nec debere prædicari; quia ipse Dominus dixit, *Ibo ad patrem meum & ad patrem vestrum, ad Deum meum & ad Deum vestrum.* Ideo omnium Deus [c] unus est, sicut Apostolus docuit: *An Judæorum Deus tantùm? nonne & gentium? Immo & gentium. Quoniam quidem unus Deus, qui [d] justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Sed & cetera convenerunt, nec ullam habere potuerunt discrepantiam. Quod verò [e] quosdam aut multos movebat de substantia, quæ græcè usia appellatur, id est, (ut expressiùs intelligatur) homousion, [f] aut quod dicitur homœusion, nullam omnino fieri oportere mentionem; nec quemquam prædicare [g] eâ de causa & ratione, quòd nec in divinis Scripturis contineatur, & quòd super hominis scientiam sit, nec quisquam possit nativitatem Filii enarrare, de quo scriptum est, *Generationem ejus quis enarrabit?* Scire autem manifestum est solum Patrem quomodo genuerit filium suum, & Filium quomodo genitus sit à Patre. Nulla ambiguitas est, majorem esse Patrem. Nulli potest dubium esse, Patrem honore, dignitate, [h] claritate, majestate, & ipso nomine patris majorem esse Filio, ipso testante, *Qui me misit, major me est.* Et hoc catholicum esse, nemo ignorat, duas personas esse Patris & Filii; majorem Patrem, Filium [i] subjectum cum omnibus his quæ ipsi Pater subjecit. Patrem initium non habere, invisibilem esse, immortalem esse, [k] impassibilem esse. Filium autem natum esse ex Patre, Deum ex Deo, lumen ex lumine. Cujus Filii generationem, ut antè dictum est, neminem scire nisi Patrem suum.

Ipsum autem Filium Dei Dominum & Deum nostrum, sicuti legitur, carnem vel corpus, id est, hominem suscepisse ex utero virginis Mariæ, sicut Angelus prædicavit. Ut autem Scripturæ omnes docent, & præcipuè ipse magister gentium Apostolus, hominem suscepisse de Maria virgine, per quem compassus est. Illa autem [l] clausula est totius fidei & illa confirmatio, quòd Trinitas semper servanda est, sicut legimus in Evangelio: *Ite & baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.* Integer, perfectus numerus Trinitatis est. [m] Paracletus autem Spiritus per Filium est: qui missus venit juxta promissum, ut Apostolos & omnes credentes instrueret, doceret, sanctificaret.

12. His itaque tot & tantis impietatis professionibus editis, has rursum è contrario Orientales episcopi in unum congregati sententiarum definitiones condiderunt. Sed quia frequens nobis nuncupatio essentiæ ac substantiæ necessaria est; cognoscendum est quid significet essentia, ne de rebus locuturi, rem verborum nesciamus. Essentia est res quæ est, vel [n] ex quibus est, & quæ in eo quod maneat subsistit. Dici autem essentia, & natura, & genus, & substantia uniuscujusque rei poterit. Propriè autem essentia idcirco [o] est dicta, quia semper est. Quæ idcirco etiam substantia est, quia res quæ est, necesse est subsistat in sese; quidquid autem subsistit, sine dubio in genere vel natura vel substantia maneat. Cùm ergo essentiam dicimus significare naturam vel genus vel substantiam, intelligimus ejus rei quæ in his omnibus semper esse subsistat. Nunc igitur præscriptas ab Orientalibus fidei definitiones [p] recenseamus.

I. Si quis audiens imaginem esse Filium Dei invisibilis, idem dicat esse imaginem Dei, quod & Deum invisibilem: quasi non confitens verè filium, anathema sit. [q]

Marginal notes: Deum esse unum. — Joh. 20. 17. — Rom. 3. 29 & 30. — Substantiæ vocem tacendam. — Isai. 53. 8. — Patrem Filio esse majorem. — Joh. 14. 28. — Luc. 1. 31. — Matth. 28. 19. — Essentia & substantia quid. — Ancyrana synodus an. 358. — Filius, ut imago, non solo nomine alius à Patre.

[a] In græcis exemplaribus Athanasii & Socratis, συνέστηκεν, *constitit.* Phœbadius tamen cum nostro Hilario legit *constat.*

[b] Sic mss. At particula *&* in vulgatis, necnon apud Phœbad. Athanas. & Socrat. desideratur.

[c] Athanasius & Socrates non exprimunt vocabulum *unus.*

[d] In potioribus mss. *justificavit.* Cùm græcè habeatur δικαιώσει, nec quidquam in antiquis libris sollemnius sit, quàm ut *b* in *u* mutetur, facilè damus legendum esse *justificabit.*

[e] Lips. & Par. *quosdam haud multos.* Alii verò libri, *quosdam aut multos:* quod græci verterunt, πολλούς τινας.

[f] Sic optimus codex Colb. cum Germ. sicque legendum constat ex græcis exemplaribus. At vulgati, *homousion quod dicitur aut homœusion.* Deest autem in mss. Carn. Corb. ac pluribus aliis, *aut quod dicitur homœusion.*

[g] Bad. Er. & Mir. *eadem esse ratione*; Lips. & Par. *ea de causa ratione:* emendantur ex mss. & græca versione διὰ πάντων τὴν αἰτίαν καὶ διὰ τοῦτο τὸν λογισμόν.

[h] Hoc ipsum totidem verbis exprimit Phœbadius. At hæ duæ voces *claritate, majestate*, unâ græcâ θεότητι apud Athanas. & Socrat. redduntur

[i] Apud Athanas. *subjectum Patri Filium*, quomodo legisse videtur & Phœbadius.

[k] Prudenter in hæc Phœbadius: *Hæc ideo proponunt, ut contraria his Filio adscribant... qui si initium habere probatur, meritò mortalis, meritò passibilis credetur.* Primam hæreticorum confessionem simili arte contextam advertit ac monuit noster Hilarius lib. 4. & 6. de Trin. Maximè verò laudato Phœbadio displicent subjecta inferiùs verba *per quem compassus est:* quasi scil. duo fuerint patientes, homo assumtus, & assumens Filius. Unde Athanasius lib. de salutari adventu J. C. pag. 643. eos cum Arianis blasphemare incusat, qui *Deum per carnem passum esse & resurrexisse* dicunt; *cùm Scriptura doceat, per Deum in carne ejus passionem contigisse, non Deum per carnem passum esse.*

[l] In vulgatis, *clavis.* Rectiùs in mss. *clausula*, id est *summa:* quod græcè versum est κεφάλαιον.

[m] In mss. constanter *Paraclitus*, aut *Paraclytus.*

[n] Supple, *res eorum.* Hoc altero orationis membro explicatur essentia genita, sicut superiori non nata.

[o] Non aliam præstat Phœbadius substantiæ notionem: *Substantia enim*, inquit, *dicitur id quod semper ex sese est, hoc est, quod propria intra se virtute subsistit: quæ vis uni & soli Deo competit.* Vocis utriusque distincta ratio explicatur Fragmento 2. n. 32.

[p] quas scil. Ancyræ an. 358. paulò ante diem Paschæ congregati conscripserunt ad comprimendam Anomœorum impietatem. Eudoxius enim cùm audisset quid Sirmii egissent Ursacius, Valens ac socii, multùm inde eis gratulatus, ipse etiam Aetii hæresim, quantum poterat, promovere studuit. Qua de re, qui ecclesiæ dedicandæ gratiâ Ancyram convenerant, Georgii Laodiceni litteris admoniti, quotquot commodè potuerunt convocare, sibi adjunxerunt, ut Eudoxii conatus retunderent. Basilius epist. 74. Concilii hujus meminit, vocatque σύλλογον: quæ vox non, ut putat vir aliàs eruditus, *colloquium* sonat, sed *conventum*, nimirum à συλλέγω *convoco.* Gesta illius narrat Sozomenus lib. 4. c. 13. Consulendus ea de re Epiphanius hær. 73. n. 2. &c. Qui quidem ibi num. 10. & 11. synodi hujus decreta plura refert quàm noster Hilarius: quia videlicet ea recenset quæ Ancyræ sunt edita, Hilarius verò, uti ex nota sequenti palam fiet, quæ à synodi legatis Sirmium delata & publicata.

[q] Proximè post *anathema sit*, apud Bad. Er. Mir. & in pervetusto ms. S. Petri Vatic. sub uno eodemque contextu sequitur: *Expositiones omnes, si quid habent criminis, intra se habent; ceterùm non habere in publica facie existimantur. Sed quia scirem ea sola Sirmium esse delata.* Hac altera nota apologetica declarat Hilarius, nullas definitionum earum, quas solas ab Ancyranæ synodi legatis Sirmium esse delatas sciret, in publica facie & secundùm verborum sonos, quidquam habere quod reprehendendum videatur, quamvis fraudem sub speciosis verbis latentem non neget. Quæ nota malè quidem in prædictis libris locum in textu obtinuit: sed tamen non sine injuria à Lipsio prorsus suppressa fuit. Cùm autem æquè respiciat omnes Ancyranas definitiones inferiùs relatas, primæ huic non postponi debuit, sed potiùs anteponi. Magis etiam placeret *eas solas... delatas.*

13. Exclusa est assertio volentium nominibus tantùm Patrem & Filium prædicare; cùm quando imago omnis, ejus ad quem coimaginetur species indifferens sit. Neque enim ipse sibi quisquam imago est: sed eum, cujus imago est, necesse est ut imago demonstret. Imago itaque est rei ad rem coæquandæ imaginata & indiscreta similitudo. Est ergo Pater, est & Filius; quia imago Patris est Filius: & qui imago est, [a] ut rei imago sit, speciem necesse est & naturam & essentiam, secundùm quod imago est, in se habeat auctoris.

Itē alius est ut accipiens à Patre vitam. *Joh. 5. 26.*

" II. Et si quis audiens Filium dicentem, *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic & Filio dedit vitam habere in semetipso*, eumdem dicat, qui accepit à Patre vitam, qui confitetur [b] & hoc idem, *Ego vivo propter Patrem*, quod & illum qui dederit: anathema sit.

Joh. 6. 57.

14. Discernitur persona accipientis, & dantis; ne ipse idem sit unus & solus. Cùm enim in anathemate sit, qui solitarium atque unicum in accipientis & dantis professione crediderit; non potest intelligi ipse atque unus à se accepisse, qui dederit. Neque enim ipse solus est, qui vivit, & per quem vivit; quia alius est sibi vivens, alius profitens se vivere per auctorem: & unum atque eumdem nemo profitebitur, qui vitâ utatur, & per quem sit causa vivendi.

Filius essentiâ nō dissimilis Patri, eo quòd imago illius sit.

" III. Et [c] si quis audiens unigenitum filium invisibilis Dei similem, non dixerit essentiâ Filium, qui est imago Dei invisibilis, cujus imago & juxta essentiam intelligitur; quasi non verè dicens filium, anathema sit.

15. Indiscreta confirmatur indissimilisque natura. Cùm enim unigenitus filius Dei, & imago invisibilis Dei sit; necesse est per speciem atque naturam similis [d] essentiæ sit. Aut quomodo inter Filium atque Patrem natura discernitur generis indifferentis; cùm in his, quæ Patris sunt propria, subsistens Filius per naturam in se genitam consistat, gloriæ scilicet, virtutis, potestatis, invisibilitatis, [e] essentiæ? Atque ita in his paribus divinitatis bonis intelligitur neque ille minor esse, cùm filius sit; neque hic præstare, cùm pater sit: cùm patri filius & coimaginatus ad speciem sit, nec sit dissimilis in genere; quia diversitatem substantiæ geniti ex substantia patris filii similitudo non recipit, & omnem in se divinitatis paternæ, qualis & [f] quanta forma est, invisibilis Dei filius & imago complectitur: & hoc verè est esse filium, paternæ scilicet formæ veritatem coimaginatæ in se naturæ perfectâ similitudine retulisse.

" IV. Et si quis audiens hoc, *Quomodo enim Pater habet vitam in semetipso, sic & Filio dedit vitam habere in semetipso*; [g] similem non dicat etiam juxta essentiam Filium Patri, [h] testantem quòd sic habet quemadmodum dixit: anathema sit. [i] Manifestum est enim, quòd [k] quæ vita in Patre intelligitur, substantiâ significatâ; vitâ quoque Unigeniti, quæ ex Patre generata est, essentiâ intellectâ, *ita* similitudinem essentiæ ad essentiam significat.

Item eo quòd sicut Pater, ita ipse vitā habet in semetipso. *Joh. 5. 26.* g h i k Vita Patris & Filii, ipsa utriusque essentia.

16. Connectitur, tali confessione originis suæ, indiscretæ naturæ perfecta nativitas. Quod enim in utroque vita est, id in utroque significatur essentia. Et [l] in vita quæ generatur ex vita, id est, essentiâ quæ de essentia nascitur, dum non dissimilis nascitur, scilicet quia vita ex vita est, tenet in se originis suæ indissimilem naturam; quia natæ & gignentis essentiæ, id est, vitæ quæ habetur * & data est, similitudo non discrepet. Quod enim ex se Deus, cùm [m] ex naturæ suæ similitudine, genuit; non deseruit, [n] in quo ingenita simili-

* nempe à Patre & data est Filio.

[a] Editi, *ut verè imago sit*. Expressiùs mss. *ut rei imago sit*, id est, non solius speciei ac formæ externæ, sed internæ rei ac naturæ. *Imagines enim cetera*, ut dicitur lib. 7. de Trin. n. 37. *ex diversis aut metallis aut fucis aut generibus aut artibus reddunt eorum species, quorum sunt imagines instituta*: sed non præstant res ipsas. Hinc facilè apparet, in superiori decreto, ubi damnatur qui imaginem Dei *idem* dicat esse quod Deum, imaginem non negari idem naturâ, sed subsistentiâ ac personâ.

[b] Particulam *&* addimus ex uno ms. Colb. & altero Sorbon. Deinde in plerisque, *hoc id est*, non *hoc idem*. Mox soli vulgati *quem & illum*, pro *quod & illum*. Hæc sententia sic græcè enuntiatur: ταυτὸ λέγει τὸν εἰληφότα παρὰ τοῦ Πατρὸς τὴν ζωὴν, καὶ ὁμολογοῦντα δὲ, κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν Πατέρα, τῷ δεδωκότι, ἀνάθεμα ἔστω.

[c] Græcè apud Epiphan. definitionem superiorem hæc antecedit, cujus initium sic enuntiatur: *εἴ τις εἰκόνα ἀκούων τὸν μονογενῆ Υἱὸν τοῦ ἀοράτου Θεοῦ, ἀνόμοιον λέγοι καὶ κατ' οὐσίαν τὸν Υἱόν*, hoc est, *Si quis audiens unigenitum filium esse invisibilis Dei imaginem, dissimilem etiam secundùm essentiam filium dixerit.*

[d] Sic mss. duobus exceptis, cum quibus editi præ se ferebant, *essentia sit.*

[e] Plures mss. *essentia*. Retinendum cum potioribus *essentiæ*; ita ut vox, *bonis*, aut similis tacita intelligatur: puta, *cùm in his bonis, gloriæ scilicet, virtutis* &c.

[f] Editi, *quanta est, formam.* Eodem sensu intelligenda est lectio, quàm exprimimus è mss.

[g] Pro *similem non dicat*, græcè habetur *ἀνόμοιον λέγοι*, id est, *dissimilem dicat.*

[h] Sic mss. At editi, *ipso testante*. Græcè, *διαμαρτυρόμενος.*

[i] In excusis & scriptis, in quibus Hilarii & synodi verba titulis ac notis quibusdam distinguuntur, subsequens sententia notatur velut Hilarii, quamvis synodi eam esse ex Epiphanio perspicuum sit.

[k] Ita mss. Editi verò, *quòd vita in Patre hic intelligitur . . . vita quoque in unigenito . . . significari connectitur.* Græcis litteris dum scrupulosè adhæsit Hilarius, illas paulo obscuriùs latinè reddidit. Sic autem græcè habetur: φανερὸν γὰρ ὅτι τῆς ζωῆς ἐν τῷ Πατρὶ νοουμένης οὐσίας σημαινομένης, καὶ τῆς ζωῆς τῆς τοῦ μονογενοῦς τῆς ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθείσης οὐσίας νοουμένης, τὸ οὕτως τὴν ὁμοιότητα τῆς οὐσίας πρὸς οὐσίαν σημαίνειν, id est, *Manifestum est enim, cùm quæ vita in Patre intelligitur, significetur essentia; vita quoque Unigeniti, quæ ex Patre generata est, essentia intelligatur; voce ita,* (in his, *ita & Filio dedit* &c.) *essentiæ cum essentia similitudinem significari.* Mentem suam aperiunt Orientales in præmissa epistola apud Epiphan. n. 8. his præsertim verbis: *Neque enim aliud Pater, aliud vita quæ est in ipso; sed ipse sine ulla compositione vita est Pater. Porro sicut habet, sic & Filio dedit, nimirum citra compositionem*: quasi dicerent, Sicut Pater vitam habet in semetipso, id est, vitam sine compositione, vitam quæ non alia sit à semetipso, alia ab ipsius essentia; adeo ut ipse sit vita sua, vita ipsius sit ipse: ita Filius cùm accipiat vitam in semetipso, habet quoque vitam compositionis expertem; & cùm habeat sicut Pater, habet essentiam essentiæ ipsius similem. Unde Hilarius infrà verba illorum in hunc fere modum explicat: Nihil aliud habet Pater quàm quod dedit: dedit autem vitam quæ ab ipsius essentia non discrepat: Patri igitur Filius secundùm essentiam similis est.

[l] Adjicimus *in* auctoritate mss. Unde & eadem particula mox supplenda est ante *essentia*, quasi, *id est in essentia.*

[m] Ita melioris notæ mss. Alii verò omittunt præpositionem *ex* sequentem. Editi verò, pro *cùm*, præferebant *eum.*

[n] Editi, *in eo genitam similitudinem naturalis proprietate substantiæ*: reluctantibus omnibus mss. qui hîc multùm inter se dissident. Namque in novem legitur, *in congenita similitudine* &c. In vetustioribus Colb. & Carn. *incongenita similitudo.* Alter Colb. & unus Sorbon. *in quo ingenita similitudine*; ac deinde cum duobus aliis, *naturalis proprietatem substantiæ.* Horum lectionem præferendam censuimus, voce *similitudo* ex priùs laudatis mss. repetitâ. Hoc enim sibi vult: id, in quo ingenita seu intus genita & non extrinsecùs adumbrata est similitudo, non deseruit nec perdidit naturalis substantiæ sibi debitam proprietatem. Idem verbi *deseruit* usus est in his lib. 9. de Trin. n. 36. *Non deseruit igitur Deus natus naturæ suæ proprietatem.* & lib. 5. num. 37. *Nec naturam suam deserit ex incorporali atque indemutabili Deo incorporalis atque indemutabilis Dei perfecta nativitas.* Neque vocabuli *ingenita* vis dubia est, cùm cap. 10. in Matth. n. 24 de corruptela quam nascendo afferimus habeatur, *Necesse est ut ingeniti & vetusti operis consuetudinem oderimus*: & paulo pòst, *Ea verò, quæ ingenita & à quadam prosapia antiquitate deducta* &c.

tudo, naturalis proprietatem substantiæ. Non A enim aliud habet, quàm dedit: & sicut vitam habens, ita habendam dedit vitam. Ac sic quod de essentia, tamquam vita ex vita, simile sui secundùm essentiam nascitur, nullam diversitatem ac dissimilitudinem admittit [a] nascentis & gignentis essentia.

" V. Si quis *condidit* vel *creavit me*, & *genuit me* ab eodem audiens, hoc *genuit me* [b] non tam " ex similitudine essentiæ intelligat, sed [c] idem " esse dicat *genuit me*, & *condidit me*: quasi non B " dicens Filium [d] de Deo perfectum [e] ex duo- " bus nominibus significatum filium; (sed per duo " nomina, hoc est, *condidit me*, & *genuit*, condi- " tionem tantummodo dicens, & nequaquam " filium,) sicut tradidit Sapientia ex duobus " pium intellectum: anathema sit.

17. Dicentibus creaturam vel conditionem esse filium Dei, contraitur ratione subjecta. Namque impietatis hæreticorum hinc profana præsumtio est, quòd legisse se dicant, C *Dominus condidit* vel *creavit me*; idipsum enim conditio vel creatio videtur intelligi: sed consequentem sententiam subtrahentes, ex qua intelligentiam prior sumit, ex prima arripiunt impietatis suæ auctoritatem, ut creaturam dicant, quia Sapientia dixerit se creatam. Quæ si creata est, quomodo potuit & nasci? quia nativitas omnis, quæcumque est, in naturam suam ex natura gignente consistit: creatio autem sumit exordium de creantis potestate, po- D tente scilicet Creatore ex nihilo condere creaturam. Sapientia itaque, quæ se dixit creatam, eadem in consequenti * se dixit & genitam: creationem referens ad parentis indemutabilem naturam, quæ, extra humani partus speciem & consuetudinem, sine imminutione aliqua ac demutatione sui, creavit ex se ipsa quod genuit. Creantis enim opus non habet passionem, aut permixtionis, aut partûs. Esse enim aliquando incipit, quod creatur ex nihi- E lo. Et qui creat, efficit pro potestate quod condit: & est opus virtutis creatio, non naturæ ex natura gignente nativitas. At verò nativitas, legitimæ originis & genuinæ naturæ [f] perfectus profectus est: ex natura enim generante naturam sumsit genita natura. Sed quia Dei filius non corporalis partitudinis est genitus exemplo, sed ex perfecto Deo perfectus Deus natus est; idcirco ait creatam se esse Sa- F pientia, omnem [g] in generatione sua naturam passionis corporalis excludens.

18. At verò ut ostenderet, non creationis in se, sed nativitatis esse naturam; subjecit & genitam, ut cùm creatam se & genitam confitetur, absolutam nativitatis suæ intelligentiam præstaret: dum & indemutabilem Patris naturam in creatione significat, & legitimam ac propriam ex Deo patre genitæ naturæ suæ ostendit esse substantiam. Atque ita perfectæ nativitatis intelligentiam, creationis & generationis attulit sermo: cùm alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturæ est. Fitque utrumque unum, & unum utrumque perfectum: dum & Filius, ex Deo ac sine demutatione Dei [h] natus, sic ex Patre nascitur, ut creetur; & indemutabilis ex se ac naturalis Filio Pater sic Filium condit, ut generet. Hæresis ergo creaturam esse Dei filium profiteri ausa, damnatur: quia impiam creaturæ ex nihilo opinionem, impassibili per eam [i] divinitatis perfectione monstratâ, consequens professio naturalis generationis exstinguat.

Creatam se simul & genitam dicens originis suæ naturam quâ aptè explicet.

" VI. Et si quis in Filio, ([k] Patris similitu- " dinem secundùm essentiam quidem ipso Filio " revelante per hæc quæ dicit, *Sicut enim Pater* " *habet vitam in semetipso, sic & Filio dedit habere* " *vitam in semetipso*; juxta efficaciam autem per " ea quæ docet, *Quæ enim Pater facit, eadem &* " *Filius similiter facit*, solam secundùm efficaciam " similitudinem concedens, [l] juxta essentiam " verò, quod est principalissimum fidei nostræ, " Filium fraudet: quasi semetipsum fraudans " [m] cognitione vitæ perpetuæ, quæ est in Patre " & Filio: anathema sit.

Solam virtutis similitudinem Filio tribuentes damnantur. *Joh. 5. 26.* *Ibid. 19.*

19. Conclusi hæretici Scripturarum auctoritatibus, hoc solum tribuere solent Filio, ut Patri tantùm virtute similis sit, adimunt autem ei similitudinem naturæ: stulti atque impii, non intelligentes non nisi ex naturæ similitudine similitudinem esse virtutis. Neque enim aliquando inferior natura, superioris à se potiorisque naturæ virtutem consequitur. Aut quid hæc asserentes de omnipotente Deo patre profitebuntur, si [n] virtuti suæ virtus naturæ inferioris æquatur? Non enim potest negari, quin Filius idem possit; cùm dixerit, *Quæcumque facit Pater, eadem & Filius facit similiter.* Sed similitudini virtutis, naturæ similitudo succedit, cùm dicit, *Sicut habet Pater vitam in se*

Virtutis similitudo non est nisi ex naturæ similitudine. *Joh. 5. 19.* *Ibid. 26.*

[a] In vulgatis, *geniti*. At in omnibus mss. *nascentis*. Tum in aliquot recentioribus, *& gignentis essentia*.

[b] Er. Mir. Lips. & Par. *non tamen*: ubi Bad. cum omnibus mss. *non tam*. Græcè autem, μὴ ἐπὶ τὸ αὐτοῦ καὶ κατ' οὐσίαν ἐννοεῖ, *non de eodem & secundùm essentiam intelligat*.

[c] Ex græca lectione, ταυτὸν λέγοι ὁ γεννᾷ με τῷ ἔκτισέ με, clariùs patet hîc reprehendi eos, qui *creavit me* & *genuit me* ita idem esse dicunt, ut *genuit me* velint ex verbo *creavit me* explicandum.

[d] Hîc Hilarius legisse videtur, ἀπὸ Θεοῦ τέλειον; cùm meliùs apud Epiphanium exstet, ἀπαθῶς τέλειον. Quamquam neque hanc lectionem ignotam illi fuisse liquet ex subsequentibus.

[e] Apud Epiphanium græcè & latinè desideratur *ex duobus nominibus significatum filium, sed*: ac præterea hujus decreti versio latina Orientalium sententiæ prorsus contraria est. Porro illi damnant eos, qui cùm audiant Sapientiam, quæ Christus est, se creatam simul & genitam profitentem, volunt eam his verbis originem suam, non ex Dei essentia, sed ex nihilo significare; ita ut Christus non sit filius, sed tantummodo conditio: cùm Sapientia verbo *creavit me* ad hoc utatur, ut cùm subjicit *genuit me*, & filium eum esse indicet, & sine passione genitum. Quam quidem Orientalium interpretationem Hilarius lib. 12. de Trin. n. 50. ut indoctam non probat, sed fatetur tamen non impiam: quamvis hîc ad eorum sententiam, propriam reticens, sese accommodet.

[f] Verbum *perfectus*, antea omissum, restituitur ex mss.

[g] Ita omnes mss. At excusi, *omnes in generatione sua corporales passiones excludens*.

[h] Bad. *natus sit & ex Patre nascitur*. Mir. *natus est, sic & ex Patre* &c. Editi alii, *natus est & ex Patre* &c. Castigantur ope mss.

[i] supple, *professionem*, vel *vocem* qua nititur prædicta opinio impia, puta *creavit me*.

[k] Hîc post *Patris similitudinem*, (græcè, αὐτὸς τὴν ἑαυτοῦ πατέρα ὁμοιότητα,) supplendum *sibi esse*.

[l] Clariùs hoc ita enuntiaretur: *similitudine autem juxta essentiam, quod est principalissimum* &c.

[m] Er. Mir. Lips. & Par. *cognatione*: malè, ut perspicuum est ex græco sermone, ὡς ἑαυτὸν ἀποστερῶν τῆς ἐν γνώσει Πατρὸς καὶ Υἱοῦ αἰωνίου ζωῆς: quem minùs confusè reddere sic liceret; *tamquam se ipsum fraudans vitâ æternâ, quæ in cognitione Patris & Filii sita est*, juxta verba Johan. 17. 3.

[n] Editi, *virtutis suæ*: mendosè.

ita & Filio dedit vitam habere in semetipso. In vita, naturæ & essentiæ significatio est: quæ sicut habetur, ita data esse docetur ad habendum. Tenet ergo vitæ similitudo virtutis similitudinem: similitudo enim virtutis non potest esse dissimilis naturæ. Atque ita necesse est, ut essentiæ similitudo virtutis similitudinem consequatur: quia sicut ea quæ Pater facit, eadem & Filius facit: ita sicut habens vitam Pater, sic habendam Filio dedit vitam. Condemnatur ergo impiæ professionis temeritas, quæ virtutis similitudinem confitens, dissimilitudinem ausa sit prædicare naturæ: cùm principalis spei nostræ fides sit, indifferentem in Patre & Filio divinitatis substantiam confiteri.

Vitâ essentia significatur.

B

» VII. Et si quis Patrem & Filium credere se promittens, Patrem dissimilis sibi essentiæ [a] patrem dicat, sed similis efficaciæ; quasi profanas & novas voces contra essentiam Filii loquens, & interimens [b] verè Dei filium esse: anathema sit.

Hæretici dolosè Patrem & Filium confitentes.

C

20. Confusis permixtisque verbis veritatem frequentissimè hæretici eludunt, & incautorum aures communium vocabulorum sono capiunt, Patrem & Filium solis nominibus, non etiam per veritatem naturalis & genuinæ essentiæ prædicantes: quia omnium creationum sciant dici Deum patrem, & sanctos quosque nuncupari meminerint Dei filios. Quo exemplo Patrem & Filium secundùm communia universitatis nomina confitentur; ut Pater & Filius dicantur potiùs, quàm sint. Dicuntur enim,

D

non etiam sunt, si in his differentis essentiæ discreta natura est; cùm non possit paterni nominis veritas nisi ex naturæ suæ progenie acquiri. Pater itaque non potest alienæ à se ac dissimilis substantiæ pater dici; quia nativitas perfecta non habeat dissidentem originalis substantiæ diversitatem. Repudiatur ergo hæc omnis impietas, quæ Patrem non secundùm naturam suam [c] geniti ex se filii patrem loquatur. Neque enim per id pater dicetur Deus,

Refelluntur.

E

si habeat virtuti atque efficaciæ suæ similem creationem; sed si genuerit non dissimilis atque alienæ à se essentiæ naturam: quia diversitatem paternæ naturæ nativitas naturalis non recipit. Atque ob id anathema sunt, qui Patrem asserant dissimilis sibi naturæ patrem esse: ut ex Deo aliud quàm Deus natus sit, & putent essentiam Patris à se in Filio degenerasse gignendo. Perimunt enim, quantum in se est, ipsam illam innascibilem Patris & indemutabilem essentiam, [d] qui ausi sunt ei in

F

A Unigeniti sui nativitate dissimilitudinem degeneratæ essentiæ naturalis ingerere.

» VIII. Et si quis intelligens [e] similem secundùm essentiam Filium ejus, cujus & filius intelligitur; eumdem dicens Filium quem Patrem, aut partem Patris, aut per emanationem aut aliquam passionem, quemadmodum corporales filios, ab incorporali Patre incorporalem Filium subsistentem: anathema sit.

Filium à Patre alium negantes ob similitudinem naturæ.

21. Cavetur in omnibus adversùm singularum perversitatum vitia, neque occasio fraudis admittitur. Plures enim hæreticorum idcirco similem secundùm divinitatem esse Patri Filium dicunt, ut per similitudinis proprietatem eumdem Patrem esse quem Filium confirment: quia indiscreta similitudo admittere videatur unici ac singularis occasionem. Quod enim non dissentit in genere, id videtur in unione manere naturæ.

Filius eo quòd natus, nec ipse qui Pater, nec aliud quàm Pater.

22. Sed nativitas non admittit hanc fabulam; quia unio non habet nativitatem. Quod enim natum est, habet nativitatis suæ patrem. Neque quia indiscreta est nascentis à gignente divinitas, ideo ipse est & generator & genitus; cùm non possit nisi alius atque alius esse & generans & natus, neque rursum [f] dissimilis esse possit natus & generans. Anathema ergo est, qui in Patre & Filio naturæ similitudinem ad abolendam Filii personalem significantiam prædicabit: quia cùm in nullo differat res à re per mutuam similitudinem; similitudo tamen ipsa, non recipiens unionem, Patrem & Filium per id, quòd Filius indemutabilis similitudo Patris est, confitetur. Non enim aut pars est Filius Patris, ut unus dici possit & natus & generans. Neque emanatio est, ut continenti fluxu per corporalem & individuum procursum idem ipse fluxus retentus in origine, [g] ipsum sibi sit series atque tractu cohærenti origo quod fluxus. Sed perfecta nativitas est, & cum naturæ similitudine manens; non conceptu & partu corporali corporaliter inchoata, sed secundùm ejusdem naturæ similitudinem incorporalis Filius ex incorporali Patre subsistens.

Filium à Patre aliud volentes ob distinctionem personæ. Joh. 5. 32.

» IX. Et si quis, propterea quòd numquam Pater Filius intelligitur, & quòd Filius numquam Pater intelligitur, alium dicens Filium præter Patrem, propterea quòd alius sit Pater, alius sit Filius, secundùm quod dictum est, *Alius est qui testimonium perhibet* [h] *mihi, qui me misit Pater:* [i] propter hanc piam in Ecclesia intelligendam proprietatem personæ Patris &

[a] Editi hîc non repetunt *patrem:* & antea Lipſ. & Par. vocabulum *sibi* suppresserunt. Restaurantur ope mss. & ex græco, τ Πατέρα μὴ οὐσίας ὁμοίας αὐτῷ λέγοι πατέρα, ἀλλὰ ἐνεργείας: quibus verbis damnantur, qui volunt Patrem gignere ac parere essentiam sui non similem.

[b] Sic mss. consentiente græco, καὶ ἀναιρῶν τὸ εἶναι ἀληθῶς υἱόν. At excusi, *verum Dei filium.*

[c] Er. Lipſ. & Par. *genitique ex se:* castigantur ex Bad. & potioribus mss. Mox vocabulis *Deus* & *pater* loco mutatis, clarior sic efficeretur oratio: *Neque enim per id Deus dicetur pater, si* &c.

[d] Sic mss. Editi verò, *quia ausi sunt in unigeniti sui nativitatem.*

[e] Minùs obscura erunt hæc ita ordinata: *Et si quis intelligens Filium secundùm essentiam similem ejus, cujus & filius intelligitur; aut eumdem dicat* (λέγοι,) *aut partem Patris*, ubi in vulgatis mendosè, *aut patrem Patris.* Tum in mss. Colb. & Germ. *aut per enuntiationem*, non *aut per emanationem.*

[f] In mss. *indissimilis:* ac deinde in solo Vatic. *esse non possit.* Jam suprà n. 20. pro, *sed si genuerit non dissimilis*, in omnibus propè mss. exstabat, *non indissimilis:* quæ lectio licèt forsitan sincerior, ut sit *indissimilis* quasi *intrinsecùs dissimilis*, à nobis tamen non revocatur, ne errandi sit occasio.

[g] Vetustior codex Colb. *ipsud:* quæ vox rursum infrà num. 25. & alibi eadem ratione in eo enuntiatur.

[h] In uno ms. Colb. & altero Sorbon. *perhibet de me*, græco, ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμοῦ, etiam consentiente: in quo deinde pro verbis, *qui misit me Pater*, subjicitur, καὶ, Μαρτυρεῖ γάρ, φησί, ὁ πέμψας με Πατήρ. quæ sententia alia est ex Johan. 5. 37. ad confirmationem ejusdem dicti allata.

[i] In versione latina Epiphanii, majoris claritatis ergo, non malè hîc adjicitur *si quis inquam*, etiamsi græcè non habeatur, sed tantùm, διὰ ταύτην τὴν εὐσεβῆ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ νοουμένην ἰδιότητα τῶν προσώπων, Πατρὸς μὲν καὶ Υἱοῦ: quod posset verti, *propter hanc, quæ pia (aut piè) in Ecclesia intelligitur, personarum Patris & Filii proprietatem.* Hinc liquet, malè apud Par. & Lipſ. omitti *in Ecclesia.*

Filii, timens ne quando idem intelligatur Filius & Pater, similem [a] non dicat etiam juxta essentiam Patri: anathema sit.

Matth. 10. 16.

23. Dictum ad Apostolos Domini est, *Estote prudentes ut sunt serpentes, & simplices ut columbæ.* Per quod dissidentium à se animantium inesse nobis voluit naturam: sed ita, ut serpentinam prudentiam columbæ simplicitas temperaret, & simplicitatem columbæ prudentia serpentis instrueret; fieretque & simplex sapientia, & sapiens simplicitas: quod præceptum in hujus fidei expositione servatum est. Namque cùm superior, de qua locuti sumus, sententia id cavisset, ne, per similitudinem essentiæ, personalis unio prædicaretur; neque ut naturæ indifferentia perimeret Filii nativitatem; & unus ac solitarius nobis esset in sensu, quia alter ab altero non differret in genere: sed consequenti sententia illi prudentiæ serpentis, cui configurari cum columbæ simplicitate præcipimur, per simplicem atque apostolicam prudentiam rursum occursum est; ne fortè per id, quòd personalis unio non reciperetur, quia alius sit Pater alius & Filius, prædicatio iterum dissimilis naturæ possit obrepere: ne cùm alius est qui miserit, & alius est qui missus est, (quia non unus est missus & mittens,) discretæ ac dissimilis naturæ existimarentur esse missus & mittens, cùm diversæ essentiæ esse non possint natus & gignens. Retinetur itaque in Patre & Filio naturæ indifferentis similitudo per essentiæ nativitatem: non tamen damnum personæ affert, ut unus sit missus & mittens, similitudo naturæ. Neque rursum in personæ proprietate, cùm non possit ipse sibi unus & filius & pater dici, aufertur similitudo naturæ. Atque ita & nativitatis veritas ad similitudinem proficit essentiæ, & similitudo essentiæ [b] non amittit nativitatis personalem veritatem. Neque rursum professio gignentis & geniti similitudinem excludit essentiæ; quia cùm gignens & genitus unus esse non possit, non tamen diversæ naturæ sint natus & generans.

Quàm cautè duæ hæreses contra Dei filium peremtæ.

X. Et si quis in aliquo tempore patrem [c] Deum unigeniti filii intelligat, & non super tempora & super omnem humanam æstimationem [d] unigenitum filium sine passione exstitisse: quasi prætergrediens evangelicam prædicationem, quæ [e] temporum quidem intercapedinem de Patre & Filio adspernata est, fideliter autem nos docuit, quòd *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* anathema sit.

Joh. 1. 1.

24. Pia professio est, Patrem non intra tempora contineri: omnem enim intelligentiæ sensum excedit intemporalis paterni nominis veritas. Etsi ipsa paterni nominis, per quod impassibilis origo nascentis est, religiosa confessio est: non tamen tenetur in tempore; quia non potest æternus & infinitus Deus pater intelligi temporalis; & secundùm evangelicam prædicationem cognoscitur unigenitus Deus Verbum magis jam in principio apud Deum esse, quàm nasci.

Pater non intra tempora.

Filium magis jam esse quàm nasci docet Evangelium.

XI. Et si quis seniorem [f] tempore Patrem dicat Filio ex se unigenito, juniorem autem Filium [g] Patre: anathema sit.

25. Similitudo essentiæ configurata in genere, indifferens quoque docetur in tempore: ne qui imago est Dei, qui Verbum est, qui Deus est apud Deum in principio, qui similis est Patri, interjecto inter se ac Patrem tempore, non perfectum in se habeat quòd & imago est, & verbum est, & Deus est. Si enim tempore junior prædicatur, amisit & imaginis & similitudinis veritatem: quia similitudo jam non sit, quæ dissimilis reperiatur in tempore. Quia ipsum illud, quòd Deus pater est, tempus aliquod non potest habere ne pater sit: ex quo nec in Filio tempus potest esse ne filius sit. Atque ob id, nec Pater Filio senior, nec Filius Patre junior esse dicendus est: quia utriusque nominis veritas non potest esse sine altero.

Filius ut Patris imago, non est eo junior.

Ex eo quòd Deus semel pater, semper fuit Pater, semper & Filius.

XII. Et si quis intemporalem unigeniti filii de Patre [h] substantiam ad innascibilem Dei essentiam referat, quasi Filium [i] Patrem dicens: anathema sit.

26. Dedisse superior definitio occasionem hæreticis videbatur, cùm tempus nativitatis Filii negaretur: (quia nefas esset, si Pater esset in tempore: in tempore autem esset, si Filius tempori subderetur:) ut per hanc opportunitatem temporis abnegati, sub Filii nuncupatione, Pater, qui innascibilis esset, singularis atque unicus ipse sibi & pater & filius prædicaretur: quia ubi nascendi tempus excluditur, illic opinio videtur innascibilitatis admitti; ut natus non putetur, cujus nativitas non sit in tempore. Idcirco ne per hanc occasionem temporis abnegati, hæresis * unionis irreperet; hæc impietas damnatur, quæ audeat intemporalem nativitatem ad unicam ac singularem innascibilis essentiæ referre substantiam: cùm aliud sit intemporalem esse, aliud sit esse non natum; quorum unum habet [k] (licèt extra tempus) nativitatem, aliud ipsum sibi, ad id quod est, solus atque idem auctor æternus sit.

Filius etsi intemporalis, non tamen innascibilis.

* Sabelliana.

27. Percucurrimus, carissimi Fratres, om-

Definitionum harum ratio.

[a] Græcè, ἀνόμοιον λέγοι, quod est, *dissimilem dicat.*

[b] Mss. Corb. aliique nonnulli, *non adimit.*

[c] In græca phrasi reperitur vox *patrem* loco vocabuli *Deum.* Arguitur hîc doctrina Arii, qui Deum, ex se æternum, tantùm in tempore patrem fuisse asserebat.

[d] Græcè, πιστεύει τὸν μονογενῆ υἱὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς ἀπαθῶς ὑφεστάναι, *credat unigenitum filium ex Patre sine passione substitisse.*

[e] Mss. summo consensu, *temporum quidem interpretationem*: quod græcè uno verbo enuntiatur τοὺς μὲν χρόνους. Deinde cùm vertat Hilarius *adspernata est*; pro παρωσάμενον, quod est *rejecit*, legisse videtur καθυπερορώμενον, aut aliud verbum ab ὁράω non ab ὠθέω compositum.

[f] In aliquot mss. desideratur *tempore*: quæ vox græcè exstat, non tantùm hîc, sed & infrà post *juniorem.*

[g] Mss. *à Patre.*

[h] Græcam vocem ὑποστάσεως vertit Hilarius *substantiam*: quomodo lib. 4. n. 13. ubi græcè habetur, τρεῖς εἰσιν ὑποστάσεις Πατὴρ, Υἱὸς, καὶ ἅγιον Πνεῦμα, latinè legit, *tres substantiæ sunt Pater, Filius, & Spiritus-sanctus.* At ubi reperit οὐσίαν, constanter transfert *essentiam.*

[i] Græcè uno verbo, υἱοπάτορα.

[k] aut certè non excludit nativitatem. Mox in ms. Colb. *aliud ipsud*: quod notamus ut advertatur *ipsum* neutro genere esse intelligendum.

nes [a] Orientalium episcoporum editas fidei definitiones, quas adversùm emergentem proximè hæresim, [b] congregata intra se synodo condiderunt. Et nos, quantum potuimus, [c] ad intelligentiæ eorum sensum, expositionis nostræ sermonem coaptavimus, famulantes potiùs eorum dictis, quàm dictorum alienorum auctores existimandi: quibus adversùm novam & profanam impietatem, hæc conscientiæ suæ & adeptæ jam pridem doctrinæ [d] instituta decernunt, & eos, qui hanc apud Sirmium hæresim conscripserant, vel conscriptam susceperant, ignorationem confitentes ad subscriptionem decretorum talium coegerunt: ubi Filius Patris imago perfecta est: ubi sub indifferentis imaginis proprietate, per profanam fraudem Filius non aboletur, ut pater sit: ubi imago Patris Filius prædicatus per similitudinis veritatem, à substantia Patris, cujus imago est, substantiæ diversitate non differt: ubi per habitam à Patre vitam & acceptam à Filio vitam, nihil differens in substantia, quæ significatur in vita, habeat Pater, quam Filius accepit ad habendum: ubi non creatura est Filius genitus, sed à natura Patris indiscreta substantia est: ubi sicut inter Patrem & Filium indifferens virtus est, ita nullam inter se diversitatem patiatur [e] essentia: ubi Pater, generando Filium, nihil ex se [f] in eo degenerat diversitate naturæ: ubi quia nihil differat in utroque [g] similitudo naturæ, proprietas tamen similitudinis personalium nominum respuat unionem; ne subsistens unus sit, qui & pater dicatur & filius: ubi quia piè dicitur & Pater mittens, & Filius missus; in nullo tamen inter Patrem & Filium, id est, inter missum atque mittentem discernatur essentia: ubi non intra tempora paterni nominis veritas continetur: ubi Filius Patri non est posterior in tempore: ubi ultra tempus omne perfecta nativitas, innascibilitatis in se non admittit errorem.

Expositio qualis ab Hilario adhibita.

A quibus earum subscriptio extorta.

Harum synopsis.

28. Et hæc quidem, Fratres carissimi, omnis quæ edita est fidei doctrina, per paucos [h] juxta universitatis modum Orientales, sub his ipsis propè diebus, quibus vos ingestam hæresim respuistis, emersit: cujus exponendæ ea [i] defuit ratio, quòd unius substantiæ silentium decernebatur. Sed jam superioribus diversisque temporibus, multis his caussis postulantibus, fides alias necesse fuerit conscribi, quæ quales sint, ex ipsis intelligetur. Omnibus enim quæ ab iis gesta sunt cognitis, faciliùs tum & pleniùs earum rerum, de quibus inter nos quæstio est, absolutionem religiosam & unitati congruam afferemus.

Decreta quo tempore edita.

qua occasione, cur.

Fides subinde aliæ.

EXPOSITIO * ECCLESIASTICÆ FIDEI, quæ exposita est in synodo [k] habitâ per Encænias Antiochenæ ecclesiæ consummatæ. [l] Exposuerunt qui adfuerunt episcopi nonaginta septem, cùm in suspicionem venisset unus [m] ex episcopis quòd prava sentiret.

** an. 341. edita.*

29. Credimus consequenter evangelicæ & apostolicæ traditioni in unum Deum patrem omnipotentem, cunctorum quæ sunt ædificatorem & factorem [n] & provisorem, de quo

omnia:

[a] quas nimirum, uti monuimus, Sirmii publicarunt, non quas ediderunt Ancyræ. His enim Epiphanius alias quinque præmittit, ac subjicit duas, quarum in postrema damnantur, qui Filium Patri tautousion aut homousion propugnant. Et hujus quidem auctorem esse Eustathium Sebastenum notare videtur Basilius Cæsar. epist. 74. ubi *anathematismum contra homousion in conventu Ancyræ habito eum scripsisse* memorat. Nisi quis verbo γράψαι intelligendum putet *subscripsisse*.

[b] Ita in mss. At in vulgatis, *congregati intra synodum*. Quomodo hîc Hilarius *proximè emergentem*, ita episcopi Ancyræ congregati apud Epiphanium hær. 73. n. 13. & 19. Anomœorum appellant *novam hæresim*, ejusque assertores *novos hæreticos*.

[c] Plerique mss. *ad intelligentiam eorum sensu*. Sollicitè cavet Hilarius, ne dictorum, quorum est interpres, auctor judicetur: conscius scil. fidem illam, quam excusat, non esse omnino puram.

[d] In vulgatis, *doctrina sua*. Abest *sua* à mss. Novitati doctrinæ Anomœorum opponit Hilarius antiquitatem doctrinæ Orientalium: quia nimirum illi apud Epiphan. hær. 73. n. 2. post quàm Antiocheni Concilii an. 341. fidei sese adhærere professi sunt, hoc etiam subjiciunt: *Compererint illam nos fidem, quam apostolicis inde temporibus continuata ad Patres nostros usque successione accepimus, velut patrimonium tueri ac defendere.*

[e] Editi, *essentiæ*. Rectiùs mss. *essentia*. Respicitur enim decretum 6. quo Filius virtute pariter atque essentiâ Patri similis asseritur.

[f] Bad cum omnibus propè mss. *in eodem generat*: favente decreto 7. summatim hîc retractato, quo *Patrem dissimilis sibi essentiæ patrem esse* dicens damnatur. Editi alii, *in eodem degenerat*. Retinemus cum ms. Carn. uno Colb. & altero Sorbon. *in eo degenerat*: maximè cùm suprà n. 20. in prædicti decreti enarratione eos Hilarius probet rite esse damnatos, qui *putent essentiam Patris à se in Filio degenerasse*.

[g] Perversè in vulgatis, *naturæ proprietas, tamen*, omissa voce *similitudo*: quæ huc revocanda fuit ex mss. Silvæ-majoris & Reginæ Suecorum; nisi fortè quis malit *natura*, loco *naturæ*. Mox in ms. Carn. *refutat*, non *respuat*.

[h] quotquot scilicet post acceptas Georgii Laodiceni litteras cum iis, qui jam Ancyræ ad consecrandam ecclesiam convenerant, celeriter potuerunt convocari, ut narrat Sozom. lib 4. c. 13. Apud Epiphanium hær. 73. n. 12. tantùm duodecim leguntur subscripti. Sed in iis non memorantur Eleusius Cyzici, & Leontius presbyter, quos cum Basilio & Eustathio ab hac synodo ad Imperatorem legatos esse scribit Sozomenus loco laudato: quod indicio est non omnes ab Epiphanio esse recensitos. Falsò autem credidit Vigilius Tapf. lib. 5. contra Eutych. n. 3. duodecim illas sententias ab *universis Orientalibus episcopis* in unum congregatis fuisse editas: hoc, puto, delusus, quòd Hilarius Orientales simpliciter & generatim laudare solet ut earum auctores.

[i] Hoc ita intelligere quis posset, ut Orientalium fidem ideo sibi exponendam duxerit Hilarius, quia illi *unius substantiæ* vocabulum postrema definitione sua damnaverant. Nihil tamen sibi vult aliud, nisi ut Orientales benignè excuset quòd fidem iteratò exposuerint; cùm ex hæresis, quæ substantiæ silentium decernebat, (tum Sirmio per Valentem & Ursacium, tum Antiochiâ per Eudoxium emergentis) occasione ad id præstandum fuerint adducti. Hinc apprime sequitur: *Sed diversis temporibus fides alias necesse fuerit conscribi*. Quibus lectis Vigilius, Hilarii consilium non satis prudenter advertens, catholicas putavit synodos, quas ille hîc excusare conatur: & lib. 5. contra Eutychen n. 2. in easdem respiciens asseverat *nimiùm imperitos & temerarios esse, qui nesciant multas fidei constitutiones, post Nicænam synodum, contra novorum hæreticorum insanas eruptiones, diversis in locis congregatos episcopos edidisse.*

[k] Celebrata est hæc synodus, ut tradit Athanasius lib. de Synod. præsente Constantio, Marcellino & Probino Coss. indict. 14. anno à morte Constantini 5. proindeque Julii Romani Pontificis 5. Christi 341. ex occasione dedicandæ ecclesiæ, cujus fundamenta ab annis decem jecerat Constantinus. Episcopos 90. in ea convenisse aiunt Athanasius & Socrates lib. 2. c. 8. Sozomenus autem lib. 3. c. 5. ex editione Valesii cum nostro Hilario consentit.

[l] *Aiebant*, si Sozomeno l. 3. c. 5. habenda fides, *reperisse se hanc fidem scriptam manu ipsius Luciani ejus qui Nicomediæ martyrium perpessus est*. Verùm, ut mox ostendemus, quædam ex ipsa Athanasius adscribit tamquam ab Acacio & Eusebio in Encæniis prolata, Acacius verò plura ejusdem verba Asterio attribuit. Neque obscurè indicat Hilarius, eos ipsos, qui synodo intererant, formulæ hujus exstitisse auctores. Observamus obiter, longè aliud esse Antiochenæ ecclesiæ symbolum, quod lib. 6. de Incarn. c. 3. describit Cassianus.

[m] Baronius ad an. 341. n. 22. unum illum putat fuisse Gregorium, eique objectum esse quòd prava sentiret, cùm primùm in eo conventu destinatus est episcopus Alexandrinus. Aliam hujus formulæ conscribendæ causam affert Athanasius lib. de Synod. p. 891. quòd nimirum cùm non unus, sed plerique & qui in hac synodo primas agebant, *ab omnibus de hæresi malè audirent*, ambiguas professiones edendo saltem fucum facere conati sint.

[n] Voci *provisorem*, nulla græca respondet apud Socratem, sed apud Athanasium in novissima editione restituetur ex mss. καὶ προνοητήν.

omnia: & in unum Dominum Jesum Christum, filium ipsius unigenitum, Deum per quem omnia, qui generatus est [a] ex Patre, Deum de Deo, totum ex toto, unum ex uno, perfectum de perfecto, regem de rege, Dominum de Domino, [b] verbum, sapientiam, vitam, lumen verum, viam veram, resurrectionem, pastorem, januam, [c] inconvertibilem & immutabilem, divinitatis essentiæque & virtutis [d] & gloriæ incommutabilem imaginem, primum editum totius creaturæ, qui [e] semper fuit in principio apud Deum Verbum Deus, juxta quod dictum est in Evangelio, *Et Deus erat Verbum*, per quem omnia facta sunt, & in quo omnia constant: qui in novissimis diebus descendit de sursum, & natus est ex virgine secundùm Scripturas, & [f] agnus factus est, mediator Dei & hominum, prædestinatus fidei nostræ, & dux vitæ. Dixit quippe, *Non enim descendi de cælo, ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit.* Qui passus est & resurrexit [g] pro nobis tertia die, & adscendit in cælos, & sedet in dextera Patris, & iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum-sanctum, qui in paraclesin & sanctificationem & consummationem credentibus datus est, juxta quod & Dominus Jesus Christus ordinavit [h] discipulos dicens, *Pergite, & docete universas gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti*: [i] manifestè utique Patris verè patris, certumque Filii verè filii, & Spiritus-sancti verè spiritus-sancti; hisque nominibus non simpliciter neque otiosè propositis, sed significantibus diligenter propriam uniuscujusque nominatorum substantiam & ordinem & gloriam, [k] ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam verò unum.

Joh. 1. 1.

Joh. 6. 38.

Matth. 28. 19.

30. Hanc ergo habentes fidem, & ab initio & usque in finem habituri in conspectu Dei & Christi, omnem hæreticam & pravam sectam anathematizamus: & si quis præter salubrem Scripturarum & rectam fidem docet, dicens aut tempus, aut spatium, aut sæculum, aut esse aut fuisse priùs, quàm [l] generatus Filius: anathema sit. Et si quis Filium conditionem dicit, quemadmodum unum conditionum; aut nativitatem, sicut sunt nativitates; aut factionem, sicut sunt facturæ, & non sicut divinæ Scripturæ tradiderunt singula quæque, quæ superiùs dicta sunt; & si quis aliud docet, aut evangelizat præter quàm quod accepimus: anathema sit. Nos enim omnibus, quæ divinis Scripturis tradita sunt à Prophetis & ab Apostolis, verè & cum timore & credimus & sequimur.

Fides hæc quatenus suspecta.

31. Minùs fortè expressè videtur de indifferenti similitudine Patris & Filii fides hæc locuta esse, maximè cùm de Patre & Filio & Spiritu-sancto ita senserit significatam in nominibus *propriam uniuscujusque nominatorum substantiam & ordinem & gloriam, ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam verò unum.*

Excusatur ex scopo Concilii.

32. Et primùm sciendum est, non adversùm hæresim, quæ dissimilis substantiæ Patrem & Filium [m] ausa est prædicare, in Antiochia fuisse conventum; sed adversùs eam, [n] quæ post sanctam synodum Nicænam in id proruperat, ut tria nomina Patri vellet adscribere, de qua suo loco tractabimus. Memini enim, me in exordio sermonis patientiam & æquanimitatem legentium atque audientium usque ad absolutionem omnium dictorum meorum poposcisse; ne temerarius quisquam in me judex ante cognitionem perfecti sermonis exsisteret. Volens igitur congregata sanctorum synodus impietatem eam perimere, quæ veritatem Patris & Filii & Spiritus-sancti nominum numero eluderet; ut non subsistente causâ uniuscujusque nominis, triplex nuncupatio obtineret sub falsitate nominum unionem, & Pater solus atque unus idem atque ipse haberet & Spiritus-sancti nomen & Filii: idcirco tres substantias esse dixerunt, subsistentium personas per *substantias* [o] edocentes, non substantiam Patris & Filii [p] diversitate dissimilis essentiæ separantes. Quod autem dictum est, *ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam verò unum*, non habet

Hæresis nova post Nicænam synodum.

Trinitatis substantiæ tres quî apud Orientales rectè dicantur.

[a] Græca exemplaria hîc addunt πρὸ τῶν αἰώνων, *ante sæcula.*

[b] In græcis exemplaribus, λόγον ζῶντα, σοφίαν ζῶσαν: & mox apud Athanas. ὁδὸν, ἀλήθειαν; & apud Socrat. ὁδὸν ἀληθείας, pro *viam veram.*

[c] Ms. Corb. cum pluribus aliis, *inconvertibilis & immutabilis*: quomodo aliàs exhibebatur hic locus lib. in Constant. n. 23. Veriùs potiores, Carn. duo Colb. Germ. Sorbon. juxta græcum, *inconvertibilem & immutabilem.* Integram illam sententiam ut ab Acacio & Eusebio in Encæniis prolatam prodit Athanasius lib. de Synod. pag. 911. Acacius autem apud Epiphanium hær. 72. n. 6. hæc & pleraque superiora verba Asterio attribuit.

[d] Græcè, δυνάμεως, καὶ βουλῆς, καὶ δόξης τοῦ Πατρός.

[e] Abest *semper* apud Athanas. & Socrat. Ob hanc vocem, à qua Arianos vehementer abhorruisse Hilarius lib. 4. de Trin. n. 5. indicat, ipse infrà n. 33. significat eam formulam sibi minùs fuisse suspectam.

[f] Ex græca phrasi legendum *homo factus est*; & mox *apostolus fidei*, non *prædestinatus fidei.*

[g] Apud Socratem, τὸν παθόντα ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ ἀναστάντα ὑπὲρ ἡμῶν. Hoc secundum ὑπὲρ ἡμῶν abest apud Athanas.

[h] Sic Bad. cum mss. Aliæ verò edit. *discipulis.*

[i] Editi, *Manifesta utique Patris* (hîc addit Bad. *persona*) *verè patris, certaque Filii verè filii, notaque Spiritus-sancti*: castigantur ex græco & potioribus mss.

[k] Græcè, ὡς εἶναι τῇ μὲν ὑποστάσει τρία, τῇ δὲ συμφωνίᾳ ἕν. quæ verba v. c. Huetius lib. 2. Origen. q. 2. n. 3 depromta fuisse conjectat ex Origene, lib. 8. contra Celsum asserente Patrem & Filium ὄντα δύο τῇ ὑποστάσει πράγματα, ἓν δὲ τῇ ὁμονοίᾳ καὶ τῇ συμφωνίᾳ καὶ τῇ ταυτότητι τοῦ βουλήματος.

[l] Lips. & Par. *generaretur.* Er. cum vetustiore ms. Colb. & Germ. *generatur.* Bad. cum ceteris, *generatus.* Græcè, πρὸ τοῦ τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ.

[m] In priùs vulgatis adjicitur hîc *& Spiritum-sanctum*: absque auctoritate.

[n] Hoc saltem obtendebant Eusebiani, qui sibi adversantes, Sabellianæ hæresis nomine solebant infamare.

[o] Quod enim vertit noster interpres *tres substantias*, illi τρεῖς ὑποστάσεις dixerunt. *Verùm*, uti monet Epiphanius hær. 73. n. 17. *ne quem hypostaseon appellatio perturbet: ob id enim hypostases ab Orientalibus usurpantur, ut personarum proprietates subsistentes exsistentesque declarent.* Et post pauca: *Meritò subsistentis exsistentisque Patris & Filii & Spiritus-sancti proprietates, subsistentium personarum hypostases appellant Orientales; non ut tres illas hypostases tria principia tresve deos esse dicant: nam eos anathemate damnant, qui tres Deos dicunt.* Neque verò tunc temporis hæresis suspicione laborabant, qui *tria* in divinis prædicabant. Hoc ipsum enim catholicè, etiam postea prædicavit Gregorius Naz. Or. 29. n. 3. & alibi; prædicaverunt & Occidentales, puta, Consentius epist. apud Augustinum 119. n. 4. scribens, *Una virtus est, quam trina possidet virtus; una substantia est, in qua tria sunt quæ subsistunt.* Augustinus ipse epist. 170. ad Maximum n. 5. *Et hæc omnia*, inquit, *nec confusè unum sunt, nec disjunctè tria sunt, sed cùm sint unum, tria sunt; & cùm sint tria, unum sunt.*

[p] Rursum hinc removimus voces, *& Spiritus-sancti*, adjectas absque mss. auctoritate.

calumniam: quia [a] connominato Spiritu, id est paracleto, consonantiæ potiùs, quàm essentiæ per similitudinem substantiæ prædicari convenit unitatem.

Hac formula eamdē Patris ac Filii essentiam prædicari.

33. Ceterùm omnis superior sermo in nullo Patrem & Filium essentiæ ac naturæ diversitate discrevit. Ubi enim dicitur, *Deum de Deo, totum ex toto*; non ambigitur totum Deum ex toto Deo natum. Nam & Dei de Deo natura non differt: & totus ex toto in iis est ipse, quibus Pater est. *Unus ex uno* passiones humani partus & conceptionis excludit: ut dum unus ex uno est, non aliunde, nec diversus, aut [b] alius sit, qui est unus ex uno, perfectus à perfecto. Non differt præter originis causam ab innascibilitate nativitas; cùm perfectio utriusque non differat. *Rex de rege.* Non admittit uno atque eodem nomine potestas connuncupata dissimilitudinem potestatis. *Dominum de Domino.* Dominatus quoque æquatur in Domino: nec recipit differentiam confessa in utroque sine diversitate dominatio. Illud verò, quod post multa alia subjectum est, *inconvertibilem & immutabilem, divinitatis & essentiæ & virtutis & gloriæ incommutabilem imaginem*, absolutum est. Nam ex Deo Deus, ex toto totus; ex uno unus, & ex perfecto perfectus, & ex rege rex, & ex Domino Dominus, cùm in ea omni divinitatis gloria atque natura, in qua Pater permanet, natus quoque subsistat & Filius; etiam hoc ex paterna substantia habet, ne demutabilis fiat. Non enim in eo nascente, ea, de qua natus est, demutata natura est: sed indemutabilem essentiam natus obtinuit ex indemutabilis [c] auctoritate naturæ. Nam quamvis imago est, tamen incommutabilis est imago: (non commutatâ in eo scilicet per dissimilitudinem paternæ essentiæ, ex qua est genitus, naturâ,) quia in eo imago paternæ essentiæ nasceretur. Jam verò cùm primus editus [d] esse totius creaturæ docetur, & ipse ille semper fuisse in principio apud Deum Verbum Deus dicitur; dum primus editur, natus fuisse ostenditur; dum semper fuit, nec tempore separatur à Patre. Non ergo videri potest divisio substantiarum *(quæ nihil aliud studuit, quàm ut per trium [e] substantiarum nomen, triplicis vocabuli excluderet unionem) ad separationem diversæ in Filio & in Patre substantiæ introducta: cùm totius fidei expositio Patrem & Filium, innascibilem & unigenitum, nec tempore, nec nomine, nec essentiâ, nec dignitate, nec dominatione discernat. Dignum autem est conscientiâ communi etiam ceteras eorumdem episcoporum Orientalium diversis & locis & temporibus conscriptas fides noscere, ut per plures confessiones sinceritas conscientiæ possit intelligi.

Nativitatis & innascibilitatis discrimen.

Filius immutabilis.

*supple, ab hac synodo.

[f] FIDES SECUNDÙM ORIENTIS * SYNODUM.

*an. 347.

Sancta synodus in [g] Sardica congregata ex diversis provinciis Orientalium partium, Thebaida, Ægypto, Palæstina, Arabia, Phœnice, Syria Cœle, Mesopotamia, Cilicia, Cappadocia, Ponto, Paphlagonia, Galatia, Bithynia, Hellesponto, [h] Asia, Phrygiis duabus, Pisidia, Cycladum insularum, Pamphylia, Caria, Lydia, Europa, Thracia, Emimonto, [i] Mysia, Pannoniis duabus, hanc exposuimus fidem.

34. Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, creatorem & factorem universorum, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur. Credimus & in unigenitum ejus filium Dominum nostrum Jesum Christum, qui ante omnia sæcula ex Patre genitus est, Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem facta sunt omnia quæ in cælis & quæ in terra, visibilia & invisibilia: qui est verbum, & sapientia, & virtus, & vita, & lumen verum: & qui in novissimis diebus propter nos incarnatus est, & natus ex sancta Virgine, qui crucifixus est, & mortuus, & sepultus, & surrexit ex mortuis tertia die, & receptus in cælo est, & sedet in dextera Patris, venturus [k] judicare vivos & mortuos, & reddere unicuique secun-

[a] In vulgatis, *cognominato.* Concinniùs in mss. *connominato.* Quod verò sequitur, an ita intellexerit Hilarius, ut Spiritus-sanctus, quemadmodum dicitur in Scholis, vi processionis suæ non procedat à Patre formaliter ut similis? Certè lib. 12. n. 55. magna fide profitetur, se Spiritum-sanctum numquam dicturum esse aut genitum, aut creatum. Quàm autem luculenter adstruat Spiritus-sancti divinitatem, jam ostendimus præfat. in libros de Trin. n. 15. adeo ut suspectus nemini videri jam debeat iste locus.

[b] Sic mss. potiores, duo Colb. Carn. Germ. Sorbon. Alii verò libri, *aliud sit.* Ut sæpe Hilarius *aliud* usurpat ad distinctionem personæ, ita nunc *alius* ad distinctionem naturæ.

[c] Hìc auctoritas non aliud sonat ac *auctor*: puta, natus ex auctore cujus est natura indemutabilis.

[d] Editi, *cùm primus editus esset totius creaturæ, docetur & ipse ille semper fuisse in principio apud Deum. Verbum Deus dicitur, dum primus editur. Natus fuisse ostenditur* &c.

[e] Unus codex Colb. cum Carn. Mich. & vulgatis, *subsistentium.* Alter Colb. cum Germ. *substantium.* Præferimus cum ceteris *substantiarum*: cùm hìc excusentur Orientales, quòd trinam hypostasim introduxerint, ac verbum græcum ὑπόστασις latino *substantiæ* nomine Hilarius reddat.

[f] Titulum hunc apud Bad. omissum, & in editionibus aliis ad marginem dumtaxat adjectum, suo loco juxta mss. restituendum curavimus. Ejus loco in uno ms. Colb. habetur, *expositio fidei secundùm Orientis synodum*: eodem sensu. Sed non audiendus recentior Remig. in quo exstat, *fides Serdicæ conscripta.*

[g] Mss. constanter & magno consensu, *Serdica.* Hæc mendax inscriptio plurimos fefellit, eâque Donatistæ Augustinum decipere tentarunt, ut ipse testis est epist. aliàs 163. nunc. 44. n. 6. Illo minùs cautus fuit Vigilius lib. 5. contra Eutychen n. 3. At Hilarium nostrum non fugit, à quibus prodierit sequens formula, quamvis non apertè prodiderit. Porro non Sardicæ, sed Philippopoli in Thracia edita fuit ab iis, qui sibi malè conscii, Sardicensis synodi judicium formidabant. Quamquam, exceptis postremis hisce verbis, *Similiter eos, qui dicunt tres esse deos* &c. primùm vulgata est ab Eusebianis aliquot menses post Concilium Antiochiæ in Encæniis, & in Gallias per Narcissum, Marim, Theodorum & Marcum ad Constantem quasi à synodo delata, ut testis est Athanasius lib. de Synod. p. 895. Immo ut ibidem subjicit, iidem triennio pòst in consessum venientes eamdem prædictis appendicibus *Similiter eos* &c. aliisque auctam, per Eudoxium, Martyrium aliosque in Italiam emiserunt. Demum quæ hìc mox subjicitur contra Photinum, ab hac non differt, nisi anathematum additamentis.

[h] Aliquot mss. probæ notæ, *Asiæ Phrygiis.* Sic infrà apud Bad. necnon in vetere ms. Colb & aliis, *Europa Thracia*: quod & apud Vigilium legitur lib. 5 contra Eutych. Neutra lectio confirmatur Fragmento 111. ubi legere est, *Asiâ, Europâ, Hellesponto, Thracia.*

[i] In vulgatis, *Massilia cum Mysia.* In mss. habetur tantùm *Mysia*, vel, ut in mss. Colb. & Germ. pingitur, *Moysia.* Provinciæ totidem & eodem ordine recensentur apud Vigilium. At infrà Fragmento 111. nonnulla est in ordine discrepantia.

[k] Fragmento 111. hìc adjicitur *in fine mundi*: & in græcis formulis, quas suprà annotavimus post Concilium Antioch. in Gallias & Italiam missas, ἐπὶ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος.

» dùm opera ejus: cujus regnum sine cessatione » permanet in immensa sæcula. Sedet enim in » dextera Patris non solùm in hoc sæculo, sed & » in futuro. Credimus & in Spiritum-sanctum, » hoc est, paracletum, quem promittens Aposto- » lis post reditum in cælos misit docere eos ac me- » morari omnia, per quem & sanctificantur sin- » cerè in eum credentium animæ. [a] Eos autem, » qui dicunt de non exstantibus esse filium Dei, » vel ex alia substantia, & non ex Deo, & quòd » erat aliquando tempus aut sæculum quando B » non erat, alienos novit sancta & catholica » Ecclesia. Similiter & eos, qui dicunt tres esse » deos; vel Christum non esse Deum & ante sæ- » cula, neque Christum, neque filium eum esse » Dei; vel eum ipsum esse Patrem & Filium & » sanctum Spiritum, vel innascibilem filium; vel » quòd neque consilio neque voluntate Pater » genuerit Filium: anathematizat sancta & ca- » tholica Ecclesia. [b]

b Fides hæc Filii originem æternam statuit.

35. Brevibus expositio fidei hujus, sed ab- C solutissimis usa est definitionibus. Nam condemnans eos, qui de non exstantibus esse Filium dicerent, originem ei non cœptam, sed manentem dedit. Ac ne hæc origo ejus, ex qua natus est manens, [c] alia potiùs quàm Dei intelligeretur esse substantia; etiam eos blasphemos pronuntiat, qui ex alia aliqua substantia, & non ex Deo Filium natum esse loquerentur: atque ita [d] cùm non ex nihilo substitit, neque aliunde quàm ex Deo quod est D exstitit, non potest ambigi in his natus esse quæ Dei sunt; quia neque de non exstantibus, neque aliâ quàm de innascibili Patris & æternâ substantiâ [e] unigenita Filii generatur essentia. Respuit verò & intervalla temporum ac sæculorum: ut qui per naturam non differt, non possit separabilis esse per tempus.

c tamque ex Dei substantia.

36. Ex omni autem parte, qua se circumagere sollicitudo potuit, hæreticorum ingeniis aditus obstruitur, ne quid esse diversitatis præ- E dicetur in Filio. Anathematizat namque eos, qui tres deos dicant: quia secundùm naturæ veritatem, numerum nuncupationum substantia ista non recipit, nisi ut in hominibus atque Angelis solet, cùm nomen tribuitur ex honore meritorum, naturæ tamen inter eos & Deum [f] differente substantiâ; & idcirco dii plures sunt. Ceterùm in natura Dei Deus unus est; ita tamen, ut & Filius Deus sit, quia in eo natura non differens sit: & cùm Deus ex Deo sit, non potest non uterque Deus esse, quorum per generis indifferentiam non discernatur essentia. Numerus autem nominis in nuncupatione respuitur; quia non est in naturæ qualitate diversitas. Cùm igitur anathema sit [g] deos dicens, & anathema sit Filium Deum denegans; absolutè ostenditur unius ad utrumque nominis unitatem de proprietate indifferentis esse substantiæ: cùm in confessione innascibilis Dei patris & unigeniti Dei filii, neutro à se dissimilitudine essentiæ differente, [h] uterque cùm Deus sit, Deus tamen unus & credendus sit & prædicandus. Sollicitâ itaque multùm diligentique cautelâ episcoporum fides munit naturæ genitæ & gignentis indifferentiam nominis [i] unione confirmans.

Deus non nisi unus est; quare nus dicantur plures.

Fides superior unam Patris ac Filii substantiam prædicat.

37. Tamen ne rursum unius Dei prædicatio, unicam ac sine progenie sua solitarii Dei velit affirmare substantiam; statim hanc condemnat temeritatem, quæ quia Deus unus est, unum ac solitarium Deum patrem, habentem in se nomen & patris & filii confiteretur: cùm in generante Patre & nascente Filio Deus unus esset ob indifferentis ab invicem naturæ substantiam prædicandus. Innascibilem quoque Filium sanctorum fides nescit: quia natura Filii nisi ex nativitate non exstat. Nativitatis autem in eo adeo perfecta natura est, ut qui ex substantia Dei natus est, etiam ex consilio ejus ac voluntate nascatur. Ex voluntate enim atque consilio, non ex corporalis passione naturæ, essentiæ Dei de essentia Dei genitæ absoluta perfectio est. Consequens autem est, ut eam nunc fidem retractemus, quæ non olim [k], cùm Photinus episcopatu dejectus est, conscripta est.

n ec tamen solitarium Deum.

Filium rectè docet innascibilem.

Quî ex voluntate nascatur.

EXEMPLUM FIDEI SIRMIO [l] AB Orientalibus contra Photinum * scriptæ.

* ann. 351.

38. Credimus in unum Deum patrem omnipo- « tentem, creatorem & conditorem, ex quo om- « nis paternitas in cælo & in terris nominatur. « Et in unicum ejus Filium Dominum nostrum « Jesum Christum, qui ante omnia sæcula ex Pa- « tre natus est, Deum ex Deo, lumen ex lumine, « per quem facta sunt omnia in cælis & in terra, « visibilia & invisibilia. Qui est verbum, & sapien- « tia, [m] & virtus, & vita, & lumen verum: qui in « novissimis diebus propter nos incorporatus est, «

[a] Epistola pseudosynodi Sardic. Fragmento III. hîc exhibet, *Credimus in sanctam Ecclesiam catholicam, in remissionem peccatorum, in carnis resurrectionem, in vitam æternam*: quæ verba, omissis *in carnis resurrectionem*, inde huc revocata sunt editione Par. cùm neque in aliis edit. exstent, neque in mſſ. neque in græcis formulis.

[b] Vetustior codex Colb. & Germ. hîc adjiciunt *ita dicentes*: ubi apud Bad. *ita dicens*, in aliis autem edit. *Hilarius*.

[c] Mſ. Silv. *ex alia potiùs quàm de Dei* &c. Proximum verbum *manens* idem esse quod *exstans*, liquet cùm ex pluribus locis, tum ex num. 40. ubi eodem sensu legere est, *Non est de non exstantibus, ut ei exstans origo sit*.

[d] Lipſ. & Par. *non cùm ex nihilo subsistit*: castigantur ex aliis libris.

[e] In vulgatis, *unigeniti*. Veriùs in mſſ. *unigenita*. Sic enim antea *innascibilis & æterna* ad patris substantiam referuntur, non ad ipsius patris vocabulum.

[f] Editi, *differens est substantia*: corriguntur è mſſ.

[g] Er. Mir. Lipſ. & Par. perperam hîc adjiciunt *duos*: cùm ex determinata Orientalium propositione, qua damnantur non qui *duos*, sed qui *tres deos* dicant, conficiat Hilarius indefinitam.

[h] In vulgatis, *dicitur, ut uterque*: interpolatoris operâ & absque auctoritate mſſ.

[i] Editi excepto Bad. *unionem*. Rectiùs alii libri, *unione*: hoc est, fides munit in genito & gignente naturæ indifferentiam, quam confirmat unione ac singularitate nominis.

[k] nimirum, uti notat Socrates lib. 2. c. 29. *post Consulatum Sergii & Nigriniani: quo anno propter tumultus bellicos nemo sollemnem gessit Consulatum*, hoc est, anno 351. cùm Vetranione dejecto Sirmii moraretur Constantius.

[l] Socrates lib. 2. c. 30. varias variis temporibus Sirmii conscriptas formulas earumque auctores confundens, hanc à Marco Arethusio græcè scriptam memorat. Veriùs noster Hilarius eam *Orientalibus*, id est, toti synodo attribuit. Concilium illud Vigilius lib. 5. contra Eutych. n. 3. catholicum vocat & ex toto Oriente congregatum. Nulli autem Occidentalium, nisi fortè quibusdam ex Illyrico, ad illud accedere tum licuit, quòd Magnentius tyrannus transalpinas regiones atque Italiam occuparet.

[m] Ex uno mſ. Colb. & altero Sorbon addimus hîc, *& virtus*: quæ vox exstat in superiore formula Sardicensi, ab hac non dissidente.

& natus de sancta Virgine, & crucifixus, & mortuus est, & sepultus: qui & surrexit ex mortuis tertia die, & adscendit in cælum, & sedet in dextera Patris, & venturus est in consummatione sæculi judicare vivos & mortuos, & reddere unicuique secundùm opera sua: cujus regnum sine fine perseverans permanet in perpetua sæcula. Erit enim sedens in dextera Patris, non solùm in hoc sæculo, verùm etiam & in futuro. Et in Spiritum-sanctum, id est, paracletum, quem promittens Apostolis, postea quàm cælum adscendit, misit docere eos, & commonere omnia, per quem & sanctificantur credentium in eum sinceriter animæ. [a]

I. Eos autem qui dicunt, De nullis exstantibus Filius, vel de altera substantia, & non ex Deo; & quòd erat tempus vel sæculum quando non erat: alienos scit sancta & catholica Ecclesia.

II. Si quis autem Patrem & Filium duos dicit deos: anathema sit.

III. [b] Et si quis, unum dicens Deum, Christum autem Deum ante sæcula filium Dei obsecutum Patri in creatione omnium non confitetur: anathema sit.

IV. Et si quis innascibilem Deum, vel partem ejus, de Maria natum esse audet dicere: anathema sit.

V. Et si quis secundùm [c] præscientiam vel prædestinationem à Maria dicit Filium esse, & non ante sæcula ex Patre natum apud Deum esse, & per eum facta esse omnia: anathema sit.

VI. Si quis substantiam Dei dilatari & contrahi dicit: anathema sit.

VII. Si quis dilatatam substantiam Dei filium dicat facere; aut latitudinem substantiæ ejus, [d] sicuti sibi videtur, Filium nominet: anathema sit.

VIII. Si quis insitum vel prolativum verbum Dei filium dicat: anathema sit.

IX. Si quis hominem solum dicit de Maria Filium: anathema sit.

X. Si quis Deum & hominem de Maria natum dicens, Deum innascibilem sic intelligit: anathema sit.

XI. Si quis *Verbum caro factum est* audiens, Verbum in carnem translatum putet, vel demutationem [e] sustinentem accepisse carnem dicit: anathema sit. *Joh. 1. 14.*

XII. Si quis unicum filium Dei crucifixum audiens, * dealitatem ejus corruptionem vel * passibilitatem aut demutationem aut deminutionem vel interfectionem sustinuisse dicat: anathema sit. ** θεότητα. * πάθος.*

XIII. Si quis, *Faciamus hominem*, non Patrem ad Filium dixisse, sed ipsum ad semetipsum dicat Deum locutum: anathema sit. *Gen. 1. 26.*

XIV. Si quis Filium non dicat Abrahæ visum, sed Deum innascibilem, vel [f] partem ejus: anathema sit. *Gen. 18.*

XV. Si quis cum Jacob non Filium quasi hominem colluctatum, sed Deum innascibilem, vel partem ejus dicat: anathema sit. *Gen. 32. 24.*

XVI. Si quis, [g] *Pluit Dominus à Domino*, non de Filio & Patre intelligat, sed ipsum à se dicat pluisse: anathema sit. Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre. *Gen. 19. 24.*

XVII. [h] Si quis Dominum & Dominum Patrem & Filium, (quia *Dominus à Domino**,) duos dicat deos: anathema sit. Non enim exæquamus vel [i] comparamus Filium Patri, sed subjectum intelligimus. Neque enim descendit in Sodomam sine Patris voluntate; neque pluit ex se, sed à *Domino*, auctoritate scilicet Patris; nec sedet in dextera à semetipso, sed audit dicentem Patrem, *Sede ad dexteram meam.* [k] ** supple, pluit.* *Psal. 109. 1.*

XVIII. Si quis Patrem & Filium & Spiritum-sanctum unam personam dicat: anathema sit.

XIX. Si quis Spiritum-sanctum paracletum dicens, innascibilem Deum dicat: anathema sit.

XX. Si quis, sicuti docuit nos Dominus, non alium dicat Paracletum à Filio; dixit enim, *Et alterum paracletum mittet vobis Pater, quem rogabo* [l] *ego*: anathema sit. *Joh. 14. 16.*

XXI. Si quis Spiritum-sanctum partem dicat Patris vel Filii: anathema sit.

XXII. Si quis Patrem & Filium & Spiritum-sanctum tres dicat deos: anathema sit.

[a] Ludovicus Miræus admonuit, in uno codice ms. se reperisse decretis sequentibus præfixum hunc titulum: *Definitiones catholicarum propositionum 26. contra Photinum hæreticum & contra omnes opiniones infidelitatis hæreticæ.*

[b] Apud Athanasium & Socratem, καὶ εἴ τις λέγων Θεὸν τὸν Χριστὸν πρὸ αἰώνων υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ὑπουργηκότα τῷ Πατρί. Præferenda videtur lectio Hilarii nostri, cùm altera non conveniat in Photinum, qui Deum unum confitens, Christum ante Mariam exstitisse negabat. Hujus autem decreti duplex est sensus, ut scilicet anathema sit, qui cùm unum dicat Deum, Christum tamen Deum neget; sicque infrà illud interpretatur Hilarius: alter verò, qui nobis præcipuus videtur, ut anathema sit, qui Christum in conditione mundi adstitisse, & perinde ante Mariam fuisse non confiteatur.

[c] Verba illa, *præscientiam vel prædestinationem*, uno græco vocabulo προέγνωσιν enuntiantur. Deinde quod vertit Hilarius *à Maria*, legisse videtur cum Socrate ἐκ Μαρίας, non cum Athanasio πρὸ Μαρίας, *ante Mariam*; quod tamen infrà n. 45. legit, ac magis etiam hîc placeret: ut sit anathema, qui Christum secundùm præscientiam tantùm ante Mariam esse concedat.

[d] In græcis codicibus nihil est, quod respondeat verbis, *sicuti sibi videtur*: quæ quidem infrà n. 43. omittuntur.

[e] Græcè, ὑπομεμενηκότα: hoc est, demutationem sustinuisse, cùm accepit carnem.

[f] Editi hîc & articulo subsequenti necnon 21. *patrem*: renitentibus mss. & græca voce μέρος.

[g] In antiquis libris constanter, *pluvit*, *pluviße*.

[h] Bad. *Si quis Dominum & Deum non Patrem & Filium intelligat: quia Dominum & Deum duos dicat deos: anath.* Er. & Mir. *Si quis Dominum & Deum non Patrem & Filium quasi Dominum à Domino intelligat* &c. ut Bad. At verò Lips. & Par. *Si quis Dominum & Dominum Patrem & Filium, quasi Dominum à Domino intelligat: quia Dominum & Dominum duos dicat deos: anath.* In vetusto codice Colbertino, *Si quis Deum & Dominum Patrem & Filium, quà Dominum à Domino, duos dicat deos: anath.* lectio non spernenda, cui favet Facundus lib. 10. cap. 6. ubi Hilarii hæc versio mendosè exhibetur. At sincerior est, quam ex ceteris mss. exprimimus, græco Athanasii textu suffragante: nam apud Socratem mendis etiam scatet. Porro hîc damnatur, qui cùm audiat *Dominus à Domino pluit*, Patrem Dominum & Dominum Filium ita intelligat, ut vocabulis Domini & Domini duos dicat deos. Sic enim græcè habetur: εἴ τις ἀκούων κύριον τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱὸν κύριον, καὶ κύριον τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱόν (ἐπεὶ κύριος ἐκ κυρίου) δύο λέγοι θεούς: ἀνάθεμα.

[i] Ita mss. At editi, *exæquamus vel conformamus.* His duobus verbis unicum συντάσσομεν in græco respondet. Superiùs jam observatum est, unam vocem προέγνωσιν eadem ratione duabus fuisse redditam, quasi anceps Hilarius quæ aptior foret, utramque seligendam proponeret.

[k] Apud Athanasium & Socrat. hîc subjicitur ἀνάθεμα ἔστω: & in versione latina Conciliorum *anathema sit*: quod omnino superfluit. Hîc enim non novus anathematismus est, sed proximè allati explicatio.

[l] Sic mss. At editi, *quem rogabo eum.*

Esai. 44. 6.

XXIII. Si quis, quod dictum est, *Ego Deus primus, & ego Deus novissimus, & præter me non est Deus*, ad destructionem idolorum dictum & eorum qui non sunt dii, in destructionem [a] unigeniti ante sæcula Dei Judaicè intelligat: anathema sit.

XXIV. Si quis voluntate Dei, tamquam unum aliquid de creatura, factum dicat Filium: anathema sit.

XXV. Si quis nolente Patre natum dicat Filium: anathema sit. Non enim [b] nolente Patre coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cùm nollet genuit Filium: sed [c] mox voluit, sine tempore & impassibiliter ex se eum genitum demonstravit.

XXVI. Si quis innascibilem & [d] sine initio dicat Filium, tamquam duo sine principio & duo innascibilia & duo innata dicens, duos faciat deos: anathema sit. Caput enim, quod est principium omnium, Filius; caput autem, quod est principium Christi, Deus: ita enim ad unum qui est sine principio omnium principium, per Filium universa referimus.

XXVII. Et iterum confirmantes Christianismi intellectum, dicimus, quoniam si quis Christum Deum filium Dei ante sæcula subsistentem & ministrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat; sed ex quo de Maria natus est, ex eo & Christum & filium nominatum esse, & initium accepisse ut sit Deus, dicat: anathema sit. [e]

Photini fraus multiplex retunditur.

39. Necessitas & tempus admonuit eos, qui tum convenerant, per multiplices quæstiones latiùs ac diffusiùs expositionem fidei ordinare; quia multis & occultis cuniculis in catholicam domum ea, quæ per Photinum renovabatur, hæresis tentaret irrepere: ut per singula genera intemeratæ & illæsæ fidei, unicuique generi hæreticæ ac furtivæ fraudulentiæ contrairetur; essentque [f] tot fidei absolutiones, quotidem essent quæsitæ perfidiæ occasiones. Ac primùm post generalem illam atque indubitatam sacramentorum expositionem, hinc exponendæ fidei adversùm hæreticos cœpit exordium.

Filius à Patre nec substantiâ differt nec tempore.

I. Eos autem qui dicunt, De nullis exstantibus Filius, vel de altera substantia & non ex Deo; & quòd erat tempus vel sæculum quando non erat: alienos scit sancta & catholica Ecclesia.

40. Quis hîc ambiguitatis locus? aut quid ex sinceræ fidei conscientia reliquum est? Non est de non exstantibus: ut ei exstans origo sit. Non est exstans ei ad originem substantia aliqua alia, nisi sola quæ Dei est: ut in eo nihil aliud natum esse possit, quàm [g] omne quod Dei sit; quia non ex nihilo exstans, aliunde non subsistit. Non differt in tempore: ut cum Patre sit intemporalis & Filius. Inseparabilia itaque inter innascibilem Patrem & unigenitum Filium cuncta sunt, quos in tempore pares ipsa illa unius tantùm [h] paternæ exsistentis, ex qua nativitas sumitur, indifferentia in nullo discernat essentiæ.

II. Si quis autem Patrem & Filium duos dicit deos: anathema sit.

III. Et si quis unum dicens Deum, Christum autem Deum ante sæcula filium Dei obsecutum Patri in creatione omnium non confitetur: anathema sit.

Ut essentiæ nomine, ita sunt unum essentiæ genere.

41. Rerum nobis absolutam intelligentiam ipsa illa nominis religiosa professio tribuit. Cùm enim in damnatione sit, Patrem & Filium duos deos dicere; & rursum anathema sit, Filium Deum negare: substantiæ diversæ alterius ab altera opinio in prædicandis diis duobus excluditur. Non enim est alia, præter illam Dei patris ex qua Dei filius Deus intemporalis est natus, essentia. Nam cùm necessariò Deum patrem confitemur, & absolutè Christum Dei filium Deum prædicamus, & inter hæc duûm deorum sit irreligiosa confessio: non possunt, secundùm naturæ indifferentiam & nomen indifferens, non unum esse in essentiæ genere, quorum essentiæ nomen non licet esse nisi unum.

IV. Si quis innascibilem Deum, vel partem ejus, de Maria natum esse audet dicere: anathema sit.

Filii & Patris non una persona.

42. Ne quòd nuncupatæ essentiæ in Patre & Filio, per indissimilem naturam, nomen unum est, occasionem hæreticis præstaret, ut innascibilem Deum, vel partem ejus, nasci de Maria prædicarent; occursum est salutaris definitione sententiæ, ut anathema esset hoc confitens. Non enim religiosa unitas nominis, ex indifferentis naturæ essentiâ constituta, personam genitæ ademit essentiæ, ut [i] unici ac singularis Dei substantia per unionem nominis intelligatur: cùm utriusque essentiæ nomen unum, id est, Deus unus, ob indiscretæ in utroque naturæ indissimilem substantiam prædicetur.

V. Si quis secundùm præscientiam [k] & præ-

[a] In excusis & scriptis, *unici*: ubi ex græco verbo μονογενοῦς, & ex Hilarii interpretatione liquet legendum esse *unigeniti*. Postea ex tribus mss. reponimus *Judaicè intelligat*, consentiente græco Ἰουδαϊκῶς ἐκλαμβάνοι: ubi in mss. Colb. & Germ. *quasi Judaicè intelligens*, in vulgatis autem, *Judaicè dictum intelligat*: quæ lectio infrà num. 57. obtinet in omnibus libris.

[b] Er. removerat *nolente Patre*: quod quamvis superfluere videatur, nec postulet græcus sermo; restituimus tamen auctoritate Bad. & omnium mss.

[c] Mir. Lips. & Par. post Er. *mox ut voluit*. Hîc & infrà abest *ut* à Bad. & mss. Græcè, ἀλλ' ἅμα τε ἐβουλήθη, καὶ ἀχρόνως καὶ ἀπαθῶς ἐξ ἑαυτοῦ αὐτὸν γεννήσας ἀπέδειξεν.

[d] Græcam vocem ἄναρχον hîc dumtaxat vertit Hilarius *sine initio*, infrà autem *sine principio*. Ubi enim græcè habetur ὡς δύο ἄναρχα, vertit *tamquam duo sine principio*: & paulo pòst εἰς μίαν ἄναρχον τῶν ὅλων ἀρχὴν, latinè reddit *ad unum qui* (græcus sermo postulat *quod*) *est sine principio omnium principium per Filium universa* (græcè hîc subjicitur εὐσεβῶς, *piè*) *referimus*.

[e] Apud Socratem his additur ὡς ὁ Σαμοσατεύς: quod retinere si placet, non sic intelligendum est, *ut Paulus Samosatenus asserebat*, quemadmodum in latinis Socratis editionibus ante Valesium obtinuit; sed, *sit anathema sicut est Samosatenus*.

[f] In vulgatis, *totidem*. At in mss. *tot*: & mox *quot eidem*, pro *quotidem*. Eadem loquendi ratione habemus cap. 15. in Matth. n. 10. *In tot partium millia plebs dinumerata satiatur, quotidem de partibus* &c.

[g] Excusi excepto Mir. omittunt *omne*, quod probè exstat in omnibus mss. Excludendus enim est error hæreticorum, qui Filium partem Patris esse asserebant.

[h] Editi, *paternæ innascibilitatis æternitas, ex qua nativitas sumitur*: tum Bad. *indifferentiam in nullo*, Er. Mir. Lips. & Par. *indifferenti in nullo*. Castigantur ex scriptis.

[i] In vulgatis ac pluribus mss. *unica*. Rectiùs in Colb. & Germ. *unici*, id est solitarii. Unica est enim Dei natura, sed non singularis ac solitarius Deus.

[k] In ms. Corb. ac pluribus aliis non habetur *& prædestinationem*. Deinde ex mss. propè omnium consensu restituimus *ante Mariam*; quamvis superiùs, ut hîc in excusis, exstet *à Maria*. Hanc opinionem Paulo Samosatensi nominatim adscribit Athanasius sub finem libri de Incarn. Christi.

Contra eos qui asserunt Filium ante Mariam non esse nisi per prædestinationem.

» destinationem ante Mariam dicit Filium esse, » non ante sæcula ex Patre natum apud Deum » esse, & per eum facta esse omnia: anathema » sit.

43. Deum omnium nostrûm Dei filium, antè quàm corporeus nascitur, negaturi, tamen secundùm præscientiam & prædestinationem, non secundùm naturæ subsistentis essentiam, fuisse confirmant: id est, ut per præscientiam Patris, quia eum prædestinavit ut esset aliquando, scilicet gignendus ex virgine, nuntiatus nobis fuerit potiùs, quàm ante sæcula in naturæ divinæ substantia natus exstiterit: utque omnia, quæ ipse in prophetis de corporationis suæ ac passionis sacramentis locutus est, ipsa illa secundùm præscientiam de eo à Patre sint dicta. Itaque doctrinæ hujus perversitas condemnatur: ut cognitus nobis unigenitus Dei filius, natus potiùs ex Patre ante sæcula, & ipsa sæcula cum creaturis omnibus condens, quàm prædestinatus sit esse gignendus.

» VI. Si quis substantiam Dei dilatari & con- » trahi dicit: anathema sit.

Dilatatio & contractio in Deum non cadunt.

44. Contrahi & dilatari, corporalis est passio: Deus autem, qui spiritus est, & spirat ubi vult, non se per demutationem substantiæ aut dilatat, aut contrahit. Extra corporalis enim naturæ necessitatem liber manens, quod vult, & cùm vult, & ubi vult, id præstat ex sese. Impium ergo est, substantiæ demutationem libertati tantæ virtutis adscribere.

Nec Filius est divinæ substantiæ dilatatio.

» VII. Si quis dilatatam substantiam Dei Fi- » lium dicat facere, aut latitudinem substantiæ » ejus Filium nominet: anathema sit.

45. Superior sententia, etsi indemutabilem Deum docere voluerit, ad hanc se tamen sequentem hæresim præparavit. * Quidam enim ausi sunt innascibilem Deum usque ad sanctam Virginem substantiæ dilatatione protendere: ut latitudo deducta quodam naturæ suæ tractu assumensque hominem filius nuncuparetur; neque Filius ante sæcula perfectus Deus natus, idem postea & homo natus sit. Totum hoc itaque catholica fides damnat, in quo & demutabilis Pater dicitur, & natus Filius abnegatur.

* V. lib. 1. de Trinit. n. 16. & lib. 10. n. 50.

» VIII. Si quis insitum & prolativum ver- » bum Dei filium dicat: anathema sit.

Hæretici quo sensu filium Dei verbum prædicent.

46. Hæretici perimentes, quantum in ipsis est, Dei filium, verbum esse tantùm confitentur, prodeuntem scilicet loquentis ore sermonem, & [a] insubstantivæ vocis incorporalem sonum: ut Deo patri istiusmodi sit verbum Filius, cujusmodi per insitam nobis loquendi naturam verbum omne profertur in vocem. Fraus ergo hæc omnis in damnatione est: quæ Deum Verbum, quod in principio apud Deum erat, tamquam verbum esse insitæ ac prolatæ vocis affirmet.

Filius de Maria Deus & homo.

« IX. Si quis hominem solum dicat de Ma- « ria Filium: anathema sit.

Filium Dei de Maria non prædicamus, nisi & hominem & Deum prædicemus. [b] Sed ne id, quòd Deum & hominem prædicamus, fraudis habeat occasionem, continuò subjecit.

« X. Si quis Deum & hominem de Maria na- « tum dicens, Deum innascibilem sic intelligit: « anathema sit.

à Patre solâ nativitate discernitur.

47. Conservatur substantiæ & nomen & virtus. Cùm enim in anathemate sit, qui ex Maria Dei filium hominem sine Deo dixerit; & in eodem judicio sit, qui in homine innascibilem Deum dixerit: non Deus is, qui in homine est, non esse Deus dicitur; sed Deus innascibilis abnegatur, Patre à Filio non naturæ nomine, quia nec [c] diversitate substantiæ, sed sola innascibilitatis auctoritate discreto.

Carnem assumens non demutatus est.

« XI. Si quis *Verbum caro factum est* audiens, « Verbum in carnem translatum putet, vel de- « mutationem sustinentem accepisse carnem di- « cat: anathema sit.

48. Conservatur dignitas [d] divinitatis: ut in eo, quòd Verbum caro factum est, dum Verbum caro fit, non amiserit per carnem quòd erat Verbum, neque translatum [e] in carnem sit, ut Verbum esse desineret; sed Verbum caro factum est, ut caro potiùs hoc inciperet esse [f] quod Verbum. Alioquin unde carni in operibus virtutes, [g] in monte gloriam, in cogitationibus humanorum cordium scientiam, in passione securitatem, in morte vitam? Sed demutationem Deus nesciens, nihil ex substantiæ suæ bonis caro factus amisit.

Filio Dei crucifixo corruptionem non est perpessa deitas.

« XII. Si quis unicum filium Dei crucifixum « audiens, dealitatem ejus corruptionem vel « passibilitatem aut demutationem vel deminu- « tionem vel interfectionem sustinuisse dicat: « anathema sit.

49. Absolutè ostenditur, cur Verbum, licèt caro factum sit, non tamen translatum fuerit in carnem. Cùm enim hæc passionum genera infirmitatem carnis afficiant, Deus tamen Verbum caro factus non potuit [h] à se demutabilis esse patiendo. Non enim id ipsum

---

[a] In priùs vulgatis vocabulum hoc perperam in duo divisum fuisse liquet ex lib. 10. de Trin. n. 21. ubi arguuntur iidem hæretici *volentes unigenitum Deum ... non substantivum Deum esse, sed sermonem vocis emissæ*, &c. Videsis ibid. n. 50. & Tertullian. contra Prax. n. 7. & 8.

[b] Duos versus subsequentes in antè vulgatis suo loco motos, & interpolationibus depravatos, restituimus & castigamus ope mss.

[c] Apud Bad. *quia nec diversitate esset, sola*. Pejùs in editis aliis, *quia nec diversitas esset, sola*.

[d] id est, substantia divinitatis.

[e] Quo sensu quidam hæretici tunc temporis asseruerint Verbum assumendo carnem translatum esse in carnem, repetendum ex lib. 10. de Trin. n. 50. ubi arguuntur qui *defecisse omnino Deum Verbum in animam corporis volunt, ut non idem fuerit Jesus Christus hominis filius, qui & filius Dei; & de se defecerit Deus Verbum, dum corpus officio animæ vivificat*. Hinc Verbum in carnem translatum eatenus dixisse intelliguntur, quatenus Verbum in animam corporis defecisse, seu vices animæ supplevisse sentiebant. Sic verò Potamium nominatim sensisse manifestum est ex Phœbadio Agenn.

[f] non ut caro esse desineret, sed ut Verbi potentiæ, gloriæ aliarumque dotum consors facta, divinitatis in se exprimeret naturam, cujus virtutes ostenderet. Sed neque errori locum permittunt subnexa. Videsis pag. 815. not. f.

[g] Omnes propè mss. *in morte*. Retinendum cum uno Colb. & altero Sorbon. *in monte*, puta in quo transfiguratus est Christus. Sic lib. 10. de Trin. n. 23. *Naturæ propriæ ac suæ corpus illud est, quod in cælestem gloriam conformatur in monte*, &c.

[h] Apud Bad. *se demutabilis*. Postea expuncto *se* retentum est tantùm *demutabilis*. Ex mss. & Mir. restituimus *à se*, hoc est, quantum ad naturam suam attinet, licèt demutabilis non negetur quantum ad carnem assumtam.

est, pati & demutari: quia omnem carnem passio cujusque generis demutet sensu, dolore, [a] tolerantiâ. Verbum autem, quod caro factum est, licèt se passioni subdiderit; non tamen demutatum est passibilitate patiendi. Nam [b] pati potuit, & passibile esse non potuit: quia passibilitas naturæ infirmis significatio est; passio autem est eorum quæ sint illata perpessio: [c] quæ quia indemutabilis Deus est, cùm tamen Verbum caro factum sit, habuerunt in eo passionis materiam sine passibilitatis infirmitate. Manet itaque indemutabilis etiam in passione natura; quia auctori suo indifferens [d] ex impassibilis essentiæ nata substantiâ est.

b Passibilitas & passio quid.

» XIII. Si quis, *Faciamus hominem*, non Patrem ad Filium dixisse, sed ipsum ad semetipsum dicat Deum locutum: anathema sit.

Filium Patribus visum esse. Gen. 1. 26. Gen. 18. 1.

» XIV. Si quis Filium non dicat Abrahæ visum, sed Deum innascibilem vel partem ejus: anathema sit.

Gen. 32. 26.

» XV. Si quis cum Jacob non Filium, quasi hominem colluctatum, sed Deum innascibilem vel partem ejus dicat: anathema sit.

Gen. 19. 24.

» XVI. Si quis, *Pluit Dominus à Domino*, non de Filio & Patre intelligat, sed ipsum à se pluisse dicat: anathema sit. Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre.

Photini sententia.

50. Hæc quia Photinus, adversùs quem tum conventum erat, negabat, inserenda fidei fuerunt: ne quis auderet non antè Dei filium quàm virginis filium prædicare, & superiora omnia, quæ propria Dei filio sunt, stultissimâ hæreticæ insaniæ perversitate Deo innascibili coaptaret; & dum hæc ad Patrem referret, Filio substantiam denegaret. Quæ quia absoluta sunt, necessitatem nobis interpretandi non reliquerunt.

» XVII. Si quis Dominum & Dominum [e] Patrem & Filium, (quia *Dominus à Domino*,) duos dicat deos: anathema sit. Non enim exæquamus vel comparamus Filium Patri, sed subjectum intelligimus. Neque enim descendit in Sodomam sine Patris voluntate; neque pluit ex sese, sed *à Domino*, auctoritate scilicet Patris; nec sedet in dextera à semetipso, sed audit dicentem Patrem, *Sede ad dexteram meam.* «

Psal. 109. 1.

Definitio hæc à suspicione liberatur.

51. Et superiora & consequentia suspicionem, si qua esse in his dictis videbitur, penitus excludunt, ne diversitas dissimilium deitatum in Domino & Domino prædicetur. Et in eo non comparatur, quia duos deos dici impium sit: non autem idcirco non comparatur vel exæquatur Filius Patri, ne Deus ipse non esse credatur. Cùm enim anathema sit Christum Deum denegans, non potest idcirco profanum videri, duos deos connominari, ne & Christus Deus prædicetur; cùm per essentiæ naturalis proprietatem idcirco Deus unus est, quia ex innascibili Deo patre, qui unus est Deus, unigenitus filius Deus natus, non aliunde quàm ex Deo habeat esse quòd Deus est: & indifferenti [f] ejus qui genitus est ab eo qui genuit essentiâ, non potest non indifferentis unum nomen esse naturæ. Et vel in eo quidem maximè non comparatur nec coæquatur Filius Patri, dum subditus per obedientiæ obsequelam est, dum pluit Dominus à Domino, ne à se ipse secundùm Photinum aut Sabellium pluerit, ut Dominus à Domino; dum ad dexteram Dei tum consedit, cùm sibi ut considere dictum sit; dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntati ejus qui se misit obsequitur. Sed pietatis subjectio non est essentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem efficit naturam: cùm per id, quòd cùm & innascibilis pater Deus est, & unigenitus filius Dei Deus est, Deus tamen unus sit; & subjectio filii doceatur & dignitas, [g] dum & ipsi illi nomini Filius nuncupandus subjicitur, quod

Filius quatenus Patri non æquandus, manente naturæ æqualitate.

[a] In edit. hîc adjicitur *patientia*: quod abest ab omnibus mss.

[b] Ita mss. At excusi, *pati quidem potuit passione, sed passibilitate passibilis esse non potuit.*

[c] In vulgatis, *itaque quia*; & mox *passiones materiam*, loco *passionis*. Meliùs in mss. *quæ*: hoc est, quæ illata sunt, quia Deus Verbum caro factus est, habuerunt in eo passionis materiam, ex cujus affectione passus esse prædicaretur; sed habuerunt tamen sine passibilitatis infirmitate, quia idem indemutabilis Deus est. Neque aliud hîc sibi vult Hilarius, quàm quod in Psal. 68. n. 9. licèt aliis verbis ait, *Non fuit in unigenito Deo naturalis infirmitas, sed assumta*, & rursum n. 18. *Cuncta nostra, quæ in eo fuerunt, infirmitates non naturales sunt, sed assumta*: quod perinde est ac si diceret, Infirmitates ita in Verbi personam cadunt propter assumtam carnem ipsi substantialiter unitam, ut Verbi ejusdem naturam non afficiant. Hoc quippe passibilitatem vocat, quod naturam afficit; passionem autem, quod personæ attribuitur. At passio non attribuitur Verbo, nisi quia afficit carnem quam assumsit; & ut proximè docuit, *omnem carnem* (ne Christi quidem excipit) *passio cujusque generis demutat sensu, dolore, tolerantiâ*: non sentit igitur Christum secundùm carnem à dolore immunem. Et certè hîc perspicuum est, eum uni Verbo hoc privilegium vindicare.

[d] Editi, *& impassibilis*, antea particulâ *quia* & pòst verbo *est* omissis. Restaurantur ex mss.

[e] Er. & Mir. nunc cum Bad. legunt, *Si quis Dominum & Deum non Patrem & Filium intelligat, quia Dominum & Deum duos dicat deos, anath.* Lips. & Par. *Si quis Dominum & Dominum non Patrem & Filium intelligat, cùm Dominum & Dominum duos dicat deos, anath* Magis sibi constant mss.

[f] Sic mss. Editi verò, *& indifferenti ipsi qui genitus est, ab eo qui genuit, non potuit esse: nam indifferentis unum nomen est natura.* Quod subjicit Hilarius, ut explicet quatenus Filium Patri non coæquandum intelligat, illustratur his Tract. Psal. 138. n. 17. *Est enim Pater major Filio; generatione, non genere. Filius enim est, & ex eo exivit: & licèt paternæ nuncupationis proprietas differat, tamen natura non differt. Natus enim à Deo Deus non dissimilis est à gignente substantiâ. Non potest ergo ad eum ex quo est exæquari.* In quibus Filium Patri subjectum, quatenus ab eo est, eique, quatenus ipse non est à se, non comparandum ita fatetur, ut ipsi essentiæ, naturæ ac substantiæ unitatem constanter asserat. Quocirca iniquæ ac malæ fidei convincitur anonymus quidam Calvinista, qui tum ob hujus, tum ob tertii canonis commodam interpretationem illum ex albo Catholicorum dispungit: hoc magis iniquus, quòd pius Præsul statim monet in ipsis Concilii dictis suspicionem nonnullam esse, sed ex superioribus & consequentibus eam excludi. Sed & his loquendi modis referti sunt libri antiquorum, qui propterea apud nonnullos de Trinitatis mysterio haud satis rectè sentire immeritò audierunt. Unum ex Justino dial. cum Triph. exemplum proferimus in eumdem Genesis locum sic loquente: *Duos propheticus sermo numero esse indicat, alterum in terris, qui descendisse se ait, ut clamorem Sodomorum inspiceret, alterum in cælis, qui etiam Dominus est Domini in terra apparentis, ut pater & Deus atque auctor ipsi, ut sit & potens & Dominus & Deus.*

[g] In vulgatis, *dum ei ipsi nonnisi filius nuncupandus subjicitur. Quod cùm Dei patris sit, tamen sibi ex natura sit, nomen habens alienum, sed ejus cujus & filius est, ut sit* (Bad. & fit) *Patri & obsequio* &c. Sequimur mss. In his habetur catholica totius superioris canonis explicatio. Dum Patrem & Filium Dominum & Dominum vocant, utrique tribuunt unum naturæ nomen. Atqui ut dicitur lib. 5. de Trin. n. 14. *si* in Filio *natura non sit, naturæ non competit nomen; si autem naturæ in eo nomen est, non potest ab eo veritas abesse naturæ.* Dum autem ita Dominum & Dominum vocant, ut nolint esse duos deos, sequitur Patrem & Filium unum esse Deum: ita tamen unum, ut alium Patrem, alium Filium nuncupent; qui proinde filii nomine sic ostenditur subjectus, ut eodem nomine testetur propriam sibi esse ipsam Patris substantiam.

cùm Dei patris sit, tamen sibi ex natura sit A nomen. Habens nomen, sed ejus cujus & filius est, sit Patri & obsequio subjectus & nomine; ita tamen, ut subjectio nominis, proprietatem naturalis atque indifferentis testetur essentiæ.

Pater & Filius nō una persona. » XVIII. Si quis Patrem & Filium unam » personam dicit: anathema sit.

52. Non habet necessitatem contradicendi sibi absoluta perversitas: & tamen stultus quorumdam furor in id prorupit, ut personam B unam duûm nominum ausus sit prædicare.

Spiritus-sanctus non innascibilis Deus. » XIX. Si quis Spiritum-sanctum paracletum » dicens, innascibilem Deum dicat: anathema sit.

53. Adjectio nunc Paracleti, anathemati obnoxiam facit innascibilis in eo Dei prædicationem. Impiissimum enim est, innascibilem Deum eum dici, qui ad consolationem nostram est missus à Filio.

Alius est à Filio. » XX. Si quis, sicuti docuit nos Dominus, » non alium dicat Paracletum à Filio; dixit enim, C » *Et alterum Paracletum mittet vobis Pater, quem* » *rogabo ego*: anathema sit.

54. A Filio Paracletum missum meminimus, & in principio hoc fides ipsa exposuit. Sed quia frequenter Filius per indifferentis naturæ virtutem opera sua opera Patris esse dixit, dicens, *Ego opera Patris mei facio*: (*Joh. 10. 37.*) missurus quoque Paracletum, sicuti frequenter spopondit, interdum eum & mittendum dixit à Patre, (Cur dicatur mitti à Patre.) dum omne quod ageret, piè referre [a] est so- D litus ad Patrem. Ex quo hæretici occasionem frequenter arripiunt, ut ipsum esse Filium Paracletum dicant: cùm in eo, quòd alium Paracletum mittendum à Patre sit precaturus, differentiam missi rogantisque significet.

Non est pars Patris aut Filii. » XXI. Si quis Spiritum-sanctum partem di- » cat Patris vel Filii: anathema sit.

55. Stultitia hæretici furoris hæc coegit in scripta referre, non quæstio. Nam cùm Spiritus-sancti nomen habeat suam significationem, E & Spiritus-sanctus paracletus habeat substantiæ suæ & officium & ordinem, & cùm ubique indemutabilis Pater & Filius prædicetur: quomodo pars esse aut Patris aut Filii Spiritus-sanctus asseritur? Sed quia sicut inter cetera insaniarum genera, etiam hoc quoque proferri ab impiis solet; idcirco à sanctis debuit improbari.

Dii tres negātur. » XXII. Si quis Patrem & Filium & Spiri- » tum-sanctum tres dicit deos: anathema sit. F

56. Duûm deorum professio cùm irreligiosa sit, quia nusquam nisi unum Deum prædicatum meminerimus & prædicemus: quanto magis trium deorum in Patre & Filio & Spiritu-sancto nuncupatio damnabilis est? Quod tamen quia hæretici dicunt, rectè catholici condemnant.

XXIII. Si quis quod dictum est, *Ego* « *Deus primus, & ego Deus novissimus, & præter* « *me non est Deus*, ad destructionem idolorum « dictum & eorum qui non sunt dii, in destru- « ctionem unigeniti ante sæcula Dei Judaicè « dictum intelligat: anathema sit. « (Illud, *non est Deus præter me*, Filium non negat Deū. *Esai. 44. 6.*)

57. Deorum numerositate damnata, & Deo tantùm uno prædicato, negari Deus filius Dei non potest. Verùm naturæ istud præstat genuina proprietas, ut nomen, quod negatur ad numerum, debeatur essentiæ; & id, quòd *non est Deus præter me*, non possit Filio auferre quòd Deus est: quia Deus alius, præter quàm qui est ex Deo, nullus est. Et per hanc vocem Dei patris non potest non Deus esse, qui ex [b] se indifferenti ad naturam suam est natus essentiâ. Quod idcirco Judæi ad unionem Dei referunt, quia unigenitum Deum nesciunt. Sed nos cùm duos deos negamus, diversitatem in Patre & Filio naturalis abominamur essentiæ: quia id, quòd *non est Deus præter me*, impiam de falsis diis perimit opinionem. Cùm verò unum Deum confitentes, Filium quoque Deum dicimus; nihil diversum per substantiam in utroque sub uno nomine prædicamus.

XXIV. Si quis voluntate Dei tamquam « unum aliquid de creatura Filium factum dicat: « anathema sit. «

58. Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit: sed naturam Filio dedit ex impassibili ac non natâ substantiâ perfecta nativitas. (Filius ex Dei substantia, non ut creaturæ ex voluntate.) Talia enim cuncta creata sunt, qualia esse Deus voluit: Filius autem natus ex Deo talis substitit, qualis & Deus est. Nec dissimilem sui edidit natura naturam: sed ex substantia Dei genitus naturæ secundùm originem attulit, non secundùm creaturas, voluntatis essentiam.

XXV. Si quis nolente Patre natum dicat Fi- « lium: anathema sit. Non enim nolente patre coa- « ctus Pater, vel naturali necessitate ductus, cùm « nollet genuit Filium; sed mox voluit sine tem- pore, & impassibiliter ex se eum genitum de- « monstravit. « (Nec tamen ex invito Patre Filius.)

59. Cùm non ex voluntate, ut cetera, Filius subsistere doceretur, ne secundùm voluntatem tantùm, non etiam secundùm naturam haberet essentiam; data hæreticis occasio videbatur, ut necessitatem Deo patri gignendi ex se Filii adscriberent, tamquam [c] naturæ lege cogente invitus ediderit. Sed hæc passionum non est in Deo patre conditio: [d] cùm inenarrabili & perfecta nativitate Filii, nec voluntas sola genuit Filium, nec demutata aut coacta impegenrio naturalis legis essentia est. Nec ad gignendum quæsita substantia est, nec gignentis in

[a] quod præstat salva naturæ suæ æqualitate. Ut enim habetur in Psal. 138. n. 28. *Contestatam de se potestatem per reverentiæ honorem ei, cui omnia meminerat confitenda, subjecit, non sibi adimens quòd similia Patri posset, sed eum per quem similia posset ostendens.* Vide Tract. Ps. 141. n. 6.

[b] Vocabulum *se* hîc adjicimus auctoritate mss. Colb. & Germ.

[c] Ita mss. At editi, *naturali lege coactus invito se* &c. Filium voluntate natum dici eo sensu permittit Hilarius, quo lib. 12. de Trin. n. 50. & superiùs n. 17. generationem illius creationem vocari sinit, ad removendam scil. omnem Patris in Filii generatione passionem aut repugnantiam. *Verendum enim esset*, inquit appositè Gregorius Naz. Or. 35. n. 2. *ne coactam quamdam generationem inveheremus, ac velut naturale quoddam excrementum* (περίττωμα) *retentuque difficile, in divinitatem minimè quadrans.* Paulò aliter subinde locuti sunt Theologi, quos inter auctor lib. de Trinit. & unit. Dei apud Augustinum cap. 2. *Nec voluntate nec necessitate genuit Pater Filium: non necessitate, quia necessitas in Deo non est; non voluntate, quia voluntas praire sapientiam non potest, quæ est Filius. Igitur prius est rationabiliter sapere, quàm rationabiliter velle. Vnde nec voluntate, nec necessitate, sed naturaliter solâ sapientiâ Pater genuit Filium.*

[d] In mss. Colb. & Germ. *cui*, non *cùm*.

genito

genito diverſâ natura eſt, nec in tempore paterni nominis ſolitudo: ſed ante tempora omnia Pater ex naturæ ſuæ eſſentia, impaſſibiliter volens, Filio dedit naturalis [a] nativitatis eſſentiam.

Filium innaſcibilem unitas Dei non patitur.

» XXVI. Si quis innaſcibilem & ſine initio » dicat Filium; tamquam duo ſine principio & » duo innaſcibilia & duo innata dicens, duos » faciat deos: anathema ſit. Caput enim, quod » eſt principium omnium, Filius; caput autem, » quod eſt principium Chriſti, Deus: ſic enim » ad unum [b] ininitiabilem, omnium initium, per » Filium univerſa referimus.

60. Filium innaſcibilem confiteri, impiiſſimum eſt. Jam enim non erit Deus unus: quia Deum unum prædicari natura unius innaſcibilis Dei exigit. Cùm ergo unus Deus ſit, duo innaſcibiles eſſe non poſſunt: cùm idcirco Deus unus ſit, (cùm & pater Deus ſit, & filius Dei Deus ſit,) quia innaſcibilitas ſola penes unum ſit. Filius autem idcirco Deus, quia ex innaſcibili eſſentia natus exſiſtat. Reſpuit ergo innaſcibilem Filium prædicari fides ſancta; ut per unum innaſcibilem Deum, unum Deum prædicet: ut naturam unigenitam, ex innaſcibili genitam [c] eſſentia, in uno innaſcibilis Dei nomine complectatur. Caput enim omnium Filius eſt: ſed caput Filii Deus eſt. Et ad unum Deum omnia hoc gradu atque hac confeſſione referuntur: cùm ab eo ſumant univerſa principium, cui ipſe * principium ſit.

**Vol. Deus Pater.*

» XXVII. Et iterum confirmantes Chriſtia» niſmi intellectum, dicimus, Quoniam ſi quis » Chriſtum Deum, filium Dei ante ſæcula ſubſi» ſtentem, & miniſtrantem Patri ad omnium » perfectionem non dicat; ſed ex quo de Maria » natus eſt, ex eo & Chriſtum & filium nomina» tum eſſe, & initium accepiſſe ut ſit Deus dicat: » anathema ſit.

Photini hæreſis.

61. Concludi damnatio ejus hæreſis, propter quam conventum erat, expoſitione totius fidei cui adverſabatur, oportuit: quæ initium Dei filii ex partu Virginis mentiebatur. Hoc enim fidei noſtræ ſecundùm evangelicam & apoſtolicam doctrinam principale eſt, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Deum & Dei filium à Patre nec honoris confeſſione, nec virtutis poteſtate, nec ſubſtantiæ diverſitate, nec intervallo temporis ſeparari.

Fidei noſtræ principale.

Difficultas de Deo paucis loquendi.

62. Multifariè, ut intelligitur, epiſcoporum conſiliis atque ſententiis quæſita veritas eſt, & intelligentiæ ratio expoſita eſt per ſingulas ſcriptæ fidei profeſſiones: ſingulis quibuſque generibus impiæ prædicationis exſtinctis. NON ENIM infinitus & immenſus Deus brevibus humani ſermonis eloquiis vel intelligi potuit, vel oſtendi. Fallit enim plerumque & audientes & docentes brevitas verborum: & compendio ſermonum aut non intelligi poteſt quod requiritur, aut etiam corrumpitur quod ſignificatum magis, quàm enarratum, rationis abſolutione non conſtat. Et idcirco epiſcopi [d] intelligentiæ ſenſu loquentes, ob difficultatem naturalis intelligentiæ, & plurimis definitionibus & copioſioribus verbis uſi ſunt ad docendum: ut & ſenſum audientium diſtinctione editæ per multa veritatis imbuerent, & de divinis rebus nihil [e] aliud periculoſum aut obſcurum in hac multimoda plurium ſententiarum abſolutione loquerentur.

Fides in Oriente frequenter expoſita: in paucis ſana.

63. Nihil autem mirum videri vobis debet, Fratres cariſſimi, quòd tam frequenter exponi [f] fides cœptæ ſunt: neceſſitatem hanc furor hæreticus imponit. Nam tantum Eccleſiarum Orientalium periculum eſt, ut rarum ſit hujus fidei (quæ qualis ſit, vos judicate) aut ſacerdotes aut populum inveniri. [g] Malè enim per quoſdam impietati auctoritas data eſt: & exſiliis epiſcoporum, quorum cauſam non ignoratis, vires auctæ ſunt profanorum. Non peregrina loquor, neque ignorata ſcribo: audivi ac vidi vitia præſentium; non laicorum, ſed epiſcoporum. Nam abſque epiſcopo [h] Eleuſio & paucis cum eo, ex majori parte Aſianæ decem provinciæ, intra quas conſiſto, verè Deum [i] neſciunt. Atque utinam penitus neſcirent; cum procliviore enim venia ignorarent, quàm obtrectarent. Sed horum epiſcoporum dolor ſe intra ſilentium non continens, unitatem fidei hujus quærit, quam jam pridem per alios amiſit. Nam illa [k] in primo collatæ expoſitionis fides hanc habuit neceſſitatem: quia apud Sirmium per immemorem geſtorum ſuorum dictorumque Oſium novæ & tamen [l] ſuppuratæ

Oſius.

[a] Editi, *nativitatem eſſentiæ.*

[b] In vulgatis, *ininitiabile*: quod referre licet ad *principium*, idque, ut ſuprà obſervatum eſt, poſtulat græcus ſermo. At cùm idem verbum ἀνάρχοι num. 39. verſum ſit *qui eſt ſine principio*, non *quod eſt*; retinemus cum mſſ. *ininitiabilem.*

[c] In mſſ. *eſſentiam.* Fides ſancta in uno innaſcibilis Dei nomine naturam unigenitam complectitur, cui Dei nomen ita tribuit, ut tamen reſpuat duos deos.

[d] In vulgatis, *intelligentiæ ſuæ.* Abeſt *ſuæ* à mſſ.

[e] Ita potiores mſſ. At editi, *nihil aut periculoſum.*

[f] Hincmarus lib. de non trina Deit. c. 10. relatis hiſce verbis addit, *Propter ſtilos plures à S. Hilario dictæ ſunt plurali numero fides, & propter pluralitatem ſcriptionum, non propter credulitatis diviſionem.*

[g] Mſſ. Corb. Prat. Rem. Faur. *Multæ enim.*

[h] Eleuſium tamen inter Semiarianos recenſet Epiphanius hær. 73. n. 23. Et à Socrate quidem lib. 2. c. 40. acutè reprehenditur, quòd ægerrimè ferret innovari Encæniorum fidem, cui Nicænam ipſe poſthaberet. Liberio, ut homouſion reſpueret, ipſum cum aliis auctorem fuiſſe Sozomenus teſtis eſt lib. 4. cap. 15. qui cum Socrate lib. 2. c. 38. ſcribit eumdem Macedonio conjunctum & crudelitatem illius imitatum eſſe. Immo, ſi eidem Sozomeno lib. 4. c. 20. habenda fides, conſubſtantialis defenſores divexavit. Quamquam valde probabile eſt, hanc ei tum à Socrate tum à Sozomeno inuſtam fuiſſe crudelitatis notam ob ea, quæ ad Novatianos reprimendos egit. Et fatetur quidem Sozomenus lib. 4. c. 20. eum & Macedonio mitiorem, & vitâ bonâ & integrâ exſtitiſſe. Hunc igitur, quem vitæ integritas commendabat, ab iis qui Deum neſcirent excipiens Hilarius, non ſic ſpectavit, ut qui fidem Nicænam profiteretur, ſed ut qui ad eam proximè accederet, & adversùs Anomœos acerrimè decertaret. Cùm enim Aetius in Syria, & Photinus in Illyrico aliiſque provinciis Filii divinitatem penitus rejeciſſent; epiſcopi, qui illis impensè reſtiterunt, à noſtris haberi cœperunt veluti catholici & divinitatis Chriſti defenſores: & tum, ut loquitur Gregorius Naz. Or. 21. n. 43. *levior impietas pietatis opinionem ferebat.*

[i] Hoc loco olim abutebatur Vincentius Rogatiſta: ad quem Auguſtinus epiſt. aliàs 48. nunc. 93. n. 21. *Hilarii libros mihi opponis, uti neges Eccleſiam creſcentem in omnibus gentibus uſque in finem ſæculi.* Quibus ille reſpondet n. 31. & 32. Vide & quæ ea de re annotavimus pag. 879. not. 2.

[k] Editi, *in prima collatæ expoſitionis ſynodo fides hanc habuit neceſſitatem, cùm apud* &c. At mſſ. *in primo* (ſupple, loco) *collatæ* (Carn. *conlocatæ*) *expoſitionis fides* &c. Hîc excuſantur qui Ancyræ convenerunt, quòd novam fidei expoſitionem adorſi ſint.

[l] Recentiores mſſ. *ſoporatæ.*

jam diu impietatis doctrina proruperat. Sed A de eo [a] nil loquor, qui idcirco est reservatus, ne judicio humano ignoraretur qualis antè vixisset. Ubique autem scandala, ubique schismata, ubique perfidiæ sunt. Hinc illud est, ut ad professionem subscribendæ fidei aliqui eorum, qui antè aliud scripserant, cogerentur. Nec queror de patientissimis viris Orientalibus episcopis, quibus suffecit post blasphemiæ voluntatem coactæ saltem fidei professio: gratulandum enim videtur in tanta blasphe- B mantium episcoporum hæretica pertinacia, aliquem ex his suscipi pænitentem. Sed inter hæc ô beatos vos in Domino & gloriosos, qui perfectam atque apostolicam fidem [b] conscientiæ professione retinentes, conscriptas fides huc usque nescitis! Non enim eguistis litterâ, qui spiritu abundabatis. Neque officium manûs ad scribendum desiderastis, qui quod corde à vobis credebatur, ore ad salutem profitebamini. Nec necessarium habuistis episcopi legere, C quod regenerati neophyti tenebatis. Sed necessitas consuetudinem intulit, exponi fides, & expositis subscribi. Ubi enim sensus conscientiæ periclitatur, illic littera postulatur. Nec sanè scribi impedit, quod salutare est confiteri.

Fidei coactæ subscriptiones.

Occidentales scriptas fides nesciunt.

64. Confitemur sanè in sancti Spiritus dono semper innocentes, & scribimus volentes, non deos duos, sed Deum unum: neque per id non & Deum Dei filium; est D enim ex Deo Deus. Non innascibiles duos, quia auctoritate innascibilitatis Deus unus est: neque per id non & Unigenitus Deus est; namque origo sua innascibilis substantia est. Non unum subsistentem, sed [c] substantiam non differentem. Non unum in dissimilibus naturis Dei nomen, sed unius nominis atque naturæ indissimilem essentiam. Non præstantem quemquam cuiquam genere substantiæ, sed subjectum alterum alteri nati- E vitate naturæ. Patrem in eo majorem esse quòd pater est, Filium in eo non minorem esse quòd filius est. Significationem interesse, non interesse naturam. Patrem non intra tempora confiteri, sed cointemporalem Patri Filium non negare. Patrem in Filio prædicare, quia nihil in se habeat Filius à Patre dissimile: Filium in Patre confiteri, quia non est aliunde quòd filius est. Mutuam sibi ac similem invicem naturam non nescire, quia par sit: quòd unus sit non existimare, quia unum sunt: unum eos sic per indissimilis naturæ indifferentiam prædicare, ne unus sit.

Hilarii fides de Patre & Filio.

65. Exposui, Carissimi, quantum humani sermonis consuetudo patiebatur, & Dominus mihi [d] semper ut ipse scit à me oratus indulsit, communis fidei conscientiam. Et si quid minus, immo quia minus ac propè nihil dictum est, mementote non sensum mihi, sed verba deesse. Arguam fortè in eo naturam meam, non tamen arguam voluntatem: & ignosco naturæ, si loqui de Deo quod vult non potest, cujus sufficiat ad salutem, credidisse quæ Dei sunt.

Hilario desunt verba, non sensus.

66. Nunc quia [e] fides mea atque vestra, quantum mihi conscius sum, apud Deum non periclitatur; & ostendi vobis, sicut voluistis, quæ antè expositæ fides essent ab Orientalibus episcopis, sed paucis; (repetam enim, quia secundùm numerum Ecclesiarum Orientalium, episcoporum paucorum fides ista est;) ipse quoque, quid de divinis rebus secundùm doctrinam apostolicam sentirem, professus sum: reliquum est, ut [f] quæ errorem nobis ex simplicitatis securitate afferunt, cognoscatis sine suspicione aliqua; quia jam nec relicta est audiendi. Et quamquam jam non verear de me judicari secundùm expositionem totius fidei; tamen patimini, [g] ut velim de me adhuc, nisi absolutis omnibus, judicari.

Transit ad alteram libelli partem.

Ante finem ne judicetur.

67. Multi ex nobis, Fratres carissimi, ita unam substantiam Patris & Filii prædicant, ut videri possint non magis id piè quàm impiè prædicare: habet enim hoc verbum in se & fidei conscientiam, & fraudem paratam. Nam si secundùm naturæ proprietatem ac similitudinem, ut similitudo non speciem [h] solam afferat, sed genus teneat; religiosè unam substantiam prædicamus, dummodo unam substantiam proprietatis similitudinem intelligamus, ut quòd unum sunt, non singularem significet, sed æquales. Æqualitatem dico, id est, indifferentiam similitudinis, ut similitudo habeatur æqualitas; æqualitas verò unum idcirco [i] dicatur esse, quia par sit; unum autem, in quo par significatur, non ad unicum vendicetur. Una igitur substantia, si non per-

Homousion quando rectè prædicetur.

[a] In excusis, *nihil queror* Cùm persuasum haberet Hilarius, fidei perversitatem ex morum scaturire pravitate, adeo ut Fragmento 2. n. 19. dicat, *Et hoc ita sæpe est, ut cùm incrementa in amore Dei fecerunt, vesanum depravatæ scientiæ studium increscat*: facilè credidit hanc Osii infidelitatem non fuisse subitam, sed latentem jam diu animi pravitatem prodidisse. Quamquam fortè hanc suppuratam impietatem non de Osio, sed de doctrina prædicat.

[b] In vulgatis & aliquot mss. *conscientia & professione.* Meliùs in potioribus Colb. Carn. Germ. &c. *conscientiæ professione.* Namque alludit Hilarius ad pium Ecclesiæ morem, quo Symboli fidem Competentium cordi non cartæ solebat commendare. Rursum ad eumdem morem respicit lib. in Const. num. 6. Utrique autem illi loco illustrando valet illud Augustini Serm. 212. n. 2. *Nec ut eadem verba Symboli teneatis, ullo modo debetis scribere, sed audiendo perdiscere; nec cùm didiceritis, scribere, sed memoriâ semper tenere atque recolere. Quòd non licet scribi, commemoratio fit promissionis Dei, ubi per prophetam prænuntians Testamentum novum dixit, Hoc est testamentum, quod ordinabo post dies illos, dando legem meam in mente eorum, & in corde eorum scribam eam. Hujus rei significandæ causâ, audiendo Symbolum discitur, nec in tabulis vel in aliqua materia, sed in corde scribitur.*

[c] Editi, *sed unam substantiam.* Abest *unam* à mss.

[d] Romanus codex, aliàs Reginæ Christinæ, *sæpe* (quod etiam habet Silv. à secunda manu) non *semper.*

[e] In vetusto ms. Colb. *de fide mea.*

[f] Bad. Er. & Mir. *ut professio quæ errorem nobis aspergere videtur simplicitatis ex sermone sine suspicione aliqua, quia jam nec relata est, audienda sit.* Lips. & Par. *ut quæ errorem vobis ex simplicitatis securitate afferunt, cognoscatis sine sciscitatione aliqua, quia jam nec relicta est audientia.* Castigantur ex mss. Timens Hilarius, ne fortè malè audiat, ubi homœusion prima fronte approbare videbitur, quamvis post tam disertam fidei suæ declarationem nulla relicta sit malè audiendi occasio, his verbis omnem à se suspicionem amovere curat.

[g] Sic mss. nisi quòd in recentiore Carn. *ut non velim.* At editi, *ut nolim.*

[h] Par. post Lipsium, *speciem suam.* Rectiùs alii libri, *speciem solam*; id est, unam substantiam si prædicamus cum similitudine, quæ non formam dumtaxat externam, sed & genus ac naturam teneat, religiosè prædicamus.

[i] In vulgatis, *dicitur.* Veriùs in mss. *dicatur*, præpositâ priùs particulâ *ut* id postulante.

sonam subsistentem perimat, nec unam substantiam partitam in duos dividat, religiose prædicabitur: quæ ex nativitatis proprietate, & ex naturæ similitudine ita indifferens sit, ut una dicatur.

Vocis ejusdem triplex sensus pravus.

68. At verò si idcirco unius substantiæ Pater & Filius dicatur, ut hic subsistens, sub significatione licèt duûm nominum, unus ac solus sit: confessum nomine Filium conscientiâ non tenemus, si unam substantiam confitentes ipsum sibi unicum ac singularem & Patrem esse dicimus & Filium. Quin etiam & hujus [a] statim erroris occurrit occasio, ut divisus à sese Pater intelligatur, & partem exsecuisse quæ esset sibi filius. Id enim hæretici unam substantiam prædicantes contendunt: & his multùm piæ confessionis nostræ sermo blanditur, ut dum hoc verbum indefinita brevitate dubium est, proficiat ad errorem. Est præterea error hic tertius, ut cùm unius substantiæ Pater & Filius esse dicatur, significari existimetur substantia prior, quam inter se duo pares habeant: ac sic tres res sermo significet, substantiam unam, & duos unius substantiæ velut coheredes. Ut enim coheredes duo sunt, & hereditas anterior est cujus duo sunt coheredes: ita unius substantiæ anterioris duo [b] pares possunt videri esse consortes. Atquin ita una substantia Patris & Filii prædicata, aut unum qui duas nuncupationes habeat subsistentem significat; aut divisam unam substantiam, duas imperfectas fecisse substantias; aut tertiam priorem substantiam, quæ à duobus & usurpata sit & assumta, quæ idcirco una dicatur, quia in duas una desecta sit. Et ubi post hæc nativitas? Ubi Pater, ubi Filius intelligitur; si Patrem & Filium vel desectio potiùs, vel anterioris substantiæ communio, quàm naturæ nativitas prædicabit?

Homousion quo loco tutò proferatur.

69. In his igitur tot & tam gravibus fidei periculis, verborum brevitas temperanda est; ne impiè dici existimetur, quod piè intelligitur: ne securâ atque innocente conscientiâ, per occasionem hæreticam, reus sermo fit. Dicturus unam catholicus substantiam Patris & Filii, non inde incipiat: neque hoc quasi maximum teneat, tamquam sine hoc vera fides nulla sit. Tutò unam substantiam dicet, cùm antè dixerit, Pater ingenitus est; Filius natus est, subsistit ex Patre, Patri similis est virtute, honore, naturâ. Patri subjectus est, ut auctori: nec se per rapinam Deo, cujus in forma manebat, æquavit; obediens usque ad mortem fuit. Non est ex nihilo, sed [c] nativitas est. Non est innascibilis, sed cointemporalis. Non est pater, sed ex eo filius est. Non est portio aliqua, sed totus est. Non est auctor ipse, sed imago est: imago Dei ex Deo in Deum nata. Non est creatura, sed Deus est. Non alter Deus in genere substantiæ, sed unus Deus per substantiæ indifferentis essentiam. Non personâ Deus unus est, sed naturâ: quia nihil in se diversum ac dissimile habeat natus & generans. Et post hæc, unam substantiam Patris & Filii dicendo, non errat: aut unam substantiam negando, jam peccat.

70. Nemo itaque unam substantiam negari à nobis putet: cujus idcirco ratio ostenditur, ne negetur. Nemo unam substantiam brevi ac nudo sermone putet prædicandam: ut possit religiose dici una esse substantia. Non enim ego audio, Christus ex Maria natus est; nisi & audiam, *In principio erat Verbum & Deus erat Verbum.* Non audiam, Christus [d] esurivit; nisi post quadraginta dierum jejunium audiam, *Non in pane solo vivit homo.* Non audiam, sitivit; nisi audiam, *Qui biberit de aqua, quam ego dedero ei, non sitiet in æternum.* Non audiam, Christus passus est; nisi audiam, *Nunc est hora ut Filius hominis clarificetur.* Non audiam, mortuus est; nisi audiam, resurrexit. Nihil solitarium ex divinis sacramentis ad suspicionem audientium & ad occasionem blasphemantium proferamus. Antè nativitas Filii, antè subjectio, antè similitudo naturæ prædicanda est: ut non impiè unius esse & Pater & Filius substantiæ prædicetur. Et non intelligo, cur ante cetera tamquam maximum & potissimum & solitarium prædicandum sit, quod nec piè possit ante cetera prædicari, & jam impiè necesse sit post cetera denegari.

Ne nudè & ante alia prædicetur.

Joh. 1. 1.

Matth. 4. 4.

Joh. 4. 13.

Joh. 12. 23.

71. Non est, Fratres carissimi, una Patris & Filii neganda substantia: [e] sed nec irrationabiliter prædicanda. Sit una substantia ex naturæ genitæ proprietate; non sit aut ex portione, aut ex unione, aut ex communione. Potest una substantia [f] piè dici, & piè taceri. Habes nativitatem, habes similitudinem. Quid verbi calumniam suspiciosè tenemus, rei intelligentiâ non diffidentes? Credamus, & dicamus esse unam substantiam; sed per naturæ proprietatem, non ad significationem impiæ unionis. Una sit ex similitudine, non ex solitudine.

Et piè dici potest, & piè taceri.

72. Sed fortè parum proprietatis in se habere similitudo videatur. Hoc si est, quæro quo modo possim alterum ad alium nisi per similitudinem coæquare? Aut numquid non idem est, esse [g] similes quod æquales? Si unum dico, habet & unici suspicionem: si similem dixero, habet indifferentis comparationem. Inter similem & unum quæro quem locum habeat æqualis: & interrogo utrùm similitudinis potiùs, aut solitudinis res sit. Non est æqualitas in dissimilibus, nec similitudo est intra unum. Aut quid differunt similes, & æquales; ut ab uno iterum discernatur æqualis? Non sunt ita-

Vox homœusion an minùs propria.

[a] Sic mss. At editi, *hujus tanti erroris.* Mox codex Rom. *ex se secuisse.* Confer, si lubet, lib. 4. de Trin. n. 4.

[b] Vox *pares* cum sequenti verbo *esse* desideratur in priùs vulgatis.

[c] Lipsius, ac post eum Par. *sed natus est:* non alio sensu, sed tamen absque auctoritate. Pessimè autem postea *contemporalis* cum reliquis editis habet.

[d] Obiter observare est, quàm non neget Hilarius Christum esuriisse, sitisse, & passum esse secundùm hominem: dum hæc ita considerari vult, ut aliud in eo attendatur, quod prorsus expers erat hujusmodi affectionum.

[e] Lips. & Par. *sed ne:* tum cum ceteris edit. sequentia sic conjungentes, *irrationabiliter prædicanda sit una substantia* &c. efficiunt sensum ab Hilario alienum.

[f] Ita in mss. nisi quòd in Carnut. ut in vulgatis exstat, *impiè dici.*

[g] Sic ms. Carn. Alii autem, *similes & æquales:* ubi editi habent, *simile quod æquale.*

que diſſimiles æquales. Et quid aliud poſſunt eſſe ſimiles, quàm æquales; cùm in diſſimilibus non ſit æqualitas?

Æqualitatem perfectam ſignificat ſimilitudo naturæ.

73. Prædicantes itaque, Fratres cariſſimi, ſimilem Filium in omnibus Patri, nihil aliud quàm æqualem prædicamus. Perfectæ æqualitatis ſignificantiam habet ſimilitudo: & hoc ex ſanctis Scripturis intelligendum eſt. Legimus [a] namque: *Vixit autem Adam ducentis triginta annis, & genuit ſecundùm effigiem ſuam & ſecundùm ſimilitudinem ſuam, & cognominavit nomen ejus Seth.* (Gen. 5. 3.) Quæro cujuſmodi ſimilitudinem & effigiem ſuam Adam in Seth genuerit. Tolle corporum infirmitates, tolle conceptûs initium, tolle dolores [b] partitudinis, & omnem humanam neceſſitatem: quæro ſimilitudo hæc, quæ in Seth eſt, utrùm per naturam diſſentiat auctori, aut utrùm alterius generis eſſentia fuerit in utroque, ne non naturalem habuerit Adæ Seth natus eſſentiam. Sed ſimilitudo Adæ eſt, [c] etiamſi negemus; quia non eſt natura diſſimilis. Similitudo autem naturæ non habuit in Seth alterius generis naturam, quia non aliunde Seth natus eſt: ita ſimilitudo res ipſas [d] naturalis coæquat, per ſimilitudinem non indifferentis eſſentiæ. Omnis itaque filius, ſecundùm naturalem nativitatem, æqualitas patris eſt; quia eſt & ſimilitudo naturæ. Et beatus Johannes docet in natura Patris & Filii, quam Moyſes in Seth & Adam ſimilitudinem dicit, hanc eamdem æqualitatem eſſe naturæ. ait enim: *Propter hoc eum magis quærebant Judæi interficere, quoniam non ſolùm ſolvebat ſabbatum, ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* (Joh. 5. 18.) Quid tantorum virorum doctrinis atque dictis inſerimus torpentia peccatis gravibus ingenia, & ſenſus hebetes atque temerarios [e] adversùm indiſſolubiles prædicationes impii fatigamus? Per Moyſen Seth Adæ ſimilitudo eſt, per Johannem Filius Patri æqualis eſt: & quærimus tertium neſcio quid inter Patrem & Filium, quod natura non recipit. Similis eſt Patri, filius Patris eſt, ex eo natus eſt: per hoc ſolum piè poteſt quòd unum ſint prædicari.

Quod Moyſi ſimilitudo, id Johanni æqualitas.

Similitudinem ſine æqualitate confitentes refelluntur.

74. Nec me fallit, Fratres cariſſimi, quoſdam eſſe, qui ſimilitudinem confitentes, negant æqualitatem. Sed loquantur ut volunt, & blaſphemiæ ſuæ virus ingerant ignorantibus. Si inter ſimilitudinem & æqualitatem differre dicunt; quæro unde comparetur æqualitas. Namque ſi ſecundùm eſſentiam & virtutem & gloriam & tempus Patris Filius ſimilis eſt; interrogo ex quo non videatur [f] æqualis. Nam etiam hæc in ſuperiori fide conſtituta damnatio eſt: ut anathema eſſet, qui Patrem diſſimilis ſibi eſſentiæ diceret patrem. Si ergo naturam neque aliam, neque diſſimilem ei, quem impaſſibiliter generabat, dedit; non poteſt aliam dediſſe, niſi propriam. Ita ſimilitudo proprietas eſt, proprietas æqualitas eſt, & æqualitas nihil differt. Quæ autem nihil differunt, unum ſunt; non unione perſonæ, ſed æqualitate naturæ.

Filii & Patris eadem virtus.

75. Quamquam verò & communi ſenſu, & divinis auctoritatibus, inter ſimilitudinem & æqualitatem nihil differre intelligatur; quippe cùm ſecundùm Moyſen & Johannem Patri Filius & ſimilis ſit, & æqualis: tamen videamus an Dominus, Judæis iraſcentibus quòd Patrem ſibi Deum dicendo Deo ſe coæquaſſet, ſe eſſe docuerit Deo æqualem. Ait enim, *Non poteſt Filius ab ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem.* (Joh. 5. 19.) Auctorem diſcrevit cùm ait, *Non poteſt ab ſe facere*: [g] obedientiam ſignificat cùm addit, *niſi quod viderit Patrem facientem.* Non enim virtutis differentia eſt, non poſſe niſi videat; quia virtutem magis præſtat natura, quàm viſus: at verò obſequela eſt, tunc poſſe cùm videat. Atque ita per id, quòd tunc poteſt cùm videt, ſignificat non ex viſu ſe accipere virtutem, ſed auctoritate viſûs præſumere poteſtatem. Non ergo differt naturæ virtus in Patre & Filio: cui hoc poſſe quod Pater poſſit, non ex incremento aliquo naturæ profectus tribuat, ſed [h] auctoris exemplum. Denique honorem, quem ſubjectio conſervavit, naturæ virtus æquavit. Subjecit enim: *Quæcumque enim ille facit, eadem & Filius ſimiliter facit.* (Ibidem.) Numquid ſimilitudo [i] non æqua eſt? Æqua planè eſt etiamſi negemus: *eadem* enim *ſimiliter facit.* Numquid ſimiliter facta non eadem ſunt? aut eadem non recipiunt æqualitatem? aut aliud aliquid inter ſimile differt, & æquale; cùm quæ ſimiliter fiunt, eadem fieri intelligantur? Niſi fortè quiſquam quæ ſimilia eadem ſunt, negabit æqualia; ut quæ ſimiliter ſunt, non dicantur æqualia: cùm quæ ſimiliter fiunt, non modò æqualia fieri, ſed eadem prædicentur.

Homœuſion rectè dici poſſe.

76. Caret igitur, Fratres, ſimilitudo naturæ contumeliæ ſuſpicione; nec poteſt videri Filius idcirco in proprietate paternæ naturæ non eſſe, quia ſimilis eſt: cùm ſimilitudo nulla ſit, niſi ex æqualitate naturæ; æqualitas autem

[a] Origenes lib. 1. periarch. c. 2. ex iiſdem Scripturis confirmat imaginem interdum id dici, quod ejus cujus imago eſt naturam obtineat, eaque ratione Filium Patris imaginem nuncupari: *ſicut ſecundùm hiſtoriam dicimus imaginem Adæ eſſe filium ejus Seth; ita enim ſcriptum eſt, Et genuit Adam Seth ſecundùm ſpeciem ſuam. Quæ imago etiam naturæ ac ſubſtantiæ Patris & Filii continet unitatem.*

[b] In pleriſque mſſ. *paritudinis*. Vocabulum *partitudinis* jam occurrit n. 17.

[c] Lipſ. & Par. *etiam ſine genere*: contra mſſ. fidem & Hilarii mentem. Vetus mſ. Carn. cum Mich. Tell. necnon edit. Bad. Er. & Mir. *etiamſi genus*: quod commodum animo offert ſenſum, puta, Seth etiamſi genus Adæ obtineat, ipſius tamen ſimilitudinem cognominari. Præferimus tamen cum Corb. Pratel. Silv. Remig. Theod. Rom. & altero Carn. *etiamſi negemus*: maximè cùm num. 75. rurſum occurrat, *æqua planè eſt etiamſi negemus*; ubi denuo Lipſius de ſuo poſuit, *etiam ſine genere*.

[d] In excuſis, *naturales*. Elegantiùs ac veriùs in mſſ. *naturalis*. Tum in his verbis, *per ſimilitudinem non indifferentis*, abundat quidem particula negans, nec malè omittitur in mſ. Rom. ſed hujuſmodi locutionis jam non ſemel exempla vidimus. V. lib. 7. de Trin. n. 73.

[e] Ita mſſ. At editi, *adverſùm indiſſolubilis prædicationis auctoritatem*; & mox, *Patris æqualitas eſt*, non *æqualis eſt*.

[f] Rurſum hîc in vulgatis, *æqualitas eſt*. Verbis ſequentibus laudatur Ancyranæ ſynodi definitio ſeptima

[g] Obedientiæ nomen, quod hîc ſano ſenſu admittit Hilarius ad ſignificandam Filii à Patre originem, ſimpliciter reſpuit Gregorius Nazianz. Or. 36. *Ut enim Verbum*, inquit, *nec obediens erat, nec inobediens.* ὡς μὲν γὰρ λόγος οὔτε ὑπήκοος, οὔτε ἀνήκοος.

[h] Michaelinus codex cum Telleriano, *auctoritatis exemplum*: quod non abhorret ab Hilariana locutione. Hîc *auctoris* vel *auctoritatis exemplum* perinde eſt, quod ſuprà *auctoritas viſûs*, quod lib. 7. de Trin. n. 18. *virtutis ac naturæ in ſe paternæ conſcientia*.

[i] Lipſ. & Par. *non æqua plane eſt etiam ſine genere?* corruptè.

naturæ non potest esse, nisi una sit; una verò non personæ unitate, sed generis. Hæc fides pia est, hæc conscientia religiosa, hic salutaris sermo est, unam substantiam Patris & Filii idcirco non negare, quia similis est: similem verò ob id prædicare, quia unum sunt.

77. Exposita, Carissimi, unius substantiæ, quæ græcè homousion dicitur, & similis substantiæ, quæ homœusion appellatur, fideli ac pia intelligentia; [a] & vitiis, quæ ex verborum vel brevitate subdola, vel periculosa nuditate accidere possint, absolutissimè demonstratis: reliquus mihi sermo ad sanctos viros Orientales episcopos dirigendus est; ut quia jam de fide nostra nihil inter nos suspicionis relictum est, ea quæ adhuc in suspicionem ex verbis veniunt purgentur: & dabunt veniam, ex communis conscientiæ fide secum liberiùs locuturo.

Orientalium laus ob hæresim coercitam.

78. O studiosi tandem apostolicæ atque evangelicæ doctrinæ viri, quos fidei calor in tantis tenebris hæreticæ noctis accendit! Quantam SPEM REVOCANDÆ VERÆ FIDEI attulistis, constanter audacis perfidiæ impetum retundendo! Antea enim in obscuro atque in angulis Dominus Christus Dei esse secundùm naturam filius negabatur: & essentiæ inops paternæ, accepisse cum creaturis originem de non exstantibus prædicabatur. At verò nunc publicæ auctoritatis professione hæresis prorumpens, id quod antea furtim mussitabat, nunc [b] non clam victrix gloriabatur. Quibus enim antea cuniculis in catholicam Ecclesiam non tentavit irrepere? Quas non [c] exseruit, falsæ religionis blandimento, sæculi potestates? Homines enim perversi eò usque proruperant, ut cùm hoc ipsi prædicare publicè non auderent, Imperatorem tamen fallerent ad [d] audiendum. Fefellerunt enim ignorantem regem, ut istiusmodi perfidiæ fidem bellis occupatus exponeret, & credendi formam Ecclesiis nondum regeneratus imponeret. Contradicentes episcopos ad exsilium coegerunt. Coegerunt enim nos ad voluntatem exsulandi, dum impietatis imponunt necessitatem. Sed exsulemus semper, dummodo incipiat verum prædicari. Domino enim gratias, quòd ignorationem per vos admonitus Imperator agnovit, & errorem non suum, sed [e] adhortantium, per has fidei vestræ sententias recognovit: & se invidia apud Deum atque homines impiæ voluntatis exemit, cùm legationem vestram honorificè habens, falsitatem eorum, quorum auctoritate in invidiam deducebatur, coacta [f] à vobis ignorantiæ suæ professione, cognovit.

Sirmiensis formulæ auctores semper fallaces.

79. Fallunt enim, quantum & vereor & mihi videtur Fratres carissimi, fallunt; quia semper fefellerunt: & ipsa illa præsens nunc subscriptio non caret falsitate. Excusant enim se idcirco homousion & homœusion taceri voluisse, quia unum atque idem significari verbo utroque existimarent. Rudes credo episcopi & ignorantes homousii significationem: quasi numquam de hoc aut synodus fuisset, aut lites. Sed esto ignoraverunt homousion, [g] aut nesciebant homœusion id significari, quod similis esset essentiæ. Jam si hoc nesciebant, cur nesciri volebant generationem Filii? [h] Numquid si inenarrabilis est, ideo & igno-

Lepidè carpuntur ac refelluntur.

[a] In antiquiore ms. Carnut. & Michaelino una serie hîc adtexitur, quod in altero Carn. ac Telleriano ad libri oram est rejectum: *Non puto quemquam admonendum in hoc loco, ut expendat quare dixerim similis substantiæ piam intelligentiam, nisi quia intelligerem & impiam; & idcirco similem non solùm æqualem, sed etiam eamdem dixisse: ut neque similitudinem, quam tu frater Lucifer prædicari volueras, improbarem; & tamen solam piam esse similitudinis intelligentiam admonerem, quæ unitatem substantiæ prædicaret.*

In eo verò, quòd laudans eos (Orientales scil. homœusion propugnantes) *in invidiam deducor à quibusdam; parum intellectus sum. Non enim eos veram fidem, sed* SPEM REVOCANDÆ VERÆ FIDEI *attulisse dixi: ut sicut illi auditi sunt, ita & nos ex hoc contra Valentem & Ursacium possemus audiri, &* (in ms. Mich. *coaptandus*, in Carnutensi autem & Tell. *coapta ea Deus*: an pro *quò apta ad eos*, vel *cœptus ad eos*) *allocutionis sermo blandus nihil aliud quàm procacium conviciorum effugeret fœditatem; cùm amariùs atque etiam probrosiùs in consequentibus occulta expositionum essem scandala proditurus.*

Adest jam tertium responsum libri hujus apologeticum: cujus prima pars cadit in hæc verba, *pia intelligentia*, altera verò ad numeri sequentis initium attinet. Ex eo liquet. 1°. hunc librum Lucifero displicuisse, 2° Hilarium etiam *quibusdam* propter eumdem librum in suspicionem venisse, 3° eum veram non existimasse Orientalium fidem, 4°. quo eos consilio tot laudibus efferat, ac demum cur tam multa edisserat in gratiam similitudinis essentiæ.

[b] Editi, *nunc victrix*: tum Mir. *gloriabitur*; Lips. & Par. *gloriatur*. Veteres mss. Colb. Carn. & Germ. *nunc jam victrix gloriabatur*. Magis placet cum Corb. Prat. Faur. Rom. Rem. Silv. &c. *nunc non clam victrix gloriabatur*: scil. post Concilium Sirmiense an. 357. Antea enim, ut Sulpicii Severi verbis utamur lib. 2. p. 243. *Ariani perfidiam suam occultabant: non ausi palam erroris sui dogma prædicare, catholicos se gerebant.* Quò spectat illud Luciferi sub finem lib. 1. pro Athanasio, ubi Constantio exprobrat quòd egerit *more meretricum, quæ primò clam scortentur, postea verò ita sunt inverecundæ, ut velint scortari in propatulis.*

[c] Sic mss. At editi, *exercuit.*

[d] Longè mallemus *ad audendum.* Certè cum his apprimè convenit, quod Sulpicius Sever. lib. 2. narrat Mediolanensi synodo an. 355. factum esse: quòd nimirum *Valens & Ursacius ceterique metu plebis non ausi piacula profiteri, epistolam sub Imperatoris nomine mittunt omni pravitate refertam, eo nimirum consilio, ut si eam æquis auribus populus recepisset, publica auctoritate cupita proferrent. Sin aliter fuisset excepta, omnis invidia esset in rege, & ipsa etiam venialis, quia etiam tum catechumenus sacramentum fidei meritò videretur potuisse nescire.* Ex hac porro synodo Lucifer Calarit. ut ipse narrat initio libri, quem Moriendum esse pro Dei filio inscripsit, cùm Constantio intra velum stanti contradixisset, in exsilium pulsus est. Pulsi etiam sunt eamdem ob causam Eusebius Vercell. Dionysius Mediolan. ac postmodum Liberius.

[e] In excusis, *astantium.* Concinnius in mss. *adhortantium*, scil. Eudoxii, Acacii, Uranii, Valentis &c. quorum hæresis per Basilium, Eustathium, Eleusium & Leontium Ancyranæ synodi legatos patefacta, continuò ab Imperatore damnata est, ut narrat Sozomenus lib. 4. c. 12. & 13.

[f] Editi, *coacta à nobis*: mendosè. Sermo enim est ad legatos Ancyranos, qui Valentem & Ursacium coegerunt ignorantiam fateri, uti jam indicatum est num. 3. & 63.

[g] In aliquot mss. hîc additur, *numquid ignoraverunt homœusion?* Apud Ancyranæ synodi legatos, qui homousion respuerant, ea valebat excusatio, qua homousii & homœusii unam & eamdem significationem se existimasse reponebant.

[h] Haud aliter Africani jussu Hunerici in unum coacti subjecto Esaiæ loco respondent apud Victorem Vit. lib. 3. de persec. Afric. *Divina enim*, inquiunt, *generatio inenarrabilis est, non ignorabilis. Nam usque adeo non est ignorabilis, id est, non ignoratur unde sit, ut & Pater de se ipso genuisse, & Filius de Patre se natum sæpissime protestetur.* Altera ratione Phœbadius Sirmiensis formulæ auctores sic sugillat: *Illud autem quis ferre possit, ut quem initium habere pro certo asserunt, hujus nativitatem habeant in incertum?* Eòdem spectat illud Victorini initio lib. 1. contra Arium: *Addit Eusebius principium Filii sciri nec ab homine posse, nec ab aliqua superiore vel potentia vel excogitatione: & audet tamen dicere figmentum esse Filium, voluntate & sententia Patris subsistere.* Appositè Leontius hanc hæreticorum in divinis mysteriis ignorantiæ professionem, qua ineffabilia ea esse volunt, vocat *reverentiam à reverentia re vera alienam*: quippe qui *ut licenter impietate abutantur, ad honesta nomina tamquam ad propugnaculum quoddam validum & inexpugnabile confugiunt.* Contrà Christiana pietas, in divinis mysteriis, magnum inter rem reique modum novit ponere discrimen; neque rem in dubium vocat eo obtentu, quòd modum nesciat: sed de ceteris sentit, quod de Deo sentiendum tradit Hilarius lib. 2. de Trin. n. 7. *Perfecta scientia est, sic Deum scire, ut non ignorabilem, tamen inenarrabilem sciat.*

rabilis est? Sed si ignoratur quo modo natus est; numquid ignorari vel hoc potest, quòd Filius Deus non ex alia substantia, sed ex Deo natus, non diversam habeat essentiam?
Joh. 5. 23. Numquid non legerunt, sicut Patrem, ita & Filium honorificandum: ut Patrem honore præferrent? Numquid incognitum habebant
Joh. 14. 9. Patrem in Filio videri: ut Filius apud eos dignitate, claritate, majestate differret? An & hoc ex ignorantia venit, ut cum ceteris Patri subjectus sit Filius: ut dum cum ceteris subjicitur, non discernatur à ceteris? cùm subjectio Filii naturæ [a] pietas sit, subjectio autem ceterorum creationis infirmitas sit. Passum quidem sciebant: sed dicant, oro, compassum [b] quando cognoverunt? Evitant homousion & homœusion, quia nusquam scriptum sit: quæro compassum esse unde præsumserint? Aut numquid volunt duos esse qui passi sunt? id enim compassio testatur. Ubi illud est, *Jesus Christus filius Dei?* aut numquid alius est Jesus Christus, alius filius Dei? Si non idem atque unus intrà extráque Dei filius est; credite [c] in homousio ignorationem, si hæc ignorari licet. Si autem in his ipsis ipsa illa ignoratio impia est, quæ tamen non potest, nec falsò, excusari; vereor ne & [d] homœusii ignorationem professio mentiatur. Non queror admodum de venia quam dedistis: religiosum est Deo sua reservare, & ignorationis error humanus est. Sed ignoscant mihi jam duo episcopi Valens & Ursacius, quòd eos [e] pro ætate atque exercitatione sua ignorasse non credo. Et difficillimum est ne mentiri existimentur, qui se in alio [f] negotio non possunt nisi mendacio purgare. Sed Dominus hoc magis tribuat, ut nos malè opinemur, quàm illi [g] non ignoraverint. Malo enim ego malè existimans judicari, quàm fidem vestram hæreticæ conscientiæ communione violari.

Christus unus, non duo.

Valentis & Ursacii suspecta subscriptio.

80. Oro autem vos, sanctissimi viri, ut cum bona venia sollicitudines meas æstimetis. [h] Testis enim Dominus est conscientiæ meæ, in nullo me expositiones has, quas Sirmium detulistis, fidei vestræ velle convellere. Sed date veniam, si quædam intelligere non possum, & consolabor me: quia legi, *Spiritus prophetarum prophetis subjectus est.* 1. Cor. 14. 32. Ex quo fortè non impudenter etiam à me præsumitur, ut & ego intelligam quod alius ignoret. Non quòd quidquam vos secundùm mensuram scientiæ ignorare ausus sim dicere: sed super fidei catholicæ unitate, patimini non minus in nobis esse sollicitudinum, quàm in vobis.

81. Epistolam *, quam à vobis de homousii & de homœusii expositione apud Sirmium Valens & Ursacius & Germinius poposcerunt legi, intelligo in quibusdam non minùs circumspectam esse, quàm liberam. Et ipsa homousii & homœusii demonstratio nihil reliquit difficultatis. Et quidem de homœusio, quod est similis essentiæ, commune judicium est. De homousio verò, quod est unius essentiæ, tractantes, primùm idcirco respuendum pronuntiastis, quia per verbi hujus enuntiationem substantia prior intelligeretur, quam duo inter se partiti essent. Intelligo vitium in intelligentia. Et profanus hic sensus est, & communi judicio ab Ecclesia respuendus. Secundò quoque id addidistis, quod patres nostri, cùm Paulus [i] Samosateus hæreticus pronuntiatus est, etiam homousion repudiaverint: quia per hanc unius essentiæ nuncupationem solitarium atque unicum sibi esse Patrem & Filium prædicabat. Et hoc sanè nunc quoque profanissimum Ecclesia recognoscit, Patrem & Filium in his nominum professionibus ad unionis ac singularis solitudinem negatâ personarum proprietate revocare. Tertiò etiam hæc causa improbandi homousii commemorata à vobis est: quia in synodo, quæ apud Nicæam fuit, coacti patres nostri propter eos qui creaturam Filium dicebant, nomen homousii indidissent: quod non recipiendum idcirco sit, quia nusquam scriptum reperiretur. Quod à vobis dictum satis miror. Si enim homousion propter novitatem verbi

Epistola Sirmium delata de homousii & homœusii expositione.
* hæc non exstat.

[a] Hic locus apud Bad. Er. & Mir. est omnino depravatus. In editionibus aliis, *natura proprietas*, non *pietas*: quod malumus cum mss. Sic suprà n. 51. *Pietatis subjectio non est essentia diminutio.*

[b] Editi, *quomodo cognoverant.* Eadem Sirmiensis blasphemiæ verba pariter agnoscit Phœbadius fraude ac veneno referta, eaque propè simili ratione convellit. *Primùm*, inquit, *non video cur maluerint compassibilem dicere, quàm liberè passibilem confiteri. Quasi verò aliud sit compati, quàm pati. Porro autem si impassibilis Deus, utique incompassibilis. Tam ergo compassus non est, quàm nec passus est, ex ea tamen conditione qua Deus.* Ex quo, ut & ex nostro Hilario manifestum est, hæreticos dicentes *filium Dei hominem de Maria suscepisse, per quem compassus est*, duos in Christo asseruisse, quorum unus esset suscipiens, alter susceptus, uterque verò passibilis. Nam si dixissent *per quem passus est*, sequeretur tantùm Christum passum esse secundùm naturam hominis: at cùm scribunt *per quem compassus est*, passione hominis naturam Verbi similiter affici significant.

[c] Omnes mss. *in homousion.*

[d] Nonnulli mss cum excusis, *homousii.* Rectiùs Colb. Corb. Pratel. Faur. &c. *homœusii.* Hîc redit Hilarius ad id quod jam delibarat dicens, *Et ipsa illa nunc præsens subscriptio non caret falsitate:* homoeusiii autem, non homousii professioni subscribere coacti sunt. Sed quàm verè de Ursacio & Valente subodoratus sit, eos non ex animo homœusion suscepisse, testis est Germinius Fragmento xv. n. 3. *Miror autem*, inquit nominatim de Valente, *prædictum Valentem aut oblitum esse, aut certè subdolè dissimulare quod in præteritum gestum sit* &c. *quando Filium similem Patri per omnia esse manu nostra subscripsimus. Quippe isti duo*, ut notat Socrates lib. 2. c. 37. *semper ad eorum partes transibant, qui plus posse viderentur.*

[e] ut pote qui anno 335. Tyrio conciliabulo interfuerant, & abhinc per 23. annos innumeris propè conventibus, in quibus sollemnes erant de prædictis vocibus controversiæ.

[f] Satis advertunt prudentes, hîc indicari litteras à Valente & Ursacio ad Julium post Sardicense Concilium conscriptas, quibus expressè confessi sunt falsa esse omnia quæ adversùs Athanasium divulgarant.

[g] Abest *non* à quibusdam mss. malè.

[h] Erasmus monet se in recentiore quodam codice reperisse hîc additum; *Pro prudentia vestra expendite, quid sit à sanctissimis viris poscere, ut cum bona venia audiant dicentem; & an ejusdem sit adulari, & objurgare. Hoc ideo ita dictum est, quia ea, quæ ad præsens tacita ab his fuissent, eram proditurus, non tamen in his quæ possent tamquam excusabilia defendi, viderer calumniari.* Erasmi notam ac verba retinuit Miræus, quæ in sequentibus edit. prorsus suppressa sunt. Qui autem Remigianum codicem ante annos 400. pinxit, eadem ad marginem exscripsit, præmonens ea *in quibusdam exemplaribus* haberi. Exstant in recentiore Carn. & Tell. ad oram libri; at in altero Carn. ante annos 900. scripto & Mich. etiam in ipso textu. His quartò se purgat Hilarius, ostenditque se non adulationis vitio, sed caritate dictante Orientales *sanctissimos viros* appellasse: quò scil. prodesset correctio, quam eis adhibiturus erat.

[i] In vetusto codice Colb. & Germ. *Noateus.* An Paulum sic vocat Hilarius à Noeto, cujus hæresim quodam modo instauravit? Epiphanius enim tradit hær. 65. n. 1. Paulum opinatum esse, *filium Dei subsistentiam habere per sese nullam, sed in Deo subsistere: id quod Sabellio quoque placuit, Novato, & Noeto.*

Homousion ob novitatem haud respuitur.

repudiandum sit; vereor ne & homœusion periclitetur, quia nusquam [a] scriptum reperiatur.

82. Sed hinc non calumnior. MALO enim aliquid novum commemorasse, quàm impiè respuisse. Prætermissâ itaque quæstione novitatis, ne in his quidem residet quæstio, quæ communi omnium nostrûm judicio damnantur. Quis enim sanæ mentis tertiam substantiam, quæ & Patri & Filio communis sit, prædicabit? Vel quis secundùm Samosateum, in Christo renatus, & Filium confessus ac Patrem, quòd Christus in se sibi & pater & filius sit confitebitur? Par itaque in condemnandis impietatibus hæreticorum nostra sententia est: & hanc homousii intelligentiam non modò respuit, sed & odit. Atque ita non relinquitur vitiosæ intelligentiæ quæstio, ubi in vitii damnatione communis assensus est.

Quo sensu [judi]cio communi damnetur.

83. Dicturo autem me tandem de tertia quæstione, oro vos, ne ubi pax conscientiæ est, ibi sit pugna suspicionum: neque quidquam me nisi ad unitatis profectum proferre existimetis. INANE enim est, calumniam verbi pertimescere, ubi res ipsa, cujus verbum est, non habeat difficultatem. Displicet cuiquam in synodo Nicæna homousion esse susceptum? Hoc si cui displicet, placeat necesse est quòd ab [b] Ariis sit negatum. Negatum enim idcirco est homousion, ne ex substantia Dei patris Deus filius natus, sed secundùm creaturas ex nihilo conditus prædicaretur. Nihil novum loquimur, pluribus edita litteris ipsa Ariorum perfidia sibi testis est. Si propter negantium impietatem pia tum fuit intelligentia confitentum; quæro cur hodie convellatur, quod tum piè susceptum est, quia impiè negabatur? Si piè susceptum est: cur venit constitutio pietatis in crimen, quæ impietatem piè per ea ipsa quibus [c] impiabatur exstinxit?

Quid piè à Nicæna synodo susceptum, non debeat improbari.

84. Videamus igitur quid Nicæna synodus [d] studuerit, homousion, id est, unius substantiæ confitendo: non utique hæresim parturire, quæ de homousii vitiosa opinione concipitur. Non opinor illud loquentur, quòd unam anteriorem substantiam Pater & Filius in substantiam suam partiendo diviserint. Et ipsam quidem religiosè tum scriptam fidem, nunc quoque huic sermoni nostro non irreligiosè inseremus.

Nicænæ synodi scopus.

Symbolū Nicænū.

"Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est, de substantia Patris; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius substantiæ cum Patre; [e] quod græcè dicunt homousion; per quem omnia facta sunt quæ in cælo & in terra, qui propter nostram salutem descendit [f], incarnatus est, & homo factus est, & passus est, & resurrexit tertia die, & adscendit in cælos, venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum-sanctum. Eos autem, qui dicunt, Erat quando non erat, & ante quàm nasceretur non erat, & quòd de non exstantibus factus est, vel ex alia substantia aut essentiâ, dicentes convertibilem & demutabilem Deum: hos anathematizat catholica Ecclesia."

Non hîc sanctissima religiosorum virorum synodus nescio quam priorem, quæ in duos divisa sit, substantiam introducit, sed Filium natum de substantia Patris. Numquid & nos negamus? aut quid aliud confitemur? Et post ceteras communis fidei expositiones ait, "Natum non factum, unius substantiæ cum Patre, quod græcè dicunt homousion." Quæ hîc vitiosæ intelligentiæ occasio est? Natus esse de substantia Patris Filius, non factus prædicatur: ne nativitas divinitatis, factura sit creationis. Idcirco autem *unius substantiæ*: non ut unus subsistat aut solus, sed ut ex substantia Dei natus non aliunde subsistat, neque ut in aliqua dissidentis substantiæ diversitate subsistat. Aut numquid non hæc fides nostra est, ut non aliunde subsistat, neque quòd indissimilis subsistat? Aut aliud hîc testatur homousion, quàm ut una atque indissimilis duûm sit secundùm naturæ [g] progeniem essentia, quia essentia Filii non sit aliunde? Quæ quia aliunde non est, unius rectè esse ambo credentur essentiæ; quia substantiam nativitatis Filius non habeat nisi de paternæ auctoritate naturæ?

Homousion nō improbandū, quia vitiosè soleat intelligi.

85. Sed fortè è contrario dicetur, idcirco improbari oportere, quia vitiosè intelligi soleat. Hoc si timemus, deleamus in Apostolo quod dictum est, *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus* (*1. Tim. 2. 5.*); quia ad auctoritatem hæresis suæ Photinus hoc utitur: & non legatur à nobis, quia ab illo malè intelligatur. Pereat quoque ad Philippenses scripta epistola, aut igni aut spongiâ: ne in ea Marcion relegat,

[a] Argumentum à vocis novitate petitum Athanasius Or. 2 pag. 316. & 337. & Epiphanius hær. 73. n. 14. & 19. in ipsos hæreticos pariter retorquent: quippe qui Patrem dixere *ingenitum*, Filium verò *ex non ente*, & *non fuiße priùs quàm nasceretur*, & alias voces excogitarunt Scripturis prorsus incognitas. Verùm ut docet Athanasius lib. de Synod. p. 913. Hilario nostro hîc suffragante, *nihil id refert, si quis voces in Scriptura non repertas usurpet, quàm diu pias sententias complectitur. Contrà hæreticus tametsi voces suas è sacris litteris usurpet, nihilo minùs suspectus animoque corruptus audiet à Spiritu, Quare tu enarras justitias meas?*

[b] Excusi hîc, *quod ab Arianis est negatum*; & infrà, *Arianorum*: dissentientibus mss. Sic & apud Phœbadium *Arii*, non *Ariani* nuncupantur. Quomodo hîc Hilarius, ita Athanasius lib. de Syn. p. 920. idem vocabulum homousion rectè & ab Antiochena synodo contra Samosateum rejectum, & à Nicæna contra Arianos susceptum probat ex scopo utriusque Concilii.

[c] Sic mss. Editi verò, *impiebatur*. Verbo *impiari* usus est Plautus: quod quidem ad instar græci ἀσεβεῖν, id est, impietatem agere, confictum videtur. Porro illud *impiabatur* ad Samosatei hæresim referri commodè queat: ut qua ille voce nudè positâ impietatem suam enuntiabat, eâ ipsâ per alias superiores expositâ Arii impietatem Nicæna synodus exstinxerit. Nisi fortè quis mallet hîc alludi ad eam rationem, qua vocem homousion adversùs Eusebii argutias Nicææ susceptam narrat Ambrosius lib. 3. de fide c. 15. n. 125. quod minùs probabile est.

[d] In vulgatis, *statuerit*. Veriùs mss. *studuerit*: cùm non tam quæratur an homousion statutum sit, quàm quo consilio.

[e] Aliquot mss. ut Fragmento 2. num. 27. *quod Græci dicunt homousion*. Hæc autem verba non habet exemplar Corb. sæculo sexto exaratum, quod hoc Symbolum cum aliis antiquis monumentis continet.

[f] Addunt editi, *de cælis*: quod neque hîc in mss. exstat, neque Fragmento 2. neque apud Luciferum lib. de non parcendo &c.

[g] Ita mss. ubi in vulgatis, *propaginem*.

Philipp. 2. 7. *Et habitu repertus ut homo*, phantasiam corporis confitens esse, non corpus. Non exstet Evangelium Johannis: ne Sabellius discat, *Ego & Pater unum sumus*. (Joh. 10. 30.) Neque isti nunc creaturæ prædicatores scriptum habeant, *Pater major me est*. (Joh. 14. 28.) Neque illi, qui dissimilem Patri Filium affirmare volunt, legant: *De die autem & hora nemo scit, neque Angeli in cælis, neque Filius, nisi Pater solus*. (Marc. 13. 32.) Non sint quoque libri Moysi: ne tenebræ Deo, qui innascibilem lucem habitat, coævæ sint; quia in Genesi post B noctem dies cœpta sit: (Gen. 1. 2.) ne anni [a] Mathusalæ ætatem diluvii excedant, & non tantùm octo sint animæ reservatæ: (Gen. 5. 26. 1. Pet. 3. 20.) ne clamorem Sodomorum repletis jam peccatis Deus audiens, tamquam ignorans clamorem, descendat ut videat an plena sint cum clamore peccata, & reperiatur Deus nescire quod sciret: (Gen. 18. 21.) ne quisquam quoque sepelientium sepulti [b] Moysi sciat sepulcrum; (Deut. 34. 6.) ne per hæc, ut hæretici putant, diversa lex ipsa sibi hostis sit. Et quia hæc C ab his non intelliguntur, non legantur à nobis. Pereant quoque, si videtur, (quod non ego dixerim, sed responsionis necessitas,) omnia divina illa & sancta Evangelia salutis humanæ: ne se invicem contrariâ dictorum opinione compugnent: ne missurus Dominus Spiritum-sanctum ipse de Spiritu-sancto natus legatur: [c] ne mortem gladio denuntiaturus usuris, emi gladium passurus indicat: (Matth. 26. 52. Luca 22. 36.) ne ad inferos descensurus, in paradiso sit cum latrone: ne D postremò Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti jussi, (Matth. 28. 19.) tantùm in Jesu nomine [d] baptizaverunt. (Act. 10. 48.) Vobis enim, Fratres, vobis dico, qui jam non lacte alimini, sed firmo cibo valetis: (Hebr. 5. 12.) Numquid, quia ista sapientes mundi non intelligunt, & his stulta sunt, nos cum mundo sapientes erimus, ut hæc stulta credamus? Et quia hæc impiis cæca sunt, nos non lucebimus intellecta veritate doctrinæ? MALE sanctis rebus præjudicatur, si quia non sanctæ à quibusdam habeantur, esse non debent. Non ergo gloriemur cruce Christi, quia scandalum mundo est: neque in vivente Deo mortem prædicemus, ne ab impiis mortuus Deus arguatur.

86. Malè intelligitur homousion: quid ad me bene intelligentem? (An quia ab 80. episcopis rejectū.) Malè homousion [e] Samosatenus confessus est: sed numquid meliùs Arii negaverunt? Octoginta [f] episcopi olim respuerunt; sed trecenti & decem octo nuper receperunt. [g] Et mihi quidem ipse ille numerus hic sanctus est, in quo Abraham victor regum impiorum, ab eo qui æterni sacerdotii est forma, benedicitur. (Gen. 14. 14.) Illi contra hæreticum improbaverunt: numquid & isti non adversùm hæreticum probaverunt. Gravis auctoritas est veterum: numquid & horum levis sanctitas est? Si contraria invicem senserunt, debemus quasi judices probare meliora: si verò & probando & improbando unum [h] utrumque statuerunt, quid bene constituta convellimus?

87. Sed fortè dicetur mihi, Aliqui hodie

[a] De annis Mathusalæ teste Augustino lib. 15. de Civ. Dei c. 13. olim fuit *quæstio famosissima*, iis tamen, ut idem docet lib. 2. de pecc. Orig. c. 23. annumeranda, quæ ignorari salva Christiana fide possunt. Hanc quoque Hieronymus in Quæst. Hebr. dicit *disputatione omnium ecclesiarum ventilatam*. Disputatio hinc nata est, quòd secundùm LXX. interpretum editionem Mathusala 14. annos post diluvium vixisse computaretur: atque adeo animæ plus quàm octo fuissent reservatæ. Secundùm Hebræam tamen, cui nostra Vulgata consonat, nulla est difficultas: cùm ipso diluvii anno defunctus reperiatur. Ubi autem codices dissentiunt, *ei potius linguæ credatur*, inquit Augustinus loco jam laudato de Civ. Dei, *unde est in aliam per interpretes facta translatio*. Quamquam, ut idem ibid. subjicit, *in quibusdam codicibus græcis tribus, uno latino, & uno etiam Syro inter se consentientibus inventus est Mathusalem sex annis ante diluvium fuisse defunctus*.

[b] Non negat Hilarius, uti Scultetus loquitur, mortem Moysi contra ipsissima Scripturæ verba: sed eam ita in sacris litteris expressam docet, ut summam sub earum verbis difficultatem latere indicet. Videsis quod ea de re annotatum est pag. 709. not. d.

[c] Editi, *ne mortem & gladium*. Rectiùs mss. *ne mortem gladio*, scil. *usuris*.

[d] id est, baptizasse leguntur in Actis, quorum proinde locutio concilianda est cum præcepto Domini, quo jussit baptizare in nomine Patris &c. Agnoscit Hilarius hoc Apostolis à Christo præceptum: atqui procul abest, ut Apostolos præcepti Christi transgressores existimet: superest itaque ut dubitaverit saltem, an Apostoli in solo Christi nomine baptizaverint, quidquid adversùs Bellarminum reclamet Scultetus. Baptismus in nomine Jesu dici potuit, qui non ut priùs Johannis, sed Jesu Christi auctoritate institutus sit, quamvis dandus in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.

[e] Athanasius lib. de Synod. p. 919. insinuare velle videtur, Paulum Samosatenum non verbo *homousion hæresim suam expressisse*, sed cùm declinare tentaret condemnationem, illud per sophisma sic objecisse: *Si Christus non ex homine Deus factus est; igitur consubstantialis est Patri: & necessariò sequitur tres esse substantias, unam quidem quæ prior sit ut princeps, reliquas verò duas ex ea oriundas*. Adeoque ille non sincero animo homousion confessus est, quamvis aliud hîc asserat noster Hilarius. Cujus tamen sententiam confirmat legatorum Ancyranorum epistola superiùs summatim relata, qua vocem homousion à Patribus Antioch. ideo repudiatam esse testantur, *quia Samosateus per hanc unius essentiæ nuncupationem solitarium atque unicum sibi esse Patrem & Filium prædicabat*. Et verò Athanasius Antiochenæ synodi contra Paulum congregatæ epistolam sibi hæc scribenti defuisse præmonens, satis indicat non exigendam à se esse accuratam rei narrationem. Nihilo tamen minùs cum Hilario defendit vocabulum homousion eadem fide & ab Antiocheno Concilio repudiatum & à Nicæno receptum.

[f] Septuaginta tantùm memorantur ab Athanasio lib. de Synod. pag. 918. & 919. Contrà Basilius diac. aliique monachi in libello quem in Ephesino Concilio obtulerunt, centum octoginta recensent T. 3. Concil. p 425. Scribit verò Eusebius lib. 7. c. 29. propè innumerabiles in eam synodum convenisse.

[g] Ita Liberius apud Socratem lib. 4. c. 12. ad Orientales rescribens, *Non fortuito casu*, inquit, *sed divino nutu tot episcoporum numerus adversùs Arii vesaniam congregatus est; quanto scilicet numero beatus Abraham tot hostium millia per fidem profligavit*. Quibus consentiunt prologus Ambrosii in lib. 1. de fide n. 5. & præfatio lib. 1. de Spiritu-sancto, qui Paschasio diacono vulgò tribuitur. de quo si quidem incidit sermo, non gravabitur lector, si quædam hîc momenta afferamus, quibus duos libros de Spiritu-sancto ipsi falsò adscriptos esse confirmemus.

Observarunt jam nonnulli, libros illos in Vaticano ms. Fausto Rhegiensi attribui. Cui inscriptioni suffragatur Gennadii auctoritas, duos libros de Spiritu-sancto inter Fausti opera recensentis: favet verò plurimùm mira illorum librorum cum ceteris Fausti Operibus consensio. Namque verbi gratiâ lib. 1. cap. 5. objectum contra Filii æternitatem eadem diluitur ratione, qua in prædicta epistola Fausti 16 Item lib. 2. cap. 1. non secus ac in prædicta epistola, propugnatur Deum solum incorporeum esse, non animam humanam aut angelos. Plura suppetunt hujusmodi argumenta; sed res non est hujus loci. Nobis tamen iterum ignoscat lector, si eum hinc plurimùm adjuvari posse moneamus, ad plerarumque pseudo-Eusebii Gallicani homiliarum auctorem indagandum atque recognoscendum. Conferat enim 1° horum librorum præfationem cum una prædicti Eusebii homilia de Symbolo, tum hanc cum altera de Symbolo pariter inscripta, ac deinde utramque cum duabus de Nativitate ac plerisque de Pascha, de Adscensione &c. tantam porro in iis inveniet consensionem, ut neque de parente ampliùs dubitaturus sit. Præterea qui Eusebianam homiliam in festo S. Trinitatis cum cap. 9. & 12. prædicti libri 1. de Spiritu-sancto, necnon cum lib. 2. c. 4. compararit, utrumque Opus ad eumdem pertinere facili negotio deprehendet.

[h] Sic cum Bad. mss. nisi quòd in Remig. & Mich. *uterque*. At Er. Lips & Par *utrique*. Utraque illa res, scil. homousii probatio & improbatio, una est ob unitatem finis, quo in unam Filii divinitatem æternitatemque confirmandam conspirarunt.

cx

An quòd tacendum decrevit Oſius, qui Nicææ interfuit.

ex his, qui tum ſynodo interfuerunt, tacen- A dum [a] de homouſio eſſe decreverunt. Et ego invitus [b] licèt reſpondebo dicenti: Numquid non & ipſi tacendum de homœuſio eſſe conſtituunt? Oro vos, ne quiſquam alius ex his præter ſenem Oſium, & ipſum illum nimium ſepulcri ſui amantem, reperiatur, qui tacendum eſſe exiſtimet de utroque. Et quò tandem in tantis hæreticorum furoribus recidemus, ſi dum non utrumque recipimus, neutrum retinemus? Non enim videri poteſt im- B piè dici, ut quia neutrum ſcriptum reperiatur, aut neutrum confitendum ſit, aut utrumque.

Homouſion quid intelligat Hilarius.

88. Homouſion, ſanctiſſimi viri, intelligo ex Deo Deum, non diſſimilis eſſentiæ, non diviſum, ſed natum, & ex innaſcibilis Dei ſubſtantia [c] congenitam in Filio, ſecundùm ſimilitudinem, unigenitam nativitatem. Ita me antea intelligentem, non mediocriter ad id confirmavit homouſion. Quid fidem meam in C homouſion damnas, quam per [d] homœuſii profeſſionem non potes non probare? Damnas enim fidem meam, vel potiùs tuam, cùm damnas intelligentiam ejus in nomine. Sed malè alius intelligit? Damnemus in commune vitioſam intelligentiam, non auferamus fidei ſecuritatem. Synodo [e] Samoſatenæ ſubſcribendum putas, ne ſecundùm Samoſateni intelligentiam quiſquam ſibi uſurpet homouſion? Subſcribamus & Nicææ ſynodo, ne homouſion [f] im- D probent Ariani. Sed [g] verendum eſt, ne ſecundùm fidem non homœuſion ſignificare videatur homouſion? Decernatur nihil differre,

Adversùs homouſion ſcrupuli levantur.

unius & ſimilis [h] eſſe ſubſtantiæ. Sed homouſion poteſt malè intelligi? Conſtituatur qualiter bene poſſit intelligi. [i] Unum atque idem piè ſapimus, rogo ut unum atque idem quod ſapimus, pium inter nos eſſe velimus. Date veniam, Fratres, quam frequenter popoſci. Ariani non eſtis: cur negando homouſion cenſemini Ariani?

Homœuſion non caret offendiculo.

89. Sed dicis: Movet me cum ſcandalo homouſii ambiguitas. Iterum audi, oro, ſine ſcandalo: & me movet homœuſii nuditas. [k] Multa ſæpe fallunt, quæ ſimilia ſunt. Timeo aurum bracteæ, quia me fallere poſſit interius: & tamen auro ſimile eſt quod videtur. Timeo lactis ſimilitudinem, ne oblatum mihi lac, non lac ovium ſit: quia ei ſimile videatur & bubulum. Ut lac ovium lacti ovium ſimile ſit, non poteſt ſimile eſſe, niſi ovis ſit. Similitudo vera in veritate naturæ eſt. Veritas autem in utroque naturæ [l] non negatur homouſion. Hæc eſt enim ſecundùm eſſentiam ſimilitudo, ſi maſſa maſſæ conſimilis non fallat in bractea, ſi lac quod concolor eſt, non diverſum ſit in ſapore. Simile auro quidquam non poteſt eſſe, niſi aurum: ſimile lacti, niſi ſui generis ſit, eſſe non poterit. Fefellit me frequenter color vini: & tamen [m] guſtatu, alterius generis liquorem recognovi. Vidi carnes carnibus ſimiles: ſed poſtea mihi naturæ [n] diſſimilitudinem ſapor prodidit. Has enim ſimilitudines, quæ non ex unitate naturæ ſint, [o] metuo.

Similitudo vera.

Ancyræ fides quibuſdam tacitis Sirmium delata.

90. Vereor enim, Fratres, Orientis hæreſes in tempora ſingula pullulantes: & [p] quid vereri me dicam, jam & legi. Nihil quidem

[a] In mſſ. *de homouſion*, ac poſtea *de homœuſion*. Facilè quiſque advertit objectum illud peti ex Oſio, qui cùm Nicænæ ſynodo interfuiſſet, in conventu Sirmienſi homouſion tacendum eſſe decrevit, aut certè conſenſit. Quod ſubinde dicit Hilarius eum *ſepulcri ſui nimium amantem*, Baronius ad an. 357. n. 16. interpretatur *corporis ſui nimium amantem*. Sic tamen hoc videtur potiùs intelligendum, ut morti proximus in exſilio vitam finire, & natalium ſepulcro carere metuerit. Quod apertiùs Marcellinus ac Fauſtinus in libello eloquuntur his verbis: *Oſius metuens ne ſenex & dives exſilium proſcriptionemve pateretur, dat manus impietati.* Senſum noſtrum confirmat Ambroſius epiſt. 82. ad Vercellenſes n. 69. ubi de ſanctis Euſebio & Dionyſio in exſilium pulſis ait, *Non deſiderarunt patrium ſepulcrum, quibus reſervabatur cæleſte domicilium.*

[b] In hæc verba manifeſtè cadit apologetica illa nota: *Satis abſolutè, Domine frater Lucifer, cognoſci potuit, invitum me homœuſii mentionem habere: ſed quia tu ſimilitudinem Filii ad Patrem prædicabas, demonſtratio ejus à me fuit exponenda ſine vitio.* In mſ. tamen Carnut. & aliis, ex quibus nunc primùm eruitur, inſerta eſt proximè poſt hæc verſus ſuperioris verba: *Sed fortè dicetur mihi.*

[c] Par. poſt Lipſium, *coingenitam*: malè & contra fidem ceterorum librorum. Repugnat quippe ut nativitas ſit, & ingenita. Non diſpliceret *congenitâ*. Nativitatem *congenitam* dicit Hilarius; quia genita eſt ſimul atque exſtitit innaſcibilis eſſentia. Addit *ſecundùm ſimilitudinem*; ne degener putetur.

[d] In mſſ. *homouſii*: quod non placet. Hìc urgentur Orientales, quòd homœuſion vel ſincerè profiteantur, vel non; ſi ſincerè, id intelligant hoc verbo, quod Hilarius voce homouſion; ac proinde damnando ac proſcribendo homouſion, aut ſuam ipſorum fidem damnare, aut certè homœuſion non ſincerè profiteri convincantur.

[e] Veteres libri cum Bad. *Samoſateno*. Unus è mſſ. Colb. *Samoſathei*. Tellerianus, *Samoſatheni*. Plures adversùs Paulum coactas eſſe ſynodos indicat Euſebius lib. 7. hiſt. c. 27. 29. & 30. ſed nullius Samoſatenæ mentionem facit. Primam namque & poſtremam apertè declarat cap 27. & 29. Antiochiæ eſſe celebratam. Et cùm dicat cap. 28. Firmilianum uni ex illis interfuiſſe, poſtremæ ſynodi Antiochenæ epiſtola narrat eumdem jam antea bis Antiochiam conveniſſe.

[f] Tellerianus codex, *improperent Ariani*. Tum cum duobus Carn. uno Remig. & Mich. ſubjicit, *Numquid & hìc de homœnſione legentem admonui, non aliter oſtendens ſuſcipi oportere, niſi ad unitatem ſubſtantiæ referretur.* Quibus verbis pergit Hilarius ab iniquis ſe ſuſpicionibus purgare. Mallemus initio, *Numquid & hìc homœuſion elegentem*, ceu *eligentem*. Ex Miræi margine poſſet reſtitui, *Numquid & hìc, ne homœuſion negligenter ſuſcipiatur, non admonui.* Non hoc ſolùm libro, ſed & lib 7. de Trinit. eâ utitur cautelâ, ut ſimilitudinem prædicans, eam num. 26. cum æqualitate jungat, & num. 37. ac 39. cum unitate.

[g] Hunc locum in editis diverſimodè fœdatum, & in aliquot mſſ. mutilum, reſarcimus ope vetuſtioris exemplaris Colb. Germ. Corb. unius Carn. &c.

[h] Bad. *eſſentiæ & ſubſtantiæ*. Quidam mſſ. *eſſentiæ ſubſtantiæ*, alii *eſſentiæ ſubſtantiæ*, alii *eſſentiæ ſubſtantiam*. Retinendum cum Carn. uno Colb. & altero Sorbon. *eſſe ſubſtantiæ*.

[i] In vulgatis, *unum atque idem ſapimus, pium inter nos* &c. Integrior viſa eſt lectio antiqui codicis Carnut. cui favent & ceteri, maximè Colb. & Germ. in quibus exſtat, *unum atque idem piè ſapimus; rogo ut unum atque idem quod ſapimus inter nos eſſe velimus.*

[k] Et hìc ſubnectitur in mſſ. ſæpe nominatis, *Anne quiſquam me exiſtimare poterit homœuſion velle ſuſcipere, de quo iſta tractavi?* quod cum apologeticis accenſendum.

[l] Sic magno conſenſu mſſ. id eſt: cùm veritas naturæ in utroque eſt, utrumque illud non negatur homouſion. At editi, *non negatur homœuſios*. Porro in eo, quod ſubſequitur, probatio habetur ſuperioris propoſitionis, *Similitudo vera*; non proximæ hujus, *Veritas autem*.

[m] Lipſ. & Par. *guſtu*. Carnut. mſ. *guſtato alterius generis liquore*: malè. Nam hoc ipſum, quod vinum videbatur, vinum non eſſe guſtatu dicit ſe recognoviſſe.

[n] Mſſ. Tell. Mich. & Carn. *ſimilitudinem ſaper prodidit*. Magis placet *diſſimilitudinem*. Tum iidem mſſ. cum altero Carn. & Remig. ſubjungunt, *Numquid & hìc ſimilitudinis negligens fui?* verba ad Apologiam pertinentia, quæ in ſequentem ſententiam aptiùs cadunt.

[o] Lipſius, *non metuo*, particulâ negante de ſuo pravè additâ, ſine qua ſuperiùs jam legerat, *Timeo aurum bracteæ*; neque tamen in poſterioribus edit. caſtigatus fuit.

[p] Sic mſſ. Editi verò, *& quid verear edicam. Jam & legi. Mihi quidem.* Jam legit ſuperiùs, quod hìc dicit ſe vereri. Timet quippe, ne non ſincera ſit Orientalium fides; quia Ancyræ damnarunt homouſion. Hoc autem illis jam num. 81. exprobravit in hunc modum: *Quid fidem meam in homouſion damnas* &c.

[a] in his, quæ vos, de Orientalium quorumdam assensu, susceptæ legationis ministri subscribenda Sirmium detulistis, nihil suspicionis relictum est: sed habuerunt ab exordio non nihilum offensionis, quæ credo vos, sanctissimi viri Basili & [b] Eustathi & Eleusi, ne quid scandali [c] afferretur, abolenda tacuisse. Quæ si rectè scripta sunt, taceri non debuerunt. Si autem quia non rectè scripta sunt, [d] nunc tacentur; cavendum est ne aliquando dicantur. [e] Parcens enim adhuc de his nihil dico: tamen mecum recognoscitis, quòd non ita omnis [f] conscripta apud Ancyram fides se habebat. Non famæ fabulam loquor: litterarum fidem teneo, non à laicis sumtam, sed ab episcopis datam.

91. Oro vos, Fratres, adimite suspicionem, excludite occasionem [g]. Ut probari possit homœusion, non improbemus homousion. Cogitemus tot sacerdotes sanctos & quiescentes: quid de nobis Dominus judicabit, si nunc anathematizantur à nobis? Quid de nobis erit, qui rem eò deducimus, ut quia episcopi non fuerunt, nos quoque [h] nec cœperimus? Ordinati enim ab his sumus, & eorum sumus successores. Renuntiemus episcopatui, [i] quia officium ejus ab anathemate sumserimus. Date veniam, Fratres, dolori meo: impium est [k] quod audetis. Non patior hanc vocem, ut in anathemate sit homousion secundùm religiosam intelligentiam confitens. Nomen nihil habet criminis, quod sensum non perturbat religionis. [l] Homœusion nescio, nec intelligo, nisi tantùm

Ad homousion suscipiendum adhortatio.

[a] puta in duodecim definitionibus Tractatus hujusce initio relatis & expositis: quas solas Sirmium fuisse delatas declarat secundum Apologiæ responsum, relatum suprà n. 13. post primam Ancyranæ synodi definitionem. Delatas eas fuisse ut subscriberentur, nunc primùm disertis verbis significat Hilarius, sed aliquos ut iis subscriberent Sirmii coactos esse jam non semel enarravit. Deinde quod asserit factum *de Orientalium quorumdam assensu*, non ita videtur intelligendum, ut Orientales quidam censuerint duodecim tantùm synodi definitiones, ceteris suppressis, Sirmium esse deferendas; hanc enim suppressionem solis Basilio, Eustathio, & Eleusio, & id quidem ex conjectura, infrà adscribit: sed ut tota synodus Ancyrana statuerit placita sua Sirmium deferenda, & ab iis subscribenda esse, qui contraria tuebantur. Ideo autem hæc synodus *quorumdam* dicitur, quia neque Orientales omnes, neque admodum frequentes in eam convenerant.

[b] In mss. Colb. & Germ. *Eustachi*. In Carn. Corb. & aliis quibusdam, *Eustasi* Pessimè autem apud Er. Lips. & Par. *Basilii & Eustathii & Eleusii* in secundo casu; cùm oratio exigat quintum. Hîc quippe Hilarius sermonem habet ad Basilium, Eustathium & Eleusium, ut qui inter Orientales Ancyræ congregatos eminebant, & inde ad Imperatorem legati fuerant.

[c] Antiquior ms. Colb. cum Germ. faventibus aliis, *offerretur*.

[d] Editi, *adhuc tacentur*: emendantur ex mss.

[e] Verbum *dicantur* in ms. Remig. excipit additamentum, quod in Carn. & Mich. superiori sententiæ, *Si autem quia non rectè scripta sunt* &c. minùs aptè præfigitur, habetur verò ad oram alterius Carn. & Tell. *Anne existimor suspicionem ab his adimere, vel ea laudare quibus parco? Parcere enim, & cum dilatione ad hoc* (ms. Mich. *ab hoc*) *parcere, nihil improbi est & remissi.*

An hìc similem substantiam aliud patior esse nisi unam? quæ si non una sit antea confitenda, jam postea impiè sit similis prædicanda. Quo responso appositè ostendit Hilarius, se ab Orientalibus suspicionem non adimere. Nam qui timet ac cavet, ne quod tacitum est, aliquando dicatur, non est sine suspicione. Longè minùs laudat, qui parcendum putat. Non parcit autem nisi cum dilatione, qui mox tandem animum suum aperit in hunc modum: *Date veniam, fratres, dolori meo: impium est quod audetis.* Quem in locum meliùs rejiceretur secunda pars superioris responsi, ab his scil. verbis, *An hìc similem* &c. Ubi de Orientalium progressu non ita gratulatur, quin quasdam in eis impietatis quisquilias advertat, de quibus sibi dolendum sit.

[f] In vulgatis, *scripta . . . se habeat:* & mox apud Bad. & Mir. *non à lectoribus sumtam*, pro, *non à laicis sumtam.* Hîc significat Hilarius, non ita Ancyræ conscriptam esse fidem, qualis Sirmii edita est; seque hoc non rumore vulgi, sed ex ipsismet synodi litteris didicisse; easque litteras non laicorum, sed episcoporum nomine editas ac subscriptas esse. Quod videtur dixisse, quia in Concilio Mediolan. an. 355. quamdam fidei formulam emiserant Constantii nomine, ut si eam exhorrerent catholici, haberent unde se excusarent, uti jam observatum est n. 78. Illas autem litteras exhibet Epiphanius hær. 73. n. 2. qui tamen epistolam *de homousii & homœusii expositione* superiùs n. 81. summatim relatam nec ipse nobis transmisit, nec ullus alius.

[g] supple, *malè de vobis sentiendi.*

[h] Mir. Lips. & Par. *nec ceperimus*. Meliùs alii libri, *nec cœperimus*, supple *esse*. Postea omnes mss. uno excepto, *sumus successio*, non *successores.* Argumento eodem Arianos urget Athanasius lib. de Synod. pag. 882. *Quo*, inquit, *jure ipsi episcopi esse poterunt, si ab episcopis, quos ipsi criminantur, constituti sunt.* Sententiæ hujus rationem sic reddit Socrates lib. 2. cap. 40. *Quonam modo eorum* (Nicænorum Patrum) *ordinationem tamquam probam ac legitimam susceperunt, quorum fidem velut falsam ac reprobam rejecerunt? Nam si illi non habuerunt Spiritum-sanctum, qui per ordinationem infunditur, sacerdotium non acceperunt. Quomodo enim acceperunt ab iis, qui non habebant quod darent?* Hinc apud Theodoretum lib. 4. hist eccl c. 23 Moyses à Lucio Ariano patriarcha Alexandrino episcopalem ordinationem recipere vehementer recusavit his verbis: *Absit ut ego manu tua ordiner: te enim invocante non supervenit gratia Spiritus-sancti.* Huc accedit quod Innocentius I. epist. ad Macedones cap. 3. habet: *Asseritur eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse; nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Acquiescimus; & verum est. Certè quia quod non habuit, dare non potuit; damnationem utique, quam habuit, per manûs impositionem dedit: & qui particeps factus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum.* Ob hæc aliaque Patrum verba, maximè ex Ebbonis Remensis occasione, disputatum est an valida esset episcopi consecratio ab iis facta, qui anathemate damnati erant. Verùm ex verbis Innocentii liquet, eum non tam negasse collatam ordinationem, quàm ordinis honorem, & ipsius exercendi potestatem: quia, inquit, *nostræ lex est Ecclesiæ, nec ex his aliquem in clericatûs honorem vel exiguum subrogare.* Unde quod Anisius statuerat, ut à Bonoso ordinati reciperentur, quamvis contra pristinum morem, tamen pro utilitate Ecclesiæ rite sancitum esse non negat. Fatetur etiam, Novatianis à Nicæna synodo indultum esse, ut ad Ecclesiam redeuntes in Clero permanerent: hoc ceteris ita negatum esse propugnans, ut & potuisse concedi, & quòd negatum fuerit, ex disciplinæ consuetudine, non autem quòd irrita existimaretur hæreticorum ordinatio, factum esse satis indicet. Sed & Romanæ Ecclesiæ quale ea de re judicium fuerit, locuples testis est Augustinus epist. aliàs 50. nunc 185 n. 47. *Hoc*, inquit, *ab initio servavit Africana catholica, ex episcoporum sententia qui in Ecclesia Romana inter Cæcilianum & partem Donati judicaverunt, damnatoque uno quodam Donato . . ceteros correctos, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus suscipiendos esse censuerunt.* Ita etiam intelligi potest ac debet noster Hilarius, ut nimirum qui episcopatûs officium ab anathemate sumserint, disciplinæ rigore à nulla synodo eis relaxato, episcopi non sint, seu non censeantur esse; ea videlicet ratione, qua episcopos, quamvis legitimè ordinatos, eos non esse declarat, qui in anathemate sunt constituti. Valet quippe Augustini ratio lib. 2. contra epistolam Parmeniani c. 13. *In ipsa præcisione vitium, non in sacramentis: quæ ubicumque sunt ipsa, vera sunt.* Quocirca Hieronymus Dial. contra Luciferianos morem defendens Ecclesiæ, quæ ab Arianis venientes episcopos recipiebat, ad objectum quòd Spiritum-sanctum præstare non valeant sic respondet: *Si Arianus Spiritum non potest dare, ne baptizare quidem potest; quia Ecclesiæ baptisma sine Spiritu-sancto nullum est.* Ultro tamen concedit Augustinus epist 185. n. 47. *foris ab unitate corporis Christi* Spiritum-sanctum haberi non posse. Neque hîc expendimus quo sensu Hieronymus eum ab Ariano dari non posse inficietur: hoc enim potest etiam verè dici, sed alterius est quæstionis

[i] quia scil. ut loquitur Innocentius I. epist. ad Macedones c. 3. Romanæ *lex est Ecclesiæ venientibus ab hæreticis, per manûs impositionem, laicam tantùm tribuere communionem &c.*

[k] Bad. & Er. cum aliquot recentioribus mss. *quod auditis*: malè. Deinde soli editi, *non patiar.* Hîc tandem declarat Hilarius, quod hactenus dissimulavit, ultimum videlicet Ancyranæ synodi decretum: quod cum reliqua epistola apud Epiphanium hær. 73. habetur, & num. 11. refertur his verbis: εἴ τις ἐξουσίᾳ καὶ οὐσίᾳ λέγοι τὸν Πατέρα πατέρα τοῦ Υἱοῦ, ὁμοούσιον δὲ ἢ ταυτοούσιον λέγοι τὸν Υἱὸν τῷ Πατρί, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis Patrem potestate simul & substantiâ Filii patrem asserens, consubstantialem vel ejusdem cum Patre substantia Filium esse dicat, anathema sit.*

[l] Carnutensis codex, unus Colb. & alter Sorbon. *homousion nescio* &c. quam lectionem ultro præferremus, si finerent prima subsequentis notæ apologeticæ verba.

[a] ab similis essentiæ confessione. Testor Deum A cæli atque terræ, me cùm neutrum audissem, semper tamen utrumque sensisse, quòd [b] per homousion homœusion oporteret intelligi: id est, nihil simile sibi secundùm naturam esse posse, nisi quod esset ex eadem natura. Regeneratus pridem, & in episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicænam numquam nisi exsulaturus audivi: sed mihi homousii & homœusii intelligentiam Evangelia & Apostoli intimaverunt. Pium est quod volumus. Ne damnemus patres, ne animemus hæreticos: ne dum B hæresim apellimus, hæresim nutriamus. Interpretati patres nostri sunt post synodum Nicænam homousii proprietatem [c] religiosè, exstant libri, manet conscientia: si quid ad interpretationem addendum est, communiter consulamus. Potest inter nos optimus fidei status condi: ut nec ea quæ bene sunt constituta vexentur, & quæ malè sunt intellecta resecentur.

Nicænam fidem non nisi exsulaturus audivit.

92. Egressus sum, Fratres carissimi, humanæ conscientiæ pudorem: & humilitatis meæ immemor, de tantis ac tam reconditis rebus, & ad usque hanc ætatem nostram intentatis ac tacitis amore vestri coactus hæc scripsi, & quæ ipse credebam locutus sum: conscius mihi, hoc me Ecclesiæ militiæ meæ stipendium debere, [d] ut per has litteras, episcopatus mei in Christo vocem, secundùm doctrinas evangelicas, destinarem. Vestrûm est in commune tractare ac providere atque agere, ut quod usque nunc inviolabili fide manetis, religiosa conscientiâ conservetis, & teneatis quod tenetis. Mementote exsilii mei in orationibus sanctis: à quo me, post expositionem hujus fidei, nescio an tam jucundum est ad vos [e] in Domino Jesu Christo reverti, quàm securum est mori. Deus & Dominus noster incontaminatos vos & illæsos in diem revelationis reservet opto, Fratres carissimi. [f]

[a] Ita cum tribus prædictis mss. alii duo. At Er. & Lips. & Par. *similis essentiæ confessionem*. Bad. cum pluribus mss. *absimilis essentiæ confessionem*. Loco *absimilis*, non displiceret *ob similis*, vel cum ms. German. ab antiqua manu secunda, *ad similis*. Post hæc verba sequitur in mss. sæpe jam laudatis postrema hæc Apologiæ pars: *Numquid videor, quod nescivi, probare potuisse? Non utique. Sed quia fides catholica non debeat nisi per unitatem similitudinem credere; ut similitudinem tantùm ad excludendam unionem commemoret, non ad dissidium unitatis: idcirco me dixi, cùm nomina homousii atque homœusii nescißem*, (mendosè in mss. uno recentiore Carn. excepto, *nescißent*, & mox *recepissent*) *tamen per unitatem similitudinem recepisse. Hoc ipsum statim sequens sententia absolvit: Testor Deum cæli* &c.

[b] In vulgatis, *per homœusion homousion*. Cum verbis Hilarii modò allatis, *se per unitatem similitudinem recepisse*, magis consonat lectio mss.

[c] In excusis, *religiosi extant libri*. At in mss. *religiosè*: quod refertur ad verbum *interpretati sunt*, & illustratur his verbis num. 27 libri contra Constant. *Exstant enim litteræ, quibus id, quod tu criminosum putas, piè tunc esse susceptum docetur*. Porro etiamnum apud Socratem lib. I. sub finem cap. 8. exstant Eusebii Pamphili litteræ, quibus hanc vocem sibi piè ac religiosè expositam se suscepisse scribit.

[d] Editi, *&* pro *ut*; & mox, *destinare* pro *destinarem*: corriguntur ex mss. Præferre tamen licet cum Colb. & Germ. *debere per has litteras... destinare*.

[e] Er. Mir Lips. & Par. *in domum Christi reverti*: Bad. & omnibus mss. renitentibus.

[f] In recentioribus mss. sic absolvitur hic liber: *homousion græcum est. Interpretatio homousion, unius substantiæ: & homœusion interpretatur similis substantiæ; sed per homousion oportet intelligi*: quæ studiosi alicujus potiùs nota videtur, quàm auctoris.

SANCTI HILARII
PICTAVENSIS EPISCOPI
APOLOGETICA AD REPREHENSORES LIBRI DE SYNODIS * RESPONSA.

* nunc primùm edita.

I. *In hæc num.* 3. Et licèt non sine aliquo aurium scandalo... restiterint *Orientales Anomœis*.



SI diligenter sententia hæc expensa esset, fortè totius Tractatus mei ratio non fuisset suspiciosa. Non enim [a] tacui esse illic, quod non nisi cum scandalo esset audiendum.

II. *initio n.* 13. *post recitationem I. decreti Ancyranæ synodi*.

Expositiones * omnes, si quid habent criminis, intra se habent; ceterùm non habere in publica facie existimantur. Sed quia scirem * ea sola Sirmium esse delata.

* Ancyranæ synodi, quæ hoc libro describuntur.
* eas solas delatas.

III. *respicit ista num.* 77. Expositâ similis substantiæ, quæ homœusion appellatur, fideli ac piâ intelligentiâ.

C Non puto quemquam admonendum, in hoc loco ut expendat, quare dixerim SIMILIS SUBSTANTIÆ PIAM INTELLIGENTIAM, nisi quia intelligerem & impiam: & idcirco similem, non solùm æqualem, sed etiam eamdem dixisse, ut neque similitudinem, quam tu frater Lucifer prædicari volueras, improbarem; & tamen solam piam esse similitudinis intelligentiam admonerem, quæ unitatem substantiæ prædicaret.

IV. *in mss. cum superiori uno tenore continuatum pertinet ad hoc num.* 78. O studiosi tandem apostolicæ atque evangelicæ doctrinæ viri... quantam spem revocandæ veræ fidei attulistis?

In eo vero, quòd laudans eos in invidiam

[a] Hoc ita evidenter postulat sensus, ut præferendum duxerimus, quamvis exstet in mss. *tacuissem illic*.

deducor à quibusdam; parum intellectus sum. A Non enim eos veram fidem, sed SPEM REVOCANDÆ VERÆ FIDEI attulisse dixi: ut sicut illi auditi sunt, ita & nos ex hoc contra Valentem & Ursacium possemus audiri, & [a] coaptandus ad eos allocutionis sermo blandus nihil aliud, quàm procacium conviciorum effugeret fœditatem; cùm amariùs atque etiam probrosiùs in consequentibus * occulta expositionum essem scandala proditurus.

* præsertim num. 91.

V. *aptatur his num.* 80. Oro autem vos, sanctissimi viri, ut cum bona venia sollicitudines meas æstimetis.

Pro prudentia vestra expendite, quid sit à sanctissimis viris poscere, ut cum bona venia audiant dicentem; & an ejusdem sit adulari, & objurgare. Hoc ideo ita dictum est, [b] quia quæ ad præsens tacita ab his * fuissent, eram proditurus *; non tamen in his, quæ possent C tamquam excusabilia defendi, viderer calumniari.

* Legatis Sirmium missis.
* num 90. & 91.

VI. *attinet ad hæc num.* 87. Et ego invitus licèt, respondebo *&c.*

Satis absolutè, Domine frater Lucifer, cognosci potuit, invitum me homœusii mentionem habere. Sed quia tu similitudinem Filii ad Patrem prædicabas, demonstratio ejus à me fuit exponenda sine vitio.

VII. *his subnectitur num.* 88. [c] Synodo Samosatenæ subscribendum putas... Subscribamus & Nicææ synodo.

Numquid & hîc [d] de homœusione legentem admonui, non aliter ostendens suscipi oportere, nisi ad unitatem substantiæ referretur?

VIII. *reprehensorum oculis exponit hoc num.* 89. Et me movet (cum scandalo) homœusii nuditas *&c.*

Anne quisquam me existimare poterit homœusion velle suscipere, de quo ista tractavi?

IX. *huic affine, adducitur post allata exempla eorum quæ externa similitudine fallunt.*

Numquid & hîc similitudinis negligens fui?

B X. *convenit his num.* 90. Parcens enim adhuc de his nihil dico, *quæ Ancyræ cum scandalo decreta sunt.*

Anne existimor suspicionem ab his adimere, vel ea laudare quibus parco? Parcere enim, & cum dilatione ad hoc parcere, nihil improbi est & remissi.

XI. *in mss. decimo continuatum cadit in illa num.* 91. Ut probari possit homœusion, non improbemus homousion: item & *in ista ejusdem numeri:* Impium est quod audetis, *&c.*

An hîc similem substantiam aliud patior esse nisi unam? quæ si non una sit antea confitenda, jam postea impiè sit similis prædicanda.

XII. *subjicitur post hæc num.* 91. Homœusion nescio nec intelligo, nisi tantùm ab similis essentiæ confessione *&c.*

D Numquid videor quod nescivi probare * potuisse? Non utique. Sed quia fides catholica non debeat nisi per unitatem similitudinem credere; ut similitudinem tantùm ad excludendam unionem commemoret, non ad dissidium unitatis: idcirco me dixi, cùm nomina homousii atque homœusii nescissem, tamen per unitatem similitudinem recepisse. Hoc ipsum statim sequens sententia absolvit.

* accipiendo homœusion pro similitudine non substantiali.

[a] Ita mss. Mich. At Carn. & Tell. *coapta ea deus.* Fortè, *quò apta ad eos*, vel *cœptus ad eos.*
[b] Particula *ut* videtur hîc deesse.
[c] Aptiùs subjungeretur illis ejusdem numeri verbis, *Decernatur nihil differre, unius & similis esse substantia.*
[d] Ex Erasmi & Miræi margine, ubi hæc apologetica nota jacet, restitui potest, *ne homœusion negligenter suscipiatur, non admonui.*

ADMONITIO

IN EPISTOLAM SEQUENTEM ET SUBJUNCTUM EI HYMNUM.

HANC epistolam nugamentum hominis otiosè indocti *vocat Erasmus, Gillotius scribit à Fortunato sibi videri confictam; idque eum* verissimè *scripsisse Sculterus pag.* 321. *asseverat. At Fortunato ipsi, qui illius se non auctorem, sed testem facit, fidem non detrectandam meritò censent æquiores rerum æstimatores. Non enim credunt, sanctum Pictavensis ecclesiæ Præsulem mentitum, cùm eam propria Hilarii manu subscriptam sua ætate Pictavis pro munere conservatam esse testatus est. Longè minùs veritati consentaneum est, ut cùm genuinam Hilarii epistolam præ manibus haberet, eâ suppressâ adulterinam supposuerit. Si quid autem in summa, quam ex ea exprimit, paulo aliter enuntiat quàm in illa continetur; eo ipso palam facit, illam à se cusam non fuisse. Nihil porro in ea advertunt pio ac prudente indignum parente, qui carissimam filiam simul & puellam tenerrimam ver-*

bis ad ipsius captum accommodatis à vanis sæculi pompis ac deliciis avocat, ut eam cælesti Sponsô bonisque melioribus præparet. Cùm autem Sermonis obscuritates & ænigmata ad excitandas ingenii vires valde idonea sint: non imprudenter iis utitur sollicitus pater, multis jam annis à patria domo remotus, ut ex responsis filiæ ingenium ac studium illius experiatur. Jam enim triennio saltem Abram non viderat, cùm hanc ei epistolam scripsit. In ea hymnum matutinum pariterque serotinum ipsi se mittere memorat. Excidit serotinus: sed matutinum unà cum epistola ad calcem gestorum Hilarii à Fortunato scriptorum in quàm plurimis mss. reperire est. Utrumque illud Opus in antiquis Hilarii editionibus libro de Synodis non malè subjungitur. Nam ut litteras Abræ cum Gallorum litteris ab eo acceptas fuisse, ita & illius rescriptum cum libro de Synodis missum esse veri simillimum est.



SANCTI HILARII

PICTAVENSIS EPISCOPI * EPISTOLA

AD ABRAM FILIAM SUAM.

* Circa finem anni 358. missa.

a Dilectissimæ filiæ [a] Abræ Hilarius in Domino salutem.

Abra patris absentiam dolet.

* Mss. certè.



Ccepi litteras tuas, in quibus intelligo desiderantem te mei esse: & * certum ita habeo. Sentio enim quantum præsentia horum qui amantur optabilis sit. Et quia gravem tibi esse absentiam meam scirem, ne me fortè impium esse erga te existimares, qui tam diu à te abessem: excusare tibi & profectionem meam & moras volui, ut intelligeres me non impiè tibi, sed utiliter deesse. Namque cùm te, filia, ut unicam, ita, quantum à me est, & unanimem habeam; vellem te pulcherrimam omnium & sanissimam vivere.

Hilarius abest, ut vestem & margaritam pretiosam filiæ conquirat.

2. Nuntiatum ergo mihi est, esse quemdam juvenem, habentem margaritam & vestem inæstimabilis pretii: quam si quis ab eo posset mereri, super humanas divitias & salutem & dives & salvus fieret. Ad hunc [b] his auditis profectus sum: ad quem cùm per multas & longas & difficiles vias venissem, videns eum statim procidi. Adest enim tam pulcher juvenis, ut ante conspectum ejus nemo audeat consistere. Qui ubi me procidisse vidit, interrogari me jussit quid vellem, & quid rogarem: & ego respondi, audisse me de veste sua & margarita, & ob id venisse; & si eam mihi dignaretur præstare, esse mihi filiam quam vehementer diligerem, cui hanc vestem atque margaritam quærerem. Et [c] inter hæc prostratus in faciem fleo plurimùm, & noctibus ac diebus ingemiscens, rogo uti audire dignaretur precem meam.

Vestis hæc & margarita quanti facienda.

3. Post quæ, quia bonus est juvenis & [d] melius illo nihil est, ait mihi, Nosti hanc vestem atque hanc margaritam, quàm à me lacrymis rogas uti eam filiæ tuæ concedam? Et ego respondi illi, Domine auditu cognovi de ipsis, & fide credidi: & scio quia optimæ sunt, & salus vera est hac veste uti, & hac margarita ornari. Et statim ministris suis præcepit, ut mihi & vestem hanc & margaritam ostenderent: & confestim ita fit. Ac vestem primò vidi: vidi filia, vidi quod eloqui non possum. Numquid non sericum secundùm subtilitatem ejus [e] spartum erat? Numquid candori ejus nives comparatæ non nigrescebant? Numquid aurum juxta fulgorem ejus non lividatur? Ipsa enim multicolor, & nihil prorsus comparatum ei poterat æquari. Post quam vidi margaritam: qua visa statim concidi. Non enim potuerunt oculi mei sustinere tantum ejus colorem. Nam nec cæli, nec lucis, nec maris, nec terræ species pulcritudini ejus poterat comparari.

Utriusque commoda & dotes.

4. Et cùm prostratus jacerem, ait mihi quidam de assistentibus, Video te sollicitum & bonum patrem esse, & hanc vestem atque hanc margaritam ad filiam tuam desiderare: sed ut magis desideres, ostendo tibi quid adhuc hæc vestis atque margarita boni habeat. Vestis hæc numquam tineis comeditur, non usu atteritur,

[a] In plerisque mss. *Apræ.*

[b] In uno ms. Colb. *ad hunc videndum*, sine *his auditis.*

[c] Sic mss. At editi, *in terram prostratus facie.*

[d] Exemplar sancti Petri de Cultura Cenoman. *melior illo nullus est.*

[e] Bad. Er. & Mir. *partem habuerat.* Lips. ex Erasmi margine, *par erat.* Novissima editio Par. *sparsum erat.* Beccensis ms. *præparatum non erat.* Ottobonius, *spartim erat.* Significat Hilarius, monstratæ sibi vestis subtilitati comparatum sericum prorsus spartum esse, ex quo scil. funes nautici & sportæ olim fiebant.

non ſorde inficitur, non vi ſcinditur, non damno A amittitur: ſed ſemper talis qualis eſt permanet. Margaritæ verò hæc virtus eſt, ut ſi quis eam induerit, non ægrotet, non ſeneſcat, non moriatur. Nihil omnino in ſe habet, quod ſit [a] noxium corpori: ſed utenti ea nihil accidit, quod aut mortem afferat, aut ætatem demutet, aut impediat ſanitatem. Quod ubi audivi filia, exanimari magis deſiderio margaritæ & veſtis iſtius cœpi: & ſicut proſtratus jacebam, indeficienti fletu & intenta oratione juvenem B precari cœpi, dicens, Domine ſancte, miſerere preci meæ, & miſerere ſollicitudini & vitæ meæ. Si enim hanc veſtem mihi & margaritam non concedis, miſer futurus ſum, filiamque meam [b] viventem perditurus: ego propter hanc veſtem & margaritam peregrinari volo. Scis Domine, quia tibi non mentior.

Hilarii filiæ promittuntur, modò vana ornamenta abjiciat.

5. Poſt quàm vocem meam audivit, jubet me levare; & ait mihi, Moverunt me preces & lacrymæ tuæ, & bene eſt quòd hoc credidiſti. C Et quia dixiſti, te pro hac margarita ipſam vitam tuam velle impendere, non poſſum eam tibi negare: ſed ſcire debes propoſitum & voluntatem meam. Veſtis, quam ego dedero, talis eſt, ut [c] ſi quis voluerit veſte alia colorata & ſerica & aurata uti, veſtem meam capere non poſſit. Sed illi dabo eam, quæ contenta ſit, non ſerico habitu, ſed [d] nativis coloribus & inſumtuoſo textu veſtiri: ita ut propter conſuetudinem, purpuram [e] peranguſtam veſtis D habeat: non etiam purpura ipſa [f] diffundatur in veſtem. Margarita verò, quam à me petis, naturæ ejus eſt, ut habere eam nemo poſſit, qui margaritam aliam habuerit: quia aliæ margaritæ aut de terra aut de mari ſunt; mea autem, ut ipſe tu vides, ſpecioſa & pretioſa eſt, incomparabilis & cæleſtis eſt, nec dignatur ibi eſſe ubi aliæ ſunt. Non enim rebus meis convenit cum rebus hominis: quia qui veſte mea & margarità utitur, in æternum ſanus eſt; non E febre exardeſcit, non vulneri patet, non annis demutatur, non morte diſſolvitur; [g] æqualis enim ſemper & æternus eſt. Ego tamen hanc veſtem & hanc margaritam meam petenti tibi dabo, ut eam filiæ tuæ perferas. Sed priùs ſcire debes quid velit filia tua. Si ſe hujus veſtis & margaritæ meæ dignam faciat, id eſt, ſi veſtes ſericas & auratas & infectas habere noluerit, ſi omnem margaritam alteram oderit; tunc hæc quæ me rogas tibi præſtabo.

Filiam hortatur ut modeſtis utatur veſtibus.

6. Poſt quam vocem filia lætus exſurgo, & ſecretum hoc habens, hanc ad te epiſtolam feci: rogans te per multas lacrymas meas, ut te huic veſti & margaritæ reſerves, neque miſerum ſenem tali damno tuo [h] facias, ſi hanc veſtem & hanc margaritam non habueris. Teſtor [i] autem tibi, filia, Deum cæli & terræ, quia nihil hac veſte atque hac margarita pretioſius eſt; & tui juris eſt, ut hanc habeas. Tu modò, [k] ſi quando tibi veſtis alia afferatur, vel ſerica, vel infecta, vel deaurata, dicito ei qui tibi offert, Ego veſtem alteram exſpecto, propter quam pater meus à me tam diu peregrinatur, quam mihi quærit, quam non poſſum habere ſi hanc habuero. Sufficit mihi lana ovis meæ, ſufficit mihi color quem natura attulit, ſufficit mihi textus inſumtuoſus: ceterùm veſtem illam deſidero, quæ dicitur non abſumi, non atteri, non ſcindi. At verò ſi tibi margarita offeratur aut ſuſpendenda collo, aut digito coaptanda; dices ita, Non mihi impedimento ſint iſtæ inutiles & ſordidæ margaritæ: ſed exſpecto illam pretioſiſſimam, pulcherrimam & utiliſſimam. Credo patri meo, quia & [l] ille ei, qui hanc ſpopondit ſibi, credidit, propter quam mihi ſignificavit ſe etiam mori velle: hanc exſpecto, hanc deſidero, quæ mihi præſtabit ſalutem & æternitatem.

Filiæ exſpectat reſcriptum.

7. Ergo filia ſubveni ſollicitudini meæ, & hanc epiſtolam meam ſemper lege, & huic veſti & margaritæ te reſerva. Et ipſa tu mihi, nullum interrogans, quibuſlibet potes litteris reſcribe, utrùm veſti huic & margaritæ te reſerves, ut ſciam quid juveni illi reſpondeam: & ut ſi illam deſideras, ſi exſpectas, lætus poſſim ad te reditum cogitare. Cùm autem mihi reſcripſeris: tunc tibi & ego quis ſit hic juvenis, & qualis ſit, & quid velit, & quid promittat, & quid poſſit, indicabo. Interim tibi hymnum matutinum & ſerotinum miſi, ut memor mei ſemper ſis. Tu verò ſi minùs per ætatem hymnum & epiſtolam intellexeris, interroga matrem tuam, quæ optat ut te moribus ſuis genuerit Deo. Deus qui te genuit, hîc & in æternum cuſtodiat, opto filia deſideratiſſima.

Hymnus matutinus & ſerotinus.

Abræ mater.

[a] Editi, *obnoxium*: emendantur ex mſſ.

[b] In uno mſ. Colb. *juvenem*, non *viventem*.

[c] Alter è mſſ. Colb. cum Boheriano, Ottob. & Cenom. *ſi qua puella*: & mox ſolus Ottob. *in veſte mea capi non poſſit*. Huc ſpectat illud Cypriani de diſcipl. & habitu virginum, *Sericum & purpuram induta, Chriſtum induere non poſſunt*. Sic Hieronymus epiſt. 7. ad Lætam, ubi narravit quas pœnas dederit Prætextata nobiliſſima, quòd viro Hymetio jubente filiæ Deo conſecratæ habitum cultumque mutaſſet, concludit: *Sic ulciſcitur Chriſtus violatores templi ſui, ſic gemmas & pretioſiſſima ornamenta defendit*. Quod autem ibi de virginum cultu habet, maximè verò illud, *Habeat alias margaritas, quibus poſtea venditis emtura eſt pretioſiſſimum margaritum*, haud mediocriter confirmat hanc epiſtolam Hilarii ætatem redolere, neque ipſius ſtilo eſſe indignam. V. Tract. Pſ. 118. Lit. 16. n. 16.

[d] Nativos habituum colores commendant, & arte quæſitos damnant etiam alii Patres. *Neque enim*, inquit Cyprianus de diſcipl. & habitu virg. *Deus coccineas aut purpureas oves fecit, aut herbarum ſuccis & conchyliis tingere & colorare lanas docuit*. Quod ex Tertulliano lib. 2. de cultu femin. n. 10. expreſſit Cyprianus.

[e] Par. *purpuram peranguſtam veſtis*. Editiones aliæ, *purpuream per anguſtas veſtes*. Duo mſſ. *purpuram per anguſtas veſtes*. Meliùs alii, *peranguſtam veſtis*: ad diſtinctionem ſcil. *latioris purpuræ*, cujus meminit Tertullianus de Pallio num. 4. unde eſt *clavus latus* ab eodem memoratus n. 13. de Corona. Hieronymus verò epiſt. 22. ad Euſtochium depingens & carpens quaſdam virgines, quæ in publico notabiliter incedebant, inter alia ait, *Purpura tantùm in veſte tenuis*. Nonnihil confert hic Hilarii locus ad explorandam generis illius nobilitatem.

[f] Editi, *defundatur in veſte*: emendantur ex ſcriptis.

[g] Ita omnes ferè mſſ. Editi verò, *æqualis æternis*. Codex Ottob. *æqualis enim eſt veſtis mea & æterna*: & paulo antè *non vulnera patitur*, pro *non vulneri patet*.

[h] Beccenſis codex, *efficias*. Cenom. *conficias*. Boherianus & aliquot alii, *neque miſero ſeni tale damnum tuum facias*. Unus Colb. *neque miſerum ſenem tali damno tuo te facias*. Cui conſentit Germ. niſi quòd ab eo abeſt *te*.

[i] Hujuſmodi obteſtationis exemplum legimus lib. de Synodis num. 91. puta, *Teſtor Deum cæli atque terræ, me cùm neutrum audiſſem &c.*

[k] Ita mſ. Ottob. At editi, *tu modò quando tibi veſtis alia afferatur*.

[l] Excuſi, *ille qui ſpopondit ei ſe credidit*: corriguntur ex mſ. Boher.

SANCTI HILARII
PICTAVENSIS EPISCOPI
HYMNUS FILIÆ SUÆ ABRÆ MISSUS.



* al. optime.
* al. sermonis.
* al. refulsus.

LUCIS largitor * splendide,
Cujus * sereno lumine,
Post lapsa noctis tempora,
Dies * refusus panditur,
Tu verus mundi lucifer,
a Non is qui [a] parvi sideris,
Venturæ lucis nuntius,
Angusto fulget lumine:
Sed toto sole clarior,
Lux ipse totus & dies,
Interna nostri pectoris
Illuminans præcordia.
Adesto rerum conditor,
Paternæ lucis gloria,
b Cujus [b] admotâ gratiâ,
Nostra patescunt corpora;
Tuoque plena spiritu,
Secum Deum * gestantia:
[c] Ne rapientis perfidi,
Diris patescant fraudibus:
Ut inter actus sæculi,
Vitæ quos usus exigit,
Omni carentes crimine,
Tuis [d] vivamus legibus.
Probrosas mentis castitas
Carnis vincat libidines,
Sanctumque puri corporis,
Delubrum servet Spiritus.
Hæc spes precantis animæ,
Hæc sunt votiva munera,
Ut matutina nobis sit
Lux in noctis custodiam.
Gloria tibi Domine,
Gloria Unigenito,
Cum Spiritu paraclito,
Nunc & per omne sæculum. Amen.

* supple, sunt.

[a] Editi, *parvus oritur.*
[b] Ita mss. Germ. ubi Ottob. duo Colb. & alius sancti Petri de Cultura, *amotâ gratiâ nostra pavescunt corpora*: malè. In Vulgatis autem, *ad nutum gratiæ nostra patescunt corpora.* Tum in alio ms. German. subjicitur;
Tuaque sancta dextera,
Tuere nos per sæcula,
Post hujus vitæ terminum,
Vitam perennem tribue,
ac deinde subsequitur, *Tuoque plena spiritu*, pro quibus in vulgatis, *Tu quoque plenò spiritu.*
[c] Germanensis codex, *nihil adrepentis perfidi occultis pateat fraudibus.*
[d] Excusi, *nitamur legibus*: renitentibus mss.

In ms. aliàs Cardin. Sirleti, tum Altempensis bibliothecæ, nunc Cardinalis Ottoboni, hunc hymnum sequitur alter prolixior, qui serotinus existimari possit in superiore ad Abram epistola memoratus. Certè in serotinum tempus apprime convenit. Ab astris enim exordium ducit, estque generalis quædam confessio animi, qui lasciviæ, superbiæ, invidiæ, discordiæ, inanis gloriæ, gulæ ac gestientis lætitiæ vitiis se impetitum ingemiscens, una Dei misericordiâ Christique meritis fretus veniam precatur. Præterea Arianæ hæresis tempora in hoc sapit, quòd fidelem animum professus, Arium ac Sabellium nominatim detestatur, nec ullum his addit hæreticum, nisi, fortè ad complendos versus, Simonem magum. Tamen dictio non videtur Hilario digna. Ubique versuum mensura syllabarum potiùs quàm pedum numero terminatur. Et cùm sermo deberet esse feminini generis, si à filia canendus esset hic hymnus, ubique est masculini. Ex initio & fine judicet lector, quid de hymno reliquo sentiendum sit.

INITIUM.

Ad cæli clara non sum dignus sidera
Levare meos infelices oculos
Gravi depressos peccatorum pondere
* Parce redemtis.
Bonum neglexi facere quod debui,
Probrosa gessi sine fine crimina,
Scelus patravi nullo clausum termino
Subveni Christe.

* *Melius hic conveniret Subveni Christe, & post Parce redemtis.*

FINIS.

Hymnum fideli modulando gutture,
Arium sperno, latrantem Sabellium:
Assensi numquam grunnienti Simoni
Aure susurra.
Zeloque Christi sum zelatus nomine
Sancta nam mater lacte me catholico
Tempus per omne Ecclesia nutrivit
Ubere sacro.

IN SEQUENTEM LIBRUM ADMONITIO, qua nonnulla de libris aliis ad Constantium prælibantur.

Librorum ad Constantium ordo.

I. TRES *libros subsequentes, quò eos ad manum habere quisque valeat, ab invicem non separamus: quamvis ordo temporum postularet, ut eorum primus libro de Synodis præponeretur. In illis tamen inter se ordinandis habita est temporum ratio, quæ priùs neglecta fuerat.*

An aliqui libri ad Constantium exciderint.

II. *Ambigi posit, an plures, quàm qui nunc exstant, sub iisdem titulis ab Hilario scripti sint. Namque post Sulpicium Severum Fortunatus testatur, ipsum, dum Constantinopoli opperiretur regis voluntatem, tribus libellis regis audientiam poposcisse: nec jam nobis superest nisi unicus Constantinopoli editus, quo audientia postuletur. Deinde in nullo librorum sequentium reperire est fragmentum, quod Hilarii nomine ut scribentis ad Constantium Imperatorem in Concilio laudavit Cælestinus Papa I. & Arnobius lib. 2. de conflictu cum Serapione inseruit. Postremò Hieronymus librum Hilarii in Constantium jam vitâ functum memorat: cùm vivo Constantio tres istos scriptos fuisse constantissimum sit.*

III. *Quæ licèt ita sint, alios tamen ab his minimè desiderandos arbitramur: & Fortunatum quidem à Sulpicio deceptum esse; hunc verò nimio brevitatis studio tres libros, quos habemus, sub titulo eorum uni dumtaxat conveniente comprehendisse, aut potiùs, sicut & multa alia, confudisse. Neque ullum fere dubium est, quin Hieronymus librum, qui tertio loco exhibetur, contra Constantium vitâ functum dixerit. Fragmentum autem à Cælestino & Arnobio memoratum cùm ultro recipiamus, ut Hilarii calamo & ingenio prorsus consentaneum, neque falsò inscriptum putemus; facilè tamen opinamur, illud ad eam primi libelli partem pertinere, quæ manifestè mutila atque truncata est.*

In primo libro aliquid deest.

IV. *Nonnulla enim in hoc primo libro deesse jam adverterunt eruditi, & perspicuum est vel ex his num. 7.* Moveret enim absolutionem ejus &c. *quæ cùm ad Athanasium referri necesse sit, in animum inducunt sermonem de sancto illo viro antea habitum desiderari. Rursum num. 8. Nicænæ fidei mentio jam facta memoratur; quamvis nullum in superioribus de ipsa verbum occurrat. Aliqui etiam dubitarunt, an non huic libello aliunde adsuta sint, quæ à num. 4. supersunt. Nam neque cum superioribus, neque inter se satis cohærere videntur: nusquam ab hinc ad Imperatorem convertitur oratio: tractandi autem ratio magnam affinitatem habet cum iis quæ in Fragmentis historiæ Ariminensis Concilii differuntur. Quocirca non satis certam putant Baronii opinionem, hunc librum anno 355. scriptum non aliunde probantis, quàm quòd Hilarius num. 8. de Eusebii Vercellensis exsilio locuturus, rem* recèns *gestam aggredi se prædicet. Sed & ei opponunt Fragmenti I. n. 6. verba, ubi synodi Arelatensis acta sex septemve pòst annis narraturus, ea tamen dicat* proximè *gesta.*

An aliquid habeatur aliunde adsutum.

Quando scriptus sit.

V. *Recens non est libelli hujus plaga, quam neque ex codice S. Petri de Urbe sæculo quinto ineunte exarato resarcire licuit. At cùm in vetusto illo exemplari non solùm in fronte exstet,* Incipit ejusdem ad Constantium; *sed & ad calcem adscribatur,* Explicit liber I. S. Hilari ad Constantium. Incipit lib. II. ejusdem ad eumdem, quem & Constantinopoli ipse tradidit: *non videtur facilè dandum, aliunde quidquam adsutum esse. Certè utraque pars easdem deflet calamitates, eadem ratione perstringit Arianorum violentiam. Et neutram quidem ante annum 355. scriptam esse liquet: non postremam, qua non modò Paulinus ex Arelatensi synodo an. 354. sed & ex Mediolanensi an. 355. Eusebius ac Dionysius in exsilium ejecti narrantur; neque etiam primam, qua egregiorum sacerdotum ab exsilio reditus suppliciter postulatur. Non enim ante prædictas synodos sacerdotum suorum exsilia novit Occidens; cujus præsertim malis Hilarium hîc commoveri quis non assentiatur? Neque minùs constat, hunc libellum ab eo ante exsilium ipsius scriptum esse. Nam præter quàm quòd in iis, quos exsul scripsit, tacere non solet exsilium, certè non satis idoneus esset exsul, qui aliorum ab exsilio reditum deprecaretur. Cùm*

autem

autem sub anni 356. initium relegatus sit: ad Baronii sententiam redeundum.

VI. *Porro libelli hujus scribendi ex Constantii litteris nata videtur occasio. Cùm enim anno 355. teste Ammiano lib. 16. frequentes essent in Gallias barbarorum incursus, propter quos reprimendos Julianus eodem anno exeunte Cæsar creatus est; verisimile est, Constantium Gallorum dissidia & seditiones veritum ad eosdem scripsisse, quò eos in officio contineret. Immo commotæ seditionis suspicionem jam sibi ab improbis susurronibus injectam eum Gallis significasse innuunt hæc num.* 2. Non quisquam perversus aut invidus maligna loquatur: nulla quidem suspicio est, non modò seditionis, sed nec asperæ obmurmurationis. Quieta sunt omnia & verecunda. *Hanc igitur opportunitatem nactus Hilarius, plus ab Arianis timendum rescribit, à quibus perturbantur omnia: & ab iis illata Ecclesiis mala enixè deprecatur.* Qua occasione.

VII. *Hieronymus libelli hujus non meminit: qui* primus *inscribitur, non quòd cum secundo connexus, sed quòd prior editus. Illum epistolæ nomine libenter donaremus, si cum auctoritate liceret. Quod autem in eo edisserit sapientissimus Præsul ad libertatem fidei commendandam, non ita intelligendum est, ut hæreticos ad profitendam fidem veram cogere numquam licere existimarit. Nam lib. de Synodis Orientales laudat,* quibus sufficit, post blasphemiæ voluntatem, coactæ saltem fidei subscriptio: *quæ licèt in multis suspecta ipsi meritò videatur, gratulandum tamen putat, saltem* aliquem ex his suscipi pænitentem. *Sed dissuadet licentiam, qua hæretici catholicos cogunt, ut avita & apostolica fide desertâ, commenta nuper inventa amplectantur.* Cogunt nempe, *inquit num. 6.* non ut Christiani omnes sint, sed ut Ariani. *Quamquam episcopalem considerans animum, quem ad clementiam semper pronum esse, ac veram & non fictam populorum fidem quærere deceat; ipsi convenientissimum esse prædicat, ut ne ad veram quidem fidem, vim eam, quam Ariani per varia tormenta catholicis inferebant, adhiberi patiatur.* Cur primus dicatur. Hilarii de fidei libertate sententia.

SANCTI HILARII
PICTAVENSIS EPISCOPI
AD CONSTANTIUM [a] AUGUSTUM
LIBER * PRIMUS.

[a] Scriptus an. 355. aut 356.



ENIGNIFICA natura tua, domine beatissime Auguste, cum benigna voluntate concordat. Et quoniam de fonte paternæ pietatis tuæ misericordia largiter profluit; quod rogamus, facilè nos impetrare posse confidimus. Non solùm verbis, sed etiam lacrymis deprecamur, ne diutiùs catholicæ Ecclesiæ gravissimis injuriis afficiantur, & in- Ecclesiæ ne a fratribus affligantur.

A tolerabiles sustineant [b] persecutiones & contumelias, & quod est nefarium, à fratribus nostris. Provideat & decernat clementia tua, ut omnes * se ubique judices, quibus provinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos [c] sola cura & sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religiosa se observantia abstineant: neque posthac præsumant atque usurpent, & putent se causas cognosce- b

* Abundat se.

[c] Judices sæculares ne cognoscant causas clericorum.

[a] Deest *Augustum* in codice Vaticanæ basilicæ: in quo uno deinde, ut in vulgatis, subjicitur *benignifica*: cùm in ceteris mss. habeatur *benigna*.

[b] In sex mss. *passiones*. Arianis etiam in catholicos crudeliter sævientibus dulce fratrum nomen non denegat Hilarius. Qua ratione Gregorius Naz. Or. 33 n. 17. *Fratres*, inquit, *adhuc vos appello, tametsi parum fraterno erga nos sitis animo*. Sozomenus autem lib. 4. c. 26. similem memorans persecutionem, narrat eam propter infamiam prudentibus visam esse tanto acerbiorem, quàm quæ sub ethnicis Imperatoribus grassata fuerat, quòd *& is qui persequebatur, & ille qui persecutionem sustinebat, ambo de Ecclesia erant. . . cùm tamen divina lex prohibeat, ne adversùs extraneos ejusmodi animo simus.* Propterea hîc adjecit Hilarius, *quod est nefarium.*

[c] Tellerianus ms. *ad quos solos*: eo sensu potest admitti, ut sicut soli causas sæculares, ita soli episcopi causas cognoscant ecclesiasticas. Exstat l. 12. de episcopis & clericis cod. Theod. lex Constantii, qua vetat ne episcoporum causæ apud alios judicentur quàm apud episcopos. Baronius ad an. 355. n. 78. eam his Hilarii precibus hoc anno datam arbitratur.

a re clericorum, & [a] innocentes homines variis A afflictationibus, minis, violentiâ, terroribus frangere atque vexare.

Ne inviti vi subjiciantur heterodoxis.

2. Intelligit singularis & admirabilis sapientia tua, non decere, non oportere cogi & compelli invitos & repugnantes, ut se his subjiciant & addicant vi oppressi, qui non cessant adulterinæ doctrinæ corrupta semina adspergere. Idcirco laboratis, & salutaribus consiliis rempublicam regitis; excubatis etiam, & vigilatis: ut omnes, quibus imperatis, dulcissima B libertate potiantur. Non alia ratione [b] quæ turbata sunt componi, quæ divulsa sunt coerceri possunt; nisi unusquisque nulla servitutis necessitate adstrictus, integrum habeat vivendi arbitrium. Certè [c] vox exclamantium à tua mansuetudine exaudiri debet, Catholicus sum, nolo esse hæreticus; Christianus sum, non Arianus: & melius mihi in hoc sæculo mori, quàm alicujus privati potentiâ dominante castam veritatis virginitatem corrumpere. C Æquumque debet videri sanctitati tuæ, gloriosissime Auguste, ut qui timent Dominum Deum & divinum judicium, non polluantur aut contaminentur exsecrandis blasphemiis; sed habeant potestatem, ut eos sequantur episcopos & præpositos, qui & inviolata conservant fœdera caritatis, & cupiunt perpetuam & sinceram habere pacem. Nec fieri potest, nec ratio patitur, ut repugnantia congruant, dissimilia conglutinentur, vera & falsa misceantur, D lux & tenebræ confundantur, dies quoque & nox habeant aliquam conjunctionem. Si igitur, quod sine dubitatione & speramus & credimus, hæc permovent non insitam, sed ingenitam tuam bonitatem; præcipe ut non studium, non gratiam, non favorem, locorum Rectores gravissimis hæreticis præstent. Permittat lenitas tua populis, ut quos * voluerint, quos putaverint, quos delegerint, audiant docentes, & divina mysteriorum sollemnia concelebrent, [d] & pro incolumitate & beatitudine tua offerant preces.

b

c Catholicorum oppressorum vox.

Ne Rectores locorũ hæreticis favorem præstent.

* Mss. volunt.

Mysteriorũ sollemnia, & preces pro rege. d

Suspicio seditionis eximitur. e

3. Non quisquam perversus aut invidus maligna loquatur: nulla quidem suspicio [e] est non modò seditionis, sed nec asperæ obmurmurationis. Quieta sunt omnia, & verecunda. Et nunc, qui Ariana & pestifera contagione inquinati sunt, non cessant ore impio & sacrilego animo Evangeliorum sinceritatem corrumpere, & rectam Apostolorum [f] regulam depravare. Divinos prophetas non intelligunt. Callidi & astuti artificio quodam utuntur, [g] ut inclusam perniciosam corruptelam inquisitorum verborum velamine contegant, & non priùs venenatum virus effundant, quàm simplices & innocentes sub prætextu nominis Christiani raptos atque irretitos, [h] ne soli pereant, participes horrendi criminis sui reos faciant.

Arianorum astus. f

g

h

Sacerdotes pii ad suas sedes remeent.

4. Et hoc obsecramus pietatem tuam, ut eos, qui adhuc (egregii videlicet sacerdotes, qui tanti nominis præpollent dignitate;) aut in exsilio, aut in desertis locis tenentur, jubeas ad sedes suas remeare: ut ubique grata libertas sit, & jucunda lætitia.

Ariana hæresis novella.

5. Quis non videt, quis non intelligit? Post quadringentos ferè annos, post quàm Dei unigenitus Filius humano generi pereunti subvenire dignatus est, quasi antè non Apostoli, non post eorum martyria & excessus fuerint Christiani, novella nunc & teterrima lues, non corrupti aëris, sed exsecrandorum [i] blasphemorum, Ariana effusa est. Ita illi, qui antè crediderunt, inanem spem immortalitatis habuerunt? Nuper didicimus commenta hæc fuisse inventa & à duobus [k] Eusebiis & à Narcisso & [l] à Theodoro & ab Stephano & Acacio

i

k

l

[a] Exemplar Vat. bas. *innocenter*: quod intelligere sic liceret, *nec putent se innocenter vexare homines* &c. Magis tamen placet alia lectio.

[b] In eodem codice, *non alia ratione, quàm ut quæ turbata sunt componi, quæ divulsa sunt cohærere possint, & ut unusquisque nulla* &c. quod primùm arriserat. Sed cùm excubiarum regiarum ratio jam hæc præmissa sit, *ut omnes dulcissima libertate potiantur*; inconcinnè venit illud *non alia ratione* cum superioribus copulandum.

[c] In vulgatis, *voces*; & mox, *decet*, pro *debet*. Tum in mss. Tell. & Mich. *clamantium*. Hunc fidelium clamorem memorat pariter ac laudat Lucifer lib. moriendum pro Dei filio. *Cernimus*, inquit, *una hac voce religiosa*, CHRISTIANUS SUM, *nolo esse ut tu es Constanti apostata, omne crimen excludi, hac una voce tribui præsidium salutis, vinculum libertatis*, &c. De Africanis, cùm sub Hunerico ad Arianam pellicerentur hæresim, idipsum à Victore Vit. lib. 2. de persec. narratur, *illis ingenti vociferatione clamantibus & dicentibus*, CHRISTIANI SUMUS, *catholici sumus*. Quem exclamandi morem à Martyribus didicerunt fideles. Ut enim in actis Martyrum Lugdunensium apud Eusebium lib. 5. hist. c. 1. legitur, Blandinæ *erat refectio & quies, sensumque omnem præsentis doloris adimebat prolatio horum verborum*, CHRISTIANA SUM. Ita in iisdem actis Sanctus ad omnes interrogationes respondisse scribitur, CHRISTIANUS SUM; *hoc sibi nomen, patriam, genus, omnia denique esse*. Responsi hujus sapientiam probat Chrysostomus sub finem homil. 46. ubi S. Lucianum laudat, quòd pariter ad interrogata quælibet nihil aliud respondisset, *hoc uno ac simplici verbo diaboli caput percutiens*. Innumera alia ejusdem rei exempla suppeditant acta Martyrum.

[d] Desideratur & in mss.

[e] In vulgatis, *erit*: & mox, *Quieta sint omnia & verecunda: At nunc*. Reponimus *est* auctoritate ms. Vat. bas. cujus ac ceterorum consensu subsequentia emendantur. His verbis, uti præmonuimus, sedat Hilarius Constantii animum, ne Galli res novas molirentur, extimescentis.

[f] Quod hîc Hilarius *Apostolorum regulam*, lib. 2. ad Constant. n. 6. ut & lib. de Synodis n. 63. vocat *fidem apostolicam*, & dicto lib. 2. num. 4. *quod in regenerationis sacramento est confitendum*. Quò spectat illud lib. 12. de Trin. n. 56. *Regenerationis meæ fidem obtinens nescio*. Quibus loquendi modis Apostolorum symbolum significari perspicuum est.

[g] Editi, hîc omisso *ut*, mox subjiciunt, *exquisitorum verborum velamine contegunt, non priùs venenatum virus effundunt*.

[h] In vulgatis, *irretitos involvant, ne soli pereant, sed participes*. Removimus verbum *involvant* cum omnibus mss. & particulam *sed* cum Carnutensi.

[i] Vat. bas. codex cum Carn. *blasphemiorum*.

[k] Nicomediensi nimirum & Cæsariensi, de quibus Athanas. lib. de Synod. p. 886. *Eusebius Nicomediensis magnificis verbis Arium in epistola laudavit, Cùm rectè, inquiens, sentias, opta cunctos ita sentire* &c. *Eusebius quoque ex Cæsarea Palæstinæ in litteris ad Euphrationem episcopum non veritus est palam dicere, Christum non esse verum Deum*. Ita & ab Hieronymo epist. 65. ad Pammach. & Ocean. Eusebius Cæsariensis appellatur *impietatis Arii apertissimus propugnator*. Duos illos Eusebios hîc notat Hilarius juxta epistolam synodi Sardicensis.

[l] In mss. magno consensu, *Theodoto*. Athanasius quidem de Synod. pag. 886. inter primarios Arii sectatores memorat Theodotum. Arius ipse epist. ad Eusebium Nicomedi apud Theodoretum lib. 1. c. 4. inter suos recenset Theodotum Laodiceæ. Nihil tamen immutamus; cùm hæc Hilarius expressisse videatur ex epistola Sardicensi, in qua *Theodorus* legitur, non *Theodotus*: sic enim habet Fragm. 2. n. 7. *Sunt autem istorum, post Eusebios duos, auctores etiam* THEODORUS *ab Heraclia, Narcissus à Neroniade Ciliciæ, Stephanus ex Antiochia, Georgius ex Laodicia, Acacius ex Cæsarea Palæstinæ, Menophantus ab Epheso Asiæ, Ursacius à Singiduno Mœsiæ, Valens à Mursa*. Neque aliter exstat apud Sulpicium Severum, qui Hilarii quantum ad voces vestigia premens lib. 2. p. 244. sic scribit: *Principes mali istius habebantur, à Singiduno Ursacius, Valens à Mursa, ab Heraclia Theodorus, Stephanus Antiochenus, Acacius à Cæsarea, Menophanes ab Epheso, Georgius à Laodicea, Narcissus à Nerophi*. Eamdem ob causam postea retinemus *Acacio*, non cum Bad. Er. & omnibus mss. *Archaico*.

& Menophanto, & [a] imperitis atque improbis duobus adolescentibus Ursacio & Valente: [b] quorum epistolæ proferuntur, & idoneis testibus etiam convincuntur, qui eos magis oblatrantes quàm disputantes audierunt. [c] Quibus qui communionem suam imprudenter & incautè commiscent, quia sunt socii scelerum, participes criminum necesse est [d] etiam eos, qui jam in hoc sæculo abjecti sunt & abdicati, cùm advenerit dies judicii, pati supplicia sempiterna.

Litteræ & legatio post absolutionem Athanasii.

6. Jam nemini dubium est, [e] cujuscemodi curam in absolutionem Athanasii, sancti illi viri receperint: ut post synodi sententias, quas, pro sacerdotalis judicii reverentia, fas fuerat sacerdotali vel ecclesiastica [f] conscientia contineri, scribi ad regem, legationemque instrui oportuerit. Sed quid aliud his litteris, quàm libertatem fidei & contagionem Ariani nominis deprecantur, orantque vincula, carceres, tribunalia, & omnem illum feralem habitum, novas etiam in reos quæstiones inhiberi? Deus cognitionem sui docuit potiùs, quàm exegit: & operationum cælestium admiratione præceptis suis concilians auctoritatem, coactam confitendi se adspernatus est voluntatem. Si ad fidem veram istiusmodi vis adhiberetur; episcopalis doctrina obviàm pergeret, diceretque: Deus universitatis est Dominus, obsequio non eget necessario, non requirit coactam confessionem. Non fallendus est, sed promerendus. Nostrâ potiùs, non suâ causâ venerandus est. Non possum nisi volentem recipere, nisi orantem audire, nisi profitentem signare. Simplicitate quærendus est, confessione discendus est; caritate amandus est, timore venerandus est, voluntatis probitate retinendus est. At verò quid istud est, quòd sacerdotes timere Deum vinculis coguntur, pœnis jubentur? Sacerdotes carceribus continentur, plebs in custodia catenati ordinis constricta disponitur, virgines nudantur ad pœnam, & sacrata Deo corpora, [g] publico exposita conspectui, ad fructum spectaculi & quæstionis aptantur. Cogunt nempe, non ut Christiani omnes sint, sed ut Ariani: & confessam in Deo fidem ad consortium piaculi sui [h] scelere compellunt. Auctoritate etiam nominis sui in errorem Imperatorem transducunt: rectum affirmantes, ut sub specie timoris Dei, in hac perversitate subditos sibi tradant. Quæstiones poscunt, judiciorum subsidia desiderant, auctoritatem regiam implorant: & nec sic perversitatem sceleris sui erubescunt, extorquere [i] conniventiam plebium nec cogendi jure potuerunt.

Arianorum crudelitas.

Judicialis forma in causa Athanasii non servata.

7. Hæc si de veteribus chartulis prolata ætatis nostræ tempus instruerent; ambigendum, ut opinor, tantis de rebus fuisset. Et cùm ab aliis quibusque pronuntiari posceretur reus; quæreretur in fidem litterarum, in judicum vitam, in accusatorum fidem, in ipsius quoque hominis mores atque actus. Moveret enim absolutionem ejus Arianorum juncta damnatio: magnique periculi esset, judicium simul cum reatus & innocentiæ non [k] suscepta rursum inquisitione dissolvere: totaque in patrocinium suum, cum fidei doctrina, auctoritas sibi antiquitatis assisteret. At cùm ipsi, qui tunc Ariani hæretici damnati sunt, rem exagitent, turbent omnia, omnesque ex potestate & ambitione corrumpant, & Athanasius si fuit, esse adhuc reus potest; testes loquantur, videant judices, fidei doctrina præceptis evangelicis atque apostolicis eluceat: quæ obtusio intelligentiæ est? quæ cordis hebetudo? quæ oblivio spei? [l] qui amor scelerum? quod odium veritatis? in damnatorum favorem, Dei amorem transducunt.

Eusebii Vercellensis injusta damnatio.

8. Venio nunc ad id, quod recens gestum est, in quo se etiam professio sceleris [m] in secreto artis suæ dedignata est continere. Eusebius Vercellensis episcopus est vir omni vita Deo serviens. Hic post Arelatensem synodum, cùm Paulinus episcopus tantis istorum sceleribus * contraisset, venire Mediolanum * præcipitur. Collectâ jam illic malignantium synagogâ, decem diebus ad ecclesiam est

* Arelate an. 353.
* an. 355.

[a] Eosdem illos sic notat Concilium Alexandrinum apud Athanasium p. 733. ubi legatis in Mareotem an. 335. memoratis ait; *His addunt duos ætate ac moribus juniores Ursacium & Valentem.* Rursum duodecim pòst annis Sardicensis synodus Fragm. 2. n. 13. ad Julium de ipsis scribit: *Quid autem de impiis & imperitis adolescentibus Ursacio & Valente statutum sit accipe:* quæ verba imitatur Hilarius, habita ratione temporis quo commenta Ariana inventa confirmataque sunt, non quo ipse hunc libellum composuit, ut constat ex lib. de Synodis n. 79. ubi eos jam spectat veluti senes & in rebus valde exercitatos.

[b] Illud *quorum* Scultetus ad unos Valentem & Ursacium, alii ad ceteros etiam prænominatos probabiliùs referunt. Quod Hilarius hîc prænominatorum, hoc Fragm. 2. n. 25. omnium hæreticorum proprium esse significat, scil. adversùs catholicam fidem oblatrare.

[c] Excusi, *quibusque communionem*; & mox, *quia fient socii*: castigantur ex mss.

[d] Abest *etiam* à mss. ex quibus postea revocamus *jam*. Maximè arrideret *necesse est cum eis, qui jam* &c. Prædicti autem episcopi Narcissus, Theodorus &c. abjecti sunt sententiâ synodi Sardicensis Fragm. 2. n. 7. & 13.

[e] Exemplar Vat. bas. *hujuscemodi curâ absolutionem.* Exstat etiam *hujuscemodi* in aliis tribus: in Mich. *quin hujuscemodi.* Tum Silv. *in absolutionem sancti Athanasii illi viri.* Hanc curam in se receperunt episcopi Sardicæ congregati, qui rerum à se gestarum statim per litteras certiores fecerunt Imperatores: ac postea teste Theodoreto lib. 2. c. 8. Constans ad fratrem Constantium duos ex illis delectos cum litteris misit. An in hæc gesta hîc respicitur? Quamquam etiam nonnulla nobis incidit suspicio, hæc de Arianis actis ac litteris ab ecclesiastica indole & episcopali clementia alienis ironicè dicta esse.

[f] Editi, *continentia*: corriguntur ex mss.

[g] Miserandum hujusmodi spectaculum, Georgio Alexandrinam sedem invadente, Sebastianus exhibuit; cùm accenso rogo, uti narrat Theodoretus lib. 2. c. 14. virgines illi admovit, ac nudatas turpiter concidit. Sed antea simile flagitium ab Arianis perpetratum esse notat Sardicensis synodi epistola Fragm. 2. n. 3.

[h] Sic mss. At editi, *sui sceleris.*

[i] In aliquot mss. *convenientiam plebium.* Tum in editis, *nec cogi de jure*: ubi in omnibus mss. *nec cogendi jure*, præmisso vocabulo *quod* in solo Carnutensi. Hanc sententiam perinde intelligimus, ac si legeretur: *nec sic . . . erubescunt, quòd extorquere conniventiam plebium nec cogendi jure potuerunt.* Jus cogendi hîc vis illata appellatur ea fere ratione, qua lib. 9. de Trin. n. 58. dicitur, *Ad hujus nos intelligentiæ impietatem hæreticorum furor jure quodam necessariæ confessionis compellit.* Laudat autem Hilarius Fragm. 2. n. 24. Sardicensis synodi gesta, *ubi insectatione Arianorum omnia in Athanasium crimina conficta esse monstrantur, & vis adhibita plebi Dei, ut in pestiferam letalis doctrinæ conniventiam transirent.*

[k] Mss. excepto Carn. *non suspecta.* Proximè antea mallemus *cùm reatus, tum innocentiæ.* Athanasius ante Concilium Sardicense reus judicatus, in eo innocens declaratus est, absolutioni ipsius juncta Arianorum damnatione.

[l] Ita codex Vat. bas. Alii verò, *quæ mors scelerum.* Antea in mss. *obtunsio*, non *obtusio.*

[m] Mss. *& secreto.*

vetitus accedere, dum adversùs tam sanctum virum [a] malitia se perversa consumit. Suppuratis deinde consiliis omnibus, ubi libitum est, advocatur. Adest unà cum Romanis clericis *, & Lucifero Sardiniæ episcopo. [b] Conventus ut in Athanasium subscriberet, ait, De sacerdotali fide priùs debere constare; compertos sibi quosdam ex his, qui adessent, hæretica labe pollutos. Expositam fidem apud Nicæam, cujus superiùs * meminimus, posuit in medio: spondens omnia se, quæ postularent, esse facturum, [c] si fidei professionem scripsissent. Dionysius Mediolanensis episcopus chartam primus accepit: ubi profiteri scribendo cœpit, Valens calamum & chartam è manibus ejus violenter extorsit, clamans non posse fieri, ut aliquid inde gereretur. Res post clamorem multum deducta in conscientiam plebis est: gravis omnium dolor ortus est, impugnata est à sacerdotibus fides. Verentes igitur illi populi judicium, è Dominico ad palatium transeunt. Cujusmodi sententiam in Eusebium longè antè, quàm ecclesiam [d] ingrederetur, scripserint: de se loquitur ipsa sententia.

* Hilario diac. & Pancratio.

* desideratur pars ea, in qua mentio hæc erat.

[a] In mss. *malitiosè perversa consumit.* Tum excusi, *soporatis*: ubi ex ms. Vat. bas. restituimus *suppuratis*. Sic lib. de Synod. n. 63. ubi ex antiquioribus mss. exstat *suppurata impietatis doctrina*, in recentioribus legitur *soporata*.

[b] Codex S. Petri cum aliis mss. *conventis ut in Athanasium subscriberent.*

[c] Editi, *si pro fidei professione*: castigantur ex mss. in quibus *scripsissent*, perinde est atque *subscripsissent*.

[d] Mss. summo consensu, *ingrederentur*. Deinde in solo Vat. bas. *de se loquatur ipsa*, omisso *sententia*.

IN LIBELLUM SUBSEQUENTEM
ADMONITIO.

HILARIUS, Hieronymo teste, cùm Constantinopoli versaretur, libellum Constantio ipsè tradidit. Huc enim Seleuciâ synodi legatos secutus, ut cum Sulpicio Severo loquamur, ubi extremum fidei periculum animadvertit, audientiam regis poposcit, ut de fide coràm disputaret. Quod in hunc libellum maximè convenire, vel ex titulo in omnibus mss. prænotato perspicuum est. Oblatus est autem sub lite famosa, *dum alii substantiæ nomen retinendum, alii rejiciendum esse contenderent*; sub synodo dissidenti, *Constantinopolitana scilicet, quæ non minùs fide, quàm privatis jurgiis, varias in partes scindebatur: proindeque anno 360. ineunte, quo hæc synodus celebrata est. Quæ cùm ita sint, tum à Ferrando diacono epist. ad Pelagium & Anatol. n. 2. tum in veterrimo basilicæ Vaticanæ exemplari non ideo inscribitur* liber ad Constantium secundus, *quòd cum superiore cohæreat, sed quòd tempore posterior sit. Aliis hîc suspiciendam relinquimus incredibilem sanctissimi Præsulis vigilantiam, fortitudinem, prudentiam ac fidem, qua unus quamvis exsul, hæreticis Imperatoris potestate armatis, in ipsa regia civitate sese non timuit opponere, immo sui terrorem incutere valuit. Neque enim inani conatu se hæreticis opposuit, qui licèt non obtinuerit quod hoc libello poscebat, eos certè infirmitatis suæ convicit. Ita etiam hac animi sui significatione apud omnes paravit sibi fidem, ut cùm paulo pòst asperiora in Constantium scripturus, nullâ se impatientiâ, nullis humanis affectibus ad id impelli diceret, crederetur. Erasmo etsi minutus visus est hic liber: nihil in eo tamen prorsus desiderandum est. Nam operosum illud & exactum, quod eum polliceri nec præstare notat, non ad hunc libellum pertinet, sed ad publicam de fide disputationem, cujus potestas hoc libello postulatur.*

Synopsis. *In ejus exordio Hilarius se exsulem confessus, petit ut Saturninum præsentem usque ad confessionem falsorum quæ in ea causa gessit adducat. Tum quæ sua sunt oblitus, Imperatori fidei cognoscendæ cupido exponit, quî ex frequenti mutatione acciderit evangelicæ fidei corruptio: adeoque ad baptismi fidem redeundum suadet. Imperatoris deinde studium laudat, fidem tantùm secundùm ea quæ scripta sunt desiderantis. Commonet tamen, nullum esse hæreticum, qui commenta sua ex Scripturis non confirmet. Demum pollicitus nihil se non ex Scripturis, nihil non ad Orientis & Occidentis pacem, nihil non cum honore regni ac regiæ fidei dicturum, quoddam sermonis futuri pignus præmittit.*



SANCTI HILARII

PICTAVENSIS EPISCOPI

AD CONSTANTIUM AUGUSTUM

LIBER * SECUNDUS,

* Scriptus anno 360.

Quem & Constantinopoli eidem ipse tradidit.

ON sum nescius, piissime Imperator, ea quæ [a] de nonnullis negotiis ad conscientiæ publicæ audientiam proferantur, pro dignitate eorum qui eloquuntur, vel gravia existimari solere, vel levia : [b] dum distantibus opinionibus, ambiguam sententiam ad studium intelligentiæ promovet hominis contemtus, aut gratia. Sed mihi apud te de divina re pia dicturo, nullus vulgatæ consuetudinis metus est : quia, cùm sis bonus ac religiosus, nec vitium judicii apud prudentes religionum, quid à quo audiat, sed an quæ audiat sint religiosa, dijudicet. Et quia mihi à Deo præsentiæ tuæ opportunitas præstita est, nec erga hæc quidem conscientiæ meæ cessavit officium : ut in eum, quem apud te habeo de religione sermonem, indignitas fortè aliqua tecum loquentis offendat.

Hilarius in regis præsentia.

2. Episcopus ego sum in omnium [c] Gallicarum ecclesiarum atque episcoporum communione, licèt in exsilio, permanens, & Ecclesiæ adhuc per presbyteros meos communionem distribuens. Exsulo autem non crimine, sed factione ; & falsis nuntiis synodi ad te Imperatorem pium, non ob aliquam criminum meorum conscientiam, per impios homines [d] delatus. Nec levem habeo querelæ meæ testem dominum meum religiosum Cæsarem tuum Julianum : qui plus in exsilio meo contumeliæ à malis, quàm ego injuriæ, pertulit. In promtu enim sunt pietatis vestræ litteræ : falsa autem eorum omnia, [e] quæ in exsilium meum procuraverunt, non in obscuro sunt. Ipse quoque * vel minister, vel auctor gestorum omnium, intra hanc urbem est. Circumventum te Augustum, illusumque Cæsarem tuum eâ confidens conscientiæ meæ conditione patefaciam, ut si indignum aliquid non modò episcopi sanctitate, sed etiam laici integritate gessisse docear, non jam sacerdotium per veniam exspectem, sed intra pænitentiam laici consenescam.

Galliæ Ecclesiis communicat.

Exsulat factione.

* Saturninus. V. lib. de Synod. n. 2.

De sua innocentia securus.

3. Hæc autem nunc, dignantissime Imperator, arbitrio tuo derelinquo, quatenus & quomodo me jubes loqui, & ea quæ maximè tecum in tempore hoc agenda sunt prosequor. Dabis quidem id in præsens instructionis ad causam, ut præsentem eum, cujus ministerio exsulo, usque ad confessionem falsorum quæ gessit adducam. Sed nihil de eo, nisi cùm jusseris, loquar. Nunc autem [f], quia mihi metus est de mundi periculo, de silentii mei reatu, de judicio Dei ; cura autem est de spe, de vita, de immortalitate non tam mea, quàm tuâ, universorumque. Quæ quia mihi cum plurimis communis est, hæc à me communis spei exspectatio est.

Audiri rogat exsilii sui auctore præsente.

Libelli hujus causæ.

4. Recognosce fidem, quam olim optime ac religiosissime Imperator ab episcopis optas audire, & non audis. Dum enim à quibus ea requiritur, sua scribunt, [g] & non quæ Dei sunt prædicant ; orbem æternum erroris & redeuntis in se semper certaminis circumtulerunt. Oportuerat enim, humanæ infirmitatis modestiâ, omne cognitionis divinæ sacramentum illis tantùm conscientiæ suæ finibus contineri quibus credidit, neque post confessam & juratam in baptismo fidem *in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti*, quidquam aliud vel ambigere, vel innovare. Sed quorumdam aut præsumtio, aut [h] facilitas, aut error, aposto-

Constantius optat fidem audire ab episcopis, & non audit.

Fides in baptismo jurata.

a Codex Vatic. basilicæ, *de plerisque, de nonnullis*. Fortè, *à plerisque de nonnullis*.

b In mss. *dum his tantis opinionibus* : & mox *permovet*, non *promovet* : ac postea in duobus *gloria*, pro *gratia*.

c Mss. *Galliarum*.

d Vat. bas. ms. *delatis*. Ex subnexis conficitur, Julianum aut Biterris interfuisse, aut non procul abfuisse, cùm Hilarius inde in exsilium missus est. Porro, ut ex Ammiano lib. 16. constat, Julianus anno 355. exeunte Cæsar creatus, statim in Gallias Viennam secessit, ibique mansit, donec inde migraret Augustodunum, quò Junii 24. die pervenit.

e Ita tres mss. Alii verò cum vulgatis, *qui*. Hîc indicat Hilarius se, quamvis in odium fidei, sub alio tamen obtentu exsilio esse multatum : quasi nimirum fecisset, quod ipse fatetur *indignum non modò episcopi sanctitate, sed etiam laici integritate*. Facile autem veritatis inimicis fuit, eum apud Imperatorem animi inquieti & ad seditionem parati accusare, cujus rei jam ab anno 355. suspicio injecta erat, ut vidimus libro superiore n. 3.

f supple, *loquor*. Tum in excusis, *quia metus est*, omisso *mihi* : & mox, pro *cura autem est de spe*, pravè legebatur *cur autem est desperandum*.

g In omnibus mss. *& non Dei prædicant*.

h Exemplar Vat. bas. *aut facultas*. Fortè, *aut fatuitas*.

licæ doctrinæ indemutabilem constitutionem partim fraudulenter confessa est, partim audacter egressa: dum in confessione Patris & Filii & Spiritus-sancti veritatem naturalis significationis eludit, [a] ne id maneret in sensu, quod in regenerationis sacramento est confitendum. Ob hoc penes quorumdam conscientiam nec Pater pater, nec Filius filius, nec Spiritus-sanctus spiritus-sanctus est. Sub cujus [b] necessitatis tamquam improbabili occasione, scribendæ atque innovandæ fidei exinde usus

B inolevit. Qui post quàm nova potiùs cœpit condere, quàm accepta retinere; nec vetera defendit, nec innovata firmavit: & facta est fides temporum potiùs quàm Evangeliorum, dum & secundùm annos describitur, & secundùm confessionem baptismi non tenetur. Periculosum nobis admodum atque etiam miserabile est, tot nunc fides exsistere, quot voluntates; & tot nobis doctrinas esse, quot mores; & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vi-

Fides subinde nova, & ideo nulla.

C tia sunt: dum aut ita fides scribuntur ut volumus, aut ita ut [c] nolumus intelliguntur. Et cùm, secundùm unum Deum & unum Dominum [d] & unum baptisma, etiam fides una sit, [e] excedimus ab ea fide quæ sola est: & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ne ulla sit.

Unde tot fides scribantur.

5. Conscii enim nobis invicem sumus, post Nicæni conventus synodum, nihil aliud quàm fidem scribi. Dum in verbis pugna est, dum de

D novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio [f] est, dum [g] de auctoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum [h] in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cœpit: propè jam nemo Christi est. Incerto enim doctrinarum vento vagamur: & aut dum docemus, perturbamus; aut dum docemur, erramus. Jam verò proximi anni fides, quid jam de immutatione in se habet? Primum, quæ homousion decernit taceri: sequens rursum, quæ [i] homousion decernit & prædicat: tertium deinceps, quæ usiam simpliciter à patribus præsumtam, per indulgentiam excusat: postremum quartum, quæ non excusat, sed condemnat. Et quò tandem processum est: ut neque penes nos, neque penes quemquam ante nos, sanctum exinde aliquid atque inviolabile perseveret. De similitudine autem Dei filii ad Deum patrem quód [k] si miserabilis nostri temporis fides est, ne non aut ex toto, aut tantùm ex portione sit similis; egregii scilicet arbitri cælestium sacramentorum, conquisitores invisibilium mysteriorum, professionibus de fide Dei calumniamur. Annuas atque menstruas de Deo fides decernimus, decretis pænitemus, pænitentes defendimus, defensos anathematizamus; aut in nostris aliena, aut in alienis nostra damnamus; & [l] mordentes invicem, jam absumti sumus ab invicem.

Fides quater mutata.

6. Fides deinde quæritur: quasi fides nulla sit. Fides * scribenda est: quasi in corde non sit. Regenerati per fidem, nunc ad fidem docemur: quasi regeneratio illa sine fide sit. Christum post baptisma discimus: quasi baptisma aliquod esse possit sine Christi fide. Emendamus: quasi [m] in Spiritum sanctum peccasse sit venia. Sed impietatis ipsius hinc vel præcipuè causa perpetua est, quòd [n] fidem apostolicam septuplo proferentes, ipsi tamen fidem evangelicam nolumus confiteri: dum impietates nostras nobis in populis multiloquiis defendimus, & magniloquentiæ vanitate aures simplicium verbis fallentibus illudimus;

Gal. 5. 15.

Fides evangelica corrumpitur.

** V. lib. de Synod. n. 63.*

[a] Vat. bas. ms. *neque ut maneret.* Alii, *ne quid maneret.*

[b] Voces, *necessitatis tamquam*, in sex mss. desiderantur. Legendum videtur, *sub cujus necessitatis tamquam non improbabili*, vel cum ms. Remig. *tamquam probabili.*

[c] Ita mss. At editi, *ut volumus.* Sic Hieronymo teste dial. contra Lucif. post Ariminensem synodum *ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse miratus est:* dum nimirum rectè sentiens, eo quo noluit modo intellectus est.

[d] In quinque mss. hîc adjicitur *& unam fidem:* quod supervacaneum est. Hoc enim sibi vult: sicut ab Apostolo Ephes. 4. 5. unus Deus, unus Dominus & unum baptisma, ita etiam una fides prædicatur. Ex eodem Apostoli loco Hilarius initio libri 11. de Trinit. & in Constant. n. 24. instat, apud hæreticos fidem non esse.

[e] Lips. & Par. *excidimus.* Concinniùs alii libri, *excedimus*, scil. ab una fide ad plures.

[f] supple, disputandi, contradicendi & malè de se invicem suspicandi.

[g] Ferrandus diac. his verbis in suam ad Pelagium & Anatolium epistolam translatis, postmodum monet ea non sua esse, *sed beati Hilarii in secundo libro quem ad Constantium scribit.* In qua Ferrandi epistola Petrus Fr. Chiffletius, pro *dum de auctoribus querela est*, ex mss. Jurensi atque Arvernensi edidit, *dum de auribus querela est:* existimatque apertam hac lectione fieri Hilarii mentem, *quasi dicat, dum non desunt, qui se surdis querantur cecinisse, adeoque sibi tribui quæ ab illis ne rectè audita quidem, nedum intellecta sint.* At cum editionibus Hilarianis consentientibus omnibus nostris mss. tutum non est ab ipso fonte ad rivulum declinare. Proximè ante quàm hæc scriberet Hilarius, querela fuerat de auctore blasphemiarum, quas Seleuciensis synodi legati Eudoxio adscribebant, Eudoxius autem in Aetium rejecit.

[h] Apud Ferrandum, *de consensu.* In ms. Vat. bas. *de confessu.*

[i] Nulla est Arianorum fidei confessio, quæ homousion decernat ac prædicet: hoc enim ab Hilarii scopo videtur alienum, ut homousion in Ariminensi Concilio primùm ab iis qui cum Valente & Ursacio stabant rejectum, à catholicis deinde approbatum & prædicatum fuisse dicat. Quocirca hîc, fortè etiam antea, pro *homousion*, substituendum videtur *homœusion.* Neque satis apertum est, quas hîc notet Hilarius fidei confessiones. Sunt qui putent, primùm designari Sirmiensem an. 358. 11. Kal. Junii editam, tum Antiochenam an. 341. Seleuciæ subscriptam, postea Ariminensem, demum Seleuciensem ab Acacianis vulgatam. Sed non alia videtur fides Sirmii, alia Arimini edita. Deinde vix credere est, Encæniorum fidem denuo subscriptam in novæ demutationis exemplum ab Hilario fuisse afferendam. Sed neque in hac homousion aut homœusion prædicatur. At verò si voces *proximi anni* non ita strictè ut sonant, sed paulo latiùs acceperis, primam intelligere licebit Sirmiensem Osii & Potamii nomine editam, quæ non modò homousion, sed & homœusion decernit taceri; alteram Ancyranam, quæ homœusion definitionibus 3. 4. 5. &c. decernit & prædicat; tertiam Arimini ac deinde Nicææ in Thracia lectam, in qua usiæ à Patribus simpliciter præsumtæ excusatur prædicatio apud Athanas de Synod. p. 875. postremam denique Seleuciæ ab Acacio vulgatam apud eumdem Athanas. p. 904. quæ substantiæ nomen non jam excusat, sed simpliciter & absolutè condemnat.

[k] Particula *si* ex codice Vaticanæ basilicæ huc revocatur, qua efficitur hic sensus: si de similitudine Filii ad Patrem id nunc sentiamus ac credamus, ut Filius non ex toto, sed ex portione sit similis Patri; professionibus de fide (vel de se) Dei calumniamur: egregii scilicet arbitri &c.

[l] Bad. Er. & Mir. *morientes morum vice.* Mss. *morientes mori invicem.* Fortè, *mordentes nos invitem.*

[m] Exemplar Vat. bas. *in Spiritu sancto:* hæc casuum mutatio frequens est in veteribus libris. Ad intelligentiam hujus loci juverit ex cap. 12. in Matth. n. 17. in memoriam revocare, hoc Hilario peccatum esse in Spiritum sanctum, scilicet *Christo negare quòd Deus sit, & consistentem in eo Paterni Spiritûs substantiam adimere.* Similia habet cap. 5. n. 15. Quibus consentanea sunt hæc apud Athanasium Tom. 1. p. 237. *Deitatem ergo Verbi ipse Christus Spiritum sanctum appellat:* & paucis interjectis, *Sicut alii, qui in Spiritum sanctum impingunt: atque ita in Christi divinitatem blasphemias dicunt* &c.

[n] *Fidem apostolicam* vocat Hilarius Apostolorum Symbolum, quo longè fusiores ediderunt Ariani fidei confessiones; nec tamen retinuere *fidem evangelicam*, id est, quæ baptismi verbis enunciatur. Hoc ita intelligendum esse magis liquet ex postremis hujus libri verbis.

A dum evitamus de Domino Christo ea credere, quæ de se docuit credenda; & per speciosum pacis nomen in unitatem perfidiæ subrepimus, & sub rejiciendis novitatibus rursum ipsi novis ad Deum vocibus rebellamus, & sub Scripturarum vocabulo non scripta mentimur: vagi, prodigi, impii, dum & manentia demutamus, & accepta perdimus, & irreligiosa præsumimus.

Ad fidem in baptismo confessam redeundum.

7. Quod hieme undoso mari observari à navigantibus maximè tutum est, ut naufragio desæviente, in portum ex quo solverant B revertantur; vel incautis adolescentibus convenit, ut cùm in tuenda [a] domo sua, mores paternæ observantiæ transgressi, profusa libertate sua usi sunt, jam sub ipso amittendi patrimonii metu solus illis ad paternam consuetudinem necessarius & tutus recursus sit: ita inter hæc fidei naufragia, cælestis patrimonii jam pæne profligata hereditate, tutissimum nobis est, primam & solam evangelicam fidem confes- C sam in baptismo intellectamque retinere, nec demutare quod solum acceptum atque auditum habeo bene credere: non ut ea, quæ synodo patrum nostrorum continentur, tamquam irreligiosè & impiè scripta damnanda sint, sed quia per temeritatem humanam usurpantur ad contradictionem, quòd ob hoc sub nomine novitatis Evangelium negaretur, [b] ut periculosè tamquam sub emendatione innovetur. Quod emendatum est, semper proficit, D ut dum omnis emendatio displicet, emendationem omnem emendatio consecuta condemnet: ac si jam, quidquid illud est, non emendatio aliqua sit emendationis, sed cœperit esse damnatio.

Audientiã rogat Hilarius, fidẽ è Scripturis ostensurus.

8. In quantum ego nunc beatæ religiosæque voluntatis [c] verè te, domine Constanti Imperator, admiror, fidem tantùm secundùm ea quæ scripta sunt desiderantem: & meritò planè ad illa ipsa unigeniti Dei eloquia festi- E nans, ut imperatoriæ sollicitudinis capax pectus etiam divinorum dictorum conscientiâ plenum fit. Hoc qui repudiat, antichristus est: & qui simulat, anathema est. Sed unum hoc ego per hanc dignationis tuæ sinceram audientiam rogo, ut præsente synodo *, quæ nunc de fide litigat, pauca me de Scripturis evangelicis digneris audire, & loquar tecum verbis Domini mei Jesu Christi, cujus vel exsul sum, vel sacerdos. Habent enim vasa testea non ignobiles thesauros: & infirmiora corporum magis reverenda sunt: & apud nos modò Deum indocti piscatores locuti sunt. Super humilem & trementem verba sua, secundùm prophetam, Deus respicit. Fidem Imperator quæris: audi eam, non de novis chartulis, sed de Dei libris. Scito & posse eam in Occidente donari, unde venientes in regno Dei cum Abraham & Isaac & Jacob recumbent. Memento eam [d] non quæstionem philosophiæ esse, sed Evangelii doctrinam. Non tam mihi autem rogo audientiam, quàm tibi atque ecclesiis Dei. Ego enim penes me habeo fidem, exteriore non egeo: quod accepi teneo, nec demuto quod Dei est.

* Constantinopolit.

Esai. 66. 2.

Matth. 8. 11.

Scripturas hæretici suas ad partes trahunt.

9. Sed memento tamen, neminem hæreticorum esse, qui se nunc non secundùm Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur. Hinc enim Marcellus Verbum Dei cùm legit nescit. Hinc Photinus hominem Jesum Christum cùm loquitur ignorat. Hinc & Sabellius, dum quòd *ego & Pater unum sumus* non intelligit, sine Deo patre & sine Deo filio est. Hinc & Montanus per insanas feminas suas [e] paracletum alium defendit. Hinc & Manichæus & Marcion legem odit: quia littera occidit, & mundi princeps diabolus est. Omnes Scripturas sine [f] Scripturæ sensu loquuntur, & fidem sine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo sunt, sed in intelligendo; neque in prævaricatione sunt, sed in caritate.

Joh. 10. 30.

2. Cor. 3. 6.

Sermonis, cujus copia rogatur, modus.

10. Audi, rogo, ea quæ de Christo sunt scripta: ne sub eis ea quæ non scripta sunt prædicentur. Submitte ad ea, quæ de libris locuturus sum, aures tuas: fidem tuam ad Deum erigas. Audi quod proficit ad fidem, ad unitatem, ad æternitatem. Locuturus tecum sum cum honore regni & fidei tuæ, omnia ad Orientis & Occidentis pacem [g] proficientia, sub publica conscientia, sub synodo dissidenti, sub lite famosa.

Pignus futuri sermonis.

11. [h] Præmitto interim pignus futuri apud te sermonis mei. Non aliqua ad scandalum, neque quæ extra Evangelium sunt, defendam: sed intelliges à me in sacramento solius Dei veri, & quem misit Jesum Christum, prædicari unum Deum patrem ex quo omnia, & unum Dominum Jesum Christum per quem omnia, natum ex Deo, qui est ante tempora

Joh. 17. 3.

1. Cor. 8. 6.

2. Tim. 1. 9.

---

[a] Quatuor mss. *humo sua*. Vat. bas. *in tuenda domus amoris paterni observantiæ transgressores sua, profusa* &c. mendosè.

[b] In vulgatis, *impericulosè*: ubi ex ms. Vat. bas. reponimus *ut periculosè*.

[c] In mss. *verum te*.

[d] Editi, *non in quæstione philosophiæ esse, sed in Evangelii doctrina*: emendantur ex ms. Vat. bas. Verbis sequentibus non minùs apparet Hilarii fides, quàm caritas: qualem nimirum in Martyribus exstitisse animadvertit Augustinus in Psal 65. n. 24. *Qui enim*, inquit, *tum Christum prædicabant, non sibi quibus tum erat cognitus, sed nobis qui futuri adhuc eramus, vel quibus tum erat incognitus, prædicabant* &c.

[e] Priscam scil. & Maximillam, quas Hieronymus epist. 54. ad Marcellam, ad imitationem Hilarii, *insanas feminas* vocat. V. Tertullian. lib. de Monogam n. 2. & contra Praxeam n. 1.

[f] Nomen *Scripturæ* in vulgatis omissum, restituimus ope mss. Subsequentem Hilarii sententiam imitatur & illustrat Hieronymus ad calcem Dial. contra Lucifer. dicens, quòd *Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo: alioqui si litteram sequimur, possumus & nos quoque novum nobis dogma componere. Omnes enim hæretici*, inquit Augustinus epist. 120. ad Consent. n. 13. *qui eas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cùm suos potiùs sectentur errores; ac per hoc non quòd eas contemnant, sed quòd eas non intelligant, hæretici sunt.* Et ut observat Athanas. Or. 2. cont. Arianos p. 313. *excogitator inventorque hæreseon diabolus, metu suæ gravedolentiæ, Scripturarum voces usurpat; ut illis obtectus, adsperso veneno suo, simplices decipiat.*

[g] Sic mss. Editi verò *profutura*. Deinde *sub publica conscientia*, id est, coràm & publicè. Hoc Ambrosius in more Ecclesiæ fuisse innuit, ut episcopus in ecclesia & coràm populo de fide disputaret. Quippe jussus ut ad Imperatoris consistorium veniret, scribit epist. 21. n. 17. *Venissem, Imperator, ad consistorium clementiæ tuæ, ut hæc coràm suggererem, si me vel episcopi vel populus permisissent, dicentes de fide in ecclesia coràm populo debere tractari*: & Serm. de basilicis tradendis n. 3. Tom 2. p. 864. *Ad palatium Imperatoris irem libenter, si hoc congrueret sacerdotis officio, ut in palatio magis certarem, quàm in ecclesia . . . Causam fidei in ecclesia agendam quis abnuat?*

[h] Antiquæ editiones cum mss. *prætermitto*; quod à Lipsio non malè correctum est.

Joh. 1. 1. æterna, & erat in principio apud Deum Deus
Coloss. 1. 15. Verbum, qui est imago Dei invisibilis, in quo
Coloss. 2. 9. habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:
Philip. 2. 6. qui cùm in forma Dei esset, humilians se salutis nostræ causâ, formam servi ex conceptu Spiritus sancti de virgine accepit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem
Ephes. 1. 20. crucis: & post resurrectionem mortis deinde
Act. 10. 42. in cælestibus sedens, aderit judex vivorum & mortuorum, & rex omnium æternorum sæculorum. Est enim unigenitus Deus, & Deus verus, & Deus magnus, & super omnia Deus: & omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus Christus in gloria Dei patris est. Hæc ego in Spiritu-sancto ita credidi, ut ultra hanc de Domino Jesu Christo fidem non possim doceri: non per hæc adimens patrum fidei religionem, sed secundùm regenerationis meæ symbolum, & doctrinæ evangelicæ scientiam, ab ea juxta ista non dissonans.

Joh. 1. 18. Joh. 5. 20. Rom. 9. 5. Phil. 2. 11.

PRÆVIA DISSERTATIO
IN LIBRUM CONTRA CONSTANTIUM.

Hic liber cum aliis videtur pugnare.

I. *QUAM sibi sanctissimus Christi Confessor constantis ac moderati animi gloriam comparavit aliis libris, eam hoc uno apud plerosque pæne totam amisit. Tanta enim in omnium animis Regum reverentia insita est, ut nullam ipsi rationabilem causam fuisse putent, cur in Constantium vehementer adeo inveheretur. Eò illum adductum dixit nonnemo prolixioris exsilii impatientiâ, plurimi alii innatâ ferventioris atque austerioris animi indole. Aliis etiam visus est in hoc Opusculo sibi non constare, ac de Orientalibus eorumque fidei confessionibus necnon de vocabulo homœusion loqui aliter, quàm libro de Synodis scripserat: quasi in hoc apertè respuat ac damnet, quod in altero aut laudavit, aut excusavit. Erit fortè aliquando, qui cùm utrumque illud Opus non moribus solùm, (quia libri de Synodis verba omnia summam humanitatem spirant,) sed & sententiis dissidere posuerit, alium ab Hilario hujus auctorem quæritet: putetque hanc opinionem suam eo se posse confirmare, quòd in superioribus ad Constantium libellis longè aliter erga eumdem Imperatorem se gerat. In iis nempe morem gerit piæ consuetudini, quâ, ut ipse tradit in Psal. 13. n. 1.* quis verba regis interpretans, & præcepta ejus in aurem populi deducens, curat diligenter & cautè per officii reverentiam regis satisfacere dignitati, ut cum honore ac religione omnia & relegantur & audiantur. *Cùm autem non consuetudine solùm, sed & ea etiam ratione,* quòd omne regnum à Deo *sit, potissimam regi reverentiam deberi Fragmento 1. n. 5. approbet, ac sermo ipsius doctrinæ huic ubique concinat; eum tam subitò mutatum esse ægrè sibi persuadebit.*

Cum libro de Synodis cōciliatur.

II. *Verùm nemo obtinebit umquam, ut libellus is Hilario eripiatur, quem inter Opera illius recenset Hieronymus, quemque ipsi Facundus Hermianensis lib. contra Mocianum, necnon Vaticanæ basilicæ codex à duodecim pæne sæculis exaratus, & omnes mss. magno consensu adscribunt. Neque verò ulla est illius cum libro de Synodis pugna; sed quod in uno minùs disertè ac paucioribus verbis, in altero fusiùs & apertiùs declaratur. Certè in utroque Hilarius, animo ac sententiâ non mutatus, mutata rerum facie diversam init disserendi rationem. Ubi enim speravit Orientales ad veram fidem & catholicæ Ecclesiæ sinum revocare, errores ipsorum, quantum licuit illæsa veritate, & dissimulavit & excusavit. Ubi verò spe jam frustratus, timuit ne dissimulati in perniciem fidei crescerent, eosdem & publicavit palam & improbavit. Quamquam ut in libro de Synodis Orientales Ecclesiæ conciliandi studio non ita abreptus est, ut quod in eis esset reprehendendum taceret: sic & in hoc libello ita se temperat, ut cùm omnes eorum fidei professiones improbet, eas tamen non neget vitiis carere potuisse. Luculentum est illud num. 24.* Etiamsi in his omnibus (*confessionibus*) nihil vitiorum subjacere affirmetur; non tamen causa religiosæ voluntatis inesset: quia mali meditatio est bonorum demutatio. *Rursùm cùm num. 23. affirmet, Nicæna fide fundatos, Antiochena aut Sardicensi aut Sirmiensi non egere; ultro tamen concedit, quædam in his esse verba Arianis* inimicissima, *quorum professione Constantius*

Constantius sese pium *apud Occidentales mentiebatur. Neque etiam homœusion, quamvis num. 25. sibi* ad fidem otiosum *asserat, prorsus respuit; sed ea omnino ratione, qua libro de Synodis, illud approbat num. 22. ubi ait*, Mihi quidem similitudo, ne unioni detur occasio, sancta est. *Quis denique eum erga Orientales, qui homœusion propugnabant, aliter affectum existimet; quem non semel audit Constantio exprobrantem quòd vim eis fecerit, ut pristinam fidem desererent? Non obscurè quidem significat num. 12. sibi non satis probatam eorum fidem; ibi tamen eorum aliquos nonnulla piè verbis præferre testificatur: in vituperando non minùs, quàm in laudando moderatus.*

III. *Pluribus opus esse non arbitramur, ut vulgaris ruat opinio, qua Hilarium hoc libro retractasse ac revocasse putant, quod libro de Synodis in gratiam Orientalium disseruerat. Difficilius fortè erit satis iis facere, qui immiti eum animo fuisse ex hoc libro arguunt, aut saltem in eo ingenitæ bonitatis atque lenitatis esse oblitum. Illis tamen primò opponimus Rufinum, non solùm conceptis verbis testantem quòd* naturâ lenis erat & placidus, *sed & verba sua ex gestis ipsius confirmantem. Rarus certè erit, apud quem non multùm valeat testimonium tam insigne: at nullus esse debet, quem non moveat antiqua Ecclesiæ consuetudo, qua olim in ipso sacrosancti sacrificii sui meditullio, in Præfatione scilicet ante Canonem, Hilarium* morum lenitate pollentem *decantabat.* Innata Hilarii lenitas vindicatur ex testimonio veterũ. *Rufin. lib. 1. hist. eccl. c. 31.*

IV. *Quibus verò de ipso hic liber aliam sententiam injecit, expendendum est primò quando scriptus sit. Scriptum porro invenient post Seleuciense Concilium, eo ipso tempore quo, Sozomeno teste lib. 4. c. 25.* omnes ubique Ecclesias quædam quasi persecutio occupavit, cujusmodi olim sub ethnicis Imperatoribus grassata fuerat. *Tum ubi perspexerint, præcipuum persecutionis hujus auctorem fuisse Constantium, persecutionis genus attendant. Certè ille dolis magis quàm aperta vi tentans fidem exstinguere, animas tanto plures occidebat, quanto magis parcebat corporibus. Quamvis enim lupus, ovis tamen audire ac videri appetebat. Nec deerat unde deciperet, qui verbis utebatur veritatis speciem mentientibus, pacem & unitatem obtendebat, & inter minas ac supplicia jactitabat sese Conciliorum placita vindicare. Eo autem periculosior erat illa persecutio, quòd episcopis ipsis utebatur Constantius velut ministris, quò omnes ad hæresim quam amplexabatur attraheret: ut verè de eadem persecutione institutum sermonem prosequens Sozomenus dixerit,* Etsi hæc, quod quidem ad cruciatus attinet, remissior videbatur, prudentibus tamen viris propter infamiam visa est acerbior. Utrique enim, & is qui persequebatur, & ille qui persecutionem sustinebat, ex Ecclesia erant. Constantii palliata impietas ac nefaria persecutio.

V. *Pseudoepiscopi illi, ut moris est iis qui causæ iniquæ assensionem elicere tentant, Constantii nomine, auctoritate, virtutibus sive veris sive fictis, omni denique ratione qua poterant, fucum facere conabantur. Alius itaque, quantum ex hoc libro subodorari est, extollebat Constantii in ecclesiis construendis & adornandis magnificentiam, alius reverentiam erga episcopos laudabat. Ille in comprimendis hæresibus, hic in cogendis synodis studium ac sedulitatem in medio ponebat. Ipse etiam Constantius (quod Lucifer fusiùs prosequitur) non modò pietatis, sed & doctrinæ gloriam sibi arrogabat. Condebat fidem, cui ab episcopis subscriberetur, illos lubentissimè auscultans assentatores, qui cum episcopis Arimini lapsis ipsi rescriberent,* Inlustrati pietatis tuæ scriptis maximas Deo retulimus & referimus gratias, quòd nos beaveris, intimans nobis illa, quæ cum discursione pietatis tuæ facere deberemus. *Plurimi denique ubi Constantii benignitatem, religionem, pietatem commendarant, sumebant non passurum fuisse Deum, ut rex tam pius tamque religiosus fidem tueretur non rectam; nec levem re ipsa optimæ illius fidei esse notam atque fructum, incredibilem ipsius regni prosperitatem. Multa alia præterimus, quæ populos edictis, minis, suppliciis territos, palliatam Constantii perfidiam tum deprehendere non permittebant.* Pseudoepiscoporum adulatione laudata. *Fragm. 8. n. 1.*

VI. *Quærendum hìc venit, num Hilario licuerit pallium amovere, hoc est, num pastori licuerit lupum latentem detegere, num Præsuli hostem fidei insidiantem Christianis manifestum facere. Certè cùm Constantius, uti monstratum est, pellem ovinam præ se ferret, & animum lupinum; alterutrum videbatur amanti Ecclesiæ præsuli necessariò præstandum, aut ipse nimirum persuadendus ut lupinum animum deponeret, aut admonendi populi, ne ipsos pelle ovina deciperet. Primum illud, quod moderato viro magis consentaneum, primò* An vero Pastori dissimulanda fuerit.

etiam tentavit Hilarius, cùm libello dato audientiam ab Imperatore reverentissimè poposcit, spoponditque se, si copia de fide coram ipso disputandi sibi fieret, pari reverentia locuturum. At non obtinuit illud, quo nutanti Ecclesiæ, illæso Augusti nomine, consultum peroptasset. Restabat igitur alterum, ut cùm lupum arcere aut mutare non valeret, oves adversùs illius insidias saltem munire conaretur. Is est totus hujus libri scopus. Illum enim, non ad Constantium insultandi ei causâ, sed ad Catholicos instruendi & exhortandi gratiâ directum esse infrà demonstrabimus.

Sermonis vehementis ratio.

VII. *At sermo vehementior? Frigidus fortè nihil profecisset, ubi persecutio incalescebat: nec sine clamore auditus fuisset ab iis, quorum animos jam perturbarat ingens edictorum Constantii strepitus.*

Quî Constantium antichristū vocet Hilarius.

VIII. *Si autem vehemens, non debuit certè esse contumeliosus: nec moderati animi esse putant, quòd Constantium in eo non semel legant antichristum appellatum. Hoc nimirum nomen horrent piæ aures, quo quidquid exsecrandum dici aut animo fingi potest, cogitant. At Constantium vulgari illa notione nec dixit nec sensit Hilarius antichristum: sed ea tantum ratione, qua Johannes scripsit*, Antichristus jam venit, & nunc antichristi multi facti sunt. *Quod subinde explicans*, Hic est, *inquit*, antichristus, qui negat Patrem & Filium. *Ut enim notatur contra Auxent. n. 2.* nominis antichristi proprietas est, Christo esse contrarium. *At verò Constantium Christo contrarium quis neget? Neque aliter eum à se antichristum vocari non obscurè significat Hilarius his num. 7. verbis:* Christianum te mentiris: Christi novus hostis es, antichristum prævenis, & arcanorum ejus mysteria operaris. *Sanè qui antichristum prævenit, alius ab eo sit necesse est.*

1. Joh. 2. 18.
Ibid. 22.

Non tam illum carpere, quàm Ecclesiam tueri vult.

IX. *Illum igitur ut hostem, se verò ut militem Christi respiciens, indignum putavit ut commilitonibus non prodesset, quem latendo pluribus nocere posse prævidebat. Quod ita effecit, ut à ceteris Constantii vitiis carpendis sese temperarit. Cæsareæ enim majestati, quantum in se erat, nihil ereptum volens, dum divinitati Christi suum jus & honorem integrum & illæsum servare unicè contendebat; hoc tantùm indignè tulit, quod de jure Christi sublatum videbat. Denique cùm Constantium Ecclesiæ Christi non minùs infestum existimaret, quàm olim fuerant Decius, Maximianus aliique tyranni; dignum ipsius fortitudine videbatur, ut martyrii spe accensus eo quo poterat modo Ecclesiæ consuleret.*

Nihil ex vehementi sermone contra innatam lenitatem confici.

X. *Si quis rursum hoc eum vehementiori sermone præstitisse volet, ad memoriam quidem revocabit, quod Gregorius Nazianz. Or. 21. n. 33. de sanctis viris illa tempestate exsistentibus memoravit:* Qui tametsi alioqui pacati ac moderati sint, hac tamen in re lenes & faciles esse non sustinent, cùm per silentium & quietem Dei causa proditur; verùm admodum bellaces sunt atque in confligendo acres & feroces: *at apud æquos rerum æstimatores numquam efficiet, ut eum præ nimia morum austeritate animi impotentem existiment, quem* morum lenitate pollentem *tum antiquitatis testimonio, tum totius vitæ gestis didicerint. Eum Spiritus-sancti impulsu potiùs, quàm bilis commotioris impetu, ad hoc Opus adductum credent, cujus animus quinquenni exsilio nihilo segnior, sed probatior atque fortior factus esse inde ostenditur, quòd brevì postea illius ope tam uberes in Ecclesiam fructus redundarint. Quis enim nesciat prudentiæ ejus, quam singularis morum lenitas condiebat, nos debere totius propè Occidentis reconciliationem? Hanc quippe proximè post hunc librum aggressus, felicem tandem ad exitum perduxit. Si enim Sulpicium audiamus*, illud apud omnes constitit, unius Hilarii beneficio Gallias nostras piaculo hæresis liberatas. *Quod autem Sulpicius Galliis nostris, hoc eum Rufinus Italiæ suæ atque Illyrico non minùs morum lenitate quàm doctrinâ præstitisse testificatur. Eo etiam pacto progressus compescuit Luciferiani schismatis, quod à nimia austeritate exortum, coerceri nisi contraria animi affectione non debuit.*

Sulpic. lib. 2.
Rufin. lib. 1. hist. eccl. c. 31.

Plura moderationis Hilarii exempla ex hoc libro depromta.

XI. *Re vera Facundus contra Mocianum in Hilarium velut in moderationis exemplar respici jubet, & quæ in hoc ipso libro præbet virtutis hujus exempla, adversariis suis, quos zelo ferventiori peccare existimat, imitanda proponit. Et certè à Facundo* moderatus ac prudens Ecclesiæ gubernator *ex eo libro approbari meritò potest, dum duobus tribusve hæreseos fautoribus negata communione, ceteris resipiscendi facultatem indulgendam decernit; dum hoc decretum suum Confessorum judicio ac placito permittit; dum nullam respuit ineundæ pacis honestam conditionem; dum etsi iniqua factione relegatus, toto tamen exsilii sui*

tempore nihil contra hæreticos scribit famosum aut maledicum; dum Seleuciæ & Constantinopoli ita cum omnibus urbanè se gerit, ut Anomœis etiam, à quibus vehementer abhorrebat, facilem ad se aditum præbeat, ac placidè & tranquillè blasphemias eorum auscultet; dum denique sermone usurus vehementiori, ad id se non suâ sed Christi causâ adductum esse tantâ curâ tantoque studio præmonstrat.

XII. *Quæ cùm ita sint, singulare singularis viri factum piè venerari tutius est, quàm temere reprehendere. Si enim ob asperum sermonem Hilarium animi immitis arguere liceat; licebit fortè & Stephanum, ubi in Judæos tam acerbè invehitur, pariter bilis commotioris accusare; sui quoque impotentes fuisse arguentur prophetæ, qui principum vitia tanta libertate reprehenderunt; nec parcetur ipsi mansuetudinis exemplari Domino nostro, & ab innata cordis lenitate videbitur excidisse, ubi Pharisæos tam amarè tamque acerbè increpavit. Quin potiùs quod de Stephano sensit ac dixit Augustinus*, Quasi sæviebat Stephanus, sæviebat ore, corde diligebat; *hoc sentiamus ac dicamus de Hilario nostro*, Quasi sæviebat Hilarius, sæviebat calamo, corde diligebat. Apologiæ conclusio. *August. in Psal. 132. n. 8.*

XIII. *Hoc Opus in mss. Colbertino & Martiniano* epistola *non malè nuncupatur; quamvis non placeat quòd in iisdem* ad Constantium Imperatorem transmissa *subinde notetur. Ad eos enim epistola transmissa censenda est, quos illius scriptor in principio alloquitur, non ad quos deinde per locutionem figuratam sermonem convertit. Toto autem hujus Operis exordio alloquitur Hilarius* Fratres, *ad quos etiam redit num. 12. &c. Ad Constantium igitur non est sermo nisi figuratus: qua figura Orientales diu copioséque alloquitur in libro de Synodis, quamvis non ad illos, sed ad Gallicanos episcopos destinato. Non est itaque assentiendum Chiffletio, qui * hunc librum aut* in Constantium *aut* ad Constantium *indifferenter inscribi posse voluit.* Epistola est Catholicis, non Constantio inscribenda. * *notis in Ferrand.*

XIV. *Inscribitur in perantiquo basilicæ S. Petri codice, ut & in Telleriano*, liber in Constantium Imperatorem; *in aliis autem mss.* liber contra Constantium Augustum: *quibus cùm temere addidisset Erasmus*, jam vitâ functum; *posterioribus tamen editionibus castigatus non fuit. Errandi occasio ei nata est ex verbis Hieronymi, inter Hilarii Opera librum in Constantium post mortem ipsius scriptum recensentis. Et Hieronymus quidem cùm unicum Hilarii librum in Constantium memoret, cúmque ex hoc libro, qui præ manibus est, verba quædam, uti jam annotavimus, epist. 27. ad Eustochium exprimat; nullum ferè dubium est, quin hunc ipsum post mortem Constantii scriptum crediderit. Ipse tamen Hilarius num. 2. conceptis verbis testatur, eum se quinto anno post exsilia Eusebii, Luciferi & Dionysii, hoc est, quinquennio post Concilium Mediolanense anni 355. proindeque anno 360. uno ante Constantii mortem scripsisse. Neque ambigendum videtur, quin illum scripserit cùm Constantinopoli versaretur, post quàm de fide coràm disputandi potestatem sibi fieri enixè poposcisset, nec impetrasset, immo etiam post quàm ibidem inchoasset Seleuciensis atque Ariminensis Concilii historiam. Verùm propter verba Hieronymi libenter assentiemur iis, qui hunc licèt ante mortem Constantii scriptum, editum tamen volent dumtaxat post mortem ipsius: maximè cùm paulo pòst Hilario in Occidentem redeundi facta potestate, facultas ei data sit hoc apud suos longè faciliùs atque liberiùs per se præstandi, quod per hunc librum facere proposuerat.* Vivo Constantio scriptus est hic liber.

XV. *Rursum Erasmi opinioni, qua hunc librum imperfectum existimavit, subscripsère quotquot post eum Hilarii Opera ediderunt. Nobis contrà non modò integer & absolutus, sed & ab aliena manu ex libris de Trinitate non mediocriter auctus apparet; eorum forsitan operâ, qui ex variis eorumdem librorum centonibus libros de Patris & Filii unitate, necnon de Essentia Patris & Filii contexuerunt. Hæc accessio antiqua quidem est, cùm etiam in ms. Colbertino ab annis circiter 600. exarato, & Martiniano qui hunc antiquitate superat, necnon in aliis septem exstet; ab auctore tamen minimè prodiisse facilè judicatur, tum quia fragmentis constat inter se omnino dissolutis, tum quia tota abest à laudato S. Petri codice omnium longè veterrimo.* Non est imperfectus, sed à manu peregrina auctus.

XVI. *Totum hoc Opus in sex partes distribui commodè potest. Prima orationis tam vehementis rationes præmittit. Perstringit secunda persecutionem, quam Constantius à Concilio Arelatensi usque ad Ariminense, sive blanditiis ac simulatione ovem se mentiens, sive minis ac suppliciis lupum agens excitavit. Gesta Seleuciensis synodi tertia attingit. Concilii* Synopsis.

ejusdem fidem, qua Filium Patri secundùm Scripturas similem *definierat, dictumque Constantii*, Nolo quæ non scripta sunt dici, *sugillat quarta atque confutat, Filii & Patris demonstrans æqualitatem. Quinta Arianorum ipsiusque Constantii in fide inconstantiam repræsentat. Postrema denique, si tamen libri hujus pars dici potest, quæ licèt Hilarii verbis constet, à peregrina tamen manu adtexta est, Patris naturam & æternam Filii nativitatem humani ingenii vires superare declarat.*



SANCTI HILARII
PICTAVENSIS EPISCOPI
CONTRA
CONSTANTIUM IMPERATOREM.
LIBER * UNUS.

* Scriptus anno 360.

Exhortatio ad certandum pro fide.



EMPUS est loquendi: quia jam A præteriit tempus tacendi. Christus exspectetur: quia [a] obtinuit antichristus. Clament pastores: quia mercenarii fugerunt. Ponamus animas pro ovibus: quia fures introierunt, & leo sæviens circuit. Ad martyrium per has voces exeamus: quia angelus satanæ transfiguravit se in Angelum lucis. Intremus per januam: quia nemo vadit ad Patrem nisi per Filium. (*Joh. 14. 6.*) Manifestentur in pace sua pseudoprophetæ: B quia in hæresi & schismate manifestabuntur probati. Sustineatur tribulatio, qualis non fuit à constitutione mundi: sed intelligantur breviandi dies propter electos Dei. (*Matth. 24. 22.*) Impleta est prophetia, dicens, *Erit tempus, quando sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros scalpentes aures: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*: (*2. Tim. 4. 3.*) sed exspectetur promissio protestantis, *Beati estis, cùm vos maledi-* C *cent, & persequentur, & dicent omne malum adversùm vos propter justitiam. Gaudete & exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo. Sic enim persecuti sunt & prophetas qui erant ante vos.* (*Matth. 5. 11. & 12.*) Stemus ante judices & potestates pro Christi nomine: quia beatus est, qui usque in finem perseveraverit. (*Matth. 10. 22.*) Non timeamus eum, qui potest corpus occidere, animam autem non potest: sed timeamus eum, qui potest corpus & animam occidere in gehennam. (*Ibid. 28.*) Nec solliciti de nobis simus: quia capilli capitis nostri numerati sunt. (*Ibid. 30.*) Et per Spiritum-sanctum sequamur veritatem: ne per spiritum erroris credamus mendacio. Et commoriamur Christo: ut Christo conregnemus. Ulteriùs enim tacere, diffidentiæ signum est, non modestiæ ratio: quia NON MINUS periculi est, semper tacuisse, quàm numquam.

(*Ut Hilarius in tuenda fide semper paci studuerit.*)

2. Ego, Fratres, ut mihi omnes, qui me vel audiunt vel familiaritate cognitum habent, testes sunt, gravissimum fidei periculum longè antea prævidens, post sanctorum virorum exsilia [b] Paulini, Eusebii, Luciferi, Dionysii, quinto abhinc anno, à Saturnini & Ursacii & Valentis communione me cum Gallicanis episcopis separavi, indultâ ceteris consortibus eorum resipiscendi facultate: ut nec pacis abesset voluntas, & principalium morborum fœtida, & in corruptionem totius corporis membra [c] proficientia desecarentur; si tamen hoc ipsum

[a] In tribus mss. *obticuit.* Rectiùs in aliis, *obtinuit*, supple, *Imperium*, aut quid simile. Constantium antichristi præcursorem coràm vocare non trepidarunt Romanæ Ecclesiæ legati. *Cùm te*, ait ad ipsummet Lucifer lib. 1. pro Athanasio, *urgeremus nos legati beatæ Ecclesiæ, sectam damnandam Arii, & illam dixisti magis esse catholicam; prænuntiavimus te antichristi fuisse præcursorem.*

[b] Paulinum ab Arelatensi synodo anno 353. desinente è sua sede pulsum esse constat tum ex libello 1. ad Constantium n. 8. tum maximè ex Fragmento 1. n. 6. Luciferum autem, Eusebium ac Dionysium à Mediolanensi an. 355. Neque ignoravit Athanasius quid utraque illa synodo gestum sit, de quibus scribit ad Solitarios pag. 829. *Cùm autem esset* (Imperator) *Arelate & Mediolani, omnia pro hæreticorum adhortatu suggestioneque faciebat: vel potiùs illi ipsi agebant insultabantque in omnes Cæsaris potestate succincti.* Quia tamen ille Apolog. pag. 692. quemadmodum hîc noster Hilarius, Paulini exsilium unà cum exsiliis Eusebii, Luciferi ac Dionysii memorat; factum est ut Socrates lib. 2. cap. 36. & Rufinus lib. 1. hist. eccl. c. 19. Paulinum cum ceteris ab una synodo Mediolan. in exsilium trusum esse existimarint. Immo his addit Rufinus Hilarium atque Rodanium: qui à Sulpicio Severo pariter superioribus adjunguntur. Unde Blondellus Hilarium anno 354. relegatum scribit. At hos omnes exsilio conjunxit, non tempus, sed causa una, Athanasii scil. ac fidei Nicænæ defensio.

[c] Apud Par. *proficienda.* In codice Vat. bas. *proficiscentia.* In Colb. & Martin. *profitentia.* Malumus cum aliis, *proficientia.* Namque ut in bonam, ita & in malam partem Hilario familiare est verbum *proficere.* Quàm scierit inter lepram & lepram, inter seductos ac seductores Arianos dijudicare, hoc loco probat; quamvis Erasmo aliter scribere placuerit.

beatissimis confessoribus Christi editum decretum [a] tum à nobis manere placuisset. [b] Qui postea per factionem eorum pseudoapostolorum ad Biterrensem synodum compulsus, cognitionem [c] demonstrandæ hujus hæreseos [d] obtuli. Sed hi timentes publicæ conscientiæ, audire ingesta à me noluerunt: putantes se innocentiam suam Christo posse mentiri, si volentes nescirent, quod gesturi postmodum essent scientes. Atque exinde toto hoc tempore in exsilio detentus, neque decedendum mihi esse de Christi confessione decrevi, neque honestam aliquam ac probabilem ineundæ unitatis rationem statui respuendam. Denique exinde nihil [e] in tempora maledictum, nihil in eam, quæ tum se Christi ecclesiam mentiebatur, nunc autem antichristi est synagoga, famosum ac dignum ipsorum impietate scripsi, aut locutus sum: neque interim criminis loco duxi, quemquam aut cum his colloqui, aut suspensa licèt communionis societate, orationis domum adire, aut paci optanda sperare; dum erroris indulgentiam, ab antichristo ad Christum [f] recursum, per pænitentiam præpararemus.

Ut modestiam cum adversariis servavit.

V. lib. de Synod. n. 4. & 8.

3. Si quis igitur prudens rationem silentii mei percipit; profectò me usque nunc recentis injuriæ acerbitatem moderatum, nunc demum fideli in Christo libertate [g] testante, non aliquo vitio humanæ perturbationis, ad hæc scribenda arguet incitatum. Neque enim immaturè loquar, qui diu tacui: nec sine modestia tacui, qui aliquando jam loquor: neque injuriam queror, qui dissimulavi recentem; & qui, ne quid ex causa mea loqui existimarer, [h] tantum adhibui ad silentium temporis. Nunc mihi non alia ad dicendum causa, quàm Christi est: cui & hoc debui, quòd usque nunc tacui; & * ex reliquo me intelligo debere, ne taceam.

Quod jam dicturus est, non est impatientiæ sed libertatis Christianæ.

* *supple*, cui.

4. Atque utinam illud potiùs, omnipotens Deus & universorum creator, sed & unius Domini nostri Jesu Christi pater, ætati meæ & tempori præstitisses, ut hoc confessionis meæ in te atque in unigenitum tuum ministerium Neronianis, Decianisve temporibus explessem. Nec ego, per misericordiam Domini & Dei filii tui Jesu Christi calens [i] Spiritu-sancto, equuleum metuissem, qui desectum Esaiam scissem: nec ignes timuissem, inter quos Hebræos pueros cantasse meminissem: nec crucem & fragmenta crurum meorum [k] vitassem, postquàm in paradisum translatum latronem recordarer: nec profundum maris & Pontici æstus absorbentem rheumam trepidassem, cùm per Jonam & Paulum docuisses fidelibus esse in mari vitam. Adversùs enim absolutos hostes tuos felix mihi illud certamen fuisset; quia nec dubium relinqueretur, quin persecutores essent, qui ad negandum te pœnis, ferro, igni compellerent: neque ad testificandum plus tibi nos, quàm mortes nostras liceret impendere. Pugnaremus enim palam & cum fiducia contra negantes, contra torquentes, contra jugulantes: & nos populi tui, tamquam duces suos, ad confessionis religionem intelligentiâ persecutionis publicæ comitarentur.

Persecutorum optat tempora.

5. At nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem [l] blandientem, contra Constantium antichristum: qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat; non

Constantii persecutio qualis.

[a] Septem mss. *edita decreta tum.* Alii duo *editum decretum*, sine particula *tum.* Decreti hujus condendi Hilarium auctorem præcipuum exstitisse valde probabile est. In hunc locum haud dubiè respicit Facundus Hermian. epist. ad Mocianum, ubi cum iis, qui Calchedonense Concilium impugnabant, communionem non ineundam esse contendens, ait, *Hoc cum suis collegis Hilarius fecit, qui nullo adhuc in præjudicium Nicæni Concilii procedente decreto, cùm prima contrariorum molimina præsumsissent, properaverunt ab eorum se communione dividere.*. Plusculum tamen ei attribuit. Non enim omnia morbida membra desecat, sed *in corruptionem totius corporis proficientia*, tres scil. episcopos dumtaxat: neque hoc statim post prima eorum molimina; sed post quàm Mediolanensi synodo prosecuti sunt, quod Arelatensi primùm tentarant. Etsi latet an hoc decretum confirmarint sancti Confessores, certè non aliam regulam secuti sunt, qui an. 362. Alexandriæ congregati, uti narrat Rufinus lib. 1. cap. 28. sanxerunt, *ut tantùm perfidiæ auctoribus amputatis, reliquis sacerdotibus daretur optio, si fortè velint, abjurato errore perfidiæ, ad fidem patrum statutaque converti.* Deinde, uti loquitur Hieronymus Dial. contra Lucif. *assensus est huic sententiæ Occidens, & per tam necessarium consilium satanæ faucibus mundus ereptus est.* Ita Innocentius Papa patres Concilii Milevitani regulæ eidem adhærentes confirmat his verbis: *Ut durum arbitror conniventiam præstare peccantibus: ita impium judico manum negare conversis.* Ea quoque Leone teste epist. nunc 125. ad Leonem c. 1. in Calchedonensi Concilio servata est moderatio, *ut rebellibus tantùm ac pertinacibus ab Ecclesiæ unitate rejectis, nulli correcto venia negaretur.* Quod Leo ipse approbat epist. aliàs 39. nunc 59. *quia devotionis utrumque est Christianæ, ut & pertinaces veritas justa coerceat, & conversos caritas non repellat.*

[b] Editi, *quibus postea*; mox Bad. Er. Mir. & Lips. *ad Biturensem synodum compulsis*, Par. *ad Betherensem synodum compulsis*: emendantur ex mss. è quibus soli Martin. & Colb. habent, *à Byterensi synodo compulsus*: minùs verè. Hilarius hîc paucis perstringit quî ad Biterrensem synodum an. 356. venerit, tum quid in ea gesserit, ac tandem ob quid ex ea in exsilium pulsus sit.

[c] Verbum *demonstrandæ*, ab Erasmo primùm expunctum, restituimus ex Bad. & mss.

[d] Martinianum exemplar cum Colb. *audientibus obtuli. Sed hi timentes propriæ conscientiæ pondus, audire* &c. Magis placet cum aliis, *timentes publicæ conscientiæ*, supple, *manifesti fieri.* Hunc suum timorem jam ab anno superiore prodiderant; *verentes enim populi judicium è Dominico ad palatium transierunt*, uti legimus lib. 1. ad Constantium n. 8. cùm contrà Hilarius nihil magis in votis haberet. Hoc Biterris nondum exsul, hoc exsul Constantinopoli enixè rogavit, ut de fide *sub publica conscientia* differendi facultas sibi daretur. Quod Ariani constanter reformidantes, eum post primam petitionem in exsilium, post alteram in patriam miserunt.

[e] Bad. Er. & Mir. cum mss. *in tempore.* Tum ex his duo, *maledicum.* His verbis se præstitisse significat, quod lib. 10. de Trinit, n. 4. proposuerat, ubi ait, *De temporibus non queremur*, &c.

[f] Editi, *recurrentium*: obnitentibus omnibus mss. quibus favet illud cap. 2. in Matth. n. 2. ubi per pænitentiam *reditus ab errore & recursus à crimine* esse dicitur. Tum quatuor mss. *præparemus*: alii duo, *præparamus.*

[g] In mss. Colb. & Martin. *libertate stantem*: quod Bandinus ac Latinius legendum esse conjectarunt.

[h] Apud Lips. & Par. *tamen adhibui ad silentium tempus.* Rectiùs aliis in libris, *tantum... temporis*, scil. quadriennium, quod jam in exsilio exegerat.

[i] Auctoritate ms. Martin. adjecimus *Spiritu-sancto.* Hic Hilarii locus cum simili Chrysostomi epist. 125. Cyriaco conferendus.

[k] Martin. & Colb. mss. *crurium meorum formidaßem*: & infrà *undam*, pro *rheumam.* Non obscurè hîc significat Hilarius, id Martyribus proximè post mortem donari, quod latroni concessum est. Atqui paradisum ei datum vocat in Psal. 141. n. 6. *sortem & regnum hereditatis suæ*, id est, Christi; & lib. 10. de Trin. n. 34. *consummatæ beatitudinis delicias.* Nec proinde dubitasse videtur, cælestem beatitudinem Martyribus non differri.

[l] Falsas illas Constantii blanditias Lucifer lib. moriendum pro Dei filio pariter arguit his verbis: *In hoc verò scelestissimus judicaris, quòd sub specie dilectionis & consulere cupiens, ad nos blandiaris dejiciendos.* Sic Athanasius ad Solit. p. 838. narrat Osium à Constantio devictum *nunc quidem blandiente, patremque eum appellante, nunc interminante & relegatos enumerante* &c.

a proscribit ad vitam, sed a ditat in mortem; non trudit carcere ad libertatem, sed intra
b palatium b honorat ad servitutem; non latera vexat, sed cor occupat; non caput gladio desecat, sed animam auro occidit; non ignes publicè minatur, sed gehennam privatim accendit. Non contendit, ne vincatur; sed adulatur, ut dominetur. Christum confitetur, ut
c neget; c unitatem procurat, ne pax sit; hære-
d ses d comprimit, ne Christiani sint; sacerdo-
e tes honorat, ne episcopi sint; e ecclesiæ tecta B struit, ut fidem destruat. Te in verbis, te in ore circumfert; & omnia omnino agit, ne tu
f f Deus ita, ut Pater, esse credaris.

Hilarius à maledicti suspicione se purgat.

6. Cesset itaque maledictorum opinio, & mendacii suspicio. VERITATIS enim MINISTROS decet vera proferre. Si falsa di-
g cimus, infamis sit sermo g maledicus: si verò universa hæc manifesta esse ostendimus, non sumus extra apostolicam libertatem & modestiam, post longum hæc silentium arguentes. C Sed temerarium me fortè quisquam putabit, quia dicam Constantium antichristum esse.
h Quisquis h petulantiam istud magis quàm constantiam judicabit, relegat primùm Johan-
Marci 6. 18. nem dixisse ad Herodem, *Non tibi licet facere istud*: sciat à Martyre esse dictum regi
2. Mach. 7. 9. Antiocho, *Tu quidem iniquus de præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro*
i *suis legibus* i *in æternam vitam in resurrectione suscitabit*: & rursum beata fidelique voce alium D
Ibid. 16. & 17. increpasse, *Potestatem*, inquit, *inter homines habens, cùm sis corruptibilis, facis quod vis: noli au-*

A *tem putare genus nostrum à Deo esse derelictum. Patienter sustine, & vide, magna potestas ipsius qualiter te & semen tuum torquebit.* Et quidem ita pueri. At verò femina nihil minus perfectis & beatis viris locuta est, dicens, *Tu verò, qui* Ibidem 31. &c.
inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non
effugies manum Dei. Si enim nobis k *vivis propter* k
increpationem & correptionem Dominus modicùm
iratus est, sed iterum l *reconciliabitur servis suis.* l
Non est istud temeritas, sed fides; neque inconsideratio, sed ratio; neque furor, sed fiducia.

Constantius Neroni, Decio &c. confertur.

7. Proclamo tibi, Constanti, quod Neroni locuturus fuissem, quod ex me Decius & Maximianus audirent: Contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sævis, sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, religionem tollis, ty-
rannus m non jam humanorum, sed divinorum es. Hæc tibi à me atque illis socia atque communia sunt: at verò nunc propria tua accipe. Christianum te mentiris, Christi novus hostis es: antichristum prævenis, & arcanorum
mysteria ejus operaris. Condis n fides, contra n
fidem vivens. Doctor profanorum es, indo-
ctus piorum. o Episcopatus tuis donas, bonos o
malis demutas. Sacerdotes custodiæ mandas,
exercitus tuos p ad terrorem Ecclesiæ disponis, p
synodos contrahis, & Occidentalium fidem ad impietatem compellis; conclusos urbe * una minis terres, fame debilitas, hieme conficis, dissimulatione depravas. Orientales autem
D dissensiones artifex nutris, q blandos elicis, q
fautores instigas: veterum turbator es, profanus novorum es. Omnia sævissima sine

* Ariminensi.

a Multos hac arte delusos esse testificatur Liberius apud Theodoretum lib. 2. hist. eccl. c. 16. dum ait, *Quicumque non diligunt gloriam Dei, ii tua munera anteponentes, eum, quem ipsi non viderant nec judicaverant, condemnarunt.* In his *Potamius*, ut Faustinus & Marcellinus lib. ad Imp. aiunt, *primùm quidem fidem catholicam vindicans, postea verò præmio fundi fiscalis, quem habere concupierat, fidem prævaricatus est.* Tales vocat Gregorius Naz. Or. 21. *auri magis quàm Christi amantes*, φιλοχρύσους μᾶλλον ἢ φιλοχρίστους: additque Constantium bona pauperum in malos illos usus insumsisse. Quamquam in mss. Colb. & Martin. desideratur, *non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem*: neque hoc verè diceretur, si *proscriptio* solum exsilium, non etiam bonorum & capitis multam sonaret: plurimos enim exsilio jam punierat. Vel certè hîc exhibetur Constantius, qualis videri affectabat. Nam licèt Lucifer lib. mor. pro Dei filio de ipso scribat: *Spolias, proscribis, mactas gladio* &c. postea tamen subjicit, *Qui in innocentes tam rabidè sævis, Christianum te, pium, prudentem atque justum videri posse censes.*

b Vat. bas. aliique duo mss. *onerat*: quod notamus, quia infrà legere est, *sacerdotes honorat.*

c Hanc saltem obtendebat. Ipsa Constantii in Concilio Mediolanensi an. 355. verba refert Lucifer lib. de non conven. cum hæret. *Dixisti, Pacem volo firmari in meo Imperio, cupiens violare in nobis pacem dominicam, scindere desiderans Dei populum*, &c. rursum post pauca, *Nobis dicebas, Pacem volo fieri*: & circa initium, *Dixisti nos fuisse atque esse inimicos pacis, hostes unitatis, adversarios etiam fraternæ caritatis.*

d Photini videlicet, uti declaratur infrà num. 23. *Omnem rursum adversùm Photinum Sirmium catholicæ doctrinæ tuæ commoves curam.*

e Ita & Lucifer lib. 1. pro Athanasio Imperatorem alloquitur: *quòd cùm sis memorias Martyrum instaurans, tamen servorum unius filii Dei cruorem fundas.* & Theodoretus lib. 3. hist. eccl. c. 12. testis est, Constantium splendidis ac magnificis vasis templa ditasse.

f In vulgatis & aliquot mss. *ne tu ut Deus, ita pater.* Præferimus cum Vat. bas. Martin. Colb. & Carn. *ne tu Deus ita, ut Pater*, supple, *est Deus*: ut ad Christum referatur, *Te in ore* &c. cujus divinitatem paternæ inæqualem Constantius inducere velle reprehenditur.

g Exemplar Vat. bas. *maledicens.*

h In ms. Carnut. *petulantiâ istud magis quàm constantiâ dici.*

i Colbertinus codex cum Martin. *in æternæ vitæ resurrectionem suscitabit.* Græcè, εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς ἡμᾶς ἀναστήσει.

k Silvæ majoris ms. *unus.* Colb. *nunc.* Magis placeret, *vivus* vel *vivens*, juxta græcum verbum ζῶν.

l In excusis, *recordabitur.* Rectiùs mss. Colb. & Martin. *reconciliabitur*: consentiente græco, καταλλαγήσεται.

m hoc est, non jam humanarum, sed divinarum rerum tyrannus es. Hæc à me dicta, tibi atque illis socia & communia sunt. Unde hîc non notantur quæcumque hactenus dicta sunt; (nam Constantii maximè sunt propria quæ ante hunc numerum 7. continentur,) sed quæ Hilarius Neroni ac Decio se proclamaturum fuisse proximè testificatus est.

n Editi, *condis fidem.* Concinniùs ms. Vat. bas. cùm aliquot aliis, *condis fides* numero plures, & perinde falsas: *contra fidem vivens*, eam scil. quæ una & vera est, nec animo nec moribus tenens. Fides illas intelligit, frequentes fidei expositiones Constantio præsente vel favente scriptas; aut etiam libros illos, de quibus Lucifer de non parcendo in Deum delinquentibus, *Quantum enim apud te est, tradidisti eum* (Christum,) *de quo & libros scriptos dedisti, & prædicatores benigni voti in omni loco constituisti*: & sub initium ejusdem libri, *Convincent te libelli recitati à te, ac dati Romæ episcopis etiam catholicis, ad hoc videl. ut in omni loco tua roborari posset blasphemia.* Unde cùm lib. 2. pro Athanasio eum *legisperitum* velle videri, & lib. mor. pro Dei filio, eum sese *peritum* arbitrari & *dictatorum designatum numerum* habere memoret; non negat subinde, quin sermo illius sit *politus, ornatus, qui etiam dici mereatur disertus ac dulcis per artem quæsitus.* Quibus illustrantur proxima Hilarii verba, *Doctor profanorum es.*

o In omnibus mss. *episcopatus tuos.* Tum in plerisque, *donans.* Et hîc Lucifer audiendus lib. de non parcendo in Deum delinq. *Transfiguratus es in Apostolos Christi, qui tamquam verè ad te omnis cura Ecclesiæ pertineat, sic sollicitus videlicet ne quis alicubi catholicus præsit Ecclesiæ episcopus. . . tollis episcopos catholicos, ordinas hæreticos. Cui*, inquit lib. mor. pro Dei filio, *crebrò sunt acclamantes Ariani dogmatis tui episcopi, Episcopum te esse episcoporum.* De hac bonorum episcoporum in malos demutatione videndus quoque Athanasius ad Solit. p. 858. quò spectat illud ejusdem pag. 860. *Quinquaginta sedium episcopos cum satellitio militari ad invitos populos submittis* &c. Fortè etiam Hilarius hîc respiciat in mutationem episcoporum Constantinop. synodo proximè factam, de qua infrà num. 15.

p Colb. ms. *ad errorem.*

q Martinianum exemplar, *blanditiis religas.* Tum Colbertinum, *fautor instigas.* Non displiceret, *blandus elicis, fautor instigas.* Hîc tanguntur dissensiones Seleuciæ excitatæ, ac deinde Constantinopoli nutritæ.

[a] invidia gloriosarum mortium peragis. Novo inauditoque ingenii triumpho de diabolo vincis, & sine martyrio persequeris.

8. Plus crudelitati vestræ, Nero, Deci, Maximiane, debemus. Diabolum enim per vos vicimus. Sanctus ubique beatorum Martyrum sanguis exceptus est, [b] & VENERANDA OSSA quotidie testimonio sunt: dum in his dæmones [c] mugiunt, dum ægritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur, elevari sine laqueis corpora, & suspensis pede feminis vestes non defluere in faciem, uri sine ignibus spiritus, confiteri [d] sine interrogatione vexatos, agere omnia non minùs cum profectu examinantis, quàm incremento fidei. At tu omnium crudelium crudelissime, damno majore in nos, & venia minore desævis. Subrepis [e] nomine, blandimento occidis, specie religionis impietatem peragis, Christi fidem Christi mendax prædicator exstinguis. Non relinquis saltem miseris excusationes, ut æterno Judici suo pœnas & aliquas laniatorum corporum [f] perferant cicatrices, ut infirmitas defendat necessitatem. Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala ita temperas, ut excludas & in peccato veniam, & in confessione martyrium. Sed hæc ille [g] pater tuus artifex humanarum mortium docuit, vincere sine contumacia, jugulare sine gladio, persequi sine infamia, [h] odire sine suspicione, mentiri sine intelligentia, profiteri sine fide, blandiri sine bonitate, agere [i] quod velis, nec manifestare quæ velis.

9. Sed me ipse unigenitus Deus, quem in me persequeris, admonuit ne tibi crederem, neque me hoc fallax in te ementitumque nomen illuderet, dicens, *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei*, [k] *qui in cælis est, hic intrabit in regnum cælorum.* Agnoscis-ne nunc divinæ in te prophetiæ veritatem & dominicæ sententiæ fidem, [l] qua non professio nominis in cæleste regnum, sed obedientia paternæ voluntatis admittitur? At vide tu, si præferens nomen Domini in verbis, voluntatem efficias Dei patris in rebus. Clamat ille, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: & tu decernis non esse filium, neque esse patrem; sed adoptionis nomina, externas nuncupationes, & simulantem de se omnia Deum novus hodie religionis divinæ persecutor inducis. Antehac patres tui * in solum Christum hostes fuerunt: tu autem ad Patrem Deum certas, ut mendax sit, ut fefellerit, ut hoc de se professus sit quod non esset, quasi neque esse possit. Clamat Filius, *Ego & Pater unum sumus*; &, *Operibus meis credite, quia Pater in me, & ego in Patre*; &, *Omnia, quæ Patris sunt, mea sunt*: tu Christum objurgas [m] veritatis, tu Patrem arguis professionis. Emendas Deum homo, vitam moderaris corruptio, & nox lucem illuminas, & promulgas fidem infidelis, & [n] pietatem impius mentiris, & orbem terræ profana simultate committis: negans hoc de Deo, quod ipse de se professus est.

Domini nomen in verbis Constantii, non in gestis. *Matth.* 7, 21.

Matth. 3. 17. Deum inducit fallacem.

* Nero, Decius &c.

Joh. 10. 30. *Ibid.* 38. *Joh.* 16. 15.

[a] In mſ. Colb. *sine injuria.* Hoc ipsum Lucifer non tacuit lib. mor. pro Dei filio: *Sic nos*, inquit, *quos tam infestè persequeris, variè excarnificari cupis, & quidem momentis omnibus; interficiendos verò non esse statuisti, tamquam mors tantummodo beatos milites Christi faciat*, &c. Eleganter deinde Hilarius Constantium, ingenio & arte Christianos torquendi, diabolo superiorem esse enuntiat.

[b] Verba, *& veneranda ossa quotidie testimonio sunt*, in antiquo basilicæ Vaticanæ codice ab aliquo forsitan Eunomii aut Vigilantii discipulo primùm suppressa, postea in ectypis & vulgatis defuere. Conservata sunt in mſſ. Colbertino & Martiniano: quorum ope restauratur, quod orationis integritati deficiebat. Verba enim, *Dum in his dæmones mugiunt* &c. quæ ad superiora, *Martyrum sanguis exceptus est*, referri nequibant, jam apprime cohærent cum his, *veneranda ossa testimonio sunt.* Hæc quippe portenta, cùm eorum qui occisi sunt, tum ejus pro quo occisi sunt, gloriam ac virtutem præclarè testantur. quod illustratur his lib. II. de Trin. n. 3. *Hunc* (Christum) *Apostolorum & Martyrum loquuntur sepulcra... hunc punitorum dæmonum resonant mugitus.* Hilarii verbis inhæret Hieronymus contra Vigilant. ubi sacras Apostolorum Reliquias appellat *secundùm nos veneranda ossa*, quas Vigilantius cum Eunomio *vilem pulvisculum* vocitabat.

[c] Quinque mſſ. *rugiunt.* Potiores cum vulgatis, *mugiunt*: quomodo lib. II. de Trin. n. 3. legimus *dæmonum mugitus*, non *rugitus.* Illis tamen favet Hieronymus epist. 27. ad Eustochium c. 6. ubi similia narrans ait, *Cernebat* (Paula) *variis dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulcra Sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, mugire taurorum; alios rotare caput, & post tergum terram vertice tangere, suspensisque pede feminis vestes* (adde *non*) *defluere in faciem.* Quæ postrema verba ad Hilarii imitationem expressa, indicio sunt hunc librum Hieronymo ignotum non fuisse. Eumdem quoque locum imitatur Sulpicius, dum Martini in expellendis dæmonibus virtutem sic enarrat Dial. 3. *Cerneres miseros diverso exitu perurgeri, hos sublatis in sublime pedibus quasi de nube pendere, nec tamen vestes defluere super faciem, ne faceret verecundiam nudata pars corporum.* Ita & Paulinus in Nat. 7. S. Felicis hominem à dæmone obsessum repræsentat ad limina ejusdem Sancti *corpore verso.*

Suspendi pedibus spectantem tecta supinis: cui
Vestibus ut rigidis, aut ad vestigia sutis,
Corporis omne sacrum casto velatur operto:
Scilicet ut divini operis reverentia tectis
Corporibus maneat, nec pœnâ dæmon in ipsa
Qua cruciatur ovet, nudis prodendo pudorem
Artubus, illæso graviùs torquetur honesto.

Hujusmodi portentum nostra ætate vidit Lotharingia, uti fidem faciunt Commentaria Marchionis *de Beauvau* gallicè scripta p. 6.

[d] Et hunc locum restauramus ex mſſ. Colb. & Martin. in quibus tamen exstat *age* pro *agere*, & *profecto* non *profectu.* In aliis autem libris habetur, *confiteri sine interrogantis incremento fidei. At tu omnium crudelitatum crudelissime.* Hîc ostendit Hilarius, immundos spiritus occulta quadam vi agi ac torqueri, dum eorum *occulta* est *plaga, & pœna manifesta*, ut loquitur Cyprianus epist. 2. ad Donatum, ubi & tormenta ipsis per Exorcistas inflicta videsis. In illis autem tormentis confitebantur alii Christi divinitatem, ut ab Hilario audivimus lib. II. n. 3. alii totius Trinitatis fidem, cujus rei luculentum est exemplum apud Ambrosium epist. nunc 22. n. 21. Alii verò, uti testis est Cyprianus lib. ad Demetrianum, *ejulantes & gementes voce humana, & potestate divina flagella & verbera sentientes, venturum judicium confitentur.* Interdum etiam, inquit lib. de Idol. Vanit. *videas illos nostra voce & operatione majestatis occulta flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari; unde veniant, & quando discedant, ipsis etiam qui se colunt audientibus, confiteri.* Sed maximè omnium Sulpicius Severus Dial. 3. Hilarii verba dum mutuatur, illustrat in hunc modum: *In parte alia videres sine interrogatione vexatos, & sua crimina confitentes. Nomina etiam nullo interrogante prodebant; ille se Jovem, iste Mercurium fatebatur.*

[e] In vulgatis, *nomine blandientis.* In sex mſſ. *nominis blandimento.* Rectiùs in Vat. bas. Martin. & Colb. *subrepis nomine*, supple, quo te Christianum fingis, ut declarat num. 9. *blandimento occidis* &c.

[f] Excusi, *proferant.* Hilarius hîc accedit ad sententiam Cypriani, qui lib. de Lapsis mitiùs agendum censet cum iis qui in tormentis lapsi sunt. *Queri*, inquit, *de tormentis potest, qui per tormenta superatus est; excusationem obtendere, qui victus est in dolore* &c.

[g] scil. inimicus homo omnium hæreticorum parens, dum in agro patris-familias superseminat zizania.

[h] In mſſ. Colb. & Martin. *occidere sine suspectione.*

[i] Vat. bas. mſ. cum Colb. & Martin. *quod velle.* Alii, *quod velles.*

[k] Tres prædicti mſſ. omittunt *qui in cælis est.*

[l] Solus Vat. bas. codex, *quam non... admittit.*

[m] In mſ. Michaelino, *pietate veritatis.* Minùs displiceret *impiatæ*, quasi læsæ, *veritatis.* Quamquam presso quidem sermone, sed cui nihil desit, hoc significatur: Christum objurgas tamquam non vera dicentem, Patrem arguis ut falsa profitentem.

[n] Sex mſſ. *contra pietatem*: & mox, *commisces*, loco verbi *committis.* Paulo pòst in editis desiderabatur *de se.*

10. Sed [a] præter hanc emendationem falsitatis, aliud me Dominus, ad intelligendum te, dictum docuit, dicens, [Matth. 7. 15. & 16.] *Attendite à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium,* [b] *ab intus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos.* Est enim aliquid in corde, quod dissimulatur in vultu, & velatum est mente: & ovem putantes, lupum senserunt. Si quæ ovium sunt agunt, credantur & oves esse: si autem [c] rapacium luporum opus peragunt, [Constantio vestis ovina.] lupi esse per opus suum intelliguntur; & gestorum fructu, vestimentorum species arguitur. Vestem ovis tuæ, lupe rapax, cernimus. Auro reipublicæ sanctum Dei [d] oneras, & vel detracta templis, vel publicata edictis, vel exacta pœnis Deo ingeris. Osculo sacerdotes excipis, quo & Christus est proditus: caput benedictioni summittis, ut fidem calces: convivio dignaris, ex quo Judas ad proditionem egressus est: [e] censum capitum remittis, quem [Matth. 17. 26.] Christus, ne scandalo esset, exsolvit: vectigalia Cæsar donas, ut ad negationem Christianos invites: quæ tua sunt relaxas, ut quæ Dei sunt amittantur. Hæc tua, falsa ovis, indumenta sunt.

[Gesta lupi.] 11. At nunc fructus operum tuorum lupe rapax audi. Neque ego alia potiùs quàm quæ gesta sunt in Ecclesia refero, [f] aut tyrannidem aliam præter quàm Dei proferam. Non queror, quia causam ignoro, sed tamen querela famosa est, jussos à te episcopos non esse, quos condemnare nullus audebat, etiam nunc in ecclesiasticis [g] frontibus scriptos metallicæ damnationis titulo recenseri. [Quid perpessa Alexandr] Adest mecum Alexandria tot concussa bellis, tantum commotarum expeditionum pavens tumultum. [h] Breviùs enim adversùm Persam, quàm adversùm eam armis certatum est. Mutati præfecti, electi duces, corrupti populi, commotæ legiones, ne ab Athanasio Christus prædicaretur. Taceo de minoribus [i] populis & civitatibus, quibus per totum Orientem aut terror, aut bellum est. Post quàm omnia contulisti arma adversùm fidem Occidentis, & exercitus tuos convertisti in oves Christi: fugere mihi sub Nerone licuit. Aut tu Paulinum beatæ [k] passionis virum blandimento sollicitatum * relegasti, [* an. 355. quid Treviri,] & ecclesiam sanctam Trevirorum tali sacerdote spoliasti. Edictis fidem terruisti. Ipsum ùsque ad mortem demutasti exsiliis & fatigasti, extra Christianum quoque nomen relegasti: [l] ne panem aut de horreo tuo sumeret, aut de Montanæ Maximillæque antro profanatum exspectaret. [quid Mediolanum,] Mediolanensem piissimam plebem [m] quàm tu furore terroris tui turbasti? Tribuni tui adierunt sancta sanctorum, & viam sibi omni per populum crudelitate pandentes, protraxerunt de altario sacerdotes. Leviùs te putas, scelestè, Judæorum impietate peccasse? Effuderunt quidem illi Zachariæ sanguinem; sed, quantum in te est, n concorporatos Christo à Christo

[a] Codex Martin. cum Colb. *propter hanc emendationem falsitatis, aliud quoque me.* Magis placet cum aliis *præter hanc*, scil. regulam ex Matth. 7. 21. petitam, qua te falsam pietatem ac solam Christiani nominis larvam ostentare recognosco; unde & emendo quod de te prima fronte cogitatur.

[b] In mss. Colb. *intrinsecus*, in Martin. *intus*, omisso *ab* in utroque.

[c] Sic duo prædicti codices. Alii verò, *rapacia luporum oves peragunt.* Ut superius *agunt*, ita hîc *peragunt* ad pseudoprophetas referendum videtur.

[d] Editi, *honoras*: emendantur ex mss. è quibus Colb. & Martin. *Spiritum Dei oneras, & vel detractas templis, vel publice editis, vel exactas pœnis opus Dei ingeris.* Fortè, *vel publicatas edictis.* . *opes Deo ingeris.* Hîc notatur, quod Lucifer ad calcem lib. 1. pro Athanasio innuit, Constantium scil. eleemosynam dare solere *de lacrymis alienis, de eorum bonis, qui deportari, interfici, proscribique maluerint*, quàm Christum negare. Notum est illud Liberii apud Theodoretum lib. 2. hist. eccl. c. 16. *Ecclesias orbis terrarum expilasti, & mihi ut damnato eleemosynam affers.*

[e] Colb. ms. *censum capitis.* Vectigalis hujus meminit Joseph lib. 2. de bello Jud. c. 16. ubi Agrippa ad populum edisserit, magnitudinem vectigalium, quæ Romanis Ægyptus pensitare solebat, *ex censu singulorum capitum* æstimari posse. Rursum apud eumdem lib. 12. antiquit. Jud. scribit Antiochus: *Remittitur senatoribus; sacerdotibus, scribis templi atque cantoribus tributum, quod penditur pro capite.* In gratiam Clericorum exstat lex C. Theod. l. 1. Coll. lustrali data mense Decembri an. 356. *Negotiatores omnes convenit aurum argentumque præbere, Clericos tantùm excipi.* Alia est l. 14. de Epis. & Cler. eodem mense an. 357. data: *Omnis à Clericis indebitæ conventionis injuria & iniquæ exactionis repellatur acerbitas*, &c. Immunitates alias eis concedunt leges datæ an. 353. & in eodem Cod. l. 10. de Episcopis memoratæ.

[f] Editi, *ut tyrannidem aliam præter quàm Dei referrem. Non quia*, omisso verbo *queror.* Sex mss. *nec tyrannidem aliam præter quàm Dei referre* (Mich. *queo*) *quæro: non quia.* Colb. & Martin. *aut tyrannidem aliam præter quàm in Deum proferam. Non quæro quia* &c. Arrideret illud *in Deum*, nisi jam occurrisset num. 7. *tyrannus non jam humanorum es.* Sequimur exemplar Vat. bas. aliis faventibus. Notatu dignum est, primùm quàm scrupulosè referat Hilarius, quæ publicis licèt testimoniis comprobata, per se tamen non satis certò compererit: deinde quàm modestè, pro Ecclesia loquens, ab iis referendis se abstineat, quæ non contra ipsam gesta sint. Superiùs enim, pro *quæ gesta sunt in Ecclesia*, meliùs legeretur *in Ecclesiam.*

[g] Martin. & Colb. mss. *in ecclesiasticis promptibus.* Quod Athanasius Arianis attribuit ad Solit. p. 859. ubi ait, *Hos quidem in lapidicinis manciparunt, illos verò ad necem persecuti sunt*: hoc cum Hilario nostro Lucifer lib. mor. pro Dei filio adscribit Constantio, cujus auctoritate factum est: *Omnia*, inquit, *metalla, omniaque loca, exsilia vocari quæ putabantur digna, nostro tuæ calliditati resistentium replesti numero: relegando insontes, fame, siti, nuditate vexando non desistis.* Porro ex hoc loco intelligitur Constantius restaurasse morem, quem pater ipsius abrogarat lege 2. de pœnis Cod. Th. qua cavet ut *si quis in ludum fuerit, vel in metallum damnatus, minimè in ejus facie scribatur... quò facies, quæ ad similitudinem pulcritudinis cælestis est figurata, minimè maculetur.*

[h] In codice Vat. bas. hîc additur *magis*: quod & habet Martin. in quo sicut in Colb. antea præfertur *leviùs*, non *breviùs.* Nec leve, nec breve fuit bellum adversùs Persam, quo postmodum Julianus concidit, cùm jam diutinum fuisset.

[i] Exemplar Colb. cum Martin. *de minoribus famâ populis*: & mox, *Post quæ omnia.*

[k] Ms. Martin. *beatæ confessionis virum.*

[l] Colbertinus codex, *ut panem*: quamdam præ se fert veritatis speciem, sed falsam. Ut enim observat Baronius ad an. 355. n. 29. *hæc idcirco dicit de Paulino Hilarius, quòd priùs relegatus fuerit in Phrygiam, ubi erant Cataphryges hæretici Montani Maximillæque sectarii, inde verò ad barbaros amandatus*: quasi diceret, Parum erat Constantio, Paulinum inter Cataphrygas amandasse; eum etiam extra Christianum nomen expulit. Quod hîc *Montanæ* legitur, librariorum lapsum putamus, præsertim cùm lib. 2. ad Constant. exstet *Montanus*, non *Montana.*

[m] Quod hîc priùs videbatur deesse, mutata interpunctione restauratur. Aliàs præferendum esset cum mss. Colb. & Martin. *quanto furoris tui terrore turbasti?* Mediolanensis plebs meritò piissima, ob eam præsertim fidei constantiam quam anno 355. demonstravit. Nam cùm pseudosynodus pravam fidem apud eam divulgare non auderet, hoc tamen tentasset Imperatoris nomine; tantum in se populi horrorem commovit, ut intra ecclesiam convenire jam non sibi tutum existimans, in palatium secesserit, uti jam notatum lib. 1. ad Constant. n. 8. Hæc autem mala eodem anno videtur perpessa, cùm Dionysio expulso *impia infidelitatis Auxentius Mediolanensem ecclesiam armis exercituque occupavit*, ut loquitur Ambrosius lib. 3. de Spiritu-sancto c. 10.

[n] Solus codex Martin. *concorporatus... discessisti*: corruptè. *Concorporatos* vocat Hilarius sacerdotes, ob corpus Domini quod ex altari percipiunt: à quo cùm divelluntur, à Christo quodam modo disscinduntur. *Altare* enim, inquit Optatus lib. 6. *sedes est corporis & sanguinis Christi.* Unde & contra altarium effractores subjicit, *Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta corpus & sanguis habitabat?* Tum eos Hilarii nostri more cum Judæis comparans ait, *Hoc modo Judæos estis imitati. Illi injecerunt manus Christo in cruce: à vobis percussus est in altari.* Neque verò ambo Judæorum sceleri rectè comparassent Arianorum Donatistarumve crimen, nisi verum Christi corpus ex altari accipi credidissent.

dissCIDISTI.

d Ro- dissciditi. Vertisti [a] deinde usque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc * episcopum: a Liberiū. & ô te miserum, qui nescio utrùm majore impietate relegaveris, quàm remiseris! Quos d Tolo- tu deinde in ecclesiam Tolosanam exercuisti furores? Clerici fustibus cæsi, diacones plumbo elisi, & in ipsum, ut [b] sancti mecum intelligunt, [c] in ipsum Christum manus missæ. Hæc, Constanti, si ego mentior, ovis es: si verò tu peragis, antichristus es.

e Seleu- c syno- 12. Nunc quia hæc, quæ conscientiâ publicâ tenentur, non magis à me maledicta sunt [d] dicta quàm vera; si cui in Christo reliqua spes est, si quis judicii diem metuit, si quis diabolo renuntiavit, si quis se regeneratum in vitam recordatur, accipiat quæ dico, & [e] de his judicio, quo in se judicandum est, judicet. Quæ enim dicturus sum, non aliunde cognovi: sed ipse audivi, & præsens adfui cùm gerebantur. In Christo itaque non mentior, quia discipulus [f] veritatis, testis quoque nunc veritatis. Assisto * Orientalium in Seleucia synodo, ubi reperi tantum blasphemorum, quantum Constantio placebat. Nam [g] prima secessione in ea [h] deprehendi, ut centum & quinque episcopi homœusion, id est, similis essentiæ prædicarent, & decem & novem anomœusion, id est dissimilis essentiæ, profiterentur, & soli Ægyptii præter Alexandrinum hæreticum * homousion constantissimè obtinerent. Cogente * itaque Leona Comite, in unum omnes congregati sunt. [i] Ex his, qui homœusion prædicabant, aliqui nonnulla piè verbis præferebant: quòd & ex Deo esset, id est, de substantia Dei filius, & semper fuisset. Qui verò [k] anomœusion defendebant, nihil nisi profanissimum asserebant: negantes quidquam substantiæ Dei simile esse posse, neque de Deo posse exsistere generationem, sed esse Christum creaturam; [l] ita quod creatus est, id ei nativitas deputaretur: ex nihilo autem esse; & idcirco non esse filium, nec Deo similem.

(Margin: * die 27. Sept. an. 359. — * Georgiū. — * Concilii 3o die. — Homœusiani. — Anomœi.)

13. Loquor autem vobis, quod ego ipse recitari in conventu publicè audivi, [m] quod prædicante episcopo Antiochiæ exceptum habebatur. Hæc ergo ita dicta esse ab eo commemorabantur. Erat Deus, quod est. Pater non

(Margin: Blasphemiæ publicè recitatæ.)

[a] quàm malitiosè, quàm violenter, vide apud Athanas. ad Sol. p. 832. ubi post multa: *Cepit tum Roma experimentum Christi perduellium. Cognovit tandem, quod antea non credebat, quomodo Ecclesiàs in singulis urbibus devastassent.*

[b] Ita mss. At editi, *ut sanctissimi*. Antea in ms. Vat. bas. *& impiè*, non *& in ipsum*.

[c] In mss. Martin & Colb. *in Christum gentilium manus missa*. In aliis quoque non repetitur *in ipsum*. Hæc post Biterrensem synodum perpetrata esse nullum fere dubium est. Quis verò ille Christus, in quem manus missæ? Non certè Rodanius, qui Biterris in exsilium ejectus, ad ecclesiam suam redire nequaquam permissus est. Vehemens suspicio est, *ipsum Christum* vocari veneranda corporis & sanguinis Christi sacramenta; idemque hîc esse, *ut sancti mecum intelligunt*, quod aliis Patribus, ubi de iisdem sacramentis sermonem habent reconditiorem, vulgatum illud, *Norunt fideles*.

[d] Verbum *dicta*, apud Er. Lips. & Par. omissum, revocatur ex Bad. & septem mss. Hinc priùs mallemus *maledica*, juxta illud num. 6. *Si falsa dicimus, infamis sit sermo maledicus*.

[e] Editi, *de his judicet, quomodo in se judicandum est*: dissidentibus mss.

[f] In excusis, *quia discipulus veritatis assisto*: locus mutilus. Restauratur ex mss. Vat. bas. Martin. & Colb. hoc sensu: quia ut discipulus veritatis, ita nunc quoque testis sum veritatis. Aut si verbum *assisto* malet quis connectere cum superioribus; quia pòst sequitur *ubi reperi*, non *ubi reperio*: legendum deinde erit cum duobus postremis mss. *Orientalium in Seleucia synodum reperi, ubi tantum blasphemorum est, quantum* &c. Quamquam lib. 3. de Trin. n. 20. jam legimus, *Dominus fidem confirmaturus assistit, palpandi corporis & contrectandi vulneris obtulit facultatem*: ubi tempus præsens *assistit*, in narrationis ejusdem serie excipit præteritum *obtulit*.

[g] In vulgatis, *post secessionem meam*. Pro *post*, omnes omnino mss. habent *primam*: ac deinde Tell. *successionem meam*, Silv. *sessionem in ea*, reliqui, *secessionem meam*. Expunctâ litterâ *m*, quæ veteribus in libris in fine verborum sæpissime abundat, restat *prima secessione mea*, vel *in ea*; utrumque enim in mss. non aliter pingitur. Ex quo efficitur sensus rerum gestarum veritati prorsus consentiens. Namque primo die Acaciani à Concilio secesserant, uti narrat Socrates lib. 2. c. 39. Tum hac secessione facta discriminari ac dinumerari cœperunt qui uni parti, quive alteri adhærerent; quod etiam Athanasius lib. de Synod. p. 881. notat his verbis: *Postea secessione facta disscissi sunt, aliique Acacio, sed pauci & suspecti, adhasere; alii verò, qui illum reliquerant, magno numero fuere.* Hanc autem secessionem Hilarius primam nuncupat; quia iidem tertio die Leonæ operâ convenientes in unum, denuo unius partis secessione disjuncti sunt. Neque enim hîc, ut nonnulli putant, de secunda secessione loquitur; cùm postea narret quid die tertio gestum sit, quo contigit altera illa secessio. Ii ipsi, priorum editionum falsa lectione adducti, existimant Hilarium antè à Concilio se recepisse, quàm omnes in unum à Leona congregarentur. Quod confirmant ex verbis Socratis lib. 2. c. 40. quibus memorantur *Acaciani ad Concilium occurrere noluisse, ex conventu ejiciendos priùs esse dicentes, tum eos qui jam antea depositi, tum illos qui in præsentia accusati erant*, iisque tandem egressis accessisse. At eo in loco non ait Socrates egressos esse qui dudum erant abdicati: sed, *Ii*, inquit, *qui in crimen vocati fuerant, egressi sunt; Acaciani verò introiere.* Hilario autem nullum crimen objectum fuerat. Deinde quis credat eum à Concilio expulsum, cùm statim ab initio, Sulpicio teste lib. 2. *exposita fide sua in societatem receptus Concilioque adscitus sit?* cùm etiam omnium benevolentiam sibi ita conciliarit, ut vel ipsi Anomœi sua ei sensa confidenter aperirent. Nil itaque cogit, ut eum à Concilio recessisse arbitremur. Neque propterea sentiendum est, ipsum aut Ægyptios episcopos ei conventui interfuisse, in quo formula Antiochiæ in Encæniis edita subscriptionibus rata facta est: privatus enim fuit ille conventus, & ex iis solis constitit, qui homœusion defendebant.

[h] Excusi, *deprehendi ut Christum Jesum centum & quinque episcopi ὁμοιούσιον, id est, dissimilis essentiæ*, additis quibusdam, pluribus omissis: restaurantur ex mss. Vaticanæ basilicæ, Martiniano & Colbertino; cùm à ceteris etiam absit *Christum Jesum*. Testatur quidem Socrates lib. 2. c. 39. à parte Anomœorum stetisse triginta quatuor episcopos, Epiphanius autem hær. 73. n. 26. tres supra quadraginta: sed majori fide dignus est Hilarius testis oculatus, favente Athanasio lib. de Synod. p. 881. ubi eosdem numero paucos exstitisse scribit. Immo Socrates ad Hilarii sententiam quodam modo redit cap. 40. dum nomina eorum recensens, quos pars Acacianis adversa aut ab episcopatu, aut à communione sua removit, novem depositos nominat, totidemque extra communionem factos. Porro totum Concilium Athanasius episcopis circiter 160. Socrates definitè 160. Theodoretus 150. constitisse tradunt.

[i] In vulgatis, *congregati sunt ex his qui ὁμοιούσιον prædicabant. Aliqui eorum*: vitiosa interpunctione falsus efficitur sensus, quasi soli ii à Leona congregati sint, qui homœusion prædicabant. Abundat quoque postrema vox *eorum*, quæ auctoritate mss. Colb. & Martin. removetur.

[k] Editi, *qui verò ὁμοιούσιον defendebant*: emendantur ex potioribus mss.

[l] Post *ita* supplendo *ut*, integra erit lectio quam exhibemus ex fide mss. cùm priùs legeretur, *Itaque quòd creatus esset*. Tum mss. Colb. & Martin. *in Dei nativitate*. Hæreticos dicentes, *Pater Deus, semper etiam Filius creatus; idem enim est in Deo creare & gignere*, ab Antiochenis *Psathyrianos* vocatos esse tradit Theodoretus lib. 4. hæret. fab. c. 4.

[m] Hanc optimam lectionem sæpe laudatis mss. Colb. & Martin. debemus. Eamdem expressit Baronius ad an. 359. n. 67. In aliis autem libris, *quod prædicatum Antiochiæ exceptum habebatur.... ab eo commemorantur*: primò deest nomen, ad quod referatur illud *ab eo*; deinde latet quis ille sit homo, cujus impudentiam infrà stupet Hilarius; postremò non habetur in quem cadant verba paulo pòst sequentia, *comparasset, ait*. Jam verò & integra est oratio, & in Eudoxium Anomœorum ducem apprime conveniens. Nec repugnat quod Theodoretus lib. 4. hæret. fab. c. 2. scribit, illum ad Seleuciensem synodum ire jussum, accessisse quidem, sed non ausum esse consessum ingredi. Non enim Hilarius dicit, Eudoxium hoc Seleuciæ prædicasse, sed cùm aliàs prædicasset, (haud dubiè in eo conventu, quem Antiochiæ, statim atque invasit hanc sedem, convocavit,) publicè lectum esse Seleuciæ; & quidem ante quàm Acaciani novam fidei formulam cuderent, & proinde in consessu primo. His favet quod narrat Theodoretus lib. 2. hist. eccl. c. 27. Eudoxium ab Eustathio aliisque Seleuciensis synodi legatis apud Imperatorem accusatum, quòd horrendas in Dei filium blasphemias evomuisset, Constantii in sui ipsius gratiam quantumvis propensi iram temperare non aliter potuisse, quàm earum auctorem non se, sed Aetium esse affirmando.

» non erat, quia neque ei filius: nam si filius, necesse est ut & femina sit, & colloquium, [a] & sermocinatio, & conjunctio conjugalis verbi, & blandimentum, & postremùm ad generandum naturalis machinula. O miseras aures meas, quæ tam funestæ vocis sonum audierunt, hæc de Deo ab homine dici, & de Christo in ecclesia prædicari! Post multas autem istiusmodi impietates, cùm Patrem & Filium ex nominibus potiùs quàm ex natura comparasset, ait, Quantum enim Filius se extendit cognoscere Patrem, tantum Pater superextendit se [b] ne cognitus Filio sit. quibus recitatis, tumultus exortus est.

Dissimilitudinem quo sensu damnent negantes similitudinem.

14. Cùm autem intellexissent & hi, qui dissimilem Deum dicunt, humanas aures tantæ impietatis verba non suscepturas esse; rursum hi ipsi, [c] fallaces potiùs quàm Ecclesiæ episcopi, fidem scribunt, [d] homousion & homœusion & dissimilitudinem damnant. Quod cùm contrarium [e] ipsis sensu audientium esset: ipse ego quemdam eorum, qui fortè ad me pertentandum accesserat, quasi ignorans rerum gestarum percontatus sum, quid sibi vellet istud, ut qui unam substantiam Filii esse cum Patre damnassent, vel esse similis substantiæ denegassent, dissimilitudinem damnarent. Tunc mihi ait: Christum Deo similem non esse, sed similem Patri esse. Rursus hoc obscurius mihi adhuc videbatur. De quo cùm iterum interrogarem, » tunc hæc ita locutus est: Dico eum dissimilem Deo esse, similem Patri posse intelligi; quia Pater voluisset creaturam istiusmodi creare, quæ similia sui vellet: & idcirco similem Patri esse, quia voluntatis esset potiùs filius, quàm divinitatis; dissimilem autem Deo esse, quia neque Deus esset, neque ex Deo, id est, de substantia Dei natus esset. Hæc audiens hebui, neque credidi, donec [f] cùm publicè ex consensu omnium eorum profanissimæ hujus similitudinis ratio prædicaretur.

Damnati rursus dominantur.

15. Hi autem, qui homœusion prædicabant, omnes eos, qui maximè sine aliquo impietatis pudore impudentissimè hæc loquebantur, condemnaverunt [g]. Condemnati ad regem suum advolaverunt: exceptique honorificè impietates suas quanta potuerunt ambitione confirmaverunt, similem Deo esse, vel ex Deo natum, vel naturalem esse filium denegantes. Pauci plurium [h] dominati sunt. Constantius vires blasphemiæ suæ, metu extorsit exsilii. Vicisse se jam Orientales gloriatus, quia decem legatos [i] voluntati suæ subdidisset, comminatusque & populo per præfectum, & episcopis intra palatium, per maximas [k] Orientis civitates hæreticos episcopos subrogatos communione hæretica munivit. Nihil prorsus aliud egit, quàm ut orbem terrarum, pro quo Christus passus est, diabolo condonaret.

Verba non scripta malè vetat Constantius.

16. Utitur autem etiam nunc, ut in ceteris antè, artis suæ consuetudine, ut per recti speciem prava confirmet, & per rationis nomen insana constituat. Nolo, inquit, verba quæ non scripta sunt dici. Hoc tandem rogo [l] quis episcopis jubeat? & quis apostolicæ prædicationis vetet formam? Dic priùs, si rectè dici putas, Nolo adversùm nova venena novas medicamentorum comparationes, nolo adver-

[a] In vulgatis, *colloquium sermonis, & compunctio.* Reponimus *colloquium & sermocinatio* ex mss. Colb. & Martin. ac deinde *& conjunctio* ex Carnut.

[b] Tres mss. *ne cognitus Filius sit:* pravè. Stupenda Eudoxii impudentia, qui cùm hæc de Dei filio blasphemaret, Aetii & Eunomii patrocinium suscipiebat: quorum hic Theodoreto teste lib. 4. hæret. fab. c. 3. gloriabatur, *se nihil de rebus divinis ignorare, sed ipsam etiam Dei essentiam exactè se nosse, eamdemque de Deo notitiam habere, quam Deus ipse habet de se ipso*; ille verò apud Epiphanium hær. 76. n. 4. ausus est dicere, *Scio Deum, & adeo ipsum novi, ut ne quidem me magis noscam, quàm Deum.* At jam observavit Athanasius lib. de Synod. p. 871. Arianos hominibus tribuere non dubitasse, quæ filio Dei negarent.

[c] Editi cum ms. Vat. bas. *palatio.* Sex mss. *palatii*: quod legendum conjectavit Latinius, & Baronius ad an. 359. n. 68. prætulit. Veriùs tamen libri Colb. & Martin. *fallaces*, quos nimirum Hilarius percontando expertus est aliud præferre verbis, aliud animo sentire: adeoque non esse episcopos, quos num. 6. *ministros veritatis*, & num. 12. *veritatis discipulos* esse, suo nomine declaravit.

[d] Ita Bad. cum mss. Vat. bas. Mich. & Silv. nisi quòd careant particulâ *&* ante *dissimilitudinem.* Hanc revocamus ex mss. Colb. & Martin. in quibus tamen exstat hoc alterum mendum, quòd pro *homœusion*, habeant *anomœusion.* Pessimè autem Mir. Lips. & Par. post Erasmum, *fidem scribunt ὁμουσίῳ, & ὁμοιουσίῳ dissimilitudinem damnant.* Palam est Hilarium hîc respicere in formulam ab Acacio Leonæ porrectam, & in tertio Seleuciensis synodi consessu ejusdem Leonæ operâ perlectam, in qua apud Athanasium lib. de Synod. p. 904. & apud Socratem lib. 2. c. 40. occurrit, τὸ μὲν ὁμοούσιον καὶ τὸ ὁμοιούσιον ἐκβάλλομεν ὡς ἀλλότριον τῶν γραφῶν, τὸ δὲ ἀνόμοιον ἀναθεματίζομεν. Apud Epiphanium autem hær. 73. n. 25. desideratur vox ὁμοιούσιον, quam restituendam liquet tum ex Athanasio & Socrate, tum ex nostro Hilario.

[e] Lips. & Par. *ipsi sensui.* Rectiùs alii libri, *ipsis*, scil. Anomœis; *sensu audientium*, hoc est, aurium judicio & quantum ad vocabulorum sonum.

[f] Particulam *cùm* adjecimus auctoritate mss. Publicè autem hoc manifestum fuit, cùm lectâ Acacii formulâ quæsitum est, *qua in re Filius similis esset Patri. Et Acaciani quidem*, inquit Socrates lib. 2. c. 40. *sola voluntate similem esse dicebant, non autem substantiâ.* Quæ responsio novos tumultus excitavit, & totius Concilii dissolutionem.

[g] hoc est, deposuerunt: ceteros autem à communione segregarunt. Jam notavimus à Socrate recenseri novem episcopos depositos, aliosque novem à communione segregatos. Quod factum dicit quarto Concilii die, quo Leonas & Acaciana factio ad consessum venire renuerunt. Quod deinceps sequitur, ad Concilium Constantinop. pertinet.

[h] In excusis, *damnati.* Rectiùs in scriptis, *dominati*, Acaciani videl. numero pauci adversariorum longè plurium: quorum primarios proximè pòst Constantinopoli è sedibus suis detruserunt. *Ita*, inquit Sulpicius p. 261. hunc veluti commentans locum, *optimis sacerdotibus aut metu territis, aut exsilio deductis, perfidiæ paucorum cuncti concesserunt.* V. Sozomen. lib. 4. c. 24.

[i] Colbertinus codex cum Martiniano, *violentiæ*, non *voluntati.* Utraque vox infrà num. 26. ubi de eadem re rursum incidit sermo, simul copulatur. Hanc vim legati perpessi sunt pridie Calendas Jan. Ut enim narrat Sozomenus lib. 4. c. 23. Constantius totum illum diem necnon maximam insequentis noctis partem consumsit cum episcopis, *disceptans donec legati, qui à Concilio Seleuciensi advenerant, formulæ fidei ab Ariminensi oppido allatæ subscripsissent.* Hoc ipsum Sulpicius sic exponit: *Ibi repertos Seleucienses synodi legatos vi regia compellunt, exemplo Occidentalium pravam illam fidem accipere. Plerique abnuentes injuriosâ custodiâ ac fame vexati captivam conscientiam dedere.*

[k] In ms. Vat. bas. hîc adjicitur *se.* Quocirca parum abfuit, quin cum Colb. & Martin. præferremus, *per maximas se Orientis civitates hæreticos episcopos subrogaturum, communionem hæreticam munivit.* At certè quod comminatus erat, brevì perfecit. Mox enim Macedonio, Cyrillo, Basilio, Eleusio &c. episcopi alii fuere subrogati.

[l] In mss. Mich. & Colb. *quis episcopus jubeat?* Magis placet cum alis libris, *quis episcopis jubeat?* quia nimirum principum Christianorum est credendi formam ab episcopis expetere, non illis præscribere. Unde & Athanas. ad Solit. pag. 845. *Quando à condito sæculo auditum est? quando judicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit?* &c. Ita cùm Valentinianus concertationum fidei arbiter sedere vellet, ad eum rescripsit Ambrosius epist. nunc 21. n. 4. *Quando audisti clementissime Imperator, in causa fidei laicos de episcopo judicasse?* Quod igitur Constantius sibi arrogabat, hoc meritò Hilarius testatur fieri contra apostolicæ prædicationis formam: quia ab Apostolis traditum est, non solùm laicis in episcopos in rebus fidei jus nullum esse, sed & adversùm novas hæreses nova remedia esse excogitanda.

sùm novos hostes nova bella, nolo adversùm novas insidias consilia recentia. Si enim Ariani hæretici idcirco [a] homœusion hodie evitant, quia priùs negaverunt; nonne tu hodie idcirco refugis, ut hi nunc quoque denegent? Novitates vocum, sed [b] profanas devitare jubet Apostolus: tu cur pias excludis? cùm præsertim ab eo dictum sit, Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est. Innascibilem scriptum nusquam legis: numquid [c] ex hoc negandum erit, quia novum est? Decernis [d] *similem Patri Filium*. Evangelia non prædicant: quid est quòd non refugis hanc vocem? In uno novitas eligitur, in alio submovetur. Ubi impietatis occasio patet, novitas admittitur: ubi autem religionis maxima & sola cautela est, excluditur.

(margin: I. Tim. 6. — II. Tim 3. — ...admit... non scri... — Scripturæ tradunt æqualem Patri Filium.)

17. Sed diabolici ingenii tui fallentem subtilitatem non tacebo. Similem, quód scriptum non est, Patri Filium decernis prædicari: ut æqualem Christum Deum, quod scriptum est, taceas. Domini enim mortis hæc causa est: *Propter hoc magis Judæi quærebant eum occidere, quia non solùm solvebat sabbatum, sed quòd patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Hoc Johannes loquens magna voce proclamabat: ut professus Filius sibi patrem Deum, [e] professus se æqualem esse Deo intelligatur. Quòd si fortè dicis, æqualitatem sibi & Deo negasse Christum, quia dixerit, *Non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*: memento Christum & respondisse de sabbato, quod violasse arguebatur, ut in hoc ipso Patris in se operantis præferret auctoritatem, & æqualitatem sibi virtutis honorisque [f] sumsisse: *Omnia quæcumque Pater facit, eadem & Filius facit similiter*; & iterum, *Ut honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*: &, *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Si virtus eadem est, si honor idem est; quæro in quo desit æqualitas?

(margin: Joh. 5. 18. — Ibid. 19. — Ibidem. — Ibid 23. — Ibidem.)

18. Sed similitudo tibi placet; ne audias, *Ego & Pater unum sumus?* Numquid & hoc quòd *unum sumus*, in quo neque unio, neque diversitas relinquebatur, calumniantibus rursum Judæis quòd se per hoc dictum Deum faceret, Dominus denegavit, dicens, *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere: sin autem facio, & non vultis mihi credere, vel operibus meis credite, quia Pater in me est, & ego in Patre?* Quid rogo æqualitati Dei deest? An opus? an natura? an professio? Nam *Pater in me est, & ego in Patre*, æqualitas est: quæ vicissitudinem æqualitatis expressit, dum inesse atque esse commune est. Opera verò Patris sui facere, non aliud est, quàm virtutem in se paternæ divinitatis operari. Unum verò quòd sunt, hoc est non æqualitatem abnuere, sed incremento intelligentiæ fidem æqualitatis instruere.

(margin: naturâ unum. Joh. 10. 30. — Ibid 37. & 38. — Ibid. 38.)

19. Veras igitur non scripta dici: & ipse tamen non scriptis uteris, neque quæ sunt scripta loqueris. Similem vis Patri Filium prædicari: ne ab Apostolo audias, *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanivit se formam servi accipiens.* Non rapit quod erat Christus, id est, in forma Dei esse. Non est æqualitas Dei in forma Dei esse, si non æqualitas hominis est esse in forma servi. Quòd si in forma servi homo Christus est; quid aliud in forma Dei, quàm Christus Deus est? Similem itaque ob id prædicari vis, ne in fide tua sit, *Et omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Jesus in gloria est Dei patris.*

(margin: in eadem forma & gloria. — Philipp. 2. 6. & 7. — Ibid. 11.)

20. O fallax blandimentum tuum! Paleis enim aquas tegis, & foveas cespitibus occultas, & escis laqueos supponis. Satisfacere te ignorantibus putas, quia dicis [g] *similem Patri secundùm Scripturas*. Audi etiam nunc impietatis tuæ artem. Numquid non piè dicimus hominem similem Deo secundùm Scripturas: quia dictum est, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram?* Homo ergo ad imaginem & similitudinem Dei patris & Dei filii [h] est. Et cujusmodi imago est, catholici [i] si requirantur, docebunt. Nunc autem homo ad similitudinem & imaginem Dei conditur: non etiam similitudo [k] intra Patrem & Filium prædicatur. Id enim, quod ait *nostram*, æqualitatis est demonstratio; dum non differat, cujus [l] in sacramento & imago sit & similitudo.

(margin: Dolosa est professio, similis secundum Scripturas. — Gen. 1. 26.)

21. De Filio autem nusquam similitudinem reperies. Imaginem autem eum Dei esse Apostolus dicit, sed cum additamento fidei: ne [m] ima-

(margin: De Filio nusquam prædicatur mera similitudo.)

---

[a] In nonnullis mss. *homousion*: quod potest & rectè poni. Hoc enim sibi vult: si hactenus hæretici refugerunt vocem homœusion, (quanto magis homousion?) quia rem ea voce significatam, nempe Filium Patri esse substantiâ similem, negabant; tu dum jubes ut hæc vox evitetur, nonne eis concedis ut rem eidem voci subjectam negent. Eodem argumenti genere lib. de Synod. n. 83. habet: *Displicet cuiquam in synodo Nicæna homousion esse susceptum? Hoc si cui displicet, placeat necesse est quòd ab Ariis sit negatum.*

[b] Silvæ majoris ms. *Sed & vanas*: tribus aliis faventibus, in quibus exstat *sed advenas*.

[c] Lips. & Par. *& hoc*. Concinniùs alii libri, *ex hoc*. Porro *innascibilis* seu *ingeniti* vocabulum non modò Scripturis incognitum, sed & apud gentiles valde ambiguum esse multis ostendit Athanasius Or. 2. cont. Ar. p. 337.

[d] ratam volens ab omnibus haberi formulam, quæ primùm Arimini proposita, ac pòst Nicææ in Thracia, Seleuciæ, & Constantinopoli ab Arianis approbata est.

[e] In editis, *professum*, & mox desideratur *Deo*.

[f] Plerique mss. *sumsisset*. Hoc potiùs ita intelligere est, *memento Christum... sumsisse*: cui verbo editi adjiciunt *dicens*, refragantibus mss. cùm grammaticæ leges exigerent *dicentem*.

[g] Appositè Gregorius Nazianz. Or. 21. n. 26. *Hæc verba*, SIMILE SECUNDÙM SCRIPTURAS *simplicioribus illecebra erant impietatis hamo circumjecta, statua ad omnes pertranseuntes sese obvertens* &c. & proximè antè: *Impietati autem per scripti dogmatis ambiguitatem fenestram aperuit; hoc quidem prætextu quasi Scripturam revereretur, ac probatissimarum vocum usum amplecteretur; re autem vera Arianismum nullo Scripturæ loco proditum in ipsius locum substituens.* Constantii edictum, & violentiam ut huic fidei subscribatur, videsis ibid. n. 30.

[h] In vulgatis, *est factus*. Abest *factus* ab omnibus mss.

[i] Ita potiores mss. Alii verò cum edit. *si requirent, docebuntur*. Cujus autem modi Filius imago sit, docet liber 9. de Trin. n. 52.

[k] Editi soli, *inter Patrem*. Post superiora verba, *non etiam similitudo*, reticetur, *sed unitas & æqualitas*. Ut enim in eumdem Genesis locum jam legimus lib. 5. de Trin. n. 8. NOSTRAM ut *non habet unionem*, ita *non habet diversitatem, non habet discretionem. Homo enim ad communem fit, secundùm veritatem sermonis, imaginem*: & mox, *Una enim est imaginis, ad quam homo creatus est, species.*

[l] Rursum hic locus illustratur his lib. 5. n. 8. verbis: *Indissecabilia decide. Unum enim sunt, quorum imaginis & similitudinis unum est homo factus exemplum.*

[m] Codex Colb. cum Martin. *ne imaginem corporalem*: ac deinde *confirmatione*. Vat. bas. *conformatione*. quod lib. 8. n. 49. sic enuntiatur: *ne forma potiùs quàm natura esse imago intelligeretur.* Antea loco *fidei*, magis arrideret *invisibilis*. Sed cùm Gregorio Papa auctore hom. 26. in Evang. fides sit *argumentum non apparentium*, ad fidem attinet quod non est visibile. Præterea additamentum illud, quo nostra de Christi divinitate fides confirmatur, lib. 8. num. 48. &c. non in solo *invisibilis* vocabulo, sed etiam in adjunctis Apostoli verbis ponitur.

ginem conformationem sentires. Ait enim, A *Qui est imago Dei invisibilis*: ut imago invisibilis Dei, etiam per id [a] quòd ipse invisibilis est, invisibilis Dei imago esset. Similitudinem verò [b] cum imagine ad Deum homini deputavit: ne veritatis esse proprietas existimaretur, cui ad imaginem similitudo esset adjuncta. Denique ubi ad significationem virtutis [c] æquatur, & similitudo in Filio demonstratur operandi: cùm profectus verò intelligentiæ prædicatur, tum ita dicitur; *Omnia quæcumque facit Pater, eadem & Filius facit similiter.* Facere *similiter* parum visum est, nisi eadem fierent quæ [d] similia fiebant. Atque ita similitudo faciendi piè demonstrata est in eorumdem proprietate factorum. Est autem & similitudo in Domino carnis peccati: sed illi non similitudo carnis est, [e] sed similitudo carnis peccati est: ut quod in forma [f] Dei est, homo sit; quod autem in similitudine carnis peccati est, hominis sit similitudo, dum in hominis [g] statura est, & extra hominis peccatum est. Quæ ergo callida religionis tuæ professio est, similem secundùm Scripturas Patri Filium dicere; cùm ad imaginem & similitudinem Dei homo tantùm factus sit? Quid itaque verbis fallis? Quid arte eludis? Cur non æqualem Deo (hoc enim secundùm Scripturas) piè dicis?

Coloss. 1. 15. — Joh. 5. 19. — Rom. 8. 2.

Filii prælatâ æqualitate similitudo potest prædicari.

22. Sed vereris, ne æqualem dicens, innascibilem significes? Sed verum intellige, quòd hinc æqualis Deo esse intellectus est, quia sibi [h] proprium Deum professus est esse; & protestari patrem sibi proprium Deum esse, nativitatis demonstratio est. Mihi quidem similitudo, [i] ne unioni detur occasio, sancta est: sed tibi à me non concedenda est: quia æqualem eumdem, & similem postea piè fatebor. Similem autem Patri, similem quoque [k] & Deo, religiosè prædicabo; similem verò ita, ut similitudini hoc dictum semper anteferam, *Ego & Pater unum sumus*: tu autem his omnibus contradicis, quia similitudinem [l] excusatione defendis. Negas Filium per nativitatem, negas Deum per naturam, negas similem per B æqualitatem, negas verum per unitatem. Et jam quæro, quid ei relinquas similitudinis, cui nihil ad quod filius est, proprietatis impertias.

Joh. 10. 30.

Constantii in fide inconstantia.

23. Hoc nunc à te, Constanti, requiro, in qua tandem fide credas. [m] Pergo enim nunc per demutationis tuæ tempora, quibus usque in imum blasphemiæ tuæ barathrum descendens, per gradus præcipites cucurristi. Namque post primam [n] verè fidem synodi Nicænæ, C congregato rursum * Antiochiæ Concilio, fidem tibi renovas. Sed accidit tibi, quod imperitis ædificatoribus, quibus sua semper displicent, accidere solet: ut semper destruas, quod semper ædifices. Ac ne me iniquum voluntatis tuæ judicem arguas, quid tibi in eadem [o] Encæniorum fide displiceat renuntiabo. [p] Ni me fallit, illud quod tuum est: Qui generatus est ex Patre, Deum de Deo, totum « de toto, unum de uno, perfectum à perfecto, « D regem de rege, [q] inconvertibilem, divinitatis « essentiæque, virtutis & gloriæ incommutabi- « lem imaginem. His quidem ego, intra Nicæam « scriptâ à patribus fide fundatus [r] manensque,

* an. 341.

[a] Aliquot mss. *quo ipse invisibilis est*. Tum Mich. *invisibilis Deus imago esset*. Huic Apostoli loco explicando Hilarius datâ operâ immoratur, quia Acaciani similem Patri Filium prædicantes, Paulum in eo sibi præivisse gloriabantur. Instat quoque Christum, quà invisibilem, invisibilis Dei esse imaginem; ne iis locus detur, qui Patrem invisibilem, Filium visibilem, naturâ perinde discrepare contendebant.

[b] Lips. & Par. *cum imaginem*. Rectiùs alii libri, *cum imagine*, quasi cum *imaginis vocabulo*: puta, ubi Deus dixit hominem *ad imaginem Dei* conditum, adjunxit *& ad similitudinem*.

[c] In vulgatis, *æquat*. In ms. Colb. *æquetur*: ex quo confecimus *æquatur*. Tum particulam *&*, quæ perinde est ac *etiam*, frustra removerat Lipsius. Postea pro *cùm profectus verò . . . tum*, legendum est, *cum profectu verò intelligentiæ prædicatur, dum ita dicitur*. Hoc enim sibi vult, nusquam de Dei filio similitudinem prædicari, nisi cum iis adjunctis, quibus ipsius cum Patre æqualitas intelligatur; sed hoc apertiùs significari subjecto Johannis loco, in quo virtutis æqualitas non tantùm similitudine operationis, sed, ut ita loquamur, identitate operum demonstratur. Quod illustrant postrema illa num. 18. verba, *Unum verò quòd sunt, hoc est non æqualitatem abnuere, sed incremento intelligentiæ fidem æqualitatis instruere*. Ibi enim incrementum intelligentiæ id est, quod hîc intelligentiæ profectus.

[d] Editi, *similiter*: renitentibus mss.

[e] supple, quia ei carnis est veritas.

[f] Er. Mir. Lips. & Par. *in forma hominis est*: haud scio an cum auctoritate. Tum mss. Colb. & Martin. *Deus sit*.

[g] Recentiores mss. *in hominis statura vel natura est*; Lips. & Par. *in hominis natura est*: malè. Quippe hîc vox *statura* synonyma est verbo Apostoli *habitus*, quo significatur in Christo similitudo quidem, sed non veritas carnis peccati. *Sumsit enim*, inquit appositè Augustinus epist. nunc 164. n. 19. *ex Virgine veram quidem carnis substantiam; non tamen peccati carnem, quia non ex carnis substantia sive seminatam sive conceptam; mortalem sanè ac per ætates mutabilem, tamquam carni peccati sine peccato simillimam.* Videsis ipsummet Hilarium lib. 10. de Trin. n. 25.

[h] Legendum hîc videtur, *quia sibi patrem proprium*. Illa enim Johannis verba, *æqualem se faciens Deo*, proximè his subnectuntur, *quòd patrem suum dicebat Deum*; ubi *patrem suum* interpretatur Hilarius *patrem sibi proprium*.

[i] Hinc manifestam esse jam præmonuimus Hilarii sive in recipienda sive in rejicienda voce homoeusion constantiam. V. lib. de Synod. n. 72.

[k] Non satis habuit dixisse *similem Patri*; sed prudenter adjecit, *similem quoque & Deo*: quia suprà num. 14. ab Aetii & Eudoxii discipulo audierat, *Christum Deo similem non esse, sed similem Patri esse*.

[l] Bad. *excusationis*. Editiones aliæ, *excusationi*. Mss. *excusatione*. Nobis omnino videtur legendum, *ex consensione*.

[m] In vulgatis, *Ego enim nunc fidem tuam ignoro per demutationis tuæ tempora, quibus quisque in unum blasphemiæ suæ barathrum. . . cucurrit*: locus perturbatus & interpolatus, in quo adjectum est *fidem tuam ignoro* præter fidem omnium mss. quorum ope nunc castigatur. Quamquam ubi hi præ se ferunt *ego* vel *ergo*, restituendum duximus *pergo*: nec refugeremus *eo*. In ms. autem Martin. sic habetur: *Ergo usque nunc per demutationis tuæ tempora usque in imum* &c.

[n] Ita codex Colb. cum Martin. Alii autem, *veræ fidei*. Tum soli editi, *synodicen*, ubi in ms. Mich. *synodi Nicænæ*, in Carn. *synodi vicem*, in reliquis *synodi Nicæni*.

[o] Editi, *in eadem Nicæorum fide*: emendantur ex scriptis.

[p] Ita ms. Vat. bas. Probari etiam potest cum Colb. & Martin. *nempe illud*. Minùs bene autem alii cum editis, *minimè fallit illud*. Deinde *quod tuum est* ideo dicit Hilarius, quia Constantio præsente & approbante exposita est Antiochena fides, cujus sunt verba sequentia, quæ in priùs vulgatis præter fidem mss. sic interpolata erant: *Patres generatum esse ex Patre Filium dixerunt, Deum de Deo* &c. Sanè Hilarius Constantio spondens, se renuntiaturum quod illius est, nihil debuit alio nomine renuntiare. Quis etiam credat illum glorioso *Patrum* nomine honoraturum fuisse eos, qui Antiochiæ convenerunt? Sed qui priùs *Nicæorum* loco *Encæniorum* legit, conatus est hîc sibi congruere.

[q] Editi, *inconvertibilis*. Veriùs mss. *inconvertibilem*: quod refertur ad vocem *Filium*, quæ in superioribus Antiochenæ formulæ verbis exstat, non autem ad *imaginem*, uti liquet ex lib. de Synod. n. 29.

[r] Prima editio Par. *maneoque, non ego, sed* &c. Aliæ, *maneo, quæ non ego, sed* &c. Omnes mss. *manensque non ego, sed*. Tam evidens est ibi *egeo* pro *ego* legendum esse, ut ipsum etiam textum non ampliùs sensu destituendum esse duxerimus. Quod confirmat illud lib. 2. ad eumdem Constantium n. 8. *Ego enim penes me habeo fidem, exteriore* NON EGEO: *quod accepi teneo, nec demuto quod Dei est*. Eadem ratione infrà num. 25. ubi exprobravit Hilarius Constantio, quòd homoeusion ab iis ipsis anathematizari jubeat, à quibus usurpatum est; quo sensu hoc ei exprobret, subinde declarat his verbis: *quod* (nomen) *tametsi nobis ad fidem otiosum est* atque supervacaneum &c.

non egeo : ſed tamen hæc tu emendando reſcindis, ac ſine fidei meæ damno tibi requiris perfidiæ occaſionem. Poſt ſynodum * deinde Sardicenſem, omnem rurſum adversùm Photinum * Sirmium catholicæ doctrinæ tuæ commoves curam. Sed tibi ſtatim hoc, quod [a] utraque fide continebatur, exhorret : Eos autem, qui dicunt de non exſtantibus eſſe filium Dei, vel ex alia ſubſtantia, & non ex Deo, & quòd erat aliquando tempus aut ſæculum quando non erat, alienos novit ſancta & catholica Eccleſia. [b] Tuis ipſis diſſides, & adversùs tuos hoſtis rebellas. Novis vetera ſubvertis, nova ipſa rurſum innovata emendatione reſcindis, emendata autem iterum emendando condemnas. Suſcipis etiam adversùm deliramenta Oſii & incrementa Urſacii ac Valentis, emendationum tuarum damnationes : ſed mox [c] emendanda tua omnia eſſe, vel potiùs damnanda conſtituis. Offenderis enim his paucis inimiciſſimis tibi verbis : Et ſi quis ſeniorem tempore Patrem dicat Filio eſſe unigenito, juniorem autem Filium Patre, anathema ſit.

an. 347. an. 351.

Fides nulla, tibi non una.

24. Non calumniamur de reſciſſis, de quibus magis poſt Nicænam ſynodum [d] inſtitutis conquerimur. Nam etiamſi in his omnibus nihil vitiorum ſubjacere affirmetur, non tamen cauſa religioſæ voluntatis ineſſet : quia MALI MEDITATIO eſt, bonorum demutatio ; & non neceſſaria emendatio, perverſitatis occaſio eſt. Taceo cur noſtra apud Nicæam à patribus geſta reſcindis ; non enim cum his tibi convenit : hoc tantùm [e] quæro, cur tua damnas ? Fidem enim unam & unum baptiſma Apoſtolus prædicat : jam quidquid apud te præter fidem unam eſt, perfidia non fides eſt. Nam qui fidem emendando condemnas, damnationem fidei eſſe conſtituis ; dum apud te aboletur per alteram, quæ per alteram rurſus abolenda eſt.

Epheſ. 4. 5.

25. Cujus enim tu exinde epiſcopi manum innocentem reliquiſti ? Quam linguam non ad falſiloquium coegiſti ? Quod cor non ad damnationem anterioris ſententiæ demutaſti ? Damnare homouſion decernis [f], antiquitatis fidem, & pietatis ſecuritatem. Anathematizari [g] homœuſion ab his ipſis, à quibus uſurpatum eſt, conſtituiſti : quod tametſi nobis ad fidem [h] otioſum eſt, tamen reſcindentibus fidei ſuæ damnatio eſt. Damnas [i] quoque & ſubſtantiæ nomen, quo te & Sardicenſi ſynodo & Sirmienſi [k] pium eſſe Occidentalibus mentiebaris : quod tamen prophetica auctoritate [l] ſuſceptum, fidei intelligentiam continebat. Omne itaque, quod probatum antea eſt, damnare jubes : quod improbatum ſemper eſt, ſanctificare compellis. O tu ſceleſte, qui [m] ludibrium de Eccleſia facis ! Soli canes ad vomitum ſuum redeunt : tu ſacerdotes Chriſti reſorbere ea quæ exſpuerant coegiſti. Probare eos id [n] in ſe confeſſionibus ſuis præcipis, quod antè damnaverant : in negando reos ſuos abſolvunt, & ſe ipſos reos reddunt. Omnia in impietatem & in reatum detruſiſti : dum omnes reos ſe eſſe atque impios, aut ex præſentibus ſtatuunt, aut ex præteritis confitentur. Non recipit mendacium veritas, nec patitur religio impietatem.

Nullus juxta Arianos jam non reus.

26. Chriſtianum te loqueris : [o] ſed quàm non ſis, ipſe teſtaris : nec profeſſioni tuæ geſta conveniunt. Subſtraviſti enim [p] voluntati tuæ Orientales epiſcopos, neque ſolùm voluntati tuæ, ſed & violentiæ. Mandas tibi ſubſcri-

Conſtantii in Orientales & Afros violentia.

[a] Duo mſſ. *vera*. Ceteri, *utrumque*. Magis placet cum vulgatis *utraque*, ſcil. & pſeudo-Sardicenſi, & Sirmienſi contra Photinum. Utriuſque enim fidei ſunt verba ſubnexa. Philippopolitanum conventum licèt Sardicenſem nominet Hilarius, cùm tamen notet ex ea conſtitiſſe factione cui Conſtantius favebat, non videri debet cum catholica Sardicenſi ſynodo confudiſſe.

[b] Apud Er. Mir. Lipſ. & Par. *tu his iſis*. Concinniùs Bad. cum mſſ. *tuis ipſis*.

[c] In duobus mſſ. *emendata*. Formulam Sirmii an. 357. editam vocat Hilarius *deliramenta Oſii*, quia eam ſubſcriptione ſua ratam fecit, ac fortè etiam quorumdam verborum illius auctor fuit : *incrementa Urſacii & Valentis* ; quia eam pro more ſuo ambiguis quibuſdam ſententiis adauxerint : *emendationes Conſtantii* ; quia eam approbando, emendavit quod Antiochiæ, Philippopoli & Sirmii contra Photinum probaverat. *Damnationes* autem prædictæ formulæ, intelligit Orientalium Ancyræ an. 358. congregatorum definitiones : quæ *mox* emendantur, non longo pòſt intervallo editâ tertiâ Sirmienſi formulâ, quæ etiam nonnihil immutata Ariminum delata eſt. Verba autem inferiùs laudata, ſunt Ancyrani conventus in anathem. XI.

[d] In mſſ. Martin. & Colb. *inſtitui conqueri*. Exſtat quoque in ceteris *inſtitui*.

[e] Sic mſ. Colb. Alii verò, *queror*. Editi, *querar*.

[f] ſcil. fidei profeſſione Acacio auctore in Seleucienſi ſynodo perlecta, in qua homouſion & homœuſion rejiciuntur. His haud diſſona ſunt illa Gregorii Nazianz. Or. 21. *Piam enim & veterem doctrinam ac Trinitatis patronam, jacto vallo, ac machinis impulsâ & labefactatâ conſubſtantialis voce ſuſtulit.*

[g] Hanc vocem à Macedonio excogitatam fuiſſe tradit Theodoretus lib. 4. hæret. fab. c. 5. At certè conſtat ab iis uſurpatam eſſe, qui illi adhærebant. Neque minùs eſt certum, eos ipſos poſtmodum Conſtantinopoli coactos eſſe, ut hanc vocem damnarent.

[h] Ita mſ. Colb. cum Martin. In aliis autem libris, *vitioſum eſt* : quod non ſolùm pugnat cum lib. de Synod. n. 72. ſed & cum his hujuſce libri n. 22. *Mihi quidem ſimilitudo, ne unioni detur occaſio, ſancta eſt* : & num. 24. *Etiamſi in his omnibus* (formulis homœuſion aſſerentibus) *nihil vitiorum ſubjacere affirmetur.*

[i] eam nimirum ſuſcipiendo fidei expoſitionem, quam Athanaſius lib. de Synod. ut prælectam Arimini, quamque Theodoretus lib. 2. c. 21. ut Nicææ in Thracia ſubſcriptam, & Socrates lib. 2. c. 41. ut Conſtantinopoli approbatam referunt.

[k] id eſt, cùm approbaſti & profeſſus es quod in pſeudo-Sardicenſi & Sirmienſi ſynodo definitum eſt, *Eos autem qui dicunt de non exſtantibus eſſe filium Dei, vel ex alia ſubſtantia* &c. Adeoque perperam Baronius ad an. 347. n. 42. ob hunc Hilarii locum quaſdam excogitavit Conſtantii litteras ad ſynodum Sardicenſem, quibus Filium unius cum Patre ſubſtantiæ profiteretur. Etiam poſt Ancyranum conventum ſubſtantiæ nomen tuentur ejuſdem Imperatoris litteræ ad Antiochenos contra Eudoxium ſcriptæ, & à Sozomeno lib. 4. c. 14. relatæ, in quibus legere eſt : *Revocate, quæſo, in memoriam primos illos ſermones, tunc cùm de fide inquireremus, quibus demonſtrabatur Salvatorem noſtrum eſſe filium Dei, & ſimilem Patri ſecundum ſubſtantiam.* Ubi Conſtantius memorare videtur fidem apud ipſos Antiochenos in Encæniis expoſitam, (quam primam cenſere ſolebant, qui reſpuebant Nicænam,) ac reſpicere in hæc ipſius verba, *divinitatis eſſentiæque* (ϰ̀ ὐσίας) *& virtutis & gloriæ incommutabilem imaginem.*

[l] Bad. & Er. *ſuſceptam*. Mir. Lipſ. & Par. *ſuſcepta*. Veriùs mſſ. *ſuſceptum*, puta ſubſtantiæ nomen : quod in Scripturis uſitatum probat Phœbadius Agen. & in Filii generationem convenire Propheta docet, cùm ait, *Ex utero ante luciferum genui te.*

[m] Colb. mſ. cum Martin. *qui delubrum*. In ceteris, *qui ludibrium* : ubi in excuſis, *quod ludibrium*.

[n] In vulgatis deſideratur *ſe* : quod reſtituitur auctoritate mſſ. Vat. baſ. Martin. & Colb. Porro illud *in ſe* idem eſt quod *adversùm ſe*.

[o] Duo mſſ. *loqueris & prædicas : ſed quia non ſis.* Mox in ſolis edit. *nec confeſſioni tuæ.*

[p] Hic verſus, *voluntati tuæ Orientales epiſcopos, neque ſolùm*, cùm in priùs vulgatis deeſſet, revocatur ex mſſ. Hîc notatur violentia Orientalibus qui homœuſion defendebant illata, ut Ariminenſem blaſphemiam ſuſciperent.

ptiones Afrorum, quibus [a] blasphemiam Ursacii & Valentis condemnaverant, reddi. Renitentibus comminaris, & postremùm ad diripiendos mittis. Quid? existimas Christum non nisi per litteram judicare, & ad arguendam voluntatem egere chartulâ Deum? aut quod semel scriptum est, & per te violenter abreptum, id de conscientia posse divinæ potestatis aboleri? Sequentur te quidem [b] in cineres chartulæ, sed criminosorum apud Deum vivent damnationes. Unum tantùm proficis, ut posteritas quid decernere in eos debeat, instructa sit timendo.

Ariani mortuis bellum indicunt.

27. Et ô quantis ad impietatem proficis incrementis! Et ceteri quidem mortales semper cum vivis bella gesserunt, dum homini ad hominem ultra mortem nihil causæ est: tibi verò inimicitiarum nullus est finis. Receptos enim jam in æternam quietem patres nostros lacessis, & in decreta eorum perversus irrumpis. Apostolus communicare nos sanctorum [c] memoriis docuit: tu eas damnare coegisti. Estne aliquis hodie aut vivus, aut mortuus, cujus tu dicta non resciderís? Episcopatus ipsos, qui nunc videntur, sustulisti [d] penitus: quia nemo non jam per se damnatus est, & eum, à quo sacerdotium sumsit, non jam & ipse damnavit. Cui nunc sanctorum memoriæ communicabitur? Anathema tibi trecenti decem & octo convenientes apud Nicæam episcopi sunt: anathema deinde omnes, qui variis exinde expositionibus adfuerunt. Ipse quoque pridem jam mortuus anathema tibi [e] pater tuus est, cui Nicæna synodus fuit curæ, quam tu falsis opinionibus infamatam perturbas, & contra humanum divinumque judicium cum paucis satellitibus tuis [f] profanis impugnas. Sed non licet tibi nunc regno potenti etiam in posterum præjudicare. Exstant enim litteræ, quibus id, quod tu criminosum putas, piè tunc esse susceptum [g] doceatur. Audi verborum sanctam intelligentiam, audi Ecclesiæ imperturbatam constitutionem, audi patris tui professam fidem, audi humanæ spei confidentem securitatem, audi hæreticæ damnationis publicum sensum: & intellige te divinæ religionis hostem, & inimicum memoriis [h] sanctorum, & paternæ pietatis heredem rebellem. [i]

Rom. 12.13.

Additamentum ex libris de Trinitate.

Ex lib. 2. de Trin. num. 6.

28. Pater est, ex quo omne quod est consistit. Ipse in Christo & per Christum origo omnium. Ceterùm [k] esse ejus in sese est: non aliunde quod est sumens, sed id quod est, ex se atque in se obtinens; infinitus, quia non ipse in aliquo, sed intra eum omnia; semper extra locum, quia non continetur in loco; semper ante ævum, quia tempus ab eo est. Curre sensu si quid ei putas ultimum esse, eum semper invenies: quia cùm semper intendas, semper est quod intendas. Semper autem locum ejus intendere ita tibi est, ut ei esse [l] sine fine est. Sermo in eo deficiet, non natura claudetur. Iterum revolve tempora, esse semper invenies: & cùm calculi numerus in sermone defecerit, Deo tamen semper esse non deficit. Intelligentiam commove, & totum mente complectere; nihil tenes. Totum hoc habet reliquum, reliquum autem hoc semper in toto est. Ergo neque totum est, cui reliquum est; neque reliquum est, cui est omne quod totum est. Reliquum enim, portio est; omne verò, quod totum est. Deus autem & ubique est, & totus ubique est. Ita [m] regionem intelligentiæ excedit, extra quem nihil est, & cujus est semper ut semper sit. Hæc veritas est sacramenti Dei, hoc imperspicabilis naturæ nomen in Patre. Deus invisibilis, ineffabilis, infinitus: ad quem & eloquendum sermo sileat, & investigandum sensus hebeat, & complectendum intelligentia coartetur.

Ex lib. 3. de Trin. num. 18.

29. Volens itaque Filius hujus nativitatis suæ fidem facere, factorum suorum nobis posuit exempla, ut per inenarrabilium gestorum suorum efficientiam de virtute nativitatis inenarrabilis doceremur: cùm aqua fit vinum, cùm quinque panes, saturatis quinque millibus virorum excepto sexu & ætate reliqua, replent fragmentis cophinos duodecim. Res cernitur, & nescitur; fit, & non intelligitur; ratio non apprehenditur, effectus ingeritur. Stultum est autem, calumniam in eo inquisitionis intendere, in quo comprehendi id unde quæritur per naturam suam non potest. Ut enim inenarrabilis est Pater in eo

[a] Mss. Colb. & Martin. *blasphemias . . condemnaverunt.* Hanc blasphemiam interpretantur eruditi secundam formulam Sirmiensem lib. de Synod. descriptam. Idque putant ab Afris factum, quod à Gallis: quos Hilarius lib. de Synod. n. 2. testatur, *missam è Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem damnasse.* Hoc tamen discrimen ponunt, quòd Galli eam statim atque edita est, ab ipsismet auctoribus acceperint; Afris autem, cùm jam auctores illius puderet, missa sit operâ Basilii acerrimi eorum adversarii. Hinc opinantur Basilium apud Sozomen. lib. 4. c. 24. ab Acacianis insimulatum esse, *quòd cum Germinio & Ursacio & Valente communionem se habere scribens, eos tamen apud episcopos Africæ accusasset:* & post pauca, *quòd Illyriis, Italis & Afris dissidii & tumultûs causa exstitisset.* Unde etiam existimant eorum sententiam confirmari, qui formulam Sirmiensem, quæ Imperatoris edicto necnon minis ac pœnis de manibus habentium erepta est, non cum Athanasio lib. de Synod. p. 914. tertiam, sed cum Socrate lib. 2. c. 30. & Sozomeno lib. 4. c. 6. ~~tertiam~~ secundam intelligunt. Quamquam non hîc ait Hilarius extorta blasphemiæ Ursacii & Valentis exemplaria, sed tantùm subscriptiones quibus illa condemnata fuerat. Et verò potiorem videri Athanasii sententiam, notis in Fragmentum postremum ostendemus.

[b] Abest *in* à mss. Martin. & Colb.

[c] Modò exstat in latino textu *necessitatibus*, in græco ταῖς χρείαις. Quamquam Curcellæus legit ταῖς μνείαις. Ob reverentiam erga patres catholici episcopi Fragm. 8. n. 2. Arimino rescribunt Constantio, sibi nefas esse à Nicæna fide recedere, quam tot sancti & Confessores & Martyrum successores conscripserunt.

[d] Adjicimus *penitus* cum omnibus mss. Episcopatus penitus tollit Constantius, cùm novam amplectendo fidem, damnat omnes superiorum temporum episcopos; & perinde eos etiam, qui licèt ipsi consentiant, ab anathemate tamen episcopatum sumserunt, hoc est, ab iis quos modò anathemate damnant. V. lib. de Synod. n. 91.

[e] Hieronymus in Chronico scribit, Constantinum à baptismo in hæresim lapsum esse. Tradit quoque Lucifer Calarit. lib. de Reg. apost. illum se ad Arianos contulisse, & lib. 1. pro Athanas. ipsi perosum fuisse Athanasium, quòd noluerit esse Arianus. In quem locum Tillius, *Hinc apparet*, inquit, *Imperatorem Constantinum Magnum in senectute fuisse Arianum: quod plerique etiam historici narrant.* Aliud tamen scriptis suis mandarunt non modò Hilarius, sed & Athanasius ad Solit. Epiphanius hær. 69. n. 12. Ambrosius Or. de obitu Theodosii n. 40. &c. Immo Ariminensis Concilii catholici patres Fragm. 8. n. 2. testantur Constantinum, cùm fidem Nicænam teneret, baptizatum ad quietem Dei commigrasse.

[f] In mss. Martin. & Colb. *profanus*: & mox, *nunc regni potentiam in posterum* &c. ubi Bandinus ac Latinius malebant *regno potienti.*

[g] Iidem mss. *doceor.* Hîc maximè respicitur vocabulum homousion, cujus ambiguitatem objectare hæretici solebant, ut patet ex his libri de Synod. n. 91. *Interpretati Patres nostri sunt post synodum Nicænam homousii proprietatem religiosè. Exstant libri, manet conscientia.*

[h] Bad. & Er. *auctorum.* Lud. Miræus atque Latinius, *avorum:* superiorum immemores, quibus *sanctorum memoriis* communicandi præceptum explicatur.

[i] In codice basilicæ Vaticanæ hîc absolvitur liber. Quidquid autem superest ex libris de Trinitate huc translatum est, nec satis aptè adsutum. Quocirca parum abfuit, quin omnino supprimeretur.

[k] Abest *esse* à mss.

[l] Excusi hîc adjiciebant *semper*: refragantibus mss.

[m] Sic Bad. & Er. ut lib. de Trin. Alii verò libri, *religionem*

quòd ingenitus est; ita enarrari Filius in eo quòd unigenitus est non potest; quia ingeniti est imago qui genitus est. Cùm enim sensu atque verbis imaginem apprehendimus, necesse est [a] etiam eum cujus imago est consequamur. Sed invisibilia persequimur, & incomprehensibilia tentamus, quibus intelligentia ad conspicabiles res & corporeas coartatur. non erubescimus stultitiæ, non nosmetipsos irreligiositatis arguimus, Dei arcanis, Dei virtutibus calumniantes. Quomodo Filius, & unde Filius, & quo damno Patris, vel ex qua sit portione natus inquirimus. Habueras in exemplo operationum, ut crederes Deum efficere posse, quorum intelligere efficientiam non possis.

Ex num. 19. ejusdem libri.

30. Quæris quomodo secundùm Spiritum natus sit Filius: ego te de corporeis rebus interrogo. Non quæro quomodo natus ex virgine sit; an detrimentum sui caro perfectam ex se carnem generans perpessa sit. Et certè non suscepit quod edidit: sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit, & perfectum ipsa de suis non imminuta generavit. Et quidem fas esset, non impossibile in Deo opinari, quod per virtutem ejus possibile fuisse in homine cognoscimus.

Ex num. 20.

31. Sed te, quisquis es, investigabilia sectantem, & divinorum secretorum atque virtutum gravem arbitrum consulo, ut mihi imperito, & tantùm de omnibus Deo ut sunt ab eo dicta credenti, rationem saltem facti istius afferas. Dominum audio, & quia his credo quæ scripta sunt, scio jam post resurrectionem frequenter videndum se in corpore præbuisse multis non credentibus; [b] certè Thomæ non nisi contrectatis ejus vulneribus crediturо, sicut ait, *Nisi videro in manibus ejus* [c] *figuram clavorum, & misero digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* (*Joh. 20. 25.*) Dominus se ad omnem intelligentiæ nostræ imbecillitatem accommodat, & dubitationi infidelium satisfacturus, arcanum virtutis invisibilis operatur: facti rationem, quisquis [d] eris cælestium rerum scrutator, expone. Erant discipuli inclusi, & secretò post passionem Domini conjuncti consederant. Dominus Thomæ fidem propositis conditionibus confirmaturus assistit, palpandi corporis, & contrectandi vulneris obtulit facultatem: & utique qui compunctus recognoscendus sit, necesse est ut corpus in quo est compunctus attulerit. Quæro ergo per quas clausæ domus partes sese corporeus intulerit. Diligenter enim Evangelista expressit, dicens: *Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio discipulorum* [e] *suorum.* (*Ibid. 26.*) An constructa parietum penetrans, solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit? Stetit namque corporeus, non simulatus aut fallax. Sequantur ergo oculi mentis tuæ penetrantis ingressum, & cum eo clausam domum intelligentiæ tuæ visus introeat. Integra sunt omnia & obserata: sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam universa sunt pervia. Invisibilibus calumniaris: ego à te visibilium exposco rationem. Nihil cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid tamquam lapsu insensibili ligna & lapides admittunt. Corpus Domini à sese non deficit, ut sese resumat ex nihilo: & unde qui assistit in medio est? Cedit ad hæc & sensus & sermo, & extra rationem humanam est veritas facti. Idcirco ergo ut de nativitate [f] fallimus, ita & de ingressu Domini mentiamur. Dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus: & cessante sensu nostro, facti ipsius cesset effectus. Sed mendacium nostrum facti fides vincit. Adstitit Dominus clausa domo in medio discipulorum: & Filius est natus ex Patre. Noli negare quòd steterit, quia per intelligentiæ infirmitatem consistentis non [g] consequaris introitum: noli nescire quòd ab ingenito & perfecto Deo patre unigenitus & perfectus filius Deus natus sit, quia sensum & sermonem humanæ naturæ, virtus generationis excedat.

Ex num. 21.

32. Et omnia quidem insuper mundi opera adesse nobis in testimonium possent, ne ambigere de Dei rebus atque virtutibus fas crederemus. Sed in ipsam veritatem infidelitas nostra procurrit, & violenti in excidium Dei potestatis irrumpimus. Si liceret, & corpora & manus ad cælum levaremus, solem astraque cetera annui cursus suis limitibus proturbaremus, permisceremus decessus Oceani & accessus, fluenta etiam fontium inhiberemus, & naturas fluminum referremus, concuteremus fundamenta terræ, & toto in hæc opera Dei parricidio desæviremus. Sed bene est, quòd nos intra hanc modestiæ necessitatem natura corporum detinet. Certè non fallimus, quid, si liceret, essemus acturi: namque quia [h] possumus, profanâ voluntatis audaciâ naturam veritatis convellimus, & bellum dictis Dei comparamus.

Ex lib. 2. de Trin. n. 9.

33. Cesset dolor querelarum. Nam te, quisquis es qui hæc requires, non revoco in excelsum, non in amplitudinem tendo, non deduco in profundum. Nonne æquanimiter ignorabis Creatoris nativitatem, ignorans originem creaturæ? Hoc saltem requiro, sentisne te genitum, & quæ ex te generentur intelligis? Non quæro, sensum unde hauseris, vitam unde sortitus sis, intelligentiam unde adeptus sis, quale sit quod in te est, odor, sensus, visus, auditus; certè nemo quod facit nescit: quæro unde ista his [i] quos generas indulgeas, qualiter sensum inseras, oculos accendas, cor affigas. Hæc, si potes, enarra. Habes ergo quod nescis, & tribuis quæ non intelligis: æquanimiter imperitus in tuis, insolenter in Dei rebus ignarus.

[a] Mss. *necesse est cum eo cujus imago est, consequatur*: malè. Pejùs autem editi, *Tum enim sensu atque verbis imaginem apprehendamus necesse est, cùm eum cujus imago est consequemur.*

[b] Editi, *Credo Thoma* &c. Mss. *Certè Thomas non nisi contactis ejus vulneribus crediturum se ait.*

[c] In mss. *fixuram.*

[d] Mss. *quisquis hæres.*

[e] Hîc à mss. abest dumtaxat *suorum.*

[f] Rursum hîc editi, *fallimur*: denuo emendantur ex scriptis.

[g] In mss. *sequaris.*

[h] Et hîc editi particulam negantem præfigunt: renitentibus mss.

[i] Aliquot mss. *quibus retineris*; mox Mich. *cor affligas*, non *cor affigas.*





ADMONITIO
IN LIBRUM CONTRA AUXENTIUM.

Hieron. de Script. eccl. I. *LIBRO hoc, ut cum Hieronymo loquamur, elegante, Hilarius de suis cum Auxentio Mediolani gestis catholicos certiores facit. Illum Constantii tempore, ac proinde ante annum 361. editum esse repugnat; quamvis hoc sonare videantur expendenda suo loco Facundi Hermianensis verba. Neque magis veritati consentanea est Baronii ac Blondelli sententia, qua eum anno 369. scriptum volunt: cùm eo tempore Hilarius, Hieronymo, Sulpicio Severo & Gregorio Turonensi auctoribus, è vivis excessisse comprobetur. Deceptus uterque fuit ex mendosa priorum editionum lectione, qua Auxentius ita scribebat num. 12.* non oportere 600. episcoporum unitatem post tantos labores ex contentione paucorum hominum refricari ABJECTIS DECRETIS ante annos decem, *ut de contemtu Ariminensium decretorum ante annos decem editorum conqueri videretur. Verùm ex ea ipsa lectione jam castigata internosci veriùs potest hujus Operis tempus. Cùm enim pro* abjectis decretis ante annos decem, *legendum sit* ab abjectis ante annos decem; *cúmque Auxentius quos illos abjectos intelligat, subinde declaret his postremis epistolæ suæ verbis,* Sic enim cognoscet Serenitas vestra, quia qui jam dudum depositi sunt, hoc est, Hilarius & Eusebius, contendunt ubique schismata facere: *hinc tantùm sequitur, scriptam esse Auxentii epistolam, & perinde reliquum Opus, decem annos post quàm duo illi fortissimi Præsules abjecti fuere. At verò Eusebium à Concilio Mediolanensi anni 355. à Biterrensi autem anni 356. Hilarium in exsilium ejectum fuisse nemo ignorat.*

Facundus T. 3. Spicil. p. 118.

II. *Præterea ut Operis hujus tempus certiùs dignoscatur, explorare juverit quando Valentinianus Mediolani versatus sit. Hilarii enim cum Auxentio congressum illo ibi commorante habitum fuisse manifestum est. Mediolani autem Valentinianum anno 364. identidem versatum esse, fidem faciunt rescripta inde hoc ipso anno data Kalendis Juniis, 13. Kal. Jul. 14. Kal. Sept. Prid. Non. Novemb. necnon 15. & 7. Kal. Dec. Neque minùs liquet ex variis rescriptis, eum in eadem urbe maximam anni subsequentis partem transegisse. Porro Ammiani * testimonio ac pluribus aliis monumentis constat, Valentinianum mense Novembri anni 365. venisse Parisios, neque annis subsequentibus à Galliis discessisse. Unde cùm perspicuum sit, prædictum congressum ante mensem Novembrem an. 365. fuisse habitum; inquirendum dumtaxat restat, habitusne sit anno 365. an 364. Neutrum quidem certò definire licet: postremum tamen, considerata congressus hujus occasione, & rerum in eo gestarum serie explicata, longè probabilius apparebit.*

* lib. 26. c. 5.

III. *Eusebius Vercellensis, Rufino teste lib. 1. hist. eccl. c. 30. post Alexandrinum Concilium anni 362. in Italiam rediens, Hilarium nostrum ibi nactus est ad restaurandas hujus regionis ecclesias sedulò incumbentem, eique se in idem opus adjunxit. Sicut autem dubium non est, quin duo illi viri id tum maximè adnisi sint, ut Italiam Auxentio tamquam nequissima peste liberarent; ita non est ambigendum, quin hæreticus ille, qui fidem pro tempore simulare noverat, statim atque Imperatoris novi opportunitas data est, eos apud illum prævertere conatus sit, à quibus exitium sibi impendere prævidebat. Hinc factum est, ut Hilarium & Eusebium apud Imperatorem infamaret * uti schismatum auctores, & ecclesiæ Mediolanensis perturbatores; dum sibi, * qui unà cum Rege Christum Deum veréque Dei filium ante tempora genitum profiteretur, * iniquè apud populum inurebant hæreseos notam. Tum * rex pacis studiosus, qui fortè sicut ecclesias ab Auxentio occupatas ipso adventu suo per vim ei eripere à clementia sua alienum ducebat, ita censebat regia majestate indignum, ut ipse in angulis religionis suæ cultum exerceret: gratulatus est fidem, uti sibi videbatur, catholicam ab Auxentio asseri, adeoque posse se adventu suo populum hactenus ab episcopo suo abhorrentem in unam communionem reducere. Itaque*

* num. 14. * num. 5. * num. 12. * num. 6.

sine

*ſine mora * edicto gravi vetuit, ne deinceps à quoquam Mediolanenſis eccleſia perturba-* * Ibid.
retur. Edicto huic non obſequendum ratus Hilarius, etiam importuna interpellatione ſug-
geſſit, Auxentium aliter credere, quàm rex ipſe aut omnes alii exiſtimarent. Hinc congreſſus, Ibid.
cujus geſta hoc libro narrantur, juſſu regis habitus. Et hæc quidem omnia, quæ ex ipſis Hi-
larii verbis aſſequi aut certè ſubodorari eſt, in id tempus, quo Valentinianus Mediolanum n. 12.
primùm pervenit, ac proinde in annum 364. longè magis quàm in ſubſequentem conveniunt.

IV. *Nec movere debet, quòd Auxentius Euſebium & Hilarium ante annos decem*
abjectos ſeu depoſitos vocet. Ea enim verba hæretici ſunt in æſtu diſputationis, qui quò Sulp. pag. 252. Athanaſ. de Syn. p. 874. & epiſt. ad Afr.
meliorem cauſam ſuam faciat, hyperbolicè loquitur: quomodo proximè antè Ariminenſis
Concilii (quò Sulpicio teſte, eique conſentiente Athanaſio, non multi ſupra quadringen-
*tos, immo juxta Maximinum Arianum * trecenti & triginta dumtaxat convenere,) ** ſex- * apud Auguſtin. coll. cum eodem Maxim. n. 2.
centorum epiſcoporum unitatem *jactitare non erubeſcit. Sed & hanc ſynodum, quæ*
ſubinde ab omnibus exploſa eſt, haud ſcio an fidenter adeo anno 365. laudare auſus eſſet
homo fidei ſimulandæ ſtudioſus. * num. 12.

V. *Ad hujus Tractatus complementum deſideratur libellus, quem regi ſeſe obtuliſſe &*
*epiſtolæ ſuæ ſubtexuiſſe teſtatur * Hilarius: deſideratur & Ariminenſis fides, quam unà* * num. 6.
cum libello ſuo Auxentius ſe Valentiniano tradidiſſe ſub ejuſdem libelli finem commemorat.

VI. *Neque defuere qui ambigerent, an eam Auxentianæ fidei expoſitionem, cujus*
exemplum num. 9. promittitur, germanam haberemus. Quamvis enim ſubjectus ad calcem
hujus epiſtolæ Auxentii libellus hoc nomine inſcribatur; in eo tamen non offendere ver-
ba illa ambigua, natum Deum verum filium, *quæ in Auxentii expoſitione fraudulenter*
ad fallendum compoſita Hilarius num. 7. retegit ac reprehendit. Deinde in eodem libello
altum illis videtur de Nicææ in Thracia geſtis ſilentium, quæ tamen, uti ex num. 7. li-
quet, Auxentius ab ipſo ſermonis ſui exordio ſancta eſſe teſtatur.

VII. *At prima illa ac præcipua dubitandi ratio jam nulla eſt, ubi verborum ambi-*
guitas apparet ex antiquiſſimo codice S. Petri in Vaticano reſtituta. Altera verò, cùm ex
diverſa unius ejuſdemque ſynodi appellatione nata ſit, facilè ſolvitur. Quæ enim Auxentius
ad extollendam fidei ſuæ rationem ſexcentorum hominum *Arimini geſta mendaciter jacti-*
tat, ea Hilarius ad eamdem deprimendam Nicææ in Thracia perpaucorum eſſe prædicat. Re
enim vera Ariminenſis Concilii non alia fides, niſi quæ Nicææ Bithyniæ edita; nulla propriè
geſta, niſi quibus Arii ſectatores anathemate feriuntur. Quia tamen formula Nicææ in Thra-
cia cuſa, & à paucis ſubſcripta, Arimini tandem per vim inducta eſt; eam Hilarius, quam antea
Nicææ in Thracia dixerat, etiam Ariminenſis ſynodi nuncupari permittit his verbis, Sed de
Ariminenſi ſynodo nihil dicamus. *quibus cùm proximè adjiciat,* quæ ab omnibus eſt
religioſè diſſoluta; *ea etiam ratione Auxentii cauſam nihil juvari ſatis oſtendit.*

VIII. *Itaque ex duplici illo capite, ex quo dubius videbatur Auxentii libellus, nunc*
certiùs ei aſſeritur. Cetera etiam conveniunt. In eo quippe verſutus ille hæreticus num.
13. profitetur, quod Hilarius eum affirmaſſe notat, ſe Arium numquam ſciſſe. Idem conte-
ſtatur num. 14. Hilarium olim depoſitum aut accuſatoris aut judicis perſonam habere non
debere: quod ſibi ab eo objectum ſtrenuus Chriſti Confeſſor narrat num. 6. Qui quidem etſi
nonnulla confutat tamquam ab Auxentio aſſerta, quæ in ipſius libello non exſtant, ea haud
dubiè pertinent ad ipſa Nicææ Thraciæ ſeu Arimini geſta, quæ ille toto animo amplexatus
libello ſuo ſubjicienda curaverat.

IX. *Totum hoc Opus in antiquo codice Carnutenſis eccleſiæ inſcribitur,* Epiſtula ad Catho-
licos de Auxentium: *in quinque aliis,* Tractatus vel liber contra Auxentium Arianum
epiſcopum Mediolanenſem. *His favet Hieronymus, à quo* elegans contra Auxentium
libellus *appellatur. Vulgatus titulus,* Contra Arianos vel Auxentium Mediolanenſem
liber, *ex veterrimo mſ. S. Petri de Urbe eſt expreſſus. Re ipſâ epiſtola eſt ad catholi-*
cos contra Arianos, quos exordium ſpectat; ſed nominatim contra Auxentium, de cujus ſe-
cum geſtis Hilarius catholicos admonet. In his omnibus cùm erga Imperatorem, à quo
iniqua paſſus erat, ſedato ac reverenti animo ſe gerit; palam facit ſe pro ſua cauſa
neſcire iraſci, ſuoque exemplo confirmat ſummam principibus exhibendam eſſe reveren-
tiam: tum verò maximè eis ignoſcendum, cùm ex imprudentia aut errore peccaverint.

SANCTI HILARII
PICTAVENSIS EPISCOPI
CONTRA ARIANOS,
VEL AUXENTIUM MEDIOLANENSEM,
LIBER * UNUS.

* Scriptus anno 364.

Dilectissimis fratribus in fide paterna manentibus, & Arianam hæresim detestantibus, episcopis, & omnibus plebibus, Hilarius conservus vester [a] in Domino æternam salutem.

Pacem veram frustra tentat Hilarius componere.



SPECIOSUM quidem nomen A est pacis, & pulcra est opinio unitatis: sed quis ambigat eam solam Ecclesiæ atque Evangeliorum unitatem pacem esse, quæ Christi est? Quam ad Apostolos post passionis suæ gloriam est locutus, (Joh. 20. 19.) quam ad æterni mandati sui pignus commendavit [b] abiturus, hanc [c] nos, Fratres dilectissimi, & amissam quærere, & turbatam componere, & repertam tenere curavimus. Sed B hujus ipsius nos fieri vel participes vel auctores, nec temporis nostri peccata meruerunt, nec imminentis antichristi prævii ministrique sunt passi: qui pace sua, id est, impietatis suæ unitate se jactant, agentes se non ut episcopos Christi, sed antichristi sacerdotes.

Antichristi plures.

2. Ac ne maledicis verborum in eos uti conviciis arguamur, causam perditionis publicæ, ne cuiquam ignorata sit, non tacemus. Antichristos plures esse, etiam apostolo Johanne prædicante, cognovimus. (1. Joh. 2. 18.) Quisquis enim C Christum, qualis ab Apostolis est prædicatus, negavit, antichristus est. Nominis antichristi proprietas est, Christo esse contrarium. Hoc nunc sub opinione falsæ pietatis efficitur, hoc sub specie prædicationis evangelicæ laboratur, ut Dominus Jesus Christus, dum prædicari creditur, denegetur.

Ecclesia subsidiis humanis fundata non fuit.

3. Ac primùm miserari licet nostræ ætatis laborem, & præsentium temporum stultas opiniones congemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione * sæculari laboratur. (* Ms. Carnut. sæculi.) [d] Oro vos, episcopi qui hoc esse vos creditis, quibusnam suffragiis ad prædicandum Evangelium Apostoli usi sunt? quibus adjuti potestatibus Christum prædicaverunt, gentesque fere omnes ex idolis ad Deum transtulerunt? Anne aliquam sibi [e] assumebant è palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere inter catenas & post flagella cantantes; edictisque regis Paulus, cùm in theatro spectaculum ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat? Nerone se, credo, aut Vespasiano, aut [f] Decio patrocinantibus tuebatur? quorum in nos odiis confessio divinæ prædicationis effloruit. Illi manu atque opere se alentes, intra cœnacula secretaque coëuntes, vicos & castella gentesque fere omnes terrâ ac mari contra senatusconsulta & regum edicta peragrantes, claves credo regni cælorum non habebant? Aut non manifesta se tum Dei virtus contra odia humana porrexit, cùm tanto magis Christus prædicaretur, quanto magis prædicari inhiberetur?

[a] Has voces, *in Domino æternam*, restituimus ex mss.

[b] Mss. summo consensu, *habituris*; phrasi quidem satis singulari, non omni tamen sensu destituta.

[c] Hoc de se modestè insinuat Hilarius, qui pacem amissam quærere non destitit toto exsilii sui tempore, turbatam post Ariminense Concilium composuit, & magna ex parte repertam summo studio tenuit. Sed quæ retro sunt oblitus, quasi nihildum præstitisset, quia hanc Mediolanensi civitati frustra tentasset procurare, sequentia subjicit.

[d] Facundus Hermian. Spicil. t. 3. pag. 118. dum hæc ita laudat: *Sanctus Hilarius episcopus, Confessor & Doctor egregius, quibusdam episcopis tempore Constantii Imperatoris, quo Ariani sub nomine pacis & regis pervaserant universas pæne totius Orbis locales ecclesias, dixit* &c. rerum ac temporum ignorantiâ videtur lapsus. Non enim Constantio, sed Valentiniano imperante scripsit hæc Hilarius: quo tempore ad ecclesias suas Eusebius, Lucifer, Hilarius ipse, aliique redierant. Unde Ariani saltem in Occidente non omnes pæne ecclesias locales obtinebant. Cùm tamen subsequens Hilarii declamatio in id potiùs cadat quod Ariani sub Constantio egissent, quàm in id quod sub Valentiniano agerent: commodè possunt hæc Facundi verba intelligi. Quia verò Valentinianus nimio pacis studio, & amore localis ecclesiæ quam Auxentius occupabat, versuti hujus hæretici fidem propiùs explorare timuit, & professione secundùm vocum sonos catholica contentus illius communionem suscepit; postmodum in nimium illum parietum ecclesiæ amorem invehitur: veritus haud dubiè, ne episcopi, qui in Imperatoris Comitatu frequentes erant, in eamdem dissimulationem abirent, & hæretica communione pollucrentur.

[e] Sex mss. *assumerent*.

[f] In antiquioribus mss. Vat. bas. Carnut. & Colb. *Deciis*.

[…]idei vis il-[…]ata impro-[…]atur.

4. At nunc, proh dolor! divinam fidem suffragia terrena commendant, inopsque virtutis suæ Christus, dum ambitio nomini suo conciliatur, arguitur. Terret exsiliis & carceribus Ecclesia: credique sibi cogit, quæ exsiliis & carceribus est credita. Pendet [a] ad dignationem communicantium, quæ persequentium est consecrata terrore. Fugat sacerdotes, quæ fugatis est sacerdotibus propagata. Diligi se gloriatur à mundo, quæ Christi esse non potuit, nisi eam mundus odisset. Hæc [b] de comparatione traditæ nobis olim Ecclesiæ, nuncque deperditæ, res ipsa quæ in oculis omnium est atque ore, clamavit.

Antichristi tempus jam adesse.

5. Quid autem illud sit, quod ignorandum ultrà non sit, breviter exponam. Secundùm placitam Deo plenitudinem coartata sunt tempora. [c] Circumscripta enim ratio eorum cælestibus libris docetur: ac necesse est in ipsam nos ætatem antichristi incidisse, cujus, secundùm Apostolum, ministris in lucis se angelum transformantibus, ab omnium fere sensu & conscientia is qui est Christus aboletur. Ut enim erroris affirmatio certa sit, incerta [d] veri opinio antefertur: sitque antichristo jam pervium, Christum eum esse se, fallere, de quo nunc usque dissensum sit. Hinc illæ variæ opiniones, hinc sub unius [e] Christi fide prædicatio plurimorum, hinc nuper Arii spiritus ex angelo diaboli in lucis Angelum [f] transfiguratus: cujus hereditas [g] omnis ad Valentem, Ursacium, Auxentium, Germinium, Gaium successit atque defluxit. Nam ipsi nunc Christum novum, per quem antichristus subreperet, intulerunt.

2. Cor. 11. 14.

Auxentii, Valentis &c. de Christo opiniones.

6. Volunt enim hunc suum Christum non ejus divinitatis esse cujus & Pater est; sed [h] esse potentem & præstantem ceteris aliis creaturis creaturam, eumque per voluntatem Dei ex nihilo substitisse: & eum ante omnia quidem sæcula, & ante omne omnino tempus natum ex Deo Deum esse; sed non ex substantia Dei esse, neque divinæ in eo nativitatis, majestatisque ejus, [i] quæ Dei est, intelligendam veritatem; ne quàm verus sit Deus qui pater est, tam verus sit Deus qui filius est: ut id, quòd unum esse Filius & Pater in Evangeliis prædicantur, in voluntatis tantùm sit & caritatis societate, non in divinitatis veritate. Quæ si in Filio non eadem est ipsa illa quæ Dei est, ut in confessione fidei Deus unus sit; cur Deum Filium, cur ante tempora & sæcula confitentur, nisi quia Dei nomen sancto cuique per indulgentiam [k] æternitatis est destinatum? Aut regenerati omnes non verè Dei filii sunt, aut angeli omnes, per Christum utique conditi, non ante omnia tempora & ante omnia omnino sæcula sunt creati? [l] Verùm ad antichristum minori invidia introducendum, miserisque credendum, tribuunt Christo Dei nomen; quia hoc & hominibus sit tributum: fatentur verè Dei filium; quia sacramento baptismi verè Dei filius unusquisque perficitur: ante tempora & sæcula confitentur; quòd de Angelis atque diabolo est non negandum. Ita Domino Christo sola illa tribuuntur, quæ sunt vel angelorum propria, vel nostra. Ceterùm, [m] quod Deo Christo legitimum & verum est, Christus Deus verus, id est, eadem esse Filii quæ Patris divinitas denegatur. Et hujus quidem usque adhuc [n] impietatis fraude perficitur, ut jam sub antichristi sacerdotibus Christi populus non occidat, dum hoc putant illi [o] fidei esse, quod vocis est. Audiunt Deum Christum; putant esse quod dicitur. Audiunt filium Dei; putant in Dei nativitate inesse Dei veritatem. Audiunt ante tempora; putant idipsum ante tempora esse, quod semper est. Sanctiores aures plebis, quàm corda sunt sacerdotum. Si Deum verum Ariani prædicant Christum, Deum sine fraude confessi sunt: quòd si Deum dicunt, & negant verum; tribuunt nomen, & adimunt veritatem.

Joh. 10. 30.

Plebi nondum nocet hæresis latens.

7. Quamquam igitur impiissimis eorum blasphemiis plenæ omnes [p] ecclesiarum chartæ, plenique jam libri sint: quid proximè tamen

Hilarii cum Auxentio Mediolani gesta.

[a] Lips. & Par. *à dignatione*: renitentibus aliis libris.

[b] In mss. *Ac de*, non *hac de*. Mox apud Bad. Er. Mir. & in quinque mss. *numquam deperdita*. In Michaelino autem ab eadem manu & in eodem contextu adjicitur, *vel, nunc quàm deperdita*: quomodo legendum Erasmus ad marginem asseruit, ac post eum legêre Lips. & Par. Habet ms. bas. Vat. *nunc valde perdita*: ubi ex Carnut. reponimus, *nuncque deperdita*.

[c] Editi, *incircumscripta*: emendantur ex mss.

[d] Miræo magis placuit *vero*, reluctantibus omnibus veteribus libris: nec deinceps castigatus fuit; quamvis hîc Hilarii sententia non ea sit, ut incerta opinio anteponatur veritati, sed ut quod verum ac certum est, ab Arianis proponatur velut incerta opinio. De generatione enim Filii, quia inenarrabilis esset, nolebant quidquam definiri. Quos sugillans Phœbadius Agen. *Illud autem*, inquit, *quis ferre æquanimiter possit, ut quem initium habere pro certo ponunt, hujus nativitatem habeant in incertum.* Adversùs eamdem illorum artem in Ariminensi synodo apud Athanas. lib. de Synod. p. 876. conclamabant catholici, *Nos non quia fide indigeremus, huc convenimus* &c.

[e] Par. cum ms. Colb. à recenti manu, *Christi nomine*.

[f] Mss. *figuratus*. Aliter legitur paulo superiùs & initio libri in Constant.

[g] Ita mss. At editi, *hereditas nominis*: & mox post Lipsium Par. *successioque defluxit*. Hæc ut & superiora ad Ariminensis Concilii gesta referuntur. Tantùm omittit Hilarius Demophilum, quem memoratis adjungit Athanasius lib. de Synod. p. 874. *Venerunt*, inquit, *ad eumdem locum Germinius, Auxentius, Valens, Ursacius, Demophilus, & Gaius. Ibi cùm ceteri episcopi ex sacris litteris verba sua formarent, illi chartulam exhibuerunt* &c. Hi omnes eam ob rem à synodo excommunicati leguntur.

[h] Excusi, *esse eum præstantem*, omisso verbo *potentem*, quod habent omnes mss.

[i] In ms. Colb. *quæ Deus est*.

[k] Vox *æternitatis*, & mox particula *non*, desiderabantur in antè vulgatis. De angelorum ante tempora conditione videsis pag. 1131. not. a.

[l] Excusi, *Verùm antichristum arbitror minori invidia*, suppresso *ad*, & addito *arbitror* præter fidem mss. & Hilarii sententiam: quam ut conciliaret Georgius Bullus, pro *invidia*, legendum esse *perfidia* opinabatur. Aperta autem fit ope mss.

[m] Ms. Mich. *quod de Christo*: quod primùm arridebat. Sed datâ operâ Dei Christi nomen repetere videtur Hilarius, ut dignitatem illius & divinitatem magis ac magis inculcet.

[n] Editi, *impietatis occasio per fraudem perficitur*: prava interpolatione obscuriorem reddunt Hilarii sententiam, qua observat hæreticos sub verbis piis impietatem suam ita velare, ut dum populi eorum verba ut sonant intelligunt, pravitate ipsorum nondum corrumpantur. Appositè Athanasius epist. ad Epictet. p. 582. *Istos lucifugas, qui sese etiamnum occultant, & quæ Arii sunt sapiunt, Auxentium dico Mediolanensem, Ursacium, Valentem, Gaium à Pannonia uno spiritu incitatos, communi calculo anathemate percusserunt Concilia in Galliis, Hispaniis & magna Roma congregata.* Hujusmodi fraudes prævertens Or. 1. cont. Arian. p. 291 ait, *Si dictiones ex sacris litteris scribant, ne sustinueritis hoc genus scriptorum: etiamsi voces orthodoxæ fidei loquantur, ne ita quidem loquentibus attendite. Non enim recto animo loquuntur, sed veluti indumenta ovium hæc verba præferunt, intus autem quæ Arii sunt sapiunt, quemadmodum hæreseon princeps diabolus.*

[o] Apud Bad. Er. Mir. & in ms. Colb. *filii Dei esse*. Non alter efficitur sensus, sive intelligas, hoc putant eos credere quod verba sonant; sive, hoc putant eos sentire filii Dei esse, quod illius esse prædicant.

[p] Eum ad modum Hieronymus Dial. cont. Lucif. de Ariminensis synodi gestis ait, *Quod si quis à nobis fictum putat, scrinia publica scrutetur; plena sunt certè ecclesiarum arcæ.*

acciderit, non tacendum est. Cùm edicto gravi * sanctus rex perturbari ecclesiam Mediolanensium, quæ Deum verum Christum & unius cum Patre divinitatis & substantiæ confitetur, sub unitatis specie & voluntate jussisset; etiam importuna interpellatione suggessi, Auxentium blasphemum esse, & omnino hostem Christi habendum: idque adjeci, eum aliter credere, quàm rex ipse, aut alii omnes haberent. Quibus [a] rex permotus, audiri nos à Quæstore & Magistro præcepit, considentibus unà nobiscum episcopis ferè decem. Primúmque, ut in foro solet, de persona calumniatus est, damnatum [b] quondam me à Saturnino, audiri ut episcopum non oportere. Non est nunc temporis, quid ad hæc responsum sit, enarrare: sed qui tum audiebant, de fide potiùs, ut regi placuerat, agitandum esse decernunt. Cúmque jam in arto esset negandi [c] periculum; credere se Auxentius Christum Deum verum, & unius cum Deo patre divinitatis & substantiæ est professus. Placuit igitur hoc scribi, & ne memoriis audientium quæ dicta essent elaberentur, continuò libellum regi per Quæstorem offero, quo quid convenisset, contineretur: & ne quid mentiri arguar, ejusdem exempla subjeci. Placet omnibus Auxentium hæc ipsa profiteri frequenter: qui ut [d] ipsum scriberet, est coactus. Qui diu consilia sua versans, callidissimè fidem regis eludit: dat scripturam stilo antichristi compositam.

* Carn. ms. sanctissimus.

Auxentius consubstantialitatem confitetur.

8. Nam primùm ea, quæ [e] Nicææ Thraciæ omnium impietas resolvisset, sancta esse testatur: vim scilicet illatam episcopis, fidem esse veræ confessionis affirmans. Negat quoque se scire Arium: cùm in Alexandria in [f] Ariana ecclesia, cui Gregorius præerat, presbyter esse cœpisset. Sed de Ariminensi synodo, quæ ab omnibus est religiosè dissoluta, nihil dicamus: tantùm diaboli commenta pandenda sunt. Cùm placuisset igitur scribi Deum verum esse Christum, & unius cum patre divinitatis atque substantiæ esse: ponitur talis ab eo, ut à callidissimo diabolo, sententia, quæ significaret Christum *ante omnia tempora natum Deum verum filium*: ut secundùm Arianos *veritas* ad filium, non ad Deum referretur. Et ut longè major differentia hujus significationis exsisteret; subjicitur, *Ex vero Deo Patre*: ut in Patre veritas Dei esset, in Christo veritas tantùm filii scriberetur. Dehinc procedente sermone, una ab Auxentio divinitas prædicatur, & in ea non confitetur & [g] Filium: ut in solo Patre, non etiam in Filio, esset sola una divinitas.

Scripto eludit fidem quam confessus erat.

9. Spargitur verò per populos, Auxentium verum Deum Christum, & unius cum Patre divinitatis ac substantiæ scripsisse, neque ab expositæ per me fidei diffidere sententiâ: post quæ ad communionem ejus rex pro fidei sinceritate advenit. Sed cùm hoc mysterium impietatis diu occultatum jam non taceretur, diceremque fingi [h] omnia, fidem denegari, Deum atque homines illudi; jubeor de Mediolano proficisci, cùm consistendi mihi in ea invito rege nulla esset libertas.

Quasi rectè sentiens divulgatur.

Hilarius fraudem retegens jubetur exire.

10. Hæc igitur, Fratres, quibus Dei judicium in metu est, ita gesta esse significo. Auxentius quod negare timuit, noluit confiteri: nam expositionis ipsius exempla subjeci. Si idem scripsit, arguite fallentem: si verò * aliud scripsit quàm professus est, intelligite jam Christum per eum alium, id est, antichristum prædicari. Lusit quidem ille verbis, quibus possit fallere & electos; sed patet impietatis tantæ professio.

* Ms. Carn. aliter.

11. Negat se duos deos prædicare, quia non duo patres sunt. Quis secundùm hæc non videt, unius Dei confessionem idcirco tantùm Patri propriam esse, quia solus esset? Unde & ille satanæ [i] stilus exstitit: *Novimus unum solum verum Deum patrem.* Et post malevolas significationes, *Similem*, inquit, *secundùm Scripturas Filium genitori suo patri.* Si usquam in sanctis voluminibus hoc scriptum est, habet innocentiæ professionem. Si [k] verò veritate divinitatis Filius & Pater unum sunt, quid similitudinis imperfecta opinio antefertur? Imago quidem Dei Christus est: sed & hominem imaginem Dei esse non dubium est, cùm ad imaginem & similitudinem Dei Adam factus sit. Quid tu heres Arii Christo tantùm nostra concedis? Quid Regem, quid Comites, quid Dei Ecclesiam, patris tui, id est, satanæ arte circumvenis? Christum Deum dicis: quid fallis in nomine? Nega Moysen Pharaoni deum dictum. Christum filium & primogenitum Dei loqueris: nega primogenitum filium Israel

Auxentii perfidia exponitur.

v. lib. in Constant. n. 20.

Exod. 7. 1.

Esai. 1. 2.

[a] Ita mss. At editi, *quibus rebus permotus.* Rex auditis iis, quæ ipsi ab Hilario suggerebantur, non aliud, quàm quod ab illo postulabatur, credendus est præcepisse: adeoque dubitari nequit, quin episcopi in eo congressu ut judices sederint, Quæstor verò & Magister tantùm ut testes; maximè cùm Valentinianus ipse teste Ambrosio epist. 21. n. 2. & Sozomeno lib. 6. c. 7. suffragante, rerum ecclesiasticarum judicium ad se minimè pertinere declararit.

[b] Sex mss. cum Bad. Er. & Mir. *à quodam Saturnino.* Meliùs potiores cum Lips. & Par. *quondam à Saturnino.*

[c] Apud Mir. Lips. & Par. *periculo*: refragantibus aliis libris.

[d] Editi, *ipse.* Vetustiores mss. Vat. bas. & Carnut. *ipsud*, quod vocabulum sic etiam alibi exprimunt. In ceteris *ipsum*, hoc est, idem. Hinc num. 9. arguitur, quòd non idem, sed *aliud scripsit quàm professus est.* Proximum *frequenter* idem sonat, quod coram multitudine.

[e] In ms. Carnut. *Nicia & Thracia.* Fortè pro *Nicia in Thracia*, tacito verbo *gesta.* Tum in vulgatis *omnium impietas ex se solvisset.* Sequimur mss. Quamquam mallemus, *omnium jam pietas resolvisset.* Quid enim hoc sibi vult aliud, quàm quod mox enuntiatur his verbis, *Sed de Ariminensi synodo, quæ ab omnibus est religiosè dissoluta?* Eam autem variis Conciliis dissolutam esse declarant Sulpicius lib. 2. pag. 262. & Hieronymus Dial. cont. Lucif.

[f] In antiquioribus libris, *Aria.*

[g] Carn. & Colb. *filii.* Hîc notantur verba Auxentii n. 14. *Propter quod & unam deitatem prædicamus*: quibus Filium à divinitate callidè excludit.

[h] In duobus mss. *nomina.* ac deinde Carnut. codex, *Deo atque hominibus illudi*: tum cum ms. bas. Vat. *de Mediolanio*, non *de Mediolano.*

[i] In quinque mss. *filius exstitit.* Satanas quidem, quia mendacii auctor & fallacium parens est, Auxentii pater mox prædicatur: sed hîc vox *filius* cum subsequentibus non satis cohæret. Tum in vulgatis, *Novi unum.* Rectiùs in vetustioribus mss. *Novimus unum*: hæc enim verba, sicut & subsequentia, *similem secundùm Scripturas* &c. sunt formulæ Arimini seu Nicææ in Thracia editæ, cujus se defensorem Auxentius profitetur.

[k] Ex mss. revocatur particula *verò*, qua perspicuior fit Hilarii sententia: puta, si contrà in Scripturis Pater & Filius unum dicuntur naturæ veritate, non qualicumque similitudine.

l. 12. de Trin. n. 35.

Deo esse. Christum ante tempora natum asseris: & creatum nega diabolum ante tempora & sæcula substitisse. Christum similem Patri memoras: nega ad imaginem & similitudinem Dei hominem esse cœpisse. Solum Christo quod est denegas, ne Deus verus & unius cum Patre divinitatis atque substantiæ sit. Et solitus es unà cum magistris tuis me hæreticum arguere: expone, quibus potes litteris, impietatis meæ causam, & blasphemiarum mearum titulum propone. Mihi autem antichristus est ille, qui unius divinitatis esse Filium cum Patre non confitetur: quique non ita unum verum Deum Patrem prædicat, ut veritas quoque divinitatis non intelligatur in Filio. Si unius divinitatis Christus & Deus sunt, cur hoc non simpliciter scripsisti? Si tibi non sunt, cur hoc non simpliciter denegasti?

12. Arcanum igitur tam pestiferi mysterii optassem, Fratres, ipse potiùs quàm per litteras revelare, & omnes blasphemias Auxentii verbis singulis explicare. Verùm quia id non licet, saltem unusquisque quod sibi liceat intelligat. Multa alia proferre Ecclesiæ me pudor inhibet, & committere epistolæ Arianorum blasphemiarum dedecora pertimesco. * Unum moneo, cavete antichristum: malè enim vos parietum amor cepit, malè Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini, malè sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est, in his antichristum esse sessurum? Montes mihi, & silvæ, & [a] lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores: in his enim prophetæ, aut manentes, aut demersi, Dei spiritu prophetabant. Absistite itaque ab Auxentio satanæ angelo, hoste Christi, vastatore perdito, fidei negatore: quam sic est regi professus, ut falleret; sic fefellit, ut blasphemaret. Congreget nunc ille quas volet in me synodos, & hæreticum me, ut sæpe jam fecit, publico titulo proscribat, & quantam volet iram in me potentium moliatur: mihi certè ille numquam aliud quàm diabolus erit, quia Arianus est. Neque pax aliquorum umquam optabitur, nisi eorum, qui secundùm patrum nostrorum apud Nicæam tractatum, anathematizatis Arianis, Christum Deum verum prædicabunt. [b]

** Hæc citat Facundus Spicil. t. 3. p. 118. Ecclesiæ parietum ne nimius sit amor.*

[c] EXEMPLUM BLASPHEMIÆ AUXENTII.

Beatissimis & gloriosissimis Imperatoribus Valentiniano & Valenti Augustis, Auxentius episcopus ecclesiæ [d] catholicæ Mediolanensium.

Auxentius hæreticus appellatus.

13. Ego quidem, piissimi Imperatores, æstimo non oportere sexcentorum episcoporum unitatem post tantos labores ex contentione paucorum hominum refricari [e] ab abjectis ante annos decem, sicut & scripta manifestant. Sed si aliqui ex plebe, qui numquam communicaverant, nec his qui ante me fuerunt episcopis, nunc ampliùs excitati ab Hilario & Eusebio, perturbantes quosdam, hæreticum me vocaverunt: jussit verò pietas vestra cognoscere de his viros laudabiles, Quæstorem & Magistrum: & sicut prædixi, non eos personam habere accusatorum aut judicare qui semel depositi sunt; (dico autem Hilarium & qui ei consentiunt:) tamen obediens serenitati vestræ, processi manifestare falsa [f] dicentibus, & blasphemantibus, & vocantibus me Arianum, & quasi non confitentem Christum filium Dei Deum esse.

Fidem suam exponit.

14. Exposui [g] amicis pietatis vestræ meam confessionem, primùm satisfaciens, quia numquam [h] scivi Arium, non vidi oculis, non cognovi ejus doctrinam: sed ex infantia, quemadmodum doctus sum, sicut accepi de sanctis Scripturis, credidi, & credo in unum solum verum Deum patrem omnipotentem, invisibilem, impassibilem, immortalem: & in filium ejus unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, ante omnia sæcula & ante omne principium natum ex Patre DEUM [i] VERUM FILIUM ex vero Deo patre, secundùm quod scriptum est in Evangelio: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Per ipsum enim omnia facta sunt, visibilia & invisibilia. Qui descendit de cælis voluntate Patris propter nostram salutem, natus de Spiritu-sancto & Maria virgine secundùm carnem, sicut scriptum est, & crucifixum sub Pontio Pilato, sepultum, tertia die resurrexisse, adscendisse in cælis, sedere ad

Joh. 17. 3.

[a] Mss. summo consensu, *lucus*: quam vocem, nisi *luci* non *lucus* obtineret rectus casus pluralis, præferre licuisset: quasi affectasset Hilarius ecclesiis hæreticorum ingressu pollutis gentilium lucos conferre, immo anteferre. Quamquam si cum his comparemus illud capitis 5. in Matth. n. 1. *In omni loco precem fundere edocemur: & sanctorum oratio inter feras, carceres, flammas, & de profundo maris ac bestiæ ventre suscepta est*; patet retinendum esse *lacus* vocabulum, eoque alludi vel ad profundum maris, in quod Jonas demersus est; vel ad lacum leonum, in quem dejectus Daniel, ac positus inter feras, à Deo respici meruit. Huc conferre licet, quod scribit Dionysius Alexandr. apud Euseb edit. Vales. lib. 1. hist. eccl. c. 22. *Cùm soli ab omnibus fugaremur atque opprimeremur, nihilo minùs tunc quoque festos egimus dies. Quivis denique locus, in quo varias ærumnas singillatim pertulimus, ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit.*

[b] In ms. Carn. adjicitur clausula *Amen.*

[c] Ita mss. nec aliter solet Hilarius hæretica Opuscula inscribere. At editi, *Auxentii Mediolanensis epistola.*

[d] Abest *catholica* à ms. Mich.

[e] Editi, *refricari abjectis decretis.* Ne in uno quidem ms. exstat vocabulum *decretis*: quod à primis editoribus haud dubiè adjectum est, ut oratio suis numeris absolveretur. Sed præpositio *ab*, antè *abjectis*, propter consequentem ejusdem soni syllabam faciliùs excidere potuit, quàm *decretis*: eâque restitutâ tam efficitur sensus veritati consentaneus, quàm efficiebatur falsus adjectione verbi *decretis.* Hilarii enim atque Eusebii exsilia hîc indicari jam præmonuimus, & ex calce hujus blasphemiæ manifestum est, ubi idipsum apertiùs declaratur.

[f] Sic mss. Editi verò, *falsa docentibus.*

[g] Hunc versum, *exposui amicis pietatis vestræ meam confessionem*, non habent mss.

[h] Ita fere Palladius in gestis Concilii Aquileiensis n. 14. apud Ambrosium T. 2. p. 790. novæ editionis, rogantibus ut Arii doctrinam damnet, respondet: *Arium nec vidi, nec scio qui sit.*

[i] Ex vetustissimo Vaticanæ basilicæ codice nunc primùm restituuntur verba, *verum filium*, quorum in ambiguo Auxentius ludebat & illudebat tanto faciliùs, quòd interpunctionum distinctio tum nesciebatur. Quamquam si verus est Deus qui verus est Dei filius, uti demonstrat Hilarius lib. 7. de Trin. n. 14. parvi interesse videbatur, utrùm *verum* ad Deum, an ad filium referret. Ea tamen arte ac dicendi ratione non ille solus, sed alii etiam usi sunt Ariani, de quibus Augustinus lib. 1. contra Maximin. c. 6. *Ejusdem naturæ, cujus est Pater, negatis esse Deum filium, quamvis verum esse filium non negetis.* Verùm hoc loco sic restaurato, omnis jam tollitur eruditis de hujus epistolæ veritate dubitandi ratio.

» dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum-sanctum paracletum, quem misit Dominus & Deus noster salvator Jesus Christus discipulis, Spiritum veritatis. Sic credidi, & credo, sicuti & adscendens in cælos unicus filius Dei tradidit discipulis, dicens, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.* [a]

Matth. 28. 19.

» 15. Duos autem deos numquam prædicavi: nec enim sunt duo patres, ut duo dii dicantur, nec duo filii; sed unus filius ex uno patre, solus à solo, Deus ex Deo, sicut scriptum est, *Unus Pater Deus ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia*: propter quod & unam deitatem prædicamus. Omnes ergo hæreses, quæ adversùs catholicam fidem veniunt, semper quidem congregati episcopi catholici condemnaverunt & anathematizaverunt, specialiter autem convenientes Arimino, & inde condemnavimus. Catholicam autem & Evangeliorum, quam tradiderunt Apostoli, hanc fideliter custodivimus. Ut autem pietas vestra veriùs cognosceret ea, quæ gesta sunt in Concilio Ariminensi, transmisi, & peto ut ea libenter legi præcipiatis: sic enim cognoscet serenitas vestra, quia qui jam dudum [b] depositi sunt, hoc est, Hilarius & Eusebius, contendunt ubique schismata facere. Quæ enim bene de sanctis Scripturis catholicæ fidei exposita sunt, pietas vestra pervidet hæc retractari non oportere. «

1. Cor. 8. 6.

Ariminensi fidei adhæret.

[a] Subtexitur *Amen* in mss. Mich.
[b] Editi, *quia jam dudum damnati, depositi, hoc est* &c. castigantur ex mss.

IN FRAGMENTA
PRÆFATIO.

An hoc Opus Hilarii sit.

I. PRÆCLARUM *hoc antiquitatis monimentum Nicolai Fabri operâ ex bibliotheca P. Pithœi anno 1598. Fragmentorum nomine editum, summo omnium plausu exceptum fuit. Nulli palam, quod sciamus, totum respuerunt quasi Hilario malè adscriptum: de illius tamen auctoritate subdubitare nonnulli videntur atque contrà mussitare. Ipsi etiam initio nonnihil movebamur primò, quòd epistola synodi Sardicensis ad universas ecclesias Fragmento 2. contenta, & Ariminensis Concilii ad Constantium litteræ, quæ primam Fragmenti 8. partem conficiunt, cùm latinè scriptæ sint, longè tamen castigatiores, pleniores ac mutuo sententiarum nexu elegantiores in græcis exemplaribus, quàm in his Fragmentis reperiantur: deinde quòd alia sit libro de Synodis n. 34. alia Fragmento 3. n. 29. pseudo-Sardicensis fidei translatio. Tertiò cùm eo tempore, quo sibi restitutus Liberius Ecclesiæ fidem egregiè tueretur, hoc Opus scriptum fuisse necesse sit; incredibile videbatur, ut ei jam correcto, immo etiam acerrimo fidei patrono, tot anathemata Fragm. 6. n. 6. diceret Hilarius, qui Orientalibus necdum rectè sentientibus, quia tamen ad veritatem propiùs accederent, libro de Synodis ita pepercit, ut nec laudes negarit. Deterrebat præterea monstrosa quædam rerum facies, & inordinata confusaque variarum epistolarum congeries, Hilario aliàs tanto cum ordine singula enarrante indigna. Angebamur denique, quòd omnia hæc Fragmenta non eo in mss. modo, quo illa Nicolaus Faber edidit, sub uno titulo atque Hilarii nomine occurrant; sed in duas veluti partes dividantur, quarum prima, quæ Fragmentis 11. 13. 3. 8. 9. 5. & 7. constat, nec Hilarii nec cujusvis alterius nomine inscribatur; quamvis illi cùm in fronte tum ad calcem adscribatur altera, quæ Fragmenta 1. 2. 4. 12. 14. 15. 6. & 10. comprehendit. Ex quo auctoritas primæ saltem partis, quæ in priùs vulgatis postrema est, sublesta videbatur ac levis.*

Quædam dubitandi rationes.

Hilario asseritur mss. auctoritate.

II. *His omnibus permoti, ad rei veritatem diligentiùs investigandam animum adjecimus. Ac primò quidem minimè contemnendam esse duximus mss. auctoritatem, hoc Opus non semel, sed iterum ac tertiò S. Hilario adscribentium, nimirum initio primi Fragmenti*, Incipit liber S. Hilarii Pictavensis provinciæ Aquitaniæ, *&c. rursumque in medio Fragmento 6.* Sanctus Hilarius anathema illi dicit, *ac demum in fine Fragmenti 10.* Explicit liber S. Hilarii ex Opere historico. *Namque si quis Pithœo codici chartaceo, quòd recentior sit & ab annis dumtaxat 300. descriptus, non satis tutò credi putet; fidem non negabit habendam S. Remigii Remensis exemplari, quod Sirmondus, cujus in potestate fuit, notis in Concilium Parisiense* pervetus *vocat; in quo idem rerum ordo, & eædem erant inscriptiones. Hoc quidem exemplar frustra quæsivimus: sed Stephanus Baluzius litteris*

juvandis natus, varias Sirmondi lectiones suppeditando, jacturam nostram utcumque resarcivit. His accedit, quòd cùm Baronius ad an. 357. ex Cresconiana Collectione ac duobus mss. Liberii litteras Fragmento VI. insertas describat, in novissima editione fatetur se in suis mss. easdem quas in his Fragmentis reperisse interpolationes Hilario pariter adscriptas.

III. *Mss. suffragatur Hieronymus. Qui enim ab illo de Script. eccl. inter Opera Hilarii recensetur,* Liber adversùs Valentem & Ursacium historiam Ariminensis & Seleuciensis synodi continens, *haud obscurè promittitur titulo in fronte 1. Fragmenti prænotato:* Incipit liber S. Hilarii Pictavensis provinciæ Aquitaniæ, in quo sunt omnia, quæ ostendunt vel quomodo, quibusnam causis, quibus instantibus sub Imp. Constantio factum est Ariminense Concilium *&c. Expressiùs tantùm dixit Hieronymus* adversùs Ursacium & Valentem, *quod hîc generaliùs enuntiatum est* quomodo, quibusnam causis, quibus instantibus. *Nam quòd hæc Fragmenta sint Operis adversùs Valentem & Ursacium scripti, cùm ex aliis, tùm maximè ex secundo, decimo, ac duobus postremis est manifestum. Titulus quidem noster de Seleuciensi Concilio nihil spondet, cujus tamen historiam, secundùm Hieronymum, Hilarii liber debet continere. At Hieronymus, qui, ut ad libros de Trinitate ac de Synodis observatum est, Operibus aliorum inspectis titulos de suo imponere solebat, ad Seleuciense Concilium referre potuit monimenta, quæ Fragmento 10. habentur, & indicantur secutura. Namque quæ in eo narrantur inter Seleuciensis & Ariminensis Concilii legatos Constantinopoli gesta, & ad Seleuciense & ad Ariminense indifferenter pertinent: ad Seleuciense quidem, cujus continuatio esse Constantinopolitana synodus videbatur; ad Ariminense verò, in cujus sententiam quodam modo abiit Seleuciensis synodus, dum ipsius legati fidem in illo Concilio editam suscipere Constantinopoli coacti sunt.* Hieronymi testimonio.

IV. *Tituli autem veritatem non mediocriter confirmat Fragmentum 1. Episcopum quippe præ se fert Gallicanum, qui à rebus in Gallia gestis * exordium facturus sit; qui exsilium maluerit subire, quàm prodita Ecclesiæ fide ** domestico otio frui; *qui ut veram Imperatori fidem persuaderet, * impensiore cura audientiam poposcerit, nec potuerit impetrare; qui fidei depravationem, & corruptionem Evangeliorum jam raptim ingesserit, qui * denique quo animo velit legi, lectorem præmoneat. Ita se Hilarius in ipso exordio propriis coloribus pinxit, ut quibus aliàs ignotus non est, nullatenus valeat latere. Cùm autem primo illo Fragmento indicetur subsecuturum Opus, quod variis constet tum epistolis tum synodis, & Ariminensis Concilii historiam ex Arelatensis aliorumque superiorum Conciliorum gestis altiùs repetat; hujus Fragmenti auctore agnito, maxima auctoritas accedit & ceteris.* Hilarium præ se fert I. Fragmentum. * num. 6. * num. 4. * num. 5. * num. 7. Fragmenta alia cum primo affinia sunt.

V. *Nulla certè videtur ratio, cur non prima hujusce Collectionis pars æquè ac secunda Hilario adscribenda sit. Utraque enim variis epistolis ac synodis constat. Utraque, ut observavit Nic. Faber, aliquot locis verba auctoris ipsis Actis habet immixta, quæ sanctissimi Confessoris phrasim exhibeant. Utriusque monimentis pariter demonstratur Ursacii ac Valentis nequitia simul & inconstantia. In utraque demum continetur nihil, quod non redoleat antiquitatem, quod historiæ temporum non consentiat, aut quod non aliqua ratione spectet ad Ariminensis Concilii historiam. Immo si à prima disjungatur altera, non est unde hæc ad prædictæ synodi historiam pertinere judicetur; cùm sola pars prima illius gesta exhibeat: quæ in hoc quoque cum altera convenit, quòd perinde atque illa, & quæ Ariminensem synodum præcesserint, & quæ subsecuta sint, complectatur.* Partis utriusque consensio.

VI. *Sed neque quisquam inficias ierit, totam illam Collectionem in mss. Pithœano ac Remigiano duas in partes malè distingui, pejùs verò postponi priorem posteriori; cùm primæ partis initium manifestè continuatio sit posterioris. Synodi enim Parisiensis epistola, à qua in mss. primæ partis initium ducitur, rescriptum est litteris Orientalium, quæ in iisdem mss. partem postremam claudunt. Ex quo fit, ut titulus non in unam tantùm partem, sed in omnem Collectionem cadat. Quocirca Nicolaus Faber partium illarum ordinem invertere, & primæ postremam præponere non dubitavit.* Ex corruptione orta est illa in duas partes divisio.

VII. *Hac difficultate expedita, quæ gravior videbatur, facilè jam excutiuntur scrupuli, qui nobis initio negotium facessebant. Namque virum in Phrygiam relegatum non in* Scrupuli alii levantur.

genuina & integra epistolarum latinarum exemplaria, sed in mendosa incidisse quis stupeat? Quis verò neget, ex locorum mutatione accidere potuisse, ut alia esset in his Fragmentis, alia in libro de Synodis pseudo Sardicensis fidei translatio? Certè mirandum non est, eum in diverso Opere, tempore, ac loco non uni versioni stetisse, qui prædictum pseudo-Sardicense Symbolum ac Sirmiense contra Photinum, quamvis utrumque græcè iisdem verbis enuntiatum sit, in uno eodemque de Synodis libro non una ratione verterit. Jam verò ad anathemata Liberio dicta, ab aliis responsum est ea fortè ab aliena manu ad marginem adscripta, exinde in textum irrepsisse; ab aliis autem, ea tum ab Hilario prolata esse, cùm ejusdem Pontificis plenam ignaviæ epistolam primùm accepit. Putant enim hîc exhiberi Hilarii adversaria sine ordine descripta, quæ ipse primùm ad Opus absolutius conficiendum sibi comparasset. Tunc verò in mentem ei venire potuit illud Apostoli Gal. 1. 8. Licèt nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis præter quàm quod evangelizimus vobis, anathema sit: *ut in Liberium Christi causæ desertorem id sibi licitum existimaret, quod Apostolus in se & in Angelum Dei non permisit tantùm, sed & præcepit. Neque quidquam proclivius est vehementer amantibus, quàm ut aliquâ in eum, quem ab amico turpiter deficere audiunt, indignationis notâ compensare conentur, quod illi de amatorum numero decedit. Sed si dissuta Operis numquam absoluti adversaria ad nos pervenisse concesseris; erit pariter concedendum, monimenta illa, quæ identidem indicantur secutura, nec tamen sequuntur, iis locis ab Hilario tantùm destinata esse, ubi ea præ manibus haberet. Quibus autem placebit, hæc absoluti Operis fragmenta esse, nihilo minùs ex iis quæ desunt constabit, ea aliter quàm modò habentur ab Hilario esse ordinata. Utram verò prætuleris opinionem, horum Fragmentorum confusio nihil eorum officiet veritati.*

Unde orta libri hujus confusio.

VIII. *Rufini testimonio & antiqua censenda est libri hujus corruptio, & hæreticis adscribenda: si tamen ad hoc Opus referendum est, quod ille Tract. de adulteratione librorum Origenis ait*, Hilarium* ad emendationem eorum, qui Ariminensi perfidiæ subscripserant, librum instructionis plenissimæ conscripsisse, *qui subinde ab hæreticis ita fœdatus sit, ut ne eum quidem Hilarius ipse agnosceret. Sed cùm his verbis multa Rufinus immisceat apertè falsa & quæ fabulam omnino sapiant; vix quidquam ex iis conficias: nisi fortè dixeris, libri hujus depravationem iis fingendis occasionem præbuisse. Et verò Arianorum nequitiâ dignum erat, ut libri hujus integritatem nobis inviderent. Casu etiam evenire potuit illius confusio.*

* *apud Hieron. Tom. 9.*

Quî nunc novo ordine reparata.

IX. *Verùm jam non tanti refert scire unde orta sit, quanti interest ut quomodocumque reparetur. Vix enim ea serie, qua in mss. exstat, sine fastidio legi possit, & sine quodam à vero aberrandi discrimine. At quis ordo tenendus? Jam desiderarunt nonnulli, varia monimenta in eo contenta secundùm temporum ordinem distribui. Huic tamen se non semper adhæsisse significat * Hilarius, cùm se à gestis Arelatensibus, quamvis aliud postulet rerum ordo, initium facturum esse præmonet. Quamquam cùm ibi rationem reddit cur alium ordinem sequatur, in ceteris ordinandis tempora se non neglexisse haud obscurè indicat. Unde & statim subnectit:* Hoc etiam non inutiliter admonebo, ut ad omne hoc volumen diligens intentio adhibeatur. Omnia enim sunt & separanda temporibus, & distinguenda judiciis *&c. Hanc igitur dispositionem censuimus optimam fore, quæ omnia sic temperaret, ut & temporum servaretur ordo, nec rerum ab Hilario ordinatarum ratio immutaretur. Eam ob rem observavimus quoties in toto hoc Opere desideraretur aliquid, quod auctor se subnexuisse significaret; aut certè sequeretur, quod cum præcedentibus non cohæreret: tum illud in tot Fragmenta partiti, quot in locis nacti sumus dissutum aut aliqua sui parte mutilatum, Fragmenta singula secundùm ordinem temporum collocavimus.*

* *Fragm. 1. n. 6.*

Novi hujus ordinis utilitas.

X. *Novo illo ordine primùm tituli à Nicolao Fabro inditi veritas comprobatur; eorum deinde consulitur commoditati, qui Opus illud vel indicare cupient, vel indicatum recognoscere; ac demum lectori præstatur, unde illud jucundiùs jam legat atque utiliùs. Si enim ingrata est & ad errorem ducit rerum gestarum confusa narratio; jucunda esse debet & ad veritatem reducere distincta & ordinata. Experti sumus ipsi, quam sibi mutuò singula Fragmenta suo loco posita lucem afferant. Certè quid in hoc libro desit, si non exhibent, plerumque*

plerumque saltem ostendunt. Interdum etiam dum continuatam rerum seriem ex ordine explicant, sensum demonstrant sub mendosis verbis latentem. Clariùs denique animo intuendum proponunt totum in hoc Opere auctoris consilium.

XI. *Statim ex Fragmento* 1. *apparet, Hilarium ab Arelatensi synodo, cujus acta desiderantur, hunc librum inchoasse. Ex quo non absurdè cogitare est, ea ad prædictam Arelatensem synodum illustrandam pertinere, quæ de Sardicensi ac sollemni Valentis & Ursacii retractatione Fragmento* 2. *subjiciuntur. Ex iis enim actis apertè demonstratur iniquitas sententiæ, qua Athanasius Arelate, ac postea Mediolani, Valente, Ursacio & Saturnino auctoribus condemnatus est. Unde in eodem Fragmento n.* 18. *eorum, qui Sardicæ Athanasii absolutionem procurarunt, comparationem faciens Hilarius cum iis, qui Arelate in ejusdem conspirarunt damnationem, ait,* Ignorasse vos negabitis Athanasio, cujus damnationem à vobis Valens, Ursacius, Saturninus exigunt, ab Osio, Maximino, Julio redditam communionem? *Hinc quæ sive Luciferi, Eusebii, aliorumque Confessorum exsilia, sive Vincentii ac Fortunatiani lapsum spectant, & inter hæc inserta Liberii primùm fortiter dicta gestaque, ac tandem turpis cum Arianis consensus, haberi meritò possunt velut Arelatensis synodi consecutiones, aut certè inchoationes Ariminensis. Cujus acta post hæc suo ordine veniunt, & quæ cùm ad illud rescindendum variis in locis à catholicis statuta, tum ad ipsum propugnandum ab Ursacio & Valente tentata. Ex quo apparet, Hilarium hoc uno libro, quidquid in Occidente hæresis Ariana gesserit, comprehendere voluisse.* Libri hujus summa & scopus.

XII. *Namque cùm in his partibus fidei defensores Arelatensi synodo expellere cœpissent, eos non fidei sed unius Athanasii gratiâ in exsilium ejectos esse vulgo persuasit; adeo ut hic error propè omnium occuparit mentes, tot sacerdotes idcirco, quòd in illum sententiam non ferrent, exsulare, eamque non satis dignam esse suscepti exsilii causam. Errorem illum sanare curat Hilarius, cùm mendacis hæresis progressus explicando, eam non unius hominis, sed totius fidei expulsionem suscepisse ex ipso exitu demonstrat. Quocirca quidquid ex variis Conciliis exponit, ad unum Ariminense tamquam ad finem refert, in quo apertè patefecit hæresis, quid superioribus moliretur. Hinc si res spectes hoc libro contentas, plurium synodorum; si scopum, unius Ariminensis historiam complecti dicendus est. Cùm autem hujus Concilii maximè Ursacio & Valente instantibus tam infelix exitus fuerit; non malè inscribatur contra duos illos Arianæ sectæ duces, quorum perfidia non ex iis solùm quæ Ariminensi in synodo ac pòst moliti sunt, sed & ex pristinis eorum actis comprobatur. Ex quibus rursum cum Hieronymo conciliatur libri hujus in nostris mss. consignata inscriptio.* Plura continet acta, sed quæ ad unius Ariminensis synodi historiam referuntur. *Fragm.* 1. *n.* 4.

XIII. *Itaque Hilarius Ecclesiæ saluti numquam non prospiciens, sicut libros de Trinitate edidit, ne exsulantibus veræ fidei prædicatoribus sana doctrina coexsularet; ita & suscepit hoc Opus, ne absentibus plerisque Pastoribus noceret perversa: & ut unusquisque* judicio deinceps proprio consistens *falsitatem illius per se discerneret*, & opinionem non sequeretur alienam. *Quod eo tempore convenientissimum erat, quo ad Ariminensem ecthesim excipiendam Constantii Imperatoris edicto cogebantur omnes, & quo Hilarius, illæso Imperatoris nomine, eam omnibus damnandam demonstrare conabatur, donec liceret eamdem publicè in Conciliis damnare & abrogare. Sed & hunc librum Constantio adhuc vivo, & ab Oriente nondum reverso Hilario inchoatum esse, ex Fragmento* 1. *longè certiùs conficitur. Ad quod enim aliud, nisi ad Constantii tempus, commodè retuleris isthæc num.* 4. In Romani Imperii negotiis quies carpitur, rex angitur, palatium fervet, episcopi circumcursant &c. *Quid porro sibi vult, quod paulo antè præmittit*, Opus tento grave... locorum in quibus gesta res est, nosque agimus, desperatione peregrinum? *Quis ille locus, in quo Ursacius ac Valens ut fidei perfidia Ariminensis præpolleret effecerint, nisi urbs regia & Imperatoris Comitatus? Quæ item loca desperata, nisi Oriens, cujus decem Asianas provincias, paucis cum Eleusio exceptis, verè Deum nescire jam lib. de Synod. n.* 63. *audivimus? Propterea* peregrinum *est Opus, quia cùm Hilarius Constantinopoli, in qua versatur, atque circumjacentibus regionibus proficere se posse desperet, ad Occidentem illud destinat unde abest. Eam enim verbi* peregrinum *vim esse* Quando scriptus sit hic liber. *Lib.* 10. *de Trin. n.* 4. *Fragm.* 1. *n.* 7.

liquet ex his lib. de Synod. n. 63. Non peregrina loquor, neque ignorata scribo ; audivi ac vidi vitia præsentium : *cùm ibi* peregrina *manifestè opponantur præsentibus. Hoc igitur adorsus anno 360. cùm adhuc Constantinopoli versaretur, ac priùs quàm contra Constantium scriberet, postea in dies adauxit, uti fidem faciunt Fragmenta* II. 12. *&c.*

XIV. *Quod in singula doctè & copiosè præfatus est Nicolaus Faber, non supprimendum duximus, ne periret laudata à multis lucubratio; sed ne Hilariana scripta longiore à se intervallo separaret, tantùm in Appendice reponendum. Ita etiam ne cuiquam pereat antiquus ordo, quo singula hujus Operis monimenta ab eodem vulgata sunt, hujus indicem subteximus, quem cum novo conferre uno intuitu quisque valeat.*



FRAGMENTORUM VETUS ORDO


CUM NOVO COMPARATUS.

ORDO VETUS.	*ORDO NOVUS.*
LIBER SANCTI HILARII Pictavensis provinciæ Aquitaniæ *&c.* Sancto Spiritu *&c.*	FRAGMENTUM I.
Epistola synodi Sardicensis ad universas Ecclesias. Epistola facta ad Julium urbis Romæ episcopum, Julio episcopo à synodo directa. Epistola, quam post renuntiationem Orientalium, Athanasium reum non esse, in urbe Roma holographa manu Valens perscripsit, & Ursacius subscripsit. Item exemplum alterius epistolæ Valentis & Ursacii, quam post aliquantum temporis ab Aquileia, postea quàm hanc superiorem Romæ miserant, ad Athanasium miserunt episcopum. Fides apud Nicæam conscripta à 318. episcopis contra omnes hæreses.	FRAGMENTUM II.
Epistola Liberii episcopi urbis Romæ ad Orientales episcopos.	FRAGMENTUM IV.
Item epistola Liberii episcopi urbis Romæ ad catholicos Italiæ episcopos. Epistola episcoporum Italiæ ad episcopos Illyricos.	FRAGMENTUM XII.
Epistola Valentis & Ursacii & aliorum ad Germinium.	FRAGMENTUM XIV.
Rescriptum Germinii ad Rufianum, Palladium & ceteros.	FRAGMENTUM XV.

ORDO VETUS.	ORDO NOVUS.
Epistola Liberii rescripta ad Eusebium, Dionysium & Luciferum Confessores, ante quàm ad exsilium iret. Item ejusdem ad Cæcilium episcopum Spoletinum. Quomodo Liberius hæc omnia quæ gesserat vel promiserat, missus in exsilium universa in irritum deduxit. Item ejusdem de exsilio, Ursacio, Valenti & Germinio. Item epistola Liberii de exsilio ad Vincentium.	Fragmentum VI.
Epistola Orientalium episcoporum, quam reversis ab Arimino legatis dederunt.	Fragmentum X.

Hactenus Fragmenta, quæ in priùs vulgatis primum locum, & in mss. posteriorem obtinent: deinceps sequuntur, quæ superioribus subnexa sunt in priùs vulgatis, quamvis ea præcedant in mss.

ORDO VETUS.	ORDO NOVUS.
Fides catholica exposita apud Phariseam civitatem ab episcopis Gallicanis ad Orientales episcopos. Epistola Eusebii ad Gregorium Spanensem.	Fragmentum XI.
Epistola Germinii episcopi adversùs Arianos.	Fragmentum XIII.
Decretum Orientalium episcoporum, quod miserunt ad Africam.	Fragmentum III.
Epistola Ariminensis Concilii ad Constantium Imperatorem, ubi prævaricati sunt à fide vera. Gesta ubi prævaricati sunt legati episcopi à fide vera.	Fragmentum VIII.
Epistola missa ad Constantium Imperatorem à perfidis episcopis.	Fragmentum IX.
Epistola ad Constantium Imperatorem à Liberio episcopo urbis Romæ, missa per Luciferum episcopum.	Fragmentum V.
Epistola Constantii Imperatoris ad episcopos Italiæ, qui Ariminensi synodo convenerant. Definitio habita ab omnibus catholicis episcopis, priùs quàm per terrenam potestatem territi hæreticorum consortio sociarentur in Concilio Ariminensi.	Fragmentum VII.



FRAGMENTA EX LIBRO SANCTI HILARII PICTAVENSIS PROVINCIÆ AQUITANIÆ,

In quo sunt omnia, quæ ostendunt vel quomodo, quibusnam causis, quibus instantibus sub Imperatore Constantio factum est Ariminense Concilium contra formellam Nicæni tractatus, qua universæ hæreses [a] comprehensæ erant.

FRAGMENTUM * I.

** Alias I partis.* Fidei, spei & caritatis præstantia. *I.Cor.13.13.*



SANCTO Spiritu plenus Paulus apostolus ad Corinthios ita loquitur: *Manet autem fides, spes, caritas.* Magnum consummandæ veritatis sacramentum ita [b] triplici humani sensus affectione complectitur: reliquarum autem rerum sive officia sive dona, in quibus nunc pro parte versamur, abolenda significat, cùm adventu Domini nostri Jesu Christi cælestis concilii perfectio inveniatur. Corruptione enim nostra in æternitatis gloriam transformatâ, hoc, quod nunc aliquid esse creditur, non erit; quando tribui cœperit, quod cùm est, semper æternum est. Verùm fidei, spei, caritatis hoc meritum est, ut mortis debito corporibus dissolutis, semper maneant, nec umquam desinant; & cùm omnia in homine pro parte sint, hæc tamen sola perfecta sint. Nam sive prophetiæ abolebuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur, tria illa superiora perfectionem immutabilem consequuntur: & nihil aut extrinsecùs mutabuntur, aut ultra quàm [c] obtinent, uberiùs acquirent. Cùm enim prophetias & linguas & scientiam veritas absoluta depellit; fidem, spem, caritatem capessendæ æternitatis traduces & patronos sicuti ipsa erunt æternitas apprehendet. Et singularum quidem rerum idem beatus Apostolus merita * exigui honoris sui distinxit: ut intelligi promtum esset, ceteris [d] profectu augmenti cælestis abolendis, non exiguo honoris sui fructu, tria hæc sola esse quæ maneant quidem.

** supple, ratione aut quid simile.*

Fidei meritum. *Hebr. 11.6. Rom. 4. 9. Matth. 5. 28. Joh. 1. 12.*

2. Igitur Deus justitiæ prævius [e] numeratur, creditus ab ignorante quòd Deus sit. Atque ob id Abraham fides prima justificat, & Chananææ filiam silentio [f] Dominum tentantis matris fides salvat, & credentibus in nomine ejus potestas [g] in Johanne tribuitur, ut ex Deo nati sint. Magnum est fidei meritum, & perfecta credentibus Deo beatitudo, per quam genitis in corpore, in iniquitate, in ægritudine, & justitia & sanitas & ortus ex Deo est. Spes verò amœnitatem vitæ mundialis & bona sæculi, * quiescentis in his quæ à Deo disposita confidit, exsuperat, præsentium damno futurorum lucra meritura: quam Dominus tali præmio muneratur, *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut matrem, aut filios, aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Egregia virtutum Dei testis, fiduciâ exspectationis suæ, præsentia quæque ut nulla & incerta despiciens, futura verò ut æterna & præsentia apprehendens! Sed quamquam mansuræ fidei, spei, * caritatis parem gloriam idem Apostolus tribuat,

Spei natura. ** f. quiescens.* *Matth. 19. 29.* ** f. caritati.*

[a] Præferendum esse, *compressa erant*, perspicuum est ex his Fragm. 2. n. 27. *Itaque comprimendi mali istius causâ, trecenti vel eo ampliùs episcopi apud Nicæam congregantur.* Et paulo pòst fides apud Nicæam conscripta *contra omnes hæreses* inscribitur. Titulum hunc è mss. totum expressimus, nisi quòd initio, ubi in illis habetur *Incipit liber*, substituimus *Fragmenta ex libro.*

[b] Exemplar ms. *triplici humani sensus affectionem:* ex quo confecit Faber, *triplicem affectionem.* Malumus retinere lectionem ms. sublatâ postremâ litterâ *m*, quæ in eodem ms. sæpissime abundat.

[c] In archetypo, *obtinuit.* Fides, spes, caritas feruntur in Deum ut in finem: quem cùm consequuntur, perfectionem habent; & eam quidem immutabilem, quia æterna & immutabilis est Dei fruitio. Ea ratione fides ac spes *extrinsecùs* non mutantur. Alio sensu dixit Augustinus epist. 140. num. 63. *In futuro autem sæculo perfecta & plena caritas sine ulla malorum tolerantia, non fide credit quod non videt, nec spe desiderat quod non tenet; sed in æternum veritatis speciem contemplatur.*

[d] Faber ex mss. Pithœano & Colb. *prophetia.* Veriùs Sirmondus ex Remig. *profectu.* Mox. pro *maneant quidem*, fortè legendum *maneant eadem.*

[e] Edidit Faber ex fide archetypi sui, *primus numeratur*; ipse putans præferendum *præmiis muneratur*, non spernendâ conjecturâ. Revocamus ex Sirmondo *prævius*: quam vocem commodiùs exciperet *memoratur*, quàm *numeratur*. Hîc notatur, fidem Dei justitiæ præire debere, cùm sine fide nemo justificetur.

[f] Duarum mulierum fidelium facta hîc in unum confunduntur: quarum una Matth. 9. 20. cum silentio Dominum tetigit, ut à sanguinis fluxu sanaretur; altera Matth. 15. 28. cum multo clamore sanitatem filiæ deprecata est.

[g] id est, in Johannis Evangelio. Simili loquendi ratione lib. 10. de Trin. num. 42. dicitur, *per precem in Johanne.*

Caritatis affectus.

& æqualiter inviolabiles eas eſſe ſignificet; caritatem tamen præſtare ceteris ſuperioribus indicat. Per hanc enim quodam vinculo Deo ſuſcepti amoris annectimur: fitque individua ab eo voluntas noſtra ſemel nomini ejus caritate pietatis infuſa, à qua non gladius, non fames, non nuditas ſeparabit; per quam ira, æmulatio, ambitio, iniquitas, luxus, cupiditas comprimuntur. Atque idcirco cùm maneat fides, ſpes, caritas, major horum eſt caritas: per quam admixtos inſecabili in Dei nomine affectu, nulla vis ſæcularium motuum aut diſſolvit, aut dividit.

Rom. 8. 35. — *1. Cor. 13. 13.*

Caritas Hilarium urget, ne ſileat hæreticorum pravitatem.

3. Et huic tantæ, tam gravi apoſtolicæ auctoritati ego quoque inter ceteros, ſi quid mihi poſt eos loci eſt, teſtimonium reddo per hanc caritatem repoſitam nobis ante tempora ſæcularia in cæli ſpem aſſumtis: & nomini Dei ac Domini Jeſu Chriſti adhæreo, iniquorum ſocietatem & infidelium conſortium reſpuens: cum quo florere nobis, [a] ſæculi otio domeſtico frui, commodis omnibus redundare, familiaritate regia gloriari, & eſſe falſo epiſcopi nomine, ſingulis univerſiſque & publicè & privatim in Eccleſiæ dominatu gravem effici, par, ut ceteris, poteſtas dabatur; ſi modò veritatem evangelicam falſitate corrumperem, conſcientiæ reatum blandimento ignorantiæ conſolarer, judicii corruptelam excuſatione alieni arbitrii defenderem, hæreſeos piaculo non fide mea, quæ utique eſſet obnoxia, ſed ſimplicitate ignorantium non tenerer, probitatem ſub difficultate publicæ intelligentiæ mentirer. Hæc enim * ſimplicitatem cordis per fidem & ſpem Chriſti caritas manens non tulit. Et cùm ab Apoſtolo accepiſſem, *Non enim accepimus ſpiritum formidinis*; & cùm Domino dicente didiciſſemus, *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, & ego confitebor eum coram Patre meo qui eſt in cælis*; & per eumdem dictum eſſet, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: beati eſtis cùm vos maledicent, & perſequentur, & dicent omne malum adversùm vos propter juſtitiam; gaudete & exſultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælo*: non potui [b] præferre ambitioſam in reatus ſilentio conſcientiam injurioſæ pro Dei confeſſione tolerantiæ.

** forſè, in ſimplicitate.* — *2. Tim. 1. 7.* — *Matth. 10. 32.* — *Matth. 5. 10. &c.*

Quale Opus aggrediatur.

4. Proferre igitur in conſcientiam publicam opus tento grave & multiplex; diabolicâ fraude perplexum, hæreticorum parte ſubtile, diſſimulatione multorum ac metu præjudicatum; locorum; in quibus geſta res eſt noſque agimus, deſperatione peregrinum; tempore [c] antiquum, ſilentio novum, pridem ſimulatâ rerum pace præteritum, proximè impia fallaciſſimorum hominum calliditate renovatum; hocque quo etiam in Romani Imperii negotiis quies carpitur, rex angitur, palatium fervet, epiſcopi circumcurſant, Officiales magiſtri volitant, adversùs apoſtolicos viros Officiorum omnium feſtinatione turbatur. Ita ubique agitur, trepidatur, inſtatur; ut planè iniquitatem hujus adſertionis, obtinendi labor & cura prodiderit. Enimvero verſari in ſermone hominum jam diu memini, quoſdam ſacerdotum Dei idcirco exſulare, quòd in Athanaſium ſententiam non ferunt: & hic error propè omnium mentes occupavit, ut ſub nomine ejus non ſatis unicuique eorum dignam cauſam ſuſcepti exſilii arbitrentur.

Quæ in eo prætermittat.

5. Prætermitto autem, licèt potiſſima regi ſit * referenda reverentia, (* quia enim à Deo regnum eſt,) non tamen æquanimiter judicium ejus epiſcopalibus arbitriis admitti: quia Cæſaris Cæſari, Deo autem reddenda quæ Dei ſunt. Taceo Imperatoris ſublatâ cauſæ cognitione judicium. Non queror extorqueri de abſente [d] ſententiam; quamvis, Apoſtolo dicente, *Ubi fides eſt, ibi & libertas eſt*, pati iſtud ſimplicitas ſacerdotalis non debeat. Sed hæc, non quia contemnenda ſunt, verùm quia his graviora ſint ſubjecta, prætereo. Quamquam enim ex his * quibuſve in terris geſta ſint, cognoſci potuerit longè aliud agi, quàm exiſtimabatur; tamen propenſiore cura rem omnem hoc volumine placuit exponere. Raptim enim tunc [e] hæc per nos ingerebantur; corruptio Evangeliorum, depravatio fidei, & ſimulata Chriſti nominis blaſphema confeſſio. Et neceſſe fuit in eo ſermone omnia eſſe præpropera, incompoſita, confuſa: quia quanto nos impenſiore cura audientiam quæreremus, tanto illi pertinaciore ſtudio audientiæ contrairent.

** f. deferenda* — ** omne enim.* — *Luc. 20. 25.* — *2. Cor. 3. 17.* — ** f. quæ quibuſque.*

Unde ordiatur.

6. Incipiam igitur ab his quæ proximè geſta ſunt, id eſt, eo tempore quo primùm in Arelatenſi oppido * frater & comminiſter meus Paulinus eccleſiæ Trevirorum epiſcopus eorum ſe

** an. 353.*

[a] Vox *ſæculi* aptiorem locum ſic obtineret: *otio domeſtico frui, ſæculi commodis omnibus redundare.* Aut potiùs legendum, *florere bonis ſæculi*; ſi quidem *mihi*, non *nobis*, ſequentia requirunt.

[b] In mſſ. *preferre ambitioſa*: ex quibus confecerat Faber, *perferre ambitioſo in reatu ſilentio.* Integriorem ac veriorem reddimus ſententiam; maximè cùm ex mſ. Remig. legerit Sirm. *in reatûs ſilentio*, quod eſt, in ſilentio reatui obnoxio. quem reatum ut defugeret Hilarius, ait ſe indigna pro Chriſti confeſſione pati maluiſſe, quàm ex ambitioſa conſcientia connivere.

[c] Ideo *tempore antiquum*: quia quod Ariani tandem Arimini, Seleuciæ & Conſtantinopoli ad exitum perduxerunt, id longè antea Conciliis innumeris moliti erant. Quia verò hoc conſilium ſuum, quod ſilentio antea tegere ſolliciti erant, nunc primùm palam prodiderunt; idem *ſilentio novum* prædicatur. Jam quidem, uti lib. de Synod. n. 78. narratur, an. 357. *hæreſis* Sirmio *prorumpens, id quod antea furtim muſſitabat, non clam*, ſed *publicæ auctoritatis profeſſione victrix gloriabatur.* At Orientalium Ancyræ congregatorum operâ ſtatim repreſſa eſt, Valente, Urſacio ac ſociis eorum coactis ut Ancyranis definitionibus ſubſcriberent. Quæ ſubſcriptio indicatur his ſubſequentibus verbis: *pridem ſimulata rerum pace præteritum.* niſi fortè iiſdem notetur celebris Urſacii & Valentis poſt Sardicenſe Concilium retractatio.

[d] Hîc obiter tangitur quàm variis modis, in Athanaſii cauſa, judiciorum forma temerata ſit, maximè autem quòd abſens condemnatus ſit. Ut enim cum Theodoreto lib. 2. hiſt. eccl. c. 16. teſtis eſt ipſe Ammianus Marcellinus lib. 15. c. 7. Liberius à Conſtantio juſſus ut in illum ſubſcriberet, reſpondebat numquam auditum eſſe, de reo abſente latam eſſe ſententiam. Idem eſt Luciferi ac ſociorum ejus reſponſum apud Athanaſium ad Solit. pag. 862. *Eſto*, inquiunt Conſtantio, *ut accuſator ſis, abſentia tamen rei facit ut judicari non poſſit.* Indicat prætereà Hilarius extortam, eoque nomine nullam fuiſſe illam ſententiam: quam rationem neque ſilet Liberius loco Theodoreti proximè memorato.

[e] vel Biterris, unde in exſilium ejectus eſt; vel etiam Conſtantinopoli, poſt Seleucienſis ſynodi diſſolutionem. Quamquam hæc, ubi ſeſe obtulit occaſio, præſtare non deſtitit. Nam lib. 1. ad Conſtant. n. 3. queritur, quòd Ariani *non ceſſant ore impio & ſacrilego animo Evangeliorum ſinceritatem corrumpere, & rectam Apoſtolorum regulam depravare*; & poſt pauca, quòd *ſimplices & innocentes ſub prætextu nominis Chriſtiani involvant.* Rurſum lib. ad eumdem 2. conſtanter ab ipſo exponitur fidei depravatio, & audientia enixè poſtulatur.

perditioni simulationique non miscuit: & qualis fuit [a] illa sententia exponam, à qua referens voluntatem, indignus ecclesiâ ab episcopis, dignus exsilio à rege est judicatus. Atque hoc ita fieri, non rerum ordo, sed ratio ex præsentibus petita demonstrat: ut ex his primùm confessio potiùs fidei, quàm pavor in homine intelligatur, [b] ex quibus in eum qui adsensus his non est, cepit injuriam.

Quo pacto legendum sit.

7. Atque hoc etiam non inutiliter admonebo, ut ad omne hoc volumen diligens intentio adhibeatur. Omnia enim sunt & separanda temporibus, & distinguenda judiciis, & secernenda personis, & verborum dijudicanda virtutibus: ne fortè tot epistolis, tot synodis tunc frequenter injectis, pernicioso ante finem fastidio expleatur. Agitur autem in his, quæ cognitio Dei expetenda sit, quæ spes æternitatis, in quo perfecta veritas statu hæreat. Et cùm tam gravis rei negotium tractetur, oportet & unumquemque his modò curam cognoscendis rebus impendere, ut judicio deinceps proprio consistens, opinionem non sequatur alienam. Explicit.

FRAGMENTUM * II.

* Aliàs I. partis.

INCIPIT EXEMPLUM EPISTOLÆ * synodi Sardicensis [c] ad universas Ecclesias.

* Scriptæ an. 347.

c Synodi causa.

1. MULTA quidem & frequenter ausi sunt Ariani hæretici adversùs servos Dei, qui fidem rectam & catholicam custodiunt. Adulterinam namque doctrinam inserentes, orthodoxos persequi tentaverunt. In tantum autem nunc exsurrexerunt contra fidem, ut non [d] religiosam pietatem clementissimorum Imperatorum lateret. Denique, gratia Dei adjuvante, etiam ipsi clementissimi Imperatores congregaverunt [e] ex diversis provinciis & civitatibus ipsam Synodum sanctam, & in Sardicensium civitate fieri permiserunt: ut omnis quidem dissensio amputaretur, iniquâ autem doctrinâ penitus expulsâ, pietas sola, quæ est in Christo, ab omnibus custodiretur. Venerunt enim ab Oriente episcopi cohortatione excitati piissimorum Imperatorum, maximè propter id quod frequenter in murmuratione fuit, id est, de dilectissimis fratribus nostris & coepiscopis, Athanasio episcopo Alexandriæ, & Marcello episcopo Ancyro-Galatiæ. [f] Arbitramur autem etiam ad vos ipsos pervenisse eorum calumnias, & aures vestras tentasse eos commovere non dubitavimus: ut adversùm innocentes quidem quæ dicunt credatis, sceleratæ autem hæreseos suæ suspicionem tegant. Sed non diutiùs hæc illis facere permissum est. Est enim gubernator Ecclesiarum Dominus, [g] qui pro Ecclesiis & pro omnibus nobis mortem sustinuit, & [h] propter eas Ecclesias adscensum in cælos omnibus nobis tribuit.

Synodum adire trepidant Eusebiani.

2. Olim quidem scribentibus Eusebio, Mario, Theodoro, Diognito, Ursacio & Valente, [i] Julio consacerdoti nostro Romanæ Ecclesiæ episcopo adversùm prædictos coëpiscopos nostros; (dicimus autem Athanasium & Marcellum [k]) ut scripserunt ex aliis locis ut [l] episcopi nostri; quæ autem ab Eusebio facta sunt, nihil aliud quàm falsitatis & mendacii fuisse plena. [m] Nam etsi ex eo, quo vocati sunt * à Julio episcopo carissimo fratre nostro, claruit noluisse eos venisse ex ipsis litteris quibus eorum mendacia detecta sunt; (venissent enim, si habuissent fiduciam eorum quæ gesserunt adversùs coepiscopos nostros:) * licèt etiam ex ipsis, quæ fecerunt in isto sancto & magno Concilio, manifestiora falsitatis suæ commenta prodiderunt. Venerunt enim & ad Sardicensium civitatem, & videntes Athanasium & Marcellum, Asclepam & alios, timuerunt venire ad judicium: & non semel neque iterum, sed frequenter vocati contemserunt invitationem Synodi omnium * nostrorum, qui convenimus episcopi, & maximè venerabilis senectæ Ossium, qui & propter ætatem & confessionem & tanti temporis probatam fidem, [n] qui tantum laborem id ætatis pro Ec-

* per epistolam quæ exstat apud Athanas. T.1.p.739.

* leg. tamen prolicèt.

* f. nostrûm.

[a] In vulgatis, *illi sententia*. Veriùs in mss. *illa sententia*, scil. Arii fautorum, quibus Paulinus consentire noluit.

[b] Faber cum suo ms. *& quibus in eum qui adsensus quis non cepit injuriam*. Repositâ voculâ *ex* pro *&*, cùm utriusque in antiquis libris una figura sit, cetera corrigimus ex Sirmondi lectionibus. Si etiam antea pro *quàm pavor in homine*, legeris *quàm favor in hominem*; & integer erit sensus, & evidens Hilarii ratio, cur ab Arelatensis synodi gestis incipiat: *ut* videlicet *primùm ex his, ex quibus in eum* (Athanasium) *qui adsensus his* (Arianis) *non est, cepit injuriam* (exsilii;) *confessio fidei potiùs, quàm favor in hominem, intelligatur* in causa esse, cur sacerdotes exsilium suscipiant. Quibus consentanea sunt hæc Sulpicii Severi lib. 2. pag. 246. *Petebatur, ut priùs quàm in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potiùs disceptarent; nec tum demum de re cognoscendum, cùm de persona judicium constitisset. Sed Valens sociique ejus priùs Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi. Ab hoc partium conflictu agitur in exsilium Paulinus:* non tantùm quia Athanasium, sed quia fidem tuebatur. Athanasius ipse à Theodoreto laudatus lib. 2. hist. eccl. c. 15. testatur, eos qui à Mediolanensi synodo in exsilium deportati sunt, id nullam aliam ob causam perpessos esse, quàm quòd Arianæ hæresi consentire, & falsis contra ipsum calumniis subscribere noluissent. His præmittit Theodoretus, Mediolanensis synodi scopum fuisse, ut Constantius episcopos *cogeret, expulso ab ecclesiis Athanasio, aliam fidei formulam conscribere.*

[c] Epistolæ hujus inscriptio, quæ hîc desideratur, & apud Athanasium apol. 2. p. 760. habetur suppressis nominibus provinciarum unde synodus est congregata, exstat integra apud Theodoretum lib. 2. eccl. hist. c. 8.

[d] Apud Theodoret, ὡς μηδὲ τὴν ἀκοὴν τῶν θεοφιλεστάτων βασιλέων λαθεῖν. Cùm Hilario magis consentit Athanasius, ὡς μηδὲ τὴν εὐσέβειαν τῶν εὐλαβεστάτων &c.

[e] Ex græcis exemplaribus legendum, *congregaverunt nos ex diversis provinciis & civitatibus, & hanc sanctam synodum in.*

[f] Athanasius pariter hîc omittit, *& Asclepa Gazæ*, quod Theodoretus habet.

[g] In græco textu, ὁ ὑπὲρ τούτων καὶ πάντων ἡμῶν, *qui pro his*, scil. Athanasio & Marcello.

[h] His concinit græc. Theodoreti, ὁ δι᾽ αὐτούς. Verior tamen videtur lectio Athanasii, καὶ δι᾽ ἑαυτοῦ: quia illius ætatis Patribus nihil usitatius est, quàm ut in Christo cælos adscendente nos pariter adscendisse dicant. Videsis pag. 193. not. f.

[i] Ex Theodoreto hîc addendum, *Menophanto & Stephano*. Athanasius autem tantùm habet οἱ περὶ Εὐσέβιον, tacitis aliorum episcoporum nominibus.

[k] Rursum hîc Theodoretus subjicit *Asclepam*, Athanasio consentiente. Deinde pro *ut scripserunt*, leg. *& scripserunt*, quasi, pariter scripserunt.

[l] Quod amanuensi ob repetitionem vocis *episcopi* excidit, facilè sic potest suppleri: *scripserunt ex aliis locis episcopi, contestantes* (vel *ut contestarentur*) *innocentiam Athanasii coepiscopi nostri, quæ autem* &c.

[m] Apud Theodoretum, *Et quamvis ex eo, quòd à dilectissimo Julio collega nostro vocati non adfuerunt, & ex iis, quæ ab eodem episcopo Julio scripta sunt, manifestè patuit ipsorum calumnia: venissent enim* &c. Apud Athanasium hîc nonnulla desunt.

[n] Ut integra fieret oratio, esset hîc legendum *quæ*, non *qui*: & pòst delendum *ut*, ante *omni*. In græcis exemplaribus nihil est, quod respondeat superioribus verbis, *& tanti temporis probatam fidem.*

clesiæ utilitate sustinuit, ut omni reverentia dignissimus habeatur. Exspectantibus omnibus, & cohortantibus eos venire ad judicium, ut omnia, quæ de consacerdotibus nostris * vel dixerunt vel scripserunt, præsentes possent convincere, vocati non venerunt, sicut prædiximus: ostendentes etiam ex his falsitatem suam, non solùm commentatitiam fraudem aut exquisitam versutiam quam fecerunt prodentes per excusationem. Qui enim habent fiduciam probare ea quæ absentes dicunt, hæc præsentes parati sunt convincere. Sed quia venire non ausi sunt, arbitramur de cetero neminem ignorare, etiam si illi iterum malitiam suam exercere voluerunt, nihil sufficientes probare adversùs consacerdotes nostros, quos incusant quidem absentes, præsentes autem fugiunt.

add. ab-sentibus.

3. Fugerunt enim, dilectissimi Fratres, non solùm propter hos quos falsò adpetiverunt, verùm etiam * hos qui ex diversis locis convenerunt, ut eosdem multis criminibus arguerent. Ferrum enim & vincula proferebant de exsilio revertentes viri. Et rursum ab his, qui adhuc in exsilio detinentur, [a] missi affines & proximi, amici & fratres, querelas vel eorum qui supersunt detulerunt, vel eorum qui in ipsis exsiliis decesserunt, indignam injuriam prosequuti sunt. Et, quod est maximum, episcopi aderant, quorum alter ferrum & catenas præferebat, quas per eos [b] cervicibus suis portaverat; alii ex eorum insimulatione mortem [c] sibi intentatam testificabantur. In tantum enim desperationis eruperunt, ut etiam episcopos [d] interfecissent quidem, nisi fugissent ipsorum cruentas manus. Decessit enim coëpiscopus noster beatissimus [e] Theodulus fugiens ipsorum infestationem. Jussus est enim ex ipsorum insimulatione mori. Alii autem gladiorum signa, plagas & cicatrices ostendebant. Alii se fame ab ipsis excruciatos querebantur. Et hæc non ignobiles testificabantur viri: sed de ecclesiis omnibus electi, propter quas huc convenerunt, res gestas edocebant, milites armatos, populos cum fustibus, judicum minas, falsarum litterarum [f] suppositiones. Lectæ sunt enim litteræ factæ à Theognito falsæ adversùm coepiscopos nostros Athanasium & Marcellum, [g] ut & Imperator adversùs ipsos commoveretur. Et hæc convincebant ii, qui tunc ipsius Theogniti diacones fuerunt. Ad hæc

*fugiunt; quanta & quot eorum crimina. * supple, propter.*

A virginum nudationes, incendia ecclesiarum, carceres adversùs ministros Dei: & hæc omnia propter iniquam atque exsecrabilem hæresim Ariomanitarum. Qui enim communioni eorum renuntiabant, necessitate * patiebantur ista tolerare.

f. cogebantur.

4. Hæc igitur considerantes, in angusto se teneri pervidebant. Erubescentes quidem confiteri ea quæ commiserunt, eò quòd de cetero non possent ea diutiùs occultare, venerunt tandem in Sardicensi civitate; ut propter præsentiam, suspicionem [h] quasi mali actus viderentur excludere. Videntes enim eos qui à se fuerant falsis oppressi testimoniis, eos etiam [i] quos vehementissimè oppugnarunt; ex alia parte accusatores conscientiæ, etiam suorum criminum proditores præ oculis habentes suis, venire vocati * non potuerunt, maximè consacerdotum nostrorum Athanasii, Marcelli & Asclepii conscientiâ perturbati: qui & implorabant judicium, * provocabant accusatores, ut eos non solùm convincerent de iis quæ adversùm sese falsa confinxerant, verùm etiam quæ adversùs Ecclesias [k] impia ac nefaria commiserant, edocerent. Verùm illi tanto terrore comprehensi sunt, ut fugam facerent; & per illam fugam falsitatem suam detegerent ac nudarent.

Sardicam ingressi adversariorum reformidant præsentiâ.

** noluerūt, juxta græc.*

** &.*

5. Tametsi non solùm ex prioribus, sed etiam ex istis malitia eorum & falsitas ostenderetur: * ut nec existimata fuga occasionem aliquam alterius malæ artis invenire possent; probavimus, secundùm * veritatem & rationem ea, quæ ab illis commissa sunt, inquiri oportuisse: & invenimus eos etiam de his fuisse mendaces, & nihil aliud quàm impugnationem adversùs consacerdotes nostros exercuisse. Quem enim dicebant ab Athanasio interfectum fuisse nomine Arsenium, habetur in numero vivorum. Unde ex hoc etiam cetera, quæ ab ipsis jactabantur, patuit esse plena mendacii & falsitatis. Quod autem de calice * fracto aliqua loquebantur à Machario presbytero Athanasii; [l] testificati qui præsentes fuerunt ex Alexandria de eodem loco, eò quòd nihil tale esset factum. Sed & episcopi * scribentes ex Ægypto ad Julium consacerdotem nostrum, abundè asseverarunt, nec suspicionem hujusmodi ibidem fuisse. Dicunt autem [m] acta etiam se habere adversùs ipsum: quæ habent autem,

** leg tamen ut nec ex ista fuga. * veritatis rationem.*

Athanasii innocentia comprobatur.

** leg. tamquam fracto loquebantur.*

** Exstat hæc epistola apud Athanas. T. 1. p. 722.*

---

[a] Breviùs ex græco totum illud sic reddere est: *missi aderant comministri. Advenerunt etiam cognati & amici eorum, qui per eos interemti sunt. Et quod est maximum* &c.

[b] Apud Athanas. & Theodoret. desiderantur voces *cervicibus suis*: quarum veritatem confirmat epistola ad Julium infrà num. 11.

[c] Tribus illis verbis *mortem sibi intentatam*, græcè unicum respondet, θάνατον: quod non satis convenienter apud Theodoret. & Athanasium latinè redditum est, *mortem illatam*. Non enim hîc conquestio est, quòd Ariani mortem intulerint, sed quòd inferre tentaverint.

[d] Ex lectione græca supplendum hîc, *interficere tentarent: &c.* Antea autem cum nostro Hilario legit Athanasius *episcopos* in plurali, Theodoretus verò *episcopum* in singulari In plures hæc cadere indicat Athanasius relatus à Theodoreto lib 2. hist. eccl. c. 15 ubi ait: *Theodulum verò atque Olympium episcopos Thraciæ, nos quoque & presbyteros nostros ita conquiri fecerunt, ut si reperti essemus, capitali supplicio afficeremur.* & epist. ad Solit p. 821. *Olympium ex Ænis, & Theodulum ex Trajanopoli ambos episcopos Thraciæ bonos calumniis impetiverunt.* Eosdem neci tradi jubet Constantius apud Socrat. lib. 2. c. 26.

[e] Faber cum ms. Pith *Theodorus*. Sirm. *Theodosius*. Ex mox annotatis liquet præferendum esse *Theodulus*.

[f] Ita cum Athanasio ac Theodoreto variæ Sirmondi lectiones. At cum mss. Pith. & Colb Faber, *suspiciones*.

[g] Marcello & Athanasio Asclepas jungitur in græcis exemplaribus: in quibus deinde exstat, *ut & Imperatores* &c. in plurali.

[h] Græcè, ὑπόνοιαν ὡς μὴ πλημμελήσαντες δόξωσιν ἀποφέρεσθαι.

[i] Legendum esse *quos*, non ut in antè editis *post*, suadet græcus sermo

[k] Græcus sermo hîc postulat addi *ipsorum*, & mox *conscientiæ*, post vocabulum *terrore*.

[l] Ex Athanasio & Theodoreto sic corrigendus est hic locus: *testificati sunt, qui venerunt ex Alexandria & Marcote & aliis locis, quòd nihil tale factum est.*

[m] De illis actis Julius apud Athanas. pag 742. ad Eusebianos rescribit: *Scitis autem monimenta actorum, ubi una duntaxat pars adfuerit, nullarum virium esse* &c.

absente parte altera constat fuisse confecta. [a] simul tamen ipsis actis gentiles & catechumenus interrogatus dicebat, intus se fuisse quando superventum fecit Macharius, interrogatus dicebat, famosissimum illum Scyrum infirmantem * in ecclesia jacuisse: ut ex hoc appareat, ex toto mysterium non fuisse celebratum, eò quòd catechumeni intus fuerint, [b] sed malè habentes jacuerint. Nam & ipse totius malitiæ Scyrus commentator, exussisse Athanasium quemdam de divinis Scripturis librum dicebat. Ad hoc convictus confiteri cœpit, infirmatum se fuisse quando Macharius præsens fuit; ut ex hoc etiam falsum testem illum [c] esse appareret. Denique falsitatis præmium eidem Scyro * honorem episcopatûs dederunt, homini qui neque presbyter quidem fuit. Venientes enim duo presbyteri nunc ad Concilium, (qui eo temporis cum Melitio fuerant, postmodum ab Alexandro episcopo Alexandriæ beatæ memoriæ viro suscepti sunt, nunc cum Athanasio agunt,) testati sunt nusquam omnino istum Melitii fuisse presbyterum, neque omnino habuisse eum Melitium [d] in eodem loco, apud Mareotem, ecclesiam, nec ministrum: quem tamen nunc velut episcopum illum secum adduxerunt, qui antè nec presbyter fuit: ut nomine episcopatûs videantur falsitatem suam tegere apud audientes.

* ἐν κελλίῳ.

* Græc. ὄνομα, nomen.

Marcellus & Asclepas irreprehensibiles.

6. Lectus autem est & liber, quem conscripsit frater & coepiscopus noster Marcellus: & inventa est [e] Eusebii & qui cum ipso fuerant exquisita malitia. Quæ enim ut proponens Marcellus posuit, hæc eadem quasi jam comprobans proferret, adsimularunt. Lecta sunt ergo quæ sequebantur, lecta etiam quæ anteposita erant quæstioni; & recta fides ejus inventa est. Neque enim à sancta virgine Maria, sicut ipsi confingebant, initium [f] dabat Deo Verbo; neque finem habere regnum ejus, sed regnum ejus sine principio ac sine fine esse conscripsit. Sed Asclepius coepiscopus noster acta protulit, quæ confecta sunt apud Antiochiam præsentibus adversariis & Eusebio ex Cæsarea, & ex sententiis [g] judicatum episcopum ostendisse esse inreprehensibilem.

Eusebianorum scelera, nomina & artes.

7. Meritò ergo acciti frequenter, non ausi sunt venire: meritò fugerunt conscientiæ suæ impulsu præcipitati. Fugâ enim falsitates suas confirmaverunt, & credi ea fecerunt, quæ præsentes accusatores eorum dixerunt & ostenderunt. Quid igitur? Supra hæc omnia etiam olim depositos atque ejectos Ecclesiâ propter hæresim Arii non solùm susceperunt, sed etiam in majorem provexerunt gradum, diacones quidem in presbyterium, [h] de presbyterio autem in episcopatum, propter nihil aliud, nisi ut impiam doctrinam dilatare ac disseminare possent, & piam corrumperent fidem. Sunt autem istorum [i] post Eusebium duo auctores etiam Theodorus ab Heraclia, Narcissus à Neroniade Ciliciæ, Stephanus ex Antiochia, Georgius ex Laodicia, [k] licèt timens non adfuerit de Oriente, Acacius ex Cæsarea Palæstinæ, Menophantus ex Epheso Asiæ, Ursacius à Singiduno Mœsiæ, Valens ex Mursa Panoniæ. Etenim prædicti etiam * qui ab Oriente secum venerunt, non permiserunt sanctum Concilium intrare, neque omnino in ecclesiam Dei sanctam accedere. Venientes etenim Sardicam per singula loca synodos faciebant inter se, & pactiones cum interminationibus, ut omnino venientes Sardicam ad judicium non accederent, neque in unum cum sancta * synodo convenirent: [l] & ad id solum venerunt, cetum præsentiam suam qui statim fugerunt. Hæc enim scire potuimus à consacerdotibus nostris, [m] Ario scilicet ex Palæstina, Stephano de Arabia: qui cum ipsis venerunt quidem, sed ab eorum perfidia recesserunt. Hi enim venientes in sanctam synodum, violentiam quidem, quam passi fuerant, conquerebantur; nihil autem ab ipsis rectè agi adserebant: * adserentes etiam hoc, quòd essent ibi plurimi rectæ fidei, qui prohibebantur ab ipsis venire ad nos propositis interminationibus. Hac igitur causa in uno * loco omnes manere sategerunt, & nec parum

* supple, iis.

* Græc. & magna.

* f. adjicientes.

* Græc. οἴκῳ.

[a] Quod hîc deest, sic ex Athanas. & Theod. potest suppleri: *simul tamen in ipsis actis interrogabantur gentiles & catechumeni: ex quibus unus catechumenus interrogatus dicebat, intus se fuisse, quando superventum fecit Macharius; & alius interrogatus* &c.

[b] Græcè, καὶ Ἰσχύραν μὴ παρεῖναι, ἀλλὰ νοσοῦντα κατακεῖσθαι: *& Scyrus non adfuerit, sed malè habens jacuerit.*

[c] Addimus *esse* ex variis lectionibus Sirm.

[d] Græcè abest *in eodem loco*: adeoque significatur, Meletium non in Ischyræ tantùm patria, sed nec in omni omnino Mareote ullam habuisse ecclesiam vel ministrum. Ex quo sequitur, Ischyram presbyterum non fuisse, qui neque à Meletio ordinatus est, neque ab Alexandrino Patriarcha.

[e] Ita Sirm. Aliàs verò, *Eusebii & qui cum istis fuerant.* Græc. οἱ περὶ Εὐσέβιον. Eusebii Cæsariensis exstant etiamnum quinque libri adversùs Marcellum: quem Romano in Concilio auditum ab omni errore alienum judicat Julius apud Athanasium pag. 750.

[f] Aliàs, *dabatur*: & mox deerat *sed regnum ejus*: facili librariorum lapsu. Marcellus ab Eusebio lib. 1. de eccles. Theologia cap. 18. arguitur, quòd Christum ante Mariam nihil aliud exstitisse affirmarit, quàm verbum nostro simillimum. Cui Hilarius, si ab Hieronymo bene intellectus est, suffragatur lib. 7. de Trin. n. 3. Hinc à Gennadio de dogmat. eccles. c. 3. cum Beryllo & Artemone Christum merum hominem sentientibus conjungitur.

[g] Græcè, τῶν δικασάντων ἐπισκόπων ἔδειξεν, *judicantium episcoporum ostendit se esse* &c. Acta Antiocheni conciliabuli anni 330. quo Eustathius è sede sua pulsus fuit, hîc memorari putant. In hunc locum haud dubiè respexit Sozomenus lib. 3. c. 12. cùm ait Asclepam innocentem Sardicæ pronuntiatum esse, *eo quòd Eusebii Pamphili aliorumque multorum judicum sententiâ episcopatum suum recuperasset, & hæc vera esse actis judicialibus comprobasset.*

[h] Valesius apud Theodoretum verba græca ἀπὸ δὲ πρεσβυτέρων latinè reddidit, *presbyteros autem qui depositi fuerant.* Cùm ex Hilariana lectione, tum ex verbis superioribus liquet, illud ἀπὸ pristinum gradum sonare, non à quo quis dejectus sit, sed à quo ad altiorem adscenderit.

[i] In græcis exemplaribus, μετὰ τοὺς περὶ Εὐσέβιον νῦν ἔξαρχοι. Unde supervacanea hîc videtur vox *duo*: aut certè legendum *post Eusebios duos*: cui lectioni favet illud lib 1. ad Constantium n. 5. *Nuper didicimus commenta hac fuisse inventa & à duobus Eusebiis* &c. præsertim cùm ibi, Georgio excepto, iidem qui hîc episcopi duobus Eusebiis adjungantur.

[k] Nihil apud Athanas. & Theodoret. occurrit loco verborum, *licèt timens non adfuerit de Oriente.*

[l] Ex Theodoreto sic resarcire licet hunc locum: *sed id solùm, ut cùm venissent, & dicis causâ* (ἐπ' ἀφοσιώσει) *præsentiam suam ostendissent, statim fugerent.*

[m] Hi duo episcopi in græcis codicibus Macarius & Asterius cognominantut. Tamen apud Athanasium in subscriptionibus Palæstinorum Arius, non Macarius reperitur, & epist. ad Solit. p. 820. legere est, ab Arianis malè affectos esse *Arium & Asterium, alterum Petra in Palæstina, alterum Petra in Arabia, qui ab ipsis desciverant.* Sed nullum fere dubium est, quin pro *Stephano*, hîc restituendum sit *Asterio*, qui infrà *Asturus* subscribitur.

remporis,

temporis, [a] nec habere eos liberam facultatem permiserunt.

8. Quia ergo non oportuit conticescere, nec inulta [b] retinere, falsitates, vincula, homicidia, pugnas, falsas epistolas, verberationes, nudationes virginum, exsilia, eversiones ecclesiarum, [c] incendia, translationes de ecclesia ad majores, & ante omnia contra rectam fidem insurgentes Arianæ hæresis doctrinas: ex hac causa carissimos quidem fratres & coepiscopos nostros Athanasium Alexandriæ, & Marcellum Ancyrogalatiæ, & Asclepium Gazæ, & eos qui cum ipsis erant ministrantes Deo, innocentes & puros pronuntiamus, scribentes ad unamquamque eorum provinciam, ut cognoscerent singularum ecclesiarum plebes sacerdotis sui integritatem, & habere se episcopum suum. illos autem, qui se eorum ecclesiis immerserunt luporum more, id est, Gregorium in Alexandria, Basilium in Ancyra, & Quintianum in Gaza, neque [d] nomen habere episcopi, neque communionis omnino eorum habere participatum, neque suscipere ab aliquo eorum litteras, neque ad eos scribere. illos autem, hoc est, Theodorum, Narcissum, Acacium, Stephanum, Ursacium & Valentem, Menophantum, & Georgium, (etsi timens, [e] ut dictum est, non adfuit, sed tamen quia à beatæ memoriæ Alexandro episcopo quondam Alexandriæ dejectus est,) & quòd sit tam ille, quàm etiam ceteri [f] qui comprehensi sunt, furoris Ariani, & propter objecta crimina, hos omnes æquali sorte dejecit sancta synodus de episcopatûs gradu: & judicavimus non solùm illos episcopos non esse, sed neque communionem quidem cum fidelibus habere. Separantes enim Filium, & alienantes Verbum à Patre, separari ab Ecclesia catholica oportet, & alienos esse à nomine Christiano. Sint igitur vobis anathema, eò quòd ausi sunt adulterare verbum veritatis. Apostoli enim est præceptum: *Si quis vobis evangelizaverit præter quàm quod accepistis, anathema sit.* His neminem communicare denuntiate: nulla enim communicatio luci ad tenebras. Hos omnes longè facite: nulla enim participatio Christo ad Belial. Observate, Carissimi, ut neque scribatis ad eos, neque eorum accipiatis litteras. Curate autem etiam, dilectissimi Fratres & consacerdotes, quasi præsentes spiritu huic interfueritis synodo, omnia quæ à nobis instituta sunt confirmare per litteras vestras, ut ab omnibus episcopis idem sentire, atque unam esse omnium voluntatem ex litterarum consensione sit manifestum. [g] Optamus, Fratres, vos in Domino bene valere. Explicit.

Synodi sententia.

Gal. 1. 9.

INCIPIT [h] EXEMPLUM EPISTOLÆ factæ * ad Julium urbis Romæ episcopum, Julio episcopo à synodo directa.

* an. 347.

9. Quod semper credidimus, etiam nunc sentimus: experientia enim probat & confirmat, quæ quisque auditione audivit. Verum est enim, quod beatissimus magister gentium Paulus apostolus de se locutus est: [i] *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* quamquam utique quia in ipso Dominus Christus habitavit, dubitari non possit [k] Spiritum-sanctum per animam ejus locutum, & organum corporis personasse. Et tu itaque, dilectissime frater, corpore separatus, mente concordi ac voluntate adfuisti: & honesta fuit & necessaria excusatio absentiæ, ne aut lupi schismatici furtum facerent & raperent per insidias, aut canes hæretici rabido furore exciti insani oblatrarent, aut certè serpens diabolus [l] blasphemiorum venenum effunderet. Hoc enim optimum & valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad Petri apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes.

2. Cor. 13.

Cur Julius non adfuerit synodo.

Petri sedis prærogativa.

10. Quoniam ergo universa, quæ gesta sunt, quæ acta, quæ constituta, & chartæ continent, & vivæ voces carissimorum fratrum & compresbyterorum nostrorum Archydami [m] & Philoxeni, & carissimi filii nostri Leonis diaconi verissimè & fideliter exponere poterunt; pæne supervacuum videatur eadem his inserere litteris. Patuit apud omnes, qui convenerunt ex partibus Orientis, qui se appellant episcopos, (quamquam sint ex his certi auctores *, quorum sacrilegas mentes Ariana hæresis pestifero tinxit veneno) diu tergiversatos propter diffidentiam ad judicium venire noluisse, tuamque & nostram reprehendisse communionem, quæ nullam habebat culpam: quia non solùm octoginta * episcopis testantibus de innocentia Athanasii pariter credidimus; sed & conventi per presbyteros tuos & per epistolam, [n] ad synodum quæ futura erat in urbe Roma venire

Legati Julii.

* superiori epistola num. 7. nominati.

* in Concilio Alexandrino, cujus epistola indicatur num. 5.

[a] Illud *nec* redundat. Tum pro *habere eos liberam facultatem*, unum est verbum græcum ἰδιάζειν, quod est, *privatim agere.*

[b] Fortè, *sinere* vel *permittere*, ut exstat in græco: in quo mox habetur τὰς πληγάς, loco vocis *pugnas.*

[c] Addimus *incendia* ex Sirm. & græco sermone: in quo postea subjicitur, *translationes de minoribus civitatibus ad ecclesias majores.*

[d] Lectionem Theodoreti, τούτους μηδὲ ἐπισκόπους ὀνομάζειν μηδὲ χριστιανούς, confirmat Athanasius ad Solit. p. 820. ubi ait Gregorium à synodo judicatum fuisse indignum qui episcopus aut Christianus omnino appellaretur.

[e] In græcis cod. ut suprà nihil habetur de hoc Georgii timore, ita nec nunc additur *ut dictum est.* Iidem codices, ut & lectio superior num. 7. addendum esse suadent *de Oriente* post verbum *non adfuit.*

[f] Ita Sirm. At Faber, *ceteri comprehensi*, omisso verbo *sunt*, quod exstat in mss.

[g] Athanasius horum verborum loco habens, *divina providentia sanctos & latos vos conservet fratres dilecti*, episcoporum subscriptiones subjicit. Apud Theodoretum autem, his omissis, sequitur fidei expositio: ea haud dubiè, quam Athanasius epist. ad Antioch. p. 576. tamquam Sardicensis synodi falsò circumferri monet; & tam ipse, quàm Eusebius Vercell. apud eumdem pag. 580. omnino supprimendam censent, ne fides Nicæna non sufficere inde existimetur.

[h] Eam ipsam epistolam ex collectionis Cresconianæ Cassinate codice pervetusto edidit Baronius ad an. 347. n. 23. in quo castigatior hæc præfertur inscriptio: *Incipit exemplar synodi Sardicensis facta ad Julium urbis Romæ episcopum.*

[i] Apostoli verba ex editione Baronii huc revocamus.

[k] Apud Baron. *Spiritum per animum etiam locutum.*

[l] Baron. *blasphemiarum.* Jam non semel experti sumus in mss. haberi *blasphimiorum*, loco *blasphemorum.*

[m] In mss. Pith. & Colb. *Arcydami & Filioseni*; & mox *potuerunt*, non *poterunt*: quæ ex Baronio emendamus.

[n] Faber reposuerat *à synodo*, cùm in ms Pith. reperisset *& synodum.* Veriùs Baron. *ad synodum*, nimirum Romæ an. 341. habitam, ex qua Julius ad Eusebianos epistolam scripsit, ab Athanasio descriptam Apolog. 2. p. 739.

noluerunt : & satis erat iniquum,[a] illis contemnentibus, tot sacerdotibus testimonium perhibentibus, Marcello & Athanasio denegare societatem.

Tria in synodo tractanda.

11. Tria fuerunt, quæ tractanda erant. Nam & ipsi religiosissimi Imperatores permiserunt, ut de integro universa discussa disputarentur, & ante omnia de sancta fide & de integritate veritatis, quam violaverunt. Secunda de personis, quas dicebant esse [b] dejectas; de iniquo judicio, vel si potuissent probare, justa fieret confirmatio. Tertia verò quæstio, quæ verè quæstio appellanda est, quòd graves & acerbas injurias, intolerabiles etiam & nefarias contumelias ecclesiis fecissent, cùm raperent episcopos, presbyteros, diacones, & omnes clericos in exsilium mitterent, ad deserta loca transducerent, & fame, siti, nuditate, & omni egestate necarent; alios clausos carcere & squalore & putore conficerent, nonnullos ferreis vinculis ita *, ut cervices eis artissimis circulis strangularentur. Denique ex ipsis quidam vincti in eadem injusta defecerunt pœna: quorum ambigi non potest martyrio gloriosam mortem exstitisse. Adhuc quoque audent quosdam retinere : nec ulla causa fuit criminis, nisi quòd repugnarent, & clamarent quòd exsecrarentur Arianam & Eusebianam hæresim, & nollent habere cum talibus communionem, [c] iis autem, qui secum sentire maluerunt, prodesse. Et qui antè fuerant dejecti, non solùm recepti sunt, sed etiam ad clericalem dignitatem promoti, & acceperunt præmium falsitatis.

* *adde stringerēt, aut quid simile.*

Ursacii & Valentis perversitas.

12. Quid autem de impiis & de imperitis adolescentibus Ursacio & Valente statutum sit, accipe, beatissime frater. Quia manifestum erat, hos non cessare adulterinæ doctrinæ [d] lethalia semina spargere, & quòd Valens relictâ ecclesiâ ecclesiam aliam invadere voluisset, & eo tempore, quo seditionem commovit, unus ex fratribus nostris, qui fugere non potuit, Viator obrutus & conculcatus in eadem Aquileiensium civitate die tertia defecit: causa utique mortis fuit Valens, qui perturbavit, qui sollicitavit. Sed ea, quæ beatissimis Augustis significavimus cùm legeritis; facilè pervidebitis, nihil nos prætermisisse, quantum ratio patiebatur. Et ne molesta esset longa narratio, qui fecissent, & [e] quæ commisissent, insinuavimus.

Synodi citaSicilia, Sardiniæ & Italiæ per Julium addiscenda.

13. Tua autem excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, in Sardinia, in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt & quæ definita cognoscant; & ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias, id est [f] epistolia, quos justa sententia degradavit. perseverent autem Marcellus & Athanasius & Asclepius in nostra communione: quia obesse eis non poterat iniquum judicium, [g] & fuga, & tergiversatio eorum, qui ad judicium omnium episcoporum, [h] qui convenimus, venire noluerunt. Cetera, sicuti superiùs commemoravimus, plena relatio fratrum, quos sincera caritas tua misit, unanimitatem tuam perdocebit. Eorum autem nomina, qui pro facinoribus dejecti sunt, subjicere curavimus: ut sciret eximia gravitas tua, qui essent communione privati. Uti antè prælocuti sumus, omnes fratres & coepiscopos nostros litteris tuis admonere digneris, ne [i] epistolia, id est, litteras communicatorias eorum accipiant.

NOMINA HÆRETICORUM.

14. Ursacius à Singiduno
Valens à Mursa
Narcissus [k] ab Jeropoli
Stephanus ab Antiochia
Acacius à Cæsarea
Menophantus ab Epheso
Georgius à Laodicia.

ITEM NOMINA EPISCOPORUM infrà, qui synodo Sardicensi adfuerunt & subscripserunt iidem in judicio.

15. Ossius ab Spannia Cordobensis
Annianus ab Spanniis de Castolona
Florentinus ab Spaniis de Emerita
[l] Dominianus ab Spaniis de Asturica
Castus ab Spaniis de Cæsara Augusta
Prætextatus ab Spaniis de Barcilona
Maximus à Tuscia de Luca
Bassus à Macedonia de Diocletianopoli
Porphyrius à Macedonia de Philippis
Marcellus à Macedonia de [m] Ancyra Gallaciæ
Euterius à Procia de Caindo
Asclepius à Palæstina de Gaza
[n] Moysius à Thessalia de Thebis
Vincentius à Campania de Capua
Januarius à Campania de Benevento

[a] Apud Baron. *illis confitentibus*, lectio non spernenda : quia scil. fugâ suâ prodiderunt conscientiæ suæ reatum, & confessi sunt falsa esse quæ adversùs episcopos confinxerunt, vera autem quæ pro illis tot sacerdotes contestabantur: quod sæpius repetit superior epistola.

[b] Baron. *delectas* : quod etiam in suo ms. reperit Faber. qui postea pariter de suo posuerat *ut si*, pro *vel si*. Sed facilè intelligitur tacita particula *ut*, ante *de iniquo*. Athanasii præsertim ab Eusebianis damnatio vel ex hoc iniqua fuit, quòd absens judicatus est. Ex iniqua facta esset justa, si illatorum ipsi criminum convinci præsens potuisset.

[c] Ex lectione mss. Pith. & Colb. *qui aut in sæculo servire maluerunt*, confecerat Faber, *qui autem sæculo servire noluerunt*. Huc Baronianam revocamus.

[d] Apud Baron. *in Italia*, non *lethalia*.

[e] Illud *quæ* adjicimus ex Sirm. Baronius autem præferens antea *quæ fecissent*, omittit *& quæ commisissent*.

[f] In mss. Pith. & Colb. *id est epistulas*. Sirm. *id est episcopalia*. Hæc verba desiderantur apud Baronium, qui deinde legit, *quos extra episcopatum synodi sententia declaravit*.

[g] Baron. *de fuga & tergiversatione*. Non displiceret *ex fuga &c.* id est, eorum absolutio differri diutiùs non debuit, quia fugerunt illorum adversarii.

[h] Apud Baron. *quò venimus* : minùs bene, ut liquet ex his num. 2. *synodi omnium nostrûm, qui convenimus episcopi*.

[i] In ms. Pith. *ne epistolas* : quod etiam habet Baron. legens postea *inde allatas*, pro *id est litteras*.

[k] Apud Baron. *à Neronopoli*, favente Athanasio initio Apolog. 2. τῆς πόλεως Νέρωνος. Suprà num. 7. legit Hilarius *à Neroniade*. *Est autem*, inquit Theodoretus lib. 1. hist. eccl. c. 7. *Neronias Ciliciæ secundæ urbs, quam Irenopolim nunc vocamus*.

[l] In edit. *Dommianus*. At in ms. *Dominianus*. Fortè qui apud Athanas. *Domitianus*.

[m] In ms. *Ancyra Gallacia*. Suprà n. 1. *Ancyrogalatia*. Qui antea bis scripserat *à Macedonia*, hoc jam tertiò, sed falsò, hîc apposuit. corrigimus.

[n] Aliàs, *Moscus à Thessalonica* : quod ex Sirmondo corrigimus. An hic idem est, qui apud Athanas. *Musæus* subscriptus legitur, per quem communicatorias Valentis & Ursacii litteras Athanasius accepit, quique infrà n. 20. *Moyses* nuncupatur?

Prothogenes [a] à Dacia de Serdica.
Dioscorus de Thracia.
[b] Hymenius à Thess. de Pearata.
Lucius à Thracia de * Caynopoli. (* an. Hadrianopoli?)
[c] Lucius ab Italia de Verona.
Evagrius à Macedonia de * Heraclianeo. (* Ms. Eradialineo.)
Dionysius ab Achaia de Lignedon.
Julius ab Acacia de [d] Thebe-eptapyleos.
Athenodorus * ab Achaia de Blatea. (* Lab. à Dacia de Blacena.)
Diodorus ab Asia de Tenedos.
Alexander à Thessalia de Larissa.
Aethius à Macedonia de Thessalonica.
Vitalis à Dacia ripensi de Aquis.
Paragorius à Dardania de Scupis.
Trifon ab Achaia de [e] Marciarce.
Athanasius ab Alexandria.
Gaudentius * ab Achaia de Naïso. (* à Dacia.)
Jonam à Macedonia de * Particopoli. (* Parthenopoli, aut Parœcopoli.)
Alypius ab Achaia de Magari.
Macedonius * ab Ardania de Ulpianis. (* Labb. à Dardania.)
[f] Calvus ab Achaia ripensi de Castra martis.
Fortunatianus ab Italia de Aquileia.
Plotarcus ab Acacia [g] de Patras.
Eliodorus à Nicopoli.
Eutarius à Pannoniis.
[h] Arius à Palæstina.
Asturus ab Arabia.
[i] Cocras ab Achaia de Asapofebiis.
Stercorius ab Apulia de Canusio.
Calepodius à Campania.
* Lerenius ab Achaia de Secoro. (* Athan. & Lab. Irenæus.)
Martyrius ab Achaia de Neapoli.
Dionysius [k] ab Arcaida de Elida.
Severus ab Italia de Ravennensi. (* Sirm. Protasius.)
Ursacius ab Italia de Brixa. (* à Dacia de Sciscia.)
* Portasius ab Italia de Mediolano.
Marcus * ab Asia de Fissia. (* Sirm. à Dacia.)
Verissimus à Gallia de Lugduno. (* Dio.)
Valens * ab Achaia ripense de Scio. (* Sirm. de Ceparisina.)
Palladius à Macedonia de * Dui.
Gerontius à Macedonia de Brevi. (* f. Eutychius.)
Alexander ab Achaia de * Morenis. (* an à Dacia de Montemnis? V. Peuting. tab.)
* Euthitius ab Achaia.
Titius ab Asia de Montonis.
Episcopi omnes numero unus de sexaginta.

Athanasii innocentia manifesta.

16. Res, quantum arbitror, sermonis alterius interpretatione non indiget. Nam omnia ita edita sunt & expressa, ut in lucem cognitionis elata sint: testes ex Ægypto compositi, Athanasius ipse præsens, falsorum judicum nocturna & turpis per conscientiam fuga, tantorum scelerum gravis & subjecta universorum oculis invidia. [l] Adde originem causæ, ex qua in Athanasium occasio est quæsita sententiæ. Reus, presbyteri sui impetu, disturbati altaris in ipso sacrificiorum tempore, ubi Scyrus presbyter adsistebat, arguitur. Scyrus presbyter negatur, & criminis falsitas cum auctore damnatur. Porro autem sacrificii opus sine presbytero esse non potuit. Cùm in hominem quæstio est, ipse facti tam gravis nullus est locus, apud Mareotem [m] ecclesia nulla est. Numquid potiùs ipsa soli religio defecit? aut aliquo, ut adsolet, hiatu locus violati sacrificii desedit? Scyrus de diacono [n] episcopus adseritur ordinatus; ut de contumelia in presbytero perpessa mentientis episcopi major auctoritas sit. Sed locus ecclesiæ [o] si fuit, & est: si non est, nec fuit. Et quid ambiguum est, hos potiùs falsorum criminum indices asseruisse factum esse, quod esse * potuit infectum; aut eos, qui postea indicarunt, [p] constitutos non fuisse, quod si fuit, non potest non fuisse?

Sacrificii opus solius est presbyteri.

* fortè patuit.

Athanasii crimina non constant.

17. Si quis igitur est humanis institutis ad usum [q] communis intelligentiæ eruditus, si quis prudentiæ præceptis in viam consectandæ veritatis insistit; animum intendat, & quid in hujuscemodi negotiis tenere se arbitrii velit, expendat: ratio interim de indiciorum auctoribus exsistat. Hæc duo indicata: unum quod crimen adfirmet, criminis locum * non occupet, * perpessa injuria hominem designet; aliud verò, quod crimen, locum, hominem neget. Quæro, in quam te sententiam concedere æquum videbitur? Certè, opinor, quisquam ab utroque consultus, & positus in medio utriusque sententiæ, ita loquetur: Si crimen est, docendum est; si locus est, demonstrandus est; si homo, contuendus est. At verò cùm & facti fides, & loci religio, & injuriæ homo nullus est; vesanum existimabitur, rebus judicem non exstantibus judicare.

* f. nuncupet.
* f. perpessum injuriâ.

Athanasii damnandi nulla causa.

18. Respicite in cælum & astra, vos sacerdotes; & in eum, qui ex nihilo fecit illa, cum libertate fidei & spei quam accepistis, intendite, recordantes talem vobis futuri in vos judicii formam esse propositam, ut quo judicio judicaveritis, judicetur de vobis. (*Matth. 7. 1.*) Hæc quærenti mihi respondete: Athanasium quo judicio damnastis? Dicetis nempe, Episcoporum: &

[a] Et hîc cum Sirm. præferimus *à Dacia*, pro *ab Acacia*.
[b] Ita Sirm. favente Athanasio, apud quem subscribit *Hymenaus*. Aliàs verò, *Hymomus à Thessalia de Oparata*.
[c] Apud Athanas. non subscribit *Lucius*, sed *Lucillus*: fortè is, quem Apolog. p. 675. testem appellat, quòd Constantem numquam solus allocutus sit.
[d] In ms. *Tebepsetafileos*. Apud Labb. *Thebesse*: & ex conjectura, *Thebeeptapoleos*.
[e] Sirm. *Maccare*. Faber, *Maccroce*. Retinemus lectionem mss.
[f] Pith. ms. *Cains*. Labb. *Calvus à Dacia ripensi de Castro martis*.
[g] Sic ms. ex quo vulgavit Faber, *de Patrois*. Antea mallemus *ab Achaia*. Apud Labb *Prostarcus ab Achaia de Patris*.
[h] Amanuensium lapsu editum erat *Arius ab Arabia*, *Asturus à Palæstina*. Horum episcoporum mentio fit suprà num. 7.
[i] In ms. Pith. *Cocias ab Acacias*. tum Sirm. *de Asaspofœbiis*.
[k] Infrà Fragm. 3. n. 20. mentio fit Dionysii *ab Elica provincia Achaia*.
[l] Ita ex Sirm. Aliàs verò, *At de origine*.
[m] in eo nimirum vico, quem Ischyras incolebat. Aliàs multæ erant apud Mareotem ecclesiæ: quamvis aliud sonent Hilarii verba.
[n] Ischyras à Nicæphoro lib 9. c. 12. *ex se ortus presbyter* appellatur. Ipse se Colluthi presbyterum jactitabat. Mareotici autem presbyteri ac diaconi apud Athanasium pag. 792. testificantur, illum ne clericum quidem umquam habitum fuisse, nisi fortè à cognatis & ab iis qui longè ab illius pago habitarent.
[o] Addimus *si*, quod manifestè postulat orationis integritas.
[p] Sirm. ex ms. Remig. *constitutum est*. Ex utraque lectione facilè conficere est *conspicuum est mentitos*: adeoque libenter præferremus, *quod esse patuit infectum: ut eos, qui postea indicarunt, conspicuum est mentitos non fuisse*. Sermo certè est tum de Athanasii accusatoribus, qui calicis effracti crimen ei affinxerunt, tum de Mareoticis presbyteris ac diaconis, qui criminis hujus falsitatem postea indicarunt apud Athanas. p. 792.
[q] In priùs vulgatis, ut in ms. *communionis*: quod mendum in mss. valde usitatum aliàs experti, hîc corrigere non dubitavimus.

f. inquietis.

A hæc confessionis vestræ erit venia. Secuti, * inquit, sumus sanctam judiciorum sub episcopali communione reverentiam. Sed ignorasse vos negabitis, Athanasio, cujus damnationem à vobis Valens, Ursacius, Saturninus exigunt, ab Ossio, Maximino, Julio redditam communionem? Non facio comparationem: rogo, quæ de crimine Athanasii vestra sententia fuit? Presbyter ejus Macharius irruisse in ecclesiam Mareotidem dicitur, Scyrum presbyterum perturbasse, & salutis nostræ sacramenta projecisse: ad hujus rei testes cathecumenum & gentilem interrogatos. Verùm postea à sanctis * nescitis judicatum, * Mareotem ecclesiam nullam esse; Scyrum verò presbyterum non fuisse? Quid est, quod secuti estis? Falsis episcopis auctoritatem datis, aliis verò negatis? Quæ sunt, * atque non essent decernitis: judicatis autem illa, quæ non sunt? Sed ut * subjectioni huic credideritis, credo carcer exegit, custos institit, tortor incubuit, gladius pependit, ignis ambussit. In non exstantibus judicandi episcopalem apud vos auctoritatem improbitas obtinuit: in veritate obtinenda sanctitas fidem perdidit? O veros Christi discipulos! ô dignos successores Petri atque Pauli! ô pios Ecclesiæ patres! ô ambitiosos inter Deum plebemque legatos, veritatem vos Christi falsitati hominum vendidisse! Satisfecimus igitur [a] primæ propositioni, qua spopondimus Athanasium reum teneri nullius eorum, quæ objectatis, criminum posse. Superest, ut quid de Marcello & Photino gestum sit, paucissimis dicam.


*Sardicæ congregatis. * *adde, apud.* * *supple; perinde.* * *An subgestioni?*

Photini condemdatio: & Ursacii ac Valentis pænitentia.

19. Photinus Sirmiensis episcopus fuit à Marcello imbutus: nam & diaconus sub eo aliquandiu fuit. Hic corruptis innocentiæ moribus ac disciplinis, turbare evangelicam veritatem persistebat novis prædicationibus. Et hoc ita sæpe est, ut cùm incrementa vitiorum detrimenta in amore Dei fecerunt, vesanum depravatæ scientiæ studium increscat. Igitur ad tollendum ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi * synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis [b] congregantur * sacerdotes; hoc magis solliciti atque anxii, turbari rursum miscerique omnia, quòd jam pridem plures episcopos B reos vel falsorum in Athanasio judiciorum, vel communionis hæresis Arianæ, ab Ecclesia fuerat necesse resecare. Quam opportunitatem nacti Ursacius & Valens, Romanæ plebis episcopum * adeunt, recipi se in Ecclesiam deprecantur, & in communionem per veniam admitti rogant. Julius [c] ex consilio veniam, quam orabant, impertit: ut cum lucro catholicæ Ecclesiæ, vires quoque detraheret Arianis; cùm eos, qui unitatem antè turbaverunt, C consilii hujus & audaciæ pænitentes in communionem catholicam per veniam reconciliatæ pacis admitteret.

** an. 347.* ** an. 349.* ** an. 349.*

20. Et quia non est nisi de veritate confessio, nisi de vitio pænitentia, nisi venia de admisso; Valens & Ursacius admittendi, ut orabant, in communionem, de Athanasii innocentia, de judicii falsitate, de Arianæ hæresis piaculo talibus litteris antè profitentur. D



[a] Ita Sirm. ex ms. Remig. Aliàs verò, *fini propositionis.*

[b] Celebre aliquod & catholicum Concilium hìc memorari, convenit inter omnes. De tempore illius nullus est ambigendi locus. Nam cùm dicat Hilarius, Valentem & Ursacium ex hujus Concilii opportunitate veniam rogasse; neque ad hoc, Socrate teste lib. 2. cap. 24. animum appulerint, nisi post Athanasii Alexandriam reditum: liquet illud anno 349. biennio post Sardicense fuisse celebratum. De loco major est inter eruditos controversia. Quid Sirmondus, Petavius, ac Petrus de Marca singularibus de hoc loco dissertationibus senserint, referre supersedemus. Plurimos fefellit Sirmii nomen, quod infrà initio num. 21. occurrit. At verò Mediolani, non Sirmii, habitum fuisse haud obscurè significat Ariminensis synodus Fragm. 8. n. 2. ubi de Ursacii & Valentis retractatione sic loquitur: *Rogaverunt veniam, sicut eorum continent scripta, quam meruerant tunc temporis à Concilio Mediolanensi assistentibus etiam legatis Romanæ ecclesiæ.* Clariùs græca ejusdem synodi verba apud Athanas. de Synod. p. 877. enuntiant eos veniam postulasse & impetrasse, quando Concilium Mediolani celebrabatur: ἣν ᾔτησαν ἐγγράφως, καθ' ἃ ἐν ταῦτα ἐπράττετο, ὅτε ἐν Μεδιολάνῳ τὸ συνέδριον συνεκροτεῖτο. Atqui illi veniam non impetrarunt nisi anno 349. Ex quo conficitur, Ariminensis synodi verba ad Concilium Mediolanense, non anni 347. sed 349. esse referenda. Idem dicendum de verbis Ursacii & Valentis, qui infrà num. 20. apud Julium profitentur se in libello, quem *apud Mediolanum* porrexerant, Arium anathematizasse. Ut enim libellum hunc anno 347. oblatum intelligamus, non sinit Socrates, qui lib. 2. c. 24. scribit, Valentem & Ursacium permagno erga Arii dogma studio exarsisse, donec Athanasium Concilio Jerosolymitano anni 349. sedi suæ & ecclesiasticæ communioni restitutum rescierunt. Eorumdem pænitentiam eidem tempori consignat Athanasius apolog. 2. p. 775. Et certè anno 347. Valentis & Ursacii res non erant adeo desperatæ, ut catholicorum gratiam protinus sibi putarent necessariam. Ipsorum animos, etsi Sardicensis synodi sententiâ nonnihil dejectos, relevabant Philippopolitana placita. Eusebiani etiam tunc temporis multis in locis impune sæviebant. Athanasius ipse non ausus est nisi post biennium ad ecclesiam suam redire.

Qui libellum Ursacii & Valentis anno 347. Mediolani datum putant, nobis objiciunt non sibi videri, cur illi à synodo veniâ postulatâ Julium convenerint; aut certè si id eos synodi mandato præstitisse dixerimus, jam falsum esse quod apud Athanasium pag. 839. Osius ait, eos *ultro* Romam accessisse. At illud *ultro* violentiæ per milites aut per pœnas illatæ, non benignæ synodi adhortationi opponi, quis non videat? Æquum porro erat, ut qui ante Sardicense Concilium Julii litteris conventi Romam venire contempserant, ut ipsi etiam confitentur, jam pænitentes Romani episcopi petitioni satisfacerent. Præterea tota hæc Hilarii narratio hoc sonat, Valentem & Ursacium primùm adiisse Julium, ab eoque veniâ impetratâ, Mediolani libellum porrexisse quo Arium Ariique commenta damnarent, ac tandem litteris ad Julium missis retractasse atque revocasse quidquid contra Athanasium divulgarant.

[c] Petrus de Marca in diatriba de tempore synodi Sirmiensis hìc legit *ex Concilio.* Putat enim synodum, quam Mediolani convenisse demonstravimus, Romæ fuisse habitam, idque probari cùm his Hilarii, tum Osii verbis, necnon Ursacii & Valentis litteris. Clarissimo viro subscribit Steph. Baluzius in nova Conciliorum Collectione, quam magno cum labore ac diligentia suscepit. At Osii verba ea sunt apud Athanas. ad Solit. p. 839. *Illi* (Ursac. & Valens) *ultro Romam venerunt, & coram episcopo presbyterisque ibi præsentibus professionem scripto ediderunt:* Ursacii autem & Valentis litteræ sic habent; *Profitemur apud Sanctitatem tuam cunctis præsentibus presbyteris.* Quibus sanè non celebre aliquod Concilium *ex plurimis provinciis* congregatum, sed Julii tantùm & presbyterorum illius præsentia significatur. Unde ex verbis Hilarii si quid immutandum, pro *ex consilio*, maximè arrideret *eo consilio*, id est eo animo, *ut vires detraheret Arianis* &c. Qua ratione cùm excuset Hilarius quamdam Julii in venia concedenda facilitatem, confirmatur quod jam confectum putamus, Ursacii & Valentis libellum, quo Arium damnarunt, non anno 347. sed 349. Mediolani datum esse. Neque enim de venia paulo faciliùs data esset excusandus, quam biennio tantùm post publicum pænitentiæ testimonium concessisset

EXEMPLUM [a] EPISTOLÆ, QUAM post renuntiationem [b] Orientalium, Athanasium reum non esse, in urbe Roma holographa manu Valens * perscripsit, & Ursacius subscripsit.

*an. 349.

Domino beatissimo Papæ Julio Valens & Ursacius S.

Quoniam constat, nos antehac multa gravia de nomine Athanasii episcopi litteris nostris insinuasse, atque litteris [c] sanctitatis tuæ conventi, ejus rei, de qua significavimus, non præstitisse rationem: profitemur apud Sanctitatem tuam, cunctis præsentibus presbyteris fratribus nostris, omnia, quæ antehac ad aures vestras pervenerunt de nomine prædicti, falsa [d] à nobis esse insinuata atque omnibus viribus carere: atque ideo nos libentissimè amplecti communionem prædicti Athanasii; maximè cùm sanctitas tua, pro insita sibi benevolentia, errori nostro veniam fuerit dare dignata. Profitemur etiam, quòd si aliquando nos Orientales voluerint, vel idem [e] Athanasius, malo animo ad causam vocare, citra conscientiam tuam non adfuturos. Hæreticum verò Arium, sed & satellites ejus, qui dicunt, Erat tempus quando non erat Filius, & qui dicunt ex nihilo filium, & qui negant * Dei filium ante sæcula fuisse, sicut per priorem libellum nostrum, quem apud Mediolanum porreximus, & nunc & semper anathematizasse, hac manu nostra, qua scripsimus, profitemur: & iterum dicimus, hæresim Arianam, ut superiùs diximus, & ejus auctores in perpetuum damnasse. *Et manu Ursacii:* Ego Ursacius episcopus [f] huic professioni nostræ subscripsi.

*Hic adde Deum.

Hæc epistola post biennium missa est, quàm hæresis Photini [g] à Romanis damnata est.

ITEM EXEMPLUM ALTERIUS EPISTOLÆ * Valentis & Ursacii, quam post aliquantum temporis ab Aquileia, post quàm hanc superiorem [h] Romæ emiserant, ad Athanasium miserunt & episcopos.

* scriptæ an. 349.

Domino Fratri Athanasio Ursacius & Valens.

Dedit se occasio fratris & compresbyteri nostri Moysetis, venientis ad tuam dilectionem frater carissime, per quem tibi salutem largissimam dicimus ex Aquileiensium civitate, & optamus ut incolumis litteras nostras recenseas. Dederis enim fiduciam, si tu quoque in rescribendo vicem nobis rependas. Sanè habere nos locum tecum & communionem ecclesiasticam his litteris scito. Divina pietas te custodiat, Frater.

SUPERIORIBUS igitur litteris datis, venia indulgetur orantibus, reditus ad catholicam fidem cum communione donatur: ma-

[a] Epistolam hanc, quam anno 349. consignandam probavimus, vivente adhuc Constante scriptam esse planum est ex verbis Osii apud Athanas. ad Solit. pag. 839. Eamdem græcè translatam exhibet Athanasius Apolog. 2. ad Constant. p. 776.

[b] puta, qui Jerosolymis an. 349. convenerunt, uti suspicamur ex verbis Socratis lib. 2. c. 24. ubi primùm Maximus Concilio coacto *communionem & dignitatem pristinam Athanasio restituit:* tum *synodus Alexandrinis & universis per Libyam & Ægyptum episcopis ea, quæ de Athanasio statuta judicataque erant, per litteras significavit:* ac tandem *his compertis Ursacius & Valens, qui priùs Arianorum dogmati mordicus adhæserant, damnato priore studio Romam se conferunt:* His suffragatur Athanasius Apol. 2. pag. 775. ubi descriptâ synodi Jerosolymit. epistolâ subjicit: *His conspectis de se jam desperantes Ursacius & Valens Romam profecti peccata sua cum pœnitentia confessi sunt*, &c.

[c] Num aliis, quàm quas Concilium Sardicense ad Julium scribens suprà n. 10. memorat his verbis: *Conventi per presbyteros tuos & per epistolam, ad synodum quæ futura erat in urbe Roma venire noluerunt?*

[d] Particulam *à* in vulgatis omissam restituimus ex Pithœano ms. Ita hæc lectio magis concinit cum initio, *Quoniam constat, nos antehac multa gravia. . . insinuasse.* Athanasius verò græcè non reddit illud *à nobis.* Ipso suffragante antea reposuimus *ad aures vestras*, cùm priùs obtineret *ad aures nostras.*

[e] In vulgatis Athanasii edit. *Eusebius:* quod nonnullis arrisit, eo nomine Eusebianos intelligentibus; quia nimirum è vivis excesserant noti tres Eusebii, Cæsariensis, Emesenus & Nicomediensis. At hanc lectionem nostram confirmat vetustum exemplar græcum operum S. Athanasii, quod in regia bibliotheca asservatur.

[f] Horum loco apud Athanas. habetur, ἐγὼ Οὐρσάκιος ὁμολογίᾳ μου ταύτῃ παρὼν ὑπέγραψα, ὁμοίως καὶ Οὐάλης.

[g] Qui & quod aiunt Ursacius & Valens, se libellum apud Mediolanum porrexisse, & quod testatur synodus Ariminensis Fragm. 8. n. 2. eosdem in Mediolanensi Concilio veniam poposcisse; ad synodum Mediolanensem anni 347. referunt, ideo hîc *à Romanis* dici putant, quia Romanæ ecclesiæ legatis assistentibus. Sed libellum prædictum, petitamque veniam in annum 349. convenire jam demonstratum est: nec ullum suppetit monimentum, unde Romanæ ecclesiæ legatos Mediolanensi anni 347. synodo interfuisse nobis constet.

Petro autem de Marca suam de Romano Concilio an. 349. opinionem hinc confirmanti, præter ea quæ ei objecimus, valde incommoda sunt verba proximè antecedentia. Occurrit quidem Steph. Baluzius, ac dicit in his mendum esse, ac pro *quàm hæresis*, legendum esse *quum hæresis*: at nec sic explicat quid sibi velit *post biennium missa est*, cui deinde rectè cohæret *quàm*, non *quum.*

Verùm his verbis, *post biennium missa est, quàm hæresis Photini à Romanis damnata est*, idem omnino tempus designatur, quod illis num. 19. *qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus.* Utrumque illum locum qui contulerit, non inficias ibit, epistolam Ursacii & Valentis hîc declarari missam eo ipso anno, quo ad tollendum ex episcopatu Photinum ex plurimis provinciis congregati sunt sacerdotes, & biennio post quàm idem hæreticus damnatus fuerat, non in Romana, sed *in Mediolanensi synodo.* Quid igitur sibi vult illud *à Romanis?* Valde probabile est, hanc vocem ideo ab Hilario additam esse, ut quid ab Orientalibus adversùs Photinum gestum sit, se minimè attingere præmoneret; adeoque Romanos hîc opponi Orientalibus. Namque Photinum ab Orientalibus ante annum 347. damnatum esse, testis est apud Athanasium lib. de Synod. prolixior eorum fides circa annum 344. aut 345. per Eudoxium, Martyrium & Macedonium in Italiam amandata, in qua nominatim notatur Photini hæresis: ob quam tandem anno 351. Sirmiensi Orientalium synodo ab episcopatu dejectus est. Hîc igitur à Sirmiensibus adversùs Photinum aliisque Orientalium gestis Romana distinguuntur. Et quidem linguam latinam *Romanam*, eos verò qui latinâ linguâ uterentur *Romanos* vocari, non solùm Græcis, sed & Latinis usitatum fuit. Unde Hieronymus epist. 62. ad Theophilum ait: *Arbitror eum assidua confabulatione & quotidiano Latinorum consortio, Romanorum non ignorare sermonem:* & apud eumdem epist. 63. Rufinus testatur plurimos poposcisse, *ut Origenem Romanum faceret;* & paulo pòst, Hieronymum spopondisse, *se ipsos Canticorum libros & alios quàm plurimos Romanis auribus largiturum.* Sed quid plura? cùm Hilario nostro in Psal. 2. n. 35. *in Romanam linguam* idem sit, quod *in Latinam linguam.* Ex quo sequitur, illud *à Romanis* perinde esse, atque *à Latinis.* Quo nomine intelligendi sunt Itali, aut etiam alii Occidentales. Unde Epiphanius cùm hær. 71. n. 1. scripsit, Photinum *in Sardicensi Occidentis synodo damnatum;* etsi non nomen, certè tempus attigit synodi.

[h] Sirm. *Romà emiserant.* Pith. ms. *Roma miserant.* Huic Hilarii notæ repugnat quod Osius apud Athanas. pag. 839. ait, eos superiorem edidisse confessionem, *cùm priùs pacatas & amicas litteras ad Athanasium dedissent.* Osio favet Athanasius ad Solit. p. 826. Probabile tamen est, eos in epistola Julio data, ubi libelli à se apud Mediolanum porrecti meminerunt, hujus epistolæ ad Athanasium missæ mentionem facturos fuisse, si priùs illam scripsissent. Alii Hilarium eo deceptum putant, quòd Ursacius & Valens, post quàm Athanasio pacatas litteras ac Julio libellum tradidissent, rursum aliis subscripserint litteris pacificis, quas Athanasii presbyteri Petrus & Irenæus undequaque colligebant, ut narrat Athanas. ad Solit. p. 826.

ximè cùm Sardicensis synodi veritatem [a] ipsæ orantium veniam litteræ continerent.

21. Verùm inter hæc Sirmium [b] convenitur. Photinus hæreticus comprehensus, olim [c] reus pronuntiatus, & à communione jam pridem unitatis abscissus, nec tum quidem per factionem populi potuit amoveri. Sed idem Athanasius Marcellum, qui post recitationem libri quem scriptum ediderat, (nam hunc nos quoque habemus,) sententiâ synodi Sardicensis episcopatui erat redditus, ubi quædam alia B nova miscere sensit, & ambiguis prædicationibus; ejus in quam Photinus erupit doctrinæ viam quærere; à sua communione [d] separat anteriore tempore, quàm Photinus arguitur, præventam judicio meditationem corruptæ voluntatis ostendens, & non ex libri editione condemnans. Sed quia promtum est ex bono malum effici, præbuit non illis quæ in Marcellum gesta antè [e] fuerant, sed his quæ in Photinum gerenda erant, auctoritatem.

Athanasius Marcellum à sua communione separat.

22. Illud autem esse cognitum cunctis oportet, nullam umquam adversùs Marcellum, præter eam quæ Sardicensibus est dissoluta sententiis, deinceps synodum fuisse contractam; neque [f] tunc cùm de Photino decretum ab Occidentalibus est & ad Orientales est relatum, aliquod in eum expressum fuisse judicium: sed homines mente callidos, ingenio subtiles, malitiâ pertinaces, occasionem A revolvendi ejus, quod Athanasii absolutione * est dissolutum, quæsiisse judicii; & rescribentes de Photino, Marcelli mentionem, velut institutionum talium magistri, addidisse: ut mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem, & veritatis judicio consepultam, in publicam recordationem causæ novitas excitaret, & subrepens per Photini damnationem Marcelli nomen inveheret. Exstat autem in [g] superioris epistolæ corpore, Marcellum ab B Arianis occasione libri, quem de subjectione Domini Christi ediderat, unà cum Athanasio fuisse damnatum. Docetur etiam recitatione ejusdem libri innocentem deprehendi. Falsitatem quoque judicii Ariani * exstantis adhuc libri fides arguit. De Photino autem [h] tantùm, sicuti mos poscebat, ad Orientales epistolæ fiunt, non injuriâ extorquendi, ut nunc [i] agitur, assensum, sed instruendæ universorum scientiæ consuetudine.

In gratiam Athanasii gesta Sardicensia quî conentur Orientales irrita facere.

** Sardicæ datâ.*

** in synodo Constinop. an. 336.*

C 23. Sed cur abnegatæ Marcello communionis Athanasius reus esse rescribitur *? Numquid propter libri vitium Marcellus abstentus est? Testes ipsi sunt, ex institutis ejus Photinum perversitatis istius initia sumsisse. Nam innegata sibi ab Athanasio communione, ingressu sese ecclesiæ Marcellus abstinuit. Ita communio cum eo * in ista fide de subjectione & traditione regni docet: negata rursum * pravitate doctrinæ alterius ostendit. Ac sic utrum-

** à Sirmiensi Orientalium synodo.*

** f. in ita rectam fidem.*

** leg. pravitatem.*

[a] Sardicensis synodi veritatem continent litteræ superiores, quatenus confirmant falsa esse omnia, quæ adversùs Athanasium objecta sunt.

[b] Multi viri eruditione conspicui hîc declarari existimant locum, quò ex plurimis provinciis congregati sacerdotes suprà num. 19. memorantur: adeoque catholicis Conciliis annumerant hoc Sirmiense anni 349. contra Photinum. Sed hoc ab eo, quod num. 19. indicatur, aliud fuisse jam comprobatum est. Arianum autem, non catholicum exstitisse mox demonstrabitur. Neque minùs à vero aberrant alii numero pauciores, qui hæc verba de Sirmiensi Concilio anni 351. interpretantur.

Veriùs illud, *Inter hæc Sirmium convenitur*, intellexeris dici vel de iis, qui Mediolanensis adversùs Photinum synodi sententiam Sirmium detulerint, vel de iis, quos eodem tempore in eadem Sirmiensi civitate convenisse ex subjectis evidens est, ac Photini damnationem ita confirmasse, ut Marcelli velut illius magistri, à quo Athanasius ipse se abstineret, mentionem callidè insererent; quò Sardicensis synodi convellerent gesta, & sopitam de Athanasio quæstionem excitarent. Hujus Sirmiensis conventus gesta, quæ deinceps explicantur, illustrat Sulpicius Severus, à quo *Concilium Sirmiense Arianum* inscribitur. Sic autem habet primò pag. 241. sub titulo Concilii Sardicensis: *Interjecto tempore* (à Sardicensi synodo,) *Athanasius cùm Marcellum parum sanæ fidei esse penitus comperisset, à communione suspendit: habuitque ille hanc verecundiam, ut tanti viri judicio notatus sponte concederet. Ceterùm antea innocens; postea depravatus, videri poterat jam tum nocens fuisse, cùm de eo fuerat judicatum.* Tum titulo posito, *Concilium Sirmiense Arianum*, subjicit: *Nacti ergo Ariani istiusmodi occasionem, conspirant penitus Sardicensis synodi decreta convellere. Etenim eis color quidam suppetere videbatur, quòd tam injustè fuisset pro Athanasio judicatum, quàm Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasii judicio hæreticus esse probaretur. Namque Marcellus Sabellianæ hæresis assertor exstiterat: Photinus verò novam hæresim jam antè protulerat, à Sabellio quidem in unione dissentiens, sed initium Christi ex Maria prædicabat. Igitur Ariani astuto consilio miscent innoxium criminosis, damnationemque Photini & Marcelli & Athanasii eâdem sententiâ comprehendunt: illud nimirum apud* IMPERATORUM *animos præstruentes, ut non putarentur de Athanasio perperam judicasse, qui de Marcello atque Photino vera sensissent.* Illum autem Sirmiensem conventum Arianum fuisse convincimur, primò ex Sulpicii testimonio; deinde ex ipsius gestis, quibus Sardicensia decreta convellere conatus est; postremò ex ejusdem fide, cujus venenum prodit infrà Hilarius num. 24. Neque minùs constat alium ab eo fuisse, qui anno 351. in eadem urbe celebratus est. Cùm enim *Imperatorum animos*, ut Sulpicius loquitur, adversùs Sardicensia decreta prævertere astu tentarit; sequitur ut superstes adhuc fuerit Constans, qui anno 350. vivere desiit. In demonstrandis Mediolanensi & Sirmiensi anni 349. synodis notularum modum excessimus: sed non paucis debuit ostendi, quod tot tantorumque virorum oculos fugit, nostris aliàs longè perspicaciores.

[c] Illud *olim* ad Mediolanensem synodum an. 347. potest referri. Sed juverit hîc quidquid diversis locis ac temporibus contra Photinum actum sit, paucis perstringere. Primùm reus pronuntiatus est circa an. 344. in quodam Orientalium conventu, ex quo fidei formula prodiit multis appendicibus aucta, quam exhibet Athanasius lib. de Synod. Quò si respexit Sulpicius, dicere ei licuit pag. 240. Sardicensi synodo rescissam non esse sententiam, qua hæreticus probabatur. Deinde anno 347. in Mediolanensi Occidentis synodo ab unitatis communione abscissus est. Cujus synodi tempus Epiphanium fefellit; ut hær. 71. n. 1. eum in Sardicensi Occidentis synodo damnatum scriberet. Biennio pòst rursum Mediolani assistentibus ecclesiæ Romanæ legatis Occidentalium judicio depositus est, depositionis sententia statim ad Orientales missa, & ab his Sirmium convenientibus confirmata est: necdum tamen propter populi factionem potuit amoveri. Sed tandem an. 351. Orientalibus denuo Sirmii congregatis ab episcopatu dejectus, eique Germinius suffectus fuit.

[d] Negotium facessit hic locus; maximè cùm Athanasius passim Marcellum excuset, ac nominatim epistolâ ad Solitarios non ante annum 357. scriptâ. His accedit, quod Epiphanius hær. 72. n. 4. narrat, sibi aliquando ab Athanasio percontanti de Marcello quid sentiret, eum nihil respondisse, sed modicè subridendo quamdam dumtaxat de eo suspicionem præ se tulisse. Cum Hilario tamen non solùm consentit Sulpicius, ex fide ipsius eadem scribens; sed & hoc ipsum, ut infrà initio num 23. declaratur, continebat Orientalium epistola ex Sirmiensi synodo ad Mediolanensem rescribentium. An fortè mera hæc fuit Orientalium illorum calumnia, cui Hilarius paulo faciliùs crediderit? qui deinde cùm ait Marcellum ab Athanasio abstentum *anteriore tempore quàm Photinus arguitur*; non intelligit tempus, quod Mediolanensem synodum anni 347. præcessit, sed illud tantùm, quod Mediolanensi anni 349. superius fuit, ubi sollemniori quadam ratione Photinus est damnatus.

[e] scilicet Constantinopolitana synodo anni 336. cujus gesta Sardicensi dissoluta sunt.

[f] Hunc locum ex Sirmondi lectionibus restauramus: cùm priùs haberetur, *neque tunc unde Photino*. Hîc conquestio est, quòd Orientales Sirmii congregati de Marcello callidè rescripserint, de quo Occidentales è Mediolanensi synodo nihil ipsis scripserant.

[g] Editi, *superiore*. Meliùs mss. *superioris*, scilicet epistolæ Sardicensis num. 6.

[h] Adjicimus *tantùm* ex Sirmondi lectionibus. Constans hîc sermo est de Occidentalium gestis in Mediolanensi synodo anni 349. & de Orientalium rescripto è Sirmiensi civitate.

[i] puta, post Ariminensem synodum.

que viri istius judicium caret culpâ, cùm in data communione synodi * sit secutus assensum; in abnegata verò, ipso se Marcello abdicante solo sine ulla synodi auctoritate. Verùm omnis ista alterius causæ & doloris est quæstio. Et quamquam conceptis jam diu in Athanasium odiis suis satisfiat, in majorem tamen sceleris gradum molitio tanta procedit.

* Sardicensis.

24. Nam tertius mihi locus præstat, ut fidem, quam epistolæ primordio condiderunt, fraudulentam, hæreticam, & verbis blandientibus veneno interiore suffusam esse demonstrem. *Profitemur enim ita: Unum quidem ingenitum esse Deum patrem, & unum unicum ejus filium, Deum ex Deo, lumen ex lumine, primogenitum omnis creaturæ, & tertium addentes Spiritum-sanctum paracletum:* ut cùm securitas legentium, vel indoctorum simplicitas tam mollibus fuerit intercepta principiis; uno eodemque subscriptionis elicitæ assensu, in Photini animadversionem, in Athanasii reatum, in damnationem fidei catholicæ transeatur. Et spero quòd non exiguam partem cognitionis istius * synodus Sardicensis adtulerit, ubi infectatione Arianorum omnia in Athanasium crimina conficta esse monstrantur, & vis adhibita * plebi Dei, ut in pestiferam lethalis doctrinæ conniventiam transirent. Rem tamen, quia causa postulat, breviter dicam.

Rescriptum Sirmiense fidem rectam præferens, fraude & veneno plenum est.

* scil. Athanasii innocentiæ.

* Vide suprà n. 3.

25. Cura & negotium apostolicis viris semper fuit, constanti & publica perfectæ fidei prædicatione, conatus omnes oblatrantis hæresis comprimere, & expositâ Evangeliorum veritate, perversitatem doctrinæ errantis exstinguere; ne audientium mentes quadam labe contaminans contagium vitii adhærentis * infligeret. Itaque diligenter epistolis variis, quæ de Deo patre opinio, quæ de Dei filio cognitio, quæ in Spiritu-sancto sanctificatio oporteret esse, frequenter copioséque complexi sunt; * ut cognitus de Deo patre fieret Filius Deus, & in Deo filio * Deus pater, & in Deo patre Filius Deus. Ac sic secundùm ipsius definitionem dicentis, Ego & Pater unum sumus, & rursum, Sicut Pater, tu in me, & ego in te, continetur fides nostra in Patris & Filii nominibus personisque Deus unus. Neque enim vel invidia Judæorum, vel odium gentilium, vel furor hæreticorum aliis potiùs adversùs nos causis est excitatus, quàm quòd æternitatis [a] virtutem, nomen Filii confitemur in Patre. Hæreticorum autem perversitas de fide impia semper exorta est. Nam dum occupati vitiis, & ab innocentiæ operibus aversi, inutilium se quæstionum difficultatibus implicant; improbabiles effecti [b] vitâ, voluntate, judicio, placere expetunt novitate doctrinæ, post quàm veritatis scientiam perdiderunt.

Ad tuendam Trinitatis fidem semper laborarunt apostolici viri.

* f. infigeret.

* supple adeo.

* supple esset.

26. Cùm igitur patribus nostris cognitum fuisset, & [c] Arios duos profanissimæ fidei prædicatores exstitisse, seque longiùs non jam opinio, sed judicium labis istius tetendisset; ex omnibus orbis partibus in unum advolant, Nicæamque concurrunt: ut exposita fide populis, & in luce intelligentiæ cognitionis divinæ itinere directo, intra ipsos auctores suos emergentis mali seminaria necarentur. Tradebant autem Arii talia: Patrem Deum instituendi orbis causâ genuisse filium, &, pro potestate, [d] sui ex nihilo in substantiam novam atque alteram Deum novum alterumque fecisse; profani in Patrem, ex nihilo opinantes aliquid ei simile potuisse generari; blasphemi in Christum, infinitatis eum paternæ generositate exspoliantes: ut cùm didicissent ex persona Patris, *Non est Deus alius præter me*; & à Filio, *Ego in Patre & Pater in me*; &, *Ego & Pater unum sumus*, sanctæ in utroque unitatis vinculum abruperint, non exstanti creationis [e] substantiæ dantes Dei filio Domino nostro Jesu Christo initium de tempore, ortum de nihilo, non ex altero.

Arianorum doctrina.

Esa. 45. 18. Joh. 14. 11. Joh. 10. 30.

27. Itaque comprimendi mali istius causâ, [f] trecenti vel eo ampliùs episcopi apud Nicæam congregantur: in omnes Arianos, adsensu omnium, damnatio hæretica decernitur, & evolutis evangelicis atque apostolicis doctrinis, perfectum unitatis catholicæ lumen effer-

[a] In vulgatis, *æternitatis virtute*. Magis placet cum mss. *æternitatis virtutem*: hoc est, Patrem confitendo sempiternum, filium ei substantiâ æternitatis coæternum confitemur, qui non solùm nomine, sed & re, virtute ac veritate sit filius: quod clariùs explicatur infrà num. 28.

[b] Hactenus obtinuit, *vitam, voluntatem judicio placere, expetunt novitatem doctrinæ*. Resecatis postremis litteris *m*, quæ, ut monuimus, in mss. sæpe redundant, nitida jam lectio efficitur.

[c] Quos hîc dicat Hilarius *Arios duos*, non liquet. Intellexisse quidem videtur Sulpicius duos hîc prædicari, quibus proprium Arii nomen esset, cùm ait pag. 237. *Duobus Ariis acerrimis perfidiæ hujus auctoribus Imperator etiam depravatur.* Quòd enim hæc ad imitationem Hilarii scripserit, nullum dubium relinquunt sequentia illius verba: quæ hîc describenda ducimus, ut ex iis horum Fragmentorum antiquitas ac veritas magis ac magis confirmetur. *Quæ autem*, inquit, *Ariani prædicabant, erant hujusmodi: Patrem Domini instituendi orbis causâ genuisse filium*: (eo, f. eum) *pro potestate sui ex nihilo in substantiam novam atque alteram factum Dominum novum alterumque; fuisse autem tempus, quo Filius non fuisset. Igitur hujus mali causâ synodus apud Nicæam ex toto orbe contrahitur* &c. Hinc antiquus auctor prologi in disputationem Athanasii contra Arium tum apud Athanas. Tom. 2. tum apud Vigilium Tapsf. Sulpicium in Chronicis testem adhibet, quòd *duo Arii tamquam duo serpentes ex uno ore sibilabant*. Et certè primæ Arianarum partium fidei confessioni apud Epiphan. hær. 69. n. 8. subscribunt Arii duo. Ita etiam Alexander in encyclica apud Socratem lib. 1. c. 6. inter eos qui ab Ecclesia defecerant, recenset Arium, Achillam, Æthalem, Arium alterum, &c. Vix tamen alicujus nominis est alter hic Arius, ut cum primo comparetur atque conjungatur. Neque illum hîc ab Hilario respici facilè crediderim. Probabilius est, duos hîc ab ipso notari Arianæ sectæ principes, Arium scilicet & Eusebium Nicomediensem. Hilario enim *Ariorum* vocabulum non hominis unius alteriusve proprium, sed totius sectæ commune fuisse constat ex his lib. de Synod. n. 83. *Placeat quòd ab Ariis sit negatum*: & mox, *Ipsa Ariorum perfidia*.

[d] Aliàs, *sive ex nihilo, ex substantia nova atque altera*. Præferimus cum Sirm. ex ms. Remig. *sui ex nihilo*, suffragante proximè allato Sulpicii loco, ex quo cetera corrigimus. Vide lib. 6. de Trin. n. 18.

[e] Pith. ms. *substantia*. An fortè *de non exstanti creationis substantia*; vel, *non exstantis creationis substantiam*? Deinde pro *non ex altero*, mallemus *aut ex altero*. Nam *ex altero* intelligit Hilarius *ex altera substantia*. Unde lib. 6. de Trin. n. 16. ait, *Uniuscujusque intelligentiam consulo, quid existimet in eo, cùm dictum sit* EX IPSO: *utrúmne* EX ALTERO *intelligendum sit, anne ex nullo, an verò ipse ille credendus sit?* EX ALTERO *non est, quia ex ipso est* &c.

[f] Cùm Constantinus apud Socratem lib. 1. cap. 9. & Marius Victorinus lib. 1. trecentos & ampliùs episcopos apud Nicæam convenisse scribunt, à communi aliorum Patrum consensu non dissentire existimandi sunt, sed potiùs cum Hilario nostro pro certo ac definito numero indefinitum posuisse. Ipse enim non solùm lib. de Synod. n. 86. sed etiam hîc infrà fidem Nicænam à *trecentis decem & octo episcopis* conscriptam tradit.

tur. Quid igitur fuerit expressum, fides ipsa, ut est exposita, commendat.

INCIPIT FIDES APUD NICÆAM conscripta * à trecentis decem & octo episcopis contra omnes hæreses.

an. 325.

Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei [a] unigenitum, natum de Patre, hoc est, de substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius substantiæ cum Patre, quod Græci dicunt ὁμοούσιον, per quem omnia facta sunt, sive quæ in cælo sive quæ in terra, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, incarnatus est, homo factus est, passus est, & resurrexit tertia die, adscendit in cælos, venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum-sanctum. Eos autem, qui dicunt, Erat quando non erat, & priùs quàm nasceretur non erat, & quia ex nullis exstantibus factus est, quod Græci [b] ἐξ οὐκ ὄντων dicunt, vel aliâ substantiâ sive essentiâ, dicentes mutabilem & convertibilem filium Dei; hos anathematizat catholica & apostolica Ecclesia.

Fidei sinceræ cōparatione adulterinæ falsitas patet.

28. Fides fidei comparata falsitatem [c] mentionis exponit. Nam quæ apud Nicæam ordinata est, plena atque perfecta est, & omnibus undique, quibus irrepere hæretici solent, aditibus obseratis, inviolabili inter Patrem & Filium æternæ unitatis soliditate connectitur: hæc verò simplicitate blanditur, primùm asserens nos ita credere, quod ábsit à quoquam. Ceterùm Occidentalium fides, evangelicis instituta doctrinis, Patrem in Filio, Filium confitetur in Patre; Patrem ingenitum, Filium substantiâ æternitatis æternum, id est, ut Patrem semper, ita & Filium semper in Patre, & natum de Deo Deum esse, non conceptum scilicet, & in eo semper de quo est, esse.

** Orientalium Sirmio rescribentium.*

29. At verò hæc perfidia * non fides, *Deum ex Deo* dicens, & *primogenitum* commendans, & Trinitatis nomen instituens, virus suum sub modestia religiosæ moderationis occultat, dicens, *Deum ex Deo, lumen ex lumine*: ut per occasionem confessionis istius, ex Deo ac lumine, Deus ac lumen factus à Deo, non genitus de Deo, id est, non de substantiâ paternæ æternitatis exstiterit; ac sic contumeliâ Patris vilescat & Filius, si Deus ortus ex nihilo est: in primogeniti verò confessione ordinem quemdam ab ejus ortu * creantis mundi rebus assignent: ut quia mundus ex tempore est, tamen, licèt mundo prior sit Christus, ex tempore sit; & non æternitas * in eo tempore, sed ordo in tempore sit * creati: ac per hoc aliquid quod ante eum sit relinquatur, qui esse cœpit ex tempore; * dissolvatur in Christo omne quod Deus est, cùm in eo non exstantis aliquando Mariæ ortus à tempore sit.

** f. creatis.*

** an, ante tempora?*

** f. creatis.*

** adde, &.*

Christus quo sensu primogenitus omnis creaturæ. Coloss. 1. 15.

30. Quin etiam homines spe omni bona vacui, ad occasionem tanti periculi auctoritatem apostolicam pertendunt; quia de eo dictum sit, *Primogenitus omnis creaturæ*. Sed subtrahentes antecedentem consequentemque sententiam, * aptant doctrinis suis sub Apostoli nomine perstruunt falsitatem. Nam talis est ordo dictorum: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quia in ipso constituta sunt omnia in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum & in ipso condita sunt, & ipse est ante omnes.* Imago ergo Dei invisibilis ex nihilo ordo est, & cœpit à tempore? Aut quia primogenitus omnis creaturæ est, ordo quidem in eo connexæ [d] incognitæ creationis exprimitur, sed non sequitur primogenitum omnis creaturæ? Quia in ipso constituta sunt omnia in cælis & in terra, id est, in ipso universorum elementorum visibilium & invisibilium condita & constituta materia est; & idcirco omnia per ipsum & in ipso: idcirco primogenitus omnis creaturæ, quia in eodem, jam à principio, omnium quæ effecturus erat, omnia generationum initia [e] constiterunt. Atque non ita in ordine creaturarum, quæ in ordine constitutæ sunt, primus in numero est: sed ipse imago Dei invisibilis, manens per virtutem efficiendi semper in ipso, se primogenitum habuerit eorum, quæ per ipsum in cælo & in terra visibilia & invisibilia crearentur exstantia.

** f. aptâ.*

Coloss. 1. 15. & 16.

Trinitas qui dispar inducatur.

31. Quin etiam haud dissimilis, in Trinitatis nuncupatione, falsitatis eorum contextus est. Ubi enim à diversis substantiis Filium à Patre, impio & maledico ore [f] disciderint, & in separatis duobus assistat auctoritas, tertia dinumeratur

[a] In ms. Colb. deest *unigenitum*: quæ vox lib. de Synod. non hîc, sed post sequentes *natum de Patre* ponitur.

[b] Mendosè in mss. *exucuton*. In lib. de Synodis non exstat, *quod Græci dicunt ἐξ οὐκ ὄντων*; & antea habetur *de non exstantibus*; & pòst *Deum*, non *filium Dei*; proximè omissis vocabulis *& apostolica*.

[c] Ita Sirm. ex ms. Remig. neque aliud in Pithœano reperit Faber, qui tamen edidit *inventionis*. Si quid mutandum, magis arrideret *intentionis*, puta Orientalium: qui Sirmio rescribentes, fidei confessionem omnino nudam ac jejunam Photini condemnationi subnexuerunt.

[d] Mss. *incognita*. Non displiceret *congenita*, vel *in eo genita*. In ipso autem nascente creata omnia connexa erant & quodammodo genita: *quia nascebatur creator Deus*, ut exponitur lib. 2. de Trin. n. 20. *Primogenitus itaque omnis creatura est*, inquit lib. 8. n. 50. *quia in ipso creata omnia sint*: & paucis interjectis, *Primogenitus quoque omnis creatura est, continens in se universitatis exordium*. Ex quibus sic explicare licet hunc Hilarii locum: Numquid qui invisibilis Dei imago est, ex nihilo putandus est, & ordo seu in ordine rerum creatarum esse, & cœpisse ex tempore? Aut numquid potiùs cùm primogenitus appellatur omnis creaturæ, ordo quidem connexæ in eo tamquam in causa creationis omnis exprimitur; sed non sequitur eum ita esse primogenitum, ut in ordine sit rerum creatarum. Hanc explicationem confirmant subnexa.

[e] In vulgatis, *constituerat*. In mss. *constituerunt*; & paulo antè, *qui effecturus erat*, non *qua*. Duo illa verba non temere nobis videmur correxisse.

[f] Editum erat *distenderent*, cùm in mss. habeatur *discederent*. Sensus postulat *disciderint*: & crebra est in mss. *i* in *e* mutatio; sicuti loco *ut* sæpe occurrit *&*. Adeoque proximè legendum putamus, *ut in separatis duobus assistat auctoritas*: quod potest ita intelligi, ut auctoritas, ex qua procedit Spiritus-sanctus, non sit una, sed in duobus separatis exsistat. Tum *tertia* (supple *substantia*) *dinumeratur in Spiritu*.

ratur in Spiritu: & [a] cùm sit Pater in Filio, & Filius in Patre, & Spiritus-sanctus accipiat ex utroque; in eo, quòd Spiritus exprimitur sanctæ hujus inviolabilis * unitas, hæreticâ parte parturiat Trinitas * pronuntiat dissidium.

(*f. add. Trinitatis.) (*f. pronuntiata.)

32. Sed diligens Nicæni tractatûs perfectusque sermo artissimo veritatis præscripto, omnia hæreticorum ingenia [b] conclusit, ita ponens: *Credimus in unum Deum patrem, & in unum filium ejus Jesum Christum.* Unum ambo, & uterque unum, [c] & in personali nomine patris. *Et in Filium unum*, quia unus est de utroque. *Deum verum de Deo vero* docet & virtutem & nuncupationem [d] pari in utroque veritate communem; neque aliud in alio opinandum, cùm Deus de Deo, & verus de vero sit uterque unum. Cùm verò sit in utroque *; *natum verò non factum* ad proprietatem ortûs & originis refert: quia fieri, ex nullo subjaceat; nasci autem, de patre proprium; neque alia nascentibus, quàm originis suæ, forma vel virtus est. Quod autem fit, ex opere exsistit ut fiat. Atque ita non factura in eo cœpit ex nihilo; sed est nativitas [e] à parente. *Unius* autem *cum patre substantiæ, quod Græci dicunt* ὁμοούσιον. Ita est: æternitas sola sui similis est, & quod est semper, in Deo est. Ne qua igitur labes in Dominum Jesum Christum hæreticæ pravitatis incideret, idcirco in eo essentiæ veritas explicatur. [f] Essentia enim ex eo, quòd semper est, nuncupatur: quæ quia extrinsecùs opis ad continendam se numquam eguerit, & substantia dicitur; quòd intra se id, quod semper est, & in æternitatis suæ virtutem subsistat. Ac sic quod ait, Ego & Pater unum sumus; &, Qui me vidit, vidit & Patrem; & rursum, Ego in Patre, & Pater in me est; & illud, Ego de Patre exivi: æqualis in utroque, id est, in Deo qui innascibilis est, & in Deo * una atque eadem in utroque substantia æternitatis expletur. Quòd autem *descendit, incarnatus est, homo factus est, & resurrexit tertia die, adscendit in cælos, venturus judicare vivos & mortuos*; sacramenta salutis nostræ in his continentur. Sed idcirco immutabilis & inconvertibilis filius Dei [g], ut in assumtione hominis corruptioni potiùs gloriam intulerit, quàm labem æternitati. Anathema autem in eos, qui ex nihilo factum dicunt, quod [h] ἐξ ὀυκ ὄντων Græci dicunt, & qui dicunt, *Erat quando non erat, & priùs quàm nasceretur non erat*, damnationem in Christo violatæ æternitatis, id est, deitatis paternæ, sub maledictione designat.

(Nicænus tractatus quàm accuratus.) (*supple, unum, scil. nomen, virtus &c.) (Joh. 10. 30.) (Joh. 14. 9.) (Ibid. 11. Joh. 16. 28.) (*Hic desideratur qui genitus est,)

33. Hujus igitur intimandæ cunctis fidei, Athanasius in Nicæa synodo diaconus, deinceps Alexandriæ episcopus, vehemens [i] auctor exstiterat, & Arianam pestem in tota [k] Ægypto veri tenax vicerat: atque ob id conjuratis in eum testimoniis falsitas est criminum comparata. Res postea [l] fidelibus judicum dijudicata sententiis. Sed multùm ad cognitionem proficiet, si quæ post absolutionem Athanasii, ad Constantium Imperatorem Sardicensis synodi oratio [m] fuerit, cognoscatur.

[a] Ex lectionibus Sirm. addimus *cùm*: sed & antea *ut* pro *&* lubenter susciperemus. Sic enim hîc locus resarciendus videtur: *ut tùm sit Pater in Filio, & Filius in Patre, & Spiritus accipiat ex utroque; in eo, quòd* (secundum catholicos) *Spiritus exprimitur sanctæ hujus inviolabilis Trinitatis unitas, hæretica parte parturiat Trinitas pronuntiata dissidium.*

[b] In vulgatis, *inclusit*. Concinniùs tamen in mss. *conclusit*, id est, ita compressit, ut nullus evadendi locus relinqueretur. Paulo antè reposuimus *præscripto*, ubi obtinebat *perscripto*.

[c] Quod hîc deest, facilè intelligitur, Patrem scil. & Filium naturâ unum esse; cùm uterque unus Deus sit, sub nomine tamen ac proprietate personali. Quod jam num. 25. declaratum est his verbis: *Fides nostra* hæc est, *in Patris & Filii nominibus personisque Deus unus*. Unde conjectamus legendum esse, *unum ambo, & uterque unum. Et in Patrem unum, quia unus personali nomine patris. Et in Filium unum, quia unus est de uno*, (vel rursum, *quia unus est personali nomine Filii*: & postea,) *Et in Deum unum, quia unus est de utroque.*

[d] Ita corrigimus: cùm priùs haberetur, *patri... commune.*

[e] Particulam *à* supplemus ex Sirm. qui postea legit, *unius & ejusdem compare substantiæ*: ubi Faber ex ms. Pith. retinuit, *unius autem compare substantiæ*. Nullum dubium est, quin sincera sit lectio quam præferimus. Hîc enim repetuntur simul & explicantur ipsa symboli Nicæni verba.

[f] Jam lib. de Synod. n. 12. audivimus, *Propriè autem essentia idcirco est dicta, quòd semper est.* Porro de essentia hîc nonnihil disserit Hilarius; quia vox οὐσία, ex qua fit ὁμοούσιον, essentiam sonat, eoque nomine ab ipso latinè reddi solet, ut patet ex versione decretorum Ancyran. lib. de Synod. n. 14. &c.

[g] supple, prædicatur in Nicæno symbolo. Tum cum subnexis maximam affinitatem habent apud Ambrosium hæc verba Tract. de fide orthodoxa c. 8. in Append. Tom. 2. *Cùm hominem induere dignatus est, non labem æternitati intulit, ut Spiritum in carnem mutaret; sed ut suscepto homini immortalitatem atque æternitatem cælestis vitæ præstaret.*

[h] Rursum hîc in mss. *exucuton.*

[i] non quidem condendæ, (hanc enim Athanasius ipse ad Solit. pag. 837. Osio laudem tribuit, quòd *formulam fidei in Nicæna synodo concepit*,) sed ejusdem *cunctis intimandæ.*

[k] Jam Hilarius lib. in Constant. n. 12. testificatus est, Ægyptios in Seleuciensi synodo homousion constantissimè obtinuisse, nullum eorum excipiens præter Georgium, qui in Alexandrinam sedem invaserat. Excipiendi tamen sunt Meletiani, quos sibi Ariani adjunxerant.

[l] puta, in Sardicensi synodo.

[m] Magno historiæ damno excidit hæc epistola, in qua multa scitu digna contineri significant Patres Sardicenses suprà num. 12. Quo in loco ad Constantem etiam à synodo scriptum esse indicant: nisi fortè una eademque epistola utrique Imperatori missa sit. At certè perspicuum est, hîc nonnihil ad Operis hujus integritatem desiderari.

FRAGMENTUM * III.

[* Aliàs 2. partis.]

[* Editum an. 347.]

INCIPIT DECRETUM * SYNODI [a] Orientalium apud Serdicam [b] episcoporum à parte Arianorum, quod miserunt [c] ad Africam.

GREGORIO Alexandriæ episcopo, [d] Nicomediæ episcopo, Carthaginis episcopo, Campaniæ episcopo, Neapolis Campaniæ episcopo, Ariminiadeno Campaniæ episcopo, Salonarum Dalmatiæ episcopo; Anfioni, Donato, Desiderio, Fortunato, Euthicio, Maximo, Sinferunti, & omnibus per orbem terrarum consacerdotibus nostris, presbyteris & diaconibus, & omnibus qui sub cælo sunt in Ecclesia sancta catholica; [e] episcopi qui à diversis Orientalium * [* adde, partium.] provinciis, id est, provinciâ Thebaidâ, [f] & provinciâ Palæstinâ, Arabiâ, Phœnice, * [* Syria Cœle.] Syriâ, Mesopotamiâ, Ciliciâ, [g] Isauriâ, Cappadociâ, Galatiâ, Ponto, Bithyniâ, Pamphiliâ, Paphlagoniâ, Cariâ, Phrygiâ, Pisidiâ, & ex insulis Cycladum, Lydiâ, Asiâ, Europâ, Hellesponto, Thraciâ, Emimontu, [h] ad civitatem Serdicam congregati Concilium celebravimus, in Domino æterna salus.

[Unitatis & traditionum servandarum fictus amor.]

1. EST quidem nobis omnibus indeficiens oratio, dilectissimi Fratres, primò ut sancta Domini & catholica Ecclesia dissensionibus omnibus & schismatibus carens, unitatem spiritûs & vinculum caritatis ubique conservet per fidem rectam. Sed & vitam immaculatam quoque tenere, amplecti, custodire, servare omnibus invocantibus Dominum est quidem justum, præcipuè episcopis qui ecclesiis sanctissimis præsumus. Secundùm, ut Ecclesiæ regula sanctaque parentum traditio atque judicia in perpetuum firma solidaque permaneant, nec * [* f. novis emergentibus sectis.] nobis semper gentibus, sectis, traditionibusque perversis, maximè in constituendis episcopis, vel in exponendis, aliquando turbetur, quo minùs teneat evangelica sanctaque præcepta, & quæ sanctis & beatissimis Apostolis jussa sunt & majoribus nostris, * [* f. & quæ.] atque à nobis ipsis in hodiernum usque servata sunt, & servantur.

[Marcelli doctrina.]

2. Exstitit namque temporibus nostris Marcellus quidam Gallaciæ, hæreticorum omnium exsecrabilior pestis, quique sacrilega mente, ore prophano, perditoque argumento velit Christi Domini regnum perpetuum, æternum & sine tempore, disterminare; initium regnandi accepisse Dominum dicens ante quadringentos annos, finemque ei venturam simul cum mundi occasu. Etiam hoc asserere cœpti temeritate conatur, quòd in corporis conceptione tunc factus sit imago invisibilis Dei, tuncque & panis, & janua, & vita effectus. Eadem hæc non solùm verbis * [* f. ac.] nec loquacitatis assertione confirmat; sed totum, quidquid fuerat sacrilega mente conceptum, blasphemoque ore prolatum, [i] concupiscentia nitenti, libro blasphemiis & exsecrationibus pleno indens, etiam alia * [* f. multo.] multa pejora, calumniam [k] in ipsum faciens divinis Scripturis cum sua

---

[a] Synodi hujus meminere Socrates lib. 2. cap. 20. & Augustinus lib. 3. contra Crescon. & epist. 44. Ac præterea decretum illius summatim perstringunt Sozomenus lib. 3. c. 11. & Nicæphorus lib. 9.

[b] mentito quidem nomine; cùm Ariani Sardicâ aufugientes, hanc pseudosynodum Philippis in Thracia sub eodem tempore habuissent, quo celebrata est vera synodus Sardicensis. Hujus gesta Augustino & Alypio ita latuerunt, ut illam unam pro Sardicensi habuerint. Hilarium quoque in libro de Synodis eodem modo fuisse deceptum, Faber ac multi alii existimant: sed nulla hoc ratione persuadent. Immo fidei confessionem ibi editam non œcumenicæ synodi, sed unorum Orientalium esse conceptis verbis indicat: & cùm ceteras eorumdem formulas è locis, in quibus scriptæ sunt, inscribat; ea una suppresso invidioso loci nomine simpliciter ab eo inscribitur, *Fides secundùm Orientis synodum.* Eam quidem in Constant. n. 23. *Sardicensem* vocat: sed quis eum, cùm hunc librum scripsit, rerum Orientalium ignarum existimet? Certè in eo non loquitur ut illarum ignarus.

[c] eo nimirum consilio, ut Donatistas sibi adjungerent. Quod enim Augustinus lib. 3. contra Crescon. c. 34. velut ex conjectura ait, *Africanam hæresim Orientalis hæresis sibi tentavit adjungere*, epist. aliàs 163. nunc 44. n. 6. ex publico rumore confirmat his verbis: *Quoniam nescio quando audieramus, Arianos, cùm à communione catholica discrepassent, Donatistas in Africa sibi sociare tentasse; ad aurem mihi hoc ipsum frater Alypius suggessit.* Hoc certè hæretico illorum ingenio dignum erat, quo jam appetierant Meletianorum societatem. Quocirca illud, *quod miserunt ad Africam*, non sic accipiendum est, ut hoc decretum ad Afrorum Ecclesiam, sed tantùm ad partem Donati in Africa exsistentem missum fuerit. Et Augustinus quidem testis est, nullam in eo Africæ factam esse mentionem; ut Fortunius Donatista *ne id quidem probare posset, utrùm ad Africanarum specialiter ecclesiarum episcopos illæ litteræ missæ fuerint.* Addit, neque diem neque consulem in eis inveniri, unde tempus illarum dignoscatur.

[d] Majoris perspicuitatis ergo Faber unicuique episcopo sedis suæ nomen subjecerat in hunc modum: *Anfioni Nicomediæ episcopo, Fortunato Neapolis Campaniæ episcopo, Maximo Salonarum Dalmatiæ episcopo, Sinferunti* &c. Satius tamen duximus, cum verborum ordinem revocandum, qui in mss. exhibetur: præsertim cùm ex Augustino lib. 3. contra Crescon. c. 34. necnon lib. 4. c. 44. & epist. 44. constet, sola episcoporum, ad quos hæ litteræ erant missæ, non civitatum, quibus præerant, nomina fuisse prænotata; adeo ut Donato-ne Carthaginis, an alteri Donato datæ fuissent, probari nullo pacto posset. Hæc illius verba sunt lib. 4. cont. Crescon. c. 44. *Nec additis civitatum nominibus legi solet: quia nec mos est ecclesiasticus, quando episcopi episcopis scribunt epistolam.* Sic tamen & in eodem libro, & in tertio loquitur, quasi jam tum Donati nomini Carthaginis vocabulum à Donatistis adjectum esset.

[e] Hæc vox manifestè pertinet ad eos qui mittunt, non ad quos mittitur hæc epistola. Nam nominatis *omnibus consacerdotibus*, id est episcopis, ac deinde *presbyteris & diaconibus*, rectè sequitur omnium per orbem catholicorum appellatio, quod jam sonat lectio nostra, qua restituimus *episcopi*, ubi priùs obtinebat *episcopis*, hac voce cum præcedenti *omnibus* inepta repetitione copulatâ.

[f] Lib. de Synodis hîc adjicitur *Ægypto.* Quamvis autem Ægyptii fidei Nicænæ & Athanasio adhærerent, huic tamen Conciliabulo interfuerunt Meletiani nonnulli.

[g] In mss. *Pisauria.* At lib. de Synod. nec *Isauria*, nec *Pisauria.*

[h] Exstat præterea lib. de Synod. *Mysia* cum *Pannoniis duabus.* Sed neque hîc idem ordo, qui illic, in recensendis provinciis.

[i] In archetypo exemplari, *concupiscentiam intenti.* An *cum licentia impudenti*, vel, *cum audacia ingenti?*

[k] Apud Labbeum, *in ipsis.* Mallemus *in ipso*, scil. libro.

[a] interpretatione & scelerata mente, quæ [a] contra illis ex suo pestifero sensu applicabat. quibus ex rebus apertè manifestéque constitit hæreticus. Quique assertiones suas quibusdam squaloribus miscens, nunc falsitatibus Sabellii, nunc malitiæ Pauli Samosatensis, nunc blasphemiis Montani hæreticorum omnium ducis apertè permiscens, unamque confusionem de supradictis faciens, ut imprudens Galata in aliud Evangelium declinavit, quod non est aliud, secundùm quod beatus Paulus tales condemnans ait: Et si angelus de cælo aliter annuntiaverit vobis quàm quod accepistis, anathema sit.

Gal. 1. 8.

Prima ejusdem condemnatio. * an. 336.

3. Magna autem fuit parentibus atque majoribus nostris sollicitudo de supradicta prædicatione sacrilega. Condicitur namque * in Constantinopolim civitatem sub præsentia beatissimæ memoriæ Constantini Imperatoris Concilium episcoporum, qui ex multis Orientalium provinciis advenerunt, ut hominem malis rebus imbutum salubri consilio reformarent, & ille admonitione sanctissima correptus à prædicatione sacrilega discederet: quique increpantes illum, & exprobrantes, necnon caritatis affectu postulantes multo tempore, nec quidquam proficiebant. Namque post unam & secundam multasque correptiones, cùm nihil proficere potuissent: (perdurabat enim & contradicebat rectæ fidei, & contentione maligna Ecclesiæ catholicæ resistebat;) exinde illum omnes horrere ac vitare cœperunt: & videntes quoniam subversus est à peccato, & est à semetipso damnatus, actis eum ecclesiasticis damnaverunt, ne ulteriùs oves Christi pestiferis contactibus magis macularet. Tunc namque etiam ejus aliquos pravissimos sensus contra fidem rectam Ecclesiamque sanctissimam, propter memoriam posterorum cautelamque, suis sanctissimis scripturis in archivo ecclesiæ condiderunt. Sed hæc quidem secundùm impietatem Marcelli hæretici prima fuerunt: pejora sunt deinde subsecuta. Nam quis fidelium credat, aut patiatur ea, quæ ab ipso malè gesta atque conscripta sunt, quæque dignè anathematizata sunt? [[b] Nam cum ipso Marcello à parentibus nostris in Constantinopolim civitatem.] Namque liber sententiarum exstat in ipsum ab episcopis conscriptus: in quo libro etiam isti, qui nunc cum ipso sunt Marcello atque illi favent, id est, Protogenes Serdicæ civitatis episcopus & [c] Siracusanus, in ipsa sententia manu propria conscripserunt: quorum manus valens testatur, fidem sanctissimam nullo genere mutandam, nec Ecclesiam sanctam prædicatione falsa subvertendam; ne hoc modo pestis ac lues animarum omnibus gravissima importetur, Paulo dicente, Sive nos, sive angelus de cælo aliter annuntiaverit vobis quàm quod accepistis, anathema sit.

In archivo ecclesiæ asservatur doctrinæ ipsius censura.

Gal. 1. 8.

Marcellus damnatus à pluribus episcopis in communionem recipitur.

4. Vehementer autem admirati sumus, quatenus eum, qui aliter quàm in vero est audet Evangelium prædicare, quidam, qui se ecclesiasticos esse volunt, facilè ad communionem recipiunt; nec blasphemias ejus, quæ in ipsius libro signatæ sunt, inquirentes, nec illis, qui sollicitè cuncta investigaverunt, & invenientes justè damnaverunt, consensum accommodare voluerunt. Etenim Marcellus, cùm apud suos hæreticus haberetur, peregrinationis [d] auxilia requisivit: scilicet ut & illos falleret, qui & ipsum & ejus scripta pestifera ignorarent. Sed quidquid apud illos agit, impia sua scripta sensusque profanos occultat: falsa pro veris opponens, quæstum sibi de simplicibus atque innocentibus fecit. quique sub prætextu ecclesiasticæ regulæ multos Ecclesiæ pastores * induxit: eosque in suam redigens potestatem, Sabellii hæretici sectam inducens, callida fraude decepit, restaurans Pauli Samosatensis & artes & dolos. Mixta enim est omnium hæreticorum sectis Marcelli extranea traditio, sicut suprà memoratum est. Unde convenerat, omnes Ecclesiæ sanctæ præpositos memores dictorum Domini Christi dicentis, Cavete vos à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum agnoscetis eos, vitare ab hujusmodi & horrere, nec illis facilè communicare, agnoscere illos ex actibus suis, atque ex eorum scriptis sacrilegis prædamnare. Nunc verò vehementer metuimus, ne nostris temporibus compleatur quod scriptum est, Cùm dormiunt homines, venit inimicus, & spargit zizania inter frumentum. Cùm enim non vigilant hi, quos vigilare oportet in custodia Ecclesiæ; falsa verba [e] imi-

* an seduxit?

Matth. 7. 15. & 16.

Matt. 13. 25.

[a] Fortè, *quæ quæ contra illas*, vel, *quæ contraria illis*, tacito verbo *sunt*. Hîc declaratur, quid sit calumniam Scripturis facere, eas nimirum ad alienos atque ipsis contrarios sensus detorquere. Hæc loquitur pseudosynodus juxta Eusebium Cæsar. qui cùm lib. 1. contra Marcellum cap. 2. affirmavit, eum Scripturas non satis calluisse, lib. 2. c. 1. allatis contra illius opinionem Scripturis sic in illum invehitur: *Quanta autem cum audacia Marcellus hisce testimoniis contraria scripserit & repugnantia, ab ipsius scriptis edocearis licet, in quibus Filii cùm deitatem, tum etiam humanitatem pernegavit.* Ipsius autem sententiam paulo antè his verbis exponit: *Nescio quo pacto affirmet, Verbum minimè subsistens assumsisse carnem, & in illa operatum esse; & tum primùm Christum exstitisse Jesum, regem, imaginem Dei, dilectum filium, glorificatum, primogenitum omnis creaturæ, cùm non esset priùs, nec antea omnino subsisteret. In primis paradoxum illud est, incœpisse hoc Verbum non ab annis hinc retro 400. completis, & simul in eamdem non exsistentiam revolvendum post judicii tempus, Verbo quidem Deo demum adunito, ità ut præter Deum nihil quidquam exsistat: carne quam assumsit desolatâ & destitutâ à Verbo; ita ut neque filius Dei subsistat, nec filius hominis quem assumsit.* Ambigua quidem sunt Marcelli verba: sed ab omni tamen impietate possunt purgari. Fatetur enim Eusebius lib. 1. c. 1. p. 4. illum proferre solitum esse, *Verbum tantummodo exstitisse intus dum consisteret quiescente suo Patre, operatum verò idem Verbum cùm creaturas effigiaret.* ὡς ὐδὲν ἐνεργῶν ἦν ὁ λόγος ἔνδον μένων ἐν ἡσυχάζοντι τῷ Πατρί &c. Quibus verbis non tam negatur exstitisse, quàm externum opus exhibuisse. Sic & more aliorum Patrum affirmare ei licuerit, humanam Christi naturam per gloriam in Deum transituram esse speciali quadam cum Deo conjunctione, sed sine abolitione ipsius naturæ.

[b] Nisi supervacanea sunt quæ intra uncinos includuntur, desiderantur hîc nonnulla. Aut certè legendum, *anathematizata sunt cum ipso Marcello à parentibus nostris in Constantinopoli civitate?*

[c] In archetypo ms. *Siriacusanais*: unde si quis volet conficiendum esse *Cyriacus Ariminensis*, cujus successor Gaudentius infrà damnatur, quòd Marcellum recipiat, in quem ille sententiam dixerat; det ille necesse est Cyriaci tum defuncti nomen pro ecclesia quam rexit substitutum: quasi diceretur, Episcopi Sardicensis & Ariminensis, qui modò Marcello favent, priùs *in ipsum sententiam* (sic enim legendum videtur, non *in ipsa sententia*) *conscripserunt*; Sardicensis quidem proprio nomine, Ariminensis verò in Cyriaco decessore suo.

[d] Sic illi vocant Marcelli iter, quo Romam ad Julium perrexit.

[e] In vulgatis, *nutantia*. Ex mss. revocamus *imitantia*, &, si liceret, adderemus *veritatem*. Mox etiam magis placeret *evertunt*, quàm *vertunt*.

tantia, funditus id quod rectum est vertunt.

Marcello neganda communio denuntiatur.

5. Quapropter nos, qui plenè ex libro Marcelli ejus sectam sceleraque cognovimus, scripsimus vobis, dilectissimi Fratres, ut neque Marcellum, neque eos qui illi junguntur, ad communionem sanctæ Ecclesiæ admittatis; memores quoque sitis prophetæ David dicentis, » Dixi eis qui faciunt facinus, ne feceritis » facinus; & delinquentibus, ne exaltaveritis » cornu. Nolite in altum tollere cornu vestrum: » ne loquamini adversùs Dominum iniqua. Et credite Salomoni dicenti: Nolite transferre terminos æternos, quos constituerunt patres vestri. Quæ cùm ita sint, nolite supradicti Marcelli pravissimi sequi errores, & ea, quæ ab ipso injustâ prædicatione contra Dominum Christum inventa traditaque sunt, prædamnate; ne blasphemiis sceleribusque etiam ipsi participes sitis. *Sed propter compendium hæc hactenus de Marcello.*

Psal. 74. 5. & 6.

Prov. 22. 28.

Athanasio conficta crimina.

6. Verùm de Athanasio quondam Alexandriæ episcopo accipite quæ gesta sunt. Accusatus est graviter juxta Deum sacrilegus, & juxta mysteria Ecclesiæ sanctæ profanus, quique propriis [a] manibus comminuit poculum Deo & Christo dicatum, ipsumque altare venerandum confregit, sedemque sacerdotalem subvertit ipse, atque ipsam basilicam, Dei domum, ecclesiam Christi, demolitus usque ad solum est. Presbyterum verò ipsum, virum gravem & justum, nomine * Narchen, tradidit custodiæ militari. Accusatus præterea est de injuriis, violentiâ, cæde, atque ipsa [b] episcoporum internecione. Quique etiam diebus sacratissimis Paschæ tyrannico more sæviens, Ducibus atque Comitibus junctus: quique propter ipsum aliquos in custodia recludebant, aliquos verò verberibus flagellisque vexabant, ceteros diversis tormentis ad communionem ejus sacrilegam adigebant; (*Nec actus commissi umquam ab innocentibus fuerant.*) sperans hoc modo suos suamque prævalere posse factionem, ut per Duces & Judices perque carceres ipsos, * verbera diversaque tormenta invitos ad communionem suam cogeret, nolentes adigeret, repugnantes atque resistentes sibi tyrannico more terreret. *Erant quidem illa gravia & acerba ab accusatoribus objecta.*

*Ischyrâ.

* add. &.

7. Nam propter hæc necessariò Concilium apud Cæsaream Palæstinam primò videtur esse condictum *: & cùm minimè ab ipso vel ab satellitibus ad supradictum Concilium

*an. 334. at non celebratum.

A occurreretur, post alterum annum * in Tyro propter ejus facinora necessariò iterum celebratur. Advenerunt episcopi de Macedonia & de Pannonia, Bythinia, & omnibus partibus Orientis, Imperatoris jussione constricti: quique actis Athanasii flagitia criminaque cognoscentes, non passim nec temere accusatoribus credunt, sed suo de Concilio inlustres & laudabiles episcopos eligunt, atque in rem præsentem, ubi res gestæ erant de quibus arguebatur Athanasius, mittunt: quique oculata fide cuncta adspicientes atque vera cognoscentes, ad Concilium redeunt, ejusque crimina, quæ ab accusatoribus objiciebantur, suo testimonio vera confirmant. Unde [c] in præsentem Athanasium dignam pro criminibus sententiam dicunt. Propter quod Tyro fugiens, Imperatorem appellat. Audit etiam Imperator: quique interrogatione habitâ omnia ejus flagitia recognoscens, suâ illum sententiâ in exsilium * deportavit. His ergo ita cedentibus rebus, cùm Athanasius damnatus dignè in exsilio haberetur ob meritum facinorum suorum, sacrilegus in Deum, in mysteria sacra profanus, in demolitione basilicæ violentus, in episcoporum exitiis innocentiumque fratrum * persequutor horrendus; ab omnibus episcopis in rejiciendis malis servatur auctoritas legis, canon Ecclesiæ, & Apostolorum sancta traditio.

*an. 335. Tyri contra Athanasium gesta.

*Treviros.

*f. persecutione.

Athanasii ab exsilio reditus.

8. Sed dum Athanasius post damnationem suam reditum sibi de exsilio compararet, de Gallia ad Alexandriam post plurimum tempus * advenit: quique præterita in nihilum ducens, acriùs in nequitia prævalebat. Nam comparatione sequentium, levia sunt quæ ab ipso prima commissa sunt. Etenim per omnem viam reditûs sui Ecclesiam [d] subvertebat, damnatos episcopos aliquos restaurabat, aliquibus spem ad episcopatûs reditum promittebat, aliquos ex infidelibus constituebat episcopos, salvis & integris permanentibus sacerdotibus, per pugnas & cædes gentilium, nihil respiciens leges, desperationi tribuens totum. Unde per vim, per cædem, per bellum, Alexandrinorum basilicas deprædatur. Constituto jam in ejus locum ex judicio Concilii * sancto & integro sacerdote *, ut barbarus hostis, & ut pestis sacrilega adductis gentilium populis Dei templum incendit, altare comminuit, & clam exiit de civitate, occultéque profugit.

*an. 338.

*scil. Antiocheni an. 341.

* Gregorio.

9. Sed de Paulo Constantinopolitanæ civitatis quondam episcopo post reditum exsilii sui si quis audierit, perhorrescet. Fuere nam-

Episcopis aliis ab exsilio reversis afficta scelera.

[a] Non accusarunt eum, quòd propriis, sed quòd Macarii presbyteri sui manibus hoc scelus perpetrasset: aut potiùs modò hoc, modò illud dictitabant.

[b] Edidit Faber, *episcopi*: bene quidem, si veritatis hostes calumniis à se excogitatis starent; hîc enim respiciunt ad fictam Arsenii necem. At cùm ubique priores falsitates suas exaggerent, etiam hîc retinendum putamus cum archetypo exemplari *episcoporum*.

[c] Falsum hoc esse Liberius apud Theodoretum lib. 2. hist. eccl. c. 16. coram Constantio asseruit, neque ipsi ea in re aut Constantius, aut qui cum eo erant, ausi sunt reluctari.

[d] His criminationibus locum dedere, quæ tum in primo tum in secundo Athanasii ad ecclesiam suam reditu contigere. In utroque enim varias Arianorum factione seditiones ortas esse narrat Socrates lib. 1. c. 3. & 15. Nonnulli, qui hæc omnia ad primum illius reditum referunt, ob verba subsequentia opinantur, eum tunc temporis secum plerosque exsules in suas sedes restituisse. Quamquam hinc videri potest insimulatus quòd *damnatos episcopos restaurabat*, quia Paulus, Asclepas, Marcellus & Lucius simul cum eo Romam profecti, iisdem Julii litteris ecclesias suas recuperarunt. Sed quod post synodum Sardicensem gestum refert Socrates lib. 2. c. 24. *Athanasius per Pelusium iter faciens Alexandriam, in singulis per quas transibat civitatibus, cunctos commonebat ut Arianos quidem aversarentur, eos verò susciperent qui consubstantialis fidem profiterentur. In quibusdam etiam ecclesiis ordinationes fecit. Quæ res alterius adversùs illum criminationis ansam præbuit, propterea quòd in aliorum ecclesiis ordinare tentasset*: hoc ipsum, aut aliquid hujusmodi ante eamdem synodum ab ipso præstitum esse non obscurè innuitur in iis quæ præ manibus sunt.

que & in Ancyra provincia Galatiæ, poſt reditum Marcelli hæretici, domorum incendia & genera diverſa bellorum. Nudi ab ipſo ad forum trahebantur preſbyteri, &, quod cum lacrymis luctuque dicendum, conſecratum Domini corpus ad ſacerdotum colla ſuſpenſum palam publicéque profanabat, virgineſque ſanctiſſimas Deo Chriſtoque dicatas publicè in foro, media in civitate, concurrentibus populis, abſtractis veſtibus, horrenda fœditate nudabat. Sed in civitate Gaza provinciæ Palæſtinæ poſt reditum ſuum Aſclepas altare comminuit, multaſque ſeditiones effecit. Præterea Hadrianopoli Lucius poſt reditum ſuum ſacrificium à ſanctis & integris ſacerdotibus confectum, ſi fas eſt dicere, canibus projiciendum jubebat. Igitur cùm hæc ita ſint, numquidnam lupis tantis ac talibus oves Chriſti ad huc uſque credimus, & membra Chriſti membra fornicatoriæ faciemus? Abſit.

Corpus Domini conſecratum.

Sacrificiū confectum.

Athanaſii facinora.

10. Nam poſtea Athanaſius peragrans per diverſas partes orbis terrarum, ſcilicet ſeducens aliquos per ſuam fallaciam adulationemque peſtiferam, decipiens innocentes epiſcopos qui ejus facinora ignorabant, vel Ægyptios aliquos ejus actus ignorantes, ſcripta à ſingulis emendicando, Eccleſias pacificas perturbabat, aut ipſe ſibi novas pro ſua voluntate [a] fingebat. Nihil tamen hoc valere potuit ad judicium jam dudum à ſanctiſſimis & inluſtribus epiſcopis conſecratum. Non enim commendatio eorum,[b] qui nec in Concilio judices fuerunt, nec Concilii judicium habuerunt aliquando, nec præſentes cùm ſupradictus Athanaſius audiretur, fuiſſe noſcuntur, aut valere illi potuit, aut prodeſſe. Denique cùm ſibi hæc in caſſum proveniſſe cognoſceret, ad Julium Romam perrexit, ſed & ad Italiæ quoſdam ipſius partis epiſcopos: quos ſeducens per epiſtolarum falſitatem, ab eiſdem perfacilè in communione receptus eſt. Deinde cœpere illi non tam pro ipſo, quàm pro ſuis actibus laborare: quòd illi pertemere credendo communicaverant. Etenim ſi fuerant illæ litteræ aliquorum, non tamen eorum qui aut judices fuerant, aut in Concilio aſſederant. quæ quidem etiam ſi eſſent aliquorum, temere illi fidem,[c] pro ſe dicentes, habere numquam deberent. Sed & judices, qui illum ſententiaverunt, credere noluerunt.

A Julio & Italiæ epiſcopis ſuſcipitur.

11. Ideo quia & alii quique[d] in prætorium pro ſuis facinoribus detecti ſunt, nunc cum Marcello & Athanaſio conjuncti ſunt: decimus autem Aſclepas ante decem & ſeptem annos* epiſcopatûs honore diſcinctus eſt; deinde Paulum & Lucium, & quotquot talibus conjuncti ſunt: circumeuntes ſimul exteras regiones, perſuadebant judicibus non eſſe credendum illis, qui in eos dignè ſententiam protulerunt; ut hoc genere commercii ſibi quemdam ad epiſcopatus reditum procurarent. Nec in ipſis locis, in quibus peccaverant, nec in proximis, vel ubi accuſatores habebant, ſe defendebant; ſed juxta peregrinos, & longè à regionibus ſuis poſitos ignorantes geſtorum fidem, juſtam ſententiam conabantur perfringere, ad illos referentes actus ſuos, qui illos per omnia neſciebant. Aſtutè hoc faciunt. Scientes enim de judicibus, de accuſatoribus, de teſtibus multos deceſſiſſe, poſt tot tantaſque ſententias, putaverunt aliud reſtaurare judicium, volentes apud nos cauſam dicere, qui neque illos excuſavimus, neque judicavimus. Qui enim judicaverunt, jam ad Dominum perrexere.

Ab Arianis depoſiti qui ſe defendant.

** an. 330.*

12. Voluerunt autem etiam Orientalibus epiſcopis[e] & veniunt pro judicibus defenſores, pro defenſoribus rei, eo tempore cùm eorum defenſio non valebat: maximè cùm tunc defendi minimè potuerunt, quando illos accuſatores ſui faciem ad faciem arguebant. Novam legem introducere putaverunt, ut Orientales epiſcopi ab Occidentalibus judicarentur. Et volebant Eccleſiæ judicium per eos poſſe conſtare, qui non tam illorum miſerebantur, quàm actibus ſuis.[f] Hoc itaque nefas quoniam numquàm recepit eccleſiaſtica diſciplina; quæſumus, dilectiſſimi Fratres, ut ſceleratam perniciem conatuſque mortiferos perditorum nobiſcum etiam ipſi damnetis.

Inſimulantur quaſi Orientales Occidentalibus ſubjiciant.

13. Etenim cùm adhuc eſſet epiſcopus Athanaſius, Aſclepam depoſitum ſuâ ſententiâ ipſe[g] damnavit. Sed & Marcellus ſimiliter illi numquam communicavit. Paulus verò Athanaſii

Quaſi conſentientes cum iis quos damnaverant.

[a] Verbum *fingebat* ſupplemus ex Sirmondi variis lectionibus. Quod proximè aiunt, Athanaſium diverſas orbis partes peragrando ſcripta à ſingulis emendicaſſe, indicio eſt illum hoc poſt primum aut ſecundum reditum effeciſſe, quod poſt tertium: poſt quem preſbyteri illius Petrus, Irenæus &c. litteras pacificas ipſi undequaque collegerunt, ut Athanaſius ipſe memorat ad Solit. p. 826.

[b] Subleſtam hîc facere conantur auctoritatem ſcriptorum cùm ab Alexandrinis, tum à Mareoticis preſbyteris & diaconis, tum ab aliis miſſorum, quæ Athanaſius Apolog. 2. pag. 791. & ſeqq. inſeruit, quibus perſpectis Julius in Romano Concilio eum intentis criminibus abſolvit.

[c] Hunc locum ex Sirm. reſarcimus: cùm priùs decurtatus eſſet in hunc modum, *illi fidem proferunt, credere noluerunt.* Litteras in Athanaſii gratiam datas aiunt 1°. falſitatis eſſe ſuſpectas, 2°. non eſſe eorum qui illum judicaverunt, 3°. cùm ſint eorum qui communione cum Athanaſio inconſideratè juncti ſint, illis pro ſe dicentibus, non eſſe fide dignas. Demum culpantur Itali, quòd iis credere noluerint, qui Athanaſium damnaverunt.

[d] Hæc ita corrigenda arbitramur: *alii quique, qui in præteritum pro ſuis facinoribus dejecti ſunt, nunc cum Marcello & Athanaſio conjuncti ſunt: dicimus autem Aſclepam, qui ante* &c. Certè hypocritæ illi, ſummum ubique eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudium obtendentes, prudentiores erant, quàm ut prætorii judicium ſe vindicare jactitarent. Sed & infrà num. 15. jam ſine mendo legere eſt, ea auſcultanda eſſe, quæ *à patribus contra ipſos in præteritum fuerant judicata.*

[e] Supplendum videtur *id imponere*, aut quid ſimile; ac deinde legendum eſſe, *ut veniant pro judicibus*, hoc, eſt cùm judices eſſe deberent, non defenſores aut rei: & id voluerunt eo tempore, quo defenſio eorum non valebat; quod non jam ad Orientales, ſed ad Athanaſium ac ſocios referendum.

[f] Faber, aſteriſco poſito, quædam hîc deeſſe notavit. Integra tamen nobis videtur ſententia: ut Occidentales, qui num. 10. non tam pro Athanaſio, *quàm pro ſuis actibus laborare* cœpiſſe dicti ſunt, eodem ſenſu nunc dicantur non tam illius ac ſociorum actibus, quàm ſuis miſereri.

[g] Condemnationis hujus nullum eſt aut apud Athanaſium, aut apud alios ſacræ hiſtoriæ ſcriptores veſtigium. Nec veri videtur ſimile, ut Athanaſius Aſclepam damnaverit, quem reprehendit nuſquam, paſſim laudibus extollit. Ejuſdem farinæ cenſenda ſunt, quæ de Marcello & Paulo ſubjiciuntur. Et Paulum quidem, priùs quàm ab epiſcopatu dejiceretur, ſecum communicaſſe ſatis indicat Athanaſius ad Solit. p. 813. Hinc noſtra augetur ſuſpicio, ne fortè Ariani, Sirmio reſcribentes de damnatione Photini, Athanaſium à Marcelli communione ſe abſtinere mendaciter inſeruerint, idque paulò credulior Hilarius ex ſola illorum fide aſſeruerit Fragm. 2. n. 21. ut ibid. monuimus.

expositioni interfuit, manuque propria sententiam scribens, cum ceteris eum etiam ipse damnavit. Et quamdiu quisque eorum episcopus fuit, sua judicia confirmavit. Sed cùm diversis ex causis diversisque temporibus singuli eorum dignè de Ecclesia suis pro meritis pellerentur, majorem concordiam una conspiratione fecerunt; donantes sibi quisque delicta, quæ cùm episcopi essent, pro auctoritate divina damnarunt.

Sardicensis Concilii initia.

14. Namque quoniam Athanasius in Italiam & Galliam pergens sibi judicium comparavit; post mortem aliquorum accusatorum, testium, judicumque, & credidit posse se denuo tempore audiri, quòd ejus flagitia vetustas temporis obscuraret. Cui consensum commodantes non rectè, Julius urbis Romæ episcopus, * Maximus, & Ossius, ceterique complures ipsorum, Concilium apud Serdicam fieri ex Imperatoris benignitate sumserunt. Occurrimus ad Serdicam litteris Imperatoris conventi. Quò cùm venissemus, didicimus in media ecclesia Athanasium, Marcellum, omnes sceleratos Concilii sententiâ pulsos, & meritò singulos pro suis facinoribus prædamnatos, cum Ossio & Protogene sedere simul & disputare, & quod est deterius, divina mysteria celebrare. Nec confundebatur Protogenes Serdices episcopus communicare Marcello hæretico, cujus & sectam & reprobum sensum, in Concilio [a] quater sententiis episcoporum subscribens, propria voce ipse damnaverat. Unde manifestum est, quia sese ipse suâ sententiâ condemnavit, cùm se illi communicando participem fecit.

* Maximinus Trevir.

Orientaliū conatus ut Athanasiū & alios à synodo ejiciant.

15. Verùm nos tenentes ecclesiasticæ regulæ disciplinam, & volentes miseros in aliquantulum [b] vivere, mandavimus illis, qui cum Protogene & Ossio fuerunt, ut de suo cœtu damnatos excluderent, neque peccatoribus communicarent: deinde unà nobiscum audirent ea, quæ à patribus nostris contra ipsos in præteritum fuerant judicata; (nam liber Marcelli non exspectabat accusationem, per se enim apertè hæreticus noscebatur:) & ne falsis suggestionibus crederent, [c] non eorum quisquam pravissimam mentem propter locum episcopatûs obscurant. At illi contra hæc resistebant: qua ratione, nescimus. nec se voluerunt ab ipsorum communione secernere, confirmantes Marcelli hæretici sectam: & facinora Athanasii ceterorumque scelera fidei ecclesiasticæ pacique præponebant.

16. His itaque cognitis, nos octoginta [d] episcopi, qui propter pacem confirmandam Ecclesiæ ex diversis longinquisque provinciis cum ingenti exitu & labore ad Serdicam veneramus, videntes hæc non sine lacrymis ferebamus. Leve enim non erat, quòd à se eos dimittere omnino negabant, quos patres nostri A meritò suis pro criminibus antè damnarunt. His itaque communicare nefas duximus, neque cum profanis voluimus sancta Domini sacramenta miscere, servantes & tenentes regulam ecclesiasticæ disciplinæ. Nam ut supradictos Ossium à se Protogenemque non dimitterent, [e] conscientia fortè mala, quam sibi eorum unusquisque debebat nudari aliquo, quàm ad palam fieri magnopere pertimescebant: nec sic in eos audebat eorum aliquis sententiam B dicere, ne & se ipse damnaret, quòd illis contra interdictum communicassent, quibus communicare nullo genere oporteret.

17. Verùm nos iterum illos atque iterum rogabamus, ne firma solidaque concuterent, ne subverterent legem, nec jura divina turbarent, ne cuncta confunderent, atque traditionem Ecclesiæ ne quidem modica * pace frustrarent: sed nec novam sectam inducerent, aut Orientalibus episcopis Conciliisque sanC ctissimis * de Occidente venientes aliqua in parte præponerent. At illi contrà despicientes hæc, nobis minabantur, & se Athanasium & ceteros sceleratos vindicaturos pollicebantur. Quasi verò aliud facere aut dicere possent, qui sceleratos omnes ac perditos in suum consortium receperunt. Præterea ingente hoc tumore proponunt, audaciâ potiùs ac temeritate, quàm legitima ratione possessi. Videntes enim quòd ii, qui damnatos recipiunt, in offenD sam crimenque incurrunt ut violatores cælestium legum; tali auctoritate judicium constituere conabantur, ut sese judices judicum dicere vellent, atque eorum, qui jam cum Deo sunt, si fas est, sententiam refricare. Nos verò rogabamus illos per plurimos dies, ut à se damnatos abjicerent, & se Ecclesiæ sanctæ conjungerent, atque patribus vera dicentibus consensum accommodarent. Sed illi se hoc facturos omnino negabant.

* f. parte.

* id est, eos qui de Occidente veniebant.

Delegatos ex utraque parte Mareotam mittendos proponunt.

E 18. Altercantibus igitur nobis, emerserunt quinque episcopi ex partibus nostris, qui superstites de sexto numero eorum, qui ad Mareotam directi fuerant, remanserant, & talem illis optionem proponunt: mittendos esse ex utroque Concilio episcopos aliquos ad loca, in quibus Athanasius scelera flagitiaque commisit, ut sub testificatione Dei cuncta fideliter scriberent; & si falsa inventa fuerint quæ Concilio nuntiavimus, ipsi damnemur, F nec Imperatoribus, nec Concilio, nec cuiquam episcopo conqueramur; quòd si verum constiterit quod antè diximus, ad numerum nostrum ex vobis quos delegistis, id est, qui Athanasio post damnationem communicaverunt, sed & eos qui Athanasio & Marcello fautores defensoresque sunt, exponamus, nec Imperatoribus, nec Concilio, nec cuiquam episcopo aliqui vestrûm conquerantur. Hanc optionem à nostris propositam Ossius & Protogenes om-

[a] Quid sibi velit illud *quater*, non facilè dixeris; cùm Hilarius Fragmento superiori num. 22. affirmet, *nullam umquam adversùs Marcellum, præter eam quæ Sardicensibus est dissoluta sententiis, deinceps synodum fuisse contractam.*

[b] Fortè, *removere*, vel *remotos vivere.*

[c] Mendosa lectio sic potest corrigi: *nam eorum quisque pravissimam mentem... occultabat*; vel, *cùm eorum quisque... occultaret.*

[d] Socrates lib. 2. c. 20. ex Sabini fide recenset tantùm septuaginta-sex, nec habentur infrà nisi 73. subscriptiones.

[e] In ms. *cum scientia.* Plenior sic esset hæc sententia: *conscientiâ fortè malâ prohibebantur, qua eorum unusquisque timebat nudari ab aliquo, quæ palam fieri &c.*

nesque eorum socii suscipere timuerunt. A

Sardicæ congregatos infamant.

19. Immensa autem confluxerat ad Serdicam multitudo sceleratorum omnium ac perditorum, adventantium de Constantinopoli, de Alexandria: qui rei homicidiorum, rei sanguinis, rei cædis, rei latrociniorum, rei prædarum, rei spoliorum, nefandorumque omnium sacrilegiorum & criminum rei; qui altaria confregerunt, ecclesias incenderunt, domosque privatorum compilaverunt; profanatores mysteriorum Dei, proditoresque sacra- B mentorum Christi; qui impiam sceleratamque hæreticorum doctrinam contra Ecclesiæ fidem asserentes, sapientissimos presbyteros Dei, diacones, sacerdotes atrociter demactaverunt: & eos omnes secum collectos in suo conventiculo habuerunt Ossius & Protogenes; eosque honorantes, nos omnes diacones & sacerdotes Dei despiciebant, quia nec ipsi volebamus talibus aliquando conjungi: iique vulgo, *omnibusque gentibus, id quod inter nos fuerat C referebant, pro veris falsa fingentes; nec discordiam inter nos ex causa Dei ortam, sed ex humana præsumtione narrabant. Divinis humana miscentes, & ecclesiasticis rebus privatas adjungentes, civitatis nobis concentum seditionemque conflarunt, dicentes nos gravem schismate civitati importasse injuriam, nisi illis, quod nefas erat, communicaremus: & hæc frequenter acclamabant. Nos enim omnino illis communicare noluimus, nisi eos D quos damnavimus projecissent, & dignum honorem Concilio Orientis tribuerent.

** f. hominibusque gentilibus.*

Quos scelestos prædicant, communione donatos esse conqueruntur.

20. Quæ verò ipsi egerint, vel quale Concilium habuerint, hinc addiscere poteritis. Nam Protogenes, sicut suprà diximus, apud acta anathematizans Marcellum & Paulum, postea eos in communionem suscepit. Dionysium verò [a] ab Elica provinciæ Achaiæ, quem ipsi exposuerunt, in Concilio habuerunt. Simul secum, & exponentes & expositi, judices & rei, E communicantes mysteria divina pertractant. Bassum autem de Diocletiana civitate in flagitiis sceleribusque detectum, & meritò de Syria deportatum, ordinaverunt episcopum: quique apud ipsos sceleratiùs vivens detectus, & ab ipsis damnatus, cum ipsis hodie videtur esse conjunctus. Et quia io [b] Thessalonicensis Protogeni frequenter probra multa criminaque objecit, quòd diceret illum concubinas & habuisse & habere, cui communicare numquam voluit, nunc verò in amicitiam receptus, quasi pejorum consortio expurgatus, apud ipsos habetur ut justus. Asclepas autem, cùm ad Constantinopolim civitatem propter Paulum venisset, post immanitatem rerum atrocitatemque, commisit quæ media in ecclesia Constantinopolitana gesta sunt, post mille homicidia, quæ altaria ipsa humano sanguine coinquinaverunt, post interfectiones fratrum extinctionesque gentilium, hodieque cum Paulo, cujus causâ hæc gesta sunt, communicare non cessat: sed & illi, qui per Asclepam Paulo communicant, accipientes ab eodem scripta atque ad illum mittentes. Ex hac igitur coagulatione, atque ex perditorum congregatione, quale potuerit celebrari Concilium, in quo flagitia sua non tam puniebant, quàm agnoscebant?

His admisceri detrectant.

21. Non enim secundùm [c] nos, qui ecclesiis sanctissimis præsidemus, populisque rectores, sumus donantes & dimittentes, quæ ab ipsis nec dimitti umquam possunt nec donari: quique etiam Marcello & Athanasio ceterisque sceleratis flagitia, blasphemias, quæ nefas fuerat dimittere, condonarunt: cùm scriptum sit, Si peccaverit homo in hominem, orabunt pro eo ad Dominum; si autem in Deum peccaverit homo, quis orabit pro eo? Nos autem talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei. Sed nec hæc docere aliquos patimur, nec novas traditiones inducere: ne proditores fidei traditoresque Scripturarum divinarum, quod nefas est, dicamur, ne à Domino & ab hominibus condemnemur.

1. Reg. 2. 25.

1. Cor. 11. 16.

Schismatis invidiam in Occidentales rejiciunt.

22. Verùm illi supradicti etiam hæc adversùs nos machinabantur. Et quoniam sciebant, nos non posse sibi scelestorum [d] beneficio communicare; ex scriptis nos Imperatorum terrere putabant, ut invitos ad suam communionem traherent: & [e] spectabant dividi totius mundi profundam Ecclesiæ æternamque pacem propter Athanasium & Marcellum, propter quos nomen Domini blasphematur in gentibus. quos oportebat, si in se aliquid timoris Dei habuissent, ne turbo iste qui per ipsos natus est permaneret, à sua pravissima præsumtione vel serò discedere; ne ipsorum causâ contra sese scinderetur Ecclesia: aut si in iis, qui pro ipsis certant, metus Dei esset, etiamsi

[a] Sic ms. Pithœanus, quomodo Labbeus haud dubiè scribendum esse dixit. In ms. Remig. quem vidit Sirm. exstat *ab Etica*. Faber ediderat *ab Edica*. Superioribus Sardicensis litteris duo subscribunt Dionysii, unus *ab Achaia de Lignedon*, alter *ab Arcaida de Elida*. Præterea Athanasius Apolog. pag. 675. Dionysii *à Leida ἐν Ἤλιδι* meminit.

[b] In ms. Sirm. *Tessalonitensi Protogenis*. Si loco *Protogenis*, mutato ut sæpe fit *i* in *e* legatur *Protogenes*; efficietur, non episcopum Thessalon. Protogeni, sed Protogenem episcopo Thessalon. multa crimina objecisse. Apud Labbeum exstat *Johannes Thessalonicensis*, & in marg. *Thessalonicensi*. Quod sit hujus Thessalonicensis episcopi nomen, non constat. Emicuit quidem in Tyrio Concilio Alexander hujus civitatis episcopus: ac præterea Athanasius Apol. ad Const. pag. 692. Eremium Thessalonicensem memorat, cui vis in Mediolan. Concilio illata sit, donec ab Athanasii communione se recessurum promitteret. Sed nullum novimus Johannem. Vix ambigere licet, quin hîc idem notetur, qui in Sardicensi synodo Occidentalibus junctus subscribit, non *Johannes*, sed *Aethius à Macedonia de Thessalonica*. Fortè etiam litteræ *io* non sunt primæ, sed postremæ nominis episcopi Thessalonicensis. Adeoque nihil vetat quo minùs legatur, *Aethio Thessalonicensi Protogenes* &c.

[c] Hîc desideratur *eos*: ac postea bis repetendum esset verbum *sumus*: puta, *Non enim secundùm eos* (id est, ad morem eorum) *nos qui ecclesiis sanctissimis præsidemus, populisque rectores sumus, sumus donantes & dimittentes, quæ ab ipsis* (secundùm ecclesiasticæ disciplinæ leges) *nec dimitti possunt* &c.

[d] hoc est, beneficio communionis ac pristinæ dignitatis scelestis indulto.

[e] Faber, asterisco hîc apposito quasi aliquid desit, legit postea, *spectabunt dividi totius mundi profundum* &c. Pro *profundum*, eo faciliùs posuimus *profundam*, quòd mox recurrat *pax profunda subvertitur*. Nam *spectabant* præ se fert archetypus ms. Unde jam sensu integro habetur, *Ecclesiæ totius mundi profundam æternamque pacem dividi spectabant* &c. Proximè Sirm. ex ms. Remig. *per quos*, non *propter quos* legit.

nihil esse damnabile apud ipsos inveniretur, A tamen & quòd propter ipsos unitas Ecclesiæ scinditur, & propter insanam rabiem cupiditatemque honorum pax profunda subvertitur, exsecrari eos ac perhorrere deberent.

Ecclesiæ negāt olim depositos restituendi potestatē. a

23. Cùm ita res currere videremus, ad suam patriam regredi nostrûm unusquisque decrevit: placuitque nobis [a] de Serdica scribere, & ea quæ gesta sunt nuntiare, nostramque sententiam declarare. Nos enim Athanasium & Marcellum, qui in Dominum impiè blasphe- B mantes scelerati vixerunt, expositos olim atque damnatos non possumus iterum in episcopatûs honorem suscipere: quique crucifigentes * verum filium Dei, atque illum denuo publicantes, acerbis ictibus confixerunt. Alter enim ipsorum, blasphemando in filium Dei atque in ejus regnum, æterna morte mortuus est semel. Alter in corpus Domini * mysteria ejus prophano more atrociter peccans, ceteraque flagitia immaniter gerens, episcoporum sententiâ ejectus est atque damnatus. Quam- C obrem quoniam à parentum traditione discedere non possumus, quia nec talem auctoritatem sumsit Ecclesia, nec talem potestatem à Deo accepit; supradictos ad honorem dignitatemque Ecclesiæ nec ipsi suscipimus, & suscipientes dignè damnamus. Sed nec alios, qui aut olim aut postea meritò damnati sunt, in Ecclesia recipimus, adhærentes legibus Dei traditionibusque paternis atque ecclesiasticis disciplinis, credentes prophetæ D dicenti, Noli transgredi terminos æternos, quos posuerunt patres tui. Quare nos numquam fixa solidaque concutimus: sed magis ea quæ sunt à parentibus constituta servamus.

*f. iterum. Hebr. 6. 6.

*adde, &

Prov. 22. 28.

Quibus negandam censeant communionem.

24. Post multa igitur, dilectissimi fratres, hæc vobis ex aperto mandamus, ne quis vestrûm ab aliquo circumventus aliquando communicet, id est, Ossio, Protogeni, Athanasio, Marcello, Asclepæ, Paulo, Julio; sed nec cui- E quam damnatorum de Ecclesia sancta rejectis, neque sociis ipsorum, qui illis sive per se sive per scripta communicant. Quare nec vos ad illos scribere umquam debetis, nec ab ipsis scripta suscipere. Jam quod superest, oramus vos, dilectissimi Fratres, ut unitati Ecclesiæ consulatis & paci perpetuæ; sanctos episcopos eligatis, in quibus & fides integra & sancta sit vita; abhorrentes eos, qui pro criminibus suis ab episcopatûs honore discincti sunt, volunt- F que iterum recipere locum, quem dignè pro suis facinoribus amiserunt: magisque hos exsecramini, quos post facinus videtis pejora committere. Nec Dominum audiunt dicentem: Peccasti, quiesce. [b] Inhibere nesciunt enim, & fortiores de sceleribus efficiuntur: & quanto plus in gurgitem vitiorum mergunt, tanto plus orbem subvertunt. Seditionibus vacantes, bella persecutionesque acerrimas sanctis Ecclesiis ingerunt, & tyrannico more populos Domini in suum dominium captivare contendunt.

Eccli. 21. 1. b

Perperam tantā synodum coactam volunt.

25. Namque ex his rebus pessimos eorum conatus agnoscite, quando talem mundo tempestatis procellam induxerunt, ut Orientem propè totum Occidentemque turbarent; ut relinquentes singuli ecclesiasticas curas, populosque Dei deserentes, atque ipsam Evangelii doctrinam postponentes, de longinquo adveniremus senes ætate graves, corpore debiles, ægritudine infirmi: (trahebamurque per diversa, nostrosque ægrotantes in itineribus deserebamus propter perpaucos scelestos olim dignè damnatos, primatus Ecclesiæ contra fas appetentes:) geratque curam de nobis Imperium, atque religiosi Imperatores, Tribuni, & Duces dirissimâ republicâ de episcoporum vita statuque exercerentur. Sed nec populi silent. Omnis etenim fraternitas omnibus in provinciis suspensa ac sollicita exspectat in quem finem hæc malorum procella succedat: cursusque ipse publicus attritus ad nihilum deducitur. Et quid pluribus? Ortus Occasusque mundi propter unum vel duos paucosque sceleratos impiè sentientes & turpiter viventes funditus vertitur, & dura sævaque tempestate turbatur, in quibus nulla religionis semina resederunt: quæ si habuissent, imitarentur prophetam dicentem, Tol- « lite, & mittite me in mare, & tranquillabit « mare à vobis, quando hæc tempestas propter « me facta est. Sed ideo hæc non imitantur, quia nec justos sequuntur: ita autem sceleratorum omnium duces quærunt Ecclesiæ principatum, quasi aliquod tyrannidis regnum.

Jonæ 1. 12.

Judicia synodorum non retractanda. * &.

26. Nec hoc propter bonum quoque justitiæ inquirunt. Non enim Ecclesiis consulunt, qui leges juraque divina, * ceterorum decreta dissolvere perconantur. Propterea hanc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, ut in Concilio Orientales episcopi quidquid fortè statuissent, ab episcopis Occidentalibus refricaretur; similiter quidquid Occidentalium partium episcopi, ab Orientalibus solveretur. Sed hoc ex illo suo pravissimo sensu tractabant. Verùm omnium Conciliorum justè legitiméque actorum decreta firmanda, majorum nostrorum gesta consignant. Nam in urbe Roma [c] sub Novato & Sabellio & Valentino hæreticis factum Concilium, ab Orientalibus confir-

[a] Non audent dicere *de Philippopoli*. Sed hîc impudenter mentientibus fides meritò negetur in ceteris.

[b] Sirm. *juvenescunt enim*. Pith. mss. *inbere* vel *jubere nesciunt enim*: ex quo confecit Faber *inhibere* &c. Satis intelligitur quid sibi velint, etsi verbum ipsum quo usi sunt non certò perspicias. Æquè ad eorum sententiam pertinebunt *quiescere*, aut *inhibere se*, vel *se continere*.

[c] Hoc ipsum nunc repetunt, quod jam an. 341. conquesti erant, cùm indignè ferentes quòd Julius ab Orientalibus depositos sedi suæ restituisset, Antiochiæ congregati rescripserunt, *non debere ab ipso discuti, si quos ipsi ecclesiis suis expellere voluissent; neque enim se contradixisse tunc, cùm Novatus Ecclesiâ ejectus est.* Nisi quòd Antiochiæ, ut nunc ex Socrate audivimus lib. 2. c. 15. & confirmatur à Sozomeno lib. 3. c. 8. sola contra Novatum gesta memorant: cui nunc adjungunt Sabellium ac Valentinum. Romano autem Concilio Novatum damnatum esse constat ex Eusebio lib. 6. hist. c. 44. An in eadem civitate specialibus synodis pariter damnati sint Sabellius ac Valentinus, nullo alio veterum monumento certò scimus.

matum

matum est: & iterum in Oriente sub Paulo [a] Samosatis quod statutum est, ab omnibus est signatum. Ob quam rem hortamur vos, dilectissimi Fratres, considerantes ordinem ecclesiasticæ disciplinæ, & paci totius orbis consulentes, corripiatis eos qui sceleratis communicant, & malos de ecclesiis radicitus amputetis: ut tempestate ruente ipsorum causâ, innatans Christus Dominus omnibus imperet ventis procellisque maritimis discedere, & tribuat Ecclesiæ sanctæ pacem perpetuam & quietam.

Præcipuos ex Occidentalibus damnant: cur.

27. Nos verò nulli injuriam facimus, sed legis præcepta servamus. Nam injuriati graviter & malè tractati sumus ab iis, qui volebant Ecclesiæ catholicæ regulam sua pravitate turbare. Sed ante oculos habentes timorem Dei, judicium Christi verum & justum considerantes, nullius personam accepimus, neque alicui pepercimus, quo minùs ecclesiasticam disciplinam servaremus. Unde Julium urbis Romæ, Ossium, & Protogenem, & Gaudentium, & Maximinum à Triveris damnavit omne Concilium secundùm antiquissimam legem, ut auctores communionis Marcelli & Athanasii ceterorumque sceleratorum, quique etiam homicidiis Pauli Constantinopolitani & cruentis actibus ejus communicaverunt. Protogenem namque esse anathematizatum unà cum Marcello, subscribendo frequenter sententiæ in ipsum vel in ejus librum inlatæ; quique etiam in Paulum Constantinopolitanum sententiam dederunt, & illi postea communicaverunt. Gaudentium autem, ut immemorem decessoris sui Cyriaci subscribentis sententiis in sceleratos dignè inlatis, commixtumque criminibus Pauli, quem etiam impudenter defendebat. Julium verò urbis Romæ, ut principem & ducem malorum, qui primus januam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, ceterisque aditum fecit ad solvenda jura divina: defendebatque Athanasium præsumenter atque audacter, hominem cujus nec testes noverat, nec accusatores. Sed Ossium propter supradictam causam, & propter beatissimæ memoriæ Marcum, cui graves semper injurias inrogavit: sed & quòd malos omnes pro criminibus suis dignè damnatos totis viribus defendebat, & quòd convixerit in Oriente cum sceleratis ac perditis. Tupiter namque Paulino quondam episcopo Daciæ individuus amicus fuit, homini qui primò de maleficiis fuerit accusatus & de Ecclesia pulsus, usque in hodiernum diem in apostasia permanens cum concubinis publicè & meretricibus fornicetur, cujus maleficiorum libros Macedonius episcopus atque confessor à Mopso combussit. Sed & [b] Eustasio & Quimatio adhærebat pessimè & carus fuit, de quorum vitæ infamia turpi dicendum nihil est: exitus enim illorum eos omnibus declaravit. His itaque ac talibus junctus ab initio Ossius, sceleratis semper favens, contra Ecclesiam veniebat, & inimicis Dei semper ferebat auxilium. Maximinum verò à Triveris, propter quod collegas nostros [c] episcopos, quos ad Gallias miseramus, noluerit suscipere, & quoniam Paulo Constantinop. nefario homini ac perdito primus ipse communicavit, & quòd ipse tantæ cladis causa fuit, ut Paulus ad Constantinopolim civitatem revocaretur, propter quod homicidia multa facta sunt. Causa igitur homicidiorum tantorum ipse fuit, qui Paulum olim damnatum ad Constantinopolim revocavit.

28. Propter has igitur causas justum duxit Concilium, ut Julium urbis Romæ, & Ossium, ceterosque supra memoratos discingeret atque damnaret. Quæ cùm ita sint, custodire vos ab ipsis & abstinere debetis, dilectissimi Fratres, nec eos aliquando ad communionem vestram admittere: sed nec ipsorum litteras accipere, nec ad illos litteras dominicas dare. Et quoniam catholicam & apostolicam fidem voluerunt infringere ii qui cum Ossio erant, inducentesque novam sectam [d] indeo croniti Marcelli mixta Sabellio & Paulo, inde artem; necessariò ordinavimus catholicæ Ecclesiæ fidem, quam negaverunt supradicti qui cum Ossio sunt, & * Marcello hæretici induxerunt. Consequens est, ut acceptis litteris nostris singuli consensum huic sententiæ commodantes, decreta nostra propriâ subscriptione signetis. Est autem fides nostra talis.

* f. Marcelli hæresim.

29. Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, institutorem & creatorem omnium, ex quo omnis * creatura in cælo & in terra nominatur. Et in unigenitum filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum, qui ante * ævum ex Patre generatus est, ex Deo Deus, ex luce lux, per quem facta sunt omnia quæ in cælis & quæ in terra, visibilia & invisibilia, * sermo qui sit, & sapientia, & virtus, & vita, & lux vera, qui in novissimis temporibus propter nos * induerit hominem, & natus sit de sancta virgine Maria, & crucifixus, & mortuus, & sepultus sit: tertia die resurrexit à mortuis, & assumtus in cælum, sedet in dextera Patris, venturus in fine mundi judicare vivos & mortuos, & reddere unicuique secundùm opera sua: cujus regnum incessabile

V. lib. de Synodis n. 34.
* paternitas in.
* omnia sæcula.
* qui est verbum.
* incarnatus est.

[a] Editi ac mss. Pith. *Asonus ait.* Meliùs Sirm. ex ms. Remig. *Samosatis.*

[b] Si Eustathius Antiochenus hîc intelligatur, ei opinioni, qua illum & ante Sardicense Concilium & in exsilio obiisse putant, hinc robur accedet. Tum pro *Quimatio*, legendum *Cimatio.* Duos autem Cimatios, unum Palti, alterum Tarudi, Athanasius ad Solit. p. 812. memorat in exsilium ab Arianis detrusos. Neque dubium est, alium hîc à Cimatio Palti designari; quippe quem ex eodem Athanasio ad Antioch. p. 575. post Concilium Alexandrinum anni 362. adhuc in vivis exstitisse manifestum est.

[c] Narcissum scil. Marim, Theodorum, & Marcum, quos aliquot menses post Concilium Antioch. an. 341. ab Eusebianis ad Constantem in Gallias amandatos esse refert Athanasius lib. de Synod. p. 894.

[d] In ms. Sirm. *judeo croniti.* Suspicamur hîc notari Marcelli doctrinam cum Judæis facere, eumque Judæo errore esse imbutum. Mox pro *inde artem*, idem Sirmondus in ms. Remig. reperit *Juda artem*: unde legendum putamus, *sectam Judao uniti Marcelli juxta Sabellium & Paulum judaizantem.* Verùm hujus loci sensus repeti potest ex num. 2. ubi inducitur Marcellus assertiones suas *nunc falsitatibus Sabellii, nunc malitia Pauli Samosatensis, nunc blasphemiis . . . apertè permiscens, unamque confusionem de supradictis faciens*: vel ex num 4. ubi *restaurans Pauli Samosatensis & artes & dolos* prædicatur.

permanet in æterna sæcula. Est enim sedens in dextera Patris, non solùm in isto sæculo, sed & in futuro. Credimus in Spiritum-sanctum, hoc est, in paracletum, quem * mittens Apostolis post assumtionem suam in cælum, misit * docens illos & instruens de omnibus, per quem sanctificantur animæ in ipsum fideliter credentes. [[a] Credimus & in sanctam Ecclesiam, in remissionem peccatorum, in carnis resurrectionem, in vitam æternam.] Illos verò qui dicunt, * Ex id quod non fuit filius Dei, aut ex alia substantia, & non ex Deo; aut qui dicunt, fuisse aliquando tempus vel sæculum quando non fuit filius, hæreticos damnat sancta & catholica Ecclesia. Similiter & illos, qui dicunt tres esse deos; aut Christum non esse Deum; aut ante * ea unum non fuisse Christum, neque filium Dei; aut * ipsum Patrem & Filium & Spiritum-sanctum; aut non natum filium; aut non * sententiâ neque voluntate Deum patrem genuisse filium: hos omnes anathematizat & exsecratur sancta & catholica Ecclesia. Opto vos in Domino bene valere.

* promittens. * docere illos & instruere. * ex non exstantibus esse filium Dei. * leg. sæcula non fuisse. * cum ipsum esse. * consilio.

Stephanus episcopus Antiochiæ provinciæ * Syriæ Cœles opto vos in Domino bene valere. (* al. Sprecilæ.)

Olimpius episcopus Doliceus opto vos in Domino bene valere.

Gerontius episcopus Lamphaniæ.

Menophantus episcopus ab Epheso opto vos in Domino bene valere.

Paulus episcopus opto vos in Domino bene valere.

Eulalalius episcopus ab Amantias opto vos in Domino bene valere.

Macedonius episcopus * ab Amarquetias opto vos in Domino bene valere. (* à Mopsvestia.)

Thelaphius episcopus à Chalcedonia opto vos in Domino bene valere.

Acacius episcopus à Cæsarea opto vos in Domino bene valere.

Theodorus episcopus ab Heraclea opto vos in Domino bene valere.

Quintianus episcopus à [b] Taxe opto vos in Domino bene valere.

Marcus episcopus ab * Aretiis opto vos in Domino bene valere. (* Arethusa.)

Cyrotus episcopus à Roeo opto vos in Domino bene valere.

Eugeus episcopus à Lisicia opto vos in Domino bene valere.

Antonius episcopus à Zeumate opto vos in Domino bene valere.

Antonius episcopus à Docimo opto vos in Domino bene valere.

[c] Dion episcopus à Cæsarea opto vos in Domino bene valere.

Vitalis episcopus à Tyro opto vos in Domino bene valere.

Eudoxius episcopus à Germanicia opto vos in Domino bene valere.

Dionysius episcopus ab Alexandria provinciæ opto vos in Domino bene valere.

Macedonius episcopus à Virito opto vos in Domino bene valere.

[d] Eusebius episcopus à Dorlani opto vos in Domino bene valere.

Basilius episcopus ab [e] Anquira opto vos in Domino bene valere.

Proheresius episcopus à Sinopa opto vos in Domino bene valere.

Eustacius episcopus ab Epiphania opto vos in Domino bene valere.

Pancratius episcopus à [f] Pernaso opto vos in Domino bene valere.

Eusebius episcopus à Pergamo opto vos in Domino bene valere.

Sabinianus episcopus à Chatimera opto vos in Domino bene valere.

Bitinicus episcopus à Zelon opto vos in Domino bene valere.

Dominius episcopus à Palladiano opto vos in Domino bene valere.

Pison episcopus à Troada opto vos in Domino bene valere.

Cartherius episcopus ab Aspona opto vos in Domino bene valere.

Filetus episcopus à Juliopoli opto vos in Domino bene valere.

[g] Quirius episcopus à Mareota opto vos in Domino bene valere.

Filetus episcopus à Cratia opto vos in Domino bene valere.

Thimasarcus episcopus opto vos in Domino bene valere.

Eusebius episcopus à * Mignenia opto vos in Domino bene valere. (* f Magnenia.)

Quirius episcopus à Philadelphia opto vos in Domino bene valere.

Pison episcopus [h] à Vanis opto vos in Domino bene valere.

Timotheus episcopus opto vos in Domino bene valere.

[i] Euthemon episcopus à Thaneos opto vos in Domino bene valere.

[k] Callenicus episcopus à Pelosio opto vos in

[a] Quæ uncinis comprehensa sunt, non exstant in formula Sardic. descripta lib. de Synod. n. 34. ut ibi jam notavimus.

[b] Leg. *à Gaza*: is enim est, qui Asclepæ sedem usurparat, de quo Fragmentum superius num. 8.

[c] Hic est, quantum augurari licet, *Dianaus* Cæsareæ in Cappadocia episcopus, quem Sozomenus lib. 3. c. 5 Antiocheno Concilio anni 341. interfuisse memorat, quemque Basilius epist. 86. testificatur, cùm in ægrotationem ex qua & mortuus est decumberet, contestatum esse, se simplici corde in scriptum Constantinopolitanæ fidei (an. 360.) consensisse quidem; sed nulla in re irritam voluisse eam fidem, quæ Nicææ exposita fuerat.

[d] Mendosè editum erat *Eusenius*, cùm in mss. exstet *Eusevius*. Hic episcopus ejus urbis videtur, quæ in tab. Peuting. *Zorlanis*, & apud Anonymum Ravenn. *Srolanis* dicta.

[e] Pro *Ancyra* legitur hîc *Anquira*: quomodo jam pro *Cimatio*, vidimus suprà *Quimatio*; & infrà *Quirius*, pro *Scyrus*.

[f] Fortè *Parnaso*. Parnason autem seu Parnassum urbs fuit maritima, quæ ex Anton. ad Galatiam spectabat aut Cappadociam. Antea in ms. Pith. *Pranriacius*, non *Pancratius*.

[g] Sozomenus lib. 3. c. 12. narrat cum ceteris Orientalibus Philippopoli adfuisse Ischyrium à Mareota, qui hîc corruptè *Quirius* scribitur.

[h] An fortè *ab Adanis*; ut sit ille *Piso Adanorum*, qui apud Socratem lib. 3. c. 25. Concilio Antiocheno subscribit? An verò *à Varnis*? Quippe in notitia Antioch. ad calcem Guillelmi Tyrii *Varnon* sedes est episcopalis sub Edessa metropoli.

[i] Apud Athanasium in breviario Meletii pag. 789. recensetur Εὐδαίμων ἐν Τάνει. Is ipse est, quem unà cum Callinico & Isione infrà subscriptis de vestium linearum tributo calumniam sibi struxisse narrat idem Athanasius Apol. ad Const. p. 778.

[k] Breviario Meletii apud Athanas. p. 789. Καλλίνικος ἐν Πηλουσίῳ.

Domino bene valere.
Eusebius episcopus à Pergamo opto vos in Domino bene valere.
Leucadas episcopus ab [a] Ilio opto vos in Domino bene valere.
Noconius episcopus à [b] Troade opto vos in Domino bene valere.
Adamantius episcopus à Cio opto vos in Domino bene valere.
Eddesius episcopus à Coo opto vos in Domino bene valere.
Theodolus episcopus à [c] Neocæsario opto vos in Domino bene valere.
[d] Sion episcopus opto vos in Domino bene valere.
Theogenes episcopus à Lizia opto vos in Domino bene valere.
Florentius episcopus ab Ancara opto vos in Domino bene valere.
[e] Isaac episcopus à Lueto opto vos in Domino bene valere.
Eudemon episcopus... subscripsi pro ipso, opto vos in Domino bene valere.
Agapius episcopus à * Theriaco opto vos in Domino bene valere. (* Mss. Rem. Therinco.)
Bassus episcopus à Car opto vos in Domino bene valere.
Narcissus episcopus ab * Anapoli opto vos in Domino bene valere. (* Irenopoli, vel Neronopoli.)
Embracius episcopus à [f] Mileto opto vos in Domino bene valere.
Lucius episcopus ab Babtino opto vos in Domino bene valere.

A Nonnius episcopus à * Laudocia opto vos in Domino bene valere. (* Laodicia.)
Pantagatus episcopus à * Gallias opto vos in Domino bene valere. (* fortè, Gallatia.)
Flaccus episcopus ab Jeropoli opto vos in Domino bene valere.
[g] Sysimius episcopus à Perge opto vos in Domino bene valere.
Diogenes episcopus opto vos in Domino bene valere.
B Cresconius episcopus opto vos in Domino bene valere.
Nestorius episcopus opto vos in Domino bene valere.
Emmonius episcopus opto vos in Domino bene valere.
Eugenius episcopus opto vos in Domino bene valere.
Antonius episcopus [h] à Gusia opto vos in Domino bene valere.
C Demofilus episcopus [i] à Beroe opto vos in Domino bene valere.
Euticius episcopus à Philippopoli opto vos in Domino bene valere.
Severus episcopus à Cabula opto vos in Domino bene valere.
Timotheus episcopus ab Anchilo opto vos in Domino bene valere.
Valens episcopus à Mursa, opto vos in Domino bene valere. [k]

D « Explicit decretum synodi Orientalium apud Serdicam episcoporum à parte Arianorum, quod miserunt ad Africam.

[a] Apud Athanasium, in Meletii breviario, *Ilium* seu *Heliopolis* memoratur veluti ditio quædam, in qua nonnulli episcopi Meletio adhærebant. Proxima Eusebii subscriptio supervacanea videtur, cùm exstet jam superiùs.

[b] In mss. Pith. *à Troadas*. Superiori paginâ jam occurrit *Pison episcopus à Troada*.

[c] Pith. mss. *à Neocæsarioso*. Apud Labb. *Theodulus episcopus à Neocæsarea*.

[d] An *Ision in Athriba* in Meletii breviario recensitus, & in conflanda Athanasio calumnia Callinici & Eudæmonis socius?

[e] In Meletii breviario, *Isaac in Leto*.

[f] Pithœanus codex à prima manu, *ab Lecto*, & à secunda, *ab Nilecto*: unde editum erat *à Nisilecto*.

[g] Ille fortè est *Sisinnius*, quem Athanasius ad Solit. pag. 858. recenset inter veteranos Arii discipulos ab Alexandro damnatos.

[h] In mss. Pith. *à Gusra*.

[i] Vulgatum erat *ab Cooe*. Propiùs tamen exhibet mss. *à Beroe*.

[k] Si se octoginta episcopos in unum convenisse num. 16. non mendaciter testati sunt, septem hîc desiderantur subscriptiones.

FRAGMENTUM * IV.

* Aliàs I. partis.

[a] INCIPIT EXEMPLUM EPISTOLÆ [a] Liberii episcopi urbis Romæ ad Orientales episcopos.

Dilectissimis fratribus & coepiscopis nostris universis per Orientem constitutis, Liberius urbis Romæ episcopus æternam salutem

Liberius Orientalibus suam communionem impertit, Athanasio negat.

1. STUDENS paci & concordiæ Ecclesiarum, postea quàm litteras Caritatis Vestræ de nomine Athanasii & ceterorum factas ad nomen Julii bonæ memoriæ episcopi accepi; secutus traditionem majorum, presbyteros urbis Romæ Lucium, Paulum & Helianum è latere meo ad Alexandriam ad supradictum Athanasium direxi, ut ad urbem Romam veniret: ut in præsenti id, quod Ecclesiæ disciplina [b] exstitit, in eum statueretur. Litteras A etiam ad eumdem per supradictos presbyteros dedi, quibus continebatur, quòd si non veniret, sciret se alienum esse ab Ecclesiæ Romanæ communione. Reversi igitur presbyteri nuntiaverunt eum venire noluisse. Secutus denique litteras Caritatis Vestræ, quas [c] de nomine supradicti Athanasii ad nos dedistis, sciatis his litteris, quas ad unanimitatem nostram [d] dedi, me cùm omnibus vobis & cum universis episcopis Ecclesiæ catholicæ pacem B habere: supradictum autem Athanasium alienum esse à communione mea sive Ecclesiæ Romanæ, & consortio litterarum ecclesiasticarum.

In cassum conficta hæc epistola.

2. QUID in his litteris [e] non sanctitatis, quid non ex metu Dei eveniens est? Sed Potamius & Epictetus, dum damnare urbis Romæ episcopum gaudent, sicut in Ariminensi synodo continetur, * audire hæc noluerunt. Quin etiam Fortunatianus episcopus epistolam C eamdem rursum diversis episcopis mittens, nihil profecit. Ut autem in negata Athanasio com-

* f. audere hæc potuerunt.

[a] Baronius in appendice Tom. 3. ad an. 352. hanc epistolam antiquitatem redolere, & Liberii ævo scriptam esse concedit: eam tamen omnino negat ipsius esse. A plerisque etiam rejicitur ut ficta & adulterina. Primò enim Athanasius nullo umquam vel levi verbo indicat, Liberium ante exsilium à sua ipsius communione recessisse. Immo in fine Apolog. ad Const. pag. 807. hoc affert velut præclarum innocentiæ suæ testimonium, quòd ille omnia pati, quàm ipsius causam prodere maluerit. Deinde idem Athanasius ubi ad Solit. pag. 837. præmisit, *Liberius post exactum in exsilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est*; statim adjicit, *Verùm illud ipsum & eorum violentiam, & Liberii in hæresim odium, & suum pro Athanasio suffragium, cùm liberos affectus habebat, satis coarguit.* At certè nihil inde causam suam juvaret, si Liberius initio pontificatûs, nemine cogente, ipsum à sua communione repulisset. Sed & Liberius ipse ab Athanasio damnando se semper abhorruisse palam declarat, cùm Eusebio eunucho ipsius contra Athanasium subscriptionem exposcenti apud Athanas. ad Solit. p. 833. fortiter respondet, eum *quem non una, sed jam altera synodus probè ab omni crimine liberum pronuntiavit, & Romana Ecclesia cum pace dimisit*, minimè se posse damnare; neque absentem aversari, *quem*, inquit ibid. *præsentem dileximus & habuimus in nostra communione.* Demum cùm hæc non solùm Romæ eunucho Eusebio, sed & Mediolani Constantio, præsentibus Epicteto & Eusebio, responsa dedisset; nemini umquam venit in mentem, ut Athanasium jam semel ab ipso damnatum fuisse objiceret.

Ad hæc respondent nonnulli, Athanasium modestiæ & amicitiæ causâ Liberio jam correcto & in sua communione perseveranti pepercisse; ac prudenter reticuisse, quod ille judicio præcipiti commiserat: Liberium verò, cùm Orientalium litteris permotus esset, hanc epistolam scripsisse quidem, sed ab ea in lucem edenda litteris Ægyptiorum revocatum esse, donec exsilii impatiens, quò Orientalium sibi gratiam conciliaret, eam divulgandam existimarit.

Sed quod illi meris conjecturis nixi defendunt, ex ipsis Liberii ad Orientales litteris refellitur. Nedum enim testetur se jam pridem Athanasium damnasse; hinc potiùs excusat damnationis illius dilationem: *quia*, inquit Fragm. VI. n. 5. *susceperat illum bonæ memoriæ Julius episcopus decessor meus, ne fortè ab aliquo prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, justè vos illum condemnasse, mox consensum commodavi sententiis vestris* &c. Tunc primùm igitur Orientalibus commodavit consensum, cùm exsilii tædio victus à pristina sua constantia excidit. Eum autem numquam antea Athanasium damnasse, apertum est ex proximo Fragmento V. n. 2. ubi disertis verbis declarat, se initio pontificatûs Orientalium quidem litteras contra Athanasium accepisse, sed eis fidem ac sententiam suam non commodasse, *quòd eodem tempore octoginta episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnabat. Unde*, inquit, *contra divinam legem visum est, etiam cùm episcoporum numerus pro Athanasio major exsisteret, in parte aliqua commodare consensum* Athanasii adversariis numero paucioribus. Sed & cùm constet ex Fragmento V. n. 1. & 6. necnon ex subsequenti num. 4. Liberium non modò Mediolani anno 354. sed & Arelate an. 353. à Constantio per legatos petiisse, *ut juberet, sicut ipsi jam dudum placuerat, Concilium ad Aquileiam congregari*, quo Athanasii causa tractaretur: rectè consequitur, Liberium jam ab anno 352. hoc est, pontificatus sui initio, Concilium petiisse, & petitum Imperatori placuisse; vix enim illud *dudum* artiùs potest, quàm ad annum superiorem restringi. Ex quo nullum relinquitur tempus, quo Athanasius à Liberio citatus, & ab ejusdem communione separatus judicetur.

Quæ cùm ita sint, hanc epistolam ab Arianis confictam esse eo consentimus libentiùs, quo plures hujusmodi litteras tum Athanasii tum Imperatoris nomine, circa idem tempus, ab iisdem editas esse demonstrat Athanasius ipse Apolog. ad Constant. p. 680. & 686. Quod etiam confirmat Sardicense Concilium, in quo *lectæ sunt litteræ factæ à Theognito falsæ adversùs Athanasium & Marcellum*, ut audivimus Fragm. II. n. 3.

Exoritur hîc altera quæstio, cujus nimirum sint, quæ epistolæ huic appendicis in modum subjecta sunt. Qui epistolam, ii quoque appendicem ab Arianis confictam esse putant; indignum enim Hilario, dignum Arianis esse, ut laudetur opus, quod omnium indignationem mereatur. Quis tamen in eo non agnoscat vocem catholici Præsulis, irritos enarrantis Arianorum conatus, ac probantis Sardicense Concilium, *quo Athanasius absolutus & Ariani damnati fuerant?*

Godefridus Hermant not. 3. in cap. 25. libri. 6. vitæ S. Athanasii opinatur, hanc appendicem non ad proximam epistolam Liberio inscriptam, sed ad litteras Sardicensis synodi ad Constantium, quas Hilarius ad calcem II. Fragmenti exhibebat, pertinere. Si tamen propiùs perpendantur illius verba; ea magis in proximam, quàm in deperditam synodi Sardicensis epistolam convenire apparebit. Et verò licèt totum hoc Hilarii Opus omnino confusum sit atque perturbatum, nulla tamen occurrit appendix hujusmodi à proprio loco divulsa atque distracta.

Quocirca neque hanc è suo situ motam, neque Hilario indignam arbitramur, sed quas superioris epistolæ laudes plerique putant, meram esse ironiam. Suspicamur etiam Potamium & Epictetum epistolæ ejusdem architectos hîc significari, ac pro *audire hæc noluerunt*, legendum esse *audere hæc potuerunt*. adeo ut ab his seductus Fortunatianus (qui Hieronymo teste lib. de Script. eccl. c. 97. *in hoc habetur detestabilis, quòd Liberium Romanæ urbis episcopum pro fide ad exsilium pergentem primus sollicitavit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit*,) eamdem epistolam diversis episcopis miserit, ut eos ab Athanasii communione retraheret: sed nihil profecerit tamen; quia probè notum erat omnibus, Athanasium Ægyptiorum operâ à Liberii communione numquam excidisse. Si hæc ita se habent, hæc epistola non anno 352. sed 355. quando in exsilium expulsus est Liberius, conficta sit necesse est. Eum tamen locum hîc illi damus secundùm tempus, quo illam editam esse confinxerunt illius auctores. Vide notas in sequens Fragmentum.

[b] Restituimus lectionem mss. cui in editis prælatum erat *exigit*.

[c] Quid sibi velit *de nomine*, Hilarius ipse Fragm. VI. n. 4. interpretatur, *id est de condemnatione*.

[d] Verbum *dedi* supplemus ex ms. Sirm. Proximè antea magis placeret *vestram*. Quamquam *ad unanimitatem nostram* sic licet intelligere, quasi *ad unanimitatem inter nos servandam*.

[e] Godefridus Hermant lib. 7. vitæ S. Athanas. c. 6. cùm Fortunatiani ante lapsum laudabile aliquod pro fide catholica factum nunc memorari pro certo habeat; verisimile putat, epistolam synodi Sardicensis ad Constantium missam hîc significari. Verisimile tamen non est, ut Hilarius nihil profuisse dixerit litteras Sardicensis synodi, cujus auctoritatem apud omnes valere statim significat. Probabilius itaque est, ut diximus, pseudoepistolam Liberii hîc intelligi: quam Fortunatianus post lapsum mittens diversis episcopis nihil profecerit; quia apud omnes multùm valebat Sardicensis synodus, à Liberio confirmata postquàm Ægyptiorum litteris de Athanasii causa certior factus est.

» munione sibi potiùs [a] essent onerosi, remque » omnem sibi periculi facerent, dummodo nihil » Sardicensi synodo, qua Athanasius absolutus & Ariani damnati fuerant, decerperent; » litteræ ex Ægypto [b] omni atque ab Alexandria missæ admonebant: quoniam quales » ad Julium pridem de reddenda [c] exsulanti » Athanasio communione erant scriptæ, tales » nunc, ut de subjectis intelligetur, ad Liberium » datæ sunt de tuenda.

FRAGMENTUM * V.

* Aliàs I. partis.

» INCIPIT EPISTOLA LEGATORUM [d] » missa * ad Constantium Imperatorem à Liberio episcopo urbis Romæ per Luciferum » episcopum.

* circa an. 354.

Gloriosissimo Constantio Augusto Liberius episcopus.

Liberius Concilium expostulat.

1. OBSECRO, tranquillissime Imperator, ut mihi benignas aures clementia tua tribuat, [e] quò possit mansuetudini tuæ mentis meæ propositum apparere. De Christiano enim Imperatore & sanctæ memoriæ Constantini filio hoc ipsum sine cunctatione mereor impetrare. Sed in eo me laborare intelligo, quia repetita satisfactione, placabilem etiam circa reos animum tuum, in gratiam meam revocare non possum. Sermo [f] enim pietatis tuæ, jam dudum ad populum missus, me quidem, quem patienter omnia ferre necesse est, plurimùm lacerat: sed animum tuum, qui lenitati semper vacat, qui numquam, ut scriptum est, in occasum diei iracundiam servat, retinere circa me indignationem miraculo mihi est. Ego enim, religiosissime Imperator, tecum veram pacem requiro, quæ non sit verbis composita internâ dispositione fallaciæ, sed præceptis Evangeliorum rationabiliter confirmata. Non Athanasii tantùm negotium, sed multa alia in medium venerunt, propter quæ Concilium fieri mansuetudinem tuam fueram deprecatus [g]: ut ante omnia, quod specialiter optat mentis tuæ erga Deum sincera devotio, cùm fidei causa, in qua prima nobis spes est ad Deum, diligenter fuisset tractata, [h] ne eorum, qui nostram circa Deum observantiam mirari debent, possent finiri. Et dignum fuerat Dei cultore, dignum Imperio tuo, quod Christi pietate regitur & augetur, specialiter hoc ipsum pro reverentia sanctæ religionis, cui prudenter intentus es, clementiam tuam nobis ad hæc impetranda præstare.

Contumeliosis sermonibus à Constantio in vulgus sparsis laceratur.

Ephes. 4.26.

2. Sed multi Ecclesiæ membra lacerare festinant, qui confinxerunt me litteras suppressisse, ne crimina ejus, quem dicebantur condemnasse, apud omnes paterent. [i] quas illas litteras? Episcoporum Orientalium, & Ægyptiorum; quibus in omnibus eadem in Athanasium crimina continebantur? At satis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos Orientalium litteras intimasse, legisse Ecclesiæ, legisse Concilio, atque hæc etiam Orientalibus respondisse. qui fidem & [k] sententiam non commodavimus nostram, quòd [l] eodem tempore [m] octoginta episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnabat, quam similiter recitavimus atque insinuavimus episcopis Italis. Unde contra di-

Litteras Orientaliũ suppressisse falsò accusatur.

Cur eis fidem non habuerit.

[a] Ita correxit Faber; cùm mendosè in suo ms. haberet *esse onerosius*, & postea *faceret*, pro *facerent*.

[b] Editi ex ms. Pith. *littera ex Ægypto omniaque ad Alexandriam iisse admonebant, quam qualis ad Julium pridem de reddenda exsultante Athanasio communione erant scripta, talis nunc* &c. Quam nunc ex iisdem fere characteribus, malè antea inter se compositis, offerimus lectionem, confirmat ipsa historiæ veritas. Exstat namque apud Athanasium initio Apolog. ad Const. p. 722. Alexandrinæ synodi epistola ab omni Ægypto, & ut notat ad illius calcem Athanasius, *ad omnes & ad episcopum Romanum Julium* in gratiam Athanasii scripta: quam Sardicenses Patres Fragm. II. n. 5. laudant, & num. 10. ab 80. episcopis testantur esse missam. Alteram verò Liberius ipse sequenti Fragmento V. commemorat sibi à totidem Ægyptiis episcopis pro eodem Athanasio datam eo ipso tempore, quo Orientalium contra eumdem litteras acceperat.

[c] In ms. *exsultante*: mendosè. Quales ad Julium, tales ad Liberium scriptæ sunt litteræ: quia ut ille, ita & hic 80. Ægyptiorum episcoporum litteras in gratiam Athanasii accepit: *ut de subjectis intelligetur*, puta ex sequenti Fragmento num. 2. Quod Fragmentum cùm in archetypo ms. in prima horum Fragmentorum parte, hoc autem quod præ manibus est in secunda tantùm locum obtineat; hinc sequitur 1°. utramque partem ad Hilarium pertinere, nec bene à Blondello & aliis nonnullis eam illi auferri quæ in ms. prima est: 2°. Fragmentorum ordinem in ms. inversum esse, si quidem ei quintum invenitur præpositum, cui subjiciendum esse Hilarius declarat: 3°. Nicolao Fabro licuisse, quam in ms. primam reperit hujus Operis partem, secundo dumtaxat loco edere: demum non minùs licere nobis Fragmenta singula meliorem in ordinem disponere. Neque hæc negarit quisquam, nisi qui illud, *ut de subjectis intelligetur*, fortè volet non ad subjectas Liberii litteras, sed ad Ægyptiorum epistolam quæ hinc sit dilapsa referri.

[d] Luciferi nimirum episcopi Calaritani, Pancratii presbyteri, & Hilarii diaconi: quorum consortio junxit se Eusebius Vercellensis, Liberii epistolâ, quam Baronius ad an. 354. n. 2. describit, invitatus. Hanc post deletum Magnentium celebratumque Arelatense anni 353. Concilium missam esse, non obscurum est. Valesio autem animadversionibus in cap. 37. lib. 2. Socratis eam ad annum 356. differenti nemo assentitur: cùm Liberius hac legatione Concilium obtinuerit, quod anno 355. Mediolani celebratum est. Itaque inter eruditos convenit, eam anno 354. scriptam esse, & ut post Baronium putat Antonius Pagi, cùm adhuc in Galliis ageret Constantius, qui Ammiano teste lib. 14. c. 4. sub ejusdem anni exitum in Italiam ad hiberna secessit. Eamdem epistolam Baronius ad an. 354. n. 2. exscripsit ex bibliotheca Patrum edit. Paris. in qua exstat inter Luciferi Opera.

[e] Apud Baron. *quò possim*; & mox *aperire*, pro *apparere*; & antea *opto*, pro *obsecro*.

[f] Qualis fuerit hic sermo, augurari licet ex verbis num. 3. quibus Liberius innocentiam suam tuetur.

[g] anno superiore per Vincentium Capuanum, qui Arelate cum Arianis in Athanasii condemnationem consensit.

[h] Baron. *nec eorum*. An *techna eorum* vel *tunc* aut *dehinc eorum*, subaudito postea vocabulo *causa*?

[i] Aliàs ex ms. Pithœano, *quasi illas litteras*. Præferimus cum Baron. *quas illas litteras*, supple *suppressisse*? His verbis funditus ruit eorum opinio, qui superiorem epistolam Liberii nomine inscriptam ut genuinam recipiunt. Quî enim Orientalium litteras suppressisse insimulatus sit, si eis morem gerens Romam Athanasium citaverit, ac postmodum à communione sua removerit?

[k] Pith. ms. *scientiam*. Magis placet cum Baron. *sententiam*. Mox, necnon Fragm. VI. n. 3. ab eodem Liberio audiemus *commodare consensum*.

[l] Ediderat Faber *eo tempore*, quamvis in suo ms. reperisset *eodem tempore*: quomodo etiam exstat apud Baron. Hinc rursum refellitur, quod ad defendendam superioris epistolæ veritatem nonnulli excogitarunt, nimirum Liberium litteris Orientalium permotum eam scripsisse, sed ab ea edenda aliis Ægyptiorum litteris fuisse revocatum. Quî enim eodem tempore Orientalium simul & Ægyptiorum litteras acceperit, si illorum litteris permotus, priùs ad Athanasium presbyteros miserit, ac missorum exspectarit reditum, quàm ab Ægypto quidquam audiret?

[m] Apud Baron. *septuaginta quinque*. Magis placet cum nostris mss. *octoginta*. Namque episcopi, qui Fragm. II. n. 5. ex Ægypto ad Julium scripsisse memorantur, num. 10. ejusdem Fragm. perhibentur octoginta exstitisse. Quales autem ad Julium, tales ad Liberium litteras, hoc est ab iisdem, in gratiam Athanasii datas esse, postremis superioris Fragmenti verbis audivimus.

vinam legem visum est etiam, cùm episcoporum numerus pro Athanasio major exsisteret, in parte aliqua commodare consensum. Hæc scripta, si Deo fidem [a] debet Eusebius qui missus fuerat, festinans ad Africam nobis reliquit: quæ tamen postea omnia scripta, ne ad impetrandum fortè Concilium deessent, Vincentius qui cum ceteris missus fuerat Arelatum pertulit.

A criminibus sibi à Constantio confictis se purgat.

3. Videt igitur prudentia tua, nihil in animum meum introisse, quod Deo servientibus B non dignum fuerat cogitare. Testis autem mihi est Deus, testis est tota cum suis membris Ecclesia, me fide & metu in Deum meum cuncta mundana ita, ut evangelica & apostolica ratio præcepit, calcare atque calcasse. Non furore temerario, sed constituto atque observato jure divino, atque in alio ministerio ecclesiastico vivens, nihil per jactantiam, nihil per gloriæ cupiditatem, quod ad legem pertinebat implevi: & ad istud officium, testis C est mihi Deus meus, invitus accessi; in quo cupio quidem sine offensa Dei, quàm diu in sæculo fuero, permanere. Et numquam mea statuta, sed apostolica, ut essent semper firmata & custodita, perfeci. Sequutus morem ordinemque majorum, nihil addi episcopatui urbis Romæ, nihil minui passus sum: & illam fidem servans, quæ per successionem tantorum episcoporum cucurrit, ex quibus plures martyres exstiterunt, illibatam custodiri semper exopto. D

Cũ Orientalibus cur communicare nequeat.

4. Denique jam me aperire causam pietati tuæ sollicitudo ecclesiastica atque ipsa devotio persuadet. Significant Orientales, paci nostræ velle conjungi. Quæ est pax, clementissime Imperator, cùm sint ex partibus ipsis quatuor episcopi Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cùm apud [b] Mediolanum Arii sententiam hæreticam noluissent damnare, de Concilio animis iratis exierunt? Horum si fas est senten- E tiis, quale sit, aut quid periculi habeat, commodare consensum, æquitas & clementia tua poterit æstimare. Non est novum, quod nunc subtiliter & sub occasione nominis Athanasii attentatur. Manent litteræ Alexandri episcopi olim ad Sylvestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significavit ante ordinationem

A Athanasii, [c] undecim tam presbyteros quàm etiam diacones, quòd Arii hæresim sequerentur, se Ecclesiâ ejecisse: ex quibus nunc quidam extra Ecclesiam catholicam foris positi dicuntur sibi conciliabula invenisse, quibus asseveratur etiam Georgius [d] in Alexandria per litteras communicare. Quæ ergo pax potest esse, tranquillissime Imperator, si [e] exhibitis episcopi, ut nunc per Italiam factum est, cogantur talium sententiis obedire.

B 5. Accipe aliud, quia tranquillitas tua patienter admittit. Manent legatorum [f] litteræ, qui ad clementiam tuam fuerant destinati, quæ nuper venerunt: quibus significant, propter turbationem quidem omnium ecclesiarum se quidem antè succumbere sententiis Orientalium voluisse, proposuisse tamen conditionem, ut si iidem Arii hæresim condemnassent, hoc genere inclinati eorum sententiis obedirent. Placitum, ut ipsi significant, scripturâ teste C firmatur, itur in Concilium: accipiunt cum deliberatione responsa, Arii doctrinam se damnare non posse, Athanasium, quod solum exigebant, communione esse privandum. Hinc jam clementia tua hoc quoque consideret, rectè catholicæ religionis jure servato, an hominis causa debeat diligenter excusséque tractari.

Concilium enixè deprecatur.

6. Unde iterum atque iterum mansuetu- D dinem tuam atque animum tuum Deo devotum rogamus per ejus virtutem, qui se in defensione tua * quantus sit, universis mortalibus approbavit, ut habens ante oculos ejus beneficia, qui Imperium tuum in omnibus regit, hæc in cœtu episcoporum diligenter facias omni cum consideratione tractari: ut pacatis per te Deo favente temporibus, tranquillitate tua consentiente, sic omnia discutiantur, ut quæ fuerint judicio sacerdotum Dei confirmata, cùm constiterit omnes in expositio- E nem fidei, quæ inter tantos episcopos apud Nicæam præsente sanctæ memoriæ patre tuo confirmata est, universos consensisse, cum exemplo possint in posterum custodiri: ut ipse Salvator, qui de super mentis tuæ propositum intuetur, in tanta rerum expeditione lætetur, causam fidei & pacis etiam Reipublicæ necessitatibus non immeritò præposuisse. Ad exoran-

** adversùs Magnentiũ an. 353. deletum.*

[a] Baron. *habet Theosebius:* & mox, *post omnia scripta . . . Arelatum pervenit.*

[b] Post Athanasium lib. de Synod. pag. 895. narrat Socrates lib. 2. c. 19. Orientales triennio post Concilium Antioch. anni 341. prolixam fidei formulam conscripsisse, eamque per Eudoxium, Macedonium & Martyrium ad episcopos Italiæ misisse. Ex illorum adventu nata videtur hujus Concilii occasio, in quo quatuor illi episcopi Arii hæresim damnare recusarunt. Unde obiter observamus, id Occidentalibus moris fuisse, ut in Conciliis suis cum ceteris hæresibus Arianam condemnandam proponerent. Quod enim hoc anno à prædictis episcopis, hoc ipsum anno 347. à Valente & Ursacio in eadem civitate exactum fuit, ut ipsi declarant Fragm. II. n. 20. Id quoque Arelatensi synodo anni 353. præstitum esse mox audiemus. Et Athanasius lib. de Synod. p. 876. testis est, Arimini patefactam ea ratione fuisse Valentis & Ursacii vafritiem. *Episcopis enim*, inquit, *proponentibus ut cetera cum Ariana damnarentur hæreses, reliquisque omnibus ad id consentientibus, Valens & Ursacius cum sociis abnuerunt.*

[c] Horum Athanasius ad Solit. p. 858. catalogum videtur texere, ubi conqueritur quòd *Arianis, neque illis novitiis, sed veteranis ac jam olim cum Ario ab Alexandro episcopo damnatis ecclesiæ* (catholicis ereptæ) *donentur. Ita in superiori Libya Secundus, in Alexandria Euzoius Chananæus, Julius, Ammon, Marcus, Irenæus, Zosimus, Serapion cognomento Pelecon, & in Libya Sisinnius cum juvenibus ejusdem secum hæreseos cultoribus ecclesias accipiunt.*

[d] Valesius cùm *Georgium in Alexandria* sic intellexisset quasi Georgium Alexandrinum episcopum, quem constat anno tantùm 356. in Athanasii sedem invasisse; eo loco adductus est, ut hanc epistolam ante eumdem annum scriptam negaret. At notatur hoc loco Georgius alter, & ut probabile est Laodiceæ episcopus, qui antea Athanasio teste lib. de Synod. p. 886. & 887 Alexandrinus presbyter, ab Alexandro ejectus fuerat. Unde post *in Alexandria*, commodè supleveris *olim presbyter*. Commodiùs verò intellexeris eum hîc argui, quòd Alexandrinis Arianis per litteras communicet.

[e] Abest *exhibitis* apud Baronium. In ms. Pith. *exibitis episcopis:* quod Faber non malè videtur correxisse, ut liquidiùs patebit, si verborum ordo mutetur in hunc modum: *si talium sententiis jam exhibitis cogantur episcopi obedire.* Quod autem de vi episcopis illata subinde dicitur, apertiùs explicat Sulpicius Sev. lib. 2. p. 246. ubi ait, *Edictum ab Imperatore proponitur, ut qui in damnationem Athanasii non subscriberent, in exsilium pellerentur.*

[f] Vincentii scil. Capuani, & Marcelli, uti declaratur sequenti Fragmento n. 3. quorum primi, aut potiùs secundi conatus hîc narrantur. Credendum enim est, eos primò noluisse omnino Athanasium damnare, deinde consensisse quidem Athanasii condemnationi, modò ipsi illius adversarii Arii hæresim damnarent, ac tandem Vincentium vi compulsum Arianorum placita perfecisse.

dum igitur mansuetudinem tuam, ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem & coepiscopum meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio presbytero & Hilario diacono placuit proficisci. Quos credimus de clementia tua ad pacem omnium ecclesiarum catholicarum non difficulter posse Concilium impetrare. Dei omnipotentis clementia te nobis custodiat clementissime ac religiosissime [a] Auguste. Explicit.

FRAGMENTUM * VI.

* Aliàs 1. partis.

» LIBERIUS ANTE QUAM AD EXSILIUM iret, hanc uniformem [b] epistolam Confessoribus scripsit *, id est, Eusebio, Dionysio & Lucifero in exsilio constitutis.

* an. 355.

Exsulibus gratulatur Liberius.

1. QUAMVIS sub imagine pacis, humani generis inimicus vehementiùs in membra Ecclesiæ videatur esse grassatus; vos tamen, [c] acceptissimi in Domino sacerdotes, egregia & singularis fides & hîc probabiles Deo ostendit, & jam ad futuram gloriam martyres designavit. Quo itaque præconio laudis, qua vocis exsultatione merita virtutis vestræ proferam, positus inter mærorem absentiæ vestræ & gaudium gloriæ, prorsus invenire non possum: nisi quòd scio * hinc me probabiliora vobis solatia exhibere, si credatis me in exsilium simul vobiscum esse detrusum. Denique me adhuc in ipsa exspectatione pendentem quòd à consortio vestro durior necessitas interim distrahit, satis contristor. Optaveram enim, Fratres devotissimi, prior pro omnibus vobis impendi, ut exemplum gloriæ per me magis vestra dilectio consequeretur. Sed fuerit hæc palma meritorum vestrorum, ut priores de perseverantia fidei ad confessionis inlustrem gloriam veneritis. Quæso igitur dilectionem vestram, ut me præsentem vobiscum esse credatis, atque eo me affectu absentem non esse sentiatis, & intelligatis dolere me satis, quòd sim interim à vestro consortio * disparatus. Quantam denique gloriam fueritis consequuti, hinc magis scire potestis, quòd si qui in persequutione coronati sunt, solius persecutoris [d] cruentos gladios sentire potuerunt: contrà vos, devoti per omnia Dei milites, etiam falsos fratres inimicos experti, de perfidis victoriam pertulistis: quorum [e] quantò in sæculo violentia increscere potuit, tantò sanctis sacerdotibus præmia laudis inveniuntur conferre. Estote itaque de promissione cælesti securi.

* al. hic

* separatus.

Pro se orãt rogat.

2. Et quia proximiores estis Deo effecti, vestris orationibus me vestrum consacerdotem famulum Dei ad Dominum sublevate: ut supervenientes impetus, qui de die in diem, cùm [f] annuntiantur, graviora vulnera infligunt, tolerabiliter ferre possim; ut inviolata fide, salvo statu Ecclesiæ catholicæ, [g] parem vobis dignetur me Dominus efficere. Et quia cupio quæ gesta sunt in ipsa congressione fideliùs scire; obsecro sanctitatem vestram, ut universa fideliter litteris intimare dignemini: ut additamentum majus vel ipse animus, qui diversis rumoribus cruciatur, vel vires corporis ipsius, quæ jam extenuatæ sunt, de cohortatione vestra possint sentire: *& alia manu*, Deus vos incolumes custodiat, Domini Fratres.

Gesta Mediolani ab ipsis vult discere.

« ITEM LIBERIUS ANTE QUAM IRET in exsilium, de Vincentio Capuensi ad [h] Cæcilianum episcopum Spoletinum [i] scripsit.

« Circa initium an 354.

Vincentii lapsum dolet.

3. NOLO te factum Vincentii ab intentu boni operis revocet, Frater carissime. *Et ad Ossium de Vincentii ruina sic* [k] *dicit.* INTER [l] hæc quia in nullo conscientiam tuam debeo præterire, multi ex Italia episcopi convenerunt, qui mecum [m] religiosissimum Imperatorem Constantium fuerant deprecati, ut juberet, sicut ipsi placuerat dudum, Concilium ad Aquileiam congregari. Vincentium Capuensem cum Marcello æquè ex Campania episcopo legationem nostram suscepisse, Sanctitati tuæ insinuo: de quo multum sperabam, quòd

[a] Apud Baron. *religiosissime Imperator.*

[b] Baronius ad an. 355. n. 32. epistolam eamdem exhibet: quam in actis quidem S. Eusebii ad unum Eusebium, in codice autem Vaticano tum ad ipsum tum ad reliquos exsules, ac demum in pluribus aliis exemplaribus ad omnes Confessores diversis in locis exsulantes encyclicam inscriptam esse testatur. Cui inscriptioni favet, quòd hanc *uniformem* Hilarius nuncupat. Unde proximè post verba *Dionysio & Lucifero*, supplendum videtur *& ceteris.* Certè Pancratii presbyteri & Hilarii diaconi, qui unà cùm Eusebio, Dionysio & Lucifero missi, eamdem exsilii sortem perpessi erant, Liberium oblitum esse quis credat?

Non ambiguum est, illam ad eos maximè missam esse, qui in Concilio Mediolanensi anni 355. ob constantem fidei atque Athanasii defensionem in exsilium ejici meruerunt. Neque minùs est perspicuum, eam statim post ipsum Concilium eo ipso anno 355. scriptam esse.

Quocirca si temporum ordinem spectes, sequentes tum ad Cæcilianum tum ad Osium litteræ non solùm ante hanc epistolam, sed & ante superius Fragmentum erunt collocandæ. Sed distrahi non debuerunt, quæ ab Hilario ipso connexa erant: qui, ut ipse præmonuit, interdum non tam temporum rationem habet, quàm rerum. Neque nunc prudentibus latet ipsius consilium, illum nimirum ea in unum collegisse, quæ unde ceciderit Liberius, & à quàm magno animo ad quàm pusillum sit dilapsus, ostenderent.

[c] In ms. Pith. *acceptissimos*: cui voci Faber addidit *Deo.* Sincerior visa est lectio Baronii.

[d] Apud Baron. *persecutionis*: ex quo, necnon ex ms. Sirm. restituimus deinde *cruentos gladios*, pro *fructus gladio.*

[e] In ms. Pith. *quantumque*, mox omisso vocabulo *sanctis*: quod ex Baronio supplemus, cum eodem præferentes *quanto*, tacitâ particulâ *magis.*

[f] Pith. ms. *cùm annuntiant graviora futura infligunt*: castigat Baronii exemplar.

[g] Apud Baron. *præmia nobis dignetur afferre. Et quia* &c.

[h] In ms. Sirm. *ad Ælianum.* Et quidem apud Athanasium pag. 767. Sardicensi synodo subscribit *Ælianus.*

[i] post recentem Vincentii lapsum, ne illius exemplo à veritatis defensione deterreretur; aut igitur exeunte anno 353. aut ineunte 354.

[k] Eodem tempore, quo ad Spoletinum episcopum; ut intolerabile quoddam doloris pondus, quo opprimebatur, in alienum transmittens jam leviùs ipse ferret. Fortè etiam ea tempestate Ecclesiæ multum timens sollicitus ejusdem gubernator, alia ad alios scripserit. Quantum cordi ei fuerit ille Vincentii lapsus, aliis ad Eusebium Vercell. litteris significat apud Baron. ad an. 353. n. 20.

[l] Mallemus *inter alia*: (quomodo legisse videtur Baronius in codice Vaticano, unde eadem Liberii verba descripsit ad an. 353. n. 19.) ut hæ duæ voces cum superiore verbo *dicit* connectantur, sintque Hilarii se non integras Liberii litteras describere admonentis.

[m] Sirm. ex Remig. ms. *gloriosissimum.*

[a] & causam optimè retineret, & judex in eadem causa cum sanctitate tua frequenter resedisset; credideram [b] integrum Dei Evangelium suâ legatione posse servari. Non tantùm nihil impetravit, sed etiam ipse in illam ductus est [c] simulationem. Post cujus factum, duplici affectus mærore, mihi moriendum magis pro Deo decrevi; ne viderer novissimus delator, [d] aut sententiis contra Evangelium commodare consensum.

4. Post hæc omnia, quæ vel gesserat, vel promiserat Liberius, missus in exsilium [e] universa in irritum deduxit, scribens prævaricatoribus hæreticis Arianis, qui in sanctum Athanasium orthodoxum episcopum [f] injustam tulere sententiam. *Liberius Athanasium damnat.*

DILECTISSIMIS FRATRIBUS PRESBYTERIS & coepiscopis Orientalibus, Liberius S. *Circa finem an. 357.*

5. PRO deifico timore sancta fides vestra Deo cognita est & hominibus bonæ voluntatis. Sicut lex loquitur, Justa judicate filii hominum, ego Athanasium [g] non defendo: sed *Psal. 57. 2.* quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius episcopus decessor meus, verebar ne fortè [h] ab aliquo prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, justè vos illum condemnasse, mox consensum commodavi sententiis vestris, litterasque super nomine ejus, ([i] *id est de condemnatione ipsius*,) per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem Constantium. Itaque amoto Athanasio [k] à communione omnium nostrûm, cujus nec epistolia à me suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis & cum universis episcopis Orientalibus seu per universas provincias pacem & unanimitatem habere.

6. Nam, ut veriùs sciatis, me [l] vera fide per hanc epistolam ea loqui, dominus & frater meus communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem [m] vestram & catholicam exponere, quæ Sirmio à pluribus fratribus & coepiscopis nostris tractata, exposita, & suscepta est (*Hæc* [n] *est perfidia Ariana. hoc ego notavi, non apostata. Liberius sequentia:*) ab omnibus qui in præsenti fuerunt; hanc ego *Sirmiensi fidei subscribit.*

[a] Ita ex Baronio emendamus: cùm ex ms. Pith. vulgatum esset, *quòd de causa optimè retineret, & videns in eadem... resedisse.* Porro ille Vincentius cum Osio judex sedit in Sardicensi synodo, cui & subscribit suprà Fragm. II. & à qua legatus ad Constantium delectus est, uti narrat Athanas. ad Solit. p. 882. Præterea creditur Romano Concilio anni 341. interfuisse, & is esse Vincentius, quem Nicæno in Concilio Romanæ Ecclesiæ presbyterum & Silvestri Papæ legatum legimus.

[b] In mss. Pith. & Sirm. *integram jus Evangeliorum*: tum solus Pith. *sive legationis*, Sirm. *sua legationis.* Baronii præferimus lectionem.

[c] eorum scil. nonnihil cedendo minis atque contumeliis, quorum primis conatibus fortiter restiterat, uti fidem facit Fragmentum superius n. 5.

[d] Apud Baron. *delator exsistere: nam videtur sententiis accommodasse consensum.* Quæ lectio si vera est, nondum certus erat Liberius, an re vera commodasset. Et apud Athanasium quidem Apolog. ad Constant. p. 692. habemus, Vincentium vim non mediocrem contumeliasque passum esse, donec ab ipsius communione sese abstinere promitteret; sed non habemus, eum quidquam aut contra fidem aut contra Athanasium subscripsisse. An verò in eamdem simulationem abierit Marcellus, Liberius silet: unum deflet Vincentii lapsum, utpote illustrioris, de quo uno multum sperabat; & cujus tantum erat nomen, ut postea Damaso apud Theodoretum lib. 2. hist. eccl. c. 21. dicere licuerit, nullum adversùs fidem præjudicium esse debere ex numero episcoporum Arimini congregatorum, Romano episcopo & Vincentio non consentientibus.

[e] *Post exactum*, inquit Athanas. ad Solit. p. 837. *in exsilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est.* Ex quo efficitur, tres subsequentes epistolas exeunte anno 357. aut certè ineunte 358. scriptas esse. Facilè etiam aliquod inter eas intervallum fuisse concedimus. Nam dum Romæ desiderio flagrans Liberius ab his, à quibus sperabat, se nihil juvari cerneret; aliorum subinde opem implorabat. Unde primam ad annum 357. alias ad 358. pertinere probabile est. Litteras easdem descripsit Baronius ad an. 357. n. 34. quas in Cresconiana collectione ac duobus codicibus se nactum esse testatur n. 32.

[f] Ita Sirm. ms. Aliàs autem, *injustè.*

[g] In ms. Pith. *non defendi.* Nobis magis probatur cum Baronio *non defendo.* Nam quòd Athanasium antea defenderit, pluribus constat.

[h] Aliàs ex ms. Pith. *in aliquo.* Ex Baronio revocamus *ab aliquo*, consentiente Sirm. ms.

[i] Hæc verba charactere à ceteris distincto exprimi primus curavit Faber; ea tamen ut Liberii intellexit Baronius, neque certò constat an non illius re vera sint.

[k] Apud Baron. *amoto Athanasio, super quo statuta omnium vestrûm à me cum sede apostolica suscipienda sunt, dico* &c. & mox, *unitatem*, non *unanimitatem.*

[l] In exemplaribus Baronii, *me veram fidem per hanc epistolam meam proloqui.* Postea desiderari videtur, *quam proposuit.*

[m] In priùs vulgatis desideratur *vestram*, quod supplemus ex ms. Pith. Ejus loco in mss. Sirm. & Baron. exstat *veram.*

[n] Hanc notam, ex qua maxima inter eruditos controversia nata est, Baronius ad an. 357. n. 34. prætermisit. In appendice tamen postmodum confessus est, eamdem se in Cresconii collectione reperisse. Porro cùm triplex sit Sirmiensis formula, prima an. 351. contra Photinum scripta, altera Osii nomine an. 357. vulgata, postrema mense Maio an. 359. edita; disputant eruditi, quam hîc Liberius se suscepisse dicat.

Solus Valesius animadversionibus in Sozomeni lib. 4. c. 14. existimat tertiam hîc memorari; quam inter omnes fere convenit nondum fuisse editam, cùm hæc Liberius scriberet. Alii quidem arbitrantur illum adfuisse Sirmii, cùm ibi prædicta formula edita est, eique subscripsisse: sed cùm illuc non nisi Orientalium favore sit vocatus, neque hanc ab eis gratiam nisi hac epistola impetrarit; necesse est ut fidem hîc se dicat suscepisse aliam, quàm quæ cùm Sirmium pervenit edita est.

Blondellus aliique plures volunt, Liberium de secunda Sirmiensi formula loqui: tum quia hanc unam perfidiæ nomine notat Hilarius, cùm contrà primam lib. de Synodis probet & excuset; tum quia Liberius eam se suscepisse ait fidem, *quæ Sirmium à pluribus fratribus & coepiscopis nostris tractata, exposita, & suscepta est ab omnibus qui in præsenti fuerunt*: quæ verba cum secundæ Sirmiensis formulæ procemio satis conveniant. In Blondelli sententiam Petavius notis in Epiphan. pag. 316. propendet: quamvis Liberium ab hæresi facilè liberari posse censeat, si primam dumtaxat prædictæ formulæ partem, qua homousion & homœusion reticendum esse decernunt, pacis & quietis studio dicatur esse complexus. Sed quis eum primam tantùm partem suscepisse concedat, à quo audit, *Hanc ego libenti animo suscepi, in nullo contradixi?* Sed quod certissimum ibidem asserit Petavius, Liberium scil. primæ Sirmiensi formulæ non subscripsisse, hac una ratione satis levi probat: quia nimirum hæc prima ecthesis Liberii non modò restitutionem, sed & exsilium præcesserit. Quasi verò qui exsilio ideo multatus erat, quòd Athanasio ac fidei Nicænæ adhærens, novas Orientalium formulas probare recusasset; non id omne nunc efficiat, unde ab exsilio revocetur, dum & Athanasii causam se deserere, & Sirmiensi fidei contra Photinum, quæ, cùm relegatus est, apud Orientales novissima erat, se subscripsisse testificatur.

Gravioribus momentis nititur opinio, qua Baronius aliique Liberium secundæ ecthesi Sirmiensi subscripsisse negant. Primò enim quando hæc conscripta est, jam obierat Theodorus; Cecropius verò, Eudoxius &c. Sirmio aberant; demum ei ad se delatæ acerrimè adversati sunt Basilius, Macedonius, Silvanus &c. quos tamen omnes infrà habemus ejus formulæ esse auctores, cui se consensisse dicit Liberius. Ad hæc reclamat Petavius, subjectam appendicem non ab Hilario, sed ab homine, qui Arianæ sectæ divortia nesciret, fuisse additam. Ita etiam verbum *requirendum*, quod in ipsius fine exstat, in gratiam Petavianæ sententiæ interpretatur nonnemo; quasi additamenti hujus auctor incertus ac dubius, rem totam diligentiùs excutiendam hac notulâ admoneret. Sed pro hujus appendicis veritate adest non solùm ms. Pithœani, sed & Cresconianæ collectionis auctoritas. Neque animo succurrit, à quo & quam ob causam tot episcopi excogitati: quorum nomina interpolatorem rerum Arianarum rudem ei profectò non sapient, qui Liberium Sirmiensi fidei anni 351. subscripsisse defender. Quod ad verbum *requirendum* attinet, amanuensi aliàs etiam dormitanti pro alio irrepsisse facilè cogitatur; maximè cùm ejus loco Baronius in mss. suis repererit *& alii.* Hoc verbum aliter explicat Salmasius notis in Tertulliani lib. de pallio p. 425. Ac primò quidem observat, antiquos librarios litteram *r* iis locis apponere solitos esse, quibus aliquid deesset ad sententiæ integritatem, quod requiri deberet & investigari. Cujus rei exempla singulis fere paginis exhibet antiquus & accuratus codex Majoris-monasterii Turon. plerosque Hi-

libenti

libenti animo [a] ſuſcepi, (*Anathema tibi à me dictum, Liberi, & ſociis tuis*) in nullo contradixi, conſenſum accommodavi, hanc ſequor, hæc à me tenetur. (*Iterum tibi anathema & tertiò, prævaricator Liberi.*) Sanè petendam credidi ſanctitatem veſtram, quia jam pervidetis in omnibus me vobis conſentaneum eſſe, dignemini communi conſilio ac ſtudio laborare, quatenus de exſilio jam dimittar, & ad ſedem quæ mihi divinitus credita eſt revertar.

Fidei ejus qui auctores.

» 7. Perfidiam autem apud Sirmium deſcriptam, quam dicit Liberius catholicam, à Demophilo ſibi expoſitam, hi ſunt qui conſcripſerunt; Narciſſus, Theodorus, Baſilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Urſacius, Valens, Evagrius, [b] Hyrenius, Exuperantius, Terentianus, [c] Baſſus, Gaudentius, Macedonius, [d] Marthus, Acticus, Julius, Surinus, Simplicius & [e] Junior, [requirendum] omnes hæretici. «

ITEM LIBERIUS [f] DE EXSILIO, Urſacio, Valenti & Germinio.

Liberius ab Athanaſii communione ſeparatus.

8. Quia ſcio vos filios pacis eſſe, diligere etiam concordiam & unitatem Eccleſiæ catholicæ; idcirco non aliqua neceſſitate compulſus, Deo teſte dico, ſed pro bono pacis & concordiæ, quæ martyrio præponitur, his litteris convenio vos, domini [g] fratres cariſſimi. Cognoſcat itaque prudentia veſtra, Athanaſium, qui Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopus [h] fuit

larii in pſalmos Tractatus continens. Tum opinatur litteram prædictam ab aliquo ſtudioſo in ora libri notatam, qua moneret requirendum eſſe quinam illi eſſent ibi nominati, quarumve civitatum epiſcopi. Nos autem hanc notam appoſitam ſuſpicamur propter unum nomen *Junior*, quod adjectivum magis videtur quàm proprium, & apud Baronium non compáret. Poſtremò verbum *requirendum*, quod marginali nota *r* ſignificabatur, ab aliquo in textum tranſlatum eſſe conjectat. His de verbo *requirendum* notatis, ad inſtitutam quæſtionem redeamus.

Si Liberii expendantur verba, planum fiet ad ſecundam Sirmienſem formulam minimè eſſe referenda. Orientalibus enim primas litteras ſuas inſcribit, tum de datis ad Orientales litteris Urſacium & Valentem, ac poſtmodum Vincentium & Italos epiſcopos ſtudioſè monet. Unde verò tanta ei in Orientales fiducia, niſi quia eorum fidei ſubſcripſiſſet? Atqui Orientalium fides alia tum non erat, niſi prima Sirmienſis unà cum pſeudo-Sardicenſi & Antiochena. Deinde ſi ſecundæ ſubſcripſiſſet, apud Orientales dicere non debuit ſe ſuſcepiſſe *fidem veſtram & catholicam quæ Sirmio à pluribus fratribus & coepiſcopis noſtris tractata, expoſita & ſuſcepta eſt.* Nam ſecunda à ſolis Occidentalibus Urſacio, Valente, Germinio, Potamio & Oſio expoſita eſt: ac proinde in eam non cadit *veſtram.* Longè minùs convenit vox *catholicam*, quæ vix Sirmium egreſſa eſt, cùm eam omnes averſati ſunt. Neque dicenda fuit *à pluribus fratribus expoſita*, cujus vel ſex auctores non facilè excogitaris. Prætereà ſi fidem Valentis & Urſacii operâ expoſitam recepit; cur non contendit illorum primùm captare gratiam, qui & apud Imperatorem plurimùm poterant, & in ejus Comitatu tum verſabantur? Quis etiam neget, Demophilum ſæpe ſæpius antea tentaſſe, ut Liberium ad Arianas partes inflecteret? Sed antea nullam Arianarum partium fidem recentiorem ei ſubſcribendam offerre potuit, quàm Sirmienſem primam. Mittimus, vix tum ſecundam potuiſſe Berœam deferri, cùm Liberius lapſus eſt. Denique Sozomenus lib. 4. c. 15. teſtis eſt, Liberium, cùm Sirmium perveniſſet, confeſſionem dediſſe, *qua eos qui Filium ſecundùm ſubſtantiam & per omnia Patri ſimilem non eſſe aſſererent, alienos ab Eccleſia pronuntiabat.* Neque hoc facturus erat, ſi proximè antea ſubſtantiæ vocabulum damnaſſet.

At, inquies, ſi Hilarius Liberium primæ Sirmienſi ecthesi conſenſiſſe intellexit; cur eam, quam lib. de Synodis probat & excuſat, nunc perfidiam vocat? Jam libris de Synodis & in Conſtantium demonſtraſſe nobis videmur, numquam Hilario probatam fuiſſe Sirmienſem aut aliam Orientalium fidem. Immo ex eo quod ait in Conſtant. n. 24. *Quidquid præter fidem unam eſt, perfidia, non fides eſt:* conſectarium eſt etiam primam Sirmienſem, quippe quæ præter Nicænam eſt, eſſe perfidiam. Neque inconſtantiæ arguendus eſt Hilarius, quòd eamdem fidei confeſſionem cùm laudaſſet aliàs, nunc acriter carpat ac reprehendat. Namque ut illi digni ſunt laude, qui à malo recedunt; ita qui à bono deficiunt, meritò ſunt vituperandi. At verò Orientalibus, Filium ex nihilo & intra tempus exſtitiſſe olim aſſerentibus, poſtea verò Sirmienſi fide, Ancyranis decretis illuſtratâ, ante tempora & ex Dei ſubſtantia confitentibus, ad veram fidem proficere fuit, & quodam modo catholicos evadere. Contrà Liberio Sirmienſis fidei confeſſione ſanctam conſubſtantialis fidem ſupprimenti, à vera fide deficere fuit, & perfidum atque hæreticum quadam ratione fieri. Hæreticis enim communicans, & credendi legem, quam hæretico ſenſu tuebantur, quamvis intellectu catholico ab eis recipiens, hæreſis partes communiebat: catholicus fide & interiori conſcientia, communione ac fortè etiam rumore publico hæreticus. quo de rumore legendus Sozomenus lib. 4. c. 15. Eo ſenſu intelligendus eſt Hieronymus lib. 1. de Script. eccl. dixiſſe, Liberium à Fortunatiano *ad ſubſcriptionem hæreſeos* compulſum eſſe. Quò ſpectat & illud Auxilii lib. 1. de ordinationibus c. 25. *Quis neſciat quòd Liberius, heu proh dolor! Arianæ hæreſi ſubſcripſit?*

[a] Baronius, *ſuſcepi in nullo contradicens. Sanè petendam credidi*, iis omiſſis quæ his interpoſita ſunt. Quamvis autem in noviſſima editione ea ipſa additamenta in Creſconii collectione ſe offendiſſe fateatur; ea tamen Hilarii eſſe prorſus negat. Noſtras ea de re conjecturas proponere ſatis habebimus. Cùm in mſ. Pith. poſt verbum *ſuſcepi*, uno eodemque contextu ſequatur, *Sanctus Hilarius anathema illi dicit: anathema tibi à me*, &c. opinamur hæc verba, *Sanctus Hilarius anathema illi dicit*, in antiquiore exemplari ad marginem dumtaxat adſcripta eſſe, ac poſtmodum imperiti alicujus librarii operâ in textum irrepſiſſe. Ex quo conficitur 1°. non recentes eſſe hujuſmodi interpolationes, 2°. jam ab antiquis temporibus Hilarium earum, immo totius hujuſce collectionis auctorem fuiſſe creditum. Præterea ferventiſſimò Chriſti Confeſſori in hominem, qui quamvis in ſumma Eccleſiæ dignitate conſtitutus, Domini tamen ſui cauſam turpiter deſeruerit, anathema dicere licuiſſe Apoſtolo auctore jam probavimus. Sed ſi fortè hæc additamenta Hilario non ſunt indigna, cùm primùm Liberii lapſum reſcivit; nihilo minùs ab ipſo videtur alienum, ut cùm hoc Opus ſuum Liberio jam correcto in publicum emiſerit, ea tum non eraſerit prorſus atque ſuppreſſerit.

[b] In mſ. Sirm. ut & apud Baron. *Irenæus.* Evagrius, qui antea nominatur, ipſe fortè eſt Mitilenes inſulæ epiſcopus, qui in Seleucienſi ſynodo ab Acacii parte ſtetit.

[c] Baronius ex mſſ. ſuis expreſſit *Buſtus.* Inter ſubſcriptiones pſeudo-Sardicenſis ſynodi legitur *Baſſus epiſcopus à Car.*

[d] Remig. mſ. apud Sirm. *Martius, Atticus* &c. Multo magis arridet hæc Baronii lectio, *Marcus, Aetius, Julius, Severinus.* qui quidem apud Epiphanium Ancyranæ ſynodi ſubſcribit epiſtolæ, & infrà Fragm. XV. inter eos recenſetur, quos Germinius reſcripti ſui initio nuncupat.

[e] In eodem mſ. *& ceteri juniores quibus credidit, omnes hæretici.* Apud Baron. ſimpliciter, *& alii*, omiſſis ceteris. In illius autem appendice ad an. 355. rurſum compáret *Junior* inter eos nominatus, qui contra Athanaſium Mediolanenſi in Concilio ſubſcripſerunt. De verbo *requirendum* ſatis diſſeruimus ſuperiùs.

[f] aliquanto poſt quàm ſuperiorem ad Orientales ſcripſit epiſtolam: adeoque circa initium anni 358. Hanc Baronius ut genuinam deſcribit ad an. 357. n. 35. At ſententiâ retractatâ in Appendice pag. 25. adulterinam eam eſſe vult, & ab iis, à quibus ſuperius Fragmentum IV. confictam. Poſtremæ illius ſententiæ ſubſcribit Binius, nec Labbeus repugnat: qua ratione permoti, mox expendetur. At certè interim concedant neceſſe eſt, eam neque auctoris noſtri judicio falſitatis fuiſſe ſuſpectam, neque ſtilo à ceteris Pontificis ejuſdem litteris diſſidere.

[g] Concinniùs apud Baron. *domini mei cariſſimi.*

[h] Ex mſ. Sirm. utcumque reſtauratur hic locus, qui ex Pith. antea ſic vulgatus erat: *epiſcopus fuit, priùs quàm ad Comitatum ſancti Imperatoris ſecundùm litteras Orientalium epiſcoporum, & ab Eccleſia Romana communione ſeparatus eſt, ſicuti teſte eſt* &c. Apud Baronium autem, *epiſcopus fuit, priùs quàm ad Comitatum ſancti Imperatoris perveniſſem, ſecundùm litteras Orientalium epiſcoporum ab eccleſia Romana communione eſſe ſeparatum.* Quæ verba cùm Baronius ita intelligat, quaſi dicat Liberius, ſe ante exſilium ſuum, priùs quàm ad Imperatoris Comitatum accerſitus perveniſſet, ſecundùm litteras Orientalium epiſcoporum pontificatus ſui initio acceptas, Athanaſium ab eccleſiæ Romanæ communione ſeparaſſe; ſi bene intelligit, totam hanc epiſtolam iis meritò attribuit, qui ſuperiorem Fragmento IV. relatam cuderunt.

Sed ex lectione, quam nobis ſuppeditat Sirmondi mſ. hoc potiùs videtur Liberius declarare, Athanaſium à ſe priùs eſſe damnatum, quàm ad Imperatoris Comitatum deſtinaret aut quod ad Orientales ſuperioribus litteris ſcripſerat, aut quod illi ad eaſdem reſcripſerant; idque Romanæ eccleſiæ jam ſe ſignificaſſe.

Immo recepta ultro Baronii lectione, Liberii ad Imperatorem, ſalva hujus epiſtolæ veritate, intelligetur adventus, non quidem, ut ille interpretatur, Româ Mediolanum unde relegatus eſt, ſed Berœâ, quò relegatus erat, Sirmium. Certè ex Sozomeno lib. 4. c. 15. conſtat Liberium, nondum acceptâ Romam revertendi poteſtate, Sirmium ubi verſabatur Imperator accerſitum eſſe. Nunc igitur teſtificatur ſe priùs, quàm hoc iter confeciſſet, Athanaſium damnaſſe *ſecundùm litteras Orientalium*, hoc eſt, vel ſecundùm formam ſententiæ litteris Orientalium conſignatæ, vel obſequendo litteris Orientalium, qui hanc Athanaſii condemnationem tam importunè ab ipſo exegerant. In his nulla habetur cum pſeudepiſtola ſuperiore convenientia.

à me esse damnatum priùs, quàm ad Comitatum sancti Imperatoris litteras Orientalium destinarem episcoporum, & ab ecclesiæ Romanæ communione esse separatum, sicuti [a] teste est omne presbyterium Romanæ ecclesiæ. Sola hæc causa fuit, ut tardiùs viderer de nomine ipsius litteras ad fratres & coepiscopos nostros Orientales dare, ut legati [b] mei quos ab urbe Roma ad Comitatum direxeram, seu episcopi qui fuerant deportati, & ipsi unà cum his, si fieri posset, de exsilio revocarentur.

Romam remitti enixè rogat.

9. Et hoc etiam scire vos volo, quòd fratrem Fortunatianum [c] petii, ut cum litteris meis ad clementissimum Imperatorem Constantium Augustum pergeret, petere ut bono pacis & concordiæ, in qua pietas ejus semper exsultat, me ad ecclesiam mihi divinitus traditam jubeat reverti: ut temporibus ipsius Romana ecclesia nullam sustineat tribulationem. Me autem cum omnibus vobis episcopis Ecclesiæ catholicæ pacem habere, his litteris meis æquo & simplici animo scire debetis, fratres carissimi. Magnum [d] solatium enim vobis in die retributionis acquiretis, si per vos pax ecclesiæ Romanæ fuerit reddita. Scire autem per vos volo etiam fratres & coepiscopos nostros Epictetum & Auxentium, pacem me & communionem ecclesiasticam cum ipsis habere: quos credo gratanter hæc suscepturos. Quicumque autem à pace & concordia nostra, quæ per orbem terrarum, volente Deo, firmata est, dissenserit; sciat se separatum esse à nostra communione. [e] *Prævaricatori anathema unà cum Arianis à me dictum.*

an. 358.

Item de exsilio [f] Liberius Vincentio.

Urbicum sibi ereptū dolet. 1. Cor. 15. 33.

10. Non doceo, sed admoneo sanctum animum tuum, frater carissime, eò quòd colloquia mala mores bonos corrumpunt. Insidiæ hominum malorum bene tibi cognitæ sunt, unde ad hunc laborem perveni: & ora, ut det Dominus tolerantiam. Dilectissimus filius meus Urbicus diaconus, quem videbar habere solatium, à me per Venerium agentem in rebus sublatus est.

Quo nomine reditum ab exsilio deprecetur.

11. [g] Sanctitati tuæ significandum credidi, me de contentione illa à nomine Athanasii recessisse, & ad fratres & coepiscopos nostros Orientales litteras dedisse de super nomine ejus. Unde quia, Deo volente, & pax vobis ubique est, dignaberis convenire episcopos cunctos Campaniæ, & hæc illis insinuare, & ex ipsorum numero unà cum epistola vestra, de unanimitate nostra & pace ad clementissimum Imperatorem scribere, quò possim & ego de tristitia magna liberari. *Et manu ipsius*: Deus te incolumem custodiat, [h] frater. *Item manu ipsius paginæ perscriptæ*: Cum omnibus episcopis Orientalibus pacem habemus, & vobiscum ego. Me ad Deum absolvi, vos videritis: si volueritis me in exsilio deficere, erit Deus judex inter me & vos.

FRAGMENTUM * VII.

** Aliàs 2. partis.*

Incipit exemplum [i] epistolæ * Constantii Imperatoris ad episcopos Italos, qui in Ariminensi Concilio [k] convenerant.

*« * datæ « die 27. « Maii an. « 359.*

Victor Constantius maximus triumphator semper Augustus episcopis.

De fide tantùm in Concilio tractandum.

1. Continent priora instituta, Venerabiles, sanctimoniam legis rebus ecclesiasticis niti. Satis superque perspeximus litteris ad nostram prudentiam datis, iisdem oportere operam dare: cùm profectò & episcoporum id officio congruat, & salus omnium longè latéque populorum hoc fundamine roboretur.

[a] Apud Baron. *testis est*. An Liberio usitatum fuit *testis & teste*, quomodo nobis *fidelis & fidele*? Conjectare est ex hoc loco, Liberium statim post defectionem Clero Romano litteras scripsisse iis fere similes, quas Vincentio dedit: quibus, ut habemus infrà, enixè eum rogat, ut de sua cum Orientalibus pace quàm primùm Imperatorem certiorem faciat.

[b] Aliàs cum ms. Pith. *ut legati & quos*. Meliùs Baronii exemplaria, *ut legati mei*, per quos scil. epistolam superiori Fragmento relatam ad Constantium misit. Mox *seu episcopi* perinde est, atque *simul & reliqui episcopi*.

[c] Apud Baron. ut in ms. Sirm. epistola hæc auctior exstat in hunc modum: *petii, ut litteras meas ad clementissimum Imperatorem perferat, quas ad Orientales episcopos feci, ut scirent ipsi unà secum Athanasii communione me esse separatum: quas credo quòd pietas ipsius pro bono pacis gratulanter accipiet. quarum exemplar etiam Philagrio Imperatoris eunucho prodat* (vel ut habet Sirm. *etiam Hilario Imperatoris fideli direxi. Pervideat*) *caritas vestra, hac me benigno & innocenti animo gessisse. Quapropter his litteris meis convenio vos & adjuro per Deum omnipotentem, & Christum Jesum filium ejus* (Sirm. addit *Deum*) *& Dominum nostrum*, (solus Baron. subjicit *& Spiritum sanctum*,) *ut dignemini ad clementissimum Imperatorem Constantium Augustum pergere, & petere ut bono pacis* &c. Quæ verba non modò intricata, sed & interpolationis sunt valde suspecta. Quid enim hæc sonant, nisi Liberium priùs ad Orientales, quàm ad Imperatorem scripsisse, & litteras à se ad Orientales scriptas postea ad Imperatorem per Fortunatianum misisse? quamvis suprà num. 4. ad Orientales scribens, eosdem moneat se jam antea litteras dedisse per Fortunatianum ad Imperatorem Constantium perferendas. Contrà nitida est, & superiori epistolæ prorsus consentanea lectio, quam ex ms. Pith. expressam retinemus.

[d] Baron. *magnum etiam præmium vobis* &c. Sirm. ms. *magnum enim præmium vobis in die tribulationis acquiretis.*

[e] Hanc etiam notam exhibent Baronii exemplaria.

[f] Hic enim proximè post litteras Orientalibus datas, &, ut opinamur, ante quàm Ursacio, Valenti & Germinio scriberet. Liberii, ubi à pristina constantia sua cecidit, litterarum ordo statui potest: ut primùm Imperatorem, eodemque tempore Clerum Romanum mutati consilii sui per Fortunatianum certiores fecerit, deinde Orientales per litteras monuerit, se cum illis habere pacem, & ab Athanasii defensione discessisse; tum Vincentio, ejusque operâ cunctis Campaniæ episcopis, communionem cum Orientalibus à se initam significarit; ac postremò cùm ad Imperatoris Comitatum pergeret, litteris datis Valenti, Ursacio & Germinio, tum horum perditissimorum hominum, tum his nequitiâ non inferiorum Epicteti & Auxentii gratiam sibi tentarit conciliare. Egregium humanæ fragilitatis exemplum, cui sæpe tanto gravius imminet præcipitium, quanto videtur elatior.

[g] In ms. Sirm. verbo *sanctitati* subjicitur *verò*, apud Baronium autem præmittitur *& ideo.*

[h] Apud Baron. *domine frater carissime. Item manu ipsius in eadem pagina conscripta*. Legit Sirm. *pagina perscripta*, non *pagina perscripta.*

[i] Epistolæ huic auctoritas accedit ex Sozomeno lib. 4. c. 17. ubi litteras memorat Imperatoris ad episcopos Arimini ac Seleuciæ congregatos, quibus ut controversias de fide primùm componerent præcepit.

[k] In edit. *convenerunt*. Non malè tamen in mss. *convenerant*; cùm hic Hilarii sermo sit, non scribentium episcoporum. Antè cùm ex fide ms. priùs obtinuisset *Constantini* & *Constantinus*, reposuimus *Constantii*, & pòst *Constantius*.

Sed res admonuit instituta rursus exsistere. Non enim aliquis definita geminari superfluum judicabit, cùm [a] crebra consueverit admonitio augere cumulum diligentiæ. His ita se habentibus, de fide atque unitate tractari debere cognoscat sinceritas vestra, & operam dare, ut ecclesiasticis rebus ordo competens præbeatur. Discurret namque cunctorum prosperitas ubique populorum, & concordia fida servabitur, cùm penitus amputatis [b] nec hujusmodi quæstionibus cunctis sectando commoverit.

Non de Orientalium causis.

2. Res ista non debet ita intentionem animi [c] longiùs propagare: non enim de Orientalibus episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. Proinde super his tantùm, quæ ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debetis: & completis celeriter universis, consentiente consensu decem mittere ad Comitatum meum, ut prudentiæ vestræ prioribus * litteris intimavimus. (* non exstant.) Prædicti enim poterunt omnibus quæ eisdem Orientales proposuerint respondere, vel tractare de fide; ut exitu competenti omnis quæstio terminetur, & ambiguitas sopiatur. Quæ cùm ita sint, adversùs Orientales nihil statuere vos oportet: aut si aliquid volueritis contra eosdem prædictis absentibus definire; id, quod fuerit usurpatum, irrito evanescet effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio, cui nostra statuta testantur jam nunc robur & * copiam denegari. (* al. cupiã.) Quæ cùm ita sint, moderatione religionis venerabilibus antistitibus consentanea debetis veneranda perficere; ut id, quod religio postulat, explicetur, & quod audiri prohibet [d], nullus usurpet. Divinitas vos servet per multos annos, Parentes [e] K. Dat. VI. Kalend. Junias Eusebio & Ypatio conss.

INCIPIT [f] DEFINITIO CATHOLICA, habita * ab omnibus catholicis episcopis, priùs quàm per terrenam potestatem territi hæreticorum consortio sociarentur, in Concilio Ariminensi. (* an. 359.)


Fidei Nicænæ nihil addendum aut detrahendum.

3. Sic credimus placere omnibus posse catholicis, à symbolo accepto nos recedere non oportere, quod in collatione apud omnes integrum recognovimus; nec à fide recessuros, quam per Prophetas, à Deo patre per Christum Dominum nostrum docente Spiritu-sancto, & in Evangeliis & in Apostolis omnibus suscepimus, ut per traditionem patrum secundùm successionem Apostolorum usque ad tractatum apud Nicæam habitum contra hæresim, quæ tunc temporis exsurrexerat, positum nunc usque permanet. Quibus omnibus nec addendum aliquid credimus, nec minui posse manifestum est. Placet ergo nihil novum fieri: substantiæ quoque nomen & rem, à multis sanctis Scripturis insinuatam mentibus nostris, obtinere debere sui firmitatem. Quam rem [g] cum suo nomine Ecclesia catholica cum doctrina deifica semper confiteri & profiteri consuevit. Huic definitioni omnes in unum catholici conspirantes subscripserunt.

4. Eodem in Concilio, post quàm statutum est nihil debere paternam minui traditionem, etiam qui contra hanc veniebant, omnium in unum conspirantium spiritali voce sunt damnati. Cujus tractatus hoc est exemplum. [h]

EUSEBIO ET YPATIO [i] CONSS. XII. Kal. Augusti. (die 21. Jul. an. 359.)

Cùm apud locum Ariminensem episcoporum synodus fuisset collecta, & tractatum fuisset de fide, & sedisset animo quid agi deberet; Grecianus episcopus à Calle dixit, Quantum [k] decuit, Fratres carissimi, catholica synodus patientiam habuit, & piam [l] Ecclesiam totiens exhibuit juxta Ursacium & Valentem, Germinium, Gaium [m]; qui totiens mutando quod crediderant, omnes ecclesias turbaverunt, & nunc conantur hæreticum animum suum inserere animis Christianis. Subvertere enim volunt tractatum habitum apud Nicæam, qui positus est contra Arianam hæresim & ceteras. Attulerunt nobis præterea conscriptam à se fidem, quam recipere nos non licebat. Jam quidem hæretici antehac nobis pronuntiati sunt, & multis diebus est comprobatum: quos & ad nostram communionem non admisimus, voce nostra damnantes eos præsentes. Nunc iterum quid vobis placet, iterum dicite, ut singulorum subscriptione firmetur. Universi episcopi dixerunt, Placet ut hæretici [n] ss. damnentur, quò possit Ecclesia fide inconcussâ, quæ verè catholica est, in pace perpetua permanere.



[a] Aliàs, *cùm rebus*: ubi ex mss. Sirm. restituitur *cùm crebra*. Antea, loco *geminari*, magis placeret *examinari*.

[b] In ms. Pith. *ne hujusmodi*. Mallemus *de hujusmodi*, supplendo deinde *rebus*, de fide scil. & unitate: sicque hîc erit integer sensus: *cùm penitus amputatis de (rebus) hujusmodi quæstionibus cunctis, (quæ sunt) sectanda commonuerit. Res tamen ista* &c.

[c] Vocabulum *longiùs* ex ms. Sirm. adjicitur.

[d] Faber hîc adjecerat *ratio*, uti videtur, adductus verbis superioribus, *Non enim de Orientalibus . . . patitur ratio aliquid definiri*. Sed hæc vox abest à mss. & adest nomen *religio*, ad quod verbum *prohibet* commodè referatur. Si quid mutandum esset, proximè *audere* pro *audiri* libenter reciperemus.

[e] Hac littera *k*. nomen *carissimi* commodè intellexeris.

[f] Monimenti hujus veritatem confirmabit sequens Fragmentum.

[g] puta, substantiæ nomine significatam.

[h] Exemplum idem Athanasius suo de Synodis libro pag. 879. inseruit.

[i] Sic ms. Pith. hîc, suprà, & Fragmento sequenti, non *coss*.

[k] In edit. ut in ms. *dicunt*. Ex græca Athanasii versione, ὡς προσῆκον ἦν, nullum dubium est legendum esse *decuit*.

[l] Fortè, *&* *piam se Ecclesia totiens exhibuit erga Ursacium* &c.

[m] His addit Athanasius *Auxentium*. Qui si in Ariminensi synodo nominatim fuisset damnatus, nihil erat causæ, cur illam postea Mediolani, adversùs Hilarium nostrum disputans, tantopere jactitaret. Longè minùs audiendus est Socrates lib. 2. c. 37. ubi cum quatuor prædictis non modò Auxentium, sed & & Demophilum recenset: cujus, utpote Orientalis, causa ad Orientales ex superiori Imperatoris præcepto pertinebat. Sed & Concilium rerum à se gestarum certiorem faciens Imperatorem subsequenti Fragmento num. 2. solos Valentem, Ursacium, Germinium & Gaium memorat à se damnatos.

[n] Pro duplici *SS*. quod interpretari liceat *suprà scripti*, græcè apud Athanas. exstat verbum προειρημένοι, *prædicti*.

Appendix [a] superioris Fragmenti.

Damnatio blasphemiæ Arii, & expositio integræ & catholicæ fidei, quam catholici in tractatu Ariminensi firmaverunt, & manu sua subscripserunt.

Blasphemiæ Arii licèt antehac fuerunt damnatæ, latebant tamen occultæ; quia eum blasphemasse ignorabatur. B Verùm favente Deo procuratum est, ut constitutis nobis apud Ariminum ejus pestifera hæresis repeteretur. Et ideo simul cum ejus blasphemiis omnes quoque hæreses, quæ antehac exsurrexerunt contra catholicam & apostolicam traditionem, sicut jam dudum damnatæ sunt præteritis Conciliis & diversis in locis, nos quoque damnamus: & anathematizamus eos, qui dicunt filium Dei de nullis exstantibus, & de alia *, & non de C Deo patre natum Deum verum de Deo vero. Et si quis Patrem & Filium duos Deos, hoc est, non * nota duo principia dixerit, & non Patris & Filii unam deitatem profiteatur, anathema sit. Si quis & filium Dei creaturam vel facturam dixerit, anathema sit. Si quis Deum patrem ipsum de Maria Virgine natum, eumdemque patrem & filium dixerit, anathema sit. Si quis filium Dei de Maria initium sumsisse dixerit, vel fuisse tempus quando non erat filius, anathema sit. D Si quis filium Dei non verè inenarrabiliter de Deo patre natum, sed adoptivum filium dixerit, anathema sit. Si quis filium Dei aut temporalem, aut hominem solum, & non ante omnia sæcula de Deo patre natum profiteatur, anathema sit. Si quis Patris & Filii & Spiritus-sancti unam personam aut tres substantias divisas dixerit, & non perfectæ Trinitatis unam deitatem profiteatur, anathema sit. Si quis filium Dei esse ante omnia quidem sæcula, * & non ante omne omnino tempus, ut ei E tempus adsignet, anathema sit. Si quis creata omnia non per Verbum, sed sine eo vel ante eum facta dixerit, anathema sit. Si * qui autem A aliæ blasphemiæ Arii vel cujuslibet repertæ fuerint, similiter anathematizamus.

* supple, substantia.

* f. nata.

* f. sed non.

* f. quæ.

FRAGMENTUM * VIII.

* Alias 2. partis.

Sequitur * epistola [b] Ariminensis Concilii ad Constantium Imperatorem, [c] ubi episcopi prævaricati sunt à fide vera.

* Scripta an. 359.

Beatissimo & gloriosissimo Augusto Constantio, synodus Ariminensis.

Ariminensis synodus nil innovandum statuit.

1. Jubente [d] Deo ex præcepto pietatis tuæ credimus fuisse dispositum, ut ad Ariminensium locum ex diversis provinciis Occidentalium episcopi veniremus, ut fides claresceret omnibus Ecclesiis catholicis, & hæretici noscerentur. Dum enim omnes qui rectè sapimus, contractaremus; placuit quidem ut fidem ab antiquitate perseverantem, quam per Prophetas, Evangelia & Apostolos, per ipsum Deum & Dominum nostrum Jesum Christum salvatorem Imperii tui & largitorem salutis tuæ [e], e
quam semper obtinuimus, teneamus. Nefas enim duximus, [f] sanctorum aliquid mutilare, f
& eorum qui in Nicæno tractatu consederant unà cum gloriosæ memoriæ Constantino patre pietatis tuæ. Qui tractatus manifestatus est, & insinuatus mentibus populorum, & contra hæresim Arianam [g] tunc positus invenitur, ut g
hæreses inde sint expugnatæ: à quo si aliquid demtum fuerit, venenis hæreticorum aditus panditur.

Novandi studiosos damnat.

2. Ideo Ursacius & Valens in suspicionem ejusdem hæreseos Arianæ venerunt aliquando, & suspensi erant à communione: & rogaverunt veniam, sicut eorum continent scripta, quam meruerant tunc temporis à Concilio [h] Mediolanensi assistentibus etiam legatis Ro- h
manæ ecclesiæ. [i] Constantino præsente in i
hoc, cùm magno examine fuisset conscriptum, quod tenens baptizatus ad quietem Dei commigravit; nefas putamus inde aliquid [k] mutilare, & tot sanctos & confessores & successores martyrum ipsius tractatus conscriptores in ali- k

---

[a] Quod sequitur, Nicolaus Faber primus in lucem edidit, non quidem ex codice Pithœano, ex quo superiora Fragmenta eruit, sed ex Dervensi, in quo habetur post exemplar fidei Nicænæ, & proximè ante Symbolum S. Athanasio adscriptum. Ut nullo commodiore loco potuit edi, ita etiam à ceteris Fragmentis, quæ nomen Hilarii præ se ferunt, distingui debuit. Quocirca appendicis nomine nunc donatur: qua Nicæno tractatui utrùm nihil addatur, quisque viderit.

[b] Hæc epistola teste Socrate lib. 2. c. 37. post Athanasium lib. de Synod. p. 677. latinè primùm scripta, in græcum sermonem translata est. Exstat non solùm apud Athanasium & Socratem, sed & apud Sozomenum lib. 4. c. 18. & apud Theodoretum lib. 2. hist. eccl. c. 15. cum insigni varietate: quod græcis interpretibus sollemne esse probat Valesius in laudatum Socratis locum.

[c] id est, apud quem cùm diutiùs detenti essent episcopi, per quos missa est hæc epistola, à fide vera prævaricati sunt.

[d] Aliàs ex mſ. Pith. *lubente Deo.* Cum mſ. Sirmondi, græco interprete consentiente, magis placet *jubente Deo:* quod pro *juvante Deo* scriptum esse quis cum Valesio suspicetur? Certè episcopis hoc dignum erat, ut Imperatorem commonefacerent supremæ Dei auctoritatis, cui tam ille quàm omnes parere tenerentur.

[e] Ex Fragmento superiore n. 3. ubi eadem alio verborum ordine explicantur, facilè suppleveris *suscepimus:* nisi malis *susceptam semper obtinuimus*, pro *quam semper obtinuimus.*

[f] id est, aliquid ex iis mutilare, quæ sancita sunt, & præsertim quæ eorum sunt, qui in Nicæno tractatu &c. Tractatum illum Ariani, auferendo homousion, mutilari peroptabant.

[g] Mallemus, *ita positus.* Mox editi ex mſ. Pith. *expurgatæ.* Veriùs Sirm. ex Remig. *expugnatæ:* cùm in græco legatur καθηρέθησαν, non ἐκαθάρθησαν. Quod illustratur verbis Hilarii Fragm. II. n. 27. Nicænum tractatum *contra omnes hæreses* inscribentis: quia nimirum, uti in ipsorum Fragmentorum titulo loquitur, eo tractatu *universæ hæreses compressæ erant atque damnatæ.*

[h] anni 349. ut fusè demonstratum est Fragmento II. quamvis hæc ad Concilium Mediolan. an. 347. referri soleant.

[i] Verba sequentia, usque *regendi orbis accepit*, Valesius transposita existimat, & initio hujus numeri ante, *Ideo Ursacius* &c. præponenda. Græca tamen exempla, etsi ab hoc latino in multis discrepantia, ea non alio loco exhibent. Quia verò voces, *Constantino præsente*, antea cum præcedentibus copulatæ erant, illas multi sic intellexerunt, quasi Constantinus Mediolanensi Concilio interfuisse diceretur. Quod cùm repugnet, variis indulsere conjecturis à vero non parum abhorrentibus, ut videre est apud Petavium in singulari dissertatione de Photino, quam Labb. in Tom. 2. Concil. pag. 730. magnam partem transtulit. Porro Constantinum Constantii patrem Nicæni tractatus testem & approbatorem fuisse, consultò inculcat synodus, quò illum pudeat rescindere, quod ipsius pater sanxerit, aut potiùs à Patribus sancitum acceperit. Hinc refellitur opinio, qua Constantinum à baptismo in hæresim lapsum esse nonnulli putant. Quibus non minùs adversatur Hilarius lib. in Constant. n. 27.

[k] Mendosè in editis, *militare:* cùm in mſſ. Pith. ac Sirm. exstet *mutilare.*

a quo removere: [a] cùm & ipsi præteritorum catholicorum secundùm scripturas cunctas servaverunt, mansisseque in hæc tempora, quibus pietas tua à Deo patre per Deum & Dominum nostrum Jesum Christum * regendi orbis accepit. [b] Tunc etiam conabantur convellere, quod fuerat positum ratione. Etenim cùm pietatis tuæ litteræ jusserunt tractari de fide, offerebatur nobis à supradictis turbatoribus Ecclesiarum, associato Germinio & Gaio [c], novum nescio quid considerandum, quod multa perversæ doctrinæ continebat. * adeo cùm videretur displicere quod offerebant publicè in Concilio, putaverunt aliter esse conscribendum. Equidem hæc brevi tempore sæpe mutasse, manifestum est. Et ne Ecclesiæ frequentiùs perturbentur, placuit instituta vetera [d] rationabilia servari. Ad instruendam igitur tuam clementiam... quibus hoc ipsum solum mandamus, ut non aliter legationem perferrent: quàm statuta vetera permanerent firmissima, ut & sapientia tua cognosceret, non hoc [e] quod promiserant supradicti Valens & Ursacius, Germinius & Gaius, si sublatum fuisset, pacem posse compleri. Magis enim turbatio cunctis regionibus & ecclesiæ Romanæ immissa est.

*supple, potestatem.

*at vero cùm.

Constantiū rogat ut decreta sua excipiat.

3. Ob quam rem tuam rogamus clementiam, ut placidis auribus & sereno vultu universos legatos nostros & respicias, & audias; neve [f] aliquid permittat clementia tua injuriâ veterum convelli; sed manere ea, quæ à majoribus nostris accepimus, quos fuisse & prudentes, & sine Spiritu sancto Dei non egisse confidimus: quia ista novitate non solùm fideles populi perturbati sunt, verùm etiam infideles ad credulitatem vetantur accedere. Oramus etiam, ut præcipias tot episcopos, qui Arimino detinentur, inter quos plurimi sunt qui ætate & paupertate defecti sunt, ad suam provinciam remeare: ne destituti suis episcopis laborent populi ecclesiarum. Hoc etiam frequentiùs postulamus, ut nihil innovetur, nihil minuatur; sed maneant incorrupta, quæ * patris sanctæ pietatis tuæ temporibus & tuis religiosis sæculis permanserunt. Nec jam nos fatigari aut convelli à sedibus nostris tua sancta prudentia permittat: sed quieti * vacent semper postulationibus, quas habent semper & pro salute tua, & pro regno tuo, & pro pace quam tibi divinitas pro meritis tuis profundam & perpetuam largiatur. Legati autem nostri & subscriptiones & nomina episcoporum vel legatorum perferent, [g] sicut idem alia scriptura instruit tuam sanctam religiosamque prudentiam.

Episcopos Arimino dimittat.

*Constantini.

*Ex græco adde, cum populis suis episcopi.

4. Cum hac epistola integræ fidei subscribentes episcopi catholici miserunt decem legatos ad Imperatorem. Nihilo minùs & pars hæreticorum misit ex suo corpore decem [h] legatos. Qui ubi venerunt ad Imperatorem, suscepti sunt; ita ut legati catholicorum non susciperentur, atque longa dilatione fatigati, & minis Imperatoris perterriti, damnaverint integram fidem quam antea defendebant, & susceperint perfidiam quam antè damnaverunt. Hoc ita esse, ex subjectis invenies.

Legatorum gesta.

GESTA *, UBI PRÆVARICATI SUNT episcopi legati à fide vera, incipiunt.

*an. 359. die 10. Octob.

Eusebio & Ypatio conss. VI. idus Octobris.

5. Cùm consedissent episcopi * mansionis Nicææ, quæ antehac Ustodizo vocabatur, in provincia Thracia, Restitutus, Gregorius, Honoratus, [i] Athenius, Iginus, Justinus, Priscus, Primus, Taurinus, Lucius, Mustacius, Urbanus, Honoratus, Solutor; Restitutus episcopus Carthaginis dixit, Scit prudentia vestra, consacerdotes sanctissimi, quòd cùm apud Ariminum de fide tractatus haberetur, contentio sic dissidium fecerat, ut de sacerdotibus Dei, immittente diabolo, discordia fieret; atque exinde factum fuerit, ut in fratres nostros, [k] ego Restitutus & pars episcoporum quæ sequebatur, Ursacium, Valentem, Germinium & Gaium quasi in auctores mali intellectûs, sententiam promeremus, id est, ut à nostra communione segregarentur.

*f. mansioni. Arimini decreta exauctorantur.

6. Sed quia in cominus positi universa tractavimus, & universa discussimus; invenimusque quod nulli displicere debeat, id est, fidem in his catholicam juxta professionem suam, cui & nos subscripsimus omnes, neque umquam hæreticos fuisse: & ideo quia pacis concordia apud Deum res est maxima, placuit [l] ut communi consensu nostro omnia, quæ apud Ariminum tractata sunt, in irritum deducantur, & communio eorum, Deo favente, integra

[a] Ex græca versione, εἴ τινες χριστιανοὶ τῶν παλαιῶν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας θεσμὸν, ἅπαντα φρονοῦντες διαμεμενήκασι. ὧν ὁ Θεὸς τὴν πίστιν &c. sic restaurare licet hunc locum: *cùm & ipsi præteritorum catholicæ ecclesiæ Scriptorum cuncta servaverint: quorum fides mansit usque in hæc tempora* &c. Nicænos Patres majorum suorum fidei adhæsisse liquet ex ipso etiam Eusebio lib. 5. hist. c. 28.

[b] Valesius ex græco sermone hîc supplevit, *Verùm miseri homines & infelici sensu præditi iterum ausu temerario se præcones impiæ doctrinæ renuntiarunt, & nunc etiam* &c.

[c] In græcis exemplis his nominatim adjungitur Auxentius: cujus neque meminit ipsius synodi sententia superiore Fragmento num. 4. descripta.

[d] Hunc locum Valesius græci sermonis subsidio sic restaurat: *rata atque inviolabilia servari. Ad instruendam igitur clementiam tuam legatos nostros direximus, Concilii sententiam per litteras nostras nuntiaturos. Quibus hoc ipsum solum mandavimus* &c.

[e] supple, *quod à veteribus statutum est.* Deinde verba *quod promiserant*, Græci vertêre ὥσπερ ἔφησαν.

[f] Ex ms. Sirm. revocamus *aliquid*: quod cùm in Pith. deesset, postea Faber, ut sensum perficeret, *jura vetera* posuit pro *injuriâ veterum*: ubi Græci habent πρὸς ὕβριν τῶν τετελευτηκότων.

[g] Pro hac clausula græcè habetur, ὅτι τινες καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν θείων γραφῶν τὴν ἀναδιδάξουσι θειότητα.

[h] *Sed ex parte nostrorum*, inquit Sulpicius, *leguntur homines adolescentes, parum docti, & parum cauti: ab Arianis autem missi senes callidi & ingenio valentes, veterno perfidiæ imbuti, qui apud regem facilè superiores exstiterunt.*

[i] In ms. Sirm. *Arthemius.* in Pith. *Athenius.* Cùm hîc quatuor supra decem episcopi recenseantur, opinatur v. c. Godefridus Hermant, primas Ariminensis synodi litteras à decem legatis, secundas autem à quatuor aliis ad Constantium fuisse delatas, eosque simul Nicæam, seu ut alii vocant, Nicen convenisse.

[k] Phrasis hæc nonnihil intricata, ita perspicuior fiet: *ut ego Restitutus & episcoporum pars quæ sequebatur, in fratres nostros Ursacium, Valentem* &c.

[l] Ea in re minimè perfecerunt synodi mandata, quæ, Sulpicio teste, consultò data eis erant, *ne quo modo cum Arianis communionem inirent, omniaque integra synodo reservarent.*

convenire, neque quisquam * in dissidium remaneat, quod eos aut maculare possit aut debeat. Et ideo, ut dixi, quia præsentes sumus, unusquisque debet dicere an * dictum sit quod prosequutus sum, & manu sua subscribere. Ab universis episcopis dictum est, Placet: & subscripserunt.

* in dissidio.

* f. rectum.

7. Quæ sit autem fidei confessio, cui postea subscripserunt, quam etiam Valens secum in Ariminum pertulit, [a] ex infrà scripto recognosces. Explicit.

FRAGMENTUM * IX.

* Aliàs 2. partis.

INCIPIT EXEMPLUM [b] FIDEI [c] EPISTOLÆ missæ * ad Constantium Imperatorem à perfidis episcopis.

* an. 359. exeunte.

Domino meritò gloriosissimo, victoriosissimo Augusto Constantio synodus [d] Ariminensis Orientalibus consentiens, *id est*, [e] *Migdonius, Megasius, Valens, Epitectus, & ceteri qui hæresi consenserunt.*

Substantiæ nomen rejiciunt.

1. INLUSTRATI pietatis tuæ scriptis, maximas Deo retulimus & referimus gratias, quòd nos beaveris, intimans nobis illa, quæ cum discursione pietatis tuæ facere deberemus, ne quis *usiæ* vel *homousii* nomina Ecclesiæ Dei ignota aliquando nominet, quod scandalum inter fratres facere solet; plurimùm gratulati sumus, quia id quod tenebamus recognovimus. O nos beatos, quibus occurrit tanta felicitas, ut cognitione tuæ pietatis [f] ceteris, qui hæc nomina pro Deo & Dei filio assumere solent, modum acceperint revicti! Nos igitur reddentes obsequium clementiæ tuæ, quòd coràm A veritatis status eluxit: quæ quòd nesciat vinci, & obtinuit victoriam; ut indignum Deo nomen, quod nusquam in legibus sanctis scriptum est, jam à nullo dicatur.

2. Unde oramus pietatem tuam, quoniam in eo loco ubi synodus gesta est, unde responsum per nostros legatos dedimus, adhuc detinemur, jubeat nos, qui integram [g] in Orientalibus doctrinam retinemus, jam ad nostras plebes dimitti: ut ex hac parte appareant amatores B veritatis, qui Deo non mutant nomen; nec cum eis, qui perversâ doctrinâ infecti sunt, diutius nos qui veritatem catholicam tenemus detineamur. Unde impensè oramus, domine, pietatem tuam ante Deum patrem & Dominum Jesum Christum Deum & Dei filium, facias nos, qui subscripsimus sanæ doctrinæ, recedentes ab *usiæ* nomine, te imperante, & jubeas nos ad nostras plebes dimitti; ut lætetur Ecclesia, quæ immutare nomina Dei C & filii ejus non admittit in totum, imperio tuæ virtutis & gloriæ: cui tantum divinitas contulit, [h] ut apparet dicationis sacrilegis jam *usiæ* & *homousii* nomina recedant, quæ in divinis Scripturis de Deo & Dei filio non inveniuntur scripta.

Arimino dimitti rogant.

3. Subveni, pie imperator, Dei summi cultoribus: subveni eis, qui per Christum Dei filium Deum patrem omnipotentem orant: subveni eis, qui judicio tuo [i] devotas offerunt D aures, qui nesciunt colere nisi Deum patrem per Dominum nostrum Jesum Christum gloriæ ejus filium. Et * præcipuè, domine Imperator, ad nostras nos plebes remeare datis litteris [k] ad v. c. præfectum prætorii Taurum: quia & nos, in prædicatione nominis Dei, Orientalibus & tuæ dispositioni plenum reddidimus obsequium. In [l] hac re, in qua semper

* lege præcipe.

[a] Fidem ab Ursacio & Valente Arimini propositam, & statim cum horrore rejectam ab orthodoxis, ac tandem Nicææ à legatis subscriptam, videtur hîc Hilarius polliceri. Nisi fortè sequens dumtaxat Fragmentum indicet, ex quo quàm prava fuerit fidei confessio à legatis subscripta, apparet; dum in illa substantiæ & homousii silentium præcipi num. 1. ac. 2. inculcatur.

[b] Rursum hæ voces, *exemplum fidei*, ad Ariminensem ecthesim quæ hinc dilapsa sit, pertinere potiùs videtur, quàm ad subnexam epistolam. Aut certè si genuinus hujus epistolæ est titulus; non tam hîc novum habetur Fragmentum, quàm continuatio superioris, cum quo etiam in mſ. Pith. cohæret.

[c] Epistolam hanc ad anni 359. exitum referimus. Sanè missa non est, ante quàm episcopi Arimini detenti peregrinationis tædio Arianis cessissent. Nec cesserunt illi, nisi post quàm ipsorum legati Nicææ in Thracia lapsi Ariminum regressi essent. Immo etiam post eorum reditum aliquandiu restiterunt. Ut enim auctor est Sulpicius, legatorum illorum ignaviam primùm omnes exhorruere, iisque vim regiam licèt deprecantibus negata communio, donec paulatim remissis animis in partem alteram est concessum. Atqui legati, ut Fragmento superiore n. 5. notatur, an. 359. Octobris 10. die formulam ab Arianis sibi propositam susceperunt. Ex Fragmento autem subsequenti constabit, delatas esse has litteras per legatos alios, ex Valentis nimirum & Ursacii factione delectos.

[d] Inscriptionis hujus mendacium corrigit Hilarius, ubi adjicit, *id est Migdonius* &c. Cui enim non appareat ab iis scripta, qui Valentis & Ursacii partibus adhærebant? Certè in eos, quorum consensio vi ac minis extorta est, minimè convenit aut se numquam aliter credidisse profiteri, aut eos, qui aliter quàm ipsi modò per vim professi erant, crederent, hæretico nomine infamare, aut Imperatori, cujus violentiam experti essent, tam impiè adulari. Sed qui hanc cuderunt epistolam, id in eorum gratiam qui sibi consenserant inseruere, ut ad proprias ecclesias regredi eis jam liceret. quod eo libentiùs fecere, quò faciliùs lateret ipsorum mendacium.

Mendacium alterum continetur his verbis, *Orientalibus consentiens*: cùm Sozomeno teste lib. 4. c. 19. Orientales omnes, demptis admodum paucis, substantiæ nomini retinendo mordicus adhærerent. Et quidem in Seleuciensi synodo centum quinque episcopos homœusion, Ægyptios omnes præter Georgium homousion, anomœusion autem novemdecim dumtaxat prædicasse narrat noster Hilarius in Constant. n. 12. Hac tamen arte Occidentales deluserunt Valens & Ursacius, *affirmantes*, ut cum Sulpicio pag. 259. loquamur, *præsentem fidem catholica ratione conceptam, ab Orientalibus Imperatore auctore prolatam, cum piaculo repudiari*: & addentes, *Ut quid discordiarum finis foret, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret?* Quocirca Concilium Parisiense infrà num. 1. apud Orientales testificatur, plures eorum, qui Arimini aut Nicææ adfuerunt, sub auctoritate nominis ipsorum ad usiæ silentium fuisse coactos.

[e] In Fragmento seq. *Magdonius* scribitur. Mox *Epictetus* legendum est, non *Epitectus*. Tum sub his verbis, *& ceteri qui hæresi consenserunt*, intelliguntur aut qui prænominatis hæresis fautoribus in eadem promovenda adjutores semper fuerunt, & hæresi, quam in Oriente propugnabant Anomœi, sponte consenserunt; aut qui ab his per vim ac fraudem seducti sunt. Nulla alia de causa hæc Hilarius videtur addidisse, nisi ut posteriorem intellectum excluderet. Priorem autem nota sequens confirmabit.

[f] Legendum omnino *ceteri*. Si quæras quinam illi *ceteri* qui substantiæ & homousii nomina pro Deo & Dei filio assumere solent; tota synodus Ariminensis, paucis Arianis exceptis, eo nomine comprehendenda erit. Ii igitur soli nunc scribunt, qui Ariminensis synodi initio catholicis restiterunt, quamvis totius synodi sibi nomen falsò attribuant.

[g] id est, qui doctrinam, quæ in Orientalibus est integra, nos retinere profitemur.

[h] Fortè, *ut abolitis*, seu *ablegatis, dictionibus sacrilegis.*

[i] Aliàs cum mſ. Pith. *devotos offerunt omnes*: ex quo conjectabamus legendum esse *devotas offerunt mentes*, cùm ex mſ. Sirm. nobis occurrit *devotas offerunt aures.*

[k] Ita cum. mſ. Sirm. In priùs vulgatis autem ex mſ. Pith. *ad hunc perfectum prætorii.*

[l] Pithœanus codex, *inhere*, pro *in hac re*, & mox, *ad archiepiscopos*, non *ad coepiscopos*: quod ex mſ. Sirm. corrigitur.

tenuimus, jam ad nostras plebes redire debemus. De hac autem re ad episcopos nostros Orientales litteras dedimus, ut sciant hoc semper * tenuisse, & in fide catholica cum ipsis permanere. Divina pietas te gloriosissimum semper & ubique per omnia faciat * vindicem, domine piissime Imperator. Explicit.

* supple, nos.
* an. victorem?

* Aliàs I. partis.

FRAGMENTUM * X.

a » EXEMPLUM [a] EPISTOLÆ * ORIENTALIUM » episcoporum, quam reversis ab Arimino » legatis dederunt.

* scriptæ an. 359. exeunte.

Dilectissimis fratribus Ursacio, Valenti, Magdonio, Megasio, Gaio, Justino, Optato, Martiali [b] & ceteris Ariminensis synodi legatis, Sylvanus, Sophronius, Neo, Herodianus, [c] Patricius, Helpidius, Theophilus, Theodorus, Eumacius, Didimion, Ecdicius, Arsenius, [d] Passinicus, Valentinus, Eucarpius, Leontius, Eortasius, & Macarius in Domino Salutem.

Seleucienses synodi legati quî erga Aetii fautores se gerant, Ariminenses docent.

1. UNITATI & veræ paci studentes, & ex synodi mandato hæresi renitentes, manifesta fieri vobis ea, quæ circa Ecclesiam aguntur, justum putavimus; ne ignoratio vos socios tantæ impietatis efficeret. Et quamquam [e] non cessare vos arbitremur, non sine totius synodi legatis, episcoporum scilicet numero ferè multo ampliùs centum, nunc usque ingressu hujus ecclesiæ nosmetipsos abstinere: ob quod instructos etiam vos esse volumus, ne penitus dominans jam intra Ecclesiam hæresis invalescat, quæ Dominum nostrum Jesum Christum verè filium Dei unigenitum, Deum de Deo, Patri similem ausa est denegare: ita [f] ut A quæ prædicationes blasphemiæ de unigenito Deo & sentiantur ab his, & prædicentur, cognitum haberetis. Nam & piissimo Imperatori Constantio hoc ipsum probavimus, & anathematizari hæc omnia commotus religiosissimè voluit. Dolus autem * nunc præparatur, ut Aetius auctor hujus hæresis ipse potiùs, quàm hæc * impietatis dicta damnentur; magisque in hominem, quàm in doctrinam, sententia lata esse videatur. Monemus ergo vos, Fratres, B ut hæc diligenter retractetis; detisque operam, ut fides catholica maneat. Ceterùm non ambigit Caritas Vestra, universa ita, ut geruntur, Occidentalibus esse ecclesiis nuntianda. Optamus vos, Fratres, in Domino bene valere.

* al. hîc.
* al. impiè dicta.

2. « His itaque sumtis, quibus & commemoratæ superiùs blasphemiæ [g] subnexæ erant, calumnia [h] in eum qui suscepit intenditur: & tantus detectæ fraudulentiæ suæ hypocritas furor subiit, ut periculum depositionis [i] in eos C constituerent. Qui convictæ conscientiæ dolor est, deterreri quemquam agnitione veritatis? Si liber iste Valentis & Ursacii non est fidei vestræ; quid ejus damnationi non acquiescitis? Anne non publico humani generis assensu inter omnes convenit, venenum malum esse, & cædem innocentis crimen esse, & impietatem in Dominum horrorem esse? Sed quisque hæc delata non damnat, D necesse est eorum sese studii socium profiteatur: quia nemo est, qui non & quæ oderit coarguat, & quæ non coarguit probet. [k] Post synodum enim Seleuciensem, Constantinopolim venientes, quid est quòd statim damnatis hæreticis vos jungitis? Non differtis in aliquo tempus adeundi, neque de prudentis ratione consilii aliquam vobis moram ad percunctandum impenditis. Adeunt deinde vos non communicantes episcopis synodi le- «

Has litteras suscipiens malè apud suos audit.

Ariminenses legati perfidiæ rei.

[a] A quibus, ad quos, qua occasione & quando missa sit hæc epistola, nunc paucis est dicendum. A Seleuciensis synodi legatis missam esse, perspicuum est tum ex illius quamvis mendoso initio, tum maximè ex subnexis num. 2. Hilarii verbis, *Adeunt deinde vos non communicantes episcopis synodi legati Orientales.* Movere tamen potest, quòd longè plurium quàm decem nomine scripta sit; neque in iis compareant Basilius, Eleusius atque Eustathius, qui cum Silvano, Theodoreto teste l. 2. hist. eccl. c. 27. primarii Seleuciensis synodi legati exstiterunt. Sed nihil vetat, quo minùs quædam nomina excidisse sentiamus. Fieri etiam potuit, ut quæ à legatis, aut certè à maxima eorum parte scripta sit, ab aliis ejusdem communionis episcopis, qui Seleuciâ Constantinopolim confluxerant, sit subscripta, & omnium nomine missa.

Cùm autem iisdem inscripta sit, quos Hilarius superioris epistolæ auctores indicavit; non obscurum est superiorem epistolam ab iis delatam esse, à quibus conscripta fuerat; eosque legatos, qui ab Ariminensi synodo ad Constantium secundò missi sunt, alios ab iis fuisse, qui primas ejusdem synodi litteras ex catholicorum parte ad eumdem detulerant.

Novissimi illi legati Constantinopolim pervenientes, cùm jam damnatus esset Aetius, cúmque instarent Orientales, ut qui hæretici hujus doctrinam defendebant, eâdem sententiâ punirentur, epistolam illam acceperunt: quæ ipsis eo consilio missa erat, ne Eudoxio ac sociis ejus, utpote Seleuciæ meritò damnatis, jungerentur. Scripta est igitur aliquanto post superiorem, & ante quàm Seleuciensis synodi legati formulæ ab Eudoxii partibus propositæ subscribere coacti sint: quod nocte annum 360. præcedente factum esse scribit Sozomenus lib. 4. c. 23.

[b] His addit Fragmentum sequens num. 4. *Auxentium*, superius autem in ipso titulo *Epictetum*: ex quorum accessione decem legatorum numerus perficietur.

[c] In edit. *Patrinus*. At in mss. *Patricius*.

[d] Aliàs ex ms. Pith. *Passumicus*. Præferimus cum ms. Sirm. *Passinicus*. Apud Socratem lib. 3. c. 25. legitur *Pasinicus* Zenorum cùm Basilio Ancyræ, Silvano Tarsi, Sophronio Pompeiopoleos, Leontio Comanorum, & Theophilo Castabalorum episcopis conspirare.

[e] Etsi depravatus est hic locus; non est tamen obscurum eo ab Orientalibus significari, se totam repræsentare synodum, si quidem à sua ipsorum parte starent centum & ampliùs episcopi. Re ipsa homœusion centum viginti episcopos, anomœusion autem tantùm novemdecim prædicasse observavit noster Hilarius, & scripto mandavit in Constant. n. 12. Sic autem posset restaurari: *Et quamquam non nescire vos arbitremur, nos, cùm simus totius synodi legati, episcoporum scilicet numero* &c.

[f] Sic ms. Sirm. At editi ex ms. Pith. *ita quæ prædicationes blasphemiæ de unigenito Deo essentialiter ab his prædicentur.* Quamquam *de unigenito Deo essentialiter* eo sensu dicere Orientalibus licuit, quo lib. de Synod. n. 15. dicunt, *Et si quis audiens unigenitum filium invisibilis Dei similem, non dixerit essentiâ filium* &c. Porrò hæresis illa dominans Filium Patri similem non publica confessione, sed penitiori mentis sensu denegabat. Susceperat enim Acacianam ecthesim, quæ *Filium Patri similem* profitetur.

[g] Blasphemias easdem pariter cum proxima Orientalium epistolà in Gallias ab Hilario missas esse discemus subsequenti Fragmento n. 4.

[h] Calumniam intendere hîc perinde Hilario est, ac litem movere: sicut cùm lib. 10. de Trin. n. 30. ait, *ut de ceteris non calumnier*, hoc sibi vult, ut de ceteris non contendam ac litem moveam.

[i] Legendum *in eo* aut *in eum*, scil. qui susceperat. Subinde vulgati, *qui conjunctæ conscientiæ*: emendantur ex archetypo.

[k] Ad Constantinopolitanam synodum hæc nonnulli referunt, quasi ii Constantinopoli hæreticis se junxisse hîc arguantur, qui antea Seleuciæ convenerant. At ex dictis jam liquet, ea ad legatorum Ariminensis synodi in eam urbem accessum referenda esse, qui absoluta Seleuciensi synodo Constantinopolim venientes, damnatis ab ea hæreticis, etiam moniti, se jungere non distulerunt.

quia Pater major me est. per cujus carnis susceptionem nos sibi fratres connuncupare dignatus est, cùm in forma Dei manens, forma servi esse voluit. *Joh. 10. 17.*

Lapsi retractant quod gesserunt.

4. Itaque, Carissimi, cùm ex litteris vestris in usiæ silentio fraudem se passam simplicitas nostra cognoscat; etiam pietatem eorum, qui Arimino Constantinopolim reverterunt, conventos, sicut epistola [a] vestra contenta testatur, neque eos ad tantarum blasphemiarum damnationem potuisse compellere, fidelis dominici nominis prædicator frater noster Hilarius nuntiaverit: nos quoque ab his omnibus, quæ per ignorantiam perperam gesta sunt, referimus: Auxentium & Ursacium ac Valentem, Gaium, Megasium & Justinum [b] excommunicatos habemus secundùm litteras vestras: & certè, ut diximus, juxta fratris nostri Hilarii professionem, qui se pacem cum his qui horum sectarentur errores, habiturum negavit: blasphemias quoque omnes, quas litteris vestris subjecistis, damnamus, maximéque eorum sacerdotes apostatas respuentes, qui in loca fratrum indignissimè exsulantium, quorumdam aut ignoratione aut impietate [c] sunt substituti: pollicentes hoc coram Deo atque etiam confitentes, ut quisque his, quæ statuimus, intra Gallias putaverit renitendum, à communione ac sede sit sacerdotii abjiciendus. Neque enim, ut aliàs, aut occasionem prædicandi [d] non damnando permittens, aut contra Deum & Christi unigeniti Dei majestatem aliter, quàm nos de homousion significatione sentimus, obnitens, dignus erit sanctitate sacerdotii nominis judicandus: à quo etiam Saturninum, qui statutis salubribus impiissimè contradicit, secundùm fratrum nostrorum geminas jam litteras [e] excommunicatum ab omnibus Gallicanis episcopis Caritas Vestra cognoscat: quem & vetera dissimulata (jam diu licèt) crimina, & cetera edita epistolis suis novæ temeritatis irreligiositas indignum episcopi nomine esse fecerunt.

Erroris auctores damnant.

Explicit fides catholica exposita apud Parisream civitatem ab episcopis Gallicanis ad Orientales episcopos.

INCIPIT EPISTOLA * EUSEBII ad Gregorium episcopum [f] Spanensem.

** Scripta circa idem tempus.*

Domino sanctissimo fratri Gregorio episcopo Eusebius in Domino salutem.

5. Litteras sinceritatis tuæ accepi, quibus, ut decet episcopum & Dei sacerdotem, transgressori te Ossio didici restitisse, & plurimis cadentibus Arimino in communicatione Valentis & Ursacii & ceterorum, quos ipsi, agnito blasphemiæ crimine, antè damnaverunt, tuum assensum denegasse, fidem scilicet servans, quam patres Niceani scripserunt. Gratulamur tibi in hoc, gratulamur & nobis, quia hoc [g] cujus proposito & hac fide pollens nostri dignatus es meminisse. Permanenti autem tibi in eadem confessione, & nullam cum hypocritis retinenti societatem, nostram tibi communicationem promitte. Quibus potes [h] tractatibus, quanto labore prævales, transgressores objurga, infideles increpa, nihil metuens de regno sæculari, ut fecisti: quia potior est qui in nobis est, quàm qui in hoc mundo. Nos verò tui consacerdotes [i] tertio laborantes exsilio, hoc dicimus quod manifestum esse putavimus: quoniam omnis spes Ariomanitarum non in sua aut [k] linito consensu, sed in protectione pendet regni sæcularis: ignorantes scripta, quia maledicti sunt, qui spem habent in hominem. *Jerem. 17. 5.* Nostrum autem adjutorium in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. *Psal. 123. 8.* In passionibus perdurare cupimus, ut, secundùm quod dictum est, in regno glorificari possimus. *Rom. 8. 17.* Dignare nobis scribere quid malos corrigendo profeceris, vel quantos fratres aut stantes agnoveris, aut ipse monendo correxeris. Salutant te omnes qui mecum sunt, [l] maximè Diaconus: simulque

[a] Aliàs ex ms. Pith. *nostra contenta testatur, neque eos ad tantam rem blasphemiarum.* Ex superioris Fragmenti collatione locum hunc ita emendaveramus, cùm Hermantium ac Sirmondum comperimus nobis consentientes. Ille antea *impietatem* mallet, quàm *pietatem*, suffragaturque Sirmondi ms. Episcopos tamen magis decet, ut quod simplici elocutione diceretur *eos conventos*, ob honorem & reverentiam sacerdotii dicant *pietatem eorum conventos.* Quod in hunc modum perspicuius fiet: *cùm etiam fidelis Dominici nominis prædicator frater noster Hilarius nuntiaverit, conventos* (clariùs, *convenisse vos*) *pietatem eorum qui Arimino Constantinopolim reverterunt, sicut epistola vestra* (proximo Fragmento relata, & unà cum Hilarii litteris ad nos missis) *contenta testatur, neque eos ad tantarum blasphemiarum,* (quæ, ut suprà monet Hilarius, Orientalium litteris subnexæ erant,) *damnationem potuisse compellere.*

[b] Ariminensis synodi legatos, ut habetur initio Fragmenti superioris.

[c] puta, Constantinopolitana synodo anni 360.

[d] An fortè, *prædicandi anomœusion permittens?*

[e] Saturninum à Gallicanis episcopis excommunicatum esse post Concilium Mediolan. anni 355. conceptis verbis scribit Hilarius lib. in Constant. n. 2. Quod rursum aliis litteris confirmare potuerunt vel post Biterrense Concilium anni 356. ex quo Hilarius Saturnini factione in exsilium ejectus est, vel etiam cùm à Gallis damnata est Sirmiensis blasphemia, quam ut reciperent, ille omnibus nervis contendebat. Quò respiciens Hilarius lib. de Synod. n. 3. *Exspectatis*, inquit, *sanctæ & indemutabilis perseverantiæ gloriosum triumphum, non cedendo Saturnini minis, potestatibus, bellis* &c.

[f] In Pithœano ms. brevitatis causâ scriptum erat *Span.* ubi ex codicis ejusdem Indice vocabulum integrum restituimus. Gregorium hîc eruditi cum intelligunt, qui Bœticus & Eliberitanæ civitatis episcopus vulgò cognominatur, quique deinde Luciferiano adhærens schismati, summis à Faustino & Marcellino laudibus extolli meruit. Hanc autem epistolam scriptam esse liquet post Ariminensem synodum, sed tamen cùm adhuc exsul esset Eusebius, &, uti veri simillimum est, cùm necdum Gregorii schisma & obitum Osii comperisset. Quibus si addas locum, quem in ms. ex Hilarii ni fallimur dispositione, proximè post Parisiensem synodum obtinet, circa idem tempus scriptam esse non negaveris. Et eo quidem tempore omnes æqui amantes summo studio adnitebantur, ut Ariminensi scandalo consulerent.

[g] In ms. Sirm. *cuivis.* Fortè, *usus*, vel *pius.*

[h] Ita Sirm. ms. Aliàs verò ex Pith. *tractabis.*

[i] Ipsa Eusebii ad suos Vercellenses epistola fidem facit, eum primò Scythopolim in Palæstina fuisse relegatum. E Scythopoli deinde in Cappadociam amandatum esse testatur Hieronymus de Script. eccl. in Eusebio Vercell. Rufinus denique lib. 1. hist. eccl. c. 27. narrat, eum unà cum Lucifero in partes Ægypto vicinas deportatum esse. Et certè cùm Socratis lib. 3. c. 4. tum Theodoreti lib. 3. hist. eccl. c. 5. testimonio, in superiore Thebaide Ægypto finitima exsul erat, cùm ab exsilio revertit.

[k] In editis, *limito.* At in mss. *linito.* an *non in suavi & unito consensu?* Faber mallet, *non in vi sua aut unito consensu.* His affine est, quod idem Eusebius rursum de Arianis scribit apud Baron. ad an. 356. n. 100. *Ideo acceperunt humanum adjutorium, quia divinum non habent: quod si haberent, numquam potestate terrena innocentium sibi animas subjugarent.*

[l] Sic aliam epistolam claudit Eusebius apud Baron. ad an. 356. n. 102. *Salutant vos fratres nostri, qui mecum sunt, presbyteri & diacones, sed & omnes nostri: qui unà mecum satis petunt, ut nostri memores, omnes vestros dignemini obsequio salutare.* Unde oboritur suspicio, etiam hîc pro *maximè Diaconus*, legendum esse *presbyteri & diacones.*

petunt, ut cunctos lateri tuo fideliter adhærentes nostro digneris obsequio salutare.

Explicit epistola Eusebii ad Gregorium episcopum Spanensem.

---

* Aliàs 1. partis.

FRAGMENTUM * XII.

» INCIPIT EXEMPLUM EPISTOLÆ
» Liberii episcopi urbis Romæ, factæ * ad ca-
» tholicos episcopos Italiæ.

* an 363. aut etiã serius.

a Liberius [a] episcopis catholicis per Italiam consistentibus, in Domino æternam S.

Arimini lapsis ignosci quidam nolunt. 1. Tim. 4. 8.

1. IMPERITIÆ culpam oblitterat resipiscens. Hoc autem & de Scripturis sanctis advertere est. Pietatem ad omnia utilem esse legimus, cui cedit corporalis exercitatio, quamvis & ipsa utilitatis retineat fructus: quam sectandam nobis etiam ratio temporis præsentis exposcit. [b] Non enim si aliqui fortè, qui hoc studii gerunt, ratione provisam destruere impudenter sæviori censurâ; hoc æstimaverint & novare, quod jam ex apostolica auctoritate munitum est de pietate, cùm dictum est, non esse parcendum his qui apud Ariminum ignorantes egerunt. quibus nescire inlicitum, fuit captum errori incidere, idcirco veritas rependanda est. Sed mihi, cui convenit omnia moderatè perpendere, maximè cùm & Ægyptii omnes & [c] Achivi accusati sententiam receperunt multis, parcendum quidem his de quibus suprà tractavimus, auctores verò esse damnandos, qui obliqua & maligna subtilitate & caligine offenderunt innocentium sensus, per quæ velamen obducerent veritati, tenebras lucem, & lucem tenebras venditantes.

Aliter sentit Liberius.

Quo pacto ignoscat.

2. Igitur si quis ignorationis captum resipiscens sermonis nostræ advocationis [d] brevissima illud virus in se pestiferum Ariani dogmatis subdolum ac tenebrosum fuerat expertus, reparatus exhauriat; condemnet, vehementiúsque in auctores ejus insæviat, quos in se violentos expertus est, totumque se fidei apostolicæ & catholicæ usque ad Nicænæ synodi [e] conventum de integro mancipet. Per quam professionem, etiamsi quibusdam leve & remissum videtur, recuperet id quod per astutiam recitatis amiserat. Verùm si aliquis tam stolidæ mentis, quod haud credo, fuerit inventus, qui non solùm nolit converti antidotum recipiens sanitatis; [f] venenum virusque noxius sese vindicare crediderit: & ratione vincetur, & auctori perfidiæ perditè deputatus, Ecclesiæ catholicæ spiritali vigore plectetur.

ITEM EXEMPLUM [g] EPISTOLÆ episcoporum Italiæ.

Dilectissimis fratribus per Illyricum fidem paternam retinentibus, episcopi Italiæ in Domino æternam S.

Itali Arimini statutis rescissis Nicænæ fidei se reddunt. Rom. 15. 5.

3. Divini muneris gratia [h], ut secundùm Apostolum omnes unum sapere, omnes unum confiteri cœperimus. Et quantum ad Italiam quidem pertinet, cùm fidei paternæ, hoc est, apud Nicæam scriptæ se reddidit, fraudem quam passa est apud Ariminum recognoscens: Illyricum etiam Deum clementi nutu respexisse gaudemus; & consortio infidelitatis, quo gravabatur, abjecto, ea quæ sunt rectæ sententiæ probare cœpisse gratulamur. Nostram igi-

[a] Hanc epistolam v. c. Godefridus Hermant lib. 10. vitæ S. Athanas. c. 6. opinatur à Siricio Papa laudari, cùm ad id quod scripserat Himerius Tarracon. quosdam de fratribus denuo eos baptizare, qui ab impiis Arianis baptizati ad fidem catholicam festinabant, rescribit hoc non licere, quod *fieri & Apostolus vetet, & canones contradicunt, & post cassatum Ariminense Concilium missa ad provincias à reverendæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant.* Quamquam non de iis qui ab Arianis baptizati sint, sed de iis qui Arimini ad Arianas partes defecerint recipiendis tota hæc epistola est. Probabiliùs quis asserat, auctorem vitæ Eusebii Vercell. in eamdem respexisse, ubi Alexandrinæ synodi decreta à Liberio Papa comprobata fuisse scribit. Sed & cùm hîc Liberius de nonnullis conqueratur, qui decretum pietatis, *quod Apostolica auctoritate munitum est*, conentur revellere; non leve indicium est, ipsum jam litteris aliis Alexandrinæ synodi placita approbasse. Quocirca hanc epistolam non ante annum 363. scriptam existimamus. Certè is in eorum gratiam, qui Arimini lapsi sunt, exstitisse videtur ordo gestorum: ut synodis primùm Alexandriæ anno 362. ac deinde in Achaia celebratis, quod in illis decretum est, Romanus pontifex confirmarit; quod verò ille confirmarit, aliqui (qui nisi Luciferiani?) tamquam nimis molle ac remissum rescindere tentaverint: quorum ne serpat schisma ac prava opinio, hæc rursum à Liberio scripta sit epistola, quæ subsequenti occasionem videtur præbuisse.

[b] Hunc locum diu & attentè lustrantes atque recognoscentes, nec non cum rerum gestarum historia comparantes, paucis mutatis redintegrari posse perspeximus in hunc modum: *Non enim si aliqui fortè sunt, qui hoc studii gerunt*, (scil. rem) *ratione provisam destruero impudenter sæviori censura; hoc existimaverint* (se posse) *exauctorare quod jam ex apostolica auctoritate munitum est de pietate, contendentes non esse parcendum his qui apud Ariminum ignorantes egerunt* (seu, *errarunt.*) *Quibus nescire illicitum* (id est, quod illicitum erat, hoc) *fuit captum* (hoc est, laqueum) *erroris incidere; idcirco severitas* (disciplinæ eis) *rependenda est? Sed mihi, cui convenit omnia moderatè perpendere, maximè cùm & Ægyptii omnes & Achivi hanc adunati sententiam receperint, visum est, parcendum quidem his de quibus suprà tractavimus*, qui nimirum suprà dicti sunt in erroris laqueum ita incidisse, ut illæsâ fidei conscientiâ hæreticis consenserint.

[c] Hoc jam interpretati sumus de synodo in Achaia paulo post Alexandrinam habita. In quam respicit Athanasius, cùm Tom. 2. p. 40. à Rufiniano consultus, quid de his sentiendum *qui necessitate quidem acti, sed non omnino profligati, à fide aberrarunt*; respondet habitas ea de re synodos, primùm Alexandriæ, ac deinde ab iis qui Græciam incolunt &c.

[d] In Pithœano ms. *benissima*: fortè pro *lenissima*. Mox in ms. Sirm. *latebrosum*, non *tenebrosum*. Oratio rursum hîc perplexa & perturbata sic clariùs posset construi: *Igitur si quis illud virus in se pestiferum Ariani dogmatis subdolum ac latebrosum fuerat expertus*; illud jam, *sermonis nostri adhortatione lenissima reparatus*, & *ignorationis captum* (seu, *ab ignorationis captu*) *resipiscens, exhauriat & condemnet, vehementiúsque* &c.

[e] Hæc illustrantur aliis Liberii verbis apud Socrat. lib. 4. c. 12. *Hanc autem catholicam & apostolicam fidem esse agnoscimus, quæ usque ad Concilium Nicænum integra & inconcussa permansit.*

[f] Fortè, *verùm etiam venenum virusque potiùs se posse vindicare crediderit: & ratione vincetur; & auctoribus perfidiæ*, &c. Haud longè absimilis est finis epistolæ ejusdem Liberii Orientalibus datæ apud Socratem lib 4. c. 12.

[g] Non est disjungenda hæc epistola à superiore, cui eam ab Hilario junctam & continuatam esse indicat particula *item*. Illam nonnulli scriptam putant proximè post Illyricam synodum anni 365. At convenire inter omnes debet, Italos cùm Hilarii nostri, tum Eusebii Vercellensis aliorumque operâ, Ariminensis Concilii decreta ante annum 365. rescidisse. Neque verò ab iis abrogandis, quibus inviti deceptique consenserant, diu multúmque abhorruere. Unde Liberius apud Socratem lib. 4. c. 12. ad Orientales Lampsaci congregatos nondum habitâ Illyrica synodo rescribit, *omnes Ariminensis Concilii blasphemias ab illis ipsis, qui tunc per fraudem decepti fuisse videntur, anathemate damnasse, & universos in Nicænam fidem conspirantibus animis consensisse.* Si igitur Itali Ariminensis Concilii statuta nunc primùm hîc irrita declarant, hoc ad annum 363. aut 364. referendum esse nullum dubium est. Forte etiam statim atque eis reddita est superior Liberii epistola, convenientes in unum hanc summo consensu scripserunt.

[h] Verbum *est* hîc videtur desiderari, & mox particula *cùm* redundare ante *fidei paternæ*.

tur, dilectiſſimi Fratres, unam eamdemque accipite firmam ſubſcriptione ſententiam. Nicæni tractatus adversùs Arium Sabelliumque, cujus Photinus partiaria hereditate damnatur, decreta ſervamus. Ariminenſis Concilii ſtatuta quorumdam tergiverſatione corrupta, conſenſu omnium provinciarum, jure reſcindimus: quorum etiam exemplaria tranſmittenda cenſuimus, ut nec in fide retinenda, nec in confutando Ariminenſi Concilio aliqua videretur [a] eſſe condiſſenſio. Quicumque igitur noſtræ unanimitatis optat habere conſortium, quicumque individuam pacem nobiſcum habere deſiderat, quæ ſunt noſtræ ſententiæ comprobare feſtinet, & fidei * nobis memoratæ ſubſcriptionem, & reſciſſionem Ariminenſis Concilii ſine ambiguitate mittendo. Id certè petimus, quod complurium harum provinciarum porrigimus ipſi [b] conſenſu. Auctores autem hæreſis Arianæ vel Aetianæ, Valentem & Urſacium, ceteroſque eorumdem conſortes non nunc eſſe quòd manifeſtari apud Illyricum cœperunt, ſed olim * condemnaſſe manifeſtum eſt. Explicit.

a

* *f.* à nobis

b

* *id eſt*, ibi condemnatos eſſe.

FRAGMENTUM * XIII.

* *Aliàs* 2. *partis.*

Circa an. 365. edita.

» Incipit epistola [c] Germinii episcopi adversùs Arianos. [d] jam ſubſcripſerant in Concilio Ariminenſi, ſcientes quòd malè fecerunt.

EGO Germinius epiſcopus credo & profiteor eſſe unum verum Deum patrem, æternum, omnipotentem: & Chriſtum filium ejus unicum & Dominum Deum noſtrum, de vero Deo patre verum Dei filium, ante omnia genitum, divinitate, caritate, majeſtate, virtute, claritate, vitâ, ſapientiâ, ſcientiâ Patri per omnia ſimilem, utpote perfectum de perfecto genitum: ſuſceptionem etiam hominis ex virgine Maria, ſicut prophetæ futurum prædixerunt, & evangelicæ atque apoſtolicæ voces completum docent. Paſſiones quoque ejus & mortem & reſurrectionem & in cælis adſcenſionem ſuſcipimus, credimus, profitemur: & quòd in fine mundi de cælis deſcenſurus ſit judicare vivos & mortuos, & reddere unicuique ſecundùm opera ejus. Et in Spiritumſanctum, id eſt paraclitum, qui nobis à Deo patre per Filium datus eſt. Explicit.

FRAGMENTUM * XIV.

* *Aliàs* 1. *partis.*

Incipit exemplum epistolæ * Valentis, Urſacii & aliorum ad Germinium.

« * anno 366. ſcriptæ.

Domino religioſiſſimo fratri [e] Germinio, Valens, Urſacius, Gaius & Paulus S.

e

Germinius accuſatur quòd homœuſion defendat.

1. CUM de ſpe & ſalute ſollicitudo incumbit, magis laudandi eſſe debent qui ſolliciti ſunt, quàm reprehenſionem aliquam ſuſtinere. Salus autem ac ſpes principaliter in fide catholica conſiſtit. Et ideo quamvis [f] conventione à dominis noſtris fratribus & coepiſcopis noſtris Valente & Paulo admonita noluerit ad id quod rumor jactitat de te reſpondere, domine religioſiſſime: tamen quia litteris tuis teſtificatus es, te in eadem caritate perſeverare, & paratum eſſe illibatam dilectionem habere erga nos oſtendere; propterea in unum apud Singidunum congregati, iterum his commonefacimus ſanctitatem tuam, ut omni occaſione ambigui excluſâ, digneris rurſus reſcribere nobis. Si à fide catholica, quæ Arimini à ſancto Concilio expoſita confirmataque eſt, cui etiam univerſi Orientis epiſcopi conſenſerunt, ſicuti jam profeſſus es te non receſſurum, apertiùs quæritur ſignifices. Eſt autem hoc, ſicut in ea cautum eſt: *Similem dicimus Filium Patri ſecundùm Scripturas*, non *ſecundùm ſubſtantiam*, aut *per omnia*, [g] ſed abſolutè. Si enim hæc expoſitio immutata fuerit; manifeſtè quondam Baſilii [h] perfida aſſertio, propter quam ſynodus facta eſt, qua etiam meritò damnata eſt, reparabitur.

f

g

h

Retractatio illius depoſcitur.

2. Dignare igitur hoc, quod quæritur, evidenter litteris tuis declarare: non dixiſſe, aut dicere, vel dicturum, ſimilem eſſe per omnia Filium Patri excepta innativitate: ne quod perlatores litterarum Jovianus diaconus & Martyrius ſubdiaconus verbo deprecationis ſuæ ante prædictos dominos meos fratres & coepiſcopos noſtros Valentem & Paulum aſſerebant, magis credibile eſſe videatur, quia per omnia ſimilem eſſe Filium Patri profitearis. Si enim ſic te, ſicut optavimus, ſentire ſcriptis tuis manifeſtaveris; querelam pro injuria à quibuſdam clericis tuis Palladio & Gaio fratribus & coe-

[a] Verbum *eſſe* ſuppletur ex mſ. Sirm. Tum in Pithœano habetur *condeſcenſio*.

[b] Aliàs ex mſ. *conſenſum*. Legendum eſſe *conſenſu* liquet ex ſuperioribus his verbis, *conſenſu omnium provinciarum jure reſcindimus*.

[c] Germinii reſipiſcentiam, atque à Valente & Urſacio diſceſſionem nulla nobis alia veterum monimenta produnt. Ipſemet Hilarius Tractatu adversùs Auxentium anno 364. ſcripto eum adhuc cum Arianæ hæreſis fautoribus conjungit. Hæc igitur Germinii profeſſio ei adſcribenda eſt tempori, quo, Lampſacenæ ſynodi legatis Occidentem peragrantibus, rerum Arianarum facies prorſus mutata eſt. Quod confirmatur ex epiſtola ſequenti anno 366. conſignata: quam à Valente & Urſacio, ubi primùm ſocii aliàs ſibi devinctiſſimi demutationem audierunt, ſcriptam eſſe non dubium eſt, ut eum ad ſuas partes revocarent.

[d] In archetypo mſ. Pithœano hîc relictum eſt ſpatiolum quoddam, quod relativo *qui* ſuppleverat Nic. Faber. Aliquid aliud deſiderandum ſuſpicamur. Eſt enim potiùs hæc epiſtola adversùs eos, qui tunc reſcindere nolebant, quod in Ariminenſi Concilio malè ſubſcripſerant. Videri etiam poteſt ſcripta adversùs eos, qui in Sirmienſi congreſſu anni 358. retractare coacti ſunt, quod paulo antè in eadem civitate malè fecerant. Et quidem ſubjecta fidei confeſſio oppoſita eſt blaſphemiæ, quam Oſius ſubſcriptione ſua ratam facere compulſus eſt, uti jam monuimus pag. 1152. not. i.

[e] Vix Paulus ac Valens per Jovianum diaconum ac ſubdiaconum Martyrium didicerunt, eam à Germinio editam eſſe fidei confeſſionem, quæ ſuperiori Fragmento continetur, cùm illum ſuper ea re convenere. Sed ad ea, quorum maximè curioſi erant, nullo accepto reſponſo, rurſum apud Singidunum unà cum aliis congregati has ipſi litteras fecerunt.

[f] In mſ. *contentione* Legendum eſſe *conventione* liquet ex poſtremis his verbis, *ſicut prima conventione admonitus es*. Tum editi ex mſ. Pith. *ad omnes noſtros fratres & coepiſcopos noſtros*: corriguntur ex mſ. Sirm. ex quo mox reponimus *jactitat*, pro *latitat*. Integrior ſic eſſet oratio: *conventione factâ à dominis... Valente & Paulo admonita ſanctitas tua noluerit* &c.

[g] Nic. Faber mavult *ſeu abſolutè*.

[h] Haud dubiè Ancyrani, quo maximè auctore primùm Ancyræ Filium Patri ſubſtantiâ ſimilem, ac poſtea Sirmii per omnia ſimilem eſſe definitum eſt. Quæ aſſertio ab Arianis Conſtantinopoli an. 360. congregatis damnata eſt.

* f. facta. piscopis nostris * factam, licèt nolueris, sicut A prima conventione admonitus es, exquirere a ad æstimationem tuam [a] pertinet, illis scilicet præstantibus pro sua temeritate rationem. Hæc per Secundianum presbyterum, Pullentium lectorem, & Candidianum exorcistam transmisimus Caritati tuæ x v. Calendas Januarias, Gratiano nobilissimo P. & Dagalaifo anno 366. conss. exemplum penes nos retinentes.

---

* Aliàs 1. partis.

FRAGMENTUM * XV.

b an. 367.

INCIPIT RESCRIPTUM [b] GERMINII ad Rufianum, Palladium, & ceteros.

Dominis Fratribus religiosissimis Rufiano, Palladio, Severino, Nichæ, Heliodoro, Romulo, Muciano & Stercorio Germinius in Domino S.

c

I. VITALIS V. C. [c] militantis in officio sublimis Præfecturæ relatione comperimus, desiderare sanctitatem vestram, significari vobis apertè quid est, quod de fide nostra Valenti, Ursacio, Gaio & Paulo displiceat. Necessarium duxi, his litteris patefaciendum sanctitati vestræ, & id, quod in vobis ipsis ab initio esse confido, dicere. Nos hoc quod & à patribus traditum accepimus, & divinis Scripturis quod semel didicimus, & quotidie D docemus, Christum Dei filium Dominum nostrum per omnia Patri similem, excepta innativitate, Deum de Deo, lumen de lumine, virtutem de virtute, integrum de integro, perfectum de perfecto, ante sæcula & ante universa, quæ intelligi vel dici possunt, genitum, cujus nativitatem nemo scit nisi solus Pater, ipso Filio adserente: Quia nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare: per quem facta E sunt omnia, sine quo factum est nihil, secundùm divinas voces ipsius Salvatoris nostri Filii dicentis, Pater meus usque modò operatur, & ego operor; & iterum, Quæcumque enim Pater facit, hæc & similiter Filius facit; & iterum, Ego & Pater unum sumus; & iterum, Qui me vidit, vidit & Patrem; & iterum, Quomodo Pater vitam habet in semetipso, ita dedit & Filio vitam habere in semetipso; & iterum, Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, F ita & Filius quos vult vivificat; & iterum, Creditis in Deum, & in me credite; & iterum, Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio; ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem; & iterum cui Pater dixit, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; nec

(Left margin: Filium Patri per omnia simile esse & traditione & Scripturis doceri. — Matth. 11. 27. — Joh. 5. 18. — Ibid. 19. — Joh. 10. 30. — Joh. 14. 9. — Joh. 5. 26. — Ibid. 21. — Joh. 14. 1. — Joh. 5. 22. & 23. — Gen. 1. 26.)

dixit, ad imaginem tuam, vel, ad imaginem meam, ne aliquam dissimilitudinem in Filii sui divinitate demonstraret: sed propterea conjunxit, ad imaginem & similitudinem nostram, ut Filium suum sibi similem per omnia Deum manifestaret. Iterum Evangelista, Vidimus Joh. 1. 14. gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritate. Et Apostolus ad Corinthios; In quibus Deus hujus sæculi ex- 2. Cor. 4. 4. cæcavit mentes infidelium, ut non refulge- B rent inluminatione Evangelii gloriæ Christi, quæ est imago Dei. Et iterum idem Apostolus: Et transtulit nos in regno filii caritatis suæ, in Colos. 1. 13. &c. quo habemus redemtionem & remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Et iterum idem Apostolus: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Philip. 2. 5. &c. Christo Jesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi acci- C piens, in similitudine hominum factus. Quis non intelligat, quia quemadmodum secundùm servi formam vera fuit caro nostra in Christo; ita & in Dei forma vera sit divinitas Patris in Filio? Et iterum: Videte ne quis vos seducat per Colos. 2. 8. &c. philosophiam & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum, secundùm elementa hujus mundi, & non secundùm Christum; quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Si ergo omnis plenitudo divinitatis D inhabitat in Christo, jam non ex parte similis & ex parte dissimilis, sicut nunc asserunt, qui propter contentionem suæ libidinis retrorsum abeuntes, semetipsos à nobis averterunt.

2. Nam quod putant se pro magno de divinis Scripturis proferre, ut dicant Christum facturam & creaturam: è contrario nos secundùm Scripturas dicimus viam, & januam, & lapidem offensionis, & petram scandali, & fundamentum, & brachium, & manum, & E sapientiam, & verbum, & agnum, & ovem, & pastorem, & sacerdotem, & vitem, & diem, & alia. Sed hæc omnia sic intelligimus & dicimus, ut virtutes & operationes filii Dei intelligamus, non ut divinam ejus ex Patre nativitatem hujuscemodi nominibus comparemus; quia ex nihilo omnia per Filium facta sunt, Filius autem non ex nihilo, sed ex Deo patre est genitus.

(Right margin: Quæ in contrarium afferuntur quî explicanda.)

3. Miror autem prædictum Valentem aut F oblitum esse, aut certè subdolè dissimulare, quid in præteritum gestum definitumque sit. Nam sub bonæ memoriæ Constantio Imperatore, quando inter quosdam cœperat esse de fide dissensio, in conspectu ejusdem Imperatoris, præsentibus Georgio episcopo Alexandrinorum Ecclesiæ, [d] Pancratio Pelusinorum, d Basilio episcopo tunc Anquiritano, præsente

(Right margin: Valentis inconstantia: & fidei à Marco Areth. editæ occasio.)

[a] In mss. Sirm. *non pertinent illi scilicet.*
[b] non ad superiorem epistolam, quæ Valentis, Ursacii, Gaii & Pauli, non Rufiani, Palladii &c. nomine inscripta est, quæque non per Vitalem, sed per Secundianum, Pullentium & Candidianum est delata. Illam tamen huic occasionem præbuisse concedendum est: ut qui se epistolæ suæ exemplum penes se retinere superiùs testati sunt, illud subinde publicum fecerint. Quod nacti Rufianus, Palladius, Severinus ac socii, ab ipsomet Germinio rescire desideraverint, quid in ipsius fide Ursacio, Valenti, Gaio & Paulo displiceret. Illis hoc rescripto facit satis: quod proinde aliquanto post prædictam epistolam, hoc est, non longè post anni 367. initia missum sit necesse est.
[c] Editi ex ms. Pith. *nunc:* ubi ex Sirm. restituimus *v. c.* id est, *viri clarissimi.* Simile mendum ex eodem ms. Sirm. jam castigatum est Fragm. I X. n. 3.
[d] Vocem *Pancratio*, quæ priùs deerat, supplemus ex lib. 2. Socratis cap. 29.

a etiam ipso Valente & Ursacio, & [a] mea parvitate, post habitam usque in noctem de fide disputationem & ad certam regulam perductam, Marcum ab omnibus nobis [b] electum fidem dictasse, in qua fide sic conscriptum est: *Filium similem Patri per omnia, ut sanctæ dicunt & docent Scripturæ*: cujus integræ professioni consensimus omnes, & manu nostra subscripsimus. Si autem nunc aliquid spiritus hujus mundi suggerit, ex aperto adhuc scire non possumus. Nam ut nos professi sumus de Scripturis per omnia similem Filium Patri, excepta innativitate; exponant & illi de Scripturis, quemadmodum parte similis sit, parte dissimilis.

A 4. Et ideo, Fratres dilectissimi, hæc intrepidanter & sine mora vestræ dilectionis ad conscientiam, per Cyriacum officialem, cujus prima inventa occasio est post Carinium diaconem quem ad vos misi, professionem destinavi: ut per vestram quoque vigilantissimam devotionem apud Deum universæ fraternitati intimetur, ne quis fallacis diaboli laqueis ignorans implicetur. Jam vestræ est unanimitatis, rescribere mihi quid vobis sanctus Spiritus suggerat. B Sanè intimo Caritati Vestræ, me huic epistolæ, propterea quòd manus dolerem, subscribere non potuisse: subscribendum autem mandasse fratribus & compresbyteris nostris Innocentio, Octavio & Catulo.

[a] Sic legendum esse sentiebamus, non ut priùs, *& in ea pravitate*, cùm sententiam nostram ms. Sirm. confirmavit.

[b] Ita emendandum esse constat, licèt antea obtinuit *ejectum*. Quænam sit illa fides à Marco dictata, ubi, quando & qua occasione edita sit, nunc paucis est disserendum. Eam Sirmii editam fuisse facilè deprehenditur ex verbis Socratis lib. 2. cap. 29. & 30. quamvis ibi tres conventus Sirmienses confundens, multa veris falsa intermisceat. Nam cùm verè scribat synodum anno 351. Sirmii adversùs Photinum esse celebratam; falsum est quod ait, ei interfuisse Georgium Alexandriæ episcopum, quippe qui huic civitati anno dumtaxat 356. præfectus est. Deinde cùm veritati consentaneum sit quod memorat, in eo conventu Sirmiensi, in quo Georgius Alexandrinus præsens aderat, à Basilio Ancyrano acerrimè fuisse disputatum; illi tamen concedendum non est, Basilio tum certaminis quidquam cum Photino fuisse, si quidem huic jam longè antea deposito Germinius successerat. Verè etiam audierat Socrates formulam fidei in pradicto conventu à Marco Arethusio dictatam: sed hoc falsò ad fidem contra Photinum scriptam retulit, in qua nusquam occurrit primarium illud decretum, *similem* esse *per omnia Patri Filium*.

Jam verò convenit inter omnes, conventum de quo hîc agitur post Ancyranam synodum anni 358. fuisse habitum. Neque minùs constare debet, nihil in eo de Photino actum, sed totam Basilii disputationem adversùs Sirmiensis blasphemiæ auctores ac fautores exstitisse. Ex libro autem de Synodis certum est, Basilium aliosque Orientales anno 358. Ancyrâ Sirmium properantes ibi Valentem ac socios coegisse, ut fidei ipsis propositæ subscriberent, ac damnarent quod paulo antè fecerant. Quod non sine magna partium contentione factum nemo inficias ierit. Neque negabit quisquam, Basilium ac socios, cùm Ancyræ ante Pascha convenissent, Sirmium ante Pentecosten pervenire potuisse. Quocirca quod apud Epiphanium hær. 73. n. 22. habetur de subscriptione Valentis *nocte Pentecostes jam illucescentis*, ad coactam illam subscriptionem commodè referas, quam Sirmii Ancyranæ synodi legati à Valente ac sociis extorserunt. Quod si ita est, hîc Germinius de formula anno 358. edita sermonem habet. Epiphanius enim quod *nocte jam illucescentis Pentecostes*, hoc item narrat factum esse, quando fidei subscriptum *qua Filius per omnia Patri similis esse definitur*. Alia præterea succurrunt in hujus opinionis gratiam.

Plura tamen favent sententiæ Nicolai Fabri, qua existimat eam à Germinio indicari formulam, quæ Sirmii, Imperatore præsente, XI. Kal. Jun. Eusebio & Hypatio coss. edita est, & ab Athanasio lib. de Synod. p. 875. inserta. Primò enim in eam convenit dies ab Epiphanio notatus. Nam Eusebio & Hypatio coss. hoc est 359. anno, Pentecostes nox in XI. Kal. Jun. incidebat. Deinde cùm scribit Epiphanius, Valentem professionis ibi editæ exemplum habere voluisse, quod ad Ariminensem synodum deferret; Ariminense Concilium tum in proximo fuisse significat. Et hæc ipsa quidem à Valente & sociis Ariminensi synodo est proposita, quæ Eusebio & Hypatio coss. vulgata est. Demum in hac legitur *Filium Patri per omnia similem esse, ut sancta dicunt & docent Scripturæ*. Sed cùm in ea ipsa etiam substantiæ silentium decernatur; ægre intelligitur quî Basilius huic definitioni consensisset. Reponi quidem posset, cùm hinc Valentem inter & Basilium nata esset controversia, quòd ille substantiæ silentium, hic Filium per omnia Patri similem vellet; eam à Marco ita sedatam esse, ut quod vellet uterque, in una eademque ecthesi reperiret. Sed apud Epiphanium loco laudato perspicuum est, neque etiam tunc Basilium consensisse, ut substantiæ nomen taceretur; sicut ex Seleuciensis synodi gestis constat, eum illud postea constanter retinuisse. Præterea quis credat hoc nomen à Marco Arethusio suppressum, qui cum ceteris Orientalibus primæ Antiochenæ formulæ adhærebat, in qua, ut notat Sozomenus lib. 4. c. 16. substantia asserebatur? Quamquam non satis sibi constat Sozomenus, cùm lib. 4. c. 16. innuit, solos Anomœorum principes formulæ ejus auctores esse, quæ Sirmii an. 359. edita est; & tamen cap. 22. conceptis verbis testatur eos, quibus in Seleuciensi synodo placebat ut substantiæ nomen è medio tolleretur, prætendisse formulam fidei, *quam paulo antè Marcus Sirmii composuerat, quam tum alii susceperant episcopi qui tunc erant in Comitatu tum Basilius episcopus Ancyræ*.

De Sirmiensibus formulis restat quærendum, quænam Constantii edicto suppressa sit. Multi cum Socrate lib. 2. c. 30. ac Sozomeno lib. 4. c. 6. hoc ad secundam referendum esse existimant. A quibus percontari libet, quando putent illius auctores laborasse ut illius exemplaria ex omnium manibus eriperent? an statim atque edita est? Sed etiam pòst in Gallias missa est. An post quàm Ursacius ac Valens Ancyranæ synodi decretis subscribere coacti sint? At hoc certè Hilarius silentio non præterisset in libro de Synodis, quem & post formulæ hujus editionem, & post coactam illam Ursacii ac Valentis subscriptionem composuit. Neque verò hoc Concilii Ariminensis tempore factum dixerint: quo nimirum Valens ac socii doctrinam in illa contentam revocare atque confirmare cogitabant. Veriùs itaque juxta Athanasium lib. de Synod. p. 905. dixeris, Valentem & socios, cùm propositâ Ariminensi Concilio tertiâ formulâ ob Consules in ea prænotatos ab omnibus irrisi essent, apud Imperatorem effecisse, ut ereptis exemplaribus tollere possent unde omni probro ac pudore suffusi fuerant. Sublatis igitur Consulum nominibus, necnon vocabulis *in omnibus*, quæ ipsis valde incommoda, Sirmii pro tempore inviti tergiversantesque susceperant, eamdem formulam & Nicææ in Thracia, & Arimini ac Seleuciæ subscribendam curarunt. Cui sententiæ in hoc favet Sozomenus lib. 4. c. 6. quòd non dicat auctores Sirmiensis formulæ operam dedisse ut eam prorsus supprimerent, sed *ut emendandam reciperent*. Quod in tertiam, non in secundam convenit.



FRAGMENTA EX ALIIS SANCTI HILARII OPERIBUS, IN VETERIBUS MONIMENTIS RELICTA.

Ex Tractatibus [a] *in Job.*

A

I. 
ANTA enim & tam admirabilis in nos misericordiæ Dei bonitas est, ut per quem in Adæ offensa generositatem primæ & beatæ illius creationis amisimus, per eum rursum id, quod amisimus, obtinere mereamur. Tunc enim diabolus invidens nocuit: nunc autem, cùm nocere nititur, vincitur. B Movet enim per infirmitatem carnis nostræ omnia potestatis suæ tela, cùm ad lasciviam accendit, cùm ad ebrietatem illicit, cùm ad odia stimulat, cùm ad avaritiam provocat, cùm ad cædes instruit, cùm ad maledicta exacerbat. Sed cùm per firmitatem animi horum omnium subrepentia incentiva reprimuntur; emundamur à peccato per hujus victoriæ glo- Job 25. 4. riam; dictum enim ita est: *Aut quomodo se emundabit natus ex muliere?* Quia non exstante hoste, non erit bellum: cessante deinde bello, victoria deerit. Collidentium autem adversùs nos vitiorum victoriâ non adeptâ, non erit emundatio ulla vitiorum: quia his insidiis corporis nostri pirata victo, colluctantium adversùs nos passionum concertatione purgamur. Memores igitur & conscii illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiem, per quam polluti & sordidi, nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus; gaudeamus nobis esse hostem, in cujus concertatione quodam concertationis nostræ bello dimicemus.

C

Item. [b]

II. Quas Job litteras legerat, ut abstineret se ab omni re maligna, quia Deum sola mente vitiis non admixta venerabatur? Deum autem colere, justitiæ proprium officium est.

Ex [c] *Proœmio expositionis Evangelii in Matthæum.*

III. Erat namque primùm necessarium nobis, ut unigenitus Deus nostri causâ homo, id quod tum non erat, gigneretur.

Item ex eodem.

IV. Tertium deinceps illud congruum fuit, ut quia Deus homo genitus in mundo &c.

De [d] *expositione epistolæ ad Timotheum.*

V. Nam & cùm dicit Scriptura, *homo Christus*, & cùm dicit, *Christus mortuus est*, & cùm dicit, *Verbum caro factum est*; non est spoliandus per fraudulentiam legentis expositionibus suis sermo. Nam ubi *homo Christus est*, præcedit, *Mediator Dei atque hominum*: ut ex utroque, Deo & homine, unus subsistat; sitque inter hominem & Deum medius, confessione in se utriusque naturæ. Ubi verò *Christus mortuus est*, subjicitur, *Qui resurrexit, qui est in dextera Dei.* In morte ejus carnis nostræ infirmitas est, in resurrectione virtus ejus, in consessu Dei dignitas. 1. Tim. 2. 5. Rom. 8. 34. Johan. 1. 14.

D

[a] Fragmentum hoc laudat Augustinus, & quadam præfatione sic explicat lib. 2. contra Julianum c. 8. n. 27. *In quadam verò homilia de libro sancti Job, attende quid dicat, quemadmodum ipsius diaboli adversùs nos indesinens bellum ex hoc fieri asserat, cùm ea mala quæ in nobis sunt, excitat contra nos: quod in nostram fieri utilitatem vult docere, convertente scilicet divinâ misericordiâ malitiam diaboli ad purgationem nostram: Tanta enim* &c.

[b] Ex iisdem homiliis in Job excerptum esse liquet hoc alterum fragmentum, quod Hilarii nomine, tacito Operis titulo, primus laudavit Pelagius, ac deinde commemoravit & exposuit Augustinus lib. de nat. & grat. c. 62.

[c] Hoc fragmentum cum subsequente Cassiano debemus: quæ quidem lib. 7. Incarn. c. 24. (utinam paulò fusiora) inseruit.

[d] Titulus hic etsi inauditum Hilarii Opus notat, subnexis tamen verbis donatur in hunc modum à Concilio Spalensi c. 12. *Sanctus ergo Hilarius in expositione epistolæ ad Timotheum sic loquitur: Nam & cùm* &c. Hæc porro Hilarii nostri esse, puto, non ambiget, qui in ipsius lectione prorsus peregrinus non erit; aut etiam qui cum his alia ipsius verba lib. 10. de Trinit. n. 66. compararit. An verò totam ad Timotheum exposuerit epistolam, dubitare per nos licet.

a *Ex libro [a] ad Constantium Imperatorem.*

b VI. Filius Dei factus homo Deus est.... [b] Deus filius hominis factus est, (homo enim factus est Deus, non Deus factus est homo)* & filius hominis factus est filius Dei. Superavit enim magnitudo Domini parvitatem servilis formæ; ita ut ipsa servilis forma, quam assumsit, cessaret esse servilis per eum Dominum, qui eam assumsit. Si enim qui naturâ non filii Dei, per ipsum efficiuntur filii Dei; quanto magis ipse, qui naturâ filius Dei est, hunc cum quo voluntate sua alvo virginali conceptus & natus est, ita sublimavit in Deum, ut in ejus nomine omne genu flectatur, cælestium & terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.

* f. sed.

c *Ex [c] incerto Opere.*

Lucæ 11. 3. VII. Panem nostrum quotidianum da no-

A bis hodie. Quid enim tam vult Deus, quàm ut quotidie Christus habitet in nobis, qui est panis vitæ, & panis è cælo: & quia quotidiana oratio est; quotidie quoque ut detur, oratur.

[d] Item aliud. d

VIII. Ergo cùm missus est (*Christus*) in similitudine carnis peccati, non sicut carnem B habuit, ita habuit & peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro est, à peccato scilicet Adam parente deducta; in similitudine peccati carnis est missus, exsistente in eo, non peccato, sed peccati carnis similitudine.

Fragmentum [e] dubium. e

IX. In quo omnes peccaverunt. In quo, id est, in Adam omnes peccaverunt.... Mani- C festum est in Adam omnes peccasse, quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus, omnes quos genuit, nati sunt sub peccato.

[a] Hæc Hilarii verba à Cælestino Papa I. in Concilio laudata esse testis est Arnobius lib. 2. de Conflictu cum Serapione, ubi & eadem sic adscripsit: *Hilarius quoque vir acris ingenii scribens ad Constantium Imperatorem de Incarnatione Domini sic ait: Filius, inquit, Dei factus homo Deus est; & præposterans repetit, Deus filius hominis* &c. In vulgatis Arnobii inscriptio *in Constantium Imp.* minimè probanda est: tum deinde occurrunt aliqua menda, quæ ex veteri ms. Corbeiensi castigavimus. Ex plurimis autem, quæ in dicto Arnobii Opere ex eodem codice castigari queunt; hoc unum hîc notamus lib. 2 ubi Arnobius, laudatis quibusdam Ambrosii versibus, in ms. subjicit, *Numquid dicit, talis decet partus hominem?* Verbum autem *dicit* deest in vulgatis, quamvis ad intelligentiam hujus loci prorsus necessarium. Conferendum hoc fragmentum cum Tract. Psal. 143. n. 7.

[b] Magis placeret, *Non Dei filius hominis filius factus est; (homo enim factus est Deus, non Deus factus est homo:) sed filius hominis factus est filius Dei.* Hujusmodi sententiam Augustinus Serm. 186. n. 2. notat his verbis: *Non ergo*, inquit, *vobis subrepat quorumdam sententia minùs attentorum in regulam fidei & in Scripturarum oracula divinarum. Dicunt enim, Qui filius est hominis, factus est filius Dei: qui verò filius est Dei, non est factus filius hominis. Hoc ut dicerent, quod verum est attenderunt: sed verum eloqui non valuerunt. Quid enim attenderunt, nisi quia humana natura potuit in melius commutari, in deterius autem divina non potuit? Hoc verum est. Sed etiam sic, id est, nequaquam in deterius divinitate mutatâ, Verbum tamen caro factum est. . . . ac per hoc qui erat Dei filius, factus est filius hominis, assumtione inferioris, non conversione potioris.* Apprime quidem solet Hilarius ad oracula Scripturarum suum exigere sermonem, dum v. g. lib. 9. de Trin. n. 5. de Christo ait, *Hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se filium Dei credi doceret, & hominis filium prædicari admoneret* &c. & num. 3. *Ipse ex unitis in idipsum naturis naturæ utriusque res eadem est; ita tamen, ut neutro careret in utroque, ne fortè Deus esse homo nascendo desineret, & homo rursum Deus manendo non esset.* Plura in promtu sunt: sed pluribus non eget, cui jam Hilarii lectio familiaris est. Igitur in allato illius fragmento alius quidam latet abstrusior sensus. Quippe cùm Hilarius triplicem in Christo statum distinguat, primum ante susceptam carnem, alterum in carne mortali, postremum qui resurrectionem ipsius excepit; ita eum in secundo statu Deum & hominem passim profitetur, ut in tertio hominem in Deum transiisse sensu à nobis sæpius explicato dicat. Unde allatus locus totus esse videtur de glorioso Christi statu, ad quem pertinet subjectum Apostoli testimonium. Et quidem qui in Psal. 143. n. 4. in Verbo assumente carnem formam Dei ita exinanitam dicit, ut *totus in forma servi sit*, procul abest ut servilem formam per susceptionem Verbi servilem esse cessasse prædicet. Qui igitur illum hîc rationem reddere existimant cur una in Christo subsistentia sit, sententiam illius non satis videntur assecuti.

[c] Vel ex homiliis in Job, vel ex perditis Tractatibus in Psalmos excerptum est, quod à Concilio Toletano IV. c. 10. sic memoratur: *Sanctus Hilarius dicit: Panem nostrum*, &c. V. Ambros. lib. 5. de Sacram. n. 25.

[d] Hæc verba non sine Hilarii elogio sic celebrat Augustinus lib. 1. cont. Julian. c. 3. n. 9. *Ecclesiæ catholicæ adversùs hæreticos acerrimum defensorem quis ignorat Hilarium episcopum Gallum? Qui cùm de Christi carne ageret, attende quid dixerit: Ergo cùm missus* &c. Eadem rursum indicat libro subsequenti cap. 4. *Et ideo venerandus Hilarius*, ex peccato esse omnem carnem, *non cunctatus est dicere: sed numquid ideo negavit ex Deo?* verùm ea unde excerpserit, non declaravit. Non enim crediderim, librum hîc indicari, cui titulus *de carne Christi* fuerit; sed tantùm lectorem admoneri, Hilario in eo loco de carnis Christi prærogativa esse sermonem. Similis sententia occurrit lib. 10. de Trinitate num. 25.

[e] Subjecta verba occurrunt in Commentariis Ambrosio adscriptis in epistolas Pauli Rom. 5. Ea tamen cùm Augustinus lib. 4. contra duas epist. Pelagian. c. 4. ita profert; *Sic sanctus Hilarius intellexit, in quo omnes peccaverunt* &c. hæreticam sententiam refellere voluisse videtur S. Hilarii Pictavensis auctoritate. Et meritò quidem existimetur Commentarios illos numquam legisse; cùm aliàs etiam plura in iis exstent Pelagio adversa, neque tamen quidquam aliud ex iis adversùs illum adducat. Itaque cùm in hoc fragmento phrasim Hilarianam non satis internoscamus, illud veluti dubium proponimus.

FINIS.

APPENDIX



APPENDIX OPERUM SANCTI HILARII PICTAVENSIS EPISCOPI.

METRUM IN GENESIM AD LEONEM PAPAM.

Carmen hoc è bibliotheca Victorina primus eruit Ludovicus Miræus, atque inter Hilarii Opera vulgavit anno 1544. Deinde non modò cum illis, sed & cum aliis, ac seorsim multoties editum fuit. In eo corrigendo operam suam collocarunt Cl. Zehnerus & Barthius. Johannes autem Vveitzius ampla in illud composuit commentaria, quæ an. 1625. Francofurti in lucem prodierunt. In mss. S. Hilario Pictavensi adscribitur, ejusque nomen in editis obtinuit, donec à Sixto Senensi & Gillotio Campano Hilario Arelatensi adjudicatum est: qua auctoritate, non apparet. Ex sola eorum fide Quesnellius in novissima Operum S. Leonis Papæ editione ceteris S. Hilarii Arelatensis scriptis hoc metrum adjunxit, quamvis ipsi videretur primus poetæ conatus, carmen non tam scribentis quàm meditantis, quod ubique fœdissimis scateat erratis, & in quo vix ullæ metri leges observatæ, plures versus non absoluti, vix ipsa delibata materies. Sed si propterea Hilario Pictavensi indignum est; nulla succurrit ratio cur Arelatensi attribuatur.

Paruimus monitis tua dulcia jussa secuti,
Antistes Christi, quæ dabas ore pio.
An ego nunc canerem tanti præconia patris,
Munus opusque Dei, dum mihi lingua foret
Rauca quidem, stridens, & nullis digna coronis,
Ingeniumque jacens? sed libet alta loqui.



DIGNUM opus & justum est semper tibi dicere grates,
Omnipotens mundi genitor, quo principe cuncta
Natalem sumsere diem, atque exorta repentè
Post tenebras stupido spectarunt lumina cælo,
Gens hominum, pecudesque, feræ, milleque volucres,
Et quæ per liquidos discurrunt agmina campos,
Omnia per temet ex te qui maxima condis,
Ex te [a] nate Pater: nec jam patris est pater alter.
Tu capitis primique caput, tu fontis origo,
Primus apex rerum, primus sator omnia condens:
Nec tamen ex alio ducis genus, ipse perennis
Spiritus, antiquo vivens per sæcula motu.
Semper eris, quia semper eras. Non mortis egenus,
Qui natalis inops, nec finem noverit ævi.
Ex se principium cui contigit, haud manet alter

A Auctorem casus: nascentia terminus urget.
Omnia cùm tegeret nigrum chaos, altaque moles
De super urgeret informis corpora mundi,
Et caliganti premeret serotina nocte,
Nec species, nec forma foret; Deus intus agebas,
Corporibus tectis mixtus, secreta potestas.
[b] Jam tum disponens nascentia mœnia mundi, b
Et varias rerum facies animasque futuras,
Utque caput victa promsit caligine noctis
Sublimem attollens vultum, sensere tenebræ.
Mox dominus rerum somnos discussit inertes,
Pigraque materies trepidavit [c] numine pulsa, c
B Commotaque simul [d] matura conscia partu, d
Scinditur ingentis cumuli per plurima corpus
Membra, [e] locusque simul metantur semina jussu, e
Et confusa [f] simul descendunt viscera moles, f
Sectaque per partes formas spectantia frusta
Jam calor intus alit, & blando suscitat igni.
Ac primum cæli pansus liber omnia mundi
Complectens spatia, celso suspenditur orbe:
Terra gravis pigro descendit pondere ad imum,
Ac semet defixa, salo fundata resedit,
Essetque ut spatium vacuæ regionis * apertæ, * Al. aperto.
Qua tener incedens mortalia pasceret æther,
Quóque exire patris possent tot munera rerum,
C Ortaque ferrentur nullo per inane labore,
Diffusæ coguntur aquæ, mox [g] limite certo g

[a] Quesnellius ex conjectura, *nata*: quod aliàs etiam Johanni Veitzio placuit. Retinemus cum omnibus mss. *nate*, quasi ex te exsistens & à nullo alio originem habens.

[b] Editi, *jam tumidis ponens*: emendantur ex ms. Laudunensi.

[c] Ita cum ms. Laudun. Quesn. Alii verò libri, *nomine*.

[d] Veitz. *maturo*. Quesn. favente ms. Colb. *natura*.

[e] Non displicet cum Veitz. *locosque*.

[f] Adjecimus *simul* ex ms. Laudun. Legit Quesn. *Atque in confusas descendunt* &c Veitzius autem, *Et confusa priùs descendunt viscera molis*. Pro *descendunt*, satis arrideret *discindunt*.

[g] Codex Vict. cum Colb. *limine*.

Liquuntur maria, nec finem tranſilit unda,
Tunc oritur lux alma, dies quæ juſſa vocari,
Naſcentem tenero perfudit lumine mundum.
Munus opuſque tuum prodens, tua maxima dona,
Condere quæ genitor patria pietate parabas.
Utque hominum ſolers poſſet clareſcere vita
Artibus æthereis, quæ totas ducere luces
Gaudet, & ingenium diverſa laude fatigat.
Inſequitur nox atra diem, denſæque tenebræ;
Corporibus ſomnos quæ ferrent otia feſſis,
Et cunctis unam faciem, ſimilemque figuram.
Namque dies varia [a] rerum diſcriminat ora,
Et dat cuique ſuum disjecta nocte colorem,
Inſtigatque animos [b] opere ad majora calentes,
Exacuens variis mortalia pectora curis.
Quo mage forma dies vitæ, nox mortis imago.
Tunc condens pater aſtra polo, ac lumine * vivens;
Sidera diſtinguens variis per tecta figuris
Lucifer exſurgit roſeus, & fulgidus ore
Veſper, puniceos ſpargit aurora capillos.
Anguis agit ſudum, important pleiades imbres.
Sunt juga, ſunt plauſtra, gemmantes flore coronæ,
Signaque biſſenis annum volventia formis.
Multaque præterea celſæ domus ornamenta,
Queis ſæclum fulcit ſignis, & regia ſumma
Picta parens variâ ſtellarum luce coruſcat.
Sed ſoli lux major ineſt, quem munere largo
Exultum genitor pleno dignaris honore.
Igneus ille jubar præcelſo vertice tollit
Ora rubens patulo, cæli per mœnia fertur,
Aſtrorum ductor mundi viget, atque elementa.
Ecce aliud mirum, mirum decus, en nova curſum
Mutat luna ſuum, quos perdit, colligit ignes,
Cornuaque exſtinguens perturbat [c] lumine frontem.
Mox tamen ardeſcit completo circulus orbe
Noctilucum lumen, paſcit ſata ſidera luce.
Nec tamen æterno quæ machina volvitur [d] æthre,
Non tantùm pictura poli eſt, nec celſa voluntas;
Mens ratioque ſubeſt, & rebus utilis ordo.
Hinc doctrina venit terris, hinc denique cunctis
Conſilium agricolis, & qui maria alta pererrant,
Ut ſe quaque ferant luces prædicere poſſint,
Venturos norint imbres, ſiccumque ſerenum,
Tempore quo tauros campis inducat arator,
Et dubium tentet ſecurus navita pontum.
Inſtructos ignes cælo pater optime terras
Excolere aggrederis, & munere donas opimo
Regna hominum, pecudumque larem, requiemque volucrum.
Planeſcunt campi, colles tumor arduus effert,
Subſidunt valles, florentia prata vireſcunt,
Saxaque durantur, pinguis ſe gleba reſolvit,
Rumpuntur fontes, [e] fluviis genus arduum unde eſt,
Herbarum varia conſurgunt gramina campis.
Jamque ſeges tenerâ fructum fundebat ariſtâ,
Cùm juga nulla forent, nec vomer ullus aratri,
Mugiret nullus proſciſſis taurus in arvis,
Ecce etiam vitis madido jam plena racemo
Expers falcis adhuc, & duri neſcia ferri,
Pampineas celſis texebat collibus umbras.
Diverſa exoritur variarum forma ferarum,
Quadrupedes animæ, nec non repentia terris,
Naſcuntur pictis volucres per nubila pennis.
His ubi perfectis genitor jam divite mundo

* Mſ. Laudun. videns.

A Cuncta videt magni curam depoſcere regis,
Qui mare, qui terras, atque omnia nata gubernet,
Quique altum ſpectet cælum; laudetque potenter
Munera magna Dei, ne ſint hæc condita fruſtra.
Tunc faciamus ais hominem: dic optime, cum quo
[f] Nunc loqueris? clarum eſt: jam tum tibi filius alto
Adſidet in ſolio, & terras [g] ſpectat amicas.
Sed faciamus ais hominem, cujus vultus imago
Noſter erit, manibuſque meis procedat in ævum.
Inde opifex rerum adſumis mollia terræ,
Atque virum formas, cujus [h] de coſta cupido
Fit mulier vultu, mulier de coſta viri fit.
B Quo mage cara viro, & lateri ſit conjugis apta.
O felix animal, ſummi cui dextra tonantis
Eſt pater! ô felix nimiùm, qui ducis olympo
Et genus & formam! Si te non noxia terræ
Decipiant vitia, nec blandus ſubruat error;
Numen eris, cæloque redux mirabere regna,
Quæ promiſſa bonis fido pater exhibet ore.
Nam tibi multa Deus naſcenti contulit ultro,
Æthercam faciem primùm, vultumque paternum,
Inceſſumque pedum rectum, ſublimia colla,
Ne qua mora in cælum oculis ſpectantibus eſſet,
Tunc alacres promtaſque manus, vitæque miniſtras,
C Atque domum divæ pectus rationis, & alti
Sedem conſilii, [i] fundendæ vocis honorem.
Hæc ſoli conceſſa homini: nam cetera * mutum
Eſt pecus, obtinuit ventrem, præcordia, nervos,
Venarum rivos, & ſparſum corpore ſanguen,
[k] Juſte, * levique ſimul ſenſuſque dolores.
Tu verò Omnipotens privato munere largus
Erga hominem, manibuſque tuis operiſque favore
Impendens patria pignus pietate colendo,
Ne quid divinis modò deſit vultibus, ignem
Ætheris inſpiras, & ſacræ mentis opimam
D Indulges partem, [l] permixtus corpore toto.
Tunc meminiſſe licet veterum, præſentia noſſe
Hinc datur, atque animæ fas eſt ventura videre.
Hinc loquimur canimuſque Deum, hinc ſidera cuncta,
Terrarumque viget cultus, pontuſque movetur.
Hinc artes, nomenque, pudor, prudentia, juſtum.
Hinc animæ ſurgunt fortes, hinc pergit honeſtum,
Et via quæ ducit caſtos ad limina cæli.
Ergo hominem pleno perfectum munere terris
Præponis genitor, & rerum tradis habenas;
Cuncta habeat, ſubdatque ſibi, [m] fieretque
Telluris dominus, famulus tuus omnia mundi
E Poſſideat, tantùm Domino tibi ſerviat uni.
Poſt quàm primus homo vetito ſe paſcere ligno
Non timuit, captuſque dolis ſe præbuit angui,
Stat reus, & nudus dejecto lumine veſtem
Implorans, Dominumque fugit, vultumque recondit,
Culpa comes ſequitur, peccato obnoxia vita
Debilitat vires, cælo venientia dona.
Æthere demiſſus paulatim deficit ignis.
Frigore peccati torpentia corda rigeſcunt,
Cura cibi ventriſque ſubibat, cura tegendi
Corporis, & ſacrum ſubeunt mortalia pectus.
F Naſcitur hinc proles peccati, germinat inde
Deterior ſoboles multò, pejorque priori
Progenies ſequitur, gradibus ad crimina creſcens:
Crimina, quæ ſtimulis acuunt dementia corda,
Teque pater variis armant. [n]
Tum primùm venit opere incumbere terris

* al. motu.

* an. in vitę lethique.

[a] Non placet cum Veitzio *varias .... oras.* Namque hîc os pro forma & facie ponitur.

[b] Editi, *opera*: renitentibus mſſ.

[c] Ita mſ. Laudun. At editi, *limite.*

[d] Veitz. *axe*; & mox, *volanti*, non *voluntas.*

[e] Reponit Veitzius, *cunctis genus amnibus unde eſt*: ſed non reddit ſententiam auctoris, quippe qui fluviis originem arduam attribuit, quia ex fontibus oriuntur, qui in arduis eſſe ſolent.

[f] Ita mſ. Colb. cum Veitz. Aliàs, *Non loqueris clarum: jam* &c.

[g] Nunc videtur pedis pars ad verſus complementum deeſſe; ſed non apud antiquos, quibus id moris erat, ut *exſpectat* legerent.

[h] Legit Veitz. mox *coſta cupito*; & mox, *nam coſta*, pro *de coſta.*

[i] In mſ. Laudun. *facunda vocis.*

[k] Veitz. *Lætitiæque ſinus duri ſenſuſque doloris*: nonnihil favente mſ. Vict. à 2. manu.

[l] Solus Veitzius *permiſcens*: qui deinde legit cum mſſ. Vict. & Colb. *corpore totam*: ac rurſum ſolus ſubjicit, *hinc meminiſſe.*

[m] Colb. mſ. *viceretque cuncta.* Vict. ſecundis curis, *vivatque perennis.*

[n] In mſ. Vict. à 2. manu hîc adſuitur, *ad fulmina factis*: apud Veitzium autem, *punire periclis*; ac deinde, *Tum primùm mala cœperunt.*

Intempestivus descendere nubibus imber,
Fulmina tum primùm cælo dejecta sereno,
Horrida tum grando turbatos verberat agros,
Et tonitru altisono infractus murmurat æther.
Nec tamen ista malos revocant: furor impius orbem
Obsidet, & laxis rabies defertur habenis.
Bella placent, cædesque simul, perjuria, fraudes,
Mentirique libet, rapere est amor, abdere furta.
Nulla fides populis, nulla est jam veritas usquam.
Diluvio abluitur terrarum crimen & undis:
Virque unus residet generis populique refector.
Arca tegit paucos castorum semina servans,
Jam tum venturi facies monstrata lavacri,
a Atque unus multis, per quem [a] data luce renati,
Susceptor fido servans Ecclesia partu.

A Post quàm diluvii cecidit tumor, unda resedit,
Ales paciferæ folium portavit olivæ,
Jam siccis revolans pennis dedit omnia pacis.
Tum populus surgit melior, tum purior undis
Gens hominum magnos terris paritura nepotes.
Inde sacerdotis in cælum dedita corda,
Hinc inter flammas pueri cantare parati,
Et puer impasti quem non tetigere leones,
Tum reges cecinere Deum, tum vera prophetis
Ora sonant, cæli sobole splendentia terris.
Quamvis cuncta Deo servirent crimine victo;
Attamen antiqui etiam nunc gutta veneni
B Spargebat populos, & erant vestigia fraudis,
Quæ bonus ablueret doctor melioribus undis.

[a] Post Cl. Zehnerum Veitzius, *dat luce renatis, Susceptos servans Ecclesia partus.* Alii editi, *data lance renati, Sed sceptos servans Ecclesia partu.* Sequimur ms. Laudun.

LIBER
DE PATRIS ET FILII UNITATE,
ET ALIQUOT LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ INTERPRETATIO.

Qui hunc librum anno 1535. typis Frobenianis edi curaverunt, vix illum è prelo subduxerant, cùm compererunt illum non novum Hilarii Opus, sed rhapsodiam esse studiosi cujuspiam, tum è secundo libro de Trinitate, tum maximè ex nono consarcinatam, cui aliunde adtexta est appendix de variis Christi cognominibus. Hæc porro appendix descripta est ex cap. 6. libri de fide orthodoxa, apud Ambrosium & apud Gregorium Naz. vulgati, quem Gregorii Bœtici esse plurimi arbitrantur. Ex eodem additamento conficitur Sermo in appendice Augustini nunc 113.



** Ex lib. 2. Hilarii de Trinit. num. 6.*

DEus * qui ubique est, & ubique totus est, ita regimen intelligentiæ excedit, extra quem nihil est, cui semper sit, ut hoc modo se velit in veritate sacramenti intelligi. Hoc imperspicabilis naturæ est nomen in Patre, quòd Deus invisibilis, ineffabilis, infinitus, ad quem & eloquendum sermo sileat, & investigandum sensus hebetetur, & complectendum intelligentia coartetur.
** Ex num 7.* * Deficit ergo in nuncupatione confessio, & quidquid illi sermonum aptabitur, Deum ut est, quantusque est, non loquetur. Perfecta scientia est, sic Deum scire, ut licèt non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias. Credendus est, intelligendus, adorandus est, & iis officiis eloquendus.

** Ex num. 8.* Est autem Filius * progenies ingeniti, unus ex uno, verus à vero, vivus à vivo, perfectus à perfecto, virtutis virtus, sapientiæ sapientia, gloria gloriæ, imago invisibilis Dei, forma patris ingeniti: ** Ex num. 9.* * habet igitur nativitatis hujus utique secretum. Et si quis fortè intelligentiæ suæ imputaverit, generationis hujus sacramentum non posse consequi, cùm tamen & Pater sit absolutè intellectus, & Filius nec major eo, nec minor; sine dolore à me audiet, Ignoro, ego nescio, non requiro. Consolabor me tamen: Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, Propheta non sensit, Apostolus interrogavit, Filius ipse non edidit. Cesset dolor querelarum. Non te, quisquis es qui hæc quæris, revoco in excelsum, non in amplitudinem tendo, non deduco in profundum.

** Ex num. 11. & 12.* * Hæc de natura divinitatis attigimus, non summam intelligentiæ comprehendentes, sed intelligentes incomprehensibilia esse quæ loquimur. Nullum ergo, dicis, officium fidei est, si nil poterit comprehendi. Immo hoc officium fides profiteatur, id unde quæritur incomprehensibile sibi esse se scire. Superest de inenarrabili generatione Filii adhuc aliquid: immo aliquid illud adhuc totum est. Æstuo, differor, hebesco, & unde incipiam nescio. Nescio enim quando natus sit Filius: & nefas est mihi scire quando natus sit Filius. Quem imprecer? quem implorem? ex quibus libris ad tantarum difficultatum narrationem verba præsumam? Evolvam omnem Græciæ scholam? Sed legi, ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor sæculi? In hoc ergo mundo sophistæ multi & sapientes sunt: sapientiam autem Dei reprobaverunt. Scribam legis consulam? Sed ignorat, & crux Christi scandalum est. Hortabor fortè vos connivere, & tacere: quia ad venerationem ejus satis sit, quòd in Evangeliis prædicatur tanta inter homines fecisse stupenda prodigia.

* Consistit enim meum in patrocinium meditatarum difficultatum piscator egens, ignotus, indoctus, manibus lino occupatis, veste humida, pedibus limo oblitis, totus è navi. Quærite & invenite, utrùm mirabilius fuerit mortuos suscitasse, an imperito scientiam istius doctrinæ intimasse? Ait enim, In principio erat Verbum. Transeuntur tempora, transmittuntur sæcula, tolluntur ætates: piscator meus illitteratus liber à tempore est, vicit omne principium. ** Ex num. 13.*

* Tractantes ante paucos dies de indifferenti natura Dei patris & Dei filii *&c. usque ad hæc num.* 44. Ac sic perfectam fidem docuit, cùm id quod modò est, ejusdem temporis opus sit; & id quod operatur Pater operatur & Filius, extra singularis sit unionem. ** Principium lib. 9.*

* Denique pro captu, pro viribus, pro fide nostra intueamur Deus quid sit: & videamus an illi possit aliquid comparari. Certè hoc est Deus, quod & cùm dicitur, non potest dici; cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm comparatur, non potest comparari; cùm definitur, ipsa definitione sua crescit: qui cælum manu sua operit, pugno omnem mundum claudit, quem totum omnia nesciunt, & metuendo sciunt, cujus nomini & virtuti famulantur, hunc orbis ex ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudine testatur. ** Ex cap. 6. Tractatûs de fide orthodoxa.*

Ratio quædam est, quæ apud Græcos λόγος appellatur, A quæ inter Patrem & Filium personas vel vocabula distinguit: quia ipse Filius ratio dicitur, quæ tamen ratio multis nominibus appellatur. Modò enim verbum, modò virtus, modò sapientia, modò dextera, modò brachium, modò margarita, modò thesaurus, modò retia, modò aratrum, modò fons, modò petra, modò lapis angularis, modò agnus, modò homo, modò vitulus, modò aquila, modò leo, modò via, modò veritas, modò vita, cùm sit Deus omnia & in omnibus. Et per hæc vocabula divinarum dispensationum mysteria cognoscuntur.

Nam & ob hoc Verbum nuncupatur: quia & propriè di- B vino ore processit, & nihil Pater sine eo aut jussit, aut fecit. Virtus dicitur: quia verè de Deo, & semper cum Deo, & omnis potestas Patris in ipso consistit. Sapientia appellatur: quia de corde Patris adveniens arcana * in cælestibus reseravit. Dextera nuncupatur: quòd per eum omnia opera divina perfecta sunt. Brachium dicitur: quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur: quia nihil illo pretiosius invenitur. Thesaurus dicitur: ut in ipso omnes divitiæ regnorum cælestium, * quæ reconditæ sunt, agnoscantur. Retia dicitur: quia per ipsum, & in ipso de mari sæculi, gentium quasi multitudo piscium in Ecclesia congregantur, ubi bonorum malorumque discrimina cog- C noscuntur. Aratrum nuncupatur: quia signo crucis suæ gentium pectora subiguntur, ut necessario semini præparentur. Fons aquæ appellatur: quia ex eo sitientium corda cælestis aquæ gratiâ irrigantur. Petra dicitur: quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiem præstat. Lapis dicitur angularis: quia utrosque parietes veteris ac novi Testamenti unus mediator in semetipso continens copulavit. Agnus appellatur: ut innocentia Christi & passio demonstretur. Homo dicitur: quia secundùm carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur: quia propter nostram salutem pati sustinuit. Aquila dicitur: quia post venerabilem resurrectionem, quasi * remis alitum, ad Patrem revolavit. Idem leo dictus est: quia ipse est rex regum, qui mortem ac diabolum virtutis suæ potestate comminuit. Via est: quia per ipsum * accessum habemus ad Deum patrem. Veritas est: quia mendacium nescit. Vita est: quia ipse universa vivificat. Vides ergo, quia per hæc vocabula significationes dispositionum & operum divinorum præostensæ sunt: non tamen ipse Deus per hæc propriè definitus est.

Est ergo Pater Deus immensus, æternus, incomprehensibilis, inæstimabilis. Est & filius ejus Dominus noster tantus, quantus est Pater; sed non aliunde, sed de Patre: quia inquit, *De Patre exivi*, hoc est, lumen de lumine. * Quod * si filium Dei, ut jam dictum est, visum à patribus approbamus, ut non totum in illo quod Dei est videretur: sed dispositiones rerum futurarum, quæ suis quibusque temporibus complendæ erant, in ipso per imaginem cernerentur. Nam Filium quis videre potuit ante quàm conspicabilem materiam cùm placuit adsumpsit, vel ipsum hominem induere dignatus est? Quia & si Abrahæ visus est, sed in forma humani corporis visus est, * qua de ejus fuerat carne.

* Apud Ambr. cælestia credentibus.

* Ambr. conditæ agnosc.

* rex alitum ad Patris revolat sedem.

* adscensus est.

* Ex cap. 8. prædicti Tractatus.

* Apud Ambrof. huc accedit quòd sic filium.

* Apud Ambrof. quo scil. postremis temporibus in homine venturus esse ostenderetur.



DE ESSENTIA PATRIS ET FILII

CONTRA HÆRETICOS

LIBER UNUS.

Hunc quoque librum à Ludovico Miræo ex Victorina bibliotheca vulgatum, è libris de Trinitate conflatum esse primus observavit Gillotius: qui locis, è quibus centones quique distracti sunt, notatis, cetera suppressit. Et verò quis rivulos quæritet fæculentos, cùm purum fontem ad manum habeat?



LOQUITUR Evangelium, Qui non ho- D norificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Conclusa sunt omnia adversùs hæretici furoris ingenia *&c. ex lib 7. de Trin. à num. 21. post medium, ad hæc ejusdem libri num.* 31. Et quia calumnia dicti tamquam insolentis exsisteret, ut conscientiam [potentiam] potiùs naturæ demonstraret. *Quibus subnectit auctor hæc num.* 33. Et audiamus eum omnem fidei hujus cognitionem Apostolis revelantem: ait enim, Ego sum via & veritas & vita, *nisi quòd pro* Et audiamus, *ponit* audi: *ac prosequitur usque isthæc num.*39. ut hic Domini sermo sequeretur, Non creditis quoniam ego in Patre, & Pater E in me? *Hinc transit ad lib.* 8. *unde primùm præmissis vocabulis*, Fratres mei, *exscribit hæc num.* 14. Quæ scripta sunt legamus, & quæ legerimus intelligamus: *& ubi pervenit ad verba num.* 20. Omnia quæ habet Pater, Filii sunt: & omnia quæ Filii sunt, Patris sunt. Ipse enim ait, Et mea omnia tua sunt, & tua mea; *omittit quæ ab hinc ad medium num.* 21. *intercedunt: unde rursum exscribit*, Vivificamur ergo propter inhabitantem in nobis Spiritum Christi *&c. ad hæc usque num.* 26. Habitat enim in nobis Christus: & habitante Christo habitat Deus. *Demum reliquis hujus numeri verbis omissis, comparet initium numeri* 27. *quo toto ac subsequente fere toto descripto, clauditur liber his verbis*, Si verò per adoptivum nomen hic dominus est, Spiritu-sancto carens spiritu erroris animaris; quia nemo nisi in Spiritu-sancto Dominum Jesum potest dicere: *quibus auctor adjecit dumtaxat*, quia ipse operatur omnia in omnibus.

Supererant duæ ad Augustinum epistolæ, eodem tempore quo tria Opuscula superiora à Miræo editæ. Sed cùm eas quisque unà cum responsis apud Augustinum legere commodiùs valeat, prelo parcendum duximus.



FIDES ALCUINI.

Johannes Leunclavius in Sambuci bibliotheca nactus Opusculi hujus exemplar græcum cum hac epigraphe, τοῦ ἁγίου Ἱλαρίου Πικταβῶν ἐπισκόπου ἐκ τοῦ μετὰ τὴν Πεντηκοστὴν ἀναγινοσκομένου λόγου ἐν ἑορτῇ τῆς ἁγίας Τριάδος, S. Hilarii Pictavorum episcopi ex sermone qui post Pentecosten legitur in festo S. Trinitatis, *latinè illud reddidit, ac tamquam novum Hilarii Opus Basileæ anno 1578. publici juris fecit. In codice bibliothecæ S. Germani Parisiensis, ubi monimentum idem latinè exstat, nullum legitur auctoris nomen, sed hæc tantum inscriptio:* Lectiones de sancta Trinitate, *hoc est, in festivitate S. Trinitatis legi consuetæ. Ab Ænea Parisiensi, qui Carolo Calvo imperante floruit, lib. adversùs Græcos tom. 7. Spicil. p. 51. initium illius laudatur non sub Hilarii, sed sub Alcuini nomine. Et verò ipsa est fidei confessio, quæ tribus Alcuini de fide S. Trinitatis libris subnexa est. Hujus titulum ex Ænea Parisiensi, ex editione Leunclavii versionem græcam, & latinam lectionem ex Germanensis mſ. fide nunc præbemus.*

Πιστεύομεν τὴν ἁγίαν τριάδα, τουτέστι τὸν πατέρα, καὶ A τὸν υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, ἕνα θεὸν παντοδύναμον, μιᾶς οὐσίας, μιᾶς ὑπάρξεως, μιᾶς ἐξουσίας δημιουργὸν πάντων τῶν κτισμάτων, ἐξ οὗ πάντα, δι' οὗ πάντα, ἐν ᾧ πάντα· πατέρα ἀφ' ἑαυτοῦ ἀλλ' οὐκ ἀφ' ἑτέρου· υἱὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννητὸν, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, φῶς ἀληθινὸν ἐκ φωτὸς ἀληθινοῦ· οὐ μὴν δύο φῶτα, ἀλλ' ἓν φῶς· πνεῦμα ἅγιον παρὰ πατρὸς καὶ υἱοῦ ἐπίσης ἐκπορευόμενον, ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον πατρὶ καὶ υἱῷ. πατὴρ ἐν ἑαυτῷ πλήρης θεὸς, υἱὸς πλήρης θεὸς, ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθεὶς, πνεῦμα ἅγιον πλήρης θεὸς, παρὰ B πατρὸς καὶ υἱοῦ ἐκπορευόμενον.

Οὐ τρεῖς γὰρ φαμὲν θεοὺς, ἀλλ' ἕνα θεὸν παντοκράτορα, αἰώνιον, ἀόρατον, ἀμετάβλητον, ὅλον πανταχοῦ παρόντα, οὐκ εἰς μέρη διαιρούμενον, ἀλλ' ὅλον ἐν πᾶσιν, οὐ τοπικῶς, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν· ὃς ἀμετάβλητος ὢν, ἔκτισε τὰ μεταβλητὰ, καὶ τὰ κτισθέντα κυβερνᾷ· ἀεὶ μένων, ὅπερ ἐστίν· ᾧ συμβεβηκὸς ἀδύνατόν τι παρεῖναι: (τῇ γὰρ ἁπλῇ τῆς θεότητος φύσει προστεθῆναι ἢ ἀφαιρεθῆναί τι ἀμήχανον, ἀεὶ γάρ ἐστιν ὅπερ ἐστίν) ᾧ ἴδιόν ἐστιν, ᾧ αΐδιόν ἐστιν, ᾧ ταυτόν ἐστι, τὸ εἶναι, καὶ ζῆν, καὶ νοεῖν· καὶ ταῦτα τὰ τρία, εἷς θεός· καὶ ὁ εἷς θεὸς, ταῦτα C τὰ τρία. τουτέστι θεὸς καὶ κύριος, ἀληθὴς καὶ ἀΐδιος ἐν τοῖς προσώποις τριάς· ἀληθὴς καὶ ἀΐδιος ἐν τῇ οὐσίᾳ μονάς. ἐπεὶ μία οὐσία ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. αὕτη γὰρ ἡ ἁγία τριὰς, οὐδέν τι μεῖζόν ἐστιν ἐν τοῖς τρισὶ προσώποις ὁμοῦ ῥηθεῖσιν, ἢ ἐν ἑνὶ ἑκάστῳ προσώπῳ ἅπαξ* ῥηθέντες, ἕκαστον γὰρ τῶν προσώπων πλήρης ἐστὶν οὐσία ἐν ἑαυτῷ. οὐ μὴν τρεῖς οὐσίαι, ἀλλ' εἷς θεὸς, μία οὐσία, μία ἐξουσία, μία ὕπαρξις, μία D ἀϊδιότης, μία μεγαλειότης, μία ἀγαθότης, πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα.

* f. ῥηθέντα.

Οὐχ ἕτερον δέ ἐστιν ὁ πατὴρ ἐν τῇ φύσει τοῦ υἱοῦ, ἢ τοῦ ἁγίου πνεύματος· οὐδ' ἕτερον ὁ υἱὸς καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα τοῦ πατρὸς ἐν τῇ φύσει. οἷς ἐστὶ μία φύσις. πλὴν ἄλλος ἐστὶν ὁ πατὴρ τῷ προσώπῳ· ἄλλος ὁ υἱὸς τῷ προσώπῳ· καὶ ἕτερον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τῷ προσώπῳ. ἐν τῷ πατρὶ ἀϊδιότης, ἐν τῷ υἱῷ ἰσότης, ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι τῆς ἀϊδιότητος καὶ τῆς ἰσότητος σύνδεσμος. ἓν οἱ πάντες τῇ οὐσίᾳ, τῇ ὑπάρξει, τῇ παντοδυναμότητι, τῇ θεότητι.

1. Credimus sanctam Trinitatem, id est, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, unum Deum omnipotentem, unius substantiæ, unius essentiæ, unius potestatis, Creatorem omnium creaturarum, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Credimus Patrem à se ipso non ab alio, Filium à Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de vero lumine, non tamen duo lumina sed unum lumen, Spiritum-sanctum à Patre & Filio æqualiter procedentem, consubstantialem, coæternum Patri & Filio. Pater est plenus Deus in se, Filius plenus Deus à Patre genitus, Spiritus-sanctus plenus Deus à Patre & Filio procedens.

2. Non tamen tres deos dicimus, sed unum Deum omnipotentem, æternum, invisibilem, incommutabilem, [a] qui totus ubique est, totus ubique præsens; non per partes divisus, sed totus in omnibus; non localiter, sed potentialiter: qui sine commutatione sui mutabilia creavit, & creata gubernat, semper manens quod est. Cui nihil accidens esse poterit, quia simplici divinitatis naturæ nihil addi vel minui potest, quia semper est quod est, cui proprium est, cui sempiternum est, cui idem esse, vivere & intelligere. [b] Hæc tria unus Deus & unus Dominus, hæc tria idem Deus & Dominus, vera & sempiterna Trinitas in personis, vera & sempiterna unitas in substantia; quia una est substantia Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Hæc verò sancta Trinitas nihil majus est in tribus personis simul nominatis, quàm in una qualibet persona semel dicta: quia unaquæque persona plena est substantia in se. Non tamen tres substantiæ, sed unus Deus, una substantia, una essentia, una potentia, una æternitas, una magnitudo, una bonitas Pater & Filius & Spiritus-sanctus.

3. Nec aliud Pater in natura quàm Filius & Spiritus-sanctus, nec aliud Filius & Spiritus-sanctus quàm Pater in natura: [c] sed alius est Pater in persona, alius Filius in persona, alius Spiritus-sanctus in persona. In Patre [d] manet æternitas, in Filio æqualitas, in Spiritu-sancto æternitatis æqualitatisque connexio. Unum omnes in substantia & essentia, omnipotentia & deitate.

[a] Hæc verba, *qui totus* &c. usque *potentialiter*, in mſ. Germ. superiùs exstant ante *Non tamen tres deos.*

[b] In vulgatis Alcuini, *Et hæc tria unus Deus, & unus Deus hæc tria. Idem Deus & Dominus vera* &c.

[c] Apud Alcuin. ut in versione græca additur hîc, *quibus est una natura.*

[d] Abest *manet* apud Alcuin. Huc spectant isthæc Augustini lib. 1. de doctr. Christ. c. 5. *In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu-sancto unitatis æqualitatisque concordia.*

Ὥσπερ γὰρ αὕτη ἡ ἁγία τριὰς ἀδιαίρετός ἐστι τῇ οὐσίᾳ, οὕτω καὶ τοῖς ἔργοις ἐστὶν ἀδιαίρετος. εἰ καί τινα τῶν τοῦ θεοῦ ἔργων ἰδίως τισὶ τῶν προσώπων ἁρμόζουσιν, ὥσπερ ἡ ἐκ τῶν οὐρανῶν ἠχήσασα φωνὴ, ὅτε ὁ χριστὸς ἐβαπτίζετο, τῷ πατρί· καὶ τῷ προσώπῳ τοῦ υἱοῦ μόνῳ προσήκει ἡ τῆς ἀνθρωπότητος πρόσληψις· καὶ τῷ προσώπῳ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἰδίως ἡ περιστερὰ, ἧς ἐν εἴδει τὸ αὐτὸ πνεῦμα ἅγιον κατελήλυθεν ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, ὡς ἄνθρωπον βαπτιζόμενον. πλὴν ἀναμφιβόλως τὴν φωνὴν ἐκείνην, καὶ τὴν περιστερὰν, καὶ τὴν ἀνθρωπότητα τοῦ χριστοῦ, ὅλη ἡ τριὰς ἐνήργησεν, ἧς τὰ ἔργα ἀδιαίρετά ἐστιν.

A 4. Sicut enim eadem ſancta Trinitas inſeparabilis eſt in ſubſtantia, ita inſeparabilis eſt in operibus : quamvis quædam opera Dei quibuſdam perſonis ſpecialiter conveniant, ſicut Patri vox illa, quæ de cælo ſonuit ſuper Chriſtum baptizatum, & ad Filii perſonam humanitatis tantummodo pertinet ſuſceptio, & Spiritus-ſancti perſonæ propriè congruit illa columba, in cujus ſpecie idem Spiritus-ſanctus deſcendit ſuper eumdem Filium Dei ſecundùm hominem baptizatum: tamen abſque omni dubietate illam vocem & illam columbam & Chriſti humanitatem tota ſancta Trinitas operata eſt, cujus opera inſeparabilia ſunt. [a] B

4. Credimus eumdem Filium Dei, Verbum Dei, æternaliter natum de Patre, & conſubſtantialem Patri per omnia, temporaliter natum de Spiritu-ſancto & Maria ſemper virgine, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem. Qui etiam Filius Dei ſuæ carnis conceptione conceptus eſt, & ſuæ carnis nativitate natus eſt.

5. Deum [b] verum (confitemur) conceptum, Deum verum natum, eumdemque verum Deum & verum hominem unum Jeſum Chriſtum, unum filium Dei unigenitum, proprium, perfectum in duabus naturis, in unius perſonæ ſingularitate, [c] inviſibilem & paſſibiliter mortalem atque immortalem, crucifixum ex infirmitate noſtra eumdemque ſemper viventem in virtute ſua. [d]

[a] Quamvis plura græcè non ſint verſa, edenda tamen cenſuimus quæ in noſtro mſ. ſuperſunt.
[b] Apud Alcuin. *verò*: minùs rectè.
[c] Rectiùs apud Alcuin. *impaſſibilem & paſſibilem*.
[d] Hic deſinit noſter mſ. Apud Alcuinum autem præterea habentur 15. circiter verſus.



NICOLAI FABRI IN FRAGMENTA

SANCTI HILARII PRÆFATIO.

Huic Operi tantùm adjecimus notulas ad marginem adſcriptas. Cùm autem auctorum verba excerpere ſatis habuiſſet Faber, nec curaſſet notare quo ex libro ea excerpſiſſet, commodius viſum eſt hiſtoricorum ſacrorum locos ſecundùm editiones Valeſii, quamvis Fabro poſteriores indicare.

Clariſſimo viro JAC. AUGUSTO THUANO Sacri conſiſtorii Conſiliario, Senatuſque Pariſienſis Præſidi doctiſſimo atque prudentiſſimo, NICOLAUS FABER S.

1. 
ECCE tibi reſtituo, PRÆSES AMPLISSIME, beati Hilarii Pictavienſis epiſcopi librum à viro doctrina, prudentia, morumque integritate maximo, P. Pithœo ſuprema voluntate relictum, meæque fidei, ut ſolidus ad te perveniret, id eſt, ſine ulla deductione & quàm optimo jure apud teſtatorem, fuit commiſſum. Munus eſt, ſi folia numeres, non valde magnum; ſed ſi auctoris dignitatem, ſi fatum libri, ſi rei de qua tractat gravitatem conſideres, ejuſmodi, ut non acceptiſſimum eſſe nequeat. Tibi enim omnium diſciplinarum genere D inſtructiſſimo, Gallicæ ſalutis ac laudis amantiſſimo, & antiquæ pietatis ac conſtantiæ ſtudioſiſſimo, non poteſt non gratiſſimum eſſe antiqui ſcriptoris Galli, Theologorum qui in Occidente floruerunt celeberrimi ac diſertiſſimi, excelſæque arboris, ut eum vocat B. Hieronymus, qua ædificata eſt Eccleſia Dei, ad hæc etiam fortiſſimi confeſſoris librum, de graviſſima omnium quæ umquam in Eccleſia fuerunt controverſia ſcriptum, poſt tot annos è tenebris erutum, clariſſimi tui nominis auſpiciis lucem aſpicere. Hæc etſi ſatis ad commendationem muneris valeant, apud te præcipuè qui pro tuo erga litteras religionemque ſtudio, erectoque atque infracto adversùs divitias fumoſque aulicos, ad quæ ſola nunc concurritur, E animo ſemper id genus reliquias Attalicis conditionibus prætuliſti: Paſſieni tamen ſententiæ ſi bene te novi, accedes, pluriſque in eo facies judicium eruditiſſimi cordatiſſimique viri, qui te dum vixit, ob egregiam doctrinam, prudentiam, ſtudiumque ac pietatem in Remp. in quibus tecum conſpirabat, unicè amavit & coluit, morienſque

Quale hoc Opus.

Hieron. Comm. in Eſai. c. 60.

C ſuæ erga te propenſæ voluntatis publicè hoc teſtimonium poſteritati exſtare voluit.

2. De auctore vero iſtius libri nemo codici manu ſcripto, qui B. Hilario eum adſcribit, fidem detrahet, virique potentis titulum alienæ poſſeſſioni adfixum controverſiam movebit, qui ſtili vel ingenii tanti doctoris aliquem guſtum habuerit: ſi quidem longas & involutas & Gallici Rhodani, ut violenti ac prærapidi, ſic etiam aliquantum limi ſecum trahentis, quo charactere naris emunctiſſimæ ſcriptor ipſe Hieronymus ſcripta Hilarii ſignavit, deprehendere licet. Sed quid verbis in re aperta opus eſt? Si cui ea in re aqua hæreat, hunc librum cum iis quæ omnium calculo pro Hilarianis recepta ſunt contendat; nec aquam aquæ, nec lac lacti ſimilius inveniet. Nec ſanè hiſtoricum iſtud Opus antiquis ignotum fuit: ſi quidem illud ipſum eſſe, quod idem ipſe Hieronymus contra Urſacium & Valentem, continens narrationem Ariminenſis Concilii, Hilarium ſcripſiſſe tradidit, huic libro præfixa inſcriptio fidem facit.

Quòd Hilarii ſit.

Hieron. præfat. in epiſt. ad Gal. & epiſt. 13. ad Paulin.

3. Ipſi enim Urſacius & Valens, alter Singiduni ſuperioris Myſiæ, alter Murſæ Pannoniæ (quamvis non uno loco Athanaſius Alexandriæ epiſcopus utrumque Pannonem vocet) epiſcopi cum Caio æquè Pannone, & Germinio Cyzici primùm deinde Sirmii epiſcopo, totius Ariomanorum Tragœdiæ choragi, atque adeo hypocritæ extiterunt; ad quos cùm, ut ait noſter Hilarius, Ariani nominis hereditas & ſucceſſio defluxiſſet, non auſi aperto Marte fidei Nicænæ bellum indicere ſtante ipſo Athanaſio, quem ſtrenuum robuſtumque ejus propugnatorem, ac planè, ut eum indigitat Nazianzenus, στῦλον τῆς ἐκκλησίας verebantur, cuniculis id agere ſtatuerunt, ipſumque

Urſacius & Valens, qui.

cont. Auxent. n. 4.

Greg. Naz. Or. 21. n. 33.

Athanasium in primis tollendum evertendumque suscepe- A runt. Hinc illæ de Arsenio interfecto, & confracto calice sacris mysteriis destinato calumniæ: quarum prætextu cùm à factiosis depositus, Imperatorisque decreto in exsilium missus esset; totus orbis tanti viri casu concussus est. Quin etiam cùm synodis Alexandrinæ, Romanæ, & œcumenicæ Sardicensi Athanasius suam innocentiam approbasset; calumniatores verò non solùm tot sententiis convicti atque damnati, sed etiam libellis oblatis eidem * Sardicensi synodo, Julioque Pontifici Rom. criminis admissi hæreseosque veniam deprecati, Ecclesiæ communioni fuissent redditi; iterum tamen canes ad vomitum reversi, fœdas illas & Ecclesiam Dei, quæ domus pacis est, parum B decentes discordias, episcoporum discursationes Mediolanum, Sirmium, Seleuciam asperam, Ariminum, Constantinopolim, Nicæam Thraciæ, (& quò non terrarum?) præterea proscriptiones, exsilia & cædes excitarunt, quæ quamdiu in vivis exstitit Constantius, catholicos episcopos exercuerunt. Tandemque detractâ personâ Nicænam regulam oppugnantes, Imperatorem ipsum, cujus potestate nitebantur, impulerunt, ut episcopos Arimini congregatos ad subscriptionem novæ formulæ fidei subdolis verbis conceptæ adigeret, quæ contra trecentorum & octodecim patrum decretum, οὐσίας καὶ ὁμοουσίου vocabulis indicto silentio, Filium Patri similem secundùm Scripturas pro- C fitebatur, dicentibusque illum creaturam sicut aliæ sunt creaturæ anathema infligebat. Nec tamen ibi consistendum esse duxerunt, (Nam quis peccandi finem posuit sibi?) verùm felicitate successûs audaciores facti, non jam de vocibus οὐσίας καὶ ὁμοουσίου tamquam discordiæ pomo quæstionem haberi significarunt, sed inoperto capite purum putumque seu potiùs impurum putidumque Arii dogma Concilio Antiochiæ professi, Filium Patri dissimilem penitus καὶ ἐξ οὐκ ὄντων creaturam * statuerunt. Cujus impietatis ipsum Imperatorem auctorem ac vindicem exstitisse, Athanasius asserit.

* Quæ hîc confusè narrantur, errandi locum præbent. Famosi sunt Ursacii & Valentis libelli, quos Sardicensi synodo non obtulerunt à qua cum aliis præfractis hæreticis dãnati sunt.

* aut potiùs statuere tentarũt: at objecta diluere non valentes, formulâ quæ Constantinopoli edita erat recitatâ, abierunt. Socr. l. 2. c. 45.

4. Igitur Ursacius & Valens illi ipsi sunt, *quibus in-* D *stantibus sub Imperatore Constantio factum est Ariminense Concilium contra formellam Nicæni tractatus, qua universæ hæreses comprehensæ erant*: in quos hoc Opus scriptum est. Quamquam, ut quod sentio dicam, hæc libri inscriptio multo plus in fronte spondeat, quàm præstet in recessu; nisi quòd operis longioris pluribus fortassè comprehensi libris, & narrationis exactæ eorum quæ Ariminensi Concilio gesta sunt, vel quæ ipsum præcesserunt, aut postea secuta sunt, initium tantùm ac divulsa quædam fragmenta, non autem integrum Opus vel librum hîc exhiberi censeo. Et sanè auctor hujus libri statim in ipsius initio scribit, narrationem ducturum se ab Arelatensi Concilio, E quo Paulinus Trevirorum episcopus, Galliarumque, ut eum Græci vocant, Metropolitanus anno Christi ccc. liij. Saturnini ceterorumque Arianorum factione depositus, & in exsilium actus est: de quo tamen deinceps altum est silentium. Quicumque enim hæc excerpsit, Κορυφὰς ἑτέρας ἑτέραις προσάπτων μύθων, huic propositioni continuò synodales epistolas Sardicensis Concilii sex antè annis habiti, alteram ad omnes Ecclesias, alteram ad Julium P. R. innocentiam Athanasii compertam ac contestatam indicantes subjecit: de quibus plura dicere, (quando quidem hanc doctis, Jupiter, & laboriosis suis annalibus vir illustrissimi nominis ac dignitatis Cardinalis Baronius inse- F ruit, omissis subscribentium episcoporum nominibus, quæ ab ejus codice aberant; illa verò non uno loco apud antiquos exstat,) superfluum existimo. Idem etiam perspicere est pag. * xxxv. in qua cum B. Hilarius lucem narrationi suæ allaturam dixisset illam orationem, quam eadem Sardicensis synodus per Vincentium Capuæ & * Euphratem Coloniæ Agrippinæ episcopos Antiochiam usque ad Constantium missos habuit; magno tamen historiæ detrimento nulla hîc exstat, sed ejus loco quædam Liberii P. R. & aliorum epistolæ nullo temporis, vel rerum ordine servato velut in fasciculum congestæ leguntur. G

Titulus hujus libri plura spondet quàm præstat.

* ad calcem Fragm. 2.

* Euphratem seu Euphratam ex Theodoreto l. 2 c. 7. Ex quo quidem cõstat duos illos episcopos à Sardicensi Concilio reversos, à Constante delectos fuisse, quò epistolas suas ad Cõstantium perferrent. An verò priùs ad idẽ munus obeundũ à Concilio ad eumdẽ Imperatorem destinati fuerint, non ita constat.

5. Nam quæ prima occurrit, à Liberio circa sui pontificatus initium, quod in annum salutis ccc. liij. incidit, scripta videtur. Par est enim, ipsum accusationem coram A Julio præcessore suo inchoatam non diu protraxisse, sed statim ut pontifex renuntiatus est, legatos illos suos ad Athanasium misisse Alexandriam, detrectantemque judicium condamnasse. In quo tamen nodus Deo vindice, id est, ornatissimo illo doctissimoque Annalium ecclesiasticorum scriptore dignus subest. Cùm enim auctorum omnium scriptis constet, Athanasium jam olim ante Liberium adversariorum artes versutiasque detexisse, manifestoque mendacio traduxisse; quis potuit esse tot synodis confixorum accusationi, aut tot sententiis absoluti condamnationi locus? aut quomodo communione sua potuit Athanasio Liberius interdicere, cujus condamnationem ab Orientalibus aliquot episcopis factam, & ad se ponti- B ficatus sui initio missam, si ratam eam haberet, quemadmodum idem ipse Liberius in epistola ad Constantium, quæ * hîc edita habetur, testis est, acceptâ eodem tempore septuaginta quinque episcoporum Ægyptiorum Athanasii innocentiam testante sententiâ comprobare noluit? Omitto quòd hujusce condamnationis nec Athanasius ipse, qui res suas diligentissimè non uno libro complexus est, nec quisquam alius quod sciam veterum usquam meminit. Falsam autem aut subdititiam esse stilus negat. & præterea cui bono? Adeo verum est illud Tragici,

Liberii epistola prima dubia. Frag. IV.

* Fragm. V. n. 2.

Ἅπανθ᾽ ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
Φύει τ᾽ ἄδηλα, καὶ φανέντα κρύπτεται. C

Sophocles in Ajace p. 39.

6. Sequentis ejusdem Pontificis epistolæ, quamvis ipsa connexionem cum præcedentibus aptiorem non habeat, certior tamen est historia. Quantum enim ex ejus ubique corruptissimæ lectione datur assequi, post Imperatoris Constantii obitum, reversumque ab exsilio Eusebium Vercellarum episcopum, cum nostro Hilario & Athanasio divina providentia, quæ suis tempori numquam non adest, Reip. Christianæ constituendæ restaurandæque Triumvirum præstitutum, conservatum atque alitum, hoc est, circa annum Christi ccc. lxiij. scripta est: nempe quo tempore in Occidente pariter, ac antè synodo Alexandrina * in Oriente, concordiæ pacisque studio ac bono à tri- D bus illis, ὡς ἀληθῶς ἀνθρώποις τοῦ θεοῦ καὶ μεγίστοις τῶν ψυχῶν οἰκονόμοις, ex xij. *Senatibus ac fortibus siremps lex* dicta est, Arianorumque communione fœdatos, exceptis hæreseos auctoribus, perfidiæ renuntiantes, *Ecclesia catholica*, inquit Augustinus, *materno recepit sinu, tamquam Petrum post fletum negationis per galli cantum admonitum, aut tanquam eumdem post pravam simulationem Pauli voce correctum.* Lucifer solus Calararum Sardiniæ episcopus, constantiâ fidei, scriptorumque libertate, si labem istam excipias, inter Ecclesiæ lumina recensendus, paucique alii nimia sanctitate dicam, an pervicaciâ, *hanc matris caritatem superbè accipientes & impiè reprehendentes, quia post galli cantum surgenti non gratulati, cum lucifero qui ma-* E *nè oriebatur cadere meruerunt.* Adeo in omnibus rebus ut optimum, ita & difficillimum est modum servare.

Sequens epistola nũc Frag. XII. an. 363. scripta.

* anni 362.

Augustinus de Agone Christ. c. 30.

Lucifer.

Augustinus ibid. c. 30.

7. Ursacio enim & Valente, ut scelera diu latere non possunt, ulcus Ariminensis fidei ab omnibus fere episcopis pro orthodoxa susceptæ ac comprobatæ detegentibus, Filiumque similem Patri dictum interpretantibus οὐχ ἁπλῶς, verùm κατά τι, id est, *secundùm Scripturas*, & quatenus Scripturis sacris ea similitudo conformis est; ex iisque nec æqualem Patri Filium, nec unum cum eo (semper enim à vero similitudo abest,) conficientibus, creaturam etiam F negatum sicut sunt aliæ creaturæ; præstantiorem enim esse, sed creaturam tamen eludentibus, *ingemuit totus orbis*, inquit Hieronymus, *& se Arianum miratus est.* Et sanè τὸ ὅμοιον κατὰ τὰς γραφὰς τοῖς ἁπλουστέροις, inquit magnus ille Gregorius *, δέλεαρ ἦν τὸ τῆς ἀσεβείας χαλκῷ περικείμενον, ἡ πρὸς πάντας ὁρῶσα τοὺς παριόντας εἰκών, ἡ κατὰ πάντα ἄνεμον λίκμησις. Tunc ergo *concurrebant episcopi, qui ejusmodi dolis irretiti*, διανοίᾳ quidem, ut cum eodem Nazianzeno * loquar, οὐ πεσόντες, γράμματι δὲ παραχθέντες, καὶ τοῦ καπνοῦ γε εἰ καὶ μὴ τοῦ πυρὸς μετασχόντες, *sine conscientia hæretici ferebantur, contestantes corpus Domini* (eam enim G sacramenti formulam multo ante hæc tempora usurpatam in Ecclesia fuisse probat jusjurandum, quod impiè * Novatianum à suis exegisse scribit apud Eusebium Cornelius)

Ariminensis Concilii casus incautus.

Hieron. adversùs Luciferianos.

* *Nazianz. Or. 21. n. 26.*

* *Ibid. num. 30.*

Hieron. adv. Lucif.

* *seu*, Novatum. *Euseb. lib. 6. hist. c. 43.*

Hieron. contra Lucif.

& quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, aiebant, sensum congruere cum verbis: nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde, aliud in labiis proferri timuimus. Et sane ἀφύλακτον, inquit idem ille Gregorius, ἡ ἁπλότης, ἐ μετὰ τῦ σαφοῦς τὸ φιλάνθρωπον, ἡ ἥκιστα τὴν κακίαν ὑφορᾶται τὸ κακίας ἐλεύθερον. Interrogo istos (subjungit idem Hieronymus) nimis religiosos, quid confessoribus (sic enim locus ille scribi debet) agendum putaverunt? Ita hac mansuetudine & clementia fides Nicæna reparata atque stabilita est, & à tribus confessoribus Satanæ faucibus mundus ereptus. Cum quibus etiam Liberium P. R. memorem verborum Domini: Et tu conversus confirma fratres tuos, non solùm cadenti Petro, sed etiam sibi dictorum, qui sedis Petri infirmitatisque successor exstiterat, egregiam quoque navasse operam historiæ produnt.

Hieron. adversùs Lucif. — Luc. 22 32.

8. Planè quod * hîc obtestatur Liberius, episcopos omnes Italiæ Ariminensi perfidia deceptos, ut pestiferum illud dogma condamnent, vehementiùs in ejus auctores insæviant, quos in se violentos & subdolos experti sunt, totosque se fidei Nicænæ de integro mancipent; tam pii voti ipsum compotem non multo post factum, cùm ex ejus epistola quam exhibet Socrates * ad Orientales missâ, qua omnes episcopos Italiæ Ariminensi formulæ anathema dixisse, Nicænæ fidei subscripsisse, maximoque æstu in Arii dogma ejusque discipulos exardescere significat, tum etiam ex ea, quæ hîc proximè * sequitur, episcoporum Italiæ ad episcopos Illyrici missâ discimus. Hæc autem posterior epistola apparet scripta * post synodum Illyricam circa annum Christi ccc. lxv. habitam, qua Nicæna fides in Illyrico, unde vi dejecta fuerat, velut ex Prætoris edicto restituta est. Cujus restitutionis noster Hilarius primùm, deinde Eusebius Vercellarum episcopus ab exsilio redeuntes, non levia fundamenta jecerant.

* Fragm. XII. — * lib. 4. c. 12. — * in eodem Fragmento. — * Antè scriptam esse probavimus.

9. Epistolâ * autem Ursacii, Valentis, Caii & aliorum Singiduni coactorum ad Germinium Consules adscriptos habet, Gratianum N. P. & Dagalaiphum, quos gessisse consulatum salutis anno ccc. lxvj. chronologorum diligentissimi tradunt. Malè illos hæreticos habebat vetus illud in se experiri, Citò improborum facta in perniciem cadere: nec ex Ariminensi fraude jam sibi quidquam, præter odium publicum, invidiam ac infamiam superesse; fidem verò Nicænam ubique locorum pristinam auctoritatem dignitatemque recuperare. Sed præcipuè angebat Germinii veteris sui sodalis ac congerronis individui, sine quo Theseo nihil huc usque tentaverant, defectio. Is enim confessioni Semiarianæ adhærens, Patri Filium per omnia similem dicebat: à qua professione nec Ariminensis fides post vim illatam suscepta dissidebat. Quamvis enim, ut suprà dictum est, eas voces per omnia non habuerit, satis tamen ipsâ clausulâ illâ secundùm Scripturas, quia Filium Patris imaginem dicunt Scripturæ, intelligi atque exprimi censebantur. At Ursacius, Valens, ceterique de grege illo contrà, Filium quidem dici Patri similem, sed non secundùm substantiam, inquiunt hac epistola, aut per omnia seu absolutè: (ita enim hic locus emendandus est:) vel enim, subjungunt, Basilii Anquiritani episcopi inter Semiarianos præcipui, quem Ariani Concilio * Constantinopolitano deposuerant, cujusque opinionem * deinde Antiocheno damnaverant, perfida adsertio reparabitur. Non adeo sceleratè igitur atque impiè Germinius, qui hac epistola provocatus eam suæ fidei professionem conscripsit, quæ inter hæc fragmenta nunc primùm vulgata * Christum Dei filium ac Deum agnoscit, divinitate, caritate, majestate, virtute, claritate, vitâ, sapientiâ, scientiâ, Patri per omnia similem; cujus etiam pleniorem uberioremque interpretationem * epistolâ ad Rufianum, Palladium, Severinum missâ edidit.

* nunc Fragm. XIV. — Germinii à Valente & Ursacio defectio. — * an. 360. — * non quidem per se; sed adversam suscipiendo apud Athanas. de Synod. p. 906. & Socrat. l. 2. c. 45. — * modò Frag. XIII — * Frag. XV

10. Ex qua quidem epistola præterea discimus, quænam sit illa fidei formula, cui dictandæ Marcus Arethusæ episcopus electus est; (sic enim scribendum esse, non ejectum ex Socrate * constat) & quibus auctoribus concepta, quibuscumque auspiciis emissa fuerit. Vereor enim ne frustrà sit * Socrates, cùm fidei regulam à Marco Arethusio scriptam eam asserit, quæ contra Photinum in Concilio Sirmiensi provulgata est; & non potiùs illam, quam idem auctor ait, ut primùm in eadem synodo publicata est, velut malè natum fetum ex xij. tabulis * suppressam, postea Ursacium & Valentem patribus Arimini congregatis subscribendam obtulisse. Sola enim hæc ipsa non tantùm ex tribus formulis, quas ea synodo aiunt emissas, verùm etiam ex novem præcipuis, quas Socrates (nisus labyrinthum, ut ipse vocat, formularum fidei extricare, quem tamen magis involvit) ab Arianis publicatas spatio novemdecim annorum enumerat *, id est, ab anno Christi cccxlj. (cùm synodo Antiochena in Encæniis post fidem Nicænam novam aliam condere primùm ausi sunt) ad Eusebii & Hypatii consulatum, quo Ariminensis consuta est perfidia, (adeo est τὸ ψεῦδος πολύμορφον): ipsa sola, inquam, habet hæc verba: Filium similem Patri per omnia, ut sanctæ dicunt & docent Scripturæ, quæ exstitisse in regula fidei à Marco dictata, testis est hæc epistola Germinius, unde etiam ab Epiphanio * πίστις ἡ τὸ ὅμοιον εἶ τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ κατὰ πάντα nuncupata est. Hæc eadem est, ut ex Athanasio in epistola de Synodis * constat, quæ contra morem ecclesiasticum Consules additos habuit, propter quod patribus Arimini congregatis non magis bilem ob impietatem, quàm ob novitatem risum movit.

Formula à Marco Areth. dictata, quæ. — * lib. 2 c. 30. — * Ibidem. — * Probabilius est eam suppressam esse, post quàm Arimini lecta, ob annotatos Consules omnium risum provocavit. — * lib. 2. c. 41. — * Hær. 73. n. 22. — * pag. 904.

11. Porro Georgius, quem Alexandriæ vocat episcopum, ille est genere Cilix, si Ammiano * credimus, vel Cappadox si Athanasio * & ceteris: atque etiam si mores ejus attendas, planè Cretensis, ἀεὶ ψεύστης, κακὸν θηρίον, γαστὴρ ἀργός: ut non pessimus esse nequiverit, in quem τρία κάππα κάκιστα concurrerint. Iis enim illum depingit coloribus Nazianzenus *, qui planè τέρας τι καππαδόκιον, non hominem effigient, nimirum φοίνεσι δ᾽ ἔγένε, πονηρότερον τῆς ἀξίωσιν, οὐδὲ παντελῶς ἐλεύθερον, ἀλλ᾽ ὁμίμικτον, οἷον τὸ τῶν ἡμιόνων, τὰ μὲν πρῶτα τραπέζης ἀλλοτρίας δοῦλον, ἡ μάζης ὤνιον, qui ex ærarii Constantinopolitani depeculatore, ejusque criminis reo ac profugo militari manu κατασκόπως Alexandrinæ ecclesiæ contra ipsum Athanasium Gregorio prædoni substitutus fuerat. Basilium ne suis quidem probatum exstitisse suprà diximus. Pelusiorum verò episcopus, cujus hîc nomen obliteratum est, Pancratius à * Socrate dicitur, inter Arianorum antesignanos recensitus. Marcus autem ille est Arethusæ Syriæ, non Macedoniæ, ut volunt Centuriatores, episcopus, qui * antea cum Narcisso Neropolis, Mare Chalcedonis, & Theodoro Heracleæ Thraciæ episcopis ad omnem impietatem projectissimis, ad Constantem in Gallias post synodum Antiochenam in Encæniis ab Arianis contra Athanasium missus fuerat, tam hæreseos professione subscriptioneque suppositititii Sardicensis decreti infamis, quàm postea * confessionis, vel etiam martyrii gloriâ (variant enim in hoc auctores) sub Juliano clarus ac celebris.

Quibus episcopis constabat Sirmiensis ille conventus. — * lib. 22. — * ad Solit. p. 861. — Tit. 1. 12. — * Orat. 21. n. 19. — * lib. 2. c. 29. — * Athanas. l. de Synod. p. 894. — * Theodoret. lib. 3. hist. Eccl. c. 7. Sozom. lib. 5. c. 10. — Quo tempore celebratus.

12. Verùm, quando quidem qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene & naviter impudentem esse oportet, inquit ille; quid vetat, quemadmodum in indicanda illa fidei regula, quæ à Marco Arethusio dictata est, hallucinatos ecclesiasticæ historiæ scriptores probare tentavimus, non idem iis acciderit in tempore designando, quo scriptam & editam produnt, disquirere? εἰς τρίτην πειρώμενοι ἦλθον Ἀχαιοί, ait Theocritus. Nam quòd dicunt Sirmii editam, valde probo, quòd Sirmiensi Concilio ἐπέχω. Tradunt * in ea synodo tres fidei regulas editas: primam illam contra Photinum, alteram quam dicimus à Marco scriptam, tertiam & ultimam eam, quam noster Hilarius Osii & Potamii blasphemiam vocat. At idem ipse Hilarius & Athanasius, qui de Synodis ex professo scripserunt, quorumque auctoritatem nemo sanus defugere, atque etiam non præponere cuivis alii in ea re potest, in qua primas egerunt, duarum tantùm, primæ scilicet & ultimæ, Sirmiensi Concilio scriptarum meminere. Quin etiam hic disertis verbis post illam Osii blasphemiam, conscriptam fuisse fidei regulam quæ Consules habet, quam à Marco dictatam probavimus, tradit. Cùm enim ipsam Osii formulam suo de Synodis Operi inseruisset, continuò ista subjecit: Hæc ubi misissent, denuo mutatâ sententiâ composuerunt eam fidem, quam quia cum Consulibus edidissent, multo pudore & probro confusi sunt, ejusque exemplaria curavere ut

* Socr. lib. 2. c. 20. Sozom lib. 4. c. 6. — lib. de Synod. p. 904.

ut cùm suo more sententiam mutassent, ab iis qui ea tenebant per notarium Martianum subriperentur, & persuaso Constantio ut contra eam fidem edicta promulgaret, aliam rursum fidem constituerunt, additisque ut solent quibusdam dictis. Isauriæ igitur ista conscripserunt, &c. Ex istis Athanasii verbis duo illa conficiuntur: alterum, fidem illam Osii, quæ Filium Patre minorem ac planè dissimilem asserit, velut ultimam Concilii Sirmiensis definitionem ac sententiam habitam fuisse, atque eo nomine ad Ecclesias pro more transmissam à synodo: quod etiam Hilarius initio libri de synodis * perspicuum his verbis facit: *Gratulatus sum, inquit, in Domino, incontaminatos vos & illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisse, & missam proximè vobis ex Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem non modò non suscepisse, sed nuntiatam & significatam damnasse.* Ita igitur non solùm missam, sed etiam auctoritate publica provulgatam atque indictam populis, ut in eam jurarent, apparet. Alterum, fidem quæ Consules adscriptos habuit, post Sirmiense concilium, nec multò ante Seleuciensem synodum compositam ac vulgatam. Verùm si ea fides, quæ Patri Filium per omnia similem profitetur, à Marco scripta diem & Consulem quibus edita est Sirmii habet; unde certius tempus promulgationis ejus, quàm à Consulibus quibus edita dicitur, repeti potest? De ea autem sic Theodoretus *: *Quin etiam absurdum putabant, ut huic formulæ talis præponeretur titulus, qualem habuit cùm Sirmii edita est, præsente Constantio æterno, magno, Augusto, Eusebio & Hypatio coss. quemadmodum Athanasius quoque scribit.* Hæc Theodoretus. Nec aliter * Socrates, à quo tamen cœptus, & sumtus error. Quid ipse Athanasius? *Post quàm*, (inquit) *divisio facta est: & alii Seleuciam cognomento Asperam abiissent, alii Ariminum se contulissent, ubi fuere quinquaginta & eo plures episcopi*, (error est in numero, sed de eo nunc non laboramus,) *venit etiam ad eum locum Germinius, Auxentius, Valens, Ursacius, Demophilus, Cajus. Ibi cùm ceteri episcopi ex sacris litteris verba sua formarent, illi chartulam exhibuerunt, recitatisque Consulibus quibus scripta erat; postulabant, ut ea omnibus synodis anteponeretur. Omissa enim de hæreticis quæstione, nullaque habita percunctatione quo animo aut qua sententia essent, scriptis chartulæ solummodo contentos esse debere. Scripta autem eorum ejusmodi fuere. Edita est catholica fides in præsentia D. N. religiosissimi præclarique victoris Imperatoris Constantii Augusti, æterni, Coss. VV. CC. Eusebio & Hypatio Sirmii* (ita enim legendum ex Socrate & * Theodoreto ante nos alii docuerunt) *xj. cal. Junias. Credimus in unum* &c. Si cùm Sirmii edita est præsente Constantio xj. cal. Jun. Consules habuit Eusebium & Hypatium præfixos, qui potuit edi Sirmiensi Concilio, quod qui minùs, triennio ante istos Consules fuisse coactum asseverant? Cui non igitur tot testimoniis constet, nisi qui meridie lucere neget, illam fidem, quæ Patri Filium per omnia similem profitebatur, Eusebio demum & Hypatio Consulibus Sirmii quidem, sed longè pòst Sirmiense Concilium compositam fuisse, nec multò post quàm scripta est, Ariminensibus patribus oblatam?

* num. 2.

* leg. hîc & infrà Sozomenus. scil. lib 4. c. 16. ex edit. Christophors. vel cap. 17. ex edit. Vales.

* l. 2. c. 37. Athanas. l. de Synod. p. 874.

* Sozomeno.

Conventus Sirmiensis occasio.

13. Ut autem quid de ea re mihi venerit in mentem, in medium proferam; certum est Imperatorem Constantium omnem movisse lapidem, quò dissidentes in religione opiniones componeret. Verùm dum se facilis nimis hæreticis præbens, quæ Dei sunt Cæsar ipse tractare audet, *in simplici & absoluta religione*, inquit Ammianus *, *scrutandâ perplexior, quàm componendâ gravior, ipsa aluit, adauxitque dissidia.* Quibus ut remedium tandem aliquod adhiberet, œcumenicam synodum cogere decrevit. * Litteris igitur ad Basilium Anquiritanum episcopum missis, Orientales episcopos jubet, ut locum celebrandæ synodo aptum & commodum perspicerent. Verùm cùm inter eos convenire non posset, aliis alium præferentibus, Basilius ad Imperatorem, qui tum Sirmii fortè degebat, profectus est, ibique cùm alios quosdam privatis negotiis in Comitatu detentos, tum Marcum Arethusium, Georgium Alexandriæ episcopum & Valentem cum suis offendit. Tunc igitur illi Arianorum coryphæi inter se quo pacto fidem Nicænam sub-

* Lib. 21.

* Sozom. l. 4. c. 16.

A verterent capita conferentes, ab Imperatore impetrant ut synodus universalis Nicææ Bithyniæ indicta, propterque ejus urbis cladem terræ motu acceptam dilata divideretur: Orientalesque episcopos Seleuciam Isauriæ, Occidentales verò Ariminum convocari procurant. Hunc episcoporum Arianorum in Comitatu congressum Eusebio & Hypatio Consulibus contigisse, id est, eo ipso anno quo illæ synodi actæ sunt, nemo in dubium revocabit, qui hujus narrationis auctorem Sozomenum * legerit. quo anno Constantium hibernasse Sirmii, melioremque ejus anni partem ibi transegisse, cùm Ammianus ipse testis est, tum etiam plurimæ leges iis Consu-
B libus editæ sua subscriptione probant. In eo congressu quæstionem istam coram Imperatore agitatam de fide quam recitat hac epistola Germinius, fidemque compositam, cui dictandæ Marcus electus est, ut conjiciam multa faciunt. Primùm, Personæ; iidem nempe episcopi, inter quos de fide quæsitum, in hac recensentur epistola, qui à Sozomeno * in Comitatu fuisse memorantur: deinde fortuita utrobique occasio; non enim hîc ait Germinius istos episcopos convocatos ut de fide disputarent; sed orta disputatione coram Imperatore, atque in multam noctem protractâ, ad eam for-
C mulam tandem esse deductos: denique locus & tempus; Sirmii enim ipsam fidem, quæ Patri Filium per omnia similem dicit, Eusebio & Hypatio Coss. scriptam docuimus. Nec ad aliam fidem, quæ apud Epiphanium leguntur hæresi lxxiij. * de fide περὶ τοῦ ὅμοιον εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ κατὰ πάντα, referri posse arbitror: cui subscribens ipse Valens cùm in subscriptione Filium Patri similem repetiisset, duasque illas voculas *per omnia* subticuisset; eas ab imperatore Constantio, quo præsente res agebatur, coactus est addere. Idem enim ipse Valens subscripsisse se ei testatum voluit, * τῇ νυκτὶ ἐπιφωσκούσης τῆς πεντεκοστῆς: subditque Epiphanius, Valentem statim at-
D que à se subscripta est, correptam eam fidem Ariminum secum ad synodum detulisse. Scripta est ergo ea fides, quæ per omnia Filium similem Patri asserit, eo tempore quo synodus Ariminensis acta est, id est, Eusebio & Hypatio Coss. in vigilia pentecostes, id est xj. cal. Jun. Siquidem iis Coss. qui Christi CCCLIX. annus est, luna xiiij. in iv. cal. Apr. incidente, veneranda Resurrectionis dominicæ dies prid. Non. ejusdem mensis, missionis sancti Spiritus x. cal. Jun. litterâ C. diei Dominicæ notâ, si tunc usu recepta exstitisset, celebratæ sunt.

* lib. 4. c. 15.

* Ibidem.

* num. 22.

* apud Epiphan. hær. 73. n. 22.

an. 359.

Epilogus.

E 14. Videtur ergo, ut tota hæc concludatur disputatio, fides quæ Filium Patri per omnia similem profitetur, scripta Sirmii, non habitâ disquisitione in celebri episcoporum Concilio, sed in fortuito paucorum congressu coram Imperatore disputatione ortâ; non in aliqua basilica aut publico loco in quo solerent synodi haberi, sed in privato Imperatoris cubiculo; non Sergio & Nigriano, vel Constantio ix. & Juliano II. Consulibus, quo tempore Sirmiensis synodus habita dicitur, sed xi. calend. Jun. Eusebio & Hypatio Coss. quo etiam die idem ipse Imperator Sirmio leges xiiij. & xv. de Præt. & Quæst. Cod. Th. ad Senatum misit. Quare
F non mirum est, si * Athanasius eorum, qui ejusmodi fidem scripserunt, temeritatem exagitet: *qui cùm non nisi tres aut quatuor*, inquit, *essent*, (in quo quidem rem extenuat; septem enim vel octo * aderant,) *ausi sunt tamen regula fidei Consules addere, quod trecenti & octodecim patres Nicæni non fecerant.* Sed hæc fortasse fusiùs quàm epistolæ vel præfationis modus patiatur: reliqua nobis breviter percurrenda sunt.

15. Epistolæ * Liberii P. R. quæ huic Germinii subjunctæ sunt, cum præcedentibus nec argumento, nec tempore connectuntur. Ad quam tamen Arianorum hi-
G storiæ partem spectent, quia exactissimis illis ecclesiasticis Annalibus intextæ sunt, si dicere supersedeo, temporis & chartæ compendium fecero. Hoc unum addere sufficiet ex verbis Hilarii, quæ Liberii epistolæ ad Orientales episcopos * adtexta sunt, videri regulam fidei, quam Sirmio à synodo ad ecclesias missam suprà dixi-

* lib. de Synod. p. 873.

* at non in illos respicit, sed in Ursacium, Valentem, Germiniũ, Acacium & Eudoxium, ut liquet ex pag. 869.

* quæ nunc conficiunt Fragmentum VI.

* Fragm. VI. n. 6.

Cui formulæ subscripserit Liberius.

mus, ab eodem Liberio tædio exsilii desiderioque sedis suæ præfracto, quemadmodum à ceteris qui Imperatoris Constantii violentiæ cesserant, subscriptione probatam fuisse: ut non omnino vanus exstiterit rumor, quem Arianos disseminasse Sozomenus * scriptum reliquit, Pont. R. in opinionem Anomœanorum defecisse. Quo nomine noster Hilarius æstu fidei abreptus ipsi Liberio velut apostatæ ac prævaricatori Anathema impingit. Et sanè non alia potuit esse illa fides, quam Narcissus, Theodorus, Eudoxius, Demophilus, & ceteri illi temeritate atque perfidia inter Arianos conspicui, ut infrà videbimus, dictaverint. Hinc etiam discimus, cujus sint auctoris, & quò pertineant nomina illa hæreticorum, quæ huic Liberii ad Orientales epistolæ subnexa esse in suo codice nobilissimus Annalium scriptor * notavit: ut & illa verba in calce sequentis ejusdem pontificis epistolæ ad Ursacium, Valentem & Germinium: *Prævaricatori anathema cum Arianis à me dictum.*

* l. 4. c. 14.

* *ad an. 357. n. 34.*

16. Superest ultima hujus collectionis * epistola ad legatos Ariminensis Concilii. Ipsa autem est Semiarianorum episcoporum, & majore ex parte Palæstinorum contra Ætium cognomento Impium atque Atheum. Ariani enim etsi numquam ipsis inter se bene convenerit; (qui mos omnium hæreticorum est, nisi in eo ut Ecclesiam Christi oppugnent,) succedente tamen ex animi sententia Ariminensis perfidiæ dolo, confectum sibi cum catholicis negotium arbitrati, multo apertiùs opinionibus, animis, nominibusque divisi acriùs inter se digladiari cœperunt. Hinc factionum sectarumque nomina mille, mille nocendi artifices. *Plura nomina* (inquit Ambrosius *) *sed una perfidia; infinitate non dissonans, communione discordans; non dissimilis fraude, sed cogitatione discreta.* Et hæc quidem de iis quæ hîc sub nomine libri B. Hilarii de Ariminensi Concilio edita continentur.

* nunc Fragm. X. contra Ætium, vel potiùs contra partes Acacii.

* *l.b. 1 de fide n. 44.*

17. Cetera, quæ alteram veluti collectionem facere videntur, quamvis in codice manu scripto, ex quo ista transscripta sunt, illis quæ explicuimus præposita legantur, ex eodem tamen B. Hilarii Opere excerpta esse, vel hinc conjicere licet, quòd verba auctoris unde sumta sunt, aliquot locis ipsis actis immixta, ejusdem sanctissimi Confessoris phrasin exhibeant, & omnia fere ad synodum Ariminensem, de qua præcipuè in eo ipso tractabatur Opere, spectent. In quibus tamen digerendis non exactior ordo rerum vel temporis, quàm in superioribus, observatus est.

Altera collectionis pars.

18. Porro fidem illam quæ *apud Fariseam civitatem* exposita dicitur, Lutetiæ Parisiorum scriptam fuisse arbitror, atque in ejus epigraphe, *apud Parisiam civitatem* legi debere conjicio. Jam enim tunc obsoleta fere Lutetiæ appellatione hoc nomen illa civitas audiebat. Zosimus * ea ætate non multo inferior de Juliano loquens Lutetiæ hiemante, sic scribit, Ἰυλιανοῦ δ' ἐν τῷ Παρισίῳ, γερμανίας δ' αὕτη πολίχνη, διατρίβοντος. Quamvis enim ejus urbis tunc non ea fuerit amplitudo vel nominis claritas, in quam postea regum Christianissimorum frequentatione studiorumque celebritate evecta est; immo verò πολίχνιον, & ab Ammiano * castellum ambitu insulari circumclusum tantùm dici videamus; ut quæ insulæ fluvii Sequanæ ambitu comprehensa, & utrimque sublicis pontibus continenti juncta, vix mediam partem ejus regionis complecteretur, quæ civitatis nomen sibi peculiare fecit: cæli tamen temperie, quod etiam ficus aleret, fluviique placidissimi nitidissimique amœnitate adeo grata & commoda Juliano in Galliis agenti visa est, ut ibi libentissimè hiberna duxerit *; & Imperator ab exercitu in ea salutatus, postea festivissimo ad Antiochenses scripto * φιλτάτην πολίχνην vocitarit, elegantiamque sui ingenii in ipsa describenda ostentare voluerit. Et sanè longè antè, Julio Cæsari, concilio Galliarum indicto, locus ille huic habendo visus fuerat idoneus, Lutetiamque Parisiorum concilium transtulerat. Ubi ubi hæc habita fuerit synodus, non dubium est unam * ex illis esse, quas ipse Hilarius Constantii Imperatoris, paulo antè quàm ex vivis decederet, edicto

Parisiaca synodus nunc Frag. XI.

* *Cæsar h emem apud Parisios agens memoratur.*

* *lib 15. c. 11.*

* *Ammian. lib. 17. c. 7. c. 8.*

* *in M sopog.*

* Ante Hilarii in Gallias reditum coactam esse ostendimus.

ad episcopatum redire permissus, *ubi permensus est*, inquit Severus *, *orbem penè terrarum malo perfidiæ infectum, vir naturâ lenis & placidus, simul ad persuadendum aptus*, quo elogio ipsum ornavit Rufinus *, *optimum factu arbitratus revocare cunctos ad pœnitentiam*, frequentes in Gallia coegit. * Quibus effectum est ut omnibus episcopis de errore profitentibus apud Ariminum gesta damnarent, pristinamque Ecclesiis fidem restituerent. His etiam & Victurinum Parisiensem episcopum, quem synodo Sardicensi interfuisse testis est * Athanasius, & ad Agrippinensem contra Euphratem delegasse, ipsius Agrippinensis Concilii acta probant, si ad hæc tempora pervenit, symbolam suam contulisse veri simile est. Ad eas synodos Hieronymus in Eusebiano chronico respicit, cùm ad annum vitæ Constantii extremum (nam qui in eo chronico notati habentur Christi anni, nec Eusebii nec Hieronymi sunt,) Galliam *per Hilarium Ariminensis perfidiæ dolum* (sic enim legunt veteres libri) damnasse notat, quod & hac fidei formula præstitum videmus. Quamvis non nisi defuncto Constantio, rerumque potiente Juliano, illæ synodi celebratæ fuerint, id est, circa annum Christi ccclxij.

* *lib. 2. hist. sacr.*

* *lib. 1. hist. eccl. c. 31.*

* *Sulpic p. 262.*

* *Apolog. ad Constāt. p. 767.*

19. Epistola * autem Eusebii Vercellarum episcopi ad Gregorium Eliberi civitatis Hispaniæ antistitem, licèt Constantio Imperatore adhuc in vivis agente (ipsum enim intelligit, cùm spem Ariomanitarum, *non in sua vi aut unito consensu*; sic enim hic locus emendandus videtur: *sed in protectione regis sæcularis pendere* dicit, quippe qui, ut Athanasii verbis utar, *suas spes humi & infernè haberent, in Cæsare nimirum & in ejus eunuchis*) post Osii tamen prævaricationem, atque etiam Ariminense Concilium scripta est. In qua tamen observatione dignum est, sermonem haberi de Osio velut adhuc vivente, & cui non multò antè pro Arianis aliquid molienti Gregorius animosè & intrepidè restiterit. Quod si est, ad annum Constantii xxiv. qui Christi lx. est post trecentesimum, Osium pervenisse necesse est. quo anno missam hanc epistolam ipsumque Osium paulò pòst è vivis sublatum oportuit: quando quidem Athanasius oratione prima contra Arrianos anno post Nicænam synodum trigesimo sexto, id est anno Christi ccclxi. habitâ, Osii ut vitâ functi meminit. Hinc fortasse Marcellino ceterisque Luciferianis oblata occasio, (ut mos est hæreticis, quæ suo fato accidunt interpolando, verbisque in majus tollendo, quia veris destituuntur, in ficta miracula trahere,) horrendæ illius tragœdiæ de ejus morte diris ejusdem Gregorii accersita confingendæ; cujus falsitatem vel hic unus locus detegit. Nam si in ea contentione Osius adeo misere animam projecisset, tam mirandum miserandumque maximi viri interitum, tamque præsentem divini numinis vindictam haud ita levi pede Eusebius in hac Epistola transegisset.

* Fragmenti XI. pars secunda, quando scripta.

Osius quádo vivere desierit.

Marcellin. & Faustin. lib. ad Imperat.

20. Formulam * autem fidei à Germinio conceptam, quæ proximè hanc epistolam sequitur, multò posteriorem esse eâ epistolâ ex iis quæ suprà diximus, cùm de epistola Valentis, Ursacii, aliorumque ad Germinium disseruimus, quæ huic causam * dedit, clarum est. Planè hæc Germinii formula conformis est regulæ fidei cum Consulibus editæ, quæ *Patri similem per omnia Filium* dicebat, & velut ex diametro opposita Sirmiensis Concilii infidelis fidei, ut eam vocat * noster Hilarius, impietati quæ Patrem *honore, dignitate, claritate majestate* Filio majorem definiebat.

* nunc Fragm. XIII.

* aut potiùs causam ab hac accepit.

* *lib. de Synod. n. 2.*

21. Quæ sequitur Sardicensis Concilii ad Gregorium episcopum Alexandriæ ceterosque * epistola, præcedentibus multò prior est, & argumento penitus diversa. Continet enim decretum Sardicensis Concilii nomine ab Arianis confictum, cujus Socrates meminit, Sozomenus etiam suæ historiæ summam intexuit, ultimum sanè hæreticæ temeritatis ac audaciæ exemplum. Illi namque se patribus anno Christi cccxlvij. Sardicæ congregatis ut sisterent præsente Athanasio, quem impudenter adeo criminati calumniatique fuerant, satis firmam frontem non habentes, Philippopoli, quæ Thraciæ

* Pseudo-Sardicensis epistola, quæ nunc Fragm. III

Socr. lib. 2. c. 20. Sozo lib. 3. c. 11.

est urbs, coacti, hoc quod in manu est decretum, sub nomine patrum Sardicæ collectorum, quorum fama jam per populos pervagata fuerat, commenti sunt: quo non solùm Athanasium velut gravium scelerum convictum deposuerunt, verùm etiam Julium P. R. Osium, Protogenem, Gaudentium, & Maximinum, fidei Nicænæ columina, de gradu communioneque ecclesiastica dimotos judicarunt. Nec contenti in tantos viros injurii exstitisse, nisi etiam, ut cum Propheta loquar, molesti essent & Deo nostro, ipsum Christum de Patris dextra, id est, τ͂ ὁμουσίας ϗ ὁμοτιμίας gradu, novâ fidei formulâ conscriptâ, in qua οὐσίας ϗ ὁμουσίϰ voces prætermiserunt, deturbare nisi sunt.

Esai. 7. 13.

22. Mirum tamen est, vel nostrum Hilarium eam ipsam fidei regulam pro legitima * synodi Sardicensis suo Operi de Synodis inseruisse, ac velut catholicam exposuisse, vel ipsum Athanasium in epistola de Ariminensi & Seleuciæ synodis, & post eum Socratem novem & verbis & sensu diversis Arianorum recensitis formulis, hanc decimam non addidisse. Idem enim ipse Athanasius * non uno loco testis est locupletissimus, certis hominibus nonnulla quasi quæ deessent Nicænæ formulæ adscribere volentibus, Sardicenses patres se contentos Nicæna fide respondisse, decretoque sanxisse, ne quid ulterius scriberetur: *ne illis, quibus libido erat semper nova statuere, occasio ejusmodi suppeteret, ut iterum atque iterum nova de fide definirent.* Quo certè manifesti erroris convincitur Sozomenus, cùm scribit *, catholicos patres Sardicæ fidei formulam edidisse, sensu quidem cum Nicæna eamdem, pluribus tamen verbis conceptam: cujus nomine Osius & Protogenes apud Julium P. R. sese excusarint. Planè videtur noster Hilarius in eo de Synodis libro, non solùm formula pseudo-Sardicensi, sed nec Antiochena in Encæniis, nec Sirmiensi contra Photinum, quas tres Semiariani in synodo Anquiritana maximè probarunt, ita minimè offensus, ut eas * exposuerit, & his verbis excusare conatus sit: *Nihil mirum*, ait *, *vobis videri debet, fratres carissimi, quòd tam frequenter exponi fides cœptæ sunt; necessitatem hanc furor hæreticus imponit.* & paulo pòst, *Sed necessitas consuetudinem intulit exponi fides, & expositis subscribi. Ubi enim sensus conscientiæ periclitatur, illic littera postulatur: nec sanè scribi impedit, quod salutare est confiteri.* Postea tamen experientiâ doctus non solùm Camarinam non movendam, ut in proverbio est, sed multo minùs quæ à patribus rectè statuta sunt, ullo aliquo prætextu convellenda, quámque periculosum ac miserabile esset, *diversas fides habere, quæ dum plures fiunt, ut idem ipse ait *, id incipiunt esse ne ulla sit*; in libro ad Constantium omnes præter Nicænam uno elogio damnavit. *Nam etiam si his*, inquit *, *nihil vitiosum subjacere affirmetur, non tamen causa religiosæ voluntatis inest, quia mali meditatio est.*

*Si pro legitima habita ab eo fuisset, an inscripta esset, *Fides secundùm Orientis synodum?* Aliud est autem excusasse, aliud catholicam tam censuisse.

* *epist. ad Antioch. p. 576.*

* *lib. 3. c. 12.*

* hoc prudenter egit, ut Orientales hac benevolentia ad verâ fidem adduceret.

* *lib. de Synod n. 63. Ibidem.*

* *lib. 2. ad Const. n. 4.*

* *lib. in Cõst. n. 24.*

23. Porro nemini dubium est, præclaros illos novæ fidei architectores synodicam hanc epistolam iis maximè inscripsisse episcopis, quibus facilè imponere, vel ejusmodi imposturam non ingratam fore sperabant. Inter quos optimo jure familiam ducit Gregorius ille Cappadox Alexandrinæ ecclesiæ prædo, qui longè antè propter hæresim Arianam Ecclesiæ communione submotus, Sardicensi etiam Concilio ne pro Christiano quidem haberi jussus, non multò pòst ab Alexandrinis tumultu populari occisus, convenientem effrenatæ suæ violentiæ finem sortitus est. Nec multo sanctior Donatus, qui Carthaginis episcopus nominatur. Ille enim est Donatus, qui Majorino succedens, perniciosissimam sectam in Africa diu altare contra altare Dei Carthagine erigens aluit ac fovit: eòque superbiæ ac vesaniæ evectus est, ut veluti Pythagoreos aiunt per præceptorem solitos, * ita suos per se ipsum jurare tamquam per Deum, eosdemque ipsos se partis Donati vel Donatistas pro Christianis nuncupare permiserit, ac ipse etiam nominarit. Arianæ etiam opinioni congruentem librum scripsisse testis est * Hieronymus. Inter hos duos tamen insignes hæreticos, Amphionem eximium Christi

Qualibus episcop s directa epistola Philippop. synodi.

Fragm. 11. n. 8.

* *Optat lib. 3. cont. Parmen.*

* *lib. de Script. Ecc.*

A confessorem, canitie vitæque sanctitate venerandum, ad exemplum Magistri cum iniquis deputatum agnoscimus. Si quidem is est Amphion Epiphaniæ Ciliciæ primùm episcopus, qui ante fere quadraginta annos Christum sub Maximino intrepidè professus deinde in Nicæna synodo, deposito propter hæresim Eusebio Nicomediæ episcopo, in ejus locum suffectus fuerat. Ejus meritum est, ut testimonium sanctitatis apostolicæ ac confessionis ab Athanasio ei in Oratione prima contra Arianos * perhibitum, à doctissimo interprete tamen vitio codicis Græci quo usus est, corruptum restituamus. Si quidem quo loco in ea Oratione catholicos monet, ut formulas B fidei Ursacii, Valentis, Demophili, Germinii, ceterorumque ejus farinæ hominum licèt verbis ex sacra Scriptura desumtis scriptas, nihilo magis tamen admittant, quàm Christus diabolum ex iisdem Scripturis loquentem, *quia impiorum sermones dolosi sunt*: lumina ecclesiæ sui sæculi recensens, & apostolicos viros in quorum scriptis nihil mali suspicari licet, hæc verba latina versio exhibet: *vel Lupi & Appiani Ciliciæ*, Græcus codex manu scriptus sic legit, ἢ Λύπυ ϗ Ἀμφίωνος τῦ ὁμολογητῦ ϗ ἐπισκόπυ τ͂ Κιλικίας; utrumque enim vocabatur, & Ciliciæ, & Nicomediæ episcopus. Nec est quòd quis C suspicetur, illum à recta fide post hæc deflexisse: nam in catholica pace perseverasse testis est Ecclesia, quæ natalem ejus prid. Id. Junias celebrat. Quare sceleratis istis immixtum conjicere est, ut vir virtutis famâ celebris apud omnes & clarus, tenebrionibus illis sanctitatis aliquam opinionem conciliaret.

Sozom. lib. 1. c. 10. & 21.

* *pag. 291.*

24. Mirum tamen est, cùm B. Augustinus Donatistis ex hoc decreto fucum facere, & se pro catholicis à Sardicensi Concilio agnitos probare nitentibus, non satis hujus fraudis gnarus contra Cresconium non uno loco * excipiat, nomina civitatum, quarum episcopi dicebantur, apposita non fuisse, unde constaret Donatum, cujus nomen in hac synodali epistola ostentabant, D illum fuisse, qui se pro Carthaginensi episcopo gesserat; plus etiam addat, nec moris esse ecclesiastici, quando episcopi episcopis scribunt, nomen civitatis adjungere: unde huc illa civitatum nomina irrepserint? nisi fortasse à Donatistis sunt addita; hujus enim rei videtur suspicionem injicere ipse Augustinus, cùm scribit: *Miror nescio quis iste Donatus, si non in vestris litteris, Carthaginensis factus est.*

Augustino incomperta Sardicensia decreta.

* *lib. 3. c. 34. & l. 4. c. 44.*

lib. 4. cont. Cresc. c. 44.

25. Nimis longum esset, in omnes qui huic epistolæ subscripserunt inquirere, nec fortasse operæ pretium. Planè ab hæreticis scriptam esse Menophantus E ab Epheso, Acacius à Cæsarea, Theodorus ab Heraclea, Marcus ab Arethusa, (operarum enim erratum est, quòd hìc *ab Artiis* legitur) Eudoxius à Germanicia, Narcissus ab Neropoli, vel Irenopoli. (utrumque nomen enim audiebat) Demophilus à Beroea, & qui claudit agmen, Valens à Mursa velut Mysorum ultimus, celebres Athanasii, Hilarii, Epiphanii, auctorumque ecclesiasticæ historiæ testimoniis, Arianorum antesignani ac duces, inter eos qui huic decreto subscripserunt recensiti fidem faciunt. Et hæc quidem de supposititio illo decreto nimis fortasse multa.

26. Quæ superant, licèt pleraque omnia, si Liberii F P. R. epistolam ad Constantium anno Salutis * cccl j. per Luciferum Calaritanum episcopum, Pancratium Presbyterum (si quidem corruptè apud Athanasium in epistola ad solitariam vitam agentes * Eutropius nominatur) & Hilarium diaconum Romanos missam excipias, ad Ariminensem pertineant synodum, perturbata nihilo minùs inter se, nec ullo digesta ordine exsistunt. De Liberii epistola qui plura desiderat, numquam satis laudatos illos Annales * consulat; ibi enim unde suam sitim exstinguat, uberrimè inveniet. Cetera fere omnia nunc primùm in lucem eduntur. Quonam autem disponenda sint ordine, rei gestæ narratio- G ne perspicuum fiet.

Eam anno 354. consignamus V. Fragm.

* *pag. 836.*

* *Baron. an. 354. n. 1.*

27. Diximus suprà, fidem Sirmii Consulibus additis coram Imperatore scriptam, quæ Filium Patri per omnia similem continebat, factionibus Arianorum pro-

Ariminensis Concilii historica series.

curatam ac scriptam fuisse, indictamque synodum universalem Nicææ Bithyniæ, divisam; & Orientalibus Seleuciam Isauriæ, Occidentalibus verò episcopis Ariminum quò convenirent dictas. Cui fini, nisi ut fallerent ac circumvenirent? Certi enim quantum sua factione in Oriente pollerent, veteratoriam & captiosam illam fidei regulam Orientalibus episcopis facilè approbaturos se pro comperto habentes, Occidentales coactos tandem fore ei subscribere crediderunt, quam Oriens probasset, & Imperator inexorabilis, ut eum Ammianus * describit, suæ auctoritatis vindex sanxisset. Et sanè testis est noster Hilarius * absque episcopo Eleusio (is erat Cyzici episcopus) & paucis cum eo, ex majori parte Asianas decem provincias, intra quas consistebat, verum Deum nescisse. *Atque utinam*, subjungit ille, *Deum nescirent: cum procliviore enim venia ignorarent, quàm obtrectarent. Sed horum episcoporum dolor se intra silentium non continens, unitatem fidei hujus quærit, quam jamdudum per alios amisit.* Scriptâ itaque ea fide, divisâque synodo universali, rescriptum ad utramque synodum ab Imperatore impetrant Ariani, quo * primùm de fide cognoscere, deinde causas episcoporum, mutuasque inter sese digladiationes ac criminationes discutere collecti patres jubentur, rebusque judicatis ac decisis decem legatos rationem eorum quæ gesta essent reddituros ad Comitatum delegare; alterum etiam ad patres Arimini congregatos, quo de Orientalibus episcopis cognitio iis interdicitur, iterumque de decem mittendis ad Comitatum legatis admonentur. Prioris rescripti Sozomenus * meminit: posterius * hìc vj. cal. Junias, id est, quinto post illam fidem conscriptam die missum habetur. Tunc igitur his scriptis subsarcinati Valens, Ursacius & Germinius Ariminum magnis itineribus contendentes cum Auxentio genere Cappadoce potiùs delatore quàm Christiano, inquit Athanasius (is ab Imperatore licèt latinæ linguæ penitus expers esset, militari manu in Mediolanensem sedem, relegato propter pietatem Dionysio, intrusus fuerat), Caio, & aliis quos sibi faventes in ea synodo reperiere; postulant, quod suprà ex Athanasio diximus, ut huic suæ formulæ absque ulla causæ cognitione & tantùm non cæcis oculis omnes subscribant. Verùm non solùm propter Consules regulæ appositos derisi, sed etiam propter impietatem latentemque *vapido sub pectore vulpem*, hæretici renuntiati, ex ipsa synodo expulsi sunt. Ergo xij. cal. Augusti, quæ proximæ secutæ sunt, totius synodi concordi sententia Nicænæ regulæ nec addi quidquam posse, nec minui * decernitur: Ursaciusque, Valens, Caius & Germinius, quibus Athanasius Auxentium & Demophilum adjungit, velut ecclesiasticæ pacis pertarbatores ac hæretici, de gradu suo & fidelium communione deturbantur, decemque legati ad Imperatorem missi; per quos hæc Concilii definitio innotesceret. *Et hæc quidem Arimini acta celeriter* (scribit Athanasius) *istiusmodi finem habuere.* Eam Concilii sententiam ampliorem & integriorem, quàm apud antiquos auctores exstet, adjectis duobus ejusdem synodi fragmentis, hæc collectio exhibet.

* lib. 14. c. 5.
* lib. de Synod. n. 63.
* Ita Sozomenus lib. 4. c. 17. sed Socrates lib. 2. c. 39. testis est magnã ea de re contentio[illegible] alios de fide, alios de episcoporum causis primùm inquirendum esse disceptantes, quia litteræ Imperatoris afferebantur, quibus nunc hoc, nunc illud præcipiebat.
* scil. Frag. VII. n. 1.
epist. ad Solit. p. 861.
lib. de Synod. p. 874.
* Frag. VII. n. 4.
lib. de Synod. p. 880.

Arianorum damnatorum artes.

28. Nec tamen ipsi Ariani eâ sententiâ percussi animos deponunt, aut ab inceptis desistunt: sed & ipsi decem ex suis, in quorum numero condamnati illi exstiterunt, ad Imperatorem delegarunt, qui Concilii legatos celeritate prævertentes, ipsum Imperatorem adversùs synodum adeo concitarunt, ut ipsos rectæ fidei legatos in suum conspectum venire non sustinuerit: sed primùm Hadrianopoli, deinde Nicææ Thraciæ variis dilationibus delusos, ea spe detinuerit, quòd crederet (infit Theodoretus) episcopos Arimini legatorum suorum reditum exspectantes, partim senio, partim inopiâ pressos, omnes diuturnioris à propriis sedibus absentiæ pertæsos, reditûs desiderio ad fidei propositæ subscriptionem flecti posse. Quin etiam Ursacio facultatem tradidit, de fide pro arbitratu statuendi: qua accepta strenuum illum Plautinæ familiæ ducem compressis, ut aiunt, manibus non sedisse, nemo est cui non statim in

lib. 2. hist. eccl. c. 19.

A mentem veniat. Tunc ergo tanta auctoritate subnixi Ariani, derisam illam suam fidem interpolare potiùs, quàm emendare cupientes, (quod suprà aliud agentes retulimus,) exemplaria ejus undique conquiri & corrogari per Martianum notarium curarunt, detractisque Consulibus, velut fures alienis poculis ansas auferre solent, paucisque voculis commutatis, eamdem perfidiam, immo etiam deteriorem, bonos illos legatos quà vi, quà fraude non solùm sua subscriptione confirmare, sed etiam ipsius Concilii, cujus personam sustentabant, damnatâ verbis disertis sententiâ, cum Ursacio, B Valente, ceterisque abdicatis, communionem inire compulerunt, fidemque illam sic interpolatam, quò simplicioribus similitudine nominis imponerent, Nicænam fidem nuncuparunt. Et certè qui fidem illam, quam Ariminenses patres subscriptionibus suis approbare compulsi sunt, ut apud Athanasium * atque * Hieronymum exstat, contenderit cum illa quæ Consules habuit, perfidiorem in eo sentiet, quòd duo illa vocabula, *per omnia*, quæ Valens * invitus admiserat, in ista subtracta sunt, cetera penitus similem. Athanasius * ejusmodi interpolationem Concilio Constantinopolitano, quod post Seleuciense Acaciani coegerunt, tribuit. Quod si est, non C video quomodo æræ inter se non discrepent. Fragmentum enim Nicæni conventiculi, quod * hìc editur, actum fuisse illud conventiculum vj. Idus Octobris, iisdem Eusebio & Hypatio Consulibus indicat; (nisi fortasse in temporis designatione * mendum obrepserit, legique vj. Idus Novemb. debeat;) Seleuciense verò Concilium quinto cal. Octobris incœptum, locupletissimi sunt testes Athanasius, & apud Socratem * Sabinus. Non fert autem locorum distantia, vel negotii conditio, ut qui Seleuciæ Isauriæ v. cal. Octob. fuerint, intra vj. Idus ejusdem mensis Constantinopoli Concilium habuerint, ac perfecerint.

Athanas. de Synod. pag. 904.

De formula Nicææ Thraciæ.

* lib. de Synod. pag. 875.
* Dial. adversùs Lucifer.
* ut testis est Epiphanius hær. 71.
* de Synod. pag. 905.
* Fragm. VIII. n. 5.
* Mendum non obrepsit: sed cùm Constantinopoli subscripta sit formula, quæ Nicææ in Thracia edita erat; Constantinopolit. synodum Sirmiensi fidei non stetisse verè dixit Athanasius, præsertim ubi Nicæni conventiculi non meminit.
* lib. 2. c. 39.

D 29. Quinam autem illi Ariminensis Concilii ad Imperatorem legati, vel cujus in Ecclesia gradus aut dignitatis exstiterint, non facile est ex historiis deprehendere, cùm vix nuda eorum nomina teneamus. Solus Restitutus Carthaginensis episcopus refertur, qui tamen & ipse antiquis auctoribus ignobilis. Nam præter Gratum, quem Sardicensi Concilio adstitisse, primumque quod Isidorus Mercator vocat Carthaginense Concilium coegisse, ex eorumdem Conciliorum actis & Athanasio didicimus; & Genetlium, cui successit circa annum Christi cccxc. Aurelius, nullius alterius episcopi, qui E circa hæc tempora Carthagine sederit, exstat memoria.

De Concilio Carthagin. sub Genetlio.

30. Quin etiam ipsius Genetlii pæne exscriptorum vitio nomen oblitteratum est ex secundo ejusdem urbis Concilio, quod ejus ductu tamen & auspiciis est gestum; ut non absque ratione, quando illud habitum fuerit & à quo, maximi viri quærant: quo negotio si ex veteribus libris eos expedierimus, auctori suo illud ipsum asserentes, operam fortasse hoc exordio non luserimus. Tria sunt autem, propter quæ illud Concilium controvertitur. Primum, quia celebratum dicitur Valentiniano iiij. & Theodosio coss. cùm tamen Valentinia-F nus senior cum Theodosio Imperii collega consulatum gessisse nusquam legatur: alterum, quòd in eo Genetlii nomen non habeatur: tertium ac postremum, quòd Aurelius episcopus, qui Genetlio successit, ei præfuisse appareat. Verùm notat Isidorus, hoc Concilium celebratum fuisse ærâ ccccxxviij. hæc autem æra in annum Christi cccxc. incidit, cui anno Valentinianum iiij. & Neoterium, non Theodosium, coss. fasti assignant. Pro Theodosio igitur Neoterium substituendum esse, nemo est qui non videat. Genetlii autem nomen veteres libri omnibus locis habent, in quibus coalescente littera t cum l, *Genedium* editi exhibent. Et canone ij. hu-G jus Concilii, quo loci habetur, *Aurelius episcopus dixit*, iidem libri legunt, *Epigonius episcopus Bullensis Regiorum dixit.* Quinto item & vj. canone pro Aurelio Genetlium scribunt. Quibus emendatis, nihil superest unde ejus controversia moveri queat. His etiam adstipulatur

Fulgentius Ferrandus Carthaginensis diaconus, cujus Breviarii canonum cap. cxciiij. hæc verba sunt, *ut qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem accusandi non habeat, Concil. Carth. sub sancto Genetlio tit. vj.* quod in hoc, de quo agimus, Concilio canone vj. exstat. Sed hæc hactenus.

De Musonio & de Restituto.

31. Soli ergo Gratus, ut unde disgressi sumus revertamur, & Genetlius iste Carthaginensis episcopi circa Concilii Ariminensis tempus à scriptoribus memorantur. Athanasius in epistola ad episcopos Africæ ex eorum episcoporum numero plures Ariminensi Concilio interfuisse tacitis tamen nominibus prodidit. Hieronymus contra Luciferianos Musonium Bizacenæ provinciæ antistitem nominat, cui primas in ea synodo propter ætatem ab omnibus delatas scribit. Corruptum enim est, quod omnes editiones legunt, *Bizantinæ provinciæ*; non enim quemadmodum Græci, ita & Latini ea vocabula usquam confundunt. Bizacena verò ejus Africæ, quæ Occidentali Imperio tributa fuit, provincia est, Plinio geographisque eximia fertilitate cum centena fruge agricolis fœnus reddente nobilis, cujus & in Conciliis Africanis non semel fit mentio. Musonii etiam senis Bizacenæ provinciæ primæ sedis episcopi mentio habetur Concilio Carthaginensi habito Idib. Aug. Attico & Cæsario Consulibus, anno Christi cccxcvij. quem tamen eumdem esse cum eo de quo agimus pernegarem, nisi suprà vidissemus Osium senem Nicæno Concilio præfuisse, eumdemque Sirmiensi Concilio, quod triginta & quod excurrit, annis postea gestum est, centenario majorem adstitisse, atque ad annum Christi ccclx. pervenisse. Restituti autem episcopi par apud omnes silentium. Nisi fortasse basilica * Restituta Perpetua Carthagine, in qua non una synodus habita est, ab hoc qui in quæstione est Restituto, in honorem Perpetuæ martyris ædificata nomen acceperit; quemadmodum basilicam ibidem ab Aurelio episcopo, qui & Florens dicebatur, constructam in ejus gratiam Florentiam cognominatam, ex Sermonis * B. Aug. post collationem in ejusdem basilicæ dedicatione habiti fragmento insigni nondum edito didicimus. Quisquis autem vel Restitutus ille fuerit, vel ceteri cum eo ad Imperatorem à synodo delegati, planè quales à Severo * descripti sunt, sese adolescentes parum doctos, parumque cautos satis superque prodiderunt, cùm mandati fines prætergressi, immo contra ipsum mandatum, ne quo modo cum Arianis communionem inirent, acta ipsius synodi, admissis in communionem quos illa rejecerat hæreticis, resciderunt.

V. August. Serm. 19. not. a.

V. Serm. August. 359. & notam b. pag. 1405.

lib. 2. hist. sacr.

32. Dum hæc autem in Thracia geruntur, interea loci qui Ariminum convenerant, tam rectæ fidei quàm Arianæ perfidiæ episcopi, legatorum suorum reditum exspectare jussi à Tauro præfecto prætorio, cui injunctum fuerat, ne collectos antè dimitteret quàm in unam fidem convenirent, ibi summa cum molestia ac tædio detinentur. Quare litteris utraque pars sigillatim Imperatorem obnixissimè rogat obtestaturque, quando quidem hiems instaret, ne permitteret senes & à suis sedibus longè dissitos, in difficillimam tempestatem differri, sed quàm primùm ad suas civitates reverti concederet. Rectæ fidei episcoporum epistolam Socrates * habet: Arianorum sub nomine synodi Ariminensis Orientalibus consentientis hæc * collectio exhibet.

lib. 2. c. 37.

Fragm. IX.

Insignium virorum lapsus historia non silet.

33. Cetera, quæ deinceps in eo negotio gesta sunt, quemque exitum tandem invenerint, quando quidem suprà perstrinximus, & fusissimè ab Athanasio, Hieronymo contra Luciferianos, & Sulpicio Severo pertractata sunt, hîc subjungere superfluum est. Nobis enim solummodo ea tractare, quæ facere ad connexionem illustrationemque horum Fragmentorum videbantur, animus fuit. In quibus etiam vereor, ne nimio plura dixisse, tragicamque illam exsecrationem ὄλοιο θηλῶν συλλέγων τὰς συμφορὰς, in me concitasse videar, qui venerandorum Patrum opinionem ac famam, controversias eorum, dissensiones, defectionemque, velut obducta ulcera quæ occuli satius erat, refricando sugillem.

A Verùm cùm historiarum unus is sit scopus, ut sint, quemadmodum Thucydides scriptis reliquit, κτῆμα εἰς ἀεὶ ξυγκείμενον, ex quo omnis ævi homines utriusque laudis ac fortunæ exempla depromere, & ad ea varios repentinosque casus, quibus quotidie impetimur, componere queant: non video cur minus utilitatis ac commodi ex clarorum virorum calamitatibus, erratis, atque adeo sceleribus ad nos perveniat, qui ea legimus tantùm, non sentimus, quàm ex virtutibus rebusque præclarè gestis: cùm etiam illis ipsis, qui imbecillitate humana in ejusmodi calamitates inciderunt,
B non rarò bene vertere soleant. Crœsum apud Herodotum παθήματα, μαθήματα sibi exstitisse, & Meropen in theatris se infortuniis evasisse sapientem ingenuè agnoscentes libens prætermitto, ut in ecclesiastica tractatione desumto ex sacra historia, ex qua formam trahit Ecclesia, exemplo locum faciam. B. Ambrosius de Petri apostolorum coriphæi abnegatione verba faciens egregiè scribit, *Etiam lapsus sanctorum utilis est: nihil mihi nocuit quod negavit Petrus, profuit quod emendavit: didici vitare colloquia perfidorum.* Idem auctor alibi monet, adversarium sanctos in sua damna tentare aliquando cogi. *Dum enim tentat*, subjungit, *meliores reddit, ut*
C *qui tentatur possit alios instituere, qui sibi ipsi invalidus videbatur. Denique Petrus Ecclesiæ præponitur, post quàm à diabolo tentatus est.* Ita non solùm aliis, sed etiam iis qui illa committunt, ut sua peccata bene cedant, immensa Dei benignitas efficit. Hæc enim sunt, ad quæ mens humana pertingere non potest divinæ providentiæ miracula, omnia piis bene vertere: & *quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem licèt in alium tamen ordinem reducere: ne quid in regno providentiæ liceat temeritati.* Quare nemini dubium esse debet, quin renovatum in Liberio Pontifice Petri successore fuerit, quod Optatus Milevitanus & Augustinus observarunt, divi-
D nâ providentiâ effectum, ut idem ille Apostolus negaret, qui claves accepturus esset, quò Ecclesia catholica, cujus ipse personam gerebat, disceret tamquam *vera mater nec peccantibus filiis superbè insultare, nec correctis difficilè ignoscere*, ipsumque Liberium ad tempus labi permissum, ut ex suo lapsu acrior ac fortior in hæresim resurgeret: & in pænitentes revertique cupientes clementior ac veniæ pronior exsisteret: itemque hoc litteris consignatum ad hæc usque tempora illis temporibus non multùm absimilia perductum, ut qui stent, inde sibi timere discant, nec redeuntibus ad Ecclesiam
E se difficiliores præbeant.

Jis quandoque bene vertunt.

Herodot. Clio.

Ambros. lib 10. in Luc. n. 89.

Ambros.

Liberii exemplum. *Augustin. de Agone Christ. c. 30. Idem ibid.*

34. Nec minoris sanè vel speculationis, vel documenti fragilitatis humanæ judiciorumque divinorum inperscrutabilis arcani sunt Osii ac Luciferi, fortissimorum catholicæ fidei propugnatorum eventa, quorum ille alter post nominis Christiani confessionem sub persecutoribus sævissimis constantissimè factam, post exhaustos pro fide catholica contra hæresim labores immensos, perfectasque dignissimè legationes multas, ita ut pater episcoporum haberetur, nimiùm tamen sui sepulcri amans (centesimum enim annum excesserat) in suprema vitæ fibula penitus defecisset, nisi violentiæ Aria-
F norum Imperatorisque minis cedenti, & approbatione Sirmiensis Anomœanorum perfidiæ in præceps ruenti, divina clementia manum supposuisset: alter iis etiam superior, quibus Osius cesserat, post tot erecta, ut Hieronymi verba usurpem, de perfidia debellatâ trophæa, sub ipso triumpho ab ipso dissensionum auctore superatus, separatus ab Ecclesia est, ac planè prostratus. Ad hæc enim quis non protinus cum Tragico exclamet,

Ὦ θνητὸν ἀνδρῶν κ̓ ταλαίπωρον γένος,
ὡς οὐδέν ἐσμεν.

& abjectâ omni fiduciâ sui, salutem suam ex Apostoli præscripto cum timore ac tremore operari non condis-
G cat?

Osii & Luciferi casus.

Hilar. lib. de Synod. n. 87.

Hieron. adversùs Lucifer.

Phil. 2. 12.

Generalis Ariminensium Patrũ defectio quid nos doceat.

35. At verò generalis illius circumventionis ecclesiastici ordinis & quasi ex compacto defectionis consideratio quàm utilis & huic nostro sæculo apta est! Ex ea enim planè instruimur, quàm cauti circumspectique

cum hæreticis tractantes esse debeamus, & quanti periculi sit à terminis, quos fixere patres, vel unguem latum discedere. Nam boni illi Patres dum nudas quasdam, ut ab Arianis persuaderi sibi sinebant, οὐσίας καὶ ὁμοουσίου voculas in fidei professione omitti passi sunt, sanctissimæ Trinitatis quæ Deus est confessionem, id est, summam religionem, pro qua conservanda tantum sanguinis à Christo nato Ecclesia profuderat, tot Martyres dederat, sibi ereptam atque extortam serò tandem animadvertunt. Quanto fortiùs prudentiúsque ante vim illatam iidem ipsi definierant, iis quæ synodo Nicæna statuta erant nec addi quidquam debere, nec detrahi: & substantiæ nomen, & rem suam debere obtinere firmitatem?

Frag. VII. n. 3. & Frag. VIII.

Conciliorũ necessitas ad quid.

36. Falluntur enim errore, atque nos in eumdem secum errorem pertrahere conantur, qui persuadere cupiunt, in his quibus versamur opinionum procellis, Ecclesiam ut quod potissimè sequi debeat stabiliatur, Conciliis indigere. Quamvis enim fortasse nullo umquam tempore, quàm nunc sunt, necessaria magis exstiterunt Concilia, quibus sponsæ Christi, quam ipse sibi emit non *omnibus undis*, sed totius innocentissimi sui sanguinis profusione, ab ambitu, avaritia, nundinatione, ignorantia, morumque spurcitia atque obscœnitate vindicatæ genuinus color ac splendor restituatur; disciplina illa, quam Apostoli, & qui ab iis proximi religionem constituerunt, velut murum aheneum contra ejusmodi caritatis atque unionis pestes prætenderunt, vetustate temporis an Pastorum socordiâ collapsa restauretur, exciteturque, & sacro ordini suus honor suaque auctoritas restituatur: quæ ut sarta tectaque conservarent primicerii illi religionis auctores, quotannis synodos provinciales bis colligi congregarique statuerant: licèt, inquam, fortasse ad hæc revocanda reparandaque Conciliis egeamus; ut tamen aliud teneamus quàm quod hactenus in Ecclesia creditum observatumque est, Concilio statui non posse arbitror. *Hoc enim semper*, ut scriptum reliquit Peregrinus ille Lirinensis, *nec quidquam præterea hæreticorum novitatibus excitata perfecit Ecclesia, nisi ut quod sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scriptionem chirographi consignaret, magnam rerum summam paucis litteris*, nempe Symbolo, *comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non novum fidei sensum novæ appellationis proprietate consignando.* Ejusmodi enim pias novitates, id est *adversùm nova venena novas medicamentorum comparationes*, ut eas noster Hilarius vocat *, *adversùm novos hostes nova bella, adversùm novas insidias Concilia recentia* profanarum novitatum apostolica prohibitione nemo sanus excludat.

Vincent. Lirin. cap. 32.

** in Constant. n. 16.*

Quàm Ecclesiæ suæ laboranti non desit Deus.

37. Jam verò qui faciem Ecclesiæ, qualis ab illa defectione exstitit, turbis, rixis, contentionibus, dissidiis ubique confusam, laceram atque dissipatam, sibi ob oculos statuerit, non minùs tunc à suis episcopis, quàm paulo antè à conjuratis nominis Christiani hostibus vexatam, in qua nec antistites quid docerent, nec plebes quid sequerentur rati ac firmi haberent, denique adeo desperatam ac perditam, ut sanctissimis viris Neronianorum, Decianorum, Maximianorumque temporum desiderium excitaret; statimque mentis aciem ad subitam illam repentinamque mutationem rerum, quæ mox Constantio defuncto, revocatisque novi principis edicto in proprias sedes ab exsilio episcopis secuta est: certè agnoscet Dominum laboranti Apostolorum naviculæ præstò adstitisse, & divinæ suæ Majestatis præsentiâ quassationem illam sedasse. *Moritur enim bestia* (inquit Hieronymus,) *& tranquillitas redit.* Et sanè πολλὰς καὶ παραδόξους ὁδοὺς σωτηρίας οἶδε τὸ θεῖον καινοτομεῖν νεῦον πρὸς φιλάνθρωπον.

Hilar. in Const. n. 4.

adversus Lucifer.

Hanc erigit Julianus, cùm ruinâ ejus meditatur.

Quis enim umquam crederet, nisi omnium auctorum fere ejus sæculi litteris testatum nobis esset, draconem illum apostatam Julianum, Mentem magnam de qua Isaias, atque Assyrium, qui nihil tam ex Imperio concupierat, quàm ut religionem Christianam funditus perderet, ad quam evertendam, ut quondam Julius Cæsar ad remp. opprimendam, sobrius accesserat, restaurationem fidei Nicænæ concordiamque episcoporum promovisse? Cùm enim omnes propter fidem Christianam exsules cujus-cujus sectæ essent revocasset, tantùm ut illas turbas, quibus tunc Ecclesia vexabatur, aleret ac retineret; diversarumque sectarum duces, quæ propemodum illo tempore infinitæ fuerunt, intra eadem mœnia degentes velut infestissimi hostes cominus acriùs se mutuò persequerentur, citiúsque conficerent: imperscrutabili tamen Dei providentia, quæ sicuti apud Hermam Pastorem legimus, *in bonum sibi vertit etiam pessima; ut per Ecclesiam multiplex ejus sapientia appareat, secundum præscientiam sæculorum quam fecit in Christo*, trium illorum Confessorum ab exsilio reversorum diligentiâ, labore, sollicitudine omnes fere, qui Ariminensi sceleri sive simplicitate decepti, seu metu perterriti, sive etiam Ariana labe infecti subscripserant, culpam agnoscentes, Nicænam fidem amplexos suprà vidimus. Siquidem communi externæ persecutionis periculo commoti, velut Syncretismo, in unam fidem coaluerunt, non pauci etiam ex hæreticis Martyres effecti sunt. Ecquis enim divinæ voluntati obsistere queat? à qua etiam, ut eximiè à Clemente Alexandrino scriptis traditum est, καὶ αἱ τῶν ἀποστησάντων βουλαί τε καὶ ἐνέργειαι κυβερνῶνται ἐπὶ τέλος ὑγιεινόν. τοῦτο γὰρ θείας σοφίας, καὶ ἀρετῆς καὶ δυνάμεως ἔργον ἐστὶν οὐ μόνον τὸ ἀγαθοποιεῖν, ἀλλὰ κἀκεῖνο μάλιστα, τὸ διὰ κακῶν τῶν ἐπινοηθέντων πρός τινων, ἀγαθόν τι καὶ χρηστὸν τέλος ἀποτελεῖν καὶ ὠφελίμως τοῖς δοκοῦσι φαύλοις χρῆσθαι.

Fragmenta hæc divinæ providentiæ nutu inventa.

38. Ejusdem etiam providentiæ opus esse mihi persuadeo, ut hæc Fragmenta turbulentissimis istis temporibus maximè lucem recuperent, per quæ ad ejusmodi considerationem historiæ excitati, spem certam ex ejus cognitione concipiamus, quotienscunque scelerum nostrorum nos bene atque ex animo pænituerit, divinam manum non mutilam ac decurtatam experturos, eumdemque Dominum periclitanti Apostolorum naviculæ tranquillitatem solidam ac firmam redditurum. Longè enim mea opinione errat, si quis putat hæresibus, quæ plurimæ totum fere orbem pervagantur atque conturbant, plus virium ac roboris in suorum sectariorum malis animis aut versutiis inesse, quàm in nostris vitiis ac sceleribus. Quapropter ut divinæ Majestati pro hac eximia sui numinis in nos benignitate numquam pro meritis dignas agere gratias vel animo concipere possumus, ita etiam piis optimi viri & de genere humano bene meriti Pithœi nostri Manibus, cui nos hæc Fragmenta debere summa illa Majestas voluit, parem gratiam referre vix ac ne vix quidem valeamus. Cùm enim sic vitam ipse instituisset, ut commoda publica ubique propriis negotiis præverteret, sævienteque Lutetiæ pestilentiâ, Augustobonam Tricassium, quæ illud nobis silentiâ dus ediderat, secessisset; nactus à Francisco fratre, viro propria laude virtutis & doctrinæ clarissimo, & planè tanto fratri germano, vetus exemplar fabularum Æsopiarum improbi, ut eum vocat Martialis, Phædri, quo opere eruditum Tiberii sæculum nihil venustius elegantius-ve protulit, vel hujus sui secessûs rationem publicè constare voluit. Itaque procuratis characteribus pro captu urbis quidem magnæ & frequentis, sed mercaturæ ac commercio penitus addictæ atque occupatæ, à litteris verò penitus alienæ, elegantibus, conductisque operis, illas fabulas suo sumtu atque hæc Fragmenta typis vulgare constituit. In qua cogitatione absolutis fabulis, hisque Fragmentis tantùm non ad umbilicum perductis, vir immortalitate dignissimus ad meliorem vitam assumtus est. Adderem hoc loco unde hæc etiam Fragmenta eruerit, nisi bonis viris ejusmodi rerum cognitionem profitentibus ruborem suffundere vererer, qui delitescentis hujus in bibliothecis suis thesauri velut gallus ille Æsopius unionis dignitatem non agnoverunt, vel agnitam non sine publica jactura tam diu continuerunt. Dicam tantùm, quod prætermitti non potest, horum Fragmentorum unicum exemplar Pithœum Lutetiæ anno salutis CIↃ IↃ XC. repertum habuisse. Non magis enim noster ille sedecim tyrannis oppressa urbe, quàm Socrates triginta suas

Athenas vexantibus, propositum vitæ decursum philosophando remque publicam juvando intermisit. Unicum, inquam, neque illud pervetus exemplar habuit, sed tantùm ab hinc centum annis in charta, manu gallica, nec latinam linguam satis percipiente, confusis dictionibus scriptum, quod prætrea etiam librorum Cassiani de Incarnatione Christi epitomen eadem manu scriptam contineret, illam fortasse quam Eucherium Lugdunensem episcopum confecisse testis est Gennadius. Inde spem conceperat & antiquum exemplar, unde recens illud exscriptum fuerat, aliunde recuperari posse: quæ causa fuit cur tam diu eorum editionem sustinuerit. In quo certè illi hoc felicissimè contigit, ut in publicandis duobus istis eximiis antiquitatis monumentis fato interceptus præclarè actam vitæ fabulam illustriore fine veluti Cygnea cantione concluderet. Quamvis sane difficillimum fuerit virum ingenii, animique bonis omnibus ornatissimum, qui semper illud antiqui poetæ sibi occinens, ἢ μήτε παυσαίμεθα εὐφρῶντες βροτούς, omne studium, laborem, industriam, omnesque cogitationes suas publicis utilitatibus devoverat, atque impendebat, non in Opere præclaro morte deprehendi.

Cassiani libri de Incarnatione.

39. De litterarum studiis tantùm non loquor, in quibus assiduè exquirendo, perscrutando bibliothecas, antiquorum auctorum scripta vel à mendis, vel ab interitu vindicata provulgando, vel alios quos in ea re aliquid posse judicabat exhortando, impellendo, atque etiam juvando, nullo tempore non aliquid movit ac promovit. Quamvis enim illa studia in nostro Pithœo summa fuerunt, doctrinæque laude præcipuè innotuit, ut qui ex primo, quem juvenis dedit, publicatis quibusdam divini sui ingenii experimentis, eruditionis abstrusæ atque reconditæ gustu inter litteratorum principes, vel suffragante invidia, ab iis qui tum in litteris regnabant recensitus fuerit: quam de se conceptam opinionem ad ultimum usque vitæ diem adauxit, sustinebitque quamdiu litteræ durabunt. Quantula tamen hæc laudis & gloriæ tanti viri est portio? Licèt enim nemo meliùs unum quempiam auctorem noverit, quàm ipse omnes antiquos utriusque linguæ scriptores, quos ad unum legerat, ad vetera contulerat exemplaria, & concoxerat: licèt nemo privata & domestica negotia exactiùs tenuerit, quàm ipse Gallicam externamque historiam, origines populorum, descriptiones temporum, successiones familiarum, bella, fœdera, conventiones, vel exterorum inter se vel nobiscum gesta, ad hæc etiam leges, mores, consuetudines provinciarum singularumve urbium, quarum omnium à teneris annis indefesso ac planè Herculeo labore sibi perfectam notitiam, cùm ex vulgatis libris, tum etiam ex bibliothecis antiquis, archivis regiis, senatûs, rationalium, urbium, monasteriorumque comparaverat; instrumentorumque ipsorum atque actorum bonam partem sua manu descripserat: in jure autem civili Romanorum licèt ad eum gradum pertigerit, ut de eo, celeberrimoque ejus præceptore Cujacio, dici jure possit, quod de magnis olim Oratoribus dictum est, hunc discipulo præripuisse ne primus Jurisconsultus esset, illum verò præceptori ne solus: licèt, inquam, ea omnia, quæ in quovis homine singula magnum virum & cum cura dicendum efficiant, in nostro Pithœo cumulata atque coacervata eumdem ad summam laudem & commendationem evehant: quantum tamen absunt ab illa sapientia, quam ingenii judiciique felicitate ex cognitione rerum, assidua lectione atque usu comparata, velut ex omnium antiquorum inventis qui sapientiæ commendatione floruerunt, conflatam sibi quæsiverat? Quantum ab illa civili prudentia, qua præditus velut ἀρισοτέχνας τις (ut cum Pindaro loquar) ἢ δημιουργὸς εὐνομίας ἢ δίκης, non solùm de rebus privatis & fori maxima cum facilitate atque æquitate respondere ac statuere, sed etiam de iis quæ ad summam rempub. spectant sapienter deliberare, consiliorum exitus prævidere, dubiisque ac periculosis eventis providè occurrere noverat. Quamvis enim naturali quadam propensione, corroborata sordidissimi inquinatissimique apud nos moris odio, magistratus non nisi per sordes ineundi, ab omni ambitione vitæque fulgore, nisi quem virtus emitteret, alienissimus vixerit, ita ut honores & magistratus, vel ultro delatos respuerit; juvandæ tamen patriæ desiderio, cujus amore mirum in modum exarsit, eos quos sua sors clavo reip. admoverat excitando, commonendo, suggerendo quæ vel ab antiquis paribus in negotiis probata fuerant, vel ipse (ut erat peracri solidissimoque judicio) quæ facienda judicabat, toto vitæ suæ curriculo privatus negotium publicum, & absque chlamyde vel prætextâ perpetuum magistratum gessit. Quantum denique ab illa morum integritate atque innocentia indeflexoque per omnes vitæ partes probitatis tenore, quibus virtutibus consecutus est, ut non solùm togatorum doctissimus, sed & prudentissimus jurisconsultus, civis optimus, ac planè vir bonus audiret, qualem vel fimbria noverat vel Socrates. Atque hæc etsi tibi æquè ac mihi notissima sint, eo tamen libentiùs commemoro, ut cùm non nisi jucundissima virtutum amicissimi viri recordatio esse queat, tum etiam in primis qui in supremum ejus elogium inciderint, quod inter defuncti schedia repertum amici publicarunt, tua fide & auctoritate adducti, qui eum ipsum pro summa inter vos amicitia, veterique consuetudine, mutua virtutum alterius admiratione contracta, intus (quod aiunt) & in cute noveras, persuasum sibi habeant pari modestia & veritate scriptum illud esse, qua vir modestissimus ab omni fuco ac vanitate quàm maxime alienus, & qui ἀρχὰν μεγάλας ἀρετᾶς ἀλήθειαν duceret, in reliquis rebus totâ vitâ usus est.

Pithœi elogium.

40. Sed vereor ne tamquam δρυὸς ἅλις ita etiam præfationis satis superque sit, præsertim apud te (vir maxime,) quem perspicaci clementissimi atque fortissimi Regis nostri judicio propter singularem prudentiam egregiumque erga se remque publicam studium, fidem, ac pietatem, olim propriam nostræ gentis, nunc verò magno nostro dedecore rarissimam laudem, componendis sedandisque magnatum nostrorum inquietibus animis delegatum atque occupatum, diutius publicis commoditatibus subtractum detinere sine scelere vel etiam impietate nequeam. Quapropter Deum optimum maximum precatus, ut te diutissime tuis, Senatui, laborantique Reipub. cujus ex destinis es, salvum & incolumem commodet. Finem hîc facio, meque tibi addictum, obstrictum quod facis ames etiam atque etiam rogo, vale. Ex Fossatensi castro, quod olim castrum Bagaudarum, non ignotæ Diocletiani temporibus factionis, dictum est.

Adagium.

FINIS.

SYLLABUS

MANUSCRIPTORUM, NECNON EDITORUM codicum, ad quos exacta & emendata sunt sancti Hilarii Opera.

TRACTATUS SUPER PSALMOS collati sunt cum MSS.

Vaticanis tribus,

uno Christinæ Suecorum reginæ, aliàs Monasterii S. Maximi Miciacensis juxta Aurelianos, omnes quotquot habemus Tractatus complectente, annorum circiter 800.

Regio uno optimæ notæ, plerosque Tractatus exhibente, scil. à 51. Psalmo usque ad 69. & à 119. usque ad 138. qui ante annos 800. exaratus fuit.

Turonensi uno, scil. Majoris monasterii, à docta manu ab annis circiter 700. descripto.

Regio altero, in quo non exstant nisi Tractatus Psal. 118. & 142. ann. plus minùs 600.

Albinensi, seu Abbatiæ S. Albini Andegavensis, eadem continente, & ætatis nonnihil recentioris.

Telleriano, qui olim S. Martini Tornacensis, nunc in bibliotheca illustrissimi Archiepiscopi Remensis asservatur. In hoc sola exstat Præfatio ab annis circiter 500. scripta.

ITEM CUM EDITIONIBUS,

Badii Ascensii vulgata Parisiis an. 1510.
Erasmi apud Frobenium, Basileæ an. 1523.
Martini Lypsii ibidem excusa an. 1550.
Parisiensi ann. 1605. & 1652.

Cùm autem ad easdem editiones recognita sint subsequentia Hilarii Opera, ipsarum deinceps recensionem prætermittemus.

Variantes lectiones è laudato ms. Turon. in Tractatus qui jam è prelo exierant, cùm ad nos missus est. Sapiunt hominem doctum & diligentem, qui quotquot offendit locos mendosos aut obscuros, eos sanare non sine industria curavit. Iis tamen sobriè utendum. Quæ asteriscum habent, videntur in textum referenda.

Pag. 74. *c.* bonitatem quidem tantùm (*pro* tantam) non amantes.

* 78. *d.* ad *moram famis, *meliùs quàm*, ad mortem famis.

80. *d.* in domo Dei diversari, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna, *&c. quæ lectio ex Tract. Psal.* 64. *n.* 6. *& Psal.* 131. *n.* 2. *confirmatur.*

84. *c.* & qui quia Deus sit: *accessione voculæ* qui *lectio clarior efficitur.*

85. *b. c.* per intelligentiam veri, *non* virum: *quæ lectio veri speciem habet, non veritatem.*

87. *c.* in aquæ contradictione, *non* in aquis contradictionis.

* 88. *e.* Sed * & sunt comedentes, *adjecto* &.

* 90. *b.* Namque * Deo magis, *non* nam ex Deo magis.

93. *b.* hoc est ergo exsultabit, *accessione verbi* est *aperta fit lectio. Mox* qua quis, *pro* quo quis.

95. *e.* usque ad mortem crucis, *non* usque ad crucem mortis. *Hæ tamen nominum inversiones Hilario non sunt inusitatæ.*

111. *a.* tutum fidumque, *pro* tutumque.

* 112. *e.* * significatæ sunt, *ubi obtinuit* significata sunt.

114. *a.* vel cùm hoc de impiis dicitur.

115. *c.* ad gratiam æternæ promissionis ituro. *& mox* ut quò in ira, *quemadmodum ex conjectura notavimus.*

Ibid. e. quòd nihil adversùm, *non* quòd aliquid adversùm. *Retinendum* aliquid, *si sic legeris*, non timere quòd aliquid *&c. Sed si particulam* quòd *cum proximis verbis* speque certissima *conjunxeris, revocandum* nihil.

118. *a. hujus ms. auctoritate jam licet revocare* mansuri.

Ibid. c. habitaculum scilicet corporis sui David qua nunc est clausus evadat. Et sperans.

119. *c.* dentes eorum scutum, *non* arma.

130. *c.* quæ impietatem, *sine* in: *cui lectioni favet hoc num.* 12. Illos interim... manet pœna; *sed refragatur illud lib.* 10. *de Trinit. n.* 13. ut in suspensam carnem dolor manserit.

133. *a.* sed conspersiones eorum, *pro* conspersione.

Ibid. c. saturabantur: *quod apud Bad. exstare notâ d. monuimus.*

135. *d.* gestorumque ordinem suscepta, *non* gestaque suscepta.

136. *b.* gloriam, *loco* gloriæ: *quæ lectio si sincera est, interpunctio sic erit mutanda;* tituli inscriptio pro his qui immutabuntur adscribitur, gloriam mortis ejus.... inscriptione testante.

137. *d.* susceptæ sanctificationis: *conjectura satis probabili, nisi ad verba*, dedisti metuentibus te significationem, *alludi manifestum esset.*

138. *b.* & ad dexteram Dei: *neque hæc lectio nostra præferenda est notâ i explicata.*

Ibid. *c.* Ephræm assumtio, *ut non semel legitur num.* 9. *non* fortitudo.

139. *c.* parte intra, *ubi ex aliis mss. repositum est*, partem intra.

140. *a.* id est * populus quem *&c.*

146. *b.* erudimur... firmamur, *pro* eruditur... firmatur.

152. *c.* * distinguantur, *ut ex conjectura ad marginem adscripsimus.*

153. *e.* quia per eam peccati lege resolutâ, cum demutationis gloriosæ profectu: *quæ lectio nitidior.*

155. *c.* Et quia (*non* qui) susceptus est.

157. *c.* nihilque in * eis aliud.

Ibid. d. cautè contuendum est: *non malè.*

159. *b.* & se, cùm in tribulatione sit, exaudiat: *minùs sincerè.*

177. *c.* genua dissoluta consolidamini: *quod verbum aptius videretur quàm* consolamini, *nisi in græco exstaret* παρακαλέσατε.

178. *a. ante* δυναστεία *præmittitur articulus* τῇ, *cui latinè ab eadem manu superscribitur* ti, *ut fit quoties occurrit vocabulum græcum. quod notamus, ut pronuntiatio tunc recepta non ignoretur.*

183. *a.* qui pro χειμάρροις, καιρικὰς transtulerunt. καιρικοὶ autem.

Ibid. b. μετὰ χειμάρρων.

Ibid. e. Propheta (*non* Prophetarum) ostenderat. *hanc lectionem confirmat initium num.* 22.

186. *d. verba græcè & latinè sic enuntiantur:* τοῦ γνῶναι (tu gnone) ἐν τῇ γῇ τὴν ὁδόν σου. (en ti gi tin odon su.) *quod alterum exemplum sit pronuntiationis olim usitatæ.*

191. *b. c.* cùm ad primam apostolicæ fidei doctrinam, post subjectas his spiritalis nequitiæ potestates excidisse de cælo: *quod quamdam veri speciem potiùs præ se fert, quàm veritatem.*

192. *c.* epulantium gaudii, *non* gaudia.

193. *c.* Parato itinere apud nos, id est: *& mox*, iturus

correctis

correctis æquatisque vitæ semitis in corda nostra descendat.

194. *a.* quæ legi sit mortua, ut Christo se postea sociaret. *Magis placet nostra lectio, quæ & sic potest reddi:* idque exemplum omne ad Ecclesiam aptavit, quæ legi mortua, Christo se postea sociatura esset.

196. *c.* Præparatam Dei hereditati: *neque hæc lectio nostræ præferenda.*

198. *d.* consistit, esse relata possit intelligi: *& mox,* discernit, *pro* discernet.

200. *a.* sinceroque lacte: *minùs sincerè. Hilario usitatum est* sinceris *in recto casu. Legit quoque Augustinus in Psal.* 91. *n.* 3. sinceres.

202. *b.* capta (*non* captiva) captivitate: *cui favet illud num.* 20. capiens captivitatem.

204. *b. verbis* qui omnia in omnibus est *inferiùs rejectis, habetur* collocatos, *loco* collocatus: *minùs bene.*

Ibid. d. quo antè detinebamur absolvens, *non* absorbens.

205. *b. additur* sed, *ante* eamdem intelligentiam.

Ibid. d. omittur & *post* potestate dominandi: *& mox verba*, secundùm illud Apostoli, Deus filium suum misit *&c. usque* condemnavit peccatum, *transponuntur post voces* proditionis peccant.

209. *b. abest* gerendorum *ante* operatus.

226. *a.* & delendi... non scribendique.

Ibid. f. in æternitate pœnæ.

233. *e.* nec quod aliunde expetat dereliquit.

COMMENTARIUS IN MATTHÆUM castigatus est ad mss.

Vindocinensem, ann. 600.
Carnutensem, nimirum è monasterio S. Petri in valle, ætatis non inferioris,
Michaëlinum, ann. non minùs 500.
Colbertinum, ætatis paulò recentioris,
Beccensem,
unum è Monasterio B. Mariæ de Silva-majori,
Miciacensem, è Bibliotheca Reginæ Suecorum nobis subministratum,
Vaticanum.

LIBRI DE TRINITATE RECOGNITI sunt ad mss.

Vaticanæ basilicæ, qui nimirum in Archivo basilicæ S. Petri de Urbe asservatur, sæculo sexto ineunte exaratus. Hujus exemplaris variæ lectiones primùm Latini Latinii, tum Petri Ciaconii, ac demum Johannis-Baptistæ Bandini recensione annotatæ ad nos missæ fuerunt.

Colbert. aliàs Abbatiæ S. Dionysii in Francia, omnium maximè sincerum; ideoque superiori æquandum, aut etiam anteponendum, annos circiter 1000. præ se ferentem.

Martinianum, scil. insignis ecclesiæ S. Martini Turon. superiori supparem, ne dicam antiquiorem. Hic codex sex tantùm posteriores libros, eosque non semper integros complectitur.

Carnutensis ecclesiæ, antiquitatis non longè remotioris,

Corbeiensem, nunc Germ. eum, uti videtur, quem Hincmarus à Felice Urgelitano, corrupto Aquisgranensis bibliothecæ præfecto, adulteratum conquestus est, annorum fere 900.

Colbert. alterum, aliàs Monasterii Floriac. quem usque ad lib. 8. ex laudato Carnutensis ecclesiæ codice descriptum observavimus, relictis lectionibus primæ manus, quoties occurrebant secundis curis annotatæ, ann. non minùs 700.

Remigianum ejusdem ætatis,
German. ann. circiter 700.
Colbert. alium ann. 600.
Faur. nunc illustrissimi Archiepiscopi Remensis, non longè inferioris ævi,
Vindocin. ann. 500. & ampliùs,
Pratellensem ætatis non remotioris,
Victorin. ann. ampliùs 400.
Colbert. ejusdem ævi, ex quo aut simili primùm vulgati sunt hi libri,
Remig. alterum circa idem tempus scriptum,
Theoderic.
Monasterii Silvæ-majoris.
Elnonensem, vulgò S. Amandi, nunc illustrissimi Archiepiscopi Remensis,
Cisterciensem,
Vaticanos tres,
Sorbonic. unum, ut & superiores ann. plus minus 400.
Sorbon. alterum ann. 300.

LIBER DE SYNODIS CASTIGATUS est ope mss.

Vaticanæ basilicæ,
Carnutensis,
Corbeiensis,
Germanensis,
Pratellensis,
Silvæ-majoris,
Faur.
Elnonensis,
Sorbonici,
Remigiani,
Theodericensis.
De quibus jam suprà actum ad libros de Trinitate.

Item duorum Colbertin. quos ibid. priore loco recensuimus: necnon tertii minùs antiqui,
Carnutensis alterius, recentioris ævi,
Michaelini an. ampliùs 400.
Demum unius è bibliotheca reginæ Christinæ.

EPISTOLAM AD ABRAM CUM hymno subsequente recensuimus ad mss.

Colbertinos tres,
German. unum,
Boherianum,
Vaticanum,
Ottobonianum.

LIBELLI DUO AD CONSTANTIUM collati sunt cum mss.

Vatic. bas.
Theoderic.
Remig.
Michaelin.
Sorbon.
Carnut.
Silv.
Elnon.

LIBER IN CONSTANTIUM exactus est

Ad octo prædictos mss. necnon ad unum Colbertinum probæ notæ ann. circiter 600. & ad alterum insignis ecclesiæ S. Martini Turon. ann. plus minùs 800.

LIBER ADVERSUS AUXENTIUM

Recognitus est & collatus cum iisdem mss. cum quibus collati sunt libelli ad Constantium, & præterea cum ms. Carnutensis ecclesiæ ann. circiter 900. & Colbertino ann. 700.

FRAGMENTA

Contulimus cum apographo quo usus est Nicolaus Faber, in Colbertina bibliotheca servato, necnon cum Pithœano exemplari quod v. c. Franciscus Desmarés nobis perhumanè commodavit.

APPENDIX.

Carmen in Genesim emendavimus ad mss. Laudunensis ecclesiæ, Victorinum, & Colbertinum.

INDEX VERBORUM SCRIPTURÆ, quæ in peregrinis locis explicantur.

Genesis.

CAP. I. 1. *In principio fecit Deus cælum*, 795. e. 1133. d
2. *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam*, 399. d
Ibid. *Et tenebræ erant super terram*, 1199. b
6. & 7. *Et dixit Deus, Fiat firmamentum... & fecit Deus*, 836. e. & seq. 857. a
14. *Et sint in signa & tempora & annos*, 1129. b
26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, 299. a. & seq. 361. a. 438. c. & seq. 822. a. 836. e. & seq. 858. c. & seq. 1176. a. 1252. d. 1361. f
27. *Et fecit Deus hominem: ad imaginem Dei fecit eum*, 838. e. 859. b
28. *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, 185. e
II. 7. *Et accepit Deus pulverem de terra, & finxit hominem*, 299. e. & seq.
Ibidem, *Et inspiravit in eum spiritum vitæ, & factus est homo in animam viventem*, 300. b
9. & 10. *Lignum etiam vitæ in medio paradisi* &c. 20. e. & seq.
23. *Hoc nunc os de ossibus meis*, 91. a
24. *Relinquet homo patrem* &c. 702. c
III 7. *Consuerunt folia ficûs* &c. 716. a. 732. d
9. *Vbi es, Adam?* 26. b
17. *Maledicta terra in operibus tuis*, 137. d. 188. a
IV. 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain* &c. 701. b
V. 3. *Et genuit secundùm effigiem & secundùm similitudinem suam*, 1191. b
26. *Et vixit Mathusalem* &c. 1190. b
VIII. 6. &c. *Dimisit corvum, qui non egrediebatur; & revertebatur*, &c. 580. f
IX. 6. *Ad imaginem Dei feci hominem*, 839. c
XI. 8. *Atque ita divisit eos Dominus* &c. 108. a
XVI. 10. *Dixit ei Angelus Domini, Multiplicans*, &c. 841. a. 860. f
13. *Et vocavit nomen Domini, qui loquebatur secum, Tu Deus*, &c. 841. b. 859. f
XVII. 19. *Et dixit Deus ad Abraham*, &c. 841. d
20. *Benedixi ei, & amplificabo eum*, 841. e. 843. c
XVIII. 1. *Apparuit autem ei Dominus*, 1137. a
2. & 3. *Et adoravit in terram, & dixit, Domine*, 843. e. 861. d. & seq.
14. *Numquid impossibile est à Deo verbum?* &c. 844. e. 862. a
21. *Descendam ergo, & videbo* &c. 1026. b
XIX. 1. *Et dixit, Ecce domini*, 844. d
24. *Dominus sulphur & ignem pluit à Domino*, 845. b. 862. a. 863. c. 1176. b. 1181. c
XXI. 1. *Et Dominus visitavit Saram*, &c. 844. a
2. *Et concepit & peperit... sicut locutus est illi Dominus*, 844. b
XXII. 12. *Nunc cognovi quia times Dominum* &c. 26. c. 1026. b
XXIV. 63. *Et egressus fuerat ad meditandum in agro* &c. 105. b
XXV. 32. & 33. *En morior, quid mihi proderunt primogenita?... Et vendidit primogenita*, 350. f
XXVII. 27. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni*, 388. e
36. *Justè vocatum est nomen ejus Jacob.* &c. 93. a
XXXII. 24. &c. *Et ecce vir luctabatur cum eo* &c. 845. f. 864. c
28. & 30. *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*, &c. 93. a
XXXIV. 6. *Et non cognovit homo sepulcrum ejus*, 1199. b
XXXV. 1. *Fac ibi altarium Deo, qui apparuit tibi* &c. 845. d. 865. c
XLVIII. 14. *Extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim* &c. 139. d
XLIX. 9. *Catulus leonis Juda, ex frutice filius meus* &c. 449. f
10. *Non deficiet princeps de Juda* &c. 140. b

Exodi.

CAP. III. 2. &c. *Apparuit autem illi Angelus Domini*, &c. 846. b. 866. b
3. *Transibo, & videbo visionem hanc*, 435. b
14. *Ego sum qui sum*, &c. 768. c
IV. 22. *Filius primogenitus meus Israel*, 1119. a
VII. 1. *Dedi te deum Pharaoni*, 921. b
VIII. 19. *Dixerunt ergo incantatores Pharaoni, Digitus Dei est hoc*, 485. d
XIV. 15. *Dixit autem Dominus ad Moysen, Quid proclamas ad me?* 353. a
22. &c. *Et ingressi sunt filii Israel* &c. 566. f. & seq.
XVII. 11. *Cúmque levaret Moyses manus, vincebat Israel* &c. 466. c
XXVII. 20. & 21. *Vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii*, 322. c
XXX. 12. *Dabunt singuli pretium pro animabus suis*, 696. c
XXXIII. 18. *Nemo hominum videbit faciem meam, & vivet*, 289. b

Levitici.

CAP. XXIII. 40. *Et salices de torrente*, 492. f

Numerorum.

CAP. IX. 12. *Os ejus non conteretur*, 91. a
XVI. 37. *Quoniam sanctificata sunt*, 226. c
XIX. 11. *Qui tetigerit cadaver hominis*, &c. 257. d. & seq.
XXV. 7. *Phinees filius Eleazar*, &c. 349. d

Deuteronomii.

CAP. VI. 4. *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est*, 836. a
X. 12. & 13. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus poscit à te, nisi ut timeas Dominum*, &c. 34. b. 85. c
XXIII. *Moabites etiam post decimam generationem [non] intrabunt ecclesiam Domini*, 140. c. not. h
XXVII. 26. *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis*, 100. d
XXXII. 8. & 9. *Cùm divisisset Excelsus gentes secundùm numerum angelorum Dei*, &c. 43. not. b. 146. f. 420. c. 554. d
15. *Incrassavit & calcitravit dilectus*, 119 d
21. *In gente stulta irritabo illos*, 872. b
39. *Videte quoniam ego sum Dominus, & non est Deus præter me*, 846. e. 850. e. 875. c. 876. c
Ibid. *Percutiam, & ego sanabo*, 226. d
43. *Lætamini cæli simul cum eo*, &c. 846. e. 867. d. 875. c. d
49. *Quia non glorificasti me in aquis contradictionis* &c. 87. c
XXXIII. 16. *Et quæ accepta sunt ei qui apparuit in rubo* &c. 847. b. 867. d

Josue.

CAP. X. 12. & 13. *Sol ne movearis*, &c. 485. d
14. *Vt sic exaudiret Dominus hominem*, &c. 485. e

I. Regum.

CAP. XVI. 11. *Est mihi modicus, quem dereliqui in pastorali*, 350. e
XXII. 9. *Doec præpositus erat mulorum Saül: qui ad Saül ait*, &c. 69. c. 70. a
18. & 19. *Et circumivit Doec Idumæus, & tetigit sacerdotes* &c. 70. e

II. Regum.

CAP. VII. 12. *Suscitabo semen tuum post te* &c. 136. d
XVIII. 5. *Parcite puero Abessalon*, 326. e

III. Regum.

XVII. 6. *Corvi quoque deferebant ei panem*, 581. a

IV. Regum.

CAP. VI. 17. &c. *Et oravit Eliseus ad Dominum, & dixit, Adaperi* &c. 499. c

II. Paralipomenon.

CAP. XXXII. 26. *Et cecidit Ezechias ab altitudine cordis sui*, 325. e

Tobiæ.

CAP. XII. 15. *Unus ex septem, qui adstamus ante Dominum*, 439. f

Job.

CAP. III. 3. *Pereat dies ille in quo natus sum*, &c. 375. b
VI. 4. *Sagitta enim Domini in corpore meo sunt* &c. 373. d
XIV. 4. *Quis enim gloriabitur castum se habere cor*, &c. 129. b
XXV. 4. *Aut quomodo sese emundabit natus ex muliere?* 1265. b
XXXVIII. 16. *In vestigiis maris ambulasti?* 217. c

Psalmorum.

PSAL. II. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, 130. c. 1094. a
IV. 8. *Multiplicati sunt in idipsum*, 389. a
V. 11. *Sepulcrum patens est guttur eorum*, 494. c
VI. 6. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* 81. d
VII. 12. &c. *Deus judex justus, fortis & magnanimus, numquid irascetur per singulos dies? Nisi conversi* &c. 35. e
14. *Sagittas suas arsuris operatus est*, 373. a. 421. e
IX. 5. *Constitue legislatorem super eos: sciant gentes quoniam homines sunt*, 319. c
XVII. 8. &c. *Et commota est & intremuit terra.. Adscendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exardescet*, 166. d
18. *Eripuit me de inimicis meis fortissimis*, 556. c
26. *Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris*, 381. a
35. *Qui doces manus meas in prælium* &c. 553. d. f
45. *Populus, quem non cognovi, servivit mihi*, 554. c. e
46. *Filii alieni*, 558. d
XVIII. 19. *Præceptum Domini lucidum*, 260. b
Ibid. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, 246. c
XXI. 7. *Ego autem sum vermis*, 1091. b

quæ in peregrinis locis explicantur.

15. *Effusus sum tamquam aqua, & dispersa sunt ossa mea. Factum est*, &c. 124. d. 540. c
22. *Libera me de ore leonis, & de manu canis*, 119. b. 131. a. 382. b
32. *Populo qui nascetur, quem fecit Dominus*, 1119. b
XXIII. 9. & 10. *Tollite portas principis vestri*, &c. 207. c
XXV. 6. *Lavabo inter innocentes manus meas*, 126. a
XXVI. 6. *Immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis*, 174. e
XXIX. 6. *Et ad matutinum lætitia*, 549. d
XXXI. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, 440. c
4. *In ærumnam incidi, dum configitur spina*, 125. c
XXXII. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt*, 1132. a
XXXIII. 16. *Oculi Domini*, 1117. b
17. *Vultus Dei super facientes mala*, 514. b
21. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur*, 91. b
XXXIV. 18. *In populo gravi laudabo te*, 389. c
XXXV. 7. *Judicia tua sicut abyssus multa*, 254. a
XXXVI. 36. *Transivi, & ecce non erat*, 435. c
XXXIX. 7. *Hostiam & oblationem noluisti: perfecisti autem mihi corpus*, 101. a
XL. 4. *Universum stratum suum versasti in infirmitate ejus*, 449. d
XLI. 4. *Effudi in me animam meam*, 149. b
8. *Omnia excelsa tua & fluctus tui super me transierunt*, 217. d
XLIV. 7. *Virga directionis, virga regni tui*, 46 b
8. *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis*, 462. a. 847. e. 1088. f. 1093. c. & seq.
Ibid. *Præ consortibus tuis*, 291. e
17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, 136. b
XLVI. 2. *Jubilate Deo in voce exsultationis*, 172. a
XLIX. 16. *Peccatori enim dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas?* 280. e
23. *Sacrificium laudis honorificabit me*, 154. c
L. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, 129. a. 366. e
9. *Adsperges me hyssopo, & mundabor*, 95 a
18. *Holocaustis non delectaberis*, 154. c
19. *Cor contribulatum & humiliatum Deus non spernet*, 46. d
20. *Et ædificentur muri Jerusalem*, 108. d
LII. 7. *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* 131. d
LIV. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo, & requiescam*, 328. b
24. *Deduces eos in puteum interitus*, 222. c
LVI. 11. *Et usque ad nubes veritas tua*, 579. c
LVII. 8. *Perierunt sicut aqua præterfluens*, 558. d
LXII. 4. *Melior est misericordia tua super vitam*, 81. a
LXIII. 8. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*, 557. f
LXIV. 3. *Exaudi orationem, ad te omnis caro veniet*, 140. e. not. i. 141. a
5. & 6. *Sanctum templum tuum*, &c. 417. b
7. *Præparans montes in virtute tua, accinctus potentiâ*, 557. c
LXVII. 17. *Ut quid suscepistis montes coagulatos*, 556. e
LXVIII. 3. *Veni in altitudinem maris*, 167. c. d
Ibid. *Infixus sum in limum profundi*, &c. 206. b
16. *Non me demergat tempestas aquæ*, &c 111. d
23. *Fiat mensa eorum*, &c. 428. c
LXXI. 5. *Et ante lunam generationes generationum*, 1129. d
Ibid. *Ante solem nomen ejus*, 1129. c
9. & 10. *In conspectu ejus procident Æthiopes*, &c. 850. b
LXXIII. 12. *Dominus... operatus est salutem in medio orbis terræ*, 476. b
LXXV. 3. *Et factus est in pace locus ejus*, 582. d
LXXVI. 17. *Viderunt te aquæ Deus*, &c. 399. e
LXXVII. 1. & 2. *Attendite popule meus in legem meam*, &c. 15. e
2. *Aperiam in parabolis os meum*, 470. e
LXXIX. 14. *Devastavit eam aper de silva*, &c. 209. f. 452. d
LXXXI. 6. *Ego dixi dii estis*, 921. c
LXXXIII. 2. & 3. *Quàm amabilia sunt tabernacula tua, Deus virtutum*, &c. 62. a
7. *Deposuerunt in valle plorationis*, 139. b. not. c
LXXXIV. 11. *Misericordia & veritas obviaverunt*, 119. b
LXXXVIII. 7. *Quis similis tibi in diis?* 131. d
28. *Et ego primogenitum ponam eum*, 232. e
20. & 21. *Posui adjutorium super potentem*, 232. d. 455. c
22. *Manus enim mea auxiliabitur ei*, 558. c
XC. 3. *Liberate vos ex laqueo venatorum, & à verbo conturbationis*, 328. a
15. *Cum ipso sum in tribulatione*, 530. d
XCI. 14. *Plantati in domo Domini, in atriis Dei nostri florient*, 466. a
XCIV. 11. *Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*, 236. b
XCV. 1. *Cantate Domino canticum novum*, 559. a
XCVII. 1. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit*, 559. c
Ibid. *Liberavit eum dextera ejus*, 559. d
XCVIII. 6. *Et Samuel inter eos invocantes nomen ejus*, 3. d
CIII. 4. *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem*, 860. a
25. *Mare hoc magnum*, 167. c. d
CIX. 1. *Dixit Dominus Domino meo, Sede* &c. 724. a
2. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum*, &c. 592. f
3. *Ex utero ante luciferum genui te*, 889. b. 1116. d
CXIII. 18. *Sed nos qui vivimus, benedicimus Dominum*, 154. b
CXIV. 7. &c. *Convertere anima mea in requiem*, &c. 577. d
CXV. 15. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, 153. e
18. & 19. *Vota mea Domino reddam*, &c. 146. b
CXVII. 20. *Hæc est porta Domini*, &c. 422. e
CXVIII. 70. *Coagulavit sicut lac cor eorum*, 200. b
CXX. 1. *Levavi oculos meos in montes*, 579. f
CXXVI. 1. *Nisi Dominus ædificaverit*, &c. 576. a
CXXXI. 4. *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem*, 267. d
13. *Elegit Dominus Sion, prælegit eam in habitationem sibi*, 385. b
CXXXVII. 8. *Opera manuum tuarum non omittas*, 1118. c
CXXXVIII. 7. &c. *Quò abibo à spiritu tuo* &c. 769. d
9. *Si sumsero pennas meas*, 106. c
CXL 2. *Elevatio manuum mearum*, &c. 466. e
CXLVIII. 4. *Aquæ quæ super cælos est, laudet Dominum*, 399. c
5. *Ipse dixit, & facta sunt*, 837. b

PROVERBIORUM.

CAP. I. 17. sec. LXX. *Non injustè tenduntur retia avibus*, 328. a. 400. e
II. 5. *Tunc intelliges timorem Domini*, 423. e
VIII. 22. *Dominus creavit me in initium viarum suarum*, 784. f. & seq. 1113. c. 1130. a. & seq. 1161. a.
25. & 26. *Priùs quàm terram faceret* &c. 1130. d
26. sec. LXX. *Deus fecit regiones & inhabitabilia* &c. 1131 b
30. *Ego eram apud eum disponens*, 487. e. 840. a
Ibid. *Mihi adgaudebat, cùm lætaretur opere perfecto*, 239. d. 840. a
IX. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum*, 511. d
XVII. 28. *Inintelligendo sapientiam interroganti sapientia deputatur*, 272. b
XVIII. 17. *Justus ipse sibi accusator est*, 483. e
20. 6. sec LXX. *Grande homo, & pretiosum vir misericors: virum verò fidelem opus est invenire*, 298. b
XXIII. 5. *Ne extendas te cùm sis pauper diviti*, &c. 515. b
XXXI. 10. *Uxorem virilem quis inveniet?* &c. 427. d

ECCLESIASTIS.

CAP. I. 18. *Qui apponit scientiam, apponit dolorem*, 419. b

CANTICORUM.

CAP. I. 2. *Unguentum exinanitum nomen tuum*, 463. a
5. *Nigra sum & formosa*, &c. 376. c
II. 5. *Vulnerata dilectionis ego sum*, 374. b

SAPIENTIÆ.

CAP. I. 7. *Spiritus Dei replevit orbem terrarum*, 487. b
XI. 5. *De magnitudine enim operum, & pulcritudine creaturarum*, &c. 770. a

ECCLESIASTICI.

CAP. I. 33. *Desiderasti sapientiam? Serva mandata*, &c 12. a
28. & 29. *Ori tuo fac ostium & seram*, &c. 536. c

ESAIÆ.

CAP. I. 2. *Filios genui*, 893. c. 1119. a
10. &c. *Audite verbum Domini principes Sodomorum... Quò mihi multitudinem, hostiarum*, &c 36. c
15. *Cùm extenderitis manus vestras ad me*, &c. 104. e. 535. e
II. 3. *Ex Sion exiet lex, & verbum Domini ex Jerusalem*, 91. f. 387. a
III. 16. *Alta cervice incedunt*, 433. a
V. 6. *Nubibus mandabo ne pluant*, 212. c
18. *Væ qui ligant peccata tamquam funem longum*, 291. f. 432. d
IX. 6. *Magni consilii angelus*, 841. c
X. 13. *Virtute faciam*, &c. 337. e
XI. 1. *Exiet virga de radice Jesse, & flos de radice ejus* &c. 46. b
XXVII. 1. *Perimet draconem qui in mari est*, 167. c
XXVIII. 16. *Ecce mitto in fundamenta Sion*, 403. b
XXIX. 11. & 12. *Et erunt vobis omnia verba hæc tamquam eloquia libri hujus signati*, &c. 4. c
13. *Populus hic labiis me honorat*, &c. 84. a. 95. b
XXXV. 1. &c. *Lætare desertum sitiens*, &c. 106. e
XXXVIII. 7. & 8. sec. LXX. *Ecce ego vertam umbram graduum, quos descendit decem gradus domus patris tui sol*, &c. 368. a
17. *Omnes gentes nihil sunt, & omnia quæ à malitia sunt, in nihilum æstimata sunt*, 263. e.
XL. 12. *Qui tenet cælum palmâ*, &c. 378. f. & seq.
31. *Pennigerabunt tamquam aquilæ*, 515. d
XLII. 1. *Ecce puer meus*, 223. b
XLIII. 10. *Ante me non est Deus alius, & post me non erit*, 848. d
26. *Confitere primùm peccata tua, ut justificeris*, 411. c
XLIV. 4. *Exorientur tamquam in medio*

aquæ fœnum, &c. 492. d
6. *Præter me non est Deus*, 1177. a. 1184. b
XLV. 11. sec. LXX. *Deus qui fecisti omnia quæ futura sunt*, 1132. c
11. usque 16. *Quoniam sic dicit Dominus* &c. 849. c. & seq.
XII. sec. LXX. *Ego manu mea firmavi cælum*, 299. b
14. & 15. *Quoniam in te est Deus* &c. 876. c. & seq.
XLVIII. 7. & 8. *Ne dicas de mandatis meis, quòd cognoveris ea*, &c. 320. b
XLIX. 2. *Et posuit me tamquam sagittam electam*, &c. 374. a. 421. d
LIII. 4. & 5. *Peccata nostra portat, & pro nobis dolet*, 226. f. 505. e. & seq. a. 744. d. 1066. b
8. *Generationem ejus quis enarrabit?* 1157. c
LIX. 20. *Veniet ex Sion qui liberabit & avertet impietates ab Jacob*, 132. d
LXI. 2. *Vocare annum Domini acceptum*, 170. f
LXIV. 4. *Nec oculi nostri viderunt Deum præter te*, 873. c
LXV. 1. & 2. *Palam apparui non interrogantibus me*, &c. 872. a
13. *Propterea sic dicit Dominus*, &c. 869. d
15. *Relinquetis enim vos nomen meum*, &c. 870. d
16. *Servientibus verò mihi vocabitur nomen novum*, 870. e
Ibid. *Jurans juravit in Deum verum*, 155. f
Ibid. *Benedicent Deum verum*, 868. c. & seq.
LXVI. 1. & 2. *Cælum mihi thronus est, terra autem scabellum*, &c. 768. f. & seq.

JEREMIÆ.

CAP. I. 5. *Priùs quàm te formarem in utero, novi te; & priùs quàm exires de vulva, sanctificavi te*, 375. c
6. *Qui es dominus Domine*, 831. d
13. *Vidi ollam succensam*, 140. d
VI. 16. *State in viis, & interrogate vias Domini æternales, & quærite quæ sit via bona*, 248. a. 424. f
VIII. 1. &c. *Surge & descende in domum figuli* &c. usque, *Et pænitebo de bonis quæ locutus sum facere illis*, 47. a. & seq.
XV. 1. *Nec si stet Moyses & Samuel*, 3. e
XVII. 16. *Diem hominis non concupivi*, 71. c
XX. 14. *Maledicta dies in qua genitus sum*, 375. b
XXIII. 5. *Suscitabo illis David regem, orientem*, &c. 445. e. & 446. b
22. ubi standum *in substantia Dei*, 770. d
23. *Deus appropians ego sum*, 355. d
XXX. 6. *Si peperit masculus*, 456. b

THRENORUM.

CAP. III. 27. *Bonum est juveni viro, cùm auferet jugum grave in juventute sua*, 251. e
Ibid. *Sedebit singulariter, & tacebit*, 252. a

BARUCH.

CAP. III. 36. &c. *Hic Deus noster est*, &c. 852. b

EZECHIELIS.

CAP. XXXIV. 23. *Et excitabo super eos pastorem unum altum, & pascet eos servus meus David*, 445. f

DANIELIS.

CAP. II. 34. & 35. *Abscissus est lapis de monte*, &c. 403. c
III. 22. & 23. *Viros illos, qui miserant* &c. 567. a
23. *Ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati*, 1064. c
VII. 10. *Sedes ejus flamma ignis ardens*, &c. 201. b
XIII. 56. *Semen Chanaan & non Juda*, 92. b

OSEÆ.

CAP. I. 7. *Salvos eos faciam in Domino Deo ipsorum*, 849. a
X. 12. *Serite in justitia vosmetipsos, & metite vos in fructu vitæ, & illuminate vos*, 244. d
XIII. 4. *Firmans cælum & creans terram*, &c. 1114. c. 1117. b

AMOS.

CAP. VIII. 11. *Ecce induco famem super terram*, &c. 574. a
IX. 11. *Elevabo tabernaculum David quod cecidit*, 76. b

JONÆ.

CAP. II. 3. *Exaudivit de ventre inferorum clamores meos*, 217. a
4. *Omnes suspensiones tuæ & fluctus tui super me transibant*, 217. d

MALACHIÆ.

CAP. III. 6. *Non demutor*, 1109. e

II. MACHABÆORUM.

CAP. VI. 20. *Rogabant afferri carnes*, 479. b
VII. 9. *Tu quidem iniquus*, &c. 1241. c
16. & 17. *Potestatem inter homines*, &c. 1241. d
31. &c. *Tu verò, qui inventor* &c. 1242. a

MATTHÆI.

CAP. I. 21. *Cognominabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis*, 82. b. 186. f
II. 6. *Et tu Bethlehem Juda non es minima*, &c. 452. c
11. *Et procidentes adoraverunt eum*, 802. a
III. 6. *Confitentes peccata sua*, 497. e
7. *Natio viperarum, quis monstravit vobis fugere à futura ira?* 35. c
11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu-sancto & igni*, 258. c
17. *Hic est filius meus dilectus*, 893. b. & seq. 961. e. 996. d. 1244. b
IV. 1. &c. *Ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur*, &c. 220. c
V. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam* &c. 1000. c
4. *quoniam ipsi hereditabunt terram*, 583. a
14. *Vos estis lumen mundi*. 187. a
15. *Nemo lucernam accendit, & ponit eam sub modio*, &c. 322. b
16. *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona*, &c. 175. a
35. *Neque per Jerosolymam, quia civitas est regis magni*, 384. e
44. *Diligite inimicos vestros*, 329. f. 525. b
45. *Estote boni sicut Pater vester*, &c. 293. d
VI. 9. & 10. *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum* &c. 477. e. & seq. a
10. *Adveniat regnum tuum*, 374. e
13. *Non derelinquas nos in tentatione quam ferre non possimus*, 250. c. 744. b
17. *Vngite caput vestrum, & faciem vestram lavate*, 538. d
22. *Lucerna corporis tui est oculus tuus*, 322. d
23. *Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt*, &c. 322. c
33. *Quærite primùm regnum*, &c. 111. b
VII. 21. *Non omnis qui dicit mihi Domine*, &c. 1244. a
23. *Et tunc jurabo, quia non novi vos*, &c. 1027. a
VIII. 22. *Sinite mortuos sepelire mortuos suos*, 194. e
X. 15. *Tolerabilius erit terræ Sodomorum*, &c. 226. b
16. *Estote prudentes ut sunt serpentes, & simplices ut columbæ*, 1165. a
22. *Beatus qui permanserit usque in finem*. 1098. e
23. *Non consummabitis civitates Israel, donec veniat filius hominis*, 418. a
27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*, &c. 179. f
28. *Nolite timere eos qui possunt corpus occidere*, 89. d
32. & 33. *Qui confitebitur me coram hominibus*, &c. 985. c
33. *Qui autem negaverit me*, 880. a
34. *Non veni pacem mittere in terram, sed divisionem*, 139. a. b
XI. 12. *A diebus autem Johannis regnum cælorum vim patitur*, &c. 51. d
25. *Confitebor tibi Pater*, &c. 497. e
Ibid. *Nemo novit Filium nisi Pater*, &c. 792. b. 793. e. 794. c
27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo novit Filium*, &c. 544. f. 895. e
29. *Discite à me quoniam mitis sum & humilis corde*, 324. a
XII. 24. *Aut facite arborem bonam & fructus ejus bonos, aut facite arborem malam*, &c. 21. c
28. *Si autem in Spiritu Dei ego ejicio dæmonia*, 961. a. 962. a
41. & 42. *Viri Ninivitæ surgent in judicio, & judicabunt generationem hanc*, &c. 50. c. 387. e
XIII. 17. *Amen dico vobis, multi prophetæ & justi cupierunt videre*, &c. 305. e. & seq. a
XIV. 17. &c. *Non habemus nisi quinque panes* &c. 810. d. 817. b
20. *Manducaverunt omnes*, &c. 901. c
33. *Verè filius Dei est*, 912. f
XVI. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi*, 800. a. 903. a
17. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis* &c. 903. a
18. & 19. *Et ego dico tibi quia tu es Petrus*, &c, 903. e. 904. a
22. & 23. *Propitius tibi Domine* &c. 905. a
23. *Vade post me satana*, &c. 447. c. 1055. a.
XVII. 2. *Transfiguratus est ante eos*, 1103. c
5. *Hic est filius meus dilectus in quo complacui, hunc audite*, 894. b. 895. c. 1119. a
XVIII. 8. *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te*, &c. 346. e
XIX. 28. *In regeneratione* &c. 144. c
29. *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*, 287. e. 288. b
3. &c. *Et egressus circa horam tertiam*, &c. 441. d. & seq.
XXII. 14. *Multi enim sunt vocati, sed pauci electi*, 164. c
32. *Ego sum Deus Abraham*. . *Non est Deus mortuorum, sed vivorum*, 77. c. e. 484. b. 500. a
XXIII. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi*, 28. b. 507. c
14. *Comedentes domos viduarum, & longa oratione orantes*, 89. a
37. *Quotiens volui congregare filios tuos*, 509. e
XXIV. 17. *Et qui super tectum est, non descendat* &c. 434. c
27. *ita erit adventus filii hominis*, 474. e
XXV. 12. *Amen dico vobis, quia nescio vos*, 1027. c
29. *Omni habenti dabitur, & abundabit*, &c. 252. d
XXVI. 12. *Hæc enim mittens unguentum*, &c. 1074. b
38. *Tristis est anima mea usque ad mortem*, 545. c. 782. b. 1041. c. 1059. a
39. *Pater meus si possibile est, transeat*, &c. 782. c. 1059. d. 1061. b
40. & 41. *Et venit ad discipulos suos*, &c. 1060. b
53. *Plus quàm duodecim millia legionum Angelorum*, 94. b. 105. c
63. *Si tu es Christus filius Dei*. . *Tu dixisti*, 39. c
64. *A modò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*, 39. d. 40. d
XXVII. 11. *Tu es rex Judæorum?* . . *Tu dixisti*, 39. b

46. Deus

46. *Deus meus, quare me dereliquisti?* 544. e. 1041. d. 1056. d. 1068. a. 1069. a. 1074. d. & seq.
52. *Et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt*, &c. 40. b. not. d
XXVIII. 18. *Data est mihi omnis potestas*, 42. d. 177. d. e
19. & 20. *Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes* &c. 787. a. 790. d
26. *Ecce ego vobiscum sum*, &c. 405. a

MARCI.

CAP. II. 22. *Nemo mittit vinum novum in utres veteres*, 306. b
X. 17. *Magister bone, quid boni faciam?* 994. c
18. & 19. *Quid me dicis bonum?* &c. 984. c. 994. a
21. *Habebis thesaurum in cælo*, &c. 995. a
XII. 29. &c. *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est*, &c. 995. d. 1001. c
32. & 33. *Bene dixisti magister*, &c. 999. f
34. *Non es longè à regno Dei*, 1000. b
35. &c. *Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David?* &c. 1001. a
XIII. 32. *De die autem illa & hora nemo scit*, &c. 781. d. 984. d. 1022. e
XIV. 36. *Abba pater, possibilia tibi omnia sunt*, &c. 1056. b
61. *Tu es Christus filius Benedicti*, 912. a

LUCÆ.

CAP. I. 35. *Spiritus-sanctus de super veniet in te*, &c. 801. b
II. 35. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, 261. a
III. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei*, 114. a
IV. 5. & 6. *Et duxit illum diabolus in montem altissimum, & ostendit illi omnia regna* &c. 49. b
18. &c. *Spiritus Domini super me*, &c. 92. e
21. *Quia hodie impleta est prophetia hæc*, 92. c. 961. a
VIII. 28. *Quid mihi & tibi est Iesu fili Dei altissimi?* 911. e
IX. 62. *Nemo retrò respiciens aratrum tenens aptus est regno cælorum*, 392. d
X. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes* &c. 307. b
20. *Nomina vestra scripta sunt in cælo*, 227. d
XI. 3. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, 1367. c
9. *Petite, & dabitur vobis*, &c. 786. a
13. *Si ergo vos cùm sitis mali*, 331. e
52. *Væ vobis legis doctores, qui abstulistis clavem scientiæ*, &c. 4. e
XII. 35. *& lucernæ vestræ ardentes*, 322. c
42. *& dividet eum*, 139. a
49. *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, si jam accensus est?* 373. e
50. *Adhuc habeo alio baptismo baptizari*, 258. c
52. *Erunt enim ex hoc quinque in una domo* &c. 659. b
XIII. 16. *Abrahæ filiam septem & decem annis ligatam*, 194. d
XIV. 26. *Si quis venit ad me, & non oderit patrem suum* &c. 330. a
XV. 22. *Peccavi, pater in cælum*, 334. c
XVI. 25. *Fili recordare quia recepisti bona* &c. 396. a
XVII. 21. *Regnum Dei intra vos est*, 49. c
XVIII. 8. *Cùm venerit filius hominis, putatis inveniet fidem super terram?* 64. e. 131. e
11. &c. *Gratias tibi ago Domine* &c. 66. a
Ibid. *Quia non sum sicut peccator iste*, 262. b
19. *Nemo est bonus nisi unus Deus*, 781. a
XIX. 41. *Flevit super illam*, 1071. d
XXII. 26. *Qui vult ex vobis esse major, fiat omnium minimus*, 358. d
32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficeret fides tua*, 1060. e
36. *Emat gladium*, 1199. c
43. & 44. *Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum* &c. 1061. d. & seq.
51. *Cùm tetigisset auriculam ejus, sanavit eum*, 1055. c
XXIII. 31. *Si in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* 21. d
42. *Memento mei Domine*, &c. 183. c
43. *Hodie mecum eris in paradiso*, 544. d. 1057. c. 1074. d
46. *Pater, commendo in manus tuas spiritum meum*, 782. d. 1041. d. 1057. d. 1074. d
XXIV. 18. *Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti*, &c. 221. a

JOHANNIS.

CAP. I. 1. *Deus erat Verbum*, 920. e. 922. c
1. usque 5. *In principio erat Verbum* usque *& tenebræ eam non comprehenderunt*, 795. e. & seqq.
1. usque ad 14. *In principio erat Verbum*, usque *plenum gratiâ & veritate*, 771. b
3. *Omnia per ipsum facta sunt*, 837. a
14. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, 1091. e. 1176. a. 1180. c
18. *Deum nemo vidit umquam*, 852. c. 873. d
Ibid. *nisi unigenitus filius qui est in sinu Patris*, 905. e
II. 1. &c. *Nuptiæ factæ sunt in Galilæa*, 810. b. 817. b
9. *Aquam vinum factam*, 901. b
16. *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, 349. b
III. 8. *Spiritus ubi vult spirat*, 1143. a
13. *Nemo adscendit in cælum, nisi qui descendit de cælo* &c. 32. c. 514. c. 1045. c
16. *Sic enim dilexit mundum Deus, ita ut filium suum unigenitum daret*, 906. b. & seq.
18. & 19. *Qui credit in me, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est. Hoc est autem judicium*, &c. 24. c. & 126. c
19. *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum*, &c. 25. c
IV. 20. &c. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*, &c. 804. a
24. *Deus spiritus est*, 437. e. 803. d
V. 8. *Surge, tolle grabatum tuum*, 237. f
11. *Qui me fecit sanum* &c. 238. a
17. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor*, 237. c. 238. b. f. 1013. b. & seq.
18. *Propter hoc magis quærebant eum Judæi interficere*, &c. 238. b. 924. f. & seq. 1013. f. 1251. c. 1253. d
Ibid. *Æqualem se faciens Deo*, 1191. d
19. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi* &c. 238. c. 781. c. 926. b. 1012. d. & seqq. 1089. c. 1192. c. 1251. c. 1253. b
Ibid. *Omnia enim quæcumque facit Pater*, &c. 97. c. 926. f. 927. c. 1162. c
20. *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei*, 238. e. 927. b
21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, sic* &c. 927. e. 1017. a
22. *Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*, 150. c. 928. c
22. & 23. *Judicium omne dedit Filio, ut omnes* &c. 1089. d
23. *Ut omnes honorificent Filium*, &c. 998. e. 1116. b
Ibid. *Qui non honorificat Filium*, &c. 52. b. 1014. f
25. *Venit hora, & nunc est, in qua audient mortui vocem filii Dei*, &c. 211. e
26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso*, &c. 239. c. 935. d. 973. c. 1159. b. 1160. b. 1162. c. f
35. *Ille erat lucerna ardens & lucens, & vos* &c. 322. e. 459. c
36. &c. *Ego autem habeo testimonium majus Iohanne* &c. 996. c
36. & 37. *Opera enim quæ dedit mihi Pater* &c. 896. b
37. & 38. *Et qui misit me Pater, ipse testificatus est de me*, &c. 896. d
40. &c. *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis* &c. 997. e
46. *Si crederetis Moysi* &c. 867. a
VI. 27. &c. *Operamini escam, non quæ interit*, &c. 972. d. & seq.
37. & 38. *Omne quod dat mihi Pater*, &c. 1016. c
38. *Non veni voluntatem meam facere*, &c. 238. d. 530. f. 812. b. 1033. c
41. *Ego sum panis vivus de cælo*, 425. e
44. *Nemo venit ad me, nisi* &c. 1101. a
45. &c. *Omnis, qui audit à Patre*, &c. 1016. d
51. & 52. *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*, &c. 1047. b
54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, &c. 1047. c
56. *Caro mea verè est esca*, &c. 955. c
57. *Ego vivo propter Patrem*, 1159. b
Ibid. *Qui edit carnem meam*, &c. 956. a. 957. a
58. *Sicut misit me vivens Pater*, &c. 957. a
71. *Ecce ex vobis unus est satanas*, 547. b
VIII. 28. & 29. *Et à me facio nihil*, &c. 1015. d
42. *Si Deus pater vester esset*, &c. 899. a
56. *Abraham pater vester latabatur ut videret diem meum: vidit*, 843. e
IX. 3. *Sed ut manifestentur opera Dei* &c. 629. a
31. *Scimus enim quia peccatores Deus non audit*, 89. b
35. &c. *Tu credis in filium Dei?* &c. 911. b
X. 17. & 18. *Ego pono animam meam* &c. 1073. b
18. *Potestatem habeo ponendi eam* &c. *hoc mandatum accepi à Patre*, 992. b
28. *Nec quisquam rapiet eas de manu mea*, 930. d. & seq. a
29. *Pater quod dedit mihi, majus est omnibus*, 930. d
30. *Ego & Pater unum sumus*, 512. b. 821. d. 918. c. 919. b. 931. a. & seq. 933. b. 950. d. 983. a. 1019. f. 1039. d. 1251. e. 1354. c.
31. *Tulerunt igitur lapides Iudæi*, &c. 931. d
33. *Cùm sis homo, facis te Deum*, 931. f
34. &c. *Nonne scriptum est in lege, Quoniam ego dixi dii estis*, &c. 932. c
36. *Dicitis quia blasphemavi, quoniam dixi, Filius Dei sum*, 937. d
37. *Si non facio opera Patris, nolite credere mihi*, 934. a
38. *Vel operibus meis credite, quia ego in Patre*, 1252. a
Ibid. *Pater enim in me, & ego in Patre*. 391. c. 809. c. 935. a. & seq. 937. d. & seq.
XI. 4. *Sed pro gloria Dei est*, &c. 999. b
27. *Utique Domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei*, 910. f
35. *Et lacrymatus est Iesus*, 220. f. 1072. b
44. *Et statim prodiit qui fuerat mortuus*, 901. c
XII. 41. *Hæc autem dixit Esaias quando vidit honorem ejus*, 873. d
XIII. 13. *Vos me vocatis magistrum*, &c. 995. c
27. *Fac quod facis*, 234. c. 745. c. d
31. & 32. *Nunc honorificatus est filius hominis*, &c. 1009. d. & seqq. 1056. a. 1105. d. & seq.
XIV. 1. *Credite in Deum, & in me credite*, 995. f
2. *In regno Patris mei mansiones multæ sunt*, 164. d
6. *Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me*, 939. b. 1101. b
7. *Si scitis me, & patrem meum scitis*, &c. 939. d
8. & 9. *Domine ostende nobis Patrem*, &c. 940. d
9. *Qui me vidit, vidit & Patrem*, 918. b. 941. c. 1019. a. 1029. e. & seq.
10. *Non creditis, quoniam ego in Patre, & Pater in me?* 942. d

Ibid. *Verba, quæ ego loquor vobis, non à me loquor,* &c. 943. c. 1089. c
11. & 12. *Credite mihi quoniam ego in Patre, & Pater in me,* &c. 807. b. 821, d. 944. a. 1019. b
16. *Mittet vobis & alium consolatorem,* 379. f. 410. b.
20. *Ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis,* 956. b
23. *Ad eum veniemus,* 963. a
Ibid. *Mansionem apud eum faciemus,* 449. a
28. *Pater major me est,* 512. c. d. 894. c. 1018. a. 1354. d
30. *Ecce veniet princeps mundi, & in me non inveniet quidquam,* 129. c. 1021. a
XV. 1. &c. *Ego sum vitis vera, vos palmites,* &c. 76. c. 1021. b
23. *Qui me odit, & patrem meum odit,* 899. d
26. *Cùm venerit advocatus ille,* &c. 958. c
XVI. 14. & 15. *De meo accipiet, & annuntiabit vobis,* &c. 959. c
15. *Omnia, quæ Patris sunt, mea sunt,* &c. 1004. b. d. 1032. c. 1033. a
26. & 27. *Non dicam vobis quoniam ego rogabo Patrem* &c. 899. f
27. & 28. *Vos me amatis, & creditis quoniam à Deo exivi* &c. 1002. f
28. *Ex Patre exivi, & veni,* 888. b. e. 889. c. 900. a. 902. a
29. *Dicunt ei discipuli* &c. *In hoc credimus quia à Deo existi,* 901. a. 902. a
30. & 31. *Nunc ergo scimus quia nosti omnia,* &c. 1002. c
32. *Sed non sum solus* &c. 516. c. 1003. a
33. *Animæqui estote, quia vici ego mundum,* 1003. c
XVII. 1. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum,* 812. c. & seq. 1003. d
2. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis,* &c. 43. a. 814. d
3. *Hæc est autem vita æterna,* &c. 314. d. & seq. 781. b. 1002. b. 1004. c. 1005. a. 1012. b
4. *Ego te clarificavi super terram* &c. 815. e. & seq.
5. *Pater glorifica me* &c. 41. a. 510. a. 516. a. 1008. c. 1040. d
6. *Pater manifestavi nomen tuum,* 150. b. 500. b. 820. a. 821. b
11. & 12. *Pater sancte, conserva eos in nomine tuo* &c. 1062. e. & seq.
21. *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me,* &c. 212. f. 951. a. 952. d. & seq.
22. *Et ego honorem, quem dedisti mihi, dedi eis,* 953. d
23. *Ego in his, & tu in me* &c. 954. d
24. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, ibi & illi sint mecum,* 164. e. 212. f. 1017. c. 1033. d
XVIII. 9. *Non perdidi ex eis neminem,* 1063. c
11. *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* 447. d
XIX. 7. *Secundùm legem debet mori, quoniam filium Dei se fecit,* 912. c
15. *Non habemus regem nisi Cæsarem,* 558. c
26. & 27. *Mulier ecce filius tuus,* &c. 612. d. 675. b
30. *Consummatum est,* 447. e. 531. b. 1082. a
Ibid. *Inclinato capite tradidit spiritum,* 1042. d
XIX. 34. *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit,* 561. a
XX. 17. *Adscendo ad Patrem meum* &c. 783. c. 1086. c. 1088. d. 1090. d
25. *Nisi videro in manibus ejus figuram clavorum,* 818. b
26. *Venit Iesus januis clausis, & stetit in medio,* 818. d
28. *Dominus meus & Deus meus,* 922. d
29. *Quia vidisti, credidisti,* 923. b
31. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quoniam Iesus est Christus filius Dei,* 907. a
XXI. 17. *Petre amas me?* 904. b

ACTORUM.

CAP. I. 7. *Non est vestrûm scire tempora,* &c. 1034. a
20. *Scriptum est in libro psalmorum,* 2. a
II. 5. *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi. . ab omni gente,* 30. d
III. 6. *Aurum & argentum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do,* 287. d. e
IV. 32. *Multitudinis autem credentium erat anima & cor unum,* 450. c. 951. c
VII. 55. *Ecce video cælos apertos,* 130. a
VIII. 36. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* 211. a
XIII. 22. *Secundùm cor meum,* 1117. b
XVII. 28. *Ipsius genus sumus,* 203. c. 204. a
Ibid. *In ipso vivimus, movemur, & sumus,* 487. b

AD ROMANOS.

CAP. I. 2. &c. *Quod antè promisit,* &c. 933. a
II. 12. *Qui enim iniquè peccaverunt, iniquè peribunt,* &c. 440. c
Ibid. *Qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur,* 478. d
16. *Iudicabit Deus occulta hominum,* 123. b
V. 10. *Liberabimur ab ira per illum,* 35. d
18. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem,* &c. 137. c
VI. 10. & 11. *Quòd enim mortuus est peccato,* &c. 292. c
1. &c. *An ignoratis fratres, quoniam lex dominatur homini* &c. 458. a
VII. 22 & 23. *Condelector enim lege Dei secundùm interiorem hominem* &c. 439. a
VIII. 3. *Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati,* 1054. a. 1253. b. 1368. a
Ibid. *De peccato condemnavit peccatum in carne,* 218. d. f
4. *Non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum,* 152. b
9. &c. *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu* &c. 960. b
14. & 15. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei,* 909. b
VIII. 19. &c. *Etenim exspectatio creaturæ revelationem* &c. 586. b. 588. a. 1115. b
Ibid. *Spiritus pro nobis postulat,* 150. c
26. *Quòd enim, quid oremus qualiter oporteat, nescimus,* 96. d
32. *Qui filio suo dilecto non pepercit,* 226. e. 909. d
33. & 34 *Deus est qui justificat: quis est qui condemnat?* &c. 1077. a
IX. 5. *Qui est super omnia Deus,* 970. a
11. *Cùm enim nondum nati fuissent* &c. 123. d
X. 6. & 7. *Ne dixeris in corde tuo* &c. 1079. a
8. &c. *Iuxtà est verbum tuum in ore tuo & in corde tuo* &c. 1080. b
XI. 7. *Non potestis mensæ Domini participes esse,* 224. c
26. *Quod Israel est reliquum salvabitur,* 133. a. b. 141. b
28. *Secundùm Evangelium quidem inimici,* 1102. a
Ibid. *Inimici quidem propter nos, sed dilecti propter patres,* 132. d. 133. a
33. &c. *O profundum divitiarum* &c. 1108. b
Ibid. *Quàm sunt inscrutabilia judicia ejus,* 436. e
35. & 36. *Quis enim prior dedit,* &c. 1109. b
36. *Omnia ex ipso, & per ipsum, & in ipso,* 203. e. & seq. a
XII. 13. *Memoriis sanctorum communicantes,* 1257. c
18. *Si possibile est, ex vobis ad omnes pacem habentes,* 461. d
XIV. 12. *Et erit radix Iesse* &c. 879. d

I. AD CORINTHIOS.

CAP. I. 2. *Vocatis, sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini,* 480. b
17. usque 26. *Non enim misit me Christus baptizare,* 822. e
20. *Ubi sapiens?* 795. b
23. & 24, *Nos autem prædicamus Christum crucifixum,* &c. 202. f
24. *Christum Dei sapientiam & Dei virtutem,* 665. c. & seq.
27. *Stulta mundi elegit Deus,* 812. f
II. 2. *Non enim judicavi me quidquam scire,* &c. 1076. e
7. & 8. *Sed loquimur Dei sapientiam, quæ in sacramento absconsa est,* &c. 1076. d. & seq.
9. *Quæ oculus non vidit,* &c. 584. c
10. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei,* 1142. b
10. & 11. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum,* 1029. d
12. *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum* &c. 806. d
14. & 15. *Animalis homo* &c. *Qui autem spiritalis est,* 64. a
III. 3. *Nonne estis carnales?* 114. a
8. *Qui plantat autem, & qui rigat, unum sunt,* 950. c. 952. b
16. *Spiritus Dei habitat in vobis,* 449. a
IV. 8. *Iam sine nobis regnatis,* 282. c. 485. a
21. *In virga veniam ad vos, an in caritate?* 45. c
V. 5. *Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis* &c. 137. b
VI. 2. *An nescitis quia sancti mundum judicabunt?* &c. 50. c
17. *Adhærenti Deo unus est spiritus,* 155. b
VII. 27. *Solutus es ab uxore? noli quærere ligationem,* 406. c
VIII. 5. & 6. *Etsi sunt qui dicuntur dii sive in cælo, sive in terra,* 471. f. 484. d
6. *Unus Deus ex quo omnia,* &c. 150. b. 471. d. 836. d. 967. e. & seq. 970. b
23. & 24. *Nos autem prædicamus Christum Iesum crucifixum,* 1076. c
X. 1. &c. *Patres nostri sub nube fuerunt, & in Moysen in mari baptizati* &c. 195. b. 474. c
32. & 33. *Sine offensione estote Iudæis & Græcis* &c. 90. c
XII. 3. *Nemo in Spiritu Dei dicit anathema Iesum,* 963. c
Ibid. *Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu-sancto,* 963. d
4. &c. *Divisiones autem donorum sunt* &c. 964. a. 967. a
7. *Unicuique data est demonstratio Spiritûs ad utilitatem,* 325. c
8. &c. *Huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ,* &c. 165. b. 964. c
11. *Hæc autem omnia operatur unus & idem Spiritus,* 965. d
12. *Sicut enim corpus unum est* &c. 966. d
27. & 28. *Vos estis corpus Christi* &c. 967. b
XIII. 8. *Caritas numquam excidit,* &c. 1279. a
13. *Manet autem fidei, spes, caritas,* 1279. a. & seq.
XIV. 32 *Spiritus prophetarum prophetis subjectus est,* 1196. a
38. & 39. *Cognoscat quæ scribo vobis. . Si quis autem non cognoscit, non cognoscetur,* 26. a
XV. 3. & 4. *Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas,* 1078. b
20. *Christus resurrexit à mortuis,* &c. 1104. c
21. &c. *Quoniam enim per hominem mors,* &c. 1096. b
22. &c. *Quomodo enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificantur,* &c. 54. f. & seq.
24. &c. *Cùm tradet regnum Deo patri* &c. 590. b. 1104. a
25. *Illum oportet regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis,* &c. 144. a
26. *Novissimè devicta est ab eo mors,* 1102. c
26. &c. *Cùm autem dixerit, omnia subjecta sunt,* &c. 1086. f. 1103. a
28. *ut sit Deus omnia in omnibus,* 1104. c. 1107. c

42. &c. *Seminatur in corruptela, resurget in incorruptione,* 48. c
47. *Secundus homo de cælo,* 1046. c
48. *Qualis cælestis, tales & cælestes,* 392. a
53. *Absorpta est mors in contentionem victoria,* 141. f

II. AD CORINTHIOS.

CAP. III. 17. *Ubi fides est, ibi & libertas est,* 1282. d
Ibid. *Dominus Spiritus est: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas est,* 805. b
V. 8. *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore,* 168. d
10. *Unusquisque sive bona sive mala percipiet in carne,* 125. d
18. & 19. *Omnia autem à Deo, qui reconciliavit nos &c.* 978. a
20. *Eum, qui non cognovit peccatum, pro nobis peccatum fecit,* 1066. e
VI. 2. *Ecce nunc tempus bene acceptabile,* 340. d
16. *Et inhabitabo in eis, & inambulabo, & ego ero illorum Deus,* 288. c. d
VIII. 9. *Paupertavit se,* 532. f
XII. 7. & 8. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est &c.* 262. c
XIII. 3. *qui in me loquitur Christus,* 1290. b
4. *Crucifixus ex infirmitate, resurrexit ex virtute,* 96. b. 1077. e

AD EPHESIOS.

CAP. I. 3. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo,* 186. a
4. *In quo & elegit nos ante mundi constitutionem,* 143 b
9. *Quod proposuit in ipso in dispensationem plenitudinis temporum,* 22. a
17. *Ut Deus Domini nostri Iesu Christi,* 1092. e
19. &c. *Secundùm operationem potentiæ &c.* 1100. c
II. 2. *Qui nunc operatur in filiis inobedientiæ,* 431. a
17. *Evangelizavit pacem vobis qui longè, & pacem his qui propè,* 176. b
IV. 4. &c. *Sicut & vos vocati estis in una spe, &c.* 1081. d. & seqq.
7. &c. *Unicuique autem nostrûm data est gratia &c.* 967. c
9. *Adscendit autem quid est nisi quia & descendit &c.* 120. a. 1077. c
24. *Induite novum hominem eum, qui secundùm Deum creatus est, &c.* 1138. b
V. 32. *Sacramentum hoc magnum est, &c.* 91. a. 702. c. 719. e

AD GALATAS.

CAP. I. 10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem,* 90. b
II. 20. *Vivo ego, jam non ego,* 168. d
III. 23. &c. *Prius autem quàm veniret fides, sub lege conclusi custodiebamur, &c.* 235. c
28. *Omnes enim vos unum estis,* 952. a
IV. 6. *Spiritus enim in cordibus nostris clamat,* 353. b
4. *Factum de muliere,* 1138. a
V. 2. *Si præventus fuerit homo in aliquo delicto, &c.* 538. b
15. *Si autem invicem mordetis & comeditis,* 88. d
VI. 11. *Ecce qualibus vobis litteris scripsi,* 353. c
16. *Quotquot regulæ huic obsecundabunt, pax super eos. . & super Israel,* 480. d. 381. d
IX. 13. *Christus nos redemit de maledicto, &c.* 100. d

AD PHILIPPENSES.

CAP. II. 2. &c. *Implete gaudium meum, ut idipsum sapiatis &c.* 461. e
6. &c. *Qui cùm in forma Dei esset, &c.* 44. c. 511. c. 974. b. 1152. b. 1362. b.
7. *Humiliavit se formam servi accipiens, &c.* 1053. c
Ibid. *Et habitu repertus ut homo,* 1199. a
8. &c. *Humiliavit se factus obediens usque ad mortem &c.* 507. b. 1100. a
9. *Et donavit ei nomen &c.* 1020. c
9. &c. *Propter quod exaltavit eum Deus, &c.* 177. e. 324. f. & seq. 421. b. 545. d. 554. f
10. & 11. *Ut in nomine suo omne genu flectat &c.* 989. b
11. *Et omnis lingua confitebitur &c.* 1012. a. 1010. d
III. 12. *Sequor autem ut apprehendam, in quo apprehensus sum,* 51. c. 239. f. 245. a
15. & 16. *Quotquot ergo perfecti sumus, hæc sentiamus: & si quid aliter sentitis, &c.* 1097. b
19. *Qui ministerium deputant ad negotiationem,* 88. e
19. & 20. *Quorum finis est interitus, nostra autem expectatio in cælis est,* 1099. a
21. *Et transformabit corpus humilitatis nostræ &c.* 22. b. 1102. d

AD COLOSSENSES.

CAP. I. 15. &c. *Qui est imago Dei invisibilis, &c.* 975. d. & seq. 1085. e. 1253. a. 1304. b
15. *Primogenitus omnis creaturæ,* 41. d. 1304. b
16. *Quia in ipso constituta sunt omnia in cælis & in terra, &c.* 237. a
Ibid. *Omnia per ipsum & in ipso,* 797. f. 856. e
18. *Primogenitus ex mortuis,* 41. d
II. 2. & 3. *In agnitionem sacramenti Dei Christi, in quo &c.* 1025. d. 1028. d
8. & 9. *Videte ne quis vos seducat, &c. quia in ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter,* 979. a. 983. b. 988. d. 1362. c
8. usque 16. *Videte ne quis spoliet, &c.* 775. b. & seq.
10. *Estis in eo repleti,* 989. a
11. & 12. *In quo & circumcisi estis &c.* 989. d
13. &c. *Et vos mortui cùm essetis, &c.* 204. d. 990. b. 1067. a
III. 9. & 10. *Exuti veterem hominem,* 1111. a

I. AD THESSALONICENSES.

CAP. IV. 14. *Et nos qui vivimus &c.* 77. c
16. *Simul rapiemur cum illis obviàm Christo in aëra,* 121. c
V. 17. *Sine intermissione orantes,* 20. a

I. AD TIMOTHEUM.

CAP. I. 3. & 4. *Ut præciperes quibusdam ne aliter docerent, &c.* 1070. a
II. 1. *Exhortare ergo primùm fieri deprecationes, orationes, &c.* 535. a
5. *Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus,* 1198. e
7. *Intellige quæ dico, dabit enim tibi Deus in omnibus intellectum,* 1096. e
8. *Elevantes manus puras,* 535. d
III. 6. *Non neophytum &c.* 262. d
16. *Magnum est pietatis sacramentum &c.* 1087. d
IV. 1. *Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis &c.* 1038. a
VI. 15. *Rex regum & Dominus dominantium,* 484. e
20. *Devitans profanas vocum novitates,* 1251. a

II. AD TIMOTHEUM.

CAP. I. 9. *quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora æterna,* 1126. a. & seq.
II. 5. *Nemo coronatur, nisi qui legitimè certaverit,* 430. c
III. 12. *Omnes volentes religiosè vivere &c.* 307. f. & seq. b
IV. 3. *Erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, &c.* 1037. e

AD TITUM.

CAP. I. 2. *Quam promisit non mendax Deus ante tempora æterna,* 1126. a. & seq.
9. *Obtinentem secundùm doctrinam fidei verbum, &c.* 946. a. & seq. d
II. 7. & 8. *In omnibus te ipsum bonorum factorum præbens exemplum,* 947. c

AD HEBRÆOS.

CAP. I. 14. *Sunt enim efficientes spiritus, in ministerium missi, &c.* 440. a
XII. 22. & 23. *Ierusalem cælestem . . . & Ecclesiam primitivorum,* 404. b

I. PETRI.

CAP. I. 12. *In quæ re concupiscunt Angeli prospicere,* 586. d
II. 5. *Et vos quasi lapides vivi ædificamini domus spiritalis,* 70. a
III. 19. & 20. *In quo & his qui in carcere erant spiritibus, &c.* 306. a. 545. a

I. JOHANNIS.

CAP. II. 22. *Hic est antichristus, qui negat Patrem & Filium,* 907. c
V. 1. *Omnis, qui diligit Patrem, diligit eum qui ex eo natus est,* 907. c
16. *Si quis scit fratrem suum delinquere, sed non ad mortem &c.* 538. b

APOCALYPSIS.

CAP. III. 7. *Qui habet clavem David,* 5. b
20. *Ecce stans ad ostium pulso, &c.* 311. a
V. 1. &c. *Et vidi super dexteram sedentis in throno librum scriptum &c.* 5. c
3. *Et non poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram,* 44. b
2. & 7. *Et dabo duobus testibus meis. . . & occidet eos,* 710. a
XII. 10. *Calumniator fratrum nostrorum* 338. a
XXII. 1. &c. *Et ostendit mihi flumen aquæ vitæ &c. & folia arboris illius sunt ad sanitatem gentium,* 22. e. & seq.



INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM.

A



ARON consecratio, 461. f
ABIMELECH, id est, fratris mei imperium, 70. a
Abominationem meretur corruptio, 84. b
ABRA unica Hilarii filia, 1209. a. scripsit patri, *ibid.* suadetur ut vana ornamenta abjiciat, 1211. b. ut nullo interrogato, patri rescribat, 1212. d. ut quod minùs per ætatem intelligit, matrem interroget, 1212. e
ABRAHAM diu ignoratus à Deo, 26. c. quando cognitus, *ibid.* Abrahæ duæ promissiones factæ, 523. b. Abraham princeps fidei & timoris Dei, 426. c. princeps electionis, 470. c. initium originis Judæorum secundùm sanctificationem generis, 470. b. ad quem primùm fuit Dei sermo, 470. b. Abraham unum ex tribus viris, non in uno tres adoravit, 844. d. visis tribus viris Dominum suum fidei oculis agnovit, 842. c. & adoravit, sacramentum futuræ corporationis agnoscens, 843. e. Deum in forma hominis adoravit, 861. e. Deum verum adoravit, 862. a. per eam fidem, per quam adoravit, justificatus est, 861. e. Abraham sanctificatus parens, 616. a. pater fidelium, 615. d
Abrahæ sinus, 395. d. In hunc anima beata ab Angelis fertur, 395. e
Abundantia beatitudinis perfectæ non est omnium ad civitatem Dei pertinentium, 389. d. e
Abyssus in Scripturis quid, 43. e
ACACIUS, 1220. d. 1288. b. 1289. c. 1292. c. 1323. d
Accola, 259. e
ACHIVI adunati quid de iis decernant, qui Arimini deliquerunt, 1357. d
ACTICUS, 1338. a
ADÆ, & ceterorum hominum discrimen, 659. e. Per Adam & in Adam oportuerat cognitionem Dei inchoari, 185. f. Adæ tentationum ordo, 619. e. Adam à diabolo captus, 548. c. à promissionibus Dei & incolatu paradisi excidit, 548. d. cur de paradiso post culpam ejectus, 226. e. Peccando ab immortalitate excidit, 23. b. Adæ peccato quid perdiderit homo, 491. f. 493. a. 1365. a. In unius Adæ errore omne hominum genus aberravit, 699. c. Adæ transgressione homines ex beata requie ejecti, 577. e. Adæ mors per misericordiam Dei in æternitatis pœna non manet, 153. d. Corruptio ab Adam orta quî à Christo exhausta, 750. a. Adam filius Dei, quia primum Dei opus, 646. c. veniam obtinuit, 646. c. Adam confessus, veniæ reservatus, & glorificatus in Christo est, 372. d. De Adæ salute Vide ibid not. l. In Adam uno peccata universis gentibus remittuntur, 646. b. Adæ corpori mala à diabolo illata quî sancti emundent, 652. d
ADAM secundus unde cælestis, 392. a
Adspersio secundùm legem per fidem emundatio peccatorum erat, 95. a. sacramentum erat futuræ ex Domini sanguine adspersionis, 95. a
ADAMANTIUS, 1325. a
Admiratio non est rei ignotæ, 342. c
Adoptio, 427. e. Adoptionis nomina & externas nuncupationes in Patre & Filio Ariani intelligunt, 1244. b. Qui adoptionis tantùm nomen Christo concedunt, refelluntur, 895. c
Adoptivi filii, 909. b
Adoratio in Spiritu quî proportionem habet cum cultu quem Deo debemus, 805. a. Adoratio strato in terram corpore quinquagesimâ post Pascha ab Apostolis vetita, 8. a. *not.* d
Adspectus Dei multiplex, 345. b. 346. f.
Adventui Domini omnis Patriarcharum est gloria præparata, 713. a. Adventui Christi lex & prophetia omnis deputabatur, 723. e. 724. e. Eum testata est lex omnis, 340. e. testata sunt omnia legis testimonia, 318. a. Adventus à Patre, non idem est quod exitio à Deo, 900. b. Qui adventum Christi corporeum à prophetis prædicatum occultant, cælum claudunt, 725. d. Adventu Christi quid præstitum mundo, 221. e
Adventum Christi novissimum qui præventuri sint, 710. a
Adversa. In adversis agendæ sunt Deo gratiæ, 294. e
Adulatores sicut lac in secundis blandi, velut coagulum in adversis acerbi, 296. c. Adulantes regibus arguuntur, 89. e
Adulteri servitus, 409. a. Leges in adulteros, 409. a
Adulterium morte & pœnarum quæstione punitur, 567. e. *not.* c. Adulterii unius reus, & plurium artifex non debent pari in morte pœnarum quæstione vexati, 567. e. Adulterium spiritale, 703. e. *not.* e. Adulterium solo conceptum corde jam crimen est, 123. b. Adulterio æquant Evangelia oculi incidentis motum, 626. e
Ædificia alia firma, alia infirma, 434. a
Ægyptus sæculi species, 476. a. Ægyptus idolis plena, & omnigenûm deorum monstra venerans, 613. c. propè universa jam fidelis est, 210. f
ÆGYPTII soli Seleuciæ homousion constantissimè obtinebant, 1248. a. In gratiam Athanasii ad Julium scripserunt, 1286. e. 1329. a. Ægyptiorum litteræ ad Liberium, 1329. a. 1330. d. Ægyptii omnes Alexandrina synodo adunati, 1357. d
ÆONES Valentini, 883. b
Æqualitas & similitudo num differant, 1190. e. *& seq.* Æqualitas nec solitudinem habet, nec diversitatem, 925. b. Æquari Deo nequit, quod extra eum est, 934. b
Æquitatis sensus & opinio unicuique ex natura imponitur, 727. a
Aër quibusdam Deus, quia motu ac natura indissecabili circumferatur, 175. e
Æstus maris, 230. a
Ætas universa doctrinis Dei fuit erudita, 357. a
Æterni, & sæculi discrimen, 310. b. Æternitas in nullo à se deest, 768. e. In æternitatem non cadit vitium aut emendatio, profectus aut damnum, 814. b. Æternitas sola Dei similis est, 1305. c. Deus est, 723. a. c
Æternitas Patris excedit quidquid concipi potest, 808. c
Æternitas Filii quî ab Arianis intellecta, 1351. d
Æterna ex se nulla creata substantia est, 587. a. Quæcumque æterna est, hoc ex præcepto Dei habet, non ex natura, 588.
Æternitas hominis, 569. a
Æternitatis spes ossibus significatur, 91. a. Æternitatis spes & cognitio unicuique inest naturalis, 151. e. cur hanc corporibus nonnulli negent, 152. a. Æternitatem ita corporis ut animæ sperare arduum, sed maximè verum est, 152. c. Æternitas utriusque Scripturis prædicata, 147. c. Æternitas corporalis justorum non est ambigenda, 635. d. Hæc dabitur iniquis ad pœnam æternam, 635. d. Æternitatis spem quomodo gentilium disputationes comminuant, 147. d. e. Æternitatis consequendæ plures occasiones Deus largitur, 661. e
AETHIUS Thessalon. 1293. b. 1317. *not.* b
AETIUS, 1338. *not.* d
AETIUS Anomœorum hæresis auctor condemnatur, 1350. a
Aetianæ hæresis auctores, 1359. b
Affectum insitum nequaquam aut locus divellit aut tempus, 155. a
Afflictum quomodo relevet fides, 348. b
AFRI coguntur reddere subscriptiones contra Ursacium & Valentem, 1257. a
Africa, 1331. a. Decretum Orientalium ad Africam missum, 1307. b
AGAPIUS, 1325. c
AGAR allocutus est Dominus Deus, 841. c
Agens in rebus, 1340. a
Agenda quisque debet præmeditari, 290. c. Agendi causæ sunt aut fructus oblectationis, aut judicium bonæ in eo quod aggredimur opinionis, 498. a. Ad bene agendum homo suis viribus non sufficit, 345. e In bonis actibus quid naturæ sit, quid divinæ misericordiæ, 339. b. Actibus nostris ubique prælucere debet verbum Dei, 321. f
Acta apud Antiochiam confecta, 1287. e
Acta adversùs Athanasium, 1286. c. unde irrita, 1287. a
AGGÆI nomen psalmis prænotatum qua auctoritate, 3. a
αἰών determinatum sæculum significat, 178. a.
Alarum velamento quid in Scripturis significetur, 143. e
Alabastra Thebaidis locus, 341. b
ἀλαλαγμὸς quid, 174. a
ALQUINI fides græcè versa, 1377. a
ALEXANDER Alexandriæ plures ab Ecclesia ejecit, 1289. c. Manent illius ad Sylvestrum litteræ, quibus undecim ejectos significat, 1331. e. Melitii presbyteros suscepit, 1287. e
ALEXANDER de Larissa, 1293. c
ALEXANDER de Morenis, 1293. b
Alexandria, 916. e. 1329. a. quanta à Constantio passa sit, 1246. a. De Alexandria multi Sardicam confluxerunt, 1317. a. Alexandrinarum basilicarum deprædatio, 1312. e
ALEXANDRINI conficta Athanasio crimina Sardicæ repellunt, 1286. e
ALEXANDRINÆ synodi anni 362. decretum, 1357. d
Alexandria provinciæ, 1324. a
Altare comminutum, 1313. b
ALYPIUS, 1293. b

Amarquetias,

Index rerum & sententiarum.

Amarquetias, 1323. d
Ambitio sæcularis, 1264. a. 1265. a
Amici Dei Abraham & Moyses, 522. d. discipuli Christi, 522. e
Amari se à nobis exigit Deus, amore ipso non sibi, sed nobis profuturo, 34. c
Amoris mutui, maximè erga fideles, artissimum vinculum Dominus posuit, 699. a. Amoris obsequium longè differt à timoris officio, 316. d. In amorem non potest incidere necessitas, 316. f. Amore sibi hærent etiam absentes, 155. a. Amoris & odii rectus usus, 320. c
AMORRHÆUS, id est exacerbans, 476. e
Anapoli, 1325. c
Anathema constitutus, nec vocatus nec baptizatus est nec fidelis, 971. e. Anathemati omnes à Constantio sunt subjecti, 1257. c. In anathemate constitutis cujusmodi communio negetur, 1289. d. e
Ancara, 1325. b
Anchilo, 1326. c
Ancyra, 1324. b. Ancyræ strages editæ, 1313. a. Ancyræ congreganda synodus, 1155. a
ANCYRANÆ synodi decreta, 1158. d. *& seqq.* Ea sola Sirmium delata sunt, quæ Hilarius libro de Synodis inseruit, 1205. c. Si quid habent criminis, intra se habent, *ibid.* Ancyrana fides ab exordio non nihilum habuit offensionis, 1203. a. quibusdam suppressis Sirmium delata est subscribenda, 1203. a. Hilarius timet ne quæ tacita sunt, iterum dicantur, 1203. a. synodi hujus litteras tenet, 1203. b. Ancyranæ fidei quænam verba Arianis inimicissima, 1255. b. c. *Vide* Orientales.
ANFION, 1307. b
ANGELUS officii nomen est, non naturæ, 860. a. 866. c. Angelus magni consilii, Filius, 841. c. 842. a. 843. b. Angelus Dei Agar alloцutus, Dominus & Deus est, 841. c. d. Idem ad Abraham locutus est, 841. e. 843. c. In Angelo Dei significatur ipse qui est, & ille cujus est, 841. b. Angelus in rubo visus, Dominus ac Deus nuncupatur, 846. c. Angelos tantùm vidit Lot. 844. d
Angeli, naturæ spiritales, 499. a. c. nomine & naturâ vigilantes sunt, 380. f. Angelorum natura vel virtus ignis & spiritûs nominibus ostenditur, 860. b. Angeli cælorum nomine significati, 196. a. Ante tempora & sæcula conditi sunt, 1266. b. Angelicæ virtutes primæ ad cognoscendum Deum genitæ, 486. b. Eis regionem quamdam finitam Deus collocavit, 486. b. Angelorum propriæ sunt habitationis sedes, 486. d. Angeli omnes in cælo in meditatione justificationum Dei sunt, 333. c. Dicuntur virtutes cælestes, quæ in opere ministerii sui permanent, 333. c. Angelorum leges, 281. c
Angeli, Anchangeli &c. ut nominibus, ita & officiis sunt diversi, 260. d. pro diversitate ministeriorum diversas habent præceptorum observantias, 260. d. quas perpetuò custodiunt, 260. e. Angeli quidam ante Deum tamquam officio propriore assistunt, 281. e. Angeli ex originis suæ sorte ut sint semper accipiunt, 635. b. Eis extra proprii laboris mercedem indulta gloria, 634. c. 635. a. quod illustratur similitudine liliorum, *ibid.* Angeli Christum unde laudent, 811. c. Gentium divisio secundùm numerum Angelorum, 43. b. 146. f. Angeli opus non est gentium multiplicatio, 861. a. Ejus ministerium excedit potestas multiplicandarum gentium, 841. b
Angeli divina ministeria, 499. a. Angelicæ virtutes Dei membra dici possunt, 439. e. Angelorum intercessione non eget Deus, sed infirmitas nostra, 440. a. Angeli quodammodo oculi Dei quibus nobis misericorditer prospicit, 178. c. voluntatis Dei & communicandæ in nos beatitudinis sunt ministri, 379. b. Per Angelos lex Moysi disposita, 499. b. Angeli ministri legis in manu Mediatoris, 200. d. 201. c. Angeli ad confortandum Christum adventus non exstat in pluribus libris, 1062. a. Angelus resurrectionis primus index, 751. d. Angelis Dei plenus est omnis aër, 247. a. Angeli nostræ voluntatis testes, 247. c. Et nobiscum manent, & Deo adsistunt, 247. d. Visum eorum puero suo meruit Elisei oratio, 499. d. Angelis in cælo & lætitia & cura salutis humanæ, 699. c
Angeli sunt montes, 379. c. d. 404. c. Ecclesiam quadam custodiâ circumsepiunt, 404. d. ubique fidelibus cunctis assistunt, 499. a. Angeli nostræ fidei contra nequitias spiritales nos juvant, 178. c. Infirmitas nostra, nisi datis ad custodiam Angelis, tot tantisque spiritalium cælestium nequitiis non obsisteret, 475. b. Angeli pusillorum sunt, 699. b. quotidie Deum vident, 699. a. Angeli fidelium orationibus præsunt, 699. b. ambitioso famulatu desideria nostra ad Deum pervehunt, 699. b. animam Lazari in Abrahæ sinum tulerunt, 395. e. justos deducunt in æternam requiem, 115. e. in Abrahæ sinum, 126. b. Eorum intra nos contemplari est monita, ministeria, dona, 379. c
Angeli feminarum amatores, 463. d. *not.* d. Angeli transgressores, regum nomine indicantur, 664. a. luxu dissolutos habitant, 664. a. Angelorum dominatui gentes ante Christum datæ, 43. b Jus eorum in gentes perversum & injustum, 43. b
Angelorum numerus ex hominibus explendus, 699. d
Angelorum vitâ habituque plebs Israel in eremo mansit, 618. b
Anima frequenter spiritu significatur, 1075. b
Anima Dei non est, 1073. d
Animam Christi qui humanæ naturæ & infirmitatis existimant, quatenus fallantur, 98. a. *not.* d. Anima Christi se signis & factis Deum probat, 544. c. *not.* c
Animarum origines captu difficiles, 437. b. Anima alterius originis à carne, 265. d. Animarum divinam nobis inesse originem omnibus velut insitum est, 152. a. Non est cur de animæ origine ingemiscamus, sed de corporeo ejus incolatu, 375. c. Animæ origo cur divina & cælestis, 375. f
Animæ natura spiritalis, 438. c. natura cælestis, 438. e. Quorsum nobis animæ spiritalis natura inserta, 85. c. Anima incorporalis est, 299. e. 300. a non habet in se assumtæ aliunde alterius naturæ originem, 299. e. in omnibus membris est tota, 356. e. *& seq.* Animâ illæsâ putre reciditur corpus, 356. a. Anima domus Sapientiæ, 428. a. facta est ad imaginem Dei, 299. e. 300. c. Animæ ratione homo ad imaginem Dei est, 439. b. incorporeus est, 439. b. nihil in se habet corporale, 439. c
Animarum conformatio invisibilis, 376. c. Animarum origines quotidie occultâ nobis divinæ virtutis molitione procedunt, 236. e. Anima ab homine numquam præbetur, 1049. b. Anima omnis opus Dei, 1048. b. Animæ nostræ parens Deus, 164. a. Animæ generalis est quisque homo, 79. e. Animam hominis primùm de thesauris divinitatis diffusam dixit Hilarius, 203. e. nec facit cum iis qui volunt animas non in dies creari, sed initio rerum conditas de thesauro quodam mitti in corpora, 204 *not.* h
Anima non terrena, sed ex afflatu Dei orta, & elementis corporis admixta, mortem nescit, 160. d. Animæ ea est natura, ut maneat æterna, 572. d. Menti uniuscujusque naturalis est spes æternitatis, 151. e. Anima Deo coæterna futura sit necesse est, cujus Dominus in æternum est dominaturus, 569. b. 571. c
Anima primi hominis antè est instituta quàm corpus, 299. d. 438. e. Animarum initia &c. Christum ostendunt quotidie operari, 237. d. Animarum nativus splendor, 631. c. Anima potior natura, in cujus efficientiam & operationem corpus aptatum est, 438. c. Animæ vestis, corpus, 664. a. Anima corporalis 355. e. quo sensu, *ibid. not.* e. Animarum species corpoream naturæ suæ substantiam sortiuntur, 633. a. Anima in domicilio carnis ex ejus consortio corruptionis labem mutuatur, 257. b. 258. a. Cælestis naturæ generositas corpore ut contagioso carcere captiva continetur, 376 c. Molesta ei est carnis terrenæ societas, 265. c. Anima hominis infirma est per naturam & consortium carnis, 158. e. nonnullam inde labem peccati contraxit, 265. e
Animus lumen aut tenebras suas in corpus refundit, 631. c. Corporis delectatio quî redundet ad mentem, & mentis gaudiis sensus corporis imbuatur, 152. b. c. Animæ subtilitas peccato in naturam corporum ingravescit, 658. b. Animæ peccatricis servitus, 392. d. Animarum vitia sub corporalibus officiis sermo divinus significat, 119. c
Anima per dissolutionem corporis ab onere & consortio infirmis & periculosæ carnis exuitur, 375. a. Animas ex lege post mortem ad inferos descendere, 514. d. Animas è corpore excedentes statim excipit aut quies, aut pœna, 81. c. 395. e. 396. a. Anima Justi è corpore excedens in Dei susceptione requiescit, 99. b. *Vide* Homo.
Animalis homo quis, 64. a
ANNIANUS, 1292. d
Annus benignitatis Dei, æterna vita, 170. f
Anomœusion episcopi novemdecim Seleuciæ defendebant, 1148. a. Hi nihil nisi profanissimum asserebant, *ibid.* b. quo sensu Seleuciæ dissimilitudinem damnaverint, 1249. b. Ibi condemnantur, & condemnati Constantinopolim convolant, 1250. b. Rursum illic eorum hæresi renituntur Orientales, 1349. c. Hanc Constantius anathematizari vult, 1350. a. Ita Aetium illius auctorem damnant, ut magis in hominem, quàm in doctrinam lata sententia videatur, 1350. a. sibi vindicabant illud: *De die autem illa nemo scit*, &c. 1199. a. Tandem adversariorum dominantur, 1250. b
Anthropomorphitarum error refellitur, 438. c
ANTICHRISTUS, homo, 998. c. homo peccati, filius diaboli, 748. b. diaboli filius, peccati portio, legis assertor, 732. e. cur dicatur abominatio desolationis, 729. f. *& seq.* à Judæis susceptus loco sanctificationis insistet, 730. a. in ecclesiis sessurus est, 1269. d. quem terrorem Ecclesiæ incutiet, 683. c. Antichristi tempus, 1265. b. Ministrorum ejus conatus, 731. c
Antichristi plures sunt, 1263. c. Antichristus est, qui Filium unius cum Patre divinitatis esse non confitetur, 1269. b. Antichristus Constantius, 1240. d. Antichristus Auxentius, 1269. b. Antichristus est Arianus, 907. c
Antichristi stilo scriptura composita, 1267. c
Antiochia, provinciæ Syriæ Cœles, 1323. c
ANTIOCHIÆ contra Samosateum quot episcopi adfuerint, 1200. b. *not.* f. Id senserunt quod Nicæni Patres, 1200. c
Acta apud Antiochiam confecta, 1287. c
ANTIOCHENUM Concilium in Encæniis, 1312. e. Adversùs quam hæresim congregatum, 1170. c. Quot episcopi ei interfuerint, 1168. c. Fides ab iis exposita, 1168. d. Filio originem non cœptam, sed manentem & ex Dei substantia dedit, 1173. c. Patrem & Filium nec tempore, nec nomine, nec essentiâ, nec dignitate, nec dominatione discernit, 1172. a. Hæc fides unde Arianis est incommoda, 1254. c
ANTIOCHI victoria, 230. c
ANTONIUS à Docimo, 1324. a

ANTONIUS à Gusra, 1326. b

ANTONIUS à Zeumate, 1323. f

APOCALYPSIS auctor idem est Johannes, qui Evangelium scripsit, 908. c

APOLLINARIUS errores ab Arianis est mutuatus, 758. *n.* 19. *&* 20.

Apostatæ & peccatoris discrimen, 333. d

APOSTOLI, quibus Christus circumferendus, in Joseph præmonstrantur, 614. c. Electionis eorum prophetia, 208. a. b. Apostolorum infirmitas, 196. d. Quia in his esset bonæ voluntatis affectus, quid consecuti sint, 196. e. Apostolorum erga legem favor, 706. e. Apostoli aliquandiu legis amore detenti, quodam fidei somno occupati sunt, 745. a. In iis quæ legis sunt adhuc erant, cùm panum incremento Christus populum satiavit, 681. d. Nondum eis concessum erat panem cælestem perficere & ministrare, 681. c. Eorum in salvando Israel favor, 687. e Apostoli *sacramento* (vel *sacramentis*) *aquæ ignisque perfecti*, 623. c. salis instar æternitatis sunt satores, 623. b. tenebras mundi fugant, 623. e. Christi nativitatis rationem tardiùs didicerunt, quàm missionem ac naturam, 901. e. *& seq.* c. Apostolorum fides proximè ante passionem Christi, 741. a. Christo est accepta, 741. c. unde commota, unde confirmata, 1061. a. ante Christi resurrectionem nutans, post firmata est, 545. b. Apostolorum fides etsi minus præstat admirationis, plus affert auctoritatis, 913. a

Apostolorum potestas, 450. e. Cælorum claves sortiti sunt, 86. a. ob fidei meritum, 901. b. Apostoli tamquam ex Christi corpore exeunt, 684. e. Christi virtutes in se habere, aut etiam ipsi esse intelligendi sunt, 197. d. perfectam Christi imaginem & similitudinem sortiuntur, 652. c. quî cælestes fiant, 652. d. Apostolis eam in cælis mansionem communicat Christus, quæ sibi propria est, 164. e. Apostoli principes ecclesiarum, 208. a. Eorum principatus, ecclesiæ ab ipsis principia sumentes, 522. f

Apostoli Ecclesiæ oculi, 520. b. lucernæ Ecclesiæ, 322. d. ecclesiarum fundamenta & columnæ, 196. e. In Apostolorum decore Ecclesiæ omnis ornatus est, 218. c. Apostoli quomodo sagittæ, 422. b. quomodo rami, 676. c. quî prophetæ, sapientes, & scribæ, 727. d. gratiæ Dei sunt ministri, 681. e. Apostolorum ministerio universis misericordia Dei subvenit, 668. d

Apostolorum constantia, 180. a. Apostoli contra senatusconsulta & regum edicta gentes fere omnes peragrarunt, 1264. c. Apostolorum prædicatio Imperatorum in eos odiis effloruit, 1264. b. Apostoli per omnes orbis terrarum partes plurimas Deo habitationes paraverunt, 62. a. Apostolorum proprium est resurrectionis Christi testimonium, 691. a. Ipsi ceteros resurrectionis gloriâ & tempore anteibunt, 716. a

Apostolorum regula, 1220. b

Apostolatûs unitas, 905. b

Apostolicus sermo pro jam factis futura significat, 1100. d

Apostolico in ministerio nihil venale sit, 652. f

Apostolici viri, 720. a. 1282. b. apostoli nominantur, 422. *not.* e. Apostolicorum virorum constans cura & negotium, 1381. d

Appellatio. Athanasius Tyro fugiens Imperatorem appellat, 1312. b

Aquæ, quia indefessæ fluant, Deus à nonnullis nuncupantur, 275. e. Aquarum nomine homo sæpe in Scripturis significatur, 402. a. significantur motus populi insectationesque gentium, 216. b. Aquas populos intelligimus, 399. f. Aquæ, populi perituri, 558. c. Quî diversa hominum genera significent, 400. a Aquarum super cælos usus, 486. b. Aquæ baptismo Domini consecratæ, 177. a

Aqua à Dacia Ripensi, 1293. b

AQUILA legem Judæis transtulit post Domini passionem, 135. d. secundùm litteram scribens, & extra spiritalem intelligentiam manens, *ibid.*

Aquileia, 1298. b. c. Concilium ad Aquileiam congregari rogant Itali, 1334. d

Aquitanica provincia, 1149.

Arca Noe Ecclesiæ figura, 580. f

Arca Testamenti quid continebat, 453. d. species est corporis quod Dominus assumsit, 453. e

Archivum Ecclesiæ, 1309. d

ARCHYDAMUS, 1290. d

Arcu significatur pœnæ præparatio, 137. d

Arelatum, 1331. a. Quæ Arelate à legatis Liberii proposita conditio, 1332. b

ARELATENSIS synodus, 1222. d. Quid in illa actum contra Paulinum, 1282. e

Aretiis, 1323. e

Argenti examinandi ratio, 180. d

Arietes intelliguntur sacerdotes, 182. d

Arimini congreganda synodus, 1155. a. Fraus diaboli fuit synodorum Ariminensis ac Seleuciensis divisio, 1353. d. Constantius Ariminensi Concilio scribit, 1340. d. de fide atque unitate tractari jubet, 1341. a. 1345. a. at vetat de Orientalibus quidquam definiri, 1341. b. c. completis universis decem legatos ad se mitti præcipit, 1341. b. Concilium conturbant Valens & Ursacius associatis Germinio & Gaio, 1345. a. c

Ariminensis synodus fidei Nicænæ nihil addendum aut detrahendum definit, 1341. e. 1344. b. hæreticos ei renitentes damnat, 1342. c. Arii doctrinam multis explodit, 1343. a. Ariminensi synodo Epicteti & Potamii facinus contentum, 1328. b

Arimino decem legati à catholicis ac totidem ab Arianis ad Imperatorem missi, 1346. a. Hi statim suscepti: illi longa dilatione fatigati, & minis perterriti perfidiam suscipiunt, *ibid.* b. & Arimini gesta omnia in irritum deducunt, 1346. e. Arimini detinentur episcopi, quorum multi ætate & paupertate defecti, 1345. d

Ariminum à Valente perlata fidei confessio, 1347. a. & à legatis subscripta, *ibid.* Ariminensi synodo vis facta, 1242. c. Ibi ad usiæ silentium plures coacti sunt sub auctoritate nominis Orientalium, 1353. d. Synodi nomine inscripta ad Constantium epistola, 1347. c. Qui Arimini detinebantur, enixè rogant se ad proprias ecclesias dimitti, 1345. d 1348. b. d

Ariminensis synodi legati Constantinopolim post Seleuciensem synodum reversi, 1349. b. 1350. d. ab Orientalibus conventi, ad hæresis damnationem adduci nequeunt, 1355. a. contrà damnatis à Seleuciensi synodo hæreticis, quamvis Orientalium litteris moniti, statim se jungunt, 1350. d. periculum depositionis in eum intendunt, qui has litteras susceperit, 1350. b. respondent Christum à sanctis Ariminensibus non negatum esse creaturam, 1351. b

Ariminensis Concilii qualis fides, 1360. d. Illius impietas retegitur, 1351. b. Ei universi Orientis episcopi consenserunt, 1360. c. Ariminensis synodus post lapsum ad Orientales litteras dedit, 1349. a. Pluribus Arimini cadentibus assensum denegat Gregorius, 1356. b. Hunc ad increpandos eos qui lapsi sunt hortatur Eusebius, 1356. c. Ariminensi synodo longè aliud actum est, quàm existimabatur, 1282. d. Ariminensis fidei iniquitatem prodit cura & labor obtinendi ut ei consentiatur, 1282. b. Quantus sit hic labor, *ibid.* a. Hujus synodi gesta Auxentius defendit, 1272. a. sexcentorum hominum labores vocat, 1270. a

Arimini gesta Italia & Illyricum abrogarunt, 1358. d. Illa omnes Italiæ provinciæ rescindunt, 1359. a. eorumque rescissionem petunt sibi mitti, 1359. b. Eadem Galli irrita declarant, 1355. a

Ariminensis synodus ab omnibus religiosè dissoluta, 1267. d. Iis qui Arimini ignorantes deliquerunt, parcendum esse Ægyptii omnes & Achivi sanxerunt, 1357. d. quod apostolica auctoritas confirmavit, 1357. c. Huic sententiæ refragantur nonnulli, 1357. c. d. 1358. b

Ariminiadenus, 1307. b

ARIUS ex Palæstina, 1288. d. 1293. c

ARIUS hæreticus, 1359. a. Filium ante Mariam & sæcula tuetur, 919. d. Arii & Sabellii pugna, 918. e. *& seq.* Arii undecim discipuli Ecclesiâ ab Alexandro ejecti, 1332. a. Eorum conciliabula, *ibid.* Arii epistola ad Alexandrum, 833. a. 881. a. Arii doctrinam Arelate an. 353. damnare recusant Athanasii adversarii, 1332. c. Hoc ipsum apud Mediolanum circa an. 345. denegant quatuor episcopi, 1331. d. Arii blasphemiæ variis anathematîs damnantur, 1343. a. Arii hereditas omnis ad Ursacium, Valentem *&c.* defluxit, 1265. c. Arii spiritus ex angelo diaboli in lucis angelum transfiguratus, 1265. c. Arii hæresis, 916. d. Alexandriâ in totum pœne orbem serpsit, 916. e

ARII duo, 1302. b. *not.* c. Arii, id est, Ariani, 1302. c. Arii satellites, 1297. a. Quæ eorum fides, *ibid.* Arianæ hæresis auctores, 1359. b

ARIANI nusquam in libris de Trinitate ex nomine designati, 755. *n.* 8. sed appellantur præsentes hæretici, 918. d. dissimilem Deo patri Filium prædicantes, 919. b. hi qui nunc sunt, 919. c. 920. b. hujus nunc temporis prædicatores, 789. e. non veri Dei prædicatores, 779. b. creaturæ prædicatores, *ibid.* d. *&* 1199. a. qui nunc creaturam esse unigenitum Deum prædicatis, 971. d. novi Christi prædicatores, 1084. d. novelli apostolatûs, sed ab antichristo, prædicatores, 799. e. novi apostolicæ fidei emendatores, 1114. b

Arianus antichristus, 907. c. novi apostolatûs mendax sacerdotium, 904. c. de non exstantibus Christi novus conditor, 907. c. Hilario est diabolus, 1269. e

Ariana hæresis cognominatur nova hæresis, 916. e. novella nunc hæresis, 919. a. hæresis infirmitatis, 1062. c. creaturam esse Dei filium profiteri ausa, 1162. b. antichristi synagoga, 1239. b

Ariani fidei suæ regulam quàm subdolè contexuerint, 854. c. *& seq.* 880. b. Arianorum commenta nuper inventa, 1220. d. perfidia à multis non olim edita, 778. b. Arianæ doctrinæ novitas luculenter demonstratur, 890. e. *& seqq.* Hæc doctrina exponitur, 199. c. 775. d. 776. a. b. 785. a. 789. e. 827. e. 830. d. 932. a. b. 1302. c. Ariani Filium à divinis proprietatibus excludere qua arte tentent, 830. d. *& seq.* Filium semper fuisse negare se dicunt, ne innascibilis putetur, 829. b. negant, ut tempori subjiciatur, 829. e. Eorum contra Filii æternitatem argutiæ, 1121. b

Ariani prolationis nomen conantur excludere, 883. a. d. unde se permotos dicant ut homousion respuant, 828. b. unam substantiam, per speciem damnandi Manichæi, respuunt, 884. b. Filio negantes Dei substantiam, ne Patri injuriam faciant, refutantur, 830. b. Ariani inter Patrem & Filium voluntatis unitatem tantùm, non naturæ esse volunt, 950. d. Patrem extollunt ut Filium dejiciant, 1085. a. quàm subdolè Filium à deitate excludant, 874. b. Ariani Filium negant Deum sub specie honoris Dei, 851. c. cum contumelia Patris, 852. a. profani in Patrem, blasphemi in Christum, 1302. c. quantum in se est, perimunt Patris essentiam, 1163. f. Persecutores ethnici in solum Christum hostes fuerunt: Ariana hæresis ad Patrem Deum certat, 1244. b. Arianus fictè Patrem & Filium confitetur, 907. d. Creatorem & creaturam eos vocat. *ibid.*

Arianorum doctrina de Christi origine, passione, ac patre, 1083. d. *& seq.* a. d. de Christi passione & origine ut Spiritûs est, 741. d. 742. b. Aiebant, Ex Patre omnia, sed per Filium omnia; 839. e. Christum efficiendorum operum causâ creatum sentientes refutantur, 1134. c. Aria-

ni Sapientiam esse Christum confitentur, 839. f. creatam dicentes Sapientiam, non habent unde prætendant impietatis errorem, 1138. e. Christum Deum apertè negare non audent, 949. *not.* a. qua arte insinuent Christum non esse Deum verum, 856. b. quod toto lib. v. de Trin. ex lege confutatur.

Ariani simplicium fidem à Christi Dei confessione depellere quî tentent, 949. a. qua arte Filium de non exstantibus natum prædicent, 887. a. Eorum fraus in hoc, *Non erat ante quàm nasceretur*, 887. c. 888. b. Sollemne hoc eorum effatum, necnon isthæc, *De non exstantibus est Filius, & Erat quando non erat*, toto libro XII. refutantur. Quî Deum patrem & Christum Dei filium confiteantur, 1163. e. quî Christum prædicent filium unigenitum, ac Deum, 890. c. Quî laboraverint ut Christus neque Deus neque Dei filius crederetur, 880. d. 915. c. ridiculi sunt, cùm asserunt ex uno nasci nihil posse, 949. d. adversùs Sabellium demonstrant Filium ante sæcula subsistentem, 779. c. de solis ac lunæ creatione solent tempora numerare, 1129. b. c. arguuntur ut cultores creaturæ, 963. d. Qui paternæ substantiæ communionem Domino detrahunt, 672. b. eum tamen venerantes tamquam Deum, 672. d. & Dei nomen ei detrahere non audentes, 672. c. pejores sunt quàm qui ignorant, 672. c. Ariani Judæis in Christum iniquiores sunt, 912. d. 931. c. negant quod ignorare non possunt, 912. e. Omnia eis clausa sunt ad salutem, *ibid.* Blasphemia eorum est sine venia, 672. d. Salus eorum magis desperata quàm Judæorum, 912. e. Nullus illis est excusationis locus, 1087. c. Divini Spiritus incapaces, obnituntur veritati, 1006. a

Ariani toto adversùs piam fidem impietatis suæ ingenio laborant, 948. e. Eorum fallax prædicatio, 948. a. 1263. c. 1265. c. 1266. a. serpentini gressus, 882 b. subtilitas ac fraudes, 915. a. astus & ignorantia, 1220. b. Deum unum verum nosse & confiteri nesciunt, 874. c. Christum inducunt ut congruenter loqui nescientem, 953. a. 1030. b

Arianorum contradictio amentia est potiùs, quàm ignorantia, 933. e. Eorum stultitia, 951. b. Arianorum fides eorum cognitioni adversa, 930. b. non cognitionis fides est, sed criminis, 930. c. Tenebras luci inferunt, insecabilia desecant, 790. e. evangelicum & propheticum Spiritum in lites dividunt, 1114. b. nostris adversùm nos usi sunt doctrinis, 915. b. oblatrant magis quàm disputant, 1221. a. Eorum calumnia contra assertores naturalis unitatis Patris & Filii, 958. b. verborum ambiguitate simplicibus illudunt, 827. b. interpretationibus suis dicta divina corrumpunt, 827. b

Ariani Scripturis quî abutantur, 984. c. 985. a. quibus Scripturis divinam naturam Christo negent, 984. b. quibus fucum faciant, 830. c. Eorum principale argumentum, *Dominus Deus tuus unus est*, 836. a. refellitur, 969. a. Aliud non minùs usitatum ex verbis *Dominus creavit me*, 1113. b. 1130. *not.* f. Eo maximè loco utuntur, quòd dixerit, *Pater major me est*, 830. f. Inde simplices fallunt, quòd quæ hominis sunt, adscribant Christi divinitati, 986 e. 993. d. impietatis causas arripiunt de salutis nostræ sacramento, 1086. a. sacramentum salutis nostræ invadunt ad mortem, 1022. a. Eorum objecta diluuntur distinctione duplicis Christi naturæ, 1086. b. Scripturæ loci illis contrarii, 781. e. 782. e. 799. e. Ex iis ipsis, quibus utuntur, sunt refellendi, 951. b

Arianos spectat liber XII. Hilarii de Trinitate, 757. *n.* 17. & 18. Ab Arianis errores suos mutuatus est Apollinarius, 718. *n.* 20. Ariani de Spiritu-sancto malè sentiunt, 790. a. Plerique eorum volunt Christum non in impassibilis Dei natura fuisse, 1041. b. Quidam eorum dicunt Christum ex nihilo in similitudinem Dei creatum, 828. a. Ariani se agunt non ut episcopos Christi, sed ut antichristi sacerdotes, 1263. b. 1265. b

Arianorum crimina Sardicensi synodo comprobata, 1285. c. Inventi sunt mendaces, 1286. d. Scripturarum falsatores, 869. b. *not.* c. falsarum litterarum auctores, 1285. e. Plebis Dei fidei vim fecere, 1301. c. Eorum in catholicos calumniæ, 1039. d. 1284. b. persecutiones intolerabiles, 1218. a. in servos Dei frequens sævitia, 1283. d. crudelitas & violentia, 1219. a. 1221. d. & *seq.* 1291. b

Arianæ hæresis strages describitur, 1153 b. Arianæ doctrinæ virus quàm latè diabolus protulerit, 1150. a. Quantum illius prædicatio polleat, 1038. d. Arianæ hæresis lues per omnes ferme Imperii Romani provincias grassata est, 879. a e. Difficilis illius curatio, 879. b. quî ejus fautores doctrinam impiam dilatare curaverint, 1288. b. Arianorum omnis fiducia in protectione pendet regni sæcularis, 1356. d. Hilarius rogat ne Arianis favorem præstent locorum rectores, 1289. d

Ariani dum sua scribunt, non quæ Dei, orbem æternum erroris circumtulerunt, 1226. c. Eorum frequentes mutationes, *ibid.* & *seqq.* Quid prætexuerint ut fidem catholicam perverterent, 1229. a. His mutationibus efficiunt ut nullus non reus atque impius sit, 1256. c. Sirmii publicè professi sunt, quod furtim antea mussitabant, 1193. c. quî nomine Imperatoris publicare tentarint, quod ipsi suo non audebant, 1194. a. Filium Patri secundùm Scripturas similem dolosè Arimini profitentur, 1252. c. Vocibus utuntur Scripturæ inusitatis, 1251. a. b. 1252. b. Arianorum sententiis Itali circa an. 353. coguntur obedire, 1332. a. Arianam doctrinam suscipientibus non deerat unde se apud homines excusarent, 1281. c. Ariani pace sua frustra se jactant, 1263. b. unde indigni sint nomine Christiano, 1289. d

ARIOMANITÆ, 919. d. *not.* d. 1286. a. 1353. d. 1356. d

ARSENIUS, 1349. c

ARSENIUS, qui ab Athanasio interfectus dicebatur, habetur in numero vivorum, 1286 d

Arundo quos significet, 663. d

Asaposebiis, 1293. c

ASCLEPAS 1286. b. 1292. a. e. depositus, 1286. b. 1292. a. & Athanasii sententiâ damnatus, 1314. e. Marcellus illi numquam communicavit, 1314. e. Quæ ab exsilio rediens patrasse insimuletur, 1313. b. quæ Constantinopoli, 1318. a. Se irreprehensibilem probat, 1287. c. innocens declaratur, 1289. b

ASIANÆ decem provinciæ ex majori parte Deum nesciunt, 1186. d

Asini nomine gentes sæpe significantur, 698. d

Aspersio. *Vid.* Adspersio.

Aspona, 1324. d

ASSYRIIS servivit captus Israel, 408. a

ASTERIUS de Arabia, 1288. *not.* m

Astriferi circuli, 1140. d

ASTURUS ab Arabia, 1293. c

Asturica, 1292. e

ATHANASIUS in Nicæna synodo diaconus, 1306. c. Nicænæ fidei cunctis intimandæ vehemens auctor exstitit, *ibid.* Arianam pestem in tota Ægypto veri tenax vicit, 1306. c. Ob id conjuratis in eum testimoniis falsitas criminum est comparata, *ibid.* Acta Tyri adversùs eum, 1312. a. Athanasii depositioni Paulum Constant. interfuisse ac subscripsisse, 1314. e. 1315. a. Athanasius Asclepam damnasse dicitur, 1314. e. Falsò accusatus de Arsenii nece, 1286. d. de fracto calice, 1286. e. contra judiciorum formam damnatus est, 1222. b. 1282. c. Gesta adversùs eum se habere jactitant, 1286. e

Athanasii ad Julium profectio, 1313. d. in Italiam & Galliam iter, 1315. b. Athanasium à Sardicensi synodo ejicere conantur Orientales, 1315. d. Innocens ab illa declaratur, 1289. a. 1292. a. Innocentia ejus unde comprobata, 1290. e. 1293. e. Quæ illum ante primum exsilium facinora patrasse fingunt, 1311. c. quæ in reditu ab exsilio, 1312. d. Ægyptiorum & aliorum in gratiam Athanasii scripta unde Ariani infirment, 1313. c. & *seq.* Athanasius traducitur ut pacis universæ Ecclesiæ perturbator, 1318. e. 1320. c. Athanasius in diversis orbis partibus litteras emendicasse accusatus, 1313. c. damnatur Philippopoli, 1319. b. d. Omnia in Athanasium crimina conficta esse Sardicensi synodo monstrantur, 1301. c. Athanasius Sardicensi synodo absolutus, 1319. a. Utri majore fide digni, qui Athanasium accusarunt, an qui defenderunt, 1294. b. qui damnarunt, an qui absolverunt, 1295. a

Athanasius à communione sua Marcellum separat, 1299. a. b. Tum hic ab ingressu ecclesiæ se abstinet, 1300. c. Athanasius reus non esse ab Orientalibus an. 349. renuntiatur, 1297. a. Exinde Valens & Ursacius profitentur falsa esse, quæ de ipso insinuarunt, 1297. b. litteras ei pacificas scribunt, 1298. b. Athanasii absolutionem quî Orientales anno 349. irritam facere conati sint, 1294. a. 1300. a. Quales ex Ægypto omni atque Alexandria ad Julium litteræ scriptæ sunt de reddenda ei communione, tales ad Liberium de tuenda, 1329. a. Cur illum Liberius initio pontificatus sui non damnârit, 1330. d. Athanasius fingitur Romam à Liberio citatus, 1317. e. venire noluisse, 1328. & ab Ecclesiæ Romanæ communione alienus declarari, *ibid.* b. Sanctorum virorum in Athanasii absolutionem cura, 1221. b

Athanasii condemnationem expetentibus Arelate succumbunt legati Papæ, modò ipsi Arii doctrinam damnent, 1332. b. Error hic propè omnium mentes occupavit, sacerdotes propter Athanasium exsulare, nec dignam esse suscepti exsilii causam, 1282. b. Sub occasione nominis Athanasii pridem aliud quid subtiliter attentatur, 1331. e. Liberius apud Imperatorem memorat Athanasii negotium, 1330. a. eum à communione sua separat, 1338. b. negatque se illum defendere, 1336. a. & quòd illum defenderit, excusat, 1336. a. damnat eum, 1336. a. Eorum, qui Athanasii damnationi consenserunt, excusationes refelluntur, 1294. e. & *seq.* a. b. Athanasii præterea mentio fit, 1284. a c. d. 1285. e. 1286. b. & *passim pseudo-Sardicensi epistola*, 1307

ATHENIUS, 1346. c.

ATHENODORUS, 1293. a

Athei sunt impii, 17. d. in suis sententiis incerti fluctuant, 17 e

Atrium & domus quid differant, 466. a. Atrium, interna & media domûs sedes, 469. e

Avaritia malorum omnium radix, 146. b

Avari servitus, 408. f

Aves quàm sollicitæ sint pro pullis, 118. b. Aves spiritales volando requiescunt, 328. c

Austeritas philosophorum & hæreticorum inanis & superstitiosa, 163. b

Auri pretium ex errore humano, 341. a

Authentici Scripturæ codices, 3. a. 163 e

AUXENTIUS heres Arii, 1268. e. satanæ angelus, hostis Christi, vastator perditus, fidei negator, 1269. d. in Ariana ecclesia Alexandrina presbyter esse cœpit, 1267. d. Auxentio pacem dicit Liberius, 1339. c. Auxentium Galli juxta litteras Orientalium excommunicatum habent, 1355. b

Auxentii cum Hilario congressus, 1267. a. Ille Arium se scire negat, 1267. d. 1270. b. Regem, Comites, Ecclesiam Dei satanæ arte circumvenit, 1268. e. aliud scripsit quàm professus est, 1268. b. lusit verbis, quibus possit fallere & electos,

1268. c. ſeſe epiſcopum eccleſiæ catholicæ Mediolanenſium vocat, 1270. a. Blaſphemiæ ejus exemplum, *ibid.*

Auxilium Dei neceſſarium, 345. f. in tribulationibus, 502. d. ne tentatio dominetur, 346. a. b. à Domino ſemper eſt orandum, 333. a. Auxilium à Domino nobis venire vera fides eſt, 379. d. Quomodo non deſit ſperantibus in eum, 502. d. e. *V.* Gratia.

B

B*Abylon* confuſionis habet interpretationem, 491. e. Babylonis fornax, 567. a

BABYLONIORUM victoria, 230. c. Eis Juda captus ſervivit, 408. a

Baptino, 1325. d

Baptiſmo Johannis & Chriſti quæ virtus, 616. a

Baptiſmo Domini aquæ conſecratæ, 177. a. Baptiſmi noſtri effectus in Chriſti baptiſmo præmonſtrati, 617. b. c

Baptiſmi unitas ac fides, 1083. a. 1084. b. Baptizandi quam fidem profiteantur, 687. c. toto in jejuniis paſſionis dominicæ tempore demorantur, 687. d. interrogati reſpondent ſe renuntiare diabolo, ſæculo, peccatis, 67. a. In baptiſmo jurata fides, 1226. d. Baptiſma nullum ſine Chriſti fide, 1228. c. Regenerationis ſymbolum, 1144. b. Renaſcentium confeſſio, 1018. b

Baptiſmus in Patre & Filio, 874. d. in Patre & Filio & Spiritu-ſancto, 777. e. An Apoſtoli baptizarint in nomine Jeſu, 1200. a. Baptiſma apoſtolici officii miniſterium, 211. a. à diacono exigitur, 211, a. ſacramentum eſt divinæ generationis. 777. e. Baptiſmo datur remiſſio peccatorum, 161 a. Renatus in Chriſto templum Dei eſt, 209. c. quomodo Iſrael ſit, 93. c. Baptiſmi ſacramento ſplendorem percipiunt animæ, 735. c. Baptizatis indulta Spiritus-ſancti quædam initia, 170. c. poſſeſſio æternorum corporum inchoatur, 177. a. Baptiſmi regeneratio reſurrectionis eſt virtus, 990. a. Baptiſmi lavacro per verbi virtutem animâ & corpore innovamur, 660. b. corpus in naturam animæ evadit, 660. c

Baptizati dicuntur parvuli quorum eſt regnum cælorum, 161. b. Recèns renatis fides tenera & nondum firmata, 159. d. Baptiſmo renati meminerint ſe non ſuam carnem habere, ſed Chriſti, 240. c. ut in conſortium carnis Chriſti introeant, carnem cum vitiis & concupiſcentiis affigant, 240. b. c. Baptiſmo non redditur innocentiæ perfecta puritas, 258. b. Poſt baptiſmum aquæ ſuperſunt baptiſmata Spiritus-ſancti, ignis, paſſionis aut mortis, 258. c. Baptizatis in Spiritu-ſancto reliquum eſt conſummari igne judicii, 616. c

BARABBAS id eſt patris filius, 748. b

BARBARIO preſbyter, 753 *n.* 3. 760. *n.* 20.

BARUCH Jeremiæ nomine citatur, 852. b. 877. c

BASAN pudorem & confuſionem ſignificat, 206. a. 476. f

BASILIUS Ancyræ, 1324. b. 1337. b. 1362. f. in ſynodo Sardicenſi condemnatur, 1289. b. Baſilii, ſecundùm Anomœos, perfida aſſertio propter quam ſynodus facta eſt, 1360. d

BASSUS, 1338. a

BASSUS à Car, 1325. c

BASSUS à Diocletianop. 1292. e. olim de Syria deportatus, pòſt ordinatus epiſcopus, 1317. d

Beatitudo non eſt hujus ſæculi: quænam interim nobis concedatur, 429. a. Beatitudines irreligioſorum infelices captu difficiles, 437. b

Beatitudinis æternæ ſpes rationi eſt conſentanea, 770. e. Beatitudinis ſpes eſt omnium gentium, 166. a. Beatum eſſe velle ex beatitudinis ipſius exſpectatione proficiſcitur, 20. c

Beata vita nobis per miſericordiam Dei præparatur, 153. c. 154. b. Beatitudo ex Dei miſericordia, 550. d. f. non excluſo merendi officio, 550. f. *& ſeq.* Beatitudinis perfectæ meritum unde nobis ſit, 81. a. Beatitudinis cauſa licèt ſit fidei meritum, maxima tamen eſt Dei miſericordia, 484. c. Beatitudinis ſuæ participem hominem condidit, 34. b. Hanc eum voluit per meritum amoris & obſequii ſui comparare, 34. c. f. Ad beatitudinem quinque gradus, 17. a. Beatitudinem exſpectantium qui debeant eſſe mores, 240. d. Beatitudo orationibus atque operationibus expetenda, 165. f. Beatæ æternæque vitæ ſtatus certus eſt, ſi & pietas in Deum ſit, & patientia in adverſis, & contemtus opulentiæ, 146. b

Beatus vir Chriſto ſimilis, 21. d. quando, 22. a. b. Beatitudinem noſtram quî exſpectet omnis res creata, 586. b. Beatitudo mitibus promiſſa, corporis quod Dominus aſſumſit, habitaculum, 621. d. Beatæ vitæ ſtatus, 240. f. *& ſeq.* Beatitudo ſanctorum poſt mortem, 549. b. Beatæ quietis honore miſeriam vitæ laborioſæ Lazarus demutat, 351. f

Beati ſunt dii, 484. b. Eorum æterna regio eſt paradiſus, 23. c. Beatorum communio cum Chriſto, 560. f. Facies Dei Chriſtus unicuique ſancto adeſt, 549. c. Sanctorum beatitudo poſt reſurrectionem, 144. d. felicitas & ſecuritas, 583. a. 584. b. Beatorum gloria & manſiones ſunt diverſæ, 164. d. 171. b. Ad cohabitationem Dei non eligentur omnes, 164. e. hæc Chriſto propria eſt, quam & Apoſtolis communicat, 164. e. Omnes tamen Sancti gloriæ cæleſtis honorem ſortientur, 164. f. Beati induuntur ſalutari, Chriſti gloriæ conformes effecti, 438. e. Beati quomodo Chriſto mediante in unitatem paternæ majeſtatis aſſumti, 212. f. *& ſeq.* Beati nullius egebunt ad corporis animæque ſubſtantiam, 583. a. Quidquid in eis fiet, æternum eſt, cum beatitudinis ſenſu, 23. b. Lætitia eorum conſummata, 459. a. Gloriam ac lumen omne ſumunt ex contemplatione majeſtatis Dei, 289. c

BEDA locum Hilarii notat, 305. *not.* d

BELGICA prima & ſecunda, 1149.

Bellum ſatanæ ac Domini in David & Golia præfiguratum, 552. f

Beluæ ad aliquid fortuito & incerto motu feruntur, 1024. b. Quomodo eis natura ipſa famuletur, 766. a

Benedictio & laus quid differant, 564. d. Utrumque ſemper debemus Deo, 564. f. Benedictioni laus præſtat, 469. b. Benedicere Deum ſoli competit Dei ſervo, non ſervo peccati, 465. c. non fluctuanti & inconſtanti Dei ſervo, 465. d

Benedictio Adæ data non ſolam ſpectat propagationem carnalem, 185. e. Benedictione cecidit homo per Adæ peccatum, 464. b. Benedictio temporaria non promittitur juſtis, 426. b. peccatoribus eſt uſitata, 426. d. e

Benedictiones Eccleſia ſola largitur, 464. c. Benedictioni caput ſummittit Conſtantius, 1245. b

Beneventum, 1292. f

Benevolentia. Majus piaculum eſt, benevolentiæ officium quàm decimationem præterire, 726. e

BERENICE Ptolemæi mater, 341. *not.* f

Beroe, 1326. c

Bethlehem eadem eſt quæ Ephrata, 452. b. In ea Eccleſiæ initium, 452. c

Bethſaida, domus venantium, 457. d

Binarius numerus malè ſonat, 537. b

BITERRENSIS ſynodi geſta, 1239. a. In ea patroni hæreſeos ingerendæ ab Hilario denuntiantur, 1152. a

Bithyniæ ſynodus futura, 1154. d

BITINICUS, 1324. c

Blaſphemia Spiritûs, 671. e. 743. b. Blaſphemia potiùs hominis in Deum contumelioſi quàm Dei opprobrium eſt, 220. b

Blatea, 1293. a

Bona hujus vitæ quæ, 765. a. Bona terrena licèt bona, non tamen perfectè bona, aut juſtis promiſſa, 426. c. Bona noſtra egentibus impertientes, digni erimus eorum quibus à Deo indigemus, 629. c. Bonorum terrenorum largitor Deus, æternitatem illis qui rectè iis utentur impertiet, 561. e

Bona multa non jucunda, & jucunda non bona, 460. c. Bonum jucundum fraterna unitas, 460. e. Bona animæ, oris ac cordis clamore & mentis puritate meruit David, 184. a. Bonum eſt quidquid in nos agit Deus, 294. f. Bonorum æternorum ſpes in quibus fundata, 385. a

Bonum non tam cogitandum, quàm exſequendum, 63. f. Bona non poſſunt videri verè bona à nobis judicari, niſi expetantur, 374. c. Bonum ſciens homo quomodo perficere non valeat, 419. a. Boni gratuiti diſpenſatio ſit gratuita, 629. c

Bonitas perfecta eſt, quæ demutationem neſcit, 86. e. hæc ſoli Deo convenit, *ibid.* Bonitas perfecta in recti cordis conſiſtit affectu, 405. f. Bonitatis nomine abſtinet Chriſtus ut judex, 703. c. An nemo bonus, non Abel, non Seth *&c.* 86. a. Bonus eſt homo, cùm bene vult aut agit, 87. a

Bonæ voluntati condonat Deus lapſus infirmitatis, 87. b. 196. d. Probitatem ejus, qui Dei legi obſequitur, fallentis de ſe probra non lædunt, 662. b. Bonitatem in nos univerſorum optantes, boni omnibus ſimus, 638. c. Bonitatis uſus non præbenti proficit, ſed utenti, 34. d. Bonitatem non amantes, loquendo ſolent ſimulare, 74. a

Boves, contumacis naturæ pecora, 182. e

Breſith quid ſignificet, 28. d. *not.* f

Brevi in Maced. 1293. e

Brevitas ſermonis ſæpe fallit & audientes & docentes, 1186. b

Britanniæ quando fidei, quando Arianis patuerint, 1150. f. Earum epiſcopi Gallicanis ſunt conjuncti *ibid.*

Brixa, 1293. d

Buſta nonnulli deos adoraverùnt, 175. e

Bythos Valentini, 883. b

C

C*Abula*, 1326. c

CÆCILIANUS Spoletinus, 1334. d

Cælum contuens, Deum eſſe nemo non ſentiet, 176. e. 391. d. Cælum cur nonnullis Deus, 175. e. unde admirabile ſit, 229. f. Cæli præparatio in quo ſita ſit, 1132. b. Cæli firmitas indemutabilis, 472. c. Cælorum & mundi ſitus, 487. a. Cæli rationabiliter à Deo temperati, 486. a. Plures ſunt, 486. c. e. De cælorum numero non conſtat, 486. d. Nec certum an id Paulus ſcierit, 486. e. Cælos non ſentit Hilarius animatos, 485. e. Cælum primum circumfuſi Dei accenſum virtute, 486. b. Cælum inferius multiplex una firmamenti voce comprehenditur, 486. c. Cælum inclinatum, 557. a. Cæli viſibilis obſequium Dei verbo, 309. e. Cælum viſibile non eſt habitatio digna Deo, 391. b. Non excluditur tamen publica de Dei ſede opinio, ut ei cælum cæli thronus ſit, 392. e

Cæli, Angeli, 196. a. ſancti, 311. c. *not.* c. 652. d

Cæleſtis civitas ſanctis reddita, 137. b *not.* c. Cæleſtis ſpes quæ, 494. e. Cæleſtis Jeruſalem priùs ædificatur, quàm congregetur, 577. a. per fidei & ſpei opus ædificatur in nobis, *ibid.* à Dei miſericordia per gratiam juſtificationis ædificatur, 577. b. Cæleſtis Jeruſalem etiam Eccleſia militans, 404. a. *not.* h. Cæli oblivioni quas pœnas imprecetur Propheta, 493. f. Cæleſtis habitationis quanta dignitas, 61. a. Ad eam merendam labore opus eſt, 61. a. Ad terram repromiſſionis plures viæ ſunt, 488. c. Cælum non mirabilibus, ſed bonis operibus reddetur, 639. b. Cælum ingreſſuro Stephano patuiſſe, 130. a

Cæleſtis Adam ſecundus, quare, 392. a. quomodo nos cæleſtes efficiat, 392. a

Cæſara Auguſta, 1292. e

CÆSAREA Cappadociæ, 1324. a. *not.* c

Cæſarea Palæſtinæ, 1323. d. Ibi conditum Concilium, 1311. f

CAIN maledicto diaboli adæquatus, 372. d

Index rerum & sententiarum.

Caindo, 1292. e

Calamitates sanctorum quis scientiâ assequatur, 437. b. Inter calamitates in Dei bonitate, tamquam tutissimo familiarique portu, requiescere, 767. d

Calamus infirmitatem atque inanitatem significat, 748. d

CALEPODIUS, 1293. c

Calix iræ, & calix vitæ, 138. a. Calicem transire, non sibi, sed suis deprecatus est Christus, 743 d. e. 744. a

Calle, 1342. c

CALLENICUS, 1324. f

Calumnia quid, 346. b. omnis improba est, 1087. b. domestica ægre cavetur, 346. c. Hac impetiti sunt sancti, 346. c. Fidei excidium solet afferre, 346. d. Quî vitanda, 346. e

Cameli natura, 705. d

CALVUS, 1293. c

CANDIDIANUS exorcista, 1361. a

Canis nomine rabies & impudentia designatur, 131. a. Canum proprietas, 1352. b

Canticum quid propriè, 11. c. 173. b. quid mysticè, 11. f. 12. c

Canticum psalmi quid propriè, 11. d. quid mysticè, 12. a. c. 173. b

Canticum novum ob indultam gentibus Dei notitiam, 559. a. ob mirabilem Christi resurrectionem, 559. c. ob datam sanctis judicandi potestatem, 559. f

Canticis graduum captivitatem Babylonicam ac populi reditum prophetari quidam volunt, 369. f. 414. a. quàm modestè aliud sentiat Hilarius, 370. a Canticis graduum de humilibus ad excelsa scanditur, 390. f

Cantu profano cerimoniarum omnis mundus ante Christum resultabat, 167. e. Cantus eloquiorum Dei obscœnis spectaculorum turpium fabulis suavior, 276. c. Cantus psalmorum in omni loco, 285. e. Dies in orationibus Dei inchoatur, dies in hymnis Dei clauditur, 169. b

Cantus Marsorum, & cantus sanctorum, 124. a

Canusium, 1293. c

Capilli quid significent, 218. b

Captivitas Jerusalem, quæ Jeremiæ diebus contigit, an psalmis prænuntiata, 414. a. Captivitatem Babylonicam, & ab ea populi reditum Canticis graduum prophetari quidam volunt, 369. f. Captivitatem, liberationemque aliam his prophetatam sentit Hilarius, 370. a. 376. b

Captivitas gentium, 92. d

Captivitas mentis quæ, 490. f. Captivitas corporis gravis: at longè gravior captivitas animæ, 408. c

Capua, 1292. e

Caput sedes vitæ, prudentiæ & omnium sensuum, 539. a. In capite est omnis intelligentia, 630. f. Caput sanctorum Christus, iniquorum diabolus, 532. a

Capitum census, 1245. b

Car, 1325. c

Carbo alius devastans, alius purgans, 374. b. Carbones desolationis, 373. e

CARINIUS, 1364. a

Caritatis vis ac natura, 1281. a. Caritatis mandatum lucidum, cujus lumine alia abscونsa revelantur, 260. b. c. Caritatis regula, 638. c. Caritatis perfectæ non est interdum indulgentem officiosumque esse, 1000. d. Perfecta caritas omne cujusque modi implevit officium, 1000. d. Caritatis perfectæ affectus, 363. d. Caritatem eorum quæ amet impatientem esse convenit, 374. e. Caritas in peccatorum calamitate se secus infernum abigi existimat, 540. b. errorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrona est, 626. d

Carmen & hymnus non differunt, 103. c

Caro frequenter in Scripturis pro homine, 114. a. pro generis humani universitate, 163. c. Caro morticina, 257. d. 258. a. c. legi mortis & peccati obnoxia, 257. b. animæ domicilium, 257. b. 258. a. Carnis fines habitant, qui quæ carnis sunt nec in totum sectantur, nec dimittunt, 168. c. his timendum, 168. e. Peregrinandum à carne, 259. f. Sancti cum carne, non in carne habitant, 376. d

Caro nostra Babylonis & confusionis est filia, 495. f. Subigenda est animæ, cujus imperium usurparat, 496. a. Carnis vitia cruci configenda esse, 334. e. *& seq.* Carnis incentiva Dei recordatione comprimuntur, 154. e. Carnis cruciatus, sagittæ Domini, 373. d. iniquis ad pœnam, dilectis Dei prosunt ad innocentiam, 374. b. Carni dominantes, reges & domini sunt, 485. a. digni sunt quorum Deus dominus sit, 485. b. hoc habent ex Dei benignitate, 485. c

Caro Christi salutifera, 58. e. non ex communi originis genere, 54. d

Carnalis homo, 64. a

Carthago, 1307. b

CARTHERIUS, 1324. d

Caseus, 200. a

Castolona, 1292. d

Castramartis, 1293. c

CASTUS, 1292. e

Cathedra doctrinam significat, 508. d. sacerdotii sedes est, 714. b

Cathedra pestilentiæ, 18. e

Catholicæ ecclesiæ Mediolanensium episcopum Auxentius se vocat, 1270. a

CATULUS, 1364. b

Caynopolis, 1293. a

Cecropius, 1337. b

CEDAR gens est Ismahelitarum, 376. a. hebraicè id est quod latinè obscuratio, *ibid.* b

Census capitum, 1245. b

Centuplum promissum relinquentibus sæculum, 287. e. 288. c

Certandi causam sibi adimi non est orandum, sed tribui auxilium vincendi, 308. b

Cervix, 433. a

Chalcedonia, 1323. d

CHANAAN, motio, 477. a

CHANANÆI qui, 685. d

Chartæ Ecclesiarum, 1266. e. continent acta synodalia, 1290. d

Chatimera, 1324. c

CHERUBIM & Seraphim perpetuæ voces, 437. a

Christianum nomen novum, 871. b. non indultum ante Christi passionem, 740 c

Christiani prærogativæ, 584. e. Christiani omnes sunt fratres, 725. c. Christianus cœlestis doctrinæ particeps factus non debet morari in terra, 328. a. Vox fidelibus vexatis usitata, *Christianus sum*, 1219. b. *not.* c. Christianorum jejunia, continentia, castitas ob spem vitæ æternæ, 332. c. Quî hæc eorum spes & bona opera ab impiis irrideantur, 332. c. Christianum peccantem fieri ministrum sæculi, operarium diaboli *&c.* 348. f. *& seq.* A Christianis intellecta & probata est Scriptura legis, 407. c. Dei gratiâ, 407. d

CHRISTUS à quibus sciatur, & à quibus nesciatur, 1071. d. Christi qualiscumque confessio non est fidei consummatio, 911. d. Christi varia cognomina, 71. a. Christus Dei virtus ac sapientia, 208. e. Deus unigenitus, Dei Spiritus, Dei Virtus, Dei Sapientia, Dei Filius, 147. a. sanctus, 138. d. 201. e. os, virtus, sapientia, brachium & imago Dei est, 296. f. cur & quomodo sapientia, virtus, ac verbum Dei sit, 921. d. *& seq.* quà Deus, manus est Dei, 558. b. quî vermis est, 1091. b. Christus David æternus, 141. a. ex David utero æterni regni Dominus, 225. b. ex Juda princeps idem est exspectatio gentium, 225. a. Christus quî pastor, rex, justus, oriens, & heres testamenti pacis, 446. b. virga simul & flos, 46. b. sagitta, 374. a. quî mediator, 671. b 956. c. 985. c. 1095. d. Christus remissor peccatorum, mortis peremtor, diaboli debellator, judex sæculi, Deus & Dominus noster, 161. e

Christus quî speculum Patris, 1030. a quî Patrem in se videndum præstet, 1019. b. Christi cognitio secundùm hominem non præstat cognitionem Patris, 939. d. *& seq.* Christus Patrem exhibet ut vivens ipsius imago, 941. a. b. viventis Dei viva imago est & plenissima forma, 1085. d. Non est vera imago, si quid habet Pater quo careat, 1085. d. Et imago est auctoris, & veritas, 984 a. Ut imago Dei, non est alterius naturæ, 975. d. neque est corporeus aut non infinitus, 975. d. Christo credito Dei vocem audiendam & figuram videndam, 997. b. c

Christum qui tantùm per prædestinationem ante Mariam exstitisse volunt, refelluntur, 1179. a. Christi & elementorum mundi in exsistendo discrimen, 979. b. Christi triplex status distinguendus, ante hominem, in homine, post hominem, 513. a. 987. a. Medium est, quod esse cœpit, id est, natus homo, 1110. d. tunc tantùm Deus & homo, cùm in homine fuit, 513. d. Ante hominem Deus, suscipiens hominem exstitit homo & Deus, 1049. c. Gesta ejus alia sunt nondum nati, alia morituri, alia æterni, 987. b

Christi ante sæcula æterna divinitas, & in omnibus operibus ac doctrinis Dei efficacia, 1130. b. Christus via Dei, 186. d. quî initium viæ operum Dei, 1136. c. ipsius à sæculo inita dispensatio, 1136. b. Omni tempore universos ad legis curam vocavit, 707. d. Ante carnem assumtam in Spiritu, post in corpore manens nos docuit, 513. e. 514. b. olim varias Angeli, hominis, ignis species assumsit, 1137. a. ut naturæ creatæ ad speciem potiùs, quàm ad substantiam naturæ, fidem disceres, *ibid.* b. Illas ea virtute absumsit, qua assumsit, 1137. e

Christi sub lege & post legem diversa munia, 853. a. Christus mediator, unguenti quo unctus est Aaron compositionem docuit, 463. a. in prophetis locutus est, 871. a. idem in corpore fuit, qui mansit Spiritu in prophetis, 1093. c. in corpore jam tritam à se in prophetis semitam percucurrit, 509. d

Christum non Sapientiam ipsam, sed Sapientiæ opus asserentes refelluntur, 665. e. *& seq.* a. Christus à virtutibus cælestibus non solâ differt potestate, quòd per eas quædam, per illum cuncta sint, 820. c. 821. a. Eum Ariani creaturam probare se putant ex iis locis, in quibus se dicit viam, januam, *&c.* 1362. d. Quî verba illa intelligenda, 1362. e. Christum efficiendorum operum causâ creatum sentientes refelluntur, 1134. c. Christus non per causam, sed per ipsum omnis causa, 1094. d. non est creatura, cui creatoris nomen proprium est, 1114. d. *& seq.* in quem non cadit ut speret, ut serviat, ut liberandus sit *&c.* 1115. b. Si creatura est qui in forma Dei est, Deus erit creatura, 1115. d. Christum Scriptura creatorem mundi locutura, Patrem mundi fabricatorem professa est, 1134. d. Christum ex Deo creatum nulla Scriptura locuta est, 1139. b Quo sensu creatum dicere liceat, 1134. a 1139. a. c. quî creatio est à sæculo, 1130. b. Christus dicens nesciri unde ipse sit, se non creatum docet, 898. b. Usque adeo non est ex nihilo, ut impii unde sit nesciant, 898. d. Docens se solum nosse Patrem quia ab eo est, se creatum non esse significat, 897. c

Christus ante tempora & sæcula, 1129. b. Nihil cogitari valet ante ipsius nativitatem, 1129. d. Non cœpit ad originem, 979. c. Illum primogenitum omnis creaturæ quo sensu dicant hæretici, 1303. e. quo catholici, 977. c. Christus æterna nativitate primogenitus creaturæ, temporariâ primogenitus ex mortuis, 41. d. præparati cæli prævenit æternitatem, 1133. c

Christum Deum ignorat, qui ignorat Deum natum, 1088. f. In Christo principale est natum esse, 1083. d. Æterna illius nativitas exitionis verbo quàm aptè significetur, 902. d. Christus filius Dei, 39. b. Hoc inter ea, quæ de ipso docentur, præcipuum est, 893. a. Multis modis notum est eum esse verè Dei filium,

892. e. Ubi ostensus est verè Dei filius, ostensus est naturâ Deus, 892. d. Proprietates ei ad filii nomen adjectæ indicant illum esse verum filium, 895. e. Christus verus Dei filius asseritur nomine, nativitate, naturâ, potestate, professione, 780. a. Christi nativitas probatur ex nomine Dei ipsi dato, 920. e. ex nativitate ipsius ex Deo, 924. a. Christum non adoptivum, sed proprium filium esse quî Pater testetur, & cur, 893. b. 894. a. Christus Deum semper patrem proprium testatur, & proprius filius à Patre semper significatur, 1118. b. Christus cùm humilia de se frequenter prædicet, credibilis est cùm se Dei filium docet, 894. e. & seq. nativitatem suam quanta potuit claritate significavit, 930. c. nativitatem ac naturam suam quî Judæis explicet, 926. b

Christi, ut filii Dei, fides ad salutem necessaria, 907. a. 908. d. Ipse divinæ naturæ suæ ac nativitatis fidem poscit, 944. b. Ut filius Dei credatur ad sanitatem corporis merendam prærequirit, 910. e. Idem ad salutem animæ à cœco jam vidente postulat, 911. b. Non in Christo solùm, sed in Christo Dei filio sperandum, 776. a. Christum Dei filium confitentis meritum, 905. b

Christum futurum esse filium Dei sciebant Judæi, etsi qui esset Christus nesciebant, 912. a. Eum Dei filium dæmones confitentur, 911. e. Si propter corpus non creditur Dei filius, credatur operibus quòd filii Dei sint, 934. d. Christum filium Dei contra Sabellium quomodo probent Ariani, 919. b. d. Qui eum negat filium Dei, inexcusabilis est, 910. b. antichristum pro Christo est suscepturus, 910. c. Christum non nuncupatione, sed naturâ Dei filium esse Petro revelatum est, 905. e Ab Apostolis creditus est filius ex natura, non ex adoptione, 900. c. Christi ut filii naturalis insitam intelligentiam quî nobis diabolus avellat, 910. d. Quæ egit aut docuit, ultra omnia eorum sunt, qui filii ex nuncupatione sunt, 893. a. Christum filium esse degenerem, in Patris contumeliam cadit, 1006. d

Christi æternæ nativitati an unctio Dei deputanda, 1094. b. c. 1095. a Æterna Christi nativitas quatenus signaculis explicetur, 973. e. & seq. Christum filium, unigenitum, ac Deum quî prædicent Ariani, 890. b. c. Christus etiam ut Deus de Patre cum reverentia loquitur, 544. d. per reverentiam filii omnia sua Patri defert, 544. e. In his non est infirmitatis suæ confessio, sed paternæ virtutis prædicatio, 544. f. Christus Deum patrem cœpit habere Dominum, cùm factus est servus, 1090. c. Christi missio ac natura Apostolis antè innotuit, quàm nativitatis ratio, 901. e. & seq. c. Summa fidei de æterna Christi nativitate, 1129. d

Christum apertè negare Deum non audent Ariani, 949. not. a. Quibus sophismatis simplices ab hac fide depellere contendant, 949. a. Christum ante omne omnino tempus natum ex Deo Deum esse concedunt Auxentius ac socii, 1265. d. Aliæ eorumdem de Christo opiniones, 1265. c. & seq. Christi divinitatem unde probet Sabellius, 919. a. Quibus modis eum novimus Deum, 920. e. Christi divinitas Psal. 67. 34. asserta, 211. b. c. Christus in creando mundo Deus Dei dictis obediens, 868. a. Christus à lege, prophetis & Apostolo prædicatus est Deus, 155. f. & seq.

Christum verum Deum non esse, qua arte insinuent Ariani, 856. b. Ex lege confutantur toto libro v. de Trin. Christus non negatur Deus, quòd Pater dicatur solus verus, 1005. d. si Deus est, Deus verus est, 861. b. non est Deus cœptus, sed natus, 924. d. nec cœpit quòd Deus est, nec profecit, 924. e. ut natus ipsam Patris naturam habet, 1089. a. ut verè ex Deo natus, ita verè Deus, 868. e. verus Deus est, si Pater Deus verus est, 1006. b. per veram ex Deo nativitatem Deus verus, neque alter Deus, 949. e. Christus Deus verus toto libro v i i. demonstrandus, 916. b. 920. d. Christi divinitatis multa argumenta, 1005. e. Aliud, 101. c. Christo in lege virtus Dei, potestas Dei, res Dei, nomen Dei attribuitur, 867. e. Christus Mediator legem Moysi per Angelos dedit, 867. b. Deus verus est qui hanc dedit, ibid. Christus se Dominum ac Deum, dum negare videtur, ostendit, 1002. a. egit quæ non percipimus, ut tamquam Deus omnia posse intelligatur, 811. a. c. Qui jurat in eum, ut in Deum verum jurat, 155. f. Christum Deum verum jurat omnis credentium fides, 871. d. Christus hinc Deus probatur, quòd dat vitam æternam, 1004. a. & non secus ac Pater Ecclesiæ ministeria statuit, 967. c. se ostendit Deum, ubi se testificatur à censu liberum, 696. e. Christi anima signis & factis se Deum probavit, 544. c. not. c. Christus verba sua ita temperavit, ut & natum se proderet & Deum, 1089. b. Christi divinitatis argumentum, resurrectio ipsius, 106. b. 923. b. Alterum, quòd cùm tam humilis esset, non recusavit Dei nomen, 923. Agens quæ Deo essent propria, & inter ista se Dei filium profitens, Deus immeritò non creditur, 940. e. & 941. a. Eum Deum verum discipuli intelligunt ex divinis illius virtutibus, 1001. e

Christus non nuncupatus, sed creaturarum Deus est, qui super omnia Deus est, 970. a. dans escam vitæ æternæ, quia signatus à Deo, indicat se signantis se formæ plenitudinem obtinere, 974. a. ut Dei forma, totum in se coimaginatum habet quod Dei est, 974. c. ut in Dei forma & in Dei gloria, nequit aliud esse quàm Deus, 974. c. non aliud aliquid ipse totus, quàm Deus, 974. e. Sicut in eo vera est caro nostra secundùm formam servi, ita in forma Dei vera est divinitas Patris, 1362. c. Si in ipso plenitudo divinitatis inhabitat, non est ex parte similis, & ex parte dissimilis, 1362. c. Christi dignoscendi nota, operum virtus, 688. e. Agit quod nec ignoratur, & ignorabile est, 1073. a. Deitas illius per operum magnificentiam à Judæis intelligi debuit, 98. c. 100. a. Christo negare divinitatem quam operibus prodit, blasphemia est non remittenda, 671. e. 672. d

Christus habet cum Patre substantiæ unitatem, 724. b. Hanc quàm potuit aptiùs declaravit, 978. b. Quî cum Patre Deus ac Dominus unus sit, 1001. d. e. Ubique se nec eumdem nec diversum à Patre profitetur, 995. e. 996. b. Unus est uno Deo patre, 452. b. Ex Deo spiritu nascenti non potuit aliquid diversum inesse, 924. c. Christus cum Patre unum naturâ ostenditur, dum ita per se agit, ut non à se agat, & ita non ab se agit, ut per se agat, 1016. a. inseparabilis est à Patre, 970. a. 1004. e. quomodo in Patre, & Pater in eo, 891. b. ut ad fidem, ita ad salutem non est separandus, 1005. a. f. Patrem secum habet virtute atque unitate naturæ, 1003. b. quî vivat per Patrem, 957. c. Patris naturam habet, sicut in Eucharistiæ sacramento carnis ipsius naturam adipiscimur, 957. c. Filii Patrisque eadem virtus, honor, opus, natura professio, forma & gloria, 1251. d. & seq.

Christi facies, divinitatis ipsius gloria, 454. d. e. Christi gloria omnis in solo Deo vero patre, 1012. c. Non glorificatus est gloria exteriore, sed in Patre, 1012. a. b. Christi Patrisque una est gloria, 1011. e. honor inseparabilis, 998. d. Christus fidei honore Patri se æquavit, 995. f. se Patri exæquavit honore, potestate, naturâ, 973. c. ex honoris æqualitate naturâ æqualis ostenditur, 1014. e. 1015 b

Christi ut Patris substantia est invisibilis, 1085. f. Christi cum Patre æqualitas à quibus auctoribus asserta sit, 891. c. Christus non est secundùm nos corporalis, ut cùm alicubi sit, absit aliunde, 405. b. Virtus illius infinita, 649. f. & seq. Omnis ei potestas ex Patre, 545. b

Christi virtus de cognitione. quid hæc cognitio, 926. d. Deus unigenitus non per ignorationem demonstrationis doctrinâ eguit, 927. c. Ei connata est cognitio operum quæ Pater effici vellet, 928. a

Christus finis legis, 453. a. plenitudo legis & prophetarum, 224. d. Christi lucerna est omnis de eo prophetia, 459. d. Christus in lege, prophetis & Evangeliis continetur, 676. d. Fermento comparatur, 676. d. Mysteria ejus tutò explicantur, cùm secundùm Scripturas, 1078. b. Christi corporalitatem, passionem, resurrectionem lex locuta est, 624. d. eum redemtorem lex, prophetia &c. omni tempore testata sunt, 359. c. Sunt qui ad Christum omnia Psalmorum verba referri velint: quid de illis sentiendum, 157. b. Quî omnes psalmi de Christo sint, 504. f. quî ad illum referenda omnis eorum prophetia, 15. c. d. Christi fides, psalmorum clavis, 5. a. Christum prophetavit David gestis suis, 542. e

Christi adventus omnibus legis mandatis præcontinetur, 364. a. nomine David dicitur, 445 e. & seq. Illum totâ vitâ suâ speravit Psalmista, 441. c. Hæc sanctorum exspectatio, ut omnis caro redimeretur in Christo, 219. a. Christi adventus opus est prohetarum, 4. e. 727. c. Christi dispensationis ultimæ sacramentum, 1136. d

Christus excessit ex æternæ beatitudinis suæ strato, 449. d. ex Deo homo, ex potente infirmus &c. factus est, 449. c. Cur Deus nasci, pati, ac mori voluerit, 988. a. De Christi origine ac passione quid Catholici, quid Ariani sentiant, 1083. d. & seq. a. d. Christum Adæ carnem atque animam ex Virgine assumsisse nonnulli dicunt, 1048. a. Quando in carne sit natus, 708. a. Christi corporati mysteria homini ineffabilia, 625. a. In ipso Christi ortu temporali deficit humana ratio, 1071. a. Christi generatio æterna & temporalis exponitur, 1039. e. & seq. Humilitatem conceptionis & ortûs Christi dignitas commendat, 801. a. & seq. Christus quî natus lege hominum, & non hominum lege conceptus, 1066. a. Christus ex se natus homo, 1053. e. per virtutem profectæ ex se originis, 1053. b. per Verbum caro factus, 616. e. Christi caro non aliunde originem sumsit, quàm ex Verbo, 1046. b Ipse sibi origo nascendi, 988. a. ipse corporis sui origo est, 1047. a. ipse corporis & animæ suæ princeps, 1044. c. per initia corporis & animæ nostræ non vixit in corpore, 1044. c. per se ex Virgine corpus, ex se animam sibi assumsit, 1049. a. Non est in vitiosæ infirmitatis nostræ corpore, qui non est in origine, 1058. d. Christi conceptio spiritalis, 1064. a. Hinc probatur à vitiis humanis liber, 1064. a

Christus quî & de cælo, & filius hominis, & in cælo, 1045. c. & seq. De terra est ut ex Virgine, de cælo ut ex Verbo, 1046. c. & seq. item filius hominis simul & panis de cælo, 1047. b. Christi corpus arcâ testamenti figuratum fuit, 453. c. & seq. Christus in corpore positus, arbor est, 672. c. Christi corporatio non Dei infirmitas est, sed virtus, 864. a. b. Hoc impietas non intelligit, 863. d

Christus assumsit creationis nostræ corpus, 147. 617. a. terrenam carnem nostram, 226. f. c. naturam corporis primi Adam, 207. a. universitatis nostræ in se naturam continet, 1091. d. est de frutice Judæ, ex Maria ex frutice Judæ, ex radice Jesse, secundùm carnem, 456. a. in lege docetur David filius, 685. f. verè est ex semine David 724. a. ut homo, David nuncupatur, 388. a. 454. a. nomen sumens ejus, cujus ex genere sumebat & corpus, 446. d. f. Christus David secundùm carnem filius, secundùm Spiritum Dominus,

Index rerum & ſententiarum.

1001. c. de peccatoribus carnem ſuſcepit, 140. b. de Juda & Moab, 140. c. Chriſtus fructus ventris, 420. e. qua mercede, 420. d. e. natus ex carne Virginis, quæ tamen de ſuis imminuta non fuit, 817. e. & ſeq. pudorem humani exordii non recuſavit, 800. c. In Chriſto humani corporis pudor, 206. b. quatenus, *ibid. not.* f. Chriſtum ita ex ſe genuit Virgo, ut ex Verbi Spiritu genuerit, 1045. a. Chriſtus verè natus ex Virgine cur ab Apoſtolo & factus & creatus dicatur, 1137. f. 1139. a. Chriſti generationis ordo cur nec numero nec ſucceſſione ſibi conſtet, 611. a. In Chriſti corporea procreatione, nativitatis æternæ ſignificantia comprehenditur, 611. d

Chriſtum non noſtri corporis atque animæ hominem qui à catholicis credi objiciant, refelluntur, 1048. d. Chriſtus non in habitu falſæ carnis viſus, 500. d. non alienæ aut ſimulatæ naturæ hominem aſſumſit, 505. d. verus & non ſimulatus homo eſt, 542. e. cui non ſimulatus hominis affectus, 542. d. noſtri corporis atque animæ homo natus eſt, 98. c

Chriſti corpus naturæ propriæ fuit, 1052. a. cui corporis humani veritas, non vitia, 1053. b. & ſeq. Chriſtus peccati noſtri, peccati ipſe neſcius, particeps fieri non recuſavit, 507. e. peccati noſtri corpus aſſumſit, 992. e. 1066. b. carnis noſtræ homo natus, 215. e. carnem peccati recepit: cur, 774. a. carnis noſtræ ſit particeps aſſumtione, non crimine, 774. a. habitum noſtrum aſſumſit, 554. c. Chriſto non eſt ſimilitudo carnis, ſed ſimilitudo carnis peccati, 1253. b. Aſſumta peccati carnis ſimilitudine, de peccato condemnavit peccatum, 547. a

Chriſtus ex ſuſceptione carnis puer, 223. b. ſecundùm carnem nobis conſanguineus quî diſſideat à nobis, 219. e. non habet fratres niſi ex carnis ſuſceptione, 1091. a. 1095. d. factus noſtri corporis homo, 70. b. fratres nos ſuos fecit, 70. c. omnium noſtrûm corpus aſſumens, omnibus factus eſt proximus, 704. a. Per conjunctionem carnis aſſumtæ in eo ſumus, 240. a. Chriſti caro civitas eſt, cujus cives ſunt homines, 624. a. In Chriſto ſanctificatum univerſi generis humani corpus exſtitit, 800. c

Chriſti corporati finis, 800. c. e. Chriſti corporatio homini acquirit ut Deus ſit, 986. c. Omnibus venit, 648 c

Chriſtus filius hominis non ex parte, 98. a. in quo totus homo, 616. d. *not.* o. perfectus homo natus eſt ſecundùm habitum conformationis humanæ, 1049. a. ex anima & corpore perfectus homo fuit, 1045. a. Chriſtum Deum Verbum eſſe, & filium hominis anima & corpore conſtitiſſe non ambigimus, 1073. b

Chriſtus habet in ſe totum verumque quod homo eſt, totum verumque quod Deus, 1048. a. Chriſtum ignorans & verum Deum & verum hominem, neſcit vitam ſuam, 985. b. Chriſtum vel Spiritum Deum, vel carnem noſtri corporis denegare, ejuſdem periculi res eſt, 985. b. Deus & homo in Chriſto qua vi uniti, 216. f. De Verbi hominiſque in Chriſto conjunctione varia hæreticorum commenta, 1068. b. vera fides, 1069. b. Verbum alii putant modo ſpiritus prophetalis in Chriſto habitaſſe, 1048. d 1068. c. alii in corporis animam defeciſſe, 1068. b. alii corpus officio animæ vivificare, 1068. c. Chriſtum tripertientes, aut in unum communis generis hominem contrahentes arguuntur, 1074. d. 1076. e

Chriſtus in forma Dei ſimul & in forma hominis manere non potuit: nec aboleri Dei forma ita potuit, ut eſſet tantùm Dei forma, 227. e. 228. a *not.* c. exinanivit ſe ex Dei forma, 974. d. ſe exinaniens amiſit cum forma Dei naturæ Dei ſecundùm aſſumtum hominem unitatem, 1007. c. Chriſti evacuatio ex Dei forma ſine interitu naturæ cæleſtis, 228. a. Evacuatio formæ non eſt abolitio naturæ, 993. c. Evacuatio proficit ut proficiat forma ſervi, 993. c. Chriſto exinanito ſubſtantia ſe exinaniens non erat, non quia ſe caruit, ſed quia non videbatur exſtare, 216. d. Chriſtus ſe exinanivit, non virtutis naturæque damno, ſed habitûs demutatione, 1007. b. Damnum ad detrimentum ſui evacuatio formæ Dei neſcit, 555. a. Virtus in humilitatem, ſeſe licèt cohibens, non defecit ex ſeſe, 555. a. Chriſti exinanitio ſine Verbi demutatione egregiè explicatur, 1110. b. 1116. a. In Chriſto nato aliud oculis, aliud animo conſpicitur, 802. b. Chriſtus factus homo non deſiit eſſe Deus, 39. d. 864. a. 993. b. 1028. b. 1049. a. non amiſit quod erat, ſed cœpit eſſe quod non erat, 816. c. Deus aſſumta carne erat aliud quàm manebat, nec tamen non erat quod manſerat, 986. b. Aſſumtio noſtra profectus non eſt Deo, 986. c. Dei unigeniti poſt carnis aſſumtionem immutabilitas, 809. c

Chriſti duæ naturæ, 227. e. 619. b. Chriſtus Deus verus ſimul & perfectus homo, 1048. a. 1077. d 1086. b. 1091. e. Formæ ſervilis aſſumtio non fuit proprietas interior, ſed exterior acceſſio, 228. a. nec tamquam genuinæ originis conditioniſque natura, *ibid.* Naturæ poſterioris adjectio nullam defectionem naturæ anterioris attulit, 103. e. Infirmitates in Chriſto ſunt *ad naturam* genitæ, 863. e. Chriſtus probatus ut homo, cognitus eſt Deus, 507. a. & ſeq. dictis ac geſtis ſe Dei hominiſque filium ſemper oſtendit, 986. d. duplicis naturæ eſſe oſtenditur, cùm & ſe demerſum dicit, & ne demergatur rogat, 222. d

Chriſti natura indeſecabilis, 1058. b. Chriſtum non dividit vera fides, 1069. b. Totum ei Deus Verbum eſt, totum ei homo Chriſtus eſt, 1069. c. Chriſtum dividentes refutantur, 1049. b. 1074. d. 1076. e. Chriſtus idem Deus ſimul & homo, 98. a. 1049. b. idem Spiritus & homo, 993. d. unus & idem eſt demutans habitum, & aſſumens, 993. d. unus atque idem intrà extráque Dei filius eſt, 1195. c. non alius in forma Dei, quàm qui in forma ſervi, 1047. d. non alius filius hominis, alius filius Dei, 1010. b. ex utroque, Deo & homine, unus ſubſiſtit, 1366. c. eſt inter hominem & Deum medius confeſſione in ſe utriuſque naturæ, 1386. c. Mediator eſt inter Deum & homines, dum ex unitis in idipſum naturis naturæ utriuſque res eadem eſt, 985. c. 661. d. 1095. d. Ex illâ unitione Deus & pati cœpit & mori poſſe, 217. a. Chriſti indiviſio, 1073. a. 1075. c. 1076. c. 1077. a. Quod in corpore ipſius factum eſt, hoc factum eſt in ipſo, 1074. b. Deo ſociæ ſunt infirmitatum noſtrarum paſſiones, 988. c

Chriſtus Deus ſimul & homo, aliquando quæ Dei, aliquando quæ hominis ſunt loquitur, 103. d. dictis ad duplicem naturam ſuam coaptatis utitur & in Evangeliis & in Prophetis, 526. e. In Scripturis de eo contuendum, quid divinitati ejus, quid homini ſit aptandum, 513. c. Myſteriorum Chriſti intelligentia in hoc ſita eſt, ut illius naturas nec dividas, nec confundas, 505. b. 1074. c. 1075. c. Si quid infirmum ex perſona ejus dictum, ad hominem referendum, 505. d. Chriſti noviſſima ſunt, quæ ſunt hominis ab eo aſſumti propria; antiqua, quæ ad illius æternitatem attinent, 511. b

Chriſtus aliud naturâ ſuâ, aliud aſſumtione noſtra, 989. d. Aliud in eo eſt naturam eſſe, aliud aſſumſiſſe naturam, 505. e. Quòd Deus eſt, naturæ ſuæ eſt; quòd autem homo, naturæ noſtræ aſſumtio eſt, 526. f. Cognomina ejus alia naturalia, alia aſſumta, 1005. c. Alienum à natura ſua corpus aſſumſit, 219. e. In unigenito Deo non fuit naturalis infirmitas, ſed aſſumta, 219. c. Naturæ noſtræ infirmitates aſſumſit, 505. e. Aſſumtio infirmitatis non fecit infirmum, 505. e. Chriſti animam qui humanæ naturæ & infirmitatis exiſtimant, quatenus fallantur, 98. a. In Chriſto omnia contra naturam, 864. b.

Chriſti duæ voluntates, 1059. e. 1060. a. d. libera voluntas, 1017. a. ſed à Patris voluntate non diſſidens, 1017. b. Volens ipſe voluntatem Patris explet, 812. b

Chriſtus in ſæculo demoratus vitia & peccata ſæculi non adiit, 641. e. fuit peccati expers, 128 e. 218. c f. ſolus extra peccatum, 525. d. ſolus culpæ neſcius, 119. b. perfectus & ſine peccato ſolus, 324. a. qui peccatum factus, 1066 e. Chriſtus non peccator, ſed peccata ſuſcipiens; non infirmus, ſed infirmitates portans, 505. e. tamquam peccati mortiſque debitor, cùm non eſſet, habitus, 1218. c ut peccator & ſtultus vexatur, 218. [illegible]

Chriſtus circumciſione non egens in templo oblatus eſt ut circumcideretur, 243. d

Chriſti humilitas in baptiſmo, 507. d. Quî lavacro propter ſe non eguit, ſed propter nos, 617. a. Chriſtus hominem & aſſumtione ſanctificavit & lavacro, 617. b. baptiſmo renaſcebatur Deo in filium perfectum, 42. b

Chriſti tentatio in deſerto, 507. f. hominem ſuum diabolo obtulit ad tentandum, 618. a. ut in homine vinceretur, 618. b. Uſque in tentationem cibo hominis abſtinens, Dei Spiritu alebatur, 619 b. Jejunium, fames, & tentatio ejus cæleſtis conſilii effectibus plena ſunt, 617. e. Chriſti jejunium quomodo ei in opprobrium factum ſit, 220. c. e

Chriſtus in monte transformatus habitum regni ſui oſtendit, 1104. a

Chriſtus Judææ miſſus, ſed ſalus gentium nuncupatus, 614 d. Opus ejus, miſſionis ipſius à Patre teſtimonium eſt, 996. e. Chriſti proprium eſt ſalvare credentes, 616. b. Ad remiſſionem peccati, condemnationemque peccati legis homo natus, 147. a. nihil ſuâ causâ agit aut patitur, 223. c. Chriſti in hoc mundo exercitatio noſtræ ſalutis operatio eſt, 105. b. Chriſti clamor, 217 e. Chriſti proprium officium fuit cognitionem Dei afferre, 723. c. prædicare Patrem, & illius voluntatem explere, 517. a. maximum opus fuit Patrem nobis manifeſtare ut patrem, non ut ſui creatorem, 820. b. 821 a. b. & hominem dignum Dei habitaculo reddere, 448. e. homo factus eſt, ut divinarum rerum teſtis nobis eſſet ex noſtris, 812. b. humanæ prudentiæ formam in ſe præbuit, 324. a. Chriſtus quomodo dux noſter in ſemita mandatorum, 274. b. tantum in ſe humilitatis & materiæ recepit, quantum in nobis erat virtutis ad intelligendum ſe, 809 b. ſub miniſterio aſſumti hominis omne opus ſuum exſequitur, 934 e. Chriſti manus quî ad bellum edoctæ, 553. f

Chriſti paupertas, 234. b. 532. f

Chriſtus hoc habet in natura ne ſit humilis, 1100. a. humilitatis præceptum præbuit & exemplum, 324. a Humilitatis ejus præmium, 324. f. & ſeq. Chriſti humilitas noſtra nobilitas eſt, 800. e. Chriſtus qua ratione minor Johanne, 664 b. *not.* i. cur ſanatis ſilentium de ſe jubeat, 669. c

Chriſti claritas in carnis humilitate, 815. d. Omnis gloria non Verbo, ſed carni acquirebatur, 1010. b. Chriſti ſputus & ſermo natura corporis eſt, 1065. d. Virtus ex ipſo velut ex veſte fimbria exit, 684. d

Chriſti miracula unde, 1180. d. An illius corpus per ſe habuerit virtutem ea patrandi, 1051. a. *not.* c. Non convenit ut ad animæ Chriſti præceptum ac virtutem anima in corpus revocetur, 1072. e. Chriſti corpus in famulatum Spiritûs (id eſt Verbi) aſſumtum, 616. d. Cur panes multiplicaturus in cælum reſpexerit, 682. c

Chriſtus omne tempus, quod in homine

egit, in Dei operibus explevit , 802. c. remittendo peccata ſe Deum probat, 646. d. Chriſto ſoli de communione paternæ ſubſtantiæ familiare erat peccata dimittere , 647. c. Quî quidquid gerit Chriſtus, Deus gerat, 992. c

Dei de Chriſto teſtimonium , ipſa Chriſti operatio, 997. a. Chriſti virtutes atque opera omnia ut Dei eſſe laudanda , 645. a

Chriſti geſta & veritates ſunt, & ſigna rerum futurarum, 667. e

Chriſto dominantem neſciendi neceſſitatem hæretici affingunt, 1022. e. Quieſcentium adhuc animorum ſubituras inquietudines non ignorat , 1023. d. Neſcire nihil poteſt ut auctor omnium , 1023. b. ut non naturæ incompoſitæ, 1024. b. An humana penetret ut potior , & paterna ut inferior non penetret ? 1029. b. Scientiæ theſauri omnes in eo inſunt , quà Deus eſt ; occultantur , quà ſacramentum eſt, 1022. e

Chriſti ignoratio diſpenſatio potiùs quàm ignoratio eſt , 1026. a. 1028. a. Infirmum naturæ noſtræ hominem uſque ad ignoratæ diei ſuæ ſcientiam eſt profeſſus , 547 c. Quòd judicii diem neſciat, tacendi diſpenſatio eſt , 1034. a. Patri injurioſum eſt, ut filio demonſtrarit diem paſſionis , & diem virtutis eum celaverit, 1024. c. Quod neſcit , ex naturæ ſcientia eſt, 1027. d. ſi quid ignorat , una non eſt ipſius ac Patris voluntas , 1030. e

Chriſtus corporis noſtri homo natus, naturæ noſtræ more locutus eſt , 987. c. Eloquia ejus rebus apta ſunt & vera , 953. a. An juraverit, incertum, 447. b. Juraſſe dicitur , quia ita implevit omnia , quaſi ea juraſſet , 447. b. Juravit ſe in cælum non rediturum , niſi homo digna Dei ſedes effectus eſſet , 449. b. ob id mortuus eſt, *ibid.* d

Chriſti ſubjectio eum Patre inferiorem non probat , 1099. e. quid ſit, 1102. e. *& ſeq.* Semper ſe Patri ſubdidit & filii honore, & hominis conditione , 986. e. Chriſti Dei ſubjectio pietatis eſt , non eſſentiæ diminutio , 1182. d. Chriſtus Deus Patri & obſequio ſubjectus eſt & nomine, 1183. a

Chriſtus Patri obediens, eoque minor eſt in forma ſervi , 1354 d. voluntati Patris in omnibus volens obedivit , 97. b. obſequens Patri , voluntatis officio non caret, 530. g. Chriſti obedientiæ quale meritum, 96. b

Chriſti omnipotentia ex aſſumtis infirmitatibus concluditur , 864. b. Chriſtus eorum deprecatur obſequio , quorum infirmitates portavit , & peccata ſuſcepit , 95. c. Dei erga ſuum hominem memoriam precatur , 446. e. ſalutem homini quem aſſumſerat precatur, 221. b

Chriſtum infirmum non probat gloriæ petitio , aut poteſtatis acceptio , 1003. d. 1004. d. Gloriam non naturæ divinæ optat, ſed humanæ, 120. c. Quam clarificationem à Patre exſpectet, 816. c. Aſſumtæ ſervili formæ gloriam repoſcit , 95. d. hoc eſt Dei nomen , 95. e. neque tantùm hujus nuncupationis honorem , 96. a. ſed virtutem & naturam , 96. b. c. Oratio ejus nobis , non ſibi profecit, 1081. a. Chriſtus ut homo ſalutem deprecatur , quam etiam moriturus ſperat ob conſcientiam divinitatis , 216. b. aliquid præter hominem præ ſe fert, cùm ſalutem ſibi non ſuâ causâ precatur , 223. b. Qui gloriam ac reſurrectionem non aliunde exſpectat , minimè eſt infirmus , 106. b

Chriſtus honorem paternæ majeſtatis per humilitatis noſtræ confeſſionem prædicat, 554. b. omnia ſecundùm hominem paſſus , omnia ſecundùm hominem locutus eſt , 95. c. omnia ut homo & patitur & loquitur , 223. b. ſe nobis accommodavit in omnibus, quibus naturæ noſtræ infirmitas detinetur , 1028. b. univerſarum humanarum paſſionum ſorte perfunctus , 147. a. 215. e. univerſæ carnis noſtræ paſſionibus functus , 783. e. omnes naturæ noſtræ contumelias tranſcucurrit , 800. c. paſſus eſt quæ homines pati poſſunt , 1078. b. Chriſti aſſumta caro, id eſt totus homo , paſſionum eſt permiſſa naturis , 1052. c

Chriſtus humanæ conſuetudinis affectus ſuſcepit, ut ſe verum probaret hominem , 1076. a. In eo manſit flendi , ſitiendi, eſuriendique affectio , 1052. a. Chriſtus ſe ſomno, laſſitudini , ſiti & eſuritioni ſæpe commiſit , 217. f. infirmitates noſtras ſuſcipiens portanſque peccata , uſu & conſuetudine humanæ defatigationis locutus eſt , 217. f. per ſomnum , famem , ſitim, laſſitudinem , lacrymas hominem egit , 813. a. Eſuritionis illius patientiam tentavit diabolus illudere , 619. a. poſt quàm per eſuritionis infirmitatem in eo quæ ſunt hominis recognovit , 618. d. Chriſtus ut eſuriret naturæ ſuæ hominem dereliquit, non ei inediæ ſubrepſit operatio , 618. c. dereliquit , quia diabolus à carne , non à Deo erat vincendus, 618. d. cibum aut potum accipiens conſuetudini ſe tribuit , non neceſſitati , 1053. b.

Chriſti anima in Evangeliis frequenter triſtis & mæſta eſt , 98. c. Chriſtus Lazarum excitaturus quid fleverit, 220. e. Chriſtus & flevit & doluit , 1073. a. verè flevit, 1072. b. d. Illius fletûs rationem reddere nequeunt Ariani , 1071. d. *& ſeq.* Chriſtus flet interdum & ingemiſcit & triſtis eſt : & id ipſum ad infirmitatis tribuitur exemplum , 220. c. f. non ſibi flevit , aut ſitivit , aut eſurivit , 1053. a. Lacrymæ ejus pro nobis erant , 115. b. Ex infirmitate corporis anxius fuit , 527. a

Chriſti eſuries , ſitis , mors *&c.* non ſunt ſolitariè audienda , 1190. b. Gerens hominis Deique naturam , habebat & ex hominis infirmitate trepidationis affectum , & ex conſcientia divinitatis fiduciam ſecuritatis , 530. c. Sermo ei & affectus hominis infirmi ſine contumelia Dei , 113. c

Chriſti vita omnis impiorum odiis exagitata, 527. e. 528. d. Grano ſinapis comparatur, 676. b. Quæ geſſit ac paſſus eſt , præſcivit ac præſcripſit Pater , 510. a. Eum non pati poſſibile non erat , 743. d. e. In Abel & Zacharia habitans & prædicans erat paſſus , 727. f. Chriſti paſſio jam à conſtitutione mundi oſtenſa , 743. d. in lucta Jacob præfigurata , 864. e. pſalmo LXVII. prædicatur , 215. d. paſſionibus David prophetatur , 546. a

Chriſti divinitati triſtitiam , metum *&c.* quidam attribuunt , 741. d. Confutantur, 741. e. Iidem aſſerunt filium Dei cœptum ex tempore , & ex nihilo creatum , 742. b. Chriſtus Verbum pati potuit , paſſibilis eſſe non potuit , 1181. a. Chriſtus paſſionem non timuit , quam voluntariè ſuſcepit , 515. e. *not.* c. Hanc implere vehementer deſideravit , 530. g. *& ſeq.* ad prophetiæ fidem , 531. b. d. quia per paſſionem humanæ ſaluti conſulebat, 223. e. Cur paſſio ei in deliciis fuerit , 516. a. b. Chriſtus in tempore paſſionis flevit & oravit , non ob naturalem quaſi paſſionis metum , ſed affectum hominis quem gerebat oſtendens , 542. d. Nulla ei fuit cauſa de ſe timendi vel dolendi , 1042. a. 1055. b. Non rectè putatur mortem timuiſſe , quam docuit non timendam , 1042 b. quam & ſponte oppetiit cum reviviſcendi poteſtate , *ibid.* c. *&* 1043. a. b

Chriſti mæſtitia non ſecundùm humanam neceſſitatem , 222. f. non de ſe , ſed de diſcipulis orta , 545. c. 742. d. 1060. c. Uſque ad mortem, non ob mortem triſtis fuit , 743. a. 1059. b. Blaſphemiam Spiritûs ſuis metuebat , 743. b. Commærentis non ſolatium, ſed fidem quærit, 223. f

Chriſtus ad omne officium humilitatis explendum , paſſioni ſe & infirmitati ipſe permiſit , 94. c. in medio orbis terræ paſſus eſt , 476. b. quid in paſſione à militibus paſſus ſit, 30. c. ad incrementum gloriæ flagris ſcapulas obtulit , 629. a. conviciis omnibus affectus , quæ in impios dirigi ſolent, 220. a. omni hominum generi obtrectatio & canticum effectus , 220. d. 221. a. plus aliquid morte paſſus eſt , 449. c. De ſudore ſanguinis & adventu Angeli nihil ex ſtat in pluribus libris, 1062. a. Sudare ſanguinem non infirmitas eſt , ſed poteſtas , 1062. c. Chriſtus propter nos , ut triſtis , ita & confortatus , 1062. b

Chriſtum in natura impaſſibilis Dei fuiſſe nolunt hæretici , 1041. c. Quatenus impaſſibilis fuerit , 450. b. c. Chriſtus à dolore vindicatur , 1055. d. Omnibus quæ infirma ſunt ſalvâ majeſtatis ſuæ dignitate perfunctus eſt , 105. d. e. Univerſa , quæ mortis noſtræ ac timoris ſunt , in eum incidebant potiùs , quàm inerant , 105. e. Habuit corpus ad patiendum , non naturam ad dolendum , 1052. a. Chriſti corpus an habuerit doloris noſtri naturam , 1051. a. Chriſtus verè paſſus eſt , 1051. a. Quî in eo paſſionis impetus ſine dolore paſſionis , 1050. d. Dolet pro nobis , & non doloris noſtri dolet ſenſu , 1066. c. natus homo nobis opinionem naturalis ſibi in paſſione doloris invexit , 1066. d. Chriſti paſſionum natura ſecundùm animæ corporiſque naturam fuit , 1044. d. Chriſtus extra carnalem naturam dolendi, 1057. a. corporis ſui virtute corporis noſtri paſſiones ſuſcepit , 1066. a. Licèt ſe paſſioni dederit , non tamen Virtus æterna dolorem paſſionis excepit , 545. c. Chriſtus res naturæ noſtræ in paſſione & morte ita peregit , ut eas virtute naturæ ſuæ geſſerit , 987. d. omnes noſtras paſſiones ſuſcepit , ſed in paſſione tenuit omnipotentiæ ſuæ naturam , 1065. e. In eodem Chriſto & infirmitas ad paſſionem , & ad vitam Dei virtus , 1078. a

Chriſti divinitas vulneris clavo non ſuccubuit , 1067. b. In Chriſtum omnis terror deſævientis in nos tempeſtatis incubuit , 216. f. non aliunde quàm ex aſſumtione carnis ; quia in eum ut Deum infirmitatum noſtrarum terror incidere non valebat , 216. c. Chriſtus non naturaliter infirmus , 1055. e. Quæ in eo fuerunt infirmitates , non naturales erant , ſed aſſumtæ , 224. d. Hoc ſoli Deo erat notum, 223. d. Chriſtus dolet , ac dolorum noſtrorum querelis loquitur , 215. e. Ipſe extra neceſſitatem & timoris poſitus & doloris , his quæ ſuſcepit ſe accommodat, *ibid.* In carnem illius , non in æternam & impaſſibilem divinitatis naturam iniquis jus paſſionis fuit , 91. b. Chriſti naturis primùm diſtinctis , 505. b. ſubinde divina tantùm à dolore eximitur , 506. a. *&* 516. *not.* c. Chriſtus doloribus caret ut Deus , 506. a. Qui non dolet , non Deus permanere non poteſt , 506. b Quî Chriſtus peccata noſtra portet ac pro nobis doleat , 744. d. In Chriſto dolor vulnerum & perſecutionis , 226. a. f. 227. a. Quia dolet ut homo , malè arguitur dolere ut Deus , 227. *not.* a. In Chriſto Dei filius paſſus eſt , non compaſſus , 1195. b. Chriſti corpori nulla infirmitas dominata eſt , 1055. c. Chriſti corpus permiſſum paſſioni : ſed permiſſa ſibi , dominata mors non fuit , 530. d. Chriſti paſſio voluntaria eſt , non coacta, 1067. b. non naturalis eſt , ſed aſſumta , 219. c.

Chriſti potentia in paſſione emicuit , 1067. a. Paſſio Chriſti triumphus eſt , 1067. d. Chriſtus paſſione ſua infirmitates noſtras abſorbuit , 642. c. & ipſum dolorem mortis , 744. f. ſecundùm hominem pro nobis infirma omnia paſſus , ſecundùm Deum in his omnibus triumphavit , 1067. e

Chriſti in cruce caro nodata & transfoſſa , 1043. d. Chriſti mortis prophetia , 217. a. Dominicæ mortis & temporis imitator Jonas , 217. a. Chriſtus in cruce majora

opera

opera agebat, quàm si de ea descenderet, 749. b. Christi morientis clamor divinitatis recedentis contestans dissidium, 749. d. *not.* d. Christi derelictionem quàm frustra objiciant Ariani, 1067. e. *& seq.* qui illam interpretentur, 1069. a. Christi in morte securitas 450. a. Christus mortem perpetiens, sed mori nesciens, 101. e. morti se, id est, discessioni se tamquam animæ corporisque subjecit, cur, 101. d. cùm voluit, spiritum posuit, 561. a. Christo mors discessio immortalis animæ, 450. d. Quæ nobis pœna, ipsi requies fuit, 450. e

In vivente Deo mors prædicanda, licèt hinc ab impiis mortuus Deus arguatur, 1100. b. In Christo mors homini, Deo verò carnis excitatio deputanda, 991. e. Non alius tamen qui mortuus, alius per quem resurgit, 991. e. Verbum à carne Christi mortua secessisse non sensit Hilarius, qui dicit mortuum esse qui vivit, 988. a. & Deum hominem natum esse, ut homo *in æternum* in Deo maneret, 988. a. ac re vera permanere, *ibid.* b. c. ac Deum intra legem mortis se habuisse, 988. b. c. Christus idem mortuus est, qui eodem tempore in cælis regnat, 1075. e. 1076. a. Christo moriente divisæ non sunt duæ illius naturæ, 1075. a. c. 1076. b. Non alius est mortuus, quàm qui natus est, 1050. b. non alius est mortuus, alius sepultus, alius descendens ad inferna, alius adscendens in cælos, 1077. b. c. Caro spoliata & carne se spolians unus est Christus, 991. c

Christi in cruce clarificatio, 813. a. In morte sua variis modis filius Dei est declaratus, 132. b. Christi morientis triumphus, 205. a. Crux ei consessus ad Deum & reditus ad regnum, 1057. c. Christi mortis effectus, 990. c. d. Christus pro omnibus mortuus, 136. b. virtutes nobis infestas cum duce suo peremit, *ibid* c. omne vitium humanæ corruptionis hausit, 750. a. Christus immortalis, neque morte vincendus, pro morientium æternitate mortuus est, 774. b. mortuus est ad condemnanda in se cælestium nequitiarum impia tentamenta, & ut æternitatem omnibus inveheret, 147. b. Christi sanguinis pretio universa sunt emta, 747. b

Christus placatio nostra, 164. b. omnium redemtio, 684. a. animæ & corporis est redemtor, 657. d. cui spiritalia debent quòd maneant, 977. c. optasset Judæos salvari, 650. c. moriens doluit se non omnium peccata portare, 750. b. Omnis caro redemta in Christo est ut resurgat, 114. f. Pro peccatoribus ad salutem resurrectionis est mortuus, 115. a. Christi mors injusta & justè vindicata, 218. f. *& seq.* a

Christi sepultura, 750. d. *& seq.*

Christus infernas sedes adiit, 101. d. 217. a. 815. d. ad consummationem veri hominis descensionem ad inferos non recusavit, 514. d. ad inferos adiens, à paradiso non abfuit, 544. d. 1057. d. *& seq.* Christi prædicatio in inferis, 305. d. Eò descendens an justos an peccatores exemerit, 132. b. *not.* c

Christi corpus morti debitum, sed corruptioni non obnoxium, 530. a. Resurrectio Christi, & per eum fuga dæmonum optatur, 191. b. Ei resurgenti finis psalmi LVIII. probè convenit, 134. a. Christus sua virtute resurrexit, 559. e. sibi resurrectionis suæ Deus, 116. a. 992. c. d. Christi proprius est exitus à morte, 203. c. Christi & Dei illum à mortuis excitantis una operatio, 991. a. Christus in eo quo elevatus est corpore à dextris Dei sedet, 517. d. in eodem corpore conspectus est post resurrectionem, 517. c. januis clausis soli sibi penetrabili aditu assistit, 517. c. 818. d. Christi corpus penetravit solida, 1051. b. Quî hoc explicari queat, 819. a. Christus carnis nostræ naturam jam inseparabilem sibi assumsit, 954. d. omnes credentes in se coexcitavit, & collocavit in cælestibus, 130. a. 334. d. In eo gentes naturæ suæ carnem in æternæ salutis substantiam transformatam esse cognoscunt, 559. f. Testes divinitatis Christi lex & prophetæ, resurrectionis Apostoli, 691. a

Christus unde terribiliter mirificatus, 517. b. Ei virtus volandi in cælum semper fuit, 514. e. 515. d. Christus materiem assumti corporis consociatam Spiritui suo ad cælum retulit, 625. a. hominem quem assumserat exspectatum Deo patri munus reportavit, 618. e. Ejus in cælos reditum ambitione occursus cælestis ornari dignum fuit, 130. a. Cælum adscendit virtutibus cælestibus animisque Sanctorum iter ejus præeuntibus, 207. c. d. Adscendens in altum accepit captos à diabolo, 201. f. gentes scil. in hereditatem, 202. a. Homini nostro à dextris Dei concessus in cælis est, 147. c

Christi merces ob assumtam humilitatem nostram, 545. e. 555. a. Christus homo post crucis mortem in Deum provehitur, 44. d. In æternam gloriam ejus assumtæ ex Virgine carnis natura transfertur, 177. e. Corpori ejus in gloriam Dei glorificato & Dei nomen donatur & regnum, 178. a. Christo homini nomen & honor Dei propter obedientiam donatur, 507. c. Christus gloriam meruit, non quia cælum condidit, sed quia in forma servi effectus est, 325. a. Christi statum gloriosum quæ spectent, 514. e. 1110. c. Gloria ejus apud Patrem quæ sit, 1009. a. Gloriæ Christi diversi gradus, 1105. e. Obedientiæ per quam habitus servilis assumitur, & ipsi habitui servili donatur ut in forma Dei sit, 555. a. 545. d. Quî forma servilis profecerit in gloriam Dei, 513. b. Hunc, cum quo voluntate sua alvo virginali conceptus & natus est, sublimavit in Deum, 1367. b. Superavit magnitudo Domini parvitatem formæ servilis, ut cessaret esse servilis, 1367. a. Christo per gloriam formæ Dei redditur æqualitas, 1020. b. Christus secundùm Spiritum in formam Dei natus, secundùm carnem in formam Dei renovatus, 1020. e. unitatem divinæ naturæ secundùm hominem per gloriam obtinet 1007. c. 1018. c. in quo caro & Spiritus jam ambo unum, 735. b. totus jam Deo vivit, 993. a. antè in se duos continens, nunc Deus tantùm est, 1105. a. homo & Deus jam Deus totum est, *ibid.* b 1106. c. 1107. a. nulla ex parte terreni corporis residente naturâ, 1104. e. non abjecto tamen corpore, 1105. a. sed ad divinitatis gloriam naturâ corruptionis absorptâ, 530. e. & humanâ naturâ in divinæ naturæ gloriam assumtâ, 1010. d. In Christo nunc repleti sumus, 989. a. In Christo nosmetipsos per assumtionem carnis nostræ speculamur, 403. d

Christum super cælos exaltatum testatur Spiritus-sancti donum, 120. b. Christi gloria quî super cælos, & in terris, 121. d. Unde eum laudent Angeli, 811. c. Quomodo jam diabolum cum suis obtriverit, 167. a. *&c. & seq.* a. Christo ut homini data omnia, 554. f. Christus quare Deus noster, 849. a. Eorum Deus est qui fient salvi, 203. a

Christus rex, 39. a. rex cæli, 40. b. non occultus est rex, 459. c. Ei regnandi initium ac finem Marcellus attribuit, 1308. c. Christus regnum Patri tradendo non amittit, 1099. c. regnabit donec ponat inimicos suos sub pedibus suis, 144. a. Hujus regni tempus à generatione usque in generationem, hoc est, usque ad resurrectionem omnium est comprehensum, 144. b. Tum regnum tradet Patri, non ut rex ipse tum non sit, 144. a. sed cùm tradiderit, conregnabit his ipse qui reges sunt, 144. b. In Christo salus, gloria & spes est justi, quem coexcitatum sibi, conformem cælesti gloriæ suæ est redditurus, 148. f. *&* 149. a. Christus quatenus Deus ut semper est dominans, ita & dominabitur semper, 177. e. Etsi regnavit semper, non tamen semper regnavit in corpore, 178. a. Nunc quamvis regnet, non regnabit tamen plenè & perfectè nisi post consummationem sæculorum, 178. b. c. Tum regni æterni ei donabitur arbitrium, 177. f. *V.* Regnum.

Christus æternus rex & sacerdos, etiam in carnali ortu utriusque generis gloriam obtinet, 610. a. Christi dispensationis salutaria mundo sacramenta, 861. a. Christi oblationis præ oblationibus legis præstantia, 100. d

Christi hereditas ac possessio, 42. e. *& seqq.* scil. gentes, 420. d. Hæc merces est assumtæ carnis 420. e. *&* 421. a

Christi sponsa Ecclesia, 427. b. Christus quî sponsus simul & sponsa, 735. b. Christus Ecclesia est, universam eam in se continens per sacramentum corporis sui, 410. a. nobis corpus est, 977. b. corpus est omnium, 966. d. In Christi corpore nunc manent omnes, 989. a. Christi corpus gloriosum montis nomine significatur, 61. e. *& seq.* Christi corpus, Sion, 58. d. Christus ex monte lapis propter carnem, ex lapide mons propter gloriam, 403. d. ignorari jam nequit: cur, 1084. c. 1087. c. Christus in carne thesaurus est in agro, 677. a. b. Christum invenisse est gratuitum, 677. b. sed possidendi potestas non est sine pretio, 677. c. Christi somnus & vigilia in nobis, 644. d. e

Christus quî iter sit ad Patrem, 939. c. Christi nomen hæreticis pæne omnibus in ore est, 911. d Christum omnia regna, licèt serò, Deum intellectura sunt, 211. a. Judæi noscent eum finium terræ dominatorem, 133. c

Christus judicaturus in loco passionis sanctos congregabit, 731. e. Tum omnibus præsentem se sistet, 731. d. Christi adventus gloriosus quando & qualis, 732. b. Christum judicii die videbunt omnes in ea carne, in qua transfiguratus est, 816. e. In Christo jam consistunt quæcumque per adimpletionem temporum sunt gerenda, 1000. d. Mediator noster Christus quî omnes Deo uniet, 1104. e

Cibus animæ, 425. d

CICERO fatetur se dissensione sapientum cogi Dominum ignorare, 146. *not.* e

Cio, 1325. a

CIRCENSIUM certamina, 276. c

Circuitus contra Christum, 532. a

Circumcisus est Christus in templo, 243 d

Circumcisio spiritalis, 773. e. *& seq.* a. Hæc circumcisio Christi est, 990. a. Circumcisio in signo tantùm constituta spiritalis circumcisionis auctorem non habentibus jam non prodest, 317. d

Civitas in quibus consistat, 389. b. Civitatis Dei constructio & consummatio, 577. a. 583. c. 585. f. Civitas Deo est plebs fidelium, 646. a. Ex multis in unum convenientibus, & in unoquoque nostrûm civitas Deo est, 418. a. Civitas Domini quomodo proficiat in domum Dei, 390. a.

Clamor oris, non cordis in oratione à Domino prohibitus, 352. d. Quis toto corde clamet, 352. e. Clamor sanguinis Martyrum, 534. c. Abel peremti, 352. f. Spiritûs, 353 a. orationis fidelis, 534. b. d. fidei in silentio, 118. d. 353. a. Clamor Deo est etiam tacita fidelis viri exspectatio, 543. a. Clamor Moysi tacentis, 352. f. *& seq.* Christi, 217. c

Claritas quam Pater & Filius sibi exhibent quæ sit, 814. d. 815. a

Clavis scientiæ Scripturarum, 4. e. Claves cujusque libri, 13. b

Claves regni cælorum sortiti sunt Apostoli, 901. b. Has non est adepta fides à Petri fide diffidens, 905. c

Clericorum causas ne cognoscant provinciarum rectores, 1218. a

Cocras, 1293. c

Cogitationis vis ad sistenda animo quæ absentia sunt, 378. c. Cogitationes corporeæ atque terrenæ cum terreno corpore intereunt, 573. c. Cogitationes cordium

noſſe, Dei eſt, 1002. e

Cognominum & pronominum diſcrimen, 893. c

Cognoſcere futura Deo proprium eſt, 1025. b

Cognitio Dei maximè ſectanda, 149. f. ex ipſius dictis expetenda, 777. a. in Evangeliis quærenda, 930. b. Nulla ad Deum comparatio terrenorum ſatisfacit, 777. b. Religioſa confeſſio eſt, hoc de Deo ſolum noſſe quòd Deus eſt, 436 e

Colere Deum, juſtitiæ proprium officium eſt, 1366. a. Cultor Dei optimus, 251. d

Collationes ab Apoſtolis inſtitutæ tantùm propter pauperes aut ſæculo renuntiantes, 89. a

Columbâ ſanctus Spiritus ſignificatur, 714. b

Columna neque ignis noctu, neque nubis de die anteibat, cùm populus in iiſdem caſtris diu continendus eſſet, 271. b

[Co]medentium Dei populum triplex genus, 88. c

Comitatus, 1339. a

COMITES, 1268. c. 1311. d

Communia omnia omnibus exiſtimanda, 621. c

Communionis divinæ ſacramentum, 223. c. Communione ſacramentorum æternorum Judas dignus non fuit, 740. d. Communione ſancti corporis in communione deinceps ſancti corporis collocandi ſumus, 169. f. Cibo illo & in præſens ſalvamur, & in poſterum ad Dei conſortium præparamur, *ibid.* Communionem diſtribuit Hilarius per presbyteros ſuos, 1225. c

Communione paſſionum fit particeps quis timentium Deum, 293. a

Communio habitationis, 654. c. Non admiſceri eorum domibus ac familiaritatibus, qui Chriſtum aut inſectantur aut neſciunt, 653. f. Communionis nota in accipiendis & mittendis viciſſim litteris, 1318. b. 1319. c. Communionem incautè commiſcentes cum iis qui anathemate damnati ſunt, neceſſe eſt pati ſupplicia ſempiterna, 1221. a. Communionem cum hæreticis quî permiſerit Hilarius, 1239. b

Comparatio humana non ſatisfacit rebus divinis demonſtrandis, 827. c. 883. d. 935. e. ad quid proſit, 883. d. 937. d. Comparatio terrenorum ad Deum nulla eſt, 777. b. juvat intelligentiam noſtram, quamvis non expleat, *ibid.*

Compoſitionis expers Deus, 437. c. Compoſitum quidquid eſt, æternum non fuit, 438. d

Concilia ſi contraria invicem ſenſerunt, debemus probare meliora, 1200. c. Concilium generale expetitur, quo confirmetur fides Nicæna, 1332. e. Concilii Sardicenſis qui curam geſſerint, 1320. b. c. Concilium apud Sardicam fieri epiſcopi ex Imperatoris benignitate ſumſerunt, 1315. b. Concilium fieri Liberius Conſtantium deprecatur, 1330. a 1332. d. Rogant Itali epiſcopi Conſtantium, ut ad Aquileiam jubeat Concilium congregari, 1334. e. Concilium Sardicenſe in media eccleſia, 1315. c. Item Mediolanenſe an. 355. in eccleſia habitum, 1222. e. 1224. b. donec epiſcopi verentes populi judicium è Dominico ad palatium tranſiere, 1224. a. Concilio Mediolanenſi anni 349. aſſiſtunt legati Romanæ eccleſiæ, 1344. d. Urſacius & Valens in eo veniam rogant & impetrant, 1344. d. Concilia Orientalium ab Occidentalibus confirmari ſolere; & vice verſa Occidentalium ab Orientalibus, 1320. e

Concupiſcentia carnis & ſpiritûs, 493. d. Vitia naturæ noſtræ coalita, 341. e. non ſinunt hominem intra naturæ leges coerceri, 540. a. Naturâ corporis noſtri ferimur in omnem criminum curſum, 318. e. Quomodo inhibendus hic inſtinctus, 318. f. Carnis humanæ labes aboleri penitus non poteſt in hac vitâ, 550. e. Per naturam corporis Prophetæ ineſt vitiorum connata materies, 307. b. Concupiſcentiæ lucta in regeneratis, 660. d. quomodo in ſanctis maneat nec noceat, 306. c. Concupiſcentia cordis, non membra corporis excidenda, 627. a. b. *V.* Cupiditas.

Confeſſio quid, 483. b. d. e. non ſemper ad peccata referenda eſt, 292. d. alia peccatorum eſt, alia laudationis Dei, 187. d. 483. b. 497. d. Fidei noſtræ utrumque conveniens, 498. f. Confeſſio Dei publica & conſtans eſſe debet, 179. f. Omnis nobis res atque ſermo cum confeſſione Dei ineundus eſt, 162. f

Confeſſio peccati quid ſit, 483. c. 497. f. profeſſionem habet deſinendi, 483. d. 498. b. vera eſt ejus, qui nec pænitere deſinit, nec pænitenda committit, 347. e. Confeſſionis veniam amittit, qui in intellectis & confeſſis manet, 498. b. Confeſſio & converſio debet eſſe integra, 498. c. Hæc à Deo petenda, 498. e. Confitenda ſunt ſine intermiſſione vetera delicta, 347. e. Confeſſio intermittenda non eſt etiam juſtificatis, 483. e. *& ſeq.* Hæc eſt juſti viri vera confeſſio, quæ juſtitiam præſentem ex præteritorum conſcientia & confeſſione commendat, 84. a

Confeſſionis fructus, 372. d. In confeſſione conſiſtit omne ſpei noſtræ præmium, 372. e. In confeſſione peccatorum maxima eſt letalium vitiorum morbis medicina, 497. f. Confeſſio peccatorum facit, ut etſi digna arguitione habeamus, non tamen arguamur, 263. e. Confitendum crimen, ut obtineatur venia, 263. e. Confeſſione præmiſſa ligatos ſolvunt Apoſtoli, 700. d. Confeſſio ab effectu nuncupatur *vitiorum pudor*, 615. a. Ubi peccati confeſſio, ibi & juſtificatio à Deo eſt, 411. c. Confeſſionis venia quibus concedatur, 498. e. Confeſſio quomodo peccatorum veniam obtineat, 701. b. c. Confitenda peccata, ut homo ſit capax doctrinæ Dei, 266. c. d

Confeſſio peccatorum in hoc tantùm ſæculo locum habet, 81. b. Quomodo nulli alii confitendum niſi Deo, 81. e. *not.* b

Confidere plus eſt quàm ſperare, 52. e

Confirmationis ſacramentum, *V. pag.* 629. e. *not.* e. 652. a. 703. *not.* a

Confuſio eſt ex dedecore, 232. f. ex peccatorum conſcientia eſt, 304. d

Conjugium Chriſti quî jam perfectum, 719. e

Conjugiorum uſu magiſtri, (*vel* magi) abſtinent, 163. c. Unica à conjugio deſinendi cauſa, 627. d

Conſcientia boni operis, animarum lux, 736. a. miſericordiæ fructibus emenda, 735. d. Conſcientiæ rectæ coram teſtibus ſecuritas, pravæ trepidatio, 254. d

Conſpectus ſanctorum gravis iniquis, lætus juſtis, 301. b

Conſervatio. Ut creata conſerventur continua Dei operatione indigent, 238. f

Conſolatio nobis nunc nonnulla eſt, ſed non plena, 410. b. Fidelem in ærumnis quid relevare & conſolari debeat, 348. b. c. d. Conſolatio hîc contemtorum à ſolo Deo eſt, 396. c. Item conſolatio afflictorum à ſolo Deo, 395. c. Quî poſt hanc vitam viciſſitudinem eis præſtet, 395. d. *& ſeq.* Conſolatio afflicti ſpes æterna, 284. c

Conſtantinopoli multi Sardicam confluxerunt, 1317. a

CONSTANTINOPOLITANÆ ſynodi anni 336. acta, 1309. b. Falſum illius judicium, 1300. b

Conſtantinopolim revertunt Ariminenſes legati, 1349. b. 1350. d. Conſtantinopolitanæ ſynodi an. 360. geſta, 1250. b. Hæc ſynodus *diſſidens* appellatur, 1230. e. *quæ de fide litigat*, 1229. e. Coram ea de fide audiri rogat Hilarius, *ibid.* Conſtantinopoli inter Anomœos & Seleucienſis ſynodi legatos geſta, 1349. b. *& ſeqq.* Ibi Orientales diſſenſiones nutrit Conſtantius, 1242. c

CONSTANTINUS Nicæno Concilio interfuit, 1344. d. Illius adverſùs Athanaſium ſententia, 1312. b. Nicænum Symbolum tenens baptizatus ad quietem Dei commigravit, 1344. d. Illi Nicæna ſynodus uſque ad mortem curæ fuit, 1257. d. *not.* e. 1258. a. Conſtantinus ſanctæ memoriæ, 1329. c. 1332. e

CONSTANTIUS paternæ pietatis heres rebellis, & divinæ religionis hoſtis, 1258. a. contumelioſis ſermonibus in vulgus ſparſis Liberium lacerat, 1329. d. Conſtantium per legatos deprecatur Liberius, ut Concilium ad Aquileiam jubeat congregari, 1334. d. Conſtantius legationem Ancyranæ ſynodi honorificè habet, 1194. b. ſe ſeductum recognoſcit, 1194. b. bellis occupatus ac nondum regeneratus ab Arianis ſeductus eſt, ut credendi formam Eccleſiis imponeret, 1194. a. in cauſa Hilarii circumventus, 1226. a. Litteræ illius ea de re, 1225. d. Conſtantio præſente Marcus fidem dictavit, 1362. f. Liberii litteræ ad Conſtantium de Athanaſii condemnatione, 1336. b. Conſtantio Fortunatianum mittit Liberius, 1339. b

Conſtantii epiſtola ad epiſcopos Italos Arimini congregatos, 1340. c. cujus mentio fit 1345. a. Memorantur aliæ litteræ quæ non exſtant, 1341. c. Conſtantio ſcribunt perfidi epiſcopi Ariminenſis ſynodi nomine, 1347. c. gratulantur ei, quòd ſcriptis illius illuſtrati ſint, 1347. c. Conſtantius Anomœorum blaſphemias damnari vult, 1350. a

Conſtantius beatæ religioſæque voluntatis, 1229. d. cujus etiam circa reos placabilis animus, 1329. c. fidem quærit, 1230. a. fidem optat ab epiſcopis audire, & non audit, 1226. c. fidem tantùm ſecundùm ea quæ ſcripta ſunt deſiderat, 1229. d. clamat, *Nolo verba quæ non ſunt ſcripta dici*, 1250. c. doctor profanorum eſt, 1242. c

Conſtantii in fide inconſtantia, 1254. b. *& ſeq.* hypocriſis ac perſecutio, 1240. d. *& ſeqq.* violentia adverſùs Seleucienſis ſynodi legatos, 1250. b. quî comminetur populo per præfectum & epiſcopis intra palatium, 1250. b. Orbem terrarum pro quo Chriſtus paſſus eſt, diabolo quî condonavit, 1250. c. Conſtantius, novo ingenii triumpho de diabolo, omnia ſæviſſima ſine invidia glorioſarum mortium peragit, 1243. a. antichriſtum prævenit, 1242. c

Conſubſtantialitatis fides qua cautelâ prædicanda, 920. c

Conſuetudo magnum in ſe habet vinculum, 251. d

Conſummatio multiplex, 315. a. & bonorum & malorum eſt, 308. d

Continentia qua virtute polleat, 493. a. Eâ velut pruinæ frigore corpus vitiis fervens obrigeſcit, 306. a. Continentiæ nocturno maximè tempore periculum, *ibid.* 286. a. quomodo caveatur,

Continentium oculis captioſi ſunt laſcivientium feminarum occurſus, 291. a

Contradictio & iniquitas potiſſima inter crimina ſunt, 108. c. Contradictioni obnoxius eſt omnis ſermo humanus, 1037. a

Controverſiæ verborum amicè componendæ, 1205. b

Contumaces duræ & altæ cervicis arguuntur, 433. a

Converſio peccatoris, *V.* Pænitentia.

Convivia miniſtrorum Eccleſiæ ſub obtentu religionis ſumtuoſa, 89. a

Coo, 1325. a

Cor intimum quomodo Deo pateat, 123. c. Cordis puritatem fruſtra jactari, 304. b. Quomodo immaculatum fiat, 304. c. Quî cordis os Spiritui ſancto patere debeat, 344. e

Cordis dilatatio, 269. b. Cordis dilatati officium eſt, ut ex eo verba divina procedant, 282. d. Cordis ampli fructus & cauſa, 281. f. *& ſeq.* Cordis coartati cauſa ac pœna, 282. c. Præter Chriſtum nihil debet in corda noſtra penetrare, 751. b. Corde ſolo conceptum adulterium jam

crimen est, 123. b
Corbanan, 747. a
Corona sanctificatæ terræ, Dominus Sanctorum choro gloriosus, 171. a
CORONATUS notarius, 412.
CORNELIUS primitiæ gentium, 712. d
Cornu regni insigne, 459. b
Corpus. Hujus vocis multiplex sensus, 633. *not.* a. Corporum natura impenetrabilis, 818. d. e. Vis solis & lunæ in nostra corpora, 382. d. Corporis societas animæ molesta, 265. c. animam commaculat, 265. e. Quî corporis vitia naturam animæ inficiant, 152. a. Corpora ad vitiorum materiam concreta, 152. a. vitiorum omnium sunt materies, 1365. b. Corpus, tenebrosus & contagiosus animæ carcer, 376. c. animæ vestis, 664. a. Prophetæ vestimenta substernunt, dum se corporibus exuunt, 713. b. Corpora luxu dissoluta domus sunt dæmonum, 664. a.
Corporis nostri vitiosa labes Verbi virtute quomodo curetur, 640. e. Corpus continentiâ castigatum, uter in pruina, 306. b. per fidem mortificatum in naturam animæ evadit, 660. c. obsequens animæ in naturam illius transit, quomodo, 658. a. c. d. Corpora fidelium domus sunt Dei, 165. d
Corpora humana Scriptura vocat organa, 492. f. Corpus animæ & affectionis & negotiorum organum est, 174. f. Artificiosis corporis operibus placendum est Deo, 174. f. Illud famulari Deo suave est, 470. a. Corporis ministerium incorporale est, licèt corpore fit, 425. c. Corporis sensus quomodo mentis gaudiis imbuatur, 152. b
Corporum æterna possessio fidelibus promittitur, 477. c. Corporis firmitas nulli in hoc sæculo speranda, 382. e. sed in æternitate, 382. f. *& seq.* Corpori nostro debita, mori, infirmari, egere, 383. c. Corpora ædificia sunt aut fide firma, aut infidelitate ruitura, 414. c. Corporum claritas aut tenebræ sequuntur claritatem aut tenebras animorum, 631. c. Corpora excitata quid piis, quid iniquis exhibitura sint, 125. c. Quod corpori carnale est, in naturam spiritus per gloriam devoratur, 1110. e. Corpus per gloriam non abolétur, sed mutatur, 1105. a
Corpus Christi, Ecclesiâ, 433. d. Corpus Christi gloriosum quomodo vera Sion, 230. e. Corpus Domini in omnibus Scripturis Sion nuncupari existimatur, 582. e. Corporis ac regni Christi consortium universis patet, nisi quis ob infidelitatem aut inutilitatem avellatur, 76. b. *& seq.*
Corpus Domini *V.* Eucharistia.
Corporale nihil in Deo est, 886. e. Corporale nihil retinent habitantes cum facie Dei, 533. c. *not.* b. Nihil non in substantia sua & creatione corporeum, 633. a. Corpoream naturæ suæ substantiam animarum species sortiuntur, 633. a
Corrigere se priùs debet, qui vult alios corrigere, 637 b
Corripi velle à sancto & fideli viro prudentis est, 539 a
Correptionis fraternæ modus, 65. f. *& seq.*
Corruptionem iniquitas affert, abominationem meretur corruptio, 84. b
Corvus peccatoris est figura, 580. f. 581. a
Crassitudo impietatis & vitiorum aut comes est aut causa, 539. f
Cratia, 1324. d
Creatio & nativitas quid differant, 1161. c. d. Creatio rerum ex nihilo & post tempus, 1120. c. Creata è nihilo id in se habent necessitatis ut non sint, 733. a. Creatio cæli, terræ, ceterorumque elementorum ne levi saltem momento operationis discernitur, 1133. d. Alia creata dispensationem sui habent, *ibid.* Faciendorum sola causa fuit Dei misericordia, 486. a. 488. a. Creata condidit Deus, non ad suam, sed ad creatorum utilitatem, 33. f. Creandarum rerum efficientia omnis in verbo est, 632. e. Creandorum natura non exstitit per propriam obedientiam Dei verbo, 836. e. Creata sunt omnia verbo, 298. f. quid peculiare habeat creatio hominis, 299. a. Creatorum, homine excepto, inchoationem & perfectionem tempus aliquod non discrevit, 299. d
Creatio quî Patris simul & Filii sit, 840. b. c. Creata omnia sunt Patre dicente, Filio faciente, 587. b. c. Creavit Deus in Filio omnia, & postea de thesauris in se conditis pro arbitrio singula protulit, 237. b. c. Creata quî cum Deo sint semper, 1132. b. quî cœpta & non cœpta, *ibid.* c. 1133. b. d. magnitudinem Creatoris testantur, 297. e. Dei magnificentiam omnes mundi creationes indemutabili officiorum suorum constitutione testantur, 313. a. Nulla in terris est præter hominem, quæ speciei suæ fructum sentiat, 297. e. f. Creaturæ omnes lætantur de salute nostra, cujus in exspectatione congemiscebant, 229. c. cur hominis beatitudinem exspectent, 586. b
Creatæ res quàm imperfectæ & infirmæ, 822. c. d. Creaturæ vetita est religio, 1114. c
Creatio fuit vinum in aquam mutatum, 810. b
Creatus quî intelligi queat unigenitus Deus, 1161. d. *& seq.*
CRESCONIUS, 1326. b
Crimen impietatis, 843. a
Crux Christi posita in medio terræ, 748. f. Hanc ferre indignus erat Judæus, 784. e. Crucifixum Christum quæ sequatur gloria, 813. a. Crux ei confessus ad Deum, 1057. b. Crucis scandalum, 663. b. stultitia, 218. d. fructus 218. e. *& seq.* 661. b. Crux saltem voluntate tollenda, 692. b. Cruci carnis vitia configenda, 334. e. *& seq.* 661. a
Culpam imperitiæ oblitterat resipiscens, 1357. b
Cupa, 1293. b
Cupiditas rerum sæcularium contemtu arguenda, 629. b. Cupiditatis pugna, 419. a. Cupiditatum strages, 495. a. Cupiditas quomodo tenebras offundat, 548. a. Cupiditas ardens justificationum Dei oblivionem parit, 306. d
Cupiditates robustæ periculosæ sunt, 496. c. Levius est prorumpentes avellere, flexibiles retorquere, *ibid.* Cupiditatem omnem quî recidat vir Dei, 341. c. d. Cupiditates internæ quomodo extrinsecùs continentiâ obrigescant, 306. c. Cupiditatum insalutarium febres mitificant eloquia Dei, 319. f. Cupiditates animi & corporis frangere, maximum spei cælestis lucrum, 638. d. Cupiditate ne descendat, qui in corporis sui perfectione constitit, 730. c. *V.* Concupiscentia.
Cura omnis nostra non de præsentibus, sed de futuris esse debet, 629. f. 635. e. Cura omnis sit placendi Deo, 631. a. 636. c
Curiositas quomodo non cadat in eum, cujus oculi ad Deum intenti, 540. d
Currus Dei, comitatus cælestis concordi consensu Deo obsequens, 201. c
Cursus publicus attritus, 1320. c
Custodia spiritalis erat Judæis, 108. d. Custodia cælestis optatur Ecclesiæ, 108. d
Custodia Domini, per quam fideles è corpore exeuntes reservantur, 383. e
CYPRIANUS vir sanctæ memoriæ in orationem dominicam scripsit, 630. d
CYRIACUS Arimin. 1321. d. 1310. *not.* c
CYRIACUS officialis, 1364 a
CYROTUS à Roeo, 1323. e

D

DÆmones, invisibiles nobis atque incomprehensibiles naturæ, 168. a. cæli volucres cognominantur, 643. d. significantur vulpium nomine 155. e. maris fundo, 167. d. Dæmonibus vivendi substantia liberaliter à Deo tribuitur, 633. c. Dæmones fugiunt faciem Dei ob trepidationem, sed non effugiunt, 191. c. credentium verbis torquentur, laniantur, uruntur, 168. a. Tantùm ad impositionem manuum nostrarum pœnæ suæ vocibus ingemiscunt, *ibid.* Dæmonum tormenta & confessiones coram venerandis Martyrum ossibus, 1243. a. b. *not.* d. Dæmonum punitorum mugitus, 1084. c. Christum Dei filium confitentur, 911. e
Dæmones vitiorum jure nostri dominantur, 490. f. Dæmon ante legem Israelitas obtinebat, 674. b. lege expulsus gentes invasit, 674. c. gentibus indultâ gratiâ ad Judæos rediit, 674. d. Dæmones è gentibus expulsi hæreticos obtinent, 645. e. Dæmones validissima fidei nostræ opera debilitare contendunt, 382. b. Dæmonum virtus doctrinæ Dei splendore dispergitur, 557. e. 558. a. Dæmonii infamia ei est propria, qui à Deo fit alienus, 220. b. *V.* Diabolus, Nequitiæ, Potestates.
DANIEL, 1137. d. temporum conscius, 891. d
DARIUS, 415. e. 577. a
DATHAN & Abiron plaga quid animis eorum profuerit, 226. c. *not.* e
DAVID non sine peccato, 128. f. Cùm se sine iniquitate ait, Christi in eo sermo est, 128. e. David nomen est Christi secundùm carnem, 388. a. 454. c Quæ à Deo David promissa sunt, ad Christum attinent, 451. a. 455. a. f. David nomine Christi adventus prædicitur, 445. e. *& seq.*
David judicia legis agens, ea non intelligit, 327. c. pæne à fide excidit, 308. c. Fides ejus non concluditur sæculis, 281. b. Prærogativæ David secundùm genus, secundùm gratiam, secundùm sacramentum, 272. c. Plura præstat, quàm lex jubeat, 316. d. David legem servans in ea quæ lege adumbrantur se extendit, 281. b. e. tantus est in dilectæ legis meditatione, quantus dies universus in tempore, 317. a. quomodo spiritaliter legem impleat, 259. c. legis mirabilia orat ut cernat, 259. e. legem implet amore, non timore, 360. f. David Spiritu-sancto plenus non communia nec terrena cogitat & effatur, 256. e. David psalmorum ex parte conscriptor, 446. b. psalmi-ne auctor an causa sit, ex titulis latinis incertum est, 553. a. b. David innuitur ut auctor psalmi qui Salomonis dicendus esset, 419. f
David vita infestata & periculis plena semper fuit, 526. c. David contemtus, regis & prophetæ gloriam accepit, 350. e. quî gloriam aut passionem Christi suam dicat, 120. c. d. factis prophetat in lege, 668. b. gestis suis Christum prophetat, 542. e. passionibus suis passiones dominicas prophetat, 547. a. 112. f. non tam spiritu quàm passionibus prophetavit, 113. b. passionis dominicæ non nescius, & patiendo prophetam se docuit & loquendo, 128. a. David in deserto solis divinis studiis negotiosus, 151. d. Christi in desertum secessuri propheta est, 151. d. David evangelicæ doctrinæ non ignarus, 94. a. Dominicæ mansuetudinis æmulator, 94. c. per similitudinem passionum passionis Christi propheta, 94. c. e. 95. c. omnia Domini dicta atque gesta & servi fide & prophetæ præfiguravit exemplo, 543. d
David in lege simul & in Evangeliis, 80. c. sive dedicatus ex lege, sive in Evangelii gloriam præparatus, 362. a. evangelicum atque apostolicum virum Deo conformans, non ignarus fuit evangelici sermonis, 361. f. non evangelicorum & apostolicorum præceptorum, 254. e. non consummationis multiplicis, 315. a. Prædicator fuit Evangelii, 303. e. & apostolicæ fidei, 80. c. Ipse sibi & universis doctor, prospector, emundator & judex, 335. f. in se ceteris credendi, agendi, intelligendi, ignorandi, sperandi, precandique formam constituit, 358.

b. Pſalmo CXVIII. evangelicum virum perfecta legis obſervatione conſummat, 358. b

David ſpei evangelicæ & apoſtolici gaudii particeps, 549. d. certus conformem ſe Dei gloriæ præparari, 148. a. ſperat æterna, 80. e. 308. e. 332. e. Affectus illius totus in cælum eſt, 494. e. Optat videre Deum, 152. e. 289. a. & filium Dei, 153. b. In adventum Jeſu ſe totum extendit, 366. c. Animo deficit præ deſiderio illius, 305. b. 338. b. Illum ſibi doctorem quærit, 293. f

David de gloria ſua non inſoleſcit, 443. b. quibus divitiis gaudeat, 254. e. Illius modeſtia, 290. a. 300. e. 304. b. 353. d. 354. d. 365. a. David humillimus fuit, cùm ipſi ſubeſſent plures ſuperbiendi cauſæ, 325. f. *& ſeq.* Eum humilitatis modeſtia intra diſciplinam evangelicam continuit, 326. d. David virtutes ſibi tantùm proprias non refert ad meritum, 336. c. in operibus bonitatis totius perfectus, non hoc ſibi putat ſufficere ad ſalutem, 355. a. licèt corpore ut uter in pruina frigeat, de naturæ ſuæ firmitate nondum confidit, 307. a. non glorioſas dotes, ſed humilitatem in ſe conſpici precatur, 358. e

David aream coemit ad locum templi, 451. b. nocte media ſurrexit ad laudandum Deum, 292. b. novit etiam in adverſis gratiam eſſe Deo referendam, 294. e. Illius in peccantes affectus, 285. b. David non poſtulat inimicorum ultionem, ſed converſionem, 303. e. ultionem ſui Deo reſervat, 358. f. obtrectationi locum non dat, 148 b

Debitum, 383. c

DECIUS, 1240. a. 1242. b. 1243. a. 1264. b.

Declinare quid, 263. a. 406. a. b. Declinandi à Deo affectus ſequitur vitia, non præcedit, 85. d

Defectio animi unde oriatur, 305. a. Defectionem animæ ſequitur defectio oculorum: quid hæc ſit, 305. d

Delectatio corporis quî animam inficiat, 152. a. Quomodo mentis gaudiis ſenſus corporis imbuendus, 152. b

DEMOPHILUS, 1326. c. 1337. b. Arii hæreſim damnare recuſavit, 1331. d. Sirmienſem fidem Liberio exponit, 1336. b

Dentes peccatorum, 124. b

Deputari quid ſit, 555. d

Derelictio Chriſti, 749. d

Deſertum ſentiendum eſt, in quo nulla Dei habitatio ſit, 663. d. Deſertum quò Chriſtus poſt reſurrectionem ſe recepit, 106. e. Deſerta, gentes, 196. a. b

Deſiderare. Quid maximè deſiderandum, 149. f. Optamus nobis, quod Deo videmur optare, 477. e

DESIDERIUS, 1307. b

Detractioni locus non eſt dandus, 148. b

Devotionis officium in tentationibus non debet deficere, 543. c

Devotarum Deo mentium libertas, 721. e

DEUS ob quæ nomina laudandus ſit, 469. c. Per cognitionem nominis Dei ad ſcientiam ejus proficimus, 469. d. Divinis rebus nomina ſecundùm naturæ intelligentiam aptata, 821. a. Dei cognitio quorſum deſideranda, 767. d. Deum non ignorabilem, tamen inenarrabilem ſcire, perfecta ſcientia eſt, 793. a. Deus totus eſt imperſcrutabile profundum, 1109. c. Dei ſecreta homo non penetrat, 436. d. Ea ſcrutari pium eſt, ſed inſcrutabilia confitenda ſunt, 436. e. In Dei rebus mens humana deficit, 1069. d. In Deo eſt quod percipi poteſt, 1070. d. Qui plus in eo vult videre quàm poteſt, excæcatur, 1070. b. e. Deum poſſumus quantum in nobis eſt admirari, non quantus ipſe eſt cognoſcere, 563. e

Deus ſimplex & non humano more cogitandus, 1031. b. ſenſu noſtro non perſequendus eſt, ſed adorandus, 1031. c. ab Hilario ſola veneratione intelligitur, 1107. d. Dei virtus non noſtro concipiendi modo metienda, 824. d. Dei geſta non ſuccumbunt naturalibus mentium ſenſibus: cur, 774. c. In incomprehenſum profundum demerſa ejus omnia ſunt, 1108. c. Quî Apoſtoli exemplo divina ſunt cogitanda, 1108. d. De Deo opinandi piæ intelligentiæ ſpecies, 1108. a. Deum in rebus naturalibus quî intelligamus, 1140. d. Divinis exemplis non ſatisfaciunt humanæ comparationes, 935. e. Deus incomparabilis, 356. b. Rerum creatarum comparatione ad ejus intelligentiam juvamur, 356. b. Quatenus per corpoream comparationem res divinæ illuſtrentur, 937. b

Deus non niſi per ſe cognitus, 777. a. intelligi non poteſt niſi per Deum, 865. c. 866. a. Divinarum rerum cognitio è divinis haurienda doctrinis, 835. c. ex Dei de ſe teſtimonio, 937. b. Dei cognitio in operibus eſt, 569. a. b. Qui ſe rerum divinarum arbitros deputant, arguuntur, 1009. e. Antiquorum de Deo variæ ſententiæ, 767. e. reprobantur, 768. a. Variæ eorum quæſtiones & opiniones de Deo, rebuſque divinis, 146. c. Quàm certior è ſacris libris ſcientia hauriatur, 146. f

Deus infinitus & immenſus brevibus humani ſermonis eloquiis intelligi non poteſt vel oſtendi, 1186. a. Impium eſt de natura Dei verbis enuntiare ſe poſſe confidere, 1107. e. Divinæ res inenarrabiles, 827. c. De Deo non aliter loquendum eſt, quàm ipſe de ſe locutus eſt, 866. c. Dei de rebus non humano aut ſæculi ſenſu loquendum, 935. b. de quibus non relictus eſt nobis alius quàm Dei ſermo, 941. f. Quatenus ad eas eloquendas communi ſermone utendum, 827. c. Quæ Dei ſunt crediſſe ad ſalutem ſufficit, quibus non licet de eo loqui quod volunt, 1188. b

Deus per Moyſen manifeſtari ſæculo cœptus eſt, 875. b. Dei nomen ante Chriſtum quomodo ignotum, 816. e. Dei nomen olim Deus Abraham, Deus Iſaac *&c.* 499. f. ſecundùm Evangelia Dei unigeniti pater, 500. b. Deus nobis manifeſtatus eſt eſſe pater, non pater manifeſtatus quòd Deus ſit, 821. c

Deus quid ſit, 160. c. Dei ſubſtantiam qui volunt dilatari & contrahi, refelluntur, 1179. c. Deo nihil tam dignum, quàm ut excedat quidquid cogitare poſſimus, 769. c. Majus minuſve officium præſtare ei non poſſumus, quàm ut tantum eum eſſe intelligamus, quantus intelligi non poteſt, & poteſt credi, 770. d. Deus totius pulcritudinis pulcherrimus, 770. a. Pulcritudo ejus nec ſermone poteſt explicari, nec ſenſu percipi, 770. c

Deo nihil magis proprium, quàm eſſe, 768. d. Soli ei convenit ita eſſe, ut infectus ſit, 519. d. Nihil antè eſt, nihil aliunde, nihil extrà, 1109. d. e. Ante id, quod proprium Deo eſt, ſemper eſſe, aliquid aliud intentio retroacta non capit, 1124. d. Deum eſſe qui negat, publico aſſenſu ſtultus judicatur, 83. e. Deum non eſſe vitiorum oblectatio perſuadet, dum veri neceſſitas cogit eum eſſe confiteri, 83. f. Deum eſſe teſtantur præclara ejus opera, 475. d. Deus eſſe intelligendus eſt ex iis quæ ſub lege præſtitit, 176. e. Deum eſſe ex mundi contuitu nemo non ſentit, 83. f hoc vel cælum contuens quiſque ſentiet, 176. e. 391. d

Deus non eſt ſecundùm nos corporalis, 405. a incorporalis eſt, 437. e. Qui corporeum volunt, quia ad illius imaginem homo conditus eſt, refelluntur, 438. c. Membrorum noſtrorum nomine vocatur virtus qua efficit quod membris noſtris convenit, 438. a. Alia interpretatio, 1116. d. Dei membra intelligi poſſunt angelicæ virtutes, 439. f. Dei cor, manus, oculi quid, 1117. c. Dei os, virtus, ſapientia, brachium & imago Chriſtus eſt, 296. f

Dei ſumma ſimplicitas, 886. e. 973. e. Deus compoſitionis expers eſt, 438. d. neque eſt ex compoſitis, aut ex inanimis, 935. b. neque ex obſcuris, infirmis, aut diſparibus, *ibid.* In Deo non particulata, ſed tota, non vivificata, ſed viva, 1025. a. Totum in eo quod eſt, unum eſt, 935. b. totum quod in eo eſt vivit, 936. b. Deus in Spiritu dona dividit, ſed in donis non dividitur, 650. a. Quod Deus eſt, Deus totum eſt, 886. c. Nihil in eo niſi virtus, niſi vita, niſi lux, niſi beatitudo, niſi ſpiritus, 886. c. Dei ſummè ſimplicis quales ſint proprietates, 1004. d. Deus ſe omnem per ſua edocet, 961. c

Dei æterna immutabilitas, 741. e. *& ſeq.* Deus non eſt mutationi obnoxius, 33. c. 1031. d. 1109. d. In Deum non cadit rerum ſubitarum nova repenſque molitio, 208. f. Deus demutationem neſciens nihil ex ſubſtantia ſua caro factus amiſit, 1180. c. Dei filio crucifixo corruptionem non eſt perpeſſa deitas, 1180. e. Deus ita eſt, ut qualis eſt, talis & ſemper ſit, 33. d. Ipſe eſt, in ſeſe eſt, ſecum eſt, ad ſe eſt, ſuus ſibi eſt, & ipſe ſibi omnia eſt, 33. e

Dei ſimplicitas & immenſitas, 961. c. Deus ubique, 405. a. totus & ſemper & ubique eſt, 570. c. ubique idem & totus, 355. d. *& ſeq.* 438. e. quomodo vitioſis non ineſt, 356. b. Longè à Deo ſunt, qui longè à cognitione Dei, 176. b. Deus infinitus in omnia circumfuſus eſt & infuſus, 769. b. quomodo in omnia circumfuſus & transfuſus, 487. a. Dei infinitas omnia excedens, 565. a. Nullus ſine Deo, nullus non in Deo locus, 769. d. Neque in aliquo ipſe, neque non in omnibus eſt, 769. e. Deum monte vel templo claudentium error, 804. c. Deus non clauditur locis, 416. e. 457. a. Quæ vulgò illius domus, 416. c. quæ vera, 416. f. Dei habitatio non cælum viſibile, 391. b. ſed Filius 391. c. & Filio mediante fideles, 391. d. Non excluditur publica de Dei ſede opinio, ut ei cælum cæli thronus ſit, 392. c. Deus non eſt in diverſæ à ſe naturæ habitaculo, 851 b. Intra Deum omnia, & extra eum nihil illius capax, 804. c. In Deo omnia ſunt, Deus in ſemetipſo, 805. a. Deum eſſe omnia in omnibus noſter profectus eſt, 1110. c. Quod in Deo infinitum eſt, ſemper ſe infiniti ſenſus noſtri recurſui ſubtrahit, 1124. d

Dei Sapientia æternis ſe coæternam docet, 1131. d

Dei ſcientia, 1030. f. 1031. a. unde mirabilis, 511. f. quomodo univerſa complectatur, 209. a. Deo futura pro factis ſunt, 388. b. Proprium ei eſt futura cognoſcere, 1025. b. Deus per naturæ ſcientiam hominum præſcit voluntates, 123. c. d. præſciendo neceſſitatem non infert, *ibid. d.* Dei ſcientiam quî promoveat ignorantiæ noſtræ conſcientia, 1141. a. Deus quomodo cognoſcat aut ignoret, 25. f. *& ſeq.* Dei ignoratio non eſt ignoratio, ſed ſacramentum, 1029. b. aut tempus eſt non loquendi, aut diſpenſatio non agendi, 1026. a. Deum ſcire non eſt ignorantiæ demutatio, ſed temporis plenitudo, 1026. c. Deum neſcire, non naturæ potiùs quàm voluntatis eſt, 1027. c. Deus filius neſcire quod tacet, & Pater quod non tacet ſcire dicitur, 1031. a. Deus interrogat aut peccatis veniam, aut fidei honorem redditurus, 372. d. Deo viſus omnis in virtute naturæ eſt, 926. e

Dei virtus dexterâ ſignificatur, 155. b. Virtuti ſuæ mandare non convenit niſi Deo, 208. d. Dei virtus & ſapientia Chriſtus, in quo omnia poteſt, & ſapienter poteſt, 1122. b. Dei manus, Chriſtus ut Deus, 558. b. Deo ſoli congruit omnia facere quæ velit, 472. b. Deus naturæ legibus non ſubjacet, 1031. d. omnia poſſe credendus eſt, 811. a. 1032. a. Dei virtutes lex humana non poteſt moderari, 1079. c. Deo poſſibile eſt, quod homini eſt inintelligibile,

Index rerum & ſententiarum.

807. c. 817. d. Dei eſt quidquid per homines geritur mirabile, 485 c

Dei potentia ſe certò manifeſtat geſtis, quorum ratio nobis occulta manet, 810. a. Dei magnitudinem teſtantur opera, 502. a. Dei majeſtas operum dignitate terribilis oſtenditur, 175. c. Dei poteſtatem & miſericordiam ſpe metuque teſtamur, 581. e. Dei opera potenter effecta, 565. d. nobis non admirationem tantùm, ſed & utilitatem afferunt, 565. e

Deo nihil deeſt, 33. e. 1109. c. Nihil ei deeſt, nihil accedit, 1107. d. Quî nihil ei accedat cùm clarificatur à nobis, 233. e. 814. c. Deo quod optare videmur, nobis optamus, 477. c. Deus noſtrâ potiùs, non ſuâ cauſâ venerandus, 1221. d. Dei ſanctitas nihilo eget, niſi ut ſe alius utatur, 566. a. plena eſt terroris ſuavis, & terribilis ſuavitatis, 566. b. f. & ſeq. Deus creatis non eget 33. f. creata condidit, non ad ſuam, ſed ad creatorum utilitatem, 33. f. Dei miſericordia ſola rerum faciendarum cauſa fuit, 486. a. 488. a. Deo in creandis rebus nihil novum ac repens eſt, 1132. c. Deus univerſitatis hujus corpus cogitationum partibus non condidit, 1133. b. Nihil non ſemper cum Deo fuit, 1132. b. Quæ ad creationem ſui cœpta ſunt, ad Dei vel ſcientiam vel poteſtatem non ſunt inchoata, 1132. c. Deus fecit ventura, 209. a. quæ ei ob ſcientiam & virtutem ſunt facta, 523. e

Dei providentia, 578. f. Deo non eſt digna rerum à ſe conditarum incuria, 768. a. Deus omnium auctor operari non ceſſat, 236. d. abſque ullo labore, 236. e. Dei in mundi gubernatione miracula varia, 472. c. Deo humanorum operum curam eſſe multi negant, 564. b. ne quod judicium Creatori ob vitam rectè criminoſéve actam relinquant, 17. c. refelluntur, 160. e. Dei providentia perpetua erga Eccleſiam, 417. d

Dei ſanctitas humanis auxiliis non ſe ſubtrahit, 569. d. Dei ad homines varii proſpectus, 84. c. Deus incorporalis quomodo oculos ad nos convertat aut avertat, 178. d. Deus adſpicit ad puniendum, 345. a. ad terrendum, *ibid.* ad miſerandum, 345. b. Hic adſpectus innocentiâ promerendus, 345. c. Deus ut ad pœnam & ad miſericordiam reſpicit, ita vultum ſuum ad utrumque deflectit, 346. f

Deus neſcit aliud aliquando quàm dilectio eſſe, 1024. d. Nihil in eo niſi bonum & æternum, 381. a. Deus nihil poteſt agere niſi ſecundùm verbum ſuum, adeoque nihil niſi bonum, 295. a. aut iniquitatis aut malignæ voluntatis argui non poteſt, 99. b. mala non malevolus excitat, *ibid.* Deum bonum ex nativitate noſtra diſcimus, 892. b. ſapientem prodit mundi creatio, 892. b. Deus non nos ad mali originem inchoavit, 890. e. cujus bonitati repugnat, ut nos ad injuriam aut ad dolorem genuerit, 348. c. Dei in Iſraelitas benignitas & beneficia, 478. e. Deus voluiſſet populum ſuum non judicari, 478. e. Dei ſuavitas æquis omnibus ſemper patet: cur ab iniquis non capiatur, 566. e

Dei egemus benignitate, 469. e. Deus non eſt prædurus judex; ſed rationem habet infirmitatis humanæ, 547. d. Dei bonitas erga eos qui ex infirmitate labuntur, 87. b. Deus præcipuè ob miſericordiam laudandus, 568. b. cur, 568. d. Dei miſericordia & patientia, 233. d. 432. f. 568. a. Dei juſtitia per miſericordiam non excidit, 567. c. Dei bonitas ſimul & ſeveritas intuenda, 290. a. Dei bonitatem juſtitia moderatur utendi modo, non præbendi, 566. e. Deus vult noſtram ſalutem, & ex conſtituta lege peccantium damnationem, 658. a. unicuique pro fidei diverſitate aut proximus aut remotus, 502. c. ſanctus eſt ſanctis, & perverſis averſus, ſecundùm uniuſcujuſque mores, 381. a. Deus peccatoribus ignis conſumens, & fidelibus lux, 290. a. ab impiis iniqua agentibus non cogitatus, mala contra ipſos convertet, 99. a

Dei ſeveritas quibus verbis in Scripturis enuntiari ſoleat, 206. c. Divina ultio humanæ exemplo enuntiatur, 206. d. Dei ira quid, 35. b. Non prodit ex motu repentino, 35. d. Quàm nunc in peccantes temperata, 36. b. & ſeq. Dei irati verba nunc benignitate temperata ad pœnitentiam invitant, 36. b. & ſeq. Deus iratus quomodo miſereatur, 137. b. Deum, etiam punientem, juſtum fatetur fides, 348. b. Deus juſtitiam & miſericordiam in pœna quî teneat, 568. a. non nos tradit in vitia, 380. d. cùm nos eum deſerentes deſerit, tradere dicitur, 380. d

Deus de ſe ad humanæ naturæ ſenſum locutus eſt, 838. a. 889. b. 973. b. Dei dictum non aliter intelligendum quàm dictum eſt, 888. e. Dei ſermo ex uſu loquelæ noſtræ pendendus, 232. f. Deum verbi ſui eſſe memorem quid, 284. a. Dei pænitentia, 592. e. Deo ſomnus, vigiliæ, oblivio &c. ſecundùm meritorum noſtrorum differentiam adſcribuntur, 557. a. Deus ſomni expers ſecundùm fidem noſtram vigilat aut dormit in nobis, 380. f. 381. b

Deus inviſibilis eſt oculis carnis, 289. c. neque videri poteſt in hac vita, 289. b. c. quî inviſibilis, quî ſuper terram viſus, 852. c. Dei viſionem ardenter expetiit David, 152. e. Deus homini, niſi aſſumto homine, cognitus fieri non potuit, 556. a. homo factus eſt ſalvâ divinitatis ſuæ naturâ, 1040. c. in homine ad Jacob & ad Abraham venit, 845. f. in homine à Jacob intellectus & viſus eſt, 133. c. Deum vidit Eſaias, neque alium vidit niſi Filium, 873. c. Deum patrem viſum nemo fatetur, 874. b. Deus pater, à nemine viſus vel auditus, in Filio videtur vel auditur, 1016. d. Deus olim per prophetiam auditus, nunc per fidei fiduciam contemplandus, 391. b. Dei conſpectum ferre nequit immundus, 622. c. Deum viſuri ſunt omnes mundi corde, 289. f. Deum videntes omnem gloriam ſuam ex conſpectu gloriæ ejus ſumunt, 289. e. Quî videntis nos Dei lumen accipiamus, 346. g. & ſeq.

Dei requies quomodo in ſanctis, 457. c

Deus piorum mentes quî inhabitet, 449. a

Dei tantùm eſt per ſe ex mortuis reſurrexiſſe, 923. b

Deus non eſt niſi unus, 768. b. Deorum multitudinem Eccleſia non cognoſcit, 471. c. Deus idem legis & Evangelii, 195. a. 500. a. idem legis latæ, & univerſitatis, 578. e. Deum unum quàm fraudulenter profiteantur Ariani, 855. a. Deum unum piè non prædicat, qui ſolum, 917. a. Deus nobis unus, non ſolus, 393. d. non ſolitarius, 1174. b. 1178. e. non unicus, 970. d. 971. c. 975. b Deus non perſonâ unus eſt, ſed naturâ, 1190. a. Dei neque unio, neque non unitas eſt confitenda, 915. e. Deum & Deum Moyſes & Evangelia teſtantur, 856. a. Dei jubentis & Dei facientis diſtinctio, 857. d. *not.* b. æqualitas, 840. b. Deos veros duos credi fides non patitur, 1002. b. Patrem & Filium cur non agnoſcat fides duos deos, 937. e. & ſeq 944. f

Dei unitas non officit Filii deitati, 836. a. Dei unius fide illæſa Filium Deum confitemur, 876. c. 923 a. Filius & Pater Deus unus eſt, 847. a. non unione, ſed proprietate, 1083. b. unum in fide noſtra ſunt uterque, non unus, 776. b. Dei unitas quomodo maneat cum Filii generatione, 1001. d. e. Dei filium innaſcibilem eſſe Dei unitas non patitur, 1185. a. Quòd unus innaſcibilis Deus eſt, Deo unigenito adimi non poteſt quòd Deus eſt, 393. f. non quòd unus in duos diviſus ſit, 393 f. Deus idcirco unus, quia neque duo innaſcibiles, neque unigeniti duo, ſed unus ex uno, & ambo unum, 394. a. Pater & Filius non uterque idem ipſe; quia natura gignendi, non nuncupatio ſola, fecerit Patrem & Filium, 394. a

Deo æqualis ſola nativitas creditur, 934. b. Deum unum verum non apprehendit, qui Patrem & Filium priùs non confitetur, 874. d. Deus unus & verus eſt in Patre & Filio ſubſiſtentibus, 856. d. Deus nobis in Patris & Filii nominibus perſoniſque unus, 1302. a. nec alia de cauſa in nos excitatum eſt odium Judæorum, gentilium, hæreticorum, 1302. a. Deum patrem Filio majorem eſſe Ariani Sirmii decernunt, 1157. e. eumque ſolum ſcire Filii nativitatem, 1157. c. d. Deus pater major eſt, dum pater eſt: ſed Filius, dum filius eſt, minor non eſt, 1022. a. 1187. e. Deus ab unitate excidit, ſi æquale quid habeat, quod ſit extra eum, 934. b. Qui Deum ſemper patrem fuiſſe negant, refelluntur, 1129. a. Deus non poteſt intelligi pater temporalis, 1166. a. Dei patr[illegible] eſſentiam, quantum in ſe eſt, A[illegible]perimunt, 1163. f. Profectus eſt dignitatis, genuiſſe poteſtatem, nec alienaſſe naturam, 934. c

Dei patris proprietas, 1124. a. Dei filii proprietas, 1124. b. Pater à Filio ſola innaſcibilitate diſcernitur, 1180. c. Præter originis cauſam non differt ab innaſcibilitate nativitas, 1171 b. Deus principium eſt Filio, à quo ſumunt univerſa principium, 1185. c Deus numquam ſine Sapientia, Virtute ac Verbo ſuo, 1140. b

Dei patris & Dei filii unitas non humano more cogitanda, 1006. e. qualis ſit, 972. a. Dei patris ac filii eſſentia vitæ nomine ſignificatur, 1159. c. 1163 a. Unde una utriuſque eſſentia demonſtratur, 1160. d. Dei patris & Filii natura una, 958. a c. 1101. a. unus Spiritus, 960. b eadem virtus, 1192. b. In Filio & Patre ut indiſcretum deitatis naturæque nomen, ita & virtus, 97. c. Dei patris & filii unum opus, 1013. c. ſcientia & voluntas eadem, 1033. b. Voluntas ad naturam eadem, ad nativitatis ſignificationem diſtinguitur, 1033. d. Filius à Patre nec ſubſtantiâ differt nec tempore, 1177. e. Deitatis ſubſtantia in Patre & Filio nec genere nec voluntate diſſidet, 456. f. Ut unum ſunt eſſentiæ nomine, ita & genere, 1174. a. 1178. b. 1182. c. d. Filii & Patris unitas in natura, 150. a. in poteſtate, 150. c In uno uterque confitendus, & tamen non unus intelligendus qui uterque ſit, 150. d. In Filio Dei poteſtas vel accepta vel nata eſt, 150. c. Dei patris & filii unitas hinc probatur, quòd Spiritus-ſanctus ab utroque accipit, 959. b. Filius æqualis Patri; quia de ipſo, ut de Patre, ſumit Spiritus-ſanctus, 1033. a. Utriuſque eſt creatio & reconciliatio noſtra, 977. d

Deus unus pater ſi non ſinit Chriſtum eſſe Deum, non ſinitur eſſe Dominus, quia Chriſtus unus eſt Dominus, 969. a. 971. a. d. Deus pater & Chriſtus Dominus unus eſt ſpiritus, ſed non ſingularis, 965. c. & ſeq. 969. b. non poſſunt ſeparari à ſe naturâ, ſpiritu ac virtute, 970. b. Is qui ineſt, non diſſolvendus ab eo in quo ineſt, 877. a

Deus pater & filius in ſe mutuò ſignificantur, 1040. a. Deus Verbum magis jam in principio apud Deum eſſe cognoſcitur, quàm naſci, 1156. a. Deus in Deo quomodo ſit, 891. a. Patri ac Filio mutua ſibi ac ſimilis invicem natura, 1188. a, quî ſibi invicem inſint, 937. e. 938. c. d. quî in ſeſe ſint, 809. d. 943. a. 944. c. 1018. a. c. Filius vivens imago Patris, in quo conſignata naturaliter Dei forma, 1040. b. Pater & Filius tamquam ſpeculum unus unius eſt, 1030. a. Apparens Filio, vel ſuſceptus à Filio, Patri apparebit in Filio, 153. b. Ex ſubſtantiæ ſimilitudine & proprietate naturæ alter eſt in altero, 563. f. Deo ſimile eſſe non poteſt niſi quod ex ſe erit, 822. a. Deus unigenitus Deo patri in omnibus per plenitudinem veræ in ſe divinitatis æquatur, 1124. b. Deus pater

omnem ſe in eo habet cui pater eſt, 1024. c
Deus unus poſt extremum judicium etiam ab invitis intelligetur, 589. d. De Deo patre ejuſque filio fides Eccleſiæ, 829. c. Hilarii fides, 1187. c. Arianorum doctrina, 827. e. De Filio & Spiritu-ſancto quid ſimpliciter credendum, 1144. a
Deus non eſt in ſolitudine ſua venerandus, 891. a. Deus iis ſolis pater eſt, qui Filium colunt, 899. a. d. Dei patris & filii æqualis veneratio nobis impoſita eſt, 1116. c. Filius in Patre, & Pater in Filio laudatur, 563. f. Deus publica & & conſtanti prædicatione laudandus, 179. f. Unde laudandus, 180. a. Deum omnis ſermo ac ſenſus loqui debet, 785. d. Deo exaltando nullus eſt modus, 121. d. Hoc ſignificatur, cùm ſuper cælos exaltandus dicitur, *ibid.* Lege ceſſante Deus vivæ intelligentiſque hoſtiæ laudibus eſt honorandus, 154. c. Deus honorem à nobis non accipit niſi per Deum, 865. d
Deum ex operibus multi laudant, pauci regem ſibi futurum credunt, 564. b. Deo indignus eſt in viles & in degeneres dominatus, 484. e. Deum intelligenter exquirendi modus, & paucitas exquirentium, 85. a. Rarus eſt qui ſe Dei audeat dicere, 314. a Quis hoc audeat, *ibid.* Deum ſuum dicere ſanctorum eſt, 529. c. etiam Filii Dei proprium eſt, 529. d. Deus Patriarcharum & Prophetarum Apoſtolis tamquam ſucceſſionis hereditate eſt proprius, 187. d. Deus omnium pater, propria & communi ratione Chriſti pater eſt, 1091. d. Deus Patri nullius eſt, Filio Pater eſt, nobis verò Pater & Filius, 849. b
Deo nunc non ſerviunt omnia, 312. d. Dei de perdito Iſrael conſolatio eſt populus fidelis, 478. d. Deus per omnes fere gentes prædicatus, 211. a. Dei nomen in omnibus gentibus ſanctum, 501. a. Deus exaltari nequit, niſi priùs deſcenderit, 120. a
Deus naturâ non eſt niſi unus, plures ſunt ex nuncupatione, 1173. e. Dii per nuncupationem ſunt homines, 471. e. beati, 484. b. Dei nomen ſancto cuique per indulgentiam æternitatis eſt deſtinatum, 1266. a. Dii plures in cælo & in terra qui, 484. d. Dii in cælo ſunt Angeli, 472. a
Deos quàm plures finxerunt ethnici, 175. d. ex multitudine virtutum Dei, venerationem falſorum in diis nominum mentientes, 175. f. ad unum revocantur, 176. a. Dei honor elementis delatus quæ quiſque ſibi legit, 587. a. Dii falſi ex elementis ſæculi, ex regum nominibus, ex errore ſæculi, 547. d. Dii putati ſunt heroum nomina, elementorum creationes & materies metallorum, 179. d. Dii gentium virtute fidelium ſubjiciuntur ad pœnam, 167. f. Eorum templa poſt Chriſtum prædicatum muta, 168. a nonnihil antè ſonuerant, 167. e. Deorum gentilium ſervi, 393. b. c. quàm pertinaces ſint in errore, 392. d
Dexteræ nomine partem optimam Scriptura demonſtrat, 382. a. Dexterâ virtus ſignificatur, 502. f. Dextera Dei, virtus Dei, 155. b
Diabolus pirata, 1365. c. puncto temporis omnem mundum obit, 247. d. Diaboli incolatus, ſæculum, 75. b. c. miniſteria & officia in hoc ſæculo, 383. c. Diaboli figura, Pharao, 476. c. Diaboli ſuorumque clades in Pharaonis interitu adumbrata, 207. d. Diabolus quomodo calumniator, 338. a. quomodo cum ſuis regnum Chriſti nunc perturbet, 178. b. iniquitatum omnium auctor eſt, 541. b. Diaboli opus eſt omnis infidelitas, 691. e. Hoſtis noſter in ſpeculis poſitus nobis ſemper inſidiatur, 158. e. Dulce ei eſt peccare nos, ut peccatorum noſtrorum teſtimonio glorietur, 247. d. Diabolus vitiorum noſtrorum incentiva præbet, 247. d. inſtigat ad peccandum, & arguit peccantes, 247. d
Diaboli tentationes variæ, 337. b. arma & militia, 671. c. Dentes ejus ira, cupiditas, &c 400. c. Diabolus angelique ejus laqueos nobis ſemper extendunt, 327. f. Diaboli tentamenta maximè graſſantur in ſanctos, 618. c. cur, *ibid.* Illius contra juſtos odium & pugna, 314. c. Diabolo in nos via quomodo paretur, 639. c. Quomodo geminam cupiditatem conetur accendere, 307. c. Diaboli impetus quid Deo plenis, quid vacuis efficiant, 400. b. Diaboli domus, peccator, 336. e. quomodo ipſi tradatur, 336. e. Diabolus vitiorum funibus nos ligat, 292. a. inſidias maximè per homines aptat, 527. b. utitur hominum miniſterio ad injurias piis viris inferendas, 430. f. Scripturas memorans, ſilet quæ contra ſe, 619. c. falſum intellectum imprudentibus inſinuat, 340. b
Diabolus quî Chriſti deitatem explorare ac patientiam frangere tentet, 619. a. Chriſtum eſſe Deum ſuſpicabatur, non cognoſcebat 618. a. Dignum fuit nequitiâ ejus, ut in homine vinceretur, 618. b. Diabolus per Judam & Judæos Chriſtum inſectatus eſt, 547. b. Eo principe paſſus eſt Chriſtus, 532. b. Diabolus *in ſatana* criminum ſuorum nomen audit, 620. a. ligatus eſt, cùm ſatanas à Domino eſt nuncupatus, 671. c
Diabolicæ poteſtates, inimici fortiſſimi, 556. d. e. quare & quomodo montes, 167. a. 556. e. 695. d. 715. c. Hi montes jam à Chriſto obtriti, & fumo æterni ignis involuti, ac ſic pœnis æterni judicii præparati, 167. a. b. 166. e. f. Diabolus fumat, nondum totus uritur, 557. d. quî ultioni præparetur, 557. c. Diaboli poteſtas adventu Domini confracta, 557. c. Sanctorum fidei utcumque ſubjectus diabolus, 557. e. nunc cùm nocere nititur, vincitur, 1365. b. maximas tamen adhuc habet vires, 557. c. Diabolum non tam per Chriſtum, quàm etiam per diſcipulos, Deus vinci voluit, 744. a. Qui eum contrivit, ac fidei ſuæ animæ ſubdidit, conſummatè ſanctus eſt, 307. a. Diabolo victo, non deſunt nobis Angelorum miniſteria, 620. b. Diabolus non obtinet, niſi quos Deus deſerit, 380. e. niſi qui à Deo diſcedente ſibi traditi fuerint, 337. c. Diabolo traditur, qui ab Eccleſia reſecatur, 337. a
Diaconus baptizans fungitur officio apoſtolico, 211. a
Diapſalma quid, 13. a. *not.* a. Diapſalmæ interventu mutatur perſona cui dicebatur, 98. c. Diapſalma ſenſum demutans, 107. d. ſenſûs ac perſonæ demutationem docens, 179. b. 183. d. ſine perſonæ aut ſenſus demutatione, 118. e
Dicti ratio ex rei dicendæ ſenſu eſt intelligenda, 803. d
DIDIMION, 1349. c
Didrachma, 697. b
Dies quid, 38. c. 636. a. Dies ſecundùm legem, 109. f. Dies pro ætate vel tempore hominis nuncupari ſolet, 71. c. 113. c. Dies, ſanctorum lumen, 312. d. Dies pleni ſanctis, 111. e
Dies noviſſimus cur nemini cognitus, 733. a
Difficultas ex infirmitate oritur, 1032. a
Dignitas nominis eſt in conſervato propoſito voluntatis, 194. b
Dilatatio cordis, 269. b
Dilectio commendatur, 350. b. Diligere plus eſt quàm facere, cur, 340. f. Dilectioni ex comparatione præferri ſolet dilectio, 25. d. Dilectionis proprium officium, 424. c. Dilectionis operatio extra timoris neceſſitatem eſt, 360. f. Dilectionis eſt, vitiorum & uſum recidere & voluntatem, 362. f. Dilectio Dei ſine Chriſto, aut Chriſti ſine Deo non poteſt eſſe utilis, 723. e. In dilectione proximi concluditur quidquid in lege mandatum eſt, 363. c. Dilectio perfecta quæ, 340. f
Diluvio prima mundi crimina abluit Filius Dei, 160. f
Diocletiana civitas, 1317. e
Diocletianopolis, 1292. e
DIODORUS, 1293. a
DIOGENES, 1326. a
DION, ſeu Dianæus, 1324. a
DIONYSIUS de Elida, 1293. d
DIONYSIUS ab Elica olim depoſitus, 1317. d
DIONYSIUS de Lignedon, 1293. a
DIONYSIUS Mediolan. 333. b. propoſitam fidem Nicænam primus ſcribendo profitetur, 1224. a. Illius exſilium, 1238. b
DIOSCORUS, 1293. a
Directio, 509. d
Diſcalceati Hilario ignoti, 653. a
Diſcretionis bonorum & malorum plura exempla & figuræ, 733. c. 735. a. b. 749. b
Diſciplina quanto fervore arripienda, 51. c. Diſciplina eccleſiaſtica, 1321. a
Diſcipuli Chriſti favore erga Iſrael tenebantur, 703. f
Diſſimilitudo. *V.* Anomœuſion.
Diſputationes impiorum quàm pernicioſæ, 147. e. Diſputationis ſcopum evitant hæretici, 18. b.
Diſſimulationis ſubdolæ reatus, 1153. a. c
Diviſio per fidem aut per futurum judicium, 139. a
Divitiæ quibus in rebus conſiſtant, 254. c. Dives in Domino eſſe quis non poteſt, niſi cum contemtu atque inopia ſæculi, 255. a. Divitiæ cæleſtes non niſi damno ſæculi poſſidentur, 677. c. Divitiarum illecebræ & vanitas, 149. e. Non concupiſcendæ ſunt eas non habentibus, & habentibus voluntas ab his referenda eſt, 149. e. Cavendum ne cupitæ dominentur, *ibid.* Divitiarum cura periculoſa, 705. a. Crimen non eſt in habendo, ſed in habendi modo, 704. e
Divites inſolentes eſſe præſtat opulentia, quàm inaniter, 79. c. d. Divitiarum fiducia maximè timorem Dei avertit, 79. c. Divites magis religioſos eſſe oportet, 79. d. Eorum avaritia inexcuſabilis, 79. d. Divitiis quomodo quis utatur poſt mortem, 79. e. Divites inter & pauperes commercia, 735. c
Docimo, 1324. a
Doctorem non terrenum ſibi quærit David, ſed Chriſtum, 293. e. Docet Pater, cùm auditur Filius, 1016. e. Doctrinis Dei erudita fuit omnis ætas, 357. a. Doctrina multimoda Scripturæ, 482. d
Doctrina ſeſſionis & cathedræ nomine indicatur, 508. c. d. Docere exemplo potiùs quàm dictis optimum eſt, 637. c Non ſufficit docuiſſe quæ recta ſunt, niſi refellantur quæ impia ſunt, 948. d. Doctrinæ apoſtolicæ & propheticæ ſunt ſagittæ, 421. e. Doctrina apoſtolica & ſanctorum nubibus ſignificatur, 474. b. Doctrina regni Dei quomodo virga, 45. e. & *ſeq.* Doctrinæ cæleſtis intelligentia cui pateat, 344. e. Doctrinæ cæleſtis veritatem non recipit iniquitas, 307. d. Ut homo doctrinæ Dei ſit capax, priùs confitenda ei ſunt peccata, 266. c. Doctrinæ Dei cognitio non erit, niſi fidelia opera præceſſerint, 255. b
Doctrina placiti & non rationis, 1037. b
Doctrina ſana cum prædicatoribus ſuis exſulat, 1038. e
DOEC proditor, figura Judæorum, 70. d
DOLICEUS, 1323. c
Dolor undè ſentiatur, 1044. a. 1057. b. quomodo arceatur fidei vi & gloriæ cupiditate, 1065. b. Doloris ſenſu cur non læſus in paſſione unigenitus Deus, 100. c. Dolorem in Chriſtum cecidiſſe ſenſit Hilarius, 125. *not.* e. Dolor vulnerum in Chriſto, 226. a. f. 227. a
DOMINIANUS, 1292. d
Dominus eſt, qui carni non ſervit, 485. a
Dominica habet ſabbati perfecti feſtivitatem, 8. b. Dominicâ neque jejunandum, neque ſtrato in terram corpore adorandum, 8. a
Dominicum, pro eccleſia, 1224. a
DOMINIUS, 1324. c
Domus Dei vulgò templa, 416. c. d. ædifi-

ciorum domibus non concluditur Deus, *ibid.* e. Domus Domini spiritalis, 385. b. Domus Domini, domus unanimitatis, 388. c. unius mentis & fidei & caritatis domus est, 388. c. Domui Dei nulla virtus sine pace, 389. b. Sanctitas, æquitas, continentia humana Deo domus ac templum est, 417. b. Domum Dei esse plus est, quàm civitatem Domini esse, 390. a. b

Domus Dei, Ecclesia, 165. a. una est & plures, 417. c. Domus hujus lapides, 385. d. fundamentum, structura & ornamenta, 417. b. Domûs Dei claves habent Apostoli, 385. e. Domui eidem sociantur qui unitatem servant, 386. b. Sanctæ istius domus participationem non habent peccatores, 386. c. Domûs Dei bona, dona ei à Christo data, 165. a. b. bona alia plena & perfecta, 165. c

Domus Dei, homo à filio Dei assumtus, 165. e. Bona ipsius, virtus, gloria & æternitas, 165. e

Domus Dei, fidelis cujusque corpus, 165. d

Domus Dei corpus & anima, 418. a. b. In ejus ædificatione ars humana deficit, 418. c. Unus perfectæ illius ædificationis artifex, Christus, 418. a

Domicilium patulum inconceptibili Deo opus est, 282. b. Difficilia omnia & angusta sunt, cùm divini Verbi habitatione sumus indigni, 282. c

Domesticæ calumniæ quàm ægre caveantur, 346. c. fidei excidium solent afferre, 346. d

DONATUS Carthag. 1307. b

Dona pretiosa sunt, quæ caritatem commendant, 906. e. Dona in Spiritu Deus dividit, sed non dividitur in donis, 650. a. Donis spiritalibus eò humiliter utendum docet Apostolus, quòd ea ad utilitatem data tradit, 325. c Dona Dei sunt etiam ea, ad quæ valere videtur nostra industria, 397. a. *V.* Munus.

Dorlani, 1324. b

Dormitatio & somnus quid differant, 267. d

Dormitio Dei in nobis, 380. f

Dui, 1293. d

Dux nobis in via mandatorum Dei necessarius, 274. b

DUCES, 1311. d. e. 1320. b

E

EBrietatis miseria graphicè depingitur, 409. a. Ebrietatis & opulentiæ spiritalis ratio explicatur, 169. c. 170. b

Ecclesia nomine Sion significatur, 163. a. Hoc nomine intelligitur ecclesia quæ nunc est, vel quæ erit sanctorum, 463. c. Ecclesia, non carnalis Israel, in Sion habitatura est, 23'. b. c. Ecclesia, mons est Domini, 403. a. 404. c. domus Dei, 165. a. 388. a. Christi os, 518. b. corpus Christi, 433. d. Christi sponsa, 427. b. Hanc qui odit, Christum odit, 433. e. Ecclesia præfigurata in Chananææ filia, 685. f 686. e. in Ninivitis & regina Austri, 386. e. instar est navis, 643. a. 646. a. 675. e. 688. b. Quî Deus ei ab initio sæculi prospiciat, 417. d. Universæ illius ætati prospexit, 357. a. Sollicitudo Dei quatuor vigiliis enuntiatur, 683. b

Ecclesia quomodo priùs deserta, nunc habitata, 106. e. *& seq.* Ecclesiæ diu sterilis & postmodum fecundæ Rachel typum gessit, 613. d. Ecclesia Synagogæ prælata in Ephræm & Manasse præsignata est, 140. a. Ecclesia legis vidua Christo legitimè copulatur, 458. a. b. Ecclesia fit ex conventu plebium, 231. b. cœpit esse à Christo, 452. d. Ecclesia, id est, Dominus in corpore, 404. c. id est, corpus Christi, 628. c. magni regis est civitas, *ibid.* Ecclesia est Christus, universam eam in se continens per sacramentum corporis sui, 410. a

Ecclesiæ figura fuit arca, 580. f. In illam omnes invitati, pauci intrant, 643. e. Ecclesiæ incolæ spiritales sunt, 401. a

Ecclesiæ unitas, 905. b. Ecclesiæ corpus quomodo unum, 386. a. Ecclesia à Domino instituta, & ab Apostolis confirmata, una est, 917. d. Ecclesia sola benedictiones largitur, 464. c. Per Ecclesiam scanditur ad cælestem Jerusalem, 465. f. Non est iter ad cælum nisi per Ecclesiam, 62. c. Ecclesiasticæ tantùm religionis vota utilia sunt, 163. d. Extra Ecclesiam positi verbum Dei intelligere non possunt, 675. e. Extra Ecclesiam non habetur requies, 580. f. Ecclesiæ pax & unitas virtutem & unitatem nobis præstat, 389. d. b

Ecclesia per id, quòd sola est atque una, hæreses omnes confutat, 917. e. Sabellius, Hebion & Arius sese vincendo Ecclesiæ vincunt, 779. b. Ecclesiæ ex omnibus hæreticis triumphus est eorum de se invicem victoria, 918. a. 920. a. Ecclesiæ hoc proprium est, ut tunc vincat cùm læditur, tunc intelligatur cùm arguitur, tunc obtineat cùm deseritur, 917. c

Ecclesiæ doctrina ex initiis legis defluxit, 207. e. Ecclesiæ scientia non à se, sed à Domino suo, 884. d. Ei à Patre revelata sunt mysteria priùs occulta, 518. b. Ecclesia à Deo potestatem non sumsit à parentum traditione discedendi, 1319. c. Ecclesiâ, quæ se catholicam dicit, ne fortè fallat, cautè utendum, 654. c. Ecclesiæ naufragæ sunt, intra quas non vigilat verbum Dei, 644. c. Ecclesia non est, quæ Christum negat Dei filium, 905. b

Ecclesia in toto orbe una & multæ, 62. b. 452. f. Ex una Apostolorum Ecclesia plures sunt, 452. f. Ecclesiæ ab Apostolis principia sumentes, principatus illorum sunt, 522. f. Ecclesiæ congregatio hereditas Deo est, 197. b. Ecclesia toto in orbe fundata, 522. f. toto in orbe numerosa, 523. d. suffragiis humanis fundata non fuit, 1264. a. Ea quæritari Hilarius ingemiscit, 1265. a. Ecclesiæ incrementum temporibus Hilarii, 202. d.

Ecclesia omnes secum atque intra se vellet manere, 917. c. Quid prosint ei hæretici ab ea discedentes, 917. d. Ab Ecclesiæ corpore se separant peccatores, 386. c. Qui ab Ecclesia respuuntur, diaboli dominatui traduntur, 337. a. Extra Ecclesiam positi pseudoprophetarum & dæmonum incolatus fiunt, 643. e. Ecclesia quatuor ordinibus comprehenditur, 480. a. Ecclesiæ confusio mundos atque immundos complectentis, 751. a. In Ecclesia manentes, & Ecclesiæ disciplinam non tenentes, 18. c. Ecclesiæ ministrorum avaritia & luxus carpitur, 88. e

Ecclesiarum gubernator est Dominus, 1284. b. duces, Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli, 171. c. turres, principes, 389. d. & quicumque Deum diligunt, 389. e. tres columnæ, Petrus, Jacobus & Johannes, 894. b. oculi, Apostoli & Sacerdotes, 520. b. c. Ecclesia in ceteris per naturam tenebrosa, 520. c. Ecclesiæ infimi, 518. f

Ecclesiæ anxietas tempore antichristi, 683. c. quî à Christo apelletur, 683. d. Ecclesia non peremtos Innocentes dolet, sed peremtores, 613. e. Ecclesiæ hymni, divina officia, publicæ victricesque in Dei laudibus voces, 174. d. Ecclesiarum chartæ, 1266. e

Ecclesia cælestis quid, 457. b. Ecclesia nunc cælestis Jerusalem, 404. a

Ecclesiæ, quas ad secretam (*vel* sacratam) sacramentorum religionem ædificiorum septa concludunt, Dei domus dici solent, 416. d. Ecclesiarum assidua habitatio maximus ad cælestia gradus est, 62. b. Ecclesiam multi adeunt, dum argui absentiam suam erubescunt, 316. e. Ecclesiæ Dei in tectis ædificiisque mala veneratio, 1269. c. Hilario tutiores sunt montes, silvæ, lacus &c. *ibid.*

ECCLESIASTICUS, 19. a. *not.* a. apud Latinos Salomonis, apud Græcos & Hebræos Sapientia Sirach habetur, 536. c. vocatur liber Salomonis, 536. b. 641. c. Illum ut Domini sermonem respiciunt Orientales, 1319. f

ECDICIUS, 1349. c

EDDESIUS, 1325. a

Edicta Constantii, 1245. b. 1246. b

EDOM secundùm Genesim deficiens, 141. b. Edom interpretatio, 495. a. *not.* c

Efficiens discernitur ab effecto, 665. e

Effusio cordis quid, 149. a

Elatio bona animi, 443. a. cordis humilitate temperanda, 443. d

ELEAZAR martyr, 479. b

Electi quî vocentur ac munerentur à Deo, 577. g. *& seq.* Certus eorum est numerus, 522. f. Electi, qui jam in tabernaculis Dei habitant, 165. f

Electionis figura, 643. a. b. Electio fit ex omni hominum genere, 693. d. habitâ ratione meriti, 721. a. discretio est ex meriti delectu facta, 164. d. quom[illegible] hoc intelligendum, *ibid. not.* f. Electio fidelium præest infidelium multitudini, 658. b. Electionis princeps Abraham, 470. c. Tertius in electione est Jacob, 470. c

Eleemosynæ præceptum ac meritum, 629. c. Eleemosynæ fructus, 735. c. Eleemosynæ sunt planè ambitiosæ apud Deum humani thesauri legationes, 79. e

Elementa secundùm vulgi opinionem maxima, 625. b. Elementorum mundi & Christi discrimen, 979. b. Elementa mundi interitum suum Christo moriente senserunt, 813. b. Elementis terrenis non est inchoatum Christi corpus, 1064. a. id est, non secundùm elementa causarum communium, 1064. d. Elementorum nostrorum origines pudendæ, 206. b. Elementa vitæ piæ psalmo CXVIII. traduntur, 241. c

ELEUSIUS ab hæreticorum grege excipitur, 1186. d

ELIAS in cælestem habitationem raptus, 349. d. in regno cælorum Christo assidebit, 709. d. novissimum Christi adventum præveniet, 710. a. Judæorum pars per eum est creditura, 733. e

Elica, 1317. d

Elida, 1293. d

ELIODORUS, 1293. c

ELISEUS Angelorum contemplatione dignus, 499. c

Eloquia Dei obscura, 365. a. etsi non videntur, sunt tamen justa, 338. c. Salutaris Dei adventu consummanda & intelligenda sunt, 338. e. pluvia sunt qua fecundamur, 579. d sunt dulcia, modò in animum penetrent, 319. e. animæ amaritudines & cupiditatum febres mitificant, 319. f

Eloquia pudenda non proferuntur ore, sed corde agitantur, 83. e

Eleusatium civitas primaria Novempopulanæ provinciæ, 1149. *not.* b

EMBRACIUS, 1325. c

Emerita, 1292. d

EMMONIUS, 1326. d

ENOCH an novissimum Christi adventum præveniet, 710. a. Enoch liber, 463. *not.* d

EORTASIUS, 1349. c

Ephesus, 1323. c

EPHRÆM prælatus Manassæ, Ecclesia Synagogæ prælata, 140. a

Ephrata eadem est quæ Bethlehem, 452. a

EPICTETUS, corruptè Epitectus, 1347. c. damnare urbis Romæ episcopum gaudet, 1328. b. Pacem ei dicit Liberius, 1339. c

EPICUREORUM doctrina exploditur, 371. e

Epiphania, 1324. b

Episcopi populi principes, 734. c. Eorum officium, merces ac pœna cùm bene vel malè egerint, 734 d. Episcopus, perfectus Ecclesiæ princeps, 947. b. Quid ab eo exigatur, 947. d Consummatarum episcopi virtutum veluti summa, 945. a. Aliis non proficiet, nisi doctus sit;

& ſine doctrinæ auctoritate erit, niſi innocens, 947. a. Vita ejus ornetur docendo, & doctrina vivendo, 947 b. Epiſcopus Eccleſiæ debet prædicationis miniſterium, 879. c. Epiſcopatûs vox, 1206. a. Epiſcopalibus arbitriis non admittitur æquammiter judicium regis, 1282. c. Epiſcopalis doctrina ab inferenda vi aliena, 1221. b. Epiſcoporum cervices ferreis vinculis conſtrictæ, 1285. c. 1291. c

Epiſcopos ſemel depoſitos judicum ant accuſatorum perſonam habere non debere, 1270. b. Audiri ut epiſcopum non oportere, qui quondam damnatus fuerat, 1267. b. Epiſcopatûs gradu dejectos & anathemate damnatos, epiſcopos non eſſe, 1204. a. 1289. d. De hæreticis dicitur, *qui ſe appellant epiſcopos*, 1290. d. Epiſcopatui renuntiandum, qui ab anathemate ſumtus eſt, 1204. a. *not.* h. Epiſcopatus penitus ſuſtulit Conſtantius, 1257. c

Epiſtolæ blaſphemias Arianorum committere Hilarius pertimeſcit, 1269. c

Error in plurimis difficilè curatur, 879. b. præſertim error ex impietatis voluntate, 888. d. Errori ignoranti Deus moderaturus eſt pœnam, 880. a

Eructatum verbum quid, 365. d

ESAIAS, 1137. c. Deum vidit, 873. d. ob hanc cauſam in judicium mortis actus eſt, 873. e. myſterium corporationis ex virgine prænuntiavit, 873. d

ESAÜ primogenita tamquam moriturus inutilia exiſtimavit, 350. f

Eſca incorrupta & æterna, 489. b

ESDRAS pſalmorum in unum librum collector, 4. a. b. d. auctor traditionis de auctoribus pſalmorum nulli adſcriptorum, 4. a

Eſſe, proprium Dei eſt, 1124. c

Eſſentia quid ſit, 1158. c. propriè idcirco eſt dicta, quia ſemper eſt, 1158. c. 1305. c. Eſſentiâ ſignificatur rei natura, genus ac ſubſtantia, 1158. c. d. cur ſubſtantia, 1158. c. 1305. d

Evacuare poteſtatem, quid, 1100. f. Evacuatio ex Dei forma in Chriſto non fuit naturæ divinæ interitus, 228. a. Cur. *ibid.*

EVAGRIUS, 1293. a. 1338. a

Evangelicum tempus deſiderarunt Sancti & Prophetæ omnes, 208. c. Hoc fore prædictum eſt, cùm lex eſſet diſſipata, 340. c. Ad evangelicam doctrinam per viros antiquæ legis imbuimur, 357. c. Evangelici viri ſub lege vox, 318. e. Evangelicus vir toto pſalmo CXVIII. conformatur, 316. c. Evangeliorum opera per legem ſunt adumbrata, 205. e In evangelicam ſpem adumbrata ſunt quæcumque lege præcepta ſunt, 200. d. Evangelium continet lex Moyſi, 319. c. Evangelio non eſt introducta confeſſio alia quàm lege, 200. c. d. Evangelii & legis Deus idem, 195. a. quæ Evangeliorum ſunt præformavit, cùm ea quæ legis ſunt geſſit, 195. d. 205. e

Evangelia ſacra & veneranda, 864. b. ex lege ſunt, 864. c. legis ſunt ſupplementa, 201. d. quomodo legem excedant, 625. e. *& ſeq.* Evangeliis quomodo declarentur prophetica dicta, 344. a. Evangelia non intelligentibus interdum ſecum videntur pugnare, 1199. c. mutuam ſibi præſtant plenitudinem, 1062. d. unius Spiritus ſunt, 1062. d. Evangelicis geſtis ſubeſt interior ſenſus, 679. a. Evangelia lex non recipit, 646. a

Evangelica libertas, 326. e. *& ſeq.*

Evangelicæ doctrinæ immutabilitas, 453. a. d. Quantùm in Evangelii prædicatione Dei virtus emicuerit, 1264. c Evangelicæ doctrinæ percipiendæ poteſtas quibus dilata, 717 e. hi extra culpam infidelitatis, quòd parere ei non potuerunt, 717. e

Evangelizantes virtutes multæ, 197. c. Evangeliſtarum numerus in quatuor primis Apoſtolis præfiguratur, 619. d. Quæ Johanni fuerit Evangelii ſcribendi cauſa, 907. a

EUCARPIUS, 1349. c

Euchariſtia. Sanguinem corporis ſui fundendum in remiſſionem peccatorum Chriſtus paſſurus conſecravit, 743. e. Chriſtus gratias agit ſe in cibum evangelicum verti, 681. e. Panem cæleſtem perficere & miniſtrare Apoſtolis quando nondum conceſſum, 681 c. Panis cæleſtis idem nobis eſt largitor, qui Judæis mannæ fuerat indultor, 196. a. b. Panis unus eſt, quem in terris guſtamus, & in cælis guſtaturi ſumus, 425. e. *not.* e. Sacramentum panis cæleſtis in fide reſurrectionis accipitur, 648. f. Ex altari verus Chriſti ſanguis accipitur, 1246. c. *not.* n. Chriſti carnem ex Virgine aſſumtam accipimus, 1047. *not.* a. cibum ſumimus, cujus hæc virtus eſt, ut ipſe vivens alios vivificet, 428. b. Verè Verbum carnem cibo Dominico ſumimus, 954. d. 956. a. Verè ſub myſterio carnem corporis Chriſti ſumimus, 955. b. Naturam carnis ad naturam divinitatis ſub ſacramento communicandæ carnis Chriſtus admiſcuit, 955. a. Per ſacramentorum myſterium Chriſtus in nobis naturaliter permanet, 956. c. Quo modo per Patrem vivit, eodem modo per carnem ejus vivimus, 957. b. Naturaliter ſecundùm carnem per eum vivimus, 957. b. Vitæ noſtræ hæc cauſa eſt, quòd in nobis carnalibus habemus Chriſtum manentem per carnem, 957. b. manentem carnaliter, 957. d. Chriſti caro accepta & ſanguis hauſtus efficiunt, ut nos in eo, & ipſe in nobis ſit, 956. a. Quid tam vult Deus, quàm ut quotidie Chriſtus habitet in nobis? 1368. a. Corpus Domini conſecratum ad ſacerdotum colla ſuſpenſum, 1313. a. Sacramenta ſalutis noſtræ projecta, 1295. a. In ipſum Chriſtum manus violenter miſſæ, 1247. b. *not.* c. *V.* Communio.

EUDEMON, 1325. c. *V.* 1324. e. Arii hæreſim damnare recuſavit, 1331. d

EUDOXIUS, 1324. a. 1337. b. Blaſphemiæ ejus publicè recitatæ, 1248. c. *& ſeq.*

Euge euge irridentium vox eſt, 233. c

EUGENIUS, 1326. b

EUGEUS, 1323. e

EULALALIUS, 1323. d

EUMACIUS, 1349. c

Eunuchi naturâ, neceſſitate, voluntate, 702. d

Euſebiana hæreſis, 1291. c

EUSEBII duo inter primarios Arianos, 1220. d

EUSEBIUS ad Liberium miſſus & ad Africam feſtinans, 1331. a

EUSEBIUS ex Cæſarea, 1287. e. Exquiſita illius malitia, 1287. d. Ejus facta falſitatis plena, 1284. c

EUSEBIUS à Dorlani, 1,24. c

EUSEBIUS à Mignenia, 1324. e

EUSEBIUS Nicomed. 1288. b

EUSEBIUS à Pergamo, 1324. c. 1325. a

EUSEBIUS Vercellenſis, 1333. b. vir omni vita Deo ſerviens, 1222. d. Illius iniqua damnatio, *ibid.* exſilium, 1238. b. Tertio laborans exſilio, 1356. c. *not.* 1. in paſſionibus perdurare cupit, 1356. d. ad Gregorium Spanenſem reſcribit, 1350. a. hortatur eum ad increpandos infideles qui Arimini ceciderant, 1356. c. quot ſtent, & quot Gregorius monendo correxerit, ſignificari ſibi petit, 1356. d. cum Hilario adversùs Auxentium digladiatur, 1270. b. & unà cum eo ſchiſmatum auctor appellatur, 1272. b

EUSEBIUS conſul; 1341. d. 1342. c. 1346. c

EUSEBII Gallicani homiliæ pleræque ſunt Fauſti, 1200 *not.* g

EUSTACIUS ab Epiph. 1324. b

EUSTASIUS, 1322. a

EUTARIUS, 1293. c

EUTERIUS, 1292. e

EUTHEMON, 1324. e

EUTHITIUS, 1293. e. 1307. b

EUTICIUS, 1326. c

Examinat Deus, ut probet ac purget, non ut cognoſcat ſuos, 180. d

Excommunicatio an in mortuos valeat, 1257. b. *V.* Anathema *&* Communio.

Excuſationes cordis pravi, 536. e. f

Excuti maledictionem ſonat, 422. a

Exemplum in rebus difficilibus deſideratur, 398. a. Exemplo potiùs docere quàm dictis optimum eſt, 637. c. Exempla rerum corporalium reſpectu Dei inania, 1029. e

Exercitatio, 105. a. Exercitationis neceſſitas, 255. b

Exinanitio Dei in Chriſto apprime explicatur, 216. d. 1110. b. 1116. a

Exire ex Deo quid, 899. c. 900. a. Exitionis vox Verbi nativitati ſignificandæ quàm idonea, 902. d. 1002. f

Exodus quid, 269. d

Exſilium epiſcoporum Arianis contradicentium, 1149. a

EXUPERANTIUS, 1338. a

EZECHIAS præteritorum geſtorum gratiam per ſuperbiam amiſit, 325. e. Datum ei ſignum prorogatæ ſalutis quid ſignificet, 368. b

EZECHIEL, 1137. d

F

FAcies, imago, forma & vultus non differunt, 228. b. Facies Dei, Chriſtus, 549. c. item judicium Dei, 191. f. Faciem Dei quomodo fugiant & non effugiant dæmones, 191. c. Facies Dei quomodo nos illuminet, 347. a

Facies Chriſti, divinitatis gloria, 454. c. d

Fames Chriſti qualis, 618. c. *not.* e

Familiaritas malignorum quàm pernicioſa, 332. b

Fariſea civitas, 1353. a. 1356. a

FAUSTO Rhegienſi aſſeruntur libri de Spiritu-ſancto Paſchaſio adſcripti, necnon pleræque pſeudo-Euſebii Gallicani homiliæ, 1200. *not.* g

Felicitatis terrenæ deſcriptio, 561. c. Felicitas beluina eſt in otio & opulentia, 765. a. Hanc plerique à ſe reſpuerunt, & coarguerunt in aliis, 766. b. Felicitas à fidelibus exſpectata, 384. d. Felicitatis æternæ beata temperies, 382. f. populo Iſrael in deſerto præformata, 383. a. *V.* Beatitudo.

Femina pulcrior, ut putant, humani corporis ſpecies, 341. a. gemmis ad naturæ contumeliam expolitur, 341. a. Feminarum laſcivientium occurſus, continentium oculis captioſi, 291. a. Feminis petium oculis captioſi, de ſuſpenſis veſtes in faciem non defluere, 1243. b. *not.* c. Feminæ in quam formam reſurrecturæ, 721. c

Fervor in Dei ſervitio, 51. c

Ficus quomodo diſſimiliter à ceterarum arborum natura & conditione floreſcat, 715. d

Fideles ſalicibus ſignificantur, 492. d. quomodo ſint pueri, 698. a. Fidelium per unius fidei naturam naturalis unitas, 951. c. Eorum ſapiens ſtultitia, 823. b. *&* *ſeq.* in diabolum jus, 715. c. Fidelium ordo quadruplex, 480. a. Fidelis populus Deum de perdito Iſrael conſolatur, 478. d

Fideles perſecutioni ſunt obnoxii, 395. a. de perſecutorum peccatis dolent, 395. c. Deus ſolus eis tum opitulari poteſt, 395. c. Fidelium conſolatio quæ ſit, ubi fidem ut volunt eloqui nequeunt, 1188. b. Fideles in Chriſto jam ſunt Deo pleni, 988. d. *& ſeq.* in Chriſti corpore tamquam conſortes dominicæ carnis habitant, 76. b. c. ſi fructibus fidei ſuæ careant, eradicabuntur, 76. d. Fideles inter & infideles quidam medii, 25. b. Hi non poſſunt eſſe quod ſe nuncupant, 25. c. De his erit judicium, 24. f

Fides, ſpes & caritas commendantur, 1279. a. Tria illa nihil aut extrinſecùs mutabuntur, aut ultrà quàm obtinent uberius acquirent, 1279. c. Fides mundi eſt credere tantùm quod poteſt, 979. b. Fides

humano arbitrio ab Arianis est commissa, 1153. b. non ex arbitrio nostro, sed ex dictorum virtutibus ineunda, 939. d. non incertis humani ingenii studiis permissa, 1082. d. est indemutabilis, 1083. a. una, 1083. a. eadem in antiquis & in nobis, 532. c

Fidei nostræ princeps Abraham, 426. c. Fide fit quisque filius Abrahæ, 615. d. 616. a. Populus in lege per sanguinis adspersionem fide purificabatur, 95. a. fide cordis cessante, omnia legis sacramenta per oris fraudulentiam gessit, 95. b. Adspectus non impediit, quin fides in Jacob maneret, 865. a. Fides David non concluditur fæculis, 281. b

Fidei gentium & Judæorum tempus, 656. a. b. Fidei primitias ab Israel exspectavit Christus, 686. b. ceteris Apostolorum prædicatione salvandis, *ibid.* Fidei unum immobile fundamentum, 800. a. Fidem divinam, proh dolor! suffragia terrena commendant, 1265. a

Fidei officium, 795. a. Fides animæ & cordis officium est, 182. d. Fidei in Dei rebus necessitas, 776. c. 777. a. Hoc solum de Deo bene creditur, ad quod nobis auctor ipse & testis est, 824. d. Fidei assumtio non interroganda, sed sequenda, 643. c. Deo de omnibus ut ab eo sunt dicta credendum, 818. a. Adversus Dei testimonium non est audienda ratio humana, 889. d. Fide nihil justius, 1079. d. Credendi necessitatem præstat sola dicti dominici auctoritas, 978. b. Sensum tamen nostrum Dominus quàm potuit aptiùs instruxit, 978. b. Fidem verborum Dei confirmat sanctitas operum, 569. c. Fides intelligentiam præcedat, non sequatur, 773. a. Intelligentiam fides qui præcedat, non sequatur, 773. a

Fides religionis nostræ portus, 1078. c. Fides simplex ad salutem potissima, 1122. d. Fides religiosa est, ubi est etiam naturalis inscientia, 1140. d. Fidei stipendium maximum est, sperare quæ nescias, 952. d. Fides quomodo non periclitetur in ignorationis errore, 940. b. quomodo promoveatur ignorantiæ nostræ conscientiâ, 1141. a

Fides rei creditæ demonstrationem potest petere, 940. d. Fides rationabilis scientiæ, 778. a. qui præstet fidei rationis inopi, 1122. d. unde scientiam suam hauriat, 1122. c. Fidei simplici quàm periculosa sint philosophiæ sophismata, 1121. d. Fidei nostræ reddenda ratio: cur, 892. c. Fidem asserere non sufficit, nisi etiam objecta diluantur, 780. e

Fides Arianorum non cognitionis, sed criminis est, 930. c. Eorum crimen, qui intellecta non credunt, aut corrumpunt intelligentiam credendi, 952. d

Fidei meritum, 901. b. 910. e. 1280. a. Donum Spiritûs per fidem hauriendum, 806. e. Deus fidei honorem redditurus interrogat, 372. d. Fides ad sanitatem merendam prærequisita, 910. e. Eadem reposcitur ad animæ salutem, 911. c. Non ex salute fides, sed salus ex fide exspectanda, 650. e. Fide merendum quod petitur, 650. e. Ex fide est salus omnis gentium, 641. d. Fidei meritis reservatur beatitudo, 329. c

In fide prima nobis spes est ad Deum, 1330. b. Fidei fundamento eruto non superest spes, 495. c. Extra evangelica promissa est, quisquis extra fidem eorum est, 952. d. Fidei indigi, pauperes, 739. e. In fide catholica salus principaliter consistit, 1360. b. Fides sola justificat, 646. d. 718. a. consummat justitiam, 661. e. justum consummat, 1079. b. habet obedientiæ meritum, non fiduciam cognitæ veritatis, 302. a. qui differat à scientia, *ibid.* non haberet præmium, si eam necessitas affixæ voluntatis inferret, 953. e

Fidei donum, 965. a. Qui non data sit, 953. *not.* d. Fide sua cœpit Propheta, 548. f. Fides coacta esse non debet, 1221. c. Fidei illata vis improbatur, 1265. a. Fidei coactæ professio non improbanda: cur, 1187. b

Fide destitutis quanta caligo, & quanta lux fide præditis, 146. c. *& seq.* Fidem veram difficilè impietas intelligit, 863. d. Vincula fidem impedientia, 406. c Fidei obedientia ultra naturalem opinionem nos provehit, 786. b. Fides religiosa humanæ infirmitatis non detinetur naturis, 1079. c. de divinis operibus non ambigit, 1079. e. Fides sibi necessariæ religionis intelligentiam assumit, 770. d. regni mysteria percipit, 675. f. virtutem Dei ubique consequitur, 650. a

Fides nostra terret iniquos, recreat justos, 161. d. e. Fidei vis contra præstigia, 124. a. ad arcendum dolorem, 1064. b. d. 1065. b. Per fidem habet unde sedetur animus, 147. c. Fides habet in se virtutem generalis auxilii contra omnes morbos, 799. b. Ad tenendam fidem quantâ opus sit Dei gratiâ, 249. c. Fidei Spiritus nobis adest inseparabilis, 1113. c. Fidei clamor, 118. d. 352. e. 353. a

Fides mundi hujus principibus perosa, 26... a. per passiones sitis, inediæ *&c.* probanda est, 152. d. In his veluti militia & victoria fidei est, 152. e. Fidei documentum est persecutio, 308. b. Fidei præstò sunt semper insidiæ, 159. f. Philosophorum & hæreticorum adversùs eam conatus & doli, 160. a. quàm inanes, 160. b. Fides constans respuit captiosas philosophiæ quæstiones, 773. d

Fides cordis, 95. b. Fides ori atque cordi debet esse connexa, 1080. b. Scientia in fide est, ratio in Dei virtute, 1080. b. Pietas est non ambigere, justitia credere, & salus confiteri, 1080. d. Fides in simplicitate est, in fide justitia, in confessione pietas, 1080. e. Fides perfecta nullâ sæcularis officii in alterum religione est devincta, 644. a

Fidei pertinacia docetur exemplo idololatrarum & hominum carnalium, 392. d. 394. c. Fidei veritas ut sensu ac verbis, ita operibus profitenda est, 65. a. Sine fide frustra fiunt opera bona, 64. e. Fidei timor in custodia mandatorum Dei comprobatur, 293. c. Fidei militia est, custodire mandata, 354. a. Fidei operationem addidisse, sumtæ pecuniæ duplicatio est, 737. d. Fidei nostræ maximum opus est humilitas, 442. e. Fidei perfectæ vir qui unctionem à Christo defluentem excipiat, 462. e. *& seq.* Per fidem maximè justificatio nobis erit probata, 249. c

Fidei veritas ex vanis adversùs eam hæreticorum conatibus ostenditur, 798. c. *& seq.* Fides Ecclesiæ qui una vincat omnes hæreses, 917. d. 920. a. Fidei forma certa est: sed quantum ad hæreticos omnis sensus incertus, 790. d. Fides nostra de æterna Dei generatione, 927. a. b. 928. f. *& seq.* Fides generationis Verbi comprobatur ex mira piscatoris doctrina, 795. d. 798. d. Fides de Dei filio, 1113. d. Fidei nostræ de Filio perfectum sacramentum, 875. e. Fidei nostræ principale, 1185. e. principalissimum, 1162. d. 1163. b. Fides unius Dei patris sine Christi fide non proficit ad salutem, 968. c. 1005. e. 1012. c. Ecclesia per differentiam fidei & Jacob & Israel se habet, 470. e. Christum credere non sufficit, nisi eum credamus Dei filium, 907. a. 911. d. Christum filium Dei non credidisse mors est, 894. b. Fides Christi psalmorum clavis, 5. a. Fidei perfectæ de Filio meritum, 899. f. Fides quænam de Filio & Spiritu sancto esse debeat, 1144. a. Fidem Trinitatis tueri semper curarunt apostolici viri, 1301. d. Fidei totius absolutio in Trinitatis regenerantis sacramento sita, 785. c

Fidei unitas, 971. e. 1083. a. Fidei veræ una sedes, 199. d. Fides non est alia à Petri fide, 905. b. Extra fidem est, quidquid extra unam, 1084. a. Quidquid præter fidem unam est, perfidia, non fides est, 1255. d. Plures ad id cœperunt esse, ne ulla sit, 1227. c

Fidei defectionem sequitur hypocrisis, 1038. b. Fidei diffidium exstitit ex vitio malæ intelligentiæ, 917. d. Controversiæ de fide amicè componendæ, 1205. b. Ubi variæ sunt de fide opiniones, ad fidem in baptismo confessam redeundum, 1229. b. Fides apostolica & catholica, quæ ad Nicænam synodum permansit, 1358. a. *not.* e.

Fides in baptismo jurata, 1226. d. Fides, quam baptizandi profitentur, 687. c. quam regenerati neophyti non litterâ tenent, 1187. c. Nec tamen scribi impedit, quod salutare est confiteri, 1187. ce Fides alias atque alias conscribi necesse fuit, 1168. b. Fides scriptas Occidentales nesciunt, 1187. Fides scribenda est, quasi in corde non sit, 1228. ...

Fides Nicæna plena atque perfecta est, ... d. describitur, 1197. f. 1303. a. Fides post Nicænam synodum diversis temporibus editæ, 1154. c. *& seq.* 1226. c. *& seqq.* qua occasione, 1227. d. Fides annuæ atque menstruæ, 1228. b. Fides temporum potiùs quàm Evangeliorum, 1227. b. Fidei novitate turbantur fideles, & infideles ad fidem vetantur accedere, 1345. d. Fidem apostolicam septuplo praeferentes, fidem evagelicam nolunt confiteri, 1228. d. Fidem nova voce posse declarari, 1196. e

Fides Occidentalium, 1303. d

Fides Antiochiæ in Encæniis edita, 1168. c. quatenus suspecta, 1170. b

Fides pseudo-Sardicensis, 1172. b. 1322. d

Fides fraudulenta Sirmii an. 349. edita, 1301 b

Fides Sirmii contra Photinum scripta, 1174. e. An hæc à Liberio suscepta, 1336. *not.* n

Fidei professio Seleuciæ scripta, 1249. b

Fides subscripta ab Ariminensibus legatis quæ sit, 1346. a

Fides catholica exposita apud Fariseam civitatem ab episcopis Gallicanis, 1356. a

Fidei suæ rationem reddere cogitur Auxentius coram Quæstore & Magistro ac fere decem episcopis, 1267. b

Fiducia sui quàm inanis, 65. e. Stultitiæ atque impietatis extremæ est, sua confidere velle potestate, 79. b. Fiduciæ custos, sui diffidentia, 66. a. Fiducia nostra omnis in Deo esse debet, 570. a. Confisioni, quam in Christo habemus, nemo dominatur, 405. d

Figulum vas, & vas figuli quid differant, 47. d

Filetus à Cratia, 1324. d

Filetus à Jul. 1324. d

Filius quis verè sit, 1160. b. Filius communi hominum assensu est in paternæ naturæ æqualitate, 1013. f. 1191. c

Filii Dei plures sunt dicti, unus est verus, 1113. d. De Dei filio variæ hæreses damnantur, 1343. b. Dei filium quidam dixerunt insubstantivæ vocis incorporalem sonum, 1179. f. dixit Valentinus prolationem, 833. c. 881. c. Manichæus partem unius substantiæ, 833. c. 881. c. Sabellius ipsum quem & Patrem, 833. c. 881. c. Hieracas lucernam de lucerna, 834. a. 881. c. Filium lumen ex lumine quàm absurdè intelligat Hieracas, 885. e. qui intelligat Ecclesia, 886. a. Dei filium quidam dixerunt Dei usque ad sanctam Virginem substantiæ dilatationem, 1179. d. Illum Ariani de natura & in natura Dei negant, 882. f. nolunt eum semper fuisse, 829 a. Quam hujus placiti sui causam prætexant, *ibid.* b Vitiosos sensus, quos prætexunt, abominatur Ecclesia, 829. c

Filium ex præterito æternum negant Ariani, 742. c. de non exstantibus qui insinuent, 887. a. qui eum intelligunt *non esse creatum velut ceteras facturas*, 1351. b. quodnam ei privilegium attribuant, 828. a. Illorum contra æternam Dei unigeniti nativitatem argutiæ, 949. d. 1121. b.

Anomœorum contra eumdem blaſphemiæ, 1248. c. *& ſeq.* Patrem ſui cognitionem Filio negare affirmant, 1249. b

Filius tempore & naturâ non inferior Patre Johannis Evangelio declaratur, 771. a. tam ignorabilis eſt quàm Pater, 896. a. tam inenarrabilis eſt quàm Pater, 817. c. tam inviſibilis, 794 e. 1085. f. Quomodo, unde, & ex qua portione vel damno Patris ſit quærentes increpantur, 817. d. Filius qualis credendus, 829. e. 1113 d. 1139. d. 1141. b. quid ſit, quidve non ſit, 793. b. 794. d. 799. b. cur verbum, ſapientia & virtus cognominetur, 921. d

Filius natus, non cœptus, 1022. d. natus, non creatus à Johanne dicitur, 907. c. Patris de Filio nullum aliud in libris teſtimonium eſt, quàm quòd filius ſuus ſit, 896. e. Deus unigenitus neque fuit aliquando non filius, neque fuit aliquid ante quàm filius, neque quidquam ipſe niſi filius, 1119. e. Filius Dei proprius eſt, non adoptivus, 813. d. hinc proprius, quòd unigenitus, 906. a. Filio proprium eſt eſſe unigenitum, ut Patri proprium eſt eſſe innaſcibilem, 846. e. Filii nomen non convenit in opus, 1118. c. Si creatura eſt, Pater eum dando pro mundo nil magnum dedit, 906. c

Filii deitas adſtruitur ab Oſee, 849. a. ab Eſaia, 849. c. Pauli & Eſaiæ conſenſio, 850. c. Iis adſtipulatur Baruch, 852. b. Filio nequit adimi quòd judex eſt, nec proinde quòd Deus verus, 862. d. Deus unigenitus neque ex nihilo eſt, neque ex tempore, 1120. e. natus eſt, non qui erat, ſed ex Deo qui erat, 888. a. non eſt diffinitus in tempore, non ſubjectus in numerum, ſed eorum omnium quæ ſunt aut eſſe dici poſſunt eſt origo, 38. e. Hoc in eo eſt, quod ipſe eſt penes quem erat ante quàm naſceretur, 742. c. Quid ſentiendum de hoc *ante quàm naſceretur*, 742. *not.* g. In Filium non cadit, *Non erat ante quàm naſceretur*, 1354. c. Deo Verbo initium à Maria non dabat Marcellus, neque regno ipſius finem adſcribebat, 1287. d. Qui filium Dei ante omnia ſæcula fatetur, ſed non ante omne omnino tempus, anathema, 1343. e

Filium Dei ſemper fuiſſe, 160. f. Ut imago Patris, non eſt eo junior, 1166. b. ut filius ejus qui ſemper fuit, ſemper eſt, 1166. c. Filius neque non natus, neque non ſemper eſt, utpote de Patre qui ſemper eſt, 1123. a. De eo, qui ſemper eſt pater, numquam non eſt natus, *ibid.* e. Inter nativitatem Dei filii & generationem Dei patris nullum medium percipitur, 1123. c

Filius etſi intemporalis, non tamen innaſcibilis, 1166. d. 1174. c. non eſt ſuæ originis, 1019. d. & Deus æternus, & natus eſt, 689. d. *& ſeq.* a. innaſcibilitatis eſt imago ſacramento nativitatis, 1020. e. à Patre eſt ipſo innaſcibilis virtutis ſuæ nomine nuncupatus, 849. b. Filii Dei unctio qualis fuerit, 462. a. Nativitas ejus *ſecundùm Spiritum*, oppoſita nativitati *ſecundùm hominem*, 817. e

Filii Dei generationem Archangeli neſciunt, 793. e. Hujus ſecretum habent Pater & Filius, 793. e. Filii Dei nativitas in ſola ipſius ac Patris cognitione manet, 1113. d. non ideo ignorabilis eſt, quia inenarrabilis, 1194. d. quî piè inveſtigetur, 794. b. Nativitatis ſuæ inenarrabilis fidem per inenarrabilia geſta fecit, 817. d. Filii generationem Eccleſia intelligit ſola, 978. e

Filii Dei nativitas quid, 886. d. non eſt de portione, aut dilatatione, aut emiſſione, ſed cum plenitudine, 817. a. Filius Dei neque emanatio eſt neque pars Patris, 1164. b. d. ſubſiſtens Deus eſt, & incorporalis naturæ generatio incorporalis, 1007. b

Filius quid naſcendo à Patre acceperit, & qualiter, 809. a. d. natus eſt ut voluit qui potuit, ut ſcit qui genuit, 899. d. *not.* c. Filium naſci voluntas ejus fuit, in cujus virtute & poteſtate inerat ut naſceretur, 689. c. Quî ex voluntate naſci dicatur, 1174. c. Ex Dei ſubſtantia, non ut creaturæ ex voluntate ortum habuit, 1184. c. non tamen invito Patre aut naturali neceſſitate, 1184. e

Filii generatio prolationis nomine aptè, etſi non perfectè, ſignificatur, 883. c. e. Filius *exiſſe* ad incorporalis nativitatis retulit nomen, 899. d. Filium à Deo exiſſe qui credit atque amat, caret apud Patrem interceſſionis neceſſitate, 899. f. Filius cùm *ex ipſo* Patre dicitur, neque ipſe eſt qui Pater, neque ex altero, neque ex nullo, 889. a. *ex utero* genitus dicitur, ut ex Patris ſubſtantia natus oſtendatur, 889. b. Filii diligendi non alia cauſa eſt, quàm quòd ex Deo ſit, 899. e

Filius eſt perfectus à perfecto, 239. b. non aliunde ſubſiſtit, ſed Patris caritate atque virtute, 239. c. ex vivo in vivum genitus eſt, 876. b. omne in ſe habet naſcendo, quod Dei eſt, 934. e. in his ſubſtitit quæ Patris ſunt, 1004. d. in iis, quæ Patris ſunt propria, per naturam in ſe genitam conſiſtit, 1160. a. Filii ſunt interna Patris bona, non tantùm extrinſecùs ſubſiſtentia, 1032. c. Ei congenita eſt omnis poteſtas, 1004. a

Filius habet nativitatis profectum ſine novitate naturæ, 935. d. cur à Patre non abſit, neque ad aliud referatur, neque quid novum ſit, 876. b. ex Patris ſubſtantia eſt, atque intra Patris ſubſtantiam, 625. a. Filium in Patre, & viciſſim, ſenſus humanus non capit, 807. b. Filius quî ex Deo & in Deo ſit, 875. e. qua ratione ſit in Patre, 809. d. Patrem ſecum habet & virtute & naturâ, 516. c. virtute, ſubſtantia, divinitate, generatione filius eſt, 520. f. ſolus dignus ac ſufficiens eſt in quo Pater habitet, 391. c. neque abeſt per naturam ab eo ex quo genitus eſt, 391. d. Filium in Patre, & Patrem in Filio eſſe divinitatis plenitudo facit, 821. e

Filius à Patre nuncupationis proprietate differt, non naturâ, non ſubſtantiâ, 512. d. non virtute, 512. b. In Filii natura ac nomine paternæ naturæ ac nominis ſignificatio eſt, 153. b. Filio proprium eſt noſſe infinitatem Patris, 471. a. Filius ex Patre cum ſacramento ſcientiæ ſuæ naſcens non poteſt aliud eſſe quàm vivens, 935. c. Filio & Patri cognitio & omnia mutua ſunt, 666. e. *& ſeq.* a. Unigenitus Deus forma & imago inviſibilis Dei, 228. b. c. ut imago Patris, non eſt diverſæ ab eo ſubſtantiæ, 1159. d. omnia habet quæ Pater, 821. e

Filii & Patris ſubſtantia eadem, 666. f. Quî Filius unius cum Patre ſubſtantiæ ſit, explicant Galli, 1354. a. cum Patre unum eſſe naturâ ex verbis Orientalium demonſtratur, 1192. a. Filii voluntas libera & cum Patre una, 1016. c. Filius unum eſt cum Patre, non tantùm unitate voluntatis, ſed & virtutis, 512. b

Filii virtus Patri æqualis oſtenditur ex eo, quòd Patris dicto efficientiam attulit, 857. b. Filius nonnumquam Dei dextera cognominatur, 502. f. Filii manus, manus Patris; quia una utriuſque virtus, 931. a. Filii opus, opus Dei eſt, 929. a. Quòd nil agit niſi videat, auctoritatem oſtendit, non infirmitatem, 1014. c. Filii & Patris ſedes una, quia una ſubſtantia, 456. e. Filii laus, laus eſt Patris, 815. d

Filius genitus à Patre in naturæ ſimilitudine, 457. a. Unigenito congenita eſt paternæ majeſtatis gloria, 456. f. Filium eſſentiâ ſimilem eſſe Patri, principaliſſimum eſt fidei noſtræ, 1162. d. Refelluntur qui ſolam virtutis ſimilitudinem ei tribuunt, 1162. c. 1163 b. Similem Patri Filium Evangelia non prædicant, 1251. b Filium dicit Apoſtolus imaginem Dei, ſed cum additamento, 1252. e. Filius ut imago omnia habet quæ Pater, 821. e. Filium per omnia Patri ſimilem eſſe quando definitum, 1363. a. eum per omnia, innativitate excepta, Patri ſimilem eſſe Scripturâ & traditione docemur, 1361. d

Filii cum Patre æqualitas probatur ex omnipotentia, bonitate, & ſapientia Dei, 892. b. Filium Deo æqualem Chriſto non dicente Judæi inviti intellexerunt, 238. b. Filius in creatione mundi Deo exæquatur nomine & opere, 857. e. ex gloriæ ſimilitudine unum cum Patre oſtenditur, 440. f. Filii & Patris unitatem oſtendit dandæ & rependendæ clarificationis viciſſitudo, 814. a. Unum ſunt in divinitate, in religione, in injuria, 32. a

Filium qui non colunt, fruſtra Deum ſibi patrem dicunt, 899. a. d. Patrem ſine Filii confeſſione Paulus numquam locutus eſt, 909. d. Filii honor nil detrahit Patri, 830. b. Filium negantes Deum ſub ſpecie honoris Dei, 851. c. re vera inhonorant Patrem, 852. a

Filius Patri, licèt virtute non impar, omnia ſua per reverentiæ honorem defert, 517. d. e. verbis ſuis reverentiam erga Patrem teſtatam facit, 544. e. *not.* d. quatenus non coæquandus ſit Patri, 1182. c. Non ex innaſcibilitate, ſed ex generatione Patri eſt æqualis, 1040. a. Qua ratione differat Filii & rerum creatarum ſubjectio, 1195. b

Filii à Patre diſtinctio quæ eſſe potuerit, 928. e. à Patre ſubſiſtentiâ diſcernitur, non naturâ, 821. c. perſonâ, non genere, 851. b. quibus unum naturæ nomen; perſona non una, 845. b. d. Deo ex Deo nato neque eumdem nativitas permittit eſſe, neque aliud, 776. c. Natus & gignens nec unus eſſe poſſunt, nec diverſæ eſſentiæ, 1165. c. d. Filius, ut natus, nec ipſe qui Pater, nec aliud quàm Pater eſt; 1164. c. alius eſt à Patre, ut qui accipit ab eo vitam, 1159. b. ut imago, non ſolo nomine alius eſt à Patre, 1158. d. ut unum cum Deo, leo eſt; ut ex Deo ſubſiſtens, catulus eſt leonis, 450. c. ut perſonâ alius à Patre, dictus eſt angelus Dei; Deus verò, ut idem naturâ, 859. f. *& ſeq.* magni conſilii eſt angelus, 841. c. 842. a. 843. b. Filii & Patris indiviſio ac diſtinctio ex his Pſal. *Semel locutus eſt, duo hæc audivi* &c. 150. a

Filius in creando mundo adſtitit Patri, 587. d. in condendis rebus, quæ intra paternarum cogitationum providentiam quadam futurarum rerum prædeſtinatione formantur, introſpicit per mutuam caritatem atque naturam, 238. e. Hoc vocatur famulatus, obſequium & miniſterium Filii, 238. c. d. Hoc, non ab ſe facere quidquam, non ſuam ſed Patris facere voluntatem, non facere niſi quod viderit, *ibid.* Filius Dei Verbum, Virtus & ſapientia Dei, mundi opifex, & hominis eſt conditor, 160. f. quî in mundi creatione mediator, 837. b

Filius in legis latione & in carnis aſſumtione unus mediator, 852. e. idem Evangelii prædicator & legis lator, 200. e. *&* 201 a. prima mundi crimina diluvio abluit, 160. f. eſt indemutabilis, 1110. a. 1306. b. hoc Patribus viſus eſt, quod nobis natus, ſine damno naturæ ſuæ, 862. e *& ſeq.* in hominis ſpecie & ab Abraham adoratus, & cum Jacob colluctatus ad aſſumendæ carnis fidem, 225. a. Moyſi legem dedit, 160. f. in prophetis fuit, & per eos corporationis & paſſionis ſuæ ſacramenta cecinit, 160. f

Filius, Spiritus-ſancti nomine intellectus, 32. c. cælo non relicto deſcendit, 800. b. ipſe ſibi corporis initia conſevit, 800. b. ipſe vi ſua ac poteſtate corpus præſumſit, 801. b. humani corporis pudorem ſuſcepit, 206. b. *not.* f. univerſitatis noſtræ caro factus, 107. c. naturam in ſe univerſæ carnis aſſumſit, 76. e. naturam in ſe totius humani generis aſſumens, 77. a. hominem ex utero ſanctæ Virginis aſſumſit, 505. b. Filius Dei in homine natus ex Virginis partu, 526. e. in homine viſibilis & contrectabilis Deus, 851. c. & verus factus homo & in ſuis perfectus, & verus in noſtris, 772. d

Filius non demutatus, ſed intra ſe latens, formam ſervi aſſumſit, 1110. b. Ei exinanienti ſe ex Dei forma virtutem Dei atque naturam ſervilis forma non abſtulit, 114. b. Quòd homo fuit, nobis profecit, ſibi nihil demſit; 505. b. corruptioni potiùs gloriam intulit, quàm labem æternitati, 1306. a. Filius Dei factus eſt filius hominis, ut homo fieret filius Dei, 76. e. Filius Dei permanſit etiam factus filius hominis, 32 d. quî virtutis ſuæ ſub conſortio noſtri corporis uſus ſit poteſtate, 114. c. Solida parietum corpore interlabente penetravit, 1114. c

Filius Dei uſque ad ultimas ſæculi paſſiones deſcendit, 206. c. non ex naturæ neceſſitate, ſed voluntariè ob ſalutem hominum ſubditus eſt paſſioni, 100. b. eſurivit, ſitivit, mæſtus fuit &c. 97. d. Infirmitatibus noſtris non naturâ ſed ex aſſumtione ſubjectum eum fuiſſe demonſtrat reſurrectio, 97. d. Querela ejus omnis ex naturæ noſtræ affectu eſt, 97. d. Filius Dei ad humilitatis exemplum omnia quæ hominum ſunt & oravit & paſſus eſt, 97. c. ut nativitatem noſtram cum ipſis infirmitatis noſtræ officiis iniiſſe intelligeretur, 97. d. Eum dicentes compaſſum eſſe, refelluntur, 1195. b. Filii Dei paſſio, crux, mors quomodo fidelibus ſapientia ac virtus, 202. f. Filius ab æterno genitus quî de novo naſcatur per reſurrectionis gloriam, 40. d. & ſeq. Filius redemtio noſtra, 440. e. univerſos redemit, 442. a

Filiorum Dei factorum & Unigeniti diſcrimen, 1118. d. & ſeqq. Filii adoptivi qui, 909. b. Filii Dei non ortu carnis, ſed fidei, 772. b. non neceſſitate, ſed poteſtate, *ibid.* Unicuique hæc ſit poteſtas, 772. c. e. Filii Domini qui, ſpes illorum, & ſpei conditio, 456. b. c. Filios Abrahæ vel diaboli facit fides aut infidelitas, 615. d

Filii alieni, Judæi, 558. d

Filii excuſſorum, 422. a

Finis quid, 11. b. 69. b. non ſemper eſt abolitio, 1098. d. Finis omnia eſt, manens ipſe ſibi totus eſt, 1098. e. eſt manendi immobilis ad quem tenditur ſtatus, 1098. f. eſt indemutandæ conſtitutionis manſura perfectio, 1099. b. Finis impiorum non eſt abolitio, 1099. a. Finis fidei, 308. c. *not.* d. Finis noſtræ conſummationis, 54. e. & ſeq. Pſalmi *in finem* inſcripti quî intelligendi, 11. b. 315. a. 113. a. Tituli *in finem* duplex eſt intelligentia, 57. b

Fines terræ quid, 142. f

Firma & immobilia in Scripturis gravia nuncupantur, 389. c

Firmamentum, 486. c. 487. a. c. aquas ſupernas infernaſque diſcernit, 487. c

Fiſſia, 1293. d

F L A C C U S, 1326. a

F L O R E N T I N U S, 1292. d

F L O R E N T I U S, 1325. b

Flumina ſunt ſæculi & carnis opera, 492. c

Foliorum natura, 22. d

Fœni nomine gentes ſæpe nuncupatæ, 635. c

Forma, vultus, facies & imago non differunt, 228. b. Formari quî Chriſto conveniat, 511. c. d

Forma Dei idem eſt quod natura Dei, 1115. e. 1116. b. Forma paternæ majeſtatis, pro gloria, 1021. c. Forma Dei non erat in Chriſto exinanito, 1018. d. Formæ Dei & formæ ſervi concurſus non ſibi convenit, 993. b. In forma hominis exſiſtere manens in Dei forma non potuit; nec potuit aboleri Dei forma, ut tantùm eſſet forma ſervi, 227. e. 228. a. Verbum exinaniens ſe ex Dei forma in formam ſervi hominiſque decidit, 216. d. Forma ſervi eſſe voluit Dominus, 1355. a. Formæ ſervilis unitas non ſtatim refundenda in unitatem divinæ naturæ, 1018. c

F O R T U N A T I A N U S Aquil. 1293. c. ad Conſtantium à Liberio miſſus, 1339. b. Liberii nomine epiſtolam diverſis epiſcopis fruſtra mittit, 1328. b. Liberii lapſi litteras perfert ad Imperatorem, 1336. a

F O R T U N A T U S, 1307. b

Fortuitu omnia exſtitiſſe qui volunt, improbantur, 175. d. Refelluntur qui fortuitis motibus agi omnia docent, 160. c

Fori leges cum legibus Eccleſiæ ægre ſervantur, 19. a

Fratres ſunt omnes Chriſtiani, 725. c. Fratres vocantur qui Eccleſias graviſſimis injuriis afficiunt, 1218. a. Fraterna unitas ubi vera, & quàm bona atque jucunda ſit, 460. e. & ſeq.

Frons. Signum in frontibus, 137. e

Fructus terræ proprius, 187. f. per primum Adam amiſſus, 188. a. per ſecundum redditus, 188. b

Fugiendum in perſecutione, 434. c

Fulgura ſunt qui ſcientiâ coruſcant, 474. e

Fundamentum fidei Chriſtus, 495. d

Funes peccatorum, 291. f

Fur unius nummi plectendus, ſed non ut fur ingentis theſauri, 567. d. Fur, diabolus, 734. a

Futura Deo pro factis ſunt, 388. b. ob ſcientiam atque virtutem ei facta ſunt, 523. e

G

GAIUS, 1265. d. 1349. b. 1360. a. e. 1361. c. Arimini cum ſociis res novas molitur, 1345. a. c. damnatur, 1342. d. 1346. d. Galli eum à ſua communione removent, 1355. b

G A L A A D nomine quid indicetur, 139. d

Galatia multos impiè ad unius Dei profeſſionem nutrivit, 916. c

Galbanum, 535. c

Galbulus conſpectus ictericum morbum ſanat, 301 *not.* a

Gallias, 1326. a

G A L L I ſeditionis ſuſpecti, 1220. a

G A L L I C A N I epiſcopi à Saturnini, Urſacii & Valentis communione ſe ſeparant, 1238. b. quando intra ſe tantùm communionem dominicam continere cœperint, 1153. b. Galli & Orientales mutuis ſuſpicionibus detinentur, 1155. a. Galli anno 357. Hilario ſcribunt, 1151. a. Saturnino negantes communionem, Hilario fide ac ſpiritu cohærent, 1151. b. fidem infidelem è Sirmienſi oppido miſſam damnant, 1151. b. non cedunt Saturnini minis, poteſtatibus, bellis, 1152. a. omnem prorumpentis hæreſis petulantiam frangunt, 1152. b. Fidei eorum fama Orientales ad reſipiſcentiam commovet, 1152. b. Galli ab Hilario quærunt quid Orientales in fidei profeſſionibus gerant aut geſſerint, & quid ſuper his ipſe ſentiat, 1153. c. Gallos in ſynodis elucere vult Hilarius, 1155. b

Galli ad ſynodum in Bithynia futuram acciti intra Hilarii communionem ſe continent, 1154. e. ab eorum ſe communione abſtinent, qui fidei defenſores in exſilio detinent, 1153. a. non eunt in ſubdolam diſſimulationem, 1153. b. à ceteris extra Gallias abſtinent, 1154 e

Gallicani epiſcopi Pariſiis congregati Orientalibus reſcribunt, 1353. a. in uſiæ ſilentio ſe fraudem paſſos eſſe ex Orientalium litteris agnoſcunt, 1355. a. ut apoſtatas reſpuunt qui Conſtantinopoli in loca fratrum indignè exſulantium ſunt ſubſtituti, 1355. c. à communione ac ſede ſacerdotii dejiciendos ſtatuunt, qui ſynodi ſuæ decretis reniterentur, 1355. e

Gallinæ opus, 728. b. & ſollicitudo pro pullis, 118. b

G A U D E N T I U S, 1338. a

G A U D E N T I U S de Naïſo, 1293. b

G A U D E N T I U S damnatur à pſeudo-Sardicenſi ſynodo, 1321. c. Paulum Conſtantinop. defendit, 1321. d

Gaudia vitiorum intellecta compungunt, 138. a. Impiæ & diffidentis de ſe conſcientiæ eſt, timere ſine gaudio; & inſolentis naturæ eſt, ſine timore gaudere, 79. a

Gaza, 1292. c. 1323. *not.* b

Gemere ſolent miſeri ad præteritorum bonorum recordationem, 491. c

Gemmæ in pretio apud mulieres, 341. a

Generatio eſt in ſimilitudine naturæ, non in vitiorum proprietate, 1053. d. Generationem ex uno & immutabili Deo eſſe non poſſe aſſerunt hæretici, 811 e. 949. a. Generationem Dei certò ſcimus, 793. e. 795. b. etſi non comprehendimus rationem, 793. e. & ſeq. Hæc non à ſapientibus mundi aut Scribis legis quærenda, 795. b. à piſcatore exponitur, 795. d. Generatio Filii generationum noſtrarum exemplo quatenus explicetur, 1116. e. Generationi Verbi num conveniat, *Hodie genui te*, 38. d

Generationes duæ, quibus proprium eſt Deum laudare, 565. c. Generatio legis, & generatio fidei, 575. a. Prima ab Abraham cœpit, 565. c. prima Judæorum, altera Chriſtianorum, 311. d. 478. c

Generoſitas paternæ majeſtatis in Filio indifferens, 450. c

Gentes ex Cham & Japhet procreatæ, 7[illegible] d. ſignificantur nominibus aquarum, [illegible]8. a. deſertorum, 196. a. b. fœni, 635. c. camelorum, 615. a. *not.* b. 705. d. aſini, 698. d. canum, 637. e. maximè juxta Iſrael, 686. b. Gentilis ignorantiæ quæ vitia dominentur, 712. f. Cùm pauci ex omnibus gentibus ſint fideles, non per paucos efficitur ne non omnes gentes ſint infideles, 131. e. Gentium infidelitatis cauſa, 131. e

Gentes omnes dignum eſt Deo eſſe ſubjectas, 141. a. Gentium converſio in corvo Eliæ nutritio præformata, 581. a. b Gentes fide populum anteriorem ſupplantaturæ, in Jacob præſignantur, 93. a. in Iſrael autem, quà Deum viſuræ, 93. b. Gentibus propriè promiſſus eſt Chriſtus nomine ſalutaris, 58. e. Gentium, quæ Dominum laudaturæ ſunt, congregatio Pſal. L X I[illegible] nuntiatur, 162. f. Gentes ante Chriſtum angelorum dominatui deditæ, & ſecundùm eorum numerum diviſæ, 43. b. 146. f. per Chriſtum à perverſo jure dominantium ereptæ, 43. b

Gentes paratam Judæis ſalutem præripiunt, 649. d. e. Judæis regnum cælorum quî rapiant, 664. d. Gentium populus junior ſenioris primogenita emit, 350. e. emit fide, quæ hic perdidit infidelitate, 351. a. Gentes quomodo populus Dei, & quà ratione populus Deo incognitus, 554. c. e. quomodo longè à Deo, & quomodo propè, 176. b. Gentium populus priùs captivus, quomodo à Chriſto liberatus, 92. d. Gentes ex ſilvis & cubilibus diaboli effectæ ſedes Dei, 452. d. Gentes præter ſpem ad cognitionem Dei conſortiumque deductæ, 202. a. Gentes animantium ritu non intelligentes, 197. a. factæ ſunt ſpiritales, 197. b.

Gentium ſalutis ordo, 651. a. Gentium ſalus legis temporibus inchoata, 207. a. Apoſtolorum prædicationi eſt reſervata, 686. b. Gentium ſalute Chriſtum cum Apoſtolis ſatiandum, 668. b. Gentium ſalus omnis ex fide, 641. d. ex fide factorum quæ Judæi conſpexerunt, 666. b. Gentes per gratiam Spiritûs vivunt, 687. f

Gentes Chriſto in hereditatem datæ, 202. a. Gentes baptizatæ hereditas Chriſti, 42. e. quomodo Deum conſolentur, 479. b. Gentes omnes in Dei filio, quia caro factus eſt, viſitatæ, 130 c. coexcitatæ & collocatæ à dextris Dei in cæleſtibus, 130. a. Gentes viſitatæ & non obedientes ſpernentur, 131. d

Genus, natura, & ſubſtantia ſæpe idem eſt quod eſſentia, 1158. c

G E O R G I U S Alexandrinus hæreticus, 1248. a. 1362. f.

G E O R G I U S ex Laodicia, 1288. b. 1289. c. 1292. d. Arii diſcipulis ab Alexandro ejectis per litteras communicat, 1332. a

Germania prima & ſecunda, 1149.

G E R M I N I U S, 1196. b 1265. d. Arimini cum ſociis res novas molitur, 1345. a. c. ibique damnatur, 1342. d. 1346. d. epiſtolâ Filium Patri per omnia ſimilem tuetur, 1359. c. 1361. b. Ab hac fide eum

avertere tentant ſocii, 1360. a. Teſtatur ſe iis caritate conjungi, à quorum fide ſe ſeparat, 1360. b

GERONTIUS, 1293. e 1323. c

Gladius quid ſit, & quid ſignificet, 659. d. poteſtatem ſignificat, 593. c. Gladio utens quî peribit gladio, 745. e

Gloria alia bona, alia mala, 71. a. Gloriandi nobis nullus locus eſt, recordantibus omnia ex Deo eſſe, 398. b. & in omnibus opus eſſe Dei miſericordiâ, *ibid.* Quàm inane ſit gloriari de ſcientia aut miraculorum virtute, 639. b. Glorioſi in ſe Judæi iram ejus, qui ſolus glorioſos poteſt efficere, exacerbant, 179. b. Gloriæ cupiditate animus dolorem non ſentit, 1065. c

Gloria Patris ac Filii una eſt, 1008. c. Gloriæ Chriſti unitas cum Paterna per diſpenſationem exceſſerat, 1009. c. Gloria, quam Chriſtus carni popoſcit, 40. & *ſeq.* Gloriæ filii hominis diverſi gradus, 1105. d. Gloria corporis Chriſti, 1103. c

Gloriæ Chriſti quî ſubdamur, 1103. b. Gloriam æternitatis noſtræ in glorioſo Chriſti corpore ſpeculamur, 230. e. 433. d. In Chriſto nunc repleti ſumus, replendi poſtea in nobis ipſis, 989. a. d. Fides compatiendi & commoriendi nos glorificat in Chriſto, 120. d

Gloria homini deſtinata, 1107. b. Gloriam cæleſtem terrenæ carni dandam eſſe, ultra humanæ ſpei fidem eſt, 202. a. Hæc carnis à Verbo aſſumtæ virtus eſt, ut naturæ noſtræ corruptionem in cæleſtem gloriam efferat, 203. c. Ad gloriam cæleſtem univerſis patet aditus, 240 b. c. Gloria Dei procurante bonitate nobis non ſollicitis præparatur, 636. d. Gloriæ cæleſtis cauſa eſt doctrina & opus ſpiritale, 538 e. maxima cauſa, Dei miſericordia, 484. c. Hanc merito ſuo conſequi nemo poterit, niſi miſeratiónibus Dei provehatur, 303. a

Gloriæ æternæ dotes, 23. b. 1110. d. e. Gloria beatorum ac lumen omne ſumitur ex conſpectu gloriæ Dei, 289. e. ex contemplatione gloriæ Dei quomodo accipiatur, 347. a. in Sanctis erit diverſa, 171. b. Quænam iis concedetur, quorum fides infirmior fuit, 171. d. *not.* e. Gloriæ cæleſtis perfectio quomodo nos præſtabit eſſe cum Deo unum, 212 e. Quî per gloriam Deus erit omnia in omnibus, 1104. e. Gloriæ honor omnes ad unitatem Paterni honoris aſſumet, 954. b. non ob aliud datus eſt, quàm ut omnes unum eſſent, 954. a. Unitatis hujus cauſam tenet Hilarius, ſed nondum apprehendit rationem, 954 c Humana natura per gloriam in æternam ſubſtantiam transformatur, 555. b

Glorificandum corpus in naturam ſpiritûs, 257 b mutabitur, non abolebitur, 1105. a. ſed quod carnale ei eſt, in naturam ſpiritûs devorabitur, 1110. c. Glorificati corporis ſolida erit & indemutabilis natura, 383. a. vetus atque ipſa originis ſuæ materies, 48. b

Gradus decem in domo Ezechiæ, 368. a. Gradus quindecim in templo, 368. c. 369. e

Græci ſermonis tranſlatio ad verbum expreſſa obſcura eſt, 1155. c. Græco verbo ερεις an *dicis* an *contentio* ſignificetur, non diſtinguitur pronuntiatione, 524. c

Græca tranſlatio ex Hebræo, 269. c. 270. d. latinæ præfertur, 269. c. 1093. a

Gratiam tantùm humanam quî ſectatur, divinam perdit, 90. b. c. *V.* Placere. Venia per gratiam omnibus neceſſaria, 648. c. Salutem ac libertatem non dedit niſi Chriſtus, 92. a. d. In manu Dei eſt nos, ut velit, tamquam figulus reformare, 747. b. Dona ſua Deus juſtis injuſtiſque largitur, 293. d. Deus omnibus adeſt, nec ſe humanis auxiliis ſubtrahit, 569. d. Verbum Dei, ſolis ad modum, cuique præſtò eſt, ut illuminet, modò aditum reperiat, 311. a. Gratia evangelicæ doctrinæ percipiendæ quibus dilata, 717. d. quatenus obedire ei non potuerint quibus dilata, 717. e. 718. a. Hæc neceſſitatis mora ſine crimine voluntatis, 718. a. extra culpam infidelitatis, 717. e

Gratiæ neceſſitas, 806. d. Gratiæ & miſericordiæ Dei munera ſunt, lumen noſtrum, 186. b. ſcientia, 318. b. ſcientia cæleſtis, 309. d. cognitio Dei, 865. d. 866. a. rerum divinarum ac cæleſtium mandatorum, 301. a. juſtitiæ, 250. b. Dei doctrinæ perceptio, 242. a. ſcientia juſtificationum, 253. e. intelligentia Scripturæ, 407. e. Hæc non negatur petentibus, 407. f. Scientia datur exquirenti, 318. c. non appetenti non datur, 310. a. Dei eſt dare ut Scripturas intelligamus, & intellectas aptis verbis explicemus, 786. b. c d. Gratiam intelligentiæ à Deo orare neceſſarium eſt, 245. f. Gratia ad aſſequendam vitæ piæ cognitionem ac verum uſum neceſſaria, 242. f. A Deo eſt noſtra converſio, 410. c. Gratiæ dono vitæ anterioris crimina omittuntur, 720. c. Gratiam gratuitam Deus omnibus ex fidei juſtificatione donavit, 708. c

Gratiâ & miſericordiâ Dei egemus ad vitam æternam conſequendam, 303. a. Salus ex Dei miſericordia exſpectanda, 355. a. Neque Dei miſericordiam metus noſter, ſed fides promeretur, 159. b. Gratiâ ſalvamur omnes, 849. e. Morum probitas luminis conſequendi quædam præparatio eſt, 244. d. e. Non erit doctrinæ cognitio, niſi fidelia opera præceſſerint, 255. b. Dei ope eget homo ut bonum perficiat, 339. a. Naturæ illius tantùm officium eſt, ut aggregare ſe in familiam Dei & velit & cœperit, 339. b. Dei domus à Deo, id eſt, ejus doctrinis ædificanda, 417. c. Voluntas noſtra per ſe perficere non valet bonum quod novit, 419. a. Semper orandum, ut nobis mandata ſervare volentibus faveat, 250. b. Gratia neceſſaria ad cuſtodiendas juſtificationes Dei, 249. a. Gratiâ magnâ opus eſt ad tenendam veram fidem, 249. c. Quòd Propheta meditatus ſit, quamquam per fidem ſuam cœpit, tamen non proprium ſuum eſſe, ſed datum demonſtrat, 548 c. Dei auxilio domus Dei ædificanda & cuſtodienda, 417. b. 418. a. Adjuti Dei miſericordiâ, in fide, in timore Dei & ſpe immoramur, 308. f

Gratiæ Dei advincendas tentationes neceſſitas, 158. b. d. Adjutorio Dei magno nobis opus eſt in tanto tamque aſſiduo ſæculi iſtius prœlio, 331. a. Auxilium Dei ſpes meretur, 331. b. Adjutorio Dei laqueus diaboli conteritur, 401. b. Humana infirmitas ſine Dei ope impar eſt tolerantiæ paſſionum, 302. c. Scit Apoſtolus imparem ſe tribulationibus niſi auxilio Dei eſſe, 502. d. Deus Apoſtolorum & Martyrum confeſſioni conſtantiam & perſeverantiam dedit, 180. a. Gratiæ Dei & merito quæ pars in victoria tentationum, 551. b

Gratiæ Dei quomodo cooperari debeamus, 275. d. Gratia orationi noſtræ tribuitur, 275. d. De exordio noſtro munus Dei eſt, 275 d. Multi aſſerunt proprium Dei munus eſſe, ut quis in Dei rebus atque operibus verſetur, 328. f. Multi excuſant infidelitatem ſuam, quòd ceſſante erga ſe Dei voluntate maneant infideles, 329. a. Impietatis eſt voluntas, exiſtimare ſe ea, quæ credentium ſunt propria, non conſequi, quòd ſibi à Deo indulta non fuerint, 275. b. Deus uniuſcujuſque auxilio pro meritorum diverſitate aut deeſt aut adeſt, 178. d. Omnia Propheta ad Dei munus retulit, 275. a. Objectantibus, Si omnia à Deo ſunt, humana ignorantia caret culpâ, reſpondetur, 275. b. Propheta Dei muneribus humanæ devotionis officia connexuit, 275. c. priùs quæ à Deo ſunt cum honore præpoſuit, & tunc quæ hominis ſunt cum humilitate ſubjecit, 275. c

Omnia tum corporalis tum ſpiritalis vitæ ſubſidia ex Deo ſunt, 570. b. Nemo ita de ſe confidat, ut non ſemper cadere, ſemper ſe vereatur allidi, 570. a. David commendatur, ut qui omnia vult à bonitate Dei in ſe inchoari, 280. b. Homo ſine Dei auxilio comparatur terræ ſine aqua aridæ, 548. e. f. Deus ſolus fidelis adjutor, 149. b. per lacrymas rogandus eſt, 149. b. Effundendus coram eo omnis affectus, ut nihil de nobiſmetipſis fiduciæ ſit, 149. a. Si quid in nobis eſt, ex Deo eſt, 79. b. Deo ſi quid in nobis eſt debeamus, 399. a. Quod agimus, Dei eſſe virtus intelligatur, 965. b. Nullus homini relictus eſt gloriandi locus, recordanti omnia ex Deo eſſe, & in omnibus opus eſſe Dei miſericordiâ, 398. b

Gratiæ divinæ dona per Apoſtolos erant reddenda, 681. e. Miſericordia univerſis per Apoſtolos ſubvenit, 668. e. Gratiæ ſpiritalis donum nemo noſtrûm eſt qui non interdum ſentiat, 310. d. Gratia Dei per inſolentiæ vitium fit inutilis & otioſa, 325. c. amittitur, 325. e. Gratiæ diſpenſatio ſit gratuita, 629. c

Gratiæ in adverſis Deo agendæ, 294. e

GRATIANUS conſul, 1361. a

Gratuita ſit miniſtratio muneris gratuiti, 652. e. f. 629. c

Gravia pro firmis ſolet Scriptura nuncupare, 389. c

GRECIANUS à Calle, 1342. c

GREGORIUS Alexandrinus, 1267. d. 1307. b. *fortè & 1346. c.* nuncupatur ſanctus & integer ſacerdos, 1312. e. in Sardicenſi ſynodo condemnatur, 1289. b

GREGORIO Span. reſcribit Euſebius Vercel. 1356. gratulans ei quòd Oſſio reſtiterit, & Arimini plurimis cadentibus ſteterit, 1356.

Guſia, 1326. b

Gymnoſophiſtæ. *V.* Nudus.

H

HAbere criminis non eſt, ſed modus in habendo retinendus, 704. c. Habere haberique non unum eſt, 805. b

Habitationis & requiei diſtantia, 61. d. Habitatio Deo digna, non cælum viſibile, 391. b. ſed Filius, 391. c. & Filio mediante fideles, 391. f. *& ſeq.* Nulla res creata Dei habitatione digna, 448. c. Hominem Dei habitaculo dignum reddere, maximum Chriſti opus, 448. e. Habitatio Dei in piis mentibus qualis ſit, 449. a. Habitatio mutua Patris & Filii, 391. e. Habitare & habitari non eſt unici, 851. b. 980. c. 983. c

Habitus Chriſti cum Sanctis conregnaturi eſt albus, 199. a

Hadrianopolis, 1313. b

Hæreſis caſeo ſimilis, 200. a. ex Eccleſia ſe abſcidit, 917. d. oritur è Scriptura perperam intellecta, 789. a. ex vitio malæ intelligentiæ, 917. d. certum ac fixum nihil habet, 18. a. quî ſtultitiam ſuam oſtendat, 952. c. Hæreſis pertinax non tantum prudens eſt, quantum audax, 888. c. facilè refellitur, ſed non facilè emendatur, 888. c. Hæreſis ex errore non eſt ſine emendationis ſpe, 888. d

Hæretici, viri ſanguinum, 524. e. porci, 637. f. Hæreticos obtinent dæmones è gentibus expulſi, 645. e. Hæreticis quæ errandi cauſa, 775. a. Iis omnis ſenſus incertus, 790. d. incerta & erratica omnia, 920. b. Hæretici anguſti, divini Spiritûs & Scripturarum intelligendarum incapaces, 1006. a. ſapientiæ ac ſcientiæ ſermone carent & fide, 968. b. ne naturalium quidem rerum cauſas tenent, 1057. b. rationem cæleſtis ſapientiæ non comprehendentes, omnia ad ſpeciem humanæ prudentiæ coaptant, 199. d

Hæretici ſuas ad partes Scripturas trahunt, 1230. b. Aliter omnia tradunt & docent, quàm ſcripta ſunt, 372. a. confuſis perquàm mixtiſque verbis veritatem eludunt, 1163. c. ſcopum diſputationis evitant, 18. b.

Eorum

Eorum in animo ſolum contentionis ſtudium, 524. e

Hæretici aut per impietatem obtuſa mente, aut per adverſi ſpiritus dominationem fidei obtrectant, 1121. a. improbabiles effecti vitâ, voluntate, judicio, placere volunt novitate doctrinæ, 1302. b. Deum ex arbitrio fingunt, 18. a. non minori impietate, quàm qui negant, 18. b. quantis dolis fidem ſubvertere tentent, incredibile eſt, 160. a. fallunt potiùs, quàm vincunt, 1122. c. Hæreticis ratione humana nitentibus quî reſpondendum, 889, e. Eorum ratiunculis auctoritas divina opponenda, 888. e. Hæretici omnes contra Eccleſiam veniunt, 917. e. ſibi invicem adverſantur, nec ſibi ſed Eccleſiæ vincunt, 918. a

Hæreticorum inania ſunt jejunia, continentia *&c.* 64. e. Hæreticis nec fides, nec ſpes, nec baptiſma, 971. e. Eccleſias in vanum ſibi congregant, 524. f. Apoſtoli monentur ne hæreticorum eccleſias adeant, 652. b. Hæreticis fides & vitæ probitas deſideratur, ut Evangeliorum ſint capaces, 742. c. Cum Arianis communionem quî permiſerit Hilarius, 1239. b. Quî cum hæreticorum ducibus, quî cum eorum conſortibus agendum, 1238. c. 1239. *not.* a. Hæreticis inſignibus conceditur venia, ut cum lucro Eccleſiæ vires hæreſi detrahantur, 1296. b. Sub hæreticorum conſortio pacem plerique mentiuntur, 199. b. Hæreticorum labor ad excuſandas excuſationes, 537. a

Haruſpicum ſilentium, 501. a

HEBION, quod eſt Photinus, 916. e. 919. d Hebionis doctrina, 199. b. 789. d. Quæ illi Scripturæ contrariæ, 799. e. Hebion & à Sabellio & ab Ario quî vincatur, 779. d

Hebræus ſermo ex 22. litteris convenit, 241 e. Hebraica lingua ambigua, 28. c. d

Hebræo Scripturæ textu Paulus apud Hebræos uſus eſt, 29. c

HELIANUS, 1327. b

HELIODORUS, 1361. b

HELIODORUS preſbyter an Hilarium fefellerit, 421. *not.* d. *&* 425. *not.* a

HELPIDIUS, 1349. b

Heraclea, 1323. e

HERACLIANEUS, 1293. a

Hereditas Dei quæ, 196. e. Hereditas Domini, non carnalis Iſrael, ſed nati in Chriſto, 420. c. ſed ſancti, 143. f

Hereditas licèt inter plures dividatur, ipſa tamen nomine heredis ex ſolido eſt, 328. f. c. Heredum inter ſe dividentium inſtar portionem eligere debemus meliorem, 288. b. Quæ illa ſit, *ibid.*

HERODIANUS, 1349. b

Hermon mons Phœnicis, 463. d. à Phœnicibus Sanior cognominatus, 463. *not.* b. profana gentium religione colitur, 463. c. Hermon anathema interpretatio eſt, 463. d. Fertur Angelos concupiſcentes filias hominum in hunc montem convenisse, 463. d

Heroum nomina in deos computata, 179. d

HIERACAS Filium dixit lucernam de lucerna, 834. a. 881. c. quàm abſurdo intellectu, 885. e

HIERONYMUS Hilarii ſententiam non probans, an ſenſum illius aſſequatur, 421. *not.* d. 425. a. alterum Hilarii locum reprehendit, culpamque in Heliodorum rejicit, 425. *not.* a. Fragmentum ex Hieronymo in Matth. 752. a

HILARIUS ſe diſcipulum veritatis vocat, 1247. b. fidelis Dominici nominis prædicator à ſynodo nuncupatur, 1355. a. Uxor illi fuit, poſt quàm epiſcopatum adeptus eſt, ſuperſtes, 1212. e. & filia unica, 1209. a. Hilarius impoſiti ſacerdotii munus ad officium publicæ ſalutis extendit, 775. a. ut epiſcopus, putat ſe debere Eccleſiæ prædicationis evangelicæ miniſterium, 879. c. in gratiam catholicorum libellum ad Conſtantium mittit, 1218. a. in graviſſimo fidei periculo prudens edit decretum, 1238. c. quod arbitrio Confeſſorum Chriſti permittit, 1239. a. fidem Nicænam numquam niſi exſulaturus audivit, 1205. a. Homouſii & homœuſii intelligentiam Evangelia & Apoſtoli ei intimaverunt, 1205. a. Pridem regeneratus, in epiſcopatu aliquantiſper manſit ante quàm exſularet, 1205. a

Hilario poteſtas data eſt ſæculi honoribus & commodis fruendi, 1281. c quæ ſpernit per Chriſti caritatem infidelium conſortium reſpuens, 1281. b. Tutiores ei ſunt montes, ſilvæ, quàm eccleſiæ hæreticorum, 1269. d. Hilarius ad Biterrenſem ſynodum compulſus quid ibi agat, 1239. a. ibi patronos hæreſeos ingerendæ denuntiat, 1152. a. à Saturnino, circumvento Imperatore, in exſilium detruſus, 1151. b. exſulat factione, non crimine, 1225. c. circumvento Conſtantio & Juliano illuſo, 1226. c. in omnium Gallicarum eccleſiarum communione permanet, 1225. b. adhuc communionem per preſbyteros ſuos Eccleſiæ diſtribuit, 1225. c. Exſul factus, neque de Chriſti confeſſione decedere, neque honeſtam unitatis conditionem reſpuere decernit, 1239. a. criminis loco non ducit, quemquam cum hæreticis colloqui, aut orationis domum adire, aut paci optanda ſperare, 1239. b

Hilarius de exſilio ſuo lætatur, 1039. b. de temporibus non queri conſtituit, 1038. a. nihil in tempora aut Arianos famoſum ſcribit, 1239. b. ſed eo affectu, quo clamat, *Exſulemus ſemper dummodo incipiat verum prædicari*, 1194. a. efficit ne veritas à fidelibus exſulet, 1039. a. libros de Trinitate ſcripſit epiſcopus, 879. c. & in exſilio, 1039. a. quibus cauſis adductus, 914. b. Libros illos plurimi ex antiquis inſcribunt *de fide*, 753. *n.* 2. quibus favent plura Hilarii verba, 754. *n.* 4 Arianos etiam ad veritatem per hos libros adducendi ſpe gaudet, 879. c

Hilarius de plurimis Romanarum provinciarum urbibus Gallis ſignificat Orientalium fidem ac ſtudium, 1149. a. timet ne Gallorum taciturnitas ex polluta ipſorum conſcientiâ ſit ſuſcepta, 1150. a. conſtituit nullas ad eos eccleſiaſtici ſermonis litteras mittere, 1150. a. 1151. a. litteras ab eis ſumit anno exſilii ſui tertio, 1151. a. b. apud quem de litterarum lentitudine ſe excuſant ob exſilii ipſius longitudinem ac ſecretum, 1151. a. Galli ei communionem dominicam mittunt, 1154. d. fide ac ſpiritu ſe ei cohærere teſtantur, 1151. b. Quid Orientales in fidei profeſſionibus gerant aut geſſerint, quidve ſuper his ſentiat, nonnulli ab eo ſibi ſignificari cupiunt, 1153. c

Hilarius intra Aſiam conſiſtens, librum de Synodis ſcribit, 1186. d. Eccleſiæ militiæ ſuæ ſtipendium reddit, & epiſcopatus ſui in Chriſto vocem, 1206. a. & aliqua cum Gallis piæ fidei conſilia conferre dignum ducit, 1154. e. Illos maximè vult in ſynodis elucere, 1155. b. rogat ut exſilii ipſius in orationibus ſanctis meminerint, 1206. b. neſcit an tam jucundum ſit ad ſuos reverti, quàm ipſi ſecurum eſt in exſilio mori, 1206. b. operam dat ut mutuas Orientalium & Gallorum ſuſpiciones levet, 1155. a. Qualiter expoſuerit Orientalium fidem, 1167. a. An hæc catholica, an hæretica ſit, permittit judicare, 1154. d. Hilarius de formulis Orientalium diverſa ab Athanaſio numquam ſenſiſſe oſtenditur, 1147. *n.* 13. In illius libro de Synodis quid reprehenſum ſit, 1205. c. 1206. c. 1207. c. d. 1208. a. c. d

Hilarius apologiâ ſui inſtitutâ rationem reddit cur Orientales libro de Synodis laudarit, 1207. a. oſtendit ſe fidem illorum veram non dixiſſe, *ibid.* nec ab eis ademiſſe ſuſpicionem, 1208. b. ſeque invitum homœuſii feciſſe mentionem, 1207. c. cur & qua conditione hanc vocem non improbarit, declarat, 1206. c. 1207. c. *& ſeq.* tum maximè cupiit efficere, ut ab Imperatore adverſùs Valentem & Urſacium audiretur, 1207. a. de exſilio ad filiam ſcribit, 1209. a. quò eam à vanis ornamentis & ſumtuoſis veſtibus dehortetur, 1211. c. *& ſeq.* hymnumque matutinum & ſerotinum ei mittit, 1212. e

Hilarius aſſiſtit Orientalium in Seleucia ſynodo, 1247. c. quî ſeſe in ea gerat, 1248. a. Ibi ab uno ex Anomœis tentatus, hæreticam impietatem quàm prudenter exploret, 1249. c. Conſtantinopoli libellum ipſe Imperatori tradit, 1226. rogat ut exſilii ſui miniſtrum præſentem ad confeſſionem falſorum quæ egit adducat, 1226. b. de fide ſub ſynodo diſſidenti audiri petit, 1230. d. e. Imperatoris arbitrio derelinquit, quatenus & quomodo jubeat eum loqui, 1226. a. omnia ſe ad Orientis & Occidentis pacem, cum honore regni ac regiæ fidei, locuturum pollicetur, 1230. d

Hilarius ſe non aliquo humanæ perturbationis vitio contra Conſtantium ſcri[illegible] probat, 1239. c. 1241. b. ad martyrium anhelat, 1237. a. 1240. a. Edere tentat opus grave & multiplex, 1282. a. ex eo loco in quo geſta res eſt, 1282. a. quo conſilio, 1283. b. c

Hilario directæ Orientalium litteræ, & ab eo in Gallias miſſæ, 1353. c. Galli reſcribentes, cum iis pacem ſe habere negant cum quibus ille ſe habiturum negavit, 1355. b

Hilarium Auxentius ſolitus eſt traducere ut hæreticum, 1269. a. d. ut ſchiſmata ubique facientem, 1272. b. Utriuſque congreſſus, 1267. a. Hilarius fraude Auxentii retecta Mediolano jubetur proficiſci, 1268. b. ſpernit ſynodos adverſùs ſe ab Auxentio congregandas, 1269. e

Hilarius quàm modeſtè de ſe ſentiat, 1206. a. ſe omnium indoctiſſimum dicit, 1153. d. propriæ ſuæ fidei ſenſum ægerrimè ſe verbis explicare poſſe teſtatur, 1153. d. ne de ſe ante libri finem judicetur, rogat, 1153. e. 1170. c. 1188. c. invitus ac tremens de Trinitate verba facit, 791. a. teſtatur ſibi verba deeſſe, non ſenſum, 1188. b. humilitate ac fide ſupplet quod verbis deeſt, 791. c

Hilarii fides de ſancta Trinitate, 1140. a. *& ſeq.* Quanta ſit fides illius de Patris & Filii æqualitate, 891. b. 892. a. Hilarius ſapientiam Dei, quæ mundo ſtultitia eſt, conſecutus, 1855. d. Deum ſola veneratione intelligit, 1107. d. de fide ſua ſecurus, cur, 1230. b 1232. a. ſermoni Dei quantum deferat, 941. a. Deo de omnibus ut ſunt ab eo dicta credit, 818. a. non de ſuo loquitur, ſed per Deum edoctus, 886. e. ſemper orat ut poſſit dignè loqui, 1188. a. ad intelligendas Scripturas & aptè eloquendas prophetici & apoſtolici ſpiritus conſortium rogat, 786 d. nullum majus de ſermonis uſu præmium referre poteſt, quàm ut Deo ſerviat, 785. d. Hilarii oratio ut fidem, quam in regeneratione ſua profeſſus eſt, ſemper conſervet, 1144. b

Hilarius in Scripturis interpretandis quemque arbitrio ſuo permittit, 378. c. ipſe ſermonem ſuum nequit aptare niſi his quæ intelligit, 378. c. quemque ſuo ſenſui permittens, tractat quod ſecundùm donum ſpiritalis gratiæ ſenſit, 523. b. occurrit iis, qui ipſum ſuis interpretationibus vim veritati afferre arbitrarentur, 450 f. *& ſeq.* oſtendit ſe ſenſus ſpiritales non fruſtra proſequi, 407. b. quàm modeſtè ab aliorum ſententia diſcedat, 370. a. aut refutet quæ non probat, 414. b. c. aut judicet de aliis, 1195. d aut propriam ſententiam dicat, 1196. a

Hilarius quam viam contra hæreticos teneat, 948. c. loquitur ſub ſpecula omnium hæreticorum quæritantium quod reprehendant, 916. c. ſecurus non ſuis, ſed apoſtolicis ſcandit gradibus, 916. d. hæreticis repugnat iis ipſis dictis, quibus fidem impugnant, 1002. a. 1086. d. 1097. e. iis ipſis dictis illos coarguit, quibus fallere tentant, 858. a. quàm cautè

Arianos confutarit, 855. d. quàm cautè fidei totius demonſtrationem temperarit, 1039. c. d

Hilarii fervens caritas, 890. d. Hilarius curat pacem amiſſam quærere, turbatam componere, & repertam tenere, 1263. b. non vult quidquam libro de Synodis niſi ad unitatis profectum proferre, 1197. c. Conſtantinopoli ſpondet ſe omnia ad Orientis & Occidentis pacem locuturum, 1230. d

Hilario numquam pax optabitur, niſi eorum qui Nicænam fidem tuentur, 1269. c. Ipſe fidei Nicænæ adhærens ceteris formulis non eget, 1254. d. Arianorum blaſphemias epiſtolæ committere pertimeſcit, 1269. c. invitus Sirmienſem blaſphemiam deſcribit, 1156. b. Ipſi diabolus eſt, qui Arianus, 1269. c

Hilarii erga Arianos indulgentia, 1239. b. erga Imperatorem reverentia, 1194. a. b. erga eoſdem moderatio in libris de Trinitate, 755. *n.* 9

Hilarius de paſſione Chriſti quid ſentire ac prædicare ſoleat, 100. a. dolorem in Chriſtum cecidiſſe docuit, 125. *not.* c. non ſenſit Verbum à carne Chriſti moriente receſſiſſe, 991. *not.* d. aut omnia ſimul & ſemel à Deo creata, 1120. d. *not.* k. 1133. *not.* d

HILARIUS diaconus Liberii legatus, 1333. a

Hircorum quoddam appellativum nomen, 182. f. *& ſeq.*

Hodie num conveniat æternæ Verbi generationi 38. d. *not.* b

Holocauſtum quid, 181. d

Homo non vanitas, ſed ſimilis vanitati, 555. e. in Scripturis aquarum nomine ſæpe ſignificatur, 402. a. ſæpe etiam carnis nomine, 114. a. 163. e. Nihil in terrenis Dei operibus homine præſtantius, 297. e. nihil amabilius Deo eſt, 473. d. 474. b. Hominis prærogativæ, 473. e. *& ſeq.* Humanæ originis princeps Deus, 1048. a Homo genus Dei, 203. e. 204. a. Homini Deus ex ſe ipſo vitæ ac ſpiritûs elementa tribuit, 204. a

Homo ex nihilo ortum habet & poſt tempus, 1120. d. Hominis origo hanc habet dignitatem, quòd ei proprium ſit de ſe antè tractari, 299. a. deinde quòd non manu, ſed manibus Dei conditus ſit, 299. c. 503. b. Ideo manibus, quia ex duobus generibus in unum animal rationis particeps duplici eſt inſtitutus exordio, 299 d. & quia non ſolitarii triplex fuit in illius conſtitutione operatio, 300. d. Hominis inſtitutio triplicem præ ſe fert Dei operationem, 203. *not.* g. 300. d. 438. e. *& ſeq.* In hominis conditione ſignificatur faciens, factum, exemplum, 839. a c. Homo duabus naturis continetur, ſpiritali & terrena, 438. c. humili & cæleſti, *ibid.* e. Internam & externam naturam aliam ab alia diſſonantem in ſe continet, 299. d. Homo internus & externus, 537. c. Homo interior anima, exterior corpus, 439. a. d. Homo totus ex anima & carne formabilis eſt, 98. b

Homo unum eſt in terris animal rationale, intelligens, dijudicans, ſentiens, 298. a. primùm ſecundùm animam, tum ſecundùm corpus inſtitutus, 299. d. *& ſeq* 438. e. ſecundùm corpus de terra formatus, 300. a. ſecundùm animam ex nulla aliena ſubſtantia factus, 299. e. Corpus & anima quodam inſpirati ſpiritus Dei fœdere continentur, 300. b. Animæ & corpora occultâ nobis Dei virtute quotidie procedunt, 236. e. Quiſque eſt generalis animæ & corporis, 79. e

Homo initium creationis ſecundùm originem Dei ſimilitudinemque ſortitus eſt, 592. d. fit ad communem Patris & Filii imaginem, 858. e. *& ſeq.* Quòd fit ſecundùm imaginem Dei, ad animi pertinet dignitatem, 300. c. Homo in ſubſtantia animæ ad imaginem Dei figuratus, 375. d. ſecundùm animam ad imaginem Dei factus, 439 b. non Dei imago, ſed imaginis & ſimilitudinis Dei exemplum, 299. e. incorporalis eſt & quoddam divinum, 299. f. *& ſeq.* quî naturam divinam imitetur, 439. b. per gloriam conſummatur imago Dei, 1111. a

Homo ſolus ex animantibus particeps rationis, 580. d. ut creatis aut uteretur, aut dominaretur, eſt electus, 175. c. Hominis ad uſum & ſua & alia terrena referuntur; ipſe verò ad nihil aliud, 298. a. Ad cognoſcendum venerandumque Deum omnibus uti debet, 298. a

Homo à Deo non inchoatus ad mali originem, 890. c. natus eſt ad volandum in cælum, 657. d. Impii ſunt, qui hominum ortum ac mortem naturæ neceſſitati tribuunt, 17. e. Hominis æternitatem ad conſolandam ſcelerum conſcientiam multi negant, 564. b. Hominem ad vitia proclivem & quaſſum, jam cadentem demergit deſperatio judicii æterni, 147. c. Homo naſcitur ad cognitionem Dei, 483. b. 502. a. ad id Deum cognovit, ut conformis Deo fieret, 556. a. eatenus deputatur, *ibid.* in cognitionem Dei eſt editus, ut profectum ſibi ex opificis ſui cognitione ſperaret, 160. e

Hominis æternitas ex bonitate Dei oſtenditur, 321. d. Ratio ipſa ſuadet dignum non eſſe Deo, ut homini vitam largitus ſit conſilii participem ſub defectione vivendi, 770. e. Homini æternitas promiſſa ex prima in ipſius conditione Dei voce, 361. a. c. Homines ad bona ſpiritalia & æterna ſeſe natos ſenſerunt, 766. b. *& ſeq.* Deus hominem rationale animal in uſum largiendæ æternitatis ſuæ vitâ ſenſuque perfecit, 34. b. profectum ad id ei per meritum vitæ innocentis conſtituit, *ibid.* liberum eum condidit, *ibid.* pœnis à malo deterruit, præmiis invitavit ad bonum, 34. f

Homo per ſe conſummationem non obtinet, 329. a. Hujus tamen adipiſcendæ meritum eſt ex initio voluntatis, 329. a. Hominis proprium officium eſt Deum invocare, 580. d. & aliis fidem, juſtitiam, atque omnem benevolentiæ affectum præbere, 726. d. Hominem aſſumere Deo difficilius non fuit, quàm eum in tanta naturæ ac vitæ ſuæ ratione formaſſe, 147. d. Homo quando quid grande ſit, 298. b. Nomen ſuum per vitia amittit, ut dicatur ſerpens, equus *&c.* 298. c

Homini Dei beneficia diabolus invidit, 618. b. Quî ab homine, quem dejecit, vincendus, 618, b. Hominis corpus & anima nata ut unum ſint in cælis, quî cadant unum in terra, 658. a. Homines omnes ex terra in primo Adam parente geniti, 174. c. in unius Adæ errore omnes aberrarunt, 699. c. Homo in peccato primi hominis è paradiſo expulſus, 515. c. per tranſgreſſionem primi parentis ex beata requie ejectus, 577. e

Hominis vita miſera ab Adam cœpit, non cum Adam, 572. e. Hæc non ſua eſt, ſed quæ primùm in homine eſt inſtituta, 572. e. Qualis primi hominis natura fuerit, 550. b. In hanc redire optat Propheta, 550. a. b. quod non meriti eſſe ſui arrogat, 550. d. neque conceditur in hac vita, 550. e. Homo in crimine Adæ exſul factus illius Sion, in qua ſine metu, ſine crimine, ſine dolore vita eſt, 491. f. 493. a quamdiu hîc degit, non verè vivit, 257. a. quamdiu hîc vivit, mundus eſſe non poteſt, 258. a. b. Hunc corporum infirmitas ac vitiorum incentiva imperfectum eſſe compellunt, 259. a. Hominem in vitiis natum eſſe & vivere, 419. a. Hominis ortus ex Deo ſanctus, ex contagione corporis pollutus, 375. c. d. Ad vitia naturæ inſtinctu homo propellitur, 18. d. Homines imperiti, refugæ, ſordidi, ſine ſpe mortui, ſine lege tenebroſi, 814. e. Homo ſubditus variis motibus æqualis eſſe non poteſt, 86. f. Homini errare debitum eſt, 537. d. Mortalibus oculis nubes obſcuritatis obſiſtit, 259. b. Homines poſt peccatum Adæ in ignoratione Dei & in omnium vitiorum oblectatione detinentur, 660. b

Humanam intelligentiam quàm multa excedant, 436. f. *& ſeq.* Deum comprehendere non valet, 1031. c. ſecreta Dei non penetrat, 436. d. aliquid intra ſimul & extra alterum eſſe poſſe non conſequitur, 807. b. Quî infinitus ſit ſenſus noſter, & in infinitis cogitandis deficiat, 1124. d. Homo non capit quædam corporalia Chriſti geſta, 810. b. non debet eſſe omnipotentiæ ac ſacramentorum Dei arbiter, 1140. a. Quod homini inintelligibile, poſſibile eſt Deo, 807. c. Hominis ignorantia, 321. c. 794. a. Originis ſuæ cauſam & rationem necnon finem neſcit, 300. e. 321. d. Humanæ infirmitatis religioſa confeſſio, hoc ſolum ex Deo noſſe quòd Deus eſt, 436. e. Dijudicantis mentis ſuæ motum aut vitam aut rationem ſentiens non intelligit, 1141. a. Multa alia è rebus ſuis ignorat, *ibid.* æquanimiter imperitus in ſuis, inſolenter in Dei rebus eſt ignarus, 794. b. multa ſeriùs percipit ratione quàm aure, 1096. d Humani ſermonis vitia, 97. a. Humanus animus ex ſe habet naturam Deum intelligendi, ſed non ſcientiæ lumen, 806. e

Homo ſuis viribus pervenire nequit ad cognitionem Dei, 865. d. 866. a. indignus eſt, cui Deus ſe cognoſcibilem præſtet, 555. d. Incognoſcibilem cognoſcere natura noſtra non potuit, niſi per noſtram naturam, 556. a. Homo eget benignitate Dei, 469. e. verbi Dei luce ad omnes operum proceſſus indiget, 321. f. Hominis infirmitas in percipiendis Dei rebus: quî per fidem roboretur, 823. b. *& ſeq.* Hominem Deus ſacris litteris ad cognitionem ſui erudivit, 890. f. Hominum ſaluti quàm ſæpe proſpexerit Dominus, 84. c

Humani generis in tres diviſio, 645. c

Homo in creatione Deo placens, peccato diſplicens, in Chriſto bene placuit, 592. d. Alienum à bonitate Dei non fuit, ut ei vitam in ſe redderet & æternitatem, 203. d. Quomodo hoc præſtiterit, 204. c. Homini id Incarnatione acquirebatur, ut Deus eſſet, 1007. d. Homo per Incarnationis myſterium natus in Deum eſt, 1040. d. quî à Chriſto provectus in Deum, 986. d. Hominem Dei habitaculo dignum reddere, maximum Chriſti opus, 448. e. Quàm hoc Chriſto cordi fuerit, 449. b. Homo templum Dei æternum quî conſecratus, 729. a. Homo à filio Dei aſſumtus, domus eſt Dei, 165. e. Humanæ corruptionis Chriſtus hauſit omne vitium, 750. a. Hominem ut apprehendit Deus, ita Deus homini apprehendendus, 51. e. Hominem quem aſſumſerat Chriſtus, exſpectatum Deo patri munus reportavit, 618. e. Homines quomodo in Chriſto paſſi & exaltati ſint, 120. c. d

Hominis ſanitas hîc tantùm inchoata, poſt reſurrectionem erit perfecta, 577. c. Homo carnalis quis, 64. a. quis animalis, *ibid.* b. quis ſpiritalis, *ibid.* c. Hominis novi indumenta, 439. d. Homo ut homo Deum debet timere, ut ſubditus orare, ut beneficiis affectus diligere, 570. a. Noſtramet ipſi poteſtate ab omni via mala ſumus inhibendi, ut deinceps cuſtodiamus verbum Dei, 318. f. 319. a. Homini verſanti in nocte ignorantiæ, inſidiarum, infirmitatum, concupiſcentiarum, vitiorum, orandum & operandum, 466. d

Humanæ infirmitatis Deus rationem habet, 547. d. Homini, ſi fides in eo maneat, in omnibus periculis adeſt cæleſtium Virtutum defenſio, 499. b. Homo agit ſub ſpecula Angelorum, 499. a. ſe & omnia ſua, totum Deo debet, 722. a. Humanæ vitæ ac mortis finis eſt 398. b. reſurrectio, 1107. b. Homo poſt legem mortis ex Dei ſanctificatione manſurus eſt æternus, 375. d

Index rerum & sententiarum.

Homœusion nusquam scriptum, 1197. a. catholicis ad fidem est otiosum, ab Arianis improbè anathematizatur, 1256. a. Homœusii nuditas non caret offendiculo, 1202. quæ hujus vocis pia sit intelligentia, 1193. a. Est & impia, *ibid. not.* a. Homœusii mentionem Hilarius invitus fecit, 1207. c. Qua conditione recipiendum sit, 1206. c. *& seqq.* Quot episcopi hanc vocem Seleuciæ prædicarint, 1248. a. Ex iis aliqui nonnulla piè verbis præferebant, 1248. b. Qui homœusion defendunt, Anomœorum duces condemnant, 1250. a. sed ab his postea vincuntur, 1250. b. Epistola de homousii & homœusii expositione Sirmium delata, 1196. b

Homousii & homœusii significationem se nescisse, fateri coguntur auctores Sirmiensis formulæ, 1194. c. Homousii & homœusii intelligentiam Evangelia & Apostoli Hilario intimarunt, 1205. a. Homousion ab Orientalibus inventum, ab Occidentalibus sanctè fideliterque susceptum est, 1353. d. ab anterioribus episcopis est prædicatum, 828. b. antiquitatis est fides, & pietatis securitas, 1256. a. Hæc vox ad maximam fidei securitatem usurpata est, 830. a. in qua religionis maxima & sola cautela est, 1251. b. Homousion seu τὸ unius substantiæ qui declinare Ariani tentarunt ante Nicænum Concilium, 833. c. 835. a

Homousion in se habet & fidei conscientiam, & fraudem paratam, 1188. d. quando rectè prædicetur, 1188. d Homousion triplici pravo sensui patet, 828. b. 1189. a. & piè dici potest, & piè taceri, 1196. d. quo loco piè dicatur, ac negetur impiè, 1189. e. 1190. d. non debet nudè prædicari, 1190. b. Ob sensus pravos illud se Ariani respuere confingunt, 828. b. Hos sensus damnat Ecclesia, 829. c. Homousion sensu non suspecto probavit Nicæna synodus, 1197. c. *& seq.* Ejus proprietatem Patres post Nicænam synodum religiosè interpretati sunt, 1205. b. Homousion non improbandum, licèt vitiosè intelligi soleat, 1198. e

Homousion Ancyræ anathemate damnatum, 1204. b. *not.* k. quo obtentu ab Orientalibus respuatur, 1196. c. cur à Patribus, qui Paulum Samosat. damnarunt, sit repudiatum, 1196. c. d. Homousion Samosatenus malè confessus est, 1200. b. octoginta episcopi olim respuerunt, 1200. b. Hi improbando statuerunt, quod Nicæni Patres probando, 1200. c

Homousion Seleuciæ soli Ægyptii constantissimè obtinebant, 1248. a. Homousion quid intelligat Hilarius, 1198. d. 1201. b. Scrupuli adversùs illam vocem levantur, 1201. c. Hujus vocis significationem explicant Galli, 1353. d. Et sub anathematis pœna vetant aliter de Deo ac Domino sentiri, quàm hac voce sentiunt, 1355. d

Honor naturæ aut species est, aut dignitas, 953. d. Honor earumdem rerum non est diversus, 1116. b. Honoris æqualitas est quid proprium virtutis naturæque æqualitati, 1014. e. Honore non exæquantur nisi naturalia, 998. e

Honor sæculi, diaboli est negotium, 620. b. Honoris terreni despectus cælorum regnum est, 324. Honoris aliquid præsumere non decet, sed humilitatis operibus promereri, 711. c. Honorem ab alterutro accipere infidelium est, 998. a

Honor à Deo quærendus, 998. a. Honor famulantis in honorem mittentis est, 815. a. nulli Deum timenti est denegandus, 66 f. *& seq.* Honorem à nobis non accipit Deus nisi per Deum, 865. d

Honoratus, 1346. c *bis.*

Hortatio multùm valet illiciente casu, plus ratione duce, 192. d

Hosanna quid hebraicè, 713. d

Humiliatio quid significet, 313. b. Humiliationem præcedunt delicta, 295. d. 296. e. Horum illa emendatio est, 295. e. 296. e. 302. d

Humilitas cordis virtutum omnium maxima, generosæ & regiæ nativitatis ornatus est, 324. d. In humilitate consistit mandatorum omnium caput ac summa, 358. b. continentur omnia fidei nomina & præmia, 358. d. Humilitas maximum est fidei nostræ opus, 442. e. In humilitatis conservatione, legis est memoria, 359 a. Humilitatis causæ & merces, 621. b. Ad humilitatem prodest Dei magnificentiam & miserationem reputare, 358. d

Humilitatis exempla, 396. d. Humilitatem solam ostentat David, 358. e. Humilitatis præceptum Christus præbuit & exemplum, 324. a. Humilitatis Christi præmium, 324. f. Humilitatis operibus promerendus honor, non præsumendus, 711. c. Humilibus à Patre revelantur occulta mysteria, 518. f

Humilitatem non oportet carere constantiâ, 66. d. Corde humiles, sensu & animâ simus excelsi, 443. e. Quomodo à vitiis liber vitiosum se possit profiteri, 411. b

Hymenius, 1293. a

Hymnus & carmen unum & idem est, 103. c. Hymnorum celebres soni inter divina officia, 174 d. His terrendus est omnis profanus auditor, 174. c. His adversùs diabolum pugnamus, his victoria nostra monstratur, *ibid.* Inter hymnos divinos quomodo animus avocetur, 493. c. d. Hymni matutini & vespertini, 169. a. Hymnus matutinus, 1213. Hymni alterius fragmentum, *ibid.*

Hypocrisis sequitur fidei defectionem, 1038. b

Hyrenius, 1338. a

I

Jacob supplantator, 93. a. gentes fide populum anteriorem supplantaturas præsignavit, 93. a. figura fuit Ecclesiæ, 470. d. *& seq.* Jacob ignoratæ uxoris inopinatus maritus, 426. d. viventis funus parricidali fratrum mendacio plangens, *ibid.* Deus ad eum in homine venit, 845. f. In homine Deum intellexit & vidit, 109. a. 133. c. 381. c. 864. d. non oculis corporis, sed fidei, 864. e. Fidei oculis Deum in corpore conspexit, 93. a. Jacob verus: illius prærogativæ, 584. e

Jactantia fidelibus cavenda, 619. e

Jactura sui felix, 692. a

Januarius, 1292. f

Ictericus morbus conspectu galbuli sanatur, 301. *not.* a

Idololatrarum inanis timor, 89. c. Idololatræ pretiis metallorum diis, quos sibi fecerint, honorem quærunt, 479. d. Ipsi simulacrorum modo sine vitæ spiritu sunt relinquendi, 480. a. Quantum abhorreant à veri Dei cognitione, 317. c

Idololatriæ eversio, 501. a. Idololatria quotidie relinquitur, 202. d

Jejuniis lætantur Christiani, 410. d. Jejunium passionis dominicæ tempore, 687. d. Jejunii die convivantem Christianum qui viderit, zelo Dei irascitur, 349. a. Jejunant multi, dum à pastoribus objurgari timent, 316. e. Jejunantium vitia, 354. e. *& seq.* a. Jejunantis sit conscientia pura, & bona opera, 630. e. *& seq.* Jejunium nullum Apostoli Quinquagesimæ diebus habuerunt, 8. a. Id ipsum diebus dominicis est constitutum, *ibid.*

Jeremias an præventurus sit novissimum Christi adventum, 710. a. Jeremiæ attribuitur opus Baruch, 877. c. Jeremiæ nomen quibusdam psalmis qua auctoritate prænotatum, 3. a

Jeropolis, 1326. a

Jerusalem interfectrix prophetarum, 118. c. Jerusalem & Sion idem locus, 582. c. Intra Jerosolymam tantùm legitima erant, sacerdotium, holocaustum *&c.* 133. c. Jerusalem sanctificationem habitantibus non afferebat, 402. c. d. Ejus excidium denuntiatur, 670. e. Jerusalem non esse quando digna fuerit, 729. e. Jerosolymam circumire, sed non inire Judæis per Romanum regem fuit concessum, 133. d. hanc ad præsentium miseriarum solatium circumire soliti sunt, 130. d. Jerusalem desolatio, 402. d. Jerusalem à Babyloniis capta & eversa, 455. a. post etiam à Romanis capta & incensa, jam nulla est, 455. b. Jerusalem à Salomone ædificata, 415. c. à Zorobabel restaurata, 415. f. solum hodie conflagrationis cinerem & deformium ruinarum fœditatem præbet, 416. a

Jerusalem civitas pacis, 582. d. in præformationem Ecclesiæ, id est, corporis Christi constituta, 628. c. Jerusalem spiritalis, 576. c. 577. a. 582. d. f. Jerusalem terrena, species est cælestis, 385. f. Jerusalem cælestis, Ecclesia, 404. a. concors fidelium cœtus, & sanctificatæ sacramentis Ecclesiæ animæ, 457. b. Jerusalem pro parte est quivis san[…] 495. c. Jerusalem cælestis per omnium generationum ætatem ædificatur, 386. a. usque ad beati ac dominici regni tempora, 414 c. Jerusalem æterna & circumstantium Deo sanctorum civitas, 141. a. Jerusalem Angelorum frequentantium conventus, 209. c. d

Jesus Nave nominis Christi propheta, 1137. c

Jesus salutaris, 186. e. 305. c. 363. f. Jesus ex corpore Domino nostro nomen est, 624. e. nuncupatio est hominis qui ex Maria natus est, 177. f. Quomodo à prophetis est desideratus, 363. f. *& seq.* Jesu nomen dæmones ferre non possunt, 82. b. ad salutem homines assumunt, *ibid.*

Iginus, 1346. c

Ignis exemplo illustratur filii Dei nativitas, 936. d. Igni fornacis Babyloniæ an fuerit natura urendi, 1064. c. Tribus pueris fuit ros, 567. b. Ignis urens peccata atque tollens, 140. d

Ignis indefessus in judicio subeundus, 261. a. Ignem illum non sentient sancti, *ibid. not.* a. Ignis judicii quoddam baptismum, 258. c. Ignis judicii, cui destinantur iniqui, 451. e. 635. d. iniquos auferet, ne Christum contemplentur, 125. a. Ignis cum pœnæ sensu peccatores absorbet antequàm resurgant, 125 b. Ignis æterni in iniquis erit æterna materies, 635. d

Ignorare quod credas, non tam veniam habet, quàm præmium, 952. d. Ignorationis exemplum sine fidei periculo, 940. b. Ignorantia per naturam humanæ fragilitatis, 549. e. Ignorationis error humanus est, 1195. c. Ignorantia dat veniæ spem, 912. d. Ignoranti errori pœnæ meritum Deus est moderaturus, 880. a. Ignorantia humana Petrum à crimine excusat, 905. a

Ignorantia mandatorum Dei quanti periculi res sit, 263. b. Ignoratio voluntaria veniam non habet, cur, 359. d. Ignoratio humana ad mores, ad disciplinam, ad cognitionem Dei psalmo CXVIII. eruditur, 241. f. Ignorantia rerum divinarum confitenda, aut deprecanda intelligentia ignoratarum, 300. e. & 301. a. Ignorantia in sola precum mora veritatis notitiam obtinet, 638. a

Ignoscens nobis Deus sine modo, vult & nos sine modo aliis ignoscere, 701. a. b. c. d

Ilium, 1325. a

Illyricum Arimini gesta rescindit, 1358. d. Apud Illyricum pridem noti Arianæ & Aetianæ hæresis auctores, 1359. c

Imago forma, vultus & facies non differunt, 228. b. Imago est rei ad rem coæquandæ imaginata & indiscreta similitudo, 1159. a. necesse est speciem, naturam, & essentiam habeat auctoris, 1159. b. Imago vera non est, quæ non habet quidquid habet cujus imago est, 1085. d

Imaginem Dei Filium Apostolus dicit, sed cum additamento, 1252. e. Quatenus

Chriſtus imago Dei ſit, 975. d. & ſeq. Imago Dei vivens, Filius, 941. d. Imago Dei, primogenitus omnis creaturæ, non homo, 299. e

Imaginis Dei in homine quoddam exemplum eſt, 299. f. Imago Dei quatenus in homine, 439. a. quî conſummetur in homine, 1111. a. Imaginem Chriſti perfectam Apoſtoli ſortiuntur, 652. c

Imagines veteres delicatæ nobilitatis, 692. c

Immortalitas hominis defenditur, 722. c. & ſeq. a. Ad æternitatem, non ad mortem Deus nos condidit, 366. b. Immortales ſe eſſe plerique ſenſerunt, 767. a 770. d. 771. a. Immortalitatis ſpes, 621. d. not. d. Immortales effecti alimentis non indigebunt, ſed ex Deo vivent, 213. a. b

Impatientia ærumnarum quî Deo contumelioſa, 348. e

Imperatores congregaverunt ſynodum Sardicenſem, 1283. d. Imperatorum ſcripta ad terrendos eos qui Concilium adire nolunt, 1318. d

Imperfectum quid, 519. b. c. 520. d. Imperfectum eſt, quod in aliud ex auctore ſubſiſtit, 822. c. Imperfectos nunc nos eſſe compellunt corpora, 259. a

Impii & peccatoris diſcrimen, 17. b. c. Impii juſtorum præſentiam tamquam conſcientiæ onus non ſuſtinent, 301. b. ad vexationes ſanctorum ſunt miniſtri ſpiritalium nequitiarum, 113. d. Impiorum labores inutiles, 434. d. finis, 1099. a. Impii non judicabuntur, 25 e. cur, 25. a

Impietas nihil in ſe habet ſapientiæ & prudentiæ, 869. b. veram fidem difficîlè intelligit: cur, 863. d. intelligentiam non capit, 968. b. quomodo irrideatur à Deo, 33. b. Impietas profeſſa extra pudorem eſt, 933. e. Impietas non minor eſt Deum fingere, quàm negare, 18. b

Imprecatio in Prophetam non cadit, 435. d

Incarnatio. Neceſſarium nobis erat ut Deus homo gigneretur, 1366. b. Aliàs morbi noſtri non eſſent auferendi, 58. e nec fructum eſſemus daturi, 1021. c. Non aliter aut nos meremur, aut aliqui antè meruerunt, quàm ex fide Chriſti aut corporati aut corporandi, 331. c. Verbum carnem lex prænuntiabat, 109. a. De adventu Chriſti omnium prophetarum dicta conveniunt, 225. b. Aſſumtæ à filio Dei carnis ſacramentum pſalmo cxxxi. edocetur, 445. c. Prophetæ venturum in corpore unigenitum Deum, Apoſtoli veniſſe docuerunt, 185. c

Incarnationis myſterium non ideo non credendum, quia non intelligîmus; ſed intelligere poterimus, ſi credimus, 773. a. Fidem noſtram de Dei incarnatione difficilem Spiritus-ſanctus luminat, 806. a. An Deo difficilius fuit aſſumſiſſe hominem, quàm eum in tanta naturæ ac vitæ ſuæ ratione formaſſe? 147. d. Deus in hominem decedere non potuit, niſi ſe ex Dei forma evacuans, 1116. a. Formam Dei evacuaſſe virtus eſt divinæ poteſtatis, *ibid.*

Incarnatio Chriſti non eſt infirmitas, ſed ſacramentum; non neceſſitas, ſed pietas, 1087. e. 1088. c. Cælum inclinatur, cùm ad terras cæleſtium Virtus honorque deducitur, 557. b. Gloria Incarnatione non Verbo, ſed homini acquirebatur, 1010. b. Id homini acquirebatur, ut Deus eſſet, 1007. d. Verbum caro factum eſt, ut caro proficeret in Deum, 772. c. Nativitas humanæ infirmitatis ab immortali natura ſuſcepta, 421. c. nec defecit Deus ad hominem, ſed homo profecit ad Deum, 1040. d. Verbi poſt aſſumtam carnem immutabilitas vocabulo habitandi declaratur, 772. d. Filius Dei etiam filius hominis eſt credendus, 690. a. 691. b. Alterum ſine altero nihil ſpei tribuit ad ſalutem, 690. b. Patris natura carnis aſſumtionem non ſenſit, 1007. c. ſed extra humanarum paſſionum aſſumtionem manſit, 1018. c

Incarnati Verbi merces, 420. d. & 421. a. Incarnati Verbi hereditas & merces, gentes quas in filios generat, 420. c. Per incarnationem omnis homo in Domino eſt, 58. e. In Chriſto manemus per fidem aſſumti ab eo corporis, 1021. c. Incarnationis beneficio nihil dignum rependere valemus, 800. d

Incenſi natura, 534. f. Componitur ex ſtacte, onyche, galbano & thure, *ibid.* f. Significat orationum quatuor genera, 535. a. vel ex quatuor elementis hoſtiam laudis Deo offerri, 535. b. Incenſo orationes ſignificantur, 182. d

Indignatio pii amoris, 219. f

Infernæ regionis plures ſunt incolæ, 44. a. iique vivi, *ibid.* b

Inferni ſedes maris profundo ſignificatur, 229. e. Infernæ mortis ſedes in puteo ſignificatur, 222. e. Infernas ſedes adire homini debitum videtur, 101. d. Inferi David ſuſtinendi ante quàm ſalvetur, 333. b. Lex eſt humanæ neceſſitatis, ut conſepultis corporibus ad inferos animæ deſcendant, 514. d. Cur ab hac non ſe exemerit Chriſtus, *ibid.*

Inferi, carcer, 545. a. In eo carcere poſitis Chriſtus reſurrectionem prædicavit, 545. a. Exhortatio ad ſanctos in inferno quieſcentes, 306. a. *not.* d. Ad inferos deſcendens Chriſtus, à paradiſo non defuit, 1057. e. Chriſto eò deſcendente, ſanctos ejus inferi non tenent, 132. b

Inferi, pœnalis lacus, 549. c. Infernum chaos & torrentes flammæ, 1057. d. Inferni pœnæ, 109. d. Infernus ultor malos de corpore decedentes excipit, 52. c. Iis videntur in ſupernis eſſe qui in terris degunt, 52. d. *not.* e

Infidelis naufrago ſimilis, 75. b. eſt extra corpus Chriſti, 76. b. licèt per naturam in eo manens, 76. e. quia per naturæ noſtræ aſſumtionem incola ſit receptus, 77. a. Infideles dictis Dei bellum comparant, 820. a. quid auderent adversùs opera Dei, ſi eis liceret? 819. b. Infideles fiunt filii diaboli, 615. d

Infidelitas omnis ſtultitia eſt, 823. a. omnis eſt opus diaboli, 691. e. Infidelitatis cauſa, 823. b. Infidelitatis affectio in ſocru Petri præformata, 642. a. b. Infidelitas animæ noſtræ mater, 660. a. ſocrus noſtræ voluntatis, 660. b. d. gentium conjux, 680. b. Infidelitatis filia voluptas, 680. c. Infidelitas de Dei promiſſis peccatum eſt in Spiritum-ſanctum, 637. a. Quos infidelitas obtinet, Deus relinquit, 689. b. Infidelitatis de reſurrectione omnis occaſio à Chriſto ſublata eſt, 635. c

Infimi Eccleſiæ qui, 518. f

Infinitas æterni Patris, 791. d

Infinita qui piè perſequitur, etſi non contingat aliquando, tamen proficiet prodeundo, 794. d. Infiniti ſenſus noſtri recurſui ſe ſubtrahit quod in Deo infinitum eſt, 1124. d

Infirmitatis humanæ natura ab immortali Deo ſuſcepta eſt, 421. c. Infirmitas in unigenito Deo noſtra potiùs quàm naturalis ei eſt, 105. e

Inimicorum non eſt quærenda ultio, ſed converſio, 303. d Inimicorum dilectio præceptum eſt evangelicum, 329. f. Inimicos omnes diligere Chriſtus nos docuit Judæ oſculum non reſpuendo, 745. c. Inimicorum dilectione in Dei ut hereditatem, ita & imitationem vocamur, 629. e

Inimicos noſtros, non Dei, amare præcipimur, 525. a. Inimici nobis eſſe debent Dei inimici, 349. e Inimici ſpiritales hominis, 550. a. Inimici fortiſſimi, diabolicæ poteſtates, 556. d. e

Iniquitatis operarii qui, 128. c. Iniquitatem operari, & declinare ex lege quid differant, 406. b Iniquitatis & peccati diſcrimen, 440. b. Iniquitatem & placita ſua ſectari, non differt, 84. c. Iniquum eſt quidquid extra legem eſt, 84. a. Iniquitatum omnium auctor diabolus, 541. b. Iniquitatum maximè radix pecuniæ cupiditas, 149. d. f. Iniquitas affert corruptionem, 84. b. Iniquitatis operatio orationes reddit deſpicabiles, 104. f. Iniquitas eo minùs veniâ digna, quo magis æquitas ignorata non fuit, 727. a

Iniqui doctrinæ veritatem mentientes ſe habere, non habent, 307. d. diaboli ſunt vaſa, miniſterium, operarii, & nequitiæ ejus portitores, 431. d. conflagrationi judicii præparantur, 616. b. ſtatim à morte pœnas inferni luunt, 52. c. Iniquorum pœna in inferno, 109. d. Iniquos odiſſe quatenus liceat, 330. f

Injuriarum humanarum auctor diabolus, miniſtri homines, 430. f. Injuriis affici ſolent fideles, 395. a. qui de injuriis ſuis ac de vexantium peccatis dolent, 395. c. Deus ſolus eis opitulari poteſt, 395. c. Sanctus dum cæditur, non ſuam, ſed cædentis vicem dolet, 285. b. Injurias inferens miſeratione dignus, non irâ, 431. c. Quanta in ſanctos injuriæ fit acceſſio, tanta fit ex lege Dei deceſſio, 355. c. Injuriæ ulciſcendæ diſſimulationem Evangelia exigunt, 629. a. Injuriæ ultionem ab ullo expeti non patitur evangelica lex, 628. e. Injuriæ memori non licet tranſire in nuncupationem familiæ Dei, 622. d. Injurias & contumelias, quibus Domino adæquamur, gloriæ loco amplecti debemus, 656. d

Injuſtis mala non ſunt defutura, 99. c

Innaſcibilis ſtatim non eſt, qui intemporalis, 1166. e. Innaſcibiles non ſunt duo, 471. d. duos neſcit Eccleſia, 1018. b. Innaſcibilis una eſt virtus, 836. a. ſolus eſt Pater, 1142. a. a. Innaſcibililitas penes unum eſt, 1185. b. *Innaſcibilem* nuſquam ſcriptum legere eſt, 1151. a. Innaſcibilitas & nativitas voce, non naturâ differunt, 1022. c

Innocentes, martyres, 613. c. e. Non eos dolet Eccleſia, ſed eorum peremtores, 613. e

Innocentia ſapientiæ filia beatitudinem parit, 429. c. Quàm multa ei inſidientur, 547. f. Innocentis ac piæ vitæ cognitionem ac verum uſum aſſequi nequit homo ſine Dei gratia, 242. f. & ſeq. Innocentia ſecundùm judicium ſæculi non ſufficit ad aſſequendam æternitatem, 242. f

Inquirere & perſcrutari quid differant, 343. a

Inſolentia in alios quàm vana, 65. e. *V.* Superbia.

Inſpirat Deus prophetas omni tempore legis, 84. e. Inſpiratus Pſalmorum auctor loquitur, 163. e

Inſulæ Oceani habent eccleſias ab Apoſtolis paratas, 62. a

Intelligentia humanæ rationis proprium officium eſt, 85. c. carnalibus oblectamentis impeditur, 85. d. omnis eſt in capite, 630. f. Quæ in humanum intellectum cadant, 1108. e. Intelligentia noſtra non percipit æterna, 1109. a. inviſibilia conſequi non poteſt niſi per viſibilia, 381. c. Intelligentiæ non exiguum eſt meritum, 85. c. Intelligentiæ munus neceſſarium eſt à Deo orare, 245. f. 301. a. Intellectus à Deo poſtulandus, ne falſus à diabolo ingeratur, 340. a. Intelligentia Scripturæ donum eſt Dei, 407. e. Intelligentia omnis à Deo, 318. b. 1096. e. eſt & à Domino, 1097. a. donum eſt Spiritùs præcipuum, 351. f. intelligentiæ cupidis datur, 318. c. 1096. d. fidei merito, 1096. e

Intelligenter exquirendi Dei modus, 85. a. Intelligentes nos faciunt præcepta opere perfecta, 320. a. A nobis incipiendum, ut intelligentiam perfectam poſſimus promereri, 320. a. Ei, qui intelligendi ſpiritum eſt adeptus, opus eſt ſtudio ſcrutandi, cujus fructus ſit repertæ rei cuſtodia, 272. d. Intelligentiæ fructus eſt exercere quæ cognita ſunt, 318. d. Ei qui intelligentiâ caret, prudentia eſt ſapienter interrogare, 272. b. d

Interpretes

Index rerum & ſententiarum.

Interpretes cuncti verborum ordinem demutare non auſi, minùs dilucidè verborum proprietatem declararunt, 203. b. Interpretes LXX. cur aliis præferendi, 28. a. c. 29. d. *V.* Septuaginta.
Invoco. Quos Deus exaudiat invocantes, 570. d. Deum non invocant iniquè agentes, 89. b
JOB elogium, 217. b. Job inculpabilis, 86. a. omni tentationum militiâ perfunctus, 346. a. humanarum paſſionum glorioſus & beatus victor, 296. b. à lege liber de hoſte legis triumphat, 274. a. Job Deum ſola mente vitiis non admixta Deum venerabatur, 1366. a
JOHANNES formam legis prætulit, 661. e. 680. a. in prædicationem Evangelii firmandus, 1059. d. in vocem adhuc utero matris detentus erumpit, 801. a. ipſo conditionis ſuæ genere prophetavit, 661. e. lucerna Judæis & gentibus fuit, 322. e. Johannis locus, prædicatio, veſtitus, cibus quid ſignificent, 514. e. *& ſeq.*
Johannes pænitentiæ prædicator Chriſtum oſtendit, 459. c. Chriſtum non ignoravit, 662. d. 664. b. cur diſcipulos ad eum miſerit, 661. f. Sublimis ejus doctrina miraculum non minus eſt cæcorum viſu, *&c.* 795. d. Johannes injuriæ exemplo paſſionem Domini præcucurrit, 695. a. Johannis gloria, 664. b
JOHANNES evangeliſta maximè ſpiritalium cauſarum prædicator, 1062. d. Illius prærogativæ, 908. b. An mortuus ſit, 905. *not.* g. Apocalypſis eſt auctor, 908. c
JONAM, 1293. b
JONAS Chriſti figura, 688. f. Dominicæ mortis imitator, 217. a d
JOSEPH à Jacob Samariâ deputata eſt, 138. e
JOSEPH ferrarius faber, 678. d. *not.* f. Ipſe & Maria unius erant tribus, 610. b. Quòd in Chriſti generatione Joſeph potiùs quàm Mariæ nativitas recenſetur, nihil refert, 610. a. Joſeph diverſa Angeli viſa, 614. b. Apoſtolorum habet ſpeciem, quibus Chriſtus circumferendus eſt creditus, 14. c. Joſeph ex priore conjugio filii, 612. d
JOSEPH diſcipulus Domini, Apoſtolorum habet ſpeciem, 750. d
JOVIANUS diaconus, 1360. e
Iræ gradus & effectus, 128. c. Iræ tempus penes nos nullum eſſe oportere, 701. c. Iraſcendum non eſt iis à quibus aliqua perpetimur, ſed ſors eorum miſeranda, 431. c. Iræ ſine cauſa eadem in Evangelio pœna eſt ac in lege homicidio, 625. e
Ira Dei, patientis pœna, 35. b. ſeu ultio in peccantes conſtitutâ, *ibid.* Ira Dei non prodit ex motu repentino, 35 d. quàm nunc temperata ſit, 36. b. *& ſeq.* Ira Dei non eſt motus animi ad ultionis voluntatem exardeſcentis, ſed pœnæ conſtitutio, in quam pœnâ dignus incideret, 225. e. nullo crimine magis provocatur, quàm ſuperbiâ, 261. e. quomodo fugiatur, 137. e. Ira miſericors patrum in filios, & Dei in homines, 137. a
Irenopolis, 1292. *not.* k
Irridere & ſubſannare nil differunt, 32. f.
ISAAC exercitationem Chriſti in hoc mundo præfiguravit, 105. b
ISAAC à Lueto, 1325. b
ISAIAS. *Vide*, Eſaias.
ISCHYRAS, 1324. *not.* g. *Vide*, Scyrus.
ISION, 1325. *not.* d
ISMAHELITARUM fines, 376. a
ISRAEL carnalis & ſpiritalis, 386. e. 59. c. d. Dei erga Iſrael carnalem beneficia, 387. b. Illius in Deum ingratus animus, 386. e. Teſtimonium contra ejus ſcelera, 386. c. Judicabitur à gentibus, 388. e. Annis 40. vitâ atque habitu angelorum vixit, 674. c. Captus eſt ab Aſſyriis, 408. a Nomen ſuum electis Dei eſt relicturus, 870. d. Salus ejus Apoſtolis quàm cordi fuerit, 687. e. Ex Iſrael duæ vocationes ad Evangelium, 710. c. 712. d. Iſrael privilegium ſalutis reſervatur, 686. a. Ab eo fidei primitiæ exſpectantur, 686. b
Iſrael Deum videns, 59. d gentes Deum viſuras præſignavit, 93. b. Iſrael appellari dignus, qui Deum fide contuetur, 381. c. qui Deum mentis oculis contemplatus ſit, 397. f. Iſrael pauci ſunt, 480. e. Iſrael fideli, non carnali, datus eſt ſalutaris, 92. a. Iſraeli ſuperbo difficilis cæli aditus, 704. a
ITALI epiſcopi circa an. 353. coguntur Arianorum ſententiis obedire, 1332. a. Italis epiſcopis recitat atque inſinuat Liberius acceptas litteras, 1330. d. Italis epiſcopis Arimini congregatis epiſtolam inſcribit Conſtantius, 1346. d. Italia recognitâ fraude, quam Arimini paſſa eſt, Nicænæ fidei ſe reddidit, 1358. d. Italorum ad epiſcopos Illyrici poſt Arimin. ſynodum epiſtola, 1358. c. Italis epiſcopis ſcribit Liberius de iis qui Arimini deliquerunt, 1357. b.
Itinera Dei ſub lege, & poſt legem viſa, 207. b
Jubileus annus, 360. a
Jubilum quid vulgò, 173. f. Jubilum & exſultationis vox diſſentiunt, 174. a
JUDA captus à Babyloniis, 408. a
Judæa civitates poſt Antiochi Babyloniorumque victoriam Romani regis bello abſumtæ, 230. c. Judæa deſerta Dei habitatione, 614. e
JUDÆI in Doec proditore figurati, 70. d. d. Initium originis Judæorum ſecundùm ſanctificationem originis Abraham eſt, 470. b. Judæos dæmon ante legem obtinuit, 674. b. ſed ab his lege expulſus, 674. c poſt indultam gentibus gratiam ad eoſdem rediit, 674. d. cum ultione repudiatæ ab eis gratiæ, 675. a. Judæi Deum tantùm, non & Patrem venerabantur, 870. a. Judæos cæleſti militia contra inimicos tutari ſolitus erat Deus, 141. c. Quomodo eos deſeruerit, *ibid.* Judæorum iniquitas excedens eorum cuſtodiæ ſpiritalis bonitatem, 108. c
Judæorum ingratus erga Deum animus, 479. a. hereditaria infidelitas, 614. e. Judæus populus quomodo potens, quomodo omni ætate in iniquitate fuerit, 71. e. *& ſeq.* Judæis regni & Jeruſalem excidium denuntiatur, 670. d. e. Judæi Chriſti ætate ex multis populis conſtabant, 30. d. tunc jure regni carebant, & principes ſacerdotum hoc nomine erant indigni, 31. a. Judæi terreni & aridi ſignificantur in arenis, 523. d. Judæis debebatur Evangelii privilegium, 652. c. Paratam eis ſalutem gentes præripiunt, 649. d. e. Judæorum crediturorum paucitas, 650. c. Judæorum pars per Apoſtolos credidit, pars per Eliam eſt creditura, 733. d
Judæorum in legem favor, 654. b. ficta fidei profeſſio, 654. b. Judæi gloriantur ſe claves cælorum habere, & legis doctores eſſe, 318. a. in lege gloriantes, lege convincuntur recti nihil egiſſe, 703. e. malitiæ bonitati prælatæ ſunt rei, 73. e. voluptate capti legem perdiderunt, 680. e. in Herode figurati ſunt, 680. a. legem ob inopiam fidei perdiderunt, 675. f
Judæorum infidelitas quàm rea, 666. b. Non ſunt extra crimen ignorati teſtimonii Patris de Chriſto, 996. f. Eis Verbum carnem lex prænuntiarat, 109. a. Eorum convicia adverſus Chriſtum magis culpanda, quàm gentium, 109. a. Judæos ſine excuſatione facit fides gentium, 673. c
Judæorum lingua quî fallax novacula, 73. c. Judæi quomodo in veritate diſperditi, 99. e. quomodo ſcriptis illaqueati ac ſub legis onere depreſſi, 225. e. d. Judæorum reatus, & pœna eis reddenda ob Chriſti necem, 27. c. Judæi Dei eſſe deſtiterunt, 558. d. Dextera eorum quî iniqua, 558. e
Judæorum pœnalis cæcitas, 698. d. obduratio, 665. b. c. juſta reprobatio, 665. d. lugenda captivitas, 491. d. diſperſio, fames ſpiritalis, cibi inanes & impænitentia, 130. d. 131. a. 133. e. invidentia, 131. b. clades & internecio, 75. *& ſeq.* 78. e. 111. d. Judæi à Romanis capti omnia ſuppliciorum ac miſeriarum genera ſunt perpeſſi, 206. e. hodie ſerviunt exſules ac toto orbe diſperſi, 455. b. Eis interdictus eſt Jeroſolymæ ingreſſus, 130. d. *not.* n. 133. e. Hanc ad præſentium miſeriarum ſolatium circumire ſoliti ſunt, 130. d
Judæorum à Deo alienorum varia epitheta, 97. e. Quomodo ſint deluſi, 33. a. & in opprobrium dediti, 119. b. Qualiter jam demerſi & linguis diviſi, 108. a. à juſtitia Dei excluſi, 227. a. à libro viventium deleti, nec ſcripti in libro juſtorum, 227. b
Judæis poſt paſſionis piaculum patuit pænitentia & indulgentia, 110. b. Si Apoſtolis credidiſſent, veniam eſſent conſecuti, 727. d. 728. a. Eorum perditionem dolet Eccleſia, 613. e. Unde eis d[illegible] cæli aditus, 705. b. Judæi non neſcierunt Chriſtum futurum eſſe filium Dei, ſed qui eſſet hîc Chriſtus, 912. a. b. d. iram Dei in ſe provocant, quia negant ejus in gentes miſericordiam, 178. a *& ſeq.* Omne de Chriſto eloquium evitant, aut auditum ne in ſe penetret, aures manibus obſtruunt, 746. b
Judæi negantes Chriſti divinitatem refelluntur, 672. b. Judæi fruſtra pſalmum CXXXI. ad David, & non ad Chriſtum referunt, 445. c. 446. d. unde convinci poſſint de Chriſti ante Mariam ſubſiſtentia, 1130. b. Eorum ad litteram interpretatio rejicitur, 451. c. Judæorum erga ſacros libros religio, 445. d. ſuperſtitio in juramentis, 628. b. d. Judæi quando in Eccleſia collocandi, 656. propter patres in fine ſæculorum ſunt convertendi, 132. d. *& ſeq.* 141. b. Cum Moyſe & Elia Chriſtus Iſraelem judicabit, 694. a. Judaica obſervantia quomodo nihil proſit, 317. d
JUDAS quomodo unanimis, dux & notus Chriſti, 109. b. miniſterium diaboli fuit, 431. b. fuit ſatanas, quia per eum animabatur, 547. b. æternorum ſacramentorum communione dignus non fuit, 740. d. Judæ blandiloquium, 110. d. Occaſionem furti de pecuniæ collatione quærebat, 110. f. Judæ nequitia graphicè deſcribitur, 532. d. e. mortis tempus acutè conſideratur, 746. e
Judex & rex quomodo differant, 50. b Judices ſæculares ne cognoſcant cauſas clericorum, 1218. a
Judicialis ſedes quî cathedra peſtilentiæ, 18. e. *& ſeq.* a
Judicia ea verè judicia exiſtimantur, quæ juſta, 323. c. Judiciorum forma, 1222. b. 1282. c. 1313. d. *& ſeq.* Judicium cujuſuam rectum ſit, 359 b. c. Judicium facere quid, 336 c. Judicium Filii ex judicio eſt paterno, 928. c. Deprecari ſe in virtute judicari, ſolius Chriſti eſt, 96. c. Judicandi poteſtas ſanctis tradita, 593. d
Judicandum non eſt propere de auctorum quos legimus ſententia, 1154. a. Religioſum eſt Deo ſua reſervare, 1195. c. Judicare de Dei ſponſionibus non licet, 636. f. Judicaſſe perperam in aliis rebus peccatum eſt; in his judicium initium eſt criminis, 636. f. 637. a. Cur, 636 f. Judicaturi priùs meminerint ſe eo judicio, quo judicaverint, à Deo judicandos, 1294. e Judicia mentium non verbis ſignificanda, ſed rebus, 374. d. Judicia Dei & judicia oris Dei quî differant, 254. b. Judicia Dei alia æterna, alia quæ nunc ſunt: illa ſunt inſcrutabilia, de his quid ſciamus, 301. e. 302. b. Judicia oris Dei quomodo omnia pronuntientur, cùm inenarrabilia ſint judicia Dei, 254. b. Judicia Dei ſemper confitenda ſunt recta, 302. b. 348. c. multi in adverſis ea accuſant, 348. e. in iis, quæ nos injuſtè pati querimur, juſta ſunt, 323. d. puræ conſcientiæ ſunt jucunda, 278. a
Judicium Dei in terris, quo juſtis poſt mor-

mortem vita, & impiis pœna decernitur, extremum præveniens, 126. b. c

Judicii diem dicitur Pater scire, quia eam Filio revelat, 1031. a. & Filius nescire, quia eam tacet, 1032. b. Cur eam Pater in potestate sua posuerit, 1034. c. Quòd illam nesciat Christus, tacendi dispensatio est, 1034. a. Judicii diem non nesciens Christus nescire dicitur, ut possit esse absconsa, 1028. d. Cur absconsa sit, 1028. e. 1029. a. Judicii diem non ignorat Christus, cujus in se tempus est, & quæ per sacramentum dies ejus est, 1023. e. Judicii æterni desperatio hominem in vitia immergit, 147. e. Ejus prædicatione offenduntur sæculi reges, 395. b. Judicii terror Constantio incutitur, 1257. a. Judicii Dei memoria non debet abire, 284. e. ad pænitentiam excitat, 40. c

Judicii novissimi locus, 731. e. Judicii & resurrectionis ordo, 24. c. Christi adven- ... prævenient Moyses & Elias, 710. a. Quorumdam opinio de Enoch & Jeremia, 710. a. Omnem carnem assistere ante tribunal Christi necesse est, 114. f. Judicii futuri divisio, 139. a. Judicium erit de iis qui inter pios & impios, inter peccata fidemque, medii sunt, 24. f. 126. c. Cur de aliis non erit, 25. a. Quale adversùs ignorantes & eos qui ex scientia peccant futurum est, 880. a

Judicium Dei significatur in vultu, 514. b. Judicii Dei severitas arcu significatur, 124. e. Judicium Dei quàm tremendum, 261. a. Desiderium ejus desiderare, est eam innocentiam postulare, cui jam non tremendum sit, 261. c. In judicii severitatem Maria ventura est, 261. b. In judicio subeundus est ignis indefessus, & gravia expiandæ à peccatis animæ supplicia, 261. a. Quî gentes Judæos judicabunt, 673. d. Judicium iniquorum fiet ex comparatione justorum, 50. c. e. Iniqui in judicio confundentur pudore dedecoris sui, & comparatione honoris alieni, 91. c. Qualiter Christum in carne visuri sunt universi, 816. e. Iniqui non occurrent cum sanctis obviàm Christo in nubibus rapti, 233. b. resurrectione confusi, ab occursu Christi repulsi, in inferna revocati, 233. c. In judicio iniquos ignis auferet, ne Christum contemplentur, 125. a. Judicii ignis, 616. d. Judicii conflagrationi iniqui concrematione præparantur, 616. b. Judicium de diabolo, 306. f. & seq. a

Jugum legis, & jugum evangelicæ sanctificationis, 31. d. e. Jugum Christi, 433. b. unde grave, unde mulceatur, 693. a. b. unde suave, 667. b. Illud à juventute subiisse expedit, 251. e

JULIANUS Cæsar, 1225. c

Juliopolis, 1324. d

JULIUS, 1186. e. 1295. a. 1338. a. appellatur consacerdos, 1284. c. per presbyteros suos & per epistolam Orientales Romam vocat, 1290. e. 1284. c. Litteræ ei ex Ægypto omni atque Alexandria scriptæ, 1329. a. Directa ei Sardicensis epistola, 1290. a. Julius cur non interfuerit Sardicensi synodo, 1290. c. deponitur, 1319. e. cur, 1321. c. d. e. Ursacio & Valenti veniam impertit, cur, 1296. b. 1299. a

JULIUS Thebeept. 1293. a

JUNIOR, 1338. a. *not.* e

Junior David senioribus prælatus, 350. c. Junior populus emens primogenita senioris, 350. c. & seq.

Jurandi religio ex veritatis cognitione suscipitur, 323. c. firmatæ scientiæ res est, 323. b. Jurandi religione opus non est in fidei simplicitate viventibus, 628. a. Jurandi consuetudo cur in lege permissa, & in Evangelio vetita, 627. e. Jurans in Christum ut in Deum verum, sacramenti hujus religione laudandus, 155. f. Juratur Christus omni credentium ore Deus verus, 871. c. d

Justificationes & justificationum via inter se differunt, 266. c. Justificatio, opus rei justæ, 295. f. Nil accidit nisi ex justificatione Dei, 295. f. Justificationes cælestes in terrenis præformatæ, 293. e. 295. g. Justificationum cælestium efficientiæ, 283. c. Justificationes legis sanctarum justificationum umbram in se continent, 266. f. ingentem in se habent futuræ spei meditationem, 255. c. Justificationes Dei legis umbrâ obductæ, 353. c. Quid opus sit ut noscantur, 353. c. Justificationum lex quî religiosi cordis disciplinis contineatur, 271. e

Justificationes in observandis singulis officiorum generibus sitæ sunt, 249. a. plures sunt & diversæ, 249. a. Qui non omnes tenet, justificationem Dei non tenet, 249. b. Ad custodiendas justificationes adjuvandi per gratiam Dei dirigendique sumus, 249. a. Justificationum scientia Dei munus est, quod precibus ab eo petendum, 253. e

Justificari in conspectu Dei nemo vivens potest, 547. f. 548. a. Justificationis gratia, 577. b. ex uno in omnes abundavit, 137. d. Justificatio fidei, 137. c. Justificatio per veram Dei Patris & Domini nostri fidem maximè nobis erit probata, 249. c. Justificatione fidei latro salvatur, 749. b. Fides sola justificat, 646. d. Justificatio ex fide nulla, si hæc ambigua sit, 631. b. Justificatio spiritûs, 1087. e. 1088. a

JUSTINUS, 1346. c. 1349. b

Justitiæ encomium, 336. d. Justitia Christus, 74. b. Justitia Dei suavitatem quî moderetur, 566. e. Justitia Dei misericors, & misericordia justa; non sic hominum, 567. c. Justitiæ proprium officium est colere Deum, 1366. a. Justitiæ sitis quid, 622. b

Justitiæ cognitæ laus Deo reddenda, 250. a. Justitiæ cognitæ fructus, justificationum observantia, 250. b. Justitiæ sermo communis, non studium, 123. a. Justitiam velle hic erit fructus, ut fiat, 63. f. Justitiæ opera, sine Dei misericordia, non sufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, 81. a. Justitiæ voluntati misericordia Dei indulget humanarum demutationum vitia, 81. a. Justitia ex fide consummatur, 661. e. Justitia anterior in injustitiæ tempore amittitur, 67. b

Justus ex lege nemo, 648. c. Justorum triplex status, 7. d. Justorum vita per justitiæ operationem probabilis, 81. a. Justus numquam sine metu, 501. b. per multam Dei curam multiplicatur in animæ virtute, 501. c. Justis mala promta sunt ad metum, sed non eis admixta, 99. c

Justis non est promissa benedictio terrena, 426. b. sed spiritalis, 426. e. & seq. Justi multiplex tribulatio, 307. f. 406. c. Hanc non rogat à se abesse, sed ut ferre possit, adjuvari, 308. a. Quæ ei tribulatio periculosa, 371. d. Justi in ærumnis positi quî resistant opprobriis impiorum, 296. a. Unde eis inter calamitates fiducia, 99. a. 155. c. Justorum arma adversùs diaboli conatus, 314. d. e

Juveniles anni Deo sunt dicandi, 354. a. Juvenis Deo mancipati prærogativa, 251. e

L

LAbia iniqua à lingua dolosa quomodo differant, 371. d. & seq.

Labores fructuum comedere quid, 425. c

Lac coagulatum, 296. c. Lacte non indigere profectus maximus est, 443. f

Lacrymarum officium in corpore est, sed eas quasi exsudat animi mæror, 1071. e. 1072. d. Per lacrymas rogandus est Deus, 149. b. Lacrymarum legatio ad obtinenda quæ Deus promisit, 115. c

Lacus quid denotet, 549. c

Lætatur quisque unde afficitur, 494. d. Lætitia vera ea est, cujus causa est honesta, 192. a. & quæ conspectûs Dei jucunditate perfecta sit, 192. c. Lætantium hîc & patientium vicissitudo post hanc vitam, 396. d

LAMECH pœna, 701. b

Lamphania, 1323. c

Laquei & scandali discrimen, 541. a. Laquei bestiarum, 400. d. Laquei animarum, 400. d. In laqueo diaboli nullus est, qui non priùs peccaverit, 400. f. Laquei nobis ubique adjacent, 327. f. 529. a. 540. f. Orandus Dominus, ut ab his evolemus, 529. b

Larissa, 1293. b

Latina translatio græcum non satis expressit, 269. c. 270. d. 273. d. 334. e. non explicat proprietatem verbi græci, 349. f. magnam intulit obscuritatem, 524. b

Latro martyr martyrii munus statim accepit, 183. c. Ejus confessio ac præmium, 1058. a. b. Latro in paradiso, ibi est ubi Christus est, 21. b. in possessione scilicet regni Dei, 21. a

Latus. Liberius majorum traditionem secutus *è latere* suo mittit presbyteros, 1327. b. Eusebius salutat cunctos *lateri* Gregorii adhærentes, 1357. a

Laudocia, 1326. a

Laus universa ex rerum admirabilitate proficiscitur, 229. e. præstat benedictioni, 469. b. Laudis humanæ instabilitas, 631. b

Laudandi Dei quæ causa rationalibus proposita, 589. d. prima ratio est ipsius infinitas, 565. a. Aliæ eum laudandi rationes, 565. d. & seq. Laudare Dei opera proprium est duarum generationum, 565. c. Ad laudem Dei cur creata omnia invitentur, 229. c. 230. e. Qua ratione eam cuncta celebrent, 588. d. 589. a. c. 591. e. Laus Dei quî ab Abraham cœpit, 565. b

Laudis sacrificium, 154. c. ex operum sanctitate descendat, 154. d. Non tam laudamus Deum voce, quàm re & gestis obedientiæ, 576. c. Laudibus Dei mutum esse quanta miseria, 494. c. Laus Dei publica & constans sit, 179. f. Laudandus est ob Apostolorum & Martyrum constantiam, 180. a. Laudes Dei publicæ ac divina officia, 174. d. Laudatur in Filio Pater, & Filius in Patre, nec differt quis ex duobus laudari existimetur, 563. f. 815. c. Hæc clarificationis vicissitudo non ad divinitatis profectum pertinet: quò pertineat, 815. c. *V.* Benedictio.

Lectio pia quantum dilatet cor, 282. b. Lectionum dominicarum mensa, 428. b. nihil proficiet iis qui in bonis operibus non versabuntur, 428. c. Inter lectiones sacras vitiorum consuetudo subrepit, 493. c. 482. e. Hinc illarum contemtus oritur, 482. c. d

Lector non debet præpropere de auctoribus judicare, 1154. a. Lector optimus intelligentiam ex dictis exspectat, non imponit; nec affert, sed refert, 777. a. Sensus dictis magis applicandus, quàm sensui dicta, 513. c

Legatio lacrymarum, 115. c

Legati Julii ad synodum Sardicensem, 1290. d. 1292. b

Legati à latere, *V.* Latus.

Legislationi debebatur Evangelii privilegium, 652. c

Leo ferarum omnium terror, 450. a. dormit intrepidus, 450. b

LEO diaconus, 1290. d

LEONAS Comes, 1248. a

LEONTIUS, 1349. c

LERENIUS, 1293. d

LEUCADAS, 1325. a

Lex veluti naturalis quid doceat, 334. b. Lex primi hominis voluntati proposita, 659. e. Leges sæculi aliæ, aliæ Dei, 324. d. Lex est Domini, & lex est peccati, 246. c. Legem decernenti lex non affert necessitatem, 77. d. Legibus naturæ non subjacet à quo legem omnis natura sortitur, 1031. d

Lex Dei die ac nocte meditanda, 19. c. Quî

id possit fieri, 20. a. Legis operibus Deus est intelligendus, 176. e. Lex debet esse in ore, in mente, in corde, in manibus, assiduè & cum dilectione non communi, 282. f. & seq. Legis meditatio simul & operatio, bonorum æternorum est præparatio, 264. d. Legi Dei non timore sed amore parendum, 19. d
Legem, justificationem, præceptum, testimonium, judicium, unum & idem esse plures malè existimant, 242. b. Lex in commune dicitur præceptum, judicium, justificatio, testimonium, 245. e. f. Quid in his speciale, quod propriam habeat legis nuncupationem, ibid. f
Legem à Deo patre se accepisse jactant Judæi, cùm per Angelos de manu mediatoris acceperint, 200. d. In Legis traditione terror ignium, tonitruum &c. Angelorum ministerium ostendit, 201. c. Lex à Christo mediatore per Angelos suscepta, 867. b. 196. a. 499. b. Legis latæ Deus non est alius ac universitatis Dominus, 578. e. Lex & Evangelia unius ejusdemque sunt, 678. c. unius sunt Spiritûs, 1002. a. Legis veteris ac novæ unus lator, una fides, 200. c. unus Deus, 195. a. 500. a. unus mediator, 852. e
Lex à Moyse scripta, 28. a. b. traditionis subsidio eget ut intelligatur, 28. c. Quî conservata sit à Moyse profecta illa traditio, 28. a. Legis libri quinque, 681. c. Legis libri vocantur, Psalterium, 166. a. liber Judith. 409. c. Vide ibid. not. c. Lex justificationum quibusdam religiosi cordis disciplinis continetur, 271. e. Legis est ex necessitate obedire, 326. d. Legis sacrificia quomodo necessaria, & non voluntaria, 100. d. Lex sacerdotii in Lege, 368. e
Legis opus, mola, 733. d. Confidenti in lege difficilis cæli aditus, 704. e. Lex opem ferre non potest, 648. c. 651. b. Legis sacrificia ad salutem infirma, 648. c. Nemo ex lege justus, 648. c. Lex non fuit salutaris, opere vivificans, sed non justificans ex fide, 92. a. Legis præcepta prætermissa culpam habebant, & gesta sub futurorum fide proderant, 235. c. Lex per umbram futurorum sancta, & per cognitionem futurorum convertens animas, 246 c. Legis antiquæ viris ad evangelicam doctrinam imbuimur, 357. c. Legis amor quantus in David fuerit, 316. f. & seq. Spiritalis ei fides erat, cùm legis officia corporaliter exsequebatur, 441. b. Legem Judæi nesciunt, 317. e. cur, 318. a. b
Lex non efficientiam continebat, sed meditabatur effectus, 726. b. Legis justificatio evangelicæ justificationis fideique pædagoga, 313. f. Legis mandata plus significant quàm agant, 363. a. Legis sacramenta tempus evangelicum præfigurant, 862. e. & seq. 864. e. In ritibus veteris legis latet quid magnum, 339. e. Legis gesta umbræ sunt futurorum, 490. d. Quænam lex variis gestis adumbrarit, 259. c. Legis opus quodnam fuerit, 662. e. Legis forma in Johanne fuit, 662. e. 680. a. Lex ob infidelitatem populi veluti clausa carcere continebatur, 662. e. Lex ad Evangelia quomodo suos mittat, 662. f
Lex veritatis umbra, 704. c. umbra & speculum futurorum, 245. f. & seq. 248. d. 259. b. 267. a. 723. b. evangelicorum gestorum umbra, 195. d. 205. e. veri æmula, 865. b. mysteriis suis apostolicæ doctrinæ veritatem præfigurabat, 865. a. præformabat æterna, 359. f
Lex in Evangelia credituris pædagoga, 313. e. pædagoga nobis est in Christo, 319. c. legem evangelicam continet, 319. c. posita est in fidem eorum, quæ in Christo erant revelanda, 624. d. fide potiùs utilis fuit, quam effectu, 235. b non ipsa veritas, sed in ea meditatio veritatis, 235. b. speculum est eorum, quæ in Christo implenda erant, 235. b. d. Ex lege est Christi ortus & regni Israel pollicitatio, 670. d
Lex in fidem evangelicam suos nutrivit, 709. b. plebem sibi subditam Christo quî nutrierit, 649. c. Christum ei indicavit, 650. d. ipsis gestis Verbum carnem prænuntiavit, 109. a. semper dixit Christum venturum, 747. d. Dei unigeniti adventum testantur omnia legis mandata, 364. a. omnia legis testimonia, 318. a. lex omnis, 340. e. 723. e. 724. e. Lex veluti sedes & thronus Christi, 726. c. in Christo sanctificabatur, 726. c. Christo adveniente inutilis est, 726. c. Ornatus altarii atque templi futurorum speciem de decore fingebat, 726. b. Lex, prophetæ & Evangelia per Dei Spiritum idipsum sunt, 676. e. Legis temporibus gentium salus est inchoata, 207. a
Lex vitæ initium, 313. f. Ex initiis Legis defluxit doctrina Ecclesiæ, 207. e. Legis supplementa sunt Evangelia, 201. d. Legis infirmitas quî à Christo suppleatur, 641. a. Legis onus evangelicæ libertatis scientiam non adeptis, 225. d. Legis difficultates & onera, 665. c. per Christum laxata sunt, 665. c. Lex per solum Christum poterat impleri, 617. b. Legis meditatio in Christo perfecta, 723. b. Legem excessit Christus profectu, non abolitione, 625. d. Legis opera quomodo ad omnes pertineant, 176. f
Lex umbra: evanescit ubi veritas contigit, 689. c. Lege dissipatâ tempus Evangelii fore est prædictum, 340. c. Legis finis, Ecclesiæ initium, 681. a. Lex quomodo jam veritas facta sit, 351. b. Legem legente & nesciente Judæo intelligit Christianus, 317. e. Lege cessante, in Dei bonitate salvamur, 668. d. Legis opus jam inefficax ad salutem, 616. b. 640. d. Quanto legis amore Apostoli detinebantur, 706. e. Legis præcepta à nobis mutata conviciantibus Judæis quid respondendum, 200. c. d. Legis assertor antichristus, 732. e
Lex oris Dei propriè lex est Christi, 296. f
Lex Christi indefinitè bona, 297. a
Legis peccati chirographum, 990. d. Legi mortis & peccati obnoxia est caro nostra, 257. b. Legem peccati in Christo exserebant sæculi potestates, 218. d. id est, peccati pœnam, seu jus mortis, 218. f. Legem mortis Christus egressus est, 193. c
Legibus Ecclesiæ subditi arguuntur, quòd velint fori legibus judicare, 19. a. Legum multiplicia nomina vide infrà *in Indice glossarum.*
Liber viventium alius à libro justorum, 227. c. Plus est in libro justorum scriptos esse, quàm de viventium libro non esse deletos, 227. e
Liber Dei, memoria æterna, 521. b. In libro Dei præstat scribi, quàm in libro viventium, 521. d. Scriptis in libro Dei dies plena sine nocte, 521. e. & seq. Scriptorum in libro Dei certus est numerus, 522. f
Liber à vitiis duplici ratione captivum se potest profiteri, 411. b
Libera voluntas Filii, 1017. a
Liberum voluntatis arbitrium quale in Adam, 659. e quale in posteris, 660. a. Libertas unicuique permissa est eligendi quod volet, 366. b. Libertatem vitæ sensûsque Deus hominum unicuique permisit, 34. e. Libertas voluntatis cessat post hanc vitam, 81. c. Dives per libertatem voluntatis in Abrahæ sinibus esse potuisset, 81. d. Libertas voluntatis quomodo infidelitati adjaceat, 642. a. b
Libertati subditorum excubare regum est, 1119. a
Libertas Ecclesiæ, 89. e. Libertas nostra mundialium negotiorum vinculis non est inserenda, 406. c. Libertas Dei in ea servitute, quam debemus omnibus, est retinenda, 66. d. Libertas religionis ac fidei postulatur, 1219. b. Libertatis fidei nostræ adversarii multi, protector Christus, 405. d. Vincula quibus impeditur, 406. c
Liberator unus Christus, 92. d
LIBERIUS pacis sinceræ amans, 1330. a. majorum vestigiis constanter adhæret, 1331. c. cur pacem suam petentibus Orientalibus neget, 1331. d. Quidam confingunt eum litteras suppressisse, 1330. c. Orientalium litteras Concilio legit, 1330. c. Illis non assentitur, repugnantibus 80. episcoporum Ægyptiorum litteris eodem tempore acceptis, 1330. d. Litteræ ei ex Ægypto omni atque Alexandria scriptæ, 1329. a. Liberii ad Orientales epistola, 327. a. falsa probatur, *ibid. not.* a
Liberii ad Constantium epistola per Luciferum missa, 1328. b. Liberius iterata satisfactione Constantium placare non valet, 1329. c. Illius sermone ad populum misso plurimùm laceratur, 1239. d. ab illatis criminibus se purgat, 1331. b
Liberii ad Constantium legati Lucifer, Pancratius & Hilarius, 1333. a. Liberii epistola ad Confessores in exsilio con[illegible] tutos, 1333. b. Iis gratulatur, 13[illegible]. c. Dolet se ab eorum consortio esse separatum, 1333. e. Pro se orent rogat, 1334. b. Gesta Mediolani ab ipsis rescire cupit, 1334. b. Liberii mæror de Vincentii Capuensis lapsu, 1334. d. & seq.
Liberii epistola ad Orientales, qui in sanctum Athanasium injustam tulere sententiam, 1335. b. Negat se Athanasium defendere, 1335. c. Quòd eum antea defenderit se excusat, 1336. a. Eum à communione sua removet, 1336. a. 1338. b. & de condemnatione ipsius litteras dat ad Constantium perferendas, 1336. a. Sirmiensi perfidiæ sibi à Demophilo expositæ subscribit, 1336. b. *not.* n. Liberii ad Ursacium, Valentem & Germinium epistola, 1338. a. Liberius cum Orientalibus pacem habet, 1339. c. 1340. a. necnon cum Auxentio & Epicteto, 1339. c. Litteris ad Constantium per Fortunatianum missis Romam remitti rogat, 1339. b. Idipsum ab Orientalibus postulat, 1339. c. Liberii de exsilio ad Vincentium epistola, 1339. d. Urbicum sibi ereptum dolet, 1340. a. Exsilii maximo tædio afficitur, 1340. c. Liberius apostata, 1336. c. prævaricator, 1339. d. Anathema ei dicitur, 1336. c. 1337. a. 1339. d. Româ relegatus, non minore forsitan impietate eò est remissus, 1247. a
Liberii ad episcopos Italiæ epistola, quâ propugnat ignoscendum esse iis qui Arimini per errorem deliquerint, 1357. b
Ligandi ac solvendi potestas Petro ceterisque Apostolis data, 211. c. 700. c
Lignum vitæ, sapientia, 21. a. Lignum vitæ quatenus Christus sit, 21. b. 22. b
Lilium quomodo ex se efflorescat, 635. a. æmulatur virtutem angelicæ substantiæ, 635. b
Linguæ periculosus & promtissimus lapsus, 536. c. Ori ostium & sera apponenda, 536. d. Linguæ officium, 72. c. Quî lingua dicatur injustitiam cogitare, 72. d. quî novacula dolum faciens, 73. b. Discrimen inter labia iniqua, & linguam dolosam, 371. d. & seq. Linguæ homicidæ gladii & spicula, 159. c. Lingua stulti, & lingua sapientis, 72. e Linguis maximè tribus Evangelium prædicatur, 9. c
Lisicia, 1323. e
Lites etiam cum damno vitandæ, 629. b
Litteram Scripturæ amantibus morem gerit Hilarius, 113. a. 128. a
Litterâ non egent, qui Spiritu abundant, 1187. b. Littera postulatur, ubi sensus conscientiæ periclitatur, *ibid.* c
Litteræ ecclesiasticæ, 1328. b. Litteræ ecclesiastici sermonis, 1149. a. Litteræ falsæ ab Arianis suppositæ, 1285. e
Lizia, 1325. b
Locis non continetur Deus, 416. e. 457. a. Fortè nequaquam creditur esse, qui nusquam est, 416. f. Loca ex sanctis habitatoribus sanctitatis quidpiam mutuantur, 654. e
Locustæ quos significent, 615. b
Luca, 1292. e

Lucernæ & luminis propria officia, 323. a. Lucerna unicuique, verbum Dei, 322. d. Ecclesiæ, Apostoli, 322. d. Judæis & gentibus, Johannes, 322. e. Lucerna præceptorum, 322. a

Lucifer, 1140. d. Sardiniæ episcopus, 1223. a. Liberii legatus ad Constantium, 1329. b. 1333. a. exsul, 1238. b. similitudinem Filii ad Patrem prædicabat, 1206. c. 1207. c

Lucius, 1346. c

Lucius à Bap. 1325. d

Lucius ab Hadrianopoli unde ab Arianis accusatus, 1313. b. Idem fortè qui subscribitur, *Lucius à Caynopoli*, 1293. a

Lucius de Verona, 1293. a

Lucius urbis Romæ presbyter, 1327. b

Luctûs affectus in fletu, 228. e. Cui luctui promissa consolatio, 621. a

Lueto, 1325. b

Lugdunum, 1293. d

...dunensis prima & secunda, 1149.

Luminis naturæ unitas est, 886. d. Lumen ex lumine nec divisione separabile est, nec genere naturæ, 937. a. Lumen ex lumine Filius secundùm sensum hæreticum, 885. e. secundùm sensum catholicum, 886. a. Luminis Dei quomodo participes evadamus, 347. a Luminis consequendi præparatio est satio ac messis bonorum operum, 244. e. Lumen sunt Apostoli & Prophetæ à luce illuminati, 187. a. Illuminari se precantur, ut Christus gentibus innotescat, 186. d. Huic negotio impares sunt, nisi illuminentur, 187. a

Luna quid possit in humana corpora, 382. d

Lux nostra Dei munus, 186. b. Lux singulis actibus nostris præferenda, verbum Dei, 321. f. Lux verbi Dei ne in nobis inutilis maneat, 322. a. sed nobis primùm, tum etiam aliis semper ardeat, 322. c

Luxu dissoluti dæmonum sunt habitatio, 664. a

Lybia arenæ, 916. c

Lydia, 1172. c

M

Macarius Semiar. 1349. c

Macarius Athanasii presbyter, 1286. c. 1287. a. b. Illata ei crimina, 1295. a

Macedonius episcopus atque confessor à Mopso maleficiorum libros combussit, 1322. a. Is ipse videtur esse, qui subscribitur *Macedonius ab Amarquetias*, 1323. d. quique inter auctores Sirmiensis formulæ recensetur, 1338. a. necnon inter eos qui Arii hæresim damnare recusarunt, 1331. d

Macedonianos in libris de Trinitate non videtur Hilarius respexisse, 757. *& seq.*

Macedonius à Virito, 1324. b

Macedonius de Ulpianis, 1293. b

Magari, 1293. b

Magdalena. Vide Mulier.

Magdonius, 1349. b

Magi erant principes, 850. a. c. magicæ arti dediti, 850. a. professionis longè à scientia divinæ cognitionis aversæ, 613. a. *not.* b. cunarum sordes adorarunt, 802. a. Eorum ab Esaia & Psalmista prædicta adoratio, 850. a. Cùm venerunt ab Oriente, impleta est prophetia psalmis prædicta, 210. e. Confessi sunt in auro regem, in thure Deum, in myrrha hominem, 613. a. In homine mortis, in Deo resurrectionis, in rege judicii est cognitio, 613. b. *Vide pag.* 163. *not.* b

Magister, 1267. b. 1270. b

Magistri officiales, 1282. b

Magistri ab ipso conjugiorum usu abstinent, 163. c

Magnificetur Deus cùm dicimus, aut optandi nobis à Deo muneris vota sunt, aut percepti confessio, 234. a

Magnitudo non habet modum, 566. c

Maledico Quî Job & Jeremias diem ortus sui maledicant, 375. b

Maledicta non sunt, quæ conscientiâ publicâ tenentur, 1247. b

Malignitas desæviens, 124. c. Malignum animum malevolentiæ studium absistente mali operis occasione non deserit, 931. b. Maligni viri præsentia multùm obest vacare Deo volenti, 332. b. Malignos à se repellit Propheta qui fidei suæ adversentur, non qui ex naturæ infirmitate mali sint, 331. d. *& seq.* a. *not.* f

Malitia per conditionem communis originis omnibus adjacet, 331. d. Apostolis ipsis verbo licèt jam fidei emundatis atque sanctis non abest, 331. e. Malitia bonitati prælata, 73. d

Malum ex se nihil, sed ex vitio humano, 221. d. Malum homini nihil nisi suâ culpâ, 730. e. Infirmitas nostra efficit, ut malum esse id quod patimur existimemus, 323. e. Mala ex hominum opinione, 383. b. Mala vera à quibus fideles protegit Deus, 383. c. Mala omnia in eos qui inferunt revertuntur, 99. b. Mala Deus non malevolus excitat, *ibid.* Quî ea ordinet Deus & ad ultionem iniquorum, & ad merita justorum, 99. b. Mala in omnes statuta: sed à justis aversa, in iniquos convertuntur, 99. c

Mali abstinentia non habet laudem, nisi illam boni operis gloria consequatur, 564. e

Mali dæmonum instrumenta, 527. f. Malos intelligere non omnium est, 720. f. Mali ut bonorum, ita Dei declinant præsentiam, 85. d. *V.* Iniqui.

Manassis nomine quid indicetur, 139. d

Mandata Dei omnino ignorare quanti periculi res sit, 263. b. Mandatum quid, 246. c. 255. d. per observantiam sui illuminat, 246. c. d. Mandatum caritatis lucidum, cujus lumine alia absconsa revelantur, 260. b. c. Mandatum principale Israelitis, ut unum Deum crederent, 836. b. 922. e. Mandatum Dei cur latum, 315. c. Mandata ad id data, ut omnibus salutaria sint, & æternitatem pariant, 366. d. quomodo hæreticis ac Judæis nihil prosint, 317. d

Mandatorum via ab institutione sæculi trita, 273. e. *& seq.* Mandatorum semitam sine duce non possumus aggredi, 274. b. Dux noster in ea Christus, 274. b. In mandatis Dei hoc gloriosiùs quisque permanet, quòd naturæ suæ infirmitas inimicis suis pæne sit subacta, 308. d. Nulla sunt negligenda, 249. d. Ab eis vel leviter declinantem maledictionis sententia comprehendit, 263. b. Non sufficit ea complere, nisi adsit & mentis devotio, 248. e. f. Non est hîc perfecta eorum custodia, 259. a. Mandata in cælis sunt pro Angelorum diversitate diversa, 260. d. ab iis perpetuò custodita, 260. e

Manichæus, 1230. c. diaboli quantum in se est professus assertor, 884. b. solis sui nescius cultor, 884. c. legem & prophetas improbat, 884. b. de Christi nativitate quid senserit, 884. c. partem unius substantiæ Natum Patris exposuit, 833. c. 881. c

Manichæi, 790. c. Tangitur eorum doctrina de tenebris Deo coævis, 1199. a. de vitio in rerum creaturis, 221. d. de natura & necessitate peccati, 123. d. Vitium referri nequit ad originem ex principio malo, 123. d. Non inest in naturis hominum necessitas aliqua peccati, 219. d. Falsò eos alium legis & Evangeliorum Deum asserere, 500. a. 199. b. Legis veteris sacrificia non spectantur quasi abominanda, 154. d

Mansiones quid sint, 270. e. *not.* e. 271. a. *not.* a

Mansio Nicææ, 1346. c

Mannæ ministri Angeli, 196. a. Qui mannæ in Sina fuerat indultor, idem nobis panis cælestis est largitor, 196. b

Mansuetorum proprium est, ut digni apud Deum sint nuncupatione, numero, claritate, 578. b. c

Manûs nomine operis effectum Scriptura frequenter significat, 382. b. 393. b. 434. e. Manuum extensio habitum orandi, elevatio excelsi operis efficientiam significat, 535. d. e. Manuum elevatione non habitus orandi, sed excelsum opus significatur, 154. a. In quo sita sit illa manuum elevatio, declaratur, 466. d. Manuum impositione dæmonia torquentur, 168. a. Manuum impositione & precatione gratia gentibus danda, 701. a. Manus lavare in sanguine peccatoris, 125. e

Manus Dei Christus ut Deus, 558. b. Manus Patris ac Filii, 931. a

Marcellus, 916. *not.* m. 1284. a. c. d. 1285. e. 1286. b. 1292. a. e. 1314. e. 1315. c. e. 1316. f. 1318. e. 1319. e. Quam ei doctrinam attribuant illius adversarii, 1308. b. *& seq.* 1310. c. 1319. b. Constantinopoli est damnatus, & sententia adversùs eum conscripta in archivo Ecclesiæ condita est, 1309. b. d. Marcellus à Protogene anathematizatus, 1317. d. cùm apud suos hæreticus haberetur, peregrinationis auxilia requisivit, 1310. c. pravos sensus occultavit, 1310. c. Marcello ab exsilio redeunte quid passa sit Ancyra, 1313. a. Marcelli opinio de Christi subjectione & regno, 1095. *not.* d. Liber ejus dicitur apertè hæreticus, 1315. e. Erroris est expers, 1287. d. Marcellus innocens declaratur, 1289. b

Marcellus occasione libri, quem de subjectione Christi edidit, ab Arianis damnatus, 1300. b. post recitationem ejusdem libri à Sardicensi synodo episcopatui est redditus, 1299. a. Librum hunc habet Hilarius, 1299. a. Nulla alia synodus adversùs eum fuit contracta, 1299. c. Marcellum Athanasius à communione sua separat, ante quàm Photinus arguitur, 1299. a. *not.* d. Tum ipse se ingressu ecclesiæ abstinet, 1300. c. 1301. a. Quî illius tamquam Photini magistri mentionem callidè faciunt Orientales Sirmio rescribentes, 1299. c. & Athanasium abnegatæ ei communionis reum esse rescribunt, 1300. c. Marcellus Verbum Dei cùm legit, nescit, 1230. b

Marcellus Liberii ad Constantium legatus, 1334. e

Marciarce, 1293. b

Marcion, 1230. c. quo Scripturæ loco hæresim suam confirmet, 1198. f

Marcionitæ, 790. c

Mare unde admirabile, 230. a Mare internum & externum, 166. a. Internum est Mediterraneum, & externum Oceanus, *ibid. not.* g. Maris æstus, dimensæ vicissitudinis motus, 1140. c

Mare, sæculum, 167. c. Maris fundum dæmonia, 167. d Maris profundum, mortis sedes, 217. c. sedes inferni, 229. e. In mari rubro salus religiosorum, & pœna impiorum, 566. f. *& seq.*

Mareota, 1324. d. Nulla apud Mareotam ecclesia, 1294. b. 1295. b. Mareotam directi in Athanasii causa, uno excepto, Sardicæ adsunt, 1316. e

Marcus beatissimæ memoriæ, cui Osius semper est adversatus, 1321. d

Marcus Aret. 1323. e. 1338. *not.* d. à conventu electus fidem dictat, 1363. a

Marcus de Fissia, 1293. d

Margaritæ plures, & una pretiosa, 248. c. Margaritæ inutiles, uni pretiosissimæ recipiendæ impedimento sunt, 1211. c. 1212. c

Maria ex Abrahæ genere, 610. b. mater Domini secundùm carnem, 450. a. Christi corpori originem non dedit, 1045. c. ex ipso Verbo Dominum progenuit, 420. e. *not.* k. perfectum hominem ipsa de suis non imminuta generavit, 818. a. sine elementorum nostrorum pudore, 818. a. non suscepit quod edidit, 817. e. tantum ex se dedit Christi corpori, quantum solent feminæ, 1045. a. 1046. a. 1047. a. non nisi ex Verbi Spiritu

Index rerum & sententiarum.

tito genuit quod genuit, 1045. a. Mariæ virginitas asseritur, 611. d. Acriter refelluntur, qui hanc ei gloriam post partum negant, *ibid & seq.* Maria non erat uxor Joseph, 612. b. post partum in conjugem recognita, *ibid.* c. Maria capax Dei virgo in judicii severitatem est ventura, 261. a
MARIÆ unctrices Christi, 463. a
MARIUS, 1284. b
MARSI, 124. a
MARTHUS, 1338. a
MARTIALIS, 1349. b
Martyres, ut ceteris sanctis celsiores, collibus designantur, 171. b. Martyrum tormenta non timenda, 1240. b. Martyrum tentationes à parentibus, fratribus *&c.* 350. c. pœnæ & victoriæ, 180. c. 181. a. Ignem saltu devotæ festinationis insiliunt, 180. f. In profundum demergendi, non in aquas necaturas, sed in refrigerium æternæ beatitudinis decidunt, 180. f. Martyres se Deo vovent & imitatores suos, 181. e. *&* 183. c. cum hymnis & canticis mortem oppetunt, 1065. c. Populi episcopos ad confessionis religionem comitabantur, 1240. d. Martyrum exemplo ad martyrium cucurrere fidei ignari, 183. c. Martyrum omnium sanguine Christus perfunditur, 748. c
Martyrii passio quoddam baptismum, 258. c. Martyria fidelium confessorum in toto terrarum orbe, 351. c. Eorum ærumnæ, 351. c. Eorum constantiâ digna vox, 351. d. Exhortatio ad martyrium, 1237. d
MARTYRIUS Arii hæresim damnare recusavit, 1331. d
MARTYRIUS Neap. 1293. d
MARTYRIUS subdiaconus, 1360. e
MATTHÆI vocatio, 648. a
MATHUSALÆ anni an ætatem diluvii excedant, 1199. b. *not.* a
Matutini hymni, 169. a. 1113.
Matutina misericordia, resurrectionis tempus, 549. d
MAXIMIANUS, 1242. b. 1243. a
MAXIMILLÆ antrum, 1246. c
MAXIMINUS Trev. in causa fuit ut Paulus Constantinopolim revocaretur, 1312. b. Athanasio communionem reddidit, 1295. a. cur pseudo-Sardicensi synodo damnetur, 1321. c. 1322. a
MAXIMUS, 1307. b
Mediator Christus in mundi creatione, 837 b. in traditione legis, 200. d. 201. a. Mediator unus & idem in legis latione, & carnis assumtione, 852. e. Mediator Dei & hominum Christus, 201. c. Quî officium illud impleat, 661. d. 956. c. 985. c
Medicamenta quædam medendis omnibus morbis idonea, 799. a. Medicamenta medicata à sapiente, 123. e
Medicus humani generis qualis esse debeat, 58. c
MEDIOLANENSIS ecclesia Christum Patri consubstantialem confitetur, 1267. a. Mediolanensis plebs piissima, 1246. c. Dolor ejus de perfidia sacerdotum, 1224. a
Mediolanensis conventus an. 345. aut circiter, 1331. d
Mediolanensis synodus anno 347. habita, 1296. a. 1298. a. Altera biennio pòst, 1296. a. Ibi damnato Photino epistolæ ad Orientales fiunt, 1300. b
Mediolanensis synodi an. 355. gesta, 1222. d. Ea à legatis suis in exsilium detrusis rescire cupit Liberius, 1334. b. Quæ in ea acta sunt videntur tangi, 1194. a
MEDI, 376. a
Meditandi materies, 548. c. Meditationis usus & officium, 255. e. Meditatio legis, 725. d. in tentationibus & ærumnis non est relinquenda, 313. b continua debet esse, 19. c. quî possit esse, 20. a. non solùm in verbis legendis est, sed & in operis religione, *ibid* Meditatio ante lucem quibus de rebus fiat, 354. c. d. Meditatio Dei nocturna & matutina, 154. e. Meditatio æterna justificationum Dei, 333. c
MEGASIUS, 1347. c. 1349. b. Hunc Galli à sua communione removent, 1355. b
MELETIUS apud Mareotam neque ecclesiam neque ministrum habuit, 1287. c. Meletii presbyteri ab Alexandro suscepti, 1287. b
Memoria Dei, 284. a
Memoriis sanctorum communicandum, 1257. c. Memoriis sanctorum mortui infideles non admiscendi, 644. b
Memoriæ adornatæ, 727. c
Memoriale, 478. b
MENOPHANTUS ex Ephreso, 1221. a. 1223. c. 1288. c. 1289. c. 1292. c
Mensa scientiæ, 224. f. *& seq.*
Mensa lectionum dominicarum, 428. b. In hac non proficient, nisi qui in operibus bonis versabuntur, 428. c
Mensa Domini, ex qua sumimus panem vivum, 428. b. idem Hilario est quod mensa sacrificiorum, *ibid. not.* h
Mendacium officiosum, 65. c
Mendaces, qui aut falluntur aut fallunt, 149. c. Mendaces in stateris, sub justitiæ nomine injusta peragentes, 149. c
Merces non operis sed misericordiæ quæ, 441. e. *not.* d
Meritum, 34. c. f. 345. c. 901. b. 909. b. 910. e. Merendi officium non excluditur, licèt præcipuus honor Dei misericordiæ debeatur, 550. f. *& seq.* a. b. Mereri cujus sit, 1094. c. Meritum voluntatis, qua bonos nos esse delectat, 87. b. Secundùm meritorum nostrorum differentiam Deus aut vigilans aut dormiens, 557. a. Merito fidei adest venia proclivis, 87. c. reservatur beata vita, 329. c. Meruit David animæ bona tum oris & cordis clamore, tum mentis puritate, 184. a
Meritum perfectæ beatitudinis unde nobis sit, 81. a. Meriti ratio est in electione, 721. a. Meritum ad gloriam, 484. g. Meritum non est, non ab se agere, 1015 c. f. Merenda est de nostro beata æternitas, 639. c. præsentis vitæ operibus, 621. d. Meritum adipiscendæ consummationis est ex initio voluntatis, 329. a. Ex merito præteritæ voluntatis excedentes è corpore aut quies excipit, aut pœna. 81. c
Merito fidei redditur gloria æterna, cujus tamen maxima causa est Dei misericordia, 484. c. Meritis suis non confidendum, sed Dei misericordiæ, 354. d. *& seq.* Misericordia Dei, non retributio hominibus est postulanda, 256. d. Merito suo fine Dei ope vitam æternam consequi homo non poterit, 303. a. Meritum non est nisi ex spe ac fide Christi, 331. c. Meritum præveniri à Deo, 280. b
Merendi post hanc vitam non superest locus, 81. b. Meritis alienis in adventu Christi nemo adjuvandus, 736. b
Meritum obedientiæ Christi, 96. b. 1008. c
Mesopotamia, 135. b. c. 1172. c
Metallica damnatio episcoporum in frontibus ecclesiasticis scriptorum, 1246. a
Metiri aliquid indicium est proprietatis, 139. c
MIGDONIUS, 1347. c
Mignenia, 1324. e
Militans in officio sublimis præfecturæ, 1361. c
Mileto, 1325. c
Militia cælesti protegebantur Judæi, 141. c
Militiæ nostræ stipendium, 1107. b
Minimi Christi, 738. f. Minimi omnium qui, 662. a. Minimum omnium, Domini passio & mors crucis, 625. c
Mirabilia quomodo Deus solus faciat, 485. c
Miracula Dei varia in mundi gubernatione. 472. c. Miraculorum patrandorum potestas in Christo unde sit, 650. a. 645. a. quî animæ Christi non attribuenda, 1072. e. Miracula Christi non alia efficit natura quàm Dei, 919. a. cùm nativitas divina omne opus suum sub ministerio assumti corporis exsequatur, 934. e. Quòd miracula in assumto homine Dei natura gessisse non intellecta sit, conquestio est, 941. a. Agamus potiùs quod vult Deus, quàm quod potest gloriemur, 639. c. Miraculum non minus est cæcorum visu *&c.* sublimis Johannis doctrina, 795. d. Miracula crebra ad sepulcra Martyrum patrata, 1243. a
Miserationes Dei modum humanæ opinionis excedunt, 360. b
Misericordiâ Dei egent omnes in carne siti, 290. b. 648. c. Modestæ fidei est illam non sine severitate intueri, 290. a. Misericordia Dei nobis ad vivendum causa, 890. e. Sine Dei misericordia nullus est nobis vitæ usus, 141. e. Misericordia Dei in peccati remissione in nobis est cœpta, 186. b. Misericordiæ Dei non incertus est Propheta, 394. e. Misericordiæ Dei protectionem sub velamento alarum divinus sermo significat, 143. e. Misericordia Dei in omnem terram diffusa, 293. d. omnibus promta est, sed servis Dei adsistit, 551. c. præcipuum est. Dei opus, 568. b. cur, 568. d
Misericordiæ Dei non est existimanda irrationabilis præstatio, 98. d. Illam tardè Deus ad tentationem fidei, 394. e [illegible] metus noster, sed fides eam promeretur, 159. b. Ab iis est speranda qui credunt, 118. a. Promerenda est studio innocentiæ, 345. c. Misericordiæ Dei, non suis meritis confidendum, 354. d. *& seq.* Illa à Deo postulanda, non retributio, 256. d. Misericors ira patrum in filios, & Dei in homines, 137. b
Misericordiæ est modus, & miserandi adhibenda justitia est, 538. a. Veniam præstare illicitis, non est misericordiam præstare, sed justitiam misericordiæ non tenere, 538. a. Misericordiæ iniquæ exempla, 567. d. Misericordiæ fructus oleo significatur, 630. e
MOAB generatio in Genesi à Deo maledicta, 140. c. post decem generationes sancto digna fit genere, 140. a
Mola, opus legis, 733. d. Molæ opus 698. c
Molæ leonum, 124. b
Morbi aliqui solo avium herbarumque quarundam visu sanati, 301. c. Morbi generis humani, 57. e
Mons, Christi corpus gloriosum, 62. e. Montes, Angeli atque Sancti, 404. c. d. Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli & Martyres, 579. f. prophetici libri, 379. a. angelica ministeria, 379. b. diabolus cum suis, 167. a. 166. b. *&c.* diabolicæ potestates, 556. e. Mons Domini, Ecclesia, 403. a
Montium excelsa quæque fanis, templis, sacrisque maculari queritur Hilarius, 62. e
Monstra ex naturarum diversitate, 924. b
MONTANA, 1246. b
MONTANUS omnium hæreticorum dux, 1309. a. per insanas feminas paracletum alium defendit, 1230. e
Montonis, 1293. e
Morenis, 1293. e
Moribus bonis præstat à puero imbui, 251. c
Mors in somno significari solet, 119. a. 198 a. Mortis sedes maris profundo designatur, 217. a. *&c.* Mortis causæ, 1042. c. Mors ex peccati lege consequitur, 153. d. Mortis lex quatenus invaluit, 77. d. Mors non interitus est animæ, sed discessio ejus à corpore, 160. d
Mortis Christi prophetia, 217. a. causa & ratio, 203. c. 204. b. Mors nobis pœnalis demutatio, unigenito Deo requies, 450. c. Mors ipsa in Deo moriente fiducia est, 205. a. Interitum suum, Christo moriente, mundi elementa senserunt, 813. b
Mortis sententiam Christus per mortem delevit, 774. a. b. Mortis nostræ decretum quomodo Christus absolverit, 204. d. 205. a. Mortis dolorem Christus moriens absorbuit, 744. f. Mors desiit post quàm in Deum est grassata, 221. f. Morte ab hominum genere depulsa, in auctores mortis æternæ mortis pœna decreta est, 222. b. Mortis Christi auctor quàm justè damnatus, 218. f. *& seq.* a. quas pœnas dederint Judæi, 206. e.

Mortis exitus Domini est proprius, 203. c

Mors sanctorum somnus, 420. a. Mortis metum aufert fides, 774. d. Mors à pluribus concupita, 374. e. Morte anima ab onere atque consortio infirmis & periculosæ carnis exuitur, 375. a. Mortem optat Propheta, 549. a. Non proderit exauditum esse, nisi beatis locis quieturus excedat è corpore, 549. b. Morientes fideles in sinu Abrahæ reservantur, donec regnum cælorum adeant, 383. e. Mors fidelibus consortium Christi acquirit, 370. f. & seq. Mors nostrorum spei communis est accelerata properatio, 371. a. Mortis tenuem tantùm libationem fidelibus futuram, 693. c

Mors vivorum est vivere luxui, somno &c. 399. b. Mortui Deo vivunt, 77. c. Mortuis bellum indicunt Ariani, 1257. b. Lex de mortuo non contrectando quid significet, 257. d. & seq.

M[illegible] & missus non unus est, 1165. c. Mittens in missum potestatem suam ostendit, 958. d. Missio non naturam, sed personas discriminat, 815. c. 860. c

Motus humani, 86. f

MOYSES propheta, dux, & lator legis, 84. e. sacrorum librorum scriptor, 768. c. quorumdam psalmorum auctor, 3. c. 2. not. f. Nec repugnat eum Samuelis nomen expressisse, 3. c. Moyses ex naturæ affectu Hebræi injuriam ultus est, 866. b. Deum paternarum benedictionum tum nesciebat, 866. b. quando Deum scire cœperit, 511. a. Per Moysen manifestari sæculo Deus cœptus est, 875. b. Moyses omnia cum Deo secretorum cælestium arcana cernens, 891. c. vetus Testamentum in litteris condidit, 28. a. b. secretiora legis mysteria LXX. senioribus intimavit, 28. a. sub velamento verborum communium ingentia sacramenta condidit, 196. c

Moyses Deum & Deum toto Operis sui corpore est professus, 840. e. An mortuus sit, 710. b. not. d. De sepulcro ejus Scriptura obscura est, 1199. b. Moyses à Christo æterni regni sui testis & consors reservatus, 87. c. cum Christo transfigurato visus est in argumentum resurrectionis, 694. a. Moyses & Elias in regno cælorum Christo assidebunt, 709. d. Christi novissimum adventum prævenient, 710. a

MOYSES compresbyter, 1298. c

MOYSIUS de Thebis, 1292. e

MUCIANUS, 1361. b

Mulier non una fuit quæ Dominum unxit, 463. b

Mulierculæ cur primùm resurrectionis Christi consciæ, 751. d

Mundus ab ornatu κόσμος, 770. b. fortuitis motibus constitisse à nonnullis asseritur, 17. d. Mundum aut ex fortuito concursu aut Deum opinantes refelluntur, 586. f. & seq. Cur nonnulli eum Deum dixerint, 175. d. Mundi nulla pars honore divino colenda, 587. a. Mundus non de temperatione & permixtione materiæ exsistit, 1132. b. non ex repentina Dei cogitatione, 1132. a. non ex partibus cogitationum, 1133. b. Omnia sunt ex nihilo, 898. c. Mundi auctor & moderator Deus, 160. c. Mundi contuitu Deum esse sentimus, 83. f. Mundi auctor incremento panum quinque innotescit, 682. d. Mundi quoddam systema, 487. not. a. c

Mundi præsentis spatium, 693. d. not. b. 708. a. b. Mundi istius sedes non est regio viventium, 257. c. Mundus omnis plenus insidiis, 540. f. 529. a

Mundi esse in hoc terreni & morticini corporis habitaculo non possumus, 258. a. b

Munera accipere quando licitum, quando vetitum, 67. e. & seq. Muneribus rerum iniquè partarum sanctum Dei onetatur, 1245. b

Mursa, 1326. c

Muris custodia spiritalis significatur, 108. b

Musicæ artis quatuor genera, 11. c. Musicum metrum psalmorum translatio græca & latina non conservavit, 13. a

MUSTACIUS, 1346. c

Mutuari volentibus non negandum quod mutuamur à Deo, 629. c

Mysia, 1172. c

Mysteria Christi neque promiscuè, neque imperitè incuriosèque tractare decet, 637. f. Mysteria secundùm Scripturas sunt explicanda, 1078. b

Mysteriorum divina sollemnia pro incolumitate regis, 1220. a

N

NAbla, 6. a

NADAB & Abiu mors ad absolvendas eorum animas profuit, 226. not. e

NARCISSUS à Neroniade, 1288. b. 1289. c. 1292. c. 1325. c. 1337. c

NATHAN Christi venturi propheta, 136. d

Nasci & cœptum esse, non idem est, 924. d. Nascentibus non alia, quàm originis suæ, forma vel virtus est, 1305. c

Nativitas quî à creatione differat, 1161. c. manentem testatur auctorem, 887. a. non potest non in ea esse natura unde nascitur, 929 a. non potest aliam, nisi ex qua subsistit, afferre naturam, 933. d. 876. a. 924. a. in naturæ ejus est virtute quæ genuit, 1085. b. rei ex qua nascitur nomen, naturam, potestatem & professionem complectitur, 925. e. non habet diffidentem originalis substantiæ diversitatem, 1163. d. Nativitas sola potest præstare naturæ æqualitatem, 925. b. Nativitas non erit, si naturæ proprietas non fuerit, 924. c. Nativitas ex diversis naturis diversitatem non infert, sed accipit, 924. b

Nativitas Dei filii humana nativitate illustratur, 936. a. & comparatione ignis, 936. d. exitionis nomine aptè significatur, 1002. f. Nativitatem nostram init Filius Dei, 97. d. Nativitatis Christi gloria, 802. a. Nativitas ejus temporaria in baptismo, 42. a. necnon per resurrectionis gloriam, 40. d. & seq.

Nativitates humanæ initium sui accipiunt tum per tempus, tum per causam, 1120. a

Naturam ex fortuitis motibus atque concursibus in aliquid exsistentem quidam venerati sunt, 767. e. Rerum incrementum secundùm naturam est, imminutio contra naturam, 986. b. Naturæ legibus non subjacet, à quo legem omnis natura sortitur, 1031. d. Natura famulatur beluis, 766. b

Natura non idem est, quod res naturæ, 960. e. Naturæ res est virtus, 1019. b. Naturæ veritatem præstat naturæ virtus, 856. d. Naturæ non est diversitas, ubi naturæ unum nomen est, 865. c

Natura hominis, 572. not. e. f

Natura in uno Christo duplex, 227. e. & seq. Naturam assumsisse aliud est, aliud est naturam esse, 505. e. Vide infrà Indicem Glossarum.

Naufragæ ecclesiæ, 644. c

Navis instar est Ecclesia, 643. a. 646. a. 675. e. 688. b

Neapolis, 1293. d

Naiso, 1293. b

Nebulæ & nubis discrimen, 473. a. not. a

Negotiandi insincerus profectus, vinculum fidem impediens, 406. c

Negotiationis domus quomodo efficiantur corpora, quæ sunt Dei domus, 349. b

Neo, 1349. b

Neocæsario, 1325. b

Nequitiæ spiritales 307. a. 308. c. feris silvæ designantur, 209. f. vocantur adversantes inimicæque virtutes, 307. a. ministeria satanæ, 307. f. dii gentiles, 393 b. c. Quomodo nos tentent, 308. c. Iniquos eligunt voluntatis suæ tamquam operarios, 431. a

NERO, 1240. a. 1242. b. 1243. a. 1246. b. 1264. b

NESTORIUS, 1326. b

NICÆNI Concilii commendatio, 1332. e. Nicæna sancta Synodus, 1170. c. 1196. d. Apud Nicæam 318. episcopi convenerunt, 1257. c. 1303. a. trecenti vel eo ampliùs, 1302. e. Nicænorum episcoporum 318. sanctus numerus, 1200. b. Nicænæ synodi in suscipiendo homousion scopus, 1197. c

Nicænus tractatus, 1197. f. 1303. a. explicatur, 1305. a. & seq. conscriptus est à Sanctis, & Confessoribus, & successoribus Martyrum, 1344. e. non sine Spiritus-sancti subsidio, 1345. d. positus est contra Arianam hæresim & ceteras, 1342. d. 1344. c. adversùs Arium ac Sabellium, 1359. a. paucis omnia hæreticorum ingenia conclusit, 1305. a. Nicæna fides plena atque perfecta est, 1303. d. Si quid ab ea depmatur, venenis hæreticorum aditus panditur, 1344. d. Hæc est verè fides, 1254. b. Ei adhærens Hilarius ceteris non eget, 1254. d. Numquam eam nisi exsulaturus audierat, 1205. a. Pax numquam ei nisi cum fidei Nicænæ defensoribus optabitur, 1269. e

Nicæna fides Mediolani in medio posita, & à Valente repudiata, 1223. a. Qui illam Arimini subvertere voluerint, 1342. d. 1345. b. Ei se reddunt qui Ariminensi consenserant, 1358. d. 1359. a

Nicæa in Thracia antea Ustodizo vocabatur, 1346. c. Ibi omnes hæreses damnatæ frustra dicuntur, 1352, c. Qua auctoritate coacti sint, qui Nicææ consenserunt ut usia sileretur, 1353. d. Nicææ Thraciæ gesta jam ab omnibus resoluta, 1267. d

NICHAS, 1361. b

NICOLAUS diaconus falsùs propheta, 729. d

Nicomedia, 1307. b

Nicopolis, 1293. c

Nihilum. Omnia ex nihilo, 898. c

Nimis pro valde, non pro eo quod necessarium modum inutiliter excedit, 522. d

Nobilitatis delicatæ veteres imagines, 692. c. Dignitas originis in operum consistit exemplis, 615. d

NOCONIUS, 1325. a

Nomen naturæ, non nomini natura componitur, 843. b

Nomen Dei ubique magnum, 500. f

Nomen novum, nomen Christianum, 871. b. Nominum varias species vide in Indice Glossarum.

NONNIUS, 1326. a

NOVATIANORUM hæresis legi, prophetis, Evangeliis repugnat, 500. c

NOVATUS, 1320. f

Novempopulana provincia, 1149.

Novitas temporalis Christi, 1007. b. c. Novum aliquid commemorasse malo, quàm impiè respuisse, 1197. a

Nox ex die, dum Christus patitur, divisio temporum est, 749. c. Nocte media surgendum ad laudandum Deum, 292. c. Nocturnarum precum utilitas ac necessitas, 286. a

Nubes à mari educuntur, 473. c. Nubium varia acceptio, 579. a. Nubibus significantur, quorum vita quodam modo aërea & cælestis, 212. b. Nubes, prædicatores, 212. c. doctrina apostolica, 474. b. Dominus, 121. c. Sancti in nubibus rapti, 121. c. e. Veritas usque ad nubes, 121. c. Raptum in nubibus Deo Christo obviàm apparere, 121. c. e 152. e. 153. a

Nudis corporibus philosophi quidam cernuntur algere, 163. c

Numerus binarius malè sonat, 537. b. octonarius quàm perfectus, 243. b. in lege sanctus, 243. d. Numeri decimi-quinti mysterium, 369. d. Numerus quadragenarius, 618. a

Nuptias secundas sine adulterii crimine permisit Paulus, 194. a. Non inhibet eas, ubi viduitatis continentiam laudat, 327. a. Nuptiæ, gloriosa resurrectio, 735. d

Nuptialis vestis, 721. a

Index rerum & sententiarum.

O

OBcæcatio. Scientia his negatur, qui spreturi eam essent, 320. c
Obduratio. Pharaoni pertinacia irreligiosæ voluntatis affixa, 338. c
Obedientia voluntaria ad Evangelium, non spontanea ad legem pertinet, 326. d. Obedientia voluntatis, cælestis regni iter repertura, 639. a. c. Obedire voluntati habet exterioris necessitatem, 1017. a. Obedientiæ Christi meritum, 96. b
Obligationes, 406. a
Obscuritas mentis unde oriatur, 548. a. quomodo depellatur, 548. b
Obsequium sub religionis opinione delatum indigno, mercede non fraudatur, 661. f. & seq. a
Occidentalium fides, 1303. d. Occidentalibus Orientales gesta sua nuntiari curant, 1350. b
Oceani æstus, 472. d. Oceani vicissitudines homo non assequitur, 437. a. Oceani insulæ habent ecclesias ab Apostolis paratas, 62. a
Occulta, 54. a
Octavius, 1364. b
Octonarius numerus, 243. b
Oculum à laqueo liberare rarum est, 529. a. Oculi incidentis motus in Evangeliis adulterio æquatur, 626. e. Oculi theatralibus spectaculis sordidi, 63. e. Oculi tum corporis tum animæ à vanitate avertendi, 276. c. Oculi ad Deum intenti quomodo à vanis avertantur, 540. d. Oculi ad Deum, sed non ex eo ad aliud sunt efferendi, 443. a
Oculorum carnalium infirmitas ad videndum Deum, angelum &c. 289. c. Oculi mentis quàm præstent oculis carnis, 378. d. Oculorum defectio, 338 b. Oculi corporis Christi, Apostoli & sacerdotes, 519. f. 520. b
Odiorum causam præbuisse non sancti est, 362. c. Odii & amoris rectus usus, 320. c. Odisse patrem, matrem &c. jubemur, quando à martyrio aut Dei famulatu nos abducunt, 330. a. Odium iniquorum quomodo Evangelio non repugnet, 330. f. Odium nobis religiosum est ejus qui Deum odit, 525. b
Officialis, 1364. a
Officiales magistri, 1282. b
Officiorum festinatio adversùs apostolicos viros, 1282 b
Officium div. Qualiter in omni genere officii divini versari nos oporteat, docet Psalmus CXVIII. 294. d
Og, id est, maceria aut vallum, 476. e
Ogdoadis perfectio, 8. b. 9. b
Oleum misericordiæ fructum significat, 630. e
Oleum peccatoris, 110. f
Olimpius, 1323. c
Oliva, 80. b
Olla in qua Christi caro decocta, 140. c. Olla urens peccata atque tollens, 140. d
Omnipotentiâ caret, quidquid alii se debet, 472. b
Onyx, 535. c
Operari non cessat Deus, 236 d. Opus Patris in voluntate est, 238. d. Operationis suæ támquam exemplum, Patris voluntatem introspicit Filius per mutuam caritatem atque naturam, 238. e. Opus unum est Patris & Filii, 237. c. Opera Dei tantùm visibilia rudibus hominum animis enarravit Moyses, 236. f. quo fine, 237. a. Ad invisibilium intelligentiam quomodo nos educat Paulus, 237. b
Operi non convenit filii nomen, 1118. c. Opus nomine resurrectionis significatur, 508. e. Opera, manuum nomine, sermo divinus significat, 393. b. 434. e. Opus excelsum elevatione manuum significatur, 154. a. Operum ac bonæ voluntatis discrimen, 434. f. & seq.
Opera bona sunt animæ cibi, 425. d. comparantur hîc cum labore: sed horum fructus erit in æternitate, 425. e. Exhortatio ad operandum, 426. a. Opus orationi anteferendum, 336. a. Inutiles & inferaces non gloriæ, sed igni deputabuntur, 1021. c. d. Opus nostrum, dissimulantibus nobis, aliis eluceat, 624. e. Opera omnia nostra etiam gentilis testimonio laudentur, 148. b. Opera pietatis externa, etsi non omittenda, internis tamen virtutibus sunt posthabenda, 726. d. Opus non sufficit esse bonum probitate facti, nisi sit & voluntatis, 405. f. In facto potest non subesse dilectio, dum id efficitur quod non fecisse aut terror aut pudor sit, 316. f. Opera, quæ coacta sunt, merito plenæ gratiæ indigent, 316. e
Opera bonæ voluntatis, filii sapientiæ, 428. d. Opera ex sapientia, ex operibus retributio nascitur, 429. c. Opera bona gentibus & hæreticis sunt communia, 64. d. sine fide sunt inania, *ibid.* e. Opera fidei validissima dæmones debilitare contendunt, 382. b. Ut illibata in nobis perseverent, divina promittitur custodia, 382. c. His manentibus regno æterno utemur, 382. c. Opera bona quæ nos sanctificant, 466. d. e. Operandum est animo hilari & cum Dei benedictione, 467. a. Operandum totâ vitâ in spe Domini, 441. d. Non desperandum ei qui non omnem ætatem operando exegit, 441. d. Operis boni fructus, unguentum, 739. e. Bonorum operum merces, 442. d
Opera hominum inania, 416. b. quàm sint vitiosa, 354. e. Opera sæculi & carnis flumina sunt, 492. c. & fœnum ædificiorum, 434. e. Opera diabolica, 393. c
Operarii diaboli, 431. a. d
Opprobrium pœna peccati, 277. d. Opprobrium merentur peccata, 263. b. avertit confessio, 263. d
Optatus, 1349. b
Opulentia inquieta caret opum fructu, 765. b. Opum contemtus opulentia est, 324. d
Oracula post Christum edi desierunt, 168. a. *not.* a
Oratio officium est infirmitati nostræ conveniens, 275. b. Oratio necessaria est ad passionum tolerantiam, 302. c. ad assequendam cælestium mandatorum scientiam, 301. a. contra tentationes, 158. d. Deus non tum tantùm orandus, cùm quæ timentur ingruerint; sed timenda ea, quæ cùm cœperint adesse, dominantur, 158. f. Hinc ostenditur sine intermissione orandum, *ibid.* Orandum semper ad Deum, ut in cohibendis peccatis, exstinguendisque incentivis eorum, pendula voluntatis nostræ studia confirmet, 498. e Neminem hominum qualiter orare oporteat scire, 96. d. Orare nescimus, 550. c. Imperitiam nostram arcano conscientiæ affectu repensat Spiritus, 550. c
Orationi opus anteferendum, 336. a. An oratio nostra præveniat Dei munera, 275. d. Orationes ubique audit Deus, sed sola innocentia promeretur exaudiri, 104. b. f. Oratio David Dei bonitate, non suis nititur meritis, 280. b. Reprehenduntur qui à Deo quid postulantes, eum tamquam ex officii debito conveniunt, 280. c. Orationem suam exaudiri postulare, solius Christi est, 96. d. Deum audire, & in precem intendere quid differat, 437. d. Non est credendus Deus aut orationis nostræ negligens, aut irrationabiliter præstare quod petitur, 98. d. Orationes despicabiles quæ, 104. e
Oratio labiorum, 353. e. Oratio non tam verborum est, quàm affectûs, 151. e. Oratio non est in verbis: opus omne dictis præcellit, 630. d. In oratione clamor oris, non cordis prohibitus, 352. d. Orationis tacentis clamor, 534. b. d
Orationis bonæ dotes, 142. f. ne sit impacifica, 626. b. Oratio pura, 534. e. Orat cum fiducia, qui in carne à carne est peregrinus, 142. f. & seq. Oratio cum cordis effusione, 149. b. Orationi matutinæ fiduciam præstat puritas noctis transactæ, 154. e
Orationis varii gradus, 365. a. 543. a. Orationum triplex genus, 104. d. Cujusque generis exempla, 104. f. Orationum quatuor genera in incenso significata, 535. a. Orandi exemplum, 547. d. Oratio dominica per speculum verborum communium formam occultissimi sacramenti ostendit, 96. e
Orationis virtus contra ignorantiam, 638. a. Orationi fidei indulta Dei protectio, 143 e. Oratio ad Deum in tentationibus maxima pars ac spes est salutis, 371. c. Spei nostræ doctrina est, ut Deus oratus & misereatur, & salvet, 280. b
Orare in omni loco edocemur, 630. c. Orationis locus cor, 630. d. Oratio quotidiana, 1368. a. Orationis assiduitas quibus verbis significetur, 265. c. Ab orationis assiduitate nos tribulationes non debent impedire, 543. c. Quî debeat ac poss[illegible] se sine intermissione, 20. a. Sancti cujusque vita omnis oratio sit, 20. c
Orationes salvatorum Angeli quotidie Deo offerunt, 699. b. Orationibus sanctis Gallorum se commendat Hilarius, 1206. b. Liberius se Confessorum orationibus sublevari rogat, 1334. b
Ordines consistentium in synagoga, 368. c
Organa Scriptura significat esse humana corpora, 492. f
Orientis hæreses in tempora singula pullulantes, 1202. d. Orientis partes desperatæ sunt fidei, 1282. a. Universi Orientis episcopi Ariminensi Concilio consenserunt, 1360. c. Orientalium Ecclesiarum periculum, 1186. c. 1187. a. 1188. c
Orientales Philippopoli congregati, Sardicâ scribere se fingunt, 1319. a. in Occidentales rejiciunt schismatis invidiam, 1318. d. queruntur se Occidentalium judicio nova lege subjici, 1314. d. 1316. b. 1320. e. Conciliis Orientis honorem tribui volunt, 1317. d. neque ea ab Occidentalibus refricari, 1320. e. Orientales Occidentalesque vicissim confirmasse aiunt, quod ab alterutris statutum est, 1320. f
Orientales an. 349. renuntiant Athanasium reum non esse, 1297. a. Eorum ad Occidentales qui Photinum an. 349. damnarunt callidum ac pravum rescriptum, 1299. c. Orientalium litteræ ad Julium, Liberio redditæ, 1327. b. & seq. a. Liberii ad eosdem epistola, qua cum iis pacem habere significatur, 1327. b. 1328. a. Orientalium litteræ ad Liberium, 1330. d. Orientales Liberii pacem ambiunt, 1331. d. Cur ille his eam neget, 1331. d. Quæ Orientalibus Arelate à Liberii legatis proposita conditio, 1332. b. c. Orientales & Galli mutuis suspicionibus detinentur, 1155. a. quas ut levet Hilarius operam dat, 1155. b
Orientalium Ancyræ decreta à paucis, quando, & qua occasione edita, 1168. a. b. Orientales congregata intra se synodo fidei definitiones condunt, 1167. a. adeptæ jam pridem doctrinæ decreta decernunt, 1167. b. Sirmiensi impietati contradicunt, 1152. c. 1158. b. non sine aliquo aurium scandalo, 1152. c. ad pudorem nutritæ auctæque fidei Gallorum famâ commoti sunt, 1152. b. Orientales legati Sirmium detulere epistolam de homousii & homœusii expositione, 1196. b. quo obtentu homousion respuerint, 1196. c. Eorum & Occidentalium idem est de homœusion judicium, 1196. b
Orientales legati ab Imperatore honorificè habiti, 1194. b. illum ab errore revocant. 1194. b. & eos, qui apud Sirmium hæresim conscripserant vel susceperant, ad subscriptionem decretorum suorum cogunt, 1167. b. ignorationem confessos, 1167. b. 1194. b. quasi homousii & homœusii significationem nescissent, 1194. c. Orientalium, qui formulæ Sirmiensi contradixerunt, elogium, 1193. b. Spem

revocandæ veræ fidei attulerunt, 1193. c. nondum tamen veram fidem, *ibid. not.* a. Hoc prudens notavit Hilarius, 1207. a. Cur eosdem laudarit, *ibid.* Habent quod non est nisi cum scandalo audiendum, 1205. c. Non sunt Ariani, sed negando homousion censentur, 1201. a. Orientalium quidam Filii cum Patre similitudinem confitentes, malè æqualitatem negant, 1191. e

Orientalibus communionem suam impertit Liberius, 1335. b. *& seq.* b. Constantius vetat quidquam Arimini adversùs Orientales statui, 1341. b. c. Orientales ab Ariminensibus creduntur usiæ & homousii vocabula respuere, 1348. a. d. Sub eorum nominis auctoritate plures Arimini ac Nicææ ad usiæ silentium sunt coacti, 1353. d

Orientales ad legatos Arimino Constantinopolim reversos scribunt, 1349. b. Anomœorum hæresi renituntur, 1349. c. apud Constantium efficiunt ut damnetur, 1350. a. ab ingressu ecclesiæ se abstinent, 1349. d. 1350. d. Gesta hæc mandant Occidentalibus nuntianda, 1350. b. Orientales litteras Hilario dirigunt, quas in Galliam mittit, 1353. c. Orientalibus rescribunt Gallicani episcopi, 1353. a. Orientales dissensiones nutrit Constantius, 1242. c. Orientales Constantii voluntati per vim substrati, 1256. d

Origo rerum omnium ex nihilo est & post tempus, 1120. c

Ornatus mundanus naturæ contumelia, 341. b

Orphani, qui diabolo patri renuntiaverint, 193. e. vel qui in sæculo desolati sint, 194. a

Os labiorum, & os cordis est, 344. d. e. Ore cordis spiritales escas ad animæ vitam accipimus, 345. a. Os cordis per fidem ac desiderium Spiritui-sancto pandendum est, 344. e

Os Christi Ecclesia, 518. b. Ossibus æternitatis spes significatur, 91. a. Ossa Martyrum veneranda, 1243. a

Osculo sacerdotes excipit Constantius, 1245. b

Osius, 1292. d. 1295. a. 1315. b. c. d. 1316. a. f. 1317. b. 1319. d. 1321. c. Paulini Daciæ individuus comes, 1321. f. Marco graves injurias semper irrogavit, 1321. e. Liberii ad Osium epistola de Vincentii ruina, 1334. d. Osii elogium, 1284. d. Osius sepulcri sui nimius amans, 1201. a. Osii deliramenta, 1255. b. sententia apud Sirmium, 1152. c. Blasphemia per eum & Potamium conscripta, 1156. c. Per Osium gestorum suorum immemorem novæ impietatis doctrina prorumpit, 1186. e. Osius idcirco est reservatus, ne ignoraretur qualis antè vixisset, 1187. a

Otium sine opulentia, & opulentia sine otio, mali potiùs materies est quàm boni occasio, 765. b. Dies Deo nulla sine opere, 239. b

Otiosum verbum, id est ineptum & inutile, 673. b

Ovis errans, humanum genus, 699. c

P

PÆnitentes quàm facile Deo sit reparare, 47. d. Pænitens habet veniæ apud Deum solatium, 569. f. per amissi dolorem, affectum profitetur inviti, 569. f. Pænitentis est, vehementiùs in eos insævire, per quos lapsus sit, 1358. a. Pænitentibus benedictio oratur, 435. e

Pænitentiæ peccatorum venia in omnibus Scripturis promittitur, 500. c. Deus mutationem nostram amat, 464. b. pænitentiam peccatoris pœnæ tum comminatione tum dilatione quærit, 36. b. *& seqq.* pænitendi tempus unicuique largitur, 293. e. 733. b. pænitentiam etiam seram quàm patienter exspectet, 432. f. Emendatio licèt sera utilis est, 251. c. Vel serò nitendum est sponso obviàm ire, 736. b

Pænitentiæ vox est lacrymis orare, 347. d. Hæc venia peccati est, *ibid.* Pænitentia auctor est desinendi, 569. d. 570. d. Pænitentia peccati non debet desinere, sed peccatum, 347. e

Pænitentiæ virtus, 37. b. Peccatores sistit, ne penitus jam ceciderint, 569. d. Pænitentiæ facultas est in amissæ gratiæ plenitudinem nos restituendi, 669. e. Per pænitentiam est reditus ab errore, recursus à crimine, & professio desinendi, 614. e. *& seq.* Animæ ex captivitate vitiorum in libertatem cognitionis Dei redeuntis gratulatio, 408. c. 409. c. Mutatio nostra Dei munus est, gratiam facientis pænitendorum, & novorum bonorum initia reddentis, 410. d. id est, anteriora delicta non reputantis, & nos in vitam novam renovantis, *ibid.* a. Pænitentiæ non est tempus post novissimum Christi adventum, 736. c

Pænitentia Dei, 47. e. 592. e. Pænitentia gestorum Deo modus est homini gerendorum, 47. e

Pænitentia laici, 1226. a

Palæstina, 1172. b

Palladianus, 1324. c

Palladius, 1360. e. 1361. b

Palladius de Dui, 1293. d

Pamphylia, 1172. c

Pancratius Liberii legatus, 1333. a

Pancratius Pelusinorum, 1362. f

Pancratius à Pern. 1324. c

Panes quinque quomodo aucti, 810. d

Panis cælestis sacramentum in fide resurrectionis accipitur, 648. f. *V.* Eucharistia.

Pannonia, 917. a. Pannoniæ dux, 1172. c

Pantagatus, 1326. a

Papa Julius ab episcopis Sardicensis synodi vocatur consacerdos, & frater, 1284. c. Liberius ipse se consacerdotem famulum Dei nuncupat, 1334. b

Paphlagonia, 1172. c

Papyri usus, 885. *not.* i.

Paradisus sors & regnum hereditatis Christi, 544. d. consummatæ beatitudinis deliciæ, 1058. a. æterna beatorum regio, 23. c. cujus incolæ sunt beati post æternam corporum demutationem, 333. b. Paradisus in se habet lignum vitæ Christum, 21. a. In eo est, qui regnum Dei possidet, *ibid.* Reditûs ad paradisum, unde Adam excessit, figura, 647. a. Paulus in paradiso ante martyrium, 891. e

Paragorius, 1293. b

Paralytici curatio in sabbato, 237. d. *& seq.*

Parisiensis synodi epistola, 1353. a

Participes Christi, 292. e

Particopolis, 1293. b

Parvuli, vel ad innocentiam renati, vel imperiti, 344. b. Parvuli sunt omnes infideles, 462. e

Pascha accepto calice & fracto pane sine Juda conficitur, 740. d

Paschasii diaconi libri de Spiritu-sancto Fausto sunt adscribendi, 1200. *not.* g

Passer, avis domestica, 401. a

Passinicus, 1349. c

Patentes mentes, 449. c

Pater non est, si non quod in se substantiæ est, agnoscat in filio, 789. c non potest alienæ à se ac dissimilis substantiæ pater dici, 1163. d. Patris natura in filii nativitate connascitur, 860. c. Patres aut nomine, aut genere, 611. a

Patris æterni notio, 791. c. 808. c. Pater naturæ suæ nomen habet in patre, 792. a. non humano modo habet aliunde quòd pater est, 792. b. Ad ea quæ ejus sunt eloquenda sermo omnis infirmus, 792. c. Paternæ nuncupationis proprietas à Filio differt, non tamen natura, 512. d. Paternum sacramentum est auctorem esse nativitatis, 1004. a. Patri proprium est esse innascibilem, 831. e. Solus est innascibilis, 1142. a. Patris nomen non admittit, ut ex aliquo pater sit & ex aliquo non sit, 1024. e. Quomodo totus pater sit, *ibid. & seq.* a

Pater cur dicatur in cælo, 31. e. *not.* f. Pater ut pater major Filio, generatione, non genere, 512. d. major est donantis auctoritate, 1020. d. e. sed Filius minor non est, cui unum esse donatur, *ibid.* Patris nomen habet in se filii nomen, 938. a. Pater non est de Maria natus, 1343. c. Pater per Filium clarificatur, cùm pater filii talis agnoscitur, 817. b. Hoc maximum Filii opus fuit, ut eum patrem, non ut omnium conditorem, cognosceremus, 820. b. 821. a. b.

Pater quomodo in Filio habitet, 391. c 392. a. In se invicem sunt per concordem & non dissimilem à se innascibilis unigenitique naturam, 456. e. Pater unà est cum Filio & virtute & naturâ, 516. c. Quomodo solus, nec tamen sine Filio operetur, 487. d. In Filio operatur, quia ministerii opus in opus refertur auctoris, 239. a. Patris opus in voluntate est, 238. d. Pater voluntatem suam Filio demonstrat per mutuam caritatem atque naturam, 238. e. *V.* Deus *&* Filius.

Patri infideli jus non relinquitur in filium fidelem, 644. a

Patrimonium Christi, 737. a

Pati meruit quisque quod pati cœpit, 295. d. e

Passio omnem carnem demutat sensu ac dolore, 1181. a. Passibilitatis & passionis discrimen, 1181. a. Passionum tolerantiæ impar est humana infirmitas, 302. c. Tribulatis opem promisit Deus, 302. e. Passionis terrore non vinci homini impossibile est, 1060. d. Nec potest homo nisi per probationem nosci, *ibid.* Non orat David ut absit quod patiatur, sed ut possit ferre, 333. a. Pati nisi ex Christi passione non possumus, 744. e. Fidei in nobis calore fervente omnes dolores nostri cum corpore & passione Christi moriuntur, 744. d. Passionibus ad documentum fidei & ad præmium gloriosæ patientiæ exercemur, 323. e. Patientibus hîc & lætantibus quomodo Deus vicissitudinem præstet post hanc vitam, 395. d. *& seq.* Patientium pro veritate vox & opus, 351. d. Passionum est solatium, quòd per eas Domino assimilamur, 656. c

Passionis dominicæ David non nescius & patiendo prophetam se docuit & loquendo, 128. a. Passio Christi toto psalmo XXI. prænuntiata, 1091. c. Passionis Domini omne sacramentum eloquitur XL. psalmus, 449. d. Hujus propheta fuit David passionibus suis, 94. c. 112. e. 113. b. 547. a. Passioni suæ quàm religiosè se dederit Christus, 447. d. e. Cur, 94. c. Cur ei in deliciis fuerit, 516. a. Ad eam anhelabat, quia humanæ saluti per eam consulebat, 223. e

Passio ab unigenito Deo suscepta voluntariè est, officio satisfactura pœnali, non pœnæ sensu læsura patientem, cur. 100. b. Passionis jus iniquis in carnem Christi fuit, non in divinitatem, 91. b. Passionis impetus quî in eo sine dolore passionis, 1050. c. Passiones in Christum non incidere, quà Deus est, sed quà homo, 216. c. Passus est Christus in medio terræ, 748. e. Passio Christi triumphus, 1067. d

Passiones. *V.* Perturbationes.

Patientia docetur CXXVIII. psalmo, 430. b. quàm necessaria sit piis, 430. b. Eorum quæ patiuntur auctor diabolus, ministri homines, 410. f. Patientiæ exemplum & adjutor est Christus, 148. e. Vinci diabolum patientiæ nostræ virtutibus delectatur Deus, 348. d

Patras, 1293. c

Patriarcharum generationibus, nominibus & insectationibus Dominus est prophetatus, 713. a. Eorum visa. *Vide* Visa.

Patricius, 1349. b

Paulinus Daciæ episcopus de maleficiis accusatus & Ecclesiâ pulsus, 1321. f. Alia ejus crimina, *ibid.*

Paulinus Trev. Arianorum sceleribus Arelate contraiit, 1222. e. Qua de causa indignus Ecclesiâ, dignus exsilio sit judicatus, 1282. e. *& seq.* Quanta passus sit à Constantio, 1246. b. Illius exsilium, 1218. b

PAULI

Index rerum & ſententiarum.

PAULI electio Pſalmis & Geneſi prædicta, 207. e. Paulus per Dominum ipſum fidei ſcientiam adeptus, 988. c. omnia per revelationem Chriſti dicit, 873. c. græcè ſcripſit, 909. f. ea tantùm revelavit, quorum natura humana capax eſſet, 1096. c. cæleſtia arcana quantâ poteſt claritate demonſtrat, 1096. c. Pauli dicta ſæculi homo non capit, 990. c

Paulus in paradiſo ante martyrium, 891. e. omni tentationum genere perfunctus, 302. e. ab angelo ſatanæ colaphizatus eſt, ut per paſſionum omnium indefeſſas moleſtias ſuperbiendi ei tolleretur occaſio, 262. c. 325. d. Diabolus adversùs eum omni virtutis ſuæ arte luctatus eſt, 262. c

PAULUS Conſtantinop. dicitur Athanaſii depoſitioni interfuiſſe ac ſubſcripſiſſe, 1314. e. 1315. a. e. à Protogene anathematizatus eſſe, 1317. d. frequenter, 1321. c. poſt reditum ab exſilio horrenda patraſſe, 1312. f. 1318. a. 1319. c. 1322. b. deponitur, 1319. e

PAULUS Samoſateus, 1196. c. 1197. b. malè homouſion confeſſus eſt, 1200. b. Ejus commentum, 665. *not.* e. malitia & artes, 1309. a. 1310. d. Quod ſub Paulo Samoſatis ſtatutum eſt, ab omnibus eſt ſignatum, 1321. a

PAULUS, Ariminenſis fidei propugnator, 1360. a. b. e. 1361. c. fortè qui pſeudo-Sardicenſi ſynodo ſubſcribit, 1323. d

PAULUS preſbyter Romanus, 1327. b

Pauperes inter & divites commercia, 735. c. Pauperes ſaturat Chriſtus, dum ad eos ſaturandos invitat, 458. c. Pauperibus collationes ab Apoſtolis inſtitutæ, 89. a. Pauperum curam agere, maximum miniſterii opus, 110. e

Pauperes voluntarii, 458. d

Paupertas Chriſti, 234. b. 532. f

Pax vera quæ ſit, 1263. a. Pacis doctrina diſcenda eſt tendentibus in domum Dei, 388. c Pacis prædicatorem impugnant pacis inimici, 377. e. Pacem mentiuntur plerique ſub hæreticorum conſortio, 199. b. Pace ſua, id eſt, impietatis ſuæ unitate ſe jactant hæretici, 1263. b. Pax otioſæ fidei periculoſa eſt, 308. b

Pax fraterna paci Dei præmittenda, 626. b. citò ineunda eſt, 626. c. Pax ſalutationis quomodo cautè tribuatur, 654. c. d Pacis cauſâ non quod ſibi, ſed quod univerſitati congruat expetendum eſt, 363. e. Pacis interruptæ aut non conſervatæ cauſa non exſiſtat ex nobis, 461. d. Pax ac virtus domus Dei connexa ſibi ſunt, 389. b. Pacis fructus, 388. d. nunc in Eccleſiæ unitate prægustantur, ſed in æternitate affluent, 388. e. In pace & unanimitate Sanctorum regnum Domini eſt, 582. d. Pacis amor patriarchis nos adæquabit, 377. c

Pacificorum habitator Deus, 700. d

Pearata, 1293. a

Peccatum originis, 264. a. 329. b. 331. c. 659. e. 660. a. 699. c. 774. a. b. Peccato Adæ generoſitatem primæ & beatæ creationis amiſimus, 1368. b. Hominem ſub peccati origine & ſub peccati lege eſſe natum, 366. e. Propheta intelligit ſe in peccati corpore poſitum, 547. b. Homines corporis infirmitas & conditio originis in peccatis detinet, 469. f. Peccati expers unus eſt Chriſtus, 97. a. 277. d. 281. a

Peccati lex, 153. e. 218. d. id eſt peccati pœna ac jus mortis, 218. f. Ex uno in omnes ſententia mortis & pœnæ labor exiit, 137. c. Omnis terra jam pridem per vitia hominum maledictionibus noxia eſt, 62. d

Peccati labem nonnullam ex conſortio carnis anima contraxit, 265. e. Sine peccato nemo eſt qui vivat, 290. b. nemo eſſe poteſt, 277. d. *not.* c. 281. a. b. Eorum, qui ſe à peccatis puros jactant, vana eſt gloria, 304. c. Peccati & origo & lex manet in nobis, 129. b. Conſcientiæ humanæ non convenit vox iſta, *Sine iniquitate cucurri*, 129. b. Magnum eſt ſcire conſuetudinem criminum procul à ſe abeſſe, 256. d. Peccata à ſe circumcidi orans David, non de perpetrato peccato confitetur, ſed de carnis infirmitate, 277. d. 278. a. Peccandi via cùm ſit in corpore Prophetæ, quî à peractione peccati omnis alienus eſt, 267. f. Nullus in cælum reditus, ſi cui indulta non fuerit venia delictorum, 647. b. 648. b. d. Peccati lex legi mentis obnitens habitat in carne noſtrâ, 147. a. Per hanc moriebamur, 147. b. Ad hujus condemnationem Deus homo natus eſt, 147. a. Peccati lege condemnatâ, præſtita eſt peccatorum remiſſio, 147. c

Peccati & iniquitatis diſcrimen, 440. b. Peccata cordis, 123. b. Peccati neceſſitas non ineſt in naturis hominum, 219. d. Ad peccati neceſſitatem naturamque nemo genitus, 123. d. e. Peccatum omne inexcuſabile eſt, 536. e. An aliquod neceſſarium, & quomodo ſit extra culpam, 717. e. 718. a. *not.* e. Peccata Apoſtolorum, quia in his eſſet bonæ voluntatis affectus, quàm eis non nocuerint, 196. d. e

Peccati nobis auctores ſunt principes aëris, 205. d. Peccati incentiva ſuppeditant dæmones; & de eo quod per eos geſſerimus nos accuſant, 337. a. Peccati uſus ex appetitu voluntatis & oblectatione vitiorum arripitur, 219. d. In peccatis nemo perſeverat, niſi quia his oblectatur, 539. c. Peccata funes ſunt, 291. f. 432. d. Peccatorum vis ac dolor ſpinâ ſignificatur, 125. c

Peccatis amittimus beata & maxima & Deo proxima; his quæ talibus ſunt ſecunda per pænitentiam non caremus, 500. d. Ab omni, qui in peccatis moratur, vultus Domini eſt averſus, 178. d. Peccata ſunt quædam, quæ ex ore verbum auferunt veritatis, 280. e. Peccata opprobrio ſunt digna, 263. b. 277. d. Peccatorum confeſſio opprobrium avertit, 263. c

Peccata noſtra quomodo diſſimulet Deus, 568. a. Peccatorum venia, 498. c. Peccatis veniam per pænitentiam promittit lex & Evangelium, 500. c. Peccatum laxare non poterat lex, 646. d. nemo poteſt dimittere niſi Deus, 646. d. Peccata dimittere ſoli Chriſto erat debitum, 647. c. Omnium omnino peccaminum veniam per fidem Deus tribuit, 701. a. d. poſt reditum confeſſionis, 701. b. ſuo potiùs munere, quàm noſtro merito, 701. d. Peccatorum remiſſio eſt gratuita, 185. d. Peccata humiliatione emendantur, 295. e

Peccata vetera flentibus conſolatio præparatur, 622. a. Peccata confeſſus ab iis debet deſinere, 498. b. De iis, qui à peccato deſinere volunt nec deſinunt, 168. c. d. Dolor poteſt eſſe erga eos, quorum gravia crimina ſunt, ſed miſericordiæ locus nullus, 538. a. *not.* f. Peccatorum confeſſioni non eſt locus niſi in hoc ſæculo, 81. b

Peccatum in Spiritum-ſanctum, 1228. c. *V* Blaſphemia.

Peccatores ſunt omnes, 333. e. 334. a. Peccatoris & impii diſcrimen, 17. b c. Diſcrimen inter peccatores vi exteriore compulſos, & ſuo caſu lapſos, 569. e. Peccatores voluntate permanentes, 569. e. Peccator cæli eſt, quiſquis ſpiritalis gratiæ particeps factus in peccato demorabitur, 334. c. Credentes omnes in Chriſto coexcitati & collocati in cæleſtibus, ſi peccato inde decidant, fiunt peccatores cæli, 334. d. Peccator eſt operarius diaboli, ſæculi miniſter, vas mortis, materia gehennæ, 348. f. 349. a. peccat, non quòd non diligat Chriſtum, ſed quòd ei alia præferat, 25. d

Peccatoribus quomodo non inſit Deus, 356. c. Peccatoris culpa eſt, quòd à Deo repellatur, 253. a. Peccator priùs eſt aliquis, quàm cadat in laqueum diaboli, 400. f. *not.* k. 541. c. Is, in quo peccati voluntas eſt, Deo vacuus eſt, 336. e. diabolo traditur, cùm à Deo deſeritur, 336. e. Peccatores obtinere diabolus niſi Deo ab his abſcedente non poterit, 380. e. Diſcedente Deo in omnes peccatorum foveas incidimus, 380. e. Diſceſſionem noſtram ab eo conſequitur abſceſſio ejus à nobis, 380. d. Nos tradere in vitia Deus dicitur, cùm ab eo abſcedimus, 380. d. Peccatores etiam Paulus diabolo tradit, 336. e

Peccatorem eloquia ſancta narrare Deus vetuit, 207. d. Peccatores vivi à peccato comeduntur, 399. b. Peccantium intuitu, ſanctorum dolor, 285. b. Peccatorum calamitatem deplorat caritas quaſi ſuam, 540. b

Peccatores ad pænitentiam quî provocet Deus, 36. b. *& ſeq.* quî occidat Chriſtus, ut vivificet, 524. a. Peccatorum emundatio ignis & carbo deſolationis, 373. e. Ordo tenendus ei qui peccatores ad meliorem vitam vult revocare, 654. d. Emendatio eorum, qui ætate provecti ſunt, quàm difficilis, 251. d. e. f. Hos vel præteritorum criminum recordatio poll[illegible] 251. f. Peccantes voluntate qui ſint, an veniam impetrent, 537. *not* f. Cadentes, non collapſos ſuffulcit Dominus, 569. c. Qui modò Dei eſt, alliſus licèt, erigi poteſt, 574. d. Peccatores ſiſtit pænitentia, 569. d. Peccatoris confractio ac reformatio, 46. d. *& ſeq* Peccatoris à peccatis deſinentis confuſio, 303. e. A peccatis, non à pænitentia, debemus deſinere, 347. c. d. e. Mutatæ vitæ ſtatus quàm melior ſtatu peccati, 410. d

Peccatorum ſors poſt hanc vitam, 155. d. Pro peccatoribus ad ſalutem reſurrectionis mortuus eſt Chriſtus, 115. a. Peccatores Deum ultorem ſentient, quem inter iniquitatum opera non cogitabant, 99. a. ante reſurrectionem igne puniuntur, 125. b. Eorum contritio & inanitas poſt reſurrectionem, 124. b

Pecuniâ ſignificatur honor ſæculi, 752. a. Pecuniæ cupiditas iniquitatum maximè radix, 149. d. f. Pecuniæ augendæ labor, vinculum fidem impediens, 406. c. Pecuniæ contemtus à terrenis dominationibus liberat, 336. b. Pecuniæ inopia præſtat inopiam peccati, 371. a

PELAGIUS Hilarii locum ad ſua placita fruſtra detorquet, 622. *not.* h

Peloſio, 1324. e

Penetratio parietum, 114. c

Pennæ ſignificant vim evolandi in cælum, 515. b. Chriſtum ex pennis evacuari, id eſt, ſe ipſum exinanire, 106. d. pennas ſumere, id eſt, in priſtinam gloriam redire, 106. c

Πέρας quid, 314. f

Percuſſio Dei miſericors, 226. b

Perfectio. Rarus iſte eſt, cum quo perfectio timoris Dei per annorum incrementa concreſcat, 252. a. Tendendum ſemper, neque idcirco ad perfectum non contendendum, quia eò non poſſit contingi, 419. c

Pergamo, 1324. c

Perge, 1326. a

Perire quid dicatur, 52. b

Periculi conſcientiâ nihil homini eſt gravius, 916. b. In omnibus periculis, ſi fides maneat in nobis, adeſt cæleſtium virtutum defenſio, 499. b

Permaneo æternitatem ſonat, 312. b

Pernaſo, 1324. c

PERSÆ, 376. a

Perſicum bellum, 1246. a

Perſcrutari quid, 343. b

Perſecutioni quomodo obnoxii ſint fideles, 395. a. Perſecutionem patientis qualis debeat eſſe animus, 362. c. Perſecutio juſti iniqua ſit neceſſe eſt, 307. e. Quàm utilis ac neceſſaria ſit, 307. f. *& ſeq.* a. Periculoſa otioſæ fidei pax eſt, & faciles ſecuris excubiis inſidiæ ſunt, 308. b. Percuſſi à Deo an non injuſta ſit perſecutio, 226. b. Perſecutiones intolerabiles à fratribus, 1218. a. Perſecutio falſorum fratrum quî majus meritum conferat, 1334. a

Perſecutores ethnicos quî impietate vincant Ariani, 1244. b. c. 1243. a. Qui tormentis victi ceſſerunt; aliquam habent excuſationem, 1243. c

Perseverantiæ necessitas, 67. a. Ad perseverandum opus est misericordiâ Dei, 339. a. Perseverantiæ Martyrum & Apostolorum largitor Deus, 180. a
Personarum distinctio in Deo, 32. e. 840. b. 845. b. d. quî in Scriptura significetur, 841. c. d
Personalis unio non recipienda, 1165. c
Pertinaciæ causa, 1037. b. Pertinacia gentium in falsis religionibus & pertinacia servientium corpori, fideles docent pertinaciam fidei, 392. c. e. Pertinacia spei, 394. d
Perturbationes in Deum non cadunt, 33. c. His obnoxiæ sunt imperfectæ naturæ, 33. d. Perturbationes mentis intra se cohibere difficillimum est, 105. d
Pes motum mentis designat, 380. b. Pedes Domini, Apostoli, 453. a
Petra confessionis Petri, 903. e. Petri confessio felix fidei petra, 800. a
PETRUS petra Ecclesiæ, 545. c. beatæ senectutis fideique martyr, 904. b. primus Filii Dei confessor, Ecclesiæ fundamentum, cælestis regni janitor, &c. 447. c. d. 690. c. e. *not.* e. ædificationi Ecclesiæ subjacet, 891. e. Petri fides Ecclesiæ fundamentum, 904. a. omnium beatitudinum gloriam meruit, 905. c. 904. a. Alia ab ea non est, 905. b
Petrus supereminentem gloriam promeruit, 904. c. primus credidit, & apostolatûs est princeps, 642. b. fide ceteros anteit, 684. a. b. Filium Dei primus agnovit, 746. c. quod in Christo Dei esset, primus agnovit, 690. d. divinitatis in Christo naturam quando primùm agnoverit, 903. c. unde hoc edoctus, 903. d
Petri in Christum affectus, 740. f. Petri fervor, lapsus, & pænitentia, 683. d. e. Petri apostolatus, fides, beatitudo, sacerdotium, martyrium, 904. e. Petro nulla possessio humana, 287. d. Ipsius opes, 287. e
Petro auctor fuit diabolus, ut Christum à patiendo avocaret, 691. d. Uter à Christo satanas sit nuncupatus, 691. d. *not.* g. Petri parva fides Christum à passione deterrentis, 905. a. unde à crimine excusetur, 905. a. sententiam damnationis excepit, 905. b. Petrus ob infidelitatem crucis satanas nuncupatus, 508. b. 447. c. d. satanas fuit & non satanas, 447. c. per caritatem Christi detestatus est passionem, 1055. a
Petrus in grave fidei periculum incidit, 1059. d. Petri negatio est offensa in filium hominis, 743. b. Petrus propè sine piaculo Christum hominem negabat, 746. c. *not.* g. Hanc culpam se nec admonitum vitare potuisse flevit, 746. c. Petro voluntatis usque ad martyrium confitendi fides firma non deerat, 87. d. Quî non potuit tenere constantiam, 87. e. Hunc à culpa non purgat Hilarius, *ibid. not.* f. Idem ipsum fuit negationis tempus, & fletûs, 88. a. Inconstantiam trepidationis constans fides flevit, 88. a. Claves regni cælorum ei non sunt ademtæ, 87. d. Petri fides in eo non defecit, quòd pænituit, 1060. e. pænitentiâ subsequente non defecit licèt territa, 1063. d
Petri apostoli sedis prærogativa, 1290. c
Phantasma mentiens hæresis, 1062. c
PHARAO, diabolus, 476. c
PHARISÆI totius legis ignari, 725. a. Eorum nequitia, 670. b
PHILÆMON topazium ad Berenicen munere detulit, 341. *not.* g
PHILETUS, *Vide* FILETUS.
Philippi, 1292. e
Philippopolis, 1326. c. Ibi congregati quibusnam negandam censeant communionem, 1319. d. Sardicâ scribere se fingunt, 1319. a. Diacones cum eis erant, 1317. b
PHILIPPOPOLITANUM decretum, 1307. a. Hæc synodus vocatur Sardicensis, 1255. a. 1256. b. Quid in illius fide Arianis displiceat, 1255. a
Philosophia incapax cælestium mysteriorum, 988. c. per se infirma ad mores hominum componendos, 242. e. Philosophiæ facundia gentes detinuit in errore, 164 a
Philosophorum ars adversùs fidem inanis, 160. b. Captiosas & inutiles eorum quæstiones fides constans respuit, 773. d. Philosophiæ quæstiones fidem pulsantes sunt abjiciendæ, 1121. d. & à Christi ministris sunt refutandæ, 1122. b
Philosophorum vita austera vana & superstitiosa, 163. c
PHILOXENUS, 1290. d
Phœnice, 1172. c
Photinus, 916. e. 971. d. indicatur Pannoniæ nomine, 917. a. à Marcello imbutus & diaconus sub eo aliquandiu fuit, 1295. d. 1300. a. c. est Hebion, 916. e. 919. d. partiaria Sabellii est hereditas, 1359. a. quî Sabellium vincat, atque à Sabellio & Arianis vincatur, 919. d. quo Scripturæ loco ad auctoritatem hæresis suæ utatur, 1198. e
Hæresis à Photino renovatæ fraus multiplex, 1177. d. Quæ sit illius hæresis, 199. b. 1181. c. 1185. e. 1230. c. Hæc anno 347. à Romanis est damnata, 1298. a. in Mediolanensi synodo, 1296. a. rursumque anno 349. ibidem damnata est, 1296. a. Inde hoc Occidentalium de Photino decretum ad Orientales relatum, 1299. e. sed ille tunc per factionem populi non potuit amoveri, 1299. a. Photini diversæ condemnationes, 1300. *not.* c. Fides contra ipsum scripta, 1174. d
Phrygia duæ, 1172. c
Pietas in quovis est honoranda, 66. f. Ejus commendatio, 1357. b. Pietatis professionem spes alit, 770. d
Piis frequens à teneris pugna est, 430. b. Piorum vita quot sustineat bella, 527. f. iniquis, diabolo & ministris ejus est perosa, 314. d. Piorum conspectus gravis impiis, lætus justis, 301. b. Piæ vitæ cognitionem & verum usum assequi nequit homo sine Dei gratia, 241. f
Pisidia, 1172. c
PISON à Troada, 1324. c
PISON à Vanis, 1324. e
Placendum Deo etiam corpore, 174. f. Placendum hominibus, quantum licet, 175. a. Placere tantùm hominibus velle, Deo est displicere, 90. c. Ex Deo magis, quàm in Dei contumeliam hominibus est placendum, 90. b. Non est majus vinculum placendi hominibus, quàm ut nemo sui causâ velit placere, 90. d. Non avocat Deus ab hominum gratia fidelium mentes, 90. c. Quisquis nunc placere Deo vult, displiceat impiis necesse est, 355. b
Placiti doctrina, 1037. b
Platea quid, 269. d
PLOTARCUS, 1293. c
Pluvia, verbum Dei, 196. c. Pluvia segregata, Paulus, 196. b
Pœna impiis præparata arcu significatur, 137. d. Pœnæ ultrices, sagittæ Domini, 373. d. Pœna divitis post hanc vitam, 395. a
Populus Dei, omnes homines, 554. c. per privilegium, populus Israel, *ibid.* Huic comparati ceteri quasi incogniti habebantur, *ibid.* Populo Dei quid congruat, 461. e. Populum Dei comedentium triplex genus, 88. c
Porci, hæretici, 637. f
PORPHYRIUS, 1292. e
Porta regia, 422. e. Quomodo justi ab ejus aditu inimicos suos arcebunt, 423. a
POTAMII sententia apud Sirmium, 1152. c. Potamius damnare urbis Romæ episcopum gaudet, 1328. b
Potentes iniqua jubentes nihili æstimandi, 66. d
Potestas in gladio significatur, 593. c. Potestatis perfectæ est, hoc posse facere quod quis possit dicere, 857. c
Potestas ligandi ac solvendi, 211. c
Potestatibus sæculi adversantibus Ecclesia fundata fuit, 1264. c. Carpuntur qui earum suffragia ad illam tuendam putant necessaria, 1264. a. Potestas iniquorum sic Dei judicio perit ut cera ab igne, 191. f
Potestates aëris capilli verticem, sine sensu eorum quibus insistunt, proculcant, 205. c. ipsa corpora usque ad animæ mentisque sedem interlabuntur & penetrant, 205. c. toto in orbe per momenta singula commeant, 205. d. unicuique in eo quod delinquat auctores sunt, 205. d. Mortis humanæ auctores mortis humanæ pœnam omnem excipiunt, ubi mortis Dei auctores fiunt, 205. a
Præceptum, lex, testimonium &c. non unum & idem sunt, 242. b. Præcepta gentilia, 164. a. Præcepta Dei nec mediocriter comperta habent idolorum cultores, 317. b. Præceptorum evangelicorum & apostolicorum David non ignarus, 254. e. Præceptis veteris ac novi Testamenti confertus est XIV. Psalmus, 61. b. Quæcumque jussit Deus, justa & testata & vera sunt, 348. d
Præcepta Dei non solùm agenda, sed & diligenda, 350. b. eos erudiunt qui illa opere explent, 320. a. Præcepta Domini duriora auctoritate non mediocri firmari debuerunt, 693. a. Unde firmata, 694. b. Præcepta Dei, si voluntas adsit, non sunt difficilia, 315. e. Universi universa ad summam placendi implere non possunt, 315. d. Nequaquam possumus dignè præcepta Dei secundùm propositum voluntatis explere, 412. e
Præcipitatio, 75. a
Prædestinatio. Deus prædestinavit quos præscivit, 196. b. Providus voluntatum segregavit voluntariam pluviam præsciendo, 196. d. Felicem bonæ voluntatis pluviam segregavit, 196. b
Prædicatio acui comparatur, 705. e. quî rete sit, 677. d. cibus & esuritio est prophetarum, 581. a. Prædicationis escam dat Deus, 574. a. Hæc compedes solvit, & sæculi cæcitatem fugat, 574. a. b. Prædicatione verbi Dei, velut sagittis, diaboli regnum evertitur, 558. a. Prædicationis ministerium Ecclesiæ debet episcopus, 879. c. Prædicationis officio debet abstinere peccator qui in peccato manet, 280. e. Vult Deus eloquia sua à casti corporis casto ore tractari, 280. f. Prædicatio stulta quantum malum audientium, 947. e
Prædicantes Christum debent simpliciores adversùs humanas doctrinas obstruere & instruere, 1122. b. Quanta debeat eorum esse scientia, 1122. e. Hanc ex omnipotenti Dei sapientia debent expetere, 1122. c. Prædicandi Evangelii virtutes verbum à Spiritu-sancto accipiunt, 197. c. d. Prædicator veritatis, sancti Spiritus organum, 56. e. Auxilium ei à Deo est, 308. b. Prædicatorem veritatis iniquitas oderit necesse est, 308. b
Prudentia serpentis ad vincendos primos parentes imitanda, 655. d. prædicatoribus est erga peccatores, 1361. c
Præfectura sublimis, 123. d
Præscientia peccati non infert necessitatem, 525. c
Præscientia prophetica, 629. f
Præsentia curare non debemus, sed futura, 364. b
Præsentiæ Dei in actis suis memoria, 364. b. Non condignus est Deus conspectu ejus qui immundo sit corde, 364. b. Præsentia Dei nos cautos & ad eum patentes postulat, 356. d. Quî Deus non inest vitiosis, *ibid.* c
Præsentiam sancti, tamquam conscientiæ onus, impius non sustinet, 301. b
Præteritorum liber, id est, Paralipomenon, 325. e. 451. c
PRÆTEXTATUS, 1292. e
Prætor, 30. b. 31. a
Prævaricatores vulgò putantur, qui aliud polliciti aliud agunt, 334. a. Prævaricatores sunt, qui à naturali lege discedunt, 334. b. d. omnes sunt, 334. a
Praxeos liber, 682. a
Precatur nemo nisi quod speret, 216. a.
Preces operibus nudæ non prosunt, 466. d. Preces pro rege, 1220. a. pro salute

regis, pro regno illius & pro pace, 1345. e
Preſbyteri Hilarii, 1125. c. Sine preſbytero opus ſacrificii eſſe non potuit, 1294. a
Preſbyterium Romanæ eccleſiæ, 1339. a
Pretioſius nihil putant viri auro, feminæ gemmis, 341. a
Primogeniti in lege, poſt ſe natorum patres habentur aut nomine aut genere, 611. a
PRIMUS, 1346. c
Princeps ſubjectæ ſibi univerſitatis nomen cauſamque complectitur, 680. a
PRISCUS, 1346. c
Procia, 1292. e
Profunda. Neſcientis, aut patientis, aut ſecreto cordis orantis, eſt de profundis clamare, 437. c
PROHERESIUS, 1324. b
Probatione poſterior eſt cognitio, 507. a. Probatio Chriſti humilitas ejus, 507. a. d
Prolationis nomen quî Ariani conentur excludere, 883. a. d. Quid eo intelligat Valentinus, quid Eccleſia, 883. b
Pronomina uſu honeſto & neceſſario græcitas ſemper uſurpat, 1093. a. Pronominum & cognominum diſcrimen, 893. c
Prophetæ, torcularia, 718. e. Prophetarum verba, olera, 676. c Prophetarum dicta Dei verba ſunt, 343. d. Propheta loquitur officio oris, ſed cognitione non ſua, 471. a. An Prophetis indulta fuerit intelligentia eorum quæ prædicarint, 366. a. Quædam futura ex præterito locuti ſunt, 388. b. Prophetica ſcientia gerendis gaudet ut geſtis, 118. d. Chriſtus in eis manſit Spiritu, 1093. c. Prophetæ ſpiritales ſunt, 86. a
Prophetarum opus Chriſtus, 727. c. 821. a. Unde Judæorum in ſe odium concitarint, 727. b. pueris ſunt adumbrati, 665. b. Prophetarum officium erat, à peccatis revocare; Chriſti proprium, ſalvare, 816. b
Prophetiæ omnis labor ac conſilium, 479. d. Prophetia aut ad ſcientiam audientium aut ad voluntatis innocentiam inſtituta eſt, 146. a. Propheticæ magnificentiæ magis dignum eſt beata & æterna & cæleſtia prædicaſſe, quàm terrena, 415. a. Prophetici ſermonis auctor eſt divinus Spiritus, 504. d. Prophetiæ Spiritus ſemper idem, 80. b. 876. d. Prophetiæ ſermo eructandi verbo expreſſus eſt, 365. d. Prophetia pro gerendis geſta memorat, 153. a. 408. b. Cur, 38. b. 419. e. Prophetici ſermonis communis eſt uſus, non ſenſus, 370. d. Prophetici libri montes ſunt, 379. a. non ſolo aurium judicio ſunt æſtimandi, 401. e. Prophetia omnis de Chriſto lucerna ejus eſt, 459. d
Propinquorum vitioſus affectus à nobis eruendus, 627. b Propinquitatum jus & nomen unde jam ſumendum, 675. a
Proprietas divinarum perſonarum, 1083. b. Proprietatis æqualitas, 934 c
Proſelytorum plebs apud Iſrael, 685. d. 725. f
Proſpera. Hominum natura ad res ſecundas inſolens eſt, 398. a
Proſpectus Domini ad homines, 84. e
Protectionem Dei meretur orationis fides, 143. e
PROTOGENES, 1293. a. 1315. c. d. 1316. a. f. 1317. b. e. 1319. d. dicitur apud acta Marcellum & Paulum anathematizaſſe, 1317. d. & ſententiæ adversùs Marcellum ſubſcripſiſſe, 1310. a. frequenter, 1321. c. Marcelli ſectam in Concilio quater damnavit, 1315. c
Proverbium quid, 427. d
Providentia Dei, 578. f. ab aliquibus negatur, 564. b. Providentiam Creatoris laudant omnia, 589. c. Per multam Dei curam multiplicatur animæ virtus, 501. c
Proximus noſter Chriſtus, 723. e
Prudentia humana in Dei rebus deficit, 822. b. Prudentiæ prima pars, ut quod quis non intelligit, ſapienter interroget, 272. d. b. Prudentia ea ſola vera eſt, quæ ab infantiæ ipſius inchoatur exordiis, 241 c
Pſallere religioſas corporis operationes ſignificat, 573. a. *Pſallite* ubi dicitur, ad corporis opera refertur, 470. a
Pſalmus quid propriè, 11. c. 173. c. quid myſticè, 11. e. 12. c. Pſalmus non tam vocis, quàm corporeæ operationis officium ſignificare ſolet, 576. e
Pſalmus cantici quid propriè, 11. d. 173. b. quid myſticè, 12. b. c
Pſalmorum liber unus eſt, non quinque, 1. a. cur in tres quinquageſimas ſit diſtributus, 594. e. 595. a. b. Pſalmorum apud Hebræos ordo & numerus non idem eſt atque apud Septuaginta, 594. f. Pſalmi apud Hebræos ordine ac numero carent, 6. c. 29. b. ab Eſdra in unum volumen collecti, 6. d. e. à Septuaginta in numerum & ordinem redacti, 6. d. 29. b. rerum ordine ſervato, non temporum, 6. e. Pſalmorum ordo ac numerus myſticus, 6. e. & 7. a
Pſalmi muſico metro primùm ſunt ſcripti, 13. a. Tituli eorum varii, 10. d. Pſalmi etſi à quibuſdam inſcripti *Pſalmi David*, 1. b. non ſunt ſolius David, 2. b. ſed eorum quorum nomen præ ſe ferunt, *ibid.* & qui ſine nomine, ad eum pertinent qui ſuperioris auctor inſcribitur, 3. b. Aliquot Jeremiæ, Aggæi & Zachariæ abſque auctoritate ſunt inſcripti, 3. a
pſalmorum tituli ad eorum intelligentiam nos dirigunt, 367. c. Pſalmus & titulus auctoritatem ſibi invicem præſtant, 367. d. Pſalmi ſimpliciter *in finem* inſcripti ſpiritaliter ſunt intelligendi, 157. a. quomodo intelligendi qui *intellectûs in finem* inſcribuntur, 83. e. qui *τῷ David*, aut qui *τȣ David*, 83. d. Titulus *pro his qui immutabuntur* quid, 136. a
Pſalmorum auctor eſt Spiritus Dei, 504. d Pſalmi ad perfectam Dei cognitionem & obeditionem nos edocent, 316. b. alii ſunt faciles, alii captu difficiles, 53. c. Ad eorum intelligentiam juvat ſcire quis ac de quo loquatur, 14. b. Pſalmi prophetiæ ſunt evangelicorum myſteriorum, 4. a. &c. doctis ut indoctis clauſi & ſignati ſine fidei clave, 4. c. 5. a. quique ſuas habent claves, 13. b. Pſalmorum clavis, Chriſti fides, 5. a
Pſalmi non tantùm res ſui temporis nuntiant, 368 d. In iis nihil humile aut commune, 339. d. nihil niſi propheticum, 546. f. Quid ſub familiaribus verbis lateat, 339. e. Quando cognoſcantur myſteriis referti, 594. d. Pſalmorum liber ultra litteræ opinionem celſioris intelligentiæ ſenſu digeſtus eſt, 594. e. Pſalmorum intelligentia ſpiritalis nequit reſpui, 407. b. Pſalmus intelligi poteſt ſpiritaliter, licèt titulus hiſtoriam præferat, 367. e. Pſalmi aliqui, qui titulis res geſtas præ ſe ferre videntur ab iis plurimùm diſſentientes, rerum ſpiritalium ſignificant effectus, 157. a
Pſalmi prophetæ vera geſta continent, ſed quæ Chriſti ſint prophetiæ 113. b. Sunt qui in omnibus fere pſalmis perſonæ Chriſti nihil convenire putant, 107. b. Hilarius mavult, ſalvâ rerum veritate, plurima in eum convenire, 107. c. Plures exiſtimant omnia pſalmorum verba ad Chriſtum eſſe referenda, 157. b. Laudantur, ſed non probantur, *ibid.* Quatenus ad Chriſtum referri debeant, 157. c. d. e. Quî omnes de illo ſint, 504. f. In eis ſacramentum omne corporei adventus continetur, 504. e. Ad Chriſtum referenda eſt omnis prophetia pſalmorum, 15. c. Sed ubi ad eum prophetiæ ſermo ſe referat, rationabili ſcientia diſcernendum, *ibid.* Quid perſonæ ejus dignitatique conveniat dignoſcendum, 15. d. In pſalmis qui de Chriſto ſunt intelligendis regula, 103. d. In pſalmis de Chriſto ſemper eſt aliquid peculiare, quod alteri non conveniat, 543. c
Pſalmus I. quàm multa documenta contineat, 16. d. Pſalmus II. an pars primi, an ſecundus dicendus ſit, 27. c. primus à Paulo appellatur, cur, 29. c. Pſalmus XIV. ſcribendus in corde, in memoria ſignandus, condendus in viſcera, 68. b. Pſalmus XV. ex perſona Domini intelligendus, 117. d. Pſalmus XVII. totus eſt ex perſona Domini, 553. d. Pſalmus XXXVII. item totus eſt ex perſona Domini pro nobis dolentis, portantiſque peccata noſtra, 232. b Pſalmus XL. ex perſona Domini omne paſſionis ſacramentum eloquitur, 449. d. Pſalmus LII. omnis eſt de Chriſto, 85. d. Pſalmi LIII. & LIV. ad eumdem ſunt referendi, 94. f. 103. d. Pſalmi LV. enarratio inter David & Chriſtum hominem erit temperata, 113. b. Pſalmus LVI. eſt de Chriſto, 117. d. Pſalmus LVIII. de David ſimul & de Chriſto tractatur, 127. e. Pſalmus LIX. non conſonat hiſtoriæ titulo prænotatæ, 135. b. res geſtas præ ſe fert, non ut ob eas res ſcriptus eſſe, ſed ut quo tempore ſcriptus ſit noſc[illegible] 135. c. & *ſeq.* Pſalmus LXIV. congregationem gentium, quæ Dominum laudaturæ ſunt, nuntiat, 162. f. Pſalmus LXV. eſt ex Prophetarum perſona, 173. d. In pſalmo LXVI. omnis ſermo vel Prophetarum vel Apoſtolorum eſt, Chriſtum aut veniſſe aut venturum prædicantium, 185. c. Pſalmus LXVII. totus ex veteris ac novæ legis ſacramentis eſt contextus, 190. f. Pſalmus LXVIII. eſt de Chriſto, 215. c. d. In eo eſt facta à Chriſto rememoratio in impios ultionis, & retributionis in ſanctos, 232. c
Pſalmi CXVIII. doctrina quid contineat, 335. e. ſcopus, 294. c. tradit elementa vitæ piæ, 241. c. omnia vivendi, credendi & placendi Deo præcepta continet, 243. b. perfectum virum ſecundùm evangelicam doctrinam conſummat, 9. a. perfectum Legis & Prophetarum & Evangeliorum virum Propheta in eo conformat vel ex ſua vel ex alterius quem inſtituat perſonâ, 316. c. 317. b
pſalmum CXX. quidam ad Chriſtum referendum putant, 378. b. Pſalmum CXXI. intelligit, qui cælum anhelat, 384. d. In pſalmo CXXV. gratulatio eſt animæ ex captivitate vitiorum in libertatem cognitionis Dei redeuntis, 408. c. Pſalmus CXXVI. eas ſpes omnes prænuntiat, in quas ſe ſanctorum fides extendit, 415. b. Ejus auctor Salomon, 415. d. Pſalmus CXXVIII. ad patientiam nos inſtituit, 430. b
Pſalmus CXXX. univerſitatem hanc ex Dei bonitate profectam docet, 483. a. Pſalmus CXXXI. ad perſonam Domini & ad ſanctificationem Eccleſiæ referendus, 451. f cognitionem filii Dei & ſacramentum aſſumtæ ab eo carnis nos edocet, 445. c. In pſalmo CXXXIII. an aliquid additum, 466. b. Pſalmus CXXXIV. per corporalia geſta ſenſum prodit altiorem, 468. f. Pſalmus CXXXVI. Babyloniæ captivitati poteſt convenire, 490. b. Eo tamen potiùs captivitas ſpiritalis tractatur, 491. b. Apud quoſdam Jeremiæ titulo inſcribitur, 490. c. quo caret apud LXX. 490. c. Pſalmus CXXXVIII. totus eſt ex perſona Chriſti, 505. a. 506. e. 511. e. Pſalmus CXXXIX. eſt oratio aut David, aut fidelium, aut potiùs Chriſti non ſecluſis fidelibus, 526. c. d. e
Pſalmus CXLI. eſt de Chriſto in David adumbrato, 542. d. e. f. Pſalmus CXLII. eſt ex perſona Prophetæ intelligentis ſe in peccati corpore, 547. a. In eo ad Chriſtum referenda, quæcumque ſub Prophetæ nomine dicentur, 547. c. Pſalmus CXLIII. eſt de Chriſto, 553. c. Pſalmo CXLIV. Chriſtus nomine David laudatur, 562. f. In pſalmo CXLVI. verſus adjectus, 580. a. Pſalmus CXLVII. eſt æternæ Jeruſalem prophetia, 582. c. 585. f. Pſalmus CXLVIII. eſt gratulatio ædificatæ Jeruſalem cæleſtis, 585. g
Pſalmi ſemper & ubique cantandi, 285. d. e. Pſalmographus Chriſtum videre

exspectat, 82. a, Christianus est, 81. b. Psalmorum liber apud Græcos ex hebræo emendatus, 287. a. Psalmi lectio ante habitum de eo Tractatum, 57. b. 60. e
Psalterii figura, & quid adumbret, 6. a. Psalterium decachordum, 560. b. Psalterium liber legis, 166. a
Pseudoprophetæ vulpes, 643. d
PTOLEMÆUS, 341. b. auctor fuit legis ex hebræo in græcum transferendæ, 6. d. 28. a
Publicani, 648. a
Pudicitia gloriosum ac nitens sordenti carni lumen invehit, 336. b
Puer doctrinæ Dei ac præceptis timoris à teneris assuefaciendus, 251. d. Puerorum indoles quî fidelibus imitanda, 698. a. Puerorum sunt Angeli, 699. b
Pugna. Pii sæpe & à teneris impugnantur, 430. b. Pugnæ hujus auctores ac ministri, 430. f. Certamen legitimum, 430. Pugnantes nos adversùs nequitias spiritales Angeli juvant, & misericordia Dei protegit, 178. c
PULLENTIUS lector, 1361. a
Pullorum duplex generatio, 728. b
Punit Deus, ut sanet, 226. b. c. d
Pupillus, qui patrem sibi diabolum abjuravit, 574. d
Purgandi sumus igne judicii, 258. c. 261 a
Puritas perfecta baptismo non redditur, 258 b
Purpura perangusta vestis, 1211. d
Puteo infernæ mortis sedes significatur, 222. e. Puteus vitæ, & puteus interitûs, 111. c

Q

QUadragenarius numerus, 618. a
Quærendi Dei ea causa est, quòd Christus sit exauditus, 229. a. Quærentium Deum merces, 233. d
Quæstiones captiosæ adversùs fidei doctrinam non sunt audiendæ, 1121. d. Quæstiones multæ per fidem expediuntur, 1079. a. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat, 1080. e. Quæstionum difficilium morosæ absolutiones lectoribus graves sunt, 1005. a
Quæstor, 1267. b. c. 1270. b
Quies Patris in Filio creatore, 239. d. Quies Dei Christus, 239. f. Quies Domini Jesu Christi in invisibilibus rebus creatis æternitate præditis, 239. e. Quies justorum in Christo, adeoque in Dei requie, 239. f. In hanc requiem aditus quomodo omnibus & qua conditione pateat, 240. b. Quies æterna, 62. d. Quies inops, vitæ quoddam exsilium, 765. b
QUIMATIUS, 1322. a
Quindecim gradus ad sancta sanctorum, 10. b. Quindecim graduum Cantica, 10. a
Quinquagenaria trina psalmorum quid adumbret, 7. c
Quinquagesimæ post Pascha religio, 8. a.
Quinquagesimi numeri mysterium, 7. a
QUINTIANUS, 1323. e. à synodo Sardicensi condemnatur, 1289. c
QUIRIUS à Mareota, 1324. d
QUIRIUS à Phil. 1324. e
Quis. Ubi dicitur, *quis?* ibi aut rarus significatur, aut nullus, 131. c
Quotidie æternitatem sonat, 202. d

R

RAcha vacuitatis opprobrium, 625. e
RACHEL in genesi typum gessit Ecclesiæ, 613 d
Rapiuntur quæ contra naturam sunt desiderata, 219. d
Ratione animus tamquam certissimo duce nititur, 192. e. Rationem sequi debet voluntas, non præire, 1034. c. Ratio humana in quàm multis deficiat, 807. c. 810. a. 817, b. *& seq.* non est audienda adversùs Dei testimonium, 889. d
Ravennensis, 1293. d
Reconciliari citò debemus cum adversariis, 626. b
Redemtio nostra Filius, 440. e. Redemit universos, 442. a. Qualis sit hæc redemtio, 489. a
Regeneratio quid, 707. b. regenerationis effectus, 660. b. remanente concupiscentiæ lucta, 660. d. Regeneratione accipimus ut Dei simus, 892. a. Regeneratus, est divinæ naturæ particeps, 776. d. Regenerati ingenii sensus, 776. c
Regenerationis æternæ tempus ac beatitudo, 144. c. d
Regni Israel casus denuntiatur, 670. d. Regna in nobis à Domino deleta, 476. d. *& seq.* a. c
Regnum Christi, 459. b. non latet, 459. c. nos sumus, 590. c. 1104. b. An Christi bonitati conveniat virgâ ferreâ regere, 45. b. Sancti hîc egentes, postea in regno Domini abundabunt, 396. c. Regni Christi nullus est finis, 1099. c
Regnum Dei, & regnum Christi, 55. a. Regnum Christi ante resurrectionem, 144. a. b. in cælestis Jerusalem tempora reservatum, 7. d. ex quo in regnum Dei patris provehemur, 315. b. Regni æterni participes reservat Dominus, 571. a. Per regnum Domini ad regnum Dei patris adscendimus, 589. f. *& seq.* proximi tum regno Patris, cùm Filii erimus in regno, 570. d. Regni dominici tempora, 414. c. beatitudo, 415. b. Regnum Domini in pace & unanimitate sanctorum est, 582. d. nuncupatur Jerusalem ut civitas pacis, 582. d. e. consummatur resurrectione per conformitatem gloriæ Dei, 582. d. Propter conformationem corporis Dei, in quo se antè speculatur, Sion nominatur, 582. e
Regnum Deo traditurus Dominus, non regni potestate est cariturus, 590. c. Regni traditio, nostra provectio est, 590. c. ei non perit, post quàm illud tradiderit Patri, 144. b. Post quàm Christus tradidit nos, Patri conregnat in nobis, 55. b. Regnum Dei per generationem legis & per generationem fidei frequentabitur, 575. a. Nunc non omnia Deo serviunt, 312. d. Regnum Dei in Apostolos Christo mediante transfusum, 671. b. Regni Dei possessio, id est, paradisus, 21. a
Regnum Dei patris consummatâ in nos cælesti gloriâ, 7. d. Regnum æternum est, quo sanctis conregnantibus Deus regnabit, 563. d
Regnum cælorum ipse Christus est, 672. a. Regnum cæleste per misericordiam Dei nobis præparatur, 153. c. 154. b. Regni cælestis spes, inchoatio & perfectio psalmis CLXVII. & CXLVIII. tractantur, 585. f. Regni beati civitas quomodo hîc cœpta, pòst consummanda, 583. c. Regnum cæleste quibus gradibus compleatur, 586. a
Regni cælorum tempus, 383. e. sedes, 589. f. felicitas, 584. b. Hujus desiderio vitæ hujus prolixitatem luxere plures sancti, 374. e. Regnum cælorum sola verborum officia non obtinent, 638. f. Quî rapiant illud gentes Judæis, 664. d. Regnum cæleste conscensuri super nivem dealbabuntur, 199. a
Religionis opus officium est obedientiæ, 775. b
Reliquiæ. Sanctus ubique beatorum Martyrum sanguis exceptus est, & venerandа ossa quotidie testimonio sunt, 1243. a. *V.* Sepulcra.
Rememorationis precatio de quibus fiat, 232. b
Renuntiantium sæculo Deus est portio, 287. b
Repello. Deus non repellit quemquam à mandatis nisi obnitentem aut negligentem, 252. c. *& seq.*
Repetere semel dicta interdum necesse est, 883. d
Requiei & habitationis distantia, 61. d. Requies Dei quî in sanctis, 457. a. Requies æterna, in quam justus per Angelos deducitur, 125. e
Requirendum aliquando in margine litterâ r notatum quid sibi velit, 1338. a. 1337. *not.* n
Res naturæ non idem est quod natura, 960. e. Rerum nomina sunt *ego & Pater*, 935. c
Responsionum ratio ex interrogationum causis proficiscatur, 994. a
RESTITUTUS Carthaginis legatis Arimin. auctor est ut à fide tuenda deficiant, 1346. c
Resurrectionis virtus est baptismi regeneratio, 990. a. in paralytici curatione figuratur, 647. a
Resurrectionis suæ dominus fuit Christus, 116. a. Resurrexisse per se à mortuis non potuit nisi Dei natura, 923. b. Resurrectionis Christi tempus, 751. c. Cur primus ejus index Angelus, 751. d. Cur mulierculæ primùm illius consciæ, 751. d
Resurrectio eorum, quorum corpora post Christi passionem Jerosolymis visa sunt, qualis fuerit, 40. b. *not.* d
Resurrectionis nostræ spem in Christo resurgente speculamur, 231. a. Resurgentes nos ex mortuis in Christo resurgente contuemur, 193. d. qui vitam nobis ex mortuis in se resurgente quæsivit, 193. d. Coexcitamur à Deo in Christo, 774. a. d Resurrectionem nostram in resurrectione nostri in Christo corporis speculamur, 403. d. Resurrectio corporalis & spiritalis, 48. a
Resurrectionis prædicationi contradicunt infideles, 395. b. Cur illam desperent, 152. a. Resurrectionis incerta fides voluptatum amorem parit, 632. e. Resurrectionis fidem nullam futuram flevit Jesus Lazarum à mortuis excitans, 220. f. Resurrectionis possibilitas, 77. c. Resurrectio carnis ei non est difficilis, cui prima inchoatio fuit facilis, 160. d. Resurrectionis sperandæ fides in lege contineretur, 723. b. 722. e. Ut decreta doceretur, Moyses cum Christo transfigurato visus est, 694. a
Resurrectio erit omnium, sed non omnium erit gloriosa, 212. c. 418. d. Quorum erit gloriosa, 212. b. 418. d. Resurget omnis caro, sed non omnis demutabitur, 233. b. Resurrectio sine demutatione, salus in nihilum, 114. f. *& seq.* a. Hanc peccatoribus meruit Christi mors, *ibid.* Ad pœnæ sensum illis est constituta, 115. a. Resurrectione demutabuntur tantùm qui cum Christo per fidem & commortui sunt & resurgent, 110. d
Resurrectio impiorum qualis erit, 23. d. 24. b. 91. d. 433. e. Resurgent terreni & in dedecoris corpore, 459. e. Resurgent ad ignem æternum, 635. d. Resurrectio eorum aquæ decurrenti ac ceræ liquefactæ comparata, 124. c. Corpora ipsis spinas producent, 125. c
Resurrectio justorum non ambigenda, 635. e. Qualis erit, *ibid.* Resurrectio gloriosa, nuptiæ, 735. d. Quî primo progressu ad resurrectionem præparamur, 735. c. Resurrectionis tempus, 420. a. Resurrectionis gloriâ & tempore ceteros anteibunt Apostoli, 716. a. Resurrectio misericordiæ Dei munus est, 153 d. 212. a. Resurrectionis tempus matutina misericordia, 549. d
Resurget idem corpus, 48. c. 116. b. Demutatione potiùs quàm creatione novum erit, 116. b. In quo sita sit illa demutatio, 115. e. 116. b. Resurrectio vocatur spiritalis nativitatis generatio ex mortuis, 144. b. Corporum post resurrectionem spiritalis & æterna natura pennis significatur, 515. b. In resurrectione corporum substantia non abolebitur, sed gravitas terrena, 658. a. *not.* g. Salvi ex solido futuri sumus, 658. c. Resurrectione glorificati corporis solida erit & indemutabilis natura, 383. a. corpora in formam

formam soliditatemque membrorum cogentur, 211. f. corruptio naturæ imbecillis naturæ cælestis incorruptione mutabitur, *ibid.* peccatum, mors, corruptio à vita & immortalitate devorata erunt & exhausta, 231. a

In quam formam resurrecturæ sint feminæ, 722. c. Corpora in statura viri perfecti suscitanda, 634. a. Habitus futuri opinionem liberam permisit Deus, 634. a. inutile est quærere, quæ tum species corporum, quæ alimonia sit futura, 632. d. 633. a. De resurrectionis conditionibus nihil Scripturis prophetalibus contineri, publica opinio est, 722. b. Quæ beatitudo resurrectionem excipiat, 144. d. Resurrectione donati nullius egebunt ad corporis animæque substantiam, 583. b

Revelationis Dei commendatio, 1097. a

Rex & judex unde differant, 50. b. Rex sanctus, 1267. a. Regum potestas à Deo per Jesum Christum, 1345. a. Regi reverentia potissima est deferenda, 1282. c. Regum præcepta cum honore & religione releguntur & audiuntur, 56. e. Ad regum egressus quanto studio curratur, 289. d. Preces pro salute regis, 1345. e. Mysteriorum sollemnia pro incolumitate regis, 1228. a

Regum est libertati subditorum excubare, 1219. a. Regibus piè se adulari quidam frustra putant, 89. e. Regibus in nos plus non est potestatis quàm latroni, febri *&c.* 89. e. Regibus iniqua poscentibus famulari quàm indignum, 66. d. Regis judicium episcopalibus arbitriis non æquanimiter admitti, 1282. c. Reges terræ diabolo in regnum deputati, 49. a. *not.* a. Reges sibi deos antiquitas finxit, 573. a

Regum nomine indicantur dæmones, 664. a. Reges terræ sancti frequenter nuncupantur, 282. e. Reges sunt, qui carni non serviunt, 485. a. qui corporis sui dominantur, 501. d. qui non sunt servi peccati, 144. a. qui sunt coheredes Christi, 144. b. d. Reges, regni Dei consortes, 560. c. Quomodo salus eorum in Christi salute, 560. f. *V. Indicem Glossar.*

Rhamnus, 125. b

Roeo, 1323. e

Roma, 1327. b. Constantius usque ad Romam bellum suum vertit, 1247.

Romani regis bellum, 230. c. edicta adversùs Judæos, 130. d. 133. d. In Romani Imperii sede specialiter evangelica doctrina consistit, 9. d. In Romani Imperii negotiis quies carpitur, 1282. a

R o m a n i an. 347. damnant Photini hæresim, 1298. a *not.* g

R o m a n u m Concilium sub Novato & Sabellio & Valentino hæreticis, 1320. f Romana anni 341. synodus, 1290. e

Romana sedes. Optimum est ut ad caput, id est ad Petri apostoli sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes, 1290. c. Romanorum episcoporum, ex quibus plures martyres exstiterunt, successio, 1331. c. Liberius testatur se, more majorum, episcopatui urbis Romæ nihil addi, nihil minui passum esse, 1331. c. nec sua sed *apostolica* statuta se tueri, 1331. c. Urbis Romæ episcopum damnare gaudent Potamius & Epictetus, 1328. b. Sardicensis synodus Julium rogat, ut per ipsum Italia, Sicilia & Sardinia synodi acta addiscant, 1292. a. Romanæ Ecclesiæ legati an. 349. intersunt Concilio Mediolan. 1334. d

Romanæ Ecclesiæ presbyterium, 1339. a

Romani clerici, 1223. a

R o m u l u s, 1361. b

Ros benedictionis nota, 464. a

R u f i a n u s, 1361. b

S

Sabbata sabbatorum, 7. e

Sabbatum perfectum, & quæ ante illud paranda, 140 c. Sabbato & quies Dei est, & hominum otium, 236. a. Judæi hanc diem ad quoddam testimonium dignationis in se Dei honorant, 236. c. Sabbato Deus operatur, 238. f

S a b e l l i u s, 916. d. 971. d. 1320. f. 1359. a. Ejus doctrina, 199. c. 775. b. *not.* b. c. 789. a. 918. a. 1039. e. Sabellii opinio impia, 855. c. Sabellii & Arii pugna, 918. e. *& seq.* Deum verum in corpore operatum facit, sed Filium ante sæcula subsistentem ignorat, 779. b. c. eumdem divisit in Virgine, 885. b. Sabellius unionem dividit, 833. c. 881. c. Sabellio Pater & Filius unum sunt ex geminatis nominibus unionis, 1040. a. Sabellii secta, 1309. a. 1310. e. dicitur *hæresis unionis*, 1166. e. Sabellius hæresim suam unde defendat, 1230. c. Scripturæ loca ei contraria, 799. d. Error illius confutatur, 918. a. 942. d

S a b i n i a n u s, 1324. c

Saccus habitus est luctûs, 220. e

Sacerdotes, Ecclesiæ oculi, 520. c. Petri & Pauli successores, 1295. c. Ecclesiæ patres & ambitiosi inter Deum plebemque legati, *ibid.* ad ministerii sanctificationem Spiritu-sancto irrigati, 197. f. 198. a. divinæ justificationis ministeria, 249. c. ingenti periculo negotiis sæculi occupantur, 520. c. Constantius Sacerdotes osculo excipit, convivio dignatur, & benedictioni eorum caput summittit, 1245. b. Sacerdotes de altario protracti non leviori impietate, quàm qua Judæi in Christum & prophetas peccarunt, 1246. c. *not.* n

Sacramenta novæ gratiæ vetus homo non capit, 649. a. Sacramenta baptismi & Spiritûs 619. e. Sacramentum, seu, sacramenta aquæ & ignis, 623. c. *not.* d. Sacramentum sancti cibi, 648. e. Sacramentum carnis & sanguinis Christi, 957. d. Sacramentorum mysterium, 956. c. Sacramentorum natura, 951. e. Sacramenta salutis nostræ projecta, 1295. a. *Vide infrà Indicem Glossarum.*

Sacrificia legis necessaria erant, non voluntaria, 100. d. 326. *not.* k. Sacrificium Christi quanto illis præstantius, 100. d. Sacrificium gratiæ & laudis prælatum est sacrificiis legis, 228. c. Sacrificia novæ legis vivæ intelligentisque hostiæ laudibus perficiuntur, 154. c. Hæc David veteribus ut magis exspectata deposcit, non vetera quasi abominanda condemnat, 154. d. Sacrificium vespertinum quid, 535. e. 536. a

Sacrificiorum mensa in nova lege, 224. f. Sacrificium à sanctis sacerdotibus confectum, 1313. b. Sacrificii opus sine presbytero esse non potuit, 1294. a

Sæculum, prout intra tempus continetur, 310. b

Sæculum sæculi, 564. b

Sæculum, vanitas, 555. e. Sæculum, forum, 707. e. mare, 167. c. mare agitatum & incolatus diaboli, 75. b. Ægypto præformatur, 476. a. ignoratione voluptatum suarum nesciendum est, 288. e

Sæculi relinquendi pulcherrimum ac maximè utile præceptum, 704. b. Sæculo renuntiantibus ad diurnam alimoniam collationes ab Apostolis institutæ, 89. a. Sæculum relinquentium merces, 287. b. Qui sæculo renuntiavit, avis effectus est, 328. b. In sæculo nihil habens, eidem nihil debet, 721. e. Sæculum quàm perniciosum his qui ei renuntiarint, 328. a. Sæculi rem famulatus Dei non sine sæculi ipsius vitiis assequitur, 705. a

Sagittæ, doctrinæ propheticæ & apostolicæ, 421. e. Sagitta, Dominus, 421. d. Sagittæ mortiferæ & ultrices, 421. e. Sagitta potens, verbum Dei, 373. a. carnis cruciatus, 373. c. Christus, 374. a. Sagittæ iniquis in pœnam, dilectis Dei ad innocentiam, 374. b. Sagittæ adversùs dæmones emissæ, fidelium verba, 558. a

Salis natura & usus, 623. b. quî conveniat in Apostolos, 623. c

Salinarum vallis, 135. c. 136. c

Salix quid, 492. d. Sanctos significat, 492. d. Ex ejus etiam ramis jussum est in festa Scenopegiorum tabernacula effici, 492. f

S a l o m o n propheta magnus, & merito dilectæ sapientiæ Deo carus, 634. b. veniam nactus est, 87. c. *not.* e. auctor est psalmi c x x v i. 415. d. An hunc ediderit, cùm ædificationi templi & civitatis studeret, 415. c. Salomoni apud Latinos adscribitur Ecclesiasticus, 536. b. Salomonis Ecclesiasticus liber, 641. c. Eidem attribuitur Sapientia, 427. c

Salonæ, 1307. b

Salvatoris necessitas, & qualis debeat esse, 57. e. *& seq.*

Salvificari Christum in Dei nomine, quid, 95. d. 96. b

Salus Christi quomodo salus nostra, 560. f. Salus nulla sine Christo, 775. c. Salvare credentes Christi proprium est, 616. b. Salvandorum Deus est Christus, 203. a. Salvamur, cessante lege, in [illegible] bonitate, 668. d. Salvamur omn[illegible], 849. e. Salus nostra bonitatis & misericordiæ Dei munus, 279. e. universis in misericordiæ indulgentia reservatur, 648. c. Salus animæ & corpori à Deo data est, qua conditione, 152. b

Salutis nostræ causæ, 707. a. Brevis & expedita ad salutem via, fides, 1080. d. Salus principaliter in fide catholica consistit, 1360. b. Salutem fides à Deo sperat, 280. b. Spei doctrina est, ut Deus oratus & misereatur & salvet, 280. b. Salus desperata infrenis audaciæ est, 933. e. Salus nostra à Deo speranda, 141. d

Salus ea vera, quæ ex resurrectione speratur, 222. b. Salutis stipendium, custodire Dei mandata, 353. e. Salutem omnem & spem locantes in Christo, mores debemus emendare, 613. b. Salus est eorum, qui & timebunt, & precabuntur, & diligent, 571. a. Salus quo ordine postulanda, 353. d quàm temere velut debitum & primis precibus postuletur, 353. d. Salus in nihilum, résurrectio sine demutatione, 114. f. *& seq.* a. peccatoribus ad pœnæ sensum est constituta, 115. a. Hanc morte sua Christus eis meruit, *ibid.*

Salutaris non fuit Lex, sed Jesus, 91. f. 92. a

Salutaris nomine Christus gentibus promissus, 58. e. Salutaris, Jesus, 150. b. 186. e. datus est Israël fideli, non carnali, 92. a

Salutatio cum pacis affectu, ut pax potiùs dicta, quàm data sit, 654. d

Samaria Sichima est, 138. e. Joseph à Jacob deputata est, *ibid.* toto legis tempore in impietate mansit, *ibid.* Evangelium ex parte suscepit, *ibid.* vaccas adoravit, *ibid.* 209. c. montem ad adorandum Deum per legis transgressionem elegit, 804. c

S a m a r i t æ qui, 712. c. e

Samaritanæ traditiones, 804. b

S a m u e l ex nomine à Moyse prædictus, 3. d. Moysi coæquatus est ex merito sanctitatis, 4. a

S a m o s a t e n a synodus, 1201. c

Sanctitas Dei, 565. f. *& seq.*

Sanctificatio Christi, 933. a

Sanctus, Christus, 138. d. 201. e

Sancti à peccatis mundati sunt Christi fratres, spiritalis domus, & regale genus, 70. c. sunt mundi istius lumen, 312. d. frequenter nuncupantur terræ reges 282. e. quomodo sunt judices terræ, 50. c. sunt cæli, 311. c. *not.* e. 652. d. Sanctus quisque pro parte Jerusalem est, 495. c. Sancto cuique Dei nomen est destinatum, 1266. a. Sanctitatem mutuantur loca ex sanctis qui ea habitant, 654. e. Sanctis rebus malè præjudicatur, si quia non sanctæ à quibusdam habeantur, esse non debent, 1200. a. Sancti cur afflicti, 348. d

Sanctus consummatè quis, 307. a. Sanctorum hereditas, 143. f. & privilegia post hanc vitam, 593. a. *& seq.* Sanctorum requies sita est in consortio Christi & Angelorum, 240. e. Sanctorum

animi iter Christi in cælum redeuntis præeunt, 207. c. *not.* c. Sancti nobis conſulunt, 404. c. d. Sanctorum meritis quando non juvandi ſumus, quando juvandi, 736. b. *not.* c
Sanctum Dei, 1245. b
Sancta ſanctorum 15. gradibus conſcendebant ſacerdotes, 10. b
Sancta ſanctorum adierunt tribuni, 1246. c
Sanguis Martyrum ubique exceptus, 1243. a
Sanguinum viri, ſanguinum rei, 125. e. 126. a. Sanguinum viri ſunt, qui ſanguinem alicujus optant, 128. d. Sanguinum viros non ſolùm admiſſa cædes, ſed & cogitata conſummat, 128. d. In ſanguine peccatoris manus lavat, qui à reatu ſanguinis ſe continet, 125. c
Sapientes ſtultitiæ ſuæ præſumtione, non prudentiæ cauſis, 666. d. Sapientes mundi in divinis Scripturis cæci, 1200. a. Sapiens ſtultitia & ſtulta ſapientia, 854. c. *& ſeq.*
Sapientia ex natura, & non tantùm ex efficientiis, Christus eſt, 665. e. Sapientia, quæ ex conceſſione hæreticorum Christus, Patri adfuit orbem condenti, 839. f. Quotidianum illius opus, 1135. c. De Sapientia ante ſæcula ſubſiſtente teſtimonium, 1130. a. Cur Sapientia creatam ſe dixerit, 1161. d. *& ſeq.* Sapientiæ domus anima, 428. a
Sapientia, internæ poteſtatis aut ſenſûs efficax motus, 922. b. Sapientia juſtorum uxor, 427. c. innocentiæ mater, 429. c. Filii ejus, opera fidelia, 428. d. Sapientiæ opera quæ, 666. a. Sapientiæ uſus in uſu ſcientiæ perfectus eſt, 243. a. Sapientia ſit ſimplex, & ſapiens ſimplicitas, 1165. a. Sapientiæ veræ eſt, ea interdum ſapere quæ nolis, 947. e. Sapientia voluntatis, 947. e. Sapientiæ ſermo principale Spiritûs donum, 968. a. Sapientia falſa, 822. d. 823. b. d. quî ſit ſtultitia infidelis, 824. a. Sapientiæ nihil in ſe habet impietas, 869. b
Sapientiæ liber Salomoni tribuitur, 427. c
SARACENI, 376. a
SARDICENSIS (vel ut in mſſ. conſtanter, Serdicenſis) Concilii convocandi nullam cauſam fuiſſe contendunt Orientales, 1320. a. Ejus initia, 1315. b. Tria in hac ſynodo fuerunt tractanda, 1291. a. Quot epiſcopi Sardicam ab Oriente venerint, 1315. f. Quam ſynodo optionem propoſuerint, 1316. e. Ad ſynodum non ſemel neque iterum, ſed frequenter vocati ſunt, 1284. d. Qui auctores fuerint, ut ſanctum Concilium non intrarent, 1288. b. c. Sardicæ gravem à ſchiſmatis auctoribus factam eſſe injuriam, 1317. c
Sardicenſis ſynodi ſententia, 1289. b. epiſtola ad univerſas eccleſias, 1283. c. altera ad Julium, 1290. a. Sardicenſis ſynodus ad Imperatores ſcripſit, 1291. e. Memoratur ejus oratio ad Conſtantium, 1306. d. Sardicenſi ſynodo ſubſcribunt epiſcopi unus de ſexaginta, 1293. e. Ejus acta irrita facere conantur Orientales, 1300. a. Sardicenſi ſynodo non reſciſſâ, inanes Arianorum conatus, 1329. a. Sardicenſis ſynodi veritatem Valentis & Urſacii litteræ continent, 1299. a
Pſeudo-Sardicenſis ſynodi fides, 1172. c. 1322. d. quo prætextu edita, 1322. d. ab Hilario inſcribitur fides ſecundùm Orientis ſynodum, 1172. b. & ſynodus ipſa nuncupatur Sardicenſis, 1255. a. Decretum illius in Africam miſſum, 1307. a
Sationes duæ, carnis & ſpiritûs, 412. a. 434. b
Satanas hæreticorum pater, 1268. e. anxius ſuſpicionibus an Christus Deus eſſet, 618. a. d. 624. e
SATURNINUS cum Valente & Urſacio exigit Athanaſii damnationem; 1295. a. ab epiſcoporum Gallicanorum communione ſeparatur, 1138. b. Hilarium damnat, 1267. b. eumque, conſcientiam ſuam veritus, in exſilium detrudit, 1151. b. Exinde communionem rurſum ei negant Galliarum epiſcopi, 1152. b. Saturnini minæ, poteſtates ac bella, 1152. a. Dum eſt intra urbem Conſtantinopolim, Hilarius proponit demonſtrare falſa eſſe omnia quæ in exſilium ipſius procuravit, 1225. d. 1226. b. Saturninus ſtatutis ſalubribus impiiſſimè contradicit, 1355. d. ſecundùm geminas fratrum litteras excommunicatus à Pariſienſi ſynodo habetur, 1355. d. Vetera crimina, & recèns edita epiſtolis ſuis irreligioſitas epiſcopi nomine eum indignum fecerunt, 1355. e
Scandali & laquei diſcrimen, 541. a. Scandalum crucis, 668. e. prædicitur à Christo, 663. b
Scenopegiorum feſtivitas, 492. e
Scientia apud Deum quid ſit, 1030. f. 1031. a. Scire aliud eſt, aliud credere, 295. a. b. Scientiæ & fidei diſcrimen, 302. a. Qui ſcit, non poteſt id quod cognovit non credere, 302. a. Juſſus eſt Adam replere terram ſcientiâ Dei, 185. f. Ad ſcientiam Dei non ſufficit aut ſæcularis doctrina, aut vitæ innocentia, 866. a. Ad ſcientiam Dei proficimus per cognitionem nominis illius, 469. d. Scientia Dei à Deo ipſo diſcenda, 835. c. à Christo nobis tradita, 510. f. *& ſeq.* a. unde mirabilis, 511. f
Scientia Dei perfecta quæ, 793. a. Quod ex alio ſubſiſtit, nec ſe, nec auctorem poteſt abſolutè intelligere, 822. c. Scientiæ divinæ cedit profana, 161. a Scientia ethnicorum de rebus divinis quàm incerta & nutans, 146. c. Maximè prudentes apud eos unum hoc ſe ſcire profeſſi ſunt, nihil earum hominem ſcire, 146. c. Ciceronis effatum, 146. *not.* e. Scientia quàm præclara & varia è ſacris libris habeatur, 146. f. *& ſeq.* Scientia terrena cæleſti ſcientiâ eſt refutanda, 1122. b. Hujus virtus eſt ab eo, in quo Deus omnia poteſt, 1122. c. Scientia cæleſtis, Dei donum eſt, 309. d. præcipuum Spiritûs donum, 195. c. Scientiam non niſi fideles conſequi poſſunt, 295. d. Scientia mandatorum à Deo deprecanda, 301. a. In uſu ſcientiæ perfectus ſapientiæ uſus eſt, 243. a. Scientiâ coruſcantes fulgura ſunt, 474. e pluviæ fiunt, dum doctrinam profundunt, 474. e
Scripturæ tamquam fabulæ rerum inanium à pluribus negliguntur, 277. b. ob inconſiderantiam viléſcunt, 482. c. Nihil in iis rationabile, nihil perfectum eſſe plures jactitant, 279. b. quia pro impietate ingenii ſui capere eas non poſſunt, 279. b. Scripturas intelligentibus nil in iis niſi perfectum, 279. c. In eis non eſt confuſio aut inopia verborum, 242. a. Scripturæ non conſtant ſuperfluis, 482. b. nihil non habent auctore ſuo dignum, 482. b. Quidquid in his eſt, excelſum, divinum, rationabile & perfectum eſt, 482. c. Scripturis non modò nihil ſapientius, ſed & eloquentius nihil, 279. *not.* c
Scripturarum multimoda doctrina, 482. d. Cur earum libri plures ac varii, 482. f. Univerſis, qui in vitam venirent, ſermo Dei conſuluit, 368. d. Scripturæ quàm multâ ſcientiâ nos imbuant, 146, f. *& ſeq.* Scriptura omnis ad cæleſtium bonorum ſpem nos vocat, 283. f. Scripturis Deus ad cognitionem ſui nos erudivit, 890. f Scripturæ non ob aliud litteris conſignatæ, quàm ut ad omnium ſcientiam defluerent, 359. e. Quantus reatus ſit earum ſcientiam non exquirere, 359. d e. 360. a
Scripturæ ſenſus ſpiritales non commentitios eſſe, 407. b. ejuſque veritati vim ab Hilario non afferri, 450. f. *& ſeq.* Qui ſecundùm litteram intelligenda omnia exiſtimant, refelluntur, 491. a. 495. e. Hi conſtituunt prophetas nec terrena rationabiliter dixiſſe, 401. f. In Scripturis ordo dictorum altius quid ultra aurium ſenſum affert, 205. f. Scripturarum ſermo eſt temperatus ad futura præſentibus præmonſtranda, 703. c. Aliquid interdum deeſt rerum præſentium rationi, ut aliud iis præmonſtrari admoneamur, 717. b
Scriptura ſenſibus dives, 670. c. corporalibus geſtis res ſpiritales præmonſtrat, 469. a. 470. e. 473. d. 475. e. 977. b. Senſus allegoricus litteræ veritati nihil detrahit, 640. d. 473. c. Geſtorum veritas non corrumpitur, cùm interiori intelligentiæ ſubjecta oſtenditur, 614. d. Fides hiſtoriæ non periclitatur, ſi rebus effectis ineſſe & connexam extrinſecùs ſignificantiam exiſtimemus, 399. e
Scripturarum intelligentia unde expetenda, 835. c. Scripturæ non in legendo ſunt, ſed in intelligendo; neque in prævaricatione, ſed in caritate, 1230. c. Earum ſecreta ſapientibus mundi occulta, 1200. a. Scripturas hæretici ſuas ad partes trahunt, 1230. b. Scripturis non eſt extorquenda perverſitas, 955. b. Quî eis abutantur Ariani, 984. c. 985. a. Scriptura legis ante Christum edita à Judæis, ſuſcepta à gentibus, ſed intellecta & probata à Christianis, 407. c. Hæc intelligentia donum eſt Dei, 407. d. non negatur petentibus, 407. f
Scriptura myſteriis feta peritum lectorem ac pium poſtulat, 468. b. Ad teſtimonia Dei inveſtiganda præparatio eſt morum probitas, 244. d. Ad intelligenda veteris legis myſteria cæleſti opus eſt magiſtro, & plurimis fidei meritis, 339. d. Scripturæ ſcientia frequenti lectione & ſpiritalis gratiæ dono comparatur, 468. e. Scripturarum ſtudium ſit pervicax, ſed earum intelligentia à Deo exſpectanda, 786. a. b. Ad illas intelligendas neceſſaria eſt gratia, 242. a. Scripturas ut intelligat & aptè eloquatur Hilarius, prophetici & apoſtolici ſpiritûs conſortium rogat, 786. c. Scripturarum intelligentia ex præpoſitis aut ex conſequentibus expetenda, 985. a. Verborum virtutes non minùs oportet introſpicere quàm rerum, 651. c. Singula perſonis, temporibus, virtutibus diſcernenda, 469. a
Scriptura res eaſdem geminis elocutionibus iterare non ſolet, 434. e. numquam ſine cauſa mutat ſibi conſuetum loquendi morem, 869. e. In Scripturis cùm ſermo ab uno cœptus refertur in plures, unanimitas docetur in pluribus, 180. c. Scripturarum clavis, Christi notitia, 5. a. In obſcuris Scripturarum locis juvat multiplicem intelligentiam ſuggerere, 265. b. Scripturas non intelligenti quid præſtandum, 1057. d
Scripturæ auctoritas, 722. b. c. In divinis rebus non frequentiùs dicta, ſed tantùm dicta ſufficiunt, 839. b. non divinorum dictorum, ſed noſtræ intelligentiæ ratio præſtanda, 839. b Scripturas legere, audire & cantare qualiter deceat, 285. d. Judæi ſacros libros legentes manu contrectare non audent, ſed linteo ſubſternunt, 445. d. Eloquiis Dei anima refecta tamquam pabulum aliquod vitæ æternæ in ſe continet, 284. d. Libri, quos à Moyſe & prophetis ſcriptos eſſe Hebræorum religio tradebat, 768. c. Quas Scripturas habuerit Hilarius canonicas, 9. *not.* a. Quæ libro legis non continentur, ea nec noſſe debemus, 463 d. Scripturæ duas tranſlationes Hilarius ſimul componit, 584. a. *not.* g. Locus Scripturæ ignotus, 401. a
SCIO, 1293. d
Scrutationis fructus eſt repertæ rei cuſtodia, 272. d
SCYRUS (qui & Iſchyras) famoſiſſimus, 1287. a. Meletii preſbyter non fuit, 1287. b. omnino preſbyter negatur, 1294. a. 1295 b. falſitatis præmium epiſcopatûs honorem accepit, 1287. b. de diacono epiſcopus aſſeritur ordinatus, ut mentientis ſit major auctoritas, 1294. b. 1287. c

Secoro, 1293. d

Secreta Dei quædam revelare inexpiabilis culpa est, 253. b. c. Secretorum divinorum arbitri acriter arguuntur, 817. d. & *seq.*

SECUNDIANUS presbyter, 1361. a

Secundarum rerum incapax est natura nostra, 324. b

Sedis Dei dignitas, 201. b. Sedes evangelicæ pacis, 201. a

SELEUCIENSIS synodi gesta, 1247. c. & *seqq.* Seleuciensis synodus episcoporum numero multo amplius centum, legatis mandat ut Anomœorum hæresi renitantur, 1349. c. d. Quid illi legati Constantinopoli gerant, 1349. d. & *seq.*

Selmon interpretatio pacis est, 198. e

Semiarianos non credidit Hilarius omnino orthodoxos, 1147. & *seq. Vide* Orientales.

Semita quid, 273. d. 509. c

Sensus in corporibus unde fit, 1043. d. & *seq.* 1064. b. Sensuum usus unde pendeat, 806. d. Nihil in sensum cadit, nisi quod sensui subjacet, 1108. e. Sensus quomodo demutetur per animæ propositum, 1065. c

Sensus multarum rerum causas nescit, quarum non nescit effectus, 1140. d. attingit quædam, quæ non explicat sermo, 682. c. sibi ipse loquitur, intelligens quæ sermone eloqui non valet, 770. b. Sensum superant quædam Christi facta, 682. c e. Sensus dictis subdendus, non sensui dicta, 513. c. Sensum suum non pudeat aliquando demutare, 1097. b. Sensus humanus stultus sibi fit, ut Deo sapiat, 855. c

SEON, arbor infructuosa, 476. d

Septemtrio, 1140. d

Septenarius numerus in Scripturis sollemnis, 363. b

Septuaginta seniores ad custodiendam legis doctrinam à Moyse destinati, 6. d. Septuaginta doctores à Moyse in omni Synagoga instituti, 28. a. secretiorum Legis mysteriorum participes ab eo facti, 28. b. in eodem numero & officio successores habuerunt, 28. b

SEPTUAGINTA interpretes nomine Seniorum Hebræorum nuncupati, 490. e. doctores erant & principes synagogæ, 29. a. legis & prophetarum scientiâ ultra præscriptum litteræ eruditi, 546. e. Moysi traditionis conscii, 28. c. spiritali & cælesti scientiâ præditi, 16. e. libros veteris Testamenti ex hebræo in græcum transtulerunt, 28. a. totam legem transtulerunt, 6. d. psalmos inter ceteros libros transtulerunt, 29. a. quid in eorum translatione præstiterint, 29. b. psalmos in numerum & ordinem redegerunt, 6. e titulum addiderunt ubi non habetur in aliis codicibus, 552. d. f. 546. e

Septuaginta translatorum libri authentici, 3. a. in translationum varietate sunt præferendi, 457. d. Eorum translatio legitima & spiritalis, ante passionem Domini suscepta, in omnibus psalmis eorum sensum causamque manifestat, 135. d. Religiosa & antiqua eorumdem auctoritas, 276. a. Translationem illorum transgredi non est tutum, 267. b. 466. d. Unde hæc eorum auctoritas, 29. a. *not.* a

Sepulcra, corporum emortua domicilia, 194. e

Sepulcra Apostolorum & Martyrum Christum loquuntur, 1084. e

Sepulturis inscripta est vita & mors fortium virorum, 117. e

Sermo vocis est tantùm cùm auditur, non antè aut pòst, 796. b. c. Sermo omnis humanus contradictioni obnoxius est, 1037. a. Sermone quædam eloqui non valet sensus quæ percipit, 770. b

Sermonis nostri infirmitas ad eloquenda quæ Dei sunt, 792. c. Sermo de Deo qualis esse debeat, 866. c. Sermo de Dei rebus ex Dei verbis texendus, 777. b. Quatenus juvet ac liceat species quasdam ex inferioribus quærere, 777. b. Sermonis nullum majus præmium, quàm ut Deo serviat, 785. d. Dei munus est ut bene de eo loquamur, 786. a

Sermonis prophetici, & vulgaris discrimen, 365. c. Sermo Prophetæ qualis esse debeat, 309. c

Sermo Dei nobis, non sibi loquens, nostris utitur in loquendo, 416. c. ad nostram intelligentiam accommodatur, 838. a. 973. b. ex verbis sermonis nostri est expendendus, 232. f. & ex suis causis, 835. e. quàm dives sit, 670. c. plus significationis continet introspectus sensu, quàm exceptus auditu, 769. a. Quantum ei deferendum, 942. a

Serpentis prudentia qua caput ab ictu subtrahit, 655. a. Serpentis prudentia in tentatione primorum parentum, 655. d. Hæc prædicatoribus quomodo imitanda, 655. d. Serpenti comparatur hæresis Ariana, 882. b

Serviri nequit Deo & sæculo, 631. e. Servitium Dei non in senectutem differendum, 354. a. Servum Dei ab ineunte ætate fuisse quàm expediat, 251. e. Servum Dei nemo se ore, sed actis negat, 339. e. Servus Dei non verbis, sed factis dignoscitur, 638. e. Servientium Deo quanta esse debeat fidei pertinacia, 392. c. Servus Dei ut quis permaneat, indiget miseratione Dei, 339. a

Servi carnis, 394. c

Servi peccati, 393. b. Servi gentilium deorum, 393. c. 394. b

Servitus avari, 408. f. libidinosi, 409. a. ebrii, 409. a

Sessio doctrinam significat, 508. c

SEVERINUS, 1338. *not.* d. 1361. b

Severitatis disciplina, 295. b

SEVERUS à Cabula, 1316. c

SEVERUS Raven. 1293. d

Sex diebus, quos gloria Dominica excipit, quid ostendatur, 693. c

Sicco panis cibo quidam hæretici vivunt, 163. c

Sichima, quæ & Sichem, Samaria est, Joseph à Jacob deputata, 138. e

Signaculorum natura, 973. e. 974. e. Signacula septem libri clausi, 5. b

Signum in frontibus, 137. e

Silentium est fidei & juventuti congruum, 252. b. Silentis negotium, 252. b. Silentium de se cur Christus sanatis jubeat, 669. c

SILVANUS, 1337. b. 1349. b

SIMEON inter cunarum sordes per fidem Deum vidit, 59. b

Similitudo sæpe fallit, 1202. b. Similitudinem de Filio nusquam reperies, 1252. e. *Similem Filium genitori suo* nusquam scriptum esse, 1268. d. Similitudo secundùm substantiam ab Arianis respuitur, 1360. d. Similitudo Filii secundùm Scripturas dolosè asseritur, 1352. a. Similitudo qui Hilario sancta, 1254. b. cur hæreticis non concedenda, 1254. a. Similitudinem Filii ad Patrem probè intellectam non respuunt Galli, 1354. b

Similitudo vera in veritate naturæ est, 1202. b. Similitudo naturalis res ipsas coæquat, 1190. e. & *seqq.* Frustra quidam similitudinem confitentes æqualitatem negant, 1191. e. Similitudo naturæ in Filio sine ulla diversitate, 457. a Nativitas per similitudinem æqualis, 934. b

Similitudo carnis peccati, non carnis similitudo in Christo est, 1253. b. exsistente in eo non peccato, sed peccati carnis similitudine, 1368. b

SIMON Samaritanus, 729. b

Simplicitas commendatur, 678. a

SIMPLICIUS, 1338. a

SINFERUNS, aut Sympheron, 1307. b

Singiduni congregati episcopi conantur Germinium ad Ariminensem fidem reducere, 1360. c

Singularitas bona, 541. d

Sinopa, 1324. b

Sinus Abrahæ, in quo justi post hanc vitam reservantur donec regnum cælorum adeant, 383. e 126. b 154. a. Sinibus Abrahæ vivendum sibi sperat David, 80. e

Sion est mons civitati Jerusalem imminens, 163. a. 402. c. 433. c. colliculus templo Jerusalem junctus, 230. e. Sion vera, 457. a. Sion latinè dicitur speculatio, 230. f. 403. c. d. 433. d. 582. e. Eo nomine significatur Ecclesia, 163. a. 433. d. 463. c. & corpus Christi gloriosum, 58. d 433. d. in quo spem nostram vitamque fide contemplamur, 230. f. 581. e. Sion spiritalis, sedes regni Dei, 574. f. In Sion habitabunt, qui Dominum diligent, 231. c

SION, 1325. b

Siracusanus, 1310. a

SIRMIENSIS anni 349. synodus, 1299. a. *not.* b. Illius acta, 1299. c. & *seq.* fides fraudulenta & hæretica, 1301. b. 1303. e

SIRMIENSIS synodus an. 351. [illegible] Photinum, 1155. a. 1156. b. Ejusdem synodi fides, 1174. e. Quid in illa postmodum Arianis displicuerit, 1255. a. Sirmiensis perfidia à Liberio subscripta, 1336. c. Illius conscriptores, 1337. b

Sirmiensis blasphemia per Osium & Potamium conscripta, 1156. c. Sirmio per Osium prorumpens, 1186. e. Quid hac tentatum, 1156. a. Illam Hilarius invitus describit, 1156. b. ejus Verba vocat deliramenta Osii, & Ursacii ac Valentis incrementa, 1255. b. Hæc formula nuncupatur fides infidelis, 1131. b. doctrina impietatis, 1186. e. Osii & Potamii sententia, 1152. c. in Gallias missa, statim damnatur, 1151. b. 1155. b. Ei contradicunt Orientales, 1152. c. 1155. b. Hi Sirmium deferunt Ancyranas definitiones, 1205. c. & Sirmiensis blasphemiæ auctores ac susceptores ad subscriptionem earum cogunt, 1152. d. 1167. b. Illorum excusatio fallax, 1194. c & *seq.*

Sirmiensis conventus, quo fides à Marco dictata est, gesta, 1362. f

Sitis corporis fidelem monet ut magis sitiat Deo, 152. d. Sitis justitiæ, 148. a

SOBAL, 135. b. c

Sodoma & Gomorrhæ ad misericordiæ reconciliationem profecit quòd percussæ sint, 226. b

Sol, patiente Christo, de cursu operis sui defecit, 813. b. Solis cultor Manichæus, 884. c. Solis in humana corpora virtus, 382. d. Solis ubique protensi similitudo, 356. c. Solis exemplo ostenditur Deum non esse curiosiùs inspiciendum, 1070. b

Soliditas mundi, 235. f. *not.* d

Solitudo David ab omni humanæ aut impietatis aut ignorationis cœtu remoti quàm negotiosa, 151. c. d. habitationem Christi in deserto præfiguravit, 151. c

Sollicitum non esse, 111. b. Sollicitudinis relaxatæ incuria non negligentiæ, sed fidei est, 636. a. Sollicitudinem excitat curæ aut metûs aut doloris anxietas, 636. b. Sollicitudo nostra sit in purgandis peccatis & bonis cælestibus promerendis, 636. c

Solus non est Deus, 920. d

SOLUTOR, 1346. c

Somno mors significari solet, 198. a. Somnum sanctorum mortem Deus frequentissimè nuncupat, 420. a

SOPHRONIUS, 1349. b

Spanensis, 1356. a

Spartum, 1210. b

Spectaculi theatralis factiosum certamen, 540. e. Spectaculis theatralibus oculi sordidi, 63. e. Spectaculis turpibus gratiora sunt pia spectacula, 276. c

Spes, unum hujus vitæ levamen, 91. f. afflictum consolatur, 284. c. Nemo nisi quod sperat precatur, 216. a

Spes fidelium quæ, 384. d. 1280. b. quomodo ab impiis irrideatur, 332. c. nititur Dei promissis, 284. a. Ad spem bonorum cælestium nos vocat omnis Scriptura, 283. f. Spei nostræ nullus est finis,

354. b. Spes æternorum bonorum in veterum Patrum vita & gestis continetur, 357. c. Quod speramus, in glorioso Christi corpore speculamur, 433. d. Spes nulla sine fide, 1018. a. Spes vitæ in Patre & Filio pariter est, 815. b. Spes ad salutem plenissima est in confessione Trinitatis, 1353. b

Spei meritum, 1280. b. Spe metuque Dei misericordiam & potestatem testamur, 581. c. Spes meretur auxilium Dei, 331. c. Spes omnis nostra in Deo, 79. b. maximè nititur in Dei misericordia, 81. a. Quid spei est humanis delictis, si benignitas Deo absit? 469. f

Spes nostra in Christo fundata, 143. b. tutissima est contra diabolum munitio, 143. c. humana non timet odia, 114. a. Spes ne sit incertorum præsumtio, sed exspectatio cognitorum, 166. b. Spes gestis est ostendenda, 284. b. Spes pertinax, 394. d. In spem futuri tantùm attenti esse debemus, 629. f. Spe futuri sæcularia contemnenda, 629. b. Spes reposita sanctis, sed adhuc sub dispensatione temporum dilata, 143. d. Ad spem omne tempus est liberum, 441. e. Spes vel sera confidat in Christum, 644. d

Spicæ cibus homini non congruit, 668. a

Spinâ peccatorum vis ac dolor significatur, 125. c

Spiratur laboriosiùs ore, quàm naribus, 344. d

Spiritalia Christo debent ut maneant, 977. c

Spiritales sunt Ecclesiæ incolæ, 401. a

Spiritales nequitiæ ministeriis impiorum utuntur ad vexationes sanctorum, 113. d. *Vide* Nequitiæ, *aut* Diabolus.

Spiritûs natura, 804. d. Spiritus Dei an naturam, an rem naturæ sonet, 960. e. Spiritus Christi & Dei unus est, 960. b. 962. c. Spiritûs voce modò significatur Pater, modò Filius, 960. e. 961. d. interdum Spiritus-sanctus, 962. b. Cur Pater & Filius dicti sint Spiritus, 961. b

Spiritus sanctus pro Patre & Filio frequenter intelligitur, 803. d. Hinc de exsistentia Spiritus-sancti quidam ambigunt, 803. c. Ejus exsistentia indubitata, 802. d. Apostoli & Prophetæ hoc tantùm de eo, quòd esset, loquuntur, 803. c. Spiritus sanctus Dei & Christi naturæ unius res est, 962. d. à confessione Patris & Filii non est separandus, 802. d. *& seq.* Spiritu-sancto cum Patre & Filio connominato, consonantiæ potiùs quàm essentiæ per similitudinem substantiæ unitatem prædicari convenit, 1171. a. Spiritus-sancti divinitatem asseruit Hilarius, 757. *num.* 15. 677. a. *not.* a. Cur ei non adjecerit Dei nomen, 757. *num.* 14. Spiritum-sanctum ne quis audeat inter creaturas referre, 785. d. De Spiritu-sancto vitiosæ prædicationes amovendæ, 785. c

Spiritus-sanctus non est innascibilis, siquidem missus est à Filio, 1183. b. cur dicatur mitti à Patre, cùm à Filio mittatur, 1183. c. alius est à Filio, 1183. c. non est pars Patris aut Filii, 1183. d. non est creatus, 1142. a. non genitus, 1142. a. non sumsit de creaturis, 1033. a. sed de Patris & Filii rebus, 1033. a. per eum est per quem omnia & ex quo omnia, 803. d. ex Patre & Filio accipit, 1305. a. sanctæ Trinitatis unitas exprimitur, 1305. a. res Dei est & non ab eo aliena, 1142. b. c. est potentia naturæ suæ ex Patre per ipsius Unigenitum manentis, 1142. b. profundum immensæ majestatis Dei metitur, 1142. b. Nullus Spiritui-sancto est modus, 1143. a. inenarrabilis est, 1142. c. inenarrabilia pro nobis Deo loquitur, 1142. b. c. Substantia ei non est à Patre & Filio diversa, 790. b

Spiritus-sancti processio, 958. d. An id ipsum sit à Filio accipere quod à Patre procedere, 959. b. Non in incerto reliquit Dominus à quo sit, 959. a. Libertas relinquitur intelligentiæ utrùm ex Patre, an ex Filio sit, 959. a. Etsi non sensu, tamen conscientiâ tenemus quòd Spiritus Dei sit ex Patre per Filium, 1142. c. Spiritus-sancti largitor & auctor Filius, 790. a. b. non idipsum est per Spiritum & in Spiritu dari, 965. d. 966. a. Spiritus alter in officio, alter in honore, 804. d. *not.* o. dum in Spiritu Deus Spiritus dicitur adorandus, 805. a. Hæc adoratio adorandi infinitatem habet, 805. a

Spiritus-sanctus donum in omnibus, 788. a. est donum fidelium, 803. c. munus quod accipimus ac reddimus, 805. a. *not.* a. donum maximè necessarium, 806. d. In absoluto est illius causa, ratio, & potestas, 806. c. Spiritûs manifestatio quî fiat, 965. a

Spiritûs diversitatem non afferunt tempora, 1093. c. Spiritus-sanctus unus ubique est, omnes patriarchas, prophetas *&c.* illuminans, 805. c. Spiritus divinus auctor est omnis sermonis prophetici, 504. d. loquitur in prophetis, 379. d. f. quàm diversis modis loquatur, 53. c. Spiritus prophetiæ unus & idem est in plurimis, 876 d. Spiritum-sanctum non habebat Synagoga, 714. c. Alius, præter Dominum, advocatus nobis est, 379. f. optantis habet affectum, 379. e. Conciliandum est quî missurus Dominus Spiritum-sanctum de Spiritu-sancto natus sit, 1199. c

Spiritus-sanctus missus est, ut credentes instrueret, doceret, sanctificaret, 1158. b. in paraclesin & sanctificationem & consummationem credentibus, 1169. c. Ejus donum gloriam Domini testatur, 120. b. Spiritus-sancti officium in nobis, 805. d. 806. a. Spiritus-sanctus per animam Pauli est locutus, 1290. b. Spiritus-sancti donum fidem nostram de Dei incarnatione luminat, 806. a. Spiritus-sanctus Deum interpellat pro iis qui vovent Deo, quæ Ecclesia probat, 163. d. Spiritus-sancti initia baptizatis indulta, 170. c

Spiritus-sancti dona, 965. a. Ea neque emere licet neque vendere, 714. a. Spiritus-sancti munus omne omnibus patet unum, 806. e. ubique non deest, 806. e. in tantum datur, in quantum quis volet sumere, 807. a. Spiritus-sanctus non ultro ingruit, sed expetendus est, attrahendus est, 344. e. per fidem gentibus salus est, 687. f. expletis nobis, fit ditior semper & plenior, 688. a. Spiritus-sancti donum haurientium de se multitudinem vincit, 651. e. Utile est plures esse per quos ministretur, 651. f. Per orationem ac precem nobis effunditur, 652. a. Hujus doni virtute diabolus expellitur, & infirmitates curantur, 652. a. Spiritus-sancti donum per impositionem manûs & precationem gentibus largiendum, 703. a

Spiritus-sancti adventus baptismum quoddam post baptismum aquæ, 258. c

Spiritûs blasphemia, 637. a. 671. e. 743. b

Spiritus sine ignibus usti, 1243. b

Spiritu frequenter anima significatur, 1075. b

Spondens se Christo in specie jam consistit æterna, 376. c

Sponsus & sponsa est Dominus noster in corpore Deus, 735. b

Stare quid, 453. a

Stater, 697. b

Stellæ, electi, 577. f. Stellas animatas Hilarius non videtur sensisse, 587. *not.* e

Stelographia quibusnam deferebatur, 112. f

STEPHANUS primus Martyr, 697. c. Ei velut in primoribus cæli in occursum à Deo patre descensum est, 130. a

STEPHANUS ex Antiochia, 1220. d. 1288. b. 1323. c

STEPHANUS de Arabia, 1288. d. *not.* m

STERCORIUS de Canusio, 1293. c

STERCORIUS, 1361. b

Stilus antichristi, 1267. c. Stilus satanæ, 1268. d

Sultitia se ipsa prodit, dum adversatur veritati, 952. c. Sultitia infidelis, 824. a. Stultitia nobis est assumenda, ut sapientiam sumamus, 824 c. Stultitia sapiens fidelium, 823. b. *& seq.* 854. c. *& seq.*

Subjectio Christi quomodo à quibusdam pravè intelligatur, 1095. e. *not.* d. Subjectionis filii Dei & rerum creatarum discrimen, 1195. b. Subjectio quædam est ex natura in naturam concessio, 1102. e. Subjiciemur Deo, cùm naturæ nostræ in divinam absorpta erit infirmitas, 55. b

Sudor sanguinis non infirmitas est, sed potestas, 1062. c

Subsannare & irridere non differunt, 32. f

Substantiæ nomen & res à multis sanctis Scripturis insinuatur, 1342. a. Substantia id est quod essentia, 1158. c. 1305. d. res est quæ subsistit in sese, 1158. d. quæ extrinsecùs opis ad continendum se non eget, 1305. d. Substantia Patris & Filii una & eadem, 666. f. 724. a. Substantiam provehens generatio substantiæ naturam non demutavit, 1007. b. Substantiæ silentium ecthesi Sirmiensi præcipitur, 1157. b. Cur, *ibid.* Substantiæ nomen, quod professus erat, Constantius damnat, 1256. b

Sum. Verbi *esse* vis, 922. d

Summa dispensationis, 1007. c

Superbi, diabolus ac ministri, 337. d. Superbis quomodo remotus sit Deus, 502. b. Superborum contemtus in judicio, 396. c

Superbia humana despicit, divina negligit, 262. c. inania reddit opera bona, 262. a. Nullo crimine magis provocatur in nos ira Dei, quàm superbiâ, 262. c. Superbiæ vitio gratia Dei fit otiosa, 325. c. Superbiam Dei ministris ac fidelibus quantum timuerit Paulus, 262. d. 325. c. Quomodo ipse ab ea liberatus, 262. c. 325. d. Superbiæ sibi fidentis & in alios insolentis remedium, 65. c. Superbiendi causæ recensentur, & quî eas sustulerit Christus, 324. b

Superbia pia per fidei confidentiam, 396. c

Superstitiones in austeritate vitæ, 163. b. c

Surditas bona, & surditas prava, 124. a

SURINUS, 1338. a

Susceptus à Dei dextera, 155. b. c

SYLVESTER. Litteræ Alexandri ad Sylvestrum, 1331. c

Symbolum, 1341. c. Symbolum regenerationis, 1144. b. 1232. a

Synagoga, modium occultans lumen, 624. b. Spiritum-sanctum non habebat, 714. c. Christo adveniente, fructu vacua fuit, 624. b. nunc similis est ficui, quæ fructu non foliis careat, 714. e. eidem arbori comparatur, 715. d. Ecclesiæ indulta adversùm Synagogam arma, 1130. a. Synagogæ rejectæ typus, Manasses Ephræm postpositus, 140. a

Synodis quæ debeatur reverentia, 1229. c. Synodos adversùs se ab Auxentio congregandas Hilarius spernit, 1269. c. Synodo Nicæna evolutis evangelicis atque apostolicis doctrinis unitatis catholicæ lumen effertur, 1302. e. Synodum Sardicensem congregaverunt Imperatores, 1283. d. Eam convenerunt de ecclesiis omnibus electi, quorsum, 1285. e. Ei intererant duo presbyteri & unus diaconus Julii legati, 1290. d. Synodus Sardicensis rogat absentes, ut quod decrevit, per litteras confirment, 1290. a. Synodorum mos, ut damnato aliquo epistolæ ad universos instruendi causâ fiant, 1300. b. Synodos per singula loca faciebant Orientales Sardicam venientes, 1288. c. *V.* Concilium.

Synodus in Bithynia futura, 1154. d

Synodi in Ancyra & Arimino, quò ex singulis Gallicanis provinciis bini vel singuli sunt venturi, 1155. a

Syria, 135. b. c

Syria Cœle, 1172. c

SYSIMIUS, 1326. a

Tabernacula

Index rerum & sententiarum.

T

Tabernacula à diversis instituta, 61. d. Tabernacula frondea Hilarii ætate usitata, 61. d

Tacere. Non minus periculi est semper tacuisse, quàm numquam, 1238. b

Talentorum inæqualis divisio, ad dividentem non referenda, 736. d

TAURINUS, 1346. c

TAURUS prætorii præfectus, 1348. d

Taxis, pro Gaza, 1323. e

TELAPHIUS, 1323. d

Teli nomine novi Evangelii prædicationem appellatam esse, frequens in prophetis auctoritas est, 659. d

Templum & altare Synagogæ umbræ erant incorrupti templi & sanctificati altaris, 368. d. In templo 15. gradus: primùm in iis Levitæ, pòst Israelitæ, tum proselyti *&c.* consistebant, 368. c

Templum est ipse Christus, 668. c. Templum Deo sunt sancti, 499. e. Templum Deo est sanctitas, æquitas, continentia humana, 417. b. Templum Dei est omnis in Christo renatus, 209. c. Templum Dei æternum quì homo, 729. a

Tempus quid, 38. d. 797. b. à Verbo est, 797. b. Tempora per Christum sunt, 1024. a. Ea de solis ac lunæ creatione numerare solent Ariani, 1129. b. Tempora præcedunt angeli, 1266. b. Tempora æterna, 1129. b. c

Tempus beneplacitum, 221. e

Tenebras Deo coævas unde probent hæretici, 1199. a

Tenedos, 1293. a

Tentatio Christi, 618. a. Tentationum Christi idem ordo, qui Adæ, 619. e

Tentationes unde nobis sint, 405. a. Cur nos tentari sinat Deus, 250. c. Ne nos in tentationibus penitus derelinquat deprecandus est, 250. c. Tentatio non recusanda, sed ejus dominatio, 345. f. *& seq.* a. Per tentationes ad gloriam pervenere plures sancti, 345. g. *& seq.* Tentationibus pæne cessit David, 308. c. hoc gloriosiùs in mandatis Dei permanens, quòd pæne naturæ suæ infirmitas sit subacta, 308. d. Tentationum pericula, & quomodo adversùs eas se debeat quisque præparare, 290. f. *& seq.* a. Tentationum progressus, 639. b

Tentationes variæ dæmonum, 353. b. Spiritales nequitiæ ad corporalia vitia ingestis cupiditatum illecebris nos instigant, 308. c. Insidiæ, quascumque spiritales nequitiæ prætendunt, maximè per homines aptantur, 527. b. Tentationes variæ à philosophis, ab hæreticis, & à carnalibus Christianis, 158. b. His solus Deus mederi potest, 158. b. d. His omnibus pervigil cura, pernox oratio, & æterna ad Deum confessio repugnabit, 158. c. Quàm multi laquei nobis prætendantur, 404. e. *& seq.* Tentationum laquei nobis ubique sunt extensi, 327. f. 321. f. Ab his evolant, qui totos se Deo tradunt, 327. f. *& seq.* Laquei omnibus prætensi sunt: gloria est ab his evolare, 400. e. f. Insidiis plenus est omnis mundus, 540. f. 529. a

Tentamenta diaboli maximè grassantur in sanctos, 618. c. Adversùs validiores & longum & frequens est hostis nostri prœlium, 432. a. b. d. Hinc fit impugnationis nostræ assiduitas, quia non sit impugnantium præpotens fortitudo, 432. b. De tentationibus sæculi frustra queritur, qui sæculo renuntiarit, 328. a. Tentationes non debent ab oratione & devotione impedire, 543. c. Tentatis in oratione erit requies, 371. c

Tentationibus vincendis impar est natura nostra, 371. b. impar est & ferendis, 302. c. Tentatis opem promisit Deus, 302. e. Hanc præstat ex misericordia, 302. d. Tentatio ne dominetur, est beneficium Domini, 346. a. b. Tentationum laqueus Dei adjutorio vincitur, 401. b. Tentationibus anima subjecta meditatione legis servabitur, 313. b. d. Spes est tutissima adversùs diaboli insidias munitio, 143. c. Omnes, qui adversùm nos vitiorum bella accendere soliti erant, à Christo sunt exstincti, 136. c. Stare volentibus non desunt Sancti & Angeli, 404. c. adest & Dominus, 404. e. cùm fideliter invocatur, 405. a. e. Bonum præsidium Angeli, sed melius Domini, 404. e. Tentationibus victis, non desunt nobis Angelorum ministeria, 619. b. Tentationes diaboli Deo vacuis aqua intolerabilis, plenis torrens citò transiens, 400. b. Nihil in tentationem Dei audendum, 619. c

TERENTIANUS, 1338. a

Terminus differt à re terminata, 43. d

Terra nullo jubentis negotio ex nihilo substitit, 166. c. Terræ situs, 487. a. Terra finita, & subjectâ abysso suspensa, 43. d. fluidæ aquarum naturæ superjecta, 312. a. ita fundata est, ut permaneat. 312. a. non permanet nisi quamdiu permanet hoc sæculum, 312. b. unde sit admirabilis, 230. a. Terræ fecunditas quì sensum nostrum fugiat, 1140. e

Terra, corpus humanum, 312. a. permanet, quatenus cælestis ei gloria præparatur, 312 c

Terræ fructus per primum Adam perditus, & per secundum redditus, 187. f. *& seq.*

Terra viventium, 77. b

Terrena transeuntes, 435. a

TERTULLIANI volumen de Oratione Domini, 630. d Consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus auctoritatem, 630. e

Testamenta quinque humano generi constituta, 708. a

Testamenti veteris in 22. libros partitio, 9. a. Testamenti veteris ac novi eadem doctrina, 179. c. Apostolicæ doctrinæ proprium est Deum ex lege ac prophetis in Evangeliis prædicare, 179. d. Testamentum novum *electio*, 840. e

Testes timent qui peccant, 247. a. Peccare nemo potest sine teste, 246. f. A peccatis deterrere nos debet Angelorum ubique adstantium præsentia, 247. b

Testimonia præsentia, & testimonia æterna, 314. e. Testimoniis Dei erudita fuit omnis ætas, 357. a. Testimonia Dei quæ, & quàm multa, 246. d. 318. c. unde sint mirabilia, 342. e. unde incomperta, 343. a. Testimoniis Dei adhærentes à confusione liberantur, 268. e. Testimonia Dei toto corde inquirenda, 247. e. Testimonia quædam quæ non sunt Dei, 247. d. e

Tetrarcha, 30. b. 31. a

Thaneos, 1324. e

Theatrales mimi, 942. d. Theatralibus ludis incubantes, 276. c. Theatralibus spectaculis oculi sordidi, 63. e

Theba, 1292. e

Thebais, 341. b. 1172. b

Thebecptapyleos, 1293. a

THEODOLUS, 1325. b

THEODORUS ab Heraclia, 1220. d. 1284 b. 1337. b. 1288. b. 1323. c. 1337. b

THEODORUS, 1349. c

THEODULUS, 1285. d

THEOGENES, 1325. b

THEOGNITUS falsarum litterarum auctor, 1284. d. Idem vocatur DIOGNITUS, 1284. b

THEOPHILUS, 1349. b

Theriaco, 1325. c

Thebaida, 1172. b

Thesauri potestatis Dei, 203. *not.* h. 237. c

Thessalonica, 1293. b

Thessalonicensis episcopus, 1317. e

THIMASARCUS, 1324. d

THOMAS Christum credidit Deum verum, 921. e. *& seq.*

Thracia, 1172. c

THRONIS, Dominationibus, *&c.* quiescit Dominus J. C. 239. e

Timor unde, 1057. b. quì in Christum non cadat, 1057. b. Timor naturalis quid, 424. a. quibus rebus excitetur, *ibid.* non docetur, *ibid.* Nullum in eo fidei meritum, 424. c. Non metus noster, sed fides, misericordiam Dei promeretur, 159. b. Timor hominis quì sanctis nullus sit, 115. d. Dei gratiam metu sæculi amisisse sine venia est, 362. c

Timor Dei discendus est, 424. b. Hunc docentes Scripturæ, multa subjiciunt aut anteferunt, ex quibus ratio illius intelligatur, 423. d. Timorem sui quì salubriter incutiat Deus, 38. a. Timorem Dei incutit Judæorum exemplum, 78. a. e. Timor plures intra legem cohibet, paucos voluntas, 19. d. Timent Deum plures ex naturæ conditione, cui tamen inobedientes sunt, 293. b. Timor fidei in sola obedientia est, 293. c. Timor Dei non efficit beatos, qui Deum timent quia terribilis est, 424. b. d. Beatus ille, cujus in Dei lege non timor sed voluntas, 19. e

Timor Dei non est minimum fidei officium, 188. e. Non fit ex infirmitate, sed ex ratione, 188. f. Timor Dei non in metu, sed in obedientia est, 424. e omnis in amore est, 424. c Timoris officium quàm longè differat ab obsequio amoris, 316. d. Impiæ & diffidentis de se conscientiæ est, timere sine gaudio; & insolentis naturæ est, sine timore gaudere, 79. a. Nullum diem sine metu justus transigit, cur, 501. b. Timor scientiâ fundatus prospera non minùs timet quàm adversa, 189. a

Timentes Deum quid velint, quid precibus petant, 570 f. Timentium Deum quis particeps fiat, quis non, 293. a Timor inter dona Spiritus-sancti postremò numeratur ut firmamentum ceterorum, 277. c. Timorem Dei divitiarum fiducia inanis avertit, 79. c. Timorem Dei oblivisci non tam impium, quàm ei metum inanium anteferre, 89. c. Timor Dei ubi deest, secum aufert omne exordium prudentiæ, 869. b

TIMOTHEUS sacris ab infantia litteris institutus, 1096. e

TIMOTHEUS ab Anchilo, 1326. c

TIMOTHEUS alter, 1324. e

TITIUS, 1293. e

Tituli psalmorum varii, 10. d. à LXX. interpretibus sunt additi, 552. d. f. 546. e. Titulus index tractandorum, 53 f ex quibus rebus psalmus consistat ostendit, 12. e. Tituli psalmorum quì ad intelligentiam nos dirigant, 367. c. Titulus & psalmus auctoritatem sibi invicem præstant, 367. d. Titulus historiam notans non excludit intelligentiam spiritalem, 367. e

Tolosa quid ab Arianis perpessa, 1247. a

Tolosani clerici ac populi Hilario cari, 1150. *not.* e.

Topazus insula, 341. b

Topazius in se solus ceterarum gemmarum continet speciem, 341. c. Illius inventio, 341. b

Totum tenet Filius, quod Pater est, nec Patri adimit quod totum est, 978. e. Totum Deus Verbum, totum homo Christus, 1069. b. *Vide Indicem Gloss.*

Tradere in vitia quì dicatur Deus, 380. d

Traditio Hebræorum de libris sacris, 768. c. Traditiones veterum de libris antiquæ legis, 9. a

Traditio secretiorum legis per LXX. seniores, 28. a. Hujus ignari interpretes in multis errarunt, 28. c. Traditiones antiquæ de Esdra psalmorum collectore, 6. c. Traditio de auctoribus psalmorum, 3. b. ab Esdra creditur profecta, 4. a

Traditiones Samaritanæ, 804. b

Traditio patrum commendatur, 1341. e. 1345. a. Traditione acceptam fidem tuetur Liberius, 13 1. c. Traditio parentum ab hæreticis etiam prætexitur, 1308. a. 1319. e

Transfiguratio Domini, 693. c

Transire quid sit, 1063. a

Translationum Scripturæ auctoritati & ve-

tuſtati obſequendum, 466. c

Treviri, 1246, b

Τρίβος eſt trita & frequentata diſcurſibus ſemita, 273. d. 509. d

Tribulationes Chriſtiano non timendæ, 370. d. Quæ ei cavendæ, 371. a. Tribulatio ſola juſtis periculoſa quæ, 371. d. Tribulatio non ut auferatur, ſed ut fortiter à nobis feratur, orandum, 302. c. Tribulationem præcedunt delicta, 295. d. Tribulationis utilitas, 296. e. 302. c. 502. d. Tribulationes noſtræ breves, 405. d. habent victoriæ præmium, licèt non habeant prœlii longi laborem, 405. e. Tribulatio ferri nequit niſi auxilio Dei, 502. d. Sperantibus in ſe non deeſt Deus, 502. d. Tribulationibus probati ſunt ſancti, 506. c

Tribuni, 1320. b

TRIFON, 1293. b

TRINITATIS myſterium occultum erat Judæis, 870. a. eſt ineffabile & incomprehenſibile, 791. a. b. contineri religione mentium deberet, 789. a. Illicita agit & inconceſſa præſumit, qui de Trinitate tentat verba facere, 788. b

Trinitatis notitia ſufficienter in baptiſmo tradita, 787. a. Trinitatis regenerantis ſacramentum propugnatur, 785. c. Trinitatis myſterium explicare ac tueri ſemper ſolliciti fuerunt apoſtolici viri, 1301. d. Trinitas pronuntiata apud hæreticos diſſidium parturit, 1305. a. Trinitatis apud Orientales quoſdam falſa nuncupatio, 1304. e

Trinitatis perſonæ hoc ſunt quod nuncupantur, 789. b. 790. b. d. Pater & Filius & Spiritus ſanctus verè hoc ſunt, quod in baptiſmo nuncupantur, 777. e. Pater Filius, & Spiritus-ſanctus una poteſtas ex qua omnia; una progenies per quam omnia, perfectæ ſpei munus unum, 788. a. abſque ullo nexu extrinſeco omnia unum ſunt, 677. a. Trinitatis perfectæ una deitas, non una perſona, aut tres diviſæ ſubſtantiæ, 1343. d. Qui in rebus tam communibus comminiſcuntur ſubſtantiarum diverſitates, damnantur, 790. b. Trinitatis demonſtratæ ſermo, 778. a

Liber quartus Hilarii de Trinitate appellatur *primus*, 880. e

Troada, 1324. c

Troas, 1325. a

TROGLODYTÆ topazii inventores, 341. b

Turbatio utilis, qua apelluntur cupiditatis tenebræ, 548. b

Turres Eccleſiæ principes, 389. d. quicumque Deum diligunt, 389. e

Tyrus, 1324. a. Tyri contra Athanaſium geſta, 1312. a

V

VAccæ in Samaria adoratæ, 138. c. 209. c

VALENS Auguſtus, 1270. a

VALENS à Murſa, 1326. c. relictâ eccleſiâ, aliam invadere voluit, 1291. d. ſeditionem Aquileiæ commovit, 1291. e

VALENS & URSACIUS, 1284. b. 1288. c. 1337. b. duo improbi & imperiti adoleſcentes, 1221. a. adoleſcentes impii & imperiti, 1291. d. turbatores Eccleſiæ, 1345. a. ad quos cum paucis aliis Arii hereditas omnis defluxit, 1265. c. quorum eſt liber damnatione dignus, 1350. c. 1351. c. non ceſſant lethalia adulterinæ doctrinæ ſemina ſpargere, 1291. d. Sardicenſi ſynodo deponuntur, 1.89. c. libellum Mediolani porrigunt, 1297. d. ſcriptis veniam rogaverunt, & meruerunt in Mediolanenſi Concilio, 1344. d. quo anno ſe in Eccleſiam recipi deprecati ſint, 1296. b. *not.* b. falſum eſſe confitentur quidquid de Athanaſio apud Julium inſinuarunt, 1297. b Qua de cauſa Julius veniam iis impertierit, 1296. b. Litteræ eorum Julio & Athanaſio, 1297. a. 1298. b

Valens, Urſacius & Saturninus exigunt Athanaſii damnationem, 1295. a. Valens calamum è manibus Dionyſii violenter extorquet, 1224. a. Valens & Urſacius à Gallicanorum epiſcoporum communione ſeparati, 1238. b. Valentis & Urſacii (in formula Sirmienſi) incrementa, 1255. b. Eorum blaſphemia Afrorum ſubſcriptionibus damnata, 1257. a. Valens & Urſacius Sirmii an. 358. ab Orientalibus ad decretorum ſuorum ſubſcriptionem coacti, 1167. b. poſcunt ſibi legi epiſtolam de homouſii & homœuſii expoſitione, 1196. b. Ibi ignorationem profitentes mendacii ſunt ſuſpecti, 1195. d. Sicut contra eos auditi ſunt Orientales, ita & Hilarius optavit audiri, 1207. a. Valenti, Urſacio ac Germinio ſcribit Liberius, 1338. a

Valens & Urſacius an. 359. interſunt Sirmienſi conventui, quo nova formula à Marco dictatur, 1363. a. ipſi ac ſocii Conſtantio promittunt, ſublato ſubſtantiæ vocabulo, pacem poſſe compleri, 1345. c. Quam fidei confeſſionem Valens Ariminum pertulerit, 1347. a. Valens & Urſacius Arimini damnati, 1342. c. 1346. d. Valentis & Urſacii communione Arimini ceciderunt multi, qui eos antè damnaverant 1356. b. Valens, poſt lapſum Ariminenſis ſynodi, cum ſociis ſcribit Conſtantio, 1347. c. Valens & Urſacius ab Arimino Conſtantinopolim legati revertuntur, 1349. b. Ambos excommunicatos habent Galli, 1355. b. Valens & Urſacius hæreſis Arianæ vel Aetianæ auctores olim apud Illyricum damnati, 1359. b. Valens & Urſacius ægre ferunt Germinium ab Ariminenſi fide diſcedere, 1360. a. 1361 c. Valens à Germinio inconſtantiæ ac diſſimulationis arguitur, 1362. f

VALENS de Scio, 1193. d

VALENTINIANUS Auguſtus, 1270. a. edicto gravi vetat perturbari eccleſiam Mediolanenſium, 1267. a. Hilarii ſuggeſtione motus eum ſimul & Auxentium audiri jubet, 1267. b. ad hujus communionem pro fidei ſinceritate advenit, 1268. b. Hilarium Mediolano egredi jubet, *ibid.*

VALENTINUS, 1320. f. prolationem Natum Patris commentatus eſt, 833. c. 881. c. Alia ejus commenta, 883. a

VALENTINUS Semiar. 1349. c

Vallis hujus mundi ſalem proferens, 136. c

Vanis, 1324. c

Vani homines, qui, 149. c

Vanitas rerum, à quibus oculi avertendi, 276. c. Vanum eſt quidquid tranſitorium, 555. e

Vatum murmura ante Chriſtum, pòſt ſilentium, 167. e

Venantium laquei 400. d. & artes, 1252 c

Venalis Eſaü, 470. d

VENERIUS, 1340. a

Veniam præſtare illicitis, non eſt miſericordiam præſtare, ſed juſtitiam miſericordiæ non tenere, 538. a. Venia iis conceſſa, quos ſuſpicari eſt non correctos, laudatur, 1195. c

Ventis Angeli ſignificantur, 475. b

Verbum appellatus eſt Filius, cur, 922. a. Verbum æternum aliqui dicunt ſermonem vocis emiſſæ, 1048. c. & in Jeſu fuiſſe, ut in prophetis Spiritum prophetiæ, 1048. d. Verbum noſtrum interioris motus noſtri opus eſt, ſecus Verbum Dei, 1140. c. Verbum eſt à tempore liberum, 795. d. 799. c. non abeſt ab auctore, 796. a. non eſt ſonus vocis & elocutio cogitationum, 392. e. 796. b. c. d. Deus eſt, non inanitas, 796. e. non poſt tempus, ſed naſcendo Deus exſtitit, 798. a. à David agnoſcitur Deus, 115. d. Verbi generatio comprobatur ex mira piſcatoris doctrina, 798. d

Verbum omnia creavit, 797. b. non ut ſolitarium creavit, 797. c. nec tantùm adfuit facienti, ſed & fecit, 797. d. Quî omnia in eo creata, 797. f. Verbo Dei, ut nunc cælum, ita poſt ſæculum hoc obſequentur aliæ creaturæ, 310. c. Verbum in nobis habitaſſe & nobis admixtum eſſe dixit Hilarius, nec Neſtorio favens nec Eutycheti, 331. *not.* b

Verbum Dei quomodo maneat in cælo viſibili, 309. e. Verbum Dei in corpore ſanctorum ut in cælo manet, 312. b. Verbum Dei cuique præſtò eſt, 311. a. ſolis inſtar patenti ſe immittit, & negat non patenti, 311. b. quos habitet, quos deſerat, quos fugiat, 310. d. 311. b

Verbum Dei gladius ſæpe nuncupatur, 659. d. eſt ſagitta potens, 373. b. pabulum vitæ æternæ, 284. d. quomodo lucerna ſimul & lumen ſit, 323. a. Verbi Dei luce ad omnes actus utendum, 321. f. 323. a. Verba Dei, folia, 22. d

Verba Dei decreta ſunt, 57. a. non tam futuri in ſe fidem continent, quàm facti, 733. b. Verbis uſus eſt Moyſes, quibus ut uteretur ei à Deo præceptum eſt, 343. d. Verba Dei ſunt, quæ prophetæ dixerunt, 343. d. amphibola ſunt & obſcura, 343. e. in Evangeliis quomodo declarentur, 344 a. Eorum fidem confirmat ſanctitas operum, 569. c. Intelligere ea nequeunt extra Eccleſiam poſiti, 675 e. Verba Dei ad noſtram intelligentiam ſic aptata ſunt, ut Dei majeſtate nihil indignum præ ſe ferant, 1010. a. Nihil in eis inane, nihil non verum, 350 a. Quantâ debeant reverentiâ & prædicari & audiri, 56. d. Cum timore excipienda ſunt, 277. b. Verbi Dei velocitas ad conſtruendam Dei civitatem, 583. b. Verbi Dei non poteſt eſſe cuſtodia, niſi priùs inhibeantur cupiditates, 318. f. Quæ illius vera cuſtodia ſit, 319. b

Verba etſi non ſcripta malè reſpui, 1250. d

Verbi calumnia non eſt pertimeſcenda, ubi res difficultatem non habet, 1197. c

Vergiliæ, 1140. d

VERISSIMUS, 1193. d

Vermis natura, 1091. b

Veritas, Chriſtus, 99. d. Veritatis miniſtros decet vera proferre, 1241. b. Veritatis causâ patientium vox & opus, 351. c

Veritas ignorata mundo & mundi ſapientibus, 776. c. ante Evangelium in ſolis Iſraelitis manſit, nunc in ſolis Chriſtianis manet, 311. d. Veritatis notitiam obtinere in ſola precum mora eſt, 638. a. Veritas nihil falſum, nihil incertum, nihil imperfectum habet, 308. a. Veris falſa non ſociari, 858. b

Veritas rationis motum incitat, 858. c. intelligi nequit, niſi objectorum falſitas detegatur, 858. b. firmitatem naturæ ſuæ quotidie dum attentatur acquirit, 917. c. Veritatis vis per ea etiam quæ ei adverſantur elucentis, 917. b. Contra veritatem aut non intellectam aut offendentem vel ſtultæ vel vitioſæ voluntatis error obnititur, 1037. b. Veri neceſſitas voluntatem vincit, 914. a. Veritatem neſciſſe non magis ament homines, quàm oderint permanſiſſe non veris, 1097. c Veritatem in ſæculo ſolus Deus cuſtodit, 573. d

Veritas rei ex virtute ipſius demonſtratur, 856. c. d. Veritate carere nulla natura poteſt, 861. b

Verſio ad verbum expreſſa affert obſcuritatem, 1155. c. Verſio duplex ab Hilario in unam temperata, 538. *not.* g

VESPASIANUS, 1264. b

Veſpere diei initium ſecundùm legem, 109. f

Veſpertini hymni, 169. a

Veſtium modeſtia commendatur, 1212. c. & *ſeq.* Veſtes ſericæ, infectæ ac deauratæ ſunt reſpuendæ, 1211. c. 1212. b

Via quid, 1136. c. Viarum communium lex, 270. e. & *ſeq.* Viæ lex populo ex Ægypto exeunti à Deo conſtituta, 271. a. Iter illius magna in ſe cæleſtis itineris mirabilia continet, 271. b

Viæ Dei à ſæculo, 1136. d. Via Dei, doctrina vitæ religioſæ: & hoc Chriſtus, 186. d. Via Domini non tantùm ineunda, ſed & pergenda, 244. f. & *ſeq.* Quis in ea ambulet, 245. b. Viæ plures bo-

næ, 247. f. 271. c. per quas ad unam optimam pervenitur, 247. f. & seq. Viæ Domini multæ & una, 424. e. Viæ sunt lex, prophetæ, Evangelia, Apostoli, 255. b. 501. f. Ex multis in unam concurritur, 501. f. Qui in viis suis, qui in via Dei ambulent, 266. a. In via peccati est, quisquis in via Dei non est, 266. b. Viæ peccati à peractione peccati discrimen, 267. f. & seq. Viarum suarum confessio est peccatorum suorum pœnitens professio, 266. c
Viam multi diligunt, qui non diligunt viam veritatis, 268. c. Via vitæ gravibus molestiis est obnoxia, sed transitoriis, 583. e. & seq. angusta & tribulata est, 269. a. Quibus gradibus ad id pervenitur ut in ea curratur, 269. a. Non potest in ea currere, qui non digna & ampla Deo effectus sit habitatio, 269. e
Via mandatorum ab institutione sæculi trita est, 273. e. & seq.
Via legis non habuit ante Moysen, qui in ipsa graderentur, 273. e
Via cæli à paucis trita, & contrà, 638. c. Viæ nostræ dux Christus, 274. b
Viator obrutus Aquileiæ, 1291. e
Vicissitudo patientium, & lætantium, 395. d. abundantium, & egentium, 396. b
Victûs cura in Deo ponenda, 111. b
Videri Deus non potest in hac vita, aut oculis carnis, 289. b. e. Dei adspectum non patitur natura carnis, 513. c. Visionem Dei sustinere non valet humana infirmitas, 514. a. Quod in Deo est immortale non cernemus, nisi spiritu perfecti & immortalitate immutati, 622. c. Videbunt Deum, quos Christus regnum Deo tradiderit, 1104. b. Virtutem inconspicabilis Dei ferre non possent res creatæ, nisi in sede naturæ temperatioris objectu moderatâ, 486. b
Visio filii Dei exoptatur ad consortium æternitatis merendum, 153. c. Visibilis Pater non est nisi Filio, 852. c. Filius inter homines visus est, 852. c. Vidit Esaias Deum, 873. c. Visum esse Deum patrem nemo fatetur, 874. b. Hoc Patribus visus est Christus, quod natus est, 863. a. Visus ab Abraham vir, Dominus, Deus & judex est, 843. d. & seq. Cur Christus non sub una rerum specie Patribus visus sit, 1137. a. Ad contemplandum formam proficit familiaritas assumtæ speciei, 863. b. Videtur in Filio Pater per operum admirationem, non per naturæ contemplationem, 521. a
Visæ tantùm quædam aves & herbæ morbis aliquibus medentur, 301. c
Vidua, quæ legi mortua, 193. c. 574. e. Viduarum dignitas, 457. e. Quomodo judex earum Deus, 194. a
Vigilantia necessaria, 734. a. præsertim præpositis, ibid. c. necessaria est adversùs tentationes, 158. e
Vigiliæ Dei quatuor supra Ecclesiam, 683. b
Vigiliæ ante lucem, 354. c. quibus in rebus occupentur, 354. d
Vincentius Capuensis, 1292. e. Arelate missus, 1331. a. Liberii ad Constantium legatus, 1334. e. in Athanasii causa judex frequenter sedit, 1335. a. Ideo multum de eo sperat Liberius, 1334. e. In pravam simulationem abit, 1335. a. Liberius ruinam illius luget, 1334. d. de exsilio ipsi scribit, 1339. d
Vincti, 229. b
Vincula fidem impedientia, 406. c
Vindicari inferioris est naturæ, 533. a. Vindicari non convenit propriè Christo, sed servis illius, 533. a. Vindictæ humanæ exemplo divina exprimitur, 206. d. Vindicta Deo reservanda, 503. a
Vinum cor hominis lætificans, & vinum cor hominis compungens, 138. a. Vini ex aqua miraculum, 810. b
Viperarum natio sunt, qui Evangelio non parent, 124. b
Viri sanguinum, quorum doctrina adulans aut dolosa, 524. d. e. hæretici, 524. e
Virga potestatis insigne, 405. c. Quomodo virga Dei doctrina, 45. e. & seq. Virga & flos Christus, 46. c
Virginitas felix & beata, 426. d
Virgines Deo Christoque dicatæ, 1313. a. modestis uti debent vestibus, 1211. c. Virginum sacrata Deo corpora, 1221. e. Earum nudatio graphicè depingitur, 1221. e. 1286. a. 1313. a
Viriditate vigor æternus ostenditur, 198. c
Virito, 1324. b
Virtus significatur in dextera, 502. f. Virtus naturæ res est, 1019. b. Virtutis similitudo non est nisi ex similitudine naturæ, 1162. e. Virtutis vox, 211. d
Virtus, & virtutis opus non idem est, 665. e. Ad virtutis usum cur se transtulerint homines, 767. a. Virtutes internæ externis anteponendæ, 726. d. Virtuti quàm multa insidientur, 290. f. & seq.
Visitatæ in Christo gentes, 130. b. d
Vita est totum quod est Deus, 973. d. Vita præsens in corpore, id est in vili & humili sorte, 256. f. non est vera vita, 257. a. 303. b. 361. a. sed vitæ umbra, 258. d. dolorum & anxietatum plena est, 153. d. bonorum promissorum non est capax, 429. a. illorum interim habet lumen, quo velut speculo ea contuetur, 429. b. magnum Dei munus est, 153. d
Vita misera ab Adam, non cum Adam cœpit, 572. e. Hæc non nostra est, sed quæ primùm in homine est instituta, 572. e. Vitæ lex sub conditione decreti in Adam constituta, 77. e. Vitam ab immortali Deo ad mortem nobis tribui non existimandum, 767. a. Vita nisi ad lucrum æternitatis suscepta, miseriarum erit origo, non vitæ, 141. e
Vitam futuram optavit David, 308. e. Hinc eam ostenditur sperare, quòd ad vitam adspirat qua nondum potitur, 277. a. Vitam veram sciens David se non obtinere, æternam sperat, 332. d. e. Vita vera esse non potest, nisi glorificato in naturam spiritûs corpore, 257. b
Vitam æternam merito suo consequi homo non poterit sine Dei ope, 303. a. Vitæ æternæ spes quibus modis foveatur, 303. c. Vitæ molestias non ægre sustinet fides, sed velut beatitudinis rudimenta reputat, 774. e
Vita ex dictamine rationis quæ, 767. b. Ultra beluinum furorem est huic morem non gerere, 767. c. Vivere bene, est bene agere atque intelligere, 767. a
Vita post hanc vitam in Abrahæ sinu, in qua Dei nomen benedicitur, 154. a. Vita alia his duabus beatior, 154. b. Vita æterna est Christo cohabitare, 1017. c. Vita æternitatis non aliunde, sed se ipsa alitur atque conservatur, 213. a
Vitæ communis caritas, 621. c
Vitalis de Aquis, 1293. b
Vitalis à Tyro, 1324. a
Vitalis militans in officio sublimis præfecturæ, 1361. c
Vitium originis, 329. b. 331. e. Vitia naturæ coalita, 341. c. Vitia linguæ, 97. a. Vitiorum quàm multa incentiva, 290. f. & seq. per diabolum præbentur, 247. d. Vitiorum omnium materies sunt corpora nostra, 1365. b. Quî à vitiis per tentationem emundemur, 1365. b. Ad vitia naturæ nostræ nos propellit instinctus, 18. c. Instinctui huic non cedendum, aut à viis ejus brevi recedendum, ibid.
Vitia corporis non sunt sinenda coalescere, sed in ortu necanda, 496. c. Vitiorum strages, 495. a. Vitia pariunt affectum declinandi à Deo, 85. d. Vitiorum est, qui eis obsequitur, 314. b. Vitiorum jure dæmones nostri dominantur, 490. f. Ad vitia coercenda juvat Angelorum præsentiam recordari, 247. a. Vitiorum consuetudo quomodo adversetur bonæ voluntati, 419. a. Vitiorum memoria quomodo animum avocet ab iis resilientem, 493. b. Omne humanæ corruptionis vitium Christus hausit, 759. a
Vitiosum se profiteri quomodo possit à vitiis liber, 411. b
Ulciscendi libidinem prorsus comprimit evangelica lex, 628. d. V. Vindicta.
Ulpianus, 1293. b
Unanimitatis indoles, 461. b
Unguenti proprietas, 462. b. ungendorum diebus festis capitum mos est Palæstinis, 631. not. a. Unguenti quo unctus est Aaron compositionem Christus mediator docuit, 463. a
Unctio Aaron unctionis unigeniti Dei species, 462. a. Unctionis Aaron suavitas suavitatem unanimitatis exprimit, 462. d
Unctio Christi, 1093. d. 1094. b. ab ipso in virum perfectæ fidei defluit, 462. e. & seq.
Unigeniti non sunt duo, 471. d
Unio, 834. c. Vide plura in Indice Glossar.
Unitas Dei ostenditur, 471. d. Unitas Dei nobis est, non unio, 393. d. 929. [illegible] pietas unionis prætenditur, ut Ecclesiæ fidei unitatis religio auferatur, 885. c. Unum per nativitatem non habet solitudinem, 929. f. Unitas Patris & Filii non humano more cogitanda, 1006. e. qualis sit, 972. a. Unitas gloriæ Christi & Patris, 1009. c. Unitas naturæ Dei, quam Christus secundùm carnem amisit ac recuperavit, 1007. c. 1018. c. Unitas carnis & divinitatis Christi per gloriam, 454. a. not. f
Unitas Ecclesiæ in quibus consistat, 386. a. fructus habet præ se ferentes speciem fructuum æternorum, 388. e. Unitatis merito omnia impetranda, 700. d. Unum in Christo sunt fideles omnes, 415. a. Unum naturâ sunt; qui per rem eamdem unum sunt, 952. b. Unitas naturalis fidelium per fidei unius naturam, 951. c. ex sacramentorum natura, 951 e
Unitas fidelium cum Christo ac Deo patre per gloriæ consortium, 953. d. & seq. per Incarnati Verbi mysterium & sacramentum Eucharistiæ, 954. d. & seq. Unitas mirabilis Beatorum cum paterna majestate, mediante Christo, 212. e. & seq.
Unitas animæ & corporis vel in gloria vel in pœna, 658. a. not. h
Unitio. Quæ naturâ dissident, potiore quadam vi socientur necesse est, 216. f. Verbum cum carne se suæ potestatis virtute defixit, 216. f
Universitas reputatur in plurimis, 131. d. e
Vocatio est publica & generalis, 721. a. unde bonos non efficiat, 720. d. Ex omni hominum genere congregamur, 164. c
Voluntas Dei plena bonitatis, 295. a. Voluntatem Patris ita implet Christus, ut in eo sit officium voluntatis, 530. f
Voluntas, motus mentis, 953. d. movetur illiciente casu, sed maximè causâ agendi propositâ, 192. d. non est data, 953. d. ex se proprium habere debet ut velit, 329. a. Velle quid sit, 928. b. Voluntatis pertinacia unde, 1037. b. Rationem voluntas sequi debet, non præire, 1037. d. Velle unum non possunt, quibus scire non unum est, 1030. e
Voluntas non parva ipsa sibi vitiorum conciliatrix, 147. e. Voluntatis nostræ infirmitas ad perficiendum bonum quod novit, 419. a. Consummationem per se non obtinet, 329. a. hujus tamen adipiscendæ meritum ex ipsius initio est, 329. a. Velle solum sine operatione beatitudinem perfectam non obtinet, 19. e. Voluntate longè præstat agere, quàm lege, 480. d. Voluntariè obedire proprium est Evangelii, non Legis, 326. d. & seq.
Voluntatis bonæ, & operum discrimen, 434. f. & seq. Voluntates hominum in ipsis humanæ nativitatis exordiis Deus contuetur, 123. c. Voluntatis bonæ affectum, etiam in iis qui delinquunt, quantum respiciat Deus, 196. d. e. Voluntati bonæ condonat Deus lapsus infirmitatis, 87. b. Voluntati justitiæ quomodo Deus vitia non imputet, 81. a. Voluntatis crimen pro facti pensatur invidia,

745. d. Voluntatis libertas cessat post hanc vitam, 81. c
Voluptas causa est in unaquaque re permanendi, 539. c. infidelitatis est filia, 680. c. Voluptas carnalis quàm citò fugiat, 492. c
Vota nostra non Deo, sed nobis prosunt, 477. e. Vota tantùm ecclesiasticæ religionis utilia sunt, 163. d. propositæ in Ecclesia observantiæ studio debent probari, *ibid.* Vovenda sunt Deo contemtus corporis, castitatis custodia, jejunii tolerantia, 163. c. Votum castitatis, 701. *not.* c. Vota Martyrum pro se, & pro eis qui ipsos imitaturi essent, 181. e. & 183. c
Vocis exsultantis officium Deo debemus, 174. f
Vocibus novis licere fidem declarare, 196. e
Urbanus, 1346. c
Ur... cus diaconus, 1340. a
Ursacius de Brixa, 1293. d
Ursacius à Singiduno, V. Valens.
Usiæ & homousii nomina ignota Ecclesiæ esse, & in Scripturis nusquam de Deo dici, & scandalum parere contendunt hæretici, 1347. c. 1348. b. Eorum suppressioni consentit Ariminensis synodus, 1347. d. 1348. b. In usiæ silentio se fraudem passos esse Galli agnoscunt, 1355. a
Ustodizo, 1346. c
Usuræ iniquitas, 67. c
Utilitas & avaritia eodem vocabulo hebræo significantur, 276. a. Quomodo idipsum re vera sint, 276. b
Vulgatæ lectio Hilario ignota, & tamen approbata, 179. e. *not.* c
Vulpes quid, 643. d. Vulpium nomine dæmones significati, 155. e
Vultus, facies, imago & forma non differunt, 228. b
Uxor justorum, sapientia, 427. c

X

Xerophagiæ. V. Siccus.

Y

Ypatius Consul, 1341. d. 1342. c. 1346. c.

Z

Zabulum an dixerit Hilarius, incertum, 615. d
Zachariæ nomen quibusdam psalmis qua auctoritate prænotatum, 3. a
Zona quid significet, 615. b
Zelon, 1324. c
Zelus, 219. f. Zeli affectus, 360. c. e. causa, 348. f. exempla, 349. a
Zenoni Veronensi quidam Hilarii Tractatus falsò adscripti, 412. & 413.
Zeuma, 1323. e
Ziphæi quid, 94. f. & *seq.* a

INDEX GLOSSARUM.

OBSERVATIONES.

1°. *Hilarius uti solet nomine abstracto loco concreti, v. g.* auctoritas *loco* auctoris, 1171. d. habitatio *pro habitatore*, 624. a. Nativitas Dei *pro filio Dei*, 1010. b.

2°. *Usitatus ei est secundus casus nominis substantivi, loco adjecti, ut* æternitatis Dominus, *quasi æternus*, 205. a. æternitatis vita, 228. c. divinitatis nativitas, 1138. b. regenerationis parvuli, 714. d. Voluntatis humilitas, 801. a.

3°. *Naturalem nominum positionem interdum invertit, ut* voluntas creationis *pro creatione voluntatis*, 890. b. origo naturæ suæ *pro natura originis suæ*, 924. c.

A

Absistere virtuti, 1122. c
Absolvere, id est, solvere, 5. b. e. 31. d. 92. c. d. aut evolvere quod erat intricatum, 882. b. vel rationem alicujus rei reddere, 101. b. 832. d. 985. a. 1005. a. Absolutio sententiæ, 1079. e. id est dicti ratio, 1080. a. Absolvere linguam, id est, linguæ ignotæ intelligentiam præbere, 965. c. Absoluta obscuritas, id est, enodata & explicata, 689. b. Absolutio, id est, explicatio ac demonstratio, 113. a. 251. d. 785. c. 792. d. 875. a. 840. d. 845. d. 885. a. Absolutio veritatis, id est, quod præ se fert veritas, 789. a. Veritatis absolutionem obtinere, id est, veram rei naturam evidenter obtinere, 779. f. Absolutio pro perfectione, 6. e. Absolutissima majestas Filii, id est, plenissima, 832. b. Absolutio hominis perfecti, quasi, integritas, 1086. c. Absolutissimus & optimus usus, 766. a. Absolutæ & faciles mentes, 655. e. In Juda nihil simplex, nihil absolutum, 532. d. Absolutum idem sonat quod perspicuum, & manifestum, 29. c. 34. b. 53. c. & *alibi passim.* Absolutio pro perspicuitate, 930. c. & *alibi.* In absoluto, 806. c. 810. b. id est quod non in obscuro. 850. c. In absoluto opponitur rei privatæ, 677. b. Absolutum nomen opponitur relativo, 841. d. Absoluta in Deo sunt, non corporalia, 1025. a
Abstentio, 19. d
Ad naturam, quasi, secundùm naturam, 1033. d. 1088. e
Admixtus, quasi, aggregatus, 110. e. Admixtus Deus mundo, 356. c. Admixta anima membris, 256. a. terrenæ naturæ, 265. f. Admixta nobis materia, 257. b. vitiorum consuetudo, 550. e. Admiscenunc morticinæ, 257. c
Adoptare pro assumere, 802. b. Adoptio pro assumtione, 427. b. pro gentibus, 664. e
Adorare pecudibus, 674. *notâ* h. in qua pro *quarto casu*, leg. *tertio casu.* V. 703. *not.* e
Adspectatores, 378. f
Adspiratus in propheram, 443. c
Adventus Christi tempus, pro tempore assumtæ carnis, 898. a. 900. a
Ænigmatum est, 117 c
Æternitas, Deus, 723. a. Æternitas Christi pro divinitate Christi, 128. a. Æternitas ab æterno, 1125. a. Æternitas naturæ nostræ corpus accepit, 690. a. Æternitas pro natura divina, 741. e. 955. a. 1306. b. Æternitatis substantia, 637. a. b. alimonia, 619. b. instituta, 620. e. Æternitas moriendi, 770. e. Æternitatum potestates numerosæ, 883. b
Alius, quasi aliud, ad distinctionem naturæ, 1171. b. Aliud quàm tuum est, 892. c
Allegoricorum lex, 154. c
Allegorumena, 246. b. 343. e. 468. f. 475. f. 579 d. 583. f
Ambitiosa, quasi, cincta & circumdata, 330. d
Amittere manere, quasi, desinere esse, 1046. b. 1054. d. Amittere esse, 864 c. 1091. d
Anima corporis, 1068. d. 1069. a. 1071. e. 1075. b. Animæ permixtio, 1044. b. c. mobilitas perennis, 439. c. Animatur mare nunc hausto spiritu, nunc refuso, 230. a
Anomœusion, 1248. a. b
Anquira, 1324 b. Anquiritanus, 1362. f
Apprehendere aviditatem sonat, 51. c
Arii id est Ariani, 1197. d. e. 1302. c
Ariomanitæ, 919 d. 1286. a. 1353. d. 1356. d
Assistentis Spiritus conscientia, 1143. a. Assistit servis Dei misericordia, quæ omnibus est promta, 551. e. Assistentes humanis auxiliis Angeli, 499. d. Assistere injuriæ, quasi accinctum esse ad inferendam injuriam, 555. d
Assumtivæ appellationes, 921. b
Aucti in filios Dei, 772. b. Augeatur distinctio, 847. d
Auctor natura, 766. b. Auctor filii Pater, 239. a. Auctor est Deus innascibilis Deo unigenito ad nativitatem, 1004. a. b. Auctorem nativitatis esse sacramentum paternum est, 1004. a
Auctoritas innascibilis, 1041. a. Auctoritas paternæ naturæ, paternæ operationis, 1014. c. Auctoritatem Pater non amittit, 1001. f. Auctoritas existens, pro eo quod non est ex nihilo, 887. d. Auctoritates, pro locis ad auctoritatem faciendam allatis, 856. c
Audientia doctrinæ sanæ, 1038. e. Audientiam rogare, 1230. b. 1282. c. Audientiam exoptare, id est, optare se exaudiri, 547. d

B

Beatitudo peculiaris virtutum Filii, 854. a. Beatitudines innumeræ, 78. b. V 1068. a. 1085. b 110. e
Blandiloquus, 1290. c
Blasphemiorum, 183. b. d
Bubus,

C

Cæli judex, 447. d. Cæli peccator, 334. c
Cælestis natura pro divina, 216. d. f. 228. a. 438. d. 505. b. 510. e. 1009. e. pro spirituali, 22. f. Cælestis natura animæ, 438. e. 439. a. Cælestes operationes, 813. b
Calumnia, id est, quod suggerit studium rixandi & contradicendi, 800. a. 1078. d. & *passim*, vel contradictio ipsa, 1078. f. Calumniari, quasi, contradicere, 370. a. 994. a. 1079. b. aut lites movere, 1056. b. 1079. e. Calumnia adversandi, quasi litigandi causa, 781. c. Calumniam facere Scripturis, 1308. d. 1309. *not.* a. Calumniæ scrupulosæ, 1078. c. Calumniæ nostræ disputationes, 1010. a. Calumniam inferre, quasi, insimulare, 884. e. Calumniam inquisitionis intendere, 817. c. Calumnia peccati, 129. c. vestis, 503. a. trunci corporis, 1055. d
Caput pro sententia Scripturæ, 626. d
Caro universitatis nostræ, 167. c. Caro assumta, id est, homo totus, 1052. c. Caro & natus homo synonyma sunt, 1010. b. Carnis unius assumtione interna universæ carnis Deus incoluit, 800. e. Caro spoliata, & carne se spolians idem Christus est, 991 e. Christus caro factus orabat, ut hoc Patri caro esse inciperet quod Verbum, 816. e
Carissima nomina, 330. c. Caritates domesticæ nominum, 660. e
Caverna exiguissima, pro foramine acûs, 705. d

Causa

Index Glossarum.

Causa omnis per Christum, non Christus Deus per causam, 1094. d. Causa nativitatis æternæ Christi, 1116. e. 1089. a. 1121. a

Christi vox ad naturam divinam ab Hilario refertur, 993. c. 1092. e. distinguitur à vocabulis filii hominis, 1073. b. hominis, 1054. a b. Jesu, 1069. d. & David, 454. *not.* k. Christus noster homo, 147. c. 1110. e. Christus Spiritus, & Christus Jesus, id est, Christus Deus, & Christus homo, 975. a. 993. d. Christus ex natura Deus, ex dispensatione homo, 1050. a. per naturam in forma Dei, per dispensationem in forma servi, 1077. e. 1078. a. Christi exitio à Deo est *ex natura*, adventus ad nos *ex dispensatione*, 900. b. Christus manens suus atque noster, 103. e. Natura Dei omnibus antè sæculis manens in naturam hominis ex partu virginis genita, 103. e. Christus ante hominem, id est, ante quàm homo esset, 1049. c. non de non substantibus manet, nec cœpit ad originem, sed originem ab origine sumsit æternam, 979. c. In Christo inhabitans plenitudo divinitatis corporaliter non aliud intelligatur esse quàm Christus, 980. c. Christi in filium sanctificatio, 933. a. Christus ut Deus formatus est à Patre, 511 c. Dubium est an à Patre formatus dici possit, ut homo est, 511. d. Distinguitur is qui forma Dei est, à Jesu, 228. b. c.

Christi respectu totus ac totum quid significent, 41. b. *not.* a. quid persona hominis, 157. d. 506. b. 507. a. quid ante hominem, in homine, post hominem, 513. a. Christus aliud ante hominem Deus, aliud homo & Deus, aliud post hominem & Deum totus homo totus Deus, 987. c. ex Deo homo, id est, cùm Deus esset, factus est homo, 1049. a. Deus in homine natus, 986. b. 989. c. Christi corpori Maria originem non dedit, 1045. c. omnis causa nascendi ei invecta per Spiritum, 1045. b. Christi caro non ex communi originis genere, 54 d. suscepta in Virgine, 1046. a. per se initiata conditaque est, 1046. a. ex suo sancto Spiritu, 1045. a. non per humanæ conceptionis coaluit naturam, 1045. b. 1047. b. non vitiis humanæ conceptionis, 1053. c. Assumtum & connatum in Christo corpus, 974. c. Dei potestas ad hominem acquisita, 1040. d. Christus à paternæ naturæ gloria per dispensationem evacuatus, 1011. e. In eo substantia ea non erat, quæ se inaniens hauserat, 216. d. erat naturæ proprietas: sed Dei forma non erat, 1018. d. Christus sibi novitatem naturæ natus homo intulerat, 1007. b. Novitas temporalis amiserat cum forma Dei naturæ Dei secundùm assumtum hominem unitatem, *ibid.* c. Christo unitatis paternæ offensionem intulerat dispensationis novitas, 1008. b

Christus, qui in forma Dei erat, non Christus esse non manet, cùm servi formam accepit, 993. c. idem est & demutans habitum, & assumens, 993. d. Demutatio habitûs in corpore, 993. d. Christus quia unus & idem est loquens omnia quæ loquatur, *de se ipso* omnia eum locutum esse contendunt, 987. a. Nec negamus totum illum, qui ejus manet, naturæ suæ esse sermonem, *ibid.* Cùm infirmitates non haberet ex veritate naturæ, eas *ad naturam* genuit, 863. e. Omnia in Christo *contra naturam*, 864. b. Mori voluit qui vita est, & Virtus indefessa non recusavit se effici in firmam, 449. d. Hæc mortis somno non est dormitatura, 450. d. Christus nobis est corpus, 977. b. factus homo ex alio aliud fuit 42. a. Receptâ carnis gloriâ in idipsum unde antea exstitit aliud est renatum, 42. a. Christus resurgens occasum mortis adscendit, 193. a. legem mortis egressus est, 193. c. relicto intra sepulcrum corpori divinæ naturæ suæ tribuit consortium, id est, gloriam, 116. a. Christum ad perfectum Dei filium gigni, quid, 40. d. 42. b

Christus ex Deo homo mortuus, in Deum ex homine mortuo resurrexit, 96. b. ex hominis filio in Dei filium, ex quo etiam filius hominis esse cœperat, per resurrectionis gloriam jam renatus, 101. d. Corporalis infirmitas Christi in Dei nomen naturamque salvatur, 96. b. Ipsi hominis filio Dei filii & nomen redhibendum & virtus, 96. c. Idipsum significat, Dominus Jesus in gloria Dei patris, &, susceptus homo in naturam divinitatis acceptus, &, homo assumtus ab unigenito Deo in æternitatis suæ vita collocatus, vel, in salutem vultus Dei susceptus, 228. c. Christus homo & Deus unitati paternæ naturæ nunc inest, 1007. c. nunc & deitatis spiritu & origine carnis unitus, pro, carne ut divinitate glorificatus, 454. a. neque post hominem in Deo non totus homo totus Deus, 987. a. b. non ex parte Deus, sed Deus totus, 1104. e. antè in se duos continens, nunc Deus tantùm est, 1105. a. dum homo & Deus, jam Deus totum est, 1105. b. toto jam in Deum ex ea quà homo est, dispensatione mansuro, 1106. c. Spiritus & caro jam ambo unum, 735. b.

Ci *in* qui *mutatur. Sic legitur* Anquira *pro* Ancyra, 1324. b. Quimatius *loco* Cimatius, 1322. a. Quirius *pro* Scirus, 1324. d

Circumstantiæ civitas, 141. b. cælestis Jerusalem est, *ibid.* a

Clauso, 624. b

Cluditis, 725. *not.* a

Coexcitatus, 130. a. 138. b. 149. a. 156. a

Cognitionis tempus, 796. a

Cohabitatio Dei distinguitur à cælestium bonorum perceptione, 164. e. f

Coinnascibilis, 1012. d

Collatio verborum, 1155. d. Collatio evangelica ac prophetica, 863. b. Collatio pecuniæ, 110. f

Comitatus diversitatum, 963. b

Comminister, 1282. e

Communio pro re quæ est communis, 893. c. d. 1087. b. 1092. b. d. Communio imaginis, 859 a. d. 858. e. paternæ substantiæ, 672. b. e. obtentorum, 1032. d. Communionis divinæ sacramentum, 223. e. Communio dominica pro ecclesiastica, 1153. b. 1154. d

Compassio, 1195. b. Compatiendis passionibus, 293. b

Compenset visum patrem, quasi, idem præstet quod visus pater, 1019. a

Complorare plorantibus, 293. a

Compresbyter, 1298. b

Concaptus est, 411. d

Concorporales, 120. c. 144. d. 227. a. 240. b. Concorporati Christo, 1246. c. Concorporatio, 637. f

Condignus non est Deus conspectu cordis immundi, 364. b

Conditio & genus, 100. b

Confiteri Hilario sæpe idem est quod pænitere, 538. *not.* f. 81. b. Confessio pænitentiæ, 35. c. 38. b. 92. f. pænitendi, 673. c

Configuratæ veritatis speciem non recipere, id est, nihil esse quod sibi simile sit, 356. b

Congenita est Filio Dei omnis potestas, 1004. a. Congenuit Pater Filio voluntatis suæ cognitionem, 238. e

Connuncupatus, 857. d. 912. e. 994. c

Conresurgit fides ista in Christo, 990. b

Conscia infirmitas, pro, conscius infirmitatis, 914. b. Conscia natura, 929. c. *not.* c. Conscia potestas, 930. d. Consciæ salutis fiducia, 221. d

Conscientia, 1014. d. 1015. c. Conscientia publica, 882. f. 903. a. 1239. a. 1247. b

Consecratio primi sacerdotis Dei, 461. f. Consecratum judicium, 1313. d

Consolari minas spe, 284. b

Conss. 1341. d. 1342. c. 1346. e

Constare ex diversis ut maneat, 886 c

Consummatio pro fine, 1. b. 7. c. Consummabatur effundi, 1059 e. Consummatio permanendi, 333. e. Consummare naturam Dei, hoc est, divinæ naturæ plenitudinem præstare, 901. a. Consummat Patrem Filius, 938. b. Consummare hominem viventem, 1045. a. Consummatur homo imago Dei, 1111. a

Contineri ex infirmibus, 935. b. ex inanimis, 936. b

In controversum, 395. d

Convallia, 171. e

Cooperari & cooperatio, 840. d. 1320. a

Corpus pro natura humana, 222. e. Corpus sui sensus ac spiritûs effici, 1064. b. Corpus opponitur imagini, 459. a. opponitur umbræ, 704. c. 863. b. Corpus psalmi, 316. c. Operis, 840. e. resurrectionis, 121. c. In corpore peccati positum esse, 547. b. Corpus nobis est Christus, 977. b. corpus est omnium, 966. d. Corpus in substantiam animæ transire, & animæ subtilitatem in naturam corporum ingravescere, 658. a. [illegible] c

Corporalitas Christi, 624. d. 625. a. Corporatio, 1022. b. 1091. b. Corporatur, quasi, adipiscitur suam perfectionem, 438. d. Corporea substantia animarum, 633. a. Corporeus Christus, id est, homo, 728. a. Corporeus, id est, cùm esset in carne mortali, 41. a. Corporalis, eodem sensu, 533. b. Corporalis vitæ mandatum, id est, vitæ quam hîc in corpore degimus, 260. c. Corporale nihil in Beatis, 533. c. Corporalis non est Deus secundùm nos, 405. b. *not.* a. 474. *not.* h. Corporalia in Deo non sunt, sed absoluta, 1025. a. Corporalis habitatio Dei incorporalis, proprietatem naturalis unitatis in Deo qui ex Deo substitit docet, 983. c. Corporalis habitatio divinitatis incorporalis naturalem unitatem efficit, 983. e. Corporalis in Christo divinitas est, non ex parte, sed tota, 981. a. Corporaliter in Christo manens divinitas, naturæ in eo Dei significat veritatem, 980. a

Corruptivus, 867. d

Cruciarius, 387. c

Cum, quasi apud, 75. a. 179. e. 182. f. 186. f. 910. d. pro secundùm, 324. f. 338. c. *& passim.*

Cùm quando, 12. b. 218. f. 236. d. 847. d. 860. d. *& alibi.*

Curiosus, id est, curam habens, 1021. c

Custodia Domini in qua fideles hac vita functi reservantur, 383. e

D

Danielum, 343. *not.* b. 379. *not.* a. Danielo, 403. c

David æternus, 141. a

Debitum esse, quasi, convenire, ac proprium esse, 1083. c. 1128. d. Debitum est homini errare, 537. d. debitum infernas sedes adire, 101. d. Debitum erat Apostolis pacem nuntiare, 616. c

Dehonestas, 1086. a

Descensio Dei unigeniti, 775. b

Deserere, pro dissentire aut alienum esse, 923. d. 936. c. Non deseruit natus Deus naturæ suæ proprietatem, 1006. d. *V.* 876. b

Desperare id Deo, 1106. d. Desperatio judicii, quasi, spes non futurum esse judicium, 147. e. Desperata, quasi, insperata, 734. e

Despoliat, 516. b

Destricta amore, 461. e

Desum esse, quasi, desino esse, 1084. b

Dei natura enuntiatur vocabulis æternitatis, 741. e. 955. a. spiritûs, 222. e. 957. c. virtutis, 650. a. 741. e. Deus ex quo, & Deus per quem, 836. e 837. c. 849. b. e. 970. a. 971. a. Nihil in Dei rebus nisi natum & æternum, 1139. d. Deus ex Deo & in Deo, mysterio & potestate naturæ, 876. e. Deum cum Deo esse, non alterum in natura, sed in sacramento substantiæ unum, 891. a. Deo ut sua propria non desunt Verbum, sapientia, virtus, quamvis ex eo in Deum sint nata, 921. d. Deus indemutabilis Deum indemutabilem gignens naturam suam sequitur, nec naturam suam deserit talis

nativitas, 876. b. Deus Pater & Filius unum sunt uterque, non unus, 776. b. Utrumque neque eumdem, neque aliud confitemur, *ibid.* In Deo substantiæ tres quî apud Orientales rectè dicantur, 1170. d. 1172. a. In divinis *tria* ab antiquis catholicè dicta sunt, 1170. e. *not.* o. Dei deputativæ aut assumtivæ appellationes, 921. b. Patris innascibilis substantia, 1173. d. Filii unigenita essentia, 1173 d. Naturæ genitæ & gignentis indifferentia, 1174. a

Deus pater Deo filio nativitatis ejus Deus est & naturæ pater, 1089. a. Deus pater natura gignens, Filius natura genita, 1018. c. Deus in generatione Filii sequitur naturam suam, 876. b. nihil alienum à se Unigeniti nativitati acquirit, 942. f. Deo patri virtus & sapientia, quamvis ex eo Deum sint nata, non desunt, 921. e. Divinitas ex Patre Deo genita, & in Filio Deo nata, unum eos esse testatur, 564. a. Essentiæ Dei de essentia Dei genitæ absoluta perfectio est, 1174. d. Genitæ essentiæ persona, 1178. e. Dei unigeniti nativitas secunda ab auctore, sed non separabilis ab auctore, 1139. e. 1141. c. Naturam unigenitam ex innascibili genitam essentia in uno innascibilis Dei nomine fides complectitur, 1185. c. Deus filius ex causa perfecta atque indemutabili in ipsius proprietate nascitur, 1116. e

Deus pater carnis nostræ susceptionem nescivit, 1018. c. Filium generando auctoritatem tenet, 1001. f. Major est Pater dum pater est : sed Filius, dum filius est, non est minor, 1022. b. Dei filius subjectus Patri nativitate naturæ, 1187. d. Deus Dei dictis obediens, 868. a. Deus Verbum hominem se ex partu Virginis efficiens, 1048. c. Deus natus, 1020. e. Deus mortuus, 1021. a

Divinitas perfecta nativitate in Deum perfectum genita, 978. d. Divinitas unigenita, 1040. e. Divinitatis unitatem in innascibili Deo & in unigenito Deo secundùm proprietatem atque naturam profitemur, 393. d. Divinitatis paternæ natura naturæ assumti corporis nostri invecta, 1104. e. Divinitatis in Christo corporalis habitatio, 980. a. d

Deifica doctrina, 1342. a

Diabolicum ingenium, 1251. b

Diapsalmi interjectio, 179. b. 186. c 187. c. Diapsalmæ intercessio, 74. c. 77. f. 183. d. Diapsalmâ interjecto, 74. c. 110. b. 120. c. 130. c

Dignatio, quasi, abjectio ex benignitate suscepta, 800. c. 801. a

Dignitas, quasi divinitas, 513. a

Dimensio mortalium, 139. b

Discretio personæ, 841. d. 848. a

Dispensatio pro secreto consilio, 1028. a. pro secreto Dei consilio in tempore efficiendo, 1099. d. f. 1100. d. pro natura, 1091. c. 1104. d. Dispensatio hominis opponitur naturæ Dei, 991. c. Dispensationis salutaria mundo sacramenta, 861. a. idem est quod, cælestis misericordiæ sacramenta, 862. e. Dispensationis evangelicæ mysterium, 862. e. Dispensatio corporis nostri, 977. a. corporationis, 1022. b. carnis assumtæ, 1007. b. 1040. c. temporum, 1132. c. Dispensationem sui habet firmamenti solidatio, aridæ nudatio, &c. 1133. d. Dispensatio ultima, 1136. d. Dispensandi sacramenti subjectio, 1100. b. Dispensatio tacendi, 1034. a. b. absconditæ scientiæ, 1030. f. non agendi, 1026. a. loquendi *ibid.* c. agendi, aut protestandi, aut demonstrandi, 1029. b. Dispensatio virtutis, quasi, ostensio, 1084. c

Disproficis, 1057. b. 1089. a

Diversitatis numerus in Deum non cadit, 855. e

Distinguitur Deus jubens & Deus faciens, 837. d. Deus ex quo & Deus per quem, 836. e. is qui est & cujus est, 805. b. is qui inest & in quo inest, 877. a. per quem & sine quo, 797. c. inesse & adesse, 796. d. habere haberique, 792. d. munerator & munus, 792. d

Doctrina nominis potiùs quàm naturæ, 1037. b. Doctrina voluntatis, 1037. d

Dominatum inferioris habere, pro, inferiori servire, 394. c

Dominicum pro basilica, 1224. a

Donec cùm, 448. a. *not.* f. 669. c

E

Ecclesia Angelorum multitudinis frequentium : sed est ecclesia primitivorum ; est & ecclesia spirituum in Domino fundatorum, 404. b

Efficientiæ corporales, 889. b

Egredi sensum, id est, superare, excedere & effugere, 770. a. c

Electio pro novo Testamento, 840. e. pro Judæis, 470. c. 650. c

Elementa originis nostræ, 902. d. terrenæ conceptionis, 1058. d. 1064. a. Pudendæ sunt elementorum nostrorum origines, 206. b. *V.* 818. a. Elementis terrenis non est inchoatum corpus Christi, 1064. a. Elementa vitæ & spiritûs ex se ipso nobis tribuit Deus, 204. a

Epistola uniformis, 1333. b

Epistolia, 1292. a. b. 1336. b

Essentia, 1158. c. 1305. c. Est Deus ex se ac sibi semper ad id quod est, 1110. a. Is qui est, Filio ad id quod est, causa est, 1121. a. Unigenito Deo proprium est, nihil differre esse & inesse, 944. e. Erans, 795. *not.* g.

Evacuatio formæ Dei, 555. b. Evacuatus ex forma Dei, 201. e. 228. a. Evacuare potestatem, 1100. f

Evangelia, pro tota nostræ salutis etiam ante Christum natum dispensatione, 919. d

Evangelizantes virtutes, 197. c. Evangelizatur Maria, de Annuntiatione dicitur, 557. a

Ex statum priorem significat, à quo ad alterum facta sit transitio, v. g. ex Deo homo, 44. d. 392. a. ex carne, id est, cùm essemus caro, 800. e. ex immortalitate moriens, id est, cùm esset immortalis, 774. a. Ex persecutore Ecclesiæ dixit, 850. d

Exæquabilis, 984. e

Excedere rationem evangelicæ caritatis, quasi, recedere ab evangelica caritate, 303. e

Exceptio, id est, particula excipiens, 1085. b. Exceptio comparationis, id est, exclusio comparationis, 1085. c. Exceptio solitarii, id est, prædicatio solitarii, quæ alium excludat, 1002. b. Exceptio unigeniti, eodem sensu, 1091. d. Exceptio paternæ potestatis, id est, quod soli Patris potestati adscribitur, 1034. d. *V.* 778. c. 781. b.

Exinanitus ex forma Dei, 203. c

Exponere pro deponere, 1308. a. 1316. f. 1317. d. e. 1319. b. Item expositio, 1315. a. *Verbum idem eodem sensu usitatum est Cypriano epist. 51 & 74. necnon Firmiliano apud eumdem Cyprian. epist. 75.*

Extendit Sabellius Patrem in filium, 789. d

Extrinsecùs pro eo quod extrà excurrit, 8. a

F

Familiare nomen, pro vulgari, 964. a. Familiaritas generalis, quasi, denominatio communis, 893. a

Fastigium, quasi fastus, 324. c. 326. b

Fides cordis, 95. b. rationabilis scientiæ, 778. a. Fides non cognitionis, sed criminis, 930. c. Fides pro fidei confessione in plurali, 1154. c. 1186. c. 1187. b. 1188. b. pro Evangelio, 625. e. & seq. Fides evangelica pro verbis baptismi, 1228. d. 1229. c. Fides apostolica pro Symbolo, 1228. d. Fides ecclesiastica, 968. d. Fides compassionis & fides commoriendi, pro affectu compassionis & commoriendi propter fidem, 120. d. Fidei sacramentum, id est, Patris & Filii & Spiritus-sancti unitas, 676. e

Filius non est originis suæ, sed ex vivente natura vivens natura exstans, 1019. e. non ab initio, sed ab ininitiabili, 829. e. ex Patre substitit, 831. e. subsistit ex nativitate naturæ, 923. e. Filii est viventis naturæ ex vivente nativitas, 902. d. Filius, veræ nativitatis subsistens natura, 916. a. nihil habet nisi natum, 832. b. subsistit in substantia qua genitus est, 829. f. qua manebat, *ibid.* Filium de natura & in natura Dei natum, 882. f. Filius ex uno Domino unus ipse subsistit in Dominum, 1001. f. in subsistentem Deum natus, 922. b ex natura Dei Deus, 874. e. à Patre ipso innascibilis virtutis suæ nomine nuncupatus, 849. b. Indivisus atque inseparabilis, non ex persona, sed ex natura, subsistens ex Patre unigenitus, 874. e

Filius natus est non sine potestate nativitatis suæ, 798. b. ex suis ipse subsistit, 1032. d. Filium subsistentem ex nativitate consummant, quæ tamen Patri insunt, 922. a. Filium in Deo retinet manentis ex Deo nativitatis natura, 891. b. Filius Dei in se ad naturam genuit, quæ sibi non erant antea in veritate naturæ, 863. e. Nasci Deum voluntas ejus fuit, cujus in virtute erat ut nasceretur, 689. d. Filio is qui est, ad id quod est, causa est, 1121. a. Ei Deus Pater est, 529. d. 848. c. 849 b. Filius secundus à Deo patre, 1141. c post Deum ita, ut cum Deo, *ibid.* dicitur procreatus, 809. b. ille cujus est, 805. b. à quo est, 821. c. unus per quem, 829. c. Filius Patri debitum reddens, obedientiam suam mittentis deputat voluntati, 1019. e. exemplo paternæ naturæ mortuos vivificat, 927. e. Filii obedientia, obsequela, subjectio, 1192. c. d. e. pietas, 1195. b. in conditione mundi ministerium, 1133. a. in operando famulatus, 238. d. 239. a. Filius quà genitus exæquari nequit Patri in eo quòd genuit, 512. d. per reverentiæ honorem sua Patri subjicit, 517. e. 544. e. Filio potior Pater, 813. e. & major, *ibid.* & 512. d. Filius totus, 1007. c

Finis fidei, quasi, excidium fidei, 308. c. Finem habitare desinendi, quasi, in quodam procinctu esse ad desinendum, 168. e

Floriet, 459. d. 466. b

Forma opponitur naturæ & substantiæ, 976. d. Forma pro natura, 227. e. 1115. e. 1116. b. pro gloria, 228. a. 1018. d. In forma Dei esse non alia intelligentia est, quàm in Dei manere natura, 1115. e. Forma Dei in Deo naturaliter consignata, 1040. b. Forma Dei est unigenitus Deus, 228. c. Forma Dei ex eo quod erat, ad id quod non erat, se evacuavit, 98. a. Nescio an quòd Christus formatus in forma servi est, referri possit ad Patrem, 511. d. à quo formatus est secundùm formam divinitatis, *ibid.* c. Decedere ex Deo in hominem, nisi se ex Dei forma Deus evacuans non potuit, 1116. a. Formam servi accipere nisi per evacuationem suam non potuit qui manebat in Dei forma, non conveniente sibi utriusque formæ concursu, 993. b. Formæ Dei exinanitio est salutis nostræ dispensatio, 1018. b. Formæ servilis unitatem in naturam divinæ unitatis non statim refundimus, 1018. c. Forma Dei non erat, quia per ejus exinanitionem servi erat forma suscepta, 1018. d. Formæ servilis habitus in forma Dei honorandus, 1009. d. Filium Pater ex se in formam suam generat, ac rursum de forma servi in formam Dei renovat, 1020. e. Formam, paternæ majestatis à corporeæ humilitatis assumtione alienans, 1021. c. Forma demutata, & pòst formæ æqualitas reddita, 1020. a. Formæ servilis assumtio in formam Dei assumitur, 1011. d. In formam Dei transisse non est naturam Dei perdidisse, 1116. a

Frequentare, quasi, coram multitudine profiteri, 1005. b. Frequentantium Angelorum domus, 357. d

Frequentabilis, 453. d

Frequenter, 1267. c

Index Glossarum.

G

GEnus pro natura, 782. a. *& passim.* Generum singulorum virtutes, id est, proprietates singularum naturarum quæ sunt in Christo, 782. a
Generalis anima, 79. e
Generari in vivum, 935. d
Generatio prima & sequens, 504. f
Gignere pro fieri, 34. a. Gignere ad naturam, 863. e. in vivum, 876. b
Gloriosi in se, quasi, gloriantes in se, 179. b. Homo in naturam divinitatis acceptus, id est, gloriâ donatus, 228. e
Gratia opponitur legi, 725. e

H

HAbebat gigni, quasi, gignendus erat, 848. e. 849. b
Hæresis infirmitatis, 1062. c. Hæresis phantasma mentiens, 1062. c
Homo persequentium, 813. d. Homo animæ communis & corporis, 1068. e. In homine est species originis cælestis æterna, 375. d. Homo totus, id est, hominum universitas in Christo, 616. d. *not.* o. Homo noster, 1095. a
Homousios, 830. a

I

IDem officii & meriti, 723. d
Ignis judicii, 695. e. Ad ignis cælestis materiem perfidi relinquentur, 733. d
Illex ad lasciviam vultus, 341. d
Imago naturalis, 1040. b
Immiscuit se humanæ carnis naturæ Spiritus-sanctus, id est, Verbum carnem assumsit, 801. b
Immoderata æternitas, id est, immensa, 769. c. e
Impacifica oratio, 626. b
Impænitentiæ sacramentum, id est, non pænitendum, 592. e
Impassibilis est qui genuit, 793. c. 809. a 829. d. 1041. c
Impiata conscientia, 1150. a. Impiabatur, 1197. d
Imprecatus, quasi precatus, 381. b
In nos habitans, 398. f. In nos manens, 399. b. In Deum mansuro, 1106. c. d
Inaudientia, 50. e
Inaurire, 96. d. f. 104. a. b. c. d. 529. e 806. a. 821. b
Incarnatio, 555. d. 556. a
Incognoscibilis,
Incomposita natura, id est, ad cujus perfectionem aliquid deest. 1024. b
Inconsummatum, 972. a
Incontinens condendi corporis, 813. c
Incredibiles, pro incredulis, 896. c
Indigna est congregatio sanctorum ad malitiæ operarios, 331. d
Indignitatis dolor, 1014. e
Indigere aliquid, 233. e
Indigus quærere, 653. b
Indulgentiæ moderatio, quasi, rei indultæ mensura, 1070. d
Inemendatus, 720. d
Inexcessus, 1098. e
Inexquisita Dei judicia, 315. b
Inexscrutabilis, 1109. b
Inferi, in bonam partem, 333. b
Infirmitatis hæresis, 1062. c
Infirmis carnis, 374. e. Infirmis naturæ, 86. f. 1015. b. Infirmes, 904. a. 1140. d. Infirmibus, 648. c. 812. b. 814. e. 935. b. 1029. c. 1122. e
Ingenia pœnarum, 180. e. 351. d
Inhonorabilis, 678. e. Inhonorificus, 928. d
Ininitiabilis, 356. b. 520. d. 829. e. 1022. d. 1040. e. 1041. a. Ininitiabilis in creato mundo Dei dominatus, 158. b
Inintelligere, 272. b. Inintellecta, 940. e. Inintelligentia, 970. e. 1056. c. 1109. b
Innascibilis essentia, 1166. d. e. Innascibilitatis imago Filius sacramento nativitatis, 1020. e
Innativitas, 1360. e. 1361. d. 1363. b
Innumerosi, 393. e
Inobservans, 408. f
Inoperari, 966. b. c
Inoperatum Dei, 519. d
Inopinabilis, 794. c
Inspirate, 84. e. 163. e
Insum, pro intra sum, 769. c. Qui inest ab eo in quo inest non dissolvendus, 877. a. Inesse & esse, 891. a. 900. f
Integimentum, 1072. b
Intelligentia æterna, id est, quæ in æternum procedat ad aliquid intelligendum, 1127. a. Deus neque intra sententiam intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi, 770. c. Intelligatur ad unum, 875. b. Intelligente ad Dominum, *ibid.* d
Intercessio, idem ac interventio, 247. b. 254. d
Invidens bonorum, 34. d. Deo cum invidia fletuum suorum irasci, quasi miseriam iniquè ferre, & impatientiæ suæ invidiam in Deum rejicere, 348. e
Inutilis ad fugam, id est, inhabilis, 731. a. Inutilis, quasi, improbabilis, 85. d. e. 86. b. c. Inutilis & irreligiosa sectatio, 90. b. Inutilis cupiditas vocatur avari negantis stipem, quæ inopi utilis esset, 316. e
Ipse, quasi, idem, 137. a. 966. a. Ipsum se esse, pro eamdem naturam habere, 1032. d
In inmaturitate, 353. g
Insincerus, 606. d
Instetur, 61. b
Insubstantiva vox, 1179. f
Interscaplia, 198. c
Ita quòd, 687. a. 709. d. 882. c
Itineris fortitudinem peragere, 687. e
Jus cogendi, pro violentia, 1222. b. Jus necessariæ confessionis, 1023. a
Justificatio spiritûs, vel, in spiritu, 1087. e. f. *& seq.*

L

LAteri adhærentes, 1357. a. E latere meo direxi, 1327. b
Lex allegoricorum, 154. c. Lex non efficientiam continebat, sed meditabatur effectus, 726. b. Leges Angelorum, 281. e. Leges æternæ, *ibid.* Lex mundi, 986. b. Leges Dei, leges sæculi, 314. d. Leges Ecclesiæ, leges fori, 19. a. Lex voluntatis Adæ statuta, 357. a. voluntati ejus proposita, 659. e. Lex veluti naturalis, 334. b. Lex justitiæ, 99. c. peccati, 153. d. e. 147. a. 218. d. f. vivendi, 99. c. vitæ, 77. e. moriendi, 77. d. mortis, 193. c. 257. b. Lex mortis in omnes constituta, 215. f. Lex inferna, 578. c. Lex mortis ut ad inferos animæ descendant, 514. d. Lex descendendi ad inferos, 514. d. Lex exemtæ à corpore animæ, 281. d. Lex resurgendi, 77. d. resurrectionis, 281. e. Legis terrenæ natura, 86. e. Legis corpus æternum, 281. c. Lex etiam Evangelium simpliciter appellatur, 327. b
Aiar, 522. d
Licèt, *& postea* verùm, pro tamen, 910. a
Lucificat, 321. e. 466. *not.* h

M

MAgis non, pro, magis quàm, 231. c. Magis postpositum particulæ *quàm*, 1001. a. Magis promtior, 985. e
Manere pro esse, 98. a. c. 103. e. *not.* i. Deus ex Deo natus exiit à manente, 902. e. Manens ex Deo Deus, 937. e. Manens ex Deo nativitas, 891. b. Manere ex natura, 934. e. de non substantibus, 979. b. Manere in impietatem, 150. c. manere in carnem, 1043. d. Carnem dolor mansit, 1043. d. manet eos, 117. d. 133. c
Mannam æternam, 454. *not.* g. Mannam ministrabant, 674. b
Mare internum & externum, 166. a
Martyr fidei, quasi testis, 904. b. Martyres promissorum Dei, 623. a
Meditari, pro aliquid futurum præmonstrare, 713. e. 723. e. 724. e. 726. b. Meditatio futuri, quasi, species futuri, 645. d. Meditatio legis in Christo fuit perfecta, 723. b
Mensa lectionum, 428. b. sacrificiorum, 224. e
Militia corporis, 395. e. tentationum, 346. a
Millia vox ad itinerantes pertinens, 509. d.
Ministerium Filii respectu Patris, 238. d. 239. a. Ministerium Sapientiæ in conditione mundi, 1133. a
Ministeria pœnæ, pro ministris, 1065. a. Administeria ultionum, quasi, ad vindictam malorum, 99. c. Ministeria satanæ, 307. f. idem est quod adversantes inimicæque virtutes, 307. a. aut nequitiæ spiritales in cælestibus, 307. a. *&* 308. c
Mirum ut sentiam, 750. a
Mobilis naturæ est Deus, 785. a
Moderata natura, id est, finita, 1031. c. Moderatio, pro modo & mensura, 1070. d. Moderatio definita, pro re non infinita, 976. b
Mora. ad moram belli, 78. c. *& mox ex ms. Tur.* ad moram famis, *ubi exstat*, ad mortem famis.
Morosus; id est tardus, 18. d. 51. c. Morosa dissolutio, 374. e. Morosæ absolutiones, 1005. a. Ratio non morosa, id est, quæ sine mora exhibetur, 1073. a
Mundipotentes, 141. f. 430. *not.* g
Myrum confusionis, 462. b
Mysterium naturæ, 875. e

N

NAmque, pro nempe, 203. d. 227. f. 371. a. 379. c. 896. c. 972. e. 1135. b
Nascentium origo manet intra patres, 936. a. quomodo, *ibid.* Nata sunt ex Deo in Deum sapientia, Verbum, virtus, & in Deum filium cum substantia veræ nativitatis exstiterunt, 921. e. Quod ex vivo vivum natum est, habet nativitatis profectum sine novitate naturæ, 935. d. Nasci Christum in homine, nasci in corpore, & corpus assumere, synonyma sunt, 16. c. 95. c. f. 99. d. Natus in homine Dei filius, 863. c. d. Natus Deus in hominem, 1040. c. d. Natus homo in Deum, 1040. d
Nativitas natura nascendi est, 887. e. Nativitatis natura, id est, ejus ex quo nascitur natura, 984. b. Nativitas divinitatis, 1118. b. Nativitas Dei, pro filio Dei, 1010. b. Nativitas humani generis, pro natura humana, 169. c. Nativitas nostra, eodem sensu, 97. d. Nativitas naturæ, quasi, naturalis, 923. e. 930. d. 932. b. 958. a. Nativitas naturæ suæ, id est, Filius Patris, 1008. b. Nativitas unigenita innascibilis substantiæ, 1085. c. Nativitas unigenita in naturam unigenitam subsistit, 1019. d. Nativitas non consecuta est ut coinnascibilis effecta sit, 1012. d. Nativitas Filii subsistere se debet auctori, 1089. b. in Deum nascendo subsistit, *ibid.* c. si quod vitium intulisset, ei potiùs naturæ, per quam nativitas subsistebat, inveheret, 1006. e. accepit quod erat, nec ademit quod accepit, 886. a. Nec idem Deus qui erat, sed Deus ex Deo, qui erat, natus est, 886. e. Deus pater nativitatis filii Deus est & naturæ pater, 1089. b. Nativitas subsistens non alterius naturæ Deum perfecit, 1007. b. Nativitas Dei, quæ ex Deo in Deum exstitit, quæ Dei manebant & manent, obtinuit, 887. d. Non qui manebat Deus, sed ex manente Deo Deus natus est, 887. b. Non ergo qui erat natus est, sed ex his atque in his, quæ Dei erant, Deus natus exstitit, 887. d. Per nativitatem viventis ex vivente naturæ Deus in Deo est, 943. b. Nativitas divina omne opus suum sub ministerio assumti corporis exsequitur, 934. a
Natura gignendi Patrem & Filium fecit, 394. a. Natura per quam nativitas subsistit, 1006. d. e. Natura auctoris in filii nativitate connascitur, 860. d. Natura

genita naturaliter in se gignentem habuit naturam, 1018. c. Natura Dei in naturam Dei substitit, id est, ex Patre Filius natus est, 926. d. Natura non aliena à Deo in Deum nata substitit, 1089. c. Naturam eam ex qua manet nativitas, in se habet, nec extra eam est, 934. e. Natura unigenita ex tota tota est, 1030. a. Natura Dei ex se, 943. a. Natura Dei in naturam hominis genita, 103. e. Natura potior in inferiorem nata, 985. e. Natura Dei sibi manens, in sese humilitatem nostram susceperat, 1018. d. Aliud est naturam esse, aliud assumsisse naturam, 505. e. Natura Patris non senserat carnis assumtionem, 1007. c. Natura non est genuinæ originis Christi forma servilis, 228. a
Naturam venerati sunt, quæ fortuitis motibus aliquid exsisteret, 767. e. Naturæ parvitas, pro modica panum quantitate, 901. c. Natura, pro qualitate naturali, 658. a. 660. c. Natura Dei significatur in gloria, 975. a. Naturæ gloriam in gloriam naturæ naturam glorificantis assumi, 1010. d. Naturæ assumti corporis nostri natura paternæ divinitatis invecta, 1104. e. Naturam videndi cæcis oculis accendere, 114. c. Natura corporis est sermo Christi, 1065. d
Naturalis Deus, 1008. a. Naturales necessitates, id est naturæ leges, 1116. d
Ne, pro ut non, aut pro ita ut non, 191. e. 778. d. 779. b. 780. a. 786. e. 831. f. *& passim.*
Ne non, pro, ut non, 33. d. 993. c. 999. c. 1001. f
Necessarium fuit admonitione, 1103. e. Necessarium est meritis, 339. d. fide, 348. b. Necesse erit recisione, 356. a. Necesse est optabit, 223. c. Necesse est credenda est, 312. b
Necessitas elicita, 541. a. Necessitates naturales, 1116. d. e. 1117. a
Negatio geminata vim negandi retinens, 24. a. 97. a. *& alibi.*
Negligere, pro relinquere, 700. c. 707. a
Nemo Deus, quasi, non alius Deus, 873. c
Nescio si, 128. f
Nescientia, 1028. d
Nidos quiescendi, 642. e. 643. d. id est, quibus requiescant, 643. c
Nomen naturale, & nomen ex vocantis voluntate, 921. c. Nomen adjectum & accidens, 922. c. d. Nomen honoris, 923. b. c. Nomen pro causa & condemnatione, 1336. a. 1339. a. 1340. a. Nomina domi, 541. a. propinquitatum, 698. f. carissima, 330. c. Nominum carissimorum propinquitates, 627. b. *not.* b. Nomina humani periculi, 790. c. veritatis, 881. b. fidei, 358. d. jactantiæ, 358. e
Notescitur, 211. c
Nuncupativa, 984. a

O

Obedientia voluntatis, quasi, voluntati, 449. d
Obtenta, quasi, adventitia, 1032. d
Obtunsio, 843. *not.* a
Occupare intelligentiæ opinione, pro comprehendere, 1031. c
Offensionum demutatio, 457. c
Omittere crimina, pro remittere, 720. c
Omnis caro, id est, ex omni hominum genere, 164. c. Per paucos fideles non efficitur ne non omnes sint infideles, 131. e
Oporteant, 14. b. 564. f. Oportuissent, 789. a
Opinio efficientiarum, id est, quæ de rebus creatis concipitur, 1141. c
Origo, pro eo unde quis ortum habet, 847. a. 953. c. 979. c. pro principio, 890. b. pro causa, 38. f. Origines gignentium, 1049. b. Originum genitalium causa, 1071. a. Origines edendorum corporum, 1045. b. Originem impertire, pro condere, 33. f. Origo Filii ab æterno, Pater liber ab origine, 829. e. Originem ab origine æternam sumere, 979. b. Originem corpori Christi Maria non dedit, 1045. c. Ipse enim corporis sui origo, 1047. b. corpus originis suæ proprium habuit, 1053. b. Originem filii hominis Spiritus-sanctus invexit, 1064. a. Ad naturæ originem secundùm virtutem Spiritûs inchoata, *ibid.* d. Originis nostræ exordium ad imaginem interminatæ æternitatis conditum, id est, anima ad imaginem Verbi condita, 361. a. c. Origine vitiorum nostrorum conceptus, 1065. b
Originalia, 433. e

P

Pæniterent, 40. c. 47. d. Pænituissent, 263. c. Pænitenda, 410. *not.* k
Pænitentia Dei ad pœnam, 47. e. Pænitentiæ confessio, 35. c. 38. b. 92. f
Panis vivi retributio, pro æterna mercede, 444. a. Panis vivus pro Eucharistia & beatitudine æterna, 426. e. *not.* e. 428. b. *not.* h.
Papyro eodem, 885. e
Parœmiæ Salomonis, 423. e
Partitudo, 1161. e
Pascham quæ, 531. b
Passio damnationis, pro sententia qua Christus ad patiendum est damnatus, 30. b
Pater nuncupatur qui est, 821. c. is qui est, *ibid.* c. e. ipse qui est, 805. b. unus ex quo, 829. c. Auctoritatem habet innascibilitatis, 829. c. Pater auctor ejus quem genuit, 831. e. 832. b. Pater est Deus Filii, quia ex eo natus in Deum est, 848. c. Pater potior, ut ingenitus à genito, 813. e. Filio major, 512. d. ex his, quæ ingenita in se erant, unigenitum procreavit, 809. b. omne quod est per caritatem atque virtutem nativitati ejus impertiens, *ibid.* ut voluit qui potuit, *ibid.* d
Parricidium in opera Dei, 820. a. Parricidale mendacium fratrum Joseph, 426. d
Paulus vocatur ex persecutore Ecclesiæ, 850. d. ex persecutore Apostolus, 891. e. 908. e
Paupertavit se, 228. b. 229. b
Peccator cæli, 334. d
peccati corpus, 153. e. 547. b. Peccato, id est, corpori nostro mortem adscribens, 992. e. Peccati legem in Christo exserebant inimici ejus, 218. d. id est, peccati pœnam, scil. jus mortis exserebant, *ibid.* f
Penes conscientiam, 1217. a
Per hoc, aut per id, quasi, consequenter, 1083. a. c. 1084. a. *& alibi.*
Peregrinum opus, id est, quod ad absentes destinatur, 1282. a
Perficere esse Deum, 969. b
Perfunctæ bonitatis, 621. c
Periculi humani nomina, 790. b
Periculosus thesaurus, id est, qui perire possit, 631. b
Permanere sonat in perpetuum manere, 312. b. Permanere inesse, 310. f
Permittit se in corda, quasi, intromittit se, 444. b
Personarum distinctio, 848. b. 841. c. d. 845. d. 847. c. Persona hominis in Christo, 103. f. 506. g. Persona formæ servilis, 95. e. 506. f
Pertinacia spei, 394. d. fidei, 392. e
Pharao etiam in casibus obliquis, 205. f. 206. a. 207. d. 921. *not.* a
Petra confessionis Petri, 903. e
Pœnarum arma, 264. c. ingenia, 351. d
Populus anterior, pro eo qui pertinet ad legem, 190. g
Potestas intra corpus manens, id est, Verbum, 649. f
Potiùs non, 141. e. 639. a. 781. e. 1134. c
Præ participes tuos, 1093. *not.* d
Præceptum, pro, præconceptum, 1097. e
Præsentia Dei per naturam suam distingui videtur ab ejus virtute ubique præsenti, 405. a. b
Præstaturus, 843. b. Præstatum, quasi præstitutum, 698. d
Præsumere pro assumere, 427. c. 801. b
Præteritores legis, 331. a
Præteritorum liber, 325. e
Presbyterium Romanæ ecclesiæ, 1339. a
Princeps corporis & animæ suæ Deus, 1044. c. Princeps originis nostræ Deus, 1048. a
Principalis natura, id est, divina, 439. b. Principale mandatum, 836. b. 922. e. Principale in lege, 500. a. Principale est quod Pater pater credatur, 1101. c. Principale Filii est natum esse, 1083. d. Principalissimum fidei nostræ, 1162. d
Procreavit Pater unigenitum, 809. b
Proficere ad crimen, 905. a. in antichristi spiritum, 908. a. ad viros sanguinum, quasi, ad id pervenire ut sint viri sanguinum, 128. d. Id proficit ad negandum fidem, 880. b
Profectu pleniore doctrinæ, 841. c. In quem profectum, 837. d
Professa nativitas, 937. d. Professa impietas, 361. f. 849. e. 933. e. Professa auctoritate, 1019. e
Propensa malitia, 73. d. Propensa dilectio tenebrarum, 25. d
Proprius sibi ac solitarius, 846. c. Prior, 281. e. 330. f
Proprietate generandi manet Deus innascibilis in illo quem genuit, 391. d. in illo scilicet quod ex se ac suum est, 392. a. In proprietate sua (ut Pater ita & Filius) unus est, 1083. b
Providentia, pro facultate providendi, 636. b
Publica bonitas, id est, quæ neminem excludit, 629. e
Pugna est diabolo, quasi, diabolus nititur, 314. d

Q

Quæro si, 861. a
Qui. Ipse qui est, & cujus est, 841. b
Quoad usque, 394. c. 495. b
Quotidem, 688. b. 708. a

R

Ratione subsistat, quasi, rationi consentaneum sit, 1042. b
Recursus pænitentiæ, 227. b. Recursum non morosum adhibere decedendi, 18. d
Referre, pro avertere, 18. d. Se referre pro se abstinere, 64. b. Referre naturas fluminum, 819. c
Religiones, pro actibus religiosis, 342. e. Religionum causis contrariæ impietatis causæ, 1114. a. Religionibus Salomon initiavit templum, 451. c
Reliquum esse, 1107. c. Reliquum non esse, pro nihil non habere, 927. a
Renovati ex carne in Deum, 800. e
Res communes Pater, Filius & Spiritus-sanctus, 790. b. Res naturæ, 960. e. 962. d. 1019. b
Resolutus, 153. e
Resurgere Deum quid sit, 1067. c
Reges in corpus, 485. a. Rex peccati, 209. c. d. Reges evangelici qui, 49. b. Reges terræ, 49. a. 282. e. 501. d. Reges cælorum, 137. c
Rheumam, 1240. b
Romana lingua, id est, latina, 45. c
Romani eodem sensu, 1298. *not.* g

S

Sabbatum sæculare, 240. e
Sacramenta Ecclesiæ, 457. b. Sacramentum baptismi, 211. a. 258. b. 492. e. novæ nativitatis, *ibid.* b. 240. c. novæ generationis, 440. c. regenerationis, 903. a. 909. c. Sacramenta baptismi & Spiritûs, 629. e. Sacramentum aquæ & ignis, 623. c. Sacramentum divinæ Communionis, 223. e. Sacramentum carnis & sanguinis, 957. d. Sacramenta novæ gratiæ, 649. a. Sacramenta humanæ salutis, 221. b. 874. d. Sacramenta salutis humanæ per regenerationis virtutem in Patre & Filio consummantur, 874. c. Sacramenta dispensationis mundo salutaria 861.

Index Glossarum.

861. a. Sacramenta cælestis misericordiæ, 862. e. Sacramentum salutis nostræ, 919. b. Sacramenta divinorum officiorum, 174. d

Sacramentum scientiæ Dei, 935. c. Sacramentum æternæ dispositionis, 146. f. Sacramentum legis, 1001. b. Sacramentum evangelicum, 1000. e. Sacramentum nobis est, non Deo, assumtio nostra, 986. c. Sacramentum fidei, 661. b. 919. c. 969. c. Sacramenta fidei, 493. b

Sacramentum pro natura, 1078. a. Christus non aliud secundùm sacramentum, quàm secundùm dispensationem est locutus, 1093. c. Sacramentum est Deus Christus, 1025. d. e. Sacramentum naturæ, 1009. a. Deus in sacramento naturæ suæ manens homo natus est, 1049. c. Sacramentum unius Dei, 995. e. 1001. b. e. Sacramentum Dei nec in solitudine, nec in diversitate, 1006. c. d. Sacramentum substantiæ Dei, 893. d. Sacramentum divinitatis Christi, 1067. a

Sacramentum pro proprietate, 1083. c. Sacramentum paternum est auctorem esse nativitatis, 1004. a. Sacramentum filii, 919. e. 1031. b. Sacramenta spiritalia, quasi, proprietates quæ in Christum ut Spiritus ac Deus est conveniunt, 977. b. Sacramentum unum & idem est dictorum Christi quod generis, 987. b. e. Sacramentum nativitatis, 921. d. e. 998. e. Sacramentum naturalis nativitatis, 1001. d. Sacramentum susceptionis, 1028. b. Sacramentum hominis, 987. c. Sacramentum cohabitationis, 963. b

Sacramentum pro figura, 719. d. Sacramentum opponitur necessitati, 1110. a. Sacramentum passionis Domini, 215. d. Sacramentum veræ prudentiæ, 202. f. Sacramentum pro jurejurando, 155. f. 236. b. 239. e. 323. b. c. 447. b. 452. a. e. 628. b. d. Sacramentum impænitentiæ. pro juramento non pænitendo, 392. e

Sæculum pro gente à Deo aliena, 613. c. not. e. Sæculi sermo, 798. d. Sæculi homines, id est, gentiles & infideles, 20. d. 25. b. 990. c. Sæcularis vir, eodem sensu, 19. c. Sæcularis ambitio, 1294. a

Salvator, 821. b

Salvari beatitudinem perfectam sonat, 333. b

Sanctitatis titulus à Liberio adscriptus Osio, 1334. e. Orientalibus, 1337. a. Vincentio Capuano, 1340. a. Eumdem sibi invicem tribuunt episcopi, 1360. c. 1361. c. Sanctissimus ab Eusebio cognominatur Gregorius Span. 1056. a. Sanctitas sacerdotii, 1355. d. Sancta synodus, 1283. d. 1288. d. Sanctum Concilium, 1360. c. Sanctus rex, 1267. a. Sancti Imperatoris Comitatus, 1339. a. Sancti, pro fidelibus, 1038. f

Sanctificata opera, quibus peccaverant Dathan & Abiron, 226. c

Satisfactio pro prii obsequii, 550. d

Scandalizantibus & scandalizaturum, passivè, 740. f. 1059. c

Σχοινίον, 509. d

Scholaris materiæ lites forenses, 784. a

Scientia ignorationis, id est, quam ignoratio præcesserit, 25. g

Sub secreto, quasi, quamdiu latet aliquid, 673. a

Secundùm pro in modum, 210. a. 405. b. 530. a. 884. d. 899. b. *& alibi.*

Secunda beatis & proximis Deo, 500. a

Sementiva ineuntis Spiritûs efficacia, 801. c

Sentiendi intelligentia, & sententia intelligendi, 770. c. Sensus fidei ad sensum non sentiendi doloris corpora demutat, 1065. c.

Sententiare, 1314. a

Sepultus est æternus, 774. c. d

Sequi naturam suam, 876. b. Sequitur pater nativitatem, 936. c

Similitudo indiscretæ naturæ in Filio, 936. c. Similitudo unita naturæ, 941. e. 942. Deus ex Deo ex similitudine generis unum sunt, 943. c. Filius Dei genitus in similitudine naturæ, 457. a

Sinceris in recto casu, 534. e. ita & in sexto, sinceri, 200. a.

Solitudo, pro eo quod est solum, 929. f Solitarii & solius vocabulo quæ vis, 838. c. 920. d

Spania, Spaniæ, Spanensi, 1292. d. 1356. a

Species opponitur veritati, 863. a b. Per speciem corporis assumti mors in filium Dei incidit, 33. c

Speciositatem justitiæ præferre, 727. a

Speculatorium, 92. a

Spero, prò opinor, 875. a. Spero ut, 888. d

Spes omnes, 415. b. Spebus, 1107. a. 1113. c

Spiritus pro divina natura, 222. e. 671. a. 672. a. 691. a. b. 781. a. 931. e. 957. c. In Spiritûs veritate subsistere, pro verum Deum esse, 781. a. Spiritus pro Verbo, 616. d. 618. b. 619. b 1020. e. Spiritus-sancti, id est Christi Dei libertas, 618. a. Spiritus-sancti donum, pro divina Verbi operatione, 649. e. Spiritus-sanctus naturæ se humanæ carnis immiscuit, 801. b. Spiritus per quem, & Spiritus in quo, 966. a. Spiritus-sancti natura ex Deo per unigenitum manens, 1142. b. Spiritus natura, in quam quod carnale est per gloriam devoratur, 1110. e

Spiritalis, id est divinus, 544. d. Spiritalis gloria, id est divina, 735. b. Spiritalis corporum ædificatio, id est gloriosa resurrectio, 70. b. Spiritalis unctio, pro naturæ divinæ communione, 961. d. Spiritalis conceptio Christi, 1048. c. 1058. e. Spiritalia Christi sacramenta, pro iis quæ ad divinam ipsius naturam attinent, 977. b. Spiritales oculi, id est oculi quibus videt Christus ut Deus, 519. d

Subjectio Filii, 1192. d. 1195. e

Subrependæ oblivionis, 281. c

Subsecundat, 642. d

Subsistere, pro exsistere, 24. b. Subsistens natura in Filio, 875. d. Subsistentis originis natura, id est, natura ejus ex quo subsistit, 887. d. Filius subsistit in natura Dei, 1086. c. in substantia qua genitus est, 829. f. Subsistit in his ipsis ille qui genitus est, quæ totus est ipse qui genuit, 876. b. Subsisterit esse ex Deo, 885. c. ut subsistat esse, 887. e. Subsistere, pro propriam exsistentiam habere, 779. b. c. d. 821. e. Subsistentes Pater & Filius, 856. d. Subsistentes esse distinguit significatio, 845. d. Subsistens Filius ex subsistente Deo, 926. c. Subsistentis Christi nativitas, 983. c. Subsistere ex alio, pro alienam ab auctore substantiam habere, 821. c. Subsistentia extrinsecùs Deo, 1032. c

Substantia pro subsistentia, 1181. d. pro personis subsistentibus, 1170. d. 1172. a. Substantiæ tres Pater, Filius, Spiritus-sanctus 881. d. Substantia naturæ opponitur speciei, 1137. c. Substantia veræ nativitatis, 921. e. 928. a. 953. c. In substantiam nativitatis exisse, 900. c. Substantiam provehebat generatio, 1007. b. De substantia Dei auditurus, sensum ad ea quæ substantiæ Dei sint digna moderetur, 776. d. Substantia Dei usque ad naturam hominis nascendi se humiliavit, 98. b. Substantia in Christo ea non erat, quæ se ipsam inaniens hauserat, 216. d

Substantia soliditatem sonat, 24. a. Substantia creaturæ, 890. d. Ad substantiam universitatis, id est, ut exsistere incipiant universa, 970. b. Substantia cælestis, id est, quæ cælestium rerum conditione donetur, 935. e. Substantia animæ, in quam terrenæ materiæ gravitas abolenda, 658. a. *V.* 732. c. Substantiam æternitatis Ecclesia ex Adæ sui æternitate mutuatur, 91. a. Substantia æternitatis, 632. d. Substantia vivendi, 633. c. vitalis, 634. a. Substantia animarum corporea, 633. a. Substantia utendi, quasi, quæ utatur, 621. c. Substantiam dandæ salutis non habere, 669. a. Substantiam permanendi habet sol, 236. c

Substantibus, 779. b. Non substantivus Deus, 1048. c

Substituere, pro, subsistentem efficere, 981. a. Res ex re substituta, 1007. a. Substitui pro creari, 770. f. Substitutus, 890. b. Substitutio ininitiabilis, 1040. e. Substitutionis suæ Deum nativitas confitetur, 1090. a. Substitutio, quasi res creata, 821. d. Substitutiones elementorum, 1004. c. Substitutio pro successione, 38. e

Summa dispensationis, 1007. a. idem est quod sacramentum totius dispensationis, 1008. c

Superbibunt, 396. not. k

Super quàm, 73. d. f

Supersapere, 1070. b

Susceptionis sacramentum in natura indemutabili, 1028. b

Suppurata impietas, 1186. e. Suppurata consilia, 1223. a

T

Tamquam *& ut vim diversam habent*, 1054. a

Temperato spiritu virtutis suæ in usum ac naturam animantium Deus omnia replet, 487 a. temperationis suæ spiritu in omnia transfusus, 487. b

Tempus cognitionis, 796. a

Terrenum opponitur cælesti ac divino, 883. d. e. Terrena natura, pro humana, 216. f

Terriculi, 180. b

Teste presbyterium, 1339. a

Theoteta communis Patris & Filii, 733. f. Theoretam, 689. e

Totidem numerus, 683. b

Thronuum, 92. not. e. 472 not. e

Totus Deus, 1104 e. unum est, 1025. a. Totus Pater, 1024. d. e. Filius neque Patri ademit quod totum est, neque hoc totum non tenuit, 978 e. Totus ac totum respectu Christi quid, 41. b. not. a. Totus Christus non aliud aliquid quàm Deus, 974. e. Totus Filius, homo scilicet & Deus, 1007. c. Totum Deus Verbum est, totum homo Christus est, 1069. c. Totus hominis filius totus Dei filius est, 1049. b. Christus totus in forma servi 557. b. Totum se præstare quod Deus est, 1107. a. Homo & Deus (in Christo) jam Deus totum est, 1105. b. Totus homo totus Deus Christus post hominem in Deo, 987. a. b. Totus homo, id est, universi homines, 616. d

Transire indigentem, id est, opem ei denegare, 39. e

Τρίβος, 273. d. 509. d

Tribulata via, 269. a. 550. a

Tyrannis Dei, 1245. c. Tyrannus non humanorum, sed divinorum, 1242. b

V

Vacuitatis dispensatio, 1010. d

Valentini, quasi, Valentiniani, 790. c. Valentina hæresis, 883. a

Vector passivè, 643. a. 713. a

Veneo activè, quasi vendo, 657. d. 714. c.

Venire conscientiam boni operis, 735. d

Veritas pro vera natura, 779. f. Veritas opponitur speciei, 863. a. c

Viaticum æternitatis, 68. c

Vilitate ethnici negligi, 700. c

Vinculati, 345. d

Vincunt esse irreligiosi adversùs eos qui religiosi sunt, 948. e

Virtus Christi, pro divinitate Christi, 40. a. 555. a. 557. b. 618. c. not. e. 650. a. Virtus æterna, 380. f. 545. c. Virtus æternitatis, 588. d. Virtus indefessa, 449. d. 450. d. Virtus innascibilis, 849. b. Virtus una innascibilis, 834. a. Virtus substantiæ Christi, divinitas ipsius, 32. d. Virtus Dei Deo à dextera consedit, 138. b

Virtus naturæ, ad significandum Verbum, 32. d. 918. a. 1007. c. 1027. b. 1058. d. Virtute naturæ suæ res naturæ nostræ

Christus peregit, 987. d. Virtute naturæ suæ passus, ut & virtute naturæ suæ natus est, 1066. a. Virtute naturæ suæ excepit unigenitus Deus infirmitates nostras, 106. a. Virtus substantiæ eodem sensu, 32. d. Virtus corporis, 1051. a. 1064. a. 1066. b. V. 650. a. Virtus originis, 1045. b. Virtutem naturæ, quæ in homine operata est, Deum esse non ambigit Sabellius, 918 a. Virtutes naturales passionum, 100. c. Virtus propriæ naturæ nulla, id est, nulla res sibi propriam naturam dedit, 587. a
Virtutum numquam otiosarum constitutio, 239. a. Virtutes cælorum, 85. b. Virtutes in cælo plures sunt & efficientes & æternæ, 820. c. Virtutes cælestes, Angeli, 333. c. 334. e. Virtutes throno Dei adsistentes, 494. c. Virtutum cælestium in nostra ...cia, 620. b. Virtutes Christi in Apostolis, aut etiam ipsi sunt Apostoli, 197. d. Virtutes evangelizantes, 197. c. Virtutes, id est exercitus, 141. d. Virtutes originariæ sæculi, 476. a
Vitas revertentes, 901. c. In vitam vitæ cælestis animari, 265. f
Vivit ignis per materiam, 936. d
Unicus pro singulari, 975. b
Unigenita majestas, 780. e
Unimores, 194. c. 195. d
Unio, masculini generis, 969. *not.* f. Qua ratione ab antiquis intellecta sit hæc vox, 854. b. *not.* c. Unionis hæresis, 1166. e. Unio Sabellii, 885. c. 918. b. c. 920. c. 920. d. 933. c. 969. c. e. Unio in Deo detestanda, 1354. a. ita ut non unio divinitatis, sed unitas sit, 1354. b. Unionem detestantes, unitatem tenemus, 885. c. Unio non habet nativitatem, 1164. c. Unionem alius non permittit, 855. d. Unionem dividit Sabellius, 833. c. 881. c. Unionis à Sabellio divisæ crimen, 885. b. Unio nominis, 1174. b. 1178. e
Unus pro solo & singulari, 938. a. 950. c. Unum non unus confitendus est Pater & Filius, 938. b
Unita caro in gloriam Verbi, 1008. a. Unitati paternæ naturæ totum Filium inesse, 1007. c. d. Unitatis offensionem intulerat novitas dispensationis, 1008. b. Unitas gloriæ suæ per obedientiam dispensationis excesserat, 1009. b. Verbum carnem factum in naturæ paternæ etiam secundùm hominem redire, 1008 a
Universitas, quasi, universa, 1024. d. Universitas pro mundo, 85. a. 1133. b. 1134. e. Universitas, 1024. c. opponitur portioni, 54. a. 86. d. 1025. d. 1033. b. Universitas sermonis, 1096. a. Universitatis nostræ naturam Christus in se continet, 1091. d. universitatis nostræ caro factus, 107. c
Ad velle, 1037. d
Voluntas morientis & potestas non diu mori, 1043. c. *not.* d. Voluntatis lex, 357. b. Voluntatis sapientia, 947. e. Voluntatis ignoratio, id est voluntaria, 359. d. Voluntatis vitium, 761. e
Usia, 828. c. 830. a. 1228. a. 1347. c. 1348. b. d. 1353. d. 1354. 1355. a
Utenda beatitudo ac bonitas Dei, 34. e. f. Utendarum voluptatum ratio, 632. e
Utiles olei mercatrices, 322. f. Utilis oneri, 238. a
Utilitas pro his quæ ab hominibus existimantur utilia, 276. b.

ERRATA.

IN TEXTU.

PAg. 270. *lin.* 27. ἰδόν : leg. ἰδών.
354. *l.* 29. operitur ; *l.* opperitur.
736. *l.* 25. operiebantur : *l.* opperiebantur.
In synopsi libri 5. de Trin.
lin. 8. quinto : *leg.* quarto.

IN NOTIS.

284. *ad notam f. l.* 2. victori à : *leg.* victoriâ.
674. *ad notam. h. l.* 5. quarto : *leg.* tertio.
1255. *ad notam b.* isis : *leg.* ipsis.

IN INDICE SCRIPTURÆ.

Ad Jerem. 23. 22. . . . 770. *leg.* 776.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux les Gens tenans nos Cours de Parlemens, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hôtel, Baillifs, Seneschaux, Prevôts, Juges, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Justiciers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nos chers & bien amez les Religieux Benedictins de la Congregation de saint Maur, Nous ont fait remontrer qu'ils desireroient faire imprimer un Livre intitulé, *Sancti Hilarii Pictavorum Episcopi quotquot exstant Opera ad manuscriptos codices Gallicanos, Romanos, Belgicos, nec non ad veteres editiones castigata, operâ & studio Monachorum Ordinis sancti Benedicti è Congregatione sancti Mauri*, s'il nous plaisoit leur en accorder la permission, & nos Lettres sur ce necessaires, qu'ils nous ont tres-humblement fait supplier leur octroyer. A CES CAUSES, Voulant traiter favorablement les Exposans, Nous leur avons permis & permettons par ces Presentes de faire imprimer ledit Livre, en tels volumes, tomes, marges, caracteres, & autant de fois que bon leur semblera, pendant le temps de quinze années consecutives, à commencer du jour qu'il sera achevé d'imprimer pour la premiere fois, iceluy vendre, debiter & distribuer par tout nostre Royaume & terres de nostre obeïssance. Faisons défenses à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre ny debiter ledit Livre, sous quelque pretexte que ce soit, mesme d'impression étrangere, ou autrement, sans le consentement des Exposans ou de leurs ayans cause, à peine de confiscation des exemplaires contrefaits, trois mil livres d'amende, payable sans déport par chacun des contrevenans, applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers aux Exposans, & de tous leurs dépens, dommages & interests ; à la charge d'en mettre deux exemplaires en nostre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet des Livres de nostre Chasteau du Louvre, & un en celle de nostre tres-cher & feal le sieur Boucherat, Chancelier de France ; de faire imprimer ledit Livre dans nostre Royaume & non ailleurs, en beaux caracteres & papier, conformément à nos Reglemens des années 1618. & 1686. & de faire registrer ces Presentes és Registres de la Communauté des Marchands Libraires de nostre Ville de Paris, à peine de nullité des Presentes, du contenu desquelles vous mandons & enjoignons faire joüir & user les Exposans, ou ceux qui auront droit d'eux, pleinement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles & empeschemens au contraire. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Livre l'extrait des Presentes, elles soient tenuës pour deuëment signifiées, & qu'aux copies collationnées par un de nos amez & feaux Conseillers-Secretaires foy soit ajoûtée comme au present Original ; Commandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, faire pour l'execution des Presentes tous exploits, significations, défenses & autres actes necessaires, sans demander autre permission : Car tel est nostre plaisir. Donné à Paris le douziéme jour de Fevrier, l'an de grace mil six cens quatre-vingt-neuf, & de nostre Regne le quarante-six.

Par le Roy en son Conseil, NUGUET.

Registré sur le Livre de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de Paris, le quatriéme Juin 1693. Signé, AUBOUIN, Syndic.

Et les RR. PP. Benedictins ont cedé leur droit de Privilege à François Muguet, Imprimeur du Roy, du Clergé de France & de Monseigneur l'Archevesque, pour en joüir suivant l'accord fait entr'eux.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le treiziéme Juin 1693.

Les Exemplaires ont esté fournis.



212

S. HILARII OPERA